D. LVCAS EVAN-GELISTA.

RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI, IN Euangelium Ieſu Chriſti ſecundum Lucam Homiliæ CCXV.

ACCESSERVNT *operi Indices duo Rerum & Verborum: Locorum item Communium, qui hoc libro explicantur.*



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioan. 1.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS. M. D. LXX.

Pro Joanne [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
1570.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. CHRISTOPHORO, COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIAE, &c.

Domino ſuo clementiſſimo: Gratia & pax à Deo Patre per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.

SI DIVINVS SCRIPTOR, LVCAS EVANGELISTA, nihil præter officium fecit, quando hiſtoriam æterni Filij Dei Ieſu Chriſti, quam in communem totius Eccleſiæ vtilitatem conſcripſit, nominatim Theophilo dedicauit: nemo cordatus opinor mihi vitio verterit CHRISTOPHORE Princeps illuſtriſſime, quòd meas in illum Lucubrationes ſub felicibus tuæ Clementiæ auſpicijs in lucem exire volui. Fuit enim Theophilus vir illuſtris & in publica authoritate conſtitutus, cuius multa in Eccleſiam beneficia extitiſſe credibile eſt: certè non vulgaris fidei & pietatis argumentum cenſeri debet, quòd ſolus ferè inter ſui loci & ordinis homines illo tempore inuentus ſit, qui cauſam hanc odij & periculi plenam ſuſcipere auſus fuerit. Similem huius noſtro ſeculo Deus excitauit parentem tuum, Illuſtriſs. Principem FRIDERICHVM, Electorem: quem & ipſum non puduit puriorem Eccleſiarum Chriſti doctrinam, quam alij communi Veritatis odio accenſi, alij ignorantia faſcinati aut decepti perſequebantur, propius cognoſcere, & cognitam amplecti: etiamſi non ignoraret, quantam ea res inuidiam, & quàm multa quamq; grauia pericula ipſi paritura eſſet. Fuit ea pietas grata admodum multis fidis Chriſti cultoribus, quibus apud ſe aſylum tutiſſimum aperuit, ſibijpſi verò laudem & gloriam immortalem acquiſiuit. Te verò CHRISTOPHORE Dux, paternæ virtutis vt hæredem, ita imitatorem acerrimum eſſe omnes prædicant, qui tecum aliquando familiarius verſati ſunt. Ego certè cùm ab hinc biennio hâc tranſires, non obſcura præclaræ pietatis ſemina in te deprælıendiſſe mihi videbar: quæ ab eo tempore vnà cum ætate non pœnitendis incrementis aucta eſſe, amici teſtantur, quibus ego fidem derogare neque poſſum neque debeo. Mihi autem tunc imprimis probabatur grauis illa facilitas, qua te mores & ſermones tuos ita moderari videbam, vt nihil tanti parentis filio indignum faceres, grauitatem verò illam non minus feſtiua quàm mirifica erga omnes affabilitate condires. Placuit ea noſtris hominibus quàm maximè, apud quos tui memoriam & iucundam & honorificam reliquiſti: me verò eius recordatio ſic mouet, vt nihil non mihi de tua benignitate pollicear, & ſperem te nunc ad te venientem Lucam noſtrum eo vultu excepturum eſſe, quo tunc me qualemcunque Chriſti miniſtrum domi meæ conuenire & alloqui dignatus es. Nec enim illorum peruerſis iudicijs moueris, ſat ſcio, qui dona literaria ad principes viros pertinere negãt, indigniſsimum autem facinus eſſe arbitrantur, ſi quis apud eos de ſacris verba faciat, aut eorum lectione illos occupari velit, quæ ad Scripturæ Sacræ interpretationem faciunt. Quia enim eo parente natus es, qui tibi viuum omnis virtutis exemplar in ſemetipſo præfert, & ab ineunte ætate ſub doctiſsimis pijſsimisq; præceptoribus inſtitutus es, denique (quod de Timotheo ſuo Paulus dicebat) à puero ſacras literas nouiſti: non potes ignorare, nihil principe dignius, nihil reipublicæ vtilius eſſe ſyncero & ardenti veræ religionis

ſtudio, quæ nos cum Deo omnis boni authore conciliat, vt inter infelicis mundi horribiles motus ſub illius alis tutò & feliciter degamus. Mirum autem eſt inter Chriſtianos homines inueniri, qui vt apud Principes bonam gratiam ineant, ea perſuaſione eorum animos imbuere audent, quæ illos præcipua ſuæ gloriæ & dignitatis parte ſpoliat, & eorum authoritatem, qua imprimis armatos eſſe oportet, quàm maximè labefactat. Quid enim in illis reliquum erit quod authoritatem mereatur, ſi religionis exiſtimationem ab eis auferas? Num ſapientia? Atqui hac non omnes inſtructi ſunt, eadem autem in multis inuenitur, qui vulgò contempti & obſcuri ſunt. Num iuſtitia? Sed & hæc multis deeſt, qui ſibi quod libet licere putant. Num potentia? At ſi hæc per ſe æſtimetur, maior eſt apud populum, qui illos multitudine & viribus vincit. Num generis nobilitas & præclara maiorum virtus? Sed ne hæc quidem ſola ſufficit. Eſt quidem non pœnitendum Dei donum, ex familia illuſtri & maioribus verè generoſis progenitum eſſe, qui virtutum exemplis & factis heroicis clari habentur: quantum item momenti ad Regnorum conſeruationem & pacem publicam afferat legitima Principum ſucceſſio, quos antiqua ſtemmata & hæreditaria virtutis exiſtimatio commendant, Regni Iuda cum Iſraelitico diligens collatio abunde docet. Verumtamen apud degeneres ne hęc quidem gloria perpetua eſt, & plerunque maiorum ſuorum exemplis damnantur, qui relictis eorum veſtigijs, vitam in ignauia aut vitijs turpem tranſigũt. Sola igitur religio reliqua manet, quæ magiſtratũ gerentibus authoritatem cõciliat, dum docet, eos à Deo inſtitutos eſſe & Dei ſeruos, quibus obedientia debeatur, nõ tam ſupplicij metu, quàm propter conſcientiã, ne Dei irã in nos prouocemus, ſicuti Paulus grauiter teſtatur. Quis ergo ſanæ mentis homo Verbi Dei et religionis ſtudiũ ad Principes pertinere negauerit? Quantò rectius olim Poetæ, qui Reges θεογενεῖς, id eſt, Dijs genitos dixerunt? Quem honorem etſi poſteris temporibus multi nimiùm ſeruilis ingenij homines adulatoriè magis quàm ſeriò tyrannis quoque impuris & crudelibus detulerint, primi tamen illi, quos & propria eruditio, & priſcorum temporum grauitas commendat, altius quid & ſublimius ſpectauerunt. Etenim hoc omnibus perſuaſum eſſe cupiebant, magiſtratus ſiue principatus ex Deo eſſe, ideòque non vulgarium hominum loco, ſed pro Dei filijs aut Semideis eos eſſe habendos, qui in illo dignitatis atque potentiæ faſtigio conſtituti ſunt. Iidem præterea tanti nominis ſplendore Reges non arroganti aut ſtulta præſumptione inebriare voluerunt, ſed potius ſui officij admonere, vt ſuæ dignitatis memores, Deum audiant, & huius ingenium atque mores referre ſtudeant. Ita denique inſedit omnium Regum atque Principum animis hæc ſententia, vt quotquot inter gentes ſapientiæ & iuſtitiæ exiſtimatione claruerunt, religionem aliquam non vulgarem ſimulare, & legum ſuarum originem ad aliquem Deorum referre ſoliti fuerint: quòd viderent, illis non vlla alia ratione authoritatem ſolidam & ſtabilem conciliari poſſe. Zoroaſtes certè, qui Nini temporibus apud Bactrianos & Perſas regnauit, legum quas ferebat authorem fecit Oromazonem, vel Meſoromaſdem (quod nomen ei Plutarchus tribuit) quem illi Deorum optimum & omnis boni authorem eſſe credebant. Mercurius autem ille Triſmegiſtus, ſic Aegyptijs dictus, quòd & philoſophos omnes ſapientia, & ſacerdotes omnes religione, reges autem omnes potentia ſuperare crederetur, leges ſe à Mercurio auo ſuo accepiſſe, populo perſuaſum voluit. Minos, qui Cretenſibus leges dedit, ſe cum Ioue familiarius conuerſari, & huius ὀαριςὴν ſe eſſe fingebat, vt illis inde pondus maius accederet. At Charondas, Carthaginenſiũ Legislator, Saturnum legum ſuarum conditorem nominabat. Lycurgus, vt ſuas Lacedæmonijs commendaret, eas ab Apolline primum æditas eſſe teſtabatur. Simili

ratione

ratione Solon & Draco adducti ſuas ſub Mineruæ nomine promulgauerunt, quam apud Athenienſes ſuos in ſummo honore & pretio eſſe ſciebant. Quid Numam referam, qui vt Romanos in armis enutritos legum diſciplinæ aſſuefaceret, nocturnos ſibi cum Aegeria Nympha cõgreſſus eſſe ſimulauit? Sed quid iſtos commemorare attinet, quos ſapientiæ, & eruditionis politioris ſtudium perſpicaciores fecit, quando barbarus ille Xamolxis, Scytharum Rex, efferam & immanem gentem non aliter quàm numinis reuerentia cicurari poſſe vidit, & proinde legibus abs ſe latis authorem fecit Veſtam? Taceo infelix illud diaboli mancipium, Mahumetem, qui Alcorani ſui, quo fabulas & commenta non minus impia quàm pudenda complexus eſt, authoritatem nullam fore intellexit, niſi illius authorem faceret Gabrielem archangelum, quem ſecum familiarius colloqui mentiebatur. Et hæc quidem olim finxerunt, quos veri Dei ignorantia apud homines æquè ignorantes, exiſtimationis & dignitatis ſuæ præſidia vndequaque conquirere coegit. Nos autem iſta commemoramus, non quòd nugatorum eiuſmodi fabulæ nobis probentur, ſed vt noſtrorum hominum ſtultitiam arguamus, qui religionis curam atque ſtudium Principes viros minus decere arbitrantur. Hi vt ne de humanis quidẽ rectè iudicare poſſunt; ita neſciunt, quantò præſtantior feliciorque ſit Chriſtianorum principum conditio, quos ad cõmenta eiuſmodi recurrere nequaquam eſt opus: quando conſtat, eos reuera θεογενεῖς, aut ex Deo genitos, & poteſtate diuina armatos eſſe, à Deo denique ipſo leges accepiſſe, quas ſequi vt illis tutiſsimum, ita toti populo & reipublicæ ſaluberrimum fuerit. Cur enim de generis aut natalium nobilitate dubitent, qui non minus ad ſe quàm vulgus Chriſtianorum pertinere ſciunt, quod de veræ illius θεογονίας ratione Ioannes Euangeliſta tradidit, de æterno & vnigena Dei Filio, Ieſu Chriſto, ſic ſcribens? Quotquot eum receperunt, ijs poteſtatem ſiue dignitatem dedit, vt filij Dei fierent: nempe ijs, qui credunt in nomen eius: Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti ſunt. En ex Deo genitos & Dei filios dicit Apoſtolus omnes eos, qui credunt in nomen Ieſu Chriſti, id eſt, qui Ieſum hunc, qui ex Maria Virgine homo natus eſt, agnoſcunt promiſſum illum humani generis vindicem atque ſeruatorem eſſe, quem Pater ex æterno decreto vnxerit oleo letitiæ, vt eum Eccleſiæ ſuæ Regem & Sacerdotem conſtitueret. Quòd, ſi Dei filij ſunt Chriſtiani omnes, quis Dei filios eſſe negauerit Reges & Principes, qui eadem fide præditi, Filium illum Dei æternũ oſculantur & reuerenter colunt? Vel num diuina poteſtate armatos eſſe dubitabimus, quos ipſe Deus in hoc faſtigium euexit? quos ex ſuo nomine Deos dici voluit? quos denique ſuæ Eccleſiæ, qua nihil in terris pretioſius habet, nutritios fecit, vt Iſaiæ verbis vtar? Quis verò Legum & iuris publici authoritatem contemnat, qui iudicium omne Domini eſſe nouit, & Eccleſiam ex Spiritus Sancti mandato ſeu ſuggeſtione precari audit: Deus iudicia tua Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis: vt ius dicat populo tuo ex iuſtitia, & afflictis tuis in iudicio? Hæc conſideratio principes imprimis decet, & ijſdem quàm maximè neceſſaria eſt: quia vt authoritatem veram illis conciliat: ita in periculis, quæ ipſis multa & grauiſsima impendent, efficaciſsimè conſolatur, & ſimul eoſdem in officio continet, ne cæca potentiæ ſuæ fiducia ebrij cupiditatibus prauis indulgeant, aut impotenti affectuum libidine abripi ſeſe patiantur, dum quid poſsint volunt oſtendere. Meminerint ergo, authoritatem qua illos Deus armauit, tunc demum ipſis ſaluam fore & ſtabilem, ſi officium diligenter faciant, & illum animo toto honorent. Itaque occinant ſibijpſis frequenter, quæ in Scripturis Spiritus Sanctus illis loquitur. Eſt inter ea cumprimis memorabile, quod in Pſalmo ſecundo apertis quidem Ieſu Chriſti hoſtibus dicitur,

ſed ita dicitur, vt ſimul omnibus quoque ijs conueniat, qui in populo Chriſtiano rerum potiuntur. Sapite (inquit) ô Reges, erudimini iudices terræ: Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore: Oſculamini Filium, ne iraſcatur, & amittatis viam: Breui exardeſcet furor eius: Beati omnes, qui ſperant in eum. Pauca verba, ſed plus quàm aurea vel gemmea, & digna, quæ in portis, in compitis, in foro, in curijs, in palatijs & cubiculis Principum omnibus, imprimis autem cordibus eorum inſcribantur. Non iubet diuinus Pſaltes, vt abiecto ſceptro & poſitis Regni inſignibus vitam priuatam viuant (quod hodie Anabaptiſtæ, fanaticum & ſeditioſum hominum genus, exigere audent, quaſi nemo ſimul & magiſtratum gerere & Chriſtianum agere poſsit) ſed vt intelligentes ſint iubet, & verè ſapiant. Quia enim in populo capitis inſtar ſunt, in quo oculi corpori vniuerſo proſpiciunt, aures omnibus membris audiunt, cerebrum ijſdem ſimul omnibus reminiſcitur, cogitat, ratiocinatur, ſapit, os denique cibum acceptum ad ſtomachum tranſmittit, vt illic digeſtione facta alimentum in omnes corporis partes diſtribuatur: hæc eadem Principes reipublicæ toti & ſingulis in ea agentibus præſtare debent. Primi ergo pericula prouidere, primi afflictorum querelas audire, earundem recordari, & tam de publica totius populi quàm priuata ſingulorum ciuium ſalute cogitare & cõſilia ſuſcipere debent. Eſt hoc magni laboris opus, & quod ſeriò conſideratum facilè animos torpentes excitare, otium ignauum procul expellere, & illicitarum voluptatum ſtudia prohibere poterit. Plutarchus author eſt, Perſarum Regibus ex more veteri cubiculariũ fuiſſe, qui diluculo cubiculum regiũ ingreſſus clamaret: ἀνάςα ὦ βασιλεῦ, κὴ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φοντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠθέλησε Id eſt, Surge ô Rex, & negotia cura, quæ te curare voluit Meſoromaſdes. Quo loco idem author ſubijcit: At erudito prudentiq́; Principi intus in animo adeſt, qui ſemper idem dictet & iubeat. Nam cùm in ſingulas horas occurrant, quæ illum de functionis ſuæ difficultate & quæ hanc comitantur periculis admonent, facilè videbit ſapientia ſingulari ſibi opus eſſe, neque aliquem otio aut ſocordiæ locum dari poſſe, niſi & ſeipſum & ſuæ fidei creditum populum in diſcrimen extremum adducere velit. Quod probè obſeruans Solomon, cùm quiduis poſtulandi copiam à Deo ſibi factam audiret, non vitam longæuam, non immenſos opum theſauros, non hoſtium ſuorum animas, ſed cor intelligens & ſapiens ſibi dari petijt, vt populo ius dicere, & ſalutem publicam tueri poſſet. Quæ poſtulatio tantopere Deo placuit, vt incomparabili ſapientiæ, qua eum donabat, diuitias ſimul & gloriam adijceret, quibus omnes orbis terrarum Reges longè ſuperauit. Cæterùm quia tanti momenti res eſt, vt Principes ſapientia vera atque ſolida inſtructi ſint, Dauid eos non ſolùm ſapere iubet, ſed inſuper, vt ſeſe erudiri patiantur, grauiter monet. Erudimini (inquit) iudices terræ. Eſt quidem ſapientiæ author vnus Deus, cui ſoli in corda & animos hominum ius eſt: ſed is per organa agit, inter quæ primus locus Verbo eius debetur. Ad huius ergo diſciplinam principes remittuntur, cui niſi ſeſe ſubiecerint, nunquam verè ſapient, neq; quid facto opus ſit, intelligent. Viderũt quidem olim gentes quoq;, quanti hîc poſsit inſtitutio, & ideò Plutarchus apud Principes cumprimis philoſophandum eſſe docuit, vt eorũ animi curentur, quos pro multis ſolicitos eſſe, multis item ſapere & multis ius dicere oportet. Sed & Reges potentiſsimi alijq́; illuſtres viri plerunque filijs ſuis Præceptores dederunt philoſophos, ſibi quoque frequenter eos accerſiuerunt, quos eruditione & rerum vſu præ alijs excellere videbant. Sic Anaxagorã Pericli, Dioni Platonem, Italiæ primatibus Pythagoram, Athenodorum Auguſto Cæſari, familiares fuiſſe legimus. Et Philippus Macedo Alexandrum filium ab Ariſtotele inſtitui voluit: Scipio autem

autem Aphricanus præceptorem habuit Panætium, cuius hodie etiam celebratur ſententia iſta, quam principes viri perpetuò meditari debent: Vitam hominum ex improuiſo aſſidua & propè quotidiana pericula ferre, ad quæ cauenda animo ſemper intento eſſe oporteat, vt ſunt athletæ: Sicut enim illi in certamine caput manibus oppoſitis, quaſi vallo præmuniunt: ita animus ſapientis aduerſus petulantias iniuriarum, ictusq́ fortunæ debet eſſe erectus, arduus, ſeptus, ne qua in re repentina incurſio imparatis & improtectis nobis oboriatur. At rectius hîc quoque ſui populi Regibus Deus conſuluit, quando vt Legis ſuæ librum ſemper penes ſe habeant, & in eius lectione quotidie exerceantur iuſſit. Ea enim cum voluntate diuina rationes quoque efficaciſſimas proponit, quibus vt rectè ſentiant & faciant homines permouentur. Ex conſtat feliciſſimè regnaſſe eos, qui fidos Legis interpretes, Prophetas reueriti ſunt: infeliciſſimos autem fuiſſe eos, quotquot ſe ab his admoneri aut coerceri noluerunt. Exempla, quæ plurima extant, non commemorabo, quando vnus Ioas nobis ſufficere poteſt: Qui vt per Iehoiada Sacerdotem ſeruatus & in regnum euectus fuit: ita feliciter rebus præfuit, quàm diu eodem monitore & conſultore vſus eſt: poſtea autem tam ſeipſum quàm alios perdidit, poſtquam excuſſo diſciplinæ diuinæ iugo, Zachariam, Iehoiadæ filium, plus quàm parricidali ingratitudine crudeliter necauit. Hoc ergo illud eſt, quod principum filijs commendatiſſimum eſſe debet, vt à teneris annis Verbo Dei obedire diſcant, neque cum ætatis progreſſu diſciplinam tandem excuti debere arbitrentur. Ideo enim huius iugo iuuenes aſſueſcere debent, vt tunc quoque ſe Deo obedientiam debere intelligant, quando iam in multos alios habent imperium. Et ne tunc in inani & otioſa cognitione acquieſcant, ſemper in mentem illis venire debet, quod tertio loco Dauid ſubijcit: Seruite Domino cum timore, & exultate in tremore: Oſculamini Filium, &c. Vt enim in quauis ſcientia cum θεωρίᾳ πρᾶξιν coniungi neceſſe eſt, quando ſine hac nullus illius vſus erit: ſic cœleſtis illa ſapientia & diſciplina tunc demum fructum vtilem & ſalutarem feret, ſi factis & opere ſeipſam declarauerit. Sunt autem Regum atque principum opera plurima, quæ ſingulatim enumerare longum foret, nec vt id fiat neceſſe eſt, quando ſummam & Colophonem omnium Dauid vno verbo complectitur, dum eos Domino ſeruire iubet. Hæc enim vera illa ſapientia eſt, hæc ſumma Regum dignitas & gloria, ex qua regnorum quoque felicitas omnis dependet. Gaudent principum ſeruitio, qui his ſe charos eſſe ſentiunt, & glorioſum putatur in magni Regis aula locum aliquem honoratiorem tenere. Quanta igitur maior ipſorum principum gloria, quos pro ſeruis ſuis Deus agnoſcit, quorum opera in ſui Regni adminiſtratione vtatur? Etenim qui mundo ſeruiunt, aut affectuum libidini ſeipſos ſpontè ſubijciunt, ij non rerum domini, ſed herorum turpiſſimorum, imò (vt Sophocles de libidine Venerea dicebat) agreſtium atque furioſorum mancipia ſunt. At Domino ſeruire, ea demum libertas vera & iucunda eſt, quando vt id faciamus fieri non poteſt, niſi à peccato & huius authore diabolo prius manumiſſi ſimus: quam manumiſſionem comitatur ſpontaneus ille & voluntarius ſpiritus, qui iucundos nobis facit labores omnes, quos in Chriſti ſeruitio ſubire debemus. Id verò etſi omnibus Chriſtianis commune ſit, vt nimirum quiſque pro ſuæ vocationis ratione Deo spontè ſeruiat, maximè tamen ad principes pertinet, & latiſſimè extenditur. Nec enim audiri debent, qui illos tunc officio ſuo defunctos eſſe ſentiunt, ſi ius dicant, & rebus huius ſeculi fideliter præſint: Nam & religionis cura ad ipſos præcipuè pertinet, neque Dei ſerui fideles dici merebuntur, ſi illam negligant, quæ ſola nos ei obſtringit. Regum itaque eſt

doctrinam Veritatis tueri, cultus illicitos abolere, ſuperſtitiones tollere, cultum verum propagare, Dei hoſtes coercere, blaſphemos punire, pijs autem & ſanctis Dei cultoribus adeſſe, vt pace & libertate conſcientiarum diuinitus data poſſins frui. Negarunt quidem olim Donatiſtæ ad Reges pertinere Eccleſiæ & religionis negotia, & illorum veſtigijs noſtro ſæculo Anabaptiſtæ inſiſtunt. Sed grauiter illis omnibus ex huius Pſalmi verbis Diuus Auguſtinus ad Bonifacium Epiſtola quinquageſima reſpondet, inter alia ſic ſcribens; „Quomodo Reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea quæ contra Domini iuſſa fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim Rex ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam & Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia verò etiam Rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore ſanciendo. Et quod dicit, ibidem Ezechiæ, Ioſiæ, Regis Niniuitarũ, Nabuchodonozoris deniq; & Darij exemplis confirmat. Non eſt ergo quòd fanaticorum iſtorum clamoribus moueantur Chriſtiani principes, aut ſe falcem in meſſem alienam mittere putent, ſi quid ex Dei Verbo de religione ſtatuunt. Hæc enim cura propriè ad eos pertinet, neq; officium aliud Deo magis gratum aut iucundum præſtare poſſunt. Eſtq; hoc loco digniſſimum obſeruatu, quòd duas animi affectiones inter ſe diuerſiſſimas Spiritus ſanctus coniungit. Iubet enim Reges ſeruire Domino in timore, & exultare in tremore. Quomodo autem quis ſimul gaudeat & timeat? ſimul exultet & tremat? Sed probè iſta conuenire ſentiunt Principes, qui verè Chriſtiani ſunt. Nec enim ſeruitus illa eiuſmodi eſt, quæ animo aut conſcientiæ moleſtiam & labores exhibeat, ſed cũ gaudio, cum exultatione, cum tripudio coniuncta eſt. Gaudent enim, quòd ſe Dei ſeruos eſſe ſciant, qua nulla homini dignitas maior poteſt obtingere. Exultant, quòd ſua officia Domino grata eſſe norint, & ab eo retributionẽ expectent. Iidem intra animos ſuos tripudiant & iubilant, quòd illum ipſum, cui ſeruiunt, iam ſibi adeſſe, iam ipſos tueri, & ipſorum conſilia, dicta, facta gubernare ſentiunt. Et cur non toto corde exultet & gaudeat, qui in ſemetipſo Dei omnia gubernantis imaginem toti mundo propoſitam eſſe ſentit, & cuius facies ſerena (vt Solomon ait) vita eſt, & gratia eius velut nubes imbris ſerotini? Horum conſideratio certè non poteſt non excitare Reges, vt animo alacri & exultabundo functionem ſuam obeant, & Deo debitum obſequium præſtent. At illi ipſi ſimul timent & tremunt, quoties ſui muneris difficultatem, dignitatis ſuæ excellentiam, donorum Dei immane pretium, cum ſua infirmitate, & quam cum reliquis hominibus communem habent, naturæ vitioſitate conferunt. Tunc enim illud Apoſtoli ipſis ſuccurrit, ſe theſaurum hunc pretioſiſſimum in vaſis fictilibus aut teſtaceis portare, cuius iactura vt maxima, ſic ferè irrecuperabilis eſt. Timent item, quoties cogitant errores & delicta ſua non in ipſis ſolis hærere, ſed ad populum ſimul omnem & rempub. adeoq; ad innocentiſſimos quoſq; redundare. Adhæc ſolicitos reddit vulgi ingenium, quod plerunque cæco affectu abreptum iuſta imperia excutere conatur, leges intolerabiles putat, conſultoribus fidis peſſimam gratiam refert, & ijſdem nequicquam reluctantibus in proprium exitium ruit. Timent ergo ſibijpſis optimi quique principes, ne vel ignorantia, vel negligentia, vel affectu prauo decepti aliquid deſignent, quod ipſos Deo parum fidos, aut etiam ingratos eſſe arguat. Timent item populo, ne eum perdant aut perire ſinant, de quo olim Deo rationem reddi oportere intelligunt. Timent denique vt parentes pij liberis ſuis, quos multa ineptè & pueriliter, multa imprudenter, multa cum periculo præſenti coniuncta tentare vident. Etenim quomodo ſecurus eſſe poſſit inter tot rerum diſcrimina Chriſtianus princeps, quem vt ſummi numinis metus & reuerentia coer-

tia coer-

tia coercet, ita populi & reipub. amor totum regit & gubernat: quando inter ethnicos olim reperti ſunt, qui dicerent, boni principis eſſe, magis timere ne quid mali faciat, quàm ne quid mali ipſe patiatur. Et memorabilis eſt Plutarchi ſententia: Hic principis metus eſt & humanus & verè generoſus, vt his quibus imperat metuat, ne quid ſe inſcio lædantur. Idem canibus generoſis ſimiles dicit Reges, ouium in ſeptis cuſtodiam agentibus, qui ſimul atque feram appropinquantem audierint, timent non ſibi, ſed his quæ cuſtodiunt. Exemplum huius timoris præclarum olim fortiſſimus ille Thebarum imperator, Epaminondas, præbuit: quando Thebanis in ludos quoſdam feſtos & compotationes ſolutis, ſolus armis ſumptis mœnia obibat, dicens, ſe ſobrium eſſe & vigilare, quò alijs compotare & dormire liceret. Et hoc illud eſt, in quo inter Reges & tyrannos ingens diſcrimen apparet. Qui enim veri Reges ſunt, timent ijs, in quos habent imperium: è contra tyranni eos ipſos timent, metumq́ eorum auget aucta potentia, & quò pluribus imperant, eò plures metuunt. SED vt ad Dauidis verba redeamus, hæc præcipua principum cura eſto, vt eum ſibi omnium ſtudiorum & laborum finem propoſitum habeant, quem ille monſtrat, quando Filium oſculari iubet. Loquitur autem de æterno & vnigena Dei Filio, Ieſu Chriſto, quem Regem regum & Dominum dominantium Scripturæ vocant. Oſculantur hunc, qui eum Dominum & Seruatorem ſuum eſſe agnoſcunt, eundem venerantur, colunt, obſeruant, qui denique fide vera & conſtanti ſe totos illi ſubijciunt. Eſt hoc proprium eorum munus, qui in terris imperant. Quia enim omnis poteſtas in cœlo & in terra Chriſto data eſt, nullum imperium vel legitimum vel iuſtum fuerit, quàm quod ſibi ab illo collatum eſſe principes intelligunt, quodq́ ita gerunt, vt ſe aliquando illi rationem reddituros eſſe meminerint. Eſt autem oſculum hoc vt ſanctiſſimũ, ita maximorum bonorum mater fœcundiſſima. Nam communionem ſpiritus Chriſti parit, iram Dei reſtinguit, in via ſalutis & pacis dirigit, adhæc ſpe bona plenos vera & æterna beatitudine donat. Quod Dauid intelligens doctrinam iſtam epiphonemate lætiſſimo & dulciſſimæ conſolationis pleno concludit. Beati omnes, qui ſperant in eum. Opponit autem dictum hoc omniũ, qui de Regum & principum conditione perperam ſentiunt, iniquis iudicijs: ne his moueantur qui ſuam functionem fideliter obeunt. Nam etſi multi in ipſos ingrati, multi iniuſti ſint, multi etiam aduerſus eos ſeditioſè tumultuentur, non fallet tamen eos, quam in Domino collocatam habent, ſpes & fiducia, quò minùs omnibus periculis & laboribus ſuperiores facti, tãdem pace fruantur, & ſimul potentia atque gloria illuſtres ſint. Pertinent enim ad huius dicti expoſitionem, quæ in Pſalmo ſeptuageſimoſecundo de Rege iuſto & ſancto dicuntur: Ferent montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Iudicabit pauperes populi, ſeruabit filios pauperis, & confringet calumniatorem. Timebunt eum dum Sol & Luna lucebunt in omne æuum. Deſcendet ſicut pluuia ſuper deſectam herbam, ſicut imbres ſtillantes ſuper terram. Florebit in diebus eius iuſtus, & multitudo pacis donec non ſit Luna. Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos terræ. Coram illo procident habitatores deſerti, & inimici eius terram lingent. Reges maris & inſularum munus afferent, Reges Scheba & Saba honoraria adducent. Et incuruabunt ſe ei omnes Reges, omnes gentes ſeruient ei. Et rurſus: Erit pugillus frumenti in terra ſatus in capite montium, & contremiſcet ſicut Libanus fructus eius, & germinabunt è ciuitate ſicut herba terræ. Erit nomen eius in ſæculum, quàm diu fuerit Sol, propagabitur nomen eius: & benedicent ſe in eo omnes gentes, & beatum dicent eum, &c. Dicuntur hæc quidem magna ex parte de Rege regũ, Ieſu Chriſto; at quia in eodem

boni principis exemplar abſolutiſsimum proponitur, ad hunc quoque referri debent, quæ de Regni eius felicitate, ac beata eorum qui ei ſubſunt, conditione Spiritus Sanctus pollicetur. Nec eſt quòd de eo aliquis dubitet, quando exempla paſsim occurrunt, quæ promiſsionibus iſtis poſſunt fidem facere. Inter quæ meritò primus locus ipſi Dauidi datur, cuius Regni initia prorſus talia fuerunt, qualia in Pſalmi ſecundi principio deſcribuntur. Quia autem verè ſapuit, & Verbi Dei diſciplinam patienter tulit, Domino denique in timore ingenuo, alacri item læto que animo ſeruiuit, per omnia diſcrimina nõ minus feliciter quàm fortiter eluctatus, populo ſuæ fidei credito pacem optatam peperit, poſteris autem ſuis Regnum reliquit tutum atque ampliſsimis Dei promiſsionibus confirmatum, quod que perpetuum eſſe poterat, niſi degeneres quidam illud ſua impietate labefactauiſſent. Poterant huius generis multa adduci ex Veteri Teſtamento, & in Eccleſiaſtica hiſtoria Conſtantinum Magnum habemus cum Theodoſijs alijs que ſimilibus, qui cùm Dei timentes fuerint, in Regni quoque adminiſtratione feliciſsimi fuerunt. Quibus ſi eos opponere libeat, qui procul abiecto Dei timore, omnia pro ſua libidine facere auſi ſunt, in immenſum creſceret oratio. Tales enim ferè vertiginis ſpiritu Deus inebriat, qui vt libidines vagas & effrenem ſcelerum omnium licentiam parit: ita hanc conſiliorum incertitudo ſequitur, quibus ſeipſos & populum vniuerſum implicant. Sed quò feror CHRISTOPHORE, Princeps Illuſtriſsime? Abripuit me profectò doctrinæ Dauidicæ conſideratio, vt longius quàm inſtitueram, progreſſus ſim. Verumtamen tua Clementia fretus, ſpero non iniucundam tibi fore iſtorum commemorationem, vel potius repetitionem, quæ te à doctiſsimis Præceptoribus, imprimis autem à parente tuo Illuſtriſsimo, FRIDERICHO, Romani Imperij Septemuiro digniſs. multoties audiuiſſe ſat ſcio. Nec me prorſus extra oleas (quod dici ſolet) cucurriſſe arbitror, quando hoc mihi argumentum orationis propoſitum fuit, vt oſtenderem, me nihil vel à meo officio alienum, vel tuæ Illuſtris Clementiæ præſtantia indignum facere, dum tibi meos in Lucam Euangeliſtam labores nuncupo. Hic enim totius Scripturæ Sacræ, & imprimis quidem Euangelicæ hiſtoriæ, finis atque ſcopus eſt, vt omnes homines in Deo ſperare, eidem ſeruire, & Filium eius Ieſum Chriſtum exoſculari, id eſt, fide vera complecti diſcant, ſic que in eo vitam atque ſalutem æternam conſequantur. Quæ cùm Principibus viris Spiritus Sanctus tam grauiter commendet, eorum imprimis fuerit, diligentius ea cognoſcere, quæ ab Eccleſiæ miniſtris in Scripturarum explicatione ſcribuntur. Quod autem ex multis te potiſsimùm delegi, Illuſtriſsime Princeps CHRISTOPHORE, cui præ alijs Lucam hunc noſtrum dedicarem, non vna, neque leues me cauſæ mouerunt. Extant Palatinæ familiæ multa in totam Heluetiorum gentem, maximè autem in Tigurinam Rempublicam beneficia & præclara merita. Quia enim ex illa progeniti Principes vt iuris & æqui, ſic pacis quoque & concordiæ ſemper amantiſsimi fuerunt, non ſemel eorum operam ſibi vtilem & ſalutarem experti ſunt maiores noſtri, quando aut ipſi inter ſe bellis ciuilibus commiſsi, aut ab exteris hoſtibus armis petiti ſunt. Inter ea cumprimis memorabile eſt, quòd cùm ante annos circiter centum viginti bellũ illud Sociale exarſiſſet, quo nullum inter noſtros homines crudelius & maiori animorum contentione geſtum eſt, & quo Tigurini toto decennio grauiſsimè afflicti ſunt, inter primos fuit Ludouicus Palatinus Elector, qui de pace inter confœderatos inſtauranda conſilium cœpit: & cùm plerique alij per legatos agerent, ille neque ſumptuum neque laborum magnitudine ſe abſterreri paſſus eſt, quin Conſtantiam vſque cum illuſtri comitatu veniret, nec inde prius reuerteretur, quàm pacis, quæ mox ſecuta

eſt,

eſt, fundamenta ieciſſet. Fuit beneficium iſtud Helvetiæ toti ſaluberrimum, quæ ita vtrinque exarſerat, vt vix aliqua ratio appareret, quæ bello Ciuili finem poſſet imponere: tam gratum verò fuit maioribus noſtris, vt, non multò poſt, cum FRIDERICHVS, qui Ludouico fratri in Septemuiratu ſucceſſerat, à Romano Pontifice Pio II. excommunicatus, vicinorum Principum armis peteretur, Tigurini complures duce VValdmanno (cuius virtus poſtea in bellis Burgundicis eluxit) in eius auxilium venerint, atque præclaram operam nauarint eo prælio, quo ille lætam de Papæ coniuratis victoriam retulit, & tres Imperij Principes cœpit. Ita verò tunc noſtrorum hominum virtus FRIDERICHO probata fuit, vt quingentos ex illis Carolo Burgundo tranſmitteret, qui eodem tempore cum Ludouico XI. Francorum Rege bellum gerebat. Simile erga noſtram gentem ſtudium Philippi Palatini Electoris, Ludouici illius, cuius modò meminimus, filij extitit. Nam cùm Maximilianus Imperator turbulentorum quorundam conſilijs perſuaſus, totius Imperij Germanici vires contra Heluetios excitauiſſet, ille bello eo quàm maximè feruente, pacis conſilia tractare cœpit: quibus etſi nihil tunc efficeretur propter eorum importunitatem, qui optimum Imperatorem ad arma extimulabant, gratiſsima tamen maioribus noſtris fuit Philippi voluntas, & adhuc in Annalibus noſtris magna cum laude prædicatur. Poſſem his multa alia adijcere, quæ Illuſtriſsimi Palatini Comites in totam Germaniam contulerunt beneficia, quorum pars aliqua ad nos quoque non ſemel redundauit. Sed ſufficiat nobis nunc eorum commemoratio, quæ non obſcurè docent, ſummam iam olim inter Palatinos Principes & noſtram gentem animorum cõiunctionem fuiſſe, ideóque me ſimul & boni ciuis & grati hominis officium facere, dum eam familiam colo & obſeruo, ex qua tot Heroes, communis patriæ & publicæ pacis vindices acerrimi, prodierunt. Quòd ſi Illuſtriſsimi parentis tui, FRIDERICHI Septemuiri, virtutes & egregia in Eccleſiam Chriſti merita commemorare velim, dicendi exordiũ citius quàm finem inuenero: ſed neq; ea exponere nunc inſtitui, neq; vt id faciam opus eſt, cùm bonis omnibus notiſsima ſint, & ne ab ijs quidem illius pietas atque probitas repræhendi aut negari poſſit, qui ei propter puriorem fidei & Veritatis profeſsionem minus fauent. Quod autem is merebatur, publicum mei erga ipſius Celſitudinem ſtudij teſtimonium, id ego in te CHRISTOPHORE Princeps Illuſtriſsime transferre volui, & hoc officium vtriq; non iniucundum fore confido, cùm ille te ardenter ac meritò diligat, tibi autem à curis publicis adhuc libero plus otij ſit noſtra hæc legendi, téque ipſum in ijs exercendi, in quorum vſu & praxi ille iampridem ita profecit, vt paucos ſibi pares habeat. Tuam verò Clementiam rogo Illuſtriſsime Princeps, vt quod piè & magno cum piorum omnium applauſu cœpiſti, forti & conſtanti animo perficias, & hunc gloriæ immortalis colophonem eſſe tibi certò perſuaſum habeas, ſi quod diceris re ipſa præſtes, id eſt, vt Chriſtum, à quo nomen tibi inditum eſt, toto animo conceptum vita & moribus referas. Lucam verò noſtrum nullo præconio operoſiori Clementiæ Tuæ commendo, quia etſi meis Lucubrationibus multum deſit, ſarcit tamen defectum omnem argumenti amplitudo, & diligentius conſiderata diuini ſcriptoris virtus, meis quoque aliquid lucis afferre poterit. Me autem Tuæ Clementiæ magno tuo merito obſtrictum putabo, ſi illas qualecunque meæ erga te obſeruantiæ teſtimonium eſſe patiaris. Deus, Pater Domini noſtri IESV CHRISTI, te Illuſtriſsime Princeps, cum pijſſimo parente, cum fortiſsimis fratribus, Ludouico & Caſimiro, cum tota denique domo Palatina ſeruet ad ſui nominis gloriam, & ſua in vobis omnibus dona augeat. Amen. Datæ Tiguro, primaria Heluetiorum vrbe:

Pridie Calend. Martias. Anno incarnati Filij Dei M. D. L X X. quando ante annos mille centum & octuaginta Theodoſius, Imperator pijſſimus & victoriosiſsimus, Deorum templa deſtruxit, & Bacchi Orgia ſimilesq; alias ſuperſtitionis gentium reliquias aboleuit: memorabili prorſus exemplo, quod Chriſtiani Principes imitentur.

Tuæ Clementiæ

obſeruantiſſimus

Rodolphus Gualtherus
Tigurinus

INDEX RERVM ATQVE VERBORVM

IN HIS HOMILIIS MEMORABILIVM.

A.

ABNEGATIO Chriſti quid & quot modis fiat 328. ſuiipſius neceſſaria eſt 222
Abnegatio Petri 530.b
Abnegationis Petri occaſio 531
Abnegatorum Chriſti pœna 328.b prætextus 531
Abrahami filia ut quædam dicatur 361.b. filij ueri qui 75
Abſurdo conceſſo uno, aliud ſequitur 482
Abundantia opum nil facit ad uitam 331.b
Accuſationis contra Chriſtum capita 53.b
Ad ſcripturas in omnibus afflictionibus reſpiciendum 523.b
Adoratio & timor Dei coniunctæ 103.b quid contineat ibid.
Adorandi uerbo quid contineatur 102.b
Adorari cupit ſatan 102.b
Adam per Deũ creatus figura fuit Chriſti naſcituri abſq; congreſſu uiri 95
Ad docendi munus quid requiratur 213.b
Adrianus pœnã ſtatuit ijs qui ſepulchra in ciuitate feciſſent 173.b
Aduentus Chriſti ultimus qualis futurus 498. pijs lætus ibid.
Adulationis malum 220
Aedificij ſpiritualis quæ ſint impenſæ 385
Aeducatio boneſta plurimum prodeſt 38.b
Aemulationis uis 133.b
Aerumnæ utilitatem & ſalutem aliquando afferunt 64
Aeternam uitam omnes quærere debent 254.b.255
Aeſtus tentationes grauiores ſignificat 199
Afflictiones cur crux dicantur 222 b. piorum impijs ſigna eſſe 305
Afflicti non ſunt derelicti à Deo 28.b
Afflictionib. omnes obnoxij 222.b
Afflictionum compenſatio non eſt merces 149.b
Affectus in officio continendi 383
Ageſilai pulchrũ reſponſum 84.b
Agon Chriſti grauiſsimus 526
Allegoriæ in hiſtoria Samaritani inutiles 259.b
Alexander magnus 8.b.27.b Homeri amator 88.b
Alexãdri magni humanitas 340.b
Alexander Seuerus amator æquitatis 156
Alexandri Seueri dictum 80.b
Alexandri ſexti dictum 315.b
Alexander tertius ut tractarit Imperat. 250.b
Alexander ducit Glaphitam 88
Aliena ſapiunt omnibus 214.b
Altare aureum Chriſti typus 5.b
Ambitio fax bellorũ ciuiliũ 101.b hæreſes excitat 101.b
Ambitionis uis maxima 101.b.313
Ambitione tẽtatur Chriſtus 101.b
Ambitioſorum exempla 101.b
Amen 289.b
Amici ueri officium 368
Amicitia mundi uana 410.b
Amicitiæ definitio 325
ἀμνηστίας legem Thraſybulus Athenis tulit 160
Amor filij Dei in nos 509.b
Ananias, &c. à Petro corripitur 77.b
Anabaptiſtæ magiſtratum tollunt 80.b. magiſtratum tollentes refutantur 154.b. errant, uolentes omnibus licere in eccleſia loqui 110.b. in iuſtificationis articulo errant 165
Anabaptiſtarum error de non baptizatis infantibus, Chriſti exemplo refutatur 93. magiſtratum tollentiũ error 331. error de ſeceſsione ab eccleſia 91. error à cœtuũ ſacrorum ſeceſsione 108.b. bonorum communio 337.b. error de infantibus 23
Anabaptiſtas propter perſecutiones non eſſe beatos 213. circunciſionis inſtitutio refutat 50 b
Angelus nati Chriſti nuntius 43.b utitur prophetarum uerbis 18
Angeli, Apoſtoli, &c. ſe adorari nõ ſinunt 26.b. pios defendunt 11. non colendi 11.b. ad quid deſtinati 45. miniſtri hominum 416 pręcones Euangelij 553.b
Angelorum conditio atq; officium 11.b
Angelis malis etiam Deus utitur ad ſuam promouendam gloriam 506
Angelicæ ſalutationis interpretatio 16.b.17
Anna propheteiſſa 59.b uirgo, coniux & uidua 60
Animi deuotio quibus rebus iouetur 264.b
Animæ electorum in cœlis ſunt 278
Animæ cibus quis ſit 279.b
Animarum conditio 416.b
Antichriſtus coniugia prohibet 4
Antichriſti bellorũ authores 492
ἀντιπελαργεῖν 67
Antoninus Pius bella deteſtatus eſt 84
Antonini Baſsiani nouercæ ſceleſtiſs. dictum 88
Antonia caſtellum 467.b
Anulus ſymbolum uirtutis 399 obligationis fidei ibid.
Anulorum uſus 399.b
Apoſtoli uxores ſecum duxerunt 13.b
Apoſtoli ut ſua reliquerint 229.b 125.b. 448. miraculis inſtruuntur 214. quibus mandatis miſsi ad prædicandum 214.b. non debent dominari, ſed potius miniſtrare 516
Apoſtolorũ munus prædicare uerbum Dei 214. ſ[illegible]t poſt Chriſti mortem 493
Arca Chriſti eccleſia eſt 86.b
Aretę Arabum regis filia 88
Archytæ Tarentini dictum 140.b
Argumenta eorum qui preces inutiles dicunt 263
Arius hæreticus cur factus 125
Armorũ uſum probat Ioannes 83
Aſcenſionis hiſtoria 567. fructus 567.b. locus 566.b. complementum ſalutis 567.b
Aſini omnes homines 463
Aſtrologia iudiciaria 421
Athanaſij iocus de Chriſto 21
Athenienſium ingratitudo 85.b. ius in ocioſos 67.b.334
Auaritia ſubdola eſt 81. cauenda 331.b. cauſa omnis mali 81.b. induſtrios facit 506.b. quale peccatum 338.b. cauſa quæ Iudam mouit ut Chriſtũ proderet 506
Auaritiæ & Ambitionis uis 140.b
Auari & luxurioſi quos imitentur 281
Auari exemplum 330.b
Auditores ueri uerbi Dei quẽ fructum referant 166
Auditorum uerbi officia 181.b uerbi genera diuerſa 197. duo genera 196
Auguſtini ſententia de armorum uſu 83
Auguſti de proditoribus dictum 506.b
Aurelianus patriæ proditorem occidi iubet 506.b
Aureliani imperatoris clementia 84
Aue uel χαῖρε 16.b
Aulicorum mores 180
αὐτάρκεια commendatur 84.b
Authoritatis nomen, uim & maieſtatem ſignificat 118.b
Azymorum Alegoria 505

B.

Balthazar Babyloniorũ rex 27.b
Baptiſmus 70.b. 45. non debet differri 31. Chriſti & Ioannis idẽ 86. mors Chriſti dicitur 349. quomodo detur in remiſsionem peccatorum 70
Baptiſmi nomine miniſterium Ioannis comprehenditur 70. eadem ratio, quæ circunciſionis 49.b

Bapsiſme & Cœna, omnibus ſit vna 91
Beatiudo cœleſtis 519.b. vera in quo conſiſtat 302.a.b
Beasisas non in terrenis, ſed cœleſtibus eſt 146.b
Beati fieri omnes cupinnt 146
Bella in Iudæa Ioaonis sempore 81.b. vt geri debeant 83.b. non neceſſaria vitanda 83.b
Bellorum ciuilium exempla 82 mala 82.b. effectus 81
Bellorum cauſæ Iuſtæ 83.b
Beneficia Dei in Iudæos 298.b.quę hnmano generi consulit Chriſtus 111.b
Benefaciendum etiam inimicis 153
Benefici tisulus reges decet 515.b
Beneficensia an cœlos mereatur 408. ſignum eſt filiorum Dei 157.b exercenda 157
Beneficentiæ præmium 407.b
ad Beneficentiam quæ noa excitent 78
Benedictionis nomen quid ſignificet 17
Bernhardus de electione 143.b
Bethlehem domus panis 40 Chrſti natale ſolum 39.40
Bethlehemici Ingrati 41.b
Bethania domus afflictionis 566.b
Bethſaida patria Ioannis & Iacobi 145.b
Bias Prienæns Philnſophus 78
Blaſphemiæ pontificum 534.b
Bonus quis ſit 445.b
Bonitas Dei 285.b. ſeſe nobis accommodat 183
Bonitatis Dei in homines exempla 317
Bona opera non ſunt quæ ſecundū Dei verbum non fiunt 190
Boniſacius VIII. vt cum Alberto Imp. egerit 584
Bonifacij VIII. canon de duobus gladijs 534
Brachinm qnomodo tribuatur Deo 17

C

Calamitates neq; Dei verbo neque eceleſijs detrabunt 116
Calamitatum cauſæ 303.b
Calamitoſis temporibus quid faciendum 116
Calumniæ vocabulum quid contineat 84
Calumniatores ſua uitia alienis tegunt 132
Caluaria 544.b
Campanæ veſpertinæ Ioan. XXIII. uentum 16
Candelabrū typus miniſterij 307.b
Candelabro minlſterium eccleſiæ ſignlficatur 201.b
Capernaum ciuitas Domini 318 vbi ſita 247. cur ſibi delegerit Chriſtus 218
Carolus M. Imp. 518
Cauſæ viciſsitudinis in altero ſeculo 418
Cenſum qnis primus inſtituerit 478.b
Cenſetur totus orbis ſub Auguſto 39.b
Centurio veræ fidei exemplū 169 170.171
Ceremoniæ tollantur, & paptoz ruet 108
Ceremoniarum fiducia inanis 373
Charitas quam ſit officioſa 259
Charitatis lex quæ 123
Charitatis lex, Quod tibi non vis fieri, &c. 156
in Charitatis officijs quid caueri debeat 377
Chriſtiano cum diabolo paciſci nō licet 120.b.386.b
Chriſtiani ſimiles ædificantibus 384.b. inſimolati omnibus facinoribus 58.148.b. grex ſunt 336.b
Chriſtianis perpetuo cum Diabolo luctandum 218
Chriſtiana religio in qnibus conſiſtat 164.b
Chriſtus verus Deus 9.b.24.129.b ex virginis ſubſtantia carnem aſſumpſit 18.b. magnus & filius altiſsimi 19.21.260. mulierum quoq; ſaluator 22. verus homo 23.b.24. mediator ſalutis 37 conſcientiarum recreatio 37 Mariæ primogenitus, qua ratione dicatur 41. Rex & ſacerdos 41.a.b. recens natus pauper timus 41.b. quibus natus 44 Saluator omnium credentium 44.50.b.171.b. vnctus Dei 44.b relatiuè Dominus ibidem. cur à paucis inueniatur 46.b.annuntiari debet omnibus 47.b. Legi obnoxius factus 50. ſecundum legem ſiſtitur Domino 53.ſtatim à natiuitate à multis pro Meſsia habitus eſt 53.b. ſalus Dei 55.b Lumen gentiū 55.b. Gloria populi Iſrael 56. ſignum cui contradicitur 58. detegit cogitationes cordium 58.b. cum parentibus proficiſcitur Hieroſolymam 62.b. catholicus omnium doctor 65. non docet reluctari parentibus 66.67. artificiom manuarium exercuit 67. cur baptizari voluerit 90. noſtrum baptiſma ſanctificauit ibidem. quomodo Dei Filius dicatur 92 non aſpernatur peccatores 95.b in quem finē miſſus 111.b.132.b Nazarethi miraculoſè ſeruatur. 117. cur miracula ædiderit 119 apud Nazarethanos ſit infamis 117. ſalus animarum & corporum 119.b.126. in quem finem prædicarit 121.b. cur aliquando receſſerit 126.b. remittit paralitico peccata 128.b. cordium ſcrutator 129.b.187.229.b. ſimul ſanat & remittit peccata 129.b medicus 132.b. nequitiæ patronus accuſatur 133.b. non ſolum conſolit ſed præcepta dat 153 non tollit iudicia 158.b. Rex & ſacerdos 165. vitæ & mortis Dominus 172. filium viduæ excitat 174.b. de ſe quærentes ad opera ſua remittit 177. petra ſcandali 177. Simonis cogitationes protrahit 186.b. mulieri peccatrici patrocinatur 187. fert opem, ſed vitijs nō patrocinatur 206.b. num iniuſtus in Gadarenos 208. præcipit diſcipulis impoſsibilia 218. quis ipſe ſit interrogat 219. quæ promiſsis præſtat 225. Glorificatur in monte Ibid. non depoſuit carnis ſubſtantiam 225.b. vt venturus ſit ad iudicium ibid. ſuorum ἀπιςο-πιςίαν deplorat 227.b. iuſtitiæ & modeſtiæ exemplum 232.b obſtinato animo ad mortē tendit 233. venit vt ſeruet 234.b hypocritam reijcit 235. homo factus vt veritati teſtimonium ferat 235.b. nō nobis vtilis niſi per fidem recipiatur 238. diſcipulos LXX. de piculis admonet 240.b vt ad nos diuertat 260. ex diaboli tyrannide liberat 299.b. cur tentatus 96.b. quid vitimum fecerit in terris 567. cur de hæreditate indicare noluerit 330.b pro nobis intercedit 520.b. in Phar. domo illotis manibus accumbit 309. qua authoritate omnia faciat interrogatur 471.b orat pro illis à quibus crucifigebatur 545.b. paſtor bonus 390 390.b. vt cū peccatoribus agat 381. cur apparatu tam vili vrbem ingreſſus 463.b. humilitatem ſuadet ſuo exemplo 517. quomodo porta anguſta dicatur 366 omnibus debet præferri 382.b In monte Oliuarum orat 525.b volens mortuus eſt 507. ſi reijcitur ab antiſtitibus nō nouum eſt 476.b. vero ſuo corpore reſurrexit 556.b.562. lapis angularis 477. non abolet politias 479.b vt pater peccata remittat orat 546. flagellatur 541. vt à militibus tractatos ibid. diſcipulos mirificè mutat 550.b. cur inſidias Herodis fugere noluerit 369 à gratiarum actione cœnam ordiatur 510. propter nos extremè humiliatus 541. non damnat hoſpitalitatis officia 377. diſcipulos tuetur & liberat 529.b. de regno interrogatus reſpondet 536.b. noſtrum fundamentū eſt 384.b. rex 462. poteos ibid.b iuſtus 463. verè paſſus & anima & corpore 526. mortē infamem prædicit 523. non damnat ςοργὰς 382.b. cur in mundum venerit 348. Meſsiam ſe eſſe fatetur 534 mortem ſuam prædicit 449.b Iudam admonet 529. ſolus interrogandus de vita æterna 445

homo

homo nobilis 456. cur adeo inſcribas innebatur 319.b. ut euanuiſſe dicatur 560.b. legem non tollit 411. ingratos docet 470.b. ſacramentorum diligens obſeruator 507.b. ut expectari debeat 339.b. armis non defenditur 533.b. an Meſsias ſit interrogatur 533.b. quo die paſcha comederit 507. de ſua morte concionatur 509
Chriſti predicatio pijs gaudiū affert 8. incarnationis tēpus 14. b. natales conuaniūs cum prophetijs 15. natiuitatis uſus 41.b. cognitio omnibus ſeculis reuelata 41.b. cognitio paſtoribus imprimis pertinet ibid. negotium non nouum eſt 85. meritum ad omnes extenditur 95. auditores ueri qui 165.b. ſucati 166. præſentia ſatan torquetur 207.b. ſtudium ſaluandi Iudæis 213.b. maieſtatem ſeruitus Apoſtolorum celebriorem facit 214.b. negotium faſtum non requirit 215. benignitas 317. Spiritus non proditionis eſt 234.b. in diſcipulis eligendis prouidentia 236.b. cognitio à ſolo patre obtigit 153. docentis authoritas 109.b. hoſtes qui fuerint 470 actio cum Iuda 513.b. ſedulitas 364.b. facilitas in iuuando 293.b. anguſtiæ 349.b. de lege, &c. ſententia 410.b. nomine qui uenire dicantur 491. bonitas & potentia 565. paupertas & potentia 508. hoſtium improbitas 351 potentia 458. 293
Chriſto omnibus temporibus contradictum 58. qui imprimis contradicant 58.a.b. Gadareni potius carere uolunt quam porcis 209.b. ut ſequi debeamus 223.b. quæ nos abducant 234. ut omnia tradita ſint 253. nihil negandum 463.b. tamen qui dederunt quales eſſe debeant 387.b. non deſunt æmuli 464.b
Chriſtum quærentes nihil damni patiuntur 48. qui agnoſcit ſatis profecit 56.b. cur multi in terris ſecuti 126 b. Phariſæi blaſphemiæ accuſant 129. hominum cogitationes non latent 294.b.
Chriſtianorum inhumanitas 258
Chiliaſtarum de regno Dei opinio 430.b
Chori ſignum lætitiæ piorum 401 ueterum quales 401
Ciboria 432.b
Ciceronis teſtimoniū de publicanis 79.b. de animarum perpetuitate ſententia 483.b
Circuncīſio quid? 30.b.48.b. argumentum peccati 49. argumentum eſt bonitatis Dei 49. ſigillum fœderis 49. Chriſti, humanitatis ſignum 49.b. abolita 49 teſſera ſeparationis à gentibus 49. ſigillum iuſtitiæ fidei 49.b
Circuncīſionis inſtitutio 48.b
Ciuitatum gloria quę ſit uera 247 pœna Euangeliū aſpernantium 247.b
Claues regni cœlorum Euang. miniſterium 333
Cæcitatis nomē quid ſignificet 161
Cæcus typ⁹ generis humani 450.b
Cæcum qui ſequitur recta uia incedere nequit 162
Cœna Dominica quid ſit 511 finis & uſus ibid.b
Cœnæ Dominicæ ritus & ordo 512.b
in Cœna qui fuerint Chriſti conuiuæ 508.b
à Cœna qui multos arcent temerarij ſunt 508.b
Cœlibatus tutores, à uino etiam abſtineant 13.b
Cœlibatum non tuetur exemplū ſacerdotum Iudæorum 13
Cœtus ſacri fructus 6.b. adeundi 108.b.22. neceſſarij 322.b.
Collyridianorum fœminæ Mariæ ſacrificant 15.b
de Compaſsione Mariæ fabulæ 58. b. qualis fuerit ibid.
Comparatio Ioannis & Herodis 89.b. Ioannis & Eliæ 9.b
Cōmunia habuiſſe omnia in Actis Chriſtiani quomodo dicantur 77.b
Cognitio noſtri ipſius humiles facit 264.b
Colloquia piorum qualia eſſe debeant 556
Colonus Chriſtus intercedit pro ficu ſterili 357
Conceptionis Chriſti ex uirgine uſus 20.b.21
Conciones publicas cur multi audiant 73.b
Concordia inter malos non reddit cauſam eorum iuſtam 279.b regnorum ſalus 294.b
Concilium aduerſus Chriſtum 533
Concilij Antichriſtiani typus 533.b
Concilia pariunt bella 533
Concilia quam habeant in decernenda religione autoritatem 301.b
Conditio uitæ noſtræ periculoſa 287. eorum qui rebus præſunt 413.b. eorū qui Chriſtū nō habēt 111.b. hominis in hoc uita 290.b eorum, quorum animos obſedit Diabolus 207. hominum infœlix 299.b. eorum qui magiſtratū gerunt 85
Confeſsio peccatorum neceſſaria 396.b.
Confeſsio Chriſti neceſſaria 317.b
Confeſsionis pręmium 328 b. fidei uſus 250.b
Confitendum cui modusq; 379
Confiteri Chriſtū quid, & in quibus conſiſtat 317.b
Confiteri Deū quid ſit 251.b
Confidentia carnis 521.b
Confidētia ſi tentat Satan ad quid ſpectet 105.b. plerumque homines tentantur 105. Chriſtus tentatur 104
Coniugium ſanctum eſſe eiusque finis 4
Coniugij uituperatores refutantur 60. dignitas 51.b.15.b
Coniugia contrahentes quid ſpectare debeant b.4. nō carent ſua moleſtia b.4.5
Coniugum officium 61.b
Coniurant in Chriſtum omnes ordines 471
Conſolationes in [illegible]tationib. 287
Conſtantinus M. cauſa defectionis 517.b
Conſtantino crux in cœlo apparuit 545
Conſtantij Conſtantini Magni patris, factum memorabile 463
Conſtantia uirtutū perfectio 179. miniſtros inprimis decet 179. in uocatione Dei neceſſaria 369.b
Conſcientiæ aliorum non uulnerandæ 509
Conſiliorum contra Deum exitus 480.b
Conſuetudo cum pijs optima eſt 167.b
Contagium in peſte nullum 259
Contactus ueſtimentorum Chriſti reliquiarumq; ad ſalutē nil prodeſt 218
Contemptoribus gratiæ Deus iraſcitur 381
Contentio de Ioannis nomine 31
Contemptorū filij Dei pœna 491
Contentiones inter Euangelicos 133.b
Contritio confeſsionē peccati parit 246.b
Conuerſationis quæ ratio habenda 242
Conuerſos tenere recipit in gratiam Chriſtus 131.b (391.b
Conuerſis ad Deū congratulandū
Conuerſorum ad Deum notæ
Conuerſari quatenus liceat cū infidelibus 309.b
Conuitiantur Chriſto omnes ordines 546.b
Cōuiuia honoraria licita ſunt 377
Corazim & Betſaida deuouentur 245.b
Cor eſt ager uerbi Dei 200
Cornua quomodo Beſtiæ deiecerit Papa 518
Coruu quid ſignificet 33
Correctio à nobis ipſis incipiat 162. b iuſta, hodie contumelia 314
Corpori Chriſti nihil derogat ignorātia diſcipulorum 557
Corporum noſtrorum conditio in reſurrectione 225.b
Corruptionis noſtri ſeculi cauſa 136.b. remedium 136.b
Crapula 501
Credentium conditio 97
Crœſus Lydorum rex 551

Crux quid denotet 182.383.b. omnes manet Chriſtianos 58. b. Chriſti altare 545. patienter ferenda 253. ut leniatur ibidem.
Crucis Chriſti inſcriptio 547
Crucem quam quiſq; ferre debeat 522.b
Cultus Dei uerus in quo conſiſtat 261.b.261. ſtudium præpoſterũ 478.b. ſine precibus perſiſtere nequit 263
Curua & obliqua,&c. 72
Cura nimia ex diffidentia 335.b. ueſtitus nimia inutilis 335
Curæ ſanctæ & neceſſariæ quæ 200

D.

Debitum quid ſignificet 283
Debitoribus remittendum ut nobis etiam remittatur 160
Decalogi tabula prima, imprimis obſeruanda 66.b
Decimæ 318
Deformis totam maculam alterius ſine impudentia notare non poteſt 162
Defuncti terræ mãdari debent 173
De benemeritis male loqui grauo peccatum 159
De iilis qui iuris prætextu iniurij ſunt 155
Deſerta loca quæ Chriſtus nocet 300
De rebus non perſpectis non temere pronuntiandum 532
Deus etiam nominum rationem habet 8. quæ enuntiat eueniunt 52.b. uerbis ſuis ſigna adhibet, propter noſtram infirmitatem 44.b. præcipit charitatem & beneficentiam 77 non ita alijs occupatus ut nos negligat 290 b. quid in primis fieri uelit 177. punis quid faciendum 496. ut homines tentet 96. in filio ſuo nobis placatus eſt 91.b. non tentatur ſi ſecundum uocationem agimus 106.b. neminem faſtidit quamuis abiectum 167. ſemper habet ſuos fidos miniſtros 239.b ur Iſraelitorum Deus nocetur 32 b. ſui populi curam minime negligit 32.b. bifariã uiſitat 467.b. prior nos reſpicit 398. indignos etiam amicè tractat 402.b.403. mittit auxilium cum nulla ſalus ſperatur 40. liberaliter remittit peccata 32. non quærentibus ſalutem offert 191.b. uindex eſt ſuorum 547.b. pauperes non deſtituit ſuo patrocinio 138.b. cum ſit noſtrum omnium pater, cuius nos admoneat 269. pater appellari debet 568.b. ſuos per prædicationem colligit 154.b. ſolus remittit peccata 159. ſuos in perſecutionibus non deſerit 319.b.330. non obliuiſcitur promiſſionum ſuarum 19. noſter amicus & uicinus 591. omnibus quærendus,& quomodo 46.b. armat patres contra liberos immorigeros 65.b. ut laudandus 55. ſemper ſtat promiſsis 54.b. punit luxuriam fame,inopia diuiſq; morbis 152. gratitudinem exigit 54.b. ex gratia remittit debita 188. remittit peccata nũ ſati ſacrificuli 190.b. quare uelit celebrari 24.b. cur contempsiſſima eligat 555. ſuarum promiſſionum memor 40.b. quomodo diligi debeat 556. cur in cœlis dicatur 269. nos propter amorem priſtinæ dignitati reſtituit 399. omnia gubernat 54.b. cur ſuos affligi ſinat 318. miſeretur timentibus ipſum 26.b. externis coli non uult 161.a.b. ſolus remittit peccata 283. quomodo interdum dormire dicatur 591. quomodo nos tentet 286.b. nemini iniuriã facit 116. non ſemper perdit ſed utitur clementia 356. in promiſſionibus uerax eſt 549. frangit hoſtium ſuorum conatus 58 eſt qui regna mutat 56. quibus utatur in nobis conuertendis 395. ſuos inter medios hoſtes ſeruat 241. in precibus noſtræ infirmitati conſuluit 567. potentes deprimit, euehitq; humiles 28.
Dei promiſsionibus firmiter credendum 10.b.12. opus præſtantiſſ. quod ſit 14.b. potentia conſideranda 50. beneficia quomodo conſideranda 124. paterna cura pro nobis 557.b. obliuio ſecuritatem parit 335.b. comparatiõ & noſtri 524. promiſsiones ad quos pertineãt 29. uis ineffabilis 411. promiſsionibus firmiter credendum 10.b.15. propriũ humiliare 104.b. ſpiritus Chriſtum in deſertum expellit 97.b. uoluntati reſiſtere impium eſt 97. patris de Chriſto teſtimoniũ 92. abſq; conſilio nihil fieri 498. uocatio in nullius hominis gratiam debet negligi 66. filius cur in mundum uenerit 124.b. opera cum timore obſeruanda 213. uoluntas ut fiat cur precemur 576. donis non abutendum 547 b. nomen quid 56. gloriam quæ illuſtrant plantari debent 275. opera quomodo conſideranda 30.b. bonitas inſignis in Iudæos 316.b. uoluntas bona & ſancta 276. cognitio perfecta quæ ſit 504.
Deo ſeruiendum quomodo 34 a b. non deſunt ſuæ gratiæ præcones 465. non deſunt media nobis auxiliandi 101. cur hodie plerique tã difficulter obediant 131. quid debeatur pro remiſsione gratuita 188. probari ſtudendum 151.b à Deo petenda neceſſaria 18. à Deo quid peti debeat 567.b. à Deo bonum, à nobis corruptionem manare 9
Deorum ira ſanguine Chriſti non rum expiata 149.
Diabolus mendaciorum pater 273 361. cur in porcos ingredi cupiat 508. magis Chriſto præſente ſimulatur 527.b. cum ſibi cedendum eſſe uidet, inducias petit 507.b. non debet conſuli 150 b. ut uincendus 97. tentator 98 b. priuſquam eijciatur turbas dat 597. quomodo nihil commune cum Chriſto habeat 207. ut expugnari debeat & quibus armis 288 a.b. infantium hoſtis 444. ſalutem noſtram promouit 506. uaria obijcit ut uerbum auferat 198. ut nos tentet 96.b. regni Chriſti aduerſarius 33.b.
Diaboli regnum in mundo 271.b. 273. ingenium & uires 274.193. 208.227. impotentia 208. inſidijs omnia loca plena 104.b. uires magnæ, niſi à Deo coerceatur 206.b. ruina fulguri confertur 550. promiſsionibus nõ credendum 103.b. aſtutia in decipiendis hominibus 484. aſtutia in oppugnando Dei regno 430. poteſtas in impiſsos 209
Diaboli quid ſint 208
Dies filij hominis 433. qui 431.b. Domini improuiſus 503
Dies dominicus 141.b
Diei dominici abuſus uarius 142
Dierum Noæ mores 433.b
Dies ſeptimus Deo ſacer eſt 109
Diffidentiæ fructus 99.b
Diffidentia tentat Chriſtum Diabolus 99. in precibus abijcienda 571.b.
Dignitas Chriſtianorũ quod ſunt filij Dei 104.b
Digitus Dei quid 295.b
Dilectio proximi neceſſaria 556. eſt fructus fidei 188.b. operibus declarari debet 298.b
Dilectionis lex per Chriſtum inſtauratur 153. proprietas 256. b. 258.b
Diligere Deum ſummum eſt præceptorum 255.b
Dilectio Dei paſsionis Chriſti cauſa 505
Dimenſum quid 543
Diſcipuli contendunt de primatu 514.b. amicè à Chriſto inſtituuntur ibid. lunaticum curare non poſſunt & cur 557. ut glorificatione Chriſti afficiãtur 556. amici Chriſti 375. dormiũt 527. quid poſt Aſcenſionem fecerint 567.
Diſcipuli ambidextri Exemplum 237. cunctatoris exemplum 136
Diſcipulorum incredulitas 554.b. Chriſti confeſsio 250.b
Diſputationes cum impijs temere non inſtituendæ 538.b
Diſpenſatores perfidos coercendi ratio 405.b
Diſpenſatoris perfidi pœna 404 b mores 405. artes 405 b

Diſtingen-

Diſtinguendũ inter mandata Dei & promiſsiones 479
Diſsipationis eccleſię Dei cauſa 43
Diſsimulando Chriſtus negatur 530.b
Diſsidia ex Euangelio acerrima 350. in religione neminem offendant 120
Diſciplina militaris apud Romanos 170
Diuina prouidentia omnia reguntur 8
Diui non inuocandi 418. an ad ſe recipiendi ius habeant 408
Diuorum interceſsio nulla eſt 169 cultus confutatur 103.b
Diluuij pœna 434
in Diuortijs vt hodie peccetur 412
Diuitiæ cauſa luxus 332
Diuitiæ veræ quæ 338. iniuſtæ & alienæ 408.b
Diuitiarum uſus 337.b.407.abuſus 77. poſſeſsio non pugnat cum uerbo Dei 77
Diuites quos ſcriptura nocet 28. tantum diſpenſatores opũ ſunt 78. qui damnentur 333. huius ſeculi quomodo conſolationẽ ſuã reportent 150.a.b. qui damnentur 150. Deus non faſtidit 551
Diuitię & paupertas res medię 150
Diuitum officia 150.b. mores 332. a.b. uitia 413. conditio 404. conditio periculoſa 446.b
Diuitis pœna in inferno 417.b
de Diuitijs diſſerere periculoſum eſt 77
Docendi mos quis fuerit apud ueruſtiſsimos 110. ratio quam uaria eſſe debeat 381.b
Docendo cur hodie non proficiatur 882
Docendi uerbum Dei nullus tempore apoſtolorum certus locus conſtitutus erat 121
Doctrina propter nilẽ adminiſtrũ contemni non debet 230. omnibus applicand[illegible]73.b. remiſsionis gratuitæ, neceſſaria 453. uerbi Dei ceremonijs præſtat 108. euang. piſcaturæ confertur 125. ne ſit æquo grauior 315. ſalutis unde peti debeat 410
Doctrinã Chriſti qui irridẽt 409.b
Doctoris ueri officium 478.125
Doctores ueri Chriſti exemplo audiendi 64.b
Doctores ſint irrepræhenſibiles 162.b
Doctorum improbitas, uerbi contemptorea non excuſat 315.b
ad Docendum nemo accedat, niſi ſpiritu præditus 107.b
δοξολογία & eius uſus 189
Donis Dei quomodo utendũ 282. gaudere pium eſt 150.b
Dubitatio de nouiſsimo Chriſti aduentu 224.b
Duobus nemo ſeruire poteſt 409

E.

EBrietas arbor peſsima eſt 163 corda grauat 501
Ebrietatis malum 505.510.b.
Eccleſia uera quæ ſit 320.b. non deſinit eſſe, licet antiſtites errent 350. uinea Dei dicitur 356.b. ſancta eſt, etſi in ea multi flagitioſi 104.b. non prorſus abſq; macula eſſe poteſt 505.b. regna perdit & ſeruat 517. opes ut habeat neceſſe eſt 487. eſt ubi uerbum prædicatur 194.b. quomodo abſq; macula eſſe dicatur 506
in Eccleſia nihil niſi uerbum Dei doceatur 110.b
in Eccleſia doctrina & ſacramenta eſſe debent 70
Eccleſiæ conditio in terris 514. antiſtites auari acerrimi Chriſti hoſtes 505.b. bonorum uſus 487 b. abuſus 488. ſubmerſio ſunt, qui propter carnem accedunt 125 b. miniſteriũ quibus partib. conſtet 70. ratio quę & reip. 144
Eccleſiarum, &c. bona in quos uſus conferantur hodie 258
Ecebolius apoſtata 389
Egentibus benefaciendum 378
Electi ſegeti maturæ conferuntur 240. multi diuitijs illuſtr. 146.b
Electio Dei qualis ſit 151
Elementa omnia Deo obtemperare 278 a.b
Eleemoſyna alienæ miſeriæ reſpectus 338
Eleemoſynæ quales eſſe debeant 406.b
Elephantum mos in coeundo 14
Elizabet quomodo cognata Marię 21.b. angeli uerba repetit 13.b. ſe occultat quinq; menſib. 13. pudoris muliebris exemplum 14.
Eliæ prophetæ hiſtoria 115
Emaunta qui iuerint qui fuerint 555.b.
Epiphanius contra cultores Marię reliquorumq; Diuorum 16 de loco mortis Adami 544.b
Epicuræi lugebunt 151.b
Errorum uis 220. cauſa ſi Chriſtus ex carne metitur 444. fons neſcire ſcripturas 481.b.
Eſuries ſpiritualis allegorice ſenſu quæ 147. argumentum humanitatis Chriſti 98
Eſurientes iuſtitiam qui 147
Eſſeni eorumq; doctrina 74
Eſt uerbum in Chriſti uerbis tropum non excludit 511.b
Euangelium 1. teſtimonium gratię Dei ibid.b. qui recte prædicent 2 cur Lucas ſcripſerit 1.b. quid 44 quo nomine accuſetur 134.b. uino nouo confertur 136. non fert mixturã 137. regnum Dei continet 192.b. prędicatio pacis 241. non pertinet otioſis 105. nemo propter miniſtros contemnat 248. non cauſa diſsidiorum 350. propter uilem ſpeciem non debet contemni 364
Euangelij fruct⁹ 1.b. prędicationis partes 2. vſus ibid. auditores quales eſſe debeant 2. Authoritas nõ pendet ab hominib. 130.b. præcones uiuentes curent non defunctos 236.b. effectus, quod ſatan ſua poteſtate deijcitur 249.b. auditores idonei qui 252. fructus apud pios non poteſt perire 162. pura doctrina dei gloriã illuſtrat 271. natura & cõditio 362.b.363 diuulgandi tempus 349. dignitas 44. doctrina non noua 335.b.
Euangelio prædicatur regnũ Dei 244
Euangelica Lucæ hiſtoria certa 1. b. ab apoſtolis tradita ibid.
Euangelicorum officia 363.b. librorum beneficium 2
Euangelicæ prædicationis finis 2
Euæ tentatio 98.b
Eunuchus reginæ Candaces baptizatur 90.b
Excõmunicatio apud Chriſtũ prophetas, &c. non locũ habet 509. fulmen pont. Rom. 148.b. intempeſtiua imprudẽter inſtituitur 6
Excommunicati qui 148.b
Excommunicationis malum 424
Exactiones iniquæ 480
Exemplorum uis quæ ſit 320
Exercitia duo habet eccleſia 362.b
Exempla, quid ordinũ turbatores maneat 5.b
Excidia gentium unde 319
Execrari homines eſt impietas 154
Excidij Hieroſol. notæ 495.b
Ex gratia omnia nobis contingunt 25.b.57
Ex officio agendum, non propter profectum 72.b
Exitus oris Domini quid 100.b
Exorciſtæ damnantur 189.b
Externi ritus Charitati cedere debent 239

F.

FAlſi doctores hominib. periculoſi 161.b. arguẽdi 485. cauẽdi ibi.b
Fatalis neceſsitas culpa nõ liberat 422
Famelici per Allegoriam qui 28.b
Familię Chriſtianę exemplũ familia Petri 219.b. (481
Fatidicas artes qui primi profeſsi
Fermentũ pharis. hypocriſis. 323.a. b. ut in ſcriptura accipiatur 363
Feliciſsimos eſſe qui Chriſtũ agnoſcunt 254
Feſtuca delictum leue eſt 161
Feſtũ corporis Chriſti quãdo inſtitutũ 438.b. purificatiõis Marię 16
Feſta Mariæ quando inſtituta 16
Fides nunquam aut raro fallit 123. Dei donũ eſt 485.b. in terris rara 440.b. tædium peccati parit 396. non obſtat, quo minus functionẽ noſtrã obeamus 48. purificat à peccatis 311. noſtra ut fulciri debeat 21.b. ſola à Chriſto requiritur 215.b. ſalutis fons 190. b. quibus confirmetur 165. bona opera profert 454. in pontificũ

anlis periclitatur 130.b
Fides proprietas 12.b. cum Charitate coniunctæ exemplum 128. ueræ ingenium 56.b. ueræ exemplum & effectus 551.b. 416. uocabulum quid ſignificet 440 b. exemplum Abraham 170. noſtræ conditio 521. opera 454. effectus 15
Fidem non opera reſpicit Chriſtus 118.b
Fide qui non ſunt præditi 15.b. aliorum in externis multum iuuamur 128.b
de Fide ut iudicandum ſit 251.b
Fidelium ſi numerus augetur gaudendum 252
Filius Dei uerus homo 41
Filij prodigi exemplum 391.b. pœna 393
Filij thalami qui 134.b
Filiorum inobedientium ſors 393
Feſsis quies concedenda 217
Flagitioſi ut tractandi 514
Flentes Deus conſolabitur 148 qui ſint de quibus Chriſtus loquitur 148
Fœlicitas quæ ſit uera 26 in quibus conſiſtat 54
Fœtus in utero adhuc latẽtes Deo curæ ſunt 13
Fortuna aliorum, et noſtra nos afficiat 30.b
Fortunæ inſtabilitatis exempla 8. b.28.167.b
Fortunæ ludibrium multi reges 28
Fortuitũ nihil homini accidit 356
Frater noſter quis ſit 153.b.155.b.
Frugalitas commendatur 84.b
Fructus fidei tranquillitas conſcientiæ 191
Funera ut deduci debeant 174. cur apud ueteres extra urbes ſepultæ 173.b
Funerum ratio 171.b
Futuræ uitæ ſpem qui negant quales ſint 419

G.

GAbriel à Deo miſſus 14.b
Gabrielis uerba teſtimoniũ trinitatis habent 21.b
Gabrielis nomen quid ſignificet 21
Galilæi à Pilato cæſi 354.b
Galli cantus 531.b
Gaudendum ob peccatores receptos 403
Gazophylacium 487
Genealogiæ Chriſti enumeratio apud Matt. & Lucam conciliatur 94. uſus 94
Genealogiarum ſuperſtitioſa inueſtigatio 94
Generatio carnis nihil facit ad ſalutem 302
Gentiũ adoptio 367.b.381. conditio ante uocationẽ 381. uocationem & Iudæorum repudium Chriſtus prædicit 371
Gotti Romam obſident 518
Gladius ſpiritus uerbũ Dei 520.b
Gladiũ ſumere nõ omnib. licet 534
Gladij pontificis qui ſint 524
Gladios quo conſilio ſuos iubeat accipere Chriſtus 523
Gloria uera quæ 8.b.278.b. Dei apud alios etiã propagandi 271.b
Gloriandum in uno Deo 24.b
Glorificationis Chriſti modus 225 item fructus 126
Gratitudo ab omnibus requiritur 113.b.14.b
Gratia Dei in præconib Dei etiam cõmendatur 130.b. omnes gẽtes uocatæ ſunt 130.b. externis reb. non aſtringitur 50.b. argumentũ conſolationis 18. fidendũ 391.b
de Gratia Dei non temere deſperandum 465.b
Gratia quę referatur monitorib. 89
Gratiarũ actio in cœna Dominica imprimis requiritur 513
Gratiarũ actio commendatur 218. b. Chriſtianos decet 510 b
Gregor. VII. cœlibat⁹ legẽ tulit 4
Guilhelmus Tellius Heluetici fœderis author 383.b.
Gymnoſophiſtarum de mortuis ſententia 213.

H.

HÆmorrhouſa typus humani generis 110.b. fide liberatur 111
Hæmorrhouſæ immundæ 110.b
Heluetiorũ mos alẽdi milites 84.b
Heluetij in bellis ſecum habent miniſtros uerbi 82.b
Heli propter filios punitur 66
Heri ut in ſeruos eſſe debeãt 167.b
Herodes quis 388.
Herodes quis & qualis 538. illudit Chriſto ibid.b. ſenatum LXXII. tollit 29. uulpi confertur 368.b. cupit uidere Chriſtum 216
Herodis hiſtoria 88. inceſtus 69. facinora 3.b. ingenium qui referant 538
Herodias uxor Philippi 88
Heri ut ſeruos tractare debeant 340.b
Hieroſolyma ciuitas ſancta 124.b
Hieroſolymę urbis excellẽtia 465.b
Hieroſolymam nunquam reſtaurandam 497
Hieroſolymitani excidij hiſtoria 466.b. eius uſus 467
Hiſtoria Chriſti neceſſaria eſt 14.b
Hiſtoriarũ & exemplorũ uſus 355.b
Homo unde maxime uiuat 100.b
Hominis conditio ante Chriſti remedium 357.b
Homines quæ polluant 310.b
Homines piſcib. conferuntur 124.b non timendi ſed Deus 385.a.b
Hominum ergô omnia uata 114
Homicidij ſcelus 318.b
Hora mortis imminens neminem quo minus faciat officium, abſterreat 364.b
Horæ canonicæ Vrbani inuentũ 16
Horreum Chriſti eſt cœlum 86.b
Hoſpitalitatis exemplũ Matthæus 131. ius ſanctum 371.b. commendatio 262
Hoſpites ut explorandi 241
Hoſpitia temere nõ mutanda 144
Hoſtes Chriſti qui fuerint 517. induſtria 528. non ipſum aggrediuntur, ſed rudiores 132. ſuo ſeſe indicio produnt 168.b
Hoſtium ueritatis mores 254.b aſtutia 133.b
Hoſtium Chriſti arma & artes 132 528.b
Hoſtibus in opprimendo Chriſto ſemper conueniunt 528
Humilitas in quibus conſiſtat 130. b. ut homines decet 374.b.375. b. Chriſti exemplo docetur 42. quæ Deo probetur 375
Humiles Deo accepti 230
Hydropicus ſanatur à Chriſto 371. b. typus humani generis 373.b
Hypocritæ propter aliorum ſalutẽ indignantur 401.b. plus alijs ſuperbiunt 402
Hypocritarum confidentia 75. moroſitas 400.b. ſtudia 401. ſuperbia 401. mores 138. 168. b. 310. 311.b. 314.b. 460. 360. pœna 367

I.

IAiri fides eiuſque ſortis animus (21x
Iairi filia excitatur 113
Ieiunium unicum à Deo inſtitutũ 134. quadrageſimale refutatur 98. uerum quod ſit 265
Ieiunium & preces coniunguntur 134
Ieiunia ad quid inſtituta 61. non temporibus debent eſſe aſtricta ibid.
Ieſabel filia regis Sydoniorum 115
Ieſus XII. annorũ in templo docens 64. doctores audit & interrogat 64.b. nomen quid ſignificet 18.b. 116. puer XII. annorum aliquid mali homine peragit 62. ſeruator ſolus 50.b.51
Ieſu Chriſti, nomen quid denotet 165. pueritia 61.b. profectus 67.b
Ignis denotat cruciatus inferorum 86.b.
Ignorantia uoluntatis Dei non excuſat 346.b
Illuminari cupientibus quid faciendum 450.b.451
Illuſores non audiendi 419.b
Illuſorum filij Dei pœnæ 531.b
Imagines non ſunt libri laicorum 195.b
Imperij Rom. dilaceratio quando cœpta 517
Impietas ſemper quærit excuſationem 183.b
Impietatis proprietas 410.b. cauſa 344
Impietatem quid ſequatur 89
Impij cur in hac uita quoque puniantur 394. cur tententur 96. b. ſub amicitiæ prætextu inſidiantur 368.b
Impiorum furori cedere non malum eſt 216.b

Impijs propter magnificos titulos non parcendum 304.conſentire quantum peccatum 318.b
Incredulitas noſtra nil Dei promiſſionibus derogat 1e.13.b
Incredulitate ſtabilitur regnum Satanæ ee7.b
Increduli gratiam Dei alijs inuident 454.b
Incredulo nil miſerius 12.b
Incarnatio filij Dei admiranda 39 aſſeritur 2u.b
In Chriſti negotio nihil fortuitum e38.
In Chriſto quid quærendum 18.b
Inconſtantia vulgi ingrati 535.b 540.b
Indigentiæ noſtræ à precibus non deterreat e91.b.292
In audiendo verbo Dei feruore opus eſt 1e1.h
Infantes Chriſto adducendi 444 nobis exemplo ſunt ibid. b. Spiritus ſancti capaces eſſe 9 peccato obnoxios 21
Infernus locus damnatis deſtinatus 417
Infideles ſacramenta negligunt 185.b
Infirmitas carnis 10.h
Ingratitudo mundi 141.eorum qui miniſteriũ contemnunt 143. in benemeritos 47u. 473. cõmune omnib.vitiũ 4e9 in Dei filiũ 505
Ingratitudinis malum 186.b
Ingenij humani peruerſitas 352
Inhoſpitalitatis vitium e33.b
Inimici diligendi 153.156.b de Iniurijs & aperta vi 155
Innocentia Chriſti 537.542
In periculis fugiendum ad Chriſtum 205.b
In peccatis omnes naſcuntur 51.b
In religione ſua qui quærunt quales ſint 135
In ſcripturæ exemplis lapſus eſt facilis 234
Inſtituta hominum non ex carne iudicanda 410
Interceſſionibus non opus ad Chriſtum aſpirantibus 1e8.b
Inuocantes Deum exaudit e65
Inuocatio ſuas tentationes, &c. 166.
Ioannes quando natus 3. gaudio fuit parentibus 8. ſubſilijt in vtero matris 2e. b. propterea quod ſpiritu plenus non inuocandus e3. propheta altiſſimi 35. qua via in docendo vſus ſit 36. non patrocinatur vitæ monaſticæ 38. anteambulo Chriſti 35. vocationem Dei expectat 69. b. quid docueris 70. primus noui Teſtamenti miniſter 68. b. vt ſalutis cognitionem dederit populo 36. b. 37. reipub. iure confirmat 80. putatur eſſe Chriſtus 85. minimè conuiciator eſt, ſed ſidus miniſter 74. b. non temerarius nouator eſt 71. mittit ad Chriſtum num ipſe ſit promiſſus ille 176
Ioannes Conſtantinopolitanus de primatu contendit 518
Ioannis nomen quid ſignificet 8. vita auſtera & dura 8.b. pueritia & æducatio 38. officium 9. tempus 68. b. vita perpetuum ieiunium 134.
Ioannem commendat angelus 8.b
Ionæ prophetæ ſignum 305
Ioſephus Chriſtum ſepelit 550.b
Ioſeph ex familia Dauidis 15
Ira eſt frænanda etiam in cauſe iuſta 140.b.141
Ira Dei malorum omnium cauſa 496.contra contemptores verbi Dei 467.
Irriſores religionis feruntur, cultores non 481.b
Iſraelitæ vt Deum tentarint 10 ſunt omnes credentes 19.b
Iſraelitarum ſtatus ſub Achabo 115
Iubilæus annus 112
Iudas cur electus in apoſtolum 143.b
Iudas Iſcariotes proditor Chriſti 505.b
Iudæorum res afflictiſsimæ, tempore natiuitatis Chriſti 39.b.ſectæ 73. b. error præcipuus 75.error de ſuo Schem Hamphoras e70.in ſuos immiſericordia e57 b, crudelitas & ingratitudo 317. b.ingratitudo & pœna e99.4e9. a.b.370.pœna.ibidem.
Iudæi Chriſti hoſtes 457.b. ſuo merito à regno Dei excluſi. h.116.b ſunt admonitio omnibus 75.b
Iudaicus populus vineæ conſertur 473.b
Iudicia varia de Chriſto e94
Iudicia temeraria obſtent beneficentiæ 160.priuata & temeraria prohibentur 158.b
Iudices iniqui de fidelibus quid ſtatuant 147
Iudicis iniqui deſcriptio 438
Iudicium nouiſsimum verè futurum 378.b
Iudicij nomine Hebræi quid intelligant 312
Iudicij humani cæcitas 489.b
Iudicare vt dicantur apoſtoli 519.b
Iudicandum ita ne in leges charitatis peccemus. 158.b. de rebus ex fructibus 163
Iudicandi peccatum multiplex 159
Iulianus Chriſtianorum irriſor 147.
Ius parentum in liberos 65b.
Iuſtitia & miſericordia Dei nomen eius ſanctificant e70.b.271
Iuſtitia vera in Dei mandatis conſiſtit b.4
Iuſtitiæ humanæ typus phariſæus 441.propriæ perſuaſio quantum poſsit. e54.b
Iuſtificatio vnde dependeat 443
Iuſtificare Deum quid e81.b.182
Iuuentus non vitijs polluenda 114.b

K

Κρεοφαγίας patres in Cœna non ſtatount 512

L

Aboribus aliorum non viuendum. e80
Lacedæmonij pernities Græciæ 81
Laſciui ſimiles canibus 14
Latro fidei veræ & pœnitentię exemplum 547.b
Latroni paradiſus promittitur 548
Latrones cũ Chriſto crucifixi quẽ typum gerant 547.b
Lazarus typus miſeriæ huius ſeculi 413.typus eccleſiæ 414.b
Lazari ſumma felicitas 415.b
Legio continet 12500. 208
Leo Imp. ab Gregorio ob deſtructa idola excommunicatur 518
Leo III. vita & oculis à matre priuatus 518.b
Lex talionis vt intelligenda 154. repetundarum 81.charitatis quo uſq; ſe extendat 155. b. quo uſq; durés 411, animum requirit non externam. ſolum obedientiam 44
Legis obſeruatio vera quæ 311.b.totius ratio 411.b.capita iudiciũ & charitas Dei 31e.uſus verus quis 256. doctrinæ vt hodie tradatur 315.
Legis periti irreprehenſibiles videri volunt 314
Legem totam ſcripturam comprehendere 255
Legales typi excluſi 510
Legendæ ſanctorum plenæ ſuperſtitionum. 510.b
Lecti vſus & abuſus 307.
Leproſus adumbrat naturæ corruptionem 1e6.
Leproſus typus corruptionis 418
Lepra pœna peccati 4e8
Leuiticæ tribus dignitas 3.b
Liberi vt æducandi 5. 8. 14.62. patienter ferant caſtigationem 66 à pueris aſſueſaciendi ad cultum Dei 63. 64.b. Deo conſecrandi 53. aliquando parentibus dolorem afferunt 8.grati ſint in parentes 67
Liberi arbitrij vim nullã eſſe e76
Liberorum officium erga parentes 67.piè inſtitutorum fructus 68.
Liberatio ex Babylone, typus ſuis liberationis per Chriſtum factæ 71.
Liber vitæ Chriſtus Ieſus eſt 251
Libri ſacri non abijciendi quod illis multi abutantur 105.b
Libertas Deum dicendi patrem vnde 268.b
Libertate qui frui neſciunt quid eueniat 79
Liberum arbitrium & meritum hominis nullum eſt 334.b
Lingua à natura munita ne mala loquatur 163. b. coercetatur 159 ἀκαταγέλαστα 614

Loci ſacri 309
Locorum dignitati nihil tribuendum 369
Lotiones apud Iudæos crebræ 309.
Lucas ex numero 70. diſcipulorũ nõ fuit 1. Antiochenus medicus, hiſtoriographus & non pictor 1.
Lucæ quis ſcopus & finis propoſitus fuerit 2.b
Lucerna verbum Dei eſt 340
Ludouic IIII. Heluetica libertatis confirmator 16.b
Lugere defunctos peccatum non eſt 174
Lugendum & quamobrem 152
Luxuria omni ætati turpis 53
Lyſanias filius Ptolemæi 68.b
M
MAgiſtratus à Chriſto non tollitur 315. Chriſtum agnoſcant 43
Magiſtratus officiũ 43.b 388.404.b 438.b.460.b.
Magiſtratui obtemperandum 42.b. quatenus parendum 383. licet punire ſontes 83. quid debeat populus 480. obtemperandum, vt ſimul Deo etiam obtemperemus 66.b. legitimus quis 529.b
Magnificandi verbum quid ſignificet 24.b
Maiora non negligenda propter minora 311.b
Mali initium excuſſio diſciplinæ 393.b
Mala gratia benemerẽtibus rependitur 117.b
Mala impendentia deprecãda 526
Malorũ nouiſſimi ſeculi vſus 498. omnium origo 276.b
Malachias vltimus veteris Teſtamenti propheta 121
Mammona quid ſignificet 406.b
Mandatis Dei priuata commoda poſtponamus 237
Manuum Chriſti impoſitio quid denotet 358
M. Catonis ſententia de otio 123
Marij dictum indignum bono viro 83
Maria vt honoretur 17. ex familia Dauidis 13. laudat Deum 24.b remittit ad vnius Dei cultum 26.b. ex Chriſto omnem dignitatem habuit 13.b. inuiſit Elizabetham 22.b. Chriſto non debet præponi 203. gratiam Dei agnoſcit 26.b.15. à gratia Dei habuit quicquid habuit 25.b. exultat in Deo ſeruatore 25. ex fide beata 24. pudicitiæ muliebris verum exemplum 20. Chriſtum increpat 65.a.b. cur deſponſa viro 15 Deo non diffidit, etſi modum cõceptionis quæreret 20
Mariæ fides & obedientia 21.b. cultores ridiculi 26. partus & huius modus 41. dignitas ad gratiam Dei refertur 18. cultores refutantur 302.b. conceptionis, natiuitatis, aſſumptionis & præſentationis feſta, quando inſtituta 16
Mariam qui ſalutant, ridiculi ſunt 16.b. veteres θεοτόκον dixerunt 24.
Martha exemplum matrisfamilias 261. typus eorum qui Deum externis officijs colunt 262
Martyres non pœna ſed cauſa facit 149.
Maſſilienſes excludebant otioſos 67.b.334.
Mater & fratres Chriſti qui fuerint 202.b
Matrimonij dignitas 412
Matthæus publicanus fit apoſtolus & Euangeliſta 130.b. exemplum obedientiæ fidei 130.b
Matthæi vocatio typus noſtræ vocationis 130.b
Maxillæ percuſſio quid 135
Medice cura teipſum 114
Medijs & indifferentibus quomodo vtendum 309.b
Mendicitas bonis moribus inimica 53. Chriſti exemplo non ſtabilitur 53
Mendicorum miſeria 414. officium 413
Mendicãtes fratres arguũtur 244
Mendicitatis malum 123
Mẽs quid 236. illuminatione opus habet 308
Menenius Agrippa 5.b
Mercedis nomine quid intelligatur 243
Meſſias non nudus homo, ſed etiã Deus 484
Milites qui fuerint temporibus Ioannis 81. mercenarios Deus punies 167. mercenarij peſtis abominanda 81.b
Militiæ Chriſtianæ arma 385.b
Militum gregariorum leges 84
Miniſtri fidelis merces 343.b
Miniſtri expectent miſſionem 6. verbi contemptiſſimi 35.b. luxũ fugiant 179.b. quales hodie eligantur 232. quibus calumnijs petantur 113.b. qua via in docendo vti debeant 36. qua libertate in arguendo vti debeant 314. nimiam familiaritatem deuitent 117. Dei diſpenſatores 342.b dona à Deo habent 44. negotientur Chriſto ibidem. ſeduli ſint in prædicando 192. non ad certum numerum aſtringendi 138.b. quibus præficiantur 342.
Miniſtrorum fideliũ ſors 89.b.318. conditio 117. officium 474. 72.b.9.b.3. authoritas vnde 118.b
in Miniſtrorum electione quid ſpectandum 143
Miniſterium eccleſiaſticum plenũ periculorum 122.b. Ioannis cum apoſtolica functione conuenit 70. Euangelij Chriſtus inſtituit 143.
Miniſterij eccleſiaſtici typus 219. authoritas 248. author 342.
Miniſtris quis finis debeat propoſitus eſſe 250.b
Miniſtris ceſſantibus, extraordinarie mittit Deus prophetas 69.b
Miniſtros nunquam pudeat veritatis 127.b. dignus eſſe mercede 243.
Miracula quæ à Chriſto abducunt falſa ſunt 231. qui diuis aſcribunt errant 249.b. cur ad monumenta aliquando facta 231.b. Euangelij teſtimonia ſunt 244. non ſemper indicium perfectionis 231.b
Miraculorum fructus 549 vſus 293 295.b.214.b.
Miraculorum Chriſti finis 177.419
Miſeria vitæ non indicium iræ Dei 42
Miſericordia Dei eſt vniuerſalis 26.b. excitat nos etiã ad miſericordiã 158. gratuita cauſa ſalutis eſt 45. Dei non ſecuros facit, nec ad ſcelera allicit 26.b. cauſa redemptionis noſtræ 34.36.b
Miſericordiæ Dei exemplum, quod filium ſuum miſerit 26.b. in non exemplo eſt Acolaſtus 308.a.b
Miſeri ſunt qui quid ipſos maneat neſciunt 151
Modeſtia Chriſti exemplo docetur 41.
Modeſtiæ exemplum Zacharias 13
Modius & lectus quid ſignificent 307
Monachi ſimiles phariſæis 138.b. 162.b.309.142.b.182. quod Deo debetur ſibijpſis aſcribunt 72
Monachorum figmentum in hiſtoria Marthæ & Mariæ 262. ingenium 309
Monaſtica vita Deo contraria 436
Monendus vt ſit qui nos iniuria affecit 424
Montes & colles quid denotent 72
Mors quid ſit 232.b. eſt ſomnus 213 non terreat fideles 175. puiſanti ſimilis 340. argumentũ iræ Dei 172. omnibus communis 413.b. 416.b. ſtipendium peccati 21. Chriſti aſſumptio dicitur 232.b
Mortis terrores vicit Chriſti amor 509.b. mentio multis terribilis 329. Chriſti teſtes 330. meditatio vtiliſſima 525
Mortẽ qui horrent quales ſint 55.b
Mortui vt lugendi 212
Mortuorũ corpora vt apud varias gentes tractentur 172.b
Morbis laborantibus quæ officia præſtemus 259
Mortui vt mortuos ſepelire dicantur 336.b
Moriendi alacritas vnde naſcatur 55.b
Mortui ſalutis noſtræ curam nullã habent 419
Mos gratulandi ijs quæ liberos pepererunt 30.b
Mores noſtrorum temporũ 433.b corrupti temporibus Chriſti 138
Muliebria

Muliebris ſexus officia 60
Mulier de Chriſto teſtatur 301
Mulieres Chriſto ſepulto honorem impendere ſtudent 551.b. quid de eis 185.b. Chriſti mortem deflent 543.b fidei & gratitudinis exemplum 193.q
Mulierum puerperarum officiū 52
Mundus totus contra verum Dei verbum 97.b. maris inſtar 122.b
Mundi ingenium quale 194. exemplū ſequi pernitioſum eſt 422.b
Mutuum dando quomodo peccetur 557.
Muſi in religione qui 293.b

N

Naamani Syri hiſtoria 116.b
Nadab & Abihu igne cœleſti con flagrarunt 3.b
Natiuitatis Chriſti tempus omnibus propheſijs conuenit 3.b.39
Naim ciuitas Galilææ 172
Nauicola ventis agitata typus eccleſiæ 205.
Nazarethum Chriſti domiciliū 39
Nazarethani Chriſto illudunt 113
Necromantia 421
Nemo ſua ſorte contentus viuit 103
Nemo propter noſtri ſeculi turbas offendatur 579.b
Nemo propter dona eximia ſuperbiat 347
Nobilitas generis Chriſti 95
Nobilitas vera non debet contemni 3.b
Nobilitas inutilis niſi virtus accedat 3.b.30
Nobilium mores noſtri temporis 3.b.405. artes & ſtudia 67.b
Nomen Dei ſanctum 26. quid ſit 270. per quæ ſanctificetur 270.b
Nomina hominibus quando imponenda 31. hominem quid nos admoneant 31. rerum ſunt notæ 270
in Nominibus imponendis veterū mos 31
Noctis tenebræ ad omne flagitium commodæ 46
Non omnia in exemplum trahenda 16.b
Non duo Chriſti ſed vnus 20.b
Non peccandum ſpe impunitatis 437.
Nō quæuis religio ſaluos facit 159.b
Nouiſſimi iudicij executio qualis 437.
Niniuitæ exemplum pœnitentiæ veræ 305.b
Nullus hominum ordo per omnia ſanctus 503.b
Nulla occaſio negligenda prehendi verbum Dei 122
Numerus 70. ſacer Iudæis 238

O

Obedientia maior quam conſuetudo 31.b. quo uſq; extendatur 66. requiritur à liberis 67. vnica ratio ſubterfugiendi pœnas 31.b

Obedientię ciuilis exemplum Ioſephus & Maria 40 exemplum Chriſtus 97. exemplum diſcipuli 508. vtilitas 260
Obedientiam exigit Ioannes 87.b
Obediendum Deo ſemper 116
Oblationes quæ Deo gratæ 488.b
Obſeruatio præceptorum Dei neceſſaria Chriſtianis 164.b
Obumbrandi verbum quid denotet 20.b
Occaſiones malè agendi vitādæ 98
Oculo quid Chriſtus denotet 308
Ocio nihil turpius 66.b. nihil nocentius 122.b
Odium religionis ergò omniū maximum 494.b
Odij contra veritatem vis 294.134 138. inter Samaritanos & Iudæos cauſa 233
Odia atrociſſima ſunt quæ ob religionem naſcuntur 233.b
Odoacer Romæ & Italiæ rex 318
Officialium publicorum officiū 81
Officium liberorū erga parentes 8
Officio ſuo qui fungitur non incaſſum laborat 242.b
in Officio omnis loci & ordinis hominibus manendum 123
Officia eorum qui ſeruari volunt 359.2.b.
Oliueti mons 524.b
Omnes homines peccatores 187.b.283.
Omniſcientia Chriſti 508
Operarij pauci qua ratione dicantur 239
Opera ſupererogationis quę 234.b
Opera quæ ex charitate fiunt Deo grata ſunt 187.b. noſtra quo loco haberi debeant 427
Operum meritum Chriſtus nō ſtabilis 445.b
Operibus de noſtris & aliorum vt iudicandum 190
Opes per ſe nō malæ 337.b. qui poſſident varie peccant 70
Opum poſſeſſio & vſus 77.b. ratio 404. poſſeſſio periculoſa 332. iactura non magniſacienda 436
Opera bona quæ ſint 426.b
Opus Dei præſtantiſſimum quod ſit 240.b
Oratio quid ſit eiuſq; partes & ſpecies quæ ſint 263.b.16.b
Orationis dominicæ paraphraſis 290
Orandū vt Deus operarios extrudat 240. neceſſario 262.b
Orantes nō ſunt aſtricti certis verbis 267.b
Originale peccatum eſt naturæ vitioſitas 52
Oſculum Dei 398.b
Oſculum amicitiæ ſymbolū 528.b
Oſſuaria cur extructa 173

P

PAcis filios quis 242
Pace cum fruimur ad crucē præparemur 137.b

Panis & vinum non ſunt inania ſymbola in Cœna 512.b
Panis nomine quid intelligatur 279.b. 280. quomodo noſtrum dicatur 280
Panniculum nouū doctrina Euangelij eſt 235.b
παλιγγενεσίας error 216.220
Panes propoſitionis 238
Paphnutius matrimonij defēſor 4
Papatus totus hypocriſi cōſtat 323 b. antiqua religio dicitur 133.b
Papiſticæ ſuperſtitionis quantum malum 70
Papiſtarum ſanctimonia quæ ſit 310.
Papiſtæ phariſæis inſolentiores 442.
Parabola creditoris & debitoris 353.
Parabolæ de ſemine fructus 194.b
Parabolarum cur in ſacris literis tam frequens vſus 195
Parentes ne ſint mali exempli liberis authores 62.b. Chriſtus non neglexit 203. colendi poſt Deum 66.b
Parentum officium in educandis liberis 62.b. ſors & conditio 392.b
Parentū & pædagogorū officium 388.
Paralyſis adumbrat noſtram vitioſitatem 128. quid ſit 127.b
Parſimonia magnum vectigal 80.b
Paſchalis epuli abrogatio 509.b
Paſtores fidei veræ exemplum 46.
Paſtoribus primo Chriſtus reuelatur 42.b
Paſſionis Chriſti cauſa Dei dilectio 505
Paſſionis Chriſti tempus 504.b
Patientia non vtendum cum Dei cultus in periculum venit 103
Patientiæ Chriſtianæ leges 529.b
Patienter ferendum quod mutari non poteſt 492
Patria noſtra vbi ſit 269
Patres in duplici differentia ſunt 134.b
Patrum ſententiæ de Cœna 512
Patriæ poſt Deum prima gratia habenda 110
Pauli locus ad Ephes. 5. expoſitus 385.b.386.
Paupertas ex maledictione Dei quibuſdam 146.b. aliquando maximorum ſcelerū cauſa 52.b. Chriſti Iudæis ſcandalo eſt 113
Pauperes ſunt beati 146.b. propter egeſtatem ab eccleſia non ſunt excluſi 52.b. ſpiritu qui 177.b 146. Deus non faſtidit 42.b. legibus beneficentiæ non exempti 488.b
Pauperum contemptus 413. multitudo 415
Pauperibus quæ conferuntur non pereunt 378
Pax non omnis bona 350
Peccatum peccati pœna eſt 66

quantum malum 187. Ioannis & Iacobi contra Samaritanos 534. eorum qui Chriſto aduerſantur ex ignorantia 329. in Spiritum ſanctum quale 319
Peccati atrocitas quanta 516.b.583 agnitio vnde 395
Peccata non nobis aditum ad Chriſtum præcludunt, ſi vere ad illū cōuerſi fuerimus 193. quam grania ſint 545. remittuntur non propter meritum 285
Peccatores ſimiles ęgrotis 132. quo ſenſu Chriſtus dicat 156. b. ſeruandi modus 133. ab eccleſia non excludendi, ſed colligendi 132.b. ſpes gratiæ Dei non negaoda 521.
à Peccatis reſtituti alios cōfirment 521.
Peccatur ſæpe etiam in bona cauſa 65.b
Pedum nomine quid denotetur 37 b.399.b
Peſecutiones aliquando neceſſarię 145.
Perſecutorum conſolatio 149
Perſecutorum Chriſti pœnæ 544
Perſecutionum cauſa filius hominis 149
Perſecutiones ſigna amoris Dei 315.
Per crucem in gloriam ingreditur 559
Pericula grauiora cum imminent quid faciendum 525
Peſcennius Niger 84.b
Petitio Adueniat regnum, &c. quid contineat 174.b
Petitionis Sanctificetur, &c. vſus 271
Petrus patrimonium quo Papę gloriantur non habuit 235.b. de præmio diſcipulorum quærit 447.b cur Chriſtum à ſe diſcedere petat 124
Petri zelus inconſultus 515. confidentia 511.b
Petricoſa per loca quos Chriſtus intelligat 198.b
Petronella ficta Dea febricitantium 120
Phariſæus exemplum hypocritarum 184.186
Phariſæi qui 73 b. Chriſto fugam ſuadent 368 propter facilitatem Chriſti murmurans 131.b. gubernant eccleſiam 59. 54. Chriſtum calumniantur 194
Phariſæi noſtrorum temporum 312.b
Phariſæi ſignū petant è cœlo 351
Phariſæorum doctrina de dilectione Dei & proximi 257. ambitio 374.
Philippus homo nihili 69
Philonis celebre dictum 27
Phoca Imp. Bonifacium 333. caput eccleſiæ ſtatuit 518
Pij quomodo poſſint verſari cum impijs 372. habeant gratiam apud Deum & homines 68. aliquando bono zelo peccant 126. proficiunt ſapientia 68. in afflictionibus quid faciant 503. non ſemper felices 519. cur caſtigentur 284.b. cur tententur 96.b. ſinus in patriam 110
Piorum lapſus non patrocinantur ſceleribus 12. conditio in terris 279. 520. conditio in reſurrectione 483. dignitas 416. in hoc mundo ſors 148.b
Pijs à Deo quid petere liceat 7.b. ſublatis pœnas dant impij 435
Pios ſine cruce viuere impoſſibile 148.b
Pietatis prætextus falſus multos à Chriſto abducit 236
Pietas decorum ſeruat 550
Pietate ſalua quod tolerari poteſt, non mutetur 110
Pilatus ſeditioſus 69. vt erga Chriſtum peccarit 537. b. Chriſtum damnat 541.
Pilati ſedulitas dimittendi Chriſtum 540 mors 539
Piſcantur in tenebris qui Dei vocationem non expectant 185
Plebei homines ſæpe ad miraculū vſq; de diuinis diſputant 65
πλεονεξία quid 331.b
Pœna contemptorum verbi atrociſſima 545. eorum qui parentibus vitæ ſubſidia negarunt 67. 13. Zachariæ ſecum fert fructū minatur pœnitere neſcijs 75.b
Pœnitentia quid 74.b. teſtanda lachrymis 189.b. vera quæ ſit 246 b. Petri 531. b. omnis loci homines decet 82.b. neceſſaria ſaluari cupientibus 246
Pœnitentiæ ordo & effectus 532. veræ exemplum peccatrix 185. effectus 396. b. initium, peccati agnitio 349.b. partes 185. fru- 74.b.75. veræ ratio 394.b
in Pœnitentia quæ cauenda 396. a.b
Pœnitentiam ad veram cur multi non perueniant 395. b. qui vere agant 74.b
Polycarpus diſcipulus Ioānis 325.b
Polemon Athenienſis emendationis exemplum 359.b
Pompeius magnus 8.b
Pontificatus Iudæorum prophanatus 69
Pontifices Rom. vicarij Chriſti nō ſunt 145
more diaboli ſibi ius in omnia regna vendicant 103
Pontificum ſtudia & mores 344.b
πορνεία vox quid ſignificet 304
Porta vitæ quæ ſit 365. non ſemper omnibus patet 366
Poſſidendi verbum 77.b
Potentia Chriſti diuina 252
Potentiæ Dei vſus 28
Prædicatio verbi regnum Dei propagat 191. b. attente audiri debet 47.b
Prædicationis Ioannis finis 9.b
Prædicationis Euangelij vis 413
Prædicandi munus in quo conſiſtat 9.
Præcepta Chriſti 70. data, ſymbolica fuere 541.b
Præparatio in quo conſiſtat 71.b
Præparatio fit per verbum Dei 71
Præparatione opus eſt ijs, qui ſeruari nolant 71.b
Præparatione eſt opus ad Chriſtū excipiendum 239
Prærupta in ſcriptura quæ 71
Præſentia corporalis in Cœna nō requiritur 171
Prætoria non eſſe prophana 536
Preces exaudiuntur, ſi à fide manant 7.b. fundendæ pro hoſtibus 154. ſint nobis ex mundi ſtudijs recreatio 126. b. ut omnes formari debeant 267. b. 268. voluntati Dei ſubijciendæ 526. multorum cur non exaudiantur 266.b.592.
Preces publicæ certum locū & tempus requirunt 264
in Precibus omnes homines comprehendi debent 181
Precaturi quales eſſe debeāt 164 .265. 266. ne ſint loquaces 266. b. non ſint faſtuoſi 7.b
Precantibus angeli adſunt 7.b
Primitiua eccleſia non habet certas leges de ieiunijs 135
Princeps de uita æterna quærit 445
Principes in exactionibus modum ſeruent 80.b. uerbo Dei ſint ſubiecti 88.a.b
Principum officium erga ſubditos 80.b. 289. b. ingenium qui religionem neſciunt 527.b. mores 89 539.
Primogenitus, dignitatis nomen 41
Proditores cur apud principes in precio 506.b
Proditores uiui exurendi 500.b
prodigia tempore natiuitatis Chriſti 42.b
Progenies uiperarum quæ 74
Promiſſiones Dei non niſi credentibus implentur 54
Promiſſionibus Dei cur non fruamur 29
Propheta quis dicatur 35. b. nemo gratus in patria 114.b.
Prophetæ ut occiſi 474. ſerui exactores 474
Prophetarum fortitudo 475
Prophetas omnibus temporibus dedit Deus Iudæis 370
Prophetiæ ſtudium omnibus neceſſarium 61
Proprietas rerum conuenit cum 8. præcepto 77.b
Proprietas eorum qui in Euangelio ſua quærunt 184
Propter unum multis prædicandum 242

Proui-

Prouidentia Dei pios cõſolatur 8 ſeruantur, qui Chriſto ſeruiunt 193.b. ſub cruce nos ſubleuat 384 minima etiam curat 334.b. non abolet preces 263
Prouidentiæ Dei uis 316.b
Prouidentiæ uſus 327
à Prouidentia Dei pendent omnia noſtra 205
Proximus quis ſit 256.257.258
Pſeudochriſti & impoſtores 432
Pſeudo doctores unde cepti ſunt 152
PſeudoChriſtiani qui in die iudicij damnaturi ſint 306
... quid ſignificet 413
Publicani qui fuerint 79.b
Publicani exoſi 79.b
Publicanus iuſtitiæ exemplũ 442
Pudicitia & honeſtas debet ſeruari 61.b
Pueri ut hodie educantur 63.b ad malum propenſi 64. in locis puritoris fidei educandi 136.b in quibus exemplu nobis eſſe debeant 230. ut nobis curæ eſſe debeant 230.b. ut hodie negligantur 230.b
Puerorum inſtitutio cum religione debet eſſe coniuncta 63.b
in Puerorum inſtitutione nulla cura nimia eſt 64
Pueros etiam religionis & pietatis capaces eſſe 63
Pulueris excuſſio quæ 244.b
Purgationis puerperarum ritus 51 ad Chriſtum remittebat 51
Puniuntur aliquando boni cum malis 115.b
Purgatorium aucupium quæſtuoſiſſimum 236.b
Purgatorium nullum eſſe papiſticum 353.b.548
Purgatorium noſtrum meritum Chriſti 184
Purificatio vera quæ 310.b
Pyromantia 421

Q.

QVæſtio de numero ſeruandorum 365
Quæſtio de cenſu Cæſari dando 478.b
Quid in cœtibus fieri debeat 6.b
Q. Metelli felicitas 26
Quiſque ſua ſorte præſenti contentus uiuat 180.b
Quo quis præſtantior, eo ſe magis demittat 516.b
Quomodo utendum uitijs ſanctorum 11
Quomodo ad Chriſtum homines offendant 57.b
Quomodo agendum cum pontificijs 74.b
Quiuis ſua non aliena curet 331

R.

REbellionis contra Deum cauſa 475.b
Reconciliationis cũ Deo cauſæ 398
Redditus annui eorumque vſus legitimus 157.b
Redemptio per Chriſtum facta ſpiritualis eſt 33.b
Redemptionis per Chriſtum factę deſcriptio 33.b
Redemptionis finis eſt piè uiuere 34. noſtræ myſterium 542.b gaudet 121.b
Reformatio eccleſiæ fiat ex verbo Dei 469
Reformatio ut inſtitui debeat 469.a.b
Reformatores plus qd mereat 470
Reformare qui debeant 468.b
Regina Auſtri, vel Sabæ 305.b
Regnum Dei quid 192.b.296 comprehendit omnem fœlicitatem 147. prophetis quid ſit 430 qui reijciunt pœna 432. non eſt alligatum loco 431. qui oppugnent 275.b. ante omnia quærendum 275.b.335.b. diuulgatur per Euangelium 274. non eſt in prædicatione nuda 108.b ut manifeſtum factum 173.b
Regnum Chriſti æternum 19 b non de hoc mundo 19.456.a.b per aduerſarios prouehitur 133
Regnum cœlorum nuptijs quare conferatur 339
Regni Dei finis 274.b. ratio in terris 431. quæ ſit conditio 181
Regni Chriſti deſcriptio 33. conditio 221. hoſtes qui 33.b
Regno Chriſti nihil decedit ex hoſtium machinationibus 145
Regno Dei quibus rebus pleriqꝫ auocentur 380
Regna in terris duo 271 inter ſe diſſidentia pereunt 194.b
Regnorum excidia vnde initium ſumant 493
Regum officia 462.b.463.515.b
Religio non iudicanda ex hominum ſenſu 15. quid in ſe contineat 54. per Chriſti aduentum ſubito mutetur 68.b. authoritate hominum non nititur 301.b vera ut teſtari debeat 168 comprehendit veram liberorum inſtitutionem 63.b
Religionis principium verbi Dei ſtudium 61
Religionis curam etiam ad reges pertinere 468
Religionis ergô belligerandũ 83.b
Remiſſionis peccatorũ mediator unus Chriſtus 283. doctrina 129.b. certitudo 283
Remittenda eſt omnis iniuria nobis illata 159.b
Remittendum fratribus cur 414.b
Reſiſtendum malo non ſtudio nocendi, ſed ſeruandi 154.b
Reſiſtere malo ut Chriſtus prohibuerit 154.b
Reſurrectionis certitudo 34
Reſurrectionis Chriſti gloria 553.b
Reſurrectionis Chriſti teſtes qui 552.b
Reſurrectionem uerè futuram 483
Reſpub. ſalua eſſe non poteſt vbi iuuentus corrupta eſt 65.b
Reip. malę cõſtitutę exemplũ 216.b
Reuerſio ad Deum, fructus reſipiſcentiæ 74.b
Rhacboldus Friſiorum dux 365
Riſus quid ſit 251.b
Roboamus rex 81
Ruma maiorum lerna 369.b
Rom. pont. aſtutia & tyrannis 472 ius eligendi Imperatores ibid. ſæuitiei in Cæſares 321
Rom. pont. nõ ingrediuntur in cœlos, neq; alios ingredi permittunt 321.b. claues regni cœlorum abſtulerunt 321. unde tantam potentiam habeant 517.b
Roſaria & lingua peregrina in precibus nihil ualent 267

S.

SAbbatum propter hominẽ 139.b
Sabbatum Chriſtianorum 141.b
Sabbati cauſa & uſus 141.361.b religio Dei cultui & charitati cedere debet 139. opus propriũ 373. religio eiusq; pphanatio 109
Saba ciuitas inſulæ Meroes 305.b
Sacerdotes & ſcribæ qui fuerint 471. deliberato conſilio Chriſtũ occidunt 475.b. in conſcientiam peccant propriam 477.b. hypocritæ ambitioſi & auari 486 conferuntur lupis 241. præcipui authores paſſionis Chriſti 505
Sacerdotibus in ueteri & nouo teſtamento permiſſum eſt ducere uxores 4
Sacra pro defunctis nullius momẽti (418.b
Sacramenta quid 70.b
Sacramenta ne priuata fiant 30.b
Sacramenta dũ peragũtur, animos in cœlum per fidẽ tollamus 91.b
Sacramentorum vſum & vtilitatẽ Chriſtus ſuo exemplo commendat 50. vilis ſpecies neminem offendat 45. vis atque vſus 90.b. contemptores 507.b.90.b. neglectus nobis officit 182.b
Sacramẽtis nõ aſtringitur ſalus 139
Sacrificuli & monachi quales ſint 121.b
Sacrorum diſpenſatio quibus committenda 507.b
Sadducæi 73.b
Sadducæorũ doctrina 481.b. ignorãtia 482. de reſurrectione quæſtio 481.b
Sal qui dicantur 387
Salis natura 387.a.b
Sali infatuatu quid fiat 388.b
Salue regina Gregorius inſtituit 16
Salutatio angelica 15.b
Salus in peccatorum remiſſione conſiſtit 36.b
Salutis in negotio omnibus vigilandum ſemperq; 43
Salutis partus inter pericula 438. deſideriũ omnibus inſitum 379 cognitio quibus partibus cõſtet 36. ratio in lege debet quæri 155
In Salutis negotio vires noſtræ nullæ ſunt 40
Salutem qui alibi quam in Chriſto monſtrat impoſtor eſt 38

Salutatio angelica non eſt precatio 16.b.23.b
Samaritanus beneficus in hoſtem 258.b.259
Samaritani parabola 257.b
Samaritani nolunt Chriſtum recipere 233
Sanctitas apud pont. Rom. non inuenitur 21
Sancti Dei organa ſunt 23.b tentantur diffidentiæ telis 99.b quoq; infirmi ſunt 6.b.7.10.b
Sanctorum cultores ueri qui 316 cultus præpoſterus 316. uitia cur narrentur 229. peccata quem uſum habeant 521. & ſanctum quid 270.b
Sareptana uidua exẽplũ fidei 115.b
Satan ex nobis tentandi occaſionẽ captat 99. exaltat ut deijciat 104.b. quomodo dicatur princeps mundi 102. nil poteſt niſi Deus permittat 102. non eſt terræ Dominus 102. obiectis animum mouet 102. ſcripturas in alienum ſenſum detorquet 105. nil niſi hominis interitum quærit 520.b
Satanæ conatibus nemo terreatur 520.b
Satisfactiones hominũ nullæ ſunt 188
Scandalum quid 421.b
Scandali genus tutiſsimum 57.b
Scandala qui dent 422. eſſe neceſſe eſt ibid. cur puniantur 423
Scandalorum authores qui 289 pœna 422.b
Scelera publica publicè accuſanda 88.b
Scelera aperta unde ueniant 273
Scipio Maior 540.b
Scipio Naſica ibid.
Scipionis Aphr. de bellis iudiciũ 84
Sciſma non omne malum 485.b
Scortationis malum 14
Scriptura certiſsima eſt 47
Scripturæ αὐτόπιστος 46.b
Scripturæ finis ut in Chriſti cognitionem adducamur 7. totius ſumma 565. ſcriptores qui fuerint 47
Scripturæ inter ſe conferantur 105.b. debent interpretari 111
Scripturis qui non credunt ſtulti ſunt 558.b
Scripturas qui non audiunt incurabiles ſunt 420.b
Securis eſt iudiciũ Dei atrox 75.b
Secundæ cum ſint res de aduerſis cogitandum 228.b
Seditiones Hieroſolymis 492
Seductores cauendi 491
Sedulitas circa ſuperſtitiones 191.b
Seipſum nouiſſe ſalutis initium 442.b
Senacherib à proprijs filijs necatur 105
Senacherib Aſſyrij mors 27.b
Senatorum officia 551
Senectus ut tractari debeat 29.b
Senſuum uis ex Deo eſt 557
Senum ſtudia quæ eſſe debeant 55
Sepeliẽdi mos apud papiſtas 273.b
Sepeliendi mos noſtræ naturę nos admonet 173
Septuaginta diſcipulos cur Deus emiſerit 238.239
Septuaginta quo miſsi 238.b
Septuaginta qui fuerint in ſcript. non habetur 238
Sepulchra extra urbes antiquitus fuerunt 173
Sepulchra ne uiolentur 174
Sepulturæ magnificæ teſtimoniũ ambitionis 417
Sermo index animi 27.b.163.b
Sermonis uſus 293
Sermones prohetici quales ſint 183.b
Seruus malus ex ſuo ore indicatur 461
Serui hodie quid in deligendis heris ſpectent 167.b
Serui ſacerdotum Chriſto illudũt 532.b
Seruorum Chriſti duo genera 459 præmia ibid.
Seruorũ cõditio apud ueteres 167
Signũ petẽtes repræhendũtur 304
Signa qui poſtulant hodie refelluntur 10.b. poſtulat noua, noua doctrina 10.b. hodie qui petunt Iudæis ſimiles 304.b. ad fidem confirmandam non noua quærenda 306.b. quæ Chriſtum indicarint 351.b. quæ Chriſti mortẽ comitantur 548.b.549. nouiſsimi ſeculi 497.b
Simeon quis & qualis 54
Simon Cyrenæus typus fideliũ 543
Simulatio omnis inutilis 324
Sinapis uis 362.b
Sinus Abrahami 416
Socordia carnis Chriſto periclitante 517. humani ingenij 514.b
Socordię fons quod nemo ſeipſum inſpicit 352.b
Socrus Petri febricitat 119.b liberatur à febri 120
Sodomæi qui 245
Sodomæorum luxus 434.b
Solicitudo duplex 333.b
Solicitudo noſtra inutilis 334.b
Solon ſapiens 28.b
Solonis de Aglao ſententia 147
Sors piorum quæ ſit 241
Sors eorum qui ſuo arbitrio uiuũt 391.b
Σωτήριον quid ſignificet 55.b
Sudoris Chriſti fructus 526.b
Superbia quæ Deo potiſs. exoſa ſit 374.b. principiũ peccati 516.b
Superbia in ſalute nil exitialius 443
Superbos diſsipat Deus 27.b
Superintendentiũ tyrannis 344.b
Supererogationis operum titulus vnde natus 168.b
Superſtitiones ex puerperarum purgatione exortæ 51.b
exẽplo Chriſti arguẽdi ſunt 16.b ſunt lacera ueſtis 135.b
Superſtitioſi uera Dei cognitione deſtituti 136. non admittunt Euang. 136.b
Supplicantium mos concidere ad genua 123.b
Spartani cuiuſdam dictum 93.b
Spartanorum mos inebriandi ſeruos 8.b
Spinæ quid denotent 199.b
Spinæ curarum ut remoueri debeant 200
Spiritus ſanctus quid in nobis operetur 274. deſcendit ſuper Chriſtum 91.b. cur ſpecie columbæ apparuerit 92. in ſanctis ſingulare quid perficit 20.b
Spiritus ſancti diligentia in ſeruanda linea Chriſti 94.b
Spiritus uirtus non aſtricta eſt ad numerum annorum 93
Spiritus probandi 491.b
Spirituum apparitiones 562
Status populi tyrãnide preſsi 354.b
Stella cœlo delapſa in Apocalypſi quid ſignificet 229.b
Stola ueſtis quæ ſit 486
Studium præcipuũ noſtrum quod eſſe debeat 445
Sycomori Allegoria 452.b
Syllæ memoria deteſtabilis 105
Synagogæ 108.b
Syricius miniſtris coniugio interdixit 4

T.

TArentũ propter legatos Rom. uiolatos euerſum 248
ταπείνωσις 25.b
Tentare quid 96.286.b
Tentare Deum quid ſit 106
Tentationes Chriſti 519
Tentationes diaboli 286.b
Tentationes Dei conſilio reguntur 97.b
Tentationis Chriſti tempus 97
Tentationibus nemo ſe temerè obijciat 289
in Tentationibus perſeuerandum cum Chriſto 519
Tentandi Deum genera 106
Tenebræ & umbra mortis quid ſignificent 37
Temperantia & fortitudo Ioannis 176.b
Templũ & cultus Leuiticus 5.6.b
Templum cui uſui deſtinatũ 468 quomodo uioletur ibid.
à Templis non diſcedendum ubi neceſsitas non urget 122
Templi Hieroſolymitani excidij cauſa 489.b
Tempora Chriſti infelicíſsima 69
Temporum noſtrorum deplorata conditio 388.b
Terra bona, & auditores ueri qui 200
Teſtimonia quæ ſufficiant in contemptores uerbi 215.b
Teſtibus credendum imprimis uero Deo 1.b

Thaletis

Thaletis egregium dictum 153.b
Thebani quæ ad rempub. admiſerint 81
Themiſtocles 540.b
Theophilus quis fuerit 1.b
Theſaurus ſummum bonum 338.b
Tiberius Cæſ. libidinoſiſsimus 69
Tiberij egregium dictum 80.b
Tigurini ſenatus exemplum 473
Timor per ſe vitioſus nō eſt 205.b
Timoris cauſa, noſtra infirmitas 43.b
Timere quatenus non liceat 337
Traditiones refutantur 87.
Traditiones ſunt lacera veſtis 135.b
Tradendi verbum quid doceat 253
Traianus ærariū lieni cōfert 80.b
Tridentini concilij fructus 518.b
Trinitatis myſterium 92.b
Tropum in verbis cœnæ ineſſe 511.b.512
Tuberonum familia exemplum familiæ honeſtæ 119.b
Turtures ſymbolum fidei coniugalis 52
Tyrus & Sidon expugnatæ 245.b
Tyrij, &c. typus vocationis gentium 145

V.

Væ quid ſignificet 150
Valles quid ſignificent 72
Vaſco in Carolum Mag. inuehitur 518.b
Vaticinia de tempore natiuitatis Chriſti 39.a.b
Vectigalium & tributorū ratio 89
Verbum Dei quid 195.196. non obaudiri debet inultis 115. lucerna eſt & debet exponi 201. prædicandum etſi pericula præſto ſint 241. ignis qua ratione dicatur 348.a.b. quid doceat 303. nunquam abſq; fructu prædicatur 76. vt debeat audiri 76.b.425 ad quos pertineat 307.b. qui ſubter modium abſcondunt 307 rationem conſequendæ ſalutis tradit 302.b. vt audiatur hodie 13. vbi inueniatur 421. vt tractari debeat 306.b. audire nolentes vt tractandi 244.b. quomodo dicatur factum ad prophetas 69.b. vt lucerna dicatur 306.b conatus diaboli frangit 100. propter vitia miniſtri contemnitur 218.b. omnibus ceremonijs præſtat 195. vt ſemini cōferatur 197 audituri quid facere debeāt 198 vt doceri debeat 87.b.189.196 ſemen regenerationis eſt 121.b
Verbum Dei verum quale ſit 100
Verbi Dei effectus & conditio 113 204. effectum ipſi homines impediunt 113.b. natura 387. idonei auditores qui 254. interpretatio à Chriſto petenda 196.b
Verbi Dei veritas 500 conſolationi ſeruit ibid.b
de Verbo non dubitandum etſi nō omnes credunt 194.b
Verbo Dei omnes ſtudeant 308
Verbum EST, non ſuperuacaneum eſt 197
Veritas Dei 29. confirmat ſalutem noſtram 34
Veritatis Dei exemplum 30
Veritatis doctrina in Chriſto quærenda 145.b
Veritatis cum hoſtibus vt agendū 473.479
Veritati qui reſiſtant ſemper erūt 115
Veritatē nullus docere poteſt niſi eam intelligat 161
Veſtimentum vetus quid 233
Veſtitus quid nos admoneat 335
Veſtitus honeſtati ſeruiat 180
Veſtis innocentiæ 399
Veſtis nuptialis Chriſtus 382
Veſtē ſcindere quid ſignificet 534
Veſtes Chriſti diuiduntur 546
Veſtium luxus 546
Victoria turpis eſt quæ cum eccleſiæ ſcandalo coniungitur 134
Viduæ officium 60.b
Viduarum conditio 174.b.438.b
Vigilandum perpetuo 341
Vigilandum contra inſidias Satanæ 300.b
Vindicta priuata prohibita 423.b
Vindictæ cupiditas 283.b
Vindictæ Dei exempla 439.b.440
Vindictā cur Deus differat 440.b
Vini & ſcortationis vis 8.b
Virginis officium 60
Virgines ne ſint loquaces 18
Virginum & matronarum officia 17.b.18.b
Vis iniuſta prohibita 84
Viſcerum commotio quæ 258.b
Viſus vtilitas 293
Vita noſtra peregrinatio 37.b
Vita omnis Deo debetur 426.b militia perpetua 107.385.b. vallis lachrymarum 148. priuata felicitatis pars 418.b
Vitæ cupiditas facinorum cauſa 436.b
Vitæ prioris conditio admoneat poſterioris 522
Vitam qui dat, huic etiam dat ſubſidia 334
Vitia noſtra ab alijs diſcēda 219.b
Viuendi rectè regula duobus capitibus comprehenditur 255.b
Viuos pro uiuis intercedere nemo inficias it 369
Vltionis dies quis 496
Vocatio Petri & Andreæ 122.b
Vocatio non deſerenda propter ingratos 117.b.184.b.192
Vocatio Dei expectanda 93.b.69.b omnibus alijs debet anteponi 203
Vocationis Dei ordo 379.b modus 380
Vocationis noſtræ finis eſt pœnitentia 133
Vocationis gratuitæ exemplū 453
Vocationis diuinæ uirtus 132
Vocationi diuinæ omnia debent poſtponi 236.b
Vocationem quiſq; ſuam expectet 38.b
Vocationem Dei qui ſequuntur ijs nil deeſt 522.b
Vocationem ſinguli debent ſectari ſuam 5
Vocatione opus eſt miniſtris 457
Vocante Deo auelli oportet à Chariſsis. 525.b
Voluntas Dei quæ ſit 276.345.b
Voluntas Dei Chriſto credere 165 inuicem nos diligere 165.b
Voluntati Dei quomodo accommodandum 346
Voluntatem heri qui nouit, tamē non facit, grauiori pœna mulctatur 345.b
Vulgus ut de aliorum calamitatibus iudicet 355
Vulgi de Chriſto iudicia 116.220
Vulgi ingenium inſtabile 85.b
Vxor Lothi 436
Vxores diligant maritos 60.b

X.

in Xerxe hiſtorici quid reprehenderint 72

Z.

Zacharias à Ioa rege lapidatur 89
Zacharias Ioannis pater non otio ſuit ſacerdos 4
& ſacerdos & vxoratus 4
fideliter munus ſuum obit 5.6
mutus fit 11.b. peccat incredulitate 10. exemplum obedientiæ 31.b
Zachariæ promittitur filius 7.b
Zachariæ iuſtitia non ſtabilit noſtri arbitrij uires 4.b
Zachæus quis 452. Chriſtum uidere cupit ibid. Chriſto obtemperat 453.b
Zachæi fides ad totam domum redundat 455

FINIS.

INDEX LOCORVM COMMVNIVM QVI PASSIM IN HISCE HOMILIIS BREVISSIMA METHODO EXPLICANTVR.

A.
ABNEGATIO Chriſti 328
Abnegatio 530.b
Adoratio 102.b
Aduentus Chriſti 498
Adulatio 2
Aemulatio 133.b
Afflictio 255.b
Ambitio 101.129.a.b.312.b
Angeli 11.b.45.416.553.b
Annulus 399
Auaritia 81.338.331
Aſcenſio Chriſti 567
B.
Baptiſmus 70.b 86.49
Beatitudo 519.b.305
Bellum 83.b
Beneficentia 78.407
Benedictio 17
Blaſphemia 534
Bonitas Dei 585.b
C.
Calamitas 503.b.116
Calumnia 84
Cenſus 478
Ceremoniæ 373
Charitas 153.559
Circunciſio 30.48.49
Claues regni cœlorum 351
Cœna Dominica 508.509.510.511
Cœlibatus 13
Cœtus publici 108.b.110.322
Communió bonorum 77.b
Concordia 294
Concilia 301.533
Confeſsio 327.b
Confidentia 504.551.b
Coniugium 4.5.51.b
Conſtantia 179
Contritio 391.246.b
Crapula 501
Crux 255
Cultus Dei 261.b
Cura vitæ 505.b
Curioſitas 490.b
D.
Decimæ 311.b
Diabolus 208.509
Dies Dominicus 141.b
Diffidentia 99.b
Dilectio 165.b
Dilectio Dei 255.b
Dilectio proximi 256
Diuortium 415
Diuitiæ 77.78
Diſsimulatio 550.b
Diuorum cultus 16
Diuorum interceſsio 169
E.
Ebrietas 163.501.501.502
Eccleſia 320
Eccleſiæ opes 487.488
Electio Dei 551
Electio miniſtrorum 543.b
Excõmunicatio 424.508.b.148.b
Exorciſtæ 159.b
Exactio 80.480
F.
Fatidicæ artes 421
Fides 22.25
Fœlicitas 26
Fortunæ inſtabilitas 8.b.28.167.b
Frugalitas 84.b
Funus 175.b
G.
Gentium adoptio 567.381
Gladij pontificis 524
Gloria 8.178
Glorificatio Chriſti 255
Gratitudo 24.b.153
Gratiarum actio 218.b.510
H.
Hoſpitalitas 137.560
Humilitas 230.a.b.364.375
Hypocriſis 75.400.b.401.402 138.168.310.311.314.b.460.360 367
I.
Ieiunium 134
Ieiunium quadrageſimale 98
Imagines 195.b
Impietas 89.183.b.344.420.b
Incredulitas 12.12.13
Incarnatio filij Dei 20.b.39
Inconſtantia 535.b.540.b
Infernus 417
Ingratitudo 156.459.407.508 535.b
Iniuria 155
Inhoſpitalitas 233.b
Inſtitutio liberorum 67.68
Inuocatio Diuorum 418
Ira 141
Iudicium humanum 158.160.163
Iuſtificatio 443
Iuſtitia Dei 270.b
L.
Lex talionis 154
Liberum arbitrium 276
Libertas 79
Luxus 55.413
M.
Magiſtratus 43.b.155.b.438 460.b.515
Matrimonium 412
Mendicitas 123
Mens 256
Meſsias 484
Miniſterium eccleſiaſticum 143
Miracula 231.244.249.293.295.b 549
Miſericordia Dei 26
Modeſtia 42
Mors 232.b
Mutuum 157
N.
Necromantia 421
Nobilitas 5.b.30.67.405
O.
Obedientia 31.66.379
Ocium 67.155.183
Odium 134.138.233.b.294
Opera ſupererogationis 284.b
Opera bona 426.b
Oratio 16.163
Originale peccatum 52
P.
Parſimonia 80.b
Paſcha 510
Paupertas 52.b
Peccatum 187.285.329.526
Perſecutio 148
Perſeuerantia 449
Pietas 550
Pœnitentia 74.185.246.391.394
Potentia Dei 58
Præparatio 71.b
Preces 7.b.267.292
Proditio 506.b
Prouidentia Dei 8.326.335.494.b
Purgatorium 236.284.353.548
Purificatio 310.b
Pyromantia 451
R.
Redemptio 33
Reformatio 469
Regnum Dei 195.b.296
Religio 15.68.b.302
Remiſsio peccatorum 129.283
Reſurrectio 34.483
Riſus 151.b
Rom.pont.poteſtas 527.b
S.
Sabbatum 109.141.373
Sacramenta 90.70.b
Scandalum 481.b
Scortatio 14
Scriptura ſacra 47
Sepulchra 173
Securitas 413
Socordia 352.b.527.514
Spirituum apparitiones 562
Superbia 276.374.516
Superſtitio 135.b
Synagogæ 208.b.168
T.
Tentatio 286.b.96
Timor 205.b
Traditiones 87
Tributa 80
V.
Vectigalia 80
Verbum Dei 100.113.121.b.195
Vocatio Dei 236.b
Voluntas Dei 165.345.b

F I N I S.

IN EVANGELIVM IESV CHRISTI SECVNDVM LVCAM, RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI HOMILIAE.

CAPVT I.

HOMILIA I.

QVONIAM multi aggreſsi ſunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta eſt, prout tradiderunt nobis, qui à principio ſpectatores ipſi & miniſtri fuerunt ſermonis: Viſum eſt etiam mihi omnia altè repetita penitus conſecuto, ordine de illis ad te ſcribere præſtantiſsime Theophile, vt agnoſcas eorum, quæ auditione accepiſti, veritatem.

De Luca et eius operibus.

DIVVM Lucam ex ſeptuaginta duorum diſcipulorum Chriſti numero fuiſſe, Epiphanius non vno loco teſtatur: ſed huius ſententiæ palàm repugnat, quòd ipſe hiſtoriam rerum à Chriſto Ieſu geſtarũ ſe ab apoſtolis, ceu teſtibus oculatis & verbi huius miniſtris, accepiſſe ſcribit. Ex Antiochia autem oriundum fuiſſe vnanimi conſenſu veteres perhibent, & profeſſione Medicum, quo titulo illum Paulus quoq; in epiſtola ad Coloſſen. exornat. Coloſſ. 4. *Vbi verò ad Chriſti fidem conuerſus fuit (quod non multo tempore poſt illius aſcenſionem factum fuiſſe conſtat) Paulum præ alijs comitatus eſt: non quidem priuato conſilio aut affectu motus, ſed ex eccleſiarum conſilio, quæ ipſum illi peregrinationum periculoſiſſimarum comitem eſſe voluerunt. In quo officio tanta fide & conſtantia verſatus eſt, vt poſt infinitos labores terra mariq;* 2. Cor. 8. *perpeſſos captum quoq; Romam vſq; ſecutus ſit, vbi omnibus alijs vel deficientibus turpiter, vel ad* 2. Tim. 4. *ſua dilabentibus, ſolus illi indiuulſè adhæſit. Et quia ei Paulus laudem eximiam tribuit in euangelio, non dubium eſt, quin in prædicando quoq; diligens & aſſiduus, multos Chriſto adduxerit, multos item in fide confirmarit. Tandem ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione libros duos ſcripſit: quorum altero Ieſu Chriſti hiſtoriam complexus eſt, quod ideo Euangelium dicitur: alterum de Apoſtolorum actis, quo eccleſiæ & regni Chriſti progreſſum ad Neronis tempora deduxit, docens, vt fides & religio Chriſtiana per orbem terrarum propagata ſit, quibus augmentis creuerit ſimul atq; floruerit inter labores & vndique ſurgentia pericula. Et quæ præcipua hiſtorici laus eſt, in vtroque opere veritati & perſpicuitati ita ſtuduit, vt res geſtas non tam narrare, quàm ſuis coloribus depictas omnium oculis proponere videatur: vnde apud multos pictoris nomen obtinuit. Qua occaſione Satan fabulam commentus eſt de Chriſti & Mariæ virginis imaginibus ab illo pictis, quarum nonnullæ in hunc vſque diem à ſuperſtitioſis magna cum religione aſſeruantur. Fuit autem hoc aſtutiſſimum hoſtis noſtri ſtratagema, quo incautos & ſuperſtitioſos decepit, vt circa imagines pictas & ſculptas occupati, veram viuamque Ieſu Chriſti imaginem in Euangelio expreſſam negligerent. Sed quia iſtorum error totius ſcripturæ conſenſu & ſanctorum omnium exemplis abundè confutatur, in illo refellendo non opus eſt nunc inſiſtere.*

Euangelicorum librorum beneficium.

Obſeruari autem debet in his Dei bonitas, qui vt filium ſuum vnigenitum pro nobis tradidit: ita ſcriptores quoque excitauit, qui quæcunque ille fecit aut paſſus eſt, ſcriptis mandarunt, vt certa nobis eſſet omnium, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, cognitio. Eſtq; hæc Dei bonitas eò memorabilior, quòd libros iſtos, quibus Chriſti hiſtoria continetur, inter aſſiduos perſecutionum eccleſiæ motus & impios immaniſſimorum tyrannorum conatus in hunc vſque diem mirificè conſeruauit, & eoſdem in omnes ferè linguas transferri curauit: tam multis interea clariſſimorum ſcriptorum monu-

mentis amiſsis aut in perpetuas tenebras demerſit, in quorum conſeruatione Reges potentiſsimi omne ſtudium impenderunt. Debet nos conſideratio iſta ad diligentem illorum lectionem & cognitionem excitare, ne tantum ſpiritus ſancti theſaurum ingrati aſpernemur. Soletur præterea nos, ne impiorum minis & machinationibus terreamur, qui hodie Euangelij doctrinam extinctam volunt, & in huius libros ferro atque flamma graſſantur. Obſeruatu quoque digniſsimum eſt hoc loco Dei conſilium, qui filij ſui Ieſu Chriſti hiſtoriam non ab Apoſtolis modò, Matthæo & Ioanne, conſcribi voluit, ſed his eorundem diſcipulos, Marcum & Lucam quoque, coniunxit. Ita enim cauere voluit, ne quis ſpiritum ſanctum ſoli Apoſtolorum collegio alligatum eſſe putaret: & ne quæ eſſet perfidæ colluſionis ſuſpicio. Quæ etiam mihi cauſa eſſe videtur, ob quam non iiſdem verbis Euangeliſtæ vtuntur, & ſæpe in ſpeciem inter ſe diſsident, cùm tamen diſſenſio planè nulla ſit, ſi res ipſas diligentius & propius inſpiciamus. Priuſquam verò ad Lucæ verba accedamus, de Euangelio quoque aliqua dicenda erunt, quo nomine librum hunc inſcriptum eſſe ante diximus.

Euangelium quid?

Euangelij vox Græca bonum lætumq́ nuntium ſignificat, & interdum pro præmio etiam, quod læta nuntianti dari ſolet, accipitur. At cùm nuntia pro rerum diuerſitate multa & varia ſint, hîc rem de qua agitur ante omnia inſpicere oportet, vt ex ea veram Euangelij definitionem colligamus: quod facilius & certius fiet, ſi ipſos apoſtolos de toto hoc negotio audiamus loquentes. Ioannes in epiſtolæ ſuæ Catholicæ exordio teſtimonium dicit de Chriſto, quem ipſi coràm viderint, audierint atque contrectarint. Paulus ſermonem reconciliationis & gratiæ appellare conſueuit. Et idem cum ad Romanos dixiſſet, ſe ſegregatum eſſe ad Euangelium Dei, mox ſubiecit: Quod is promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de Filio ſuo, qui genitus fuit ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui declaratus fuit Filius Dei cum potentia ſecundùm ſpiritum ſanctificationis, ex eo quòd reſurrexit ex mortuis. Dicitur præterea Euangelium regni Dei aut cælorum. Eſt ergo Euangelium teſtimonium gratiæ Dei, nobis exhibitæ in Ieſu Chriſto, vero & æterno Dei filio, qui vt olim Deus promiſerat & futurum prædixerant Prophetæ, homo factus, ſuæ mortis & reſurrectionis virtute atque merito nos ex peccati & diaboli ſeruitio mortifero redemit, & patri ſuo reconciliatos eidem per fidei obedientiam conſecrauit, vt is in nobis regnum obtineat, nosq́ cum eodem in cælis æternùm regnemus. Eſt definitio hæc plena, & omnia comprehendit, quæ ad Euangelij cognitionem pertinent.

2. Cor. 5.
Actor. 20.
Rom. 1.

Euangelium eſt teſtimoniũ gratiæ Dei.

In his autem ſingulari diligentia obſeruari meretur, quòd teſtimonium eſt gratiæ & reconciliationis cum Deo. Id enim bifariàm facit ad Euangelij commendationem. Primò doctrinam hanc certam & fide dignam eſſe docet. Vulgò etenim iis credi ſolet, quæ teſtimonijs idoneis confirmantur: imò leges tam diuinæ quàm humanæ credere iubent teſtibus, qui legitimè producuntur. In ore duorum aut trium teſtium (inquit Moſes) ſtabit omne verbum. Deut. 19. Quantò magis igitur credendum eſt teſtibus Dei, quos hic verbo ſimul ſuo & miraculorum virtute inſtructos emiſit, vt de rebus per Filium geſtis teſtimonium ferant? Qui deniq; quod verbis & ſignis teſtati ſunt etiam ſanguine ſuo obſignarunt? Etenim quicunque his fidem adhibere dedignantur, ij non in Apoſtolos modò, ſed in ipſum Deum contumelioſi ſunt, quem mendacij inſimulant, & impoſtorem fingunt, qui cauſam regni ſui falſis teſtimonijs ſtabilire voluerit. Id verò non nos primi dicimus, ſed dicti huius authorem habemus Ioannem, dilectum illum Chriſti diſcipulum, qui in epiſtola ſua Capit. 5. ſic ſcribit: Qui non credit Deo, mendacem fecit eum, &c. Eſt ergo peccatum hoc atrocius, quàm vt huic deſcribendo verba vlla ſufficiant: at idem (proh dolor) vulgare nimis eſt, & vtinam non multa alia accederent, quæ illud grauius & atrocius reddunt. Quàm multos enim eſt inuenire, qui non contenti Euangelium falſi accuſauiſſe, illud inſuper hæreticum, ſeditioſum & bonis moribus inimicum eſſe clamant? Quod vnum nos de malis huius ſeculi admonere poterat, quibus infelix hic mundus grauiſsimè premitur. Quid enim aliud faceret Deus, quando nos illum tam atrocibus iniurijs afficere non ceſſamus? Deinde fructum quoque Euangelij nobis denotat ſpiritus ſanctus, quando teſtimonium gratiæ & reconciliationis cum Deo dicit. Ergo nos de gratia Dei certos reddit, & animos ſcelerum conſcientia miſerè fluctuantes placat atque ſerenat. Eſt hoc inter præſentis vitæ bona omnium præſtantiſsimum, ſine quo

inutiles

inutiles ſunt opum theſauri, honores, voluptatum illecebræ, & quæcunque alia ſunt huius generis: ſicuti in ijs eſt videre, qui euangelicarum conſolationum ignari vel circa ſuperſtitioſos cultus fatigantur, vel ad deſperationem inclinant. Euangelium ergo audiãt, qui ſaluti ſuæ conſultum volunt. Qui verò hoc perſequuntur, ij & propriæ & publicæ ſalutis hoſtes ſunt.

Partes Euangelij & prædicationis Euangelicæ.

¶ Porrò partes quoque Euangelij noviſſe oportet, vt quomodo prædicari debeat intelligamus. Vbi obſeruabis quod in definitione de Chriſto dictum eſt: Quòd vt olim Deus promiſerat, & futurum prædixerant Prophetæ, homo factus, ſuæ mortis & reſurrectionis virtute atque merito nos ex peccati & diaboli ſeruitio mortifero redemit, & patri ſuo reconciliatos eidem per fidei obedientiam conſecrauit. Itaq; euangelicæ prædicationis prima pars eſt ipſa hiſtoria de Chriſto Ieſu, quæ quid ille propter nos fecerit narratur. Quia ſine horum cognitione illum pro redemptore & ſeruatore noſtro nunquam agnoſcemus. Ideò hiſtoriæ illius ſcriptores κατ' ἐξοχὴν Euangeliſtæ dicuntur. At quia hiſtoriæ vſus nullus eſt, niſi fructum quoque eius teneamus, ſecundus in Euangelij prædicatione locus illi tribui debet, qui in pœnitentia & remiſſione peccatorũ conſiſtit, ex quibus vniuerſa noſtræ ſalutis ratio dependet. Et has quidem prædicationis illius partes ipſe Chriſtus nobis conſtituit, quando ex mortuis reſuſcitatus diſcipulis dicebat: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorũ apud omnes gentes. Et eundem etiam Apoſtoli teſtantur Dei dextera euectum eſſe principem et ſeruatorem ad dandam reſipiſcentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum. Quo loco admonemur, quinam Euangelium verè & rectè prædicent, & quibus inter docendum fides haberi debeat? Iis nimirum, qui primò quidem hiſtoriã omnẽ de Ieſu Chriſto fideliter proponunt, deinde verò omnes eius partes ad hæc capita reuocant: Vt demonſtrent, omnes homines peccatores et ideo morte dignos eſſe, qui et pœnitentia & gratuita peccatorũ remiſſione opus habeant: vtrumq; verò in vno & ſolo Ieſu Chriſto haberi docent: qui & peccata noſtra mortis ſuæ merito expiauit, & mortem reſurrectione vicit, & in ſe credentes ex verbi ſui ſemine ſpiritus virtute regenerat, vt noui homines fiant, & toti Deo patri ſuo conſecrentur. Hoc verum Euangelium eſt, quod in omnes gentes Chriſtus prædicare iuſſit: & hæc vnica atque vetuſtiſſima redemptionis noſtræ ratio eſt, in qua ſancti patres omnes iam inde ab origine rerum omnem ſalutis ſuæ fiduciam collocarunt. Falſi ergo doctores ſunt, qui hominis dignitatem & liberi arbitrij vires extollunt, qui peccatis blandiuntur, aut eorundem remiſſionem alibi quàm in vno Ieſu Chriſto commonſtrant. Vbi vides quid de toto Papatu iudices, in quo maxima ſermonum eccleſiaſticorum pars ex fabuloſis Sanctorum legendis (vt ipſorum verbo vtar) & ineptis decurtati Euangelij fragmentorum poſtillis conſtat: doctrina verò omnis ad operum noſtrorum merita remittit, & ſalutem in frigidiſſimis ceremonijs oſtendit, quæ nulla alia quàm humanarum traditionum authoritate confirmantur.

Luc. 24.

Actor. 5.

Finis Euangelicæ prædicationis.

Reſtat poſtrema definitionis pars de fine Euangelij, qui eſt, vt Deus in nobis regnum obtineat, noſq; cum eodem in cœlis æternum regnemus. Niſi enim in nobis ſuo ſpiritu Deus regnet, tunc neque fidei obedientia conſiſtere poterit, neq; nos illi conſecrabimur. Ideo vt regnum Dei adueniat, ex Chriſti mandato oramus. Et idem inter docendum clamabat, regnum Dei iam appropinquauiſſe. Quia enim ad deſtruendum diaboli regnum ille venerat, eadem opera ſimul Dei regnum in nobis inſtaurauit. Quod vt in hac vita inchoatur, dum illi locum damus: ita continuo progreſſu confirmatur quoad in fide perſeueramus, perficitur autẽ, quando animæ corporis huius vinculis ſolutæ ad Chriſtum colliguntur, qui olim corpora quoque in vitam reſtituta ad ſe recipiet. Sunt hæc nobis ideo obſeruanda, vt diſcamus, quales eos eſſe oporteat, qui Euangelium cum fructu audire volunt. Sciant illi ante omnia, carnis mortificatione opus eſſe, vt ad regni cœleſtis poſſeſſionem regenerentur. Inde verò Euangelium attentè audiant, & ab illo ſeſe nullis vel mundi huius illecebris, vel vitæ & fortunarum periculis auocari patiantur. Cur enim vel hæc metuant, vel illis capiantur, qui mundum hunc et eius formam omnem tranſire, & huius ſeculi afflictiones momentaneas eſſe nouerunt? Accedant hiſce ſtudijs preces, in quibus verós Dei cultores ſemper aſſiduos & diligentes fuiſſe conſtat.

Præfatio et eius argumentum.

His præmiſſis ad Lucam noſtrum accedamus, qui operi ſuo præfationem præfigit, qua tria omnino agit. Primò cauſam indicat, quæ ipſum ad ſcribendum impulit. Deinde quid ſcripturus ſit docet: poſtremò finem ſui ſcripti oſtendit. Ad primum pertinet, quòd multos hunc laborem aggreſſos

eſſe ait, vt rerum Chriſti narrationem contexerent. Poterat hoc prima fronte ſic accipi, quaſi ab exemplo argumentum petat, vt demonſtret ſibi idem licere, quod multi alij hucuſque fecerint. At ſi argumentum hoc valeret, nullus eſſet ſcribendi finis, & quò plures hiſtoriam Euangelij conſcripſiſſent, eò plures ad ſcribendum fuiſſent excitati. Potius ergo eos perſtringit, qui opus iſtud aggreſſi minus præſtiterant quàm debebant, & inde colligit, neceſſarium omnino eſſe, vt ipſe ſingula verius & plenius perſcribat. Erant enim iam tunc, qui ſua figmenta obtrudebant eccleſijs, & falſis narrationibus imperitos & rudes circunducebant: quales fuêre, qui Euangelium ſecundùm Nazaræos, Matthiam, Nicodemum, Barptolomæum & Iacobum finxerunt. Epiphanius certè Cerinthum & Merinthum à Luca perſtringi ſcribit, & idem Euangelij cuiuſdam Ægyptij meminit, quo Sabelliani hæretici multos deceperunt. Eſt enim mirifica admodum & indefeſſa diaboli in obſcuranda veritate induſtria & aſtutia. Itaque viuentibus adhuc apoſtolis hoc auſus eſt, & quidem in eo argumento, cuius veritas multis notiſſima erat, & teſtes habebat oculatos. Nemini ergo mirum & inſolens videri debet, ſi poſteris temporibus ſub patrum orthodoxorum titulis eccleſiæ libellos obtruſit putidiſſimos & à religione Chriſtiana prorſus alienos: quorum authores ferè fuerunt Monachi non minus indocti quàm impudentes. Excitent autem nos exempla vetera, vt vigilemus, & in probandis ſpiritibus diligenti examine vtamur, ſecundùm illud Pauli: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. 1. Theſſ. 5.

Luca Euangelica hiſtoria perfecta & certa eſt.

Sed proponit Lucas, quid ipſe ſcribere decreuerit: Narrationem nimirum rerum à Chriſto geſtarum certam ex ordine, & quidem altius repetito principio. Et ne illa quoq; ſuſpecta eſſet, ea modò ſe ſcripturum dicit, quæ ex ijs habeat, qui ſermonis illius teſtes oculati & miniſtri fuerunt. Quod de ſolis Apoſtolis dici, non eſt dubium. Hinc verò colligitur, Lucam nihil eorum omiſiſſe, quæ nobis ad Chriſti & ſalutis æternæ cognitionem neceſſaria ſunt. Præmiſit enim quæcunque de præcurſore Ieſu Chriſti, Ioanne Baptiſta, dicenda erant, vt maior eſſet teſtimonij, quod is de Chriſto tulit, authoritas. Inde ab ipſa Chriſti conceptione exorſus, illum Deum verum & æternum, ſimulq; poſtea ex virgine hominem factum eſſe docet. Doctrinam item & facta eius miraculoſa prolixè recenſet. Mortis verò & reſurrectionis eius hiſtoriam ad aſcenſionem vſque in cœlos deducit. Quòd autem nonnulla præter hæc alij tradiderunt, id Lucæ dignitati & fidei nihil derogat, ſed potius eius narrationem confirmat, quando eiuſdem argumenti ſunt omnia, & ad eundem ſcopum diriguntur. Deinde hiſtoriam hanc fide digniſſimam eſſe, verba iſta indicant, eò quòd ab ipſis Apoſtolis ſit tradita. Ne quis tamen ex eo colligat, Euangelium ſuam fidem & authoritatem ab hominibus accepiſſe, Apoſtolos ab officio deſcribit, oſtendens, eos non in hominum vulgarium ordine cenſendos eſſe, cùm ab ipſo Chriſto ad hoc delecti fuerint, vt rerum ab ipſo geſtarum oculati teſtes, & ſermonis euangelici miniſtri eſſent. Quapropter Euangelio ſua authoritas ex ſeipſo conſtat, quia verum Dei æterni verbum eſt: neque audiendi ſunt, qui illud Eccleſiæ calculo confirmari oportere contendunt. Id enim perinde eſt, ac ſi populus bonis & iuſtis Legibus parêre recuſet, eò quòd ipſe ſuo teſtimonio illas nondum approbarit. Olim quidem adulterina & ſuppoſititia euangelia à veris diſcerni oportuit per Apoſtolos & viros apoſtolicos. At quia hoc illi iam pridem fecêre, actum agunt quicunque hoc ipſum adhuc hodie fieri oportere contendunt ab illis, qui eccleſiæ titulum & poteſtatem omnem ſibi ſolis vendicant. Qui niſi ex Euangelij verbo renaſcantur, & huic ſe totos per fidei obedientiam ſubijciant, indigni ſunt, qui vel poſtrema & viliſſima eccleſiæ membra dicantur. Seruit præterea locus hic ijs quoque confutandis, qui traditiones, neſcio quas, apoſtolorum nomine venditant, quas multùm ab ea doctrina diſſentire conſtat, quam illi literis mandauerunt, &c.

Scopus & finis quis Lucæ propoſitus fuerit?

Poſtremùm, finem & ſcopum inſtituti ſui Lucas indicat: Viſum eſt (inquiens) ad te ſcribere præſtantiſſime Theophile, vt agnoſcas eorum, quæ auditione accepiſti, veritatem. Fuit autem Theophilus hic (vt ex titulo apparet) vir illuſtris & in publica authoritate conſtitutus, quales omnibus ſeculis Deus excitauit, vt ſuæ eccleſiæ tutores eſſent & nutritij. Et quidem magnæ fidei & intrepidæ conſtantiæ virum fuiſſe oportet, qui hoc paſſus ſit, vt ipſius nomini publicè inſcriberentur libri de fide Chriſtiana, quam Romani Imperatores hoſtiliter oppugnabant. At hodie multos miniſtrorum Euangelij pudet, & iniuriam ſibi fieri putant, ſi ipſis dedicentur libri, quibus fides & religio-

& religionis myſteria exponuntur. Quoad verò Lucæ ſcriptum, non obſtat dedicatio iſta, quò minus illo omnes ad ſuam inſtitutionem vtantur, qui Dei amantes & ſalutis ſtudioſi videri volunt. Et hic quidem totius ſcripturæ ſcopus & vſus eſt, vt in vera Ieſu Chriſti cognitione inſtituamur, & per fidem in hunc vitam conſequamur æternam. Imprimis tamen hîc obſeruari debet, quòd Theophilo iſta ſcribit, quem in Chriſti doctrina iam ante informatum & inſtitutum eſſe non ignorabat. Habet enim fides ſua incrementa, & prodeſt nos de ijs ſæpius admoneri & plenius inſtrui, quorum aliquam cognitionem deguſtauimus. Itaq; nulla doctrina & admonitio ſupernacanea eſt. Nam tentatur ſubinde fides noſtra, & caro frequenter nos officij immemores reddit, vt ad priora tius ſtudia, aut etiã illis deteriora relabamur. Exempla eius cùm priuata tum publica paſſim occurrunt, & multa huius generis in nobiſipſis experimur. Sunt ergo ingrati nimis & ſimul infeliciſſimi mortalium, qui quaſi ipſi ſibi ſufficiant, doceri & admoneri nolunt. Noſtrum eſt Dei bonitatem agnoſcere, qui tanta ſuorum ſeruorum induſtria nos quotidie inſtituere dignatur. Studeamus autem indies proficere in cognitione Ieſu Chriſti, vt hac confirmati vitæ huius certamina vincamus, & tandẽ regni cæleſtis cum illo ſimus hæredes: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Ioan. 20.

HOMILIA II.

Fuit diebus Herodis illius regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex vice Abia: vxor autem illius erat ex filiabus Aaron, & nomen eius Elizabet. Erant autem iuſti ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè. Nec erat ipſis proles, eò quòd eſſet Elizabet ſterilis, & ambo prouecti iam eſſent ætate.

Diuus Lucas hoc libro hiſtoriam Ieſu Chriſti narrare inſtituit, quæ Euangelium dicitur, quia lætum noſtræ redemptionis nuntium & Dei nobiſcum reconciliati teſtimonium continet. Vt autem hiſtoria hæc perfectior ſit, non ab eius in carnem aduentu ordiri voluit, ſed ea quoq; commemorat, quæ hunc proximè præceſſerunt. Cùm enim Chriſtus Rex ſit potentiſſimus & glorioſiſſimus, & vt ſcriptura loquitur, Rex regum ſit & Dominus dominantium, aduentus eius minimè obſcurus eſſe debuit: & ideo à prophetis olim prædictum erat, anteambulonem aut præcurſorem illi fore, qui homines de aduentu eius admoneret, & ad illum dignè excipiendum præpararet. Ab huius ergo deſcriptione narrandi initium facit Lucas vt maior ſit teſtimonij eius authoritas, quo ille Chriſtum toti populo commendauit. Itaq; ne quid intermittat, in præſenti de tempore, quo hic natus eſt, deq; eius parentibus diſſerit.

Lucas ab Ioannis bapt. hiſtoria orditur.

Iſaiæ 40.

Malach. 3. 4.

A tempore orditur, primùm quidem ad declarandam rei geſtæ certitudinem, vt minus ſuſpecta ſit narratio. Ita enim ferè ſolent hiſtorici, eò quòd veritas hiſtoriæ vix alio argumento facilius & certius cognoſcitur. At ſimul altius quid & quod maioris momenti eſt, in hac temporis notatione Lucas ſpectauit, Prophetarum oracula nimirum, vt Chriſtum eum eſſe euincat, quem illi venturum eſſe prædixerunt. Extat enim Iacob patriarchæ vaticinium, qui promiſſum illum Schilo, id eſt, ſeruatorem ſiue ſoſpitatorem tunc naſciturum monuit, quando ſceptro à Iuda tranſlato, Iudæorum gens alieno imperio pareat. Conuenit huic Iſaias, qui germen illud benedictum ex trunco Iſai oriturum ſcribit, ita innuens, proditurum quidem ex Dauidis familia, ſed quam prius ex regio faſtigio deijci, & ad vilem atq; humillimam conditionem deprimi oporteat, qualis ſub Iſai olim fuit, quem hominem plebeium & pecuarium fuiſſe ſcimus. Quibus addendum eſt, quòd Meſſiæ aduentum Daniel in quartam Monarchiam vſque extendit, quam Romanorum eſſe conſtat. Atqui his omnibus conuenit, quod Lucas ſcribit, iſta regnante in Iudæa Herode Rege facta eſſe. Fuit enim Herodes Antipatri hominis Idumæi filius, qui cùm Iulio Cæſari in bello Ægyptiaco præclaram operam nauauiſſet, in Romanorum amicitiam ſeſe inſinuauit, & ea occaſione filium Herodem ad honores & imperium euehere ſtuduit. Qui cùm Iudæa iampridem à Pompeio deuicta in Romanorum poteſtatem veniſſet, ab Antonio primùm Iudææ tetrarcha factus eſt: poſtea autem ex Senatus

Tempus nati Ioannis.

Gen. 49.

Iſaie 11.

Dan. 2. &c.

Herodes quis?

decreto Regis titulum accepit, & medius inter Auguſtum, & Autonium in Capitolium deductus eſt, vt regnum à ſacris ſolennibus auſpicaretur. Inde cùm Hieroſolymam vi occupaſſet, multa crudeliter & nefariè fecit, & vt tutius regnaret, Machabæorum poſteros & totam ſacerdotalem proſapiam ex medio ſuſtulit, Dauidicæ autem familiæ hoſtis fuit infenſiſſimus: quòd ex ea Regem Iudæis naſcisurum audiuiſſet, qui rebus afflictis ſalutem afferret. Ergo hæc quoque maxima ex parte deleta eſt, reliquiæ autem paruæ admodum ad extremam inopiam redactæ (vt in Mariæ virginis hiſtoria audiemus) ſola paupertate & contemptibili ſua ſpecie tutæ fuerunt. Fuit ergo iam præ foribus tempus illud fatale, quo Meſſias naſci debuit, cùm Ioannis natiuitatem Sacerdoti Zachariæ angelus prædixit. Iſta autem ſic fieri oportuit, vt & Iudaicæ gentis confidentia deprimeretur, qua illi gentes reliquas contemnere ſolebant, & ſimul omnibus conſtaret, totum Ieſu Chriſti atq; noſtræ redemptionis negotium ex nulla hominum dignitate ſed mera Dei gratia & miſericordia pendere. Adhæc conſolationis plenum eſt, quòd olim quoque populum Dei exſerorum tyrannide oppreſſum, & ſanctiſſimos homines ſub impijs tyrannis vixiſſe audimus. Vt enim hoc illis non fuit impedimento, quò minus ſub Dei tutela eſſent, & ſalute promiſſa tandem fruerentur: ita neque noſtræ ſaluti illud obſtabit, ſiquidem illorum fidem atque conſtantiam imitemur. Quo ad verò Chriſti Ieſu negotium, quo de hîc agitur, apparet hoc certum, firmum & ab omni fraude vel impoſtura alienum eſſe. Vt enim tempus incarnationis & aduentus eius cum veteribus prophetijs conuenit: ita locus quoque natalis, parens virgo, opera miraculoſa, mors, reſurrectio, regni eius inter omnes gentes propagatio ab ijſdem olim prædicta fuerunt, de quibus ſingulis ſuo loco plenius dicetur. Nobis autem iſtorum vſus ſit, vt in fide Chriſti conſtantes ſimus & intrepidi, neque nos ab eius confeſſione vllis ſiue periculis ſiue mundi nobis arridentis blanditijs dimoueri patiamur. Vt enim momentanea ſunt omnia, quæ in hoc ſeculo habentur, ita ſibijpſi ſemper conſtat Chriſtus, & nunquam nos fallet, quæ illo nititur æternæ ſalutis fiducia.

Parentes Ioannis Bapt.

Cæterùm ad parentes Ioannis deſcribendos tranſit Lucas, ne quis obſcurum erronem fuiſſe diceret. Fuerunt illi Zacharias & Elizabet, vterque ex tribu Leui, & hæc quidem ex Aaronis poſteris oriunda. Erat autem nobilis omnino & præclara Leuiticæ tribus dignitas, eò quòd illam Deus ſibi ex peculiari gratia delegiſſet, cui ſacrorum & cultus ſui curam committeret. Vnde factum eſt, vt inter hanc & regiam tribum Iuda, vt & inter ipſos Reges & Sacerdotes magna ſemper coniunctio fuerit. Neque contemni debet generis nobilitas vera, cùm hanc inter huius ſeculi bona non poſtremum eſſe conſtet. Nam etſi ex vno Adamo omnes homines originem ducant, Deus tamen omnibus propè ſeculis aliquos certo conſilio & gratia ſingulari ad res maiores deſtinauit, & eoſdem donis quoque peculiaribus & indole generoſiori inſtruxit, vt rebus illis gerendis ſufficerent. Tales olim fuerunt Abraham, Ioſeph, Dauid, & inter Iacobi filios Iuda & Leui. Et inter prophanas quoque gentes nonnullos ad res præclaras natos fuiſſe legimus, qui poſteà familias ſuas illuſtribus factis & omni virtutum genere nobilitauerunt. At hic meminiſſe oportet, inutilem eſſe prorſus natalium ſplendorem, niſi poſteri maiorum virtutes imitentur. Docent hoc infinita exempla, in quibus fratres germanos aut vterinos multùm inter ſe diuerſos fuiſſe videmus, vt alij quidem Deo probati fuerint, alij verò vitijs immerſi, à gratia omni exciderint, & tam ſeipſos quam gentem ſuam turpiter dehoneſtarint. Ex quorum numero Cain & Abelus, Iſmael & Iſaac, Eſauus & Iacob fuerunt. Et inter Aaronis filios, qui inter Leuitas primam dignitatem obtinebant, numerantur Nadab & Abihu, qui cùm in officio ſuo negligentiores eſſent, igne cælitus immiſſo conflagrarunt. Et ſi exteras hiſtorias cum iis, quæ quotidie fiunt, probè inſpiciamus, patebit, eos qui à maiorum virtute degenerant, non ſibijpſis ſolùm infelices & miſeros eſſe, verumetiam plerunque reipublicæ grauiſſimarum calamitatum eſſe authores: cuius mali exemplum memorabile in coniuratione Catilinaria Romani ſcriptores proponunt. In quorum conſideratione vtinam hodie multi diligentius verſarentur. At plerique, qui nobiles dici volunt, quaſi generis nobilitas & maiorum egregiè facta ſufficiant, de virtute nunquam cogitant. Imò dum nobilitatem in externo ſplendore, ſtemmatum oſtentatione & immunitate quadam, vel potius impunitate, conſiſtere arbitrantur, nihil non ſibi licere putant, & proiecta quiduis audendi licentia in omne ſcelus ruunt, neque ſe Legum vinculis coerceri patiuntur. Neq; inter priuatos homines hæc peſtis ſeſe continet,

ſed ad

ſed ad Rempub.quoque ſerpit, & cauſa eſt, vt plerique maiorum victorijs & virtutibus ſuper-
biant, interim verò ſublata omni morum diſciplina ciuitates: & terras ſuas omni ſcelerum gene-
re dehoneſtent.

Atqui nihil huius in Ioannis parentibus, Zacharia & Elizabeta, ſpiritus ſanctus notat, Zacharias pa-
ſed generis ſplendori illos probè reſpondiſſe docet, dum conditionem, vitam & mores eorum dili- ter Ioannis.
genter deſcribit. Fuit enim Zacharias non ex Leuitarum otioſorum numero, quales tunc tempo-
ris multi erant, ſed Sacerdos fuit de vice Abia, quam in ordine ſacerdotali, per Dauidem cõſtitu- 1. Paral. 24.
to, octauam fuiſſe conſtat. Qua autem diligentia vices ſuas obierit, in ſequentibus dicetur. Deinde
vxorem habuit ex filiabus Aaronis, legitimo connubio ſibi coniunctam. Quod non vulgari pieta-
tis & obedientiæ argumentum cenſeri poteſt, quando conſtat, illo tempore iam cœpiſſe tribuum con-
fuſionem, & pleroſque in coniugijs maiorem libidinis & auaritiæ, quam Legum diuinarum, ratio-
nem habuiſſe. Atqui mirum hoc nonnullis videri poterat, Zachariã & ſacerdotem ſimul & vxo-
ratum fuiſſe. In Papatu certè iſtud nouum & inſolens habetur, in ſcripturis autem, quæ eccleſiam
Dei nobis depingunt, non item. In veteri enim Teſtamento Leuitis & ſacerdotibus non modò per- Leuit. 21.
miſſum fuit vxores ducere, ſed Leges etiam peculiares datæ ſunt, qualem Sacerdos vxorem ſibi co-
pulare debeat: filiam nimirum de populo ſuo, non exteram aut alienigenam, non repudiatam, non
viduam, ſed virginem. In nouo autem Teſtamento Paulus diſertè iubet, vt epiſcopus vnius vxo- 1. Tim. 3.
ris maritus ſit. Neque hoc aliquis mirari, aut illo offendi debet. Quod enim per ſe ſanctum eſt, id ne-
minem polluit aut prophanum reddit. At coniugij conditionem ſanctiſſimam eſſe, ex eius inſtitutio-
ne patet, cuius origo ad Deum authorem refertur, qui illud in paradiſo, priuſquam peccatum vl-
lum eſſet, inſtituit, ſimulq́ hanc Legem omnium animis inſculpſit, vt coniugium honorabile & tho-
rum coniugalem impollutum eſſe intellexerint. Ideo coniuges fuerunt ſanctiſſimi quique Dei culto- Hebr. 13.
res, patriarchæ, Moſes, Aaron, prophetæ, apoſtoli denique, qui (vt Paulus in priori ad Corinth. te- 1. Cor. 9.
ſtatur) vxores ſecum in ſuo comitatu habuerunt, cùm Euangelium inter gentes prædicarent. Ne-
que vlla in ſacris literis Lex extat, quæ alicui generi hominum coniugij legitimi vſum prohibeat.
Antichriſto autem inter alia hoc quoque Daniel tribuit, quòd nullam amoris legitimi mulierum Dan. 11.
rationem habiturus ſit. Et Paulus inter dæmoniorum dogmata recenſet leges eas, quæ matrimo- 1. Tim. 4.
nia & ciborum aliquorum vſum prohibent. Tentarunt quidem nonnulli in Niceno Concilio ad cæ-
libatum aſtringere eccleſiarum miniſtros: ſed illorum inſtituto grauiter ſe oppoſuit Paphnutius,
cuius ſumma erat propter ſynceram fidei confeſſionem & quæ in corpore ſuo geſtabat Chriſti ſti-
gmata authoritas, & effecit, ne quid huius decerneretur. Secutus eſt autem poſt annos ab eo tem-
pore ſexaginta Syricius Romanus Epiſcopus, cuius decretum in Iure Canonico extat, quo eccleſia- Diſt. 82. Cap.
rum miniſtris coniugio interdicitur. Non tamen obtinere potuit quòd volebat, & reperti ſunt po- Propoſuiſti.
ſteris diebus, qui & coniugij dignitatem & eccleſiæ libertatem acriter defenderent. Tandem
Gregorius VII. maiori audacia rem aggreſſus primum quidem in Italia cœlibatus Legem tu-
lit, quæ illic facilè recepta eſt. Cùm verò eandem Germanis quoque epiſcopis obtrudere conare-
tur, ea res turbas dedit grauiſſimas, quæ bellorum quoque ciuilium cauſa fuêrunt. Extat etiam ad-
huc ante illa tempora ſcripta Diui Huldrychi, qui Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus fuit, epiſto-
la ad Rom. pontificem, qua cauſam hanc grauiter tractat, & ex qua ſatis apparet, quantis difficul-
tatibus Pontifices impuri cœlibatus decretum Germanis veteribus obtruſerint. Quò magis dolen-
dum eſt, hodie adhuc in illa gente Pontificum fautores inueniri, quando nemo non videt, quàm tur-
pes & fœdi tyrannidis iſtius effectus fuerint.

Sed ad ſanctos hoſce coniuges, Zachariam & Elizabetam, redeamus, qui exemplo ſuo do- Coniugia piorũ
cent inſuper, qualia piorum coniugia eſſe debeant. Vbi ante omnia finis ſpectandus eſt, quem Deus qualia eſſe de-
ipſe conſtituit: Vt nimirum procreandæ ſobolis ergò contrahantur, & vt quiſque ſibi vitæ ſociam beant.
quærat, qua cum & honeſtè viuat, & vitæ huius labores facilius vincat. Deinde nihil fiat legi-
bus diuinis contrarium, quæ vt olim tribus Iſraeliticas confundere noluerunt: ita certos cogna-
tionis & affinitatis gradus oſtendunt, quos inceſtis nuptijs violare nefas eſt. At quia eoſdem ſui
lucri cauſa longius extenderunt Pontifices, moderationem adhibeant Chriſtiani magiſtratus, vt &
libertas ſua pijs ſalua maneat, & publicæ honeſtati conſulatur, ne cui ſimus offendiculo. Imprimis

Deut. 7. Exod. 34. Ioſ. 23. 2. Corin. 6.

autem cauendum fuerit, ne imparibus coniugijs fideles cum infidelibus aut idololatris miſceantur. Probibuit hoc olim Deus admodum ſeueriter, & periculum oſtendit, quod incurrant qui ab eiuſmodi connubijs non abſtinens. Et Paulus non temere monuit, ne iugum ducamus cum infidelibus. Quantum enim malorum inde oriatur, infinita exempla docent, inter quæ cumprimis memorabilia ſunt, quod de primi mundi hominibus, qui ante diluuium vixerunt, & de Solomone in ſcripturis narratur. Neque deſunt noſtri ſeculi exempla, quæ pios & cordatos terrere poterant. Imò, ſi verum fateri libet, quia in coniugijs minima religionis cura eſt, plerunque verò auaritia, ambitio & libido in conſilium admittuntur, infelices ferè ſunt illorum exitus, & vix nobis aliqua melioris ſortis ſpes affulget, &c.

Zacharias & Elizabeta iuſti, &c.

Cæterùm à vita quoque & moru integritate Zacharias & Elizabeta commendantur. Erant iuſti (inquit) ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè. Coram Deo iuſtos fuiſſe dicit, vt oſtendat non fuiſſe hypocritas, qui coram hominibus inani iuſtitiæ fuco ſeſe palliarint, quales tunc erant phariſæi & qui horum doctrinam ſectabantur: ſed in hoc potius fuiſſe, vt (quod in fœdere cum Abrahamo facto iubemur) coram Deo ambularent, & illius iudicio probarentur. Sunt ergo nimiùm inepti & curioſi, imò ſcripturis ſacris vim faciunt, qui ex hoc loco & ſimilibus operum noſtrorum iuſtitiam & noſtri arbitrij vires ſtabilire conantur. Conuincuntur hi totius ſcripturæ conſenſu, qui docet, omnes homines natura peccatores eſſe, & gratuita Dei miſericordia opus habere, qui nobis nihil huius meritis iuſtitiam & ſalutem in Chriſto offert. Ad hæc ipſius Zachariæ peccatum, de quo mox agetur, illorum errorem confutat, & quod in præſenti per expoſitionem additur: quòd nimirum inceſſerint aut ambularint in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè, id eſt, ita vt nemo hominum de illis iure poſſet conqueri. Et Dei mandata hominum traditionibus opponuntur, quas tunc plerique obſeruabant, vt maior eſſet harum quàm præceptorum Dei authoritas. Mandatis verò conſtitutiones coniungit, vt ſub illis quidem morum & vitæ præcepta, ſub his autem ceremonias & ſacros ritus comprehendat. At ſi præcepta & conſtitutiones Legis omnes excutias, præcipuus omnium ſcopus eſt, quòd ad Chriſtum deducunt, & hunc fide recipiendum eſſe docent. In hunc ergo, quem venturum certò credebant, Zacharias & Elizabeta intenti, ex fide iuſtificati ſunt coram Deo, iuſtitiæ autem eius fructus fuêre obedientia, vitæ integritas, innocentiæ ſtudium, quibus ſuam fidem & pietatem publicè teſtati ſunt. Minimè ergo confundi debet cauſa cum ſuis effectis, ſed ſpiritus in ſcripturis loquens audiri debet, qui ita diſtinctè de his diſſerit, vt iuſtitiæ & ſalutis cauſas nobis in ſola Dei gratia per Chriſtum commonſtret, ſimul autem eiuſdem effecta & fructus commendet, ne noſipſos aut alios inani ſpecie fallamus. Docet igitur hic locus, eam demum veram eſſe iuſtitiam, ſi in Dei mandatis & conſtitutionibus incedamus. Vbi ante omnia fide in Chriſtum opus eſt. Nam vt Ioannes ait, hoc

1. Ioan. 3.

eſt præceptum aut mandatum Dei, vt credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alij alios, ſicuti nobis mandauit. Etenim cùm omnes promiſſiones vnum Chriſtum prædicent, illis autem omnino credendum ſit, neque iuſti neque Deo grati aut accepti erunt, quicunque à fide in Chriſtum alieni ſunt. Parit fides hæc dilectionem Dei, ex qua ſerium obedientiæ ſtudium & proximi dilectio enaſcuntur. Ad obedientiam verò non ſolùm morum præcepta pertinent, verumetiam quæ de ſacris cœtibus & vero Sacramentorum vſu habentur, quæ nunquam negligent ij, qui per fidei obedientiam ſe totos Deo conſecrauerunt.

Natiuitas Ioannis miraculo cõmendatur.

Porrò his dictis deſcendit Lucas ad natiuitatis Ioannis hiſtoriam, quã miraculo claruiſſe oſtendit, dum Elizabetam ſterilem, & ſimul ambos iam prouectæ ætatis fuiſſe ſcribit. Ex eo enim ſequitur, præter naturæ curſum ſingulari virtute Dei factum fuiſſe, vt quæ in iuuentute ſterilis fuerat, iam ſenior ex marito grandæuo conciperet & pareret. At quia de hoc poſtea pluribus dicetur, nunc obſeruemus, hoc tam ſanctum coniugium non caruiſſe ſua moleſtia. Nam vt ſuo loco audiemus, ſterilitas probro erat inter Iudæos, eò quòd inter promiſſiones Dei non poſtrema erat quæ de ſeminis & poſteritatis multiplicatione habetur. Tentabatur etiam non leuiter ſterilium fides, quòd à Dei promiſſionibus excluſi viderentur, vtpote cùm illas per ipſos impleri Deus nollet. Quæ cauſæ pias & ſanctas matronas, Saram, Rahelem, Annam & ſimiles mouerunt, vt de ſterilitate conquererentur. Ita verò videmus ſanctis nunquam deeſſe crucem, & imprimis hanc eſſe coniugij ſortem, vt

Sterilitas.

curas

curas & moleſtias ſentiant varias, qui in hoc viuunt. Habent illæ originem ſuam ex peccato, vt in Dei verbis eſt videre, quibus primos parentes noſtros in paradiſo corripuit. Et expedit nobis illud vitæ genus aduerſis & moleſtijs condiri, vt & fidei coniugalis vinculum hac quaſi neceßitate arctius conſtringatur, & minus in nobis poßit libidinis æſtus, in quo ferè petulantia effreni & nimis impudenti modum excedunt, qui nulla crucis moleſtia coercentur. Agnoſcant ergo pij coniuges Dei conſilium, & quas hic illis imponit moleſtias patienter ferant, atque earum acerbitatem mutua dilectione molliant aut temperent, quæ ipſis leuia & iucunda reddet, quæ prorſus intolerabilia eſſe videbantur. Ante omnia verò meminerint, liberos à Deo dari, & ideo illos ad huius gloriam educari & inſtitui curent. Peccatur in hoc plurimùm hodie, quando pauci cogitant, liberos ſibi ex Dei benedictione datos eſſe. Quæ cauſa eſt, quòd vel laborem omnem in illis educandis impatienter ferunt, vel iam adultos negligunt, aut etiam indulgentia nimia eos malè perdunt, dum relicto pietatis ſtudio in hoc vnum intenti ſunt, vt illos opibus & honoribus augeant. Et ſi verum fateri licet, plus hodie ſtudij opulentiores in equis, canibus & accipitribus, ruſtici verò in reliquo pecore alendo & gubernando impendunt, quàm plerique hominum in liberorum educatione adhibeant. Quid ergo miramur, ſi & turpius viuant poſtea, & tam ſibijpſis quàm parentibus probro ſint, qui ab ineunte ætate peßimis moribus imbuti fuerunt? Itaque Zachariæ & Elizabetæ exemplum imitentur coniuges, quoad coniugij vſum: ſimul verò omnes alij ita viuant, vt coram Deo pro iuſtis habeantur propter fidem in Ieſum Chriſtum, qui vt nobis à patre iuſtitia factus eſt, ita vnicus quoque omnis boni author eſt: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA III.

Factum eſt autem cùm is ſacerdotio fungeretur, in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm ritum functionis ſacerdotalis, ſortitus eſt munus ſuffimenti faciendi, poſtquam ingreſſus eſſet in templum Domini. Et tota multitudo populi foris precabatur tempore ſuffitus. Viſus autem eſt ei Angelus Domini, ſtans ad dextram altaris ſuffitus. Et Zacharias eo viſo turbatus eſt, & pauor incidit in eum.

LVcas Euangeliſta non temere tanta diligentia parentes Ioannis Baptiſtæ, & quæ ad eius natiuitatem pertinent, deſcribit. Quia enim redemptoris noſtri Ieſu Chriſti præcurſor & teſtis eſſe debuit, magnam eius authoritatem eſſe oportebat, vt plus fidei mereretur teſtimonium, quod Chriſto perhibuit. Expoſuit ergo huc uſque parentum eius genus, conditionem & mores atque ſtudia, in quibus præcipuum eſt, quòd coram Deo iuſti fuerunt, & in huius præceptis atque conſtitutionibus ambularunt. Habuit tamen coniugium hoc tam ſanctum ſuas quoque moleſtias, cùm prole carerent, quod illo tempore pijs moleſtißimum erat propter promißionem Abrahamo factam, de qua nuper diximus. Sed ita voluit Deus, ne quod vitæ genus ex omni parte beatum ſit, cuius eos cumprimis meminiſſe oportet, qui in coniugio viuunt, vt huius curas atque moleſtias patientius ferant. Cæterùm ad commendandam Zachariæ iuſtitiam hic quoque locus facit, quo narratur, vt commiſſum ſibi ſacerdotalis functionis munus obierit. Nec enim ſatis eſt, ſi quis in genere iuſtitiæ ſtudeat, vt & neminem lædat & ſuum cuique reddat, ſed ſimul ſuam vocationem ſinguli ſectari debent, & in eo exequendo diligentes eſſe & ſtrenui, ad quod illos Deus deſtinauit. Quod Zachariam probè & fideliter præſtitiſſe audiemus. Meretur autem eo diligentiorem conſiderationem locus iſte, quod ſimul exemplum aut formam ſacrorum cœtuum continet, in quibus non minima pars religionis ſiue externi cultus conſiſtit. Videamus ergo quid Zacharias, quid item populus fecerit, & quis vtrinque ſtudij tam ſancti fructus fuerit.

De Zacharia primùm in genere dicitur, quòd ſacerdotio functus ſit in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundùm ritum functionis ſacerdotalis. Ergo quàmuis ſummam obtineret authoritatem, non tamen turbauit ordinem ſacerdotij, qui tunc ex veteri inſtituto ſeruabatur. Fuit hoc eximium

Zacharias ordinem muneris ſacerdotalis ſeruauit.

pietatis & animi religioſi argumentum, ſi illorum temporum mores ſpectemus. Quia enim (vt alibi
diximus) plerique ſacerdotes ex fece vulgi ad eam dignitatem ab Herode euecti fuerant, et inter hos
auaritia & inanis gloriæ ſtudium regnabat, ſummæ modeſtiæ fuerit oportet Zacharias, qui intra
ſuæ vicis ordinem ſeſe continuit, neque inſolenter abuſus eſt prærogatiua, qua præ alijs omnibus
eminebat. Hanc verò modeſtiam in illo peperit pietas & ſerium conſeruandi purioris cultus ſtu-
dium, quod ſimul auaritiam & ambitionem omnem ex animo eius excluſit. Debet exemplum hoc
diligenter obſeruari, quia ad eccleſiæ ædificationem hoc plurimùm facit, vt omnia cum ordine le-
gitimo & decenter fiant, & ideo de hoc præceptum quoque peculiare olim dedit Apoſtolus 1. Cor. 14.
Et quid ordinis eccleſiaſtici turbatores maneat, exempla cumprimis horrenda docent, quæ in illos
Num. 16. Deus ædidit. Nam Coran cum ſuis coniuratis & fortunis omnibus terra abſorbuit, vt viui ad
inferos deſcenderent, qui Dei eccleſiam in terris turbare auſi fuerant. Et Vziam regem lepra per-
2. Par. 26. cuſſum eſſe legimus, quòd non contentus regia dignitate ſacerdotalis quoque functionis partes in-
uaderet. Quo exemplo Deus oſtendit, indignos eſſe qui in eccleſiæ ſocietate ferantur, quotquot ab ipſo
inſtitutum ordinem priuato affectu labefactare audent. Paulus item eos abſcindi optat, qui eccle-
Galat. 5. ſiat turbare non verentur. At quod de eccleſia dicimus, ad Rempub. quoque referri debet, in qua ni-
ſi inter proceres & ſubditos ordo ſeruetur, & ſinguli in ſuo gradu ſeſe contineant, res diu ſalua eſſe
non poſſunt, ſicuti olim Menenius Agrippa humani corporis Apologo Romanum populum ad-
uerſus patres tumultuantem monuit. Debet hoc ipſum priuatim etiam in re domeſtica obſeruari:
quæ tunc demum ſalu[illegible]it, ſi certo ordine paterfamiliâs, vxor, ſerui, liberi ancillæ officium fa-
ciant. Vbi verò aliqui ſuo officio neglecto, in aliorum munera inuolant, rerum omnium diſſi-
patio naſcitur.

De templo & Sed ad Zachariam redeamus, in quo certa quoque cultus diuini ſpecies exprimitur, cui vaca-
cultu Leuitico uit, quando de filio Ioanne ſibi naſcituro promiſſionem accepit. Sortem enim illi obueniſſe ait
Lucas, vt templum Domini ingreſſus ſuffimentum faceret. Quod vt rectius intelligatur, non-
nulla de templo & tota cultus Leuitici ratione dicenda erunt. Legis doctrinam in tota Iudæo-
rum gente prædicari voluit Deus, & in eum vſum per oppida & vicos celebriores Synago-
gæ extructæ erant, in quibus cœtus ſacri habebantur, & populus à Leuitis (qui eam ob cau-
ſam potiſſimùm in omnes tribus erant diſperſi) in Legis Domini notitia erudiebatur. Tem-
plum verò totius gentis vnicum fuit Hieroſolymis, ad quod ceu ad communem parochiam om-
nium tribuum homines diebus feſtis conueniebant, & in quo ſolo externus cultus exercebatur,
qui in ſacrificijs & ſuffimento maxima ex parte conſiſtebat. Ita autem Deus in eadem reli-
gionis forma omnes continere voluit, & ſimul fidem in promiſſum Seruatorem, Ieſum Chri-
ſtum, omnibus commendare, qui ſuo tempore Hieroſolymis pro peccatis totius mundi victi-
ma fieri debebat. Et templum quidem in partes tres diſtinctum fuiſſe legimus. Prima ady-
tum erat, quod vulgo Sanctum ſanctorum dicebatur, eò quòd inde oracula ædebantur, & to-
tius templi pars eſſet ſanctiſſima, & ipſos cælos, æternæ beatitudinis ſedem, adumbraret. In ea
erat arca teſtamenti, diuinæ præſentiæ ſymbolum, & in hanc quotannis ſemel duntaxat non ſi-
ne ſanguine ingrediebatur Summus Pontifex, vt Chriſti typum gereret, qui (vt ad Hebræos
ſcribitur) ſemel mortuus, cum proprio ſanguine cælum conſcendit, vt perpetuò in conſpectu
Dei appareat pro nobis. Secunda pars Sanctum dicebatur, quam à Sancto ſanctorum velum
ingens & pretioſum dirimebat. In illius parte auſtrali ſtabat menſa aurea cum panibus propo-
ſitionis, ex oppoſito in meridionali latere candelabrum aureum, in medio autem vtriuſque ante
velum erat altare aureum thymiamatis aut ſuffimenti. Et hæc templi pars Sacerdotibus propriè
erat deſtinata. Tertiam partem occupabat atrium, in quo magnum altare æneum erat pro ho-
locauſtis faciendis, & in quo populus ad ſacrificandum & ad audiendam Legem Domini, ad
preces item publicas conueniebat. Vt autem quotidie duo agni immolabantur, alter quidem ma-
tutino tempore, alter verò ſub veſperam: ita quotidie bis quoque vnus ex Sacerdotibus quem
ſors deſtinauerat, templum ingreſſus thymiama ſeu ſuffimentum incendebat ſuper altare illud
aureum, quod inter menſam & candelabrum collocatum fuiſſe diximus. Erat altare illud Chri-
Pſal. 141. ſti Ieſu typus, ſuffimentum verò illud preces adumbrabat, quod non obſcurè Dauid docuit, di-
cens:

tus: Dirigatur oratio mea tanquam incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrifi-
cium veſpertinum, Sacerdos verò, qui peracto ſacro ad ſuffimentum faciendum ingrediebatur, Chri
ſti Mediatoris perſonam ſuſtinebat, vtpote ex officio quaſi medius inter Deum & populum conſti-
tutus. Erat itaque hæc actio plena myſteriorum, & monebat, in eccleſia preces aßiduas fieri de-
bere, eas autem vni & ſoli Deo offerendas eſſe, qui tunc demum acceptas ſibi & ratas habiturus
ſit, ſi per Chriſtum offerantur, qui nobis ab illo Mediator factus eſt, & qui ſolus patris iram pla-
cauit. Ideo neque plura altaria thymiamatis extruere, neque thymiama illud (cuius compoſitio Exod. 30.
ſingularis à Moſe deſcribitur) in alios vſus transferre licebat. Sacerdotem verò interea dum
ſuffimentum fiebat, populus foris expectabat, donec illo rurſus egreſſo cum benedictione ſolenni di-
mittebatur. Hæc paulò fuſius dicere libuit, quia ad totam Zachariæ hiſtoriam illuſtrandam fa-
ciunt, & quod frequens apud Euangeliſtas occurrit templi & cœtuum ſacrorum mentio. Nunc
verò obſeruemus, Zachariam hic etiam non aliud feciſſe, quàm quod Lex fieri iubebat: & eſt Zacharias ſor-
hoc nouum pietatis & modeſtiæ eius argumentum, quòd vt in reliquis non turbauit ordinem eccle- tem ſuam ſequi
ſiæ, ita neque ad ſuffimentum faciendum prorupit, priuſquam ſe per ſortem poſtulari videret. tur.
Habent ergo in eo exemplum egregium miniſtri eccleſiaſtici, in cuius imitatione illos diligentes eſ-
ſe conuenit. Ante omnia ergo ipſi quoque vocationem & mißionem legitimam expectent. Quia
enim, vt Paulus monet, ex nobiſipſis ne ad cogitandum quidem idonei ſumus, quomodo prædica- 2. Corinth. 3.
bunt, qui non mittuntur à Domino? Equidem exempla docent, eos qui temere ſeſe ingerunt, vel Rom. 10.
ignauos & mutos canes eſſe, vel in periculis qualibuſcunque turpiter ſuccũbere, cùm de Dei au-
xilio nihil certi ſibi polliceri poſſint, cuius vocationem expectare noluerunt. Ideo olim ab apoſtolis
ſorte deligebantur Euangelij adminiſtri (vt in Matthiæ electione patet) vt & ſua conſtaret mi-
niſterio authoritas, & plus animi illis eſſet, qui ſe ad illud diuinitus vocatos eſſe ſciebant. Deinde
ſi cui legitima vocatio obtigit, is officium ſtrenuè faciat docendo, monendo, hortando, increpan-
do, conſolando, precando item & intercedendo pro publica totius populi ſalute. Quoad verò ordi-
nem docendi & adminiſtrandi ſacramenta, nihil temere mutet, quod à Chriſti inſtitutione non om-
nino alienum eſt, & quod ſalua pietate & religione ferri poteſt. Vt enim leuis quidem, ſed incon-
ſiderata humorum & ſanguinis commotio in corpore bene conſtituto ferè morbos parit grauiſſi-
mos: ita crebræ & temerariæ mutationes in eccleſia infirmos in fide offendere ſolens, & ſæpe ſubi-
tis diſſenſionibus vniuerſam religionis cauſam ſuſpectam reddunt. Plurimum autem miniſtris pro-
derit, ſi eccleſiæ dignitatem ſæpe animo ſuo conſiderent, quam Dei filius ſanguinis ſui pretio rede-
mit, vt illam ſibi deſponſaret, ſimulque meminerint, ſe coram Domino miniſtrare, cui olim ſuæ fun-
ctionis rationem ſint reddituri. Et hæc quidem de Zacharia dicta ſint.

Videamus nunc quid populus in ſacro cœtu fecerit? Tota multitudo populi (inquit Lu- Quid populus
cas) foris precabatur tempore ſuffitus. Vbi primùm obſeruabimus, quod totam multitudinem in cœtu ſacro fe
nominat. Ex eo enim apparet, illos in cœtibus eiuſmodi frequentes fuiſſe, in quibus cultus diui- cerit.
ni pars non poſtrema conſiſtit. Vt enim Deus charitatem paßim præcipit, & Chriſtus ſuos vnum Cœtuum ſacro-
eſſe vult: ita cœtibus ſuorum maximè delectatur, qui externum ſunt eius vnionis teſtimonium. rum neceßitas.
Ideo in Lege maxima feſtorum pars populi congregatione conſtabat, imò in eum finem præcipuè fe-
ſti dies inſtituti erant, vt aliquando in vnum conuenirent ad cultus diuini exercitia, qui hinc in-
de diſperſi habitabant. In Euangelio autem Chriſtum quoque in Synagogis frequentem fuiſſe
legimus, vt ſuo exemplo doceret, non temere deſerendos eſſe eos, qui ad audiendum Dei verbum &
preces publicas conueniunt. Adhæc promißionem dedit, quòd præſens adeſſe velit ijs, qui in ſuo Matth. 18.
nomine conueniunt, & quòd illorum preces pater exauditurus ſit. Et ne quod eſſet excuſationis ef-
fugium, vnum & idem Euangelium omnis loci & ordinis hominibus prædicari, vno baptiſmo
omnes tingi, ad eandem menſam omnes accedere voluit, vt vnionis ſtudium ſibi ſequendum eſſe
omnes intelligerent. Nimium ergo imprudentes ſunt, qui intempeſtiuis excommunicationibus com-
munionem eccleſiaſticam ſcindunt, & de dißipando potius quàm colligendo grege dominico ſoliciti
ſunt. Impios autem & contemptores omnis religionis eſſe conſtat eos, qui à templis omnino abhor-
rent, & cœtus ſacros deuitant, vnà cum exercitijs illis ſacris, quibus nos in fide Dominus vult
confirmari. Diſcant ergo eccleſiarum miniſtri, officij ſui eſſe, vt populum colligant, cœtus ſacros &

eorum diſciplinam diligenter conſeruent, curent denique, ne quid hîc peccetur ipſorum incuria vel negligentia. Debent etiam in regam ſancta & neceſſaria ſuam authoritatem magiſtratus interponere, quando multos eſt inuenire, qui miniſtrorum admonitionibus & adhortationibus ſe moueri non patiuntur. Et huc pertinet, quod Aſſyriaci belli tempore Ioel ſacerdotibus & principibus dicebat: Clangite tuba in Zione, ſanctificate ieiunium, indicite cœtum, congregate populum, ſanctificate cœtum, congregate ſenes, colligite paruulos, &c. Neque audiendi ſunt, qui cùm Dauid Chriſti populum ſpontaneum fore prædixerit, neminem cogendum aut vrgendum eſſe putant. Manent enim in electis quoque carnis reliquiæ, quæ illos ſæpe negligentiores & cunctatores faciunt: & conſtat multos miteſcere, vbi verbum audiunt & cœtibus vel inuiti interſunt, qui ſi ſuo arbitrio permitterentur, tandem omni fræno excuſſo miſerè perirent. Adhæc non ferenda ſunt exempla eorum, qui ſua petulantia & manifeſta ſeceſſione vel emanſione omnem eccleſiæ diſciplinam conuellunt.

Ioel. 2.

Quid in cœtibus fieri debeat?

At non modò frequentes foris expectarunt, verumetiam interea precati ſunt. Minimè ergo eorum ſimiles fuêre, qui hodie in templis nugantur, fabulas inter ſe conferunt, vel etiam ludos agunt, aut ſi quæ longior mora ferenda eſt, animi impatientiam fremitu & murmure, pedum ſtrepitu & indecoris geſtibus produnt. Quin potius, quia ſuffimentum iſtud quod Zacharias offerebat, precum typus erat, ipſi cum illo preces ſuas coniungunt, ne interea rem à ſacris alienam faciant. Quod ipſum Zacharias quoque inter ſuffiendum fecit, ſicuti ex Angeli verbis ſuo loco apparebit. Quo exemplo docemur, quid in ſacris cœtibus fieri debeat. In his præcipuæ partes Dei verbo debentur. Hoc igitur miniſtri prædicent, & in illo audiendo populus ſeſe attentum & diligentem præbeat, ne vel infelices illæ aues, de quibus in euangelio Dominus loquitur, ſemen hoc ex animis auferant, vel cupiditatum ſpinæ ſuccreſcentes illud opprimant & ſuffocent. Dum verò Sacramenta adminiſtrantur, animi ijs, quæ tunc aguntur, intenti ſint, & quæ illic nobis obſignantur Dei beneficia conſiderent, promiſſionum diuinarum meditatione fidem exerceant atque confirment, ſimulq́ cogitent ad quæ officia nos Sacramentorum vſus obſtringat. Fuit ergo laudabilis admodum veteris eccleſiæ mos, quo in Cœnæ Dominicæ adminiſtratione miniſtri populo dicebant, Surſum corda: illo viciſſim reſpondente, Habemus ad Dominum. Imprimis autem precibus hic opus eſt, quando ſine Dei gratia neque verbum in animis noſtris germinat, neque Sacramenta aliquem fructum ferunt. Atqui hodie in his omnibus peccatur. Verbum Dei oſcitanter plerique audiunt, multi interea ſomno indulgent & ad hunc capeſſendum ſeſe dedita opera componunt, plurimi quoque ſolis ſymbolis externis intenti de myſterijs fidei vix cogitant, & ſalutem in externa actione conſiſtere arbitrantur. Denique ij ferè mores noſtro tempore in cœtibus ſacris viſuntur, quos Dominus apud Ezechielem cap. 33. in Iudæis reprehendit. Non mirum ergo fuerit, paucos ex illis meliores redire.

Fructus cœtus ſacri.

Reſtat vt fructum huius cœtus tam piè & ſanctè inſtituti videamus. Apparet Zachariæ Angelus ſtans ad dexteram altaris ſuffitus, ea autem nuntiat (vt in ſequentibus audiemus) quæ non ad ſolum Zachariam, ſed ad populum vniuerſum pertinebant, & quibus non obſcura continentur ſalutis mox futuræ præludia. Veram ergo experiuntur promiſſionem, quæ in templi dedicatione Solomoni data fuit, & quam Chriſtus nobis inſtaurauit, quando ſe præſentem ijs adeſſe velle dixit, qui in ſuo nomine congregati fuerint. Occurrunt huius generis exempla paſſim in ſcripturis, & multa nos quotidie experimur, quæ docent, preces piorum nunquam irritas eſſe, & imprimis magnum pondus eas habere, quæ in publicis cœtibus pia quadam vi (vt Tertulliani verbo vtar) & impreſſione in Deum fiunt. Debet horum conſideratio nos excitare, vt eccleſiæ cœtus frequenter accedamus, & in precibus aſſidui ſimus, quæ proprium ſunt fidei veræ exercitium.

Zacharias viſo Angelo turbatur.

Porrò Zacharias Angelo viſo turbatus eſt, & pauor incidit in eum. Eſt hoc infirmitatis humanæ exemplum, quam in ſanctis quoque locum habere conſtat. Manent enim in his carnis reliquiæ, quæ diuinæ & cæleſtis gloriæ ſplendorem atque vim ſuſtinere non poteſt. Ita Danielem olim angeli conſpectu & voce conſternatum fuiſſe legimus, vt vires in ipſo nullæ reliquæ eſſent. Et tres diſcipuli ſimiliter exanimes quaſi iacuerunt, quando Chriſti clarificati ſpeciem & cum hoc Eliam atque Moſem illis videre contigit. Et idem poſtea iterum paſſus eſt Ioannes quando Angelum conſpexit, qui ipſi futura eccleſiæ fata reuelabat. At dies me deficeret, ſi omnium exempla commemorare

Dan. 10.
Matt. 17.
Apo. 1.

morare velim, qui hoc in ſemetipſis experti ſunt. Sunt hæc nobis obſeruanda, ne fidem facilè apud nos inueniant fanatici impoſtores, qui viſionibus crebris gloriantur, & quaſi otioſi ſpectatores diu fuerint, de regni cælorum myſterijs diſſerunt. Nam hoc vno argumento ſatis ſeſe produnt, quòd à ſanctorum ingenio & moribus alieniſſimi ſint. At ſi ſancti angelorum conſpectum & ſplendorem ferre non poſſunt, quid miſeris nobis fiet, ſi ſuæ iuſtitiæ rigorem & diuinæ maieſtatis radios ad noſtram contumaciam retundendam Deus exerat? Quàm igitur ſtulti & infelices ſunt, qui ſuis viribus & propriæ dignitati confidunt, cùm vnius angeli vox nobis conſternandis ſufficere poſſit? Interim magno noſtro bono rem ita inſtituit Deus: Quia coram Deo nunquam cum aliquo fructu apparebimus, niſi ad eius conſpectum trepidemus, & verbo eius audito intra animos noſtros percellamur. Notum enim eſt illud Domini apud Iſaiam dicentis: Quem reſpiciam? pauperem & contritum ſpiritu, & qui ad verbum meum contremiſcit. In horum conſideratione nos hodie frequenter verſari conueniebat. Inſtant vndique pericula omnis generis, & in omnibus propè mundi partibus irati Dei indicia apparent. Intonat idem ille verbo ſuo, quo & ſcelera hominum increpat, & pœnas grauiores minatur. Tempus ergo eſt, vt ingenuum Dei timorem animis noſtris concipiamus, & ſub eius manu humiliati totis cordibus conteramur, ſpem verò ſalutis inconcuſſam ſeruemus in illius miſericordia & bonitate, cuius nobis Mediator eſt Ieſus Chriſtus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Iſa.66.

HOMILIA IIII.

Dixit autem ei Angelus: Ne time Zacharia: nam exaudita eſt deprecatio tua, vxórque tua Elizabet gignet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit tibi gaudio & exultationi, atque multi ſuper eius natiuitate gaudebunt. Erit enim magnus in conſpectu Domini, & vinum ſicerámque non bibet, & ſpiritu ſancto implebitur etiam ab vtero matris ſuæ: multóſque filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet in conſpectu eius cum Spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iuſtorum, vt paret Domino populum inſtructum.

Quemadmodum in vno Ieſu Chriſto habentur quæcunque ad ſalutem & conſeruationem humani generis faciunt: ita omnium, quæ ſcripta ſunt in ſacris literis, hic proprius finis & ſcopus eſt, vt in veram Chriſti cognitionem adducamur, & in ipſum credendo vitam aſſequamur æternam. Debet ergo ad hunc finem quoque referri tota Ioannis Baptiſtæ hiſtoria. Quia enim hic Ieſu Chriſti præcurſor, adeóque primus noui Teſtamenti miniſter fuit, eius natales, educatio, vitæ genus & quæcunque ab illo geſta ſunt, ideo ab Euangeliſtis deſcribuntur, vt maior ſit apud nos doctrinæ eius, & teſtimonij, quod de Chriſto tulit, authoritas. Et in natales quidem illius duo incidunt imprimis memorabilia. Primum, quòd ex matre ſterili natus eſt: ex quo apparet, ipſum à Deo ex peculiari gratia datum fuiſſe, vt olim Iſaacum, Samſonem, Samuelem, & ſimiles, quorum opera & miniſterio Deus ad res præclaras vſus eſt. Alterum, quòd eius conceptio & natiuitas prædicitur ab Angelo: vnde rurſus colligi potuit, hominem fore non vulgarem. Sed præſtat Angelum loquentem audire, cuius oratio duabus omnino partibus conſtat. Priori conſolatur Zachariam, quem ſubita illius apparitione conſternatum fuiſſe nuper audiuimus. Altera de Ioannis dignitate & officio diſſerit.

Conſolationis propoſitio & ſumma eſt, Ne time Zacharia. Dum timere vetat, ſimul vt animum ſpe bona & gaudio impleat iubet. Quia tamen hominis mens timorem aliqua graui cauſa conceptum non facilè excutit, rationes profert, quibus territum & timentem confirmet. Prima ex illis eſt, quòd deprecationem eius exauditam eſſe dicit à Deo. Id verò Dei nobis propitij argumentum eſt certiſſimum, & cur ſibi ab aliquo metuant, qui Deum ſibi fauere norunt? Interim debet hinc doctrina generalis peti, preces nimirum noſtras à Deo exaudiri, ſiquidem ex fide pro- Angelus Zachariam timere vetat.

manent, & ea petamus, quæ ad illuſtrandam Dei gloriam & ad ſalutem noſtram faciunt. Sunt de hac re promiſſiones, in quibus non fallet nos Deus, qui ipſiſſima eſt Veritas. In die tribulationis (inquit) inuoca me, & liberabo te. Item: Fiet, vt priuſquàm inuocent, ego reſpondeam: & adhuc illis loquentibus, ego exaudiã. Et in Euangelio Chriſtus ait: Quicquid petieritis in nomine meo, dabit vobis pater. Neq; nos ideo deſperare oportet de Dei fide, ſi aliquandiu opem promiſſam differat, & non ſtatim ea largiatur quæ petimus. Noſtro etenim bono hoc facit, quorum fidem exerceri prodeſt, & quibus interdum crucis diſciplina magis quàm liberatio neceſſaria eſt. Tunc autem nos ſoletur, quòd dum opem ille differt, fidelis tamen eſt, neque nos ſupra vires tentari ſinit, ſed interea ſpiritus ſui gratia nos ſuffulcit, vt ijs ferendis ſufficiamus, quæ nobis ab eo imponuntur. Exaudit verò & liberat, quàm primùm hoc nobis ſalutare fore videt. Noſtrum ergo fuerit illum expectare conſtanti fide & cum ſilentio, vt Dauid loquitur: non quidem quoad preces, in quibus nos aſſiduos & indefeſſos eſſe conuenit: ſed ne moræ impatientia ſuperati murmuremus, & illius accuſemus iudicia.

Pſal. 50. Iſa. 65. Ioan. 16.

Angeli precantibus adſunt.

Admonet præterea nos hæc Angeli apparitio, quanta cum religione & modeſtia nos inter precandum verſari deceat. Nam etſi non ſemper nobis etiam ſpecie viſibili angeli appareant, certum tamen eſt, illos nobis præſentes adeſſe, vt nos tueantur & obſeruent. Caſtrametatur (inquit Pſaltes) Angelus Domini circa eos, qui ipſum timent & eripit eos. Orantibus autem potiſſimùm adeſſe angelos, Paulus quoque credidit, & ideo mulieres monet, vt in cœtibus ſacris honeſtè velentur, idque propter angelos, ſi minus apud ipſas valeat honeſtatis publicæ ratio. At quid de angelis dicere opus eſt, quando ipſum Dei filium precantium cœtibus medium intereſſe, ex illius promiſſione conſtat, quam nuper adduximus? Vtinam verò huius meminiſſent, qui ſuperbo veſtitu, faſtuoſo inceſſu & geſtibus indecoris templa ingrediuntur, & ita agunt, vt libidini potius ſuæ quàm pietati ſtudere videantur. Qui principem ſupplices adeunt, ijs maxima cura eſt, ne illius oculos vel aures aliqua re offendant: Et nos imprudenter & effronti proteruia in Dei conſpectum ruimus, qui ſi vno momento ſuam nobis gratiam ſubducat, toti perijmus?

Pſal. 34. 1. Corinth. 11.

Ioannis natiuitas promittitur.

Sed pergamus in Angeli verbis, qui alterum quoque conſolationis argumentum profert, dicens: Vxor tua Elizabet gignet tibi filium. Et vxoris quidem diſertè meminit, ne hac ſublata & defuncta (quam procul dubio chariſſimam habebat) filium ex alia ſibi naſciturum putaret. Indicant autem hæc Angeli verba, quid inter alia potiſſimùm poſtularit à Deo Zacharias. Pro publica quidem populi totius ſalute illum cumprimis oraſſe, non eſt dubium. Hoc enim inter Sacerdotum officia non poſtremum numeratur, quos Chriſti Mediatoris perſonam ſuſtinuiſſe ſcimus. Simul tamen cum publicis precibus priuatas quoque coniunxit Zacharias, vt probrum ſterilitatis abs ſe & vxore dilecta Deus remoueret. Licet ergo pijs à Deo temporaria quoque bona petere, qualia ſunt, bona valetudo, victus ſufficiens, fama integritas, commoda coniux, proles ingenua, honeſtum publicæ pacis otium, & quæ alia ſunt huius generis. Tenenda tamen in his omnibus eſt regula, quam nobis Chriſtus in orationis ab ipſo præſcriptæ formula & proprio exemplo commendauit: vt nimirum vota iſta Dei voluntati ſubijciamus. Nec enim nobis certò conſtare poteſt, num iſta dare velit Deus, aut num ea accipere nobis tutum & bonum ſit. Admonet etiam nos hæc Angeli promiſſio, liberos à Deo dari, neque ex hominum voluntate & arbitrio illorum procreationem pendere. Nam is eſt, qui (vt Dauid olim dicebat) ſterilem efficit matrem, quæ liberis gaudeat. Agnouit hoc ipſum Iacob patriarcha, qui Raheli cum ſtomacho dicenti, Da mihi liberos, alioqui morior: pia ira ſucce nſus reſpondit: Num Dei loco ſum ego, qui prohibet ne parias? Prodeſt autem hoc tenere, vt inde diſcant parentes, patienter ferendos eſſe labores, qui in liberorum educationem incidunt, & eoſdem Deo adduci & conſecrari debere, qui nobis illos dedit. Eſt hoc non poſtremum veræ pietatis officium, & Abrahamum hoc etiam nomine potiſſimùm commendat Deus, quòd ſuos in ipſius cognitione & timore inſtitueret. Vide Gen. 18.

Pſal. 113.

Ioannis nomen ab Angelo inditur.

Sequitur altera orationis Angeli pars, qua filium ex Elizabeta naſciturum deſcribit. Et à nomine exorſus, Vocabis (inquit) nomen eius Ioannem. Huius autem admonet, cùm vt fidem fa-

dem faciat ampliorem promiſſioni, tum vt magis conſoletur territum. Ioannis enim nomen Hebræis à gratia deducitur, & gratioſum ſignificat. Neque temere ſic dictus eſt, qui primus in nouo Teſtamento ſub Chriſti aduentum gratiæ præco eſſe debebat. At hîc ſimul obſeruabimus, quàm curæ ſint Deo res mortalium, quando hunc nominum quoque noſtrorum rationem certam habere videmus. Quod enim hîc fit, id ipſum ſæpe aliâs factum eſſe legimus. Abrahami certè & Saræ nomina Deus ipſe mutauit. Et Cyri nomen Iſaias prædixit annis circiter ducentis priuſquàm ille naſceretur. Chriſtum præterea diſcipulis nonnullis nomina noua impoſuiſſe Euangeliſtæ teſtantur. Quantò magis ergo noſtra corpora, vitæ dies, valetudo, animarum ſalus & reliqua diuinæ prouidentiæ conſilio æterno diſpenſantur & reguntur? Vidit hoc olim Dauid, quando dicebat: Oculi tui me viderunt Domine, cum eſſem fœtus informis, & in libro tuo vniuerſa deſcripta fuerunt, quæ longo poſt tempore formarentur, &c. Et Chriſtus pilos capitis noſtri numeratos dicit, & idem Dei prouidentiam ad paſſerculos, pullos coruorum & floſculos in agris naſcentes extendit: Debet nos iſtorum conſideratio conſolari, ne facilè deſperemus in tentationibus & periculis. Cur enim animarum noſtrarum ſalutem negligat, qui corporibus tam liberaliter proſpexit? Aut qua ratione eorum, qui iam ſunt, curam deponat, qui nos priuſquàm eſſemus nouit, & vitæ noſtræ dies atque fortunas omnes deſcripſit? Negant hoc quidem Epicuræi, & qui ex ſuo arbitrio res ſuas pendere arbitrantur: qui ideo vel excuſſo omni Dei timore in omnem licentiam ruunt, vel incertis conſilijs ſemetipſos deludunt, & tandem in grauioribus periculis deſperatione infelici abſorbentur: cùm interea ad omnem euentum parati & in quouis caſu intrepidi & inuicti conſiſtant, qui in æternam Dei prouidentiam intenti, huic ſe & res ſuas omnes ſubijcere didicerunt.

Pſal.139.

Cæterùm ipſe Angelus nominis iſtius rationem aliqua ex parte reddens, addit: Et erit tibi gaudio & exultationi, atque multi ſuper eius natiuitate gaudebunt. Fuit hoc addendum neceſſariò, quia multi filij parentibus dolorem afferunt, quod interdum ſanctiſſimis quoque Dei cultoribus accidere videmus, & olim hanc calamitatem paſſi ſunt Abraham quoad Iſmaelem filium, Iſaac quoad Eſauum, Iacob item & Dauid, quorum filij inceſtibus, parricidijs & omni ſcelerum genere ſeſe polluerunt. Quod autem de Ioanne dicitur, mox in eius natiuitate impleri cœpit, quæ parentibus & toti cognationi gaudium & exultationem peperit, vt ſuo loco audiemus. Maior tamen poſtea exultatio ſecuta eſt, quando regnum Dei iam appropinquans annunciare cœpit, & promiſſum diuque expectatum humani generis redemptorem digito monſtrauit. Tunc enim totis animis gauiſi ſunt, qui prius peccatorum conſcientia & malis vndique incumbentibus preſſi gemebant. Etenim non alia maior & iuſtior gaudij cauſa pijs offertur, quàm ex Chriſti prædicatione, in quo Deum ſibi reconciliatum & æternæ vitæ theſauros repoſitos eſſe intelligunt. Interim ſibijpſis exemplum Ioannis applicare debent omnes iuuenes, vt ſui officij eſſe meminerint parentibus gaudij & lætitiæ materiam præbere. Iubet hoc Lex naturæ, quæ vt gratias dignas benefactoribus referamus præcipit. Et quia liberi cum dolore procreantur, & eorundem educatio à pueris curarum, laborum & moleſtiarum plena eſt, nimiùm profectò ingrati, & vitæ huius vſu indigni ſunt, qui iam adulti parentibus nouas moleſtias & dolorem acerbiorem exhibent, dum effreni contumacia illorum ſenectam contriſtant, aut ſceleribus ſuis toti familiæ infamiam & ignominiam pariunt. Punit ingratitudinem iſtam Deus admodum grauibus ſupplicijs, vt multorum exempla teſtantur, & plerunque fit, vt qui tales ſunt, vel immatura morte pereant vel ſummo cum dedecore & infamia vitæ dies prorogent. Facilè autem ſibi cauebunt, ſi veræ ſapientiæ ſtudeant, cuius principium eſt timor Domini. Tunc enim vitam omnem ad Dei præſcriptum inſtituent, & morum honeſtate omnique virtutum genere illuſtres erunt, atque Dei benedictione vberrima fruentur. Itaque parentibus quoque honori ſunt & ijſdem gaudium ferunt exoptatiſſimum. Hoc igitur maximè ſpectauit Solomon, cùm diceret: Filius ſapiens exhilarat patrem, at ſtultus filius mœror eſt matri ſuæ. Prouerbiorum decimo. Peccatur in hoc multùm hodie, & quod maximè dolendum eſt, ferè parentum culpa peccatur. Zachariæ gaudio fuit Ioannes, quòd eum Deo conſecratum & fidelem Ieſu Chriſti ſeruum fore audiret. Et ſi vitam ei tam diu conceſſit Deus, non dubium eſt, quin ex illo ſummam voluptatem cœperit, quando ille ſuo officio tam probè functus

Ioannes gaudio eſſe debuit parentibus, &c.

Officium liberorum erga parentes.

eſt. At hodie pleroſque pudet miniſterij euangelici, & filios malunt diabolo conſecratos eſſe, qui opibus per fas nefaſque partis ſuperbiant, & apud mundum in pretio ſint, quàm qui prædicatione verbi Dei ſibiipſis odium & inuidiam multorum accerſant. Sunt ergo digni, qui pœnas dent, & qui ipſi quoque ex liberis fructum nullum percipiant, quos ad Dei ſeruitium deſtinare noluerunt.

Angelus Ioannẽ commendat. *Sed redeamus ad Angelum, qui quod de Ioanne in genere dixerat, diligentius exponit, & ita paulatim deſcendit ad officij ſui, quo functurus erat, deſcriptionem. Erit magnus (inquit) coram Domino: nimirum propter dotes eximias, & quòd iiſdem bene vtetur ad Dei gloriam propagandam. Quia verò coram Domino magnum fore dicit, non obſcurè docet ea locutione, eam demum veram gloriam eſſe, ſi Dei iudicio magni ſumus. Mundi enim gloria incerta & inſtabilis eſt, vt quæ leui momento in extremam ignominiam conuertitur: vt in eorum exemplis eſt videre, qui olim Magni dicti ſunt. Inter quos primus ferè nominatur Alexander Macedonum Rex: qui etſi victorijs ampliſſimis hoc nomen ſibi acquiſiuiſſet, ſubita tamen morte abreptus vitam vnà cum gloria finiuit, & hæredibus nihil præter infelicem bellorum ciuilium materiam reliquit, quibus maxima orbis terrarum pars aliquandiu laborauit. Inter Romanos autem Magnus dictus fuit Pompeius, qui paulò poſt vrbe profugus, & in acie victus in Ægyptum confugit, & illic ignobili lethi genere occubuit. Quid autem de Fabio dicemus, qui cùm Maximi titulum meruiſſet, mox Scipioni, iuuenili audacia ferocienti, cedere coactus fuit, & cùm huius potentiam patriæ aliquando perniciosam fore putaret, ideoque ſucceſſorem ei ſubſtituendum eſſe ſentiret, magnam ſibi apud omnes inuidiam conflauit, quaſi moroſus & inuidus eſſet, & iam affecta ætate Hannibalem timeret. Et quod de his dicitur, hoc idem de multis dici poteſt, & ſimilem fortunam in multis quotidie cernimus qui dum altius conſcendere indies conantur, mox præter omnium expectationem præcipites ruunt. Longè alia eſt piorum conditio, qui dum in paruo fideles ſunt; (vt Chriſtus ait) ſuper multa conſtituuntur, & tandem in gloriam heri ſui ingrediuntur, quæ vt nullis hominum iudicijs ſubiacet, ita ſibiipſi ſemper conſtat & æternùm durat. Confirmatur hoc Ioannis exemplo, quem etiamſi ſacerdotes & ſcribæ contemptui habuerint, Herodes item in carceribus ignominioſe nimis occidi curarit, coram Domino tamen magnus fuit, & immortali gloria inter pios florebit quoad mundi huius machina ſuperſtes fuerit.*

Genus uitæ Ioannis. *Porrò vitæ etiam genus deſcribitur, quod Ioannes ſecuturus ſit, & hoc vna quaſi nota deſignat Angelus, dicens: Et vinum ſiceramque non bibet. Sicera Hebræis à Schachar dicitur omnis potus, qui inebriandi vim habet. Notatur autem hac locutione genus vitæ auſterum & durum,*
Num. 6. *quale Nazaræorum fuit, quibus inter alia vini quoque & ſiceræ vſus interdictus fuit. Itaque verborum iſtorum ſenſus eſt, Ioannem ſic conſecratum fore Deo, vt omnia caueat, quæ ipſum vel ab officio reuocare, vel contemptum facere poſſint. Imprimis autem vinum & ſiceram nominat, non quòd his vti impium ſit (vt olim Encratitæ hæretici ſentiebant) ſed quia in horum vſu ferè intemperantia peccatur, & ebrietate nihil nocentius eſt ijs, qui ad res magnas ſunt deſtinati. Nam vt in*
NB *Hoſea dicitur, ſcortatio & vinum ſiue ſicera auferunt cor hominis, vt & officij ſui prorſus ſit immemor, & ea deſignet, quorum ipſum poſtea vehementer pudet, & quæ apud omnes contemptiſſimum reddunt. Exemplo nobis eſſe poſſunt Noa & Lothus, quibus vinum intemperantius ſumptum impoſuit, vt turpiſſimè peccarint, & ſibiipſis doloris nunquam finiendi cauſa fuerint. Sed exemplis veteribus minimè opus eſt, quando multa horum ſimilia quotidie fiunt, quæ ebrietatis odium omnibus conciliare poterant, niſi plerique iampridem cum pudore & ratione ſenſum quoque omnem exuiſſent. Hoc vnum ſi hodie omnes diligentius expenderent, non mirarentur eorum ferè omnium authoritatem concidiſſe, qui ſua prudentia & conſilio alijs præeſſe debebant. Quid enim aliud fiat, quando apud viros principes, vrbium magiſtratus, iudices, præfectos, patresfamiliâs item & non paucos eccleſiarum miniſtros atque paſtores ebrietas regnat? Solebant olim Spartani ſeruos vino multo ebrios in publicum producere, vt indecoris illorum geſtibus & moribus viſis iuniores ebrietatem fugere diſcerent. At hodie ſpectacula talia nobis paſſim exhibent, quos virtutis exempla eſſe decebat, & ex illis voluptatem capiunt, quorum erat diſciplinam meliorem in repub. & eccleſia conſtituere. Non ergo mirum eſt, ſi omnia in peius ruant.*

At ne

Ioannes plenus ſpiritu ſancto ab utero matris.

At ne quis Ioannem iſta ex ſemetipſo habiturum putaret, cauſam efficientem horum omnium indicat Angelus his verbis: Et ſpiritu ſancto implebitur etiam ab vtero matris ſuæ. Cuius promiſsionis ſpecimen infra videbimus, quando ſex menſium fœtus in vtero matris adhuc deliteſcens exilijt ad occurſum Mariæ virginis, quæ ſpiritus ſancti virtute imprægnata Dei filium conceperat. Nos autem Ioannis exemplo docemur, ex Deo manare ea omnia, quæ nos magnos & rebus arduis atque præclaris idoneos reddunt. Nam ſi ad noſtram originem deſcendas, nihil præter deploratiſsimam naturæ corruptionem inuenies. In peccatis ſiquidem concipimur & naſcimur, & figmenta cordis noſtri praua ſunt ab ineunte ætate. Quò fit, vt Paulo teſte, ne ad cogitandum quidem idonei ſimus, niſi nos ſingulari ſpiritus ſui gratia Deus dignetur. Et ideo de ſemetipſo idem ille dicebat: Gratia Dei ſum quod ſum. Quod ipſum omnes alij ſenſerunt, qui in ſcripturis propter fidem & pietatem commendantur. Sunt ergo nimiùm vani & inſolentes, qui ſuas vires iactant & meritorum ſuorum fiducia ſuperbiunt. Quid enim habent, quod non acceperint? Imò ſi eos propius inſpiciamus, ferè alijs infirmiores ſunt, qui tam magna ſibijpſis de ſua virtute pollicentur. Eſt præterea Ioannis exemplum hoc etiam nomine diligentius obſeruandum, quòd in eo apparet, infantes quoque ſpiritus ſancti & donorum eius capaces eſſe, & proinde neque à fide neque à regni Dei communione alienos cenſeri debere. Nam etiamſi peculiaris quædam ſpiritus gratia in Ioanne eluxerit, de reliquis tamen minimè putandum eſt, quòd ſpiritu ſancto in vniuerſum careant. Etenim credentium infantes quoque fœdere ſalutis contineri notius eſt, quàm vt demonſtratione opus habeat, & ideo ijdem ex Dei inſtituto circuncidi & in eccleſiæ ſocietatem recipi ſolebant. Paulus verò de imparibus coniugijs fidelium cum infidelibus loquens eos infantes ſanctos vocat, qui ex alterutro ſolùm parente fideli naſcebantur. Atqui ſanctus nemo fuerit abſque ſpiritu Dei, qui vt nos huic conſecrat, ita fidem & omnis generis bona in nobis operatur. Superat tamen hæc omnia Chriſti teſtimonium, qui paruulos in ſe credere dicit, & vt eos ipſi adducamus præcipit. Quòd ſi autem nos non poſſumus intelligere, quomodo fides in illis locum habeat, non tamen ideo falſi accuſandus eſt Chriſtus, cùm infinita alia fieri certò conſtet, quorum rationem & modum ipſi non percipimus. Seruiunt hæc confutandis Anabaptiſtis, qui infantibus baptiſmum negant, & eoſdem ab eccleſiæ communione arcent, & ita noui Teſtamenti conditionem deteriorem faciunt quàm veteris fuerit. Furioſum planè & contumax hominum genus, qui dum pietatem ſummam ſimulant, neque Dei gratiam agnoſcunt, neque eccleſiæ vnionem conſeruare ſtudent, quam ille imprimis ſaluam manere vult.

Infantes ſpiritus ſancti capaces ſunt.

1. Corinth. 7.

Matth. 18. et 19.

Officium Ioannis Baptiſtæ.

Sed omiſsis veſanis eccleſiæ turbatoribus, ad Angelum reuertamur, qui de officio Ioannis apertius diſſerere incipit, docens primò cui rei ipſum Deus deſtinarit, deinde quomodo commiſſum ſibi munus ſit obiturus, tandem functionis eius effectum exprimit. Officij aut muneris huius ſummam his verbis comprehendit: Multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum. Ita verò munus prædicandi verbi Dei definit, in quo præcipuum eſt, vt homines Deo adducantur. Sunt hi natura ab illo alieni, & vel circa ſuperſtitiones & idololatriam, vel circa peccandi licentiam & manifeſta ſcelera occupantur. Et quia ipſi ſua ſponte non redeunt in viam, adhæc Dei conſpectum horrent, cuius voluntatem cum ſuis ſtudijs pugnare ſentiunt, ab alijs conuertantur & reducantur oportet. In eum ergo finem Verbi ſui præcones ſeu adminiſtros Deus inſtituit, qui pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum prædicatione (quibus partibus Euangelij doctrina abſoluitur, vt Lucæ vltimo Chriſtus docet) homines conuertant. Id verò illo tempore tunc imprimis facto opus erat. Nam etſi Iudæorum populus Dei veri cognitionem atque cultum profiteretur, illum tamen plerique ignorabant, cum neglecto redemptore patribus promiſſo, hominum traditiones ſequerentur, qui ſalutem in legaliũ operũ meritis monſtrabant. Imò qui ſub vno Deo eiuſdem fidei & religionis veſtigijs incedere debebant, in ſectas diuerſas erant ſciſsi, quas ſub Ioanne Hircano annis ante natum Chriſtũ circiter centum triginta exortas fuiſſe alibi diximus. Et hîc quidem præclaram operam nauauit Ioannes, quando & peccata grauiter accuſauit, & ad pœnitentiam omnes hortatus eſt, ſimulque peccatorum remiſsionem in vno Chriſto monſtrauit, quem agnum illum Dei eſſe docuit, qui peccatum mundi tollat. Et hæc illa doctrinæ forma eſt, quam in eccleſia conſtanter retinere debent, qui homines ſaluos volunt: ſimulque confutantur huius loci authoritate, qui auditores ſuos

aliò remittunt, quàm ad vnum Deum, quem prophetæ & apoſtoli prædicauerunt. Clamant hodie aduerſarij, redeundum nobis eſſe ad Romanam eccleſiam: at nos eccleſiam nullam nouimus, quàm quæ Dominum Deum patrem noſtrum agnoſcit, & hunc per fidem Ieſu Chriſti colit in ſpiritu & in veritate. Ab hoc quia nos minimè defeciſſe ſcimus, nulla nobis conuerſione opus eſt: pœnitentia autem & vitæ emendatione, & vt in fide indies proficiamus nobis opus eſſe fatemur, & libenter omnibus ijs gratum obſequium præſtabimus, qui nos ſuo ſtudio & induſtria iuuare poterunt.

Ioannes Chriſti præceſſor in ſpiritu Eliæ.

Secundo loco modum & rationem indicat Angelus, quam in obeundo munere ſuo Ioannes ſit ſecuturus. Præcedet (inquit) in conſpectu eius (nimirum præconis aut præcurſoris inſtar) cum ſpiritu & virtute Eliæ. Vbi ante omnia euidens & irrefragabile diuinitatis Ieſu Chriſti argumentum obſeruabis. Nam paulo ante de Domino Deo Iſraelis dixerat Angelus, ad quem omnes conuerti oporteat. Nunc Ioannem ante eius faciem præceſſurum dicit. At præceſſit ille in conſpectu Chriſti: ergo hic Deus verus & æternus ſit oportet, quem vetus Iſrael coluit. Fruſtra igitur nobis oblatrant Seruetani canes, qui infelicem Arianiſmum inſtaurare ſatagunt, & neſcio quem Deum fingunt eſſentiatum, atque ſuo figmento ipſa Chriſtianæ fidei fundamenta conuellunt. Quoad verò huius loci ſtatum, cum Malachiæ vaticinio conſentiunt Angeli verba. Ille enim de Meſſiæ aduentu diſſerens, inter alia dixit: En ego mittam vobis Eliam prophetam, priuſquam dies Domini magnus et terribilis veniat. Is reducet cor patrum in filios, et cor filiorum in patres, &c. Quem locum Iudæi vulgò de Elia Thesbite, ſub Meſſiæ aduentum rediturо, intellexerunt. Sed de Ioanne intelligendum eſſe, non ſolùm Angelus docet, verumetiam Chriſtus apud Matthæum vndecimo & decimoſeptimo capite. Itaque Ioannes non quidem Elias ille Thesbites eſt, ſed Eliæ ſpiritu & virtute inſtructus ea præſtitit, quæ olim ab Elia facta fuerunt. Et ſanè omnia inter vtrunque probè conueniunt. Vt enim Eliæ tempora multis modis corruptiſſima fuerunt, quoad Dei cultum et publicos mores, eò quòd ſub impio rege Achabo & ſanguinaria Iezabele Baalis myſtæ dominarentur: Ita non minor inter Iudæos religionis ſimul & diſciplinæ publicæ corruptio fuit, cùm penes Herodem, hominem impium & ſanguinarium, ſumma rerũ poteſtas eſſet, ſcribæ verò & ſacerdotes doctrinam vnà cum externo cultu fœdè corrupiſſent. Vt autem Elias admirabili conſtantia ſeſe omnibus oppoſuit, & pœnas à Deo impijs deſtinatas prædixit: Ita Ioannes inuicta animi fortitudine Dei cauſam egit, & pœnitere neſcijs exitium minatus eſt, quod non multò poſt ſecutum fuiſſe conſtat. Et vt Eliæ hoſtes acerrimi fuerunt Achab & Iezabel: ita Ioannes non alios grauiores hoſtes habuit, quàm Herodem & Herodiadem, cuius dolis tandem interfectus eſt. Debent autem vtrunque exemplum ſibijpſis ob oculos ponere eccleſiarum miniſtri, vt ipſi quoque fortes in Domino non cedant impiorum conatibus, & verum Dei cultum cum vitæ etiam periculo inſtaurare ſtudeant. Quia enim cauſa, quam agunt, non ipſorum ſed Dei eſt, facilè illam hic tuebitur, licet illos periclitari, vel etiam in hoc certamine mori contingat.

Malach. 4.

Finis miniſterij Ioannis.

Reſtat effectus & finis miniſterij aut prædicationis Ioannis, de quo ſic loquitur Angelus: Vt conuertat corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam iuſtorum, vt paret Domino populum inſtructum. Corda patrum in filios conuerſurum dicit, eò quòd in hoc fuit totus, vt maiorum fides, religio & pietas in poſteris eluceret, omneſque ad eam fidem conuerterentur, quam priſci patres tenuerunt, quos omnes (vt de Abrahamo Chriſtus teſtatur) in promiſſum illud ſemen mulieris reſpexiſſe conſtat. Et hæc vera illa & laudabilis fidei vetuſtas eſt, cui eos ſtudere decebat qui hodie veteris & antiquæ religionis titulo gloriantur. Deinde conuertet (inquit) rebelles aut contumaces ad prudentiam iuſtorum: Vt nimirum rectius ſapiant, & veris Dei cultoribus, quos ille ſolos pro iuſtis agnoſcit, ſeſe accommodent. Denique hoc aget, vt Domino præparet populum inſtructum ad excipiendum redemptorem, cuius aduentus præ foribus adeſt. Fecit iſta Ioannes partim pœnitentiæ doctrina, qua omnes ab erroribus & peccandi licentia ad mentem meliorem reuocauit: partim quòd de Chriſto luculenter teſtatus eſt, in quo vno veritas & vita inuenitur. Rurſus autem hîc officij ſui admonentur paſtores & eccleſiarum miniſtri. Debent illi hoc agere, vt omnes in veteri fide patrum conueniant. At hic non de patribus ſermo eſt, quos plerique in ore habent, & qui à ſeculis aliquot proximis vixerunt: ſed priſcis illis, quorum fides in ſcripturis commendatur. Princeps horum facilè eſt Abraham, quem ante Legem latam & priuſquam circuncideretur,

Ioan. 8.

deretur, propter ſolam fidem in Ieſum Chriſtum iuſtificatum fuiſſe ſcribit Paulus, poſtea verò circuncisionis ſignum, vt ſigillum iuſtitiæ fidei accepiſſe, vt pater eſſet omnium credentium, tam eorum qui ex gentibus ſunt, quàm eorum qui ex Iudæis prodierunt. Ad huius ergo fidem omnes adducant, neq; aliquem (quantum in ipſis eſt) circa ſuperſtitiones inutiles & noua opinionum figmenta vagari patiantur. Hic verò magno animo & inuicta conſtantia opus erit, qua ſe contumacibus & rebellibus opponendo Chriſti in ipſis loquentis experimentum præbeant: vt hi quoque tandem diſcant rectius ſentire. Finis autem omnium hic eſto, vt ſingulos idoneos & inſtructos reddant ad excipiendum Ieſum Chriſtum, extra quem nihil habetur, per quod homines ſeruari poſſint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Rom. 4.

HOMILIA V.

Et dixit Zacharias ad Angelum: Quo argumento iſtud noſcam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea prouecta eſt ætate: Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei, miſſuſq; ſum vt tè alloquar, & hæc tibi læta nuntiem. Et ecce ſilebis, nec loqui poteris ad eum vſque diem, quo hæc fiant: eò quòd non credidiſti ſermonibus meis, qui implebuntur tempore ſuo.

EXpoſuit hucuſque Lucas apparitionem Angeli, qui Zachariæ annuntiauit, quod ipſi ex Elizabeta vxore, quæ antea ſterilis fuerat, filius Ioannes naſciturus eſſet, ſimulq; huius officium diligenter deſcripſit. Proponitur illic euidens bonitatis Dei argumentum, qui filij ſui aduentum in carnem minimè obſcurum eſſe voluit, quò facilius ab omnibus agnoſci et recipi poſſet. Qua bonitate cùm etiam hodie vtatur, noſtrum fuerit nos illi accommodare, ne ingrati tantæ gratiæ contemptores deprædendamur. His autem duo tumprimis memorabilia ſubijcit Lucas, peccatum videlicet Zachariæ, & eiuſdem ſupplicium, de quibus ex ordine dicemus.

Ad peccatum illius pertinet, quòd Angelo poſt diligentem diuini conſilij & promiſſionis expoſitionem reſpondet: Quo argumento iſtud noſcam? Ego enim ſum ſenex, & vxor mea prouecta eſt ætate. Quibus verbis idem dicere videtur, quod paulò poſt Maria Angelo filij Dei incarnationem pollicenti reſpondit: Quomodo erit iſtud, quoniam virum non cognoſco? At ſi rem ipſam diligentius inſpiciamus, magnum diſcrimen apparebit. Maria enim de promiſſionis veritate non dubitat, ſed quia inſolens & nouum erat quod promittebatur, de modo & ratione quærit, qua paritura ſit ipſa, quæ viri congreſſum nunquam experta fuerat. Interim illam Dei verbis credidiſſe, Elizabetæ verbis & toto ſermonis contextu abunde probatur. Zachariæ autem verba incredulitatis plena ſunt, & ita ab Angelo exponuntur, imò ipſa ſatis docent, eum diuinæ promiſſioni non credidiſſe. Primò enim aduerſus Angelum argumentis agit, & dum ſuam ſenectam & vxoris ætatem iam ad pariendum non amplius idoneam adducit, non obſcurè oſtendit, ſe ad vulgarem naturæ curſum potius quàm ad Dei verbum reſpexiſſe: quod à fidei ingenio alieniſſimum eſſe, Abrahami exemplò probat Paulus. Deinde ſignum petit, quod meræ incredulitatis eſſe, infinitis exemplis poterat demonſtrari. Et eò minus excuſationis Zacharias habet, quòd etſi promiſſio Angeli cum naturæ legibus pugnaret, tamen neq; noua erat neq; inſolens omnino, cùm eius exempla in Sara, Rahele, Anna Samuelis matre, & ſimilibus præceſſiſſent. Imò Abrahami exemplum nouiſſe debebat, qui in ſimili caſu, non ad corpus ſuum effœtum, neque ad emortuum Saræ vterum, ſed in vnum Deum reſpexit, quem & veracem & omnipotentem eſſe credebat. Itaque etſi non deuota aut impia malitia peccarit Zacharias, quoad tamen factum ipſum, idem fecit quod Iſraelitæ in deſerto, qui Deum tentauiſſe dicuntur, eò quòd poſt infinita diuinæ bonitatis & potentiæ exempla, tunc demum ſe credituros dicerent, ſi carnes illis daret & menſam lautiorem ipſis inſtrueret. Eſt autem peccatum hoc grauius quàm vulgò putetur. Eo enim non modò bonitas & potentia in dubium vocantur, verumetiam veritas Dei, & ita omnis eius honor atque dignitas; quantum in nobis eſt, proculcatur. Atqui viro bono & honeſto nihil intolerabilius videtur, quàm ſi quis ei hominis vani & menda-

Zacharias pecc. eſt incredulitate.

tis notam inurat. Et nos nobis literè putabimus, vt Dei promiſsiones pro vanis & irritis accuſemus, cuius verbum in æternum manet?

Contra eos, qui hodie ſigna poſtulant.

Atqui paſsim hodie regnat iſtud peccati genus. In ijs certè quæ ad religionem & fidei cauſam ſpectant, multi etſi ſcripturà aperta teſtimonia audiant, & fidei Chriſtianæ doctrinam olim ſignis ſtupendis & euidentibus miraculis confirmatam eſſe non ignorent, tamen noua ſigna à nobis etiam requirunt, & ſe tunc credituros aiunt, ſi nunc quoque ab Euangelij miniſtris cæcorum oculos aperiri, ſurdorum aures pateſieri, mutorum linguas ſolui, leproſos purgari, claudos & mancos reſtitui, dæmonia eijci & mortuos excitari videant. Et iſta hodie audiuntur, non à Turcis & Iudæis ſolùm, aut iuratis Chriſtiani nominis hoſtibus, verumetiam ab ijs, qui Chriſtiani dici volunt, & ſcripturarum authoritatem ſe agnoſcere profitentur. Sunt ergo phariſæorum ſimiles, qui cùm Chriſtus ſingulis propè momentis miracula æderet, quibus ſuam diuinitatem & doctrinæ ſuæ certitudinem aſſerebat, adhuc tamen ſignum poſtulabant è cælo, quo ſe diuinitus miſſum eſſe probaret. Si enim illi ſcripturis credunt (quod niſi faciant, Chriſtiano nomine indigni ſunt) habent vtique ſigna, quibus olim prophetæ, deinde Chriſtus & apoſtoli doctrinam noſtram confirmauerunt: neque illa ad nos pertinere negare poſſunt, cùm non alia doceamus, quàm quæ in ſcriptis apoſtolicis continentur. Qua ergo ratione ſigna noua poſtulant, cùm doctrina noſtra non noua ſit, & cùm inter eos prædicemus, quibus illa noua & inſolens videri non debet? Vel ſi non ſufficiunt illis quæ olim facta ſunt, cur non in præſentem mundi faciem oculos intendunt, vt videant hodie etiam miracula fieri, quibus Deus ſui verbi authoritatem tuetur? Quod enim ſignum excogitari poteſt euidentius & diuinum magis, quàm quòd in medio hoſtium ſuorum Chriſtus dominatur? quòd eccleſiam inter perſecutionum fluctus ſubinde conſeruat? quòd oues ſuas inter medios lupos paſcit? quòd per homines nullius pretij (ſi mundi iudicium audias) potentiſsimorum Regum conſilia diſsipat, vires debilitat & arma confringit? quòd ſpem hoſtium toties eludit? quòd per crucem in ſuis perpetuò triumphat? Potuit olim Gamaliel videre pro diuino negotio agnoſcendum eſſe, quod non ſponte ſua tandem ruit. Quàm ergo illi ſtupidi ſunt, qui diuinum eſſe non vident, quod in medijs periculis ſaluum manet, imò inter ignes & gladios nouis quotidie incrementis ſurgit atque propagatur?

Contra eos, qui promiſsionibus non credunt.

At non ſolùm in hac cauſa peccari ſolet, verumetiam in ijs, quæ ad corpus ſpectant, victu nimirum, amictu, valetudinis cura, publica pace & ſimilibus. Extant de his omnibus promiſsiones, quibus liberaliſsimè pollicetur Deus, quæcunque nobis neceſſaria ſunt. Et quò minus dubitemus, Chriſtus nos ad aues in aere vagantes, ad coruorum pullos & flores in agris naſcentes remittit, vt inde colligamus, multò magis nos curæ eſſe Deo, qui hæc omnia propter nos condidit. Accedunt his exempla, quibus promiſsioni ſuæ fidem facit, dum mirificè eos ſeruat, quorum vita & ſalus omnino deſperata putatur. Nihilominus tamen in his omnibus ſolicitudo ethnica regnat, neque plus fidimus Deo, quàm ſenſus noſtri percipiunt. Audiuntur equidem paſsim eorum voces, quos non pudet dicere: Quo argumento noſcamus nos ſub Dei cura & protectione eſſe, qui eſurimus, algemus, ſitimus, exules vagamur, ex morbis diuturnis decumbimus, multorum odia & perſecutiones perpetuas ſuſtinemus? Et hæc ferè cauſa eſt, quòd ad carnis præſidia conuertimur, & ferè ad media illicita, quæ cum fide & iuſtitia atque charitate Chriſtiana pugnant. Alius enim ex vſuris diteſcere ſtudet, alij furantur & rapiunt, alij vindictæ cupiditate ſuperati ſeditiones mouent, multi in morbis & periculis grauioribus ad incantationes, exorciſmos, ſortilegia & dæmoniorum opem confugiunt. Omnes verò iſti ſimul Deo præſcribere & eius fidem atque bonitatem tentare ſolent, dum quid ſibi fieri volunt audacter poſtulant. At quod de phariſæis dicit Chriſtus, hoc ipſum de illis etiam dici debet, quod generatio ſint praua & adultera. Si qui ergo Dei filij dici volunt, procul abiectis carnis dubitantis rationibus, patrem credentium Abrahamum imitentur, qui in Dei veritatem & potentiam reſpiciens tunc quoque ſperauit conſtanter, cùm in humanis ſpes omnino nulla reliqua eſſet. Hinc vera fidei obedientia enaſcetur, quæ vt nos ad omne obſequium promptos, ita etiam in omni caſu fortes & intrepidos reddit.

Carnis infirmitas.

Apparet autem in Zachariæ exemplo, quanta ſit carnis noſtræ infirmitas, quando hæc in ſanctis quoque & iuſtis locum inuenit. Iſte certè non in ijs Dei legato obloquitur, quæ factu difficilia vel auditu moleſta erant: ſed in eo quo nihil ei iucundius magiſq́ gratum poterat accidere. Et

ſanè

ſanè multa admiratione dignum eſt, quòd qui paulò ante prolem ſibi dari orauerat, nunc illam promittenti Deo non credit. Sed hæc eſt naturæ noſtræ corruptio, vt non modò aduerſorum caſuum difficultate, verumetiam promiſsionum Dei magnitudine & excellentia ſuperati, fidem noſtram fluctuare & labaſcere ſentiamus. Si enim in rebus temporarijs & vulgaribus frequenter non credimus ea, quæ maximè vellemus vera eſſe, quid miramur, ſi in ijs diffidamus Deo, quæ noſtri ingenij captum longè ſuperant? Ita Dauid auditis ampliſsimis promiſsionibus de Meſsia ex ſuis poſteris naſcituro exclamabat: Quis ego ſum, & quæ eſt domus patris mei? &c. Et Petrus: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Quò magis nos anniti decet, ne noſtro ſenſui locum demus, quando de Dei promiſsis & æternis regni cælorum myſterijs agitur.

Quomodo uti debeamus uitijs ſanctorum?

Obſeruari etiam debet hoc loco, cur eiuſmodi ſanctorum lapſus aut delicta nobis ſcripturæ proponant, & vt nos exemplis illorum vti debeamus. Conſtat enim illis multos abuti, vt ſceleribus ſuis patrocinentur, & peccandi licentiam ſeu impunitatem inuehant. Sic ebrioſi Noam & Lothum adducunt, vt ſuam intemperantiam excuſent, & Dauidis exemplo adulteri ſtupra ſua defendunt. Ac eſt hic impius ſcripturæ ſacræ abuſus, & in Dei præceptum illi pugnant, quo prohibet, ne eius nomen leuiter & ſcurriliter vſurpemus. Longè igitur aliud eſt in his proponendis ſpiritus ſancti
consilium. Primò enim vult vt exemplis huiuſmodi excitati diligentius vigilemus aduerſus carnis 1.
deſideria & diaboli ſuggeſtiones, ne nobis quoq; noſtra vel ſecuritas vel confidentia imponat. Ideo non delicta ſolùm deſcribuntur, verumetiam pœnæ, quas propter illa de ſeruis ſuis Deus grauiſsimas ſumpſit. In quibus ſemper nobis in animo verſari debet Chriſti Ieſu ſententia: Si hoc olim factum in viridi ligno, id eſt, in ijs, qui arbores frugiferæ fuerunt, & dignis fructibus pœnitentiam teſtati
ſunt, quid fiet in nobis aridis truncis, ſi ſteriles eſſe pergamus? Seruiunt etiam exempla iſta noſtræ 2.
inſtitutioni aduerſus Nouatianos noſtri ſeculi & Anabaptiſtas, qui præcipiti nimis iudicio omnes eos damnant, quos poſt factam fidei profeſsionem peccare & in aliquod grauius delictum labi vident. Atqui iuſtus erat Zacharias, nimirum ex fide qua in promiſſum humani generis redemptorem reſpiciebat: attamen peccat, & quidem non leuiter, ſed ita vt abijci à Deo meruerit, ſi is ſuum ius contra eum perſequi voluiſſet. Quod ipſum multis alijs accidiſſe conſtat, qui tamen in gratiam recepti ſunt, et Deo poſtea fideliter ſeruierunt. Ac noſtri illi non contenti eos damnauiſſe qui peccant, inſuper totas eccleſias ſuo iudicio Satanæ tradunt, quæ tales fouent & ad pœnitentiam erudiunt.
Eſt præterea exemplorum iſtorum hic etiam vſus, vt ex ijs conſolationem capiant, qui peccarunt. 3.
Vt enim prioribus illis ad ſe conuerſis Deus ignouit: ita nobis quoq; propitius erit, ſi ad ipſum conuertamur ſicuti promiſsiones eius paſsim teſtantur. Ita exemplis hiſce vti docet Paulus, quando Chriſtum ideo ſui miſertum eſſe dicit, vt in ſe primo oſtenderet omnem clementiam, vtq; exemplar fieret ijs, qui credituri eſſent ipſi in vitam æternam. 1. Tim. 1. cap.

Angelus Zachariæ peccatum denuntiat.

Sed accedamus ad alterum angelici ſermonis caput, quo pœnam incredulitatis Zachariæ denuntiat, & id quidem ſingulari cum grauitate. Nam initio ſeipſum deſcribit, vt peccatum eius amplificet. Ego ſum (inquit) Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei, miſſuſq; ſum vt te alloquar, & hæc tibi læta nuntiem. Gabrielem ſe eſſe dicit, quod heroem Dei aut in Deo fortem & robuſtum ſignificat. Deinde muneris & functionis ſuæ meminit, quando ſe apparitoris inſtar in Dei conſpectu adſtare ait, vt nimirum ad accipiendum & exequendum mandata diuina ſemper paratus ſit. Additur tertiò, quòd nunc peculiariter ad Zachariam ſit miſſus, et quidem in eum finem, vt rem lætam diuq; ab ipſo optatã nuntiet. Senſus itaq; eſt: Si quis angelus vulgaris, aut etiam homo propheta, ad te miſſus, ipſius Dei nomine tibi loqueretur, nefas foret, fidem illi negare: & exempla ſunt, quàm duriter in illos ſtatuerit Deus, qui prophetis credere noluerunt. Quantò igitur grauius eſt tuum peccatum, qui mihi non adhibes fidem, qui ex præcipuis Dei miniſtris ſum, qui à Dei potentia & robore nomen accepi, cuius ſolius recordatio omnem dubicationem animo excutere debuit: qui denique tibi, qui ſacerdos es, ex ijs quæ olim cum Daniele egi, notiſsimus eſſe debebam. Si item credendum eſt Deo, Dan. 8. & 9. dum vel pœnas graues minatur, vel increpat, vel etiam noua & prius inaudita pollicetur; tuum erat multò magis mihi credere, qui vt rem lætiſsimam tibi annuntio, ita nihil aliud promitto, quàm cuius exempla in ſacris hiſtorijs extant; quæ & tibi, homini in ſcripturis verſato, ignota eſſe non poſſunt. Eſt ergo hæc tua culpa grauior, quàm quæ excuſationem admittat, aut veniam mereatur. Hic (inquam) verborum Angeli ſenſus eſt, in quibus officium quoq; angelorum & eorundem

Angelorum conditio.

conditio pulchre deſcribitur. Vocat hos alibi ſcriptura ſpiritus, vt eos à nobis & omni terrena atque craſſiori ſubſtantia diſcernat. Ignem quoque flammantem eos dicit, nimirum à celeritate & incredi-
Pſalm.104. *bili omnia penetrandi virtute. Vtrumque Dauid vno verſu compræhendit, de Deo loquens: Qui legatos ſuos fecit ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem flammantem. Ideo quoad officium ſuum, coram Deo aſtare dicuntur, non quidem otioſi gloriæ & maieſtatis eius ſpectatores, ſed vt miniſtri. De quo*
Dan.7. *Daniel ſcribens ait: Millies mille miniſtrabant ei, & decies mille myriades ante ipſum ſtabant. E mittuntur autem ijdem, tam vt ſanctis ſeruiant, & eos tueantur, quàm vt impios perdant atq; coer-*
Hebr.1. *ceant. Quod non obſcurè in epiſtola ad Hebræos Apoſtolus docet, ita de Angelis loquens: Nonne omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterij cauſa mittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis? Exempla huius paßim extant. Iacob certè cum à fratre Eſauo ſibi timeret, turmas angelorum vidit, qui & ipſum tueri, & Eſauum cohibere debebant, ne illi manus violentas inferret. Et idem angelus Ægyptiorum primogenita occidit, Iſraelitarum verò ædibus pepercit, & eis ex Ægypto exeundi copiam impetrauit. Rurſus vnus & idem angelus populum Dei deduxit, & ante eos eiecit hoſtes, vt ipſi terra patribus promiſſa potirentur. Sic ijdem angeli Eliſæum quidem cum ſuo famulo defenderunt, Syros autem oculis captos in Samariam adduxerunt. Sed dies me deficeret, ſi exempla omnia commemorare velim, quæ & in hiſtorijs habentur, & hodie etiam eueniunt. Nos ex his inuictam Dei potentiam agnoſcamus, qui talium miniſtrorum infinitis millibus ſtipatur, quorum ſinguli totis gentibus vno momento perdendis ſufficiunt. Exoſculemur præterea immenſam & plus quam æternam eius bonitatem, qui ſuos in terris hiſce inter omnis generis pericula laborantes tam fido tamq; potenti præſidio munit, vt certò illis cum Eliſæo dicere liceat: Plures ſunt eorum, qui à nobis ſtant, quàm eorum qui hoſtium partes tuentur. Nobiſcum enim ſunt non ſolùm angeli, verumetiam angelorum princeps Ieſus Chriſtus, cui omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra. Quàm verò infelices ſunt, qui nihilominus ſibi ab hoc mundo metuunt? aut qui vitæ & morum impuritate angelos procul abs ſe arcent, ſeque præſidio hoc tam ſancto & neceſſario ſpoliant? Non autem ex iſtis ſequitur, angelos vel diuinis honoribus coli, vel in periculis inuocari, aut cùm ſe nobis præſentes ſiſtunt adorari debere. Quia enim conſerui noſtri*
Apoc.22. *ſunt (quod cum Ioanne agens angelus disertè fatetur) ſuus honor Deo ſaluus manere debet, qui in eo non minima ex parte conſiſtit, vt illum ſolum in omni neceßitate inuocemus: qua de re cum ſæpius dictum ſit, hæc paucula modò ſufficere poſſunt pijs, qui ſerio gloriæ Dei ſtudio tanguntur.*

Gabriel mandatum Dei urget. *Obſeruemus etiam in Angeli verbis, quòd etſi de ſua conditione magnificè loquatur, imprimis tamen mandatum Dei vrget, qui ipſum Zachariæ iſta dicere iuſſerat. Nam niſi quis Dei verbum nunciet, nullam fidem merebitur, quantumuis ſplendida & glorioſa fuerit perſona, quam ſuſtinet. Ergo non in hominum perſonas reſpicere oportet, vt propter has vel credere vel non credere velimus. Fides enim Dei verbo nititur, & qui hoc contemnunt, pœna digni ſunt, etiamſi quoad humanum iudicium nullius pretij videatur, qui illud prædicat. Rurſus qui ea docet, quæ cum verbi Dei veritate pugnant, anathema ſit nobis, quamuis angelus de cælo fuerit.*

Zacharias mutus fit. *Cæterùm audiamus, qua pœna Zachariam Deus mulctauerit. Denuntiat hanc illi Angelus his verbis: Et ecce ſilebis, nec loqui poteris ad eum vſque diem, quo hæc fiant: eò quòd non credidiſti ſermonibus meis, qui implebuntur tempore ſuo. Ergo linguæ & ſermonis vſus illi ereptus eſt, quæ pœna illius peccato optimè reſpondit. Debebat enim exauditus à Deo, hunc glorificare, & eius promißionem cum digna gratiarum actione excipere. Quod quia non fecit, dignus omnino fuit, qui ad ſilentium damnaretur, vt ita aduerſus Dei verbum diſputare deſineret. At ſi hoc Zacharias meruit, quem partim carnis infirmitate, partim diuinæ promißionis excellentia ſuperatum peccauiſſe nuper diximus, quo non ſupplicio digni ſunt impij, qui Dei verbum conuitiantur? qui æternæ ſalutis promißiones ſcurriliter eludunt? qui Euangelium de Ieſu Chriſto hæreſeos accuſant? qui ſacroſancto Dei nomine ad execrationes, vel ad periuria & omnis generis impoſturas abutuntur? Sunt hæc nimis vulgaria hodie, & adhuc Dei iram nos punientis admiramur? At quod Zachariæ accidit, hoc vulgo omnibus accidere ſolet, qui Dei verbo credere nolunt. Carent hi vera Dei & regni eius cognitione, & proinde muti fiunt in diuinis omnibus, vt*

neque cum

neque cum Deo per preces pias colloqui, neque cum hominibus de regni cælorum myſterijs diſſerere, aut aliquid afferre poſſint, quod vel ipſorum vel aliorum ædificationi ſeruiat. Imò ſi quid loquuntur, hoc ferè eiuſmodi eſt, vt ſatius eſſet, illos piſce magis mutos eſſe factos. Adhæc generalem doctrinam hoc exemplum continet, quid ingratos omnes maneat, qui Dei donis nolunt vti ad ipſius gloriam. Amittunt ea etiam quæ habent, & ferè inglorij & infelices ex regno Dei eijciuntur, ſicuti Chriſtus in talentorum parabola docet. Debet hoc ad corporalia ſimul & ſpiritualia bona excendi, & exemplis non opus eſt, quando quotidie videmus, quid ijs eueniat, qui corporis valetudine & viribus, animi prudentia, eloquentia, authoritate & alijs donis abutuntur, aut ea ignaui nimis defodiunt.

Eſt tamen in his omnibus conſolationis plenum, quòd Angelus promiſſionem Dei nihilominus ratam fore, & ſuo tempore implendam dicit, quamuis Zacharias ob incredulitatem ſuam puniri meruerit. Dei enim veritas minimè ab hominum aſſenſu & authoritate pendet. Quid tum enim (vt Pauli verbis vtar) ſiqui ſunt increduli? Num incredulitas eorum fidem Dei irritam faciet? Imò ſit Deus verax, omnis autem homo mendax. Quò etiam referri debet, quod alibi dicitur, cœlum quidem & terram tranſitura, Dei verbum autem permanſurum eſſe in æternum. Exempla in hanc ſententiam multa adduci poterant ex veteris teſtamenti libris. Promiſerat Deus, Iſraelitas ſuo tempore, poſt quartam nimirum generationem ex Ægypto educendos eſſe, vt terram ſibi promiſſam occuparent. Promiſſionis huius fides apud multos nulla erat, multi etiam illius omnino erant immemores, aut etiam ignari: Attamen ea efficax & rata fuit, cùm tempus illud fatale inſtaret. Idem de omnibus prophetarum ſermonibus dicere poſſumus, quorum tam minæ quàm promiſſiones ſuum habuerunt euentum, quàmuis plerique illos cum riſu exciperent, multi etiam hoſtiliter inſectarentur. Sunt ergo hæc omnibus applicanda, quæcunque Deus vnquam pronuntiauit præceptis nimirum eius, minis atque promiſsis. Prædictum eſt olim fore finem mundi, reſurrecturos mortuos & ad Chriſti tribunal ſiſtendos fore omnes homines, vt digna ſuæ vel fidei vel incredulitatis præmia accipiant. Rident hæc multi, & plerique ſibijpſis inter ſcelera ſua delitias faciunt, quòd nihil huius euenturum ſibi perſuadent. Sed ſentient illi olim magno ſuo malo, Dei veritatem ſtabilem eſſe, & nullis hominum commentis impediri. Idem de Euangelij promiſſionibus debet intelligi. Pollicetur nobis in cruce ſua gloriam, in morte vitam Dominus Ieſus Chriſtus. Videntur hæc abſurda multis, qui ſpem noſtram ſcurriliter rident. Sed non fallet ea nos, & ſuo tempore iſta implebuntur, quando ſuperatis omnibus huius ſeculi moleſtijs vitam & regnum in Chriſto Ieſu poſſidebimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Incredulitas noſtra nihil derogat promiſſionibus Dei.

Rom. 3.

HOMILIA VI.

Et erat populus expectans Zachariam, & mirabantur, quòd is tardaret in templo. Ille autem egreſſus non poterat eis loqui: & cognouerunt eum viſionem vidiſſe in templo. Nam ipſe innuebat eis, permanſitq; mutus. Et factum eſt vt impleti ſunt dies miniſterij ipſius, abijt domum ſuam. Poſt illos autem dies concepit Elizabet vxor eius, & occultauit ſe menſibus quinque, dicens: Nempe ita fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit, vt auferret probrum illud meum inter homines.

QVàmuis Angelus Gabriel ad Zachariam ideo miſſus fuerit, vt illi rem lætiſſimam et diu optatam nuntiaret, idem tamen, cùm ille incredulus eſſet, eius diffidentiam grauiter corripit, & pœnam minatur, qua ipſum mulctari oporteat. Fuit ea peccato eius admodum conueniens. Quia enim exauditus à Deo, hunc non glorificauit, vt par erat, quin potius aduerſus nuntium Dei diſputationem inſtituere auſus fuit, dignus erat, qui linguæ & ſermonis vſum omnino amitteret. Eſt hæc communis omnium ſors, qui Dei verbo credere dedignantur. Non percipiunt

*illi res diuinas & cæleſtes, eò quòd hæ ſola fide percipi poſſunt. Ergo de iiſdem neque cũ Deo neque
cum hominibus colloqui poſſunt. Nam etſi inter precandum (vt de phariſæis Chriſtus ait) multilo-
qui ſint, precandi tamen fiducia deſtituuntur; cum ſpiritu Chriſti careant, qui ſolus nos de benigna
Dei voluntate certos reddit, vt hunc patris nomine poſſimus inuocare. Adhæc in omnibus quoq;
alijs inepti, infantes & rerum incerti ſunt, ſicuti non in vulgaribus modò hominibus eſt videre,
verumetiam in doctoribus bullatis, qui præcipuam ſummæ eruditionis exiſtimationem ſuſtinent.
Nihil igitur homine incredulo miſerius & infelicius eſt, & quo maior videtur eiuſmodi hominis
authoritas, eò verius in eum conuenit, quod olim prouerbio dicebatur: Nullus, magnus, malus, pi-
ſcis. Quò magis anniti nos decet, ne locum demus cæcæ carnis rationibus, quæ fidem noſtram labefa-
ctare aut euertere poſſunt. Sed relicto hoc infelici hominum genere, ad huius loci tractationem acce-
damus, qui primò pœnæ executionem continet, deinde oſtendit, vt nihilominus rata fuerit promiſſio
Dei de filio ex Elizabeta & Zacharia naſcendo. Vtriuſq; autem exempli vſus eſt egregius ad
aſſerendam Dei veritatem in minis & promiſſionibus, quæ nobis in verbo eius proponuntur.*

Zacharias non poteſt loqui. *Ad pœnæ executionem pertinet, quòd Zacharias poſtquam eum diu expectauit populus, tan-
dem mutus exiuit, neque illos pro more alloqui potuit. Et credibile eſt, alia quoque pauoris indicia
in eius vultu ac geſtibus apparuiſſe, ex quibus colligi potuit, ipſum viſionem vidiſſe non vulgarem.
Habuit ergo effectum ſuum Dei ſententia, & quidem abſque omni mora, eò quòd hoc tota iſtius
cauſæ ratio exigebat. Debet autem hinc generalis doctrina peti, non deeſſe Deum ſuis minis, ſed
certò euenire quæcunque nobis denuntiat, neque ea vllis hominum viribus aut conſilijs impediri poſ-*
Prou. 21. *ſe. Nam vt Solomon ait, non eſt ſapientia, non prudentia, neque conſilium contra Dominum.
Debet ergo hoc ad generales illas Dei comminationes referri, quibus iram & maledictionem ſuam
omnibus denuntiat, qui præcepta ipſius impiè tranſgrediuntur. Sunt enim hæ quoq; infinitis exem-
plis confirmatæ, & quamuis interdum plagas differat Deus, ſuo tamen tempore iudicia ſua in pœ-
nitere neſcios exercet. Idem in peculiaribus quoque minis obſeruandum eſt, quæ certis ſceleribus*
Deut. 27. *& flagitijs ſuas pœnas decernunt. Maledictus (inquit Lex) qui accipit munus, vt percutiat inno-*
Iſaiæ 33. *centem ſanguinem. Et per prophetam Deus clamat: Væ tibi qui prædaris, & tu non es præda fa-
ctus: & præuaricanti, cùm in te non ſit præuaricatum: Cùm prædari deſieris, prædationem pa-*
Hab. 2. *tieris, &c. Item: Væ ei, qui ædificat ciuitatem in ſanguine. Sed & Chriſti vox eſt: Qua menſura*
Matth. 7. *metimini, eadem vobis quoque homines metientur. Rident hæc hodie principes, qui bellis non neceſ-
ſarijs orbem totum implicant, & qui vili pretio conducti illis ſuam operam locant Cares mercena-
rij: Ac ſi hiſtorias euoluamus, minas illas olim ſuum effectum habuiſſe patebit in Aſſyrijs, Ba-
bylonijs, Perſis, Græcis, Romanis & multis alijs, qui indomito bellandi & prædandi ſtudio flagra-
uerunt, vt vel imperij ſui fines propagarent, vel priuatim opes colligerent. Non eſt ergo quod
dubitemus, quin in illis etiam illas ratas eſſe velit Deus, qui hodie iiſdem ſtudijs occupantur. Ita*
Hebr. 13. *adulteris & ſcortatoribus ſuum iudicium Deus per Paulum denuntiat, & quòd eoſdem, niſi re-*
1. Cor. 6. *ſipiſcant, à regni ſui hæreditate excludere velit. Videtur hæc quoque comminatio durà admodum:
ſed non vanam eſſe Iſraelitarum miſerabilis clades in deſerto, Dauidis infelix caſus & periculoſæ
regnorum potentiſſimorum mutationes teſtantur, quas ob ſtupra facta olim fuiſſe in hiſtorijs legi-
mus. Et vt vetera omittamus, quotidie fiunt, quæ iſti comminationi poſſunt fidem facere, etiamſi
ad quorundam nequitiam Deus interdum diutius conniueat. Eadem eſt vſurariorum & omnium*
Hab. 2. *eorum conditio, qui per fas nefaſq; diteſcunt. Clamat aduerſus iſtos Dominus: Væ ei, qui auget
non ſua. Quod dictum multis fortuitum & in ore prophetæ natum eſſe videtur. Sed ſi veteres hi-
ſtorias inſpicere libeat, & quæ quotidie fiunt attentius obſeruemus, nihil iſta comminatione verius
aut certius eſſe apparebit. Poſſet hoc latiſſimè per omnes peccatorum ſpecies diduci, ſed iſta vber-
rimam de his cogitandi materiam præbere poſſunt omnibus, qui ſerio verbi Dei ſtudio tanguntur.
Diſcant modò ſinguli, poſita virium & conſiliorum humanorum fiducia, pœnitentiam agere, ne-
que perpetuam impunitatem ſibiipſis ex Dei indulgentia polliceri, ne is aliquando tarditatem ſup-
plicij grauitate compenſet, &c.*

Populi patientia. *Cæterùm extra hunc Zachariæ caſum in populo quoque nobis quædam obſeruanda veniunt.
Inter quæ primum eſt, quòd illum diutius ſolito morantem patienter expectant & neque conui-*

tijs agunt,

tijs agunt, neque inſano murmure tumultuantur, multò minus ſeſe cum indignatione domum recipiunt. Fuit igitur in populo aliâs corruptißimo aliquod diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtudiũ, & ſuam apud illos authoritatem habuit Lex Dei, qui populum è ſacris cœtibus non ſine ſolenni benedictione dimittendum eſſe conſtituerat, cuius formula peculiaris habetur: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: illuſtret Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui. Attollat Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Num. 6. At hodie plerique in templis moræ omnis impatientißimi ſunt, multi interea dum res ſacræ tractantur nugas agunt, & vel de rebus leuißimis differunt, aut animos in cogitationibus vanis & impuris vagari ſinunt. Cauſa huius vitij eſt, quòd non rectè iudicamus de verbo Dei, neque in mentem nobis venit, nos in Dei conſpectu eſſe, vt ea agamus, quæ ad noſtram ſalutem faciunt. Accedimus ergo vt ij, de quibus apud Ezechielem Deus queritur, quòd verbum ſuum inſtar cantilenæ nihil ad ipſos pertinentis audiant, & proinde nihilo meliores diſcedant. Ezech. 33. Poſſet malum hoc aliqua ratione excuſari, ſi omnem aliam quoque moram eadem impatientia ſuſtineremus: ſed cùm circa ludos & res turpes aut inanes nullius nos temporis aut laboris pigeat, ſatis apparet, nos natura à diuinis abhorrere, & indignos eſſe, quos ſua gratia Deus dignetur. Longè alij fuerunt veteris eccleſiæ mores, quando propter inſidias & omnis generis pericula noctu ferè Chriſtiani conueniebant, neque illis graue erat totas noctes inſomnes ducere, modò animos verbi cæleſtis pabulo paſcerent, & precibus pijs recrearent. Quàm verò ignauia hæc & impij verbi faſtidium Deo diſpliceant, olim Eutychi exemplo oſtendit, qui cùm Paulo concionante interea ſomno indulgeret, ex feneſtra decidit & exanimis factus eſt. Acto. 20. At ſi in iuuene ſomnolentiam tam grauiter Deus caſtigauit, grauius certè ſupplicium merentur, qui manifeſto verbi diuini contemptu peccant, & ludos vanißimos aut etiam cum ſcelere coniuncta carnis atque mundi ſtudia ſacris omnibus præferunt.

Sed vt ad huius populi factum redeamus, non temere annotatur illos non obſcuris indicijs deprehendiſſe, quòd Zacharias viſionem aliquam vidiſſet peculiarem, quæ ipſum diutius ſolito detinuerat. Pœnæ Zachariæ fructus multiplex. Fuit ergo multiplex huius pœnæ vtilitas. Zachariæ enim hanc profuiſſe totius negotij euentus docebit. Nunc verò ad populum quoque totum eius fructus redundauit. Eius enim conſideratione excitati omnes intelligunt in Ioannis natiuitate nihil fortuitum fuiſſe, & procul dubio maior illius fuit apud omnes authoritas, quòd illum hominem non vulgarem eſſe, ex tota hac actione iam ante cognouiſſent. Omnium verò iſtorum finis fuit gloria Dei, quæ eò clarior & illuſtrior facta eſt, quòd in ſanctißimo ſacerdote incredulitatem non impunitam abijſſe viderent. Eſt eadem ratio omnium afflictionum apud Dei timentes. Quia enim Dei iudicia obſeruant, ea quoque illis adiumento ſunt ad bonum, quæ primo intuitu triſtia nimis & noxia videbantur. Conuertuntur enim ad illum, à quo ſe percuti ſentiunt, & de illo placando cogitant: quod Zachariam feciſſe, ſuo loco audiemus. Hodie non poſtrema malorum omnium cauſa eſt, quòd ad illicita plerique conuertuntur, & per ea ſibi conſulere ſtudent, quibus Dei ira magis prouocatur.

Priuſquam verò ab hoc loco diſcedamus, obſeruari quoque debet, quod de Zacharia interſeritur, illum videlicet expleto demum ſui miniſterij tempore domum ſuam rediſſe. Zacharias modeſtiæ & obedientiæ exemplum. Eſt hoc magnum modeſtiæ ſimul & obedientiæ ſeu pietatis veræ argumentum. Alius enim viſionis & promißionis diuinæ excellentia elatus, mox ſeſe ad ſua proripuiſſet, & inani iactantia omnium aures impleuiſſet. Alius verò ſupplicio irritatus functionem ſuam deſeruiſſet, & hoc ſe non immerito facere putaſſet, quando linguæ vſus amiſſus erat, ſine quo multa ſacerdotalis functionis officia non poterant peragi. Ac nihil horum Zachariam mouit, vt ante tempus præfinitum à templo diſcederet, ſed maiorem ſui miniſterij rationem habuit, quàm priuati affectus. Iubebantur enim ſacerdotes in lege eo tempore, quo ſacris vacabant, mulierum conſuetudinem vitare, & ſimul à vino & ſicera abſtinere, nimirum, quòd temperantiæ & caſtitatis ſtudioſißimos eſſe oportet eos omnes, qui ſacra ſuo Deo probari cupiunt. At quia vix ſibi temperant, qui domi ſuæ intra priuatos parietes viuunt, non imprudenter inſtitutum fuit, vt ij ad quos ſacrorum adminiſtrandorum vices redierant, toto illo tempore apud templum reſiderent, in quem vſum cubicula quædam in templi lateribus ædificata fuiſſe legimus. Quòd autem ex antiquo ſacerdotij Leuitici more argumentum ſumunt aduerſarij noſtri, quo cœlibatum ſacrificulorum & monachorum tuentur, quos toto vitæ ſuæ tempore Deo

conſecratos, & in ſacris publicis quotidie verſari oporteat: nimis friuolum & ridiculum eſt. Quia enim in Chriſti morte ſacrificia Leuitica ceſſarunt, temerariè nimis ad Euangelij miniſterium extendunt, quod propter illa ſola fuit inſtitutum. Et Apoſtolorum exemplo conuincuntur, qui cùm euangelizandi cauſa orbem terrarum circuirent, vxores ſuas ſecum duxerunt, ſicuti Paulus in priori ad Corinthios teſtatur. Iniqui etiam nimis ſunt, quod hodie apud eccleſiarum & ſacrorum miniſtros perpetuò volunt obſeruari, quod olim ad aliquot modò dies obſeruabatur, neque humanæ infirmitatis rationem habent, quam in hac cauſa Chriſtus obſeruare iubet, quando donum hoc caſtitatis non omnibus dari ait. Mirum autem eſt, egregios illos Leuitici ſacerdotij obſeruatores pro ſolo cælibatu contendere, & non ſimiliter à vino abhorrere, cuius vſum priſcis ſacerdotibus lex prohibebat. Sed durum fortaßis hoc viſum fuit hominibus ventri guleq́ deditis, qui interim ſciebant non defore ipſis rationes, quibus cælibatus moleſtiam leuarent, & illius prætextu ad ſtupra & vagas libidines abuterentur. Cæterùm relictis impuris illis ſponſis Penelopes, in Zachariæ
1. *exemplo diſcamus primùm, officium ſedulò facere in ijs, ad quæ nos deſtinauit Dominus, neque vllas rationes quantumuis plauſibiles & ſplendidas admittere, quæ nos à functione commiſſa reuo-*
2. *care videntur. Deinde temporis rationem certam habeamus, vt omnia ſuo tempore fiant. Eſt hæc*
Eccle. 3. *non poſtrema ſapientiæ pars, & quia (vt Solomon olim docebat) omnia ſuum tempus habent, nunquam res ſuas feliciter agent, qui temporum occaſiones negligunt. Debet hoc ad pœnitentiæ quoque doctrinam referri, vt obſeruemus diligenter, quibus ſignis iram ſuam nobis denunciet Deus, noſque ad reſipiſcendum excitet. Quàm enim diſpliceant Domino, qui nihil huius animaduertunt, ipſius querela apud Ieremiam teſtatur, qua Iſraelitarum incurabilem ſocordiam accuſans inter alia dicit:*
Ierem. 8. *Equidem ciconia in aere nouit ſua ſtata tempora: turtur, grus & hirundo obſeruant tempus profectionis ſuæ: at populus meus non agnoſcit iudicium Domini. Atq; vtinam non hodie etiam de noſtri ſeculi moribus idem dici poſſet. Vulgò enim hoc vitium obtinuit, vt in ſecundis quidem inſolenter efferamur, & proterui nimis admonitiones omnes contemnamus, ſicuti illos facturos Dominus prædixit, quos in nouißimis temporibus eorum ſimiles fore ait, qui Noæ atq; Lothi temporibus vixerunt. Quòd ſi verò res aduerſæ incidunt, iam aut prorſus deſperamus, aut pœnitentiam agimus hypocriticam & momentaneam, quæ vt in externis laruis conſiſtit, ita ad primam peccandi occaſionem iterum euaneſcit. Sed quia hæc alterius loci ſunt, plura non addemus.*

Elizabeta concipit. *Tranſeamus ergo ad alterum huius loci caput, quo narratur, vt non minus rata quoque fuerit promißio Dei, qui Ioannem ex Elizabeta naſciturum eſſe pollicitus fuerat. Nam ſic ſcribit Lucas: Poſt illos autem dies (Zacharia nimirum domum reuerſo) concepit Elizabet vxor eius, & occultauit ſe menſibus quinque, &c. Ergo (vt alibi diximus) hominum incredulitas Dei fidem non reddit irritam: Imò verax manet Deus, etiamſi omnes homines vani & mendaces fuerint. At ſi propter incredulitatem noſtram Deus promiſſa ſua non reuocat, multò minus fidei infirmitas obſtabit, quò minus illorum fructum percipiamus. Debet ergo hinc communis conſolatio peti, ne propter fidei noſtræ imperfectionem deſperemus, ſed in Chriſti bonitate ſpem firmam habeamus collo-*
Iſa. 42. *catam, qui (vt propheta ait) linum fumigans non extinguit, & calamum quaſſatum non omnino comminuit. Soletur hoc ipſum nos aduerſus aliorum quoque incredulitatem & contumaciam, ne hanc nobis fraudi fore timeamus. Quia enim iuſtus ſua fide viuit, nunquam illi exitialis aut noxia erit aliorum incredulitas. Et poteſt Deus contumaces & rebelles ita punire, vt interim ſuorum rationem habeat, & pauculos licet in medio nationis prauæ conſeruet. Ita ſolum Noa olim cum ſua familia Deus ſeruauit, cùm totus mundus diluuij aquis perdi meruiſſet: & ex Sodomis ereptus eſt Lothus, cùm & regio circumiacens & vicinæ vrbes omnes cæleſtibus flammis arderent. Similiter vniuerſalis Iſraelitarum rebellio non obfuit Ioſue & Chalebo, quò minus ipſi terram patribus promiſſam obtinerent. Et poſſent huius generis exempla innumera adduci, quorum omnium hic nobis vſus eſſe debet, vt diuinæ veritatis conſideratione in fide promißionum eius confirmemur, & in periculis vndique imminentibus ſpem in Deo noſtro habeamus inconcuſſam.*

Elizabeta occultat ſe quinq; menſibus. *Porrò memorabile imprimis eſt, quòd Elizabeta poſtquam concepit, ſe menſibus quinque occultauiſſe dicitur. Adducunt huius facti rationes alij alias, at mihi hoc pudoris coniugalis argumentum eſſe videtur, qui vt mulieres imprimis decet, ita in Elizabeta plus loci habere debuit, cùm iam*

prouecta

prouectæ ætatis eſſet. Nam etſi coniugalis thorus ab Apoſtolo impollutus dicatur, & rectè olim Paphnutius concubitum cum propria coniuge caſtitatem eſſe dixerit, conſtat tamen ſanctos in illo temporis & ætatis ſuæ rationem habere, ne intemperantiores videantur. Quod Saram quoque obſeruauiſſe conſtat, quando promiſsionem de filio ex ſe naſcendo cum riſu excipiens dicebat: Poſtquam conſenui, & herus meus vetulus eſt, nùm voluptati operam dabo? Et non dubium eſt, Elizabetam ingenuo pudore ſuffuſam fuiſſe, cùm ſe prægnantem ab omnibus obſeruari ſentiret: quando hoc ipſum iunioribus fœminis accidit, quæ honeſtatis ſunt amantiores. Credibile etiam eſt, Zachariam coniugi ſanctiſsimæ promiſsionem ab Angelo denuntiatam ſcripto indicauiſſe, & hanc eius conſideratione impulſam fuiſſe, vt publica viſinarum commercia vitaret, ſeque totam precibus & ardentiori ſtudio pietatis addiceret, quod omnino requiri intelligebat, cùm fatale illud tempus præ foribus eſſe ſentiret, quo exoptatus diu humani generis redemptor naſci debebat. Arguit exemplum hoc puellas & mulieres, quæ proſul abiecto omni pudore vagantur, & ad impudica deſideria ſpectatores alliciunt, dum libidinis ardorem veſtitu, dicterijs & geſtibus ſalaciſsimis produnt. Damnantur etiam hic coniuges impudici, quos eò vſque libido incendit, vt liberis tenellis & toti familiæ ſcandalum præbeant, & ſæpe intemperantiæ authores ſint illis, quos exempli ſui grauitate ad mores pudicos & honeſtos excitare debebant. Peccant hi in naturæ leges, quæ vt partes corporis inhoneſtiores tegere docet: ita inter animalia ijs, quæ generoſiora ſunt, pudorē indidit, vt generationi operam datura receſſum quærant. Elephantes certè in occulto coire ſcribunt, neq; prius ad agmen redire quàm viuo amne abluti fuerint. E contra prouerbio publico notari ſolet canum in publico & promiſcuè coeuntium impudentia: quorū non multùm abſimiles ſunt, qui ſanctū & caſtum per ſe coniugij vſum laſciuia & petulantia turpi impudenter prophanant. Quid verò de illis dicemus fratres, quos ſuæ libidinis adeò non pudet, vt ſtupris quoque & adulterijs glorientur, ex eorum commemoratione laudem & voluptatē quærant, adhæc (quod olim impuri poetæ ſolebant) ea carminibus publicis celebrent? Sunt hi omnes indigni Chriſtiano nomine. Nam Dei Lex eſt, ne ſit ſcortum in Iſrael. Deut. 23.
Et Paulus ſcortationem & quamuis aliam impuritatem inter Chriſtianos ne nominari quidem Epheſ. 5.
vult: & idem ex Chriſti decreto ſcortatores & adulteros à regni cœlorum communione excludit. Quis ergo Chriſtianos eſſe dixerit eos, qui in illis ſibi placent, quæ à Chriſti regno ſunt alieniſsima? Sed ô infelicitatem noſtri ſeculi, quando eò res redijt, vt qui ſummum in eccleſia & republica Chriſtiana gradum ſibi vendicant, ſcortationi patrocinentur, lupanaria publica foueant, & ipſi inter ſtupra & vagas libidines conſeneſcant. Eſt horum culpa grauior, quàm vt verbis explicari poſsit: pœnam verò eò grauiorem merentur, quòd peſsimi exempli authores ſunt, & multos alios trahunt in ſceleris ſocietatem.

Reſtat vt Elizabetæ verba quoque audiamus, quibus Dei beneficium celebrauit. Nempe ita (inquit) fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit, vt auferret probrum illud meum inter homines. Eſt hoc quoque animi pij & modeſti indicium, quòd neque inſolenter ſeſe iactat, neque amulis ſuis amarulenter inſultat, ſed ad Deum omne hoc referens, hunc omnis boni authorem agnoſcit. Vbi rurſus admonemur, liberos nobis à Deo dari, & proinde patienter ferendos eſſe labores, qui illis educandis & inſtituendis incumbunt. Curemus autem imprimis, vt ad Deum adducantur, & huic conſecrati ſint. Turpe enim & iniquum fuerit, noſtra negligentia eos à Deo alienari, quos ab illo accepimus. Qui verò ſteriles ſunt, ij ſe à Deo humiliari cogitent, & orbitatem patienter ferant, quæ etſi ſua incommoda habeat, viciſsim tamen multis moleſtijs & curis caret, quibus exercentur, qui liberos habent. Probrum verò, quod ex orbitate naſcitur, inter ſolos homines hæret (ſicuti Elizabetæ verba teſtantur) coram Deo autem nos nihilo inferiores reddit, neque animarum ſaluti incommodat. Diſcamus præterea ſecundùm ſanctiſsimæ huius mulieris exemplum, omnis boni authorem agnoſcere Deum. Qui id faciunt, ij donis omnibus dignè & rectè vtuntur, cùm ferè omnia propter abuſum exitio ſint ijs, qui quaſi nihil à Deo habeant, ſuæ induſtriæ omnia tranſcribunt. Imprimis autem celebremus Dei gratiam, qui infelix peccati & mortis æternæ probrum à nobis abſtulit, & gloriæ immortalis atque cœleſtis hæredes fecit per meritum filij ſui Ieſu Chriſti: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Elizabet Dei beneficium celebrat.

HOMILIA VII.

Menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in vrbem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſam viro, cui nomen erat Ioſeph, ex domo Dauidis, & nomen virginis erat Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue in gratiam recepta, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres.

Incarnationis Filij Dei hiſtoria cognitu neceſſaria.

INter Dei opera nullum præſtantius & admirabilius eſt, quàm quòd filium ſuum vnigenitum, ſibi coæternum & coeſſentialem, in mundum hunc miſit, vt verus homo factus, omnes huius vitæ labores atque moleſtias in terris ſubiret, & tandem peccata noſtra mortis ſuæ merito expiaret. Nam vt hoc omnem humani ingenij captum longè ſuperat: ita in eodem Deus omnem ſuam naturam & quæcunque de ipſo in ſcripturis prædicantur, abunde declarauit: iuſtitiam nimirum, qua peccatis hominum iraſcitur: bonitatem, qua noſtri miſeretur, vt nos ſaluos faciat: veritatem in promiſſis: ſapientiam in inuenienda ſalutis ratione: potentiam item inuictam, qua per infirmam carnem diabolum & regnum eius omne deuicit. Continetur præterea in hoc Dei facto vniuerſa humani generis redemptio atque ſalus, quam nuſpiam alibi inueniri apoſtoli omnes vnanimi conſenſu teſtantur. Quapropter communis noſter hoſtis Satan omnibus ſeculis in hoc fuit, vt aut Ieſu Chriſti hiſtoriam totam negaret, aut quæ ad eius incarnationẽ faciunt falſis opinionibus aut diſputationibus ſpinoſis in dubium vocaret. Olim enim hæreſes excitauit per homines contentioſos & rixatores, quorum alij æternam Ieſu Chriſti Deitatem oppugnauerunt, alij eiuſdem naturam humanam vellicarunt, & portenta quædam abſurdiſſimarum opinionum commenti ſunt, quibus Chriſtianam religionem toti tantum non mundo ſuſpectam & inuiſam fecerunt. Hodie verò non ſolùm veteres hæreſes inſtaurare ſatagit, ſed inter eos, qui de filij Dei diuinitate & incarnationis myſterio non malè ſentiunt, pleroſque virium humanarum & propriæ iuſtitiæ fiducia ita decepit, vt Ieſu Chriſti meritum omnino euacuent, & illum ſibi ipſis inutilem reddant, dum in ſuorum operum meritis ſalutis ſpem collocant, quæ in eius ſolius merito collocata eſſe debebat. Nihil ergo nobis tam vtile tamque neceſſarium eſt, quàm probè tenere filij Dei propter nos incarnati hiſtoriam, vt & in fide confirmemur, & aduerſus errores atque impias hæreticorum opiniones inſtructi ſimus. Eſt in illius deſcriptione Lucas præ alijs Euangeliſtis diligentiſſimus. Poſtquam enim de Ioannis conceptione egit, nunc ſimiliter à filij Dei in carne manifeſtandi conceptione exorſus, hanc ita proponit, vt euidenter doceat, quid de eius cùm perſona ſiue eſſentia tum merito ſentire debeamus.

Tempus incarnationis Chriſti.

Rurſus autem à circunſtantijs narrandi initium facit, vt oſtendat non de alio hîc agi, quàm qui olim promiſſus ſit, & quem in carnem venturum eſſe olim prophetæ prædixerint. Et primò quidem tempus notat menſem nimirum ſextum à Ioannis conceptione. Tot igitur menſibus hic Chriſtum anteceſſit. Ac hîc repetere oportet, quod initio huius libri de regno Herodis & tempore illo fatali dictum eſt, quando Iudæorum gente à Romanis deuicta & exteri regis tyrannide oppreſſa, promiſſus ille humanæ ſalutis author expectabatur ſecundum Iacobi patriarchæ & aliorum prophetarum vaticinia.

Author, Deus.

Deinde author totius negotij indicatur Deus, qui Angelum Gabrielem miſit, ne quid humano conſilio geſtum eſſe, vel alicuius viri operam huic conceptioni inſeruiuiſſe putemus. Rurſus autem Gabrielis nomen exprimitur, quo Dei potentiam aut robur denotari nuper diximus, vt huius conſideratione fidem ſuam confirment, quibus impoſſibile videtur, filium Dei à virgine concipi & illæſa eius virginitate ex illa hominem naſci potuiſſe.

Locus, Nazareth.

Adhæc locus conceptionis nominatur, Nazareth, vbi poſtea educatum quoque fuiſſe conſtat: quod maioris myſterij ergò factum eſſe Matthæus teſtatur, vt nimirum omnes intelligerent, Chriſtum verum illum Nazaræum eſſe, quem veteres illi deſignarint, & cuius typus olim in Samſone, populi veteris vindice, præceſſerat.

Mater, Maria virgo.

Iſa. 7.

Poſtremò matrem Chriſti oſtendit Euangeliſta, Mariam virginem: ita nimirum innuens, non aliam hanc fuiſſe, quàm de qua olim Iſaias dixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Cui vaticinio etiam promiſſio

primis parentibus facta conſentit, in qua ſemen mulieris dicitur Chriſtus, vt qui ex ſola muliere
abſq; viri congreſſu naſci debuit. Ita verò facto opus erat, ne ſecundùm naturæ leges conceptus &
natus naturæ noſtræ vitioſitatem in ſe reciperet, & natales haberet peccati labe pollutos vt reliqui
homines, quos omnes in peccato concipi & naſci ſacræ literæ teſtantur. Chriſtus itaque ex virgine
natus eſt, vt noſtros natales ſuo merito ſanctificaret, & innatæ nobis vitioſitati mederetur. Quod
vtinam hodie diligentius obſeruarent aduerſarij noſtri, qui de virginitate quidem Mariæ multùm
contendunt (quaſi verò hanc aliquis noſtrûm neget) interim verò eius cauſam & vſum prorſus
negligunt, imò hoc ipſum non obſcurè negant, cuius cauſa ipſam virginem eſſe oportuit. Cæterùm
virginis Mariæ conditionem quoque exprimit Lucas, quando deſponſam fuiſſe ait viro, Ioſephe Maria deſponſa viro.
nimirum, qui ex Dauidis domo ſeu poſteritate originem ducebat. Deſponſam verò fuiſſe dicit, non-
dum ad virum adductam, ne virginitas in ſuſpicionem veniret. Ideo Matthæus ſcribit, illam præ-
gnantem deprehenſam fuiſſe, priuſquam Ioſephus illam ad ſe duxiſſet. Solebant enim Hebræi fi- Deut. 22.
lias maritis promiſſas aliquo tempore domi ſuæ detinere, & virginitatis ſigna aſſeruare, quæ pro-
ferre poſſent, ſi poſtea à marito violati pudoris accuſarentur. Nominatur autem Ioſephi familia, Domus Dauid.
vt inde conſtet, Mariam quoque eiuſdem familiæ fuiſſe. Extat enim Lex, qua prohibetur ne fa-
miliæ & tribus miſceantur, & ne hæreditatum confuſio fiat. Quam legem etſi illo tempore non ab
omnibus obſeruatam fuiſſe nuper diximus, non tamen veriſimile eſt, Ioſephum & Mariam in
hanc voluiſſe peccare, cùm à iuſtitia & pietate præ alijs commendentur. Scio nonnullis argumen-
tum hoc infirmum, imò ridiculum videri: ſed illi dum in illo confutando ingenij acumen & erudi-
tionem exquiſitam oſtentant, ſibi plus iactantiæ & ambitionis quàm pietatis ineſſe probant, dum
in dubium vocant id, quod ad confirmandam fidem in Chriſtum facit, neque interim firmiora argu-
menta proferunt, quibus demonſtretur, Chriſtum quoad carnem ex Dauidis familia diſcendiſſe.
Quòd ſi quæras, cur id non clarius expreſſerint Euangeliſtæ, reſpondeo, illis ſatis fuiſſe in re omni-
bus nota eam generis aut familiæ notationem ponere, quæ tunc apud omnes recepta & in vulgari
vſu erat. Quod autem ſcioli illi de Elizabeta obijciunt, quæ Mariæ cognata dicitur, ſuo loco di-
luetur. Nunc ſufficiat, in Chriſti natalibus omnia conuenire cum promiſſionibus & prophetijs, &
proinde illum eſſe promiſſum illum humani generis redemptorem. Priuſquam tamen ab hoc loco di-
ſcedamus, duo nobis conſideranda veniunt.

Primum eſt, quòd nihil hic refertur, quod non cum extremo contemptu & miſeria coniunctum Circumſtantiæ
ſit. Tempus enim hoc toti Iudæorum genti afflictiſſimum fuit, ſicuti initio huius libri diximus, & totius hiſtoriæ
vt infra euidentius patebit, vbi Chriſti natiuitas deſcribitur. Locus verò non obſcurus modò & contemptiſ.
ignobilis fuit, verumetiam infamis, nimirum propter incolarum mores parum probatos. Patet hoc Ioan. 1.
apud Ioannem Euangeliſtam ex Nathanaelis verbis, qui Philippo dicenti, Inuenimus illum, de
quo ſcripſit Moſes in Lege & Prophetæ, nempe Ieſum, filium Ioſephi, illum Nazarenum: reſpon-
dit: A Nazareth ne poteſt aliquid boni eſſe? Quòd ſi Virginem matrem inſpicias, pauperculam
& viro pauperi, qui opere manuario victum quærebat deſponſam fuiſſe videbis. Et quod miſerri-
mum cenſeri poteſt, ne pauperibus quidem ſatis tutò viuere licebat. Conſtat enim Dauidis fami-
liam Herodi Regi inuiſam & ſuſpectam fuiſſe, eò quòd ex ea Regem naſciturum audiuiſſet, qui
populum priſtinæ libertati vindicaret. At tales voluit Deus eſſe natales filij ſui in carne manife-
ſtandi, vt credentes per ſtultitiam prædicationis, id eſt, per eorum prædicationem, quæ mundo ſtul- 1. Cor. 1.
ta & nullius pretij videntur, ſalui fierent: vtq; ſimul conſtaret, regnum Chriſti & vniuerſam ſa-
lutis noſtræ rationem non conſtare rebus, quæ in mundo hic eximiæ ſunt, & externo ſplendore ven-
ditantur. Eſt hoc multa conſideratione digniſſimum. Primò enim admonet, de religione & ſa-
lutis æternæ negotio non ex hominum ſenſu iudicandum eſſe, qui multitudinis & mundanæ poteſta-
tis authoritate ducuntur. Quia enim regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, nihil etiam nobis ad fi-
dei veritatem & ſalutis certitudinem hic mundus conferet: ſed æternum Dei decretum nobis ſpe-
ctandum eſt, quod ille nobis per ſcripturas propheticas & apoſtolicas in filio ſuo reuelauit. Deinde
docemur, poſito huius mundi faſtu humilitati ſtudere. Nec enim ſtulti modò, verumetiam iniqui &
præpoſterè ambitioſi ſunt, qui gloriam in illis rebus quærunt, quibus filium Dei, qui Rex gloriæ

apud Prophetas dicitur, caruiſſe ſciunt. Studeant potius ſinguli bene vti bonis præſentibus, & propria virtute patriam ſuam & familiam illuſtrare, quàm alienis plumis ſeſe veſtire, dum ex his nobilitatem & nominis ſplendorem venantur. Facit præterea hoc ad conſolationem afflictorum, ne ſe à Deo negligi putent. Nam vt Chriſtus nihilominus fuit dilectus ille Dei filius, etiamſi tota eius vita in terris plena miſeriarum & malorum fuerit: ita non obſtabunt huius ſeculi calamitates, quò minus nos quoque pro ſuis agnoſcat Deus, modò filio ſuo per fidem inſiti fuerimus. Eſt enim hoc Dei proprium, quòd afflictos & miſeros maximè reſpicit. Ideo in Lege & Prophetis viduas, orphanos & peregrinos diligentiſſimè nobis commendat, & ſe illorum patrem eſſe profitetur. Et exempla docent, paucis impunè ceſſiſſe, qui miſeros vel inhumaniter neglexerunt, vel illos maioribus malis inſuper aggrauarunt. Itaque vehementer errant, qui ex huius ſeculi conditione de Dei fauore iudicant. Sunt hi mortalium miſerrimi, eò quòd tunc à Deo, ceu ipſis inimico refugiunt, quando ad eius opem imprimis recurrere oportebat. Et iidem de religione & æternæ ſalutis ratione nihil certum ſtatuere poſſunt, cùm omnia in hoc ſeculo incerta & fluxa ſint.

Coniugij dignitas.

Alterum non minus dignum conſideratu occurrit, quòd etſi Dei Filium ex virgine hominem naſci oportuerit, ex ea tamen voluit naſci, quæ viro iam promiſſa, & proinde coniugij legibus alligata erat. Fecit hoc quidem ad defendendam virginis famam inter homines, & ad teſtimonium virginitatis, quod Ioſephus ex Angeli oraculo certiſſimum reddere potuit: At ſimul exemplum hoc matrimonij dignitatem vehementer commendat. Inſtituit illud Deus (quemadmodum nuper quoque diximus) in paradiſo, priuſquam parentes noſtri in peccatum prolapſi eſſent. Deinde Legem hanc omnium gentium animis inſcripſit, vt coniugium in honore haberent, & eius violatores quouis ſupplicio dignos iudicarint. At quaſi parum hoc eſſet, illud ipſum æterni filij Dei incarnatione ſanctificari oportuit, quò melius conſtaret, illud reuera ſacroſanctum & ab omni labe ſceleris alieniſſimum eſſe. Nemo igitur inter veri Dei cultores vnquam inuentus eſt, qui non maximi fecerit coniugium: hæreticis verò pleriſque hoc commune fuit, quòd vel impia audacia illius vſum omnem damnauerint; vel ſub huius prætextu in fœdiſſimas libidines effuſi ſunt (ſicuti de Nicolaitis & Gnoſticis tradunt ſcriptores eccleſiaſtici) vel ſaltem abſque religione in illo verſati ſunt. De Antichriſto autem non obſcura vaticinia extant, quæ illum prophanatorem coniugalis fœderis fore teſtantur: qua de re cùm alibi ſit dictum, eadem nunc repetere ſuperuacaneum eſt. Diſcant nunc qui Chriſtianum nomen profitentur, non minimam pietatis partem in religioſa fidei coniugalis obſeruatione conſiſtere, neq; dignos eſſe nomine Chriſtiano eos, qui illam impudenter violant, aut eum ſtatum prophanare audent, quem Dei filius ſalutifera ſua incarnatione ornare & ſanctificare dignatus eſt.

Gabriel ad Mariam ingreditur.

Quia verò Angelum Gabrielem ad Mariam à Deo miſſum dixerat Lucas, nunc vt idem ſua legatione functus ſit narrat. Quo loco primum occurrit, quòd ad illam ingreſſus dicitur, in eius nimirum domum aut eam domus partem, quam frequentius incolebat. Ergo non foris vagantem, aut hinc inde diſcurrentem inuenit, quod laſciuæ & petulantes puellæ & mulieres facere ſolent: quæ etſi quod foris agant nihil ſit, ad quæuis tamen ſpectanda prodeunt in publicum, & vt poeta dicebat, ſpectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ. Eſt ergo hoc in Maria caſtæ pudicitiæ argumentum, qua virgines cumprimis ornatas eſſe conuenit, vt in ſequenti ſermone pluribus dicetur.

Salutatio Angelica.

Superſtitioſus Mariæ cultus.

Nunc ſalutationem audiamus, qua illam Angelus compellauit, in cuius conſideratione nos eò diligentius verſari oportet, quòd eius occaſione omnis generis ſuperſtitiones circa Diuæ Virginis cultum obortas eſſe conſtat, quibus hodie multi ita detinentur, vt vix vllas rationes admittant, quibus illos ad puriorem viuis veri Dei cultum reuocare ſtudemus. Olim quidem in Arabia Collyridianos fuiſſe legimus, quos orthodoxi patres hæreſeos crimine notarunt, quòd ipſorum fœminæ in honorem Mariæ ſacra facerent, & huic collyridem (quæ placentæ ſpecies eſt) offerrent. Neq; in illis hoc ſolùm repræhenderunt, quòd fœminæ ſacrificandi munus vſurparent, et gentilitio more placentam immolarent, ſed ipſam adorationem et inuocationem Diuæ Virginis damnauerunt.

uerunt. Teſtem habemus eius rei Epiphanium, qui vt Antidicomarianitas, qui perpetuã Mariæ virginitatem negabant, grauiter confutauit: ita iſtorum quoque ſuperſtitionem non minori ſtudio oppugnans, inter cætera ſic ſcribit: Reuera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera virgo erat ipſa virgo, & honorata; ſed non ad adorationem nobis data, ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa quo ad carnem genitus eſt, de cœlis verò ex ſinibus paternis acceſſit. Et paulò pòſt: Quis prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem eſt vas, ſed mulier, & nihil à natura immutata: verùm & intellectu & ſenſu in honore honorata, veluti corpora ſanctorum, & ſi quid amplius ad glorificationem dixerim; ſicut Helias ex matre virgo, & ſic manens in perpetuum, & tranſlatus, & mortem non conſpicatus: ſicut Ioannes, qui ſuper pectus Domini recubuit, quem diligebat Ieſus: ſicut Thecla ſancta. Et Maria adhuc honoratior hac eſt propter diſpenſationem myſterij, qua digna facta eſt. Sed neque Helias adorandus eſt, etiamſi in viuis ſit: neque Ioannes adorandus, quanquam per preces ſuas proprias dormitionem ſuam admirandam effecerit, imò potius ex Deo gratiam acceperit. Sed neque Thecla, neque quiſquam ſanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea quæ ab ipſo facta ſunt. Et rurſum: Sit in honore Maria: Pater & Filius & Spiritus ſanctus adoretur; Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imò neque virum: Deo debetur hoc myſterium. Et aduerſus Antidicomarianitas in genere de ſanctorum cultu pronuntians idem pater ait: Non conuenit colere ſanctos vltra decorum, ſed honorare ipſorum Dominum. Et hæc quidem omnia ex Epiphanij ſcriptis recitare libuit, vt eorum calum[...]s reſpondeamus, qui nos noui dogmatis authores & in Diuam virginem & reliquos ſanctos contumelioſos eſſe aiunt, quòd illos diuino cultu & adoratione colendos eſſe negamus. Cur autem in illos iniurij dicimur, cùm relucentem in illis Dei gratiam agnoſcamus & gratis animis prædicemus? Cur nouitatis accuſamur, qui idem cum veteri eccleſia ſentimus, cuius ſententiam Epiphar[...]us tam diſertè expoſuit, neque ab aliquo vnquam eſt reprehenſus? Sed facile eſt crimen hoc in aduerſarios noſtros retorquere, qui circa eum Mariæ cultum occupantur, quem multis ſeculis demum poſtea inſtitutum, & nouis ſubinde ſuperſtitionibus auctum eſſe conſtat. Nam vt à feſtis exordiamur, inter illa antiquiſſimum habetur, quod Purificationis dicunt. At hoc à Iuſtiniano Imperatore in Chriſti honorem inſtitutum & feſtum τῆς ὑπαπαντῆς, id eſt, exceptionis Chriſti, nimirum per Simeonem in templo factæ, dictum fuiſſe Nicephorus tradit. Poſteris demum temporibus mutatum, nomen quoque nouum accepit, vt Mariæ feſtum eſſet, quod prius Chriſti fuerat. Feſta verò Aſſumptionis & Natiuitatis Mariæ circa annum Domini 1273. in Lugdunenſi Concilio inſtituta fuiſſe, ex libro Decretorum apparet. Viſitationis Mariæ feſtum Vrbanus Papa Sextus indixit ſub annum Domini 1380: quo tempore machinas bellicas quoque, quas à ſono tonitruum fragorem imitante bombardas dicunt, Monachus quidam adinuenit cum incredibili totius generis humani pernitie. Annuntiationis autem feſtum ſub Ludouico Pio celebrandum ſtatuerunt in Synodo, quæ Aquiſgrani coijt, circa annum à nato Chriſto 819. Quod autem in Conceptionis Mariæ memoriam celebratur, in Concilio demum Baſilienſi initium habuit, anno Chriſti 1439. Et his omnibus poſtremum tandem acceſſit feſtum Præſentationis Mariæ anno Domini 1484. Sunt ergo hæc omnia noua hominum ſuperſtitioſorum inuenta, quibus veterem eccleſiam prorſus caruiſſe certò conſtat ex D. Auguſtini ad Ianuarium epiſtola, qui eccleſiæ annuas ferias enumerans, Chriſti quidem paucas admodum, Mariæ autem nullas omnino recenſet. Quod ipſum de precibus quoque & inuocatione illius dici poteſt. Nam vt horæ (quas vocant Canonicas) illi quotidie dicerentur, Vrbani Secundi decretum eſt, qui Gregorij Septimi, hominis ſceleſtiſſimi & totius orbis turbatoris diſcipulus, adhæc belli ſacri author fuit, quo nullum vnquam crudelius & diuturnius geſtum eſt. Incidunt eius tempora in annum Domini 1090. Adiecit horis iſtis poſtea circa annum 1240 canticum illud ſuperſtitioſiſſimum, quod Salue Regina vocant, Gregorius nonus, ipſe quoque notus in hiſtoria ex virtutibus pontificijs, perfidia nimirum in Imperatores & bellis cruentis, quorum faces accendit. Secutus eſt ſub annum Chriſti 1320 Ioannes XXII qui ſtatuit, vt ſub veſperam campanæ pulſentur, & tunc quiſque ſalutationis angelicæ verba ter reci-

De conſecrat: diſt. 3. cap. pronuntiandum.

tet in Mariæ virginis honorem. At Ioannes ille Papa is eſt, qui fortiſſimum & piiſſimum Imperatorem Ludouicum IIII, primum Heluetica libertatis confirmatorem, anathemate ferijt, & poſt multa in totum genus humanum deſignata facinora hæreſim quoque ſparſit, animas non videre Deum ante diem nouiſſimum. Errorum autem & ſuperſtitionum iſtarum omnium mihi præcipua cauſa fuiſſe videtur, quòd ſalutatio Angelica à nonnullis precationis loco habita fuit, qui errorem hunc ipſius Angeli exemplo defendi putauerunt, & in illo poſtea confirmati ſunt, cum Romani Pontifices ſuperſtitionem iſtam proprijs nolarum ſacrarum pulſibus & indulgentijs conſecrarent. Auxerunt interea ſuperſtitionem Monachi, qui Roſaria (vt illorum verbo vtar) commenti ſunt, & eò rem adduxerunt, vt ſalutationis iſtius maior & frequentior quàm Orationis dominicæ vſus fuerit, imò hæc inter Chriſtiani nominis profeſſores præ illa quaſi vilueris & neglecta ſit.

Salutatio Angelica non eſt precatio.

Sed facile eſt errorem illum argumentis ſolidiſſimis refellere. Si enim oratio colloquium eſt cum Deo, quo vel petimus quæ nobis neceſſaria & vtilia eſſe putamus, vel pro acceptis beneficijs gratias agimus: nimiùm inepti & ſacrarum rerum imperiti ſunt, qui orationis loco vtuntur his verbis, quibus neque Deus compellatur (qui vnus & ſolus inuocari debet) neque aliquid petitur, & quæ gratiarum quoque actionem nullam continent. Deinde ijdem Angelum neglecti cultus diuini inſimulant. Si enim orationem hæc illius verba continent, Mariam adorauerit oportet. At hoc ab Angelorum officio alieniſſimum eſt, qui vt ipſi à nemine mortalium adorari volunt (ſicuti ex Apocalypſeos vigeſimoſecundo capite apparet) ita neminem illi quoque præter vnum Deum adorant. Neque hic illorum obiectionem magni facimus, qui dicunt: Fatemur equidem, precationem his verbis nullam contineri, neque ijs aliquem precationis loco debere vti: at quis prohibebit, quò minus iiſdem verbis Diuam virginem ſalutem, quibus eam Angelus ſalutauit? Num quod huic licuit, mihi nefas eſſe putabitur? At his reſpondemus, non omnia in exemplum trahi debere, quæ ab Angelis aut Sanctis Dei cultoribus olim facta ſcribuntur. Salutauit Gedeonem quoque Angelus, dicens: Sit Dominus tecum vir fortiſſime. Quis verò piorum veteris Teſtamenti Gedeonem, iam vita defunctum, ſimili ſalutatione dignatus eſt? aut quis eundem in periculis bellicis ideo ſalutandum putauit, vt victoria facilius potiretur? Qui ergo Mariam hodie ſalutare ſolent, ij primò officium alienum inuadunt, dum quod Angelo ſoli in mandatis datum fuit, ad ſe transferunt. Deinde nimiùm ridiculos ſeſe præbent dum abſentem compellant, & illi verba faciunt, quæ neque noſtrorum negotiorum curis iam occupatur, neque reſponſa dat vlla, quibus conſtet, nos ab illa exaudiri. Itaque relictis hominum ſuperſtitioſorum ineptijs, preces vni Deo offeramus, & à Chriſto nobis traditam precandi formulam conſtanter teneamus: ſalutationis autem Angelicæ hic nobis præcipuus vſus ſit, vt de incarnatione filij Dei certiores facti, ſalutis ſpem omnem in illo ſolo habeamus collocatam, neque priuata temeritate honorem, qui illi debetur, in aliquam ex creaturis transferamus, cùm illius vox ſit: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Docet deinde Angeli ſalutatio, quid de Maria iudicari, quidue in illa prædicari debeat. Quæ omnia, vt rectius intelligantur, ſingula verba inſpexiſſe proderit.

Aue vel χαῖρε.

Occurrit hîc primùm vox, Aue, quæ in Græco χαῖρε habetur. Significat autem χαίρειν idem quod gaudere, quod ipſum per Auere etiam interdum exprimitur, eò quòd quæ magno deſiderio auemus, id eſt, cupimus, eadem nobis gaudium & oblectationem maximam pariunt. Vulgo autem obtinuit ex vetuſto more, vt inter ſalutandum hoc verbo vtamur, quia tunc amicis omnia precamur læta & fauſta. Reſpondet ergo formula hæc Hebræorũ ſalutationi, qui pacem optant, ſub qua omnem hominis ſalutem comprehendunt. Voluit autem iſto verbo vti Angelus, vt Mariam ſubito ipſius ingreſſu & aſpectu territam ſiue turbatam, conſolaretur, ne quid illa triſte vel inauſpicatum animo conciperet. Commendatur autem nobis Angelorum exemplis publicus ſalutandi mos, qui vt ad conciliandam animorum beneuolentiam multùm confert: ita ſine manifeſta inhumanitatis ſpecie negligi non poteſt.

κεχαριτωμένη.

Deinde titulo proprio illam Angelus dignatur, & vocat κεχαριτωμένην quod vetus interpres tranſtulit, Gratia plena: vnde erroris occaſio enata videtur apud linguarum imperitos, qui eam

eam ſic dictam putarunt, quaſi fontem gratiæ, ex quo hanc in nos redundare oporteat. At pugnat hic ſenſus cum fide vera, & Chriſti merito detrahit, qui ſolus eſt fons ille diuinæ bonitatis atque ſalutis, de cuius plenitudine (vt Ioannes ait) omnes accepimus gratiam pro gratia, id eſt, abundantiſſimam gratiam & nouis quotidie augmẽtis redundantem. Et ſi Græci vocabuli etymon ſpectes, eam ſignificat, quam Deus ſua gratia, id eſt, gratuito fauore ſit complexus. Ideo Paulus eodem verbo vtitur, quando de omnibus credentibus loquens; Deum illos in Chriſto in gratiam recepiſſe ait. Et Angelus hoc ipſum paulò poſt exponens, ait: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum. Quòd ſi verò Mariam gratuito fauore proſecutus eſt Deus, perperam faciunt, qui in hac colenda aut inuocanda occupantur, & non potius ad fontem gratiæ contendunt, quem in eius filio Ieſu Chriſto nobis pater aperuit. Ioan. 1. Epheſ. 1.

Porrò facit ad prioris expoſitionem quod ſequitur: Dominus tecum. Solet enim Deus perpetuò illis adeſſe, quos ſemel in gratiam recepit, vt opus ſuum in illis perficiat, & ne ipſi carnis infirmitate ſuperati ſub onere ſibi impoſito ſuccumbant. Exemplum eius in Virgine Maria euidens habemus, quæ etſi poſtea curis & laboribus aſſiduis fatigata ſit, & poſtremò indigniſſimæ mortis filij ſui ſpectatrix fuerit, ea tamen fidei conſtantia in hiſce certaminibus perſeuerauit, vt de præſenti Dei auxilio nemo dubitare poſſit. Debent verò hoc ad ſe transferre omnes, qui per fidem in Chriſtũ Deo reconciliati ſunt. Nam his quoq; præſens adeſt Deus, neq; patietur, vt à gratia ſua & ſalute excidant, quos filij ſui pretioſo ſanguine acquiſiuit. Dominus tecũ.

Addit Angelus: Benedicta tu inter mulieres. Benedictionis nomine Hebræi omnem felicitatem intelligunt, quæ ex Dei fauore ad nos redit. Sic Lex benedictos in exitu & ingreſſu ſuo, id eſt, felices in omnibus actionibus ſuis pronuntiat, qui Dei præcepta obſeruant. Itaque huius membri ſenſus eſt: Tu es feliciſſima illa & beatiſſima, quam Deus ex vniuerſo muliebri ſexu ſibi delegit, & de qua promiſſiones extant, quòd ipſius ſemen caput ſerpentis contriturum ſit. Tu (inquam) beata illa virgo es, de qua Iſaias olim vaticinatus eſt. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Immanuel. Quod ſi omnia, quæ verbis hiſce Angelus dixit, ſimul comprehendas, nihil habebis, cuius ergò Maria vel diuinis honoribus coli, vel in periculis inuocari debeat. Quare Dei gratiam potius agnoſcamus, quæ in tota huius myſterij diſpenſatione ſeſe exeruit, & ex eo conſolationem certamque ſalutis fiduciam concipiamus, quòd filium ſuum ex nobis hominem naſci & amiſſæ ſalutis inſtauratorem fieri voluit. Quoad Mariam verò, tribuamus huic honorem debitum, & eam agnoſcamus eſſe κεχαριτωμένην illam, quam ſingulari fauore Deus dignatus eſt, vt illæſo virginitatis flore filium ſuum ex ſpiritu ſancto conciperet & pareret: imitemur autem eius virtutes, humilitatem, patientiam, fortitudinem, obedientiam, & imprimis fidem, in qua conſtantiſſimè in finem vſque perſeuerauit. Ita fiet, vt ipſi quoque Deo grati ſimus, & felicitatem veram conſequamur in filio eius Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Benedicta tu inter mulieres. Deut. 28.

HOMILIA VIII.

Illa verò cùm vidiſſet, perturbata eſt ſuper eius ſermone, & cogitabat qualis eſſet ſalutatio iſta. Tunc dixit ei Angelus: Ne time Maria: inueniſti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, dabitq; ei Dominus Deus thronum Dauidis patris ipſius, regnabitq; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

QVoniam Deus in Ieſu Chriſto omnia ea complexus eſt, quæ ad humani generis redemptionem atque ſalutem faciunt, non tam vtile quàm neceſſarium fuit, vt de eius incarnatione nobis certò conſtaret, per quam ille nobis vnitus atque coniunctus eſt. Ideo in eius de-

ſcriptione nihil eorum Lucas omittit, quæ nos ad pleniorem Chriſti cognitionem poſſunt inducere. Hactenus enim circumſtantias expoſuit, quas cum veterum prophetarum oraculis per omnia conuenire vidimus. Subiecit his ſalutationem Angelicam, qua apud Mariam virginem vſus eſt, & quæ nos excitat, vt hîc magnum quid & nequaquam vulgare animo concipiamus. Sequitur nunc plenior omnium, quæ ad huius myſterij cognitionem pertinent, declaratio.

Maria ut Angeli uerbis affecta fuerit.

Prius tamen indicatur, vt Maria Angeli ſalutatione affecta fuerit. Illa (inquit) cùm vidiſſet, perturbata eſt ſuper eius ſermone, & cogitabat qualis eſſet ſalutatio iſta. Primò perturbatam fuiſſe ſcribit, nimirum partim ob repentinum & improuiſum Angeli ſub viri ſpecie ad ſe ingredientis aſpectum: partim ob ſalutationis inſolitæ verba magnifica, quæ nihil vulgare præ ſe ferebant. Deinde non temere & illico reſpondet, ſed penes ſe diligentius expendit rẽ, quid ſalutatio hæc ſibi velit, & quam reſponſionem mereatur. Debent enim Dei opera non oſcitanter conſiderari, neque in illis quicquam præcipitantius eſt pronuntiandum. Et credibile eſt eam fuiſſe Angeli ſpeciem, vt Maria in illo aliquid homine maius agnoſcere potuerit, & ideo non ſtupido pauore, ſed religioſo metu commota, animum totum ad ſanctas cogitationes conuerterit. Indicant autem hæc omnia Virginem pudicam & honeſtatis ſtudio dedicam. Quò illud etiam referri debet, quod nuper audiuimus, Angelum illam non foris diſcurrentem, aut in ſpectandis ludis occupatam, aut ipſam in vicis ludentem reperiſſe: ſed ad eam ingreſſum eſſe, cùm ſe domi contineret, & rebus ad ſuum of-

Virginũ & matronarũ officia.

ficium pertinentibus vacaret. Habent ergo hîc virgines & matronæ exemplum, quod imitentur, & in cuius conſideratione frequentes eſſe conuenit. Decet has imprimis, vt domi ſeſe contineant, quando illas publicis negocijs præeſſe non voluit Deus, ſed viris parêre iuſſit. Sunt quidem negotia ad rem domeſticam pertinentia, propter quæ illas interdum prodire opus eſt. Tunc verò decori ſui meminerint, ne ſub honeſto prætextu vel ocium quærant, vel vagabundæ diſcurrant, & rebus ſuperuacaneis aut etiam inhoneſtis ſeſe immiſceant. Quàm enim periculoſum ſit huic ſexui

Gen.34.

in publico verſari & curioſitati indulgere, Dinæ exemplo docemur: quæ etſi à pijs parentibus procul dubio honeſtè educata & inſtituta eſſet, pudicitiæ tamen iacturam fecit, cùm iuuenili cupiditate abrepta Sichemiticas puellas & regionis illius mores otioſa ſpectaret: ſimulq́ue fratribus ſuis horrendi ſceleris cauſam præbuit, qui ira & dolore accenſi religionis prætextu ad vindictam priuatam abuſi ſunt, & vrbis illius mares omnes crudeliter occiderunt. Et Bethſabæ hoc imprimis nocuiſſe ſcimus, quòd inter lauandum ſeſe Dauidi ſpectandam exhibuit. Extant huius generis exempla paſsim in prophanis hiſtorijs, quæ commemorare ſuperuacaneum foret, cùm quotidie fiant, quæ his poſſunt fidem facere. Rectè igitur olim Ægyptij Venerem teſtudini inſiſtentem pingebant, vt docerent matremfamiliâs imprimis decere, vt domus curam gerat, neque vnquam foras proſpiciat, niſi quando hoc monet neceſsitas, idq́ue tunc etiam ſic faciat, vt decori ſui non obliuiſcatur. Obſeruauit hoc diligentiſsimè Sara, quæ ne in hoſpitum quidem, qui ad maritum diuertebant, conſpectum temere prodire ſolita fuit, ſed circa rem domeſticam occupata ſuo loco ſe continuit, donec vocaretur. Et hoc eſt, quod de Maria Lucas quoque annotauit, illam Angeli conſpectu turbatam fuiſſe. Quod ipſum Chriſtianas virgines & matronas cumprimis decet. Quia enim Dei antiquiſsimum mandatum eſt, vt mulier virum, ceu caput & dominum ſuum ſuſpiciat, virorum reuerentia illas tangi, & ad illorum conſpectum ingenuo pudore affici conuenit. Nam ſcimus grauiter à Deo

Iſa.3.

per Iſaiam accuſari filias Zionis, quòd erecto collo incederent, fallaci oculorum nutu & inceſſu petulanti virorum oculos ad ſe allicerent, atque formam ſuam impudentius oſtentarent. Eſt hoc vitium nimis vulgare noſtro ſeculo, & huius culpa non minima ex parte in ipſis viris hæret, qui cùm capitis inſtar mulieribus præeſſe deberent, ferè omnis rationis ſimul & officij immemores omnia petulanter & inſolenter nimis faciunt. Præ alijs autem Maria grauitas laudem meretur, quæ priuſquam Angelo reſpondeat, rem ipſam penes ſe diligentius expendit. Eſt enim ſermo animi index, & quæ in reſpondendo præcipites ſunt, eo animum produnt leuem, & plerunque proprijs verbis irretiuntur, vt ea deſignent, de quibus antea vix cogitabant. Exemplum huius vitij in Eua cernimus, cui peccati & miſerabilis lapſus præcipua cauſa fuit imprudens & inconſideratum cum ſerpente colloquium, & quòd ad iſtius interrogata inconſultius reſpondet. Et hodie captioſis proco-

procorum & libidinoſorum iuuenum dictis multi capiuntur, quæ pudicitiæ ſuæ iacturam nunquam facerent, ſi linguam ſuam frænare didiciſſent. Meminerint ergo virgines neq; cum omnibus loquendum, neq; ad omnium quæſtiones aut obiectiones reſpondendum eſſe. At hodie ea in hoc ſexu paßim regnat morum corruptio, vt pleræq; non expectato virorum alloquio ipſæ priores procacibus dicterijs illos prouocent.

Angelus Mariã conſolatur.

Sed Angelum audiamus, qui trepidantem & perturbatam iterum alloquitur, & de ſingulis plenius inſtruit. Partes orationis tres ſunt. Prima conſolationem habet paucis verbis comprehenſam. Ne time (inquit) Maria. Et mox dicti huius rationem ſubijcit: Inueniſti enim gratiam apud Deum, id eſt: Es in gratia apud Deum, qui tui miſertus te benignè reſpicit, & fauore ſingulari proſequitur. Ita enim hac loquendi formula Hebræi vtuntur. Sic Noa gratiam apud Deum inueniſſe dicitur, cùm omnis caro corrupiſſet viam ſuam. Eſt autem multa obſeruatione digniſſimum, quòd omnem Mariæ dignitatem Angelus ad gratiam Dei refert, qui illam filij ſui in carne manifeſtandi matrem facere dignatus ſit. Etenim in nobis, adeoque tota humani generis maſſa, boni nihil eſt, ſed mera corruptio, quam in vniuerſam poſteritatem AdamE propagauit. Bonum verò omne ex patre luminum eſt, vt Iacobus ait. Ab hoc igitur petere conuenit ea, quæ nobis ad ſalutem neceſſaria ſunt: & ſimul cauendum eſt, ne donis acceptis efferamur, aut ea vt propria ſuperbè oſtentemus: ſed in hoc potius ſimus, vt ijſdem dignè vtamur ad promouendam Dei gloriam & multorum ædificationem. Imprimis autem ſua arrogantiæ ſuperbos ſuorum meritorum oſtentatores pudeat. Quid enim illi merebuntur apud Deum, quando Mariæ Virginis dignitas omnis ex gratuito Dei fauore manauit? Obſeruemus etiam, quòd non alio argumento illam conſolatur & metu omni liberat Angelus, quàm quod apud Deum ſit in gratia. Id enim iuſtiſſima de cauſa facit: quia Dei gratia ſola vero gaudio animos exhilarat, & rerum ſecuros reddit: cùm è contra, qui Deum ſibi iratum & infeſtum eſſe ſentiunt, perpetuis conſcientiæ terroribus excrucientur, & vita quoque illis acerba & amara ſit. Atqui gratiam ſuam nobis omnibus per Euangelium in Chriſto Ieſu offert, in quo nos gratiam pro gratia, id eſt, gratiam gratia accumulatam & effuſiſſimè redundantem Ioannes accepiſſe teſtatur: & huius arrhabonem habemus Spiritum ſanctum, qui & adoptionis ſpiritus dicitur, & in quo clamamus Abba pater. Quid ergo conſternamur, etiamſi vndique nos pericula circunſtent? Quid doloribus excruciati muliebriter eiulamus, aut de Dei rigore querimur? Quin cogitamus nobis quoque dici, Ne timeatis, inueniſtis enim gratiam apud Deum. Paulum certè de Satana ipſum infeſtante conquerentem non alio argumento conſolatus eſt Dominus, quam quòd illi dicebat: Sufficit tibi gratia mea. Et ſanè hæc ſola nobis ad omnia ſufficit, quia in egeſtate diuites & ſorte ſua contentos reddit, in infirmitate viribus inſtruit, in aduerſis exhilarat, oppreſſos erigit, afflictos iuuat, & iam iam ſuccumbentes ſub periculorum mole inuictos facit. Quid, quòd ipſæ afflictiones gratiæ & paterni fauoris argumentum ſunt? Nam patris inſtar quos diligit caſtigat Dominus, ne cùm mundo neſcio pœnitere condemnentur. Ideo Paulus credentes afflictionibus gloriari dicebat, vt qui in his patientiæ exercendæ occaſionem atque materiam inueniunt: & dum hanc exercent, nouam indies Dei bonitatem experiuntur, & in ſpe promiſſæ ſalutis confirmantur, quæ illos minimè fallit, cùm Dei dilectione nitatur, quam ille nobis in Chriſto plus quàm paternam exhibuit. Vnde apparet, eos neque fidei principia tenere, neque gratiam Dei primis labijs (vt aiunt) deguſtauiſſe, qui ad quemuis caſum attoniti ſtupent aut animo concidunt.

Gen. 6.

Iacob. 1.

Gratia Dei efficaciſſimum conſolationis argumentum.

Ioan. 1.

Filij Dei conceptionem denuntiat.

Secunda parte ſummam legationis Angelus exponit, dicens: Et ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Senſus eſt: Ideo te benedictam inter mulieres eſſe, & gratiam apud Deum inueniſſe dico, quia tu beata illa & prophetarum oraculis decantata virgo es, quam olim Iſaias concepturam & filium parituram prædixit, qui verus ſit Immanuel, cuius interceßione Deus nobis reconcilietur. Vtitur autem prophetarum verbis Angelus, vt plus fidei mereatur apud eam, quæ vaticinia illa non ignorabat, cùm in meditatione promiſſæ ſalutis aßiduè verſaretur. Arguunt autem eiuſmodi Angelorum ſermones eorum inſolentiam, qui nimiùm delicatuli ſcripturarum phraſes faſtidiunt, & ex prophanorum ſcriptorum chartis neſcio quid audire

& legere cupiunt, quod ipſorum palato arrideat. Sunt hi digni, qui pro Angelorum & diuini verbi vocibus porcorum grunnitum aut aſinorum altè rudentium clamores fatuos audiant, & magno ſuo malò poetarum impuriſſimorum & futilium philoſophorum nugacibus commentis immorientur, quibus adeò ſordet ſpiritus ſancti facundia. Confutantur hîc quoque, qui in ſalutis cauſa nouam & prius inauditam doctrinam requirunt, & doctores ſibi cælitus mitti vellent, quibus tutò credere liceat. Atqui cælitus aduenit Angelus Gabriel, & Mariæ vniuerſum incarnationis filij Dei myſterium expoſiturus, nihil nouum profert, ſed quæ olim à prophetis prædicta fuerunt repetit. Venit præterea è ſinu patris Filius ille vnigenitus, imò idem ex mortis rediuiuus ad ſuos rediјt, qui tamen etiam ipſe concionum ſuarum argumenta non aliunde quàm ex Moſis & prophetarum libris deſumit. Debent ergo hæc nobis quoq; ſufficere, noua autem & inaudita quærant quibus perire libet in humanorum figmentorum erroribus.

Dei Filium carnem ex uirginis ſubſtantia aſſumpſit.

Quia tamen hæc alterius loci ſunt, nunc quæ ad præſens inſtitutum faciunt in Angeli verbis conſiderabimus. Primùm, Ecce (inquit) concipies in vtero, & paries filium. In vtero concepturam ait, vt oſtendat Dei filium ex ipſa Virginis ſubſtantia carnem aſſumpturum eſſe. Nam etſi ex ſpiritu ſancto conceptus ſit, in vtero tamen fœtus ille ſanctiſſimus ſuis incrementis creuit & auctus eſt, vt & illa grauida eſſe agnoſceretur, & legitimo demum tempore pareret, ſicuti Euangeliſtæ alibi apertè docent. Apud Matthæum enim Angelus Ioſepho dicit: Quod in ea genitum eſt, ex

Galat. 4.

ſpiritu ſancto eſt. Et Paulus ad Galatas ſcribit: Poſtquam venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, &c. Et huc pertinent loci illi ſcripturæ, in quibus ſemen mulieris, germen Iſai, ſemen item Dauidis & filius hominis dicitur. Et talem quidem fieri oportebat Dei filium, vt & frater noſter eſſet, & ſuum meritum optimo vindicis iure nobis communicare poſſet: vt denique Sacerdotis veri inſtar à nobis acciperet, quod pro nobis Deo patri ſuo offerret. Procul ergo valeant Marcionitæ & Eutychiani cùm veteres tum recentes, qui Chriſti Ieſu incarnationem & carnis ab illo aſſumptæ naturam in dubium vocant: dum illam vel cæleſtem fingunt, vel corporis veri proprietatibus ſpoliant. Videntur illi hominibus imperitis de re nõ adeò magni momenti contendere: multi etiam omne hoc, quod de Chriſti corpore dicitur, incertũ eſſe arbitrantur. Sed ipſa redemptionis & ſalutis noſtræ ratio in diſputationem venit, quæ conſiſtere non poteſt, niſi Dei filium veram carnem aſſumpſiſſe, & hanc in cælos ſubuexiſſe nobis conſtet. Nam qui hoc negant, ij neq; in illius merito ſperare, neque ſibi quoad corpus olim in cælis locum fore credere poſſunt. Non temere ergo fieri putemus, quòd hoc ipſum Spiritus ſanctus in iſta tractatione ſubinde repetit, vt deinceps ſuo loco videbimus.

Ieſus nomen.

Deinde nomen quoque filij ex Maria naſcituri exprimit. Vocabis (inquit) nomen eius Ieſum. Ita verò Græci inflexerunt Hebræum nomen Iehoſchua, quod Seruatorem ſignificat. Rationem autem nominis huius idem Angelus Ioſepho apud Matthæum his verbis exponit: Ipſe enim ſeruabit populum ſuum ex peccatis ipſius. Eſt hoc nobis probè tenendũ, vt quid in illo quæri debeat intelligamus. Falluntur enim plurimi turpiter, dum ad Chriſtum quidem magno animo contendunt, nihil autem in eo ſublimius, nihil diuinum aut cæleſte ſperant: ſed eo prætextu vel opes ingentes, vel honores, vel etiam quiduis faciendi licentiam & impunè voluptuandi materiam ſe inuenturos eſſe arbitrantur. Offendunt hi poſtea ad crucem, quæ perpetua profeſſionis Chriſtianæ comes

Matth. 13.

eſt, & ex eorum numero ſunt, quos ipſe Dominus in ſementis parabola πρoσκαίρυς vocat, eò quòd ſubitò oſtentant, vt ſegetes in loco ſaxoſo enaſcentes, exorto autem perſecutionum æſtu mox flacceſcunt, vt fructus eorum in ipſa herba (vt prouerbio dicitur) pereat. Semper ergo animis noſtris obuerſetur, Chriſtum ſeruatorem quidem eſſe, ſed non talem, qui quoſuis ad ſe venientes ex egeſtate, morbis, infamia & alijs huius ſeculi aduerſis liberet (nam etſi ſuos interdum in hoc etiam ſeculo beatos & felices reddat, hoc tamen non omnibus contingit, neque perpetuum eſt) ſed qui populum ſuum, id eſt, omnes in ſe credentes ex peccatorum laqueis liberet, & in libertatem filiorum Dei aſſerat. Eſt hoc beneficium multò excellentius, quàm ſi huius ſeculi bonis nos totos obrueret. Ex illo etenim tota hominis totius felicitas dependet. Qui enim ex peccatis liberati ſunt, ij pœnam

Rom. 5.

quoque peccati effugerunt, & (vt Paulus ait) iuſtificati ex fide pacem habent erga Deum, & libero

ad thro-

ad thronum gratiæ acceſſu gaudent, atque olim regni cæleſtis hæreditatem obtinebunt. Sed & in aduerſis omnibus ſuperiores ſiunt Chriſto duce & protectore, qui oues ſuas ex manibus ſuis eripi non ſinit. Ad hunc ergo ſeruatorem contendant, qui & in hac vita ſibi bene eſſe, & immortalis atq; cæleſtis vitæ gaudijs potiri volunt.

At ne nomen hoc Mariæ filio temere impoſitum putemus, eundem diligentius deſcribit Angelus. Et primò quidem Magnum fore dixit, quo titulo aliquos ob victorias & res præclarè geſtas inter gentes quoque ſuperbiuiſſe, ſupra diximus. Et Ioannem quoque Magnum vocauit idem Angelus propter eximia ſpiritus dona, quibus illum Deus ornauit: Chriſto autem nomen hoc non propter aliena dona, ſed propriè & optimo iure debetur, ſiue ipſius diuinitatem ſiue humanitatem ſpectes. Quoad illam enim, cum vnum ſit cum patre, Deus nimirum verus & æternus, verè vtiq; magnus, adeòque cælis atque terris ſublimior eſt. Quoad verò humanam naturam, etſi in ea extremè humiliatus ſit, idem tamen in illa manifeſtatus eſt per ſigna & omnis generis opera, quæ illum Dei filium eſſe declarauerunt. Quibus adde, quòd eidem ſecundum humanam quoq; naturam omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra. Verè ergo magnus eſt, & (vt in epiſtola ad Hebræos ſcribitur) tanto præſtantior factus Angelis, quantò excellentius præ illis ſortitus eſt nomen. Nam cui dixit vnquam Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſus: Ego ero ei pater, & ipſe erit mihi filius: Item, Adorent ipſum omnes Angeli Dei. Fruſtra igitur nobis Diuorum & Angelorum excellentiam obijciunt, qui illos inuocant & ſuperſtitiosè colunt. Quia enim omnibus illis maior eſt Chriſtus Ieſus, eidem quoque cultus ille omnis debetur, ne illum in inferiori gradu collocemus, quando non alium illi honorem impendimus, quàm qui ipſi cum Diuis cælitibus & Angelis communis ſit.

Chriſti deſcriptio.

Magnus.

Hebr. 1.

Deinde, filius Altiſſimi vocabitur. Facit hoc ad prioris explicationem. Altiſſimus enim dicitur Deus, quia maieſtas eius (vt in Pſalmo canitur) cælis ſublimior eſt. Vocandi autem verbo non inanis titulus, ſed res ipſa denotatur. Quia enim Dei proprium eſt vocare ea quæ non ſunt vt ſint, minimè inanibus titulis ille ludit, ſed vt hi ipſis rebus aut perſonis reſpondeant, facit. Vocatur igitur Filius Altiſſimi Ieſus Chriſtus, partim quòd æterna & incomprahenſibili generatione ex Deo genitus, illi coæternus & coeſſentialis eſt, partim quòd in carne etiam aſſumpta (vt modò diximus) ſe Dei Filium eſſe operibus verè diuinis abundè demonſtrauit. Frequenter autem diuinitas Chriſti aſſeritur, & multa eius in ſcripturis teſtimonia paſſim occurrunt: quia niſi Deum eſſe agnoſcamus, nunquam in illo certam & ſolidam habere poſſumus noſtræ ſalutis fiduciam.

Filius Altiſſimi.

Pſal. 113.

Poſtremò ad regnum quoque Chriſti deſcendit Angelus, quo totum eius officium ſiue munus continetur, cui illum pater deſtinauit. Dabit ei Dominus Deus (inquit) thronum Dauidis patris ipſius, regnabitq; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Eſt hæc magnifica admodum promiſſio, cuius ſingula verba pondus habent. Nam primùm Dandi verbo regnum legitimum denotatur, in cuius poſſeſſionem non violenta aut iniuſta vſurpatione, ſed optimo iure venturus ſit. Et videtur Angelus ad Pſalmi ſecundi verba alludere, vbi ſic loquitur Deus: Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion montem meum ſanctum. Item: Poſtula à me, daboque gentes vt ſint hæreditas tua, & terminos terræ vt ſint poſſeſſio tua. Iſta verò regni huius ſtabilitatem indicant. Conſtat enim infirma & quaſi momentanea eſſe regna, quæ per vim, non legitima ſucceſſione obtinentur. Secundo regnum hoc quaſi definit, quando thronum Dauidis vocat, non aliud nimirum fore innuens, quàm quod Dauidi & ſemini eius olim promiſſum fuit. Extat promiſſio illa in primo Samuelis Cap. ſeptimo, vbi per Nathanum ſic ait Dominus Dauidi: Cùm exacti fuerint dies tui, dormierisque cum patribus tuis, excitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, regnumque eius firmabo. Is extruet domum nomini meo, & ego confirmabo ſolium regni eius perpetuo. Ego ero ei pater & ipſe erit mihi filius, &c. Quo loco, etſi quædam admiſceantur, quæ ad Solomonem & ex hoc progenitos Reges Iuda pertinent, præcipua tamen oraculi huius pars non de alio quàm Ieſu Chriſto exponi poteſt, cuius typum Reges illi geſſerunt. Huc igitur reſpiciens Angelus, ſimul innuit, Chriſtum fore verum illum Dauidis filium, quem prophetæ regnaturum & populi ſeruatorem fore prædixerunt. At licet ijdem regnum eius locutionibus ex regnis huius ſeculi deſumptis deſcribant, non obſcurè tamen innuunt, illud non terrenum neque de hoc mundo eſſe, cùm

Regnũ Chriſti.

Iere. 30.

Ezech. 34.

perpetuum & æternum fore teſtentur, huius autem mundi regna varijs vicibus ſubiecta ſint, & tandem ſua mole ruant, etiamſi nulla vis externa accedat. Regnat quidem in terris hiſce Chriſtus, ſed ſpiritu & verbo ſuo regnat, quod à Dauide etiam ſceptrum potentiæ eius dicitur. Vbi rurſus admonemur, nihil in illo terrenum aut temporarium quærendum eſſe, de Euangelio autem longè lateq́;
Pſal. 110. *propagando ſolicitos eſſe debere eos, qui regnum Chriſti prouehere ſtudent. Tertiò ſubditos quoque & ciues regni huius indicat, quando ſuper domum Iacob regnaturum dicit Angelus. Ita verò Iſraelitarum aut Iudæorum gentem dici manifeſtius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Nominantur iſti, non quòd intra Iudææ fines aut populi Iudaici terminos regnum Chriſti concludi oporteat: ſed quòd initium eius in illa gente Deus conſtituit, vnde tamen illud ad omnes gentes per totum orbem propagandum eſſe prophetæ prædixerunt. Et Iſraelitarum nomine omnes promiſsionis filios,*
Rom. 10. *id eſt, omnes credentes ſignificari: Paulus ad Romanos docet. Ergo ijdem quoque ad regnum illud ſaluiferum Chriſti pertinent, & verè Chriſtiani ſunt: ab eodem verò excluduntur, quicunque à fide in Chriſtum alieni ſunt, & illum Regem atque ſeruatorem vnicum non agnoſcunt. Poſtre-*
Regnum Chriſti æternum. *mò tempus quoque regni Chriſti denotatur, vel æternitas potius, quæ nullis temporum ſpatijs menſuratur. Nam regnaturum ait in æternum, & regni eius (inquit) non erit finis. Conuenit hoc cum promiſsione Nathani, quam ſupra adduximus, & quæ in Pſalmo 89. copioſius exponitur. Pepigi fœdus (inquit) cum electo meo, iuraui Dauidi ſeruo meo. Semen tuum in æternum confirmabo, & ſtabiliam ſolium tuum ad omnem poſteritatem. Semen eius æternum erit, ſolium eius coram me vt Sol perſtabit: Firmum vt Luna manebit, quæ eſt fidus in æthere teſtis. Quò imprimis referri debet, quod apud Danielem legitur: Spectabam in viſis nocturnis, & ecce veniebat in nubibus cæli qui-*
Dan. 7. *dam, ceu filius hominis, qui vſque ad Antiquum dierum peruenit, eumq́; adduxerunt ante illum. Et dominatus eſt ei traditus & honor, & regnum, vt omnes populi, nationes & linguæ colant eum: cuius dominatus eſt dominatus æternus, qui non præteribit, & cuius regnum haudquaquam deſtruetur. Iſta autem non minus verè quàm perſpicuè dicuntur. Nam in terris hiſce regnum continuum & perpetuum habet Chriſtus, dum continua eſt fidelium ſucceſsio, qui nequicquam obluc-*
Matth. 28. *tantibus tyrannis fidem profitentur & Deum verum in ſpiritu & veritate adorant. Et Chriſti promiſsio eſt: Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſeculi. Vbi verò mundi huius finis aduenerit, tunc ad inferos detruſis hoſtibus ſuis omnibus ad ſe ſuos recipiet Chriſtus, vt ſecum in cælis æternùm viuant & regnent, qui ipſum in hac vita Regem ſuum eſſe agnouerunt. Et hæc quidem in vtriuſq; teſtamenti libris variè confirmantur. In præſenti autē noſtræ cùm conſolationi tum inſtitutioni ſeruire debent: ne vllis tyrannorum minis & machinationibus terreamur, & vt Regi huic fidele præſtemus obſequium, regni eius legibus obtemperemus, illi vni fidamus & ſeruiamus, olim cum eodem in cælis quoq; regnaturi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA IX.

Dixit autem María ad Angelum: Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non cognoſco. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi: propterea id etiam quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabet cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus ipſi, quæ vocabatur ſterilis. Quia apud Deum nō erit impoſsibile vllum verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuū. Et abijt ab ea Angelus.

QVemadmodum infelix primorū parentum lapſus & ex hoc dependens humani generis perditio, ex colloquio initiū habuit, quod diabolus ſub ſerpentis ſpecie cum Eua inſtituit, vt Deū inuidum & hominum oſorem eſſe illi perſuaderet: Ita incarnationem filij Dei, quæ nobis redemptionem & ſalutem attulit, proximè præceſsit colloquium Angeli Gabrielis cum Maria virgine, quo Dei bonitas & ardens nos ſeruandi deſiderium euidentiſsimè exponitur. Nam non obiter modò filij

Dei

Dei ex ipſa hominem naſciturum eſſe denuntiat, verumetiam fructum eius exponit, & ea occaſione regnum eius deſcribit, in quo vniuerſa noſtræ ſalutis ratio fundatur. Dictũ de hoc nuper inter alia, quòd non terrenũ, ſed cæleſte & ſpirituale ſit: & proinde falli eos omnes, qui in hoc carnalia bona quærunt. Deinde ciues huius eſſe veros Iſraelitas, qui fide vera & conſtanti omnibus ijs ſuperiores ſiunt, quæ ad ſalutem contendentibus obſtare ſolent: & ideo Chriſti atque ſalutis per ipſum partæ conſortes fieri non poſſe eos, qui non huic vni fidunt, aut qui ſocordes & ignaui aduerſis facilè ſuccumbunt. Præterea regnum hoc æternum & proinde inuictum, & inexpugnabile eſſe audiuimus: quæ omnia ad noſtram conſolationem & inſtitutionem mirificè faciunt. Sequitur poſtrema huius colloquij pars, quæ pleniorem totius huius myſterij declarationem continet, quam ex ordine conſiderabimus.

Occaſionem huic tractationi Maria præbuit, quæ Angeli promiſsioni tam magnificæ quæſtionem opponit, dicens: Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non cognoſco? Quibus verbis idem omnino dicere videtur quod nuper Zacharias, quem ſuæ incredulitatis pœnas dediſſe audiuimus. Sed ſi rem omnem propius inſpiciamus, magnum diſcrimen apparebit. Zacharias enim totum illud, quod Deus per Angelum pollicebatur, in dubium vocat. & diſputationem ſuſcipit, in qua ſenectam ſuam & ad pariendum non amplius idoneam vxoris ætatem Dei promiſsis opponit, adhæc ſignum ſibi dari petit, quæ omnia illum à fide tunc alienum fuiſſe probant. Maria autem fore omnino credit quod promitti audiuerat: de ſolo autem modo quærit, neque id immerito, cùm ille humani ſenſus captum omnem ſuperaret. Deinde excuſationem nullam meretur Zachariæ incredulitas, quia promiſsionem generalem habebat, Deum ex ſterilibus quoque matres efficere, quæ ex liberis voluptatem capiant: & promiſsionem hanc exemplis plurimis iam olim confirmatam eſſe non ignorabat. At Maria nihil huius habuit, præter vnicum Iſaiæ vaticinium (quod iam non ſemel adduximus) & hoc quidem obſcurius, cùm conceptionis modus in illo nequaquam exprimatur. Præterea cùm iam animo conciperet, Meſsiæ generationem non vulgarem, & alienam fore à communi generationis modo (nam vt apud Ioannem eſt videre, vulgò illud ferebatur: Cùm venerit Chriſtus, nemo ſciet vnde ſit) ſanctiſsima virgo tanti myſterij conſideratione abrepta, quærit, quis nam generationis iſtius modus ſit futurus: & vt de hoc quæreret, pudicitiæ ſtudium monebat, quod in virginibus ardentiſsimum eſſe debet. Itaq; quæſtio iſta non diffidentiam arguit, ſed piæ admirationis argumentum eſt, qua non poterat non commoueri, cùm tantum Dei beneficium in animo ſuo expenderet. Deniq; hoc vnum quærit Maria, cùm ſimul multa alia occurrerent, quæ carnis rationi dubia & impoſsibilia videri poterant, niſi fide fuiſſet inſtructa, quæ carnis ſenſum ſub verbi obedientiam cogebat. Nam ipſam inter mulieres omnium beatiſsimam dixerat Angelus, cùm paupercula eſſet & ab omnibus derelicta. Ex ipſa item regni Dauidis inſtauratio promittebatur, quæ vix propriam vitam in ſumma rerum anguſtia ſuſtentabat. Iſtis tamen fidem adhibet, quam haud dubiè iam pridem ex Dei verbo didicerat, quo docemur, Deum humiles & afflictos reſpicere. Ideo non punit illam Deus, ſed ita ei per Angelum reſpondit, vt quæſtio hæc non tam ipſi, quàm omnibus nobis feliciter ceſſerit. Nam iſta occaſione declarantur articuli fidei noſtræ, quibus profitemur, Ieſum Chriſtum ex Spiritu ſancto conceptum & ex Virgine intemerata natum eſſe. Priuſquam tamen de illis dicamus, rurſus obſeruari debet Virginis caſtiſsimæ exemplũ. Audiuit illa ex Angelo promiſsiones magnificas & cum humani generis ſalute coniunctas. Illis tamen non ita inebriatur, vt ſui pudoris immemor mox cedat, ſed de modo & ratione tanti myſterij diligenter quærit. Debebant exemplum hoc imitari matronæ & puellæ omnes: ſed in plerisq; ea leuitas cernitur, vt non promiſſa modò quæuis temere admittant, ſed munera quoq; à quibuſuis, quorum libido ſatis nota eſt, recipiant, neq; vllis exemplis terreantur earum, quibus illud infeliciter ceſsit. Dignæ ſunt ergo, quæ infames fiant, & ſuo malo diſcant verum eſſe, quod ex pijs admonitionibus diſcere nolunt. Sed omiſsis illis Angelum loquentem audiamus, cuius oratio tribus omnino partibus conſtat.

Mariæ quæſtio.

Pſal. 113.

Ioan. 7.

Prima modum conceptionis exponit, non quidem vt carnis noſtræ curioſitati ſatisfaciat, ſed vt animum Virginis inter varias cogitationes fluctuantem ad diuinæ virtutis aut potentiæ conſiderationem reuocet. Eſt hoc optimum & præſentiſsimum in rebus dubijs remedium, vt non quid nos poſsimus, aut quid naturæ curſus ferat, ſed quid Deus velit & poſsit conſideremus, qui (vt propha-

Modus conceptionis exponitur.

ui quoque poetæ agnouerunt) nutu ſuo cælum terramq́ue concutit, & rerum naturam vno momento mutare vel innouare poteſt. Non minus diligenter autem quàm grauiter Angelus loquitur. Primum ait: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Atqui iam tunc ſpiritu donatam fuiſſe Mariam, non eſt dubium. Sed ſignificatur ſingularis & efficaciſſima Spiritus ſancti operatio, qua negotium hoc omne confici oportuit. Sic ſupra Samſonem ſpiritus Domini irruiſſe dicitur, quando ille huius impulſu ſingulare aliquod facinus deſignauit, quod humanis viribus perfici non potuiſſet. Et de prophetis eadem locutio vſurpatur, quando illos propiori afflatu ſpiritus impleuit & mouit. Hoc quia nonnulli veterum non obſeruarunt ſpiritum loco ſeminis fuiſſe tradiderunt, ex quo Chriſtus in virginis vtero natus ſit. Quod dogma vt à pietate Chriſtiana alieniſſimum eſt, & ſalutis noſtræ fundamenta labefactat: ita nullis ſcripturis probari poteſt, & ab Angeli verbis diſſentit, qui de Spiritus ſancti operatione & virtute loquitur, non de cauſa materiali, ex qua Dei filius carnem aſſumpſerit. Imò hanc ille infra in Virgine monſtrabit, vt ſuo loco audiemus. Sed & in præſenti myſterium hoc clarius exponens addit: Et virtus Altiſſimi obumbrabit te. De virtute ergo diuina loquitur, & obumbrandi verbo partim operationem eius arcanam, partim protectionem, & defenſionem ſignificat, quam ſimul præſtiturus ſit Deus, ne quam ſuæ pudicitiæ aut virginitatis iacturam patiatur, nihilominus tamen fœcunda fiat & concipiat. Sic ſub vmbra omnipotentis pium tutum

Pſal. 91.

fore Dauid teſtatur. Et apud prophanos quoque ſcriptores obumbrandi verbum hoc ſenſu vſurpatur, Metaphora nimirum ab arboribus ſumpta, aut etiam ſcutis maioribus, quibus milites aduerſus tela ex alto incidentia defenduntur. Notū eſt enim illud Vergilianum de Turno, quem aduerſus maleuolorum ſermones Amatæ reginæ fauor tuebatur: Magnum reginæ nomen obumbrat. Senſus ergo verborum Angeli hic eſt: Ne timeas quicquam, neq; de tuæ pudicitiæ fama aut honore ſolicita ſis Maria. Nam totum hoc negotium, de quo nunc agimus, Dei eſt, qui benedictum illud ſemen & olim Dauidi promiſſum excitabit: & quia hoc non alicuius viri commixtione, ſed Spiritus ſancti operatione fiet, nihil carnale aut impurum imaginaberis, &c.

Chriſtus conceptus ex Spiritu ſancto natus ex Virgine.

Aſſeruntur autem & confirmantur hoc loco (vt ſupra diximus) articuli fidei noſtræ de filij Dei incarnatione: Conceptus eſt ex Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine. De quibus nos non curioſius diſputare decet, vt olim hæretici fecerunt. Quia enim conceptionis modum ipſi Mariæ virgini non aliter exponit Angelus, nefas fuerit in hunc altius inquirere, & noſtri ingenij acumine ea ſcrutari velle, quæ omnem humanæ rationis captum ſuperant. Sufficiat nobis, hoc omne Spiritus ſancti opus fuiſſe, qui diuina virtute ex ſanctiſſimæ Virginis ſubſtantia carnem genuit, & eidem animam humanam indidit, cui eodem momento æternus ille Dei Filius, eiuſdem cum Patre eſſentiæ, coniunctus eſt in vnam eandemq́; perſonam: & ita quidem, vt neq; Deus in hominem, neq; hic in Deū conuerſus, ſed homo à Deo aſſumptus ſit: neq; etiam duo ſint Chriſti, quorum vnus Dei, alter Mariæ filius dici debeat: ſed vnus ſit Chriſtus, verus & æternus Dei Filius in carne aſſumpta manifeſtatus, vt vnicus quoque inter Deum & homines Mediator fieret. Hunc conceptionis iſtius modum & ordinem Angeli verba indicant, & cum eodem ſcripturæ vtriuſque teſtamenti conſentiunt. In eo igitur nos acquieſcere conuenit, & quod verè factum eſſe audimus credere, ne dum tanti myſterij cauſas & modum curioſius inueſtigamus, ea in dubium vocemus, ſine quibus ſalutis noſtræ ratio non poteſt conſiſtere. Cur autem alicui impoſſibile videatur, Dei filium illæſa Mariæ virginitate in illa conceptum & ex eadem hominem natum eſſe, cùm olim totam hanc mundi machinam ex nihilo ſolius verbi virtute productam eſſe, & in eadem multa quotidie fieri conſtet, quæ carnis rationi non minus abſurda & difficilia videntur, & quorum ratio nequaquam reddi poteſt?

Vſus conceptionis & natiuitatis ex Virgine.

Quin ergo relictis hominum phanaticorum & impuriſſimorum quæſtionibus, conceptionis & generationis huius ſanctiſſimæ vſum obſeruemus: qui in hoc potiſſimum conſiſtit, quòd noſtram conceptionem & generationem per illam ſanctificari oportuit. Vt enim Adamus cùm à dignitate ſua & Dei imagine excidiſſet, filios ſuos in imagine ſua corrupta nimirum & peccatrice genuit: ita omnes homines in peccato concipi & naſci conſtat, ſicuti de ſemetipſo Dauid ingenuè fatetur. En ego (inquit) in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea. Nam, vt Paulus ait, per vnum hominem peccatum in mundum introiuit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors tranſijt, quatenus omnes peccauerunt. Eſt quidem honorabile apud omnes coniugium,

Gen. 5.
Pſal. 51.
Rom. 5.

gium, & thorus coniugalis impollutus, quoad Dei inſtitutionem. Quia tamen in liberorum generatione affectus & cupiditates carnis concurrunt, & in ijs illi concipiuntur, fieri non poteſt, quin peccatricem naturam ab vtero materno ſecum in hanc lucem proferant, & proinde peccato obnoxij ſint. Quod ſi qui Pelagianorum veſtigijs inſiſtentes negare audent, facilè ijdem conuincuntur mortis ſupplicio, cui infantes quoque ſubiectos eſſe conſtat. Quia enim mors peccati ſtipendium eſt, infantes autem recens nati à peccato (vt illi aiunt) alieni ſunt, iniuſtus certè erit Deus, qui multos in vtero adhuc deliteſcentes occidit, multos in ipſo partu enecat, multos item in prima pueritia extinguit, priuſquam vel bonum vel malum actu deſignent. Taceo nunc, quòd infantes olim octauo die circumcidi oportuit ex Dei mandato, qui ita teſtabatur, in illis eſſe, quod putatione & purgatione opus habeat. Et cur Chriſtus neceſſe eſſe ait, vt homo renaſcatur, ſi pura & ſancta eſt, qua ex matris vtero progeniti ſumus natiuitas? Itaque vt in illo renaſci poſſemus, & innatæ nobis corruptioni remedium afferretur, Dei filium ea ratione incarnari oportuit, vt ex Spiritu ſancto conceptus, ex Virgine intemerata naſceretur. Ita enim nomen ſeminis benedicti obtinuit, in quo omnes gentes terræ benedicuntur, ſicuti olim Abrahamo Deus promiſerat. Eſt ergo firmiter nobis tenendum conceptionis & generationis Chriſti Ieſu myſterium, vt ex eo ſalutis noſtræ certiores reddamur, & conſolationem habeamus ſolidam, qua noſmetipſos aduerſus innatam nobis naturæ corruptionem & ex hac enaſcentes dubitationes confirmemus. Et hic verus & proprius Virginitatis Mariæ vſus eſt, quem omnino negant & euacuant aduerſarij noſtri, qui hominis vires & operum merita aſſerunt. Si enim ea eſt hominis conditio, vt αὐταίρετος καὶ αὐτεξούσιος ipſe ſibi ad ſalutem ſufficiat, quam obſecro cauſam dabimus, ob quam Dei filium præter communem naturæ ordinem, abſque viri congreſſu, ex ſpiritu ſancto concipi & ex Virgine pura atque incorrupta naſci oportuerit? Volunt illi quidem acerrimi Mariæ & virginitatis eius vindices videri, at ſi rem ipſam diligentius expendamus, hoc vno dogmate & Chriſti Ieſu meritum & Virginitatis Mariæ vſum fructumq; exinaniunt. Neq; ad Chriſtianiſmum & ſalutis noſtræ negotium ſufficit rerum à Chriſto geſtarum hiſtoriã tenere, niſi ſimul vſum teneamus eorum, quæ de illo dicuntur, & in eo vno ſpem omnem ſalutis collocemus.

Secunda ſua orationis aut reſponſionis parte Chriſtum amplius deſcribit Angelus, cùm ex præmiſſis infert: Propterea id etiam quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Quibus verbis diſertè illum ex communi hominum ſorte eximit. Nam quod ex te naſcetur Sanctum, inquit. Chriſtus ex hominum ſorte cõmuni eximitur. Sanctus. *Sanctum ergo fore docet ex ipſo matris vtero, cùm omnes homines (vt paulò ante diximus) impuri & prophani naſcantur. Interim ex Maria naſciturum ait (quod D. Athanaſius quoq; diligenter obſeruauit) vt verum Mariæ filium, & ex eius ſubſtantia natum doceret. Verba Athanaſij in epiſtola ad Epictetum ſunt hæc: Gabriel planè & certò Mariæ nuntium illud lætum expoſuit, cùm non ſimpliciter diceret, Quod gignetur in te: ne quis exiſtimaret corpus in ipſam foris introductum: ſed, Ex te: nempe vt natura fore ex ipſa crederemus quod gigneretur. Sanctus autem dicitur Chriſtus partim quoad ſeipſum, quia totus purus & omnis labis expers eſt: partim quoad nos, quos ſuo merito & ſpiritu ſanctificat, vt toti Deo conſecrati ſimus. Ipſe enim nobis à patre factus eſt (vt Paulus ait) ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio.* 1.Cor.1. *Itaq; ſuum illi honorem eripiunt, qui ſanctificationem vel ſuorum operum meritis tranſcribunt, vel apud Diuos cælites quærunt, qui cum in terris viuerent, ad vnum Chriſtum omnes remiſerunt, & fidem in hunc ſanguine proprio ſunt teſtati. Qui verò ſanctitatem apud Romanos Pontifices inueniri putant, & his Canonizandi vel inter Sanctos referendi ius tribuunt, ij perinde faciunt, ac ſi quis in proſtibulo inter lenones pudicitiam quærat, aut in cloaca fœtidiſſima ablui velit. Quem enim illi ſanctificabũt, qui ipſi à Deo alieniſſimi ſunt, & ſe totos turpiſſimis flagitijs quotidie polluunt, adhæc ſuos ſectatores ab vnius Dei cultu ad creaturas & nugaciſſima ſuarum traditionum figmenta remittunt? Deinde repetit Gabriel quod prius dixerat: Filius Dei vocabitur. Quod non modò ad æternam illius diuinitatem, verumetiam ad incarnationem referri debet.* Filius Dei. *Vt enim quoad diuinam naturam verus & æternus filius eſt Chriſtus: ita quoad aſſumptam carnẽ quoq; reuera Dei filius dicitur. Nam ſi homines Dei filios ſcriptura dicit, ad quos (vt Chriſtus ait) Dei ſermo factus eſt, id eſt, qui ad munus aliquod peculiare diuinitus deſtinati ſunt,* Ioan.10. *quantò magis nomen hoc Chriſto debetur, qui vt quoad carnem abſq; viri congreſſu,*

Spiritus ſancti virtute & operatione ſingulari ex virginis ſubſtantia generatus eſt: ita munus etiam à Patre accepit omnium excellentiſſimũ, vt ſcilicet populi Dei Rex & Sacerdos æternus, atq; vnicus humani generis redemptor ſit? Facit igitur huius nominis conſideratio ad noſtræ ſalutis certitudinem aſſerendã, quæ dubia eſſe non poteſt, cùm eum authorem habeat, qui & verus Dei Filius eſt, & vt hanc nobis acquireret ex æterno patris decreto in terras venit, & ex Virgine matre hominem verum aſſumpſit. Continetur præterea hiſce Angeli verbis euidens ſanctæ & adorandæ Trinitatis teſtimonium. Nominãtur enim diſertè Altiſſimus, Filius & Spiritus ſanctus. At quia Deum vnum eſſe ſcriptura alibi teſtatur, in eius vnitate perſonas tres agnoſcamus oportet, niſi Angelum mendacij arguere, & totum Ieſu Chriſti incarnationis myſterium in dubium vocare libeat.

Confirmatio promiſſionis Angelicæ. *Reſtat tertia reſponſionis Angelicæ pars, quæ confirmationem iſtorum omnium continet. Etſi enim Deus pro ſuo iure fidem à nobis exigere poſſit, noſtræ tamen infirmitatis rationem habet, & carnis rationibus, quibus fides noſtra tentari ſolet, argumenta opponit, quibus ea confirmetur. Quæ nos in omnibus eius promiſſionibus obſeruare decet, ne illius bonitatẽ contemnere videamur. In præſenti autem duo argumenta producuntur. Primũ ab exemplo petitur, cuius magna vis eſt in ijs, quæ*

1. Ab exemplo. *noua & inſolita eſſe videntur. Ecce (inquit) Elizabet cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus ipſi, quæ vocabatur ſterilis. Vbi quærunt nonnulli, quomodo Elizabet, quã ex filiabus Aaronis fuiſſe ſupra dictum eſt, Mariæ cognata fuerit, ſi hæc ex Dauidis genere & tribu Iuda originem habuit? Sed facilè ſoluitur quæſtio, ſi obſeruemus, legem de tribuum commixtione non pertinuiſſe ad Leuitas. Quia enim hi terras proprias non poſſidebant, nullum periculum erat, ne terræ hæreditas confunderetur, etiamſi vel ipſi vxores ex alijs tribubus ducerent, vel ſuas filias alijs elocarent. Ideo ipſe Aaron vxorem ex tribu Iuda oriundã habuit, Eliſabam filiã*

Exod. 6.
2. Par. 2.
Aminadabi, ſororem Naaſſonis: & Ieboiadæ ſacerdotis coniunx fuit Ieboſeba filia Regis Ioramni & Ahaſiæ Regis ſoror. Eadem ergo ratione fieri potuit, vt Elizabetæ mater ex Dauidis ſtirpe nata Sacerdoti nupſerit, & proinde cognatio inter illam & Mariam interceſſerit, quàmuis patres ex diuerſis tribubus eſſent oriundi. Quoad autem Angeli argumentum, non leue hoc fuit aut vulgare. Perinde enim hoc eſt, ac ſi dixiſſet. Ne mireris, quod abſq; viri congreſſu te parituram dico, quæ iuuencula es & ad concipiendũ idonea, cùm cognata tua Elizabeta, quæ & ſterilis ſemper fuit, & nunc ob ſenectã ad conceptum minimè idonea eſt, ex Zacharia marito vetulo conceperit, & iam menſem ſextum agat, ex quo prægnans facta eſt. Qui enim ſenem & ſterilem potuit fœcundã reddere, te quoq; abſq; viri opera matrem facere poterit. Vel annon maior & efficacior erit Spiritus ſancti virtus ex quo te concepturam eſſe dixi, quàm Zachariæ ſit, ex quo Elizabeta concepit? Addit

2. Ab omnipotentia Dei. *huic argumentum aliud ab omnipotentia Dei petitum: Quia apud Deum non erit impoſſibile vllum verbum. Id verò abſolutè pronunciat Angelus, vtpote generale fidei & veræ pietatis principium, de quo nemini pio dubitare fas ſit. Quid enim Deo impoſſibile ſit, qui (vt ſupra diximus) ex nihilo*

Vt fides fulciri debeat. *creauit omnia, & quæ nulla erant, ſolo verbo vt eſſent euocauit? Admonent autem iſta, vt ipſi quoq; fidem noſtram fulcire debeamus. In promiſſionibus ad Dei potentiam reſpicere oportet, quod*

Roma. 4. *fidei proprium eſſe, Paulus ad Roman. Abrahami exemplo docet. At ne illam noſtro modulo metiamur, & ideo in negotijs difficilioribus dubitemus, ſimul exempla vetera in mentem reuocare conuenit, quæ in omni genere aduerſorum plurima occurrunt, & quorum conſideratione fides plurimum confirmabitur, ſi cogitemus, Deum ſibijpſi ſemper conſtare, & vires habere inexhauſtas, quæ nullis operibus fatigari aut debilitari poſſint. At hic cauendus eſt illorum error, qui ex nuda omnipotentia argumentantur de illis rebus, de quibus non conſtat, an eas perfici velit Deus. Nam quæcunque vult facit Deus, non quæcunq; poteſt. Niſi ergo de eius voluntate nobis conſtet, fruſtra omnipotentiam illius allegabimus.*

Mariæ fides & obedientia. *Obſeruauit hoc probè Maria, quæ cùm de voluntate Dei probè edocta eſſet, magni ponderis æſtimat Angeli argumenta, & ideo reſpondet. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Obſtabant quidem adhuc multa, quæ carnis rationi dubium mouere poterant: ſed procul exploſis illis omnibus, diuinæ voluntati ſeſe committis, & ita ex fide concipit, ſicuti de Sara in epiſtola*

Hebr. 11. *ad Hebræos ſcribitur. Itaque ab illa quoque mox diſcedit Angelus, vtpote confecto planè negotio, cuius cauſa ad illam miſſus fuerat. Habemus autem hic veræ fidei exemplum. Proprium illius eſt,*

Dei

Dei verbo credere, quàmuis cum hoc ipſa rerum natura & communis ſenſus pugnare videantur. Vbi plurimùm proderit, ſi illud æternum eſſe cogitemus, & tunc quoque ratum fore, quando cælum & terra diſſoluentur. Sequitur ex hoc obedientia, quia ſe homines totos voluntati Dei ſubijciunt: quem euangelicæ prædicationis finem eſſe, Paulus non vno loco teſtatur. Sunt ergo à fide alieni prorſus, qui de ijs quoque diſputationes inſtituunt, quæ diſerto Dei verbo traduntur: qui item non obtemperant ijs, quæ nobis diuinitus præcepta eſſe non ignorant. Diſcamus adhæc ex iſto loco de Maria rectè iudicare. Fuit hæc ancilla Domini fideliſſima, & ad omne obſequium parata. Eam, vt filij ſui in carne manifeſtandi mater fieret, Deus ſibi ex gratuito fauore elegit. Illius ergo fidem & obedientiam imitemur, ſalutis verò fiduciam in eo collocemus, quem illa genuit, filio nimirum Dei æterno, & humani generis vnico redemptore, Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA X.

Cùm autem ſurrexiſſet Maria in diebus illis, profecta eſt in montanam regionem cum feſtinatione in vrbem Iuda. Et ingreſſa eſt domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabetam. Et factum eſt, vt audiuit Elizabeta ſalutationem Mariæ, ſalijt fœtus in vtero eius, & repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabeta, exclamauitque voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt peruenit vox ſalutationis tuæ ad aures meas, ſalijt fœtus præ gaudio in vtero meo. Et beata quæ credidit: quia perficientur ea, quæ dicta ſunt ei à Domino.

Quàmuis in vnigenito Dei Filio, Domino noſtro Ieſu Chriſto, omnes diuinæ gratiæ & ſalutis humanæ theſauri contineantur, idem tamen non prodeſt, niſi verè cognitus & fide vera perceptus. Ideo illius incarnationem iam inde ab origine rerum Deus multiuariam hominibus innoteſcere voluit, & cùm iam illius tempus appropinquauiſſet, eandem non vno modo manifeſtauit. Vbi poſt Angelum Gabrielem primas tenent mulieres, quæ in præſenti producuntur, Elizabeta & Maria Virgo. Diſſerunt hæ ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione de myſterio omnium excellentiſſimo, quod (vt Paulus ait) à temporibus æternis tacitum fuit, & quod omnes gentium philoſophi, & quotquot vnquam ſapientiæ ſummæ exiſtimationem ſuſtinuere, ignorauerunt. Superat ergo colloquium hoc ſua authoritate omnia Pontificum concilia, qui etſi ſpiritus ſancti nomen ſuis decretis prætexant, de fidei tamen & ſalutis noſtræ myſterijs adeò ineptè & obſcurè balbutiunt, vt cordatis omnibus riſum mouêre poſſint, ſi in re tam ſeria riſus vllum locum haberet: rudes verò & imperitos rerum omnium magis incertos reddant. Voluit autem Deus tanto negotio mulieres adhibere, vt certius conſtaret, muliebrem quoque ſexum per Chriſtum reſtitutum eſſe: ad quod peculiari demonſtratione omnino opus erat. Quia enim mulier primùm peccauit, & humanæ perditionis cauſa fuit præcipua, atque ideò ſexum illum Deus varijs morborum & laborum moleſtijs mulctauit: facilis inter has ad deſperationem lapſus eſſe poterat, niſi peculiares quoque conſolationes acceſſiſſent, quibus in ſpe certa ſalutis confirmarentur. Quæ cauſa eſt, quòd ex muliere hominem naſci oportuit Dei filium, vt ex eodem ſexu iuſtitia & vita oriretur, per quem peccatum & mors ingreſſa fuerant. Et ipſe Chriſtus, cùm iam in terris ageret, mulieribus ad ipſum confluentibus familiariſſimum ſeſe præbuit, & quidem ijs etiam, quæ libidine & vitijs infames erant: neque phariſæorum calumnijs abſterreri potuit, quò minus illis pœnitentiam & remiſſionem peccatorum offerret. Conſtat præterea, ſelectas aliquot mulieres mortis & reſurrectionis ipſius teſtes fuiſſe, quarum fides ipſis apoſtolis præſtantior fuit, qui tunc metu diſperſi erant, & rerum dubij vacillabant. Debent iſta animum addere pijs fœminis, vt & certam ſalutis in Chriſto exhibitæ ſpem concipiant, & patientius ferant dolores atque moleſtias, quæ illis in liberorum educatione & tota re domeſtica

Mariæ & Elizabetæ de maximo myſterio colloquium.

Chriſtus mulierum quoque ſeruator.

ſubeundæ ſunt. Deinde apparet in hac actione mos Dei, qui vt alibi perſonas humiles & contemptas rebus maximis deſtinat: ita hic quoque ad iſtud colloquium Elizabetam anum & ſterilitatis notâ infamem, Mariam item pauperculam & contemptam, delegit, cùm non deeſſent, quæ dignitate opibus & externo ſplendore commendabantur, quas ipſi facile fuiſſet ſuo ſpiritu excitare & ad tanti myſterij tractationem idoneas facere. Sed ita ſolet Deus, vt huius mundi faſtum atque excellentiam confundat, & vt omnibus conſtet, ea quæ inter homines in pretio habentur, ad ſalutem æternam nihil conferre, neque nobis aliquam relictam eſſe gloriandi occaſionem, cùm tota illius ratio ex mera Dei gratia dependeat.

Maria inuiſit Elizabetam.

Porrò ad rem ipſam accedamus, vbi primùm colloquij iſtius occaſio occurrit, quam Maria Virgo præbuit. Hæc enim cùm ex Angelo didiciſſet, promiſſum illum humani generis redemptorem ex ipſa naſci debere, mox in regionem montanam proficiſcitur, vt in eam ciuitatem tribus Iuda veniat, in qua Zacharias habitabat: quò cum feſtinanter veniſſet, illius domum ingreſſa Elizabetam ſalutat. Cauſa profectionis iſtius fuit, non curioſitas aut hinc inde vagandi libido (quibus vitijs ferè ſexus ille laborat) ſed quod Angelus inter argumenta, quibus diuinam promiſſionem confirmauit, Elizabetæ etiam exemplum adduxerat, quæ iam anus & antea ſterilis vterum ferret, & filium eſſet paritura. Itaque quod ex Angelo audiuerat, coràm cognoſcere cupit, non quòd verbis illius diffidat, ſed vt in fide confirmetur, & vt mutuo colloquio ſeſe inuicem conſolentur. Eſt enim hoc fidei proprium, quòd magno ſtudio ea ſectatur, quæ nos plenius inſtituere & confirmare poſſunt. Ideo qui hac donati ſunt, non modò Dei verbum frequenter audiunt, verumetiam in precibus ſunt aſſidui, quibus petunt, vt Dominus ipſis vias ſuas oſtendat, ſpiritu ſuo fulciat, atque fidem ipſorum confirmet. Et notum eſt Pauli exemplum, qui hoc nomine eccleſiam Romanorum inuiſere cupiebat, vt ex mutuæ fidei collatione vtrinque conſolationem acciperent, & ad huius ſtudium mutuo exemplo excitarentur. Sunt igitur à fide alieniſſimi, qui & in precibus frigent, & Dei verbum atque ſacras conciones negligunt, imò illud tunc quoque faſtidiunt atque aſpernantur, quando hoc illis Dominus offert. Eſt horum magnus numerus hodie, quibus nullum negotium tam vile, nullum lucrum tam ſordidum & exiguum eſt, quod non cœtibus ſacris præferant, in quibus verbum prædicatur, & publicæ preces fiunt. Arguit hos ſuo exemplo Maria, quæ etſi audiſſet, ſe eſſe benedictam illam inter mulieres, & iam vtero geſtaret æternum Dei filium, iter tamen longinquum & arduum ſuſcipit, vt maiores in fide progreſſus faciat. Pudeat ergo iſtos ſuæ ſocordiæ, & ſaltem pœna terreantur, quam de illis ſumit Deus, quando eos in peius proficere ſinit, vt tandem fidei totius iacturam faciant, & ſalutis ſuæ ſecuri nimis miſerè pereant.

Rom. 1.

Feſtinatio Mariæ.

Non temere autem Maria in hac profectione feſtinauiſſe dicitur. Nam eſt hoc fidei ardentis argumentum, & quod Dei beneficium magni fecerit. Deinde rurſus hoc exemplo ſpiritus ſanctus virgines officij admonet. Decet has (vt alibi monuimus) domum curare, & quæ illic agenda ſunt fideliter agere. Quòd ſi quando propter negotia neceſſaria prodeundum eſt, curent ne in publico vel diutius verſentur & moras nectant inanes, vel temere diſcurrant. Quantum enim hoc mali olim Dinæ dederit, ſupra diximus: & quàm periculoſum ſit puellas vagari, exemplis quotidianis doceri poteramus, niſi iampridem toti obſurduiſſemus ad ea, quæ nos honeſtatem & pietatem ſectari docent.

Ioannes ſubſilijt in matris vtero.

Cæterum ad ſalutationem Mariæ Virginis in Elizabetæ vtero fœtus ſubſilijt. Quod ſingulari ſpiritus ſancti operatione factum fuiſſe, poſtea ex Elizabetæ verbis patebit. Ita enim declarari oportuit, eum, quem Maria iam conceperat & ſuo vtero geſtabat, eſſe exoptatum illud ſanctorum patrum deſiderium: illum (inquam) cuius diem Abrahamus geſtiuit videre, & cuius fiducia atque ſpe gauiſus eſt. Simul autem denotatur hoc argumento, quanta ſit Ioannis præſtantia & dignitas, qui cum in vtero materno adhuc diteſceret, officio ſuo fungi cœpit. Nam ad hoc illum à Deo electum & prædeſtinatum fuiſſe ſcimus, vt Chriſti Ieſu antecambulo & teſtis eſſet, & ad hunc excipiendum omnes excitaret. Id ergo iam nunc facit, & nondum in lucem hanc æditus inſolita exultatione Elizabetam matrem admonet, Mariam fœtum illum diu exoptatum concepiſſe. Verè igitur de illo dixerat Angelus, ipſum ſpiritus ſancti plenum fore ab vtero matris ſuæ. Nec ſine cauſa de illo poſtea Chriſtus teſtatus eſt, quòd inter natos ex mulieribus nemo illo maior & præſtantior habeatur. Hæc

tur. Hæc autem nos in eum finem obſeruare conuenit, non vt (quod ſuperſtitioſi ſolent) Ioannem in-
uocemus, & honoribus diuinis proſequamur: ſed vt eò maior apud nos ſit authoritas teſtimonij, quod
de Chriſto tulit, & proinde hunc agnoſcamus eſſe agnum illū Dei, qui tollit peccatum mundi, atq; in
illo vno omnem ſalutis fiduciam collocemus. Et huc facit, quòd hoc ipſo argumento conſtat, Ioannem
ex gratia habuiſſe quicquid inſigne & eximium habuit, cuius nomine alijs hominibus præferri mere
tur. Quid enim illum meruiſſe dicemus, cùm adhuc in matris vtero concluſus detineretur? Aut num
ipſius proprium opus fuit, quòd & ipſe nondum natus Chriſtum nuper ex ſpiritu ſancto conceptum
& adhuc fœtum informem in Virginis vtero iacentem agnouit, & de illo teſtatus eſt? Dei certè
hoc opus fuit, qui vt de illo per prophetas olim vaticinatus fuit, ita eundem priuſquam eſſet elegit
& ad hoc munus prædeſtinauit, vtque ei ſufficere poſſet, iam inde ab vtero matris donis ſpiritus ſan
cti ad illud neceſſarijs inſtruxit. Atqui eandem eſſe omnium hominū rationem, Paulus ad Romanos Rom. 9.
exemplo Iacobi & Eſaui probat, qui cùm ſimul concepti eſſent, & neuter aliquid vel boni vel mali
feciſſet, alter tamen à Deo electus alter reprobatus aut derelictus fuit. Neque ideo Deum vel iniu-
ſtitiæ vel crudelitatis accuſare poſſumus, cùm nemini quicquam debeat, & neminem immerentem
damnet: potius illius bonitatē nos agnoſcere & prædicare decet, qui ex corrupta & perdita humani
generis maſſa aliquos eligere dignatur, quos abſq; omni ipſorum merito ſalutis æternæ & bonorum
ſuorum cœleſtium conſortes faciat.

Eſt præterea exemplum hoc plenum conſolationis, quòd videmus, infantes, ſeu fœtus potius, *Fœtus in vtero adhuc latentes Deo curæ ſunt.*
adhuc in matris vtero deliteſcentes Deo curæ eſſe. Quod enim de Ioanne Bapt. de Ieremia, Paulo
apoſtolo & horum ſimilibus dicitur, hoc ſanctiſſimi quique ad ſeipſos etiam transtulerunt. Dauid cer Iere. 1.
tè, vt ſeipſum conſoletur, non ſemel exclamat: Ab vtero matris meæ Deus meus es tu. Tu is es, qui Gal. 1.
me ex vtero matris extraxiſti. Item, tu poſſides renes meos, & contexiſti me in ventre matris meæ. Pſal. 22. & 139.
Oculi tui me viderunt, cùm eſſem fœtus informis, & in libro tuo vniuerſa deſcriptæ fuerunt, quæ
deinceps formarentur, &c. Hæc vt Dei bonitatem nobis commendant, ita conſolationem dulciſſimā
afferunt prægnantibus, imò parentibus vniuerſis, quos cura liberorum & plena laboris eorundem
educatio vehementer exercet. Adhæc vitæ & morum inſtitutioni ſeruiunt, vt memores, nos à Deo
creatos & formatos eſſe, vitam omnē & omnia corporis membra (vt Paulus monet) illius ſeruitio Rom. 6.
conſecremus, vt tanquam arma iuſtitiæ ad illius gloriā omnia faciant. Confutantur item exemplis
iſtis Anabaptiſtæ, qui infantes ab eccleſiæ conſortio excludunt, & eos baptizandos eſſe negant. At-
qui infantes quoque (de credentium infantibus loquor) Dei fœdere cōtineri, ſpiritus ſancti, & proin-
de donorum eius, fidei nimirum, remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ capaces eſſe conſtat. Quæ
ergo iniquitas & temeritas eſt, illis ſymbolum externum gratiæ & eccleſiæ negare, & ab huius ſo-
cietate alienos ducere? Atqui neſcimus nos, quomodo iſta infantes capiant. Fateor. Num verò no-
ſtra inſcitiæ & ignorantia illis fraudi eſſe debet? Quin potius Chriſto pro illis ſtipulāti credimus, qui
illos in ſe credere, & regnum cœlorū ad eoſdem pertinere teſtatur, & ideo vult, vt ipſi adducantur.
Quæ tamen de his alibi commodius dicetur, hæc nunc obiter perſtrinxiſſe ſufficiat.

Nunc ad Elizabetæ ſermonem accedamus, cuius eò maior debet apud nos eſſe authoritas, quòd *Elizabeta ſpiritu ſancto repleta Mariam confirmat.*
ſpiritu ſancto repleta fuiſſe & exclamauiſſe, id eſt, voce clara & ſingulari animi intentione iſta
pronunciauiſſe dicitur. Sunt ergo hæc non vt aniculæ vulgaris verba, ſed vt Dei oracula conſideran
da, ex cuius inſpiratione illa locuta eſt. Ante omnia verò nobis hoc loco obſeruandum eſt, fidelium
& piorum ſtudia nequaquam irrita & inania eſſe. Quæſiuit Maria fidei ſuæ confirmationem & vt
in myſterio incarnationis filij Dei plenius inſtitueretur. Id verò inuenit, & ipſa quoq; paulò poſt pro
piori ſpiritus afflatu excitata carmen profundit, quo de toto hoc negotio mira perſpicuitate & gra-
uitate diſſerit, & ipſi etiam Elizabetæ conſolationem nouā impertit. Id verò omnibus certò ſperare
licet, qui ſerio ſalutis & gloriæ Dei ſtudio tangūtur. Extant enim generales promiſſiones: Quærite
Dominum, & viuetis. Item: Quærite, & inuenietis. Vt enim Deus ſeipſum omnibus in Chriſto filio Amos 5.
ſuo offert, ita etiam apprehendi vult, vt gratia & bonorum ipſius cōmunione fruamur. Quòd ergo Matth. 5.
pauci hodie ſalutē & veritatis æternæ cognitionē inueniūt, non Dei hāc inuidioſe occultantis vitio
ſed ipſorū culpa fit, qui circa infelicis mundi & carnis impuræ ſtudia occupati, ea ſecurè negligunt,
quæ ipſos ad regni cælorum poſſeſſionem prouehere poterant. Porrò ſermonis Elizabetæ partes
ſunt quatuor.

Elizabeta Angeli uerba repetit.

Prima Angeli Gabrielis verba repetit, exclamans: Benedicta tu inter mulieres. Facit hoc ad fidei Mariæ confirmationem. Quia enim eadem ex Elizabeta audit, quæ prius ipsi Angelus dixerat, facilè intelligit, nihil hîc ex carnis affectu agi, ſed negotium hoc omne diuino conſilio gubernari. Quod ergo Elizabetæ exemplo ſeſe tuentur, qui ſalutationem Angelicam in preces conuerterunt, nimis friuolum eſt. Vt enim verba iſta repeteret Elizabeta, tunc ſuum vſum certum habuit, at vt idem hodie fiat, minimè opus eſt. Deinde ineptum eſt abſentem ſalutare, & perinde eam alloqui, ac ſi præſens eſſet. Obſeruatu digna autem eſt Elizabetæ modeſtia, quæ etſi ætate & conditione (vtpote Sacerdotis vxor) Mariam excelleret, & in eandem propter cognationem ius aliquod peculiare haberet, in illa tamen Dei dona ingenuè agnoſcit atque commendat, neq; ei dignitatem maiorem inuidet, in quam Deus ipſam extulerat. Sunt ab huius ſanctiſſimæ matronæ ingenio alieni nimis, qui vt ſoli inter homines emineant, omnibus inuident, & quæ in alijs conſpicantur præclara Dei dona, omnino ſepulta cupiunt, neque gloriæ Dei & publicæ multorum ſalutis aliquam rationem habent, quæ ſimul in periculum venit. Eſt hoc vitium nimis vulgare hodie in repub. & eccleſia, quo fit, vt qui in illis præſunt, multis publicè incommodent, & ſimul proprij honoris non mediocrem iacturam faciant, dum huic ambitioſius conſulere inſtituunt.

Maria omnem dignitatem ex Chriſto habuit.

Secunda parte addit: Et benedictus fructus ventris tui. Quibus verbis rationem reddit, cur benedictam inter mulieres dixerit. Quaſi diceret. Quia tu promiſſum illud ſemen pariet, in quo omnes gentes benedici & promiſſiones de ſalute humani generis vniuerſas impleri oportet. Docet autem hæc cauſæ redditio, Mariam ex Chriſto habuiſſe, quicquid eximium habuit, & non alia ratione benedictam illam & omnium mulierum beatiſſimam dici, quàm quòd eam ex gratia ad hoc delegit Deus, vt filij ſui in carne manifeſtandi mater fieret. Nam vt alibi diximus, ex Chriſti plenitudine omnes ſancti acceperunt quicquid habent. Nimis ergo præpoſterè faciunt, qui neglecto Chriſto in Maria eius matre aut alijs Diuis cœlitibus hærent, quos non ad hoc deſtinauit Deus, vt ſalutis aut gratiæ eius authores eſſent. Agnoſcamus nos in illis Dei gratiam, & huius organa illos fuiſſe fateamur, adhæc eorum fidem & virtutes alias imitemur: ſalutē verò noſtram in ſolius Dei gratia quæramus per Ieſum Chriſtum, quem ille inter ſe & nos Mediatorem vnicum conſtituit.

Chriſtus homo uerus.

Aſſeritur autem hoc Elizabetæ dicto vera Ieſu Chriſti humanitas. Quia enim fructus ventris Mariæ dicitur à ſpiritu ſancto, qui per illam locutus eſt, ex Virgine matre carnem acceperit oportet: Conſentiunt huic dicto veteres promiſſiones, in quibus ſemen mulieris & Abrahami, germen aut ſurculus ex trunco Iſai enaſciturus & Dauidis filius vocatur. Quæ omnia impropriè dicerentur, niſi ille ex ipſa virginis ſubſtantia veram carnem & ſanguinem aſſumpſiſſet. Neque iſta temere toties inculcantur & repetuntur. Hîc enim vnum ex præcipuis noſtræ fidei & ſalutis fundamentum latet. Nam quia verus homo ex Maria natus eſt Dei filius, verè etiam noſter frater eſt, & ad nos pertinet eius iuſtitia & mortis meritum. Itaq; & fidelem pro nobis Pontificem agere potuit, & certa nobis in illo ſalutis ſpes eſſe poteſt, quòd regni cæleſtis cum ipſo cohæredes futuri ſimus. Procul ergo faceſſant, qui hoc ſalutis noſtræ fundamentum labefactant, dum Chriſto corpus aerium aut cæleſte tribuunt, quod per Mariam, ceu canalem, in mundum venerit. A quorum delirijs non procul abſunt, qui etſi illum ex Maria verum hominem aſſumpſiſſe fateantur, corpus tamen eius nunc tale fingunt, quod veri corporis proprietates depoſuerit, & à Deitate abſorptum, adeoq; totum cæleſte factum ſit, vt inter res creatas non amplius cenſeri debeat. Volunt iſti omnes maieſtatis Chriſti propugnatores videri: at interim illum præcipua ſua gloria ſpoliant, dum meritū eius extenuant, cuius virtus ex hoc potiſſimùm dependet, quòd noſtram carnem aſſumere, & eandem in cæleſtem gloriam ſubuehere dignatus eſt, vt ipſi quoque noſtris corporibus olim eiuſdem conſortes efficiamur.

Elizabeta Dei gratiam celebrat.

Tertia ſui ſermonis parte gratiā Dei ſingularem, quam tunc experiebatur, Elizabeta celebrat, dicens: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Et ne hoc temere dici Maria exiſtimet, quid ipſi acciderit, narrat. Ecce enim (inquit) vt peruenit vox ſalutationis tuæ ad aures meas, ſalijt fœtus præ gaudio in vtero meo. Quod rurſus ad fidei Mariæ confirmationem fecit, vt ſupra quoq; diximus. At quod Elizabeta facit, hoc pijs & ſanctis omnibus proprium atque commune eſt: quod nimirum de ſemetipſis admodum humiliter ſentiunt, Dei autem beneficia magnificè extollunt, vt ſe præter omne meritum ab illo tam benignè reſpici teſtentur. Exempla huius modeſtiæ in Abra-

hamo &

hamo & Dauide alibi oſtendimus. Quibus adnumerari debet Petrus Apoſtolus, de quo infra Cap. 5. dicetur, & Centurio ille, cuius fidem præ omnibus Iſraelitis Chriſtus prædicat. Neque aliter ipſam quoq; Mariam affectam fuiſſe, in ſequenti Sermone audiemus. Arguunt iſta phariſæorum confidentiam, qui ſuorum operum meritis, quæ nulla ſunt, ſuperbi, ſe quouis honore dignos æſtimant. Magni facit Elizabeta Mariæ virginis, Chriſtum adhuc in vtero geſtantis, ad ſe aduentum atq; ſalutationem. At iſti, quia ſe ſibijpſis ſufficere putant, ipſum quoque Chriſtum ſe & meritum ſuum ipſis offerentem faſtidioſè nimis contemnunt, & Deum ipſis nihil non debere ſibi perſuadent.

Chriſtus Deus.

Vt verò in præcedentibus veræ incarnationi Chriſti teſtimoniū tulit Elizabeta: ſic in præſenti eiuſdem veram & æternā Deitatem aſſerit. Nam Domini ſui matrem vocat Mariam. At qua ratione fætum in vtero adhuc deliteſcentem poterat Dominum ſuum dicere, niſi in illo aliquid homine maius agnouiſſet? Conſentit ergo hoc dictum cum illo Dauidis: Dixit Dominus Domino ſuo, &c. Verè autem hic titulus Chriſto conuenit, cui omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra. Propriè tamen credentium Dominus eſt, quos ſui ſanguinis pretio redemit, vt ſuum ſint peculium. Ideo apud Iſaiam clamat: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Iſa. 42. *Et eòdem Paulus reſpiciens in priori ad Corinth. ſcribit: Etiamſi multi ſint, qui dicantur domini, nobis tamen* 1. Cor. 8. *vnus eſt Dominus, Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Quod veteres quoq; patres obſernarunt, quando virginem Mariam θεοτόκον, id eſt. Deiparam dixerunt. Etſi enim Deitas minimè ex illa nata ſit, ſiue ſuam originem habuerit, verè tamen ſic dicitur illa, quando eum peperit, qui cùm Deus ſit verus & æternus, ex ipſa tamen hominē aſſumpſit, vt in eadem perſona Deus & homo inſeparabiliter vnirentur. Neminem ergo Iudæorum & Turcarum ludibria moueant, qui nos Deum colere aiunt, qui ex muliere natus ſit: neminem quoque impurorum hominum blaſphemiæ offendant, qui cùm Dei filium ex Virgine natum audiunt, impura & fæda quædā animo concipiunt. Nam vt reuera Deus æternus eſt Chriſtus, ita verè ex Maria Virgine homo natus eſt, & nunc Deus & homo noſter apud patrem Mediator eſt.*

Maria beata, quia credidit.

Sequitur poſtrema ſermonis Elizabetæ pars, quæ cauſam felicitatis Mariæ exponens ait: Et beata quæ credidit, quia perficientur ea, quæ dicta ſunt ei à Domino. Neq; dubiū eſt, hoc illam magno ſerio dixiſſe, vtpote domeſtico exemplo edoctam, cùm maritū propter incredulitatē ſilentij pæna mulctatum eſſe videret. Ad fidem ergo omne hoc bonum refert, qua Maria oblatā ſibi promiſsionē amplexa fuerat. Quòd ſi quæras, quæ illa fides fuerit, patet ea ex Angeli verbis. Promiſerat ille, quòd Dei filium paritura eſſet, promiſſum illum humani generis redemptorem, & illius regnum deſcripſerat. Iſti promiſsioni credidit Maria, & proinde de fide in Chriſtū Elizabetæ verba debent intelligi. Ergo eadem fide Virgo mater beatitudinem aſſecuta eſt, qua Abrahamum olim iuſtificatum eſſe, Paulus ad Romanos docet. Obſeruabis autem, quòd ibidem ex Abrahami exemplo doctrinā generalem Apoſtolus colligens ait: Scriptum eſt non propter Abrahamum ſolùm, quòd fides ei ad iuſtitiam imputata fuerit: ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt vt imputetur, qui credimus in eum, Rom. 4. *qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis, &c. Quod non minus de Maria dici debet, cuius exemplo doctrina apoſtolica de iuſtificatione & beatificatione fidei validiſsimè cōfirmatur. Si enim illa, quæ inter omnes homines merito gradum ſupremū obtinet, non aliter quàm per fidem beata facta eſt, nimium confidentes & in Deum ipſum imperioſi ſunt, qui ſibijpſis nouam ſalutis conſequendæ rationem fingunt, & ſuorum operum meritis cælos conſcendere conantur. Habet præterea locus hic aliam quoq; doctrinam, Dei nimirum promiſsiones non niſi credentibus impleri. Eſt quidem Deus verax, neq; illius promiſsis noſtra incredulitas ſiue diffidentia quicquam derogat. Sed vt fides organum eſt vnicum, quo promiſsiones eius nobis applicamus: ita incredulitas illas reſpuit, & nos indignos facit, quibus Deus promiſſa præſtet. Et quia ille ea cōditione nobis ſua bona pollicetur, vt nos illi morigeros & fideles præbeamus, nihil nobis in eius promiſsiones iuris eſt, ſi nos incredulos & inobedientes præbeamus. Debet hoc applicari omnibus promiſsis, tam ijs quæ ad ſalutē æternam ſpectant, quàm quæ de bonis tēporarijs habentur. Vbiq; enim illud Chriſti ratū erit: Fiat tibi ſecundū fidem tuam. Quia ergo hodie fides in terris rara eſt, non mirū videri debet, pauciores eſſe, qui promiſsionū Dei fructu fruantur. Itaq; procul excluſa diffidentia & omnibus carnis incredulæ rationibus, euangeliū de Ieſu Chriſto attentis animis audiamus, ipſum verò fide conſtanti amplectamur, & in ipſo beati erimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA XI.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus ſuper Deo ſeruatore meo. Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc me beatam prædicabunt omnes generationes. Quia mihi fecit magnifica potens ille. Et ſanctum eſt nomen eius, & miſericordia eius in omnes progenies timentibus ipſum.

Deus gratitudinem exigit à nobis.

QVemadmodum Deus ad iuuandum propenſus eſt, & ſuam gratiam nobis ſpontè & liberaliter offert: ita vt nos ipſi gratos præbeamus poſtulat. Et ſanè cùm gratitudinem nobis ipſa naturæ lex commendet, quæ illius exempla in brutis quoque animalibus præclara proponit: nulla venia digni fuerint, qui Deo ingrati ſunt, cui uoſipſos & omnia noſtra debemus. Etſi verò gratitudo hæc maximè in obedientia & præceptorum Dei obſeruatione conſiſtat, ſimul tamen publica quoque acceptorum beneficiorum & gratiæ Dei prædicatio exigitur: Ipſius enim præceptum eſt: In die tribulationis tuæ inuoca me, & liberabo te, & tu me glorificabis. Id autem Deo acceptius eſſe David teſtatur, quàm ſi quis iuuencum cornibus & vngulis præſtantem ipſi offerat. Nec enim (vt ipſe ait) boum carnibus veſcitur, neque hircorum ſanguinem bibit: delectatur autem laude & gratiarum actione, non quidem vt ambitioſi ſolent, quibus nulla Muſica dulcior eſt, quàm qua laudes ſuas decantari audiunt: ſed quòd per illam, ſi publicè fiat, plures alij in ipſius cognitionem adducuntur, & ad cultum eius verum excitentur: multi verò, qui in afflictione conſtituti ſunt, illis auditis exhilarentur & cum conſolatione certam ſuæ etiam ſalutis ſpem concipiant. Ideo hic mos inter pios & ſanctos Dei cultores obſeruatus eſt omnibus ſeculis, vt ſingularia Dei beneficia carminibus & publica gratiarum actione celebrarint. Exempla vetuſtiſſima habemus in Moſe & Aarone, qui Iſraeliticam gentem ad hoc aſſuefecerunt: quos poſtea imitata eſt Debora, cùm eundem populum Deus ipſius opera ex hoſtium tyrannide vindicauiſſet. Priuatim verò hoc fecerunt Anna Samuelis mater, Ionas, Ezechias, & imprimis David, qui vt in grauioribus periculis non aliud Domino vouit, quàm cantica euchariſtica: ita liberatus illa præſtitit, & toti populo decantanda propoſuit, vt ſuo exemplo quàm plurimos erudiret. (Pſalm. 50. & 69.) *Imitatur hos in præſenti Maria Virgo, cum immenſam & exemplo carentem Dei bonitatē experta eſſet. Audiuerat enim ex Angelo, ſe eſſe benedictam illam mulierem, ex qua Dei filium & vnicum humanæ ſalutis authorem hominem naſci oporteat. Didicerat item conceptionis & generationis huius modum fore nouum & cumprimis glorioſum, vt nimirum illæſa virginitate conciperet & pareret. Iam verò per Elizabetam nouis promiſſionibus & ſigno memorabili cōfirmata & ab ipſo ſpiritu ſancto beata dicta fuerat, eò quod Dei promiſſis fidem habuiſſet. Sunt hæc eiuſmodi bona, quæ vt captum humanum ſuperant, ita cum publica omnium hominum ſalute coniuncta ſunt, & proinde ſingularē gratitudinem merebantur. Quid ergo pro illis rependit Domino Maria? Hoc vnum, quod ex ſpiritus ſancti impulſu in Dei laudes erumpit & carmen profundit verè diuinum & magnificum: quo primùm eam Dei benignitatem & miſericordiam commendat, quam ipſa experta erat: deinde eiuſdem potentiam & iudicia non minus iuſta quàm ſeuera in genere prædicat: poſtremò omne hoc ad cauſam præſentem accōmodat, & illic de redemptione populi Dei diſſerit, quam olim promiſſam nunc præ foribus adeſſe videbat. Voluit autem ſpiritus ſanctus carmē hoc, cuius ipſe author fuit, à Luca ſcriptis mandari, quia generalē & cōſolationis plenam doctrinam cōtinet, qua præcipuæ Dei virtutes illuſtrantur, Bonitas nimirum & miſericordia qua nos miſeros & indigniſſimos mortales dignatur: Potentia item & iuſtitia quibus in coercendis impijs & aſſerendis ſuis vtitur: & veritas, qua fideliſſimè præſtat, quæcunque pollicetur. Quarum omnium conſideratio diligens, vt homines in officio continet, ita fidei confirmandæ imprimis ſeruit. Eſt ergo carmen hoc digniſſimum, cuius ſingulas partes ex ordine conſideremus.*

Canticum Mariæ.

Propoſitio.

Principio proponit rem omnem his verbis: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus ſuper Deo ſeruatore meo. Magnificandi verbo pro Hebræorum more vtitur, quibus illud idem ſignificat, quod celebrare aut laudibus eximijs atq; magnificis vehere. Animæ autem & ſpiritus vocabulis omnes hominis facultates comprehendit, intellectum, rationem, voluntatem, &

quæcunq;

quæcunq; alia ex his dependent. Itaq; ſenſus eſt: Quanta quanta ſum, tota in Dei laudes effundar, & quicquid in me eſt virium cùm corporis tum animi, illud omne impendam, vt Deus per me glorificetur: neq; id inuita aut coacta faciam, ſed cum ſpiritus exultatione, qui totus mihi geſtit ad hoc officium Deo præſtandum. Conueniunt ergo iſta cum Dauidis verbis, quibus ille interdum ſeſe ad Dei laudes excitat: Paratum eſt cor meum ô Deus, paratum eſt cor meum, & pſallam: Expergiſcere ô gloria mea, expergiſcere nablum & cithara, &c. Item, Propterea canet tibi gloria mea, & non ſilebit. Vbi gloriæ nomine omne id intelligit, quod in ſe glorioſum & eximium habebat, & quod gloriæ Dei celebrandæ ſeruire poterat. Pſalm. 30. & 57. &c.

Affectus fidei quis & qualis.

Obſeruabis autem in Mariæ exemplo, quis effectus ſit fidei, qua illam prædicatam fuiſſe, nuper audiuimus. Nititur hæc vno Deo, & proinde huius gloriæ vnicè ſtudet, & hanc promotam cupit. Nam vt bonæ indolis filij de parentum gloria vehementer ſoliciti ſunt, & ab ijs omnibus abhorrent, quæ parentibus dedecori fore nouerunt: ita qui per fidem Dei filij facti ſunt, illius gloria nihil antiquius habent, & huic prouehenda ſe totos impendunt. Parit hoc ſtudium publicam fidei confeſſionem & cum gratiarum actione coniunctam gratiæ in Ieſu Chriſto exhibitæ prædicationem. Cur enim illos Chriſti pudeat, in quo vitam & ſalutem ſuam omnem repoſitam eſſe nouerunt? Vel cur fidem ſuam diſsimulent, qua ſola Chriſtus apprehenditur, qui nobis à Deo patre ſapientia & iuſtitia factus eſt? Neq; verbis ſolùm Dei gloriam prædicant, ſed vitam quoq; omnem ita inſtituunt, vt propter ipſos Dei nomen apud alios quoq; glorificetur, qui nondum in plenam eius cognitionem peruenerunt. Poteſt hoc infinitis exemplis probari eorum, quorum fides & pietas in ſcripturis commendantur. Sunt ergo à fide alieniſsimi, quos nulla gloriæ Dei cura detinet, & qui ita viuunt, vt propter ipſos verus Dei cultus et tota religio Chriſtiana malè audiant, & ipſorum exemplo multi abſterreantur, quò minus ad Chriſtum accedant, quem licentiæ huius & proteruiæ authorem arbitrantur, quam in illis cernunt. Eſt horum infinitus numerus hodie inter eos, qui Euangelij doctrinam profitentur, vt iam de illis nihil dicam, qui ineptiſsimis ſuperſtitionibus & publico idolorum cultu Chriſtianum nomen Turcarum & Iudæorum ludibrijs exponunt.

Vt Deus laudari debeat.

Admonemur item hoc loco, vt Deus laudari debeat. Nimirum non obiter, ſed anima & ſpiritu. Quia enim ex illo habemus quicquid ſumus, meritò idem nos totos ſibi vendicat, & proinde ſacrilegij ſpecies erit, ſi quam noſtri partem ab illius cultu & obſequio alienemus. Monet hoc ipſe, cùm in lege requirit, vt ipſum diligamus ex toto corde, ex tota anima & omnibus viribus noſtris. Nihil ergo ad verum Dei cultum faciunt, qui illi ore appropinquant, & eum labijs honorant, corde autem procul ab eo abſunt. Erant tales olim inter Iudæos, quos per Iſaiam Deus grauiter reprehendit: & horum ſimiles ſunt hodie, qui pſalmos vel non intellectos, vel ſaltem non bene conſideratos demurmurant, aut publicè decantant, & in cantu illo præcipuam cultus diuini partem collocant. Sunt hi potius prophanatores nominis Dei, quando de illo non honorificentius ſentiunt, quàm quòd illum eiuſmodi vlulatu placari poſſe putant. Adhæc cum eccleſia nimis ſcurriliter ludunt, dum populi aures inani verborum non intellectorum ſono paſcunt, imò fatigant potius, & eos inutiliter detinent in templis, quos ſana verbi Dei doctrina ædificare debebant. Cœpit hoc vitium Apoſtolorum temporibus, vt in Corinthijs eſt videre, quos linguarum peregrinarum oſtentatione ſuperbiuiſſe Paulus ſcribit: ſed idem illos grauiter corripit, & cùm ipſe linguarum dono præ multis alijs excelleret, malim tamen (inquit) quinq; verba loqui, quæ & ipſe intelligam, & quibus alij informentur, quàm decem millia verborum linguis peregrinis profundere. At non eadem eſt hodie cleri papiſtici ſententia, cuius potentia atq; tyrannis populi ignorantia potiſſimum fulcitur & confirmatur. Iſa. 29.

Maria exultat in Deo ſeruatore ſuo.

Eſt autem in Mariæ verbis inter alia maximè obſeruatu dignum, quod ait: Exultauit ſpiritus meus ſuper Deo ſeruatore meo. Eſt hæc cauſa prioris, quo ſe Deum magnificè celebraturum dixerat: Nec enim id faciunt, niſi qui & illum ſuum ſeruatorem eſſe agnoſcunt, & in illo ſalutis ſpem certam collocarunt, qua fit, vt in illo geſtiant & exultent. Equidem mirabitur Mariæ dictum humana ratio, ſi hoc ab ea dici cogitet, quæ paupercula & non vno modo miſera erat, quoad huius ſeculi conditionem. Sed quia fides animos altius euehit in eorum bonorum conſiderationem, quæ nobis in Deo repoſita ſunt, non mouentur huius mundi caſibus & periculis fideles, quò minus tunc in Deo exultent & tripudient, quando omnia deploratiſsima videntur. Intelligunt enim crucem & aduerſa adeò nihil derogare felicitati veræ, vt potius in his ferendis Chriſti Ieſu ſocij efficiamur, & proinde arctius quoq; cum Deo

Rom. 5. vniamur, in quo omnis noſtra felicitas & beatitudo conſiſtit. Itaq; vt Paulus ad Romanos ſcribit, ipſis etiã afflictionibus gloriantur. Nam præter id quod modò diximus, vident in illis ſibi materiã patientiæ propoſitam eſſe: quam qui præſtant Deo, ij huius gratiam & bonitatem quotidie maiorem experiuntur: ex eo autem ſpem indies maiorem concipiũt, quæ illos minimè fruſtratur, cum dilectionis Dei teſtem habeant locupletiſſimũ, ſpiritum ſanctum, qui certus & minimè fallax ſalutis arrhabo eſt. Vnde apparet, fide nondum rectè præditos eſſe eos, qui ad primum aduerſæ fortunæ aſſultum concidunt, & non ſolum eiulatu muliebri ſuam diffidentiam produnt, verumetiã Dei iudicia audacius accuſans, deq; eius rigore nimio, vel etiam negligentia quiritantur, quaſi ſuos minus curet. Eſt autẽ hæc præclara fidei laus, quòd ſola hoc nobis impetrat, vt inter media pericula & in medijs calamitatibus poſſimus in Deo exultare. Neſciunt huius virtutẽ infelices huius mundi filij, & ideo in opibus, dignitatibus, fœderibus & ſociorũ potentia exultant, quando longius abſunt pericula. Vt primùm verò his propius vrgentur, & ſe neq; diuitijs, neq; honoribus, neq; amicorũ & ſociorum viribus iuuari ſentiunt, omni ſimul ſpe deſtituti ſuccũbunt, & ſe omnibus modis miſeros & infelices eſſe clamant: & quidẽ verè, cùm illo careant, qui vt ſolus ſeruator eſt, ita ſolus in periculis intrepidos & conſtantes reddit. Quantò autẽ omnibus his infeliciores ſunt, qui in nequitia ſua exultant, & tũc ſibi beati videntur, quãdo ipſis impunè belluari, ſcortari, mœchari, ludere & quæuis alia pro ſuo ar-
Pſal. 52. bitrio facere licet? Sunt hi ex potentũ illorum numero, quos Dauid in malitia gloriari ait. Sed diſſipantur ijdem in æternũ, & abradit eos Dominus de tabernaculo ſuo, neq; illos radices agere ſinit in terra verè viuentium. Diſcant ergo quicunq; ſibi bene eſſe volunt, in vno Deo gloriari & exultare, qui triſtitiam omnem in gaudium conuertere, & in medijs aduerſis ſeruare poteſt.

Bonitatis & miſericordiæ Dei celebratio.

Sed ad Mariam redeamus, quæ his præmiſſis primam ſuæ gratiarũ actionis partẽ aggreditur, quæ diuinæ bonitatis & miſericordiæ cõmendationem continet. Primò autem eam gratiam celebrat, quam ipſa in præſenti experiebatur, & ait: Quia reſpexit ad humilitatẽ ancillæ ſuæ. Quo loco ineptis & ſuperſtitioſis Mariæ cultoribus impoſuit Humilitatis vox, qua illi virtutem illius cõmendari, & hanc ab ea quaſi meritum quoddam adduci putauerunt, cuius cauſa Deus tantam dignitatẽ illi cõtulerit. At in Græco non ταπεινοφροσύνη habetur, quæ animi humiliter de ſe ipſo ſentiẽtis modeſtiã ſignificat, ſed ταπείνωσις, qua humilis & vilis ſiue abiecta hominis alicuius cõditio denotatur. Neq; tamẽ negamus Mariam vt reliquis virtutibus, ſic etiã animi modeſtia præclarè ornatã fuiſſe, ſed hac illam minimè gloriatam fuiſſe dicimus hoc loco, vbi Dei potius bonitatem, qua is ſeſe ad nos vſq; demittit, quàm ſeipſam prædicare voluit. Itaq; verborũ ſenſus eſt: Cùm paupercula eſſem & ab omnibus contemnerer, imò cùm familiã meam Herodes crudeliter perſequeretur, & nihil in me in-
Sic exponit hæc uerba Theophylactus. ueniretur quod aliquem ſplendorem præ ſe ferret, Deus me reſpexit: Deus (inquam) me vilem ancillam reſpexit, non ego illum ſuſpexi: ille mei miſertus eſt, non ego quicquam apud eum merui, &c. Rurſus autem admonemur, nos dum Dei beneficia celebramus, imprimis quàm viles & indigni nos ſimus ſpectare debere. Niſi enim hoc fiat, facilè efferimur, vt Deum ex noſtris meritis illa nobis debere putemus, quò fit, vt nobis exitio ſint, quæ ille in nos confert, & ex quibus eius bonitatẽ agnoſcere debebamus. At ſi in nos ipſos deſcendamus, & cum noſtris factis primã quoq; originem noſtram conſideremus, & quales ex matris vtero naſcamur, quot item modis Dei iuſtiſſimi & ſanctiſſimi iudicis oculos offenderimus: mox patebit, nobis omnia hæc ex gratia obtingere, & ita de nobis quidem ipſis humiliter ſentiemus, Deo autẽ nos gratos præbebimus. Exempla, quæ hic adduci poterant, alibi commemorauimus, inter quæ primus locus meritò Mariæ debetur: à cuius ingenio nimis alieni ſunt, qui hodie ſua merita apud Deum oſtentant, & hunc ſibi quaſi debitorem faciunt.

Id verò euidentius patebit in ijs, quæ ſequuntur. Nam pergit Diua Virgo & ait: Ecce enim
Maria Dei gratiam agnoſcit. ex hoc me beatã prædicabunt omnes generationes. Quaſi diceret: Nunc quidem tu Elizabeta me benedictam inter mulieres pronuntiauiſti, ſed non tu ſola ſic de me iudicas. Fiet enim deinceps, vt quotquot in Chriſtum ex me naſciturũ crediderint, idem tecum ſentiant, & me mulierum beatiſſimã prædicent. Qua verò de cauſa? aut quo meo merito? Num propter meã virtutem? Non: ſed quia mihi fecit magnifica potens ille: Deus nimirũ, qui omnibus pro ſuo nutu & arbitrio imperat. Itaq; Maria felicitatis ſuæ cauſam non in ijs conſtituit, quæ ipſa fecerat hucuſq;, ſed quæ ipſi fecerat Deus. Etſi enim omni virtutũ genere ornatiſſima fuerit, nihil tamẽ ex ſeipſa habuit, quod nõ diuinitus accepiſſet: & ideo nullũ ſuum meritũ potuit aut voluit allegare. Quæ autẽ erant illa, quæ ipſi fecerat Deus?

Reſpexerat

Reſpexerat humilem & afflictam. Deinde ad hoc illam deſtinans, vt filij ſui æterni in carne mani-
feſtandi mater fieret, & ſaluo virginitatis flore pareret promiſſum humani generis redemptorem.
Adhæc fide eam donarat, qua promiſsiones omni captu humani ingenij ampliores poſſet amplecti.
Hæc verè magnifica ſunt, & omnẽ huius mundi dignitatẽ atq; felicitatem ſuperant. Prædicatur in
Romana hiſtoria Q. Metellus, vt qui mortalium feliciſſimus fuerit. Quas verò ob cauſas? Quòd in Val. Max. lib.
vrbe terrarũ principe natus ſit: quòd parentes habuerit nobiliſſimos: quòd animi dotibus & corporis 7. cap. 1.
viribus instructus laboribus ſufficere potuerit: quòd vxor illi obtigerit pudicitia ſimul & fœcundita-
te celebris: quòd conſulatum & imperatoriam poteſtatem cum laude geſſerit: quòd rempub. & domũ
propriã triumphis ſpecioſiſſimis ornarit: quòd eodem tempore tres filios conſulares, vnum etiã cenſo-
rium, duos triumphales, & quartum prætoriũ viderit: quòd tres filias nuptui dederit, earumq; ſobo-
lem ſuo ſinu exceperit: quòdq; tandem vltimæ ſenectutis ſpatio defunctũ, & leni genere mortis inter
oſcula atq; complexus chariſſimorum pignorum extinctũ filij & generi ſuis humeris per vrbem latũ
rogo impoſuerunt. Sunt hæc ſanè magna & rara, quæ in huius vitæ curriculo paucis obtingere con-
ſtat, vt non ſingula infinitis curis & aduerſis caſibus interdum turbentur. Attamen omnia hæc tem-
poraria, caduca & vana ſunt, neq; aliquid faciunt ad veram felicitatẽ, quæ ex gratuito Dei fauore
dependet, & nec ipſa morte finitur, ſed continuatur potius, vt æternũ duret. Rectè ergo Maria feli-
citatis ſuæ cauſam in gratuitis Dei beneficijs cõſtituit, quæ cũ ipſius ſimul & totius generis humani
ſalute coniuncta fuerunt. Nimiùm verò ineptè (vt ne quid grauius dicam) faciũt ſuperſtitioſi eius
cultores, qui nouis titulis & dignitatibus ita illã ornare & extollere ſatagunt, vt quæ Deus in illã
verè magnifica & eximia contulit, quodammodo obruant, ne à quoquã dignè conſiderentur. Vocant
illam portam cœli, ſpem ſalutis, reginã cœli, ſtellam maris, vitam, dulcedinem, & infinita alia conge-
runt, quæ non minus impiè quàm ridiculè de illa prædicantur. Neq; contenti ſunt Chriſti honorẽ in
illam tranſtuliſſe, dum eam nobis aduocatã faciunt, inſuper ei in illum ius & imperium tribuunt, &
quòd per vbera ab illa rogatus petenti nihil denegare poſſit. Sunt hæc aliena à ſcripturis, & ipſius
Mariæ teſtimonio confutantur: neq; maiorẽ illi iniuriã facere poterant, quàm quòd ex ea idolũ fin-
gunt, quam in eam dignitatẽ Deus euexit, vt Chriſtum nobis pareret, cuius ſolius merito nos ipſi re-
conciliaremur. Ergo omiſſis iſtorũ delirijs, ad Mariæ verba redeamus, in quibus hoc etiam non oſci-
tanter conſiderari debet, quòd Dei bonitatem prædicatura, potentiæ quoq; illius meminit. Nam fecit
mihi (inquit) magnifica potens ille. Equidem neceſſe eſt, vt in Dei bonitate ſimul eiuſdem potentiã
quoq; ſpectemus. Ita enim promiſſionibus eius credemus, etiamſi hæ noſtri ingenij captum vincant,
& inſuper in fide confirmabimur, certi, quòd in poſterum quoq; ſuum fauorem continuare, & omni-
bus aduerſis ſuperiores facere poſſit.

Cæterùm vt quod de ſe dixit Maria, cõmuni omnium inſtitutioni ſeruiat, hæc ipſa in genere ad Nomen Dei ſan-
omnes extendit. Summã verò omnium, quæ de Deo dici poſſunt præmittit, ſub exclamationis ſpecie ctum.
dicens: Et ſanctum eſt nomen eius. Vbi obſeruabis, Deum nullũ habere nomen propriũ, vt res crea-
tæ, quæ ſuis nominibus definiuntur. Quia enim ille immenſus & infinitus eſt, nullũ quoq; nomen po-
teſt fingi aut inueniri, quod eius naturam atq; eſſentiã comprehendat. Ideo Iacobo nomen eius quæ-
renti dicebat: Cur interrogas de nomine meo? Et Moſi eandem quæſtionem mouenti reſpondit: Sum Gene. 32.
qui ſum. Dicitur ergo Dei nomẽ quicquid de illo prædicatur, & quo ſe nobis cognoſcendũ ille præbet. Exod. 3.
Itaq; huc pertinent eius attributa omnia, ſapientia nimirum, bonitas, miſericordia, iuſtitia, veritas,
omnipotentia, & quæcunq; alia ſunt huius generis. Sunt hæc omnia per ſe ſancta, id eſt, veneratione
digna & adoranda: adeò vt nihil in illo accuſari debeat, etiãſi quæ de illo dicuntur, & quæ facit, no-
ſtræ rationi interdum minus æqua aut tolerabilia videantur. Quod vt vbique aliàs, ſic maximè in
Chriſti Ieſu negotio obſeruari debet. In hoc enim virtutes ſuas omnes Deus nobis ceu in ſpeculo ſpe-
ctandas propoſuit, & eidẽ poſtea nomen dedit, quod (vt Paulus ait) eſt ſupra omne nomẽ, & in quo Phil. 2.
omnia genua cùm cœleſtium, tum terreſtriũ & eorum qui apud inferos ſunt flecti, conuenit. Iſtud autẽ
Epiphonema hic interſeri neceſſe fuit. Ita enim Diua virgo primùm multis quæſtionibus occurrit:
Cur filij ſui aduentũ huc uſq; Deus diſtulerit? Cur ad negotiũ hoc puellam delegerit vilem & nullius
inter homines authoritatis? Cur filij ſui conceptionẽ non aliquo publico miraculo omnibus commen-
darit? &c. Sufficit enim ad hæc omnia reſpondiſſe: Sanctũ eſt nomen eius, & nõ falli poteſt Dei ſa-

pientia,neq; aliquid præter æquum & rationē agit,cuius iudicia ſunt iuſtitia & veritas:tu verò quis
es,qui ab illo factorum rationem exigas? Deinde ſuperſtitioni mederi voluit hoc dicto ſpiritus ſan-
ctus,quam circa Mariæ cultum exorituram eſſe præuidebat. Cùm enim Maria in media eorū com
memoratione,quæ ſibi eximia contigerant,ad hunc modū exclamat,ſimul non obſcurè omnes homi-
nes abs ſe ad vnius veri Dei cultum remittit,neq; vult,vt in ipſa hæreamus,aut penes ipſam quæra-
mus quæ apud vnum Deum inueniri poſſunt.Eſt hoc proprium ſanctis omnibus,ſicuti apoſtolorū
Acto.3.14. Ioannis & Petri,Pauli item & Barnabæ exempla teſtantur. Angeli quoq; ſeſe adorari non ſinunt,
ſed hominum piorum conſeruos eſſe profitentur, vt omnem ſuperſtitioſi cultus occaſionem nobis præ
ripiant.Eſt hoc probè obſeruandum,vt quoties nobis Diuorum virtutes homines ſuperſtitioſi com
mendant in eum finem,vt illos inuocemus, parata nobis ſit reſponſio : Domini Dei nomen ſanctum
eſt,& is ſolus dignus eſt,quem omnes colant & inuocent.

Miſericordia Dei uniuerſalis & perpetua. At generali huic doctrinæ peculiarē diuinæ bonitatis commendationē ſubijcit Maria, addens:
Et miſericordia eius in omnes progenies timentibus ipſum. Id verò non ex ſuo cerebro fingit,ſed in
fœdere Deum ſuam fidem & bonitatem non ſoli Abrahamo,ſed eius etiā ſemini obſtrinxiſſe ſciebat.
Et nota eſt omnibus eiuſdem promiſſio,quæ in lege habetur,qua ſe miſericordiam facere ait in mil
lia his,qui ipſum diligunt,& præcepta eius obſeruant. Oportuit autē iſtud hic adijci,ne quis gratiæ
Dei curſum in Maria ſubſtitiſſe, aut eius fontem tanta in hanc liberalitate exhauſtū eſſe putaret.
Etenim probè tenendū eſt hoc noſtræ fidei & veræ conſolationis principium,quod Scripturæ paſ-
ſim tradunt,& quod Dauid nunquam non in Pſalmis repetit & inculcat, Miſericordiam Domini
manere in æternum,& in omnibus operibus eius eminere ſupra alias ipſius virtutes. Teſtatur hoc
continuus hiſtoriæ totius mundi curſus,iam inde à prima origine. Etſi enim patribus,qui diluuium
præceſſerunt,ſuam gratiā liberaliter contulerit Deus,non obſtitit tamē hoc,quò minus poſteris quoq;
benefecerit.Imò in medijs ſcelerum pœnis miſericordiæ ſuæ recordari ſolet, qua pœnas ſic temperat,
vt ad ſalutem ferè nobis cedant,quæ prius exitio fore videbantur. Vicit tamen omnia alia diuinæ
miſericordiæ opera beneficium,quod in Chriſto Ieſu accepimus. In hoc enim nos priuſquam eſſemus
elegit ab æterno. Eundem præfinito tempore in mundum miſit, vt humani generis redemptor eſſet.
Idem toto illo tempore,quo in terris vixit, in miſeros mortales beneficentiam omnē exercuit,in do-
cendo & conſolando diligens,in miraculis aſſiduus,quæ omnia non ad oſtentationem,ſed ad hominū
vtilitatem inſtituta fuerunt.Attamen quaſi nihil feciſſet vnquam, ipſe ſolicitè quæſiuit quibus bene
faceret, & quaſi vlnis expanſis omnes laborantes atque oneratos ad ſe inuitauit. Denique hoſtium
quoq; miſertus,eorum infelicitatem & quod illis imminere ſciebat exidium lachrymis minimè fictis
proſecutus eſt.Et quod olim fecit,hoc ipſum etiam hodie illum facere videmus, dum per Euange-
lium quotidie nos ad ſe vocat,& non quærentibus ſalutem benignè offert. Tantus autē eſt benefi-
centiæ ipſius fons,vt quemadmodum meriti eius virtus ad primos vſq; parentes extenditur (quo no
Apoc.13. mine agnus dicitur immolatus ab origine mundi) ita in conſummationē ſeculi vſq; duret, & omni-
bus ſeruandis ſufficiat,qui ad ipſum accedunt. Arguunt hæc illorum ſtultitiam,qui cùm fontē mi-
ſericordiæ ſibi in Chriſto apertum eſſe videant,hoc tamen relicto ciſternas fodiunt , & circa Diuos
occupantur , qui gratiam quidem Dei ſingularem experti ſunt,non autem eam ab illo poteſtatem
acceperunt,vt eandem ad nos deriuare poſſint.Diligenter ergo hoc Virginis Deiparæ dictum obſer
uent afflictæ conſcientiæ,quibus hac potiſſimum ratione Deus conſulere voluit, quòd in Chriſto mi-
ſericordiam illis ſuam liberaliter offert,ne incertis ambagibus defatigentur.

Quorum miſereatur Deus? Probè autem tenere oportet,quibus miſericordiæ huius fructus deſtinatus atq; paratus ſit. Ni-
mirum ijs,qui ipſum timent.Comprehenditur autem ſub timore Dei omnis pietas atque religio. Vbi
ante omnia Dei cognitione opus eſt.Parit hæc fidē,ex qua timor atq; obedientia naſcūtur. Turpis
ergo & pernicioſus illorū error eſt,qui Dei miſericordia freti in ſceleribus pergunt,& ita ſibijpſis the
ſaurum iræ colligunt,neq; cogitant (vt Paulus inquit) Deum ſua illa lenitate ad pœnitentiā inui-
tare. Calumniantur quidem aduerſarij noſtri, nos doctrina gratiæ & miſericordiæ Dei hominibus
ſecuritatis & licentiæ ſcelerum authores eſſe:ſed ignorant illi,aut ſaltem ignorare volunt, huius do
ctrinæ vſum , & notior eſt pijs omnibus innocentia noſtra , quàm vt multa excuſatione opus ſit.
Nos itaque obſeruemus , contineri hoc dicto verum felicitatis conſequendæ rationem. Pendet hæc
tota

tota ex eo, vt Deum nobis propitium habeamus, qui vnicus omnis boni fons eſt. Id verò tunc fiet, ſi illum timeamus, & timorẽ hunc ſancto atque aſsiduo obedientiæ ſtudio teſtemur. In hoc ergo publicè ſint omnes, quando fame, peſte, bello aut alijs calamitatibus vexantur. Priuatim quoque de hoc ſeriò cogitent, qui rem domeſticam ſibi ſaluam eſſe cupiũt. At quæ noſtri ſeculi eſt peruerſitas, hanc viam pauci ingrediuntur, pleriq; verò ad media illicita recurrunt, & ſcelera ſceleribus accumulant. Quæ cauſa eſt, quòd continuis plagis nos percutit Deus, & quòd omnia ea nos indeſinenter fatigant, quæ nouiſsimi ſeculi hominibus olim Dominus comminatus eſt. Vtut tamen iſta habeant, debent ex hoc etiam loco conſolationem petere pij. Etſi enim in illos totus mundus coniuret, & circumquaque tyranni ſæuiant, Dei tamen miſericordia in æternum durat timentibus ipſum, & iijdem vindicem habent fideliſsimum Ieſum Chriſtum, cuius promiſsio eſt: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; in conſummationem ſeculi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XII.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſsipauit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Detraxit potentes è thronis, & extulit humiles. Famelicos impleuit bonis, & diuites ablegauit inanes. Suſcepit Iſrael puerũ ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ: (prout locutus eſt patribus noſtris, Abrahamo & ſemini eius) in æternum. Manſit autem Maria cum illa quaſi menſes tres, & inde reuertit domum ſuam.

ETſi homines Deo, ſummo & æterno bono, quiq; nullius rei indigus eſt, pro infinitis, quæ in nos quotidie confert, beneficijs dignam gratiam referre nullo modo poſſunt: vult tamen ille, vt ea gratis animis agnoſcamus, & laudes ipſius publicè prædicemus, vt plures alij noſtro exemplo illum agnoſcere & eidem confidere diſcant. Fecerunt hoc diligenter omnes ij, quorum fides & pietas in ſcripturis commendatur: & hoc ipſum Maria quoque facit, quam ex ſingulari gratia Deus rebus maximis & ad communem humani generis ſalutem pertinentibus deſtinauerat. Pro ijs verò omnibus nõ aliud, quàm Canticum rependit, quo omnia complectitur, quæ nos in veri Dei cognitionem inducere, inq; eius fide confirmare poſſunt. Nam primo, quam ipſa experta erat, Dei bonitatem prædicat, ſimulq; hanc omnibus, qui illum timent, paratam eſſe docet. Ab hoc autem orditur, vt ſuo exemplo doceat, omnium beneficiorum Dei cauſam ad ſolam eius gratiam atque miſericordiam debere referri, cùm nihil in nobis ſit, quo aliquid apud illum mereamur. Deinde potentiam Dei celebrat, & ita quidem, vt hanc oſtendat cum iuſtitia coniunctam eſſe, qua in coercendis impijs, & ſuis ſeruandis vtatur. Tandem verò hoc omne ad præſentem cauſam incarnationis filij Dei accommodat. Et de prima quidem Cantici huius parte nuper dictum eſt, nunc ergo duas alteras videamus.

Secunda (vt diximus) de potentia Dei inuicta agit, quam initio in genere proponit, dicens: Fecit potentiam (id eſt, potenter operatus eſt,) in brachio ſuo. Brachium autem Deo tribuit, non quòd is membris humanis conſtet (ſpiritus enim eſt omnia complens & penetrans) ſed vt oſtendat, illum propria virtute omnia facere, neq; auxilio alieno opus habere. Itaq; locutio eſt ei ſimilis, qua Iſaias cap. 59. vtitur: Videt Dominus, & diſplicet in oculis eius, quòd non eſt iudicium: videt (inquam) quòd non ſit quiſquam, & obſtupeſcit quòd nemo intercedit, & ſalutem operabitur ei brachium ſuum. Quaſi diceret: Etſi nemo ſit, qui rebus afflictis opem ferat, non tamen ideo ſalus omnis deſperata eſt: quia Deus ipſe ſibi ſufficit, & proprijs (quod aiunt) manibus ſalutem afferre poterit. Sunt igitur iſtæ locutiones plenæ conſolationis, & docent, non deſperandum nobis eſſe, etiamſi nullum in humanis auxilium appareat. Non obſtat enim hoc, quò minus ſuum brachium exerat Deus, & eos iuuet, qui ab omnibus derelicti ſunt. Imò vt olim Philo Iudæus ſocijs ob Caij Cæſaris minas conſternatis dicebat, neceſſe eſt adeſſe diuinum, vbi humanum ceſſat auxilium. Quod vt in omni alio caſu obſeruari debet, ita maximè locum habet in æternæ ſalutis negotio. Illic verè brachium aut manus Dei dicitur æternum illud verbum, per quod omnia creata ſunt, & cuius virtute omnia gubernantur: Filius nimirum Dei, qui homo factus in mundum venit, & propria virtute atq; meritis Potentia Dei celebratur.

ſalutem humani generis operatus eſt, dum nemine alio ipſum adiuuante peccatum omne ſuſtulit,
mortem deuicit, inferorum portas effregit & diaboli regnum euertit. In hoc igitur nobis vniuerſa ſa
lutis ſpes collocata eſſe debet, ne dum alia adminicula quærimus, illius potentiā in dubium vocemus.

Deus ſuperbos diſsipat.

Cæterùm quia Dei virtutem non ſemper agnoſcunt homines, & quàmuis eam in genere fatean
tur, non tamen illi in quouis caſu confidunt, illam Maria operum aliquot commemoratione illuſtrat,
vt his obſeruatis in eius fide confirmemur. Inter hæc primum his verbis comprehendit: Diſsipauit
ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Eos autem intelligit, qui confidenter nimis quiduis ſe effectu
ros putant, & nihil non ſibijpſis de ſuis viribus atque induſtria pollicentur. Ab his verò orditur, vt
oſtendat tantam eſſe Dei potentiam, vt nihil aduerſus illum proficere poſsint, quicunque aduerſus
illum ſuas cogitationes atque conſilia conferunt. Sunt hi reuera gigantes illi, quos poetæ montes coa
ceruauiſſe & Pelion Oſſæ impoſuiſſe fabulantur, vt Iouem è cælo deijcerent. Nam ad eundem mo-
dum hi quoque conſilia ſua & vires congerūt, potentiſsimos quoſq; in fœdus & ſocietatem attrahūt,
vt quod ſemel inſtituerunt, etiam inuito Deo conficiant, adeoq; hunc ipſum in ordinem redigant.
Pſalm.33. Sed tunc ferè fit, quod in præſenti dicitur, & cui per omnia conſentiens Dauid inquit: Nouit Do-
& 94. minus cogitationes hominum, quòd vanæ ſint. Item: Dominus irritum facit conſilium gentium, &
cogitationes populorum differt: Conſilium autem Domini in æternum perſtat, & cogitationes cor-
dis eius per omnia ſecula. Typus huius rei pulcherrimus & euidentiſsimus in illis præceſsit olim,
qui ne in totam terram diſpergerentur, ſicuti Deus conſtituerat, ſibijpſis nomen facere, & turrim ædi
Gene.11. ficare conati ſunt, cuius faſtigium cælos contingeret. Qui conatus initiò illis pulchrè ſuccedere viſus
fuit, cum & locum ædificio huic commodum, & materiam omnem præparatam & ad manus habe-
rent: Sed ecce in medio opere Deus ſuperbas illas cordis ipſorum cogitationes diſperſit, & quidem
nullo negotio, & quaſi per ludibrium. Subitò enim linguas diuerſas dedit, vt neque ſe mutuò intelli-
gere, neque ad quæſita reſpondere poſſent: & ita factum eſt, vt qui ſibijpſis nomen glorioſum parare
voluerunt, intermiſſo hoc opere ſuo tam ambitioſo in omnes terras diſperſi ſint, & locum illum pœna
ſua nobilitarint, qui ex linguarum confuſione illic facta Babel dictus eſt. Voluit autem eo exemplo
docere Dominus, idem omnibus euenturum eſſe, qui confidentia propria elati cogitationes concipiūt
cum ipſius voluntate & decreto pugnantes. Idem ergo poſteris temporibus ſenſit Sennacherib Aſſy
Iſa.10. riorum Rex, qui (vt Iſaias de illo narrat) regnorum & populorū fines abolere, & gentes omnes vnà
cum Dijs ſuis Aſſyriorum monarchiæ ſubijcere conabatur: ſed diſperſit eius cogitationes Deus, vt
amiſſo apud Hieroſolymæ muros exercitu ipſe inglorius profugeret, & mox in conſpectu Dei ſui fi-
ctitij Niſroch à proprijs filijs trucidatus vitam cum imperio finiret. Accidit ſimile quid poſtea
Iſa.14. Baltazari Babyloniorum regi, cuius cogitationes erant: Cælos conſcendā, ſupernè penes ſtellas Dei
exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte congregationis, in lateribus Aquilonis aſcendā ſuper al-
titudinē nubium, altiſsimo æqualis ero. At idem non multò poſt vrbe à Perſis & Medis capta inter
ebrioſorum ſatraparum & meretricum menſas crudeliter occiſus infernalibus ſpiritibus (vt idem
Iſaias teſtatur) ſpectaculum præbuit. Eadem quoq; Alexandri Macedonis fortuna fuit, cuius am-
bitioni ne totus quidem orbis ſufficiebat, imò qui diuinitatem affectabat, tandem verò vnius poculi
hauſtu ſatiatus cogitationum ſuarum ſuperbiſsimarū finem triſtiſsimum inuenit. Sed dies me defice
ret, ſi quæcunque huius generis exempla in hiſtorijs occurrunt, commemorare vellem. Neq; illorum
cōmemoratione opus eſt, cùm priuati quoq; homines experiantur veriſsimū eſſe, quod Maria canit.
Quàm multos enim videmus, qui de opibus & dignitatibus huius ſeculi cōſequendis cogitationes con
cipiunt mirificas, & conſilia ineunt, quorum euentum infallibilē fore ſibijpſis perſuadent? At ijdem
ferè vel ſubito aliquo infortunio circumuenti ad egeſtatē extremā rediguntur & infames fiunt, vel
improuiſa morte abrepti cogitationes quoq; ſuas ſimul abrumpunt, priuſquam earū finem attingant.
Debēt iſta nos coercere, ne incōſulto Deo de rebus noſtris ſtatuamus, neq; aliquid tribuamus noſtris
viribus, ſed ſub potenti Dei manu humiliemur. Habet præterea dictum hoc egregiam conſolationē,
qua fidem noſtrā aduerſus pericula, quæ à tyrannis eccleſiæ perſecutoribus impendent, confirmemus.
Fuerūt enim omnibus ſeculis, qui eccleſiam Dei excindere, inq; ea relucentē veritatis doctrinā ex-
tinguere, imò huius Regem Ieſum Chriſtum è regno ſuo deturbare conati ſunt. Et hodie adhuc fre-
munt gentes, & inania meditantur populi, reges terræ itē concurſant & conſilia ſua conferunt prin-
cipes ad-

cipes aduerſus Dominum & Vnctum eius. Sed qui in cælis ſedet ridet, & Dominus ſubſannat eos, Pſal. 2.
& (vt hic dicitur) diſſipat confidentes illas cordis ipſorum cogitationes. Et quod olim Pharaoni, Antiocho, Romanis Imperatoribus & multis alijs accidiſſe conſtat, qui in hoc lapide tollendo vires ſuas experiri voluerunt, hoc ipſum noſtro ſeculo potentiſſimis Regibus & populis ferociſſimis euenit, vt non modò irritos viderint eſſe ſuorum conſiliorum euentus, verumetiam mundi totius ludibrium facti ſint. Iſta ergo nos conſolentur & in fide Christi Ieſu fortes atque conſtantes reddant, Nam vtut mundus hic ferociat atque tumultuetur, facile tamen erit Chriſto eius conſilia diſſipare, & puſillum ſuum gregem in medio luporum defendere. Interim ratum firmumque ſtabit Dei decretum, qui per Iſaiam olim impijs aduerſus eccleſiam ſuam coniurantibus dixit: Societatem inite ô populi, at inferiores eritis: auſcultate qui in remotis eſtis regionibus, accingamini, at inferiores eritis: accingamini (inquam) at inferiores eritis: inite conſilium, & fiet irritum: loquimini ſermonem, ſed non ſtabit: quoniam nobiſcum eſt Deus. Iſa. 8.

Sed aliud adhuc opus Dei commemorat Maria, quo eius potentia illuſtratur. Detraxit (inquit) potentes è thronis, & extulit ſiue euexit humiles. Facit hoc ad prioris confirmationem. Oſtendit enim non eos modò, qui priuata confidentia aduerſus Deum conſilia ineunt, huius potentia debellari, verumetiam ipſius gubernationi & prouidentiæ illos eſſe ſubiectos, qui legitimum inter homines imperium obtinent: adeoque Deum eſſe, qui (vt Daniel & Dauid loquuntur) regna mutet & transferat, Reges deijciat è ſuæ dignitatis faſtigio, & humiles atq; pauperes è puluere & luto extrahat, vt inter populi ſui principes collocentur. Probari hæc poſſunt omnium gentium atq; ſeculorum exemplis. Conſtat enim Reges potentiſſimos præter omnem expectationem ſubitò deiectos & fortunæ ludibrium factos eſſe, multos etiam vnà cum regnis ſuis corruiſſe. Crœſus Lydiæ Rex, cùm regũ ditiſſimus eſſet, & ſe mortalium feliciſſimum putaret, Apollinis ambiguo oraculo deluſus in Cyri manus venit, qui regno exutum & bello captum rogo impoſuit. At Cyrus poſt multas victorias Thomiris reginæ Scythicæ inſidijs circumuentus vitam & regnum ſimul amiſit. Dionyſium Siciliæ tyrannum diuina vindicta eò vſq; perſecuta eſt, vt regno eiectus Corinthi pueros mercede literas doceret. Inter Romanos Imperatores Diocletianus & Maximianus vno die depoſita purpura vitam priuatam agere cœperunt. Taceo nũc ſeptuaginta illos reges, quos Adonibæſek amputatis manuum atq; pedum pollicibus canum inſtar ſub menſa ſua ciborum reliquias colligere coegit. Licinium verò Valerianum Sapores Perſarum rex ſibi equũ conſcenſuro ſcabellum fecit, & tandem viuenti adhuc pellem detraxit. Quid de Nabuchodonozore dicemus, qui amiſſa hominis ratione inſtar feræ in ſyluis & deſertis locis vitam degit, vt ſuæ inſolentiæ pœnas lueret? Sed quid ego iſta recenſere incipio, quãdo nullum vnquam regnũ in mundo extitit, quod non innumera huius generis exempla viderit? Nec pauciora ſunt eorum exempla, qui ex humili & abiectiſſima conditione ad ſupremas dignitates euecti ſunt. Inter quos in ſacris literis cenſentur Ioſephus, Moſes, Saul, Dauid, Ieroboam, Heſtera: in prophanis autem hiſtorijs Cyrus, Romulus, Iuſtinus maior, Ottomãnus & plures alij. Et hæc quia de hominibus à Dei cognitione alienis cæcæ fortunæ ludibria eſſe videntur, & ideo cũ Poeta dicunt.

Dan. 4. Pſal. 113. Iud. 1.

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

At aliter nos docet Spiritus ſanctus, qui iſta per Dei prouidentiam certo & iuſto iudicio adminiſtrari oſtendit. Ita enim fieri oportet, vt omnibus notum fiat, regna & principatus non hominum figmenta, ſed Dei inſtituta eſſe, & proinde neminem in externo ſplendore ſolùm obſtupeſcere debere, aut etiam illo efferri inſolentius. Deinde tyrannorum petulantiam & crudelitatem ſic punit Deus, & oppreſſos eripit. Et hoc in præſenti Maria ex peculiari ſpiritus ſuggeſtione obſeruaviſſe videtur, & inter Dei opera huius etiam mentionem ideo feciſſe, vt afflictæ Iudæorum genti conſolationem afferret, & oſtenderet Romanorum potentiam, quantumuis immanem & hucuſq; inuictam, non obſtituram eſſe, quò minus Chriſtus naſcatur, & humilis licet quoad carnem regnum tamen obtineat, & populo ſuo afflicto opem ferat. Debent interim hæc omnes homines ad ſuam inſtitutionem atque conſolationem accommodare: vt primò quidem non confidant ſuæ potentiæ, neque magnificis huius mundi dignitatibus ſuperbiant. Quid enim in his firmum aut ſtabile eſt? Aut quis ei conditioni fidat, quæ præ alijs omni periculorum generi eſt obnoxia? Etenim vt fulmina non imas

Detrahit potentes, euehit humiles. Vſus potentiæ Dei.

valles, ſed ſumma montium cacumina & turres altius eminentes feriunt: ita qui in ſummo dignitatis gradu conſtituti ſunt, pluribus quoq; caſibus ſubijciuntur, & quò altius aſcenderunt, eò grauiori lapſu ruunt. Quòd eò citius & maiore ipſorum malo fit, quò confidentius ſuperbiunt. Notum enim eſt illud Apoſtoli: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Deinde diſcimus, neminem offendi debere impiorum potentia atq; ſucceſſibus. Facilè enim illos deturbare poteſt Deus cùm voluerit: & procul dubiò volet (vt modò diximus) ſi ab illo datis viribus aduerſus illum & cultores eius abutuntur. Apparet quidem interdum extra omnem teli iactū conſiſtere illorum conditio, ſed reuera (vt Aſaph dicebat) in lubrico conſtituti ſunt, & ſubitò ferè præcipites cadunt, qui perpetuò regnaturi videbantur. Præterea hinc conſolationē petant afflicti, ne ſe propter huius ſeculi miſerias à Deo derelictos eſſe exiſtiment. Solet enim hic talium curam potiſſimùm ſuſcipere, quia in illis illuſtrius lucet eius bonitas atq; potentia. Quod vt in multis alijs, ſic in Mariæ exemplo euidentiſſimè apparet. Hanc enim vulgo contemptam & magnatibus ignotam in filij ſui matrem elegit Deus, præteritis tot reginis & heroinis nobiliſſimis, quæ tunc in toto terrarum orbe celebrabantur. Quis ergo illam infelicem dixerit? aut quis dubitet, quin in omnibus quoq; alijs ſuam potentiā Deus aliquo ſingulari ſpecimine poſſit declarare?

(1.Pet.4.) (Pſal.73.)

(Famelicos bonis implet, diuites ablegat inanes.) *Videamus nunc tertium diuinæ virtutis opus, quod Maria his verbis celebrat: Famelicos impleuit bonis, diuites autem ablegauit inanes. Factum hoc ſæpe ſecundùm literam, & hodie hoc ipſum non rarò fieri videmus, vt qui ditiſſimi ſunt, vel ad egeſtatem ſubitò redigantur, vel curis edacibus excrucientur, aut morbis lentis contabeſcant, vt Tantali inſtar in medijs opibus egeant, dum illis frui nequaquam poſſunt: Alijs interea vel ad opes maximas ex inopia extrema peruenientibus, vel in mediocri fortuna lætis, dum quantum ipſis ſatis eſt habent, & bonis ſibi à Deo conceſſis cum honeſta voluptate fruuntur. Et hæc quidem exempla nobis proponit Deus, vt eius manu ea etiam, quæ ad victum noſtrum faciunt, diſpenſari intelligamus, & proinde procul abiecta carnis ſolicitudine in ipſius benedictionem reſpiciamus. Etenim vt Paulus dicebat, magnus quæſtus eſt pietas μετ' αὐταρκείας, id eſt, cum animo ſua ſorte contento. Et qui hunc ſibi pararunt, ij potentiſſimis quoque Regibus beatiores ſunt. Vidit hoc olim Solon, cui inter ſeptem Græciæ ſapientes primus locus datus fuit. Is enim Crœſo, Regum ſui ſeculi opulentiſſimo, quoad veram beatitatem antepoſuit Aglaum quendam Arcadem, qui patrij agelli finibus contentus, intra hos in bona pace & honeſto atque tolerabili labore conſenuerat. Quò magis damnari merentur, qui cùm Chriſtiani dici velint, ſeipſos diuitiarum immodicarum curis excruciant, & dum in ſumma rerum copia metuunt ne quando egeant, iji etiam non audent frui, quæ manibus tenent. Cæterùm quod hic Maria dicit, altiori etiam ſenſu exponi poteſt, & imprimis locum habet in æternæ ſalutis negotio. illic enim famelici dicuntur, qui propriæ infirmitatis ſenſu & peccatorum cognitione preſſi iuſtitiam Dei atq; ſalutē eſuriunt atq; ſitiunt. Hos Chriſtus ſaturat & bonis ſpiritualibus implet. Eſt enim panis ille vitæ, qui ſemel perceptus nos poſtea eſurire non ſinit: eſt item fons aquæ viuentis, ex quo qui bibit, is in æternum non ſitiet. Ardet quidem in credentibus vitæ æternæ deſiderium, & diſſolui cupiunt, vt cum Chriſto in cælis viuant: ſed procul ab illis abeſt anxietas illa, quæ deſperationem parit: quia ſalutis ſuæ certi ſunt; & intra animos ſuos ſpiritus teſtimonio atq; arrhabone confirmantur. Rurſus diuites vocat ſcriptura eos, qui ſibiipſis tales videntur; & ſui arbitrij libertate, proprijs ſuæ naturæ viribus, adhæc ſuorum operum meritis & propria iuſtitia in Dei conſpectu ſuperbiunt. Hos inanes ablegat abs ſe Dominus. Quia enim ſibiipſis ſufficere videtur, & ſuam iuſtitiam conſtituere volunt, non recipiunt iuſtitiam Dei, quam ille nobis in filio ſuo offert: & quàmuis circa multa occupentur, nihil tamen proficiunt. Nam vt Chriſtus ait, qui alibi quàm ex ipſo bibunt, ſitiunt iterum, imò perpetua animarum fame atq; ſiti excruciantur. Exempla in vtramq; partem euangelica hiſtoria proponit. Venerunt ad Chriſtum meretrices & publicani, quos peccatorum conſcientia famelicos faciebat, & illius gratia ſaturati ſunt: at interim propriæ iuſtitiæ fiducia ſuperbi phariſæi contabuerunt, & tandem ob contemptum Chriſtum grauiſſimè puniti ſunt. Et huius generis multa accidunt quotidie, quæ nos admonere debent, ne quid nobis ipſis tribuamus, ſed vnius Dei gratiæ fidamus, qui hoc peculiare ſuæ potentiæ ſpecimen edidit, quòd filij ſui in carne manifeſtati merito peccatum aboleuit, & ad hunc confugientium animas verè ſaturat & tranquillas reddit.*

(1.Tim. 4.) (Ioan.6.& 7.) (Ioan. 4.)

Sequitur

Veritas Dei celebratur.

Sequitur poſtrema huius Cantici pars, quæ ad cauſam præſentem propius accedit. Maria, & ſimul Dei veritatem prædicat, qui olim promiſſam ſui populi redemptionem nunc præſtare velit. Sic autem ait: Suſcepit Iſrael puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ (prout locutus eſt patribus noſtris, Abrahamo & ſemini eius) in æternum. Quibus verbis ad Iſaiæ oraculum alludere videtur, quod Cap. 41. extat, vbi ſic loquitur Dominus: Tu Iſrael ſeruus meus es, Iacob quem elegi, ſemen Abrahami amici mei. Quia apprehendi te ab extremis terræ, & à finibus eius vocaui te, dixiq; tibi: Seruus meus es tu, elegi te, & nō abieci te. Ne timeas, quoniam tecum ſum ego: ne terrearis, quia ego Deus tuus ſum: roboraui te, inſuper auxiliatus ſum tibi, atq; ſuſcepi te dexterâ iuſtitiæ meæ, &c. Suſcipiendi verbū autem ad afflictum & infelicem populi Iudaici ſtatum refertur, qui eò redactus erat, vt nulla reſtitutionis ſpes reliqua eſſet. Nam eccleſiæ gubernatio penes Phariſæos erat, qui annis ante Chriſtum natum circiter ſeptuaginta ab Alexandra, Hircani & Ariſtobuli matre, in ſummam dignitatem euecti, ſaniorem legis doctrinam humanis traditionibus obſcurarant, & ſacra omnia fecerant venalia. Reſpub. autem ſub Romanis erat, qui Herodem ex infeſtiſſima Idumæorum gente oriundum, hominem inſuper crudelem & ſanguinarium, illis impoſuerant, qui & veterem politiam aboleuerat ſublato ſupremo Senatu, qui LXXII. ſenioribus conſtabat, & deleta Machabæorum poſteritate omni Dauidis quoq; familiam hoſtiliter perſequebatur. Erat ergo hoc ingens & inſperatum beneficium, quòd illorum curam Deus tunc ſuſcipiebat. At ne quis eius cauſam in hominum meritis conſtitueret, hoc Deum feciſſe ait, vt memor eſſet ſuæ miſericordiæ, olim patribus promiſſæ, adeoq; vt fœdus cum Abrahamo & ſemine eius ſancitū confirmaret. Etenim ſi ipſum Abrahamum & primam eius vocationem cōſideremus, nihil illi ex proprio merito accidiſſe conſtabit, ſed gratuito Dei fauore ad hoc delectum fuiſſe, vt in ipſo inſtauraretur fœdus ſalutis, quod in diluuio abolitum videri poterat. Promiſſiones, quarum hic fit mentio, ex ordine commemorare nunc minimè opus eſt, quando in Moſe & prophetis paſſim occurrunt, & omnibus ſatis notæ ſunt. Nunc autem probè obſeruemus, Deum ſuæ miſericordiæ memorem eſſe in æternum, & proinde veracem quoq; eſſe, neq; vnquam obliuiſci promiſſionum ſuarum, quàmuis res interdum afflictiſſimæ & omnino deploratæ videantur. Et imprimis memorabile eſt, quòd promiſſiones cum miſericordia Dei Maria coniungit. Sunt enim, qui hanc quidem nunquam non in ore habent, ei tamen non poſſunt certò confidere, ſi quando tentatio aliqua grauior incidit: quia promiſſiones ignorant, quibus ſe nobis Deus ex gratia obſtrinxit. Itaq; ex eius miſericordia non plus commodi referunt, quàm ex diuitijs opulenti alicuius, qui ipſis nullo iure obſtrictus eſt, & cum quo illis nulla ſocietas aut communio intercedit. Rectè igitur Maria promiſſionum ſimul meminit, & in has procul dubio omnes illæ electorum reliquiæ reſpexerunt, ex quibus ſub Chriſti aduentum eccleſiam inſtaurandam fore olim prophetæ prædixerant. Et multùm facit cùm ad commendandam noſtræ fidei certitudinem, tum ad ſalutis ſpem confirmandam, quòd vtramq; non in aliquo nouo hominum figmento, ſed in vetuſtiſſimis Dei promiſſionibus fundatā eſſe ſcimus, quas ad nos etiam pertinere ſcriptura paſſim teſtatur. At hic ſimul diligenter meminiſſe oportet, qui nam illi ſint, quorū Deus ſecundùm promiſſiones ſuas perpetuò miſeretur. Maria enim disertè Iſraelis ſerui Dei & ſeminis ſeu filiorum Abrahami meminit. Sed non omnes (inquit Paulus) qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael: neq; quia ſunt ſemen Abrahami (ſecundū carnem nimirum) omnes ſunt filij: ſed Iſraelitæ & germani Abrahami filij ſunt, qui promiſſiones Dei fide conſtanti apprehendunt, ſeq; Deo per fidei obedientiam ſubijciunt. Non ergo pertinent promiſſiones iſtæ ſalutis ad incredulos & ſuperſtitioſos, qui extra Chriſtum vagantur: nō item ad rebelles & contumaces, qui aduerſus Deum impudenter proteruiunt. Docet itaq; huius loci conſideratio, qui fiat, quò minus fruamur hodie promiſſionū Dei fructu. Quomodo enim hunc percipiant, qui promiſſionibus non credunt? Atqui vt Chriſtus olim prædixit, fides in terris rara eſt. Nam quoad ſalutis æternæ negotium, multi cælum cum inferis negant, & religionem inter indifferentia, aut etiam inter res inutiles & ſuperuacaneas numerant. Qui verò Chriſti nomen profitentur, non hoc vno contenti ſunt, ſed infinita alia ei coniungunt, quibus meriti ipſius virtus euacuatur. Multi ad quoduis periculum conſternatè ab illo turpiter deficiunt. Multi verò fidem, quæ vno Ieſu Chriſto nititur, & huius ſectatores ferro & igne perſequuntur. Quòd ſi ad res externas transeamus, in illis quoq; pauciſſimi Deo fidunt: ſed quaſi ſua induſtria ipſis ſufficiat, illius beneficentiam planè negligunt. Fit ergo,

Promiſſiones Dei cum miſericordia coniunguntur.

Dei promiſſiones ad quos pertineant.

Rom. 9.

vt Reipub. quidem ſalutem plerìq; in fœderibus & mundi amicitia conſiſtere putent, & proinde hâc turpi à Chriſto defectione rediment: rei domeſticæ verò incolumitatem in artibus vſurarijs & inſatiabili opum augendarum ſtudio collocent: quæ cauſa eſt, quòd ius & æquũ violant, charitatis leges impiè negligunt, & tam priuatim quàm publicè omnia turbant. Quis ergo miretur, Deum quaſi promiſſionũ miſericordiæ ſuæ immemorem, tot tantaq; ſcelera vltrici manu & perpetuis plagis punire? Iſta emendare neceſſe eſt, ſi mala præſentia effugere, & promiſſionum Dei fructum percipere volumus.

Maria manet cum Elizabeta.

Reſtat poſtrema huius loci particula, qua Maria dicitur tribus quaſi menſibus apud Elizabetam ſubſtitiſſe, nimirum ad partum vſque, vt & gaudio pio cum illa tunc frueretur, & interea ipſi iam grandæuæ & vterum gerenti inſeruiret. Ita verò & religioſæ virginis & piæ cognatæ officio fungitur, dum nullam fidei confirmandæ occaſionem negligit, & Elizabeta ſuam operam & induſtriam non negat. Exemplo autem ſuo iuniores admonet, vt ſenioribus libenter ſuum obſequium præſtent, & parentum loco eos colant, quos ætate grandiores eſſe vident. Iubet hoc naturæ lex, cuius occulto inſtinctu fit, vt omnes ſenectutem appetant, & eandem honore & reuerentia dignam iudicent. Cæterum euoluto hoc tempore domum redijt Maria, eadem nimirum feſtinatione, qua prius ad Elizabetam profecta fuerat. Quia verò tempus eſt, vt ipſi ſimul dicendi finem faciamus, præcipuus huius loci vſus erit, vt Cantici Mariæ doctrinam nobis applicemus. Meminerimus ergo Deũ nobis quoque ſalutem in Ieſu Chriſto offerre ex gratia: & ipſum non minus potentem quàm iuſtum eſſe, qui ſuperbos ſuæ gratiæ contemptores puniat, humiles verò & obſequentes benignè ſuſcipiat: ad hæc veracem eſſe in promiſſis ſuis, etiamſi interdũ noſtri oblitus eſſe videatur. Huic ergo credamus, eundem timeamus & colamus, vt promiſſionum eius fructu fruamur in filio ipſius vnigenito, Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XIII.

Elizabetæ autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filiũ. Et audierunt vicini & cognati eius, quòd magnificè ſua miſericordia erga illam vſus eſſet Dominus, & ei gratulabantur. Et factum eſt die octauo, venerunt vt circuncciderent puerulum: & vocabant eum ex nomine patris ipſius, Zachariam. Sed reſpondens mater eius ait: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad eam: Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur iſto nomine. Innuebant autem patri eius, quid vellet eum vocari. Isq; poſtulatis tabellis ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt omnes. Apertum eſt autem os eius illico, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deo. Ortus eſt igitur timor omnibus vicinis eorum: & in tota montana regione Iudææ diuulgata ſunt omnia verba iſta. Et omnes, qui audierunt, repoſuerũt ea in corde ſuo, dicentes: Quis nam puerulus hic erit? Manus autem Domini erat cum eo.

Deus ſeruos ſuos peculiaribus teſtimonijs commendat.

VT Deus omnibus ſeculis aliquos delegit ex peculiari gratia, quorum opera & miniſterio in alijs hominibus iuuandis vteretur: ita eoſdem ſingularibus teſtimonijs & operibus in ipſa ſtatim infantia ſiue pueritia commendauit, quò facilius inter homines fidem inuenirent. Exempla huius rei in Moſe, Samuele & multis alijs occurrunt, quorum pueritia peculiaribus factis atq; donis illuſtris fuit. Inter hos autem imprimis numerari meretur Ioannes, cui poſtea Baptiſtæ nomen ex officio impoſitum fuit. Quia enim hic promiſſi Redemptoris anteambulo & primus gratiæ noui teſtamenti præco eſſe debebat, quem venturum prophetæ olim prædixerant, ita eum concipi & naſci voluit Deus, vt cordati quique intelligerent hominem fore non vulgarem, & proinde ex eo peculiare quid expectari debere. Conceptum enim audiuimus fuiſſe à matre ſterili & iam grandæua. Adhæc conceptionem eius prædixit Angelus. Acceſſit item miraculum, quòd Zacharias pater

ſermonis

ſermonis vſu ſpoliatus fuit, eò quòd diuinæ promiſsioni minus credidiſſet. Itaque non dubium eſt, quin iſta multorum animos ſuſpenſos habuerint, qui rei nouæ & inſolytæ euentum cum deſiderio expectabant. His ergo nunc deſcriptionem natiuitatis eius ſubijcit Lucas, quæ etiam ipſa plurima habet, quæ obſeruationem & admirationem merentur. Omnium verò hic ſcopus eſt, vt teſtimonio Ioannis credamus, quod is de Christo Ieſu tulit.

Ioannes communi lege naturæ naſcitur.

Præmittitur initiò natiuitatis huius breuis & ſimplex narratio. Elizabetæ (inquit) impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Dum temporis impleti meminit, illum ſecundùm naturæ ordinem, perinde vt alios homines, natum eſſe oſtendit. Eſt autem hoc frequens admodum in ſcripturis, quod dum Sanctiſsimorum Dei ſeruorum hiſtoriæ deſcribuntur, non pudet Spiritum ſanctum conceptionis eorum & partus mentionem facere. Facit hoc plurimum ad coniugij & thori coniugalis commendationem, quem Paulus quoque impollutum dixit. Deinde communis illa naturæ lex aut ordo nobis ob oculos ponitur, qui eandem omnium hominum ſortem & conditionem eſſe docet, iam inde ex vtero matris. Nam eodem modo omnes concipiuntur & naſcuntur: in peccato nimirum, vt de ſemetipſo Dauid fatetur, & præter corruptam atque vitioſam naturam nihil proprium ſecum in hanc lucem ferunt. Quoad corpus autem, ſimiliter omnes ex matris vtero nudi & imbelles prodeunt, & ſeſe in lachrymarum vallem prodire miſerabili vagitu teſtantur. Quòd verò poſtea alij alijs excellentiores ſiunt, diuinæ diſpenſationis opus eſt, quæ noſtri commodi cauſa diuerſos hominum ordines inſtituit. Debent ergo, qui reliquis hominibus præſunt, Dei beneficium agnoſcere, & ſe huic gratos præbere: non autem natalium ſuorum ſplendore ſuperbire, quaſi ex illis aliquid reliquis hominibus excellentius habeant. Eſt quidem non vulgare Dei donum ex parentibus progenitum eſſe virtute eximijs, & quos res geſtæ nobilitarunt. Sed quibus hoc contigit, hi meminerint, maiorum gloriam ipſis ignominiæ maioris cauſam fore, niſi eoſdem virtute referant, & illorum veſtigijs inſiſtant.

Veritatis Dei exemplum.

Habet præterea locus hic memorabile veritatis diuinæ exemplum. Promiſerat Deus Zachariæ per Angelum ſuum, quòd & filius ipſi ex vxore Elizabeta naſciturus eſſet, & quòd multi eius natiuitate eſſent gauiſuri. Vtrunque verò humanæ rationi impoſsibile videbatur. Erat enim Elizabeta natura ſterilis, & huic vitio ætas grandior accedebat, quæ fœcundas quoque ad conceptum ineptas reddit. Ea autem tunc erat rerum Iudaicarum conditio, vt prudentiores quiq; ob naſcentes ſibi liberos dolere potius quàm gaudere deberent, cùm nulla (vt nuper diximus) recuperandæ libertatis ſpes reliqua eſſet. Fit tamẽ quod Deus promiſerat. Parit enim feliciter Elizabeta, & vicini omnes atque cognati gaudium inde concipiunt, quod illis de publica etiam ſalute melius ſperandi occaſionem præbet, vt in ſequentibus patebit. Debet exemplum hoc omnibus alijs promiſsionibus applicari, ne de earum veritate dubitemus. Sunt promiſsiones euangelicæ, in quibus iuſtitiam nobis pollicetur Deus, cùm in nobis nihil quàm peccatum videamus: pollicetur item ſuam gratiam & fauorem, cùm paſsim iræ eius argumenta in oculos noſtros incurrant: pollicetur vitam, & ecce morbis obnoxij tandem morte abſumimur. At non ideo de promiſsionibus Dei dubitare nos oportet. Poteſt enim ille nos filij ſui iuſtitia donare, poteſt ſalutem noſtram per ea promouere, quæ iræ & exitij indicia eſſe videntur: poteſt in morte ſeruare, imò hanc iam pridem in melius mutauit, vt iam felix ex hoc infelici mundo ad vitam æternam tranſitus ſit, quæ prius peccati pœna fuit. Eadem eſt promiſsionis ratio, qua ſuum eccleſiæ patrocinium & perpetuam incolumitatem vſq; in ſeculi huius conſummationem pollicetur. Videmus enim eccleſiam nouis ſubinde caſibus iactari, multis in locis collabi, & paſsim ab hoſtibus immaniſsimis peti. Sed nõ deerit ſuis pollicitis Dei Filius, & tunc nos cogitare oportet, hoc illi proprium eſſe, quòd per crucem triumphat, & in medio ſuorum hoſtium dominatur. Sunt præterea priuatæ promiſsiones de victu & amictu, quem habituri ſunt qui regnũ Dei & iuſtitiam eius ante omnia quærunt. At frequenter illi bonis omnibus ſpoliantur, à patrijs ſedibus exulant & inopes oberrant. Sed tunc meminerimus, non in ſolo pane hominem viuere, ſed quouis verbo, quod egreditur ex ore Dei, & Chriſtum panibus hordeaceis ſuos paſcere, vt tamen ſaturentur, & in ſua inopia regum opulentiſsimorum theſauros longè ſuperent. Deniq; fidem habeamus Dei promiſsis omnibus, & hunc haud dubiè in illis veracem eſſe experiemur.

Vicini & amici Elizabetæ gratulantur.

Sed ad inſtitutam Lucæ narrationem redeamus, qua docetur, quid Ioanne iam in lucem edi-

to præterea ſit factum. Audierunt (inquit) vicini & cognati eius, quòd magnificè ſua miſericordia erga illam vſus eſſet Dominus, & ei gratulabantur. Eſt ergo hic vetus mos, quo ijs gratulamur, quæ felici partu leuatæ liberos pepererunt. Neque hoc abſq; ratione pij faciunt. Nam per ſe ingens Dei beneficium eſt, liberos ex ſe progenitos videre, in quibus parentes quaſi reuiuiſcunt, & qui ſua acceſſione genus humanum augent. Ideo Chriſtus, mulierem, cùm peperit, doloris ſui non amplius

Ioan. 16.

recordari ait, eò quòd hominem ex ſe in mundum progenitum eſſe videat. Meretur ergo hoc beneficium, vt & Deo gratias agamus, & illis ex animo gratulemur, quibus illud contigit. Adhæc ipſa rei neceſſitas requirit, vt ſimul apud Deum pijs precibus inſtemus, vt tam noſtri quàm aliorum liberi rectè inſtituantur, & in ijs proficiant, quæ ipſorum ſaluti & prouehendæ gloriæ Dei ſeruiunt. Docet enim experientia, quàm procliuis ad laſciuiam ſit iuuentus, vt vix vlla parentum & inſtitutorum diligentia ſufficiat, niſi nos ſuo ſpiritu Deus in hoc opere tam ſancto & neceſſario adiuuet. At in hoc hodie plerique negligentiſſimi ſunt. Seruatur quidem vulgo mos, quo puerperis aut è puerperio primùm prodeuntibus gratulamur: at qui de liberorum inſtitutione ſeriò cogitent, paucos eſt videre. Publica igitur authoritate opus erat, quam hîc eos imprimis adhibere oportebat, qui eccleſiæ & Reipub. præſunt.

Dei opera quomodo conſideranda.

Simul verò generalem doctrinam hoc exemplum continet. Agnoſcunt vicini illi & cognati miſericordiam Dei, cuius magnificum ſanè ſpecimen erga Elizabetam editum videbant. Ita ſi quod Dei opus peculiare cernimus, mox in eò illius bonitatem, iuſtitiam, ſapientiam, veritatem & omnipotentiam obſeruemus, vt his conſideratis noſtræ inſtitutioni & ædificationi ſeruiant, quæ prius fortuita videbantur. Qui hoc non faciunt, ij ex eorum numero ſunt, quos

Iſa. 5.

Iſaias hoc nomine reprehendit, quòd circa gulæ & ventris ſtudium occupati non conſiderent opus Domini. Deinde ad nos quoq; pertinere putemus, quæ cum alijs aguntur. Iubet hoc charitatis lex, & de eodem nos communis omnium ſors & conditio admonet. Quia enim eiuſdem corporis membra, & ijſdem caſibus omnes obnoxij ſumus, aliorum fortuna perinde vt noſtra nos afficit conuenit. Itaque ſecundùm Apoſtoli præceptum gaudeamus cum gaudentibus, quos aliqua peculiari gratia

Rom. 12.

Deus dignatur, ploremus item cum plorantibus, quos aliquis triſtior caſus exercet. Etenim nimis turpiter peccant inuidi æmulatores, quos aliorum felicitas vrit, & qui perinde faciunt, ac ſi ſoli digni ſint, quibus benefaciat Deus: neq; minor eorum culpa eſt, qui quaſi ipſi extra omnem fortunæ caſum conſtituti ſint, omnium aliorum calamitates abſque gemitu & ſiccis oculis intuentur. Sunt hi ἄστοργοι illi, qui naturalibus affectionibus deſtituuntur, & quales nouiſſimis temporibus venturos eſſe, olim Paulus prædixit. Regnat hoc malum hodie paſſim, imò tanta eſt noſtri ſeculi durities vt non priuatas modò, verumetiam publicas calamitates pleriq; negligant, modò ipſis in pace & otio voluptuari liceat. Sed fit ferè iuſto Dei iudicio, vt proprijs malis tandem doleant, qui alienis condolere nolunt.

Conueniunt, ut puer circuncidatur.

Porrò pergamus in hiſtoria, qua narratur, vicinos & cognatos illos die octauo rurſus apud Zachariam conueniſſe, vt puerum circunciderent. Solebant hoc domi apud parentes facere, nimirũ quòd Circuncìſio non poſſet ſine acerbiſſimo infantis cruciatu fieri, cui remedium abſq; mora adhiberi oportebat. Veruntamen videmus, hoc illos non inter paucos, ſed in aliqua forma cœtus eccleſiaſtici feciſſe, ad quem vicini & cognati omnes conueniebant. Eſt hoc probè obſeruandum in Sacramentis. Quia enim publica diuinæ gratiæ ſigilla & fidei exercitia ſunt, quæ toti eccleſiæ Deus tradidit, minimè admittendum eſt, vt priuata fiant, & ab vno atque altero priuatim vſurpentur. Peccant igitur Papiſtæ, qui vt baptiſmi adminiſtrationem obſtetricibus permittunt, ita Cœnam quoq; in Miſſam priuatam conuerterunt, in qua vnus edit & bibit, cæteris omnibus circa nudum & inane ſpectaculum occupatis.

Zacharias & Elizabeta circuncidi curant Ioannem.

Inter alia autem hic diligenter obſeruari meretur, quòd Zacharias & Elizabeta filium ſuum circuncidi curauerunt. Erat Circuncìſio ſignum fœderis olim cum patribus initi. Eadem innatæ corruptionis admonebat, cùm in genitali membro fieret, & recens natis infantibus adhiberetur. Præterea ad Chriſtum remittebat, qui fœderis illius complementum eſt, quiq; ſolus nos ab innata naturæ vitioſitate & inde enaſcentibus peccatis emundat. Itaq; ſuperuacanea poterat videri Circuncìſio in Ioanne. Sciebant enim hunc ex ſingulari Dei conſilio natum, & iam inde ab vtero matris Spiritu ſancto eſſe impletum. Sciebant eum Chriſti præcurſorem fore, & illi iam pridem teſtimonium tuliſſe, quando ad Diuæ Virginis ſalutationẽ in matris vtero exilijt. Sciebant

bant præterea iam in foribus adeſſe tempus illud correctionis, quo nouum teſtamentum impleri, & vmbras legales cum veritate commutari oportebat. Attamen non negligunt ideo Circumciſionis vſum, quem à Deo tanta cum grauitate mandatum eſſe nouerant: & quidem abſque mora eodem die filium circircumcidi curant, quem Deus huic Sacramento deſtinarat. Debent huius meminiſſe, quicunque verum Dei cultum profitentur. Et quia Chriſti præceptum eſt, vt per baptiſmum in eccleſiæ ſuæ ſocietatem adoptentur, quotquot ad eam pertinent, conſtet autem huius membra etiam infantes eſſe, qui ex Chriſtianis hominibus naſcuntur, & hos quoque ad ſe venire velit Chriſtus, etiam atque etiam curent parentes, ne quid hic negligant aut cunctentur. Etenim grauiter peccant, qui baptiſmum leues ob cauſas diutius differunt, dum prius domi omnia ad faſtum pro ipſorum arbitrio præparentur, aut conuiuium inſtrui poſſit, quod gulæ & ventri ſufficiat. Fit hoc vulgò hodie, & pleriſque leniculum videtur, ſed nulla venia dignum ſcelus eſt, non ſanctius iudicare de Sacramentis communionis, quæ nobis cum Chriſto Ieſu intercedit, & ex qua omnis noſtra ſalus dependet. Quid verò de Anabaptiſtis dicemus, qui vt verbum externum contemnunt, & Sacramentorum vſum ſuperuacaneum eſſe ducunt: ita infantes à baptiſmo prorſus reijciunt, & à Chriſtiana ſocietate excludunt. Volunt hi quidem Sacramentorum vindices videri, qui eorum prophanationem vitare ſtudeant, non vident autem, vel potius videre nolunt, quàm atrocem iniuriam eccleſiæ Chriſti faciant, cuius conditionem deteriorem fingunt, quàm olim veteris ante Chriſti incarnationem fuerit. Plus ergo apud nos vetus & receptus eccleſiæ mos & ſanctiſſimorum hominum exempla valeant, quàm phanaticorum illorum deliria, qui nullis rationibus ſeſe in viam reduci patiuntur, ſi quid defendendum ſemel ſuſceperunt.

Cæterùm in Ioannis Circumciſionem contentio incidit memorabilis, & cuius deſcriptio conſiderationem diligentiſſimam meretur. Ea de nomine quod infanti imponi debebat, exorta eſt. Fuit enim hic vetus mos, vt infantibus in Circumciſione nomina imponerentur, vt hodie inter Chriſtianos fieri ſolet, quando per baptiſmum in eccleſiæ ſocietatem adoptantur. Ratio eius eſt, vt quoties nominis noſtri recordamur, ſimul etiam cogitemus, vbi aut quando illud nobis ſit datum, & ita ſimul officij noſtri admoneamur, quod in hoc potiſſimùm conſiſtit, vt quoniam in Chriſti Ieſu mortem baptizamur (vt Apoſtolus ſcribit) ſimul cum eo moriamur peccato, & ad vitæ nouitatem reſurgamus: vt denique in Ieſu Chriſti militiam aſcripti, eius auſpicijs ſubque eius ſigno fortiter dimicemus aduerſus hoſtes illius, peccatum, mundum, diabolum, & omnia ea, quibus hic regnum illius oppugnat. Adeò nihil in eccleſia Chriſti fortuitum eſſe voluit ſpiritus ſanctus, vt certam quoque nominum imponendorum rationem eſſe voluerit. Atqui conſtat antiquitus pios patres hoc etiam obſeruaſſe, vt ſuis liberis nomina vel ex prophetica ſpiritus ſuggeſtione, qua de illorum officio aut fine, cui deſtinati erant, admonebantur, vel ex certo aliquo euentu impoſuiſſe. Sic Iacob à planta aut ſupplantatione nomen accepit, Samuel ab eo, quòd matris Annæ præces exaudiuiſſet Deus: & Moſes filium ſibi peregre agenti natum Gerſonem dixit: vt nunc infinita alia huius generis prætercam. At poſteris temporibus, ne nullus omnino eſſet fingendorum nominum modus, hoc à pijs ferè obſeruatum fuit, vt ex ſe natis liberis ea imponerent, quæ ſuæ gentis hominibus vſitatiſſima fuerant ſemper, & quæ vel maiorum ſuorum vel veterum beneficiorum Dei memoriam conſeruare, aut in mentem reuocare poterant. Quem morem iſtos etiam obſeruaſſe, ex verbis eorum patet. Et laudem merentur, quòd parentis, optimi viri & ſanctiſſimi Sacerdotis nomen huic puero indere voluerunt, neque peregrinum aliquod & inſolens quærunt: vt hodie ſolent, qui vt eruditionem ſuam oſtentent, aut inani fuco ſeſe vendent; ſuis liberis nomina vel ignota prorſus vulgo, vel etiam prophana imponunt, quæ ab hominibus ſanguinarijs & ſceleratis deſumunt, quorum memoria pijs meritò inuiſa eſſe debebat. Verumtamen pio inſtituto illi erant, eò quòd Dei conſilium & præceptum ignorarent, quod ille per Angelum ſuum Zachariæ dederat. Itaque mater Eliſabeta, quæ procul dubio per maritum ea de re ſcripto certior facta fuit, illis contradicit, & Ioannem vult dici. Et magnum animi affectum verba eius referunt, quando ex abrupto exclamant ait: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Sed huic rurſus ſeſe opponunt cognati atque vicini, & communi more illius inſtitutum confutare volunt, dicentes: Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur iſto nomine. Attamen ne quid inſolentius agant in re aliena patris ſententiam reſcire cupiunt: qui poſtulata tabella, ſcribit: Ioan-

Contenditur de Ioãnis nomine.

Rom.6.

nes eſt nomen eius. Quod etſi illis admirationem moueat, deſinunt tamen contradicere, vt qui iſta non ſine numine fieri iam demum intelligere incipiant. Atqui mirum alicui videri poterat iſta tam diligenter deſcribi: ſed non mirabimur, ſi cogitemus, nos hîc de rebus cognitu & obſeruatu maximè neceſſarijs admoneri. Primò enim adumbratur, perpetuas lites fore inter præcones gratiæ Dei (ex qua Ioannem denominatum fuiſſe iam ante diximus) & eos, qui Iudaica legalis iuſtitiæ fiducia turgent. Cur ergo contentionibus noſtri ſeculi offendimur, quæ circa hoc argumentum maximè verſantur, quòd alij quidem Dei gratiæ, nobis in Chriſto exhibitæ confidunt: alij verò ſuorum operum & propriæ iuſtitiæ meritum ſtabilire contendunt? Deinde memorabile admodum eſt, quod

Zacharias & Elizabet exemplũ obedientiæ.

in Zacharia & Elizabeta nobis proponitur, obedientiæ exemplum. Etenim per ſe indifferens eſt, quo quis nomine appelletur, quando nomina ad hominis ſalutem nihil faciunt. Sed quia iſti certum & expreſſum Dei mandatum acceperant, nolunt aliquid facere, quod illi aduerſetur, quàmuis in contrariam partem rationes eſſent multæ & graues. Nam vt vicini dicebant, nemo vnquam in ipſorum cognatione hoc nomine dictus fuerat. Ergo inſolens & affectatum nimis poterat videri, filio nomen eiuſmodi imponere, quod magnum quid et inſolitum portendebat. Adhæc inciuiles nimiùm & æquo moroſiores fortaſsis videbantur, qui ſe in re tantilla toti cognationi & viciniæ opponerent. At nihil huius mouet ſanctiſsimos coniuges, qui iam ante didicerant, Dei verbum omnibus argumentis præualere, quæ ex humanæ rationis ſcrinio depromuntur. Et hæc illa obedientia eſt, quam in Lege Deus requirit, monens, ne quod nobis bonum videtur faciamus, neue ab ipſius mandatis vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectamus, id eſt, ne quid contra ipſius voluntatem vel deuoto ad peccandum animo, vel pia & bona intentione deſignemus. Debebant exemplum hoc diligenter obſeruare, qui hodie veterem eccleſiæ morem & multorum ſeculorum conſuetudinem vrgent. Nam vt D. Cyprianus olim dicebat, quæ apud quoſdam obrepſit conſuetudo, minimè impedire debet, quò minus Veritas præualeat & vincat. Nam conſuetudo ſine Veritate vetuſtas erroris eſt. Quæ enim obſtinatio, quæue præſumptio eſt, humanam traditionem diuinæ diſpoſitioni anteponere, nec animaduertere indignari & iraſci Deum, quoties diuina præcepta ſoluit & præterit humana traditio? Fruſtra igitur qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo maior ſit Veritate. Quid verò de conſuetudine opus eſt dicere, quando conſtat ne ipſam quidem religionem & diuinitus inſtituta ſacra nos ab obedientia debito eximere, quo nos ſibi Deus obſtrinxit: ſicuti Saulis exemplo docemur, cui Samuel dicebat: Obedire præſtantius eſt ſacrificijs, & auſcultare præſtat arietum adipi. 1. Sam. 15.

Num. 15.
Deut. 22.
Cyprian.

Zachariæ reſtituitur uſus linguæ.

Sed non opus eſt teſtimonijs aut exemplis alienis agere, quando præſens hiſtoria abunde docet, quàm delectetur Deus eorum officijs, qui ipſi fidele obſequium præſtant. Fuit enim iſtius obedientiæ multiplex fructus, ſiue Zachariam, ſiue reliquos ſpectemus, qui iſtius negotij ſpectatores fuerũt. De illo etenim ſic ſcribit Lucas: Apertũ eſt os eius illico, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deo. Atqui prius dictum fuit, Zachariæ ſermonis & linguæ vſum ereptum fuiſſe, eò quod Dei promiſsis non credidit, & contra illa diſputare auſus fuit. Erat hæc grauis admodum mulcta, quòd cum publica ignominia coniuncta eſſet, & maleuolis multa in illum dicendi occaſionem præberet. Nunc verò, quia Dei præceptum conſtanter vrget, & nullis rationibus ſeſe ab eo dimoueri ſinit, non modò linguæ vſum recipit, ſed inſuper noua gloria à Deo ornatur, quando in laudes eius cum omniũ admiratione erumpit, & inſuper plenus ſpiritu ſancto (vt ſuo loco dicetur) de Chriſto & regno eius vaticinium contexit plenum conſolationis. Ita ſolet lætiſsimus eſſe finis afflictionum, quas pij interdum ſuſtinent: eò quòd ad Dominum conuerſi reſipiſcunt atque emendantur. Debet autem hinc generalis doctrina peti, obedientiam eſſe vnicam rationem, qua pœnas à Deo immiſsas ſubterfugere et ex afflictionibus elabi poſsimus. Clamat enim per pophetas Dominus: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Iſa. 9.

Et alibi manum ſuam adhuc extenſam eſſe ait ad percutiendum, eò quòd ipſi redire nolint ad eum, qui huc uſque ipſos percuſſerit. Quod vnum ſi hodie omnes obſeruarent, minus offenderentur noſtri ſeculi calamitatibus, & non multis diſputationibus de via effugij ſibi opus eſſe viderent. At ſimul eorum officium adumbratur, qui ex pœnis liberati ſunt. Benedicit Deo Zacharias, & huic iam conſecrat linguam, qua prius aduerſus illius promiſsionem diſputando abuſus erat. Deum ergo glorificare de-

care debent, qui eius manu ſe liberatos eſſe ſenſiũt, ſicuti nuper ex Pſalmo quinquageſimo docuimus. At non ſufficiet hoc verbis feciſſe, niſi ſimul ad prouehendam Dei gloriam noſtris facultatibus vniuerſis vtamur, quibus contra illum aliquando abuſi ſumus. Debet ergo hoc transferri ad omnia tam animi quàm corporis & fortunæ bona, quorum omnium hic demum vſus legitimus eſt, ſi eius gloriæ ſeruiant, qui illa nobis dedit.

Cæterùm non in ſolo Zacharia huius obedientiæ fructus hæret, ſed ad plures alios redundat. Nam primò timor ſanctus oboritur vicinis omnibus, qui tantæ rei admiratione abrepti videbant à Deo magnum quid & inſolitum agi. Deinde in totam regionem finitimã rei fama diuulgatur. Adhæc quotquot iſta audiunt, ſimul ea corde ſuo reponunt, deq; ijs inter ſe colloquuntur, vt omnium ferè cõmunis vox audiatur: Quis nam puerulus hic erit? Et hæc quidẽ cauſa præcipua eſt, propter quam hæc omnia Deus fieri voluit: vt nimirum opinionem de Ioanne præclaram omnes animo conciperent, & faciliùs poſtea crederent teſtimonio, quod ille Chriſto perhibuit. Nec dubium mihi eſt, plures qui iſta vel tunc viderunt, vel poſtea ex ſuis audierunt, plurimùm ijs adiutos fuiſſe, vt doctrinæ Ioannis celeriùs accederent. Et hunc nobis quoque iſtorum omnium vſum eſſe debere, initiò diximus. Debent autem ſimili ſtudio obſeruari omnia opera Dei ſingularia, quæ propter nos multa quotidie fiunt, vt ex illis in ipſius cognitione & pietate vera proficiamus. Vicini ut his affecti fuerint?

Additur huic narrationi: Manus autem Domini erat cum eo, puerulo nimirum Ioanne. Id eſt, Deus illi ſua virtute & gratia ſic adfuit, vt omnes perſpicerent, hic ſingulare quid agi, & infantem iſtum in virum non vulgarem aliquando euaſurum eſſe. Id verò futurum Angelus prædixerat. Et eſt hoc etiam in genere applicandum noſtris infantibus. De illis enim pronuntiat Chriſtus, quòd Deo patri curæ ſint, quòd ipſorum ſit regnum cœlorum. Nunquam ergo nobis excidat, Deum eſſe noſtrum ab vtero matris: agnoſcamus autem in his illius veritatem, miſericordiam, iuſtitiam & ſapientiam, quarum virtutum theſauros ſaluberrimos nobis propoſuit in filio ſuo Ieſu Chriſto, domino & ſeruatore noſtro vnico: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Manus Domini cum Ioãne puero fuit.

HOMILIA XIIII.

Et Zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto, prophetauitq; dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quòd inuiſerit & redemerit populum ſuum, & erexerit cornu ſalutis nobis in domo Dauidis pueri ſui: prout locutus eſt per os ſanctorũ, qui à ſeculo fuerunt, prophetarum ſuorum: Salutem nimirũ ex inimicis noſtris, & è manu omnium, qui oderunt nos. Vt uteretur miſericordia erga patres noſtros, ac memor eſſet teſtamenti ſui ſancti, & iuriſiurandi, quod iurauit Abrahamo patri noſtro: nimirum ſe daturum nobis, ut ſine metu, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus ipſi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo cunctis diebus uitæ noſtræ.

IOannis Baptiſtæ natiuitatem multis argumentis illuſtrem eſſe oportuit, vt omnibus conſtaret, illum à Deo miſſum eſſe, & plus fidei haberet teſtimonium, quod de Chriſto tulit. Inter alia autem, quæ in ea acciderunt, cumprimis memorabile eſt, quòd Zachariæ, qui initio propter incredulitatem mutus fuerat factus, ſubitò & cum multorum admiratione vſus linguæ reſtituitur, quando ille Dei præcepto conſtanter obtemperat. Nec enim vulgarem modò ſermonis vſum recipit, verumetiam ſpiritu ſancto repletus prophetat: & ſic quidem, vt non ſolùm vetera prophetarũ oratula interpretetur, ſed ipſe etiã ex peculiari ſpiritus ſuggeſtione vaticinium contexat de toto humanæ redemptionis negotio, quod tũc præforibus erat. Quo exemplo inter alia admonemur, quàm liberaliter Deus peccata remittat ijs, qui ad ipſum verè et ex animo conuertuntur: ita nimirũ, vt eos non modò pœnis liberet, quibus peccata illorum prius caſtigauit, ſed inſuper donis maioribus ornet, & rebus excellentioribus idoneos reddat. Similem gratiã Petrus quoq; expertus eſt, quẽ poſt abnegationẽ factã ad ſe reuerſum & apoſtolicæ functioni Chriſtus reſtituit, & vberiori ſpiritus virtute donauit, vt primus ad prædi- Deus liberaliter remittit peccata.

f 2

cãdum prodiret, & quàm plurimos ad fidem verã conuerteret. Quod ipſum poſtea & Paulo accidit, qui ex immani perſecutore eccleſiæ eximium & electum Ieſu Chriſti organum factus eſt, quando illius vocationi ſeſe morigerũ præbuit. Nemo igitur de Dei bonitate & miſericordia deſperet, ſed hoc nobis perſuaſiſsimum ſit, illum interdum noſtris peccatis prouocatum opus ab ingenio ſuo quaſi alie-

Iſa. 28. num (vt propheta loquitur) facere, vt poſtea nobis ad ipſum conuerſis, occaſionem habeat amplioris gratiæ in nos effundendæ. Sed ad Zachariæ vaticinium accedamus, quod Carmine conſtat, & circa duo potiſsimum capita verſatur. Primo Dei miſericordiam & veritatem celebrat, qui ſalutem olim patribus promiſſam nunc præſtet: & ea occaſione de humani generis redemptione ſic diſſerit, vt ſimul Chriſti regnum deſcribat, quidq; nobis ex illo ſperandum ſit, doceat. Altero de filio ſuo Ioanne vaticinatur, deq; eius officio, cui illum deſtinatum eſſe, ex Angelo intellexerat.

Propoſitio Carminis Zachariæ.

Propoſitio totius Carminis eſt: Benedictus Dominus Deus Iſraelis. Habet iſta Epiphonematis ſpeciem, quia ex abrupto & præter omnium expectationem exclamat, Deum illum prædicari & laudari debere, qui Iſraelem iam inde à prima gentis origine ſingulari fauore & bonitate cõplexus ſit. Iſta aũt dicendo negotium hoc omne ad vnum authorem Deũ refert, quæ vera eſt gratiarum actio, quam ille à nobis requirit, quando iubet, vt liberati ex aduerſis ipſum glorificemus. Eſt hoc in omnibus Dei beneficijs diligenter obſeruandũ, ne quid nobiſipſis tribuendo aduerſus illum efferamur inſolentius, & ab ipſo datis bonis turpiter abutamur. Peccauit in hoc olim grauiter Nabuchodonoſor, & ideo rationis vſu amiſſo inter feras vitã egit, vt ita Deum omnis boni authorem eſſe diſceret. Et hodie ad eundem lapidem multi offendunt, qui mihi quodammodo cum ratione inſanire videntur, quando inter tot noſtra infirmitatis & corruptiſsimæ naturæ argumenta adhuc ſuperbire & ſuis viribus aut meritis aliquid tribuere audent.

Dominus Deus Iſraelis.

Non temere autem factũ putabimus, quòd Dominum Deum Iſraelis dicit Zacharias. Num verò Iudæorum Deus ſolum? inquit Paulus, Nonne & gentium? Certè & gentium. Iſraelitarum verò Deus ferè dicitur in ſcripturis, quia illos præ alijs gentibus elegit, vt ſeipſum & voluntatem ſuam in illis toti mundo manifeſtaret. Cum illis ergo fœdus fecit, quo ſe ipſis obſtrinxit: inter illos ſui cultus ſedem conſtituit, & quod omnia alia longe ſuperat, filium ſuum ex illis hominem naſci voluit. Et hæc quidem priſci patres diligenter obſeruarunt, quibus frequenter in ore fuit Deus ille Iſraelis, vt maiorem conſolationem haberent in tentationibus, quando Deum genti ipſorum peculiariter obſtrictum, & ſe huius peculium eſſe cogitabant. Hinc vo-

Pſal. 76. & 147. ces illæ in Pſalmis: Notus in Iuda Deus, præclarum nomen eius in Iſraele. In Salem eſt tabernaculum eius, & manſio eius in Zione. Nuntiat verbum ſuum Iacobo, & decreta ſua atque iudicia ſua Iſraeli: Non egit ad hunc modum cum vlla gente. Et conſtat pios ex eo efficaciſsimam conſolationem petijſſe, quòd ad ſe priuatim pertinere crederent promiſsiones, quibus ſeſe toti genti Hebræorum Deus obſtrinxerat. Debent ergo illas etiam ad ſe transferre hodie, quicunque per fidem veri Iſraelitæ facti ſunt. Quia enim promiſsionum omnium complementum eſt Chriſtus, ad eos imprimis illarum fructus pertinet, qui Chriſto per fidem ſunt inſiti. Itaque in medijs tentationibus hoc eos maximè conſoletur, quòd Deum ſciant ſuum Deum eſſe, & ſibi hanc poteſtatem ab ipſo Chriſto datam eſſe, vt illum patris nomine inuocare, & quidem ſuum patrem dicere poſsint. At ſimul officij ſui meminerint, quod in eo conſiſtit, vt Deo ſe totos viciſsim conſecrent, huic indiuulſè adhæreant, & eundem fide vera colant, ne quando idem quod Iudæi patiantur, quos per incredulitatem & contumaciam ſuam ab illa dignitate excidiſſe Paulus teſtatur. Sequuntur rationes, cur Deus celebrari debeat, & his primum huius Cantici caput abſoluitur.

Deus inuiſit populum ſuũ.

Primò autem laudandum eſſe ait, quòd inuiſerit & redemerit populum ſuum. Inuiſendi aut viſitandi verbo vtitur more Hebræorum, & ad populi ſtatum afflictiſsimum alludit. Quaſi dicat, Fuimus aliquanto tempore mortalium miſerrimi, vt à Deo omnino derelicti videri potuerimus, cùm in eccleſia ſimul & repub. nihil ſanũ & integrum eſſet. Sed reſpexit nos Deus tandem, & quodammodò ad nos redijt, vt redemptionem olim patribus promiſſam nunc reipſa præſtaret. Debet autẽ ex hoc exemplo generalis doctrina peti, Deum ſui populi curam minimè negligere, licet opem aliquãdiu differat. Sinit quidẽ nos exerceri, quia ſic nobis opus eſt, ne noſtri ſimul & ipſius immemores cũ impio & pœnitere neſcio mũdo malè pereamus. Idem tamẽ, quia nos terrã & puluerẽ eſſe nouit, noſtræ infirmitatis memor eſt, & nos ſupra vires tentari nõ ſinit, imò vires nobis interea ſufficit, quibus tẽtationem

certami-

certamina vincamus. Et quando tempus eſt, præter omnem expectationẽ liberat. Sic olim factum, quando filiorum Iſraelis res in extremis conſtitutæ erant, vt Deus fœderis et promiſsionum omnium oblitus eſſe videretur, & Moſes ipſe apud Madianitas exularet. Tunc enim præter ſpem huic apparens dicebat: Videndo vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & audiui clamorem eorum, propter exactores quos habent: quoniam noui dolores eorum, et ideo deſcendi vt liberem eos de manu Ægyptiorum. Et huic ſimile exemplũ eſt, quod in liberatione ex Babylone accidiſſe legimus. Quod autem publicè fieri ſolet, id ipſum frequenter priuatim quoq; experiuntur, qui Deum ex fide verà inuocant, & huius generis exempla quotidiè multa cernimus. Vſus eorum nobis hic eſto, ne in afflictionibus deſperemus, ſed expectemus Dominum, neq; excidat nobis dictum illud prophetæ, qui in ſilentio & ſpe robur noſtrum fore pollicetur. Iſa. 30.

Exod. 3.

Sed euidentius docet Zacharias, quomodo populum ſuum inuiſerit et redemerit Dominus. Erexit nobis (inquit) cornu ſalutis in domo Dauidis pueri ſui, prout locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, prophetarum ſuorum. Sunt hæc deſumpta ex Pſalmo 132. vbi ſic loquitur Dominus: Illic cornu Dauidi germinare faciam, lucernam paraui vncto meo. Per cornu autem intelligit regnum & robur, metaphora à cornutis animalibus ſumpta, quorum vires ferè in cornibus exiſtunt. Eſtq; metaphora hæc frequens admodum in ſcripturis, & tam in malam quàm in bonam partem ſumitur. Nam Pſal. 75. ait Chriſtus: Confringam omne cornu impiorum, cornua verò iuſtorum erigentur. Et in Pſalmo 112. de viro pio & benefico dicitur: Cornu eius altum erit cum gloria. Quibus addi poteſt, quòd apud prophetas, Danielem imprimis & Zachariam regna huius mundi non vno loco per cornua adumbrantur. Quare verborum iſtorum ſenſus eſt, Deum nunc præſtare quod olim promiſerit, vt nimirum in Dauidis domo regnum illud ſalutiferum conſtituat, de quo Prophetæ, homines ſanctiſsimi, paſsim vaticinati ſint. Promiſsiones, quæ ad huius loci illuſtrationem faciunt, præter illam quam ex Pſal. 132. adduximus, plurimæ extant. Inter quas primum locum tenet, quæ in poſteriori Samuelis libro cap. ſeptimo per Nathanum edita legitur. Exponitur eadem prolixè admodum in Pſalm. 89. Et propheta Iſaias de ſurculo aut germine ex trunco Iſai enaſcituro vaticinatur. Nihil deniq; frequentius eſt, quàm quod humana redemptio per Dauidis regnum deſcribitur, & ipſe Chriſtus Dauidis nomine inſignitur. Quæ omnia Zacharias paucis hiſce verbis pijs in mentem reuocat. Continet autem ſimul deſcriptionem regni Chriſti, quã obſeruaſſe non parum proderit, eò quòd ad fidem confirmandam multùm facit. Primò enim dum cornu dicit, illud potentia & viribus inſtructum eſſe docet, quibus & ſeſe tueatur, & aduerſariorum conatibus reſiſtat. Quod de illo veriſsimè dici, reſipſa teſtatur, quando & olim omnem aduerſariam poteſtatem Chriſtus deuicit, & hodie regnum ſuum ſeruat nequicquam aduerſus illum pugnantibus, qui illud euerſum cupiunt. Deinde idem hoc pijs atq; credentibus regnum ſalutis eſt. Nam ſublato & deſtructo diaboli regno, peccata mundi expiauit Chriſtus, iuſtitiam ſempiternam reduxit, patri Deo nos reconciliauit, regni cœleſtis hæredes fecit, & nos vſq; tuetur, ne ſibi eripiantur, quos ſemel in ouium ſuarum gregem adoptauit. Non ergo huius mundi regnis ſimile eſt regnum Chriſti. Illa enim ſubditis oneroſa & moleſta ſunt, eò quòd illi Reges ſuos alere coguntur, iiſdem tributa & vectigalia ſoluant, pro iiſdem bella gerant, & plerunq; vix in conſpectum illorum venire poſsint, ſi quam cauſam habent, in qua Regum patrocinio imprimis opus erat. At nihil huius in Chriſti regno inuenitur. Is enim ſuos alit, & vt hoc poſſet, carnem & ſanguinem ſuum prò illis tradidit. Idem dona ſpiritualia & corporalia inter ſuos liberaliſsimè diſtribuit, ipſe pro ſua eccleſia & ſingulis eius membris pugnat, & aures ſuas nobis faciles præbet, adeoq; ad ſe inuitat omnes, qui ſeſe grauatos eſſe ſentiunt. Magna ergo mundi huius infelicitas eſt, qui Regem tam beneficum faſtidit, & Antichriſtum ſibiipſi imponit, quem perditionis filium ſcriptura dicit, eò quòd et ipſe perditus ſit, & eos perdat ſecum, qui ipſum ſequuntur. Præterea non nouum eſt Chriſti regnum, ſed omnium, quæ vnquam in mundo fuerunt, vetuſtiſsimum. Vt enim de illo vaticinati ſunt prophetæ, ſic in æterno Dei decreto fundatum eſt, & inter homines tunc cœpit, quando ſalutis promiſsio primis parentibus data fuit: inde verò nouis ſubinde incrementis confirmatum adhuc hodie durat, & deinceps quoq; durabit vſq; ad conſummationem ſeculi. Faciunt iſta ad fidei Chriſtianæ & ſalutis noſtræ certitudinem; quam turpiter & perniciosè labefactant, quicunque prophetarum libros, quaſi nihil ad nos pertinentes reijciunt.

Erexit cornu ſalutis.

Dan. 7.
Zach. 1.

Regnum Chriſti deſcribitur.

Redemptionis per Chriſtũ factæ deſcriptio.

Cæterùm pergit Zacharias, & clarius adhuc deſcribit redemptionem illam, quã olim Deus per prophetas ſuos promiſerit, nũc autem in Chriſto velit præſtare. Salutem (inquit) id eſt, liberationem aut redemptionem (ſic enim Hebræi Salutis vocabulo interdũ vtuntur) ex inimicis noſtris, & è manu omniũ qui oderunt nos. Atqui non poſſunt iſta intelligi de liberatione ex tyrannide, qua Iudæi tũc per Romanos & Herodem premebantur. Conſtat enim illos ſub hac deinceps quoq; laborauiſſe, imò Romanorũ armis non multò poſt exciſos & in totũ orbem diſperſos fuiſſe, cùm increduli & contumaces eſſe pergerent. Ergo de ſpirituali liberatione loquitur, qua totius humani generis ſalus cõtinetur. Habuit illud & adhuc habet hoſtes acerrimos & omniũ crudeliſſimos: quorũ princeps eſt Satan ſiue

Ioan. 8. *diabolus, quem Chriſtus in veritate non perſtitiſſe, & iam inde ab initio homicidam fuiſſe ait. Is enim cùm ſua culpa ipſe à dignitate ſua excidiſſet, inuidia ſtimulante, hominis quoq; primùm creati ſaluti inſidias ſtruxit, & effecit, vt Dei mandatũ tranſgrederetur, & ita Dei imagine amiſſa peccati ſeruus fieret. Hinc exorta eſt maledictio, quæ vt terrã nobis aduerſariã & ad proferendas fruges atq; alia vitæ ſubſidia difficilem fecit: ſic omnes alias huius mundi partes nobis infeſtas reddidit. Huic ergo debemus, quòd cælitus demiſſæ tẽpeſtates prouentus agrorũ intercipiunt, quòd modò ignem nobis inimicum ſentimus, modò aquarũ vel inundatione vel penuria periclitamur: quòd aerem nobis noxium experimur: quòd animalia aduerſus nos ferociunt: quod deniq; nihil tam minutum aut vile eſt, quod non ſufficiat nobis perdendis: imò quòd ipſe homo homini hoſtis & dæmon ſit. Ne tamen in ſolis corporibus aut fortunis hæc pernities hæreat, nõ quieſcit interea hoſtis ille noſter diabolus, ſed inſtar leonis rugientis obambulat, & animabus quoq; æternũ exitium ſtruit. Itaq; modò cordibus noſtris ſeſe inſinuans immaniſſimorũ facinorũ nobis author eſt, modò prophanum Dei contemptũ nobis perſuadere conatur, modò mundi illecebris nos circũuenit, modò tyrannos & religionis omnis contemptores aduerſus nos armat, modò in ſecundis rebus confidentes & ſuperbos, in aduerſis autem impatientes & murmuratores facit. Quid multis? Author eſt nobis improbus ille, vt omnibus ad noſtrã perniciem abutamur. Dominabatur ergo ille toti humano generi olim per peccatum & mortem, eoq; infelicior erat noſtra conditio, quod miſeriã hanc nulli agnoſcerent, perditione autẽ propria delectarentur, adhæc diabolo ſeipſos ſponte ſiſterent, & ei arma præberent, quibus in ipſis debellandis ille vteretur. Fuit ergo deploratiſſima hominum omnium conditio, neq; ſalutis ſpes vlla erat, cũ ipſi homines ſeſe hoſti ſcienses volentes dederent, & in propriũ ruerent exitiũ. Et hanc miſeriam Paulus alicubi vno verbo explicat, quãdo nos poteſtati tenebrarũ ſubiectos fuiſſe ſcribit. Succurrit hic nobis vnus Deus per filium ſuum vnigenitum Ieſum Chriſtum. Is ex Virgine Maria homo factus in mundum venit, & in domũ fortis illius (vt ipſe in Euãgelio loquitur) ingreſſus, illum vicit & cõſtrinxit, eiuſq; vaſa diripuit, id eſt, in libertatem aſſeruit miſeros mortales, quibus ille ceu vaſis et armis proprijs ad omnem iniuſtitiã abutebatur. Victoriæ modus fuit, quòd in cruce pro nobis mortuus ſuæ mortis merito peccata mundi expiauit, deinde ex mortuis reſuſcitatus ſuæ reſurrectionis virtute mortẽ deuicit & portas inferorum effregit, ne nos amplius detinere poſſint. Itaq; ille ſemen illud mulieris eſt, quod veteris ſerpentis caput contriuit, & principem huius mundi foras eiectum omni poteſtate exuit, vt quàmuis adhuc tumultuetur, nihil tamen poſſit aduerſus ipſum & eos, qui ipſi per fidem ſunt inſiti. Et huius redemptionis hic etiam fructus eſt, quòd nobis placatus pater maledictionem aboleuit: quo fit, vt iam nobis omnia adiumento ſint in bonum, & nihil vſpiam in rerum natura ſit, quod nos ſeparare poſſit à dilectione Dei, quæ noſtræ ſalutis fundamentum eſt firmiſſimum, vt mox audiemus. Nam etſi nos per Legem accuſet Satan, & intra conſcientias noſtras nos peccati conuincat, non ta-*

Rom. 6. *men (vt Paulus ſcribit) peccatum nobis dominatur, vt vel totos nos in ſeruitutem redigat, vel ad mortẽ imputetur: eò quòd non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia, id eſt, non ea eſt amplius noſtra conditio quæ olim, quando Lex ſuo rigore adhuc armata omnes damnabat, qui vel in minimo deliquiſſent: ſed iam ſub regno gratiæ ſumus, quam Chriſtus nobis meruit, & qua fit, vt & peccata nobis nõ imputentur, & ſimul in Chriſto poſſimus omnia. Sumus ergo verè liberati ex manu hoſtiũ noſtrorum, quando neq; peccatum nos damnare poteſt, neq; in nos ius habet aliquod Satan, neq; mors aut inferũ nos detinent, quò minus cum Chriſto æternum viuamus. Debet autem diligenter obſeruari, huius redemptionis authorem vnicum eſſe Deum, Mediatorem quoque vnicum Ieſum Chriſtum, & proinde non minus pernicioſe quàm turpiter eos falli, qui ſalutem ſuam alibi quærunt.*

At mire-

At miretur aliquis quæ cauſa Deum mouerit, vt tantam de nobis curam ſuſciperet: & hîc ferè Cauſa redem-
torum error ſeſe prodit, qui ſalutem ſuorum operum meritis aut veterum patrum virtuti adſcri- ptionis noſtræ
bunt. Sed rectius multò Zacharias tanti beneficij fontes nobis ex ſpiritus reuelatione monſtrat, gratuita Dei
quando Deum iſta feciſſe dicit, vt vteretur miſericordia erga patres noſtros, ac memor eſſet teſta- miſericordia.
menti ſui ſancti, & iuriſiurandi quod iurauit Abrahamo patri noſtro. Quibus verbis & cauſas et or-
dinem ſalutis ſimul comprehendit. Primam cauſam, adeoq́ fontem ipſum in miſericordia Dei com-
monſtrat, qui ita nos dilexit, vt filium ſuum vnigenitum pro nobis dederit. Verè autem hoc ab illo
dici patebit, ſi ad primum parentem noſtrum, Adamum, aſcendamus. Quid enim ille meruerat, cùm
præcepti diuini immemor peccaret, peccando diuinitatem affectaret, & mox audita Dei voce in pe-
des ſe conijceret, vt ab eius conſpectu ſeſe occultaret? Quid obſecro illi debebat Deus, qui neq́ culpam
ſuam deprecabatur, neq́ ipſius gratiam implorabat, ſed potius culpam omnem in ipſum transferre
ſtudebat? Atqui talem Deus quæſiuit & vocauit, eidemq́ ex fuga retracto ſemen illud mulieris pro
miſit, quod ſerpentis caput conculcaturum ſit, vt eius regno deſtructo humanum genus vindicetur.
Solius ergo miſericordiæ hoc beneficium fuit. Idem fateri cogemur, ſi Abrahamū inſpiciamus, quem
inter idololatras & Deorum aliorum cultores agentem (vt Ieſue ait) ex Chaldæa euocauit, & cum Ioſ.24.
eo fœdus ſalutis ferijt, idq́ poſtea iureiurando confirmauit. Similiter nouum quoq́ teſtamentum fe- Gen.22.
cit, cùm Iudæi ſua perfidia prius illud prophanauiſſent, ſicuti apud Ieremiam ipſe conqueritur. Quod Ierem.31.
autem ex gratuito fauore patribus promiſit, hoc ſuo tempore præſtitit miſſo in carnem filio ſuo, in
quo omnes promiſſiones ſunt Etiam & Amen, & qui ipſe nouum teſtamentum in ſuo ſanguine con- 2.Cor.1.
firmari atq́ ratum fieri teſtatur. Concurrunt ergo hîc miſericordia & veritas Dei, & apparet ſimul 1.Cor.11.
certam & infallibilē eſſe ſalutis noſtræ fiduciam. Nam vt modò diximus, ex miſericordiæ Dei fon-
tibus illa emanat, quos perennes & inexhauſtos eſſe conſtat. Eadem Dei veritate confirmatur, quæ
& ipſa neq́ fallit neq́ fallitur. Nam in æternum manet verbum Domini, & quamuis olim tota hæc
mundi machina ruitura ſit, ex illo tamen ne iota quidem aut apex vnicus peribit. His ergo funda-
mentis nos inſiſtere conuenit firmiter, neq́ eos audire, qui dum humanæ iuſtitiæ fulcris ſalutis fidu-
ciam fulcire conantur, eius certitudinem omnino labefactant, imò funditus euertunt. At hîc inter
alia obſeruatu digniſſimum eſt, quòd in Chriſto nobis exhibitam Dei gratiam ad patres vſq́ exten
dit. Illius ergo merito illi quoq́ ſeruati ſunt, & alibi hoc nomine agnus ille dicitur, qui immolatus ſit
ab origine mundi. Admonet id nos dulciſſimæ communionis, quæ nobis cum lectiſſimis illis Dei
amicis intercedit, & ita noſtræ ſalutis fiducia amplius confirmatur. Poſſumus etiam ex hoc loco
animarum immortalitatem & corporum reſurrectionem aſſerere aduerſus Epicuræos, qui vt ſi-
bi in ſceleribus ſuis blanditias faciant, illa negare ſolent. Si enim quam in Chriſti exhibuit nobis
Deus miſericordia ad veteres etiam patres ſeſe extendit; qui iam ſeculis aliquot hac vita defuncti
fuerunt, illi poſt mortem iam tunc ſuperſtites fuerint oportet. Vixerunt ergo illorum ſpiritus cum
Deo, & eorundem corpora in ſpe reſurrectionis quieſcunt, quæ illis ſalutem omnibus numeris
perfectam afferet. Vſus eſt ſimili argumento Chriſtus aduerſus Sadducæos, vt infra Cap. 20.
videbimus.

Reſtat vltimum huius de Chriſto vaticinij membrum, quo docetur quis redemptionis & ſalutis Finis noſtræ re-
huius finis aut ſcopus nobis eſſe debeat, quoad vitæ noſtræ conſuetudinem. Nimirum vt ſine metu, è demptionis.
manu inimicorum noſtrorū liberati, Deo ſeruiamus in ſanctitate et iuſtitia coram ipſo cunctis diebus
vitæ noſtræ. Continetur his verbis quicquid ad vitam verè Chriſtianā pertinet. Vbi ante omnia ob-
ſeruare oportet, finem & vſum redemptionis noſtræ nequaquam hunc eſſe, vt gratiā Dei ad vitæ &
morum licentiam transferamus, & impunè peccemus, ſed vt Dei cultores ſimus & vitā viuamus
Chriſtiana profeſſione dignam. Admonet nos de hoc Chriſtus, quando iubet vt in ipſo multum fru-
ctum feramus, & vt qui per ipſum loti ſunt, quotidie pedes ſuos abluant. Niſi ergo hoc faciamus, Ioan. 13. & 15.
Chriſti meritum nobis irritum & inutile reddemus, et quod ore profitemur, idipſum factis negabi-
mus. Non oſcitanter autem prætereundum eſt, quòd nos Deo ἀφόβως id eſt, ſine metu aut timore
ſeruire iubet. Non enim damnatur hic pius ille et ingenuus Dei timor, quē ſapientiæ veræ principiū
dicit Solomon, & ſine quo carnis libidinem reſtinguere non poſſumus: ſed de ſalutifera illa animi
religioſi ſecuritate ſermo eſt, quam in nobis parit certa miſericordiæ Dei fiducia, & quæ nos in Dei

cultu alacres atque conſtantes reddit. Quam niſi habeamus, neque Deo fidere poſſumus, neque nobis
ipſis perſuadere, quòd illi grata ſint noſtra officia, & proinde in eius cultu nimium frigebimus. Ideo
Paulus de carnis mortificatione & vitæ nouitate diſſerens, vt infirmis ſpem faceret, dicebat: Pec-
catum vobis non dominabitur, quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Adde, quòd neque mun-
Rom. 6. di terriculamentis reſiſtere poterunt, quos non confirmat certa diuinæ gratiæ & miſericordiæ fidu-
cia. Vides ergo quid de Scholaſticorum dogmate ſentire debeas, qui hominem, quoad hîc vixerit, de
Dei gratia certum fieri poſſe negant. Dicunt ſe ita docere, vt ſegnes ad ardentius pietatis ſtudium
accendant. At quomodo hunc colent ex animo, qui eum ſibi inimicũ fingunt? Itaq; iſti homines non ſo-
lùm ſalutis fiduciam labefactant, ſed verum colendi Dei ſtudium quoque in hominum animis re-
ſtinguunt.

Vt Deo ſeruire debeamus. Sed imprimis ſpectare cõuenit, quibus rebus potiſſimùm nos Deus ſibi ſeruire velit. In ſanctitate
(ait Zacharias) & iuſtitia. Duobus membris vtramq; Legis tabulam complectitur. Sanctitate
enim toti Deo conſecramur: quod ſi fiat, tam illum ex toto corde diligemus, in illo vno ſpem & fidu-
ciam omnem collocabimus, eundem colemus ea forma & ritu, quem ille nobis præſcripſit: nomen de-
nique eius nobis ſanctum & venerabile erit, neq; aliquid eorum omittemus quæ ad ipſius gloriam fa-
ciunt. Iuſtitia verò ea virtus eſt, quæ ſuum cuiq; tribuit. At quia omnibus hominibus dilectionem de-
bemus, quæ totius ſecundæ tabulæ eſt completio, nihil in huius præcepta peccabunt, quicunq; iuſtitiæ
veræ ſtuduerint. Cur enim occidant eum, quem vt ſeipſos diligunt? Vel cur eius vxorem aut filiam
polluant, vel eius opes diripiant, vel famam lædant, cui ſe omne officium debere ſentiũt? Certè ij,
quibus iuſtitia hæc cordi eſt, cupiditates quoque frænabunt, ne extra illius limites vagentur. Duo-
bus itaq; verbis Zacharias abſoluit, quod prophetæ & apoſtoli in ſuis ſcriptis, propter carnis noſtræ
tarditatem, admodum prolixè tractant. Imprimis autem ad huius loci explicationem pertinet, quod
Tit. 2. Paulus ad Titum ſic ſcribit: Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos,
vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, moderatè & iuſtè & piè viuamus in præſenti ſe-
culo, &c. Non temere autem hîc nos admonet ſpiritus ſanctus, vt coram ipſo Deo ſanctitati & iu-
ſtitiæ ſtudeamus, id eſt, vt meminerimus, nos in Dei conſpectu agere, qui nullo fuco aut hypocri-
ſi fallitur, ſed ipſos hominum animos inſpicit, & proinde ſic viuamus, vt eius iudicio probemur.
Quid enim iuuabit, nos hominibus ſanctos & iuſtos videri, ſi Dei ſententia nos damnet, cui execu-
tio certa coniuncta eſt?

Sẽper Deo ſeruire debemus. Ne quid tamen omittat Zacharias, quàm diu etiam nos in hoc Dei cultu & ſeruitio durare
oporteat, admonet: Nimirum cunctis diebus vitæ noſtræ. Opus autem fuit hoc adijci propter eos, qui
vel Dei cultum certis diebus aſtringunt, quibus ſe totos magna cum animorum deuotione (vt vide-
ri volunt) rei diuinæ conſecrant, ijs autem tranſactis ad effrænem peccandi licentiam redeunt: vel
eos etiam, qui vbi res aduerſæ & grauiora pericula imminent, ad pœnitentiam ſeſe comparant, vt
Dei fauorẽ demereantur: hanc verò momentaneã agunt, & mox in priores mores effunduntur, vbi
periculi metus euanuit. Sunt hi ex eorum numero, quibus per Hoſeam olim dicebat Dominus: Quid
Hoſ. 6. faciã tibi Ephraim? quid faciã tibi Iuda? Pietas veſtra eſt quaſi nubes matutina, & veluti ros ma-
ne veniens & abiens. Et tales fere ſunt, qui hodie optimi videntur. Quid verò illi aliud agũt, quàm
quòd duobus heris ſimul ſeruire volunt, Deo nimirum & diabolo? quod factu impoſſibile eſſe Chri-
ſtus docet. Meminerimus ergo, nos (vt Paulus monet) ea cõditione ex peccati ſeruitio liberatos eſſe,
vt nunc Deo mancipati, huic ſoli ſeruiamus. Et hæc in primam huius Cantici partem dicta ſint, cu-
ius doctrinam nobis accommodare debemus, vt Dei quidem gratiam totis animis agnoſcamus, ei-
dem verò nos totos conſecremus in ſanctitate & iuſtitia, cuius nobis Mediator factus eſt Ieſus
Chriſtus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XV.

Et tu puerule, propheta Altiſſimi uocaberis. Præibis enim ante faciẽ
Domini, ut pares uias eius: Et des cognitionem ſalutis populo eius per
remiſſionem peccatorum ipſorum: Propter uiſcera miſericordiæ Dei
noſtri,

noſtri, quibus inuiſit nos Oriens ex alto: Vt appareat ijs, qui in tene-
bris & umbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in uiam
pacis. Ipſe autem puerulus creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, fuitque
in deſertis ad eum uſque diem, quo ſe oſtenderet apud Iſraelem.

*Q Vamuis Zacharias hoc Cantico Dei beneficium celebrare inſtituerit, qui ipſi ex Elizabe-
ta vxore ſterili filium dederat, prima tamen eius parte ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione de ipſo
riſto vaticinatur, & ea occaſione totum humanæ ſalutis negotium exponit, quod tribus ferè ca-
ibus comprehendit. Primo docet, nos huius virtute & merito liberatos eſſe ab inimicis noſtris,
orum princeps diabolus nos ſub immani peccatorum ſeruitute premebat. Secundo cauſas re-
ptionis huius indicat in Dei miſericordia & veritate, qui vt olim noſtri miſertus ſalutem pa-
us promiſerat, ſic eandem miſſo in mundum filio ſuo præſtitit. Tertio officia vitæ Chriſtianæ
dit, quorum ſumma eſt, vt omni damnationis metu excuſſo, vni Deo ſeruiamus in ſanctita-
& iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ. Sequitur nunc altera huius Cantici pars, qua de filio
nne agit, cuius officium primò ſummatim paucis verbis comprehenſum proponit, mox verò
n pluribus exponit. In his autem ferè prophetarum veterum & Angeli verbis vtitur, quod nos
ruare conuenit, vt videamus, quàm bene ſibi ſemper conſtet ſpiritus ſanctus, & quòd non ea-
ſit verbi Dei, quæ humanorum figmentorum conditio, quæ in ſingula propè momenta pro va-
morum hominum arbitrio mutantur. Cantico autem Zachariæ educationem Ioannis ſubijcit
as, quia hæc quoque ad eius inſtitutum faciebat. Vt verò iſtis omnibus Ioannis fides & autho-
s commendatur: ita fidelis preconis aut adminiſtri verbi Dei exemplum continent, ex quo de
ibus iudicare poſſumus, qui in munere eccleſiaſtico ſunt conſtituti, aut huius authoritatem ſibi
dicarit. Eſt igitur locus hic cognitu & conſideratu valde neceſſarius hodie in tanta iuditiorum
ietate, quia de munere illo magna cum contentione animorum pugnatur.
Orditur verò partem hanc Zacharias cum Apoſtrophe pathetica, & quæ paterni animi af- Ioannes prophe-
um pulchre exprimit. Dicit enim: Et tu puerule, propheta Altiſſimi vocaberis. Cohærent ta Altiſſimi.
m iſta cum ijs, quæ præceſſerunt, & ſenſus eſt: Etſi nunc puerulus ſis tantillus, & nihil exi-
m præ te feras, in hoc tamen regno tam potenti & ſaluifico non poſtremas partes tenebis. Vo-
ris enim propheta Altiſſimi, id eſt, veri & æterni Dei, quem ſic vocat ſcriptura, quia cæ-
erisque ſublimior in omnes creaturas imperium habet. Vocandi autem verbo non ſolùm pro com-
i more Hebræorum vtitur, vt talem reuera fore oſtendat, ſed vt ſimul doceat, eum publicè
omine celebrem & inſignem fore, vt pro propheta maximo à pleriſque agnoſcatur. Dicitur
m propheta in ſacris literis, non ſolùm qui futura prædicit, ſed quiſquis voluntatis diuinæ
ripturis reuelatæ interpres eſt, & huius doctrinam ad eccleſiæ ſiue auditorum inſtitutionem
onſolationem aut ædificationem accommodat. Sic enim munus hoc ab ipſo Deo apud Iere-
m deſcribitur. Cùm enim illi dixiſſet Dominus; Prophetam gentibus te conſtitui, mox ſub- Ierem. 1.
: Ecce ego poſui verba mea in os tuum, ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper re-
, vt euellas & extirpes, vt perdas & diſſipes, vt ædifices & plantes. Quò Paulus vide- 1. Cor. 14.
reſpexiſſe, cum ſcriberet: Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortatio-
& conſolationem. Et in his quidem ſedulum fuiſſe Ioannem, eius facta abunde teſtantur, vt
oco fuſius dicetur. Neque hîc alicui ſcrupulum moueat, quòd apud Ioannem Euangeliſtam
ſe prophetam eſſe negat. Illic enim de magno illo propheta agebatur, quem Deus olim per Mo-
promiſerat, & quem non alium quàm Ieſum Chriſtum eſſe, ex Petri & Stephani interpretatio-
nſtat. Vide Actor. 3. & 7. cap.
Nunc autem nobis paulò diligentius Zachariæ animus inſpiciendus erit, qui hoc nomine ſibi- Zacharias ſibi
otiſſimùm gratulatur, quòd diu exoptatum filium Dei prophetam & verbi præconem fore ſci- gratulatur ob
Poteſt hoc rationi humanæ mirum & abſurdum videri. Sciebat enim munus hoc arduum, filium prophe-
c inuidiæ & odij plenum eſſe. Sciebat quid olim prophetis accidiſſet, quibus cum populi contu- tam.
a, cum regibus, cum ſacerdotibus perpetuò fuit luctandum: & quòd plerique illorum vel
ijs finibus eiecti fuerunt; vel in carceribus tetris contabuerunt, vel lapidibus obruti,*

aut gladio percuſſi vitam finierunt. Neq; meliorem filij ſortem ſperare poterat, quoad rerum quæ tunc erat conditionem: cùm in repub. quidem prophanæ gentes, in eccleſia autem phariſæi & ſcribæ, ſuperſtitionum & traditionum humanarum magiſtri, dominarentur. At non ad huius mundi ſortem reſpicit Zacharias, ſed rem ipſam ſecum expendit. Etenim quia præcipuum diuini fauoris argumentum eſt, quòd nobiſcum colloqui & nos ſuæ voluntatis certiores facere dignatur, eximium et diuinum ſit munus oportet, quod in eum finem eſt inſtitutum. Neque hîc nos mouere debet, quòd eius dignitatem mundus non videt neque intelligit. Dei enim miniſtri ſunt, qui eos amicorum loco

Ioan. 15. habet (vt de apoſtolis Chriſtus loquitur) & in medijs periculis tuetur, quoad illorum operam ſibi & eccleſiæ vtilem eſſe nouit. Quia ergo vidit Zacharias, quantò ſacius ſit Deo, quàm mundo impio & ingrato ſeruire, non potuit non gaudere, quòd filium illius ſeruitio deſtinatum eſſe intelligebat. Idem olim Samuelis parentes viderunt, quorum hoc ſupremum votum fuit, vt filius in eccleſiaſtico miniſterio ſuam operam Deo collocaret. Arguitur iſtis exemplis infelix ſeculi noſtri corruptio, quando nullum vitæ genus magis contemptum & exoſum eſt, vt pleroſq; pudeat filios ſuos eccleſiæ & verbi Dei miniſterio conſecrare. Olim quidem cùm ſub Antichriſti regno errorum atq; ſuperſtitionum tenebræ dominarentur, non pudebat principes viros ex filijs ſuis Abbates & Epiſcopos facere, & nulla familia tam nobilis, tam opulenta, tam ampla, vel etiam inops & contempta erat, quæ non aliquos ex ſuis eccleſiaſticæ functioni, aut Monachorum & Monialium collegijs deſtinaret. At poſtquam veritatis lux tenebras illas diſcuſſit, & plurimis non ſolùm corporis, verumetiam animarum libertatem peperit, vix quiſquam inuenitur, qui filium Chriſti & Euangelij præconem eſſe velit. Imò niſi iam inde à pueris aliqui ad munus iſtud publicis eccleſiæ impenſis educarentur, breui doctrinam omnem cum eccleſia ruituram videremus. Itaq; ad miniſterium ſacrum ſoli ij ferè veniunt, quos vel ſua paupertas, vel familiæ obſcuritas contemptos reddit. Qui enim diuitijs abundant, ij filios ſuos vel ad mercaturam & artes vſurarias deſtinare, vel principum aulis mancipare, vel ignauo & turpi otio conſecrare malunt. Conſtat ergo hodie à pleriſq; pluris fieri gloriam hominum quàm Dei, & omnis iudicij inopia turpiter laborare eos, qui ita ſentiunt. Nam ſi inſtabilem mundi huius conditionem rectè expenderent, multò aliter iudicarent. Olim quidem magna fuit Pharaonum, Achabi, Manaſſis, Zedechiæ, Herodis, Pontificum Iudæorum & Romanorum Imperatorum gloria. At quis non videt hodie ſanctiorem & laudabiliorem eſſe memoriam Moſis, prophetarum, apoſtolorum & martyrum, quos illi iniquis ſuis iudicijs damnarunt, quos hoſtiliter perſecuti ſunt, & infamibus ſupplicijs extinxerunt? In horum igitur conſideratione verſentur eccleſiæ miniſtri, & ſimul meminerint, ſe Dei altiſſimi prophetas eſſe, qui & ipſos tueri, & quam hîc ſuſtinent ignominiam, æterna gloria compenſare poterit.

Officium Ioannis. Sed ad Zachariam redeamus, qui cùm filium Ioannem prophetam fore dixiſſet, mox eius officium diligentius deſcribit, ſic dicens: Præibis enim ante faciem Domini, vt pares vias eius, & des cognitionem ſalutis populo eius per remiſſionem peccatorum ipſorum. Primò Chriſti Ieſu Domini noſtri anteambulonem fore ait, quod de tempore miniſterij Ioannis intelligi debet. Vt enim Reges & Monarchæ non ſubitò aduenire ſolent, ſed ex ſuis aliquos præmittunt, qui & ipſorum aduentum denuntiant, & in hunc præparant quæ illis aut neceſſaria ſunt aut honorifica: Ita Dei filius, æternus ille rex gloriæ, non ignaris omnibus in mundum irrepere, ſed Ioanne præcurſore & præcone vti voluit, qui de eius aduentu omnes admoneret, & hominum mentes ad illum excipiendum præpararet.

Malach. 3. Quod ita fore olim prophetæ prædixerant. Apud Malachiam certè ait Dominus: Ecce ego mitto

Iſaie 40. legatum meum, qui purgabit viam ante me. Iſaias autem vocis in deſerto meminit clamantis, Parate viam Domino, in ſolitudine planam facite ſemitam Deo noſtro. Ad quæ vaticinia Zachariam reſpexiſſe verba eius ſatis teſtantur. Eſt autem hoc magnum diuinæ bonitatis argumentum, quòd filij ſui aduentum publicè omnibus innoteſcere voluit: at eodem omnem ſimul excuſationem Iudæis abſtulit, qui contempti Chriſti pœnas horribiles meritò dederunt, quando eum aſpernati ſunt, qui tanti præconis teſtimonio, adhæc docendi dexteritate & proprijs miraculis commendabatur.

Miniſtrorum uerbi officium, ut uiam parent Domino. At præcipuum huius loci caput eſt, quòd Ioannis exemplo nos de miniſtrorum eccleſiæ officio ſpiritus ſanctus admonet. Etſi enim Chriſtus in terras haſce non amplius corporali & viſibili modo deſcendat, & proinde anteambulone eiuſmodi, qualis olim Ioannes fuit, minimè opus habeat, eſt tamen

hoc com-

ez commune & proprium adminiſtrorum verbi munus, vt ipſi viam parent, id eſt, hominum men
es inſtruant, vt Dominus apud illos locum atq; domicilium inueniat. Hic enim miniſterij eccleſiaſti-
finis eſt, vt homines cum Deo communionem habeant, quod dilectus ille diſcipulus in ſua epiſtola
verbis perſpicuè docet: Quod vidimus & audiuimus id annuntiamus vobis, vt et vos communio 1. Ioan. 1.
em habeatis nobiſcum: & communio noſtra ſit cum patre & cum filio eius Ieſu Chriſto. At qua ra-
one via hæc Domino paretur, vt Ioannes hic noſter ſuo exemplo abunde docet. Fecit is docendi ini-
um à pœnitentia, quam ita docuit, vt omnis loci & ordinis hominum peccata accuſarit; & vt iſta
nendari oporteat oſtenderit. Libertate certè dicendi tanta vſus eſt, vt neq; ſacerdotibus & phari-
is pepercerit, neq; Herodi, cum is quoq; mali exempli & publici ſcandali author eſſet. Inde verò
riſtum prædicauit, & hunc digito commonſtrans dixit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum
ndi. Hunc ergo ordinem etiam hodie miniſtri omnes teneant. Quia enim peccata nos inſtar ma-
iæ cuiuſdam à Deo ſeparant, nunquam huic, niſi illis ſublatis, coniungi poterimus. Et hæc ſunt
quæ euellenda, diruenda & extirpanda Ieremiam miſſum fuiſſe ſupra audiuimus. Iſaias quoque Iſaiæ 58.
gutture clamare & vocem inſtar tubæ exaltare iubebatur, vt populo peccata ſua annuntiaret.
ò Chriſtus à pœnitentia doctrina apoſtolos ſuos prædicandi initium facere iuſſit. Nihil ergo præ-
officium faciunt, qui hodie peccata arguunt & quoſuis ad pœnitentiæ ſtudium grauiter hortan-
Qui enim hæc intacta relinquunt, cùm ſalutis doctores videri velint, perinde faciunt, ac ſi medi-
humores noxios in corpore diffundi patiatur, interim verò valetudinem meliorem ægrotanti
nittat. At ne quem in deſperationem conijciat pœnitentiæ prædicatio & acrior ſcelerum redar-
o, aut illius ſtudium nos inani propriæ iuſtitiæ fiducia inflet, ſimul Chriſtum prædicare oportet,
nobis à Deo patre ſatisfactio, redemptio & iuſtitia factus eſt. Ideoq; vehementer errant, qui in
epandis quidem hominum flagitijs & tradenda reſipiſcentia aſſidui ſunt, nullam verò Chriſti
tionem faciunt, qui ſolus afflictis conſcientijs medicinam veram adhibet. Et hic ille præ-
us error eſt, qui in Papatu plurimos fallit, quòd pœnitentiam ſine Chriſto tradunt, & ita
n deſperationis præcipitium miſeros adducunt, vel ſuorum operum fiducia turgentes à ſalutis
abducunt.

Recte ergo Zacharias filio Ioanni hoc quoque tribuit, quòd in hoc ordinatum ait, vt ſalutis co- Ioannes ut ſalu
onem det populo Domini. Fruſtra enim excindentur quæ in ſalutis via nobis occurrunt obſta- tis cognitionem
, niſi veram huius cognitionem teneamus. At priuſquam de hoc plura dicamus, videndum erit dederit populo.
enſu Ioannes illam dediſſe dicatur. Nam ſi propriè loqui libeat; ſolus Deus ſuo ſpiritu homi-
mentes illuminat, vt veram ſalutis rationem videre & intelligere poſſint. Docet hoc ipſe Luc. 10.
ſtus in Euangelio dicens: Nemo nouit filium niſi pater, & nemo nouit patrem niſi filius, & cui Ioan 6.
vult reuelare. Item: Nemo venit ad me; niſi pater meus traxerit ipſum. Et Petro, qui ipſum Matth. 16.
filium & Chriſtum eſſe confeſſus erat, reſpondet: Beatus es Simon, quia caro & ſanguis tibi non
feſtauit, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Quod ergo de Ioanne dicitur, ſolius miniſterij ratione
i debet, quo ſpiritus ſanctus vſus eſt, vt ſalutis cognitionem in hominum cordibus accen-
. Si enim huius gratiæ facultas penes Ioannem fuiſſet, procul dubio Sacerdotes quoque &
e, & imprimis Herodes, cognitione illa per ipſum fuiſſent donati. Vt autem Deus opera, quo-
pſe in nobis author eſt, noſtra dicit, & eadem ex gratia peculiari tanquam noſtra in nobis re-
ratur: ita hominum miniſterio ea tribuit; quæ non illi propria virtute faciunt, ſed in quibus
iendis ipſe hominibus ceu organis & inſtrumentis vtitur. Quo ſenſu Paulus & Barnabas cre- Actor. 14.
um animas confirmauiſſe dicuntur, cum hoc quoq; ſolius ſpiritus ſancti opus ſit. Et hoc quidem
ſtolus ipſe diligenter exponit, quando Corinthijs, qui quòd miniſtris nimium tribuerent, 1. Cor. 3.
ßas ſcindebantur, dicit: Quis eſt Paulus? quis Apollo? Nonne miniſtri ſunt, per quos
diſtis, & vt cuiq; Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, ſed Deus dedit incremen-
Itaque neque is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed Deus, qui dat incrementum.
autem hæc diſtinctio probè obſeruanda ad confutandam Epiſcoporum & ſacrificulorum ty-
dem, qui ſibi eorum poteſtatē attribuerunt, quæ de ſolo miniſterio intelligi debebant. Quæ cauſa
clauium prætextu ſibi in hominū animas & conſcientias poteſtatem vſurparint, quaſi penes
ſet peccata vel remittere vel irremiſſa tenere. Admonet itē diſtinctio iſta, ne miniſtros nimium

*addicti ſimus, & ita hominum ſerui reddamur, & quam in Chriſto obtinuimus libertatem turpiter
prodamus. Meminerimus ergo omnes verbi precones Chriſti miniſtros eſſe, quorum ſit, non ſibijpſis
ſed vni & ſoli Chriſto diſcipulos colligere. Illis ergo credamus, quatenus Dei verbum prædicant,
interim verò Ieſum Chriſtum agnoſcamus vnicum Regem & Sacerdotem, cuius nomine nos glo-
riari, & in eo ſolo ſalutis fiduciam habere conueniat.*

Salutis cognitio quibus partibus conſtet? *Pergit autem Zacharias, & quæ illa ſalutis cognitio ſit quibusq́ partibus conſtet, diligentius ex-
ponit, dicens: Vt des cognitionem ſalutis populo eius per remiſſionem peccatorum ipſorum: propter
viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus inuiſit nos Oriens ex alto: vt appareat ijs, qui in tenebris
& in vmbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Comprehendit his ver-
bis omnia capita, in quibus vera & ſolida ſalutis cognitio conſiſtit, quæ ſi nobis ob oculos ponamus,
facilè de quauis doctrina iudicare poterimus, an ex Deo ſit, vel num in viam ſalutis nos dirigat, aut
inde abducat. Nam primò docet, in quo nam ſalus omnis ſit ſita. Deinde eius fontem atq; originem
commonſtrat. Tertiò medium quoque ſalutis oſtendit. Quartò finem quoque & fructum tradit, qui
inde ad nos redit. De quibus etſi in prima etiam Cantici huius parte multa dixerimus, exigit tamen
huius loci tractatio, vt cauſam hanc iterum excutiamus.*

Salus in peccatorum remiſſione conſiſtit. *Quoad primum, cognitionem ſalutis, vel potius ſalutem ipſam nobis in peccatorum remiſſione
monſtrat. Quia enim peccata Dei iram prouocant, & (vt ſupra dictum eſt) nos à Deo ſeparant,
(quæ omnis miſeriæ & perditionis vnica cauſa eſt) ſalus certè nulla ſperari poterit, vbi peccata
regnant, aut adhuc in rationem veniunt. Obſeruabis autem Zachariam, ſalutem noſtram non in
hoc collocare, vt peccata in nobis prorſus nulla ſint, ſed in peccatorum remiſſione. Quoad enim in
carne vixerimus, abſque peccato eſſe non poſſumus, cùm in eo concepti & nati ſimus, vt de ſemetipſo*
1. Ioan. 1. *Dauid fatetur. Quapropter Apoſtolus dicebat: Si dicamus nos peccatum non habere, noſipſos fal-
limus, & veritas Dei in nobis non eſt, imò Deum mendacem facimus. Quia ergo natura peccato-
res ſumus, peccati verò ſtipendium eſt mors, conſtat vtiq; ſalutem noſtram in eo conſiſtere, vt pec-*
Rom. 4. *cata nobis non imputentur, id eſt, in eorum remiſſione gratuita. Ad hunc modum Dauid quoque*
Pſalm. 32. *(ſicuti Paulus obſeruauit) hominis beatificationem deſcribit. Beati (inquit) quorum remiſſæ ſunt
iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputarit Dominus peccatum.
Eſt hoc ſalutis principium probè tenendum, vt agnita peccatorum noſtrorum multitudine & gra-
uitate, procul abijciamus phariſaicam & exitialem propriæ iuſtitiæ fiduciam, & ſalutem noſtram
in remiſſione peccatorum quæramus, quæ vnica nobis iuſtitia reſtat.*

Cauſa remiſſionis peccatorũ. *At quæ nam (inquis) remiſſionis iſtius cauſa eſt? Rurſus ergo Zachariam audi, qui eam nobis
obtigiſſe ait, propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Vt ergo prius nos debitores eſſe oſtendit, qui-
bus remiſſione gratuita opus ſit: ita hanc in mera Dei miſericordia commonſtrat. Vtque hanc nobis
magis commendat, viſcera miſericordiæ nominat, ita nimirum naturales illos commiſerationis mo-
tus intelligens, quibus parentes erga liberos ex ſe natos affici ſolent, quas Græci* ϛοργάς *dicunt, &
quarum exemplum in meretrice illa proponitur, quæ de filio ſuo apud Solomonis tribunal conten-
diſſe ſcribitur. Tanta autem harum vis eſt, vt tunc quoq; ſeſe exerant, quando contumaces filios &
quouis ſupplitio dignos in periculo aliquo grauiori parentes conſpicantur. Rectè verò has Deo tri-*
Iſaiæ 49. *buit Zacharias, eò quòd hic ſe patrem noſtrum profiteatur, & apud Iſaiam dicat: Num obliuioni
tradit mulier infantem ſuum quò minus miſereatur filij vteri ſui? Sed eſto obliuiſcantur illæ, ego
tamen tui non obliuiſcar. Conſentit autem cum Zacharia ipſe Dei filius, Ieſus Chriſtus, Nicodemo*
Ioan. 3. *dicens. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum pro illo tradiderit, &c. Et Paulus,*
Rom. 5. *nos tunc illi reconciliatos fuiſſe dicit, cum inimici & filij iræ, id eſt, iræ & ſupplicio digni eſſemus.
Quid vero teſtimonijs pluribus eſt opus, cùm huius generis loci paſſim occurrant, & omnium pa-
trum exempla iam inde ab origine mundi teſtentur, eos per ſolam Dei miſericordiam ſeruatos eſſe.
Rurſus ergo vanitatis arguitur noſtrorum operum & proprij meriti fiducia. Si enim ipſi nobis ſuc-
currere poteramus, minimè opus erat diuinæ miſericordiæ viſcera propter nos commoueri. At hoc
non temere factum fuiſſe Dauid agnoſcebat, cùm multitudinẽ miſerationum Dei imploraret, quam
non minori deſiderio omnes etiam ij inuocabunt, qui ſeipſos & peccata ſua propius inſpexerint.*

Mediator ſalutis Chriſtus. *Sed medium quoque videre oportet, per quòd nobis Deus ſalutem attulit. Quia enim ille non ſo-*

lum ini-

lum miſericors, verumetiam iuſtus & ſeuerus ſcelerum vindex eſt, non ſufficiebat, illum noſtri mi-
ſeritum eſſe, ſed inſuper peccata noſtra expiari oportebat, vt ea ratione etiam ipſius iuſtitiæ ſatisfie-
ret. Quod qua ratione factum ſit, Zacharias ſic docet: Inuiſit nos Oriens ex alto. Ita verò nominat
æternum Dei filium, Ieſum Chriſtum, & alludere videtur ad promiſsionem, quæ apud Malachiam Mal. 4.
habetur: Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas ſiue medicina in alis eius.
Cauſam huius nominis Ioannes Euangeliſta reddit, quando illum dicit lucem illam veram eſſe, Ioan. 1.
quæ ſuo in mundum aduentu omnem hominem illuminet. Et ipſe non ſemel ſe lucem mundi eſſe fa-
tetur, quam qui ſequuntur, non ambulent in tenebris. Hic Sol (inquit Zacharias) inuiſit nos ex al-
to, id eſt, Deus filium ſuum miſit, qui ſeſe humiliauit, & aſſumpta carne cauſam quoq; noſtram ſu-
ſcepit, vt noſtræ ſalutis Mediator fieret, ſicq; ſuis alis aut radijs afflicto hominum generi medicinam
attulit, quod illum facturum Malachias prædixit. Ita verò filium Dei humiliari & verum homi-
nem fieri oportuit, vt frater noſter factus, ſimul vindex quoq; noſter fieret, ad quē noſtræ ſalutis cau-
ſa iure pertineret. Ita verò hanc egit, vt peccata quidē noſtra in ſe translata mortis ſuæ merito ex-
piaverit, mortem verò reſurrectione vicerit, & inde à nobis aſſumptam carnem in cœlos ſubuehendo,
cœlorum quoq; portas nobis patefecerit, quæ propter peccatum prius occluſa erāt. Et in his quidem no-
ſtræ cum Deo reconciliationis ſumma conſiſtit, quæ omnia cùm vnus et ſolus Chriſtus præſtiterit, hic
quoq; vnicus nobis apud Deum Mediator eſt. Quod ipſe non obſcurè teſtatur, dicens: Nemo venit Ioan. 14.
ad patrem, niſi per me. Et huius dicti ipſum patrem ſuffragatorem habet, qui cœlitus clamat: Hic
eſt filius ille meus dilectus, in quo placatus ſum. Non temere autem Sol iſte ex alto exortus eſſe,
& nos inuiſiſſe dicitur. Ea enim locutione innuit ſpiritus ſanctus, ſalutem noſtram per nulla hu-
mana aut terrena media obtigiſſe, ſed negotium hoc totum diuinum & cœleſte eſſe, atq; ex ſola Dei
miſericordia pendere, qui filium ſuum nobis de cœlo ſeruatorem miſerit. Ideo apud Iſaiam hæc quaſi Iſaie 64.
communis credentium & ſalutem promiſſam expectantium vox auditur: O ſi cœlum ſcindas, ac
deſcendas, vt montes à facie tua, vt ab ignis incendio colliqueſcant. Cui & hoc Dauidicum conſen-
tit: Attollo oculos meos ad montes, vnde nam veniat auxilium meum. Auxilium meum à Domi-
no conditore cœli & terræ. Pſal. 121.

Reſtat vt ſalutis huius per Chriſtum exhibitæ finem aut fructum conſideremus, qui ex illa ad Finis ſalutis ex-
redit. Tradit hunc Zacharias, quando Solem hunc nos ex alto inuiſiſſe ait, vt appareat ijs, qui hibitæ in Chri-
in tenebris & in vmbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Comprahendi- ſto.
tur his verbis fructus duplex, quorum alter ad conſcienciarum conſolationem maximè refertur, al-
ter etiam ad vitæ totius inſtitutionem pertinet.

Primus eſt, quòd ijs apparet Chriſtus Solis inſtar, qui in tenebris & in vmbra mortis ſunt po- 1. Conſcientia-
ſiti. Meminit huius Iſaias quoq;, ad cuius vaticinium Zacharias alluſiſſe videtur. Sic enim ille ait: rum recreatio.
Populus, qui in tenebris ambulat, vidit lucem magnam, & habitantibus in terra vmbræ mortis
affulſit lux. Vmbram mortis Hebraica phraſi dixit pro vmbra mortifera & exitiali. Adumbra-
tur autem per tenebras & vmbram mortis calamitoſa & infelix generis humani conditio, quam
temporibus ignorantiæ ſub poteſtate tenebrarū (vt Paulus loquitur) ſuſtinuimus, priuſquam Chri-
ſtus nobis innoteſceret. Vt enim qui per loca ignota et tenebricoſa ambulant, exire quidem cupiunt,
ſed quò ſe vertant neſciunt: ita qui Dei ignorantia & errorum tenebris excæcati ſunt, vellent qui-
dem viam ſalutis inuenire, non vident autem quid agant, aut quò pedes ſuos dirigant. Imò vt qui in
obſcuro carcere capitis ſententiam in ſingulas horas expectat, duplici mœrore conficitur, dum et mor
tem inſtantem pertimeſcit, & tenebris impeditus quid ſolatij quærat non videt: ita miſeri mortales
cæcitate mentis & Dei ignorantia ceu carcere aliquo teterrimo, concluſi fuerunt, quæ illis vmbra
mortis, id eſt, perditionis & exitij cauſa fuit, eò quòd inde omnis generis errores & infinita peccata
manarunt. Senſerunt pleriq; hanc ſuam miſeriam, & intra conſcientias ſuas grauiſsimè excrucia-
bantur, cùm ſe quidem à Deo alienos & mortis æternæ reos propria conſciencia teſte intelligerent,
neſcirent autem quà nam illis ad thronum gratiæ & ſalutem aditus pateret. Exorti ſunt hinc cul-
tus ſuperſtitioſi, qui etſi ſectatoribus ſuis laborum & ſumptuum grauiſsimorum cauſam præberent,
nihil quam tamen per illos effici potuit, quò minus miſeris illis peccata ſimul & horum pœnæ ſubinde
ante oculos verſarentur. At in his anguſtijs agentibus Sol iuſtitiæ exortus eſt, Ieſus Chriſtus nimirū,

qui & Dei veri cognitione ſalutifera hominum mentes illuminat, & ſolutis peccati vinculis nos in lucem educit, adhæc in ſeipſo nobis acceſſum ad thronum gratiæ monſtrans, conſcientias ante metu & terrore damnationis conſternatas incredibili gaudio exhilarat. Cur enim non gaudeant & exultent, qui illum clamantem audiunt: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego requiem vobis præſtabo? Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Gaudij certè huius vis tanta eſt, vt in medijs quoq; afflictionibus nos exhilaret, vt hoſtibus noſtris pia gloriatione inſultare non vereamur, quando nos Chriſti ſocios & regni eius cohæredes factos eſſe videmus. Ita Dei electis & nomen eius timentibus autem ille iuſtitiæ Sol oritur, qui ſuis radijs medicinam affert præſentiſſimam conſcientijs ſub peccatorum pondere & mortis metu laborantibus.

2. Vitæ totius inſtitutio. *Alter Chriſti fructus eſt, quòd pedes noſtros dirigit in viam pacis. Pedum nomine affectus & inſtitutum hominis notari ſæpe diximus. Et videtur hoc membrum prophetæ verbis opponi, qui ho-*

Iſaiæ 59. *minum à Dei & Chriſti eius cognitione alienorum mores deſcribens, inter alia dicit, pedes eorum veloces eſſe ad effundendum ſanguinem. Interim oſtendit Zacharias, Chriſtum nobis à patre non modò ſeruatorem, verumetiam doctorem datum eſſe, qualem olim Moſes quoq; ſub magni illius prophetæ nomine deſcripſerat. Rectè autem metaphoris & ſimilibus vtitur ab ijs, qui iter faciunt, deſumptis, quando conſtat vitam noſtram omnem peregrinationem eſſe, qua nobis per vallem lachrymarũ ad cæleſtis patriæ poſſeſſionem enitendum eſt. Eſt autem peregrinatio illa vt laboris ſic etiam periculi plena. Infeſtat enim nos variè mundus hic & eius princeps Satan: & ne quid periculi deſit, ipſi pedes noſtri, id eſt, innati affectus nobis plurimum negotij exhibent, dum nos poſt errorum auia et peccati illecebras tranſuerſos abripiunt. Hîc ergo duce opus eſt fido & itinerum perito, quem Chriſtum Ieſum eſſe Zacharias docet, & idem prophetarũ quoq; oracula paſſim teſtantur. Is nos in viam pacis dirigit, & ita quidem, vt non ſolùm verbis doceat, verumetiã exemplo proprio præcedat, vt ad ſequendum magis excitet, & peregrinationẽ hanc nobis tutiorem et faciliorem reddat. Pacis autem nomine omnem felicitatẽ pro Hebræorum more intelligit, ad quem per Chriſtũ deducimur. Hic nos patri reconciliat, quod omnis beatitatis principiũ eſt. Docet item quid nos agere debeat, ſi in Dei fauore et protectione manere velimus: quo loco fidem nobis commendat, quæ vt nos bonorũ cæleſtiũ conſortes facit, ita fructus quoq; ſanctiſſimos parit, pacem conſcientiæ, dilectionẽ Dei et proximi, obedientiæ veræ ſtudium, vitæ innocentiam, iuſtitiam & ſanctitatem. His quicunq; ſtudent, ij & Deo propitio vtuntur, & cum hominibus quibuſuis, quantum in ipſis eſt, pacificè viuunt, & proinde tam in hoc ſeculo quàm in futuro verè felices & beati ſunt. Poſſent hîc multis recenſeri præcepta Chriſti ex ordine, quæ ad hanc ὁδηγίαν ſeu manuductionem faciunt, ſed cùm ſacra legentibus paſſim occurrant, & iam plus ſatis excreuerit oratio, illa conſultò prætermittimus.*

Vt Ioannes doctrinam hanc propoſuerit. *Et hæc quidem cognitio illa ſalutis eſt; quam Ioannes populo tradere debuit. At ſi eius doctrinam inſpiciamus, illum hoc ordine & modo iſta tradidiſſe patebit. Salutem enim in gratuita peccatorum remiſſione, cuius nobis Chriſtus author eſt, monſtrauit, quando illo viſo dixit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Omnes item homines ad vnum Chriſtum remiſit, hunc vnicum ſalutis Mediatorem eſſe docuit; & tanto preconio commendauit, vt ſe indi-*

Ioan. 3. *gnum diceret, qui corrigiam calceorum eius ſolueret. Et cum diſcipulos præpoſtero zelo attenſos Chriſtum æmulari videret; magna cum grauitate ait: Ipſi vos teſtes eſtis, quod dixerim, Ego non ſum Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illum. Qui ſponſam habet, ſponſus eſt, &c. Item; Illum oportet creſcere, me autem minui. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit filio, habet vitam æternam. Qui non credit filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum. Quibus adiecit pænitentiæ doctrinam, qua omnes homines ad innocentiæ, mutuæ dilectionis & pacis ſtudium excitauit. Diſcant igitur hoc exemplo omnes de doctrinis iudicium facere. Quia enim Ioannes hic tam in veteri quàm nouo teſtamento multiplici ſpiritus ſancti teſtimonio commendatur, deque eodem Chriſtus ipſe pronuntiat, neminem illo ſanctiorem ex muliere natum eſſe: nefas fuerit eius doctrinam & quam ille ſecutus eſt docendi rationem in dubium vocare. Quiſquis ergo ad eius exemplum ſalutis fontes in Dei miſericordia monſtrat, eiuſque Mediatorem eſſe docet vnum Ieſum Chriſtum, & hunc ſimul fidei vitæque omnis ducem conſtituit: is doctoris officio verè fungitur, & neque ipſe errat, neque ſectatores ſuos in errorem adducit.*

lucit. Chriſtus enim ſibijpſi ſemper conſtat, & vnus idemque eſt hodie & heri & in omnia ſe-
ula. At qui aliam viam ingreſſus ad operum merita, ſatisfactiones, humanam iuſtitiam, Diuo-
um intercesſionem, ignis purgatorij luſtrationem, Miſſarum oblationes et alia huius farinæ remit-
it, quibus & Dei gratia negatur, & Chriſti Ieſu meritum exinanitur: is Euangelium aliud prædi-
at, præter illud quod apoſtolorum temporibus prædicatum eſt, & proinde impoſtor eſt, etiamſi an Gala. 1.
elus de cœlo fuerit. Fruſtra igitur hodie queruntur multi, ſe neſcire quid credant aut faciant in tan
 ſententiarum de fide & religione varietate. Si enim Chriſtianus es, Chriſto auſculta. Si ouis Chri
i es, vocem eius audi et ſequere. Si Dei filius es, patris voci obtempera. Si Chriſti ſponſa es, aut ſpon
 eius membrum, huic vni adhære, hunc dilige, & eius monitis te obedientem præbe. Quòd ſi cui iſta
n ſatisfaciunt, ſed inſuper Patrum & Conciliorum decretis atque ſuperſtitionibus quotidie nouis
us eſſe putat, & ea mordicus tuetur quæ nullo ſcripturarum teſtimonio probari poſſe nouit: hunc
s ſuo iudici relinquamus, vt in ipſo tandem impleatur quod Chriſtus dixit: Si cæcus cæco dux fue
, ambo cadent in foueam. Matth. 15. Et hæc dicta ſint in diuinum hoc Zachariæ Canticum, quod
inam tam diligenter expenderent monachi & ſacrificuli, quàm in illo decantando aſſidui ſunt.

Sequitur Ioannis pueritia & inſtitutio, adhæc vitæ totius ratio, quam ad eum vſq; diem tenuit, Ioannis pueritia & educatio.
o impoſitam ſibi à Deo functionem cœpit obire. Vbi paucis verbis rem maximi momenti Lucas
oluit. Ipſe autem puerulus (inquit) creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, fuitq; in deſertis ad eum
, diem, quo ſe oſtenderet apud Iſraelem.

Primò illum creuiſſe & ſimul ſpiritu corroboratum fuiſſe ait. Ergo vt ætatis progreſſu corpore
uit, ita ſpiritus quoque ſancti donis indies auctus eſt, quæ in illo nouis quotidie argumentis ſeſe
gis atq; magis exeruerunt. Non temere autem ab hoc orditur Euangeliſta. Ex eo enim apparet,
 nam virtutum omnium in Ioanne cauſa atq; origo fuerit: non quidem propriæ naturæ indoles,
m vt alij homines in peccato conceptus & natus fuit) non parentum meritum (Zachariam enim
ncredulitatem quouis ſupplicio dignum fuiſſe audiuimus) ſed Dei gratia, qui ſicuti promiſerat,
m adhuc in matris vtero deliteſcententem ſpiritu ſuo donauit, & huius dona deinde in illo quo-
 auxit. Spiritus ergo ſancti opus fuit, quòd vitam egit Ioannes à communi viuendi conſuetudi-
lienam, & quæ omnibus admirationi fuit: quòd veritati teſtimonium tam conſtanter perhi-
: quòd pœnitentiam tanto ſerio docuit, & ſcelera publica tanto ardore & libertate docendi cor-
it, vt ne Regi quidem Herodi parcendum putarit, quin mortem potius crudelem voluerit per-
, quàm ad flagitium tanto cum ſcandalo coniunctum conniuere. Nam ſi iſta ad noſtræ rationis
ulum examines, huic impoſsibile fuerit, pericula tanta ſpe bonorum cœleſtium ſubire, & pro-
 futuram retributionem præſentis vitæ commoda negligere. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus di-
ulos non ante ab Hieroſolymis diſcedere & ad prædicandi munus prodire voluit, donec ſpiri-
 ſanctum accepiſſent, qui rebus agendis idoneos & ad pericula quæuis intrepidos faceret. De-
 hoc obſeruare quicunque ad miniſterium eccleſiæ vocantur, vt pietati, ſanctitati & innocentiæ
leant: quandò certum eſt illos abſque ſpiritus ſancti auxilio nihil egregij facturos eſſe, ille au-
 cum impijs & impuris commercij nihil habet, neque in animam malignam ingreditur. Orent
ique indeſinenter, ne ſpiritum ſuum illis Deus ſubducat, ſed hunc in ipſis indies confirmet & au-
, vt & ſtationem ſuam tueri, & miniſterium ſuum maiori cum fructu obire poſsint. Excitet il-
 aduentus Domini, qui vt tunc veniet, quando minimè venturus putabitur: ſic ab illis ſuæ fun-
nis rationem exiget, & de illorum manu requiret ſanguinem eorum omnium, qui ipſorum ne-
entia perierunt.

Deinde in deſertis vitam egiſſe dicitur Ioannes. Vitæ verò rationem Matthæus & Marcus Ioannes in deſertis agit.
entius exprimunt, qui illum pilis camelorum veſtitum & Zona coreacea ſuccinctum fuiſſe,
le autem ſylueſtri & locuſtis victitauiſſe ſcribunt. Fuit ergo tota vitæ ratio conformis ei loco,
uo verſabatur. Vbi nemo putauerit, exemplo hoc vitam Monaſticam aut eremiticam cōmenda
Nullum enim Dei præceptum extat, quo in ſolitudinem ſecedere & hominum conſortio nos in
erſum ſubducere iubeamur. Quin potius ſocietate & mutuis hominum officijs ex charitate
fucata manantibus Deus delectatur, & quemq; in ſua vocatione obeunda diligentem eſſe iu-
 Quòd ergo Ioannes vitæ genus peculiare à prima pueritia ſecutus eſt, id ex ſingulari ſpiritus

ſancti impulſu & miniſterij cauſa fecit, cui ipſum Deus deſtinauerat. Quia enim Chriſti prænuntius atq; primus noui teſtamenti miniſter, adeoq; prophetis omnibus excellentior eſſe debebat, neceſſe fuit ita eum à pueris educari, vt vulgò omnes viderent, ſingulare quid de illo ſperari debere. Deinde cùm per annos circiter quadringentos & quinquaginta (poſt Malachiam nimirum, qui vltimus veteris teſtamenti propheta fuit) prophetandi munus quieuiſſet, illud non ſine noua aliqua præparatione inſtaurari oportuit, vt omnium mentes ad audiendum verbum Domini excitarentur. Præterea quia Angelus dixerat, Vinum & ſiceram non bibet: hominũ quoq; conſuetudinem vitare debuit, ne ea corrumperetur. Exigebat etiam tale quid populi Iudaici ingenium, qui in externis hærere, et ex his de doctoribus iudicium facere ſolebat. Illis ergo ſeſe accommodare voluit Dominus, ne quam ſuæ incredulitatis & contumaciæ excuſationem haberent. Ex his verò colligitur, non debere hoc Ioannis factum in exemplum trahi, & niſi ipſi quoq; diuinitus vocemur, non nouam inſtitui debere viuendi rationem, ſed hoc potius curandum eſſe, vt noſtræ vocationi ſatisfaciamus. Interim diſcimus, à pueris aſſueſcendum eſſe ijs, quæ ad functionem, cui deſtinati ſumus, neceſſaria ſunt. Quantum enim poſſit educatio, in brutis quoq; animantibus cernitur, & olim Lycurgus Spartanos ſuos duorum catulorum exemplo docuit, qui etſi ex iiſdem parentibus nati eſſent, alter tamen venationi idoneus, alter ignauus culinæ cuſtos factus eſt, cùm diuerſo modo inſtituti eſſent. Eſt verò hoc imprimis obſeruandum in ijs, qui aliquando ad eccleſiæ miniſterium accedere debent, cùm eorum functio vires humanas ſuperet, & cum eruditione pietatis quoq; ſtudium ſingulare requirat. Ideo Samuelem olim parentes à pueris apud Eli ſacerdotem in tabernaculo inſtitui volebant, cùm illum ſacro miniſterio deſtinauiſſent. Et frequens eſt in Regum hiſtoria filiorum propheticorum mentio, qui in collegijs educabantur, vt inde ſuo tempore ad docendum prodirent. De Timotheo etiam ſuo Paulus teſtatur, quòd à puero ſacras literas didicerit. Apud Amos autem grauiter accuſantur, qui Nazaræos, id eſt, ſacris ſtudijs deſtinatos iuuenes vini nimio vſu & diſciplina diſſolutiori corrumpebant. Huius vtinam hodie meminiſſent omnes ij, quorum curæ iuuentus commiſſa eſt. Sed vt in alijs, ita hic quoq; plurimùm peccatur, & ideo infeliciores ſunt tam reſpublica quàm eccleſiæ, quòd earum gubernaculis ij ferè adhibẽtur, qui à primis annis abſq; diſciplina educati, peſſimis moribus aſſueuerũt.

Ioannes vocationem Dei expectat.

Poſtremò indicatur, quàm diu Ioannes in deſertis vixerit: Nimirum vſque ad diem oſtenſionis ſuæ, id eſt, ad eum diem vſq;, quo à Deo euocatus eſt, vt docendi munus publicè ſuſciperet, ſeq; ipſum Iſraeli manifeſtaret. Vbi apparet, illum etſi donis ſpiritus ſancti inſtructiſſimus eſſet, non tamen confidentiorem fuiſſe, neque ſeipſum inſolenter ad res magnas & arduas ingeſſiſſe. Imò etſi in eccleſia Iſraelitica ſummam corruptionem videret, quam ipſi ex animo diſplicuiſſe non eſt dubium, Dei tamen vocationem expectauit ne quid abſq; huius auſpicijs imprudenter & inconſultò ageret. Eſt hoc obſeruatu digniſſimum. Vt enim vnicus in eccleſia paterfamiliâs eſt Deus, ita huius mandatum expectent, qui in illa aliquid tentant. Nam conſtat olim grauiter accuſatos fuiſſe, qui non miſſi currebant. Quæ cauſa eſt, quòd prophetæ & apoſtoli ſuæ vocationis ſæpius meminerunt, vt & doctrinæ ſuæ authoritatem aſſerant, & ſeipſos confirment aduerſus hoſtium minas, qui regnum Dei euerſum cupiunt. Peccatur in hoc pluſimùm hodie ab ijs, qui ſolius ventris ſtudio ad eccleſiæ miniſterium aſpirant, aut omnes eos eccleſiæ obtrudunt, quos non alia ratione victum ſibi parare poſſe vident. Quaſi verò eccleſia propter miniſtros, non autem potius hi propter eccleſiam inſtituti ſint. Sed ſunt hi ferè ex mercenariorum numero, qui vt viſo periculo eccleſiam turpiter deſerunt: ita dum res ſaluæ ſunt, fere legitimis & fidis paſtoribus moleſtiam exhibent, dum & ſcandalorum publicorum authores ſunt, & illorum authoritatem tam exemplo quàm calumniandi libidine labefactant. Eſt ergo probè conſideranda miniſtris omnibus Ioannis tota hiſtoria, vnà cum Cantici huius parte, quæ de illius miniſterio agitur: vt ſalutis cognitionem verè & fideliter tradant, ne cui perditionis authores ſint. Diſcant præterea ſinguli homines de verbi miniſtris iudicare, vt impoſtores quidem caueant, fidis autem paſtoribus obtemperent, & ita vitam ſuam omnem inſtituant, vt ſalutis æternæ poſſeſſionem olim adire poſſint cum Ieſu Chriſto, Domino noſtro, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT

CAPVT II.

HOMILIA XVI.

FActum eſt autem diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur uniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt præſi de Syriæ Cyrenio. Ibant igitur omnes ut deſcriberentur, in ſuam quiſque urbem. Aſcendit autem etiam Ioſeph à Galilæa, ex urbe Nazareth, in Iudæam, in urbem Dauid, quæ uocatur Bethlehem (propterea quòd eſſet ex domo & familia Dauid) ut deſcriberetur cum Maria deſponſa ſibi uxore, quæ erat prægnans. Factum eſt autem cùm eſſent illic, completi ſunt dies, quibus ipſa pareret. Peperit igitur filium ſuum, illum Primogenitum, & faſcijs eum inuoluit, reclinauitque eum in præſepi: eò quòd non erat eis locus in diuerſorio.

ADMIRABILIS quidem & magnus eſt Deus in vniuerſis operibus ſuis: at nullum inter hæc admirabilius & magnificentius, quàm quòd filium ſuum vnigenitum, ſibi coæternum & coeſſentialem in mundum hunc non minus ſceleratum quàm infelicem, imò in carnem miſeram & mortalem, miſit, & hominem fieri voluit omnibus miſerijs & ærumnis obnoxium, quibus miſeri mortales in terris exercentur. In eo enim opere omnia quæ de illo prædicantur, ita ſeſe exerunt, vt dubium ſit quid potiſſimùm admirère: bonitatem ne et miſericordiam, qua humani generis miſeriam reſpexit: an iuſtitiam, qua peccatum mundi digno ſupplicio expiari voluit: vel potius ſapientiam, qua hanc redemptionis noſtræ viam inuenire potuit, qua & nobis ſubueniretur, & ſimul iuſtitiæ ipſius æternæ ſatisfieret. Meretur ergo hiſtoria hæc, vt in eius conſideratione diligenter verſemur, quam modò Lucas Ioannis Baptiſtæ natiuitati ſubijcit. Repetenda ſunt autem hîc nobis & probè tenenda, quæ de illius conceptione in primo Cap. dicta ſunt: quòd nimirum ex ſpiritu ſancto verum & æternum Dei filium Maria conceperit, qui ex eius ſubſtantia carnem aſſumpſit, & ex illa verus homo natus eſt. Itaque qui hîc nobis naſcitur, verus Deus & homo eſt, et proinde Mediator verus inter Deum & homines, adeoque promiſſus ille humani generis redemptor eſt. Quod vt rectius intelligatur, multùm proderit huius loci hiſtoriam propius inſpexiſſe. Nam etſi Lucas in ea cõmemoranda hoc imprimis ſpectauiſſe videatur, vt doceret, qua occaſione Maria, quæ Nazarethi in Galilæa domicilium habebat, Bethlehemum, locum Meſſiæ natalibus æterno Dei decreto deſtinatum et à prophetis olim prædictum, deuenerit: narrationem tamen illam ita contexit, vt ſingulæ eius circumſtantiæ non obſcurè teſtentur, Ieſum hunc eſſe Chriſtũ, ſalutis olim promiſſæ Mediatorem. Nam à tempore exorſus, ſimul infelicem & miſeram, quæ tunc fuit, populi Dei conditionẽ indicat. Deinde de loco natali & Mariæ atque Ioſephi familia aut genere diſſerit. Præterea partus huius rationẽ ſiue modũ exponit, vnà cum ijs, quæ cum infante recens nato ſunt facta. Inſunt aũt ſingulis partibus quæ ad fidei noſtræ confirmationẽ & vitæ inſtitutionẽ plurimùm faciunt. Incarnatio filij Dei memorabilis.

Orditur autem narrationem hanc à temporis conſignatione, non ſolùm pro hiſtoricorum more, vt plus fidei mereatur, ſed potius propter veterum patrum & prophetarũ oracula, vt oſtendat, tunc tempus illud fuiſſe, quo Meſſiam venturũ eſſe illi olim prædixerant. Extat enim Iacobi patriarchæ vaticinium, qui cùm iam moriturus ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione filijs ſuis fauſta imprecaretur, et de eorundem & poſteritatis totius fatis diſſereret, inter alia dixit: Non recedet ſceptrum de Iuda, neque legiſlator de pedibus eius donec veniat Schilo, id eſt, felicitatis author, et ad illũ gentes confluent. Cuius oraculi ſenſus eſt, Iudæorum gentem tunc demum amiſſo regno alienis principibus et ſeruituti nunquam finiendæ ſubijciendã fore, cùm promiſſi redemptoris aduentus præ foribus fuerit. Nam etſi prius non ſemel ab hoſtibus deuicti, tam peregre quàm domi gentium tyrannidem ſuſtinuerint; ſemper tamen illis reliqua manſit reſtitutionis ſpes, neque prorſus intercidit regiæ familiæ authoritas; vt ſibi non obſcurè meliora tempora polliceri poſſent. Sub Chriſti verò aduentum ea ſeruitus cœpit, quæ in hunc vſque diem durat, & cuius finis, quoad temp. nullus ſperari poteſt. Conuenit Iacobi va- Tempus, quo Chriſtus eſt natus. Gen. 49.

ticinio, quòd Iſaias germen illud benedictum ex trunco Iſai naſciturum, id eſt, tunc venturum ait, quando Dauidis familia ad infimam conditionem redacta fuerit, qualis olim ſub Iſai ruſtico & homine pecuario erat, adeoq; eradicati & exciſi trunci inſtar nullam de ſe ſpem præbeat amplius. Daniel autem huius quoque ſubiectionis aut ſeruitutis tempus & ſimul filij Dei in carnem aduentum

Dan. 2. Iſaiæ 11.

diſertè in quarta monarchia monſtrauerat, quam Romanorum fuiſſe, omnium hiſtoriarum conſenſus abunde teſtatur. Atqui iſtis vaticinijs pulchre conueniunt quæ hic ab Euangeliſta dicuntur. Quia enim ex Cæſaris Auguſti mandato orbis totius, id eſt, omnium prouinciarum, quæ Romano Imperio parebant, cenſus agitur, iam prorſus confirmatam eſſe oportuit monarchiam, quam Deus ad illam vrbem deuenturam eſſe prædixerat. Factum eſt hoc, vt hiſtorici docent, ſub annum Auguſti quadrageſimum ſecundum: quando fractis omnium Imperij Romani hoſtium viribus, orbis terrarum pacem habuit & Iani templum tertio clauſum fuit. Durauit ea pax annis totis duodecim, quòd à prima vrbis origine nunquam accidiſſe conſtat. Et hæc hominibus antea bellis perpetuis occupatis cauſa fuiſſe videtur, vt prouincias omnes cenſeri, & potentiæ ſuæ experimentum ſumere vellent. Et videtur huc referri debere quod Dion ſcribit, Auguſtum hoc excogitauiſſe, vt omnium prouinciarum cenſus ageretur, & ex eo colligerentur pecuniæ ad alendas legiones, quas Romani hinc inde diſpoſitas habebant, vt ſuo imperio ſubiectos populos in officio continerent. Et ſanè incredibile dictu fuerit, quanta pecuniarum vis hac ratione intra paucos menſes colligi potuerit. In cenſu enim & capita ſingulorum deſcribebantur, & ſecundùm cuiusq; facultates tributum exigebatur, vt hodie in publicis exactionibus fieri conſueuit. Pace ergo fruebantur quidem Romani, ſed interim ſub triſti ſeruitutis iugo laborabant reliquæ gentes, quibus inſuper omnis libertatis recuperandæ ſpes adempta erat. Præ alijs autem miſeri & infelices erant Iudæi, quorum res tunc afflictiſſimæ fuerunt.

Iudæorum res afflictiſſimæ.

Iampridem enim à Pompeio Magno deuicti, ſub Romanorum ditionem venerant, qui (vt aliâs diximus) regem ipſis impoſuerunt Herodem, hominem libidine & crudelitate infamem, & ex infeſtiſſima Idumæorum gente oriundum. Habebant item Romani (vt ex euangelica hiſtoria apparet) hinc inde diſpoſita præſidia, quæ populum ad ſeditiones procliuem coercerent, & ita ſub plauſibili pacis prætextu arma in medijs vrbibus dominabantur. Mittitur nunc præſes Syriæ Cyrenius, vt cenſum quoq; illorum agat, quod illi populo non potuit non moleſtiſſimum & intolerabile videri. Nam & ſeruitutis atq; ſubiectionis extremæ hoc erat indicium, & cum publica non ſolùm gentis totius, verumetiam religionis ignominia coniunctum erat. Prius enim ſoli Deo

Exod. 30.

cenſus ex lege ſoluebatur, qui hoc ita inſtituerat, vt populum hunc ſuum peculium, & ſe ſolum eius Regem & dominum eſſe teſtaretur. Dum ergo cenſum ſibi vendicat Auguſtus, & hoc fieri Deus patitur, perinde illud erat, ac ſi his iuri ſuo prorſus renunciauiſſet, & hoc in hominem prophanum atq; religionis veræ hoſtem in vniuerſum eſſet translatum. Certè quàm acerbum hoc plerisq; fuerit, ex eo apparet, quòd cùm Chriſto vellent ſummam inuidiam apud populum conciliare, quæſtionem de cenſu Cæſari ſoluendo propoſuerunt. Dauidis autem familia adeò tunc viluit in extremam miſeriam redacta, vt eius poſteris Bethlehemi vix in ſtabulo locus detur. At hic nos ſimul meminiſſe oportet, tantæ miſeriæ illis cauſam fuiſſe ambitionem fratrum Hircani & Ariſtobuli, qui de Pontificatu certamine inter ſe ſuſcepto non ſolùm Iudæorum gentem in partes diſtraxerunt, & bellorum ciuilium fuerunt authores, verumetiam accerſitis vtrinque exteris auxilijs, communem patriam cum vrbe regia & templo Romanis occupandam & diripiendam propinauerunt, & eius calamitatis cauſa extiterunt, cuius finis ne tota quidem gente euerſa & diſperſa inueniri potuit. Quod exemplum vtinam hodie attentius obſeruarent, qui vt affectui ſuo indulgeant cum ſuis gentilibus digladiantur, cum exteris fœdera iungunt, auxilia aliunde adducunt, & dum conciues ſuos ferre nolunt, barbarorum crudeli & ſanguinariæ libidini patriam & poſteritatem ſimul omnem ſubijciunt. Vidimus iam annis aliquot funeſta tanti mali præludia in bellis Turcicis, quæ vtinam non aliquando cum vniuerſali orbis Chriſtiani exitio finem ſuum conſequantur, & (quod olim Lactantius prædixit) imperium reuertatur in Orientem, ac rurſum ſeruiat Occidens. Sed hæc præter huius hiſtoriæ argumentum.

Chriſtus tempore calamitoſiſſimo naſcitur.

Nunc iſtud potiſſimùm obſeruari conuenit, quòd ex æterno patris decreto tunc homo naſci debuit Ieſus Chriſtus, quando res populi Dei modis omnibus afflictiſſimæ fuerunt. Conuenit hoc

tum

tum more Dei iam multis ſeculis confirmato, quo fit, vt tunc maximè ſuam opem ille proferat, quan
do nulla in humanis ſpes ſalutis eſt reliqua. Sic olim ex Ægypto populum ſuum tunc aſſeruit, cùm
Pharaonis crudelitas ad infantes vſque extenderetur, & huius metu Moſes quoque profugus inter
Madianitas lateret. Et ſimile quid in Babylone accidiſſe conſtat, è qua tunc Iudæi liberati ſunt,
cùm tyrannos potius nouos & primis crudeliores, quàm libertatem ſperare poſſent. Exempla huius
rei paſſim occurrunt, & fiunt huius generis multa quotidie publicè & priuatim, quæ ſpem noſtram
& fidem confirmare poſſunt, ne in extremas anguſtias coacti deſperemus. Cur enim periculis quan-
tiſcunque terreantur pij, qui Chriſtum in media etiam morte ſuos tueri poſſe norunt, & hæc iampri-
dem nobis meruiſſe, vt mors iam non amplius peccati pœna ſit credentibus, ſed felix tranſitus ex hac
lachrymarum valle ad vitam æternam. Eſt autem hoc imprimis obſeruandum in æterna ſalutis In ſalutis nego-
negotio. Quoad enim aliqua in humanis ſpes eſt, & noſtris ſiue viribus ſiue meritis fidimus, ſalus no tio de noſtris ui
bis nulla affulget. Nam quod Iudæis olim accidiſſe ſcribit Paulus, hoc omnibus illorum imitato- ribus deſperare
ribus accidere ſolet, vt dum propriã iuſtitiam ſtabilire conantur, à Dei iuſtitia excidant, quam hic oportet.
nobis in filio ſuo offert, & quæ ſola nos apud tribunal ipſius tuetur. At vbi de noſtris viribus deſpe-
rare, & ad thronum gratiæ confugere incipimus, mox nobis Chriſtus affulget, & quaſi recens natus
noua ſalute mentes noſtras exhilarat. Et hæc cauſa eſt, quòd Euangelij prædicationem à pœniten-
tiæ doctrina exordiri iubet, vt per hanc iuera animos noſtros conuicti, gratuito Dei fauore nobis
opus eſſe ſentiamus, & ad hunc excipiendum ſimus promptiores.

Sed pergamus in propoſita narratione, & locum quoque videamus, in quo Dei filius homo na- Locus natalis
tus eſt. Fuit is Bethlehem, quæ in tribu Iuda præ alijs clara & celebris habebatur: nimirum pro- Chriſti.
pter Dauidis, potentiſſimi regis & ſanctiſſimi prophetæ, memoriam. Hanc vt antea dictum eſt, Meſ
ſiæ natalem vrbem eſſe voluit Deus, idq; olim per Micheam prædixerat, cuius hoc vaticinium ha-
betur: Et tu Bethlehem Ephrata, paruula quidem es, vt ſis inter chiliarchias Iuda, ex te tamen mi Mich. 5.
hi prodibit, qui ſit dominator in Iſraele, & exitus eius ab initio, à diebus æternitatis. Neque hoc te-
mere conſtitutum fuit. Quia enim Bethlehem domum panis ſignificat, voluit huius vrbis nomine
docere, Chriſtum eſſe verum illum panem vitæ, qui ſolus nos paſcit ad vitam æternam. Aſcendit
autem eò Ioſeph vnà cum Maria, quæ iam vterum gerebat, & partui vicina erat, vt illic profite-
retur in tribus ſuæ ciuitate primaria. Quo loco memorabile habemus diuinæ prouidentiæ exem-
plum, quà res omnes præter hominum opinionem ad finem cõſtitutum diriguntur, & quà Deus il-
lorum etiam opera ad res ſuas conficiendas abutitur, qui nihil minus in animo habent, quàm vt ipſi
inſeruiant. Quis enim de Meſſia Auguſtum cogitauiſſe putet, quando edictum de cenſu agendo pro-
mulgabat? Aut quis Ioſephum tempore omnium incommodiſſimo illuc profectum putet conſultò, qui
procul dubio domi ſuæ manere maluiſſet, quàm profectionem laboris & moleſtiæ plenam ſubire? Sed
cogit illum Auguſti authoritas, qui ſuam potentiã apud Dei populum quoque inſolenti edicto oſten-
tare voluit. Idem tamen dum hoc agit, rerum diuinarum inſcius Dei miniſter fit, & ea occaſione
Maria ex Nazaretho, obſcuro Galilææ oppido, euocatur, vt in loco Meſſiæ natalibus deſtinato pa
riat, & eũ quidem pariat, qui (vt olim Iſaias prædixit) iugum illud oneris & virgam exactoris con Iſa. 9.
fringere debuit. Seruiat exemplum hoc noſtræ conſolationi, ne tyrannorum minis & conatibus no-
ſtram fidem labefactari patiamur. Nam (vt Dauid inquit) diſſipat Deus conſilia gentium, ipſius
autem conſilium manet in æternum, & plerunque illorum conatibus promouetur, qui illud impe-
dire volunt.

Imprimis autem hîc multa & diligenti conſideratione dignum eſt exemplum Ioſephi, qui vt Cæ- Obedientiæ ci-
ſaris edicto obediat, cum Maria Bethlehemum aſcendit. Fuit profectio iſta ipſis procul dubiò mole- uilis exemplum
ſtiſſima. Nam vt nihil dicamus de itineris longitudine, de impenſis, quæ quantulacunq; ſint, tenuio- Ioſephus et Ma
ris fortunæ hominibus graues & intolerabiles ſunt, de re domeſtica item, quam interea negligere co- ria.
gebatur, ſuperat hæc omnia, quòd Maria partui vicina erat, & ad conficiendum hoc iter minimè ido
nea. Atqui non deerant rationes Deo, quibus cenſum iſtum in aliud tempus reijcere, vel illos mole-
ſtia tanta liberare poterat. Attamen id nunc fieri vult, & illos ſpiritu patientiæ donat, ne quid cum
ſcandalo coniunctum deſignent. Ita verò non ſolùm ad locum illũ deſtinatum ipſorũ pedes dirigit, ſed
per exemplum obedientiæ proponit, quæ magiſtratui debetur. Et hoc quidem in ipſa Chriſti ipſa

carnatione proponi vtile atque neceſſarium fuit, ad eos confutandos, qui ſub Chriſtianæ libertatis
prætextu aduerſus principes ſuos tumultuantur, ſeq́ omni obedientiæ debito ſolutos putant. Tranſ-
ferunt hi libertatem, cuius nobis author eſt Chriſtus ad carnis licentiam, & non ſolùm contra ipſius
exemplum peccant, qui ſub cenſu naſci voluit, verumetiam ipſius doctrinam falſi arguunt, quæ mo-
net, vt Cæſari demus quæ huic debentur. Quia enim magiſtratus à Deo inſtitutus eſt, minimè pute-
1.Pet.2. mus filium Dei illum abolere voluiſſe. Et ſatis nota eſt ſuper hac re apoſtolorum ſententia, qui ex
Rom.13. ſpiritus ſancti ſuggeſtione omnes hortantur, vt magiſtratibus ſuis obtemperent, & vnicuique red-
dant quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honor, honorem, &c. Conſtat
denique prophanis quoque hominibus legem hanc diuinitus inſcriptam fuiſſe, vt magiſtratus ſuos pro
ſacroſanctis haberent, & illis debitum obſequium præſtarent. Eſt ergo laude digniſſimum Ioſephi
& Mariæ factum, qui etſi Auguſtum hominem idololatram & à ſocietate populi Dei alienum, edi-
ctum verò hoc iniquum & tyrannicæ inſolentiæ plenum eſſe ſcirent, & ſeſe excuſandi rationes habe-
rent multas & graues, non tamen aduerſus illud murmurant, non publicè de Imperatoris aut præ-
ſidum eius iniquitate conqueruntur, neque de iugo illo excutiendo conſilia ſeditioſa cum aliquo in-
eunt: ſed in Dei conſilium reſpiciunt, qui populi ſui ingratitudinem atque contumaciam hac virga
coercere decreuerat: & quamuis ipſi nihil huius, vt cæteri ſceleribus publicis infames, meruiſſent,
commune tamen hoc flagellum patienter ferunt. Iſtos ergo imitentur, quotquot Chriſtiani dici & ha-
beri volunt, & in externis quidem omnibus, quæ corpus & fortunas attinent, principibus ſuis etiam
dura & iniqua petentibus obtemperent: at ſi quorundam inſolentia eò vſque progreditur, vt illis
non contenti, de religione etiam leges ferant, quibus Dei cultus vel omnino euertitur, vel aliqua ex
parte impeditur, tunc apoſtolici illius dicti meminerint: Oportet Deo potius obedire, quàm homini-
bus. Vide Act. quarto & quinto Cap.

Chriſtus ex Dauidis familia naſcitur. Cæterùm quia in Bethlehemi mentionem Lucas incidit, clarius quoq; exprimit cauſam, quæ Ioſe-
phum mouit, vt eò aſcenderet, & ea ratione maiores etiam Ieſu Chriſti attingit, ex quibus hic, quoad
carnem, deſcendit. Nam Ioſephum ex Dauidis domo & familia oriundum fuiſſe ſcribit, quod ipſum
infra in genealogia eius prolixa enumeratione demonſtrabit. Annotatur autem ab Euangeliſtis Io-
ſephi genus, non quòd Chriſtus ex illo genitus ſit, ſed vt ex more veteri & in Lege recepto doceant,
Mariam quoque ex Dauide deſcendiſſe: qua de re ſupra diximus. Sæpius autem de hoc nos admo-
nent Euangeliſtæ, vt certius conſtet, Ieſum hunc exoptatũ illud Dauidis ſemen eſſe, quod olim Deus
promiſerat, & in quo ſalutem humani generis inſtaurandam fore prædixerant prophetæ. Facit hoc
ad aſſerendam fidei noſtræ certitudinem, quando ea non nouo aliquo & patribus ignoto redemptore,
ſed hoc vno nititur, in cuius aduentu & merito olim ſancti omnes ſuæ ſalutis ſpem atque fiduciam
collocatam habuerunt. At quia de hoc etiam non ſemel dictum eſt, nũc obſeruemus, Deum ſuarum
promiſſionum probè memorem eſſe, neque ſuorum curam vnquam abijcere. Conſtat enim Dauidis fa-
miliam illo tempore non ſolùm ad extremam egeſtatem redactam, ſed etiam in ſummo periculo con-
ſtitutam fuiſſe, eò quòd eam Herodes extinctam vellet, qui Regem & vindicem populi Iudaici ex
illa naſciturum eſſe audiuerat. Itaque videri poterat Deus tam Dauidis & poſterorum eius quàm
promiſſionum ſuarum oblitus eſſe, neque magni aliquid ex hominibus tam afflictis & abiectis porrò
ſperari poſſe. Sed oſtendit hîc Deus, promiſſiones ſuas non ex hominum authoritate & potentia ſeu
ſplendore pendere, ſed ſe Dominum illum exercituum eſſe, qui ex obſcuris illuſtres, ex infirmis poten-
tiſſimos, ex contemptis clariſſimos facere, ex tenebris item lucem, & ex ipſa morte vitam elicere poſ-
ſit. Eſt quidem paupercula & inops Maria, ſed eum parit illa, in quo omnes regni cælorum theſau-
ri ſunt reconditi. Ingloria & contempta in obſcuro Galilææ angulo deliteſcit: ſed ex ipſa naſcitur
rex ille gloriæ qui nobis gloriæ cæleſtis & immortalis author eſt. Perſecutionis periculo cum tota
ſua gente ſubiacet, at vtero ſuo eum geſtat, qui vnica electorum Dei ſpes, & petra illa inuicta eſt, ad-
uerſus quam ne inferorum quidem portæ præualent. Denique cùm Dauidis domus in extremo diſcri-
mine conſtituta eſſet, eum nobis genuit, qui omnes ex illa natos Reges gloria, potentia, victorijs &
triumphis in tantum excellit, quanto Dei potentia & maieſtas omnem huius mundi potentiam &
gloriam ſuperat. Nemo igitur de promiſſionum Dei veritate deſperet, vtut carnis rationi res pror-
Iſa.40. ſus deſperata eſſe videatur. Nam vt Iſaias clamat, eſt quidem omnis caro fœnum, & gloria car-
nis flos

nis flos agri, at Dei verbum manet in æternum. Nouit item ſuos Dominus, neque eorum vnquam obliuiſci poteſt, quos æterno decreto in filio ſuo elegit, & eiuſdem ſanguine redemit. Noſtrum autem eſt non præſcribere Deo, ſed illum expectare in ſpe & ſilentio, & (quod de Abrahamo Paulus ſcribit) in ſpe contra ſpem credere.

Sequitur nunc, vt huius partus modum & rationem inueſtigemus, quod præcipuum huius narrationis caput eſt. Ex eo enim ſimul patebit, quis nam Chriſtus ſit, quidque ex ipſo nobis ſit ſperandum. Vbi ante omnia in mentem reuocare oportet, quòd primo Cap. de eius conceptione dictum eſt; & quòd Maria virginitate ſua illæſa peperit, ſicuti hoc prophetæ olim prædixerant. Ita enim fieri oportebat, vt & noſtram generationem ſanctificaret, & ipſe ſanctum & ſufficiens eſſet pro peccatis mundi ſacrificium: quem proprium virginitatis Mariæ vſum eſſe alibi diximus. Interim viro eam deſponſari oportuit, vt & famæ eius, quoad homines, conſuleretur, & ſimul matrimonij dignitas aſſereretur contra impuri cœlibatus authores, quos nouiſſimis temporibus exorituros eſſe, ſpiritus ſanctus non vno loco prædixit. Imprimis autem ad partus iſtius modum pertinet, quòd dies completi fuerunt, quibus illa parere debuit. Facit hoc ad aſſerendam veram humanitatem filij Dei. Vt enim ſpiritu ita operante in vtero Mariæ conceptus eſt, & ex eius ſubſtantia carnem veram aſſumpſit: ita in eodem creuit, & conſtituto demum tempore, vt in reliquis hominibus fieri ſolet, in lucem eſt editus. De hoc autem nos diligenter admoneri oportuit, quia hîc noſtræ ſalutis certitudo non minima ex parte fundatur. Ex eo enim colligimus, Dei filium fratrem noſtrum factum eſſe, & proinde ad nos pertinere omnia, quæcunque ille fecit aut paſſus eſt: imò per hunc nos in filiorum Dei numerum eſſe adoptatos. Conſtat præterea, illum nobis fidelem eſſe pontificem in omnibus, quæ apud Deum agenda ſunt. Quia enim verus homo factus eſt, & noſtras infirmitates ipſe ſuſtinuit, poteſt vtique nobis condolere & compati, neque verendum eſt, ne durus & rigidus nimis nos in tentationibus laborantes deſerat. Partus Mariæ et huius modus.

Porro diligentius exprimit Lucas, quis nam ille ſit, qui ex Maria natus eſt. Peperit (inquit) filium ſuum, illum Primogenitum. Primò eam filium ſuum peperiſſe ait: eum ſcilicet, quem ex ſpiritus ſancti virtute conceperat, quem vtero geſtarat, qui ſolitis incrementis ſecundùm naturæ leges in ipſius vtero creuerat, vt legitimo tempore in lucem ederetur. Rurſus ergo vera Chriſti humanitas exprimitur: quia Mariæ filius non poterit dici, niſi verum hominem eſſe fateamur. Sed alio etiam titulo illum ornat Lucas, & Primogenitum dicit. Id verò non (vt olim Heluidius ſentiebat) ad Mariam referri debet, quaſi hæc poſtea alios quoque filios ex Ioſepho conceptos peperit, ſed ad ſolum Chriſtum pertinet; & non ordinis, ſed dignitatis titulus eſt. Facilè hoc vident, qui Græcæ linguæ periti conſtructionem verborum obſeruant. Nam Primogenitum interpoſito articulo à filio Mariæ diſtinguit Lucas, quaſi diceret: Peperit filium ſuum, qui verus ille Primogenitus eſt, quem vetus illa Lex Moſis in primogenitorum prærogatiuis adumbrauit. Nam ex Legis præſcripto primogeniti cenſebantur quotquot (vt ſcriptura loquitur) vterum aperiebant, etiamſi nulli poſt eos naſcerentur. Et hi quidem omnes Deo conſecrati erant, niſi redimerentur. Deinde iiſdem duplex hæreditatis pars cedebat, & inter fratres primatum obtinebant, adeò vt inter illos regum & ſacerdotum loco eſſent. Fuit ergo hoc dignitatis nomen, cuius quanta authoritas fuerit, antiquitus ex Iacobi & Eſaui contentione apparet, quæ illis propter primogenituræ ius interceſſit. Docent ergo hæc verba, quid de Chriſto nos ſentire conueniat. Eſt is verus & æternus Dei filius, & quia idem Mariæ etiam filius factus eſt, verus Deus & verus homo ſit oportet in vna indiuidua perſona. Deinde verus ille Primogenitus omnis creaturæ eſt, vt qui non cum alijs creaturis factus eſt, ſed iam inde ab æterno ex patre genitus. Eſt præterea (vt Paulus inquit) primogenitus inter multos fratres. Vt enim ipſe filius Dei vnigenitus eſt & naturalis ſine germanus (vt ita dicam) ſic nos quoque filios Dei fecit, quando per incarnationem noſtræ naturæ conſors, & proinde frater noſter factus eſt, & nobis viciſſim ſpiritum ſuum contulit, qui ſpiritus adoptionis dicitur. Neque inanis eſt in illo Primogeniti titulus, ſed penes illum eſt Sacerdotium & Regnum filiorum Dei ſiue totius eccleſiæ. Illi enim dictum eſt à patre: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedech. Item, Ego conſtitui regem meum ſuper Zion, montem meum ſanctum. Et iſta verè de illo dici res ipſa teſtatur. Nam ſacerdotem agit reuera, quando nos docet, nobis benedicit omni benedictione ſpirituali, peccata item nos

Chriſtus filius Mariæ, & Primogenitus.

Coloſ. 1.

Rom. 8.

Pſal. 110. et 2.

ſtra corporis & ſanguinis ſui ſacrificio ſemel ita ſuſtulit, vt ea nobis amplius imputari non poſsint: quando denique noſter apud patrem interceſſor atque aduocatus eſt. Adhac Rex eſt non minus potens quàm fidelis. Nam ex diaboli poteſtate nos aſſeruit, aſſertos tuetur, & omni bonorum cæleſtium genere beat, adhac iudiciorum ſuorum exempla quotidie exerit, & olim veniet ad iudicandum viuos & mortuos, quando ſingulis retribuet, prout bonum aut malum fecerunt. Hæc igitur in Primogeniti nomine obſeruare conuenit, vt illum agnoſcamus Sacerdotem & Regem noſtrum, eidem fidamus, & præceptis ipſius obtemperemus.

Quid factũ cũ recens nato?

Reſtat poſtremum huius loci caput, quo narratur, quid cum recens nato ſit factum, & quæ filij Dei in carne manifeſtati crepundia aut incunabula fuerint. Sic autem ſcribit Lucas: Faſcijs eum inuoluit, reclinauitq́ eum in præſepi. Et quia hoc abſurdum nimis, aut Maria plus æquo negligentior videri poterat, cauſam huius facti ſubijcit: Eò quòd non erat eis locus in diuerſorio. Factum ergo hoc fuit cùm propter inopiam Mariæ, tum propter hominum loci illius inhumanitatem, qui prægnantem & partui vicinam in ſtabulum detruſerunt. Credibile enim eſt, in magna peregrinorum frequentia, qui propter cenſum eò confluxerant, hoſpitia meliora (vt fieri ſolet) ab opulentioribus occupata fuiſſe, & loca incommodiſsima pauperibus ceſsiſſe, ex quibus lucrum nullum ſperari poterat. Et eſt quidem multa reprehenſione digniſsima hæc Bethlemitarum inhumanitas & ingratitudo, qua in Dauidici generis virginem peccarunt: ſed meminiſſe ſimul oportet, hoc præludio Chriſtum nos docere voluiſſe, quæ ſemper ipſius in hiſce terris ſors futura ſit: ea nimirum, vt qui cælum & terram condidit, qui omnes paſcit & veſtit, nullibi ferè inter homines locum inueniat. Idem certè in membris & verbo ſuo patitur hodie, vt nihil de pauperibus dicamus, quos ſuo nomine nobis commendauit. Cùm enim palàm flagitioſos mundus ferat, cùm ineptiſsimarum ſuperſtitionum inuentores in pretio habeantur, cùm templa & palatia regum occupent, ſoli Chriſti cultores in angulis latere coguntur, & vix in ſiluis, in ſtabulis & ferarum luſtris locum tutum inuenit Euangelij prædicatio. Sed non offendant nos iſta, quando Chriſtus non aliud ſuæ vitæ in terris initium eſſe voluit. Simul autem arguitur hoc exemplo mundi ingratitudo, qua fit, vt apud poſteros facilè intercidat beneficiorum memoria, & ferè optimè meritorum filijs peſsima gratia referatur. Quàm præclara enim & eximia Dauidis, Solomonis, Aſæ, Ioſaphati, Ezechiæ, Iſaiæ, Zorobabelis & multorum aliorum; qui ex illa domo prodierant in totam Iudæorum gentem beneficia fuerint, vix longa oratione commemorari poſſet. Sed ecce eiuſdem familiæ puella, nullo crimine infamis, cum ſponſo, etſi non diuite, honeſto tamen & probo, adhæc vterum geſtans & partui vicina, in ipſa Bethlehem, vbi olim Dauidis incunabula fuerant, non aliud hoſpitium inuenit, quàm quod ei cum pecore & iumentis commune eſt. I nunc & de hominum ingratitudine, aut de tuæ ſortis iniquitate conquiritor, aut Dei iudicium accuſa. Quid enim tibi faciant homines, qui communem ſuum patrem & creatorem non agnoſcunt, & beneficia eius tantum non pedibus calcare non verentur?

Natiuitatis Chriſti uſus.

Sed vt ad filij Dei incarnationem redeamus, ſubinde nos meminiſſe oportet, hæc omnia propter nos ſic fieri debuiſſe. Nec enim ſuijpſius, ſed noſtri cauſa ille in mundum venit, & ideo noſtræ ſalutis ergò fecit, quicquid fecit. Itaq́ hominis filius factus eſt, vt nos Dei filios faceret. Infans infirmus & imbellis natus eſt, vt nos in ipſo (vt Paulus ait) in virum perfectum adoleſcamus. Infirmitates noſtras ipſe ſuſcepit, vt nos viribus nouis inſtrueret. Faſcijs inuolui & ligari voluit, vt nos carnis peccatricis & mortalis vinculis ſolueret. Vilibus pannis tegitur, vt nos ſua innocentia & ſanctitate, quæ vera illa veſtis nuptialis eſt, exornet. Pauperrimus & rerum omnium egens naſcitur, neque quicquam in terris proprium habet, vt nos in ipſo diuites faciat. Peregrinus eſt in mundo, vt nobis ciuitatem & patriam in cælis inueniat. Sub cenſu naſcitur, & ita prophani Cæſaris imperio ſeſe ſubijcit, vt nos ex diaboli tyrannide liberet. Demittit ſeſe ad pecora vſque, vt nos in gloriæ cæleſtis conſortium euehat. In præſæpi reclinatur, vt animabus noſtris pabulum vitæ æternæ exhibeat. Denique peccati reus fieri, & tandem crudele mortis ſupplicium ſubire voluit, vt nos eius merito iuſtificati vitæ hæredes efficiamur. Vſus iſtorum nobis hic eſto, vt in illo nobis plenè exhibita eſſe diſcàmus, quæcunque ad ſalutem conſequendam nobis neceſſaria ſunt, & proinde ad ipſum vnum confugiamus, vt qui ſe noſtrum paſtorem, medicum & vindicem fidiſsimum eſſe profitetur. Imprimis autem ab eorum ſuperſtitione nobis caueamus, qui dum illum iudicem ſeuerum & immitem fingunt,

Epheſ. 4.

2. Corinth. 8.

Diuorum

Diuorum cælitum interceſsione atque patrocinio apud eum ſibi opus eſſe arbitrantur, & in iis præcipuam ſalutis ſpem collocant. Faciunt hi Chriſto iniuriam longè maximam. Quis enim hominum filios ferat, qui poſt multa paternæ bonitatis indicia ipſum ceu iudicem aut carnificem horreant? Et tu Chriſto rem gratam te facturum arbitraris, ſi de eius clementia tam iniquè ſentias, & nunc ſuperbum, immitem, difficilem & inexorabilem eſſe credas, qui nihil non facere & pati voluit, vt ſuam erga nos benignitatem indulgentiſsimam teſtaretur. Damnantur communi omnium iudicio, qui ex ſordibus egeſtatis euecti ſuperbiunt & ſe inhumanos præbent. Cur ergo Dei filium ſuperbum humani generis contemptorem putemus, qui extrema quæque pati voluit, vt eum eſſe ſciremus, qui noſtris infirmitatibus condolere poſsit? Agnoſcit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe heri ſui. Quæ ergo ſtupiditas aut dementia eſt, homines ratione præditos non agnoſcere ſuum redemptorem & aduocatum fideliſsimum, qui nullum vnquam moroſitatis aut nimij rigoris ſpecimen nobis præbuit.

Deinde exemplo etiam ſuo nobis præiuit Dei filius, cuius veſtigijs nos per omnem vitæ noſtræ curſum inſiſtere conuenit. Et primò quidem humilitatem & modeſtiam nobis commendat, ne nos pudeat ea facere, quæ proximi commodum aut ſalutem prouehere poſſunt. Eſt enim deteſtabilis & homine Chriſtiano prorſus indigna ſuperbia, qua quidem generis aut conditionis ſuæ ſplendore elati, proximum quemque faſtidiunt, & iniuriam ſibi atrócem fieri putant, ſi quis ab ipſis fraternæ charitatis officium requirat. Quaſi verò aliquem Deus ideo donis amplioribus inſtruat, vt iis ſolus fruatur, & non potius nos ea, quæ ex ipſius liberalitate accepimus, in commune deferri velit, vt illis multi alij iuuentur? Hos ego Dei filium in præſepi iacentem intueri velim, qui etſi verus & æternus Deus ſit, & quoad carnem ex familia omnium nobiliſsima & plurimorum Regum atque Prophetarum genitrice prodierit, propter eos tamen ſeſe eò vſque demittere voluit, quos illi tanto cum faſtu deſpiciunt. Deinde paupertatem & omnes alias huius vitæ miſerias ſuo exemplo Chriſtus conſecrare voluit, ne quis illas diuinæ iræ indicia eſſe, aut animarum ſalutem per illa impediri putaret. Eſt hic incarnationis iſtius fructus non vulgaris. Vt enim natura afflictiones omnes horremus, ita paupertatem & inopiam plerique malorum omnium, quæ homini accidere poſſunt, grauiſsimum & ipſi etiam Deo exoſum eſſe arbitrantur. Quæ cauſa eſt, quòd & contra Deum murmurant, & ad artes illicitas conuertuntur, quibus iugũ illud egeſtatis excutere ſtudent. At ſi iidem Chriſti exemplũ proprius intuerentur, procul dubio rectius iudicarent, & patienter ferrent onus, quod æternus Dei filius nobiſcum commune habere voluit. Imò puderet ipſos multo auro & oſtro ſuperbire & delitijs diffluere in conſpectu filij Dei, qui noſtri cauſa infimam inter homines ſortem ſuſtinuit. Diſcamus ergo ex his, quæ hucuſque dicta ſunt, Ieſum Dei patris & Mariæ Virginis filium, eſſe Chriſtum & ſalutis humanæ vnicum Mediatorem. Huic autem ita fidamus, vt ſimul eundem vita & moribus exprimamus, neque aliquid deſignemus à fidei profeſsione alienum. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Christus modeſtiam & patientiam ſuo exemplo docet.

HOMILIA XVII.

Erant autem paſtores in eadem regione excubantes & agentes uigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſuperuenit illis, & gloria Domini circumfulſit eos, & timuerunt timore magno. Et dixit eis Angelus: Ne timete: ecce enim euangelizo uobis gaudiũ magnum, quod erit toti populo. Quia natus eſt uobis hodie Seruator, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe Dauid. Hoc autem uobis ſignum erit: Inuenietis infantem faſcijs inuolutum, iacentem in præſepi. Et repentè affuit cum Angelo multitudo exercituum cœleſtium, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in homines beneuolentia.

OMnes quidem ſuæ gratiæ atque bonitatis theſauros nobis Deus in filio ſuo, Ieſu Chriſto, propinauit; idem tamen nobis ad ſalutem conſequendam nihil proderit, niſi eum verè cognoſca-

Chriſti cognitio omnibus ſeculis reuelata.

mus, & agnitum fide conſtanti amplexemur. Ideo illum iam inde à primo mundi exordio patribus promiſit, & eundem typis legalibus adumbrauit, imò prophetas dedit, qui ex ſpiritus reuelatione de omnibus, quæ ille facturus & paſſurus erat, concionarentur, vt ita omnibus conſtaret, quæ vera ſit & certa ſalutis conſequendæ ratio. Ac poſtquam idem ille præfinito tempore in mundum venit, & ex muliere (vt Pauli verbis vtar) homo factus eſt, mox illum omnis loci & ordinis hominibus mulcituariàm manifeſtauit, ne tantus theſaurus abſconſus & ignotus deliteſceret. Itaq; Magis in Oriente per ſidus cæleſte innoteſcit. Iidem ſtella duce Hieroſolymam veniunt, & dum recens natum Iudæorum regem ſtudio ingenti quærunt, omnes alios ad eundem cognoſcendum excitant: & inter alios Herodem quoque, qui per ſcribas de loco Meſſiæ natali certior redditur. Interea in templo quoque, cùm ſecundum Legem Domino ſiſteretur, quædam ſunt facta, quæ ad illius manifeſtationem pertinuerunt. Et ſi hiſtoricos audiamus, apud exteras quoque gentes multa accidêre, quæ orbis totius mutationem & generis humani reſtitutionem præ foribus adeſſe ſignificabant. Nam vt Oroſius ſcribit, Auguſto vrbem ingrediente circulus ad ſpeciem arcus cæleſtis Solem ambijt, fons item olei largiſſimus de taberna meritoria per totum diem fluxit, Auguſtus verò ſub idem tempus ſe dominum appellari prohibuit, adhæc ſeruorum triginta millia dominis ſuis reſtituit. Et voluit iſta in vrbe rerum domina fieri Deus, vt oſtenderet, iam adeſſe verum illum pacis cæleſtis authorem, & gratiæ diuinæ mediatorem, qui & ipſe præ conſortibus ſuis vnctus ſit oleo lætitiæ, & omnes in ſe credentes vngat in reges & sacerdotes, cui item ſoli debeatur Domini nomen, cùm vnicus ſit humani generis redemptor, quiq; homines prius ſub diaboli tyrannide laborantes domino ſuo vero reſtituat, vt à peccato quidem liberati, Deo autem mancipati facti fructum ſuum habeant in ſanctimoniam. Cæterùm inter nati Chriſti manifeſtationes prima numeratur, quam in præſenti Lucas deſcribit, & in qua hominibus rerum imperitis atque à fraude doloq; alienis omnia ea luculenter annunciata ſunt, quæ nos eam in ipſius Chriſti quàm in ſalutis per illum partæ cognitione inſtruere poſſunt. Quo nomine digna planè eſt hiſtoria, quam ſingulari diligentia conſideremus.

Chriſti incarnatio paſtoribus primis innoteſcit.

Orditur hanc Euangeliſta ab eorum deſcriptione, quibus Ieſu Chriſti natiuitas primis innotuit. Erant (inquit) paſtores in eadem regione, Bethlehemica nimirum, excubantes & agentes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Quibus verbis duo dicit. Nam & conditionem illorum indicat, & quid illo ipſo tempore fecerint. Nos de vtroque ex ordine dicemus.

Quoad conditionem aut vitæ genus, paſtores fuiſſe dicuntur, & quidem (vt ex circumſtantijs colligi poteſt) pauperes, vel etiam mercenarij, cùm reliquis dormientibus ipſi nocturnas vigilias apud gregem ſuum agant. Neque dubium eſt, illos non multùm cordi fuiſſe opulentis & in authoritate conſtitutis, qui interea vel rebus ſeculi iudicio maioribus intenti erant, vel in mollibus ſtratis ſuauiter dormiebant, aut etiam libidini vacabant. At non ideo illos Deus negligit, qui eis filij ſui ſalutiferam natiuitatem primis denunciat, & eoſdem ad ſpectaculum euocat, quo nullum vnquam in mundo ſplendidius & iucundius eſt editum. Quo loco docemur, Deum homines pauperes & abiectos minimè faſtidire, vt plerunque ij ſolent, quos mundi gloria & faſtus inebriat. Hi enim quia gloriam ſuam in externo ſplendore ſitam putant, neminem ſua amicitia aut fauore dignum iudicant, quem ipſis inferiorem eſſe vident. At longè aliter Deus, qui etſi in alto reſideat (vt Dauid inquit)

Pſal. 113.

eò vſque tamen ſeſe demittit, vt omnia inſpiciat, quæcunque in cælo & in terra ſunt, & pauperes etiam è pulueribus & cœno extrahit, vt inter populi ſui principes collocentur. Quin non vno loco ſe pupillorum patrem, viduarum tutorem & peregrinorum atq; afflictorum patronum eſſe profitetur, & hos imprimis commendatos eſſe vult ijs, qui in publica authoritate ſunt conſtituti. Soletur hoc egenos & pauperes, omnis denique, qui in hoc mundo moleſtiam aliquam & calamitatem ſuſtinent, ne tentationum pondere ſuperati, ſe à Deo negligi arbitrentur, eò quòd in humanis præſidij nihil inueniunt. Diſcant autem tunc ſalutis ſpem in Chriſto collocare, qui ijs potiſſimùm ſeſe fruendum offert, qui in mundo hoc contempti ſunt.

Chriſti cognitio ad paſtores populi maximè pertinet.
Miniſtri eccleſiarum.

Deinde admonet hîc ſimul ſpiritus ſanctus, Chriſti cognitionem ad eos imprimis pertinere, qui in populo paſtorum locum & nomen ſuſtinent, & quorum fidei ſalus populi commiſſa eſt. Inter hos primi ferè ſunt eccleſiarum miniſtri, quos Paulus à ſpiritu ſancto conſtitutos ait, ad paſcendum gregem Chriſti, quem hic ſanguinis ſui pretio acquiſiuit. At quoniam idem hic ſummus eccleſiæ ſuæ pa-

ſtor

ſtor ſimul & vnicum animæ pabulum eſt, adhæc fons aquæ viuentis, via item & oſtium, per quod ad communionem cum Deo patre peruenitur: hunc omnino norint oportet, quicunque gregis dominici paſtores eſſe volunt. Nam ſi eum ignorent, inani quidem paſtorum titulo & inſignibus paſtoritijs gloriari poſſunt, at interim non oues Domini, ſed potius ſeipſos paſcent, & ſtulti illius paſtoris ſimiles erunt, quem Deus apud Zachariam ſe miſſurum minatur, vt populi ingratitudinem & contumaciam puniat. Patet igitur hoc loco, quæ præcipua ſit diſsipationis cauſa, quæ hodie in orbe Chriſtiano cernitur: hæc nimirum, quòd qui ad eccleſiæ miniſterium accedunt, vt gregis dominici paſtores ſint, ij aut omnium rudes & imperiti, aut philoſophorum placitis imbuti ſunt, & Chriſtum ignorant, in quo vno eos coaleſcere oportet, qui Deo placere & ſeruari cupiunt. Deinde non minus oportet Chriſti cognitione inſtructos eſſe eos, qui in magiſtratu conſtituti rempub. adminiſtrant. Quia enim gregem non ſolùm paſcere, verumetiam pedo coërcere oportet, ne diſsipetur: voluit Deus iudices & principes viros eſſe, qui publica authoritate populum in officio contineant. His autem Chriſti cognitio multas ob cauſas neceſſaria eſt: vt intelligant nimirum, cuius peculium ſit populus, cui ipſi præſunt, cui item illum adducere debeant, & vt exemplum habeant, quod in tota ſua functione imitentur. Quæ omnia cùm vnus Chriſtus in ſe contineat, ſi qui hunc ignorant, ij mox in tyrannos degenerant, & poteſtate ſua pro libidine abutuntur, tandemq́ ſibijpſis ſimul & toti populo exitij authores ſunt. At qui Chriſtum nouerunt, ij hunc à patre Regem ſui populi conſtitutum eſſe intelligunt, & populum non ſui iuris, ſed Chriſti peculium eſſe ſciunt, qui illum ſanguinis ſui pretio redemit. Norunt item, hunc olim venturum eſſe ad iudicandum viuos & mortuos, & quòd tunc ipſos quoque apud illius tribunal ſuæ functionis rationem reddere oporteat. Itaque in Chriſti verbum & exemplum totis animis intenti, ſuæ fidei creditos amant, tuentur, & in viam pacis atque ſalutis publicæ dirigunt. Et ij demum veri ποιμένες λαῶν, id eſt paſtores populorum & patriæ patres ſunt, cùm nemini ſua libidine graues & moleſti ſint, omnium autem commodis pro virili conſulant. Poteſt hoc probari omnium ſeculorum exemplis, quando ex hiſtorijs conſtat, nullam rempub. vnquam felicem fuiſſe, niſi cuius principes Chriſtum regem ſuum agnouerunt, ſeq́ huius ſceptro gubernandos præbuerunt. At hodie plerique religionis cauſam nihil ad ſe pertinere putant, & tũc demum ſe verè pios arbitrantur, ſi eccleſiam Pontificum tyrannidi ſubijciant. Itaq; intercidit paſsim vera Chriſti cognitio, augentur verò ſuperſtitiones, & creſcit indies perſonatorũ antiſtitum potentia, quæ tandem toti eccleſiæ & reipub. Chriſtianæ extremum exitium afferet.

Zach. 11.

Magiſtratus.

Sed ad paſtores hoſce reuerſi, audiamus, quibus ſtudijs aut negotijs tunc intenti fuerint, cùm illis Chriſti natiuitas annunciaretur. Solet enim apud iſtud quoque hominum genus ſæpe vel ſocordia, vel nequitia atque laſciuia locum habere, vt officij ſui immemores circa res ludicras & ſcurrilitates occupentur, aut confabulationibus vel cantilenis turpibus & ad libidinem ſeruientibus vacent. Sed nihil huius de iſtis dicitur, quin potius excubias & vigilias noctis diligenter egerunt ſuper ſuum gregem. Admonemur iſto exemplo, quales eſſe conueniat, qui Chriſtum ſibi innoteſcere, & eo ad ſalutem frui cupiunt. Decet illos ante omnia innocentia & ſimplicitas, qualis olim inter paſtores & agricolas fuit, cum dolis & fraudibus, quæ in vrbibus & principum aulis regnant, nondum aſſueuiſſent. Deinde excubijs & vigilantia opus eſt, idq́ bifariàm. Primùm in ijs, quæ ad animarum ſalutem & regnum Dei ſpectant, vbi periculorum & inſidiarum plena ſunt omnia. Habemus enim hoſtem publicum & communem, diabolum, qui vt primos parentes perdidit, ita omnium hominum ſaluti inſidiatur, & dies nocteq́ inſtar leonis rugientis oberrat, quærens quem deuoret. Aduerſus eum verò eò diligentius vigilare & eius inſidias obſeruare neceſſe eſt, quòd nocendi ſtudium & animum hoſtilem mirificè diſsimulare, & interdum ſeſe in angelum lucis transformare ſolet, vt nobis ſub veritatis & ſalutis prouehendæ prætextu imponat. Veſtit enim dolos ſuos miro lenocinio, & peccata quoque manifeſta fuco depingit, vt eorum atrocitas minus agnoſcatur: imò veneficorum more mortifera toxica & aconita mellitis poculis propinat. Iuuat hunc mundus hic, qui & exemplo publico & infinitis illecebris incautos trahit, vt illum principem ſequantur. Periculum verò omnium maximum & nocentiſsimum nobis ex propria carne imminet, quæ vt naturali ſegnitie in omni bono opere torpet, ita ad malum procliuis, facilè arripit quicquid prauis ipſius deſiderijs reſpondet. Nullam ergo curam ſuperfluam, nullam induſtriam nimiam, nullas vigilias vel excubias ſuperuacaneas putare debemus: quando conſtat, ſanctiſsimos quoq;

Paſtoribus excubantibus nunciatur Chriſti natiuitas.

Vigilandum omnibus in negotijs ſalutis æternæ.

Dei cultores interdum circumueniri & decipi, vt in errores & manifeſta flagitia pertrahantur. Accedit his cõmunis & omnibus impoſita moriendi neceßitas, quam vt nemo hominum effugere poteſt, ita incerta prorſus eſt hora, qua nobis ex hac vita migrandum eſt, & plerunque tunc euocamur, quando nobis vitam iucundiorem & magis quietam in multos adhuc annos pollicemur, ſicuti in ſtulti illius parabola Chriſtus docet, quem inſperatus anni prouentus confidentiorem faciebat. Quid verò de nouißimo Chriſti aduentu dicemus, in quo omnis pœnitentiæ agendæ occaſio eripietur, & ad eius tribunal omnes ſiſtemur, vt illic digna accipiamus vitæ anteactæ præmia? Certè, qui de his non oſcitanter cogitant, videbunt, ita ſibi vigilandum eſſe, vt nullus ſocordiæ & ſegnitiei locus illis ſuperſit. At non ſufficit iſta vigilantia, ſed quia multæ & diuerſæ hominum functiones ſunt, quemq; in ſua etiam vocatione ſedulum & induſtrium eſſe conuenit, vt quod ipſi iniunctum eſt officium bona fide obeat. Faciunt hoc paſtores iſti quos neque intempeſta nox, neque frigoris rigor, neque alia incommoda abſterrent, quò minus gregem ſuum tueantur, & pro illo diligentes excubias agant. Idem ergo faciant, qui in magiſtratu conſtituti paſtorum inſtar ſunt, vt nuper diximus. Vigilent pro populi ſalute, iuuent afflictos, tueantur viduas & pupillos, redimant animas pauperum à fœnore & violentia, & pretioſus ſit ſanguis populi in oculis eorum. Pſal. 72. Meminerint item iudiciũ Dei eſſe, ſe autem huius eſſe miniſtros, qui verum cultum tueri, iuſtitiam & morum honeſtatem prouehere & plantare debeant. Neque vnquam illis excidat, Deum ipſum in medio iudicum conſeſſu præſentem adeſſe, & huic ●im rationem fore reddendam. Idem faciant eccleſiarum miniſtri, & ſibi dictum cogitent, quod Dominus ſub ſpeculatoris parabola Ezechieli dicit, & quod Paulus Aſiæ epiſcopis ait: Attendite vobiſipſis & toti gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus conſtituit epiſcopos ad paſcendam eccleſiam Dei, &c. Ita patresfamiliâs cogitent, ſe gregis ſui domeſtici paſtores eſſe, & proinde vigilent, ne qui ipſorum vel indulgentia vel negligentia deteriores fiant. Excubent item diligenter coniuges, ne diaboli inſidijs pateant, & fidem mutuam turpiter fallant. Qui verò cælibes viuunt, eò magis ſibi vigilandum eſſe putent, ne carnis libidine abrepti aliquid præter officium faciant. Ad eundem modum heri famulorum ſalutem curæ habeant, & viciſsim hi quoque fide bona illis ſeruiant, neque herorum improbitate aut duritia ſe vinci patiantur. Qui enim paſtoribus iſtis præmium ſuæ fidei ampliſsimum retribuit, idem remunerator eſt fideliſsimus omnium, qui officio ſuo probè funguntur, etiamſi homines omnes ſui laboris iniquos & ingratos æſtimatores habeant. At ſi iſta cum noſtri ſeculi moribus conferamus, non mirabimur raram hodie eſſe in terris Chriſti cognitionem, cum pauciſſimi ſint, qui vel eam ſedulò quærant, vel in concredito ſibi officio vigilent & bona fide verſentur. Cur enim maiora illis credat Deus, qui in paruo infideles ſunt?

Luc. 12. — Vigilent ſinguli in ſua vocatione. — Ezech. 3. 33. Acto. 20.

Sequitur nunc reuelationis aut denuntiationis iſtius modus, quem ita Lucas deſcribit: Et ecce Angelus Domini ſuperuenit illis, & gloria Domini circumfulſit illos, & timuerunt timore magno, &c. Vt in natiuitate nihil audiuimus, quàm quod vile, humile, abiectum & ſordidum cenſeri poteſt, ita hic glorioſa & diuinæ maieſtatis plena ſunt omnia. Vt enim ſeipſum extremè humiliauit Dei filius, ne diuinus cæleſtis gloriæ ſplendor nobis miſeris terrorem incuteret: ita viciſsim huius quoque ſpecimen præberi oportuit, ne illius humilitate & contempta ſpecie offenderemur. At hic ante omnia obſeruabimus, primum nati Chriſti nuntium, non hominem, ſed Angelum fuiſſe. Reſpondet hoc Legis promulgationi, quam olim ſimiliter per Angelos factam fuiſſe Paulus ſcribit. Erant autem illic omnia terroris & horroris plena. Viſebantur enim faces ardentes & vapores denſi, audiebantur tonitrua & fulminum micantium fragores, tam horribilis denique erat rerum facies, vt populus illam ferre non poſſet. Ita verò adumbrabatur, quem in conſcientijs noſtris Lex excitat, terror, & qui ex maledictionis Dei ſenſu oritur. In præſenti verò longè aliter res geruntur. Nam etſi paſtores quoque iſti timorem aliquem concipiunt, eius tamen cauſa non alia eſt, quàm innata nobis infirmitas, & quòd Deus verbo ſuo reuerentiam maiorem conciliare, & illos ad diligentiorem rei conſiderationem excitare voluit: & mox nuntium audiunt plenum conſolationis, ex quo gaudium incomparabile concipiunt. Docet autem nos iſta comparatio, Chriſtum conſolationis & pacis authorem eſſe, qui Legis terrores diſcutit, & omnem mundi intellectum (vt Paulus ait) longè ſuperat. Ideo Chriſtus quoque ſpiritum, quem ſuis largitur, conſolatorem & aduocatum nominat, eò quòd ſalutis certos reddit, &

Modus annuntiationis Chriſti nati. — Angelus nati Chriſti nuntius. — Gal. 3.

dit, & monet vt Deum patris nomine inuocemus. Imprimis autem elucet hoc loco Euangelij Chriſti Ieſu dignitas. Nam vt eius promiſſiones primas Deus ipſe in paradiſo primis parentibus, deinde ſanctis patriarchis propoſuit, poſtea per prophetas, ſanctiſſimos homines, illuſtrauit: ita Chriſto iam nato primum huius nuntium aut præconem dedit Angelum, qui (vt poſtea audiemus) ſe euangelizandi cauſa veniſſe ait. Poſtea ipſe Dei filius hoc munus ſuſcepit, ſeq́ huius obeundi cauſa veniſſe teſtatur, & in eo diligentiſſimus fuit. E terris autem diſceſſurus ſibi ſubſtituit Apoſtolos, quos amicorum nomine dignatur, & quos teu peculium aliquod ſingulare ſibi è mundo ſelegerat. Debent iſta ijs opponi, qui euangelium eo nomine contemnunt, quòd per homines mundi iudicio obſcuros & contemptos prædicetur. Quia enim Dei verbum eſt, non opus habet vlla hominum faſtuoſorum commendatione. Quotquot certè illud contemnunt aut negant, ij non in homines modò ſanctiſſimos, Prophetas & Apoſtolos, ſed in ipſum Dei filium contumelioſi ſunt, imò (vt Ioannes pronuntiat) Deum mendacij arguere audent, dum quod hic de filio ſuo tulit teſtimonium reijciunt. Socij horum ſunt, qui doctrinam Euangelij pro ſuo arbitrio mutant, ei adijciunt aut adimunt, & in illa ludunt perinde ac ſi humani ingenij figmentum ſit. Paulus Angelum anathema pronuntiat, qui Euangelium aliud prædicauerit. Quæ ergo dementia eſt, hominibus tantum iuris permittere, vt id faciant?

Euangelij dignitas.

Sed Angelum paſtoribus loquentem audiamus, cuius oratio hæc fuit: Ne timete: ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo. Quia natus eſt vobis hodie Seruator, qui eſt Chriſtus Dominus, &c. Continetur his verbis prima Euangelij concio, quæ poſt natum ex Virgine Dei Filium habita eſt, & conſtat ea quatuor partibus, quas ex ordine inſpiciemus.

Angeli oratio.

Prima conſolationem continet, qua opus erat conſternatis. Amicè igitur eos compellans timere vetat: Et mox cauſam ſubijcit: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum. Eſt ergo euangelium rei lætæ & fauſtæ nuntium, quo exhilarantur, qui prius conſcientia peccatorum territi in tenebris & vmbra mortis deſidebant. Annuntiatur enim nobis Ieſus Chriſtus, qui vt peccata noſtra mortis ſuæ merito expiauit: ita iuſtitiam nobis ſempiternam reduxit, & patrem placauit, vt per ipſum nobis tutus ad thronum gratiæ acceſſus pateat. Itaque cùm terroris cauſæ ſublatæ ſint, gaudium & conſolatio ſequantur oportet. Docent iſta, quo loco doctores illi habendi ſint, qui imperitum populum nouis quotidie terroribus vexant, & conſcientijs duros & intolerabiles omnino ſcrupulos inijciunt, quando de gratia Dei dubitare docent, & nos ſalutis certos fieri poſſe negant, quoad in huius vitæ curriculo laboramus: qui denique iam morituros igni luſtralis ſeu purgatorij (vt illi loquuntur) minis excruciant. Non ſunt illi Euangelicæ doctrinæ præcones, & proinde audiri non merentur. Fatemur equidem contumaces & pœnitere neſcios ad Dei tribunal trahendos & publicè etiam arguendos eſſe. At hic de infirmis & ſub tentationum pondere laborantibus ſermo eſt, quibus Euangelium medicinam & conſolationem affert, & quos gratiæ prædicatione confirmari atque erigi oportet.

1 Conſolatur territos.

Deinde ad quos nam gaudium illud pertineat, docet, & hic totius populi meminit, quo nomine omnes cuiuſcunq́ loci & ordinis homines comprehendit. Et hoc illud eſt, in quo fidei cardo potiſſimùm verſatur. Sunt enim, qui non negant, Euangelio gaudium & ſalutem prædicari; ſed illius promiſſiones ad ſe pertinere negant, & ideo nullam ex illis conſolationem percipiunt. Cui infirmitati vt mederetur Deus, promiſſiones illas vniuerſales eſſe voluit, vt ſinguli eas applicare poſſent. Abrahamo certè dicebatur: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Iſaias verò ſcribit: Omnes errauimus vt oues, at Deus omnium peccata in illum conuenire & ei imputari voluit. Et frequens admodum eſt ſententia illa in apoſtolorum ſcriptis, qua negatur perſonarum reſpectus apud Deum eſſe: & ipſe Chriſtus omnes qui laborant & onerati ſunt ad ſeſe inuitat. Idem deniq́ Apoſtolis præcipit, vt Euangelium in toto orbe omnibus gentibus prædicent. Rectè igitur Angelus, gaudium hoc ad omnem populum redundaturum ait, idem verò hoc ipſum ad paſtores iſtos quaſi reſtringens, dicit: Annuntio vobis gaudium magnum. Et mox: Quia natus eſt vobis Seruator, &c. Ita nimirum monens, vt ſinguli ad ſe rapiant priuatim quod Deus in genere omnibus offert, ſi quando Satan ex noſtra conditione aut moribus argumenta petit, quibus nos à ſalutis cõſortio excluſos eſſe nobis perſuadere conatur. Obſeruauit hoc olim probè D. Auguſtinus, cuius verba, cùm proprium huius loci vſum

2 Chriſtus quibus natus ſit.

Iſa. 53.

& dulciſſimam ſimul conſolationem contineāt,recitare libet. Ad omnes (inquit) gaudium iſtud pertinet,quia Chriſtus omnibus venit:nec oportet eſſe triſtitiæ locum,vbi eſt natalis gaudiorum. Nullus arbitretur ſe ab illa lætitia alienum. Si quis ſanctus eſt,gaudeat:quoniam accipiet remunerationem. Si peccator eſt,gaudeat:quoniam inuitatur ad veniam. Si gentilis eſt,gaudeat:quoniam admittitur ad ſalutem. Deniq; ſi nos ipſos à Chriſto alienos non facimus,iam in Chriſto ſumus. Ille verò alienum ſe à Chriſti conſortio effecit, qui ſe in corpore Chriſti eſſe denegârit. Exultate ergo pueri ſancti. Exultate virgines ſanctæ. Virgo peperit vobis,cui ſine corruptione nubatis. Exultate iuſti, natalis eſt iuſtificatoris. Exultate debiles & ægroti,natalis eſt Saluatoris. Exultate captiui,natalis eſt redemptoris. Exultate omnes Chriſtiani,natalis eſt Chriſti. Exultemus ſerui,natalis eſt domini. Exultemus liberi,natalis eſt liberantis. Hæc omnia Auguſtini ſunt.

3 Chriſtus deſcribitur ab Angelo. Sed Angelum rurſus audiamus, qui gaudij huius cauſam perſpicuè indicat, & ea occaſione illius authorem deſcribit. Quia natus eſt vobis hodie (inquit) Seruator, qui eſt Chriſtus Dominus, in vrbe Dauid. Quaſi dicat, Hactenus quidem ſalutis vera expertes, & propter peccata (vt & reliqui homines) morti & exitio obnoxij fuiſtis. Sed nunc natus eſt Schilo,id eſt ſoſpitator ille & vnicus omnis felicitatis author,quem olim Iacob venturum prædixit. Et hic eſt CHRISTVS ille,id eſt vnctus Dei, Rex & Sacerdos electorum omnium,in quo vno ſalus habetur. Natus eſt autem in ciuitate Dauidis, Bethlehem ſcilicet,quem locum eius natalibus deſtinatum fuiſſe,non ignoratis. Obſeruabis autem tribus verbis filium Dei deſcribi ab Angelo, quibus abunde docemur, quid ex illo ſperari debeat. Primò Saluatorem dicit, & huius nominis rationem ipſe iam ante reddiderat, Ioſepho in ſomnis dicens: Quoniam ſeruabit populum ſuum à peccatis ipſius. Quod non ita accipi debet,

Matth. 1. quaſi ſemel modò nos ſeruet aut ex peccatorum laqueis eripiat: ſed perpetuus ſuorum ſeruator eſt, & eoſdem ſemper tuetur atque defendit. Eſt enim inuicta illa petra, aduerſus quam ne portæ quidem inferorum praualebunt. Paſtor item eſt fidelis & fortis,ex cuius manu oues nemo poteſt rapere,idemq; ſe nobis præſentem affuturum promittit, vſque ad finem ſeculi. Deinde Chriſtum, id eſt vnctum dicit,quo nomine Regem & Sacerdotem denotari, non vno loco iam diximus. Et in illo conſtat pleniſſimè contineri omnia boni Regis & fidi Sacerdotis officia. Suos enim aſſerit, tuetur, donis cœleſtibus beat & iudicat. Idem verò docet etiam, ſeipſum pro nobis ſacrificauit, adhæc intercedit pro nobis, & ſublata ira Dei benedictionem nobis reſtituit. Quia verò hæc ille præſtat, caput quoque ſuæ eccleſiæ ſit oportet, quem titulum cuiquam alij tribuere ſcelus & ſacrilegium eſt. Tertiò Dominum vocat,quod nomen relationem habet ad ſeruos, & ita propriè ille dicitur,eò quòd nos ſan-

Iſa. 42. guinis ſui pretio acquiſiuit, vt ſuum eſſemus peculium. Ideo apud Iſaiam clamat: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Habes ergo in biſce Angeli verbis, quid de Dei filio ex Maria nato tibi polliceri debeas. Opus nobis eſt Seruatore, qui nos ex peccati mortis & diaboli tyrannide liberet? Eſt is Chriſtus, qui peccatum omne mortis ſuæ merito expiauit, mortem reſurrectione vicit, & diaboli regnum deſtruxit. Opus eſt Rege,qui nos tueatur, regat & opibus augeat? At hic etiam Chriſtus eſt, qui ſeipſum ad omnia optimi Regis officia ſpontaneum offert. Opus ſacerdote, doctore, ſacrificio & interceſſore apud Deum? Ecce iſta quoque omnia in vno Chriſto inuenies. Denique Domino opus eſt,qui te protegat, deq; neceſſarijs omnibus tibi proſpiciat? Sed & hic ad omnia hæc Chriſtus vnus ſufficit: neq; de eius fide dubitare licet,cùm ſeipſum pro nobis in mortem dederit. Quæ ergo ſtultitia eſt,hoc relicto poſt vaniſſimorum hominum figmenta vagari?

4 Signo fidē facit Angelus ſuis uerbis. Reſtat vltima orationis Angelicæ pars, in qua ſigno addito verbis ſuis fidem facit, vt & minus dubitent paſtores, & Chriſtum inuenire atque agnoſcere poſſint. Dicit enim: Hoc autem vobis ſignum erit, Inuenietis infantem faſcijs inuolutum,iacentem in præſepi. Eſt hoc magnum bonitatis Dei argumentum, quòd qui pro ſuo iure fidem à nobis exigere poteſt, noſtræ tamē infirmitati ſeſe accommodat,et verbis ſuis ſigna adhibet, quæ & promiſſiones eius atq; beneficia in mentē reuocent, & fidem noſtrā confirment. Quem propriū & præcipuū Sacramentorū eccleſia vſum eſſe conſtat. Ob-

Deus ſigna proponit contemptibilia, &c. ſeruabis autē ſigna eiuſmodi, quoad externā ſpeciem, ferè vilia & contemptibilia eſſe, vt vix aliquid cum promiſſionū diuinarum maieſtate cōmune habere videatur. Hic ſanè cùm de Chriſto Seruatore & Domino tot ſeculis expectato cōcionatus eſſet Angelus, nō palatij magnifici, nō purpuræ, non quæ apud

apud huius ſeculi principes in vſu ſunt regalium inſignium, ſed pueruli vilibus pannis inuoluti & in præſepi iacentis meminit. Obſeruauit hunc morem Deus iam indè à prima rerum origine. Quid obſecro vnquam in hoc mundo admirabilius & excellentius factum eſt, quàm quòd Deus ille immenſus, infinitus, immortalis, bonus, iuſtus, ſapiens & nullius indigus, cum miſeris mortalibus, cum iniuſtis, ſtultis & egentiſſimis hominibus fœdus facere dignatus eſt, qua ſeipſum & omnia ſua nobis obſtringeret? At quàm vile, quam contemptibile, imò quàm ridiculum (ſi humanæ rationis iudicium audias) fuit fœderis ſignum tenuis pelliculæ, in genitali membro prominentis, reſectio? Quid item pretioſius & magis neceſſarium ablutione peccatorum per Chriſti ſanguinem facta, & adoptione in filiorum Dei aut eccleſiæ ſocietatem? At tanti myſterij Sacramentum eſt Baptiſmus, in quo oculi nihil quàm vilis aquæ aſperſionem cernunt. Similiter quid vnquam mundus hic vidit ſtupendum magis, quam humani generis redemptionem, indigna Filij Dei morte factam, ad cuius conſpectum terra tremuit, petræ diſſilierunt, & Sol radios ſuos contraxit? Cæterum tanti beneficij memoriam Chriſtus parua panis bucella & vini hauſtu tenui conſecrauit. Miratur hîc Dei morem carnis ratio, & neſcio quid maius ſibi pollicetur, ſi Sacramenta ſplendore externo commendarentur. Sed certa eſt Deo ſui conſilij & inſtituti ratio, qui cùm carnis ingenium probè noſſet, cauere voluit, ne externis inhærendo interna ſalutis myſteria negligeremus, & ſigna pro rebus ſignatis acciperemus, quam miſerrimam animarum ſeruitutem Auguſtinus dicit. Neminem ergo vilis Sacramentorum ſpecies offendat, ſed paſtores hoſce imitemur, quos neque ſtabuli neque præſepis mentio abſterruit, quò minus Chriſtum Bethlehemi quærerent: & proculdubiò nos quoque illum ſeſe & meritum ſuum nobis offerentem in ſtulta Euangelij prædicatione & ſimplici Sacramentorum vſu inueniemus. Et hæc quidem in Angeli orationem dicta ſunto.

Sequitur poſtremus huius reuelationis ſiue annuntiationis Chriſti nati actus, quo eius maieſtas amplius declaratur. Nam repentè affuit cum Angelo multitudo exercitũ cœleſtium, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in homines beneuolentia. Faciũt hîc officium ſuum angeli, quos in hoc potiſſimùm deſtinatos eſſe ſcripturæ teſtantur, vt Deo ſeruiant & eius gloriam celebrent. Hymnum verò iſtum præſenti cauſæ accommodant, & ſimul humano generi ob natum in carne Dei filium gratulantur, & incarnationis huius fructum prædicant. Partes illius ſunt tres. Hymnus Angelorum.

Prima à gratiarum actione exordiuntur, & canunt: Gloria in altiſſimis Deo. Meritò autem gloriæ Dei mentionem faciunt, quando conſtat, hanc non alio opere magis illuſtrari, quàm eo, quòd filium ſuum vnigenitum pro nobis hominem & peccati reum fieri, imò propter nos mortem infamem ſubire voluit. His enim (vt nuper quoq; diximus) illius iuſtitia, bonitas, veritas, ſapientia & omnipotentia ſic ſeſe exerunt, vt de omnibus iſtis nemini poſthac dubitare liceat. Dum verò gloriam omnem vni Deo tranſcribunt, ſimul nos admonent, vt ipſi quoque omnem humani generis redemptionem ad vnum hunc authorem referamus, cùm nihil nobis meriti aut dignitatis ſit, cui in hac cauſa locus aliquis debeatur. Etenim ſi cœleſtes illi ſpiritus in vno Deo acquieſcunt, & huic vni gloriam omnem tribuunt, intolerabilis nimiùm & plus quàm ſacrilega confidentia fuerit, ſi nos illi aliquid negemus, vt id nobis vendicetur.

Secunda parte humano generi gratulantur angeli, & præcipuum quod ex Chriſto nobis obtigit beneficium prædicant, dicentes: Et in terra pax. Eam verò pacem intelligunt, quæ cum Deo nunc nobis intercedit, qui prius inimici & filij iræ eramus. Fecit hanc Chriſtus, quando peccata, quibus à Deo dirimebamur, expiauit, & maceriam Legis deſtruxit, quæ nos ſua ſententia ad mortem æternam damnabat. Quo nomine Paulus illum pacem noſtram dicit. Dum verò pacem hanc iam in terris factam eſſe angeli canunt, ſimul omnes homines officij admonent, vt & ipſi inter ſe pacem colant, & concordiæ mutuæ ſtudeãt. Turpe enim fuerit, nos propter res ludicras & temporarias diſſidere, cùm Deus nobiſcum pace coire voluerit, qui inimicitiarum cauſas iuſtiſſimas & grauiſſimas habebat. Itaque nimis leuiter hoc Dei beneficium æſtimant, vel potius omnino ignorant, quibus adeò leue videtur pacis fraternæ vinculum abrumpere.

Porro tertia parte fontem & cauſam pacis huius indicant adiecta particula: In homines beneuolentia. Debet enim εὐδοκία ſiue beneuolentia hæc de Deo exponi, vt eius fauorem gratuitum de-

notari intelligamus, quo is nos cõplectitur. Cauſa huius in Chriſto eſt. Quia enim æternus ille Dei filius mortali carne veſtiri & huius vitæ miſerijs ſubijci voluit, propter hunc ita nobis placatus eſt pater, vt iam nos quoq́; indignos licet & nihil huius meritos, pro gratis & acceptis habeat. Et hoc angelorum dictum ipſe interpretatur, quando vocem illam dulciſſimæ conſolationis pleniſſimam cælitus intonat, Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo placatus ſum. Et eò reſpiciens Paulus dicebat, placuiſſe Deo, vt in Chriſto ſibi reconciliaret cùm quæ in terra, tum quæ in cælis ſunt. Procul ergo faceſſant, qui humanæ iuſtitiæ meritum extollendo Chriſti meritum euacuant, & ita pacem & conſenſum illum cæli & terræ ſaluberrimum turbant, cuius nobis ille vnicus eſt Mediator. Nituntur iſti ferè patrum & Conciliorum decretis, & hodie multi diſſenſiones de fide nõ aliter quàm Concilij vniuerſalis authoritate componi poſſe arbitrantur. At ſi patres audire libet, eos audiamus, quorum fides ſpiritus ſancti teſtimonio in ſcripturis probatur. Si Conciliorum tanta eſt apud nos authoritas, quin angelorum Concilio ſubſcribimus, qui ſimul omnes collecti omnem redempti humani generis gloriam vni Deo tranſcribunt, pacem inter Deum & nos per Chriſtum factam eſſe docent, & totius negotij iſtius cauſam in gratuito Dei fauore monſtrant, quo ille nos in Chriſto complexus eſt. Vt verò tandem dicendi finem faciamus, agnoſcamus chariſſimi, hunc Dei amorem, qui filium ſuum nobis Seruatorem deſtinauit, & eundem etiam hodie nobis per Euangelium ſuum quotidie offert. Hunc ergo amplectamur fide conſtanti, & ſimul officij noſtri memores excubias agamus perpetuas, ne illius merito partam ſalutem noſtra ſiue incuria ſiue ſocordia amittamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, tum paſtores illi dixerunt alij ad alios: Eamus ſanè Bethlehem uſque, & uideamus factum iſtud, quod Dominus notum fecit nobis. Venerunt igitur feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſephum, & infantem iacentem in præſepi. Cûm uidiſſent autem, diuulgauerunt id quod dictum fuerat ipſis de puerulo illo. Et omnes qui audierunt, mirati ſunt ea, quæ ipſis dicta fuerant à paſtoribus. Maria autem conſeruabat omnia uerba iſta, conferens ea in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deum ſuper omnibus quæ audierant & uiderant, prout ipſis dictum fuerat.

PRæclarum & aſſidua meditatione dignum eſt Ieſu Chriſti dictum: Non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, ingredietur in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt. Nam etſi ille omnia ea in ſe pleniſſimè contineat, quæ nobis ſeruandis ſeruiunt, idem tamen non omnibus prodeſt, qui nomen eius atq́; fidem in ipſum profitentur, niſi vita ſimul & moribus profeſſioni ſuæ reſpondeant. Quia enim fides non temere concepta opinio ſiue perſuaſio eſt, ſed certus firmusq́; animi aſſenſus, quo promiſſiones Dei apprehendimus, & Chriſto, qui illarum fundamentum atque complementum eſt, inſerimur, fieri non poteſt, quin qui illa præditi ſunt, Chriſti ſpiritu animati eundem vita & moribus referantur, & per fidei obedientiam voluntati patris cæleſtis ſeſe accommodent. Vnde rurſus colligitur, eos à fide & Chriſti communione alieniſſimos eſſe, qui carnis & mundi illecebris abrepti, obedientiæ officium negligunt. Non temere ergo ſpiritus ſanctus in ſcripturis exempla omnis generis proponit, tam eorum qui inani & fucata fidei profeſſione ſeſe palliant, & quorum mores nobis cauendi ſunt: quàm eorum, qui Chriſtum viua fide amplexi ſunt, vt eorum veſtigijs inſiſtamus. Inter hæc cumprimis memorabile eſt, quod in paſtoribus hiſce proponitur. Vt enim hos præ alijs hominibus dignos iudicauit Deus, quibus ſalutifera filij ſui æterni & vnigeniti incarnatio primis innoteſceret: ita eorundem exemplo omnes homines docere voluit, vt Dei verbum audire & in hoc ſeſe offerentem nobis Ieſum Chriſtum excipere atque amplecti debeant. Ideo hanc quoque huius hiſtoriæ partem Lucas diligenter deſcribit. Nam primò colloquium exponit,

exponit, quod poſt auditas angelorum voces inter ſe mutuò habuerunt. Deinde vt Chriſtum quæſierint ſimul atq; inuenerint, narrat. Præterea quid hoc inuento fecerint, & vt alij etiam homines tantæ rei conſideratione ſint affecti. Poſtremò quanta cum gratulatione & gaudio paſtores ad ſua redierint. Et de his quidem ſingulis ex ordine dicemus, quantum temporis anguſtia permittet.

Paſtores de re ipſis denuntiata colloquũtur.

Primam huius narrationis partem hiſce verbis Lucas deſcribit: Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, tum paſtores illi dixerunt alij ad alios: Eamus ſanè Bethlehem vſq;, & videamus factum iſtud, quod Dominus notum fecit nobis. Adumbrantur hoc exemplo mores piorum, qui Euangelium dignè audiunt, quidq; eos facere deceat, quibus illud prædicatur: quapropter ſingula diligentius excuti merentur.

Hic autem ante omnia occurrit, quòd quàm primùm Angeli ab ipſis diſceſſerunt in cælum (æternas nimirum beatæ immortalitatis ſedes) ipſi de negotio eis per illos denunciato colloqui incipiunt, & feriò quidem, non oſcitanter aut iocosè, vt in re non magni momenti fieri ſolet. Ergo non cum Angelis ſimul verba quoq; eorum ipſis euanuerunt: ſed vt illos non inane ſpectrum putarunt, ità Dei verbum eſſe agnouerunt, quod ex illis audiuerant. Nam niſi huic ex animo credidiſſent, multa erant, quibus apparitionem iſtam in dubium vocare aut eludere potuiſſent. Vt enim noctis tenebræ ad omne præſtigiarum genus cumprimis commodæ ſunt, & ijs ferè ad dolos ſuos abutuntur, qui rerum ignaris imponere gaudent: ita vix credibile videbatur, rem tanti momenti pauperculis paſtoribus primis denuntiari, quos nulla vel publica vel priuata authoritas commendabat. Metuendum item erat, ne ſeipſos omnium ludibrio exponerent, ſi quid huius effutirent, quod nullis alijs teſtibus poterat probari. Imò periculoſum videri poterant de Meſſia verba facere, cùm Herodes iampridem Dauidis familiam perſecutus eſſet, quòd illum ex hac naſciturum audiuiſſet. Et ferè pro ſeditioſis habebantur, qui de illo liberius diſſerebant. At non mouentur eiuſmodi argumentis iſti, quorum animos certus fidei aſſenſus afficiebat. Eſt hoc imprimis neceſſarium: quia niſi credamus Dei verbum eſſe quod prædicatur, neq; illud vero ſenſu percipere, neq; ſerio ſalutis ſtudio accendi poterimus. Ideo Galatas & Theſſalonicenſes ſuos hoc potiſſimùm nomine Paulus commendat, quòd ipſum vt angelum Dei exceperint, quodq; ſermonem, quem ipſe prædicabat, non pro hominum ſermone, ſed pro Dei ſermone (qui & verè erat) agnouerint. Debet enim ad omnes legitimos Euangelij precones extendi, quod de Apoſtolis Chriſtus dicit: Qui vos audit, me audit. Item qui recipit eum, quem ego miſero, me recipit. Luc.10. Ioan.13.

Paſtores ſeſe inuicem excitant ad quærendum Chriſtum.

At quale nam fuit iſtorum colloquium? Num in nuda apparitionis narratione acquieſcunt, aut etiam ea confidentiores facti ſuperbiunt? Vel num ſtupore belluino perculſi incertis conſilijs tumultuantur? Nequaquam. Imò, Eamus (inquiunt) vſq; Bethlehem, vt videamus factum iſtud, quod Dominus notum fecit nobis. Intelligunt ergo hoc ſibi faciendũ eſſe, etſi nullum expreſſum Angeli præceptum de eo accepiſſent. Nec mora, relictis gregibus ſuis ad quærendum verum illum animarum paſtorem feſtinant, vt eius oues ipſi efficiantur. Et hi vera & germanæ fidei fructus ſunt, ex quibus illa agnoſcitur. Nam vt Paulus ait, regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute. Rectè igitur paſtores iſti non contenti verbis, reipſa fidem declarant, per quam nobis ad regni Dei poſſeſſionem aditus patet. Fidei enim opus eſt, quòd mutuis adhortationibus alij alios ad quærendum mundi Seruatorem excitant. Nam eo charitatem ſuam produnt, in qua fidem imprimis efficacem eſſe Paulus teſtatur. Fidei item opus eſt feſtinatio illa, qua omnes rationes abrumpunt, quibus retineri poterant. Ergo iam Chriſti quoque amore ardent, & ideo omnem moram longam putant, quæ quod ex eius conſpectu ſperabant gaudium differre videbatur. Accedit quod iſta omnia ſuperat, quòd relicto grege ſuo Bethlehemum feſtinant. Id enim non abſq; periculo factum fuiſſe patet ex vigilijs ſiue excubijs, quas prius tam diligentes egerunt. Conſtat ergo tales omnino fuiſſe paſtores illos, quales Chriſtus vult eſſe verbi ſui auditores, vt ex eo fructum dignum percipiant. Et ideo non fruſtratur illos hæc ſua induſtria, ſed mox (vt Angelus promiſerat) cum Maria & Ioſepho eum inueniunt, quem tanto tamq; longo deſiderio patres ſanctiſſimi & omnes prophetæ expectarant.

Omnium eſt Chriſtum quærere.

Prodeſt ergo, vt ſinguli ſibijpſis exemplum iſtud applicent, & quid ipſis faciendum ſit diſcant. Eſt hoc commune omnium noſtrûm officium, vt Dominum quæramus. Vt enim hic nos amat, & olim Adamum ipſe quæſiuit, & ex perditione retraxit: ita vt nos ipſum quæramus iubet, & quam

Iſaiæ 55. *ipſe nobis offert ſalutem seriò inueſtigemus. Ideo olim propheta clamabant: Quærite Dominum, dum*
2. Par. 15. *inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt. Item: Dominus vobiſcum eſt, ſi vos fueritis cum eo: & ſi quæſiueritis eum, inuenietur vobis. Scribitur deniq. eodem loco, quæſiuiſſe Iudæos Dominum tota voluntate ſua, & hunc ab illis inuentum eſſe, & pacem eis dediſſe circumquaq. Cæterùm in eo iam rei totius cardo verſatur, vt rationem veram teneamus, qua Dominus quæri & inueniri poteſt. Quia enim Deum nemo vidit vnquam, & idem lucem (vt Paulus ait) inhabitat inacceſſam, filius autem Dei carnem, quam ex nobis aſſumpſit, in cælos ſubuexit, nulla viſibili ratione à nobis ille vel quæri vel inueniri poterit, ſed eum modum nos ſequi oportet, quo ille nobis adeſſe ſolet. Adeſt autem nobis ſpiritu ſuo, quem nobis paracletum & aduocatum promiſit: & proinde ſpiritualiter quoque à nobis quæri vult. Itaq. hîc fide opus eſt, quæ cùm ſola omnem carnis rationem atq. intellectum tranſcendat, ſola etiam Deum inuenit, & ea in illo appræhendit, quæ omnem humanæ ſapientiæ captum ſuperant. Fide enim intelligimus Deum nobis patrem eſſe. Fide cernimus æterno huius conſilio Chriſtum nobis datum eſſe Seruatorem. Fides item ſola nouit, hunc in mundum veniſſe, peccata noſtra mortis ſuæ merito expiaiſſe, & redemptionem nobis meruiſſe ſempiternam. Denique ſola fides omnia Ieſu Chriſti myſteria patefacit, ad quæ humanæ rationis lux nequaquam penetrare poteſt. Et licet hîc multa occurrant, quæ carni et mundo abſurda videntur, tamen hæc quoq. fides ſuperat, dum in Dei verbo acquieſcit, quem ab omni dolo & impoſturæ alieniſſimum eſſe nouit. Et hinc fit, quòd ſoli credentes ſeruentur, cùm qui ſalutis vnicus author atque mediator eſt, non aliter quam fide appræhendi poteſt.*

Fidei ueræ ingenium. *At ne nobis ipſis inani fidei fuco imponamus, veræ fidei ingenium & propria nouiſſe oportet. Primum inter hæc eſt, quod ſolo Dei verbo nititur, & ideo inconcuſſa perſiſtit, etiamſi humana omnia fallant. Habuerunt hoc fidei ſuæ fundamentum iſti etiam paſtores, & proinde non vagantur temerarijs affectibus abrepti, ſed in Chriſto quærendo vera via et per Angelos monſtratæ ratione inſiſtunt. Deinde in meditando & examinando Dei verbo ſedula eſt fides: non quòd nos illius iudices faciat, ſed vt cautos & attentos reddat, ne falſo verbi Dei prætextu ſeducamur. Eſt hoc etiam in paſtoribus hiſce videre, cùm de eo tam ſerios ſermones conferant, quod illis Angelus annuntiarat. Sequitur ex his tertium, quod cognita Dei voluntate homo totus abripitur, vt quieſcere non poſſit, donec optatam diu ſalutem conſequatur. Quæ omnia cùm in paſtoribus noſtris Lucas nobis monſtret, dubium non eſt, illos vera fide præditos fuiſſe, & ideo quod quærebant inueniſſe.*

Cur hodie Chriſtus à paucis inueniatur? *Quòd ſi cum his noſtri ſeculi mores conferamus, non mirabimur, Chriſtum hodie à pauciſſimis inueniri. Nam prædicatur quidem verbum Dei & qui hoc audiant, multi ſunt. At inter hos maximus illorum numerus eſt, qui ad illud audiendum non niſi commodi priuati ſtudio accedunt, Iudæo-*
Ioan. 6. *rum nimirum ſimiles, quos hoc nomine Chriſtus repræhendit, quòd ipſum non alia quàm gratuiti conuiuij cauſa quærerent. Qui verò tales ſunt, ij verbum neq. cordibus ſuis recondunt, neq. de officio faciendo cogitant. Iidem vero ſi quid audiunt, quod ipſos malè vrit, id quidem alta mente repoſtum ſeruant: non quòd mores ſuos corrigere cupiant, ſed vt obtrectandi & calumniandi occaſionem habeant, & apud rudes atq. imperitos omnem fidem Dei verbo derogent. Ex hoc igitur fonte impij illi & ſcandalorum pleni ſermones manant: Fatemur equidem in ſcripturis contineri, quæ clamoſi illi Stentores in templis aduerſus nos proferunt. An verò propterea ſermonibus illorum neceſſariò credendum eſt? Authores fortaſſis iſtorum librorum hi ipſi ſunt, qui ita in nos fulminant, aut certè qui olim hoc publicum docendi munus vſurparunt. Annon mendacium perinde vt quod verum eſt, ſcribi poteſt & typis vulgari? Sunt voces iſtæ Chriſtianis auribus indignæ, & tanta eſt earum impietas, vt cum deteſtatione potius reijci quàm argumentis confutari mereantur. Verumtamen propter rudes & infirmos quædam dicenda ſunt, quibus illuſorum iſtorum vanitas arguatur.*

Scripturæ ſacræ ueritas aſſeritur. *Hic verò primùm firmiter teneamus, ſcripturam à Paulo θεόπνευστον dici, nimirum quòd verus eius author ſit Deus, cuius ſpiritu olim gubernati prophetæ & apoſtoli ſcriptis mandarunt, quæ*
2. Tim. 3. *ex diuina reuelatione didicerant. Id autem veriſſimè à Paulo dictum eſſe ex eo apparet, quòd nihil libris iſtis omnibus continetur, quod non perfectè conſentiat cum legibus naturæ, quas Deus omnium gentium cordibus inſcripſit: vt iam nihil dicamus, de mirifica hiſtoriarum et temporum ab orbe condito ſerie, quæ non aliunde, quàm ex ſacris literis, certa & vera colligi poteſt: nihil etiam de*

promiſſionum

promiſſionum & vaticiniorum veritate, quam ipſi rerum euentus olim confirmarunt, & hodie adhuc confirmant. Deinde ſi ſcriptores ex ordine inſpicias, quibus in libris hiſce conſcribendis ſpiritus ſanctus, quaſi amanuenſibus, vſus eſt, minimam illorum partem ex ſacerdotum aut eccleſiaſticorum praeconum numero fuiſſe patebit. Primum enim inter hos locum tenet Moſes, qui vt ſcriptorum omnium, quorum libri extant, longè vetuſtiſſimus eſt: ita princeps populi Iſraelitici fuit, cum quo nemo Imperatorum, quotquot vnquam rei militaris peritia & felicitate illuſtres fuerunt, conferri meretur. Quem enim ex his omnibus dabis, qui noningenta armatorum millia vnà cum ipſorum vxoribus atq; liberis, armentis item & gregibus omniq; alia ſubſtantia, totis annis quadraginta ſub ſignis habuerit? Hunc proximo gradu ſequitur eius ſucceſſor Ioſue, dux populi optimus & fortiſſimus miles, de quo veriſſimè Homericum illud dixeris: ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής: vt qui paucorum menſium ſpatio terram natura & arte munitiſſimam occupauit, & reges circiter triginta & vnum deuicit. Accedit his tertius Samuel, propheta quidem, ſed ſimul Iudex praeſtantiſſimus, qui populum infelicem ex Philiſtaeorum tyrannide aſſeruit. Adnumerari iſtis debent Dauid & Solomon Reges, quorum ille victorioſiſſimus regum, hic verò mortalium omnium ſapientiſſimus fuit. Et vt ipſos etiam prophetas videamus, ne hi quidem eiuſdem loci & ordinis fuerunt. Iſaiam enim & Danielem ex regio ſanguine, Ieremiam ex ſacerdotali familia, Heliſeum & Amos ex ruſticis parentibus progenitos fuiſſe cõſtat. Quod ipſum de Apoſtolis quoq; noui teſtamenti ſcriptoribus dici poteſt. Quibus adde, quòd neq; eodem tempore, neq; eodem in loco ſimul illi omnes vixerunt, cùm multi alios plurimis ſeculis vel praeceſſerint vel ſecuti ſint. Ita verò ipſe Deus inſtituit certo ſuae prouidentiae conſilio, ne quis inter ſcriptores illos colluſionem aliquam fuiſſe putaret, & ideo illorum ſcripta meritò ſuſpecta haberet. At mendacia quoq; ſcribi poſſe ais. Sed hoc dicendo de ſcripturis ſacris, animum prodis ingratum Deo, impium & ſceleratum. Finge enim villicum hoc de rationum libellis hero ſuo reſpondere, cuius beneficentiam prius multo tempore expertus eſſet, quis non illum hominum ingratiſſimum & impudentiſſimum iudicaret, adhaec indignum cui porrò quis benefaceret? Et tu vermis vnius horae, cuius origo ex terra eſt in quam breui rediturus es, tam ſcurrili reſponſo Dei ſcripta eludis, quibus ille nobis ſui regni myſteria patefacit, neq; aliud à nobis requirit, quàm quod lex naturae praecipit, & ex quo maior ad nos, quàm ad illum, vtilitas redit? Poſſent haec prolixè tractari, & argumentis grauiſſimis amplificari poſſet tanti ſceleris atrocitas: ſed ſufficiat de his cogitandi occaſionem dediſſe hominibus non omnino malis, ne ſcurrili illuſorum iſtorum dicacitate offendantur: hos autem Dei iudicio permittamus, quando incurabilem conſtat eſſe eorum malitiam. Vt verò eos quoq; videamus, qui ſcripturae ſacrae authoritatem diuinam eſſe agnoſcunt, & ſummum verbo Dei honorem deferunt, tamen ex his quoq; pauciores ſunt, qui hos cum fructu aliquo audiant. Nam etſi intra animos ſuos conuicti, quid facto opus ſit, norint, non tamen ſequuntur vocantem Dominum, ſed moras nectunt & tempus extrahunt, nouasq; quotidie fingunt rationes, quibus ſeſe excuſent. Nunc enim diuitijs ſuis metuunt, deq; his ſeruandis diligentius cogitandum eſſe arbitrantur, priuſquam ſeſe periculo manifeſto exponant. Nunc coniuges, liberos, parentes & neſcio quos alios praetexunt, quos deſerere nefas ſit. Nunc bellorum pericula, nunc ciuiles motus, nunc finitimorum principum offenſiones vitandas aiunt, et tantum non ne caelum ruat metuunt: & dum tempus magis idoneum expectant, omnem ſalutis obtinendae occaſionem praeterlabi, aut ſibi è manibus excuti patiuntur. Multi verò etſi manum aratro admoueant, mox tamen à tergo reſpiciunt, & ita ſe regno Dei indignos eſſe teſtantur. Iſtis vitijs nos longum valere dicere conuenit, & paſtorum iſtorum pietatem atq; zelum imitari, ne quod ſalutis aeternae nuncium eſt nobis in teſtimonium iuſtae damnationis cedat. Sed pergamus ad reliqua.

Cunctatores in ſtudio pietatis.

Quid enim inuento puero paſtores fecerint, Lucas ſic narrat: Cùm vidiſſent autem, diuulgauerunt id quod dictum fuerat ipſis de puerulo illo, &c. Quo loco primùm obſeruatu digniſſimum eſt, quod viliſſima pauperis tugurij & puerili in praeſepi iacentis ſpecie non offenduntur. Vnde apparet, ipſos non in hanc, ſed potius in Angeli verba intentos fuiſſe, quae cùm fide vera apprehendiſſent (vt dictum eſt) animos ſuos altius attollere potuerunt, & ſub vilibus pannis latentem humani generis Seruatorem agnoſcere. Simile quid de Magis Orientalibus Matthaeus ſcribit. Id verò cumprimis neceſſarium eſt ijs, qui Chriſtum ſibi ſalutarem eſſe cupiunt, cùm ipſe dicat: Beatus, qui in

Paſtores, quid puero inuento fecerint

me non offenditur. Nam ſi carnis & mundi iudicium audiamus, nihil in illo apparebit, quod magnificum & admiratione dignum videri queat. Alios ergo Chriſti & in hunc credentium paupertas, alios doctrinæ euangelij ſimplicitas, alios miniſtrorum contemptibilis ſpecies, pleroſq; autem crux, indiuulſa fidei comes, offendit. Ad iſta ergo nos præparari conuenit, vt diſcamus, regni cælorum myſteria non ex ſplendore externo aut mundi iudicio æſtimanda eſſe: ſed ita ſolere Deum quæ inter homines contempta & ſtulta ſunt eligere, vt ea confundat, quæ in mundo præclara & magnifica putantur. Neq; eos cruce & perſecutionibus offendi par eſt, qui in his ferendis ducem præire vident Dei filium, & per has nobis ad regni Dei poſſeßionem ingrediendum eſſe norunt.

Paſtores de Chriſto teſtantur.

At non eo contenti ſunt paſtores, quòd intra animos ſuos de Chriſto magnificè ſentiunt, ſed inſuper publicè ea denunciant aſtantibus, quæcunq; de illo ex Angeli relatione didicerant. Inter quæ præcipuum erat, hunc eſſe vnctum illum Dei, promiſſum humani generis Seruatorem et Dominum, cui omnes homines fidere atq; obedire debeant. Ergo non pudet illos Chriſti pauperis & contempti, neq; vulgi ludibria metuunt, ſi de illo tam magnifica loquantur. At quod iſti fecerunt, hoc omnes eos facere conuenit, qui Chriſti beneficio ſeruari volunt. Nam vt Paulus ait, corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeßio ad ſalutem. Et Chriſti vox eſt: Si quis me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo cæleſti. Quemcunq; verò mei puduerit coram mundo hoc prauo & adultero, eius pudebit etiam filium hominis, cùm venerit in gloria patris ſui cum Angelis illis ſanctis. Debebant hoc diligentius obſeruare nonnulli, qui dum Euangelij ſucceſſus felicior apparet, & ex illo commodi alicuius ſpes affulget, fidem in Chriſtum plenis buccis iactant: eandem verò vel turpiter dißimulant, vel etiam impiè negant, quàm primùm ex eius confeßione periculum ſibi imminere vident. Qui dum vitæ & fortunis ſuis conſulunt, ſeipſos Chriſto ſimul & æternis regni cælorum theſauris ſpoliant. Nos ergo paſtores iſtos imitati, Chriſtum tunc quoq; liberè confiteamur, quando in præſepi iacet, id eſt, quando à pleriſq; ridetur & contemnitur: imò ne in cruce quidē pendentis pudeat, quando conſtat hanc nobile per ipſum partæ ſalutis trophæum eſſe, & hoc illum nobis meruiſſe, vt huius ſeculi afflictionibus gloriari liceat. Rom. 5.

Rom. 10.
Marc. 9.

Vt Chriſtus prædicari debeat.

Cæterùm non ſui capitis figmenta, aut quod ipſis viſum fuit, de Chriſto paſtores prædicant, ſed quod ex Angelo intellexerunt, id bona fide referunt. Quo loco officij ſui admonentur verbi adminiſtri, quos eccleſiæ ſuæ paſtores conſtituit Deus. Eſt his neceſſaria imprimis Chriſti cognitio, quam ſimul ſuæ curæ creditis diligenter tradere debent. Talem verò prædicari oportet Chriſtum, qualem libri ſacri deſcribunt: neq; aliquis ſibi licere putet, vt in horum doctrina aliquid mutet, addat ſiue auferat pro ſuo arbitrio. Scimus enim Apoſtolos ipſos certo mandato aſtrictos fuiſſe, vt ea docerent, quæ à Chriſto acceperant. Et Paulus anathema eum pronunciat, qui Euangeliū aliud docet, etiamſi Apoſtolus, vel etiam Angelus de cælo fuerit. Eſt ergo ſacrilega & intolerabilis omnino illorum audacia, qui in ipſum Dei filium tantum iuris ſibi ſumunt, vt & ipſum alium fingant, quam reuera ſit, & ab ipſo traditam doctrinam proprijs figmentis corrumpant. Afferunt hi vocem alienam, & proinde indigni ſunt, qui à Chriſti ouibus audiantur.

Matth. 28.

Spectatores admirantur.

Porro tranſeamus tandem ad eos quoq;, qui huius rei ſpectatores & auditores fuerunt. Inter quos primi cenſentur, qui vel in eandem domum cùm Maria tunc diuerterant, vel etiam ſingulari diuinæ prouidentiæ conſilio ad ſpectaculum iſtud euocati conuenerant. De his ſic ſcribit Lucas: Et omnes qui audierunt, mirati ſunt ea, quæ ipſis dicta fuerant à paſtoribus. Myſterium quidem tantæ rei non intellexerunt, & proinde fide quoq; vera nondum fuerunt illuſtrati. Verumtamen laudem merentur, quòd non improbè reſponſant, neq; paſtorum verba cum ludibrio reijciunt. Sunt horum multùm diſsimiles impij illuſores, de quibus paulò ante etiam dictum eſt, qui non contenti Chriſtum & ſalutem in hoc nobis exhibitam neglexiſſe, inſuper alios de his differentes non ferunt, & ſcurriliter nimis reijciunt, quicquid ipſorum deſiderijs repugnat, aut quod captum ipſorum ſuperat: quaſi nimirū Dei ſapientia ad humanæ rationis modulum aſtricta ſit. Sunt hi maximorū ſcandalorum authores, ſed ijdem dum Deum ludibrio habent, ſibijpſis ignominiam ſummā conflant. Firma enim & ſemper rata manet Dei ſententia: Qui me contemnunt, ignominia afficientur. Itaq; diſcamus nos attentis animis audire quæcunq; de Deo prædicantur, et ſi quid à nobis intelligi nequit, id pia admiratione dignemur, et ſenſus atq; intellectū omnē per fidei obedientiā Dei verbo ſubijciamus.

Porro

Maria mente reponit omnia & confert, etc.

Porro omnes aſtantes longè ſuperat Diua Virgo, quæ verba iſta omnia conſeruaſſe & in corde ſuo contuliſſe dicitur. Ergo & memori mente recondidit iſta, et diligenti meditatione examinauit, vt in eius cognitione, quem modò pepererat, magis proficeret. Vbi rurſus fidei vera ingenium cernitur. Nam ante omnia iſta ex Angelo Gabriele audiuerat, vt nouis magiſtris nõ haberet opus. Attamen paſtores quoq; eadem dicentes attentè audit, & horum verba cum iis, quæ Angelus ipſi dixerat, diligenter confert. Et quod modeſtiæ ſingularis exemplum eſt, non ſuperba ſuæ dignitatis oſtentatione effertur, neq; glorioſula iactat quæ ſibi hucuſq; contigerant. Eſt hæc virtus hodie rara inter homines. Pleriq; enim, vbi ſe in ſalutis cognitione aliquò vſq; progreſſos putant, omnem doctrinã, ceu inutilem ſibi & ſuperuacaneam reijciunt, & ne eos quidem audire dignantur, qui in eccleſiæ miniſterio conſtituti ſunt, cuius authorẽ eſſe Deum ex vtriuſq; teſtamenti ſcripturis conſtat. At dum ſuæ ſcientiæ opes illi oſtentant, turpiter nimis ſuam inopiam atq; ſtultitiam produnt: quòd nimirum ne ſeipſos quidem norint, quod ſapientia veræ principium eſſe olim philoſophi dixerunt. Imprimis autem Mariæ exemplũ parentes obſeruent, ne ex ſe prognatis liberis confidentius ſuperbiant. Sciebat illa Dei Filium & olim promiſſum Seruatorem eſſe, quem ipſa pepererat, neq; dubiũ eſt, quin in illo omnem ſalutis fiduciã habuerit collocatam. Non tamen illo ambitiosè gloriatur, ſed tacitè gaudio ſuo fruitur cum modeſtia. Quæ ergo dementia eſt illorum fiducia efferri, qui ex nobis nati, & quanti quanti ſunt, peccatores ſunt, neq; nobis alicuius commodi authores eſſe poſſunt, niſi ex æterno verbi Dei ſemine in Chriſto regenerentur?

Paſtores ad ſua redeunt.

Sed tempus eſt, vt ad poſtremam huius loci partem accedamus, quam his verbis Lucas abſoluit: Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes & laudantes Deũ ſuper omnibus, quæ audierant et viderant, prout ipſis dictum fuerat. Occurrunt hîc quoq; multa obſeruatu digniſſima. Primum, fidem & Chriſtianæ pietatis ſtudium non obſtare, quò minus à Deo impoſitã functionem obeamus, & honeſtis laboribus vacemus, quibus neceſſaria vitæ huius ſubſidia parantur. Imò iubet Euangelium, vt ſinguli proprijs manibus ſibi victum parent, & docet, vt in quauis vocatione ſalua conſcientia verſari & Deo ſeruire poſſimus. Ioannes certè Baptiſta, neq; publicanos à ſuo officio, neq; milites ab armis diſcedere iubet, ſed quid facere debeant, docet. Paulus verò nõ mundo vti prohibet, ſed ne illo abutamur monet, et vnuſquiſq; (ait) in vocatione ſua maneat, in qua vocatus eſt. 1. Cor. 7. *Rectè igitur paſtores iſti ad gregem ſuum redeunt, neq; opus erat, vt quoad corporalem præſentiam Chriſto indiuulſi comites adeſſent, cùm illum iam cordibus ſuis geſtarent fide vera appræhenſum. Damnantur horũ exemplo otioſi ventres, qui ſub religionis prætextu familias alienas ſubeunt, et ex aliorum laboribus viuunt. Monachi item, qui vt mundo mortui videantur, vel in loca deſerta ſecedunt, vel diuerſorũ ordinũ ſepta ingrediuntur, et illic vitã viuunt ſegnẽ, nemini mortaliũ vtilem. Quos magna ex parte imitantur Anabaptiſtæ, fanaticũ et ſeditioſum hominũ genus, qui tunc demũ ſe Chriſtianos eſſe arbitrãtur, ſi relicta re domeſtica & omni honeſto artificio, priuatim omnibus moleſti ſint, publicè verò omnẽ ordinem tam in repub. quàm in eccleſia turbare ſatagant. Vult quidẽ Chriſtus, vt propter ipſum, ſi ita opus ſit, omnia noſtra relinquamus: at qui id faciunt nulla vrgente neceſſitate, neq; ſuis honeſtè proſpiciunt, cũ id ſalua fide et pietate poſſent, ij ſe à fide alienos et ethnicis deteriores eſſe teſtãtur. 1. Ti. 5.*

Chriſtum quærentes nihil damni patiuntur.

Deinde apparet ex paſtorum gaudio, quod Dei et bonitatis eius prædicatione declarant, illos nihil interea damni accepiſſe, dum relicto grege ſuo Chriſtũ quæſiuerunt. Eſt hoc exemplum plenum conſolationis, quo docemur, nullam rerũ neceſſariarũ iacturã nos facturos eſſe, ſi Chriſtũ quæramus, & propter hunc res noſtras ad tempus periculo exponamus. Quia enim Dei prouidentia ad aues & coruorum pullos, imò ad flores vſq; temere in agris naſcentes extenditur, minimè putandum eſt, eos à Deo negligi, qui in ipſo quærendo occupantur. Quærite ante omnia (inquit Chriſtus) regnũ Dei & iuſtitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Quæ promiſſio cùm exemplis infinitis confirmata ſit, & quotidie magis confirmetur, etiam atq; etiam cauendũ eſt, ne anxia ſolicitudine & nimio rerum terrenarum ſtudio nos ipſos illius fructu ſpoliemus. Requiritur quidem à nobis induſtria & cura rei domeſticæ, ſed hanc cum fide coniunctam eſſe decet, vt meminerimus fruſtraneis laboribus nos fatigari, niſi Dominus ipſe domũ ædificet. Huius ergo curæ nosipſos et noſtra omnia committamus, ſi quid cum periculo tentandum eſt, & procul dubio illum in nobis ſeruandis fidelem experiemur.

Paſtores Deo gratias agunt.

Poſtremò paſtores iſti Deum glorificauiſſe & laudauiſſe dicuntur ſuper omnibus, quæ audierant.

& viderant, prout ipſis dictum fuerat. Repetit ſubinde Lucas ea, quæ ab Angelis, fidis Dei internuntijs, dicta fuerunt, vt oſtendat, paſtorum fidem Dei verbo gubernatam fuiſſe. Etenim fruſtra in conſiderandis illius operibus verſantur, qui verbum negligunt, quo illorum author & vſus indicatur. Simul autem officij nos admonet ſpiritus ſanctus, vt ipſi quoq; Deum glorificemus atq; laudemus pro omnibus beneficijs, quæ in nos ſecundum promiſſiones ſuas per Ieſum Chriſtum contulit. Promiſerat autem, quòd is ſerpentis caput conculcare & diaboli regnum deſtruere, peccata noſtra expiare, mortem vincere, noſq; in libertatem filiorum Dei aſſerere deberet. Atqui hæc ille omnia præſtitit, idq; iam moriturus teſtatus eſt, cùm iam omnia conſummata eſſe diceret. Docemur item per Euangelium, nos Deo per illum reconciliatos eſſe, & reconciliationis iſtius arrhabonem habemus ſpiritum ſanctum, qui eandem Sacramentis quoq; viſibilibus nobis obſignat. Deniq;, quem paſtores iſti in præſepi vilem et contemptibilem viderunt, eum nos Regem & Sacerdotem, adhæc mortis atq; inferorum victorem, cæli item terræq; dominum in Euangelio conſpicimus. Excitet ergo nos paſtorum exemplum, vt ipſi quoq; Deum glorificemus & laudemus pro exhibito nobis ſalutis æternæ beneficio, neq; nos pudeat eum confiteri coram mundo hoc prauo & adultero, qui pro nobis omnia huius miſeræ & mortalis vitæ diſcrimina ſubire dignatus fuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XIX.

Et cùm impleti eſſent dies octo, ut circuncciderent puerulum, tunc uocatum eſt nomen eius, Ieſus, quod uocatum fuerat ab Angelo, priuſquam ipſe in utero conciperetur.

QVemadmodum veteres prophetæ duce ſpiritu ſancto promiſſum humani generis Seruatorem magno ſtudio inueſtigarunt, & de eius afflictionibus ſimul atq; has ſecuta gloria vaticinati ſunt: Ita Euangeliſtæ ex eiuſdẽ ſpiritus ſuggeſtione illius in carne manifeſtationem, et quæcunq; ab illo in terris hiſce facta ſunt, diligenter narrant, neq; illos piget in ijs etiam immorari, quæ carnis iudicio leuia & ridicula videntur. Quia enim pater in illo reconditos nobis eſſe voluit omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros, & idem nobis ab illo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio et redemptio factus eſt, nihil in illo tam minutum aut vile inuenitur, quod nõ certa noſtræ ſalutis myſteria contineat, noſq; in Dei & ſalutis noſtræ cognitionem pleniorem inducat. Argumentum huius euidens eſt Circuncíſio, quam etſi Lucas paucis attingat, & eadem primo intuitu nihil magni aut eximij præ ſe ferat, tamen de ijs nos admonet, ſine quorum cognitione ſalus noſtra conſiſtere non poteſt. Nam fœderis, quod nobis cum Deo intercedit, rationem tradit, & ſimul verum Baptiſmi vſum indicat, qui in illius locum ſucceſſit. Adhæc veram doctrinam de Chriſto illuſtrat, vt rectius intelligamus, quid nobis in illo ſit traditum. Quæ omnia vt magis perſpicua ſint, primò de Circunciſione ipſa dicemus, quæ eius ratio & vſus olim apud veteres fuerit. Inde Chriſti circunciſionem & huius cauſas inueſtigabimus. His quædam ſubijciemus de nomine Ieſu, quod tunc pro more illi fuit impoſitum.

Circunciſio quid?

Circunciſio olim actio ſacra erat, qua ex Dei inſtituto præputium reſecabatur ijs, qui ad ſocietatem populi Dei ſeu Eccleſiæ pertinebant, in quam adoptabantur, vt fœderis diuini et promiſſionum conſortes fierent, & ſimul officij ſui admonerentur. Ideo ferè ſignum populi Dei dicebatur, & infantibus quoq; adhibebatur, cùm etiam hos Deus fœdere ſuo eſſet complexus. Inſtitutio eius tota ex fœdere Dei dependet. Quia enim promiſſio ſalutis Adamo olim data, poſteris temporibus propter vniuerſalem totius humani generis corruptionem & horribile iudicij Dei exemplum in diluuio editũ, prorſus abolita videbatur, ſolenni illius inſtauratione opus fuit. Ad eam verò rem ex gratia peculiari Deus Abrahamum elegit, quem inter idololatras agentem ex Chaldæa in terram Chanaan euocat, vt ſalutis fœdus cum illo inſtauret. Capita huius præcipua ſunt hæc: Primum, Ego ſum El Schadai id eſt, Deus omnipotens, qui ad omnia omnibus ſufficio, & cui nihil deeſt eorum, quæ ad perfectionem ſalutis deſiderari poſſunt. Secundum, Ambula coram me, & eſto integer. Tertium, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Et primo quidem Capite ſeipſum nobis obſtringit Deus, ſecundo autem noſtri nos officij admonet, tertio veterem ſalutis per ſemen mulieris, id eſt, Chriſtum reparanda

Inſtitutio circuncíſionis.

randæ promiſſionem repetit. Itaq; paucis iſtis vniuerſa ſalutis ratio continetur, quam poſtea ſpiritus ſanctus in ſcripturis vtriuſq; teſtamenti fuſius expoſuit atq; illuſtrauit? Quid enim aliud docent Moſes, prophetæ & apoſtoli, quàm quid nobis ex Deo ſperandum ſit, vt hic ſe totum nobis fruendum offerat, quod item noſtrum ſit officium, vt ſeruorum inſtar fidelium coram ipſo ambulare & omnia noſtra ſecundùm illius voluntatem inſtituere debeamus, in quo integritas tota hominis conſiſtit: vt deniq; filium ſuum ille in mundum miſerit, qui propter nos homo factus peccatum mundi omne expiauit, & cum iuſtitia ſempiterna benedictionem quoq; & ſalutem veram nobis reddidit? Eſt autem hoc ingens bonitatis Dei & amoris, quo nos complectitur, incomparabilis argumentum. Qui enim ipſiſſima eſt iuſtitia, veritas, ſapientia, omnipotentia, fons item vitæ & bonorum omnium inexhauſtus & nullius egens, nobis obſtringi voluit, qui natura iniuſti, mendaces, ſtulti & cœleſtium rerum ignari, miſeri & infirmi, mortales deniq; & omnium indigi ſumus, adeò vt ne nosipſos quidem iuuare poſſimus, nedum illi gratiam aliquam referre. Laudantur mirificè principes, qui vel ſubditis ſeſe affabiles præbent, vel cū vicinis amicitiā ſtudiosè colunt, quibus cum naturæ communionē habent, et quorū obedientia atq; amicitia ipſis quoq; neceſſaria eſt. At hîc, quoad nos et Deū nihil huius inuenire licet: quādo neq; noſtris officijs hic opus habet, neq; vllis conditionibus alijs nos obſtringit, quā quæ nobis vtiles ſunt, et ſine quarū obſeruatione vita hæc neq; cōmodè tranſigi, neq; iucūda eſſe poteſt. O ſi in horū conſideratione diligentiores eſſemus, plurimùm ad veræ pietatis ſtudiū procul dubio accederet.

Cæterùm vt in fœderibus non ſolum conditiones vtrinq; proponi & conſcribi ſolent, verumetiam ſigilla addi, quibus illæ confirmentur: Ita ſuum fœdus Circuncisione obſignari in hominibus voluit Deus, quò minus de eius fide dubitaremus. Quo rurſus ſuam erga nos bonitatem declarat, quando qui fidem & obedientiam pro ſuo iure à nobis exigere poterat, ad noſtros mores ſeſe demittit, vt noſtræ infirmitati ſuccurrat. Signum verò adhibet in ſpeciem vile & contemptibile, ne qui in illo hærentes ipſum fœdus negligerent, ſed potius ſigni vilitate ad myſteriorum ſub illo latentium conſiderationem excitarentur. Quod ipſum in noſtris etiam Sacramentis ab illo obſeruatum eſſe, nuper diximus. Signum verò eiuſmodi inſtituit, quod ab hominibus ſolis vſurparetur. Vt enim ipſe ſibi ſemper conſtat, ita nulla quoq; in ipſum cadit dubitatio. At quia fides noſtra varijs tentationum arietibus impulſa fluctuat, nobis ſigillis opus eſt, quibus illa confirmetur, & de ipſius veritate certior fiat. Et ne quis Circuncisionem ob ſpeciem contemptibilem negligeret seu ſuperuacaneam, graui præcepto & non ſine comminatione ad eius obſeruationem Abrahami poſteros obſtrinxit. Sic enim loquitur: Omnis mas, qui fuerit in generationibus veſtris dierum octo, circuncidetur vobis, ſiue verna fuerit, ſiue ære emptus à quocunq; extraneo, qui non eſt de ſemine tuo. Omnino verna & ære tuo emptus circuncidi debent, vt ſit fœdus meū in carne veſtra fœdere ſempiterno. Porro mas præputiatus, cuius præputium carnis circuncisum non fuerit, huius anima excindatur è populo ſuo: quia fœdus meum irritum fecit. Nec vanas fuiſſe minas iſtas, Moſis exemplo docemur, quem ex Madianitica terra in Ægyptum redeuntem Angelus Domini occidere voluit, quòd Gerſonem filium non curaſſet circuncidi. Et qui in deſerto ſub Moſe nati erant, non prius ad terræ promiſſæ poſſeſſionem admiſſi ſunt, quàm circuncisionis ſigillum accepiſſent. Non autem temere illam à Deo tam ſeueriter mandatam fuiſſe patebit, ſi illius vſum diligentius conſideremus.

Circuncisio ſignum fœderis.

Gen. 17.

Primò teſſera erat externa, quæ Abrahami poſteros, populum Iudaicum, à reliquis gentibus ſecernebat. Id verò facto opus erat, partim vt eius vſu fidem ſuam publicè profiterentur, partim ne alijs gentibus miſcerentur, & ne genus illud amitteretur, ex quo promiſſus ille humani generis redemptor naſci debebat. Nouerat enim Deus, populum illum modò inter Ægyptios, modò inter Aſſyrios & infinitas alias gentes diſpergendum fore, & ideo cauere voluit, ne illis commixtus à ſua ſocietate in vniuerſum excideret. Secundò cùm in membro genitali fieret, & recens quoq; natis infantibus adhiberetur, innatæ vitioſitatis admonebat, quæ omnibus hominibus ex primo parente inhæret, & proinde illos putatione opus habere docebat, qua illa auferatur, ne in homine regnum obtineat. Tertiò, quia fœderis diuini ſignum erat, cuius complementum in ſemine illo benedicto, Ieſu Chriſto, habetur, hunc quoq; figurabat, qui veræ Circuncisionis vnicus author eſt, vt Paulus ad Col. 2. cap. teſtatur. Itaq; ad illum remittebat, ne putationem illam, qua ab Originali prauitate & ex hac manantibus fructibus liberamur, alibi quàm in illo vno quæreret. Quartò promiſſiones Dei omnes ob-

Circūcisionis vſus.

Rom. 4. ſignabat, et imprimis quidem eam, quæ de Chriſto habetur: quo nomine Paulus illam vocat ſigillum iuſtitiæ fidei, id eſt, eius iuſtitiæ, quæ nobis per fidem in Ieſum Chriſtum obtingit. Itaq; certò docebat, Deum pro iuſtis habere & ſuo fauore gratuito omnes eos proſequi, qui Chriſtum fide vera apprehendunt. Quæ cauſa eſt, quòd pij olim ex Circunciſione conſolationis argumenta petebant, ſi quid grauioris periculi ex hoſtibus externis immineret. Tunc enim (vt in Ionathani & Dauidis cum Goliatho congreſſuri hiſtoria patet) illos incircunciſos dicebant, non tam opprobrij cauſa, quàm quòd ſe in Dei peculium cooptatos eſſe & fœderis diuini ſigillum certum in corpore ſuo geſtare ſignificabant. Poſtremò ad Legis obſeruationem aſtringebat Circunciſio, quando conſtat fœdera & pacta omnia irrita & inutilia fieri, niſi conditiones obſeruentur, quibus illa conſtant. 2 Ideo Pau-
Gal. 5. lus Galatis ſcribebat: Teſtor omni homini qui circunciditur, quòd debitor eſt totius Legis ſer-
Rom. 2. uandæ. Et ad Romanos: Circuncisio quidem prodeſt, ſi Legem ſeruaris. Quòd ſi tranſgreſſor Legis fueris, circunciſio tua præputium facta eſt, &c. Multiplex ergo Circunciſionis vſus fuit apud veteres, & ideo illam minimè negligere licuit.

Baptiſmi eadē ratio, quæ circunciſionis. Quia autem eadem eſt Sacramentorum omnium ratio, proderit iſta ad Baptiſmum transferre, qui in illius locum ſucceſsit, vt de eo etiam rectè iudicare diſcamus. Conſtat enim Iudæorum gentem non ſtetiſſe conditionibus à Deo præſcriptis, & proinde à fœdere illius excidiſſe, & extāt ea de re paſſim ipſius Dei teſtimonia, qui de illorum perfidia per prophetas acerbè conqueritur. Opus ergo erat
Ierem. 31. inſtauratione, et ideo nouum fœdus ſiue teſtamentum Deus per Ieremiam pollicetur. Nouum verò hoc dicit, non quòd nouas conditiones præſcribat, ſed quòd populus nouus ex gentibus aſſumptus, & abolitis veteribus Sacramentis, quæ cruenta & operoſiora erant, noua & obſeruatu faciliora inſtituta ſunt. Oportebat enim in Chriſti ſanguine omnem veteris teſtamenti ſanguinem ſiſti, et ideo circunciſionem quoq; abolezi oportuit, cui Chriſtus Baptiſmum ſubſtituit, cuius idē omnino vſus eſt. Nam per hunc ceu teſſera quadam militari in eccleſia & militiæ Ieſu Chriſti conſortium aſcribimur, & à Iudæis & Turcis atq; reliquis aliarum ſuperſtitionū ſectatoribus ſecernimur: quod vt ad ordinem eccleſiæ ſeruandum facit, ita fidei quoq; profeſsionem continet, quam liberam & ingenuam eſſe decet. Deinde idē nos pollutos & peccati ſordibus inquinatos eſſe innuit, qui ablutione opus habeamus.
Rom. 6. Et quia in Chriſti mortem baptizamur (vt Paulus inquit) ablutionem illam in hoc vno nos habere docet. Adhæc obſignantur nobis in Baptiſmo omnes Dei promiſsiones, & idem infallibile eſt iuſtitiæ fidei ſigillum, ex quo in grauiſsimis conſcientiæ tentationibus argumenta ſolidæ conſolationis peti poſſunt, quòd nimirum nunquam eos abiecturus ſit Deus, qui per fidem Chriſto inſiti & illi iam pridem reconciliati ſunt. Simul autem officij noſtri admonemur, vt tanto tamq; pretioſo ſanguinis Chriſti lauacro abluti, in poſterum ſanctimoniæ ſtudeamus, & vt Chriſtus pro nobis mortuus ad vitam verè diuinam & cœleſtem reſurrexit: ita ipſi quoq; peccato prorſus moriamur, reſurgamus autem ad vitam nouam & Chriſtiana profeſsione dignam. Et hæc quidem de circunciſione & de Baptiſmo, qui illi ſucceſsit dicta ſint.

Chriſtus cur circunciſus ſit? Transeamus nunc ad Ieſu Chriſti circunciſionem, cuius cauſas imprimis inueſtigare oportet, vt ex his diſcamus, quis ex illa fructus ad nos redeat. Si enim quæ hucuſq; dicta ſunt cum illo conferamus, mox patebit, illum minimè opus habuiſſe vt circuncideretur. Quia enim filius Dei vnigenitus, adhæc abſq; peccato conceptus & natus eſt, nequaquam opus erat vt vel ſigno aliquo externo à reliquis dignoſceretur, vel emundationis alicuius & officij admoneretur, vel ſigillum aliquod iuſtitiæ aliunde acciperet, quod illum in fide erga Deum patrem confirmaret. Ergo ne (inquis) ſupernacanea cenſeri debet eius circuncisio? Vel num illam inſcius aut etiam inuitus accepit, qualia multa infantibus accidere ſolent? Nequaquam. Quàmuis enim quoad carnem infirmus infans factus fuit, idem tamen filius Dei erat æternus, æterna item patris ſapientia, & Verbum illud omnipotens, cuius virtute omnia condita ſunt & gubernantur. Quare huius circunciſionis cauſas non tam in illo quàm in nobis quærere oportet. Vt enim noſtræ ſalutis ergò in mundum venit, & homo factus eſt: ita propter nos etiam circuncidi voluit, eò quòd iſtud noſtræ ſalutis ratio poſtularet, & plurimùm faceret ad fidei noſtræ confirmationem.

1. Teſtimonium veræ humanitatis in Chriſto. Primò enim habemus hîc veræ humanitatis, quam ex Maria aſſumpſit teſtimonium, quod publicè editum voluit, vt ipſum & fratrem noſtrum eſſe, & eodem nobiſcum fœdere contineri conſtaret.

conſtaret. Scimus enim pro confœderatis rectè cenſeri, qui in ſigno fœderis legitimè recepto participant. Quia ergo Dei filius fœderis, quod nobiſcum inierat pater, ſignum in ſe recepit, ipſum quoq; fœderis illius ſocium, & proinde hominem verum factum eſſe, non poſſumus dubitare. Hanc ipſam ob cauſam idem poſtea baptizari voluit, & noui etiam fœderis ſigno obſtringi, vt ſe vtriuſq; teſtamenti Seruatorē eſſe doceret, cuius merito & veteres olim ſeruati ſint, & nos hodie ſeruari oporteat. Ideò illum ſcripturæ lapidem angularem dicunt, eò quòd vtrunq; populum Dei, veterem nimirum et nouum, quaſi duos muros, in idem eccleſiæ ædificium connectit: vt qui prius per ceremonias legales, vt maceriam aliquam, diuidebantur, nunc eiuſdem eccleſiæ membra & ſalutis eiuſdem hæredes ſint. Parit hoc dulciſſimam conſolationem, quia noſipſos in tentationibus quibuſcunq; ſuſtentemus. Quia enim fœderis eiuſdem ſocius nobiſcum eſt Chriſtus, imò frater noſter eſt, ad nos vtiq; pertinet vniuerſus meriti ipſius fructus, noſq; illius in regno patris cohæredes erimus.

2. Chriſtus Legi obnoxius factus.

Gal. 4.

Deinde quia qui circunciduntur, debitores ſunt totius Legis ſeruandæ, Chriſtum etiā circuncidi oportuit, vt Legi obnoxius fieret, et nos per illum à Legis maledictione liberaremur. Ita myſteriū hoc Paulus exponit ad Galatas ſcribens: Vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuū factum ex muliere, factum Legi obnoxiū, vt eos qui erant Legi obnoxij, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Nam nos quidem omnes ad Legis obſeruationem ex fœdere aſtringebamur: & quia illam præſtare impoſſiblle erat, omnes etiā ſententiæ illi horribili obnoxij fuimus, quæ maledictos pronuntiat quoſcunq;, qui Legi non in omnibus obtemperant. At quoniam ideo in mundum venerat Dei filius, vt maledictionem iſtam aboleret, ipſum prius Legi ſubijci oportuit, vt cauſam noſtrā poſſet ſuſcipere, noſq; ſuæ obedientiæ merito tueretur. Quo Paulus reſpiciens dicebat, nos iam non eſſe amplius ſub Lege, ſed ſub gratia. Rom. 6.
Nam etſi adhuc teneamur obedientiæ debito, maledictionem tamē Chriſtus ſuſtulit, & nos cum patre in gratiam reduxit. Quoties ergo Satan conſcientijs noſtris obijcit: Maledictus omnis, qui non fecerit quæcunq; ſcripta ſunt in libro Legis iſtius: mox tu arrepto fidei clypeo Chriſtum oppone, qui quod nobis præſtitu impoſſibile erat, confecit, & ſententiæ iſtius rigorem à noſtris ceruicibus depulit. Quòd ſi oggannias quadruplator ille: Quid verò ad te Chriſtus? Eſt hic æternus Dei filius, iuſtitia eſt, veritas & vita eſt: tu autem homo et mortalis, peccator, mendax et exitio obnoxius. Tunc rurſus ad Circuncìſionem illius recurrito, & ideo hanc illum recepiſſe cogita, vt ſe & hominem atq; fratrem tuum eſſe teſtaretur, & pro nobis Legi obnoxius fieret, noſq; ſuæ ſatiſfactionis merito ſeruaret. Hæc qui non oſcitanter expendunt, facilè vident, quàm profundus & inexhauſtus gratiæ theſaurus nobis in Chriſto reconditus ſit, cùm eius Circunciſio conſolationem tantam exhibeat, quæ ſola nobis aduerſus omne genus tentationum poteſt ſufficere.

3. Chriſtus Legis diſciplinam commendat.

Matth. 3.

Tertio Legis diſciplinam ſuo exemplo nobis Chriſtus commendat, ne illi colla noſtra ſubducamus inſolenter, quam ipſe tam obedienter ſubijt. Quod vt in omnibus Dei inſtitutis obſeruandū eſt; ita maximè ad Sacramenta referri debet, ne illorum vſum ceu inutilem aut ſuperuacaneum negligamus. Nam vt ante diximus, Circunciſione Chriſtus nequaquam opus habebat, neq; iſtud ignorabant Ioſephus & Maria, cùm vterq; ex Angeli relatione, ipſum æternum Dei filium & olim promiſſum humani generis redemptorē eſſe didiciſſent. Verumtamē nihil hi de eo diſputant, quod à Deo inſtitutum & veteri more in eccleſia receptum eſſe ſciebant: ipſe etiam nihil huius ſubire detrectat, vt æterno patris decreto ſeſe per omnia accōmodet. Quod ipſum poſtea in Baptiſmo factū eſſe audiemus. Cùm enim Ioannes diuina ſpiritus reuelatione edoctus illum Dei filium & Meſſiā eſſe intellexiſſet, & proinde baptiſmū ab ipſo petenti diceret: Mihi opus eſt vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Reſpondit ille: Omitte nunc, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Seruit ergo Chriſti exemplū confutandis omnibus, qui Sacramentorum vſum, vt ſuperuacaneū, negligunt, vel etiam impiè aſpernantur. Qua in re multùm & variè noſtro ſeculo peccatur. Quàm multos enim eſt videre, qui Baptiſmū, quo infantes ipſorum tingi et in eccleſiæ ſocietatē aſcribi debebant, diutius differunt, vt vel maiori cum faſtu & oſtentatione rem adminiſtrare, vel aliunde teſtes (quos Compatres & Commatres vulgò vocant) accerſere poſſint, quaſi nemo in tota loci illius eccleſia ſit, qui hoc officium ipſis præſtare queat. Produnt hi animos parū religioſos et iniquos nimiū Chriſtianæ ſocietatis æſtimatores. Maior tamen eſt Anabaptiſtarū audacia, qui ſub plauſibili religionis et pietatis prætextu Baptiſmū infantiū omnino damnant, & hos (quantū in ipſis eſt) ab eccleſia et ſalutis conſortio excludunt. Baptizandos enim eſſe negant, eò quòd myſterium ſalutis nondū intelligant, & fide nondū ſint prædıti. At non quid illi

intelligant, ſed quid Deus fieri velit, ſpectare oportebat. Neſciebant olim, quid in Circunciſione age retur infantes; iidem tamẽ circuncidebantur, eò quòd eos in fœdere ſuo comprahendiſſet Deus. Quid ergo prohibet, quò minus noſtri baptizentur, quos eodem fœdere contineri nemo negabit, niſi qui Chriſtum mendacij arguere velit? Clamant illi, nuſpiam mandatum hoc eſſe, vt paruulis baptiſmus detur. Fateor: at ſimul id ne prohibitum quidem eſſe dico, & Chriſti præceptum vrgemus, qui iubet, vt puerulos ad ſe adducamus, quia ad illos regnum cælorum pertineat. Quæ autem illos ad Chriſtũ deducendi ratio eſſe poteſt alia, quàm vt per Baptiſmum cooptentur in eccleſiam, quæ Chriſti corpus eſt? Hanc ergo nobis ſaluam eſſe ſinant phanatici illi turbatores, aut aliam monſtrent, qua infantes Chriſto coniungi poſſint. Id verò tum facient, quando mula pepererit. Quod verò illos à fide alienos dicunt, eo ſuam produnt confidentiam & impudentem quidius dicendi temeritatem, qua Chriſto con
Matth. 18. *tradicunt, qui paruulos in ſe credere teſtatur. Nam in Euangelio dicit: Quiſquis offenderit vnũ ex paruulis iſtis, qui in me credunt, etc. Quòd ſi fidei illorũ ratio noſtrum ſenſum & intellectũ ſuperat, num id illis fraudi eſſe debet & eccleſiæ, quam homines iſti maxima & nobiliſſima membrorũ ſuorũ parte ſpoliare tentant? Neminem ergo moueant illorũ ſophiſmata, quin potius ſanctorũ vtriuſq; teſtamenti exemplum omnes imitentur, quibus hoc potiſſimùm cordi fuit, vt ex ſe natos in eccleſiæ album adſcriptos viderent. Simul autem hîc eorum error confutatur, qui à communione Cœnæ Dominicæ in vniuerſum abſtinent, vel ſaltem ad illam rarius accedunt, quòd Dei gratiam & Chriſti meritum huic minimè alligari, et proinde eius vſum ſuperuacaneum eſſe putent. Fatemur equidẽ et nos gratiam Dei nullis externis rebus debere aſtringi: at ſimul neceſſariam eſſe dicimus obedientiã fidei, quam nos in ijs quoq; Deo præſtare decet, quæ carnis iudicio nullius omnino momenti eſſe videntur. Quia ergo Chriſtus cœnam ſuam, iam moriturus, magna cum authoritate in mortis ſuæ commemorationem inſtituit, & Corinthios olim lue punitos eſſe Paulus ſcribat, quod in eius vſu aliquid ex ſuo arbitrio mutauiſſent: nimiùm temerarij parumq; religioſi ſunt, qui illã in vniuerſum negligunt. Scimus equidem nonnullos ideo abſtinere, quòd ſe indignos eſſe vident, aut ſaltem conſcientia peccatorũ grauati ad illam accedere verentur. De his in præſenti nõ eſt ſermo, ſed illis, qui minus rectè Chriſti inſtituta æſtimant, quos nullæ rationes excuſare poſſunt. Alteros autẽ illos monemus, ne infirmitati ſuæ nimiùm indulgeant, ſed meminerint, Cœnã pro hominibus inſtitutã eſſe, quorũ infirmitates Deus non ignorat. Itaq; eius gratiã inuocent, et eius ſpe freti ſeſe eccleſiæ coniungant, neq; carebit fructu ſuo fides illa, ſed ex contemptis principijs in immenſum creſcet, ſicuti in ſinapis parabola Chriſtus docet.*

Ieſu nomen. *Reſtat poſtrema huius loci pars, qua inter circuncidendũ puerulo nomẽ Ieſu impoſitũ fuiſſe narratur quod ita ab Angelo vocatũ fuiſſe ſupra audiuimus, priuſquã in vtero virginis cõciperetur. Hunc enim veterẽ fuiſſe morẽ, vt cũ Circunciſione nomina quoq; propria infantes acciperẽt, dictũ eſt, qũ hiſtoriã nati Ioannis expoſuimus. Nouũ autẽ obedientiæ fidei exemplũ Ioſeph et Maria nobis exhibẽt, quando Angeli præcepto ſimpliciter obtẽperãt, et ne in illo quoq; Dei voluntatẽ tranſgrediũtur, q carnis iudicio indifferens videbatur. Quod ergo ſupra de Zacharia et Elizabethæ obediẽtia diximus, hîc etiã repeti et in memiẽ reuocari debet, ne qd nobis indulgeamus in ijs, de quibus certũ Dei mandatũ extat.*

Ieſus Seruatorem ſignificat. *Etſi verò de nomine Ieſu quædam in primo Cap. dicta ſint, nemini tamen graue videri debet, eadem hîc diligentius repetere, cùm & Angelus de eodem Ioſephum quoq; admonuerit, & huius præceptum in præſenti Lucas rurſum attingat. Et Ieſu quidem nomine Seruatorem ſignificari, ſatis iam notum eſt: at in eo nobis duo potiſſimùm obſeruanda ſunt. Primum, qualis Seruator ſit Chriſtus. Vt enim variæ hominum afflictiones & varia ſunt pericula: ita varios quoq; Seruatores eſſe conſtat, quorum alij ex morbis eripiunt, alij inopia laborantibus ſuccurrunt, alij ex ignominia liberant, alij in bellis aut quocunq; alio diſcrimine opem ferunt. Et in his quidem omnibus Chriſtus ſuos ſeruare poteſt, & non raro illis manum porrigit. Non tamen hoc propriũ eius officium eſt, neq; ſemper ad hunc modum ſeruat, cùm interdum vtilius ſit, nos diutius periclitari, vel etiam quoad corpus periculis eiuſmodi ſuccumbere. Quare Angelum interpretem audiamus, qui nominis iſtius rationem hanc*
Matth. 1. *reddit, quòd populum ſuum liberet à peccatis ipſorum. Et hæc vera hominis ſalus eſt, quia illis ſublatis, iram Dei & maledictionem ſimul auferri neceſſe eſt. Itaq; peccatorum remiſſionem in illo quærant, qui ſpe ſua fruſtrari nolunt: alioqui dum ſibi in illo opes, honores & huius ſeculi commoda pollicentur, ferè cum Iudæis impingunt, qui quòd Meſſiam regni terreni inſtauratorem ipſis fore putarent, qui euerſa Romanorum tyrannide antiquam libertatem & gloriam ipſis reſtitueret,*

Ieſum

Ieſum hunc pro illo agnoſcere non potuerunt; cùm eum nihil huius præ ſe ferre viderent. At non Ieſus ſolus Seruator eſt.
ſufficit Seruatorem agnoſcere, niſi hunc ſolum Seruatorem eſſe agnoſcamus, quod alterum huius co-
gnitionis caput eſt. Et hoc illud eſt, de quo hodie paſſim contenditur. Nam fatentur plerique Dei
filium, qui ex Maria virgine homo natus eſt, Seruatorem eſſe, ſed iidem ferè illo vno non contenti
ſunt, quin coniungunt ei Diuos & Diuas cælites, quibus in periculis vota nuncupant, & præcipuam
ſalutis fiduciam in illis collocatam habent. Semper ergo meminiſſe oportet eius, quod per Iſaiam il-
le proclamat: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Item quod Iſaie 42.
Samaritidi ait: Qui biberit ex aqua hac (elementali nimirum, ſub cuius typo omnia alia ſalutis præ Ioan. 4.
ſidia intelligit) ſitiet iterum: qui verò biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet in æternum. Obſer-
uarunt iſtud diligenter Apoſtoli, qui Chriſtum ſic prædicarunt, vt ipſi vni omnem humanæ ſalutis
gloriam tranſcripſerint. Hæc enim omnium communis vox eſt, quam in Senatu Hieroſolymica-
no proteſtati ſunt: Non eſt in alio quoquam ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo, quod datum Actor. 4.
ſit inter homines, per quod oporteat nos ſeruari. Paulus equidem, etſi raptus in tertium cælum in- 2. Cor. 12.
effabilia multa audiuiſſet, non veretur tamen publicè teſtari, ſe nihil nouiſſe aliud, quàm Ieſum 1. Cor. 2.
Chriſtum, pro nobis crucifixum. Turpiter ergo & perniciosè errant, qui gloriam, quæ vni Chriſto
debetur, in Diuos partiuntur, & non ſolum ſeipſos ſalute, quæ in hoc nobis offertur, ſpoliant, verum
etiam ſibiipſis impenſarum & laborum inutilium authores ſunt. Quia verò Chriſtus hic ſola fide
apprehenditur, hinc dogma illud ſuum duce ſpiritu ſancto Apoſtoli deriuarunt, hominem ſola fide
iuſtificari & ſeruari: in quo vniuerſa vtriuſque teſtamenti ſcriptura conſentit. Indignantur propter
hoc nobis hodie aduerſarij: at qui nos ſumus, qui vel Chriſto ſuum in regno patris ſui ius eripiamus,
vel nouam ſalutis in ipſo conſequendæ rationem ex nobis fingamus? Diſcant potius omnes Dei boni
tatem agnoſcere, qui Filium ſuum vnigenitum propter nos hominem & legi obnoxium fieri voluit;
& hunc fide conſtanti amplectamur, vt ſalutis per illius meritum acquiſitæ participes efficiamur.
Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XX.

Et cùm impleti fuiſſent dies purgationis eorum ſecundùm Legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymã, ut ſiſterent eum Domino (Prout ſcriptum eſt in Lege Domini. Omnis maſculus, qui aperit uterum, ſanctus Domino uocabitur) & ut darent oblationẽ, ſecundùm id quod dictum eſt in Lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarum.

QVoniam Deus Filium ſuum æternum et vnigenitum æterno ſuo conſilio prædeſtinauit, vt hu-
mani generis vindex eſſet, eundem nobis ſimilem fieri, & noſtram conditionem in ſe recipere
neceſſe fuit, vt ita noſtram cauſam ſuſcipiendi & nos vindicandi ius obtineret. Ideo Legi obnoxium
fieri oportebat, vt nos qui huius maledictioni obnoxij eramus, liberaret. Et ad hoc illi Circunciſio-
nem imprimis ſeruiuiſſe, nuper diximus. Quia tamen hoc ad probandam ſalutis noſtræ certitudinem
imprimis faciebat, non ſolùm circuncidi voluit, verumetiam alia in ſe recepit, quæ in Lege præſcri-
buntur, ne quid obedientiæ, quam noſtrûm omnium nomine præſtare debebat, deeſſet. Itaque in præ-
ſenti de duobus agit Lucas, quibus ſeſe ex legis præſcripto ſubiecit, quorum vtrunque multa continet
cognitu & obſeruatu neceſſaria, & ideo locum iſtum propius inſpexiſſe, non inutile fuerit. Et quia
vtrunque Lucas ita connectit, vt ad primum poſtea demum redeat, cùm ſecundum abſoluit; nos per-
ſpicuitatis ergò de ſingulis ſeorſim dicemus.

Ad primum pertinent hæc verba: Et cùm impleti fuiſſent dies purgationis eorum ſecundùm le- Ritus purgationis puerperarum.
gem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam, vt darent oblationem ſecundùm id quod dictum eſt in
lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Agitur ergo hic de purificatione aut pur
gatione, qua puerperæ ſecundùm Legem expiabantur, priuſquam ad hominum conſuetudinem & ec
cleſiæ atque ſacrorum ſocietatem admitterentur. Extat Lex iſta in libro Leuitici ad hunc modũ: Mu Leuit. 12.
lier, ſi ſuſcepto ſemine conceperit, & pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, ſecundùm dies
ſeparationis morbi ſui immunda erit. Porro die octauo circuncidetur caro præputij eius, maſculi ſci-
licet. Ipſa autem triginta tribus diebus ſedebit in ſanguine purificationis; nullam rem ſacrã tanget,

& ad ſanctuarium non veniet, donec completi fuerint dies purificationis ſuæ. Quòd ſi fœminã pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus ſecundùm ſeparationem ſuam, et ſexaginta ſex diebus ſedebit in ſanguine purificationis ſuæ. Poſtquam autem impleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio aut pro filia, afferet agnum anniculum in holocauſtum, et pullum columbæ aut turturem in oblationem pro peccato ad oſtium tabernaculi eccleſiæ, ad ſacerdotem. Et offeret ipſum coram Domino, & mundabitur à vena ſanguinis ſui. Hæc eſt Lex parientis maſculum vel fœminam. Quòd ſi non inuenerit manus eius, vt poſsit offerre agnum, tunc accipiet duos turtures, aut duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & alterum in oblationem pro peccato, expiabitq; eam ſacerdos, & mundabitur. Iſtis ſi Lucæ narrationem conferamus, Mariam diligenter præſtitiſſe patebit, quod Lex Domini requirebat.

Errores & ſuperſtitiones ex puerperarum purgatione exortæ.

Eſt autem nobis diligenter verſandum in huius facti conſideratione, eò quòd illo Satan inſidioſè nimis abuſus eſt ad inuehendum errores turpiſsimos & omnis generis ſuperſtitiones, quibus vera Chriſti & ſalutis noſtræ ratio obſcuratur. Nam primò coniugij dignitatem hoc argumento oppugnauit, vt multi huius vſum per ſe immundum & illicitum putarent, quum mulierem à partu pro immunda cenſeri, & proinde ſingulari purgatione opus habere audirent. Quã ſententiam olim ſecuti ſunt Manichai, Adamiani, Hierarchitæ, et qui veteribus Apoſtolici dicti ſunt. Et hodie non multùm ab illis diſſentiunt Papiſtæ, qui coniugij vſu interdicunt Eccleſiæ miniſtris quòd in carne eos viuere ſentiant, qui illo vtuntur. At vehementer illos errare ex eo apparet, quòd ſcriptura coniugij authorem facit Deum, et eadem torum coniugalem ſanctum et impollutũ eſſe docet, nimirum quòd libidinis affectus, plerunq; vitioſus, propter Dei inſtitutũ non imputetur. Quæ igitur ratio fuerit, aliquem eo pollui & inquinari, quod per ſe ſanctum & impollutum eſt? Impuri potius et prophani, imò dæmoniorum miniſtri (vt Paulus monet) cenſeri debent, qui coniugij vſum non

1.Tim. 4.

minus neceſſarium quàm ſanctum inter res prophanas numerare audent. At non hunc ſolùm errorem Satan inuexit, ſed vt ſimul Dei quoq; cultum corrumperet, feſtum diem indixit, quo facti huius memoriam aliqui conſeruare voluerunt, reuera autem ſuperſtitionibus ineptiſsimis omne, quod hîc conſiderandum venit, myſterium obſcurarunt. Nam nulla prorſus eius mentione facta, ad templum omnes concurſant, & eò candelas cereas deferunt, quas vbi ſacrificulus conſecrauit accendunt, & ex earum fulgore ſibi omnia fauſta pollicentur. Imò iiſdem in poſterum quoq; vim quandã diuinam ineſſe credunt ad ſedandum tempeſtates & arcendum dæmones et cuiuſcunq; generis ſpectra. Ea deniq; tunc in templis rerum facies cernitur, vt Cereris potius ſacra quam Ieſu Chriſti memoriam celebrari meritò putes. Et quaſi non ſatis eſſet ſimul omnes publicè inſanire, priuatim ad puerperas ſuperſtitio peruaſit. Has enim à dæmonibus & impuris ſpiritibus infeſtari, & tantum non in diaboli poteſtate eſſe dixerunt. Itaq; varias commenti ſunt expiationes, quibus primò quidem domi vterentur, poſtea verò in publicis etiã ſacris priſtinæ libertati reſtituerentur. Sunt hæc omnia à religionis Chriſtianæ puritate alieniſsima, et miſeris mulierculis conſolationem illam dulciſsimam abſtulerunt, qua

1.Tim.2.

Paulus illas confirmat, quando eas inter liberorum generationem ſeruari ait, ſi in fide & charitate, in ſanctificatione item cum modeſtia perſeuerent. Quia ergo ſuperſtitiones iſtæ & errores ex κακοζηλείᾳ emerſerunt, quando huius exempli ratio minus obſeruata eſt, neceſſe omnino fuerit diligentius inſpicere, quid ſibi iſta Lege de purgandis puerperis Deus voluerit, & cur Maria quoq; eidem ſeſe cum ſuo filio, Chriſto Ieſu, ſubiecerit.

Omnes naſcuntur in peccatis, & natura polluti ſunt.

Quoad Legem & ritum illum ſub Moſaico cultu obſeruatum, primò miſerabilis & omnibus modis corrupta hominum conditio adumbratur, quòd nimirũ omnes, qui ex Adamo deſcendunt, in peccatis concipi & naſci ſoleant, & proinde natura peccatores, atq; propter peccatũ morti obnoxij ſint, quibus expiatione et purgatione opus ſit. Sufficit ergo hæc vnica ceremonia omnibus iis confutandis, qui originale peccatum vel omnino negant, vel extenuant. Si enim mulierem, quæ concepto viri ſemine prolem peperit, peculiari purgatione oportuit expiari, negari non poteſt, & ipſam ex conceptu illo atq; partu nouam immunditiem ſibi contraxiſſe, & infantem ex ipſo matris vtero pollutum & infectũ prodire. Vnde verò iſta immundities? Num ex coniugio et eius legitimo vſu? Nequaquam. Quia enim illud (vt ſupra diximus) ſanctum, & torus coniugũ ex Dei inſtitutione impollutus eſt, nemo illis poteſt inquinari. Ergo immunditiei cauſa eſt, quòd ex eius ſemine fœtus ille concipiatur, qui natura peccator & proprius prauitatis illius hæres eſt, quam ex Adamo in omnem poſteritatem

derivarĩ

deriuari conſtat. Vnde apparet originale peccatum non ſolùm alienæ tranſgreſſionis imputationem eſſe, qua nos immerentes grauemur: ſed naturæ vitioſitatem, quæ nobis ipſis ex vtero matris inſita eſt, & cuius vis ſit tanta, vt ipſum quoque coniugij vſum, per ſe ſanctum & conceſſum, inficiat. At quid de coniugio dico, quando ipſam Dei Legem, qua nihil ſanctius, iuſtius & melius excogitari poteſt, nobis noxiam reddit. Nam peccatum (inquit Paulus, de originali illo loquens) per præceptum occaſione ſumpta, genuit in me omnem concupiſcentiam, imò decepit me & per præceptum illud occidit. Quia enim in vetitum nitimur natura, præceptis diuinæ Legis cupiditates prauæ irritantur, vt ardentiores fiant, noſq; ad illicita fortius abripiant. Quod cùm pauci in ſemetipſis obſeruent, non verbis ſolùm nos de hac noſtræ naturæ deprauatione admoneri, ſed eandem aliqua ceremonia viſibili ob oculos poni oportuit, vt conditionis noſtræ memores humiliemur in Dei conſpectu, omnes autem carnis noſtræ cogitationes & conſilia ſuſpecta habeamus, & illi coercendæ ſedulò incumbamus. Et hic primus purgationis iſtius, qua puerperas expiari olim oportebat, vſus fuit.

Rom. 7.

Ritus purgationis puerperas ad Chriſtũ remittebat.

Deinde vt in alijs ferè ſacrificijs fieri conſueuerat, ita hic quoque vnà cum morbo remedium ſimul monſtrabatur. Quia enim puerpera agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ in oblationem pro peccato adducere iubetur, non obſcurè eam ſpiritus ſanctus ad Chriſtum remittebat, quem agnis illis & omnibus ferè ſacrificijs legalibus olim figuratum fuiſſe ſatis conſtat, & vel Ioannis teſtimonio abunde probatur, qui digito in Chriſtum extenſo dixit: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Mundi peccatum dicit, vt omnia comprehendat, quæ ſub peccati cenſum veniunt, inter quæ innatam & hæreditariam naturæ noſtræ prauitatem primo quaſi loco numerare oportet, cùm ex ea reliquæ iniquitates omnes protuberent. At hanc quoque per Chriſtum emundari, ne nobis porrò imputetur aut noceat, Zacharias diſertè docet, quando de eius morte & piorum ad hunc conuerſione vaticinatus mox ſubijcit: In die illo aperietur fons, ſiue ſcaturigo perennis, domui Dauid & habitatoribus Hieroſolymæ ad peccatum & ad menſtruam immunditiem. Vocat autem immunditiem menſtruam, hæreditariam illam vitioſitatem, quæ per illam propriiſſimè adumbratur, cùm nobis cognata & naturalis ſit, & in nobis perdendis effectus habeat vehementiſſimos. Ad hunc ergo fontem remittebantur puerperæ, vt conſolationem acciperent, quæ dolorem ex diutina ſeparatione conceptum leniret, & ſe cum ſua prole apud Deum in gratiam receptas eſſe certò ſperare poſſent. Et huc Dauid etiam reſpexiſſe videtur, qui cùm ſe in iniquitate conceptum & in peccato formatum eſſe conqueſtus eſſet, mox ad Deum clamat: Expia me hyſſopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior. Item: Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.

Zach. 13.

Pſal. 51.

Puerperæ admonebãtur ſui officij.

Præterea cùm in iſta purgatione columbæ aut turtures adhiberi iuberentur, ſimul officij ſui admonebantur mulieres. Scimus enim iſtas aues coniugio certo delectari & eius fideliſſimas eſſe cuſtodes, cùm neque cum alieno compare miſceantur, & ſimul excludendis atque educandis pullis mutuam operam ſibi inuicem præbeant. Quæ cauſa eſt, quòd apud gentes quoque prophanas fidei coniugalis ſymbolum & typus ſemper fuerint. Voluit ergo hoc ſacrificio ſpiritus ſanctus innuere, mulieres non omni erga viros ſuos officio defunctas neque vinculo coniugij ſolutas eſſe, ſi ſemel aut iterum, imò quàm ſæpiſſimè fieri poteſt, pepererint: ſed debere illas ad officium redire, fidem coniugibus inuiolatam ſeruare, liberos educare, domus ſuæ curam gerere, neque vllam ſubterfugere moleſtiam, quæ in iſtis rebus eſt ſubeunda. Turpe enim fuerit homines à brutis animantibus ſuperari in ijs officijs, ad quæ per Legem naturæ aſtringimur. Hæc (inquam) ſunt, quæ Deus veterem populum purgatione iſta puerperarum docere voluit. Ea autem hodie minimè opus eſt, imò eam reducere nefas eſt, quando in Chriſti ſanguine omnis veteris Teſtamenti ſanguis ſiſti debuit, quod in illius morte facta veli ſciſſio apertè declarauit. Multò minus ergo audiantur, qui nouas expiationes fingunt, quibus (vt diximus) & coniugij dignitas euertitur, & fides mulierum tunc labefactatur, quando conſolatione & confirmatione imprimis opus eſt. Interim in eorum obſeruatione diligentes ſint Chriſtianæ fœminæ, quæ ritu illo veteri fuerunt adumbrata. Agnoſcant naturæ communis deprauationem, & proinde nulla propriæ ſanctitatis aut iuſtitiæ fiducia efferantur. Non deſperent autem de gratia Dei, ſed in Chriſto ſpem ſalutis firmam certamq; habeant, & eius merito ſe purgatas & ab omni immunditie expiatas tutum ad thronum gratiæ aditum habere credant. Ea autem ſpe plenæ ad officium redeant, & in ſeruanda fide coniugali diligentes, in domus adminiſtratione ſta-

dulæ, in liberorum educatione patientes, & quoad totius vitæ conſuetudinem modeſtæ, probæ & ſanctæ ſint. His ſtudijs & Deo probabuntur, & eccleſiæ eius membra ſe eſſe probabunt non pœnitenda.

Maria cur huic legi ſe ſubiecerit.

Accedamus nunc ad Mariæ factum, quæ & ſeipſam & filium ſuum ceremoniæ iſti ſubijcere voluit, neque quò minus id faceret à ſpiritu prohibetur. Nam ſiue Mariam ſpectes, ſiue Chriſtum ex ea natū, purificatione nequaquam opus fuiſſe videbis. Lex enim diſertè de muliere loquitur, quæ ſuſcepto ſemine ex viri congreſſu concepit. Atqui illam ex ſpiritu ſancto concepiſſe audiuimus, quia ſua virtute eam obumbrauit, vt illæſa virginitate ſua mater fieret. Similiter Chriſtus homo quidem natus erat, ſed non in corrupta Adami imagine natus erat, neque in eo locum habuit, quæ nobiſcum naſcitur, naturæ vitioſitas, ideoq́ Sanctus ille ſanctorum veriſſimè dicitur, in quo dolus nullus vnquam inuentus eſt. Poterat etiam facilè obſtare, ne quid huius Virgo mater faceret. Voluit autem iſtud fieri, vt in hac quidem obedientiæ exemplum nobis proponeret, cuius tantum apud nos ſtudium eſſe debet, vt ne in licitis quidem noſtrum ius cum aliorum ſcandalo pertinacius & rigidius perſequamur: in ſeipſo autem argumentum nouum præbet, quo ſalutis noſtræ fiducia magis confirmetur. Nam etſi ab omni peccati labe alieniſſimus ſit, nobis tamen accenſeri vult, neque illum pudet noſtræ corruptionis perſonam in totius mundi conſpectu ſuſcipere, & iam recens natum cum iniquis reputari, vt nos ſuo merito purget & noſtram immunditiem expiet. Ideo Lucas diſertè ſcripſit, Cùm impleti fuiſſent dies purgationis eorum, Mariæ ſcilicet & Chriſti. Nam etſi illa ceremonia ad ſolam matrem pertinere videretur, non obſcurè tamen de infantis quoque immunditie teſtabatur, cuius indicium prius in Circumciſione extabat. Continet ergo hæc Mariæ purificatio eximiam conſolationem, quando Chriſtum ad nos pertinere docet, & eius meritum nobis applicando, in eo fontem illum nobis quaſi digito monſtrat, quem Deus aperuit, vt nos ab omni peccato & menſtrua immunditie abluat, ſicuti ex Zacharia nuper annotauimus. Hunc ergo opponamus ſatanæ ſuggeſtionibus, quibus innatam immunditiem objicit vt nos à regno Dei excluſos eſſe euincat. Quia enim illam in ſe tranſtulit Chriſtus & eandem ſui ſanguinis merito expiauit, illa nobis porrò imputari non poteſt. Interim in hoc vno nos acquieſcere decet, neque eos audire, qui nobis nouas purificationes extra Chriſtum fingunt. Fatigant illi hominum conſcientias, & ipſis quoque corporibus nouos quotidie labores atque moleſtias exhibent, nihil autem conferunt miſeris, quando inutile, imò noxium & pernicioſum eſt, quicquid ſine Chriſto inſtituitur.

Maria oblationem pauperum offert.

Sed pergamus in hiſtoria, qua narratur quid in purificatione iſta Virgo mater obtulerit. Nulla autem fit agni mentio, quem ditiores offerre iubebantur, ſed pullorum columbæ & turturum modò Lucas meminit, quos debebant ex Lege, quorum fortuna erant tenuiores. Erat autem hoc præclarum bonitatis Dei argumentum, qui pauperum tam diligentem rationē habuit, ne propter egeſtatem à ſacris communibus excluſi, ab eccleſiæ etiam & ſalutis communione ſe excluſos & reiectos putarent. Pertinent eodem præcepta, quibus grauiter monet, vt in feſtis ſolennibus, quando publicè epulabantur, pauperum & peregrinorum meminerint, & ſuas illis partes decidant, vt etiam hi communis iſtius & ſanctæ lætitiæ conſortes efficiantur. Quid, quòd Chriſtus tenuiora pauperum donaria maximis diuitum muneribus præfert, vt in viduæ exemplo apud Marcum docemur? Soletur hoc egenos omnes, & quoties propter tenuitatem ſuam ſeſe tentari ſentiunt, cogitent ſe in Baptiſmo & Cœna myſtica nihil minus quàm ditiſſimos Crœſos accipere, & regni cælorum theſauros, quos per Euangelium nobis Deus offert, ad ipſos etiam pertinere, ſi quidem eos cū fide apprehendant. Rurſus autem Chriſti paupertas nobis ob oculos ſtatuitur. Qui enim Bethlehemi in miſero tugurio natus & primas cunas in præſepi habuit, eius mater nunc in publico etiam ſacro ſuam egeſtatem profitetur. Idem poſtea non habuit, quò caput ſuum reclinaret. Vbi nos meminiſſe oportet, iſtud quoq́ ad redemptionis noſtræ cauſam pertinere. Debuit enim inter alias peccati pœnas inopiam quoq́ ſubire Dei filius, vt nobis ad opum cæleſtium poſſeſſionem aditum faceret. Simul autem egeſtatem (vt alibi diximus) ſuo exemplo conſecrat, ne credentibus in ipſum porrò peccati pœna, ſed ſalutare fidei & patientiæ exercitium ſit, in quo veras diuitias inueniant. Nondum ergo Chriſtum rectè agnouerūt, quos adhuc inopiæ pudet, & hanc extremum omnium malorum eſſe iudicant. Eſt hæc maximorum ſcelerum cauſa: nam vt illam effugiant, ad dolos, impoſturas, mendacia, furta, rapinas, cædes, periuria & quæuis alia flagitia ſeſe conferunt, & quos pudet cum Chriſto paupertatis onus ſuſcipere, eos

*non pudet diabolo militare, vt iniquo Mammone abundent. Nemo tamen hoc exemplo mendicita-
tem doceri, aut monachorum hypocriſim ſtabiliri putet, qui dum voluntariam paupertatem profiten
tur, reuera ditiſſimi ſunt, & rerum ſecuri ex alieno viuunt. Pauper quidem Chriſtus fuit, ſed men-
dicus oſtiatim victum quæritans nõ fuit, neque impudenter quoſuis obuios compellauit. Sciebat enim
iſtud diuina Lege prohiberi, neque id immerito: quando conſtat mendicitatẽ bonis moribus inimicam* Deut. 15.
*eſſe, & eadem omnem diſciplinam cùm eccleſiaſticam tum politicam turbari. Paupertatem quoque
non ipſe ſibi accerſiuit voto temerario aut hypocritico, ſed patris vocationi paruit. Nihil ergo faciũt
hypocritæ illi, quàm quòd ex Chriſti exemplo ſibi ludos fingunt, & huius gloriam in ſe transferunt,
dum ſibi venditant quod illius merito debetur. Chriſtianorum hominum eſt ſuam vocationem ſequi,
& in quouis vitæ genere Deo ſeruire, fortunam quoque omnem patienter ferre, vt cum Paulo quiſ-* Phil. 4.
*que dicere poſſit: Didici in quibus ſum, ijs ipſis contentus eſſe: noui deprimi, noui abundare, vbique
& in omnibus initiatus ſum, & ad ſaturitatem & ad eſuritionem, cùm ad abundantiam tum ad in-
opiam. Itaque ſi diuitiæ affluant, ne apponant illis cor, ſed bonis operibus ſimiliter abundent & be-
neficentiæ ſtudeant: ſi inopia premantur, patienter ferant & hanc & quæ ei coniuncta ſunt vi-
tæ incommoda.*

Videamus nunc alterum, quod Maria & Ioſeph in præſenti fecêre. Adduxerunt Ieſum Hiero- Chriſtus ſecun-
ſolymam, vt ſiſterent eum Domino. Et vt hoc quoque ex Legis præſcripto factum eſſe conſtaret, ad- dum legem ſiſti-
dit Lucas: Prout ſcriptum eſt in Lege Domini, Omnis maſculus, qui aperit vterum, ſanctus Domi- tur Domino.
*no vocabitur. Obſeruandum eſt autem in iſta commemoratione tertiò Legis diuinæ mentionem fieri,
qua diligentia, ſuperflua quodammodo, ſpiritus ſanctus Lucam vti voluit, vt ſatis exprimeret, Ma-
riam, etſi tunc humanæ traditiones regnarent, omnia tamen ſecũdùm Legem Dei feciſſe. Eſt igitur
hoc præclarum argumentũ pietatis & ſanctæ obedientiæ, quam præſtare debent quàm diligentiſſimè
qui cultũ ſuum Deo probari volunt. Neq; enim nobis licet vel Deum vel cultum eius ex noſtro arbi
trio fingere. Et notum eſt illud dictum: Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum. Porro Lex,
quã in præſenti Euangeliſta adducit, apud Moſem habetur. Nam Exodi 13. cap. ait Dominus: Con
ſecra mihi omne primogenitum, apertionem ſcilicet omnis vteri (id eſt omne quod primũ naſcitur, &
naſcendo verũ aperit) in filijs Iſrael, tam in homine quàm in iumento. Et in lib. Num. præcepti huius* Num. 8.
*cauſam exprimit, dicens: Meũ eſt omne primogenitũ filiorũ Iſrael, tam in hominibus quàm in iumen
tis, à die quo percuſſi omne primogenitũ in terra Ægypti, conſecraui eos mihi. Iure ergo ſibi vendita-
bat Deus illos, quos peculiari beneficio vnà cũ tota gente ſeruauerat. Quia verò loco primogenitorũ
omnium, qui in duodecim tribubus Iſraelis naſcebantur inter homines, Leuitas omnes ſibi ſelegerat,
alteri illi ſiſtebantur quidẽ Domino, ſed redimebantur ſimul certo numerato pretio, quinq; nimirum* Num. 18.
*ſiclis ſanctuarij, qui ſacerdotibus cedebant. Erat ergo huius quoque ceremoniæ vſus non contemnen
dus. Nam in mentem reuocabat beneficium, olim patribus in Ægypto exhibitum, quod ſimul vni-
uerſum noſtræ redemptionis myſterium adumbrabat. Conſtat enim omnes nos ſub Angelo vaſtato-
re periclitatos fuiſſe, imò perituros fuiſſe quoad corpus & animam, niſi Chriſtus paſcha noſtrum (vt
Paulus ait) pro nobis immolatus eſſet, & ſui ſanguinis pretio diabolum à nobis profligaſſet. Itaque* 1. Corinth. 5.
*quoties primogenitos ſuos Domino ſiſtebant, toties & veteris beneficij admonebantur, & in fide re-
demptionis futuræ confirmabantur. Adhæc officij ſui illos Deus admonebat, vt nimirum pretioſiſſi-
ma quæque ſibi conſecrarent, & quidem liberos imprimis. Etſi enim non omnes ad ſacerdotium ad-
mitterentur, omnes tamen in vera Dei cognitione inſtitui debebant, vt huic ſeruire poſſent in ea vo-
catione, ad quam poſtea deſtinabantur. Debent huc referri, quæcunque de liberorum educatione &
inſtitutione tradit Dominus, qualia ſunt quæ Exod. 13. Deut. 6. Pſal. 78. leguntur. Vt ergo Ma-
ria huic Legi de ſiſtendis Deo primogenitis piè & rectè obtemperat: ita quàmuis illius ceremonia
externa cum reliquis in Chriſto abolita ſit, manet tamen præceptum, quo hodie etiam aſtringimur,
vt ex nobis natos Deo conſecremus, qui illos dedit. Etenim fruſtra Dei amorem & veri cultus ſtu
dium profitentur, qui non curant qua poſſunt diligentia, vt illius cognitio atque cultus apud poſte-
ros quoq; conſeruetur. Fuerunt in hoc feruentes admodum, quotquot veræ pietatis nomine in ſcri-
pturis commendantur, & hoc ipſum in Abrahamo Deus potiſſimùm prædicat. Num celabo Abra-* Gen. 18.
mum (inquit) quæ ego facturus ſum? Scio quòd mandaturus ſit filijs ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cu

ſtodiant viam Domini, &c. Sed ô infelicem parentum noſtri ſeculi incuriam, quam cùm deplorare facilius ſit quàm emendare, nihil quàm Cyclopicum omnis religionis contemptum breui oriturum ſperare poſſumus, quem infelix omnium rerum euerſio tandem ſequetur.

Chriſtus primogenitus.

Porro facit hæc quoque Ceremonia ad commendandam Ieſu Chriſti dignitatem. Sic enim rurſus indicatur, hunc eſſe verum illum primogenitum inter multos fratres (vt Paulus loquitur) cui ſoli regnum & ſacerdotium inter Dei filios debeatur. Iſtum ergo omnes audire & obſeruare debent, quotquot in numero filiorum Dei & horum eccleſia cenſeri volunt. Excitet nos hîc, quòd ita primogenitus Mariæ virginis factus eſt, vt ſimul omnium in ſe credentium natales ſanctificaris, & nobis omnibus primogenituræ dignitatem meruerit. Ideo enim hîc Patri ſiſtitur, & poſtea eidem in ara crucis offertur, vt in ſeipſo nos omnes ſanctificet: vt nimirum Reges & ſacerdotes ſimus Dei altiſſimi, qui & noſipſos huic viuentem hoſtiam ſiſtimus, & mundo atque principe eius ſuperiores facti in illo triumphamus. Et hæc quidem huius loci hiſtoria nobis conſideranda proponit, quæ primo intuitu nihil præter Iudaicos & iampridem abolitos ritus continere videbatur. Agnoſcamus igitur profunditatem diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ, quæ nobis in Chriſto Ieſu proponitur, & huic vni fidamus atque ſeruiamus fide conſtanti & charitate non fucata. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXI.

Et ecce quidam erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon: eratq; homo iſte iuſtus & religioſus, expectans conſolationem Iſraelis: & ſpiritus ſanctus erat ſuper eum: fueratq; ipſi diuinitus nuntiatum à ſpiritu ſancto, ipſum non uiſurum mortem, priuſquam uidiſſet Chriſtum illum Domini. Is uenit duce ſpiritu in templum: & cùm introducerent puerulum Ieſum parentes, ut ſecundùm Legis conſuetudinem de illo facerent, tunc ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deo, ac dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm uerbum tuum, in pace. Quia uiderunt oculi mei ſalutem tuam, quam paraſti in conſpectu omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Iſraelis.

Non defuerunt qui Chriſtũ agnoſcerent.

VT Lucas euangeliſta incarnationem & natiuitatem filij Dei, cum omnibus quæ in hac acciderunt, diligenter deſcripſit: ita non minori ſtudio narrat, vt idem ille mundo manifeſtatus ſit, & quòd non defuerint, qui illum recens ex Virgine natum agnouerint pro Meßia & promiſſo humani generis redemptore. Fuerunt hîc primi paſtores, quibus Angeli rem omnem denuntiarunt. His proximi ſucceſſerunt Magi Orientales, quos ſtella duce in Iudæam ad quærendum Chriſtũ veniſſe Matthæus ſcribit. Sequuntur nunc ex Hieroſolymitanis ciuibus ſenex Simeon & Anna vidua, qui illum in templo, cùm ſecundùm Legem Domino ſiſteretur, ex peculiari ſpiritus afflatu agnouêre, & eidem teſtimonium dederunt publicum. Vbi ante omnia obſeruari debet, non defuiſſe in Iudæorum gente corruptiſſima reliquias piorum, quos Deus ex peculiari gratia illo tempore ſeruauit, vt eccleſiæ ſuæ ſeminariũ eſſent. Extant de his non pauca prophetarum veterũ vaticinia, quibus hîc ſua fides aſtruitur. Simul autẽ obſeruabis, illos ferè fuiſſe homines obſcuros et nullius apud mundum authoritatis. Seruiunt iſta non parum conſolationi noſtræ, ne de eccleſiæ inſtauratione deſperemus, ſi quando res ad extremum deueniſſe videtur. Nouit enim ſuos Dominus, & eos in medio luporum, quantumuis pauculos ſeruare poteſt. Docent item exempla iſta, fidem & religionem nequaquam ex hominum ſplendore æſtimari debere. Solet enim humiles & qui mundi iudicio pro ſtultis habentur, deligere Deus; vt mundi faſtum atq; ſapientiam confundat, & vt conſtet regnum Chriſti non terrenũ eſſe, & proinde in illo cæleſtia ſolùm & æterna bona quæri debere. Cæterũ in præſenti Simeonis hiſtoria narratur, quæ multa continet obſeruatu digniſſima. Docet enim, quales eſſe cõueniat, qui ſalutis in Chriſto exhibitæ participes fieri cupiunt: quis item ille ſit, quidq; ex illo nos ſperare liceat.

Commo-

Commodùm verò à perſonæ deſcriptione narrationem iſtam Euangeliſta orditur, præmiſſa de- Simeonis deſcriptio.
monſtrandi particula, quæ omnes ad diligentiorem rei totius conſiderationem excitat. Ecce (inquit)
erat quidam Hieroſolymæ, cui nomen Simeon, eratq́ homo iſte iuſtus & religioſus, expectans conſo-
lationem Iſraelis, & ſpiritus ſanctus erat ſuper eum. Hieroſolymæ eum habitauiſſe ait, quæ etſi ob ve
terem religionis & diuini cultus ſedem celeberrima eſſet, illo tamen tempore ſentina quædam ſcele-
rum & ſchola hæreſum cenſeri poterat, eò quòd illic Herodes regnaret, ſacris autem dominarentur
phariſæi, qui hominum traditionibus ad hypocriſim & quæſtum compoſitis doctrinam ſimul atq; cul-
tum Dei iampridē corruperant. Nihil ergo obſtare poteſt, quò minus ſpiret ſpiritus ſanctus vbicūq;
vult, & illic quoque vim ſuam exerat, vbi inuictis repagulis concluſus eſſe videtur. Sed qualis nam
Simeon iſte fuerit, videamus. Primò iuſtum & religioſum, id eſt, Dei timentem cultuſq; diuini ſtu- Iuſtus & religioſus.
dioſum fuiſſe dicit. Comprehendit duobus hiſce epithetis, quæcunq; ad vitam rectè inſtituendam ne-
ceſſaria ſunt.] Nam duabus Decalogi tabulis illa reſpondent, & religio quidem veri Dei cognitio-
nem, timorem, cultum & obedientiam continet: iuſtitiæ autem vocabulo denotantur quæcunq; pro-
ximo debemus officia. Non autem hoc temere fieri putemus, quòd ab his Simeonē iſtum ſpiritus ſan
ctus commendat, non autem vllam facit eorum mentionem, quæ mundus hic admirari & commen-
datione imprimis digna putare ſolet: qualia ſunt generis ſplēdor imaginarius, publici honores, trium-
phi, opes & ſexcenta alia, in quibus homines carnis iudicio & deſiderijs dediti omnem felicitatem col
locant. Ita verò docet, quæ vera laus ſit, et vnde nominis aut gloriæ veræ perpetuitas ſperari debeat.
Friuola & caduca ſunt, quæcunque mundus hic ſuſpicit. Omnis caro fœnum (clamat propheta) & Iſa. 40.
omnis gloria carnis flos agri. Et vt apoſtolus ait, tranſit mundus hic & quicquid in illo deſiderabile 1. Ioan. 2.
eſt. Æternum autem manent iuſtitia atq; religio, & proinde nomen quoque æternum ſuis pariunt cul
toribus. Intercidunt quidem inter homines interdum hominum iuſtorum atq; piorum nomina, ſed ea
dem (vt Chriſtus ait) in cœlis aſcripta ſunt, & olim in Chriſti aduentu aperientur libri, vt tum eo- Luc. 10.
dem promiſſa beatitudinis æternæ præmia recipiant. At obſeruatu imprimis dignum eſt, quòd iu-
ſtitiam cum religione coniungit Lucas: eo enim docet nos ſpiritus ſanctus, virtutes iſtas ſic inter ſe
connexas eſſe, vt neutra illarum abſque altera conſiſtere poſſit. Qui enim iuſtitiam colunt, Deū non
poſſunt negligere, cui timorem & obedientiam deberi, communi ſenſu docemur. Similiter qui religio-
nis ſenſu ſerio tanguntur, ijdem in Deo omnes homines amore digno complectuntur, neq; propter res
huius ſeculi, quas breui perituras eſſe norunt, iura publica & concordiam turbant, quibus Deus
quàm maximè delectatur. Arguit hoc eos, qui ciuili quadam iuſtitia ſeſe venditant, religionem ve-
rò prorſus negligunt, imò eius curam nihil ad ſe pertinere putant. Merentur iſti inter homines iuſti-
tiæ laudem, ſed ſi rem ipſam ſpectemus, illos non iuſtitiæ cultores eſſe patebit, ſed hoc agere, vt com-
modius viuant, quando conſtat neque pacem nobis conſiſtere poſſe cum quoquam, niſi iudiciorum &
legum publicarum vſus obſeruetur. Nec minus hypocritarum ſanctimonia hîc damnatur, qui reli-
gionis quidem ſtudium ardentiſſimum ſimulant, interim verò ſibi ſolis viuunt, & humanarum tra-
ditionum regulis aſtricti, ne parentibus quidem proprijs debita officia præſtant. Quid autem de illis
dicemus, qui turpiſſimis cupiditatibus abrepti in manifeſta ſcelera effrenes ruunt, & vitam viuunt
à Chriſtiana profeſſione alieniſſimam? Et tales hodie vulgò paſſim conſpiciuntur.

Cæterùm ne quis in Simeone vulgarem ſolummodo iuſtitiam & religionem fuiſſe putaret, ve- Expectauit conſolationem Iſraelis.
rum omnis pietatis fundamentum indicat Lucas, quando illum conſolationem Iſraelis expectauiſſe
ait. Ita verò dicitur Chriſtus, vel potius in illo nobis exhibitum redemptionis noſtræ beneficium, cu-
ius conſideratione pij omnes ſeſe inter grauiſſimas tentationes conſolabantur. Ex illo autem appa-
ret, Simeonem fide præditum fuiſſe, qua promiſſiones & prophetarum vaticinia de Chriſto ample-
xus eſt. Expectandi autem verbo fidei illius conſtantia & fortitudo exprimitur, quam non vulga-
rem fuiſſe fatebimur, ſi cogitemus, quæ tunc tempora quiſq; rerū inter Iudæos ſtatus fuerit, eiuſmodi
nimirum, vt propter extremam reipub. ſimul & eccleſiæ corruptionem vniuerſa ſalutis ſpes extincta
eſſe videretur. Et Simeonis verba, quæ mox audiemus, non obſcurè teſtantur expectationem illam
ſuam ſatis diuturnam & longam fuiſſe, eò quòd promiſſionem ſuam Deus diutius extraheret: nimi-
rum vſque ad punctum temporis illius præfiniti, quo Chriſtus in mundum venire debebat. Variè
ergo & grauiter tentata fuit procul dubio Simeonis fides, cùm res quotidie in peius ferri, ſe autem

iam multa ſenecta grauem ad vitæ ſuæ finem appropinquare videret. At hoc proprium illud fidei exercitium eſt, quo illa Deo maximè probatur. In hoc certè Abrahami fidem eluxiſſe ſcribit Apoſtolus, quòd contra ſpem in ſpe crediderit, cùm Deus quidem promiſſa ſua differret, multa autem in ſeipſo ſimul & vxore Sara ille inueniret quotidie, quæ fidem labefactare poterant. Similis fuit in Dauide fidei conſtantia, quando poſt acceptam regni promiſſionem patriæ finibus eiectus inter infeſtiſſimam Philiſtinorum gentem ſedes & aſylum quærere cogitur, neque tamen de Dei veritate dubitauit, ſicuti eius Pſalmi teſtantur. Idem de reliquis patribus dici poteſt, quoad Chriſtum, in quo illos ſpem omnem ſalutis collocauiſſe conſtat, quam tunc quoq; inconcuſſam ſeruarunt, quando ſibi per mortem hinc migrandum eſſe videbant, prinſquam ille exhiberetur. Omnium enim illorum eadem fuit

Pſal. 16. ſententia, quam Dauid his verbis complectitur: Propono mihi Dominum perpetuò: à dextris enim mihi eſt, ne nutem. Propterea gaudebit cor meum, & exultabit lingua mea, quin & caro mea in tuto quieſcet, &c. Debent hoc ipſum ſinguli ſibijpſis accommodare. Eadem enim expectationis & ſpei conſtantia etiam hodie opus eſt, quando inter nouiſſimorum temporum periculoſos motus in poſtremum illum Ieſu Chriſti aduentum reſpicimus, qui plenam redemptionem nobis afferet, & ideo dies reſtitutionis omnium dicitur.

Spiritu ſancto fuit præditus. De Simeone autem noſtro tertium quoq; dicit Lucas: Et ſpiritus ſanctus erat ſuper eum. Non loquitur de ſpiritu adoptionis, quem credentes omnes communem habent, ſed de dono ſpiritus peculiari, prophetia nimirum: & ideo additur expoſitionis loco: Fueratq; ipſi diuinitus nuntiatum à ſpiritu ſancto, ipſum non viſurum mortem, prinſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini, id eſt vnctum illum, quem Deus æterno ſuo decreto Eccleſiæ ſuæ ſacerdotem & regem dedit. Fuit hoc ſingulare præmium, quo Simeonis fidem Deus remunerare dignatus erat, & quod vniuerſa huius ſeculi bona longè ſuperat. Conſtat enim videndi Chriſti deſiderio omnes patres ſupra modum accenſos fuiſſe. Nam etſi de eius aduentu minimè dubitarent, & eius meritum ad ſe pertinere firmiter crederent, tamen fidei huius ardore abrepti nihil perinde in votis habebant, quàm iam exhibitum videre eum, in

Matth. 13. quo ipſis ſpes omnis erat poſita. Ideo Chriſtus diſcipulis dicebat: Veſtri beati ſunt oculi, quia cernũt: & aures veſtræ, quia audiunt. Amen enim dico vobis, quòd multi Prophetæ & iuſti deſiderauerũt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quo loco non negat quidem beatos fuiſſe patres, ſed quoad huius vitæ conditionem Apoſtolos illis præfert, qui coràm videbant & contrectabant ſalutis authorem, quem illi eminus fidei oculis ſolùm intuebantur. Fuit autem illo tempore eò maior & ardentior piorum lætitia in Chriſti aduentu, quòd eum rebus iam omnino deſperatis ſalutem optatam afferre viderent. Quare non dubium eſt, Simeonem iſtud ſpiritus ſancti oraculum in ſumma ſuæ felicitatis parte habuiſſe, & ex eo omnem hauſiſſe conſolationem, qua inter horribiles illius ſeculi motus & totius Orientis mutationes ſeipſum ſuſtentauit. Vt verò nos hodie Chriſtum oculis corporeis videamus minimè opus eſt, quando illum iampridem exhibitum nobis ſalutem plenã acquiſiuiſſe ſcimus. Et ad nos pertinet quod Thomæ Chriſtus dixit: Quia vidiſtẽ

Ioan. 20. me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Interim meminerimus adumbrari nobis hoc loco fidei & veræ pietatis præmium, quo omnes fruentur, qui conſtanter credunt. Reuelatur illis Chriſtus indies magis atque magis, qui in huius vitæ palaſtra laborantes ſuo ſpiritu regit atq; confirmat. Et cùm inter huius ſeculi pericula totis animis in extremũ illius aduentũ intenti ſint, ſpe ſua nequaquam falluntur. Nam etſi diem ſuum prius obeant, olim tamen ex mortuis reſtituti videbunt illum ſicuti eſt & ſimiles ei erunt, vt æternùm cum illo viuant & regnent. Fuit hæc ſpes ſanctorum vnica, quam nos quoq; fide conſtanti fouere & retinere decet.

Spiritu duce uenit in templum. Porrò præmiſſa Simeonis deſcriptione occaſionem ſubijcit Lucas, qua ille voti compos factus, Chriſtum non ſolùm vidit, verùmetiam vlnis complexus eſt. Nam duce ſpiritu eum in templum veniſſe dicit eo ipſo temporis momento, quo Ioſeph & Maria puerulum introducebant, vt eum Domino ſiſterent, eiq; omnia facerent, quæ ſecundùm ritum in Lege præſcriptum fieri oportebat. Poterat hoc hominibus prophanis fortuitũ videri: ſed Deus eſt, qui non res modò hominum generali quadam prouidentia inſpicit, ſed ſingulas quoq; illorũ actiones ad finem ab ipſo præfixum deſtinat, & ideo temporum etiã momenta regit. Exempla huius prouidentiæ paſſim in ſcripturis habentur. Sic Abrahami famulus ea ipſa hora ad vrbem Nahor venit, qua puellæ aquatum exire ſolebant, & eodem

temporis

temporis puncto Rebecca illuc progreditur, vt ea occaſione Iſaaco deſponſetur. Ita Saulem ea hora ad Samuelem deduxit Dei prouidentia, qua illum hic oraculo prius ad eius aduentu admonitus expectabat. Similiter Dauidem tunc in caſtra venire oportebat, quando Goliathi conſpectu & impia atq; immani ad pugnam prouocatione omnes territi trepidabant, vt ipſe cũ illo congrediendi occaſionem inuenires. Sed quid exempla vetera commemorare opus eſt, cùm huius generis multa quotidie fiant, & nunquam non nobis præter noſtram expectationem rerum agendarum occaſiones obijciantur? In his nos Dei prouidentiam agnoſcere decet, qui vt omnia videt & nouit, ſic manum quoq; rebus admouet, ne temere ferantur, ſed finem ſuũ attingant. In nobis quidem & actionibus noſtris contingentia quædam eſſe videtur, at ſi Deum ſpectes, nihil illic fortuitum, nihil contingens dici poteſt, vbi certo conſilio omnia reguntur.

Senũ ſtudia quæ eſſe debeant?

Docentur autem Simeonis exemplo ſenes, quæ ipſorum ſtudia & qui mores eſſe debeant. Spiritum ducem ille ſequitur. Eidem ergo ipſi quoque ſeſe regendos & gubernandos præbeant, neque carnis deſiderijs indulgeant, vt ſpiritũ libidinis, intemperantiæ, leuitatis & petulantiæ ſequantur. Meminerint ſatis nimiumq; ſatis datum eſſe iuuenilibus annis, & cum Sophocle ſibijpſis gratulentur, quòd heris iſtis indomitis & ſæuiſsimis tandem liberati ſint. Nam vt Cicero aiebat, luxuria cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſsima eſt. Duplex enim inde malum eſt, quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentum impudentiorem intemperantiam. Quantum verò ſcelus eſt, canitiem, quam ſenum decus ſcriptura vocat, publicis ludibrijs exponere, dum intempeſtiuæ laſciuiæ indulgemus? Multùm verò proderit ad ſeruandam dignitatem, ſi in templis & ſacris cœtibus ſint frequentes. Illic enim Chriſtus inuenitur, qui & verbo ſuo nos docet, & ſpiritu ſuo medius illis intereſt, qui in eius nomine congregantur. At quia hodie in vtroque plurimùm peccatur, & in ſenibus ferè intemperantia maximè regnat, non mirum eſt & Chriſti cognitionem rariorem eſſe, & omnem morum diſciplinam paſsim intercidere.

Prouerb. 16.

Vt Simeõ Chriſtũ exceperit?

Sequitur quid fecerit Simeon, vbi puerulum vidit, & ſpiritus ſuggeſtione hũc agnouit eſſe Chriſtum, quem tanto deſiderio huc uſq; expectauerat. Primò in vlnas accepit & pectori applicuit, quod animi geſtientis et iam optimè contenti argumentum eſt euidentiſsimum. Deinde benedixit Deo, id eſt gratias egit pro tanto beneficio. Ita ſolent ſancti, cùm ſciant ſe nihil prætérea habère, quod Deo rependant, qui nullius eſt indigus, neque noſtro ſeruitio opus habet. Poſtremò ita abripitur ſalutis iam præſentis conſideratione, vt ſe totum Deo offerat, ſeq; ad moriendum omnino paratum & voluntarium eſſe proteſtetur. Deſcribit iſta diligenter Lucas, quia exemplo hoc docemur, quo animo ipſi quoque Chriſtum in Euangelio ſe nobis offerentem excipere & complecti debeamus. Sed ne diutius meis verbis vos detineam fratres, præſtat ipſum Simeonem loquentem audire, ex cuius verbis intelligemus, eum non ſolùm corporeis oculis Chriſtum vidiſſe, ſed eundem fide vera complexum eſſe, quæ ſub vili & contemptibili vulgaris & pauperculi infantis ſpecie æternum Dei filium & promiſſum humani generis Seruatorem deliteſcere intellexit.

Simeonis Canticum.

Primùm exordio abrupto vtitur, ſicuti ſolent, quibus aliquid inſperatum vel etiam diu optatum ſubitò offertur. Nunc dimittis (inquit) ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace, &c. Quaſi dicat, Dudum quidem optaui, vt ex hoc mortali corporis ergaſtulo liberatus ad patres meos colligerer. At tu me eò vſq; ſuperſtitẽ fore voluiſti, donec diu expectatus vindex & redemptor in mundum venires: cuius videndi deſiderio & ſpe certa confirmatus, patienter tuli & vici, quæcunque hoc afflictiſsimo ſeculo ferenda fuerunt. Et quanquam mora hæc mihi longa & moleſta viſa ſit, credidi tamen omnino euenturum quod mihi pollicitus fueras. Neque me ſpes iſta fefellit. Iam nunc enim vident oculi mei, quem diu deſiderauerunt videre: neque oculis ſolùm illum video, ſed vlnis meis hoc meum deſiderium complector. Quid ergo reliquum eſt mi Deus, quàm vt me ex iſto carcere liberes, & huius mortalis vitæ ſaturum ad te recipias, vt ſalute in hoc Chriſto tuo promiſſa fruar? Hæc (inquam) & quæcunque alia in iſtam ſententiam dici poſſunt, paucis hiſce verbis pius hic Senex comprehendit. Nobis autem hîc inter alia hoc maximè conſiderandum eſt, quòd eius perſonam ille ſuſcipit, qui carcere teterrimo diu detentus tandem toto animo geſtit, quando exeundi copiam ſibi factam videt. Cur enim non totus exultaret, & corporis huius infelix onus reijcere cuperet, qui illum iam mundo exhibitum videbat, cuius merito pateſieri & aperiri oportebat viam ſan-

k

Moriendi alacritas unde naſcatur?

ctorum, id eſt eam viam, qua ad cœlos & æternæ vitæ plenam poſſeßionem venitur? Admonet igitur hoc exemplo ſpiritus ſanctus, vnde oriatur læta illa & ſancta moriendi alacritas, quæ mortis terrores ſpernis & omnem eius metum ſuperas. Ex fide nimirum, quæ Chriſtum nobis præſentem ſiſtit, vt in illo nobis geſtire atque exultare liceat. Qui enim hac illuminati ſunt, ij ſe in terris peregrinos: patriam verò & ciuitatem ſuam in cœlis eſſe ſciunt. Itaque patienter quidem ferunt peregrinationis ſuæ moleſtias, quoad Domino viſum fuerit. Quando autem hic eos euocat, ad migrandum parati ſunt, imò (vt Paulus dicebat) cupiunt diſſolui, vt Chriſto propius coniungantur, cuius cohæredes ſe fore per fidem intelligunt. Etenim ſi dimitti cupiuit Simeon, quòd Chriſtum infantulum adhuc in vlnis haberet, quantò maior in nobis eſſe debet moriendi alacritas, qui illum peccati, mortis & diaboli iampridem victorem, nunc in cœlis ad patris dexteram conſidere & omnem poteſtatem in cœlo & in terra accepiſſe credimus? Qui hoc verè credunt, ijs neque propria mors acerba eſſe poteſt, neque de ſuis quos relinquunt nimiùm ſunt anxij. Sciunt enim ſe quidem ex morte ad vitam tranſire, ſuos autem ſub Chriſti tutela agere, qui ſolus illis ſeruandis ſufficit. Vides igitur, quid de illis iudicari debeat, qui mortem ita horrent, vt eius metu vel fidem abnegent, vel officium fraternæ charitatis prætermittant? Licet quidem illis, quoad homines, Chriſti cognitione gloriari, at ſi hanc animis ſuis concepiſſent, nunquam ſeſe tam turpes darent in eo, quod omnibus neceſſariò ſubeundum eſt. Interim non minus cauere nos decet, ne præcipiti nimiùm vitæ æternæ deſiderio abrepti, dimitti velimus, priuſquam nos Deus vocat. Aequum enim eſt, vt ſtationem noſtram fortiter teneamus, quoad Domino viſum fuerit, & noſtra opera ipſi inter homines vtilis eſſe poteſt. Simeon certè ſecundū Domini verbum dimitti vult, vnde patet hos vnicam voti ipſius regulam fuiſſe. Et Paulus ad Philippenſes ex vinculis ſcribens ait: Coarctor vtrinq́, cupiens migrare & eſſe cum Chriſto (nam id longè optimum eſt) ſed permanere in carne, magis neceſſariū eſt propter vos. Et hoc confiſus noui quòd manſurus ſim, & vnà permanſurus cum vobis omnibus ad veſtrum profectum & gaudium fidei. Hunc animum nos quoq́, concipere decet, & ad omnem euentum verè parati erimus.

Philip. 1.

Chriſtū deſcribit.

Sed ad Simeonem redeamus, qui tanti gaudij & alacritatis cauſam clarius exprimit, & ea occaſione Chriſtum magnificè prædicat. Dicit enim: Quia viderunt oculi mei Salutem tuam, quam paraſti in conſpectu omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Iſraelis. Primò Chriſtum vocat Salutem Dei. In Græco σωτήριον habetur, quæ vox plus quiddam ſignificat, ipſam nimirum ſalutis materiam ſiue authorem, vel ſcrinium potius, in quo ſalus omnis continetur. Videtur autem ad Iſaiæ vaticinium alludere, qui olim dixerat: Nudauit Dominus brachium ſuum ſanctum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri. Dicitur autem Salus Dei, non quòd is ſalutem aliunde accipiat, ſed quòd huius decreto Chriſtus nobis Seruator ſit factus. Ideo per expoſitionem additur. Quam paraſti in conſpectu omnium populorum. Quibus verbis tria comprahendis cognitu imprimis neceſſaria: Nimirum, quòd in Chriſto ſalus certa & omnibus numeris abſoluta habeatur. Deinde quòd ad hanc nobis præſtandam æterno Dei decreto deſtinatus ſit. Quod ipſum Apoſtoli quoque docent, quando illum ante iacta mundi fundamenta præordinatum, nosq́, in illo priuſquàm hic mundus conderetur, electos eſſe ſcribunt. Quod firmiter tenendum eſt, quia eo potißimùm ſalutis noſtræ certitudo aſſeritur: quando conſtat Dei decretis neminem obſtare poſſe, quo minus finem ſuum attingat. Tertiò Chriſtum hunc communem & generalem omnium populorum Seruatorem eſſe oſtendit, in quo vno ſeruari oporteat cuiuſcunque loci & ordinis homines, qui perire nolunt. Confutantur igitur hoc loco, qui vnum quenque in ſuis ſuperſtitionibus & cultu ſuo arbitrario ſeruari contendūt. Pugnant hi aduerſus æternum Dei conſilium, & eundem ſtultitiæ & iniuſtitiæ inſimulant, qui ſalutis humanæ rationem tam difficilem & grauem in filij ſui dira morte proponat, cùm quoduis hominis commentum nobis ad illam conſequendam ſufficere poßit. Eſt ergo illorum impietas maior, quàm vt ferri debeat, ſicuti aliâs prolixè demonſtrauimus.

σωτήριον τοῦ θεοῦ.

Iſa. 52.

Lumen ad reuelationē gentiū.

Iſa. 42. & 49.

Secundò Chriſtum Simeon lumen eſſe ait, ad reuelationem gentium, id eſt quo gentes illuminari oporteat. Quò loco rurſus ad Iſaiam alludit, apud quē pater de filio in carne manifeſtando ait: Dabo te in fœdus populi, in lucem gentibus: vt aperias oculos cæcorū, vt educat è carcere vinctos, de domo carceris ſedentes in tenebris. Et rurſus: Leue ſit quòd ſeruus meus ſit ad erigendas tribus Iacob, & ad redu-

ad reducendas vaſtitates Iſraelis, niſi te dedero vt lux ſis gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc vt Chriſti regnum inter gentes propagandum eſſe adtens, ita ſimul nos priſtinæ conditionis admonent, in qua totus hic mundus conſtitutus fuit, priuſquam Chriſtus manifeſtaretur. Nam ſub tenebrarum poteſtate detenti homines infinitis erroribus ſimul & ſceleribus impliciti fuerunt, neque lux aliqua illis affulſit, aut etiam cerni potuit, cùm homo animalis non percipiat ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Venit autem Chriſtus, qui vera Dei cognitione hominum mentes illuſtrauit, & depulſis ſuperſtitionum, & peccatorum tenebris, nos in viam ſalutis deduxit. Ipſe denique lux illa mundi vera & æterna eſt, quam qui ſequuntur, ij in tenebris non ambulant. Noſtri autem officij eſt, exhibitum nobis in illo Dei beneficium agnoſcere, & relictis operibus tenebrarum in luce ambulare. Nimiùm ergo ingrati diuinæ bonitatis æſtimatores ſunt, qui tenebras luci præferunt, imò lucem extinctam volunt, quò liberius laſciuire poſsint: quod hodie multi faciunt, qui Chriſti nomine gloriantur.

Ioan. 8.

Tertiò gloriam populi Iſraelitici dicit Chriſtum. Ergo quanquàm regnum eius ad gentes vſque extendat, tamen peculiare quid tribuit Iudæis, quorum erat adoptio & fœdus. Et ſanè gloria illorum ſingularis fuit Chriſtus, quia illis præcipuè promiſsiones de illo datæ fuerunt, & ex illis ipſe homo natus eſt, & priuſquam naſceretur illis maximorum bonorum author fuit, imò illos in periculis omnibus defendit, vt apud Iſaiam cap. 7. 8. & 9. eſt videre. Rectè ergo & meritò illorum gloria dicitur. Etenim ſi alijs gentibus gloriari licet, quòd ex ipſis heroes fortiſsimi aut legislatores prudentiſsimi prodierint, incomparabile profectò gentis Iudaicæ decus cenſeri debet, quòd æternus Dei filius & vnicus humanæ ſalutis author ex illis carnem aſſumere voluit. Quantum ergo eſt hoc Dei beneficium, qui hanc Iſraelis gloriam per Euangelium ad nos vſque transferre voluit, qui per fidem nunc Chriſto inſiti, illum totum noſtrum dicere poſſumus? Non agnouerunt olim hanc Dei gratiam Iudæi, ideo propter incredulitatem et contumaciam reiecti & omnium hominum contemptiſsimi facti ſunt. Excitet ergo nos illorum exemplum, vt tanta liberalitate ſe nobis offerentem Ieſum Chriſtum eadem fidei alacritate, quam in Simeone fuiſſe audimus, & animis gratis complectamur, vtq; in eius luce ambulantes finem noſtræ peregrinationis lætum inueniamus, & huius corporis vinculo ſoluti colligamur ad eos, qui eadem fide per illum ſeruati ſunt. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Gloria populi Iſrael.

HOMILIA XXII.

Porro pater & mater eius mirabantur ſuper ijs, quæ dicebantur de eo. Et benedixit eis Simeon, dixitq; Mariæ matri eius: Ecce poſitus eſt iſte in caſum & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicatur. Quin & tuam ipſius animam trajciet gladius, ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.

QVoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in mundum venit & homo verus factus eſt, vt omnis loci & ordinis hominum Seruator fieret, voluit eundem Deus, quàm primùm natus fuit, omnium ordinum hominibus innoteſcere & diuerſæ conditionis hominum teſtimonijs publicè cõmendari. In quibus commemorãdis Lucas diligentiſsimus eſt, vt per illa nos quoq; in illius cognitione & fide confirmemur. Audiuimus ex his nuper optimi & pijſsimi ſenis Simeonis oraculum, plenum ſanctiſsimi gaudij, quo ille perfuſus fuit, & dulciſsimæ conſolationis, quo pleraq; continentur, quæ nos in Chriſto agnoſcere & credere oportet, ſi illum nobis ſalutiferũ eſſe cupimus. Sequuntur nunc alia, quæ ab eodem Simeone ex ſpiritus ſancti impulſu dicta ſunt ad tollendum ſcandala, quibus fides multorum labefactatur, multi quoq; impediuntur, ne vnquam ad Chriſtum accedant.

Priuſquam verò illa proponat Lucas, quædam de Ioſepho & Maria interſerit, vt nimirum illi Simeonis verbis fuerint affecti. Pater (inquit) & mater eius mirabantur ſuper ijs, quæ dicebantur de eo. Quo loco Ioſephum Chriſti patrem dicit, non quòd is aliquid ad illius generationem contulerit (eſt enim Chriſtus ſemen mulieris, & lapis ille, quem Daniel abſque manibus reuelli vidit)

Ioſeph & Maria Simeonis factum admirantur.

Dan. 2.

*ſed quòd vulgò pater eius eſſe crederetur propter coniugium, quod ipſi cum Maria Virgine inter-
cedebat. Et ita ſeipſum poſtea exponet cap. 3. vbi ſcribit: Ieſus incipiebat eſſe quaſi annorũ triginta,
filius (vt exiſtimabatur) Ioſephi, &c. Admirati autẽ ſunt Simeonis tanto gaudio geſtientis de Chri-
ſto puerulo teſtimonium, non quòd quæ ille dicebat, ipſis noua aut incredibilia viderentur, ſed quòd
non poſſent non rapi in diligentem conſilij diuini conſiderationem, quãdo nouos quotidie accedere vi-
debant, qui infantulum nihil adhuc magnificum præ ſe ferentem pro Dei filio & hominum redem-
ptore agnoſcerent. Quoad enim illius cognitionem ipſi iampridem probè inſtructi erant. Audiuerat
etenim Maria Angelum de totius negotij huius myſterio perſpicuè diſſerentem. Ex eodem Ioſephus
quoq; didicerat, quid de puerulo iſto deberet ſentire, priuſquã in lucem editus eſſet. Aduenerant de-
inde paſtores, qui quid ex Angelis audiſſent prolixè narrabant. Quibus nõ multo poſt Magi ſucceſ-
ſerunt, qui illum donis quoq; regalibus honorauerant. Non ergo nouum & inſolens illis videri po-
tuit quod nunc agebatur: ſed vt prius de Maria dictũ fuit, eam in animo ſuo repoſuiſſe & contuliſſe
omnia, quæ paſtores dicebant: ita nunc tam ipſa quàm Ioſeph pia & ſancta admiratione Dei bonita
tem & prouidentiam proſequuntur, cùm tam læta viderent regni Chriſti initia, & hunc nouis quo-
tidie teſtimonijs ornari audirent. Admirantur ergo, quia credunt, non admiraturi, ſed potius riſuri
Fidei vera inge nium. & contempturi hæc omnia, niſi vera eſſe credidiſſent. Nobis autẽ in illis conſiderandum venit ve-
ræ fidei ingeniũ. Sæpius iam eadem dici audierat Maria, non tamen illa vt ſuperuacanea ridet aut
contemnit, multò minus vt trita nimis faſtidit, etiamſi ferè ab illis toties repeterentur, quos nulla
authoritas publica aut externus ſplendor cõmendabat: ſed in animo repoſita fouet & diligenti medi-
tatione tantorum beneficiorũ Dei ſeipſam ſolatur atq; confirmat. Ergo fides non ita ſatiatur Chri-
ſti myſterijs & ſalute per hunc exhibita, vt diſcendi faſtidiũ concipiat: ſed quia in illo omnem ſalutis
fontem contineri nouit, nihil credenti dulcius & iucundius accidere poteſt, quàm ſi nouã de illo cogi-
tandi occaſionẽ ſubinde ſibi offerri videat. Quæ cauſa eſt, quòd qui fide vera inſtructi ſunt, ijdem au
Pſal. 19. diendi Verbi Dei ſtudio flagrant, hoc fauis multo melle ſtillantibus (vt Dauid olim dicebat) præ-
ferunt, inq; eo dies & noctes meditantur. Quòd ſi verò aliqua occurrunt, quorũ ratio non ſtatim vi-
deri aut cognoſci poteſt, tamen ne hæc quidem, contemptim abijciunt, ſed admirantur & fide ſuperãt,
quod humani ingenij acumine penetrari non poſſe vident. Quod in Chriſti myſterijs fieri oportere,
olim in agno paſchali fuit adumbratũ, quem totum comedere iubebantur, oſſa autem, quæ manduca-
ri non poſſunt, igne comburere: hoc nimirum innuente ſpiritu ſancto, Chriſtum totũ, quantus & qua-
lis eſt, apprehendi oportere: quia autem in illo quædam ſeſe offerunt, quæ captu noſtro non poſſunt in-
telligi, ea fide percipienda, adeoq; concoquenda eſſe, ne nobis ſint obſtaculo. Etenim hunc quoq; præ-
2. Corinth. 10. dicationis euangelicæ finem aut ſcopum eſſe ſcribit Apoſtolus, vt noſtros ſenſus ſimul atque cogita-
tiones vnà cum affectibus carnis omnibus ſub fidei obedientiam redigat. Sunt hæc obſeruanda aduer
ſus eos, qui Chriſtianam fidem & æternæ ſalutis myſteria noſtri ingenij ſenſu metiuntur, & Por-
phyrium atque Iulianum imitati, ſcurriliter rident quicquid ipſi intelligere non poſſunt: quaſi ve-
rò Dei ſapientia ad noſtri captus modulum aſtringi debeat. Proximi his ſunt, quibus nuda Chriſti
cognitio ſordet, & impatientius ferunt, quòd vnum hunc prædicemus, & tunc demum ſe in fide pro-
feciſſe putant, ſi extra Chriſtum vagando portenta quædam abſurdiſsimarum opinionum excogi-
tent, in quibus ſui ingenij acumen oſtentent. Memini fratres, hoc mihi aliquando à quodam exte-
ro (cuius nomini & patriæ conſultò nunc parco) dictum fuiſſe, ſe non poſſe improbare noſtrarum ec-
cleſiarum doctrinam, non videre autem quid in ſalutis & regni Dei cognitione proficere quis poſsit,
quando in concionibus ſacris & prælectionibus Theologicis nihil præter Chriſtum audire liceat.
Reſpondebam ego ſatis profeciſſe eum, qui Chriſtum agnoſcat, neque nos plura ſcire velle quàm Pau
lum, qui etſi in tertium cœlum raptus verba ineffabilia audiuiſſet, in ſola tamen Chriſti cruce glo-
riabatur, & ſe nihil præter hunc crucifixum nouiſſe affirmabat. Neque vt in æternæ ſalutis argu-
mento aliquid præterea ſciamus opus eſt, quando non aliud nomen ſub cœlo hominibus eſt datum,
in quo nos ſeruari oporteat. Sed poſſumus eiuſmodi ſciolis Mariæ etiam exemplum opponere, quam
non piguit ex paſtoribus & Simeone plebeio ſeniculo, & mox ex Anna vetula eadem audire, quæ
iampridem ex Angeli ore didicerat. Neque ſuperuacanea cenſeri debet cuiquam millies repetita
Ieſu Chriſti prædicatio, quando illius cognitionem obiter deguſtauiſſe non ſufficit, niſi eadem in nobis*

quotidie

quotidie nouis auctibus creſcat, vt inter tentationum aſſultus, quibus eam labefactare ſtudet Satan, ſalua & inuicta conſiſtat.

Sed ad Simeonem accedamus, qui vbi primam ſui vaticinij partem abſoluit, iam ad Chriſti pueruli parentes conuertitur, Mariam imprimis, & cum his etiam ea agit, quæ ad illos maximè pertinebant. Simeon Mariæ & Ioſepho benedicit. *Primò autem illis benedixit. Quod non de ſolenni benedictione intelligi debet, cuius miniſtri & internuntij erant Sacerdotes: ſed vulgari & ciuili, vt ſic loquar. Quare non opus eſt diſputare, quomodo Simeon, homo mortalis & plebeius Chriſto benedicere potuerit, cùm hoc officium ex Legis præſcripto maiores minoribus præſtare ſolerent, ſicuti Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos admonet.* Heb. 7. *Nam etſi Chriſtum ſimul hîc comprahendere libeat, nihil abſurdi fuerit, ſi Simeonem & parentibus eius omnia fauſta lætaq́; optauiſſe dicamus, & Chriſto ſimul felicem regni Dei per ipſum inſtaurandi ſucceſſum fuiſſe imprecatum. Poteſt enim pium illud votum etiam ſub benedictione comprahendi. Vt ergo Simeon hîc quoque fidem & ſtudium ſuum erga Chriſtum & regnum eius declarauit: ita charitatis officio ſimul vſus eſt, quæ monet, vt & quibuſuis obuijs bene precemur, & vota pia pro illis maximè concipiamus, qui res arduas & cum multorum ſalute coniunctas aggrediuntur. Facit hoc plurimùm ad fouendam mutuam charitatem, in cuius leges vehementer peccant inuidi illi æmulatores, qui aliorum lætis ſucceſsibus ringuntur, & ſuæ crudelitatis tantum non miniſtrum faciunt Deum, quando dira quæq; ijs imprecantur, quorum conatibus fauere debebant. Eſt horum impietas maior, quàm vt verbis nudis reprahendi mereatur, vt alibi copioſius eſt dictum.*

Cæterùm benedictioni huic alteram ſui vaticinij partem ſubijcit Simeon, qua Chriſtum deſcribit, quoad diuerſos effectus, quibus erga homines vim ſuam declaraturus ſit. Simeon Chriſtū deſcribit ab effectis. *Et quàmuis ſermonem ad Mariam potiſsimùm dirigat, doctrinam tamen profert, quæ & illo tempore cognitu valde neceſſaria fuit, & hodie non minus vtilis eſt ad tollenda ſcandala, quæ in Chriſti & communis ſalutis cauſa nobis obijciuntur. Nam etſi inter Iudæos nihil vulgarius eſſet Meſsiæ nomine, & in huius aduentum totius populi animus eſſet intentus, pauci tamen, vel potius nulli erāt, qui de illo rectè ſentirent, & quid in illo ſperari aut quæri debeat, intelligerent. Sciebant quidem regnum eius apud prophetas magnificè deſcribi, & huic à Deo dictū eſſe: Poſtula à me, daboq́; gentes vt ſint hæreditas tua, & terminos terræ vt ſint poſſeſsio tua. Sceptro ferreo confringes eos, veluti vaſa teſtacea comminues eos.* Pſal. 2. *Item de regno eius dictū eſſe nouerant: Ferent montes pacem populo, & colles iuſtitiā. Vindicabit afflictos in populo, & ſeruabit pauperes, & violentū calumniatorē contundet.* Pſal. 72. *Timebunt te dum Sol & Luna lucebunt, in omne æuum. Florebūt ipſo regnante iuſti, multaq́; pax erit, donec Luna deſierit. Imperabit à mari ad mare vſq;, & à flumine vſq; ad terminos terræ. Corā illo procumbent accolæ deſerti, & inimici eius puluerē lingent. Reges maris mediterranei & inſularū munera afferent, Reges Scheba & Saba honoraria adducent. Et adorabunt eū omnes reges, & omnes gentes ſeruient ei. Et rurſus: Commorabitur lupus cū agno, & pardus cū hœdo accubabit, ſimiliter iuuencus, leo & pecus ſaginatū ſimul erunt, & puer paruus ducet ea.* Iſa. 11. *Vacca cū vrſo paſcetur, ſimul accubabūt catuli eorū. Leo ſicut bos paleas comedet. Delectabitur lactens antro aſpidis, cūq; fuerit ablactatus, inſeret manū ſuam in ſpeluncā reguli. Non afficient malis, neq; vaſtabunt per omnē montem meū ſanctum: plena enim erit terra ſcientia Domini, perinde ac dū aquæ maris inundant. Itē: Fiet & hoc in diebus illis vt apprahendant decē viri ex omnibus linguis gentiū, apprahendant (inquā) alam alicuius Iudæi, & dicāt: Ibimus vobiſcū, quia audiuimus Deū vobiſcū eſſe.* Zach. 8. *Hæc & infinita alia huius generis in prophetarū libris extāt, quibus illi Chriſtū & per hunc factā humani generis redemptionē ſub regni terreni & victorioſi ſimilibus deſcribunt. Quæ omnia cùm Iudæi ſecundū litterā acciperent, illum Regem terrenū fore ſomniabant, qui euerſa Romani Imperij Monarchia, quæ tūc longè lateq́; dominabatur, Iudaicā gentē libertati veteri reſtitueret, et in illa regnū inſtauraret victorijs, opibus, triumphis illuſtre, quale olim ſub Dauide & Solomone fuerat. Quæ ſententia omniū animis ita inſidebat, vt diſcipuli poſt longā conſuetudinē, quæ ipſis cū Chriſto interceſſerat, imò poſt triſte crucis & mortis indignæ ſpectaculū, adhuc de regno illo quæſtiones mouerēt, & ſibi in eo honores & dignitates pollicerentur. Et hæc præcipua cauſa fuit, ob quā pleriq; Iudæorū Chriſtum Ieſum aſpernati ſunt, quòd non videre poſſent, quomodo prophetarū vaticinia in illo locū haberent, in quo nihil præter inopiā, cōtemptum & continuā omnis generis afflictionū ſeriem cernere licebat. Quapropter admodū neceſſe erat,*

ſtitiò ſtatim omnes Iudæos de his publicè admoneri, imprimis verò Mariã, ne cõmuni errore implicita eò grauius poſtea offenderetur, quò propius ad illã pertinebat dolor, qui ex filij indigniſſima ſorte enaſcebatur. Et hodie multus & neceſſarius huius doctrinæ vſus eſt, quãdo multi ad Euãgelium Chriſti nõ alia ſpe accedunt, quàm quæ olim Iudæos decepit: dũ aut triũphos perpetuos, aut opes ingentes, aut (quod longè turpiſſimũ eſt) peccãdi licentiã atq; impunitatẽ ſibi ex illo pollicentur. Audiamus ergo de Chriſto concionantẽ Simeonẽ, vt quæ de illo ſemper futura ſint hominũ iudicia, intelligamus.

Alludit ad Iſaiæ 8. & 28.

Ecce poſitus eſt iſte (inquit) in caſum & reſurrectionem multorũ in Iſrael. Conueniunt iſta cum veteribus prophetarum oraculis, quæ in mentem reuocari proderat, vt de alteris illis huc uſque perperam intellectis Iudæi rectius ſentire diſcerent. Alludit autem ad duos Iſaiæ locos, quorum alter octauo, alter vigeſimo octauo capite habetur. In illo ſic de Chriſto pronunciat: Is erit ſanctuarium, & lapis offendiculi, & petra ruinæ duabus domibus Iſraelis: in laqueum deinde & in tendiculam ei qui habitat Hieroſolymæ. Ad quæ multi impingent, corruent, contérentur, irretientur & capientur. Alterum verò vaticinium eiuſmodi eſt: Sic dixit Dominus, Ecce ego fundo in Zion lapidem, lapidem probationis, ſingularem, pretioſum, ſolidum fundamentum, credens non feſtinabit: Vel (vt

Rom. 10.

Paulus interpretatur) non pudefiet. Verunque locum prophetæ Simeon duobus verbis complexus eſt, quando Chriſtum poſitum, id eſt diuinitus ordinatum eſſe ait, vt alijs quidem ad caſum vel ruinam, alijs in reſurrectionem cedat. Emphaſim verò habet ſingularem, quod ait, In Iſrael. Quaſi dicat, illum non exteris ſolùm, ſed multis in Iudaica gente, cui ille peculiariter promiſſus fuit, lapidem ſcandali fore. Quod Ioannes clarius exponens dixit: In ſua venit, & ſui eum non receperunt. Quid,

Pſal. 118.

quòd ab ædificantibus, id eſt à Sacerdotibus reiectum iri Dauid præmonuit, qui eccleſiæ architecti haberi volebant? Optimus autem & fideliſſimus oraculi huius interpres, adeoq; paraphraſtes

1. Pet. 2.

eſt Petrus Apoſtolus, qui cum Iſaiæ locum, cuius modò meminimus adduxiſſet, mox ſubijcit: Vobis igitur honor eſt, qui creditis: immorigeris verò lapis, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt caput anguli: Et lapis offendiculi, & petra offenſionis: ijs nimirum, qui offendunt ad ſermonem, immorigeri, ad quod etiam conſtituti ſunt. In quibus omnibus obſeruari debet, in Chriſto omnibus hominibus ſalutem & vitam offerri per Euangelium, & officium eius proprium eſſe ſeruare & viuificare, ſed pro hominum diuerſitate diuerſos ex illo effectus ſequi, vt alijs ruinæ alijs reſurrectionis cauſa ſit. Apertè ergo & perſpicuè Petrus inter duo illa hominum genera diſtinguit, & hos quidem credentes, illos autem immorigeros vocat. Itaque in caſum & ruinam poſitus eſt Chriſtus illis, qui ſua rebellione & contumacia ad illum offendunt, & ita ſibijpſis exitiũ acerſunt ex eo,

Quomodo ad Chriſtum homines offendant.

1.

qui verus & proprius ſalutis author eſt. Id autẽ ſit bifariàm. Sunt enim, qui (vt diximus) in Chriſto regnum ſomniant & omnia huius ſeculi cõmoda ſibi in eo pollicentur. Offendunt iſti ad vilem & contemptibilem illius ſpeciem, & quòd huius cultores non ſolùm in mundo obſcuros, pauperes & egenos, verumetiã pleriſq; exoſos & perſecutionibus aſſiduis obnoxius eſſe vident. Et hi tantũ non cum

Joan. 7.

phariſæis dicunt: Num quis ex principibus credidit in eum? quin ſola turba hæc & fex plebis, quæ non nouit Legem, execrabilis eſt. Et eſt hoc ſcandali genus admodum vulgare, eò quòd pleriq; religionẽ ex carnis ſenſu & huius ſeculi ſucceſſibus metiuntur. Ideo Chriſtus ipſe ſuos paſſim ad crucem vocat, noſq; in hoc mundo afflictionibus perpetuis exercendos monet, & quò minus ijs offendamur, ſuum exemplum nobis ob oculos ponit, noſq; nimiùm importunos & plus æquo delicatulos fore docet, ſi noſtram conditionem lautiorem eſſe cupiamus, quàm ipſius fuerit, cùm in terris ageret. Et Paulus Corinthios monebat, ne in externa Chriſti & eccleſiæ facie hærerent: ſed ipſum Chriſtum, Dei potentiam & ſapientiam, propius intuerentur, & ita mox intellecturos dicebat, ſtultitiam Dei ſapientiorem eſſe quàm homines, & Dei infirmitatem omnes hominum vires longè ſuperare. Sed alia

1. Cor. 1.

2.

etiam ratione ad Chriſtum nonnulli offendunt, quibus nimirum doctrina Euangelij ſcandalum eſt, qua omnes hominis facultates deijci, omne operum noſtrorum meritum negari, homines denique omnes peccati & mortis reos agi, iuſtitiam verò & ſalutem omnem in ſola Dei gratia nobis per Chriſtum monſtrari audiunt. Offendit hoc eos potiſſimùm, qui præ alijs iuſtitiæ & ſanctimoniæ titulum ſibi vendicant, quales inter Iudæos olim Phariſæi fuerunt, hodie autem Monachi ſunt, & qui horum doctrinam ſecuti ſalutis ſpem in ſuorũ operum meritis & propria iuſtitia collocatã habent. Clamant illi omnes Chriſtum eſſe ſocium publicanorum & comeſſatorum, doctrinam item eius bonis moribus

inimicam

inimicam, legi diuinæ aduerſam, deniq; licentiæ & petulantiæ magiſtrum eſſe. At ijdem dum ſuam Rom.10.
iuſtitiam (vt Paulus inquit) ſtabilire volunt, à iuſtitia Dei excidunt, quam ille nobis in Chriſto
offert, & quæ ſola nos apud eius tribunal tuetur. Itaq; iſtis quoq; in ruinam & caſum poſitus eſt Chri-
ſtus, quum eius meritum ipſi ſibi inutile reddant. His ex aduerſo opponuntur qui toti mundo et car-
ni dediti ad mortificationis & abnegationis noſtriipſius doctrinam offendunt, & ea exigi arbitran-
tur, quæ omnem ex mundo amicitiam tollant, & vitam ipſam nobis amaram reddant. Sed quia iſti
omnes ſcandalum dedita opera quærunt, & ſcientes volentes offendunt, neq; etiam admoneri & inſti-
tui volunt, non eſt quòd eorum exemplis multum moueantur pij, quibus ſua ſalus ex animo cordi
eſt. Ad hos enim pertinet, quod idem Chriſtus lapis reſurrectionis dicitur: pretioſus nimirum lapis
ille, quem Zionis, id eſt, eccleſiæ fundamentum Iſaias dicit, & qui fide verà apprehenſus nos ex
peccati et errorum ſeruitio quaſi ex mortuis excitat, vt viui lapides efficiamur, ex quibus ædificium
illud ſanctum eccleſiæ totius conſtruitur, in quo idem ille caput anguli eſt, quo & inter ſe connectun-
tur omnes qui credunt, & ſpiritu vitæ animantur, vt olim regni cæleſtis cum illo conſortes fiant.
Eſt ergo Chriſtus in ſe ſalutis & vitæ author, & (vt ipſe apud Ioannem ait) reſurrectio ſimul & Ioan.11.
vita noſtra eſt: quicunq; autem pereunt, ſuo vitio pereunt, dum ad illum vel craſſa ignorantia; vel
etiam manifeſta rebellione impingunt, & Euangelium ſibiipſis odorem faciunt mortiferum, ex quo
vitæ odorem concipere debebant. Vide 2. Cor. 2.

Sed aliud addit Simeon, quo docet non ſolùm multos fore, qui ad hanc petram offendant, verum-
etiam qui illi contradicant palàm, adeoq; ſeſe hoſtiliter ei opponant. Nam ecce (inquit) poſitus eſt in
ſignum, cui contradicitur. Ineſt his verbis Metaphora à ſagittantibus ſumpta, & ſenſus eſt: Vt
ſagittarij ſignum & ſcopum habent, quem omnes petunt, & ad quem ſagittas ſuas dirigunt; Ita
Chriſtus inſtar ſcopi erit, quem omnis loci & ordinis homines oppugnabunt, vt eius doctrinam euer-
tant & ab ipſo homines abſtrahant. Quod quàm verè prædictum ſit à diuino hoc Sene, omnium tem-
porum hiſtoriæ teſtantur. Nam vt à Iudæis exordiamur, quàm primùm ille ſe mundo manifeſtare
cœpit, exorti ſunt qui illi contradicerent, & quidem non vulgares homines, ſed ſcribæ, ſed ſacerdo-
tes, ſed phariſæi, penes quos tunc ſumma erat in ſacris authoritas, & qui ſummam doctrinæ et ſan-
ctitatis exiſtimationem ſuſtinebant. Neq; priuatim hoc fecêre ſinguli, ſed non ſemel publica & eccle-
ſiaſtica authoritate Concilij illum cum ſua doctrina damnauerunt. Imò non contenti doctrina eius
obſtrepuiſſe, miracula quoq; calumniati ſunt, quàmuis toti populo vtilia, & ſimul ab omni fuco &
fraude aliena eſſent. Et ne quis leuem putet illam contradictionem fuiſſe, non modò nugatorem, ſed
peſtiferum ſeductorem, ſeditioſum, Samaritanum & dæmoniacum dixerunt. Quod vt inter Iudæos
fieri cœpit, ſic idem poſtea inter gentes factitatum eſt, cùm inter has Chriſtus prædicaretur. Tunc
enim aduerſus apoſtolos & horum ſucceſſores philoſophi inſurrexerunt, qui doctrinam de Chriſto ſuis
ſtrophis in contemptum & dubium vocare conati ſunt. Iunxerunt cum his operam ſuam Regum &
Imperatorum miniſtri, qui falſa inſuper crimina Chriſtianis omnibus intentarunt, & nullum tam
nefarium tamq; inauditum ſcelus eſt, quod non illis obiectum fuerit. Nam & infantes iugulare &
humanis carnibus veſci dicebantur. Neq; defuerunt, qui Romanum Imperium ſaluum fore nega-
bant, niſi illi extirparentur, qui & ſacrorum et legum hoſtes eſſent, & Deorum iram aduerſus totum
terrarum orbem excitarent. Itaq; quicquid mali publici accideret, mox ad leones, ad rogos, ad re-
mos, ad metalla Chriſtianos arripiendos eſſe clamabatur. Taceo nunc edicta publica, in quibus Ro-
mani Imperatores Chriſtum & Euangelium eius damnauerunt. Et ne exteri ſoli eccleſiæ negocium
facerent, inter ipſos Chriſtianos hæretici exorti ſunt, qui portentoſis ſimul atq; impijs commentis, &
plus quàm diabolica obtrectandi libidine linguas ſuas aduerſus Chriſtum & puriorem Veritatis do-
ctrinam ſoluerunt. Quorum omnium calumnias, fallacias & mendacia ſi quis enumerare vellet, vix
vnquam dicendi finem inueniret. Et quod olim factum eſt, hoc ipſum hodie etiam fit paſſim. Per-
gunt enim Chriſto contradicere Iudæi, & ne nunc quidem eius manum agnoſcunt, cuius iuſto et gra-
ui iudicio ſeſe premi & in extremas miſerias detruſos eſſe ſentiunt. Miſcent cum his ſuas quoq; ca-
lumnias Mahometani, qui longè maximam orbis partem occupant. Latrant quotidie aduerſus æter-
num patri coeſſentialem Dei filium Seruetani canes, & quotquot hodie vel Arij, vel Marcionis,
vel Eutychis, vel aliorum hæreſes poſtliminio reuocant. Imò qui eccleſiæ gubernacula ſibi vendicant

Chriſtus ſignum, cui contradicitur.

*pontifices & epiſcopi, ſe cum rebus ſuis non poſſe ſaluos eſſe arbitrantur, niſi Chriſto per Euange-
lium nobis loquenti contradicant, & illum è ſolio ſuo deijciant. Sub horum deinde ſignis in lacunis
ſuis toaxant aduerſus eundem Monachi, boant ſacrifìculi, crocitant Purgatoriani corui, noctuæ ſe-
pulchrales vlulant, ſerpentum & anguium inſtar ſibilant Moniales & Beguttæ, rudunt deniq; aſi-
ni & muli Romanenſes: qui ſimul omnes vndiq; tam nobilium quàm plebeiorum turmas atq; cohor-
tes excitant, vt crabronum & muſcarum inſtar, vel pungant veros Chriſti præcones, vel imbelli, cla
moſo tamen, ſtridore illis obſtrepant. Et hæc quidem impunè paſſim fiunt inter eos, qui Chriſti no-
mine & merito gloriantur. Atqui mirum videri poterat, mundum totum in vno Chriſto oppugnan-
do conſentire poſſe, qui in cæteris omnibus diſſentit, & in nouas quotidie ſectas & diuerſa ſcelerũ ſtu-
dia ſcinditur. Sed mirum aut inſolens hoc non eſt, quando conſtat natura diſſidere lucem & tene-
bras, veritatem & mendaciũ, iuſtitiam & iniuſtitiam. Et iampridem Chriſtum dixiſſe ſcimus, quòd
Ioan. 14. mundus hic ſpiritum veritatis percipere non poſſit. Vehementer ergo falluntur, qui hodie vniuerſa-
lem in veritatis doctrina conſenſum ſibi pollicentur, & nihil interea de religione & ſalutis ratione à
quoquam conſtituendum eſſe cenſent. Nec enim ingenium ſuum mundus mutabit, et quò propius hic
ad finem ſuum accedit, eò magis in illo accendetur contradicendi ſtudium, ſicuti Chriſti vaticinia de
nouiſſimis temporibus abunde teſtantur. Quare diſſidijs & pugnis hiſce nemo offendi debet, ea po-
tius conſtanter teneant pij, quæ ſcripturis traduntur: neq; ſe abſtrahi ſinant à lapide fundamenti, Ie-
ſu Chriſto, qui & Veritas & lux eſt, neq; eos aberrare ſinit, qui eius veſtigijs inſiſtunt. Soletur præ
terea, quòd etſi plerią; contradicant Chriſto, habet tamen ille ſuos quoq; diſcipulos, qui portenti qui-
dem inſtar ſunt (vt Iſaias dicebat) in hoc mundo, ſed in ipſis ille triumphat & regnat.*

Mariæ animam transiuit gladius. *Porrò vt ad Simeonem redeamus, vnum adhuc adijcit ille, quod ad Mariam imprimis pertine-
bat: Quin & tuam ipſius animam traijciet gladius, vt detegantur ex multis cordibus cogitationes.
Ex quibus verbis miræ quædam de compaſſione Mariæ fabulati ſunt Monachi, vt mulierculis la-
chrymas mouerent, ſimulą; eaſdem facilius pecunijs emungerent. Ideo non contenti verbis, picturas
quoq; produxerunt, in quibus illa multis gladijs circundata fingitur, quorum mucrones omnes ad
illius cor diriguntur. Sed ſunt hæc ineptiora, quàm vt inter Chriſtianos audiri mereantur. Adhæc
à Simeonis inſtituto aliena ſunt, qui etſi certamina imminere prædicat, illam tamen ad inuictam fi-
dei conſtantiam exhortari & præmunire vult, quam in illa incomparabilem fuiſſe, ex paſſionis hiſto-
Vide hom. 169. in Ioan. ria apparet. Senſus ergo eſt: Non leues erunt pugnæ, quas hic filius tuus ſubibit: ſed eò vſq; exar-
debunt, vt tu quoq; acutiſſimos corde tuo dolores ſentias, quando illum indigna et infami morte col-
li videbis. Quapropter quoad hoc ſeculũ, tibi ex illo non opes, non honores, non voluptates aut otium
polliceberis: ſed vt ad certamina hæc grauiſſima te armis fidei & conſtantiæ induas neceſſe eſt. Et
ſanè negari non debet, Mariam dolore immenſo vulneratam, eiusą; fidem grauiſſimè tentatam fuiſ-
ſe, quando filium flagris antea conſciſſum inter latrones ſublimem in dira cruce pendere, & omnium
ludibrijs expoſitum eſſe, ſimulą; Centurionem & armatas militum cohortes vndiq; circumſtrepere
videbat. Sed ea illam tunc nimis muliebriter dixiſſe aut feciſſe negamus, quæ Monachi finxerunt.
Fuit enim in ea fidei virtus maior, quàm vt eò vſq; deijci potuerit. Habet autem hic quoq; locus ge-
neralem doctrinam, eos qui Chriſto per fidem inſiti ſunt, in hoc mundo crucem & omnis generis ad-
uerſa manere, neq; tamen in ijs deſperandum eſſe, quaſi Dei nobis irati ſint indicia. Si enim matrem
dilectiſſimam tam acerbo dolore compungi voluit Chriſtus, nimiùm nos iniqui erimus, ſi dolorem
omnem procul à nobis cupiamus profligari. Hoc ergo nobis certò perſuaſum ſit, nos eò grauiora in
mundo paſſuros eſſe, quò propius & arctius Chriſto coniuncti fuerimus. Nam & mundus ipſe nos tan
tò maiori odio perſequetur, & æquum eſt, vt Deus ad ſui nominis gloriam grauioribus certamini-
bus eos obijciat, quos donis pluribus ornauit. Neq; id nobis durum videri debet, quando nos olim in
cœleſti regno filij Dei cohæredes fore certò ſcimus.*

In Chriſto deteguntur cogitationes cordiũ. *Sed aliam quoq; crucis Chriſti & membrorum eius cauſam indicat Simeon: Vt nimirum dete-
gantur ex multis cordibus cogitationes. Eſt enim cor hominis (vt propheta ait) profundum & in-
ſcrutabile, quodą; ſoli Deo pateat, qui ideo corda & renes nouiſſe dicitur. Idem tamen abſtruſas co-
gitationes hominum quaſi in lucem protrahit, quando vel Chriſtus purè prædicatur, vel propter eius
prædicationem pericula incidunt. Priuſquam enim Chriſtus illuceſcat, eadem ferè hominum de reli-
gione*

ligione ſententia, eadem mens & voluntas eſſe videtur. At quando illa prædicatur, electi quidem paſtoris huius vocem agnoſcunt & ſequuntur, reprobi verò eam non ſolùm negligunt, ſed ſi fortius vrgeantur, iras animo concipiunt; & aduerſus Dei verbum hoſtiliter inſurgunt. Ita fit, vt qui regnante ſuperſtitione ſanctiſsimi putabantur; tunc ſe apertos Dei hoſtes & mortalium impijſsimos eſſe prodant. Factum hoc Chriſti tempore, quando meretrices & publicani illum docentem audiuerunt, & fide vera amplexi ſunt, impiè aduerſus eum pugnantibus phariſæis, qui optimi et ſanctiſsimi prius habiti fuerant. Et hodie hoc ipſum paſsim eſt videre. Quem enim ardenti fide recipiunt multi, qui prius ab omni religione alieniſsimi erant, eum ferro & igne perſequuntur Monachi & horum diſcipuli, qui prius mundo mortui eſſe videbantur. Fit idem, ſi quando inter ipſos Euangelij profeſſores de grauiori aliquo dogmate diſſenſio oriatur. Tunc enim papiſticum fermentum in multorum animis adhuc latere deprehenditur, quos prius perfecta Chriſti notitia inſtructos eſſe dixiſſes. Imprimis tamen hoc accidit, ſi quæ grauior tentatio ex perſecutione & apertis Chriſti hoſtibus oritur. Nam tunc quoque turpiter deficiunt ſæpe qui eccleſiæ columnæ & baſes videbantur, cùm è contra ſtrenuos Chriſti milites & intrepidos gloriæ eius vindices videas, qui antea vix tironum loco habebantur. Specimen eius rei in morte Chriſti luculentiſsimum habemus: quando Petrus feruentiſsimus ille fidei propugnator cum alijs diſcipulis neſcio vbi abſtruſus latuit, Nicodemus verò & Ioſephus noua animi fiducia confirmati Chriſtum è cruce ablatum honorificæ ſepulturæ mandarunt. Quid autē de latrone dicemus, qui ex cruce eius innocentiam & diuinam atq; ſaluificam virtutem publicè prædicat, quem paulò ante Petrus turpiter negarat? Sunt hæc Dei iudicia admirabilia, quorum exempla nobis ideo proponi cogitemus, vt neq; de nobis ipſis temere quid polliceamur, neq; aliquem hominum præcipiti ſententia damnemus. Probè autem memores ſimus eorum, quæ toto ſuo vaticinio Simeon tradidit, & ita nos ad omnem huius vitæ euentū præparemus, vt quando in magno illo die omnium cogitationes detegentur, nos cum vnigenito Dei filio, Ieſu Chriſto, in cælis æternum viuamus & regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Erat etiam quędam Anna propheteſſa, filia Phanuelis, ex tribu Aſer: hæc proceſſerat in multam ætatem, poſtquam uixiſſet cum uiro annis ſeptem à uirginitate ſua. Et cùm eſſet uidua quaſi annorum octoginta quatuor, nō abſcedebat à templo, ieiunijs ac deprecationibus ſeruiens Deo noctem & diem. Hæc igitur cùm ea ipſa hora ſuperueniſſet, uiciſſim confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus, qui expectabant redemptionem in Hieruſalem. At illi ut perfecerunt omnia ſecundùm Legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, implebaturq; ſapientia, & gratia Dei erat ſuper ipſum.

QVanquàm Ieſus Chriſtus, æternus Dei filius & ipſiſsima Veritas ſit, & proinde ab homine teſtimonium non accipiat, neq; etiam opus habeat vt hominum teſtimonijs commendetur: propter nos tamen illum à multis prædicari oportuit, vt facilius ipſum recipiamus, & eum abſq; omni perſonarum reſpectu ad omnis loci & ordinis homines ſciamus pertinere. Et hæc cauſa eſt, ob quam Lucas omnis generis teſtimonia ex ordine commemorat, quæ diuerſæ multùm conditionis homines illi perhibuerunt. Audiuimus enim Ioannem infantulum adhuc in vtero matris deliteſcentem de illo teſtatum fuiſſe. Fecerunt idem Zacharias ſacerdos & eius vxor Elizabet, coniuges ſanctiſsimi; paſtores item, homines illiterati & à dolo alieni, Simeon ſenex probus & pius, adhæc Magi ex Oriente in hunc finem adducti, quibus ex parte ſuccinuerunt ſcribæ & ſacerdotes ab Herode de eius natali loco interrogati. Poteſt his ipſa Virgo mater adnumerari, quæ procul dubio quod ex Angelo audiuerat, Ioſepho ſponſo ſuo retulit, vt iam de eius Cantico nihil dicamus, quo totum hoc negotium complexa eſt. Et Ioſephum quoq; ab Angelo de re tota edoctum fuiſſe audiuimus, qui etiam

ipſe non ſibi ſoli ſeruauit, quæ ex illo didicerat. At ne quod hominum genus deeſſet, additur his omnibus vidua quoq; ætate grauis & multa pietate celebris, Anna nimirum, cuius teſtimonium in prima huius loci parte deſcribitur: cui poſtea Ieſu pueritiam Lucas ſubijcit.

Annæ deſcriptio.

Rurſus autem à perſona deſcriptione orditur, in qua omnia dicit, quæ ſecundùm Rhetorum leges in hominis commendationem dici poſſunt. Nam etſi Dei veritas minimè pendeat ab hominum authoritate, neq; etiam hac nitatur fidei & ſalutis noſtræ certitudo, non diſſimulat tamen ſpiritus ſanctus ſeruorum Dei virtutes, quò minus habeant calumniandi occaſionem impij, & vt doceat ſimul quibus ſtudijs ipſi quoq; fidem noſtram Deo & hominibus probare debeamus.

Prophetiſſa.

Primò autem prophetiſſam fuiſſe ſcribit, quo nomine non vulgaris verbi Dei in ſcripturis reuelati cognitio aut diuinæ voluntatis ſtudium, ſed ſingulare donum ſpiritus ſancti ſignificatur, quo inſtructa non ſolùm veteres prophetias intellexit, ſed priuatim quoq; de multis admonita eſt, quæ illis temporibus cognitu et obſeruatu neceſſaria erant. Quàmuis enim poſt Malachiam nullus extitiſſe legatur, qui munus prophetandi publicum obiret, voluit tamen ſubinde aliquos extare Deus priuatos homines, in quibus veteris doni virtus ſeſe exereret, per quos & pij priuatim in ſpe & expectatione Meſſiæ confirmarentur, & quorum exemplo atq; authoritate Sacerdotum & Scribarum audacia ſiue impietas aliqua ex parte coerceretur. Et talis illo tempore Simeon fuit, de quo nuper diximus, talis etiam fuit Anna hæc cum pauculis alijs, quos propter ſui populi reliquias Deus donis præſtantioribus inſtruxit. Facit autem hoc imprimis ad commendationem teſtimonij, quod illa de Chriſto tulit. Quia enim prophetiſſa fuit, non humanum figmentum cenſeri debet, aut deliræ anus ſomnium, quod illa dixit, ſed hoc omne ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione dictum eſſe firmiter tenendum eſt.

Genus.

Deinde natales eius indicat, & filiam Phanuelis, fuiſſe ait, hominis nimirum non obſcuri (nam talium nomina apponere ridiculum & ſuperuacaneum eſſet) ex tribu Aſer. Et ſanè, cùm iampridem tribuum confuſio cœpiſſet (vt alibi diximus) non obſcuros & abiectos omnino fuiſſe oportuit eos, quorum genus & maiores certò oſtendi poterant.

Aeducatio.

Tertiò pueritiam & adoleſcentiam vnà cum aducatione à primis annis vno quaſi verbo comprehendit, quando eam ſeptem annis à virginitate ſua cum viro ſuo vixiſſe ſcribit. Ita enim docet, eam à primis annis pudicè & caſtè aducatam fuiſſe, vt illæſo virginitatis pudore ad maritum, cui legitimè deſponſa fuerat, acceſſerit, & cum eodem annos ſeptem tranſegerit ea morum probitate & fidei coniugalis integritate, quæ matronam piam & honeſtam decet.

Vidua.

Quartò conditionem eius, quæ tunc erat, oſtendit. Nam viduam annorum octoginta quatuor fuiſſe ait: ex quo apparet, eam ætate adhuc integra maritum amiſiſſe, quod magnum pudicitiæ ſingularis argumentum eſt. Conſtat enim viduas iuniores plerunq; ad libidinem procliues ſecundas nuptias appetere, & multa facere petulantius, niſi nouo coniugij fræno coerceantur. Quod Paulus obſeruans tales eccleſiæ nequaquam obtrudendas, ſed remittendas eſſe monebat, vt nubant, viris obediant & domum adminiſtrent. Fuit ergo rara & ſingularis hæc Annæ virtus, quòd optimam & præſtantiſſimam ætatis partem ad extremam vſq; ſenectam abſq; omni publica reprehenſione tranſigere potuit.

Studia & mores.

Poſtremò ſtudia quoq; eius recenſet, quibus toto illo tempore dedita fuit. Non abſcedebat (inquit) à templo, ieiunijs & deprecationibus ſeruiens Deo noctem & diem. Putant aliqui eam ex illarum numero fuiſſe, quæ tota Deo ſacræ ad oſtium tabernaculi excubabant, de quibus in Lege ſermo eſt, & quas olim à filijs Heli corruptas fuiſſe in hiſtoria Samuelis ſcribitur. Sed cùm incertum ſit, an mos ille ad Chriſti aduentum vſq; durarit, veriſimilius eſt hoc per Hyperbolem dici, & ſenſum eſſe, quòd vitam omnem Deo conſecrauerit, ſeq; totam addixerit veræ pietatis exercitijs, vt quodammodo nunquam à templo abſcedere videretur. Si enim hæc rigidius ſecundùm literam accipere velimus, Lucam ſibijpſi contradicentem fingemus, qui paulò poſt dicet eam illo ipſo temporis articulo ſuperueniſſe, cùm Simeon ſuum de puerulo Ieſu vaticinium proferret. Quomodo autem ſuperuenire potuit, ſi nunquam diſcedebat? Quo ſenſu etiam intelligi debet, quòd ieiunijs & deprecationibus Deo ſeruiuiſſe dicitur dies & noctes. Nec enim dubium eſt, quin cibum quoq; ſumpſerit ad vitam ſuſtentandam neceſſarium, ſomno item locum dederit, quando ſine hoc nullis laboribus & ſtudijs poſſumus ſufficere. Commẽdat ergo eam Lucas ab aſſiduo pietatis ſtudio, & quòd relictis, quoad eius fieri poteſt, omnibus alijs actionibus hoc vnum curarit, vt publicè quidem ſacris communibus intereſſet, & Deum precibus communibus placaret, priuatim verò domi cum precibus ſobrietatem &

piam

piam temperantiam coniungeret, ne praui carnalium affectuum motus ſuſceptum pietatis ſtudium
turbarent. Fuerunt hæc paulò diligentius explicanda, vt maioris apud nos ponderis ſit fœminæ tot
virtutibus illuſtris teſtimonium, & quòd in eius exemplo multa continentur, quæ ad formandos mo-
res & veræ pietatis ſiue religionis doctrinam plurimùm faciunt.

Occurrit in his primum, quòd tria vitæ genera Annæ tribuuntur. Nam & virgo vixit, & con- Anna uirgo, coniux & uidua.
iux fuit per annos ſeptem, & poſtremo vidua manſit annis quaſi octoginta quatuor. Ita autem ſin-
gulorum meminit ſpiritus ſanctus, vt nullũ ex ijs reprehendat, imò in ſingulis oſtendat, quod ad il-
lius commendationem facit. Ergo neq; virginitas, neq; coniugium, neq; cœlibatus ſiue viduitas per ſe
aliquam reprehenſionem merentur, neq; nos à regno Dei abſtrahunt. Vt enim virginitas nobiſcum
naſcitur, & in ſe bona atq; ſancta eſt: ſic coniugium Dei inſtitutũ eſt bonum & ſanctum, & idem il-
le nobis viduitatis author eſt, quando coniugem nobis aufert. Et cùm Anna in omnibus hiſce vitæ
generibus ſanctè & inculpatè vixerit, Deoq; grata & accepta fuerit, non dubium eſt, quin hoc ipſum
omnibus liceat, vt vel virgines maneant, vel coniugij vinculũ ſubeant, vel vidui aut cœlibes ad ex-
tremum vſq; viuant, niſi peculiari Dei vocatione aliud iubeantur. Nam quia non eſt perſonarum
reſpectus apud Deum, & in Chriſto non eſt ſeruus aut liber, non mas aut fœmina, non princeps aut
ſubditus, ſequitur nos quoq; propter nullum vitæ genus, quod per ſe ſanctum & honeſtum eſt, illi di-
ſplicere poſſe: ſed hoc à nobis requiri, vt in Chriſto Ieſu renati et noua creatura facti, ſanctè viuamus,
& officij probè memores ſimus, quod in vnaquaq; vocatione à nobis exigitur. Eſt hoc diligenter ob-
ſeruandum propter nimios virginitatis & cœlibatus admiratores, qui hæc duo vitæ genera ſic com-
mendant, ut coniugio vix locum aliquem honeſtum inter Chriſtianos relinquant. Nam quàmuis hoc
ad humani generis conſeruationem neceſſarium eſſe fateantur, eos tamen qui coniugio operam dant,
in carne viuere aiunt, & proinde Deo placere non poſſe. Et quia durum atq; impoßibile erat omnes
homines ab illo reuocare, hoc ſaltem efficere ſtuduerunt, vt ijs non liceret matrimonium contrahere,
qui ad aliquod eccleſiæ miniſterium ſunt deſtinati. Fuit hoc egregium Satanæ ſtratagema, qui cùm
non ignoraret dictum illud Dei, Non eſt bonum, hominẽ eſſe ſolum: curauit vt ſub planſibili caſti-
tatis et pudicitiæ prætextu eos ſtupris, adulterijs & omni libidinis genere infames & contemptos fa-
ceret, qui ſuo exemplo omnibus alijs pudicitiæ & honeſtatis magiſtri eſſe debebant: imò eadem opera
religionem quoq; & vniuerſum Dei cultum in contemptum adducere ſtuduit, vt non tam ſacris mi-
niſterijs deſtinatos perderet, quàm eos etiam, qui per illos inſtituebantur. Quod Paulus olim præui-
dens grauiter monuit, dæmoniorum doctrinã eſſe, quæ coniugij vſus prohibetur. Fatemur equidem, 1.Tim.4.
quoad præſentem vitam commodius agere eos, qui dono virginitatis præditi nullis coniugij curis &
moleſtijs diſtrahuntur. At quia donũ hoc neq; omnibus cõmune eſt, neq; vt illud habeamus in noſtro
arbitrio ſitum eſt, ſimulq; conſtat eos qui illo deſtituuntur grauiter vri et turpißimis deſiderijs atq;
cogitationibus turbari: nimis periculoſum & iniquũ fuerit, aliquem ad hoc capeſſendum cogere, quod
neq; tu ei dare potes, neq; ſi poſſes ille accipere poteſt, niſi ſingulari Dei gratia iuuetur. Itaq; nõ mi-
nore diligentia nobis obſeruandi ſunt ſcripturæ loci, quibus coniugij vſus commendatur, & tenenda
ſemper Apoſtoli regula: Propter fornicationes, ſuam quiſq; vxorem habeat, & proprium quæq; vi- 1.Cor.7.
rum habeat. Quòd ſi qui hanc libertatem in nobis damnare volent, meminerint quæſo illi, non nos
huius primos authores ſiue vſurpatores eſſe, ſed pro nobis ſtare Dei inſtitutum, cuius ſtudioſißimos
fuiſſe conſtat omnes ferè eos, qui in vtroq; teſtamento veræ pietatis nomine commendantur.

Deinde continet Annæ exemplum omnia per omnes gradus ſexus muliebris officia. Primò vir- Muliebris ſexus officia.
go pudica & caſta ad maritum legitimum deuenit. Eſt hoc præcipuum, quod poſt religionem et di- Virgines.
uini cultus ſtudium in puellis requiritur: vt nimirum pudicitiæ ſuæ curam atq; rationẽ habeant dili-
gentem, ne & ſeipſas turpiter proſtituant, & maritos poſtea primo ſtatim congreſſu ſub ſancto coniu-
gij prætextu perfidè fallant. Nam vt hoc ab ea ætate & ſexu alieniſsimũ eſſe Lex naturæ admonet:
ita conſtat Deum graue ſuppliciũ impudentibus illis conſtituiſſe, quæ illud facere audent. Sic enim
Deut. 22. cap. loquitur Moſes: Si quis vxorẽ duxerit, & acceſſerit ad eam, atq; non inuenta fuerint
apud eam ſigna virginitatis, ducent ſeniores ciuitatis puellã illã ad oſtiũ domus patris ſui, obruentq;
illã ciues ciuitatis illius lapidibus, vt moriatur: quia fecit nefas in Iſrael ſcortando in domo patris
ſui, et exutes malũ è medio tui. Plurimùm ergo proderit, ſi religioni à teneris annis puellæ aſſueſcant,

domus amantes ſint, loca publica deuitent, à ſpectaculis turpibus abſtineant, omnem deniq; laſciuiæ
ſpeciem fugiant, quæ impudentiores in veſtitu, geſtu, ſermone & infinitis alijs rebus (vt nihil nequi-
Maritatæ. tia eſt ingenioſius) vti conſueuerunt. Deinde vbi viris connubiali vinculo coniunguntur, memine-
rint, ſe iam in virorum ſuorum ius tranſiuiſſe, quibus ipſe Deus in vxores imperium conceſsit. Itaq;
viros ſuos cum reuerentia diligant, fidem illis promiſſam inuiolatam & ſanctam ſeruent, rem dome-
ſticam adminiſtrent ſummo ſtudio, liberos ſuos ſanctè aducent, & patienter ferant labores & mole-
ſtias, quibus Deus coniugium propter nos grauauit, vt carnem plus æquo laſciuientem in officio con-
tineat. Et hæc quidem non tunc ſolùm præſtanda eſſe ſciant, ſi mariti illis obtingant commodi, & qui
viciſsim ſui etiam officij memores ſint: verumetiam iniquis & duris ſeſe officioſas et obſequentes præ
beant. Nec enim laudem merentur, quæ ex alienis peccatis occaſionem peccandi arripiunt, ſed quæ
ſua modeſtia et prudentia virorum moroſitatem corrigere & vincere ſatagunt. Probatur quidem in
ſacris literis Sara, quæ Abrahamum, virum omni virtute ornatiſsimum, amore fido proſecuta eſt,
& eum dominum ſuum agnouit. At non minor laus Abigaeli debetur, quæ Nabali, hominum ine-
ptiſsimo & importuno nimis, fidelis fuis, & ſui capitis periculo Dauidem illi imminentem placauit.
Deniq; curent vxores, vt maritis ſuis decori & ornamento ſint: quod tunc omnino fiet, ſi cum fide
coniugali induſtriam atq; modeſtiam coniungant. Quòd ſi quæ abſterſo pudore in libidinem feruntur,
hæ & rem domeſticam perdunt, & maritis quidem atq; ſuis omnibus infamiam, ſibijpſis verò cum
hac exitium quoq; accerſunt. Nec eſt, quòd eiuſmodi mulieres vel formæ, vel generis, vel opum fi-
dutia ſeſe extollant. Fluxa enim ſunt hæc omnia, & niſi pietas morumq; probitas accedat, circulus
aureus ſunt in naribus porci, vt olim Solomon dicebat. Sed idem ille Prouerb. cap. 31. prolixè deſcri-
bit vxoris fidæ & induſtriæ exemplum, quod ſibi imitandum proponere debent, quæcunq; tam ſibijp-
Viduæ. ſis quàm maritis ſuis conſultum volunt. At ſi contingat, vt maritis hac vita defunctis ipſæ ſuper-
ſtites ſint, licet eis, vt vel ad ſecundas nuptias animum apponant & alijs viris nubant, vel vt in vi-
duitate maneant. Nec enim eorum ſententia admitti debet, qui ex ſingularibus exemplis earum, quæ
abſq; ſuperſtitione in viduitate manſerunt, generalem doctrinã colligunt, & ſecundas nuptias dam-
nant, cùm & Dei Lex extet, quæ olim fratri defuncto ex relicta eius vxore ſemen ſuſcitare iubebat:
& Paulus innuptis & viduis omnibus dicat: Bonum & commodum quidem eſt eis, ſi ſic manſerint:
ſed ſi ſe non continent, nubant: nam ſatius eſt nubere quàm vri. Et exempla ſunt Ruthæ & Abi-
gaelis, atq; aliarum plurium, quæ cùm propter fidem & pietatem in ſcripturis commendentur, viris
tamen alijs abſq; crimine coniugatæ fuerunt. Si cui verò vita cælebs arriſerit, & à nuptijs abhorrue
rit, ante omnia illam meminiſſe oportet, ſe viri quidem legibus non amplius teneri, non autem ideo
exlegem eſſe quoad Deum, quin potius eò magis ſibi vigilandum eſſe, ne carnis laſciuientis cupidi-
tatibus & diaboli illecebris circumuenta aliquid aduerſus morum honeſtatem & Chriſtianam ſan-
1. Tim. 5. ctimoniam deſignet. Ideo Paulus olim monebat: Quæ verè vidua eſt ac ſola, ſperat in Deo, & per-
manet in deprecationibus & orationibus noctem & diem. Quibus addi debet, quod idem omnibus
fœminis iam ætate prouectis præcipit, vt in ſtatu qui ſanctimoniam decet degant, non calumniatri-
ces ſint, non vino deditæ, vtq; fœminas iuniores doctrina ſimul & exemplo ad honeſtatem inſtruant.
Talem olim Iuditham fuiſſe legimus, tales Martha & Maria, Lazari ſorores, fuerunt, ſiue illæ
virgines, ſiue viduæ fuerint: & talem in præſenti Annam fuiſſe Lucas ſcribit. Quarum exempla ſi
quæ imitantur, illæ profectò multa laude dignæ ſunt. Cauendum tamen in eo inſtituto diligenter fue
rit, ne quæ ſuperſtitioſa huius ſtatus fiducia illas decipiat, aut ne dũ maiora viribus ſuis ſuſcipiunt,
ſatanæ occaſionem præbeant & pudicitiæ iacturam faciant, vel (quod imprimis damnat Apoſtolus)
ne otioſæ domus circuire diſcant, imò nugaces & curioſæ garriant quæ non decent. In ſumma, An-
næ exemplum virgines, maritatæ & viduæ ſibi applicent, vt ex eo decerpant, quod ſingularum vo-
cationi conuenit, ne in ſolo poſtremo hærentes, quod de eius viduitate dicitur, ſtulta & præpoſtera
æmulatione peccent & à Deo ſibi creditam ſtationem deſerant.

Pietatis uerę exemplum. Habemus præterea in Anna hæc veræ religionis & pietatis typum, quem viri quoq;, adeoq; om-
nis ſexus & ætatis homines imitari debent, vt Deo probari poſsint. Fuit illa Propheti ſſa, quo no-
mine etſi donum ſpiritus ſingulare ſignificetur (vt diximus) quod neq; commune omnibus neq; etiam
ſemper neceſſarium eſt, ſimul tamen prophetandi verbo ſtudium ſcripturæ ſacræ & verbi Dei de-
notatè

notari ſcimus, & in priori ad Corin. prophetare dicuntur tã qui ipſius ſcripturæ oracula interpretan
tur, quàm qui horũ interpretes audiunt. Eo aũt ſenſu prophetiæ ſtudiũ omnibus neceſſariũ eſt, quia
ſine Dei verbo neq; fides noſtra cõſiſtere, neq; cultus aliquis deo probari poteſt. Ideo paßim illud com Luc. 10.
mendatur, et Chriſtus Marthæ circa multa occupatæ vnum hoc neceſſariũ eſſe dicebát, quod Maria
ſibi faciundũ delegerat, quum ad pedes eius conſidens Dei verbũ ex illo audiret. Eſt ergo religionis
& cultus diuini principiũ verum verbi Dei ſtudiũ, à quo quicũq; alieni ſunt, ij neq; religioſi dici poſ-
ſunt, neq; ſalutis vnquã participes erunt. Deinde in templo frequens et aßidua fuiſſe dicitur Anna,
quo dicto omnia publica pietatis aut religionis exercitia comprehenduntur, quæ & Dei beneficia no
bis repræſentant, & eiuſdem promißiones nobis obſignant, noſq; noſtri officij admonent, qualia apud
veteres ſacrificia & ſolennia feſta aliiq; ritus ſacri fuerunt, hodie aũt ſacramentorum vſus eſt, qui
ex Chriſti inſtituto in eccleſijs obſeruatur. Quæ omnia cum ſimul ad fidei confeßionem pertine-
ant, minimè negligi debent ab ijs, qui Dei cultores cenſeri volunt: qua de re ſupra in circuncißionis Ie
ſu Chriſti hiſtoria ſatis eſt dictum. Cæterùm non ea fuit apud Annam externi cultus fiducia, vt ſe
omni pietatis officio defunctã putaret, ſi à templo vix vnquã abſcederet, ſed huius ſtudio ſimul alia
pietatis exercitia coniunxit. Nam Deo publicè & priuatim, adhæc dies noctéſq; ſeruiuit ieiunijs
et deprecationibus. Vbi deprecationũ nomine multa ſimul comprehenduntur. Nam primò his fidem
ſuam publicè teſtata eſt, cuius propriũ opus eſſe inuocationem alibi diximus. Deinde non potuit huic
ſupplex fieri, quin ei ſe totam ſubijceret atq; conſecraret. Hinc ergo vitæ probitas & morũ honeſtas
atq; ſanctimonia, quæ per omnes ætatis ſuæ gradus eluxit. Innuit præterea deprecationũ vox, quòd
infelicem populi conditionẽ miſerata, calamitates quibus tunc paßim premebantur deprecata ſit, &
Deum inuocarit, vt promißionum veterũ memor Meßiam daret, qui rebus afflictis opem ferret.
In quibus omnibus vt feruentior eſſet, ieiunia coniunxit, quorũ hunc vſum ſcriptura eſſe docet, non
vt ſuo merito nobis Deum concilient (nam ſiue editis ſiue ieiunatis, non mihi, ſed vobis ieiunatis et Zach. 7.
editis, inquit ille) ſed vt carni ferocienti frænum iniciatur, vt vel inuita ſpiritui obtemperet. Ideo nõ
ad aliqua ciborum diſcrimina, neq; ad certos dies olim ieiunia aſtringebantur: ſed tunc illa ſuſcipie-
bant pij, quando vel publica aliqua neceßitas preces ardentiores & feruentius pietatis ſtudiũ exige
bat (vt apud Ioelem eſt videre) vel ipſi priuatim ſentiebant carnis affectus diſciplina arctiori repri- Ioel. 2.
mendos eſſe. Et de hoc Chriſtus admonet, qui ieiunandũ tunc eſſe dicit, quando ſponſus à nobis diſce-
dit, id eſt, quãdo ipſum minus apud nos poſſe videmus, & periculũ eſt ne ſpiritus Chriſti in nobis per
carnis petulantiã ſuffocetur, quantũ in nobis eſt. In eo aũt ieiunij genere omnia ea remouentur, quæ
carnis ferociã augere poſſunt, cibi nimirũ delicatiores, vini vſus immodicus, veſtes molliores & ad
faſtũ factæ, imò & thori coniugalis vſus, & quæcunq; aliæ voluptates per ſe honeſtæ et conceſſæ ſunt.
Ita Annã quoq; ieiunaſſe certũ eſt: & proinde nihil faciunt hypocritæ, qui quoties de ieiunijs in ſcri-
ptura agitur, de ſuis illis dici putant, quæ ſuperſtitioſo ciborũ diſcrimine conſtant, & certis diebus al
ligata ſunt, & in quibus ipſi meritũ boni operis conſtituunt, imò non poſtremã ſalutis fiduciã repoſi-
tam habent. Scimus quidẽ non multò poſt Apoſtolorũ tempora cœpiſſe ieiunandi conſuetudinẽ ſolen-
nem: ſed non eadem huius ratio vbiq; locorũ fuit, neq; legibus neceſſarijs quiſquam piorũ aſtringeba-
tur, ſed ſufficiebat ſi quis eccleſiæ, qua tũ viuebat, ſeſe accõmodauiſſet, ſalua interim aliorũ libertatẽ.
Nam vt D. Auguſt. ſcribit, alij ſabbato ieiunabant, alij non item. Et idẽ D. Ambroſij; cuius ſen Ad Ianuar. epiſtola 118.
tentiã ipſe matris nomine requiſiuerat, eiuſmodi de hac re reſponſum profert: Cùm Romã venio, ieiu
no ſabbato: cùm hic ſum, non ieiuno. Sic etiã tu ad quam forte eccleſiã veneris, eius morẽ ſerua, ſi cui-
quam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquã tibi, etc. Hæc (inquã) piorum libertas fuit olim, quam poſte
ris temporibus homines ſuperſtitioſi ineptis traditionibus aſtrinxerunt, quibus conſcientiæ multorũ
grauiter excruciatæ ſunt. Præſtat ergo veterẽ & in ſcripturis traditum ieiuniorũ vſum retinere, et
curare vt tota vita ſobrietatẽ chriſtianam referas, vt omni temporis momento ad omne opus bonũ
idonei ſimus. Et hæc illa religio vera & hæc illa pietas eſt, quã Paulus ad omnia vtilem eſſe, & tam
præſentis quàm futuræ vitæ promißiones habere ait, 1. Tim. 4.

Porrò tempus eſt, vt teſtimoniũ Annæ videamus, quod illa de Chriſto tulit. Abſoluit hoc paucis Teſtimoniũ Annæ de Chriſto.
Lucas, ſic ſcribens: Hæc igitur cùm ea ipſa hora ſuperueniſſet (nimirum ita ipſam gubernante Dei
prouidentia, quæ vt de Simeone diximus, nihil fortuitum eſſe ſinit) vicißim confitebatur Domino,

id eſt, ſuccinebat Simeoni, & huius dicta ſuo teſtimonio confirmabat: adhac loquebatur de eo omnibus, qui expectabant redemptionem in Hieruſalem, id eſt, quorum mentes in Chriſti aduentũ intentæ erant, & promiſſam in illo ſalutem cum fide expectabant. At hos paucos numero fuiſſe vel ex hoc loco patet, cùm plerique vel prophano Dei contemptu ſcripturas negligerent, vel humanis tradicionibus in ſectas ſciſſi circa inania figmenta vagarentur. Noluit autem ſpiritus ſanctus Annæ teſtimoniũ verbotim recitare, quia vt id fieret minimè opus erat, cùm non aliud dixerit; quã quod prius à Simeone dictum fuerat. Obſeruari potius debet, quòd non contenta Simeonis oraculo, ipſa quoque ſpiritu eam agitante idem de Chriſto teſtificatur. Facit hoc cõtra eorum ſententiam, qui vt ſuæ ignauiæ & timiditati aliquam excuſationem inueniant, minimè neceſſariam arbitrantur, vt ipſi ea dicant & palam profiteantur, quæ iam prius à multis alijs dicta ſunt. Atqui à ſingulis hoc requiritur, vt Chriſto teſtimonium ferant, & non alia harmonia magis delectatur Deus; quam qua fideles ipſius laudes & exhibitũ nobis in Chriſto beneficium vnanimi conſenſu celebrant. Neque opus eſt, vt quid noui fingamus, ſed in veteri ſanctorum Dei, qui olim fuère, confeſſione omnes perſeuerent, quæ nos falli non ſinet. Et hæc quidem fuerunt ſeruorum Dei teſtimonia, per quæ Chriſtum infantulum adhuc celebrari voluit Deus, vt de illo omnes ſpem maiorem conciperent.

Pueritia Ieſu.

Tranſit nunc ad deſcribendam pueritiam Ieſu, quæ & ipſa non pauca continet, quæ nos in illius cognitione poſſunt inſtituere. Interſerit tamen de Maria & Ioſepho, quòd poſtquam omnia ſecundum legem Domini peregerant, reuerſi ſint in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Vbi iam ſubijci debuiſſet fuga in Aegyptum, quam Angelo monente Ioſeph ſuſcepit, ut infantulum Herodis manibus ſanguinarijs ſubduceret. Sed quia illam hiſtoriam prolixè deſcripſerat Matthæus, eandẽ hîc repeti non fuit neceſſe: & quæ in illa nobis obſeruanda ſunt, alibi dicentur. Nunc pueritiam Ieſu paucis ſic deſcribit Euangeliſta: Puerulus aũt creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, implebaturq́ ſapientia, & gratia Dei erat ſuper ipſum. Creuiſſe illũ dicit, nimirũ quoad ſtaturã corporis, prout alij infantes ſolent, cùm repentè poſſet magnus fieri. Vt autem corpore creuit, ſic etiam ſpiritu & mente corroboratus eſt, vt ſcilicet in puerili etiam ætate maioris indolis ſpecimina apparerent, neq; vitijs illis puerilibus laboraret, qualia ſunt leuitas morum, petulantia, iudicij inopia, & ſi quæ alia ſunt huius generis. Addit, Implebaturq́ ſapientia: vt qui quoad diuinitatem ipſiſſima ſapientia eſt, hanc in aſſumpta etiam carne indies magis atq; magis declararet. Et gratia Dei erat ſuper ipſum. Quia enim dilectus ille Dei filius erat, & ex patris decreto homo factus fuerat, fieri non potuit, quin aſſumptum quoq; ab illo hominem pater ſingulari gratia donaret, quæ illum omnibus gratioſum atq; acceptum faceret. Scio hæc nonnullis abſurdiora videri, qui ne quid filio Dei indignum ſentire & dicere videantur; hæc omnia per neſcio quam diſpenſationem exponunt, quæ à ſimulatione & diſſimulatione nihil aut parum differt. At ſi iſta de Chriſto homine non verè dicuntur, non video quid illis reſponderi poßit, qui illum verè in cruce mortuum eſſe negant. Aut ſi mortuum eſſe meritò credimus, quæ obſecro religio eſt ea de illo nolle fateri, quæ cum nulla infamia aut ignominia coniuncta ſunt. Nam quòd illi incrementa ætatis & ignorantiam ſimpliciter inter pœnas peccati numerant, id nulla cum ratione & nimis præcipiti audacia faciunt, cùm alterum ſecundùm naturæ leges fiat, alterum Angelis quoq; tribuatur, qui nihil peccauerunt. Notum enim eſt illud Chriſti, quo Angelos diem poſtremi ſui aduentus neſcire affirmat. Sed vt demus iſta peccati ſupplicia eſſe, num ideo illa in Chriſto locum habuiſſe negabimus, qui vt mortem (quæ proprijſſimum peccati ſtipendium eſt) ſubiret, in mundum venit atq; homo factus eſt? Fateamur ergo quod omnis ſcriptura docet, Dei filium carnem veram aſſumpſiſſe, & ita hominem factum eſſe, vt noſtras quoq; infirmitates ſuſceperit, & fratribus (vt Apoſtolus loquitur) per omnia ſimilis factus ſit, vno peccato excepto. In his conſiſtit noſtræ fidei atq; ſalutis certitudo: quia inde colligimus, eius meritum ad nos pertinere, noſq́ Seruatorem habere fidelem & perfectum, qui nos quantumuis corruptos & perditos ſeruare poßit ac velit.

Chriſtus omniũ ætatum redemptor.

Imprimis autem hîc obſeruari debet, Chriſtum omnis ætatis hominum redemptorem eſſe, quando conſtat eum & infantem fuiſſe, & puerum, & iuuenem atq; virum perfectum. Eſt hoc cognitu valde neceſſarium quoad infantes & puerulos. Hos enim in peccato concipi et naſci, et hæreditariam illam naturæ vitioſitatem, quæ ex Adamo in nos deriuata eſt, ſecum ex vtero matris in lucem hanc

afferre

afferre conſtat. Ne quis ergo eos qui priuſquam ad Chriſti fidem perueniunt, moriuntur, à ſalute excluſos putet, illius infantia prohibemur. Quia enim Dei filius infantiæ infirmitates ſubire dignatus eſt, horum quoq; Seruator ſit oportet, niſi illum fruſtra infantẽ factum fuiſſe dicamus. Et quia idem agnus ille Dei eſt, qui omne mundi peccatum tollit, & proinde etiam Originale, nunquam propter hoc damnari poterunt ex Chriſtianis progeniti infantes, qui ex fœdere ad eccleſiæ & ſalutis in Chriſto exhibitæ ſocietatem pertinent. Nam quod Abrahamo dictũ fuit, Ero Deus tuus & ſeminis tui: hoc ipſum Chriſtus confirmat, dicens: Sinite puerulos ad me venire, nam talium eſt regnum Dei. Quod Paulus obſeruans, eos qui in impari coniugio naſcuntur, ſanctos dixit, eò quòd alterutrum parentem habeant fidelem. Sunt ergo temerarij nimis, qui infantum ſalutem in dubium vocant, et eos aperte damnant, qui abſq; baptiſmo decedunt: quaſi verò id Chriſti merito aliquid poſſit derogare. Sed de hoc alibi plura. Nunc exhibitum nobis à Deo ſalutis beneficiũ agnoſcamus, & tot tamq; præclaris teſtimonijs commendatũ nobis huius Mediatorem, Ieſum Chriſtum, vera fide amplectamur, inq; eo viuamus et proficiamus indies. Illi debetur benedictio, honor, gloria et poteſtas in æternũ. Amẽ.

HOMILIA XXIIII.

Et ibant parentes eius quotannis Hieroſolymam in feſto Paſchę. Cùm igitur factus eſſet annorum duodecim, aſcenderunt illi Hieroſolymã ſecundùm ritum feſti: peractiſq; eius diebus cùm reuerterentur illi, remanſit puer Ieſus Hieroſolymæ: neq; id ſciuit Ioſeph, neq; mater eius. Exiſtimantes autẽ eum eſſe in comitatu, ierunt uiam unius diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et cùm eum non inueniſſent, reuerſi ſunt Hieroſolymã quærentes eum. Et factum eſt triduo poſt inuenerunt eum in templo ſedentem in medio Doctorum, & audientem eos & eos interrogantem. Obſtupeſcebant autem omnes qui eum audiebant ſuper intelligentia & reſponſis eius.

LVcas Euangeliſta perquàm diligenter non ſolum incarnationem & natales filij Dei Ieſu Chriſti deſcribit, verumetiã quæ illo iam in carne manifeſtato acciderunt. Cauſam huius diligentiæ alibi annotauimus, quòd nihil in illo tam minutum eſt, quod non plurimum faciat ad noſtræ fidei et vitæ totius inſtitutionem. Vidimus hoc in teſtimonijs, quæ illi reddiderunt Angeli, paſtores, Simeon & Anna: quorum omnium hic finis & ſcopus eſt, vt doceant illum eſſe humani generis vindicem olim promiſſum, in quo vno ſalus & vita inueniri poſſit. Idem nos illius pueritia docet. Nam quia infans natus eſt, et per omnes omnium ætatum gradus adoleuit, apertè ſatis apparet, illius merito infantes quoq; ſeruari, adeoq; eum ætatum omniũ ſeruatorem eſſe. Ne tamen pueritia, quæ per ſe contempta & ridicula eſt, authoritati eius aliquid derogaret, dictum eſt nuper, illum vnà cum ætate et corporis ſtatura profeciſſe etiam ſpiritu & ſapientia: nimirùm vt in puero quoq; aliquid homine maius appareret. Quod ne temere dictum putetur, ſubijcitur diuinæ illius indolis & ſapientiæ ſpecimẽ, quod tunc edidit, quando annum ſuæ ætatis duodecimum demum attigit. Et eſt hoc eiuſmodi, vt non obſcurè hoc quaſi præludio publicè oſtenderit, ſe magnum illum prophetam eſſe, de quo olim Moſes vaticinatus fuit, & quem omnes audire debeant. Cæterùm continet ſimul iſta hiſtoria memorabile exemplũ educationis & inſtitutionis puerorum, quod vt quàm diligentiſſimè conſideretur non ſolùm dignum verumetiam neceſſarium eſt. Nam non ſine dolore cernunt pij, quantum in hac re vulgò peccetur: cùm & parentes pauci ſint, qui in liberorum educatione verum ſcopũ ſibi ſeriò proponant: & pleriq; pueri atq; iuuenes correctionis & diſciplinæ impatientes iugum omne impudenti nimis & incurabili proteruia excutiant. Fit ergo, vt qui legem peccati ex vtero matris ſibi connexã habent, inſuper diuturna peccandi licentia & conſuetudine ita indurentur, vt tandem parentibus ſuis acerbiſſimi doloris & ignominiæ, ſibijpſis verò exitij authores ſint. Itaq; etſi multa de hac re in ſcripturis tradantur, voluit tamen Deus in filij quoq; ſui educatione & pueritia exemplum omnibus numeris abſolutum extare, quod nemo ſanæ mentis contemnere poſſet, & quo omnes abunde admoneantur, quid hîc factu & obſeruatu opus ſit. Quæ cauſa eſt; quòd hiſtoriam hanc Lucas cum ſingulis ſuis partibus atq; circunſtantijs prolixè deſcribit. Et in præſenti quidẽ primùm occaſio rei geſtæ præmittitur, vbi

Vſus & ſcopus huius hiſtoriæ.

Ioſephi et Mariæ induſtria et ſedulitas indicatur, qua in puero Ieſu bene inſtituẽdo vſi ſunt. Narratur deinde, illos nihilominus dolorẽ et moleſtiã nõ vulgarẽ ſuſtinuiſſe, etiãſi officio ſuo minimè deeſſet: Quibus primũ quaſi tyrociniũ pueri Ieſu ſubijcitur, quod docet, quæ nã pueritiæ & iuuentutis exercitia eſſe debeant, ſiquidẽ & Deo placere velint, & ſenectã ſibi lætã & honorificã obtingere cupiant.

Ioſeph & Maria unà cum Ieſu aſcendunt Ieroſol.

Quoad primum, duo de Ioſepho (quem abuſiue patrem Ieſu dici, nuper monuimus) & Maria dicuntur. Alterum, illos quotannis in Paſchæ feſto Hieroſolymam aſcendiſſe: alterum, quòd eòdem ſecum duxerint puerum Ieſum, quàm primùm tantæ profectionis laboribus per ætatem ſufficere potuit. Vtrũq; autem non pro ſuo arbitrio fecerũt, ſed vt Deo obedirent, qui ita fieri præceperat. Nam Deuter. 16. ſic ſcribitur: Ter in anno apparebit omnis mas corã Domino Deo tuo, in loco quem elegeris: nempe in feſto azymorum, in feſto hebdomadum, & in feſto tabernaculorũ. Præcipit præterea Deus, vt liberi quoq; epulo paſchali adhibeantur; & vt ijſdem diligens omniũ reddatur ratio, vt et Dei vetera beneficia norint, & huic credere atq; eundẽ colere diſcant. Quod ergo Ioſephus et Maria faciunt, verè bonum opus eſt, cùm ex fide & ſecundùm diuinæ legis præſcriptum illud omne fiat. Ita verò pietatis ſimul & obedientiæ veræ, quæ Deo debetur, exemplum nobis exhibent. Nam multa erant, quæ illos à profectionibus eiuſmodi reuocare poterant, ſi carnis potius rationes quàm Dei præcepta audire voluiſſent. Erat enim iter hoc longũ, quod vix aliquot diebus cõfici poterat. Atqui grauis qualiſcunq; profectio eſt tenuioris fortunæ hominibus, qui manuum labore victitant. Neque vnius diei feſtum illud erat, ſed diebus totis octo durabat, quibus impenſæ extraordinariæ faciendæ erant, quibus non poterant non plurimùm grauari. Adhæc ſuperuacaneum & tantumnon ſuperſtitioſum videri poterat ad feſtum paſchæ eos proficiſci, qui verum illum agnum Dei penes ſe habebant; & quem noſtrum paſcha eſſe Apoſtolus teſtatur. Sed non mouent hæc omnia iſtos, quò minus expreſſo Dei mandato obtemperẽt. Vnde facilè colligitur, quàm ſtudioſè in reliquis omnibus Deum coluerint, qui in re laboris & ſumptus plena nihil omittendum eſſe putarunt. Arguunt iſta noſtri ſeculi ſocordiam. Habemus nos hodie, cùm correctionis tempus iampridem aduenerit, omnia veteribus illis ritibus præſtantiora. Nam in Dei verbo ipſe Chriſtus nobis præſens ſiſtitur, & (vt Paulus Galatis dicebat) per Euangelium ita depingitur, vt inter nos crucifixus videri poſſit. Cœtus item ſacros & publicas preces ampliſſima promiſſione nobis Chriſtus commendat, quòd & illis medius intereſſe, & preces patri acceptas facere velit. Adhæc non longis itineribus neque impenſis magnis opus eſt, quando Deus iam paſſim adorari & coli poteſt in ſpiritu & veritate. Attamen non mouent iſta pleroſq;, quin Deum ipſum & ſacra omnia negligant.

Exod. 13.

Galat. 3.

Parentes liberorum inſtitutionem à ſeipſis incipiant.

Sed vt ad huius Sermonis argumentũ accedamus, admonentur hoc exemplo parentes, inſtitutionem liberorũ tunc rectè fieri, ſi à ſeipſis initiũ faciant. Conſtat enim in quouis doctrinæ & artificij genere nihil efficatius eſſe exẽplis, & hæc eò efficaciora eſſe, quò magis apud nos in pretio ſunt, à quibus illa præbentur. Quia ergo parentũ authoritas apud liberos maxima eſſe debet, & ijdẽ illos vt plurimùm amant, etiã atq; etiã cauendũ erit, ne ipſis alicuius exempli mali authores ſint. Imprimis autẽ pietati erga Deũ parentes ſtudeant, & illã aſſidua auditione verbi Dei, colloquijs de Deo religioſis et precibus crebris teſtentur. Ita liberi quoq; à primis annis religioni aſſueſcent, qui è cõtra nõ poſſũt non Dei cõtemptores fieri, ſi parẽtes diuina oĩa contemnere et calũniari videant. Poſt religionẽ verò proxima pudicitiæ & honeſtatis cura ſit, cuius tam attenti obſeruatores olim Romani fuerunt, vt nefas putarent in eodem balneo ſimul patrem & filium, aut ſocerum & generum conſpici. Imprimis verò à verbis aut ſermonibus obſcœnis abſtineant. Solent enim hi in puerorum animos altius inſidere quàm putetur, & notus eſt poetæ verſus, quem Apoſtolica authoritate ſpiritus ſanctus cõmendari voluit: Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Quantò magis verò cauendum erit, ne fidem coniugalẽ turpiter fallendo liberis occaſionẽ præbeãt de illa leuius iudicandi, qui proximus ad omnẽ libidinẽ gradus eſt. Accedat his concordiæ coniugalis ſtudiũ, quæ vt omnes coniugij moleſtias leues reddit: ita ad liberorũ inſtitutionẽ admodũ neceſſaria eſt. Si enim inter ſe diſſideant cõiuges, mox iurgijs & cõuitijs mutuis oĩa ſtrepũt, quorũ non alius fructus eſt, quàm quòd omnis illorũ authoritas apud liberos intercidit, & ijdẽ moribus iſtis aſſueſcunt, vt ipſi quoq; moroſi & intractabiles fiant. Præterea œconomiæ et impenſarũ certã rationẽ habeant parẽtes, ne vel prodigaliores vel æquo tenaciores ſint. Nã qui luxu delectãtur, ij ferè et cibis delicatiorib. et veſtitu molliori liberos corrũpunt,

1. Cor. 15.

vt et ipſis vbi adoleuerunt, nihil ſatiſfaciat. Qui verò auari nimis officia Chriſtianæ beneficentiæ negligunt, liberis quoq; exemplo ſunt, vt inhumani & immiſericordes nudis aliorũ malis cõmoueantur, et tandẽ in raptores & tyrannos degenerent. Poſtremò plurimùm hîc proderit, ſi parentes de ijs qui in rep. præſunt, aut eccleſiarum miniſtri ſunt, aut ſcholarum gubernacula regunt, honorificè ſentiant atq; loquantur. Hinc enim fit, vt liberi quoq; hos omnes admirentur, & proinde magiſtris ſuis facilius obtemperent, legum diſciplinam non impatienter ferant, et verbi Dei admonitiones atq; increpationes nõ ſcurriliter eludant, ſed ijs emendentur. Et hæc præcipua ſunt, in quibus parentes liberis ſuis præire debent, ne proprio exemplo eos offendant & corrumpant, quos ad pietatem & honeſtatẽ dibebant inſtituere. Vbi illos ſemper meminiſſe oportet grauis illius ſententiæ, quam Chriſtus pronunciauit: Quiſquis offenderit vnum ex paruulis hiſce, qui in me credunt, præſtiterit ei vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris: Væ ei, per quem venit ſcandalũ. At facilè in hoc ſibi cauebunt, qui quod in Ioſepho et Maria habemus exemplũ ſibi imitandũ propoſuerint.

Liberi à pueris aſſuefaciendi ad cultum Dei.

In eo autem cumprimis obſeruari debet, quòd non ipſi ſolùm cultus diuini cauſa Hieroſolymam aſcenderunt, ſed eòdem ſecum duxerẽ Ieſum, qui duodecimũ modò ætatis annũ attigerat. Quia enim tenellũ adhuc ſacris intereſſe voluerunt, quis dubitet aliquid officij ab illis intermiſſum eſſe, quod ad formandã pietatem & morum probitatem facere poteſt? Itaq; non ſufficit, ſi ipſi quidẽ piè ſanctéq; viuamus, ſed annitendũ ſimul eſt, vt ijſdem ſtudijs et moribus noſtri liberi à pueris imbuãtur. Peccant in hoc plurimi, qui quaſi ſatis ſit liberos procreauiſſe, eos poſtea ſecurè negligũt. Sũt ij ignauorũ agricolarum ſimiles, qui arbores quidem omnis generis magno ſtudio plantant, ſed eaſdẽ fruteſcere ſinunt, vt ſuccreſcere et fructum ſperatũ ferre non poſſint. Non temere autẽ Lucas omiſſis alijs omnibus hoc vnum narrat, vt Chriſtum Hieroſolymam ad Paſcæ ſolennitatem ſecum duxerint. Eo enim docemur, hunc nobis in liberorum educatione ſcopum vnicum debere propoſitũ eſſe, vt illos Deo adducamus, et vt huic ſeruire atq; eius gloriã prouehere diſcant. Exigit hoc primùm iuſtitiæ lex, vt quia liberi nobis à Deo dati & eius quaſi depoſitũ ſunt, ijdem huic reſignentur, vt eius gloriæ ſeruiant. Deinde cùm natura peccatores naſcamur, neq; ex nobiſipſis boni aliquid poſſimus, neceſſe omnino eſt, vt telluris inſtar à pueris excolamur ad ferendum fructum Deo, & vt naturæ corruptio diuturniori conſuetudine (quam veteres non temere alteram naturam dixerunt) corrigatur. Vt enim canẽ vetulum loro aſſueſcere difficile eſt: ita nunquã poſtea diſciplinæ ſanctiori collũ ſubijcient, qui in impietate & prophano numinis contemptu callũ obduxerunt. Ideo Solomon rectè & grauiter monet, Initia vel inſtrue puerũ in ore viæ ſuæ, id eſt, in ipſa pueritia, dum quaſi in biuio conſtitutus vel ad virtutem vel ad vitiũ deflectere ſolent iuuenes. Tunc (inquit) cura, vt Deo conſecretur, & pietatis viã capeſſat. Et admonitionis huius cauſam ſubijcit: Etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Adhæc excitare debet parentes ad hoc ſtudium liberorum incolumitas et ſalus, cuius omnes homines natura ſtudioſiſſimi ſunt. Atqui conſtat illam ex hoc imprimis pendere, vt Deum nobis propitium habeamus. Et cùm præſtantior hominis pars ſit anima, cuius iactura (vt Chriſtus ait) ne totius quidem mundi vniuerſa ſubſtantia redimi poteſt, nimiùm ſtulti ſunt, qui vt liberis ſuis quoad corpus & huius ſeculi honores conſulant ringuntur, nihil interim de eo ſoliciti, an Dei cognitionem veram illi habeant, an huic per fidem in Chriſtum coniuncti ſint, & an norint in quo animarum ſalus & æterna hominis beatitas conſiſtat. Placent illi ſibijpſis in ſua induſtria, & quàm probè ſuis filijs conſuluerint magnificè gloriantur. At ſi rem ipſam propius inſpiciamus, non plus illi ex ſe natis conferunt, quàm bruta animalia ſuis pullis aut catulis conferre ſoleant, quos illa etiam eò vſq; educant, vt ipſi ſibi victum quærere poſſint. Et plerunq; fit, vt qui ingentes opum aceruos liberis ſuis congerunt, iiſdẽ nihil quàm peccandi materiam & diuinæ maledictionis ignem relinquant, quæ illos & in hoc præſenti & futuro ſeculo infeliciſſimos reddit. Multò igitur rectius Abrahamus & patres alij ſapuerunt, quorum hoc præcipuum ſtudium fuit, vt liberos in Dei cognitione & timore inſtitutos haberent. Sciebant enim quæſtum omnium vberrimũ eſſe pietatẽ, vt quæ præſentis et futuræ promiſſiones habeat. 1. Tim. 4.

Prouerb. 22.

Pueros pietatis capaces eſſe.

Debent de iſtis omnibus diligenter cogitare parentes, ne eorum rationibus ſe decipi patiantur, qui puerilem ætatem minimè onerandam putant ijs rebus aut ſtudijs quæ ad religionem & æternæ ſalutis negotium pertinent: quia tantorũ myſteriorum pueri nondum capaces ſint. At qui ita ſentiunt, non modò ſuorum liberorũ ſalutem negligunt, ſed ipſi etiam Deo non leuem faciunt iniuriã: quaſi is alio

quid inutile aut ſuperuacaneũ à nobis exigat. Vel num tu quiſquis es ô bone, tibi perſuadere audes, quòd puerorũ captus tibi melius quàm Deo, qui et illosq́ creauit, notus atq; perſpectus ſit? Fatemur equidem cum Paulo, hominem animalem non percipere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: Ac ſcimus è conitat diuinitus eos illuminari, qui Dei præceptis ſeſe accommodant, & pueros etiam ſpiritu ſancto donari, ſupra in Ioanne diximus, idemq́ multorum aliorum exempla teſtantur. Sed non multis argumentis aduerſus eos opus eſt, qui ſic ſentiunt, cùm ipſi proprijs factis, ceu ſoritae ſeſe prodant. Nam qui pueros religionis & cognitionis Dei nondum capaces eſſe aiunt, iidem ferè filios ſuos vel ad exteros ablegant, vt in tenella ætate linguas addiſcant peregrinas, in quibus etiam mirificè proficiunt; vel domi eos inſtituunt in Arithmeticorum ſubtiliſsimis rationibus, in Muſices præceptis, in arte gladiatoria, in recitandis poetarum prophanorum verſibus & fabuloſis narrationibus, alijsq́ huius generis rebus, quæ ſine ingenij acumine & diligenti ſtudio addiſci non poſſunt. Taceo nunc eos, qui puellulas nere & texere docent, imò qui ita illas inſtituunt, vt priuſquam literarum elementa norint, cantilenas longas & artificioſè ad libidinem excitandam compoſitas decantare poſsint. Et hi ferè ſunt, qui illam ætatem fidei & æternæ ſalutis cognitione minimè grauandam eſſe cenſent, in cuius doctrina nihil perplexum, nihil ambiguum aut inexplicabile continetur.

Religio inſtitutionis puerorũ compendium.

Sed procul dubio aliter ſentire diſcent, qui cogitant ſub religione & timore Dei omnia ea comprehendi, quæ ad liberorum inſtitutionem neceſſaria ſunt, & proinde huius quaſi compendium facillimum eſſe religionis doctrinam. Si enim Dei timore imbuti fuerint puerorum animi, iidem etiam audiendi verbi eius ſtudio ardebunt. Ita verò diſcent parentes debito honore proſequi, iiſdẽ obſequium fidum præſtare, & iam ſenio confectos piè fouere atq; alere. Diſcent etiam obedire magiſtratibus & omnibus iis, qui in aliqua publica authoritate conſtituti ſunt. Adhæc iam inde à pueris cupiditates carnis frænare & coercere diſcunt, quod vitæ piæ & honeſtæ principium eſt. Iſtis verò ſtudijs ſuam benedictionem Deus coniungit, vt & ipſi feliciter agant, & parentibus ſuis ornamento ſint. Sed ô deploratam noſtri ſeculi ſocordiam, quando paucos eſt videre, quibus iſta cordi ſint. Imò inueniuntur paſsim, qui puerilem ætatem data opera à religionis & diuini cultus ſtudio abſtrahunt, ne quando propter hoc in periculum veniant: eoſdem verò vel in artibus vſurarijs, vel ad faſtum, vel ad libidinem & gulam, vel ad militiam mercenariam & alia huius generis ſtudia inſtituunt. Qui verò optimi habentur, tunc ſe omni officio defunctos putant, ſi pueri ipſorum orationem dominicam & Symboli apoſtolici articulos ex more recitare poſsint, quorũ tamen ſenſum & vſum prorſus neſciunt. Iſtis ergo debemus vniuerſalem illam omnium ætatum & ordinum corruptelam & effrænem ſcelerum licentiam, quæ paſsim regnat, & cuius cauſa iram ſuam in nos Deus tam multis tamq́ grauibus & continuis iudiciorum ſuorum exemplis declarat. Fieri enim non poteſt, vt vllis legibus aut diſciplina coerceantur, qui licentiæ & nequitiæ à teneris annis aſſueuerunt. Nunquam ergo non nobis ob oculos verſetur Mariæ & Ioſephi exemplum, qui etſi Ieſum Dei Altiſsimi filium, ex ſpiritu ſancto conceptum & abſq; omni hæreditariæ vitioſitatis labe hominem factum eſſe ſcirent, ita tamen educandum putarunt, vt puerulum duodennem non ſine moleſtia graui ad feſta ſolennia deduxerint, in quibus cœtus ſacri & alia religionis exercitia habebantur. Quid ergo non facere nos decet, qui ex nobis natos naturali prauitate infectos & ad omnem nequitiam procliues eſſe non ignoramus? Equidem quàm minimè ſuperuacanea ſit vlla induſtria, quæ hîc adhibetur, idem hoc Mariæ exemplum abunde docet.

Ioſeph & Maria ob Ieſum amiſſum cruciantur.

Sequitur enim non vulgaris cura & dolor, quem ex filij Ieſu amiſsione concepit. Nam cùm finitis feſti diebus domum redire conſtituiſſent, puer illis neſcientibus Hieroſolymæ remanſit. Id verò neq; ipſius malitia, neq; parentũ negligentia factum fuit. Ieſum enim iam vrgebat Dei patris vocatio, vt diuinæ virtutis ſpecimen æderet: hi verò illum inter profectionis ſuæ comites eſſe arbitrabantur, inter quos plurimi erant ex ipſorũ cognatis et amicis. Ac vbi ſub veſperam diuerterunt, & ipſe nuſpiam comparuit, mox totũ illud vnius diei iter remenſi Hieroſolymã reuerſi ſunt, vbi diligenter et anxiè quæſitũ tandem poſt triduũ demum in templo inter Rabbinos diſputantẽ inuenêre. Quibus autẽ cogitationibus interea vexata fuerit Maria, quàmq; mordacibus, facilè intelligunt, quibus ſimile quid aliquando accidit. Ipſa certè illas non diſsimulauit, cùm illo inuento diceret: Fili, cur ita feciſti nobis? ecce pater tuus et ego cruciati quærebamus te. Etenim vt vulgaria illa omittamus, quæ

in illo

in illo caſu occurrebãt, ne forte in profluentẽ lapſus periijſſet, aut relictus comitibus feris præda factus eſſet, vel in raptores et plagiarios incidiſſet, qui ipſum alijs venderent, aut ſaltẽ inops et famelicus in locis ignotis oberraret: periculum maximum ex eo timeri poterat, ne Herodianis proditus eſſet, et à Magni illius Herodis, crudeliſsimi latronis, filiorũ aliquo occiſus. Hæc certè omnia caſtiſsimũ virginis pectus vulnerarunt, & ſingula ei procul dubio ipſa morte fuerũt acerbiora, maximè cùm ſimul cogitaret, quis nam eſſet puer ille, qui tam ipſius incuria amiſſus videri poterat. Deſcribuntur autẽ hæc tam diligenter, vt omnium parentum conſolationi & inſtitutioni ſeruiant. Nam ad conſolationem facit, quando inter educationem ſuorum liberorum moleſtias atque labores cogitant, non ſibi ſolis multa præter animi ſententiam accidere: ſed ſimilia iam olim paſſos eſſe ſanctiſsimos Dei ſeruos, & inter hos Mariam, electiſsimum illud Dei organum, ex qua Dei filius æternus carnem aſſumere dignatus fuit. Ex eo enim mox colligunt, patienter ſibi ferendum eſſe, quod ipſis cum tãtis Dei ſeruis commune eſt. Accedit tamen conſolationi huic pondus maximum, ſi liberos (vt ante quoq; dictum eſt) Dei depoſitum eſſe cogitent, neq; nobis hîc aliquam iniuriam fieri, cùm hæc & alia his grauiora peccatis noſtris mereamur. Imprimis autem admonemur iſto exemplo, in liberorum educatione nullam curam aut induſtriam nimiam aut ſuperuacaneam cenſeri poſſe. Nam vt ante diximus, nulla erat in puero Ieſu naturæ vitioſitas, & idem dilectus ille erat Dei filius, de quo cuſtodiendo peculiare mandatum Angeli acceperant, vt in Pſalmo 91. ſcribitur. Accidit tamen in eius educatione, quod parentibus dolorem & moleſtiam dedit acerbiſsimam. Quid ergo de noſtris liberis nobis polliceamur, in quorum membris Lex peccati viget, quæ in illis vitia omnis generis quotidie procreat? Certe etſi in illis inſtituendis nunquam noſtro officio deſimus, idem tamen nobis quod agricolis eueniet. Vt enim illi in terræ cultu labores quidem grauiſsimos ſubeunt, non autem poſſunt obſtare, quò minus illa ex maledictione, cui obnoxia eſt, vrticas quoq; & ſentes & infelix loliũ inter ipſas ſegetes ſuapte natura proferat: ita etſi nihil ſtudij & induſtriæ parentes intermittãt, ſubinde tamen in liberis ſuis corruptæ naturæ germina pullulare videbunt, in quibus eruendis & reſecandis noua quotidie cura opus eſt. Docent hoc ipſum ſanctiſsimorum hominum exempla, quæ in Adamo & Caino, Noa & Chamo, Abrahamo & Iſmaele, Iſaaco & Eſauo, Iacobo & filijs eius, Samuele item & Dauide & vtriuſq; filijs, innumeris item alijs proponuntur: vt nunc ea taceam, quæ in prophanis hiſtorijs extant, quæ tam multa occurrunt, ut nõ temere olim dictũ ſit, Heroũ filios ferè noxas eſſe. Debent iſta parentes omnes excitare, vt nulli induſtriæ et ſtudio parcant: ijdẽ tamen exemplis illis ſeſe conſolentur, ſi ſuã operam omnẽ incurabili liberorũ contumacia ſuperari videãt. Probabit enim ipſorũ ſtudiũ Deus, dignas autẽ ſuæ pertinaciæ pœnas dabunt, qui parentibus doloris authores ſunt.

In puerorũ inſtitutione nulla cura nimia eſt.

Priuſquam autem ab hoc loco diſcedamus, Dei quoque prouidentiam, omnia bene & feliciter adminiſtrantem obſeruare conuenit. Anxia admodum & ſolicita huc inde diſcurrit Maria, filium amiſſum quæritans, nec quid ſperet aut metuat nouit. Interea autem ille in templo glorioſum ſuæ functionis, ad quam deſtinatus erat, tyrocinium præbet magna cum totius populi admiratione. Solent huius generis multa accidere, vt propter ea turbemur & eiulemus, quæ vt noſtræ ſaluti & gloriæ conſulat Deus fieri voluit, & quorum finem nobis tandem vtilem & ſalutarem eſſe experimur. Imò nos afflictione & caſtigatione dignos eſſe noſtra illa impatientia & querelis iniuſtis teſtamur. Meminerimus ergo nos & res noſtras omnes Dei prouidentia gubernari, & nihil nobis fortuitum accidere. Deinde hunc non ſolùm omnipotentem rerum omniũ, quæ in mundo ſunt et fiunt, rectorem eſſe, verumetiam patrem eſſe noſtri amantiſsimum, qui nos ſaluos eſſe cupiat. Adhæc ſapientiã æternam eſſe, quam nihil latet, & quæ falli non poteſt, quò minus omnia finem ab illo propoſitum attingant. Eum deniq; eſſe, qui ex tenebris lucem, ex inopia diuitias, ex morbis vires integras, ex morte vitam elicere poteſt. Huic ergo huius curæ nos permittimus, qui (vt Paulus ait) cum tentatione euentum largitur, neq; nos ſupra vires tentari patitur. 1. Corinth. 10.

Prouidẽtiæ Dei exemplum.

Accedamus nunc ad poſtremam huius loci partem, qua narratur, Ieſum triduo poſt à parentibus inuentum eſſe, & quidem in templo ſedentem in medio Doctorum, quos et audiebat & interrogabat, & ipſe quoque ad propoſitas ab illis quæſtiones reſpondebat. Miretur verò aliquis hoc illi licuiſſe: ſed diuinæ virtutis opus fuit, quæ poſtea efficacius adhuc ſeſe exeruit, quando in Synagogis & templo publicè in illorum hypocriſim, auaritiam & dolos inuectus eſt, adhæc nundinatores ſacrorum fla-

Ieſus in templo inuenitur.

gello eiecit, nummulariorum menſas euertit, neq; aliquis repertus eſt, qui ſe eius conatui opponere auderet. Et eiuſdem virtute fit, quòd etiam hodie magni illi Pontifices in ſuis vrbibus & templis Chriſto vel inuiti locum dant. Poterant etiam hîc multa dici, vt Chriſtus quæri debeat, & vt in templo ſuo, id eſt eccleſia inter Euangelij prædicationem & legitimum Sacramentorum vſum ſeſe nobis inueniendum & apprehendendũ offerat: At quia hæc non ſunt præſentis inſtituti, & de illis alibi commodius dicetur, nunc illud obſeruabimus, quod ad liberorum inſtitutionem pertinet. Vbi imprimis memorabile eſt, quòd Ieſus puer non inter coætaneorum luſus, non in taberna apud ebrioſos comeſſatores, & multò minus in alio loco minus honeſto inueniri voluit, ſed in templo, quod doctrinæ & cultui Dei conſecratum erat. Docet hoc ſuo exemplo, à pueris (vt nuper quoque monuimus) ijs ſtudijs aſſueſcendũ eſſe, quibus Deus colitur eiusq; gloria propagatur. Et ſimul eos omnes arguit, qui pueros ad conciones ſacras minimè adigendos putant, quando eas per ætatem non poſſint intelligere. Atqui Ioannes Apoſtolus, euangelij doctrinam, non ſenibus modò & iuuenibus, verumetiam puerulis
1. Ioan 2. conuenire ſcribit, quia per hanc in veri patris cognitionem adducantur. Debent ergo exemplum hoc probè obſeruare, qui liberos ſuos ita aſſuefaciunt, vt eos in templis quærere minimè opus ſit, cùm ipſa etiam hora ſacrarum concionum per vicos diſcurrant, & ludis non tam puerilibus quàm ſcurrilibus occupentur. Quin eò vſq; progreſſa eſt parentum indulgentia, vel oſcitantia potius, vt pij videri poſſint, qui liberos eo tempore, quo cœtus ſacri habentur, domi ſuæ continent. Solent hi ſuã indulgentiam varijs rationibus excuſare, & modò frigoris immodicum rigorem, modo nimiũ æſtum, & plerunq; veſtium inopiã aut aduerſam liberorum valetudinẽ prætexunt. Eſt enim mirè ingenioſus Satan in excogitandis argumentis, quibus piam & ſanctã puerorũ inſtitutionem impediat. At ſi illos ipſos propius inſpicias, qui rationibus eiuſmodi in fouẽda liberorũ licentia ſibijpſis et illis blandiuntur, mox videbis, nihil illorum liberis deeſſe ad omne nequitiæ genus exercendũ. Præcipua ergo culpa in parentibus hæret, quorum corda in gloriæ Dei ſtudio frigent, quiq; liberorum ſalutem impiè negligunt.

Ieſus doctores audit & interrogat. Porrò videamus, quid in medio Doctorum Chriſtus fecerit. Audiuit eos, & interrogauit eos: deinde reſponſorum quoq; fit mentio, quæ ad quæſtiones ſibi propoſitas dedit. Duo igitur de illo dicit Lucas. Primum, quòd docentes audiuerit, & vt ſolent qui diſcendi ſtudio tenentur, de nonnullis diligentius interrogarit. Alterum quòd ad interrogata ſic reſponderit, vt eius modeſtiã & ſapientiam omnes admirati ſint. At ſi illum conſideremus, qualis eſt, æternus nimirum Dei filius, qui nobis à patre ſapientia factus eſt, minimè illi opus fuit aliquem audire vel interrogare. Quia tamẽ propter nos homo verus factus eſt, noluit eccleſiæ & verbi miniſterium contemnere, quod ad nos inſtituendum Deus ordinauit: & vt huic ſeſe omnes homines accommodent, ſuo exemplo docet. Neq; hic opus eſt quærere, annon abſq; doctrina externa Deus mentes noſtras veritatis & ſalutis æternæ cognitione illuminare poſſit? Nam qui hoc quærunt, perinde faciunt ac ſi quis interroget, annon abſq; cibo & potu, aut ſaltem abſq; laborioſo agrorum cultu nos idem ille alere & ſeruare queat? Quod certè nemo pius negauerit, cùm Moſis & Eliæ, adhæc Iſraelitarum in deſerto exempla extent, quos ita aliquandiu ſeruatos fuiſſe conſtat. At quia diuinitus ſic conſtitutum eſt, vt vitam victu ordinario ſuſtentemus, eumq; manuum labore quæramus, impium fuerit Deum tentare, & ab illo nouam viuendi rationem exigere. Hoc ipſum in præſenti quoq; cauſa obſeruandum eſſe dicimus. Spirat certè ſpiritus Dei vbicunq; vult, neq; miniſterio Eccleſiæ virtus eius neceſſariò alligata eſt: imò miniſtros in hominum animis nihil proficere dicimus, niſi Deus incrementum det. Quia verò hunc docendi ordinem Deus inſtituit, ingrati & impiè arrogantes ſunt, qui & illum contemnunt, & ſe dignos arbitrantur, in quorum gratiam Deus noui quid inſtituat. Obſeruarunt hoc diligenter ſanctiſſimi quiq;, qui in cœtibus ſacris & Verbi prædicatione voluptatem ſummam ſibi repoſitam putarunt, quod non vno loco Pſalmi teſtantur, vt infinita alia ſcripturæ loca omittamus. At non ſufficit Verbum audiuiſſe, ſed vt hoc attentè & cũ iudicio audiamus opus eſt, ne ſub verbi diuini prætextu quis nobis imponat. Ideo Chriſtus Doctores etiam interrogauiſſe dicitur: nimirum quòd illos humanas traditiones cum Lege Dei miſcere & multa perperam docere cerneret. Et Apoſtoli grauiter monent, vt quæ dicuntur probemus ad fidei analogiã et dijudicemus ſpiritus, nũ ex Deo ſint. Quod cùm pueros etiam facere iubeat Chriſtus ſuo exemplo, inexcuſabilis prorſus illorum ſocordia eſt, qui abſq; omni delectu quiduis ſequuntur, quaſi ſalus ipſorum ab alieno iuditio pendeat.

Ne quis

Ne quis verò actionem hanc puerilem fuiſſe putet, addit Lucas: Obſtupeſcebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis eius. Quibus verbis totius iſtius negotij finis & ſcopus principalis exprimitur. Voluit enim Chriſtus ſuæ vocationis tyrocinium facere (vt diximus) quo doceret, ſe catholicum, id eſt vniuerſalem illum & verè orthodoxum humani generis doctorem eſſe, cuius vocem omnes audire, cuius ſapientiam omnes admirari, cuius item authoritati omnes obedire debeant. Et quidem à docendo regni ſui auſpicium fieri voluit, vt hoc non in externo ſplendore & armorum præſidio, ſed in ſpiritus virtute conſiſtere doceret, quæ per Verbum ſeſe potiſſimùm exerit. Quod etſi mundi iudicio puerile & ridiculum videatur, idem tamen hoc omnem mundi ſapientiam confundit, & ijs quoq; admirationem parit, qui illi credere & obedire nondum dignãtur. Quod enim hic accidit, ſæpe aliâs eueniſſe conſtat. In Actis certè ſcribitur, totum Senatũ Hieroſolymorum ad Petri & Ioannis in dicendo libertatem ita perculſos fuiſſe, vt quid in ipſorum cauſa ſtatuendum eſſet, nõ viderent. Et in Eccleſiaſtica hiſtoria ſæpe indicatur, homines illiteratos, imò iuuenes & puellas, non ſolùm acutiſſimis philoſophis negotium feciſſe, ſed tyrannis quoq; ſtuporem & timorem incuſſiſſe. Et hoc illud eſt, quod diſcipulis Chriſtus pollicetur: Ego vobis dabo os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neque reſiſtere omnes qui ſe opponent vobis. Cuius promiſſionis effectus, cum etiam hodie duret, debent ex ea conſolationem petere, quicunque coram hoſtibus veritatis fidei aut doctrinæ ſuæ rationem reddere coguntur. Sed de hoc plura ſuo loco dicentur. Nunc quoad huius orationis argumentum, meminiſſe debent parentes, liberos ſibi à Deo datos eſſe, & proinde eoſdem huic adduci & conſecrari debere. Quod vt maiori cum fructu fiat, non doctrina ſolùm & inſtitutione, ſed exemplo illis præire debent. E contra pueri inſtitutionem admittant, vt Chriſto Ieſu per fidem inſiti, in eodem adoleſcant in viros perfectos, & cæleſtis regni cohæredes fiant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Chriſtus catholicus omniũ doctor.

HOMILIA XXVI.

Et uiſo eo fuerunt attoniti, & dixit mater eius ad eum: Fili, cur ità feciſti nobis? Ecce pater tuus & ego cruciati quærebamus te. Tunc dixit ad eos: Quid eſt quòd quærebatis me? An neſciebatis, quòd in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Sed ipſi non intellexerunt uerba, quæ locutus eſt eis. Deſcendit autem cum eis, uenitq; Nazareth, & erat eis ſubiectus. Et mater eius conſeruabat omnia hæc in corde ſuo. Ieſus autem proficiebat ſapientia & ſtatura, ac gratia apud Deum & homines.

NEmo ſuperuacaneum putet, quòd Chriſti pueritiã et quæ in ea ab illo puero adhuc facta ſunt, ſpiritus ſanctus tanta diligentia per Lucam deſcribi voluit. Quia enim Dei filius propter nostra hominem aſſumere debuit, ex æterno patris decreto, vt puer etiam fieret, æquum & pium fuerit ea nouiſſe & diligentius conſideraviſſe, quæ ad eius puerilem ætatem faciunt: in quibus nihil tam minutum aut contemptibile eſt, quod non aliquam doctrinam & conſolationem ſingularem afferat, ſi attentius à nobis expendatur. Vidimus hoc in proxima huius hiſtoriæ parte, vbi multa eius generis proponuntur: quæ cùm in recenti adhuc memoria ſint fratres, nolo vos inutili, aut ſaltem non neceſſaria eorundem repetitione fatigare. Pergamus ergo ad huius loci, quem modò recitauimus, tractationem. Proponitur in eo primùm Mariæ virginis ſerium & vehemens cum filio Ieſu Chriſto colloquium. Deinde vt hic cum Ioſepho & Maria Nazarethum reuerſus & ijſdem ſubditus fuerit, narratur. Quibus tandem præclarum & eximium fructum ſubijcit Lucas, qui ad Ieſum Chriſtum, quoad aſſumptum hominem, ex ſancta illa inſtitutione atq; diſciplina redijt.

Quoad colloquium, conſtat id partibus duabus. Prima Chriſtum Maria accuſat & reprehendit. Altera Chriſti reſponſionem & defenſionem continet. Accuſatio vel reprehenſio Mariæ talis eſt: Fili, cur ita feciſti nobis? Ecce pater tuus & ego cruciati quærebamus te. Sunt hæc verba pauca quidem, ſed dura ſatis & grauia, ſi cogitemus quo affectu, & in quem dicãtur. Nam perinde hoc eſt,

Maria Chriſtũ duriter increpat.

ac ſi dixiſſet. Quia filius meus es, decebat, vt filium bonum agendo me labore & moleſtia, quã huc-uſque propter te multiplicẽ & grauem ſuſtinui, leuares. Sed quantùm video, nõ factũ eſt, me peregrè agentem partus doloribus oppreſſam fuiſſe, neceſſarijs omnibus deſtitutam in ſtabulo peperiſſe, inde vt te Herodis manibus cruentis ſubducerem in Ægyptum profugiſſe, vbi inter homines ſuperſtitioſos & idololatras nihil non malorum paſſa ſum, quæ fugam & exilium comitari ſolent. Quin tu nobis adhuc nouas moleſtias exhibes & noui doloris itidem es author. Reſpice quæſo hunc Ioſephum, quem ſiue ætatem eius, ſiue quam ſæpe expertus es fidem in te tuendo conſideres, non potes non patris loco habere, & me plus ſatis afflictam matrem tuam, & cogita quàm indignè abs te factum ſit, quòd te clam ſubducendo nos in terrores grauiſſimos, in acerbiſſimum luctum, ſimulq; in labores nouos conieceris, vt totius diei itinere confecto huc redire opus fuerit, vbi te tecò triduo non ſine ſummo animi cruciatu quæſiuimus. Quare ita feciſti nobis? Annon æquius erat, vt tu nos abituriente obſeruares, teq; nobis coniungeres, quàm quòd nos in te quærendo nouis curis & laboribus fatigari oportuit? Quæ obſecro ratio ſufficere poteſt ad te excuſandum? &c. Hæc omnia & alia huius generis multa ſub pauculis hiſce verbis comprehenſa latent. Fuit hæc obiurgatio acrior quàm decebat, maximè, cùm hunc Dei filium eſſe Maria non ignoraret. Expreſſit tamen ei illam dolor nimius, vt in iure ſuo tuendo modum excedat. Accidit hoc nobis frequenter, quæ cauſa eſt, quòd ſummum ius ſæpe in ſummam iniuriam exit, & in bona etiã cauſa peccemus, dum mediocritatis & æquitatis leges tranſgredimur, & in noſtrum modò ius intenti, non obſeruamus quæ reuerentia quodq; officium illis debeatur, quibus cum nobis res eſt. Quò magis nos aduigilare decet, & noſtra omnia ſuſpecta habere, ne grauius ijs peccemus, quos noſtra reprehenſione dignos indicamus.

Ius parentum in liberos. *Cæterùm quàmuis in hoc peccarit Maria, magnus tamen huius exempli vſus eſt, quoad educationem & inſtitutionem puerorum. Docet enim quodnam ius ſit parentum in filios, quodq; illis liceat eos non ſolùm blandioribus verbis monere, verumetiam durius corrigere, & prout meruerunt caſtigare quoq; liceat. Eſt hoc factu neceſſarium ad coercendum innatam nobis naturæ vitioſitatẽ, quæ ſuos effectus in tenera etiam ætate non obſcurè profert. Nam ipſo etiam Deo teſte, figmenta cordis*

Prouerb. 22. 13. & 29. *humani iam inde à pueris praua ſunt, ideoq; multa obſeruatione digniſſima eſt Solomonis ſententia: Stultitia colligata eſt in corde pueri, ſed ferula caſtigatrix procul expellit eam. Et ex eo alibi infert: Qui abſtinet virgam ſuam, odit filium ſuum: qui verò eum amat, maturè diſciplinam adhibet. Item: Virga & obiurgatio dat ſapientiam, & ſibi, id eſt ſuorum affectuum libidini relictus puer pudefacit matrem ſuam. Caſtiga filium tuum: hoc quietem tibi afferet, delitiasq; animo tuo, &c. Nec temere factum putabimus, quòd mortalium ſapientiſſimus, & Regum, quotquot vnquam fuerunt, illuſtriſſimus, Solomon, eò vſq; ſeſe demiſit, vt de puerorum inſtitutione & diſciplina tam multis tamq; diligenter egerit. Sciebat enim rempub. diu ſaluam eſſe non poſſe, in qua iuuentutis inſtitutio negligitur. Nam vt greges paulatim deficiunt, cuius agni non probè ſeruantur, vtq; de anni prouentu ſpes bona eſſe nequit, ſi ſegetes in herba pereant: ita populus pereat oportet, ſi pueri (quos reipub. & patriæ communis ſpem veteres dixerunt) aut negligantur, aut praua inſtitutione corrumpantur. Ergo optimi & ſapientiſſimi Regis officiò fideliſſimè functus eſt Solomon, quando huius ætatis diligentem inſtitutionem tam diligenter commendauit. Neq; ex ſuo cerebro iſta protuliſſe videri debet, quando conſtat, ipſum Deum parentes hoc iure aduerſus filiorum contumaciam armaniſſe. Nam in Lege ſic*

Deut. 21. *ſcribitur: Si quis filium habuerit defectorem ſeu rebellem, qui vocem patris ſui & matris ſuæ audire noluerit, & ſi caſtigent eum ipſis obedire nolit: apprehendent eũ pater eius & mater eius, educentq; eum ad Seniores ciuitatis illius, & ad portam eius loci, dicentq; ad Seniores ciuitatis illius: Filius hic noſter defector eſt & rebellis, nec vult audire vocem noſtram, comeſſator eſt & potator: lapidibusq; eum obruent omnes ciues illius ciuitatis, donec moriatur, & expurgabis malum de medio tui, vt omnes Iſraelitæ audientes timeant. Eſt Lex iſta non oſcitanter negligenda. Nec enim de filijs periuris, blaſphemis, adulteris, raptoribus, parricidis aut alio capitali crimine infamibus hîc ſermo eſt, ſed de reſponſatoribus & immorigeris, qui comeſſando, potando, ludendo rem domeſticam diſſipant & parentibus luctum atq; dolorem afferunt, & illis capitis pœna ſtatuitur: adeoq; ipſe quaſi gladius parentibus in manum datur, quo tales iugulentur. Neque nuda hæc permiſſio eſt, ſed vt hoc faciant parentes atque iudices, diſertè mandatur. Et conſtat, eos, qui in hoc exequendo negligentiores fue-*

res fuerunt, tandem graues ſuæ indulgentiæ pœnas Deo dediſſe. Exemplum eius rei euidens & imprimis luctuoſum in Elio ſacerdote & iudice hiſtoria ſacra nobis exhibet. Fuit is, vt ex circunſtantijs apparet, pius, religioſus & honeſti amans; ſed in filios ſuos indulgentior ſuo iure in illis puniendis non eſt vſus. Cùm enim illi ſacrilega audacia carnes ſacrificantium raperent, ſtupris & adulterijs tabernaculum Domini prophanarent, & ſua libidine cultum Dei in contemptum abducerent: verbis quidem durioribus eos corripuit, & Dei irati iudicium minatus eſt: at quia contumaces & incurabiles pro patris & iudicis officio non dignis pœnis (ſicuti in Lege iubebatur) coercet, ſuo in illũ iudicio animaduertit Deus, & per Samuelem puerum pœnam illi denuntiat horrendam, quæ non multò poſt non ſine publica totius populi calamitate ſecuta eſt. Nam vno eodemq; die filij eius hoſtili gladio cadunt, arca fœderis ab hoſtibus capitur, & ipſe Eli audito tam triſti nuntio è ſella ſupinus cadens fracta ceruice triſtem vitæ ſuæ finem attingit. Poſſent huius generis exempla ex gentium quoque hiſtorijs infinita adduci. Sed exemplis longè petitis minimè opus eſt, quando multa quotidie fiunt, quæ his fidem faciunt. Quàm multos enim eſt videre, qui omne genus nequitiæ in filijs ſuis patienter ferunt, neque mouentur ſi quando illos vel viciniæ toti vel multis bonis moleſtos eſſe audiãt? Ac ijdem poſtea, vbi filiorum proteruia ferocior facta eſt, illos in ſe quoque tales eſſe magno cum dolore ſentiunt, quales diu in alios fuerunt. Et peccant quidem tunc admodum grauiter filij, ſed peccatum (vt aiunt) peccati pœna eſt, & iuſto Dei iudicio fit, vt parentes quoque eum fructum metant ex filijs, quem nimia ſua indulgentia ſeminauerunt. Diſcant ergo omnes ſuam authoritatem erga liberos tueri, ne dum eos indulgentius tractant, ipſi quoq; cum eorum ſceleribus communicent, & Deo pœnas dignas exoluant. Diſcant viciſſim liberi patienter ferre parentum caſtigationem & diſciplinam, ne dum hanc audacius reijciunt, ordinem à Deo inſtitutum magno ſuo malo turbent. Meminerint item nulla venia dignam fore ipſorum contumaciam, ſi corripi nolint, cùm æternus Dei filius, ſanctus ille ſanctorum à matre publicè reprehenſus ſit: cui facile erat hoc declinare, niſi nos ſuo exemplo officij admonere voluiſſet. Ac quia de hoc mox plura dicentur, nunc alteram huius colloquij partem audiamus, qua Chriſtus factum ſuum matri excuſat.

Sic verò ille reſpondit: Quid eſt quòd quærebatis me? An neſciebatis, quòd in ijs, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Videtur reſponſio hæc durior & arrogantior quàm bonæ ſpei & frugis filium deceat. Nam perinde ſonant verba, ac ſi de eorum moleſtia & dolore non multùm ipſe ſit ſolicitus, & quaſi illos ignorantiæ & iniquitatis manifeſtæ accuſet. Imò parentes hos ſuos eſſe tantum non apertè negat, quando patrem alium nominat, cuius vocationi nunc ſit obediendum. At ſi rem ipſam propius conſideremus, facilè patebit, illum nihil præter officium feciſſe, neque iunioribus exemplum præbuiſſe, quo parentibus ſuis reſponſare diſcant. Fuerũt enim graues cauſæ, propter quas ipſum matri grauius reſpondere oportuit. Nam primò neceſſe erat, vt ſuam tueretur innocentiam, quam Maria doloris affectu abrepta non leui labe aut macula aſperſerat. Accuſarat enim ipſum inobedientiæ, & quòd præter officium parentibus moleſtiæ et doloris maximi author fuiſſet. Eſt hoc peccatum, imò ſcelus ingens, & quouis ſupplicio dignum. Nec enim temere Sapiens ille dixit: Infamis eſt deſertor patris, & maledictus Domino, qui matri ſuæ mouet indignationem. Quia ergo impoſſibile fuiſſet, Chriſtum pro peccatis noſtris ſacrificium Deo gratum fieri, ſi tanto ſcelere ipſe Dei maledictionem meruiſſet, non tam ipſius honor & gloria, quàm noſtræ ſalutis ratio exigebat, vt ſuam innocentiam fortiter aſſereret. Deinde tam matri Virgini quàm alijs hominibus aliquo modo oſtendi oportebat, quis nam eſſet Chriſtus, quod alterum huius hiſtoriæ caput eſſe, nuper diximus. Adhæc ſimul docere voluit, quò vſque extendi debeat obedientiæ officium, quo parentibus liberi obſtricti ſunt. Confert enim inter ſe matris mandatum & patris Dei vocationem. Matris mandatum ſiue ſententia erat, ipſum vnà ſecum ab Hieroſolyma diſcedere debuiſſe. At Dei patris voluntas erat, vt in templo doceret & ſuæ functionis tyrociniũ faceret, ne puerilis ætatis contempta & infirma ſpecies diuinæ eius ſapientiæ & authoritati aliquid derogaret. Pugnabant hæc ita inter ſe, vt eodem tempore vtrunque ſimul fieri non poſſet. Ideo inter illa diſtinguens disertè monet, ſibi neceſſe fuiſſe, vt patris mandatum faceret, & proinde non potuiſſe nunc matri ſuum obſequium præſtare.

Christus Mariæ grauiter respondet.

1.

Eccleſiaſtici 3.

2.

3.

Debet ex hoc Chriſti exemplo generalis doctrina aut regula peti, quam in ſequenda Dei vocatione obſeruemus. Eſt hæc, ne aliquem mortaliũ tanta authoritatis eſſe putemus, vt in eius gratiam

Dei uocatio in nullius hominis gratiã debet negligi.

*iniunctum à Deo munus negligamus. Nam quatunq; hominibus debentur offitia, ad ſecundam De-
calogi tabulam pertinẽt, quæ tunc demũ rectè à nobis obſeruabitur, ſi prioris tabulæ authoritas apud
nos ſancta & rata ſit, neq; diuini cultus leges temere aut ſuperſtitioſe violemus. Conſtat equidem in-
ter homines neminem nobis arctiori vinculo deuinctum eſſe, quàm parentes, quibus parem gratiam
referri nunquam poſſe, gentium philoſophi non malè dixerunt. Illis enim poſt Deum vitam noſtram
debemus, cùm ab ipſis & geniti & infinito cum labore atq; moleſtia educati ſimus. At ſi illi non con-
tenti ea, quam ipſis debemus, obedientia, illud quoque à nobis requirant, quod ſalua fide & pietate
erga Deum fieri nequit: tunc ceſſante illa reuerentia, quæ illis debetur, ad Chriſti reſponſum nos con-
fugere oportet: An neſcitis nos in ijs eſſe oportere, quæ patris noſtri cœleſtis ſunt, cui omnes ex æquo
Matth.10. obedientiam debemus? Ita nos ille ſuo exemplo vti docet, quando ait: Veni vt diſsidere faciam homi
nem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam. Qui parentes ſuos magis quàm me di
Luc.14. ligit, non eſt me dignus. Imò vt parentes odio habeamus iubet, non quidem impietatem & inhuma-
nitatem præcipiens, ſed nos ita ſibi addictos eſſe volens, vt nullius hominis authoritate, & ne natu-
ralibus affectionibus, quas Græci στοργὰς dixerunt, nos ab eius præceptis abduci patiamur. Iſtis er
go ſeſe tueantur liberi, ſi quando (vt ſæpe fieri ſolet) à parentibus ſolicitantur, vt abnegata Chriſti
fide, ſuperſtitionibus & idololatriæ ſeſe mancipent, aut ſeſe aliorum ſcelerum ſocios atq; miniſtros il-
lis præbeant. Quia enim parentes in eiuſmodi caſu iure ſibi diuinitus conceſſo impiè cõtra Deum ab-
utuntur, tunc nobis non parentum loco, ſed pro Dei aduerſarijs habendi ſunt.*

Magiſtratui quouſq; obediendum. *Eadem planè eſt magiſtratuum quoq; ratio. Sunt hi diuinitus inſtituti, & Deorũ nomen in ſcri
pturis obtinent, Deoq; aduerſari dicitur, quiſquis ſe illis ſeditioſè opponit. Ita verò illis obedire opor-
tet, vt ſimul Deo etiam obtemperemus, & huic debitum præſtemus officium. Ideo Chriſtus olim di-
cebat: Date Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei. Quod dictum ſuo exemplo Apoſtoli egre
Act.4. & 5. giè interpretantur. Cùm enim Senatus Hieroſolymitanus mandaret, ne poſthac in Chriſti nomine
docerent, primò modeſtius reſpondent: An coram Deo iuſtum ſit vos potius audire quàm Deum, iu-
dicate. Quaſi dicãt, Non equidem vos vel tam imprudentes, vel tam impiè arrogantes putamus, vt
maiorem veſtri quàm diuini mandati authoritatem eſſe velitis. At cùm illi poſtea ſuum edictum in-
ſolentius vrgerent, ipſi quoque liberius aduerſus eos pronuntiant. Obedire oportet Deo potius quàm
hominibus. Vtrunque verò hoc reſponſum communi omnium nomine Petrus dedit, qui in ſua epiſto-
la Regem honorare & ab hoc inſtitutis magiſtratibus obedire iubet. Erant hæc ijs conſideranda di-
ligentius, qui fidei veræ abnegationem & defectionem ad ſuperſtitiones eo potiſsimùm argumento
excuſant, quòd magiſtratui obediendum eſſe dicunt. Fatemur hoc etiam nos, ſed vſq; ad aras, quod
aiunt. Sed ita produnt ſeipſos illi homines, quòd humanam authoritatem diuinæ præferant, & ma-
gis eos metuant, qui corpus ſolum poſſunt occidere, quàm Deum, cui in noſtra corpora ſimul & ani-
mas plena poteſtas eſt. Sed de hoc plura alibi.*

Mariæ & Ioſe-phi ignorantia. *Priuſquam verò ad alteram huius loci partem tranſeamus, hoc quoque excutiendum venit
quod dicitur: Sed ipſi non intellexerunt verba, quæ locutus eſt eis. Atqui non ignorabant ipſum fi-
lium Dei eſſe, & promiſſum illum populi vindicem, quem vulgò Meſsiam dicebant. Quæ ergo cauſa
iſtius ignorantiæ? Ea nimirum quòd cùm nondum publicè manifeſtata eſſet Dei vocatio, illi de Chri
ſti officio nõ rectè iudicarunt. Itaque communi Iudæorum errore decepti, Regem ſibi finxerunt, qui
populo ex Romana tyrannide liberato, regnum in terris conſtitueret, victorijs & diuitijs illuſtre.
Ad quem lapidem Ioannis & Iacobi matrem & ſimul diſcipulos omnes poſtea offendiſſe cõſtat. Hac
igitur opinione parentes etiam adhuc detenti, non poſſunt videre, quæ nam illa ſint patris negotia, in
quibus ipſum eſſe oporteat: cùm docendi officio eum fungi viderent, quem ipſi Regem terrenum fore
ſomniabant. Quo exemplo admonemur, quanta ſit noſtræ rationis cæcitas in ijs, quæ ad Dei re-
gnum ſpectant. Nihil ergo illi nos tribuere decet, neq; eos audire, qui fidei & æternæ ſalutis myſteria
ad noſtri intellectus calculum reuocãt. Quin potius per fidei obedientiã nos totos Dei verbo ſubijcia
mus. Quod qui faciunt, ij ſuo tempore diuinitus illuminati ea intelligunt, quæ prius ipſis incerta &
obſcura videbantur. Admonet de hoc nos Maria, quæ iterum hæc etiam in corde ſuo conſeruauit:
neq; dubium eſt, quin eadem poſtea in memoriam reuocarit, cùm filium publicè docentem videret, &
illorum recordatione plurimum fuerit confirmata, &c.*

Acceda-

Accedamus nunc ad ſecundam huius loci partem, quam his verbis Lucas comprehendit: Deſcendit autem cum eis, veniteq́ Nazareth, & erat eis ſubiectus. Docent iſta ſatis euidenter, Chriſtum priori reſponſo non contumacem animũ prodidiſſe, ſed ad patris cœleſtis vocationem reſpexiſſe, quam etiam nunc ſequitur. Quia enim in mundum venerat, vt ſerui formam ſuſciperet, mox vbi tyrocinium hoc ſuum ædidit, cum parentibus domum reuertitur, & iiſdem cum debita ſubiectione obtemperat. Complectitur autem Euangeliſta tribus (vt ita dicam) verbis vniuerſum illud tempus Chriſti, quod à duodecimo eius ætatis anno ad triceſimum vſque effluxit, quo publicum docendi munus ſuſcepit, vt ſuo loco pluribus dicetur. Toto autem illo tempore Nazarethi vixit (vnde & nomen Nazareni obtinuit) & parentibus fuit ſubiectus. Licet autem ex eo conijcere, quod nam vitæ genus interea ſecutus ſit, aut quo artificio victũ ſibi parauerit. Nam ex Matthæo cõſtat, Ioſephum fabrum fuiſſe, & apud Marcũ Nazarethani Chriſtum quoq; fabrũ dicunt. Ergo eodem cũ putatitio patre artificio occupatus fuit neq; eius ipſum puduit, ne parentum inopiam ſua inertia magis grauaret.

Chriſtus parẽtibus ſubiectus fuit.

Docentur hoc Chriſti exemplo liberi, quæ nam ſuis parentibus officia debeant. Lex Dei eſt: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Et quod veteribus dictum fuit, Paulus ad Chriſtianos etiam pertinere docet, imò hoc ipſum Lex naturæ omnibus præcipit. Non autem honorem ſolùm à liberis exigit Deus, qui in externis geſtibus & titulis quibuſdã ambitioſis conſiſtit, ſed honorandi verbo omnia, quæ parentibus debemus officia comprehenduntur. Inter quæ primum eſt obedientia, ita hoc exponente Paulo, qui dicit: Filij, auſcultate parentibus in omnibus, hoc enim gratum eſt Domino. Et notum eſt illud Solomonis: Fili mi, audi diſciplinam patris tui, & inſtitutionem matris tuæ ne reijcias. Ea enim gratiam addent capiti tuo, & vice torquis erunt collo tuo. Peccant ergo in præceptum Dei, qui parentibus reſponſant, aut quocũq; modo animum rebellem produnt: Nec enim obedientiâ ſua parentes honorabunt, niſi qui voluntarij & ex animo illis obſequuntur. Exigitur deinde, vt vitæ etiã ſubſidia progenitoribus ſuis liberi ſubminiſtrẽt: quod ipſum naturæ lex monet, quæ vt in omnibus rebus creatis gratitudinis exempla proponit: ita brutis quibuſdam hunc ſenſum indidit, vt parentes ſenio confectos alant. Et prouerbio quoque celebratur Ciconiarum pietas, quæ illud præ alijs facere conſueuerunt. At quia hic multi nimiùm duri, & ſordidi ſunt, multùm proderit diligentius expendiſſe, quot curis, laboribus atq; moleſtijs parentes propter nos fatigati ſint, & mox intelligemus, illis (quod ſupra quoq; diximus) parem gratiam referri non poſſe. Quoties ergo te laborum aut ſumptuum piget, cogita te eos alere, veſtire, ferre, qui te olim aluerunt, veſtierunt, & nullum non faſtidij genus deuorarunt, vt tuis fortunis quàm optimè conſulerent. Hæc olim gentium Legiſlatores tanta grauitate conſiderauerunt, vt decernerent vinciendos & perpetuis carceribus mancipandos eſſe eos, qui parentibus vitæ ſubſidia negant. Et cùm illos longæuos fore pollicetatur Deus, qui parentes honorant, procul dubio aut morte præmatura auferentur, aut miſeri & infames viuent, quicunq; illos neglexerint, aut etiã tractarint inhumanius. Et exempla horrenda ſunt in Chamo, in Eli filijs, in Abſolomo & infinitis alijs, qui huius impietatis horribiles pœnas dederunt. E contra in prophanis hiſtorijs multorum fama & nomen in hunc vſq; diem celebratur, qui pietatem in parentes omni officiorum genere, & interdum vitæ periculo declarauerunt, quales fuiſſe legimus Æneam, Amphinomum, Aphricanum ſeniorem, & horum ſimiles. Eſtq́; hodie eò deteſtabilior eorum impietas, qui cùm Chriſtiani haberi velint, ſe ab hominibus ethnicis vinci patiuntur in re, quæ naturæ legibus commendatur.

Quid liberi debeãt parẽtibus.

Coloſ. 3.

Prou. 1.

ἀντιπελαργεῖν

Sed vt ad Chriſti exemplũ reuertamur, non debet oſcitanter præteriri, quòd cum Ioſepho artificium manuariũ exercere dignatus eſt. Quo facto omnes quidem artes mechanicas ſanctificauit Dei filius, ne quis ſe propter eas & laborem, qui illis plerunq; coniunctus eſt, Deo minus curæ eſſe arbitretur: at ſimul hæc quoq; pars ad inſtitutionem liberorũ, de qua agimus, imprimis pertinet. Admonentur enim parentes, ne liberos ſuos in otio inerti & ignauo educẽt: liberi verò vt ſtudio et labori alicui honeſto ſeſe addicant, ex quo abſq; aliorum fraude & damno victum ſibi parare poſsint. Quia enim otium cupiditates prauas accendit, & ſceleribus multis quaſi viam ſternit, iuuenilis autem ætas natura ad malum procliuis ſit, non tam vtile quàm neceſſarium eſt, vt laboribus aſſueſcant, quicunq; vel ſibijpſis aliquando vtiles, vel communi patriæ ornamento eſſe cupiunt. Peccatur in hoc multùm noſtro ſeculo. Nam inter pauperes quoq; inueniuntur, qui ſuos liberos mendicando potius victũ quæ-

Chriſtus artificium manuariũ exercuit.

m

2.Theſſ.3.

rere, quàm ad laborem aliquem honeſtum adigi malunt. Augetur ergo numerus ἀτάκτων (vt Pauli verbo vtar) id eſt, eorum, qui omnis diſciplinæ expertes, abſq; omni ordine viuunt, & ſibijpſis infamiam accerſunt, & communi patriæ graues atq; moleſti ſunt. Qui verò generis nobilitatem & opes iactans, ij nihil ſuo ſtatu indignius fieri poſſe arbitrantur, quàm ſi filios ſuos aliquo labore manuario occupatos eſſe videant. Quo fit, vt nobiliũ artes & ſtudia ſint, potare, ludere, ſcortari: quibus ſi quando ad inopiam rediguntur, ipſis mendicis calamitoſiores fiunt. Nam vt improbus ille diſpenſator in Euangelio dicebat, fodere non valent, mendicare autem erubeſcunt. Itaq; ad peiora animum applicant, ad impoſturas nimirum, rapinas, cædes, bella nõ neceſſaria, quibus ſeipſos interdum & rempub. inuoluunt. Rectè ergo olim Patriarchæ, qui etſi opes tantum non regias poſſiderent (vt in Abrahamo cernimus) tamen & ipſi ab ocio alieniſſimi fuerunt, & ſuos filios circa agriculturam & rem paſtoritiam occupari voluerunt, quò minus ad libidinem & nequitiam animum appellerent. Quorũ veſtigijs Ioſeph & Maria inſiſtentes, & ſi ex regio ſemine genus ducerent, ſuam tamẽ inopiam manuum labore ſubleuare non ſunt veriti, & Ieſum quoq; eidem conſecrarunt, quem Dei filium & Meſſiam promiſſum eſſe non ignorabant. Inter gentes verò hanc curam principes viri & in magiſtratu conſtituti ad ſe pertinere putarunt, & ideo leges tulerunt, quibus ocium prohiberetur. Solon etenim ſanxit, ne quam gratiam liberi parentibus deberent, qui illos in nulla arte honeſta ad victum parãdum inſtituiſſent. Apud Athenienſes item Ariopagitæ ſingulos ciues obſeruabant, qua quiſque arte viueret, & in ius trahi curabant eos, qui ſe turpi & inerti ocio addixiſſent. Maſſilienſes autem ciuitatis ſuæ ingreſſu eos prohibebant, qui artem nullam nouerant, qua vitam ſuam ſuſtentarent. Et ne qui artes vel inutiles vel etiam inhoneſtas colerent, locum nullum dabant ludionibus, mimis, gelopæis, ſcurris, circulatoribus, imò ne illis quidem, qui ſub religionis prætextu ex alieno viuunt, quales hodie ſunt fratres mendicantes, & qui Diuorum reliquias vel Indulgentias Romanas venditare conſueuerunt. Quò magis reprehendi meretur noſtri ſeculi ſocordia, qua fit, vt de re maximè neceſſaria pauciſſimi ſeriò cogitent. Vos autem ego hortor & obteſtor iuuenes Chriſtiani, per viſcera miſericordiæ Dei & nouiſſimum Ieſu Chriſti aduentum, ne eos audiatis, qui in ocio ſummam hominis voluptatem & dignitatem collocant, & quibus turpe videtur aliquid negotij certi agere, quo & vobiſipſis & veſtris proſpiciatis. Cur enim honeſtum putetur, quod vitijs omnibus alimenta miniſtrat? Cur turpe & indignum homini videatur, quod Deus præcepit, Adamo dicens: In ſudore vultus tui comedes panem tuum? Cur item pudeat vos eius, quod ſanctiſſimi patres, ſapientiſſimi viri & fortiſſimi heroes tam Græci quàm Latini olim fecerunt? & quod ab ipſo Dei filio factitatum fuiſſe audimus? Turpe potius eſt tempus, quo nihil in vita hac precioſius habemus & cuius iactura irreparabilis eſt, in otio terere, vt neq; tibijpſi neq; alijs ſis vtilis. Turpe eſt ætatem iuuenilibus ijs vitijs inquinare, quorum vos aliquando non poſſit non pudere. Turpe eſt relicto honeſto labore vſurarijs artibus & quæſtuoſis nummulariorum inuentis vacare, quæ toti populo inopiæ & caritatis rerum omnium cauſa ſunt. Turpe & inhumanum eſt, vbi tua conſumpſeris, in militiam mercenariam profugere, ad hominum lanienam, perinde vt ad boues mactandos, precio conduci, homines ignotos occidere, vaſtare vrbes, incendere villas, proculcare ſegetes, viduas & pupillos affligere, ea deniq; facere, quæ in Turcis & Tartaris deteſtamur. At ô infelices nos, qui in ea tempora incidimus, quando iſta laudi ducuntur, & principum authoritate defenduntur.

Ieſu Chriſti profectus.

Porro poſtremam huius loci partem audiamus, quæ ſic habet: Ieſus autem proficiebat ſapientia & ſtatura, ac gratia apud Deum & homines. Non poſſunt hæc aliter, quàm de ſola hominis natura intelligi, quã Dei filius aſſumpſit. Quia enim diuinitati nihil vnquã deeſt, eadem proficere quoq; non poteſt, neq; profectu opus habet. Quomodo item in ſapientia profeciſſe dicemus eum, qui ipſa ſapientia eſt? Sic neq; gratiã maiorem apud Deum ſibi acquirere poterat, qui iam inde ab æterno vnigenitus & dilectus filius eſt, propter quem nobis quoq; pater placatus eſt. Itaq; ad ſolum hominem iſta referri debent: qui vt cum ætate quoad corporis ſtaturam creuit: ita quoad animã ſapientia & intellectu profecit, ſimulq; accidit, vt clariora etiã gratiæ Dei indicia in illo indies elucerent, quæ illum hominibus quoq; commẽdarunt, & omnibus, quibus cum verſabatur, magis atq; magis acceptum fecêre. Ita locum hunc veteres & orthodoxi patres expoſuerunt, quorum teſtimonia recenſere longum eſſet, & iam tempus eſt, vt velis collectis nos in portum recipiamus.

Obſeruabis

Obſeruabis igitur hanc clauſulam ijs, quæ præceſſerunt, commodiſſimè ſubijci. Docet enim quis ex pia & Chriſtiana inſtitutione fructus tam ad parentes quàm liberos redeat. Primus eſt, quòd qui ita inſtituuntur, ſapientia proficiunt. Quia enim (vt ſupra monuimus) ſtultitia, quæ in puerorũ cordibus colligata eſt, per diſciplinam expellitur, fieri non poteſt, quin hac expulſa ſapientiæ locus detur. Ideo Solomon rectè ait: Qui diligit caſtigationem, diligit ſcientiam: qui verò odit correptionem, obbruteſcit. Atqui filius ſapiens (vt idem ille inquit) exhilarat patrem, at filius ſtultus mœror eſt matri ſuæ. Nam qui ſapientia præditi ſunt, ij belluinis carnis affectibus reſiſtere, & vitam ita inſtituere ſolent, vt tam ſibijpſis quàm multis alijs vtiles & decori ſint, vnde maxima ad eorum parentes gaudendi cauſa redundat. Sequitur ex hoc alius fructus, quòd tales gratia quoque apud Deum & homines proficiunt. Pollicetur enim ille, ſe ijs propitiũ velle eſſe, qui in eius præceptis ambulant. At ſi Deus nobiſcum, quis cõtra nos? Sunt enim in Dei manu corda hominum, quæ illi facile eſt pro ſuo arbitrio vel mutare vel regere, vt nobis bene velint. Erant hæc nobis conſideranda quàm diligentiſſimè. Natura enim ſic comparatum eſt, vt & noſipſos & ex nobis natos apud homines in pretio eſſe cupiamus. Quæ cauſa eſt, vt vel ad diuitias parandas animum adijciamus, qui proximus ad honores gradus eſſe videtur: vel omnibus morem gerendo nobis amicos quàm plurimos conciliare conemur. At qui ita res ſuas inſtituerunt, ij multa contra ius & æquum faciunt, & manifeſta ſcelera fouent, dum ijs blandiuntur, quos ſua authoritate coercere debebant. Itaq; ad tempus quidem apud pleroſq; in pretio & fauore ſunt. Sed non durabilis eſt fauor ille, neq; diu ſibi conſtat quæ ex eo manat authoritas. Nã vt opes fluxæ ſunt, ita mutabile vulgus leuiſſima quauis occaſione odiſſe incipit, quos paulò ante laudibus ſuis in cœlum vſq; euehebat. Et hæc mihi cauſa præcipua videtur, quòd optime meritorũ filij ferè ingratos experiuntur eos, in quos magna & infinita parentum beneficia extãt. Quia enim parentes dum multis benefaciunt, non Deo, ſed mundo potius ſeruire ſtudent, beneficiorũ quoq; remunerationem nõ aliunde quàm ex mundo ſperare poſſunt, cuius proprium eſt, benefactoribus ſuis peſſimam gratiã referre. Habes igitur hoc loco, quod ijs reſpõdeas, qui de collapſa omnium ordinum authoritate queruntur, & malum hoc mundi iniquis iudicijs atq; ingratitudini acceptũ ferunt. Atqui non negamus, grauem eſſe eorum culpam, qui Verbi præcones, magiſtratus, præceptores, parentes & eos qui parentum loco ſunt, improbè contemnũt. At ſimul ſingulos in ſeipſos deſcendere oportebat, & mox viderẽt, ſe iſtius mali præcipuos eſſe authores. Quotus enim quiſq; eſt inter eccleſiæ miniſtros, qui non priuatum commodum gloriæ Dei anteponat? Certè pinguiori conditione oblata pleriq; eccleſias ſuæ fidei creditas deſerunt, neq; in hoc ſunt, vt quàm plurimos Chriſto adducant, ſed vt ipſis bene ſit, & vt opes accumulent. Inter magiſtratus verò poſtrema ferè de religione & gloria Dei cura eſt, quando vt populum aliquo modo in officio contineant, quiduis impunè fieri ſinunt, quod cum manifeſta Dei contumelia coniunctum eſt. Idem apud pleroſq; parentum & apud omnes ordines videre licet. Quid ergo aliud fiat, quàm vt ſecundùm Dei ſententiam, contempti & ignominioſi ſint, qui ipſum ignominia afficiunt? 1. Samuel. 2.

Piæ inſtitutionis liberorũ fructus.

Prou. 12. et 10.

Et hæc quidẽ in Chriſti Ieſu pueritiã atq; educationẽ huc uſq; dicta ſunt. At iſta dixiſſe non ſufficiet, niſi illius exemplo & doctrinæ nos accommodemus. Et quia is omnium ordinũ doctor & ſeruator eſt, ſinguli iſta ad ſe pertinere ſeriò cogitent. Meminerint ergo principes viri, puerorum & iuuenum curã ab ipſis ſuſcipi debere, & ſi quos ex parentibus negligentiores eſſe vident, ſua authoritate illos in ordinem redigant. Meminerint ſcholarũ præfecti totius reipub. & eccleſiæ ſpem ipſorũ fidei & induſtriæ commiſſam eſſe, & proinde cõmunis patriæ diſſipatores meritò eos cenſeri, qui hîc offitium non faciunt. Meminerint parentes inanes fore omnes ſuas curas & labores, quibus in re domeſtica fatigantur, niſi liberos ſuos Deo adducant, & in eius timore inſtituant. Debent cauſam hanc indeſinenter vrgere eccleſiarum miniſtri, cùm ex ea patriæ & reipub. ſalus potiſſimùm dependeat. Cogitẽt praterea pueri & iuuenes vtriuſq; ſexus, ſibi diſciplina & inſtitutione imprimis opus eſſe, & proinde illam patienter ferant. Eſt res iſta maximi momenti, & in ea ſitum eſt reformationis Chriſtianæ fundamentum, quam neceſſariam eſſe omnes fatentur. Faxit Deus Opt. Max. vt de ea omnes ſeriò cogitent, & idem omnis ſexus, ordinis & ætatis homines ſuo ſpiritu regat, vt vitam viuant verè Chriſtianam, & olim vitæ cœleſtis cohæredes ſint cum filio eius vnigenito, Ieſu Chriſto, domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT III.

HOMILIA XXVI.

ANno autem decimo quinto imperij Tiberij Cęſaris, Pontio Pilato præſide Iudææ, tetrarcha Galilęæ Herode, Philippo autē fratre eius tetrarcha Ituręæ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenes tetrarcha: Sub Pontificibus Maximis Anna & Caiapha, factum eſt Verbum Domini ad Ioannem Zachariæ filium, in deſerto. Venit igitur in omnem regionem circumiacentē Iordani, prędicans baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſsionem peccatorum.

Argumentū & vſus cap. tertij.

DESCRIPSIT hucuſq; Lucas filij Dei, in carne manifeſtati, natales atq; pueritiam: & paucis complexus eſt omne illud tempus, quod illi vſq; ad triceſimū ætatis ſuæ annū effluxit. Finis & vſus horū omnium hic eſt, vt intelligamus; Ieſum hunc, qui ex Maria Virgine natus eſt, eſſe Chriſtū, id eſt æternū Dei filium, qui propter nos hominē induerit, vt eccleſiæ Dei Rex & Sacerdos, noſterq; apud patrē Mediator, amiſſam ſalutem nobis inſtauraret. Et probatū eſt hoc quidē aliquot teſtimonijs, ſed quæ paucis modò & obſcurius propoſita videri poſſunt, ſi cū denſiſsimis, quæ tunc omniū animis incumbebant, tenebris conferātur? Sed & ipſe Chriſtus poſt æditū in templo ſuæ functionis tyrociniū in obſcuro Galilææ oppido vitam priuatā agens quaſi deliteſcere voluit, donec tēpus illud adeſſet, quo ex æterno patris decreto munus ſibi deſtinatū publicè ſuſciperet. Id autē quando & qua ratione factū ſit, hoc Capite Euangeliſta narrat. Orditur autē à Ioanne Baptiſta, quem primū noui Teſtamenti miniſtrum fore olim prophetæ prædixerūt, & de quo ipſe Chriſtus idem teſtatur, dicens: Lex & prophetæ vſq; ad Ioannē, ab eo tempore regnum Dei annunciatur, & quiuis in illud vim facit. Quia ergo ille Ieſu Chriſti præcurſor fuit, diligenter narratur, vt hic quoq; munus ſuum cœperit obire, vtq; eū, qui luciferi inſtar præibat, mox ſecutus ſit verè aureus ille Sol iuſtitiæ, in cuius alio eſt ſalus, & qui nobis iuſtitiam ſempiternā atq; ſalutem perfectiſsimā reduxit. Eſtq; vſus hiſtoriæ Ioannis multiplex. Continet enim inſtauratæ religionis Chriſtianæ principium atq; progreſſus, in quibus cernere licet admirabilem Dei bonitatē, adhæc totam miniſterij euangelici rationem, & quæcunq; nobis ad æternam ſalutem cognitu neceſſaria ſunt.

Tempus Ioānis Bapt.

Rurſus autem à temporis conſignatione narrandi exordium facit, & ea quidem diligentiſsima. Nec enim ſolius Tiberij Cæſaris, penes quem tunc erat orbis terrarū imperium, annum decimum quintum annotat, verumetiā qui tunc eas terras tenuerint & adminiſtrarint, quæ olim omnes ad Iudaici populi ius atq; ditionem pertinebant. Nam Iudææ, quam Romani poſt Archelai mortē Syriæ diſpenſationi adiunxerant, præſes fuit Pontius Pilatus: Galilææ tetrarcha Herodes cognomento Antipas, Ituraæ autē & Trachonitidis regionis Philippus (vterq; Herodis magni filius & Archelai frater:) Abilenes autē Lyſanias, quem Ptolemæi Minæi (qui Chalcidem prope Libanū tenuit) filium fuiſſe Ioſephus docet. Acceperat is tetrarchiam viuente Auguſto, & eā adhuc Imperāte Tiberio diu tenuit, vt ex hoc loco apparet. Addit his etiā Lucas Pontifices Maximos, Annā & Caiapham, qui cùm ſacerdotium in ſuas quaſi manus redegiſſent, illud per annuas vices adminiſtrarunt, vt alibi diximus. Non debet autem cuique ſupervacanea videri hæc tam diligens temporis conſignatio. Quia enim ex veteri more in rebus arduis & magni momenti annus & dies annotari ſolent, vt quo tempore quidq; geſtū ſit, certius conſtet: multò magis hoc in præſenti debuit obſeruari, vbi de re omniū maxima agitur: nimirū de religionis Chriſtianæ inſtauratione, quæ totius orbis mutationem peperit. Nam etſi eadem fides & religio omnium Dei cultorū ab ipſa mundi origine fuerit, & quidem ea, quæ promiſsionibus de venturo humani generis redemptore nitebatur, & quā hodie Chriſtianam dicimus, attamen huius doctrina intra anguſtos Iudaici populi fines concluſa erat, & ſub legalium ceremoniarū vmbra ſeu velo quaſi latebat, vt paucis verè & perfectè nota eſſet. At Chriſto iam manifeſtato & per Euangelij prædicationē inter gentes diuulgato, dies quidam ſubitò illuxit, per quem pulſis Iudaicis vmbris & ſimul diſsipatis gentilium ſuperſtitionum tenebris tota orbis facies immutata eſt. Fuit hæc maximi momenti res, cuius ſimile exemplum nullum à condito mundo

aditum

aditum fuit. Æquum ergo, imò neceſſe fuit, vt huius reformationis initia ſic deſcriberentur, ne quis propter temporis incertitudinem de tota cauſa dubitãdi occaſionem haberet. Accedit huic cauſa alia grauioris momenti, quòd ſic oſtendi oportuit, Chriſtum eo ipſo tempore mundo innotuiſſe, quod olim prophetæ prædixerant, & proinde illum eſſe verum atq; vnicũ humani generis ſeruatorem, per cuius fidem omnes homines iuſtificari & ſeruari oporteat. Nam ſcimus inter prophetarum prædictiones præcipuam de tempore fuiſſe, quòd nimirum tunc venturus eſſet Meßias, quando ſceptro à Iudæis ſublato & Dauidis poſteritate ad egeſtatem & contemptum extremum redacta, Romani (qui per quartam Monarchiam deſignantur) longè lateq; per orbem dominarentur. Vt ergo tunc ille natus eſt, quando Herodes Romanorum beneficio totius Iudææ & finitimarum gentium regnum obtinuit, & Auguſtus orbis terrarum cenſum egit: ita nunc per prædicationem & miracula publicè ſe manifeſtare incipit, quando per eoſdem Romanos terra, quam olim Iudæi tenuerant, in tetrarchias diſcerpta multis regulis paruit, vt nulla libertatis recuperandæ ſpes reliqua eſſet. At quia de hoc alibi prolixè diximus, iſta nunc ſufficiant.

Attamen diligentius nobis conſideranda eſt perdita & omnibus modis corruptiſsima illius ſeculi conditio, quam quiuis cernere poteſt, qui eorum mores vel obiter inſpexerit, qui tũc rebus cùm politicis tum eccleſiaſticis præfuerunt. Nam vt à capite, Tiberio Cæſare, exordiamur, fuit is (vt Suetonius & alij hiſtorici de illo tradunt) omni libidinis genere infamis, & tantæ impuritatis homo, vt ſatius ſit de illo prorſus tacere, quàm pauca dicendo illius nequitiam extenuare, aut omnia eius flagitia commemorando pias aures offendere. Fuit dignus hoc Imperatore Pilatus, qui vt auaritiã ſuam multis facinoribus & ſacrilegijs declarauit, ita multarum ſeditionum inter Iudæos author fuit, & tandem innoxio filij Dei ſanguine manus plus ſatis ſceleratas amplius polluit. Quoad verò Herodis filios, Antipam & Philippum, ille quidem inceſtus nebulo fuit, & legitima vxore repudiata fratris coniugem ad ſe pellexit: hic verò homo nihili & ignauus iniuriã tam atrocem turpiter neglexit: ex quibus facilè apparet, quæ ſub eiuſmodi principibus fuerit populi plus ſatis afflicti conditio, aut quid præſidij in ſuis periculis boni habuerint apud eos principes, qui tam effræni petulantia & turpi ſocordia ſuam authoritatem proſtituebant. De Lyſania non multa quidem memoriæ prodita ſunt, ſed vix credibile eſt virum bonum fuiſſe, qui Auguſto & Tiberio, hominibus impuris & patriæ libertatis oppreſſoribus, placere potuit. Quòd ſi ad eccleſiæ adminiſtrationem accedas, nominãtur hîc duo Pontifices, Annas & Caiaphas, quod vnum ſatis oſtendit, ordinem à Deo inſtitutum iampridem turbatum & abolitum fuiſſe. Voluit enim Deus vnum ſolùm in ſuo populo Pontificem eſſe, eò quòd is Summi illius & æterni Sacerdotis, filij ſui Ieſu Chriſti typum gereret. Sed Romanorum præſidum auaritia & prophana ſacerdotum impietas Sacerdotium venale fecerant, & ita factum eſt, vt annuæ vices inſtituerentur, vt vtriſq; quæſtus eſſet vberior. Et veriſimile eſt, duos hoſce illud diutius tenuiſſe, cùm alter alterius gener eſſet, & quàmuis illud per vices adminiſtrarent, vtroſq; tamen Pontifices Maximos à populo dictos fuiſſe, cùm ſoli iſtam dignitatẽ quaſi certa poſſeßione tenerent. Fuit autem hæc non minus impia quàm fœda ordinis diuini peruerſio, quæ cum falſa doctrina ſacrilegam ſacrorum omnium nundinationem inuexit, vt alibi cernimus. Taceo nunc ſectas varias, quæ eccleſiæ vnitatem miſerè diſcerpſerant, vt iam Phariſæi, aut Sadducæi, aut Eſſeni dicerentur, qui Iſraelitæ aut Iudæi dici debebant. Quid autem de populi moribus dicere attinet, qui cùm auita contumacia & ingratitudine laboraret, non potuit non indies in peius proficere, cùm eiuſmodi principes res ſacras & politicas adminiſtrarent? Quales certè erga Deum fuerint, ex ijs patet, quæ in Ieſum Chriſtum deſignarunt: de reliquis verò illorum ſtudijs crebræ illorum & aßiduæ ſeditiones teſtantur, vt multa alia extremæ impietatis argumenta nunc omittamus. Eſt autem hoc ingens diuinæ bonitatis argumentũ, quòd iſtis temporibus tantum pœnitentiæ præconem Deus excitauit, & mox huic ſalutis æternæ authorem tot ſeculis olim expectatum. ſubmiſit. Vnde colligitur, velle illum homines ſaluos facere, illos autem ſibijpſis exitij authores eſſe, dum ex propria malitia peccãt, & oblatas ſibi ſalutis occaſiones improbè aſpernãtur. Poſſet hoc infinitis alijs exemplis demonſtrari, ſi opus eſſet: ſed cùm vetera multa occurrant, & quotidie fiant quæ his fidem faciunt, nunc conſultò breuitati ſtudemus. Excitent nos iſta, ne quã hodie experimur Dei nos amicè monentis longanimitatẽ contemnendo, eius iram in capita noſtra prouocemus. Præterea admonet nos hæc tam deſperata illorũ tempo-

Infelix illius ſeculi conditio.

rum cõditio, ſalutem, cuius nobis author eſt Chriſtus, ex mera Dei gratia ſiue miſericordia profluere. Quis enim in tanta atq; vniuerſali omnium ordinum corruptione mereri potuit, vt filium ſuum vnigenitum Deus pro nobis traderet? Reſtat ergo, vt quod ille ipſe in Euangelio docet, iſtud omne ad illius dilectionem referamus, qua mundum complexus eſt. Ioan. 3.

Vocatio Ioãnis Bapt.

Porro ſubijcitur hic vocatio Ioannis, quem ſupra audiuimus in deſerto vitam priuatam vixiſſe vſq; ad tempus illud præfinitum, quando eum prodire & manifeſtari oportebat apud populum. Sic autem ait Lucas: Factum eſt verbum Domini ad Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto. Locutione vtitur in prophetis vſitata, ad quos verbum Domini fieri dicitur, quando vel primùm vocantur ad ſuum munus, vel mandatum aliquod à Deo peculiare accipiunt. Exponit illam ipſe Chriſtus, apud Ioannem de magiſtratibus loquens: Si illos dixit Deos, ad quos verbum Dei factum eſt, id eſt qui ad rempub. legitimè & illo auſpice vocati ſunt. Itaque ſenſus eſt, Ioannem non priuato conſilio ad docendum proſiliJſſe, ſed à Deo euocatum, qui volebat illum iam ad functionem, cui deſtinatus erat accedere. Pulchre autem hoc ſubijcit euangeliſta mentioni Pontificum, Annæ & Caiaphæ, vt oſtendat idem hic factum à Deo, quod olim ſæpius eum feciſſe conſtat, quando ceſſantibus in ſuo munere ſacerdotibus, extraordinariè prophetas excitauit, qui & populum ſui officij admonerent, & ſacerdotum ſocordiam atque corruptos mores, vt par erat, reprehenderent. Ita nunquam deſunt Domino occaſiones & media, quibus verbum ſuum inter homines annuntiari curet, & illi contra id quod vulgo dicitur, facile eſt, ex quouis ligno Mercurium, id eſt ſuæ voluntatis interpretem fingere, cùm in eius manu ſint lingua & corda omnium hominum.

Ioan. 10.

Ioannes vocationem Dei expectat.

Ac hic imprimis memorabile eſt, quòd Ioannes ad munus publicum docendi non accedit, donec peculiari Dei mandato vocetur. Atqui veteres de illo prophetiæ extabant, quæ illum ad hoc deſtinatum eſſe teſtabantur. Adhæc ſpiritu ſuo eum in matris vtero adhuc deliteſcentẽ Deus donauerat, qui in hunc maximè finem datur, vt ad docendum idoneos reddat, qui ex ſemetipſis nihil poſſunt. Fiebant item multa quotidie, quæ illum offendebant grauiter, & quæ emendata voluiſſet, cùm non vulgaria iræ Dei exempla paſſim extarent. Nihilominus tamen Dei vocationem expectat, ne quid hoc inconſulto aggrediatur in re maximi momenti, & in qua abſque Dei auxilio nihil proficitur. Debent exemplum hoc imitari omnes homines, ne vel in eccleſia vel repub. ſeſe temere ingerant, etiamſi ſibi ſatis inſtructi videãtur.

Rom. 10.

Quomodo enim prædicabunt (inquit Paulus) nimirũ cum aliquo fructu, niſi miſſi fuerint? Et apud Ieremiã grauiter illis iraſcitur Deus, qui cùm non mitterentur, ex priuato arbitrio currebant. Equidem qui id faciunt, ij & ſibijpſis & eccleſijs peſſimè conſulunt. Nam vt ſibijpſis onus imponunt, cui ferendo non ſufficiunt: ita ſi quid grauioris periculi imminet, ſtationem temere vſurpatam turpiter deſerunt, & cauſa ſunt, vt eccleſia doctoribus in vniuerſum deſtituantur, quando illis quàm maximè opus erat. Sunt ergo Thraſonum ſimiles, qui inanis gloriæ ſtudio in primam aciem procedunt, & nihil non de ſua fortitudine pollicentur, ad hoſtis verò conſpectum abiectis armis fugiunt, & toti exercitui fugæ initium faciunt. Quoad verò rempub. multis exemplis docemur, infelices eſſe illorum exitus, qui vel largitionibus, vel dolo malo, aut per artes ſeditioſas ad munera publica contendunt. Nam plerunque aut ignaui officium negligunt, aut poteſtate malè vſurpata peius abutuntur, & publicorum malorum atq; mutationum in repub. periculoſiſſimarum authores ſunt. Diſcant ergo ſinguli intra ſuos fines ſeſe continere, & meminerint, ſe Deo curæ eſſe, qui vt Ioannem in deſerto inuenit: ita ipſos minimè negliget, ſi ex re ipſorum & aliorum hominum fore ſciat, vt ad honores & officia publica euehantur. Quod ſi illis contingat, tunc ab illo impoſitam ſarcinam animo forti ſubeant, eius promiſſis & gratia freti, qui donis quoq; maioribus eos exornat & inſtruit, quos in ſuo munere fidos & induſtrios eſſe videt.

Ioannes in deſerto uocatur.

Non temere autem loci quoque mentionem facit Lucas, vbi Ioannem Deus inuenit, quãdo eum ad docendi munus vocauit. Fuit is deſertum Iudææ non procul à Iordane (vt ex alijs Euangeliſtis colligitur) in quo hactenus ille vixerat, & vbi etiam prædicandi initium fecit. Factum hoc non ſine myſterio. Ita enim ſignificare voluit ſpiritus ſanctus, quæ tunc eſſet totius mundi conditio. Deſerta non ſolum inculta & ſterilia ſunt, verumetiam ſyluis & vepretis horrida, adhæc propter feras periculorũ plena. Inſunt hæc omnia mundo, ſi Chriſtum auferas. Quem enim fructum ferat, qui totus in malo iacet, & lucem veritatis odiſſe conſueuit? Accedunt pericula ex errorum Labyrinthis, quos

vel ipſi

vel ipſi nobis fingimus, vel in quos alij nos abducunt. Oberrat item I ro ille rugiens Satan, & modò minis, modò apertis periculis, modò plus quàm vulpina aſtutia vtitur, vt à via ſalutis nos reuocet. Et iſta quidem omnia tunc vulgò locum habebant inter Iudæos & gentes, ex quibus hæ quidem manifeſta diaboli tyrannide premebantur, & totæ (vt Paulus inquit) ſub tenebrarum poteſtate erant, illorum autem infelicior erat conditio, quòd ſibijpſis inani eccleſiæ titulo blandirentur, & ſe miſeros eſſe non ſentirent. Magnum ergo diuinæ bonitatis argumentum eſt, quod tunc lucernam ſalutis Deus accendit, & in filio ſuo viam aperuit, quæ miſeros mortales per horribile illud mundi deſertum ad cæleſtem patriam deduceret. Quod autem illo tempore factum fuit, hoc ipſum hodie etiam non vno loco experti ſumus, & quotidie experimur. Quàm enim infelix fuerit totius orbis conditio, quando papiſticarum ſuperſtitionum tenebræ omnium animos occuparunt, ij teſtari poſſunt, qui aliquando in illis oberrantes propriæ conſcientiæ morſibus & carnificina excruciati ſunt, & inſuper ſibi cum epiſcoporum inſolentia & ſacrificis atq; monachis rem eſſe ſenſerunt, quorũ alij dolis & fraudibus, alij aperta etiam vi in miſeris perdendis aut perterrefaciendis vſi ſunt. At hîc quoq; verbi ſui facem Deus accendit, & gratiæ ſuæ præcones præter omnium expectationem excitauit, qui deſerti huius tenebras illuſtrarunt, & regnum Antichriſti magna ex parte labefactarunt, vt iam paucis terrori ſint eius fulmina, quibus olim Reges potentiſſimos debellabat. Agnoſcamus ergo ô fratres admirabilem illam & verè paternam Dei bonitatem, & relictis auijs in veritatis via ambulemus, quam ille nobis in filio ſuo Ieſu Chriſto aperuit. Sed de hoc pluribus alibi dicemus.

Nunc ad Ioannem redeamus, qui Domino vocanti abſq; mora obtemperat, & ex deſerto in publicum prodiens in tota regione, quæ Iordani adiacet, concionatur. Dicitur autem prædicauiſſe baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum. At baptiſmi nomine totum Ioannis miniſterium comprehendi, ex alijs locis conſtat, maximè ex Chriſti quæſtione, qua Iudæorum antiſtites interrogat, quid de baptiſmo Ioannis ſentiant, an illum ex Deo aut hominibus eſſe credant? Et baptiſmum pœnitentiæ dicit, eò quòd reſipiſcentiam & vitæ emendationem ab ijs requireret, qui per illum Chriſto initiabantur. Adhæc dabatur in remiſſionem peccatorum, non quòd hæc baptiſmo eſſet alligata, aut propter reſipiſcentiam & vitæ melioris meritum obtingeret: ſed quia omnium iſtorum finis eſſet Chriſtus, qui & veræ pœnitentiæ in nobis author eſt, & idem in ſe credentium peccata expiauit, vt propter ipſum, cui per fidem inſiti ſunt, remiſſionem apud Deum inueniant. Tria ergò fecit Ioannes. Primò pœnitentiam ſiue reſipiſcentiam docuit, quæ vitæ totius emendationem, imò hominis totius innouationem continet. Secundo huius prædicatione contritis oſtendit remiſſionem gratuitam propoſitam eſſe in Ieſu Chriſto. Tertiò baptiſmum addidit, qui & reſipiſcentia opus eſſe docebat, & remiſſionem peccatorum, quam nobis Chriſtus meruit, externè obſignabat, totoſq; Chriſto conſecrabat eos, qui illo tingebantur. Ergo totum Ioannis miniſterium duabus omnino partibus conſtitit, doctrina nimirum & baptiſmo. Doctrinæ capita fuerunt, pœnitentia & remiſſio peccatorum, quibus Euangelij prædicationem totam comprehendi docet ipſe Chriſtus, quando duo hæc in ſuo nomine prædicari oportere teſtatur. Vt verò vtrumque prædicauit, ſuo loco audiemus. Doctrinæ verò huic acceſſit baptiſmus, qui cùm nouum quid præ ſe ferret, ex eo Baptiſtæ nomen accepit. Itaque Euangelij miniſter fuit, neq; diſcrimen vllum inter eius doctrinam & apoſtolicam conſtitui debet: & quia doctrina eadem eſt, baptiſmus quoq; eius idem ſit oportet cum eo, quem apoſtoli poſtea adminiſtrauerunt. Qua de re nunc prolixius dicere non eſt opus. Nunc ea modò videbimus, quæ propriè ad loci iſtius tractationem faciunt, quæ ſunt duo numero.

Ioannes prædicat baptiſmum reſipiſcentiæ, &c.

Primum eſt, miniſterium eccleſiæ, in quo neceſſe eſt nouiſſe, quibus partibus illud conſtet, ne à Deo inſtitutum ordinem turbemus, & priuata temeritate nobis inutile & pernicioſum reddamus, quod noſtræ ſalutis ergò Deus inſtituit. Atqui minimè dubium eſt, Ioannẽ, qui primus noui teſtamenti miniſter fuit, nihil eorũ omiſiſſe, quæ ad miniſteriũ iſtud pertinent. Idem verò nõ aliud quàm docuit & baptizauit. Ergo in eccleſia doctrina & Sacramentorum vſus retineri debent, inq; duobus hiſce miniſterium eccleſiæ totum conſiſtit. Vtrúq; propter nos opus eſt. Quia enim nos noſtræ rationis acumine non percipimus regni cælorum myſteria, inſtitutionem nobis adhiberi oportet: hæc autem doctrinæ formam certam requirit, ne circa quæſtiones inutiles & incerta hominum ſuperſtitioſorum figmenta vagemur. Comprehendit hanc olim Deus primis promiſſionibus, quæ homines & officij

Eccleſiæ miniſterium quibus partibus conſtet?

*admonebant, & ſalutem in ſemine mulieris monſtrabant, per quod diaboli regnum deſtrui oporte-
ret. Clarius deinde doctrinam hanc Deus in fœdere cum Abrahamo facto in certa capita diſtinctam
propoſuit, vt alibi diximus. Secuta eſt tandem Lex, quæ ſingulorum capitum fœderis expoſitionem
plenam & diligentem continet. Huic additi ſunt ſacerdotes, & his ceſſantibus prophetæ, qui doctri-
nam hanc rebus præſentibus accommodarunt, & ideo non ſimplici inſtitutione, verumetiam admoni
tionibus, hortationibus, minis & increpationibus vſi ſunt, vt homines vel in officio continerent, vel
in viam reducerent. Nec mutata eſt in nouo teſtamento doctrinæ forma, niſi quòd exhibita iam lu-
ce in Chriſto Ieſu clarius omnia fulſerũt, quæ veteribus obſcuriora viſa ſunt. At quia nos pro carnis
ingenio externis ſignis atq; exercitijs maximè ducimur, verbo ſeu doctrinæ ceremonias coniunxit,
quæ vulgò Sacramenta dici ſolent. Conſtant hæ non otioſis & mutis ſignis aut ſymbolis, ſed actiones
ſunt ſacræ, quæ vt ſecundùm Dei inſtitutum peraguntur, ita in eorum adminiſtratione Dei ver-
bum ſemper illis coniungi debet, quo & verus illorum vſus monſtratur, & animi ad myſteriorũ, quæ
ſub his latent, conſiderationem excitãtur. Neq; tamen hic ſubſiſtit eorum vſus, ſed quod his omnibus
maius eſt, Deus promiſſiones ſuas illis obſignat, quò minus de earum veritate dubitemus. Et ideo
ſigilla iuſtitiæ fidei eſſe, fidẽ confirmare, & ſalutis in Chriſto exhibitæ nos certiores reddere dicũtur.
Vtq; doctrinam certam eſſe voluit Deus, cui nihil addere vel adimere liceret: ita Sacramenta quo-
que certa ipſe nobis tradidit, quorum neq; numerum augere vel minuere, neq; formam mutare, mul-
tò minus vſum inuertere debent, quicunq; ingenui & germani cultores Dei haberi volunt. Poterant
hæc multis demonſtrari, ſi in re omnibus nota demonſtratione opus eſſet. Sufficiat nunc officij pios ad-
monuiſſe, vt à Deo traditam doctrinam ſtudioſe audiant, Sacramentis item religioſè vtantur, & ſe
Deo gratos præbeant, (qui immenſa ſua bonitate ſe noſtro captui accommodat) et proinde eius præ-
ceptis obtemperent, neq; pro ſuperuacaneis ducant ea, quæ ille propter nos inſtituit. Imprimis autem
eos caueant, qui humanarum traditionum figmentis vel Verbi diuini doctrinã corrumpunt, vel Sa-
cramenta adulterant & legitimum eorum vſum peruertunt. Fruſtra enim Deus humanis inuentis
colitur, & in Sacramentorum corruptores horrenda exempla omnibus ſeculis ille edidit, quæ com-
memorare longum foret.*

Baptiſmi ratio. *Alterum, quod hoc loco conſiderandum venit, eſt baptiſmus, quem Ioannes primus adminiſtra-
uit, & cuius myſterium minimè ignorare conuenit eos, qui Chriſti cultores & eccleſiæ eius membra
haberi volunt. Eſt enim is Sacramentum, quo in eccleſiæ ſocietatem externam aſcribimur, & quo no
bis obſignatur ablutio peccatorum & regeneratio ad vitã cœleſtem, cuius nobis author eſt Chriſtus.*
Vide Homil. 3. *At quia de hoc in Marco noſtro diximus, quæcunq; cognitu & obſeruatu neceſſaria ſunt, eadem hîc
nolumus repetere. Interim admonẽdi ſunt Chriſtiani homines, vt meminerint ſuæ profeſſionis, quam*
Rom. 6. *in baptiſmo fecerunt. Nam vt Paulus ait, quotquot in Chriſtum Ieſum baptizantur, ij in mortem
eius baptizantur, & per baptiſmum vnà cum eo in mortem ſepeliuntur. Decet ergo, vt quemadmo-
dum ille à mortuis excitatus ad vitam verè diuinam reſurrexit, ita nos quoq; mortificata carne &
corpore peccati, reſurgamus ad vitæ nouitatem. Etenim ea cõditione in album eccleſiæ aſcribimur,
vt Chriſto nomen demus, & ſub eius ſignis militemus aduerſus carnem, mundum & huius principem
diabolum. Itaq; quicunq; fidem in Chriſtum profitentur & baptiſmum ſibi ad ſalutem ſufficere arbi
trantur, cùm vitam à Chriſtianæ fidei profeſſione alienam viuant, ij & baptiſmum & fidei ſacroſan
ctum nomen prophanãt, & olim profeſſionis ſuæ teſtimonio damnabuntur. Excitent nos iſta, vt ex-
hibitam nobis in Chriſto Ieſu bonitatẽ dignè conſideremus, & eius conſideratione incenſi, totos nos ei
conſecrèmus, eundem vita & moribus referamus. Ita enim & gloriam Dei prouehemus, & olim
cum illo regni cœleſtis hæreditatem adibimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in
æternum. Amen.*

HOMILIA XXVII.

Sicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ, dicentis:
Vox clamantis in deſerto, Parate uiam Domini, rectas facite ſemitas
eius Omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, &
quę curua ſunt fient uia recta, & aſpera uertentur in uias planas. Vide-
bitq; omnis caro ſalutem Dei.

Quemad

QVemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus olim Ioannis Baptiſtæ miniſterio vſus eſt, vt per hunc homines ad illum dignè excipiendum præpararentur: Ita hodie nobis etiam multa doctrina & exhortatione opus eſt, vt in Euangelio ad nos venientē excipere & retinere poſsimus, ne mala tractatione offenſus iterum à nobis abſcedat. Non temere ergo Lucas diligenter admodum ea omnia exponit, quæ ad Ioannis miniſterium pertinent. Nam à vocatione exorſus temporis notationem accuratiſsimam ponit, quò minus de re tota dubitemus. Deinde locum quoq; nominat, qui ad commendandam Dei gratiam imprimis faciebat. Iſtis mox ſummam doctrinæ eius ſubiecit, quæ reſipiſcentiam & peccatorum remiſsionem comprehendit. Doctrinæ verò ſignum addidit Baptiſmum, qui reſipiſcentia quidem opus eſſe docebat, remiſsionem verò peccatorũ monſtrabat in Chriſto, vero illo & æterno agno Dei, qui mundi peccata tollit & expiat. Et hæc illa ſunt, in quibus aſsidui & induſtrij eſſe debent, quicunq; ad Eccleſiæ miniſterium vocati ſunt, vt Chriſto apud homines locum faciant. Quia verò Ioannis doctrinam totius orbis mutatio ſecuta eſt, qualis à prima rerum origine Ioannes non temerarius nouator eſt.
nunquam facta fuit, in præſenti veteris Prophetæ Iſaiæ vaticiniũ adducit Lucas, cuius hic finis & ſcopus eſt, Ioannem non temerarium nouatorem fuiſſe, neq; aliquid feciſſe ex priuato conſilio ſiue arbitrio: ſed munere ſibi diuinitus commiſſo functũ eſſe, cui illum Deus iam olim prædeſtinarat. Quod ipſum alij etiam Euangeliſtæ obſeruauerunt, Matthæus imprimis et Marcus, qui eiuſdem oraculi mentionem diſertam faciunt. Vbi nobis ante omnia obſeruanda venit Euangelij dignitas et fidei noſtræ certitudo. Vt enim in Chriſti hiſtoria cum promiſsionibus & prophetarum vaticinijs omnia pulchre conueniunt: ita nihil ab his diuerſum inuenitur in toto euangelico negotio, ſiue primum eius miniſtrum Ioannem, ſiue Apoſtolos ſpectes, qui illud poſtea inter omnes gentes prædicauerunt. Sunt ergo nimiùm ignaui & imprudentes, qui iſta nõ obſeruant, & proinde de illius veritate perpetuò dubitant: inexcuſabilis autem eſt eorum impietas & malitia, qui cùm iſta non omnino ignorent, neq; etiam negare poſsint, nihilominus argumenta vndiq; conquirunt, quibus Euangelij doctrinam in dubium vocent, & tam propriam ipſorum quàm aliorum incredulitatem augeant.

Porro quoad Iſaiæ locum, extat is in cap. 40. vbi conſolationem inſtituit propheta, quibus pios Locus Iſaiæ cap. 40.
confirmet, qui comminatione exilij ſeu captiuitatis Babylonicæ conſternati, eccleſiam ſimul omnem interiturã timebant. Docet ergo, quòd etſi populus propter peccata in Babylonẽ abducendus ſit, Deum tamen promiſsionum ſuarum probè memorem fore, & daturum prophetas, qui afflictos conſolentur: imò promittit fore, vt nõ ſolùm cum gaudio, verumetiã magna cum gloria inde redeantur. Et quia huic promiſsioni multa videbantur obſtare, vtpote itineris longitudo, Babylonior ũ immanis potẽtia, gentiũ aliarum hoſtiles animi, & imprimis diuturna vaſtitas terræ Iudaicæ, quæ inculta, inuia & inhabitata per annos ſeptuaginta iacuerat: oſtendit non defore Deo media, quibus hæc omnia remoueat, et facillima reddat, quæ nunc impoſsibilia putentur. Vtq; magis fidem faciat ijs, quos ſciebat in Babylone multis atq; grauiſsimis tentationibus obnoxios fore, fingit emiſſos anteambulones ſeu præcones regios, qui deſerta Iudææ accolis alta voce & cum regia authoritate mandent, vt Domino, qui populum ſuũ reducturus ſit, viam ſternant, & impedimenta omnia è medio tollant. Verba prophetæ ſunt: Vox clamantis (ſcilicet audietur) in deſerto, Parate viam Domino, in ſolitudine planam facite viam Deo noſtro. Omnis vallis exaltabitur, omnis autem mons aut collis humiliabitur, ſiue deprimetur: quod tortuum eſt, fiet rectum, & prærupta redigentur in planitiem. Reuelabitur enim gloria Domini, videbitq; omnis caro pariter, quoniã os Domini locutũ eſt. Et hæc quidem, quoad illorũ temporũ hiſtoriã, impleta ſunt, quando Cyrus euerſo Babylonico regno, et Monarchia ad Perſas et Medos translata, Iudæis ad auitas ſedes redeundi copiã fecit, & publicis quoq; edictis cauit, ne quis vel redeuntibus negotium faceret, vel vrbis & templi ædificationem impediret. Quia verò liberatio ex Liberatio ex Babylone typus fuit liberationis per Chriſtũ factæ.
Babylone eius redemptionis typus fuit, quæ poſtea præfinito tempore toti generi humano obtigit per Chriſtum, qui euerſa diaboli tyrannide nos aſſeruit in libertatem filiorum Dei, imò idem hic veteris quoq; liberationis verus author fuit (conſtat enim Deum veteribus quoq; propter vnum Chriſtũ, qui ex illis naſciturus erat, & quem venturũ pij ſperabãt, propitiũ fuiſſe) non immerito Euangeliſtæ vaticinium iſtud de Ioanne Baptiſta & filij Dei in carnẽ aduentu exponunt, & eidem circumſtantiæ omnes mirificè cõueniunt. Nã vt olim propter immanẽ Babyloniorũ potentiã impoſsibile videbatur, populũ Dei ad ſua redicurũ eſſe: ita vix ſperari poterat, aliquẽ ex poteſtate tenebrarũ liberari poſſe,

cùm & gentium idololatria & Iudæorũ ſuperſtitiones Romani Imperij authoritate defenderentur, cuius vires tunc toti orbi formidabiles erant. Et vt via nulla patebat per infeſtas gentes & horrida deſerta iter facturis ex Babylone: ita non aliqua via apparuit, qua Dei filius in mundũ hunc, quouis deſerto ſteriliorem & infeliciorem veniret, & rebus afflictis ſalutẽ afferret. Præterea, vt regijs Cyri edictis ſuam authoritatem Deus eſſe voluit, et præter omnem ſpem populum auitis ſedibus reſtituit: ita eiuſdem ſpiritu factum eſt, vt Ioannes Chriſti anteambulo & præco non ſine authoritate & mirifico profectu totum populum excitarit, vt Chriſto ad templum ſuum venturo (ſicuti Malachias prædixerat) viam ſterneret: cuius aduentum mox ſecuta eſt veri templi & Hieroſolymæ cæleſtis ædificatio, Eccleſia nimirum, quæ ex omnibus gentibus collecta Deo ſeruit in ſpiritu & veritate, & ſalutifera libertate in Chriſto Ieſu fruitur. Itaq; hîc demum verè impletum eſt, quod in reditu ex Babylone obſcurius adumbratum, & vniuerſalis illius redemptionis tenue aliquod (vt ſic dicam) præludium fuit: ideoq; quod de voce in deſerto clamatura Iſaias prædixit, de nemine rectius & verius quàm de Ioanne Baptiſta exponitur. Porro videamus, qui præcipui huius tractationis loci ſint, quorum obſeruatio ad noſtram inſtitutionem faciat.

Præparatione opus eſt ijs, qui in Chriſto ſerueri volunt.

Occurrit hîc primum, quòd Chriſtus Euangelij ſui & totius negotij ſalutis noſtræ ab Ioannis miniſterio initium fieri voluit, qui præconis aut anteambulonis inſtar ipſi populum præpararet. Ex eo colligimus, præparatione opus eſſe ijs, qui Chriſtum Ieſum ad ſe accedere optant, aut cum illo coniungi & eo ad ſalutem frui cupiunt. Ea enim eſt omnium noſtrûm conditio, vt niſi toti immutemur, nulla inter nos & Deum communio eſſe poſſit. Eſt is iuſtitia, ſapientia, veritas, bonitas, imò ignis conſumens eſt, in cuius conſpectum nihil quod corruptum & vitioſum eſt, appropinquare poterit. At ſi nos ſpectes, iniuſtos, ſtultos & rerum cæleſtium ignaros, mendaces, malos & ad omnem nequitiam natura procliues eſſe videbis. Itaq; omnes exclamare cogemur cum propheta: Quis noſtrûm habitabit cum igne deuorante? quis noſtrûm habitabit cum ardoribus æternis? Vt ergo pharmaca in affectis corporibus locum non habent, niſi eiectis prius humoribus noxijs, qui valetudini obſtant: ita neq; ſalutifera illa animarum medicina, quam nobis Chriſtus propinat, quicquam iuuabit, niſi eijciatur prius, aut ſaltem in ordinem redigatur innata nobis naturæ vitioſitas, qua regnante multa quotidie facimus, quæ Deum à nobis arcent, noſq; ſalute in Chriſto indignos reddunt. Deinde exigit hoc ipſum Chriſti maieſtas & bonorum, quæ ſecum affert excellentia. Si enim huius ſeculi Reges, qui à victoria contra hoſtes redeunt, aut regna ſua occupare volunt, vrbes non ingrediuntur, niſi exploratis prius & repurgatis per antecurſores ſuos itineribus, & ad omnem vſum neceſſarium probè inſtructis hoſpitijs: quanto iuſtius eſt, ad Chriſti aduentum nos præparari, qui Rex regum eſt & Dominus dominantium, quiq; noſtræ ſalutis ergò cum hoſte diabolo congreſſus, illum deuicit, & ſibi quidem regnum glorioſum, nobis verò pacem, libertatem & vitam æternam acquiſiuit? Vehementer ergo errant, qui in illo peccandi licentiam venantur, & ſub plauſibili Chriſtianæ libertatis prætextu ea deſignant, quibus ille non poteſt non offendi, cùm ad deſtruenda diaboli opera & ad abolendum in carne noſtra regnum peccati venerit.

Iſaie 33.

Præparatio in quo conſiſtat?

Secundo loco tenendum eſt, in quo nam præparatio illa conſiſtat? Requiritur hic ante omnia ardens ſalutis & iuſtitiæ æternæ deſiderium. Nam niſi eo inflammemur, non multùm cæleſtia bona curabimus, qui per innata carnis deſideria ad terrena & mundi voluptates toti abripimur. Ideo Chriſtus paſsim eſurientes & ſitientes ad ſe vocat, eos nimirum intelligens, qui peccatorum pondere depreſsi & fatigati, totis animis ad ſalutem æternam aſpirant. Nihil ergo hic faciunt: qui cùm ſe ſibiipſis ſufficere putent, ſanctam illam eſuriem atq; ſitim nondũ ſentiunt, aut ſe inter media ſcelera beatos & felices eſſe arbitrantur. Deinde procul remoueri oportet, quæcunq; nos à Deo reuocant, aut illius oculos offendunt, quò minus ad nos accedat. Eſt hoc (ſi vno verbo omnia complecti libeat) peccatum. Vt enim primi parentes peccando ſeipſos à Deo alienauerunt: ita hæc etiam hodie ſcelerata illa & infelix maceria eſt, quæ nos ab illo & bonorum eius communione ſeparat. Docet hoc Iſaias, quando de nimio Dei rigore & ſeueritate conquerentibus dicit: Ecce manus Domini non eſt abbreuiata, quò minus ſeruare poſsit, neq; aggrauata auris eius, vt exaudire non queat: ſed iniquitates veſtræ diuidunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcondunt vultum eius à vobis ne exaudiat. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, et digiti veſtri iniquitate: labia veſtra loquuntur men-

Iſaie 59.

tur men-

tur mendacium,&c. At quia multiplex & varia eſt peccati ſoboles, neq immerito diligenti enumeratione idem Iſaias in præſenti vtitur. Nam in cœpta Metaphora aut ſimilitudine pergens, quæcunq; in itineribus occurrunt incommoda exponit, montes nimirum inuios, valles profundas & paludibus tetris biantes, viarum diuerſiſſimarum incerta diuerticula, præcipitia item & quæcunq; alia ſunt eius generis: quibus diuerſas peccati ſpecies & diuerſa quæ ex his enaſcuntur hominum ingenia denotat. Ita verò ſimul admonere vult ſpiritus ſanctus, hoc non parui laboris opus eſſe, adeoq; hîc feriò requiri quod in Xerxe hiſtorici repræhendunt, qui Iſthmum perfodere, montes transferre, maria pontibus ſternere, flumina exiccare, deniq; totam orbis faciem mutare conatus eſt. Sunt enim alij montes & valles, rupes item & præcipitia, paludes, gurgites in ipſa hominis natura, quæ omnia qui ſuis viribus remouere velit, ipſo Xerxe confidentior fuerit, & tamen vt remoueantur omnino opus eſt. Per valles enim intelliguntur homines deſperabundi, quos ſcelerum admiſſorum conſcientia deprimit, vt oculos ad Deum non auſint attollere. Illos exaltari, id eſt, erigi oportet, non quidẽ vt confidenter aduerſus Deum inſurgant, ſed vt de eius gratia & Chriſti merito certiores facti animũ colligant, et conſtanti fide diaboli tela eludant, quibus hic in deſperationem illos adducere conatur. Eſt hoc factu imprimis neceſſarium. Vt enim medicum & medicinã non admittit, cui nulla valetudinis melioris ſpes ſupereſt: ita Euangelij prædicatione nunquam mouebitur, qui de Dei gratia deſperauit, & totus ſub peccatorum conſcientia ſuccumbit. Itaq; vt prudentes medici ægrotum amicè compellant, & ei ſalutis ſpem faciunt, ne ex deſperatione obortus dolor morbum augeat: ita verbi miniſtros hoc ipſum facere conuenit apud eos, quos deſperatione vinci & quaſi in vallem profundam dehiſcere vident. Montes verò & colles dicuntur, qui huius ſeculi fortunis & ſucceſſu ebrij capita attollunt, & diſciplinam omnem reijciunt: vel ſuorum operũ & propriæ iuſtitiæ fiducia elati coram Deo ſuperbiunt, neq; putant ſibi gratuita peccatorum remiſſione opus eſſe, quæ nobis per Euangeliũ in Chriſto Ieſu offertur. Eſt vtrumq; genus hominum frequens valde. Qui enim in opum abundantia & lætiori fortuna Dei beneficentiã agnoſcere & huic ſeſe gratos atq; morigeros ſiſtere debebant, plerunq; ſibijpſis placent, & ex eo laudem venantur, quòd omnia pro ſuo arbitrio faciant. Rurſus qui inter homines iuſtitiæ & ſanctitatis exiſtimationem ſuſtinent, eadem apud Deum quoq; (vt olim Phariſæi) confidentius gloriantur, & gratiæ prædicationem indignißimè ferunt, quòd nimirum omne hoc ſibi decedere ſentiant, quod Deo tribuitur. Et in hoc albo præcipui ſunt Monachi, & quicunq; horum doctrinam ſequuntur. Vtrumq; verò genus humiliatione opus habet, & ideo prioribus illis incertam et caducam rerum huius ſeculi conditionem ob oculos ſtatuere oportet, vt illis ſuperbire deſinant: alteros autem ad Dei tribunal citare, & Legis ſpeculo eorum non ſolùm aperta flagitia, verumetiã membris inhærentẽ naturæ vitioſitatem arguere, vt ſe miſeros et infelices eſſe intelligant, quibus gratuita miſericordia opus ſit. Per curua et obliqua omnes errorum atq; ſuperſtitionũ ambages intellige, quibus ferè circunducuntur, qui ex ſuo cerebro ſapere inſtituunt, et regni cœlorũ myſteria ad ſuæ rationis calculum reuocant. Horum omniũ ſenſus atq; rationes ad verbi diuini regulam dirigere oportet, vt ad Chriſtum conuertantur, qui via & veritas eſt. Sunt item prærupta et aſpera multa, ſub quibus omnia alia vitiorum genera compræhendi poſſunt. Prærupta equidem præcipitia ſunt libido, gula, auaritia, luxuria, odium, inuidia, ira, & quæcunq; alia ſunt huius farinæ: et vt ſuos ſectatores exitio æterno demergunt, ita aſperos quoq; & intractabiles reddunt, vt nemo illis ſine aliqua iactura aut periculo conuerſari poßit. Et hi omnes ad excipiendum Chriſtum nunquam idonei erunt, niſi relictis ſtudijs prioribus molleſcant, ſeq; ipſos Dei verbo regendos præbeant. Quæ omnia ſi cum noſtri ſeculi moribus conferamus, non miraberis tam paucos eſſe, qui Chriſtum verè recipiant & in illo ſeruentur. Conſtat enim pleroſq; hominum ſuperſtitionibus delectari, quæ ſectatoribus ſuis deſperationis cauſa ſunt: aut opibus, honoribus, potentia & mundi huius fauore ſuperbire: aut phariſaica operum ſuorum fiducia turgere, aut per incertos errores vagari, & eoſdem pertinaciter tueri: aut effræni licentia in ſceleribus & manifeſtis flagitijs pergere. Eſtq; iſtorum omnium eò infelicior conditio, quòd ſuam infelicitatem non agnoſcunt, neq; de iſtis emendandis cogitant, quæ ipſos à Chriſto, vnico ſalutis authore, alienos reddunt.

Valles.

Montes & colles.

Curua & obliqua.

Prærupta & aſpera.

Nouit hanc noſtram infelicitatem Deus, & quia nemo ſibijpſi manum admouet, publicum verbi ſui miniſterium inſtituit, & vt olim Ioannem dedit, cuius prædicatione omnium animi ad

Deus præparat per uerbum.

excipiendum Chriſtum præpararentur: ita ante hunc prophetas, & poſtea apoſtolos miſit, quorum omnium idem officium fuiſſe conſtat. Imò perpetuum eſſe vult docendi munus in eccleſia, ne qui igno-
Epheſ. 4. rantiam poßint ſuæ pertinaciæ prætexere. Nam, vt Paulus ad Epheſios ſcribit, iam nunc quoque Chriſtus dona ſui ſpiritus è cœlo diſtribuit, & alios quidem dat prophetas, alios apoſtolos, alios docto res, alios paſtores, qui eccleſiam ædificent, & oues illi quotidie nouas adducant. Eſt hoc ſingulare ac præclarum ſuæ bonitatis indicium. Poterat quidem ille ſuo ſpiritu hominum mentes immutare, et ab errorum atq; vitiorum auijs abductos illuminare, vt nemine monente ad Chriſtum accederent: ſed primò quidem noſtræ carnis ingenio ſeſe accommodat, & certam verbi ſui doctrinam eiusq; certos miniſtros eſſe vult, quò minus locum habeant dubiæ & incertæ reuelationes, quibus Satan incautos ludere & lactare conſueuit: deinde eo honore nos dignatur, vt ipſius ſimus adiutores ſiue cooperarij,
1. Cor. 3. vt Paulus loquitur. Debent ergo hunc Dei morem diligenter obſeruare omnes homines, ne verbum quoddam Dei non ſcriptum & neſcio quas ſpiritus inſpirationes imaginando, ſeſe diabolo ſeducendos exponant: & vt ij, qui ad docendi munus vocati ſunt, ſuæ dignitatis memores commiſſam ſibi prouinciam exornent, & olim in magno illo die in gaudium heri ſui ingrediantur.

Adminiſtrorū nerbi officium: Eſt ergo omnibus, qui in eccleſia & verbi miniſterio conſtituti ſunt, probè obſeruandum, quod de Ioanne dicitur, eum vocem clamantis in deſerto fuiſſe. Nam quàmuis ad diu intermiſſum prophetiæ munus propheta reſpicere videatur, quod nouo Ioannis prædicatione Deus inſtaurari voluit: ſimul tamen præcipitur clara, ingenua & perſpicua dicendi libertas, quæ non aures ſolùm feriat, ſed
Iſaiæ 58. ipſos etiam animos auditorum penetret. Requirit hanc ab omnibus prophetis Dominus. Iſaias certè
Ezech. 3. vocem inſtar tubæ exaltare & ex gutture clamare iubetur, vt populo ſcelera ſua annunciet. Eze-
Matth. 10. chiel verò ſpeculatoris inſtar conſtitutus eſſe dicitur, vt diſertè moneat eos, quorum ceruicibus gla-
2. Tim. 4. dius Domini imminet. Et eòdem facit quòd apoſtolos in tectis prædicare & diuulgare iubet Chriſtus ea, quæ in aurem audiuerint, id eſt, quæ ex occultiori ſpiritus reuelatione didicerint. Paulus item Timotheum ſuum monet, vt non ſimpliciter ſolùm doceat, verumetiam moneat, hortetur, increpet, adeoq; inſtet tempeſtiuè & intempeſtiuè. Obſeruarunt hoc diligenter prophetæ, ſicuti eorum ſermones teſtantur. Et quæ Ioannis παῤῥησία ſiue libertas in dicendo fuerit, ſuo loco audiemus. Nec enim contentus fuit in genere pœnitentiam docuiſſe, ſed doctrinam hanc omnis loci & ordinis hominibus accommodauit, vt neq; phariſæis, neq; ſacerdotibus, neq; ipſi etiam Regi Herodi parceret. Secuti ſunt exempla hæc apoſtoli, vt videre eſt in primis illis concionibus, quas in ſanguinaria Hieroſolymorum vrbe habuerunt. Idem ergo hodie etiam fieri oportet. Exigit hoc infelix & tantumnon deploranda noſtræ naturæ corruptio. Blanditijs enim peccati ſic capimur, vt hoc vel omnino non agnoſcamus, vel agnitum quoq; non fugiamus. Inuiti igitur ab eo auellimur, & efficaci omnino prædicatione opus eſt, vt Deum nos ad meliora vocantem ſequamur. Scio equidem miniſtros aliquos ſegniores fieri, quòd ſe nihil proficere videant: ſed non quantum proficias, ſed quid ex officio facere debeas videndum eſt. Eſto enim nihilo meliores fiant, quorum ſcelera noſtro clamore prodimus, non tamen labor hic noſter irritus eſt. Nam ſunt interea alij, qui timorem concipiunt, & iræ Dei conſideratione territi de ſalute ſua magis ſeriò cogitare incipiunt. Multi etiam de ſceleribus rectè iudicare diſcunt, & minus offenduntur ſceleratorum ſucceßibus, aut impunitate qua in hoc ſeculo interdum vtuntur. Et vt hi quoq; nulli ſint, tamen ſuas animas (vt Ezechieli dicitur) miniſtri liberant, & proinde ſtudij et fidei ſuæ fructum vberrimum metunt. Debent iſta diligenter meditari miniſtri hiſce nouißimis temporibus, quando ea peccandi licentia & ſecuritas paßim regnat, de qua nos Chriſtus admonuit, & cui excutiendæ vel coercendæ ne Ionæ quidem minacißimæ conciones ſuffecerint. Ferunt quidem indignè miniſtrorum libertatem, qui ſceleribus iampridem aſſueuerunt: ſed ijdem aliquando grauiora ferre cogentur, quando vndiq; irruentium hoſtium clamore, cornuum clangore, armorum ſtrepitu & promiſcuo miſerabiliq; pereuntium eiulatu illos Deus excitabit. Accidit hoc olim Iudæis, cùm prophetas diu nequicquam clamantes contempſiſſent, vt poſtremum cap. ſecundi Paralip. teſtatur. Quid verò nobis hodie ſperandum ſit, facilè videt, qui inteſtina dißidia, ſimultates, bella ciuilia & inter hæc indies ſeſe dilatantem Turcarum tyrannidem non oſcitanter conſiderauerit.

In Chriſto reuelatur gloria Domini. Cæterùm finem quoq; totius negotij Euangelici Iſaias indicat, cùm addit: Reuelabitur enim glo-

ria Domi-

ria Domini, videbitq́ omnis caro pariter, quoniam os Domini locutum eſt. Quæ verba Lucas Græcam interpretationem ſecutus reddidit: Videbitq́ omnis caro ſalutem ſiue Salutare Dei, id eſt, eum in quo ille omnes ſalutis theſauros nobis proponit, & qui vnicus ſalutis humanæ author eſt. Sed in idem ſenſus recidit. Scimus enim nullum diuinæ gloriæ ſpecimen illuſtrius à condito mundo æditum eſſe, quàm quòd filium ſuum vnigenitum miſit in ſimilitudine carnis peccati (vt Paulus loquitur) & peccatum condemnauit per eum, qui pro nobis peccati hoſtia factus eſt, vt à Lege peccati & mortis liberaremur. Ita enim diaboli regnum deſtruxit, & ſuam gloriam magnificè aſſeruit, quæ prius quaſi conculcata iacebat. Eſt autem eò vberior hæc Dei gratia, quòd ſalutem hanc omni carni, id eſt, hominibus vniuerſis proponit, & conſentit huic oraculo mandatum Chriſti, quo Euangelium in toto orbe prædicari voluit in omnes gentes, promittens ſimul ſalutem omnibus ijs, qui Euangelio credunt, & eccleſiæ eius ſocietati coniunguntur. Iſta autem nos officij admonent, ne quis ſibi licere arbitretur, vt Chriſtum reijciat; & ad ſalutem per alias vias aut rationes contendat. Quia enim hoc vniuerſale præceptum eſt, à nemine contemni poterit abſq; manifeſta ſalutis iactura. Confirmationis loco additur, Quoniam os Domini locutum eſt. Sunt ergo hæc firma & rata, neque hominum vaniſſimorum commenta putari debent. Quia enim æterno etiam Dei decreto nituntur, vt ſæpe aliàs diximus, nemo illa poterit irrita facere. Agnoſcamus ergo hanc Dei bonitatem, & totis animis præparemur ad excipiendum Ieſum Chriſtum vt in illo vitam & ſalutem conſequamur: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Dicebat igitur turbæ uenienti ut baptizaretur ab ipſo: Progenies uiperarum, quis præmonſtrauit uobis ut fugeretis à ſutura ira? Ferte igitur fructus qui reſipiſcentiam deceant, & ne cœperitis dicere apud uoſipſos, Patrem habemus Abrahamum. Dico enim uobis, poſſe Deum etiam ex lapidibus iſtis excitare filios Abrahamo. Iam uerò & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non ferens fructum bonum exciditur & in ignem conijcitur.

Diligenter admodum deſcribit Lucas, quod nam Ioannis miniſterium, et quæ eius doctrina fuerit. Primò enim omnibus conſtare oportebat, doctrinam hanc, cuius ipſe primus in nouo teſtamento adminiſter fuit, non nouam eſſe, ſed eam humanæ ſalutis rationem continere, quæ æterno Dei conſilio nitatur, et de qua olim Prophetæ etiam ſint concionati. Deinde cùm nobis quoq; præparatione opus ſit, qua ad Chriſtum excipiendum idonei reddamur, nobis etiam eadem doctrina neceſſaria eſt, ne noſtræ rationis figmenta ſecuti nobiſipſis remoras obijciamus, quæ nos à Chriſto et in hoc propoſita ſalutis via abducant. Conſiſtit autem præparatio illa nõ in externis & inutilibus ceremonijs, ſed in vera reſipiſcentia, vt nimirum relictis ſtudijs prioribus nos totos Deo conſecremus, & certa bonitatis atq; gratiæ eius fiducia freti vitam viuamus noſtra profeſſione dignã. Et hæc quidem primùm in genere omnibus prædicauit Ioannes, & auditores ſuos ſimul baptiſmo tinxit, qui eos & ad pœnitentiam agendam obſtringebat, & in fiducia gratuitæ remiſſionis peccatorum confirmabat. Sequuntur deinceps conciones aliquot ſpeciales (vt ſic dicam) quas pro ratione eorum, qui ad ipſum veniebant, inſtituit, quales erant præter commune vulgus Phariſæi & Sadducæi, Publicani, Milites: qui cùm diuerſa vitæ genera ſequerentur, et diuerſis quoq; vitijs laborarent, ſingulis propria doctrina opus fuit, qua ſui officij admonerentur.

Præmittitur autem occaſio, quòd nimirum populo ad ipſum confluente conciones haſce habuerit. At quod vno verbo dicit Lucas, hoc Matthæus diligentius exponit, vnde nimirum iſti omnes aduenerint, docens. Tunc egreſſa eſt ad illum (inquit) Hieroſolyma, & tota Iudæa, totaq́ regio vndiq; finitima Iordani. Ex quibus verbis colligi poteſt, hoc ipſum tunc factum fuiſſe, quod & hodie fieri conſueuit. Nam ſicubi locorum pij ſanioris doctrinæ inſtauratores exurgunt, qui Euangelium, diu prius occultatum, prædicant, mox confertim omnes accurrunt, mirantur, laudant,

Occaſio concionum Ioannis, quæ ſequuntur.

ſeq; mutuò ad illud audiendum hortantur. Id verò pleriq; non Veritatis amore aut æternæ ſalutis deſiderio, ſed potius nouitatis ſtudio faciunt, vt aures paſcant, vel etiam odio eorum, quos præ alijs perſtringi aut palàm accuſari arbitrantur. Ita tunc quoq; noui doctoris fama omnes excitati concurrebant, audiebant docentem, venturi Meßiæ deſiderio ardebant, multi quoq; baptizabantur: at qui de reſipiſcentia seriò cogitarent, paucißimi erant. Et eſt hoc mundi ingenium, quo tamen Deus pro ſua æterna & imperueſtigabili ſapientia optimè vtitur: vt nimirum per iſtam occaſionem electi ſimul & reprobi ad audiendum Verbum excitentur, & illi quidem ad ſalutem inſtituantur, hi verò inexcuſabiles fiant. Ita in præſenti quoq; concurſus iſte plurimùm profuit. Ea enim occaſione Ioannes de ſingulorum ordinum officio concionatus eſt, & quid vnumquenq; pro ſuæ vocationis ratione facere conueniat docuit: & vt Chriſtus poſtea dicet, ex publicanis & meretricibus multi reſipuerunt, quàmuis Phariſæi & Scribæ Dei conſilium improbè contemnerent. Quoad verò exemplum Ioannis, admonentur eo omnes eccleſiarum miniſtri, ne ſe officio ſuo per omnia defunctos putent, ſi Verbum Dei in genere omnibus prædicent & generalia tradant veræ pietatis præcepta, ſed meminerint doctrinam illam ſingulis applicandam eſſe pro perſonarum & temporum ratione, vt ſinguli quid in ſeipſis emendari opus ſit intelligant. Eſt hoc neceſſarium valde, quia plerique dum verbum audiunt, non putant de ſe agi, aut dum communem pietatis Chriſtianæ formam vtcunque ſequuntur, ea interim negligunt, quæ ad vocationem ipſorum priuatam pertinent. Ideo Chriſtus à ſuo illo Oeconomo requirit, vt familiæ ſuæ cibum ſuum ἐν καιρῷ, id eſt, opportunè et prout vſus exigit proferat: & Paulus miniſtrum eiuſmodi eſſe vult, qui verbum Dei rectè ſecet, id eſt, ita doceat, vt ſinguli diſcant quid ipſis maximè ſit faciendum.

Ioannes Phariſeis & Sadducæis concionatur.

Porrò ipſum Ioannem audiamus, qui concionem, quæ in præſenti deſcribitur, ad Phariſæos & Sadducæos potißimùm habuit, vt ex Matthæo colligitur, qui ſic ſcribit: Cùm vidiſſet multos ex Phariſæis & Sadducæis venientes ad baptiſmum ſuum, dixit illis: Progenies viperarum, &c. Lucas ſimpliciter turbæ, id eſt, populi promiſcui meminit, in cuius corona hæc dixerit. Vnde apparet, illum hos non priuatim aut occultius, ſed in publico & omnibus audientibus increpuiſſe: de quo poſtea amplius dicetur. Nunc, quia apud Euangeliſtas frequens eſt Phariſæorum & Sadducæorum mentio, de illis aliquid dicendum erit.

De ſectis Iudæorum.

Sunt ergo iſta ſectarum nomina, in quas illo tempore Iudæi ſciſſi fuerunt, ea omnino ratione, qua Chriſtianum populum ſub papatu in diuerſos Monachorum ordines diuiſum fuiſſe ſcimus. Voluit quidem Deus vnam omnium fidem atq; religionem eſſe, & proinde communes quoq; omnibus leges dederat, quæ fidei & diuini cultus adhæc vitæ morumq; præcepta ex æquo ad omnes pertinentia comprehendunt. Vtq; formam religionis vnam tradiderat: ita templum quoq; vnicũ eſſe voluit, in quo ſolo ſacra facerent, ne facilè in ſectas aut partes ſcinderentur. Et conſtat Iudæos veteres, etſi multis vitijs laborarent, externam tamen eccleſiæ vnitatem diligenter ſeruauiſſe, ne in factiones diuerſas abirent, qui in Circuncisione vni Deo nomen dederant, & ad eiuſdem Legis obſeruationem erant aſtricti. At hoſtis vnitatis eccleſiæ Satan, vt totius religionis corruptionem & humanarum traditionum figmenta facilius induceret, tandem ſectas & partium ſtudia circa doctrinam & religionem excogitauit. Itaque annis ante natum in carne Dei filium circiter centum & triginta, ſub Ioanne Hircano Simonis F. ſectæ tres emerſerunt & confirmatæ ſunt, quæ vt ſententijs ita veſtitu quoque & certis ritibus inter ſe diſcernebantur.

Phariſæi.

Inter hos primatum facilè tenebant Phariſæi, quos Alexandra Hircani & Ariſtobuli mater in ſummam potentiam atq; dignitatem euexerat, eò quòd præ alijs ſcripturarum cognitione & morum integritate atq; ſanctimonia commendarentur. Nam ſcripturas ſedulò explicabant (vnde illos nomen accepiſſe plerique exiſtimant) res omnes ad Dei prouidentiam, vel potius ad fatum Stoicum, referebant, liberum hominis arbitrium aſſerebant. in ieiunijs, precibus, eleemoſynis frequentes erant, neq; à repub. abhorrebant, in qua ferè honoribus primis potiebantur. Error autem illorum præcipuus & maximè pernitioſus erat, quòd ſuorum operum meritis & propriæ iuſtitiæ fiducia elati, gratiam Dei non dignè æſtimarent, & ita Dei iuſtitiam reijcerent, dum ſuam ſtabilire conabantur.

Sadducæi.

Proximi ab his Sadducæi fuerunt, homines nimiùm politici, vel etiam Epicuræi planè, qui etſi à religione minimè alieni eſſe vellent, & proinde libros Moſis admitterent, interim præcipua fidei & religionis fundamenta negabant, animarum immortalitatem & corporum reſurrectionem. Attamen vt reſpub. & pace

inter

inter homines conſiſteret, iuſtitiæ ſtudendum eſſe docebant, non aliqua futuri præmij ſpe, ſed propter ipſam iuſtitiam. Fuerunt ergo inter hos & Phariſæos perpetuæ lites, potuerunt tamen poſtea in Chriſto oppugnando conuenire, vt ſuo loco dicetur. His tertij acceſſere Eſſeni, qui cùm Sadducæorum impia placita meritò deteſtarentur, apud Phariſæos autem plus hypocriſis quàm veræ & ſolidæ pietatis eſſe cernerent, ab vtriſque ſeceſſione facta, nouum vitæ genus ſecuti ſunt, auſterum prorſus, laborioſum, frugale & innocuum. Nam agriculturæ intenti nihil præter victum quærebant minimè ſumptuoſum; ſeruos poßidere nefas putabant, bona omnia habebant communia, à ſacris item publicis abſtinebant, ne aliorum contagio polluerentur, aut ſceleribus alienis communicarent: ſimiles ferè Anabaptiſtarum, quos partim propriæ ſanctitatis perſuaſio, partim immodica vulgi licentia ad ſimilem errorem inducit. Erant tamen illi numero paucißimi, neq; aliqua erat ipſorum authoritas, quòd eorum opiniones ad reipublicæ euerſionem facerent, & cum coniugio proprietatem quoque rerum damnarent. Phariſæi autem & Sadducæi eò progreßi erant, vt pauci reperirentur, qui non vel horum vel illorum eſſent ſectatores. Habebant tamen vtrique ſuos principes & anteſignanos, qui reliquis authoritate præſtabant. Ex his multos ad Ioannis baptiſmum veniſſe dicitur, in quos orationem ille habuit, quam in præſenti Lucas deſcribit. Sunt eius partes quatuor, quas ex ordine inſpiciemus.

Eſſeni.

Hypocriſim accuſat Ioannes.

Prima hypocriſim & ſimulatum pietatis aut reſipiſcentiæ ſtudium arguit, quo ſeſe venditabant, & verbis omnino grauibus vtitur: Progenies viperarum (inquit) quis præmonſtrauit vobis, vt fugeretis à futura ira? Progeniem viperarum eos dicit, vt totum illorum ordinem comprehendat, & hunc iam inde ab ipſa origine & progenitoribus ipſorum corruptum eſſe oſtendat. Perinde ergo hoc eſt, ac ſi malorum coruorum (quod prouerbio dicitur) mala oua, aut malorum parentum peßimos filios dixiſſet: Imò quia viperarũ meminit, non obſcurè diaboli filios eſſe innuit, quem ſcripturæ veterem ſerpentem vocant. Per iram verò venturã excidium vrbis et gentis repudium intelligit, cuius illi præcipui erant authores, & quod ipſis imminere non poterat ignorare. Nam vt infinita alia prophetarum vaticinia taceamus, Malachias, cùm de Chriſti in carnem aduentu deq; eius anteambulone, Ioanne Bapt. verba faceret, inter alia illum ſeueri iudicis inſtar fore dixerat, qui ordinem ſacerdotalem reformaturus & infideles omnes pro meritis ſis puniturus. Ecce venit (ait) Dominus exercituum. Quis diem aduentus eius ſuſtinebit? aut quis, cùm apparuerit, conſiſtet? Eſt enim veluti ignis excoquens, & vt Borit ſiue ſaponaria aut radicula fullonum. Et ſedebit excoquens & repurgans argentum, & filios Leui emundabit, &c. Et paulo poſt ipſe Dominus ait: Et appropinquabo vobis ad iudiciũ, eroq; teſtis feſtinus contra præſtigiatores, contra adulteros & falsò iurantes, etc. Hæc igitur & multa alia huius generis, cùm non neſciret Ioannes, & inſuper per ſpiritum ſanctum de futura populi totius calamitate admoneretur, hanc illis ob oculos ſtatuit, & contumaciam exprobrat, quam externo reſipiſcentiæ ſimulatæ fuco tegere conabantur. Itaque verborum ſenſus eſt: Mirum equidem videri poterat, vos huc venire, & quam ab omnibus requiro reſipiſcentiam profiteri. Sed vrget vos ſcelerum conſcientia, & inuiti licet ſentitis immineré iam publicum illud & à prophetis olim denuntiatum excidium, cuius vos præcipui eſtis authores, qui & populum Dei in partes ſcidiſtis, & Legis diuinæ doctrinam corrupiſtis, & cultum omnem prophanaſtis. Ideo ne officio deeſſe videamini adeſtis, & pœnitentiam ſeu reſipiſcentiæ ſtudium ſimulatis. Itáne verò impudentes eſtis, ô infelix viperæ antiquæ progenies, vt qui populum hucuſque ſeduxiſtis, nunc ipſum Deum fuco veſtro falli poſſe putetis, vt propter hunc iram ſuam reſtinguat, & iamiam imminens vobis exitium auertat? Multum certè fallimini, & voſipſos miſerè perditis, dum hac ratione vobis conſuli poſſe putatis. Nec enim externis laruis capitur, qui in ſpiritu & veritate coli vult: neque fuco aut ſplendore fallitur, qui corda & renes ſcrutari ſolet, & quem ne cogitationes quidem hominum latêre poſſunt. Alia igitur via vobis ingrediendum erit, & longè alijs ſtudijs opus eſt, ſi iram Dei & paratas vobis pœnas velitis effugere, &c.

Mal. 3.

Antiſtites duriu reprahendit Ioannes.

Hæc omnia, & quæcunq; huius generis in hanc ſententiam dici poſſunt, Ioannes paucis hiſce verbis comprehendit. Vbi obſeruatu dignum eſt, quòd tam duriter eos tractat, penes quos præcipua erat in rebus ſacris authoritas, & qui ſupremam ſanctitatis exiſtimationem ſuſtinebant. Non maledices (inquit Lex) principi populi tui. Cur ergo Ioannes iſtos viperarum progeniem vocat, qui &

Exod. 22.

propria dignitate pollebant, & ab Hieroſolymitano Senatu & toto Sacerdotum ordine ad ipſum miſsi venerant, ſicuti in Euangelio Ioannis ſcribitur? Annon nimius eſt, & conuitiator dici meretur? Nequaquam. Imò officium facit, & vt ita fieret opus erat. Nam primò ita in ſuorum operum fiducia hypocritæ obſtupeſcunt, vt niſi durius tractentur, nunquam de ſe dici intelligant. Deinde cùm proditorio animo venirent, & ſub reſipiſcentiæ prætextu inſidias ipſi ſtruerent (quod proprium & germanum diaboli opus eſt) omnino ſic tractari merebantur. Adhæc cur illis parceretur, qui cùm malorum omnium eſſent authores, effræni tamen licentia perrumpere conabantur? Requirebat certè hoc publica totius populi ſalus, vt illorum artes & corruptiſsimi mores omnibus innoteſcerent, quò facilius caueri poſſent, & vt reliqui omnes ſerio Dei timore perculſi curarent, ne ſimili hypocriſi ille porrò offenderetur. Minimè ergo conuiciator dici debet Ioannes, cùm ſuo erga Deum & populum, imò erga hos ipſos officio fortiter defunctus ſit. Et quod illi licuit, hoc ipſum omnibus verbi adminiſtris licet, vt liberius accuſent perſonatos antiſtites, quicunque horum ſimiles non ſolùm ipſi officium ſuum negligunt, verumetiam alijs peccandi authores ſunt. Fecerunt hoc olim Prophetæ, quorum fidem & conſtantiam ſpiritus ſanctus hoc potiſsimùm nomine commendat. Idem Chriſtum quoque feciſſe conſtat, qui cùm apud Matthæum Scribis & Phariſæis maiorum ſcelera & indignas prophetarum cædes exprobrauiſſet, tandem iiſdem omnino verbis infert: Serpentes, progenies viperarum, quomodo fugere poſsitis à iudicio gehennæ? Et apoſtolos eadem dicendi libertate ſpiritus armauit, vt iiſdem in faciem obiecierint quæcunque aduerſus Chriſtum & eius doctrinam deſignarant. Docent iſta quid hodie nobis faciendum ſit, quibus cum Papa & eius clero negotium eſt, qui ſuis artibus eccleſiam totumq́ orbem Chriſtianum ſimiliter in partes ſciderunt, & hiſce Iudæorum Scribis & Phariſæis multò ſunt deteriores. Hi enim etſi correptionem non reciperent ex animo, ſimulabant tamen reſipiſcentiæ ſtudium, neque vim faciebant Ioanni, cùm ab eo tam duriter tractarentur. At noſtri illi palàm aduerſus Chriſtum inſurgunt, & omnia hoſtiliter faciunt, vt non tam ſerpentes & viperæ, quàm lupi & leones dici debeant, qui ſeipſos iampridem ad eccleſiæ totius exitium deuouerunt. Attollant ergo contra illos vocem ſuam miniſtri, artes eorum arguant, increpent, accuſent, & Dei iudicium illis intonent, vt etſi incurabiles ipſi maneant, alij tamen comminationibus hiſce territi, eò diligentius ſibi ab illorum doctrina & exemple caueant.

Docet ueram effugij uiam.

Cæterùm increpationi doctrinam ſubijcit Ioannes, quæ altera huius concionis pars eſt, quæ veram effugij viam tradit, dicens: Ferte igitur fructus, qui reſipiſcentiam deceant. Opponit hoc moribus eorum, qui pietatem omnem (vt diximus) in externis conſiſtere arbitrabantur: ſi nimirum ieiunarent, ſacra obirent, eleemoſynas cum oſtentatione facerent, aut preculas demurmurarent in publico. Nam his ſtudijs illos imprimis addictos fuiſſe, Chriſtus non vno loco teſtatur. Oſtendit ergo longè aliud ab ipſis requiri, nimirum interiorem totius hominis innouationem, quæ ſeſe dignis fructibus in tota vitæ conſuetudine exerat. Eſt autem hæc doctrina totius ſcripturæ, circa quam omnes prophetas, adhæc ipſum Chriſtum & apoſtolos imprimis laborauiſſe conſtat. Etenim cùm peccando à Deo recedamus, quæ omnium malorum vnica cauſa eſt, ſaluti noſtræ è contra non aliter conſuli poterit, quàm ſi ad Deum reuerſi cum eo reconciliemur. Ideo pœnitentiam rectè definiunt plerique, eſſe conuerſionem ad Deum, quæ non aliter quàm animo fieri poteſt vera fide inſtructo. Vnde conſtat, vehementer falli eos, qui pœnitentiam acturi vel ad Diuos conuertuntur, vel ad ceremonias & frigida quædam ſuperſtitionum exercitia, quibus neque Deus coli poteſt, neque homo melior redditur. Diſcant ergo illi, reſipiſcentiam in eo conſiſtere, vt primùm quidem ſe peccatores & modis omnibus corruptos eſſe ſentiant, idque apud Deum priuatim atque publicè fateantur: deinde verò ad thronum gratiæ confugiant per fidem in Ieſum Chriſtum, qui nobis à patre iuſtitia & ſatisfactio datus eſt, quique ſuos ex verbi ſemine per ſpiritus virtutem regenerat, vt totis animis innouentur. Qui ita reſipiſcunt, ij reſipiſcentiam hanc fructibus dignis teſtari ſolent. Inter quos primus eſt ſeria & aſsidua Dei inuocatio, quam proprium veræ fidei exercitium eſſe ſcriptura docet. Sequitur hanc mortificatio carnis & ſanctitatis aut innocentiæ ſtudium, quibus non poſſunt non ſtudere, quicunque in Dei conſpectum venire cupiunt, & eius gratia ſibi opus eſſe ſentiunt. Coniuncta his eſt dilectio proximi, quæ beneficentiam parit,

& ab

& ab omni maleficio abſtrahit. Et quia hæc omnia ex vera conuerſione ad Deum oriuntur, fieri ne-
quit, quin in his omnibus Dei gloriam quærant, quicunq; verè & ex animo reſipiſcunt. Hæc igitur
reſipiſcentia illa eſt, quam in præſenti Ioannes præcipit, & quæ nobis hodie imprimis neceſſaria eſt,
cùm iræ Dei iudicia paßim in oculos noſtros incurrant. At pleriq; hominum vel fucatam pœniten-
tiam agunt, qualem in Phariſæis Ioannes hîc accuſat; vel momentaneam, quæ vt primùm periculi
metus euanuit, in maiorem licentiam erumpit: qualis fuit, quam apud Hoſeam Deus in Iſraelitis Hoſ. 6.
reprehendit. Quid ergo pœnas diuturniores miramur, quando ne his quidem contumacia noſtra do-
mari aut corrigi poteſt?

Porro non ignorabat Ioannes, quod iſtos maximè remorabatur, quò minus reſipiſcerent: nimirum Generis fiduciā
generis fiducia, quòd ſe Abrahami filios eſſe gloriarentur, ad quos fœdus ſalutis propriè pertineret. eripit.
Fuit enim hic communis Iudæorum error, qui eò vſq; apud pleroſq; progrediebatur; vt Deum ipſis
ita obſtrictum putarent, vt illis reiectis aut perditis neq; Dei veritatem neq; eccleſiam conſiſtere poſ-
ſe arbitrarentur. Oriebatur ille ex perperam intellectis Dei promißionibus, & quòd neſcirent qui-
nam apud Deum germani filij Abrahami cenſeantur. Eò autem magis iſta fiducia Scribæ & Pha-
riſæi inflabantur, quòd eccleſiæ titulum ipſi ad ſe tranſtuliſſent, & proinde ſe ſaluos fore ſibi perſua-
derent, etiamſi totum reliquum vulgus execrabile eſſet, ſicuti Ioan. ſeptimo cap. loquuntur. Hanc
ergo ſecuritatem grauiter Baptiſta reprehendit (quæ tertia huius concionis pars eſt) & ſic ait: Et
ne cœperitis dicere apud voſipſos, Patrem habemus Abrahamum, &c. Ita verò in animos eorum pe-
netrat & confidentem cordis cogitationem eruit. Ea enim eſt hypocritarum confidentia, vt non ſo-
lùm apud homines diſertis verbis ſeſe venditent, verumetiam intra animos ſuos in ipſius Dei con-
ſpectu ſuperbiant, & hunc ſibi debitorem facere conentur. Sed procul (inquit) è cordibus veſtris ſtul-
ta hæc fiducia eliminetur: imò ne in mentem quidem vobis veniat, vos Abrahami filios eſſe; cùm
iampridem ab eo degeneraueritis, quod Deus ille non ignorat, qui nullo fuco externo fallitur. Ita fe-
rè ipſe Chriſtus verba iſta exponit, apud Ioan. octauo cap. illis dicens: Si filij Abrahami eſſetis, ope-
ra Abrahami faceretis: Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locu-
tus ſum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris veſtri, &c. Ne au-
tem in præſenti oggannirent, Ergóne nulli poſthac erunt liberi Abrahamo? Vbi ergo promißionis di-
uinæ fides, quæ Abrahami ſemen ſtellas cœli & arenam maris multitudine ſuperaturū eſſe teſtatur?
per Anthypophoram Ioannes illos præuenit, dicens: Dico enim vobis, poſſe Deum etiam ex lapidi-
bus iſtis excitare filios Abrahamo. Quaſi dicat. Minimè ad vos aſtricta eſt Dei promißio; neq; pe-
riclitabitur eius veritas, etiamſi vos vt digni eſtis malè pereatis. Qui enim olim ex ſterili Sara et ef-
fœto Abrahami corpore nouam prolem educere potuit, quæ in multitudinem innumerabilem excre-
uit, idem etiam nunc ſi opus ſit, vel ex lapidibus iſtis Abrahamo excitabit filios germanos; qui pro-
mißionum omnium hæredes ſint. Quod autem dicit Ioannes, id tam in Iudæis quàm gentibus veriſſi-
mè impletum eſſe conſtat. Inter illos enim reiectis Phariſæis propriæ ſanctitatis fiducia & eccleſiæ
titulo turgentibus, ex vulgo vocati & veri filij Abrahami facti ſunt, qui paulò ante vix abiectißi-
morum lapidum loco habebantur. Inter gentes verò, qui prius idola lignea & lapidea colentes horū
ſimiles erant (vt in Pſalmo dicitur) ij per fidem emolliti, imò in viuos lapides mutati ſunt, ex qui- Pſal. 115.
bus ſuper fundamentum Chriſtum eccleſia ædificata in immenſum creuit. Debet autem ex iſtorum
exemplo generalis doctrina peti, inanem & inutilem eſſe in æternæ ſalutis negotio fiduciā omnē, quæ
vel in generis prærogatiua, vel in maiorū aut quorumcunq; aliorum virtute ſiue iuſtitia collocatur.
Nam vt in Euangelio Ioan. ſcribitur, filij Dei non ex carne, neq; ex hominis voluntate naſcuntur. Ioan. 1.
Imò quoad carnis generationem, omnes in peccato concipimur et naſcimur, & vt ſalui fiamus, rege-
neratione opus eſt, quæ nobis in vno Chriſto obtingit. Qui enim hunc recipiunt, ijs dignitas iſta con-
ceditur, vt filij Dei ſint, renati nimirum ex æterni & immortalis verbi ſemine. Hæc ergo vnica &
vera generis nobilitas eſt, quam neq; vitæ genus vllum, modò per ſe honeſtum ſit, neq; egeſtas, neq;
morbus, neq; mundi huius infamia, nulla deniq; alia calamitas impedit. Quoad verò aliorum iuſti-
tiam, nihil illa ad nos: quin potius maiorum exemplo damnantur, quicunq; ab illis turpiter degene-
rant. Solius Chriſti hæc gloria eſt, quòd ſuam iuſtitiam nobis communicat; & eos ab omni damna-
tione eximit, qui ipſi per fidem inſeruntur. Ita ſubinde ad hunc redit tota ſalutis noſtræ ratio; quam

nunquam aſſequentur, quicunq; ab illo alieni ſunt. Debet autem hoc ipſum ad eos etiam extendi, qui quoad huius ſeculi felicitatem maiorum nobilitate & virtute gloriantur, & propter hanc in pretio haberi volunt, cùm ipſi vitijs obruti ſint, neq; digni, qui tantorum virorum poſteri cenſeantur.

Pœnam minatur pœnitere neſcijs.

Sed ad Ioannem redeamus, qui cùm sciret verbis nihil profici apud hypocritas, poſtrema parte grauem pœnæ iam imminentis comminationem ſubijcit. Iam verò & ſecuris (inquit) ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non ferens fructum bonum exciditur, & in ignem abijcitur. Argumentum ab agricultura ſumitur eiuſmodi: Quemadmodum agricolæ arbores inutiles & ſteriles excindere ſolent, ne terram fruſtra occupent: ita Deus homines, qui nullum reſipiſcentiæ veræ fructum edunt, perdere & ab eccleſiæ ſuæ conſortio eijcere conſueuit. At vos arbores eſtis ſteriles, imò ad fructus peſſimos & Deo exoſos nimiùm fœcundæ. Ergo excidemini, ne locum in eccleſia amplius occupetis. Ita verò hæc proponit Ioannes, vt ſingula verba emphaſim habeant. Nam primò ſecurim dicit, non virgam aut baculum, quibus leuiores pœnæ denotari ſolent. Deinde poſita eſt, inquit, non ponetur: vt ijs occurrat, qui ex dilatione pœnarum ſibi perpetuam impunitatem pollicentur. Tertiò non ad ramos aut truncum arboris, ſed ad radicem ait ſecurim poſitam eſſe, vt excidium extremum & irreparabile exprimat. Tandem in ignem abijciendos dicit, quo æternæ damnationis ſupplicium ſignificatur. Perinde ergo hoc eſt, ac ſi dixiſſet: Sæpe quidem maiores veſtros & vos puniuit Deus, quando Iudicum tempore diuerſis gentibus vexandos præbuit, quando item Aſſyrios & Babylonios illis induxit. Multa etiam poſt reditum ex Babylone acciderunt, quibus illorum contumaciā caſtigauit. Quin voſipſi multa paſſi eſtis huc uſq;, quando Hircani & Ariſtobuli fratrum ambitio bella ciuilia excitauit, quorum hic finis fuit, vt Romanorum armis ſubacti nunc ſub alienis dominis ſeruitutem feratis grauiſſimam. Sed leuia ſunt iſta omnia, ſi cum ijs, quæ mox paſſuri eſtis, conferantur. Hactenus enim ramos ſolos flagellauit Deus, & interdum aliquos decuſſit. At nunc de ſumma rerum agetur, & ſecurim, id eſt, iudicium atrociſſimum in vos ſtringet, quo non ſolum reſpub. veſtra deſtruatur ſed vos ſimul omnes amiſſo populi Dei & eccleſiæ titulo in totum orbem terrarum diſpergamini, & poſt hanc vitam omnibus modis miſeram & calamitoſam æternas gehennæ flammas ſubeatis. Et hæc quidem non multò poſt euenerunt. Nam cùm poſt indignam filij Dei mortem aduerſus apoſtolos quoque & Euangelij doctrinam hoſtiliter inſurgerent, & inſuper aduerſus Romanos præſides ſeditioſè tumultuarentur, bellum exortum eſt, quo vrbs cum templo perijt, infelices autem populi reliquiæ in omnes gentes diſperſæ ſunt, inq; illis in hunc vſq; diem iuſtæ iræ & vindictæ indicia videre licet: & cùm à Chriſto ſimul & eccleſiæ eius ſocietate auulſi ſint, non aliud eos manet poſt huius vitæ curriculum, quàm vt in ignem æternum abijciantur, ſicuti de palmitibus à vite reſectis Chriſtus loquitur.

Generalis admonitio in Iudæorum exemplo habetur.

In his autem nos meminiſſe oportet. Iudæorum exemplo admonitionem generalem contineri, quæ omnium ſeculorum inſtitutioni ſeruiat. Quoties enim Deus gratiæ ſuæ theſauros in Chriſto aperit per Euangelij prædicationem, tunc ſimul iudicij quoque ſui rigorem profert aduerſus contumaces gratiæ oblatæ contemptores. Etenim meretur horum ingratitudo & impietas, vt grauius puniantur, qui non contenti peccauiſſe, inſuper aduerſus Dei bonitatem & ſalutis doctrinam ſeſe violenter attollunt. Tunc autem duo ferè fieri conſueuerunt. Primum, excinduntur à radice illa ſancta, ne porrò Abrahami filij & eccleſiæ membra ſint. Quia ferre non poteſt, vt qui nomen ſuum impiè polluunt atque prophanant, locum in eccleſia occupent cum publica nominis Chriſtiani contumelia.

Ioan.15. Ezech.15.

Deinde ijdem in ignem quoque abijciuntur, quia non alius eorum vſus eſt, qui à Chriſto alieni facti ſunt, quàm vt æternum ardeant, & iuſti iudicis ſeueritatem ſentiant, qui clementiam eius agnoſcere noluerunt. Sunt hæc omnium ſeculorum exemplis confirmata, quæ euidenter docent, Deum quoties per verbum ſuum homines ad reſipiſcentiam vocat, ſimul ſecurim ad arborum radices apponere, neq; procul ab excidio abeſſe eos, qui gratiæ prædicationem contumaciter reijciunt. Sic ante diluuium, ſic in Sodomis, ſic in Ægypto olim factum fuiſſe ſcimus. Et nimis triſtia ſunt, quæ in Orientalibus & Græcis eccleſijs extant exempla, quas omnes funditus extirpatas eſſe videmus, & diræ Mahumeticorum tyrannidi iam ſubeſſe eas gentes, inter quas olim Apoſtolorum voces ſonuerunt, & clariſſima eccleſiæ lumina fulſerunt. Et quid nos ſperare debeamus ex infelicibus prælud ijs facilè intelligunt, qui non cum pietate rationem quoq; & ſenſum omnem amiſerunt. Ardet

certè

certè ignis diuinæ vindicta paßim, & ſecurim ſuam extenſo brachio libraſ Deus, neq; diutius differet pœnæ iampridem meritæ executionem, niſi fructus feramus noſtra profeßione dignos. Singuli ergo ſibi dictum meminerint, quod Iudæis dixit Ioannes, & depoſita ſtudiorum ſuorum malitia ad Deum totis animis conuertantur per fidem in Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXIX.

Tunc interrogauit eum turba, dicens: Quid igitur faciemus? Reſpondens autem dixit eis: Qui habet duas tunicas, impertiat no habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

REgnum Dei non in nuda rerum cœleſtium cognitione, neq; etiam in externa aut quantùmuis magnifica fidei in Ieſum Chriſtum confeßione conſiſtit, ſed in eo potißimùm vt huic per fidem inſiti vitam nouam & verè Chriſtianam viuamus, & vt ſinguli ſuam vocationem ſequantur, & pro huius ratione officium faciant. Rectè igitur Ioannes Baptiſta primò quidem generali doctrina omnes homines excitat, vt per veram reſipiſcentiam ad Chriſtum excipiendum præparentur: at mox idem ille ſingulos ferè omnis loci & ordinis homines docet, quid vnumquenque in ſua functione aut vitæ genere facere deceat. A Phariſæis autem & Sadducæis exorſus, penes quos ſumma erat apud omnes authoritas, grauiter in illis accuſauit ſimulatum ſanctimoniæ & reſipiſcentiæ ſtudium, ſimulque generis Abrahami fiduciam eripuit, monens, vt ex animo reſipiſcant, ſeq; reſipuiſſe dignis fructibus teſtentur, ſiquidem capitibus ſuis imminentem Dei iram effugere velint. Et erant iſti durius tractandi, eò quòd multis ſcandalo eſſent, & ſua doctrina ſimul atque exemplo infelicem populum in erroribus retinerent. Sequitur ſecunda concio, qua vulgus hominum inſtituit, paucis verbis rem maximi momenti comprehendens, quò magis nos animum intendere oportet, vt ſub hac breuitate latentem doctrinam rectè intelligamus.

Commodè autem occaſio præmittitur, quæ de his rebus concionandi Baptiſtæ data fuit. Interrogauit enim eum turba, dicens: Quid igitur faciemus? Audiuerant enim, quàm duriter eos excepiſſet, qui omnium ſanctißimi & optimi videbantur: & quòd ſecuris iam poſita eſſet ad radicem arboris, ideoq; toti Iudæorum genti exitium horribile immineret. Et iſta quidem Phariſæos & Legiſperitos non mouerunt, qui propriæ iuſtitiæ fiducia inflati, conſilium Dei aſpernati ſunt, vt Chriſtus poſtea cap. ſeptimo teſtabitur: maior tamen fuit hominum vulgarium, imò publicanorum & militum religio vel pietas, qui intra animos ſuos de publica omnium ordinum corruptione deq; ſuis vitijs diligentius cogitare cœperunt, & tam horum quàm pœnæ ad fores excubantis conſideratione perculſi conſilium ſibi dari petunt, quid faciant, & qui nam proprij illi reſipiſcentiæ fructus ſint, quibus exitium illud declinare aut ſubterfugere poßint. Eſt hoc exemplum perquàm memorabile, quo primùm docemur, Dei verbum nunquam abſq; omni fructu prædicari. Nam vt apud Iſaiam dicitur, Iſaiæ 55. *pluuiæ aut imbris inſtar eſt, qui etſi in ſcopulis & locis natura ſterilibus nihil proficiat, inuenit tamen agros & prata aut hortos, qui ſi cœleſtibus vndis rigentur, fructus vberrimos ferunt. Ita etſi magna & tantum non vniuerſalis ſit mundi totius impietas, & plerique doctrinam vel ſecurè contemnant, vel etiam hoſtiliter aſpernentur & reijciant, habet tamen vbiq; locorum ſuos electos Deus, qui vt gemmæ pretioſæ inter mundi huius lutoſas paludes diſperſi, Verbo eius mouentur, ſeque ipſos huius doctrinæ et inſtitutioni accommodant. Debet hoc verbi adminiſtris animos addere, ne omni profectus ſpe abiecta ſuam ſtationem temere deſerant, ſi quos initiò præfractiores eſſe vident. Imprimis autem hîc obſeruatu dignum eſt, quòd ijs auditis, quæ in Phariſæos & Sadducæos dicebantur, ipſi quid ſibi faciendum ſit quærunt. Solet hoc fieri apud electos, penes quos non ſimulatum eſt diſcendi & reſipiſcendi ſtudium. Sunt enim frugi filiorum inſtar, qui ſi patrem iratum videant, toti commouentur, deque ira eius placanda cogitant, etiamſi ipſi ſibi nullius grauioris ſceleris conſcij ſint. Et vt impij vndiq; occaſiones arripiunt, quibus ad maiorem peccandi licentiã abutantur: ita pijs omnia ad reſipiſcentiã ſeruiunt, & mox animis percelluntur, ſi quando Deum ſibi aut alijs iraſci audiunt.*

Occaſio huius concionis.

Vt uerbum Dei debeat audiri. *Admonent autem ſuo exemplo, quales nos in audiendo Verbo Dei eſſe conueniat. Primò, quætunq; dicuntur nobis dici putemus. Etſi enim non iiſdem ſceleribus omnes obnoxij ſimus, omnes tamen natura vitioſi & corrupti ſumus, neq; vllum tam immane ſcelus eſt, quod non in vnumquenque cadere poßit, ſi ſuam manum aut gratiam nobis Deus ſubducat. Auditis ergo correptionibus & comminationibus verbi Dei, ſinguli in ſeipſos deſcendant, & latentem in carne ſua vitioſitatem excutiant, ſicq; mox ſentient ea quoq; ad ſe omnino pertinere, à quibus ipſi alieniſſimi videbantur. Sequetur ex eo ſancta illa animorum conſternatio & ſalutifer terror, qui nos de ſalutis ratione ſolicitos reddit, & conſilium quærere cogit, quod ſecuti imminentia mala effugiamus. Hîc autem anxiè cauendum eſt, ne noſtræ rationis figmenta ſequamur, ſed Dei voluntatem inueſtigemus, quæ non aliunde, quam ex verbo eius diſcitur, cuius minis anteà territi fuimus. Hac via olim Niniuitæ ingreßi denuntiatum*
Acto. 2. *ſuæ vrbi & regno excidium declinauerunt. Hoc ipſum primi Apoſtolorum auditores Hieroſolymæ fecerunt, quando Petri graui comminatione audita, totis animis compuncti poſtularunt ſibi ſalutis conſilium dari. Et qui hos imitantur, ij terram illam bonam afferunt, in qua Verbi ſemen germinat & fructum fert copioſiſſimum. At quàm paucos iſtorum ſimiles hodie inuenias? Prædicatur quidem Dei verbum, accuſantur publica ſcelera, denuntiatur Dei ira incurabilibus & pœnitere neſcijs, neq; deſunt qui iſta audiant: ſed qui ex illis emendentur, paucos admodùm eſt videre. Pleriq; enim exultant, ſi alios acriter corripi audiunt, & quæ dicuntur, nihil ad ſe pertinere putant, imò quaſi audita*
Ezech. 33. *cantilena aliqua (vt apud Ezechielem ait Dominus) domum redeunt. Alij verò, qui de ſe dici ſentiunt, mox rabie accenſi aduerſus Verbum & eius adminiſtros iram & odium concipiunt, & vt canes in ſe proiectos lapides mordicus inuadunt, ita ipſi ſacras conciones calumniantur et omni conuitiorũ genere laniant. Quò fit, vt maximus eorũ numerus ſit, qui cùm ſcelera in publico regnent, & in ſingulis mundi partibus Dei irati ſigna manifeſtiſſima conſpiciantur, eos tamen doctores quærant, qui blandis ſermonibus, & mellitis diuinæ gratiæ promißis aures omnium demulceant. Multi etiam in ipſum Dei ſpiritum ſibi ius & imperium vendicant, dum Verbi adminiſtris ſuo officio liberius fungentibus dicendi leges præſcribere audent. Inueniunt iſti omnes ferè ſui ſimiles præcones, qui vt pinguiora ſtipendia obtineant & in pretio habeantur, illorũ libidini ſeſe accommodant, & ſua illa ignauia primò quidem ſcelerum licentiam augent, deinde fidis Chriſti miniſtris ſuam authoritatem minuunt, tandem verò tam ſibijpſis quàm ſectatoribus ſuis exitium accerſunt, &c.*

Argumentũ huius concionis. *Porro tempus eſt, vt ad Ioannis concionem accedamus, cuius argumentum eſt, quòd miſericordiam & beneficentiam ſuadet, & vt his fructibus ſe verè & ex animo reſipuiſſe teſtentur. De his autem potißimùm admonet, non quòd hæc potiora aut præſtantiora ſint fide in Deum & vero eius cultu, qui in ſpiritu & veritate conſiſtit: ſed vt hypocritis occurrat, qui ſi quãdo intra animos ſuos conuicti ſunt, ad frigidas ceremonias confugere ſolent, & de cultu externo interrogare; quaſi ira Dei*
Mich. 6. *per illum placari poßit. Sic apud Micheam olim quærebant: Qua nam re occurram Domino? Incuruabor ne coram Deo excelſo? Num occurram ei cum holocauſtis, vitulis anniculis? Num complacitum eſt Deo in mille arietibus, aut decies mille torrentibus olei. Num dabo primogenitũ meum pro hoſtia peccati mei, aut fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Et apud reliquos prophetas frequens eſt templi, ieiuniorum, ſabbatorum, circumciſionis & ſimilium ceremoniarum mentio, ex quibus ſibi hypocritæ Dei gratiam & impunitatem pollicebantur. Neq; dubium eſt pleroſq; iſtorum, cum legalia ſacra adhuc in vſu eſſent, de his potius, quàm de veris ſolidæ pietatis exercitijs cogitauiſſe. Quòd ergo prophetæ ſolent, dum hypocritas ad ſecundæ tabulæ præcepta reuocant, & examen vitæ eorum diligentius inſtituunt: hoc ipſum in præſenti Ioannes etiam facit, & ea præſupponens quæ ad fidem & Dei cultum propriè ſpectant, atq; omnium conſenſu præſtantiſſima ſunt, docet fidem & pietatem erga Deum non inanibus aut frigidis ceremonijs, ſed mutuæ charitatis & beneficentiæ officijs eſſe declarandam. Et ſolent hæc ipſa ſcriptura omnes paſſim præcipere, & notum eſt*
Iac. 1. *illud Iacobi Apoſtoli: Religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, inuiſere orphanos & viduas in afflictione ſua, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mũdo. Vbi orphanorum & viduarum nominibus omnes eos comprehendit, qui noſtro auxilio ſiue beneficentia opus habent: altero autem membro vitæ innocentiã & non fucatum ſanctimoniæ ſtudium requirit. Et cũ Apoſtolo Micheas conuenit, qui hypocritis de ratione placandi Dei (vt ante dictum eſt) interrogantibus reſpondet: In-*

*det: Indicauit tibi ô homo quid bonum ſit, & quid à te requirit Dominus, niſi facere iudicium, dilige-
re beneficentiam, & humiliari vt ambules cum Deo tuo? Nec ſine cauſa fieri putabimus, quòd cha-
ritatem & beneficentiã potiſſimùm Deus præcipit. Hæc enim coniunctionis noſtræ, quæ nobis in Chri
ſto Ieſu per fidem intercedit, & ex qua ſalus noſtra omnis dependet, teſſera eſt omnium certiſſima,
ipſo Chriſto teſte, qui dicit: Ex hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis* Ioan.13.
alij in alios. Deinde vt Paulus ait, per charitatem mutuam Lex impletur, eò quod vniuerſa ſecun- Rom.13.
*dæ tabulæ præcepta ſub illa vna comprehendãtur. Quibus adde, quòd qui ad huius regulam ſeſe exa
minant, ij mox vident quantum adhuc ipſis deſit, qui ſe ad metam perfectionis Chriſtianæ iampri-
dem perueniſſe putabant. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus iuuenem legalis iuſtitiæ fiducia turgentem
omnia ſua diuendere & in pauperes diſtribuere iuſſit: quem hoc mandato accepto Euangeliſtæ tri-
ſtem omnino diſceſſiſſe ſcribunt, quòd ſentiret, quàm parum hucuſq; in veræ pietatis ſtudio profeciſ-
ſet. Rectè ergo hoc ipſum Ioannes quoq; in præſenti obſeruat apud eos, qui cùm toti ex Lege & eius
operibus penderent, illius tamen verum ſenſum non tenebant, & ſe omni officio defunctos putabant,
ſi in externis ſacris frequentes eſſent.*

Porrò vt circa opes huius ſeculi plurimùm vbiq; peccatur, ita vix aliud argumentum occurrit, De diuitijs diſ-
de quo dicere laborioſius & periculoſius ſit, quàm de diuitijs & earum vſu, aut diuitum conditione. ſerere pericu-
Quæcunq; enim hîc apud eos dicuntur, qui vera pietate nondum instructi ſunt, ea illi ſemper pro affe loſum eſt.
*ctuum ſuorum libidine in ſenſum alienum detorquere conſueuerunt. Ditiores enim quando diuitia-
rum poſſeſſionem & legitimum earum vſum defendi audiunt, mox confidentiores facti, ſe illarum
dominos eſſe arbitrantur, & ſecuri nimis omnes alios inhumaniter negligunt, adhæc opibus turpiter
ad luxum & libidinem abutuntur. Rurſus pauperes, quando diuites ad beneficentiam excitantur,
illico hos ſibi debitores faciunt, imò in alienas opes ſibi ius ſumunt et imperiũ, & vt Minoes et Rha
damanti quidam omnes eos mira confidentia damnant, qui non tantum largiuntur, quantum ipſi
poſtulant. Sunt item qui cùm opum adminiſtrationem periculi plenam eſſe videant, ſalutis iactu-
ram ſe facturos metuunt, niſi omnibus in vniuerſum renuntient. Quibus deinde ſcrupulos plures &
moleſtiores inijciunt fanatici quidam, qui ſub religionis prætextu vel communionem rerum omnium
Platonicam inducere ſtudent, & ideo ius proprietatis nimiùm arroganter damnant: vel volunta-
riam paupertatem profeſſi ex alieno viuunt & ditiſſimi omnium ſiunt, adhæc immunitate quadam
ab omnibus publicis oneribus fruuntur: vt non ineptè in illos dixeris, quod Aſaph de impiorum pro-
ſperitate pronuntiat: Non ſunt illis nexus ad mortem quin pingues ſunt & præualidi: In labore ho
minum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur. Quibus meritò adnumeraueris* ἀτάκτους *illos,
de quibus Paulus ad Theſſalonicenſes diſſerit, qui quaſi ſalus omnis in mendicitate conſiſtat, egeſta-
tem ipſi ſibi accerſunt, & omni legum cùm politicarum tum eccleſiaſticarum diſciplina excuſſa otio-
ſi atque inertes oberrant. Quorum errorum atque vitiorum omnium præcipua cauſa eſt, quòd ple-
rique de diuitijs & paupertate perperam iudicant. Meretur ergo hæc res diligentem conſideratio-
nem, quam hoc ordine proſequemur, vt primùm de rerum aut bonorum huius ſeculi proprietate, de-
inde de eorundem poſſeſſione & legitimo vſu dicamus, vbi ſimul tota beneficentiæ Chriſtianæ ratio
conſideranda veniet, vnà cum ijs quæ hîc à Ioanne dicuntur. Poſtremò vt in omnibus his vtrinque
peccetur, docebimus.*

Quoad primum, ante omnia tenere oportet, proprietatem diuitiarum, quantùmuis hæ magnæ Proprietas re-
& amplæ ſint, non pugnare cum verbo Dei, nec aliquem propter opes damnari debere. Nam has ex rum nõ pugnat
Dei benedictione obtingere, ſcriptura docet. Benedictio Domini (inquit Solomon) diuites facit. cũ uerbo Dei.
Quod reipſa probari oſtendit ſapiens ille Sirachides. Nam eſt (inquit) qui laboret, moliatur & ſat- Prouerb.10.
agat, qui tamen egeat multò magis. Eſt rurſum, qui tardus & opis indigus viribusq; deſtitutus ſit, Eccleſiaſtici 11.
*& abunde pauper, quem Dominus oculo fauente reſpicit, & attollit eum ab humili ſorte ſua, caputq;
ipſius conquaſſatũ erigit, vt multis ſpectantibus ſit miraculo. Quod cùm quotidiana experientia pro
betur, ampliori demonſtratione nequaquã opus habet. Hoc ſolum addemus, opes diuina benedictione
non ijs ſolis diſtribui, quorum felicitas (vt ferè tenuioris fortunæ homines ſentiunt) huius vitæ fini-
bus continetur: verumetiam pijs & electis Dei cultoribus, quibus æternæ regni cœlorum diuitiæ in
Chriſto reconditæ ſunt. Notum eſt enim illud Dauidis: Beatus vir, qui timet Dominum, & præ-* Pſal.112.

ceptis eius delectatur: Copia agrorum & diuitiæ erunt in domo eius, & iuſtitia eius ſtabit in æternum. Et exempla ſunt in Abrahamo & reliquis patribus, in Ioſepho item Arimathæo, Lazaro Bethanienſi & ſororibus eius, multisq́ alijs, quorum fides & pietas in nouo Teſtamento commendatur, cùm opulentiſsimi fuerint. Deinde rerum proprietas ad ciuiles leges & politicas ordinationes pertinet, quas Christus minimè aboleuit, & quas retinendas eſſe docent apoſtoli, quando vnicuique quod ſuum eſt, reddere iubent. Quid? annon Deus furari prohibet, & idem in prophetis & Lege vſuras, fraudes & omnis generis rapinas accuſat & damnat? Atqui nullus furto locus eſſet, ſi nemini quid proprium poſsidere liceret, neq́ aliquis eſſet legum earum vſus, quæ de reddenda operarij mercede, de menſuris item & ponderibus, de reddendo depoſito, de non transferendis terminis, & infinitis eiuſmodi rebus habentur. Eſt ergo diuinis legibus contrarium quod illi petunt, qui communitatem bonorum omnium inducere conantur: & ijdem ſublata omni œconomia ſimul & maxima legum politicarum parte confuſionem nobis darent, quæ turbas & ſeditiones continuas gignerent. Adhæc circa id laborant, quod effectu eſt impoſsibile. Nam vt iam iam æqualis omnium agrorum, domorum, bonorum deniq́ mobilium & immobilium diſtributio fieret, eadem vix ad vnius horæ ſpatium durare poſſet, cùm multorum ea ſit in profundendo prodigalitas, tanta item multorum in ſuis ſeruandis negligentia, vt nullis legibus coerceri aut emendari queat. Vaniſsimum ergo commentum eſt, quicquid fanatici illi aduerſus legitimam bonorum poſſeſsionem nugantur.

Quomodo in Actis Chriſtiani omnia communia habuiſſe dicantur?

Obijciunt quidem nobis primitiuæ eccleſiæ exemplum, in qua omnia credentes communia habuiſſe, nec quenquã aliquid ſuum dixiſſe Lucas ſcribit. Sed neq́ ex illo vnquam euincent quod volunt. Nam vt locos illos ſecundùm literam accipias, nullum illic dogma generale traditur, neq́ forma conſtituitur, quæ vbiq́ terrarum recipi &

Acto. 2. & 4.

omnibus ſeculis retineri debeat: ſed quid tunc factũ fuerit narratur, cùm vt ita fieret in magna egentium turba res ipſa poſtularet, ne qui propter fidem Chriſtianã excommunicabantur, vel fame perirent, vel propter egeſtatem ad Iudaicas ſuperſtitiones reuerterentur. Vt autem alibi idem obſeruaretur, Apoſtolos vſpiam mandauiſſe legimus. Veruntamen ſi propius rem conſideremus, nihil minus quàm Platonica aut Anabaptiſtica omnium bonorum communio credentibus tunc quoq́ in mentem venit. Nam ibidem diſtributionis quoq́ fit mentio, cuius ratio fuit, prout quiſque opus habebat, non quòd quiſque quantum ipſi lubebat acceperit. Deinde domuum quoque meminit Lucas, in qui-

Act. 12.

bus ad ſacros cœtus conuenerunt. Ergo multi ſuas domus retinuerunt, inter quos Maria Ioannis

Ibid. 5.

Marci mater nominatim cenſetur. Adhæc ſi Petri verba conſideres, quibus Ananiam & Sapphiram corripuit, in vniuſcuiuſq́ arbitrio poſitum erat, vel omnia ſua in publicũ eccleſiæ ærarium conferre, & ex eo deinde cum reliquis pauperibus ſuum dimenſum recipere, vel aliquam partem ex ſpontanea liberalitate eccleſiæ pauperibus decidere, reliqua autem in ſuum vſum ſibi ſeruare. Neq́ quòd aliquid illi ſeruaſſent, morte ſubita mulctantur, ſed quòd ſe omnia ſua ad eccleſiam cõtuliſſe ſimularent, & ex eius ærario poſthac viuere conſtituiſſent, cùm ex parte quam ſibi ſeruarant viuere poſſent. Ita verò & ſpiritui ſancto mentiebantur, & ſacrilegium cõmittebant ea retinendo, quæ proprij oris teſtimonio eccleſiæ conſecrauerant. Denique nulla illic fuit coactio, ſed communia illis erãt omnia, quoad voluntatem & charitatis affectum (qua ratione amici omnia communia habere dicuntur) non quòd alicui ius eſſet manum pro ſuo arbitrio in res alienas inijcere. Ideo disertè ait Lucas: Nemo aliquid eorum, quæ poſsidebat (en poſsidendi verbum) ſuum eſſe dicebat. Ergo poſsidebant quidem ſua, non autem ea ſibi ſolis vendicabant, ſed in hoc erant, vt ex ſuis fratrum egentium neceſsitati ſubueniretur. Et vt locum iſtum abſoluamus, non alium huius ſuæ œconomiæ finem ec-

Deut. 15.

clẽſia primitiua ſibi propoſitum habuit, quàm vt veterem Legem reduceret, quæ mendicos eſſe prohibet, & quã partim ſacerdotum auaritia, partim populi Iudaici inhumanitas abrogauerat. Poſſumus his addere Chriſti authoritatem, qui etſi diſcipulos aliquot occultos habuerit, qui diuitijs præditi fuerunt, nihil tamen huius ab illis requiſiuit: quod ipſum apoſtoli quoq́ in Cornelio Centurione, Sergio Paulo, Philemone & horũ ſimilibus obſeruarunt. Et hæc quidem ſufficere poſſunt verè pijs: ſi quibus autem contendere adhuc libet, hoc illis per nos licet, vt qui rationibus nullis cedunt, animos ſeditioſos & à pietate alienos proprio indicio prodant.

De opum poſſeſsione & vſu.

Cæterùm alterum huius tractationis caput videamus de opum poſſeſsione et legitimo earundem vſu. Vbi ante omnia cauere oportet, ne per dolum & impoſturas, aut per vim vel alijs modis illicitis

dite-

diteſcere velimus, & eius cauſa charitatis aut iuſtitiæ leges violemus. Nam qui hoc agunt, ij quæ non ſua ſunt coacervant, & Dei maledictionem incurrunt, quam prophetæ talibus paſſim minantur. Væ ei (inquit Habakuk) qui adauget non ſua (quò vſq; tandem?) & qui aggrauat ſuper ſe denſum lutum. Hab. 2. *Et apud Michæam clamat Dominus: Audite virgam & eum qui decreuit. Annon adhuc* Mich. 6. *ignis in domo impij, theſaurus (inquam) iniquus, & Epha exiguum quidem, ſed ira plenum? Num iuſtificabo cum bilance iniqua, & cum ſacculo, in quo ſunt lapides fraudulenti? Quia eius diuites impleuerunt rapina, & habitatores eius loquuntur mendacium, lingua eorum doloſa eſt in ore eorum. Quin & ego infirmabo te cædendo, & te diſperdam propter peccata tua. Tu comedes, & non ſaturatus eris &c. Et huius generis multa paſſim in prophetis occurrunt, quibus recenſendis non opus eſt inſiſtere, cùm res ipſa loquatur, ferè infelicem eſſe eorum finem, qui opes per fas nefas congeſſerunt, & eiuſmodi diuitias rarò ad tertium vſq; heredem peruenire. Deinde non minus videndum eſt, ne diuitijs* Pſal. 62. *ex Dei benedictione affluentibus cor apponamus, & in illis collocatam habeamus fiduciam, quæ ſoli* Epheſ. 5. *Deo debetur. Nam qui hoc faciunt, ij idololatriæ crimen incurrunt (vt Paulus ait) & Deum ſibi fa*- Coloſ. 3. *ciunt Mammona ſiue Plutum, tandemq; Deo verò graues pœnas exoluunt. Adhæc cauere oportet, ne inter homines opum fiducia elati, impunitatem captemus: quod vitium diuitibus nimis vulgare eſt, dum diſciplinam omnem excutiunt, & crabronum inſtar leges omnes perrumpunt. Peccant in eo grauiter in ipſum Deum, quem eò ſanctius colere debebant, quo maiorem ex illo benedictionem ſentiunt. Vſus verò opum ſit, vt neceſſitati ſeruiant, quantum natura exigit: quæ vt paucis contenta eſt, ita luxum & intemperantiam odit. Horum conſideratio αὐτάρκεια, id eſt, ſorte ſua contentos reddit, quæ & charitatis & omnium virtutum ciuilium nutrix eſt fidiſſima. Imò ad quemuis fortunæ euentū intrepidos & conſtantes facit. Cur enim in periculis & opum amiſſione deſperent, qui ſe non multis opus habere, omnia autem ſua ex Dei benedictione & prouidentia pendere ſciunt? Potuit olim Biam Prienæum, cùm patria eius ab hoſtibus diriperetur, animoſum & inuictum facere, quòd humana ſapientiæ vſum alijs hominibus præſtantiorem haberet, & ideo dicebat. Omnia mea mecum porto. Quantò maior ergo debet eſſe Chriſtianorum hominum fiducia, qui Chriſto inſiti ſunt, in quo æternos gratiæ Dei & ſalutis theſauros obtinuerunt, quos nulla vis hoſtilis eripere, neq; ipſi dæmones intercipere poſſunt?*

Imprimis autem in vſu opum meminiſſe oportet, eas non nobis ſolis datas eſſe, ſed nos earū quaſi œconomos & diſpenſatores eſſe à Deo conſtitutos, vt per nos aliorum etiam neceſſitati ſeruiant. Beneficentia decet diuites. *Itaq; beneficentiam colere & liberaliter alijs egentibus ſubuenire debent, qui præ alijs abundant. Id in præſenti ſymbolicis locutionibus (quales apud veteres in frequenti vſu fuerūt) Ioannes docet, cùm ait: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Poſuit ergo ſpecies duas, victum & amictum, & ſub his omnem huius mundi ſubſtantiam comprehendit, non aliud interim iubens, quàm quòd alibi præcipit Deus, vt nudum veſtiamus, panem frangamus eſurienti & pro virili ſubleuemus eorum neceſſitatem, quos opis indigos eſſe videmus. Et conuenit hoc cū naturæ legibus, inter quas præcipua & aliarum omnium compendium eſt: Omnia quæ volueritis vt fa*- Matt. 7. *ciant vobis homines, ita & vos facite ipſis. At quis obſecro hominum eſt, qui ſi famelicus, nudus, exul & peregrinus oberret, aut ex morbo decumbat, aut quacunq; alia fortuna aduerſa prematur, non cupiat ſe ab alijs paſci, veſtiri, colligi, curari & iuuari vel defendi? Imò ſi nos ab ijs deſeri videamus, quibus iuuandi facultas eſt, illorum inhumanitatem accuſare & ſupplicio dignam putare ſolemus. Æquum ergo fuerit, vt eadem lege ſinguli ſe alijs quoq; hominibus obſtrictos eſſe cogitent, & ad iuuandum parati ſint, vbicunq; ſeſe occaſio & facultas offert. Hoc (inquam) vult Ioannes, cui nihil minus in mentem venit, quàm fanaticis illis cauillandi occaſionem dare, qui nefas eſſe clamant, duas tunicas poſſidere, aut aliquid habere, quo non in præſenti ſtatim vtaris. Nam ſi ea Dei mens eſſet, idem Chriſtus quoq; docuiſſet, idem paſſim inſtitiſſent apoſtoli. Itaq; optimus Ioannis interpres eſt Pau*- 1. Tim. 6. *lus, qui Timotheo ſuo ſic ſcribit: Iis qui diuites ſunt in hoc ſeculo denuntia, ne efferantur animo, neq; ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copioſè ad fruendum: vt benefaciant, vt diuites ſint operibus bonis, faciles ad impertiendū, faciles conuictus. Idem in poſteriori* Beneficentiæ leges. *ad Corinthios beneficentiam certis quoq; Legibus comprehendit, ſic dicēs: Quiſq; ſicut præoptat corde, id eſt vltrò apud ſe conſtituit, ita conferat, non ex triſtitia aut neceſſitate: nam hilarem datorem* 2. Cor. 9. & 8.

diligit Deus. Etenim ſi prius adſit promptus animus, is acceptus eſt pro eo quod habet aliquis, non pro eo quod non habet. Non enim vt alijs relaxatio ſit, vobis autem anguſtia: ſed pari cõditione ve ſtra abundantia illorum defectum ſatiat, vt & illorum abundantia veſtrum defectum ſuppleat, vt fiat æquabilitas. Ex quibus verbis tria colligi poſſunt. Primum, vt quiſque largiatur ſecundùm ſui animi propoſitum. Nemo igitur hîc alij legem præſcribere debet, quid aut quantum quiſq; largiri debeat, aut etiam quibus. Nec enim aliquis aliorum fortunas facilè omnes perſpectas habet: & vt omnino noris, quantum quis poſſit, idem tamen ſuis fortaſſe ad alios vſus opus habet, neq; ſemper tenetur, vt tibi aut alijs ſuarum rerum rationem reddat. Quod vnum ſatis apertè docet, non rigidius ſecundùm literã accipi debere, quod in præſenti de duabus tunicis dicitur. Et vt aliquis maximè egeat, fit tamen ſæpe, vt is cuius opem ille implorat, alios habeat ſibi propiori vinculo obſtrictos, quibus id præſtare cogitur, quod alter ille petit. Itaq; nimis temerarij ſunt, qui ſibi in aliorum fortunas ſimul et conſcientias ius ſumunt, dum eniq; quid & quantum largiri debeat præſcribunt. Altera lex eſto, vt ex animo benefacias. Nam vt Deus hilarem datorem requirit, ita miſericordiæ in ſcripturis viſcera vel ςοργαὶ, id eſt naturales affectiones tribuũtur, quas qui intra ſeſe ſentiunt, ij nihil perinde optãt, quàm vt egentem iuuare poſſint. Iidem etiam non ſua quærunt, dum alijs ſuccurrunt, ita deniq; proximo opem ferunt, vt ſiniſtra ipſorum neſciat, quid faciat dextera, id eſt vt beneficentiæ, quam exercent, nullus affectus ſiniſter concurrat. Tertia lex eſt, vt modum teneamus in largiendo, ne dum noſtra in alios profundimus temere, ipſi ad egeſtatem redacti poſtea ad aliorum opem confugere, & quæ pauperioribus debebantur, intercipere cogamur. Et apparet in eo plus quàm paterna Dei bonitas, qui cùm pro ſuo iure omnia à nobis exigere poſſit, paucis tamen contentus eſt, & noſtris nos rebus cõſulere patitur, ne alios iuuando nobiſipſis moleſtiam accerſamus. Quò minus excuſari poteſt eorum duritiei, qui nulla egentium miſeria tanguntur, & proinde quoſuis ſiccis oculis negligunt.

Rationes, quæ ad beneficentiam excitãt.

At quia caro noſtra hîc tardior eſt, proderit rationes conſiderauiſſe, quæ nos ad benefaciendum excitare poſſint. Prima in ipſo opum vſu occurrit, qui quoad nos nullus eſſe poteſt (de legitimo & laudabili ſiue honeſto loquor) quàm vt noſtræ neceſſitati ſeruiãt, quoad victum & amictum, ſub quibus hoſpitium queq; aut domiciliũ comprehenditur. At in his natura paucis contenta eſt, et commodius multò viuunt qui in iſtis modum ſeruant, quàm qui cupiditatibus carnis ſuæ indulgent. Vbi verò ad vitæ finem acceſſimus, nulla ad nos ex diuitijs quantiſcunq; vtilitas redit, neq; aliquis dies vel hora redimi poteſt, quæ vitæ curriculo iam elapſo adijciatur. Et quæ reliqua manent, ea relinquimus, ignari, quibus nam illa cedãt. Nam vt nudi ex vtero matris egreſſi ſumus, ita nudi in antiquã matris, terræ nimirum, viſcera redimus. Quæ ergo ſtultitia eſt, aliorum neceſſitati ea negare, quibus tu non vteris? Adde his alterum argumentum ex opum natura aut conditione petitum, quas flaxas & inſtabiles eſſe conſtat. Qui ergo ſcis, num te inuito dilapſuræ ſint, aut hoſtibus præda futuræ, quas tu egentibus & Chriſti nomine opem petentibus negas? Tertiò cogitemus, non ſine Dei prouidentia fieri, quòd alij opibus ſuperfluis abundant, alijs verò neceſſaria quoque deſunt. At quæ huius conſilij ratio alia apud Deum inueniri poterit, quàm quòd charitati mutuæ & beneficentiæ occaſionem dare voluit, quæ locum non haberent, ſi eadem omnium hominum eſſet conditio? Itaq; qui plura poſſident, ſe Dei œconomos eſſe meminerint, in œconomo autem vel diſpenſatore hoc imprimis requiri, vt fidelis ſit, neque ſibi ſoli vſurpet, quod in aliorum vſus accepit. Quartò communem hominum ſortem nobis ob oculos ponamus, quæ eſt, quòd nihil humani à quoquam alienum eſt, & quòd nobis eadem calamitas accidere poteſt, qua ij nunc premuntur, qui à nobis opem flagitant. Eſt hic ſtimulus ad mouendam miſericordiã vehementiſſimus, quo qui non mouentur, ij ſe ab omni humanitatis ſenſu alienos & ἀςόργυς planè eſſe oſtendunt, quos Paulus inter nouiſſimi ſeculi peſtes numerat. Poſtremò proderit cogitare, quòd ex pauperibus plura & maiora commoda ſperare poſſumus, quàm illi ex nobis percipiant. Nam vt nihil dicamus de officijs, quæ illi nobis præſtant, dum agros colunt, artificia manuaria exercent, & alia infinita faciunt, ſine quibus vita hæc conſiſtere non poteſt: ſi in eos incidamus, qui nihil huius nobis præſtare poſſunt, hi tamen ipſi preces habent, quas pro nobis fundant, & pro ijſdem fidem ſuam nobis obſtrinxit Chriſtus, qui eos ſibi ſubſtituit, & in nouiſſimo illo die ſibi factum putabit, quod vni illorum per nos factum fuerit. Et ideo infra cap. 16. dicet: Facite vobis amicos ex mammone iniquo, vt cùm defeceritis, vos recipiant in æterna tabernacula.

Hæc &

Hæc & alia infinita huius generis ſi crebrò animis noſtris verſemus, & iiſdem coniungamus promiſſiones Dei, quibus in hac etiam vita retributionem liberaliſſimam pollicetur illis, qui in ſuo nomine egentibus benefaciunt, mox nos efficaciſſimè ad faciendum officium excitari ſentiemus.

At ſi iſta ad noſtri ſeculi mores transferamus, vndiq; peccata occurrent, vt non temere Chriſtus diuitias ſpinis ſimiles eſſe dixerit: non quòd ex Dei benedictione aliquid noxiũ aut pernitioſum proueniat, ſed quòd ea ſit noſtri ingenij infelicitas, vt non vno modo nobis noxium faciamus, quod per ſe bonum & vtile eſt. Peccatur autem plurimùm imò omnium in hac cauſa errorum fons eſt, quòd plerique; hominis beatitatem in diuitiarũ abundantia ſitam eſſe exiſtimant. Itaq; vt illarum aceruos congerant, fallunt, furantur, rapiunt, peierant, ius & leges venales habent, fœnerantur, diſsidia & bella mouent, deniq; nullum flagitium tam immane & atrox eſt, quod non ſibi licere putent, ſi ſpes lucri affulſerit. Tales ergo & ſibijpſis maledictionem acerſunt, vt ſupra diximus, & rempub. labefactant, & plerunq; publicorum motuum authores ſunt. Nec minus opibus iam acquiſitis in poſsidendo peccatur, dum vel fiduciam omnem in illis collocant diuites, vel propter illas impunitatem ſibi vendicant, qua diſciplinã omnem euertunt, & pauperũ capitibus inſolenter nimis inſultant, atq; eorundem ſudore ſumma cum iniquitate abutuntur, neq; vnquã de charitate aut beneficentia cogitant. Itaq; in ipſos dicuntur quæ Diuus Iacobus cum grauiſſima comminatione talibus denuntiat: Agite nunc diuites. flete vlulantes ſuper miſerijs veſtris, quæ ſuperuenient. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt. veſtes veſtræ tineis obnoxiæ factæ ſunt: aurum & argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum teſtabitur contra vos, & exedet carnes veſtras veluti ignis. Theſaurum congeſſiſtis vltimis diebus. Ecce merces operariorũ qui meſſuerunt regiones veſtras, à vobis intercepta, clamat, & clamores eorũ qui meſſuerunt, in aures Domini Sabaoth introierunt, &c. Quòd ſi verò tales opum ſuarum iacturã faciant, mox noua illis offertur peccandi occaſio. Nam impatientia doloris ſuperati eiulant, aduerſus Deum fremunt, & omni ſpe abiecta tam ſeipſos quàm eos deuouent, quos illis mali huius authores eſſe arbitrãtur. Et in his quidem ferè peccãt diuites. Quòd ſi pauperes inſpicias, ij quoq; non omnino extra culpam ſunt. Pleriq; enim eorũ charitatis Legem ad ſolos diuites pertinere putãt, & quaſi ipſi nemini quicquã debeant, ſed ad accipiendũ modò nati ſint, otioſi & inertes oberrant, ab omnibus flagitãt, accepta turpiter conſumũt, & vt ipſi exleges ſunt atq; abſq; omni diſciplina vitam degunt, ita liberos quoq; ſuos in otio & mendicitate æducant, deniq; neq; priuatim neq; publicè alicui vtiles, ſed omnibus moleſti, adhæc publica quædam nota aut labes ſunt eccleſiæ, propter quam fides Chriſtiana malè audit & proſcinditur apud eos, qui illius veritatem ignorant. Cogitent ergo omnes, Ioannem iſta publicè toti populo dixiſſe, in quo erant omnis loci & ordinis homines, & proinde legem hanc beneficentiæ Chriſtianæ ad omnes pertinere. Itaq; huius prima pars eſt, ne cui oneri ſimus, niſi ita nos cogat extrema neceſſitas. Curent ergo ſinguli, vt honeſto aliquo labore ſeipſos & ſuos alant, quoad eius fieri poteſt. Et hoc ſuarum partiũ eſſe pauperes meminerint. Altera huius legis pars ſit, vt omnibus pro virili benefaciamus, & ita teſtemur nos Dei patris filios eſſe, ad quos regni cœlorum hæreditas pertineat, quam nobis ſuo merito acquiſiuit Dominus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Vt circa opes uariè peccetur

Iac. 5.

HOMILIA XXX.

Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ei: Magiſter quid faciemus? Ipſe uerò dixit eis: Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt uobis, exigite.

QVemadmodum arbor bona non poteſt nõ fructus bonos ferre: ita qui ex verbi Dei ſemine renati Chriſtũ vera fide appræhendunt & ex animo reſipiſcunt, ij fidem hãc et reſipiſcentiã effectus aut fructibus dignis teſtantur. Rectè ergo Ioannes fidei in Chriſtum Ieſum & veræ reſipiſcentiæ doctor, nõ obiter modò & in genere doctrinam iſtam proponit, verumetiam omnis loci & ordinis hominibus eam accommodat. Et ab omnibus quidem ſimul charitatis & beneficentiæ officia requirit, eo quòd his continentur quæcunq; de iuſtitia & innocentia vitæ dici poſſunt. Sequitur nunc noua con

cio, vel potius noua concionis argumentum, qua publicanos inſtituit, & qua multa continentur, quæ & magiſtratus & eos qui publica munera adminiſtrant, deinde ſingulos etiam priuatim in ijs inſtituere poſſunt, quæ ad opum acquiſitionem pertinent.

Publicani qui fuerint. Priuſquam verò Ioannem audiamus, de pnblicanis dicendum erit, vt eorum, quæ dicuntnr, ſenſus & vſus rectius intelligatur. Dicuntur autem pnblicani, teſte Vlpiano, qui publico fruũtur, vnde etiam nomen acceperunt. Ad eos tamẽ propriè hic titulus pertinet, qui vectigalia & alios reipub. aut principum reditus exigendos certo pretio redimunt. Solebant enim Romani in prouincijs vectigalia locare certis hominibus, qui quotannis mandatam ipſis pecuniæ ſummã ad ærarium deferebãt: ideoq; magna eorum erat dignitas & authoritas, vt de illis Cicero non veritus ſit dicere: Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reipub. publicanorum ordine continetur. Neq; id temere dictum eſt, cùm neruos reipub. in ærario potiſſimùm conſiſtere certum ſit, quod vectigalibus maximè ditatur. At longè alia de illis erat Iudæorum opinio. Quia enim ipſi Romanum imperium indignè ferebant, & ad veterem libertatem totis animis aſpirabant, non poterant non eos odiſſe, qui priuati commodi ſtudio ſuam Romanis operã locabant, & aduerſus fratres ſiue gentiles ſuos alienæ tyrannidis erant miniſtri: eoq; acerbius erat odium iſtud, quòd ſeruitutem illam in religionis patriæ contumeliam redundare putarent. Accedebat præterea publicanorum auaritia & crudelitas, qui non contenti ea exegiſſe, quæ ex more debebantur, nouas quotidie rationes excogitabant, quibus vectigalia magis aggrauabantur, quò plus lucri ad ipſos rediret: ſicuti infra Zachæi confeſſio teſtabitur. Itaq; fiebat, vt omnibus exoſi & infames eſſent publicani, & ſimul cum his malè audirent quicunq; ipſorum amici aut fautores erãt. Quæ cauſa fuit, quòd Chriſtum per conuitium publicanorum ſocium & patronum dicerent.

Quid eueniat ijs, qui libertate uti neſciunt. Sunt hæc propter aliam quoq; cauſam nobis diligentius conſideranda. Docemur enim Iudæorum exemplo, quid ferè omnibus eueniat, qui libertatis dono neſciunt vti, & proinde hoc amiſſo aliorum libidini ſubijciuntur. Fuerant illi multis ſeculis electum illud Dei peculium, & præ alijs gentibus libertate vſi fuerant, qua nihil inter terrena bona præſtantius, nihil item homini ingenuo magis exoptandum eſt. At ijdem (vt alibi quoq; audiuimus) nunc eorum duro & auaro imperio premuntur, quos propter idololatriam & ſuperſtitiones nefarias meritò abominabantur, & quos ipſi etiã Deo inuiſos eſſe ſciebant. Deinde vectigalia exteris ſoluunt, & inſuper tributis & cenſibus extraordinarijs præter morem grauantur. Et ne quid iniuriæ deſit, accedunt ex propria ipſorum gente publicani & officiales, quorũ artibus magis ſpoliantur, quiq; illis eo erant intolerabiliores, quòd plus nocere poſſent quàm alieni, qui ſingulorum conditionem et fortunas nõ tam probè cognitas habebant. Quæ autem iſtorum omnium cauſa fuit? Non alia nimirum, quàm inobedientia & ingratitudo erga Deum, & quòd priuatis affectibus abrepti ciuilia bella mouerunt, de quibus in ſequenti Sermone amplius dicetur. Neq; in his finem habuit infelicis populi calamitas. Sed cùm non ad Deum cõuerterentur, ſed nouis indies ſeditionibus libertatem amiſſam recuperare vellent, Romanorum arma aduerſus ſe prouocarunt, & in illos exemplum factum eſt, cuius ſimile in nullis hiſtorijs extat. Debent iſta non oſcitanter expendere ij omnes, quibus hodie datum eſt libertate frui, ne quando ea amiſſa ſimiles pœnas Deo iuſto vindici exoluant.

Publicani de ſuo officio quærũt. His præmiſſis ad loci huius tractationem accedamus, vbi primùm publicanorum quæſtio occurrit, qui perinde vt prius alij ex populo, Ioannem interrogant: Magiſter, quid faciemus? Ergo ipſi etiam animis ſuis perculſi, intelligunt ſibi non minus quàm alijs reſipiſcentia opus eſſe: neq; dubium eſt eos doctrina de beneficentia vehementer fuiſſe commotos. Quia enim audiebant hoc ab omnibus requiri, vt ex ſuis facultatibus in quoſuis benefici ſint, facilè intellexerunt, ſe minimè extra culpam eſſe, qui hucuſq; gentiles ſuos artibus proditorijs circumueniſſent, et Romanæ tyrannidis iugum, per ſe plus ſatis graue & intolerabile, ſua auaritia & crudelitate magis aggrauaſſent. Etenim quæſtionem hanc non curioſam, neq; in Ioannis contemptum per ludibrium propoſitam fuiſſe (vt ſæpe illuſores impij de multis interrogare conſueuerunt) ex Chriſti verbis patet, qui illos audita Ioannis doctrina Deum iuſtificauiſſe & baptizatos fuiſſe ait. Et apud Matthæum Phariſæis idem dicit:
Luc. 7.
Matth. 21.
Amen dico vobis, quòd publicani & meretrices præeunt vobis in regnum Dei. Venit enim ad vos Ioannes via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani verò & meretrices crediderunt ei, &c. Obſeruemus nos in horum exemplo paternam Dei bonitatem, qui (vt apud Ezechielem ait) non vult mor-

tem pec-

tem peccatoris, neque ad ſe venientes peccatores aſpernatur aut faſtidit, ſed benignè ſuſcipit, vt ſalui fiant. Venerunt iſti, non aliqua iuſtitiæ propriæ fiducia inflati, ſed quòd ſe peccatis obnoxios eſſe ſentirent, & Dei iram declinare cuperent: ideo animos eorum illuminat Dei ſpiritus, vt in æternæ ſalutis negotio progreſſus faciant non pœnitendos. Hinc ergo conſolationem petant quicunq; peccatorum ſuorum multitudine & grauitate intra conſcientiam ſuam tentantur: neq; publicanos hoſce aliquo priuilegio ſingulari vſos putent, cùm generales promiſsiones paſsim occurrant, quibus eandem gratiam omnibus pollicetur Deus, qui ad ipſum conuertuntur. Simul verò officij hoc omnes admonet, vt ipſi quoque audita pœnitentiæ doctrina de ſe agi cogitent, & de illis diligenter atque ſeriò inquirant, quæ ipſis agenda ſunt: Vt enim gratiam ſuam nobis offert Deus liberaliſsimè, ita grauiter eorum improbitatem & ſocordiam vlciſcitur, qui illius prædicationem negligunt.

Ioannis concio.

Porrò Ioannem audiamus illis ad hunc modum concionantem: Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis, exigite. Breuis concio, ſed quæ plurima ad remp. & priuatorũ hominum vitam pertinentia comprehendit. Quia verò in verbis obſcuritas nulla eſt, res ipſas excutiemus.

Ioannes reipub. iura confirmat.

In his primum eſt, quòd paucis hiſce verbis & communẽ populi Iudaici de ſuo ſtatu, in quo tunc erat, opinionem, & quæ tunc regnabat phariſaicam doctrinam apertè atq; liberè condemnat. Nam vt ante diximus, Iudæis indignum videbatur, populum Deo ſacrum impuris & prophanis gentibus ſeruire, cenſum qui olim Deo debebatur iiſdem perſoluere, vectigalibus item & tributis quotidie nouis grauari, & ideo non iſta modo, verumetiam totum publicanorum ordinem, quaſi Deo inimicum & publicam patriæ peſtem, abominabantur. Erant in eadem ſententia phariſæi quoque, qui ſimul ſanctitatem omnem in externis ritibus & ſacrificijs, imprimis autem in ſuarum traditionum & phariſaiſmi obſeruatione conſiſtere putabant. Et ſi hos interrogauiſſent publicani, procul dubio nõ aliud reſponſuri erant, quàm trita illa: Afferte ſacrificia in templum, quibus admiſſa ſcelera expietis, pecunias deponite in gazophylatium & corbonam, relictis item telonijs & vectigalibus nouum vitæ genus ſequimini, multiplicate cereas preculas, ieiunate bis aut ter in ſabbato, lauamini quotidie, decimate mentham & anethum, & infinita alia huius generis, quæ ab illis anxiè obſeruata fuiſſe conſtat. At longè aliter Ioannes concionatur. Nihil amplius (inquit) quàm quod conſtitutum eſt vobis, exigite. Ergo licuit illis per Ioannem publicanis manere, ad telonium ſedere & vectigalia colligere: nec tamen dubium eſt, quin eos ad pœnitentiam hac ipſa dicendo hortatus ſit. Itaq; damnat vulgi opinionem ſeditioſam, qua plerique decepti immunitatem quærebant, & quod Romani in illam gentem obtinebant imperium doctrina ſua confirmat: ſimulq; monet, ſcelera, nõ externis ceremonijs, ieiunijs, preculis, ſed ſolius Chriſti ſanguine expiari, ab ipſis autem exigi iuſtitiam, ne quem ſui commodi cauſa præter ius & æquum grauent aut deprædentur. Hinc ergo generalis doctrina colligi debet, licere magiſtratui vectigalia, tributa, cenſus & quæ alia ſunt huius generis à ſubditis exigere, neque etiam peccare eos, qui in his colligendis illi ſeruiunt. Quia enim principes publicum munus ſuſtinent, quo pax publica conſeruatur, patria communis defenditur, ius cuique dicitur, & iidem vias publicas, muros, fontes & quæ alia ſunt eiuſmodi inſtaurant atq; ſeruant, quibus omnes promiſcuè fruuntur: æquum planè iuſtumq; eſt, vt publicè ab omnibus conferantur ſumptus, qui in iſtas res ſunt faciendi: Neque ſumptus ſoli conferri debent, ſed cùm operarius dignus ſit mercede ſua, tantum exigere licet, quantum illis alendis & ad tuendam magiſtratus authoritatem ſufficit. Iubet hoc communis ſenſus & naturæ Lex, quam omnium animis inſculpſit Deus, & qua fit, vt mos iſte iam inde à rerum origine apud omnes gentes receptus fuerit, quotquot aliqua reipub. forma ſunt vſæ. Quòd ſi quis obijciat, iſta non alia quàm humana authoritate & conſuetudine niti, nos negamus humanam traditionem cenſeri debere, quod cum Lege naturæ conuenit. Huius enim opus cordibus inſcriptum eſſe dicit Apoſtolus, & proinde ad Deum authorem referri debet, qui ſolus in corda hominum ius habet, vt ea illuminet, moueat, inclinet & regat. Deinde ſanctiſsimos reges adducimus, quorum fides & pietas in ſcripturis commendatur, qui tamen ſuo illo iure in ſubditos vſi ſunt abſq; omni ſpiritus ſancti reprehenſione. His poſtremò Chriſti authoritatem addimus, qui morem iſtum exemplo ſimul ſuo & doctrina probauit. Nam ſub cenſu natum fuiſſe ſupra audiuimus, & idem pro ſeipſo & Petro cenſum perſoluit, nimirum vt ijs occurreret, qui ſub libertatis Chriſtianæ prætextu immunitatem ab oneribus politicis venantur, aut (quod papiſticus ille clerus ſolet) eccleſiaſtica dignitate ad

Vectigalium et tributorum ratio.

hoc abutuntur. Idem à Iudæorum præſulibus de hac re interrogatus, Reddite (inquit) quæ Cæſaris ſunt Cæſari,& quæ Dei ſunt Deo. Quem poſtea Paulus Apoſtolus ſecutus, de magiſtratus authoritate multis diſſerit, & hanc diuinitus inſtitutam eſſe probat, cui omnes obedire debeant: inter officia autem ſubditorum vectigalia & quæ huius generis ſunt comprehendit. Propter hoc enim (inquit) et vectigalia ſoluitis: ſiquidem miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum incũbentes. Reddite igitur omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Debendi verbo vtitur,& tributa atq; vectigalia cum timore & honore coniungit quæ nos ſuperioribus non ex diſpenſatione aliqua, ſed diuino iure debere nemo negauerit, niſi qui à communi ſenſu fuerit alienus. Minimè ergo audiri merentur Anabaptiſtæ, furioſi & fanatici homines, quibus non ſatis eſt eccleſiæ ordinem turbaniſſe, niſi rempub. quoq; inuadant, magiſtratus omnes ex ſuo ſolio detrahant, poteſtatem tenebrarum eos dicant, confuſionem rerum omnium inducant, adeoq; cœlum terræ miſceant. Sunt hi non ſolùm reipub. & magiſtratuum hoſtes, verumetiam peſtes humani generis, tùm ea è medio tollant, ſine quibus ſocietas humana conſiſtere non poteſt. Confutantur hi non ijs modò, quæ hucuſq; dicta ſunt, ſed præſenti etiam Ioannis exemplo, qui non ipſum publicanorum ordinem damnauit, neque ab eo illos diſcedere iuſſit, ſed quales in ſuo officio obeundo eſſe debeant docuit. Quòd ſi ergo illis licuit operam ſuam in colligendis vectigalibus Tiberio Imperatori præſtare, neq; hoc obſtitit quò minus ſalui fierent, nimiùm profectò moroſi ſunt, qui Chriſtianos principes & horum miniſtros hodie iſto nomine damnant.

Principes in exactionibus modum ſeruent.

Cæterùm quod Ioannes publicanis dicit, latius extendi debet, quando omnium eſt nihil amplius, quàm ipſis debeatur, à quoquã exigere. Primùm ergo hoc ſibi dictũ meminerint principes viri & qui tunq; magiſtratum gerunt, ne ſua fidei creditum populum exactionibus immodicis aggrauent. Nam vt modò diximus, debentur illis tributa, cenſus & vectigalia omnis generis. At quia ipſi viciſsim populo debent defenſionem & curam paternam, iſtorum omnium exactiones non pro ſuo arbitrio augere, ſed pro ratione fortunarum populi inſtituere, & publicis quoq; impenſis, quoad fieri poteſt, parcere debent, ne plebem prorſus exhauriant. Vt enim reipub. nerui in ærario magna ex parte ſiti ſunt, ita qui in hoc conferuntur reditus durabiles eſſe non poſſunt, niſi iuſti & moderati ſint. Prudenter ergo olim Traianus ærariũ lieni conferebat, quia vt hoc creſcente reliqua membra contabeſcunt: ita tùm immodicis exactionibus ærariũ augetur, fieri non poteſt, quĩn attenuentur ſubditorũ fortunæ, & tandem cum his reſpub. tota deficiat. Quod ipſum Tiberius quoque, quo regnante Ioannes & Chriſtus docuerunt, obſeruauit. Nam ſuadentibus nonnullis, vt prouincias tributis maioribus oneraret, reſpondit: Boni paſtoris eſt tondere gregem, non deglubere. Potuerunt iſta videre prophani principes, qui non aliam quàm naturæ legem ſecuti ſunt. Quin ergo erubeſcitis Chriſtiani reges & principes, qui hodie miſeros agricolas, ciues, opifices, adhæc viduas & pupillos deglubitis, & horum laboribus partas pecunias vel in ædificia inſana, vel in turpem aleam, vel in conuiuia luxurioſa, vel in faſtuoſum aulæ & gynecæi apparatum, vel in venationes & canes, vel etiam in ſcurras & lenones inſumitis: adhæc bella mouetis non neceſſaria, quibus quicquid infelix populus reliquum habet, id quoq; totum partim ab hoſtibus partim à ſocijs diripitur & vaſtatur? Nefas olim putabat Dauid aquam bibere, quam cum manifeſto vitæ periculo viri fortes ad ipſum detulerant. At vobis leuiculum videtur ipſum ſanguinem ſubditorum exigere, & miſeros tantum non fame enecare, vt veſtræ libidini & luxuriæ ſatis ſit. Debent quidem iſta patienter ferre Chriſtiani homines, at non patienter illa feret Deus, qui ſubditorum ſanguinem de manibus veſtris requiret, & inſolentiam veſtram dignis pœnis coercebit. Diſcite ergo ijs animum attendere, quæ ad reipub. conſeruationem faciunt. Memineritis item, vos populi paſtores & patres à Deo eſſe conſtitutos, & vobis etiam dictum cogitate, ne quid amplius quàm vobis conſtitutum eſt exigatis. Nec eſt quod vobis ex eo aliquid deceſſurum eſſe vereamini. Magnum enim vectigal eſt parſimonia, & ſi ex aulis veſtris profligetis luxum & intemperantiam, mox ſentietis & ærarium augeri & populi fortunas florere, ſicq; ad omnem euentum eritis inſtructiſsimi. Attēdat huic curæ alia quoque, ne officia publica vel pretio vendantur, vel hominibus auaris aut prodigis committantur. Nam vt Alexander Seuerus Imperator dicebat, neceſſe eſt vendat qui emit. Alteris verò illis nihil ſufficit, & qui tales ad rempub. admittunt, ij furum ſocios ſeſe faciunt, & populum illis propinant exugendum, quos ſua authoritate

coercere

coercere debebant. De Thebanis tradunt hiſtoriæ, neminem apud illos ad reipub. adminiſtrationem admiſſum fuiſſe, qui nõ prius per annos decem à mercatura abſtinuiſſet. Putabant enim difficile eſſe, vt homines lucro & luxui dediti & aſſueti in altiori dignitatis gradu mores mutarent.

Officiales publici.

At non ſatis erit principes viros officium feciſſe, niſi quosquot ſub illis officia publica obeunt, Baptiſtæ præceptum ad ſe pertinere cogitent, nec à quoquam quid amplius extorqueant, quàm ipſis iure debetur. Quin ſtudeant potius ſua facilitate onera populi tolerabiliora reddere, & principibus eius generis conſilia ſuggerant. Ita enim & his fidi erunt, & populum ingenti beneficio ſibi demerebuntur, & ad reipub. incolumitatem plurimum adiumenti conferent. E contra ſi nimij ſint, & vel ſibijpſis plus æquo vendicent, vel principibus authores ſint, vt populus nouis tributis atque exactionibus grauetur, ſeipſos quidem grauiſſimo ſcelere polluunt, & alienæ libidinis miniſtri fiunt, ſimul verò non ſibijpſis ſolùm, verumetiam principibus ſuis inuidiam atque odium conflant, & ſæpe ſeditionum grauiſſimarum ſemina iaciunt. Exemplum huius rei euidens in Roboami hiſtoria ſacræ literæ proponunt. Cùm enim is populo, tributorum alleuationem poſtulanti, ex iuniorum & coætaneorum ſuorum conſilio durius reſpondiſſet, omnium animos abs ſe alienauit, & mox regni ſciſma ſecutum eſt, quod tandem genti vniuerſæ exitium attulit. Similiter Lacedæmonij olim, poſtquam à maiorum frugalitate degeneres per ſuos præfectos & officiales imperia in ſubditos auarius exercuerunt, tam ſibijpſis quàm toti Græciæ odia & bella concitarunt exitialia. Ideo apud Romanos non minus prudenter quàm grauiter obſeruata fuit Lex repetundarum, quam primò L. Piſo cognomento Frugi tulit, poſtea autem Iulius Cæſar inſtaurauit: qua cauebatur, ne quis in prouinciam miſſus cum poteſtate pecuniam vllam à prouincialibus alijsue acciperet, præter quàm à perſonis ſanguine ſibi coniunctis: item vt vrbani magiſtratus ab omni ſorde abſtinerent: qua etiam plectebantur, qui ob rem iudicandam aut non iudicandam, ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam accepiſſent. Et vt Cicero in Verrinis docet, Lex iſta imprimis ſociorum cauſa lata fuit, ne videlicet proconſulum aut præſidum auaritia & iniquitate grauarentur, cuius legis authoritatem minus valuiſſe ſuo tempore vir prudentiſſimus non ſine cauſa queritur, quòd eadem opera rempub. vehementer labefactatam eſſe videret. Quòd ſi noſtri temporis mores inſpiciamus; hæc ferè omnium malorum in repub. cauſa eſt, quòd qui rebus adminiſtrandis præſunt, immodica habendi cupiditate accenſi opes vndiq; corradunt, & authoritate publica ad ſuum commodum abutuntur. Ergo omnium illorum auribus intonari debebat Ioannis noſtri vox: Nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis, exigite.

Cicero de claris Oratoribus.

Vt priuatis concio hæc ſeruiat.

At eadem non minus ad homines priuatos pertinet, quibus præclara occaſio de rebus ſuis rectius cogitandi hîc proponitur. Peccant enim in hanc legem mercatores, dum pretium iniquum petunt, aut etiam ponderibus & menſuris iniuſtis vtuntur, vel merces ipſas malitioſè corrumpunt. Peccant etiam opifices, dum opera ſua maioris indicant: mercenarij item qui in opere ſegnes & ignaui, mercedem tamen plenam ſibi numerari poſtulant. Peccant præterea qui mutuum dando charitatem & beneficentiam ſimulant, interim verò ſuis intenti plus recipiunt quàm ipſis debeatur. In qua re noſtro ſeculo tam ingenioſa & ſubdola eſt auaritia, vt nemo artibus & impoſturis, quibus paſſim peccatur, enumerandis ſufficiat. Alij enim debitores in ipſa ſorte defraudant; dum non tantum illis numerant, quantum illi reddere coguntur. Alij etſi tantùm dediſſe videantur, doloſè tamen vel nummos maioris æſtimant, quàm exponi poſſint, vel pecunijs fruges, pecora, aut alia infinita admiſcent, quorum pretium iniquiſſimum indicant: multi debita, de quibus iampridem tantumnon deſperauerunt, egentibus obtrudunt, & quæ iſti nunquam poſſunt integra recipere. Sunt qui cenſus nimios poſtulant, & (vt Amos loquitur) onus frumenti miſeris imponunt, & ita eos miſerabiliter opprimunt, quos ſua ope ſubleuauiſſe videri volunt. Debent his propolæ adnumerari, & qui monopolia exercent, quorum omnium hoc ſtudium eſt, vt fruges & alias omnis generis merces in ſuam poteſtatem redigant, neque eas prius diuendant, quàm illarum pretium ad ſummum vſque excreuiſſe viderint. Et hi quidem omnes ſe rebus ſuis quàm optimè conſulere arbitrantur, ſeq; excuſatos putant, quòd non alia ratione diteſcere poſſint. At ijdem Dei iudicio fures ſunt, & illius iram incurrunt, imò plerunque publicorum malorum ſunt authores: ſicuti non obſcurè per Amos prophetam Dominus docet. Audite (inquit) iſtud vos, qui abſorbetis pauperes, & inopes è terra exterminatis, Amos 8.

o 3

dicentes: Poſt menſem venum exponemus annonam, & exacta hebdomade aperiemus frumentum, epha diminuemus, ſiclum autem maiorem faciemus, & bilancem doloſe deprauabimus, vt comparemus tenues argento, & inopem pro pari calceamentorum, deinde & quiſquilias cum frumento diſtrahemus. Quid verò hîc aliud dicit propheta quàm quod hodie paſſim fieri videmus? Sed audi ſimul pœnam, quam moribus iſtis Deus denuntiat: Iurauit Dominus per excellentiam Iacobi, ſi vnquam obliuioni tradam omnia opera eorũ. Annon ſuper hoc terra contremiſcat? Et lugebit omnis, qui in ea habitat. Quin vniuerſa vt fluuius intumeſcet, &c. Ergo non tam incolas quàm terram ipſam per eiuſmodi homines grauari Deus docet, & conſtat ex hiſtorijs, apud omnes gentes ferè publicorum motuum & ſeditionum cauſas præbuiſſe homines auaros & vſurarios, qui ſuis commodis cum aliorũ incommodo conſulere ſolent. Apud Romanos certè hinc occaſionem tumultuandi non ſemel ſumpſerũt, qui vel nouas tabulas fieri, vel legem agrariam inſtaurari poſtulabãt. Vidimus multa huius generis etiam noſtro ſeculo, & non obſcura indicia ſunt, quæ docent grauiora pericula breui vbiq; terrarũ exoritura eſſe, niſi auaritiæ & rapacitati multorũ frænum inijciatur. Quapropter in iſtorũ conſideratione frequentes ſint omnes ordinis & loci homines, & ſinguli ſibiipſis applicent Ioannis regulam, quam publicanis præſcribit, ne quid præterquam quod ipſis ex iure debetur, exigant. Inſcribatur (inquam) ea omnibus ædiũ parietibus, officinis omnibus, legatur in curia, in foro, in omniũ deniq; auribus atq; animis perpetuò reſonet. Nec eſt, quòd quiſquã ex eo inopiam aut egeſtatem metuat. Sunt enim Deo curæ res hominum, & qui huius benedictionem expectant, ea in præſenti ſeculo fruentur, & ſimul æternæ vitæ hæredes fient per fidem in Ieſum Chriſtum, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXI.

Interrogauerunt autem eum etiam milites, dicentes: Et nos quid faciemus? Et ait eis: Neminẽ concutite, neq; calumniemini: & contenti eſtote ſtipendijs ueſtris.

IOannis Baptiſtæ officiũ fuit, populum per pœnitentiæ prædicationem ad Chriſtũ dignè excipiendum præparare. Id ergo ſic facit, vt nõ ſolùm generalem doctrinam ſiue admonitionem proponat, ſed ſingulos ferè omnis loci & ordinis homines inſtituit, ſicq; ſuo exemplo docet, quæ ratio docendi in pœnitentiæ articulo teneri debeat: ea nimirũ, vt ſinguli de ſe agi ſentiant, ſimulq; intelligant, quid ipſis vitandum quidue faciendum ſit. Et hactenus quidem illum Phariſæis, deinde promiſcuo vulgo, & nuper publicanis concionantem audiuimus: ex quibus concionibus generalis doctrina peti poteſt, eos, demum verè pœnitentiam agere, qui procul reiecto omni fuco aut hypocriſi, ad Deum ex animo conuertuntur per fidem in Ieſum Chriſtum, ſeq; verè conuerſos eſſe charitatis & beneficentiæ ſtudio, iuſtitia item in omnibus vitæ ſuæ actionibus teſtantur. Sequitur nona concionis argumentũ, qua milites inſtituit: vbi rurſus paucis verbis multa comprehenduntur ſcitu & obſeruatu digniſſima.

Quales milites illi fuerint?

Ante omnia autem videndũ erit, qui nam & quales fuerint milites illi, de quibus hîc agitur. Sunt enim, qui iſta de mercenarijs militibus, quales hodie paſſim inueniuntur, exponentes, ei hominum generi ex Euangelij doctrina patrociniũ quærunt, quo nullum & reipub. pernicioſius & à Chriſtiana fide atq; religione magis alienũ eſt. Atqui militibus ordinarijs concionatur Ioannes, qui ſub magiſtratu legitimo ad Imperij Romani et pacis publicæ defenſionem arma gerebant, & quorũ tunc magnus numerus per Syriam totã & Iudæam diſpoſitus erat, ſicuti ex hiſtorijs apparet. Cùm enim inter duos fratres, Hircanũ & Ariſtobulũ, de regno & ſacerdotio lis exorta in bellũ ciuile exarſiſſet, vtrinq; ad externa auxilia concurſum eſt. Et Hircanus quidẽ à fratre eiectus, primùm ex Antipatri Idumæi conſilio ad Aretam Arabiæ regem confugit, qui etiam collectis copijs illum in regnum reducere conatus eſt. Ariſtobulus autem Scaurum Romanum imperatorem muneribus attraxit, vt ipſius defenſionem ſuſciperet: quæ res Aretam terruit, vt dimiſſo exercitu in Arabiam ad ſua rediret. Nõ multò poſt, cùm Pompeius Magnus à debellato Tigrane Damaſcum veniſſet, hunc quoque Ariſtobulus magnis muneribus in partes ſuas pertrahere ſatagit. Adeſt & Hircanus &

ipſe

ipſe etiam Romanorum auxilia implorat. Ariſtobulus, quòd pactis non ſtaret, Pompeium commouit, vt vrbem irrumperet, & templo ſimul per vim & non ſine horribili Iudæorum ſtrage occupato in Sanctum ſanctorum ingrederetur, & ea ſpectaret, quæ nemini præterquam ſummo Pontifici videre licebat. Et Hircano quidem Pontificatum conceſſit, ſed corona vti prohibuit. Itaq; ſceptrum tunc à Iudæis ablatum fuit, & regnum ſibi in illos vendicarunt Romani. Ariſtobulus autem à Pompeio Romam miſſus eſt ad triumphum, vbi ex carceribus elapſus & in Iudæam reuerſus nouos tumultus excitauit: ſed mox iterum captus à Gabinio & Romam remiſſus atq; illic veneno occiſus eſt. Ac huius filius Antigonus aduerſus Hircanum patruum Parthos excitat, qui vrbem occuparunt & diripuerunt, Hircano autem capto aures abſciderunt, ne vnquam ad Sacerdocium redire poſſet, Antigonum verò illi ſubſtituunt. Hunc cùm vix tribus annis regnaſſet, obſidione premunt Soſius & Herodes, & tandem captum Antiochiam tranſmittunt ad Antonium, qui eum trucidari curauit, Iudææ autem regnum ex Romanorum beneficio Herodi ceſſit, vt alibi diximus. Quia verò Parthi prioris victoriæ fiducia & prædæ ſpe accenſi, non ceſſabant in Syriam crebras incurſiones facere, Romani per totam illam prouinciam præſidia diſpoſuerunt, vt & barbaros coercerent, & ſeditionibus aſſuetam Iudæorum gentem in officio continerent, vtq; ad omnem euentum paratas haberent legiones in illis locis, vbi ab hoſtium incurſionibus & prouinciarum defectione plurimum periculi imminebat. Et hi milites illi atq; Centuriones ſunt, quorum frequens fit mentio apud Euangeliſtas, & quibus Ioannes in præſenti concionatur. Nihil ergo iſta ad noſtri ſeculi Cares faciunt, qui neq; legitimo magiſtratui militant, neq; pacem publicam tuentur, ſed bellorum faces circumferunt, & maximorum malorum præcipui ſunt authores, vt poſtea demonſtrabimus.

Nunc autem non omnino alienum ab inſtituto noſtro viſum eſt, ſi in horum narratione diligentiores eſſemus. Docemur enim hoc exemplo, quorſum exire ſoleant ciuiles diſcordiæ & bella inteſtina. Graue equidem eſt hic in partes ſcindi ciues, qui eiuſdem corporis membra dici merentur, et qui coniunctis ſtudijs communem patriam tueri debebant. Et conſtat nulla bella maiori cum animorum contentione & crudelius geri, quàm quæ inter fratres & ciues exoriuntur. Acutius enim feriunt & vulnerant animos iniuriæ, quæ ab ijs inferuntur, quos nobis nihil non debere putamus propter ſummam, quæ nobis cum illis eſt, coniunctionem. Et vt Ariſtoteles ſcribit, qui immenſum atque immodicè amant, ijdem immodicè oderunt. Accedit autem aliud multò grauius, quòd odij & iræ vehementia abrepti vtrinq; ad externa auxilia confugiunt, & ſæpe hoſtes patriæ veteres adducunt, quorum armis & ipſi vtrinq; opprimuntur, & communis patria diſcerpitur. Fit ergo, vt qui ciues & fratres ferre noluerunt, poſtea exteros tyrannos & horum ſatellites, omnis nequitiæ miniſtros, ferre coguntur. Et impletur tunc illud Chriſti: Omne regnum in ſe diuiſum, deſtruitur. Euenit hoc ambitioſis hiſce fratribus, Hircano & Ariſtobulo totiq; Iudæorum genti, quæ illorum ambitione ſeſe in partes ſcindi paſſa eſt. Illi enim hominibus prophanis ſupplices facti ſunt, & vterq; cum extrema ignominia vitam infelicem finiuit: Iudæi verò ſimul omnes immaniſſimorum militum libidini ſubiecti, et in ſeruitutem miſerrimam redacti fuerunt. Idem olim ſub Regibus maiores ipſorum paſſi fuerant, quando hi quidem Syros, illi verò Aſſyrios contra fratres ſuos in belli ſocietatem pertrahendo vtriſque populis occaſionem dedere eos perdendi, quos maximè perditos volebant. Et in Romana hiſtoria hic ſemper bellorum ciuilium exitus fuit, vt à maioribus deuictæ gentes ſub Romanis ducibus aduerſus Romam pugnarent, & ea occaſione clades olim acceptas vlciſcerentur. Imò illa viam ſtrauerunt Tiberijs, Claudijs, Caligulis, Neronibus, Domitianis, & infinitis alijs tyrannis, quorũ pleriq; ex barbaris gentibus oriundi veteris Romæ maieſtatem viliſſimis mancipijs & libertis ſuis conculcandam proſtituerunt. Simile exemplum non ſine orbis Chriſtiani ſummo periculo in Græcia ante annos trecentos æditum eſt, quando de Orientis Imperio inter Cantacuzenum & Ioannem Palæologum contentio exorta eſt, & in auxilium euocati ſunt Turcæ, qui ab eo tempore ad occupandam Græciam animum adiecerunt, & ea non multò poſt potiti ſunt, & ex eo magnam Europæ partem occuparunt. Quid verò in Hungaria noſtro tempore acciderit, notius eſt, quàm vt multa commemoratione opus habeat. Vtinam verò tanti periculi conſideratione principes excitati diſſidijs funeſtis finem imponerent, & de communi potius hoſte propulſando, quàm de religione opprimenda & ſtabilienda Pontificum tyrannide conſultarent. Quod cùm optare facilius ſit quàm impetrare,

Bellorum ciuilium effectus.

Polit. 7.

periculum eſt, ne cum Germania quicquid adhuc Chriſtiani nominis ſupereſt, Turcarum potentiæ ſubijciatur, & (quod olim Lactantius fore prædixit) imperium in Orientem reuertatur, & rurſus ſeruiat Occident. Debent ergo in horum meditatione diligenter verſari, quicunq; communem patriam & fortunas ſuas ſaluas volunt, vt concordiæ ſtudeant, qua nihil in humanis ſalutarius et magis neceſſarium eſt. Regula autem concordiæ ſit, quam Chriſtus præſcribit, vt nimirū in ipſo vnum ſimus, & Deum quidem vna fide & vno ore colamus, inter nos autem mutua charitati & beneficentiæ ſtudeamus, ſicq; nos germanos filios patris cæleſtis eſſe teſtemur.

Militum quæſtio de pœnitentia. Porrò quoad noſtros hoſce milites, ſatis apparet, illos etiam Ioannis doctrina non leuiter commotos fuiſſe. Cùm enim audirent, pœnitentia omnino opus eſſe, & ſimul intelligerent, inter huius opera ſiue fructus beneficentiam non poſtremum locum obtinere: procul dubiò vehementer illos terruit vitæ anteactæ recordatio, cùm iam illis ob oculos verſarentur rapinæ, incendia, cædes, vrbium excidia, agrorum vaſtationes, oppreſſio innocentum, calumniæ & infinita alia, quæ in bello fieri conſueuerunt. Itaq; ſerio pietatis ſenſu perculſi, quid ipſos facere conueniat quærunt. Vbi apparet, quantum poſſit verbum Domini, ſi in animos ſemel admittatur. Erant milites iſti ex varijs gentibus collecti, & quæ Iudæis dicebantur, talia videri poterant, quæ nihil ad ipſos pertinerent. Neq; periculo carebat, à religione deficere, quæ Romani Imperij authoritate & longo vſu confirmabatur. Veruntamen quia Dei verbum non oſcitanter audiunt, mox propriæ conſcientiæ teſtimonio conuicti ſentiunt, ſibi quoq; neceſſarium eſſe, vt mores mutent, & voluntati diuinæ ſeſe accommodent, ſiquidem imminentes ſibi pœnas ſubterfugere velint. Habet iſtos effectus etiam hodie verbum iſtud, & hos pleriq; ſentiunt, qui ad illud accedunt. In eo autem ferè erratur, quòd multi ſurgentem in ipſis Dei timorem reſtinguere & reluctante etiam conſcientia omnem de pœnitentia agenda cogitationem procul ex animis ſuis eijcere conantur. At quia iſti ſuo vitio pereunt, eò magis nos anniti decet, ne carnis cupiditatibus indulgeamus, & potius quid iuſtum & ſalutare ſit quàm quid carni doleat conſideremus. Ex hoc enim ſtudio pulcherrimi illi fructus enaſcuntur, quos in Centurione illo ſpiritus ſanctus ſuo loco prædicabit, cuius fidem toti Iſraelitarum genti Chriſtus commendat, & quales in Cornelio & multis alijs conſpiciuntur.

Pœnitentia omnis loci homines decet. Admonemur præterea hoc exemplo, religionis & reſipiſcentiæ ſtudium omne genus hominum decere, neq; quenquam ſibi hîc debere immunitatem vendicare, cuiuſcunq; ſit loci aut ordinis. Vt enim omnes à Deo conditi ſumus, ita hic quoq; ad diuerſas functiones nos vocat, eiusq; fauore & protectione omnibus opus eſt, qui ſuam vocationem cum laude ſiue aliquo cum fructu ſequi volunt. Et huius imprimis meminiſſe debent milites, eò quòd in nullo alio vitæ genere plura & grauiora pericula tam animabus quam corporibus imminent. Nam qui bella gerunt, ij vitam quodammodo in manibus ſuis geſtant, deq; illa omni momento periclitantur, dum modò repentinus hoſtium aduentus caſtris terrorem incutit, modò ipſi hoſtem inueſtigant & ad pugnandum laceſſunt, modò horribiles bombardarum tonantium globi ante & retro cadunt, modò eminus alij telis, alij comminus haſtis aut gladijs conficiuntur: multos etiam ruentium murorum ruinæ opprimunt, multos equitatus vndiq; circumfuſus proterit. Deniq; mille necis ſpecies & plurima mortis imago occùrſat paſſim & letalia vulnera miſcet. Neq; in minori periculo æterna animarum ſalus tunc conſtituta eſt, quando vel cauſa belli iniuſta vno reatu omnes implicat, vel in iuſto etiam bello multa in miſeros agricolas, imbelles fœminas, viduas, pueros aut ſenes iniuſtè & crudeliter fiunt: vel in ipſa vindictæ cupiditate aut odij iraq; ardore plerique occiduntur, & ita in ſuis peccatis pereunt. Aduerſus quæ pericula omnia remedium aut ſcutum tutiſſimum eſt pietas & non fucatum religionis ſtudium, quod & belli

Deut. 20. conſilia regit, & carnis affectus moderatur, ne nos extra iuſti & æqui limites abripiant. Non temere ergo olim per Moſem inſtitutum fuit, vt ſacerdotes in ipſa acie populum hortarentur, & iam pugnaturis Dei promiſſiones atq; præcepta in mentem reducerent. Et hunc morem nos Heluetij à maioribus noſtris, pijſſimis et fortiſſimis viris, accepimus, vt quoties pro patria & libertate bellum geritur, eccleſiæ miniſtri in caſtris conciones frequentes habeant, & in acie conſtitutos Dei verbo confirment. Quid autem de ſacerdotibus aut verbi adminiſtris dicere opus eſt, quando conſtat fortiſſimos veteris teſtamenti heroas, Ioabum, Dauidem, Ioſaphatum, Ezechiam, Iudam Machabæum tunc quàm maximè de Deo & eius cultu apud exercitus ſuos diſſeruiſſe, quando hoſtem in conſpe-

ctu habe-

*ctu habebant? Quod ipſum Chriſtiani etiam Imperatores, Couſtautinus, Theodoſius & alij horum
ſimiles obſeruarunt. Quibus meritò accenſeri debent Iuliani milites, qui exauctorari potius, vel
etiam omnino occidi maluerunt, quàm fidem abnegare, aut Dei cultum aliqua ſuperſtitione polluere.
Item hi vetuſtiores, qui ſub. M. Aurelio Autouino contra Quados & Marcomannos bellum ge-
rente precibus publicis pluuias impetrarunt. Minimè ergo audiri debent, qui religionem nihil ad
milites pertinere arbitrautur, horum autem propria officia eſſe aiunt deierare, execrari, potare, alea
vacare, violare matrouas, conſtuprare virgines, pugnas cum commilitonibus temerarias mouere,
adhæc veſtitu, inceſſu, vultu & voce uon aliud quàm minas & ab omni humanitatis ſenſu alienam
barbariem atq; crudelitatem referre. Marius olim, cùm in bello quàdam Romanis legibus contra-
ria feciſſet, & de hoc admoneretur, reſpondebat, ſe inter armorum ſtrepitum leges nou poſſe audire.
At hæc uon hominis Chriſtiani, imò neq; boui ciuis, multò minus egregij imperatoris vox fuis, cuius
eſt pro patria & legibus patrijs pugnàre: ſed ſauguinarij latronis, qui victorijs de hoſte partis cou-
tra patriam abuſus eſt, et priuata ambitione ſuperatus rempub. totam in extremum diſcrimen ad-
duxit. Vtinam verò non eadem hodie ſeutentia eſſet præcipuorum belli ducum, qui non leges solùm
ciuiles negliguut, ſed etiam verbi Dei fulmiua atq; tonitrua ſurdis auribus prætereunt. Et hi ſunt,
quos vt Encelados & Hercules nouos Turcarum armis opponimus, ſed quàm infelici euentu, res
ipſa loquitur: ueq; aliter fieri poteſt, quando illi ipſi ſceleribus ſuis & effræni licentia præcipui ma-
lorum omuium authores ſunt, quibus muudum ingratum & contumacem Deus vlciſcitur.*

Sed tempus eſt, vt Ioannem militibus concionautem audiamus. Nemiuem concutite (inquit) Ioannis concio
ueq; calumniemini: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Vbi ante omnia obſeruabimus; quòd illos ad milites.
*non iubet abiectis armis à militia diſcedere, ſed vt in ſua illa vocatione ſe gerere debeant, admo-
nes. Itaque nou obſcurè totam reipub. adminiſtrationem & qui huic coniuuctus eſt armorum vſum* Ioannes armo-
approbat. Si enim hic per ſe illicitus & impius eſſet, haud dubiè hoc vitæ genus ſimpliciter dam- rum uſum pro-
nauiſſet, qui ad docendum pœnitentiam & ſingulos Chriſto præparandum miſſus erat. Liberè au- bat.
*tem iſta docet, tùm nou ignoraret Deum olim per Moſem de bello leges tuliſſe, vt paulò ante dixi-
mus. Scimus hoc nonnullis abſurdum videri, qui Chriſtum dicentem audiunt: Ne reſiſtatis malo,* Matth.5.
*ſed ſi quis te ceciderit iu dextram maxillam, obuerte illi & alteram. Item, diligite inimicos veſtros.
Sed non oportet Chriſti verba iu ſenſum alienum detorquere. Cùm enim iſta diceret, populo coutio-
nabatur, & proinde quid ſiugulos facere conueniat docuit: vt nimirum iniurias patieuter ferant, &
à priuata viudicta abſtiueant, quæ vt charitati Chriſtianæ inimica eſt: ita turbas concitat & ſi-
mulsates paris nunquam finiendas. Quid verò hoc ad magiſtratum, quem Paulus iu hunc finem* Rom.13.
*gladio armatum eſſe docet, vt homines noxios puniat, probos & bonos tueatur? At ſi vuum & al-
terum furem ſiue latronem occidere licet, imò vt id faciat in mandatis habet magiſtratus, uum in-
tegras legiones eorum impunè graſſari patietur, qui ſubditorum fortunas diripiunt, agros popu-
lantur, villas incendunt, inuoxios trucidant, matronas, virgines & immaturas puellas libidine
nefaria polluunt, adhæc rempub. vnà cum religioue euerſam & extinctam volunt? Vel num vnius
hominis fortunas aduerſus paucorum vim iniuſtam principes gladio tueri debent, & uefas erit ho-
ſtilem exercitum repellere, à quo commune toti genti periculum imminet? Cur ergo impios defe-* Deut.13.
*ctores Deus armis coercere iuſsit, ſi exteris permiſſum eſt, vt fidem & religionem ſimul omuem ex-
tirpent? Quòd ſi his reſiſtere uefas eſt, iam Abrahamum patrem credentium, Moſem item, Io-
ſuam, Gedeonem, Iephtaem, Samſonem, Dauidem & optimos quoſq; Dei cultores damuabimus,* Heb.11.
*quos Apoſtolus ad Hebræos ſcribit per fidem regna expugnauiſſe; robuſtos iu bello factos eſſe, & ex-
terorum hoſtium exercitus iu fugam vertiſſe. At ſi hoc illi per fidem fecerunt, eam nimirum fidem,
quæ in nouo teſtameuto docetur, cur eos hodie Chriſtianos eſſe uegabimus, qui bella neceſſaria ſuſci-
piunt, & remp. cum ſacris aduerſus prophanos hoſtes defendunt? Libet hîc cõmemorare, quæ D. Au
guſt. ad Marcel. epiſt. 5. in hunc locũ commentatus eſt: Si Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet,
hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, ſeq; mili
tiæ omnino ſubtraherent. Dictum eſt autem eis: Neminem coucuſſeritis, nulli calumniã feceritis, ſuffi
ciat vobis ſtipendiũ veſtrũ. Quibus propriũ ſtipendiũ ſufficere debere præcepit, militare vtiq; nõ prohi
buit. Proinde qui doctrinã Chriſti aduerſam dicũt eſſe reip. dent exercitũ talẽ, quales doctrina Chriſti*

eſſe milites inſti-dent tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales ſeruos, tales reges, tales iudices, tales deniq; debitorum redditores & exactores ipſius fiſci, quales eſſe praecipit doctrina Chriſtiana, & audeant eam dicere aduerſam eſſe reipub. imò verò dubitent eam confiteri magnam, ſi ei obtemperetur, ſalutem eſſe reipub. Haec (inquam) & multa huius generis Auguſtinus ſcripſit, quem à ſanguinis ſtudio alieniſſimum, pacis verò ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtat.

Contra bella neceſſaria. Interim etiam atq; etiam cauendum eſt Chriſtianis principibus, ne praecipiti aliquo affectu abrepti, aut etiam inconſulto terras ſuas defendendi ſtudio decepti, bella non neceſſaria moueant. Solet enim ferè infelix & triſtis horum exitus eſſe, ſicuti exempla innumera docent, inter quae memorabile imprimis eſt Ioſiae, optimi & piiſſimi principis, qui dum populo ſuo conſultum voluit, & ad arma temere concurrit, miſerabiliter caſus eſt, & ſuo interitu iam imminens totius gentis excidiũ accelerauit. Meminerint ergo principes, bellum ex eorum remediorum genere eſſe, quae non ſine totius corporis & vitae periculo, cùm nulla alia ſalutis ſpes ſupereſt, adhibentur: quales ſunt reſectiones membrorum, vſtiones aut eroſiones in membris vitalibus, potiones violentae, & alia quae ipſi naturae quodammodo bellum mouent, & in quibus aut hanc ſuccumbere, aut morbum cedere oportet. Vt ergo periti medici illis non niſi in ſumma neceſſitate, et quidem inuiti vtuntur: ita bella quoq; nunquam ſuſcipi debent, niſi cùm abſq; manifeſto reipub. totius & ſalutis publicae periculo non poſſunt intermitti.

Cauſae iuſtae bellorum. Itaque inter belli cauſas prima cenſeri debet religio, quando hanc exteri, quibus nullum in nos ius eſt, violenter corrumpere, & totum populum ad fidei verae abnegationem atque ad illicitos cultus cogere conantur. Si enim Deus in lege iubet vrbem, quae noſtrae ditionis eſt, exſcindere, ſi Deos alienos colat, & in impietate contumaciter perſeueret: multò iuſtius & magis neceſſarium fuerit, iis reſiſtere, qui nobis Deos alienos & nefarias ſuperſtitiones obtrudere volunt, & ſalutiferam verbi diuini doctrinam humanarum traditionum toxico inficere. Qui illud licere negant, ii neq; gloriam Dei diligunt, neq; propriae ſalutis ſtudio tenentur: imò naturae legem ignorant, quae nos omnia noſtra Deo debere docet, & per quam olim Athenienſes illuminati, ciues ſuos iuramento publico obſtringebant, vt pro Diis ſuis & ſacris & ſoli & cum aliis pugnarent. Deinde belli cauſa iuſta & neceſſaria eſt, quando exteri nullis iniuriis prouocati alienos fines inuadunt, praedantur, rapiunt, ferro & igne omnia miſcere volunt, neq; vllas pacis conditiones recipiunt. Si enim hîc ceſſet magiſtratus, populi ſui ignauus, aut etiam perfidus deſertor dici meretur. Et qui tunc legitimo magiſtratui militant, ii & patriae quod debent officium praeſtant, & principibus ſuis verè fideles ſunt. Praeterea non rarò fit, vt ex pacto iis opem ferre oporteat, qui aut nobis confoederati, aut in praeſidiis diſpoſiti de ſumma rerum periclitantur. Tales enim ſine ſcelere deſeri non poſſunt, & inexcuſabilis eſt eorum principum ignauia, qui eos ab hoſtibus opprimi patiuntur, qui in eiuſmodi neceſſitate communis patriae ſalutem ſui capitis periculo defendere ſatagunt. Sunt & aliae cauſae bellorum, quae pro loci & temporis ratione ſe offerunt, ſed hae praecipuae ſunt, ad quas aliae omnes poſſunt referri: in quibus conſiderandis magna circumſpectione opus eſt, ne nobis tacitus aliquis affectus imponat in re, quae cum publicae ſalutis periculo coniuncta eſt. Sed facilè error omnis cauebitur, ſi ſola neceſſitas & publica ſalus ſpectetur, finis verò conſiliorum ſit pax & innocentiae defenſio.

Vt bella geri debeant? Deut. 20. At non minor cura adhiberi debet, cùm iam ad arma ventum eſt, ne tunc quoque clementiae erga hoſtes, aut officii ſui erga ſubditos principes obliuiſcantur. In Lege iubet Deus, vt qui vrbem oppugnare inſtituerunt, prius ei pacis conditiones offerant, & amicè reſpondentes humanius tractent, atque tributo & obedientiae officiis contenti, vitae ipſorum atque reliquis fortunis parcant. Debet hoc paſſim & ſemper obſeruari. Quia enim bello nihil inhumanius, nihil item periculoſius & nocentius eſt, nulla etiam in medio armorum ſtrepitu pacis honeſta & tolerabilis occaſio negligi debet. Curandum quoq;, ne qui iuſta arma ſuſceperunt, omni humanitatis ſenſu abiecto, vel in innoxios crudeliter graſſentur, quos non propria malitia, ſed principum ſuorum libido in periculum iſtud adduxit: vel etiam ſuos abſque cauſa periculis grauioribus obiiciant (vt ferè ſolent, qui rem temere praeliorum fortunae committunt) aut inſano furore ſuos ad locorum munitiſſimorum expugnationem cum certo vitae diſcrimine cogunt. Deus certè olim grauiter monuit, vt dum vrbes

obſidentur

obſidentur, quis arbores excindat, quæ fructus ferunt eſui aptos. Quis ergo non ſcelus dixerit eſſe immaniſſimum agricolas innoxios occidere, ſegetes vaſtare, in ſexum muliebrem, in infantes aut ſenes decrepitos ſæuire? Iſtis flagitijs olim Babylonios Dei iram ſibi conflauiſſe prophetæ teſtantur, cùm à Deo mandatum bellum contra Iudæos truculentius gererent. Eſt ergo multa laude digniſſima Aureliani Imperatoris clementia, qui vicario ſuo eiuſmodi mandata dedit: Si vis tribunus eſſe, imò ſi vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat. Et in veteri hiſtoria Indorum mores commendantur, qui militiæ tempore agricolas intactos relinquebant, ne quid mali paterentur homines innocentes, & qui ſuo labore reliquis omnibus victum parant. At qui ſuos homines temere periculis obijciunt, ij ferè capitibus eorum ludere videntur, & in magiſtratus officium grauiter peccant, cuius eſt populi ſui ſanguinem pretioſum ducere. Et meritò laudatur Scipio Aphricanus, qui eum hoſte nunquam confligendum eſſe dicebat, niſi aut occaſio aut neceſſitas cogeret. Videbat enim multo rei militaris vſu edoctus, nunquam tam feliciter pugnari, quin aliqui occumbant, quorum vita reipublicæ & patriæ vilis eſſe poterat. Quod ipſum Antoninus Pius quoque obſeruauit, qui nemini vnquam bellum intulit, ſed inferentes repreſſit, nunquam non aliud Scipionis dictum in ore habens, ſe malle vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Iudicabunt iſti olim Chriſtianos principes, qui vt ad bella non neceſſaria temere ruunt: ita in hoſtium agros immaniſſimè ſæuiunt, & ſuos quoq; homines vix pecudum loco habent, neq; ſolùm hoſtibus eos trucidandos propinant, ſed fame etiam enecant, dum ſtipendia illis malignè ſoluunt, ipſi interea luxui dediti & circa omne libidinis genus occupati. Quæ vitia tunc demum corrigentur, ſi principes Deum timeant & veram pietatem cum patriæ communis amore coniungant.

Iſaiæ 47.
Zach. 1.

Quia vero à militibus quoque gregarijs plurimùm tunc peccabatur, & etiam hodie paſſim peccatur, præceptis tribus illorum petulantiam Ioannes coercet, quorum ſumma eſt, ne ſub legitimæ militiæ prætextu populum opprimant, aut latronum more in eos graſſentur, quos defendere debebant. Præſtat tamen ſingula videre. Primum eſt, Neminem concutite. Prohibetur hoc vis iniuſta, qua plerunque in ciues & agricolas peccant milites præſidiarij, dum ex amicorum etiam aut ſociorum agris prædas agunt, hoſpites ſuos immaniter tractant, eorundem vxores, filias & ancillas conſtuprant, nullum denique iniuriæ genus prætermittunt. Pugnat hoc cum fine belli legitimi, qui eſt vt omnia ad populi & pacis publicæ defenſionem dirigantur. Et quis obſecro fructus ex bello ſperari debet, ſi ea faciunt ſocij, quæ ex hoſtibus timentur? Quòd ſi hiſtorias euoluamus, inuenire licebit multos, qui ad hoſtes defectionem fecerunt, & patriam dulciſſimam inuiti prodiderunt, vt militum præſidiariorum improbitate liberarentur. Et vtinam non hodie etiam extarent exempla multorum, qui ſeipſos & terras ſuas Turcis dedere maluerunt, quàm Chriſtianos milites defenſores admittere, quorum libidinem & auaritiam prius experti fuerant. Quòd ſi hodie Aureliani Lex valeret, quam paulò ante adduximus, bella felicius gererentur.

Leges gregariorum militum.
1. Vis iniuſta prohibetur.

Alterum mandatum Ioannis eſt: Neminem calumniemini. Calumniæ vocabulo apertas quoque accuſationes & quæcunque ſub iuris prætextu aduerſus innocentes inſtituuntur, comprehendit. Erat autem hoc frequens admodum apud Romanos milites, vt calumnijs eos circumuenirent, qui vel libidini ipſorum reſiſtebant liberius, vel ex quibus lucrum ſperare poterant. Solebant enim Romani eos proſcribere, qui de ipſorum imperio minus honorificè loquebantur, aut alias ob cauſas ſuſpecti erant. Proſcripti verò aut occidebantur, aut deportabantur in exilium, eorundem autem bona militibus in prædam dabantur, aut ſaltem maior illorum pars accuſatoribus cedebat. Exempla huius iniquitatis multa in hiſtorijs occurrunt: & credibile eſt plus licuiſſe militibus apud Iudæos, gentem multis nominibus inuiſam. Hodie certè huius generis multa fiunt inter eos, qui ab exteris principibus deuicti militum præſidia in vrbes & domus ſuas recipere coguntur. At omnibus iſtis Ioannes concionatur, vt meminerint hæc non ſine ſcelere fieri. Etenim cùm calumnia nihil turpius ſit in quouis hominum genere, ea demum in milite turpiſſima eſt, qui ex fortibus factis laudem quærere debet, & cuius eſt (vt poeta inquit) parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

2. Calumniæ prohibentur.

Quia verò omnis iniuſtitiæ & crudelitatis præcipua cauſa eſt auaritia & intemperantia, apud

3. αὐτάρκεια & frugalitas commendatur.

milites imprimis, quorum petulantia & libido facit, vt vix quicquam illis ſufficiat, tertio mandato remedium vitijs hiſce prioribus adhibet, quando eos iubet ſtipendijs ſuis contentos viuere. In Græco obſonij vox habetur, quæ ſignificat quicquid præter panem & vinum apponitur. Solet autem pro militari ſtipendio vſurpari, eò quòd antiquitus non pecuniæ ſolùm, ſed victus militibus daretur, quem morem maiores noſtri obſeruarunt, & adhuc Heluetiorum reſpub. obſeruat, quando pro patria bellum geritur: vt nimirum milites in tribus & contubernia diſtributi in commune viuant & ex publico alantur. Apparet ex eo quantum apud veteres fuerit frugalitatis ſtudium, quando milites commeatum ſuum ſecum ferebant, & omnia ſoli neceſſitati ſeruiebant. Eſt autem illa in bello maximè neceſſaria: quia ſine hac nullum ſtipendium tam liberale eſt, quod militibus ſufficere queat: quæ cauſa eſt, quòd vel cum hoſtibus proditoria conſilia conferunt, vel amicos & ſocios deprædantur: & plerunq; fit vt ebrij vincantur, qui prius vinci non poterant. Rectè igitur olim Ageſilaus, cùm per Thaſiorum agrum cum copijs iter faceret, cibos delicatiores, quos illi offerebant, inter mancipia diſtribuere iuſſit, dicens, eos qui probitati fortitudiniq; ſtuderent, non decere huiuſmodi ganeis et gulæ irritamentis delectari. Et Peſcennius Niger militibus vinum petentibus reſpondebat: Nilum habetis, & vinum quæritis? At quæ noſtri temporis corruptio eſt, reſponſum hoc vix vlli milites admitterent, cùm eò res deuenerit, vt in caſtris quoq; legibus ſumptuarijs opus ſit, quibus militum luxus in veſtitu & victu coerceatur. At ſi ijdem meminiſſent, furtum eſſe, quicquid præter ſtipendium ordinarium ab alijs extorquetur, procul dubio frugaliores eſſent, & Deum ſibi magis propitium haberent. At quod militibus dicitur, non minus omnium aliorum inſtitutioni ſeruit, vt nimirum ſua ſorte contenti viuant, & toti ex Dei benedictione pendeant: quem vberrimum quæſtum eſſe, alibi ex Paulo apoſtolo monuimus. Sed fruſtra (vt Cato Senior dicebat) verba fiunt ventri non habenti aures. Vt verò aliquando dicendi finem faciamus, ſi quæ hucuſque dicta ſunt, cum militibus ijs conferamus, qui hodie pretio conducti caſtra quæuis ſequuntur, illorum inſtitutum hîc non probari, ſed totum damnari & euerti patebit. Nam pleriq; illorum non legitimo magiſtratui, ſed exteris principibus militant: imò ferè contra ſuorum principum edicta in militiam mercenariam excurrunt. Deinde vocationem, quam à Deo habent, turpiter deſerunt, & relictis artificijs manuarijs aut agricultura, hoc vitæ genus ſequuntur, quo vix vllum hodie ſceleratius excogitari poteſt. Finem verò non alium ſibi propoſitum habent, quàm vt ſit quod ipſorum libidini ſufficiat, & vt malè parta peius dilapident. Quæ cauſa eſt, vt abſq; omni diſcrimine pro hoſtibus habeant omnes, ex quibus præda ſperari poteſt. Sunt hi nocentiſſimi homines, & ferè regnis atq; gentibus ſuum exitium accelerant. Perſequitur enim illos maledictio Dei, qui iampridem execratione et exitio dignos pronunciauit eos, qui pro pretio fundunt ſanguinem innoxium. Et ex hiſtorijs conſtat, nulli regno aut genti impunè ceſſiſſe belligerandi libidinem. Sed meretur hoc quoq; flagellum incurabilis ſeculi noſtri impietas: quod tunc demum à nobis auferetur, ſi Ioannis conſilium ſecuti reſipiſcamus, & à peccatis in viam iuſtitiæ & ſalutis redeamus per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXII.

Expectante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, num ipſe eſſet Chriſtus ille: reſpondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem baptizo uos aqua: ſed uenit qui ualidior me eſt, cuius non ſum dignus qui ſoluam corrigiam calceorum. Ipſe uos baptizabit ſpiritu ſancto & igne. Cuius uentilabrum in manu ipſius, & perpurgabit aream ſuam: & coget triticum in horreũ ſuum, paleam autem exuret igne inextinguibili.

QVoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus vniuerſalis omnis generis hominum ſeruator atq; redemptor eſt, talem quoq; illius anteambulonem eſſe oportuit, qui omnis loci & ordinis homines ad illum excipiendum excitaret, & ſingulos ſui officij admoneret. Hoc qua fide & diligentia

Ioannes

Ioannes præſtiterit, huc uſq; Lucas prolixè expoſuit. Iſtis nunc commodè ſubijcitur, vt illius doctrina homines affecti fuerint, tam boni ſcilicet quàm mali. Et in præſenti quidem de illis agitur, qui præclarè, imò nimis magnificè de illo ſenſerunt, quorum errori ille nouam de Chriſto concionem opponit, qua omnem eccleſiaſtici miniſterij & humanæ ſalutis rationem compræhendit. Illis autem poſtea Herodes opponitur, typus reproborum, qui ad Verbi prædicationem deteriores fiunt.

Ioannes putatur eſſe Chriſtus.

Quoad priores illos, Lucas eos expectauiſſe & in cordibus ſuis cogitauiſſe ait, num ipſe eſſet Chriſtus ille, id eſt, promiſſus ille Rex & Sacerdos, quem venturum omnes ſperabant, vt populum plus ſatis afflictum vindicaret. Expectandi verbo deſiderium & admirationem exprimit, quæ apud omnes exorta fuit, cùm & doctrinæ genus nouum audirent, voq; intra animos ſuos non leuiter afficerentur, & in vita atq; moribus Ioannis ſanctimoniam viderent non phariſaicam aut fucatam, ſed in qua præſens ſpiritus ſancti virtus elucebat. Inde verò illis occaſio data fuit cogitandi, num Ioannes promiſſus ille Seruator ſit. Non autem apud rude vulgus ſolùm hæc ſuſpicio enata fuit: ſed ſacerdotum quoq; & Seniorum, qui Hieroſolymis erant, animos perculit, qui ideo aliquot ex Phariſæorum ordine ad illum emiſerunt, qui num ipſe Chriſtus ille eſſet percunctarentur, aut qua authoritate docendi & baptizandi munus ſibi vſurparet. Quo loco inter multa alia hoc quoq; obiter eſt obſeruandum, totum illud negotium, cuius miniſter & executor fuit Chriſtus, non nouum & priſcis temporibus inauditum eſſe, ſed illum magno omnium deſiderio expectatum veniſſe. Nam vt alibi diximus, extabant de illo promiſſiones patribus datæ, & eas prophetæ ſuis vaticinijs prolixè interpretati fuerant, neque alius ſermo apud totum populum frequentior erat, quàm qui de illo ferebatur. Antiſtitum verò & ſcribarum illius temporis partim ſocordia partim malitia fiebat, vt pauci veram Meſſiæ cognitionem tenerent, ſed pleriq; neglectis bonis æternis atque cœleſtibus, nihil in illo præter temporariam felicitatem quærerent. Quod ipſum hodie etiam accidere videmus, quando Chriſtum quidem omnes in ore habent, & ab illo Chriſtiani denominari volunt, pauci verò inueniuntur, qui illius meritum atque huius virtutem agnoſcant, & plerique procul relicta fide in Chriſtum circa frigidas & inanes ſuperſtitiones occupantur. Et hoc quoque perſonatis epiſcopis atque bullatis Doctoribus debemus, qui vt ſuo honori & quæſtui conſulant, infelicem populum in errore detinent. Vt vt verò iſta habeant, faciunt iſta ad aſſerendam fidei & doctrinæ Chriſtianæ dignitatem atque certitudinem: & vt olim eò minus excuſationis habuerunt Iudæi, quòd quem diu expectarant, improbè reiecerunt: ita hodie nullam veniam meretur eorum ignorantia, qui Euangelio Ieſu Chriſti credere dedignantur, quem vnum ſubinde in ore habent.

Ioan. 1.

Chriſti negotiũ non nouum eſt.

Conditio eorũ, qui in munere publico verſantur.

Imprimis autem obſeruari hîc debet, quid ijs ferè accidere ſoleat, qui in aliquo publico munere verſantur, Idem nimirum, quod ijs, qui in publico ædificant. Vt enim hi ſpectatores habent innumeros, quorum tot ſunt ſententiæ quot capita, & nemo ferè tam vilis & abiectus eſt, qui non in illos ſibi ædilitiam poteſtatem ſumat: ita multorum iudicijs expoſiti ſunt omnes, qui eccleſiæ ædificium curant, & eò illa iniquiora ſunt, quò minus ea intelligunt homines, quæ ad regnum Dei & æternæ ſalutis negotium pertinent. Exempla huius generis in prophetis paſſim occurrunt, & de apoſtolis quoq; varia & diuerſa iudicia fuiſſe conſtat. Quò minus miniſtros eccleſiarum hodie offendi decet, quando ipſum Chriſtum mundi temeritatem in hoc expertum eſſe ſcimus, vt ſupra in Simeonis Cantico multis eſt dictum. Idem verò ad ſe transferant qui rempub. regunt & in aliquo magiſtratu conſtituti ſunt. Nam etſi illorum ſit de alijs iudicium facere, & ipſis populus obedire debeat, nunquam tamen effugient, quò minus de ipſis alij iudicent, & interdum bene facta ſiniſtre interpretentur. Et peccant quidem ſua temeritate, qui in hoc ſibi nimium indulgent, poſſunt tamen ex illa non pœnitendum fructum decerpere principes, ſi ea rectè vtantur. Primò enim ſi huius ſuæ conditionis probè memores ſint, minus peccabunt. Nam vt næuus in facie latêre non poteſt: ita quicquid præter officium faciunt qui in altiori aliquo gradu ſunt collocati, id mox omnibus innoteſcit; & aut maleuolorum conuitijs laniatur, aut in exemplum trahitur ab ijs, qui ad malum iam ante plus ſatis procliues ſunt. Itaq; qui iſtud non obſeruant, ij vel magiſtratus autheritatem turpiter produnt, vel alienis quoque peccatis ſeſe grauant, quæ alij ipſorum exemplo deteriorés facti deſignant. Deinde ſi vulgi de ſe iudicia principes diligentius obſeruent, de multis admonebuntur, quæ ipſi prius ignorabant, & quæ nemo purpuratorum illis dicere audet: ita verò ſæpe præclaram occaſionem inuta-

p

niunt, vel bene agendi, vel corrigendi quod malè factum fuerat. Quod ipſum priuatis quoq; homini-
bus accidit, ſi quid de ipſis dicatur non omnino negligant.

Vulgi ingenium. *At ne in hac re impatientia ſuperemur, vulgi ingeninm nouiſſe oportet, quod vt totum affecti-*
bus rapitnr, ſic nihil illo inconſtantius & mutabilius eſt. Aut enim nimiùm extollit, & ad Deos
vſque euehit homines mortales, in quibus illuſtrior virtus relucet: aut malignè nimis odit & con-
culcat eos, à quibus ſe læſum arbitratur. Nunc quidem Meßiæ honorem Ioanni ſponte deferunt:
at mox eius cauſam ſimul omnes deſerunt, quando ab Herode in carcerem detruditur, & in me-
retricis inceſtæ gratiam indigna morte mulctatur. Idem Chriſtus quoque expertus eſt, quem
modò regem ſuum creare volunt, & promiſſum illum Seruatorem eſſe publicè fatentur: modò ad
Pilati tribunal ad mortis ſupplicium depoſcunt, & eidem Barrabam, hominem ſeditioſum & re-
centi cæde infamem, anteponunt. Quoad apoſtolos verò, multa eius generis exempla Actorum li-
ber nobis exhibet. Quod ipſum in republica etiam fieri conſueuit. Nam illic ſubito fauore vulgi
ad cælum vſque extollnntur, qui beneficium aliquod publicum dederunt: ijdem verò mox deie-
cti ab omnibus laniantur, ſi vel infelicius rem gerant, vel non omnium votis aut libidini ſatisfa-
ciant. Senſit hoc Dauid, quem primùm Sauli præferunt propter cæſum Goliam, at non multò
poſt eundem à Saule iniquißima regni affectati ſuſpicione grauari & in exilium eijci patiuntur.
1.Sam.5.& 19. *Et rurſum extincto Saule ad illum certatim confluunt, & ecce (inquiunt) nos ſumus os tuum &*
caro tua, &c. Alibi quoque de illo acriter contendunt cum tribu Iuda, quæ propter cognationem ſi-
bi Dauidem proprium vendicabat: at cùm poſt Solomonis obitum filius eius Roboam iuuenili
confidentia inflatus ad ipſorum poſtulationem durius aliquanto reſpondiſſet, mox omnium veterum
1.Reg.12. *beneficiorum obliti clamant: Quæ pars nobis in Dauide? Non eſt hæreditas in filio Iſai: ad ten-*
toria tua ô Iſrael, prouide domui tuæ Dauid. Similia multa in prophanis hiſtorijs extant. Athe-
nienſes certè Alcibiadem ob bellum in Sicilia malè geſtum in exilium egêre, eundem verò reuoca-
tum, cùm Lacedæmonios terra mariq; viciſſet, non humanis ſolùm verumetiam diuinis honori-
bus dignum iudicarunt: at mox cùm eodem duce bellum in Aſia gererent, & ipſe prædandi ſtudio
intentus cladem accepiſſet, rurſus illum exilio mulctarunt. Iidem Photionem ignominioſè dam-
natum neque funere neque ſepulchro dignati ſunt: ſed paulò poſt ſtatuam illi poſuerunt, & in-
uentas eius reliquias publicis ſumptibus ſepulturæ mandarunt. Quid verò de Romanorum pleriſ-
que dicemus, qui modò triumphantes vrbem ingreßi, modò ex eadem profugere & latebras quære-
re coacti ſunt? Et Imperatores eorundem nunc adoratos, nunc à militibus diſcerptos, & tandem
rurſus in Deorum numerum relatos fuiſſe legimus. Sed dies me deficeret, ſi quæcunque extant
huius generis exempla recenſere velim. Debent autem illa obſeruari ab ijs, qui in eccleſia & repu-
blica præſunt, ne mundi iudicijs moueantur, ſed ſuæ conditionis memores ſuam ſtationem conſtanter
teneant, vt Deo probari poßint.

Concio Ioannis de Chriſto. *Sed Ioannem concionantem audiamus, qui vt falsò conceptam de ſe vulgi opinionem decliner,*
præclarum de Chriſto fert teſtimonium & omnes abs ſe ad hunc vnum remittit. Summa & vſus
concionis totius eſt, neminem neque in ſignis externis neque in horum adminiſtris hærere debere;
ſed ad Chriſtum aſcendere, vnicum ſalutis authorem, & qui quod ſignis adumbratur, reipſa fruen-
dum exhibet ijs, qui per fidem ad ipſum accedunt. Partes duæ ſunt.

Ioannes inter ſe & Chriſtum diſtinguit. *Prima inter ſe & Chriſtum diſtinguit, vel potius ſeipſum & hunc confert, vt ex ea collatio-*
ne appareat, quàm altè ſupra ipſum Chriſtus emineat, & quàm errent, qui ipſum ſalutis authorem
putent. Ego quidem (inquit) aqua baptizo, id eſt, externi modò ſigni adminiſter ſum, nec quic-
quam præterea amplius conferre, aut in hominum animis operari poſſum: Id enim humanas vires
longè ſuperat. Venit ergo me multò validior, qui virtute, potentia & authoritate in tantum me ex-
cellit, vt ſi quis me ex propria dignitate æſtimet, ne abiectißimo quidem officio, quod illi debetur,
poßim ſufficere. Nam non dignus ero, qui vel calceos eius portem, vel ſolearum vincula ſoluam.
Ad hunc ergo contendite, hunc patribus promiſſum vindicem eſſe credite, & ſalui eritis. Is enim vos
baptizabit ſpiritu ſancto & igne, id eſt, ipſum ſpiritum ſanctum vobis conferet, qui animas peccatorũ
ſordibus pollutas abluit, homines regenerat, & ea in animis eorum operatur, quæ ad conſequendam
ſalutem

ſalutem neceſſaria ſunt. Quàmuis aũtem hæc omnia vnus ſpiritus perficiat, & ideo apud Marcum huius ſolius mentio fiat, ignem tamen ei coniungit: partim, quòd illum ſub ſpecie ignis dandum fore ex peculiari reuelatione ſciebat: partim vt illius virtutem & effectus commendet. Solet enim ſpiritus ſanctus homines excoquere, perinde vt ignis aurum & argentum excoquit. Idem animos quoque rerum cæleſtium deſiderio accendit, adhæc agiles & induſtrios reddit ad ea exequenda, quæ nobis à Deo iniunguntur. Et hæc quidem Ioannes in præſenti dicere voluit, non autem (vt quidã ſentiunt) inter ſuum & Chriſti baptiſmum diſcernere, quaſi hic à ſuo ſit alius. Nam quoad externum baptiſmum, non alium adminiſtrauit Ioannes, quàm quo hodie eccleſia vtitur. Quod ſi qui negare velint, ij ſimul apoſtolos verè baptizatos fuiſſe negent oportet, vnà cum omnibus ijs qui per baptiſmum Chriſto nomen dederunt, priuſquam ille baptizandi munus illis mandaret. Conſtat enim Chriſtum ipſum in docendo quidem aſsiduum fuiſſe, baptizauiſſe autem neminem. Per Ioannem ergo Apoſtoli baptizati ſunt, & verè quidem, niſi nos illis quoad baptiſmum præferre libeat. Quid autem de Apoſtolis dicere attinet, quando Chriſtum non alio quàm Ioannis baptiſmo tinctum fuiſſe ſcimus? Vt verò ille per Circunciſionem eccleſiæ veteris teſtamenti aſſociari voluit: ita vt in noui quoq; populi albũ aſcriberetur opus erat, vt illum vtriuſq; teſtamenti Seruatorem eſſe conſtaret. At quomodo eum ad nos pertinere, noſq; eius cohæredes eſſe ſciemus, ſi ipſe alio baptiſmo tinctus eſt, quàm quo nos in externam eccleſiæ ſocietatem adoptamur? Aut quam rationem adducere poterimus, propter quam ille baptizari debuerit, ſi non eundem nobiſcum baptiſmum ſuſcepit? Ergo vt diximus. Ioannes non duos & inter ſe diuerſos baptiſmos facit, quoad externum eccleſiæ ritum, ſed primò inter ſuam & Chriſti perſonam diſtinguit, deinde externam baptiſmi actionem à ſpirituali baptiſmo diſcernit, & huius authorem facit vnum Chriſtum, vt huic ſoli omnis laus & gloria ſalutis noſtræ tranſcribatur, ſibiipſi verò nihil præter externum miniſterium reſeruat, cuius effectus omnis ex ſpiritus virtute dependet. Neq; ideo ſcripturæ locis contradicit, in quibus verbi precones regenerare, oculos aperire, ſeruare, peccata remittere dicuntur. Tunc enim cum externo miniſterio ipſe Dei filius coniungitur, qui hominibus coadiutoribus ſeu cooperarijs vti dignatur, & abs ſe inſtitutum miniſterium eiuſmodi titulis exornat, vt huic libentius ſeſe auditores accommodent. Debet hinc generalis doctrina peti, vt de eccleſiæ miniſterio & Sacramentis iudicandum ſit; ne vel miniſtri ſibijpſis nimium tribuant, vel ijſdem ſeruiliter addicti ſint homines, aut etiam eos improbè contemnant. Poterant hæc copioſius tractari, ſed quia & de hoc & de multis alijs, quæ in hiſce Ioannis verbis obſeruanda ſunt, in Marco noſtro diximus, iſta modò ſufficiant. Hoc vnum in præſenti addimus, Ioannem ita ſoli Chriſto vindicare humanæ ſalutis gloriam, vt ab eius ſocietate omnes homines excludat. Si enim qui ſanctiſsimus eſt inter eos, qui ex mulieribus nati ſunt, eò vſq; infra illum ſubſidit, vt ne ſoluendis quidem corrigijs eius ſufficiat, quid de alijs dicemus, qui nec ad Ioannis dignitatem accedunt? Sufficit hoc ad confutandam Romanorum Pontificum inſolentiam, qui ſe Chriſti vicarios dicere audent. Si enim tales ſunt, ea poſsint oportet præſtare, quæ ad Chriſti officium pertinent: qualia ſunt, largiri ſpiritum ſanctum, regenerare, à peccatis abluere, Deo reconciliare, eccleſiæ paſsim adeſſe, ſingulis eius membris vitæ ſpiritum diſtribuere, aduerſus omnes hoſtes tam viſibiles quàm inuiſibiles tueri, & quæ alia ſunt huius generis. Atqui ſuperant iſta vires humanas, neque ea quiſquam ſibijpſi tribuere poteſt, niſi ſimul affectatæ diuinitatis crimen incurrat. Itaque procul relictis arrogantibus illis Salmoneis, nos vno Chriſto contenti ſimus, qui (vt de illo Iſaias prædixit) principatum ſuum ipſe ſuis humeris ſuſtinet, & eccleſiæ ſuæ ſemper præſens adeſt, ideoq; vicarijs minimè opus habet, verbi autem miniſtros dedit, quorum eſt per Euangelij prædicationem & legitimum Sacramentorum vſum eccleſiam colligere, & ad ipſum vnum omnes adducere.

Ioannis et Chriſti baptiſmus idem.

Homil. 6.

Iſaiæ 9.

Cæterùm quia maior auditorum Ioannis pars ex hypocritis & pænitere neſcijs conſtabat, alteram quoque concionis ſuæ partem ſubijcit, qua iuſtum & graue iuditium omnibus denuntiat, qui inani pietatis ſpecie gloriantur, cùm à ſerio eius ſtudio alieni ſint. Cuius ventilabrum (inquit) in manu eius, id eſt, qui ventilabrum iam manu tenet, & perpurgabit aream ſuam: & coget triticum in horreum ſuum, paleam autem exuret igne inextinguibili. Parabola vtitur ex re ruſtica, quæ præſenti negotio probè conuenit. Quia enim Dei filius hominum ſalute tantopere delectatur, vt hanc ſuum cibum eſſe dicas, meritò credentes panibus aut tritico puriori conferuntur. Et huc fortiſſi-

Chriſtum iudicem deſcribit.

Tom. 4.

mus ille Martyr Ignatius reſpexiſſe videtur, qui cùm Romam ad beſtias duceretur dicebat: Frumentum Chriſti ſum, & dentibus beſtiarum molor, vt mundus panis Dei inueniar. Itaq; per aream Chriſti Ioannes eccleſiam intelligis, cuius titulus & nomen tunc penes Iudæos erat, & hæc dicendo corruptiſſimum eius ſtatum perſtringit, qui reformatione et purgatione ſeueriori opus habeat, quemadmodum nuper ex Malachia docuimus, qui hoc ipſum alio ſimili à fullonibus deſumpto docet.

Eccleſia areæ confertur.

Rectè autem Eccleſia, quæ in terris eſt areæ confertur. Vt enim in hanc manipuli toti vnà cum ſtramine & paleis congregantur, quorum omnium ſimul collectorum ingens aceruus eſt: Ita ad externam eccleſiæ ſocietatem multi conueniunt, tam pij nimirum & verè credentes, quàm fucati fidei profeſſores, & hi quoque ſimul omnes innumeram multitudinem conficiunt, vt interdum eccleſia præ alijs ſectis excellere & florere videatur. Quemadmodum verò poſt triturationem ventilabro aut vanno vtitur agricola, quo triticum à paleis diſcernit: ita cùm Euangelij purior prædicatio infertur, mox verè pij ab hypocritis & ſceleratis ſecernuntur, dum illi quidem Chriſtum ex animo recipiunt, hi verò lucis & diſciplinæ impatientia exagitati manifeſtam faciunt ſeceſſionem ab eccleſia, quæ tunc ad exiguum numerum redigitur, vt vix grex puſillus appareat, quæ prius frequenti plurimorum concurſu ſtrepebat. Et hac quidem ventilatione Chriſtum vſurum eſſe Ioannes Iudæis denunciat, vt intelligant, fruſtra eos eccleſiæ titulo ſuperbire, qui præter inanem pietatis fucum nihil in Dei conſpectum afferunt. Vt verò id factum ſit, euangelica hiſtoria docet. Nam Chriſto prædicante, horribilis multorum impietas patuit, & vix palearum nomine digni fuerunt, qui paulò ante ſanctiſſimi videbantur, & in eccleſia externa primatum obtinebant. Idem poſtea apoſtolorum quoque temporibus accidit, & hodie hoc ipſum paſſim fieri videmus. Idem enim, qui olim, Euangelij in hominum animis effectus eſt, neque aliter fieri poteſt, cùm in eccleſiam promiſcuè boni & mali coeant, ſicuti Chriſtus alibi per ſagenæ piſcatoriæ & agri ſimilitudines docet. Eſt hoc diligenter obſeruandum, ne quod Anabaptiſtæ ſolent, confuſione aut commixtione illa externæ eccleſiæ offendamur, neque etiam terreamur ſi multos ab illa reſilire videamus. Ex nobis enim exeunt, quia non ſunt ex nobis, neque palearum leuitas quicquam officit tritico, quod illarum reiectione potius purgatur, vt præſtantius ſit & illuſtrius. Interim meminerint hypocritæ impoſſibile eſſe, vt Chriſti oculos diu lateant, aut iudicium eius ſubterfugiant. Videt enim ille intimos cordium receſſus, & iuſto iudicio ita illos excæcat & rapit, vt proprio indicio ſeipſos turpiter prodant, qui prius toti eccleſiæ ſua hypocriſi impoſuerunt.

Præmium piorum & ſupplicium impiorũ.

Quia verò multis leuiculum videtur ab eccleſia eijci; imò multorum ea eſt improbitas, vt ſponte ab illa diſcedendi occaſionem quærant, de futuro etiam piorum præmio & impiorum ſupplicio illos Ioannes admonet. Coget (inquit) triticum in horreum ſuum, paleam autem exuret igne inextinguibili. Horrei nomine beatæ immortalitatis locum nobis Chriſti merito in cœlis paratum intelligit, in quem olim colligentur pij, vt æternùm cum illo viuant, ſecundùm promiſſionem: Volo vt vbi ego ſum, illic etiam ſit miniſter meus. Item: Volo pater, vbi ego ſum, etiã ſint quos dediſti mihi. Continetur iſtis promiſſionibus tota hominis felicitas. Nam in hoc ſeculo agentibus nihil iucundius & beatius accidere poteſt, quàm vt eccleſiæ Dei ciues ſint. Beati enim (inquit Dauid) qui in domo tua habitant, perpetuò te laudabunt. Potior eſt dies in atrijs tuis, quàm mille alij: malo deſidere ad limen domus Dei, quàm habitare in tentorijs impiorum. Completur autem felicitas iſta, quando animæ corporis vinculo ſolutæ ad cæleſtes ſedes migrant, corpora autem in ſpe requieſcunt, ipſa quoq; reſtituenda olim in magno illo die, quando Chriſtus ad iudicandũ veniet. Et hæc quidem pijs & verè credentibus euentura eſſe Ioannes pollicetur. Quid verò impijs & hypocritis, qui palearum nomine deſignantur? Exuret eos (inquit) igne inextinguibili. Per ignem hunc æternos inferorum cruciatus intelligit, qui quales futuri ſint, verbis exprimere non poſſumus. Non igitur opus eſt diſputare de igne illo, materialis ne ſit, aut minus. Horribile certè ſit oportet ſupplicium iſtud, cuius ſenſus mediocris in hac carne agentes frequenter ad deſperationem adigit, & vt ſibijpſis manum inferant eos cogit, qui nihil hac vita præſenti charius habent. Et quia corpora reſurgent, non dubium nobis eſſe debet, quin ad hæc quoque cruciatus ille redundaturus ſit. Poſtulat enim hoc iuſtitia Dei, vt qui in corpore peccarunt, in corpore etiam recipiant digna factis ſuis præmia.

Pſal. 84.

Sunt

Sunt hæc dira admodum & horrorem incutiunt meritò ijs, qui in eorum conſideratione non oſcitanter verſantur. Sed ea plerorumq; eſt ſtupiditas, vt iſta vel non credant, vel nunquam cogitent. Diſcant ergo verbi adminiſtri ad Ioannis exemplum ita prædicare Chriſtum, vt omnes hunc non ſeruatorem modò, ſed iuſtum & ſeuerum impietatis vindicem eſſe intelligant. Ideo magna libertate ad Dei tribunal citent eos, quos præfractiores eſſe vident. Meminerint item ſinguli, non ſufficere ad ſalutem, ſi in externa eccleſiæ ſocietate cenſeantur, niſi triticum ſint purum & bonum, quo Dominus delectari poßit. Cogitent præterea fore aliquando finem huius mundi, & tunc omnes homines ad Chriſti tribunal ſiſtendos eſſe, vt irreuocabilem vel ſalutis vel damnationis æternæ ſententiam audiant. Non proderit tunc eccleſiæ oculos fefelliſſe, aut inter homines ſanctimoniæ exiſtimationem ſuſtinuiſſe. Aperientur enim tunc libri, & tam Chriſti iudicis quàm totius mundi oculis patebit, quales aliquando fuerimus. Nihil etiam præſidij erit in opibus, honoribus & vniuerſo mundi faſtu: quia vno igne prius omnia illa ardebunt, & ipſa etiam elementa liqueſient. Horum igitur meditatione excitati pietatem veram colamus, vt nobis lætus illuceſcat dies ille, & in beata regni cœleſtis horrea colligamur per Chriſtum Ieſum, Dominum noſtrum, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIIII.

Multa igitur etiam alia exhortans euangelizabat populo. Herodes autem tetrarcha, cùm argueretur ab eo de Herodiade, uxore Philippi fratris ſui, deq; omnibus ſceleribus, quæ ipſe fecerat: adiecit & hoc ſuper omnia, quòd incluſit Ioannem in carcere.

QVoniam Ioannes primus noui teſtamenti miniſter fuit, in eodem exemplum proponi oportuit, in quo tota miniſterij eccleſiaſtici ratio adumbraretur, & quod omnes imitentur, qui Euangelium prædicant. Non temere igitur Euangeliſtæ tanta diligentia deſcribunt quid ille docuerit, & qualem ſe geſſerit in hoc ſuo miniſterio. Et dixit hucuſque multa Lucas, quæ nos de illo atque doctrina eius iudicare docent. Quia tamen omnium, quæ ille dixit & fecit finis eſt Chriſtus, cui populum præparare & adducere debuit, & ad quem ille omnes auditores ſuos remiſit: ijs contentus, quæ ad confirmandam teſtimonij eius de Chriſto fidem ſufficiebant, ad res ipſius Chriſti deſcribendas feſtinat. Ideo in præſenti ſummatim comprehendit, quæ de eius doctrina ſimul & exitu vitæ dicenda reſtabant. Summa omnium eſt, Ioannem fidelem verbi Dei præconem & Chriſti anteambulonem fuiſſe, qui nullam occaſionem prætermiſerit, quin omnes maxima qua potuit induſtria ſit exhortatus ad capeſſendam ſalutem, quæ tunc in foribus erat, neq; vllius hominis authoritate ſiue potentia ſe paſſus ſit ab officio reuocari, quodque ſuam doctrinam atq; miniſterium tandem proprio ſanguine ſanciuerit. Hæc etſi paucis verbis Euangeliſta complectatur, multa tamen hîc latent diligenti conſideratione digniſsima, & ideo de ſingulis ex ordine dicemus.

Principiò de Ioannis doctrina ſic dicit: Multa igitur etiam alia exhortans euangelizabat populo, &c. In quibus verbis primum occurrit, quid docuerit. Multa nimirum alia præter ea, quæ hucuſque audiuimus. Quod non ſic accipi debet, quaſi nonnulla ab his diuerſa tradiderit, aut quòd non ſufficiant ad ſalutis cognitionem ea, quæ Euangeliſtæ literis mandarunt. Hoc ſophiſmate, aut cauillo potius, vtuntur nonnulli, qui ſuas aut patrum ſuorum traditiones tueri ſatagunt, vt eandem illis, quæ ſcripturis ſacris debetur, authoritatem vendicent. Sed facile eſt illos confutare. Quia enim ſpiritus ſancti miniſtri & amanuenſes (vt ſic loquar) fuerunt Prophetæ & Apoſtoli, inexcuſabilis blaſphemia fuerit, ſi eos aliquid prætermiſiſſe dicamus eorum, quæ nobis ad ſalutem conſequendam cognitu aut obſeruatu neceſſaria ſunt. Et ſi ea propius examinemus, quæ Ioannem de Chriſto, de pœnitentia & ſingulorum hominum officijs diſſerentem audiuimus, non obſcurè apparebit, illis omnem ſalutis doctrinam contineri. Adhæc Euangelizandi verbo vtitur Lucas, vt oſtendat Ioannem non aliud, quàm Euangelium prædicauiſſe, cuius ſumma & partes ſint

Quid Ioannes docuerit?

gulæ in Apoſtolorum prædicatione & ſcriptis tam perfectè & perſpicuè continentur, vt anathema
cenſeri mereatur quicunque aliud quid prædicarit, etiamſi Angelus de cælo fuerit. Non igitur de
doctrinæ Ioannis argumento, ſed concionum eius numero aut frequentia loquitur Lucas, & ſenſus
eſt, eum non has ſolùm conciones habuiſſe, ſed plures alias quoque, quarum idem fuit argumen-
tum, quòd nimirum ad pœnitentiam quoſuis eſt hortatus, & ſimul de Chriſto teſtimonium tulit,
vt ex hoc conſolationem & certam ſalutis fiduciam conciperent, qui ſerio pœnitentiæ ſenſu tange-
Ioan. 1. *bantur. Ioannes certè Euangeliſta quatuor teſtimonia eius ex ordine recenſet, quibus ſuam autho-*
ritatem Chriſto conſtantiſſimè aſſeruit aduerſus phariſæos & falſas de ſeipſo vulgi opiniones. Inter
quæ præclarum omnino eſt, quo dicit: Is eſt de quo dicebam, Qui poſt me venit prælatus eſt mi-
hi, quia prior me eras. Et ex plenitudine ipſius omnes ſumpſimus, & gratiam pro gratia. Nam
Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Item: Ecce agnus il-
Ioan. 3. *le Dei, qui tollit peccatum mundi. Imprimis tamen memorabile eſt, quòd diſcipulos Chriſtum*
ſtultè æmulantes grauiter corripit, & eoſdem ad Chriſtum remittit dicens: Qui habet ſponſam,
ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: hoc
ergo gaudium meum impletum eſt. Illum oportet creſcere, me verò minui. Pater diligit filium, &
omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam, &c. Vt verò de Ieſu
Chriſto pluribus & ſæpe diſſeruit, prout occaſio data eſt: ſic non dubium eſt, quin priuatim ſingu-
los ad pœnitentiam quoque exhortatus ſit, & publicè hoc vnum egerit, vt quàm plurimos ad Chri-
ſtum perduceret. At ſi eadem ſemper Ioannis doctrina fuit, nimiùm audaces ſunt, qui hodie nouas
traditiones eccleſiæ obtrudunt, quibus Chriſti meritum obſcuratur, & rerum imperiti à veritatis
via ad ineptas & frigidas ſuperſtitiones abducuntur.
Quomodo do- *Secundò modum quoque indicat Lucas, quem inter docendum Ioannes ſecutus eſt. Multa*
cuerit Ioannes? *alia (inquit) exhortans euangelizabat. Sic ergo pœnitentiam & fidem in Chriſtum tradidit, vt ſi-*
mul obedientiam ab omnibus exigeret, & hanc præſtitu neceſſariam eſſe doceret. Finis autem et ſco-
pus omnium fuit, vt de ſalute in Chriſto exhibita omnes certi redderentur, inq́ eius poſſeſſionem ve-
nirent. Apparet autem in eius exemplo, quæ vera ſit prædicandi ratio. Sunt qui ſufficere dicant,
ſi ſcripturæ loci verbotim recitentur, & omnem eius interpretationem ſuperuacaneam eſſe putant.
Quaſi verò his auditis, mox omnes intelligant quid facto opus ſit. Attamen vt hoc illis demus,
non tamen in eo finis miniſterij conſiſtit, vt intelligant modò auditores, quid olim dictum factumue
ſit, ſed vt iſta omnia ad ſe pertinere norint, & vitam omnem ſecundùm diuinæ voluntatis regulam
inſtituant. Ideo pro locorum & temporum ratione verbum Dei ſecari debet, & ſingulorum inſtitu-
Tit. 2. *tioni applicari quæcunque illo traduntur. Admonet de hoc Paulus, qui cùm in epiſtola ad Titum*
ſummam doctrinæ Chriſtianæ breuiter & perſpicuè complexus eſſet, tandem infert: Hæc loque-
re, & exhortare & argue cum ſumma authoritate vel imperio, id eſt, ita age, vt te Chriſti Ieſu
legatum eſſe omnes intelligant, neq; cauſam habeant contemnendi tuam doctrinam. Et in poſte-
2. Tim. 4. *riori ad Timoth. idem ſic ſcribit: Obteſtor ego coram Deo & Domino Ieſu Chriſto, qui iudicatu-*
rus eſt viuos & mortuos in illuſtri illo ſuo aduentu & regno ſuo: Prædica ſermonem, inſta tem-
peſtiuè, intempeſtiuè, argue, obiurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Neque hoc te-
mere monet Apoſtolus. Quia enim ſcriptura ſacra vtilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad
correctionem & ad inſtitutionem, ita illam tractari oportet in eccleſia, vt imperiti doceantur, hy-
pocritæ & erronei ſpiritus arguantur, ſcelerati corrigantur, omnes denique in ſalutis æternæ ſtu-
dio proficiant. Ita in hoc munere olim prophetæ verſati ſunt, vt in eorum ſermonibus eſt videre.
Secutus eſt eandem docendi rationem Chriſtus, & poſt hunc Apoſtoli quoque. Ab ea igitur qui-
cunque hodie diſcedunt, ij vel canes muti ſunt, vel ſeductores, & proinde pijs omnibus merito ſu-
ſpecti eſſe debent.
Quibus prædi- *Tertiò, quibus Ioannes prædicarit, indicatur. Toti nimirum populo. Quo nomine omnis lo-*
carit Ioannes? *ci & ordinis homines compræhenduntur, quibus ſingulis doctrinam ſuam accommodauit, vt*
conciones eius, quas nuper audiuimus, teſtantur. In illis enim non rude vulgus ſolùm do-
cuit, ſed publicanos & milites, quos Romani Imperij authoritas commendabat, officij admo-
nuit: imò Scribas & Sacerdotes maxima cum ſeueritate corripuit. In præſenti Herodis etiam

Regis

Regis fit mentio, quem propter Herodiadem, Philippi fratris vxorem, & alia ſcelera arguiſſe dicitur. Fuit is Antipas dictus, multis atq; grauiſſimis flagitijs infamis. Intemperantiæ equidem & libidini addictiſſimum fuiſſe, hoc vnum abunde probat, quod inter ipſum & Herodiadem accidit. Fuerat hæc vxor Philippi, quem Ituræa & Trachonitidis tetrarcham ſupra dixit Lucas, & quẽ moderati et manſuetiſſimi ingenij virum fuiſſe Ioſephus tradit. Adhunc cum frater Herodes Romam proficiſcens ex itinere diuertiſſet, Herodiadis amore captus cum ea paciſcitur, et poſtea ex Roma reuerſus à fratre abductam vxoris loco habuit, dimiſſa vxore priori, Aretæ Arabum Regis filia. In quo facto ſcelera multa & imprimis horrenda concurrũt. Primò enim ius hoſpitij violauit, quod gentibus olim ſacroſanctum fuit, adeò vt Iouem ξένιον, id eſt hoſpitij præſidem & vindicem crederent. Deinde perfidiam iſtam atrociorem reddit cognationis vinculum; quando non in hoſpitem modò, ſed in fratrem germanum, eumq; virum optimum & manſuetiſſimum peccat. Accedit coniugij prophanatio & adulterium duplex, quo vtrinq; peccatum fuit, cùm & illa maritum legitimum deſerat, & hic vxori propriæ datam fidem turpiter violet. Superat autem hæc omnia inceſtus, quo fratris vxorem ille polluit, hæc autem mariti ſui fratri miſcetur: quod diuinis legibus prohiberi non ignorabant. Per Moſem enim ille ſic loquitur: Verenda vxoris fratri tui ne retegas: ignominia enim eſt fratri tuo. Item, Si quis acceperit vxorem fratris ſui, abominanda res eſt, turpitudinem fratris ſui retexit, orbi erunt. Auget præterea ſcelus hoc manifeſtus numinis contemptus, qui in eo apparet, quòd nec Archelai fratris exemplo mouetur, qui cum Alexandri fratris iampridem defuncti vxorem, Glaphiram nomine, duxiſſet, non multò poſt regno excidit, & exilio mulctatus eſt, & illa quoq; diris inſomnijs agitata vitæ exitũ triſtem atq; infelicem habuit. Fuit ergo deploratæ nequitiæ homo Herodes iſte, quem neq; pudor, neq; publicæ honeſtatis reſpectus, neq; Legis diuinæ authoritas, neq; publicus omnium conſenſus, neq; recens adhuc diuini iudicij exemplum in officio continere potuit, vt à nuptijs inceſtis abſtineret, ſi modò nuptiæ dici merentur, in quibus nihil præter inanis coniugij titulus nefariæ libidini prætexitur. Qualis autem vita eius vniuerſa fuerit, qui item aulæ totius mores, ex epulo illo cordatus quiſque æſtimare poteſt, quod in natalitio die ſatrapis & tribunis ſuis exhibuit. At non potuerunt hæc fieri, quin ſimul infelicem populum tributis & exactionibus premeret, & præfectis ſuis occaſionem daret multa pro libidine & auaritia eorum licenter nimis deſignandi. Hæc igitur & quæcũq; huius generis erat, Ioannes accuſauit, & quidem liberrimè, vt ex eo apparet, quod Regi in faciem dicebat (ſicuti Matthæus & Marcus annotarunt): Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui. Quæ verba etſi pauca ſint, & nihil durum in ſe contineãt, intolerabile tamen & nulla venia dignum videtur Regibus, ſi quis dicat, illis non licere quod faciunt. Omnium enim animis inſidet, quod impura illa nouerca Antonino Baſſiano dicebat: Si libet, licet. Et quod paraſiti finxerunt: Auguſtus & Auguſta non tenentur legibus. Eò autem durior & periculoſior erat Ioannis conditio, quòd hæc dicendo, non obſcurè inceſtum Regi exprobrabat, & ſimul Herodiadem accuſabat, cuius iram prouocare cum aperto diſcrimine erat coniunctum. Eſt ergo hoc ingens magnæ fidei & conſtantiæ argumentum, quo ſuum miniſterium Ioannes ornauit. Et admonentur hoc loco Reges & principes, vt meminerint, ſe quoque verbo Dei ſubiectos eſſe, & proinde non decere ipſos, vt ſua potentia vel authoritate aduerſus illud abutantur. Quia enim honorem & poteſtatem omnem à Deo acceperunt, æquum eſt, vt viciſſim hunc ſuum Dominum agnoſcant, hunc reuereantur & verbo ſiue præceptis eius obtemperent. Neque aliter illis ſuus honor conſtabit, niſi Deo debitum obſequiũ præſtent. Huius enim vox eſt: Honorantes me honorabo, at qui me contemnunt, contemnentur. Et principum exemplis malis vniuerſam magiſtratus authoritatem proſtitui & contemptiſſimam reddi notius eſt, quàm vt multa demonſtratione opus habeat. Veriſſimè enim Claudianus cecinit: Componitur orbis

Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

Rectè ergo olim Deus præcepit Regibus, vt Legis librum perpetuò penes ſe habeant, in illo legant, & ex eo conſilia petant, quibus in repub. adminiſtranda vtantur. Idem etiam Ieremiæ mandauit, vt non vulgo ſoli, ſed ſacerdotibus, principibus item & regibus concionaretur. Mirum ergo eſt, hodie Chriſtianos aliquos principes ſibijpſis immunitatem quandam vendicare, cùm olim qui inter gen

Margin notes: Herodis hiſtoria. — Ant. 18. cap. 9. — Leuit. 18. et 20. — Ant. 17. cap. 19. — Principes verbo Dei ſint ſubiecti. — Deut. 17. — Ierem. 1.

tes prudentia & virtute excelluerunt, principes viros inſtitutione cumprimis opus habere intellexerint. Plato eas demum reſpub. felices fore dicebat, in quibus aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur. Et Alexander ille Magnus Homeri Iliadem circungeſtare & eandem dormiturus vnà cum pugione puluinari ſupponere conſueuerat, vt inde virtutis præcepta & exempla hauriret. Quanto magis ergo Chriſtianos decet Dei verbum audire, eo admoneri, doceri, corrigi denique & increpari, ſi quid præter officium fecerunt? At fatemur hoc (inquiunt nonnulli) ſed intolerabile et

Principes publicè etiã arguẽdi.

ſeditioſum nobis videtur, ſi eccleſiarum miniſtri principes publicè reprehendant & accuſent. Ex eo enim occaſionem arripiunt, qui iam ante ad res nouas nimiùm procliues ſunt, vt rempub. turbens & motus excitent periculoſos. Quibus reſponderi poterat, publico remedio in morbis publicis & apertis opus eſſe, & per ipſos fieri poſſe ne palàm arguantur, ſi nemini in publico mali exempli authores ſint. Sed præterea dicimus, Deum, qui magiſtratus authoritatem ſacroſanctam eſſe voluit, miniſterij quoque eccleſiaſtici authorem eſſe, & ratum perpetuò eſſe eius mandatum, quo præcepit, vt qui verbi eius adminiſtri ſunt ſcelera publica accuſent, arguant, corripiant, & ijſdem iram ſuam denuntiens, vt quàmuis qui illa deſignarunt incurabiles manent, alij tamen terreantur, & è medio tollatur offendiculum, quo plures ad peccandum poterant prouocari. Vt ergo ceſſantibus in officio ſuo eccleſiarum miniſtris principes ſuam authoritatem interponere, & illos ad faciendum officiũ cogere debent (quod olim ſanctiſsimos Reges & Imperatores feciſſe conſtat) ita ſi quid præter officium principes cum publico ſcandalo deſignant, miniſtrorum eſt illos vel admonere, vel etiam grauius & liberius accuſare, prout facti aut ſceleris commiſſi ratio poſtulat. Neque ideo vel ſeditioſus vel in magiſtratum iniurius cenſeri debet miniſter, ſi hoc facit. Non enim ſeditionis author eſt, qui publica ſcelera ex officio corripit, ſed qui præter officium quiduis pro ſua libidine facit, & ſua petulantia prauo exemplo legum authoritatem violat, diſciplinam publicam euertit, iura & iudicia diſsipat, & pro paſtore lupum, pro rege tyrannum agit. Ita olim per Eliam prophetam nos ſpiritus ſanctus admonnit.

1.Reg.18. *Cùm enim illi Achab dixiſſet: Annon tu ille es, qui conturbat Iſraelem? Reſpondit ille: Ego non curbo Iſraelem, ſed tu & domus patris tui, cum deſerueritis præcepta Domini, &c. Et ſæpe aliâs prophetæ teſtantur, terram ſub illis moueri & contremiſcere, qui præter ius & fas opes ex aliorum ſanguine colligunt, pauperes opprimunt, per libidines vagas graſſantur, & omne iugum diſciplinæ reijciunt. Et quod illi dicunt, id omnium ſeculorũ exemplis probari poteſt. Cõſtat enim potentiſsima regna & florentiſsimas reſpub. principum libidine diſsipatas, aut ſaltem periculoſè mutatas eſſe, quæ prius prophetarum & ſeruorum Dei induſtria atq; labore conſtitutæ fuerant. Quoad verò magiſtratus authoritatem, ea diuini verbi admonitionibus atq; correptionibus non labefactatur, ſed confirmatur potius, ſi illas patienter ferãt qui populi oculos atq; animos aliquo malo exemplo offenderunt. Ita enim colligunt, illos non deuota animi malitia, ſed ex cognata homini infirmitate peccauiſſe, & veniam mereri, cùm culpam agnoſcant, & eam emendare velint. Imò ſi verum fateri libeat, non alium honorem maiorem aut officium magis neceſſarium principibus præſtare poſſunt Verbi adminiſtri, quàm ſi illos à peccatis in viam ſalutis reuocãt, & pijs correptionibus tam ipſos quàm reſpub. eorum fidei creditas ab interitu reducunt. Vt enim nimium officioſus fuerit, qui vt capillis parcat alicuius, eum in aquis periclitantem otioſus ſpectat, & perire ſinit: Ita non honore viros principes afficit, ſed illis extremæ contumeliæ & perditionis author eſt, qui ad illorum ſcelera conniuet, & in exitij præcipitio conſtitutos negligit, ne quid dicat, quod eorum maieſtati & dignitati minus conueniat. Hoc ergo rectè expenderunt prophetæ, inter quos Samuel à Petro primus quodammodo numeratur. Ille verò etſi Saulem regem tenerrimè amaret, & propter ipſum ſeſe grauiſsimè affligeret, eundem tamen publicè arguere & accuſare non eſt veritus, cùm is publicè peccauiſſet. Idem de alijs poſſumus dicere, quorum exempla ex ordine recitare longum foret.*

Omnium ſcelera publicè argui debent.

Quod verò de principibus dicitur, hoc ipſum in omnium aliorum apertis flagitijs atque ſceleribus obſeruari debet: vt qui peccando alicuius publici ſcandali authores fuerunt, liberè à Verbi adminiſtris accuſentur & ſui admoneantur officij. Neque hîc eorum rationes audiri debent, qui id facto opus eſſe negant, eò quòd plerique contumaciores ſint, quàm vt correptionibus curari poſsint: multi etiam ex ijs peiores & proteruiores fiant. Nam quod ante diximus, vt hoc maximè verum ſit, ſcandalo tamen occurri debet, & publica adhiberi correptio, ne qui exemplum prauum ſequantur. Et

quia

quia conſtat eos, qui natura ad malum procliues ſunt, ferè ab exemplis argumenta petere, quibus vitia ſua excuſent, hîc omnino neceſſe eſt, vt quod prouerbio dicitur, miniſtri eccleſiarum ſcapham ſcapham & ficum ficum dicant: ne vel canes muti ſint, vel ex eorum numero, qui apud Ezechielem puluinaria conſuere dicuntur, quibus ſcelerati & pœnitere neſcij ſuauiter indormiant. Vt ergo Herodi diſertè edixit Ioannes: Non licet tibi fratris vxorem habere: Ita omnibus, qui aduerſus Dei leges peccant apertè inculcandum eſt, hoc ipſos præter officiũ facere, & pœnas daturos eſſe Deo, niſi in tempore reſipiſcant. Quod ſi qui non faciunt, vt mundi huius gratiam demereantur, ij Dei ſerui nõ ſunt, & de illorum manibus olim requiretur ſanguis omnium, qui per ipſorum incuriam aut negligentiam pereunt.

Ezech. 13.

Herodes Ioannẽ capi & occidi curat.

Porrò audiamus quid Herodes fecerit, vt ſimul diſcamus quam gratiam infelix mundus fidis monitoribus referat. Adiecit & hoc (inquit Lucas) ſuper omnia, quòd incluſit Ioannem in carcere. Paucis verbis multa & immaniſſima ſcelera comprehendit. Nam vt Marcus ſcribit, initiò Ioannem in pretio habuit, nimirum propter eximiam virtutem & quæ doctrinæ eius coniuncta erat, authoritatem. At vbi ipſum quoque liberius corripit Ioannes, & illud vlcus tangit, quod ipſe imprimis intactum volebat, non contentus ijs, quæ antea deſignarat, inſuper ſanctiſſimo viro manus inijcit, & in carcere concluſum detinet, ne in publico docere pergat. Et quàmuis hoc indigniſſimè faciat, ſceleri tamen tam manifeſto boni principis officium prætexit. Nam vt Ioſephus ſcribit, metuens ne qui defectione facta rempub. turbarent, ad pacem conſeruandam hoc factu neceſſarium eſſe cenſuit, ne rebus turbatis ſeram & inutilem pœnitentiam ageret. Ideo non in carcerem modò virum innocentiſſimum concluſit, ſed eundem paulò poſt in gratiam ſcorti impudentiſſimi non minus iniuſtè quàm crudeliter occidit, ſicuti in Marco prolixè diximus.

Mores principum.

Nunc primò principum mores nobis inſpiciendi veniunt, vt diſcamus, quàm imprudentes ſint, qui cùm priuatim viuere & libertate frui poſſint, ſeſe illis mancipant. Simulant illi interdum iuſtitiæ & veritatis ſtudium, vt eò maiorem apud omnes authoritatem conſequantur. Et ideo frequenter ſpectatæ virtutis & ſapientiæ viros ad ſe accerſunt, cum ijs familiariter colloquuntur, eoſdem menſæ & conſilijs adhibent. Sed eo prætextu non aliud quàm ſuæ libidinis patrocinium quærunt, & vt aliena virtute ſuam nequitiam tegant. Patet hoc ex eo, quòd quàm diu illi ipſis adulantur & eorum mores excuſant, tantiſper eos in honore & pretio habent. Quàm primùm verò ſe liberius corripi, vel etiam obliquè perſtringi ſentiunt, mox ſumma ſe iniuria affectos eſſe clamant, & in rabiem conuerſi eos crudeliter lauiant, à quorum conſilijs toti pendere videbantur. Fecit hoc Herodes, quem ideo Chriſtus non temere vulpem dixit, vt ſuo loco audiemus. Simile quid de Ioa Rege Iudæorum legitur: qui cùm Iehoiada ſacerdotem propter eximia in ipſum beneficia non poſſet non in pretio habere, tandem eius filium Zachariam, quòd liberius ab eo corriperetur, lapidibus obruendum curauit. Et huius generis exempla in hiſtorijs prophanis quoq; multa occurrunt. Sic Calliſthenẽ philoſophum olim ad ſe Alexander Macedo euocauit, vt veræ philoſophiæ fuco ſibi maiorem authoritatem pararet: at vbi is Ariſtotelis præceptoris immemor (qui ipſum cum Rege aut rariſſimè aut iucundiſſimè loqui iuſſerat) faſtum Perſicum liberius in illo accuſat, & inuitum ad mores Macedonices reducere ſtudet, in carcerem ab illo conijcitur, vbi morbo pediculari perijt. Similis ferè Senecæ fortuna apud Neronem fuit. Et Antonini Baſſiani ſimilem crudelitatem expertus eſt Papinianus iuriſconſultus, quòd indignam Getæ cædem excuſare iuſſus reſpondiſſet, Non tam facile eſt parricidia excuſare, quàm facere. Et vtinam hodie non etiam ſimilia exempla extarent. Sunt ergo infelices & miſeri, qui aulicæ vitæ ſeruitutem tanto periculo redimunt. At qui in aulis Verbi adminiſtros agunt, & ad munus iſtud legitimè vocati ſunt, eos exemplis hiſce nequaquam terreri decet: quin imitentur illi Ioannis conſtantiam atq; libertatem, ſe verò ipſos & vitam ſuam Deo cõmittant. Cæterùm inter priuatos homines Herodis ingenium referunt, qui vt Euangelicæ veritatis fautores habeantur, eius præcones laudant & venerantur, vitam verò viuunt ab Euangelij profeſſione alieniſſimam. Diſſimulant iſti virus animi ſui, quoad ipſis licet quod libet. Quam primùm verò ſe corripi ſentiunt, in apertos hoſtes degenerant, & quaſi iniuriam ſummam paſſi ſint, quiduis ſibi aduerſus miniſtros licere arbitrantur.

Impietatis Colophon.

Obſerua deinde locutionem, Adiecit & hoc ſuper omnia, &c. Ea enim docet ſpiritus ſanctus, hũc

demum omnis nequitiæ & impietatis Colophonem eſſe, ſi qui non contenti peccauiſſe inſuper admonitionibus exacerbati aduerſus fidos monitores hoſtiliter inſurgant. Vt enim morbus deploratus eſt qui medicina aut remedijs exacerbatur & deterior fit: ita nihil de illorum emendatione ſperare nobis licet, qui Dei verbo ad maiorem impietatem accenduntur, quo debebant ad pœnitentiam excitari. Inter alia autem vitia vehementiſſimus eſt libidinis affectus, cuius proprium ferè eſt, vt quemadmodum canes & ſues impatienti coitus appetitu in rabiem aguntur: ita quicunq; illi indulgent, ſimul cum pudore rationem quoque amittunt, neque impudenter modò multa deſignant, ſed quæ fecêre aut facere inſtituerunt, crudeliter & non ſine ſanguine defendunt, ſi ab aliquo fortius coerceantur. Exempla huius mali in Paride Troiano, in Sexto Tarquinij regis filio, in Dauide deniq; optimo alioqui & piiſſimo Rege, habemus, quem effrenis libido non ſolùm beneficiorũ Dei immemorem, ſed inſuper ſanguinarium carnificem fecit, vt fortiſſimi viri Vriæ ſanguine innoxio ſeſe pollueret. Et permittit iſta fieri Deus iuſto iudicio, vt qui prioris ſceleris grauitatem agnoſcere nolunt, ex ijs, quæ inde oriuntur, magno ſuo malo intelligant quàm grauis violati pudoris & vinculi coniugalis culpa ſit. Prodeſt ergo Chriſtianos homines in eiuſmodi exemplorum conſideratione frequenter verſari, quò magis excitentur ad reſtinguendos libidinis æſtus, priuſquam illa indomitum ardeat.

Sors adminiſtrorũ Verbi. Admonet præterea nos locus iſte de adminiſtrorum Verbi ſorte, quam in hoc mundo ſuſtinent. Non poteſt is ferre lucem, qua eius opera mala arguuntur. Hinc ergo fit, quòd illius miniſtris iraſcitur, eoſdem odit, & in eorum interitu omnem ſuam felicitatem conſiſtere putat. Senſerunt hanc mundi rabiem omnes prophetæ & apoſtoli, imò ipſe Dei filius, qui ne beneficijs quidem quotidianis & miraculoſis illam reſtinguere potuit. Non debent tamen iſta eos terrere, qui hoc ſaxum hodie voluunt: quin potius Ioannis conſtantiam imitentur, neque illorum furori cedant, quos certum eſt nihil contra nos poſſe, niſi id ipſis permittat Deus, qui illorũ opera interdũ in exercenda ſuorum patientia vtitur. Videtur quidem ille aliquando ſuos negligere, ſed reuera diſcurrunt eius oculi ſuper omnem terram, imprimis autem eos ceu fidus aliquis agonothetes ſpectat, qui in eccleſia ſuæ palæſtra ſiue miniſterio deſudant. Viribus ergo & intrepida animi fiducia eos inſtruit, & filij ſui in cruce collegas reddit, vt cũ eodem olim glorificentur. Vt denique ille olim per crucem triumphauit, ſic etiam miniſtri eius per crucem vincunt, quando doctrinam ſuam proprio ſanguine obſignant, & ipſis in cœlo regnantibus impij & ſanguinarij hoſtes contemptæ veritatis graues pœnas exoluunt. Sed & in terris fama miniſtrorum Chriſti aſſeritur, vt poſteris innocentia eorum tandem innoteſcat, qui cùm in viuis eſſent, publica infamia notati & ignominioſis ſupplicijs extincti fuerunt. Eſt enim (vt diui-

Pſal. 116. nus ille Pſaltes canit) pretioſa in oculis Domini mors ſanctorum eius. Patet hoc euidenter nimis in Ioanne noſtro. Quid enim eius morte felicius? quid memoria eiuſdem celebrius? Vt enim mortis cauſa honeſtiſſima & ſanctiſſima fuit, ſic illius beneficio exemptus curis & laboribus ea non vidit, quæ ei quouis ſupplicij genere acerbiora fuiſſent: indignam nimirum Ieſu Chriſti mortem, gentis ſuæ incurabilem & indies in peius promouentem malitiam, graues patriæ motus, ſediciones & miſerabile vrbis excidium. Et vt in cœlis vita beata eius mens fruitur, ita corpus in ſpe reſurrectionis quieſcit, nominis autem fama totum orbem terrarum percurrit & implet. Quod ſi huic Herodem opponas, quid hoc infelicius, miſerius, calamitoſius inuenies? Cum Areta ſocero congreſſus cladem infandam accipit. Soluuntur mox omnium ora & linguæ, quiq; vnum Ioannem audire noluit, vno omnium ore damnatur, qui cladem illam (vt Ioſephus ſcribit) Ioannis indignæ morti acceptam tulerunt. Inde ex Herodiadis conſilio Romam profectus ampliandi regni cauſa clam ab illius fratre Agrippa apud Caium Cæſarem accuſatur per literas, vt qui cum Arthabano Parthorum rege conſilia aduerſus Romanos conferat, & ideo cum inceſta coniuge Lugdunum exulatum mittitur qui ex Ioannis prædicatione ſeditionem & populi defectionem timuerat. Et hæc quidem leuia videri poſſunt, ſi cum perpetua nominis infamia, quam ad poſteros tranſmiſit, & cum æternis cruciatibus conferantur, quos apud inferos cum omnibus illis ſuſtinet, qui (vt propheta loquitur) terrorem ſuum poſuerunt in terra viuentium. Quis ergo tam vecors & ſtupidus eſt, qui his diligenter conſideratis non malit Ioannem, quàm Herodem agere? Similia videbimus, ſi prophetas & apoſtolos cum ſuis hoſtibus conferamus. Excitent nos iſta, vt virtuti & pietati operam demus, atque à Deo creditam ſtationem conſtanter teneamus. Ita enim nullum mortis genus nobis miſerum accidere poterit, ſed vbi vita huius

curri-

curriculum emenſi fuerimus, fama quidem in terris apud pios glorioſa viuentibus, animæ autem in cœlis viuent, tandemq́ corporibus quoque reſtitutis æternùm regnabimus cum Ieſu Chriſto, domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIIII.

Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Ieſus baptizatus eſſet & precaretur, ut apertum ſit cœlum, ac deſcenderit ſpiritus ſanctus corporea ſpecie tanquam columba, ſupra eum, & uox de cœlo extiterit, dicens: Tu es filius ille meus dilectus, in te mihi bene complacitum eſt.

SCripturæ ſacræ tam veteris quàm noui Teſtamenti promiſſum humani generis vindicem atque redemptorem CHRISTI, *id eſt, Vncti nomine appellare conſueuerunt, vt hunc nobis à Deo Regem & Sacerdotem datum eſſe doceant. Eſt autem hic antiquiſſimus mos, vt qui in Reges aut Sacerdotes electi ſunt, publica & ſolenni ceremonia in ſuo munere confirmentur, vt à populo pro talibus agnoſcantur, & ſimul omnes excitentur ad præſtandum quod illis debetur officium. Hoc ipſum ergo in Dei filio ex Maria in carne genito fieri oportuit, & quidem vt fieret neceſſe fuit, cùm in vili & contempta aſſumpti ab illo hominis ſpecie nihil appareret, quod vel regiam maieſtatem vel ſacerdotalem dignitatem præ ſe ferret. Quapropter Lucas, cùm abſoluta Ioannis Baptiſtæ hiſtoria ad res Chriſti deſcribendas tranſitum facere inſtituiſſet, ab eo facit narrandi initium, vt quæ aut qualis eius inauguratio fuerit intelligamus, eoq́ maior apud nos ſit eius doctrinæ & omniū quæ fecit authoritas. Duo autem in illam inciderunt: Baptiſmus nimirū, quem ab Ioanne accepit, & Patris Dei teſtimonium, quo toti mundo commendatus eſt. Elucet itaq; in iſta etiam actione multiplex & infinita Dei bonitas, qui paſſim noſtro ingenio atq; moribus ſeſe accommodat, quò efficacius excitemur ad amplectendam ſalutem, quam nobis in filio ſuo proponit. Cæterum de vtroque ex ordine dicemus.*

Quoad Baptiſmum Chriſti, cauſa primùm quærenda eſt, propter quam ille baptizari voluit. Nam ſi eum, qualis in ſe eſt, conſideremus, minimè opus ei fuit, vt baptiſmi aqua tingeretur. Eſt enim Baptiſmus (vt alibi à nobis dictum eſt) actio ſacra, qua in externam Eccleſiæ ſocietatem adoptamur, & qua Deus regenerationis & remiſſionis peccatorum beneficium nobis obſignat, nosq́ noſtræ conditionis ſimul & officij admonet, vt nimirum innatæ pollutionis memores, in ea cauenda vigilemus, & tanto precio ablutì innocentiam atq; puritatem noſtram ſedulò tueamur. Quid verò horum opus fuit Chriſto, qui vt æternus Dei filius eſt, ita abſq; omni hæreditariæ & originalis vitioſitatis labe homo factus, neq; peccatorum ablutione, neq; eorundem gratuita remiſſione, multoq́ minus regeneratione opus habuit? Quin ipſe eccleſiæ ſuæ fundamentum & caput eſt, ex quo vita ſalusq́ in ſingula eius membra deriuatur. Sciuit equidem hoc Ioannes, & ideo ad baptiſmum ſuum accedentem (vt in Maccbæo legitur) abs ſe remittit, dicens: Mihi, vt abs te baptizer, opus eſt, & tu venis ad me? Quibus verbis rectè quidem diuinam Chriſti potentiam & dignitatem prædicat, ſuam verò infirmitatem fatetur, ſimul tamen peccat zelo præpoſtero & imprudenti, vt omnes ſolent, qui carnis rationem in conſilium adhibent, quando de rebus diuinis agitur. Sed ibidem ipſe Chriſtus ſui inſtituti cauſam non obſcurè indicat. Omitte nunc (inquit) ſic enim decet nos implere omnem iuſticiam, id eſt, præſtare & perficere omnia, quæ nobis ex officio agenda incumbunt. Vt ergo propter nos in mundum venit & homo factus eſt Dei filius, ita propter nos quoq; baptizari voluit, vt omnibus ijs defungeretur, ad quæ ipſum Pater æterno ſuo decreto deſtinauerat. Huc verò imprimis pertinebat, vt baptiſmum quoque ſuſciperet. Primùm enim eo teſtari oportuit, ipſum veram carnem aſſumpſiſſe, & hominem verum, imò fratrem noſtrum factum eſſe, & proinde ad nos pertinere omnium eorum fructum, quæ fecit aut paſſus eſt. Deinde eodem nobiſcum fœdere illum comprehendi, & ijſdem conditionibus obſtringi neceſſe fuit, quibus nos in baptiſmo obſtringimur, vt obedientiā, quæ nobis præſtitu impoſſibilis erat, ipſe præſtaret, & ſuo merito nos à damnatione eximeret. Quo nomine eum circunciſum quoq; fuiſſe, ſuo loco diximus. Adhæc noſtrum baptiſmum ſanctificauit, vt conſtaret, nos Rom. 6.

Cur Chriſtus baptizari voluerit

cùm baptizamur, in eius mortem quodammodo intingi, & cum ipſo ſepeliri, vt in eodem ad vitæ nouitatem reſurgamus. Quæ omnia vt nos ad officium faciendum vehementer excitant, ſic in omni tentatione mirificè conſolantur & inuictos reddunt. Cur enim vllis malis aut diaboli inſultibus ſuccumbat, qui ſe Chriſti membrum eſſe nouit, qui ſerpentis caput contriuit, & cui omnis poteſtas data eſt in

Quæſt. ex nouo Teſtam. 49.

cælo & in terra? Addit his hanc quoque cauſam D. Auguſtinus, quod ipſum exemplo eſſe decuerit futuris filijs Dei, qui per baptiſmum filios Dei fieri debebat: & qui credentibus ſpiritum ſanctum à Deo dari promittebat, debuit iſtud in ſemetipſo viſibiliter demonſtrare, quo comperto credentes inuiſibiliter ſe poſſe ſpiritum ſanctum habere ſperarent. Poſtremò Sacramentorum vſum & totum eccleſiæ miniſterium ſuo exemplo nobis commendauit, vt diſcamus cauendum nobis eſſe, ne illa contemnendo aut negligendo alicui grauioris ſcandali ſimus authores.

Contra miniſterij et Sacramenterum contemptores.

Seruit ergo Chriſti exemplum ijs confutandis, qui publicos eccleſiæ cœtus, conciones ſacras, preces publicas & Sacramentorum vſum negligunt. Nituntur hi rationibus, quarum alias malè detorquent, alias ex ſuo cerebro confictas proferunt, vt inani perſuaſione ſeipſos fallant. Nam externa illa nihil ad ſalutem prodeſſe aiunt, niſi ſpiritus diuini virtute efficacia fiant. Quia verò hîc ijſdem minimè alligatus eſt, eorum vſum inutilem & ſuperuacaneum eſſe colligunt. Adhac fidei in Chriſtum perſuaſione atq; titulo turgidi perfectionem ſe iam attigiſſe putant, & proinde ſe elementis hiſce (ſic enim illi loquuntur) nequaquam opus habere vociferantur. Sed poſſunt iſta facilè refutari. Quoad primum enim, ipſi quoque fatemur, externa illa exercitia ſine viuifica ſpiritus virtute nihil poſſe in animis hominum, neq; ad ſalutem æternam aliquid conferre. Non tamen inde ſequitur, illa contemni aut negligi debere. Quia enim ea Deus inſtituit, vt per ea in animis noſtris agat, & nos eorundem vſu fidem noſtram exerceamus atque publicè teſtemur, negligi non poſſunt, quin ſimul nos audaces nimiùm & prophanos Dei & inſtitutorum eius contemptores eſſe prodamus. Imò Deum tentant, quicunque ſine Verbi doctrina, ſine ordinario Sacramentorum vſu & precibus in fide proficere & ſalutem conſequi volunt. Confert quidem Paulus eccleſiæ miniſterium agricolationi vt omnem profectum ad Deum authorem referri debere doceat. At nos ex eodem ſimili colligimus, quòd vt meritò inopia & fame pereunt, qui agriculturam damnant, quam à Deo inſtitutam eſſe ſcimus: ita iuſto iudicio à ſalute excludũtur, qui ad eam non illa via contendunt, qua ſuos Deus deducere cõſueuit. Neque ideo ſpiritus ſancti virtutem ad externam Verbi prædicationem aut ad Sacramentorum vſum aſtringimus (ſpirat enim ille vbicunque vult) nos autem ad ordinem à Deo inſtitutum alligatos eſſe dicimus, quoad ille ſuam erga nos voluntatem atque gratiam non aliquo modo extraordinario declarat. Iſta verò ſimul ad alterius quoq; argumenti confutationem poſſunt ſufficere. Quia fides obedientiæ ſtudium & ſupremi numinis reuerentiam parit, falſò nobis ſuam perfectionem iactant, qui Dei inſtituta contemnunt, vel pro ſuperuacaneis negligunt. Et exempla ſunt plurima, quibus illorum confidentia arguitur. Erat

Acto. 8.

in fide inſtitutus à Philippo Candacis reginæ Eunuchus, & ex animo ijs credebat, quæ de Chriſto dicebantur: idem tamen viſa aqua baptizari voluit, & Philippum de eo non ſine magni deſiderij ſignificatione compellat. Imò cùm illius mentem Deus occulta ſpiritus virtute illuminare poſſet, vt Iſaiæ prophetias intelligeret, Philippum tamen excitat, vt per hunc in fide inſtituatur. Sic Paulus, cùm iam manus dediſſet Chriſto, ad Ananiam tamen remittitur, qui ipſum plenius edoctum baptizaret. Et Cornelio Centurioni angelum quidem mittit Deus, ſed non vt ab illo fidem diſcat, ſed vt per eum admonitus Petrum accerſat, qui & Euangelium ipſi prædicet, & baptiſmum adminiſtret. Denique cùm Apoſtolos ſuos Chriſtus in totum orbem ad prædicandum & baptizandum emiſerit, & in ijſdem ſanciuerit eccleſiæ miniſterium, nunquã pro credentibus aut perfectis in fide agnoſci poterunt, quicunq; Verbi prædicationem externam & Sacramentorum vſum contemnunt. Et vt omnia alia argumenta omittamus, vnius Chriſti exemplum illis confutandis ſufficit.

Chriſtus in publico & cũ populo baptizatur.

Porrò videamus etiam vbi & cum quibus ille baptizatus ſit. Cùm baptizaretur (inquit Lucas) omnis populus, tunc Ieſus quoque acceſſit & baptizatus eſt. Ergo in publico, & in Iordane (vt & reliqui omnes) eſt baptizatus, & quidem cum toto populo, ex quo promiſcuè omnis loci & ordinis homines ad Ioannem veniebant, vt baptiſmi lauacro tingerentur. Ac quales nam plerique iſtorum erant? Peccatores, ſceleribus & flagitijs infames, incurabiles & pœnitere neſcij, & qui optimi erant, ij ſimulato pœnitentiæ fuco ſeſe palliabãt, ſicuti de Phariſæis nuper audiuimus. Eodem tamen cum

illis

*illis baptiſmo tingi voluit in carne manifeſtatus Dei filius, & eodẽ initiatos fuiſſe conſtat Apoſto-
los quoq, & quotquot illo tempore mundo exhibitum Seruatorem fide vera amplexi ſunt. Arguitur
hîc illorũ arrogantia, qui propter vitæ genus aut conditionem excellentiorem nolunt iiſdẽ cum eccle
ſia Sacramentis vti, et quando vel infantes eorũ baptizantur, vel ipſi Cœnæ myſticæ cõmunicare vo
lunt, vaſis pretioſioribus vtuntur, vt ſplendorẽ ſuũ in iis etiam oſtentent, quæ Deus omnibus ex æquo
cõmunia eſſe vult. Præſtat ergo in eccleſia ſingulis vnũ habere baptiſteriũ, in quo omnes tingantur:
vnã quoq, eſſe menſam Domini, & eadem vaſa, ex quibus omnes, cuiuſcunq, ſint loci aut ordinis, cor
poris & ſanguinis Ieſu Chriſti Sacramentũ percipiant. Quàm primùm enim hoc negligitur, mox in
æqualitas quædã in eccleſia enaſcitur, & ſciſmatis cauſa fit, quod Chriſtianæ ſocietatis & cõmunio-
nis vinculũ eſſe debebat. Et hoc illud eſt, quod Paulus in Cor. reprehendit, qui Cœnã Domini in pri* 1. Cor. 11.
*uatas epulas conuerterant. Confutantur præterea Chriſti exemplo, qui hodie ab eccleſiis ſeceſſionem
faciunt, & neq, Dei verbũ audire, neq, Sacramentis iiſdem vti volunt cũ illis, quos peccatis pollutos
eſſe, & in illis abſq, pœnitentia pergere vidẽt, aut potius ſe videre putant. Rationẽ ſuæ ſententia hãc
afferunt, quòd qui cum talibus ad eandem eccleſiã colliguntur, vnũ cum illis corpus fiant, & proinde
eorundẽ ſceleribus cõmunicent, eandem cum illis olim damnationẽ ſubituri. Fuit hac olim Donati-
ſtarũ ſententia, qui ideo baptiſmũ habebant peculiarem, & (vt Auguſtinus ſcribit) altare contra al
tare erigebant, & grauiſſimi pernitioſiſſimiq, ſciſmatis in eccleſia erant authores. Et hodie eorũ furo
res Anabaptiſtæ ſequuntur, qui fictitii periculi metu multos territant, & ab eccleſia ſocietate abdu-
cũt. Falluntur aũt in eo, quod per Sacramenta nos in vnum & idem corpus colligi aut coaleſcere, &
proinde in iiſdẽ ſcelerum & vitæ cõmunionem fieri arbitrantur. Atqui corporis eccleſiaſtici vinculũ
eſt fides in vnũ Chriſtũ, quam ſpiritus ſua virtute in nobis gignit. Sacramenta verò vnitatis illius
externæ teſſeræ & exercitia ſunt, quibus tam boni quàm mali vti poſſunt: illi quidẽ cum fructu exi-
mio, eò quòd ſpiritui locũ dent: hi verò non ſolùm inutiliter, verumetiam cũ ſalutis propriæ iactura,
cũ impia hypocriſi ſpiritui ſancto mentiantur, & ſacroſancta Dei inſtituta impio atq, prophano ab-
uſu polluant. Minimè ergo eorũ hypocriſi aut perfidiæ pii cõmunicant, qui Dei verbũ cum fide au-
diunt, & Chriſti Sacramentis dignè vtuntur. Nec enim fieri poteſt, vt in eccleſia vnũ & idem cor-
pus fiant cum illis, qui ad eccleſiã non pertinent, neq, eius membra ſunt, cùm nihil habeant cũ creden
tibus cõmune præter externam fidei profeſſionem. Et niſi hoc demus, ſimul omnes veteris teſtamenti
patres damnabimus, qui ad vnũ templum & ad eadem ſacra cum illis conuenerunt, quorũ pleriq, aut
hypocritæ aut palàm flagitioſi erant, ſicuti prophetarum ſermones teſtantur. Imò Chriſtũ damnare
oportebit, qui vt eodem baptiſmo cum iis tinctus eſt, quos vitiis teterrimis pollutos eſſe non ignora-
bat, ita Iudam quoq, proditorẽ ad Cœnam ſuam admiſit, cuius perfidiam & impietatẽ probè habe-
bat perſpectã. Sed vt ipſi non obfuit, quòd baptiſmũ cum impiis & hypocritis accepit: ita neq, apoſto
lis cæteris tũc nocuit, quòd ad eandem cum illis menſam Iudas accumberet. Etſi enim (vt D. Augu* Lib. 2. contra
ſtini verbis vtar) menſa vtriſq, vna eſſet, non tamen vtriſq, ad vnũ valuit, quia ipſi non erant vnũ. literas Petil.
En non vnum fuiſſe dicit Iudam & alios diſcipulos, etiamſi de vna eademq, menſa omnes ſimul co- cap. 47.
*mederint. Quia enim neq, Iudas fidem habuit, neq, ipſi perfidia in Chriſtum vſi ſunt, nulla inter illos
animorum coniunctio, & multò minus ſcelerum cõmunio eſſe potuit. Rectè ergo Auguſtinus hanc no
bis regulam præſcribit: Memento Sacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quo illa
vel omnino non ſint, vel minus ſancta ſint: ſed ipſis malis hominibus, vt hæc habeant ad teſtimoniũ
damnationis, non ad adiutorium ſanitatis. Nam eadem paſcua ſub vno paſtore & oues & hirci pa
ſcuntur, donec vt debita recipiant, ſegregentur, &c.*

Reliquum eſt, vt quid fecerit Chriſtus videamus, cùm baptizaretur. Lucas precatũ eſſe ait, Mat Quid Chriſtus
thæus aũt eundem confeſtim ex aqua aſcendiſſe ſcribit. Et illum quidem frequenter orauiſſe legimus, inter baptizan
cùm quia hominẽ verum aſſumpſerat, quem conſolatione & ſpiritus virtute opus habuiſſe paſſionis dum fecerit.
*hiſtoria abunde docet: tum quia Sacerdos eſt, qui & pro nobis aſſiduè apud patrem intercedit, & ex-
emplo nobis eſſe voluit, vt ipſi quoq, in precibus frequentes & aſſidui ſimus. Eſt ergo quod hîc fecit
nobis non oſcitanter cõſiderandum. Qui enim Sacramentorũ omnium author, ad hæc materia et finis
eſt, ſuo exemplo docuit, quid nos facere conueniat, quando illis participamus. Meminerimus ergo an
te omnia religione & pia animi deuotione opus eſſe, vt in rem præſentẽ intenti, piis precibus Dei gra*

tiam imploremus, vt is nobis fructuoſa & efficacia ad ſalutem faciat ſymbola illa, quæ niſi ſpiritus virtus accedat, mortua & inutilia ſunt. Et erat hoc maximè obſeruandū quando baptiſmus adminiſtratur, & per hunc in eccleſiæ ſocietatem adoptantur, qui ex Chriſtianis parentibus nati ſunt, aut iā pridem relictis ſuperſtitionibus Chriſto nomen dant. Vt verò Chriſtus peractis ijs, quæ ad baptiſmi ceremoniam pertinebant, illico ex aqua aſcendit: ita nos quoq; non in ſignis aut actione externa hærere, ſed per fidei contemplationē animos ad Deum extollere debemus, vt quæ ſignis adumbrantur percipiamus. Rectè ergo olim miniſtri in Cœna dominicæ adminiſtratione populū monebant, Surſum corda: illo viciſſim reſpondente, Habemus ad Dominum. At hodie in vtramq; partem plurimum peccatur. Alij enim ſolis ſignis addicti, ea pro rebus accipiunt, quam miſerrimam animæ ſeruitutē Auguſtinus dixit. Et hinc fit, quòd neglecto vero Sacramentorum vſu, de ſignis & actione externa contentiones ſcandali plenas & nunquam finiendas inſtituunt, quibus & eccleſiæ vnitas ſcinditur, & in multorum animis ſuperſtitio confirmatur. Alij verò ſcurrili impietate circa religionē ludunt, & ſacra myſteria non maiori reuerentia tractant, quàm ſi ad ludum aliquem Scenicum accederēt. Fiunt huius generis multa in baptiſmi actione, ſiue ſuſceptores, qui in rei teſtimoniū adhibentur, ſpectes, ſiue factum & apparatum, quo multi in templis ſeſe oſtentant: ſiue conuiuiorum luxum, quæ nonnulli eo prætextu inſtituunt. Debebat hoc mouere Corinthiacæ eccleſiæ exemplum quam lue mulctatā fuiſſe Paulus ſcribit, quod Domini Cœnam in epulum prophanum commutaſſent. At nos cùm non vno modò peccemus, tamē quaſi omnia optimè conſtituta ſint, Dei nos caſtigantis manum admiramur, deq; nimia eius ſeueritate conquerimur.

Chriſtus patris teſtimonio commendatur. *Cæterùm tempus eſt, vt ad alteram huius hiſtoriæ partem tranſeamus, quæ diuinum & cœleſte teſtimonium continet, quo Chriſtum commendari oportuit, ne quis de eius merito & authoritate dubitaret. Eſt autem memorabilis valde eius modeſtia atq; patientia, qui etſi vitæ conditionem egenam & laborioſam ſuſtineret, huc uſq; tamen expectauit, neq; ad obeundum munus ſuum prorupit, donec publico patris teſtimonio eſt commendatus. Fecerunt hoc olim Prophetæ quoq; & poſt illos Apoſtoli: qui omnes ſuo exemplo præcipitem illorum confidentiam arguunt, qui non miſſi currunt, & vel lucri vel honoris cauſa ſeipſos eccleſijs obtrudunt. At hîc inciderunt, quæ diligentius conſiderari merentur.*

Cœli aperti ſunt. *Primùm cœli aperti ſunt, & id Ioānem vidiſſe Marcus narrat. Itaq; de re viſibili & verè geſta hîc agitur, & de cœlis ſermo eſt, qui ſupra nos ſunt, quibus apertis aut ſciſſis ea vidit Ioannes, quæ orbibus aſtrorum & cœlo illo elementali altiora ſunt. Neq; opus eſt quærere, quî hoc fieri potuerit, cùm oculorū acies tam procul non penetret. Quia enim hîc ſingulare quid fecit Deus, idem etiam procul dubio viſum Ioānis (vt & Stephani poſtea) acutiori lumine donauit, vt præſenti negotio ſeruire poſſet. Non temere autem iſtud omne factum eſt. Primò enim ſuam præſentiam Deus hoc ſigno teſtari voluit, & omnes homines docere, negotium hoc Chriſti diuinū & cœleſte eſſe, & proinde nihil in illo terrenum ſiue temporarium quæri debere. Deinde indicatur iam adeſſe tempus illud præfinitum, quo cœlos reſerare nobis velit Deus, quos primi parentis lapſus & ex hoc propagatum in omnes poſteros peccatū nobis clauſerat. Quod autem in præſenti obſcurius adumbratur, poſtea in morte & reſurrectione Chriſti eiusq; in cœlos aſcenſione reuera impletum & præſtitū fuit, quando ille expiatis mūdi peccatis & deuicta morte corpus ſuum in cœlos ſubuexit, & ita viam ſanctorū nobis aperuit, vt eòdē nobis etiam nunc aditus pateat. Et hoc illud eſt, quod vltima Cœna diſcipulis dixit: In domo patris mei habitationes multæ ſunt, ſin minus, dixiſſem vobis. Vado vobis paraturus locū. Et cùm abiero, & parauero vobis locū, rurſus veniā & aſſumam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Thoma aūt de via interrogante, amplius reſpondet: Ego ſum via, & veritas, & vita: Nemo venit ad patrē, niſi per me. Quæ verba cū hac cœli apertione, quaſi demonſtratione oculari cōfirmentur, minimè nos de eorū veritate dubitare decet, ſimulq; in Chriſto nobis quærēda eſt regni cœlorū poſſeſſio.*

Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Chriſtū. Ioan. 1. *Deinde deſcendit ſuper eum Spiritus ſanctus corporea ſpecie tanquam columba. Factū hoc primò propter Ioannem, quem iſto ſigno in Chriſti agnitione confirmari oportuit, cùm iampridē illi dictum eſſet: Super quem videris ſpiritum deſcendentem ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu ſancto. Adhæc aſtantes quoq; admoneri & excitari oportuit, vt de Chriſto aliquid homine maius conciperent, & facilius fidem adhiberent ijs, quæ de illo dicebantur. Sed & nos admonemur,*

Ieſum

Ieſum hunc promiſſum illũ regem & vindicem eſſe, quem oleo letitiæ præ omnibus conſortibus ſuis vngendũ fore olim Spiritus ſanctus prædixerat. Pſal. 45. Item propter ipſum Chriſtum hoc cõtigit, qui etſi ab vtero matris ſpiritu præditus fuiſſet, nũc tamẽ noua & plena virtute opus habebat, cũ ad functionem, cui ipſum Pater deſtinauerat, accedere deberet. At quærat aliquis, cur in columbæ ſpecie nunc apparuerit ſpiritus, qui alibi per aerem, alibi per ignem ſuã præſentiam teſtatus eſt? Cui nos reſpondemus, hanc ſpeciem præſenti negotio conuenientiſsimã fuiſſe. Reſpondet enim factum hoc veteri typo, qui in diluuij hiſtoria præceſsit. Cùm enim aquis per totũ orbem terrarũ diffuſis & ſumma quoq; montium cacumina operientibus, Noa poſt longam moram ſalutis periculum facturus columbã ſecundò emiſiſſet, rediijt illa ſub veſperam oliuæ ramum roſtro ferens: quo indicio ille intelligebat, deferbuiſſe iam Dei iram, & aquis ſubſidentibus nouam pacẽ terris diuinitus promitti. At quia hæc maioris myſterij figura fuit, rectè nunc in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum deſcendit, vt omnibus conſtet, hunc eſſe pacis veræ & perpetuæ authorẽ, qui Dei irã ſolus placarit, & ſublata maledictione ſalutem certã humano generi attulerit. Docuit item columbæ ſpecies, Chriſtũ non terribili diuinæ iuſtitiæ & iuditij gladio armatũ, ſed ſpiritu manſuetudinis inſtructum adeſſe, qui non ſtricto iure in hominũ delicta animaduertere, ſed illis ignoſcere et medicam manũ admouere paratus ſit. Debebant ergo in hoc ſpectaculũ mentis oculos attentius defigere, qui hodie Chriſtum ſibi durũ & inexorabilem fingunt, apud quẽ matre Virgine aduocata opus ſit, quæ prolixis precibus, & beneficiorum cõmemoratione iram eius leniat, adeoq; per viſcera & vbera materna illũ obteſtetur. Ac longè alium in Euangelio ſe nobis ille præbet, quando omnes, qui laborant & onerati ſunt, ad ſe vocat, & iiſdẽ, ſi ad ſe veniant, animarũ pacem & refocillationem pollicetur. Præterea officio noſtri admonemur, vt nimirũ qui in Chriſto ſeruari cupimus, eundem cum illo ſpiritum ducem ſequamur, & moribus verè columbinis viuamus. Pertinet huc primò Chriſti præceptũ, Eſtote ſimplices vt columbæ. Vbi non ſtolidi & fatui eſſe iubemur, ſed innocui & à dolo malo alieni, id quod totius vitæ puritatem atq; innocentiam compræhendit. Deinde manſuetudo requiritur, vt ad ferendas iniurias potius quàm ad vindictæ cupiditatẽ parati ſimus. Accedat his fides, qua piæ & probæ ſponſæ inſtar vnum Chriſtum amemus, colamus & eidem obtemperemus. His indicijs patebit, nos Chriſti ſpiritu donatos, & proinde ipſius membra eſſe: & ita alas illas verè columbinas nobis parabimus, quas David ſibi dari optabat, quibus ex huius mundi horribili deſerto & vndiq; ruentium turbinum procellis ad beatæ immortalitatis ſedes euadere poterimus. Pſal. 55.

Sequitur vox Patris cæleſtis, quæ ſingularem conſideratione meretur, eò quòd nulla vnquam de cælo letior & iucundior audita eſt, & quæ ſola cõſcientiæ terrores ex lege in nobis naſcentes diſsipare & animas ad deſperationẽ procliues exhilarare poteſt. Qui enim antea nimis terrificis fulminabat, & (vt Paulus ait) iram ſuã cælitus reuelabat, vt eius argumenta in ſingulis mundi partibus extarẽt, nunc de cælo filiũ ſuum in carne conſpicatus clamat: Tu es filius ille meus dilectus in quo mihi bene complacitũ eſt. Quod autem hic ipſe Pater è cælo pronunciat, hoc ipſum olim per prophetas iiſdẽ omnino verbis dixerat. Nam per Dauidem in Pſal. 2. de Chriſto ait: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et de eodem apud Iſaiam Cap. 42. ſic concionatur: Ecce ſeruus meus, quo nitar, electus meus, quo placatur anima mea. Vbi nõ temere factũ putabimus, quòd non alijs verbis nunc cælitus vtitur, quàm quæ olim ſeruis ſuis per ſpiritũ ſuggeſſerat. Ex eo enim apparet, non aliũ eſſe noui teſtamenti ſpiritũ, qui hîc ſuper Chriſtũ deſcendit, quàm qui olim per prophetas locutus fuit. Et ſimul aſſeritur hoc argumento ſcripturæ ſacræ authoritas, vt conſtet illius libris Dei verbũ cõtineri, neq; aliunde petendam eſſe doctrinã, quæ in eccleſia prædicetur. Nam cũ ipſe Deus ſcripturæ verbis de cælo concionatus ſit, & filius Dei in carne manifeſtatus ex eadẽ concionum ſuarũ argumenta deſumpſerit, imò ex mortuis rediuiuus ſuæ mortis & reſurrectionis rationẽ diſcipulis ex Moſis & prophetarũ libris reddiderit, nimiũ audaces & plus æquo confidentes erunt, qui ex ſuo cerebro fingunt, aut ex aliorũ cõmentis petunt quod eccleſiæ obtrudãt. Et ſufficiant iſta cõfutandis omnibus illis, qui ad diuitis epulonis exemplum doctores è cælo aut ex inferis ſibi dari vellent, quibus certò poſſent credere. Digni ſunt illi, qui incertis hominum traditionibus in errorum Labyrinthos abducantur. Sed præſtat ſingulas huius oraculi voces excutere.

Primò, tu es (inquit) filius ille meus. Tu δεικτικῶς ait: vt conſtet de quo nã ſermo ſit: de eo nimirũ, qui ex Maria virgine homo natus erat, & ſuper quẽ tunc ſpiritus ſpecie viſibili deſcenderat, quiq;

Patris de Chriſto teſtimoniũ.

Rom. 1.

Luc. 24.

Chriſtus Dei Filius.

ab Ioanne baptizabatur. Hunc filiũ ſuũ dicit Deus, non aũt eo ſenſu, quo nos propter adoptionẽ gra-
Zach. 13. tuitã filij Dei dicimur: ſed quòd ab æterno ex patre genitus, & proinde verus & naturalis (vt ſic di
cã) filius, & patri coæternus atq; coeſſentialis eſt. Ideo hunc Pater apud Zachariã coæqualẽ ſuũ di-
Ioan. 14. & 17 cit, & paßim propheta nomẽ Iehouæ illi tribuũt, quo ipſa Dei eſſentia denotatur. Ipſe etiã de hoc nos
nõ obſcurè admonet, quando ait: Ego & pater vnũ ſumus: Qui me videt, patrẽ videt: Glorifica me
pater apud teipſum ea gloria, quã habui apud te, priuſquã hic mũdus exiſteret. Habemus igitur hoc
loco euidens adorandæ Trinitatis myſteriũ, non verbis ſolũ ſed reipſa expreſſum, vt ſenſibus percipi
potuerit. Aſtat enim in carne manifeſtatus æternus Dei filius. Deſcẽdit ſuper hũc viſibili ſpecie ſpiri
tus ſanctus. E cœlo aũt patris vox auditur, qui filiũ ſuũ agnoſcit atq; fatetur. Et quod hîc factũ eſt,
hoc ipſum in noſtro etiã baptiſmo nobis ob oculos ponitur, quãdo qui vnius Dei cultores ſum⁹, ex Chri
ſti tamen mandato baptizamur in nomen Patris, Filij & Spiritus ſancti. At niſi tres iſtæ perſonæ
vnus ſunt Deus, ſacrilega audacia fuerit illas ſimul omnes in eodem gradu collocare.

Dilectus. Secundò dilectũ dicit, quod ſuperfluum videri poterat. Quis enim non diligat filium ex ſe natũ,
qui nullum vnquã contumaciæ ſpecimen dedit? Sed opus erat hoc addi, partim vt ſcandalo medea-
tur, quod ex vili & ignobili illa aſſumpti hominis ſpecie oritur: partim, vt intelligamus illum etſi ho
mo factus ſit, eſſe tamen filium illum dilectum, per quem dilectio illa Dei ad nos quoq; redundet, ita
vt propter eum nos etiam nũc filiorum loco habeamur. Et hæc præcipua cauſa eſt, quòd de Chriſto
in carne manifeſtato & iam homine facto iſtud pronunciari oportuit, vt diſcamus naturam huma-
nam & quæ huic connexæ ſunt miſeriæ & infirmitates, non obſtare, quò minus ipſi quoq; Dei filij ſi
mus, ſiquidem Chriſto per fidem inſiti, corporis ipſius membra efficiamur. Facit ergo hoc ad aſſeren
dam ſalutis noſtræ certitudinem, ſimulq; noſtri officij nos admonet, vt Deum hunc totis animis re-
In quo mihi bene complacitum eſt. damemus, qui filio proprio non pepercit, ſed eum pro nobis in mortem tradidit.

Et ad huius confirmationem facit adiectum membrum, In quo mihi bene complacitũ eſt. Eo e-
nim publicè teſtatur, ſe porrò nõ habere, cuius cauſa nos damnet aut iratus perdat, qui huic filio ſuo
dilecto inſiti ſumus. Itaq; oraculi huius diuini hic ſenſus eſt: Hactenus quidem mihi cũ infelici homi
num genere conuenire non potuit, imò non potui non illis ſimul omnibus iraſci & iram meam è cœlo
reuelare, quando cunctos defeciſſe, omnes pariter corruptos eſſe, & ne vnum quidem reliquũ vidi, qui
quod bonũ eſt faceret. At quia nunc inter illos filium iſtum meum conſpicor, mihi coæternũ & vnicè
dilectũ, qui ex meo decreto carnem mortalem aſſumere & homo verus naſci voluit, quiq; in aſſumpta
carne diuinã ſanctitatem retinet & omnibus numeris perfectã obedientiam mihi præſtat, iam nunc
inter me & homines pax ſancita eſt, iam illis placatus ſum, iam gratia dignos iudico omnes, qui hũc
meum dilectũ filium fide vera & conſtanti amplexi fuerint. Etſi enim peccatores ſint, hic tamen eorũ
peccata expiat, hic illis iuſtitia, ſatisfactio, redemptio & ſanctificatio abs me datus eſt, & proinde in
illo ſalutẽ certam inuenient. Hæc & alia huius generis breui iſta ſententia Deus complectitur. Itaq;
Coloſſ. 1. filium ſuũ quaſi digito nobis monſtrat: vt hunc ſciamus Mediatorem eſſe vnicum, qui nos cum illo in
gratiam reduxerit, adeoq; in quo Deus (vt Paulus ait) reconciliarit ſibi omnia, pacificatis per ſan-
guinem crucis eius, tum quæ in terra tum quæ in cœlis ſunt. Quæ cauſa eſt, quòd alibi pax noſtra &
Rom. 8. primogenitus omnis Creaturæ dicitur. Etſi enim Angelos, qui non peccarunt, Deo reconciliari mini
mè opus fuerit, quia tamen Chriſtus eã gloriam nobis meruit, in cuius reuelatione (vt ad Rom. ſcri-
Luc. 15. bitur) vniuerſa hæc orbis creati machina vindicabitur ex ſeruitute corruptionis, nõ immerito illius
beneficiũ ad Angelos quoq; extendi dicimus, quos ex hominum ſalute & reconciliatione cũ Deo gau
dium & letitiam ſingularem concipere idem ille teſtatur. Sunt hæc plena dulcißimæ cõſolationis, &
vt in omni tentatione nobis ſufficere poſſunt, ita omnẽ noſtræ ſalutis gloriam vni Chriſto in ſolidum
tranſcribunt, de cuius certitudine non poſſumus dubitare, cùm tam luculento & irrefragabili Patris
cœleſtis teſtimonio confirmetur. Quicunq; ergo ſalutẽ extra Chriſtũ quærunt, & alios ſibi apud Deũ
Mediatores fingũt, ij & ſalutis noſtræ certitudinem labefactant, & Deũ ipſum (vt Ioannes ſcribit)
mendacij arguunt, cuius teſtimonio tam impudenter obloquuntur. Itaq; totis animis iſta recondamus
ô fratres, & cùm tanto pretio & labore nos Deo recõciliari oportuerit, caueamus pro virili, ne illum
deuota & impia peccandi licentia rurſus ad irã prouocemus. Amplectamur aũt conſtanti fide Me-
diatorem noſtrũ Ieſum Chriſtum, vt huius beneficio in filios Dei adoptati, ipſius cohæredes ſimus, &
cũ eodẽ bonis cæleſtibus æternũ fruamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ.
Amen.

HOMI-

HOMILIA XXXIV.

Ipſe autem Ieſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta, filius (vt exiſtimabatur) Ioſephi, qui fuit filius Heli: qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianna, qui fuit Ioſephi, qui fuit Mattathiæ, qui fuit Amos: qui fuit Nahum, qui fuit Eſli, qui fuit Naggæ, qui fuit Maath, qui fuit Mattathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſephi, qui fuit Iudæ, qui fuit Ioannæ, qui fuit Rheſæ, qui fuit Zorobabelis, qui fuit Salathielis, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmodam, qui fuit Er, qui fuit Ioſe, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Simeonis, qui fuit Iudæ, qui fuit Ioſephi, qui fuit Ionam, qui fuit Eliacim, qui fuit Meleæ, qui fuit Maianan, qui fuit Mattathæ, qui fuit Nathani, qui fuit Dauidis, qui fuit Ieſſæ, qui fuit Obedi, qui fuit Booſi, qui fuit Salmonis, qui fuit Naaſſoni, qui fuit Animadabi, qui fuit Arami, qui fuit Eſromis, qui fuit Pharesſi, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacobi, qui fuit Iſaaci, qui fuit Abrahami, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachoris, qui fuit Saruchi, qui fuit Ragani, qui fuit Phaleci, qui fuit Heberi, qui fuit Salæ, qui fuit Cainani, qui fuit Arphaxatis, qui fuit Semi, qui fuit Noæ, qui fuit Lamechi, qui fuit Mathuſalæ, qui fuit Henochi, qui fuit Iaredi, qui fuit Mahalaleelis, qui fuit Cænani, qui fuit Henos, qui fuit Sethi, qui fuit Adami, qui fuit Dei.

QVemadmodum Deus hominũ generi, cæco per ſe & cæleſtium rerũ ignaro, ex ſingulari gratia doctores excitare ſolet, qui voluntatis ſuæ interpretes ſint: ita eoſdem publicis teſtimonijs cõmendat, vt maior ſit doctrinæ eorum authoritas. Obſeruatum hoc olim in Moſe & Aarone, quorum vocationem infinitis ſignis atq; prodigijs confirmauit. Deinde prophetas quoq; non obſcura ſuæ miſſionis teſtimonia habuiſſe legimus: & quibus argumentis Ioannes, primus noui teſtamenti miniſter commendatus ſit, Lucas hucuſq; multis deſcripſit. Idem ergo in ipſo etiam Dei filio obſeruari debuit, qui in mundum hunc venerat, vt humani generis catholicus, id eſt, vniuerſalis doctor atq; ſeruator eſſet. Itaq; ne quis eum ex ignorantia negligeret, multa in eius natiuitatem & infantiam inciderunt, quæ homines cordatos & ſalutis ſuæ non omnino ſecuros potuerunt excitare, vt de illo diligentius cogitarent. Acceſſit tamen illis publica & ſolẽnis (vt ſic dicam) inauguratio, quando iam tẽpus illud aderat, quo cõmiſſum ſibi à patre munus obire debuit. Tunc enim ab Ioanne baptizatus, & inter baptiſmi actionem nouis & ſtupendis ſignis toti populo manifeſtatus eſt: nimirum cæli ſciſſura, Spiritus ſancti deſcenſione ſuper ipſum & cæleſti Patris oraculo, qui hunc filium ſuum verum & dilectum eſſe teſtatus eſt, quo Mediatore vti debeant, qui cum illo in gratiam redire, & ad regni cælorũ hæreditatem peruenire cupiunt. Quia tamen in his, quæ ad Chriſti Ieſu & ſalutis æternæ cognitionem faciunt, nulla diligentia nimia eſſe poteſt, ſubijcit his alia duo, quibus amplius commendatur: Ætatis ſcilicet conſignationem, & Genealogiam, quæ cum priſcis promiſſionibus per omnia conuenit.

Quoad ætatem ſic ait: Ipſe autem Ieſus incipiebat eſſe quaſi annorũ triginta. Fuit ergo ætas eius Chriſti ætas. *iam matura ſatis, & vulgi etiam iudicio rebus agẽdis idonea. Quod imprimis obſeruari debet in ijs, qui vel ad rempub. accedunt, vel eccleſiæ miniſterium ſuſcipiunt: ne propter ætatem contemnantur, & vnà ſecũ ipſum quoq; munus, cui deſtinati ſunt, in contemptum adducant. Non tamen negamus, quoſdam in iuuenili adhuc ætate res magnas geſſiſſe, neq; ad certum annorum numerum aſtrictam eſſe ſpiritus diuini virtutem, quò minus in pueris quoq; ſeſe exerat: ſed in præſenti, non quid Deus poſſit, ſed quid nos obſeruare conueniat, docemus, niſi nos extraordinariè ad res agendas vocari ſentiamus. Quod autem ex Chriſti exemplo Anabaptiſtæ colligunt, neminem, priuſquam ad virilem æ-* Anabaptiſtæ *tatem peruenerit, baptizandũ eſſe, turpem inſcitiam & rerum ſacrarum ignorantiam produnt, quæ* confutantur. *ſit, vt illius exemplum violenter ad vſum alienum detorqueant: neq; vident, quàm ingens inter illũ & nos diſcrimen ſit. Nam quoad Chriſtum, poterat is baptiſmũ omnino negligere, cùm illo nequa-*

quam opus haberet, vt in proximo ſermone diximus. At alia longè eſt noſtra conditio, quos ipſius Chriſti mandatũ premit & vrget, vt & ipſi publicè nomen demus, quàm primùm ſui cognitione nos illuminari dignatur: & eidem noſtros quoq; infantes conſecremus, ad quos regnum cælorum pertinere ille teſtatur. Quia autẽ alia ratio, qua infantes Chriſto adducantur, inueniri non poteſt, quàm vt per baptiſmum in corporis ſui, id eſt, eccleſiæ ſocietatem adoptentur, illa omnino nobis vtendũ erit, niſi & in illũ ingrati eſſe, & ex nobis natos ſalutifera & neceſſaria imprimis ipſius cõmunione quantum in nobis eſt, ſpoliare velimus. Deinde cùm hactenus non in vſu fuiſſet baptiſmus, Chriſtũ, priuſquam hic inſtitutus eſſet, baptizari impoßibile fuit. Quia enim euangelij Sacramentũ eſt baptiſmus, quo nouus ille Dei populus initiari debuit, non conueniebat illum cuiquã dari, priuſquam Euangeliũ prædicari cœpiſſet. Rectè ergo in hunc vſq; diem baptiſmum ſuum diſtulit Dominus, qui Circunciſionem, quæ in vſu erat, ne vnam quidem horam differre voluit, quò minus octauo die à ſua natiuitate circunciderctur. Accedit his, quòd tunc demum adfuit tempus illud præfinitũ, quo promiſſus ille humani generis vindex ſeſe manifeſtare debuit, & ea aggredi, quorum cauſa in mundũ venerat. Tunc enim agebatur quartus annus ſeptuageſimæ hebdomadis, in qua Chriſtũ fœdus cõfirmaturũ & legales victimas abrogaturũ eſſe Daniel olim prædixerat, & nos alibi prolixius demonſtrauimus. Faciũt ergo Anabaptiſtæ idẽ, quod qui in aquis periclitantur. Vt enim hi quiduis obuiũ arripiunt, & interdũ ea etiam, quæ ipſis noxia ſunt: ita illi, vt ſua deliria tueantur, omnia temere adducũt, quæcunq; ipſis aliqua ex parte patrocinari videntur, quæ plerunq; eiuſmodi ſunt, vt ſi propius inſpiciantur, cõtra ipſos quàm maximè faciant. Ex quorũ numero hoc etiam Chriſti exemplum cenſeri debet. Quia enim is ſuo baptiſmo nouũ teſtamentum inchoauit, in quo veteres ritus aboleri oportuit, & nouos inſtitui, vtiq; ſimul nobis quoq; eam libertatẽ fecit, vt quicunq; noui teſtamenti membra ſunt, eiuſdem ſacris initientur, quemadmodũ olim licebat veteribus ſacris vti ijs omnibus, qui non ob aliquam ſingularem cauſam prohibebantur. Quapropter cùm baptiſmus in locum Circunciſionis ſucceſſerit, quã ad infantes quoq; pertinuiſſe conſtat, plus quàm ſtupidi & pertinaces ſunt, qui illos baptizandos eſſe

Expectanda Dei uocatio.

negant. Itaq; relictis hominibus illis non minus pertinacibus quàm rixoſis, & ad turbandas eccleſias natis, illud potius ſpectemus, quod ſuo exemplo Chriſtus nos docuit: Nimirum non feſtinandum eſſe in rebus arduis, ſed expectandam vocationem Dei, qui vt ſua tempora ſingulis conſtituit, ita quos vocat, donis quoq; neceſſarijs inſtruit, vt vocationi ſuæ ſufficere poßint: quæ non poſſunt ſperare, qui non vocati currunt. Si quis ergo vocetur iuuenis adhuc (quod Ieremiæ & quibuſdam alijs accidiſſe ſcimus) is ſe Deo morigerum & obedientem præbeat. Quòd ſi alicuius vocationem Deus in ſenectã vſq; differt: is morã hanc patienter ferat, neq; conetur Dei conſilium præcipiti affectu abreptus præuertere, ne magno ſuo malo aliquid tentet viribus ſuis maius, & cui ferendo humeri non ſufficiant. Obſeruandum hoc non ſolùm in eccleſiæ miniſterio, verumetiam in repub. ne cæca ambitione decepti leges publicas turbemus, & multorum malorum authores ſimus, quæ legitimo & recepto ordine ſub-

Val. Max. lib. 6. cap. 5.

lato exoriri ſolent. Commendatur ab hiſtoricis, & merito quidem Spartani cuiuſdam dictũ, qui cùm generis nobilitate & morum ſanctitate præſtaret, in magiſtratus autem petitione victus eſſet à competitoribus, maximæ ſibi lætitiæ eſſe prædicauit, quòd patria ſua aliquot ſe meliores viros haberet. Potuit ille repulſam tam patienter ferre, quòd publicum totius patriæ iudiciũ priuatæ ſuæ petitioni anteferret. Quantò magis ergo Chriſtianos homines in eiuſmodi caſibus patientes eſſe decet, qui omnia noſtra diuinæ prouidentiæ conſilio gubernari ſciunt, cui reluctari nefas & impium eſt? Sed debemus hoc etiam malum noſtrorum temporum iniquitati, qua fit, vt qui rebus agendis minimè idonei ſunt, ad queuis tamen munera cùm eccleſiaſtica tum politica aſpirant, & magna iniuria ſe affici arbitrantur, ſi quis viros meliores & magis exercitatos illis præferat.

Genealogia Chriſti. 1. Tim. 1. Tit. 3.

Sed tranſeamus ad alteram huius loci partem, qua Ieſu Chriſti genealogiam ad Adamum vſq; Lucas contexit. Vbi ante omnia obſeruari debet, non pugnare hoc cum Spiritus ſancti præcepto, qui per Paulum monet, ne genealogijs operam demus, & has cum quæſtionibus inutilibus atq; noxijs coniungit. Ibi enim de ſuperſtitioſis & ambitioſis agitur, quas omnibus ferè ſeculis apud omnes populos in vſu fuiſſe conſtat: Iudæi quidem in ſuis contexendis ſuperſtitioſißimi fuerunt: non quidem vt Dei bonitatem & prouidentiam agnoſcerent, qui gentem ipſorum inter ferociſsimos hoſtes in exilijs & tranſmigrationibus periculoſißimis mirificè ſeruauerat: ſed vt generis fiducia non ſolum alijs gen-

tibus

tibus ſeſe præferrent inſolentius, verumetiã aduerſus Deum inſurgerent, & ſuperſtitioſa inanium titulorũ confidentia ebrij illum ſibi facerent debitorẽ. Dictum de hoc nuper, quando Ioannis doctrinam ideo aſpernati ſunt, quòd pœnitentia ſibi non opus eſſe putarẽt, quia filij eſſent Abrahami. Quin ipſi Chriſto eos ad amplectendam Dei gratiam hortanti in faciem dicere auſi ſunt: Semen Abrahami ſumus, neq; cuiquã ſeruiuimus vnquam: quomodo tu dicis nos vindicandos eſſe, aut vindice opus habere? Erat etiã inter gentes multa in hac re ſuperſtitio, vt Theogoniæ teſtantur, quibus partim Deorum ſuorum generationẽ exponebant, partim Heroum genus ad Deos referebant, & ex his illos procreatos eſſe fabulabantur. Fuit hoc horribile diaboli artificium, qui non contentus terras ſtupris & adulterijs polluiſſe, cælos quoq; & Deos, quos miſeri homines colebant, illis flagitijs infames fecit. Et credibile eſt Apoſtolis adhuc viuentibus errorem illum pullulare cæpiſſe, quo poſtea hæretici quidã decepti Æones ſuas & neſcio quos principes cælites gradibus ſuis diſtinctos finxerunt, vt videre eſt apud Irenæũ & Epiphanium. Euiuſmodi ergo genealogias omnes Apoſtolus ex ſpiritus ſuggeſtione prohibet, quia ambitionis fomenta ſunt, & ſuperſtitionee pariunt non tã riditulas quàm nefarias & cum manifeſta impietate cõiunctas. Et hodie non immerito damnantur, qui inani generis fiducia elati, ſeſe ob ſolam natiuitatẽ omnibus alijs præferunt: quorũ aliqui eò dementiæ proceſſerũt, vt ſuæ familiæ originẽ ex ipſa Noæ arca deducere conati ſint: ridiculi planè homines, qui ſibi ſolis auſi fuerũt venditare, quod omnis loci atq; ordinis hominibus cõmune eſt. Quia enim diluuij tẽpore in ſola arca Noæ humani generis ſeminariũ Deus ſeruauit, ex illa non Reges modò & principes, verumetiã agricolas, opifices, bubulcos, nautas & quoſuis alios prodijſſe cõſtat. Ita verò ſeipſos vlciſcantur oportet, qui præ alijs eminere volunt. At longè alia eſt genealogiæ Ieſu Chriſti ratio, quam in præſenti Lucas & in ſui ſcripti euangelici initio Matthæus contexit. Ea enim demonſtrat, Ieſum hunc, qui ex Maria virgine homo natus eſt, eſſe Chriſtum, id eſt, promiſſum illũ Regem & Sacerdotem, qui ex Abrahami & Dauidis ſemine naſci debuit. Deinde ſcãdalo medetur, quod ex vili & ignobili Ioſephi & Mariæ ſpecie emanabat, quos ex regia ſtirpe genus ducere vix credibile videri poterat. Euſebius certè ex Egeſippo narrat, Domitianum quorundã delatione & calumnijs exacerbatum conſtituiſſe aliquando vniuerſam Dauidis poſteritatẽ delere, quòd ex illa regnum nouũ oriturum ſuſpicaretur: ſed eundem mox à cæptis abſtinuiſſe, cùm eos, qui adhuc reliqui erant, homines obſcuros & pauperes eſſe comperiſſet, qui manuum labore victitarent. Quod ergo ſanguinarium tyrannũ mouit, ne quid regium in pauperculis agnoſceret, hoc ipſum multis alijs ſuſpicionẽ mouere potuiſſet, ne Dauidis filium crederent eſſe Ieſum hunc, cuius mater deſponſata fuerat Ioſepho, obſcuri oppidi incolæ, & qui manuario opificio ſibi & familiæ victum quærebat. Quamobrem vtile, imò neceſſarium erat genealogiam eius diligenter conſcribi, ne vel malignis fidei hoſtibus calumniandi occaſio daretur, vel infirmiores ſcandalum haberent, quo in fide Chriſti impedirentur.

Ioan. 8.

Genealogiæ Chriſti uſus.

Atqui ex genealogia iſta calumnias graues olim ſtruxerunt nonnulli, qui fidem Chriſtianã ludibrio exponere conati ſunt. Alijs enim ridiculũ viſum eſt, Ioſephi genus recenſeri, cùm Chriſtus abſq; eius cõgreſſu ex Virgine intemerata natus credatur. Alij Matthæũ cum Luca diſſentire clamarũt, cùm hic quidẽ Ioſephi patrẽ Heli, ille verò Iacobum fuiſſe ſcribãt. Inde enim colligunt, duos Ioſepho patres tribui, quod cum naturæ legibus pugnet. At prioribus iam pridem reſponſum eſt, legẽ fuiſſe, qua puellæ in alias tribus abnubere prohibebãtur. Quia ergo Ioſephum ex tribu Iuda oriundũ fuiſſe conſtat, non dubium eſt, ad eandem tribum Mariam quoq; pertinuiſſe: cùm ea vtriuſq; pietas fuerit, vt eos in legem Dei peccare voluiſſe non ſit veriſimile: & ideo Ioſephi genus recenſuiſſe ſufficiebat. Quòd ſi quis obijciat, non inde neceſſario ſequi, Mariam ex Dauidis ſtirpe prognatã fuiſſe, quando ſatis erat ex eadem tribu natã eſſe, tribus autẽ familijs plurimis conſtabant? huic nos reſpondemus, Apoſtolorũ temporibus hæc omnibus cõpertiſſima fuiſſe, quæ cauſa fuit, vt in his recenſendis minus curioſi fuerint. Cuius rei argumentum in Matthæo apparet, qui vt lectorũ memoriæ conſuleret tres Teſſeradecades facit, & vt hæ conſtarent, in ſecunda Reges Iuda quinq; omittit, primò nimirũ tres continuos, Ochoziam, Ioam & Amaziam, deinde verò Ioachan & Iehoiakim, qui Iechoniã proximè præceſſerunt. Neq; tamen à quoquã accuſatus eſt falſi, quòd hæc omnibus notiſſima eſſent. Poſteris demũ temporibus exorti ſunt Porphyrius & Iulianus, ſcurræ nequiſſimi, qui hæc & alia multa vellicarunt, quorum veſtigijs inſiſtunt, qui hodie iſta odioſius exagitant, aut ſua ſophiſtica in dubium vocant. Damnantur iſti omnes veterũ Iudæorũ ſilentio, qui etſi Chriſtianæ fidei infenſiſſimi

Lucas & Matthæus conciliantur.

beſtes & ſimul ſcriptorũ apoſtolicorũ Ariſtarchi aut cenſores accerrimi fuerint, genealogias tamen
haſce intactas reliquerunt: nimirũ, quòd eas cum veritate & tribuum archiuis conuenire viderent.
Ad alterum quoq; facilis eſt reſponſio, ſi dicamus Heli & Iacobum fratres fuiſſe, quorum hoc abſq;
liberis mortuo, ille ex relicta coniuge ſemen ei excitauit, Ioſephum, ſicuti in lege Deus mandauerat.
Deut. 25. *Itaq; tam Heli quam Iacobus Ioſephi pater fuit, hic quidem legalis, quia ex lege ad ipſum Ioſephus*
pertinebat: ille verò naturalis, quod ex ipſo verè eſſet genitus. Scio alios Heli patrem Mariæ, &
eundem cum Ioachimo facere, cuius filius dicatur Ioſephus, eò quod gener eius fuerit. Sed hoc eſt
genealogias non contexere, ſed confundere, & cum Lucæ verbis pugnat, qui diſertè Ioſephum filium
ipſius Heli fuiſſe ſcribit. Quòd ſi cui libet Ioſephi patrem binominẽ facere, vt vnus idemq; ſit, quem
Lucas Heli, Matthæus Iacobum nominat, hoc ei per me licet. Prior tamen ſolutio mihi minus
coacta, & illius ſeculi moribus, quando legis diſciplina adhuc vigebat, conuenientior eſſe videtur.
Spiritus ſancti diligentia in ſeruanda linea Chriſti. *Nunc obſeruemus ante omnia ſpiritus ſancti diligentiam, qua in ſeruanda linea Ieſu Chriſti*
vſus eſt. Vt enim Iudæorum gentem, ex qua ille præfinito tempore naſci debuit, Circunciſione &
Leuiticis ſacris à reliquis gentibus diſtinctam eſſe voluit: ita iam inde ab ipſa rerum origine lineam
certam duxit eius generis aut familiæ, ex qua prodire debebat, & eandem literis conſignauit, vt po-
ſteris conſtaret certius, quis nam pro Meſſia & humani generis vindice agnoſci deberet. Et primò
quidem, cum huius promiſſionem Adam accepiſſet, inter eius filios Seth nominatur, ex quo linea illa
ducitur vſque ad Noa, quem ex diluuij aquis Deus beneficio ſingulari ſeruauit. Deinde cum huic
filij tres eſſent, ne incerta fieret Chriſti propago, eius promiſſio ad Semum reſtringitur, & ab hoc
rurſus certo ordine ad Abrahamum vſque deriuatur. In huius familia Iſaacum quaſi digito mon-
ſtrat Deus, dicens: In Iſaaco nominabitur tibi ſemen. Rurſus cum hic in Eſauum primogenitum
ſuum nimis eſſet intentus, admirabili diuinæ prouidentiæ conſilio fit, vt inuitus & ignarus rerum
benedictionem in Iacobum transferat, ex cuius poſteritate Chriſtus naſci debebat. Inter Iacobi au-
tem filios duodecim Iudas deſignatur, benedictæ illius lineæ pater, & cùm ex hoc deſcendens tribus
poſtea in plures familias diuiſa eſſet, Meſſiæ promiſſionem ad Ieſſeam ſeu Dauidicam familiam re-
tulit, & in hac non ſine manifeſto prouidentiæ ſuæ conſilio perpetuam regum atque principum ſuc-
ceſſionem inter horribiles & varios vtriuſque regni, Iudaici & Iſraelitici motus & diuturna totius
gentis exilia atq; diſperſiones cõſeruauit. Inter quæ cumprimis memorabile eſt, quod poſt Ochoziæ
2. Reg. 11. *mortem accidit. Cùm enim is propter impietatem & illicitam cum domo Achabi coniunctionem ſine*
2. Par. 22. *liberis extinctus eſſet, & eius mater Athalia, ne regnum in aliam familiam transferretur, vniuer-*
ſum genus regium è medio tollere decreuiſſet, admirabili Ioiadæ Sacerdotis induſtria Ioas, infans
adhuc, ſeruatus eſt, qui ex Nathano Dauidis filio deſcenderat, vt in eius poſteritate promiſſi illius
ſeminis linea maneret. Quæ cauſa eſt, quòd Lucas naturalem ordinem ſecutus Chriſti lineam non
per Solomonem, ſed per Nathanum deducit, ad cuius familiam extincta vniuerſa Solomonis po-
ſteritate regnum vnà cum promiſſionibus Dauidi datis tranſlatum fuit. Neque ideo à Chriſti ge-
nere Solomon excluditur, in quo promiſſio illa, quæ 2. Samuel. 7. cap. extat, fundata fuit. Quia enim
Ioas illius poſteris propter generis propinquitatem & conſanguinitatem coniunctiſſimus fuit, & vt
hæres legitimus in regno ſucceſſit, non immerito in hiſtoria ſacra Ochoziæ filius dicitur. Ab illo
autem rurſus Chriſti genealogiam certo ordine ad Salathielem eiuſq; filium Zorobabelem euange-
liſtæ deducunt, in quibus Lucas & Matthæus pulchre conueniunt. Vbi non imprudenter quidam
Iere. 22. *obſeruarunt, eundem eſſe Salathielis patrem, quem Matthæus Iechoniam, Lucas autem Neri, id*
eſt, lucernam dicit. Nam vt apud Ieremiam habetur, fuit Iechonias iſte inſtar anuli ſignatorij, per
quem promiſſionem Dauidi factam Deus ſeruare voluit, & ideo Euilmerodachi animum mouit, vt
illum libertate donatum in regiam dignitatem eueheret, & in ſummo pretio haberet, & ſic in eo rur
ſus accenderetur lucerna illa Dauidicæ domus, quæ in excidio vrbis & totius gentis exilio iam
prorſus extincta eſſe videbatur. A Zorobabele autem ad Chriſtum vſque gradus viginti Lucas
numerat, cùm apud Matthæum non plures quàm vndecim habeantur. Sed in illis conciliandis non
multa cura opus eſt. Iam antè enim demonſtrauimus, Matthæum, qui lineam legalem contexuit,
ſibi conſultò aliquid permiſiſſe, vt genealogiam omnem in tres Teſſarodecades poſſet diſtribuere:
quod non ſimiliter Lucæ licuit, cuius inſtitutum fuit, Chriſti genus ordine naturali ad primum vſq;
parentem

parentem deducere. Et quod nuper diximus, ſufficiat nobis Iudæoru veterum teſtimonium, qui cùm rationem texendarum genealogiarum rectius quàm nos hodie perſpectam haberent, ſuo tamen ſilentio vtriuſq; Euangeliſtæ narrationem probauerunt. Nos itaque finem & ſcopum, qui vtrique propoſitus fuit, obſeruemus: vt nimirum Ieſum hunc, qui ex Maria Virgine hominem verum aſſumpſit, credamus eſſe Chriſtum, benedictum ſcilicet illud ſemen Abrahami & Dauidis filium, in quo ſancti patres omnem ſuæ ſalutis fiduciam habuerunt collocatam.

Chriſti genealogia ad Adamum vſq; ducitur.

Quòd verò Matthæus Chriſti genealogiam non vltra Abrahamum deducit, Lucas autem ad Adamum, imò ad huius creatorem Deum vſq; aſcendit, non abſq; certa ratione factum putabimus. Hic enim dum Adami meminit, qui communis omnium hominum parens eſt, non obſcurè docet, Chriſtum vniuerſalem omnium gentium redemptorem eſſe, eiuſq; meritum ad primum vſq; parentem noſtrum extendi: quo nomine alibi agnus ille dicitur, qui immolatus ſit iam indè àb ipſa mundi origine. Matthæus autem in Abrahamo ſubſiſtit, imò Chriſtum initiò ſtatim ſimpliciter filium Abrahami & Dauidis nominat (Liber generationis, inquit, Ieſu Chriſti, filij Dauidis, filij Abrahami) vt oſtendat, redemptorem illum vniuerſalem, qui Adamo promiſſus eſt, non alibi quàm in Abrahami ſemine & Dauidis domo quæri debere. Vt ergo Lucas conſolationem vniuerſalem omnis loci & ordinis hominibus adhibet: ita viciſſim cauet Matthæus, ne in quærenda ſalutis rationē poſt noſtræ rationis figmenta vagemur, neque eorum ſequamur non minus pernitioſam quàm erroneam ſententiam, qui vnamquamque gentem in ſua religione, ſibi à maioribus quaſi per manus tradita, ſeruari poſſe contendunt.

Deus genealogiæ Chriſti principium.

Deinde ad Deum totius humani generis Creatorem genealogiæ huius principium refert Lucas, vt eorum dubitationi medeatur, quibus impoſſibile videtur, Chriſtum ex caſta virgine abſq; viri congreſſu hominem natum eſſe. Cur enim hoc impoſſibile dicemus, quando conſtat, Adamum ſolius Dei virtute ex terra olim conditum fuiſſe, quæ ſimiliter nullo ſemine fœcundata omne genus frugum vnà cum arboribus & plantis reliquis initiò procreauit. Obſeruauit hoc olim ſanctiſſimus Chriſti Martyr, Irenæus, cuius hæc verba leguntur lib.3.cap.31. Quemadmodum protoplaſtes ille Adam de rudi terra & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo nondum coluerat terram) habuit ſubſtantiam, & Dei manu formatus eſt, id eſt, verbò Dei (Omnia enim per ipſum facta ſunt: Et ſumpſit Dominus limum de terra, & formauit hominem) ita Adam in ſe recapitulans verbum hoc exiſtens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat Adami generationem, &c. Eſt & alia ratio, propter quam ad Deum vſque Lucas aſcendit, vt nimirum oſtendat, omnes veteris Teſtamenti patres, quotquot in Chriſtum venturum crediderunt, eius merito Dei filios factos eſſe, adeoq; ipſum Adamum, per quem peccatum & mors introierunt, in Chriſto promiſſo habuiſſe ſpiritum adoptionis, vt filius Dei factus ſit ex gratia, qui ſeipſum iræ filium fecerat. Sunt autem præter hæc nobis adhuc duo conſideranda.

Nobilitas generis Chriſti.

Primum eſt generis Chriſti nobilitas, quoad carnem. Numerantur hic primi generis humani progenitores, & ita generis eius vetuſtas aſſeritur, quæ hodie omnis nobilitatis fundamentum eſſe putatur. Sequuntur hos Patriarchæ populi Dei ſiue eccleſiæ, Abraham Iſaac & Iacob, quos Deus ſibi fœdere coniunctos eſſe & ſociorum locò habere voluit. Inde ad Dauidem vſq; venitur, cuius familia omnes, quotquot vnquam in orbe terrarum fuerunt, longe ſuperat, ſiue antiquitatem aut longi temporis ſucceſſionem ſpectes, ſiue Regum, qui ex illa progeniti ſunt, numerum potentiam, victorias, opes & reliqua huius ſeculi ornamenta conſideres. Taceo nunc prophetas & innumeros alios, qui hic non recenſentur, quos virtute & meritis illuſtriſſimos fuiſſe conſtat. Superat tamen hæc omnia, quòd æternus Dei filius cum familia iſta vniri, & ex ea humanam naturam in eiuſdem perſonæ vnitatem aſſumere voluit. Eſt huius conſiderationis multiplex vſus. Primò de Dei bonitate nos admonet, qui tantam dignitatem nobiſcum communicare dignatus eſt. Quia enim per fidem Chriſto inſerimur, & in eodem ſpiritu adoptionis donamur, filij Dei & Chriſti cohæredes ſunt, quotquot in hunc credunt. De quo cùm ſæpe alias dictum ſit, nunc prolixiori demonſtratione non eſt opus. Nunc potius (quod ſecundum hic occurrit) tantæ dignitatis memores, gradum noſtrum tueri ſatagamus, ne huius ſeculi impuris voluptatibus immerſi, noſipſos ſpoliemus cæleſtium bonorum hæreditate, quæ nobis in Chriſto parata eſt. Tertiò honeſtè ſentire

Vide Rom. 8. homil.

diſtamus de proximis, qui eundem nobiſcum Christum profitentur. Nam qualeſcunq; ſint, quoad huius ſeculi conditionem, filij tamen Dei, & proinde noſtri fratres atque cohæredes ſunt. Non ergo illos, ſed noſipſos ignominia afficimus, ſi eos habeamus contumelioſe: imò in ipſum Chriſtum iniuria omnis redundat. Quis autem tu es ô ſuperbe, qui eum contemnis & tua amicitia indignum iudicas, pro quo Chriſtus mori dignatus eſt, vt filium Dei & fratrem ſuum efficeret? Quartò admonet nos iſta conſideratio, ne huius ſeculi felicitati aut ſplendori fidamus. Quid enim firmum aut ſtabile fore ſperabimus, quando regia illa & tot victorijs nobilitata Dauidis familia, ex qua Dei filius hominem aſſumere voluit, eò vſque prius deiecta, & hodie in vniuerſum extincta eſt, vt nulla veteris ſplendoris veſtigia appareant? Aut cur maiorum virtutibus & ſtemmate efferris, ipſe ignauus & inglorius? Et vt multos numeres ex tuis progenitoribus, qui virtute & egregijs factis illuſtres fuerunt, ſi tamen altius aſcendas, fortaßis illud Satyricum tibi dici poterit:

Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum
Aut paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Præterea multam conſolationem affert diligenter conſiderata generis noſtri, vel potius regenerationis noſtræ in Chriſto facta nobilitas. Quia enim Dei filij & Chriſti fratres ſumus, nunquam nos negliget ille, qui nos ex gratia in tantam dignitatem euexit. Solent nobiles huius ſeculi generis ſui ſplendorem in illis etiam cognatis ſuis tueri, quos alioquin oderunt. Quantò magis Deus illorum honorem atque ſalutem tuebitur, qui ipſum patris nomine inuocant? Idem etiam facilè omnes eos nobis conciliabit, qui germani ipſius filij ſunt, vt nobis bene velint, & ſua nobis officia præſtent. Nos modò ſtudeamus in omni periculorum genere inuicta fidei conſtantia vti, vt ex ea conſtet, nos veros Dei filios eſſe, & generoſiori ſpiritu moueri. Turpe & indignum videtur, ſi qui auos & atauos generoſos numerant, in periculis muliebri puſillanimitate ſuccumbunt. At turpius multò fuerit, eos ignobili metu fatiſcere, qui ſe ex Dei ſemine natos eſſe gloriantur. Hæc igitur nobis in mentem veniant, quando vel pro fide Chriſti aliquid audendum eſt, vel morbis lethalibus grauamur, aut quacunq; alia calamitate exercemur, & mox nos mirifica conſolatione confirmari ſentiemus.

In Chriſti genealogia boni & mali recenſentur.

Reſtat alterum, quod hoc loco nobis conſiderandum eſſe diximus: Quòd nimirum in Chriſti genealogia tam boni quàm mali numerantur, imò peccatores maximi, & quidam tantis flagitijs infames, vt indigni poßint cenſeri, qui inter viros bonos nomen habeant. Nam vt à Iuda exordiamur, conſtat hunc & ſceleris fratrum in Ioſephum admißi conſcium fuiſſe, & filium Phares ex inceſto concubitu cum Thamare nuru ſua genuiſſe. Inter reges Iuda Achas & Manaſſes cenſentur, impij & aperti purioris doctrinæ & diuini cultus hoſtes: quorum veſtigia ſecuti ſunt filij Ioſiæ, Ioachas, Ioackim, Iechonias & Zedechias. Ex mulieribus præter Thamarem Matthæus Bethſabam adulterio infamem nominat, & Rhutam, pietate quidem eximiam, ſed Moabitidem, & à populi Dei ſocietate prius alienam. De Rahaba autem quid dicere attinet, quæ & Chananæa fuit, & corpore turpem quæſtum fecit, priuſquam Salmon eam ſibi vxorem duceret. Poterat hoc facilè cauere Deus, ne qui in iſtum catalogum venirent: ſed ita omnibus teſtatum fieri oportuit, Chriſtum Ieſum non aſpernari peccatores, ſed (vt Paulus ait) propter hos potißimum in mundum veniſſe, vt eius merito ſalui fierent, qui propter ſua ſcelera damnari merebantur. Docet hoc ipſe in Euangelio, & idem ad ſe vocat omnes, qui laborant & onerati ſunt. Soletur hoc nos in conſcientiæ tentationibus, quando inferorum terrores & iudicij diuini rigorem nobis Satan obijcit, vt ad deſperationem adducat. Admonet ſimul hoc quoque, neminem vel ſuorum maiorum ſplendore inſolentius gloriari, vel alijs ſuos progenitores exprobrare debere. In omnibus enim familijs tam bonos quàm malos eſt inuenire. Nobilitas autem vera eſt, ſi Dei filij ſimus: tales vero erimus, ſi Chriſtum Ieſum vera fide complexi, in eodem vitam viuamus verè Chriſtianam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT

CAPVT IIII.

HOMILIA XXXVI.

IEſus autem plenus ſpiritu ſancto reuerſus eſt à Iordane, & actus eſt à ſpiritu in deſertum, fuitque diebus quadraginta tentante cum diabolo: & nihil comedit per illos dies, ſed ijs exactis, poſtea eſurijt.

EXpoſuit in proximo Capite Lucas Ioannis Baptiſtæ conciones, quibus omnis loci & ordinis homines ad pœnitentiam & fidem in Ieſum Chriſtum hortatus eſt, quem etiam inſigni teſtimonio publicè commendauit. Addidit his publicam Chriſti inaugurationem, quæ cum ille baptizaretur facta eſt, & eiuſdem genealogiam per Dauidis & Abrahami proſapiam vſq; ad primum humani generis parentem, Adamum, diligenter contexuit. Quorum omnium hic finis & ſcopus eſt, vt intelligamus & credamus, Ieſum hunc, qui ex Maria virgine homo verus eſt, eſſe Chriſtum, id eſt, promiſſum mundi ſeruatorem & magnum illum prophetam, qui verba vitæ æternæ habeat, & quem audire atque fide conſtanti omnes amplecti debeant, quicunque ſeruari volunt. Sequitur nunc ipſius Chriſti hiſtoria, qui accepto baptiſmo & publico patris teſtimonio confirmatus, mox ea agere cœpit, quæ ad hominum redemptionem pertinebant. Inter quæ primus locus tribuitur tentationibus, in quibus certamen cum communi hoſte noſtro, diabolo ſuſcepit, quem pugna graui & memorabili vicit, & quantùmuis pertinacem à ſe repulit. Oportuit autem ab his initium fieri, quando conſtat perditionem noſtram à tentatione cœpiſſe, in qua primi parentes nimium infeliciter cum veteri ſerpente congreſſi & ab eo victi peccatum atque mortem in vniuerſam poſteritatem propagauerunt. Quia ergo illorum lapſus nos terrere poterat & omnem victoriæ ſpem nobis adimere, neceſſe fuit, vt Chriſtus ſua victoria nobis ad deuincendum hoſtem illum vires nouas acquireret, & ſpe bona impletos ad pugnam iſtam alacres atque intrepidos faceret. At quia de hoc poſtea ſuo loco commodius dicetur, nunc ex ordine de ijs agemus, quæ ad præſentis loci tractationem faciunt.

Exordiemur autem à tentandi verbo, vt rem ipſam, de qua in præſenti agitur, rectius intelligamus. Tentare idem propriè eſt, quod experiri aut periculum facere de aliquo, vt quis aut qualis ſit intelligat. Vſus verbi huius de re qualibet eſt: quando autem de homine vſurpatur, tam in bonam quàm in malam partem accipi ſolet. In bonam partem Deus homines tentare dicitur, quando fidem noſtrã noſq; totos explorat, non quòd ipſum aliquid lateat, ſed vt nos nobiſipſis cognoſcendos præbeat, aut in nobis exempla fidei & reliquarum virtutum alijs proponat, quorum contemplatione ad imitationem excitentur. Fit hoc, quando vel pericula grauiora nobis ob oculos ponit, vel nouas rerum agendarũ occaſiones obijcit, aut aliqua præcipit, quæ carni dura & à ratione aliena videntur. Sic Abrahami fidem tentauit Dominus, quando illum è terra ſua diſcedere & exilium ſpontaneum ſubire iuſſit, quando iuſſis ſuis parentem fame, vxoris raptu, domeſticis diſſidijs, bellicis turbis, & imprimis diuturna promiſſi ſeminis dilatione exercuit: & imprimis, quando illi mandauit, vt Iſaacum, filium in extrema ſenecta ſibi natũ, & in quo promiſſiones omnes datæ erant, manibus proprijs immolaret. Fuerunt hæc omnia non ſolum dura, ſed abſurda iniqua & impia videri poterant: ſed in illis fides Abrahami eluxit, quam etſi Deus non ignoraret, iſtis tamen medijs illã exercere, & toti mundo in exemplum proponere voluit. Idem de reliquis patribus dicere poſſumus, adeoq; de omnibus aduerſis, quibus noſtram fidem tentari ſentimus. Dicitur etiam tentare Deus, quando pſeudoprophetæ ſurgunt, qui falſa dogmata & illicitos cultus tradunt, doctrinam verò ſuam non ſolum verborum phaleris & argutis diſputationibus, verumetiam ſignis & miraculis confirmant. Ea enim ratione periculum de nobis facit Deus, num tanta ſit verbi ſui apud nos authoritas, vt illud omnibus alijs rebus anteponamus, quæ mundo & communi rationi aut ſenſui noſtro magnifica atque eximia putantur. Et elucet in his omnibus Dei bonitas, qui ne fides noſtra

Tentare quid?

Deut. 13.

torpore & otio corrupta langueat, eam his quaſi cotibus acuere & nos de noſtra infirmitate admo-
nere ſolet, quàm ipſi prius ignorabamus, vt nimirum ea cognita ad preces & ardentius veræ pie-
Iacob. 1. tatis ſtudium excitemur. Et hoc illud ſaluberrimum tentandi genus eſt, de quo Iacobus ait: Beatus
vir, qui tolerat tentationem: quoniam cùm probatus erit, accipiet coronam vitæ. Quo Paulus quoq;
Rom. 5. reſpiciens, pios in afflictionibus gloriari dicebat, eò quòd afflictio patientiæ exercendæ materiam
præbeat, patientia verò Dei bonitatem nouis indies exemplis experiatur, vnde ſpes naſcitur & au-
getur, quæ nos minimè fallit: Rurſus in malam partem ſumitur Tentatio, quando diabolus qua-
cunque occaſione vel ex nobis vel aliunde ſumpta, nos ad peccandum ſolicitat, vt à Deo & ſalutis
via abductos æternæ damnationi mancipiet. Sic Euam tentauit vt vetiti pomi deſiderium in illa
excitaret. Sic quotidie nos tentat, quando faſtum mundi & infinitas ſcelerum illecebras nobis obij-
cit. Sic cruce & afflictionibus tentat, vt nos, qui natura pacis & felicitatis temporariæ appetentes
ſumus, à fide & pietate abſtrahat, vt vel Deum omnino abnegemus, vel aduerſus illum murmure-
mus, quando non omnia nobis pro animi noſtri arbitrio ſuccedunt. Et permittit iſta Deus iuſto iu-
dicio, ſiue electos & verè pios, ſiue reprobos & impios ſpectet. Nam pios ad hunc etiam modum ten-
tari prodeſt, vt ſuæ fidei ſpecimen ædant, aut (vt ante diximus) propriæ infirmitatis ſenſu territi
in poſterum diligentiores excubias agant. Impios autem iuſto iudicio excæcat & tradit in ſenſum
reprobum, vt diaboli præſtigijs & propriæ cupiditatis faſcino decepti menſuram impietatis im-
Matt. 24. pleant & quod iam pridem meruerunt, excidium accelerent. Et huc Antichriſti ſigna & efficaces
2. Theſſ. 2. illi errores referri debent, quibus nouiſsimo tempore multos irretiendos eſſe Chriſtus & apoſtoli præ
dixerunt. Vbi tamen obſeruabimus, Satanam ex nobis ipſis plerunque occaſionem captare, & in no-
bis præcipuam culpam hærere, quando illius tentationibus victi præter officium aliquid facimus.
Quæ ratio eſt, quod Iacobus ſcribit: Vnuſquiſque tentatur, dum à propria cupiditate abſtrahitur
& ineſcatur.

Quare tentatus ſit Chriſtus? His præmiſsis ad præſentem Ieſu Chriſti hiſtoriam accedamus, in quo nihil horum locum ha-
bet. Neque enim illius fidem aut conſtantiam explorari, aut ipſum ſuæ imperfectionis (quæ nulla
omnino in ipſo erat) admoneri oportuit. Multò minus dignus fuit, qui Satanæ ludibrium fieret, &
aliquid grauioris mali pateretur. In nobis ergo & redemptionis noſtræ negotio cauſæ quærendæ
ſunt, cur Chriſtus, qui propter nos in mundum venerat, tentationum huiuſmodi palæſtram ingreſſus
ſit. Neque hîc aliquis obijciat, tentari non potuiſſe Chriſtum, cùm ab omni praua cupiditate alienus
nullam ſe tentandi occaſionem diabolo dederit. Quia enim Adamum, cùm adhuc bonus & perfectus
eſſet tentauit Satan, nequaquam inſolens aut abſurdum videri debet, ſi quid huius paſſus eſt Dei
filius, qui vt nos à lapſu reſuſcitaret, homo factus fuerat. Et quamuis nulla in illo naturæ vitioſitas
fuerit, ſponte tamen noſtras infirmitates in ſe recepit, & nobis (vno peccato excepto) per omnia ſi-
milis factus eſt, vt tentationibus ſubijci poſſet. Nam vt hoc fieret, multas ob cauſas neceſſe fuit.
1. Vt enim initio diximus, quia ad deſtruenda diaboli opera Dei filius in mundum venerat, ab eo ordi-
ri debuit, quo diabolus ſibi in miſeros mortales regnum vendicarat. Atqui tentatione primos paren-
tes victos, & diaboli mancipia cum omni poſteritate factos fuiſſe conſtat. Itaque eundem hunc ho-
ſtem noſtrum communem ab Adamo ſecundo in tentationum pugna vinci & quaſi ſub iugum mitti
2. oportuit. Deinde opus fuit nos admoneri, quàm infeſtus nobis ſit Satan, quidq; nobis ſperandum ſit,
quoad illius inſidijs patemus. Agnoſcunt hoc pauci homines, & illum nobis & commodis noſtris
omnino conſultum velle putant, quando ea ſuadet, quæ carni eiuſq; cupiditatibus prauis arrident.
At cùm conſtet, illum æterno Dei filio non aliam ob cauſam negotium feciſſe, quàm quòd is noſtræ
ſalutis ergo in mundum venerat, negari non poteſt, illum ſalutis humanæ hoſtem acerrimum eſſe,
3. & proinde nobis debere ſuſpecta eſſe, quæcunque ille ſuadet aut conſulit. Tertiò cum magna ſit no-
ſtra infirmitas, conſolationibus nos inſtrui & armari oportuit, quæ hîc nobis multæ & efficaciſsimæ
occurrunt. Quia enim Chriſtum noſtras infirmitates in ſe recepiſſe, & perinde vt nos tentatū fuiſſe
videmus, certò hinc colligi poteſt, eum nobis per omnia ſimilem factum eſſe, & proinde Pontificem
eſſe fidelem, qui noſtris miſerijs afficiatur, & cauſam noſtram ſeriò agat. Quod in tota hac hiſtoria
Paulus ad Hebræos ſcribens diligenter obſeruauit. Docemur item, tentationes non eſſe Dei irati
4. argumentum, cùm iiſdem filium ſuum ſubijci voluerit, & quidem tunc, quando paulò ante hunc fi-
lium

lium ſuum dilectum eſſe teſtatus fuerat. Scimus quidem aduerſa omnia ex peccato originem duxiſſe, & ſi in ſua natura æſtimentur: inter illius pœnas cenſeri debere. Sed ſanctificauit illa omnia ſuo merito Dei filius, vt iam fidei exercitia ſint, & proinde nemo propter illa deſperare debet, vt ſe Deo minus acceptum putet. Adhæc, quia in carne aſſumpta diabolum vicit Chriſtus, non obſcurè 5.
teſtatur, illum porrò ab homine vinci poſſe. Ita enim illius vires attriuit Dei filius, & eiuſdem chirographum, quo aduerſus nos litigabat, aboleuit, vt cauſam ſuam obtinere non poſſit. Quare etſi adhuc inſaniat, & ferociam indomitam præ ſe ferat, conteret tamen illum ſub credentium pedibus Chriſtus, & facilè illum vincunt, qui fidei clypeo tela eius excipiunt. Poſtremò exemplum 6.
nobis præbere voluit Dei filius, vt ex ipſo diſcamus, qua arte & quibus armis quadruplator ille vincendus ſit. De quo cùm in ſequenti Sermone plura dicenda veniant, nunc iſta obiter attigiſſe ſufficiat. Nunc autem probè à nobis obſeruari debet Dei bonitas, qui filium ſuum vnigenitum, & magno ſuo merito dilectiſſimum, eò vſque demitti & humiliari voluit, vt non modò per infandum crucis ſupplicium nos redimeret, ſed exemplum quoque præberet, quod nos in quouis caſu de rebus agendis admonere, & ſimul conſolationibus certis confirmare poſſet. Indignum videtur Regum filijs, ſi ad ſingulare certamen à milite gregario aut nulla generis nobilitate illuſtri prouocentur. At Dei filius maiorem noſtræ ſalutis quàm propriæ dignitatis rationem habendam eſſe putauit, quando pro nobis duello aduerſus eum hoſtem dimicauit, quo nullus fœdior, infelicior & infamis magis fingi poteſt.

Chriſtus mox à baptiſmo tentationibus obijcitur.

Porro tempus & locum certaminis huius videamus, de quibus Euangeliſtæ diligenter diſſerunt. Lucas enim hiſtoriam hanc cum ijs, quæ in baptiſmo Chriſti acciderunt connectens, vt nihil intermedium accidiſſe oſtendat, ſic ſcribit: Ieſus autem plenus ſpiritu ſancto reuerſus eſt à Iordane, & actus eſt à ſpiritu in deſertum. Marcus autem: Et continuò ſpiritus illum expellit in deſertum, &c. A cuius verbis Matthæus nihil diſſentit. Quàm primùm ergo ab Ioanne baptizatus & cœleſti patris teſtimonio inauguratus fuit Chriſtus, mox omni mora abrupta ſpiritum ducem ſecutus eſt, vt in deſerto tentationum pugnam aduerſus diabolum ſuſtineret, & noſtræ redemptionis initium faceret. Eſt hoc memorabile exemplum obedientiæ, quam patri in ſequenda ſua vocatione Chriſtus præſtitit. Alius quidam vel domum reuerſus cum ſuis de re tanti momenti conſultauiſſet: alius penes ſe omnia expendens, ſaltem expectandum putaſſet, donec conſtaret, quid de Ioanne facturi eſſent Iudæorum Seniores & Rex Herodes: alij de voce illa cœlitus delata quæſtionem mouiſſent. Scimus enim quam ingenioſa ſit caro in excogitandis rationibus, quibus ſeſe excuſet, ne Deo obediat in ijs, quæ cum aliquo labore & periculo coniuncta ſunt. Et ferè ipſi nobis pericula fingimus, vt plus ponderis habeat noſtra excuſatio. Quid, quòd pietatis prætextu multi ad tuendam inobedientiam ſuam abutuntur, & multa de officio ſuo, quod parentibus, coniugibus, liberis aut etiam communi patriæ debeant, diſſerunt. Sed omnes iſtorum rationes Chriſtus ſuo exemplo confutat. Impium enim eſt vel alios homines vel propriam prudentiam atq; rationem in conſilium adhibere, quando ſuam voluntatem nobis Deus diſertè expoſuit. Inobedientiæ autem apertæ indicium eſt de euentu rei diſputare, priuſquam quod facere Deus iuſſit executus fueris. Neq; pius dici poteſt, qui parentes, liberos, coniugem, patriam aut quicquid præterea nominare licet, Dei mandatis anteponit. Ita enim illis debemus pietatis officia, vt interim ſuum ius Deo apud nos integrum maneat. Nihil ergo vnquam procraſtinatores illi proficiunt: quia quò plures rationes ſecum ineunt, eò plures remoras obijcit Satan, quibus in Dei cultu & obedientia impediantur, & (vt Poeta ait) qui non eſt hodie, cras minus aptus erit. Ideo quod in præſenti Chriſtus fecit, hoc ipſum omnibus præcipit, quando cuidam patrem prius ſepelire volenti dicit: Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem me ſequere. Item: Qui manu ad aratrum admota reſpicit à tergo, non eſt aptus regno Dei. Luc. 9.

Communis omnium credentium conditio.

Adumbratur præterea Chriſti exemplo, quæ omnium membrorum eius ſors ſit, id eſt, omnium, qui ipſi in baptiſmo nomen dant, & Dei vocationem ſeriò ſequuntur. Illico hi in deſertum extruduntur, id eſt, deſertum eſſe ſentiunt mundum hunc, qui carni deditis paradiſus videtur. Nam vt deſerta inculta & ſterilia ſunt, adhæc ſentibus & vepribus horrent: ita mundus hic nulla Dei cognitione excultus ad bonum faciendum prorſus ſterilis & ineptus eſt, ſtatet autem vitiorum & ſcelerum ſentibus, quæ bonis omnibus ſcandalo ſunt, & ſimul dolorem ferunt maximum. Rurſus

deſerti itinera incerta & perplexa ſunt: ſic mundus hic infinitis ſuperſtitionum & omnis generis errorum Labyrinthis intricatur, vt vix quicquam difficilius ſit, quàm inter illos ſalutis viam rectam tenere. Item vt deſerta loca cùm propter feras tum propter prædones & latrones periculorũ plena ſunt: ita vbiq; in mundo hoc pericula nobis occurrunt ex ijs, qui immaniſſimas belluas & crudeliſſimos graſſatores ſua truculencia & plus quàm ſanguinario quoſuis perdendi ſtudio vincunt. Illic enim graſſatur vetus ille homicida diabolus, qui rugientis leonis inſtar oberrat, quærens quem deuoret. Inter homines autem, tanquã in Circæo ſtabulo, omnis generis beſtiæ cernuntur. Illic libidinoſi ſuum & porcorũ inſtar grunniũt, iracundi vrſorum ſimiles vncant, obtrectatores canes latrant, voraces lupi vlulant, rapidi lynces orcant, tigrides indomitæ rancant, fraudulentæ vulpesganniunt, mordaces pardi cauriũt, calcitroſi aſini & onagri rudunt, ſerpentes venenoſi ſibilant: deniq; hæc omnia cum publico omniũ exitio faciunt, qui procul reiecto omni humanitatis & pietatis ſenſu in feras degenerauerunt: neq; tantũ periculi nobis imminet à bellnis, quantũ ab ijs, qui eiuſdem nobiſcum naturæ conſortes ſunt: vt non temere veteres dixerint, hominem homini lupum eſſe. Accedunt tamen his grauiora animæ pericula ex lupis & vulpibus perſonatis, qui ſub religionis prætextu miſeros ſeducunt, & non contenti fortunas illorũ rapuiſſe, eorundem corporibus quoq; turpiter illudunt, & ſimul animas ad ſempiternum exitium demergunt. Cumq; iſti omnes ſe mutuò facilè ferant, vnanimè tamẽ conſenſu & furore aduerſus Chriſti cultores inſurgunt, quos luce veritatis illuminatos diuerſam ab ipſis viuendi rationẽ ſequi vident. Nihil ergo ſibijpſis illi polliceri debẽt, quàm perpetuas pugnas & aſſidua certamina, quicunq; in Chriſto piè viuere voluerint. Magna ergo eorum eſt infelicitas, qui mundo hoc delectantur, inexcuſabilis verò multorum perfidia, qui cum Chriſto nomen dederint, cum mundo tamen colludunt, & cum hoc in omnem licentiam effunduntur.

Chriſtus à ſpiritu in deſertũ agitur.

Audiamus nunc quo duce Ieſus in deſertum exiuerit. Lucas à ſpiritu actum fuiſſe ſcribit. Marcus autem expellendi, vel potius eijciendi verbo vtitur: non vt Chriſtum præter animi voluntatem inuitum aut reluctantem eiectum eſſe oſtendat, ſed vt efficatem ſpiritus motum exprimat, qui ipſi author fuit, vt relicta priori conditione, qua priuatus & plebei inſtar vixerat hucuſq;, nunc nouum vitæ genus ſuſciperet, & impoſitam ſibi à patre functionem obiret. Et de Dei ſpiritu hoc intelligi debere, ex eo conſtat, quòd ſpiritu ſancto plenus eò exiuiſſe dicitur. Semper quidem illi ſpiritus ſanctus affuit, attamẽ pro aſſumpti hominis natura nouis incrementis indies ſeſe in illo declarauerat antea, vt non obſcurè Lucas docuit, quando eum ſpiritu roboratum & ſapientia impletum fuiſſe ſcripſit, vt maiores quotidie progreſſus faceret. At nunc, cùm tempus illud inſtaurandæ humanæ ſalutis inſtaret, vniuerſa ſpiritus plenitudo in illum effuſa eſt, vt eadem ex illo in nos etiam redundaret, atque in eius cùm doctrina tum operibus aliquid homine maius poſſet agnoſci. At nobis hinc generalis doctrina petenda eſt, tentationes non temere aut fortuitò incidere, ſed has quoque certo diuinæ prouidentiæ conſilio diſpenſari & regi. Oberrat quidem inſtar leonis rugientis ſatan, & perditos cupit: at idem nihil in nos iuris habet, niſi quantum ei permittit Deus, cuius nutu omnia gubernantur. Exemplis pluribus hoc doceri poterat, inter quæ cumprimis memorabile eſt, quod in Iobi hiſtoria habetur. Eſt hoc plenum conſolationis, ſi cogitemus Deum ipſum eſſe agonothetam noſtrum, qui & in arenam hanc nos deducit, & pugnantes ſpectat, imò viribus quoq; & armis inſtruit, vt certaminibus huiuſmodi ſufficere poſſimus. Quia enim fidelis eſt, ſuos

1.Cor.10. *non ſupra vires tentari ſinit, & vnà cum tentatione euentum felicem largitur. Et vt alibi ait Apo-*

Rom. 8. *ſtolus, ſpiritus Dei noſtras infirmitates ſubleuat, vt ea quoq; vincere poſſimus, quæ hominis vires longè ſuperant. Nemo igitur vel metu ſuccumbat, vel deſperatione abſorbeatur, quando tentationes vndiq; ſurgere videt. Interim verò curent ſinguli, ne propria temeritate aut confidentia tentationibus ſeſe obijciant. Quia enim infirmiores ſumus, quam vt noſtris viribus vel Satanã repellere, vel carnem in officio continere poſſimus, ſtultum fuerit pericula non neceſſaria ſibijpſi accerſere: & exempla ſunt, quæ docent parum feliciter cedere nobis, ſi quid huius temere aggrediamur. Debebant de hoc diligenter cogitare, qui vel lucri vel gloriæ cauſa, vel etiã turpi ventris ſtudio ſeſe impiorum aut ſuperſtitioſorum hominum conſortijs immiſcent, aut etiam eorum ſeruitijs ſeſe mancipãt, quos Chriſti et euãgelicæ veritatis hoſtes eſſe non ignorant. Pollicentur illi ſibijpſis multa de ſuis viribus,*

& ſa

& ſe in fidei veræ profeßione conſtantißimos fore confidunt. Sed quando de religione & fide interrogantur paulò durius ab illis, quorum authoritate & fauore ipſis maximè opus eſt, tunc idem fere eis, quod Petro ad Caiaphæ prunas ſeſe calefacienti, accidit, vt aut turpi dißimulatione fidei confeßionem obſcurent, aut Chriſtum eiuſq; euangelium palàm abnegent. Nec enim ſpiritus ſancti virtute confirmantur, qui eo neglecto ſui ſpiritus temerarias ſuggeſtiones ſequuntur, & huius ſeculi commoda æternæ ſalutis per Chriſtum nobis acquiſitæ beneficio præferunt. Idem illis, quoad mores & reliquam vitæ conſuetudinem, accidere ſolet, qui ebrioſorum, ſcortatorum, aleatorum, commercijs ſeſe immiſcent, aut militiæ mercenariæ ſeſe mancipant. Etſi enim in animum inducant, ſe nihil præter officium facturos eſſe, paßim tamen & ſingulis momentis malè agendi occaſiones Satan obijcit, & facilè vincuntur crebris tentationum aſſultibus, qui ſe inuictos fore putabant. Ergo procul relicta Babylone, in eccleſiæ Chriſti gremio maneant ſinguli, ſuperſtitionum occaſiones vitent, improborum conſortia caueant, & in vnius Dei voluntatem intenti, huius ſpiritum ſequantur. Laborent item in tollendis publicis ſcandalis magiſtratus, quò minus qui infirmiores ſunt exemplis malis aut ſcelerum illecebris tententur. Quòd ſi verò Deus ipſe nos in paleſtram tentationum deducit, & neceſſariò cum illis agendum eſt, qui nos ad illicita ſolicitant, tunc intrepido animo pugnam capeſſamus, neq; deerit nobis ſpiritus ſanctus, qui nos omni tentatione ſuperiores reddet.

Chriſtus per dies 40. tentatur, & interea nihil edit.

Sed ad Chriſtum redeamus, de quo ſic ſcribit Lucas: Fuitq; diebus quadraginta tentante eum diabolo, & nihil comedit per illos dies, ſed ijs exactis, poſtea eſurijt. Vnde colligitur, non ſolum tres illos cum diabolo congreſſus eum ſuſtinuiſſe, de quibus poſtea dicetur, ſed totos quadraginta dies in pugnis & tentationibus aßiduis tranſegiſſe. Interea autem toto illo tempore nihil comedit, quo exemplo Papiſtici doctores ad ſtabiliendum quadrageſimale ieiunium abutuntur, vt etiam Moſis & Eliæ, de quibus ſimile quid ſacra hiſtoria tradit. Sed facilè conuinci poſſunt, ſi rem ipſam propius inſpiciamus. Primò enim non modò nihil comedit Chriſtus, ſed ne eſurijt quidem. Nam exactis demum quadraginta diebus illum eſuriuiſſe Lucas ſcribit. Non ergo ieiunij aut abſtinentiæ ſeu temperantiæ exemplum hic proponitur, ſed miraculum deſcribitur, quo Deus filium ſuum commendare, & publicè teſtari voluit, Ieſum hunc eum eſſe, de quo Moſes & prophetæ omnes olim vaticinati ſunt. Deinde ad ipſum confirmandum hoc maximè ſeruiuit, & facilius ei fuit poſtea diffidentiæ telum, quo eum Satan tentauit, eludere, cùm proprio exemplo edoctus eſſet, hominem non ſolo pane viuere, ſed quouis verbo, quod exit ab ore Dei. Adhæc non quotannis hoc fecit Chriſtus, ſed ſemel tantum, quod ipſum de Moſe etiam & Elia dici poteſt. Ineptè ergo in exemplum trahitur, quod neque illi ipſi iterauerunt, & quod nemo veterum vnquam imitari conatus eſt. Confidentiæ autem nimiæ fuerit, tentare quod vires noſtras longè ſuperat: & cùm reliqua Chriſti miracula nemo pro exemplis habeat, ad quorum imitationem omnes aſtringantur, quæ illa iniquitas eſt, quenquam ad hoc adigere, quod non magis ab homine præſtari poteſt, quàm ſi illum quinque panibus quinque hominum millia paſcere, aut mortuos excitare iubeas? Accedit præterea ſuperſtitio cum impietate coniuncta, quando ſalutis meritum in ſuis illis ieiunijs conſtituunt, & Deum illis coli tradunt, fruſtra illo apud Zachariam clamante: Quando ieiunatis, vobis ieiunatis: & quando editis, vobis editis. Procul ergo faceſſant hiſtriones illi, qui Chriſtum & quæcunque is fecit, ſibi ipſis ludum faciunt, & ſub illius nomine imperitis rerum impudenter inſultant. Interim non negamus, ſobrietate & verò ieiunio cumprimis opus eſſe, quando fidem noſtram grauius tentari, aut nos ad libidinem & alia vitia ſolicitari ſentimus. Solet enim caro ſpiritui reſiſtere, & quò indulgentius illa tractatur, eò magis ferocit, & ſpiritum languentiorem reddit. Ideo intemperantiam & ebrietatem ſcripturæ paßim damnant, & pios in precibus & ieiunijs frequentes eſſe iubent. Hæc autem neque certis diebus aſtringi, neque in ciborum diſcrimine conſtitui debent: ſed quando ſic opus eſt, ea carni nos ſubducere debemus, quæcunque eam vel ferociorem, vel in pietatis officijs ſegniorem reddere poſſunt. Et vtinam hodie tam facilè nobis eſſet, temperantiam & verè Chriſtiana ieiunia omnibus perſuadere, quàm facilè eſt ſuperſtitiones damnare, vt his relictis omnes ad libertatem Chriſtianam aſpirent, qua plerique ad licentiam abutuntur.

Chriſtus eſurit.

Quod autem Chriſtus exactis quadraginta diebus eſuriuiſſe dicitur, veræ humanitatis argumentum eſt, cuius infirmitas naturalis mox ſeſe exeruit, quàm primùm in ea reprimenda virtus

Ioan.4. *diuina ceſſauit. Ita alibi ſitiuiſſe & ex itinere fatigatus fuiſſe dicitur. Sunt hæc in eum finem obſeruanda, vt eius meritum ad nos pertinere diſcamus, & vt in fide confirmati intelligamus, nos neq; miſeros neque à Dei gratia alienos eſſe, etiamſi fame, ſiti & aliarum rerum inopia nos Deus exerceat. Suſtinuit hæc omnia propter nos Dei filius, Ieſus Chriſtus, in quo certa nobis eſſe debet ſalutis fiducia, vt in illo tentationes omnes vincere, & olim cum eodem in cœlis triumphare poſſimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA XXXVII.

Tunc dixit ei diabolus: Si filius es Dei, dic iſti lapidi, vt fiat panis. Et reſpondit ei Ieſus dicens: Scriptum eſt, non pane ſolo viuet homo, ſed omni verbo Dei.

Tentationes de uera Christi humanitate teſtantur.

INter Dei opera nullum excellentius & admirabilius inuenitur, quàm quod filium ſuum vnigenitum hominem verum naſci voluit, vt in vna eademque perſona duæ diuerſiſſimæ naturæ, diuina & humana, indiſſolubili vinculo ſociarentur. Quia autem hoc carnis rationi impoſſibile videtur, creditu verò neceſſarium eſt, veram Chriſti humanitatem multis argumentis teſtatiſſimam fieri oportuit. Ex ea enim apparet, illum fratrem noſtrum eſſe, eiuſque meritum ad nos propriè pertinere. At inter argumenta illa facilè primum eſt, quòd tentationum certamen ſubijt. Nam quæcunque de actionibus corporis dicuntur, nonnullis imaginaria videri poterant, & ſcimus olim aliquos fuiſſe, qui & corpus Chriſti phantaſticum, & omnes eius actiones imaginarias fuiſſe dicerent. In tentationibus autem eius manifeſtè apparet, illum nobis (excepto vno peccato) per omnia ſimilem factum fuiſſe, neq; ei quicquam deeſſe eorum, quæ humanæ naturæ propria ſunt. Quamobrem non temere factum eſt, quòd hanc hiſtoriæ de Chriſto partem Euangeliſtæ tanta diligentia deſcribunt. Lucas certè illum totis diebus quadraginta in tentationum palæſtra deſudauiſſe ſcribit: & vt nobis certius conſtet, quibus arietibus illum Satan oppugnauerit, nunc tres congreſſus ex ordine narrat, ex quibus & hoſtis noſtri communis artes agnoſcere, & ſimul diſcere licebit, quibus armis ille repelli & vinci poſſit.

Diabolus tentator.

Primus autem producitur hic diabolus, quem Matthæus tentatorem vocat, eò quòd is olim primos parentes tentauit, & hodie etiam omnium tentationum proprius author eſt, quibus ad peccandum ſolicitamur. Et huius nominis nos aſſiduè meminiſſe cõuenit, vt vigilantiores ſimus aduerſus eius inſidias, quibus nos circumuenire & à ſtatione noſtra deijcere ſatagit. Quam enim ſecuritatem nobis polliceri poſſumus, quibus cum eo res eſt, qui aduerſus dilectum & æternum Dei filium in arenam deſcendere auſus fuit? Quòd ſi quæras, qua ratione in illo tentando vſus ſit, & viſibili ne forma ei apparuerit atq; voce clara ſit locutus, vel occultis & internis ſuggeſtionibus mentem eius ſolicitarit? nihil certi reſponderi poteſt. Vtrumq; enim ab illo fieri ſolet. Non dubium verò mihi eſt, improbum illum omnes ſuas artes protuliſſe eoq; terribiliorem ſeſe præbuiſſe, quò fortiorem aduerſarium ſibi oppoſitum eſſe ſciebat. Sed audiamus quibus verbis eum compellarit. Si filius es Dei (inquit) dic iſti lapidi, vt fiat panis. Vbi ante omnia tempus & occaſionem expendere oportet, quam Satan obſeruauit. Dictum autem eſt nuper Chriſtum totis diebus quadraginta ab omni cibo abſtinuiſſe, & ijs euolutis eſuriuiſſe. Quo loco famem vehementẽ denotari puto, & quæ illum pro aſſumptæ carnis infirmitate quàm grauiſſimè afflixerit. Mox ergo adeſt tentator ille, & qui hactenus nihil ſe profeciſſe videbat, nunc occaſionẽ ſibi oblatam arbitratur, qua Chriſtum debellare & proſternere poſſit.

Diabolus occaſiones tentandi captat diligentiſſimè.

Patet in hoc indefeſſum illius ſtudium nocendi, aſtutia item eiuſdẽ, qua occaſiones ex nobis captare nouit, quando nos vel in aduerſis impatientiores eſſe, vel iam ante deſideriũ aliquod illicitũ animo concepiſſe videt. In Chriſto quidem, qui ab omni naturæ vitioſitate alienus erat, nihil huius inuenire potuit, famẽ autẽ vidit, cuius homines impatiẽtiſſimos eſſe ſciebat, et quòd ea vrgente multi nihil non ſibi licere arbitrantur, quo nomine veteres illã maleſuadã dixerunt. Itaq; iſtã occaſionẽ ſibi minimè negligendã eſſe putauit. Et hoc eius vetus ſtratagema eſt, quo Euam matrẽ noſtrã expugnauit. Cùm enim ſola per paradiſum vagaretur, & arboris vetitæ aſpectu gauderet, deq; Dei præcepto

(vt ex

(vt ex eius verbis facilè colligitur) iam penes ſe dubitare inciperet, illico adeſt ille, colloquij occaſionem captat, de mandato Dei quaſi ignarus omnium quærit, re audita periculum extenuat, imò aliquid periculi ſubeſſe negat, adhæc magnificis promiſſis & ipſius diuinitatis ſpe animum Euæ accendit, vtque magis eam moueat, Deum illi fingit inuidum & conſortis impatientem, qui ne homines ad diuinam gloriam vnquam pertingant, arboris iſtius vſum interdixerit. Et quàmuis imprudenter nimis hæc omnia fingat, occaſionem tamen iſta dicendi ex Eua arripuit, quæ illius dictis eò citius ceſſit, quòd ea cum deſiderio vetiti fructus conuenire audiebat. Simile quid Dauidi accidiſſe legimus. Cùm enim otio deditus domi deſideret, & in Vriæ vxorem incautius lauantem oculos intentius defixiſſet, cõfeſtim animum quoq; eius aggreditur, carnis cupiditatẽ incendit, mulieris potiundæ ſpem facit, & ſimul rationes ſuggerit, quibus negotium hoc poſſit confici. Propria ergo culpa Dauides diaboli inſidijs et telis patuit, qui illi grauiſſimorum ſcelerum poſtea fuit author. Et hodie idem omnibus accidit, qui cùm natura ad libidinem procliues ſint, alienas formas diligentius ſpectant, & inde conceptas cupidinis flammas non ocyus reſtinguunt. Patiuntur idem qui ad diuitias animum adiecerunt. Nam hîc quoq; optatiſſima occaſione oblata Satan habendi deſiderium magis accẽdit, & nouas indies monſtrat rationes, quibus per fas & nefas diteſcant. Eadem illorum ratio eſt, qui in cruce & afflictionibus aliquod impatientiæ ſpecimen præbent, & de Dei iuſtitia aut fide quiritari incipiunt. Nam apud illos quoq; abſq; mora inſtat quadruplator ille, & omnis generis rationes profert, quibus Dei gratiam atq; veritatem in dubium vocet, & illos eò adducat, vt vel impiè aduerſus illum murmurent, vel turpi abnegatione ſalutem propriam prodant. Et hoc illud eſt, quod Iacobus Apoſtolus vnumquenq; à propria concupiſcentia tentari ſcribit. Multa ergo cura & vigilanti ſtudio opus eſt, ne quam occaſionem hoſti tam improbo demus, & ideo oculos ab illicitis auertere, aures ad colloquia praua obturare, à cogitationibus iniuſtis animum reuocare, cupiditatum principia reſtinguere, peccati blanditias procul arcere, carnis querulæ murmurationibus obſiſtere, deniq; ab omni ſpecie mali abſtinere debemus, ne nos perdendi occaſionem Satan in nobiſipſis inueniat.

Diffidentia tentat Christum diabolus.

Sed præſtat ipſa diaboli verba propius inſpicere, vt quis illi in Chriſto tentando finis propoſitus fuerit intelligamus. Si filius es Dei (inquit) dic iſti lapidi, vt fiat panis. Quæ verba primò intuitu nihil impium aut à Chriſti vocatione alienum ſonare videntur, ſed potius hoc exigere, vt non inglorius & obſcurus in deſerto lateas, ſed potius inſigni aliquo miraculo ſe Dei filium eſſe declares, vt omnium animi ad ipſum excipiendũ excitentur. Sed longè aliud vult verſutus ille, qui (vt Paulus ſcribit) in angelum lucis ſe transfigurare nouit. Nam quod totius ſalutis humanæ caput eſt, ipſam nimirum fidem Chriſti euertere conatur, ex qua omnis ea obedientia manauit, qua nos à peccati noxa & damnatione liberati ſumus, quam primi parentis inobediẽtia inuexit. Et ſi rem omnem probè excutias, videbis hanc diaboli poſtulationem directè Patris cæleſtis teſtimonio opponi, quo hic Ieſum iſtum filium ſuum dilectum eſſe pronuntiauerat, propter quem cum toto hominum genere in gratiam redieris. Perinde enim eſt, ac ſi diceret: Tu quidẽ rem maximi momenti aggrederis, humani nimirum generis redemptionem, ea ſcilicet fiducia fretus, quòd dilectus ille ſis Dei filius, quem Pater æterno ſuo decreto ad hoc negotium deſtinauit. Neq; inficior, me quoq; audiuiſſe vocem illam, quæ ad te nuper delata eſt, cùm ab Ioanne baptizareris. Sed num huic credere tutum ſit nondum video, quando conſtat mirificis præſtigijs hominum ſenſus & animos ludificari. Et in eo, quod tu conaris, non verbis, ſed factis opus erit, quæ te filium illum Dei eſſe teſtentur, qui miſeris opem ferre & perditos ſeruare poſſis. At quæ hæc eſt tua conditio, nihil huius præ te ferre videris. Si enim humani generis vindex & redemptor es, cur inter feras potius quàm inter homines vitam degis? Si mundi ſeruator videri cupis, cur in loco inculto & inhabitato tam diu moraris? Si deniq; vitæ æternæ author & gratiæ diuinæ mediator es, qui animas iuſtitiam atq; vitam eſurientes paſcis & recreas, cur tu nunc inedia ringeris? Scilicet hæc fieri permitteret Deus, ſi te filij loco haberet? Scilicèt tù animas mortalium ſaturare poteris, qui ne corpus quidem proprium à dira fame potes defendere? Quin ergo ad miracula edenda accingeris, vt & ipſe melius habeas, & quàm plurimos ad te trahas? Nec eſt quòd quæras, quid facto opus ſit. E re præſenti conſilium petito, & quod extrema neceſſitas iubet facito. Fame te cruciari ſentis, quam niſi ocyus tibi eximas, pereas oportet. At cibus in promptu nullus eſt, neq; hunc aliunde petendi occaſio datur. Quid ergo agendum ſupereſt? En lapis hic,

quem ſi panem feceris, procul dubio te panem illum vitæ eſſe omnes intelligent. Neque in hoc conficiendo multa cogitatione aut labore opus eſt: Nam ſi Dei filius es, & quidem dilectus illè, in cuius gratiam cæli ſciſſi ſunt, & ſpiritus ſanctus reuera viſibili ſpecie deſcendit, ipſa rerum natura tibi cedat oportet. At quod potes, id omnino velle debes, quando & tua gloria & communis hominum ſalus, vt hoc facias, poſtulat. Hæc & omnia alia, quæ in hanc ſententiā dici poterant, pauca hæc diaboli verba continent. Quid autem his effectum voluit? Hoc nimirum, vt Chriſtus patris oraculum in dubium vocet, & tandem diffidentia ſuperatus vel mox deſerat ſtationem ſuam, vel miraculo nō neceſſario diuinitatem ſuam tunc probet, quando extremè humiliari & ſe noſtris infirmitatibus obnoxium eſſe demonſtrare debebat. Hi enim proprij diffidentiæ fructus ſunt, quòd aut ſubitò ſtationem noſtram deſerimus, aut præcipiti deſiderio abrepti ordinem à Deo præfixum abrumpere aut anteuertere conamur, vt glorificari velimus priuſquam cruce & afflictionibus, vt par eſt, probati ſumus. Quod autem in præſenti Satan Chriſto obijcit, hoc ipſum poſtea quoq; in cruce pendenti per Sacerdotes & ſcribas, per milites, per plebeios homines exprobrauit, cum illi palàm dicerent: Tu ille qui diſſoluis templum & in triduo ædificas, ſerua temetipſum. Si filius Dei es, deſcēde à cruce. Alios ſeruauit, ſeipſum ſeruare non poteſt. Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc à cruce, & credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult eum, &c. Quibus omnibus hoc vnum quærebat diabolus, vt inter acutiſſimos ignominioſiſſimosq; dolores diffiſus Patris erga ſe voluntate per miraculum ex cruce deſcenderet, & ita quod iam in procinctu erat humanæ redemptionis opus abrumperet, cui illum Pater deſtinarat.

Sancti ferè tentamur diffidentiæ telis.

Et hæc illa tela ſunt diaboli, quibus ſanctos quoq; Dei cultores oppugnat. Dauid certè ſibi hoc ipſum ab aduerſarijs ſuis non ſemel obiectum fuiſſe queritur, quòd à Deo derelictus ſcelerum pœnas exolueret, & fruſtra in eius opem atq; promiſſiones reſpiceret, cuius ira ipſi ſubinde ob oculos verſaretur. Eodem telo etiam hodie contra nos publicè & priuatim vtitur. Sentiunt hoc qui morbis diuturnioribus excruciantur. Tunc enim ſuggerit Satan: Quid in Domino ſperas & eius auxilio fidis, quem tui oblitum, aut etiam tibi inimicum eſſe vides? Quàm multi enim interea ex morbis grauioribus ſeruati ſunt, te nequicquam in Deo ſperante? Quin ipſe tibi conſulis, & quæ multos alios ſeruarunt remedia adhibes? Quorſum verò illa tendunt? Vt & Dei fiducia abiecta & relictis medijs naturalibus ad illicita conuertamur: ad exorciſmos nimirum, magicos ſuſurros, amuleta & quæcunque alia huius generis homines vel ſuperſtitioſi vel etiam palàm impij excogitare ſolent. Idem fit in rerum penuria & fame. Tunc enim Satana ſuggerente cogitationes iſtæ exoriuntur: Tu ne ex filiorum Dei numero te eſſe credis, qui Chriſto iubente clamant, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? Quis enim pater filium famelicum negligit? Aut quis tam durus & crudelis eſt, vt panem petentibus liberis paruulis lapides apponat, aut etiam immerentes virgis cædat? At te non ſolum negligit Deus, ſed nouis quotidie calamitatibus exercet, dum quæ tibi præſto ſunt eripit, dum laboribus tuis debitum fructum negat, & ne minima quidem ſui fauoris indicia præbet. Quin ergo aut vitam laqueo abrumpis, vt ſemel omnem miſeriam effugias, aut ad artes conuerteris, quæ multis alijs profuerunt? Fruſtra hodie iuſtitia & vitæ integritas colitur: rapinis, furtis, impoſturis, dolis, vi aperta & indomita audacia opus eſt, ſi quis rebus ſuis conſultum velit, &c. Imprimis autem ingenioſus eſt Satan, ſi quando propter religionem & puriorem de Chriſto doctrinam periclitamur, & vel in exilium pulſi incertis vagamur ſedibus, vel ad inopiam extremam redacti cum noſtris eſurimus, vel omnium ludibrio expoſiti omne infamiæ genus ſuſtinemus, aut carceribus incluſi mortem & diriſſima quæque ſupplicia expectamus. Tunc enim mirificè rhetoricatur ille. Hæc ne (inquit) eſt fides illa, quæ Dei filios facit, quæ iuſtos reddit, quæ Dei fauorem conciliat, quæ omnia vincit, quæ montes loco mouet, quæ denique ſola felices & beatos facit? Egregij profectò filij Dei ſunt, quos ſuo nomine periclitantes ille negligit. Præclara ſanè iuſtitia eſt, quam nemo ſapiens & in aliquo dignitatis gradu conſtitutus agnoſcit, & cuius cultores pro hæreticis, ſciſmaticis, ſeditioſis & publicorum malorum omnium authoribus habentur. Egregius autem Dei fauor eſt, exulare, egere, algere & infamem eſſe. O victores & triumphatores glorioſos, qui patrijs bonis cedere, cum inopia conflictari & omnium ludibria perpetuò ſuſtinere coguntur. Si montes transferre poſſunt qui verè credunt, quin ex humeris veſtris

crucem

*crucem reijcitis, regum edicta abrogatis & veſtram illam eccleſiam ex periculorum tantorum metu
liberatis? Id verò cùm nemo veſtrûm poſſit, aut tota illa fides veſtra falſa eſt, aut ipſi non verè
creditis, & proinde nequicquam vobis Dei fauorem & omnia læta pollicemini. Audiuntur hæc &
infinita alia huius generis paſſim hodie, & plura adhuc ſibi licere putant infelicia diaboli organa,
quorum linguis ille abutitur, ſi quando tota regna & reſpub. florentiſſimæ propter Chriſti doctrinam
periculis grauioribus exercentur. Tunc enim voces illæ plus quàm diabolicæ ſonant: Iamne ſenti-
tis veſtri illius Euangelij fructum? Iamne quid Chriſtus ille veſter poſſit experimini? Agite nunc
fidei veſtræ vires oſtendite, nunc ex fide illa vobis victum, auxilium, defenſionem quærite, &c. Sed
tunc pijs in mentem veniat, quòd eadem olim Chriſto exprobrauit Satan, & quòd olim ſimilia mul-
ta audiuerunt ſanctiſſimi homines, ideoq; iſtis non offendamur, quaſi noua ſint & inſolita. At non
circa hæc ſolùm calumniatoris iſtius diaboli ſophiſtica verſatur, ſed in ipſas hominum conſcientias
altius penetrare ſolet, quando Legis diuinæ difficultatem & illius minas nobis ob oculos ponit, cumq;
illis noſtras vires confert, quæ prorſus nullæ ſunt. Nam ex eo etiam colligit, nequaquam pro filijs
ſuis Deum eos agnoſcere, quot conditionibus præſtitu impoſſibilibus obſtrinxeris, & inuiolabili le-
gis ſuæ decreto iampridem ad mortem damnarit. Eſt hæc tentatio omnium grauiſſima, quia & pro
priæ conſcientiæ teſtimonio & expreſſo Legis pronunciato confirmatur. Multi ergo ea ſuperati fi-
duciam omnem diuinæ bonitatis abijciunt, & ipſi ſibi mortem conſciſcunt, vt intolerabiles infero-
rum terrores effugiant, qui illis ipſa morte grauiores ſunt. At non ideo nos animum deſpondere o-
portet. Voluit enim tentationis huius ariete Chriſtus quoq; concuti, vt in hac etiam parte vires dia-
boli frangeret, & nobis hanc vincendi viam monſtraret, adeoque armis ad hanc pugnam neceſſarijs
inſtrueret.*

Itaq; illum diabolo reſpondentem audiamus. Scriptum eſt (inquit) non pane ſolo viuet homo, ſed Vt Chriſtus dif
omni Verbo Dei. Poterat infinitis argumentis exprobrationem illam confutare, & aliqua diuini- fidentiæ telum
tatis ſuæ declaratione improbum terrere, vt quàm ocyſſime è medio abiret. Sed ijs armis voluit vti, eludat?
*quibus nos quoq; pugnare poſſumus, vt ſimul ſpem faciat, poſſe diabolum ab homine vinci, modò ido-
neis armis inſtructus ad pugnam iſtam accedat. Deſcribit ea Paulus prolixè ad Epheſ. cap. 6. vbi
balthei veritatis, thoracis iuſtitiæ, galeæ ſalutis, ſcuti fidei, atq; gladij ſpiritus meminit. Eſt is Ver
bum Dei, quo vno reliqua omnia comprehenduntur. In hoc enim Veritas æterna inuenitur, in eo-
dem iuſtitia Chriſti nobis offertur, quæ nos thoracis inſtar munit & ad Dei tribunal defendit: hoc
nobis Chriſtum ipſum tradit, qui & galea ſalutis & caput noſtrum eſt; ex quo vitæ ſpiritus in nos
omnes deriuatur: idem hoc verbum illud fidei eſt, & fidem tradit, qua quicunque præditi ſunt, ij ad
omnia diaboli tela excipienda & reſtinguenda ſatis inſtructi ſunt. Imprimis autem gladij loco eſt
credentibus Dei verbum, quia non ſolum in fide eiusq; officijs nos inſtruit, verumetiam ad Sata-
nam profligandum facit, qui non alia re magis quàm illo terretur. Quia enim regnum eius vniuer-
ſum ex mendacijs conſtat & ijſdem quaſi fulcris nititur, argumenta quoq; eius, quibus nos ad diffi-
dentiam atq; inobedientiam ſolicitat, merè ſophiſtica & falſiſſima ſunt, intolerabilis illi eſt Veri-
tatis lux, quæ radijs ſuis illius nebulas atq; fucos penetrat, & piorum omnium ludibrio ipſum expo-
nit, qui paulò ante neſcio quid magnificum proferre & de nobis triumphaturus eſſe videbatur. At
cum Dei Verbum nominamus, non de incerto quodam & interno loquimur, quale ſibi fingunt, qui* Dei Verbum.
*neſcio quas reuelationes & inſpirationes priuatas ſomniant: ſed de eo, quod in ſcripturis continetur,
quas Paulus à Deo inſpiratas & ad docẽdum, arguendum, corrigendum & perficiendum hominem* 2.Tim.3.
*Dei idoneas & ſufficientes eſſe teſtatur. Ex his enim ipſe Dei filius gladium illum depromit, quo in
toto hoc certamine diabolum deuicit. Vbi tamen nemo putauerit, exemplum hoc ſuperſtitioſis & ma
gicarum artium ſectatoribus patrocinari, qui nuda verborum ſcripturæ recitatione quiduis confici
poſſe arbitrantur, & proinde ex illis exorciſmos fingunt, quibus malignos ſpiritus fugari, morbos
pelli & infinita alia mala arceri fingunt. Eſt hic abuſus verbi Dei impijſſimus, ab ipſo diabolo ma
giſtro excogitatus, qui ſe exorciſmis eiuſmodi terreri & in ordinem cogi ſimulat, vt ea perſuaſione
homines decepti in nuda verborũ demurmuratione acquieſcant, & ita fidem atq; obedientiam negli-
gant, quæ Dei verbo debentur, & quæ ſola illud nobis efficax & ſalutare reddunt. Cùm fide ergo gla
dius ille ſpiritualis aduerſus diabolũ ſtringi debet, & nimirum fide, qua hominem totum Deo manci*

pat, & ita eum diaboli inſidijs ſubducit, qui fruſtra eos oppugnat, qui toti ab vno Deo dependent. Et ita Dei verbo ex ſcripturis Chriſtum vſum eſſe, totus hiſtoriæ huius contextus abunde docet. Commendatur autem nobis illius exemplo ſacræ ſcripturæ ſtudium, in cuius lectione & meditatione nos aſsiduos eſſe neceſſe eſt, vt in promptu nobis ſint arma, quibus diaboli ſuggeſtiones eludamus. Etenim qui ſcripturas contemnunt, ij & in licentiam effrænem effunduntur, & ſi qua grauior tentatio oritur, mox victi ſuccumbunt, cùm penes ſe nihil inueniant, quo fidem ſuam confirmare, diaboli paralogiſmos deprehendere, & illius ſuggeſtionibus reſiſtere poſsint. Sunt ergo hominum pernitioſiſsimi, imò humani generis hoſtes publici cenſeri merentur, quicunq; ſcripturæ ſacræ libros ex hominum manibus excutiunt, & ne illi in linguis vulgaribus legantur prohibent. Quid enim hi aliud agunt, quàm quod vnicè confectum vult Satan, vt nimirum nudos & inermes opprimat? Eadem enim opera miſeris arma eripiunt, quibus contra hoſtem communem pugnent, adeoque claudunt (quantum in ipſis eſt) inſtructiſsimum illud Spiritus ſancti armamentarium, quod Deus omnis loci & ordinis hominibus patere vult, vt inde arma telaque habeant, quibus ſeſe aduerſus Diaboli aſſultus tueantur.

Locus Deut. 8. *Porrò ipſum ſcripturæ locum inſpiciamus, quem in præſenti Chriſtus adducit. Extat is Deut. 8. cap. vbi Moſes ad fidem conſtantem & piam præceptorum Dei obſeruationem Iſraelitas exhortans, inter alia ſic dicit: Recorderis totius itineris, per quod duxit te Dominus Deus tuus his quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, & tentaret te, vt ſciret deniq; (id eſt, vt publico experimento omnibus notum faceret) quid eſſet in corde tuo, num ſcilicet ſeruares præcepta eius, an minus. Afflixit itaq; te, & paſſus eſt te fame laborare, aluitq; te Manna, quod neq; tu neq; patres tui nouerunt: vt ſcilicet oſtenderet tibi, quòd non ſolo pane viuit homo, ſed omni eo quod exit ab ore Domini homo viuet, &c. Hebraica autem phraſi exitus oris Domini dicitur quod ipſe decernit & iubet. Sic apud Danielem exitus verbi ſignificat decretum de inſtauranda vrbe Ieroſolyma, quod anno ſeptimo Artaxerxis Longimani factum fuit. Panis autem nomine omnis hominis victus & recepta hunc parandi ratio intelligitur. Itaq; verborum Moſis ſenſus eſt: Deus vos totis annis quadraginta nouo acq; prius inaudito modo aluit, & cùm in ijs locis agereis, in quibus neq; ſementem neq; meſſem facere poteratis, ſimulq; impoſsibile eſſet aliunde annonam aduehere, quæ tantæ multitudini ſufficeret, ille cæli feneſtras vobis aperuit, & panem angelorum dedit, vt victum nullo vel pretio vel labore partum haberitis. In quo non præſens modò beneficium obſeruare, ſed ſimul Dei omnipotentiam agnoſcere debetis, qui vtut res in poſterum quoq; cedant, vos alere & ſeruare poterit, etiamſi ipſa natura rerum in veſtram pernitiem coniurauiſſe videatur, &c. Rectè ergo & propriè ſententiam hanc diabolo hîc opponit Chriſtus, & ſimul exemplum illud vetus in mentem reuocat, vt de Patris potentia & bonitate nouam fiduciam animo concipiat. Perinde enim hoc eſt, ac ſi dixiſſet: Etſi fame crucier, & in præſenti nihil eſui aptum occurrat, ideoq; ea rerum facies eſſe videatur, vt aut fame mihi pereundum, aut cibus miraculosè parandus ſit: nunquam tamen me vt id nunc faciam perſuadebis, quando me humanis infirmitatibus ſubijcere, non autem diuinæ maieſtatis argumentum miraculo minimè neceſſario declarare debeo. Et vt id faciam minimè opus eſt, quando veteribus exemplis & diſerto Dei verbo edoctus ſum, hominem nō ſolito modò victu ſuſtentari, ſed ad illum ſeruandum quoduis Dei decretum ſufficere. Neq; vnquam putauero, illum paſſurum vt fame peream, cùm longè aliud eius de me ſtatutum ſit: vt nimirum gratiæ eius Mediator ſim, & humani generis ſalutem meo merito inſtaurem. Sic ergo Dei verbo pugnauit Chriſtus, quòd nimirum hoc conſtanti fide apprehenſum aduerſus hoſtem vibrauit, ne diffidentiæ telum in ipſo hærere poſſet.*

Vſus loci. *Nobis autem idem huius dicti vſus eſſe debet, in quo ſi nos probè exercuerimus, vnum hoc aduerſus omnem diffidenciæ tentationem nobis ſufficere poterit. Quoties ergo ſolicitam de victu parando curam Satan inijcit, & ea nos ad opes parandas excitat, imò diteſcendi rationes iniquas & illicitas ſuggerit: tunc nobis in mentem veniat, non ſolo pane hominem viuere, neq; (vt alibi Chriſtus*
Luc. 12. *ait) in opū abundantia vitam noſtram conſiſtere, ſed hanc omnem à Dei prouidentia pendere. De eius autem cura paterna minimè nos dubitare conuenit, quando promiſsiones & exempla paſsim habentur, quæ fidē noſtram confirmare poſſunt. Et vt multa alia omittamus, ſufficere nobis debet Chriſti dictum:*

dictum: Quærite ante omnia regnum Dei & iuſtitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Nam ibidem nos ad aues & coruorum pullos, ad flores item cernere in agro naſcentes reuocat, vt inde colligamus, nunquam paſſurum Deum, vt homo fame pereat, qui ſuam vocationem ſecutus fuerit. Et ſi communem hominum vitam inſpiciamus, ferè omnium cõmodiſſimè & beatiſſimè viuunt, qui paruo contenti intra ſuæ vocationis limites ſeſe continent: cùm alij curis inutilibus & aſſiduo labore, adhæc rixis & iurgijs circa opum aceruos tumultuentur. Idem in morbis cogitemus, quando remedia fallũt, & ad magicas præſtigias nos remittit Satan. Verè enim tunc quoq; reſpondere illi poſſumus: Non ſolis iſtis medijs conſeruatur aut recuperatur hominis valetudo, ſed omni eo, per quod nos ſeruare Deo placuerit. Similiter cùm pro fide Chriſti exulandum eſt, certò nobis perſuaſum ſit, patriam noſtram non vni terrarum angulo alligatam eſſe, ſed nos vbicunq; ſimus, ſub Dei patris protectione agere, qui nos cùm ipſi viſum fuerit, in cœleſtis patriæ ſedes recipiat. Denique in omni periculo, cùm ſolita & ordinaria auxilia nos deſtituunt, recordemur, non poſſe exhauriri diuinæ ſapientiæ & ſcientiæ theſauros, & proinde non defutura eſſe media Deo, quibus nos adiuuet. Quòd ſi Legis minas & propriæ conſcientiæ teſtimonium aduerſus nos Satan producit, in promptu nobis ſit reſponſio: Non ſola ſuorum operum iuſtitia iuſtificatur & viuit homo, ſed ea, quam ſuo decreto Deus ſtabiliuit. At quæ nam illa eſt? Chriſtus Ieſus, qui nobis ab illo factus eſt iuſtitia, ſatisfactio, ſanctificatio & redemptio. Habet ergo locus hic vberrimam & multiplicem cõſolationem, quæ ad omnes caſus accommodari poteſt, ne vnquam diffidentia victi fidem in vnum Deum abnegemus, aut aliquid faciamus, quod ab eius profeſſione ſit alienum. Imprimis autem nos in pugna iſta animare & confirmare debet Ieſu Chriſti exemplum, qui vt nobis vicit, ita ſuis vires & arma ſuppeditat, quibus illi quoque vincant, vt vnà ſecum viuant & regnent. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen. Matth. 6.

HOMILIA XXXVIII.

Et cùm ſubduxiſſet eum diabolus in montem ſublimem, oſtendit ei omnia regna terræ puncto temporis. Et ait ei diabolus: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam iſtorum (nam mihi tradita eſt, & cuicunq; voluero do eam) itaque ſi tu adoraueris me, erunt tua omnia. Reſpondens autem Ieſus dixit ei; Abſcede à me Satana. Scriptum eſt enim: Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſerules.

QVoniam Dei filius in mundum venit & homo factus eſt, vt peccatores ſaluos faceret, ab eo illum redemptionem noſtram inchoare oportuit, vnde perditionis noſtræ initium factum fuerat. Cœpit hæc à tentatione, qua diabolus ſub ſerpentis ſpecie primos parentes circumuenit & ſeduxit, vt in Dei præceptum peccarent, & peccando morti ſubijcerentur. Rectè ergo Chriſtus mox à baptiſmo in deſertum, quaſi in palæſtram tentationum ſe recepit, & illic cum hoſte noſtro communi congreſſus eſt: partim quidem, vt eum deuinceret, qui hucuſque nimium contra nos potuerat: partim verò, vt nobis quoque vires ſufficeret, quibus illum vincamus, ſimulque conſolatione certa & firma inſtrueret, quando videmus, illum nobis per omnia, ſolo peccato excepto, ſimilem factum eſſe, & proinde noſtris infirmitatibus condolere poſſe, neque paſſurum, vt illis ſuccumbamus. Vidimus nuper primum in hac pugna congreſſum, in quo diffidentiæ telis pugnantem Satanam Chriſtus profligauit, adducto Dei verbo, quo Moſes nobis illius omnipotentiam ſimul atque paternam pro nobis curam commendat. At non propterea ex arena ille diſcedit, ſed mox alijs armis atque alia via Chriſtum aggreditur: quod nobis in tota hac hiſtoria probè obſeruandum eſt, ne ſi quando nobis primus conatus ſuccedit, nos otio & ſecuritati dedamus. Vt enim in militia ſæpe poſt partam victoriam ſubito cladem accipiunt, qui hoſtes deuictos inſolentius contemnunt, & poculis ſomnoque indulgent: ita non rarò fit, vt dum minimè arbitrantur diabolo præda fiant, qui ſibijpſis omnia tuta pollicentur. Semper ergo nobis in mentem veniat, quod Petrus diabolum inſtar leonis rugientis obambulare ſcribit, & indeſinenter quærere quem deuoret. Si enim tanta eius eſt audacia, vt æternum Dei filium denuo aggredi non ſit veritus, quam obſecro ſecuritatem Satan pugnam inſtaurat.

nobis polliceri poſſumus, qui & proprijs cupiditatibus abrepti ad malum ferimur, & ipſi occaſiones præbemus hoſti illi, quibus pugnam aduerſus nos inſtauret? Admonet de hoc nos Chriſtus, quando ſpiritum immundum in hoc cumprimis eſſe ait, vt domum, vnde ſemel eiectus eſt, iterum occupare poßit. Semper ergo nos in excubijs ſtare, ſemper armis ſpiritualibus munitos eſſe, ſemper gladiũ ſpiritus ore ſimul & manibus vibrare conuenit, ne Chriſti merito partam victoriam noſtra ſocordia amittamus. Sed præſtat ſecundi huius congreſſus hiſtoriam & ſingulas eius partes propius inſpicere.

Chriſtus ambitione tentatur. *Rurſus autem primus pugnam capeßit Satan, de quo Lucas ſic ſcribit: Cùm ſubduxiſſet Ieſum diabolus in montem ſublimem, oſtendit ei omnia regna terræ puncto temporis, & dixit ei: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam iſtorum (nam mihi tradita eſt, & cuicunq; voluero, do eã) itaq; ſi tu adoraueris me, erunt tua omnia. Quæ verba ſatis teſtantur, diabolũ Chriſti mentem ambitione & dominandi libidine tentauiſſe, ideoque omnia ſuggeßiſſe, quæ ambitionem & faſtum huius mundi comitari ſolent. Fuit quidem Chriſti animus à cupiditate iſta (vt ab alijs quoq; vitijs) alieniſſimus, neq; aliquis putare debet, illum cogitationibus eiuſmodi, quæ etſi nihil aliud accedat, per ſe peccati nomine cenſentur, vel momento indulſiſſe. Externis tamen ſenſibus iſta obiecit Satan, & ita Chriſtum, quem verum hominem, non truncum aut ſtipitem factum ſciebat, gloriæ & potentiæ huius ſeculi blanditijs capere & proſternere ſtudet. Nec temere nunc iſto ariete illum oppugnat. Eſt*

Ambitionis uis maxima. *enim ſuperbiæ & ambitionis vis maxima in hominum cordibus: & vt hac deuictus Adam Satanæ ſuccubuit (quo nomine ſuperbia peccati principium dicitur) ita omnes gloriæ & honorum natura*

Eccli. 10. *appetentes ſumus, quæ plerunq; (niſi efficaci ſpiritus fræno retineamur) maximorum ſcelerum cauſa eſt. Hac certè extimulatus Cain fratrem Abelum occidit, ne hic ſibi orbis dominium præriperet. Hac accenſi Iacobi filij omnes fratrem Ioſephum vendere non ſunt veriti. Eadem prius Eſaum mouerat, vt Iacobum germanum & vterrinum fratrem necare in animum induceret. Iſta cupiditate imflammatus Saul Dauidem, optimè de ſe & regno toto meritum perſecutus eſt, & innoxio ſacerdotum Domini ſanguine ſeſe polluit. Ambitione nefaria excitatus Abſolon patrem iam ſenẽ eijcit, inceſtu nefario domum patriam inquinat, & populum vniuerſum in periculum præſens adducit. Et ſi exteras hiſtorias inſpiciamus, nullum vnquam regnum fuit, quod non aliquo iſtius furiæ aſſultu oppugnatum & concuſſum fuerit. Hinc parricidia & indignæ fratrum cædes enaſcuntur, quales de Cambyſe, Romulo, Baßiano Caracalla hiſtoriæ commemorant. Hinc perfidia & impia peierandi libido, quæ ita olim apud multos regnauit, & etiam hodie regnat, vt ferè omnium principum animis inſculpta videri poßit Iulij Cæſaris ſententia: Si ius violandum eſt, regnandi cauſa violandum eſt. Et illud Lyſandri, pueros aſtragalis, viros iuriurando falli debere. Hæc vnica bellorum ciuilium ſemper fax fuit, ſicuti Syllæ & Marij, Iulij & Pompei, Antonij & Auguſti, multorumq; aliorum exempla teſtantur, qui tam ſibijpſis quam communi patriæ immodico gloriæ priuatæ ſtudio exitium accerſiuerunt. Eadem olim in eccleſia diſſenſiones & hæreſes excitauit, quæ plus mali dederunt, quàm omnes crudelißimorum tyrannorum machinationes, qui illam ferro & flammis excindere conati ſunt. Et tanta huius mali vis eſt, vt ferè generoſiores hominum animos imprimis teneat, & ijs etiam ſeſe inſinuare poteſt, qui præ alijs ſapientiam veram ſequi & rerum huius mundi cõtemptores eſſe videntur. Quod in philoſophis Cicero diligenter obſeruauit, qui illis ipſis libris, quos de contemnenda gloria ſcribebant, nomina ſua præfigere conſueuerant, vt ex eo gloriam venarentur, quo alios ab eius ſtudio & cupiditate abſtrahere conabantur. Fuit ergo hæc admodum grauis tentatio, eoq; acutius Chriſti animum ferire potuiſſet (ſiquidem poßibile fuiſſet eum Satanæ telis ſuccumbere) quòd nihil aliud hic pollicitus eſt, quàm quod illi iure optimo debebatur. Huic enim olim*

Pſal. 2. *dictum fuerat: Poſtula à me, daboq; gentes vt ſint hæreditas tua: & terminos terræ, vt ſint poſſeßio tua. Itaq; plauſibili iuris & æqui prætextu tentatio hæc velata fuit, cùm nihil obſtare videretur, quò minus regnum ſibi à patre promiſſum & deſtinatum Chriſtus abſq; mora arriperet. Sed aſtu mirifico hoc quærit improbißimus Tentator, vt partim ante tempus illud inuadat, & quod prius agendum erat intactum relinquat: partim vt ex diaboli manu accipiat, quod non niſi à Patre accipi poterat, neq; aliunde expectari aut ſperari debebat. Et hoc illud eſt, quod etiam hodie multis Satan imponit, vt in ijs peccent grauißimè, quæ per ſe illicita non ſunt, dum ad ea illicitis medijs contendunt.*

Qua arte Satan hic uſus ſit. *Cæterùm videamus, qua arte hic vſus ſit hoſtis noſter, dum per Chriſti latus vniuerſum genus*

mortalium

mortalium letaliter vulnerare cœpit. Primò ſubducit eum in altum vel ſublimem montem, & puncto temporis omnia regna terræ oculis eius ſubijcit. Quod ego non nuda modò imaginatione factum fuiſſe exiſtimo. Iſta enim ſimplici narratione, vt rem verè geſtam, Euangeliſtæ exponunt, & tam diligens loci atque temporis notatio id omnino innuere videtur. Quàmuis ergo imaginatio vehemens acceſſerit, ſimul tamen externos etiam ſenſus, oculos imprimis, ſplendor ille regnorum perſtrinxit, vt eum magis moueret, quem verum hominem factum eſſe ſciebat. Neque hîc opus eſt quærere, quomodo omnia terræ regna vno quaſi momento conſpici, & oculorum acies per totum orbem extendi potuerit. Scimus enim quàm efficaces ſint diaboli illuſiones, qui etiam hodie res procul abſentes, imò ante multa ſecula geſtas, in cryſtallis & alijs magicis inſtrumentis ſpectandas proponere ſolet. Et quia propter nos tentari voluit Chriſtus, eò vſque demiſit ſe, vt eius quoque ſenſibus Satan interea abuteretur. Eſt autem hic antiquus hoſtis noſtri mos, quòd cùm animum rebus præſentibus maximè moueri intelligat, ipſos ſenſus excitet ad eorum contemplationem, per quæ nos ſeducere conatur. Satan obiectis animum mouet. *Sic Eua olim fructum vetitum ſpectauiſſe dicitur, nimirum ex ſerpentis ſuggeſtione, vt eius aſpectu, forma & fragrantia ad illius eſum vehementius alliceretur. Ita libidinoſos ad formas alienas ſpectandum mouet, & infinitas libidinis illecebras obijcit, quibus abrepti nefariæ cupiditati indulgeant. Quod Dauidem expertum fuiſſe ſacra hiſtoria teſtatur, quando Bethſabam lauantem conſpicatus & eius illicito amore correptus eſt. Ita auaris opes & ſpem prædæ frequenter proponit, vt æſtuantem in illorum animis habendi cupiditatem magis incendat. Ita odio & vindictæ ſtudio flagrantibus eos in conſpectũ adducit, quos perditos volunt, vt rabiem maiorem illis moueat. Ambitioſos autem plerunque præſentis gloriæ & ſplendoris publici conſpectu & aulico ſtrepitu perſtringit, vt de ſua gloria augenda attentius cogitent. Et huic tentationi imprimis obnoxij ſunt, qui in altiori aliquo dignitatis gradu conſtituti, paraſitorum adulatorijs dictis & inanium titulorum ineptiſſimis repetitionibus inebriantur, & propter potentiam atque authoritatem, qua ſupra alios omnes eminent, ſibi nihil non licere putant. Hinc inconſulti regum conatus, quibus & propria regna & exteros populos horribiliter turbant. Hinc diuitum inſolentia, qua leges & iura publica euertunt. Hinc epiſcoporum licentia olim exorta eſt, qua ſibi etiam hodie in eccleſia tyrannidem vendicant. Quò magis aduigilare opus eſt omnes eos, qui potentia & authoritate ſublimes ſunt, ne dum mundi gloriam & delitias otioſi ſpectant, ambitione ſuperentur, ſeq́ diabolo circumueniendos propinent.*

Non enim contentus eſt improbus ille oculos ſpectaculo otioſo paviſſe, ſed verbis quoque magnificis Chriſtum aggreditur. Tibi dabo (inquit) poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam iſtorum regnorum: nam mihi tradita eſt, & cuicunq́ voluero, do eam, &c. Satan regna mundi pollicetur. *Iàm ergo totius orbis dominium Chriſto pollicetur, & vt pondus promiſſioni addat, ſibi in omnia regna legitimam poteſtatem eſſe ait, vt ea pro ſuo arbitrio & nutu diſpenſare & transferre poſſit. At hoc dicendo non minus turpiter quàm ſplendidè impudens ardelio mentitur. Conſtat enim ex ſcripturis, Deum terræ cœlique dominum eſſe, qui vt illam gentibus diſtribuit, & ſingulas certis terminis concluſit, ita ipſe etiam regna vel ſeruare, vel transferre, aut etiam euertere ſolet.* Deut. 32. Acto. 17. Dan. 2. 7. *Neque poteſtatem hanc vlli creaturæ vnquam tradidit, præterquam filio ſuo vnigenito Ieſu Chriſto, vt ſupra ex Pſalmo annotauimus: & hoc ipſe teſtatur, quando poſt deuictam mortem dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, &c. Diabolo autem adeò nihil iuris eſt in res creatas, vt ne porcos quidem pro ſua libidine inuadere & perdere potuerit (vt Euangelica hiſtoria docet) niſi hoc à Chriſto ſuppliciter impetraſſet. Quod ipſum vniuerſa Iobi hiſtoria luculentiſſimè demonſtrat. Dicitur quidem princeps huius mundi, ſed iniuſta vſurpatione titulum hunc obtinuit, cuius illi cauſam dedit hominis inobedientia, qui ſibi delatum à Deo honorem peccando amiſit, & diaboli mancipium factus fuit. Non tamen ita homines illius libidini & imperio permiſit Deus, vt ipſe rerum huius mundi gubernacula deſeruerit, quin potius is eſt, qui vt cœlis & terris imperat, ita diabolum quoque fræno ſuo coercet, ne pro ſuo arbitrio vel in homines, vel in alias creaturas graſſetur. Interim multa ei permittit interdum, partim vt ſuorum fidem exploret & ſpectabiliorem reddat, vt in Iobo, Paulo & ſimilibus videmus: partim vt efficaci illuſione, prout digni ſunt, impij demententur, & vbi ſuæ impietatis menſuram compleuerunt, pœnas dudum meritas exoluant. Et hinc eſt, quòd venefici &*

magi ſæpe mira quædam & ſtupenda faciunt, quos impia & ſacrilega perſuaſione eò vſq; Satan inebriat, vt ſibi in cæleſtes quoq; orbes ius eſſe arbitrentur, vt nimirum Lunam cælo deducant, Solis radios extinguant, pluuias & grandines euocent, fulmina & tonitrua moueant, adeoq; elementa omnia perturbent. Sed ſunt hæc inanes diaboli præſtigiæ, quibus nemo moueri debet, quando non minori ſacrilegio ſibi iſtorum poteſtatem vendicat, quàm quo in præſenti regnorum omnium ius ſibi tranſcribit.

Diabolus adorari cupit.

Sed conditionem audiamus, ſub qua tantum imperium Chriſto pollicetur. Si tu (inquit) adoraueris me, erunt tua omnia. Adorandi verbo omnia comprehenduntur, quæ ad cultum faciunt, neque hic tam de corporis geſtu agitur, quam de eo, vt Chriſtus relicta Patris vocatione, diabolum audiat, huic obtemperet, credat, ſeruiat, adeoq; eius beneficio regnum orbis terrarum accipiat, quod ipſi ſcripturæ promittebant. Vt enim Dei cultus in fide & obedientia potiſſimùm conſiſtit, & qui iſta habent, externis quoque ritibus ex Dei verbo inſtitutis animi religionem teſtantur: ita qui poſthabito Dei verbo diaboli promiſſis fidem habent, eius conſilijs & ſuggeſtionibus obtemperant, & per illicita media ad honores, opes & reliqua vitæ huius atq; felicitatis præſidia contendunt, ij diabolum adorare & colere meritò dicuntur. Et qui ita affecti ſunt, ijdem cultibus quoq; ſuperſtitioſis occupantur, ſimulachra adorant, & ea in religione faciunt, quæ diabolo ſummam voluptatem afferunt. Itaq; hoc vnum Satan in præſenti effectum cupit, vt Chriſtus à Patris vocatione diſcedat, & alia, quàm debebat, via ad regni cæleſtis poſſeſſionem aſpiret. Sciebat enim illum per crucem in gloriam patris ingreſſurum & ſimul de mundo & omnia aduerſaria poteſtate triumphaturum eſſe. Nam de illo

Iſa. 53. *Iſaias olim vaticinatus fuerat: Domino placuit ipſum infirmando atterere, vt vbi poſuerit animã ſuam hoſtiam peccati, videat ſemen, proroget dies, & voluntas Domini proſpere cedat in manu e-*

Pſal. 110. *ius. Et Dauid: De torrente in via bibet, & ideo caput extollet. His ergo, ad quæ illum ſeſe præparare videbat, ſuam ſophiſticam Satan opponit, quaſi diceret: Scio quid de te olim Deus per prophetas promiſerit, nec dubito te certa regni promiſſi fiducia niti. Sed næ ſtultus nimis es, qui hac via te eò venturum putas, & per ambages aſſequi conaris non minus laborioſas quàm periculi plenas, ad quod breui & expedito compendio peruenire poteras, ſi ſalutaria monentem audire velles. Etenim multorum ſeculorum experientia conſtat, nunquam eos ad altiora emergere, ſed miſerrimos eſſe mortalium, qui de vocatione neſcio qua nimiùm ſoliciti, omnia ad Dei voluntatem & præceptorum ſuorum regulam inſtituunt, neque aliquid audent, quod vel latum vnguem ab ea diſſentire videtur. Quin ergo tu me audis, qui viam tibi monſtrabo planam, breuem, facilem, qua finem tibi propoſitum attingas. Hæc eſt, ſi relicta hac tua vocatione, quam tu ipſe tibi fingis, me adores, mihi ſeruias, atque meis monitis obtemperes. Quid autem hac conditione æquius, facilius, honeſtius? Non aliena, ſed quod tibi iure debetur, regnum inuades. Quis de hoc queri, aut iſtud tibi vitio vertere poterit? Quid, quò minus illud efficias, obſtabit? En coràm in conſpectu ſunt regna orbis huius omnia. En ego, qui horum princeps dicor, tibi illa reſigno meumq; in ea ius tibi renuntio. Tuo igitur iure nunc vtitor, quod & te magis decebit, & tuis erit vtilius multò, quàm ſi & teipſum & tuos omnes periculis non neceſſarijs obijciat, &c. Hæc verborum iſtorum ſententia eſt. Quòd ſi quæras, ſeriò ne iſta locutus ſit Satan, ego eum ſerio locutum eſſe minimè dubitauero. Nam etſi ipſius non erat dare quod pollicebatur, procul dubiò tamen maluiſſet Chriſtum terrenum Regem & orbis totius dominum, multò auro gemmiſq; ornatum & armis fulgentem conſpicere, quàm in cruce exaltatum, cuius virtute ſe & regnum ſuum deſtructum iri ſciebat.*

Vt hodie eadẽ tentatione Satã pugnet?

Quod autem in Chriſto conatus eſt, hoc ipſum hodie etiam non vno modo tentare ſolet, vt nimirum perſuadeat, felicitatem omnem in honorum, gloriæ & bonorum huius ſeculi abundantia conſiſtere, & ita viam cæleſtis regni præcludat, quam nobis Chriſtus per crucem aperuit, & quam Paulus æterno Dei decreto ſic definitam eſſe docet, vt primo imagini filij eius conformes efficiamur, quoad crucem & afflictiones, deinde eiuſdem cohæredes & gloriæ immortalis cum illo conſortes ſimus. Hac ratione Epiſcopos circumuenit Satan, & ſuis conſilijs obſequentes terrarum dominos & ipſis regibus ſuperiores fecit: neq; hanc dignitatem illis inuidet, modò eccleſiæ curam negligant, & miſerum gregem errorum laqueis atq; ſcelerum illecebris in exitium abripi patiantur. Eodem ſtratagemate principes viros & Reges aggreditur, quos partim ad arma excitat, vt vicina regna inuadant,

uadant, immerentes populos crudeliter opprimant, cædium, rapinarum, ſtuprorum, incendiorum & immaniſsimorum flagitiorum authores ſint, & hæc agendo illi cultum longè gratiſsimum exhibeant: partim ſub religionis prætextu excæcat, dum per Pontifices iiſdem propè verbis eos ſolicitat, quibus hîc ad Chriſtum vſus eſt, vt ſeſe ſuperſtitionum & idololatriæ patronos præbeant, & vndique ſurgentem Chriſti doctrinam ferro & igne excindere conentur. Annon enim hodie Pontificum verba ſunt: Noſtra ſunt regna orbis terrarum omnia, nos illa conferendi & transferendi poteſtatem liberam & abſolutam à Chriſto, cuius vicarij ſumus, accepimus? Itaque qui nos adorant, qui ad pedes noſtros deoſculandos proſternuntur, qui Romanæ ſedis authoritatem & primatum ſe defenſuros eſſe iurant, illos in regnis ſuis confirmabimus, & noſtra dignabimur benedictione. Si qui ſecus fecerint, eos excommunicationis fulmine percuſſos à ſacrorum communione excludemus, & eorundem ſubditos à fidei ipſis datæ vinculo liberabimus, ne illis porrò obtemperent. Hæc iam ſeculis aliquot audita eſſe hiſtorici fide digni teſtantur, & fulmina illa non ſemel potentiſsimi Reges & fortiſsimi Imperatores experti ſunt, qui iiſdem vel inuiti ſuccubuerunt olim, cùm ſuperſtitionum tenebræ omnium mentes adhuc occuparent. Et vtinam non hodie etiam inuenirentur, qui vt perſonatos illos Chriſti vicarios ſibi propitios habeant, ad pedum eorum oſcula ternui procumbunt, manifeſtos abuſus tuentur, & in ſuæ fidei creditum populum crudeliſsimè ſæuiunt. Quid verò apud nobiles & antiquo ſtemmate claros idem ille impoſtor iactat? Annon per eoſdem interpretes, Noſtræ ſunt (inquit) Abbatiæ omnes, noſtri ſunt epiſcopatus, noſtra cathedralium eccleſiarũ collegia, nos item quoad terrenam iuriſdictionem longè lateque imperamus. Atqui veſtra erunt iſta omnia, ſi nos adorare & Papatum fulcire pergatis. Ex veſtris enim filijs alij Abbates, alij Epiſcopi, alij Canonici creabuntur, vobis præfecturas & quæ alia ſunt eius generis officia mandabimus, vt generis & familiæ veterem ſplendorem tueri, & ad maiorem dignitatem aſcendere poſsitis. Quæ promiſſa, cùm non omnino vana ſint, multos mouent, vt præter propriæ conſcientiæ teſtimonium eos adorent, quos mendaciorum magiſtros & ſelecta diaboli organa eſſe nouerunt. Vt verò omnes hominum ordines ſimul complectamur, annon apud omnes hos vnum agit Satan, vt (quod olim Malachiæ temporibus quidam dicebant) illorum animis perſuadeat? Fruſtra nimirum ſeruiri Deo, felices autem & beatos eſſe, qui ſeſe mundi ſtudijs accommodant, id eſt, Veneri, Bacho, Marti, Mercurio ſacra faciunt, dum libidini, gulæ, cædibus, dolis atque impoſturis gaudent? Hinc certè communis illa Erynnis regnum obtinuit, qua fit, vt nemo ſua ſorte contentus viuat, ſed ad altiora omnes aſpirent, & quod ſalua pietate obtinere non poſſunt, cum manifeſta Chriſti abnegatione conſequantur. Et hic mons ille ſublimis eſt, in quem quotidie multos ſubducit Satan: hæc eius eſt iactantia, qua ſeſe adhuc hodie oſtentat: hæ illius promiſsiones ſunt plus quàm aureæ, quibus multorum oculos perſtringit, vt (quod dictu horrendum eſt) ad pedes eius deuoluti ipſum turpiter adorent.

Præſtat ergo Chriſtum videre & audire, vt quibus armis hæc tela eludere & hoſtem vincere Chriſtus ut hæc tentationem uicerit. poſsimus, nobis conſtet. Abſcede à me (inquit) Satana. Scriptum eſt enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & ei ſoli ſeruies. Habet reſponſio iſta partes duas. Prima cum indignatione diabolum reijcit, vt quem porrò audire nefas ſit. Antea quidem mitius reſponderat, quia ſufficiebat certum & euidens fidei in Deum argumentum contra diffidentiæ telum produxiſſe. At quia nunc manifeſta impietas iubetur, nullum modeſtiæ locum amplius reliquum eſſe videt, & ideo qui natura mitiſsimus eſt, in vocem iſtam iuſtæ indignationis plenam erumpit. Idem videmus factum ab eo fuiſſe, ſi quando ei cum illis res fuit, qui cum manifeſta nominis diuini prophanatione infelicem populum ſeducebant, & veritatis doctrinam extinguere conabantur. Quem animum in Apoſtolis quoque fuiſſe conſtat, ſi quando honorem Dei vel in ſeipſos, vel in alios tranſlatum eſſe viderunt: vt in Pauli & Barnabæ exemplo apud Lyſtrenſes edito eſt videre. Quibus exemplis docemur patientia minimè tunc vtendum eſſe, quando Dei cultus in periculum venit, & ad impiam Dei abnegationem ſolicitamur. Feruet enim zelo diuinæ gloriæ fides, & vt in proprijs iniurijs ferendis patientiſsimos facit, ita impatientiſsimos reddit eorum, quæ gloriæ Dei aliquid derogant, aut nos impediunt, quò minus noſtrum officium illi præſtemus. Minimè ergo audiri debent lepidi illi, qui in vtrumq; latus claudicare didicerunt, & vt proximum quodque periculum declinent, ea quoque ſub Chriſtianæ pa-

tientiæ prætextu admittunt, quæ cum manifeſta veræ fidei atque cultus diuini abnegatione ſunt coniuncta.

Diaboli promiſſis uerbum Dei opponatur. *Altera parte ad diaboli tentationem reſpondet, & rurſus huic Dei verbum ex ſcripturis deſumptum opponit. Ita verò docet, non credendum eſſe diaboli promiſſionibus, vt neque eiuſdem minis pios terreri conuenit. Nam etſi magnificè ſuas opes iactet, & vires quoque terribiliter oſtentet, reuera tamen (vt Chriſtus ipſe monuit) mendax & mendacij pater eſt. Itaque eos, qui ipſum audiunt, ſplendidis promiſſis demulcere & ſpe multa implere ſolet, ſed quæ infelices tunc miſerè fallit, quando res ipſa ſeriò agitur. Exemplum huius perfidiæ cumprimis miſerabile in primis parentibus edidit, quibus cum diuinitatis ſpem ampliſſimam feciſſet, eoſdem in extremas ignominiæ & miſeriæ anguſtias coniecit, in quibus poſteri omnes adhuc luctantur. Sic Caino orbis totius dominium pollicitus, eidem author fuit, vt à facie Domini eijceretur: & quamuis vrbe extructa cum poſteritate ſua florere & regnare videretur, ea tamen diluuij aquis in vniuerſum tandem deleta eſt, ſuperſtite filiorum Dei progenie, quam per Noa ille beneficio arcæ conſeruauit. Quò verò Saulem ſuis ſuggeſtionibus adduxerit, & infinitos alios, qui regnum quærentes fortunæ ludibrium facti ſunt, longum eſſet commemorare. Atqui eandem comminationum eius rationem eſſe, contraria his piorum exempla docent, quos mirificis turbis & periculis ſæpe terruit, ex quibus tamen feliciter, & magna cum gloria eluctati ſunt: quales fuerunt Ioſeph, Moſes, Dauid, Ezechias, Daniel & innumeri alij, quos breuitatis cauſa omittimus. Itaque contemptis mendaciſſimi huius Thraſonis promiſſionibus ſimul atque minis, nos vnum Deum audiamus, qui vt ipſa eſt veritas, ita Verbum eius æternum & immutabile manet, etiamſi cœli corruant & terræ fundamenta loco moueantur.*

Locus Deut. 5. *At quoad ſcripturæ locum, quo Chriſtus vtitur, extat is Deuteron. quinto Cap. vbi Moſes veræ pietatis officia ex ordine recenſens, inter alia ait: Dominum Deum tuum timebis, & ei ſeruies. Timendi autem verbum in adorandi Chriſtus conuertit, vt præſenti inſtituto locus hic melius conueniat. Neque ideo ſcripturas vel corrumpit, vel violenter detorquet, ſed potius illuſtrat & exponit. Ita enim coniuncta ſunt adoratio & timor Dei, vt neutrum ſine altero poſſit conſiſtere. Qui enim Deum verè timet, eundem cultu debito proſequetur, cuius cum pars præcipua ſit adoratio, eam negligere non poterit. Rurſus illum ex animo non adorabit, qui non ſerio & ingenuo eius timore afficitur. De ſuo autem addit Chriſtus particulam* SOLI: *& hoc etiam meritò. Quia enim Deus vnus eſt, & idem zelotes atque honoris ſui vindex acerrimus eſt, neque adorationem neque quencunq́ alium cultum recipiet, niſi qui ei ſoli impenditur. Cæterũ compræhendunt duo iſta omnes diuini cultus & religionis partes. Ad adorationem enim ſiue inuocationem interna omnia vnà cũ precibus & gratiarum actione referri poſſunt. Altero membro vniuerſa alia pietatis exercitia continentur. Summa autem & finis huius præcepti eſt, apud vnum Deum quærenda eſſe, quæcunque ad hominis incolumitatem atque ſalutem faciunt, & proinde illum quoq́ ſolum adorari & inuocari debere, adhæc nulli creaturæ quantumuis nobili & præſtanti tribuenda eſſe, quæ Deus ad ſuum cultum inſtituit. Rationes huius ſententiæ alibi produximus, neque eas hîc repetere opus eſt, quando vnius Chriſti authoritas Chriſtianis hominibus omnium argumentorum loco eſſe debet. Sufficis ergo locus his confutandis omnibus, qui Diuorum inuocationem & cultum ſtabilire ſatagunt. Quærũt quidem illi effugium, quo ſe expediant, hîc nimirum de diaboli adoratione agi, quam nemo ſanæ mentis probare poſſit, & Moſem cùm iſta ſcriberet, ad gentium Deos reſpexiſſe, quas alibi ſcriptura dæmones dicit, & proinde locũ hunc malitioſè nimis contra Diuos cœlites proferri, qui & olim fidi Dei cultores fuerint, & nunc in cœlis cum Chriſto viuant & regnent. Audimus quidem iſta, neq́ infitiamur Chriſto cum malo dæmone, Moſi autem cum gentium Dijs negotium fuiſſe: at ſimul dicimus præcepto hoc, ipſo Chriſto interprete, cultum et adorationem omnem ita vni Deo vendicari, vt omnes aliæ res creatæ, tã bonæ quàm malæ excludãtur. Nam ab vniuerſali ad particulare argumentatur: Nemo præter vnum Deum adorari debet, ergo diabolum adorare nefas eſt. Quoad ergo antecedens ratũ manet, eodẽ argumento omnium aliorũ inuocatio prohibetur. Ideo Auguſtinus inter angelos bonos & malos diſcernere docebat, quòd hi quidẽ Dei cultũ vel ſibijpſis vendicarent, vel in alios transferre iuberent, illi verò homines in vnius Dei cultu atq́ inuocatione retinerent. Sufficiant hæc nobis*

ne dum

ne dum nimis religioſi eſſe volumus, animas noſtras turpi fornicatione polluamus, & in illos ipſos iniurij ſimus, qui Dei cultum & inuocationem proprio ſanguine olim aſſeruerunt. Opponamus autem hoc dictum diabolo, quoties nos per auaritiam, ambitionem, ſuperbiam, aut quaſcunque alias cupiditates ad defectionem ſolicitat. Adoremus autem & colamus vnum Deum in ſpiritu & veritate per Ieſum Chriſtum, Mediatorem Dei & hominum vnicum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.

HOMILIA XXXIX.

Tunc duxit eum Hieroſolymam, & eum ſtatuit ſupra pinnas templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, iace teipſum hinc deorſum. Scriptum eſt enim: Angelis ſuis mandabit de te, vt cuſtodiant te: & vt in manibus tollant te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Dictum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Et finita omni tentatione, diabolus abſceſsit ab eo ad tempus.

MVlta quidem & grauia pericula miſeros mortales in vitæ huius curriculo exercent, at omnium grauiſsimum eſt, quod (vt Paulus ſcribit) nobis non ſolùm aduerſus carnem & ſanguinem lucta eſt, ſed aduerſus imperia & poteſtates & dominos tenebrarum ſeculi huius, id eſt, aduerſus malos ſpiritus, qui mundi imperiũ ſibi vendicant, & qui omnes homines æterno exitio, cui ipſi iam olim deſtinati ſunt, demergere conantur. Quorum aſtutia vt profunda nimis eſt & ineffabilis, ita indefeſſo ſtudio ſaluti noſtræ inſidias ſtruunt, & quàmuis ſæpiſsimè repellantur, pugnam tamen ſubinde inſtaurant. Opus ergo aduerſus illos armis idoneis & inuicta fidei conſtantia, nè eorum telis proſtrati ſalutis noſtræ iacturam faciamus. Præcipua tamen victoriæ ſpes nobis in Chriſto Ieſu eſſe debet, qui vt noſtri cauſa in mundum venit & propter nos egeſtatem, infamiam & dirum mortis ſupplicium ſuſtinuit: ita propter nos tentationibus quoque Satanicis ſeſe ſubiecit, cùm vt hoſtem illum vinceret, qui hucuſque inuictus videri poterat, tum vt ſuo exemplo nos eundem vincere doceret. Vtiliſsimum ergo fuerit omnes hiſtoriæ huius partes diligenter inſpexiſſe, vt primò quidem hoſtis iſtius pugnam ſubinde inſtaurantis improbitas nos ad vigilantiam excitet: deinde verò Chriſti conſtantia fidem noſtram confirmet, noſque ad omnem euentum intrepidos reddat. Reſtat autem tertius huius certaminis congreſſus, quem eodem, quo priores, ordine inſpiciemus.

Nam rurſus prior ad pugnam redit Satan, & diuerſa planè via Chriſtum aggreditur. Qui enim prius eum neque diffidentiæ telo ſternere, neque ambitione & regnandi cupiditate ab officio, quod Deo omnes debemus, abſtrahere potuit, iam prioribus contraria arma profert, & inani confidentia eum inebriare ſtudet, vt ea elatus extra ſuæ vocationis fines egrediatur, & ſibijpſi exitium ante tempus accerſat. Id verò facit ex ipſius reſponſionibus occaſione ſumpta. Quia enim videbat Chriſtum de Patris erga ſe voluntate nihil dubitare, & proinde cultus quoque, qui illi debetur, ſtudioſiſsimum eſſe: mox eum Hieroſolymam deductum ſupra templi pinnas ſtatuit, & hiſce verbis eum ſolicitat. Agedum ſi tam certò tibi conſtat, te Dei filium eſſe, cur hactenus in obſcuro Galilææ oppido latuiſti? cur circa artificium ſordidum & ignobile fuiſti occupatus? cur à baptiſmo in deſertum abijſti, vbi nulla declarandæ tuæ maieſtatis & diuinæ potentiæ occaſio tibi data fuit? Quin nunc tandem in loco totius orbis celeberrimo qui ſis publicè teſtaris, & ad hoc tibi oblata occaſione actutum vteris? En in templi faſtigio conſiſtis, & in te omnium oculi coniecti ſunt. Quin ergo animoſo ſaltu te è ſublimi in terram deijcis, vt omnes intelligant, te Dei filium illum dilectum eſſe, ſi in tam alto & præcipiti caſu incolumis ſeruaris. Nec eſt quòd periculum aliquod timeas, quando ſcis, quid de te olim Dauid vaticinatus ſit: fore nimirum, vt Deus Angelis ſuis mandata det, vt te cuſtodiant, imò manibus tollant & geſtent, ne pedes ad lapidem aliquem offendas. Si ergo tanta apud te eſt ſcripturarum authoritas, vt earum dictis conſtanter inſiſtendum eſſe putes, decet certè,

Diabolus Chriſtum confidentia tentat.

vt huic quoq; promiſſioni fidem habeas, & illa fretus tuæ diuinitatis ſpecimen edas. Nam ſi id detrectet, non modò illius existimatio tibi periclitabitur, ſed & fides tua in dubium veniet, quam hactenus tanta cum fiducia profeſſus es, &c. Hæc verborum iſtorum ſententia atq; ſumma eſt. Quid autem his quærit Satan? Hoc nimirum quod ante diximus, vt temeraria & ambitioſa magis quàm ſancta fiducia propriæ dignitatis & diuinæ protectionis inflatus, ſeipſum abſq; Dei vocatione in periculum non neceſſarium conijciat, & paternæ erga ſe voluntatis Dei experimentum captet, vbi minimè opus erat, & quod ſine manifeſta impietate non poterat fieri. Sed vtile fuerit ſingula, quæ hîc fecit & dixit Satan, diligentius excutere.

Locus tentationis Hieroſolymæ & templũ. *Primò duxit Chriſtum Hieroſolymam, quam Matthæus ciuitatem ſanctam dicit. Etſi enim illic dominarentur impij magiſtratus & Sacerdotes ambitione atque odio doctrinæ purioris infames, in ea tamen Deus cultus ſui ſedem conſtituerat, & reliquæ adhuc erant piorum reliquiæ, ex quibus eccleſiam oportebat inſtaurari. Et hæc ratio eſt, propter quam eccleſiæ etiam hodie ſanctæ dicuntur, quàmuis multi in ea hypocritæ, multi etiam palàm flagitioſi inueniantur: quod ſi Anabaptiſtæ obſeruarent aliquantò attentius, minus temerarij eſſent in damnandis eccleſijs, quæ aliqua labe aut vitio laborant. Cæterùm Hieroſolymæ non Prætorium non Antoniam aut quemuis alium locum æditiorem ad certamen hoc ſibi deligit Diabolus, ſed ipſum templum Domini, & in huius faſtigio ſummo Chriſtum ſtatuit. Ita verò omnem ſuſpicionem procul remouere conatus eſt. Quis enim in templo, & quidem eo, de quo promiſſiones Dei præſtantiſſimæ extabant, ſibi à diaboli inſidijs aut periculo impietatis timeret? Sed vt omni tempore in armis eſt ille, ita nullus locus nos ab eius inſidijs tutos reddit. Et quod in Chriſto conatus eſt, hoc ipſum multi quotidie ſentiunt. Sic eos maximè oppugnat, qui in eccleſiæ faſtigio conſtituti, propter eximiam dignitatem animis ſuis efferuntur: & non rarò fit, vt dum illi æquò confidentiores ſibijpſis immunitatem vendicant, ſeque propter muneris eccleſiaſtici dignitatem extra omne erroris aut grauioris lapſus periculum conſtitutos putant, ſemetipſos non ſine publico totius eccleſiæ malo præcipites dent. Sic in Apocalypſi ſtellæ de cœlo cecidiſſe dicuntur, Epiſcopi nimirum, quos ſua confidentia decepit, vt relicta rerum cœleſtium cura huius ſeculi honores & imperia ambire cœperint, quæ ipſis turpiſſimæ ruinæ cauſa fuit. Et vtinam non hodie multi horum ſimiles eſſent, quos ſuæ conditionis fiducia eò vſque extollit, vt non ſolum in propria vita & moribus, verumetiam in doctrina & cultu Dei quiduis ſibi permittant, leges figant & refigant, adeoque pro libidine ſua omnia faciant. Sed & priuatos homines hîc maximè aggreditur diabolus, vt inter media ſacra vanis cogitationibus indulgeant, veſtium luxu & oculorum laſciuia atque geſtibus incompoſitis eccleſiam offendant. Multos autem Euangelij fiducia inani excæcat, vt propter huius profeſſionem ſibi nihil non impunè licere putent? Et hi omnes, dum ſupra communem hominum ſortem in gradum aliquem eccleſiæ Dei ſe euectos eſſe ſibi perſuadent, non procul à lapſu abſunt, qui illis tantò grauior accidit, quò altius efferuntur.*

Satan exaltat ut deijciat. *Quid verò iubet aut ſuadet Chriſto diabolus? Si Filius Dei es (inquit) iace te hinc deorſum. Repetit quod in primo congreſſu dixerat, Si Filius Dei es: & eſt repetitio hæc admodum vehemens & acuta. Nam & cœleſtem vocem in dubium vocat, & fiduciam Patris cœleſtis exprobrat, idque in eum finem, vt temerario auſu abreptus confidentia peccet, vt ſupra dictum eſt. Latet ergo ſub his admirabile diaboli artificium, qui ita hanc tentationem temperauit, vt aut diffidentia aut confidentia neceſſariò peccaturus videretur Chriſtus. Si enim quod iubetur facere detrectet, iam Dei Patris oraculo & veteribus promiſſis diffidere dicetur. Sin verò obtemperet, Deum tentabit, & ſimul confidens nimiùm ſibijpſi exitiũ afferet. Vtrinq; autem concurrit gloriæ ſtudium, quã nullo iure negligere poſſe videbatur, cùm ſimul & Patris gloria & humani generis ſalus in periculũ veniret. At dum gloriam Chriſti prouehere videtur, illi infamiam & interitum ſtruit. Quo loco Satanæ ingenium à diuino diuerſum, & huic prorſus contrarium apparet. Dei enim proprium eſt ſuos humiliare & deprimere, vt mox cum gloria vera & immortali exaltentur: vt in multorum exemplis eſt videre, quæ alibi cõmemorauimus. E cõtra diabolus in altum euehit, aut ſaltem nos in ſummo gloriæ faſtigio cõſtitutos eſſe nobis perſuadere conatur, vt poſtea præcipites det & ſempiterno exitio demergat. Quod ſapientiſſimus ille mortalium Solomon olim obſeruauit, cùm diceret: Ante contritionẽ eſt*

ſuperbia

ſuperbia,& ruinā præcedit ſpiritus elatio. Et ideo mox infert: Melior eſt humilitas ſpiritus cum abiectis, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Exempla, quibus iſta confirmentur, paſsim occurrunt. Hos enim primos parentes ſuo malo & communi totius poſteritatis ruina expertos fuiſſe ſcimus. Paſſi ſunt idem, qui poſt diluuium turrim Babel ædificaturi mox admirabili & ridicula linguarum diuiſione impediti ſunt. De Senacheribo autem Aſſyriorum tyranno quid dicere attinet? Qui enim Orientem totum vaſtarat, gentium fines ſuſtulerat, & de ipſis Dijs abs ſe deuictis gloriabatur, repentè amiſſo exercitu profugus domi ſuæ à proprijs filijs iugulatur, & publicum confidentiæ exemplum factus eſt, quod Ægyptij ſtatua publica poſteritati commendarunt, cum inſcriptione: Qui me incuetur, pius eſto. Idem de Baltazare & Nabuchodonozore, Babyloniorum regibus, dici poterat. Quid de Sylla dicemus, qui cùm ſeipſum Felicem, filium verò Fauſtum diceret, mox è ſummo honoris & potentiæ gradu deiectus fœdo morbo perijt, nominis verò memoriam bonis omnibus deteſtabilem reliquit? At quid exemplis veteribus opus eſt, quando multa huius generis priuatim & publicè accidunt? Nobis autem horum omnium vſus ſit, vt arrogantes illas animi perſuaſiones, quas Satan ſuggerit, in tempore reſtinguamus, ne dum iis ad tempus cum aliqua voluptatula indulgemus, nobis grauioris ruinæ cauſa ſint.

Prouer. 16.

Imprimis autem in hoc congreſſu conſiderationem peculiarem meretur, quòd ſcripturæ teſtimonio Satan vti voluit, nimirum vt ſcripturis pugnantem Chriſtum armis ſuis ſpoliaret. Vbi num aſtutiam eius, vel audacem impudentiam magis admirere incertum eſt. Quid enim aſtutum magis fingi poteſt, quàm ſcripturis, quæ fidei & pietatis doctrinam continent, ad perſuadendam impietatem abuti poſſe? Quid verò audacius, impudentius & proteruius, quàm eum gladium in manus ſumere, quem vnicè odit, & cuius fulgorem ne eminus quidem ferre poteſt? Quantam autem confidenciam dicemus, quòd ſcripturis aduerſus eum pugnat, cuius ſpiritum illas dictauiſſe non poterat ignorare? Sed audiamus quàm confidenter & artificioſè eas adducat? Scriptum eſt (ait) Angelis ſuis mandabit de te, vt cuſtodiant te, & quòd in manibus tollent te, ne quando offendat ad lapidem pedem tuum. Extat locus iſte Pſal. 91. quem nonnulli à Dauide compoſitum eſſe putant, cùm Deus populum Iſraeliticum immani peſte puniret, quæ intra triduum ſeptuaginta millia virorum abſumpſit. Et non malè cum horum ſententia conuenit, quod in illo de peſte in tenebris graſſante & lue meridiana ſcribitur. Commendat autem illic ſpiritus ſanctus diuinæ prouidentiæ protectionem, qua pij & credentes in quouis periculo tuti & incolumes ſeruentur, & inter alia dicit: Non accedet tibi malū, neq; plaga tabernaculo tuo appropinquabit. Nam Angelis ſuis de te mandabit, vt in omnibus vijs tuis te cuſtodiant. Manibus te geſtabunt, ne ad lapidē pes tuus impingat, &c. Verè ergo in ſcripturis ſacris habetur quod Satan dicit: ſed quod illic rectè & piè dicitur, improbus ille impoſtor ad ſenſum alienum & impium detorquet. Illic enim Spiritus ſanctus de ijs loquitur, qui Dei vocationē ſequuntur, & in vijs ſuis, id eſt, à Deo ſibi præſcriptis ambulant. Diabolus autem promiſsionem illam ad omnes ſimpliciter extendit, & quidem ad eos quoque, qui vel impia confidentia, vel quauis alia temeraria cupiditate abrepti in pericula non neceſſaria ſeſe conijciunt. Et ideo plus quàm ſacrilega temeritate particulam illam (In omnibus vijs tuis) omittit. Nec enim via Chriſti aut Patris vocatio erat, vt è pinna templi ſe præcipitem daret, aut alijs miraculis, periculoſis quidem ad nihil autem vtilibus (vt agyrtæ & circulatores ſolent) diuinæ ſuæ gloriæ & virtutis argumentum præberet. Eſt ergo hoc exemplum probè nobis obſeruandum, ne mentione ſcripturarum oculos nobis perſtringi patiamur, ſed potius probemus omnia, ne vel ipſius diaboli vel organorum eius fallacijs nos ſeducendos præbeamus.

Satan ſcripturis pugnat.

Locus Pſalmi XCI.

Quod enim hîc fecit hoſtis ille noſter, hoc ipſum frequenter apud nos efficere conatur, & quidem bifariam. Principiò in ijs, quæ ad animam & ſalutis æternæ negotium faciunt. Solet hîc nonnullos in ſupremum fidei faſtigium euehere, id eſt, ea perſuaſione inebriare, vt ſe ea aſſecutos putent, quæ in toto illo negocio excellentiſsima & omni captu humano ſublimiora ſunt: & tunc vel occultis ſuggeſtionibus, vel etiam per Sophiſtas artibus fallendi probè inſtructus, ita eos compellat. Si fide in Ieſum Chriſtum verè iuſtificatus & iam filius Dei factus es, imò ſi æterno Dei decreto electus & ad vitæ æternæ hæreditatem prædeſtinatus es in Chriſto, quid opus eſt teipſum aſsiduo vitæ nouæ ſtudio, carnis mortificatione, tuiipſius abnegatione & ſolicita præceptorum Dei obſeruatione fati-

Vt nos quoq; confidentia tentemur.

Rom. 9. & 11. gare adhæc mundi odia prouocare, & vitam ipſam tibi amaram reddere? Etenim ſcriptum eſt: Non eſt volentis neq; currentis, ſed miſerantis Dei. Item vocatio & dona Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum hunc pœnitere non poßit. Et Domino exercituum aliquid conſtituente, quis illud faciat irritũ? Vel num Chriſti vocem ignoras? Ego ſum paſtor bonus, qui pono animam pro ouibus, & nemo poteſt oues rapere de manu mea, &c. Hæc & alia huius generis infinita hodie paßim audiuntur. Quis autem horum omnium ſcopus diabolo propoſitus eſt? Hic nimirum, vt neglecto ſalutis ſtudio nos ſecuritati dedamus, & vel ſuperſtitiones cõmunes ſectemur, vel effræni licentia cum infelici mundo in omne ſcelus ruamus. Quid enim aliud faciant, qui hiſce fallacijs decepti, ab inani & imaginaria Dei electione ſic dependent, vt Verbi Dei ſtudium, vitæ nouitatem, preces & quæcunq; ſunt alia veræ pietatis exercitia pro ſuperuacaneis ducant? At non in his ſolùm diaboli improbitas nobis negotium facit, ſed in ijs etiam, quæ ad corpus ſpectant, iiſdem armis atq; artibus nos adoritur. Hîc enim ſub prætextu prouidentiæ imponit multis, vt pro fidelibus confidentes, aut potius ſecuri & impij diuinorum inſtitutorum contemptores fiant. Profert ergo ſcripturas, quibus Deus dicitur aues cœli & pullos coruorum paſcere, flores agri veſtire, & quòd idem neceſſaria omnia largiturus ſit ijs, qui regnum ſuum & eius iuſtitiam quærere ſatagunt. Et hîc quidem ita rhetoricatur, vt illum iſta ſeriò agere, & omnino hoc velle iuraſſes, vt hominet abiecto omni rerum terrenarum ſtudio, ſolum Deum ſuſpiciant, & ab huius prouidentia toti pendeant. Sed longè alia eimens eſt. Nam œconomiam euertere & ab ipſo Deo nobis mandatum rei domeſticæ ſtudium abolere conatur, vt hoc neglecto homines ad extremam egeſtatem redacti, vel impiè aduerſus Deum murmurent, vel ad iniuſtas artes & media illicita conuerſi per fas & nefas diteſcere ſtudeant. Ita frequenter in morbis naturalia remedia in odium adducit, & vitam noſtram Deo curæ fore perſuadet, qui herbarum aut radicum præſidijs minimè opus habeat. Sed quorſum iſta quoque tendunt? Num vt ſpe bona impleat, & Deum vitæ mortiſq; authorem vnicum eſſe nobis perſuadeat? Nequaquam: ſed vt cæca confidentia ebrij morbos nobis propria incuria incurabiles reddamus, quæ deinde nobis vel belluini eiulatus contra Deum, vel etiam ſuperſtitionum cauſa ſit, vt apud Magos & veneficos, vel etiam apud Diuos cœlites, vel potius apud eorum ſtatuas quæramus ſalutem, quam initio licitis & à Deo ordinatis remedijs tueri noluimus. Solet hoc ipſum in bellicis quoq; periculis interdum fieri, vt confidentiam loco conſtantis & intrepidæ fidei nobis inſtillet, & ea occaſione deinceps ad ea cogat, quæ vel cum manifeſta impietate, vel cum præſenti exitio coniuncta ſunt. Deniq; nullum vitæ genus, & nulla in humanis actio eſt, quæ non hiſce diaboli conſilijs atque ſuggeſtionibus turbetur, quæ eò periculoſiores ſunt, quòd plauſibili pietatis & fidei veræ prætextu palliantur. Quò magis nos aduigilare neceſſe eſt, ne nos incautos & ſecuros opprimat.

Chriſtus rurſus ſcripturis pugnat. Sufficiet hîc nobis vnius Chriſti exemplum, ſi hoc non oſcitanter conſideremus. In quo ante omnia obſeruabis, illum rurſus ſcripturarum gladio vſum fuiſſe. Ergo non propterea has abijciendas putauit, quòd Satan illis turpiter & impiè abuſus eſſet. Vnde apparet, non probari illi eos, qui ſacros libros plebeis hominibus, adeoq; toti populo Chriſtiano ex manibus excutiunt, eò quòd illis abutantur hæretici & impoſtores, quorum fraudes non omnes poßint obſeruare. Cur verò non eoſdem à cibis ſimul omnibus abſtinere iubent, ne veneficis ſeſe occidendos præbeant? Atqui vt vitam cibo ſuſtentemus neceſſe eſt, aiũt. Quaſi verò minus neceſſe ſit animã verbo Dei paſci & regi, ne inter tot æternæ ſalutis pericula miſerè ſuccumbat. Quin potius nos cogitare conuenit, Deum diabolo & organis eius inter alia hoc quoq; non ſine iuſta & graui cauſa permittere, vt ſcripturas ſacras detorqueant, & ex vitæ fontibus mortẽ cùm ſibijpſis tum multis alijs propinent. Id verò facit, non vt ipſorũ libidinẽ & audaciam ſua indulgentia foueat, ſed vt nos ad ſerium verbi ſui ſtudiũ excitet, vt dolos omnes obſeruare, verum ſcripturæ ſacræ vſum tenere, & locorũ ſingulorũ collatione diligenti maiores quotidie in vera pietate progreſſus facere ſtudeamus. Hac certè vna Chriſtus in præſenti fallaciam Satanæ detegit, & eum non minus ineptum quàm impudentem aſinũ eſſe oſtendit, qui mirificus in ſcripturis examinandis artifex videri volebat. Et ſanè hãc omnes fallacias deprehendendi atq; confutandi compendioſiſſimam rationem eſſe conſtat, ſi diuerſi ſcripturæ loci inter ſe diligentius conferantur, & ſecundùm fidei analogiam explicentur. Quod ſi hodie paßim obſeruaretur, minus eſſet contentionum, & facilis eſſet ſententiarum, quibus eccleſia ſcinditur, conciliatio.

Videamus ergo, vt ex ſcripturis Chriſtus diabolo reſponderit: Dictum eſt (inquit) non tentabis Dominum Deum tuum. Quo reſponſo diuinæ ſapientiæ ſpecimen edit, quando vna ſententia duo, quæ maximi momenti erant, conficis. Primò fucum abſtergis aduerſario, & quid hic moliatur aut quærat, docet. Deinde illud factu nefas eſſe oſtendit. Itaque reſponſionis huius ſenſus eſt: Tu quidem meæ gloriæ & exiſtimationis ſtudioſiſſimus videri vis, quaſi hoc quæras, vt diuinæ maieſtatis experimentum aliquod publicum præbeam, quo quàm plurimis innoteſcat, quid de me debeant ſentire: Et vt quod vis mihi perſuadeas, Scripturæ ſacræ oraculum adducis. Atqui de huius fide ego nequaquam dubito, & quod prius dixi, me Patris decreto firmiter niti in ijs, quæ meæ ſunt vocationis, etiamſi ipſa rerum natura mihi aduerſa videatur: id ipſum nunc quoq; ſentio. Quòd autem tuam poſtulationem non recipiam, neque me hinc deorſum præcipitem mittam, in cauſa eſt, quòd aliud Dei dictum tuæ ſuggeſtioni prorſus contrarium eſſe video. Nam iubes tu, vt præter neceſſitatem præſent vitæ periculum ſubeam. At ego Moſem ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione clamantem audio: Non tentabis Dominum Deum tuum. Quare etſi de diuina protectione certus ſim, ſimul tamen minimè admittendum puto, vt eius temeraria fiducia ad tentandum Deum abutar, &c. Hic (inquam) verborum Domini ſenſus mihi eſſe videtur. Scripturā ſcripturæ opponit.

Extat autem locus iſte apud Moſem Deuteròn. ſexto cap. vbi exemplo adiecto declaratur quid eo præcepto Deus prohibeat. Ait enim: Ne tentetis Dominũ Deum veſtrũ, ſicut tentaſtis in Maſſa. Reſpicit autẽ ad hiſtoriam, quæ Exod. 17. ad hunc modum deſcribitur: Caſtrametati ſunt filij Iſrael in Rhaphidim, vbi non erat aqua, vt biberet populus. Et expoſtulauit populus cum Moſe, & dixerunt: Date nobis aquam, vt bibamus. Eſt ne Dominus in medio noſtri, annon? Id verò factum Moſes exponens, reſpondit illis: Cur mecum expoſtulatis? cur tentatis Dominum? &c. Et locum illum ab euentu Maſſa & Meriba, id eſt, tentationem & contentionem vocauit. Ergo Deum tentauiſſe dicuntur Iſraelitæ, quando non contenti ſignis & beneficijs, quibus ſuum fauorem ille iampridem abunde declarauerat, nouum illius experimentum quærunt, adeoque illum in dubium vocant, vel etiam omnino negant, niſi modo inſolito aquas ipſis profundat. Simili audacia eos peccauiſſe in Pſalm. 78. ſcribitur, vbi exhibito aquarum beneficio ſic ſubijcit propheta: Adhuc tamen peccauerunt ei, & exacerbauerunt Altiſſimum in ſolitudine. Et tentauerunt Deum in corde ſuo, cùm poſtularent cibum animabus ſuis, & contra Deum locuti ſunt, dicentes: Num poteſt Deus menſam inſtruere in deſertò? En petram percuſſit, & effluxerunt aquæ, & fluuij inundarunt. Num verò & panem dare poterit? Num parare carnes poterit populo? Ex quibus iterum colligitur, Deum tentari, ſi qui non contenti verbo eius, ipſi inſuper modum, locum, tempus & res agendas præſcribunt, vt eius bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, potentiam nouis modis experiantur. Et hoc modo Iſraelitas in hiſtorijs modò commemoratis Deum tentauiſſe conſtat. Similis fuit ciuium Bethuliæ tentatio, qui Dei auxilium ad dierum quinque ſpatium reſtrinxerant, quibus euolutis vrbem hoſtibus tradituri eſſent, niſi cælitus iuuarentur. Quorum temeritatem Iudith accuſans dicit: Qui tandem eſtis vos, qui Deum hodie tentandum putaueritis, Deiq; partes inter homines occupetis? Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam impetret, ſed iram potius excitabit, &c. Et eſt hoc tentandi Deum genus admodum vulgare, ſi quando res prorſus deſperatæ ſunt, vt publicè in re militari, priuatim in morbis, egeſtate alijſq; aduerſis ſiue periculis eſt videre. Tentatur item Deus, quando contemptis ordinarijs medijs ſiue præſidijs homines petunt, vt ille nouo & inſolito modo ipſis opem ferat. Faciunt hoc, qui electione & prædeſtinatione gratuita abutuntur, vt vocationem, quæ per Verbum Dei fit, Sacramentorum vſum, admonitiones, hortationes, conſolationes, preces cùm publicas tum priuatas & omnia alia pietatis exercitia negligant. Quid enim hi aliud faciunt, quàm quòd Deo nouam regni ſui rationem præſcribunt? Imò dum prædeſtinationẽ plenis buccis iactant, eandem reipſa negant, quando ſalutis media contemnunt vt ſuperuacanea, quæ ſub æterna prædeſtinatione Dei contineri ſcripturæ docent. Nam quos præſciuit (inquit Paulus) eos & prædeſtinauit, vt conformes ſint imagini filij eius, vt ipſe ſit primogenitus inter multos fratres: Quos autem prædeſtinauit, eos & vocauit, (nimirum foris quidem per Euangelij prædicationem, intus autem illuminatione & tractu ſpiritus ſancti.) Quos verò vocauit, eos & iuſtificauit (nimirum per fidem, qua Chriſtum amplexi ſunt.) Et quos iuſtificauit, eoſdem glorificauit. Qui ordo ſatis docet nimiùm audaces

Locus Deut. 6.

Tentare Deum quid ſit?

Iud. 8.

Rom. 8.

Phaëtontes & Icaros, imò nefarios diuinæ bonitatis tentatores eſſe, qui abſque intermedijs gradibus ab electione ad ipſam vſque glorificationem tranſilire conantur. In quorum albo etiam cenſeri merentur, qui ſigna, quibus fidem noſtram Deus olim confirmauit, aut etiam hodie confirmat, pro inutilibus ducunt, & ipſi noua poſtulãt à Deo, vt hunc ſuæ libidini ſubijciant. Quod olim Iudæos feciſſe legimus, quando ſignum è cælo petebant, &c. In externis verò & temporalibus Deum ſimiliter tentant, qui agriculturam, rei domeſticæ adminiſtrationem, politicas leges, naturalem medicinam, ſtudium literarium contemnunt, & tamen ſibi ea pollicentur à Deo, quæ is per hæc quaſi media dare conſueuit.

3 · *Eſt præterea tertium tentandi genus, quando nos abſque legitima vocatione Dei periculis non neceſſarijs obijcimus, vt quàm Deo curæ ſimus experiamur. Et ſub hoc referri debet, quo Chriſtum Satan aggreſſus eſt. Nec enim vlla Patris vocatione vrgebatur, vt diuinitatem ſuam præcipici ſaltu ex templi pinnis probaret: neque vt id faceret neceſſe erat, cùm non deeſſent ſcalæ aut gradus, per quos ex alto deſcenderet. Eſt autẽ hoc quoque tentationis genus admodum frequens. Nam in hoc peccant, qui non vocante Deo, imo plerunque illo prohibente, fidem ſuam apertis periculis ſubijciunt, quando Epiſcoporum, Abbatum aut principum ſeruitijs ſeſe mancipant, quos & fidei hoſtes eſſe & huius confeſſionem liberam odiſſe norunt. Magis temerarij ſunt, qui inſuper ſacris illicitis communicant, & in ipſa fidei abnegatione ſalutem certam ſibi pollicentur. Similes horum etiam ſunt, qui relicto Chriſtianæ libertatis beneficio, iugum ceremoniarum inutilium humeris ſuis acceſſunt, & conſciencias tam ſuas quam aliorum inutiliter, imò pernitioſe grauant. A quibus Deum*

Acto. 15. *tentari, Petrus in Actis diſertè monet. Peccant hîc etiam, qui vel fœdera cum impijs iungendo, vel connubijs imparibus ſeſe implicando fidem ſuam in periculum adducunt. Deum item tentant, qui caſtitatem vouendo, thori legitimi vſum damnant, & ita ſibijpſis ſtuprorum, adulteriorum, inceſtuum & nefandiſſimæ libidinis materiam atque fomenta accerſunt. Quibus adnumerari poſſunt, quotquot deuoto animo in omne ſcelus ruunt, & ſe Dei bonitate niti, deque ſalute ſua optimè ſperare clamant, etiamſi nihil non faciant eius voluntati contrarium. Adijciantur his omnibus agyrtæ, funambuli, & qui veteres Retiariorum atque Mirmillonum ludos reducere ſatagunt. Vides ergo peccatum hoc tentandi Deum latiſſimè patere, & omnibus hiſce ſpeciebus occinendum eſſe, quod Chriſtus ex Moſe aduerſus Satanam adduxit, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Contra præcepti huius abuſum. *Concluſurus eram locum hunc, ſed condonabitis mihi fratres dilecti, ſi ijs prius reſpondero, qui ex præcepto hoc ſuæ ignauiæ & diffidentiæ patrocinium quærunt. Sunt enim, qui vt primùm iubentur, quod cum aliquo periculo coniunctum eſt, mox clamant: Non tentabis Dominum Deum tuum. Quo fit, vt nihil vnquam laude dignum faciant, & fidei atque charitatis Chriſtianæ officia tunc maximè negligant, quando pulcherrima ſeſe in his exercendi occaſio offertur. Auditur enim vox iſta ex multis, qui vt fidei profeſſionem faciant, euocantur ad inquiſitorum aut iudicum tribunalia. Vtuntur eadem ignaui ciues, ſi quid pro patria & publica ſalute audendum eſt. Illam in ore habent, qui dum lues in vrbibus graſſatur, monentur, vt vicinis, amicis, cognatis, conciuibus præſto ſint, & laborantibus neceſſaria vitæ ſubſidia ſubminiſtrent. Adeò ingenioſus eſt Satan, vt ſub plauſibili pietatis prætextu fidem abnegare, patriam prodere & in proximos quoſque extremam impietatem exercere doceat. Sed vna reſponſio omnibus illis ſufficit, Non tentari ſcilicet Deum, quando eius vocatione excitati præſens periculum adimus, adeoque in mortis fauces noſmetipſos ingerimus. Eſt enim hoc obedientiæ officium, quam Deo negare non poſſumus, qui vitæ & necis noſtræ ius habet atque imperium. Atque generalia Dei præcepta ſunt, vt fidem in Chriſtum publicè & intrepidè fateamur, vt à ſacris ſuperſtitioſis abſtineamus, vt patriæ & ciuibus in periculo conſtitutis ſuccurramus, vt ægrotos viſamus & omni proſequamur officiorum genere, vt denique peſtem & quæcunque alia Dei flagella ſunt, non turpi fuga, ſed aſſiduo pœnitentiæ ſtudio, precibus, charitate mutua & dilectione euadere conemur. Iſtis ergo quicunque ſeſe accomodant, ij non Deum tentare dicuntur, ſed officium facere. Quòd ſi autem interea ſuccumbunt, næ illi beati ſunt, quibus in Dei vocatione, vt ſeruis frugi & fidis, occumbere datum eſt.*

Diabolus à Chriſto abſcedit ad tempus. *Reliqua eſt hiſtoriæ totius concluſio, quam his verbis Lucas abſoluit: Et finita omni tentatione, diabolus abſceſſit ab eo ad tẽpus. Ergo non antea quies data fuit Chriſto, quàm toto hoc certamine probè defunctus eſt. Quo exemplo admonemur, ne ipſi nobis ferias indicamus, priuſquam quod*

nobis à

nobis à Deo mandatum eſt, fideliter executi fuerimus. At quàmuis tunc abſceſſerit Satan, non tamen pax certa facta fuit, ſed ad tempus induciæ fuerunt, quibus ad grauiora, quæ mox ſecuta ſunt, certamina Chriſtus præpararetur. Nam etſi vehementes & acres fuerint pugnæ, quas in præſenti ſuſtinuit, leuiores tamen velitationes videri poſſunt, ſi cum illis conferantur, quæ per Sacerdotes, Scribas, Phariſæos, Sadducæos, Pilatum, Iudam & horum complices aduerſus illum excitauit. Nos itaque meminerimus, vitam noſtram militiam eſſe perpetuam, & nimiùm ſocordes aut negligentes eſſe, qui dum huius vitæ paleſtra durat, ſibiipſis plenam victoriam atque triumphos pollicentur, quibus in cœlo demum frui dabitur. Interim conſolationis plenum eſt, quod Matthæus & Marcus Angelos Chriſto miniſtrauiſſe ſcribunt. Eſt is angelorum princeps & dominus, & quia nos bonorum ſuorum conſortes eſſe vult, nobis quoque Angelos miniſtros & cuſtodes deſtinauit: non quidem, quales Satan perſuadere voluit, quorum impia fiducia aduerſus Deum inſurgamus, eumq́ impiè tentemus: ſed vt diuinæ protectionis tamq́ fidelis præſidij ſpe certa freti, in omni tentationis genere intrepidi, ſtationem noſtram conſtanter teneamus, & tandem finito certamine omni, æternæ & beatæ immortalitatis corona donemur in Chriſto Ieſu, Domino noſtro, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XL.

Et reuerſus eſt Ieſus cum virtute ſpiritus in Galilæam, & fama de eo exijt in totam circumiacentem regionem. Et ipſe docebat in Synagogis eorum, omnibus eum glorificantibus.

NArrauit huc uſq; Lucas; vt Dominus noſter & ſeruator, Ieſus Chriſtus, ad munus ſeu officium, cui illum Pater æterno decreto deſtinauerat, publicè ordinatus atq; præparatus ſit. Præcipuum in tota illa hiſtoria fuit tentationis certamen, quod diebus circiter quadraginta aduerſus diabolum ſuſtinuit. Vſus eius nobis hic eſt, vt Chriſtum hoſtis noſtri communis victorem, adhæc pontificem noſtrum fidelem eſſe credamus, qui noſtras infirmitates in ſe receperit, & proinde pia noſtræ miſeriæ commiſeratione tangatur. Qui denique hoſtem illum ita nobis vicerit, vt nobis quoque illum vincendi vires hodie donet. Admonuit præterea nos hoc exemplo ſpiritus ſanctus, neminem publicis officijs obeundis idoneum eſſe, niſi qui diaboli ſuggeſtionibus reſiſtere didicit, & iam non obſcura ſancta illius victoriæ trophæa ſtatuit. Quid enim in eccleſia, quid in repub. proficiet, qui ipſe tyranni omnium crudeliſsimi & impuriſsimi eſt mancipium? Aut num ad deſtruendam diaboli tyrannidem & erigendum regnum Dei aliquid momenti conferet, qui totus quantus eſt illius libidine rapitur, & ad quemuis praui affectus aſſultum turpiter ſuccumbit? Prudenter quidem & grauiter à veteribus dictum eſt, Nemo bene imperat, niſi qui ſeruire didicit. At multò verius & iuſtiori de cauſa nos dicere poſſumus, neminem vel in repub. vel in eccleſia alijs hominibus feliciter præeſſe, quàm qui excuſſo diaboli iugo, eum iampridem ſubegit, & ab hoc accenſas in nobis carnis cupiditates coercere nouit. At quia de his alibi commodius dicetur, pergamus nunc cum Luca in cœpta Ieſu Chriſti hiſtoria, vt videamus, quomodo commiſſum ſibi munus, ille in publico obire cœperit. Quo loco, quia rem maximi momenti Euangeliſta paucis verbis comprehendit, ſingulæ circunſtantiæ diligentiorem conſiderationem merentur.

Principiò author totius negotij indicatur, ſpiritus ſanctus. Nam cum virtute ſpiritus in Galilæam reuerſus eſſe dicitur Chriſtus, ne quis eum ex priuato carnis affectu aliquid feciſſe putet. Virtutem verò ſpiritus dicit Lucas ipſum ſpiritum, qui viſibili ſpecie in eum deſcendit & ſuper eum manſit (vt Ioan. 1. cap. ſcribitur) nunc verò ſuam præſentiam operibus miraculoſis efficaciter & publicè declarauit, quibus ad excitandos hominum animos opus erat, vt maior apud omnes eſſet doctrinæ authoritas. Itaque vno verbo noſter hic comprehendit, quod Matthæus fuſius deſcribit, ſic dicens: Circuminit totam Galilæam Ieſus, docens in Synagogis ipſorum ac prædicans Euangelium regni: & ſanans quemuis morbum, & quemuis languorē in populo. Tunc peruenit fama eius

Chriſtus virtute ſpiritus armatus.

in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè affectos, varijs morbis ac vexationibus detentos, & dæmoniacos & lunaticos, & paralyticos, ſanauitq́ eos. Faciunt hæc ad commendandum totum Chriſti miniſterium, & hoc non humanum, ſed diuinum & cæleſte fuiſſe demonſtrant. Et eſt hoc obſeruandum diligenter, cum vt de Euangelij doctrina honorificentius iudicemus, tum vt certior nobis ſit ſalutis fiducia, quæ per illam nobis offertur. Cur enim de earum promiſsionū veritate quis dubitet, quas æternus Dei filius nobis fecit, & quidem ipſo ſpiritu impulſore & authore, quo illum quoad aſſumptam quoque hominis naturam præ omnibus alijs hominibus abundaſſe conſtat? At ſimul ſuo exemplo Chriſtus admonet, neminem niſi ſpiritus donis inſtructum ad docendi munus accedere debere. Quia enim animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, & ex nobis ipſis ne ad cogitandum quidem idonei ſumus, nihil vnquam in hoc munere proficient, qui ſpiritu deſtituti ſolius carnis ratione ducuntur. Adhæc authoritate ſingulari opus eſt, quam non pij modò, verumetiam impij agnoſcere cogantur, & quam ijdem vel inuiti formident. Alioqui furioſo impetu mox aduerſus miniſtros inſurgunt, & hi illorum conatibus territi ſtationem ſuam turpiter dèſerunt, & ita miniſterij ſacri dignitatem produnt. Ideo olim prophetas peculiari ſpiritus virtute purgatos & confirmatos fuiſſe legimus, vt tanti muneris laboribus ſufficere & impios aduerſariorum conatus vincere poſſent: ſicuti in Iſaiæ, Ieremiæ & Ezechielis hiſtorijs eſt videre. Et Apoſtolos non ante ad prædicandū exire voluit Chriſtus, quàm illos ſpiritus virtute ex alto armauiſſet. Qua illi deinde inſtructi non apud electos modò in honore & precio fuerūt, verumetiam reprobis terrorem incuſſere,
2.Cor.13. quando Chriſti in ipſis loquentis experimentum (vt Pauli verbis vtar) agnoſcere coacti ſunt. Hodie rarior eſt ſpiritus ſancti virtus, quia pauci vocationem legitimam expectant, & non tam gloriæ Dei ſtudio, quàm ventris cauſa ad eccleſiæ miniſterium aſpirant: multi autem quibus vocatio legitima obtigit, ſuæ dignitatis parum memores, eam fœdè nimis proſtituunt, quando non docendi diligentia, non morum grauitate, non ſeria ſcelerum correptione, ſed ignaua diſsimulatione & tantumnon proditoria indulgentia apud infelicem mundum fauorem & authoritatem ſibijpſis conciliare ſtudent.

Chriſtus prædicauit Euangelium.

Deinde quid Chriſtus primum omnium fecerit, Euangeliſta tradit. Ipſe docebat (inquit) in Synagogis ipſorum. Matthæus doctrinæ genus exprimens, illum Euangelium regni prædicaviſſe ſcribit. Hoc vt primum fecit in carne manifeſtatus Dei filius, ita in eodem illum poſtea frequentiſsimum fuiſſe conſtat. Imò hoc quaſi vnicum eius fuit negotium, cui ſe totum addixit ad eum vſque diem, quo mortis ſupplicium pro nobis ſubiuit. Nam etſi miracula ſimul multa & ſtupenda fecerit, eadem tamen ad doctrinam referri debent, quando in eum modò finem illa facta eſſe ſcimus, vt doctrinæ ſigilla eſſent, & eam nobis confirmarent. Commendatur his verbi Dei aut Euangelij miniſterium, quo nullum in orbe terrarum antiquius, nullum, quoad primum eius authorem & poſtea ſecutos miniſtros, celebrius & præſtantius habetur. Nam ſi primum illius authorem quæras, quem alium præter vnum Deum inuenies, qui ipſe primis parentibus noſtris primus in paradiſo concionatus eſt, de ſemine mulieris, quo caput ſerpentis conculcari, & cuius merito humanum genus ab interitu vindicari oporteat. Eundem poſtea quoque priſcis patribus non vno modo eandem doctrinam reuelauiſſe ſcimus. Et cùm iam illi placeret miniſterium verbi ſui certis hominibus committere, in eo occupatos ille habuit omnes eos, qui propter pietatem ſingularem & eximias animi dotes præ alijs hominibus cōmendantur. Nam ipſe Deo teſte, propheta, id eſt, voluntatis & verbi diuini interpres
Gene.20. atq; præco fuit Abraham. Tales item fuerunt Iſaac, Iacobus & Ioſeph. Ad idē munus Moſes quoq; Imperator omnium quotquot fuerunt & futuri ſunt, glorioſiſsimus deſtinatus fuit, qui maiorem laudem retulit ex Legis diuinæ promulgatione per ipſum facta, quàm ex redemptionis Ægyptiacæ beneficio & victorijs, quibus ferociſsimas gentes domuit. Nam niſi illa acceſsiſſet, inutilis, imò exitialis fuiſſet externa illa populi liberatio, qui ne ſic quidem per omnia contineri potuit, quo minus libertate ſua ad proprium exitium abuteretur. Idem de Dauide victorioſiſsimo & Solomone ſapientiſsimo atque glorioſiſsimo Rege dicere poſſumus, quos non puduit Verbi Dei doctrinam partim ſui ſeculi hominibus coràm viua voce, partim poſteris ſcripto commendare, adeò vt in hodiernum vſq; diem Eccleſiaſtarum fideliſsimorum officio fungantur. Quòd ſi ad eos acceſſerimus, qui in veteri teſtamento Prophetarum nomine compellari ſolent, illorum chorum ex omnis loci & ordinis homini-

bus con-

bus conſtare videbis. Nam ex regio ſemine Iſaias & Daniel progeniti fuerunt, ſacerdotem habuit patrem Ieremias, Eliſeus & Amos ad agricolas & paſtores ſuæ gentis originem referunt. De alijs etſi nihil certi habeatur, ex eo ipſo tamen colligere poſſumus, ex varijs hominum ordinibus ad munus hoc vocatos fuiſſe, ne in officio ſuo ceſſantibus ſacerdotibus ordinarijs, Deus alicui ordini aſtrictus eſſe videretur. Ita denique idem ille teſtari voluit, omnes homines verbo ſuo ſubiectos eſſe debere, neque vllum ordinem habere cauſam iuſtam, ob quam eos muneris huius pudeat, cùm iam olim ex omnibus aliqui ad illud deſtinati fuerint. Idem de Apoſtolis & horum ſucceſſoribus dici poterat, ſi res iſta aliquid dubium habere videretur. Iſti certè prædicandi munus tanti fecerunt, vt ærarij eccleſiaſtici & pauperum curam, munus per ſe ſanctiſſimum, alijs committendam putarent, ne per illam in docendi officio impedirentur. Quid autem de illa dico, quando ferè Sacramentorum adminiſtrationem in alios reiecerunt, vt ipſi liberiùs & maiori cum fructu Euangelium prædicare poſſent? Paulus certè ſe quàm pauciſſimos baptizauiſſe ſcribit, & cauſam ſui facti affert, quòd non ad baptizandum, ſed ad euangelizandum miſſus fuerit. Vnde tamen nemo colligat, Sacramenta aut omnino omitti, aut negligentius tractari debere: ſed quando hæc cum Dei verbo conferebant, facile illis fuit videre, quanto hoc illis præſtantius ſit, & Chriſti exemplo ducebantur, qui cum in docendo frequens & aſſiduus fuerit, neminem tamen vnquam baptizauiſſe legitur. Nec temere iſta tam in ipſo quàm Apoſtolis ſic obſeruata fuiſſe patebit, ſi Verbi diuini vſum, & quàm hic nobis neceſſarius ſit conſideremus. Conſtat enim nos ex ipſis natalibus peccatores, cæcos item & diuinorum omnium ignaros, adhæc ad bonum vel quærendum vel apprehendendum ineptos eſſe, & proinde alienos etiam à Deo & cœleſtium bonorum hæreditate. At per verbum ſuum non ſolum voluntatem ſuam nobis Deus manifeſtat, verumetiam in filio ſuo iuſtitiam & ſatisfactionem pro peccatis offert, mentes illuminat, viribus nouis inſtruit, denique ſe totum nobis communicat: quo nomine verbum hoc lucerna pedum noſtrorum, lumen ſemitarum noſtrarum, vitæ regula, veritas, vita ſaluſque dicitur. Quæ omnia Paulus vno verbo comprehendens, illud Sermonem reconciliationis cum Deo vocat, ex qua reconciliatione tota hominis felicitas dependet. Et hæc non abſque cauſa prolixius tractamus. Nam vt verbi miniſterium commendant, ita improbos eius contemptores damnant, qui hoc vnum agunt, vt partim ſcurrilibus dictis & atrocibus conuitijs vulgo exoſum reddant, partim Theologiæ candidatos ab eo abſterreant. Placent illi ferè ſibi in ſua nequitia, ſed magno hæc illis olim conſtabit, quando ipſa vita ſe priuatos ſentient, cuius verbum nunc improbè aſpernantur. Et quid olim paſſi ſint, qui ſimili impietate peccarunt, hiſtoriæ docent, neque noſtri ſeculi exempla deſunt, quæ iſtis fidem faciunt, at pleriſque oculi deſunt, quibus Dei iudicia & proprijs ipſorum ceruicibus imminentes pœnas obſeruent.

Acto.6. *1.Cor.1.* *Ioan.4.* *Pſalm.19. & 119.* *2.Cor.5.*

Confutantur item Chriſti exemplo, qui neglecta doctrina circa ſolos externos ritus & inanes ceremonias occupantur, quaſi in illis vniuerſus Dei cultus atque ſalutis ratio conſiſtant. Atqui olim per prophetas ea reijciebat Dominus, quæ ſecundùm Legis ſuæ præſcriptum fiebant, & Apoſtoli circa baptiſmum minus occupati fuerunt, ne quid prædicationi decederet. Et in veteri eccleſia non quotidianus fuit Eucharistiæ vſus: nimirum, ne Sacramenta Verbo pretioſiora aut magis neceſſaria eſſe putarentur. Qua ergo ratione ſuam ſiue audaciam ſiue ſuperſtitionem excuſabunt, qui dies noctéſque in ſuffitibus faciendis, in aſperſionibus, in ſuffigendis cereis, in lectionibus & pſalmodijs peregrina lingua decantatis tranſigunt, & ſexcentis alijs, quæ nulla Dei authoritate confirmantur, Verbum autem Dei ita negligunt, vt totus ferè annus abſque concionibus ſacris tranſeat? Imò ſi quæ omnino habendæ ſunt, eas aut de Sanctis non tam ſuperſtitioſas quàm ridiculas inſtituunt, aut quos ſibi interpretandos ſumunt ſcripturæ locos ineptiſſimis gloſſis corrumpunt, & ad ſenſum prorſus alienum detorquent. Fiunt hæc omnia hodie in Papatu, & ita fiunt, vt ſi iſta ſuſtuleris, maxima regni illius pars, quaſi fulcris ſuis deſtituta, ſponte collabatur. Erant ergo hæc obſeruanda hodie ijs, qui Eccleſiæ reformatores haberi volunt. Fruſtra enim circa alia occupabuntur, niſi verbi Dei vſum frequentiorem reſtituant, & eius doctrinam ad populi inſtitutionem atque conſolationem accommodent. Ne tamen ſub doctrinæ prætextu nobiſipſis aut alijs imponamus, meminiſſe oportet, ne in prædicatione quid

Doctrina verbi Dei ceremonijs præſtat.

quidem nuda Dei cultum conſiſtere: ſed in ea prædicatione, qua regnum eius prædicatur, & ad fidei obedientiam homines adducuntur. Dicitur ea Euangelium regni Dei, quia ad eum ſcopum tendit, vt in nobis quidem, quoad hic viuimus, regnet Deus, nos autem vitiſſim eius virtute carne & mundo atque principe eius ſuperiores facti, olim cum illo in cœlis æternum viuamus atq; regnemus. Sed tempus eſt, vt in Lucæ verbis progrediamur.

Vbi Chriſtus docuerit. *Sequitur autem vbi nam locorũ Chriſtus prædicauerit? Nimirum in eorum Synagogis. Quarum cùm frequens fiat apud Euãgeliſtas mentio, quædam de illis erunt dicenda. Templum Iudæi omnes vnicum habuerunt, cuius locum Hieroſolymis Deus conſtituerat. Erat hoc inſtar parochiæ,*

Synagogæ. *ad quam tota gens colligebatur, ne in ſectas ſcinderentur, ſed omnes in fide promiſſi Seruatoris coaleſcerent, qui præfinito tempore Hieroſolymis pro peccato totius mundi immolari debebat, & qui toto illo cultu Leuitico repræſentabatur. Ideo tribus feſtis ſolennibus, in Paſchate nimirum, Pentecoſte & Tabernaculòrum ſolennitate illuc conueniebant, vt fidei & cultus vnicatem profiterentur, neque alibi quàm illic licebat ſacra facere. At ne interea religionis exercitium prorſus negligeretur, & Legis diuinæ cognitio apud vulgus omino intercideret, per omnes tribus in vrbibus & caſtellis alijſque locis frequentioribus certæ domus cœtibus ſacris deſtinatæ erant, quas Synagogas dicebant, eò quòd in illis populus diebus Sabbati conueniret ad audiendum Legem & ad preces publicas. Quæ etiam cauſa fuit, quòd Leuitæ non certam aliquam terræ partem tenerent, ſed in tribus omnes diſperſi eſſent, vt omnibus inſtituendis ſufficerent. In iſtis Synagogis Chriſtus docuit frequenter, ne quid præter ordinem à Deo inſtitutum faceret, & in populo ſciſma excitaret, neúe doctrinam ſuam ſuſpectam redderet, ſi in locis obſcurioribus vulgaretur. Et hoc illum imprimis ſpectauiſſe, ipſius ad Caiapham verba teſtantur. Cùm enim ab hoc de doctrina ſua & diſcipulis inter-*

Ioan. 18. *rogaretur, reſpondebat: Ego apertè locutus ſum mundo, ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò vndique Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil, &c.*

Cœtus publici commendantur. *Simul autem publicos eccleſiæ cœtus ſuo exemplo Chriſtus commendat, & non ſolum impios & prophanos ſacrorum omnium contemptores damnat, verùmetiam ſceleratam eorum hypocriſim arguit, qui communia templa nolunt ingredi, & à cœtibus eccleſiæ in vniuerſum abſtinent, ne aliorum vitijs & peccatis polluantur. Sunt intèr hos noſtro ſeculo facilè principes Anabaptiſtæ, qui cùm propria vicia & ſuæ ſectæ hominum flagitia pulchre diſſimulare & excuſare norint, in alienis notandis plus quàm Lynces ſunt & ſerpentes Epidaurij, vt poetæ verbis vtar. Quàm primum ergo aliquos ex noſtris vident manifeſtiòribus vitijs pollutos, tunc ſe iuſtiſſimam ab eccleſijs noſtris diſcedendi cauſam inueniſſe putant: imò vt à nobis ſeceſſionem faciant neceſſarium eſſe aiunt, ne aliorum ſceleribus communicent. Atqui in eccleſia non ſcelerum, ſed ſacrorum & rerum cœleſtium communio eſt: quæ quia in fide & ſpiritu conſiſtit, ad eos ſolos pertinet, qui per fidem vera Chriſti membra facti ſunt. At cùm fide deſtituantur omnes impij, & quotquot deuoto ad impietatem animo in peccatis ſuis incurabiles pergunt, poſſunt quidem illi in externam eccleſiæ ſocietatem ſeſe inſinuare, membra autẽ eccleſiæ non eſſe poſſunt, cùm non eodem ſpiritu animentur & regantur. Quod ergo pollutionis aut communionis periculum pijs, qui non eiuſdem corporis cum illis membra ſunt? Aut quo iure falſa fidei profeſſio, quam iſti homines faciunt, pijs fraudi erit, qui ab omni dolo alieni fidem in Chriſtum ſanctè colunt, Verbum Dei reuerenter audiunt, & Sacramentis eccleſiæ ſecundum Chriſti inſtitutum religioſè vtuntur? Sed ſufficit illis hominibus confutandis vnum hoc Chriſti exemplum, ſi quæ tunc fuerit inter Iudæos rerum conditio probè expendamus. Vbi circa doctrinam humanæ traditiones occurrent, quibus legis ſenſum obſcuratum & tantumnon ſepultum fuiſſe conſtat. In externo autem cultu non ſolum ſuperſticioſa ſacrorum fiducia dominabatur, ſed in turpem quæſtum tota religio degenerauerat. Quanta autem tunc apud omnes ordines morum corruptio, & quàm effrenis ſcelerum licentia fuerit, nemo ignorat, qui eius ſeculi hiſtorias vel obiter inſpexit. Neque inter vùlgares modò & plebeios iſta fiebant, ſed ab illis maximè peccabatur, qui in eccleſia & repub. præ alijs authoritate & dignitate eminebant. Non tamen idcirco à templo & Synagogis eorum Chriſtus abſtinet: ſed quia penes populum illum adhuc erat eccleſiæ titulus (quia templum cum ſacris illis diuina authoritate nitebatur) & Synagogas ipſe Deus inſtituerat, & ſaltem aliqui adhuc reliqui erant, qui aut tunc illis rectè vtebantur, aut ad frugẽ meliorem reduci poterant, Chriſtus maioris*

partis

partis improbitatem & hypocriſim non tanti faciendam putat, vt cum publico ſcandalo ſanctiſſima Dei inſtituta ſimul euerti, cœtus omnes aboleri, & ſciſma non neceſſarium inuehi debeat. Neque ipſe aut alij pij in cœtibus illis ex aliorum conſortio aliquid contagij contraxerunt. Quod ipſum in Apoſtolis & Iuda proditore & infinitis alijs exemplis obſeruari debet. Sunt ergo noſtri illi nimis delicatuli, quos aliorum peccata ſic offendunt, vt propter aliquos malos totas eccleſias damnare non vereantur. Et eſt hic mirificus Satanæ aſtus, qui ſub pietatis & religionis prætextu hominibus ita imponit, vt dum alieni ſceleris contagium fugiunt, ſeipſos ſcelere omnium immaniſſimo polluant, & Eccleſiæ vnitatem ſcindant, qua Deus vnicè delectatur. Caueant ergo ſibi ab eorum impoſturis pij, & primò quidem meminerint præcipuum religionis veræ exercitium circa cœtus ſacros verſari, in quibus Dei verbum prædicatur, preces publicæ fiunt & Sacramenta Chriſti diſpenſantur. Illis ergo ſeruandis ſtudeant, neque aliquam ſciſmatis aut seceſſionis cauſam præbeant, quicunque Dei cultores eſſe volunt. Deinde cogitent ad cœtus iſtos locis certis opus eſſe, qui ſacri eſſe debent, *Loci ſacri.*
id eſt, alieni ab omni vſu prophano, vni autem Deo & cultui eius conſecrati. Procul ergo eijciantur quæcunque mentes hominum à Deo auocare ſolent, neque alicui liceat locos iſtos negotijs prophanis polluere. Peccatur hodie inter Chriſtianos in vtramque partem. Alij enim templa Diuorum cultui conſecrant, & eadem ſimulachris, altaribus, lampadibus, cereis, velis alijſque ſuperſtitionum vaniſſimorum inſtrumentis ſic farciunt, vt in illis gentilitiæ idololatriæ formam potius quàm veteris Chriſtianiſmi veſtigia inuenias. Alij verò dum ſuperſtitioſi haberi nolunt, impij & prophani fiunt ſacrorum omnium contemptores, ſimulque templa in contemptum extremum adducunt, dum in illis quæuis negotia tractant, imò pueris quoque ſuos in illis ludos permittunt. Fiunt hæc non ſine publico ſcandalo, & animos ab omni religione alienos arguunt.

Cæterum vt locis certis opus eſt, in quibus religio exerceatur, ita eidem tempus quoque certum *Sabbati reli-*
deſtinari debet, quo homines relictis alijs rebus omnibus ſe totos Deo & cultui eius dedicent. Quia *gio.*
enim natura ad ea, quæ carni ſeruiunt, procliuiores ſumus, difficile fuerit animum inter huius ſeculi negotia in rerum cœleſtium meditationẽ ſubuehere. Ideo in ipſa rerum origine Deus ſeptimum diem ſibi conſecrauit, & perpetua lege poſtea ſanciuit, vt eum homines cum religioſo & ſancto otio tranſigant, abſtineant autem ab omni labore prophano & non neceſſario, quo Dei cultus impediri poteſt. Obſeruauit igitur in hac etiam parte Patris ſui ſtatuta Chriſtus diligentiſſimè (vt in ijs, quæ proximo ſermone ſequuntur, diſertè dicetur) & ſimul ſuo exemplo dierum ſacrorum obſeruationem commendauit. Exigit hanc à nobis iuſtitiæ lex. Quia enim vniuerſum noſtræ vitæ tempus, imò noſtra omnia Deo debemus, nimium iniuſti & iniqui erimus, ſi cum ſex noſtri æui partes nobis integras ille relinquat, nos ſeptimam quoque quæ illi debetur, ipſi negemus. Deinde neceſſitas ipſa iubet, ne diei huius religionem negligamus. Nam vt corporis vires quiete & otio inſtaurari oportet: ita animo quoque ſua quies concedenda eſt, vt curis & laboribus huius vitæ vacua, in Domino recreetur. Neque hoc nobis moleſtum aut rei domeſticæ noxium videri debet. Facilis enim tantilli temporis iactura eſt, ſi cum multiplici fructu, qui inde ad nos redundat, conferatur. Imò exoſculari potius debemus Dei paternam prouidentiam, qui quietis & otij, quo corpus carere nullo modo poteſt, hunc finem & vſum inuenit, vt tunc maximè ea agamus, quæ ad tuendam ſalutem æternam faciunt. Hinc tam graues minæ aduerſus Sabbati violatores apud prophetas audiuntur.
Hinc mortis ſupplicium iiſdem in lege deſtinatum fuit. Et cùm in huius executione Sacerdotes & *Num.15.*
reges ceſſarent, Deus peccatum illud vnà cum multis alijs totius vrbis & gentis excidio, atque
ſeptuaginta annorum exilio in Babylone expiari voluit. Quod ita obſeruauit Nehemias, vt inter *Neh.9. & 13.*
alia, quæ poſt reditum in patriam correctione diligentiori opus habebant, Sabbatum non poſtremo loco habuerit. Ex hoc igitur vno de noſtri ſeculi moribus iudicium facere poſſemus, ſi quid hîc fiat attentius inſpicere liberet. Quod enim totius anni tempus dabis, magis à Dei cultu alienum, quàm quod huic totum conſecratum eſſe debebat? Plerique certè dies Dominicos in ignauo otio, faſtuoſo & ad libidinem compoſito corporis ornatu, in poculis & comeſſationibus, in choris & ludis laſciuioribus, in ſtupris, adulterijs, iurgijs, rixis, execrationibus alijſque huius generis flagitijs tranſigunt, quæ inſana & pudoris expers ebrietas parit. Qui verò his honeſtiores videntur, ij rationes negotiorum ſuorum eo tempore inſpiciunt, debita exigunt, conſilia vſuraria ineunt, aut etiam ſeipſos

t

atq; familiam omnem aliquo labore manuario fatigant. Fit ergo vt qui Deo ſacer eſſe debebat dies ferè totus Bacho, Veneri, Marti, Mercurio, imò potius ipſi diabolo conſecretur. Qui autem nondum omnem pietatis ſenſum exuerunt, ij ſe omni officio defunctos putant, ſi matutino tempore concionem ſacram audiant, reliquum verò diei tempus ſtudijs vaniſſimis tribuant. Et hæc quidem ita fiunt palàm, vt nemo negare poſſit: & adhuc Dei iram vndique ſeſe exerentem admiramur.

Chriſti docentis authoritas. *Porrò quis doctrinæ Chriſti effectus fuerit, Lucas indicat, quando omnes eum glorificauiſſe, id eſt, commendauiſſe & eximijs preconijs extuliſſe ſcribit. Id verò Marcus pluribus verbis enuntians ait: Stupebant ſuper doctrina eius: Erat enim docens eos tanquam authoritate prædictus, & non ſicut ſcribæ. Mox ergo noua & prius nunquam viſa maieſtas atque virtus in illius prædicatione refulſit, quam intra animos ſuos ſentiebant, qui illos nondum indurarant, neque malitioſo contradicendi ſtudio abripiebantur. Eſtq; ſemper coniuncta Verbo Dei virtus illa, quam & pij & impij intra ſemetipſos ſentiunt: illi quidem, vt eandem illuminati & emolliti Deum vocantem ſequantur: hi verò, vt intra ſemetipſos conuicti, propriæ conſcientiæ teſtimonio damnentur. Debet hoc Verbi adminiſtris animum facere, ne profectus ſpem omnẽ abijciant, & in munere ſuo remiſſiores fiant. At quia quæ hîc dicenda erant, in Marci expoſitione diximus, nolumus in præſenti prolixiores eſſe: Agnoſcamus autem in breui Lucæ narratiuncula immenſam Dei bonitatem, qui filium ſuum, Ieſum Chriſtum, nobis doctorem & prophetam dedit, ſimulq; eius in nobis inſtituendis induſtriam exoſculemur. Finis verò omnium nobis hic eſto, vt eius vocem ſecuti omnia huius vitæ pericula euadamus, & olim cæleſtis regni hæreditate fruamur cum ipſo, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

HOMILIA XLI.

Et venit Nazarethum, vbi fuerat nutritus, & intrauit vt conſueuerat, die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit vt legeret. Tunc datus eſt ei liber Iſaiæ prophetæ, cumq; explicuiſſet librum, inuenit locum, in quo ſcriptum erat, Spitus Domini ſuper me, propterea quòd vnxit me: vt euangelizem pauperibus miſit me: vt ſanem contritos corde, vt prædicem captiuis dimiſſionem, & cæcis viſus recuperationem & vt confractos emittam in libertatem: vt prædicem annum Domini acceptum. Et complicatum librum cùm reddidiſſet miniſtro, ſedit: & omnium in Synagooga oculi erant intenti in eum. Cæpit autem eis dicere: Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

SIcuti Deus filium ſuum Ieſum Chriſtum humani generis Seruatorem dedit: ita eundem ſalutis etiam & vitæ doctorem vniuerſalem & irrefragabilem eſſe voluit. Rectè ergo ille munus ſuum à verbi prædicatione orditur, in qua toto eo tempore, quo in terris vixit, diligentiſſimus fuit, adeò vt nullam vnquam prædicandi occaſionem inutiliter elabi paſſus ſit. Quin, vt nuper audiuimus, & Synagogas ſtudioſè ingreſſus eſt, & dies Sabbati obſeruauit, vt quàm plurimos ſibi lucrifaceret. Quod vt eius fidem & ſtudium magnificè commendat: ita de verbi miniſterio nos iudicare docet, ne tanquam inutile aut ſuperuacaneum contemnamus, in quo Dei filium tam aſſiduum & frequentem fuiſſe conſtat. Sequitur modò, quid Nazarethi egerit, vbi educatus fuit, & quæ ipſi propter Mariam matrem & Ioſephum nutritium ſuum patriæ inſtar erat. Quæ hiſtoria eò diligentiori conſideratione digna eſt, quòd integram Chriſti concionem, vel potius integræ concionis argumentum continet, quo docemur, vt in eccleſia conciones ſacræ inſtitui debeant: quis item ſit Chriſtus, quid nobis conferat, & qui nam bonorum cæleſtium, quæ ille nobis meruit, participes poſſint fieri.

Chriſtus Nazarethi docuit. *Priuſquam verò ad ipſam concionem accedamus, non oſcitanter obſeruari debet, Chriſtum inter primos, quibus prædicauit, ſuos quoque Nazarethanos cenſuiſſe, etſi non ignoraret, illos &*

publica

Ioan. 1.

publica quadam infamia notari (vt ex Nathanielis verbis apud Ioannem apparet) & propheno rerum cæleſtium contemptu laborare. Commendat nobis hoc exemplo pietatem in patriam, & vt gratos nos ijs præbeamus, qui in nos aliquod beneficium contulerunt. Enimuero patriæ amorem nobis naturæ lex commendat, vt nimirum eam terram præ alijs diligamus, quæ maioribus noſtris diuturnum hoſpitium præbuit, quæ nos naſcentes prima excêpit, quæ infantiam & pueritiam noſtram pertulit, & in qua nobis à pueris multa iucunda, multa etiam aduerſa acciderunt. Ideo inter gentes etiam patriæ ſtudioſiſsimi fuerunt, quotquot à virtute & ſapientia commendantur, quorum pleriq; non ſolum labores & curas omnis generis ſuſtinuerunt, verumetiam vitam propriam deuouerunt, vt patriæ periclitanti ſuccurrerent. Et noti ſunt poetæ verſus. Neſcio qua natale ſolum dulcedine captos attrahit, immemores nec ſinit eſſe ſui. Alij verò nos poſt Deum primam gratiam patriæ debere dixerunt. Conſtat deniq; eas modò reſpub. felices fuiſſe, in quibus pietas in patriam floruit: periiſſe autem infeliciter omnes eas, quarum ciues priuatum commodum publicæ ſaluti antepoſuerunt. Et vtinam exemplis peregrinis opus eſſet ad hoc demonſtrandum: ſed quæ noſtri ſeculi eſt infelicitas, vix aliqua gens inuenitur, quæ non magno aliquo malo iſtud ſentiat. Nam vt quæ ad rempub. ſpectant omittamus, quam aliam ſuperſtitionum, diſsidiorum, ſeditionum & bellorum ciuilium quæ ſub religionis prætextu excitantur, cauſam eſſe dicemus, quàm quòd plerique vt ventri & honoribus ſuis conſulant, cum Pontificibus potius coniurare malunt, quàm patriæ ſalutem tueri, & exteræ tyrannidis iugum ab illius ceruicibus remouere? Et in hoc maximè peccant, qui ſibi in eccleſia Chriſti primatum vendicant, & apoſtolorum ſucceſſores dici volunt: qui tunc demum ſe officium facere putant, ſi principes ſuos vnà cum dulciſsima patria Antichriſti pedibus ſubijciant. Longè aliter Chriſtus, qui Nazarethо ſuo Euangelij lucem attulit, vt ea illuminati libertate & ſalute vera fruerentur. Et huius exemplum ſecutus Paulus, etſi gentium Apoſtolum ſe eſſe ſciret, ſuis tamen gentilibus Iudæis ſe imprimis debitorem eſſe fatebatur, & pro illis anathema fieri cupiebat, vt ipſi in Chriſto ſalui fierent. His præmiſsis ad loci præſentis tractationem accedamus, quo Chriſti concio apud Nazarethanos habita deſcribitur.

Modus docendi quis à Chriſto obſeruatus.

Principiò modum & ritum narrat Euangeliſta, quem Chriſtus inter docendum tenuit. In quo primum eſt, quòd die Sabbati pro more in Synagogam & publicum cœtum ingreſſus eſt. Vbi rurſus videmus, illum vbique, quoad eius fieri potuit, receptum morem aut ordinem ſeruauiſſe, ne quid turbulentius facere videretur. Quod imprimis obſeruandum eſt in publico aliquo munere verſantibus. Nam vt omnis mutatio reipub. pernitioſa eſt, ſic quæ in eccleſia fiunt receptorum rituum mutationes, ferè religionem omnem cum doctrina ſuſpectam reddunt, & grauiſsimorum ſciſmatum cauſa ſunt. Nemo igitur temerè mutare tenetur, quod ſalua pietate tolerari poteſt. Alia eorum ratio eſt, quæ Dei gloriam lædunt, & cum fidei abnegatione atque manifeſto ſalutis diſcrimine coniuncta ſunt. Deinde cùm iam opportunum eſſet, ſurrexit Chriſtus, vt legeret. Surrexit autem in locum æditiorem, qui lectioni & ſcripturarum interpretationi deſtinatus erat. Illic conſiſtenti datus eſt liber Iſaiæ prophetæ, quem fortaſsis tunc Synagoga eius loci præ manibus habebat. Certè non temere hoc factum fuit, ſiue occultam Dei prouidentiam ſpectes, ſiue veteris eccleſiæ morem, qui (vt in D. Ambroſio habetur) inter Chriſtianos quoque in vſu fuit, vt tam veteris quàm noui teſtamenti libros ex ordine in publicis lectionibus recitarent. Ideoque libri quoque publici erant, & in opulentioribus eccleſijs bibliotheca inſtructiores habebantur, quæ toti cœtui ſeruirent. Librum ſibi oblatum Chriſtus explicat, quærit locum quem eccleſiæ interpretetur, inuentum alta voce recitat, & tandem cùm librum denuò complicuiſſet, miniſtro eum reddit, ipſo verò loci, quem recitauerat, interpretationem aggreditur, quem ſic tractat, vt ſingulas eius partes ad populi totius inſtitutionem atque conſolationem accommodet, dum iam exhibitum eſſe, imò ſe eſſe docet promiſſum populi redemptorem, quem venturum patres expectarint, &c.

Vetuſtiſsimus docendi mos & ritus.

Apparet autem in hoc exemplo, quis vetuſtiſsimus & optimus docendi mos ſit, qui etiam hodie in eccleſia retineri debeat. Nam quod in præſenti Chriſtus fecit, hoc aliâs quoque factum fuiſſe legimus. De legis certè promulgatione poſt reditum ex Babylone per Eſdram & ſacerdotes facta in libro Nehemiæ capite octauo ſic ſcribitur: Stetit Eſdras ſcriba ſuper turriculam ligneam, quam in hunc vſum fecerant, ſtetitque penes eum Mathatias, Sema, Anaia, Vrias, Hilkias & Maaſias

ad dextram eius: ad leuam verò eius Pedaia, Miſael, Malkia, Haſum, Hasbaddana, Zacharias & Meſullam. Et aperuit Eſdras ſcriba librum in conſpectu totius populi (eminebat enim ſupra omnem populum) cùmque illum aperuiſſet, ſtetit vniuerſus populus, & laudauit Eſdras Dominum Deum magnum, reſponditque cunctus populus, Amen Amen: ſublatiſque manibus ſuis, inclinatoq; vertice & facie ad terram adorarunt Dominum. Porro Ieſua, Bani, Serebia, Iamin, Accab, Sabethai, Hodia, Maaſia, Kelita, Aſaria, Ioſabad, Hanan, Pelaia & Leuitæ docebant populum in Lege, & populus erat in ſtatione ſua. Et legerunt in libro, in Lege Dei luculenter, explicantes ſenſum, & erudientes inter legendum, &c. Conueniunt his maxima ex parte, quæ in libro Actorum capite 13. & in priori ad Corinthios capite 14. habentur. Quo loco Anabaptiſtæ abutuntur, vt euincant vnicuique licere, vt quod ſentit, publicè in eccleſia proponat. Atqui disertè illic Paulus de ordinarijs ſcripturæ interpretibus, aut etiam ijs qui interpretandi dono præditi erant, loquitur, & inter alia ait: Quòd ſi quis non ſit interpres, taceat in eccleſia. Quia autem tunc cœtus per aliquot horas extrahebantur, & ſæpe ad veſperam vſque, ideo plures erant interpretes, qui decenti ordine ſibi ſuccedebant, cùm vnus tot horis non poſſet ſufficere. Et honoris ergo peregrinis quoque locus dabatur, ſi qui authoritate graues & ad docendum idonei adeſſent, vt in Actis loco ſupra citato eſt videre. Nihil ergo iſta ſeruiunt Anabaptiſtis, qui ambitioſo furore perciti hoc vnum quærunt, vt omnem in eccleſia ordinem euertant, & ipſi dominentur. Et cùm pro cœtuum ſacrorum, qui hodie habentur, ratione, vnus verbi adminiſter ſufficiat, neq; in tanta ſententiarũ varietate tutum ſit quoſuis, niſi prius probè examinatos, admittere, ne rudis populus magis diſtrahatur: minimè opus fuerit morem illum veterem poſtliminio reuocare, modò in eccleſijs ſingulis obſeruetur, quod in præſenti Chriſtus factitauit. Sit ergo in quauis eccleſia locus certus, quem ij ſoli conſcendant, quibus docendi populi munus commiſſum eſt. Hunc antiquitus cathedram ſacram dixerunt, eò quòd ſedentes docerent: & inde cathedrales eccleſiæ dicebantur, in quibus conciones fiebant, eoq; diſtinguebantur ab Oratorijs, quæ ſolis precibus erant deſtinata. In cathedrã aſcendat cum ſingulari reuerentia miniſter, & ſe ad rem ſanctiſſimam & maximè neceſſariam tractandã accedere meminerit. Et debetur ſanè verbo Dei reuerentia ſumma, cùm in eo ipſe Deus nobis loquatur. Ideo Chriſtus ſurrexit ad legendum, & Paulus monet, vt aperto capite ſuũ munus obeant, qui ſcripturas interpretantur. 1.Cor.1. *Deinde è loco ſacro nihil recitetur, quàm quod in aliquo certo ſcripturæ ſacræ libro verbotim contineatur. Quia enim eccleſia domus Dei eſt, non alia quàm huius vox in illa audiri debet. At hæc non in philoſophorum libris, neq; in Sibyllæ antro, aut Delphico oraculo, ſed in ſolis ſcripturis ſacris habetur, quas ideo Paulus* θεοπνεύστους, *id eſt, à Deo inſpiratas dicit, & quæ reuera os illud Domini ſunt, ex quo Ezechiel propheta cõciones ſuas depromere iubetur.* 2.Tim.3. *Et quò minus ſuſpecta res eſſet, vetus ille mos iam olim obtinuit, vt ex libris ipſius eccleſiæ proprijs loci recitarentur:* Ezech.3. *quod ipſum Chriſtus quoq; obſeruauit, etiamſi ipſe libro minimè opus haberet. Eſt ergo iure reprehendenda eorũ ambitio, qui vt alijs doctiores appareant, aut numine quodã nouo afflati putentur, abſq; libro in cathedram aſcendunt, & ſæpe vix nominato authore locum aliquem memoriter recitant, quem populo interpretentur. Peccant iſti in ſcripturæ ſacræ & verbi Dei maieſtatẽ, cui plurimùm derogant, dum ſuæ exiſtimationi conſultum volunt. Quid verò de Rapſodis dicemus, qui per ſcripturas temere vagantur, & ferè abſque delectu modò hunc modò illum locum recitãt, vt populus quantumuis diligens quid ex illis auditurus ſit prorſus ignoret, donec illi loqui cœperint. Pugnat hoc cum vetuſtiſſimo eccleſiæ more, quæ integros libros ex ordine audire ſolita fuit, neq; multùm ad populi ædificationem conferunt, qui inter docendum certi nihil ſibi propoſitum habent, Superat tamen omnes abuſus eorum impietas, qui nullum verbo Dei in eccleſia locum relinquunt, niſi quòd lectiones aliquas lingua peregrina recitant, populo autem hominum traditiones & legendas ſanctorum (vt ipſi loquuntur) obtrudunt, ex quibus præter impias & inanes ſuperſtitiones nihil diſci poteſt. Regnat iſta audacia hodie in Papatu, vt negari non poſſit, fœdiorem eſſe inter Chriſtianos eccleſiæ faciem, quàm olim inter Iudæos ſub Pontificibus Anna & Caiapha fuerit. Nam etſi patrum traditiones tunc dominarentur, ſuus tamen ſcripturis locus adhuc reliquus erat in Synagogis, & (vt Iacobus in Actis ait.) Moſes per ſingula ſabbata publicè legebatur.* Acto.15. *At hodie noſtri illi non contenti ſuas traditiones obtruſiſſe, ſcripturas ſimul omnes ex populi manibus,*

excutiunt

*excutiunt,imò illas impiè accuſant, dum ex ijs errores & hæreſum ſeminaria hauriri clamant,
populum verò infelicem ad ſimulachra remittunt,quæ illi libros laicorum vocant. Produnt illi ſeſe
ſatis hoc vno inditio, & proinde indigni ſunt, quorum autoritate moueamur. Diſcant autem in
eccleſijs ſuis ſcripturas ſeruare & audire,quicunque ſibi bene eſſe volunt. At non ſatis erit illas re-
citauiſſe,ſed eaſdem interpretari & rebus præſentibus applicare oportet, vt & publicæ eccleſiæ to-
tius ædificationi & ſingulorum inſtitutioni ſeruiant. Id Paulus rectam verbi ſecationem vocat,* 2.Tim.2.
*& eam miniſterio imprimis neceſſariam eſſe docet. Nam ſi præter nudam recitationem nihil adda-
tur,multa rudiores & imperiti non intelligent, plerique verò quæcunque dicuntur nihil ad ſe perti-
nere putabunt,& ita non plus proficient eccleſiarum miniſtri, quàm ſi quis carnes quidem pinguiſ-
ſimas in menſem afferat,ſed crudas adhuc & proinde eſui inutiles. Ideo apud Nehemiam ſcribitur,
ſacerdotes non modò recitauiſſe ex libro legis præcepta Domini, verumetiam inter legendum ſen-
ſum explicuiſſe & populum erudiuiſſe, vt ſinguli ſcirent,quid ipſis facto opus eſſet. Quem morem
prophetas quoque obſeruauiſſe, ipſorum Sermones ſatis teſtantur. Et idem in præſenti Chriſtus fe-
cit, & ſæpe aliâs, vt ſuo loco audiemus. Quod cùm iam inde ab Apoſtolorum temporibus in
eccleſia veteri obſeruatum fuerit, nimis ridiculi ſunt, qui nudam ſcripturarum recitationem ſuf-
ficere putant.*

Sed tempus eſt,vt ipſum Chriſtum concionantem audiamus. Argumentum concionis ex Iſaiæ Locus Iſa.61.
*cap.61.ſumitur,quo loco de populi reſtitutione & eccleſiæ inſtauratione agit Propheta,quam Meſ-
ſias facturus ſit: & vt res ſit euidentior magiſq; moueantur auditorum animi, ipſum Meſſiam lo-
quentem inducit: Spiritus Domini ſuper me,propterea quòd vnxit me,&c. Chriſtus verò cùm lo-
cum illum recitauiſſet,eundem ſibi accommodans ſubdit: Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auri-
bus veſtris. Quæ verba breuem vaticinij iſtius interpretationẽ comprehendunt,quam ab illo diligen
tius & fuſius tractatam fuiſſe non eſt dubium. Nam perinde hoc eſt ac ſi dixiſſet: Iam exhibitus
vobis eſt Vnctus ille Domini, Rex verus & Sacerdos æternus eccleſiæ, & hunc ipſi iam coràm
cernitis & auditis. Ego enim nunc lætum ſalutis nuntium pauperibus prædico. Ego contritos corde
ſano: ego captiuis liberationem & cæcis viſus recuperationem annuntio: ego confractos & afflictos
dimitto liberos: ego deniq; Iubilæum illum diu expectatum proclamo, qui omnibus certam ſalutem
feret,& ad patriæ cœleſtis poſſeſſionem aditum faciet. Non ergo alius Meſſias vobis expectandus
erit,ſed quam ego vobis prædico ſalutem gratis animis & fide conſtanti apprehendite,&c. Cæterum
quia locus hic plenam Chriſti deſcriptionem continet,proderit ſingulas eius partes excutere, vt quæ
hîc dicuntur ad noſtram quoq; inſtitutionem accommodemus.*

Primùm à ſua vocatione vel Miſſione orditur, ne quis ipſum putet negotium priuatum aut à Ieſus à Deo miſ
Dei voluntate alienũ agere. Dicit ergo: Spiritus Domini ſuper me. Quaſi diceret: Non cæco carnis ſus & unctus.
*affectu rapior,neq; priuato conſilio feror, ſed ſpiritum Domini mearum actionum omniũ ducem atq;
rectorem habeo. Id verò probat,cum addit: Propterea quòd vnxit me. Vnctionis enim nomine effe-
ctum ſpiritus ſancti intelligit,quo præclara illa ſpiritus dona omnia cõpræhenduntur,quæ in illo elu-
xerunt,& quæ alibi Iſaias pluribus verbis enumerans ait: Requieſcet ſuper eo ſpiritus Domini,ſpiri* Iſa.11.
*tus ſapientiæ & intelligentiæ,ſpiritus cõſilij & fortitudinis,ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini,&
ſagacem illum reddet in timore,&c. Etenim non ad menſurã datus eſt ſpiritus ſanctus Chriſto,ſed* Ioan.1.
vnctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis,& ita in illũ plenitudo ſpiritus effuſa eſt, vt ex eo in nos Pſalm. 45.
*omnes redundet,qui ipſi per fidem inſerimur. Quomodo igitur cæco carnis affectu feratur,aut priua
tum terrenumque negotium agat,qui nobis omnibus ſpiritum ſanctum cõmunicat? Facit autem hoc
non parum ad noſtræ ſalutis certitudinem. Quia enim Deus ipſe Chriſtum nobis ſalutis Mediato-
rem dedit,& eundem donis neceſſarijs inſtruxit, minimè dubia eſſe poteſt ſalus, quam in illo ſpera-
mus. Simul autem obſeruemus in Chriſto veterem & communem morem Dei, qui quos rebus ma-
gnis & arduis deſtinat,eos donis quoque & facultatibus neceſſarijs armat, vt credito ſibi muneri
ſufficere poſſint. Exempla huius rei habemus in Moſe,Ioſua, Gedeone,Iephtae, Samſone, Dauide,
Prophetis, Apoſtolis, & qui hos ſecuti ſunt veteris eccleſiæ doctoribus. Debent iſta eos ſolari, qui
legitimè vocantur ad eccleſiam vel rempub.regendam. Nam vbi de vocatione Dei nobis conſtat,
non opus eſt ſpectare quid nos poſſimus, ſed quid Deus velit videndum eſt, qui officium ſuum*

probè facientibus nunquam deerit. Interim tam Chriſti quàm apoſtolorum exemplis arguitur eorum ambitio, qui ſucceſſionis & vocationis ſolius titulis ſuperbi, ſibi in eccleſia dominium vendicant, & ſe ſpirituales illos eſſe dicunt, quibus neceſſariò debeant obedire, quicunque ſeruari volunt. Sed non ſatis eſt ô Patres, dicere: Spiritus domini ſuper nos eſt: niſi etiam verè poſitis dicere: Propterea quòd vnxerit nos. At ſi efficaciter vos vnxit ſuo ſpiritu Dominus, quæ ſunt in vobis ſpiritus effecta? Vbi nam ſpiritus ille ſapientiæ & intelligentiæ? Quibus indicijs ſeſe exerit ſpiritus conſilij & fortitudinis? Quo argumento vos ſpiritu ſcientiæ & timoris Dei agitari probatis? Huius certè effecta ſunt, noſtriipſius abnegatio, carnis mortificatio, regeneratio, ſanctificatio, vitæ nouitas. Hæc quia in vobis nulla ſunt, deſinite vobiſipſis blanditias facere, & ſacroſanctam Chriſti Ieſu ſponſam, eccleſiam, mendacibus titulis lactare, &c.

Chriſtus in quē finē miſſus ſit. *Deinde Miſſionis & Vnctionis ſuæ finem exponit. Nam minimè otioſa in nobis eſſe vult dona ſua Deus, ſed vt illis negotiemur præcipit, ſicuti in talentorum parabola Chriſtus docet. Dicit ergo: Vt euangelizem pauperibus miſit me, vt ſanem contritos corde, vt prædicem captiuis dimiſſionem, & cæcis viſus recuperationem, & vt confractos emittam in libertatem, vt prædicem annum Domini acceptum. Continetur his verbis vniuerſa ſalutis noſtræ cognitio. Nam primùm exprimitur, quæ totius mundi facies fuerit ante Chriſti in carnem aduentum, & quæ omnium hominum conditio ſit, priuſquam ille nobis innoteſcit.* **Conditio hominum extra Chriſtum.** *Pauperes ſumus quoad noſtram originem, & omni bono vacui, quibus in ſingula tempora & momenta opus eſt exclamare, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim ex ſeipſis habeant, quibus ne ſpirare quidem licet pro ſuo arbitrio, & qui ne ad cogitandum quidem idonei ſunt? Sumus item contriti & vulnerati cordibus noſtris, eò quòd propriæ conſcientiæ teſtimonio conuincimur, quæ nobis omnia infeſta & ipſam vitam quoque amaram reddit. Adhæc in errorum & peccatorum laqueis Satan captiuos detinet, eoque exitialior eſt ea captiuitas, quòd neque carceris huius tam tetri fœtorem, neque letales vinculorum iſtorum nodos ſentimus, ſed his vt re omnium beatiſſima delectamur. Accedit his malis cæcitas & ſalutis ignorantia: quæ & ipſa eo grauior eſt, quòd nobis egregiè ſapere videmur, & noctuarum inſtar tenebras amamus. Adde his, quòd confracti ſumus membris omnibus, vt quamuis oculos nobis aperiat Deus, & ex carcere iſto tenebroſo exeundi copiam faciat, inde tamen exire non poſſumus, niſi idem ille nos viribus nouis inſtauret & fulciat. Deniq; vt de ſemetipſo Paulus loquitur, toti carnales & ſub peccatum venundati ſumus, neq; in nobis aliqua ſpes ſupereſt recuperandi, quam in primis parentibus amiſimus, patriæ æternæ poſſeſſionem. Et de his frequenter nos admonent ſcripturæ, quia niſi iſta in nobis verè agnoſcamus, & noſtræ miſeriæ ſenſu ſeriò afficiamur, nunquam ad Chriſtum Ieſum feſtinabimus. Exemplo nobis ſunt phariſæi, quos ſuæ corruptionis ignorantia & propriæ iuſtitiæ fiducia Chriſti hoſtes fecit. Et hodie non alij ſalutis doctrinā maiori odio oppugnant, quàm qui ſe ſibijpſis ſufficere putant. Ideo Chriſtus medicum ſe eſſe ait, qui ad curandum ægrotos venerit, & eos ad ſe inuitat, qui oneribus peccatorum depreſſi laborant, deque proprijs viribus deſperant: quos in præſenti pauperes, & alibi pauperes ſpiritu dicit.*

Chriſti beneficia. *Quid verò is nobis confert? Eſt hoc alterum huius partis caput obſeruatu digniſſimum. Initio autem omnia ſimul complectens, ſe ad euangelizandum pauperibus miſſum eſſe ait.* **1. Euangelizat.** *Ergo læto gratiæ Dei & reparatæ ſalutis nuntio mundum infelicem Chriſtus exhilarat. Et rectè ei euangelizandi munus tribuitur, cùm magnus ille propheta ſit, quem venturum eſſe olim Moſes prædixit, & qui poſtea ſe ideo exiuiſſe fatebitur. Nam vt olim in propria perſona docendi munere functus eſt, ita hodie adhuc vnus ille euangelicæ prædicationis verus author eſt, cùm ipſe dona ſpiritus ſui inter homines diſtribuat, & eccleſiæ ſuæ doctores, paſtores, euangeliſtas, prophetas excitet, quorum labore & induſtria illa ædificetur.* **2. Sanat contritos corde.** *At non modò euangelizat Chriſtus, verumetiam ſanat contritos corde, & quod verbo pollicetur reipſa præſtat: in quo miniſtros omnes ſuperat, qui ex hominibus conſtituuntur. Sanat autem contritos & vulneratos intra conſcientias ſuas, dum merito ſuo peccata expiat, & de gratia Dei certos reddit eos, qui prius iram Dei intra animos ſuos pertimeſcebant.* **3. Captiuos dimittit.** *Idem captiuis lætam dimiſſionem denuntiat, ne porrò ſub Satana errorum & peccatorum laqueis detineantur. Et quia ipſe lux eſt totius mundi, qua ſuo in carnem*

aduentu

aduentu omnem hominem illuminat, viſus quoq; recuperationem ijs per euangelium offert, qui prius 4. Cæcos illuminat. & ipſi cæcutiebant, & ſub tenebrarum poteſtate infelices detinebantur. Sequitur ex eo, quòd ijdem, viribus nouis inſtaurati in libertatem ex infelici Satanæ ſeruitio & captiuitate exeunt, & Deo ſeruiunt in libertate ſpiritus. Adumbrauit hoc olim euidenter, quando paralyticis dicebat: Surge, tol- 5. Confractos liberat. le grabbatum tuum, & ambula. Quo audito illi mox firmatis neruis & membrorum compagibus in pedes erecti incedebant. Chriſtus denique eſt, qui nobis prædicat annum Domini acceptum, id 6. Iubileum reducit uerum. eſt qui ea ſolus præſtat, quæ olim anni Iubilei publico & ſolenni gaudio adumbrabantur. Nam Leuit. cap. 25. ſic dicit Moſes: Numerabis tibi ſeptem ſabbata annorum, id eſt, annos ſeptios ſeptem, eruntq; tibi ſeptem ſabbata annorum quadraginta nouem anni. Et circumittet clangorem buccinæ in menſe ſeptimo, in decimo die menſis, qui dies eſt expiationum, circummittetis (inquam) cornu per vniuerſam terram: & conſecrabitis annum illum, annum videlicet quinquageſimum, & proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus eius: Iubilæus enim erit hic annus vobis, & redibit quiſque ad poſſeßionem ſuam, & quiſque ad cognationem ſuam reuertetur. Dicebatur ergo annus Iubilæus à iubilo vel clangore tubæ, qui ſub eius ineuntis initium per omnes terræ fines lætiſsimus audiebatur. Tria autem erant, quæ annum hunc acceptum & iucundiſsimum faciebant. Primum libertas, quæ ſeruis obtingebat. Alterum debitorum remißio, aut quòd nomina exigere non liceret. Tertium, quòd ſinguli ad priſtinam hæreditatem & bona vendita reuertebantur. Nec enim agros aut domus perpetuo contractu alijs vendere licebat, ſed eorum modò vſumfructum vſque ad annum Iubilæum. Et habebant quidem hæc vſum ciuilem quoque in repub. Iſraelitica, & ad familiarum atque tribuum conſeruationem faciebant, ſimulque obſtabant auarorum artibus & rapacitati, qui cum aliorum damno ædes ædibus & agris agros coniungere ſatagunt. Eadem verò Chriſti typum habebant, qui per Euangelij tubam tempus illud acceptum & annum beneplaciti aut gratiæ diuinæ indixit, quo credentibus libertas filiorum Dei conceditur, ne poſthac Legis iugo ad mortem premantur: quo item peccatorum remißio plena obtingit & gratuita: quo deniq; nobis reditus patet in paradiſum, id eſt, in cæleſtis patriæ hæreditatem, quā primi parentes nobis abſtulerant. Arripuerunt hinc ſuperſtitioſiſsimi figmenti occaſionem Romani Pontifices, qui Iubilæos annos in nouum teſtamentum reduxerunt, quibus plenam peccatorum Iubilæus Papisticus. remißionem & præſentem felicitatem pollicentur omnibus qui Romam veniunt, & per portam, cui patefaciendæ Papa primum ictum malleo aureo infert, ingrediuntur. Sunt hæc eccleſiæ Chriſti ludibria non minus impia quam pudenda & inepta. Nam ad Legis ritus iampridem abolitos reuocant homines Chriſtianos, vt rurſus contra Apoſtoli præceptum dies & tempora obſeruent, qui ab vno Chriſto debebant pendere. Deinde ſibiipſis & malleo ſuo excantato vendicant, quod ſolius Chriſti eſt. Adhæc meritū huius non eiuſdem virtutis & efficaciæ ſemper eſſe fingunt, quaſi tertis temporibus nouas vires concipiat. Deniq; ludos ſibi fabricāt ex toto humanæ redemptionis negocio. Sed magnò illis conſtabit hæc fabula, niſi ſerio reſipiſcant. Nos verò eiuſmodi commentis omnibus opponamus, quod in præſenti Chriſtus dixit: Hodie impleta eſt ſcriptura hæc in auribus veſtris. Et quoties Euangelium prædicatur, tunc nos lætum illum & ſalutiferum iubilum audire meminerimus, qui nobis in Ieſu Chriſto peccatorum remißionem, libertatem & regni cæleſtis legitimam poſſeßionem denuntiat. Excipiet iubilum hunc olim vox archangeli & tuba Dei clangor, ad quem in nouißimo die mortui reſurgent, & quando ipſe Chriſtus ſuis dicet: Venite benedicti patris mei, & poßidete regnum, quod vobis præparatum eſt ab origine mundi. Tunc tota hæc mundi machina (vt Paulus monet) in reuelatione filiorum Dei à corruptione & ſeruitute, ſub qua nunc gemit & parturit, liberabitur, & erit ſabbatum ex ſabbato, &c. Vide Iſa. 66.

At ſimul iſta offitij admonent eos, qui tanta bona ex Chriſto Ieſu percipiunt. Decet hos impri- Officia fideliū. mis gratitudo, & vt tanto pretio redemptam libertatem conſtanti fide tueantur. Curent ergo, ne ſe porrò Satanæ telis exponant, neq; eius laqueis ſeſe irretiri patiantur: ne quod malæ frugis homines ſolent, denuo in naſſam fœneratoris illius improbiſsimi, diaboli, ſe pertrahi ſinant. Denique cùm illis iam in Chriſto vera lux fulgeat, vt filij lucis in luce ambulent, vitamque omnem inſtituant ad Dei gloriam, &c.

Chriſtus attentis animis auditur.

Reliquum eſt in huius loci expoſitione quod de auditoribus dicitur, omnium qui in Synagoga erant, oculos in Chriſtum intentos fuiſſe. Ergo non dubium eſt, quin illorum animos Deus mouerit, vt rei inſolitæ admiratione abrepti aliquandiu concionantem audirent, quem poſtea contempſerunt & occiſum voluerunt. Ita hodie Dei virtute fit, vt interdum præter omnem expectationem nobis aures præbeant, qui Euangelium plus quàm hoſtiliter oderunt. Quod autem iſti ſtupore quodam capti fecerunt, nos pio & ſancto ſtudio diſcendi accenſos facere conuenit. Audiamus ergo attentis animis loquentem nobis in Euangelio Dei filium, Ieſum Chriſtum, vt eius beneficio redempti cum illo viuamus & regnemus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.

HOMILIA XLII.

Et omnes teſtimonium ei dabant, & mirabantur ſuper ſermonibus gratiæ, qui procedebant ex ore ipſius, dicebantq́: Nonne iſte eſt filius Ioſephi? Et dixit ad eos: Omnino dicetis mihi hoc prouerbium: Medice, cura teipſum. Quæcunque audiuimus facta fuiſſe in Capernaum, fac etiam hîc in patria tua. Dixit autem: Amen dico vobis, Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

QVàmuis Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, communis & vniuerſalis omnium hominum atq; nationum ſeruator ſit, non temere tamen ſalutem & & eius prædicationem Galilæis ſuis, & inter hos Nazarethanis, primis offerre voluit. Ita enim gratiam bonam ijs rependit, qui ipſi huc uſque hoſpitium præbuerant, & inter quos à pueris erat educatus: ſimulq́; ſuo exemplo pietatem in patriam commendat, cuius optimi quique omnibus ſeculis ſtudioſiſſimi fuerunt. Docuit autem ex Iſaia propheta, quis nam ipſe ſit, & paucis comprehendit, quæcunque ad veram æternæ ſalutis cognitionem faciunt. Nam eo vaticinio apertè traditur, Ieſum hunc, qui ex Maria Virgine homo factus eſt, eſſe Chriſtum, id eſt, vnctum illum Dei, Regem & Sacerdotem eccleſiæ, qui ſalutem non ſolùm annuntiat atq; pollicetur, verumetiam reipſa confert omnibus, qui ipſum fide vera apprehendunt. Sequitur nunc, vt Nazarethani doctrinam hanc acceperint, & quid cum ingratis & incredulis Dominus egerit.

Vt Nazarethani doctrina Chriſti affecti ſint.

Quoad Nazarethanos, nuper de illis dixit Euangeliſta, quòd omnium oculi in Chriſtum docentem intenti fuerint. Nam mirum & inſolens erat, hominem idiotam & à pueris artificio manuario occupatum, publicè docendi munus ſibi ſumere. Et ita illos detinuit occulta Dei virtus, ne illum exibilarent, ſed taciti & attenti audirent docentem, donec concionem abſoluiſſet. Nunc maiora ſequuntur, quibus in Verbo elucens Dei virtus magis commendatur. Sic enim ſcribit Lucas: Omnes teſtimonium ei dabant, & mirabantur ſuper ſermonibus gratiæ, qui procedebant ex ore ipſius. Exprimis his admirabilem Verbi Dei vim atque gratiam, qua in hominum animis operatur. Nec enim aures modò eorum ferijt ſonus dictorum Chriſti, ſed in ipſos animos Verbum penetrauit, & hos ita cæpit, vt non poſſent non aſſentiri ijs, quæ ab ipſo dicebantur. Itaq; cùm dixiſſet, Hodie impleta eſt ſcriptura hæc in auribus veſtris: mox hoc eius dictum ſuo teſtimonio palàm confirmant, & teſtantur Ieſum hunc eſſe eum, qui contritos corde ſanet, qui captiuis dimiſſionem, cæcis viſus recuperationem prædicet, qui item confractos emittat in libertatem, & Iubilæum verum nuntiet, in quo nobis cum libertate filiorum Dei & plenaria peccatorum omnium remiſſione, olim amiſſa patriæ cæleſtis poſſeſſio reſtituitur. Poterat hoc mirum & ſtupendum videri, Nazarethanos ex vna concione Chriſti tantum profeciſſe. Sed meminiſſe oportet, hanc ſpiritus Dei virtutem fuiſſe, quæ animos eorum mouit, vt quæ dicebantur cum ſignis atq; miraculis conferrent, quorum fama iampridem apud illos diuulgata fuerat. Quia ergo nihil audiunt, quod non reipſa confirmetur, coguntur vel inuiti veritatis teſtimonium ei deferre, etiamſi animos haberent prophanos & à veræ pietatis ſtudio alieniſſimos, ſicuti in ſequentibus patebit. Accedit huic, quòd ſermones gratiæ, id eſt, gratia pleni illos in admirationem rapiebant. Nec enim ex vulgarium doctorũ numero fuit Chriſtus, quos inanis loquentiæ fucus & verborum ſplendor rudis & ſtupidi vulgi auribus admirabiles reddit: ſed

(vt olim de illis prædixerant prophetæ) gratia in labijs eius diffuſa erat, & quæcunq; eius ore pro- Pſal.45. cedebant, inſolita dulcedine ſimul atque grauitate commendabantur. Ideo alibi docuiſſe dicitur, non Matth.7. vt ſcribæ, ſed vt is, cuius dictis authoritas diuina coniuncta erat, quæ in ipſos auditorum animos altius penetrabat. Et hanc gratiam Nazarethani quoque ſenſerunt: qui iam videri poterant veræ fidei principia habere, & ad ſalutem quàm proximè acceſsiſſe. Sed mox ſpiritus bonam ſuggeſtionem excutiunt, & ipſi ſibi ſcandalum ponunt, quo impediuntur, ne maiores in fide progreſſus faciant. Clamant enim, Nonne iſte eſt filius Ioſephi? Et vt Marcus annotauit, infinita alia in eius contemptum congerunt. Vnde (inquiunt) huic iſta? & quæ eſt hæc ſapientia, quæ data eſt ei? Nonne eſt Marc.6. iſte faber ille, qui filius eſt Mariæ, frater Iacobi & Ioſe & Iudæ & Simonis? Nonne & ſorores eius hic ſunt apud nos? Ita verò non contenti illius perſonam traduxiſſe, aliunde etiam corradunt, quæ ipſum contemptum & abiectum reddant. Et cùm in doctrina nihil repræhenſione dignum inueniant, imò Spiritus ſancti & diuinæ gratiæ vim ipſi intra animos ſuos ſentiant, perſonam eius contumelioſè inuadunt. Quid? cùm Dei gratia ſe eò luculentius exereret, quò contemptior erat Chriſti perſona, ipſi nimis malitioſè ex eo calumniandi occaſionem arripiunt. Et quid obſecro illud eſt, quod tanto contemptu & odio dignum iudicant? Num vita inhoneſtè à pueris tranſacta? Num mores iuuenili leuitate infames? Num familiæ vetera maleficia? Num nutritij Ioſephi aliquod flagitium? Num ſuſpecta Mariæ matris pudicitia? Num fratrum & ſororum, id eſt, cognatorum, quos Hebræi fratres & ſorores dicere conſueuerunt, improbitas? Nequaquam. Sed generis obſcuritatē, quæ tunc erat, & manuarium artificium, & cognatorum omnium conditionem paupercula illi exprobrant. Quàm verò iniquum hoc fuit, propter externa hæc Verbum Dei contemnere, & propriæ conſcientiæ teſtimonio reluctari, cùm conſtet, illius veritatem nō ab hominum arbitrio pendere, ſed propria authoritate niti? Neq; etiam ignorabant, pleroſq; ex veterum prophetarum numero natales obſcuros habuiſſe. Atq; hoc illud ſcandalū eſt, quod etiam hodie Iudæi magno ſtudio fouent, quando Ieſu noſtri paupertatem, labores, perſecutiones & indignum crucis ſuppliciū mirificè amplificant, & inſuper horrendis conuitijs tam ipſum quàm eius ſectatores ſuis hominibus inuiſos & exoſos reddūt. Sed & ipſa miracula in præſenti extenuant, vt ex Chriſti reſponſo patebit, quando plura & maiora ex vulgi rumoribus & fama audierant, quàm nunc coràm viderent. Ita fit, vt ex concione Chriſti omnium luculentiſsima grauiſsimaq; nullum omnino fructum retulerint, imò potius in teſtimonium ſuæ damnationis audierint, quod per ſe ſalutare & viuificum erat.

Eſt hoc memorabile exemplum, quo docemur, quæ ſit Verbi Dei conditio, & quibus cauſis e- Verbi Dei conditio & quibus cauſis eius profectus impediatur. ius profectus inter homines impediatur. Eloquia Dei (inquit Dauid) eloquia munda, adeoque argentum ſunt excoctum in catino terreo ſepties defecatum. Et eòdem pertinet, quod idem in Legis diuinæ commendationem dicit: Lex Domini integra eſt, conuertens animam, teſtimonium Domini verum, imperitis ſapientiam ſuppeditans. Decreta Domini recta ſunt, cor exhilarant: præ- Pſal.12. & 19. ceptum Domini repurgatum, illuminans oculos. Timorem Domini mundum parit, conſtat ſibi perpetuò: iudicia Domini vera ſimul & iuſta. Magis expetibilia ſunt quàm aurum præſtantiſsimum, & dulciora fauis melle ſtillantibus. Et hæc quidem non temere Dauidi excidiſſe pij omnes experiuntur: qui illud dignè audiunt. Adde tamen his, quod propria virtute & efficacia armatum corda auditorum penetrat. Quod Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos obſeruans, de illo ſic ſcri- Hebr.4. pſit: Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vſque ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et hoc quoque veriſsimè dici conſtat, quando ſæpe fit, vt ſinguli qui conciones ſacras audiunt, de ſe ſolis agi, & miniſtrum corda ipſorum inſpexiſſe, iamque omnium oculos in ſe conuerſos eſſe putent. Sic Dauidis animum hoc gladio Nathan penetrauit, & ipſas medullas cupiditatum atque cogitationum ſcrutatus, ſceleris confeſsionem & ſerium pœnitentiæ ſtudium ei extorſit, qui ſecurus nimiùm iam ad interitum inclinabat. Et hinc fit, vt impij quoque & oſcitantes Verbi Dei vim ſape agnoſcere, virtutem eius admirari & eidem teſtimonium ferre cogantur. Exempla huius paſsim occurrunt. Noluit Deo meliora monenti obedire Cainus, cùm fraterni odij flammas iam animo concepiſſet. At cùm patrato iam parricidio Deus de fratre illum interrogat, & improbè reſponſanti ſceleris atrocitatem vnà cum

tum pœna ob oculos ſtatuit, mox ille intra animum ſuum quaſi fulmine ictus clamat: Maior eſt ini quitas mea, quā vt remittatur: & infeliciter tremit atq; trepidat, qui paulò ante ipſi Deo litē mouere
1. Reg. 21. videbatur. Simile quid in Achabo cernitur. It enim cum ad occupandam Nabothi crudeliter & iniuſtè occiſi vineam deſcenderet, Eliam ſibi occurrentem minaciter admodum compellat: Deprehendiſti me hoſtis meus? At idem ille non multò poſt, audita verbi Dei ſententia, inſtar agni miteſcit, vt cilicium induat, cinerem capiti inſpergat, et ita ſcelus ſuum publicè fateatur. Ieremiam quoque concionantem diu contempſerunt Iudæi, ſed rebus iam deploratis & perditis ab eodem Rex pri
Ier. 38. & 42. mò, deinde qui ex populo reliqui erant, conſilium petierunt: ex quo ſatis apparet, Dei verbum antea
Ezech. 33. quoque in eorum animos altius penetrauiſſe, quàm ipſi fateri vellent. Ezechieli quoque ipſe Dominus de Iudæis dicit: Veniunt ad te quemadmodum populus venire ſolet, ſedentq; coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, quos tamen non faciunt, &c. At iidem ne veniſſent quidem ad Prophetæ conciones, niſi intra animos ſuos ſe occultiori aliqua vi trahi ſenſiſſent, quæ illas auditu dignas
Ioan. 7. eſſe monebat, etiamſi obedire nollent. Et quod Nazarethi nunc accidit Chriſto docente, hoc ipſum Hieroſolymæ factū fuiſſe Ioannes ſcribit: quādo qui ad illū capiendū emiſſi erant, ad heros ſuos reuerſi, eius doctrinæ teſtimonium tulerunt, dicentes: Nunquam ita locutus eſt homo. Accidunt huius generis multa hodie, & non rarò fit, vt qui hoſtili & inſidioſo animo ad conciones ſacras venerunt, nonmodò nihil audiant, quod reprehendere poßint, verumetiā ſibi omnia egregiè placuiſſe teſtentur.

Ipſi homines verbi profectū impediunt. Quæ ergo cauſa eſt (inquit) quòd apud iſtos homines Verbum non fructum fert dignum? Et cur non ipſi in Veritatis cognitione, quantum ſatis eſt, proficiunt? Annon ſatis efficax eſt Verbum illis permouendis & trahendis, vt Chriſto manus dent? Eſt ſanè, ſed hominum improbitate hæc fiunt, qui ipſi ſibi obſtacula quærunt, perinde ac ſi ægrotus conſultò ingerat in ſtomachum, quæ pharmaci à medico dati virtutē remorentur. Solent illi vt in omnibus alijs, ita etiam circa Dei Verbum, non niſi terrena quærere, & ideo in externa modò rerum ſpecie hærent. Ergo quàm primùm non inueniunt quod quærunt, aut externa illa votis ſuis minus reſpondent, mox calumniandi occaſiones venantur. Et quia pudet doctrinam ipſam aggredi, & hanc nullis argumentis euerti poſſe norunt, ipſos doctores vel in odium, vel in contemptum adducere ſatagunt. Ita olim Prophetas aggreßi ſunt impij hoſtes. Et quod Chriſto apud Nazarethanos ſuos accidit, hoc ipſum vbique gentium paßi ſunt eius Apoſtoli. Et hodie in ſtruendis eiuſmodi calumnijs mirè ingenioſi ſunt aduerſarij noſtri, qui nihil non in deteriorem partem rapere conſueuerunt, vt verbi adminiſtris odium aut ignominiam conflent. Nam ſi quis iuuenis ſit, puerum aiunt: qui neque vſu rerum valeat, neque graui prudentia res ſuas moderetur, ſed iuuenili impetu omnia dicat & faciat. Sin ſenectam grauem iam attigerit, delirum eſſe clamitant, qui ſenili moroſitate nihil eorum ferre poßit in alijs, quibus ipſe per ætatem non amplius ſufficiat. Ita ſi tenuioris fortunæ & ex obſcuris parentibus ſit doctor, indignum putant, tot viros nobiles, diuites, optime de repub. meritos, adeoq; populum totum ab vnius erronis ore pendere, cui nihil ſit quod amittat, etiamſi rempub. vniuerſam in extremum adducat diſcrimen. At ſi contra ex nobiliori familia verbi præco prodijt, & opibus paternis abundat, mox illum generis & opum fiducia efferri dicunt, & indignum eſſe cui fides habeatur, cùm nihil in ipſo ſit, quod apoſtolicam tenuitatem referat. Idem fit ſi doctus aut indoctus concionetur. Hunc enim aſinum ineptum, illum verſutum Sophiſtam eſſe calumniantur. Eadem peregrini & ciuis nati ratio. Hunc enim propter familiaritatem & omnibus notos natales contemnunt, illum verò propter gentem aut neſcio quas gentis iniurias odio proſequuntur. Fiunt iſta & multa huius generis hodie paßim: ſed neminem moueāt
Ioan. 6. iniqua hæc mundi infelicis iudicia. Subijt ea ipſe Dei filius, non autem illis territi ſunt Apoſtoli, quò minus Chriſtum Domini & eum agnoſcerent, qui ſolus verba vitæ æternæ habeat. Accedamus ergo ad audiendum verbum, non curioſitate aut alicuius boni temporarij deſiderio, ſed cognoſcendæ veritatis ſtudio accenſi. Quàm primùm verò in animos noſtros verbum penetrat, tunc non pigeat ei teſtimonium perhibere, & pro Veritatis verbo agnoſcere: ne dum propriæ conſcientiæ teſtimonium improbè reſtinguimus, tandem in ipſum ſpiritum ſanctum peccemus, qui illud in nobis excitauit. Neq; nos externa rerum ſpecies vel detinere vel abſterrere debet: ſed qualis qualis ſit miniſter eccleſiæ, nos Dei gratiam admirari et celebrare conuenit, qui per verbum ſuum nobiſcum per omnis generis homines colloqui dignatur, per illud ipſum inſcrutabilem aliâs cordis noſtri malitiam arguit, adhæc nos

monet,

monet, hortatur, ducit, conſolatur, & ſuæ voluntatis conſcios reddit. Eſt hoc inter Dei beneficia poſt exhibitum nobis Filium facilè primum. Nam ex eo (vt ipſe Chriſtus ait) conſtat, illum nos amicorum loco habere, qui olim cum ipſo in cælis regnaturi ſint. Qui hoc beneficium verè agnoſcunt, & animo honeſto atque diſcendi cupido ad audiendum Verbum accedunt, ij procul dubio efficacem intra ſemetipſos ſpiritus ſancti virtutem ſentient, & fructus ferent Chriſtiana profeſsione dignos, vt ſuo loco pluribus dicetur.

Ioan. 15.

Nunc quid Chriſtus fecerit videamus. Vbi ante omnia obſeruandum venit, quòd non ad omnia reſpondet, quæ illi exprobrabant, ſed ea dicit, quæ, ſi animum attendere voluiſſent, & ipſos poterant meliores facere, & ſcandalum remouere, quod multis alijs hic obijciebatur. Etenim facilè ipſi fuiſſet negare ſe Ioſephi filium eſſe. Sed ex eo homines prophani nouam concertandi occaſionem arripuiſſent, & ita ſcandalum quoque grauius fuiſſet exortum. Itaque hoc omiſſo, ad ea, quæ adhuc in illorum animis latebant, reſponſionem dirigit, & occultiores cordium cogitationes protrahit & arguit, quibus maximè impediebantur, quò minus ipſi crederent. Debebat hoc in quauis cõtentione obſeruari, & ita faciliùs multò & citius componerentur lites, quæ vel priuatim vel publicè exurgunt. At quia pleriq; priuatæ gloriæ ſtudio accenſi, minutiſsima quæq; odioſius exagitant, fit ferè, vt ob vnum verbulum temere elapſum excitata contentio lites pariat nunquam finiendas. In quo vtinam non præ alijs peccarent, qui ſal terræ eſſe debebant, & eccleſiarum concordia nihil antiquius ducere.

Chriſtus Nazarethanis prudenter reſpondet.

Audiamus ergo Chriſtũ, vt eius exemplo diſcamus quid facto opus ſit. Reſponſionis eius partes ſunt duæ. Prima, vt diximus, in animos illorum penetrat, dicens: Omnino dicetis mihi hoc prouerbiũ, Medice cura teipſum: Quæcunq; audiuimus facta fuiſſe in Capernaum, fac etiam hîc in patria tua. Ex quibus verbis apparet Nazarethanos honeſtũ & plauſibilem ſuæ incrudelitatis atq; contumaciæ prætextũ quæſiuiſſe. Sentiebant enim, Chriſtum optimò iure ab ipſis cõtemni & reijci, qui huc uſq; homines exteros ſuæ patriæ & proprijs cognatis antepoſuiſſet: & Capernaũ quidem, ciuitatẽ alioqui ſatis celebrem, ſignis & miraculis infinitis nobilitauiſſet: nihil aũt huius faceret inter ciues ſuos, quibus meliorem gratiam deberet, imò gentiles atq; cognatos ſuos plus ſatis miſeros & infelices eſſe pateretur. Hanc verò excuſationem ſuam, vt plauſibilior eſſet, prouerbiali ſententia veſtiebant: Medice cura teipſum. Quaſi dicerent. Vt iure contemnitur medicus, qui ſibijpſi & ſuis non poteſt mederi: ita nemo nos iniquitatis accuſari poterit, ſi te non agnoſcamus ſalutis authorem, qui & ipſe miſer es, & eos nimium ſecurè negligis, qui propter arctioris cognationis vinculum tibi coniunctiſsimi eſſe debebant. Iſta verò ſiue inter ſe muſsitarent, ſiue intra animos ſuos cogitarent, non obſcurè eius concionem ſuggillabãt, & ipſum vanæ atque mendacis iactantiæ inſimulabant. Nam perinde hoc erat, ac ſi dixiſſent: Si tu Vnctus ille Domini es, qui pauperes læto ſalutis nuntio beas, qui curis omnibus mederis, qui captiuis dimiſſionem, cæcis & ignorantibus viſus recuperationem nuntias, qui denique libertatis diu expectatæ authores, & omnibus ad amiſſas maiorum poſſeſsiones aditum paras: quin à teipſo & proprijs cognatis tantæ rei initium facis? Cur non tuis auitam Dauidis hæreditatẽ, & tuæ familiæ promiſſum regnũ reſtituis? Egregius ſcilicet Meſsias, qui foris & miraculis & ſignis apud ignotos venditas, & alijs aureos montes pollicendo teipſum & tuos negligis? Fuit ergo cũ execrabili euangelicæ prædicationis cõtemptu coniuncta Nazarethanorũ incredulitas. Et hanc cauſam fuiſſe ſcribunt Matthæus & Marcus, quòd non multa ſigna inter illos facere potuerit Chriſtus. Nã etſi gratia & potẽtia Dei noſtræ fidei minimè alligata ſit (Quid enim, inquit Paulus, quòd aliqui fuerũt increduli? num eorũ incredulitas Dei fidem faciet irritã?) ita tamen res ordinauit ille, vt ijs ſe præſentem & propitium præbeat, qui certa & indubitata fide promiſsiones eius apprehendunt. Quarũ complementum cùm in ſolo Chriſto habeatur, fieri nuquit, vt beneficiorũ eius conſortes fiant, qui huic non credunt. Quod vnũ ſi hodie obſeruemus, non mirabimur, pauciores eſſe qui Dei opẽ hodie ſentiũt, cùm pauciſsimi ſint, qui Dei promiſsis fidem habeant, aut Chriſtum ſuum vindicem & ſeruatorẽ ex animo agnoſcant, ſi quid grauioris periculi imminet. Docent autem iſta, quanti verbum ſuum faciat Deus, quando eius contemptũ ſic punit, vt quam prius ſponte obtulit gratiam, mox è medio auferat. Debebãt hoc diligentius expendere qui de ſolo verbo externo agi putant, & ideo non multũ mouẽtur, ſi quis illud à nobis auferendũ dicat. Imò non deſunt, qui ſe tunc demũ beatos fore arbitrãtur, ſi nemo ſit, qui docẽdo, monendo, hortando, increpando ipſis moleſtiam exhibeat. At quia per Verbum ſuam

Chriſtus cogitationes Nazarethanorum arguit.

Rom. 3.

gratiam Deus nobis offert, hoc ſublato illam quoque vnà cum beneficijs omnibus aufert, quibus antea fruebamur. Exemplo nobis ſunt Iudæi, qui & olim ceſſante prophetia miſerè diſsipati, & poſtea in vniuerſum excisi ſunt, poſtquã Euangelij prædicationem ab illis Deus abſtulit. Et quod illi paſsi ſunt, hoc ipſum eccleſijs Orientalibus, Aſiaticis & Græcis accidiſſe conſtat, quarum exemplis vtinam hodie nos emendaremus, &c.

Perſtringit ueterem gentis Iudaicæ contumaciam.

Cæterùm, ne quis Nazarethanorum incredulitate atque contumacia offenderetur, tanquam re noua & inſolita, argumento ab anteactis vtitur, quo veterem & auitam Iudaicæ gentis impietatem atque rebellionem perſtringit, ſic inquiens: Amen dico vobis, Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. Apud Marcum verò hoc ita enuntiat: Non eſt propheta inhonoratus niſi in patria ſua, & inter cognatos ſuos, & in domo ſua. Videtur autem hæc quoque prouerbialis ſententia eſſe, quæ inter Iudæos vulgo trita fuerit. Fuit enim Iudæa prophetarum patria, & Iudæis prophetiæ domum quaſi proprium Deus dederat, vt non vno loco teſtatur. At conſtat illos nuſpiam contemptius habitos fuiſſe, quàm inter Iudæos. Nam vt poſtea audiemus, Eliæ & Eliſæi maior fuit apud exteros authoritas, quàm apud Iſraelitas, ex quibus illi prodierant. Ionas verò apud Niniuitas vna concione plus profecit, quàm prophetæ ſimul omnes quotidianis & aſsiduis admonitionibus apud Iudæos proficere potuerint. Sic ad Nabuchodonozoris aures Ieremiæ fama peruenit, & apud Babylonios in pretio fuit, qui apud ciues ſuos non modò contemnebatur, ſed proditoris loco habebatur. Denique ea rabie & contumacia aduerſus Dei ſeruos Iudæi vſi ſunt, vt infra Chriſtus dicat,

Lucæ 13. Prophetam non alibi quàm Hieroſolymis mori poſſe. Inde prouerbium hoc exortum fuiſſe videtur, cuius in præſenti Chriſtus meminit, vt ſcandalo medeatur, quod aliqui infirmiores ex Nazarethanorum incredulitate captare poterant.

Prophetæ à ſuis ut plurimum contemnuntur.

At nos meminerimus, perpetuum hoc eſſe, vt qui Verbum Dei ſumma fide prædicant, apud nullos minori in pretio ſint, quàm apud ciues ſuos, inter quos nati ſunt & educati. Et poſſunt huius mali cauſæ aliquot adduci ex communi hominum ſenſu atque experientia. Nam primò vulgare hoc eſt, vt non facilè magnificentius de illis ſentiamus, quos à pueris nouimus, & quos pueros vidimus multa ineptire, multa etiam præter decorum & officium facientes. Et debebant huius omnes iam inde à pueris meminiſſe, ne iuuentutem vitijs polluerent, quorum olim ipſos pudere poſsit, & quæ in publico aliquo munere verſantibus authoritatem omnem labefactent. Deinde multùm hic poteſt æmulatio: qua fit, vt iniquum videatur eos nobis præeſſe, quos nobiſcum educatos eſſe ſcimus, & qui fortaſsis quoad natales & maiorum conditionem nobis minimè ſunt conferendi. Accedit his commune vitium, quòd ferè peregrina admirari, domeſtica faſtidire ſolemus. Fit hoc in veſtitu, victu, moribus. Imò patriam plerique faſtidiunt, vt peregrinis lautitijs fruantur. Et inueniuntur, qui magiſtratui extero ſubeſſe malint, quàm domi noſtræ natis principibus. Quæ leuitas vt multorum aliorum ſcelerum cauſa eſt, ita Verbi quoque Dei contemptum parit, quo huius ira maximè prouocatur. Adde, quòd cùm natura diſciplinæ impatientiores ſimus, ſolemus ferè in monitoribus vitia, ſi quibus laborant, & quæcunque alia ipſis contemptum parere poſſunt, diligentius multò obſeruare, quàm dona Dei, quibus ornati ſunt. Denique nihil non nobis in eos licere putamus, quibus aliquando familiariter conſueuimus. Nam vt prouerbio dicitur, familiaritas parit contemptum. At eſt hæc immanis & nulla venia digna hominum peruerſitas atque ingratitudo, qui Deum & eius dona impudentius contemnunt, quò familiariorem ille ſe nobis præbet. Faciunt ergo plerique quod malæ frugis & deploratæ indolis filij, qui patris indulgentia ad ſuam nequitiam abutuntur. Debent autem in horum conſideratione diligenter verſari miniſtri eccleſiarum, vt patienter ferre diſcant ſortem, quæ ipſis cum ſanctiſsimis Dei ſeruis communis eſt. Arment ergo ſeſe inuicta animi conſtantia, & ſe Dei ſeruos eſſe meminerint, qui remunerator ſuorum eſt fideliſsimus. Alij verò omnes veteribus exemplis admoniti, infelicis vulgi iudicia ſuſpecta habeant, & procul relicta hominum quorumuis authoritate, Dei verbum magni faciant, vt in eo loquentem Ieſum Chriſtum appræhendant, in hoc vitam atque ſalutem æternam conſequantur. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XLIII.

Sed in veritate dico vobis, multæ viduæ erant diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum fuit cœlum ad annos tres & ſex menſes, adeò vt fuerit fames magna per totam regionem. Sed ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leproſi erãt in Iſrael ſub Eliſæo propheta, ſed nemo eorum purgatus eſt niſi Naaman Syrus. Tum repleti ſunt omnes excandeſcentia in Synagoga, hæc audientes. Et cùm ſurrexiſſent, eiecerunt eum extra vrbem, & duxerunt eum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem vrbs eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipſe verò tranſiens per medium eorũ profectus eſt.

MVlta quidem cum fide & magna diligentia Dominus noſter Ieſus Chriſtus ciuibus ſuis Nazarethanis, inter quos educatus fuerat, æternæ vitæ doctrinam prædicauit, & quò minus de ea dubitarent, ex Iſaia prophetarum celeberrimo diſertè docuit, quis nam ipſe ſit, & quanta bona in ipſo Deus Pater toti mortalium generi offerat. At pauci admodum & tantumnon nulli fuerunt, qui doctrinæ eius crediderint, & oblatam in ipſo ſalutem, qua decet fide & animi gratitudine amplexi ſint. Cauſa tam ſtupidæ incredulitatis fuit, quòd in externam ſolùm Chriſti ſpeciem intenti, nullam bonorum cæleſtium, quæ offerebat, rationem habuerunt. Offendit ergo eos familiæ eius egeſtas, artificium manuarium quod à pueris exercuerat, & quòd qui multis miraculosè opem ferebat, ſuos omnes miſeros & egenos eſſe patiebatur. Denique quod omnes ſolent qui carnis ſtudijs addicti ſunt, miracula potius videre, quàm conciones eius audire voluiſſent. Itaque grauiter admodum cum illis agit Dominus, & poſtquam oſtendit quibus remoris potiſſimùm detineantur, mox ſcandalo mederi ſtudet, quod aliqui infirmiores ex eorum incredulitate captare poterant. Oſtendit enim hanc non nouam eſſe, ſed iam olim eam fuiſſe prophetarum ſortem, vt nuſpiam contemptiores fuerint, quàm in Iudæa, quæ non immerito illorum patria dici poterat. Id verò in præſenti duobus exemplis confirmat, & ijſdem ſimul ſeſe excuſat, qui exteros ciuibus & domeſticis ſuis hucuſque prætulerit: deinde quid tandem ipſis propter incredulitatem & ingratitudinem ſuam euenturum ſit, monet: Vt nimirum Deus regnum ſuum & vniuerſum ſalutis promiſſæ beneficium ad gentes transferat. Quæ vt generalem doctrinam & ad nos quoque pertinentem continent: ita ſimul conſolantur nos, ne ſpem regni Dei abijciamus, ſi hoc ab illis reijci & conculcari videmus, qui illud imprimis amplecti debebant. Nam nihil poteſt ex eo decedere Deo aut communi ſalutis negotio. Habet enim vbique locorum ſuos electos Deus, & vbicunque ipſi lubet, eccleſiæ ſuæ domicilium inuenit.

Primum exemplum, quod Chriſtus adducit, de Elia propheta eſt, & in primo lib. Reg. cap. 17. deſcribitur. Exemplũ Eliæ 1. Reg. 17. *Erat illo tempore ſub Achabo Rege Iſraelitarũ ſtatus longè corruptiſſimus. Cùm enim antea vitulos aureos modò coluiſſent, quos Ieroboam regni ſui confirmandi cauſa inſtituerat, Achab ducta in vxorem Iezabele Regis Sidoniorum filia, Baalis quoque cultum inuexit, cui templum in Samaria ædificauit, aras & lucos hinc inde poſuit, & populum totum peregrinis ſuperſtitionibus miſerrimè ſeduxit. Comitata ſunt idololatriam (vt fieri ſolet) omnis generis ſcelera, inter quæ præcipua erant, quòd veri Dei altaria diruebant, Verbum Dei odio habebant, & prophetas eius hoſtiliter perſequebantur. Fiebat ergo, vt maior populi pars in ſceleris ſocietatem veniret, & ij quoque qui optimi erant (exceptis paucis millibus eorum, quos ſibi Deus ex peculiari gratia ab omni idololatriæ labe alienos ſeruauerat) in vtrumque latus claudicarent, cùm & Baalim colerent, & Deo vero gloriarentur, qui patres eorum ex Ægypto eduxerat. Cùm ergo docendo & monendo nihil proficerent Prophetæ, & diſciplina ſeueriori opus eſſet, Elias publicè ſiccitatem trium annorum & ſex menſium minatur. Viuit (inquit) Dominus Deus Iſraelis, corã quo miniſtro, ſi fuerit hiſce annis ros aut pluuia, niſi iuxta os meũ. Et mox euentum ſuum habuit cõminatio illa. Itaque cùm per regionem vniuerſam dira fames inualeſceret, & (vt modò diximus) aliquot millia eorũ reliqui eſſent, qui genua ſua Baali nunquã inflexerant, nemo tamen ex illis eſt inuentus, qui Eliam ad ſe recipiat, & veritatis doctrinæ aduerſus regem patrocinetur. Quapropter neceſſe erat, vt ſeruo ſuo alia ratione Deus proſpiceret,*

Iubet ergo vt primum in torrente Chrit, ſeſe occultet, vbi illum paſcit coruorum miniſterio, qui quotidie ſub auroram & veſperam panem & carnem ad ipſum deferebant. At cùm præ ſiccitate & aſtu aqua torrentis deficeret, Sareptam (quod Sidoniorum oppidum erat) illum abire iubet, ad mulierem viduam, quæ ipſum hoſpitio ſuſceptura ſit. Erat mandatum hoc nouum & inſolens, & vix credibile videbatur, prophetam apud exteram gentem domicilium inuenturum eſſe, quem domeſtici & ciues eius omnes negligebant. Attamen paret iubenti Domino, & præter expectationem inter Sareptanos fidei conſtantis exemplum inuenit, quale nullum in Iſraele extabat. Nam cùm ad ciuitatis portã venisset, in mulierẽ ligna colligentem incidit, à qua paululum aquæ petijt, qua ſitim ex longo itinere contractam leugret. Illa autem abeunte, panis quoq; buccellam ſibi afferri poſtulauit. Ad quam poſtulationem cùm illa reſpondiſſet: Viuit Dominus Deus tuus, ſi eſt mihi panis coctus, ſolum pugillum farinæ habeo in cado, & parum olei in lecytho, & en colligo ligna duo, vt ingrediar, & apparem illum mihi & filio meo, comedamusq; ipſum, & deinde moriamur. Dixit ei Elias: Ne timeas, vade & fac ſecundùm verbum tuum: veruntamen fac mihi prius inde paruum ſubcineritium panem, & effer ad me, tibi autẽ & filio parert poſtea. Quoniã ſic dicit Dominus Deus Iſraelis, Farina cadi non deficiet, & oleum lecythi non minuetur vſq; ad eum diem, quo Dominus pluuiam dederit ſuper faciem terræ. Credidit promiſſioni huic mulier, & prophetæ mandato paruit, ſicq; promiſſionis fructum percepit, vt multis interea in Iſraele & vicinis locis partim fame pereuntibus, partim miſerè laborantibus, ipſa vnà cum filio & Elia hoſpite ſuo victum ſufficientem haberet. Itaq; merces prophetæ ad exteros transfertur, qui illi hoſpitium dabant. At quod illi beneficium contulit Deus, hoc ipſum Iſraelitis quoque ſimul omnibus conferre potuiſſet, imò voluiſſet conferre, niſi illi ſua incredulitate atq; contumacia prophetam tanti boni authorem & æternæ ſalutis nuntium à ſe repuliſſent. Digni ergo erant, à quibus propheta diſcederet, & ſecum bona Dei ſimul omnia ad exteras gentes transferret. Applicatio exempli. *Conueniebat autem hiſtoria hæc per omnia temporibus Chriſti, & quæ tunc erat Iudæorum conditioni, & ideo rectè illam in præſenti contra Nazarethanos ſuos adducit. Peccarant enim iam multis annis aduerſus Deum, qui iampridem doctrinam verbi ab illis abſtulerat, & humanarum traditionum magiſtris permiſerat ſeducendos. Iam ergo paſſim regnabat ſanioris doctrinæ inopia & fames illa, quam per Amos prophetam Deus olim minatus erat:* Amos 8. *eoque pernitioſius laborabant, quod malum hoc non ſentirent Iudæi, & ſe probè ſaturos putarent. Quàmuis autem indigniſſimi eſſent, quos reſpiceret Deus, vicit tamen iuſtitiæ rigorem bonitas, & primò quidem Ioannem miſit, qui ſalutis iam ad fores appropinquantis ſpem faceret: illum verò mox Chriſtus ſecutus eſt, qui non pugillum farinæ, non parum olei, ſed inexhauſtos gratiæ Dei theſauros ſecum attulit, neque aliud ab ipſis poſtulauit, quàm vt primo ipſius deſiderium, quo illorum ſalutem eſuriebat, ſaturarent, inde verò ipſi bonis cœleſtibus affatim explerentur. Nunquam tamen hoc ab illis impetrare potuit, vt ſe Patris verbo obſequentes præberent. Quid ergo fieri debebat aliud, quàm vt illis relictis Euangelium ſuum & quæcunque in hoc nobis prædicantur bona, ad alios transferret? Et quia hîc præ alijs Nazarethani peccabant, digni quoque erant, qui præ alijs punirentur: neque à quoquam accuſari merebatur Chriſtus, etiamſi (vt olim Elias fecerat) illis contemptis & reiectis ad alios tranſiret. Quia verò hiſtoria hæc cognitu iucundiſſima eſt, & alia quoque continet, quæ ad huius cauſæ illuſtrationem faciunt, proderit illa ex ordine conſiderare.*

Puniuntur ſæpe populi, in quibus multi boni ſuperſunt. *Primum in his occurrit, quòd non rarò grauiſſimis calamitatibus totas gentes Deus implicat, & Verbi ſui lucem ab illis etiam populis aufert, in quibus aliqui non omnino mali ſunt, imò in quibus ſunt, qui cultum verũ ſtudiosè retinent. Factum hoc fuit Eliæ temporibus. Etſi enim impietas & tyrannis longè lateq; dominarentur, ſeruarat tamen ſibi Deus (vt ante diximus) ſeptem millia virorũ, qui genua ſua ante Baalis ſtatuas non incuruauerant. Et hodie videmus multos veri cultus amantiſſimos eſſe, qui tamẽ & ipſi cõmunem cum alijs pœnam ſubire videntur, quando Verbum ſuũ Deus è medio tollit. Mirantur hoc multi, & in Deo æquiorem iuſtitiæ atque iudicij ſui moderationem requirunt. Quibus ſimpliciter reſponderi poterat: Ehò qui nam vos eſtis, quibus factorum ſuorum rationem Deus reddat? Aut quis nam ille eſt, qui ſe gratia dignum eſſe gloriari poſſit? Annon liberũ eſt Deo pro ſua bona voluntate Verbi ſui lucem diſpenſare? Attamen vt infirmitati quorundã*

consulamus,

conſulamus, iudicij ſui rationem in hoc exemplo monſtrari poſſe dicimus. Erant quidem plurimi in Iſraele, quibus impietas & tyrrannis diſplicebant, qui item ſe ab omni idololatria puros & immaculatos ſeruabant. At quotus quiſq; erat, qui impijs edictis & publicis ſuperſtitionibus ſe palàm opponeret? qui Eliæ cauſam ſuſciperet? qui verum Dei cultum propugnaret? Ita certè omnes latebant, vt Elias ſe ſolum putaret reliquum eſſe. Carebant igitur zelo Domini, quo pios ardere decet, & ideo digni erant, qui iuſtas ignauiæ ſuæ pœnas ſentirent. Solet hoc ferè vbique fieri, neque culpam ſuam diffitentur, quos ſerius diuinæ gloriæ ſenſus afficit. Nemini ergo iniuriam facit Deus. Nam etſi eadem omnium pœna eſſe videtur, magnum tamen inter pios & impios diſcrimen eſt: quia hi quidem ſupplicium ſua impietate dignum patiuntur, quo ferè malè pereunt: illi verò diſciplina & caſtigatione hac meliores fiunt, & excitantur, vt maiori cum zelo & induſtria Domini negotium agant.

Deinde admonemur exemplo hoc, calamitates eiuſmodi neque Dei Verbo, neque eccleſiæ eius quicquam detrahere. Illud enim æternum eſt, & perpetuò ratum manet: Eccleſiæ verò ſuæ vbique terrarum ſedem aliquam inuenit Deus, vbi vel apertius cultum ſuum exerceat, vel obſcurius lateat, & tamen fructum ferat non pœnitendum. Et in hac re imprimis admirabilia ſunt opera Domini. Nam vt huius exempli veſtigijs inſiſtamus, quis coruos nutritios Eliæ fore crediđiſſet, quem Iſraelitæ ſimul omnes negligebant? Quis eidem in Sidoniorum terra hoſpitium polliceri auſus fuiſſet, vnde Baalis cultum nefarium impia Iezabel in Iſraelis regnum aduexerat? Sareptæ tamen hoſpitium tutum & liberale Elias inuenit, & ibidem non ſine publica Iſraelitarum ignominia eccleſiolam habet Deus rara fide & miraculis celebrem. Vidimus huius generis multa hodie, quando in illis terris præter omnem expectationem eccleſiæ emerſerunt, ex quibus paulò ante acerrimi euangelicæ lucis hoſtes prodierant. Sunt ergo ſtulti nimis, qui vel Deum ſuis locis & vrbibus alligatum putant, vel de eccleſia in vniuerſum omni actum eſſe vociferantur, ſi vna aut altera gens dignas ſuæ incredulitatis & contumaciæ pœnas exoluat.

Calamitates neq; Dei uerbo neq; eccleſijs detrahunt.

Docet præterea locus hic, quid facere oporteat temporibus difficillimis, ne ipſi quoque ſalutis iacturam faciamus. Poteſt hoc vno verbo expediri: Vt nimirum viduam Sareptanam imitemur. Quia enim hanc præ omnibus alijs Deus elegit, ad quam Elias diuerteret, non dubium eſt in ea fidei veræ & abſolutæ exemplum proponi. Quid ergo illa fecit? Primò prophetæ verbis credidit. Hinc nos quoque exordiamur neceſſe eſt. Niſi enim Dei verba apud nos fidem inueniant, nunquam aliquid faciemus, quod Deo probari poſſit. Deinde fidem ſuam non inanibus verbis, ſed reipſa, id eſt, obedientia teſtatur: & quidem in re maxima, quæ cum ratione & communi ſenſu pugnare videbatur, & à qua illam rationes infinitæ poterant abſterrère. Cùm enim tantillum modò farinæ & olei haberet, quod in vnicum prandiolum ſibi & filio ſuo vix ſufficere poſſet, Elias autem ſibi priori ex illo panem coqui mandaret, mox abſque omni tergiuerſatione obtemperat. Quantam verò hanc eius fidem fuiſſe putas, quæ illam vt in tanta famis neceſſitate & in præſenti vitæ periculo hoc faceret, mouit? Etenim ſi communes hominum mores examines, paucos inuenire licet, qui in ſumma rerum abundantia aliquid hominibus notis & bene de ſe meritis decîdant, ſi quid periculi imminere videtur. Neque tamen in eo pedem ſiſtit, ſed Dei promiſſione freta Eliam hoſpitio excipit, & longo tempore domi ſuæ ſuſtentat: quod ipſum quoq; periculo non carebat. Erat enim Achabo regi exoſus valde, qui illum Iſraelis turbatorem dicere ſolebat. Achabo autem vel ſocer vel affinis proximus erat Sidoniorum rex, ad cuius imperium Sarepta pertinebat. Sunt hæc præclara fidei argumenta, quibus hodie ſtudere nos conuenit. Obediamus Dei verbo, & huic ſubijciamus carnis noſtræ ſenſus & rationes omnes. Obediamus autem, non modò cùm tutum eſt, ſed tunc quoque, quando res cum periculo grauiſſimo coniuncta eſſe videtur. Audendum eſt enim aliquid pro Veritate & ſalute publica: ne ex eorum numero videamur eſſe, quos Chriſti & Euangelij eius pudet coram mundo hoc prauo & adultero. Et hæc ferè præcipua ſunt, quibus fidem ſuam declarauerunt olim, quotquot eius nomine commendantur. Quorum veſtigijs ſi inſiſtamus, procul dubio Chriſtum retinebimus, & eiuſdem beneficijs læti fruemur.

Quid temporibus difficillimis fieri debeat.

Alterum exemplum de Eliſæo propheta & Naamano Syro eſt. Incidit ea hiſtoria in tempora Iorami, qui Achabi filius fuit, & extat in ſecundo libro Regum Cap. 5. Erat tunc idem ferè in

Exemplum Eliſæi & Naamani 2. Reg 5.

Iſraele rerum ſtatus, qui ſub Athabo fuerat, niſi quòd Baalis cultum ex parte Ioram ſuſtulerat. Docebat tunc poſt Eliæ raptum in cælos Eliſæus, & doctrinam ſuam miraculis multis & magnis confirmabat, & per eundem victoriam contra Moabitas inſignem Deus dederat. Erant hæc quidem in omnium ore, neque negari poterat Dei virtus, quæ in illo ſeſe exerebat. At non ita iſtis mouebantur Iſraelitarum animi, vt doctrinæ illius feriò crederent, & eum ſalutis præconem atque miniſtrum agnoſcerent. Accidit autẽ, vt Naamanus, qui apud Syriæ regem Magiſter equitum erat, vir bello & rebus geſtis eximius, lepra autẽ infectus, puellæ Iſraeliticæ & apud vxorem eius ſeruientis narratione de Eliſæo permotus, ſibi ad eum proficiſcendũ eſſe putaret. Itaq; impetratis à Rege ſuo literis commendaticijs, magno cum apparatu equorum & curruum, neq; ſine honorarijs muneribus, eò profectus eſt. Venientem Eliſæus primò non in conſpectum admiſit, mandauit autem per nuntium, vt ſepties in Iordane tingeretur, & ex eo purgationem lepræ pollicitus eſt. Tulit hoc Syrus indigniſſimè, & vt hoc hominum genus ſolet, in verba faſtus & indignationis plena erupit. En, cogitabam (inquit) apud me, Omnino exibit, & ſtans inuocabit nomen Domini Dei ſui, admouebitq; manum ſuam ad locum, & curabit lepram: Annon præſtant Abana & Parpar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraelis? Annon ſi lauero in eis, mundus ero? At per famulos admonitus prophetæ mandato paruit, & à lepra mundatus eſt, ſicq; homo exterus & peregrinus beneficium ab Eliſæo ingens accipit, quod nulli leproſorum, quorum apud Iſraelitas infinitus erat numerus, contigit. At ſi cauſam quæras, ea in promptu eſt: quòd nimirum nemo Iſraelitarum in tanta exiſtimatione habuit Eliſæũ, vt eius ope ſibi vtendum putaret. Non ergo eius malignitate hoc factum eſt, ſed Iſraelitarum incredulitate, in qua ſic obſtupuerant, vt omnium oculis & ſenſibus ſeſe ingerentem Dei virtutem non obſeruarent: neq; accuſari meretur Eliſæus, qui quod Iſraelitæ omnes aſpernabantur, beneficium, ad Naamanum exterum tranſtulit.

Applicatio exempli.

Seruit autem exemplum hoc mirificè Chriſti inſtituto, & Nazarethanos egregiè confutat, qui indignius ferebant, quòd ille plura alibi quàm apud ipſos miracula ædidiſſet. Nam laborabant ipſi ſimul omnes lepra peccati, non purgabantur autem Chriſti beneficio: non quòd is ſalutem ipſis inuideret, ſed quòd hunc illi liberaliter offerentem contemnerent. Propria ergo culpa peribant, & optimo iure Chriſtus ſaluificam ſuam virtutem ad alios transferebat. Interim non obſcurè ille innuit, quid Iudæis ſimul omnibus ſit euenturum: quòd nimirum regnum ſuum Deus ab ipſis ad gentes tranſlaturus ſit, ipſos autem reiecturus, eò quòd in auita contumacia pergant, & nullis neque ſignis neque admonitionibus moueantur, quæ multis alijs mouendis ſufficiant. Nam ſi Naamanum ſpectemus, eius facilitate Iſraelitas ſimul omnes damnari videbis. Non contempſit is puellulæ captiuæ, exteræ & ex hoſtili gente oriundæ narrationem de Eliſæo. At hunc coràm docentem & miracula ædentem Iſraelitæ aſpernabantur. Venit ille longo itinere, magno cum apparatu & impenſis maximis. Hi, quem domi ſuæ habebant, faſtidiunt. Ille etſi initiò indignationem aliquam animo conciperet, mox tamen famulos meliora monentes audit, & prophetæ obtemperat. At Iſraelitæ prophetarum ſermonibus ſemel offenſi perpetua odia & inimicitias nunquam finiendas animo concipiebant. Et quod olim patres fecerant, hoc ipſum Chriſti & Apoſtolorum temporibus Iudæos ferè omnes feciſſe conſtat. Cùm enim Apoſtolis, hominibus peregrinis gentes crederent, & Chriſtum magno ſtudio amplecterentur, Iudæi gentiles ſuos contemnebant, & immani odio accenſi vbique locorum turbas excitabant, quibus Euangelium opprimerent. Magno igitur ſuo merito puniti & à regni Dei ſocietate excluſi ſunt. At hic meminiſſe oportet, in illis exemplum proponi, quo omnium locorum & temporum homines docentur, quid expectent, ſi ſimili contumacia & incredulitate Chriſti doctrinam reijciant. Sibi ergo iſta applicent, qui illum hodie in Euangelio loquentem audiunt, ne aliquando fruſtra quærant eum, quem prius improbè contempſerunt. Obſeruari idem hoc debet in alijs omnibus Dei beneficijs, ne dum vel ea contemnimus, vel iiſdem abutimur, non illa modò amittamus, verumetiam pœnis dignis mulctemur.

Nazarethani admonitione Chriſti exacerbantur.

Sed audiamus, quomodo Chriſti verba ſiue admonitionem Nazarethani acceperint. Repleti ſunt omnes (inquit Lucas) excandeſcentia in Synagoga, hæc audientes. Sentiunt ergo ſe perſtringi, & in ſuam contumeliam iſta dicta eſſe, atque ideo non leuiter iraſcuntur, ſed furore accenſi in rabiem aguntur. Non deſunt ergo aures impijs, quibus Dei Verbum audiant. Non etiam

ratio & intellectus illis deeſt, ſed de ſe agi vident, & quid ipſis facto opus ſit intelligunt. Deeſt autem voluntas bona, & quia toti affectibus peſſimis reguntur, iniuriam ſibi fieri putant intolerabilem, ſi quid dicatur, quod eorum deſiderijs repugnat. Apparet autem ex eo, quanta Verbi Dei vis ſit, quando eorum quoque animos tam efficaciter penetrat, qui hoc vnum agunt, vt illud ſcurrili & impio contemptu eludant. Ergo quàmuis de illo contemptiſſimè loquantur, & ſe illud nullius facere ſimulent, longè aliter tamen intra animos ſuos ſentiunt, vbi acerrimis ſtimulis punguntur, qui omnia illis infeſta & acerba reddunt. Non autem excandeſcunt modò Nazarethani, ſed poſtquam dimiſſo cœtu ſurrexerunt, ex vrbe Chriſtum eijciunt, vt indignum, qui porrò pro ciue & alumno agnoſci debeat. Imò vt patriæ peſtem ad ſupercilium montis, ſuper quo oppidum illud extructum erat, rapiunt, vt ex eo præcipitem dent, & infami morte perdant. Habet enim ſuos progreſſus impietas, & qui Verbo Dei obſtrepere audent, mox maiori ſumpta audacia aduerſus ſeruos quoque Dei hoſtiliter inſurgunt, neque à vi aperta & iniuſta abſtinent. Quò magis nos anniti decet, vt affectuum initijs reſiſtamus, & vt manſuetudinis ſpiritu furores iſtos impiorum vincamus. Pulchre autem, ceu in tabula, hîc nobis adumbratur, vel depingitur potius, miniſtrorum Dei conditio, quam in hoc mundo ſuſtinent.

Miniſtrorum Dei conditio.

Si Euangelium ſimpliciter prædicant, ferè ridentur. Stultitia enim videtur carnis rationi, in homine crucifixo ſalutis fiduciam collocare, carnem cum ſuis affectibus abnegare, mundo & huius amicitiæ longum Valere dicere, denique propter cæleſtia & æterna bona relinquere ea, quæ nobis ad manum ſunt, & in quibus tota hominis felicitas conſiſtere putatur. Non multum ergo doctrina hac afficiuntur, qui toti mundo & carni dediti ſunt. Quòd ſi autem miniſtri longius progreſſi, ſcelera quoque accuſent, ingratis & rebellibus Dei iram denuntient, & vel inuitos ad illius tribunal pertrahant: tunc in furorem & rabiem aguntur, qui prius Verbum obiter contemnere videbantur. Hinc ergo atroces impiorum iræ, ſæuæ comminationes, cruenta edicta, & publici etiam motus exoriri ſolent: & plerunque fit, vt qui patriæ peſtes ſunt, eos è ciuitatibus eijciant, qui patriæ ſalutem vnicè quærunt, & pro ea dies noctesque excubias agunt. Exulant ergo frequenter fideles Chriſti miniſtri, regnantibus interea impunè adulteris, raptoribus, vſurarijs, homicidis, ſacrilegis & impijſſimis quibusque, quorum ſceleribus Dei ira quotidie prouocatur. At non offendant iſta pios, quando hæc olim Chriſto apud eos acciderunt, qui illum præ alijs magni facere debebant. Soletur autem eos, quòd patriam & ciuitatem permanentem atq; ſtabilem in cœlis habent, in quam nihil iuris habent tyranni, qui & ipſi olim in tenebras exteriores eijcientur, viuentibus & regnantibus cum Chriſto pijs omnibus, quos illi in terris perſecuti ſunt.

Cæterùm præſtat videre, quid inter furentis populi conatus de Chriſto factum ſit, quod his verbis Lucas narrat: Ipſe tranſiens per medium eorum profectus eſt. Indicant hæc, illum non ſine miraculo ſeruatum fuiſſe, cuius tamen modus non exprimitur.

Chriſtus miraculoſè ſeruatur

Cùm enim illum vrbe eiecerint, cùm ad montis præcipitium duxerint, eum vtique manibus ſuis tenebant, neque aliqua in humanis ſpes ſalutis reliqua erat. Elapſus tamen eſt ex manibus eorum, neque (vt de Proteo & Vertunno ſuo poetæ fabulantur) in aliam formam mutatus euaſit, ſed per medium illorum tranſiens profectus eſt quò volebat. Diuinæ ergo virtutis hoc opus fuit, quæ eum ſeruauit, ne quid pateretur priuſquam hora eius veniſſet. Sunt exempla eiuſmodi probè obſeruanda, vt illum poſtea voluntariè mortuum eſſe intelligamus, vt ſua obedientia patris iram placaret, & iuſtitiam veram nobis mereretur. Admonent præterea hæc, nihil periculi metuendum eſſe ijs, qui in Dei vocatione ambulant. Quia enim ſub Dei prouidentia ſumus, qui & paſſerculos curat, & pilos capitis noſtri numeratos habet, nihil nobis neque mundus neque eius princeps nocere poterunt, donec fatalis illa hora (quam Chriſtus duodecimam vocat) aduenerit, nosque ad curſus noſtri metam appropinquauerimus.

Ioan. 11.

Nam quod de Chriſto dicitur, hoc ipſum Apoſtolis quoque non ſemel accidit, vt ex carceribus & hoſtium manibus mirificè ſeruarentur præter omnium expectationem. Iſta nos confirment, vt Verbum Dei ſanctè colamus, & Chriſtum Ieſum vera fide amplexi officium faciamus, neque dubitemus eum nobis affuturum eſſe, vt euitato mundi huius infelicis præcipitio, ad ipſum in cæleſtis patriæ ſedes colligamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XLIIII.

Et deſcendit in Capernaum vrbem Galilææ, ibiq; docebat eos Sabbatis. Et percellebãtur ſuper doctrina eius: erat enim ſermo ipſius cum authoritate. Erat autem in Synagoga quidam habens ſpiritum dæmoniacum impurum, qui exclamauit voce magna, dicens: Ah, quid nobis tecum Ieſu Nazarene? Veniſti vt perdas nos? Noui te quis ſis, nimirum Sanctus ille Dei. Et obiurgauit cum Ieſus dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Tunc dæmonium, abiecto illo in medium, exijt ab eo, nihilq; ei nocuit. Et obortus eſt pauor in omnibus, & colloquebantur inter ſe, dicentes: Quid hoc rci eſt? Quia cum authoritate & poteſtate imperat impuris ſpiſitibus, & exeunt. Et peruenit rumor de eo in omnem locum circumiacentis regionis.

Ioan. 1. *IOannes Apoſtolus & Euangeliſta de filio Dei in carne manifeſtato differens, illum in ſua veniſſe, à ſuis aũt nõ receptum fuiſſe ſcribit. Quod etſi de tota Iudæorũ gente veriſſimè dicatur, præ alijs tamen ſe ingratos & crudeles præbuerũt Nazaresbani, inter quos ille educatus fuerat. His enim nõ ſatis fuit doctrinã eius contempſiſſe, ſed inſuper cùm ab eo liberius admonerentur, in rabiẽ acti, illũ vrbe eiecerunt, & de rupe præcipitẽ dare conati ſunt. Deſcribuntur hæc in eum finem, vt primo non offendamur, ſi quid huius etiam hodie Euangelij eius miniſtris accidit: deinde vt exemplo illius diſcamus, quid tunc nobis facto ſit opus. Et huc magna ex parte pertinent, quæ modò recitauimus. Narrat enim Lucas, quid fecerit Chriſtus, vbi à Nazareshanis digreſſus eſt, & quanto cum ſucceſſu Euangelium, quod illi non minus ignominiosè quàm hoſtiliter reiecerant, alibi prædicarit.*

Chriſtus à Nazareth abit Capernaum. *Et primò quidem, quò ſe receperit, indicatur. Deſcendit (inquit) in Capernaum vrbem Galilææ, ibiq; docebat eos Sabbatis. Eſt hoc memorabile bonitatis & manſuetudinis diuinæ exemplum. Nam digni erant Nazaresbani, qui graues pœnas darent. Si enim (vt Chriſtus alibi monet) Sodomæis & Gomorrhæis grauius punientur in die iuditij, quotquot homines euangelij præcones reijciũt: quo non ſupplicio digni erunt, qui ipſum Dei Filium cum verbo ſuo extinguere conantur? Et extãt paſſim exempla horrenda in eos edita, qui Dei ſeruos aut legatos violare auſi ſunt. Facile etiã erat Chriſto de illis pœnas ſumere. Qui enim totam cohortem, quæ ad ad ipſum capiendum miſſa fuerat, vno verbulo proſternere potuit, hîc quoq; ingratam & crudelem vrbem abſq; labore & negotio funditus euertere, aut eius ciues quocunq; ſupplicij genere punire potuiſſet. At non ad perdendum, ſed ad ſeruandum venerat: neq; tunc vindictæ dies erat, ſed acceptum illud tempus, quo Deus peccatores in gratiam recipere, & promiſſam ſalutem mundo offerre decreuerat. Ideo vindictam Deo patri permittens, ipſe in officio pergit, & relictis hominibus indigniſſimis, alios quærit, quos maiori cum fructu doceat. Eſt hoc exemplum multa obſeruatione digniſſimum. Eo enim omnes admonentur, minimè deſerendam eſſe vocationem, cui nos Deus deſtinauit, propter nonnullorum ingratitudinem: neq; ſpectandum ſemper, quid mereantur ij, quibus cum nobis res eſt, ſed quid nos facere conueniat.*

Propter hominum ingratitudinem nemo officium ſuum deſerat. *Pertinet doctrina hæc ad omnis loci & ordinis homines. Nam qui rempub adminiſtrant, ſi in ſuo munere fideles & diligentes ſint, mox non ingratos modò, verumetiam rebelles & ſeditioſos aduerſus ſe ſentiunt eos, pro quorum ſalute ipſi dies & noctes excubant. Accidit hoc olim Moſi, quem non ſemel conuitijs grauiſſimis proſciderunt Iſraelitæ, imò lapidibus obruere conati ſunt, in quorum gratiam ipſe aulam Ægyptiacã & honores ampliſſimos reliquerat. Quid Dauidi euenerit poſt mille bellorum diſcrimina & labores pro publica ſalute infinitos, ex hiſtoria ſacra & Pſalmis eius notius eſt, quàm vt multa commemoratione opus habeas. Fuit eadem Ezechiæ & Ioſiæ ſors, quorũ vterq; parũ fidos habuit eos, quorum conſilijs maximè vtebatur, & hi deinde populũ infelicem ad rebellionẽ excitabãt. In exteris verò hiſtorijs exempla huius generis multa occurrũt, vt verè dici poſſit, apud omnes ferè gentes nullos indignius & iniquius tractatos fuiſſe omnibus ſeculis, quã eos, quorum maxima in rempub. merita extiterunt. Et quid hodie optimi quiq; patiantur, non ſine maximo animi dolore omnes boni vident. At non debent hæc viros prudentes mouere, vt propterea rempub. deſerere, & populi ad interitũ ruentis improbitati indulgere velint. Vt enim non probabitur nauclerus, qui*

rus, qui propter vectores aliquot immodeſtius ſeſe gerentes à gubernaculo diſcedit, nauimq́ totã perire ſinit: Ita neq́ ſibijpſi neq́ cõmuni patriæ fidelis fueris, qui populi improbitate & ingratitudine ſe ſuperari ſinit, vt rempub. exitio proximã deſerat. Tunc potius conſilio vtendum eſt, & remis maximè incumbendũ, vt ſi omnino naufragiũ facere oportet, ſaltem aliquos illi ſeruent, & ſuam fidem apud omnes liberent. Cogitent hoc ipſum ſibi etiam dici verbi præcones & eccleſiarũ miniſtri. Referunt hi quoq́ peßimam gratiã ab ijs, quorum ſaluti vnicè cupiunt conſultũ: & de hoc non ſemel illos Chriſtus admonuit. Sed non ideo ab eccleſiæ miniſterio diſcedere, ſed potius cum mũdi ingratitudine luctari cõuenit, vt nos Deo ſimul & illis fidos præbeamus, qui nobis maximè aduerſantur. Fecerũt hoc incredibili conſtantia prophetæ, quorum aliqui annis amplius quinquaginta ſaxum hoc voluerũt in ingratißima Iudæorũ gente, ex qua nihil præter conuitia, iniurias & cædes indignas ſperare poterant. Inter quos laudem peculiarem meretur Ieremias, qui poſt captam vrbem cum pauperum reliquijs manere maluit, quàm in Babylone promißis ſibi honoribus frui. Imò cum ijdem obſtinata contumacia in Ægyptum deſcenderent, illis ſe comitem præbuit, ne infelices doctrina verbi omnino deſtituerentur. Et Chriſti exemplum Apoſtoli magno ſtudio ſecuti ſunt, qui nullis iniurijs vinci potuerunt, vt à Chriſto creditam ſtationẽ deſererent. Certè vt vnum Paulum videamus, quid ille nõ paſſus eſt ab Iudæis, quos vbiq́ terrarum hoſtes infeſtißimos reperit? Idem tamen nihilominus ſemper in illorũ Synagogas diuertit, & quamuis gentibus imprimis Apoſtolus deſtinatus eſſet, illis tamen primis vbiq́ Chriſtum prædicauit, ſi qua ratione ex infelici illo gentis totius naufragio aliquas reliquias (vt Prophetæ olim prædixerant) ſaluas faceret. Eodem zelo & ſtudio omnes ardere conuenit, qui in eccleſiæ miniſterio verſantur. Cur enim mundi ingratitudine abſterreantur, qui non mundo, ſed Deo ſeruiunt? Vel cur ipſi officium deſerendo eos imitentur, quorum contumaciã & ingratitudinem deteſtantur? De his vtinam diligentius cogitarent, qui hodie eccleſias totas deſerunt, in quibus aliquos morum diſciplinæ audacius reſiſtere; & alia multa præter decorum fieri vident. At ſi idem olim Chriſtus & Apoſtoli feciſſent, quas obſecro illi nobis dediſſent eccleſias? Alia tamen eorum ratio eſt, qui doctrinæ veritatis ſeſe hoſtiliter opponũt, & verbi præcones violenter eijciunt: de quibus ſuo loco & tempore dicemus.

Cur Capernaũ ſibi delegerit Chriſtus.

Nunc duo nobis conſideranda veniunt, quæ ad huius loci noſtri tractationẽ pertinent. Primum eſt locus, quo Chriſtus diuertit, vt doceret. Fuit is ciuitas Capernaum, quam non procul ab oſtio Iordanis lacum Tiberiadis ingredientis ſitam, & proinde ob loci commoditatem hominum frequentia & negotiorum commercijs celeberrimã fuiſſe conſtat. Delegerat eam ſibi iam antea Chriſtus, & tam illi familiarem ſeſe præbuit, vt à Matthæo ciuitas Domini dicatur. Fecit hoc ille certo conſilio: primùm quidem, vt doctrinæ & miraculorum eius fama citius & latius vulgaretur ad finitima loca: deinde verò, vt vrbi multis vitijs laboranti medicinã in tempore afferret: Scimus enim in vrbibus frequentioribus ferè mores corruptißimos eſſe, dum & peregrini eò confluentes quotidie nouum quid atq́ inſolens important, & diuitiæ luxui & libidini materiam vberrimã miniſtrant. Eſt hoc ingens bonitatis Dei argumentum, qui homines ſaluos fieri cupit, & ideo ſalutis doctrinã longè lateq́ propagari cùrat. Ex eadem enim cauſa factum eſt, quòd Hieroſolymam quoq́ Chriſtus frequentauit, & plerunq́ feſtis celebrioribus interfuit, vt plures per ipſum inſtituerentur. Obſeruatum idem poſtea quoq́, quando Apoſtolos in vrbes totius orbis celeberrimas deduxit, & in illis eccleſias conſtituit, ex quibus Euangelij doctrina in viciniam totam diſſeminaretur: quales fuerunt Antiochia, Epheſus, Corinthus, Athenæ, & rerum domina Roma, vbi eccleſiam longè clarißimã fuiſſe Paulus teſtatur. Et hodie paßim illuſtriores vrbes Euangelij luce dignatur Deus, vt huic ad plures alios aditũ faciliorem faciat. At tunc meminiſſe oportet, inanem eſſe huius laudis prærogatiuã, niſi gratos & morigeros ſe Chriſto præbeãt, qui præ alijs eius verbo illuſtrantur. Nam etſi Capernaum ad cælos vſq́ euexerit doctrinæ & miraculorũ Chriſti fama, idem tamen illud ad inferos vſq́ detraxit Deus; cùm ingrati eſſent & inobedientes. Et hoc ipſum Hieroſolymæ etiam accidiſſe conſtat, neq́ meliorẽ hodie vrbium totius Orientis & Græciæ conditionẽ eſſe cernimus, in quibus olim Apoſtolorũ voces ſonuerunt. Fruſtra igitur ſibi immunitatẽ quandam pollicentur vrbes & populi, qui noſtro ſeculo Euangelij doctrinæ primum hoſpitium præbuerunt. Nam eſt quidem hæc non vulgaris dignitas, ſed quia eadem non ex hominum meritis, ſed Dei gratia dependet, durabilis eſſe non poteſt, niſi hanc gratis animis agnoſcamus.

Matth. 11.

Succeſſus doctrinæ Chriſti apud Capernaitas.

Alterum,quod hic obſeruemus,felix ille ſucceſſus eſt,quo inter docendũ Chriſtus eſt vſus: Percellebantur(inquit)ſuper doctrina eius.Ergo non obiter modò admirati ſunt eius eximiã in docendo facultatẽ,verumetiam totis animis perculſi ſunt,eò quòd in eius concionibus aliquid humano captu maius & ſublimius ſentirent. Eſtq; hæc rerũ viciſsitudo admirabilis,quòd eum cum reuerentia magna admirantur & ſuſpiciunt Capernaitæ,diuitijs & multo rerũ vſu celebres, quem Nazarethani mortalium in tota Galilæa contemptiſsimi tam indignis modis reiecerant. Ita nunquam ſuis deeſt Deus,ſi quam hic illis impoſuit,functionẽ bona fide obeant:neq; ei difficile eſt, illic etiam ſucceſſum dare feliciſsimum,vbi minimè ſperes.Sic olim apud Niniuitas multo cum fructu Ionas prædicauit, qui apud Iſraelitas,vt & reliqui prophetæ,cõtemptiſsimus fuerat. Et apud Babylonios maximum verbi Dei effectum fuiſſe ſcimus,qui paulò ante templum cum toto Dei cultu euerterant.Et in nouo Teſtamento inter Samaritanos & gentes oſtium Euangelij Deus aperuit Apoſtolis,cum à Iudæis improbè reijcerentur.Debent exempla iſta pios confirmare, ne de Eccleſia & Euangelio actum putent,ſi eos hoſtili in illud animo eſſe videant,qui præ alijs credituri videbantur. Nec enim vlli loco aut genti alligatus eſt ſpiritus Domini,& vt pluuia nunquam omni effectu caret,quàmuis ea rupes & loca innumera emolliri non poſsint : ita non deerunt, qui Euangelium cum fructu audiant, etiamſi multorum impietas incurabilis maneat.

Chriſtus cum authoritate docuit.

Porro cauſa indicatur,quæ Capernaitas mouit, vt Chriſti doctrinam tanti fecerint.Erat enim (inquit Lucas)ſermo ipſius cum authoritate.Quem locũ Marcus collatione clarius illuſtrat, dicẽs: Docebat enim tanquam authoritate præditus,& non vt ſcribæ.Authoritatis nomine vis quædam & maieſtas ſingularis notatur, quæ Chriſti doctrinam auditoribus cõmendabat, vt eam à ſcribarũ concionibus multùm differre viderent.Etenim non aliud quàm Dei verbũ Chriſtus docebat,vt veriſsimè poſſet dicere:Doctrina mea non eſt mea,ſed eius qui miſit me:Scribæ autẽ humanas tradi-

Ioan. 7.

tiones vrgebant,quarum obſeruatio in externo fuco conſiſtebat,& ipſis erat quæſtuoſa. Chriſtus nõ de ſua,ſed patris gloria ſolicitus,hoc vnum agebat, vt veram huius cognitionẽ atq; cultũ apud omnes propagaret : At Scribæ, viliſsima ambitionis mancipia, in hoc erant,vt ſibi apud rude vulgus authoritatẽ pararent,& eam faſtu quodam externo & falſa ſanctitatis ſpecie venabantur.Chriſtũ ſalutis humanæ ſtudiũ ardens vrgebat, vt nulli occaſioni deeſſet,qua aliquos ſeruari poſſe videbat: Scribæ verò populum ouium inſtar abſq; paſtore palantium facilè negligebant, modò ipſorum exiſtimationi & quæſtui nihil decederet. Chriſtus inter docendum animos hominum penetrabat, & in ijs ſpiritus virtute efficaciter operabatur:Sed ſcribæ ſolas auditorum aures ſuarum traditionum commemoratione demulcebant. Præterea ſuam doctrinam Chriſtus non miraculis modò, verumetiam totius vitæ exemplo confirmabat,adeò vt in illo viuum veritatis & ſanctitatis exemplar reluceret: E contra Scribæ titulis inanibus turgidi,ſua auaritia, ambitione,intemperantia & omni alio vitiorum genere optimos quoſq; offendebant.Itaque non difficile erat,inter hos & illum diſcernere, & in Chriſto relucentem ſpiritus virtutem obſeruare.

Vnde docentiũ authoritas

Admonent iſta verbi adminiſtros, quæ optima ratio ſit parandi & ſeruandi authoritatẽ, qua illis omnino opus eſt,ſiquidẽ cum aliquo fructu creditum ſibi munus obire velint. Et audiuntur paſſim querelæ de collapſa miniſtrorum authoritate & de totius ordinis eccleſiaſtici cõtemptu.At quid aliud fiat,quando pauciſsimos eſt videre,qui officium ſeriò faciant,plerique autem hominũ potentum fauorem & auram popularem gloriæ Dei atq; auditorum ſaluti longè præferunt? Fit ergo,vt verbũ Dei minus rectè ſecetur,doctrina tota langueat, & ſimul æmulatione & contentionibus aperte ſcindantur,qui coniunctis viribus mundum & huius principẽ oppugnare debebant.Itaq; iure contemnuntur,qui de ſua functione tam turpiter ſentiũt,& ſeipſos ſtudijs mundi huius vaniſsimis prophanant.Quod de verbi adminiſtris dicimus,hoc ipſum ad eos quoq; pertinet,qui magiſtratũ gerunt. Nam horum quoq; authoritas tunc demum ſalua erit,ſi Deum ſui muneris authorẽ eſſe intelligant, huius gloriam proueha[n]t,leges bonas tueantur,& procul relicto priuati cõmodi ſtudio publicam populi totius ſalutem vnicè quærant,deniq; omnia ſua ſecundùm Dei voluntatem inſtituant,quam hic in lege ſua manifeſtauit.Idem parentes quoq;,ad liberorum inſtitutionem,obſeruare conuenit. Niſi ijſdem artibus authoritatẽ ſuam,qua eos natura donauit,tueantur,nihil vnquã laude dignũ efficiẽt.

Miraculũ Chriſti in dæmoniaco æditum.

Sed ad Chriſtũ redeamus,qui cùm Capernaitas æquiores ſuæ doctrinæ æſtimatores eſſe videret,

eam

eam miraculis quoq; pluribus confirmat. Inter quæ primum fuit hominis dæmoniaci liberatio. Præmiſit hanc alijs miraculis, vt publicè teſtaretur, ſe promiſſum illud mulieris ſemen eſſe, cuius officiũ ſit, ſerpentis veteris caput conterere & homines infelices ex eius tyrannide vindicare. Verſatur in huius cognitione tota ſalutis noſtræ ratio. Et quia miſer iſte cõmunis omnium noſtrum typus eſt, & non alia ratione nos redimi oportet, quàm qua hunc liberatum fuiſſe Euangeliſtæ narrant, nõ temere in hiſtoriæ huius deſcriptione illi tam diligentes ſunt. Continet enim illa ceu in tabula depictũ hoſtis noſtri Satanæ ingenium, & quæ noſtra ſit ſub huius tyrannide conditio. Deinde diuinã Chriſti potentiam & per hunc nobis exhibitum redemptionis noſtræ beneficium adumbrat. Docet præterea, quid eos facere deceat, qui ſaluificam Chriſti virtutem experti ſunt. Timent huius miraculi ſpectatores, & in Chriſto virtutem humana maiorem agnoſcunt, remq; omnẽ ad alios diuulgant. At quia de his omnibus in Marco noſtro prolixè & ex ordine diximus, minimè opus eſt ſuperuacanea eorundem repetitione Lectores obtundere. Noſtrum fuerit immenſam Dei bonitatẽ agnoſcere, quam in Chriſto Ieſu nobis exhibuit. Hunc autem fide vera amplectamur, & per hunc præſtiti beneficij memores libertatem noſtram conſtanter tueamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Homil. 12.

HOMILIA XLV.

Cùm ſurrexiſſet autem Ieſus è Synagoga, introiuit domum Simonis, ſocrus autẽ Simonis detinebatur febri magna, & rogauerunt eum pro illa Et ille aſtans ſuper eam, obiurgauit febrim, & febris eã dimiſit, Illa verò cum illico ſurrexiſſet, miniſtrauit eis. Occidente autem Sole, omnes qui habebãt ægrotantes morbis varijs, ducebant eos ad ipſum: Ille verò vnicuiq; ipſorũ impoſitis manibus, ſanauit eos. Exibant autẽ etiam dæmonia ex multis, clamantia & dicentia, Tu es Chriſtus ille Filius Dei. Sed ipſe obiurgans, non ſinebat ea loqui, quod ſcirent ipſum eſſe Chriſtum. Orto autem die egreſſus profectus eſt in deſertũ locum: & turba quærebat eum, veneruntq; vſq; ad ipſum, & retinebant ipſum ne ab ipſis diſcederet. Ille verò dixit eis: Certè etiam alijs vrbibus oportet me euangelizare regnum Dei: nam ad hoc miſſus ſum. Et prædicabat in Synagogis Galilææ.

QVia Ieſus Chriſtus æternum Dei verbum eſt, doctrinam eius neq; hominũ authoritate, neq; miraculis aut ſignis confirmari neceſſe fuit. Idem tamen propter nos illi ſigna omnis generis coniunxit, partim quidẽ, vt tardiores excitaret, & in fide confirmaret: partim vt impijs & prophanis ſui nominis contemptoribus omnẽ excuſationis prætextum eriperet. Et hæc etiam cauſa eſt, quòd non vt Magi præſtigiatores ſolent, miracula ad nudam atq; inanem oſtentationẽ compoſita edidit: ſed eiuſmodi, quibus & in præſenti magna vtilitas cõiuncta erat, & qua illius virtutẽ atq; finem ſui in carnem aduentus euidentiſſimè depingunt. Vidimus hoc nuper in liberatione hominis dæmoniaci, quem impurus ſpiritus miſerè exagitauit. Ea enim docuit Chriſtus, ſe promiſſum illum vindicẽ eſſe, qui vt diaboli opera deſtrueret in mundum venerit, noſq; in libertatẽ filiorum Dei vindicaret. Huic in præſenti alia Lucas ſubijcit, inter quæ proximũ à priori locum meritò habet, quo Petri ſocrus ardentiſſima febri liberata eſt. Hac enim innata nobis naturæ vitioſitas notatur, quæ ex primo parente in nos propagata, hominem totum deſiderijs noxijs inflammat, & ad omne bonum opus tardos atq; imbecilles reddit. Parit eadem ex ſe omnis generis peccata actualia (vt vocant) quorum typus in varijs illis morbis habetur, quorum hic mentionẽ facit Euangeliſta. Ita verò oſtendit, Chriſtum humani generis vindicẽ eſſe perfectiſſimum, in quo ſalutẽ omnibus numeris abſolutam conſequamur. Nam vt hoſtem noſtrũ cõmunem debellauit, regnumq; eius deſtruxit: ita naturæ etiã corruptæ medetur, & quæcunq; ex hac protuberãt peccata, ſuæ mortis merito plenè expiat. Neq; in iuuando difficilẽ ſe præbet, ſed ſalutifero ſuæ incarnationis attactu omnes eos dignatur, quicunq; ad ipſum contendunt, vt in eo ſalutem inueniant. Diximus de his aliquanto fuſius in Marci expoſitione, at quia Marcus Homil. 13. & 14.

ſingulis circunſtantijs multa inſunt, de quibus nos ſæpius admoneri prodeſt, non graue nobis debet videri, ſi hîc quoq; ſumma rerum capita perſtringamus.

Quomodo Apoſtoli ſua omnia reliquerint.

Primùm à loco exorſus rei geſtæ occaſionem Lucas narrat, dicens: Cùm ſurrexiſſet autem Ieſus è Synagoga, introiuit domum Simonis, ſocrus autẽ Simonis detinebatur febri magna, & rogauerũt eum pro illa. Deſcripta fuit prius Simonis & Andreæ fratris vocatio, & hi omnibus relictis Chriſtum ſecuti eſſe dicti ſunt. Nunc & domus Simonis mentio fit, in quam cum Chriſto, vt propriam, diuertit, & ſocrus, quæ ipſum vxoratũ quoq; fuiſſe oſtendit. Obſeruari hæc debent, vt quomodo Apoſtoli omnia ſua reliquerint, intelligamus: ne ve audiamus vel Monachos hypocritas, vel errones Anabaptiſtas, qui temere relictis coniugibus & liberis, ſub religionis prætextu vagantur, & ex alieno viuunt. Nihil enim huius Apoſtoli fecerunt, qui & reculis ſuis piè vſi ſunt, & familiæ ſuæ curã geſſerunt, quoad hoc facere licuit per functionem illam Euangelicam, cui illos Chriſtus deſtinauerat. Imò cum ab aſcenſione Domini in orbem terrarum ipſos diſpergi oporteret vt Euangelium paſſim prædicarent, tunc quoq; vxores ſuas ſecum circumduxerunt, neq; ſub religionis aut miniſterij Apoſtolici prætextu violandum ſiue abrumpendum eſſe putarunt ſacroſanctum illud coniugij vinculum, de quo Chriſtum pronuntiauiſſe ſciebant: Quòd Deus coniunxit, homo ne dirimat. Teſtem

Matt. 19.
1.Cor. 9.

horum habemus Paulum, qui in priori ad Corinth. hoc illos non ſolum feciſſe, ſed iure feciſſe docet, ac ſibi idem licere probat. Sufficit ergo exemplũ iſtud confucandis tam fanaticis illis cùm Reipub. tum rei domeſticæ turbatoribus, quàm ſuperſtitioſis, vel potius impuris cœlibatus defenſoribus, qui dum Eccleſiarum miniſtris coniugio interdixerunt, ſcortandi licentiam inuexerunt, quæ vt mores publicos corrupit, ita Chriſtianam religionem Iudæis & Turcis ſuſpectam fecit, & ludibrio expoſuit.

Familiæ Chriſtianæ exemplum.

Exhibitur præterea hic familiæ piæ & veræ Chriſtianæ exemplum. Non amplas fuiſſe Petri fortunas ſatis conſtat. Idem tamen Chriſtum ſecum domum deducit, neque eius comitatu abſterretur, quem is numeroſum habebat. Neque ideo reliqui domeſtici murmurant. Eſt hoc euidens pietatis teſtimonium, & quòd ſua omnia Chriſto eiuſque membris impartire ipſis non graue fuerit. Charitatis autem eſt, quòd fratres duo, & fortaſsis vterquẽ vxorati, ſimul habitant: quòd item ſocrum Petri febricitantem non ſolùm curant & officijs debitis iuuant, verumetiam ſaluam cupiunt, proque eius ſalute apud Chriſtum intercedunt: cùm ferè paſsim ſocrus inuiſæ ac contemptæ eſſe ſoleant. Tales eſſe decet hominum Chriſtianorum familias. Prima illis cura ſit religionis, vbi hoc maximè videndum, vt Chriſtum hoſpitem, imò præſidem & herum habeant, quando hic vnicus benedictionis diuinæ mediator eſt, ſine qua domus feliciter gubernari nequeunt. Deinde charitati ac concordiæ ſtudeant, qua nihil vtilius, nihil magis neceſſarium eſt ad vitæ tranquillitatem & rei domeſticæ conſeruationem. Poſſunt enim modicis facultatibus honeſtè viuere qui ſimul cohabitant fratres, qui ſi hæreditate diuiſa diſtrahantur omnes ferè egeni ac inopes fiunt. Scribit Plutarchus in uita Pauli Æmilij, ex nobili Tuberonum familia ſedecim viros cum coniugibus & liberis ſuis in ijſdem ædibus, & quidem modicis habitauiſſe: quod adeò non moleſtum aut ignominioſum fuit viſum illius ſeculi hominibus, vt in illam domũ Æmilius bis Conſul & triumphalis filiam ſuam nuptui dederit. At quæ noſtri ſeculi infelicitas eſt, vix patri cum filijs iam adultis, nedum fratribus eorumque vxoribus conuenire poteſt. Et huic malo veterum familiarum diſsipationes & egeſtatem debemus. Debent præterea in honore & pretio haberi parentes, ſoceri, ſocrus, aut quicunque ætate, prudentia & rerum vſu reliquis præſtant. Hos enim peculiari præcepto commendat Deus, cui longæuitatis promiſsionem adiecit. Et prophanos atque barbaros planè animos produnt, qui ſingulare illud ſenectæ donum non agnoſcunt in ſuis & colunt, ad quod omnes naturali vitæ deſiderio aſpiramus. Prophanus certè Poeta inter corruptiſsimi ſeculi, quod diluuium proximè præceſsit, argumenta hoc quoque commemorat. Filius ante diem patrios inquirit in annos. Quod vitium hodie tam vulgare eſt, vt multi ſe eò infeliciores eſſe putent, quòd parentes vita longiori fruuntur.

Salus animæ et corporis in Chriſto quæratur.

Admonet præterea huius familiæ exemplum, apud ſolum Chriſtum tam corporum quàm animarum ſalutem quæri debere. Eſt quidem medicinæ vſus magnus, & hunc nobis à Deo datum eſſe, ex herbarum & ſimilium rerum viribus colligere licet. His autem ita nos vti decet, vt in omnium iſtorum authorem reſpiciamus, & hæc nihil profutura credamus, niſi ille iſtis benedixerit.

Obſeruauit

Obſeruauit hoc Dauid, cuius fidem Pſalmi in grauiſſimis morbis compoſiti teſtantur. A cuius exemplo cum Aſa Rex deflexiſſet, Spiritus ſancti iudicio reprehenditur. Quòd ſi verò naturalibus remedijs fidere nefas eſt, quantò grauior eorum culpa fuerit, qui in Diuis cœlitibus ſpem collocant, & hos morborum præſides fingunt, vel potius tortores, qui vel irritati eos nobis immittant, vel placati rurſus propellant? Et tanta eſt in hac re ſuperſtitioſorum hominum cæcitas, vt quidam ex hoc ipſo exemplo erroris occaſionem arripuerint: qui ex ſocru Petri Petronellam finxerunt, quæ febricitantibus medeatur. Taceo nunc reliquos Diuos, de quibus multa magis ridicula atque ſuperſtitioſa traduntur.

Chriſtus febricitanti medetur.

Sequitur ipſum miraculum, in quo diuina & ſaluiuifica Chriſti virtus elucet, qui ſimul ſuæ etiam bonitatis ſpecimen præbuit. Nec enim multis aut prolixis precibus opus fuit apud eum, qui pietate & fide hominum mouetur. Et hunc ſuæ pietatis fructum vberrimum iſti reportarunt, quod abſque mora ipſorum votis ille annuit. Nam aſtans ſupra febricitantem, & eius manu prehenſa (vt Marcus ſcribit) febrim obiurgauit, quæ mox ab ea receſſit. Solet hoc ipſum erga omnes facere, qui ipſum ex fide inuocant. Aſtat enim miſeris nobis, vt qui ideo in mundum venit, vt peccatores ſeruaret. Nec manum modò prehendit, ſed totos nos complectitur, cùm humanam naturam in eiuſdem perſonæ ſocietatem aſſumpſerit, & ita nos ſuo attactu dignatus eſt. Idem viciſſim à nobis quoque apprehendi gaudet, cùm non alia re magis quàm hominum ſalute delectetur. Habet autem coniunctam cum bonitate quiduis perficiendi poteſtatem. Vt enim hîc febrim increpat, & ſolo verbo abigit: ita alibi ventis imperauiſſe, dæmones corripuiſſe, & alios morbos infinitos profligauiſſe legitur. Ex iſtis ergo exemplis conſolationem petamus in omni tentationum genere. Imprimis autem ad nos pertinere putemus, quod de Petri ſocru reſtituta dicitur: Eam nimirum illico ſurrexiſſe, & miniſtrauiſſe illis. Nam etſi hoc ad miraculi veritatem aſſerendam faciat, hoc tamen exemplo ſimul officij noſtri admonemur: quod eſt, vt Chriſti beneficio reſtituti ſurgamus ex ſordibus peccatorum ad vitæ nouitatem, & nos totos ipſius conſecremus ſeruitio. Quod vtinam tam facilè nobis perſuaderi poſſet, quàm procliues ſumus ad petendam opem atque liberationem, ſi quando nos grauiora diſcrimina circunſtant.

Capernaitæ ægrotos ad Chriſtum deferunt.

Subijcit his nouam narrationem Lucas, quæ huius miraculi fructum, qui ad plures alios redundauit, continet, & ſimul Chriſti diuinam virtutem magis illuſtrat. Nam occidente iam Sole, omnes qui habebant ægrotantes morbis varijs, ducebant eos ad ipſum. Eſt quidem in illis laude dignum, quod in priuata domo æditum ſignum non contemnunt, ſed ex eo ſpem maiorem de illo concipiunt. Id tamen excuſari non poteſt, quòd ſuos modò, qui corporibus laborabant, adducunt, nemo autem petit, vt idem animorum vitijs medeatur, quibus omnes plus quàm onerati & depreſſi erant. Duplex enim hic error eſt. Nam & minus bonũ quærunt neglecto præſtantiori, & de aliorum ſalute ſoliciti propriam negligunt. Eſt vtrumq; admodum vulgare hodie. Plures enim inuenias, qui in Euangelio opes, dignitates & libertatem huius ſeculi quærant, quàm quos æternæ ſalutis deſiderium teneat. Etſi qui reperiuntur, qui Chriſtum animarum medicum agnoſcunt, ij tamen alios quidem illo opus habere fatentur, & vt ad eum feſtinent ipſis autores ſunt: de ſeipſis verò nunquam cogitant: ſed quaſi nihil ipſis deſit, illius doctrinam, admonitiones, correptiones ſecuri negligunt.

Chriſti adeundum facilitas.

At hîc nouum ſuæ manſuetudinis atque facilitatis exemplum Chriſtus ædit. Nam etſi multa eſſent, quæ cauſari & prætexere poſſet, adeò tamen non negat opem miſeris, vt potius vnicuique eorum manus imponat, eoſque ſanet. Etenim manuum impoſitione, qua minimè opus erat, teſtari voluit, quàm non faſtidiat eos, qui ad ipſum veniunt. Negant hanc eius bonitatem, aut ſaltem in dubium vocant, qui hodie durum ac difficilem fingunt, apud quem alijs interceſſoribus ſit opus. At nos ex his, quæ hoc loco & alibi dicuntur, conſolationem petamus, & ſimul diſcamus ipſum imitari, ac non faſtidire eos, qui noſtra ope indigent, neque (quod homines carnales ſolent) vndique corradere rationes, quarum prætextu eos negligamus, qui nobis propter communionem, quæ inter fideles in Chriſto eſt, commendatiſſimi eſſe debebant. Singuli potius in ſemetipſos deſcendant, & videbunt ipſis & gratia Dei & aliorum auxilijs non minus opus eſſe, quàm illis, quos nunc ſuperbè ac inſolenter nimis faſtidiunt.

Chriſtus omnes morbos & dæmones pellit.

Porro quid hîc Chriſtus fecerit, videamus, quæ præcipua huius loci pars eſt. Primum omnis generis morbos miraculoſè curauit, & dæmones quoque ex multis inuitos atque reluctantes, vel etiam blanditijs ipſum demulcere volentes, eiecit. Eſt ergo reuera promiſſus ille Seruator, qui infirmitates noſtras ferre, & languores omnes curare, denique ſerpentis veteris caput conculcare & conterere debuit. Nam quod hîc in corporibus malè affectis fecit, hoc ipſum ad animas quoque debet referri, quas vnà cum corporibus à peccatorum noxa & inferorum cruciatibus liberauit, vt alibi demonſtrauimus. Eſt autem hoc loco peculiari obſeruatione digna actio, quæ cum dæmonibus ipſi interceſſit. Clamabant illi: Tu es Chriſtus ille filius Dei. Sed noluit vt hoc dicerent, & cum graui increpatione ſilentium illis impoſuit. Nam blanditijs iſtis inducias quærebant, quibus regnum ſuum aliqua ex parte ſtabilirent: Noluit ergo illis quicquam dare, ne vel commercium aliquod cum ipſis habere videretur, quod doctrinam ſuam ſuſpectam faceret: & ſimul nos quoque docet, vt qui ipſi nomen dedimus, diabolo in vniuerſum renunciemus. Eſt enim inter hunc & nos perpetua ſancita inimicitia, quando ſerpenti Deus dixit: Ponam inimicitias inter te & ipſam mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. Et qui in Chriſti nomen baptizantur, ij in Chriſti caſtra tranſeunt, vt huius auſpicijs contra communem hoſtem diabolum militent. Eſt ergo inexcuſabilis illorum curioſitas, qui Exorciſtas & illicitis vaticinandi artibus deditos conſulunt. Nam Chriſti gloriæ derogant, quem Prophetam illum Magnum eſſe Moſes docet, qui ſolus conſuli & audiri debeat. Et dum à mendace & homicida veritatem atque opem requirunt, meritò falluntur atque pereunt. Vide triſtia Saulis & Ochoſiæ exempla, quibus iſta impietas exitium peperit. 1. Sam. 28. 2. Regum. 1.

Gene. 3.

Deut. 18.

Chriſtus orat.

Secundò ſub diluculum exit in locum deſertum: quod eum orandi cauſa feciſſe, Marcus ſcribit. Orauit autem frequenter, non quòd ipſi precibus opus eſſet, ſed vt noſtrum ageret Mediatorem, & ſuo exemplo nos ad orandum excitaret. Quod in eum finem obſeruari debet, ne alios nobis interceſſores apud Deum quæramus. Cur enim de eius fide dubitemus, qui non requiſitus tam frequens & diligens fuit in precibus, quas pro nobis funderet? Confirmet nos potius hæc eius induſtria, vt nos meriti eius fiducia armati noſtras preces per eius nomen Deo Patri indeſinenter offeramus.

Chriſtus euangelizat.

Additur his poſtremum, quòd cùm turba eum quæſiuiſſet, & inuentum retinere vellet, reſponderit. Certè etiam alijs vrbibus oportet me Euangelizare Regnum Dei: nam ad hoc miſſus ſum. Commendatur his verbis Dei Patris bonitas, qui miſeris mortalibus Filium ſuum doctorem dare dignatus eſt. Is non modò facilem ſe omnibus præbuit, verumetiam vt plures ſeruaret, non diutius in illis locis ſubſtitit, in quibus iam quies aliqua parta eſſe videbatur, ſed ad alios diuertit, & vitæ æternæ doctrinam longè lateque diuulgat. Et quod olim fecit, cùm carne veſtitus in terris ageret, hoc ipſum hodie quoque facit, dum Spiritus ſui virtute indies excitat miniſtros, quorum opera Euangelium prædicatur. In præſenti autem magnæ modeſtiæ argumentum eſt, quòd non inſolenter ab iſtis diſcedit, ſed abitus ſui rationem reddit, Dei nimirum Patris ſui miſſionem allegans. Longè ergo alienus eſt à perſonati ſui Vicarij moribus, de quo in iure Canonico ſcribitur: Papa dicitur habere cœleſte arbitrium, & ideo poteſt ſententiam, quæ nulla eſt, aliquam facere: Quia in his quæ vult, eſt pro ratione voluntas: Nec eſt qui dicat ei, Cur ita facis? Imò ſi cum illius modeſtia & laboribus Pontifices conferat, mox videbis nihil his cum illo ſimile aut commune eſſe. Itaque nos relictis ignauis illis ſponſis Penelopes, iſtos imitemur, qui Ieſum Chriſtum apud ſe ſtuduerunt retinere: & cùm is ſe nobis liberaliſſimè offerat, in ipſo conſtantes ſimus, in quo vno omnis ſalus habetur, & cui vni ſolique debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

CAPVT V.

HOMILIA XLVI.

FActum eſt autem cùm turba immineret ei, vt audiret Verbum Dei. ipſe ſtabat iuxta ſtagnum Genezareth: viditq́ duo nauigia, quæ ad ſtagnum erant: piſcatores autem cùm ex ijs deſcendiſſent, abluebant retia. Ingreſſus autem in vnum illorum nauigiorum, quod erat Simonis, rogauit eum, vt à terra proueheret paululum: cumq́ ſonſediſſet, docebat turbam ex nauigio. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Prouehito in altum, & demittite retia veſtra ad capturam. Tum reſpondens Simon ait ei: Magiſter, cùm per totam noctem nos fatigauerimus, nihil cœpimus: tamen ad verbum tuum demittam rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem magnam: dirumpebatur autem rete eorum. Et innuerunt ſocijs, qui erant in altero nauigio, vt venirent & ipſis opitularentur. Venerunt igitur, & impleuerunt ambas naues ita ut mergerentur.

Chriſtus ſeruator ſimul & doctor.

HOMO per peccatum non modò à beatitudine & gloria, ad quam initio conditus erat, excidit, ſed viliſſimum quoque peccati mancipium factus, rationis ſine intellectus lucem atq́ vſum amiſit, vt iam non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, neque viam ſalutis conſequendæ intelligat. Ideò non eo modò redemptore opus erat, qui peccatum expiaret, & nos vindicaret in libertatem filiorum Dei: verumetiam doctore & magiſtro, qui æternæ ſalutis doctrinam traderet, & mentes ipſas hominum voluntatis diuinæ rerumq́ cæleſtium cognitione illuſtraret. Vtrumque Ieſus Chriſtus fideliſſimè præſtitit, qui ideò vindex noſter & Propheta dicitur, quem omnes audire debeant. Vtq́ minus dubitaremus, miracula multa & minimè vulgaria ædidit, quæ euidenter docent, ipſum eſſe benedictum illud ſemen, quod diaboli regnum deſtruit, peccati & mortis vires frangit, iuſtitiam ſempiternam reducit, & ſalutem omnibus numeris perfectam miſeris mortalibus confert. Coniunxit autem miraculis doctrinam, in qua tam aſſiduus fuit, vt nihil frequentius fecerit, & ſe ad euangelizandum à patre miſſum eſſe, nuper publicè teſtatus ſit. Id verò nunc amplius confirmat. Deſcribitur enim prima huius Cap. parte noua concio, quam in confertiſſima hominum turba habuit: cui deinde ſubijcitur vocatio aliquot diſcipulorum, Simonis Petri nimirum & Andreæ, Ioannis item & Iacobi, quos ſibi diſcipulos domeſticos fecit, vt eorum opera atq́ miniſterio poſtea in Euangelio per totum orbem propagando vteretur. Eſt autem hiſtoria hæc fœcundiſſima, & multa continet quæ fidei inſtituendæ & confirmandæ ſeruiunt: quæ cauſa eſt, quòd eam Lucas prolixè & diligenter admodum deſcribit.

Chriſtus rurſus concionatur.

Principiò ſummam hiſtoriæ præmittit, & Chriſtum rurſus publicè concionatum fuiſſe ſcribit. Locus indicatur ad lacum Genezareth, qui alio nomine apud Euangeliſtas mare Tiberiadis aut Galilææ dicitur. Et quia mox ſecuta eſt Simonis Petri & Andreæ vocatio, conſtat non procul à Bethſaida hoc factum fuiſſe, quam Petri & Andreæ patriam fuiſſe Ioannes docet. Occaſionē Ioa. 1. *verò docendi dedit populus, qui ad illum cateruatim confluebat, & circumquaq́ ei imminebat, vt Dei verbum audiret. Exprimitur his verbis ardens audiendi Chriſti deſiderium, cuius cauſa procul dubio fuit, quòd ſalutis doctrina diu fuerant deſtituti. Fuit enim vltimus prophetarum veteris teſtamenti Malachias, qui annis circiter quadringentis & quinquaginta filij Dei in carnem aduentum præceſſit: A quo tempore nemo fuit, cuius nomen & memoria extet, qui Dei Verbum seriò & qua decet fide prædicarit, vſque ad Ioannem Baptiſtam quem primum noui teſtamenti miniſtrum fuiſſe alibi diximus. Erat quidem ingens ſacerdotum numerus, & ſcribæ infiniti erant, qui Legis diuinæ ſcientiam profitebantur: ſed ij ſimul omnes auaritia & ambitione excæcati ſacra omnia venalia fecerant, Legis doctrinam humanis traditionibus corruperant, & circa frigidas modò ceremonias occupati ea docebant, quæ afflictas & peccatorū pondere grauatas conſcientias nequa-*

Populi feruor in audiendo Chriſto.

Math. 9. quam placare poterant. Itaque (vt in Euangelio ſcribitur) infelix populus ouium inſtar oberra-
bat, quæ paſtore fido & induſtrio deſtituuntur. At Chriſtus, vt nuper dictum eſt, Dei verbum præ-
dicabat, idque cum ſingulari authoritate, & non aures ſolas inani verborum dulcedine demulcebat,
ſed viuifica ſpiritus virtute ipſos animos auditorum penetrabat, vt alios quidem ſerio pœnitentiæ
ſtudio accenderet, alios autem certa remiſsionis peccatorum atque æternæ ſalutis ſpe recrearet. Ne-
que in eo lucrum aut honorem priuatum quærebat, ſed in vnam auditorum ſalutem toto animo
erat intentus. Hinc nouum illud ſtudium populi enatum eſt, vt & proprio animi motu & mutuis
exhortationibus excitati vndique ad illum concurrerent, & cum importunitate quadam ei immi-
nerent, vt de optata veritatis doctrina reficerentur. Fuit ergo tunc temporis inter Iudæos eadem
rerum conditio, quæ hodie inter eos eſt, quibus vncti & raſi Papiſticarum ſuperſtitionum anti-
ſtites dominantur. Habent enim illi quoque Monachos & ſacrificos infinitos, qui doctorum titu-
lis ſuperbiunt, & quos maximis impenſis alere coguntur. At plerique illorum nunquam docent,
& vt ignauum ſuum ſilentium tueantur, imagines & ſimulachra dicunt libros laicorum eſſe, ex
quibus populus ſuum officium diſcere, & quorum contemplatione ad hoc præſtandum excitari de-
Zach. 11. beat. Sunt illi reuera paſtores illi, quos Zacharias idola vocat, cùm præter mutam paſtorum for-
mam ſiue perſonam nihil habeant. Alij verò aut Patrum & Conciliorũ traditionibus toti vacant,
& ad earum obſeruationem omnes adigunt, aut è ſuggeſtu narrationes de Sanctis recitant, quarum
pleraque fabuloſæ ſunt, & plenæ ſuperſticionum, quibus conſcientiæ hominum mirificè quidem la-
ctantur, ad certã verò ſalutis fiduciam nunquam perueniunt. Sitiunt ergo & eſuriunt infelices
illi, & in omnem ſalutis occaſionem intenti ſunt. Quo fit, vt ſi qui illis Euangelium prædicent,
mox turmatim omnes confluant, & zelo abrepti multa quoque faciant ſatis importunè, & ſæpe
priuata authoritate ad reformationem eccleſiæ faciendam manum admoliantur. Fiunt tunc multa
tumultuariè, dum animi feruent, ex quibus aduerſarij occaſionem calumniandi arripiunt, & prin-
cipes interdum vulgi feruore irritati ad arma ruunt, & crudeliter in quoſuis ſæuiendo ipſi quo-
que modum excedunt. Sed cur non rem ipſam prius expendunt, & maiori ſupplicio dignos eſſe vi-
derent falſos antiſtites, qui in manifeſta eccleſiæ totius corruptione nullum remedium hactenus
adhibuerunt, ſed potius vndique ſurgentem veritatis lucem nouis quotidie nebulis atque tene-
bris obſcurare conantur? Et quid mirum eſt, ſi panem verbi Dei oblatum auidius & (vt ita
dicam) immodeſtius arripiunt, quos eius audiendi fames iam pridem in rabiem quandam
adduxit?

In audiẽdo ver- Cæterum vtut iſta habeant, admonemur populi iſtius exemplo circa Dei verbum ſtudio ar-
bo Dei feruore denti opus eſſe. Vt enim in omnibus alijs negotijs nihil proficitur, niſi diligentia & ſeria ſedulitas ac-
opus eſt. cedat: ita hac in Dei verbo audiendo imprimis opus eſt, eò quòd caro ab illo natura abhorret,
quod ſuis ſtudijs aduerſum & inimicum eſſe ſentit. Hic ergo nunquam non cogitare debemus,
ſalutem noſtram ſine verbo hoc conſiſtere non poſſe. Nam vt ſcriptura omnis teſtatur, natura
peccatores & filij iræ ſumus. At Dei verbum ſemen illud regenerationis eſt, ex quo in Dei fi-
lios regeneramur. Per idem hoc fides datur, quæ ſola Chriſtum apprehendit, & nos bonorum
Rom. 10 omnium, quorum hic nobis Mediator eſt, participes reddit. Notum enim eſt illud Pauli:
Fides ex auditu eſt, auditus verò per verbum Dei. Idem cum ſalutis doctrina vitæ quoque re-
gulam nobis exhibet, quam qui ſequuntur, ij & Deo placent, & in hoc etiam ſæculo felices at-
que beati ſunt. Ex illo etiam conſolationis argumenta petuntur, quæ nobis aduerſa omnia
mitigant, & vitam hanc, quæ ærumnarum & malorum plena eſt, iucundam atque ſuauem
reddunt. Denique per verbum ſuum Deus nobis ſeipſum & ſuæ gratiæ atque bonitatis the-
ſauros omnes offert, ideoque de omnibus, qui eius beneficijs fruuntur, dici poteſt, quod in Pſal-
Pſal. 107. mo de quibuſdam dicitur: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Quæ omnia Paulus probè con-
Rom. 1. ſiderans dicebat: Non me pudet Euangelij Ieſu Chriſti, ſiquidem potentia Dei eſt ad ſalu-
tem omni credenti. Et quicunque iſta non oſcitanter expendunt, cumque his ſui ingenij atque to-
tius humanæ naturæ infelicitatem conferunt, niſi plus quàm ferrei aut plumbei ſint, nouo quodam
amore & ſtudio verbi audiendi ſe accendi ſentient.

Admonet nos iſtorũ conſideratio, quæ cauſa ſit, quòd hodie docendo & prædicando minus proficitur. Refriguit apud pleroſq; vetus ille zelus, quo ſub initiũ inſtaurati Euangelij omniũ animi ardebant. Et quia otio & pace abundant, quantus ille theſaurus ſit nõ cogitant: itaq; neſcientibus ferè ipſis ſatietas Verbi obrepit, dum ſe ſine hoc ſaluos fieri poſſe arbitrãtur. Etſi ergo quotidie omnes inuitet Chriſtus, multi tamen non veniunt, neq; putant ſibi doctrina & inſtitutione opus eſſe. Alij verò ne omnino à religione alieni dicantur, pro more diebus Dominicis ad ſacros cœtus cõueniunt, & Dei populũ ſimulantes Verbũ audiũt, & quàmuis interdũ dicentis facundiam admirentur, interdũ eum gemitu & ſuſpirijs quædam excipiant, multa apertè probent, eadem tamen nihil ad ſe facere exiſtimant, & ideò nõ plus inde fructus referunt, quàm ſi fictã aliquam narrationẽ aut cantilenã de rebus nouis aut peregrinis, nihil autem ad ſe pertinentibus audiuiſſent. Sunt his peiores multi, qui vt cenſores & iudices veniunt, & in Dei Verbum ſibi ius ſumunt. Hi vt primum audiunt quod moribus & ſtudijs ipſorum aduerſatur, mox iras animo concipiunt, dira quæq; Verbi adminiſtris minantur, & iiſdem dicendi leges præſcribunt. Quid verò apud tales proficiat Chriſtus, quantumuis per ſuos miniſtros ſedulò doceat, moneat, hortetur, increpet? Iſta ergo emendari oportet, & ſerio ſalutis ſtudio accendi, ſi quem Deus nobis offert æternæ ſalutis fructum ex Verbo ipſius referre cupimus.

Cur hodie docendo minus proficiatur?

Videamus autem, quid fecerit Chriſtus, cùm ipſi populus vndique immineret, vt in littore conſiſtendi vix locum habere poſſet. Vidit adeſſe duas nauiculas piſcatorias, ex quibus piſcatores ad retia abluenda deſcenderant. Ingreditur ergo in alteram earum, quæ Simonis Petri erat, & eo vocato iubet vt paululum prouehat à littore, & ita ex naui ad populum circũſtantem concionatur. Et quamuis importunos illos & immodeſtos alia ratione cõpeſcere potuiſſet, hominũ tamen moribus ſeſe accõmodare, & diuinã virtutẽ ad tempus diſsimulare voluit, vt ſuæ bonitatis & facilitatis luculentius ſpecimen ederet. Interim ſuo exemplo docet, nullam negligendam eſſe occaſionẽ prouehendi regni Dei, & cùm rei neceſsitas iubet, quemuis locum doctrinæ & religioni ſeruire poſſe. Nam extant huius generis exempla alia multa, in quibus illum ſæpe in locis deſertis, in agris, in priuatis ædibus docuiſſe legimus. Fecerunt idem Apoſtoli, qui initiò quidem in templo prædicare, & cœtus ſacros in porticu Solomonis cogere ſoliti fuerunt: aſt ubi id per ſacerdotes & Seniores non amplius illis licuit, tunc in domibus fidelium, quæ commodiores erant reliquis, doctrinæ & religionis exercitia inſtituerunt: imò cùm ex vrbe eiecti ad exteras gentes ſeſe reciperent, paſsim prædicarunt, ubicunque populum confluere & docendi occaſionem ſibi offerri videbant. Sic Cæſareæ in Cornelij Centurionis domo concionẽ ſacram Petrus habuit, Paulus verò ad portas Lyſtrenſiũ, Philippis extra vrbem prope fluuium, Athenis in vico Martio docuit: neq; propter locum minor fuit Verbi Dei effectus. Quod autẽ de loco dicitur, hoc ipſum de tempore ſentire debemus, quod ſimiliter neceſsitati ſeruire debet, ne eius gratia oblatam rei bene gerendæ occaſionem negligamus. Ideò veteres Chriſtiani vt locis occultioribus, ita ferè nocturno aut antelucano tempore conuenire ſolebant, cùm interdiu tutò conuenire non poſſent. Sunt hæc propter eos obſeruanda, qui inde calumniandi occaſionẽ hodie arripiunt. Faciebant idem olim Chriſtiani nominis hoſtes, qui horrenda ſcelera & nefanda in cœtibus illis deſignari dicebant. Sed vt veteres ſua innocentia defendebat apud Dei tribunal: ita noſtros ipſa neceſsitas excuſat, & potius accuſari merentur, qui ſua tyrannide pios cogunt ad occulta fidei ſuæ exercitia confugere, impunè interim per omne genus libidinis graſſantibus ijs, qui omnem religionem iam pridem abnegarunt. Non tamen illis patrocinamur, qui occultos cœtus agunt, cùm in illis locis viuant, vbi libera Verbi prædicatio permittitur, & Sacramentorum vſus ſecundùm Chriſti inſtitutionem exercetur. Nam vt Paulus ait, debent omnia in eccleſia decenter & cum ordine fieri. Minimè ergo à templis publicis diſcedendum eſt, neque clancularijs cœtibus, vbi nulla vrget neceſsitas, locus dari debet, ne vel ſchiſmata excitentur, vel occaſio detur aduerſarijs, quæ totum religionis negotium ſuſpectum reddant. Rectè ergo & prudenter Chriſtus paſsim quidem docuit, idem tamen Synagogas & templum ipſum non ſubterfugit, ſed coram ipſis ſacerdotibus & ſcribis doctrinam ſuam propoſuit, ne quid monſtri alere videretur. Quid autem in præſenti docuerit, non opus eſt inquirere. Quia enim ſibijpſi ſemper conſtat, non dubium eſt, quin veram ſalutis rationem tradiderit, quam aliæ eius conciones comprehendunt, quæ ab Euangeliſtis deſcriptæ ſunt.

Chriſtus ex naui cõcionatur.

x à

Conditio miniſterij eccleſiaſtici.

Nunc conditionem miniſterij eccleſiaſtici & eorum, qui in hoc conſtituti ſunt, videamus, quã in Chriſti exemplo egregiè adumbratur. Non licet Chriſto in littore pedem figere, ſed cathedram ſibi conſtituit in nauicula, quæ à littore ſubducta inter fluctus & ventos agitabatur. Tutior autem eſt auditorum ſtatio, qui in terra ſtantes Verbum ſalutis ex ore eius audiunt. Indicat typus hic laborioſam & plenam periculi eſſe eorum functionem, qui Dei Verbum prædicant. Eſt enim mundus hic maris inſtar, & vt hoc quieſcere non poteſt, cùm & naturali motu æſtuet, & ventis diuerſis agitatum turbetur: ita impijs quoque, ex quibus mundus hic maxima ex parte conſtat, pax nulla eſt, quando etiam ipſi proprijs affectibus turbantur, & ſimul aliunde oblatis occaſionibus nouas quotidie aduerſus pios tumultuandi occaſiones inueniunt. Quia tamen Chriſto omnis poteſtas data eſt in cælo & terra, in illo ſibi quoque locum reperit, vbi Euangelij ſui cathedram collocet, & ferè ijs in locis vbi minimè ſperes. Quod ſi fiat, tutius ferè circa prædicationis initium agũt, qui illud audiunt, at contra Euangelij præcones mox fluctus & ventorum diuerſiſſimorum turbines inſurgunt. Odit enim mundus Veritatis lucẽ, & confeſtim nouos furores concipit. Inſidioſis diſputationibus & vaſanis clamoribus pugnant impoſtores, qui populi ignorantia & ſuperſtitione antehac ad ſuum quæſtum abuſi ſunt. Iuuant hos ſummi Pontifices, qui vt Aeoli quidam nouos quotidie ventos excitant, & ipſos principes quoq; excõmunicationis fulminibus perterrefaciunt, ne in terris ſuis Chriſti doctrina locum dent. Itaq; alij quidem ex principum numero propria malitia excitati, alij Pontificum improbitate & minis coacti, edicta faciunt & vim parant, vt Chriſtum finibus ſuis expellant. Tunc verò plerunque perſecutionis initium fit à doctoribus, quia his eiectis aut oppreſſis à populo nihil periculi reliquum eſſe videtur. Eſt hoc probatũ omnium ſeculorum exemplis, & multa quotidie fiunt, quæ iſtis abunde fidem faciunt. Accidit tunc ferè, vt quàmuis de publica omnium ſalute agatur, & propter hanc miniſtri in periculo conſtituti ſint, iniquiſſimos tamen ſuorum laborum cenſores habeant illos ipſos, quorum ſaluti conſultum cupiunt. Imò qui ex vulgo paulò ante ſibijpſis omnia læta pollicebantur, & Euangelium totis animis videbantur complecti, mox noua rabie accenſi, doctores ſuos immodeſtiæ, importunitatis, imprudentiæ, temeritatis, ſeditionum deniq; accuſant, & eorum capitibus atq; ſanguine pacem redimere conantur. At non debent iſta aliquem offendere, quando conſtat, eandem Chriſti Ieſu ſortem fuiſſe, qui ingratiſſimos expertus eſt eos, quorum ſalutem doctrina & miraculis aſſiduè procurabat. Pergant igitur Verbi adminiſtri, & ſe Dei ſeruos eſſe meminerint, qui ipſis digna ſuæ fidei præmia retribuet. Auditores verò Dei beneficium agnoſcant, & doctores ſuos ob Dei Verbum periclitantes, ſi non alio officio poſſunt, ſaltem pijs votis adiuuent, & quo poſſunt ſtudio ſe illis gratos præbeant.

Petri & Andreæ uocatio.

Tranſeamus nunc ad alteram huius hiſtoriæ partem, qua Simonis Petri & Andreæ, Ioannis item & Iacobi vocatio deſcribitur. Sunt in eius narratione breuiores Matthæus & Marcus. Lucas autem miraculum quoque præmittit, quo illos Chriſtus excitauit, vt ad ipſum ſequendum alacriores eſſent. Eſt autem huius miraculi præterea uſus multiplex. Primus eſt, quem cum omnibus alijs cõmunem habet, quòd nimirum ſuam doctrinam Chriſtus illo confirmare voluit. Deinde præſenti negotio illud accommodauit, vt diſcipulos, quos iam vocaturus erat, typo hoc ſui officij admoneret, adeoq; omnem ſui miniſterij rationem ob oculos poneret. Præterea conſolationem communem habet, quæ pollicetur nihil defuturum ijs, qui Chriſtũ recipiunt & ab hoc mandatam ſibi vocationem, ſedulò ſequuntur. Et de hoc quidem in præſenti dicemus, de ijs proximo ſermone dicturi, quæ ad Apoſtolatum & miniſterium Verbi pertinent.

Chriſtus ſuos ad laborem remittit.

Primò cùm dicendi finẽ feciſſet, iubet Petro, vt longius in altum prouecti retia demittant ad piſcium capturam. Ita verò tam illum quàm ſocios admonet, ne otium ignauum aut inanem nominis ſplendorem ſibi polliceantur, ſed labores ſibi propoſitos eſſe ſemper cogitent. Quod etſi in Verbi miniſterio imprimis locum habet, ſimul tamen ad omnes pertinet, qui Euangelium profeſſi Chriſto & eccleſia eius nomen dederunt. Non enim ſuis otij & inertiæ author eſt Chriſtus, ſed hoc potius vult, vt ſinguli honeſto aliquo labore ſibi & ſuis victum parent, ne & alijs graues atque moleſti ſint, & ſibijpſis multorum ſcelerum occaſionem præbeant. Conſtat enim omnium ſeculorum exemplis, otio nihil nocentius & bonis moribus magis inimicum eſſe. Quia enim hominis ingenium natura inquietum eſt, & ſemper aliquid vel meditatur vel agit, fieri non poteſt,

poteſt, quin in malas meditationes & noxia ſtudia deflectat, ſi nullo honeſto labore aut actione bona occupetur. Quod M. Cato olim prudenter obſeruauit, cuius dictum celebratur: Nihil agendo homines malè agere diſcunt. Et idem idcirco monebat, non minus otij quàm negotij rationem extare debere. Hæc cùm olim ethnici viderint, quos humanæ ſapientiæ ſtudium & quotidianus rerum vſus reliquis prudentiores fecit, quantò magis homines Chriſtiani iſta obſeruare debent, ne ſub religionis prætextu otientur, & cum publica eccleſiarum infamia ex alieno viuant? Eſt eorum hodie ingens numerus, qui egeſtatem ſibi quæſtum vberrimum faciunt, & cùm corporis atque ingenij viribus valeant, nihil tamen operis honeſti faciunt, ſed incertis ſedibus uagando à quibuſuis obuijs pecunias, veſtes aut cibos per Chriſti nomen extorquent. Sunt hi magni charitatis Chriſtianæ & miſericordiæ præcones, & nunquam non Chriſti dicta in ore habent, quibus hic pauperes nobis commendauit. At debebant ſimul meminiſſe, charitatis hanc quoque legem eſſe, ne cui temere graues & moleſti ſimus, & Chriſtum manuaria artificia omnemq́ laborem honeſtum ſua doctrina ſimul & exemplo cõmendauiſſe. Quid, quod in eccleſia minimè merentur cenſeri, qui omni ordine politico & œconomico turbato otioſi vagantur? Paulus certè, quem pauperũ ſtudioſiſſimũ fuiſſe cõſtat, ἀτάκτους, id eſt, inordinatos illos coercere iubet, & hanc inter homines Chriſtianos legem perpetuã eſſe vult, ne ex publico aut alieno edat qui non vult laborare. Vide 1. Theſſal. 5. Itẽ 2. Theſſ. 3. cap.

Petrus etſi totam noctem inani labore ſeſe fatigaſſent, audito tamen Chriſti mandato ait: Magiſter, cùm per totam noctem nos fatigauerimus, nihil cœpimus: tamen ad verbum tuum, id eſt, tuo iuſſu demittã rete. Vnde apparet, eum ex Chriſti concionibus & miraculis fidei principia concepiſſe, vt iam de illo magnificè ſentiret, & doctorẽ non vulgarem eſſe agnoſceret. Eſtq́ hoc non contemnendum fidei veræ exemplũ, cuius proprium eſt homines Deo obedientes reddere. Itaq; Petrum imitari debent quicunq; fidei nomine & titulo gloriantur. Id verò ij demũ facient, qui ſenſus & intellectum omnem Dei verbo ſubijciunt. Quod vt fiat, imprimis obſeruandum eſt, ne vel ad noſtros vel aliorũ conatus reſpiciamus, quibus minus feliciter ſucceſſit quod iubemur facere. Solet enim ſucceſſus eos fallere, qui ſine Deo aliquid tentant. At ſi ijdem Dei verbo ſeſe accõmodent & eius promiſſis credant, tutum & facile eſſe videbunt, quod prius cum periculo coniunctum & impoſſibile eſſe videbatur. Petrus certè in præſenti, dum Chriſti mandato obtemperat, piſcium tantam multitudinem concludit, vt huic attrahendæ non ſufficiant, qui cum ipſo in naui erant, qua item rete grauatũ ex parte ſcinditur, & quæ vtrumq; nauigiũ impleuit & pondere ſuo tantũnon demerſit. Ex hoc igitur exemplo conſolationẽ petant omnis loci & ordinis homines, vt officiũ ſuum ſedulò & fide cõſtanti obeant, neq; ijs moueantur, quæ caro & mundus obijcit. Etenim vt à Verbi adminiſtris exordiamur, multa occurrunt, quæ ipſos ab officio ſuo abſterrent: qualia ſunt ætas, inſcitia, infantia, & quòd tam multi eruditione, eloquentia & pietate graues hucuſq; cum mundi contumacia nequicquã luctati ſunt. Sed aduerſus hæc omnia cũ Petro dicat eccleſiæ miniſter: Etſi hactenus non multum profecerint qui hoc ſaxũ voluerunt, & ego de meipſo nihil mihi polliceri poſſim: quia tamen tu me ad Verbi tui miniſterium vocaſti ô Deus, & quia tu iubes, vt rete illud euangelicum in mare iſtud turbulentiſſimum demittam, vt doceam, moneam, horter, increpem, conſoler: agedum tuo iuſſu & numine fretus faciã quod iubes, & tibi rei totius euentum permittam. Sic (inquam) rationem ſecum ineant Verbi præcones, & proculdubio plus proficient quàm ſperare poſſint. Idem faciant qui magiſtratum gerunt, & qui rempub. adminiſtrant. Habent enim hi quoq; diſertum Dei Verbum, qui ſuas Leges tueri, ius dicere, honeſtatem publicam propagare & ſcelera extindere iubet. Cui ſi obtemperauerint, non deerit ſucceſſus etiamſi multa obſtare videantur. Similiter ad ſe hoc dictum transferant priuatim qui vel agriculturæ vacant, vel artificia manuaria exercent, & hoc unũ ſpectent, vt retia ſua ad Verbum Domini demittant, cuius benedictionem liberalem illico ſentient. Atqui vtinam hunc fructum ex huius hiſtoriæ cognitione omnes referrent, vt de iſtis ſeriò cogitarent. Sed in hoc publicè & priuatim peccatur, quòd plerią; lucem Euangelicam fugiunt, & inter humanæ rationis tenebras piſcantur, non autem ſecundùm Dei Verbum retia ſua demittunt, id eſt, non in hoc intenti ſunt, vt ſua ſtudia atq; actiones ad diuinæ uoluntatis regulam dirigant.

Poſtremò ipſe Chriſtus uobis ſpectandus venit, qui Petro ob præſtitũ ſibi officium gratiam retribuit tanta liberalitate, quantã ille non auſus fuiſſet ſperare. Docet autem ſuo exemplo, vt ipſi quoq;

Petrus Chriſto obtemperat

Gratitudo commendatur.

gratos nos præbeamus illis, à quibus beneficium accepimus. Admonet de hoc naturæ lex, quæ in brutis quoque animantibus beneficij accepti ſenſum atque memoriam extare voluit. Quare rectiſſimè olim à Cicerone dictum fuit: Nihil eſt tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere vt beneficio, non dicam indignus, ſed victus eſſe videare. Oſtendit præterea Chriſtus hoc facto, ſe maris, adeoq́ totius machinæ mundi huius Dominum eſſe, qui & gratiam ſuis referre, & eoſdē ubiq́ alere poſſit. Extant huius generis infinita exempla. Idem enim ille eſt, qui Iſraelicis in deſerto coturnices adduxit, manna depluit, aquarum perennes fontes in petris aperuit: qui item diſcipulis ſuis ſic proſpexit, vt nihil illis vnquam defuerit, etſi ſine pecunijs & commeatu ab ipſo emitterentur. Imò idem ille in animos hominum ius habet, & quoſuis excitare poteſt, vt ſe ſeruis ipſius beneficos præbeant. Nimiùm ergo imprudentes et fatui ſunt, qui dum huic ſeruiunt, ſibi ab inopia & hominum inſidijs metuunt. Nos potius agnoſcamus eius virtutem, quæ in Euangelio ſeſe exerit, & ſecundùm hoc inſtituamus noſtra omnia, vt eius fauore & gratia tuti felices & beati viuamus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XLVII.

Cum autē hoc vidiſſet Simon Petrus, accidit ad genua Ieſu, dicens: Diſcede à me. Nam homo peccator ſum, Domine. Pauor enim occupa- rat eum, & omnes qui cum eo erant, ſuper captura piſcium, quam comprehenderant. Similiter autem & Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Ne metue, ab hoc tempore homines viuos capies. Illi autem cùm ſubduxiſſent in terram nauigia, relictis omnibus ſecuti ſunt eum.

OMnes quidem gratiæ ſuæ & æternæ ſalutis theſauros Deus nobis in filio ſuo vnigenito mira & incredibili liberalitate offert, nosq́ ad eum amplexandum magnificis promiſſionibus excitat atq́ hortatur: at pleriq́ hominum vili & obſcura eius ſpecie offenſi, eum ſeruatorem & redemptorem ſuum agnoſcere dedignantur. Sciebat ille hoc fore, & ideo ne quis iuſtam offenſionis cauſam haberet, doctrinæ ſuæ miracula omnis generis coniunxit, quibus ſe & à Deo miſſum & virtute diuina inſtructum, imò Deum verum eſſe abunde docuit: & miracula illa conſultò ſic temperauit, vt neminem terrerent diuinæ virtutis ſplendore, ſed potius iucundo & ſalutari bonitatis eius guſtu omnes ad ipſum recipiendum inuitarent. Huius generis eſt, quod nuper in mirifica piſcium captura editum vidimus. Eo enim oſtendit Chriſtus ſe maris & omnium, quæ in mari ſunt, Dominum eſſe: quod veræ diuinitatis argumentum eſt euidentiſſimum. Quis enim hominum piſces ſine lege natantes ex imis gurgitibus euocare & temere vagantes in vnum cogere poteſt præter Deum, qui illos creat & regit? Deinde docet, nihil defore ijs, qui ipſi credunt atq́ obediunt, ideoq́ plurimum fecit miraculum hoc ad confirmandam quatuor diſcipulorum fidem, quos ad Apoſtolicum miniſterium vocare voluit, ne relicta piſcatione, ex qua hucuſque vixerant, ſibi fame pereundum putarent. Accedit tamen his tertium, quòd eodem tota prædicationis euangelicæ aut eccleſiaſtici miniſterij ratio adumbratur, de quo in præſenti, quod Dominus dederit, dicemus.

Vt diſcipuli miraculo affecti fuerint.

Prius tamen videre oportet, vt miraculo hoc Petrus & ſocij eius affecti fuerint, de quo ſic ſcribit Lucas: Cùm hoc vidiſſet Simon Petrus, accidit ad genua Ieſu, dicens: Diſcede à me, nam homo peccator ſum. Et mox huius dicti cauſa indicatur: Pauor enim occuparat ipſum, & omnes qui cum eo erant, ſuper captura piſcium, quam comprehenderant. Similiter autem & Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Primò ad genua Ieſu concidiſſe dicitur, qui antiquitus ſupplicantium mos fuit. Quid verò petit? Diſcede à me, inquit. Et quare? Nam homo peccator ſum. Mira ſanè poſtulatio, & mirabilior multò poſtulationis iſtius cauſa. Quid enim magis abſurdum atque noxium magis peti poterat, quàm vt Chriſtus à nobis diſcedat, ſine quo ſalus noſtra conſtare nullo modo poteſt? Et hoc quidem petunt, qui vel Deum & ſacra omnia oderunt, vel propriæ iuſtitiæ fiducia elati, nullo alio ſeruatore ſibi opus eſſe putant. At nimis ineptum & imprudens

dens fuerit, hominem peccatorem velle, vt à ſe Chriſtus diſcedat, qui ſolus peccata expiat, & nos
cum Deo patre in gratiam reducit. Eò magis ergo nos Chriſti præſentiam expetere debemus, ſi
nos peccatorum culpa grauatos eſſe ſentiamus. Sed minus mirabimur Petrum, ſi cauſam huius di-
cti & animum illius propius inſpiciamus. Nec enim diffidentiæ aut deſperationis hæc vox eſt,
multoq́ minus animi à Chriſto alieni indicium, ſed potius eius, qui Chriſti maieſtatem & accepti
beneficij magnitudinem rectè æſtimabat. Cùm enim antehac (vt ex Ioannis Capite primo colligere
poſſumus) Chriſtum doctoris loco habuiſſet, nunc in tanto miraculo diuinam quoque eius potentiam
agnoſcit, & cùm hac ſuam indignitatem conferens, ſeq́ mortalem & peccatorem eſſe cogitans; non
poteſt non tanta illius familiaritate terreri, eò quòd ſimul in mentem veniebat, Chriſtum abs
ſe minus honorificè tractatum eſſe. Exempla ſimilia in alijs quoque occurrunt, quorum pietas
& fides in ſcripturis commendantur. Dauid certè cùm à Deo promiſſionem de Meſſia ex poſteris 2.Sam.7.
ſuis naſcituro accepiſſet, tantæ bonitatis & beneficentiæ conſideratione abreptus dicebat: Quis
ſum ego Domine Deus, & quæ domus mea, quòd me tantopere euehis? Et nota eſt Centurionis Luce 7.
vox, qui Chriſto domum eius ſubituro dixit: Domine, non ſum idoneus vt ſub tectum meum intres,
&c. Et ſunt hæc quidem ſingularis pietatis argumenta, ſed quæ ſimul de noſtra miſeria & infirmi-
tate teſtantur, qua fit, vt qui Dei præſentia imprimis opus habent, ea tamen terrentur, neque il-
lam ferre poſſunt, niſi is in tempore nobis conſolationem adhibeat. Eſt ergo plus quàm belluinus
illorum ſtupor, qui cùm huius generis exempla paſſim occurrant, tamen adeò non humiliantur in
Dei conſpectu, vt potius propriæ iuſtitiæ fiducia turgidi tum tantum non ſibi debitorem facere
audeant.

Admonemur autẽ inſuper hoc exemplo, vt Dei beneficia à nobis conſiderari debeant, vt verum Dei beneficia
atque proprium ſalutis fructum ex illis percipiamus. Proderit primò diligenter inter ſe cõferre Dei quomodo con-
maieſtatem ſiue excellentiam atque noſtram conditionem. Ibi mox tanta elucebit inæqualitas, vt ſiderari de-
nulla inter nos & illum communio intercedere poſſit, niſi ille ſeſe ad nos demittere dignetur. Eſt beant.
enim ille æterna ſapientia: nos quanti quanti ſumus, ſtultitia ſumus, neque percipere poſſumus quæ
ſunt ſpiritus Dei. Ille Veritas eſt, nos mendaces ſumus, & ex mendacijs ſiue ſerijs ſiue ludicris
ſummam voluptatem capimus. Ille vis eſt omnia penetrans & ſeſe per omnia diffundens: nos in-
firmi, miſeri & imbecilli ſumus, ſiue animum ſiue corpus noſtrum conſideres. Ille iuſtitia eſt, nos
in peccato concepti & nati nihil quàm peccare poſſumus. Ille ſummum bonum eſt, quod & ſibijpſi
ſufficit, & omnibus creaturis ſuum ESSE largitur: nos ita omnium indigi ſumus, vt vix vl-
lum animal inuenias, quod pluribus ſubſidijs opus habeat. Accedit huic comparationi altera con-
ſideratio, qua multiplicem Dei beneficentiam nobis ob oculos ponamus, in qua exponenda facilius
fuerit dicendi initium quàm finem inuenire. Nam vt ad generis noſtri primam origirem acceda-
mus, quæ vnquam bonitas admirabilior fuit, quàm quòd hominem ex luto creauit Deus, vt eſſet
cui benefaceret? In ſingulis autem eiuſdem bonitatis indicia elucent, quando in vtero deliteſcen-
tes mirificè ſeruat, tuetur, alit, & tandem quaſi ex ſepulchro extractos in lucem producit. Ad-
hæc in nobis paſcendis & ſeruandis omnes mundi partes occupatas habet. Nobis enim cæli plu-
uiam, niues, rorem deſtillant: nobis vndique circumfuſus aer mouetur, vt & nos & reliqua omnia
propter nos foueat atque vegetet: nobis perennes fluuiorum aut aquarum fontes fluunt, nobis ter-
ra omnis generis fruges producit: nobis perpetuo calore ignis vbique operatur: nobis equi, boues,
aſini, & reliqua iumenta omnia laborant: ad noſtrum denique obſequium aues, piſces, feræ om-
nes veniunt, vt in corruptiſſima hominis natura atque infelici conditione adhuc priſtinæ aut ve-
teris dignitatis veſtigia agnoſcas. Taceo nunc herbarũ, gemmarum et plurium aliarũ rerum vires,
quibus eas inſtruxit Deus, vt valetudini tuendæ ſeruire poſſint. Sunt hæc tanta tamq́ multa diui-
næ beneficentiæ argumenta, vt nullum tempus, imò nulla hominum exercitatiſſimorum facundia
illis enumerandis poſſit ſufficere. Maiora tamen ſunt, quæ ad æternæ ſalutis negotium pertinent.
Nam qui nullius indigus eſt, nobis miſeris & plus quàm miſeris, imò perditis, fœdere coniugi dig-
natus eſt: & vt nos ipſi ſociorum atque amicorum loco eſſe conſtares, voluntatem ſuam & quæcun- Ioan.15.
que nobis cognitu neceſſaria ſunt regni ſui myſteria manifeſtauit, eaq́ omnia literis mandari vo-
luit, ne ab incertis reuelationibus pendentes impoſtorum fallacijs atque inſidijs pateremus.

Neq; in his ſubſiſtit Dei beneficentia, ſed quaſi nihil in nos vnquam contuliſſet, filium quoq; vnigenitum dedit, cùm nobis eo ad reparandam ſalutem opus eſſe videret. Venit is non in humilem modò & abiectam Petri piſcatoris nauiculam, ſed in mundum hunc venit, in vallem lachrymarum venit, imò in carnē miſeram & mortalē venit, vt nobis vnitus naturā noſtram Deo reconciliaret. Et cùm in carne ageret, non ſolùm docendo & factis miraculoſis ſe nobis familiariſſimum præbuit, verumetiam facinoroſis accenſeri, & cum his infame crucis diræ ſupplicium ſubire dignatus eſt, vt nos ab omni ſcelerum nexu exolueret. Neque abiecit ſemel ſuſceptum infelicis carnis pondus, cùm ea ad peragendam generis noſtri redemptionē vſus eſſet, ſed incorruptibilitate & immortalitate donatam in cælos ſubuexit, vt illic pignoris loco eſſet, quod nos de regni cæleſtis poſſeſſione olim obtinenda certos atque ſecuros faceret. Quodq; olim in terris agens fecit, hoc ipſum quotidie facere ſatagit, quando nobis præſens adeſt, & ſeipſum atq; ſalutem æternam nobis per euangelium offert, adeoq; expanſis brachijs & clara voce omnes ad ſe inuitat, qui laborant & onerati ſunt. Adde his quàm patienter mores noſtros ferat, quàm clementer noſtris delictis ignoſcat, quanta indulgentia noſtras querelas & indigniſſima murmura audiat, & nullum in illo patris indulgentiſſimi officiū
Pſalm. 8. deſiderabis. Qui iſta intra animos ſuos probè ſecum expendunt, ij non poterunt non exclamare: Exi à nobis Domine, nam homines peccatores & tantis beneficijs indigni ſumus. Ecquid eſt homo mortalis, vt memoriam eius habeas? & filius hominis, vt eum inuiſas? Sed ô infelicem & deploratam noſtri ſeculi ingratitudinem, qua plerique & temporalia & ſpiritualia Dei beneficia contemnunt, vel etiam ijſdem turpiter ad omnem nequitiam abutuntur. Cauſa tanti mali eſt, quòd etſi ex illis fructū multiplicem percipiant nunquam tamen expendunt vnde ea habeant, niſi quando præter expectationem in aliquam calamitatē proiecti ſe miſeros & infelices eſſe ſentiunt. At ne tunc quidē priſtinam Dei bonitatem & ſuam ingratitudinem agnoſcunt, ſed indigniſſimè ſecum agi clamant, & quaſi quæ illis propria ſint Deus eripuerit, eum tantum non in ius vocare audent, deq; iniuſto illius rigore conqueri, quando ſupplices ad eius genua procidere deq; illo ſibi reconciliando cogitare debebant. Sunt præterea alij, qui ne iudiciorum quidem Dei exemplis mouentur, & ea ſecuri contemnunt: aut ſi quando hunc ſibi iratum eſſe ſentiunt, tunc vel ferociter nimis aduerſus illum inſurgunt, vel deſperabundi eius faciem oderunt atque fugiunt. Et hæc cùm hodie paſſim fiant, adhuc tamen nos miſeros atque infelices eſſe miramur?

Chriſtus Petrū conſolatur. Porrò ad Chriſtum veniamus, qui pia & ſancta infirmitate laborantibus mox ſuccurrit, et ita eos conſolatur, vt ſimul miraculum hoc & hiſtoriam omnem præſenti inſtituto accommodet. Nam ad Simonem, qui plus alijs trepidabat, conuerſus ait: Ne metue, ab hoc tempore homines viuos capies. Quibus verbis hoc dicere videtur: Terret te tanti miraculi conſideratio, & meæ virtutis ſenſu conſternatus trepidas: ſed non in eum finem illud addidi, vt timeas, ſed vt ſpem bonam animo concipias, & ad functionem, cui te deſtinaui, fortiter accedas. Nunc enim multò maius opus te vocat. Qui enim hucuſq; piſcibus capiendis intentus fuiſti, vt te tuamq; familiam aleret, ab hoc tempore homines capies, & quidem viuos, vt illis vitæ & ſalutis æternæ adminiſter ſis, &c. Quàmuis autem in præſentiarum vni Petro loquatur, hæc tamen ad eius quoque ſocios pertinuiſſe, ex Matthæi & Marci narratione conſtat, qui eandem hiſtoriam ſuccinctius deſcripſerunt. Continetur autem his tota miniſterij eccleſiaſtici ratio, de qua aliquid dicemus.

Homines piſcibus conferuntur. Primùm hic conſideranda venit mundi & in hoc agentium hominum conditio. Illum per mare adumbrari, nuper diximus. In eo itaque homines vitam degunt, inſtar piſcium. Nam vt hi nullis legibus parent, ſed temere vagantur, & alij alios deuorant atq; perdunt: ita niſi maior aliqua vis homines coerceat, ipſi quoque excuſſo legum iugo incertis dubijsq; affectibus ducuntur, & ſibiipſis mutuum interitum ſtruunt. Eſt hoc notius, quàm vt multa demonſtratione opus ſit. Magna autem in hoc elucet Dei bonitas, qui talium rationem habet, deq; illis colligendis & ab exitio vindicandis cogitat. Debet huius conſideratio nos excitare, ne in carnis & affectuum licentia felicitatem noſtram ſitam eſſe putemus, ſed Deo nos in ordinem redigendos præbeamus.

Deus per Euangelium ex mundo colligit. Qua autem ratione ſuos ex huius mundi pelago Deus colligit? Per Euangelij prædicationem. Nam quos præſciuit (inquit Apoſtolus) eoſdem & prædeſtinauit: quos verò prædeſtinauit, eos & vocauit. Vocationis verò externæ medium ſiue inſtrumentū eſt Euangelium, quod nō obſcurè Chriſtus

ſtus innuit, *Apoſtolis dicens: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Et idem hoc apud Matthæum ſagenæ confert, qua piſcatores in numeroſiori piſciũ captura vti conſueuerunt. Huius verò prædicationem, nõ angelis, ſed hominibus certis commendat Dominus, quos ex communi mortalium ſorte delectos ad hoc munus deſtinauit. Et eſt hîc probè obſeruandum, quòd in Matthæo dicit: *Ego vos faciam piſcatores hominum.* Quia enim nos non capimus quæ ſunt ſpiritus Dei, & ne ad cogitandum quidem idonei ſumus, nemo hîc quicquam proficiet, niſi à Deo vocatus & miſſus fuerit. Ideò Paulus ad Epheſios ſcribit, Chriſtum dona ſpiritus diſtribuere, & doctores, paſtores, prophetas, Apoſtolos dare, qui eccleſiam colligant atque ædificent. Et alibi, Quomodo (inquit) prædicabũt, niſi miſſi fuerint? Et huc quoq; pertinet, quòd qui prius tota nocte nihil cœperant, nunc tantam prædam trahunt, quando ex Chriſti mandato retia laxauerunt. Etenim in tenebris nequicquam piſcantur, qui non expectata Domini vocatione priuato affectu docendi prouinciam ſuſcipiunt. Diſcant ergo legitimam vocationẽ expectare, qui ad eccleſiæ miniſterium aſpirant, ne dum hanc præuertunt, & ſibiipſis onus imponant, cui ferendo non poſſint ſufficere, & ſimul eccleſijs damnum dent. Qui verò miniſtros vocandi ius habent, eos quærant, quorum eruditio, pietas & docendi dexteritas tam ante ſatis perſpecta ſit. Nam etſi hîc rudes & illiteratos piſcatores vocarit Dominus, non tamen hoc in exemplum trahi debet, vt hodie ab Anabaptiſtis fieri ſolet. Licuit enim Chriſto qualeſcunq; vocare, quia nouas mentes formare & ſubitò ſpiritus donis ſuos inſtruere poterat: quod illum in Apoſtolis feciſſe conſtat. At longè alia eſt eorum conditio, qui vt eligendo & vocando falli poſſunt; ita errorem ipſi corrigere non poſſunt, cùm in hominum mentes nihil iuris habeant. Admonet de hoc Paulus quando epiſcopum eligere iubet διδακτικὸν, id eſt, qui ad docendũ ſit idoneus.

Ceterùm doctoris officium quoq; parabola hæc & ipſius Chriſti verba pulchre adumbrant. Piſcator in altũ progreſſus rete iacit, & quicquid hoc complectitur trahit, neq; de ſeparandis inutilibus cogitat, donec vel in nauim adductos videt piſces, vel in littus rediit: Ita miniſtrorũ eſt in mundum exire, Verbũ publicè omnibus prædicare, & ad eccleſiæ Chriſti ſocietatẽ trahere omnes qui accedunt & ſe trahi patiuntur, neq; circa initia ſtatim nimia curioſitate inquirere, qui nam illa digni aut indigni ſint. Nam vt ferè prædam omnem quaſi è manibus amittunt, qui inter piſcandũ ſeparationẽ faciunt, & vt triticũ cum zizanijs euellunt, qui priuſquã ſegetes adoleuerint illa tollere conantur: ita importuni quidam priuſquam eccleſias conſtituant, intempeſtiuis excõmunicationibus pleroſq; abſterrent, ne ad rete illud euangelicũ accedant: quæ cauſa eſt, vt interdũ magna ſegetis ſpes in ipſa herba extinguatur. Meminerint ergo omnes, ſe ad colligendum potius quàm ad diſſipandũ deſtinatos eſſe, neq; temere in alienas conſcientias ſibi ius & imperium vendicent. Deinde viuos capere debent homines, & vt ijdem Chriſto viuant curare. Quis enim piſcatorẽ probauerit, qui adhuc reti incluſos piſces occidit? Ita nunquã poterũt viuifici Verbi adminiſtri cenſeri, qui docendo hominibus mortem acceſſunt. Faciunt autẽ hoc, qui aut nimio rigore ad deſperationem adducunt, aut indulgentia nimia authores ſunt, vt in vitijs atq; ſceleribus cõputreſcant, qui Chriſto viuere debebant. Hîc ergo ſimul officij admonentur, qui ex credentiũ numero haberi volunt. Horum eſt, vt & ſe capi patiantur per Euangeliũ, & capti viuant. Non enim Chriſti piſces ſunt, qui adhuc in mundo vagantur, et huius deſiderijs vacant: neq; illi gratus cibus ſunt, qui non ſe illi hoſtiam viuentem ſiſtunt, vt per ipſos Deus glorificetur: Ideò paſſim Apoſtoli monent, vt quotidie peccato moriamur, reſurgamus autem ad vitã nouam. Sitit & eſurit Chriſtus ſalutẽ noſtram. Huius ergo deſiderium ſatiare debent pia fidei obedientia, quicunq; eccleſiæ ipſius membra eſſe cupiunt.

Ceterùm dum officium magno cum ſucceſſu faciunt pij euangelicæ doctrinæ præcones, duo ferè incommoda incidere ſolent, quæ & ipſis in miraculi huius hiſtoria Chriſtus adumbrari voluit. Primò rete ſciſſum fuiſſe audiuimus: quo indicatur, ſemper fore aliquos, qui ſimplici Veritatis doctrinæ contradicant, & eccleſiæ vnitatem ſcindant. Nam vt Paulus ait, oportet ſectas eſſe, vt manifeſti fiant qui probati ſunt. Et harum ferè authores ſunt, qui aut veteris ſuperſtitionis fermentum cum Euangelio miſcent (quod olim fecerunt, qui cùm ex Phariſæis Chriſtiani facti eſſent, Legis iugum credentibus imponere auſi ſunt) aut ambitionis œſtro exagitati præ alijs ſapere volunt, & vt emineant nouorum dogmatum authores fiunt. Ita Arium olim impiam doctrinam inuexiſſe, & peſtilentiſſimũ ſciſma excitauiſſe hiſtorici tradunt, quòd Alexandrinæ eccleſiæ

Doctoris euangelici officiũ.

Matth.19.

Incõmoda, quæ Euangelij doctoribus accidunt.

1.Corinth.11.

Acto.15.

epiſcopatũ non potuiſſet obtinere: quod ipſum multis alijs accidiſſe couſtat. Atque vtinam non idem hodie etiam fieret ab ijs, qui ne quid ignorauiſſe aut in aliquo errauiſſe videantur, præcipua Papiſticæ ſuperſtitionis fulcra, Chriſtum impanatum & ſimulachrorum vſum in templis, pertinacißimè defenduut, & maximum negotium faciunt ijs, qui in reducenda primitiuæ eccleſiæ puritate laborant. Alterum incommodum fuit, naniculæ nimio pondere depreßæ ſubmerſio. Accidit & hoc frequenter, vt eccleſiæ maximo oneri ſint & eam tantum non deprimant, qui non alio quàm carnis ſtudio ad illam accedunt. Ex horum numero ſunt, qui aut commodum priuatum quæruut, aut ſub euangelicæ libertatis prætextu peccandi liceutiam venantur. Tales Apoſtolorum numero fuêre Ananias, Simon Magus & ἄτακτοι illi, id eſt, inordinati & exleges, de quibus in Epiſtolis Paulinis frequens fit mentio. Hodie etiam maximus eorum numerus eſt, qui non alia de cauſa Euangelium profitentur, quàm vt ex eccleſiæ & cœnobiorum bonis diteſcant, & excuſſo omnis diſciplinæ iugo licenter viuant. Suut hi grauißima eccleſiæ ouera, & labes ſunt publicæ, quibus tota Euangelij doctrina infamis redditur. Attameu non terreant horum exempla pios. Vt enim in præſenti in littus educuntur piſces illi, quàmuis & rete ſcindatur, & nauicula tantum non ſubmerſa fatiſcat: ita nihil obſtabit, quò minus electos ſuos iu beatæ immortalitatis littus ex furentis mundi oceano Chriſtus educat, vt cum ipſo viuant & regnent.

Petrus & ſocij Chriſtum ſequuntur.

Redeamus nunc ad Petrũ & ſocios eius, qui cum nauigia in terram ſubduxiſſent, relictis omnibus Chriſtũ ſecuti ſuut. Atqui multa eraut, quæ illos ab inſtituto reuocare poterãt, ſicuti in Marco noſtro annotauimus. Sed maior eſt diuinæ vocationis atque fidei vis, quàm vt vllis remoris impediri poßit. Nã vt ſupra diximus, quos prædeſtinauit Deus, eoſdẽ efficaciter vocare ſolet, vt intra animos ſuos illuminati Verbo eius credant & ſpiritus ſancti tractum ſtudioſè ſequantur. Et huc pertinet illud Chriſti: Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur eam. Etenim qui diuinæ bonitatis guſtum fide uon ficta percipiunt, ijs nihil antiquius eſt, quàm cum Deo coniungi, & ideò non poſſunt nou Chriſtum ſequi & amplecti, quem uobis gratiæ diuinæ mediatorem datum eſſe audiunt. Similis obedientiæ exemplum in Abrahamo Moſes proponit, qui Deo vocante ſolum natale cum domo patria & agnatis omnibus reliquit, etiamſi neſciret vbi nam terrarum ipſi ſedes nouas parauiſſet Deus. Quod ipſum à Matthæo quoque factitatum fuiſſe, non multò poſt audiemus.

Quomodo Apoſtoli ſua omnia reliquerint.

Attamen minimè ſuperuacaneum fuerit videre, quomodo Apoſtoli omnia ſua reliquerint. Abutuntur enim horum exemplo multi, qui & ipſos perperam imitantur, & promiſcuè ab omnibus, vt idem faciant, exigunt. At ſi Euangeliſtas audiamus, ita iu præſenti ſua reliquerunt, vt ijſdem, quàm diu licebat, adhuc vſi ſiut. Nam in domum ſuam poſtea Petrus iterum diuertit, & nauim atque retia habuit, quibus ad piſcandum adhuc vſus eſt, cùm Chriſtus ex mortuis reſurrexiſſet: quod Ioannes diligenter narrat. Interea verò, quia illos ad functionem altiorem Chriſtus deſtinauerat, neceſſe fuit, vt ſibi eos familiariores faceret, & vt comites ipſius indiuulſi eſſent, quod à vulgo credentium minimè requiſiuit, quibus domi ſuæ ſubſiſtere & rebus ſuis vacare licuit, vt in Ioſephi, Nicodemi, Simonis & Lazari, ciuium Bethanienſium & multorum aliorum exemplis eſt videre. Tandem cùm tempus illud veniſſet, quo Euangelium in toto orbe prædicari oportuit, tunc procul relictis omnibus commiſſum ſibi munus ſummo ſtudio obiuerunt. Præpoſteri ergo & inepti nimis (ne quid grauius dicam) Apoſtolorum imitatores ſunt, qui cùm nulla Dei vocatione vrgeantur, relictis vxoribus, liberis & rebus domeſticis omnibus, incerti oberrant, & cùm nemini vtiles ſint, ex alieno tamen viuunt. Idem de Monachis dici poteſt, niſi quòd hi Chriſto & Apoſtolis ſimul turpißimè illudunt, quando paupertatem profeßi voluntariam in omni rerum abundantia ſecuri & otioſi delitiantur. Itaque in ſanctorum geſtis non omnia in exemplum trahi debent, ne dum præter vocationem noſtram illos imitamur, impij ſimus noſtræ ſtationis deſertores. Verbi quidem adminiſtris iſta neceßitas incumbit, vt poſthabitis alijs rebus omnibus, ſe totos functioni ſuæ dedicent, ad quam vocati ſunt. Reliquis ſufficit, ſi ſuæ etiam vocationi intenti, in ea officium ſedulò faciant, ſimulque parati ſint, ſi ita ferat neceßitas, omnia ſua relinquere & extrema quæuis pati pro Chriſto Ieſu: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA XLVIII.

Et factum eſt cùm eſſet in quadam vrbe, tum ecce adfuit quidã plenus lepra, ac viſo Ieſu procidens in faciem rogauit eum, dicens: Domine, ſi velis, potes me mundare. Ieſus autem extenſa manu tetigit eum, dicens, Volo, mundator. Et ſtatim lepra abijt ab eo. Ipſe verò præcepit ei, vt nulli hoc diceret: ſed vade (inquit) oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro mundatione tui, prout præcepit Moſes, in teſtimoniũ illis. Dimanabat autem eò magis rumor de illo, & conueniebat turba multa, vt audirent, & per eum ſanarentur à morbis ſuis. Ipſe autem ſecedens erat in deſertis, & precabatur.

QVemadmodum Deus filium ſuum vnigenitũ humani generis ſeruatorem eſſe voluit, & in eo Marcus Homil. 15.
omnia dedit, quæ ad nos ſeruandos neceſſaria ſunt: ita eundem priuſquam incarnaretur plu-
ribus ſcripturæ veteris teſtimonijs, poſtea autem cùm iam carnem aſſumpſiſſet, infinitis & ſtupen-
dis miraculis cõmendauit. Id verò non ipſius Chriſti cauſa factum eſt, qui teſtimonijs alienis minimè
opus habet, ſed propter nos, quorũ ea eſt peruerſitas, vt in externa ſolùm intenti, eius contempta &
ignobili ſpecie facilè offendamur, niſi ſubinde ſub hac latentis diuinæ virtutis argumenta in oculos
noſtros incurrant. Debent ergo quæ de eius miraculis Euangeliſtæ ſcribunt, non vt prophanæ ali-
quæ narrationes legi, ſed penitius excuti & inſpici, vt ea in illis probè obſeruemus, quæ nos in illius
pleniorem cognitionem inducere, & ſimul noſtri officij admonere poſſunt. Et hic iſtius etiam miracu- Miraculi huius vſus.
li, quod modo recitauimus, nobis vſus eſſe debet, eò quòd ceu in ſpeculo contemplanda proponit, quæ-
cunque nobis in toto humanæ ſalutis negotio cognitu & obſeruatu neceſſaria ſunt. Primò enim in 1.
leproſi perſona infelix & deplorata noſtræ naturæ corruptio adumbratur, qua fit, vt à Dei conſpe-
ctu & eccleſiæ eius ſocietate excluſi vagemur, neque vlla humana arte aut virtute reſtitui poſſi-
mus. Deinde eiuſdem exemplo docet ſpiritus ſanctus, quid nos facere deceat, ſi purgari & ſeruari 2.
velimus: Nimirum, vt agnitione peccatorum & infelicis noſtræ conditionis territi, ad Chriſtũ con-
fugiamus, & certa fiducia eum eſſe credamus, qui nobis ſalutem afferre poßit, neq; de eiuſdem vo-
luntate deſperemus. Qua in re potior eſt noſtra quàm huius leproſi conditio: quia ex Euangelio
certiores reddimur, illum nihil perinde cupere, quàm vt nos purgari patiamur. Quod ipſum in præ-
ſenti etiam hiſtoria apparet. Tertiò enim Chriſtus ſe medicum animæ & corporis eſſe declarat, 3.
& ita quidem, vt ſuam in nobis iuuandis facilitatem, imò ardens & ad quæuis obeunda paratum
noſtræ ſalutis ſtudium euidentißimè teſtetur. Quartò, mundatum à lepra ad Sacerdotes able- 4.
gat, qui ex Dei inſtituto lepræ inſpectores erant. Itaque politico ordini ſeſe accommodat Dominus,
ſimulq́; eo facto non tam leproſum illum ſui officij admonet, quàm nos omnes docet, perfectè nos ab
ipſo purgari, ita vt in ipſius Dei iudicio ſubſiſtere poßimus, & illic pro iuſtis atque ſanctis habea-
mur, ſi ipſi per fidem inſeramur. Subijcitur his poſtremò miraculi effectus ſiue fructus, qui ex eo 5.
ad plures alios redundauit: & quid porrò Chriſtus fecerit. Quia verò de tota huius miraculi hi-
ſtoria & primis quatuor eius capitibus in Marco noſtro abunde dictum eſt, nunc illis relictis, quæ
de poſtremo dicenda ſunt, videbimus.

Primam eius partem his verbis Lucas comprehendit: Dimanabat autẽ eò magis rumor de illo, Effectus miraculi.
& conueniebat turba multa, vt audirent, & per eum ſanarentur à morbis ſuis. Rumorem de il-
lo longè lateq́; vulgatum fuiſſe ſcribit. At huius cauſam Marcus exprimit, quòd nimirum leproſus,
vbi ſe mundatum vidit, acceptum ab eo beneficium paßim prædicarit. Fuit hoc animi pij & grati
argumentum, non tamen omni culpa vacat, ſi id contra Chriſti præceptum fecit, priuſquam ſe Sa-
cerdoti oſtendiſſet. Et ſolet hoc pijs frequenter accidere, vt bono & pio zelo abrepti non leuiter pec-
cent, ſi ſuis affectibus & propriæ rationis conſilio indulgeant. Neque ſufficit ad illos excuſandos
zelus diuini cultus, eò quòd nunquam ritè colitur Deus, niſi quando illius mandatis obedimus. Eius
enim vox eſt: Obedire præſtat ſacrificijs, & auſcultare præſtantius eſt adipe arietum. Quò 1. Sam. 15.
magis nos carnis noſtræ cogitationes atque placita ſuſpecta habere conuenit; ne ſub plauſi-

bili pietatis prætextu ſeducamur. Quia tamen Deus pro ſua bonitate & ſapientia ſuorum erroribus bene vti nouit, hic quoque leproſi iſtius lapſus ſiue error fructum non pœnitendum habuit. Eo enim factum eſt, vt tantus ad Chriſtum concurſus populi fieret, vt præ turba non poſſet ciuitatem ingredi. Cauſa verò tam feruentis ſtudij duplex affertur. Prima, quòd docentem audire voluerunt. Et hæc ad verè pios referri debet, qui (vt Chriſtus apud Ioannem ait)

Ioan. 10. paſtoris ſui vocem illico agnoſcunt, & nihil antiquius habent verbo Dei, quo certam & præſentem medicinam animæ contineri norunt. Et huius ſtudium nos quoque trahere debet, vt relictis rebus omnibus ad Chriſtum in Euangelio nobis loquentem feſtinemus. Altera fuit, quòd à morbis ſuis ſanari cupierunt cùm eius virtute leproſos quoque purgari audiuiſſent. Fuerunt hi proculdubio carnales, quos vitæ præſentis ſtudium traxit, & quorum ſemper maximus numerus eſſe ſolet inter eos, qui ſe Chriſti diſcipulos eſſe profitentur. Sic alibi millia aliquot ſectatorum habuit, cum illos epulo gratuito exciperet, & non vno loco legimus, miraculo aliquo ſingulari totum populum ad illum quærendum ſiue ſequendum excitatū fuiſſe. Et hæc quidem hodie etiam præcipua cauſa eſt, quòd ſeculo hoc quantùmuis corruptiſſimo plures inueniuntur, qui Chriſto nomen dant. Habet enim vbique gentium Deus electos ſuos, qui ſerio ſalutis æternæ ſtudio tanguntur, & proinde Euangelium, vt par eſt, audiunt. His autem infinita eorum turba accedit, quos alicuius commodi temporalis ſpes trahit, & qui morbis teterrimis laborant, quibus in Euangelio medicinam quærunt. Alios enim inſatiabilis habendi cupiditas accendit, alios diſciplinæ impatientia & quiduis deſignandi impunitas mouet, multos vindictæ ſtudium excitat aut alius quiſpiam affectus, cui remedium in Chriſti doctrina & fidei veræ profeſſione inueniri poſſe ſperant: non quidem quod ipſos tanto malo liberet, ſed quod materiam præbeat, qua inſana eorum cupiditas ſacietur. At qui ita affecti ſunt, ij ad tempus quidem manent, quoad aliqua ſpes eos lactat: quàmprimùm verò Chriſtum & Euangelium eius ſtudijs ſuis inimicum eſſe ſentiunt, ſe deceptos eſſe queruntur, & turpiſſimam ab illo faciunt ſeceſſionem. Vt ergo talibus nos nequaquam fidere debemus, ita cauendum eſt diligenter, ne eiuſmodi affectibus apud nos locus detur, & ne fidei atque Euangelij prætextu ad nequitiam noſtram abutamur.

Chriſtus ſeceſſum quærit & precatur. Quid verò Chriſtus? quæ altera huius poſtremi loci pars eſt. Eum ſeceſſiſſe ſcribit Lucas in

1\. deſerta loca, & illic precatum eſſe. Seceſſionis huius cauſæ variæ adduci poſſent. Primò enim vt id faceret opus erat, ne eorum errorem foueret, qui in ipſo non alia, quàm quæ carnis ſunt, quærebant.

2\. Deinde inanis gloriæ ſtudium cauet, & nos ſimul ſuo exemplo modeſtiam docet, ne noſtri honoris cauſa ambitioſius vtamur Dei donis, quæ nobis in finem longe alium ab illo data ſunt. Adhæc quie-

3\. ti honeſtæ ſe dedit, vt hac recreatus ad labores alacrius redeat. Et in omnibus iſtis admodum memorabile eſt, quòd precibus interea vacauit. Nam his illum minimè opus habuiſſe conſtat: quia verò propter nos hominem aſſumpſerat, propter nos quoque omnia, quæ hominis ſunt, ſubire voluit. Et quia ſimul Sacerdotis perſonam ſuſceperat, pro nobis eum intercedere oportuit apud patrem. Quod vt ardentius faceret, in præſenti grauis & neceſſaria cauſa eum monuit. Nam paulo ante diſcipulos quatuor elegerat, quos ad functionem apoſtolicam deſtinaret. Videbat præterea infelicem populi Iudaici conditionem, qui paſtoribus deſtitutus per traditionum humanarum auia oberrabat. Videbat item præpoſterum multorum ſtudium, qui carnalibus & temporarijs ſolis intenti, ſalutem æternā negligebant. Neque ignorabat, ſibi labores grauiſſimos & periculoſiſſima certamina propoſita eſſe, in quibus præſenti ſpiritus auxilio opus erat ei, qui cum homine vero noſtras quoque infirmitates aſſumpſerat. Itaque ad preces conuerſus, his & communem omnium ſalutem adiuuat, & ſemetipſum recreat atque confirmat. Habet autem hoc Chriſti factum dulciſſimam conſolationem, quæ nos in omni tentationis genere confirmat, quando videmus illi ſalutem noſtram adeò cordi eſſe, vt non doctrina ſolùm diligenti & crebris miraculis, verumetiam aſſiduis precibus eam iuuare voluerit. Nam hinc ſimul apparet, eum etiam nunc ad patris dexteram fidi interceſſoris officio fungi, ſicuti ſcripturæ teſtantur.

Deinde obſeruatu digniſſimum eſt, quod recreationem non ex mundi ſtudijs aut ignauo ſomno,

Recreatio optima ex precib. ſed ex precibus petit: ita nimirum docens, quid nos facere conueniat, quando nos aut labore nimio fatigatos eſſe, aut nouis & indies grauioribus periculis vrgeri ſentimus. Tunc (inquam) ex precibus

petamus

petamus refocillationem, quibus pio homini nihil iucundius, dulcius & efficacius obtingere poteſt. Si enim te maxima laboris aut doloris parte leuatum putas, ſi homini amico & beneuolo animi curas exponere & eius conſilio frui licet: quantò magis recreantur, quibus cum Deo colloqui datur, qui precibus noſtris aures faciles præbet, qui eaſdem ſpiritus ſui ſuggeſtione regit & adiuuat, & qui ſe eas exaudire velle iampridem pollicitus eſt? Sed ò infelices, qui cùm ſibi conſolatione opus eſſe vident, eam in ijs rebus quærunt, quæ voluptatem aut omnino nullam aut momentaneam, vel etiam cum turpitudine coniunctam habent, & proinde nobis tandem labores atque dolores acutiores pariunt. Quod vnum ſi rectè omnes expenderent, maiores in vera pietate progreſſus facerent, & Deo magis propitio vterentur.

Poſtremò omnes verbi ſui adminiſtros ſuo exemplo Chriſtus admonet, vt in ſalute communi omnium prouehenda ſeduli quidem ſint & induſtrij, at ſimul caueant, ne nimia cum omnibus familiaritas ipſis contemptum pariat. Accidit hoc frequenter ijs, qui vt in maiori pretio ſint, & plurimos ſibi amicos faciant, promiſcuè omnium commercijs ſeſe immiſcent, omnibus arrident, & nunquam non in publico conſpiciuntur. Nam etſi ſua facilitate multos ſibi concilient, plurimum tamen labefactatur ſimul doctrinæ authoritas, & plerique ex eo ſibi impunitatem pollicentur, quòd doctores ſuos tam familiares habeant. Proderit ergo, vt vbi ſuo officio functi ſunt, ſeceſſum quærant, & domi ſuæ vel lectioni ſacræ incumbant, vel precibus ſeſe recreent atque confirment, vt cùm vſus poſtulat, ad opus maiori feruore & quaſi nouis viribus aucti redire poſſint. Quod vt verbi adminiſtri facere debent, ita omnium eſt, Ieſum Chriſtum ſalutis ſuæ authorem vnicum agnoſcere, huic vni fidere, & exemplum, quo nobis ille præiuit imitari. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Miniſtri nimiā familiaritatem deuitent.

HOMILIA XLIX.

Et factum eſt quodam die, cùm ipſe doceret, eſſentq; Phariſæi ſedentes ac Legis doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ & Iudææ, & ex Hieroſolyma, atque potentia Domini adeſſet ad ſanandum illos: Tunc ecce adfuerunt quidam ferentes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & ſtudebant eum inferre & ponere in ipſius conſpectu. Et cùm non inueniſſent qua parte eum inferrent propter turbam, aſcenderunt ſupra domum, & per tegulas demiſerunt eum cum lectulo in medium ante Ieſum. Qui vt vidit eorum fidem dixit: Homo, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

QVoniam Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, nobis à Deo patre redemptor & ſeruator datus eſt, idem ſe talem eſſe paſſim teſtatur. Nam æternæ ſalutis doctrinam omnibus bona fide tradit, neque vno loco ſubſiſtit, ſed terram omnem circuit, vt plures in veritatis agnitionem adducat. Addit doctrinæ miracula non ad oſtentationem inſtituta, qualia impoſtorum ferè eſſe ſolent, ſed vera & ſalutaria, quibus quàm plurimos iuuat. In omnibus autem iſtis non tam manſuetudini quàm modeſtiæ ſtudet diligenter, vt omnibus conſtet, ipſum non aliud quàm hominum ſalutem quærere. Debet iſtorum conſideratio nos ad eum amandum excitare, vt & ſalutis fiduciam omnem in illo vno collocemus, & eidem indiuulſè adhæreamus. Idem ergo nobis hiſtoria, quam modò tractabimus, vſus eſto, qua tam verbis quàm reipſa docetur, Chriſtum verum humani generis ſeruatorem eſſe, qui & animas peccatorum nexibus liberet, & patri reconciliatos ex omnibus aduerſis & periculis ſeruet, quibus in vitæ huius curriculo exercemur. Vide Marc. 2. Homil. 16.

Occaſionem totius facti vnà cum loci & temporis circunſtantijs Matthæus & Marcus diligentius narrant, qui illum poſt dies aliquot, quos in deſerti receſſu tranſegerat, in ſuam ciuitatem, Capernaum ſcilicet, rediiſſe ſcribunt. Non autem in vrbem modò, verumetiam ad docendi munus rediit, cui ſe imprimis deſtinatum eſſe ſciebat. Itaque fama eius excitati vicini vndique confluunt, imò ex remotioribus quoq; Galilææ & Iudææ locis, adeoq; ex ipſa Hieroſolymorum vrbe multi ad- Chriſtus redit ad docendum, &c.

fuerunt, inter quos Phariſæi quoq; & Scribæ vel Legis doctores nominantur. Ne ergo populi expectationem fruſtretur, aut ſuo officio deſit, vitæ æternæ verbum illis prædicat, & ſimul doctrinam ſignis confirmat. Nam Domini potentiam ſiue virtutem ei adfuiſſe Lucas ſcribit, vt ægrotos aut morbis affectos ſanaret. Quæ cauſa fuit, vt paralyticum illum, de quo poſtea dicetur, ad illum afferrent. Ita eò, vnde prius digreſſus fuerat, non ſine fœnore Chriſtus rediјt, quod illi perpetuum eſſe in Marco diximus.

In Chriſto doctrina max. ſpectari debet.

In præſenti autem obſeruatu digniſſimum eſt, quòd ad docendum rediјt, & quòd tunc ſeſe exeruit viuifica Dei virtus, quæ multis ad ipſum confluentibus ſalutẽ attulit. Eo enim admonemur, in Chriſto maximam doctrinæ eius rationẽ debere haberi. Nam vt eius cauſa ſe in mundũ veniſſe alibi fatetur: ita per hanc nobis vitam & ſalutem offert, cuius reuera participes fiunt, qui illam fide apprehendunt. Imò vt Deus initiò orbem terrarum & vniuerſam huius mundi machinam verbo ſuo creauit: ita per verbum quoq; ea in nobis agit, quæ ad noſtram ſalutem faciunt. Admonet de hoc diuinus ille & regius Pſaltes, cùm ait: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Pſalm. 107. *Eſt ergo turpis & pernicioſus eorum error, qui tùm Chriſti ſectatores videri velint, neglecta tamen eius doctrina, circa alia occupantur, & huius ſeculi bona in illo quærunt, qui vt nobis cæleſtium bonorum author eſſet à Patre exiuit & homo factus eſt.*

Chriſtus coram hoſtibus acerrimus docet.

Obſeruabis præterea, quòd etſi Phariſæos & Legis doctores in cœtu illo aſſidentes videret Chriſtus, nihilominus tamen docere perrexit. Atqui totum illum ordinem ex iuratis ſui nominis & doctrinæ ſuæ hoſtibus conſtare ſciebat, vt iam de illis nihil dicamus, qui Hieroſolyma aduenerant, nimirum vt eum inſidioſe obſeruarent & accuſandi ipſum occaſiones venarentur. Sed non potuit iſtorum omnium præſentia illum terrere, vt ipſum verbi patris ſui puderet, vel vt eos re infecta dimitteret, qui diſcendi ſtudio aduenerant. Eſt exemplum hoc probè obſeruandum omnibus eccleſiarum miniſtris, ne vnquam eos veritatis pudeat, & ne eorum præſentia aut minis ſe terreri patiantur, quos publica authoritate armatos & verbi Dei hoſtes eſſe nouerunt. Paulus olim dicebat: Non me pudet Euangelij Chriſti, potentia ſiquidem Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Et idem non vulgò ſolùm prædicabat, ſed coram phariſæis, ſacerdotibus, tribunis præſidibus Romanis, imò corã regibus Chriſti cauſam fortiſſimè, ex vinculis quoque verba faciens, tuebatur. Adhæc etſi Iudæorum improbitatem atq; contumaciã ſæpe expertus eſſet, & pleroſq; iam reiectos & reprobatos à Deo eſſe ſciret, non deſtitit tamen ſubinde illis prædicare, vt vel aliquot ex vniuerſali illo & cõmuni gentis illius exitio eriperet. Eſt ergo deteſtabilis illorum ignauia, qui dum res in tuto ſunt apud indoctam plebem audacter & non ſine magnificis proteſtationibus Euangelium prædicant, mox autem vel obmuteſcunt, vel turpiter tergiuerſantur, ſi in aliquos incidant, quos iniquos huius cauſæ iudices eſſe ſciũt. Similiter Zelo inconſulto & præpoſtero peccant, quibus nefas eſſe putatur in ijs cœtibus docere, quibus improbi aliqui & incurabiles intermixti ſunt. Atqui Chriſtus docere perrexit, etſi Phariſæi & Legis doctores & Sacerdotum Hieroſolymitanorũ emiſſarij præſentes adeſſent, quorum animos optimè perſpectos habebat. Quin ergo huius exemplum imitantur, quod Apoſtoli poſtea non ſine laude & fructu imitati ſunt. Quæ enim iniquitas eſt, propter improbos aliquos æternæ ſalutis doctrina eos fraudare, qui animo minimè malo præditi ſunt, & non fucato ſalutis atque veritatis ſtudio ducuntur? Deus, qui impietatis vindex & vltor eſt acerrimus, iudicia ſua ſic temperare ſolet, ne aliorum contumacia aut ingratitudo electis ſuis fraudi ſit: cur ergo qui illius precones haberi volunt, aliquorum improbitate ſeſe adduci patiuntur, vt eos quoque deſerant, de quibus ſpes adhuc bona eſt, & in quibus non obſcura fidei & electionis indicia apparent? Et hæc quidem de hiſtoriæ totius occaſione dicta ſuffitiant. Sequitur nunc miraculum in paralytico æditum, cuius ſingulas circunſtantias ex ordine inſpexiſſe proderit.

Paralytici conſideratio.

Primus autem hîc paralyticus ipſe ſpectetur, qui in nobis noſtræ naturæ corruptionem & quæ ex hac dependet infelicem humani generis conditionem adumbrat. Eſt enim paralyſis neruorum reſolutio, quæ ex frigido & craſſo humore neruos plus æquo humectante & laxante enata, ſenſum ferè & motum omnem membris aufert. Itaque qui hoc morbo laborant, viuunt quidem & homines ſunt, at nullum vitæ aut veri hominis officium præſtant. Atqui ea eſt omnium noſtrum, quoad agnatam nobis naturam, conditio. Quia enim in peccato concipimur & naſcimur,

fit vt

ſit vt ita in nos totos illud redundet, vt etſi vita corporis fruamur, & propter animam immortalem corpori coniunctam homines dicamur & ſimus, nihil tamen eorum præſtemus, quæ veri hominis & ad Dei imaginem conditi officia ſunt. Rationis enim lux craſsiſſimis cupiditatum prauarum nebulis atque humoribus obſcurata non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Iiſdem voluntas quoq; corrupta non niſi ad malum fertur. Et quamuis ſuam voluntatem nobis Deus reuelet, vires tamen nobis nullæ ſunt, quibus quod bonum eſſe didicimus, faciamus. Deſcripſit hanc miſeriam noſtram, in propria perſona Paulus admodum diligenter ad Roman. ſeptimo Cap. & idem alibi nos ex nobis ipſis ne ad cogitandum quidem idoneos eſſe ait: quod ab illo veriſſimè dictum eſſe fatebuntur, quotquot ſeipſos & naturam ſuam omnem diligentius inſpexerint. Vt ergo paralytici nullam ſibijpſi opem ferre poſſunt, ſed toti ab aliorum auxilijs pendent: ita quo noſipſos inuenimus in nobis nihil eſt, ſed à Dei gratia pendeamus oportet, qui ſolus laboranti naturæ mederi, & ad bonum faciendum ineptos atq; impotentes nouis viribus inſtruere poteſt. Agnoſcant ergo hanc ſuam miſeriam, quicunque ſeruari cupiunt, ne inani & falſa ſuarum virium atque operum fiducia elati, ſemetipſos Dei gratia ſpolient, quæ ſola nobis per Chriſtum medetur, vt ſuo loco audiemus.

Nunc eos videamus, qui miſerum hunc ad Chriſtum attulerunt, in quibus fidem cum charitate non fucata coniunctam fuiſſe, ex multis eorum factis apparet. Niſi enim eum, qui humana arte amplius curari non poterat, à Chriſto curari poſſe credidiſſent, nunquam eum ad hunc voluiſſent afferre. Itaque etſi nondum plenam Chriſti cognitionem habeant, eum tamen diuina virtute inſtructum eſſe credunt, & procul dubio Meſsiam eſſe cogitant, quem cæcis, ſurdis, mutis & claudis ſalutem allaturum eſſe olim Iſaias prædixerat. Deinde fidei non languidæ argumentum eſt, quòd cùm præ turba hominum, qui ad domus oſtium confluxerant, via nulla pateret, qua in Chriſti conſpectum venire poſſent, tecto conſcenſo paralyticum per tegulas retectas demittunt. Adeò ingenioſa eſt fides, vt illic quoque rerum gerendarum rationem inueniat, vbi humanus intellectus nihil huius videre poteſt. Adhæc laborum tolerantes & in quouis periculo animoſos & fortes reddit, ſicuti in multorum exemplis eſt videre, quos veræ fidei nomine Scriptura commendat. At nunquam iſta feciſſent illi, niſi amore paralytici huius accenſi, ipſius ſaluti ex animo voluiſſent conſultum. Eſt ergo hoc quoque fidei ardentis & viuæ indicium, quam per charitatem agere Paulus teſtatur. Sunt hæc probè obſeruanda ijs, qui fidei nomine ſeſe venditant, ne ſibijpſis inani perſuaſione imponant, dum ab ijs alieni ſunt, quæ propria ſunt veræ fidei effecta. Imprimis verò ad eos ſpectat huius exempli conſideratio diligens, quibus cum inualidis & ægrotantibus res eſt: ne horum vel moroſitate, vel fœditate ſe adduci patiantur, quò minus in illis fouendis & curandis ſeduli ſint & induſtrij. Commendat illos paſsim Deus, & notum eſt illud Dauidis: Beatus qui prudenter agit cum ægrotante, in die mala eripiet eum Dominus. Dominus cuſtodiet eum, valetudinem reſtituet ei, &c. Et Chriſtus in ſe collata olim putabit, quæ in tales conferuntur officia. Pudeat ergo ſuæ inhumanitatis eos, qui ſuos morbis debilitatos moroſè nimis faſtidiunt, vel contagij metu turpiter deſerunt. Excuſant hi ſeſe multis argumentis, ſed quæ eiuſmodi ferè ſunt, vt illos fide etiam vacuos eſſe appareat, quando morbos fingunt, qui abrupto diuinæ prouidentiæ fræno temere graſſentur. Vt verò iſti paralyticum Chriſto adduxerunt, vt corporis valetudini eius beneficio reſtitueretur: ita nobis curandum eſt, vt qui animi morbis laborant, peccatis nimirum, Chriſto coniuncti, in eo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum aſſequantur. Quod etſi omnibus dicatur, maximè tamen ad verbi adminiſtros pertinet, qui niſi in vno Chriſto animarum medicinam monſtrent, indigni ſunt qui aliquem in eccleſia locum obtineant.

Seruit his confutandis exemplum eius, quod in præſenti proponitur. Elucet enim in eo ſingularis manſuetudo atque bonitas, quòd etſi iſti ſua importunitate tectum effringerent, paralyticum ex funibus in lecto ſuſpenſum demitterent, quod abſque ſtrepitu fieri non poterat: non tamen indignatur, quòd ſermonem ipſius, quem procul dubio de rebus grauiſsimis habebat interturbarent, & ſimul domum alienam non ſine periculo conſcenderent. Quin amicè hominem compellans, ſe factum hoc omne probare oſtendit. Ita verò reipſa probat quod apud Ioannem dicit. Eum, qui venit ad me, non eijcio foras. Eſt ergo ridiculus nimis & vanus eorum prætextus, qui religione & pio metu ſe abſterreri aiunt, ne ad Chriſtum accedant: & proinde ſibi apud illum interceſſoribus Diuis opus

Fides eorum qui paralyticum Chriſto adduxerunt.

Pſalm. 41.

Chriſti facilitas erga infirmos.

eſſe putant. Non enim hæc pietas, ſed impietas eſt, crudelem, durum, difficilem aut moroſum eum fingere, qui & ſpontè ſe nobis offert, & neminem vnquam reiecit eorum, qui ab ipſo auxilium poſtulauerunt. Sed de hoc plura alibi dicentur.

Chriſtus fidem reſpicit.

Nunc quid Chriſtum mouerit videamus, vt ſe iſtis tam facilem præberet. Vt vidit eorum fidem, dixit: Homo, remiſſa ſunt tibi peccata tua. Ergo non opus eorum reſpexit, ſed fidem, quæ operis iſtius cauſa erat, & quam niſi iſti habuiſſent, opus hoc laudem nullam merebatur. Nam quod non ex fide

Rom. 14. *fit (inquit Apoſtolus) peccatum eſt. At hîc neminem moueat, quòd eorum fidem Chriſtus reſpexiſſe dicitur, qui paralyticum ad ipſum adduxerunt, cùm alibi iuſtum ſua fide viuere, ſcriptura doceat. Nam paralyticum quoque Chriſto crediaiſſe ex eo apparet, quòd ea ſecum fieri paſſus eſt, quæ ſine labore & periculo fieri non poterant. Deinde agebatur hic de corporis valetudine, non æterna totius hominis ſalute. At in externis nos aliorum fide & pietate plurimùm adiuuari certum eſt, eò quòd fœdus & promiſſiones ſuas Deus ad credentium poſteros quoque extendit, & propter illos frequenter omnibus ijs benefacit, quibus cum illi viuunt. Sic Labanum opibus auctum fuiſſe legimus, cum Iacobi opera & miniſterio vteretur. Et Ioſephi pietatem primùm Putiphari hero eius, deinde toti Ægypto profuiſſe conſtat. Debet hoc in eum finem obſeruari, vt magni faciamus piorum conſuetudinem atque commercia. Vt enim impij plerunque ſuis conuictoribus malum dant: ita ex pijs multa ad omnes, qui illis conuerſantur, vtilitas redit, & non rarò fit, vt ea occaſione veram & æternam ſalutem inueniant, qui initiò non niſi carnalia & temporaria bona quærebant: quod hîc etiam accidiſſe totius hiſtoriæ exitus docebit.*

Chriſtus paralytici curam à peccatorum remiſſione orditur.

Nam ad paralyticum conuerſus Dominus (vt apud Matthæum habetur) illi dixit: Confide fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua. Ergo de corporis valetudine ſolicito peccatorũ remiſſionem offert, ex qua totius hominis ſalus dependet. Neque hoc cuiquam abſurdum videri debet. Nam veri Medici, imò Meſſiæ officio fungitur, dum morbi cauſam tollit, peccata nimirum, ex quibus omnia ea originem ducunt, quæ miſeros mortales in terris hiſce infeſtant. Et quia fortaſſis miſer ille non tam corporis dolore quàm admiſſorum ſcelerum conſcientia cruciabatur, tempeſtiua admodum & neceſſaria fuit conſolatio hæc, qua & filium vocat, & gratuitam remiſſionem illi promittit, qui ſe à Dei conſpectu excluſum eſſe metuebat, neque aliquid in ſe boni inueniebat, quo eum ſibi demereri poſſet. Obſeruent ergo hunc Chriſti ordinem, quicunque cum morbis aut alio aduerſorum genere conflictantur, ne fruſtra ſeſe fatigent, dum de illis remouendis cogitant, neglecta interim peccatorum remiſſione, ſine qua nihil nobis fauſtum felixique obtingere poteſt. Et hæc breuius nunc perſtringimus, quia de iiſdem alibi dictum eſt, & nuſquam non de his dicendi occaſio ſeſe offert. Agnoſcamus nunc Dei bonitatem, qui filium ſuum, Ieſum Chriſtum, nobis medicum & ſeruatorem dedit, & in hoc quæramus quæcunq; nobis ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA L.

Tunc cœperunt ratiocinari Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt iſte qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus? Ieſus autem cùm noſſet eorum ratiocinationes, reſpondens dixit eis: Quid ratiocinamini in cordibus veſtris? Vtrum eſt facilius? dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata: an dicere, Surge & ambula? Vt autem ſciatis Filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, & ſublato lectulo tuo proficiſcere domum tuam. Is autem cum illico ſurrexiſſet in conſpectu eorum, ſublato eo in quo iacuerat, abijt domum ſuam glorificans Deum. Et ſtupor cœpit omnes, & glorificabant Deum, & repleti ſunt timore, dicentes: Certè vidimus inopinata hodie.

Marcus Homilia 17.

MVlta quidem Ieſu Chriſti miracula Euangeliſtæ deſcribunt, at inter ea non facilè aliud inuenies, quod huic præferri mereatur, quod de paralytico reſtituto Lucas in præſenti narrat.

Ita enim

*Ita enim hoc addidit, vt & facto & verbis diſertis teſtetur, ſe promiſſum illum humani generis Ser-
uatorem eſſe, quem patres olim expectarunt. Et huc imprimis facit, quòd cùm paralyſi mederi vel-
let, à peccatorum remiſſione exorſus eſt. Atqui ex peccato morbos, famem, ſitim & omnia alia
aduerſorum genera vnà cum morte originem duxiſſe, notius eſt quàm vt demonſtrari oporteat.
Cùm ergo illa Chriſtus remittat, ſimulque ex his enatum morbum vno verbo curet, dubium non
eſt, quin ſemen illud benedictum ſit, quod ſerpentis caput conterere, regnum diaboli abolere & mi-
ſeros nos ex eius poteſtate eripere debuit. At ne quis de eius erga nos voluntate dubitaret, nuper
præclarum manſuetudinis & bonitatis ſpecimen dedit, quando nimiùm importunos non modò non
corripuit aut reiecit, ſed miſero & gementi peccatorum remiſſionem pollicitus eſt. In præſenti verò
non minus euidenter docet, ſibi hanc poteſtatem à Patre datam eſſe, & id primò quidem verbis oſten
dit, deinde verò reipſa confirmat.*

Rurſus autem ab occaſione totius diſceptationis Lucas orditur, quam Scribæ & Phariſæi præ Phariſæi Chriſtum blaſphemiæ accuſant.
*buerunt. Hi enim audita conſolatione, qua Chriſtus paralytico peccatorum remiſſionem denuntia-
bat, non quidem illi palàm & in faciem contradicunt, ſed tamen intra animos ſuos rationes & argu
menta colligunt, quibus eum ſummæ impietatis & arrogantiæ ſacrilegæ accuſent. Quis eſt iſte (in-
quiunt) qui loquitur blaſphemias? Et rationis loco ſubijciunt: Quis poteſt remittere peccata, niſi
ſolus Deus? Eſt hoc argumentum per ſe firmiſſimum, ſi ita colligas: Quiſquis ſibi vendicat, quæ ſo-
lius Dei ſunt, is blaſphemus eſt & ſacrilegus: At ſolius Dei eſt peccata remittere: Ergo impius eſt
& ſacrilegus, qui hanc poteſtatem ſibi vſurpat. Falluntur autem turpiter iſti, quando argumentũ
hoc aduerſus Chriſtum torquent, & non vno modo ſuam malitiam produnt. Primò enim non opus
erat ita ratiocinari, cùm nihil adhuc de ſua poteſtate Chriſtus dixiſſet. Nam conſolationem ſolùm
adduxerat, quales multæ apud prophetas habentur, quibus Dei gratiam peccatoribus ad hunc con
uerſis denuntiant. Deinde ſi omnino dixiſſet Chriſtus: Ego tibi peccata tua remitto: non tamen iudi
cio tam præcipiti damnandus erat, cùm iam non pauca edidiſſet diuinæ virtutis argumenta, &
prophetæ non vno loco inter Meſſiæ beneficia peccatorum remiſſionem numerent. Ipſe vulneratus
eſt (inquit Iſaias) propter transgreſſiones noſtras: mulcta pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius nos* Iſa.53.
*ſanati ſumus. Item: Scientia ſua multos iuſtificabit iuſtus ſeruus meus, quorum iniquitates ipſe
baiulabit. Ieremias autem de Meſſia inter alia dicit: Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum, I E-* Ierem.23.
*H O V A iuſtitia noſtra. Quibus verbis diſertè & diuinitatem veram & poteſtatem remittendi
peccata illi tribuit. Apud Zachariam verò ſic ait de Chriſti aduentu Dominus: In die illa fons* Zach.13.
*aperietur domui Dauidis & habitatoribus Ieruſalem pro peccato & menſtrua immunditie, &c.
Vbi duobus vocabulis tam actualia peccata (vt loquuntur) quàm innatam nobis naturæ vitioſita-
tem comprehendit, & vtriusq; mali expiationem ſeu ablutionem in Chriſto pollicetur. Taceo infini
ta huius generis teſtimonia, quæ cùm Scribæ & Legis doctores non ignorarent, nimis apertè animos
odio & cæco liuore plenos produnt, quando tam audacter ad Chriſtum damnandum proſiliunt. Imò
extremæ impudentiæ argumentum eſt, quando hoc nomine illum damnant, cùm ipſi ſuis operibus,
quæ maiori ex parte ſecundùm hominum traditiones fiebant, meritum ſalutis & peccatorum remiſ-
ſionem tribuerent. Sed ſi quid hîc coniecturis tribui debet, non alia re illos magis offenſos fuiſſe cre-
diderim, quàm quòd Chriſtum gratis polliceri audirent id, ex quo ipſi quæſtum uberrimum habebãt.
Et hæc illa Helena eſt, pro qua noſtri etiam ſeculi Phariſæi pugnant, quòd metuunt, ne admiſſa
Chriſti iuſtitia totus ipſorum quæſtus euertatur, quem ex operum meritis, conductitijs preculis, pere
grinationibus, votis & igne purgatorio faciunt. Atqui vtinam noſtri illi tam ingenui eſſent, quàm
Iudæorum Phariſæi fuerê, qui etſi propriam iuſtitiam ſtabilire conarentur, hoc tamen veræ ſalutis
principium palàm confeſſi ſunt, Neminem præter ſolum Deum peccata remittere poſſe. At noſtri
hodie hæreticos eſſe clamant omnes eos, qui ita ſentiunt, & doctrinam iſtam ferro & igne perſequun
tur: adhæc poteſtatem illam ſibi impudenter vendicant, eò quòd vncti & raſi characterem beſtiæ ac-
ceperint. Ioram Iſraelis rex, etſi in alijs ſatis impius eſſet, intolerabilem tamen blaſphemiam eſſe pu-
tauit, quòd Syriæ rex ab eo petijſſet, vt Naamanum à lepra purgaret. Nam ſciſſis veſtibus ſuis
clamabat: Egóne Deus ſum, vt occidam & vitæ reſtituam? At iſtorum audacia atque arrogan-
tia eò vſque procedit, vt quod maius eſt ſibi tranſcribant, & in hominum animabus purgandis,*

aut liberandis ſe id poſſe iactent, quod in corpore curando Iorum impoßibile homini eſſe videbat.

Chriſtus probat ſe Deum eſſe.

Porro Chriſtum audiamus, qui & iſtorum calumniam grauiter confutat, & ſuam authoritatem conſtanter aſſerit. Nam primò reipſa docet, ſe Deum eſſe, & proinde non debere blaſphemũ cenſeri, etiamſi remiſsionem peccatorum penes ſe eſſe dicat. Id verò probat, dum quod illi intra animos ſuos voluebant videt & arguit. Quid (inquit) ratiocinamini in cordibus veſtris? Atqui cordium arcana atq; cogitationes nouiſſe, ſolius Dei eſt, vt non vno loco ſcripturæ docent, & res ipſa loquitur. Etſi enim magnum ſit in multis inquirendis humani ingenij acumen, nemini tamen vnquam datum fuit in aliorum corda penetrare, niſi ſingularis ſpiritus ſancti reuelatio acceſſerit. At Chriſtum nihil vnquam latuit, & idem abſens quoq; vidit quæ alibi fiebant, vt multa eius exempla docent. Verus ergo Deus ſit oportet. Vt autem hoc ad noſtram conſolationem & vitæ totius inſtitutionem accõmodari debeat, in Marci expoſitione & multis alijs locis diximus. In præſenti aliud argumentum ſubijcit Chriſtus, quo ſtupidos illos excitat, vt rem rectius expendant. Verum (inquit) eſt facilius? dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata tua: an dicere, Surge & ambula? Quorum verborum hic ſenſus eſt: Eiuſdem virtutis eſt, peccata remittere & morbis ſolo verbo abſq; omni naturalis medicinæ præſidio mederi. At alterum hoc me poſſe non negabitis, niſi cum ratione pudorem quoq; omnem abieciſtis. Cur ergo blaſphemus dicor, ſi & alterũ illud mihi vendicem? Sed agedum, quia liuor & animi malitia vos non patitur ea in mentem reuocare, quæ hucuſque feci, in hoc etiam ſanando quid poßim declarabo, vt conſtet me etſi filius hominis factus ſim, & mortali carne veſtitus in terris agam, habere tamen poteſtatem remittendi peccata. Et mox ad paralyticum conuerſus, eum ſurgere, lectulum in humeros attollere, & domum abire iubet. Nec mora, exilit ille, & magna cum omnium admiratione facit quod iuſſus fuerat. Inuidi autem illi, etſi affectum impium non exuant, obmuteſcunt tamen, neque habent quod contradicant.

Exorciſtæ damnantur.

At nos inter alia hoc quoque in Chriſti verbis obſeruabimus, confutari his Exorciſtas & qui verbis conceptis morbos pelli aut alia confici aiunt, quæ vires humanas ſuperant. Quia enim diuinæ virtutis eſt ſolo verbo res conficere, reuera blaſphemi & ſacrilegi ſunt, qui verborum recitationi & ſuſurris ſuis illud tribuunt. Neque audiendi ſunt, qui illis hoc nomine patrocinantur, quòd frequenter effectus cum verbis & exorciſmis eiuſmodi coniunctus ſit, & multi per eos interdum iuuentur. Sunt enim hæc mali dæmonis præſtigia, quibus Deus iuſto iudicio eos deludi patitur, qui non ab ipſo vno pendent, & qui à verbi ſui veritate declinant. Et extat in tales horribile exemplum in filios Sceuæ olim æditum, qui Epheſi Paulum in eijciendis dæmonijs imitari voluerunt, eo nimirum errore decepti, quòd verbis vim illam ineſſe putarent. Piè ergo olim ſancitum eſt, ne qui tales audiant, & vt ab eccleſia excludantur, quicunque artibus iſtis vacauerint. Et extant in iure Pontificio canones non pauci, quibus iſta damnantur. Vide Cauſam 26. quæſt. 5.

Remißionis peccatorum doctrina.

Continet præterea locus iſte omnia, quæ ad peccatorum remiſsionem pertinent, ex qua ſalus noſtra omnis dependet. Author huius indicatur vnus & ſolus Deus. Cauſam ipſum remiſsionis vocabulum innuit, & hanc in Dei gratia ſiue miſericordia gratuita nobis oſtendit. Mediator verò illius eſt Chriſtus æternus Dei filius, qui ideo hominem aſſumpſit, vt nos patri reconciliaret. Remittit autem Deus peccata plenè, vt ſimul à pœna omni liberet. Et remiſsionem hanc per Euangelium nobis offert, quod qui cum fide audiunt, ij & illam & cum hac ſalutem atque vitam æternam apprehendunt. At quia de his omnibus in Marco prolixè egimus, eadem hoc loco repetere ſuperuacaneum foret, & ideo capita modò præcipua annotamus. Vnum tamen hoc in præſenti addere libet, ad remiſsionis peccatorum doctrinam pertinere, quòd paralyticus mox ad Chriſti mandatum lectulo ſublato domum abit, & Deum glorificat. Admonet hos officij eos, qui per Chriſtum à peccatis liberati ſunt: vt nimirum huic ſeſe morigeros præbeant, ex peccatorum cœno ſurgant, & relictis prioris vitæ ſtudijs ad Dei domum contendant, vt eccleſiæ eius membra efficiantur: vitam denique omnem & actiones huius vniuerſas ita inſtituant, vt in illis Deus glorificetur. Et hoc illud eſt, quod Paulus monet, vt nos Deo ſiſtamus hoſtiam viuentem. Eſt autem hæc pars probè tenenda, ne vel gratuitæ remiſsionis doctrina ad carnis licentiam abutamur, vel eorũ calumnijs offendamur, qui Euangelium hoc nomine infamant, quòd ſceleribus feneſtram aperiat, in hominum animis ſecuritatem & ſocordiam pariat, adeoq; bonis operibus inimicum ſit.

Reſtat miraculi effectus, quem his verbis Euangeliſta comprahendit. Et ſtupor cœpit omnes, & glorificabant Deum, & repleti ſunt timore, dicentes: Certè, vidimus inopinata hodie. Ergo non paralytico ſolùm ſalutem attulit Chriſtus, neq; aduerſariorum modò ora obturauit, verumetiam ad omnes ſpectatores fructus rediijt non vulgaris. Nam primùm rei inſolita euentus attonitos reddit, & ſtuporem parit, qui aliquantulum dubios & animi incertos fecit. At non bellninum fuiſſe ſtuporem hunc, ex eo apparet, quòd mox Deum glorificarunt: quod fieri non poterat, niſi animos rurſus collegiſſent. Agnoſcunt ergo Deum tanti miraculi authorem, adeoq; in Chriſto virtutem diuinam prædicant. Comitatur tamen hæc timor pius, cuius cauſa non leues fuerunt, quòd & propria ſocordia illis in mentem venit, qua Chriſtum hucuſque neglexerant, & quòd eundem à Sacerdotibus & ſcribis nunc quoq; ignominioſius tractatum fuiſſe viderent. Et hinc fit, quòd Chriſto palàm virtutis diuinæ teſtimonium ferunt, quando ſe inopinata & quæ nunquam auſi fuiſſent ſperare, vidiſſe fatentur. Eſt hoc vera fidei non leue argumentum, quod non verentur aduerſarios Chriſti quantùmuis potentia & authoritate præſtantes, quò minus de illo honorificè ſentiant & loquantur. Rurſus ergo eluſit aduerſariorum conatus & conſilia Chriſtus: quando hic gloriam eius illi prouexerunt & illuſtriorem reddiderunt, dum blaſphemiæ notam ipſi inurere ſtudent. Quem ferè exitum eſſe conſiliorum omnium, quæ hoſtes Chriſti concipiunt, non vno loco diximus. At ſcribuntur hæc nobis in exemplum, & vt iſtos imitemur multa nos mouere debent. Nam & ſaluificam ſuam virtutem per Euangelium nobis Chriſtus offert, & paſſim ædit iudiciorum exempla in hoſtes ſuos. Pergit tamen infelix mundus, & plerique ſua contumacia exitium ſibi accerſunt. Itaque ſancto eius timore excitati ſurgamus ex peccati luto, coniungamur autem eccleſiæ eius, & illius beneficium prædicemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LII.

Et poſthæc exiuit, & conſpexit publicanum nomine Leui, ſedentem ad telonium, & dixit ei: Sequere me. Et ille relictis omnibus ſurrexit, & ſecutus eſt eum. Et fecit ei Leui epulum magnum domi ſuæ, eratq; turba multa publicanorum & aliorum, qui cum ipſis accumbebant.

LVcas Euangeliſta hunc ſuæ hiſtoriæ finem atq; ſcopum ſibi conſtituit, vt Ieſum Chriſtum, qui ex Maria Virgine homo natus eſt, verum & æternum Dei filium, rerumq; omnium Dominum, & proinde promiſſum humani generis ſeruatorem eſſe demonſtret. Id verò non verbis nudis aut humani ingenij rationibus, ſed re ipſa probat, dum opera eius miraculoſa diligenter exponit. Inter hæc cumprimis memorabile eſt, quod nuper in paralytico aditum fuiſſe audiuimus. Hunc enim non fortuitò, ſed propter peccata quadam ſingularia in morbum incidiſſe, & ideo non ſolum corpore verumetiam animo grauiter excruciatum fuiſſe, ex Chriſti verbis apparet. Illi ergo peccatorum remiſſionem gratuitam pollicetur, ſimulq; eum à morbo & huius cauſa, peccato nimirum, liberat, atq; eo facto ſe redemptorem & ſalutis vera authorem eſſe teſtatur. At ne quis ipſius potentia & maieſtate territus, eum ad peccatores inſigniores & qui vitijs non vulgaribus grauati ſunt, pertinere dubitaret, aut iiſdem gratiam quidem aliquam conferri, non autem in aliquo pretio eos apud Deum eſſe arbitraretur, commodè hiſtoriam, quam modò recitauimus, ſubijcit Lucas, qua publicanum auaricia & iniuſtitia infamem ex ipſa officina (vt ſic dicam) iniquitatis euocauit, & eundem in Apoſtolorum ſuorum gregem aſſumpſit. Eſt igitur hiſtoria hæc digna, in cuius conſiderationem non oſcitanter verſentur, quicunq; ſe peccatorum conſcientia grauari ſentiunt. Vide Marcum homil. 18.

Hi vt conſolationem efficaciorem habeãt, ipſum Leui (qui alio nomine Matthæus dictus fuit) diligentius inſpicere debent. Sedit is ad telonium, & proinde ex publicanorum ordine fuit, de quibus Cap. tertiò prolixè eſt dictum. Ex quæſtu autem hoc ditiſſimum factum fuiſſe, & inter publicanos gradum aliquem eminentiorem tenuiſſe, ex conuiuio apparet, ad quod tam multi confluxerunt. Multa igitur fecerit oportet præter ius & æquum, priuſquam diues fieret, & ad eum dignitatis gradum perueniret ſub Romanis præſidibus, qui omnia ad ſuum quæſtum inſtituebant. Hunc tamen ad te- Matthæi conditio.

lonium ſedentem & præſenti lucro intentum Chriſtus vocat, & vt vocationi obtemperet trahit: ita nimirum docens, ſe fortem illum Heroem eſſe, qui diaboli domum inuadere & eius vaſa diripere debuit. Quod enim hic fecit, ſæpe aliâs factum eſt, quando & meretrices relicto turpi quæſtu pudicitiæ & pietatis ſtudium ſequi coegit, & plures alios publicanos ad ſe pertraxit, imò ex phariſæorum ordine Nicodemum ſibi diſcipulum fecit, & inter milites ſanguinarios inuenit, qui fidem in ipſum publicè profiterentur.

Matthæus ex publicano apoſtolus & Euangeliſta.

At hîc non ſine ſingulari conſilio factum eſt, quòd Matthæus non ſolum à quæſtu auaro & iniquo auocatur, ſed ex publicano Apoſtolus fit, qui & viua voce Euangeliũ Ieſu Chriſti prædicauit, & idem hoc inter primos ſcriptis mandauit. Cauſæ huius cõſilij certæ ſunt. Prima, vt omnis propagati Euangelij gloria Deo cederet, & huius authoritatem non ab hominibus pendere, ſed æterno diuinæ prouidentiæ decreto niti conſtaret. Nam ſi humanam rationem audire libeat, non facilè fidem meruiſſent, qui vel vitæ genus inhoneſtum prius ſecuti fuerant, vel propter egeſtatem contemnebantur. Quia tamen ijdem orbis totius domitores facti ſunt, & gentes propè omnes ad Chriſti obedientiam adduxerunt, quis non videat, hoc Dei opus fuiſſe, qui vt ſic fieret, ab æterno conſtituerat? Docent idem multorum aliorum exempla, qui vel ex philoſophorum ſcholis, vel militum caſtris egreſſi, poſtea præclaram eccleſiæ Chriſti operam nauauerunt. Debent iſta obſeruari, ne quem offendat vilis & contemptibilis adminiſtrorum Verbi conditio, aut etiam vita anteacta: quin potius in ipſum Verbum intenti eos imitemur, qui relictis ſtudijs deterioribus ſeſe totos Chriſto & eccleſiæ eius conſecrarunt. Altera cauſa eſt, quòd proderat gratiam Dei, quæ per Euangeliũ offertur, in ipſius præconibus cõmendari, vt facilius eius promiſſis crederẽt, qui propter ſcelera grauiora intra cõſcientias ſuas fluctuant. Huc ergo referri debet, quòd Matthæus ex publicano Euangeliſta, Petrus ex abnegatore Chriſti fideliſſimus eiuſdem præco, Paulus ex crudeli carnifice & lupo ſanguinario vigilantiſſimus eccleſiarum paſtor, reliqui item omnes ex ambitioſis & contentioſis regni terreni æmulatoribus regni cæleſtis præcones & fidei atque humilitatis Chriſtianæ doctores facti ſunt. Quid? Annon latronem eo honore Chriſtus dignatus eſt, vt de ipſius innocentia publicum teſtimonium ferret, & ex cruce, ceu cathedra aut ſuggeſtu ſacro ipſum prædicaret & inuocaret, qui & Concilij generalis & Pilati præſidis authoritate publica damnatus fuerat? Adde his Centurionem & milites, qui cùm Chriſto non minori cum ſæuitia quàm ſcurrilitate illuſiſſent, paulò poſt totis animis conuerſi, illum & iuſtum & Dei filium eſſe teſtati ſunt. Excitent nos iſta, vt Euangelio credamus, & tot exemplis in eo relucentem Dei gratiam fide conſtanti amplectamur.

Typus vocationis noſtræ.

Habes præterea exemplum hoc typum vocationis noſtræ, quæ (ſi rem omnem probè expendamus) nobis cum Matthæo planè eadem eſt. Vt enim hunc in officina auaritiæ ſedentem ex mera gratia vocat Chriſtus, dum præteriturus & aliud facturus videbatur: ita nos quoq; in fabrica ſcelerum occupatos & nihil minus quàm de ſalute noſtra cogitantes, abſque omni operum noſtrorum reſpectu, Deus vocat, & plerunque tunc vocat, quando nos negligere & noſtri curam omnem iampridem depoſuiſſe videri poteſt. Sic Iudaicam gentem inter prætereundum vidiſſe & omnibus modis corruptam atq; fœdatam adoptauiſſe apud Ezechielem dicitur. Fatebuntur idem de ſeipſis quicunq; in ſemetipſos altius deſcenderint, & diligentius examinarint ſuos mores atque ſtudia, quibus priuſquam ad Chriſti cognitionem venirent, occupati fuerunt. Neque hîc mihi quis eos obijciat, qui ſalutem anxiè quærere videntur, dum ceremoniarum operoſiſſimarum exercitio & operum ſplendidiſſimorum ſtudio indeſinenti cælos ſcandere conantur. Hi enim omnes eò longius à ſalutis via recedunt, quò ardentius eam inquirunt: & (vt de Iudæis Paulus loquitur) quia Dei iuſtitiam ignorant, & propriam ſtabilire atque fulcire ſatagunt, diuinæ non ſubijciuntur, quã ille nobis in Chriſto offert, & quæ ſola nos apud Dei tribunal tueri poteſt. Eò maior ergo & abundantior eſt bonitatis Dei theſaurus, quando ad aliquos illorum quoq; redundat, qui apertum bellum quodammodo cum illius gratia gerunt, & gigantum inſtar congeſtis vndiq; ſuorum operum montibus in cælos euadere, & hos tantumnon expugnare ſtudent.

Obedientiæ fidei exemplum.

Sed ad Matthæum noſtrum redeamus, qui mox relictis omnibus ſurrexit & Chriſtum vocantem ſecutus eſt. Eſt hoc præclarum obedientiæ fidei exemplum, quod eò illuſtrius erit, ſi cogites, quàm multa eum retinere potuerint. Nam vt de quæſtu longè vberrimo nihil dicamus, quem nondum ſub-

dum ſubductis rationibus relinquere ſtultum ſimul & iniquum videbatur, ſaltem quærere poterat, quò nam iturus eſſet Chriſtus? vnde viuat? vbi ſuis proſpiciat? quæ ipſius ſub ea futura ſit conditio? Metuendum item erat vulgi iudicium, æqualium & ſociorum inimicitia, præſidum indignatio, domeſticorum fremitus & murmur, atq; infinita alia, quæ ſi quid huius faciendum eſt, ratio noſtra nobis ſuggerit. Sed nihil huius admittit fides, quæ moram omnem abrumpere & Chriſtum ſequi iubet. Nam vt Paulus ait, captiuum ducit intellectum omnem, & Dei verbo rationes omnes ſubijcit, ſicuti multorum ſimilium exempla teſtantur. Ex his autem apparet, cur hodie plerique Deo tam difficulter obediant. Ideo nimirum, quia fides rara eſt, neq; Deo putamus credendum eſſe, niſi rem ipſam cum promiſsis eius coniunctam & præſentem adeſſe videamus. Quæ cauſa eſt, quòd car[n]is rationes atq; conſilia audimus, quæ in Dei præceptis non quid huic debeamus ſpectat, ſed potius difficultatem & pericula quærit, & cupit inuenire rationes, quibus inobedientiam ſuam excuſet. At longè aliud fidei ingenium eſt, quæ quia ex Deo tota dependet, & huic placere cupit, omnia nobis non modò poſsibilia, verumetiam leuia & iucunda reddit, dum Dei amore inflammat, quo fit, vt nihil nobis ſuauius ſit, quam huic gratum officium præſtare.

Virtus diuinæ uocationis.

Eſt etiam hîc obſeruatu dignißima virtus diuinæ vocationis apud electos. Difficile quidem eſt carni Chriſtum ſequi, & augent difficultatem hanc vehementer diuitiæ, quibus Matthæum abundauiſſe initiò diximus. Nec temere à Chriſto dictum eſt, facilius eſſe vt camelus per foramen acus tranſeat, quàm vt diuites in regnum Dei ingrediantur. At vincunt difficultatem omnem electi, quia paſtoris ſui vocem norunt, & per aures in animos tranſmiſſam ſequuntur. Debet hoc obſeruari, ne de noſtra aut aliorum ſalute facilè deſperemus, aut etiam temere damnemus eos, quos adhuc remoris difficilioribus, seu pedicis quibuſdam detineri cernimus. Qui enim Verbi ſui virtute ex tenebris lucem euocare, & vniuerſam hãc mundi machinam ex nihilo producere potuit, idem ille viã facilè inuenit, qua ſuos quando tempus eſt ex tenebrarum poteſtate in lucem educat, & ex nolentibus volentes efficiat, qui abiectis omnibus impedimentis ipſum ſequantur.

Matthæus Chriſtum conuiuio excipit.

At non modò vocantem Chriſtum relicto telonio Matthæus ſequitur, ſed eundem domum ſuam deducit, & conuiuio excipit honorario, ad quod multi publicani & peccatores (id eſt, qui etſi non eiuſdem ordinis eſſent, flagitijs tamen & vitijs inſignioribus infames erant) confluxerunt. Quia enim publicani (vt alias diximus) Iudæis exoſi erant, neq; ad honeſtorum conſortia admittebantur, facilè in ſuam ſocietatem recipiebant eos, qui propter vitæ genus inhoneſtum aut mores minus laudatos excludebantur ab ijs, qui reliquis honeſtiores volebant videri. Proderit autem conuiuium iſtud cum ſuis conuiuis propius inſpexiſſe. Nam in genere quidem hoc exemplo hoſpitalitas nobis commendatur, & arguuntur rigidi illi Catones, qui dum honeſtatem & virtutis ſtudium præ alijs ſimulant, omnia ferè humanitatis officia damnare ſolent: quaſi nefas ſit aliquem conuiuio lautiori excipere, & aliquas impenſas facere extraordinarias. Confutantur illi multorum ſanctorũ exemplis, & imprimis Chriſti, quem eiuſmodi epulas non ſemel ſua præſentia ornauiſſe legimus. Interim minimè probamus luxum & intemperantiam, quibus hodie paßim peccatur, ſed humanitatem docemus, quæ facilè omni culpa vacabit, ſi omnia ex charitate ſyncera fiant ſecundùm fidei regulam, quæ à Dei verbo nos diſcedere non ſinet. Quoad verò Matthæum, gratitudinis officium ille præſtat Chriſto, & quid nos eidem debeamus docet pro eo beneficio, quo infelices ex diaboli ſeruitio in libertatem filiorum Dei aſſeruit. Excipiamus illum totis animis, & nos ipſos ei ſiſtamus viuentem hoſtiam, Rom. 12. *quo nullum epulum lautius & iucundius illi parari poterit. Deinde in membra eius benefici ſimus, quo loco nobis eſſe debent, quicunque ipſum vera fide amplexi ſunt. Neque iſtos ſolùm diligamus, ſed regnum illius quàm latißimè propagemus ad eos quoque, qui ab eius cognitione adhuc alieni ſunt. Et huc referri debet, quòd Matthæus alios quoque complures ad epulum iſtud admittit, vt nimirum ſalutis ſocios habeat, quos paulè ante ſcelerum ſocios habuerat. Iubet hoc gloria Dei, cuius nos ſtudioſißimos eſſe decet, & hoc ipſum charitatis lex præcipit: quam minimè ſeruant, quicunque aliorum ſalutem ſecuri negligunt. Quales autem cenſeri debent, qui quos Chriſto adducere debebant, effreni morum licentia & vitæ exemplo corruptißimo offendunt? Eſt hoc nimis vulgare hodie, neq; dubium alicui eſſe debet; Deum hoc potißimum nomine nobis iraſci, quòd tam exiguà gloria ipſius cura tangimur.*

Eſt præterea obſeruatu digniſſima publicanorum facilitas, qui Matthæum accedere dignantur, quem ab ordine ipſorum defeciſſe videbant. Solent enim ferè qui vitijs aſſueuerunt vehementer offendi, ſi qui deſerta ipſorum ſocietate ad vitæ genus honeſtius tranſeunt. Imò quia iſti Chriſtum quoque non oderunt neque faſtidiunt, qui Matthæum ab illis abſtraxerat, non obſcurè teſtantur, ſe etiam veritatis & ſalutis ſtudio teneri. Quia enim ea erat ipſorum conditio, vt peccata ſua neq; negare neq; diſſimulare poſſent, faciliùs excitari potuerunt ad recipiendam pœnitentiæ & ſalutis æternæ doctrinam, quam Phariſæi propriæ iuſtitiæ fiducia turgentes faſtidiebant. Quòd verò iſtorum menſæ adeſt Chriſtus Dominus, conſolationem dulciſſimam affert afflictis conſcientijs. Eo enim teſtari voluit, quòd ad ſe conuerſos verè in gratiam recipiat, & amicorum loco habeat. Minimè ergo audiri debent, qui noua quotidie ſatisfactionum atque expiationum genera fingunt, quibus infirmorum animos territant. Nos potius vocantem nos Deum audiamus, & relicto mundi & principis eius infelici ſeruitio Chriſtum Ieſum ſequamur, qui vt in huius vitæ ſtadio laborantibus adeſt, ita hoc emenſos ad ſe colligit, vt in domo patris ſui eadem cum illo menſa fruantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LII.

Quí autem ex eis erant Scribæ & Phariſæi, murmurabant aduerſus diſcipulos eius, dicentes: Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Et reſpondens Ieſus dixit eis: Non opus eſt ijs qui ſani ſunt, medico: ſed ijs qui malè affecti ſunt. Non veni vt vocarem iuſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam.

Vide Marcum homil. 19.

MVltis quidem & magnificè gratiam Dei nobis ſcripturæ commendant: ſed quia immani ſcelerum pondere oppreſſis & iuſtam Dei iram intra animos ſuos verè ſentientibus nulla verba ſufficiunt, exempla plurima proponunt eorum, qui ex peccati ſeruitio erepti, non ſolùm cum Deo in gratiam redierunt, ſed præclara quoq; miſericordiæ & gloriæ vaſa facti ſunt. Eſt inter illa non poſtremum, quod in Matthæi conuerſione Euangeliſtæ proponunt, qui & peccatorum ſuorum remiſſionem gratuitam inuenit, & ex publicano infami Ieſu Chriſti diſcipulus, & gratiæ in hoc nobis exhibitæ præco factus eſt. Continet ea hiſtoria dulciſſimam conſolationem ſimul & doctrinam neceſſariam de eorum officio, qui Dei bonitatem ſentiunt. At quia non omnium ea eſt induſtria vt quæ cognitu neceſſaria ſunt obſeruent, ipſe Chriſtus exempli huius vſum modò exponit, & idem omnium hominum inſtitutioni atq; conſolationi accommodat.

Phariſæi Chriſtum calumniantur.

Occaſionem huic tractationi præbuerunt Scribæ & Phariſæi, qui aderant. Cùm enim Chriſtum in Matthæi domum diuertere & illic cum turba publicanorum & diſſolutioris vitæ hominum diſcumbere eademq; cum illis menſa vti viderent, aduerſus eius diſcipulos murmurant, & non tam Chriſtum quàm illos accuſant. Quare (aiunt) cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis? Ita verò & Chriſtum licentiæ magiſtrum fingunt, & diſcipulos ſtultitiæ inſimulant, qui temere hunc ſibi doctorem elegerint, relictis melioribus. Quaſi dicerent. Egregius ſanè magiſter, & dignus, quem relicta religione patria ſectemini, qui vos publicanis & ſceleratis aggregat, quorum conſortio ipſe delectatur. Si hoc quærebatis, licebat vobis ſine illo talibus eſſe, neq; opus erat ſciſma facere, quod ſimul religionem turbaret & populum totum in partes diſtraheret, &c. Fuit hæc non leuis tentatio ijs, qui adhuc infirmiores & rerum imperiti erant: & eò grauius eos offenſos fuiſſe non eſt dubiũ, quòd iſta Scribæ & Phariſæi exprobrabant, ex quibus illi rerum diuinarum cognitionem profitebantur, hi

Scribæ & Phariſæi hoſtes Chriſti acerrimi.

verò præ alijs iuſtitiæ & ſanctitatis exiſtimationem præcipuam ſuſtinebant. Et mirum videri poterat, iſtos paſſim Chriſto aduerſatos eſſe, niſi Scribas circa patrum traditiones & inutiles genealogias potius quàm circa Legis & prophetarum lectionem occupatos, Phariſæos autem ſuperba iuſtitiæ fucatæ fiducia ebrios fuiſſe ſciremus: quæ cauſa fuit, vt non poſſent non odiſſe Chriſtum, qui vtrique ordini laruam detrahebat, vt minor iam eſſet eorum apud pleroſq; authoritas. Eſt hoc probè obſeruandum, ne offendamur, quando hodie etiam Euangelio Ieſu Chriſti ſeſe præ alijs hoſtiliter

opponunt

opponunt, qui vulgo ſapientiſſimi, doctiſſimi & ſanctiſſimi putantur. Nunquam enim humanæ ſapientiæ cum diuina conuenit, & diuinæ iuſtitiæ ſplendorem non ferre poſſunt hypocritæ, qui ſeſe inani fuco venditant. Nam vt noctuæ in tenebris aliquem oculorum vſum habent, in Sole autem cæcutiunt: ita illi dum ſuperſtitionum & humanarum traditionum tenebræ mentes hominum occupant, oculatiſſimi videntur, at exorto Chriſto, æterno iuſtitiæ Sole, cæciſſimi fiunt, & plus quàm ridiculos ſeſe præbent pijs; dum in luce meridiana ipſi ſibi tenebras offundũt. Dolet id illis, qui religionẽ omnem quæſtu metiuntur, & de ſua potius quàm Dei gloria ſoliciti ſunt: ideoq́ omnem lapidem mouent, vt lucem veritatis extinguant, quod cùm non poſſint, calumnijs ſaltem illam apud imperitos ſuſpectam & inuiſam reddunt.

Artes hoſtium ueritatis.

Imprimis autem proderit in Scribis & Phariſæis iſtis artes obſeruaſſe, quibus veritatis hoſtes vti conſueuerunt. Primò non ipſum Chriſtum adoriuntur, quem ad reſpondendum inſtructum eſſe ſciebant, ſed diſcipulos minus adhuc exercitatos, & quos ſuæ authoritatis ſplendore nonnihil terreri poſſe ſperabant. Itaque rei militaris peritos duces imitantur, qui vrbes illic loci oppugnant, vbi minus munitas eſſe vident: quod vetus Satanæ ſtratagema eſſe, ex primorum parentum hiſtoria & infinitis alijs exemplis apparet. Et Chriſti factum ſic accuſant, vt culpam in ipſos quoq́ diſcipulos redundare oſtendant, qui ipſum imitentur. Faciunt idem hodie aſtuti quidam, qui apud populum rudiorem & opifices, vel etiam apud mulierculas, multa in adminiſtrorum Verbi Dei contumeliam dicunt, & quæſtiones mouent, quibus homines imperitos intricari poſſe putant, atque inde ipſis inſultandi occaſiones venantur. Deinde vicio vertunt quod per ſe non malum erat, & facilè poterat excuſari, cùm in peccatorum gratiam nihil vnquam feciſſet Chriſtus, repræhenſione dignum. Ad de his, quòd dum illum ſine cauſa accuſant, interim ſecuri negligunt turpiſſimos errores & immania flagicia, quæ illis Chriſtus non ſemel exprobrauerat. Eſt hoc proprium calumniatoribus, quòd alienis delictis ſua tegere ſatagunt, & vt hoc poſſint multa fingunt, multa item in peiorem partem interpretantur: & hoc imprimis hypocritæ faciunt, qui aduerſus Veritatis doctrinam iampridem coniurauerunt. Quò magis nos aduigilare decet, ne illorum calumnijs & mendacijs nos ſeduci patiamur. Eſt enim hæc ſors miniſtrorum Euangelij, vt calumnias omnino effugere non poſſint; eò quòd nunquam non in illis inuenit infelix mundus, de quo quiritetur. Aſſerit tamen ſuorum famam & honorem Dominus, quod in præſenti quoq́ factum fuiſſe audiemus.

Chriſtus phariſæos confutat.

Audita enim aduerſariorum calumnia Chriſtus, mox cauſam ſuſcipit, & ita factum ſuum tuetur, vt illorum errorem ſimul perſtringat, qui duplex erat. Nam & officium ipſius ignorabant, & (vt paulò ante diximus) ſuorum delictorũ ſecuri alios nimis inſolenter faſtidiebant. Conſtat autem tota reſponſio ſententijs grauiſſimis, quas inſpexiſſe proderit ex ordine.

Ab officio aut fine.

Prima prouerbialis eſt, & ſimili conſtat omnibus noto & ad rem præſentem commodiſſimo. Non opus eſt ijs (inquit) qui ſani ſunt, medico: ſed ijs, qui malè affecti ſunt. Argumentum ita formari poterit: Medici eſt eos viſere & curare, qui eius conſilio & arte imprimis opus habent, ægrotos nimirùm & morbis affectos: Atqui ego animarum medicus veni, vt peccatis laborantibus ſalutarem medicinam adhibeam: Ergo peccatores non (vt vos ſoletis) faſtidire, ſed amicè cum illis verſari & ad meliorem frugem reducere debeo. Huic argumento apud Matthæũ grauem ignorantiæ exprobrationem ſubijcit, dicens: Quin potius ite & diſcite quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Extat locus iſte apud Hoſeam ſexto cap. vbi Deus Iſraelitas hoc nomine accuſat, quòd pœnitentiam theatricam & momentaneam ſolùm agerent, & circa externos ſacrorũ ritus occupati beneficentiæ officia & quæ ad ipſius cognitionem faciunt negligerent. Erat ergo non leuis iſtorum culpa, qui cùm ſcripturarum cognitionem profiterentur, ad eundem tamen cum patribus lapidem offendebant. Neq́ dubium eſt, quin vehementer illis doluerit hæc exprobratio, cùm ſoli ſapere & ſanctiſſimi videri vellent. Sed eò grauius arguendi ſunt tales, vt intelligant ſibi cum Deo rem eſſe, qui externis laruis minimè fallitur.

Peccatores ægrotis conferuntur.

Obſeruatu autem digniſſimum eſt, quòd peccatores infirmis aut ægrotantibus ſimiles facit Chriſtus. Ita enim & infelicem eorum conditionem exprimit, & eoſdem ſimul officij admonet vt nimirum periculi ſui memores ſibijpſis nequaquam blandiantur, ſed de medicina ſeriò cogitent, & ſeſe

offerentem medicum admittant. Eſt doctrina hæc admodum neceſſaria, eò quòd pauci intelligunt, quàm exitialis ſit peccatorum ſeruitus, & plerique ſibi blanditias fingunt, ne morbos ſuos agnoſcere & fateri cogantur. Quæ cauſa eſt, quòd in peius quotidie proficiunt, & tandem in peccatis ſuis moriuntur. Excitet ergo nos tanti periculi conſideratio, & moueat ſimul medici noſtri facilitas atque indulgentia.

Chriſtus medicus. Eſt is Chriſtus Ieſus, qui cùm ipſe in aſſumpta carne infirmitates noſtras ſenſerit, facilè nobis condolere poteſt, neque aliud in votis habet, quàm vt miſeros & iam perituros ab interitu auocet. Itaque bis peccant, qui non contenti delictis prioribus, inſuper illum quoque manum ſaluificam ſibi admouentem reijciunt. Errant in eo non ſolùm ſcelerati illi, qui ſe totos ad omnem impietatem deuouerunt, verumetiam multi non mali, qui dum Chriſtum ex ſuo ingenio æſtimant, ad ipſum accedere verentur, & proinde alios ſibi Mediatores atque Seruatores quærunt. At cùm ipſe, vt peccatores ſaluos faceret, in terras haſce deſcenderit, præpoſterè religioſi ſunt, qui ſibi ab illo timent, & ex medico indulgentiſſimo iudicem, vel potius carnificem crudelem fingunt. Seruit etiam Chriſti exemplum ijs confutandis, qui peccatores faſtidiunt, & plus quàm cenſoria ſeueritate omnes à ſacrorum & eccleſiæ communione excludunt, quos aliqua inſigniori labe affectos eſſe vident. Clamant illi indigniſſimum eſſe, vt ad eccleſiæ, ſponſæ Chriſti immaculatæ, ſocietatem admittantur, quorum vitia manifeſta ſunt omnibus: impium item & prophanum Sacramentorum eccleſiæ abuſum eſſe aiunt, ſi eodem baptiſmo electi & reprobi tingantur, & ad eandem Chriſti menſam boni cum malis accedant. Sed vtinam illi omnes de colligendo potius quàm de excludendo & diſſipando ſoliciti eſſent, & ſeipſos penitius inſpicerent. Viderent enim procul dubio, ſe eodem cum Phariſæis & Scribis errore teneri, dum & ſeipſos falſæ iuſtitiæ fiducia fallunt, & Chriſti officium ignorant, imò hunc in nobis accuſant, dum illud in nobis reprehendunt, quod ipſum olim feciſſe conſtat: quando eodem cum publicanis & hypocritis baptiſmo ipſe tinctus eſt, promiſcuè omnes ad Verbum audiendum admiſit, Iudam proditorem menſæ ſuæ adhibuit, denique inter latrones medius pendere & peccatum fieri voluit, vt nos in ipſo iuſtitia Dei efficeremur. Interim legitimam eccleſiæ diſciplinam non damnamus, ſed ne huius prætextu & inconſulta temeritate eccleſia diſſipentur, admonemus.

Chriſtus uenit ut peccatores ſeruet. Sed alteram Chriſti ſententiam videamus, qua priorem ipſe interpretatur, dicens: Non veni vt vocarem iuſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam. Iuſtos vocat eos, qui propriæ iuſtitiæ fiducia efferuntur, ſeque pro iuſtis venditant: & aduerſarios ſuos perſtringens ſimul rationem reddit, cur cum publicanis & peccatoribus potius, quàm cum ipſis commercium habeat. Et eſt ratio hæc grauis admodum, eò quòd à fine aduentus Chriſti in carnem ſumitur, qui non alius conſtitui poteſt, quàm vt miſeri & iam perituri peccatores ad Deum conuerſi ſeruentur. Eſt igitur ſententia hæc plena conſolationis, & ſola ſufficere poteſt aduerſus conſcientiæ terrores, quibus nos exagitat Satan, dum perſuadere conatur, nos propter ſcelera noſtra Deo ita inuiſos eſſe, vt ne pœnitentiam noſtram ille admittere poſſit aut velit. At tanto maior apud nos eſſe debet fides Chriſti, cui Paulus ſubſcribens dixit:

1.Tim.1. Fidus eſt hic ſermo, & modis omnibus dignus quem amplectamur, quod Chriſtus Ieſus venit in mundum, vt peccatores ſeruaret. Neq; hic aliquem terreat ſcelerum multitudo ſiue atrocitas, quando nos ab ipſo Chriſto inuitari ſcimus, qui (vt ipſe ait) neminem ad ſe venientem eijcit, nec vnquam aliquem eorum aſpernatus eſt, qui ſerio pœnitentiæ ſtudio attenſi per ipſum Deo patri reconciliari cupiuerunt.

Peccatores. Continet præterea hæc ſententia vniuerſam doctrinam de ſalute noſtra, & ideo hoc etiam nomine digniſſima eſt, cuius ſingulas voces diligentius conſideremus. Primò enim peccatores nominantur, quibus ſeruandis Chriſtus venerit. Atqui peccatores quidem ſunt omnes homines, non autem omnes ſeruantur, quia de illis ſolis ſermo eſt, qui ſe peccatores eſſe agnoſcunt, & medicum admittunt, vt modò diximus. Voluit tamen abſq; omni diſcrimine ſic loqui Chriſtus, vt omnes ſimul comprehenderet, qui ſuæ vitioſitatis & ex ea manantium ſcelerum ſenſu oppreſſi gratia Dei ſibi opus eſſe intelligunt, & ſalutem in ipſo quærunt. Non eſt enim reſpectus perſonarum apud Deum, & in Chriſto non eſt Iudæus neq; Græcus, non liber neq; ſeruus, non mas aut fœmina. Errant itaque ipſi, qui ſibi noua diſcrimina fingunt, & Dei promiſſiones, quas hic ad omnes credentes extendit, pro ſui cerebri figmento ad pauciores reſtringunt. Deinde author atq; mediator ſalutis noſtræ vnus Chriſtus monſtratur,

monſtratur, quem ſolum nobis pater æterno decreto prædeſtinauit, vt noſtra iuſtitia, ſatisfactio, ſanctificatio & redemptio fieret. De quo apoſtolicum illud teſtimonium extat: Non eſt in quoquam alio ſalus: neque enim eſt aliud nomen ſub cælo datum inter homines, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Atqui ipſe in Euangelio clamat: Ego ſum Via, & Veritas, & Vita: Nemo venit ad patrem niſi per me. Tertiò modum & rationem, qua ad ſalutem venitur, Chriſtus exprimit, quando peccatores abs ſe vocari ait. Eo enim & gratiam Dei nobis commendat, & quid nobis in hac apprehendenda facto opus ſit, docet. Loquitur enim de vocatione efficaci, cui tractus ſpiritus ſancti (de qua alibi dixit) coniunctus eſt. Atqui gratuitũ hoc eſt Dei beneficium, quòd qui à nobis inuocari debebat, prior nos vocat, & ſua vocatione excitat, vt nobis ſalute opus eſſe ſentiamus, deq́ illa ſeriò cogitemus. Exemplum huius gratiæ in primo parente edidit, quem fugientem & ſe nequicquam occultantem, niſi Deus vocauiſſet, in fuga illa totus periturus erat. Et quod tunc accidit, in nobis ipſis etiam experimur, quos ferè ſecuros & ſalutis propriæ negligentes per Euangelij prædicationem & ſpiritus ſui ſuggeſtionem vocat atque mouet, vt ad ipſum conuerſi ſalutis conſilium admittamus. At tunc demum ſalutaris erit vocatio illa, ſi nos vocantem ſequamur, & ei nos præbeamus regendos. Fide ergo opus eſt, quæ ſola Verbum dignè audit, & eius ſemen animis noſtris inſerit, vt ex eo renati debitum Deo præſtemus obſequium. Ideo fide ſeruari & iuſtificari dicimur. Et poterant iſta multis explicari, niſi conſultò breuitati ſtuderemus, cùm de his non ſemel prolixè ſit dictum. Poſtremò finem quoque vocationis noſtræ, quoad huius vitæ curriculum, Chriſtus nobis indicat, pœnitentiam vel reſipiſcentiam: nimirum vt ijs occurrat, qui gratia Dei & merito ipſius ad peccandi licentiam abutuntur. Fuit horum ingens numerus ſemper, & hodie tales paſſim regnant, qui etiam cauſa ſunt, vt Euangelium apud multos malè audiat. Atqui longè alius eius finis eſt. Ideo enim nos ante mundi creationem in Chriſto elegit Deus, & ideo nos per Euangelium vocat, vt ipſius efficiamur peculium, & ad ipſum conuerſi inculpatam & ſanctam vitam viuamus, atque eius virtutes prædicemus, qui nos euocauit ex tenebris in admirabilem lucem ſuam. Eſt ergo inexcuſabilis eorum ingratitudo atque contumacia, qui cùm Chriſto & ſalute eius merito acquiſita glorientur, ea tamen faciunt, quibus innumeri alij offenduntur, ne ad Chriſtum & eccleſiam eius accedant. Sentient illi procul dubio pœnas, quas ſcandalorum authoribus ille iam olim conſtituit. At quia de pœnitentia alibi diximus, inde petantur, quæ ad pleniorem huius loci interpretationem faciunt. Nunc vſum horum omnium conſideremus ô fratres. Agnoſcamus nos miſeros & propter peccata exitio dignos eſſe. At ſimul incomparabilem quoque Dei bonitatem agnoſcamus, qui cùm nulla alia ſalutis ratio reſtaret, filium ſuum vnigenitum miſit, vt non medicum modò fidum ageret, ſed ſeipſum pro nobis in mortem traderet. Vocat hic nos per Euangelium, vt relictis prioribus ſtudijs ad Deum conuertamur, & conuerſis ſui regni conſortium pollicetur. Audiamus ergo vocantem & ſequamur, vt huius vitæ ſtudium emenſi, cum illo in cælis viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Modus ſeruandi peccatores.

Finis uocationis pœnitentia.

Epheſ. 1.
1. Pet. 2.

HOMILIA LIII.

Ipſi autem dixerunt ei: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant crebrò, & deprecationes faciunt, ſimiliter & diſcipuli Phariſæorum, tui verò edunt & bibunt? Ipſe autem dixit eis: Num poteſtis facere, vt filij thalami, quo tempore cum ipſis eſt ſponſus, ieiunent? Aderunt autem dies, cùm tolletur ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt illis diebus.

MVlta quidem ſapientiæ & omnipotentiæ diuinæ argumenta ſunt, at inter ea ferè primatum tenet, quod Chriſti regnum aduerſariorum conatibus & conſilijs adeò non poteſt euerti aut obſcurari, vt potius per illa prouehatur atque illuſtretur. Quod ipſum in Veritatis etiam doctrina accidere ſolet, quam dum hypocritæ oppugnant, ſua ſophiſtica eam illuſtriorem reddunt, ſuam verò produnt inſcitiam cum impietate coniunctam. Exempla, quibus hoc probetur, in hiſtoria Chriſti multa occurrunt, inter quæ admodum memorabile eſt, quod in ea actione habetur; quæ illi poſt

Vide Marcum homil. 20.

vocatum Matthæum cum Phariſæis interceßit. Cùm enim inter publicanos accubuiſſet, ex eo illi ipſum accuſandi occaſionem arripiunt, vt oſtendant licentiæ & nequitiæ patronum eſſe, qui cum illis familiarius viuat, qui & ſceleribus infames erant, & cum publico patriæ incommodo Romanæ tyrannidis ſe præbebant miniſtros. Ad iſtam verò calumniam ita Chriſtus reſpondit, vt perſpicuè ea explicarit, quæ ad ipſius & ſalutis communis cognitionem pertinent, & quorum conſideratio nobis in omni tentationis genere conſolationem certam & efficacem afferre poteſt. Cæterùm non quieſcit animus impiorum, & ideo nullæ rationes ipſis ſufficere poſſunt, vt Veritati ſeſe ſubijciant. Itaque nouus congreſſus ſequitur, quo illi Chriſtum adoriuntur, cuius exitus non minus felix eſt. Nam non ſolum ſuam atque diſcipulorum innocentiam tuetur Dominus, verumetiam aduerſariorum incurabilem malitiam eiusque fontes arguit, & ſimul tractationi huic doctrinam inſerſerit de ieiunijs, quæ vniuerſam diſciplinæ Chriſtianæ rationem cum multis alijs, quæ cognitu neceſſaria ſunt, comprehendit.

Aderſarij Chriſti.

Porro videamus ante omnia, qui nam Chriſti aduerſarij fuerint. Lucas cœptam narrationem perſequens eoſdem facit, qui prius cum illo litigarant, Scribas nimirum atque Phariſæos: Marcus autem his coniungit Ioannis quoque diſcipulos, quos illi in partes ſuas pertraxerunt, ne ſoli hoſtes Chriſti viderentur. Imò Ioannis diſcipulos ita illi ſubornarunt, vt ipſi quæſtionem hanc nouam Chriſto propoſuerint, & huius certaminis fuerint inſtauratores, vt apud Matthæum eſt videre. Fuit hoc illis non difficile factu, eò quòd inter Phariſæos & Ioannis diſcipulos quoad ieiunia & vniuerſam victus rationem magna ſimilitudo eſſet, Chriſtus verò diuerſam rationẽ ſequendo vtroſque ſimul damnare videretur. Et Ioannis diſcipulos adhuc rudiores, adhæc Chriſti æmulatores fuiſſe, ex alijs locis apparet. Itaq; ſe à Phariſæis in ſocietatem trahi patiuntur, immemores planè ſui præceptoris, qui illos à Chriſto pendere iuſſerat. Admonemur hoc exemplo, quæ ſit hoſtium Veritatis aſtutia, quando eos quoque aduerſus Chriſtum armare poſſunt, qui huic coniunctißimi eſſe debebant. Erat Ioannes Chriſti miniſter & amicus, in hoc vnum incumbens, vt quàm plurimos illi adduceret. At qui ipſi nomen dederant, Phariſæorum dolis ſeſe circumueniri ſinunt, vt ſuam his operam præſtent aduerſus Chriſtum, quem Ioannes ſupra omnes eminere cupiebat. Et quidem cum Phariſæis coniurant, qui Ioannem non minus quàm Chriſtum oderant. Tanta eſt æmulationis vis, quæ tunc in apertas inimicitias erumpit, quando aliqua ſententiarum & externorum rituum diuerſitas aut ſaltem diuerſitatis ſpecies ſiue ſuſpicio accedit. Tantum certè hoc potuit apud iſtos, vt in ſola externa intenti, Ioannis de Chriſto teſtimonia prorſus neglexerint, & impijſſimis hoſtibus ſeſe coniunxerint, qui illum cum tota Veritatis doctrina extinctum volebant. Videtur hoc multis admirabile, ſed vtinam non etiam hodie huius generis exempla extarent, quæ vt vetera minus miremur monent. Reuelata eſt noſtris temporibus ſingulari Dei beneficio Veritatis Lux, quæ ſub Papiſticarum ſuperſtitionum caligine aliquot ſeculis obſcura latuerat. In eius cognitione alij, alijs plus profecerunt, & multi Papatu ſimul omni abiecto eccleſias ſuas ab omni fermento humanarum traditionum repurgarunt: alijs interea imagines, ſacrorum externorum ritus & craſſam atque ſuperſtitioſam de corporali Chriſti in Cœnæ vſu præſentia atque manducatione opinionem mordicus retinentibus. Peperit iſta diſsimilitudo contentiones grauiſsimas inter eos, qui primi Veritatis euangelicæ inſtauratores fuerunt, & his in partes ſciſsi ſunt, qui vnum Chriſtum profeſsi in eandem fidem totis animis coaleſcere debebant. Hinc factum, vt multi æmulatione cæca & contentionis impetu abrepti, apertis Euangelij hoſtibus aures præbeant, Pontificum & Regum edicta probent, quibus illi ſuperſtitionum euerſores & germanos Ieſu Chriſti diſcipulos proſcribunt, quid, quòd multi carnificibus impijs tantum non enſes & faces in manus tradunt, quibus eos crudeliter occidant, qui cum ipſis inſanire nolunt? Scio hoc durum dictu & auditu intolerabile multis videri. Sed quid aliud faciunt, qui diſſenſionibus eiuſmodi in eadem vrbe exortis, ſuas vires cum Papiſtis coniungunt, vt fratres in nonnullis diſſentientes opprimant? Turpe illis videtur à recepta & per multos annos defenſa ſententia diſcedere. Sed vtinam cogitarent, quantò turpius ſit Veritatem oppugnare, in fratrum viſcera ſæuire, & hoſtium Chriſti rabiem augere atque iuuare. Inuſſerunt ſibijpſis perpetuam infamiæ notam Ioannis diſcipuli, qui cum Phariſæis conſpirauerunt, vt ſui magiſtri authoritatem tuerentur. Accidet idem omnibus, qui hodie cum phariſaicarum ſuperſtitionum pro-

Ioan. 3.

Aſtutia hoſtiũ ueritatis.

num pro-

num propugnatoribus coniurant, ne quando errauiſſe aut in pugna ſuccubuiſſe videantur. Vos autem vtrinque hortor ô fratres, vt communis periculi memores charitatem inter vos foueatis mutuam, neque contentionum materiam ex ijs petatis, quæ Chriſtus Chriſtianæ ſocietatis ſymbola eſſe voluit. Turpis & infelix nimiùm eſt victoria, quæ cum publico eccleſiæ ſcandalo coniuncta eſt, & in qua apertis Chriſti hoſtibus laniandi propinantur; pro quibus ipſi mortem oppetere debebamus. Neque diu fruentur victoriæ ſuæ fructu, qui dum fratres opprimunt, ſuas copias minuunt atque infirmiores reddunt. Et quia inſatiabilis eſt hoſtium Veritatis rabies, non quieſcunt vna parte oppreſſa, donec alteram quoque opprimant, cuius opera prius inſidiosè abuſi ſunt. Fit etiam plerunque (quod Paulus monuit) vt qui ſe inuicem mordent atque deuorant, alij ab alijs conſumantur. Sint ergo ſuſpectæ nobis eiuſmodi hominum amicitiæ, qui Chriſti eccleſiam apertè oppugnant: & quò minus illi apud nos poſſint, omnem inter nos diſſenſionis ſpeciem diligenter vitemus: ita tamen, ne ſuam cuiquam eripiamus libertatem in ijs, quæ per ſe media & indifferentia ſunt.

Quæſtio mouetur de ieiunijs.

At ne longius æquo excurramus, quæſtionem videre oportet, qua Chriſtum illi aggreſſi ſunt. Quare (inquiunt) diſcipuli Ioannis ieiunant crebrò & deprecationes faciunt, ſimiliter & diſcipuli Phariſæorum, tui verò edunt & bibunt? De ieiunijs ergo quærunt, quibus antiquitus preces coniungebantur, vt ex Chriſti verbis patet, qui à diſcipulis de ſpiritu immundo, quem ipſi non potuerant eijcere, interrogatus reſpondit: Hoc genus nulla re poteſt exire, niſi oratione & ieiunio. At hic de illis agitur, quæ ipſi ſecundùm patrum traditiones obſeruabant. Olim etenim vnum modò ieiunium Deus inſtituerat, quod in feſtum expiationum incidebat, & publicè ab omnibus agebatur. At poſteri (vt in Prophetarum ſermonibus apparet) varijs de cauſis plura commenti ſunt, quæ & ipſa certis diebus obſeruari ſolebant. Nam apud Zachariam mentio fit ieiunij, quod menſe quintò & ſeptimo fiebat ab ijs, qui in Babylone degebant: eò quòd in menſe quinto vrbs cum templo exuſta ipſi verò in Babylonem tranſlati eſſent: ſeptimò autem menſe Godolias occubuiſſet, quæ nouæ diſperſionis occaſio fuerat. Et pium erat tantæ cladis memoriam fouere, quò magis ad pœnitentiam & preces excitarentur. Et ab Heſtera atque Mardochæo dies Purim inſtitutos fuiſſe legimus, in quorum initio ieiunijs & precibus vacabant, poſtea autem læti epulabantur, vt & periculi publici, quod toti Iudæorum genti Haman ſtruxerat, memoriam ſeruarent, & Deo pro liberationis beneficio dignas gratias agerent. Cuius generis multa poſteris quoque temporibus inſtituta fuiſſe credibile eſt. Sed non ſuffecerunt iſta ijs, qui alijs ſanctiores & religioſiores haberi voluerunt: ideo ipſi frequentius ieiunabant, & quidem bis in hebdomade (vt infra Capite decimo octauo in phariſæi exemplo Chriſtus docebit) idque non ſine publica oſtentatione, vt idem apud Matthæum Capite ſexto innuit. Etſi verò Ioannes ſuperſtitioſam ieiuniorum eiuſmodi obſeruationem minimè probaret, eos tamen imitari videbatur, cùm ita viueret, vt tota eius vita ieiunium perpetuum videri poſſet: neque dubium mihi eſt, multos ex eius diſcipulis à Phariſæorum moribus non procul abfuiſſe, cùm in Ioannis doctrinam minus intenti eſſent, neque in eam rationem reſpicerent, quæ ipſum mouebant, vt ex Dei inſtituto vitæ genus ſeuerius ſequeretur. At Chriſtus vitæ rationem liberiorem ſequebatur, neque diſcipulos ſuos ad ieiunia certa ſine ſtata obſtringebat, eò quòd ſui officij eſſet, abolito cultu Leuitico & vmbratili religionis exercitio, hominum mentes ad cultum ſpiritualem aſſuefacere. Hinc ergo diſputandi occaſionem arripiunt, & vt Chriſtum magis inuiſum reddant, vt qui ventris & gulæ ſtudio diuerſam ab ipſis & Ioannis moribus viuendi rationem ſequatur, non ſine ſtomacho dicunt: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant crebrò, & deprecationes faciunt, ſimiliter & diſcipuli Phariſæorum, tui verò edunt & bibunt? Et quàmuis in ipſo Chriſto nihil reprehendere poſſint, quod intemperantiæ ſuſpicionem iuſtam præbeat, hoc tamen illi exprobrant, quòd diſcipulis per ipſum liceat edere & bibere, dum alij ieiunijs & precibus vacant. Ita verò crimen, quod prius illi intentarunt, probare volunt, quod diſſolutorum hominum ſocius & licentiæ magiſter ſit. Et maius erat iſtius criminis pondus, quòd ieiunia illa (vt ante diximus) patrum authoritate & publico optimorum quorumque exemplo niterentur; inter quos Ioannes totius populi iudicio eminebat.

Marc 9.
Leui. 16. & 23.
Zach. 7. & 8.

Diſcipulorum factum exprobratur Chriſto.

Eſt autem obſeruatu digniſſimum, quòd Chriſto exprobrant id, quod diſcipuli faciebant. Eo enim odium ſuum produnt, eorum ſimiles, qui ſi quos oderunt, eorum domeſticos & liberos inſidiosè

obſeruant, vt aliquam inueniant calumniandi occaſionem. Fit hoc ipſum frequenter hodie, vt in Euangelij contumeliam rapiantur, quæ ab ijs præter officium fiunt, qui illius doctrinam profitentur. Et tanta eſt odij contra veritatem vis, vt nullum vitium tam leue ſit, quod impij non poſſint amplificando capitale facere. Hic certè ſummum flagitium eſſe ducunt, quod diſcipuli Chriſti edant & bibant alijs ieiunantibus: quaſi verò ne edamus & bibamus Deus alicubi prohibuerit. Quò magis nos anniti decet, ne vel licentia immoderata vel inconſulta libertatis Chriſtianæ abuſu aduerſarijs anſam demus aliquid dicendi, quod fidei doctrinam infirmis & rerum imperitis ſuſpectam aut inuiſam facere poſſit.

Chriſti doctrina quo nomine accuſetur? Eſt præterea in hoc exemplo obſeruandum, quo nomine ferè accuſetur Chriſti doctrina: Eo nimirum, quòd patres & ab his traditam cultus rationem damnet, quodque ſalutis rationem tradat facilem nimis, quæ carnis ſecuritatem & licentiam peccandi pariat. Sunt hæc crimina minimè contemnenda. Hoc enim deteſtantur quicunque honeſti & boni ſtudioſiores ſunt, illud verò vnum ſufficit ad quorumuis odia excitanda, eò quòd patrum authoritas apud omnes ſacroſancta eſt, & illos damnare plerisque non modò durum, ſed impium quoque & quouis ſupplicio dignum videtur. Nemo tamen quando hæc audit, ijs tanquam nouis & inauditis antea offendatur. Scimus enim de his olim prophetas & apoſtolos accuſatos fuiſſe: imò ſufficere nobis debet, quòd iſta Chriſto obiecerunt humanarum traditionum atque ſuperſtitionum propugnatores. In vtroque autem magnam nobis iniuriam faciunt aduerſarij. Nec enim ſtatim impius eſt, qui patrum inſtituta violat aut tranſ-
Ierem. 9. greditur: Clamat equidem propheta: In via patrum veſtrorũ ne ambulaueritis. Et apud Ieremiam Iudæos propter illicitos cultus, quos à patribus ſuis didicerant, Deus corripit. Nam in duplici differentia ſunt patres. Alij veteres illi ſunt, quorum fidem Spiritus ſanctus in ſcripturis probat, quiq; à Deo traditas leges ſanctè obſeruarunt. Alij intermedij ſunt, qui relictis priorum veſtigijs ſua commenta ſecuti ſuperſtitiones inuexerunt, & verum Dei cultum corruperunt. Vt ergo à priorum patrum exemplo deflectere ſummum ſcelus eſt, ita poſteriores hos ſequi non poſſumus, niſi cum ipſis perire libeat. Nec enim vlla vel patrum vel quorumcunque aliorum hominum authoritate excuſabimur, ſi ea faciamus, quæ à Deo prohibita eſſe ſcimus. Et in religione, nõ quid homines probent, ſed quid Deus iubeat, videndum eſt. Quoad alterum crimen, notior eſt quæ hoc continetur calumnia, quàm vt multa confutatione opus habeat. Qua enim ratione licentiam peccandi inuehit Chriſti doctrina, cuius hic finis & ſcopus eſt, vt ex verbi ſemine renati nos totos per fidei obedientiam Deo ſubmittamus, vt hic in nobis & operibus noſtris glorificetur? Et portento ſimile videtur, quòd hodie nos & doctrinam Euangelicam hoc nomine tam odioſe accuſant, qui diſciplinam morum oderunt, & ideo lucem illius extinctam volunt, ne per eam arguantur, & vitæ genus, quo nimis diu aſſueuerũt, mutare cogantur.

Chriſtus diſcipulos defendit. Accedamus nunc ad Chriſti reſponſionem, quæ duabus partibus conſtat. Prima diſcipulos defendit, altera rationem oſtendit, qua aduerſarij impediantur, quò minus Veritati locum dent. In priori, quam modò recitauimus, argumento vtitur à temporis circumſtantia deſumpto, dicens: Num poteſtis facere, vt filij thalami, quo tempore cum ipſis eſt ſponſus, ieiunent, &c? Filios thalami dicit Hebraica phraſi eos, qui in nuptijs agunt, ad quas legitimè inuitati ſunt. Eſt ergo argumentum eiuſmodi: Qui nuptijs interſunt, ij nulla ratione ad ieiunandum cogi debent, quoad nuptiæ durant & ſponſus illis præſens adeſt. At mei diſcipuli me, qui ſponſus ille animarum olim à Deo promiſſus ſum, præſentem habent, & iam tempus illud eſt, quo nuptiæ cœleſtes agi incipiunt, in quibus illis locus præcipuus debetur: Ergo abſurdum foret, illos ad ieiunia & auſteriorem vitæ rationem adigere. Itaque ſinite illos hac libertate frui, neque eis ſortem meliorem inuidete, quando hæc non perpetua illis erit. Nec enim procul abeſt tempus, quando me è terris ſublato omnis generis moleſtias atque aduerſa ſuſtinebunt, & tunc illis ieiunandi cauſa nunquam non ſuppeditabitur. Petitur argumentum hoc partim ex communi hominum vſu, partim ex ſcripturis propheticis, quæ paſſim noſtram cum Deo coniunctionem, cuius nobis autor ſiue Mediator Chriſtus eſt, coniugij & nuptiarum parabolis adumbrant. Voluit autem eadem hic vti Dominus, vt diſcipulo-
Ioan. 3. rum Ioannis ſtupiditatem arguat, qui cùm ex magiſtro ſuo iampridem audiuiſſent, Chriſtum eſſe ſponſum, cui omnes coniungi oporteat, adhuc tamen illum æmulabantur. Eadem verò opera

omnes

omnes quoque arguit, qui pijs lætiorem fortunam inuident, neque aliquos Chriſtianorum loco habendos eſſe arbitrantur, quibus datur in otio & pace degere. Eſt hoc hominum genus frequens hodie, quos ſub plauſibili pietatis prætextu cæca ambitio exagitat. Ignorant illi bonitatē Dei, qui ſuos interdum indulgentius tractat, donec viribus aucti ad maiora onera ferenda poßint ſufficere. At tunc meminerimus non perpetuam eſſe pacem, quæ in hoc mundo agentibus obtingit, & ideo tunc quoque nos ad crucem præparemus, ne hac ex improuiſo obruti turpiter deficiamus. Poterit nos hîc plurimùm iuuare diligens parabolæ iſtius conſideratio, ſi nos Chriſti ſponſam eſſe & hanc coniugij legem eſſe cogitemus, vt qui huius vinculo conſtricti ſunt omnem fortunam inter ſe communem habeant. At quia huius parabolæ myſterium alibi expoſuimus, plura hoc loco addere non eſt opus. Similiter de ieiunio in Marco & prophetis non ſemel abunde dictum eſt, vnde petant Lectores, quæ in hunc locum dici poterant. Illud tamen propter ſuperſtitioſos vetuſtatis admiratores monemus, nunquam in primitiua eccleſia certas de ſtatis ieiunijs leges fuiſſe, & ſua libertate ſingulas eccleſias tunc quoque vſas eſſe, cùm res ad ſuperſtitionem inclinare iam inciperent. Rectè ergo D. Auguſtinus, Ego (inquit) euangelicis & apoſtolicis literis totoque inſtrumento, quod appellatur teſtamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium: Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non inuenio definitum. Quæ verba abunde teſtantur, humanas traditiones eſſe quæ poſteris temporibus de ieiuniorum obſeruatione facta ſunt: quarum quàm parua eſſe debeat apud pios authoritas nemo ignorat, qui Scripturæ ſacræ libros vel à primo limine ſalutauit. Noſtrum fuerit, Dei bonitatem agnoſcere, qui nos ſibi in filio ſuo deſponſare dignatus eſt, & nos illi præbere ſponſam abſque ruga & macula, hocque vnum agere, in noſtra vel intemperantia vel immunditia ſponſum hunc à nobis alienemus à quo omnis noſtra vita ſaluſque dependet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Primitiua eccleſia nō habuit certas leges de ieiunijs.

HOMILIA LIIII.

Dicebat autem eis etiam parabolam: Nemo panniculum noui veſtimenti immittit in veſtimentum vetus: alioqui & illud nouum findit vetus, & veteri non conuenit panniculus ex nouo. Et nemo inijcit vinum nouum in vtres veteres: alioqui diſrumpet vinum nouum vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres recentes inijciendum eſt, & vtraque conſeruantur. Et nemo qui biberit vetus, ſtatim vult nouum, dicit enim: Vetus melius eſt.

CHriſtus Ieſus, Dominus & Seruator noſter, ad quæſtionem de ieiunijs ita nuper reſpondit, vt paucis omnia complexus ſit, quæ de horum vſu vero & neceſſario dici poſſunt, & quæ cum veterum prophetarum doctrina probè conueniebant. Miretur ergo quis non immerito, qui factum ſit, quòd Phariſæi & qui cum his coniurauerant, nihilo meliores facti in ſua contumacia perſeuerauerint. Itaque huius mali cauſas nunc oſtendit, quam alteram ſuæ reſponſionis partem eſſe nuper diximus. Eſtque locus hic multa conſideratione dignus. Primò enim ſingulos homines docet, quid maximè cauere debeant, ſi Euangelium cum aliquo fructu audire velint. Deinde ſcandalo medetur, quod multi ſibiipſis obijciunt, quando eos incurabili peruicacia aduerſus Veritatis doctrinam pugnare vidēt, qui & in authoritate ſumma conſtituti ſunt, & vulgo optimi & ſapientiſsimi mortalium eſſe putantur. Vtitur autem pro ſuo more ſimilibus ex vſu quotidiano & re domeſtica petitis, vt facilius quod dicitur omnes intelligant, & vt nunquam non occurrat de his cogitandi occaſio. Quàmuis verò vtriuſque ſimilitudinis idem ſenſus & ſcopus ſit, præſtat tamen ſingulas ſeorſim inſpicere, vt magis faciant ad noſtram inſtitutionem.

Marcus homil. 21.

Primum his verbis proponitur: Nemo panniculum noui veſtimenti immittit in veſtimentum vetus: alioqui & illud nouum findit vetus, & veteri non conuenit panniculus ex nouo. Per vetus veſtimentum veterem & longo vſu ſtabilitam humanarum traditionum atque ſuperſtitionum

Simile ex rē ueſtiaria

aſſuetudinem intelligit, vel potius ipſos Phariſæos atq; horum ſectatores, quorum animi in illis iam pridem conſenuerant, vt nihil admittere poſſent, quod à veteri conſuetudine diſſentiret. Ex altera parte panniculum nouum dicit doctrinam Euangelij, quæ non circa ceremonias & ſuperſtitioſa corporis exercitia occupatur, ſed ipſas hominum mentes reformat, & ad altiorem veræ pietatis contemplationem atque vſum euehit. Ita verò loquitur, vt ipſorum ſenſui & captui ſeſe accommodet. Nam ſi rem ipſam rectè æſtimemus, Euangelij doctrina non noua, ſed omnium, quæ vnquam in orbe extiterunt, prima, & proinde vetuſtiſſima eſt. Nam æterno Dei decreto nititur, qui & filium ſuum vt noſter redemptor eſſet prædeſtinauit, & nos in illo elegit priuſquam mundus iſte conderetur. Primus autem eius author ſimul atque præco eſt Deus, qui cùm parentes primos ex Paradiſo eijcere vellet, peccati conſcientia & iræ ſuæ ſenſu conſternatos iſta promiſſione conſolatus eſt: Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis. Ita verò filium ſuum promiſit, qui abſque viri congreſſu ex Virgine homo factus diaboli regnum euertit, & miſeros nos ex illius tyrannide vindicauit. Eſt deinde omnibus ſeculis ſubinde repetita & inſtaurata hæc promiſſio, & eiuſdem interpretes fuerunt Moſes & prophetæ, qui vno ore omnes populum monuerunt, vt relicta ceremoniarum fiducia ſalutem in promiſſo illo ſemine quærerent. At Sacerdotum & Scribarum partim incuria partim malitia factum erat, vt plerique circa ritus externos & traditionum obſeruationem occupati neſcirent, quæ ſanctiſſimorum patrum fides fuiſſet, & ſimul Meſſiæ aut promiſſi vindicis (quàmuis hunc nunquam non in ore haberent) vera cognitione deſtituerentur. Ita fiebat, vt noua putaretur doctrina, quæ iam inde à prima rerum origine durauerat, vetuſtatis autem nomine commendaretur ſuperſtitio, quæ ineptiſſimorum hominum traditionibus non ita pridem inuectis nitebatur. Eſt hæc veritatis ſors, quam hodie etiam experimur, quando in omnium ore verſantur veteris & nouæ doctrinæ ſeu religionis nomina: vulgo autem nouitatis inſimulatur Euangelium, vetus autem & antiqua religio dicitur Papatus, cuius authores & concinnatores aliquot demum poſt Apoſtolorum tempora ſeculis exorti ſunt, neque eodem ſimul tempore omnes vixerunt. Quæ cauſa eſt, quod plerique ad Euangelij prædicationem non ſecus quàm ſi Troglodytas aut Garamantes loquentes audirent, obſtupeſcunt, multi verò illam ſub inuidioſo nouitatis prætextu hoſtiliter perſequuntur. Debemus nos quoque mălùm hoc perſonatis præſulibus, qui religionem ſibi quæſtum fecêre, & vulgi ignorantiam fouent, ne quando è gradu ſuo deijciantur. Quò magis omnes anniti decet, vt Veritatem ex ipſis ſacræ Scripturæ fontibus hauriant, & inde diſcant, quid in toto religionis negotio vetus aut nouum dici mereatur. Sed ad Chriſti verba redeamus, quorum hic ſenſus eſt: Non miror ego vos à mea doctrina tantopere abhorrere, vt nullis rationibus aut ſignis veſtra cōtumacia expugnari poſſit. Vt enim veſti attritæ & laceræ fruſtra aſſuitur panniculus nouus, eò quòd neque hic illi conuenit, neque iſta hunc ferre poteſt, & proinde ſciſſura maior efficitur: ita cùm vos traditionibus & ſuperſtitionibus aſſueueritis, & hæ vobis veſtis loco ſint, quæ vos ornari, defendi & ſeruari putatis, neque ab illis auelli vnquam vos patiamini, neqnicquam ego vobis æternum patris conſilium prædico, quod vobis nouum & prius inauditum eſt. Nam vt meæ doctrinæ cum veſtris ſuperſtitionibus non poteſt conuenire: ita ſi eam obtrudere vobis velim & vtraſque ſimul miſcere, nihil aliud profecero, quàm vt ſuperſtitionum veſtrarum lacera atque fœda confuſio magis appareat, neque vos ex mea doctrina fructum aliquem habeatis. Et quia Ioannis diſcipnlorum ea eſt ſtupiditas, vt ipſi quoque vos potius ſequi quàm magiſtri ſui admonitionibus parêre malint, non aliud de illis etiam iudicare poſſum. Niſi ergo vtrique centones illos veteres exuatis, nunquam in cognoſcenda patris cæleſtis Veritate profectum aliquem facere poteritis.

Superſtitiones ſunt lacera veſtis.

Hæc (inquam) Dominus paucis hiſce verbis complectitur. In quibus obſeruatu digniſſimum eſt, quòd traditiones & quæ ex his inſtituuntur ſuperſtitiones veſti veteri & attritæ ſeu laceræ confert. Nam vt hæc non tegit corpus, & multò minus ornat vel calefacit: ita quæ in humanis traditionibus & cultibus ſuperſtitioſis quæritur iuſtitia minimè tegere poteſt peccata, quibus iampridem Deum offendimus. Typum huius rei in Adamo habemus, qui vt nuditatem ſuam tegeret, ficus folia contexuit: ſed nequicquam, adeò vt Deo ipſum vrgente ſuam turpitudinem ipſe fateri cogeretur. Quod ipſum omnibus accidit, qui ſuis figmētis peccata ſua vel expiare vel occultare volūt. Quid enim hæc facerent, quando Iſaius iuſtitiam, quam pij ex præceptis Dei ſectantur, centonū ſor-

didorū

didorũ inſtar eſſe dicit? Quid verò ad ornatum illa ipſa conferrẽt, quæ ne tegere quidem poſſunt? Vt verò animos Dei amore accendãt & ſalutis ſecuros reddant, multò minus ſperandũ eſt. Conſtat enim eos, qui ſuperſtitionibus dediti ſunt, vera Dei cognitione deſtitui, & proinde hunc neque amare poſſunt, neque ſalutem ſibijpſis certam polliceri. Quare etſi in ſuperſtitionum exercitio ferueant, feruor tamen ille ex conſcientiæ æſtuantis inquietudine naſcitur, qua fit, vt aut eadem ſacra ſubinde repetant, aut noua inſtituant, dum ex ijs quæ antea fecerunt nullam conſolationem ſentiunt. Solus Chriſtus ſuam nobis iuſtitiam communicans veſte illa nuptiali nos induit; qua ornati coram Deo comparere poſſumus, & quæ ſimul animum nouo indies & feruentiori Dei amore accendit, vt ſalutis quidem ſecuri ſimus, ſimul tamen maiores ſubinde in vera pietate progreſſus faciamus.

Admonet nos præterea hic locus, fruſtra eos laborare, qui hodie Papatum cum Euangelio conciliare ſtudent. Si enim Chriſtum & Euangelium eius non potuerunt admittere Phariſæi, quos liberi arbitrij, ſuarum item virium & propriæ iuſtitiæ fiducia inflabat, non minus ad illum recipiendum inepti erunt qui Papatum mordicus retinent, in quo præter Phariſaicum fermentum infiniti alij abuſus & fœdiſſimi errores conſpiciuntur: quales ſunt idololatria, ſacra pro defunctis, Diuorum inuocatio & alia huius generis, quorum tanta eſt abſurditas, vt nihil huius priſcis illis Phariſæis ne in mentem quidem venerit. Si qui ergo iſta cum Euangelij doctrina & veræ fidei profeſſione coniungere ſatagunt, ij nihil aliud efficiunt, quàm quòd confuſionem inducunt, quæ ex ſuperſtitioſis tandem palàm impios facit, & omnem religionis ſenſum in animis hominum reſtinguit. Quid enim de religione & tota ſalutis ratione præclarum ſentire poſſunt homines rudes & illiterati, quandò ab ijs, qui præ alijs ſapere putantur, dogmata diuerſa & palàm inter ſe pugnantia miſceri vident? Fatemur quidem pace & concordia nihil in eccleſia vtilius & magis neceſſarium eſſe, ſed inter ea concordiam conſtitui poſſe negamus, quæ contradictoria ſunt, & ſimul conſiſtere non poſſunt. Quod ergo in alia cauſa Paulus dixit. Quæ communio luci cum tenebris? hîc imprimis obſeruari debet, ne concordiæ prætextu decepti à Chriſti regula diſcedamus; qui ſuos vnum eſſe cupit in ipſo, & cuius vox eſt: Qui non colligit mecum, diſpergit. Minimè ergo audiri debent compoſitores aut conciliatores illi, qui hodie paſſim exoriuntur & qui vt apud omnes bonam gratiam ineant, omnes quotquot ſunt ſuperſtitiones facilè cum fidei Chriſtianæ doctrina conciliari poſſe dicunt, & dum hanc illis accommodant, ſciſſuram & deformitatem in eccleſia maiorem faciunt, & Chriſtum ipſum multis inutilem reddunt. Quia enim hic ſolus audiri & ſolus pro ſponſo agnoſci vult, nequaquam eos probare poteſt, qui ſimul alijs quoque occupati meriti eius virtutem euacuant.

Papatus cum Euangelio conciliari non poteſt.

Matth. 12.

Reſtat alterum ſimile, quod de re vinaria eſt, & quo iacturam, quæ ex ineptis illis conciliationibus oritur, euidentius exprimit. Nemo (inquit) inijcit vinum nouum in vtres veteres: alioqui diſrumpet vinum nouum vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt, &c. Loquitur pro illorum temporum aut locorum ratione, vbi vinum in vtres ex pellibus aut corio factos condebatur. Nec malè vino nouo Euangelium adumbratur. Nam vt illud feruere ſolet, & vix vllis vaſis contineri poteſt: ita Euangelij doctrina ſpiritus virtute accenſa efficaciter agit in hominum animis, & hunc ſibi finem atque ſcopum habet propoſitum, vt hominem totum immutet, & ſeſe in eius actionibus vniuerſis proferat. Hinc vehementes illi motus, qui ſub euangelicæ prædicationis initium ferè oriri ſolent, dum & ſinguli ſubitò mutantur, & ſimul publicam reformationem inuehere ſtudent. Illos autem prophani homines ſeditioſos dicunt, ſed vtinam rem diligentius expenderent principes, ne dum armis Chriſto in ſuorum animis ferventi ſeſe opponunt audacius, ſeipſos ſimul & ſuæ curæ commiſſum populum perderent: quod hodie non vno loco factum vidimus. Vt verò muſti feruorem non ferunt vtres veteres aut dolia pertuſa & vetuſtate iam corrupta: ita qui animos veteri ſuperſtitione corruptos & incertis opinionibus diffluentes habent, ij Euangelium ferre non poſſunt, neque huic cum illis (vt antea monuimus) conuenire poteſt, eò quòd Euangelij doctrinæ inimicum eſt quicquid præter Chriſtum in ſalutis negotio creditur aut prædicatur. Hinc ergo duplex iactura naſcitur. Primò vtres diſrumpuntur, id eſt, homines ipſi pereunt. Quia enim ſuperſtitionibus, quibus aſſueuêre, renuntiare nolunt, Euangelium verò illis omnino aduerſari vident, tunc aut indignatione accenſi illud reijciunt & hoſtes fiunt manifeſti: aut religionem inter res

Simile ex re vinaria.

medias & indifferentes habere incipiunt, & ita paulatim ad Epicureiſmum declinant, & Deum ſibi fingunt, qui religionum diuerſitate nequaquam offendatur, adeoque res mortalium non multum curet. Itaque eò tandem delabuntur, vt religione omnino nulla teneantur, aut eam quæſtu metiantur, & ſub eius prætextu res ſuas agant, quod olim Ieroboamum, primum Iſraelitarum regem feciſſe legimus. At quodcunque ex iſtis fiat, certus hominis interitus ſequitur. Deinde altera iactura eſt, quòd vinum effunditur, id eſt, Euangelium ipſum apud tales diffluit, & non ſolùm ipſis inutile fit, verumetiam propter ipſos omnium ludibrio exponitur. Exempla huius generis hodie paſſim extant, ſed qui illa obſeruent, & ijs bene vtantur, pauciſſimos eſt videre. Addit autem Chriſtus alterum ſimile ex priori deſumptum, quod ipſius inſtituto optimè conuenit, & quo Phariſæos proprius ferit, dicens: Et nemo qui biberit vetus, ſtatim vult nouum, dicit enim: Vetus melius eſt. Quaſi diceret: Idem vobis, quoad meam doctrinam, quod ijs accidit, qui vino veteri & leniori aſſueuerunt. Vt enim illi nouum vinum, etſi generoſius ſit, minus ferunt, eò quòd fortius eſt & feruentius: ita vos, qui patrum traditionibus & ſuperſtitionibus, operoſis quidem in ſpeciem, ſed ad quæſtum & ambitionem compoſitis, aſſueuiſtis, non poteſtis meam doctrinam admittere, eò quod ipſos animos penetrat, & totius hominis innouationem exigit. Exuendus ergo erit vetus ille animus & renuntiandum inueteratæ conſuetudini, ſi in vera pietate proficere velitis.

Superſtitionibus aſſueti non admittunt Euangelium.

Cauſa corruptionis noſtri ſeculi.

Hæc autem ita Phariſæis dicuntur, vt noſtrorum quoque temporum inſtitutioni ſeruiant. Docet enim iſtorum conſideratio, quæ tantæ corruptionis & impietatis cauſa ſit, quæ hodie paſſim graſſatur, & quæ remedia ad eam profligandam aut coercendam adhiberi debeant. Etenim non temere quidam mirantur, quod in manifeſta & omnium oculis ſeſe ingerente Euangelij luce pauci emendentur, plerique autem incurabili pertinacia in impietate pergant. Poterat his reſponderi, hos eſſe nouiſſimorum temporum mores, quos tales fore olim Chriſtus prædixit. Idem verò hîc nobis huius mali cauſam veram & propriam indicat, quòd nimirum plerique eorum, qui Euangelij ſectatores videri volunt, pannum hunc nouum centonibus attritis aſſuere, & vinum nouum in vtres veteres condere ſatagunt. Alij enim quia ſe Euangelij curſum impedire non poſſe vident, ad artes conuerſi conciliationes purioris doctrinæ & Papiſticæ inſtituunt, & Euangelium quidem audiunt, ſed ea conditione, ne errores & ſuperſtitiones arguantur. Manet ergo in hominum animis fermentum vetus, & dum duabus ſellis ſedent, paulatim ab omni religione deficiunt, denique omni veſte religionis ſpoliati ſe prorſus nudos & turpes cum publica infamia præbent. Alij verò, qui iam ante religionem omnem contemnunt, ne aperti hoſtes Dei videantur, Euangelio quidem locum dant, eidem tamen leges præſcribunt, ne in alicuius mores aliquid liberius dicatur, ne ſcelera publicè accuſentur, neue leges conſcribantur nouæ, quibus morum licentia frenetur. Ita verò non audacia modò plus quàm Cyclopica peccatur, ſed manifeſtus quoque verbi Dei contemptus accedit, quem hic inultum vel impunitum non poteſt dimittere. Fit ergo vt iuſto Dei iudicio traditi in reprobum ſenſum, quotidie in peius proficiant, vt tandem impleta ſuæ impietatis menſura dignas pœnas exoluant. Et illa quidem veriſſimè dici fatebuntur, quicunque huius temporis mores propius inſpexerint. Quas enim eccleſias hodie dabimus, in quibus non aliqui ſuperſtitionum centones retineantur, aut effrænis licentia regnet?

Remedium tantæ corruptionis.

Quòd ſi huius mali remedium quæras, hoc quoque præſens iſte locus nobis monſtrat. Quia enim neque pannus nouus veteri & attritæ veſti conuenit, neque vinum nouum in vtres veteres condi poteſt, vt toti innouemur opus erit. Et hîc quod priuatim ſinguli agant inuenient omnis loci & ordinis homines. Exuant primò centones ſuperſtitionum, & abs ſe procul reijciant, quicquid cum Dei verbo pugnare vident. Deinde curent, vt totis quoque animis innouentur, ſeque ad capiendum vinum illud Euangelij ſalutiferum præparent. Proderit hîc quoque plurimùm, ſi à pueris rectè & piè omnes inſtituantur. Nam ſi tenelli animi erroribus & ſuperſtitionibus aſſueſcant, difficile poſtea fuerit, eos adducere, vt veritati locum dent. Et quantum poſſit inſtitutio puerilis, in primi mundi hominibus ſacra hiſtoria docet, qui ſimul omnes Nephilim, id eſt, defectores & prophani omnis religionis contemptores facti ſunt, cùm ex imparibus coniugijs nati à parentibus in diuerſas partes diſtraherentur. Vehementer ergo peccant, qui liberos ſuos in ijs locis educari & inſtitui curant, in quibus falſa doctrina dominatur, & vbi neque prædicationi veritatis neque confeſſioni

purioris

purioris fidei locus eſt. Illic ergo veſte illa veteri induuntur, quæ vix vnquã poſtea exui poſſunt, & cui Euangelij pannus conuenire non poteſt: animos item eiuſmodi concipiunt, quibus nullo cum fructu vinum illud infunditur, quod vnum tam homines quàm Deum verè exhilarat. At non ſufficit priuatim ſingulos monuiſſe, niſi publicè officium faciant ij, quos in gradum eminentiorem Deus euexit. Itaque verbi adminiſtris & eccleſiarum paſtoribus imprimis aduigilandum eſt, ne doctrinæ ſuæ aliquid admiſceant, quod humanas traditiones aut ſuperſtitionem redoleat. Non fert enim mixturam aliquam Euangelij vinum, ideoque hoc purum merum infundere debent, quicunque auditores ſuos ſaluos volunt. At qui magiſtratum gerunt, & publica authoritate Eccleſiarum atque religionis reformationem inſtituunt, illi etiam atque etiam curent, vt ſimul omnia è medio tollantur, quæ ab hominibus præter Dei verbum inuecta ſunt: neque eos audiant, quibus ſufficere videtur, ſi idola vel ſimulachra ex animis hominum remoueantur, & externa illa puriori religioni nihil officere aiunt, ſi animi probè ſint inſtituti. Ridiculi planè homines, qui religionem fingunt, cuius nulla indicia foris appareant, aut quæ cultum externum habeat ab animi ſententia & fidei confeſſione prorſus diſſentientem. Quin potius Deum audiunt per Prophetam omnibus dicentem, vt Hoſ. 2 *fornicationes, id eſt, ſuperſtitiones & idololatriam à facie ſimul & vberibus remoueant. Quia enim nos ſibi totos ille vindicat, non poterunt veri ipſius cultores dici, qui quod in animo ſe ſentire aiunt, non etiam cultus externi exercitio profitentur. Hæc vos cogitare velim principes Chriſtiani, qui cùm Euangelicæ doctrinæ propugnatores haberi vultis, publica tamen authoritate ſimulachra, altaria, veſtes ſuperſtitioſas & infinitas alias papiſticæ ſuperſtitionis ſordes defenditis. Annon hæc ex excelſorum numero conſeri poſſunt, propter quæ relicta & defenſa accuſantur Reges, qui in repurgando Dei cultu alioqui operam non omnino pœnitendam nauauerunt? Vtimini ergo ſemel oblata occaſione, & cauſam piè ſuſceptam magno animo agite, Ioſiam & Ezechiam imitati, qui ne minimas quidem ſuperſtitionum quiſquilias relinquendas eſſe putarunt. Videbant enim optimi & piiſſimi principes, quàm facilè ad illicitos cultus relabantur, qui aliquam occaſionem ſibi dari vident: neque ſuo exemplo, ceu præiudicio quodam, ſucceſſores ſuos grauari volebant, quod ferè fieri ſolet, ſi quid intactum ab illis relinquatur, quorum authoritas meritò apud omnes in precio eſt. Studeant ergo omnes pro ſui ordinis aut loci ratione, vt ſublatis omnibus errorum atque abuſuum reliquijs, ſola Euangelij vox in omnium auribus reſonet, & vnus Ieſus Chriſtus in omnium animis regnet atque triumphet: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

Iud. 9.

CAPVT VI.

HOMILIA LV.

FActum eſt autem, vt Sabbato ſecundoprimo pertranſiret per ſata, & vellebãt diſcipuli eius ſpicas edebántque confricantes manibus. Quidam verò Phariſæorum dixerunt eis: Cur facitis quod non licet facere Sabbatis? Tunc reſpondens Ieſus dixit eis: Ne hoc quidem legiſtis quod fecit Dauid cùm eſuriret ipſe & qui cum eo erant? Quomodo ingreſſus ſit in domum Dei, & panes Propoſitionis ſumpſerit, èderitq́, ac dederit etiam iis qui ſecum erant: quos panes non licet edere niſi ſolis Sacerdotibus? Et dicebat eis: Filius hominis dominus eſt etiam Sabbati.

MVLTA quidem ſunt, quæ vt veram religionem atque Dei cultum corrumpunt, ita hominem à recta ſalutis via reuocant: at inter ea duo ferè ſunt omnium nocentiſſima, humanarum videlicet traditionum doctrina & ceremoniarum ab ipſo etiam Deo præceptarum ſuperſtitioſa fiducia. Quia enim noſtris figmentis natura delectamur & externis vt plu-

Marcus Homilia 22.

rimùm addicti ſumus, perquam difficile eſt animum ab ijs abducere, quæ multorum authoritate probantur, & longo temporis vſu confirmata ſunt. Quod ſi ijſdem diuina authoritas accedat, iam optimi quoque omnem ſalutis fiduciam in illis ſolis collocant, relictis ijs, quæ ſola Deo verè accepta ſunt & nos ſaluos faciunt. Eſt ergo in vtroque confutando Chriſtus admodum diligens. Et hactenus quidem aduerſus traditiones hominum grauiter diſputauit, cùm de ieiunijs inter ipſum & Scribas contentio exorta eſſet, atque docuit eos nunquam proficere poſſe in vera pietate, qui veteres pannos & animos diuturniori ſuperſtitionum vſu induratos nondum depoſuerunt. Nunc ad alterum accedit, & eos confutat, qui in ſuperſtitioſa Sabbati obſeruatione Dei cultum atque hominis ſalutem conſiſtere putabant, docens, illud non ita præceptum eſſe à Deo, vt non potior eorum habenda ſit ratio, ſine quibus homo ſaluus eſſe non poteſt: ſicque iſto exemplo admonet, in omnium ceremoniarum obſeruatione non literæ ſuperſtitioſius inhærendum, ſed animos altius euehendos eſſe, vt illarum finem atque ſcopum probè obſeruemus, qui ſi negligatur illæ prorſus inutiles, vel etiam pernitioſæ fiunt.

Occaſio huius tractationis.

Præmittitur autem tractationis huius occaſio, quæ ex diſcipulorum facto enata fuit. Cùm enim Dominus Sabbato ſecundoprimo, id eſt, primo ſabbato feſti hebdomadum, quo frugum primitiæ offerri ſolebant, (Solent enim Iudæi feſta omnia Sabbati nomine dignari, & ea ratione primum, id eſt, præcipuum omnium Sabbatorum eſt dies Paſchæ, ſecundum dies Pentecoſtes: ſicque Sabbatum ſecundoprimum erit primus dies ſecundi feſti annui, quem Græci à dierum à Paſchate numero Pentecoſten dixerunt) per ſata tranſiret, diſcipuli fame coacti inter eundum ſpicas vellere & ex his grana manibus exterere atque edere cœperunt. Licebat hoc per legem, in qua Moſes humanitatis & beneficentiæ officia ſecundùm iuſtitiæ regulam exigere & præſtare docens, inter alia ſic

Deut. 23.

ſcribit: Cùm veneris in vineam proximi tui, vuas comede pro animi tui deſiderio, quantum ſatis eſt, ſed non collige in vas tuum. Etſi pertranſieris per ſegetem proximi tui, ſpicas quidem manu tua decerpas licet, ſed in ſegetem proximi tui falcem ne miſeris. Non ergo in charitatis & iuſtitiæ leges peccant diſcipuli, neque eo nomine à Phariſæis accuſantur, ſed quòd iſtud die Sabbati fiat illi

Diſciplina diſcipulorum Chriſti.

reprehendunt, vt poſtea audiemus. Nunc autem Chriſti diſciplina conſideranda venit, qua diſcipulos ad maiora certamina præparauit, & horum patientia, qui cùm domi ſuæ commodius & minori cum inuidia viuere poſſent, illum tamen conſtanter ſecuti ſunt, neque (quod carni & mundo deditis ſolent) ab eo reſilierunt, qui ipſos cum paupertate & inedia conflictari patiebatur. Eſt hoc ingens fidei & pietatis argumentum, quam poſtea in grauioribus periculis in finem vſque retinuerunt. Docemur autem hoc exemplo, vt ipſi quoque, dum res magis pacatæ & tutæ ſunt, nos ad crucis certamina præparemus, ne his offenſi ſalutis iacturam faciamus, ſi quando præter omnem expectationem ad illa abripimur. Vt enim qui in paternis ædibus indulgentius educantur, exteris nunquam obediunt, neque ferunt patienter diſciplinam, qua fidi præceptores ad virtutem eos inſtituunt: ita qui ſibijpſis nimiùm indulgent, & circa carnis atque voluptatum deſideria occupati omnem moleſtiam ſubterfugiunt, ij ferè turpiſſimos ſeſe dant, quando aliquid egregium pro Chriſto & publica ſalute eſt faciendum. Proderit autem in hac re, ſi huius vitæ conditionem probè conſideremus, & quæ hîc nobis ferenda ſunt cum promiſſis æternæ & beatæ immortalitatis præmijs conferamus: ſi denique in Chriſti exemplum intenti ſimus, & cogitemus hunc nihil à nobis exigere, quod non ipſe prior noſtri cauſa fecerit. Sed friget in hac parte ſtudium noſtrum, quæ cauſa eſt, quòd pace atque otio noſtro turpiter abutimur ad Chriſtiani nominis infamiam, in periculis autem ſuccumbimus cum infami Ieſu Chriſti & ſalutis propriæ abnegatione.

Phariſæi diſcipulorum factū calumniantur.

Porro ſequitur, vt ex diſcipulorum facto nouam calumniandi & cum Chriſto altercandi occaſionem Phariſæi arripuerint. Et in præſenti quidem cum ſtomacho diſcipulos aggrediuntur & clamant: Cur facitis quod non licet facere Sabbato? At eo non contenti, cùm diſcipuli nihil reſponderent, aut etiam reſpondere non poſſent, ad ipſum Chriſtum conuerſi (vt Matthæus ſcribit) huic illorum factum exprobrant, dicentes: Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatho. Iſtis verò omnibus partim pertinax tuendæ ſuperſtitionis ſtudium notatur, partim malitioſum illorum hominum ingenium exprimitur, qui quicquid ab alijs fit in Chriſti contumeliam rapiunt, & violatæ religionis eum accuſare non verentur, in quo viuum & perfectū omnis pietatis & veræ

ſanctimoniæ

ſanctimoniæ exemplum elucebat. Neque dubium eſt illos eò maiori atque confidentiori animo ad hoc certamen deſcendiſſe, quòd ſcirent Sabbatum ab ipſo Deo inſtitutum & eius obſeruationem ſeueriſsimis legibus mandatam eſſe. Iam ergo ſe inueniſſe putant, quod ille nunquam negare poſsit, & proinde ſibi certam de illo victoriam pollicentur. Apud vulgus autem imperitum ſummam religionis & pietatis exiſtimationem hoc nomine captant, quòd in aſſerendo Sabbato tam oculati atq; rigidi cenſores ſunt.

Phariſæorum in ſequendo & obſeruando Chriſto induſtria.

Eſt autem diligenti obſeruatione dignum, quòd Phariſæi tanto ſtudio Chriſtum ſequuntur, adeoque indiuulſi comites ceu pediſequi ſunt eius, quem tane & angue peius oderant. Fecerunt ergo hoc non veritatis cognoſcendæ ſtudio, ſed vt calumniandi occaſionem inuenirent. Et horum ſimiles ſunt hodie, qui piorum atque fidelium ſocietatem colunt, cœtus ſacros frequentant, & interdum Sacramentis eccleſiæ communicant, interim verò hoc vnum agunt, vt veritatis doctrinam vel omnino extinguant, vel ſaltem apud imperitum vulgus exoſam atque ſuſpectam reddant. Apparet id in eo, quòd vt Phariſæi diſcipulorum delicta & errores ipſi Chriſto exprobrant: ita iſti quicquid in eccleſia perperam & malè fit, hoc Euangelij doctrinæ & huius preconibus acceptum ferre conſueuerunt, etiamſi non ignorent ea contra horum voluntatem fieri, & cum Euangelij legibus apertè pugnare. Et non immerito miretur aliquis iſtorum hominum patientiam, qui cùm verbum Dei totis animis deteſtentur, & ab omni religione alieniſsimi ſint, tam multum tamen laboris & moleſtiæ deuorare poſſunt in ijs audiendis atque videndis, quæ ipſis ex animo dolent. Sed hoc illud eſt, quòd infra dominus dicet, filios huius ſeculi prudentiores magiſque induſtrios eſſe quàm filios lucis. Et tanta odij aduerſus veritatem concepti vis eſt, vt qui illo ardent, nihil non ferre & facere poſsint, ex quo aliquam illius extinguendæ occaſionem ſperare poſſunt. Exempla huius generis in noſtri ſeculi Phariſæis & horum ſectatoribus, quos pontificiæ culinæ nidor trahit, paſsim occurrunt. Solent hi interdum & conciones ſacras audire, & piorum manus præhenſare, verbi miniſtris omnem officium deferre, nunquam non adeſſe vbi quid de religione agitur, & cùm animos verè hoſtiles gerant, amicitiam tamen ſimulare poſſunt, vt facilius quod volunt aſſequantur. Debent iſta nos excitare, vt & inſidias hoſtium veritatis diligenter caueamus, & eò ardentius ſectemur innocentiæ & ſanctitatis ſtudium, ne illi facilè inueniant quod calumniari poſsint. Imò interdum à noſtro iure nos diſcedere decet, ne habeant quod ſuis ſophiſmatis in Euangelij contumeliam trahant. Admonet de hoc Paulus grauiter, quando de ſemetipſo dicit: Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius eſt. Item eſtote ſine offendiculo & Iudæis & Græcis, & eccleſiæ Dei ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens meam ipſius vtilitatem, ſed multorum, vt ſeruentur. 1. Corinthiorum 10. Rurſus meminerimus non minori ſtudio nobis opus eſſe in tuenda veritate, quàm hoſtes in ea oppugnanda vtuntur. Turpe enim fuerit nos in optimæ & ſanctiſsimæ cauſæ defenſione ab ijs vinci, qui vt Dei hoſtes ſunt, ita cauſam ſuſtinent non iniuſtam ſolùm & iniquam, ſed cum manifeſta impietate & publico omnium exitio coniunctam.

Hypocritarum mores.

Deinde hypocritarum mores hîc ceu in tabella depicti proponuntur. Primò in alijs minima obſeruant Phariſæi, at quæ ipſi grauiſsima atrociſsimaq; deſignabant ſecuri negligunt. Putant enim capitale ſcelus eſſe Sabbato ſpicas manibus conterere, vt habeas quo fames eximatur: cùm ipſi interim quouis die domus viduarum & orphanorum deuorarent ſub falſo religionis prætextu, & inſuper miſerorum animas falſa doctrina occiderent. Quid verò hoc aliud eſt, quàm in proximi oculo feſtucam videre, in tuo autem trabem non animaduertere? Adhæc in Chriſti diſcipulis malignè notant, quod commodè & piè poterat excuſari: in ſuis verò ſectatoribus non reprehendunt ea, quæ nullam veniam merebantur. Venalia erant ſacra, & religio omnis in quæſtum abierat: cum Romanis præſidibus colludebant Sacerdotes in manifeſtam populi perniciem: vagabantur paſsim meretrices, quas Deus ex Iſraele eijciendas mandarat: famelici hinc inde oberrabant pauperes, & contra Dei leges oſtiatim & ad templi fores victum mendicabant, cùm interea ex eccleſiæ bonis ditarentur nequiſsimi impoſtores: & infinita alia huius generis fiebant vulgò ab ijs, qui Phariſæorum ſtudioſiſsimi habebantur. At neminem horum illi accuſant, neminem reprehendunt, imò ne interrogant quidem paulò ſeuerius, cur hæc aut illa faciant, aut ab alijs fieri patiantur: quin potius hos omnes pro

catholicis & orthodoxis habent: at ſolus Chriſtus cum ſuis hæreſeos & violati cultus diuini crimine grauatur, quòd ad famem pellendam ſpicas digitis contriuiſſent. Quid verò aliud faciunt hodie Monachi, qui in nobis legitimum coniugij vſum, Chriſtianam quidius edendi libertatem, neglectas ferias à Pontificibus ſuperſtitioſè inſtitutas, votorum monaſticorum reſciſſionem & ſexcenta alia magnis clamoribus accuſant, & propter ea dignos iudicant, qui ferro & igne excindamur: at iidem ſuos ſectatores in cælos vſque euehunt atque in Deorum numerum referunt, etiamſi eos ventri, gulæ & Veneri ſeruire, adhæc rapinis, furtis, bellis non neceſſarijs, incendijs & ſanguine omnia fœdare atque infeſta facere videant. Quid quòd ipſi ferè illis talium ſcelerum ſunt authores? Eſt ergo idem vtrorumque ſpiritus, noſque eò minus offendi decet iſtorum clamoribus, quando eorum omnino ſimiles ſunt, qui olim æterno Dei filio in faciem reſtiterunt.

Chriſtus diſcipulis patrocinatur.

Sed relictis monſtris hiſce infelicibus Chriſtum audiamus, qui vt diſcipulis ſuis aduerſus Phariſæos patrocinatur, ita horum impudentem arrogantiam fortiter confutat, & ſimul docet, quid de externis ritibus ſimul omnibus ſentire debeamus, ſi quis caſus ſimilis incidat. Et eſt plenum conſolationis, quòd pauperes & obſcuros non deſtituit ſuo patrocinio Dominus, ſed illis aduerſus eos etiam adeſt, quorum ſumma erat apud Iudæorum gentem authoritas. Debet hoc nobis in mentem venire, ſi quando cum ijs res nobis eſt, quibus vix ſufficere videmur. Nam etſi non adſit nobis corporis ſui præſentia Dominus, ſpiritus tamen virtute in ſuis agit, qui fidi aduocati inſtar conſolationis argumenta ſimul & conſilia ſana ſuggerit, quibus hoſtium quantumuis aſtutiſſimorum artes eludamus. Cæterum breuitati ſtudet Lucas in recitando Chriſti reſponſo, quapropter illud ex Matthæo & Marco ita ſuppleri poterit: Ne hoc quidem legiſtis quod fecit Dauid, cùm eſuriret ipſe & qui cum eo erant: Quomodo introierit in domum Dei, & panes Propoſitionis ſumpſerit, ederitque, ac dederit etiam ijs qui ſecum erant, quos panes non licet edere niſi ſolis Sacerdotibus? Aut non legiſtis in lege, quòd Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum prophanant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis templo maiorem hîc eſſe? Quòd ſi noſſetis quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium, non condemnaſſetis inſontes. Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbatum. Nam Dominus eſt etiam Sabbati Filius hominis. Eſt hæc grauis admodum confutatio, & quinque argumentis conſtat, quæ ex ordine videbimus.

1. A Dauidis exemplo.

Primum ab exemplo Dauidis ſumitur, qui panes propoſitionis, quorum eſus ſolis ſacerdotibus conceſſus erat, olim comedit. Extat hiſtoria in primo Samuelis cap. 21. De panibus autem illis Moſes Leuit. 24. diſſerit. Fiebant hi ex ſimila aut farina puriſſima, duodecim numero, & diebus ſabbati ſingulis noui imponebantur menſæ aureæ cum phialis thure plenis. Erant autem typus Chriſti, qui verus ille panis vitæ eſt, quique è cælo ad nos miſſus carnem puriſſimam & omnis peccati expertem ex caſtiſſima virgine aſſumpſit. Debet is ſemper proſtare in eccleſia, vtque eius cognitio per Verbi adminiſtros ſubinde inſtauretur neceſſe eſt, vt & certa nobis eſſe poſſit ſalutis fiducia, & vt preces noſtræ (quæ per thus adumbrantur) Deo gratæ ſint. Solis autem ſacerdotibus licebat illos edere, non quòd ij ſoli Chriſto frui poſſint, qui ſacris externis initiati ſunt: ſed quòd non alij illo veſcuntur ad vitam æternam, niſi quos ille Deo patri Sacerdotes fecit: in quo numero cenſentur, quotquot illum fide non fucata appræhendunt. Hi enim ſeipſos Deo viuentem hoſtiam ſiſtunt, & quoſcunque poſſunt eidem adducere ſtudent. Commodè ergo Dauidis exemplum allegat Dominus, & quidem non ſine exprobratione ignorantiæ aut malitiæ, qua Phariſæi moti diſcipulorum factum calumniabantur: Ne hoc quidem legiſtis (inquit) quod fecit Dauid, &c? Quaſi diceret. Mirum eſt vos in meis ea etiam calumniari, quæ infinitis exemplis ſcripturæ ſacræ excuſari poterant. At non multis hic opus eſt, quando vnum Dauidis factum diſcipulos meos omni culpa liberat. Quod ſi nunquam legiſtis, indigni eſtis, qui vobis cenſuram in alios ſumatis. At ſi legiſtis, & nihilominus hoc facitis, ſatis conſtat vos malitioſè agere, & veritatis luce potius quàm Sabbati violatione (quæ hîc nulla admiſſa eſt) offendi. Etenim conſtat panes propoſitionis non minus interdictos fuiſſe laicis, quàm ne quis Sabbatum aliquo ſeruili opere prophanet: Attamen Dauid, cùm Saulis inſidias fugiens fame laboraret, neque alius cibus ad manum eſſet, illos comedit & ex iiſdem ſuis quoque comitibus diſtribuit: Quæ ergo nequitia eſt in præſenti diſcipulos meos accuſare, quos eadem neceſſitatis ratio excuſat? Vel num vos Abiathare ſacerdote religioſiores eſtis, qui de ſola prophanatione,

quæ per

quæ per immunditiam committitur, ſolicitus, de reliquo facilè & piè diſpenſauit? Ita verò Dauidis exemplo ad confutandam Phariſæorum hypocriſim vtitur, vt ſimul eodem diſcipulorum fidem confirmet, ne inopia & fame offendantur, quandò conſtat eandem olim illorum ſortem fuiſſe, qui Dauidem, Chriſti typum, ſecuti ſunt.

Externi ritus charitati cedère debent.

Interim de duobus obſeruatu digniſſimis hoc loco nos Chriſtus admonet. Primum, quòd externa omnia charitati cedere debeant, quæ vt vita totius, ita ceremoniarum omnium tutiſſima regula & fidiſſima moderatrix eſt: Quia enim hæ omnes in eum finem inſtituta ſunt, vt homini ad ſalutem adminicula ſint, nimis iniqui ſunt, qui illas rigidius vrgent, vt ad perdendum potius quàm ſeruandum faciant. Vidit hoc Moſes, qui in circunciſione ſimiliter diſpenſauit. Nam etſi lex infantes octauo à partu die circuncidere iuberet, ille tamen in deſerto neminem circuncidit; tùm & loci iniquitas & profectiones ſubitæ obſtàrent, quò minus cura ea adhiberi poſſet, quæ in medendo ei vulneri neceſſaria erat. Piè ergo in illud tempus vſque res dilata eſt, quo terram promiſſam ingreſſi ſunt. Obſeruemus hoc aduerſus eos, qui ſalutem ſacramentis ita áſtringunt, vt & paruulos omnes, qui morte præuenti abſque baptiſmo decedunt, & eos qui Cœnæ dominicæ communicare non poſſunt, temere damnent & ab omni ſalutis ſpe deijciant. Sunt hi non in homines ſolos iniurij, ſed Deum ipſum crudelitatis inſimulant, qui ſacris abs ſe inſtitutis in eas anguſtias nos adducat, vt nobis neceſſariò pereundum ſit. Alterum, quòd Dauidem non regia dignitas neque prophetici ſpiritus excellentia, ſed ſola neceſſitas excuſat: ſed & ipſe Abiathar non pontificia authoritate circa panes propoſitionis diſpenſauit, ſed charitatis rationem habuit, quæ iubet vt famelicis pro virili ſuccurramus. Arguit hoc eorum temeritatem, qui illuſtribus perſonis omnia licère putant: quaſi verò Deus aliquem exlegem fecerit: qui item pro ſuo commodo in ſacris omnibus diſpenſant, vt vel quæſtum faciant maiorem, vel magnatum amicitiam ſibi demereantur, &c.

2. Ab exemplo ſacerdotum.

At ne Dauidis exemplum Phariſæi eluderent, ſecundum argumentum ab exemplo Sacerdotum petit Chriſtus, qui in ipſo templo Sabbatum prophanare videri poterant, quando ſacris operantur, vbi & ligna ſecare, & pecudes iugulatas in fruſta diſcindere, ignem accendere, vaſa ſacra & ſeipſos abluere opus eſt. Attamen hæc omnia ſine crimine faciunt, quia templi religione & cultus diuini ratione excuſantur. Quanto minus ergo (inquit Chriſtus) damnari debent mei diſcipuli, qui vt me ſequantur & mihi ſeruiant, famem ſuſtinent & eam inter eundum ſpicarum contritione ſedant? Eſt ergo argumentum hoc à comparatis: quia quanto Chriſtus maior eſt templo & omni cultu externo, tanto minor erat diſcipulorum, quàm Sacerdotum, culpa. Docet autem Chriſtus Sabbati præcepto non prohiberi ea, quæ ad Dei cultum faciunt. Quia enim illud cultus ergò inſtitutum eſt, ſtultum fuerit eius prætextu ea intermittere, quibus Deus maximè colitur. Atqui cultus ille non in externis ſolùm ceremonijs conſiſtit, ſed (vt Iacobus ait) religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, inuiſere orphanos & viduas in afflictione ſua, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo. At ſi ſabbati religio charitati & verò cultui Dei cedere debet, ſtulta nimis eſt eorum ſuperſtitio, qui ne hominum traditiones violent, omnia quæ tam Deo quam hominibus debentur pietatis officia ſecurè negligunt. Damnantur igitur hoc Chriſti dicto omnes, qui in Monachorum regulis & frigidiſſimarum ceremoniarum obſeruatione cultum Dei & ſalutis meritum conſiſtere putant.

Iacob. 1.

3. A pronuntiatis, ex Hoſ. 6.

Sequitur tertium argumentum à pronuntiatis, quod & ipſum cum ignorantiæ exprobratione adducit. Quòd ſi noſſetis quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, non condemnaſſetis inſontes. Extat locus hic apud Hoſeam Cap. 6. Accuſat illic Deus fucatum religionis ſtudium, quo Iudæi ſimul & Iſraelitæ ſcelera ſua expiari putabant. Conſiſtebat illud partim in ſimulata & momentanea pœnitentia, quam nubeculæ in ſummo æſtu exorienti & mox euaneſcenti atque rori matutino confert: partim in ſacrificiorum frequentia & crebra iteratione, quibus illos imprimis confiſos fuiſſe, ex aliorum quoque prophetarum ſermonibus conſtat. Sed huic fiduciæ Deus iſtud dictum opponit, ex quo in præſenti Chriſtus argumentum ducit, quod per comparationem amplificatur. Si enim ſacrificia, quæ externi cultus pars præcipua fuerunt, ſine miſericordia Deo non probantur, imò ſi hæc illis longè præſtat, nimiùm iniqui ſunt & iniuſti, qui propter ſabbatum aliquos fame perire volunt.

4. A cauſa finali.

Quartum argumentum ex fine ſabbati petitur, & communi ſenſu confirmatur, quo omnes norunt cauſam finalem deſtinatis omnibus eſſe præſtantiorem, & hæc vel mutanda vel etiam omnino negligenda eſſe, ſi à ſcopo, ad quem deſtinata primò ſunt, abludant. Atqui ſabbatum (inquit) propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum. Vnde ſequitur huius otium non ita ſuperſtitioſè coli debere, quin aliquo opere interrumpi poßit, ſi hominis ſalus in periculum veniat. Et eſt in his omnibus probè obſeruanda plus quàm paterna Dei bonitas, qui ea etiam, quæ vt ſuo cultui ſeruiant inſtituit, nobis ſubiecta eſſe vult. Quid quòd totus cultus nobis potius quàm Deo ſeruit? Nec enim Deus noſtris ſacris indiget, & ad illum nulla redit vtilitas, ſiue feriemur ſiue laboremus, ſiue baptizemur, ſiue ad Cœnam myſticam accedamus, ſiue etiam verbum eius audiamus, aut in periculis opem ipſius imploremus. Nam etſi nihil horum fiat, nihil tamen eius honori, maieſtati aut potentiæ decedit. Nobis autem illa proſunt, & propter nos ab illo inſtituta ſunt, vt hiſce exercitijs in eius cognitione atque fide confirmati æternum ſeruemur. Eſt ergo immanis eorum ingratitudo atque impietas, qui iſta vel negligunt, vel etiam ſcurriliter inſectantur. Sunt hi digni, qui tandem in reprobum ſenſum traditi tam corpore quàm anima malè pereant.

5. A propria authoritate.

Reſtat quintum argumentum, quod priorum omnium confirmationem habet: Nam dominus eſt etiam ſabbati Filius hominis. Loquitur autem de ſeipſo Chriſtus, & ne temerarius videatur, qui in ſabbati præcepto diſpenſare velit, ſibi hoc ius eſſe docet, vt cùm omnem poteſtatem in cœlo & in terra habeat, ſabbati quoque dominus ſit, & proinde homines ſoluere poßit à ſeueriori illa, qua prius tenebantur, legis diſciplina. Etenim conſtat Dei filium ideo in mundum veniſſe & hominis filium factum eſſe, vt legis maledictionem aboleret, & iugum illud à noſtris ceruicibus tolleret, quod (vt Petrus ait) neque nos neque patres vnquam ferre potuerunt. Eſt ergo hoc inter alia non vulgare Chriſti beneficium, quòd eam libertatem nobis contulit, vt omnibus, quæ in mundo ſunt, tanquam noſtris, vti poßimus, quatenus noſtræ ſalutis ratio poſtulat. Ideo Paulus illum nobis ſanctificationem factum eſſe ait, quòd non ſolùm nos Deo patri conſecrat, verumetiam omnium creatorum vſum nobis liberum & ſanctum fecit, vt illis ſalua conſcientia vti poßimus. Puris enim, id eſt, per ipſius ſpiritum purificatis, pura & ſancta ſunt omnia. Quò etiam referri debet, quòd idem Apoſtolus Corinthijs, nimijs quorundam miniſtrorum admiratoribus, ſcribebat: Omnia veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: Omnia (inquam) veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei, &c. Noſtrum verò eſt eius bonitatem agnoſcere, neque eorum calumnijs offendi, qui etiam hodie libertatem hanc nobis inuident: curemus modò, ne ea ad carnis licentiam abutamur, ſed omnia noſtra dirigamus ad Dei gloriam, vt tandem in Chriſto Ieſu beatæ immortalitatis conſortes ſimus: Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA LVI.

Factum eſt autem etiam alio Sabbato, vt ipſe ingrederetur in Synagogam ac doceret: & erat ibi quidam, cuius manus dextera erat arida. Obſeruabant verò eum Scribæ ac Phariſæi, an Sabbato ſanaturus eſſet illum, vt inuenirent accuſationem aduerſus eum. At ipſe nouerat cogitationes eorum, & dixit homini qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medio. Ille verò ſurgens ſtetit. Dixit igitur eis Ieſus: Interrogabo vos quiddam: Licet ne Sabbatis benefacere, an malefacere? hominem ſeruare, an perdere? Et cùm eos omnes circunſpexiſſet, ait homini: Extende manum tuam. Ille autem ita fecit: & reſtituta eſt manus eius ſana, ſicut altera. Ipſi autem repleti ſunt amentia, & colloquebantur inter ſe, quid nam facerent Ieſu.

Marcus III. mil.23.&14.

ETſi Ieſum Chriſtum Phariſæi & Scribæ multis criminibus grauarint, quibus illum populo inuiſum facere & in capitis periculum adducere conati ſunt, præcipuū tamen inter illa ferè fuit Sabbati prophanatio, quam illi præ alijs multoties exprobratam & publicè obiectam fuiſſe Euangeliſtæ ſcribunt. Quod ideo factum fuit, quòd ſuperſtitioſam huius dici obſeruationem vulgo ita perſuaſerant, vt impius putaretur & quouis ſupplicio dignus, qui illo opus aliquod quantumuis exiguum aut leuiculum feciſſet. Ideo Chriſtus non minori ſtudio hoc agit, vt non ſolùm ſe excuſet, verumetiam publico errori medeatur, & populum infelicem rectius inſtituat. Nuper ergo docuit, Sabbatum propter hominem inſtitutum eſſe, & proinde neminem, qui in neceſſitate conſtitutus ſit, ſalutem ſuam propter hoc negligere debere. At nunc alia hiſtoria ſubijcitur, quæ amplius oſtendit, Sabbati religionem non obſtare, quò minus in proximum quoque benefici ſimus, ſi ita res poſtulat: imò hoc proprium Sabbati opus eſſe, vt proximo laboranti aut periclitanti opem feramus & quæcunque alia ſunt veræ pietatis officia obeamus. In qua tractatione obſeruari debet, hoc ipſum ad omnia externa debere referri, ne dum his nimiùm addicti ſumus, ea negligamus, quæ vel noſtræ vel aliorum ſaluti ſeruiunt.

Occaſio huius tractationis.

Præmittitur autem tractationis iſtius occaſio, quam ipſe Chriſtus ſingulari ſtudio quæſiuiſſe videtur. Nam mox ſequenti Sabbato iterum Synagogam ingreditur, & eorum quidem, qui prius factum ipſius improbiſſimè calumniati fuerant. Eſt hoc magnum diuinæ bonitatis argumentum, quæ nobis etiam inuitis, aut ſaltem aliud agentibus, pro noſtra ſalute excubat: cuius ſtudij exempla innumera in nobis ipſis quotidie experimur. Hic verò imprimis memorabile eſt, quòd etſi in Synagogis hoſtes Chriſti acerrimi regnarent, & ſibi ab illis vbique inſidias ſtrui ſciret, non tamen à cœtibus illis abhorruit, neque populum ſua doctrina ideo fraudandum eſſe putauit. Soletur hoc nos aduerſus impiorum deploratam audaciam atq; impietatem, ne hanc nobis apud Deum fraudi fore putemus. Vt enim prudens pater etiamſi filios aliquos propter incurabilem contumaciam abdicet & è domo eijciat, alios tamen, qui officium faciunt, non modò non negligit, ſed potius teneriori amoris affectu complectitur, vt quem ex illorum abdicatione dolorem animo concepit, horum conſuetudine leniat atq; mitiget: ita Deus impios quidem & deſperatæ rebellionis homines dignis ſupplicijs mulctat, interea verò ſuorum rationem habet, & eò vberiori gratia eos dignatur, quos in ſuo cultu conſtantiores eſſe cernit. Neminem ergo vel impiorum multitudo offendere, vel Dei eos punientis ſeueritas terrere debet, quò minus hunc colat & obſeruet. Semper enim ratum erit, quod Iſaias pronuntiauit: Dicite iuſto quod bonum, ſiquidem fructu ſtudiorum ſuorum fruetur: Væ impio malo, quoniam ſecundùm opera manuum ſuarum rependetur ei. Iſa.3.

Occaſiones nō ſunt officium facere volentibus.

At non fruſtra quærit occaſionem Chriſtus, qua & hoſtes magis quam antea confutat, & populum de vera Sabbati obſeruatione inſtituit. Inuenit enim in Synagoga hominem, cuius dextra manus exaruerat, vt humana ope aut remedio naturali reſtitui non poſſet. Ita nobis quoque, ſi officio fungi velimus, bene agendi occaſiones nunquam deerunt. Solet enim eas nobis offerre Deus, & ſimul aures nobis vellicat, vt quid nobis facto opus ſit cogitemus. Eſt igitur inexcuſabilis eorum ignauia, qui ſe non habere aiunt, quod agant. Ita enim ſuo ſeſe indicio produnt, quòd aut vocationem ſuam nunquam adhuc rectè intra animum ſuum expenderint, aut aliorum fortunam minimè curent: quorum hoc à charitate Chriſtiana alieniſſimum, illud verò animi plus quàm hebetis & oſcitantis eſt argumentum. Et vt non ſit, in quo aliquis tuam operam requirat, ſemper tamen occurrit de rebus tuis cogitandi occaſio, vt iam de precibus, de verbi Dei meditatione, de publicæ ſalutis cura nihil dicamus. Vidit hoc Scipio, alienus à Chriſtiana philoſophia, qui dicere ſolebat, nunquam ſe minus eſſe otioſum, quàm cum eſſet otioſus: nimirum quòd otio & vacatione à laboribus ad honeſtas & reipub. vtiles cogitationes vteretur. Quò & alter ille reſpexit, qui aiebat, præſtat otioſum eſſe quàm nihil agere. Quæ ideo commemoramus, vt Chriſtianos homines ſuæ ſocordiæ atque ignauiæ pudeat, qua plerique hodie altùm dormiunt, cùm paſſim & benè agendi occaſiones & pericula occurrant, quæ nos excitare poſſent, niſi cum pietate ſenſum quoq; communem exuiſſemus.

Phariſæi Chriſtum ſtudioſè obſeruant.

Sed quia hæc alterius loci ſunt, nunc Phariſæos & Scribas videamus, qui Chriſtum obſeruaſſe dicuntur, num die Sabbati hominem curaturus eſſet. Sciebant enim illum quibuſuis obuijs opem ferre, & vel eo ipſo eius innocentiæ teſtimonium ferunt, & ſuam improbitatem produnt: quando

ex eo, quod laudem merebatur, ipſum accuſandi occaſionem inſidioſè captant. Neque illum tacitè modò obſeruarunt, ſed cùm ille nonnihil cunctaretur, ipſi (vt Matthæus ſcribit) priores quæſtionem ea de re mouerunt, qua eum in naſſam pertraherent. Elucet in eo magna improbitas cum impudenti temeritate coniuncta. Nuper enim in eiuſdem argumenti diſputatione ab illo victi non habuerunt quod reſponderent, & in multis alijs congreſſibus eius ſapientiam iam pridem experti fuerant. Attamen certamen inſtaurant, & id eò maiori cum impietate faciunt, quòd eadem opera miſeri illius hominis ſalutem impedire conantur, cuius ipſos miſereri, & pro quo apud Chriſtum intercedere decebat. Ac neque prioris ignominiæ recordatio, neque calamitoſi illius miſeria mouentur, quos auaritiæ & ambitionis affectus ita excæcauerat, vt nihil non ſibi aduerſus eum licere putent, quem quæſtui ipſorum & honori obſtare ſciebant. Sunt huius generis infinita exempla, quorum omnium hic nobis vſus eſſe debet, vt diſcamus quanta ſit vis auaritiæ & ambitionis, & quàm malè ſibiipſis proſpiciant, qui illis indulgent. In repub. certè nullam nocentiorem peſtem eſſe, Pharaonis, Saulis, Abſolomi, Syllæ, Marij, Iulij, Pompeij & ſimilium exemplis docemur. In eccleſia autem nihil ſanum & integrum conſiſtere poteſt, quamprimùm Sirenes iſtæ eorum animos excæcant, qui toti populo pietatis & modeſtiæ magiſtri eſſe debebant. Poſſem hîc quoque exempla omnis generis proferre, ſed verbis minimè opus eſt, quando non ſine noſtro malo experimur, quàm parum de illis ſperari debeat, qui religionis & eccleſiæ prætextu ad quæſtum & honorem priuatum abutuntur. Solent illi in vmbratili modò iuſtitia hærere, & interea ſecuri ea negligunt, quæ præcipua ſunt cultus diuini capita. Quòd ſi ab aliquo liberius arguantur, & exiſtimationem ſuam in periculum venire videant, mox in furorem verſi nihil non faciunt, quo illam defendi poſſe confidunt. At ſimul artibus vtuntur, quibus conatum ſuum aſtutè celant, quaſi pro Dei gloria pugnent, quando ſuas res agunt, & doctrinam veritatis cum vniuerſo cultu extinguere ſtudent.

Chriſtus hoſtiũ dolos & malitiam arguit.

Cæterùm non latent Chriſtum hoſtium ſuorum inſidiæ, qui in præſenti quoque iſtorum cogitationes cognitas habuiſſe ſcribitur, quas ita arguit, vt in ipſorum contumeliam redundet, quod illi aduerſus eum inſtituerant, ſimulq́ ſuam de Sabbato doctrinam amplius illuſtret atque confirmet. Solet hoc accidere veritatis hoſtibus, vt dum in cœlum expuunt ſeipſos contaminent, & dum Solis lucem extinguere conantur, in ſuis illis tenebris, quas ipſi ſibi offuderunt, ſeipſos omnium riſui atque ludibrio exponant. Minimè ergo eiuſmodi hominum conatibus nos offendi aut terreri decet, ſed potius Chriſtum imitari, qui admodum grauiter cauſam ſuã agit. Nam primò hominem ſurgere & in medium cœtum prodire, ibique conſiſtere iubet: ita nimirum omnium mentes in diligentem rei huius conſiderationem excitans. Deinde quæſtionem aliam ipſis opponit, dicens: Licet ne Sabbatis benefacere, an malefacere? hominem ſeruare an perdere? Quibus verbis contraria inter ſe confert, vt facilius conuincere & captos tenere poſſit, quos anguillæ inſtar per omnes rimas elabi ſciebat. Beneficia enim prohibere inexcuſabilis impudentiæ erat, at eadem differre ſaltem velle non aliud erat, quàm Sabbatum in otium ignauum atque inutile conuertere. Et quia ſatis nouerat, non tam impudentes eſſe, qui Sabbato malefaciendum alicui eſſe dicerent, expoſitionis loco alterum membrum ſubijcit, An hominem ſeruare aut perdere licitum putent? Perdit enim, non modò qui vim alicui facit & malum dat, verumetiam qui opem laboranti negat, aut illam ſaltem differt, cùm abſque mora eam ferre poſſit. Intelligunt hoc illi, & proinde intra animos ſuos conuicti tacent, tacendo autem ſuam produnt malitiam, quando fateri nolunt quod licitum & ſanctum eſſe non ignorabant. Circunfert ergo oculos Dominus, & illis partim iraſcitur, partim condolet, quòd homines in tanta apud omnes exiſtimatione conſtitutos & qui legis ſcientiam profitebantur, tam excæcatos & vecordes eſſe cerneret. Itaque cum iuſta ira bonitatis & manſuetudinis ſuæ temperamentum coniungit, vt oſtendat quàm facilis ſit erga eos, qui cum ipſo in gratiam redire ſeriò cupiunt. Adhæc ſuo exemplo docet, iram fræno coercendam eſſe etiam tunc, quando eius cauſas graues & iuſtas habemus. Niſi enim id fiat, affectus vehementia abrepti ea deſignamus, quorum nos paulò poſt pudet atque pœnitet. Proderit autem, ſi moram interponamus, vt interea flamma illa vehementior ſubſidat & ex ea accenſus ardor remittat. Merito igitur laudatur Archita Tarentini dictum qui villico ob agros negligentius cultos iratus dixiſſe fertur: Merito de te ſupplicium ſumerem, niſi iratus eſſem. Cui ſimile eſt Platonis ad ſeruum, qui deliquerat: Age Dijs gratias,

Chriſti ira temperatur bonitate.

nam

nam niſi iratus eſſem, te concidiſſem. Habuerunt ergo philoſophi quoque animis ſuis inſcriptam Apoſtoli ſententiam, Ira viri non operatur iuſtitiam, & proinde iuſtam quoque vltionem putarunt differri debere, donec ardor ille deferbuerit. Nam quæ noſtræ naturæ vitioſitas eſt, in ijs etiam affectibus modum excedimus, qui per ſe boni ſunt, niſi eos aut mora aut alia aliqua ratione temperemus. Vbi etiam cumprimis vtile fuerit communem omnibus humanæ naturæ miſeriam in mentem reuocare. Eius enim conſideratio mox admonebit, non debere nos alicui propter ea impotentius iraſci, quæ in nos quoque cadere poſſunt. At quoad Chriſtum, hic quidem eiuſmodi rationibus in frænanda ira ſua minimè opus habuit, cùm qui ipſa iuſtitia eſt, modum excedere non poßit, paterni autem fauoris argumentum fuit, quòd hoſtium cæcitate, quam illis non multò poſt exicij cauſam fore ſciebat, tantopere afficitur. Et quia incurabiles erant, ad miſerum illum conuerſus ait: Extende manum tuam. Quod cùm ille feciſſet, mox ea reſtituta eſt ſana, ſicuti altera: & ſic facto docet Chriſtus, quod illi verbis fateri noluerunt, licitum videlicet eſſe Sabbato ea facere, quæ proximi ſalutem adiuuant. Apud Matthæum tamen hoc ipſum argumento probat, quod ab exemplo communi & quotidiano petit, quòd nimirum Sabbato liceat ouem aut bouem in puteum ſiue foueam delapſum extrahere: Vnde colligit, præpoſterè religioſos eſſe, qui hominem perire aut periclitari ſinant, propter quem pectora omnia creata ſunt, & cuius imperio tota hæc mundi machina neceſſariò ſubijcitur.

Quoniam autem in ſcripturis Sabbati præceptũ vetuſtißimum eſt, & tam multa de hoc contentio Chriſto cum ſuis aduerſarijs interceßit, quædam de illo nobis fuſius dicenda erunt, vt quid nam illud ſit intelligamus, in quo item verus eius vſus conſiſtat, quibus denique modis prophanetur. Sabbati vox quietem aut vacationem ab opere ſignificat. Hîc autem pro die ſeptimo ſumitur, quem Deus quieti huic deſtinauit, & (vt ſcripturæ loquuntur) ſibi ſanctum eſſe voluit. Eſtque huius obſeruatio antiquißima, eò quòd in ipſa rerum creatione Dei exemplo inſtituta, & tandem peculiari præcepto confirmata fuit. Cauſæ eius tres adduci poſſunt, quibus eiuſdem vſus quoque legitimus & verus continetur. Prima politica & œconomica eſt, & corporibus ſeruit, quorum vires laboribus fatigatas & exhauſtas refici oportet. Et huc facit, quod in Decalogo ſeruorum, ancillarum & iumentorum Deus meminit, & alibi diſertè monet, vt horum ratio habeatur, ne nimijs & indeſinentibus laboribus ſuccumbant. Nam in Exodo Cap.23. ait: Sex diebus facies opera tua, ſeptimo autem die quieſces, vt quieſcat bos tuus, & aſinus tuus, & vt reſpiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus. Et rurſus Deuteronom. quinto Capite. Non facies die ſeptimo vllum opus, neque tu neque filius tuus, neque filia tua, neque ſeruus tuus, aut ancilla tua, neque bos tuus vel aſinus tuus, aut vllũ ex iumentis tuis, neq; peregrinus qui eſt intra portas tuas: vt quieſcat ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut tu. Et memineris, quòd & tu ſeruus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Dominus Deus tuus illinc, &c. Secundam cauſam inſtituti Sabbati eccleſiaſticam dicere poſſumus, eò quòd circa Dei cultum & publica ſiue externa religionis exercitia verſatur. Quia enim inter Iudæos lex publicè doceri, & ſacra exerceri debebant, certum diem eſſe oportuit, quo ad cœtus ſacros ſimul omnes conuenirent, & eiuſdem legis diſciplina ſacrorumque eorundem vſu teſtarentur, ſe eiuſdem Dei cultores, fidei eiuſdem profeſſores & eccleſiæ eiuſdem membra eſſe. Nam etſi vtile & pium eſſet iſta quotidie fieri, non tamen eadem omnium eſt conditio, vt id ſine rerum ſuarum iactura facere poßint. At ſi ſingulis libertas detur tempus deligendi pro ſuo arbitrio, mox cœtus ſacros minui, & confuſionem in eccleſia oriri videremus. Quia ergo Deus omnia ritè & ordine decoro atque honeſto fieri vult, tam loca quàm tempora certa eſſe neceſſe eſt, quæ ſacris vſibus deſtinata ſint. Tertia Sabbati cauſa ſublimior & verè ſpiritualis eſt, atque ad æternam hominis ſalutem propius pertinet. Illo enim typo ſpiritualis illa quies adumbratur, qua ab operibus carnis & mundi feriari debemus, vt Deus ſuo verbo & ſpiritu in nobis operari poßit. Et hoc præcipuum eſt, quod in Sabbati obſeruatione paßim prophetæ vrgent, ne hanc in ignauo otio aut ſuperſtitioſa ab omnibus operibus ceſſatione conſiſtere putarent, ſed ita corpore quieſcerent, vt animos totos circa diuinæ voluntatis meditationem & vitæ ſanctæ officia occupatos haberent, adeoque operum ſuorum & anteactæ vitæ recordatione ſeipſos ad pœnitentiam & pietatem exercerent. Ideo Sabbatum ſanctificare,

De Sabbato.

Cauſæ & uſus Sabbati.

id eſt, totum Deo conſecrare debebant, & idem hoc ſignum eſſe dicitur, quòd Deus Iſraelem ſanctificet, & ſibi in peculium vindicet. Quæ cauſa eſt, quod prophetæ, quoties de Dei cultu prophanato & fœdere violato populum accuſant, imprimis ferè de Sabbatorum prophanatione queruntur. Vſus ergo præcipuus & proprius Sabbati is eſt, quem Iſaias his verbis compræhendit: Si auerteris pedem tuum Sabbato, quò minus facias tuam voluntatem in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delitias ad ſanctificandum Dominum glorioſum, & glorificaueris eum, vt non facias vias tuas, neque inuenias tuam voluntatem ad loquendum ſermonem: tunc delectaberis in Domino, & ego vehã te ſuper excelſa terræ, & faciam te comedere hæreditatem Iacob patris tui. Iſa. 58.

Sabbatum Chriſtianorum. *Et iſta quidem olim de Sabbati obſeruatione veteribus mandata fuerunt, quæ ſi ad nos transferas, non minus illa nobis conuenire patebit. Nam etiam hodie otio & quiete opus eſt, qua vires defeſſas recreemus & animum quoque à curis rei domeſticæ reuocemus. Ne verò otium illud alicuius mali occaſio fiat & libidinis fomentum ſit, totum Deo conſecretur neceſſe eſt. Requiruntur ergo hîc externa pietatis exercitia, vt nimirum in cœtus ſacros veniamus, in verbo ſuo nobis loquentem Dominum audiamus, precibus publicis atque priuatis opem eius imploremus, Sacramentis vtamur cum ſolenni gratiarum actione, adhæc vitam omnem examinemus, & quod perperam à nobis factum eſt corrigamus, feriemur denique ab operibus huius ſeculi, locum autem demus ſpiritui ſancto, vt ea hic in nobis operetur, quæ ad Dei gloriam & tam noſtram quàm aliorum ſalutem faciant. Apparet ergo eius diei religionem non obſtare, quò minus proximo in neceſſitate aliqua conſtituto opem feramus, aut quocunque alio opere pio & ſancto Deum glorificemus. Imò vt hoc fiat, miraculo præſenti Chriſtus docet. Suſtinet enim miſer iſte de quo hîc agitur, typum omnium noſtrum, qui peccati ex Adamo contracti noxa eò vſque debilitati ſumus, vt dexteras manus aridas habeamus, id eſt, vt ex nobis ipſis nihil boni poſſimus, & (vt Paulus ait) ne ad cogitandum quidem idonei ſimus. Eſtque malum hoc immedicabile, neque vlla arte aut remedio humano curari poteſt. Solus Chriſtus huic medetur, vt alibi quoque diximus, dum peccata expias, & ex verbo ſuo renatos nouis viribus inſtruit, quibus faciamus quæ Deo probantur. Huic autem Sabbato dexteram ſuam reſtituit, vt oſtendat illo die potiſſimum nos ad pietais officia & opera*

Iſa. 66. *verè bona accingi debere, de quibus modò diximus. Et hoc Sabbatum illud verè Chriſtianum eſt,*

1. Cor. 15. *cuius finis & præmium erit æterna quies, qua olim pij fruentur, quando abolita hac mundi machina ſabbatum cum ſabbato continuabitur, & Deus omnia erit in omnibus. Et debent quidem in iſtis ſeſe iugiter exercere Chriſtiani homines vt Sabbatum perpetuum agant, & à malis quidem operibus ferientur, Deo autem viuant: attamen quia multis etiam huius vitæ negotijs occupati ſumus, quæ vt plurimum animos à feria cæleſtium meditatione abſtrahunt, certum diem exercitijs hiſce deſtinatum eſſe non minus hodie, quàm olim, neceſſe eſt.*

Cur ſeptimus dies conſecratus. *Quod ſi quærat, cur ſeptimum diem potius quàm alium huic rei Deus conſecrauerit, & annon Sabbatum quoque, vt & aliæ ceremoniæ in Chriſti morte abolitæ ſint? ego quæſtiones eiuſmodi ſuperuacaneas eſſe arbitror. Nam quoad primam, eadem opera quærere poterat, cur in quinque ſolum digitos manum tibi Deus ſecuerit? aut cur binos tibi oculos & binas aures dederit: Sufficiat nobis Dei voluntas, quam & proprio exemplo & præcepto diſerto commendauit. Et illius agnoſcamus bonitatem, qui cùm pluribus ferijs nos grauare, totumq́ vitæ noſtræ tempus ſacris exercitijs vendicare poſſet, noſtrorum tamen negotiorum rationem habuit: ſeptimum tamen diem nobis ſanctum fecit, vt huius recordatione nos ad ſui exempli imitationem magis excitaret. Quoad alterã quæſtionem, quod in Sabbato Iudæorum ceremoniale fuit, id per Chriſtum abrogatũ eſſe fateor: at minimè abrogata eſt quies illa ſancta, qua nobis ob cauſas ſupra commemoratas opus eſſe huc uſq; demonſtrauimus. Ideo Apoſtoli (vt ex ſcriptis eorum & patrum veterum traditionibus apparet) ne eccleſia cum Iudæorum ſuperſtitionibus aliquid commune haberet, otium illud ſacrum in ſequentem diem*

Dies dominicus. *tranſtulerunt, qui Dominicus dictus eſt, vel quod illo Chriſtus à mortuis reſuſcitatus humani generis redemptionem perfecit, vel vt ipſo nomine docerent illum totum Domino conſecratũ eſſe deberè. At ijdem non tantum ſibi permiſerunt, vt ferias vel plures inſtituerent, vel à Deo præceptam diei ſeptimi obſeruationem in decimũ aut quemcunq; alium extenderent. Horum igitur exẽplo nos inſiſtere con-*

ſtere con-

ſtere conuenit, ne ſub libertatis Chriſtianæ prætextu in illis ludamus, quæ Deus certa cum ratione inſtituit, & illa tandem in licentiam degeneret, quæ vt confuſionem gignit, ita animos tandem ab omni religione alienat. Neque hîc mihi quiſquam Paulum obijciat, qui Galatas damnat, quòd dies obſeruarent, & qui dies feſtos inter vmbras rerum futurarum recenſet. Iam ante enim diximus, quid in Sabbato abrogatum ſit, & quòd eiuſdem obſeruatio hodie non minus quàm olim neceſſaria ſit, cùm iiſdem cauſis, quibus olim Iudæi, vrgeamur. Non ergo piam feriandi rationem Paulus reprehendit, ſed ſuperſtitionem, qua nonnulli detenti cum Iudæis in ignauo otio & non tam ſuperſtitioſa quàm ridicula Sabbati obſeruatione Dei cultum & ſalutis meritum collocabant. Et credibile eſt, pleroſque eorum eò vſque progreſſos fuiſſe, vt aut Sabbatum Iudæorum die Dominico præferrent, aut vtrumque colendo ferias augerent. Iſta ergo Apoſtoli meritò accuſarunt, vt & in eccleſia paci publicæ conſulerent, & omnium mentes ab externis ad fidem Chriſti atque cultum ſpiritualem reuocarent.

Galat. 4.
Coloſ. 2.

Itaque in horum conſideratione nobis quoque ita verſandum eſt, vt abuſum omnem diei Dominici ſedulò caueamus, qui varius eſt & duplex. Peccant enim qui illo non contenti, ferias nouas inſtituunt, & ita primam præcepti Dominici partem tranſgrediuntur, qua ſex diebus laborare iubemur. Vbi grauior eorum culpa eſt, qui ferias in Diuorum honorem conſecrant, quod vt nullo veteris eccleſiæ exemplo probari poteſt, ita diuinis legibus palàm repugnat, quæ ferias omnes vni Deo ſacras eſſe iubent, vtpote quæ ad cultum Dei imprimis pertineant. Scimus equidem poſt Apoſtolorum tempora pio zelo inſtitutas fuiſſe Martyrum memorias, vt eorum exemplo ad fidei conſtantiam & virtutis ſtudium omnes excitarentur. At quia hoc nullo Dei præcepto nitebatur, mox ſuperſtitiones peperit infinitas, quibus pleriq; à vera fide & vnius Dei cultu ad idololatriam & Diuorum inuocationem adducti fuerunt. Præſtat ergo eam ſimplicitatem retinere quam nobis in verbo ſuo Deus præſcripſit. Nam quæ humani ingenij eſt ad ſuperſtitiones propenſio, difficile eſt illi modum præſcribere, ſi ſemel à via Domini diſcedamus. Peccant præterea, qui diei Dominici obſeruationem in otio inani conſiſtere putant, quaſi Dei cultus ſit nihil omnino agere. Et hîc quoq; præ alijs errant, qui inſuper cœtus ſacros & à Chriſto nobis tradita religionis exercitia negligunt. Abutuntur item ſabbato, qui totum illum diem auaritiæ conſecrant, & hac impulſi opera faciunt minimè neceſſaria, quibus ſeipſos & familiam omnem fatigant: qui item merces vænales habent, qui rationes ſuas ſubducunt, aut (quod à Chriſtiana religione & charitate alieniſſimum eſt) debitorum exactione eos contriſtant, quibus diem hunc Deus quietis & recreationis diem eſſe voluit. Quid verò de ijs dicemus, qui Domino ſacrum diem Baccho, Veneri, Marti dedicāt, dum vel ebrioſis comeſſationibus vacant, vel veſtitu petulanti laſciuiunt, ſcortantur, mœchantur, ſaltant, vel gladiatoriam exercent, & circa ludorum turpiſſimorum ſpectacula occupantur? Fiunt iſta omnia hodie, & ſi verum fateri libeat, nullo tempore plura & atrociora committuntur flagitia, quàm quòd totum Deo & pietati impendi debebat. Puniuit hæc olim Deus grauiſſimè, vt Prophetarum ſermones docent, & nos hodie eius iram vbiq; ſeſe exerentē miramur? Diſcant ergo hæc emendare, qui rebus ſuis cōſultum volūt. At quia pleriq; hîc negligentiores ſunt, ad magiſtratus hæc cura imprimis pertinet, vt (quod olim Nehemias fecit) ſuam authoritatem in re maximè neceſſaria interponant. Fecerunt hos olim Chriſtiani Imperatores, quorum Leges alibi recitauimus, quæ ſi hodie apud omnes valerent, Deo magis propitio vteremur. Et hæc quidem de Sabbatis modò dixiſſe ſufficiat.

Abuſus Sabbati.

Reliquum eſt vt videamus, quomodo Chriſti doctrinam tanto miraculo confirmatam eius aduerſarij acceperint, & quid ille porrò fecerit. Illos amentia repletos, & inter ſe collocutos fuiſſe Lucas ſcribit, quidnam facerēt Ieſu. Marcus addit, Phariſæos mox egreſſos cum Herodianis conſultauiſſe, vt eum perderent. Eſt hoc incurabilis contumaciæ & extremæ impietatis exemplū. Quid enim Chriſtus vel dixit vel fecit, quod mortis ſupplicio dignum ſit? Aut num ipſe prior huic facto initium dedit? Nonne ipſi priores diſputationem hanc exorſi ſunt? Quid verò Chriſtus? Amicè & abſq; conuitio de cauſa hac tota diſputauit, homini miſero beneficium dedit, eùm non ſine miraculo curauit, & non ſolùm Sabbati verum vſum illis oſtendit, verumetiam ſe verum Dei filium & promiſſum humani generis ſeruatorem eſſe demonſtrauit. Quid ergo hîc reprehenſione, nedum ſupplicio

Vt Chriſti doctrinam hoſtes acceperint.

dignum eſt? Num quòd Sabbato hæc fecit? Atqui hoc non humanum,ſed diuinum opus eſt,neq̨ aliud ille fecit,quàm quod Pater nunquam non agit,quando vniuerſam hanc orbis totius machinã in ſingula momenta ſeruat,regit atq̨ tuetur. Cur ergo Sabbati violati reus agatur, qui Deum tam apertè imitatus eſt? Sed nihil horum videre poſſunt,qui auaritia & ambitione excæcati iampridem Dei metum animo excuſſerant. Et apparet in illis,quo ſpiritu agãtur,qui hodie etiam intra animos ſuos conuicti, apertæ tamen veritati contradicunt: qui item de perdendis fidis monitoribus conſultant,quando de emendatione morum & vitæ cogitandum erat. Eſt horum magnus numerus hodie inter eos etiam,qui Chriſtiani dici volunt. Sed reuera Chriſti hoſtes ſunt, & olim eaſdem illi pœnas dabunt,quibus iſtorum impietatem ille non multò poſt mulctauit.

Ioan. 5.

*Cæterùm præſtat videre quid iſti egerint. Primò amentia replentur, quod mirum videri poterat in ijs,qui cum Legis ſcientiã vitæ etiam morumque grauitatem ſingularem profitebantur. Sed non mirum eſt amentia repleri eos, qui ſuis traditionibus infelicem populum diu captiuum tenuerunt, quando per Chriſtum libertatem reſtitutam & miſeris vires datas eſſe vident, quibus iugum illud excutiant. Hodie certè hoc vnum malè habet Monachos & horum patronos, quòd pleriſque iam oculos, aures, manus & pedes eſſe videant, quibus in Chriſto nobis collatum æternæ ſalutis beneficium amplectantur. Deinde exeunt, & animo conceptum furorem diſſimulant. Inde mox ſibi Herodianos iungunt, homines à ſua profeſſione alieniſſimos, & quos cane & angue peius oderant, cumque his ſua de Chriſto occidendo conſilia conferunt. Qui ergo reliquis ſanctiores haberi volebant,ij Chriſtum quidem veræ ſanctimoniæ magiſtrum oderunt, cum Herodianis autem aulico faſtu,libidine & quouis alio ſcelere corruptiſſimis coniurant. Sunt hi impiorum mores,quòd virus animi interdum cælare poſſunt, clam autem omnia tentant,quæ ad veritatis lucem extinguendam facere videntur. Neque hîc eos alicuius flagitij aut ſodalitij pudet. Quò magis nos vigilare decet,ne eorum inſidijs circumuenti ipſam Veritatem nobiſcum in periculum adducamus. Et quàmuis interdum inter ſe grauibus diſſidijs ſcindantur, nemo tamen ex eo ſibi meliorem ſortem promittat. Facilè enim conueniunt impij, ſi quid aduerſus Veritatem tentandum eſt. Interim neminem terreant eorum conatus. Nam vt Marcus ſcribit, conſultantibus illis Chriſtus ad mare ſeceſsit,& ingens populi multitudo ipſum ſecuta eſt: quiq̨ prius aliquot dies vno in loco ſubſliterat, nunc finitimam regionem omnem Euangelij prædicatione illuſtrat. Ita vincit Dei filius, & inuito mundo atq̨ perſonatis præſulibus triumphat,regniq̨ ſui pomeria ſub crucis vexillo proueh**it. Illi debetur benedictio,honor,gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA LVII.

Factum eſt autem illis diebus, abijt in montem ad precandum, & pernoctauit precans Deum. Et cùm dies ortus eſſet, aduocauit diſcipulos ſuos, & eùm ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominauit (nempe Simonem,quem etiam nominauit Petrum,& Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes,Iudam Iacobi & Iudam Iſcarioten, qui etiam fuit proditor) deſcendit cum eis ſtetitq̨ in loco campeſtri: turbaq̨ diſcipulorum eius & multitudo magna plebis ex tota Iudæa & Hieroſolyma, & ex maritima regione Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirent eum & ſanarentur à morbis ſuis, & qui torquebantur à ſpiritibus impuris: & ſanabantur. Et tota turba ſtudebat eum tangere: quia virtus ab eo exibat,& ſanabat omnes.

MEmoratu dignum & plenum conſolationis eſt Pauli Apoſtoli dictum, quo Ieſum Chriſtum in mundum veniſſe teſtatur, vt peccatores ſaluos faciat. Verè autem hoc dici non modò ex eo apparet, quòd ſemetipſum pro nobis in mortem tradidit, verumetiam quòd quàm diu in terris vixit,

Marcus homil. 25.

ris vixit, aſsidua doctrina & prædicatione quàm plurimos in veritatis cognitionem adducere ſtuduit, neq; in eo vllis laboribus pepercit. Quia verò ipſe ſolus ad hoc non ſufficiebat, quoad aſſumptæ humanitatis modulum, & idem peracto noſtræ redemptionis negotio terras relicturus erat, ex diſcipulis aliquos ordinauit, quibus ceu ſymmyſtis aut conſeruis vteretur, & qui ipſo in cœlos ſubuecto Euangelij doctrinam in toto terrarum orbe diuulgarent. De horum itaq; electione in præſenti agitur, quam ita deſcribit Lucas, vt oſtendat Chriſtum fideliſsimi patris inſtar nihil eorum prætermiſiſſe, quæ ad domus aut familiæ ſuæ incolumitatem faciunt. Docet præterea exemplum hoc quæ ratio ſit miniſterij eccleſiaſtici, quanta eiuſdem ſit authoritas, & quid in ordinandis miniſtris potiſsimum obſeruari debeat. Vt tamen iſta noſtræ cùm inſtitutioni tum conſolationi magis ſeruiant, ſingulas huius loci partes inſpiciemus.

Authormini ſterij eccleſiaſtici Chriſtus. 1.Pet.1.

Primũ author totius negotij proponitur, Vnus ſolusq; Chriſtus. Vnde colligitur Euangelij miniſterium non ex hominibus orginem duxiſſe, ſed ab ipſo Dei filio eſſe inſtitutum. Qui enim olim prophetas (vt Petrus admonet) ſuo ſpiritu donauit, vt huius ſuggeſtione excitati de ipſo vaticinarentur, idem nunc quoq; ex diſcipulorum numero aliquos ſelegit, vt verbi ſui præcones eſſent, & etiam hodie ſpiritus ſui dona inter homines diſtribuit, & alios quidem ſuæ eccleſiæ dat Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios paſtores, alios doctores, vt Paulus in epiſtola ad Epheſios annotauit. Sunt hæc nobis diligentius obſeruanda, vt intelligamus quanta apud nos eſſe debeat doctrina apoſtolicæ authoritas, & quàm graue eorum ſcelus ſit, qui huic contradicunt. Quia enim Apoſtolos Chriſtus rerum abs ſe geſtarum præcones, imò teſtes eſſe voluit, non in illos modò iniurij ſunt, quotquot doctrinam eorum falſi inſimulant, verumetiam ipſum Chriſtum extrema ignominia afficiunt. At quia de hoc alibi commodius dicetur, nunc quanta illorum ingratitudo ſit obſeruemus, qui Verbi adminiſtros, adeoq; vniuerſum eccleſiæ miniſterium contemnunt atq; oderunt, eò quòd per hoc peccata ipſorum arguuntur. Eſt hoc commune huius mundi vitium, vt cùm totus in malo obrutus iaceat & ex ſceleribus ſummam capiat voluptatem, eadem tamen argui & accuſari nolit: & pleriq; non alios acerbiores hoſtes ſe habere arbitrantur, quàm qui fidis correptionibus ipſos in viam ſalutis reducere ſatagunt. At hîc cogitandum erat, miniſterij huius authorem eſſe Chriſtum, & huius iuſſu fieri, vt ſpiritus ſanctus per Euangelij miniſtros mundum arguat de peccato. Ioan.16. Atqui de illo nihil hoſtile aut ſaluti noſtræ inimicum ſuſpicari poſſumus, cùm ſe totum pro nobis impenderit. Deinde, quòd nos argui & corripi omnino neceſſe eſt, tam propter quotidiana delicta, quàm propter innatã nobis ſtupiditatem, qua fit vt quæ in omnium ore & oculis ſunt ipſi in nobis non animaduertamus. Quod vnum qui non oſcitanter obſeruãt, ij facilè intelligunt vix aliud euidentius diuini fauoris argumentum eſſe, quàm quòd nos in exitium ruentes non ſeuerioribus, vt digni eramus, plagis coercet, ſed paternis admonitionibus in viam reuocat. Quòd ſi ex inimicis hanc vtilitatem captare docuerunt philoſophi, vt ex illis audiamus, quæ in nobis alij diſsimulant aut omnino non obſeruant: quanto magis patienter audiri debent, quos Deus humani generis amantiſsimus nobis monitores cõſtituit? Quibus adde, quòd obſtrependo nihil proficimus, ſed (vt filij contumaces) Dei iram magis prouocamus & pœnas grauiores nobis accerſimus: quod omnium ſeculorum exempla abunde teſtantur. Horum conſideratio olim ſupremos Reges & victorioſiſsimos principes mouit, vt Prophetarum correptiones patienter ferrent. At hodie qui ex fece vulgi ſunt, Dei Verbo obloqui non verentur, quæ præcipua malorum noſtri ſeculi cauſa eſt.

Ephes.4.

Quomodo Chriſtus Euangelij præcones elegerit.

Secundò modus indicatur, quem Chriſtus tenuit, & qui inſtar præparationis fuit ad negotium hoc non minus arduum quàm ſanctum. Aſcendit in montem, vt ibi precetur, & noctem totam in precibus tranſigit. Quo exemplo nobis duo commendat, quæ in miniſtrorum electione obſeruatu imprimis neceſſaria ſunt. Primum, vt animos à carnis affectibus & rerum terrenarum cura in altum, id eſt, in ſublimiorem & ſeriam cœleſtium contemplationem attollamus, deq; ſolo regno Dei prouehendo ſoliciti ſimus. Quia enim negotium hoc totum diuinum eſt, neq; alium finem habet, quàm vt Dei regnum inter homines floreat, procul arceri debent quæcunq; nos ab eo reuocare poſſunt. Itaque in ipſo limine (vt aiunt) offendunt, qui terrenis deſiderijs immerſi hoc vnum agunt, vt aut ijs quoad huius ſeculi fortunam conſulant, quibus bene volunt: aut canes mutos inueniant, qui quiduis diſsimulent & apertis quoq; ſceleribus abblandiantur. Peccatum in hoc eſt omnibus ſeculis, & hinc olim in

veteri teſtamento ſacerdotalis & prophetici ordinis diſſipatio enata fuit, quòd in miniſterio ſacro partim quæſtum, partim impunitatem peccandi pleriq; quæſiuerũt. Nam in populo erant, qui blanda & quæ ſtudijs ipſorum conuenire dici vellent: & hi facilè inueniebant infelicia ventris mancipia, quibus non adeò graue erat ijs morem gerere, ex quibus aliquod emolumentum poterant ſperare. Herodes certè hoc ad regni ſui confirmationem facere putauit, ſi deleta veterum ſacerdotum proſapia, alios ex fece vulgi ſubſtitueret, quibus poſſet dicendi leges præſcribere: quo ſtratagemate prius Iero-
1. Reg 12. boamum quoq; in ſtabiliendo regno Iſraelitico vſum fuiſſe, fortaſſis audiuerat. Et vtinam nõ etiam hodie paſſim haberentur, qui hoc vnum quærunt, quando de miniſterio ſacro agitur. Sed impletur
2. Tim. 4. quotidie quod de nouiſſimorum temporum hominibus Paulus dixit, fore nimirum vt ſanam doctrinam non ſuſtineant, & ad fabulas conuerſi doctores coaceruent, qui prauis deſiderijs prurientes aures ipſis demulceant. Alterũ eſt, vt precibus ad Deum ſerijs & ardentibus vtantur, quicunq; verbi adminiſtros deligere & ordinare inſtituerunt. Poſtulat hoc ipſa miniſterij ratio. Quia enim munus hoc periculi plenum & imprimis arduum eſt, & in eo abſq; Dei ope nihil proficitur, hanc petant oportet quicunq; in eligendis doctoribus falli nolunt. Debet eos etiam excitare communis periculi conſideratio, quando conſtat miniſtros non ſibi ſolis peccare, ſed toti ſimul populo, qui ipſorum fidei creditus eſt. Nam vt is qui ad clauum ſedet, ſi quid vel negligentia vel malitia peccet, non ſibi ſoli malum dat, ſed nauim totam vnà cum vectoribus perdit: ita totas eccleſias, aut ſaltem maiorem partẽ
Acto. 1. & 19. doctores mali aut negligentes ſecum in exitium abripiunt. Obſeruant hoc diligenter Apoſtoli & qui in primitiua eccleſia rebus præfuerunt. Nam etſi eorum, qui ordinandi erant, virtus atq; fides ipſis ſatis perſpecta eſſet, voluerunt tamen negotium hoc omne diuino ſpiritu gubernari, & ideo ieiunijs ſimul & precibus vacarunt, quibus Dei gratiam atq; opem impetrarent. Acceſſit deinde impoſitio manuum, quæ ipſa quoq; non ſine publicis precibus fiebat, vt plus authoritatis miniſterio accederet. Quæ omnia cum hodie negligantur omnino, aut nimis frigidè tractentur, minimè mirum eſt tam paucos haberi, qui munus iſtud dignè & cum aliquo fructu obeant.

Quales electi à Christo. Tertiò, quos elegerit aut quales, videndum eſt. Docet hoc vno verbo Marcus, quando electos dicit, quos ipſe voluit: non eos, qui aut ipſi hoc munus ambiebant, aut hominum authoritate cõmendabantur. Voluit autem procul dubio eos, quos pater æterno decreto ad hoc munus deſtinauerat. Nihil ergo hîc aut hominum dignitati aut meritis datum eſt, ſed totum hoc negotium ex Dei gratia dependet, quod ipſe Chriſtus apud Ioannem his verbis disertè teſtatur: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Solet hoc idem etiam hodie fieri. Etſi enim multi ſua ſponte currant, & priuatis affectibus ducti munus iſtud capeſſant, nihil tamen abſq; diuinæ prouidentiæ certo conſilio fit, & (vt ſupra ex Paulo demonſtrauimus) Chriſtus is eſt, qui eccleſiæ paſtores dat. Cæterùm hoc loco carnis rationi abſurdum vel etiam iniquum videtur, quòd multis præteritis, qui fide & pietate præſtabant, Iudam elegerit, quem furacem eſſe, & tandem proditorem fore non poterat ignorare. Etenim cùm natura commodi priuati ſtudio teneamur, nemo facilè inter domeſticos ſuos eum aſciſcit, ex quo malum ali
In Serm. ad Clerum in Conc. Remen. quod ingens ſibi imminere nouit. D. Bernhardum certè olim huius conſilij ſiue facti conſideratio mouit, vt exclamaret: Domine Ieſu, cùm eſſet electio illa in manu tua, quare elegiſti diabolum epiſcopũ? Sed idem mox ſubijcit: Fratres, ſic facit Ieſus hodie eligens ſibi multos diabolos epiſcopos. Quia verò æterna Sapientia eſt Chriſtus, non dubium eſt, quin illi certa huius conſilij ratio conſtiterit, & etiamnum hodie illi conſtet: quod vnum nobis ſufficere debet in ijs, quorum ratio in ſcripturis non diſertè redditur.
Cur Iudam inter Apostolos cooptarit? Veruntamen ſi quis hic pijs coniecturis locus eſt, non ineptè dicemus, Chriſtũ hoc exemplo voluiſſe ſcandalo mederi, quod ex corruptis verbi adminiſtrorũ moribus & eccleſiæ confuſione, quæ ex his ferè emanat, exoriturum ſciebat. Solent enim ex his calumniandi occaſionem captare, qui verbi lucem prius oderunt, & hominum vitia doctrinæ imputant, vt eam omnibus inuiſam atq; ſuſpectam reddant. Et hi ferè nũquam non in ore habent Apoſtolorum exemplum, vt per hos omnes eos damnẽt, quos vel latum vnguem ab eo diſcedere vident. Atqui fatemur quoq; nos eos demũ verè apoſtolicos & honore dignos eſſe, qui Apoſtolorum veſtigijs quoad doctrinam ſimul & vitæ conſuetudinem, inſiſtunt: interim verò inter hanc & illam diſtiguendum eſſe dicimus, neq; doctrinam propter corruptos doctoris mores damnari debere. Nam ſi hoc demus, ex hominum virtute & dignitate tota doctrinæ authoritas pendebit, & cum Iuda ipſum quoq; euãgelium reijci merebitur, cuius illũ

præconem

præconem fuiſſe ſcimus. Et quia omnibus ſeculis erunt qui Iudam imitentur, nunquam non in periculum veniet Euangelij veritas, qua labefactata ſalutis noſtræ fundamentum conſiſtere non poteſt. Quoad verò Chriſti diſcipulos, qui cum Iuda meliores eſſent, non tamen in Apoſtolorum chorum adoptati ſunt, nullam illis iniuriam fecit Dominus. Nihil enim ex eo ſaluti eorum deceſſit, & ijdẽ nihilominus locum in cœlis habent inter beatorum ſpiritus, quos pater ab æterno elegit. Imò cæteri oportuit, ne qui Chriſti diſcipuli ſunt, ſimul etiam Apoſtolos & Euangelij præcones ſe fore putarent. Quæ perſuaſio olim Corinthios mouit, vt propter ſpiritus χαρίσματα tumultuarentur, & eccleſiam totam ſcinderent, cùm omnes in illa eminere vellent. Quos Paulus admonet, eandẽ eſſe eccleſiæ rationem, quæ Reipub. vel etiam quæ corporis humani eſt. Vt enim membra omnia vnum corpus conſtituunt, & ad idem corpus pertinent, etiamſi magna inter illa diuerſitas & ingens diſcrimen ſit, ſiue vſum ſiue dignitatem ſpectet: & ſicuti certæ atq; diſtinctæ in Repub. functiones ſunt, quas ſi auferas, neq; Reipub. ordo, neq; œconomia inter priuatos cõſiſtere poterit: Ita in Eccleſia (inquit) aliquos conſtituit Deus, primùm quidẽ Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Et paulò poſt infert: Num omnes, Apoſtoli? num omnes, Prophetæ? num omnes, Doctores, &c? Quaſi diceret. Res ipſa loquitur, diſcrimina hæc functionum à Deo eſſe introducta. Nam quæ Eccleſia inueniri poterit, in qua omnes ſint Apoſtoli, aut Doctores, aut Verbi interpretes? Neq; enim in externa Verbi prædicatione ſalus noſtra fundata eſt, ſed in fide, qua Chriſtum appræhendimus. Voluit præterea Chriſtus diſcipulos ad patientiam & prudentiam exercere, quando Iudam illis admiſcuit. Qui enim inter initia ſuæ functionis collegam tam improbum & infidum ſenſerant, procul dubio poſtea ſibi à falſis fratribus diligentius cauèrunt, & minus offenſi ſunt, ſi quando tales viderunt obrepere. Seruit ergo noſtræ etiam inſtitutioni hoc Chriſti factum, ne indignius feramus, ſi qui nobis coniunguntur, quorum fides nobis non immerito ſuſpecta, aut etiam ſatis manifeſta eſt improbitas. Solet hoc in tanta hominum corruptione frequenter fieri, & hanc ferè Chriſti & ſeruorum eius ſortem eſſe, Dauidis, Pauli & ſimilium exempla teſtantur. At tunc magna prudentia ſimul & inuicta patientia opus eſt, ne dum ius noſtrum rigidius perſequimur, toti eccleſiæ aut reipub. malum demus & publicarum diſſenſionum ſimus authores, quarum plerunq; infelix eſt exitus. Admonentur præterea Iudæ exemplo omnes, qui in gradum aliquem ſublimiorem euecti ſunt, ne inſolentia ſuperbiant, ſed curent potius ne cadant, & ita ſibijpſis infamiæ maioris authores ſint.

Finis miniſterij apoſtolici.

Quartò finem quoque, in quem illi delecti ſunt, Euangeliſtæ indicant, vbi quod Lucas vnico Apoſtolorum nomine compræhendit, Marcus in ſuas quaſi ſpecies diducens tria dicit. Primum, hoc voluiſſe Chriſtum, vt iſti duodecim ſecum eſſent, indiuulſi nimirum comites, adeoq; diſcipuli domeſtici, quos ille priuatim inſtitueret & factorum ſuorum omnium teſtes haberet. Nondum ergo illis docendi munus credidit, cùm rerum adhuc ignari & prorſus rudes eſſent. Alterum, vt ſuo tempore ab ipſo ad prædicandum emitterentur, ex quo Apoſtolorum, id eſt, legatorum nomen acceperunt. Initium functionis huius, vel potius eius præludium infra Cap. 9. deſcribitur, quam poſtea cum plenes mandatis obiuerunt, quando poſt acceptum ſpiritum ſanctum in totum orbem ad prædicandum digreſſi ſunt. Tertium fuit, vt peculiari ſpiritus virtute inſtructi morbis mederentur, & Satanã ex hominibus eijcerent: quod miſſionis ipſorum teſtimonium publicum fuit, quale legatis per literas publicæ fidei aut credentiæ (vt vulgo loquuntur) dari conſueuit. Continent tria hæc omnes Euangelici miniſterij partes, in quibus ſedulos eſſe conuenit omnes eos, qui hoc cum laude & fructu aliquo obire volunt. Neceſſe enim eſt, vt cum Chriſto familiarius verſentur, hunc in ſcripturis loquentem audiant & ſpiritui eius intra animos ſuos locum dent, ſicq; ex illo diſcant, quod ſuæ fidei creditis prædicent. In prædicando autem non minus fidi quàm induſtrij ſint, ne quid diſſimulent ignauo metu ſuperati, neue aliquam docendi occaſionem prætermittant. Finis verò hic illis propoſitus ſit, vt morbis animi medeantur, id eſt, peccata procul arceant, & Satanam ex poſſeſſione inter homines malè vſurpata eijciant. Facient hoc magno cum profectu, ſi eius fraudes & dolos arguant, ſuperſtitiones oppugnent, dogmata falſa confutent, ſcelera corripiant, & quoſuis vel reluctantes ad Dei tribunal citent. In his enim olim prophetas & Apoſtolos diligentiſſimos fuiſſe ſcimus. Poterant hæc latiſſimè diduci, ſed ſufficiat cogitandi occaſionem præbuiſſe ijs, qui ſerio huius muneris ſtudio tenentur. Plura in Marco diximus.

Partes miniſterij euangelici.

catholicis & orthodoxis habent: at ſolus Chriſtus cum ſuis hæreſeos & violati cultus diuini crimine grauatur, quòd ad famem pellendam ſpicas digitis contriuiſſent. Quid verò aliud faciunt hodie Monachi, qui in nobis legitimum coniugij vſum, Chriſtianam quiduis edendi libertatem, neglectas ferias à Pontificibus ſuperſtitioſè inſtitutas, votorum monaſticorum reſciſſionem & ſexcenta alia magnis clamoribus accuſant, & propter ea dignos iudicant, qui ferro & igne excindamur: at ijdem ſuos ſectatores in cælos vſque euehunt atque in Deorum numerum referunt, etiamſi eos ventri, gulæ & Veneri ſeruire, adhæc rapinis, furtis, bellis non neceſſarijs, incendijs & ſanguine omnia fœdare atque infeſta facere videant. Quid quòd ipſi ferè illis talium ſcelerum ſunt authores? Eſt ergo idem vtrorumque ſpiritus, noſque eò minus offendi decet iſtorum clamoribus, quando eorum omnino ſimiles ſunt, qui olim æterno Dei filio in faciem reſtiterunt.

Chriſtus diſcipulis patrocinatur.

Sed relictis monſtris hiſce infelicibus Chriſtum audiamus, qui vt diſcipulis ſuis aduerſus Phariſæos patrocinatur, ita horum impudentem arrogantiam fortiter confutat, & ſimul docet, quid de externis ritibus ſimul omnibus ſentire debeamus, ſi quis caſus ſimilis incidat. Et eſt plenum conſolationis, quòd pauperes & obſcuros non deſtituit ſuo patrocinio Dominus, ſed illis aduerſus eos etiam adeſt, quorum ſumma erat apud Iudæorum gentem authoritas. Debet hoc nobis in mentem venire, ſi quando cum ijs res nobis eſt, quibus vix ſufficere videmur. Nam etſi non adſit nobis corporis ſui præſentia Dominus, ſpiritus tamen virtute in ſuis agit, qui fidi aduocati inſtar conſolationis argumenta ſimul & conſilia ſana ſuggerit, quibus hoſtium quantumuis aſtutiſſimorum artes eludamus. Cæterum breuitati ſtudet Lucas in recitando Chriſti reſponſo, quapropter illud ex Matthæo & Marco ita ſuppleri poterit: Ne hoc quidem legiſtis quod fecit Dauid, cùm eſuriret ipſe & qui cum eo erant: Quomodo introierit in domum Dei, & panes Propoſitionis ſumpſerit, ederitque, ac dederit etiam ijs qui ſecum erant, quos panes non licet edere niſi ſolis Sacerdotibus? Aut non legiſtis in lege, quòd Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum prophanant, & ſine crimine ſunt? Dico autem vobis templo maiorem hîc eſſe? Quòd ſi noſſetis quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium, non condemnaſſetis inſontes. Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbatum. Nam Dominus eſt etiam Sabbati Filius hominis. Eſt hæc grauis admodum confutatio, & quinque argumentis conſtat, quæ ex ordine videbimus.

1. A Dauidis exemplo.

Primum ab exemplo Dauidis ſumitur, qui panes propoſitionis, quorum eſus ſolis ſacerdotibus conceſſus erat, olim comedit. Extat hiſtoria in primo Samuelis cap. 21. De panibus autem illis Moſes Leuit. 24. differit. Fiebant hi ex ſimila aut farina puriſſima, duodecim numero, & diebus ſabbati ſingulis noui imponebantur menſæ aureæ cum phialis thure plenis. Erant autem typus Chriſti, qui verus ille panis vitæ eſt, quique è cœlo ad nos miſſus carnem puriſſimam & omnis peccati expertem ex caſtiſſima virgine aſſumpſit. Debet is ſemper proſtare in eccleſia, vtque eius cognitio per Verbi adminiſtros ſubinde inſtauretur neceſſe eſt, vt & certa nobis eſſe poſſit ſalutis fiducia, & vt preces noſtræ (quæ per thus adumbrantur) Deo gratæ ſint. Solis autem ſacerdotibus licebat illos edere, non quòd ij ſoli Chriſto frui poſſint, qui ſacris externis initiati ſunt: ſed quòd non alij illo veſcuntur ad vitam æternam, niſi quos ille Deo patri Sacerdotes fecit: in quo numero cenſentur, quotquot illum fide non fucata apprehendunt. Hi enim ſeipſos Deo viuentem hoſtiam ſiſtunt, & quoſcunque poſſunt eidem adducere ſtudent. Commodè ergo Dauidis exemplum allegat Dominus, & quidem non ſine exprobratione ignorantiæ aut malitiæ, qua Phariſæi moti diſcipulorum factum calumniabantur: Ne hoc quidem legiſtis (inquit) quod fecit Dauid, &c.? Quaſi diceret. Mirum eſt vos in meis ea etiam calumniari, quæ infinitis exemplis ſcripturæ ſacræ excuſari poterant. At non multis hic opus eſt, quando vnum Dauidis factum diſcipulos meos omni culpa liberat. Quod ſi nunquam legiſtis, indigni eſtis, qui vobis cenſuram in alios ſumatis. At ſi legiſtis, & nihilominus hoc facitis, ſatis conſtat vos malitioſè agere, & veritatis luce potius quàm Sabbati violatione (quæ hîc nulla admiſſa eſt) offendi. Etenim conſtat panes propoſitionis non minus interdictos fuiſſe laicis, quàm ne quis Sabbatum aliquo ſeruili opere prophanet: Attamen Dauid, cùm Saulis inſidias fugiens fame laboraret, neque alius cibus ad manum eſſet, illos comedit & ex ijſdem ſuis quoque comitibus diſtribuit: Quæ ergo nequitia eſt in præſenti diſcipulos meos accuſare, quos eadem neceſſitatis ratio excuſat? Vel num vos Abiathare ſacerdote religioſiores eſtis, qui de ſola prophanatione,

quæ per immunditiam committitur, ſolicitus, de reliquo facilè & piè diſpenſauit? Ita verò Dauidis exemplo ad confutandam Phariſæorum hypocriſim vtitur, vt ſimul eodem diſcipulorum fidem confirmet, ne inopia & fame offendantur, quando conſtat eandem olim illorum ſortem fuiſſe, qui Dauidem, Chriſti typum, ſecuti ſunt.

Interim de duobus obſeruatu digniſſimis hoc loco nos Chriſtus admonet. Primum, quòd externa omnia charitati cedere debeant, quæ vt vitæ totius, ita ceremoniarum omnium tutiſſima regula & fidiſſima moderatrix eſt: Quia enim hæ omnes in eum finem inſtitutæ ſunt, vt homini ad ſalutem adminicula ſint, nimis iniqui ſunt, qui illas rigidius vrgent, vt ad perdendum potius quàm ſeruandum faciant. Vidit hoc Moſes, qui in circunciſione ſimiliter diſpenſauit. Nam etſi lex infantes octauo à partu die circuncidere iuberet, ille tamen in deſerto neminem circuncidit, cùm & loci iniquitas & profectiones ſubitæ obſtarent, quò minus cura ea adhiberi poſſet, quæ in medendo ei vulneri neceſſaria erat. Piè ergo in illud tempus vſque res dilata eſt, quo terram promiſſam ingreſſi ſunt. Obſeruemus hoc aduerſus eos, qui ſalutem ſacramentis ita aſtringunt, vt & paruulos omnes, qui morte præuenti abſque baptiſmo decedunt, & eos qui Cœnæ dominicæ communicare non poſſunt, temere damnent & ab omni ſalutis ſpe deijciant. Sunt hi non in homines ſolos iniurij, ſed Deum ipſum crudelitatis inſimulant, qui ſacris abs ſe inſtitutis in eas anguſtias nos adducat, vt nobis neceſſariò pereundum ſit. Alterum, quòd Dauidem non regia dignitas neque prophetici ſpiritus excellentia, ſed ſola neceſſitas excuſat: ſed & ipſe Abiathar non pontificia authoritate circa panes propoſitionis diſpenſauit, ſed charitatis rationem habuit, quæ iubet vt famelicis pro virili ſuccurramus. Arguit hoc eorum temeritatem, qui illuſtribus perſonis omnia licere putant: quaſi verò Deus aliquem exlegem fecerit: qui item pro ſuo commodo in ſacris omnibus diſpenſant, vt vel quæſtum faciant maiorem, vel magnatum amicitiam ſibi demereantur, &c. Externi ritus charitati cedere debent.

At ne Dauidis exemplum Phariſæi eluderent, ſecundum argumentum ab exemplo Sacerdotum petit Chriſtus, qui in ipſo templo Sabbatum prophanare videri poterant, quando ſacris operantur, vbi & ligna ſecare, & pecudes iugulatas in fruſta diſcindere, ignem accendere, vaſa ſacra & ſeipſos abluere opus eſt. Attamen hæc omnia ſine crimine faciunt, quia templi religione & cultus diuini ratione excuſantur. Quanto minus ergo (inquit Chriſtus) damnari debent mei diſcipuli, qui vt me ſequantur & mihi ſeruiant, famem ſuſtinent & eam inter eundum ſpicarum contritione ſedant? Eſt ergo argumentum hoc à comparatis: quia quanto Chriſtus maior eſt templo & omni cultu externo, tanto minor erat diſcipulorum, quàm Sacerdotum, culpa. Docet autem Chriſtus Sabbati præcepto non prohiberi ea, quæ ad Dei cultum faciunt. Quia enim illud cultus ergò inſtitutum eſt, ſtultum fuerit eius prætextu ea intermittere, quibus Deus maximè colitur. Atqui cultus ille non in externis ſolùm ceremonijs conſiſtit, ſed (vt Iacobus ait) religio pura & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, inuiſere orphanos & viduas in afflictione ſua, & immaculatum ſeipſum ſeruare à mundo. At ſi ſabbati religio charitati & verò cultui Dei cedere debet, ſtulta nimis eſt eorum ſuperſtitio, qui ne hominum traditiones violent, omnia quæ tam Deo quam hominibus debentur pietatis officia ſecurè negligunt. Damnantur igitur hoc Chriſti dicto omnes, qui in Monachorum regulis & frigidiſſimarum ceremoniarum obſeruatione cultum Dei & ſalutis meritum conſiſtere putant. 2. Ab exemplo ſacerdotum. Iacob. 1.

Sequitur tertium argumentum à pronuntiatis, quod & ipſum cum ignorantiæ exprobratione adducit. Quòd ſi noſſetis quid ſit, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, non condemnaſſetis inſontes. Extat locus hic apud Hoſeam Cap. 6. Accuſat illic Deus fucatum religionis ſtudium, quo Iudæi ſimul & Iſraelitæ ſcelera ſua expiari putabant. Conſiſtebat illud partim in ſimulata & momentanea pœnitentia, quam nubeculæ in ſummo æſtu exorienti & mox euaneſcenti atque rori matutino confert: partim in ſacrificiorum frequentia & crebra iteratione, quibus illos imprimis confiſos fuiſſe, ex aliorum quoque prophetarum ſermonibus conſtat. Sed huic fiduciæ Deus iſtud dictum opponit, ex quo in præſenti Chriſtus argumentum ducit, quod per comparationem amplificatur. Si enim ſacrificia, quæ externi cultus pars præcipua fuerunt, ſine miſericordia Deo non probantur, imò ſi hæc illis longè præſtat, nimiùm iniqui ſunt & iniuſti, qui propter ſabbatum aliquos fame perire volunt. 3. A pronuntiatis, ex Hoſ. 6.

4. A cauſa finali. *Quartum argumentum ex fine ſabbati petitur, & communi ſenſu confirmatur, quo omnes norunt cauſam finalem deſtinatis omnibus eſſe præſtantiorem, & hæc vel mutanda vel etiam omnino negligenda eſſe, ſi à ſcopo, ad quem deſtinata primò ſunt, abludant. Atqui ſabbatum (inquit) propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum. Vnde ſequitur huius otium non ita ſuperſtitioſè coli debere, quin aliquo opere interrumpi poſsit, ſi hominis ſalus in periculum veniat. Et eſt in his omnibus probè obſeruanda plus quàm paterna Dei bonitas, qui ea etiam, quæ vt ſuo cultui ſeruiant inſtituit, nobis ſubiecta eſſe vult. Quid quòd totus cultus nobis potius quàm Deo ſeruit? Nec enim Deus noſtris ſacris indiget, & ad illum nulla redit vtilitas, ſiue feriemur ſiue laboremus, ſiue baptizemur, ſiue ad Cœnam myſticam accedamus, ſiue etiam verbum eius audiamus, aut in periculis opem ipſius imploremus. Nam etſi nihil horum fiat, nihil tamen eius bonori, maieſtati aut potentiæ decedit. Nobis autem illa proſunt, & propter nos ab illo inſtituta ſunt, vt hiſce exercitijs in eius cognitione atque fide confirmati æternum ſeruemur. Eſt ergo immanis eorum ingratitudo atque impietas, qui iſta vel negligunt, vel etiam ſcurriliter inſectantur. Sunt hi digni, qui tandem in reprobum ſenſum traditi tam corpore quàm anima malè pereant.*

5. A propria authoritate. *Reſtat quintum argumentum, quod priorum omnium confirmationem habet: Nam dominus eſt etiam ſabbati Filius hominis. Loquitur autem de ſeipſo Chriſtus, & ne temerarius videatur, qui in ſabbati præcepto diſpenſare velit, ſibi hoc ius eſſe docet, vt cùm omnem poteſtatem in cælo & in terra habeat, ſabbati quoque dominus ſit, & proinde homines ſoluere poſsit à ſeueriori illa, qua prius tenebantur, legis diſciplina. Etenim conſtat Dei filium ideo in mundum veniſſe & hominis filium factum eſſe, vt legis maledictionem aboleret, & iugum illud à noſtris ceruicibus tolleret, quod (vt Petrus ait) neque nos neque patres vnquam ferre potuerunt. Eſt ergo hoc inter alia non vulgare Chriſti beneficium, quòd eam libertatem nobis contulit, vt omnibus, quæ in mundo ſunt, tanquam noſtris, vti poſsimus, quatenus noſtræ ſalutis ratio poſtulat. Ideo Paulus illum nobis ſanctificationem factum eſſe ait, quòd non ſolùm nos Deo patri conſecrat, verumetiam omnium creatorum vſum nobis liberum & ſanctum fecit, vt illis ſalua conſcientia vti poſsimus. Puris enim, id eſt, per ipſius ſpiritum purificatis, pura & ſancta ſunt omnia. Quò etiam referri debet, quòd idem Apoſtolus Corinthijs, nimijs quorundam miniſtrorum admiratoribus, ſcribebat: Omnia veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: Omnia (inquam) veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei, &c. Noſtrum verò eſt eius bonitatem agnoſcere, neque eorum calumnijs offendi, qui etiam hodie libertatem hanc nobis inuident: curemus modò, ne ea ad carnis licentiam abutamur, ſed omnia noſtra dirigamus ad Dei gloriam, vt tandem in Chriſto Ieſu beatæ immortalitatis conſortes ſimus: Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

HOMILIA LVI.

Factum eſt autem etiam alio Sabbato, vt ipſe ingrederetur in Synagogam ac doceret; & erat ibi quidam, cuius manus dextera erat arida. Obſeruabant verò eum Scribæ ac Phariſæi, an Sabbato ſanaturus eſſet illum, vt inuenirent accuſationem aduerſus eum. At ipſe nouerat cogitationes eorum, & dixit homini qui habebat manum aridam: Surge, & ſta in medio. Ille verò ſurgens ſtetit. Dixit igitur eis Ieſus: Interrogabo vos quiddam: Licet ne Sabbatis benefacere, an malefacere? hominem ſeruare, an perdere? Et cùm eos omnes circunſpexiſſet, ait homini: Extende manum tuam. Ille autem ita fecit: & reſtituta eſt manus eius ſana, ſicut altera. Ipſi autem repleti ſunt amentia, & colloquebantur inter ſe, quid nam facerent Ieſu.

Etſi

ETſi Ieſum Chriſtum Phariſæice Scribæ multis criminibus grauarint, quibus illum populo inuiſum facere & in capitis periculum adducere conati ſunt, præcipuũ camen inter illa ferè fuit Sabbati prophanatio, quam illi præ alijs multoties exprobratam & publicè obiectam fuiſſe Euangeliſtæ ſcribunt. Quod ideo factum fuit, quòd ſuperſtitioſam huius diei obſeruationem vulgo ita perſuaſerant, vt impius putaretur & quouis ſupplicio dignus, qui illo opus aliquod quantumuis exiguum aut leuiculum feciſſet. Ideo Chriſtus non minori ſtudio hoc agit, vt non ſolùm ſe excuſet, verumetiam publico errori medeatur, & populum infelicem rectius inſtituat. Nuper ergo docuit, Sabbatum propter hominem inſtitutum eſſe, & proinde neminem, qui in neceſſitate conſtitutus ſit, ſalutem ſuam propter hoc negligere debere. At nunc alia hiſtoria ſubijcitur, qua amplius oſtendit, Sabbati religionem non obſtare, quò minus in proximum quoque benefici ſimus, ſi ita res poſtulat: imò hoc proprium Sabbati opus eſſe, vt proximo laboranti aut periclitanti opem feramus & quæcunque alia ſunt veræ pietatis officia obeamus. In qua tractatione obſeruari debet, hoc ipſum ad omnia externa debere referri, ne dum his nimiùm addicti ſumus, ea negligamus, quæ vel noſtræ vel aliorum ſaluti ſeruiunt.

Marcus Homil. 23. & 24.

Præmittitur autem tractationis iſtius occaſio, quam ipſe Chriſtus ſingulari ſtudio quæſiuiſſe videtur. Nam mox ſequenti Sabbato iterum Synagogam ingreditur, & eorum quidem, qui prius factum ipſius improbiſſimè calumniati fuerant. Eſt hoc magnum diuinæ bonitatis argumentum, quæ nobis etiam inuitis, aut ſaltem aliud agentibus, pro noſtra ſalute excubat: cuius ſtudij exempla innumera in nobis ipſis quotidie experimur. Hic verò imprimis memorabile eſt, quòd etſi in Synagogis hoſtes Chriſti acerrimi regnarent, & ſibi ab illis vbique inſidias ſtrui ſciret, non tamen à cœtibus illis abhorruit, neque populum ſua doctrina ideo fraudandum eſſe putauit. Soletur hoc nos aduerſus impiorum deploratam audaciam atq; impietatem, ne hanc nobis apud Deum fraudi fore putemus. Vt enim prudens pater etiamſi filios aliquos propter incurabilem contumaciam abdicet & è domo eijciat, alios tamen, qui officium faciunt, non modò non negligit, ſed potius teneriori amoris affectu complectitur, vt quem ex illorum abdicatione dolorem animo concepit, horum conſuetudine leniat atq; mitiget: ita Deus impios quidem & deſperatæ rebellionis homines dignis ſupplicijs mulctat, interea verò ſuorum rationem habet, & eò vberiori gratia eos dignatur, quos in ſuo cultu conſtantiores eſſe cernit. Neminem ergo vel impiorum multitudo offendere, vel Dei eos punientis ſeueritas terrere debet, quò minus hunc colat & obſeruet. Semper enim ratum erit, quod Iſaias pronuntiauit: Dicite iuſto quod bonum, ſiquidem fructu ſtudiorum ſuorum fruetur: Væ impio malo, quoniam ſecundùm opera manuum ſuarum rependetur ei. Iſa. 3.

Occaſio huius tractationis.

At non fruſtra quærit occaſionem Chriſtus, qua & hoſtes magis quam antea confutat, & populum de vera Sabbati obſeruatione inſtituit. Inuenit enim in Synagoga hominem, cuius dextra manus exaruerat, vt humana ope aut remedio naturali reſtitui non poſſet. Ita nobis quoque, ſi officio fungi velimus, bene agendi occaſiones nunquam deerunt. Solet enim eas nobis offerre Deus, & ſimul aures nobis vellicat, vt quid nobis facto opus ſit cogitemus. Eſt igitur inexcuſabilis eorum ignauia, qui ſe non habere aiunt, quod agant. Ita enim ſuo ſeſe indicio produnt, quòd aut vocationem ſuam nunquam adhuc rectè intra animum ſuum expenderint, aut aliorum fortunam minimè curent: quorum hoc à charitate Chriſtiana alieniſſimum, illud verò animi plus quàm hebetis & oſcitantis eſt argumentum. Et vt non ſit, in quo aliquis tuam operam requirat, ſemper tamen occurrit de rebus tuis cogitandi occaſio, vt iam de precibus, de verbi Dei meditatione, de publicæ ſalutis cura nihil dicamus. Vidit hoc Scipio, alienus à Chriſtiana philoſophia, qui dicere ſolebat, nunquam ſe minus eſſe otioſum, quàm cum eſſet otioſus: nimirum quòd otio & vacatione à laboribus ad honeſtas & reipub. vtiles cogitationes vteretur. Quò & alter ille reſpexit, qui aiebat, præſtat otioſum eſſe quàm nihil agere. Quæ ideo commemoramus, vt Chriſtianos homines ſuæ ſocordiæ atque ignauiæ pudeat, qua plerique hodie altum dormiunt, cùm paſſim & benè agendi occaſiones & pericula occurrant, quæ nos excitare poſſent, niſi cum pietate ſenſum quoq; communem exuiſſemus.

Occaſiones nõ ſunt officium facere volentibus.

Sed quia hæc alterius loci ſunt, nunc Phariſæos & Scribas videamus, qui Chriſtum obſeruaſſe dicuntur, num die Sabbati hominem curaturus eſſet. Sciebant enim illum quibuſuis obuijs opem ferre, & vel eo ipſo eius innocentiæ teſtimonium ferunt, & ſuam improbitatem produnt: quando

Phariſæi Chriſtum ſtudioſè obſeruant.

ex eo, quod laudem merebatur, ipſum accuſandi occaſionem inſidioſè captant. Neque illum tacitè modò obſeruarunt, ſed cùm ille nonnihil cunctaretur, ipſi (vt Matthæus ſcribit) priores quæſtionem ea de re mouerunt, qua eum in naſſam pertraherent. Elucet in eo magna improbitas cùm impudenti temeritate coniuncta. Nuper enim in eiuſdem argumenti diſputatione ab illo victi non habuerunt quod reſponderent, & in multis alijs congreſſibus eius ſapientiam iam pridem experti fuerant. Attamen certamen inſtaurant, & id eò maiori cum impietate faciunt, quòd eadem opera miſeri illius hominis ſalutem impedire conantur, cuius ipſos miſereri, & pro quo apud Chriſtum intercedere decebat. At neque prioris ignominiæ recordatio, neque calamitoſi illius miſeria mouentur, quos auaritiæ & ambitionis affectus ita excæcauerat, vt nihil non ſibi aduerſus eum licere putent, quem quæſtui ipſorum & honori obſtare ſciebant. Sunt huius generis infinita exempla, quorum omnium hic nobis vſus eſſe debet, vt diſcamus quanta ſit vis auaritiæ & ambitionis, & quàm malè ſibiipſis proſpiciant, qui illis indulgent. In repub. certè nullam nocentiorem peſtem eſſe, Pharaonis, Saulis, Abſolomi, Syllæ, Marij, Iulij, Pompeij & ſimilium exemplis docemur. In eccleſia autem nihil ſanum & integrum conſiſtere poteſt, quàmprimùm Sirenes iſtæ eorum animos excæcant, qui toti populo pietatis & modeſtiæ magiſtri eſſe debebant. Poſſem hîc quoque exempla omnis generis proferre, ſed veteribus minimè opus eſt, quando non ſine noſtro malo experimur, quàm parum de illis ſperari debeat, qui religionis & eccleſiæ prætextu ad quæſtum & honorem priuatum abutuntur. Solent illi in vmbratili modò iuſtitia hærere, & interea ſecuri ea negligunt, quæ præcipua ſunt cultus diuini capita. Quòd ſi ab aliquo liberius arguantur, & exiſtimationem ſuam in periculum venire videant, mox in furorem verſi nihil non faciunt, quo illam defendi poſſe confidunt. At ſimul artibus vtuntur, quibus conatum ſuum aſtutè celant, quaſi pro Dei gloria pugnent, quando ſuas res agunt, & doctrinam veritatis cum vniuerſo cultu extinguere ſtudent.

Chriſtus hoſtiũ dolos & malitiam arguit.

Cæterùm non latent Chriſtum hoſtium ſuorum inſidiæ, qui in præſenti quoque iſtorum cogitationes cognitas habuiſſe ſcribitur, quas ita arguit, vt in ipſorum contumeliam redundet, quod illi aduerſus eum inſtituerant, ſimulq́ ſuam de Sabbato doctrinam amplius illuſtret atque confirmet. Solet hoc accidere veritatis hoſtibus, vt dum in cælum expuunt ſeipſos contaminent, & dum Solis lucem extinguere conantur, in ſuis illis tenebris, quas ipſi ſibi offuderunt, ſeipſos omnium riſui atque ludibrio exponant. Minimè ergo eiuſmodi hominum conatibus nos offendi aut terreri decet, ſed potius Chriſtum imitari, qui admodum grauiter cauſam ſuã agit. Nam primò hominem ſurgere & in medium cœtum prodire, ibique conſiſtere iubet: ita nimirum omnium mentes in diligentem rei huius conſiderationem excitans. Deinde quæſtionem aliam ipſis opponit, dicens: Licet ne Sabbatis benefacere, an malefacere? hominem ſeruare an perdere? Quibus verbis contraria inter ſe confert, vt facilius conuincere & captos tenere poſſit, quos anguillæ inſtar per omnes rimas elabi ſciebat. Beneficia enim prohibere inexcuſabilis impudentia erat, at eadem differre ſaltem velle non aliud erat, quàm Sabbatum in otium ignauum atque inutile conuertere. Et quia ſatis nouerat, non tam impudentes eſſe, qui Sabbato malefaciendum alicui eſſe dicerent, expoſitionis loco alterum membrum ſubijcit, An hominem ſeruare aut perdere licitum putent? Perdit enim, non modò qui vim alicui facit & malum dat, verumetiam qui opem laboranti negat, aut illam ſaltem differt, cùm abſque mora eam ferre poſſit. Intelligunt hoc illi, & proinde intra animos ſuos conuicti tacent, tacendo autem ſuam produnt malitiam, quando fateri nolunt quod licitum & ſanctum eſſe non ignorabant. Circunfert ergo oculos Dominus, & illis partim iraſcitur, partim condolet, quòd homines in tanta apud omnes exiſtimatione conſtitutos & qui legis ſcientiam profitebantur, tam excæcatos & vecordes eſſe cerneret. Itaque cum iuſta ira bonitatis & manſuetudinis ſuæ temperamentum coniungit, vt oſtendat quàm facilis ſit erga eos, qui cum ipſo in gratiam redire ſeriò cupiunt. Adhæc ſuo exemplo docet, iram fræno coercendam eſſe etiam tunc, quando eius cauſas graues & iuſtas habemus. Niſi enim id fiat, affectus vehementia abrepti ea deſignamus, quorum nos paulò poſt pudet atque pœnitet. Proderit autem, ſi moram interponamus, vt interea flamma illa vehementior ſubſidat & ex ea accenſus ardor remittat. Merito igitur laudatur Architæ Tarentini dictum qui villico ob agros negligentius cultos iratus dixiſſe fertur: Merito de te ſupplicium ſumerem, niſi iratus eſſem. Cui ſimile eſt Platonis ad ſeruum, qui deliquerat: Age Dijs gratias,

Chriſti ira temperatur bonitate.

nam

nam niſi iratus eſſem, te concidiſſem. Habuerunt ergo philoſophi quoque animis ſuis inſcriptam Apoſtoli ſententiam, Ira viri non operatur iuſtitiam, & proinde iuſtam quoque vltionem putarunt differri debere, donec ardor ille deferbuerit. Nam quæ noſtræ naturæ vitioſitas eſt, in iiſ etiam affectibus modum excedimus, qui per ſe boni ſunt, niſi eos aut mora aut alia aliqua ratione temperemus. Vbi etiam cumprimis vtile fuerit communem omnibus humanæ naturæ miſeriam in mentem reuocare. Eius enim conſideratio mox admonebit, non debere nos alicui propter ea impotentius iraſci, quæ in nos quoque cadere poſſunt. At quoad Chriſtum, hic quidem eiuſmodi rationibus in frænanda ira ſua minimè opus habuit, cùm qui ipſa iuſtitia eſt, modum excedere non poſſit, paterni autem fauoris argumentum fuit, quòd hoſtium cæcitate, quam illis non multò poſt exitij cauſam fore ſciebat, tantopere afficitur. Et quia inturabiles erant, ad miſerum illum conuerſus ait: Extende manum tuam. Quod cùm ille feciſſet, mox ea reſtituta eſt ſana, ſicuti altera: & ſic facto docet Chriſtus, quod illi verbis fateri noluerunt, licitum videlicet eſſe Sabbato ea facere, quæ proximi ſalutem adiuuant. Apud Matthæum tamen hoc ipſum argumento probat, quod ab exemplo communi & quotidiano petit, quòd nimirum Sabbato liceat ouem aut bouem in puteum ſiue foueam delapſum extrahere: Vnde colligit, præpoſterè religioſos eſſe, qui hominem perire aut periclitari ſinant, propter quem pecora omnia creata ſunt, & cuius imperio tota hæc mundi machina neceſſariò ſubijcitur.

Quoniam autem in ſcripturis Sabbati præceptũ vetuſtiſſimum eſt, & tam multa de hoc contentio Chriſto cum ſuis aduerſarijs interceſſit, quædam de illo nobis fuſius dicenda erunt, vt quid nam illud ſit intelligamus, in quo item verus eius vſus conſiſtat, quibus denique modis prophanetur. Sabbati vox quietem aut vacationem ab opere ſignificat. Hic autem pro die ſeptimo ſumitur, quem Deus quieti huic deſtinauit, & (vt ſcripturæ loquuntur) ſibi ſanctum eſſe voluit. Eſtque huius obſeruatio antiquiſſima, eò quòd in ipſa rerum creatione Dei exemplo inſtituta, & tandem peculiari præcepto confirmata fuit. Cauſæ eius tres adduci poſſunt, quibus eiuſdem vſus quoque legitimus & verus continetur. Prima politica & œconomica eſt, & corporibus ſeruit, quorum vires laboribus fatigatas & exhauſtas reſici oportet. Et huc facit, quod in Decalogo ſeruorum, ancillarum & iumentorum Deus meminit, & alibi disertè monet, vt horum ratio habeatur, ne nimijs & indeſinentibus laboribus ſuccumbant. Nam in Exodo Cap. 23. ait: Sex diebus facies opera tua, ſeptimo autem die quieſces, vt quieſcat bos tuus, & aſinus tuus, & vt reſpiret filius ancillæ tuæ, & peregrinus. Et rurſus Deuteronom. quinto Capite. Non facies die ſeptimo vllum opus, neque tu neque filius tuus, neque filia tua, neque ſeruus tuus, aut ancilla tua, neque bos tuus vel aſinus tuus, aut vllũ ex iumentis tuis, neq; peregrinus qui eſt intra portas tuas: vt quieſcat ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut tu. Et memineris, quòd & tu ſeruus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Dominus Deus tuus illinc, &c. Secundam cauſam inſtituti Sabbati eccleſiaſticam dicere poſſumus, eò quòd circa Dei cultum & publica ſiue externa religionis exercitia verſatur. Quia enim inter Iudæos lex publicè doceri, & ſacra exerceri debebant, certum diem eſſe oportuit, quo ad cœtus ſacros ſimul omnes conuenirent, & eiuſdem legis diſciplina ſacrorumque eorundem vſu teſtarentur, ſe eiuſdem Dei cultores, fidei eiuſdem profeſſores & eccleſiæ eiuſdem membra eſſe. Nam etſi vtile & pium eſſet iſta quotidie fieri, non tamen eadem omnium eſt conditio, vt id ſine rerum ſuarum iactura facere poſſint. At ſi ſingulis libertas detur tempus deligendi pro ſuo arbitrio, mox cœtus ſacros minui, & confuſionem in eccleſia oriri videremus. Quia ergo Deus omnia ritè & ordine decoro atque honeſto fieri vult, tam loca quàm tempora certa eſſe neceſſe eſt, quæ ſacris vſibus deſtinata ſint. Tertia Sabbati cauſa ſublimior & verè ſpiritualis eſt, atque ad æternam hominis ſalutem propius pertinet. Illo enim typo ſpiritualis illa quies adumbratur, qua ab operibus carnis & mundi feriari debemus, vt Deus ſuo verbo & ſpiritu in nobis operari poſſit. Et hoc præcipuum eſt, quod in Sabbati obſeruatione paſſim prophetæ vrgent, ne hanc in ignauo otio aut ſuperſtitioſa ab omnibus operibus ceſſatione conſiſtere putarent, ſed ita corpore quieſcerent, vt animos totos circa diuinæ voluntatis meditationem & vitæ ſanctæ officia occupatos haberent, adeoque operum ſuorum & anteactæ vitæ recordatione ſeipſos ad pœnitentiam & pietatem exercerent. Ideo Sabbatum ſanctificare,

De Sabbato.

Cauſæ & uſus Sabbati.

id eſt, totum Deo conſecrare debebant, & idem hoc ſignnm eſſe dicitur, quòd Deus Iſraelem ſanctificet, & ſibi in peculium vindicet. Quæ cauſa eſt, quod prophetæ, quoties de Dei cultu prophanato & fœdere violato populum accuſant, imprimis ferè de Sabbatorum prophanatione queruntur. Vſus ergo præcipuus & proprius Sabbati is eſt, quem Iſaias his verbis comprehendit: Si auerteris pedem tuum Sabbato, quò minus facias tuam voluntatem in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delitias ad ſanctificandum Dominum glorioſum, & glorificaueris eum, vt non facias vias tuas, neque inuenias tuam voluntatem ad loquendum ſermonem: tunc delectaberis in Domino, & ego veham te ſuper excelſa terræ, & fatiam te comedere hæreditatem Iacob patris tui. Iſa. 58.

Sabbatum Chriſtianorum.

Et iſta quidem olim de Sabbati obſeruatione veteribus mandata fuerunt, quæ ſi ad nos transferas, non minus illa nobis conuenire patebit. Nam etiam hodie otio & quiete opus eſt, qua vires defeſſas recreemus & animum quoque à curis rei domeſticæ reuocemus. Ne verò otium illud alicuius mali occaſio fiat & libidinis fomentum ſit, totum Deo conſecretur neceſſe eſt. Requiruntur ergo hîc externa pietatis exercitia, vt nimirum in cœtus ſacros veniamus, in verbo ſuo nobis loquentem Dominnm audiamus, precibus publicis atque priuatis opem eius imploremus, Sacramentis vtamur cum ſolenni gratiarum actione, adhæc vitam omnem examinemus, & quod perperam à nobis factum eſt corrigamus, feriemur denique ab operibus huius ſeculi, locum autem demus ſpiritui ſancto, vt ea hic in nobis operetur, quæ ad Dei gloriam & tam noſtram quàm aliorum ſalutem faciant. Apparet ergo eius diei religionem non obſtare, quò minus proximo in neceſſitate aliqua conſtituto opem feramus, aut quocunque alio opere pio & ſancto Deum glorificemus. Imò vt hoc fiat, miraculo præſenti Chriſtus docet. Suſtinet enim miſer iſte de quo hîc agitur, typum omnium noſtrum, qui peccati ex Adamo contracti noxa eò vſque debilitati ſumus, vt dexteras manus aridas habeamus, id eſt, vt ex nobis ipſis nihil boni poſſimus, & (vt Paulus ait) ne ad cogitandum quidem idonei ſimus. Eſtque malum hoc immedicabile, neque vlla arte aut remedio humano curari poteſt. Solus Chriſtus huic medetur, vt alibi quoque diximus, dum peccata expiat, & ex verbo ſuo renatos nouis viribus inſtruit, quibus faciamus quæ Deo probantur. Huic autem Sabbato dexteram ſuam reſtituit, vt oſtendat illo die potiſſimum nos ad pietatis officia & opera

Iſa. 66. verè bona accingi debere, de quibus modò diximus. Et hoc Sabbatum illud verè Chriſtianum eſt,

1. Cor. 15. cuius finis & præmium erit æterna quies, qua olim pij fruentur, quando abolita hac mundi machina ſabbatum cum ſabbato continuabitur, & Deus omnia erit in omnibus. Et debent quidem in iſtis ſeſe iugiter exercere Chriſtiani homines vt Sabbatum perpetuum agant, & à malis quidem operibus ferientur, Deo autem viuant: attamen quia multis etiam huius vitæ negotijs occupati ſumus, quæ vt plurimum animos à feria cœleſtium meditatione abſtrahunt, certum diem exercitijs hiſce deſtinatum eſſe non minus hodie, quàm olim, neceſſe eſt.

Cur ſeptimus dies conſecratus

Quod ſi quæras, cur ſeptimum diem potius quàm alium huic rei Deus conſecrauerit, & annon Sabbatum quoque, vt & aliæ ceremoniæ in Chriſti morte abolitæ ſint? ego quæſtiones eiuſmodi ſuperuacaneas eſſe arbitror. Nam quoad primam, eadem opera quærere poteras, cur in quinque ſolum digitos manum tibi Deus ſecuerit? aut cur binos tibi oculos & binas aures dederit: Sufficiat nobis Dei voluntas, quam & proprio exemplo & præcepto diſerto commendauit. Et illius agnoſcamus bonitatem, qui cùm pluribus ferijs nos grauare, totumq́ vitæ noſtræ tempus ſacris exercitijs vendicare poſſet, noſtrorum tamen negotiorum rationem habuit: ſeptimum tamen diem nobis ſanctum fecit, vt huius recordatione nos ad ſui exempli imitationem magis excitaret. Quoad alterá quæſtionem, quod in Sabbato Iudæorum ceremoniale fuit, id per Chriſtum abrogatũ eſſe fateor: at minimè abrogata eſt quies illa ſancta, qua nobis ob cauſas ſupra commemoratas opus eſſe hucuſq; demonſtrauimus. Ideo Apoſtoli (vt ex ſcriptis eorum & patrum veterum traditionibus apparet) ne eccleſia cum Iudæorum ſuperſtitionibus aliquid commune haberet, otium illud ſacrum in ſequentem diem

Dies dominicus.

tranſtulerunt, qui Dominicus dictus eſt, vel quod illo Chriſtus à mortuis reſuſcitatus humani generis redemptionem perfecit, vel vt ipſo nomine docerent illum totum Domino conſecratũ eſſe deberè. At ijdem non tantum ſibi permiſerunt, vt ferias vel plures inſtituerent, vel à Deo præceptam diei ſeptimi obſeruationem in decimũ aut quemcunq; alium extenderent. Horum igitur exẽplo nos inſiſtere con-

ſtere conuenit, ne ſub libertatis Chriſtianæ prætextu in illis ludamus, quæ Deus certa cum ratione inſtituit, & illa tandem in licentiam degeneret, quæ vt confuſionem gignit, ita animos tandem ab omni religione alienat. Neque hîc mihi quiſquam Paulum obijciat, qui Galatas damnat, quòd dies obſeruarent, & qui dies feſtos inter vmbras rerum futurarum recenſet. Iam ante enim diximus, quid in Sabbato abrogatum ſit, & quòd eiuſdem obſeruatio hodie non minus quàm olim neceſſaria ſit, cùm iiſdem cauſis, quibus olim Iudæi, vrgeamur. Non ergo piam feriandi rationem Paulus reprahendit, ſed ſuperſtitionem, qua nonnulli detenti cum Iudæis in ignauo otio & non tam ſuperſtitioſa quàm ridicula Sabbati obſeruatione Dei cultum & ſalutis meritum collocabant.. Et credibile eſt, pleroſque eorum eò vſque progreſſos fuiſſe, vt aut Sabbatum Iudæorum die Dominico præferrent, aut vtrumque colendo ferias augerent. Iſta ergo Apoſtoli meritò accuſarunt, vt & in eccleſia paci publicæ conſulerent, & omnium mentes ab externis ad fidem Chriſti atque cultum ſpiritualem reuocarent.

Galat. 4.
Coloſ. 2.

Abuſus Sabbati.

Itaque in horum conſideratione nobis quoque ita verſandum eſt, vt abuſum omnem diei Dominici ſedulò caueamus, qui varius eſt & duplex. Peccant enim qui illo non contenti, ferias nouas inſtituunt, & ita primam præcepti Dominici partem tranſgrediuntur, qua ſex diebus laborare iubemur. Vbi grauior eorum culpa eſt, qui ferias in Diuorum honorem conſecrant, quod vt nullo veteris eccleſiæ exemplo probari poteſt, ita diuinis legibus palàm repugnat, quæ ferias omnes vni Deo ſacras eſſe iubent, vtpote quæ ad cultum Dei imprimis pertineant. Scimus equidem poſt Apoſtolorum tempora pio zelo inſtitutas fuiſſe Martyrum memorias, vt eorum exemplo ad fidei conſtantiam & virtutis ſtudium omnes excitarentur. At quia hoc nullo Dei præcepto nitebatur, mox ſuperſtitiones peperit infinitas, quibus pleriq; à vera fide & vnius Dei cultu ad idololatriam & Diuorum inuocationem adducti fuerunt. Præſtat ergo eam ſimplicitatem retinere quam nobis in verbo ſuo Deus præſcripſit. Nam quæ humani ingenij eſt ad ſuperſtitiones propenſio, difficile eſt illi modum præſcribere, ſi ſemel à via Domini diſcedamus. Peccant præterea, qui diei Dominici obſeruationem in otio inani conſiſtere putant, quaſi Dei cultus ſit nihil omnino agere. Et hîc quoq; præ alijs errant, qui inſuper cœtus ſacros & à Chriſto nobis tradita religionis exercitia negligunt. Abutuntur item ſabbato, qui totum illum diem auaritiæ conſecrant, & hac impulſi opera faciunt minimè neceſſaria, quibus ſeipſos & familiam omnem fatigant: qui item merces venales habent, qui rationes ſuas ſubducunt, aut (quod à Chriſtiana religione & charitate alieniſſimum eſt) debitorum exactione eos contriſtant, quibus diem hunc Deus quietis & recreationis diem eſſe voluit. Quid verò de ijs dicemus, qui Domino ſacrum diem Baccho, Veneri, Marti dedicãt, dum vel ebrioſis comeſſationibus vacant, vel veſtitu petulanti laſciuiunt, ſcortantur, mœchantur, ſaltant, vel gladiatoriam exercent, & circa ludorum turpiſſimorum ſpectacula occupantur? Fiunt iſta omnia hodie, & ſi verum fateri libeat, nullo tempore plura & atrociora committuntur flagitia, quàm quòd totum Deo & pietati impendi debebat. Puniuit hæc olim Deus grauiſſimè, vt Prophetarum ſermones docent, & nos hodie eius iram vbiq; ſeſe exerentẽ miramur? Diſcant ergo hæc emendare, qui rebus ſuis cõſultum volũt. At quia pleriq; hîc negligentiores ſunt, ad magiſtratus hæc cura imprimis pertinet, vt (quod olim Nehemias fecit) ſuam authoritatem in re maximè neceſſaria interponant. Fecerunt hoc olim Chriſtiani Imperatores, quorum Leges alibi recitauimus, quæ ſi hodie apud omnes valerent, Deo magis propitio vteremur. Et hæc quidem de Sabbatis modò dixiſſe ſufficiat.

Vt Chriſti doctrinam hoſtes acceperint.

Reliquum eſt vt videamus, quomodo Chriſti doctrinam tanto miraculo confirmatam eius aduerſarij acceperint, & quid ille porrò fecerit. Illos amentia repletos, & inter ſe collocutos fuiſſe Lucas ſcribit, quidnam facerẽt Ieſu. Marcus addit, Phariſæos mox egreſſos cum Herodianis conſulcauiſſe, vt eum perderent. Eſt hoc incurabilis contumaciæ & extremæ impietatis exemplũ. Quid enim Chriſtus vel dixit vel fecit, quod mortis ſupplicio dignum ſit? Aut num ipſe prior huic facto initium dedit? Nonne ipſi priores diſputationem hanc exorſi ſunt? Quid verò Chriſtus? Amicè & abſq; conuitio de cauſa hac tota diſputauit, homini miſero beneficium dedit, eũm non ſine miraculo curauit, & non ſolùm Sabbati verum vſum illis oſtendit, verumetiam ſe verum Dei filium & promiſſum humani generis ſeruatorem eſſe demonſtrauit. Quid ergo hîc reprahenſione, nedum ſupplicio

dignum eſt? Num quòd Sabbato hæc fecit? Atqui hoc non humanum, ſed diuinum opus eſt, neq; Ioan. 5, *aliud ille fecit, quàm quod Pater nunquam non agit, quando vniuerſam hanc orbis totius machinā in ſingula momenta ſeruat, regit atq; tuetur. Cur ergo Sabbati violati reus agatur, qui Deum tam apertè imitatus eſt? Sed nihil horum videre poſſunt, qui auaritia & ambitione excæcati iampridem Dei metum animo excuſſerant. Et apparet in illis, quo ſpiritu agātur, qui hodie etiam intra animos ſuos conuicti, apertæ tamen veritati contradicant: qui item de perdendis fidis monitoribus conſultant, quando de emendatione morum & vitæ cogitandum erat. Eſt horum magnus numerus hodie inter eos etiam, qui Chriſtiani dici volunt. Sed reuera Chriſti hoſtes ſunt, & olim eaſdem illi pœnas dabunt, quibus iſtorum impietatem ille non multò poſt mulctauit.*

Cæterùm præſtat videre quid iſti egerint. Primò amentia replentur, quod mirum videri poterat in ijs, qui tum Legis ſcientiā vitæ etiam morumque grauitatem ſingularem profitebantur. Sed non mirum eſt amentia repleri eos, qui ſuis traditionibus infelicem populum diu captiuum tenuerunt, quando per Chriſtum libertatem reſtitutam & miſeris vires datas eſſe vident, quibus iugum illud excutiant. Hodie certè hoc vnum malè habet Monachos & horum patronos, quòd pleriſque iam oculos, aures, manus & pedes eſſe videant, quibus in Chriſto nobis collatum æternæ ſalutis beneficium amplectantur. Deinde exeunt, & animo conceptum furorem diſſimulant. Inde mox ſibi Herodianos iungunt, homines à ſua profeſſione alieniſſimos, & quos cane & angue peius oderant, cumque his ſua de Chriſto occidendo conſilia conferunt. Qui ergo reliquis ſanctiores haberi volebant, ij Chriſtum quidem veræ ſanctimoniæ magiſtrum oderunt, cum Herodianis autem aulico faſtu, libidine & quouis alio ſcelere corruptiſſimis coniurant. Sunt hi impiorum mores, quòd virus animi interdum celare poſſunt, clam autem omnia tentant, quæ ad veritatis lucem extinguendam facere videntur. Neque hîc eos alicuius flagitij aut ſodalitij pudet. Quò magis nos vigilare decet, ne eorum inſidijs circumuenti ipſam Veritatem nobiſcum in periculum adducamus. Et quàmuis interdum inter ſe grauibus diſſidijs ſcindantur, nemo tamen ex eo ſibi meliorem ſortem promittat. Facilè enim conueniunt impij, ſi quid aduerſus Veritatem tentandum eſt. Interim neminem terreant eorum conatus. Nam vt Marcus ſcribit, conſultantibus illis Chriſtus ad mare ſeceſſit, & ingens populi multitudo ipſum ſecuta eſt: quiq; prius aliquot dies vno in loco ſubſtiterat, nunc finitimam regionem omnem Euangelij prædicatione illuſtrat. Ita vincit Dei filius, & inuito mundo atq; perſonatis præſulibus triumphat, regniq; ſui pomeria ſub crucis vexillo proueheit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LVII.

Factum eſt autem illis diebus, abijt in montem ad precandum, & pernoctauit precans Deum. Et cùm dies ortus eſſet, aduocauit diſcipulos ſuos, & eùm ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominauit (nempe Simonem, quem etiam nominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, Iudam Iacobi & Iudam Iſcarioten, qui etiam fuit proditor) deſcendit cum eis ſtetitq; in loco campeſtri: turbaq; diſcipulorum eius & multitudo magna plebis ex tota Iudæa & Hieroſolyma, & ex maritima regione Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirent eum & ſanarentur à morbis ſuis, & qui torquebantur à ſpiritibus impuris: & ſanabantur. Et tota turba ſtudebat eum tangere: quia virtus ab eo exibat, & ſanabat omnes.

MEmoratu dignum & plenum conſolationis eſt Pauli Apoſtoli dictum, quo Ieſum Chriſtum in mundum veniſſe teſtatur, vt peccatores ſaluos faciat. Verè autem hoc dici non modò ex eo apparet, quòd ſemetipſum pro nobis in mortem tradidit, verumetiam quòd quàm diu in ter- Marcus homil. 25.

ris vixit,

ris vixit, aſsidua doctrina & prædicatione quàm plurimos in veritatis cognitionem adducere ſtuduit, neq; in eo vllis laboribus pepercit. Quia verò ipſe ſolus ad hoc non ſufficiebat, quoad aſſumptæ humanitatis modulum, & idem peracto noſtræ redemptionis negotio terras relicturus erat, ex diſcipulis aliquos ordinauit, quibus ceu ſymmyſtis aut conſeruis vteretur, & qui ipſo in cœlos ſubuecto Euangelij doctrinam in toto terrarum orbe diuulgarent. De horum itaq; electione in præſenti agitur, quam ita deſcribit Lucas, vt oſtendat Chriſtum fideliſsimi patris inſtar nihil eorum prætermiſiſſe, quæ ad domus aut familiæ ſuæ incolumitatem faciunt. Docet præterea exemplum hoc quæ ratio ſit miniſterij eccleſiaſtici, quanta eiuſdem ſit authoritas, & quid in ordinandis miniſtris potiſsimum obſeruari debeat. Vt tamen iſta noſtræ cùm inſtitutioni tum conſolationi magis ſeruiant, ſingulas huius loci partes inſpiciemus.

Author miniſterij eccleſiaſtici Chriſtus. 1. Pet. 1.

Ephes. 4.

Primùm author totius negotij proponitur, Vnus ſolusq; Chriſtus. Vnde colligitur Euangelij miniſterium non ex hominibus orginem duxiſſe, ſed ab ipſo Dei filio eſſe inſtitutum. Qui enim olim prophetas (vt Petrus admonet) ſuo ſpiritu donauit, vt huius ſuggeſtione excitati de ipſo vaticinarentur, idem nunc quoq; ex diſcipulorum numero aliquos ſelegit, vt verbi ſui præcones eſſent, & etiam hodie ſpiritus ſui dona inter homines diſtribuit, & alios quidem ſuæ eccleſiæ dat Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios paſtores, alios doctores, vt Paulus in epiſtola ad Epheſios annotauit. Sunt hæc nobis diligentius obſeruanda, vt intelligamus quanta apud nos eſſe debeat doctrinæ apoſtolicæ authoritas, & quàm graue eorum ſcelus ſit, qui huic contradicunt. Quia enim Apoſtolos Chriſtus rerum abs ſe geſtarum præcones, imò teſtes eſſe voluit, non in illos modò iniurij ſunt, quotquot doctrinam eorum falſi inſimulant, verumetiam ipſum Chriſtum extrema ignominia afficiunt. At quia de hoc alibi commodius dicetur, nunc quanta illorum ingratitudo ſit obſeruemus, qui Verbi adminiſtros, adeoq; vniuerſum eccleſiæ miniſterium contemnunt atq; oderunt, eò quòd per hoc peccata ipſorum arguuntur. Eſt hoc commune huius mundi vitium, vt cùm totus in malo obrutus iaceat & ex ſceleribus ſummam capiat voluptatem, eadem tamen argui & accuſari nolit: & pleriq; non alios acerbiores hoſtes ſe habere arbitrantur, quàm qui fidis correptionibus ipſos in viam ſalutis reducere ſatagunt. At hîc cogitandum erat, miniſterij huius authorem eſſe Chriſtum, & huius inſtitutũ eſſe, vt ſpiritus ſanctus per Euangelij miniſtros mundum arguat de peccato. Ioan. 16. Atqui de illo nihil hoſtile aut ſaluti noſtræ inimicum ſuſpicari poſſumus, cùm ſe totum pro nobis impenderit. Deinde, quòd nos argui & corripi omnino neceſſe eſt, tam propter quotidiana delicta, quàm propter innatã nobis ſtupiditatem, qua fit vt quæ in omnium ore & oculis ſunt ipſi in nobis non animaduertamus. Quod vnum qui non oſcitanter obſeruãt, ij facilè intelligunt vix aliud euidentius diuini fauoris argumentum eſſe, quàm quòd nos in exitium ruentes non ſeuerioribus, vt digni eramus, plagis coercet, ſed paternis admonitionibus in viam reuocat. Quòd ſi ex inimicis hanc vtilitatem captare docuerunt philoſophi, vt ex illis audiamus, quæ in nobis alij diſsimulant aut omnino non obſeruant: quanto magis patienter audiri debent, quos Deus humani generis amantiſsimus nobis monitores cõſtituit? Quibus adde, quòd obſtrependo nihil proficimus, ſed (vt filij contumaces) Dei iram magis prouocamus & pœnas grauiores nobis accerſimus: quod omnium ſeculorum exempla abunde teſtantur. Horum conſideratio olim ſupremos Reges & victorioſiſsimos principes mouit, vt Prophetarum correptiones patienter ferrent. At hodie qui ex fece vulgi ſunt, Dei Verbo obloqui non verentur, quæ præcipua malorum noſtri ſeculi cauſa eſt.

Quomodo Chriſtus Euangelij præcones elegerit.

Secundò modus indicatur, quem Chriſtus tenuit, & qui inſtar præparationis fuit ad negotium hoc non minus arduum quàm ſanctum. Aſcendit in montem, vt ibi precetur, & noctem totam in precibus tranſigit. Quo exemplo nobis duo commendat, quæ in miniſtrorum electione obſeruatu imprimis neceſſaria ſunt. Primum, vt animos à carnis affectibus & rerum terrenarum cura in altum, id eſt, in ſublimiorem & ſeriam cœleſtium contemplationem attollamus, deq; ſolo regno Dei prouehendo ſoliciti ſimus. Quia enim negotium hoc tõtum diuinum eſt, neq; alium finem habet, quàm vt Dei regnum inter homines floreat, procul arceri debent quæcunq; nos ab eo reuocare poſſunt. Itaque in ipſo limine (vt aiunt) offendunt, qui terrenis deſiderijs immerſi hoc vnum agunt, vt aut ijs quoad huius ſeculi fortunam conſulant, quibus bene volunt: aut canes mutos inueniant, qui quiduis diſsimulent & apertis quoq; ſceleribus abblandiantur. Peccatum in hoc eſt omnibus ſeculis, & hinc olim in

veteri teſtamento ſacerdotalis & prophetici ordinis diſſipatio enata fuit, quòd in miniſterio ſacro partim quæſtum, partim impunitatem peccandi pleriq; quæſiuerũt. Nam in populo erant, qui blanda & quæ ſtudijs ipſorum conuenire dici vellent: & hi facilè inueniebant infelicia ventris mancipia, quibus non adeò graue erat ijs morem gerere, ex quibus aliquod emolumentum poterant ſperare. Herodes certè hoc ad regni ſui confirmationem facere putauit, ſi deleta veterum ſacerdotum proſapia, alios ex fece vulgi ſubſtitueret, quibus poſſet dicendi leges præſcribere: quo ſtratagemate prius Ieroboamum quoq; in ſtabiliendo regno Iſraelitico vſum fuiſſe, forcaſſis audiuerat. Et vtinam nõ etiam hodie paſſim haberentur, qui hoc vnum quærunt, quando de miniſterio ſacro agitur. Sed impletur quotidie quod de nouiſſimorum temporum hominibus Paulus dixit, fore nimirum vt ſanam doctrinam non ſuſtineant, & ad fabulas conuerſi doctores coaceruent, qui prauis deſiderijs prurientes aures ipſis demulceant. Alterũ eſt, vt precibus ad Deum ſerijs & ardentibus vtantur, quicunq; verbi adminiſtros deligere & ordinare inſtituerunt. Poſtulat hoc ipſa miniſterij ratio. Quia enim munus hoc periculi plenum & imprimis arduum eſt, & in eo abſq; Dei ope nihil proficitur, hanc pecant oportet quicunq; in eligendis doctoribus falli nolunt. Debet eos etiam excitare communis periculi conſideratio, quando conſtat miniſtros non ſibi ſolis peccare, ſed toti ſimul populo, qui ipſorum fidei creditus eſt. Nam vt is qui ad clauum ſedet, ſi quid vel negligentia vel malitia peccet, non ſibi ſoli malum dat, ſed nauim totam vnà cum vectoribus perdit: ita totas eccleſias, aut ſaltem maiorem partẽ doctores mali aut negligentes ſecum in exitium abripiunt. Obſeruant hoc diligenter Apoſtoli & qui in primitiua eccleſia rebus præfuerunt. Nam etſi eorum, qui ordinandi erant, virtus atq; fides ipſis ſatis perſpecta eſſet, voluerunt tamen negotium hoc omne diuino ſpiritu gubernari, & ideo ieiunijs ſimul & precibus vacarunt, quibus Dei gratiam atq; opem impetrarent. Acceſſit deinde impoſitio manuum, quæ ipſa quoq; non ſine publicis precibus fiebat, vt plus authoritatis miniſterio accederet. Quæ omnia cum hodie negligantur omnino, aut nimis frigidè tractentur, minimè mirum eſt tam paucos haberi, qui munus iſtud dignè & cum aliquo fructu obeant.

3. Reg 12.
2. Tim. 4.
Acto. 1. & 19.

Quales electi à Chriſto?

Tertiò, quos elegerit aut quales, videndum eſt. Docet hoc vno verbo Marcus, quando electos dicit, quos ipſe voluit: non eos, qui aut ipſi hoc munus ambiebant, aut hominum authoritate cõmendabantur. Voluit autem procul dubio eos, quos pater æterno decreto ad hoc munus deſtinauerat. Nihil ergo hîc aut hominum dignitati aut meritis datum eſt, ſed totum hoc negotium ex Dei gratia dependet, quod ipſe Chriſtus apud Ioannem his verbis disertè teſtatur: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Solet hoc idem etiam hodie fieri. Etſi enim multi ſua ſponte currant, & priuatis affectibus ducti munus iſtud capeſſant, nihil tamen abſq; diuinæ prouidentiæ certo conſilio fit, & (vt ſupra ex Paulo demonſtrauimus) Chriſtus is eſt, qui eccleſiæ paſtores dat. Cæterùm hoc loco carnis rationi abſurdum vel etiam iniquum videtur, quòd multis præteritis, qui fide & pietate præſtabant, Iudam elegerit, quem furacem eſſe, & tandem proditorem fore non poterat ignorare. Etenim cùm natura commodi priuati ſtudio teneamur, nemo facilè inter domeſticos ſuos eum aſciſcit, ex quo malum aliquod ingens ſibi imminere nouit. D. Bernhardum certè olim huius conſilij ſiue facti conſideratio mouit, vt exclamaret: Domine Ieſu, cùm eſſet electio illa in manu tua, quare elegiſti diabolum epiſcopũ? Sed idem mox ſubijcit: Fratres, ſic facit Ieſus hodie eligens ſibi multos diabolos epiſcopos. Quia verò æterna Sapientia eſt Chriſtus, non dubium eſt, quin illi certa huius conſilij ratio conſtiterit, & etiamnum hodie illi conſtet: quod vnum nobis ſufficere debet in ijs, quorum ratio in ſcripturis non disertè redditur. Veruntamen ſi quis hic pijs coniecturis locus eſt, non ineptè dicemus, Chriſtũ hoc exemplo voluiſſe ſcandalo mederi, quod ex corruptis verbi adminiſtrorũ moribus & eccleſiæ confuſione, quæ ex his ferè emanat, exoriturum ſciebat. Solent enim ex his calumniandi occaſionem captare, qui verbi lucem prius oderunt, & hominum vitia doctrinæ imputant, vt eam omnibus inuiſam atq; ſuſpectam reddant. Et hi ferè nuquam non in ore habent Apoſtolorum exemplum, vt per hoc omnes eos damnẽt, quos vel latum vnguem ab eo diſcedere vident. Atqui fatemur quoq; nos eos demũ verè apoſtolicos & honore dignos eſſe, qui Apoſtolorum veſtigijs quoad doctrinam ſimul & vitæ conſuetudinem, inſiſtunt: interim verò inter hanc & illam diſtiguèndum eſſe dicimus, neq; doctrinam propter corruptos doctoris mores damnari debere. Nam ſi hoc demus, ex hominum virtute & dignitate tota doctrinæ authoritas pendebit, & cum Iuda ipſum quoq; euãgelium reijci merebitur, cuius illũ

In Serm. ad Clerum in Conc. Remen.

Cur Iudam inter Apoſtolos cooptarit?

præconem

præconem fuiſſe ſcimus. Et quia omnibus ſeculis erunt qui Iudam imitentur, nunquam non in periculum veniet Euangelij veritas, qua labefactata ſalutis noſtræ fundamentum conſiſtere non poteſt. Quoad verò Chriſti diſcipulos, qui cum Iuda meliores eſſent, non tamen in Apoſtolorum chorum aduocati ſunt, nullam illis iniuriam fecit Dominus. Nihil enim ex eo ſaluti eorum deceſſit, & ij dẽ nihilominus locum in cælis habent inter beatorum ſpiritus, quos pater ab æterno elegit. Imò caueri oportuit, ne qui Chriſti diſcipuli ſunt, ſimul etiam Apoſtolos & Euangelij præcones ſe fore putarent. Quæ perſuaſio olim Corinthios monit, vt propter ſpiritus χαρίσματα tumultuarentur, & eccleſiam totam ſcinderent, cùm omnes in illa eminere vellent. Quos Paulus admonet, eandẽ eſſe eccleſiæ rationem, quæ Reipub. vel etiam quæ corporis humani eſt. Vt enim membra omnia vnum corpus conſtituunt, & ad idem corpus pertinent, etiamſi magna inter illa diuerſitas & ingens diſcrimen ſit, ſiue vſum ſiue dignitatem ſpectes: & ſicuti certæ atq; diſtinctæ in Repub: functiones ſunt, quas ſi auferas, neq; Reipub. ordo, neq; œconomia inter priuatos cõſiſtere poterit: Ita in Eccleſia (inquit) aliquos conſtituit Deus, primùm quidẽ Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. Et paulò poſt infert: Num omnes, Apoſtoli? num omnes, Prophetæ? num omnes, Doctores, &c? Quaſi diceret. Res ipſa loquitur, diſcrimina hæc functionum à Deo eſſe introducta. Nam quæ Eccleſia inueniri poterit, in qua omnes ſint Apoſtoli, aut Doctores, aut Verbi interpretes? Neq; enim in externa Verbi prædicatione ſalus noſtra fundata eſt, ſed in fide, qua Chriſtum apprehendimus. Voluit præterea Chriſtus diſcipulos ad patientiam & prudentiam exercere, quando Iudam illis admiſcuit. Qui enim inter initia ſuæ functionis collegam tam improbum & infidum ſenſerant, procul dubio poſtea ſibi à falſis fratribus diligentius cauerunt, & minus offenſi ſunt, ſi quando tales viderunt obrepere. Seruit ergo noſtræ etiam inſtitutioni hoc Chriſti factum, ne indignius feramus, ſi qui nobis coniunguntur, quorum fides nobis non immerito ſuſpecta, aut etiam ſatis manifeſta eſt improbitas. Solet hoc in tanta hominum corruptione frequenter fieri, & hanc ferè Chriſti & ſeruorum eius ſortem eſſe, Dauidis, Pauli & ſimilium exempla teſtantur. At tunc magna prudentia ſimul & inuicta patientia opus eſt, ne dum ius noſtrum rigidius perſequimur, toti eccleſiæ aut reipub. malum demus & publicarum diſſenſionum ſimus authores, quarum plerunq; infelix eſt exitus. Admonentur præterea Iudæ exemplo omnes, qui in gradum aliquem ſublimiorem euecti ſunt, ne inſolentia ſuperbiant, ſed curent potius ne cadant, & ita ſibijpſis infamiæ maioris authores ſint.

Finis miniſterij apoſtolici.

Quartò finem quoque, in quem illi delecti ſunt, Euangeliſtæ indicant, vbi quod Lucas vnico Apoſtolorum nomine comprehendit, Marcus in ſuas quaſi ſpecies diducens tria dicit. Primum, hoc voluiſſe Chriſtum, vt iſti duodecim ſecum eſſent, indiuulſi nimirum comites, adeoq; diſcipuli domeſtici, quos ille priuatim inſtitueret & factorum ſuorum omnium teſtes haberet. Nondum ergo illis docendi munus credidit, cùm rerum adhuc ignari & prorſus rudes eſſent. Alterum, vt ſuo tempore ab ipſo ad prædicandum emitterentur, ex quo Apoſtolorum, id eſt, legatorum nomen acceperunt. Initium functionis huius, vel potius eius præludium infra Cap. 9. deſcribitur, quam poſtea cum plenis mandatis obiuerunt, quando poſt acceptum ſpiritum ſanctum in totum orbem ad prædicandum digreſſi ſunt. Tertium fuit, vt peculiari ſpiritus virtute inſtructi morbis mederentur, & Satanã ex hominibus eijcerent: quod miſſionis ipſorum teſtimonium publicum fuit, quale legatis per literas publicæ fidei aut credentiæ (vt vulgo loquuntur) dari conſueuit.

Partes miniſterij euangelici.

Continent tria hæc omnes Euangelici miniſterij partes, in quibus ſedulos eſſe conuenit omnes eos, qui hoc cum laude & fructu aliquo obire volunt. Neceſſe enim eſt, vt cum Chriſto familiarius verſentur, hunc in ſcripturis loquentem audiant & ſpiritui eius intra animos ſuos locum dent, ſicq; ex illo diſcant, quod ſuæ fidei creditis prædicent. In prædicando autem non minus fidi quàm induſtrij ſint, ne quid diſſimulent ignauo metu ſuperati, neue aliquam docendi occaſionem prætermittant. Finis verò hic illis propoſitus ſit, vt morbis animi medeantur, id eſt, peccata procul arceant, & Satanam ex poſſeſſione inter homines malè vſurpata eijciant. Facient hoc magno cum profectu, ſi eius fraudes & dolos arguant, ſuperſtitiones oppugnent, dogmata falſa confutent, ſcelera corripiant, & quoſuis vel reluctantes ad Dei tribunal citent. In his enim olim prophetas & Apoſtolos diligentiſſimos fuiſſe ſcimus. Poterant hæc latiſſimè diduci, ſed ſufficiat cogitandi occaſionem præbuiſſe ijs, qui ſerio huius muneris ſtudio tenentur. Plura in Marco diximus.

Nam ne quis Chriſtum Apoſtolos ideò delegiſſe putaret, vt ipſe in illos reiecta omni cura eccleſiæ quietus otiaretur, docet Lucas, vt ad docendi munus redierit. Qui locus eò diligentius conſiderari debet, quòd Romanorũ Pontificum audatiam arguit, qui ſub Apoſtolicæ ſucceſſionis prætextu ſeſe vicarios Chriſti, tanquam abſentis, conſtituunt, omnemq; in eccleſia poteſtatem ſibi vendicant. Vt enim hoc illis demus, quòd Petri ſedem teneant, & legitimo ordine Apoſtolis ſucceſſerint, num verò propterea Chriſti Ieſu vicarij ſunt, & quiduis ſtatuendi ius habent? Vicario opus habet, qui vel omnino abſens eſt, vel officio ſuo non poteſt fungi. At Chriſtus corpus quidem è terris in cælos ſuſtulit, Deitate verò ſua vbiq; præſens eſt, & corporis loco ſpiritũ ſubſtituit, qui & eccleſiæ toti & ſingulis credentibus paracleti fidiſſimi inſtar eſt, & promiſſionem Chriſti habemus dicentis: Ego vobiſcũ ſum vſque in conſummationem ſeculi. Apoſtolis verò docendi munus certa lege commiſit, vt nimirum ea tradant quæ ab ipſo acceperint: non vt ipſi pro ſuo arbitrio noua dogmata fingant aut ea obtrudant, quæ nullis ſcripturæ teſtimonijs probari poſſunt. Ergo nouum in eccleſia magiſtratum inſtituerunt Pontifices, qui eò intolerabilior eſt, quòd & Chriſtum è ſolio ſuo deijcere & honorem, qui ipſi debetur, in ſe transferre conantur. Itaque non fruſtra in præſenti Dominus, cùm duodecim illos delegiſſet, quos ad prædicandum emitteret, mox ad officium redit, & maiori quàm prius induſtria Verbum ſalutis prædicat. Sic enim ſcribit Lucas: Deſcendit cum eis, ſtetitq; in loco campeſtri, turbaq; diſcipulorum eius & multitudo magna plebis ex tota Iudæa & Hieroſolyma, & ex maritima regione Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à morbis ſuis, & qui torquebantur à ſpiritibus impuris: & ſanabantur, &c. Quo loco inter multa alia, quæ dicuntur, tria potiſſimum conſiderari debent.

Chriſtus à… ctis Apoſto… redit ad doce… di munus.

Ioan. 14.

Primum confluit vndique populus turmatim, & quidem non ſolum ex Iudæa & Hieroſolyma, verumetiam ex finibus Tyri & Sidonis nonnulli, qui gentilitijs ſuperſtitionibus imbuti Deum verũ hucuſq; ignorauerant. Atqui paulò ante phariſæi cum ſcribis et Sacerdotibus nõ ſemel de Chriſto occidendo cõſultarunt. Mirũ ergo, quòd neq; ſua authoritate, neq; ſupplicij metu populũ continere poſſunt, quo minus ex ipſa Hieroſolyma, ubi imprimis dominabantur, ad illũ audiendum concurrant. Quin noua fit acceſſio ex gentibus, quæ vt docet Chriſtũ vniuerſalem totius generis humani ſeruatorem eſſe: ita quid non multò poſt futurum eſſet oſtendit: Nimirum, vt Iudæis propter ſuam contumaciam & ingratitudinẽ reiectis, in eorum locum gentes ſuccederent, ſicuti olim Prophetæ prædixerunt. Fuit id graue & horrendum Dei iudicium, quo admonemur, ne quis aliqua dignitatis externæ prærogatiua glorietur, aut Deum ſibi ita obſtrictum putet, vt non poſſit reijci & ab eccleſiæ conſortio excludi. Habuerunt enim Iudæi omnia, quæ ad eccleſiæ externæ dignitatem faciunt, & ex ipſis carnem aſſumpſit æternus Dei filius, ſeq; illis familiariſſimum præbuit. At idem poſtea ab ingratis & rebellibus regnum Dei tranſtulit ad gentes, & inter has inuenit, qui ipſum vera fide amplexi ſunt. Quod ergo tunc factũ eſt, hoc ipſum etiam hodie poteſt fieri, imò multis eccleſijs iam pridẽ accidiſſe ſcimus, vt repudium paſſæ Chriſtum & ſalutem amiſerint, eò quòd Dei beneficium noluerunt agnoſcere. Ac ſimul hîc conſolationis plenum eſt, quòd videmus, Chriſti regno & eccleſiæ nihil decedere ex hoſtium machinationibus, qui illud oppreſſum & extinctum volunt, ſed potius eò magis creſcere & propagari, quò magis premitur & oppugnatur. Quia enim Chriſto omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra, facile ei fuerit hoſtium ſuorum conſilia atq; conatus eludere, inq; ipſorum capita effundere, quæ aduerſus eum machinantur. Et vt Dauid olim docuit, proprium hoc Chriſto eſt, vt in medio hoſtium ſuorum regnet atque dominetur. Deinde eccleſia perſecutionibus non euertitur neque imminuitur, ſed vt frumentum cribratur, & vt aurũ igne probatur atq; purgatur, imò latius ad eos etiã extenditur, quos nunquã ad illam acceſſuros eſſe putauiſſes. Eſt ergo non vtile modò, verumetiã neceſſariũ, vt perſecutiones interdũ excitentur. Vt enim paleæ frumento permixtæ manent, donec ventilabrum agricola expedit, & vt auro ſcoria feceſq; è terra agnatæ adhærent, quoad non purgatur in igne: ita in eccleſijs ſemper locum habebunt tam hypocritæ quàm palàm impij, & in ſingulis credentibus carnis deſideria ſeſe exerunt, quoad Deus ignem probationis accenderit, qui & illos procul eijcit, & iſta prorſus exurit, adeoq; nos cogit, vt relictis terrenis ſtudijs ad cæleſtia & æterna bona aſpiremus. Adhæc vt incendium in vna domo ortum latius diffunditur ſi ventus accedat, qui flammas & tabulas ardentes hinc inde diſijcit: ita quæ in vna vrbe ardet

Populus vndique ad Chriſtum confluit.

Pſalm. 110.

Euangelij fax, confeſtim multas alias corripit, ſi perſecutionum procellis pij diſsipentur. Exemplũ Act. 8. *huius rei prima perſecutio præbuit, quæ Saulo authore Hieroſolymis excitata occaſionem præbuit pijs, vt qui prius illic hærebant, tunc longè lateq; diſperſi non ſolùm Iudæam, ſed Samariam quoq; & Phœniciam omnem Verbi prædicatione illuſtrarent. Et poſſent huius generis multa adduci, niſi quæ noſtro ſeculo plurimis in locis vidimus, nobis in hac re abunde fidem facerent. Vſus autem eorum hic nobis eſſe debet, ne vllis hoſtium Euangelij conſilijs aut conatibus offendamur. Nam etſi interdum multum profecturi videntur, & ſanguine innoxio manus polluunt, hoc vnũ tamen agunt, quòd regnum Chriſti eò latius extendunt, quò ardentius & crudelius aduerſus illud ſæuiunt.*

Cauſæ, quæ populum excitarunt. *Secundo loco cauſæ nobis conſiderandæ ſunt, quæ populum mouerunt, vt tanto ſtudio ad Chriſtũ confluxerit. Duæ indicantur: Vt nimirũ eum audirent, & vt ſanarentur à morbis ſuis. Fuit ergo in illis magnum ſalutis cùm corporis tum animæ ſtudiũ. Nam quò minus ad Chriſtũ concurrerent, multa eos abſterrere, multa impedire poterant: vtpote labor, ſumptus, rei domeſticæ iactura, periculum item multiplex, quod non immerito timebatur, cùm potentiſsimos quoq; illi inimicos eſſe non ignorarent. At nihil horum eos remoratur aut terret, quibus ſalus ſua verè cordi eſt, & qui eam in Chriſto haberi credunt. Debent autẽ iſtos imitari, quicunq; huius diſcipuli eſſe volunt. Nã qui opes, honores, parẽtes, coniugẽ, liberos, vitã deniq; propriã Chriſto præferũt, eo digni nõ ſunt. Paulus certè quæcũq; in mũdo pretioſa habebat, pro ſtercoribus et rebus nocẽtiſsimis duxit, vt Chriſtũ lucrifaceret. Eſt ergo deteſtabilis eorũ ignauia, qui vbi nihil periculi eſt, ſola itineris lõgitudine, aut leuiſsima rei familiaris iactura ſe detineri patiuntur, quò minus cõciones ſacras accedant. Regnat hoc vitiũ paſſim hodie, & ex eo apparet, quàm facilè Euangeliũ & Chriſtũ cõtemnant, qui tamen eius nomẽ profitentur. Quòd ſi qui his meliores ſunt, ij curare debent, vt in eo, quod bene cœperunt, cõſtanter pergant, ne vbi manum aratro admouerunt, rurſus à tergo reſpiciant, & ſe ad capeſſendum regnũ Chriſti parum idoneos eſſe demonſtrent. Peccarunt in eo iſti, quando cruce eius offenſi ſunt, & eum tunc deſeruerunt, quem nunc miraculis clarum tanto ſtudio ſunt amplexi. Et hoc illud eſt, quo etiam hodie multi peccant, & ſalutem amittunt, quam manibus iam tenere videbantur.*

Quid in Chriſto debeat quæri. *Docemur præterea iſtorũ exemplo, quid in Chriſto quæri debeat, quod obſeruatu imprimis neceſſarium eſt. Falluntur enim in eo pleriq;, quòd ſub fidei Chriſtianæ prætextu ea quærunt, quæ Chriſtus vel non promiſit, vel etiam ab eo prorſus aliena ſunt. Nos itaq; iſtos imitemur, & ante omnia doctrinam Veritatis quæramus, cuius diuulgandæ ergò ille in mundum venit. Eſt hæc pars illa optima, quam Maria Lazari ſoror elegit (vt ſuo loco audiemus) & qua imprimis delectantur, qui* Ioan. 10. *fide præditi ſunt non fucata. Oues meæ (inquit Chriſtus) vocem meam audiunt, & ſequuntur eam. Et vt hoc faciamus neceſſe eſt, quando neque regni Dei myſteria proprij ingenij acumine inueſtigare poſſumus, neque in filios Dei renaſci, niſi Verbi ſemen animis noſtris concipiatur. Connexa eſt doctrinæ ſalus cum externi tum interni hominis, cuius etiam vnus Chriſtus nobis author eſt. Quia enim peccata tollit, eadem opera ſimul omnibus malis medetur, quæ per hæc in mundum irrepſerunt. Ideò verba vitæ æternæ illum habere Petrus dixit, & Paulus Euangelij prædicationem miniſterium vitæ vocauit. Sunt quidem omnis generis afflictionibus obnoxij pij, ſed qui Chriſto inſiti ſunt, ijs omnia adiumento ſunt ad bonum, vt ſaluti ipſorum ea ſeruiant, quæ alijs exitium afferunt. Nunquam ergo ſpe ſua fideles fruſtrantur, falluntur autem (vt diximus) imò potius ſeipſos fallunt, qui in Chriſto carnalia & terrena ſolùm quærunt.*

Chriſtus à morbis & ſpiritibus immundis liberat. *Huc facit, quod tertium in huius loci conſideratione occurrit. Nam iſtos à morbis ſuis ſanatos fuiſſe ſcribit Lucas, multos item à ſpiritibus impuris Chriſtus liberauit, vt in Marco annotatur. Addit autem in præſenti plenioris expoſitionis loco Euangeliſta: Et tota turba ſtudebat eum tangere: quia virtus ab eo exibat, & ſanabat omnes. Quo loco ordinẽ & modum, quo in his ſanandis Chriſtus vſus eſt, propius conſideraniſſe proderit. Primò tangere eũ cupiunt, qui morbis detinebantur, & in eo mulieris illius ſimiles ſunt, quã ex veſtis Chriſti contactu à ſanguinis fluxu conualuiſſe* Matth. 9. *Matthæus ſcribit. Eſt hoc infirmitatis humanæ argumentũ, quæ etſi in Chriſto ſalutẽ quærat, externis tamẽ adminiculis opus habet, & proinde ad ea etiã reſpicit. Et fert hanc ille patienter, imò ſeipſum nobis accõmodat in doctrina, quã parabolis veſtit, et Sacramẽtis quibus ſenſus quoq; excitatur, vt maiores in fide progreſſus faciamus. Interim meminerimus, omnibus qui ſeruari volunt Chriſti*

contactu

contactu opus eſſe: non quidem corporeo (quo iam frui non datur) ſed ſpirituali. Hunc in fide cõſiſtere ipſe docet. Hac enim animi noſtri ſupra cœlos euecti illum appræhendũt, vt & ipſe in nobis ſit, & nos in illo. Eadem nos Chriſtum induere Paulus ſcribit, & per eandem Chriſto nos deſponſari co- Galat. 3. tius ſcripturæ conſenſus teſtatur. Fide ergo verè & ſalubriter tangitur Chriſtus. Sine fide autẽ illum tangunt, qui eum vel ore modò profitentur, vel etiam in Sacramentis adumbratũ habent, cùm animis ab illo prorſus alieni ſint. Et hi quàmuis eo magnificè glorientur, in ſalute tamen vera nihil proficiunt. Nam Iudæ proditoris, aut eorũ ſaltem ſimiles ſunt, de quibus Dominus apud Matth. cap. 7. ſub finem diſſerit. Deinde, ne quis vel veſtibus Chriſti vel externo cõtactui ſalutem acceptam ferret, virtus illa ſaluifica ab ipſo, aut ex ipſo exiuiſſe dicitur. Et hoc idem ipſe teſtatur, quando ſanatæ hæmorrhouſa (de qua paulò ante diximus) vitutem ex ſe exiuiſſe ſenſit. Omnis ergo ſalus in Chriſto habetur, & ex illo in nos deriuatur, neq; nobis licet alios medicos aut ſalutis authores fingere. Olim quidem miraculoſè multos ſanarunt prophetæ, quod Apoſtolos quoq; deinceps feciſſe ſcimus: at non ex ipſis manauit virtus illa, quæ morbis medebatur, ſed inuocato Chriſti nomine iſta fecerunt, vt hunc noſtræ ſalutis authorem atq; fontem perennem eſſe docerent. Nimiùm ergo inepti ſunt, qui miracula per Sanctos cœlites olim facta ſtudioſè conquirunt, vt hos inuocandos eſſe euincant. Ita enim & ſuam inſcitiam produnt, & illis iniuriam faciunt maximam, quando in eos transferunt Chriſti gloriam, pro qua illi ſanguinem ſuum profundendum eſſe putarunt. Omiſſis ergo ſuperſtitionibus & harum magiſtris, vnum Ieſum Chriſtum audiamus & ſectemur, qui vt Veritatis æternæ doctor eſt verè catholicus, ita ſalutis quoque author, fons & mediator eſt vnicus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LVIII.

Ipſe verò ſublatis oculis ſuis in diſcipulos, dicebat: Beati pauperes quia veſtrum eſt regnũ Dei. Beati, qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & côuitiati fuerint vobis, & nomen veſtrũ vt malum eiecerint, propter Filium hominis. Gaudete in illo die & exultate. Ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis. Nam itidem faciebant prophetis patres eorum.

PAulus Apoſtolus Ieſum Chriſtum nobis à Deo patre non modò iuſtitiã, ſed ſapientiã quoq; factum, & in eodem omnes theſauros ſapientiæ & cognitionis Dei abſconditos eſſe teſtatur. Vt ergo hic humani generis redemptòr eſt vnicus, ita catholicus quoq; veritatis æternæ doctor eſt, quem omnes audire & ſequi debent, qui ſeruari volunt. Et functus eſt quidem ille doctoris officio fideliſſimè, quàm diu in terris vitam egit: at quia has peracto redemptionis noſtræ negotio relicturus, & corpus quod ex Virgine matre aſſumpſit, in cœleſtes beatæ immortalitatis ſedes ſubuecturus erat, diſcipulos ſibi aliquot delegit, quos familiarius inſtitueret, & deinde eorundem opera in Euangelij doctrina per totum orbem propaganda vteretur. De his nuper dixit Lucas, & eorũ nomina recenſuit. In præſenti verò integram Chriſti cõcionẽ deſcribit, vt ex ea omnibus conſtet, quæ illa doctrina ſit, quam ipſi poſtea prædicare debuerunt. Et meretur concio illa diligentẽ conſiderationem, partim quia ſummam præceptorum Chriſti continet, & proinde ad omnium hominum inſtitutionẽ plurimùm facit: partim quia canonis & Lydij lapidis inſtar eſt, ad quem doctrinas omnes probare, & veram à falſis diſcernere poſſumus. Partes illius ſunt quatuor. Prima de ſummo hominis bono diſſerit, et in quo nam felicitas aut beatitudo ſita ſit, docet. Secunda charitatis Chriſtianæ præcepta tradit, vbi priuatam vindictam maximè prohibet. Tertia doctores inſtituit, docens vt hi admonitiones & reprehenſiones cùm publicas tum priuatas inſtituere debeant. Poſtrema veræ pietatis ſtudium grauiter commendat, & hanc à falſa ſiue ſimulata diſtinguit.

Concionis Chriſti argumentũ & partes.

Non temere autem à beatitudine aut felicitate dicendi exordium facit. Conſtat enim omnes homines huius deſiderio naturali teneri, eius veræ conſequendæ viam ignorare, neque hanc inuenire

Cur à beatitudine initium faciat

poſſe, quoad ſui ingenij aut humanæ rationis acumen ſequuntur. Exemplo nobis ſunt philoſophi, qui omnes de ſummo hominis bono magna animorum contentione diſputauerunt, & in varias ſententias ſciſsi ſunt, quarum tamen nulla veritatis ſcopum attigit. Et inter Iudæos non vnam viam in hoc conſequendo omnes tenuiſſe ex diuerſis ſectis apparet, quas annis circiter centum & triginta ante Chriſti in carnem aduentum exortas fuiſſe alibi diximus. Neceſſe igitur erat diſputationibus illis ſemel finem imponere, quod nemo commodius & maiori cum authoritate facere poterat, quàm filius Dei, cuius aduentum ſancti omnes tot ſæculis expectarant. Quia autem plerique felicitatem in huius ſæculi bonis conſiſtere arbitrantur, & diſcipulos ex communi errore, qui tunc inter Iudæos regnabat, regnum terrenum ſomniare Chriſtus ſciebat, errori huic ab initio ſtatim occurrit, & aduerſus omnes hominum prophanorum ſententias docet, beatitatem veram non in terrenis bonis inueniri, ſed in cæleſtium bonorum poſſeſsione conſiſtere, huius autem ſæculi afflictionibus aut miſerijs adeò non turbari, vt potius per has nobis ad illam acceſſus pateat. Vnde colligit, non miſeros aut infelices eſſe, qui cum paupertate conflictantur, qui eſuriunt, plorant, mundi odia, conuitia, probra & perſecutiones ſuſtinent: ſed potius beatos cenſeri debere, quòd pulcherrima virtutis exercendæ materia ipſis propoſita ſit, laborum autem & afflictionum præmium immarceſsibile in cælis habeant, quo olim æternum fruentur. Et quia hoc carni perſuadere admodum difficile eſt; & eorum quoque, quæ iam didicimus, facilè obliuiſcimur, ſententijs breuibus quidem ſed grauiſsimis & primo intuitu paradoxis, rem omnem comprehendit. Sunt hæ quatuor numero, quibus totidem contrarias opponit, quæ mundi ſtultitiam confutant apertius, qui in ijs beatitatem quærit, quæ potius extremæ infelicitatis materiam præbent. Quamuis autem (vt ex Matthæo patet) doctrina generalis hîc proponatur, & magna hominum multitudini Chriſtus ex ſublimiori loco concionatus ſit, in præſenti tamen ſermonem ad diſcipulos conuertit, qui propter difficillimam apoſtolatus functionem, cui deſtinati erant, præ alijs inſtitutione & conſolatione diligentiori opus habebant. Audiamus ergo de ijs concionantem Chriſtum, quæ nobis ad beatitatem viam ſternunt.

1 Beati pauperes. *Primùm, Beati (inquit) pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Opponitur ſententia hæc directè huius mundi iudicio, qui vnanimi conſenſu eos demum beatos & felices dicit, qui diuitijs abundant, & ideo illos in honore & pretio habet, & ijſdem quiduis audendi impunitatem concedit. Eſtque error hic omnium pernitioſiſsimus. Ex eo enim inſanum illud diteſcendi ſtudium enaſcitur, quod vt curis & laboribus immodicis corpus fatigat, ita animam quoque vitijs atrociſsimis grauat.* 1.Tim.6. *Nam vt Paulus ait, qui diteſcere volunt, ij incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas amentes & damnoſas quæ demergunt homines in exitium & interitum. E contra nihil egeſtate infelicius & intolerabilius eſſe vulgò putatur, & ideo vt hanc effugiant plerique nihil non ſibi licere arbitrantur. At omnibus iſtis hoc dictum Chriſtus opponit, ut nimirum admoneat, vt apertis animi oculis rem ipſam propius inſpiciamus, ne nobis communis ille vulgi error imponat.*

Pauperes qui hic intelligantur. *At hîc ante omnia diligenter videndum erit, de quibus ſermo ſit. Paupertas enim, ſi per ſe conſideretur, res media eſt, vt & diuitiæ: imò conſtat quibuſdam paupertatem ex Dei maledictione incumbere, vt eis exitij cauſam afferat, & vt inter electos Dei cultores aliquos fuiſſe ſcimus diuitijs illuſtres: ita ex pauperum numero multi impatientia ſuperati ea deſignant, quæ ipſos à Dei veri cognitione & timore alieniſsimos eſſe declarant. Apertius ergo Matthæus Chriſti mentem expreſsit, qui pauperes ſpiritu nominat. At ſpiritus vocabulo hominis mentem ſiue animum denotari hoc loco, non eſt dubium. Sunt ergo pauperes ſpiritu primum ij, qui contemptis omnibus, quorum fiducia plerique ingentes ſpiritus animo concipiunt, in vno Deo ſperant, & in hoc ſibi bona omnia repoſita eſſe nouerunt. Deinde, qui aduerſis & ærumnis fracti, ad diuinæ miſericordiæ thronum recurrunt, ſeque ſupplices illius voluntati ſubmittunt. Denique pauperes ſpiritu dicuntur, qui neque in ſemetipſis neque in toto hoc mundo aliquid habent, cuius fiducia vel aduerſus Deum vel homines ſuperbiant. His opponuntur, qui ſuarum virium & propriæ dignitatis fiducia inflati, nihil non ſibi promittunt, & ſi quid ipſis præter animi ſententiam accidit, mox aduerſus Deum fremunt, & ab hoc ſibi iniuriam fieri arbitrantur. Damnant hos paſsim ſacræ literæ, alteros verò illos in præſenti Chriſtus felices atque beatos pronuntiat, & ab his doctrinam hanc orditur, quia hoc obedientiæ fidei principium eſt, qua imprimis delectatur Deus*

& quæ in quouis aduerſorum genere patientes facit. Qui enim eò vſq; profecerunt, vt ſuos ſpiritus domare norint, ij tam de huius ſeculi rebus quàm de ſeipſis rectè iudicant. Et illas quidem vanas atque corruptibiles eſſe, ſeipſos verò peccatores & quouis ſupplicio dignos eſſe intelligunt. Itaque non efferuntur præſentium bonorum fiducia, ſed ita illis vti ſtudent, ne abutantur; neque indignius ferunt, ſi illa Deus eripiat, ſed cum Iobo Dei nomen prædicant, & huius iudicia iuſta, ſancta & ſalutaria eſſe fatentur. Eſt ergo hæc ſpiritus paupertas certiſſima animi pax, adeoq; portus tutiſſimus aduerſus omnes turbines, quibus mundus hic agitatur: ideoq; ſi nihil aliud accedat, præ alijs beati ſunt, quibus illa frui datum eſt.

Cæterùm amplius quid illis Chriſtus pollicetur. Veſtrum (inquit) eſt regnum Dei. Comprehendit hoc omnem felicitatem hominis tam præſentis quàm futuri ſeculi. Qui enim Dei regno fruuntur, & hunc in ſe regnantem habent, ijs nihil in hoc mundo deeſſe, nihil item nocere poteſt. Eſt enim Deus reuera fons bonorum omnium, adhæc ſuorum vindex & tutor, qui pericula omnia vel repellit, vel in medijs periculorum fluctibus mirificè ſeruat. Superat autem hæc omnia, quòd illos ſpiritu ſuo regit, ne quid vel in ſecundis vel aduerſis præter officium faciant. Vbi verò huius vitæ finem illi attigerunt, tunc ad regni illius cœleſtis & æterni poſſeſſionem tranſeunt, & Chriſti cohæredes fiunt, cui ſeruierunt. Et eſt hîc obſeruatu digniſſimum, quòd etſi huius vitæ cõmoda Chriſtus prolixè polliceri potuiſſet, ſolius tamen regni Dei meminit. Vult enim ſuos non in præſentis ſeculi bonis hærere, quæ caduca & inſtabilia ſunt, ſed in ſola cœleſtia & æterna reſpicere, vt horum ſpe confirmati omnem huius vitæ fortunam patienter ferant. Regnum Dei.

Sed pergamus in Chriſti ſermone, qui ſecundo loco dicit: Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Eſt hoc plus quiddã, quàm quòd initiò dixerat. Sunt enim aliqui pauperes quidẽ, ſed qui non eſuriunt, tenui autẽ & frugali victu contenti, vitam quietam & tranquillam agunt. Et hos gentium quoque ſapientes beatos dixerunt, quòd felicius viuant ijs, qui circa opes immodicas tumultuantur, aut etiam reipub. negotijs non minus periculoſis quàm grauibus ſunt occupati. Ex horum numero Solon Aglaum beatum eſſe putauit, quòd fines patrij agelli nunquam exceſſiſſet. At ſi eò vſque paupertatis onus excreſcat, vt famem & eſuriem pati neceſſe ſit, id demum omnibus miſerrimum videtur. Nec temere famem maleſuadam dixerunt veteres, cùm viderent huius impatientiæ multos ad ea perpetranda adduci, de quibus antea ne cogitarant quidem. Et huc ſapiens ille reſpexit, qui ne vel opibus magnis ditaretur, vel ad inopiam extremam adigeretur, Deum orabat, ne videlicet opum fiducia elatus Dei timorem excuteret, aut egeſtate intolerabili victus furaretur, vel Dei nomen abnegaret. Porrò hîc quoque vulgi ſententiam Chriſtus corrigit, & docet nihil obſtare, quò minus beati & felices ſint etiam ij, qui omnibus neceſſarijs deſtituti extrema inopia laborant. Et apud Matthæum eos nominat, qui iuſtitiam eſuriunt & ſitiunt. Quod dictum bifariam exponi poteſt. Primum de ijs, quos hoſtium tyrannis & iniuriæ acceptæ ita exagitant, vt nihil perinde eſuriant atq; ſitiant, quàm vt iudices ipſis dentur iuſti, à quibus cauſa ipſorum cognoſcatur. In horum numero ſunt ij, quibus ſua bona vel erepta ſunt, vel per vim detinentur, vt illis non poſſint vti, quæ ipſis iure debebantur. Solet hoc frequenter pijs accidere dum in hoc mundo peregrinantur, vt non modò improborum vim ferant, ſed inſuper iudices quoque ſibi infenſos & tribunalia omnia clauſa eſſe videant. Habentur enim pro turbulentis, ſeditioſis & rixoſis quibus nihil ſatisfaciat, ſicq; iniquis præiudicijs circumuenti ius ſuum obtinere non poſſunt. Paſſi ſunt hoc Iſraelitæ ſub Pharaonis tyrannide, qui illis libertatem à maioribus ſuis conceſſam, præter omne meritum eripuit, operibus & laboribus gratuitis eoſdẽ miſerè exercuit, & operum exactores non minus crudeles quàm iniquos illis impoſuit. Dauidem quoque Saulis iniuſta vis coegit, vt ad Dei tribunal prouocaret, cùm nemo inter homines eſſet, qui cauſam ſuam audire vellet vel audire auderet. Et prophetis hoc ipſum frequenter accidiſſe conſtat. Quæ verò Chriſtianorum conditio olim ſub Imperatoribus fuerit, eccleſiaſticæ hiſtoriæ abunde docent. Iulianus certè illos, ſi de bonis ereptis aut iniurijs ſibi factis quererentur, cum ludibrijs excipiebat, indignè illos facere dicens, qui iure agere vellent, & non potius ſecundùm præceptoris ſui Chriſti præceptum tunicam quoq; ijs dare, qui pallium abſtuliſſent, & maxillam alteram obuertere ſi quando eſſent percuſſi. Neque in melius mutata eſt piorum ſors, & hodie quidnis licet cuiuis in eos dicere, qui Chriſti nomẽ profeſſi aliorum ſuperſtitiones atq; tyran- 2. Beati qui eſu- riunt. Prouerb.30.

*nidem damnant: & ea eſt multis in locis impiorum violentia, vt pijs tutius ſit atrociſſimas iniurias
ſilendo concoquere, quàm ius ſuum perſequendo ſeſe periculis grauioribus obijcere. Taceò nunc eos,
qui à parentibus exhæredantur, & quorum hæreditates intercipiuntur ab alijs, hanc vnam ob cau-
ſam, quòd fidem Chriſto datam fallere nolunt. Eſuriunt hi omnes iuſtitiam, neque alia fames gra-
uior & intolerabilior eſt, quàm ſi ius ſuum obtinere non poſſint, qui ſe tauſam bonam tueri no-
runt, interim verò ipſis eſurientibus impijſſimos nebulones in ijs bonis voluptuari & & libidinari
vident, quæ ipſis iure debebantur. At Chriſtus hos omnes beatos pronunciat, & cauſam ſui dicti af-
fert, Quia ſaturabuntur: ita fore docens, vt tandem votorum compotes fiant, et ius ſuum obtineant.
Eſt enim Deus afflictorum vindex & patronus fideliſſimus, neque eorum preces negligit. Teſta-
Exod. 22. tur hoc ipſe in Lege, quando monet, ne quis peregrinos affligat, aut viduis atque pupillis vim fa-
ciat. Clamabunt enim ad me (inquit) & ego exaudiam, & excandeſcet furor meus, & interficiam
vos gladio, &c. Exempla, quibus hoc probetur, paſſim occurrunt. Nam Deo vindice olim Iſraeli-
tæ liberati ſunt, & debitam ſibi mercedem ab Aegyptijs receperunt. Eundem iudicem iuſtum Da-
uid ſenſit, quando Saule extincto ipſe in regni faſtigium euectus eſt. Et hodie frequenter fieri vide-
mus, vt vel ſua recipiant, vel alia ratione ditentur, qui diu inediam paſſi ſunt. Quòd ſi nonnulli
pauperes & egeni moriuntur, adeoq; cum publica ignominia vitam hanc finiunt, nihilominus tamen
ij quoque ſaturantur. Nam verè beata eorum mors eſt, quæ quam diu exoptarant laborum ſuo-
rum finem & vitæ æternæ poſſeſſionem ipſis affert: ſimul verò Deus apud poſteros innocentiam
eorum aſſerit & famæ conſulit, vt ſancti & pij dicantur, qui facinoroſorum inſtar habiti fuerunt.
Fruuntur hac gloria hodie prophetæ & Apoſtoli apud eos quoque, qui de ipſorum doctrina & fi-
de adhuc parum honorificè ſentiunt. Olim verò in totius mundi conſpectu ſaturabuntur, quando
Dei filius in nubibus cæli ad iudicandum veniet, & ipſi quidem coram oppreſſoribus ſuis (vt in li-
bro Sapientiæ ſcribitur) in gloria comparebunt, & dulcem illam Chriſti vocem audient, qua eos ad
ſui regni conſortium vocabit, alteri verò illi cum diabolo ad æternas inferorum pœnas remittentur.
Hæc vt pios Chriſti cultores ad patientiam armare, ſic impios tyrannos terrere debent, ne vim
illis faciant, qui vindicem habent eum, ad cuius tribunal procul dubio ſiſtentur, vt digna ſuis fa-
ctis præmia in proprijs corporibus recipiant. Vide Matth. 25. 2. Corinth. 5.*

Eſuries ſpiritualis. *Poteſt deinde hæc Chriſti ſententia altiori aut allegorico ſenſu de ijs exponi, qui veram iuſti-
tiam eſuriunt, in hoc vnum ſcilicet totis animis intenti, vt & ipſi pro iuſtis Deo probentur, & vt
iuſtitia publicè apud omnes regnet. Eſt hoc votum commune electorum omnium, quibus acutiſſi-
mè dolet, quòd ſe peccatores eſſe & legem peccati in membris ſuis vigere ſentiunt, quæ præter ho-
minis interioris voluntatem ad ea abripiuntur, quæ Deo improbari & damnatione digna eſſe no-
runt. Clamant ergo cum Paulo Apoſtolo: O nos infelices, quis nos liberabit à corpore mortis? Non
minus autem ijſdem dolet, ſi pleroſque deuoto animo in omne ſcelus ruere, pios autem contra ius &
2. Pet. 2. leges publicas affligi, ſpoliari & opprimi videant. Exemplum huius doloris in Lotho Petrus pro-
ponit, quem inter Sodomæos moleſtiſſima hominum libidinoſiſſimorum & nefariorum conuerſa-
tione fatigatum fuiſſe ſcribit, cùm animam ſuam iuſtam quotidie iniquis illorum factis videndo &
audiendo excruciaret. Quod ipſum hodie multis in hac mundi quotidie in peius vergentis ſenecta
Apoc. 22. Hab. 1. accidit. Qui omnes ſancta fame accenſi ingemiſcunt, & cum Ioanne orant: Veni Domine Ieſu. Et
cum prophetis: Quouſque Domine clamo, & non exaudis? vociferor ad te ob violentiam, & non
ſeruas? Cur oſtendis mihi iniquitatem, & facis vt aſpiciam moleſtiam? &c. At ſaturantur hi quo-
que omnes ſuo tempore. Quoad ipſos enim, iuſtitiam veram in Chriſto Ieſu per fidem inueniunt.
Adhæc erit aliquando, neque procul abeſt, infelicis huius mundi finis, in quo Chriſtus prorſus ab-
olita diaboli tyrannide, ſempiternæ iuſtitiæ regnum ſuſcitabit, in quo nulla vis & nulla iniqui-
tas dominabitur.*

3. Beati qui flent. *Tertiò, Beati (inquit) qui nunc fletis, quia ridebitis. Facit hoc quoq; ad eorũ, quæ præceſſerunt
amplificationem & confirmationem. Sunt enim quidam eo ingenio præditi, vt quamuis fortu-
nam negligant, & tantumnon exuto omni humanitatis ſenſu nullis caſibus moueantur: quos vul-
gus beatos dicit, quia nihil ſentiunt, aut etiam ſentire nolunt. Sed non magis illi beati ſunt quàm
trunci & lapides, imò eò miſeriores ſunt, quòd cum ſenſu rationem quoq; exuerunt. At longè aliter*

affecti

affecti ſunt pij, qui procul relicta indolentia illa Stoica, tam proprijs quàm alienis malis commouentur, & ita quidem vt in lacbrymas quoque erumpant, neque diſſimulare poſſunt, quam animo conceperũt, dolorem. Hos autem propterea miſeros & infelices eſſe Chriſtus negat quin potius beatos pronuntiat. Et opponitur hæc etiam ſententia directè vulgi iudicio. Plerique enim beatos dicunt, quibus datum eſt in tripudijs, ludis, comeſſationibus & gaudio vitam tranſigere, & qui ſecurè omnia negligunt, quibus alij vel priuatim vel publicè premuntur. Hinc ſupina illa ſecuritas & Cyclopicus iudiciorum Dei contemptus, quem in ſui ſæculi hominibus propheta paſſim accuſant, & quem nouiſſimis temporibus regnaturum Chriſtus prædixit. At idem hîc eos potius felices eſſe ait, qui vitam in pijs lacbrymis tranſigunt.

Iſa.5.
Amos 6. &c.

Vbi ante omnia videre oportet, de quibus Dominus loquatur. Atqui diſcipulis ſuis illũ loqui, verborum contextus docet, ſub quibus pios ſiuè credentes omnes comprehendi non eſt dubiũ, quando eadem omnium illorum ſors eſt. Flere autem illos dicit quia hoc fere illis proprium eſt, cùm noua indies lacbrymarum cauſæ illis occurrant. Eſt enim vita hæc, ſi nihil aliud accedat, vallis lacbrymarum (vt Dauidis verbo vtar) in quam ex vtero matris cum fletu & eiulatu ingredimur, & quem tunc incipimus fletum, perpetua quaſi ſerie continuamus. Quo Iacobus reſpiciens, vitam ſuam peregrinationem vocat, cuius dies quidem non admodum multi, ſed acerbi & laborioſi ſint. Sed non tam propter communem omnium ſortem plorant pij, quàm quòd innatam ſibi naturæ ſuæ vitioſitatem quotidie ſentiunt, & ex hac enaſcentibus peccatis ſeſe indies grauari cernunt. Nec enim poſſunt non vehementer dolere, quando Dei iram ſimul animo concipiunt, quàm ſe peccatis ſuis meruiſſe non poſſunt negare. Et hæ ſunt ſanctæ illæ lacbrymæ, quibus Dauid olim lectum ſuum rigabat, & quibus peccatrix illa (de qua Cap. 7. dicetur) pedes Domini abluit. Hic pius ille dolor eſt, qui Paulum exclamare coëgit: Miſer ego homo, quis me liberabit ab hoc corpore mortis? Accedit huic dolori alius grauior, quòd ſimul mundum totum incurabili malitia in proprium interitum ruere vident. Quia enim & gloriam Dei prouectam volunt, & omnium hominum ſaluti conſultum cupiunt, non poſſunt tam infelicis mundi conditionem ſiccis oculis intueri, quæ plerique & Dei gloriam conculcant, & ſibiipſis exitium acerſunt. Sic Lothum ſemetipſum excruciauiſſe Petrus ſcribit (vt paulò ante diximus) cùm inter Sodomæos ageret. Sic Moſi continuum luctum peperit Iſraëlitarum contumacia. Sic Saulem à Deo reprobatum flebat Samuel: & Paulo Iudaicæ gentis perditio ſic doluit, vt pro illis anathema fieri optaret. Quæ ſatis docent, quàm alieni ſint à ſpiritu Chriſti, qui alijs ſcandalorum authores ſunt, & ita pios in nouas quotidie lacbrymas conijciunt. His adde nefarios impiorum conatus, qui pios vnà cum religione omnino extinctos volunt, vt mox ſequetur. Et hic quidem inter perſecutiones vberrimus lacbrymarum fons ſeſe aperit: qui tunc maximè augetur, quando pij à ſocijs ſe deſeri vident, de quorum fide & auxilio ſibi optima quæque pollicebantur. Solet enim ferè fieri, vt dum quiſque ſibi conſulit, alios in periculis turpiter deſerant: vt iam nihil de illis dicamus, qui vel proditorio animo cum hoſtibus colludunt, vel ſaltem horum artibus ſeſe circumueniri patiuntur, vt ſuam illis operam præſtent. Fiunt hæc hodiè paſſim & qui iſta non oſcitanter ſecum expendunt, non poſſunt non toti in pias lacbrymas ſolui, & quia has perpetuas & quaſi indiuulſas comites habent, plerique eos miſeros & infelices eſſe arbitrantur.

De quibus loquatur Chriſtus.
Pſal. 84.
Gen. 47.

At Chriſtus (vt modo diximus) eos beatos pronuntiat & cauſam dicti ſui affert: Quia ridebitis. Apud Matthæum conſolationem pollicetur, dulcem nimirum & verè efficacem, quæ dolorem omnem mitiget, ſimulquè animum gaudio ſancto atque ſolido exhilaret. Eſt ea duplex: Primo dum hic viuunt conſolationem accipiunt ex diuina bonitatis argumentis, quæ ſeſe non vno modo exerit. Nam ſeſe Deo curæ eſſe norunt, & hunc ſibi in Chriſto reconciliatum eſſe, firmiter credunt. Quoad verò mundi contumaciam, hanc neq; Dei gloriæ officere, neque ſuam ſalutem ea impediri intelligunt. Inter afflictiones autem ad Deum clamant, & preces ſuas ab eo exaudiri & lachrimas (vt Dauid ait) in Dei lagenulam colligi atque in eius rationarium aſcribi ſentiunt: adhæc inter media pericula auxilio Dei præſenti ſubleuantur, & inde ſpem indies maiorem animo concipiunt. Et huc Paulus reſpiciens dicebat, pios in afflictionibus quoq; gloriari, eò quòd afflictio patientiã efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem ſpem, quæ nos falli aut pude-

Pſal. 56.
Rom. 5.

ſieri non ſinat, cum Dei dilectione nitatur, qua nos in Chriſto Ieſu complexus eſt. Deinde maior & efficatior conſolatio accedit, quam ex futura vitæ guſtu pij percipiunt. Mors enim vltima linea rerum huius ſæculi, vt vitæ huic mortali, ſic etiam malis quæ hanc comitantur, omnibus finem imponit, & illã cœleſtis vitæ hæreditas ſequitur, in quã rectà tranſeunt quicunq; in fide Chriſti decedunt. Itaque etſi multa patiantur Chriſti cultores, quæ ipſis gemitus & lachrymas cient, ijdem tamen fide promiſſionũ Dei confirmati intra animos ſuos gaudio incredibili perfundũtur, quòd ſe crucis Chriſti ſocios eſſe ſentiãt, ſimulq; mundi infelicis conſilia atq; ſpes inanes rident, tandẽ verò in Chriſti regnum ſuccedunt, vbi lachrymæ omnes abſterguntur, ſuſpiria ceſſant, dolor omnis euaneſcit, dum in Dei conſpectu ipſis bonorum omnium ſaturitas offertur. Seminant ergo iſti omnes cum lachrymis (vt Pſalmi verbis vtar) ſed metunt cum iubilo &c. Pſal. 126.

4 Solatur eos, qui perſecutionem ſuſtinent. *Porro propius ad diſcipulorum conſolationem Chriſtus accedit, & diſertè eos de ijs, quæ paſſuri erant, admonet, vt ſcandalo medeatur, quod ex cruce & perſecutionibus enaſciturum eſſe ſciebat. Eſtq; huius loci doctrina obſeruatu & meditatu imprimis neceſſaria, eò quòd pios ſine cruce viuere vix poſſibile eſt, & (vt Paulus ait) quotquot volunt piè viuere in Ieſu Chriſto, perſecutionem patientur. Poterat hoc mirum videri, & reuera pij apud omnes in honore & pretio eſſe debebant, cùm neminẽ lædant, omnibus autẽ pro virili benefaciant, atque propter ipſos Deus reſpub. & omnẽ mundi huius machinam conſeruet. Sed ea eſt filiorum ſæculi huius improbitas, vt nullos alios perinde extinctos cupiat. Cauſam ipſe Chriſtus Ioan. tertio Cap. indicat, quòd veritatis lucẽ mundus oderit, neque ferre poſſit, vt opera ſua mala arguantur. Quia ergo quid diſcipulis euenturum eſſet non ignorabat, de hu ex profeſſo agit his verbis: Beati eritis cùm vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & vobis conuitiati fuerint, & nomen veſtrũ vt malum eiecerint propter Filium hominis: Gaudete in illo die &c. Quibus verbis diſcipulos quidem confirmare & præparare voluit ad certamina, ne periculis improuiſis offenſi ſuccumberent: at quia ſimul generalem doctrinam propoſuit, ſingulas partes ex ordine inſpiciamus.*

Sors piorum in hoc ſæculo. *Prima, quæ piorum in hoc mundo ſors ſit, docet, & quod vno verbo dici poterat, in ſuas quaſi ſpecies diſtinguit. Et primo quidem hominibus exoſos fore ait, quod viro bono admodum graue eſt. Vt enim pij quoſuis amant & omnibus benefaciunt: ita ab alijs etiam amari volunt. Non poſſunt ergo non dolere, ſi ſe alijs inuiſos & exoſos eſſe ſentiant: imprimis verò intolerabile videtur, ſi ij te oderint, de quibus te optimè meritum eſſe noueris. At ſolet hoc pijs Chriſti cultoribus apud eos etiam accidere, qui nondũ omnino mali ſunt, & à vi adhuc abſtinent. Nam plerique, qui Euangelicæ doctrinæ fautores videri volunt, ab eorum tamen commercijs abſtinent, quos eius zelo ardere ſentiunt, & hos moroſiores eſſe aiunt, dum non omnia probant, quibus huius ſæculi filij delectantur. Superat tamen eorum numerus, qui eò vſq; progrediuntur, vt in illorum morte felicitatẽ ſuam omnem conſiſtere arbitrentur. Secundò ſeparationis meminit aut excluſionis à Synagoga, quam hodie Excommunicationem dicunt. Erat hæc non ignominioſa modo, verumetiam rei domeſticæ aduerſa & damnoſa, eò quòd excõmunicatis cũ nemine contrahere, aut vllis commercijs ſeſe immiſcere liceret. Atqui hanc à Phariſæis publica authoritate aduerſus Chriſti diſcipulos decretam fuiſſe, Ioañes Euangeliſta Cap. 9. & 12. diſertè ſcribit. Et hodie hoc fulmine imprimis Pontifices pugnant, quo iam ſæculis aliquot potentiſſimos Reges debellarunt, quando non contenti ipſos ab eccleſiæ ſocietate excluſiſſe, inſuper populũ eis ſubiectum fidei aut iuriſiurandi dati religione liberatum aduerſus ipſos ad arma excitauerunt. Neq; dubiũ eſt, maiorũ exemplis multos hodie abſterreri, ne quod verã eſſe ſciunt profiteantur, neue in ſuis terris eccleſiarũ reformationẽ inſtituant. Tertiò conuitijs & probris obruendos ait, quibus generoſiores animi magis quàm armis aut telis ferreis vulnerantur. At his vbiq; diffamatos fuiſſe Apoſtolos, Actorũ liber teſtatur. Inter Iudæos enim accuſabãtur, quòd Moſi contradicerẽt, legis præcepta violarent, tẽplũ cũ ſacris euerſum vellent, adeòq; pro publicis hoſtibus habebãtur. Inter gentes verò paſſim illa ſeditioſorũ voces ſonabant. Qui orbẽ terrarũ turbant, venerunt etiã ad nos. Et creuit cũ temporis progreſſu conuitiandi libido eò vſq;, vt nullũ tam immane & deteſtabile facinus ſit, cuius non inſimulati fuerint Chriſtiani. Nã in cætibus ſuis infantes mactare, aſini caput adorare, promiſcua libidine vti, humanis carnibus veſci, adhæc pacem publicã turbare, cum Romani Imperij hoſtibus coniurare, diſciplinã omnẽ abolere, & ſuis ſceleribus iram Deo-*

rum

rum aduerſus totum mundum prouocare dicebantur. Itaque ſiue æſtus nimius agros adureret, ſiue æquarum inundationibus fruges perirent, ſeu grandine vineta vaſtarentur, ſiue peſtis per vrbes regnaret, aut infelicius aduerſus hoſtes pugnaretur: mox Chriſtiani ad leones, & rogos, ad triremes, in metalla & ad quæuis alia ſupplicia abripiendi dicebantur, vt ſuo ſanguine Deorum iram placarent. Et quod illis olim accidit, hoc ipſum hodie paßim fieri videmus: Imò cùm cuiuis improbo aduerſus Chriſtianæ fidei profeſſores quiduis fingere liceat, ipſis ad obiecta ſibi crimina reſpondere & innocentiam ſuam tueri non licet. Sed addit his aliud Chriſtus, quo extrema & æterna infamia ſignificatur. Nam eijcient nomen veſtrum (inquit) tanquam malum, id eſt dignos iudicabunt, quorum nomen quoque cum vita prorſus extinguatur. Et hoc quoque olim factum eſſe, & hodie adhuc fieri notius eſt, quàm vt multa demonſtratione opus habeat. Huc enim pertinet, quòd fidelium domus apud quoſdam ſolo æquantur; quòd ipſorum familijs totique poſteritati infamiæ publica nota inuritur, quòd item bella ſuſcipiuntur funeſta, & vrbes tota funditus exſinduntur, quæ Chriſti doctrinæ hoſpitium præbuerunt. At voluit nos de his omnibus admonere Dominus, ne ijs tanquam nouis & inauditis offendamur, ſimulq́ cogitemus, nos propterea non miſeros, ſed vere beatos eſſe. Hoc enim ille ſimul affirmat, & ſui dicti rationes mox ſubijciet.

Interim obſeruare nos oportet cauſam, ob quam mundus hic nos odit, ſeparat, conuitijs proſcindit & nominis noſtri memoriam extindere ſtudet. Propter Filium hominis, inquit, id eſt, propter me, qui etſi æternus ſim Dei filius; hominem tamen aſſumpſi, vt humani generis vindex ſim, miſeris autem illis non alius quàm nudus homo videor. Beati ergo eritis (inquam) ſi iſta vobis acciderint propter me. Nimirum quòd mei diſcipuli & ſerui ſitis, quòd in me ſperetis, quòd me vnicum humanæ ſalutis authorem profiteamini, & regnum meũ propagare ſtudeatis. Et ſanè eſt hæc cauſa odiorum & perſecutionum omnium, quibus pij exerſentur. Nolunt enim ſuperſtitiones ſuas damnari idololatræ, & ideo Chriſti doctrinam oderunt, quod per hanc omnes alios cultus excludi, & omnes alias ſalutis conſequendæ rationes reijci audiunt. Et hic non ij ſoli hodie peccant, qui à Chriſto prorſus alieni ſunt, verumetiam multi, qui religionem Chriſtianam profitentur, non autem vni Chriſto fidunt, ſed eius merito infinita alia admiſcent, quæ non alia quam humanarum traditionum authoritate nituntur. In hoc certè omnium contentionum cardo vertitur, quæ nobis cũ Papiſtis intercedunt. Nos enim cũ Apoſtolis dicimus, extra Chriſtũ Ieſum non eſſe aliud nomẽ ſub cælo hominibus datum, in quo nos ſeruari oporteat. Illi verò præter Chriſtum Diuos cælites, operum merita, Romanas indulgentias, purgatorium ignem, Monachorum fraternitates & ſexcenta alia nobis obtrudere ſatagunt. Quæ cùm nos admittere non poßimus, eò quòd Chriſti gloria in periculũ ueniat, propter hunc illi nos oderunt atque proſequuntur. Eſt hæc magna crucis noſtræ gloria, cuius conſideratio nos confirmare debet, ne vllis aduerſariorum iudicijs aut conatibus offendamur. Nam etſi nihil aliud accederet, vnum hoc noſtræ beatitudinis teſtimonium eſt irrefragabile: quando conſtat cum Chriſto in cælis victuros & regnaturos eſſe eos, qui cùm illo & propter illum moriuntur & huius mundi aduerſa ferunt. Debet autẽ hoc propter eos etiam obſeruari, qui ſe beatos & felices putãt propter odia atq́ perſecutiones, quæ non propter Chriſti nomen, ſed propter ſuperſtitiones nefarias & impia dogmata ſuſtinent. Gloriabantur olim hoc nomine Donatiſtæ; contra quos Auguſtinus, dicebat, non pœnam, ſed cauſam martyres facere, neq́ martyrum mortem eos habere poſſe, qui non vitam degunt Chriſtianorum. Quod ipſum hodie Anabaptiſtis dici debet, qui crucis Chriſti gloriã in ſe transferunt, cùm extra Chriſti fidem vagentur, & eius eccleſiam impie diſcindant. Fatemur quidem in Dei conſpectu beatos eſſe etiam eos, qui ſcelerum pœnas exoluunt, ſi pœnitentia non fucata ad Chriſtum conuertantur: quod latronem, qui cum illo crucifixus fuiſſe ſcimus. At hic de illis ſermo eſt, qui propter ſolum Chriſtum mundi odijs atq́ inſidijs exercentur: in quorum catalogo nequaquam cenſeri merentur, qui ſuas ſuperſtitiones & impia dogmata mordicus defendunt.

Cauſa perſecutionum.

Epiſt. 61 ad Dulcitium.

Sed tempus eſt, vt conſolationẽ audiamus, quam propter nomen ſuum periclitantibus dulciſſimam Chriſtus adhibet. Gaudete (inquit) & exultate in illo die. Quaſi diceret. Adeò non ſuccumbere, aut dolore voſmetipſos conficere debetis, vt potius vobis gaudendũ atq́ exultandũ ſit, ſi quid huius contingat. Id verò duabus rationibus ſolidißimis confirmat. Prima, Ecce merces veſtra multa eſt in cælis. Demonſtratiua particula ad promißionis certitudinem facit; & præmiũ quaſi præſens ob

Conſolatio eorum, qui perſecutionem ſuſtinent.

oculos ſtatuit. Hoc autem non definit, vt auari ſolent,ſed multum & vberrimum fore pollicetur.
Rom. 8. *Etenim vt Apoſtolus ait, quæ in hoc tēpore perpetimur minimè paria ſunt futuræ gloriæ, quæ olim*
Iſa. 64. *reuelabitur: & vt Iſaias clamat, neque viſu neque auditu, imò ne cogitatione quidem comprehendi*
poſſunt, quæ Deus ijs parauit, qui ipſum diligunt. In cælis verò gloriam hanc nobis mōſtrat, vt futuram expectemus, & eandem ſciamus per mortem non amitti, ſed potius inueniri atq; obtineri. In cælis enim patria noſtra eſt, & illic nobis locū parauit Chriſtus, quem non aliter quàm in fide eius moriendo ingredimur. Mercedis autem vocabulo vtitur, non vt meritis noſtris aliquid deberi teſtetur, ſed vt doceat compenſationē fore laborum & afflictionū, quas hîc ſuſtinemus. Et patres imitatur, quãtùm filijs nihil debeant, præmij tamen promiſſione eos ad obedientiæ ſtudium pelliciunt. Nam ſi propriè loqui libeat, gratuitum eſt quicquid nobis Deus promittit aut largitur, neque vllus apud eum merito locus eſt, cùm imperfecta, mutila & centonum inſtar polluta ſint quæcunque à nobis fiunt. Alteram rationem ab exemplo ſumit, dicens: Nam itidem faciebant prophetis patres eorum. Quaſi dicat, Non primi eſtis qui hoc ſaxum voluitis, ſed eadem olim prophetarum ſors fuit, quorū fama hodie in terris celeberrima eſt, animæ autem in cælis viuunt & regnāt. Ad hos ergo nos quoque colligendos fore pollicetur. Quod vt pij nunquã non cogitare debent, ita horū perſecutores meminerint, quorū ipſi aliquando ſocij futuri ſint, niſi ab inceptis deſiſtant: eorū nimirū, qui olim po-
Ezech. 32. *ſuerunt terrorem ſuū in terra viuentiū (vt Ezechiel dicit) nunc autē apud inferos torquentur, vbi eſt fletus & ſtridor dentiū. Conſtat autem ex his omnibus, non miſeros, ſed beatos nos eſſe, ſi propter Chriſti nomen paupertatē, famē, luctū, odia, conuitia & perſecutiones feramus. Neminē ergo iſta offendant. Nam vt amicitia huius mundi eſt inimicitia cum Deo, ita pro amicis hic eos habet, quos mūdus inimicorū loco iudicat. Iudex autē omnis carnis eſt Ieſus Chriſtus, qui (vt in cæci nati*
Ioan. 9. *hiſtoria docemur) ad ſe colligit, quos impij antiſtites excludunt. Idem quoq; in medijs periculis ſuos tuetur, & olim promiſſa fidei ipſorum præmia retribuet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum Amen.*

HOMILIA LIX.

Verumtamen væ vobis diuitibus: nam reportatis conſolationem veſtram. Væ vobis qui impleti eſtis: nam eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: nam lugebitis & flebitis. Væ vobis cùm bene vobis dixerint omnes homines: nam itidem faciebant pſeudo prophetis patres eorum.

QVoniam omnes homines ſibi bene eſſe volunt, & naturali quodā ſummi boni atq; beatitudinis deſiderio tenentur, neceſſe eſt norint, in quo nam hæc conſiſtat, quibus itē ſtudijs eadem impetratur. Niſi enim hîc probè inſtituti ſint, carnis affectibus & mundi iudicio facilè excæcabuntur, vt mala pro bonis apprehendant, bona pro malis auerſentur. Et hoc illud argumentū eſt, in cuius tractatione omnes huius ſæculi ſapientes turpiſſime falſi ſunt, ſicuti philoſophorū de ſummo hominis bono diſputationes teſtantur. Non temere igitur Chriſtus ab hoc eam concionem orditur, qua diſcipulos ſuos & cum his nos ſimul omnes de ijs docere inſtituit, quæ ad ſalutē cognitu neceſſaria ſunt. Ita verò rem tractat, vt erroneis & falſis mundi iudicijs diligenter occurrat. Primò enim beatos pronuntiauit eos, quos mundus mortaliū miſerrimos iudicat, pauperes nimirum, & eos qui eſuriem patiuntur, qui item lugent, & propter ipſum perſecutionē, odia, conuitia & omnis generis aduerſa ſuſtinent. Hi enim omnes in medijs afflictionibus vindicem & tutorem habent Deum, tandem verò in cælis retributionem accipient beatæ immortalitatis. Cæterùm vt cauſa hæc magis perſpicua ſit, Chriſtus diuerſas à prioribus ſententias opponit, quibus infœlices & maledictos pronuntiat eos quos mundus pro feliciſſimis habere conſueuit. Eſtq; huius oppoſitionis aut comparationis magnus vſus. Nam & impios terret, ne in ſua fortuna confidētiores ſint, & fideles excitat, ne huius ſæculi blanditijs ſeſe irretiri patiantur: monet preterea, ne quē proſperitas impiorū offendat. Nos ergo ſingula ex ordine videamus.

Væ diuitib. *Principio in diuites maledictionem ſtringit, clamans. Verumtamen væ vobis diuitibus: nam reportatis conſolationem veſtram. Opponitur hæc ſententia directe mundi iudicio, qui ſolet ferè*

diuites beatos æſtimat, eò quòd illi in honore & pretio ſunt, quòd vitam in delitijs & omni volupatum genere tranſigunt, & quòd iiſdem quod libet licet. At Chriſtus væ illis imprecatur, quæ vox maledictiones & diras omnes, & cum his omnem tam futuræ quàm præſentis vitæ infelicitatem in ſe complectitur. Eſtq́; eò terribilor iſta imprecatio, quòd eo authore denuntiatur, cui pater omne iudicium dedit, cuius item ſententiæ omnes ratæ ſunt, & à cuius tribunali nulla prouocatio conceditur. Ioan. 5. At hîc ante omnia probè videndum eſt, de quibus hîc agatur. Nam vt nuper diximus, diuitiæ & paupertas res mediæ ſunt, & vt multi ex pauperum numerò impiè viuunt; ita diuites inuenire eſt, qui Deum piè colunt & quibuſuis benefaciunt. Et vt innumeros alios omittamus, opulentiſſimum fuiſſe conſtat credentium patrem Abrahamum: At enim adeò non perdiderunt opes illæ, vt æternæ beatitudinis ſedem Chriſtus Abrahami ſinum vocaret. Et memorabile eſt, quod in eo D. Auguſtinus obſeruauit, ſic dicens: Vt noueris quia non diuitiæ puniuntur, habebat Abrahã multum auri, argenti, pecorum, familiæ. Diues erat, & in eius ſinum Lazarus pauper ſublatus eſt. In ſinu diuitis pauper. An potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? Et idem non pecuniã in diuite, ſed auaritiam condemnari affirmat. Non ergo ſimpliciter ad omnes, qui diuitijs inſtructi ſunt, Chriſti ſententia extendi debet, ne in ſanctis Dei cultoribus huius quoq; benedictionẽ damnemus ex qua diuitiæ veræ & iuſtæ hominibus obtingũt. De illis enim loquitur Dominus, qui primum in diuitijs ſpẽ & fiduciam ſuam collocant, & (vt alibi dicit) has ſuum theſaurum eſſe ducunt, cui cor totum conſecrauerunt. Hi enim opes per fas nefaſque corradunt, eaſdem ſibi ſolis ſeruant, & his amiſſis omnem ſimul ſalutis & vitæ ſpem turpiter abijciunt. Quo nomine Paulus talibus idololatriæ crimen impingit: & quidem meritò, cùm pecuniarum æternos ſibi Deum faciant; & iiſdem quoad externa quoque officia non minus quàm ſuis idolis idolatræ ſeruiant. Ex horum numero iuuenis ille diues erat qui omnia vendere & Chriſtum ſequi iuſſus, triſtis abijt eò quòd opes multas haberet, vel potius ab illis haberetur. Item alter ille, qui cùm ex agris ſuis prouentus ſolito maiores collegiſſet, ijs perinde addictus hæſit, ac ſi in poſterũ extra omnem fortunam eſſet conſtitutus & ideo ſecurus iudiciorũ Dei dicebat: Anima, habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, oblectare. Deinde eos etiã intelligit Chriſtus, qui diuitijs ſuis ad luxum & faſtum abutuntur, neq; meminerunt, ſe à Deo diſpenſatores eſſe conſtitutos, & proinde pauperum rationẽ imprimis habendã eſſe, quos ille nobis commendatiſſimos eſſe vult. Deſcribit horum ingenium & mores Dominus in epulonis diuitis perſona, quem quotidie molliter veſtiri & ſplendide epulari ſolitum fuiſſe ait, pauperes verò ita neglexiſſe, vt Lazaro, egenti ſimul & vlceribus obſito micas de menſa ſua cadentes denegarit. Eſt illorum magnus numerus hodie, qui omnes in charitatis legem immaniſſimè peccant. Nam non modò quam pauperibus debent opem crudeliter negant, ſed iiſdem (quantum in ipſis eſt) impatientiæ & murmuris aduerſus Deum authores ſunt, dum ſuo luxu & faſtu paupertatis onus illis intolerabilius reddunt. Adde his tertio loco filios Belial, qui opum fiducia freti iugum excutiunt, & propter has ſibi impunitatẽ arroganter vendicant. Regnat hoc quoque hominum genus paſſim, & hi ferè ſunt, qui crabronum inſtar telas legum publicarum (vt Anacharſis olim dicebat) perrumpunt, diſciplinam eccleſiaſticã euertunt, & non minus impie quam ſuperbè ad licentiam peccandi eo abutuntur, quo ſe Deo præ cæteris hominibus obſtrictos eſſe ſentire debebant. Typum iſtorũ in Doego Idumæo Dauid proponit, quẽ his verbis deſcribit: En virũ, qui non poſuit Deũ robur ſuũ, ſed in multitudine diuitiarum ſuarũ ſpẽ poſuit, & roborauit ſe prauitatibus. Quid enim aliud faciũt, qui in opũ abundantia quiduis audendi licentiã venãtur, ſeq; terribiles ijs præbent, quibus ſua liberalitate debebant ſuccurrere?

Margin notes: Enarr. in Pſal. 51. — Qui diuites damnentur. — Luc. 12. — Luc. 16. — Pſal. 52.

Sub iſtis ſpeciebus omnes comprehendi poſſe puto, quibus in præſenti Chriſtus maledictionem & væ illud horrendum denuntiat. Et cum tam grauis ſententiæ cauſas plurimas ex eorum corruptiſſimis moribus adducere poſſet, vnam protuliſſe contentus eſt, quæ ad eripiendam opum fiduciam & ad perterrendos ſecuros illos atq; ſuperbos plurimùm facit. Nam reportatis (inquit) conſolationem veſtrã, id eſt iam habetis omne id, quod ex veſtris opibus ſperare poteſtis, neque vlla alia felicitatis ſpes vobis eſt reliqua. At quàm vanum, inane & miſerum ſit hoc omne, quo nunc tantopere delectamini, mox magno veſtro malo ſentietis. Verè autem hoc illis Chriſtum interminari, res ipſa docebit, ſi hos omnes iterum ex ordine cõſiderauerimus. Primi enim illi fiducia o-

Diuites conſolationem ſuam reportant.

pum delectantur, & vt ex earum conceſſione voluptatem capiunt, ſic non alia illis conſolatio ma-
ior obtingit, quàm cùm domus magnifice ſtructas incolunt, agros & latifuudia ſua obambulant, fru-
gum aceruos numerant, rationes ſuas penes ſe euoluunt, & rerum ſecuri nummos contemplantur in
arca. Alteri verò faſtu gaudent, & quia apud omnes in pretio ſunt atque titulis ambitioſis exor-
nantur, ſe ab hominum ſorte exemptos & ſemideos eſſe putant, ideóque nihil periculi ſibi porrò me-
tuendum eſſe cenſent. Quòd ſi luxus accedat, & immunitas à malis, quorum vita hominum in hoc
ſæculo plena eſt, iam quaſi portum felicitatis ingreſſi ſint, ſpei ſimul & fortunæ longum valere re-
nuntiant, & ſecurè voluptuantur. At poſtremi illi, quia in impunitate & indomita quiduis au-
dendi licentia omnem felicitatem conſiſtere putant, ipſi quoque conſolationem ſuam omnem recipi-
unt, dum illa fruuntur. Quid autem fit? Aut opes, quarum poſſeſſio fluxa & incerta eſt, præter om-
nem expectationem ſubitò diffluunt, & tunc omnis iſtorum conſolatio, faſtus, luxus, immunitas ſi-
mul intermoritur & corruit: aut ſi opes maneant, ipſis tamen ex hac vita diſcedendum eſt, igna-
ris cui nam ea cedant, quæ propria vita chariora habuerunt, ſicuti in fatui illius diuitis parabola
Chriſtus admonet. Itaque omnis iſtorum conſolatio atque felicitas opum inſtabili poſſeſſione aut
vitæ huius ſpatio breuiſſimo terminatur: & vt talibus opum amiſſio luctū intolerabilem parit, ita
ex improuiſò obrepens mors deſperationis cauſa eſt. Adeò enim nihil præſidij tunc in diuitijs ſuis
repoſitum habent, vt potius in illis teſtimonium luculentum eſſe videant, ſuæ auaritiæ, rapaci-
tatis, crudelitatis, ſuperbiæ & immaniſſimorum aliorum ſcelerum, quibus Dei iram aduerſus
ſe prouocauerunt. Sequitur tandem æternus cruciatus, quando cum epulone illo diuite ad inferos de-
ſcendunt, vt dignas ſuorum peccatorum pœnas luant: Verè ergo væ horrendum Chriſtus omnibus
Iacob.5. iſtis denunciat, & paucis verbis comprehendit, quod Iacobus Apoſtolus, fideliſſimus huius loci in-
terpres, ad hunc modum expoſuit: Agite nunc diuites; flete, vlulantes ſuper miſerijs veſtris, quæ
ſuperuenient. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis deuorata ſunt. Aurum
& argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum teſtabitur contra vos, & exedet
carnes veſtras velut ignis. Theſaurum congeſſiſtis vltimis diebus. Ecce merces operariorum, qui
meſſuerunt agros veſtros, à vobis intercepta, clamat: & clamores eorum qui meſſuerunt, in aures
Domini Sabaoth introierunt. In delitijs vixiſtis ſuper terrā, & laſciuiſtis: enutriſtis corda veſtra,
vt in die mactationis &c. Et huius generis multa in ſcripturis habentur.

Diuitū officia. Quid ergo facere conuenit diuites, vt iram Domini & maledictionem effugiant? Hic alium
1.Tim.6. Apoſtolum audiamus ô fratres, Paulum ſcilicet, qui ad Timoth. ſuum ſic ſcribit: Iis qui diuites
ſunt in hoc ſæculo denuntia, ne efferantur animo, neque ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo
viuo, qui præbet nobis omnia copioſe ad fruendum: vt benefici atque diuites ſint bonis operibus,
faciles ad impertiendum, faciles conuictu: Recondentes ſibiipſis fundamentum bonum in poſte-
rum, vt apprehendant æternam vitam. Poſſunt hæc in tria capita redigi, quæ ſi diuites obſeruarint,
nihil damni ex diuitijs accipient. Primū eſt, ne propter eas vel aduerſus Deum vel homines ſuper-
biant. Neque temere de hoc primùm admonet, quando conſtat arrogantiam ferè perpetuam & indi-
uulſam diuitiarū comitem eſſe. Sed facilè eam abs ſe propellent homines, ſi meminerint illarum tra-
ctationem periculoſiſſimam eſſe, vt non immerito laqueis & ſpinis conferantur. Alterum eſt, ne
Pſal.62. ſpem ponant in diuitijs, ſed in Deo viuo. Conuenit hoc cum Dauidis præcepto: Opes ſi affluunt,
ne cor apponatis. Hanc enim idololatriæ ſpeciem eſſe, iam ante diximus. Quam vt fortius oppugnet
Paulus, diuitias cū Deo cōfert, & illas quidē incertas & fluxas, hunc verò viuū vocat & eum eſſe
dicit qui nobis copioſe largiatur, quæ ad vitam hanc ſuſtentandā neceſſaria ſunt. Facit autē ad in-
certitudinē opū tota vitæ noſtræ conditio, quā peregrinationē dicunt ſacræ literæ, eò quòd non habe-
mus hîc ciuitatē permanentē, & proinde certi quoq; nihil poſſidere poſſumus. Quàm ergo ſtultū fue-
rit, relicto immortali Deo & liberaliſſimo omniū bonorū datore, fiduciā in rebus caducis atq; incer-
tis collocare? Tertio beneficentiam præſcribit, vt nimirum (quod Chriſtus monuit) meminerint
ſe diſpenſatores eſſe, non rerum dominos, & proinde non negligant pauperes, quos Deus nobis com-
mendatiſſimos eſſe iubet. Qui iſtis ſtudent, ij fundamentū ſibiipſis bonum recondunt. Nam ipſi Deo
fœneratur (inquit Solomō) qui largitur pauperi & vt ſuo loco Dominus teſtatur, amicos ſibi para-
būt, qui ipſos in æterna cæleſtis vitæ tabernacula recipiāt. Atqui hæc negligunt, ijs Dei maledictio
incumbit,

incumbit, & exitium opes illis afferent, ex quibus ſibi læta omnia pollicentur. Quid ergo de ijs dicemus, qui inſuper malis artibus ditescere ſtudent, & pauperes ijs quoq; ſpoliãt, quæ ipſis ex aliorum liberalitate aut ſingulari Dei benedictione obtigerunt?

Sed ad Chriſtum reuertamur, qui dicit: Væ vobis qui impleti eſtis, nam eſurietis. Eſt hæc quoque ſententia carni paradoxa, quæ cum præſentibus modò intenta ſit, nihil vnquam ijs deſieri poſſe arbitratur, qui in præſenti abundant. Primùm autem eos intelligit, qui hac fiducia freti in præſentium bonorum affluentia aut felicitate, qua nunc fruuntur, acquieſcunt, nihil de futuris ſoliciti. Rident hi admonitiones, correptiones, hortationes, minas, quibus ad virtutis ſtudium excitantur: imò exempla iudiciorum Dei contemnunt, eò quòd non credant Deum eſſe cui res mortalium curæ ſint. Sunt ergo ex eorum numero, qui apud Iſaiam dicunt: Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferis pactum fecimus, flagellum inundans cũ pertranſierit, non pertinget ad nos, &c. Deinde lurcones & belluones Chriſtus territat, qui (vt apud eundẽ prophetam dicitur) manè ſurgunt, vt ſectentur ſiceram, & conuiuia ad crepuſculum, imò in multam noctem vſq; extendunt vino mente, vt cra pulam vix vnquam concoquere poßint, & proinde perpetuò ſaturi & pleni naturalem edendi aut bibendi appetitum nunquam ſentiunt. Talem deſcribit epulonem illum Chriſtus, quem quotidie genio indulſiſſe & ſplendide epulatum fuiſſe dicit. Tales idem nouißimorum temporum homines fore vaticinatur, qui vt olim Noa & Lothi ſæculis factum fuit, ſecuri edant & bibant. Et regnat vtrumq; hoc hominum genus hodie, & ita quidem, vt portento ſimile videri poßit, in tantis periculis, quæ toti terrarum orbi vndiq; incumbunt, quenquam inueniri poſſe, qui ſibi aliquid tutum polliceatur, nedum qui tam multis cum egeſtate & fame conflictantibus belluari aut comeſſari velint. Sed ea eſt noſtri ſæculi infelicitas, vt plerique cum timore Dei rationem quoque omnem exuerint, neque propriorum malorum ſenſu tangantur, nedum vt ex alienis dolorem concipiant.

Margin notes: Væ ijs, qui impleti ſunt. — Iſa. 28. — Iſa. 5.

Porro omnibus iſtis maledicit Chriſtus, & infelicißimos pronuntiat. Cauſam verò infelicitatis adducit. Quia eſurietis: Quod ab illo veriſſimè dici res ipſa docet. Nam priores illi ſpe ſua fruſtrantur, & plerunque quando felicißimi eſſe videntur, præter omnium expectationem repentinis malis circumuenti, ſe mortalium miſerrimos eſſe ſentiunt. Exemplum huius rei memorabile eſt in Crœſo Lydorum rege, qui cùm Solonem dicere audiuiſſet, neminem ante obitum debere beatum dici, riſit, quòd ſe iam beatißimum eſſe putaret, ſed non multò poſt à Cyro bello victus & rogo impoſitus ardenti, Solonem ſubinde in ore habuit, & dictum eius veriſſimum eſſe expertus eſt, quod prius petulanter contempſerat. Et frequenter iſtis hominibus fieri ſolet, vt miſerè eſuriant non modò prioris vitæ deſiderio, verumetiam fame Verbi Dei accenſi, cuius admonitiones prius improbè contempſerunt. Alteri verò reuera eſuriunt. Nam ferè ſua prodigalitate rem familiarem diſsipant, aut bellicis tumultibus alijsq; infortunijs diuinitus immißis irretiti opes in vniuerſum omnes amittunt atque ad extremam egeſtatem rediguntur. Neque deſunt exempla, quæ opulentißimis hominibus in terra fertilißima hoc accidiſſe docent. Nabuchodonozor Babyloniorum rex potentißimus, qui regni & victoriarum fiducia plenus dicere ſolebat, Annon hæc eſt Babylon, quam ego feci? mox rationis vſu amiſſo in ſyluas & deſerta profugit, vbi longo tempore herbis atq; radicibus crudis infelicem vitam ſuſtentauit, quas regijs delicijs aſſuetum palatum nunquam admißiſſet, niſi fama plus quam Saguntina coactus. Idem de Iudæis dicere poſſumus, qui cùm terram lacte & melle fluentem incolerent, non ſemel tamen famis neceßitate ad cibos infandos compulſi ſunt, & eò adducti, vt matres in propria viſcera, in infantes nimirum ex ſe natos, inaudita prius crudelitate graſſarentur. Quid in Italia, Inſubria, Hungaria alijsq; regionibus fœcundißimis noſtra memoria contigerit, vix aliquis eſt qui ignoret. Et vtinam non hodie orbis ferè totus inopia & fame laboraret, qua Deus effrænem comeſſandi & inebriandi libidinem nequicquam punit. Quòd ſi nihil huius accidat, plerunq; tamen morbis eiuſmodi excruciantur belluones iſti, qui aut guſtum omnem eripiunt, aut concoctionem impediunt, aut ſtomachi cruditatem gignunt, vt præter aquã nihil illis ſapiat, & ἀορεξίᾳ καὶ ἀτροφίᾳ miſerè pereant, qui prius gulæ ſtudio inflamati in conquirendis cibis lautioribus terras ſimul omnes atq; maria fatigare ſolebant. Quoties ergo molliculos illos & intemperantes belluones cholicis paßionibus torqueri, aut calculi doloribus excruciari, aut fœdis Iliacæ eructationibus torqueri, aut intercute tumeſcere interq; circũſtantia pocula ſiti inextinguibili torqueri & conſu

Margin note: Eſuriem minatur.

mi vides, tunc tibi illud Chriſti in mentem veniat: Væ vobis qui impleti eſtis, nam eſurietis. Ex eo autem non miſeris illis inſultandi occaſionem arripe, ſed eorum exemplo temperantiam diſcito, ne quid huius tibi quoque accidat. Scimus equidem morbos iſtos interdum pijs quoq; immitti. Sed ſunt hæc occulta Dei iudicia, qui & gloriam ſuam ea ratione illuſtrat (vt in cæci nati hiſtoria Chriſtus

Ioan. 9. ait) & illis fidei atque patientiæ materiam ſuggerit. Ferant ergo iſti patienter quod ita Domino viſum eſt: alteri verò illi iuſtum eius iudicium agnoſcant, peccata ſua fateantur, & ea ſibi per Chriſtum remitti orent. At qui rebus præſunt, ij exemplis quotidianis excitati leges ſumptuarias tueantur, vt gulæ indies creſcenti frenum inijciant.

Væ iis qui rident. Sequitur in Chriſti verbis: Væ vobis qui ridetis nunc, nam lugebitis & flebitis. Opponit hanc ſententiam priori, qua beatos dixit eos, qui flent & lugent. Pugnat autem etiam hæc cum mundi iudicio, qui de illis optimè agi putat, qui omnem luctum procul ex animo exponere norunt, & ſecuri ludunt atque rident. Non debet tamen ſecundum literam de omnibus intelligi, quibus gaudere & ridere contingit. Frequenter enim ſancti gaudent, & nos in Domino gaudere iubet Apoſtolus: cumq; gaudium animi ſantu pio & exultatione liberiori teſtari liceat, multò magis ridere licet. Eſt enim riſus actio naturalis, & quidem homini propria cuius ſedem & originem phyſici circa præcordia conſtituerunt: nimirum quòd eius cauſa ſit animi affectio, quæ ſi per ſe bona & honeſta fuerit, neq; modum exceſſerit, riſus quoq; damnari nequaquam debet: vt nec lachrymæ improbantur, quas iuſtus dolor extorquet, & quæ intra fines iuſtos ſeſe continent. Itaque Væ illud in præſenti Epicuræis denunciatur, qui carnis & mundi gaudijs addicti, aliorum doloribus atq; periculis nihil mouentur, dummodo ipſis bene ſit. Et hi ſunt, qui læti perpetuò conuiuãtur, conuiuijs citharas, nabla, cantus & iubilos adhibent, interea autem neque opus Domini conſiderant (vt propheta verbis vtar) neq; ipſis cordi eſt, quod Ioſeph id eſt vulgus miſerum atq; infelix atteritur. Adnumerari hic

Iſa. 5. Amos 6. merentur, qui cùm malè fecerunt rident, vt qui ex ſtupris, rapinis, cædibus & alijs flagitijs voluptatem capiunt, & illorum commemorationem cum riſu proſequuntur. Primus tamen inter hos omnes locus debetur illuſoribus, qui cælos & inferos rident, & vel taciti in ſinu ſuo, vel etiam publicè diſertis verbis dicunt: Scilicet hic ſuperis labor eſt, hæc cura quietos Solicitat. Quorum magnum numerum fore nouiſſimis temporibus, Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt. Petrus certe vaticinatur, illuſores fore, qui cum riſu & ludibrijs proſequantur, quæcunq; de mundi conſummatione, nouiſſimo Chriſti aduentu & extremo iudicio ſcriptura ſacra tradit. Et hi quidem omnes hodie paßim audiuntur, vtque priores illi omnem humanitatis ſenſum exuerunt, ità alteri ab omni numinis metu alieniſſimi ſunt.

Luctum minatur. At his quoque omnibus triſtiſſima quæque & extremum exitium Dominus imprecatur. Cauſam verò ſubijcit: Nam lugebitis & flebitis. Docet ergo reuera miſeros eſſe, qui quid ipſos maneat ignorent, adeoq; in ſuo exitio gaudeant. Etenim in hoc ſeculo omnium rerum viciſſitudo eſt. Itaque iſtorum ferè omnium gaudium luctu finitur, & flere tandem eos oportet, quando ad paupertatem extremam redacti egent, & ſuam inopiam deplorant, quos aliena non mouit: aut morborum doloribus excruciati eiulant, aut infames facti oberrant: quando item talionis lege eos punit Deus, vt ſuos quoque agros vaſtari, domus exuri, filios crudeliter occidi, vxores cum filiabus à barbaris militibus conſtuprari videant. Imprimis tamen hæc Chriſti comminatio ad impios illos aduentus Chriſti illuſores pertinet. Nam vt Paulus ait, cum dixerint, Pax pax, repẽtinus illis imminebit interitus, & quamuis inuiti ad Ieſu Chriſti tribunal ſiſtentur, vbi ad inferorum ignes damnabuntur, in quibus ſempiternus eſt fletus & ſtridor dentium. Exempla, quæ his fidem faciant, paſſim occurrunt, & quotidie fiunt multa, quæ docent immodicis impiorum gaudijs atq; exultationibus ferè comitem eſſe luctum cum acerbis lachrymis & infelici cruciatu coniunctum.

Quid ergo (inquis) nobis eſt faciendum? Primùm apoſtolici præcepti memores ſemper gaudeamus in Domino Ieſu Chriſto, qui peccatum omne ſuſtulit, patris iram placauit, & eam gratiam nobis meruit, vt afflictionibus quoque gaudere & gloriari poſſimus, quando in his nouam indies habemus fidei declarandæ materiam, & per eaſdem nobis in regnum Dei aditum patere ſcimus. Eſt hoc gaudium ſanctum & ſolidum, quod neque impuris mundi deſiderijs vitiatur, neque crucis & afflictionum acerbitate turbatur. Et hoc ipſum eſt quod Chriſtus apud Ioannem Cap. 16 plurimis

argumentis

argumentis commendat. Quoad cætera verò lugeamus & ploremus. Quod vt fiat, multæ & graues cauſæ nos mouent: Propriæ nimirum naturæ vitioſitas, quæ pios quoq; à via ſalutis tranſuerſos abripit, & cum Paulo clamare cogit: Miſeros nos, quis nos eripiet ex corpore mortis huius? Inſtabilis item rerum huius ſæculi conditio, & mortis hora incerta. Adhæc quæ in mundo indomitum graſſantur, immanis Dei contemptus & effrænis peccandi licentia, vt iam de audaci impiorum Chriſti hoſtium ferocia & piorum oppreßione indignißimisque martyrum Chriſti ſupplicijs nihil dicamus. Accedunt his infinita alia, quæ etſi ad animam vſq; non pertingant, tamen eiuſmodi ſunt, vt pijs dolorem meritò moueant. Quotquot ergo in iſtorum conſideratione non oſcitanter verſantur, ij procul dubio Chriſtianos Heraclitos agent, & maiorem multò plorandi quam ridendi occaſionem ſibi propoſitum eſſe videbunt. Itaq; etſi quod ex Chriſto conceperunt gaudium nemo turbare poßit, idem tamen hoc pio & ſancto luctu temperabitur, quem cœleſti & ſempiterni gaudij præmium excipiet.

Væ ijs illis, qui probentur hominibus.

Reſtat poſtrema ex Chriſti maledictionibus, quam his verbis enunciat: Væ vobis cùm bene vobis dixerint omnes homines: Nam itidem faciebant pſeudoprophetis patres eorum. Vbi rurſus ante omnia videndum eſt, de quibus loquatur. Nam non ſtatim maledictus & Deo inuiſus eſt, quẽ homines laudant. Et vt boni laudem merentur, ita ijdem nominis atq; famæ ſuæ rationem imprimis habere debent, ne forſitan in ipſis Dei quoq; gloria periclitetur. Exempla ſunt ſanctißimorum hominum, qui innocentiam ſuam publicè defenderunt, & interdum eò vſq; progreßi ſunt aduerſariorum calumnijs coacti, vt nimij propriæ virtutis præcones videri poßint: quales fuerunt Dauid, alij qui prophetarum, & imprimis Paulus Apoſtolus. Adhæc multos publicis eccleſiarum teſtimonijs commendatos atq; laudatos eſſe legimus. Itaq; Dominus hoc loco eorum ambitionem damnat, qui omnibus hominibus placere ſtudent, & quorumuis præconia auidè uenantur. Emphaſis ergo & vis huius ſententiæ eſt in eo quòd dicit, Omnes homines. Ea enim particula impios quoq; & impuros huius ſæculi filios cõpræhendit, quibus quicunq; probari volunt, ij (vt de ſeipſo Paulus loquitur) Chriſti ſerui eſſe non poſſunt. In ſumma eos hîc perſtringit, qui popularis auræ maiorem rationẽ habent, quàm ſuæ vocationis. Quia enim mundus hic totus in malo iacet, fieri non poteſt, quin multa præter officium faciant, quicunq; huius fauorem atq; præconium ambiunt. Merito igitur Dei iram atque maledictionem illis denuntiat Chriſtus. Si enim infelix & miſer eſt, qui vt apud ſeditioſos reipublicæ turbatores magnus habeatur, legitimi magiſtratus iram aduerſus ſe prouocat: quantò infeliciores ſunt cenſendi, qui Deum ſibi iratum faciunt, vt à mundo laudentur, qui ſub ſuo principe diabolo plus quàm ſeditioſè aduerſus creatorem ſuum tumultuatur?

Pſeudoprophetarum ſocij.

Quia verò in præſenti Chriſtus cum diſcipulis agit, quos ad Euangelij miniſterium ordinauerat, dicti quoq; ſui rationem affert, quæ ipſis maximè conueniebat. Nam itidem (inquit) fabiebant pſeudoprophetis patres eorum. Ei ergo ignominiæ hãc opponit, quam Apoſtoli inter Iudæos potißimùm ſubituri erant, qui ipſos propter Chriſti prædicationem pro publicis ſuæ gentis hoſtibus habuerunt, flagellis cecîderunt, & vt alienos ab omni religione à Synagogis excluſerunt. Erat ea non leuis neque contemnenda ignominia, eo quòd eccleſiæ titulus anhuc penes eum populum eſſet. Admonet igitur, non debere ipſos illorum iudicio commoueri, eo quòd maior foret ignominia, ſi ab illis laudarentur. Nam patrum impiorũ veſtigijs eos inſiſtere ait, qui pſeudoprophetas laudarunt, fidos autẽ Dei ſeruos odio proſecuti ſunt, & omni iniuriarum genere affecerunt. At cùm conſtet pſeudoprophetas Deo exoſos eſſe, & proinde mortalium infelicißimos: eadem quoque veſtra ſors foret, ſi impijs illis Verbi Dei hoſtibus probaremini. Poſſunt ad huius loci confirmationem referri, quæ ſub Achabo rege impio inter Heliam & Baalis myſtas, Micheam item & pſeudoprophetas geſta ſunt. Similia ſunt ijs, quæ de Phaſſure & Hanania, Ieremiæ æmulis, ſcribuntur. Deniq; ea fuit omnibus ſæculis populi Iudaici infelicitas, vt cùm Deus eum prophetiæ dono præ alijs gentibus ornauiſſet, ipſi veros prophetas exoſos, falſos autem & nequißimos impoſtores in pretio habuerint. Ideo Micheas dicebat: Si vir eſſem ſpiritu ambulans & mentiens fallaciter, prophetarem tibi pro vino & ſicera, tunc propheta eſſem huic populo gratus. Atqui eadem eſt etiam hodie mundi huius conditio, & nouißimis temporibus hoc vitium maximè regnaturum eſſe Paulus prædixit, vt veritatis doctrinam non ferant, eos autem ſibi coaceruent, qui aures eorum prurientes fallacibus promißis & aſſentatorijs ſermonibus demulceãt. Neminẽ ergo mũdi infelicis iudicia mouere debent. Vt enim nuper bea-

1 Reg. 18. 22.
Ier. 20. 21. 27. 28, &c.
Mich. 2.

eos pronuntauit Chriſtus eos. qui propter ipſum malè audiunt, & mercedem illis magnam in cœlis repoſitam eſſe promiſit: ita procul dubio infelices erunt, qui propter mendacia laudantur, & ijdem apud inferos pœnas dabunt ſempiternas Deo, cuius nomine in palliandis mendacijs ſuis abuſi ſunt. Nunquam enim fallet Deus, qui eos non impunè laturos minatus eſt olim, qui nomen ſuum indignè vſurparint.

Deo probari ſtudeamus. Iac. 4. Rom. 12. *Debet ergo hinc generalis doctrina peti, quam omnis loci & ordinis homines ad ſe transferant: vt nimirum ſtudeant Deo probari, non hominibus. Amicitia enim huius mundi (vt Iacobus ait) eſt inimicitiá aduerſus Deum. Et notum eſt illud Apoſtoli, qui Chriſtianos monet, ne huic ſæculo configurentur, ſed transformentur per innouationem mentis ſuæ, vt probent, quæ ſit voluntas Dei bona, accepta & perfecta. Imprimis autem nos moueat, quòd nulla hominum authoritate defendi poterimus, ſi Deo minus fidi ſimus, & eius iram in nos prouocemus. Etſi verò iſta ad omnes pertineant, debent tamen præ alijs in horum conſideratione diligenter verſari, qui munus aliquod publicum ſuſtinent, & inter hos maximè, quos Verbi ſui adminiſtros Deus conſtituit.* Ioan. 16. *Horum eſt mundum arguere de peccato, de iuſtitia & de iudicio. Quod ſi faciant, mox mundi odium exardeſcet, qui opera ſua praua argui non vult, laxabuntur omnium linguæ ad conuitia, acuentur calumniatorum dentes, excogitabuntur noua crimina, iniquis prementur iudicijs, & non de fama ſolùm verumetiam vita periclitabuntur. Terrent hæc multos, qui ideo ſibi licere putant, vt multa diſsimulent, quòd cum mundi contumacia ſe fruſtra luctari ſentiunt. Sed vt vt res cadat audendum eſt aliquid pro gloria Dei, neq; alicui licet à Deo ſibi creditam ſtationem deſerere. Quod enim Ieremiæ dicitur, Quæcunque tibi dixero loqueris: hoc ipſum doctores omnes ſibi dictum putare debent. Eadem eſt eorum, qui magiſtratum gerunt, conditio. Nam & hi plerunque apud eos peſsimè audiunt, pro quorum ſalute ipſi dies noctesque excubant. Sed ſufficiat illis, ſi ſibijpſis bene conſcij fidem ſuam Deo probare poſsint. Meminerint denique omnes homines, beatitudinem ſuam non in fluxis opibus, non in rerum omnium abundantia, non in impuris huius ſæculi gaudijs, neque in mundi applauſu conſiſtere: ſed in eo potius, vt per fidem veram Deo conſecrati omnem fortunam æquo animo feramus, Deo probemur, & in filio eius Ieſu Chriſto renati vitam viuamus noſtra profeſsione dignã. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.*

HOMILIA LX.

Sed vobis dico qui auditis: Diligite inimicos veſtros: benefacite ijs, qui vos oderunt. Benedicite ijs, qui deuouent vos: & precamini pro ijs, qui infeſtant vos. Et verberanti te in maxillam præbe & alteram: & ab eo qui tollit tibi pallium, etiam tunicam ne prohibeto. Cuiuis autem petenti abs te dato: & ab eo qui tollit res tuas, ne repetito.

Cur dilectionis doctrinam præmiſsis ſubijciat. *POſtquam Dominus noſter & æternæ veritatis doctor verè catholicus, Ieſus Chriſtus, falſa ſapientum huius ſæculi de ſummo hominis bono aut beatitudine iudicia confutauit, vt doceret, eam non in terrenis bonis, ſed in cœleſtium quæri debere: nunc Legis olim per Moſis miniſterium latæ interpretationem aggreditur. Et hanc non temere cum ijs, quæ proximè præceſſerunt, connectit. Quia enim Lex de Dei voluntate bona & ſancta nos perfectè inſtruit, ſimulque nobis pædagogi inſtar eſt ad Chriſtum, in quo omnis ſalus & felicitas continetur, illius ſenſum propè teneant neceſſe eſt, qui beatè viuere & æternum ſeruari volunt. At legem vniuerſam Scribæ & Sacerdotes ſuis expoſitionibus atque additionibus ita partim corruperant, partim obſcurarant, vt vix vnus reliquus eſſet, qui illius finem & vſum rectè cognitum haberet. Non debuit ergo hanc doctrinæ partem prætermittere, qui non minus docendi quã ſeruandi humani generis cauſa in mundum venerat: Lucas autem, qui in huius concionis deſcriptione breuitati ſtudere voluit, omiſsis ijs quæ in ſpecialium præceptorum explicationem ab illo dicta ſunt (vt Matth. quinto Cap. eſt videre) ea modò recitat, quibus dilectionis proximi præceptum expoſuit. Quia enim dilectio (vt Paulus ad Ro-*

ad Romanes docet) legem totam complectitur, non poterit in eius ſenſu aberrare, quiſquis in proximi dilectione rectè inſtitutus fuerit. Nobis ergo res paulò altius repetenda & conſideranda erit.

Lex dilectionis per Christum emendatur & inſtauratur.

Charitatis legem Deus apud Moſem Leuit. 19 cap. his verbis complexus eſt: Diliges proximum tuum, vt teipſum. Extenditur illa (vt infra cap. 10 dicetur copioſius) ad omnes homines: & voluit ea lege Dominus partim beneficentiam commendare, quam erga omnes noſtræ opis indigos exercere conuenit: partim iniurias ſimul omnes prohibere, quibus proximus læditur. Ideo præmiſerat: Ne oderis in corde tuo fratrem tuum, ſed liberè reprehendas proximum tuum, ne feras propter eum peccatum. Ne vlciſcaris, neq; ſis iniuriarum memor erga filios populi tui, &c. Quid verò ſcribæ? Omiſsis aut prateritis ijs, quæ modò recitauimus, proximi nomen ad eos ſolos reſtringebant, qui ſe nobis beneuolos & amicos præbent, quiq; propter accepta beneficia aut alias cauſas priuatas nobis præ alijs commendati ſunt: & ex eo colligebant, quod ignotos & peregrinos negligere, inimicos autem & qui nobis damnum dediſſent odiſſe liceret. Et ad hunc modum Christus illorum ſententiam recitat Matth. 5 dicens: Audiſtis quòd dictum ſit. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Atqui poſterius illud membrum nuſpiam in lege ſua Deus pronunciarat, ipſi antè Dei præcepto illud aſſuere auſi fuerant, & id falsò colligebant. Proximū enim (vt modò diximus) non aliū dici putabant, quàm qui amicus eſt, & hunc inimico ita opponebant, vt eadē lege, quæ amicū diligere iubet, inimicum odiſſe iubeamur. Ita vnius vocis error diuinæ legis mentē prorſus obſcurauerat, imò corruperat. Neq; tamen is error ignorantiæ erat, cùm eodē loco (vt audiuimus) Deus vindictam ſimul & acceptarum iniuriarum memoriam apertè prohibeat. Erat autem hæc Scribarum doctrina multorum errorum atq; malorum cauſa. Primò enim charitatem omnem quaſi abolebat inter homines. Quia enim iniuriarū plena ſunt omnia, & natura ad ſuſpiciones nimium propenſi atq; procliues ſumus, fiebat vt plerią; ſe nullum dilectionis officium ijs debere exiſtimarent, à quibus aut læſi iam erant, aut ſe lædi poſſe ſuſpicabantur. Deinde cauſa quoque erat, vt odijs liberius indulgerent, quæ niſi inter principia reſtinguantur, tandem in apertas inimicitias erumpunt, & omne genus iniuriarum pariunt. Præterea cùm reliquas gentes prophanas diceret, & ideo inimicorum loco haberent, falſa hac legis interpretatione in earundem odio confirmabantur, & viciſsim gentium omnium odia aduerſus ſe quotidie magis prouocabant. Hinc contentationes ſurgebant acerrimæ, quæ poſtea religionem quoque turbarunt, & eccleſiæ vnitatem miſerè ſciderunt, cùm ſe mutuò damnarent, qui ſub vno capite Chriſto in vnum corpus coaleſcere debebant. Quæ omnia cùm Ieſum Chriſtum minimè laterent, diligenter admodum huius præcepti ſenſum verum aſſerit, & oſtendit in charitate exercenda non ſpectandum eſſe quid quiſq; mereatur, ſed quo quiſque opus habeat. Nam ſi meritum ſpectetur, iam non charitatis officium præſtare, ſed debitum exoluere dicemur, ſi quibus benefacimus. At quia ex innato nobis philautiæ vitio priuatum commodum vbique captamus, mirè etiam ingenioſi ſumus in captandis effugijs & excuſationibus, ne vel acceptas iniurias condonare, aut noſtræ opis indigis ſubuenire cogamur. Ideo Chriſtus rem hanc ſic tractat, vt omnem elabendi & tergiuerſandi viam nobis præcludat.

Et primò quidem apertè docet falſiſsimam eſſe Scribarum interpretationem ſiue ſententiam, eò quòd proximi vocabulum ad inimicos quoque extendi debeat. Ait enim: Sed vobis dico qui auditis, Diligite inimicos veſtros. Quaſi diceret, Tam abeſt, vt inimicos odiſſe liceat, vt potius eos amore proſequi debeant quicunque me audire & diſcipuli mei eſſe voluerint. Emphaſim enim habet, quod ait: Sed vobis dico qui auditis: Ita verò in genere ſummatim comprehendit, quod mox in ſuas ſpecies diductum diligentius explicabit.

Chriſtus præcepta dat, non cōſilia tantum.

Nunc verò obſeruabimus, non minus quàm Iudæorum Scribas hodie eos errare, qui quæ Chriſtus in præſenti iubet, præcepta eſſe negant, ſed conſilia modò eſſe contendunt, quæ ad Chriſtianam perfectionem faciant, ad quam non omnes homines aſtringantur. Habent iſti quoque ſui commenti cauſas, vt ipſi exiſtimant, minimè leues. Quia enim liberi arbitrij vires magnificè extollere ſolent, vt ex eo operum ſuorum merita ſtatuant, ea autem quæ hic Chriſtus tradit, maiora & grauiora eſſe vident, quàm quæ ab homine præſtari poſſint, hoc effugio elabuntur, quòd ea non præceptorum, ſed conſiliorum loco habenda eſſe docent: & laudem quidem eximiam eos mereri aiunt, qui his obtemperant, non tamen eiuſmodi eſſe, vt legis tranſgreſſores dici mereantur, qui ad perfectionem

iſtam non pertingunt. Minimè enim poſſunt iſti homines eum legis ſenſum ferre, qui & naturæ noſtræ vitioſitatem arguit, & meriti noſtri fiduciam euertit. Ad iſtud ergo commentū recurrunt, quò & gloriæ & quæſtui ſuo conſuli poſſe ſperant. Sed facile eſt illud confutare. Primū enim ea verborum grauitate Chriſtus vtitur, vt ſatis conſtet eum pro imperio loqui. Et cur non pro ſuo in nos iure mandaret iſta, qui vt perfectionis doctor & magiſter eſſet, in mundum venerat? Aut num luſiſſe eum dicemus, quando tam multis inculcat, quod præſtitu non ſit neceſſarium? Deinde in veteri

Exo. 23.
Deut. 22.

lege hoc ipſum mandari, ante oſtendimus. Et eodē facit, quod in Exodo ſcribitur: Si occurreris boui inimici tui, aut aſino eius erranti, mox reduces eū illi. Si videris aſinum eius qui te odit ſuccumbentem ſub onere ſuo, non ceſſabis, neq; derelinques eū. Et in Deuteronomio hæc ipſa prolixè repetens Moſes, ſimpliciter fratris nomine vtitur: ita nimirū oſtendens, eos etiam nobis fratrum loco eſſe debere, quos hoſtili in nos animo eſſe non ignoramus. Nā etſi illi fraternæ dilectionis vinculum abrūpant, nos tamen illud, quantū in nobis eſt, ſanctum & inuiolatum ſeruare debemus. Qua ergo fronte noſtri illi liberū & indifferens faciunt, quod in lege adeò diſertè mandatur? Adde his rationem, qua Chriſtus poſtea nos ad iſtorū obſeruationem aſtringit, dicens: Vt ſitis filij Altiſſimi illius, &c. Niſi ergo hunc animū concipiamus, inter Dei filios nō cenſebimur. Itaq; procul faceſſant Sophiſtæ, qui dū ex Chriſti præceptis conſilia faciunt, tā ſibijpſis quā aliorū ſaluti peſſimè conſulunt. Nos verò legis & verborū Chriſti ſenſum ſimplicē teneamus, qui inimicos diligere & quā verbis profitemur beneuolentiā reipſa pro virili præſtare iubet. Ita verò Dominus paucis cōprehendit, quæcunq; ad hanc cauſam faciunt. Nā ſi inimicos diligamus tā & ab iniurijs omnibus abſtinebimus, & Chriſtiana patientia vincemus omnia, quæ carnis ſenſui intolerabilia eſſe putātur. Vt tamen nobis melius cōſulat Chriſtus, & omnem excuſationis prætextū eripiat, præceptū hoc generale in ſpecies aliquot diducit.

Primò, benefacite (inquit) ijs, qui vos oderunt. Opponit hoc illis, qui ſe neminem odiſſe, ſed omnes homines diligere proteſtantur, at nullum interea dilectionis officium præſtant illis, à quibus læſi

Benefacite ijs qui nos oderūt.

ſunt. Docet ergo non verbis modò (vt Ioannes inquit) aut intra animos noſtros ſolùm diligendos eſſe inimicos, ſed in eos etiam nos beneficos eſſe debere, qui nos odio capitali perſequuntur & extinctos volunt. Et huic quidem præcepto obtemperant, quicunq; vera fide & pietate præditi in vnum Deū reſpiciunt. Quia enim hunc norunt innocentiæ vindicē, & ſeuerum vltorem eſſe omnium, qui iuſtos opprimunt & incurabili contumacia in impietate pergunt, non graue ipſis eſt illi cauſam ſuam committere, & ideò vindictæ cupiditatem facile reſtinguunt. Interea verò, quia omnium hominū ſaluti conſultum volunt, hoſtes ſuos beneficijs demereri & vincere ſtudent. Exemplum huius memorabile in Dauide hiſtoria ſacra proponit. Qui cùm ipſum Saul non minus iniuſto & iniquo quàm implacabili odio perſequeretur, neq; vllum in legibus & iure publico præſidium ſibi reliquū eſſe videret, Deo quidem cauſam ſuā omnem permiſit, & vt innocentiæ ſuæ patrocinaretur orauit, interea autem ab omni maleficio abſtinuit, & non ſolùm pepercit Sauli, cùm eum occultè & impunè perdere poſſet, verumetiā eius terras & vrbes aduerſus Philiſtæos fortiter defendit. Imitati ſunt eum prophetæ omnes, qui diu noctuq; pro eorum ſalute laborauerunt, quibus ſe quàm maximè exoſos eſſe ſciebant. Id verò ex ſpiritus Chriſti impulſu fecere, qui tā exemplo iſtorum quàm doctrinam hanc ſuam proprio exemplo confirmauit. Docent hæc quo loco haberi mereantur ingrati homines, quibus non ſatis eſt hoc Chriſti præceptum neglexiſſe, niſi inſuper eos etiā odio perſequantur & omni iniuriarum genere vexent, qui ipſos amant & beneficijs quotidie nouis accumulant. Eſt hoc hominū genus hodie paſſim obuium, & cum horum ingratitudine perpetuò luctandū eſt ijs, qui aut Eccleſiæ aut reipub. fideliter ſeruiunt. Sunt illi indigni prorſus, qui homines dicantur, nedum Chriſtiani homines: quando eo etiam ſenſu deſtituuntur, quē natura brutis animalibus indidit, vt ſuos nutritios atq; benefactores agnoſcant & obſeruent. Dabunt ergo ingratitudinis ſuæ graues pœnas. At qui ab illis diuexantur, ij præcepti Chriſti memores amore & beneficentia pugnēt, ſi quo modo illos vincere et demereri aut ſaltē aliqua ex parte eorū ferociam mitigare poſsint. Soletur autem pios, quòd etſi omnia fallant quæ in humanis ſunt, non fallet tamen Deus, qui beneficiorum eſt remunerator liberaliſſimus.

Benedicite ijs, qui uos deuouent.

Secundò, benedicite (inquit) ijs, qui deuouent vos. Repetit præceptum hoc ijſdem ferè verbis Paulus ad Roman. ſcribens: Benedicite ijs, qui vos inſectantur: benedicite (inquam) & ne imprecemini. Et in huius obſeruatione Apoſtolos diligentiſſimos fuiſſe, idē in priori ad Cor. teſtatur. Nā conuitijs

Rom. 12.
1 Cor. 4.

affecti

affecti (ait) bene precamur, &c. Nec temere de eo peculiare præceptũ dedit Dominus. Eſt enim hoc præſens iræ remediũ, & quaſi frænum quoddã, quo retinemur, ne aliorum diris & imprecationibus accẽſi aliquid præter officiũ faciamus. Vt enim aliorum verbis animus noſter cõmouetur: ita multò magis noſtris accenditur, & totidẽ ferè faces iræ noſtræ ſubijcimus, quot conuitia & imprecationes profundimus in eos, à quibus nos læſos putamus. At qui verbis parcunt, & meliorẽ mentem precantur hoſtibus ſuis, ij ea ratione iram ebullientẽ reſtinguunt, & ſimul in charitate fraterna paulatim longius progrediuntur. Eſt ergo grauis illorũ culpa, qui execrationibus aſſueti dira omnia imprecãtur ijs, quibus irati ſunt. Ita enim iræ fomenta addunt, & omnes charitatis leges violant. Accedit plerunq; manifeſta impietas, quando ferè Dei nomine ad exaturandum hũc animi furorẽ abutũtur, imò Ieſu Chriſti vulnera, mortem, crucem adhibent, & ea hominibus exitialia eſſe volunt, quæ humani generis redemptioni seruiunt. Multi verò ne his quidem contenti, inſuper Diuos cælites inuocant vt vel morbis, vel alijs calamitatibus eos perdant, in quos ipſi debacchantur. Quid enim iſti aliud faciunt, quàm quòd Deum patrem indulgentiſſimum, Chriſtum omnium noſtrum ſeruatorem, Diuos item (quorum cultores haberi volunt) carnifices ſuos fieri volunt, qui ipſorum furori inſeruiant? Sed vt plurimùm ſuæ impietatis pœnas dant, & videmus ferè miſeros & infelices eſſe præ alijs eos, qui os & linguam ſuam ad eiuſmodi imprecationes aſſuefecerunt.

Sequitur tertia ſpecies, qua dilectionẽ hoſtiũ declarare debemus Precamini (inquit) pro ijs, qui infeſtant vos. Eſt hoc plus quiddã quàm quod modò iuſſit. Vult enim, vt non obiter modò ſaniorem mentem precemur ijs, qui nos diris inſectantur, ſed vt ſerias quoq; preces ad Deum fundamus pro hoſtibus, quos videmus contumaciores eſſe, quàm vt beneficijs & facilitate noſtra vinci aut emolliri poſſint. Fecit hoc ipſe Chriſtus, qui pro ijs apud Patrẽ interceſſit, è quibus in crucem ſuffigebatur. Et ne quis hoc illi ſoli datum putet, aliorũ quoq; exẽpla extãt, qui idem fecerunt. Iſraelitas Moſi in deſerto multis modis infeſtos fuiſſe, & eũdẽ atrociſſimis iniurijs affeciſſe legimus. At quoties de illis pœnas ſumere voluit Dominus, toties pro ipſis ſeſe ille interpoſuit, & ſuũ potius nomẽ ex libro Dei deleri volebat, quàm infelicẽ & ingratum populum perire. Extãt etiam Ieremiæ preces & querelæ acerba, quas pro illis fudit, qui vitæ ipſius inſidiabantur. Et Stephanus protomartyr, cùm inter lapidum vndiq; ruentium grandinẽ proſtratus caderet, clamabat: Domine, ne ſtatuas eis peccatũ hoc. Adnumerari his debet Paulus Apoſtolus, qui pro Iudæis, hoſtibus ſuis grauiſſimis, aſſiduè orauit, & anathema à Chriſto fieri optauit, vt ipſi ſalutẽ conſequerẽtur. Veteres item Chriſtianos publicas & priuatas preces quotidie feciſſe conſtat pro Imperatoribus, quos in ipſorũ perniciẽ coniuraſſe nõ ignorabãt. In his ergo nos quoq; eſſe debemus hodie, qui cũ indomito mũdi cõtumacia luctamur. Et eſt hoc maximũ dilectionis proximi argumentũ: quod facilè apparebit, ſi cogitemus, quãta ſit noſtra ſegnities in precibus, quas pro nobis ipſis facere debemus. Quotus enim quiſq; eſt, qui niſi extrema neceſſitate prematur, animũ totũ precib. & diuinæ gratiæ meditationi addicere poſſit? Magnã ergo eius amoris vim eſſe oportet, quæ vt pro inimicis noſtris feriò precemur, nos excitat. Imo ſi verũ fateri libeat, nunquã id faciet homo, niſi in Chriſto renatus ſeipſum & carnis cupiditates abnegarit. Hũc ergo cõſtãti fide apprahẽdamus oportet, ut quã à nobis ille requirit, charitatẽ præſtare poſſimus.

Præcamini pro ijs, qui infeſtãt uos.

Exo. 32.
Ier. 7. 11. 14.
Acto. 7.
Rom. 10 & 9.

Cæterùm Chriſti ſententiæ obſtare videbatur lex talionis, quã Deus Iſraelitis dederat: Extat ea in libro Exodi cap. 21. vbi de eius pœna loquens Moſes, qui mulierẽ prægnantẽ percuſſerit, inter alia ſic dicit: Quòd ſi noxa fuerit lætalis, dabis animam pro anima, oculum pro oculo, dentẽ pro dẽte, manum pro manu, pedẽ pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorẽ pro liuore. Et Leuit. 24. eandem legem his verbis repetit Dominus: Qui dãnum dederit proximo ſuo, huic fiet quẽadmodum ipſe fecit. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentẽ pro dente: quicquid deniq; vitij aut detrimenti intulerit cuiquam, hoc idem etiam ipſi inferatur. Et qui percuſſerit iumentum, reddat ipſum, qui verè hominẽ percuſſerit, interficiatur. Pertinent etiam ad huius legis expoſitionẽ, quæ Deut. 10. de falſis teſtibus habẽtur, quos eodem ſupplicio mulctari vult Moſes, quod ipſi falſum dicendo alijs irrogare conati ſunt. His autem ſuam de lege dilectionis ſententiam Scribæ defendebant, & ita colligebant. Lex talionem permittit aduerſus eos, qui aliquem læſerunt: ergo inimicos odiſſe & paria paribus referre licet. Fallebãtur autem in eo, quod legem talionis, quam iudicibus dederat Deus, ipſi ad omnes extẽdebant, & cuiuis priuato permiſſum putabant, vt hoſtem ſuum

Legem talionis exponit.

Deut. 32.

vlciſceretur. Aequi idem Deus priuatis dixerat: Mihi vindicta debetur, ego retribuam. Occurrit itaq; Chriſtus, & ne ſub legis prætextu in charitatem peccemus, quid ſingulis priuatim obſeruandũ ſit, docet. Planius autem & apertius apud Matthæum ſic ait: Audiſtis quòd dictum fuerit, Oculũ pro oculo, dentem pro dente. Ego verò dico vobis, ne reſiſtatis malo: ſed ſi quis cæciderit te in dextrã tuam maxillam, obuerte ei & alteram, &c.

Chriſtus priuatis loquitur, nõ iudicibus.

Obſeruabis hîc ante omnia, Chriſtum cũ priuatis hominibus agere, et quid ſingulos in priuatis iniurijs facere conueniat, docere, nõ autem de magiſtratus aut iudicum officio loqui. Detorquent ergo Chriſti verba Anabaptiſtæ, & à Deo diſtinctos hominũ ordines confundunt: imò audaces nimium id prohibent, quod Deus diſertè mandat. Magiſtratus enim officium eſt, non ſolùm reſiſtere malo, verumetiam illud extirpare, vt qui boni & probi ſunt, ſuo iure vti & tutò viuere poſſint. Ideo in lege paſſim iudicibus dicitur: Excindes malum è medio populi. Et in Pſalmo 27. de Rege bono inter alia dicit ſpiritus ſanctus: Liberabit pauperem clamantẽ & afflictum cui non eſt adiutor. Redimet animas eorũ à fœnore & violentia, &c. Quod ſi phanatici illi hæc ad vetus teſtamentum pertinere obijciant, audiant quæſo Paulũ in nouo ſic ſcribentẽ: Non eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordine diſtributæ. Item: Magiſtratus non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis autem nõ timere poteſtatem? quod bonum eſt facito: & feres laudem ab ipſa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Quòd ſi feceris quod malum eſt, time. Non enim temere gladium geſtat. Nam Dei miniſter eſt: vltor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit, &c. Sunt hæc tam plana & perſpicua, vt ampliori reſponſione non digni ſint, qui Chriſti præcepto aduerſus magiſtratum abutuntur.

Reſiſtendi malo modus duplex.

Quoad autem priuatos homines, meminerimus duplicem eſſe modum reſiſtendi malo. Primus quo vrgente neceſſitate iniurias legitimè propulſamus, non quidem nocendi ſtudio, ſed vt vel noſipſos ſeruemus, vel eos, quorum defenſio iure ad nos pertinet. Hic non licitus modo, verumetiam ad charitatem inter homines conſeruandã neceſſarius eſt. Nam niſi improbis illis legitimè reſiſtatur, accendetur piorum facilitate atq; indulgentia furor illorũ, & intolerabilis fiet eorundẽ rabies qua omnia infeſta reddent, neq; alijs modò promiſcuè nocebunt, ſed nimia licentia abrepti ſeipſos quoq; in exitiũ abducent. Quare vt verbis aut correptionibus, & ſi hic nihil proficiatur, alijs quoq; modis legitimis coerceãtur neceſſe eſt. Nam ſi furioſum & mente captũ catenis vincire, aut alia ratione continere licet, ne ſibijpſi aut alijs malum det, eadem ratio eos etiã coercere iubet, qui alio prauo affectu impulſi tam ſibijpſis quàm alijs nocere volunt. Docent hoc ſanctiſſimorum hominum exempla, quos Dei

Gen. 14.

ſpiritu ductos fuiſſe non eſt dubium. Nam vt à patre credentium Abrahamo exordiamur, annõ is

Gen. 19.

malo reſtitit, quando Reges Orientales inſecutus, copias eorum diſſipauit, & prædam iniuſtis armis quæſitam ex manibus eorum eripuit? Nonne Lothus malis Sodomæorum conatibus ſeſe oppoſuit,

Acto. 16. 22, 23.

cùm hoſpitibus non ſine execrando ſcelere vim facere inſtituiſſent? Et vt ad noui quoque Teſtamenti hiſtoriam veniamus, quis neſcit Paulum non ſemel Legum & Romanæ ciuitatis ius implorauiſſe, cùm contra leges cæderetur? Imò idem, cum viros quadraginta aduerſus vitam ſuam coniurauiſſe reſciuiſſet, ad legitimam magiſtratus defenſionem confugit, & armato præſidio ſe ſeruari inq; locum tutiorem deduci paſſus eſt. Et hoc faciens adeò non violauit charitatis legem, vt potius veræ & ſynceræ charitatis officium fecerit, quando & ſeipſum eccleſijs ſeruauit, & illis obſtitit ne manus ſuas ſanguine innocenti polluerent. Alter reſiſtendi modus eſt, quo ex vindictæ cupiditate & nocendi ſtudio par pari referre & (vt aiunt) vim vi repellere conamur. De hoc in præſenti Chriſtus loquitur, & ne eo vtamur prohibet. Rationes huius prohibitionis multæ & graues ſunt. Primò enim vt ipſi hoſtes vlciſcamur non ſemper neceſſe eſt, nos autem ad patientiam exerceri vehementer prodeſt, vt in ea confirmatiores fiamus, dum plures iniurias ferimus. Deinde vindictæ cupiditatem reſtingui omnino oportet, quia qui illa ardent, ij mentis tranquillitate, qua nihil inter huius vitæ bona iucundius eſt, frui non poſſunt, & dum odium ſemel animo conceptum fouent, nouos quotidie ſibi labores accerſunt, & vitam ipſam ſibi amaram reddunt, vt in Caini, Saulis & ſimilium hiſtorijs eſt videre. Adde his, quòd vindictæ cupiditate impedimur, ne vnquam cũ ijs in gratiam redeamus, qui nos quocunq; modo læſerunt. Ita verò charitatem in nobis prorſus extinguit, quæ propria & germana diſcipulorum Chriſti aut filiorum Dei nota eſt. Quid, quòd non ſine ſacrilegio nobis vendicamus, quod ſolius Dei eſt, qui vindictam (vt ſupra diximus)

ad ſe ſolum pertinere teſtatur. *Vt ergo tot tantiſque malis occurrat Dominus,talionis legem ſcribarum interpretatione corruptam & malè detorſam corrigit,& ne malo temere aut illegitimè reſiſtamus,monet. Quod autem in genere dixit,mox tribus præceptis Symbolicis illuſtrat, & in ſuas quaſi ſpecies diducit.*

De iniurijs & ſpretani.

Primum eſt: Verberanti te in maxillam præbe & alteram. Sub maxillæ percuſſione,quæ ſemper ignominioſa fuit, omne genus iniuriarum complectitur ,quo aut corpus noſtrum violatur, aut famam ſuis conuitijs hoſtes lædunt. Senſus autem verborũ Chriſti eſt, non vt ignaua & ſtolida vel etiam ridicula indulgentia, improbitatem & proteruiam petulantium hominum foueamus, ſed vt priuatæ vindictæ cupiditati adeò non indulgeamus, vt potius nos ad nouam iniuriã recipiendã præparemus. R·diculi ergo ſunt, qui præceptum hoc ſecundùm literam aut τὸ ῥητὸν intelligendum eſſe contendunt. Nam diuerſum docent ſanctiſsimorum hominum exempla, quos ipſe ſpiritus ſanctus abſoluit,quamuis longè aliud fecerint. Michæas certè propheta, cùm à Zedechia impoſtore in maxillam cæderetur,non alteram obuertit, ſed improbo illi pœnas imminentes magna cum grauitate denuntiauit. Quod ipſum Paulus quoq; fecit,cùm Ananias ipſum pro ſe verba facturum percutere iuſsiſſet : Percutiet te(inquit) Deus, paries dealbate: & tu ſedes iudicans me ſecundùm legem,& contra legem iubes me percuti? Sed ipſius Chriſti , qui ſuæ legis procul dubio interpres eſt fideliſsimus,exemplum videamus:qui à famulo Caiaphæ percuſſus,non alterã genam illi præbuit.ſed vim iniuſtam publicè reprehendit. Itaq; quod illi licuit, nobis quoq; licebit, niſi illum peccaſſe dicamus. At hîc nobis ea cautio adhibenda eſt, vt in ijs quidem, quæ ad nos ſolos ſpectant,iniuriarum patientiſsimi ſimus: ius autem noſtrum conſtanter tueamur, ſi quando in nobis veritas & Dei gloria periclitantur. At hodie diuerſum plerique faciunt,qui in aſſerenda Dei gloria plus quàm ignaui ſunt,& turpem veritatis deſertionem Chriſtianæ charitatis & patientiæ titulo palliant, in ſuis autem iniurijs vindicandis ita ardent, vt cœlum terræ potius miſcere, quàm cum teruntij vnius iactura iure ſuo cedere velint.

1 Reg. 22.
Acto. 23.

De illis, qui iuris prætextu nos infeſtant.

Alterum Chriſti præceptum eſt: Et ab eo,qui tollit tibi pallium,etiam tunicam ne prohibeto. Id apud Matthæum clarius & ſignificantius exprimitur his verbis: Ei qui vult tecum iudicio cõtendere, ac tunicam tuam capere, dimitte & pallium. Et quiſquis angariauerit ad milliare unum, abi cum eo duo. In priori quidam membro de iniurijs,quæ corpori violenter inferũtur egit:nũc quid cum illis fieri debeat docet,qui ſub iuris prætextu nos fortunis noſtris exuere aut noſtra opera abuti, adeoq; nos ſibi ſeruos facere conãtur. Proderas autẽ de hoc etiam nos peculiariter admoneri. Nã vt grauiter peccãt qui iuris & legũ prætextu aliena inuadunt,ita difficile eſt, vt quis in tuẽdo iure ſuo modũ ſeruet,& nihil in Chriſtianæ dilectionis leges delinquat. Et frequenter fit, vt tunc quoq; nõ leuiter peccent viri alioqui non mali, quando cauſam bonam tuendo affectibus nimiũ indulgent. Monet ergo Chriſtus , vt potius bonis noſtris cedere,& nouam iacturam facere parati ſimus,quàm vt propter res temporarias charitatem violemus,noſq; ipſos irritemus moleſtijs grauioribus. Idem ergo huius admonitionis & præcepti, qui prior·is, ſenſus eſt. Et proinde non ſimpliciter damnantur iudicia forenſia,quaſi ijs vti non liceat,ſed vt maiorem charitatis quàm fortunarum noſtrarum rationem habeamus,præcipit, Debebant hoc obſeruare litigatores temerarij,qui aliena inuadunt , & lites odioſiſsimas ad poſteros vſque tranſmittunt. Imprimis verò,qui fratribus eundem Chriſtum profitentibus lites mouẽt apud iudices prophanos & à fide alienos. Reprehendit hoc acriter Paulus in priori ad Corinthios. Et ſanè,ſi ſinguli cogitent,quid fraternæ charitati debeant,qui labores quæ moleſtiæ & impenſæ ferendæ ſint,quantum condonandum cauſidicorum inſidioſæ rapacitati & iudicum iniquitati : mox videbunt quantò tutius ſit & vtilius Chriſti præceptum ſequi , quàm pelago huic periculoſiſsimo voraciſsimoq; ſeipſum atque fortunas omnes committere. Interim minime damnandi ſunt,qui hæredipetarum dolos,prædonum audaciam,fœneratorum iniquiſsimas artes,legum atque iudiciorum præſidio coercent,& ſeipſos atque ſua aduerſus illos tuentur:modò charitatis fraternæ non obliuiſcantur, & nihil immodeſtius agant:

1 Cor. 6.

Tertiũ præceptum eſt:cuiuis petẽti abs te dato , & ab eo qui tollit res tuas,ne repetito. Vbi de illis agit,qui abſq; iuris prætextu iniqua à nobis petũt,uel etiã per vim noſtra auferũt. Et monet ne his quoq; litẽ temere moueamus, ſed potius ſtudeamus iniurias oẽs noſtra bonitate & indulgẽtia vincẽ

re, ſicuti Paulus ad Roman. admonet. Interim meminerint qui in magiſtratu ſunt, ſui officij eſſe, vt improbos illos coerceant, quamuis nemo accuſet. Publicæ enim pacis cuſtodes ſunt, quæ niſi illud fiat, conſiſtere non poteſt. Magiſtratus ergo etiam non requiſitus bonos tueatur, & ſycophantas atq; raptores digna ſeueritate coerceat. Grauiter ergo peccant, qui iniuriam paſſos ad charitatis & patientiæ Chriſtianæ leges remittunt, quod olim Iulianum Apoſtatam feciſſe legimus, &c. Inprimis autem proderit, ſi omnes in Ieſu Chriſti exemplum reſpiciant, qui vt nos à iuſto & æquo aberrare non ſinet, ita ſuorum iniurias atque oppreſſiones iuſto iudicio vlciſci conſueuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXI.

Et prout vultis vt faciant vobis homines, vos etiam facite eis ſimiliter. Nam ſi diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nam peccatores quoque diligunt eos à quibus diliguntur. Et ſi benefeceritis ijs, qui vobis benefaciunt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores etiamidem faciunt. Et ſi mutuum dederitis ijs, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum vt recipiant paria. Itaq; diligite inimicos veſtros, & benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, ac filij eritis illius Altiſsimi: nam ipſe benignus eſt erga ingratos & malos. Eſtote ergo miſericordes, prout & Pater veſter miſericors eſt.

INter vitæ Chriſtianæ officia nihil præſtantius, vtilius & magis neceſſarium eſt fraterna charitate. Per hanc enim Lex tota impletur, & eadem huius etiam vitæ moleſtias, quæ multæ & tantæ noſtra nimium graues ſunt, non modò tolerabiles, verumetiam iucundas & ſuaues reddit. Non temere ergo Ieſus Chriſtus illam nobis paſſim commendat, & in præſenti ita de ea diſſerit, vt ſimul omnia diligenter remoueat, quæ illam extinguere, vel aliqua ex parte impedire poſſunt. Primò enim quia in proximi vocabulo, quem lex diligere iubet, pleriq; hallucinantur, eo omnes comprehendi docet, quos noſtræ opis indigos eſſe videmus, & omne perſonarum diſcrimen ita tollit, vt inimicos etiam diligere, & ijs benefacere iubeat, qui nos iniurijs non vulgaribus affecerunt. Quid ergo non debemus alijs, à quibus nunquam læſi ſumus, & qui nos amicorum loco habent, dum noſtram opem implorant. Deinde cùm talionis lege multi abutantur, & quiduis putent ſibi licere in eos, qui in ipſos vel aperta vi, vel etiam ſub iuris prætextu deliquerunt: Chriſtus omnem priuatam vindictam ſic prohibet, vt doceat, Chriſtianos homines ad nouas potius iniurias ferendas, quàm ad veteres vlciſcendas paratos eſſe debere. Quæ duo ſi probè obſeruentur, nullus inter homines iniurijs locus reliquus erit, omnes autem beneficentia mutuæ ſtudio accendentur? Sequuntur tamen adhuc quædam, quæ ad huius doctrinæ explicationem ampliorem pertinent. In quibus primò ſummatim comprehendit quæcunq; de charitate & eius officijs dici poſſunt. Deinde rationibus nonnullis perſuadere ſtudet, ne graue putemus quod de diligendis inimicis præcepit. Tandem verò locum iſtum concludit exemplo Dei patris, quod imitari debent qui eius filij cenſeri volunt.

Summa doctrinæ de charitate

Summa doctrinæ huius eſt: Prout vultis vt faciant vobis homines, vos etiam facite eis ſimiliter. Comprehendit ſententia hæc legem & prophetas (vt apud Matthæum habetur) imò hæc ipſiſſima naturæ Lex eſt, quam omnium hominum cordibus Deus inſcripſit. Quamuis autem verba clara ſint, vt tamen eius ſenſum rectè intelligamus, ante omnia inquirendum erit, ad quam hominis voluntatem Lex iſta extendi debeat. Nam ſi abſque omni exceptione de omni eo exponatur, quod nobis fieri volumus, mox leges publicæ abolebuntur, iudicia ceſſabunt, ſcelerum pœna è medio tollentur, & his ſublatis quiduis audendi licentia regnum obtinebit. Vult enim qui in leges ciuiles peccauit, vt ipſi ignoſcatur: ergo iudici quoque in neminem animaduertere licebit. Volunt auari, vt omnes ſuis bonis cedant, & horum poteſtatem ipſis faciant: ergo ipſi quoque ſua alijs largiri aut permittere debebunt. Volunt qui ære alieno oppreſſi ſunt, nomina ſua expungi: idem ergo omnibus præſcribetur, ne debitum à quoquam exigant. Denique quod nunc iſte volet ſibi fieri, hoc ipſum mox alius quiſpiam ab ipſo poſtulabit, & ita iniquiſſimarum poſtulationum, turbarum & inextricabilis

inextricabilis confuſionis nullus erit finis. Non igitur in genere de omnibus quæ volumus fieri, ſententia hæc exponi debet, ſed ad eam voluntatem reſtringi, quæ non pugnat cum æquitate & legibus naturæ. Atqui natura ſic affecti ſumus, vt nemo ſe aliqua iniuria affici velit, vt iniurias priuatas ſibi condonari omnes cupiant, vt item à ſuis non negligantur, ſed vt quiſquis obuius ipſis egentibus aut periclitantibus opem ferat: denique nemo eſt, qui non velit ſe amari & apud omnes in honore & pretio eſſe. Eodem ergo animo & voluntate ipſi quoque erga omnes homines præditi eſſe debemus. Itaque ſententia hæc minimè tollit iudicia publica, neque ſontium pœnas abolet: non item rerum proprietati aduerſatur, vt neque ijs, quæ ad legitimam & iuſtam rei domeſticæ adminiſtrationem pertinent: quin potius corrigit prauas & iniuſtas hominum voluntates, qui peccandi licentiam inducere ſtudent, & ex aliorum incommodis ſuum commodum quærunt. Quia enim id tu fieri non vis, vt aliorum libidini tuæ res ſeruiant, hoc ipſum ab alijs quoque non debes exigere. Si enim gentium philoſophi (vt apud Ciceronem eſt videre) hanc in amicitia primam legem ſanciendam eſſe intellexerunt, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati: quantò magis Chriſtiani homines cauere debent, ne Chriſtianæ charitatis lege ad res iniuſtas aut inhoneſtas abutantur?

Elucet autem hîc admirabilis & plus quàm paterna Dei bonitas, qui quoad totius vitæ noſtræ actiones, nullas nobis leges impoſuit, quæ vel intellectu vel præſtitu difficiles ſint ijs, qui ſano ſenſu vtuntur. Nec enim alienis placitis nos grauat, ſed vnumquenque ad ſui animi voluntatem remittit: quam ſi ſinguli diligentius examinent, mox videbunt iuſtum æquumq́ eſſe, quod prius iniquum & prorſus intolerabile videbatur. Imò inexcuſabiles erimus, ſi propriæ voluntatis iura aut leges tranſgrediamur. Si enim aliorum delicta cito animaduertimus, quantò facilius noſtros errores deprehendemus, ſi iſta lucerna nobis adhibeatur? Debet ergo ſententia hæc omnibus vitæ actionibus applicari, adhæc in omnibus locis cum publicis tum priuatis inſcribi. Vidit hoc Alexander Seuerus Imperator, qui etſi Chriſtianam religionem ignoraret, illa tamen naturæ legem contineri intellexit, & ideo in palatij parietibus alijsq́ operibus publicis deſcribi curauit: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS, & eandem ſententiam interea dum ſontes plectebantur, per præconem publice promulgari voluit. Ex illa item militares leges deſumpſit, quarum ſummam his ferè verbis militum Tribunis præſcribebat: Si vis Tribunus eſſe, imò ſi viuere vis, manus militum contine. Nemo ſegetes atterat, nemo ſalem, oleum, ligna auferat. Nemo ouem alterius rapiat. Annona ſua miles contentus ſit. Ex præda hoſtium, nō ex lachrymis prouincialium habeat. Hanc ergo aſſiduè meditentur Eccleſiarum miniſtri. Vellent illi ſanam doctrinam ſibi proponi, neque noxijs hominum traditionibus ſeduci. Curent ergo, ne ipſi cuiquam erroris alicuius authores ſint, Verbum Dei purè prædicent, & nullius ſalutem negligant. Occinant eandem ſibijpſis quicunq; magiſtratum gerunt. Nollent illi ſi ſubditorum loco eſſent, ſe tributis & exactionibus immodicis grauari, ius autem in cauſa bona ſibi iuſte & abſque omni perſonarum reſpectu dici vellent. Eadem ergo officia ſuæ fidei commiſſo populo fideliter præſtent. Inſcribant illam officinis ſuis mercatores & opifices, & cùm nemo ſit, qui ſe falli, aut fœnore iniquo grauari, aut quacunque alia ratione circumueniri velit, ipſi quoq; ab impoſturis & omnibus ijs abſtineant, quæ cum proximi damno coniuncta ſunt. Similiter cogitent de hac diligenter heri, & quid ſecum fieri vellent expendant, ſi alijs ipſi ſeruire cogerentur: & ita humanius atq; mitius multò ſuis imperabunt. Serui autem, cùm in alijs fidem & æquitatem requirant, ipſi quoque ſuis heris debita obſequia fideliter præſtent. Sit præterea hæc cōiugum regula, vt quam à ſuo compare fidem & amorem poſtulat quiſque, eandem ipſe illibatam ſeruet: & ita ſentient neque adulterijs neq; alijs vitijs locum fore, quæ cōiugij legibus aduerſantur. Similiter, qui aliquos inimicorum loco habent, aut ſe læſos ab alijs arbitrantur, ij mox ad huius ſententiæ conſiderationem animum reuocent: & mox videbunt, quid ipſos facere conueniat. Continet ergo hæc ſententia omne id, quod philoſophi olim vix innumeris libris complexi ſunt: & omnes eos vanitatis & ſtultitiæ arguit, qui ſe neſcire queruntur, quam ſuæ vitæ rationem inſtituant.

Bonitas Dei in lege charitatis maximè elucet.

Porro redit ad dilectionis præceptum, & eam partem, qua inimicos diligere iubemur, amplius exponit. Nam quæ prius dicta ſunt, nunquam ſufficiunt ijs, qui carnem in conſilium adhibent:

Probat inimicos omnino diligi debere.

Ergo alias adhuc rationes adducit, quibus cunctatores vrgeat, aut effugia quærentes in officio contineat. Et primò quidem oſtendit, nos niſi inimicos diligamus, nihil laude dignum agere, ſed ijs adhuc pares eſſe, quos propter carnis & mundi ſtudia meritò deteſtamur. Id verò multis enunciat, quò efficatius animos auditorũ penetret, atq; eos pudore ſuffundat, qui ſibijpſis mirificè placent atq; blandiuntur, ſi bene de ſe meritis aliquam gratiam retulerunt. Sic ergo dicit: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis erit gratia? nã peccatores quoq; diligunt eos, à quibus diliguntur. Et ſi benefeceritis ijs, qui vobis benefaciũt, quæ vobis erit gratia? nam & peccatores etiam idem faciũt. Et ſi mutuũ dederitis ijs, à quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia erit vobis? Nã & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiant paria. Peccatores autem dicit, non eos qui ex infirmitate peccant (qua ratione nemo hominum non peccator eſt: nam in multis labimur omnes, inquit Apoſtolus) ſed eos, qui peccati mancipia facti, ſeſe ad omnem licentiam deuouerunt, quos vulgo ſceleratos & pœnitere neſcios dicimus. Quo ſenſu etiam apud Ioannem Deus peccatores dicitur non audire. Ideo Matthæus peccatorum loco publicanos nominauit, qui (vt ſuo loco dictum eſt) deſperata malitiæ & impietatis homines eſſe, tunc vulgo putabantur. Senſus ergo verborum Chriſti eſt, nos ſi amicos & eos ſolos diligamus, qui aut iam de nobis bene meriti ſunt, aut in poſterum nobis gratiam referre poſſunt, nihilo meliores fore ſceleratiſſimis hominibus, & proinde neque gratiam apud Deum, neque inter verè pios & honeſtos aliquam laudem mereri. Qui enim ad hunc modum diligunt, ij non proximum, ſed ſeipſos diligunt: & proinde diligendi finem faciunt, vt primùm aliorum amorem erga ſe refriguiſſe ſentiunt. Iidem quoq; non proximo, ſed ſibijpſis benefaciunt, cùm non aliorum ſed propria commoda quærant. Quod cùm omnes faciant, quos ex primis parentibus innata nobis philautia excæcat, quam obſecro gratiam illi merentur? Eſt autem magnum huius rationis pondus apud eos, qui ſuæ vocationis & profeſſionis dignitatem rectè conſiderant. Nam ſciunt, Chriſtum ſuos è mundo ſelegiſſe, vt eos ſibi populum peculiarem faceret, cuius virtus atque pietas ſupra omnes alios emineat. Intelligunt ergo ſe nondum Chriſtiano nomine dignos eſſe, quando in eodem cum huius ſæculi filijs gradu adhuc conſiſtunt. Itaq; nequaquam ſufficit, ſi mundi iudicio iuſti & ſancti ſimus, ſed perfectius quid à nobis Chriſtus requirit, & ideo progreſſu opus eſt, quo ad nos à meta illa Chriſtianæ perfectionis abeſſe ſentimus. Arguit hoc eorum ſtultitiam, qui in alijs quoque ſceleribus ſibi blandiuntur, & ea exemplis aliorum excuſant, qui Chriſto nondum verè nomen dederunt. Eſt hoc nimis vulgare hodie, eò quòd innatum ſit omnibus, vt ad exempla recurrant, quando rationibus iuſtis deſtituũtur. Sic ergo ſcortationi, adulterijs, ebrietati, chorearum laſciniæ, aleæ, militiæ mercenariæ, vſuris & infinitis alijs ſceleribus multi patrocinantur, ſeq; plus ſatis excuſatos eſſe putant, quòd ea modò deſignent, quæ apud omnes in vſu ſunt. At hoc dicendo ſeipſos accuſant potius quàm excuſant. Ita enim conſtat, ipſos nondum è mundo ſelectos, neque adhus Chriſtianos eſſe, cum ea deſignent, quæ Apoſtolus inter Chriſtianos ne nominanda quidem eſſe docet.

Contra ingratos. Quia verò hæc alterius loci ſunt, nunc videamus, quo loco haberi debeant, qui ne eos quidẽ diligere dignantur, à quibus ipſi diliguntur, quiq; ijs peſſimam gratiam referunt, à quibus ipſi ampliſſima beneficia acceperunt, imò quorum beneficentiam quotidie ſentiunt. Exuerunt hi communem ſenſum & in naturæ leges peccant, quæ gratitudinem non modò brutis animantibus, verumetiam telluri inſeuit. Nam vt animalia ſuos nutritios agnoſcunt, ita terram diligentiori cultura miteſcere, & ex ſterili tractabiliorem fieri videmus, vt agricolarum laboribus reſpondeat. Eſt ergo ingratitudinis vitium ipſius naturæ legibus contrarium, & proinde non temere à Cicerone dictum fuit, in ingratitudine nihil non mali ineſſe. Vidit hoc ipſum vetus Perſarum gens, cuius leges hominibus ingratis capitale ſupplicium decernebant: nimirum quòd illis nihil ſceleſtius eſſe crederent. Quid enim maleficij non deſignabit aliqua iniuria prouocatus, quem beneficia accepta à malefaciendo abſterrere non poſſunt? At regnat hoc hominum genus hodie paſſim, & multorum ea eſt improbitas, vt in eo laudem quærant, ſi aduerſus benefactores ſuos impiè tumultuentur. Faciũt hoc ſubditi, qui principibus ſuis obſtrepunt, vt legum ſanctiſſimarum iugum excutiant, quibus peccãdi licentia coercetur. Ingratitudinem hanc verbi adminiſtri ſentiunt, quando ab ijs fœdiſſimè proſcinduntur, pro quorum ſalute ipſi excubant, & quos pijs admonitionibus ab interitu reuocare ſtudent. Quàm immanis verò liberorum erga parentes, & iuuenum propè omnium erga ſuos præceptores petulantia

ubiq;

vbiq; locorum graſſetur, nemo non videt. Eadem eſt ſeruorum erga heros impietas, & pleroſq; horum lenitate exacerbari conſtat, vt ſibi nihil non licere arbitrentur. Deniq; nihil tam vulgare eſt, quàm beneficiorum obliuio, & pro bonis haberi poſſunt, qui ab iniuria & maleficio abſtinent.

De mutuò.

At ſingulari obſeruatione dignum eſt, quòd inter charitatis & benefitentiæ opera illud quoque recenſet, quo mutuum datur. Eſt hoc neceſſarium planè, quando non ſemper omnibus ad manum eſt quo opus habent, neq; tantæ ſunt omnium fortunæ, vt ſua donare poſſint quibuſuis. Et conſtat eos qui mutuum dant, interdum non minus beneficiũ conferre egenti quàm ſi dono darent. Adhæc charitatis lex minimè excludit gratitudinem, qua iubet, ne aliorum beneficentia fraudulenter abutamur, ſed bonam gratiam referamus ijs, qui nos ſua liberalitate iuuerunt. Vult tamen Chriſtus, vt hîc quoque ius noſtrum non pertinaciter vrgeamus, neque ijs ſolis mutuum demus, à quibus nos noſtra recepturos eſſe certa ſpes eſt: ſed potius ſpectemus quibus nam alij opus habeant, quàm quid nobis debeatur. Quia enim prophani & à fide alieni mutuum dare ſolent ijs, à quibus ſua recipere, & quorum beneficentia ipſi quoque iuuari poſſunt: nihil præclari facient, qui cùm Chriſtum profiteantur, in hoc gradu pedem ſiſtunt, & non altius aſcendunt vt eam perfectionem aſſequantur, quam ille à nobis requirit. Quàm verò neceſſaria ſit hoc tempore iſta admonitio, res ipſa teſtatur. Ea enim eſt multorum inhumanitas, vt ne ijs quidem mutuum dare velint, à quibus ſua ſe recepturos eſſe, dubitare non poſſunt. Et eſt hic auaritiæ affectus non poſtremus, quod ita excæcat hominum mentes, vt quorumuis inopiam atque miſeriam immiſericorditer ſpectare poſſint, modò interea numos in arca & ingentes frugum aceruos contemplari liceat, quibus & ipſi non utuntur, & ſimul alijs illorum vſum inuident. Regnat iſta inhumanitas hodie, & fateor eam illorum perfidia & ingratitudine prouocari atque augeri, qui dum mutuo accipiunt ſuos creditores iniquiſſimè fallunt, & in reddendo tam duros & difficiles ſe præbent, vt in lucro poni poſſit quicquid ab illis extorſeris. Peccant iſti grauiter, neque ipſorum ingratitudinem Deus inultam ſinet: eadem tamen nobis minimè cauſa eſſe debet, vt conculcata charitatis lege à benefaciendo prorſus abſtineamus. Quin potius cum ingrati mundi contumacia nos luctari conuenit, vt nos Dei patris filios eſſe teſtemur, quem hominum ingratitudo non impedit, quò minus omnibus benefaciat. Præ alijs autem hîc peccant, qui charitatis prætextu ad auaritiam palliandam crudeliſſimè abutuntur, & mutuum quidem dant, ſed ea conditione, vt miſeros magis grauent, & prædones potius quàm benefactores dici mereantur. Ex horum numero ſunt, qui pignora recipiunt, quibus miſeros illos non ſine maximo incommodo carere poſſe ſciunt. Qui item fœnus exigunt & vſuras faciunt, quas miſeri debitores maiori cum difficultate quàm ſortem diſſoluunt. Sunt illi aſpidum inſtar, quæ cum morſu venenum ſoporiferum inſtillant, quo paulatim homo extinguitur. Imò vorant potius domus, prædia & fortunas debitorum omnes: neque in hos ſolos iniurij ſunt, ſed in rempublicam quæ frequenter motibus ciuilibus concutitur, quos eorum impatientia excitat, qui ære alieno ita ſe grauatos ſentiunt, vt nunquam emergere poſſint. Damnantur vſurariæ artes legibus Imperatorum, at hodie inter Chriſtiani nominis profeſſores paſſim regnant. Sed cum à ſceleratis & prophanis huius ſeculi filijs, quoad hanc cauſam, nihil differant, qui abſque fraude mutuum dant ijs, quos accepta reddituros ſciunt, nunquam profectò pro ſuis eos agnoſcet Chriſtus, qui vel neminem prorſus iuuant ſuis opibus, vel non contenti ſua recepiſſe, inſuper debitorum ſuorum fortunas omnes hirudinum inſtar exugunt. Voluptuantur iſti ferè & ſuperbiunt ex male partis diuitijs: ſed latet domi ipſorum ignis (vt Michæas ait) theſaurus nimirum iniquus, & clamant interea ad Dominum per ipſos oppreſſi pauperes, neque horum querelas ille negligit, qui vt omnem iniquitatem punit, ita eam maximè odit, quæ ſub pietatis prætextu exercetur.

Gratuita beneficentia præcipitur.

Sed ad Chriſti verba redeamus, qui quid à nobis fieri debeat, diſertis verbis docet: Itaq; diligite inimicos veſtros, & benefacite, & mutuum date nihil inde ſperantes, &c. Quo loco non aliud quàm gratuitam beneficentiam & charitatem ſynceram præcipit: vt nimirum abſq; omni priuati commodi reſpectu benefaciamus etiã ijs, ex quibus nihil nobis ſperare licet. Et rurſus mutui meminit, quia hoc (vt diximus) inter benefitentiæ opera non poſtremum locum obtinet: ſimulq; monet, ne nos quorundã perfidia & ingratitudine abſterreri patiamur ab hoc officij genere, quo vix aliud inter homi-

nes ad ſeruandam amicitiam & mutuam beneficentiam vtilius eſt, & magis neceſſariũ. Itaq; quod hîc de mutuo dicitur, quidam falſò & perperam detorquent ad redditus annuos, qui ex vſufructu agrorum aut domuum recipiuntur. Illic enim non mutuum datur, ſed contractus fit legitimus, neque fœnerator dici debet, qui ex agris, ipſius pecunia ex parte emptis, aut ſaltem ſeruatis, aliquem fructum percipit. Iniquus autem & iniuſtus eſſet, qui ex aliena pecunia agrum aut domum emere, & ex illis ſolus fructum habere vellet. Fateor quidem in his etiam nonnullos modum excedere, dum onus frumenti (vt Amos loquitur) ab agricolis exigunt, aut miſeros cenſibus grauant maioribus, quàm qui ex agris commode colligi poſſint. Videant ergo Chriſtiani homines primùm, ne quid in leges publicas peccent, & ne alijs quoq; mali exempli authores ſint: deinde valeat imprimis Chriſti lex, vt per hanc legum ciuilium rigorem mitigent. Nec enim Chriſtiano homini fas eſt, quod per leges ciuiles licet, ſi id cum alicuius incõmodo ſit coniunctum. At quia hæc tractatio à Chriſti verbis alienior eſt, ſufficiat nunc obſeruaſſe, illum hoc loco non aliud iubere, quam quod infra Cap. 14. diligentius exponit, dicens: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos tuos, neq; vicinos diuites: ne quando & ipſi te viciſſim vocent, ac retribuatur tibi beneficium. Sed cùm facis epulum, voca pauperes, mancos, claudos, cæcos. Et beatus eris, quia non poſſunt retribuere tibi: retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. Vbi nemo putauerit, Chriſtum prohibere, ne quid officij præſtemus ijs, quos cognationis vinculum aut viciniæ ius nobis propius deuinxit, aut qui opulentiores ſunt: ſed ne ſub beneficentiæ prætextu retributionem vberiorem, & priuatum commodum quæramus, prohibet. Interim licet honorarijs conuiuijs amicos cùm peregrinos tum domeſticos excipere, licet diuitum amicitiam colere, & ijs obſequium præſtare, qui gratiam bonam referre poſſunt: omne autem illud ex officio Chriſtianæ charitatis, non retributionis ſpe fieri debet. Ita Chriſtiani hominis eſt mutuum dare egenti, ex quo nihil ſperes: at ſimul eidem licet domus & prædia emere, ex ijſdem fructum percipere, aut etiam eius gratitudine vti, quem ſua pecunia adiuuit: curet modo ne charitatis affectus lucri cupiditate turbetur.

Rationibus urget ut diligamus inimicos.

At quia in his præſtandis natura tardiores ſumus, ſtimulos adhibet Chriſtus & rationibus grauiſſimis nos excitat. Prima eſt: Erit merces veſtra multa. Ad cuius confirmationem facit, quòd alibi pollicetur, ſe in ſuas rationes aſcribere velle, quæ ſuo nomine in ſuos conferuntur. Et habet vera pietas promiſſiones tam præſentis quàm futuri ſeculi: neque exempla deſunt eorum, quibus beneficia, quæ in homines vel ingratos vel omnium egentes contulerunt, pulchre fœnerata ſunt. Debet inter hos cenſeri Dauid, qui Saulem hoſtem acerrimum dilexit, & ijs benefecit, ex quibus nihil boni ſperare poterat, cùm in ſuam necem palàm coniurauiſſent. At multa fuit eius merces, quando deiecto Saule ipſe in regni faſtigium euectus eſt. Et hodie non raro Deum remuneratorem ſentiunt, qui homines erga ſe ingratos experiuntur. Altera ratio eſt, quòd nos filios Altiſſimi illius, id eſt, veri & æterni Dei, cuius gloria ſupra omnes cælos exaltata eſt, fore ait. Continet hæc promiſſio omnia, quæ ad hominis felicitatem faciunt. Qui enim Dei filius eſt, idem bonorum eius omnium hæres ſit oportet: neque periculum eſt, ne filios ſuos in hoc mundo periclitantes ille deſerat, cuius prouidentia ad volucres, feras & homines abs ſe alieniſſimos vſque extenditur. Vt verò minus dubitemus, promiſſionem argumento ex Dei natura deſumpto confirmat, dicens: Nam ipſe benignus eſt erga ingratos & malos. Argumenti vis in eo ſita eſt, quòd pro filijs ſuis Deus illos agnoſcit, qui eius ingenium referunt. At Deus ingratos & indignos ſuo amore complectitur. Huius ergo ſimiles, imò filij ſunt, qui abſq; omni perſonarũ reſpectu quibuſuis obuijs benefaciunt. Et hoc illud eſt, quod gentium philoſophi tradiderunt, nos benefaciendo quàm proximè ad Deorum naturam accedere. Eſt autẽ hîc probè obſeruandum, beneficentiam nos non facere Dei filios, ſed filiorũ Dei ſignũ aut teſſeram eſſe, ex qua illi agnoſcuntur. Nã vt filij Dei efficiamur, regeneratione opus eſt. Hæc autẽ ſolis electis cõtingit ex gratia, qui Ieſum Chriſtũ fide non fucata apprehendunt. Fruſtra ergo ex hiſce verbis figmento ſuo præſidium quærunt, qui operum noſtrorũ merita propugnant, quaſi illis regni cœlorum hæreditatem mereamur. Quòd ſi verò beneficentia nos Dei filios eſſe declarat, ſatis apparet non inania conſilia eſſe quæ hîc nobis proponuntur, ſed præcepta potius, quibus neceſſariò obedire debeant, quicunq; pro Dei filijs haberi volunt. Nec enim ſatis eſt, ſi tales dicamur, ſed quod dicimur

factis

factis teſtari oportet: quãdo alibi Chriſtus mendaces & homicidas diaboli filios dicit, eò quòd huius opera faciant,

Cæterùm concludit hanc partem Chriſtus, & ad vnius Dei exemplum nos reuocans ait: Eſtote ergo miſericordes, prout Pater veſter miſericors eſt. Miſericordiam requirit, quæ charitatis atq; officiorum omniũ erga proximũ quaſi mater & nutrix eſt, ſicuti infra in Samaritani parabola audiemus. Quia verò huius affectum reſtinguere conantur, qui carnis ingenium ſapiunt, multi quoque ſe plus ſatis profeciſſe putant, ſi leuiſſimum aliquod officium in aliquem conferant, Chriſtus ipſius Dei Patris exemplum nobis miſericordiæ regulam eſſe vult. Eſt is ipſa charitas, & proinde non opus habet vllis incitamentis, quibus excitetur, vt nobis benefaciat. Deinde noſtri non minus miſeretur, quàm parens aliquis liberorum ſuorum. Nouit enim quòd puluis & cinis ſimus, & proinde infirmitatibus noſtris facilè ignoſcit. Imò vt apud Iſaiam teſtatur, miſericordia eius naturales illas matrum affectiones, quas Græci ϛοργὰς dixerunt, longè ſuperat. Adhæc miſericordiam non verbis ſolùm aut inanibus promiſſis, ſed reipſa & factis teſtatur, vt in toto hoc mundi iſtius opificio & omnibus ijs eſt videre, quæ quotidie fiunt: vt iam nihil de eo dicamus, quod filio ſuo vnigenito non pepercit, ſed pro nobis illum tradidit. Et quàmuis interdum noſtra contumacia quaſi victus pœnas ſcelerum exigat, in ira tamen ſuæ miſericordiæ recordatur, & hac illius rigorem temperat. Deniq; indigniſſimis quoque benefacit, & (vt in Matthæo habetur) Solem ſuum oriri ſinit ſuper iuſtos & iniuſtos, & vtroſque pluuijs atque frugum prouentu recreat. Et vt Michææ verbis vtar, ſuper ſcelus tranſit, iniquitates ſubigit, & peccata abijcit in abyſſum maris. Iſta nobis imitanda proponit Chriſtus, ne diligentiori in vitia aliorum inquiſitione ipſos negligendi occaſionem captemus. Charitatis enim eſt peccatorum multitudinem tegere, non malignius traducere. Apparet autem hoc loco, quantum humana iuſtitia à diuina diſtet, & quòd impoſſibile ſit quenquam ad hanc charitatis & miſericordiæ perfectionem pertingere. Opus ergo eſt, vt Chriſtum Ieſum apprehendamus, qui vt nobis iuſtitia à Patre factus eſt, ita ſuo ſpiritu nos animare & cõfirmare poteſt, vt in ipſo poſſimus omnia. Illi debetur bendictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Exemplum Dei proponit imitandum.

1.Ioan.4.

Pſalm.103.

Iſa.49.

Mich.7.

Prouerb.10.

1.Pet.4.

HOMILIA LXII.

Ne iudicate, & non iudicabimini. Ne cõdemnate, & nõ condemnabimini. Remittite, & remittetur vobis. Date, & dabitur vobis: menſurã (inquam) bonam, preſſam & agitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem enim menſura qua metimini, viciſſim metientur vobis alij.

MVltis & grauibus argumentis hucuſque vſus eſt Ieſus Chriſtus in commendanda nobis fraterna charitate & beneficentiæ ſtudio. Fuit inter hæc ordine poſtremum, ipſius Dei patris exemplum, cuius bonitas atq; miſericordia in toto huius mundi opificio & in omnibus eius operibus atque iudicijs elucet. Et huius quidem conſideratio apud pios efficaciſſima eſt. Vt enim egregiæ & bonæ indolis filij patriæ virtutis commemoratione ita monentur, vt inexpiabile ſcelus eſſe putent, ſi non illius veſtigijs ſedulò inſiſtant: ſic qui germani filij Dei ſunt, nihil antiquius habent, quàm vt huius ingenio ſeſe accommodent, & ipſum in moribus, dictis factiſq; omnibus referant. At quia nobis, quoad in carne hac vitioſa & mortali viuimus, perpetuò adhæret philautiæ malum, fit, vt nunquam non captemus occaſiones eos negligendi, quos nobis Deus commendatiſſimos eſſe vult. Quapropter etſi audiamus nos debere inimicos diligere, & illis benefacere, qui gratiam referre vel non poſſunt, vel etiam nolunt, mox tamen aliud effugium quæritur: & audiuntur paſſim eorum voces, qui ſe inimicis ſuis optime velle proteſtantur, & ad condonandum iniurias ſibi factas eſſe paratos: interim ſe non poſſe non eos odiſſe aiunt, qui cum peccandi licentia Dei contemptum coniunxerunt, & illius iram prouocare nunquam deſinunt. Sunt iſti (inquit) non tam noſtri quàm ipſius

Eſt autem præceptum hoc obſeruatu digniſſimum & imprimis neceſſarium. Nam qui in hoc peccant, ij Dei partes ſibi ſumunt, dum ex moribus de ipſa hominis conſcientia temere pronuntiant, quæ illi ſoli cognita eſt, quem ſcriptura ſacra corda & renes ſcrutari teſtantur. Deinde ijdem leges charitatis apertè violant, cuius proprium eſt (vt nuper diximus) tegere multitudinem peccatorum, ne proximo aliqua infamiæ nota inuratur. Imò non alia pernitioſior charitatis peſtis eſt, quàm in aliorum vitijs traducendis ſibi indulgere. Vt enim gloriæ appetentiſſimi ſunt omnes homines: ita non aliam iniuriam intolerabiliorem eſſe putant, quàm ſi nomen aut famam ſuam lædi ſentiunt. Ex eo igitur irarum flammas concipiunt, ex quibus odia, ſimultates, ardens priuatæ vindictæ ſtudium & nunquam finiendæ contentiones enaſcuntur. Neque inter eos ſe continet hoc incendium, à quibus cœpit, ſed ferè familias totas peruadit, & frequenter ceu hæreditario iure ad poſteros quoque propagatur. Quò Iacobus Apoſtolus reſpexiſſe videtur, quando linguam ceu infernali igne inflāmatam totū orbem accendere ſcribit. Accedit huic malo, quòd qui in iudicando aut obtrectando ſibi indulgere incipiunt, ij dulcedine quadam vitij huius ineſcati, linguas ſuas ita ad maledicendum aſſuefaciunt, vt leniſſima quaque occaſione oblata Tragœdias horrendas excitent, neque vllo fræno ſeſe contineri patiantur. Quod ipſum quoque Iacobus obſeruauit, eodem in loco ſic dicens: Omnis natura & ferarum & volucrum, ſerpentium & marinorum, domatur & domita eſt à natura humana: linguam autem nemo hominum domare poteſt, malum quod coercere non poſſis: vt quæ plena ſit veneno mortifero, &c. Ita verò ſimul in Chriſti exemplum peccatur, quod nobis dictorum & factorum omnium regula eſſe debebat. Is enim peccata noſtra in ſe recepit, eadem ſua iuſtitia tegit & occultat, proq́ illis apud patrem intercedit. Eò grauius ergo illi peccant, quòd cùm gloriæ Dei vindices haberi velint, interim filij Dei præcepta ſimul & exemplum impiè conculcant. Adde quòd ijdem ſibijpſis egregiè blandiuntur, & improba ſanctitatis propriæ ſpe repleti, ſe extra omnē culpam eſſe ſibi perſuadent, quibus à nemine quicquam exprobrari poſſit. Sed ſpe ſua turpiſſimè falluntur. Quia enim nemo abſq; vitio viuit, hoc vnum lucri inde reportant, quòd alij pluies eorum petulantia & dicacitate accenſi ipſos diligentius obſeruant. Fit ergo, vt ipſi quoque ab alijs iudicentur atque condemnentur, & ita talionis lege puniuntur, cuius pars eſt etiam hæc: Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet. Nam etſi peccent ferè, qui aut vindictæ ſtudio, aut alio affectu prauo ipſis detrahunt, iuſto tamen Dei iudicio fit, vt peccatum peccati pœna ſit, & qui linguas ſuas in alijs traducendis nimiùm laxarunt, ſæpe præter omnem expectationem in ſcelus aliquod prolapſi omnibus fabula fiant, & extrema infamia notentur. Et hoc illud eſt, de quo nos in præſenti Chriſtus admonet. Nihil ergo hæc admonitio & comminatio ad eos pertinet, qui ex officio in aliorum mores & facta inquirunt: niſi quòd illos imprimus cauere oportet, ne quæ in alijs reprehendunt, ipſi deſignent & ita grauioris ſcandali ſint authores.

Peccatum iudicandi multiplex.

Prouerb. 10.

Iacobi 3.

Quòd ſi verò peccant, qui aliorum vitia odioſe & prauo affectu inſectantur, quantò grauior eorum culpa eſt, qui quæ bene facta ſunt in ſiniſtrā partem rapiunt, & de optimè meritis malè loquuntur? Eſt hoc genus hominum hodie paſſim obuium. Tales enim ſunt, qui fidos Verbi Dei adminiſtros proſcindunt, & eos diſſidiorum atque motuum ciuilium authores eſſe clamant, qui hoc vnum agunt, vt omnes in Chriſto pacem colant, & Deo propitio vtantur. Adnumerari illis debent, qui magiſtratus pios conuitijs & dicterijs ſcurrilibus in odium aut contemptum adducere ſtudent, atq; ex eo voluptatem capiunt, ſi illorum authoritati aliquid decedere videant. Adde his, qui inter amicos & fratres diſſidia & ſimultates ſeminant, quique (vt de Doego Idumæo Dauid ait) amant verba perditionis, id eſt, omnia quæ pernitiem & exitium alijs afferunt. Sunt hi omnes reuera diaboli filij, quando cum perdendi ſtudio mendacia coniungunt, quæ duo illi propria eſſe Chriſtus teſtatur. Et quantum mali dent publicè & priuatim, multi non ſine magno dolore experiuntur. Sed ô noſtri ſeculi infelicitatem, quo cuiuis licet temere ea accuſare & non ſine publico ſcandalo traducere, quæ diſſimulari potius & taceri debebant: & hoc quidem impunè licet per eos, qui interim hoc Chriſti præceptum rigidiſſimè vrgent in illis, in quibus iudicio & animaduerſione diligenti imprimis opus eſt: nimirum in ijs, quæ ad religionem & fidei atque æternæ ſalutis doctrinam faciunt. Hîc enim vt modeſti & humani habeantur, omnes religiones indifferentes faciunt, & ſi abſque fide in Chriſtum ſeruari aliquem negemus, mox nobis hæc Chriſti verba ogganniunt: Ne iudicate, & non

De ijs, qui bene meritis detrahunt.

Pſalm. 52.

Ioan. 8.

iudicabimini: Ne condemnate, & non condemnabimini.

Contra eos, qui præcepto Chriſti in religione abutuntur.

Quorſum verò iſtud? Vt nimirum apud omnes bonam gratiam ineant, dum vnum quenque in ſua religione, vel potius ſuperſtitione, ſeruari poſſe ſentiunt, ſiue ille Turca, ſiue Iudæus, ſiue Chriſtianus ſit. At non vident, imò videre nolunt, hac ſententia religionem omnem ſimul aboleri, & illius ſenſum in hominum mentibus extingui. Si enim Deum eiuſmodi fingimus, qui quemuis alium in cultus, qui ipſi debetur, ſocietatem tam facilè admittat: quid obſtabit, quò minus eos quoque ſeruari dicamus, qui Deum omninò nullum eſſe credunt, quales olim Epicurei fuerunt, & Nabales illi, quorum Dauid in Pſalmis meminit? Sed vt ad illorum argumentum reſpondeamus, quod ex hoc loco eliciunt, mirum eſt homines alioqui ſatis oculatos non videre, quàm turpiter aduerſus hoc Chriſti præceptũ peccent, cuius tam ſtudioſi obſeruatores haberi volunt? Si enim iudicare nolunt aliquẽ ne etiam ipſi iudicentur, cur ſibi in ipſum Deum ius ſumunt vt ſecus quàm ille de toto ſalutis negotio pronuncient? Annon enim Patris vox eſt cœlitus de Chriſto in carne manifeſtato dicentis:

Matth. 3. et 17. Marci 16.

Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo placatus ſum: hunc audite? Annon Filius hic iam in cœlos aſcenſurus ait: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. At ſi in quauis religione ſalus nobis ſine Chriſto obtingere poteſt, quid opus fuit illum in mundum venire, hominem fieri, mori, reſurgere, & aſſumptam carnem in cœlis collocare? Annon ſtultitiæ ſimul & iniuſtitiæ Pater damnari merebitur, qui æterno ſuo decreto rem hanc conſtituit, quæ nobis ad ſalutem non erat neceſſaria? Annon cum Chriſto æterno Dei filio, ipſe quoque Spiritus Sanctus mendacij conuincetur; qui per prophetas & Apoſtolos omnem ſalutem in vno Ieſu Chriſto nobis monſtrauit? Quid verò de ſanctiſſimis Dei ſeruis dicemus, quibus leue viſum fuit vitam & ſanguinem profundere, vt Chriſto inſeri & in ipſo ſalutem conſequi poſſent? Et quis non impoſtores peſſimos fuiſſe dicat Apoſtolos, qui totius orbis mutationem tanto cum multorum periculo induxerunt, & ad quæuis ſupplicia ferenda ſuos hortati ſunt: ſi abſque fide in Chriſtum in quauis alia ſuperſtitione ſalus inueniri poterat? Obſeruent ergo pij quanta impietas & quàm multiplex ſub iſtorum plauſibili modeſtia lateat, qui hoc Chriſti præcepto ad omnium ſuperſtitionum defenſionem abutuntur. Nemo igitur hæc verba extra ſtatum rapiat, quem ille ſibi propoſitum habuit: linguæ verò petulantiam ita frænemus, vt interim ſalua nobis aduerſus omnes ſuperſtitiones maneat Chriſti Ieſu & fidei in hunc confeſſio.

Vt iniurias condonemus præcipit.

Porrò ad Chriſti verba reuerſi, quid hîc fieri debeat, videamus. Remittite (inquit) & remittetur vobis: Date, & dabitur vobis, &c. Initiò fontem omnis iſtius mali attingit: qui eſt, quod vt vt amicitiam ſimulemus, manet tamen alta mente repoſta acceptarum iniuriarum memoria: qua fit, vt non poſſimus non aliquo ſcommate eorum famam aut nomen perſtringere, qui nos aliqua in re læſerunt. Et quàmuis id non ſemper primi faciamus, facilè tamen illis conſenſum præbemus, qui eis maledicere incipiunt. Monet ergo, vt ex animo remittamus aut condonemus ijs omnibus, qui aliquam nobis iniuriam aut damnum intulerunt. At hîc rurſus obſeruabis, hoc quoque præceptum ad priuatos modò homines pertinere, & hoc velle Dominum, ne qui in vlciſcendis iniurijs ſibi factis ſint ſeueriores. Alia longè eſt iudicum ratio, & omnium qui in magiſtratu ſunt conſtituti. Hi enim & propriam authoritatem tueri debent, ne Dei iudicia per ipſorum ignauiam in contemptum veniant, & improborum malitiam punire, adeóq; (vt in Lege Deus præcipit) malum è medio populi excindere. Quod niſi faciant, non ſolum in exequendis Dei iudicijs oſcitantiores ſunt (quod per ſe reprahenſionem meretur) ſed inſuper pios & bonos impijs vexandos propinant, quorum audacia eò magis accenditur, quò frigidiores ſunt, qui illam publica authoritate compeſcere debent.

Remiſſionis vox [illegible] docet.

Eſt autem hîc obſeruatu digniſſimum Remittendi verbum. Eo enim per Metaphoram vtitur, & ſimili à creditoribus deſumpto rem illuſtrat: Solent illi, ſi humaniores ſint, eorum nomina delere, qui non ſunt ſoluendo, idq; remiſſionem vulgò dicunt. Præcipit ergo gratuitam omnis iniuriæ condonationem, & hanc nos facere iubet, etiamſi nulla ſatisfactio intercedat. Itaque obliuio, ſeu (vt Græci loquuntur) ἀμνηστία iniuriarum requiritur: quam minimè præſtabimus, niſi prius noſipſos abnegemus, qui natura ad vindictam procliues ſumus. At qui iniuriarum ne meminerunt quidem, ij multò minus eas in rationem venire patiuntur, ideóq; non modò nullius famam lædunt,

ſed

ſed de illis etiam bene loquuntur, à quibus grauiſsimè læſi ſunt, Exemplum huius indulgentiæ in Chriſto perfectiſsimum habemus, qui tam abſuit, vt iniuriarum meminiſſe vellet, vt ne ad ea quidē conuicia reſponderit amarulentius, quæ ipſi in faciem dicebantur. Quod vt ipſi quoque faciamus, Charitas Chriſtiana iubet, quæ niſi id fiat, conſiſtere non poteſt: neque vnquam pace coibunt qui inter ſe diſsident, cùm iniuriarum inter homines plena ſint omnia. Vidit hoc acerrimi iudicij & ſpectatæ virtutis vir Thraſybulus, qui cum deletis triginta tyrannis, qui poſt bellum Peloponeſiacum Athenis iniuſta & crudelia imperia exercuerant, ab exilio in vrbem rediiſſet ἀμνηστίας legem ſanxit id eſt nullam veterum iniuriarum memoriam extare voluit: quòd non alia ratione ciuium animos rurſus coaleſcere poſſe intelligeret. Fecit idem Romanus Senatus interfecto Iulio Cæſare: ſed minori cum fructu fecit, eò quòd ambitioſa Triumuirorum ingenia legibus ſe coërceri nō paterentur. Vt vt tamen res cadat, nunquam omnino fallit Chriſti promiſsio, qui dicit, fore vt nobis quoque remittatur, ſi in condonandis aliorum delictis faciles ſimus. Nam etſi multorum ea ſit durities & aſperitas, vt neque indulgentia neque beneficijs vllis vinci poſsit: non deſunt tamen, quos vel ad tempus frangit iſta facilitas, vt culpam ſuam fateantur, & ab inceptis aliquatiſper deſiſtant. Exemplum huius rei in Saule, homine contumaciſsimo, hiſtoria ſacra proponit: quem Dauidis patientia ſemel & iterum vicit, vt non ſine lachrymis innocentiæ teſtimonium illi deferret. Quòd ſi verò de hominibus ſpes nulla eſt, æterna tamen ſalutis ratio, vt illud faciamus, exigit. Nam quæ hîc habetur, promiſsio ad Deum vſque extenditur, qui (vt in orandi formula Chriſtus docet) non alijs peccata remittet, quàm qui ſuis quoque debitoribus delicta & offenſas remittere ſolent. Niſi ergo præcepto huic obtemperemus, nosmetipſos precum præſidio ſpoliabimus: imò proprij oris iudicio atque teſtimonio nosipſos damnabimus, quoties dicimus: Remitte nobis debita noſtra, ſicuti etiam nos remittimus debitoribus noſtris. Hoc vtinam attentius conſiderarent, qui in vindicta præcipuam fortitudinis & virtutis laudem conſiſtere putant

1. Sam. 24. & 26.

Cæterùm ex temerarijs iudicijs aliud quoque malum naſcitur. Nam beneficentiæ obſtant, & cauſa ſunt, vt tenaciores & in facienda eleemoſyna maligniores ſimus, eò quòd indignos putamus qui iuuentur, eos qui à nobis aliquod vitæ ſubſidium petunt. Itaque huic etiam vitio occurrens Chriſtus agit: Date, & dabitur vobis: menſuram (inquam) preſſam & agitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrū. Quaſi diceret. Nolim ego vos veſtrū iudiciū audire, vel affectus carnis veſtræ in conciliū admittere, quando de proximi neceſsitate ſubleuāda agitur. Si ergo occurſant, qui veſtra ope indigent & hanc à vobis poſtulant, tunc memineritis, vos non illorum iudices à Deo conſtitutos, ſed potius facultatum, quas poſsidetis, diſpenſatores factos eſſe, quorum copia ſiue abundantia illorum inopiam ſubleuare debeat. Ideo non quid illi mereantur, ſed quid veſtri ſit officij expendite, neque permittite, vt ſiniſtra manus dextram moderetur: id eſt vt ſiniſter aliquis aut prauus affectus officium pietatis interturbet. Nam qualeſcunq; ſint illi, qui à vobis beneficiū accipiunt, non tamen vobis gratia illa peribit. Eſt enim Deus omnis boni remunerator liberaliſsimus. Date ergo liberaliter, & procul dubio vobis omne hoc rependetur. Quòd ſi minus grati erga vos ſint; qui beneficium accipiunt, alios excitabit Deus, per quos gratiam vobis referat. Et hi menſuram preſſam, agitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum id eſt magno veſtro commodo vobis liberaliſsimè retribuent, quicquid ſyncero fraternæ dilectionis affectu in homines ingratiſsimos contuleritis. Id verò ſententia generali confirmat: Eadem enim menſura, qua metimini, viciſsim metientur vobis alij. Continet hæc ſententia talionis legem, & proinde ex communi ſenſu & naturæ iure deriuatur, quod eſt, vt quiſque digna ſuis factis præmia recipiat.

Temeraria iudicia ne obſtent beneficentiæ.

Math. 6.

Eſt autem ſententiæ huius multiplex vſus & proinde digniſsima eſt, quæ cum ea, quam nuper audiuimus, in omnibus parietibus, imò omnium cordibus inſcribatur. Primò enim ad huius loci caput ſiuè ſtatum extendi poteſt, ne temerarij nimiùm ſimus in iudicandis aliorum moribus: eò quòd qui hîc ſibi indulgent, in illos pari menſura regeruntur maledicta, quibus ipſorum quoque fama obfuſcetur. Deinde ad beneficentiæ ſtudium excitat, ne nobis perire putemus, quod in alios confertur. Nam vt Solomon ait, fœneratur Domino, qui largitur pauperi. Nullus autem Theſaurus certior, nulla vſura quæſtuoſior eſt, quā quæ apud Deum, omnis boni fontē redundantiſsimū deponitur. Et exempla ſunt quæ docēt, tunc ferè gratiam nobis liberaliſsimè referri, quando nihil huius

Qua menſura metimur, eadē alij nobis metientur.

Prou. 19.

ſperari amplius poteſt. Pertinet huc Iacobi exemplum, qui ex officijs in Labanum auunculum collatis ampliſſimā gratiam retulit, quàmuis is in illū ingratiſſimus eſſet & iniuſtiſſimus. Adhæc iuſtitiam nobis commendat, & è contra fraudes, impoſturas, rapinas & omnem vim iniuſtam prohibet. Qui enim iuſtitiæ ſtudens, ij Dei benedictione fruuntur, cuius liberalitas mūdi ingratitudinem longè ſuperat. Accipiunt ergo menſuram preſſam & redundantem in ſinum ſuum, quam nulla hominum nequitia illis eripiet. Rurſus qui per iniuſtitiam cum aliorum iniuria diteſcunt, ij ferè talionis lege mulctantur, vt ipſi quoq; alijs prædæ fiant. Notum enim eſt illud Domini per Iſaiam clamantis: Væ qui prædaris, quia tu quoque in prædā daberis. Cui conſentiunt quæ Solomon pronuntiauit: Qui per iniuriā & violentiā opprimit, pauperē vt diteſcat ipſe, is dabit diuiti & egebit. Itē, qui opes ſuas fœnore & vſuris auget, cōgerit eas homini, qui pauperibus benefaciat. Debebāt in horū conſideratione aſſidui eſſe impoſtores vſurarij, quibus leuiculum videtur quorumuis fortunas inuadere, modò ipſi diteſcant. Sed etſi ad tempus ſuperbiant ſuis opibus, nūquam tamē illæ ſtabiles ſunt, & rarò ad tertium vſque hæredem deueniunt. Obſeruent hoc ipſum milites mercenarij, qui honeſtiſſimum quæſtum eſſe arbitrantur, ſanguinem innoxium fundere, prædari, cædibus & incendijs omnia miſcere, viduas & pupillos patrijs ſedibus eijcere. Fecerunt hæc olim Chananæi, Aſſyrij, Babilonij, Perſæ, Græci, Romani: quorum omnium ea ſors fuit tandem, vt ſimilia domi ſuæ ſentirent. Et noſtro ſæculo multa vidimus, quæ his fidem facere poterant, niſi ad omnem mali ſenſum obſtupuiſſemus. Pertinent in horum catalogum duri & immites, qui aliorum miſeriam ſiccis oculis intuentur, dummodo ſuis deſiderijs indulgeant. Tandem enim iſti quoque infelices fiunt, neque inueniunt aliquos, qui ipſorum calamitatibus moueantur. Apoſtoli enim vox eſt: Iudicium abſque miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam. Idem illis dictum eſto, qui peregrinos, viduas & orphanos quacunque ratione opprimūt. Minatur enim illis in lege Dominus, fore, vt & ipſi aliquando patria eiecti incertis ſedibus oberrent, & ipſis cæſis tandem vxores eorum & liberi viduæ atque orphani fiant. Quid multis? Diſcant hæc ſinguli priuatim & publicè expendere, in vnum verò Deum intenti fraternam charitatem colant in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Iſa. 33. Prou. 22. & 28. Exo. 22.

HOMILIA LXIII.

Dicebat autem eis parabolam: Nū poteſt cœcus cœco præire? nonne ambo in foueam cadent. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum, ſed quiſque erit perfectus vt magiſter ſuus. Quid autem aſpicis feſtucā, quæ eſt in oculo fratris tui: trabem autem, quæ eſt in oculo proprio, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam, quæ in oculo tuo eſt, cùm ipſe trabem, quæ eſt in oculo tuo, non reſpicias? Hypocrita, eijce primùm trabem illam ex oculo tuo: & tum diſpicies, vt eijcias feſtucā, quæ eſt in oculo fratris tui. Non eſt enim arbor bona, quæ ferat fructum putrem: neque arbor putris, quæ ferat fructū bonum. Vnaquæque enim arbor ex fructu proprio cognoſcitur. Neque enim è ſpinis colligunt ficus, neque è rubo vindemiant vuam. Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum: & malus homo ex malo theſauro cordis ſui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius.

Argumentū & uſus huius loci.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de charitate & eius officijs ita hucuſque diſſeruit, vt ſimul veram Legis diuinæ ſententiam tradiderit, docens, per hanc non ſolum externa opera, ſed ipſum hominis animum atque mentem formari, ne quid velimus & optemus, quod in illa prohibetur. Vſus autem huius doctrinæ eſt, vt nobis inhærentem naturæ noſtræ vitioſitatem agnoſcamus, & ex ea intelligamus, nos promiſſo illo Seruatore opus habere, qui noſtram imperfectionem ſarciat, & nos à Legis maledictione abſoluat. Cæterum erat hæc doctrina multis noua & inſolens. Nam qui

qui tunc inter Iudæos primas tenebant phariſæi, non modo humanis traditionibus infelicem populum grauabant, ſed ipſam quoque legis doctrinam falſis interpretationibus iampridem corruperant. Docebant enim illam per nos impleri poſſe, & inde colligebant, hominem ex legis operibus iuſtificari. Erat hæc abſurda & nocentiſſima opinio: Ita enim Chriſtum ſibi inutilem reddebant, & dum ſuam iuſtitiam ſtabilire conabantur, eam explodebant, quam nobis Deus in filio ſuo offert, quæque ſola nos apud eius tribunal tuetur. Ideo Chriſtus admonitionem grauem ſubijcit, vt à falſæ doctrinæ præconibus ſibi caueant, perſeuerent autē in veritatis doctrina, quam ipſe tradidit. Et eſt digniſſimum obſeruatu, quòd veræ & ſanæ doctrinæ iſtam de vitandis falſis doctoribus admonitionem ſubiungit. Solet enim hunc ordinem ſpiritus ſanctus in ſcripturis paſſim obſeruare, & vt ita fiat neceſſe eſt. Nam vt fruſtra viam rectam alicui monſtraueris, niſi eundē de auijs, quæ ſæpe tritiſſima & latiſſima ſunt, admoneas: ita nunquam ſufficiet veritatis doctrinam tradidiſſe, niſi impoſtores arguantur & erroneæ traditiones confutentur, quas multi veritatis titulo palliare ſolent, & quæ non raro multorum ſæculorum vſu & maioris partis hominum exemplo commendantur, & ad quas recipiendas plerique natura procliues ſunt. Et tanta in his arguendis eſt ſpiritus diligentia, vt prophetæ & apoſtoli non contenti de illis admonuiſſe, quæ ipſis viuentibus & docentibus diſſeminabantur, de ijs quoque vaticinati ſint, quas nouiſſimis ſæculis exorituras eſſe prauidebant. Sunt ergo nimis iniqui, neque ſatis prudi, qui hodie iniquius ferunt, ſi Pontificum traditiones & Monachorum fabulas arguamus. Atqui vt id fiat, res ipſa monet: quando omnia ea palàm audiuntur, quæ iam olim ſpiritus prædixit. Sedet enim in templo Dei Antichriſtus, & diuinos honores ſibi vendicat. Sunt paſſim, qui Chriſtum in deſertis & in conclauibus monſtrant. Proponuntur publicè dæmoniorum dogmata, quibus ciborum eſus & coniugij vſus prohibetur. Vagantur vbique, qui verbum Dei corrumpunt, & ex ſacrorum nundinatione quæſtum faciunt. Et multorum tanta eſt ſtoliditas & cæcitas, vt in luporum fauces & vngues ſponte ſeſe ingerant. Quid ergò hic faciant paſtores, quibus gregis ſui curam Chriſtus commiſit. Num lupos in ipſo ouili impunè graſſari, & oues diſpergi ſinent? Num ipſi otioſi iſta audient atq; ſpectabunt? Num intereà blandis ſermonibus omnium aures demulcebunt? Qui hoc iubent ij aut non intelligunt ſalutis humanæ negotium, aut parum fidi ſunt Chriſto, qui ecleſia ſua nihil charius habet & pretioſius. Eſt ergo locus hic vtilis admodum, & multa conſideratione digniſſimus, vt excitentur nonnihil, qui hactenus in re maximi momenti negligentiores fuerunt.

Sed Chriſti admonitionem audiamus, cuius propoſitio aut ſumma eſt. Non eſſe audiendos Phariſæos aut ſcribas, qui diuerſum ab ipſo doceant. Id argumentis & rationibus probat, ne quid ex affectu loqui videatur. Et debent hoc diligenter cauere doctores, ne imperioſè & abſque ratione vlla alios damnent, & ita ſeipſos multis ſuſpectos reddant. Primum argumentum ab illorum perſona petit, vtque magis moueat parabola vtitur, dicens: Num poteſt cæcus cæco præire, aut viæ dux eſſe? Cæcitatis nomine Legis diuinæ & veritatis ignorantiam intelligit, qua Phariſæi laborabant. Quia enim Græca philoſophia imbuti (cuius ſcholam Iaſon Hieroſolymæ aperuerat) liberū arbitrium & proprias hominis vires propugnabant, non poterant verū legis ſenſum & vſum videre, qui eſt, vt per ipſam, ceu pædagogum ad Chriſtum adducamur, qui nobis à patre ſatisfactio & iuſtitia factus eſt. Itaque vt Paulus ait, ipſi ſibi velum impoſuerant, quo minus in Moſis faciem intueri & eius mentem intelligere poſſent. Accidit hoc omnibus, qui circa legis doctrinam abſque Chriſto occupantur. Quia enim lux mundi Chriſtus eſt, cæcutiant oportet & in tenebris ambulent, quotquot illum ignorant. Nam etſi ille ſe omnium oculis ingerat, illis tamen idem quod lipientibus accidere ſolet, qui eò minus vident, quo clariori ſplendore occulos eorum Sol ferit, & proinde in ipſa meridie impingunt. Porrò Chriſti argumentum eſt eiuſmodi: Vt cæcus non poteſt cuiquam viæ dux eſſe, ita legem docere aut in eius vijs ducere alios nunquam poterit, qui ipſe verùm illius ſenſum non intelligit: At ſcribæ & Phariſæi hunc non intelligunt, ſed excæcata mente circa ſua figmenta oberrant; Ergo illi nemini præire poſſunt, & proinde nemo illos ſequi aut pro veritatis doctoribus agnoſcere debet. Admonent nos hæc Chriſti verba, neminē in eccleſia doctoris officio fungi poſſe, qui nō ipſe certā veritatis cognitionē habeat. Quid enim alios doceat, qui ipſe nihil nouit aut intelligit? At cognitio illa diuinæ veritatis diuinitus obtingit,

Non audiendi, qui diuerſum à Chriſto docēt.

1. Machab. 1.

2. Cor. 3.

Nemo docere poteſt qui non ipſe ueritatē intelligit.

1.Cor.2. *quando homo animalis ea non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei. Ideo Ieremiæ dicebatur: Ecce ego po-*
Ier.1. *no verba mea in os tuũ. Et Iſaiæ labia angelus carbone ignito ex altari ſumpto purgabat: ita nimi-*
Iſa.6. *rum innuens ſpiritus ardore & illuminatione opus eſſe ijs, qui Dei verbum cum aliquo fructu præ-
dicari velint. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus diſcipulos Hieroſolymis ſubſiſtere, neque ad docendi
munus prodire prius voluit, quàm ſpiritu ſancto cælitus eſſent donati. At non ſemper miraculosè
homines illuminat Deus, ſed medijs quoque ordinarijs plerumque vtitur. Nam voluntatem ſuam
& ſalutis æternæ myſteria ſacræ ſcripturæ libris comprehendit, vt ex illis diſcantur, quæ populo
rudi & indocto prædicari debent. Et ſcholas in ſuo populo eſſe voluit, in quibus in linguarum &
ſcripturarum cognitione inſtituantur, qui aliquando eccleſijs docendo ſeruiant. Tales olim filij
prophetarum erant Samuelis & Eliſæi temporibus, & Paulus Timotheum ſuum à pueris ſacras
literas didiciſſe ſcribit. Iſtis ergo ſtudijs ſeſe conſecrent, qui ad eccleſiæ miniſterium aſpirant, & in
ſcripturis diligentes ſint, vt eas ſibi familiàriſſimas faciant, atque earũdem ſenſum germanum at-
que vſum intelligant. Admonet de hoc Paulus, quando Timotheum lectioni intentum eſſe iubet.
Arguunt iſta eorum negligentiam, qui vbi ſcripturas vix obiter deguſtarunt, eas poſtea negligunt,
& quaſi ſufficiat ad eccleſiæ gubernacula ſemel admiſſum eſſe, ſeſe aut otio ignauo, aut venationi,
aut alijs ſtudijs parum honeſtis & ab ipſorum vocatione alieniſſimis dedunt. Imprimis verò eo-
rum arrogantia damnatur, qui homines ineptiſſimos titulis magnificis exornant, & ijſdem ec-
cleſias committunt, cum neque in ſacris literis exercitati ſint, neque aliquam regendarum eccleſia-
rum rationem teneant. Sunt hi omnes duces cæci, neque aliquid in pietatis & ſalutis ſtudio profi-
ciunt, qui iſtos ſibi ſequendos propoſuerint.*

Falſi doctores diſcipulis periculoſi ſunt. *Ne quis tamen eos ineptos modò & inutiles putaret, periculoſos quoque eſſe docet. Nam ait:
Nonne ambo in foueam cadent? Euidentius hoc apud Matthæum enuntiat: Si cæcus cæco præi-
uerit, ambo in foueam cadent. Hîc autem interrogatione vtitur, vt animos magis penetret, & hoc
certò euenturum eſſe oſtendat. Ergo non ſoli doctores in periculo conſtituti ſunt, ſi cæci fuerint, ſed
vnà cum illis periclitantur, qui eos ſequi volent. Ratio huius ſententiæ eſt, quòd nemò ab alterius
indicio pendere, ſed omnes Deum in ſcripturis per filium ſuum loquentem audire debent, vt de fide*
Deut.13. *ſua certi ſint. Docet hoc Deus in lege, quando ne illi quidem prophetæ credamus admonet, qui do-
ctrinam de alienis Dijs colendis ſignis aut miraculo aliquo confirmat. Et notum eſt illud Chriſti:
Oues meæ vocem meam audiunt, & cognoſco eas & ſequuntur me: alienum autem nequaquam ſe-
quentur, ſed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum. Errant ergo vehementer, qui cui-
uis ſimpliciter credendum eſſe aiunt, ſeque excuſatos eſſe putant, eò quòd culpa omnis in doctoribus
hæreat. Prætexunt illi ferè ſimplicem ignorantiam, quæ minimè puniri mereatur. At ſi rem ipſam
conſideremus, in pleriſque craſſa & voluntaria eſt ignorantia, vt iam de eo nihil dicamus, quòd
ignorantia neminem excuſat, qualiſcunque ſit, eò quòd nos non ignorantes, ſed veri cultus gnaros
& peritos Deus vult eſſe. Et ne quid prætexere poſſemus, voluntatem ſuam verbo comprehenſam
in ſcripturis propoſuit, & axiomata quædam religionis Chriſtianæ tradidit tam certa & perſpicua,
vt à pueris & mulierculis diſci & intelligi poſſint. Continentur ea in Decalogo, Symbolo apoſtoli-
co & Oratione Dominica: à quibus quicunque diſſentiunt, ij pro ſeductoribus haberi, & modis
omnibus vitari debent. Sed & ipſos doctores falſos certis notis inſigniuit, ex quibus agnoſcantur.*
Acto.20. *Hos enim ex epiſcoporum grege prodituros, & ſedem ſuam in Dei templo habituros eſſe Paulus*
2.Theſ.2. *prædixit. Et præcipua illorum dogmata paulò ante commemorauimus. Quæ ſi qui admittunt &*
2.Pet.2. *ſequuntur, ij ſcientes & volentes ſibi falſos doctores deligunt, & proinde digni ſunt, qui in eandem*
2.Tim.4. *cum illis foueam præcipites ruant. Nihil nunc de vita & moribus dico, qui ferè eiuſmodi ſunt, vt
non poſſint non bonis omnibus ſuſpecti eſſe. Neque dubium eſt, pleroſque, qui hodie ſacrificulos &
monachos ſectantur, horum fidem adeo ſuſpectam habere, vt pecuniam ſuam illis minime cre-
derent. Quæ ergo leuitas, vel potius inſania & impietas eſt, animam illis credere, & de cælis atque
ſalutis æternæ ratione loquentes audire, qui ſic viuunt, vt ſatis conſtet illos neq; cælos, neque inferos
credere, imò in ſinu ſuo ſuauiter ridere omnia, quæ de vita æterna, dicũtur? Sũt ergo inexcuſabiles,
qui tales ſequuntur, neque illis excuſandis vllæ rationes ſufficere poſſunt, ſed ad illos pertinet, quod
Chriſtus ait: Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Apo.22.*

At

At hîc nobis ſcioli quidam reſponſant: Eſto cæcus ſit & errabundus hinc inde vagetur, qui docendi munus in eccleſia ſuſtinet: At poßum ego illum quoad externam profeßionem, ne ſciſmatis alicuius author videar, pro meo doctore & duce agnoſcere, interim verò ipſe viam rectam tenebo, neque de ſalute mea periclitabor. Sed præuenit horum obiectionem Chriſtus, dicens: Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum, ſed quiſque erit perfectus, ſicut magiſter ſuus. Sumit argumentum hoc ex communi ſenſu. Quaſi dicat: diſcipuli, ſi multùm proficiant, magiſtrorum ſimiles fiunt, neque ſperari poteſt, vt quis ex alio diſcat, quod is ignorat, quem ſibi magiſtrum aut doctorem deligit. Fruſtra ergo tu viam rectam tenere te poſſe ſperas, ſi cæco duce vtaris. Vis argumenti in eo conſiſtit, quòd cùm ex nobis ipſis diuina & cæleſtia non ſapiamus, doctrina aut inſtitutione omnino nobis opus eſt. Niſi ergo hæc ſana & vera ſit, nunquam in veram ſalutis æternæ cognitionem venire poterimus. Vbi rurſus obſeruabis, quàm diligenti cura & circumſpectione opus ſit in deligendis doctoribus aut eccleſiarum miniſtris. Nam qui hîc committitur error, non in illis ſolis hæret, ſed ad multos alios redundat. Ideo tam prolixe Apoſtoli ea recenſent, quibus præditos & ornatos eſſe conuenit doctrinæ antiſtites, ne fiat quod apud prophetam dicitur: Talis populus, qualis ſacerdos. Etenim paßim in ſcripturis populi ignorantia & quæ hanc ſecuta eſt calamitas, ignauis & male fidis ſacerdotibus accepta fertur. Eſt ergo magna & deteſtabilis eorum leuitas, qui conſultò eos verbi adminiſtros quærunt, quos ſui ſimiles ſperare poßint, & quibus pro ſua libidine abutantur. Nolunt illi proficere in ſalutis negotio, quòd aut vanum eſſe putent quicquid de illo traditur, aut quòd ſe iam ante plus ſatis inſtructos putant. Simul verò impunitatis ſpem captant ex paſtorum ſuorum ignorantia & malo exemplo, & ſe abunde ſatis excuſatos eſſe arbitrantur, ſi ſe paſtoribus ſuis nihilo inferiores eſſe dicere poßint. Illorum enim hæ voces ſunt: Cur ego in diſcendo Dei verbo plus laboris & operæ inſumam, quàm noſter parochus, qui libros aut nunquam, aut quàm rariſsimè inſpicit? Cur ego plura ſcire velim, quàm ille, qui de me & infinitis alijs Deo olim rationem redditurus eſt? Cur à me requiritur, quod ipſi eccleſiarum antiſtites non faciunt? Num ego vitæ genus ſequar ſanctius & auſterum magis, quàm ij, qui ex religione viuunt? Agnoſcis opinor eorum verba, qui cùm meliores magiſtros habere nolint, eorundem tamen exemplis ſuæ nequitiæ & libidini patrocinantur. Et ſunt quidem rationes iſtorum plauſibiles hominum iudicio: ſed longè aliter de cauſa hac tota Deus pronuntiabit, apud cuius tribunal nulla valet criminis translatio, eò quòd vnuſquiſque ex ſuis dictis & factis vel iuſtificabitur, vel damnabitur.

Impoßibile, ut ueram uiam teneant, qui cæcus duces ſequuntur.

Hoſ. 4.

Sed reddit Chriſtus ad ſui ſeculi doctores, Scribas & Phariſæos, & in eos magna cum grauitate inuehitur, quòd cùm ſibi in omnes alios imperium vendicarent, & omnium delicta odioſiſsimè notarent, ipſi interea publicis iiſque grauißimis ſceleribus eſſent infames. Quid autē aſpicis (inquit) feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui, trabem autem, quæ eſt in oculo proprio, non animaduertis? Rurſus metaphoris & parabolicis locutionibus vtitur, vt pondus maius orationi accedat. Feſtucam enim dicit delictum leuius & vulgare, trabem verò atrox & immane ſcelus, quod vulgo omnes vt intolerabile deteſtantur. Magnæ autem impudentiæ illos arguit, quòd cùm talia multa ipſi committerent, auderent tamen tanta cum ſeueritate & inſolentia in aliorum mores ſibi cenſurā ſumere. Senſus enim verborum eſt: Vt merito eorum ridetur impudentia, qui in aliorum oculis aut facie næuos aut maculas leuiores notant, in ſemetipſis autem totius faciei fœdam deformitatem non animaduertunt: ita vos nimium ridiculi & impudentes eſtis, dū in quibuſuis alijs leuißima quæque reprehenditis, non autē obſeruatis ea, quæ à vobis præter omnem dignitatem & cū publica veſtri ordinis infamia deſignantur. At nō temere hoc illis Chriſtus exprobrat. Nā vt ex alijs locis cōſtat, grauißimis vitijs & ſceleribus illi toti ſcatebant, cùm falſa doctrina populū infelicē ſeducerēt, ſub religionis prætextu liberis ſummæ in parentes impietatis authores eſſent, domus viduarū deuorarent, promißi Meßiæ honorem in ſe & opera ſua transferent, denique religionem omnem ſibi quæſtum facerēt & patriam vnà ſecum in exitium abriperent. Quas ob cauſas illos Chriſtus alibi lupos rapaces, fures item & latrones dicit, hypocritas item, qui foris quidem ſanctimoniam ſimulent, ſeque venditent ſacerdotij & doctrinæ titulis, intus autem mendaciorum & rapinarum ſint pleni. At hæc in ſemetipſis non obſeruabant illi, ſed quaſi nihil in ſe haberent reprehenſione

Doctores accuſat, qui propria delicta nō agnoſcebant.

dignum magna cum libertate quoſuis corripiebant, & pro leuiſſimis delictis expiatorias victimas poſcebant maximi pretij, aut etiam miſeros è Synagogis eiectos ab eccleſiæ ſocietate excludebant. Denique, vt exemplo res clarior fiat, Monachis atque ſacrificulis iſti ſimillimi fuerunt: qui in Papatu rudi plebeculæ ob leuiſſima delicta plurimum negotij faciunt, & nunquam non excommunicationis fulmen in ore habent, ſi quis non ſeſe ipſis ad omnia obſequentē præbeat: tum ipſi in ſcripturis & æterno Dei verbo impiè ludant, ſacra omnia venalia habeant, thoris alienis inſidientur, ſanguinarijs conſilijs totum orbem terrarum turbent, denique ventris atque Veneris turpiſſima ſint mancipia. Tales (inquam) ſcribæ illi & Phariſæi erant, & ideo illos Chriſtus feſtucam in fratrum oculis videre, in proprijs autem oculis trabem non animaduertere ait. Neque eo contentus, grauiter admodum addit: Quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam, quæ in oculo tuo eſt, cùm ipſe trabem, quæ eſt in oculo tuo, non reſpicias? Repetit ſubinde fratris nomen, vt magis arguat ipſorum iniquitatem, qui ne ijs quidem parcebant, quos non poterant non pro fratribus agnoſcere, & quorum rationem diligentiſſimam debebant habere, ne eos vel intempeſtiuis correptionibus, vel malo exemplo offenderent.

Quam referat irreprehenſibiles eſſe eos, qui alijs præſunt. Docet autem nos totus iſte locus quàm multum momenti in eo ſitum ſit, vt inculpatos & irreprehenſibiles ſeſe præbeant, qui alijs præſunt, & aliorum mores ex officio corrigere debent. Poſſunt quidem illi verbis inflare, & de virtutibus atque vitijs orationes inſtituere artificioſas: ſed nihil aut parum proficient, ſi ipſi ijſdem vitijs laborant, quæ in alijs reprehendunt. Nam vt verſus à pueris decantatus monet, Turpe eſt doctori, ſi culpa redarguit ipſum. Quod ſi verò maior licentia peccandi accedat, & ijs ſceleribus infames ſint eccleſiarum antiſtites, quæ in hominibus plebeis intolerabilia putantur, vnà cum illis tota miniſterij eccleſiaſtici authoritas periclitabitur: & tunc fit, quod de ſale infatuato dicit Dominus, qui in ſterquilinium proiectus à quibuſuis obuijs conculcatur. Exempla huius mali paſſim hodie occurrunt, quæ vtinam ab illis diligentius obſeruarentur, qui de collapſa miniſterij authoritate queruntur, cùm ipſi interim ad exemplum filiorum Eli intemperantia & libidine diffluant, & ſua nequitia omnium linguas aduerſus ſe prouocent. At quod illis dicitur, hoc ad ſe quoque pertinere putent, qui in magiſtratu conſtituti bonas leges condunt & iudicia publica exercent. Maximum enim robur legibus accedere ſentiet, ſi ipſi illis obedierint: at eædem illico vileſcent, ſi ſuo exemplo alijs eas violandi occaſionem dederint. Eadem eſt parentum ratio erga liberos, præceptorum erga diſcipulos, herorum erga ſeruos, Chriſtianorum denique omnium. Vult enim nos lucis inſtar eſſe Chriſtus, vt exemplo noſtro mundi ſcelera arguamus: & cùm ille nos è mundo ſelegerit & ſibi conſecrarit, etiam atque etiam videre nos decet, ne propter nos Dei nomen prophanetur.

Quomodo uitia aliorū corrigi debeant. Cæterum ne vitijs patrocinari, & arguendi munus omnino abolere videatur, pergit Dominus, & quid fieri debeat docet. *Hypocrita, eijce primùm trabem illam ex oculo tuo, & tum diſpicies, vt eijcias feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui.* Hippocritas dicit, non vt conuicietur illis, ſed vt fontem huius mali oſtendat, qui erat, quòd propriæ iuſtitiæ fuco turgidi, ſibi quiduis in omnes alios licere putabant. Et conſtat, hodie etiam perſonatos illos doctrinæ antiſtites ex eo audaciam maiorem concipere, quòd magnifico titulorum ſplendore & habitu inſolenti apud rude vulgus aliquam ſanctitatis exiſtimationē ſibi parauerunt. At ijſdē criſtas non alia ratione facilius depreſſeris quam ſi laruam hanc detrahas, & omne id hypocriticum eſſe doceas, quo ſeſe venditant. Et hæc cauſa eſt, quòd frequenter Phariſæorū hypocriſim Chriſtus arguit. Porrò præceptum, quod hîc proponit, duabus partibus conſtat. Prima, vt à ſeipſis incipiant monet, qui aliorum peccata arguere & reprehendere volunt. *Eijce (inquit) primùm trabem illam ex oculo tuo.* Opus ergo hîc erit diligentiori ſuijpſius examine, vt quiſque ſeipſum probè norit, & quid in ſe emendationem aut correctionem mereatur, intelligat. Inſpiciant ergo legis ſpeculum, & mox infinitæ & eximiæ trabes occurrent, ſiue occultas animorum ſuorum cogitationes, ſiue dicta & facta ſua totamque vitæ ſuæ conſuetudinem conſiderent. Deinde vlterius progreſſi, eos quoque ſpectent, quos ipſis Deus præcipuè cōmendauit, & videāt iuxta Græcū verſum, ædibus in proprijs quæ recta aut praua gerantur: qui nimirum vxoris mores ſint, quæ liberorū diſciplina, & quid ſinguli domeſtici faciāt: & dubiū nō eſt,

quin

quin hîc quoque inuenturi ſint, quod corrigi oporteat. Sed pleroſque videmus lamiarum ſimiles eſſe, quas Plutarchus oculos exemptitios habere ſcribit, quos domi quidem in loculis reconditos aſſeruant, foras autem egreſſuræ ſumunt, vt quæ ab alijs fiunt ſpectent. At vt domi noſtræ & in noſtris rebus oculatiſſimi ſimus neceſſe eſt, ne (vt ante diximus) cum propriæ ſalutis iactura ridiculi fiamus, dum aliorum delicta corrigimus, ipſi grauioribus obnoxij. Vbi verò trabes ex noſtris oculis eiecimus, tunc (quæ altera huius præcepti pars eſt) de feſtuca ex fratrum oculis eijcienda cogitemus. Non ergo prohibemur, ne fratrum vitia reprehendamus. Nam qui hæc omnino negligunt aut ignaui diſſimulant, ij non charitatis ingenium referunt, ſed proximis ſuis, quantum in ipſis eſt, exitij ſunt authores. At hîc diſpicere nos iubet, qua ratione feſtucam ex fratris oculo eximamus. Diligentiam ergo & prudentiam requirit, qua omnino opus eſt, ne (quod imperiti chirurgi ſolent) vulnera aut vlcera intempeſtiuis remedijs irritemus, & incurabilia reddamus. Quare dum aliorum vitia reprehendimus, curandum eſt, vt dilectionis & coniunctionis fraternæ memores amicè cum illis agamus, ne odij aut inuidiæ poſſimus inſimulari. Nam huius ſuſpicio omnem officij gratiam extinguit & abolet. Deinde finis hic nobis propoſitus ſit, vt proximus ædificetur, & in pietate progreſſus maiores faciat. In vtroque plurimum proderit, ſi qui nos ſimus, quidque nobis accidere poſſit cogitemus, & ſimul Dei exemplum nobis ob oculos ponamus, qui cùm nos perdere poſſit, noſq; perdendi cauſas iuſtas & graues habeat, ſuæ tamen benignitatis memor, nos corrigere potius & ſeruare quàm perdere ſtudet. Nolo (inquit) mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ezechielis decimo octauo.

Porro redeamus ad Chriſti verba, qui doctrinam hanc omnem applicat propoſitioni de vitandis falſis doctoribus: & rationem affert, quòd cùm reuera mali ſint, nihil boni ex illis ſperari poſſit. Id verò duplici ſimilitudine explicat. Primam à plantis ſiue arboribus petit, cuius hic ſenſus eſt: Vt vnaquæuis arbor ex ſuo fructu agnoſcitur, ſic etiam doctores. Nam non eſt (inquit) arbor bona quæ ferat fructum putrem: neque arbor putris, quæ ferat fructum bonum. Item neque ex ſpinis ficum colligunt, neque è rubo vindemiant vuam. At Phariſæi & Scribæ fructus peſſimos ferunt: Ergo arbores malæ ſunt, & plurimùm falluntur, qui ex illis bonum quid expectant, aut ſe ſaluos fore ſperant, ſi illos ſequantur. Quo loco diligenter videre oportet, qui nam fructus illi ſint, de quibus loquatur. Nam ſi hoc ſimpliciter de vita & moribus exponas, ipſa Veritatis doctrina in multis damnabitur, qui cùm peſſimè viuant, illam tamen purè & ſynceriter docent: & ſimul in Chriſti præceptum peccabis, qui Scribis quoque & Phariſæis obedire iubet, quando in Moſis cathedra ſedent, id eſt, Legis doctrinam proponunt, qualis illa per Moſem tradita eſt. Propius ergo hæc res conſiderari debet, & in ipſo doctoris vocabulo inſiſtendum erit. Vt enim fructus piri arboris eſt pirum, ceraſi ceraſum, mali malum: ita doctoris fructus propriè dicetur doctrina. Ideo hæc potiſſimùm inſpici debet, ſi quando de illis volumus iudicium facere. Erat autem Scribarum doctrina multis modis corruptiſſima. Nam vt ſupra diximus, liberum hominis arbitrium & eius vires, magnificè extollebant, operum ſuorum merita aſſerebant, gratiæ Dei & Chriſti merito derogabant, deniq; authores erant, vt pleriq; peccata grauiſſima inanibus & leuiculis ceremonijs expiari poſſe putarent, quæ proxima via eſt ad effrenem peccandi licentiam. Erant ergo arbores putres, neque bonum aliquid ex illis poterat ſperari. Itaq; vides hoc loco, quid de illis iudicari debeat, qui hodie ſimilia tradunt, & Euangelij prædicationem hoc Phariſaico fermento inficiūt. Laudantur hi à multis, maximè ſi modeſtiæ & manſuetudinis ſpeciem præ ſe ferant: ſed reuera arbores putres ſunt, & proinde ad nihil vtiles, quàm vt exciſæ & eradicatæ in ignem conijciantur, ſicuti Chriſtus alibi diſertè teſtatur. Debet præterea hinc generalis doctrina peti, vt de re quauis ex fructibus eius iudicemus. Eſt hoc remediū præſentiſſimum aduerſus ſcelerum blanditias, quibus nos Satan circumuenire ſtudet. Exempli gratia: Ebrietas multis leuicula & vix repræhenſione digna videtur. Sed fructus inſpice, quos Solomon deſcribit Prouerb. 23. & quos in veteribus ſimul ac quotidianis exemplis eſt videre: & mox patebit, Ebrietatem arborem peſſimam eſſe, & quam inter homines excindi oporteat. Idem dicemus, ſi ſcortationis & libidinis fructus intueamur. Vel ſi quid auaritia pariat ſpectemus, & quot mala, ſæpe cum Reipub. totius detrimento inde enata ſint. Eadem eſt omnium aliorum ratio, &c. Et quod de his dicitur, hoc ipſum de fide intelligi debet, ne huius profeſſione nobis ipſis aut alijs imponamus, ſed

Ex malis doctoribus nihil boni poteſt ſperari.

Matth. 23.

eam operibus (vt Iacobus monet) ceu fructibus dignè teſtentur. Fructus autem fidei ſunt, fiducia in vnum Deum, Dei vnius inuocatio, Dei timor, obedientia, Dei cultus ex verbo eius inſtitutus, innocentiæ & dilectionis ſtudium. Quotquot ergo ab his alieni, vitæ fructus longè diuerſos & his contrarios ferunt, ij non bonæ ſed malæ arbores ſunt, quibus iampridem Chriſtus excidium & ignem æternum minatus eſt.

Alterum ſimile ex re domeſtica petitur, & huius ſenſus eſt: Vt vir diues ex theſauro opũ ſuarum res bonas & pretioſas depromit: ita doctor bonus & myſteriorum regni Dei guarus ex cordis ſui theſauro bona & ſalutaria dogmata profert, quæ ad hominum ſalutem promouendam faciunt. Rurſus vt homo malus & improbus ex ſuo theſauro mala & noxia proponit: ſic doctor falſus & nulla veri Dei cognitione inſtructus ex corde noxijs hominum traditionibus imbuto dogmata propinat falſa, & quæ auditoribus exitium ferunt. Atqui conſtat ſcribas iſtos doctrinam eiuſmodi ſpargere. Sunt ergo peſſimi patresfamiliâs & malæ fidei promi, quibus tutò credi non poteſt. Scio nonnullos locum hunc aliter exponere, ſed hic ſenſus argumento præſenti imprimis conuenire mihi videtur, & ipſius Chriſti authoritate confirmatur, qui eadem parabola de Scribis loquens vtitur. Matth. 13. ſic dicens: Omnis Scriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt cuipiam patrifamiliâs, qui effert ex theſauro ſuo noua & vetera. Quò etiam poteſt referri, quod alibi de Oeconomo eccleſiaſtico dicitur, cuius parabolam ſuo loco tractabimus.

Ex abundantia cordis os loquitur. *In præſenti admonitionem hanc generali ſententia confirmat. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius. Quia ergo hypocritarum corda propriæ iuſtitiæ fiducia turgent, & humanis traditionibus infecta ſunt, quæ duo Deus quã maximè odiſſe ſolet: fieri nequit vt aliud loquantur, quàm quod Deo inimicum, & proinde omnibus ijs noxium eſt, qui illis obtemperant.*

At non obſtat huius argumenti tractatio, quò minus hinc generalem doctrinam eliciamus, cuius in vitæ totius inſtitutione multiplex vſus eſt. Vbi primum occurrit, quòd cor hominis theſauro confertur. In eo enim (vt Matth. 15. habetur) cogitationes tam bonæ quàm malæ, omnis item generis deſideria deliteſcunt, & idem omnium noſtrorum conſiliorum atq; factorum fons eſt. Quicunq; ergo vitam ſanctam viuere volent, à cordis purificatione initium faciant, oportet. Ac hanc fide perfici, Petrus in Actis conſtanter docet. Et ſufficit hoc ijs confutandis, qui vel inani fuco externarum ceremoniarum Deo ſeruiri, vel nos ex operibus iuſtificari ſentiũt: cùm opera bona facere non poſſimus, niſi cor prius purificatum ſit fide in Chriſtum, qui nos ſpiritus virtute ex ſemine verbi ſui regenerat.

Sermo animi index. *Admonemur præterea, quo indicio tam noſipſos quàm alios homines probare debeamus. Ex ſermone nimirum, qui certiſſimus animi index eſt. Neq; hic mihi eos aliquis obijciat, qui longè alia quàm in animo tegant loquuntur. Nam horum quoq; ſermo animum fraudulentum & doloſum indicat, vt mendacia mendacem, blaſphemiæ & execrationes impium, ſermones ſpurci obſcœnũ & libidini deditum arguunt. Eadem eſt omnium aliorum affectuum ratio, quos facilè ex verbis deprehendet, qui hæc non oſcitanter obſeruauerit. In eo autem ſimul ingens apparet noſtri ingenij corruptio. Tam enim notum eſt omnibus, quod modò diximus, vt gentium quoq; philoſophi illud nequaquam ignorauerint, qui ideo linguam fræno coercendam eſſe monuerunt. Docent hoc ipſum ſacræ literæ, in*
Pſal. 34. *quibus admodum memorabile eſt, quod Dauid dicit: Quiſquis vitæ cupidus es, & optas videre dies bonos: Serua linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Quod ne temere dictum putaremus, Deus linguæ ſitu hoc admonere voluit, rem præcipi obſeruatu cumprimis neceſſariam. Nec enim vllum in humano corpore membrum eſt, quod tot clauſtris natura munierit, quot linguæ oppoſita videmus: quæ ex pectore ſurgens per fauces in os extenditur: vbi infra quidem mandibulis, deſuper palato ceu fornice quadam, cui cerebrum impoſitum eſt, munitur, obiectos autem ſibi habet dentium ordines, qui inſtar muri illam coerceant. Docent iſta minimè permittendum eſſe, vt temere vagetur lingua, ſed prius animo concipi debere quæ loquamur, & ſimul inter loquendum adhibendam prudentiam, quæ tritum illud ſubinde nobis in mentem reducat, Lingua quo vadis? Adde his exempla innumera eorum, qui vel ſeipſos, vel patriam dulciſſimam, vel amicos, imò totas gentes linguæ petulantia in extremum exitium adduxerunt. Ea tamen eſt noſtri ingenij peruerſitas, vt plerique hominum nulla iſtorum omnium ratione habita, omnes honeſti & æqui limites tranſiliant & ex eo non poſtremam voluptatem capiant, ſi vel maledicendo, vel mentiendo, vel*

do, vel turpia & obſcæna loquendo animi improbitatem exaturare poſſunt. Non immerito igitur Apoſtolus linguam ἀκατάσχετον κακὸν, id eſt, malum dixit, quod nulla ratione ſe coerceri ſinat. Ex eo igitur apparet totius naturæ noſtræ corruptio, & quo loco ſimus, niſi aliunde nobis remedium accedat. Ex ſermonibus tuis (inquit Chriſtus) iuſtificaberis, & ex ſermonibus tuis condemnaberis. At ſermones noſtros plerunque vitioſos eſſe nemo negauerit, niſi qui cum ſenſu pudorem quoque omnẽ abſterſit. Damnemur ergo oportet, niſi nobis Chriſtus ſuccurrat, in cuius lingua non eſt dolus, quiq́; ſuam iuſtitiam nobis per fidem communicat. Horum itaq; memores, primò quidem ſuas linguas ſinguli frænare diſcant: deinde aliorum ſermones, & imprimis eorum, qui doctores habentur, obſeruent, neq; aliquem audiant, qui nos à Chriſto Ieſu abducere ſatagit, in quo vno vita & ſalus inuenitur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Iac. 3.
Matth. 12.

HOMILIA LXIIII.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico? Quiſquis venit ad me, & audit ſermones meos, & eos præſtat, indicabo vobis cui ſit ſimilis. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit & excauauit, poſuitq́ue fundamentum ſuper petram. Vbi autem venit inundatio, illiſum eſt flumen domui illi, ſed non potuit eam quatere: fundata enim erat ſuper petram. Qui autem audiuit eos, nec præſtitit, ſimilis eſt homini, qui ædificauit domum ſuam ſuper terram abſque fundamento: cui illiſum eſt flumen: itaque ſtatim cecidit, fuitq́ue ruina domus illius magna.

EXpoſita eſt hucuſque concio filij Dei Ieſu Chriſti ſaluberrima, quæ omnem fidei & ſalutis noſtræ rationem abunde complexus eſt. Primò enim aduerſus corrupta & falſa huius mundi iudicia oſtendit, in quo ſummam hominis bonum & vera felicitas conſiſtant, & hanc non in terrenis & fluxis huius ſeculi bonis, ſed in cœleſtium atque æternorum ſpe quærendam eſſe docuit. Deinde ad Legis interpretationem acceſſit, & quia eorum quæ ad vitam rectè inſtituendam faciunt, compendium eſt dilectionis præceptum, de hoc ita diſſeruit, vt oſtenderit, non ſolum maleficia prohiberi, aut officia externa præcipi, ſed ipſum animum requiri, qui à nocendi ſtudio ſiue cupiditate alieniſſimus, ad iuuandum verò & benefaciendum promptus & procliuis eſſe debeat: adeò vt inimicorum quoque ſaluti conſultum eſſe cupiamus. Quod cùm de omnibus præceptis intelligi debeat, quæ ſimiliter hominem totum, quoad animum & corpus, Deo in obſequium vendicant, ſatis apparet, neminem eſſe mortalium, qui Legem ſuis viribus præſtare poſſit, & proinde nobis alia iuſtitia & ſatisfactione opus eſſe, ea nimirum, quam nobis Deus per filium ſuum in Ieſu Chriſto offert, & quæ per ſolam fidem apprehenditur. At quia hanc præpoſtera Legis interpretatione & falſæ doctrinæ traditionibus Phariſæi & Scribæ obſcurabant, vel potius euertebant, tertio loco de illis cauendis admonitionem grauem & diligentem interpoſuit, quam nuper audiuimus. Sequitur nunc totius concionis concluſio, quæ grauiter admodum docet, hæc non conſilia modò eſſe (vt Sophiſtæ noſtrorum operum atque meritorum aſſertores, nugantur) ſed præcepta ſeria, quibus neceſſariò omnes eos obedire oporteat, qui ſeruari velint. Continet ergo locus iſte doctrinam vtiliſſimam & noſtri ſeculi hominibus imprimis neceſſariam, atque ideo dignam, in cuius conſideratione non oſcitanter verſemur.

Propoſitio & ſumma eſt, Neminem ipſius ſeruum aut diſcipulum, atque ſalutis in ipſo exhibitæ conſortem fore, niſi qui præceptis ipſius obedierit. Et vt maius orationi pondus accedat, interrogatione illam figurat, & ad eos conuerſus, qui ipſum magiſtrum & dominum ſuum profitebantur, ait: Quid autem vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico? Habent ergo hæc indignantis ſpeciem, quæ non ſine ſtomacho inanem & fucatam fidei profeſſionem reijcit. Hoc ipſum tamen Matthæus ſeptimo Capite prolixius exponit his verbis: Non quiſquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui facit quod vult Pater meus, qui in cœlis eſt. Multi

Chriſtianorum eſt facere quæ Chriſtus docet.

dicent mihi in illo die: Domine Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes edidimus? Tunc autem profitebor eis: Nunquam noui vos: diſcedite à me qui facitis iniquitatem. Quod ergo in præſenti ait: Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico? Hoc apud Matthæum ſic enuntiat: Non quiſquis dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit quod vult Pater meus, &c.
Ioan. 7. Vnde colligimus, doctrinam Chriſti eandem eſſe cum voluntate Patris, adeoq; illum huius eſſe interpretem. Quod apud Ioannem apertius docet, cùm ait: Doctrina mea non eſt mea, ſed Patris qui me miſit. In præſenti autem non obſcurè admonet, quando Euangelium in orbe prædicatur, nunquam defuturos eſſe, qui ad illud animo fucato & à fide vera alieno accedant, quiq; intra animos ipſorum latentem impietatem ementita nominis Chriſtiani profeſſione pallient. Et quia huius mali ferè præcipui authores ſunt falſi antiſtites, quorum vita acq; mores doctrinæ minus reſpondent, quiq́; ſua licentia rudes & imperitos ſeducunt, in Matthæo aduerſus hos imprimis orationem dirigit, quam hic in genere ad omnes extendit.

Chriſtianiſmus in obſeruatione præceptorũ Dei conſiſtit.

Docet autem hoc loco Dei filius, Chriſtianiſmum ſeu religionem Chriſtianam non in externa fidei profeſſione aut qualibuſcunque alijs rebus externis conſiſtere, ſed in præceptorum Dei & voluntatis eius obſeruatione. Nominantur enim apud Matth. ex ordine, quæcunq; in eccleſia ſemper maximi momenti fuerunt. Primùm prophetia, id eſt, ordinaria verbi Dei prædicatio: qua nihil ſalutarius & magis neceſſarium, quamq́ue Paulus cognitioni linguarum & omnibus donis ſpiritualibus, quorum in eccleſiæ adminiſtratione vſus eſt, præferre conſueuit. Deinde dæmoniorum profligatio ſiue eiectio, quam proprium Chriſti opus eſſe conſtat, cùm ideo ille in mundum venerit, vt caput veteris ſerpentis conterat, & opera diaboli deſtruat. Coniungit his virtutes, quibus tota edendorum miraculorum facultas compræhenditur. Et ne de ijs loqui videatur, quæ per magicas artes & media illicita fiunt, disertè eorum meminit, quæ in nomine Ieſu Chriſti fiunt. Neque illos falſi arguit, aut quòd mendaci iactantia ſeſe oſtentent: ſed hæc omnia illos feciſſe concedit. Poſſunt enim Verbum Dei prædicare, qui fide vera deſtituuntur, imò multos horum præ alijs facundia & interpretandi facultate inſtructos eſſe videmus: quod de ſuis quoque æmulis Paulus non vno loco fatetur. Ita in Chriſti nomine dæmonia eiecit, & infinita alia miracula fecit Iudas proditor, cuius veſtigia poſteris temporibus multi alij ſecuti ſunt. Et permittit hoc Chriſtus, vt eò luculentior ſit ipſius virtus, quando in ijs etiam ſeſe exerit, qui nomen ipſius abſque fide prætexunt. Quid verò de omnibus illis idem dicit? Nunquam noui vos, id eſt, nunquam pro meis ego vos habui, neque eſtis ex electorum meorum numero. Ideo procul à me faceſſite, qui facitis iniquitatem. Qui enim germani Chriſti diſcipuli ſunt, ij eiuſdem ſpiritu aguntur, qui illos iniquitatis operarios ſiue mancipia eſſe non ſinit. Quòd ſi verò iſta non iuuant, quæ abſque peculiari ſpiritus operatione non fiunt, quid obſecro de nudis & inanibus ceremonijs dicemus, quæ in ſola corporis exercitatione conſiſtunt,
1.Tim. 4. quam Paulus cum vera pietate conferens, ad nihil vtilem eſſe ait? Poteſt hoc Prophetarum teſtimonijs probari, apud quos Deus frequenter circuncisionem, dies feſtos, cœtus & ſacrificia, adeoque omnes Leuitici cultus ceremonias, quas ipſe in Lege tradiderat, reijcit, eò quòd circa has occupati veræ pietatis officia negligerent, & manus ſanguine pollutas ad ipſum extenderent. Et ad Chri-
2.Tim.2. ſti verba Apoſtolus reſpicere videtur, quando in poſteriori ad Timotheum ait: Nouit Dominus qui ſint ſui: & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Chriſti. Ex quibus colligimus voluntatis Dei & præceptorum eius obſeruationem neceſſariam eſſe omnibus, qui Chriſti diſcipuli cenſeri volunt. Nam qui illam negligunt, ij oris proprij profeſſione conuincuntur. Olim Deus per
Malach.1. Malachiam Iudæis ipſo patre & domino gloriantibus dicebat. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Si ergo ego pater ſum, vbi honor eſt meus? Sin dominus ſum veſter, vbi mei timor? Idem ergo ijs dicetur: qui Chriſto domino & ſeruatore glориantur. Si me Dei filium agnoſcitis, cur non debito honore me proſequimini? Si me veſtrum redemptorem & dominum profitemini, cur non mihi obeditis? Si item Mediator ille ſum, qui vos cum patre in gratiam reduxi, cur non huius voluntati obeditis? Et quàmuis iſta non ſemper auribus noſtris Chriſtus ingerat, cogitemus tamen ad nos pertinere quæcunque olim alijs in hanc ſententiam dicta ſunt, neque extinguamus Spiritus ſancti ſuggeſtiones, quibus hic nobis aurem vellicat & officij admonet. Meminerimus

item,

item, quàm graue olim futurum ſit, ſi hæc nobis exprobrantẽ Chriſtum audiemus, quando ab eius ore vniuerſa corporum & animarum noſtrarum ſalus pendebit.

Interim ſcandalo etiam medetur hic locus, quod ex eorum defectione aut contumacia naſcitur, Nemo doctorũ uitijs offendatur. qui in eccleſia primatum tenent, & illius columnæ eſſe videntur. Eſt hoc obſeruatu non minus neceſſarium quàm vtile. Nam ſi quid illi præter officium & à fidei profeßione alienum faciunt, mox diuerſa hominum iudicia audire licet. Alij enim, qui doctrinam de fide in Chriſtum hoſtiliter oderunt, ex illorum exemplo occaſionem arripiunt, qua religionem Chriſtianam proſcindunt, & quæ de illa in ſacris literis traduntur dicacitate plus quàm ſcurrili in dubium vocant. Alij verò non mali, ſed tamen rudiores adhuc & rerũ imperiti, exemplis eiuſmodi offenſi, partim ipſi quoq; dubitare incipiunt, partim ſuæ ſaluti metuunt, & vix ſibi certum quid de ſua perſeuerantia polliceri poſſunt, quando eos tam parum ſui officij memores eſſe vident, qui præcipuam doctrinæ & fidei exiſtimationem in eccleſia ſuſtinent, & quorum opera Deus aliquando in regno ſuo propagando non infeliciter eſt vſus. Sed tunc nobis in mentem veniat, Deum etiam malis & improbis bene vti poſſe, & miniſterij efficaciam minimè ab hominum dignitate pendere. Neque nobis talium lapſus terrorem aut propriæ ſalutis dubitationem incutere debet: quando ex illo conſtat, eos nunquam ex electorum Dei numero fuiſſe, neque Chriſtum illos pro eccleſiæ ſuæ membris vnquam agnouiſſe. Nam huius oues de manu eius nemo poteſt rapere: & ſi ex nobis illi eſſent (vt cum Ioanne loquamur) vtique nobiſcum manerent, &c.

Cæterùm vt verborum Chriſti ſenſum rectius intelligamus, probe tenere oportet, quæ nam illa Voluntas Dei quæ. Patris voluntas ſit, quam cum illius doctrina ſiue mandatis eandem eſſe ſupra diximus. Exponit huius ſummam paucis verbis Ioannes Apoſtolus, ſic ſcribens: Hoc eſt præceptum eius, vt creda- 1.Ioan.3. mus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alij alios, ſicut mandauit nobis. Duobus ergo capitibus tota Chriſti doctrina & Patris voluntas compræhenditur. Primum fides eſt, qua Chriſtum appræhendimus. Docet hoc ipſe, Ioannis ſexto Cap. quando hoc opus Dei vocat, vt in eum credamus quem ille miſit. Et paulò poſt apertius ait: Hæc eſt voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Conſentit his Ioannes Baptiſta, qui cæcam diſci- Ioan.3. pulorum ſuorum æmulationem, qua aduerſus Chriſtum accenſi erant multis corripiens inter alia dicit: Is quem miſit Deus, verba Dei loquitur: nõ enim huic admetitur Deus ſpiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui verò non paret Filio, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper eum. Neque iſta ex ſuo cerebro tam grauiter Ioannes pronuntiat. Audiuerat enim Dei Patris vocem, quæ cœlitus inſonuerat: Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo placatus ſum: hunc audite. Porrò definit veram fidem Apoſtolus, quando præceptum Dei eſſe ait, vt credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, id eſt, ſi talem eſſe credamus, qualis nomine ſuo deſcribitur, & verbo prædicatur. Nomen Filij Dei in carne manifeſtati eſt Ieſus Chriſtus. Ieſus ſeruatorem ſignificat: & huius nominis rationem reddit Angelus, quòd populum ſuum ſeruet à peccatis ipſorum. Chriſti autẽ Vncti vox modum ſalutis exprimit: quòd nimirum Rex & Sacerdos corporis & ſanguinis ſui ſacrificio peccata mundi expiarit, & placata Dei ira iuſtitiam reduxerit ſempiternam: quòdque hoſtem noſtrum diabolum deuicerit, inferos debellarit, cœlos nobis patefecerit, denique nos aſſeruerit in filiorum Dei libertatem. Qui illum ita agnoſcunt vera & conſtanti fide, ij nomini eius credere dicuntur. Et cum fide hac totus Dei cultus coniunctus eſt, tam internus quàm externus. Nam qui ſic credunt, ij intra animos ſuos purificati, Deum in ſpiritu & veritate adorant, & ſimul ſacra externa omnia ſecundùm eius voluntatem, quam in Verbo ſuo manifeſtauit, inſtituunt. Etſi ergo Chriſtus hoc loco de ſolis operibus externis loqui videatur, quæ ad mores & vitæ conuerſationem pertinent, non excludit tamen fidem: ſed hanc imprimis exigit, vt quæ voluntatis Patris ſui præcipuum caput, vitæ autem Chriſtianæ principium atq; bonorum operum fons eſt. Hoc quia multi non obſeruant, de ſolis operibus tumultuantur, & dum Chriſtiani veri haberi volunt, Chriſtum gloria ſua ſpoliant. Præ alijs verò hîc offendunt Aanabaptiſtæ, qui cùm iuſtificationis doctrinam minimè intelligant, & proinde circa externa ſola occupentur, mox ab eccleſijs diſcedunt, in quibus non omnia pro ſuo arbitrio fieri vidẽt, & quaſi omnis eccleſiarum ſalus in excommunicatione conſiſtat, pro hac vna pugnant: dumque

eccleſiam fingunt numeris omnibus abſolutiſſimam, eccleſias quidem omnes ſcindunt & turbant, ipſi verò nullam conſtituunt, ſed erronum & cerebroſorum hominum conuenticula eccleſiæ nomine palliant, & ita fucum faciunt imperitis, qui in fide Chriſti nondum rectè inſtituti ſunt. Probè ergo teneamus, primum voluntatis Dei, & doctrinæ Chriſti caput eſſe fidem, & proinde non ab operibus, ſed ab illa nobis incipiendum eſſe, ſi Deo probari velimus. Nam ſine fide fieri non poteſt, vt quis illi placeat, eò quod quicquid ſine fide fit, peccatum eſt. Vide Hebr.11. Roma.14. Alterum caput eſt diuinæ voluntatis vt alij alios diligamus, ſicut mandauit nobis. At dilectionis veræ exemplum in ſemetipſo nobis ille propoſuit, qui ita dilexit nos, vt pro nobis mori voluerit: & tunc quidem, quando filij iræ & inimici eramus. Porro dilectiona omnia alia legis præcepta comprahendi, iam ante diximus: & quia eadem proximum (vt Paulus ait) non afficit malo, & vitam om-
Rom.13. nem prorſus innocuam reddit, conſummatio Legis non immerito dicitur. Et hæc illa ſunt, quæ in Euangelio Chriſtus vbique præcipit: neque prolixa locorum recitatione opus eſt, cùm ſcripturas legentibus paſſim occurrant. Sufficiat nobis, quòd de præcipuo mandatorum Dei à Scriba quodam interrogatus, reſpondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Illud eſt primum & magnum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, vt teipſum. Qui ergo his ſtudent, ij patris voluntatem faciunt, quam nobis Chriſtus tradidit. At qui iſta negligunt, Chriſtiani autem nihilominus dici volũt, ijs in præſenti ille loquitur, & iiſdem falſam nominis ſui profeſſionem exprobrat.

Auditorum Chriſti genera duo. Porro vt magis excitet nos, rem hanc fuſius exponit, & duo facit auditorum Euangelij genera: alterum eorum, qui illud cum fide & ſerio diſcendi ſtudio audiunt: alterum eorum, qui (vt apud prophetam dicitur) ore appropinquant, corde autem procul abſunt, & proinde nihil in vera pietate proficiunt: ſimulque quid vtroſque maneat, docet. Vtitur autem parabola ab ædificantibus ſumpta, quæ in ſacris literis frequens eſt. Nam & Paulus nos Dei ædificationem eſſe dicit, & Petrus
1.Cor.3. 1.Pet.2. grauiter monet, vt ſupra Chriſtum, qui unus ille & pretioſus lapis eſt, ipſi quoque viui lapides ædificemur in domum ſpiritualem & ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias Deo acceptas per Ieſum Chriſtum. Videtur autem in præſenti eandem parabolam proponere Chriſtus, vt ſimul infelicem hominum ſocordiam arguat, qui cùm in extruendis terrenis ædificijs, quæ ad huius modò vitæ vſum faciunt, tam induſtrij & prouidi ſint, tamen ſecuri nimis ea negligunt, quæ ad ſanctum illud & ſpirituale ædificium pertinent, ſine quo æterna hominis ſalus conſiſtere non poteſt. Summa enim & ſenſus parabolæ eſt: Euangelij profeſſionem inutilem, imò periculoſam eſſe, niſi illius doctrina intra animos noſtros radices profundas agat, vt vero ſalutis fundamento innixi fructus bonos faciamus & ad omnem euentum in fide fortes & inconcuſſi ſtemus.

1.Auditores ueri. De verè pijs & induſtrijs auditoribus ſic loquitur: Quiſquis venit ad me, & audit ſermones meos, & eos præſtat, indicabo vobis cui ſit ſimilis. Similis eſt homini ædificanti domum, qui fodit & excauauit, poſuitque fundamentum ſuper petram. Vbi autem venit inundatio, illiſum eſt flumen domui illi, ſed non potuit eam quatere: fundata enim erat ſupra petram. Quo loco de duobus nos admonet. Primò ſtudia & mores eorum deſcribit, qui Verbum Euangelij rectè audiunt. Vbi primum eſt, quòd illos fodere & excauare dicit. Ita verò innuit, illos non obiter modò audire, & eorum quæ dicuntur ſonum auribus ſolis captare, ſed eadem in ipſos animos dimittere: quos ſimul diligentius ſcrutentur & expurgent, vt verbo in illis locus ſit. Vt enim qui domum nouam extruere inſtituerunt, ante omnia ipſam ædificij futuri aream præparant, rudera vetera demoliuntur, cumq; his terram quoque egerunt, & eò vſq; fodiunt, donec ſolidum quid inueniant, cui ædificium totũ tutò inniti poſſit. Ita tũ in nobis multæ ſint ſuperſtitionis veteris vel cognatæ nobis malitiæ reliquiæ, quæ nos à Deo abducunt, nunquam poterimus in animis noſtris domũ illam ſpiritualẽ ædificare, quã ille inhabitet, niſi à diligenti & laborioſo examine initium fiat, quo ipſos animos noſtros & corda ſcrutemur & eiectos omnibus veræ pietatis impedimẽtis, verbũ imis cordibus reconditũ probè aſſeruem⁹: vt infra in ſemẽtis parabola amplius dicetur. Quod vt fiat, neceſſe eſt, vt adminiſtri verbi auditores adiuuent, & ipſi in eorum animos altius penetrent arguendo ea, quæ illi aliâs in ſeipſis vix agnoſcunt.

agnoſcunt. Deinde veri illi & germani euangelicæ doctrinæ auditores fundamentũ ponũt ſuper pe-
trum. Loquitur autem de æternæ ſalutis fundamento, ſeipſo nimirum, quem Paulus poſtea funda- Epheſ.2.
mentum prophetarum & apoſtolorum dixit, eò quòd tam hi quam illi ſalutem hominum in nullo
alio inueniri docuerunt. Apud Iſaiam enim ſic ait Dominus: Ecce ego fundo in Zione lapidem, la- Iſa.28.
pidem probationis, angularem, pretioſum, ſolidiſsimum fundamentum: quiſquis credit in eum, non
pudefiet. Et Petrus Apoſtolus, cui ex huius petræ confeſsione nomen impoſitum fuit, in Hieroſoly-
mitano Senatu Iſaiæ locum de Chriſto interpretans, in communi omnium apoſtolorum perſona ait:
Hic eſt lapis ille pro nihilo habitus à vobis ædificantibus, qui factus eſt caput anguli: neque eſt Acto.4.
in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo, quod datum ſit inter homines, per quod
oporteat nos ſeruari. Et eòdem pertinent, quæ idem Apoſtolus de hoc vnico fidei & ſalutis noſtræ
fundamento in prioris epiſtolæ ſuæ cap. ſecundo prolixè diſputat. At in Chriſti verbis obſeruatu
digniſsimum eſt, quòd germanos doctrinæ ſuæ auditores magno quidem ſtudio & induſtria fodere
atque excauare dicit, vt omnia veræ pietatis obſtacula remoueant, ſeque totos in Dei obſequium
conſecrent: eoſdem verò totius ædificij ſui, id eſt, pietatis & ſalutis æternæ fundamentum non ſu-
pra ſua opera aut ſui ingenij vires, ſed ſuper petram ponere teſtatur: eam videlicet, quam illũ ipſum
eſſe modò demonſtrauimus. Vides ergo nihil facere eos, qui vel perfunctoriè & quaſi aliud agentes
verbum audiunt, vel ſalutis fundamentum aliud extra ipſum quærunt. Nam vt priores illi verbi
ſemen nunquam intra animos ſuos admittunt, & proinde ex eodem non poſſunt renaſci: ita iſti inani
labore ſeipſos fatigant, cùm (vt Paulus ait) nemo poſsit aliud fundamentum ponere, quàm quod
poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. 1. Cor. 3.

Alterum, de quo nos in præſenti Dominus admonet, eſt ſtudij huius & induſtriæ piorum fru- Fructus, quem
ctus. Vbi (inquit) venit inundatio, illiſum eſt flumen domui illi, ſed non potuit eam quatere, &c. ueri auditores
Per inundationem & flumen omnis generis tentationes intelligit, quibus piorum fides oppugnatur, referunt.
quàm primùm illi Chriſto nomen dant. Mox enim falſos doctores Satan excitat, qui vt ſingulis ne-
gotium faciunt, ita eccleſias totas turbant & ſcindunt. Obſtrepit præterea illis mundi exemplum,
neque deſunt, qui blandis & artificioſis ſermonibus illos monent, ne ſoli ſapere velint præ alijs, ne à
ciuibus, vicinis, amicis, cognatis temere ſeceſsionem faciant. Aries quoque in oppugnanda fide vali-
diſsimus eſt eorum felicitas, qui Chriſti doctrinæ aduerſantur. Imprimis autem terrificæ ſunt per-
ſecutionũ procellæ, quas ceu ex Æoli antro ſumma vi excitant, qui vt ſuperſticiones ſuas, aut quid-
uis agendi licentiam tueantur, Euangelij lucem extinctam volunt. At nihil horum eos vincere po-
teſt, qui ex verbi ſemine verè renati, certa ſalutis æternæ fiducia Chriſto nituntur. Nec enim falſæ
doctrinæ tenebris decipi poſſunt, qui lucem in Chriſto habent, quæ omnibus tenebris diſcutiendis ſuf-
ficit: neque mundi exemplo mouentur, qui ſe ex mundo hoc ſelectos eſſe norunt, & quorum ſapientia
Chriſtus eſt. Cur verò impiorum felicitas eoſdem offendat, quam incertam momentaneam & tri-
ſtiſsimis caſibus obnoxiam eſſe omnes fatentur, qui res huius ſeculi propius inſpiciunt? Durum qui-
dem & difficilè eſt, è ſolo natali in exilium eijci, in carceres abduci, regum & antiſtitum odijs in-
feſtari, ſumma iudicum authoritate damnari, vitam crudeli & infami ſupplicio finire, aut inopem,
nudum ſamelicum incertis ſedibus oberrare. Sed neque iſta Chriſtianos homines ex ſtatione ſua
deijciunt. Sciunt enim nihil ipſis fortuitum accidere, ſciunt ſe ſub Dei protectione eſſe, qui innocen-
tiam ipſorum aſſerere poſsit, patriam verò nos in cælis habere, & olim admirabilem fore rerum vi-
ciſsitudinem, vt nimirum ipſi cum Chriſto beati viuant & regnent, miſerè interim & nequicquam
apud inferos eiulantibus ijs omnibus, qui Chriſto ſeſe opponere & eccleſiam eius perſequi auſi fue-
runt. Horum igitur certa fiducia freti in omnibus aduerſis plus quàm victores ſunt, neque aliquid
eſt, quod eos ſeparare poſsit à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vide Roma-
norum octauo.

Tranſeamus nunc ad alterum genus auditorum, quod hypocritas & otioſos ſimulatores habet, Fucati audito-
qui verbum audiunt quidem, nihil autem eorum præſtant, quæ veros Chriſti cultores decent. Eos res Chriſti.
ſimiles dicit eorum, qui domum ſuam abſque fundamento ædificant ſuper terram. Nam ſi in illis
radices ageret verbum Domini, & fundamento vero niterentur, præſtarent procul dubio ea, quæ

cum vera nominis Chriſtiani profeßione coniuncta ſunt. Quid ergo faciunt? Audiunt quidem verbum, ſed obiter, & tantùm conſuetudinis ergò, ne prorſus ἄθεοι & ab omni pietate aut religione alieni videantur. Deinde ſuper terram ædificant, id eſt, non niſi terrena quærunt, neque corda ſua eò vſque ſcrutantur, vt carnem & huius ſtudia abnegent, mortificent atque abijciant. Itaque fidem & huius profeßionem cum Epicuræo Dei contemptu & effræni morum licentia coniungi poſſe exiſtimant. Quid verò fit? Ædificant etiam ipſi, & domum carnis iudicio ſpecioſam extruunt. Nam ieiunijs, preculis, ſacrificijs, veſtitu ſuperſtitioſo, geſtibus & ceremonijs externis ita ſeſe oſtentant, vt
Hoſ.6. *quantiuis pretij videri poßint. Sed hæc omnia (vt propheta ait) inſtar nubeculæ matutinæ & roris ſunt, neque diu poſſunt ſubſiſtere. Quia enim mundus hic neque pietatem veram, neque eius profeßionem ferre poteſt, mox illos etiam inundatio & tentationum omnis generis fluuij oppugnant. Quod ſi fiat, nihil apud illos ſolidum & ſtabile habetur. Nam quia nulla apud eos eſt ſolida Chriſti cognitio, incerti fluctuant, & quouis doctrinæ vento hinc inde agitantur. Exemplum verò mundi huius non poſſunt non magni facere, cùm toti ab huius iudicio pendeant. Eadem eſt felicitatis & ſucceſſuum ratio, quibus impios frui vident. Quia enim toti terrenis dediti ſunt, religionem omnem ex huius ſeculi ſucceßibus metiuntur. Quòd ſi vis quædam maior accedat, & tyrannorum minæ, Pontificum fulmina, ſuppliciorum triſtißimorum exempla audiantur, mox totis animis fracti concidunt. Nec temere dictum putabimus, ruinam iſtorum magnam fieri. Pudefiunt enim, dum quam proprio ore fecerunt profeßionis ſuæ teſtimonio conuincuntur, & eam quoq; abnegant, qua vna ſeſe palliabant. Deinde ſalutis ſpem ſimul omnem amittunt, cùm & Chriſto careant, & in externis omnibus nihil certi habeant. Itaque deſperatione ſuperati, peiores fiunt, quàm ſi nunquam credidiſſent,*
Matth.12. *& (vt Chriſtus ait) fiunt poſtrema eorum peiora primis: & ideo pœnas quoq; grauiores exoluent, quàm ij, qui ab omni fide & eius profeßione alieniſſimi fuerunt. Exempla huius mali multa paßim occurrunt. Debent illa nos terrere & excitare, vt verbum Dei animis verè pijs audiamus, auditum imo corde reponamus, & ex eo fructum feramus noſtra profeßione dignum. Fundamentum autem ſalutis nobis repoſitum ſit, in vno Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

CAPVT VII.

HOMILIA LXV.

CVm autem finiuiſſet omnia verba ſua audiente populo, ingreſſus eſt Capernaum. Centurionis autem cuiuſdam ſeruus malè affectus moribundus erat: qui erat ipſi pretioſus. Is verò cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret & ſeruaret ſeruum ſuum. Iſti autē cùm veniſſent ad Ieſum precati ſunt eum ſtudioſè dicentes: Dignus eſt cui hoc præbeas. Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ædificauit nobis.

Miraculi huius dignitas & uſus.

INTER *præcipua miracula aut ſigna, quæ Dei filius, Ieſus Chriſtus, in terris agens edidit, nequaquam poſtremum cenſeri debet, quod prima huius cap. parte Lucas deſcribit. Hoc enim non ſine grauibus cauſis & certo conſilio mox ſubiecit nobiliſſimæ illi concioni, qua omnia complexus eſt, quæ ad æternæ ſalutis rationem, & ad fidei atq; vitæ totius inſtitutionem nobis cognitu neceſſaria ſunt. Ita enim docet, Deum nunquam deeſſe verbi ſui doctrinæ aut prædicationi, quò minus aliquem fructum ferat. Vt enim Chriſtum à concione illa Capernaum verſus iter facientem ingens populi multitudo (vt Matthæus ſcribit) ſecuta eſt, quæ illi nouas occaſiones præbuit, vt & doctrinam ſuam ſignis miraculoſis confirmaret, & plures alios ad ſui cognitionem adduceret: Ita Dei verbum nunquam abſque omni fructu prædicatur, ſed (vt Iſaias ait) pluuiæ inſtar ſemper inuenit aliquot, quorum mentes irriget atque fœcundas reddat: & quicunque in eius miniſterio fideles fuerint, ij nouas quotidie occaſiones inuenient, quibus adiuti regnum Dei quàm latiſſimè pro-*

ſinè propagare poſſint. Deinde Deitatem ſuam hoc facto Chriſtus aſſerit, & ſe promiſſum illum humani generis ſeruatorem eſſe probat, penes quem ſit vita & mortis imperium, quique in ipſo etiam mortis articulo ſeruare poſſit. Præterea homini ethnico & viro militari benefacit, vt partim Iudæis in mentem reuocet prophetarum vaticinia de gentium vocatione, & oſtendat non defuturos, qui ipſum recipiant, etiamſi illi rebelles & increduli eſſe pergant: partim verò ciuiles ordines iſto exemplo confirmat, & oſtendit hos non obſtare, quò minus aliquis ipſum vera fide amplectatur, & ſalutis in ipſo particeps fiat. Poſtremò fidei exemplum hiſtoria hæc continet, quo vix vllum illuſtrius habetur, & quod ipſe Chriſtus publico teſtimonio nobis commendare dignatus eſt. Et de his quidem ſingulis ſuo loco dicetur. In præſenti totius hiſtoriæ occaſionem cum ijs, quæ in hanc inciderunt, Lucas deſcribit.

Occaſio.

Occaſionem miraculo dedit Centurionis cuiuſdam famulus aut ſeruus, qui ex morbo letali iam iam moriturus erat. Et quantum ex circunſtantijs omnibus colligere licet, centurio iſte præſidio præfuit, quod Capernai erat, & ex eorum militum numero fuit, de quibus capite tertio diximus. Quod ideo monemus, ne huius & aliorum exemplis, quorum mentionem Euangeliſtæ faciunt, ſibi ipſi patrocinentur noſtri ſeculi caret, qui neque legitimo magiſtratui militant, neque patriam & publicam pacem defendunt, ſed à quouis ſe conduci patiuntur, & abſque omni iuris & æqui reſpectu pro ſua libidine in omnes ſæuiunt, vt quæſtum faciant vberiorem. Contra hos ſuam ſententiam Deus iam olim per Moſem pronunciauit: Maledictus, qui accipit munus, vt percutiat ſanguinem innocentem, & omnis populus dicet, Amen. Et de ijſdem exponi debent, quæ apud Iſaiam capite trigeſimotertio & paſſim in prophetarum ſermonibus leguntur. Docent præterea omnium gentium hiſtoriæ, tales homines ferè potentiſſimis regnis exitium attuliſſe. Nec enim irrita fieri aut aboleri poteſt lex illa naturæ: Qua menſura vos metimini, eadem etiam vobis alij metientur.

Occaſio miraculi ex ſeruo.

Sed relictis illis nunc obſeruemus, quòd ſeruus tanto miraculo occaſionem præbuit. Conſtat enim ſeruorum conditionem apud veteres miſerrimam fuiſſe. Origo eius fuit ex Chamo, quem ob impietatem in patrem Noa hac pœna Deus mulctauit, vt eius poſteritatem ſeruituti addiceret. Paſſus quoque eſt iugum hoc poſteris temporibus magis magiſque aggrauari, vt luculentior fieret ipſius ira atque maledictio, quæ omnem impietatem perſequitur, & eam quidem imprimis, quæ in parentes peccatur. Habebant enim heri in ſeruos poteſtatem vitæ & necis, & his iumentorum loco abutebantur, vt hodie Turcæ & aliæ gentes barbaræ ijs vti ſolent, quos aut bello ceperunt, aut ære ſuo mercati ſunt. Eius conditionis hic quoque noſter fuit, quàmuis tolerabilior fuerit eius ſeruitus, quòd in herum incidit, qui eum in pretio habuit, nimirum quòd ſibi fidelem eſſe videret. Simul etiam Deus illum peculiari gratia complexus eſt, quando eum non ſolùm in morbo grauiſſimo ſeruauit, verumetiam organum præclarum eſſe voluit, quo Filij ſui gloriam illuſtraret, non ſine eximia piorum omnium conſolatione. Impletur ergo in illo dictum illud Chriſti: Super pauca fidelis fuiſti, ſuper multa te conſtituam. Qui enim in domo Centurionis fideliter ſeruiuit, etiamnum hodie in domo Dei, eccleſia, exemplo ſuo omnibus ſeruit, qui Deum verè colunt. Docet enim, Deum non faſtidire aliquem mortalium, quantùmuis vilem & abiectum, & beneficium illud ſalutis, cuius nobis author eſt Chriſtus, ad omnis loci & ordinis homines pertinere, adeò, vt in illo non ſit liber aut ſeruus, non diues aut pauper, non mas aut fœmina. Ex quo ſequitur, debere vnumquenque ſortem ſuam patienter ferre, neque cæco carnis affectu ad altiora aſpirare abſque certa & legitima Dei vocatione. Qui hoc faciunt, ij plerunque laboribus & periculis grauiſſimis & minimè neceſſarijs ſeipſos implicant. Inueniunt enim omnes in ſuo munere aut conditione quod agant, vt nouos labores accerſere nequaquam ſit opus. Rectè ergo Paulus monuit, ne quis ad altiora aſpiret, ſed vt nos humilibus accommodemus, & vt quiſque in ea conditione, in qua vocatus eſt, maneat. Viderunt hoc ipſum olim gentium ſapientes, inter quos prouerbio vulgari dicebatur: Spartam nactus es, hanc orna. Quod ſi omnes facerent, non tot curis atque moleſtijs multi priuatim grauarentur, & minus turbaretur totus terrarum orbis, qui ferè paucorum ambitione ſurſum deorſum verſatur, & tantum non euertitur.

Rom. 12.
1.Cor. 7.

Quanti referat cum pijs conſuetudinem habere.

Deinde admonemur huius ſeruuli exemplo, quanti referat cum pijs & fidis Dei cultoribus conſuetudinem habere. In alia familia iſte fortaßis corpore & anima periſſet. At quia hero pio famulatur, totus ſaluus fit. Meminerint huius, quicunque alijs ſeruiendo victum quærunt, ea tamen libertate vtuntur, vt herum ipſi pro ſuo arbitrio deligant, cui ſuam operam locent. Solent tales ferè lucrum ſpectare, & illis ſeſe addicere, apud quos ſalarij maioris ſpes affulget: multi quoq; vel otium ignauum, vel licentiam quærunt, & apud eos ſe melius habituros arbitrantur, qui ſuos domeſticos nulla diſciplina ſeueriori coercent. Sunt autem iſti plerunque miſerrimi, & dum corpori ſoli conſulunt, ſæpe infames fiunt, & infelices quoque animas nimia licentia in periculum adducunt. Exempla huius generis in vtroque ſexu multa occurrunt. Præcipua ergo cura ſit, vt heros inueniant honeſtos, probos & Dei timentes: deinde his fideles eſſe ſtudeant, neque dubitent de Dei fide, qui promißioni ſuæ, cuius ante meminimus, nunquam deerit. Debent in horum conſideratione parentes quoque diligentißimè verſari, qui & ipſi non rarò huius ſeculi ſplendore faſcinati, liberos ſuos malè perdunt, quando ipſis optimè conſultum volunt. Alij enim in aulas regum eos detrudunt, vbi aureis compedibus vincti ſeruitutem ſeruiunt miſerrimam inter illos, quorum conſuetudine corrumpuntur, vt vitam omnem inter comeſſationes ebrioſas, ſcorta, ludiones, ſcurras cum faſtu immani & impio omnis religionis contemptu tranſigant, & infelicia ſint Satanæ mancipia, dum præ alijs liberi videri volunt. Alij verò mercatorijs artibus ſuos inſtitui curant, & hoc agunt, vt quæſtum faciant negotiando: quod (qui huius nouißimi ſeculi mores ſunt) fieri non poteſt, niſi impoſturis, dolis, mendacijs & vſuris iniquißimis dent operam. At meminiſſe oportebat, quæſtum maximum eſſe pietatem cum animo ſua ſorte contento: dignitatem autem nullam poſſe homini maiorem obtingere, quàm vt Chriſti ſeruus ſit, qui vt Rex regum eſt: ita ſuorum ſeruitio ad nullas res inhoneſtas aut noxias abutitur, eoſdem neque licentia nimia, neque otio aut ignauia corrumpi ſinit: tandem verò ſuæ gloriæ & regni ſui conſortes facit. Eius enim promißio eſt: Volo, vbi ego ſum, ibi etiam ſit miniſter meus. Ioan. 12.

1. Tim. 4.

Centurionis uirtutes. Fides.

Sed tempus eſt, vt Centurionem quoq; videamus, cuius hic ſeruus fuit. Is cùm audiſſet de Ieſu miſit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſeruaret ſeruum ſuum. Paucis verbis virtutes viri huius multas & eximias Euangeliſta comprehendit. Mater atque origo omnium fuit fides, qua eum præditum fuiſſe, non obſcurè innuit. Audiuit enim de Ieſu, eius nimirum doctrina & operibus. Neque obiter & quaſi aliud agens audiuit, quæ de illo referebantur, ſed eadem diligenter conſiderauit. Hinc ſpes & fiducia illa enata eſt, vt ſeruo ſuo per hunc ſubueniri poſſe crederet, & ideo ad illum legationem honorificam inſtitueret. At quia de eius fide poſtea ipſe Chriſtus teſtimonium feret luculentißimum, iſta nunc annotauiſſe ſufficiat. Videamus autem ea, quibus fidem ſuam, quoad externam vitæ conſuetudinem, declarauit.

Charitas.

Occurrit hic primum humanitas ſingularis & dilectio, qua ſeruum proſecutus eſt, & ex qua colligi poteſt, qualis in totam familiam fuerit. Seruum hunc illi pretioſum, id eſt, charum fuiſſe, audiuimus. Ergo illum non canis aut iumenti loco habuit, vt tunc vulgus herorum ſolebat. Et cuius opera hucuſque vtiliter vſus erat, eum iam ægrotantem non negligit, multò minus contagij metu, aut ſub alio prætextu, domo eijcit, ſed amicè & humaniter fouet. Salutem denique eius ita cordi habet, vt præſtantißimos in Iudæorum gente viros propter ipſum fatigare non erubeſcat. Eſt hoc memorabile humanitatis exemplum, quod etſi latißimè extendi poßit, imprimis tamen heros admonet, quales in ſeruos ſuos eſſe debeant. Cogitandum illis ante omnia, quod etſi propter egeſtatem alijs ſeruire cogantur, homines tamen & eiuſdem cum ipſis naturæ conſortes ſint. In illis ergo ceu in ſpeculo conſiderent, quales ipſi futuri fuiſſent, niſi benedictione ſua eos ditaſſet Dominus, & quales adhuc fieri poßint, ſi ſuam gratiam ipſis ille ſubducat. Etenim exempla ſunt plurima eorum, qui ex fortuna lautißima ſubitò deiecti ad extremam inopiam deuenerunt. Dionyſius ille Siracuſanus, potentißimus ditißimusq; Siciliæ rex, regno & diuitijs exutus, Corinthi literas docuit, vt victũ ſibi pararet. Belliſarius item, ſupremus militiæ dux, poſt præclaras victorias & imperium à barbarorum incurſionibus ſua virtute liberatum, à Iuſtiniano exoculatus, ſtipem petijt, & mendicando vitam infelicem ſuſtentauit, qui paulò ante ferociſsimis gentibus terrori fuerat. Et in priuatis hominibus huius generis multa quotidie occurrunt, quæ docent, quàm incerta & fluxa ſit opum quantùmuis

maximarum

maximarum poſſeßio, & quàm facilè depauperentur, quorum theſauros multi inexhauſtos eſſe putarunt. Excitet ergo iſta conſideratio omnes, vt ſeruos ſuos homines eſſe meminerint, & propriæ ſortis memores, illorum laboribus non inhumaniter abutantur: imprimis autem curent, vt ſacro illo otio, quod illis in Sabbati lege Deus conceßit, frui poßint, vt & corpora ipſorum quiete, & animæ ſimul verbi Dei conſolatione atq; doctrina recreentur. Inexcuſabilis enim crudelitas, imò impietas eſt, eorum animas perdere, in quorum corpora tibi aliquod ius Deus eſſe voluit. Quòd ſi iiſdem aliquid humanitus contingat, vt vel morbis, vel laboribus, aut etiam ſenio debilitati, noſtra vicißim opera opus habeant, hanc illis nullo iure à nobis negari poſſe cogitemus. Hic enim imprimis locum habet illud Dauidis: Beatus, qui cordatè aut prudenter agit cum agro: in die mala liberabit eum Dominus. Etenim cùm cuiuis ægrotanti opem noſtram debeamus, nequaquam à nobis negligi debent, qui nobis prius fidele obſequium præſtiterunt. Neque Chriſtianorum nomine digni ſunt, qui vel barbara inhumanitate, vel crudeli auaritia abrepti, ſeruis ſuis durirer imperant, & eoſdem dum valent laboribus intolerabilibus fatigant, viribus autem exhauſtos, aut morbis correptos, vix canum loco habent, & aut domo eiiciunt, aut turpiter neglectos perire ſinunt. Ita certè non rarò impatientiæ & deſperationis authores ſunt iis, quorum patientiam atque fidem ſua humanitate fouere debebant. Quid autem de illis dicemus, qui rapinis & vſurariis artibus multos ad egeſtatem extremam redactos ſeruire cogunt?

Alterum, quo fidem ſuam teſtatus eſt Centurio noſter, religionis ſtudium fuit. Indicia eius non obſcura in Seniorum oratione commemorantur: quòd & gentem Iudæorum amauerit, & Synagogam Capernaiticam ædificarit. At nihil erat in ea gente (ſi carnis iudicium audias) amore dignum, cùm & omnibus modis miſera, & propter crebras ſeditiones Romanis exoſa eſſet. Amauit ergo eam hoc ſolo nomine, quòd adhuc Dei populus diceretur, & non contemnenda diuinæ bonitatis argumenta in illis elucerent. Apparet hoc in eo, quòd Synagogam illis ædificauit, in qua cœtus ſacros pro more agerent, legem Dei & prophetarum libros interpretarentur, & publicas preces facerent. Hunc enim Synagogarum vſum illis fuiſſe, alibi diximus. Ergo quod Centurio fecit, non ſolum magnæ impenſæ opus, ſed cum inuidia multa, cum odio, cum periculo coniunctum fuit. Erant enim Iudaici cultus apud Romanos publice inuiſi, vt in illius ſeculi poetis eſt videre, & (vt in Apolegetico ſuo Tertullianus ſcribit) peregrini ritus & religiones exteræ omnes Senatuſconſulto damnatæ erant. Magna ergo Centurionis huius fides fuerit oportet, ſi locum, quem tenebat, diligentius conſideres. Nos autem eius exemplo docemur, quibus exercitiis veræ religionis ſtudium teſtari debeamus. Primùm, amemus Dei populum, eccleſiam nimirum totam, & ſingula eius membra. Nec enim temere ab Ioanne dictum eſt: Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, quomodo Deum, quem non videt, diligere poterit? Deinde cultum Dei prouehamus, in quo primæ partes doctrinæ verbi debètur. Hæc enim nos de Dei voluntate certos facit, hæc ex verbi ſemine regenerat, & eadem vita totius curſum dirigit. Ideo olim principes viri ad Centurionis huius exemplum Collegia ædificarunt, iiſdem redditus annuos conſtituerunt, ex quibus à puero educarentur, qui poſtea eccleſiis docendo ſeruire poſſent. At hodie plures inuenire licebit, qui vt luxui ſuo ſufficere poßint, quæ ab aliis donata ſunt, per fas & nefas rapiant, quàm qui iſtorum liberalitatem imitentur. Et hæc in præſenti de Centurione hoc dicta ſufficiant, de reliquis eius virtutibus ſuo loco plura dicentur. Religio.

Nunc Iudæorum Seniores audiamus, qui legationem ſibi commiſſam diligentißimè obeunt. Ad Chriſtum enim veniunt, & non modò beneficium Centurionis nomine petunt, verumetiam dignum eſſe docent, cui Chriſtus benefaciat: Nam diligit gentem noſtram (aiunt) & Synagogam ædificauit nobis. Quo loco admirabile Dei conſilium elucet, & quàm facile illi ſit Filii ſui gloriam illuſtrare atque regnum eiuſdem prouehere. Etenim inter huius ſeculi honores quibus Reges potentißimi ſuam gloriam atque maieſtatem maximè oſtentant, ferè hic primus eſt, quòd in ipſorum aulas plurimi aliarum gentium atque principum legati confluunt, qui vel auxilia petunt, vel de rebus magnis & arduis cum illis conſultant, vel donis & muneribus magnificis eos venerantur. Ideo Dauid Chriſtum ſub Regis perſona deſcribens, inter alia canit: Reges maris & Seniores legatos agunt apud Christum.

Pſal.72. inſularum munera adferent: Reges Scheba & Saba honoraria adducent. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei, &c. Et hoc quidem vaticinium impletum eſt, quando diuerſarum gentium reges & principes ad Chriſti fidem acceſſerunt, & tam ſeipſos quàm regna opeſq; ſuas illi ſubiecerunt. At maius quid in præſenti fieri videmus. Nam Centurio Romanus (quæ illo tempore dignitas erat maxima) legatos mittit, qui illi ſupplices fiant, neque tantum virum eius pudet, qui inops, contemptus & pleriſque inuiſus hinc inde oberrabat, & ſedem certam nullibi habebat. Mittit autem, non ſeruulum, aut ex domeſticis ſuis aliquem, ſed ex Iudæorum gente Seniores deligit, qui primum honoris atque dignitatis locum in illorum eccleſia & repub. tenebant. Et hi ipſi ſe ad hanc legationem exorari patiuntur, & illius nomine Chriſto ſupplicant, quem (vt Euangelica hiſtoria paßim teſtatur) cane & angue peius oderant. Quòd ſi cauſam quæras, quæ illos mouit, non aliam dicere poſſumus, quàm diuinam Chriſti virtutem, quæ vel inuitos traxit, vt in eius conſpectum venirent, & ei ſupplices fierent. Et apparet hîc veriſsimè olim de Chriſto prædictum fuiſſe, quòd regnaturus ſit in medio hoſtium ſuorum. Debemus nos ex eo conſolationem petere, ne vllis aduerſariorum conatibus terreamur, quorum corda ſunt in manu Domini.

Seniorum peruerſitas. Deinde obſeruari hîc debet Seniorum iſtorum peruerſitas & plus quàm belluinus ſtupor. Nam vt Chriſtus homini alienigenæ & ethnico opem ferat, ſupplices orant, interim quam ille ipſis ſponte offerebat, gratiam ſecuri negligunt. Alibi quidem ſuæ incredulitatis cauſas varias adducunt, quibus illam excuſent & ſeipſos tueantur: at vnum hoc factum illis conuincendis ſufficit, & prorſus inexcuſabiles facit. Si enim non credunt, gratiæ Dei Mediatorem atque Seruatorem eſſe Chriſtum, cur Centurionem iſtum, quem magno ſuo merito amabant, ad illum recurrere ſinunt? cur non ab errore eum reuocant, & admonent, ne ab impoſtore opem petat? Quòd ſi credunt, aut aliqua ratione intra animos ſuos perſuaſi ſunt, illum aliquid poſſe (id quod hoc facto non obſcurè fatentur) cur non ipſi quoque in illo ſpem collocant? cur non credunt docenti? cur non ſuæ fidei creditum populum ad hunc remittunt? imò cur alibi execrabiles eſſe dicunt eos, qui relictis hominum traditionibus ipſum ſequebantur? Ita ſæpe ſuo ſeſe indicio produnt Chriſti hoſtes, & ſimile quid hodie illis accidit, qui

Ioan.7. Diuos colunt & inuocant. Si enim quæras, cur id faciant, non aliud reſpondere poterunt, quàm quòd feruentiſsimi gloriæ Chriſti vindices fuerint, & pro illo cruciatus & tormenta diriſsima perpeßi ſint, vt quàm plurimos ipſi adducerent. At ſi hoc ſeriò dicunt, & illos ideo tantis honoribus dignos iudicant, cur non ipſi quoque illorum veſtigijs inſiſtunt? cur non doctrinæ illorum obediunt, qui præter Ieſum Chriſtum, & hunc quidem crucifixum, nihil nouerunt?

Hypocritarum mores. Videmus præterea in iſtorum exemplo, qui hypocritarum mores ſint. Permittunt vt ad Chriſti gratiam ſiue opem centurio confugiat: at eadem ſibi opus eſſe minimè credunt, ſed ſuarum virium atque meritorum fiducia elati, ſe ſibiipſis ſufficere putant. Hoc ipſum in noſtri quoque ſeculi iuſtitiarijs eſt videre. Facilè enim admittunt, aliorum hominum eam eſſe corruptionem, vt gratia Dei, quam nobis Chriſtus acquiſiuit, opus habeant: imò tales ferè eſſe docent, quos Diuorum quoque meritis & interceßione adiuuari oporteat: In ſeipſis autem nihil huius agnoſcunt, ſed propriæ iuſtitiæ fiducia freti, gratiæ prædicationem oderunt, & ipſius Chriſti meritum hoſtiliter exibilant. Deinde etſi multa eſſent in Centurione laude digniſsima, ea tamen ſola commendant, quæ in ipſos contulerat. Diligit (inquiunt) gentem noſtram, & Synagogam ædificauit nobis. At hoc dicendo ſeipſos potius quàm illum commendant, quaſi tanta ſit ipſorum dignitas, vt quiſquis ipſis benefaciat, dignus ſit, quem Deus ſimul & homines ſuo fauore proſequantur. Quis verò non agnoſcat hîc Monachorum voces, quibus illi ſuos fautores laudare conſueuerunt. Amat (inquiunt) noſtrum ordinem, familiam noſtram omnem mirificè colit, fratres noſtros hoſpitio & menſa dignatur, ſacellum & altare in noſtro templo ædificauit, lucernas perpetuas inſtituit, reddituς noſtri collegij annuos auxit, &c. Iſta (inquam) illi homines tanti faciunt, vt cælo dignos eſſe pronuntient eos, qui aliquid huius facere ſolent. Et hinc ſuperbus ille titulus operum ſupererogationis enatus eſt, qui fraternitates & ſocietates peperit ſuperſtitionum plenas, & quibus Chriſti meritũ maxima ex parte euacuatur. Diſce igitur ex Seniorum iſtorum ſermonibus noſtros hypocritas agnoſcere, quorũ eò maior eſt impudentia, quòd ne ad Chriſtum quidem ſuos remittunt, & ad hunc recurrere volentes quocunque modo impediunt: imò hæreticos dicunt omnes eos, qui illum ſalutis authorem vnicum eſſe fatentur.

At priuſ-

At priuſquam dicendi finem faciamus, ijs reſpondendum erit, qui hoc exemplo abutuntur ad Contra Diuorum interceſſionem.
probandam Diuorum interceſſionem, qui iam pridem hac vita defuncti in cælis agunt. Centurio
(inquiunt) cuius fidem Chriſtus tantopere commendauit, apud ipſum aduocatis & interceſſoribus
vſus eſt: Ergo nos quoque interceſſoribus apud illum vti debemus. Quibus ego reſpondere poteram,
nimiùm abſurdè & ineptè eos facere, qui exemplum fidei & religionis petant ex ijs, quos à fide alie-
niſſimos & apertos Chriſti hoſtes fuiſſe conſtat. Centurionem quidem laude ſumma digniſſimum eſſe
dicimus, error tamen & plus quàm ruſticus pudor fuit, quòd non ipſe in Chriſti conſpectum venit.
Seniorum autem hæc arrogantia & impudentia fuit, quæ eos mouit, vt ſua authoritate ſe aliquid
effecturos putarent apud eum, quem odio perſequebantur. Sed nolumus hoc modo argumentum ad-
uerſariorum eludere, cum multæ aliæ rationes ſint, quibus ſolui & euerti poteſt. Primò enim illo- 1.
rum inſtituto exemplum hoc minimè conuenit. Nam controuerſia omnis inter nos eſt de defunctis,
an ſcilicet qui iam in beatorum patria agunt, pro nobis in terra viuentibus intercedant: at illi exem
plum proferunt eorum, qui adhuc viui pro homine viuente apud Chriſtum in terra adhuc verſan-
tem ſupplices fuerunt. Quis verò noſtrum, quò minus alij pro alijs, dum hîc viuimus, precentur, vn-
quam prohibuit? Qin hoc fidei & charitatis opus præcipuum eſſe dicimus, quæ vt hoſtium quoque
ſalutem noſtris precibus adiuuemus, iubet. Sic olim Abrahamum pro Sodomis interceſſiſſe legimus:
& Iobus ex Dei mandato pro amicis orauit, qui multa temere & imprudenter in diſputatione ad-
uerſus illum inſtituta effutierant. Et huius generis exempla in vtriuſque teſtamenti libris paſſim
occurrunt. Vt verò nobis interceſſores apud Chriſtum paremus ex defunctorum aut cælitum nu-
mero, id certè nullo ſcripturæ ſacræ teſtimonio, nullis item ſanctorum exemplis probari poteſt.
Manet (aiunt) charitas, & proinde qui in terris agentes olim omnes amarunt, nunc quoque nos in
hac lachrimarum valle laborantes amant, & Deum nobis iratum ſuis precibus placare ſtudent.
Atqui non negamus, charitatem inter Diuos cælites locum habere, & illud Chriſti agnoſcimus, qui
gaudium in cælis fore ait coram Angelis ſuper vno peccatore reſipiſcente. Sed charitatem eiuſmodi
illes tribuimus, quæ nullo mæroris aut triſtitiæ affectu turbetur. Nam ſi aliter ſtatuere velimus,
iam plorabunt etiam Diui, & ex hominum interitu plus doloris ſentient nunc, quàm olim cùm in
viuis agerent: quod vt beatitudini cæleſti aduerſatur, ſic etiam cùm ſcripturis pugnat, quæ in cælis
ſuſpiria atque gemitus ceſſare, & omnes lachrymas abſtergi docet. Et vt huius exempli veſtigijs Iſa.25.
inſiſtamus, vſus eſt quidem interceſſoribus Centurio, ſed nihil in horum gratiam fecit Chriſtus, qui Apoc.21.
(vt ſequentia docebunt) beneficium hoc totum fidei dedit, qua Centurionem præditum eſſe ſciebat.
Eſt idem in alijs quoque exemplis videre. Apud Canam Galilææ, cùm in nuptijs vinum deficeret,
de eo Dominum virgo mater admonuit, ſed reſponſum tulit: Quid mihi tecum mulier? Similiter
pro Chananæa diſcipulos interceſiſſe legimus, ſed hi quoque audiunt: Non ſum miſſus niſi ad oues
perditas domus Iſrael. Num verò Chriſtum tam inhumanum erga matrem, aut tam durum atque
difficilem erga diſcipulos fuiſſe dicemus? Nequaquam. Sed cauere voluit, ne errori feneſtram ape-
riret, quem circa Diuorum inuocationem oriturum eſſe ſciebat. Ideo Chananæa illa (quod Chry-
ſoſtomus quoque annotauit) cùm ipſa accederet, voti compos facta eſt, non cum alij prò ea preca-
rentur. Nos itaque Paulum audiamus dicentem: Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum,
homo Ieſus Chriſtus. Apud hunc autem alijs mediatoribus vel aduocatis minimè opus eſt, cùm ipſe
omnes qui laborant & onerati ſunt, ad ſe vocet, & neminem ad ſe venientem reijciat. Ipſi debetur
benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXVI.

Ieſus ergò proficiſcebatur cum eis, & cùm iam non longè abeſſet domo, miſit ad eum Centurio ille amicos, dicens illi, Domine, ne vexare: neque enim ſuum dignus vt tectum meum ſubeas. Ideo neque meipſum ſum dignum arbitratus, qui venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. Etenim ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, Proficiſcere, & profi-

ciſcitur: & alteri, Veni, ac venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit. Auditis autem his Ieſus admiratus eſt eum, & conuerſus dixit turbæ, quæ ipſum ſequebatur: Dico vobis, ne in Iſrael quidem tantam fidem inueni. Et domum reuerſi qui miſsi fuerant, ſanum inuenerunt ſeruum, qui ægrotus fuerat.

Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus apud Ioannẽ ſeptimo cap. ait: Doctrina mea non eſt mea, ſed Patris qui miſit me. Cauſa huius dicti eſt, quòd nihil quàm æternam Dei voluntatem continet, ex qua vniuerſa noſtræ ſalutis ratio dependet. Summa huius eſt, vt primò in ipſum credamus, quem ille nobis redemptorem dedit, & ita ſalutis per ipſum acquiſitæ participes efficiamur: Deinde vt illi ſeruiamus in vitæ innocentia, ſanctitate & mutua dilectione. Et hæc illa doctrina eſt, quam ſcriptura paſſim tradit & inculcat. Quia autem ad hæc pro noſtri ingenij vitioſitate tardiores ſumus, doctrinam hanc Chriſtus miraculis plurimis confirmauit: inter quæ admodum memorabile eſt, quod hîc deſcribitur. Nam re ipſa docet, ſe promiſſum illum humani generis vindicem eſſe, in quo vno ſalus inueniri poßit: Simul autem Centurionis exemplo nos Spiritus ſanctus admonet, quales eſſe debeant, qui in Chriſto ſeruari volunt. Et huc pertinent nonnulla, quæ nuper audiuimus. Sequuntur reliqua, quibus hiſtoria hæc abſoluitur.

Chriſti facilitas. *Occurrit primum, quòd Chriſtus, audita Seniorum legatione, mox iter ingreditur: non quidem eam ob cauſam, quòd abſens corpore non poſſet periclitanti ſuccurrere, ſed vt Centurionis fidem, quæ paucis adhuc verè cognita erat, in lucem protrahat, idque nobis omnibus in exemplum. Eſt autem diligenti conſideratione digniſſima hæc illius facilitas, qua & homini ethnico & Senioribus (quorum ordinem ipſi infenſiſsimum fuiſſe, nuper diximus) tam citò morem gerit. Vtitur eadem erga omnes, qui ad illius opem recurrunt. Sunt enim vniuerſales promiſsiones: Venite ad me* **Matt. 11.** *omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego requiem vobis præſtabo. Item: Quicquid dat mihi Pa-* **Ioan. 6.** *ter, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non eijcio foras. Confirmantur promiſsiones iſtæ infinitis exemplis, quæ Euangeliſtæ paſſim commemorant. Venerunt multoties ad Chriſtum mendici, quos proprij gentiles negligebant: at eoſdem ille humaniſſimè excepit. Venerunt morbis fœdiſsimis confecti & hulceribus putres, imò leproſi, quos lex ab hominum conſuetudine excludebat: quos tamen ille non in conſpectum modò admiſit, verumetiam contactu dignatus eſt. Venerunt peccatis & ſceleribus infames publicani & meretrices, ſed ne hos quidem faſtidiuit, quàmuis ex eorum conſortio ipſum calumniandi occaſionem phariſæi arriperent. Venit denique ex Phariſæorum (qui hoſtes eius acerrimi erant) grege Nicodemus, & quidem noctu venit, quòd ipſum adhuc illius puderet: nihilominus tamen amicè exceptum à primis fundamentis in fidei & ſalutis æternæ negotio inſtituit. Quid autem iſta commemoro, quando latronem, qui atrociſsimorum ſcelerum pœnas luebat, in extremo mortis articulo ad ſe conuerſum exaudiuit, & eidem reſpondit, Hodie mecum eris in paradiſo? Seruiunt hæc exempla ijs confutandis, qui nobis apud illum interceſſoribus opus eſſe aiunt. Faciunt iſti homines illi magnam iniuriam, quando immitem & inexorabilem fingunt nunc in cœlis, qui propter nos in terras deſcendere dignatus eſt, & omnes infirmitates noſtras in ſe recepit, vt fidelem Pontificem eſſe crederemus, qui nobis condolere poßet & compati. Ex his ergo conſolationem petamus in omni tentationis genere, ne nos ab illo negligi putemus. Nec enim noſtræ indignitatis Chriſtum pudet, & propè adeſt Dominus (vt in Pſalmis habetur) omnibus, qui ipſum inuocant. Quomodo enim ad ſe venientes & miſericordiam eius implorantes faſtidiat, qui tota die manus ſuas extendit ad populum rebellem & contumacem. Vide Iſa. 65.*

Centurionis humilitas & modeſtia. *Porro ad Centurionem redeamus, qui vbi Chriſtum ad ſe venire & iam non longè ab ædibus abeſſe intellexit, mox amicos ei obuiam mittit, qui eum moneant, ne tantum moleſtiæ ipſius nomine ſuſcipiat. Et rationes ſubijcit duas. Primam: Quia non ſum dignus, vt tectum meum ſubeas: & ideo neque meipſum ſum dignum arbitratus, qui venirem ad te. Alteram, Quia non opus eſt, vt domum meam ingrediaris, cùm rem hanc omnem ſolo nutu aut vno verbulo poßis conficere. Dic (inquit) verbo, id eſt, manda & præcipe quid fieri velis, & ſanabitur ilico puer meus. Quod ne temere elapſum putetur aliquis, proprio exemplo iſtud confirmat, ſic dicens: Etenim ego*

homo

homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, Proficiſcere, & proficiſcitur: & alteri, Veni, ac venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit. Subeſt his verbis multiplex comparatio, quæ ingenioſè admodum à minori ad maius argumentatur. Primum, Ego, (inquit) homo ſum, & quidem nihil quàm homo mortalis & ijs, quæ hominibus communia ſunt, obnoxius: at tu etſi in carne inter nos verſeris, es tamen verus & æternus Dei Filius. Deinde ego non ſum mei iuris, ſed ſub poteſtate conſtitutus, nimirum Tiberij Cæſaris miles: tu verò liber es, imò virtute diuina armatus es, & legitimum habes in cælo & in terris imperium. Poſtremò, ego ſub me habeo milites, qui etſi meæ conditionis ſint, & eidem domino ſeruiant, tamen mihi ſunt obedientiſſimi, & ad meum nutum atque iuſſum abeunt, veniunt, & quæcunq; abs me in mandatis acceperunt, diligentiſſimè exequuntur. Quid ergo non faciant te iubente Angeli tam boni quàm mali, morbi, imò mors ipſa? Hæc (inquam) omnia, & quæcunque alia in hanc ſententiam dici poſſunt, paucula hæc Centurionis verba comprehendunt.

Nos autem priuſquam ea tractemus, quæ propriè ad huius hiſtoriæ ſcopum faciunt, obiter videamus diſciplinæ militaris exemplum, quam apud Romanos ſeueriter admodum obſeruatam fuiſſe conſtat. Habebant hi legiones ſuas ex diuerſiſſimis nationibus conſcriptas, veruntamen tam ſeria & arcta apud illos fuit diſciplinæ ratio, vt Centurionibus quoq; nemo militum obloqui aut immorigerum ſe præbere auderet. Vnde colligere licet, quanta apud eoſdem legatorum, tribunorum & Imperatorum authoritas fuerit. Etenim exempla eorum non pauca extant, qui grauiſſimas pœnas dederunt, quòd contra Imperatoris edictum cum hoſte, quàmuis feliciter, pugnauiſſent. Fuit diſciplina hæc Romani Imperij ampliſſimum decus, & (vt Val. Max. qui hoc ipſo tempore ſcripſit, verbis vtar) ad ſtabilimentum imperij ſalutari perſeuerantia ad hoc vſque tempus ſeruata fuit. Videbant enim prudentiſſimi viri, nihil ad rempub. ſeruandam vtilius, nihil ad prouehendam Imperij authoritatem efficatius & magis neceſſarium eſſe, quàm obedientiam. Quia ſi hanc è medio tollas, nihil præter ordinum omnium confuſionem & ἀναρχίαν videbis, quæ omnia peſſundat ac diſſipat. Quod ergo in re militari antiquitus obſeruatum fuit, hoc ipſum ad omnes reipub. partes transferri, & non minus pacis tempore obſeruari debet: vt nimirum ſuam ſtationem ſinguli teneant, & debitam obedientiam ijs præſtent, quorum imperio ſubſunt. Vidit hoc nobilis illa Sabæorum regina, quæ cùm ad explorandam Solomonis ſapientiam longiſſimo itinere & impenſis maximis veniſſet, imprimis ſeruos atque aulicos miniſtros obſeruaiſſe legitur, quo ordine nimirum in obeundis ſuis muneribus vterentur, & quæ inter illos diſciplina ſeruaretur. Vt verò iſta locum habeant, ante omnia legibus bonis & ſanctis opus eſt: deinde vt his ipſi principes obtemperent, & ſic proprio exemplo legum authoritatem tueantur. Hodie leges quidem ferè paſſim bonas inuenies, at qui his ſubeſſe velint ex magnatibus non ita multi reperiuntur. Imò plerique authoritatem & gloriam ſuam in immunitate quadam tyrannica & petulanti legum atque diſciplinæ omnis contemptu conſiſtere putant. Quid ergo miniſtri publici faciant, quibus legum executio commiſſa eſt? Quid eccleſiarum doctores, quando magnatum exemplo populus ſeducitur? Hinc ergo fit, vt nemo vel publicè vel priuatim ſuam authoritatem obtineat: & huic malo debemus, quòd familiæ nobiliſſimæ collabuntur, quòd orbis Chriſtianus bellis ciuilibus turbatur, & Turcis diripiendus exponitur. Diſciplinæ militaris exemplum.

Sed quod præcipuum huius loci caput eſt videamus: Nimirum fidem Centurionis noſtri, & in hac veræ fidei ingenium atque effecta. Primum in hac occurrit, quod (vt nuper dictum eſt) ad ſolius Chriſti opem recurrit, quem à Deo ad homines ſeruandos miſſum eſſe credebat. Eſt hoc fidei caput, vt ſalutis ſpem & fiduciam omnem in ſolo Deo repoſitam habeamus, idq; per Ieſum Chriſtum, quem ille nobis ſuæ gratiæ Mediatorem conſtituit. Docet hoc omnis ſcriptura. Nam ſi fœdus cum Abrahamo factum inſpicias, Deum illi dicentem audies: Ego ſum Deus Schadai, id eſt, omnipotens & ad omnia ſufficiens, ambula tomm me & eſto integer: ponamque fœdus meum inter me & te, &c. At quia propter peccatum, & quæ ex hoc in nos deriuata eſt, maledictionem nulla nobis cum Deo communio intercedere poteſt, eidem Abrahamo ſemen illud promittitur, in quo gentes omnes benedici oporteat: quem non alium, quàm Chriſtum eſſe, Paulus ad Galatas disertè docet. Non alia ergo Abrahami, quem patrem credentium ſcriptura vocat, fides fuit, quàm quæ vno Deo per vnum Ieſum Chriſtum nititur. Hanc poſtea in lege etiam nos Deus docuit. Hanc prophetæ om-

Centurionis fides, & veræ fidei ingenium.

Gene. 17.

Galat. 3.

nos vno ore prædicant. Hanc in nouo teſtamento Apoſtoli nobis tradunt, neque aliam in Symbolo profitemur, quod Apoſtolicum dicitur. Ergo in ipſo limine, quod aiunt, offendunt, qui ſalutis ſpem non in vno Deo collocant, & in periculis ad creaturas quaſcunque recurrunt. Relinquunt hi omnes fontem aquæ viuentis, & ciſternas ſibi fodiunt pertuſas atque inutiles. Secundò à ſolo Dei verbo pendet Centurio, & hos ad quiduis ſufficere credit. Dic (inquit) verbo, & ſanabitur puer meus. Eſt hoc etiam fidei proprium. Quia enim ex verbo Dei illa enaſcitur, de eiuſdem veritate dubitare
Rom. 4. *nullo modo poteſt. Exemplum huius quoque fiduciæ in Abrahamo nobis Paulus monſtrat, quem contra ſpem ſub ſpe credidiſſe ſcribit, cum iam ſibi centenario ex Sara vetula & ad pariendum inepta (ſi naturæ leges ſpectemus) filium & poſteritatem innumerabilem promitti audiret. Non enim vel ſuum vel Saræ corpus emortuum reſpiciebat, ſed in vnum Deum intentus erat, quem & veracem & omnipotentem eſſe nouerat. Simili fiducia ergo omnes armatos eſſe oportet, qui germani Abrahami filij dici & haberi volunt. Et nulla venia dignus eſt illorum error, qui vel de Dei præceptis diſputant, vel eiuſdem promiſſiones in dubium vocant: quaſi verò ipſi videre poſſint, quæ ille non viderit, qui ipſiſſima eſt ſapientia. Tertiò etſi Centurio virtutibus maximis ornatus & fide (vt modò diximus) inuicta armatus eſſet, modeſtiſſimè tamen de ſeipſo ſentit, & toto animo ſeſe ad Chriſti pedes deijcit. Non ſum dignus (ait) ſub cuius tectum tu ingrediaris, aut in cuius conſpectum ego veniam. Et tales quidem nos facit fides. Nam quo propius ad Deum accedimus, & quò familiarius is ſuæ bonitatis atque gratiæ theſauros nobis offert, eò clarius videmus qui nos ſimus, & quàm indigni, quos ille tanta pietate complectatur. Exemplo hîc nobis rurſus ſit Abrahamus, qui apud Deum pro Sodomis interceſſurus, non ſuam dignitatem adducit, neque ſuis meritis gloriatur, ſed humili deprecatione vtitur dicens: En obſecro, induxi animum vt loquerer cum Domino meo, qui puluis ſum & cinis. Et Dauid cùm ſe nouis promiſſionibus à Deo augeri, & Meſſiam ex ſua poſteritate naſciturũ eſſe audiret, ſimili modeſtia reſpondet: Quis ſum ego Domine Deus, & quæ domus mea, quòd me tantoperè euehis? Quò etiam referri poteſt, quòd paſſim ſancti, ſe peccatores & Dei beneficijs indignos eſſe fatentur. Quibus omnibus Petri exemplum addi debet, qui cùm ex miraculoſa piſcium captura Chriſtum ſecum familiarius agentem agnouiſſet, mox ad pedes eius prolapſus clamauit: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. Arguitur his exemplis eorum confidentia, qui (vt Phariſæi olim) ſuorum operum & propriæ iuſtitiæ meritis freti, in Dei conſpectũ impudenter ruunt, & tantumnon cum illo rationes ineunt, vt quæ ipſis debentur præmia, ab illo repoſcãt. Neq; ideo bona opera à fide excludimus, quando his quoq; fidẽ ſuã Centurio noſter egregiè declarauit. Nam vt nuper audiuimus, Synagogam ædificauit, & Dei cultum qua potuit diligentia prouexit. Populum item dilexit, cui cum præſidio impoſitus erat, nec dubiũ eſt, quin ſuum erga illos amorem fideli defenſione & quotidianis beneficijs teſtatus ſit. Adhæc ſeruulum ægrotantẽ humaniſſimè tractauit, totuſq; in hoc fuit, vt eius ſaluti conſuleretur. Habet ergo exemplum hoc viuam veræ fidei imaginem, & hæc illa opera ſunt, quibus hodie fidem ſuã teſtari debebant, qui Euangelio gloriantur. At nimium infelices ſumus, quando pleraq; his contraria facimus, & quem ore profitemur, Chriſtum factis negamus: quod cùm res ipſa probet, demonſtratione alia non eſt opus.*

Centurionis fidem Chriſtus commendat. *Nunc quid Chriſtus Ieſus his auditis fecerit, videamus. Primò fidẽ hanc admiratus fuiſſe dicitur. Quod non eo ſenſu accipi debet, quaſi aliquid prius ſibi ignotũ audierit (ipſe enim nouerat quæcunque ſunt in homine, & non ſemel cogitationes quoq; diſcipulorum in lucem protraxit) ſed pro humanitatis aſſumptæ ratione hoc dicitur, in qua affectiones, quæ nobis natura adhærent, nobiſcum communes habet. Et facit hæc admiratio ad Centurionis commendationem, cuius fides non potuit non eximia eſſe quando tam Dei filius admiratione dignam iudicauit. Deinde ad populum conuerſus publicè illam prædicat, & non ſine totius Iudaicæ gentis ignominia ait: Ne in Iſrael quidem tantam fidem inueni. Quod non temere ab eo dictum eſſe patebit, ſi Centurionem cum Iudæis, & cum ijs quidem qui optimi inter illos erant, adeoque cum ipſius Chriſti diſcipulis conferas. Hi enim omnes communia fidei principia habebant, veteres nimirum promiſſiones, doctrinam legis, ceremonias typicas & prophetarum vaticinia: quæ omnia Ieſum Chriſtum vel palàm & verbis diſertis prædicabant, vel typis & figuris adumbrabant. Denique in omnium ore erat Meſſias, & aduentum eius iam in foribus adeſſe nemo ignorabat. Ergo portento ſimile videri*

poterat, quòd illum ſeſe doctrina & miraculis quotidie declarantem tam pauci agnoſcerent. At longè alia fuit Centurionis conditio, qui ex idololatris oriundus & in ethnicorum ſuperſtitionibus enutritus, nihil horum prius audierat, & qui pro more ſuorum hominum pro fabulis anilibus ea reputare poterat, quæ Iudæi de ſua redemptione garriebant. Etenim quis Romanorum crediſſet, eam gentem Deo peculiariter cordi eſſe, quæ omnium gentium infeliciſſima erat, & in qua diuini fauoris veſtigia nulla reſtabant? Magnam ergo fuiſſe oportet Centurionis fidem, quæ per tot obſtacula eluctari potuit. Deinde hunc à ſolo Dei verbo pependiſſe nuper diximus: at illi noua quotidie ſigna poſtulabant, verbum verò & doctrinam eius ridebant. Adhæc qui ex Iudæis crediderant, ij in corporis præſentia adhuc hærebant, neque eò vſque profecerant, vt illum abſentem aliquid poſſe crederent. Notum eſt enim Iairi exemplum, qui etſi illum filiæ iam morituræ opem ferre poſſe confideret, vrgebat tamen eum, vt feſtinus veniret, & illi manus imponeret. Sed & nobile illud ſororum par, Martha & Maria, etiamſi nihil non pro Chriſto facturæ erant, ei tamen dicunt: Domine, ſi fuiſſet hîc, frater noſter non fuiſſet mortuus. Loci ergo diſtantia impedicum putabant, quò minus ægrotanti potuerit opem ferre. Quid verò de diſcipulis dicemus, qui etſi ſexcenties illum de ſua morte, reſurrectione, aſcenſione & regno cœleſti diſſerentem audiuiſſent, eius tamen diſceſſu ita diſcruciati fuerunt, vt nihil eorum perciperent, quæ ab eo dicebantur? Vnde verò hoc? Ex eo nimirùm, quòd nondum intelligerent, corporis præſentia minimè opus eſſe ei, cuius diuina virtus per omnia extenditur. Itaque omnes iſtos longè ſuperauit hic Centurio, qui ſeruulo ſuo ſuccurri poſſe credidit, etiamſi Chriſtus tectum ſuum non ſubiret. At hodie, qui euangelicæ veritatis primi propugnatores haberi volunt, hæreticos nos dicunt, niſi etiam hodie Chriſtum corpore ſuo nobis præſentem eſſe fateamur: imò & Cœnam myſticam à nobis euacuari, & Chriſti omnipotentiam atque maieſtatem negari clamant, quòd illum corpore ſuo in cœleſti æternæ & beatæ immortalitatis loco reſidere affirmemus, & idem eius corpus manibus contrectari, aut realiter & oraliter (vt illi loquuntur) manducari negemus. Atqui nos hiſtoriæ euangelicæ narrationi & ipſius Chriſti verbis inſiſtimus, qui ſe poſthac in mundo fore negauit. Neque ideo omnipotentiam eius negamus, quando cum Centurione credimus, eius verbum nobis ad omnia ſufficere, & illum licet corpore ſupra omnes cœlos euectus ſit, ſuo tamen merito, ſua virtute, imò ſua carne & ſanguine nos alere & ſeruare ad vitam æternam: eo nimirum modo, quem ſola fides capit, & qui craſſa illa & corporea præſentia minimè opus habet. Quòd ſi verum dicere libeat, aduerſarij potius omnipotentiam Chriſti negant, & eius maieſtati derogant, quando nobis Chriſtum infirmiorem hodie fingunt, quàm olim fuerit. Olim enim, cùm mortali carne indutus in terris ageret, procul abſens corpore omnia videre, in abſentium cordibus operari, & ſalutem conferre potuit. At ſi iſtos audiamus, nunc nihil horum poterit, niſi corpus eius manibus noſtris palpetur, ori inſeratur, dentibus denique atteratur. Sic enim Nicolai Papæ verba ſonant, quæ illorum anteſignani omnino retinenda eſſe contendunt. Sunt hæc abſurda planè, quare ad alia properemus.

Nam vt Matthæus annotauit, Chriſtus huic de Centurionis fide teſtimonio magnificam promiſſionem de gentium vocatione, & comminationem grauem de Iudaici populi repudio inſeruit, his verbis comprehenſam: Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & diſcumbent cum Abrahamo & Iſaaco & Iacobo in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium. Confirmantur hoc Chriſti teſtimonio quæcunque de gentium vocatione olim prophetæ vaticinati ſunt, adeoq́; gentibus hoc loco oſtium aperitur, vt ſe quoque ad regnum Dei iam acceſſum habere videant. Disertè autem cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo diſcubituros dicit, ne nobis vel aliam ſalutem vel aliam huius conſequendæ rationem fingamus, quàm qua olim ſancti patres gauiſi ſunt. Vna enim & eadem eſt omnium credentium tam veteris quàm noui teſtamenti eccleſia, vna & eadem vtriſque promiſſa regni cœleſtis hæreditas, eadem etiam vtriſque propoſita ratio aut via, qua ad illum perueniant. Oportuit autem prophetarum oracula Iudæis in mentem reuocare, vt generis ſui fiducia ſuperbire deſinerent, & Centurionis fidem (quem non immeritò gentium primitias dixeris) imitarentur: deinde ſcandalo etiam mederi voluit Chriſtus, quod ex Iudæorum contumacia naſcebatur: vt nimirum omnes intelligerent, nunquam defuturos, qui ad ipſius eccleſiam accedant, & in ipſo ſeruentur, etiamſi ab illis con-

Gentium uocatio & Iudæorum repudium.

temnatur, quorum patribus olim promiſſus fuit, & qui (vt in nuptiarum parabola dicitur) primi inuitati fuere.

Chriſtus ſeruo Centurionis medetur.

Caeterùm ad Centurionem (ad cuius domum interea acceſſerat , cùm iam ante non procul eum abfuiſſe Lucas dixerit) conuerſus Chriſtus ait : Abi , & vt credidiſti, fiat tibi. Nec mora, eo ipſo momento ſeruus conualuit, & ſanum inuenerunt qui pro illo rogatum miſſi fuerant. Ita verò reipſa docet, ſe verum Deum & vitae atque ſalutis authorem vnicum eſſe. Salutem verò non vno modo ſemper omnibus attulit. Alios enim ad ſe venientes contactu ſuo ſeruauit, vt doceret , ſe per incarnationem nobis ſeruatorem eſſe factum. Et hoc Paulus ſpectauiſſe videtur, cùm diceret : Chriſtus Ieſus in mundum venit, id eſt, homo factus eſt, vt peccatores ſaluos faceret. Etenim cùm nemo hominum ad ipſum aſcendere poſſet in caelos, eum ad nos deſcendere neceſſe fuit, vt noſtrae naturae vnitus ſaluificam ſuam virtutē in nos transfunderet. Alios autem procul abſens curauit, vt ſeruulum iſtum, & regij vel aulici filium , de quo Ioannis quarto Cap. ſcribitur : Cananeae item illius filiam, cuius hiſtoriam Marcus cap. ſeptimo narrat. Quibus exemplis diuinitatem ſuam apertius declarare, & eorum ſuperſtitiones confutare voluit , quos circa corporalem eius praeſentiam haeſuros eſſe ſciebat, vt paulò ante diximus. Obſeruare autem oportet, eum communem & vniuerſalem omnis loci & ordinis hominum ſeruatorem eſſe, vt minime opus ſit vitae genus (ſiquidem id per ſe honeſtum ſit) mutare, vt ſalutis in illo participes efficiamur ſicuti de ſuis ordinibus & ſectis Monachi fabulantur. Nam & milites ſua gratia dignatus eſt, & Ioſephum Senatorij ordinis virum in diſcipulorum numero habuit, & poſtea per Euangelij praedicationem diuites, pauperes, nobiles, ſeruos, coniuges, caelibes vocatos fuiſſe ſcimus: neque obſcurum eſt illud Pauli : Quiſque in qua vocatione vocatus fuit , in ea maneat. Hoc potius omnes curent, vt quam ille nobis offert ſalutem, fide vera & conſtanti apprehendant. Haec enim ſola medium illud eſt , quo Chriſtum amplecti , & tum ipſius quàm bonorum eius participes fieri poſſumus. Et quia haec in Dei verbum reſpicit , falli & errare non poteſt, quin quae illud nobis pollicetur inueniat. Promittitur autem nobis per verbum peccatorum remiſſio, reconciliatio cum Deo, conſcientiae pax, ſalus denique & vita aeterna. Quicunque ergo haec dona ipſis Chriſtum meruiſſe credunt , ij procul dubio ea conſequentur. Hinc ergo ſuum illud dogma Apoſtoli deriuarunt, Sola fide in Chriſtum nos iuſtificari & ſaluos fieri. Eadem eſt omnium aliorum ratio, quae nobis Dei verbo promittuntur. Dicit Chriſtus : Noli timere puſille grex , nam complacitum eſt Patri veſtro dare vobis regnum. Item: In mundo afflictionem habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Et rurſus: Ecce ego vobiſcum ſum vſque in conſummationem ſeculi. His ſi credamus, fiet nobis ſecundùm fidem noſtram, & quàmuis totus terrarum orbis fremat , & montes quoq; (vt Pſaltes ait) loco moueantur, rata tamen erit promiſſio illa, neque aliquis obſtare poterit, quò minus regnum illud poſſideamus, quod nobis iam inde ab aeterno deſtinatum eſt. Similiter Dei promiſſio eſt : In die tribulationis tuae inuoca me, & liberabo te. Credamus ergo his verbis, & inuocemus ex fide Deum, quoties vel egeſtate premimur, vel morbis excruciamur, vel hoſtium inſidijs circumuenti iam nos perituros putamus, vel conſcientiae terroribus vexamur : & procul dubio nos Deus exaudiet, Ita Chriſtum dicentem audimus : Ne eſtote ſoliciti de anima veſtra quid eſuri ſitis, aut quid bibituri: neque de corpore veſtro, qua re ſitis induendi. Nouit enim Pater veſter caeleſtis, vos indigere his omnibus. Sed quaerite primò regnum Dei & iuſtitiam eius, & iſta omnia adijcientur vobis. Iſti ergo promiſſioni fidem habeant, quibus res eſt anguſtior, & mox ſentient benedictionis diuinae fructus vberrimos. Poſſent iſta fuſiſſimè tractari, & exempla paſſim in ſcripturis occurrunt, quibus iſta cōfirmantur. Sed ſufficiat nunc admonuiſſe, nihil fortius, nihil magis inuictum, nihil laetius, nihil quaeſtuoſius eſſe fide. Haec enim in periculis imperterritos, in media morte inuictos, inter dolorum examina alacres, in omnium rerum inopia diuites & ſaturos reddit, & de hac veriſſimè exponitur illud Pauli: Pietas ad omnia vtilis eſt, vt quae habeat promiſſiones praeſentis & futuri ſeculi. Nec enim pietas vera eſſe poteſt , niſi quam fides in nobis gignit. In horum itaque meditatione frequentes ſimus hodie, & ſalutis noſtrae authorem, Ieſum Chriſtum, fide conſtanti amplexemur , vt huic ceu fundamento validiſſimo impoſiti, ad omnem euentum inſtructi ſimus , & olim cum eodem in caelis viuamus atque regnemus. Illi debetur benedictio , honor, gloria & poteſtas in aeternum , Amen.

HOMILIA

HOMILIA LXVII.

Et factum eſt die ſequenti, proficiſcebatur in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & proficiſcebantur cum eo diſcipuli eius multi, turbaq; multa. Vt autem appropinquauit portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, qui filius vnigenitus erat matri ſuæ, & ipſi quidem viduæ, turbaq; ciuitatis multa erat cum ea. Et intuitus eam Dominus miſericordia commotus eſt ſuper ea, & dixit: Ne fleto. Cumq; acceſsiſſet tetigit loculum (ij verò qui portabant, ſubſtiterunt) & dixit: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Tunc reſedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui: & ille dedit eum matri ſuæ. Cœpit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Certè Propheta magnus ſurrexit inter nos, & certè Deus reſpexit populum ſuum. Peruenitq; iſte de eo ſermo in totam Iudæam, & in totam regionem circumiacentem.

Chriſtus mortis victor.

QVoniam æternus Dei Filius, Ieſus Chriſtus, ideo in mundum venit & homo factus eſt, vt humani generis redemptor atque ſeruator eſſet, totus in hoc eſt, vt tam doctrina quàm operibus probet, ſe nos ex omnibus liberare & aſſerere poſſe, quæ nobis noxia & formidoloſa ſunt. Inter ea autem facilè primas tenet mors, quæ cùm per peccatum ingreſſa, & peccati pœna ſit, euidens quoque & certum eſt iræ Dei argumentum, & proinde hominibus nihil ea terribilius eſſe conſueuit. Sæpe ergo docet Chriſtus ſe huius victorem atque domitorem eſſe, neque eam poſt hac timeri debere, eò quòd ipſius merito deuicta, credentibus ex huius ſeculi palæſtra felix ad æternam vitam & patriam cæleſtem tranſitus facta ſit. At quia hoc vix credibile videtur, & rationæ humani vix quicquam tam abſurdum eſt, quàm in morte vitam ſperare, promiſſionem illam & doctrinam ſuam operibus aliquot miraculoſis confirmauit. In quorum numero primum cenſeri poteſt, quod in Centurionis Capernaitici ſeruo æditum fuiſſe nuper audiuimus. Hunc enim morti vicinum, imò iam iam moriturum & in extremis agentem ex mortis quaſi faucibus ſolius Verbi ſui virtute eripuit. Cui meritò ſubijci debet, quod infra Capite octauo de Iairi, principis Synagogæ, filia habetur, quæ cùm iam expirauiſſet, per eundem Chriſtum vitæ reſtituta eſt. Vtrumque autem ſuperat, quod modò recitauimus? Nam iuuenem, qui ante horas aliquot hac vita defunctus iam ad ſepulchrum efferebatur, in maxima populi vndique confluentis frequentia in vitam reduxit. Quibus adde maximum omnium, quòd Lazarum Bethanienſem, qui & ſepultus erat, & quartum iam diem in ſepulchro agebat, inde in lucem euocauit. Quæ omnia ſi ſimul conſiderentur, euidentiſſimè apparebit, Chriſtum & vitæ & mortis dominum eſſe, neque ei quicquam obſtare poſſe, quò minus nos ex mortis manibus eripiat, ſiue iam animam agamus, ſiue omnino expirauerimus, ſiue in loculũ incluſi efferamur, aut etiam terræ mandati putreſcamus, imò in terram & cineres iam redacti ſimus. Eſt autem doctrina hac cognitu valde neceſſaria, cùm fidem noſtram efficaciſſimè confirmet, & ſola nobis in mortis articulo laborantibus veram conſolationem afferre poſſit: ideoq; proderit ſingulas huius hiſtoriæ partes propius inſpexiſſe.

Locus & teſtes miraculi.

Orditur autem Euangeliſta à loci notatione & teſtibus, qui miraculo huic interfuerunt. Chriſtum enim Naim verſus iter feciſſe ſcribit, quæ ciuitas Galilææ fuit: non procul à monte Thabor & Cana, quam aquæ in vinum mutatione nobilitatam à Domino fuiſſe, Ioannes prodidit. Habuit autem in ea profectione Ieſus maximum comitatum ex diſcipulis, id eſt, ijs, qui iam ipſi nomen dederant, eumq; magiſtrum & præceptorem ſuum agnoſcebant. Acceſſit his ingens multitudo populi, qui ex omnibus locis ad illum diuerſas ob cauſas ſolebat confluere. Et hi ſimul omnes iam non procul à porta ciuitatis aberant, quo loco Iudæi ex veteri more conuentus publicos agere & iudicia exercere ſolebant. Faciunt iſta omnia ad miraculi huius certitudinem, ne quis hîc aliquid fingi ſuſpicetur imprimis tamen ipſe Chriſtus nobis ſpectandus eſt, qui ſigna ſua omnia non ſine certa ratione fecit in publico & maxima hominum frequentia: nimirum vt & pluribus innoteſcerent, & eorundem fructus eſſet vberior. Ita verò ſuſpicionibus mederi voluit, ne quis eum ex impoſtorum nua

mero putet, qui cùm præſtigijs vtantur, conſultò angulos & tenebras quærunt, quò facilius apud ru-
2.Tim.3. *des & rerum imperitos ſua figmenta vendicent. Fuerunt tales iam olim, qui (vt Paulus ſcribit) oc-*
cultè in familias obrepere, & muliercularum ſuperſtitioſarum ſimplicitati inſidias ſtruere ſolebant.
Quos hodie ferè fraterculi & monachi imitantur, qui inconſultis & plerunque inſcijs eccleſiarum
paſtoribus hinc inde ſua ſomnia ſpargunt, & ementitis miraculis populum circunducunt, quæ nullis
certis teſtibus poſſunt probari. Neq; multum ab horum moribus abſunt Anabaptiſtæ, qui vt inter
ſuæ farinæ homines audaciſſimi ſunt, & nihi non ſuis auditoribus pollicentur: ita nihil minus ferre
poſſunt, quàm vt quis eos ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem in lucem protrahat. De quibus om-
nibus dici poteſt, quod Ioan. tertio Cap. dicit Chriſtus: Omnis qui peruersè agit, odit lucem, nec venit
ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Meritò igitur pijs omnibus illi ſuſpecti eſſe debent.

Occaſio mi-
raculi.

Sed pergamus in hiſtoriæ huius tractatione. Cùm ad portam ciuitatis Chriſtus appropinquauit,
pulcherrima ædendi miraculi occaſio ſeſe obtulit. Ecce enim effertur ad ſepulturam quidam defun-
ctus: filius nimirum viduæ cuiuſdam, & quidem vnigenitus: quæ cauſa fuit, vt funus hoc non ſine
matris luctu acerbiſſimo & magna ciuium frequentia, qui illam officij cauſa comitabantur, ducere-
tur. In hos ergo cum ſuis Chriſtus incidit: quod Epicuræus aliquis fortuitum & ex contingentia ne
ſcio qua factum fuiſſe diceret. At nos, qui Chriſtum æternam Dei ſapientiam eſſe ſcimus, qui non
præſentia modò, verumetiam quæ præterita & futura ſunt cognita habet, illum occulto ſuæ providen
tiæ conſilio profectionem hanc ita inſtituiſſe & maturauiſſe credimus, vt occaſionem noui miraculi
haberet, quo eos etiam ad ſui cognitionem excitaret, quibus hucuſque incognitus fuerat. Quia enim
Deus nos in quærenda ſalute tardiores eſſe nouit, ipſe pro ſua erga nos bonitate nos quærere & o-
mni occaſione diligenter vti conſueuit, quā nobis docendis aut ſeruandis idoneam eſſe videt. Quò ma
gis nos quoq; intentos eſſe decet, ne quando ipſi nobis defuiſſe, & illius bonitatem contempſiſſe videa-
mur. Quid enim tales maneat, multorum exemplis docemur, inprimis autem Iudæorum, quos hoc
potiſſimum nomine per prophetas olim Deus accuſauit, & de quibus Chriſtus maximè queritur,
quòd diem ſuæ viſitationis non agnoſcant, & proinde excindendos fore minatur.

Funerum
ratio.

Cæterùm hoc loco tota funerum ratio nobis conſideranda venit, in quibus olim varie erratum
fuiſſe, & hodie etiam paſſim errari conſtat. Etſi enim apud gentes olim pleriq; intellexerint defun-
ctorum rationem eſſe habendam, quos illi ſacros eſſe cenſebant (vt Plinius & Plutarchus annota-
runt) non defuerunt tamen barbari quidam, qui omni humanitatis ſenſu abiecto, mortuorum cor-
pora partim crudeliter, partim ignominioſè tractarunt. Lothophagi enim illa temere in mare abij-
ciebant, parum intereſſe putantes, igne ne aut aqua diſſoluerentur. Sabæi defunctos nihil à ſtercore
differre ſentiebant, & proinde apud illos regum quoq; corpora in ſterquilinium abijci ſolebant. A-
pud Troglodytas mos fuit, vt mortui ceruicem pedibus alligarent, & raptim cum riſu & iocis
efferrent, nullaq; loci ratione habita terræ mandarent, & ad caput cornu caprinum affigerent. Thra
ces quoq; funera cum riſu & gaudio publico deduxiſſe, è contra verò natales ſuorum lachrymis pro-
ſecuti fuiſſe ſcribuntur. Quos etſi quidam laudauerint, ego tamen illos ſumma repræhenſione dignos
iudico, quia neq; Dei beneficium, quod in huius vitæ vſu nobis confert, rectè intellexerunt, neq; cōmu-
nem omniū ſortem, cuius nos mors admonere debet, obſeruarunt. Neq; alia illis huius inſtituti cauſa
fuit, quàm quòd in præſentem modò vitam intenti, quæ curarum atq; laborum plena eſt, beatæ re-
ſurrectionis atq; immortalitatis ſpem ignorauerunt. Hircanos autem vita functos canibus deuo-
randos proieciſſe, Strabo ſcribit, quos ideo ſepulchrales dicebant. Superarunt hos omnes immanitate
Scythæ, qui mortuos inter epulas honoris cauſa vorare ſoliti fuerunt. Et hos quidem, vt à commu-
ni humanitatis ſenſu alienos, meritò omnes deteſtantur. Pleriſque autem in vſu fuit, vt defuncto-
rum corpora magnificè ornata in rogo ſublimiori cum aromatum congerie & rebus pretioſiſſimis
comburerent, inde cineres in vrnam conditos in locum aliquem honoratiorem collocarent. Apud
vulgus tamen ſepulturæ mos obtinuit, quòd ea minimo labore & non magnis impenſis perficeretur.
Plurimum tamen peccatum fuit ſuperſtitione, quæ funeribus ſacrificia adhibere, & infinita alia fa
cere docuit, quibus illi defunctorum animas adiuuari credebant, vt citius & facilius ad campos
Elyſios tranſirent. Inter Chriſtianos autem, etſi tumulandi mos paſſim receptus ſit, poſteris tamen
temporibus funera nō minus ſuperſtitioſè duci cœperunt, quàm olim apud gentes, & ceremoniæ adhi
bitæ ſunt,

bitæ ſunt, quæ ſacrificulis quidem & monachis quæſtuoſa fuerunt, ſalutis verò ſpem, quam credentibus Chriſti promiſſiones faciunt, maxima ex parte labefactarunt. Cuius erroris præcipua cauſa fuit ignis luſtralis aut purgatorij (vt illi loquuntur) commentum, quo animas expiari oportere finxerunt, adiuuari autem ſacris illis, quæ pro mortuis facienda eſſe docebant. Quod vt facilius perſuaderent, oſſuaria extrui curarunt, in quibus oſſa è ſepulchris eruta in ſtruem compoſuere, vt his viſis ad animas ex purgatorij igne liberandas facilius omnes excitarentur. Itaque cum temporis progreſſu creuit ſuperſtitio, & huic luxus faſtusq; acceſſit, quo poſt mortem quoque vana ſtemmatum & generis ſui oſtentatione homines ambitioſi ſuperbire in animum induxerunt. Extruuntur ergo à nonnullis magnificæ monumentorum moles, ornantur hæ periſtylijs & inſignibus familiarum, ſuſpenduntur arma, & ferè armatam ſui effigiem illic cum terrore exhibent, quorum corpora iam à vermibus & tineis deuorantur. Imò ea nonnullorum eſt confidentia, vt aromatibus condiri velint, quibus corpora ſeruentur: ita nimirum diuinam ſententiam eludere conantes, quæ nos in terram redituros ſtatuit. Sunt hæc omnia indigna Chriſtianis hominibus, quos mortis conſideratione cumprimis humiliari, & in funeribus certam ſalutis per Chriſtum nobis exhibitæ ſpem publicè teſtari conuenit. Videamus igitur in hoc exemplo, quis olim in populo Dei funerum deducendorũ mos fuerit, & quid hodie à nobis fieri debeat.

Primò ad portam ciuitatis Chriſto illi obuiam veniunt, vt defunctum terræ mandent atq; ſepeliant. Hic ergo mos fuit Iudæorum, vt corpora exanima in ſepulchra conderent. Eſt hic mos omnium vetuſtiſſimus, vt in Abrahami & aliorum patriarcharum exemplis eſt videre, & cum Dei ſententia conuenit, cuius modò meminimus: Terra es, & in terram conuertêris. Neq; hîc aliquem moueat, quòd nonnulli ſepulchra in petris excîderunt, quale Ioſephi Arimathæi fuit, in quo Chriſti corpus conditum fuiſſe legimus. Hoc enim fecerunt, vt futuræ reſurrectionis ſpem confirmarent, & publicè teſtarentur fidem ſuam, qua corpora olim vitæ reſtituenda fore credebant. Quæ etiam cauſa fuit, quòd ea condire ſolebant. Et neceſſe erat, veterum fidem pluribus adminiculis iuuari, eò quòd illis omnia obſcurius promiſſa & adumbrata erant. At nos illis minimè opus habemus, neq; decet vt ad elementa hæc imbecilliora conuertamur, quibus lux plena & perfecta iampridem in Chriſto affulſit. Sufficiat ergo nobis ſimplex ſepulturæ ritus, vt in terram corpora deponantur, vnde primi Adami corpus deſumptum eſſe ſcimus. Nec enim temere ſic Deus inſtituit. Nam noſtræ originis ſimul & conditionis nos ritus iſte ſepeliendi admonet, quando nos iam à reliqua natura abdicatos (vt Plinij verbis vtar) terra ſuo gremio complexa, tum maximè vt mater operit. Quod qui non oſcitanter expendunt, ij neq; huius ſeculi bonis fidunt, neq; aduerſus Deum ſuperbiunt. Imò hic ad veram humilitatem acerrimus ſtimulus eſt, ſi ſepulchri nos tandem excepturi foueam nobis ſæpe ob oculos ponamus, & cogitemus nos non multò poſt in terram, quam nunc pedibus calcamus, reuerſuros eſſe. Hæc conſideratio Abrahamum mouit, vt quàmuis omni virtutem genere omnes alios excelleret, in Dei tamen conſpectu ſeſe extremè humiliauerit: nimirum quòd ſe puluerem & cinerem eſſe cogitaret. Quod ipſum de Dauide & alijs ſanctis dicere poſſumus. Deinde ad conſolationem noſtri aduerſus mortis terrores plurimum facit ſepulturæ conſideratio. Nam ſementis inſtar illa eſt, & vt ſemina terræ mandata cum fœnore proueniunt: ita corpora, quæ in terram ſepeliuntur, olim glorificata & ab omni corruptione libera reſurgent. Admonet de hoc Chriſtus, quando ſeipſum aduerſus mortis horam iam appropinquantem hoc argumento conſolatur, ſic dicens: Venit tempus, quo glorificetur Filius hominis. Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti lapſum in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Quibus verbis docemur, non vtile modò, ſed neceſſarium eſſe, vt corpora noſtra in terram reſoluantur, & proinde Dei conſilium non rectè ab illis expendi, qui alias condendorum aut ſeruandorum funerum rationes excogitant, aut oſſa è ſepulchris effodiunt, vt ea contra veteris eccleſiæ morem ſpectanda proponant. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis ſemina priuſquam excreuerunt ex ſulcis eruas, & inde fructum aliquem ſperes.

Deinde extra vrbem illi defunctum efferunt, ex quo apparet, illis ſepulturæ locum non intra mœnia, ſed foris fuiſſe: quod ipſum quoq; ex veteri more cum alijs commune habuerunt. Nam Lazari etiam ſepulchrum extra Bethaniam fuiſſe conſtat, vt & Ioſephi Arimathæi extra Hieroſo-

Defuncti terræ mandari debent.

lib. 2. cap. 63.

Gen. 18.

Ioan. 12.

Sepulchra extra urbes antiquitus fuerunt.

lymam fuit. Et in monumentis, quæ extra vrbem Gergeſenorum erant, domicilium ſuum habuit dæmoniacus, de quo Marcus Cap. 5. ſcribit. Quem morem apud gentes quoq; alias receptum fuiſſe, hiſtorici tradunt. Perſarum enim reges in monte, qui Perſepolis arti ab Oriente imminebat, & Regius dicebatur, ſepeliri ſolebant. Et quàmuis Romæ aliquando ſepulchra in vrbe admiſſa fuerint, illud tamen poſteris temporibus ſub Coſ. Duellio Senatus inhibuit. Et ſcribit Vlpianus, Adrianum Imperatorem pœnam ſtatuiſſe aureorum quadraginta in eos, qui in ciuitate ſepulchrum feciſſent, quam fiſco inferri iuſſit: & eadem pœna etiam magiſtratus mulctari voluit, qui id paſſi forent: quin & locum publicari iuſſit, & cadauer inde transferri. Quò etiam referri poteſt, quod Appianus ſcribit, inter præcipua, cur legem Agrariam recuſarint diuites, fuiſſe, quòd impium ducerẽt, monumenta maiorum ad alienos transferre. At nunquam hoc prætexere poterant, niſi ſepulchra illi in agris habuiſſent. Etſi verò gentibus inſtituti huius fortaſſis præcipua cauſa fuit, vt in vrbibus mundicies ſeruaretur, & aer minus inficeretur ex cadauerum putreſcentium fœtore, tamen in Dei populo maius myſterium obſeruatum fuit. Nam funerum deductione extra vrbes publicè teſtabantur, defunctos iam è mundo exiuiſſe, & alterius ciuitatis ciues factos eſſe: eius nimirum, quam in cœlis habent, quotquot per fidem filij Dei facti ſunt. Proderat etiam mos iſte ad cauendum ſuperſtitiones, ne quæ ſacra pro mortuis inſtituerentur, ſed ſe omni erga illos officio iam defunctos eſſe ſcirent, qui illos honeſtè tumulari curauerant. Et morem hunc inter Chriſtianos homines diu ſeruatum fuiſſe, multis argumentis probari poterat, & illius veſtigia adhuc extant in multis vetuſtis & celebrioribus oppidis. At poſtquam creſcente ſuperſtitione ſacra pro defunctis fieri cœperunt, tunc etiam ſepulturæ locum templis vicinum eſſe voluerunt ſacrificuli & monachi, vt ſacra illa facilius obire, & quæſtum maiorem facere poſſent. Et illis libenter morem geſſerunt, qui etiam ipſi ſuperſtitione decepti ceremonijs illis plus quàm gentilitijs animas iuuare credebant. Conſtat certè hanc præcipuam ſuperſtitionum cauſam fuiſſe, neque vllum vnquam excogitatum eſſe aucupium quæſtuoſius, quàm quod ex funeribus & exequijs ſacrificuli papiſtici inſtituerunt. Nam & locum ſepulturæ ex publico priuatum & ſui iuris fecerunt. Eundem poſtea pretio vendiderunt, Hebrone illo barbaro iniquiores, qui Abrahamo agri ſui vſum gratuitum offerebat, vt in eo vxoris corpus ſepeliret. Pretium item ſepulchri pro loci ratione auxerunt. Nam qui multum numerant, intra veſtibulum, aut etiam ipſum templum admitti ſolent, qui verò minus, ij ſub diu compluuntur. Adhæc ex mortuis tributa annua colligunt, quando non ſufficit ipſo ſepulturæ die ſumptum feciſſe, niſi funebria ſacra octauo die, triceſimo item, & deinde quotannis repetas. Itaque per illorum auaritiam ne mori quidem & computreſcere gratis licet. Neque illos ſuperſtitionis & nundinationis huius pudet, etiamſi eam nullo venerandæ vetuſtatis exemplo, multò minus autem Dei Verbo probari poſſe ſatis norint. Nam etſi in Lege ſua Deus ſacrificia omnis generis inſtituerit, & eadem in ſuas ſpecies mira diligentia diſtinxerit, nullam tamen prorſus ſacrorum pro defunctis mentionem fieri ſcimus: neq; ea inter Chriſtianos homines locum habere debent, quando fidem in Chriſtum labefactant, qui eos, qui in ſe cre-

Ioan. 5. dunt, non vllum poſt mortem iudicium ſubire, ſed recta ad vitam æternam tranſire docet. Ad mortuos ſanè nullam ex ijs, quæ ſuperſtites faciunt, vtilitatem redire, Cicero intellexit, cuius hæc verba in primo Thuſc. quæſt. leguntur: Mortuorum corpora nihil ſentiunt in ſepultura: quantum autem conſuetudini famæq; dandum ſit, id curent viui, ſed ita, vt intelligant nihil ad mortuos pertinere. Facilius autem ſuperſtitionis huius reliquiæ ex omnium cordibus tollentur, ſi ſepulturæ locus procul à templis remoueatur, & paſſim vetus ille mos reducatur, de quo ante diximus. Etenim nimium inepti & ridiculi ſunt, qui pro loco ſepulturæ contendunt, quando conſtat omnem terram Domini

Pſal. 24. Apoc. 20. eſſe, & olim non terram modò, verumetiam mare & reliquas mundi partes omnes reddituras eſſe mortuos, qui in illis conſumpti ſunt. Quin potius, vt bene & piè moriamur, nobis curæ ſit: tunc enim quouis loco oſſa noſtra probè quieſcent, & vt prophani poetæ teſtimonio in ſuperſtitioſorum iſtorum ignominiam vtar:

Tabes ne cadauera ſoluat
An rogus, haud refert: placido natura receptat
Cuncta ſinu, finemque ſui ſibi corpora debent. Item:
Libera fortuna mors eſt, capit omnia tellus

Quæ

Quæ genuit, cælo tegitur qui non habet vrnam.

Interim Chriſtianos homines decet, ſepulturæ publicæ locum ſacrum putare, neq; permittere vt vllis prophanis vſibus violetur. Etſi enim improborum petulantia defunctis nihil incõmodet, eadem tamen frænanda & Chriſtianæ diſciplinæ legibus coercenda eſt, ne eorum fidem ridere & ijs inſultare videamur, quorum corpora cùm in viuis eſſent, Spiritus ſancti templa fuerunt, nunc autem in Chriſto ſopita quieſcunt. Veteres certè ſepulturæ loca κοιμητήρια, *quaſi dormitoria dixere, quòd corpora piorum illis quieſcant, olim reſurrectura ſub nouiſſimum Ieſu Chriſti aduentum, vt & ipſa beatæ immortalitatis præmio ornentur. Etenim, vt rurſus ad exteros tranſeamus, nulla ex gentibus non omnino barbaris tam efferata fuit, quæ non ſenſerit ſepulchrorum habendam eſſe rationẽ. Apud Athenienſes certè tanta eorum cura fuit, vt etiam peremptos bello, ſi quis dux ſepulturæ honore vel per negligentiã fraudaſſet, capite plecteretur. In Romanis verò legibus, hæc etiam habetur: Vbi corpus demortui hominis condas, locus ſacer eſto. Et Vlpianus, ſepulchri (inquit) violati actio infamiã irrogat. Imò grauiter multatos fuiſſe olim legimus, qui buſtum violauiſſent, aut ex ſepulchro columnã deieciſſet aut fregiſſet. Quò magis Chriſtianos homines curare decet, vt ſuperſtitiones quidem, quæ cum fide noſtra pugnant, deuitent, non minus autem caueant, ne publicæ ſepulturæ prophanis vſibus violentur.* Sepulchra ſacra ſint.

Et huc etiam pertinet, quod de funeris deductione hîs tertio loco additur: quòd nimirum multa ciuitatis turba viduam comitata ſit, & hanc defleuiſſe, Chriſti ipſam mox conſolantis verba teſtantur. Debent ergo funera honeſtè deduci, vt ita non amorem modò erga defunctos & eorum agnatos, verumetiam fidem atq; ſpem reſurrectionis teſtemur. Et vt id publicè & cum populi frequentia fiat prodeſt, vt ad plures redeat fructus, qui ex communis ſortis noſtræ conſideratione naſcitur. Quod Solomon obſeruauit, ſic ſcribens: Melius eſt adire domum luctus quàm domum conuiuij: illic enim finis omnium hominum cernitur, & qui ſuperſtes viuit id reponit in corde ſuo. Conſtat certè vix alia re homines magis abſterreri à peccandi licentia, & ad vitæ innocentiam excitari, quàm ſi ſe mortales eſſe, & vitæ huius finem ſibi in ſingula momenta appropinquare cogitent. Ideo Sirachides ille dicebat: In omnibus factis tuis memento finis extremi, & non vnquam peccabis. At in funeribus cauendum eſt, ne luctus ſit nimius, qualis (vt Paulus ait) eorum eſſe ſolet, qui ſpem reſurrectionis & vitæ æternæ prorſus ignorant. Vt enim humanum eſt eorum mortem lugere, qui de nobis bene meriti ſunt, aut quorum vſus in repub. vel eccleſia magnus fuit: ita charitatis officium eſt pia compaſſione eos conſolari, ad quos luctus ille propter cognationis vinculum propius pertingit. Et notum eſt illud Apoſtoli: Gaudete cum gaudentibus, plorate cum plorantibus. Sunt item exempla ſanctiſſimorum hominum, qui ſuorum funera pijs lachrymis proſecuti ſunt. Fecit hoc in dilectæ coniugis Saræ obitu Abrahamus pater credentium. Et Ioſephum in Iacobi patris ſui mortui faciem ruiſſe & fleuiſſe legimus. Stephanum quoq; cum planctu magno extulerunt viri religioſi, quòd ipſis doleret, ecclesiam tam præclaro organo orbatam eſſe. At quid exemplis pluribus opus eſt, quando ſolius Chriſti vnicum ſufficit, quem ob Lazari mortem & ſororum eius pias lamentationes illachrymauiſſe, Ioannes teſtatur? Non ergo vel pij vel fortes aut magnanimes, ſed potius inhumani & impij ſunt, qui & ſuorum obitus & aliorum luctum atq; iuſtum dolorem ſiccis oculis & abſq; omni animorum commotione intueri poſſunt. Sed vt ante diximus, dolorem noſtrũ moderari atq; temperare debet fides noſtra in Chriſtum quæ defunctos iam in vitam beatiorem tranſlatos eſſe, nos autem quoad in huius vitæ palæſtra agimus, Deo curæ fore docet. Cauenda item eſt in funerum deductionibus ambitio: quia vt ſuperbia omni tempore & loco Chriſtianis hominibus indigna, ſic deteſtabilis omnino eſt, ſi ei in morte locum demus, quæ (vt poeta ethnicus vidit) æquo pede pulſat pauperum tabernas Regumq; turres, & in qua nobis de communi omnium ſorte diligentius erat cogitandum. Et iſta quidem de hac re dixiſſe ſufficiat.

Deductio funerum & luctus.
Eccleſ. 7.
Eccleſ. 7.
1. Theſſ. 4.

Tranſeamus nunc ad miraculi conſiderationem, in quo imprimis, quid Chriſtus fecerit, ſpectandum eſt. Primò viduam intuitus, & ex animo illius vicem miſeratus eſt. Hoc enim innuit Græca vox ἐσπλαγχνίσθη, *qua Lucas in præſenti vtitur. Mox verò animi affectũ verbis quoq; declarauit, dum illam amicè compellans flere vetat. Tangitur ergo noſtris miſerijs Chriſtus, & (vt in alijs etiã exẽplis videre licet)* στοργὰς *habet efficaciſſimas. Quapropter inde conſolationes peti debent in omni*

caſu, qui nobis triſtior accidit. Nam cum eo, quod hic facit Chriſtus, planè conuenit, quòd Deus ſe afflictorum vindicem eſſe profitetur. Videt ergo nos & noſtri cura tangitur, ſiue cum egeſtate conflictemur, ſiue morbis diuturnis cõtabeſcamus, ſiue iniurijs improborum obnoxij ſimus, aut quocunq; alio infortunio exerceamur. Imprimis autẽ hoc obſeruari debet, quoad conſcientiæ terrores, ne nobis Deũ ἄστοργον fingamus, & proinde de eius bonitate & clementia deſperemus. Vt enim ſe patrem dicit, ita amore plus quàm paterno nos proſequitur: & cùm nos ab ipſo alieni eſſemus, filium dedit, qui nobis (vno peccato excepto) ſimilis factus per omnia, infirmitatibus iiſdem, quibus nos obnoxij ſumus, tentatus eſt, vt per eum nobis liber & tutus eſſet ad thronum gratiæ acceſſus. Quoties ergo intra animos noſtros diuini iudicij horror ſentitur, toties nobis Chriſti hominum labores & ærumnas miſerantis facies in mentem veniat, neq; dubitemus, illum minimè abiecturum eſſe eos, ad quos ſeruandos in mundum venire dignatus eſt.

Miſericordia commendatur. 2. Tim. 3.

At ſimul meminerimus, noſtri quoq; officij eſſe, vt aliorum miſerijs tangamur. Dum enim naturales illas affectiones in ſe recepit Chriſtus, eaſdem ſuo exemplo nobis commendare voluit: quò Paulus reſpexiſſe videtur, quando ἀστόργους inter nouiſſimorum temporum peſtes numerat, à quibus Chriſtiani homines ſibi potiſſimùm debeant cauere. Etſi verò omniũ nos miſereri conueniat, inprimis tamen hoc officium viduis debemus, quas præ alijs cõmiſeratione & auxilio dignas eſſe patebit,

Viduarum conditio.

ſi earum conditionẽ rectè conſideremus. Quia enim mulieris caput vir eſt, quid aliud dicetur vidua eſſe, quàm corpus ſine capite, id eſt, rationis & conſilij expers, & proinde omnium iniurijs expoſitũ? Nam ſi ſenex fuerit, tam ſibijpſi quàm ſuis oneri eſt: ſin iuuencula, mox er[illegible] qui pudicitiæ eius inſidientur, & præſens famæ periculum imminet. Si diues, ſunt qui eius opibu[illegible] inhient: ſin pauper, ab omnibus deſeritur. Si liberos habeat, nouis quotidie curis tentatur: ſi orba ſit, ſola ſuſpirijs & dolore conſumitur. Meritò igitur Deus in Lege & prophetis viduas commendat, & graues pœnas ijs ſta-

Exod. 22.

tuit, qui illas affligere audent. Nullam viduam (inquit) aut orphanum affligetis: ſin verò eos omnino pergatis lædere, indubiè ad me clamabunt, & ego certiſſimè eos exaudiam, & excandeſcet fur[illegible] meus, atq; interficiam vos gladio, & fient vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri orphani. Et in primitiua eccleſia viduas pijs imprimis curæ fuiſſe, ex Actorum libro & priori ad Timoth. epiſtola ſatis conſtat. Hîc ergo officij ſui probè meminerint omnes, qui rempub. adminiſtrant, tum etiam priuati homines, ne dum ſuæ cupiditati indulgent, Dei iram aduerſus ſe accẽdant. Illæ verò ex eo conſolationem petant, quòd ſe Deo curæ eſſe norunt, & eas viduas imitentur, quæ cum vera fide & religione caſtitatis ſtudium & vitæ innocentiam coniunxerunt: quales olim Iudith, Anna & plures aliæ fuerunt, quas ſcriptura prædicat.

Chriſtus excitat mortuum.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui ad funus accedit, & loculum attingit, quaſi manum iniecturus in mortem, vt prædam ante tempus captam ex faucibus illius eruat. Oſtendit præterea, ſibi neq; mortem, neq; feretrum aut ſepulchrum horrori eſſe, quò minus ſuũ in iſta omnia imperium exerceat. Deinde mortuum perinde ac ſi in viuis eſſet compellans, ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Nec mora ſurgit ille vitali ſpiritu iterum animatus, & aſtantem populum alloquitur. Inde eum Dominus matri reſtituit, quæ eò maius gaudium inde percepit, quò grauiori antea dolore vulnerata fuerat. Idem ergo hîc fecit, quod poſtea quando Lazarum ſimili cum authoritate ex monumento prodire iuſſit, qui & ipſe eius dicto mox paruit. Sunt autem hæc certa & indubitata diuinitatis Chriſti argumenta. Dei

Rom. 4.

enim proprium eſſe Apoſtolus do[illegible]t, vt vocet ea quæ nõ ſunt, vt ſint, id eſt, vt ex nihilo quoq; quod vult producat, & ſolius Verb[illegible]tute omnia conficiat. At quid hîc aliud Chriſtus facit, quando mortuum & exanimem in vi[illegible] euocat, & eundem abſq; omni alio adminiculo omnibus facultatibus ad vitam neceſſarijs inſtruit? Fruſtra ergo hæc eius miracula olim eludere conati ſunt Porphyrius, Lucianus & alij, qui illa magicis præſtigijs ſimilia dixerunt. Nos potius in his agnoſcamus Chriſtum eum eſſe, qui (vt promiſſiones patribus datæ docent) illum qui mortis habebat imperium, abolere debuit, vt miſeros nos mortales primò quidem in vitam ſpiritualem aſſerat, inde verò corpora quoq; excitet, vbi nouiſſimi iudicij dies aduenerit.

Vſus miraculi duplex.

Eſt ergo miraculi huius duplex vſus. Primus, quòd vitæ ſpiritualis typum nobis exhibet. Vocat enim ad hanc nos quotidie Chriſtus, dum per delicta mortui iacemus, neq; quicquam eorum facimus, aut poſſumus facere, quæ ad vitam verè Chriſtianam pertinent. Neque vocat modò, ſed ſimul

Verbo ſuo vim addit diuinam, qua animos penetret, atq; nouam in nobis voluntatem nouasq; vires
pariat. Et hoc illud eſt, quod Ioannis quinto Cap. ipſe his verbis enunciat: Amen amen dico vobis,
quod veniet tempus, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent.
Ea verò nos offitij admonent, ne Chriſtum nos vocantem contemnamus, ſed relicto peccatorum luto
ſurgamus ad vitæ nouitatem, nosq; in ipſo viuere dictis factisq; palàm teſtemur. Alter vſus eſt,
quòd aduerſus mortis terrores ſolatur, & futuræ reſurrectionis ſpem in nobis cõfirmat. Vt enim iu-
uenis iſte Domini voce in vitam reſtituitur, loquitur, ambulat: ita in magno illo die cum tuba Dei
& voce Archangeli ille veniet, & qui in monumentis ſunt, vocem eius audient, & prodibunt. Quo- 1. Theſſ. 4.
ties ergo de corporum reſtitutione & reſurrectione caro dubitat, & omnis generis obſtacula ſibi fin- Ioan. 5.
git, tunc nos cogitemus, rem hanc omnem non humanis rationibus aut medijs, ſed Dei Verbo confici
oportere, cuius virtute olim omnia ex nihilo creata ſunt. Et quid obſecro obſtabit, quò minus Verbo
ſuo omnes homines ſimul excitet, qui & hunc iuuenem & mox Iairi filiam, poſtremò Lazarum tam
facilè excitare potuit? Sufficit vna vox vt omnes in eodem cubiculo dormientes expergefiant: &
tu Filij Dei vocem minus efficacem putabis erga eos, qui in tota hac mundi machina per mortem
ſopiti dormiunt? Hæc vt fidem noſtram confirmant, & per omnem vitam nos officij admonent: ita
aduerſus mortis terrores conſolationem dulciſſimam afferunt. Eſt quidem natura ſic comparatum,
vt mortem homo timeat, & ita Deus non ſine certa ratione rem conſtituit. In eo enim quanta ſit
peccati atrocitas cernitur, & multi continentur, ne in tentationibus grauioribus ipſi ſibi manum in-
ferant, quando frequenter accidit, vt pij quoq; mori potius quàm viuere optent. At non tantus de-
bet eſſe terror iſte, vt mortis effugiendæ cauſa aliquid à fide alienum & profeſſione noſtra indignum
fatiamus. Non deterret ſapientem mors (ait Cicero) quæ propter incertos caſus quotidie imminet,
& propter breuitatem vitæ nunquam poteſt longè abeſſe. Quantò minus ergo hominem Chriſtia-
num terrere debet, qui vitæ dies, imò capillos ſuos, apud Deũ in numerato eſſe nouit, neq; ſe moritu-
rum eſſe, priuſquam hora illa præfinita aduenerit? At ſi ſimul cogitemus, mortis conditionẽ merito
& virtute Chriſti mutatam eſſe, vt iam non peccati pœna ſit credentibus, ſed tranſitus ad vitam æ-
ternam, nosq; dum hinc migramus, vno momento omnibus huius vitæ miſerijs defungi, ad bona au-
tem æterna contendere, quorum hæreditas olim ad corpus quoque redundatura ſit: procul dubio mor-
tis horrorem ita vincemus, vt cupiamus diſſolui, quò liberius & propius cum Chriſto coniunga-
mur. In horum ergo meditatione frequentes nos eſſe conuenit, & ad huius vitæ felicitatem plurimum
nobis accedet, eò quòd tranquillo animo eſſe non poteſt, quiſquis mortem omnibus horis ſibi immi-
nentem metuit.

Sequitur miraculi effectus, quem multis Lucas exponit. Primò timor omnes corripuit. Solet hoc Effectus miraculi.
fieri, quando Deus ſuam præſentiam aliquo euidentiori teſtimonio nobis declarat. At hîc pij ab im-
pijs multùm differunt. Hi enim aut belluino ſtupore oppreſſi quid faciant neſciunt, aut in rabiem a-
cti aduerſus Deum fremunt. Illi verò humiliantur ſub potenti manu Dei, & quia in hac paternam
bonitatem ſimul agnoſcunt, ei vnicè placere ſtudent. Ex horum numero iſti quoque fuerunt, etiamſi
multa adhuc illis defuerint. Additur enim, quòd glorificauerint Deum, & publicè confeſſi ſint, ma-
gnum Prophetã ſurrexiſſe, & Deum tandem ſuum populum reſpexiſſe. Ergo veteres promiſſiones
in mentem reuocant, & ſpe bona pleni reſtitutionem in propinquo adeſſe ſentiunt. Quàmuis interea
in eo turpiter errent, quòd regnum terrenum ſomniabant, & in præſentem modò ſtatum intenti ani-
mos non poterant in cælum attollere. Tanta tunc erat inter Iudæos doctrinæ confuſio, vt licet pro-
miſſiones omnibus notæ eſſent, & ea quotidie fierẽt, quæ patres ſperauerant, pauci tamen Veritatem
ipſam poſſent intueri. Quo exemplo docemur, quantum mali dent impoſtores, qui Verbi Dei doctri-
nam humanis figmentis obſcurare & inficere audent: & vtinam non hodie etiam his ſimilia fierent.
Notæ ſunt quidem promiſſiones Euangelij, & in omnium ore verſantur fidei Chriſtianæ principia,
quæ Symbolo, quod Apoſtolicum dicunt, continentur. Sed quotus quiſq; iſta intelligit, aut de eorum
ſenſu feriò cogitat? Fit ergo, vt inani profeſſione Chriſtiani nominis pleriq; contenti, ipſum Chriſtũ
negligant, & circa res inutiles occupentur, quibus Chriſti meritum obſcuratur atq; fides in illum e-
uertitur. Poſtremò rumor de Chriſto in totam Iudæam & omnem regionem finitimam diuulgatus
fuiſſe dicitur. Eſt hic fructus agnitionis Chriſti, quòd confeſſionem & prædicationem parit. Nec

enim fieri poteſt, quin dictis & factis homo teſtetur, quod toto animo amplexus eſt. Ideo Dauid dicebat: Credidi, & ideo locutus ſum. Poteſt autem argumentum hoc conuerti, vt eos nunquam adhuc credidiſſe dicamus, qui loqui nolunt, neq; adduci poſſunt, vt ſuæ fidei confeſſionem ædant. At ſimul horum exemplo docemur, quid nos facere oporteat. Inuiſit enim omnes nos Deus & miſeros reſpexit, quando Filium ſuum vnigenitum in mundum miſit, & hominem fieri voluit. Is propheta ille magnus eſt, quem per Moſem olim pollicitus fuit. Idem ille nos mortuos per delicta quotidie Verbo ſuo ad vitæ nouitatem excitat. Adhæc mortem deuicit, ne nos amplius detinere poſſit, quò minus ipſi quoq; excuſſa eius tyrannide olim ad regni cælorum poſſeſſionem reſurgamus. Noſtrum ergo fuerit, ad Verbi prædicationem contremiſcere, vocanti obedire, ſurgere ex peccatorum ſordibus, illum ore & vita confiteri, vt viciſſim ille nos pro ſuis agnoſcere poſſit, cum in gloria patris veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXVIII.

Et annuntiarunt Ioanni diſcipuli ipſius de his omnibus, qui conuocatos duos quoſdam ex diſcipulis ſuis miſit ad Ieſum, dicens: Tune is es qui venturus erat, an alium expectabimus? Cùm ergo veniſſent ad eum viri illi, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tune is es qui venturus erat, an alium expectabimus? Eadem autem hora multos ſanauit à morbis & flagellis & ſpiritibus malis, & cæcis multis viſum donauit. Et reſpondens Ieſus dixit eis: Profecti annuntiate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis. Cæci viſum recipiunt, claudi ambulant, leproſi purgantur, ſurdi audiũt, mortui excitantur, pauperibus prædicatur Euangelium: & beatus eſt, quicunq; non fuerit offenſus in me.

Docet Chriſtus iudicare de ſuis operibus.

QVemadmodum omnis ſalus in vno & ſolo Dei Filio, Ieſu Chriſto, habetur: ita vt tam aſſequamur, vera & certa Chriſti cognitione nobis eſt opus. In eo autem illius erga nos bonitas maximè elucet, quòd nihil eorum prætermiſit, quæ nos in ipſius cognitione inſtituere & confirmare poſſunt. Nec enim doctrina ſolùm nobis ſeſe manifeſtat, ſed illam inſuper operibus miraculoſis illuſtrat atq; confirmat, quæ reipſa talem eſſe teſtantur, qualis Verbo prædicatur. Sunt inter opera hæc non poſtremo loco ponenda ea, quæ in duobus proximis ſermonibus expoſuimus. Docent enim illum vitæ & mortis dominum eſſe, qui in ipſa etiam morte ſeruare, imò ex huius faucibus eripere poſſit. At quia propter innatam nobis ingenij tarditatem admodum difficile eſt, de Chriſti operibus rectè iudicare: commodè hanc hiſtoriam Lucas ſubtexit, qua euidenter & perſpicuè docemur, quis illorum omniũ finis ſit, & quid in illis maximè debeat ſpectari. Status totius loci aut tractationis huius eſt, Ieſum hunc, qui ex Maria virgine homo natus eſt, promiſſum humani generis redemptorem eſſe, neq; alium poſthac eſſe expectandum. Continet ergo locus hic fundamentum fidei atq; ſalutis noſtræ, & proinde dignus eſt, in cuius conſideratione quàm frequentiſſimè verſemur.

Occaſio hiſtoriæ.

Occaſionem huic tractationi fama præbuit, quam de Chriſto vulgatam fuiſſe nuper audiuimus. Hanc enim ad Ioannem Baptiſtam, qui quòd inceſtas Herodis nuptias reprehendiſſet iam in carcere agebat, diſcipuli deferunt, & illi narrant quid de Chriſto omnium ore prædicetur. Id autẽ illi fecerunt, non quòd Chriſto fauerent, & eius virtutem ſuo præceptori commendare vellent, ſed potius quòd cæca æmulatione accenſi, illius gloriam extinctam cuperent. Nam vt Cap. 5. audiuimus, Ioannem Chriſto præferre ſolebant, quòd hic cõmune viuendi genus ſequeretur, ille verò ſeuerius quoddã ex peculiari Dei mandato ſibi delegiſſet. Imò paſſim ferebatur, Ioannis diſcipulos in ieiunijs & preci-

Ioan. 3.

bus frequentes eſſe, Chriſtũ verò cum ſuis edere & bibere. Et vt in Euãgelio ſecundùm Ioannẽ Apoſtolum ſcribitur, Chriſtum in præceptorem ſuum Baptiſtam nimis iniquum eſſe querebantur, quòd cũ ab eo baptizatus atq; eius teſtimonio magnificè commendatus eſſet, nũc diſcipulos plures attrahendo illum ſuperare niteretur. Quando Ioannes quidem diligenter eos inſtituit, & quantum inter ipſum & illum diſcrimen ſit abunde oſtendit, non autem tantum profecit, quin in hoc ſuo errore in hunc vſq; diem perſeuerarint, & nunc nouas ad ipſum querelas deferant. Sunt ergo iſti eorum typus, qui magi-

ſtrorum

ſtrorum ſuorum nimia admiratione abrepti, plus quàm par ſit illis tribuunt, interim verò in hoc v-
num intenti vt ipſorum exiſtimationi conſulant, doctrinam eorundem ſecurè negligunt. Fuit hæc
omnibus ſeculis præcipua ſectarum & ſciſmatum cauſa, quibus eccleſiam ſæpe grauiſſimè & peri-
culosè concuſſam fuiſſe legimus. Et tanta huius mali vis eſt, vt non ſolùm doctrinæ & placitorum
diuerſitate inter ſe homines ſcindantur, ſed ij quoq; in partes diuerſas abeant, qui eandem à ſuis præ-
ceptoribus doctrinam audiunt. Quod in præſenti factum eſſe conſtat. Fuerunt enim animis coniun-
ctiſſimi Ioannes & Chriſtus, & idem vtriq; inter docendum ſcopus fuit propoſitus: vt nimirum ſa-
lutis hæredes facerent ſuos diſcipulos, quã in ſemetipſo Chriſtus monſtrabat, ſimul Ioanne atteſtante,
& de illo dicente: Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Nulla ergo inter præceptores
diſſenſio, nulla doctrinæ diuerſitas. Attamen inter diſcipulos æmulatio eſt, quæ ſimultatem & tan-
dem apertam diſſenſionem peperit. Idem in Corinthiorum eccleſia accidiſſe legimus. Nam etſi eun-
dem Chriſtum prædicarent Paulus, Cephas & Apollo, & in eiuſdem Chriſti nomen ſuos auditores
baptizarent, præceptorum tamen nimia admiratio inter auditores æmulationem ambitioſam exci-
tauit, qua factum eſt, vt tantumnon abiecto Chriſti nomine, alij quidem Paulini, alij verò Cephia-
ni, alij Apolloniani dici gauderẽt. Et olim patrum temporibus multa huius generis facta ſunt. Quò
minus nos noſtri ſeculi ſciſmatibus offendi decet, quando non ſine dolore eiuſdem mali veſtigia paſ-
ſim cernuntur. Nam qui primi Euangelij doctrinam magno cum ſucceſſu inſtaurauerunt, & ean-
dem fidem in Chriſtum concorditer tradiderunt, in vno Cœnæ Dominicæ articulo ſententijs ſciſſi to-
tam eccleſiam in partes diuerſas traxere, vnde contentiones nimiùm acerbæ & pertinaces exortæ
ſunt. Et vtinam non plus æquò vtriuſq; partis diſcipuli priuato affectui indulſiſſent, vel etiam hodiè
adhuc indulgerent. Facilis tamen erit componendi diſsidij ratio, ſi quid de Chriſto Ieſu, de fide & hu-
ius effectis, de vera ſalutis conſequendæ ratione vtrinq; vnanimi conſenſu doceatur, omnes ſpectent,
& poſita æmulatione omni de eccleſiarum pace ſ[illegible]iò cogitent. Quod ſi non ab omnibus impetrari
poteſt adhuc, diſcant ſaltem pij hoc facere, neq; ipſi ſibi ſcandalum fabricent, aut ab alijs fabrica-
tum pertinacius foueant.

Sed Ioannem Baptiſtam videamus, qui vt aliâs, ita hîc quoq; fidum Ieſu Chriſti ſeruum agit. Ioannes diſci-
Quia enim ſe hucuſq; in illis erudiendis minus profeciſſe videt, duos ex illis (quos credibile eſt reli- pulos ad Chri-
quis ſuperſtitioſiores & pertinaciores fuiſſe) ad ipſum Chriſtum ablegat, qui omnium nomine ſciſci- ſtum remittit.
tentur: Tune is es, qui venturus erat, an alium expectabimus? Vbi minimè putandus eſt Ioannes
de Chriſto vel tantillum dubitauiſſe, vt ipſi inſtitutioni ampliori opus fuerit. Qui enim, vt Chriſti
præco & teſtis eſſet à Deo miſſus & priuatis reuelationibus abundè inſtructus fuerat, imò qui in vte-
ro matris illi nondum nato teſtimonium perhibuerat, non potuit ignorare hunc eſſe promiſſum illum
humani generis vindicem, quem omnes conſtanti fide amplecti & ſequi debeant. Ergo legatione iſtâ
(vt modò diximus) diſcipulorũ ſaluti conſultum voluit, & quia nouerat, ſe non procul abeſſe à vitæ
fine in tempore illis remedium adhibet, ne ipſo ſublato à puriori doctrina omnino deficiant, & ad pri-
ſtinas ſuperſtitiones relabantur. Nam id fieri facilè erat, cùm & Chriſti gloriæ inuiderent, & (vt
ex alijs locis apparet) phariſæos ſibi ſatis haberent propitios ob vitæ morumq; ſimilitudinem. Fide-
lem ergo paranymphum agit, quando diſcipulos ſuos omnes vni Chriſto conſecratos eſſe vult, quem
ſponſum eſſe ſciebat, quem omnes audire debent. Et hoc animo omnes Apoſtoli præditi fuerunt, vt
in Paulo apparet, qui vt neminem abs ſe denominari voluit, ita hoc vnum effectum ſtuduit, vt au-
ditores ſuos Chriſto ſiſteret virginem puram & nullo ſuperſtitionum amore ſiue conſortio conta- 2. Cor. 11.
minatam. Hoc igitur argumento ſpiritus & doctores omnes probare poterimus, an ex Deo ſint.
Quicunq; enim ſimili cum Apoſtolis & Ioanne ſtudio ad vnum Chriſtum remittunt, & in hoc vno
monſtrant, quæ ad ſalutem hominum faciunt, ij fideles Dei ſerui ſunt; quibus tutò credi poterit.
At ſi qui vel ſibijpſis diſcipulos faciunt, vel alios extra Chriſtum ſalutis authores ſiuè Mediatores
eſſe docent, ij impuriſſimorum lenonum ſimiles ſunt, qui virginum pudicitiam nefarijs artibus &
promiſſis tentant, aut ipſas quoq; ſponſas corrumpunt, quas ſuis maritis adducere debebant. Eſt
horum ingens numerus hodie, qui id tam apertè tamque impudenter faciunt, vt mirum ſit quen-
quam adeò vecordem & ſtupidum inueniri, qui hoc non videat, aut diutius in Chriſti eccleſia ferena-
dos putet.

Sedulitas Ioannis in ſuo munere.

Præterea zeli ardentis & indefeſſi argumentum eſt, quòd etſi in carcere iam aliquandiu concluſus fuerit Ioannes, & à ſe vitæ ſuæ finē nō procul abeſſe intelligat, adhuc tamen officij ſui memor eſt, & Chriſti gloriam promouere eiq; diſcipulos adducere ſtudet. Fecit idem Paulus, qui quàm diu licuit, in vinculis quoq; Romæ omnibus ad ſe venientibus Euangelium prædicauit, & eccleſias ſcriptis ad eas epiſtolis ad fidei conſtanciam & purioris doctrinæ ſtudium hortatus eſt. Sunt hæc manifeſta ſpiritus Chriſti indicia, qui cùm ad Oliueti montem diris & acerbis mortis iam vicinæ terroribus angeretur, diſcipulos tamen itidem inuiſit, & dormientes monuit, ne ex improuiſo obruerentur: imò cùm iam ab hoſtibus vinciretur, eorum tamen ſaluti ſumma fide conſuluit. Arguitur his exemplis eorum ignauia, qui ipſi ſibi ferias indicunt, & quàm primùm aliquo labore grauiori defuncti ſe ad noua pericula & nouos labores vocari vident, mox ſe plus ſatis ſudauiſſe clamant, & ſibi magnam iniuriam fieri putant, ſi quid ab ipſis præterea exigatur. Atqui in finem vſq; perſeuerandum eſt in functione, ad quam nos Dominus vocauit: & quàm diu nobis vitæ huius vſum Deus concedit, vt ipſi viuamus curandum eſt: quin ne morituri quidem illius obliuiſci debemus, quò minus pijs admonitionibus noſtros confirmemus, vt Deo fideles ſint, & cultum eius purum atq; integrum ſeruent. Fecerunt hoc diligenter patriarchæ, vt in Iacobi hiſtoria eſt videre: & Ioſua, fortiſſimus populi Iſraelitici dux, hoc ſui officij eſſe putauit, vt ſub finem vitæ in frequenti totius populi concione omnes hortaretur & in vnius Dei cultu confirmaret. In quo ſui anteceſſoris, Moſis, exemplum ſecutus eſt, quem idem feciſſe legimus. Poſſet his Dauid etiam adnumerari, vt iam de prophetis nihil dicamus, quorum multi ad extremam ſenectam vſq; in docendi munere conſtantia incredibili perſeuerauerunt.

Gen. 49. Joſue 24. Deut. 31.

Quæſtio Ioannis.

Sed propius inſpicienda eſt quæſtio, cuius formam eiuſmodi Ioannes diſcipulis tradidit: Tune is es, qui venturus erat, an alium expectabimus? Sumit hanc ex communi Iudæorum perſuaſione, quæ omnibus in ore erat. Sciebant enim promiſſum eſſe Seruatorem, quem patres omnes ſpe conſtanti expectauerant, & ex eo ipſi quoq; redemptionem ſperabant. Interim nimiùm oſcitantes erant & tardi in ijs obſeruandis, quæ à Chriſto fiebant, & ex quibus non difficile fuiſſet intelligere, hunc illum eſſe, quem venturum Moſes & Prophetæ promiſerant. Erroris cauſa fuit, quòd alium animo conceperant, quàm ſcripturæ prædicent. Regem nimirum terrenum, armis & regali pompa atq; victorijs inſignem. Quia tamen principium hoc promiſſionum Dei tenebant, Venturum omnino redemptorem, huic illorum expectationi Ioannes quæſtionem ſuam accommodat, ſimulq; eorum ſocordiam perſtringit, qui cùm Meſſiam & redemptorem certum promiſſum eſſe ſcirent, tamen à Phariſæis pendebant, & quorumuis delirijs ſeſe decipi atq; ſeduci patiebantur: eadem verò opera diſcipulos admonet, vt relictis omnibus ſuperſtitioſorum hominum commentis, in vnum illum Meſſiam intenti ſint, & in eo cognoſcendo omne ſtudium impendant. Poſſumus ergo ad hanc quæſtionē nos quoq; omnes eos remittere, qui hodie in religionis & ſalutis cauſa ambigui hærent, & ſe neſcire queruntur quid credant, aut quam viam ſalutis ingrediantur. Interrogentur illi, num Chriſtiani ſint? Fatebuntur id procul dubio. Rurſus ergo quæratur: An ergo ſcitis promiſſum eſſe ſalutis authorem, qui Rex & Sacerdos noſter omnia ea perficiat, quæ ad humani generis redemptionem faciunt? Dicent certè, ſe hoc etiam ſcire. Quid ergo (dicam ego) incertis & nouis indies opinionibus circumferimini? Cur non relictis omnibus aliorum figmentis promiſſum illum Seruatorem quæritis? Imò cùm ipſi nobiſcum fateamini, hunc eſſe Ieſum illum, qui ex Maria virgine homo natus, & ſub Pilato præſide crucifixus, pro nobis mortem diram & infamem ſubijt, cur non illum auditis, & in illo acquieſcitis? Cur non cū Petro Apoſtolo dicitis? Domine, ad quem ibimus? tu verba vitæ æternæ habes, &c. Eſt ergo huius quæſtionis etiam hodie vſus magnus in conuincendis ſcepticis illis, qui inter omnis generis ſuperſtitiones incerti fluctuant.

Joan. 6.

Chriſtus amicè excipit Ioannis diſcipulos.

Et his etiam imprimis applicari debet Chriſti reſponſio, quæ totius diſputationis huius ſtatum pulchre explicat. Priuſquam tamen ad illius tractationem accedamus, obſeruari debet, quòd non duriter aut moroſius eos reijcit, quos odioſa nominis ſui æmulatione vri non ignorabat, & quorum tarditas ſola reprehenſionem grauem merebatur: ſed potius humaniter acceptos amicè inſtituit. Ita verò præſtat, quod alibi pollicetur, ſe neminem reijcere eorum qui ad ſe veniunt. Eſtque exemplum hoc plenum conſolationis. Si enim eos non aſpernatur, qui peſſimè erga ipſum affecti in Veritatis

Joan. 6.

tatis tamen cognitione erudiri cupiunt, quantò magis eos admittet atque feret, qui animo amico veniunt, & cum illo cupiunt reconciliari? Simul autem ſuo exemplo Verbi adminiſtros officij admonet, ne in aliquem nimio rigore vtantur, aut aliquos proteruius reijciant. Nam curandum potius eſt, vt eos etiam colligamus, qui per auia vagantur, quàm vt eos excludamus, qui ad ipſa ſepta gregis dominici ſponte accedunt, & intromitti cupiunt. Et poteſt fieri, vt qui animo minus ſyncero venerunt, amica & diligenti inſtitutione emendentur, & non pœnitendos in vera pietate progreſſus faciant. Polemonem perditæ luxuriæ adoleſcentem vnica Xenocratis oratione de temperantia mutatum eſſe ſcribit Valerius, cùm ex conuiuio rectà veniens per ludibrium ad eius prælectiones acceſſiſſet: & nos in Chriſti ſchola idem fieri poſſe dubitabimus? Ferantur ergo amicè omnes, qui nondum deploratæ malitiæ ſpecimina dederunt. Alia verò eſt incurabilium ratio, qui non contenti ſua improbitate, ſimul alijs quoq; obeſſe ſtudent. Hos enim procul arceri neceſſe eſt, ne alios quoq; ſecum in interitum abripiant.

Lib. 6. cap. 11.

Porrò quoad argumentum aut ſtatum quæſtionis, non directè aut ſimpliciter ad eam Chriſtus reſpondet. Poterat quidem apertè affirmare quod quærebant, ſed procul dubio nouus ſcrupulus in illorum animis hæſiſſet, qui nondum potuiſſent videre Meſſiam eſſe eum, qui vulgo ab omnibus, imprimis autem ab ijs contemnebatur, qui ſummam doctrinæ & pietatis exiſtimationem ſuſtinebant. Ergo vt non ſeipſum commendare putetur (quod ambitioſi ſolent) ſed vt res ipſa loquatur, & ſimul Ioannes maiorem habeat eos amplius inſtituendi occaſionem, ad operum ſuorum contemplationem illos remittit. Et commodùm ea ipſa hora multos à morbis & flagellis curauit, multos item ſpiritus immundos expulit, adhæc cæcis plurimis viſum reſtituit: ſic nimirum gubernante negotium hoc diuina prouidentia, quæ temporum momenta & eas quoq; hominum actiones certo conſilio moderatur, quas prophani fortuitas & contingentes eſſe putant. Quod ſi omnes ſemper expenderent, ſæpe præclaram haberent de ſalute & officio ſuo cogitandi occaſionem. Chriſtus certè hac occaſione diligenter vtitur, & Ioannis diſcipulis ad hunc modum reſpondet: Profecti annuntiate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis: Cæci viſum recipiunt, claudi ambulant, leproſi purgantur, ſurdi audiunt, mortui excitantur, pauperibus prædicatur Euangelium: & beatus eſt, quicunq; non fuerit offenſus in me. Sunt reſponſionis huius partes duæ, & de ſingulis ex ordine dicemus.

Chriſtus de ſe quærentes ad opera ſua remittit.

Prima docet ſe eum eſſe qui venturus erat, & quidem id operibus demonſtrat, dum ſe ea facere oſtendit, quæ Meſſiam facturum eſſe olim Prophetæ prædixerant. Alludit autē ad duos Iſaiæ locos, ex quibus prior extat cap. 35. Pollicetur illic Deus, quòd ſalutem plenam & omnibus numeris abſolutam afferre velit per Meſſiam, quem patribus iampridem promiſerit, & inter alia ſic ait: Fortes eſtote, ne timeatis, ecce Deus veſter cum vindicta & retributione veniet, Deus ipſe veniet & ſeruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum reſerabuntur: tunc ſaliet claudus tanquā ceruus, & iubilabit lingua muti, &c. Quo loco quàmuis de liberatione ſpirituali potiſſimùm agat Spiritus ſanctus, conſultò tamē ſignorū meminit, quibus Meſſias ſe mundo manifeſtaturus, & ſimul ſalutem veram ceu in ſpeculo adumbraturus ſit. Alter locus cap. 61. habetur, & ille ipſe eſt, quem Nazarethi in publica concione Chriſtus ipſe expoſuit, vt cap. 4. audiuimus. Conuenit per omnia cum priori, niſi quòd de doctrina Chriſti apertius loquitur, & hunc pauperum atq; afflictorum doctorem fore docet, qui hos læto ſalutis iam aduentantis, vel potius exhibitæ, nuntio exhilaraturus ſit. Cùm verò iſta omnia Chriſtus palàm faceret, iubet vt hoc Ioanni renuntient: quia iſtud non poterant facere, quin ſimul proprio ore teſtarentur, hunc Meſſiam eſſe, quem venturum hucuſq; expectarint, & proinde nullum alium expectari debere.

Chriſtus facit quæ Prophetæ prædixerunt.

Docet autem locus hic, quis miraculorum Chriſti finis & vſus ſit: Nimirum vt ex his diſcamus eum eſſe promiſſum illum humani generis redemptorem, qui ſolus animi oculos illuminat, vt ea videant quæ ſunt ſpiritus Dei: qui item vires cōfert, vt in Dei vijs recto pede ambulemus: qui animæ lepram, id eſt, inhærentem nobis naturæ vitioſitatem, & quæ ex hac proueniunt delicta expiat: qui intellectus & mentis aures aperit, vt verbum ſalutis audire, & ex eo fructum verum capere poſſimus: qui deniq; nos in vitam ſpiritualem aſſerit, mortis & diaboli regnum euertit, & æternæ ſalutis nuntio afflictas conſcientias conſolatur, imò ſalutis arrhabonem animis noſtris inſerit, Spiritum ſanctum, qui nobis conſolator & aduocatus eſt ad omnia huius vitæ diſcrimina ſufficiens. Hæc quidē

Finis operum Chriſti.

de illo per Euangelium prædicantur, at quò minus dubitemus ſimul operibus miraculoſis ſe talẽ eſſe docere voluit. In his ergo nos ſublimiora illa & ſpiritualia bona ſpectare conuenit, non nudis ſignis inhærere & circa temporalia modò & corporalia bona occupari. Quod ipſum in Apoſtolorũ quoq; ſignis ſiue miraculis obſeruare conuenit. Quia enim hæc illi non propria, ſed Chriſti Ieſu virtute fecerunt, procul dubio doctrinæ ipſorum ſigilla ſunt, quæ illum ſalutis æternæ Mediatorem vnicum eſſe teſtati ſunt. Turpiter ergo ſeipſos fallunt, qui ex ſignis illis occaſione arrepta illos colere & inuocare incipiunt, adeoq; in illos transferunt honorem, qui vni Chriſto debetur.

Chriſtus ad pauperes pertinet.

Eſt præterea hîc obſeruandum, ad quos nam pertineat Chriſtus & bona, quæ in hoc nobis per Euangelium offeruntur. Pauperes (inquit) euangelizantur, id eſt, pauperibus annunciatur lætum & fauſtum gratiæ Dei partæq; ſalutis nuncium. Sunt autem pauperes illi, non quotquot quoad fortunæ bona egent & eſuriũt, ſed qui proprio iudicio pauperes ſunt, & ſuam miſeriam in ſemetipſis ſentiunt: & ideo apud Matthæum pauperes ſpiritu dicuntur, vt Cap. ſexto diximus. At quod hîc dicit Chriſtus, plurimùm conſolatur & in certam ſalutis ſpem omnes eos erigit, qui intra conſcientias ſuas peccatorum mole ſe grauari ſentiunt. Quia enim ſalutis prædicatio propriè pauperibus deſtinata eſt, nequaquam dubitare debent, quin illa ad ipſos quoq; pertineat. Diſcant modò omnes confidentiæ criſtas deprimere, & in Dei conſpectu humiliari, ne ſua ſuperbia ſeipſos Dei gratia & ſalute indignos faciant. Adhæc ſcandalo quoq; locus iſte medetur, quod tunc obijci ſolet, quando pauciores ad Chriſtum accedere videmus ex iis, qui in mundo præclari habentur. Vt enim cibi iis demum grati ſunt, quorum appetitus fame aliqua acuitur, & vt medicum ij ſoli animo cupido & morigero admittunt, qui morbi vim intra ſe ſentiunt: ita Euangelium non niſi miſeris & afflictis ſapit, quos propriæ infirmitatis & miſeriæ ſenſus in metum & ſolicitudinem conijcit. Et ſi in hac cauſa humani ingenij naturam propius conſideremus, adeò non offendemur credentium paucitate, vt potius admiraturi ſimus aliquos inueniri, qui Euangelio locum dent, quando vix quiſquam reperitur, quem non aliquo modo ſuiipſius fiducia inflet. Alij enim fortunæ bonis ſuperbiunt: alij voluptatibus immerſi ſecurè omnia rident, quæ de Dei minis atq; iudicijs dicuntur. Si qui verò vel corpore laborant, vel egeni eſuriunt, ij ferè in ſuo illo cruciatu & egeſtate ſalutis meritum collocãt: qui etſi reuera miſeri & pauperes ſint, quoad externa omnia, ſpiritu tamen diuites ſunt, id eſt, ſpiritus conceperũt grandes & ſuperbos, quibus elati ſe ſibiipſis ſufficere arbitrantur. Meminerimus ergo, nihil dum nos profeciſſe in ſalutis negotio, quoad non ſentimus nos infelices & miſeros eſſe.

Scandalo medetur Chriſtus.

Altera reſponſionis Chriſti pars Anthypophoram ſiue Præoccupationẽ habet, qua ei ſcandalo medetur, ad quod ipſos Ioannis diſcipulos iam tunc offendere ſciebat, cùm ipſum vili & contemptibili ſpecie inter auditores æquè viles & contemptibiles verſari cernerent. Qui enim (vt paulò ante diximus) Regem armis & apparatu magnifico ſeſe oſtentantem animo conceperant, iis abſurdum videbatur eum pro Meſſia agnoſcere, quo nihil in mundo miſerius & contemptius inueniri poterat. Dicit ergo: Beatus eſt, quicunq; non fuerit offenſus in me. Quaſi diceret: Scio vobis mirum videri, me tanta præſtare poſſe, qui à pleriſq; contemnor, neq; aliquid in mundo proprium poßideo, quò vel caput meum reclinem. At non in externa ſpecie vos hærere oportet, ſed animos altius in cæleſtium bonorũ contemplationem attollere, quæ per me pater mundo offert. Multa enim ſunt, quæ fidei obſtare poſſunt: ſed ij ſoli beati erunt & felices, qui per omnia ſcandala eluctantur, & his ſuperiores facti in me vno acquieſcunt, qualiſcunq; mundo ſtolido & infelici videar.

Chriſtus petra ſcandali. Jesa. 8

Continẽt iſta generalem admonitionem, cuius nos etiam frequenter meminiſſe oportet. Nec enim temere Spiritus ſanctus Chriſtum petram ſcandali & lapidem offenſionis vocat. Etſi enim ille, ſi ipſum ſpectes, nihil minus ſit, ea tamen eſt carnis noſtræ peruerſitas, vt in via plana & luce meridiana offendamus: imò quia natura abhorremus à doctrina Chriſti, plerique ſcandala magno ſtudio conquirunt, vt aliquam illius repudiandi occaſionem inueniant, & contumaciam ſuam aliquo plauſibili prætextu excuſare poßint. Et hîc breui ingentem materiam caro colligit, ex qua congeriem ſcandalorum fabricet. 1. Alios enim offendit vilis & contemptibilis Chriſti ſpecies, quibus nimirum nihil magnificum videtur, quàm quod huius mundi ſplendore radiat. Sed debebant hi meminiſſe, regnum eius non eſſe de hoc mundo, & proinde nihil mundanum aut terrenum in eo quæri
2. debere. Sunt rurſus, quos crucis prædicatio offendit, & his ſtultitia putatur ſalutis & vitæ ſpem in

eo repo-

tæ repoſitam habere, qui ipſe dira & ignominioſa morte occiſus eſt. Quibus dici poterat, proprium
hoc Dei eſſe: quod occidit vt viuificet, deprimit vt exaltet. Alij gratiæ doctrina offenduntur, qui- 3.
bus ſalutis viam æquo faciliorem fingere, & ad Epicureiſmum atque morum licentiam iter ſternere
videmur, ſi homines ex ſola gratia per fidem in Ieſum Chriſtum iuſtificari doceamus: Qui ſi peccati
atrocitatem & naturæ noſtræ vitioſitatem expenderent, adhæc cogitarent, quid ſit Chriſto fidere,
& quæ fidei huius effecta ſint, mox ſentirent ſe plus quàm ſtolidos eſſe, quòd in re tam facili & ex-
pedita nodos & ambages fingant. Inueniuntur è contra, quos diſciplinæ Chriſtianæ rigor abſterret, 4.
& qui iniquè ſecum agi putant, quod mundo renunciare, ſeipſos abnegare, carnem cum ſuis deſide-
rijs mortificare, & ab omni ſpecie mala abſtinère iubeantur. Sed qua ratio Chriſtum iniquitatis aut
nimij rigoris conuincet, ſi ſibi totos vult conſecratos eſſe, quos ſanguinis ſui pretio acquiſiuit? Annon
potius iniqui & perduellionis manifeſtæ rei ſunt, qui cùm Chriſti nomen profiteantur, in diaboli
tamen caſtris militant? Alios quoque videas, quos crux, perpetua fidei fomes mouetur, ne Chriſto 5.
nomen dent. At nimiùm delicatuli ſunt, qui ſibi melius eſſe volunt, quàm Dei Filio: nimis item ſtu-
pidi, qui ſe abſque moleſtia in hoc mundo viuere poſſe ſperant. Multi præterea diſſenſiones & par- 6.
tium ſtudia nobis obijciunt, neque prius ad Chriſti partes ſibi tranſeundum eſſe arbitrantur, donec
per omnia conſenſerint, qui fidem in illum profitentur. Sed cur non obſeruant illi conſenſum noſtrum
in ijs articulis, ex quibus ſalus tota dependet? Cur non apoſtolici illius dicti meminerunt: Oportet 1. Cor. 11.
ſectas eſſe inter vos, vt qui probati ſunt manifeſti fiant? Et cur in ſeipſos tam iniqui & crudeles
ſunt, vt propriæ ſalutis ſuram ſuſpendere & negligere velint propter aliorum diſsidia? Accedunt 7.
his, qui ex Euangelij doctrina turbas & ſeditiones oriri clamant, & hanc vnam cauſam ſufficere
cenſent, cur cordati & prudentes viri ab eius profeßione abſtineant. At hi ſi oculos aperirent, tumul-
tus Euangelij quidem comites, non autem huius proprios fructus eſſe viderent: ſed hos ab illis ex-
citari, qui vt peccandi licentia diutius frui poßint, lucem extinctam volunt. Et cùm inter turbas
illas omnino periclitandum ſit, quamcunque partem ſequaris, nimiùm imprudentes & fatui ſunt,
qui pro mala potius quàm bona cauſa ſibi laborandum eſſe putant. Vel annon quouis ſupplicio di-
gnus eſt, qui neutralis eſſe volet, quando de regno Dei & cœleſti patria contentio eſt, cùm Solon
bonum ciuem eſſe negarit, qui in publica ſeditione neutri parti ſeſe adiungeret? Poſſent huius gene- Vide præfat.
ris infinita commemorari, ſed iam nunc longius excreuit oratio: & quia de his alibi prolixè dixi- noſtram in epi-
mus, ſufficiat nunc monuiſſe, nobis aduerſus iſta omnia luctandum eſſe, neque aliquid admitti de- ſtolam ad Ro-
bere, quod nos ab vnico ſalutis authore Ieſu Chriſto abſtrahat. Huic debetur benedictio, honor, glo- man.
ria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA LXIX.

Et cùm abijſſent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbam: Quid exiſtis in deſertum vt ſpectaretis? Arundinem, quæ vento agitetur? Sed quid exiſtis vt videretis? Hominem mollibus veſtimentis amictum? Ecce qui veſtitu honorifico & luxu vtuntur, ſunt in palatijs regum. Sed quid exiſtis vt videretis? Prophetam? Certè dico vobis: etiam amplius quàm prophetam. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te. Nam dico vobis, inter eos qui gignuntur è mulieribus, nemo eſt maior Propheta Ioanne Baptiſta: Sed qui minimus eſt in regno Dei, maior eſt eo.

IOannes Baptiſta à Deo miſſus fuit, vt de vera luce, Ieſu Chriſto, publicè teſtaretur, & ad hunc excipiendum omnes excitaret. Quod qua fide & diligentia fecerit, ſuo loco audiuimus. Vt autem in æſtimandis Dei ſeruis variè inter homines peccari ſolet, ita in Ioanne etiam eſt factum. Nam qui eius diſcipuli familiares erant, nimia virtutis & donorum eius admiratione abrepti, illum pro Meßia colebant, & Chriſtum inuidioſè æmulabantur, quòd eum Ioanne indies ſuperiorem fieri

Occaſio & argumentum huius tractationis.

viderent. Eos ergo ad Chriſtum ille remiſit, qui & verbis & operibus demonſtrauit, ſe vnicum humanæ ſalutis authorem eſſe, & proinde nullum alium debere expectari. At erant alij ex vulgo, qui cum prius vinculis & captiuitate Ioannis non parum offenſi eſſent, nunc multò magis quæſtione illa offendi poterant, quam ex eius ore diſcipuli Chriſto propoſuerunt: & credibile eſt, aliquos ex ea occaſionem ſumpſiſſe, vt de teſtimonio, quod ille Chriſto dederat, & doctrina eius vniuerſa dubitarent. Cur enim non dicerent, qui conſilij eius rationem non intelligebant: Quid hæc quæſtio ſibi vult? Annon nobis iam pridem de Chriſto Ioannes concionatus eſt, & hunc dixit eſſe agnum illum Dei, qui peccatum mundi tollat, qui igne & ſpiritu baptizet: cuius corrigiam ſoluere non ſit ipſe dignus, & cui vni ſponſa adduci debeat? Cur ergo nunc quærit, num hic ille ſit qui venturus erat, vel num alius debeat expectari? Si enim prius non temere illa dixit, neque vanus teſtis fuit, cur de Chriſto iam quærit? cur quod teſtatus eſt, nunc in dubium vocat? At ſi nunc rerum dubius fuit, cur de illo tam conſtanter pronuntiauit? Hæ (inquam) multorum tunc cogitationes fuerunt, & fortaſſis aliqui ſermones quoque huiuſmodi inter ſe contulerunt. Itaque cum iſtis in præſenti agit Dominus, & poſtquam Ioannis diſcipuli abierunt, illius authoritatem grauiter aſſerit, ne quis de teſtimonij & doctrinæ eius veritate dubitaret. Noluit tamen præſentibus & audientibus eius diſcipulis hæc dicere, ne hi in nimia Ioannis admiratione confirmarentur, aut cum multorum ſcandalo nouam de illo diſputationem inſtituerent. Ita verò piæ & ſanctæ prudentiæ exemplum præbet, qua verbi miniſtros omnes inſtructos eſſe conuenit: vt ſuo loco & tempore dicant atque faciant omnia, ne plures offendant, aut nouis rixis occaſionem præbeant, dum quæuis abſque omni auditorum reſpectu temere dicunt.

Ioannes à uirtutibus commendatur. Priuſquam verò ad verborum Chriſti tractationem accedamus, probè hoc obſeruari debet, quòd Ioannem non à generis nobilitate (quam illi ex parentibus magnificam obtigiſſe, cap. primo audiuimus) non à corporis forma, non à principum fauore & amicitijs, non item à fortunæ bonis alijs, ſed à virtutibus commendat: Conſtantia nimirum, Fortitudine, Temperantia, fide denique & ſtudio, quo creditum ſibi à Deo munus obiuit. Quo exemplo docemur, eam demum veram atq; ſolidam laudem & gloriam eſſe, quæ ex virtute manat, non eam quæ à ſtolidi & leuis vulgi iudicio dependet. Fallunt enim externa omnia, nec temere olim ex Dei mandato clamauit Propheta: Omnis caro

Eſa. 40. fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Et vana eſt duntaxat rerum iſtarum imago, quas mundus tantopere admiratur, ideoq; neq; vera neq; ſtabilis aut ſolida eſſe poteſt laus ſiue gloria, quæ illis ceu fundamẽto nititur. Quod eò magis dices, ſi cogitaueris quàm multi ſint, qui illa ſibijpſis noxia & ignominioſa faciunt, dum carnis deſideria atq; cupiditates ſecuti, illis turpiter abutuntur. Nunquam ergo probari debet eorum ſententia, qui in illis laudem & gloriam quærũt, aut iiſdem ſuperbiunt, quaſi omnem fortunæ euentum longè ſuperarint, quando ſe bonis huius ſeculi affluere vident.

Conſtantia Ioannis. His præmiſſis, Chriſtum de Ioanne concionantem audiamus. Laudat illum (vt modò diximus) à virtutibus, quæ in eo eximiæ & præclaræ fuerunt: ex quibus primò conſtantiam prædicat, & ita quidem, vt illos ipſos teſtes ſiſtat, quibus loquitur. Nam ad populum conuerſus ait: Quid exiſtis in deſertum vt ſpectaretis? Arundinem ne, quæ vento agitetur? Ita autem loquendo illis in mentem reuocat ardens illud ſtudium, quo accenſi vndique ex Galilæa & Iudæa ad Ioannem videndum atq; audiendum excurrerant, vt cap. tertio eſt dictum: & vult vt anteactorum memores animo repetant, quis Ioannes fuerit, qualem inuenerint, quid item ex eo audiuerint, & proinde non patiantur intercidere eius doctrinæ fructum, quam tanto feruore ſint aſſecuti. Itaque verborum iſtorum ſenſus eſt: Meminiſtis opinor, quantus in vobis ardor fuerit audiendi Ioannis, adeò, vt relictis rebus veſtris omnibus, ad illum excurreretis. Quid vero vos mouit? Num vana quædam & leuis doctrinæ aut virtutis oſtentatio? Vel num hominem vos viſuros & audituros putauiſtis, qui in horas mutetur, & arundinis inſtar quouis vento circunfertur? Non opinor. Quis enim homini leui & inconſtanti tantum tribuat, vt propter eum labores ſuſcipere, ſumptus facere & inuidiam apud pleroſque ſubire velit? Dignum ergo iudicauiſtis, quem omnes ſpectarent & audirent, neque vos hæc veſtra opinio fefellit. Inueniſtis enim hominem inuicta animi conſtantia armatum, quem neque Phariſæorum præſentia, neque inquiſitorum faſtus & inſidioſæ quæſtiones, neque diuerſa & iniqua vulgi iudicia, neque Herodis libido & crudelitas, neque vlla alia pericula terrere potuerunt, quò

minus

minus docendo pergeret, & doctrinam eandem ſubinde inculcaret, qua & pœnitentiam omnibus prȩcepit, & de me non minus grauiter quàm diſertè & ingenuè teſtatus eſt. Talem ergo illum adhuc eſſe creditote, neque vos offendat quæſtio, quam diſcipuli eius modo mouerunt. Neque enim ille ſententiam mutauit, neque quis ego ſim nunc ignorat: ſed longè aliam cauſam ſubeſſe cogitate, quæ illum mouit, vt hanc ad me legationem mitteret, &c.

Eſt autem obſeruatu digniſſimum, quòd Ioannis commendationem à conſtantia orditur. Eſt enim hæc virtutum omnium quaſi Colophon aut perfectio ſiue fulcrum, eò quòd illæ vel intermoriuntur, vel in vitia degenerant, niſi conſtantia accedat, quæ & illas quotidie auctiores reddit, & nos in officio cõtinet, ne illis relictis poſt carnis deſideria declinemus. Etenim ſi quibus in ijs, quæ benè cœperũt, conſtantiæ virtus deeſt, ij eorum ſimiles ſunt, qui in ſtadio curſuri, ſtrenuè quidem incipiunt, in medio autem curſu ſubſiſtunt aut ignaui conſident: nam vt hi neque brauium obtinent, neque aliquam laudem inde referunt: ita iſti quoque nihil vnquam effectum dant, neque ad beatam illam felicitatis metam perueniunt, quam ij ſoli attingunt, qui in finem vſque perſeuerant. Eſt autem conſtantia verbi adminiſtris quàm maximè neceſſaria, quos duo hæc firmiter ſpectare & tenere oportet. Conſtantia uirtutũ Colophon & perfectio.

1 *Primum, vt doctrinam eandem conſtanter prædicent: eam nimirum, quam ex Dei ore, id eſt, ſcripturæ ſacræ libris deſumpſerunt. Nam qui noua ſubinde proferunt dogmata, aut quæ prius tradiderunt mox mutant, vel nouis expoſitionibus detorquẽt, & cothurnos fingũt, quos in omnem partem interpretari poſſint, ij ſua omnia ſuſpecta reddunt, & multis noxiæ dubitationis aut diffidentiæ authores ſunt. Difficile enim eſt, homines rudes & illiteratos in fide & æternæ ſalutis doctrina aliquid certum tenere, ſi eos fluctuare, & Vertũni inſtar ſubinde mutari videant, quos ſibi magiſtros aut doctores conſtituerunt. At hîc ſimul videndum eſt, vt ſi quis initiò falſus eſt, eum meliora edoctum non pudeat ſententiam mutare & rectè ſentientibus cedere. Nam qui temere conceptas opiniones aut manifeſtos errores tuentur mordicus, ij non conſtantiæ laudem merentur, ſed pertinaces dici debent: quod vitium à doctore alieniſſimum eſſe debere Paulus admonet: eò quòd qui eo laborant, ij ferè hæreſum & diſſidiorum authores ſunt, ex quibus publica totius eccleſiæ diſſipatio naſcitur.* Tit. 1.

2. *Alterum, vt nullis rationibus ſe terreri aut adduci patiantur, quò minus ſanam doctrinam rectè ſecent, & pro temporum atque locorum ratione applicent auditoribus, vt publicæ omnium ædificationi ſeruire poſſit. Multa enim verbi adminiſtris obijciuntur, ne officium faciant, vt in prophetis eſt videre. Sed vt hi conſtantes fuerunt in ijs inculcandis, quibus aduerſarios maximè offendi & irritari ſciebant: ita etiam hodie fiat oportet. Turpe enim fuerit à mundo eos vinci, qui Dei ſerui ſunt, & illius minas pluris facere quàm huius promiſſiones, quibus ſuum patrocinium & regni ſui conſortium omnibus illis pollicetur, qui in verbi ſui diſpenſatione fideles fuerint. At quod miniſtris dicitur, hoc etiam ij ad ſe pertinere putent, qui magiſtratum gerunt. Ingens Dei beneficium eſt reſpub. bonis legibus confirmata. In his ergo tuendis conſtantes ſint, qui rempub. adminiſtrant, neque eos audiant, qui de legibus conqueruntur, & turbas daturi videntur. Nam periculoſior eſt quantulacunque reipub. mutatio, neque ibi pedem ſiſtunt qui leges quaſcunque abolere volunt, vbi putantur: ſed præter opinionem latius vagari ſolet improborum licentia, vbi ſemel ei habenæ laxatæ fuerint. Et vt torrentes, ſi vel minima rima pateat, mox aggeres totos perrumpunt, & indomito curſu per campos & agros ruunt, ſegetes ſternũt, arbores radicitus euellunt, & (vt poeta verbis vtar) rapiunt hominumque boumque labores: ita ſi quibus detur vnam aut alteram legem violare, mox & ipſi eo ſucceſſu audaciores facti alias quoque aggrediuntur, & eorundem exemplo alij prouocati idem tentant, atque creſcente indies contumacium numero totius reipub. ruina ſequitur. Viderunt hoc ſapientiſſimi quique legiſlatores, qui leges ſacroſanctas eſſe voluerunt, ne qui eas priuato arbitrio abolere aut mutare auderent. Laudantur in Rom. hiſtoria Cenſores, qui Duronium Senatu mouerunt, quòd Legem de coercendis conuiuiorum ſumptibus latam Tribunus pleb. abrogauerat. Et exempla multa docent, non ſemel paucorum conſtantia rempub. ſeruatam fuiſſe, quando in extremum diſcrimen adducta eſſe videbatur. Debent de hoc etiam frequenter cogitare priuati homines, quibus non minus tam in religione quàm alijs rebus conſtantia opus eſt, ne vel ad quemuis ventum nouæ doctrinæ ſententiam mutent, vel cultus quotidie nouos ſuſcipiant, aut ad nouum vitæ genus temere tranſeant.*

Luc.9.

Notum eſt enim illud Chriſti: Nemo, qui vbi manum aratro admouit, à tergo reſpicit, dignus eſt regno Dei. Et plerunque infelices ſunt eorum euentus, qui deſerta vocatione, quam à Deo habent, rebus alienis & nihil ad ſe pertinentibus ſeſe immiſcent.

1.Cor. 7.

Rectè ergo Paulus monuit: Maneat quiſque in vocatione, qua vocatus eſt. Poteſt hæc doctrina latiſſimè ad omnes actiones & ſtudia hominum extendi, ſed in præſenti ſufficiat occaſionem dediſſe de his diligentius cogitandi.

Temperantia & fortitudo Ioannis.

Nunc in Chriſti verbis progrediamur, qui Ioannem ſecundo loco à temperantia & fortitudine commendat, & rurſus ipſos auditores compellans ait: Quid exiſtis vt videretis? Hominem ne mollibus veſtimentis amictum, &c. Quaſi diceret: Sat ſcio, vos cùm tanto ardore & ſtudio ad Ioannem excurreretis, minimè quæſiuiſſe hominem molliculum, qui turpiter omnibus obuijs adularetur, & animum corruptum veſtitu molliori & omnis generis delitijs proderet. Nam qui tales ſunt, ij non in deſertis locis, ſed in aulis regum agunt. Illic ſumma ſapientia eſſe putatur, principi placere, omnibus morem gerere, neque aliquem offendere. Illic generis nobilitatem & ſplendorem magnifico veſtitu oſtentant, qui alijs illuſtriores haberi volunt. Illic etiam luxus & intemperantia regnant, quæ mores ſimul omnes corrumpunt. In deſertis autem locis nihil huius cernitur, neque in illis diu ſubſiſtunt, quorum animi ad mollitiem & intemperantiam inclinant. Et vos ipſi teſtari poteſtis, Ioannem ab eiuſmodi moribus alieniſſimum fuiſſe. Vidiſtis enim quis eius victus, quis item veſtitus fuerit: frugalis nimirum, & loco conueniens, in quo vitam duxit. Vnde rurſus ſequitur, illum non in eorum numero habendum eſſe, qui vt luxui & intemperantiæ ſuæ ſufficere poſſint, quorumuis moribus ſeſe accommodant, & omnibus turpiter nimis atque ſeruiliter aſſentiuntur. Quod ergo de me ille pronunciauit olim, id adhuc firmum ratumque eſt, neque de doctrinæ eius veritate quiſquam dubitare debet.

Miniſtri eccleſiarum luxum & mollitiem fugiant.

At hic rurſus obſeruabis, Ioannem omnibus ijs in exemplum proponi, qui in verbi Dei & eccleſiæ miniſterio verſantur. Decet hos imprimis, vt ab adulatorijs artibus & aulica ſapientia alieniſſimi ſint, animos autem habeant ingenuos & fortes, qui non hominibus, ſed vni Chriſto placere ſtudeant. Ad hoc plurimum momenti conferet, ſi frugalitati & temperantiæ aſſueſcant. Nam qui gulæ & ventri ſeruiunt, aut veſtitu molliori alijſque rebus ad luxum inſtitutis ſuperbiunt, ij quia multis opus habent, & non ſemper ſumptibus tantis ſufficere poſſunt, non rarò coguntur diſſimulare quæ repræhenſione digna eſſe ſciunt, ſæpe etiam ſuo ſuffragio probant, quæ intra animos ſuos damnant, & dum mundo placere volunt, in propriam conſcientiam peccant, & neque Deo neque hominibus fideles ſunt. Quæ mihi cauſa potiſſima videtur, ob quam veteres prophetæ in victu & veſtitu temperatiſſimi fuerunt.

2.Reg. 1. & 4.

De Elia certè legimus, eum Zona coreacea vſum fuiſſe: & quam tenuis prophetarum victus fuerit, ſatis conſtat ex ijs, quæ de Eliſæo & diſcipulis eius ſacra hiſtoria perhibet. De Apoſtolis quid attinet dicere, qui cùm prius tenuioris fortunæ eſſent, non dubium eſt, quin ad Chriſti exemplum tenuiorem viuendi rationem ſemper ſecuti ſint?

Apoc.11.

Et in Apocalypſi miniſtris, qui nouiſſimis temporibus de Chriſto ſint teſtaturi, ſacci tribuuntur, veſtitus nimirum minimè pretioſus, & qui doctrinæ de pœnitentia proprijſſimè conueniat. Durauit hoc frugalitatis ſtudium in veteri eccleſia, quæ ab ornatu quoque templorum ſumptuoſiori abſtinuit: vt quæ ſciret ſacramenta non auro & argento vel gemmis commendari, ſed vſu & eorum pietate, qui illis rectè vtuntur.

De Off. 2. cap. 28.

Ideo olim D. Ambroſius ſcribebat: Aurum habet eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus. Item: Aurum ſacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Quantò magis igitur Sacramentorum adminiſtris cauendum eſt, ne ſeipſos molliori veſtitu ornare inſtituant: ſed veſtibus vtantur, qui pœnitentiæ & Chriſtianæ frugalitatis atque modeſtiæ doctores decere poſſint? Sed poſteris temporibus factum eſt, vt cum imaginum cultu non templorum modò ornatus ſumptuoſior, verumetiam ſacerdotum veſtitus ſcenicus & exquiſita mollitie tantumnon infamis inuectus ſit. Et ferri poterat luxus ille apud eos, qui crucem Chriſti iampridem pedibus ſuis calcauerunt: At dolendum eſt, hodie inter Euangelij precones & purioris doctrinæ inſtauratores paſſim inueniri eos, qui & papiſticum habitum reducere ſatagunt, & ipſi in veſtitu mollitie plus quàm aulica vtuntur. Excuſant ſe illi principum & regum authoritate, qui hæc ita fieri velint: ſed maior penes illos debebat eſſe Chriſti Ieſu authoritas & veteris atque purioris eccleſiæ exemplum, cuius omnis gloria & ornatus (vt in Pſalmo habetur) intus fuit. Et

cùm

cùm Ioannis ingenuitatem & in dicendo libertatem Chriſtus ex veſtitu probet, ſatis apertè conſtat, ipſos cùm in hoc tam molliculi ſint, non ex eorum numero eſſe, penes quos fortis & ingenua veritatis prædicatio quæri debeat.

Pſalm. 45.

Ac debent interea Ioannis exemplum omnes alij priuatim ad ſe trasferre, ne dum veſtitu ſibijpſis nimium indulgent, eo ipſe ſeſe infamns faciant, quo maximè ſuperbiunt. Num quo animo quiſque prædicus ſit, veſtes ferè indicant: vt non temere molliculi dicantur, qui illis mollioribus vtuntur: varij & inconſtantes, qui nouas quotidie illarum formas fingunt: impudici & obſcæni, qui ijſdem inhoneſtiores corporis partes exprimunt potius quàm tegunt. Sint ergo à Chriſtianis hominibus aliena prorſus peregrinitatis in veſtitu ſtudium, faſtus, luxus & quæcunque libidinis irritamenta conſeri poſſunt. Hæc enim vt viros minimè decent, & virginum atque matronarum pudicitiam ſuſpectam reddunt: ita rei domeſticæ plurimum incommodant, & multis extremæ egeſtatis cauſa ſunt. Et turpe eſt veſtitu eos ſuperbire, qui huius originem ex peccato manauiſſe norunt, & qui Chriſto nudo atque crucifixo gloriantur. Sufficiat ergo veſtes habere, quæ corpus honeſtè tegant, & aduerſus cœli iniuriam defendant.

Veſtitus honeſtati ſeruiat.

Simul autem hoc loco aulicorum mores Chriſtus perſtringit, quibus ſumma ſapientia videtur ſe ad principis ſui nutum accommodare, & conſilia omnia ad priuatam vtilitatem inſtituere. Itaque omnibus applaudunt, ſeruiliter adulantur, & nihil in dictis factiſq; ſuis certum habent & ſolidum: ſed vt Luna ad Solis motum nunc creſcit, nunc minuitur: ita illi quoque pro principum arbitrio, ſeu libidine potius, in horas mutantur. Sunt hi non aularum modò, ſed principum quoque peſtes nocentiſſimæ. Per illos enim ſtat, quo minùs reges ſaniora conſilia audiant, aut admonitiones ſiue correptiones admittant, quæ illos ad reipub. exitium ruentes in officio continere poſſent. Tanti autem mali præcipua cauſa eſt, quòd luxu & delitijs diffluunt: & ideo aureis (vt ille dicebat) compedibus vincti turpiſſimam ſeruitutem facilè ferunt, modò deſiderijs peſſimis ſatisfacere & morum mollitiem tueri poſſint. Fit ergo vt luxus, intemperantia, libido & voluptatum inhoneſtiſſimarum ſtudia nuſpiam magis regnent, quàm in principum aulis, vbi omnis generis virtutum exempla florere debebant. Eſt malum hoc noſtro ſeculo nimis vulgare, vt vel hoc vno argumento ſatis conſtet, quàm infelix ſit mundi iam ſeneſcentis & ad finem ſuum tendentis conditio. Solomon olim clamabat: Væ terræ, cuius rex puer eſt, & cuius principes manè comeſſantur. Quàm ergo infelices ſunt regiones, in quibus vel laſciuæ fœminæ, vel ſenes bis pueri imperium tenent, qui ab ijs ſe regi patiuntur, qui continuo conmeſſandi ſtudio, veſtitu portentoſo, geſtu indecoro, inceſſu denique faſtuoſo aut petulanti animos produnt ab omni honeſtate alienos? Sabæ regina de Solomonis ſapientia & vniuerſo regni eius ſtatu ex aulicorum veſtitu & moribus iudicium faciebat. Quid ergo obſtat, quò minus hodie ex aulicorum mollitie & petulantia, multorũ principum ſtoliditatem agnoſcamus: qui cùm ære alieno tantumnon toti opprimantur, tales tamen ferũt, imò maximis impenſis alunt, & tam ſeipſos quàm infelices ſubditos illis expoliandos atque deglubendos propinant?

Aulicorum mores perſtringuntur.

Eccleſ. 10.

1. Reg. 10.

Quia tamen iſta non ſunt huius loci, rurſus Chriſtum audiamus, qui Ioannem ab officio quoque commendat, & fide, qua in illo obeundo vſus eſt. Inanis eſt enim etiam virtutum ſplendor, niſi in eum finem dirigantur, vt officium faciamus in ijs, quibus nos Deus deſtinauit. Rurſus autem interrogando pergens ſic ait: Sed quid exiſtis vt videretis? Prophetam ne? Certè dico vobis etiam amplius quàm prophetam. Ioannem ergo, quoad officium eius & dignitatem, ſupra omnes prophetas extollit. Quod ne temere facere putaretur, rationis loco adducit, quòd de illius aduentu & miniſterio reliqui prophetæ ſint vaticinati. Hic eſt (inquit) de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto nuntium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam coram te. Extat locus hic apud Malachiam Capite tertio, & totum Ioannis miniſterium compræhendit, de quo cùm alibi abunde ſit dictum, non opus eſt in præſenti eadem repetere. Nunc illud modò addemus, veteres quidem prophetas de Chriſti in carnem aduentu, regni eius inſtauratione & propagatione, gentium vocatione & tota noui teſtamenti œconomia olim vaticinatos eſſe: Ioannem verò hiſce omnibus quaſi initium dediſſe, & primum fuiſſe noui fœderis atq; teſtamenti miniſtrum. Deinde illi hæc omnia eminus & obſcurius quaſi per nebulas aut tranſennam indicarunt, atque ſuos auditores in eo ſpem ſalutis ac veræ beatitudinis collocare docuerunt, qui poſt ſecula & tempora aliquot in

Fides Ioannis in ſuo officio.

carnem venturus erat: at Ioannes cùm adhuc in vtero matris deliteſcens illi nondum in lucem edito teſtimonium ferre cœpiſſet, tandem in carne manifeſtatum toti populo coràm monſtrauit digito, & dixit: Ecce hic eſt agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Verè ergo Prophetis omnibus maior fuit Ioannes, tantoque ſalutarius humano generi fuit eius miniſterium, quantò propius iam fuit exhibita ſalus, quàm olim, cùm prophetæ venturam prædicarent.

Ioannes hominibus alijs maior, ſed Chriſto minor.

At ne quis Ioannis diſcipulos imitatus huic vni intentus eſſet, & interea ipſum negligeret, cuius ille anteambulo & præco fuerat, per Correctionem ſubijcit: Nam dico vobis, inter eos qui gignuntur è mulieribus, nemo eſt maior propheta Ioanne Baptiſta: Sed qui minimus eſt in regno Dei, maior eſt eo. Quibus verbis Ioannem quidem hominibus vniuerſis præfert, quorum miniſterio Deus olim vſus eſt: ſimul autem ſuam gloriam & authoritatem conſtanter aſſerit, ne quem vilis illa & contempta ſpecies offenderet, quam in carne aſſumpta oſtendit. Minimum enim in regno Dei ſe dicit, partim quia ſeipſum humiliauit infra omnes angelos & homines, adeò vt ſerui vi-
Philip. 2. *liſſimi perſonam ſuſceperit (ſicuti Paulus ad Philippenſes teſtatur) partim quòd hominum etiam iudicio nemo vnquam contemptior & abiectior in terris viſus ſit. Nam vt omnia alia omittamus, in paſſione aut morte illum non ſolùm infra vulgus hominum depreſſum, ſed in facinoroſorum nu-*
Iſa. 53. *mero habitum, imò Barraba latrone inferiorem factum fuiſſe conſtat. Quod Iſaias in ſpiritu præuidens de illo ſcripſit: Non eſt ei forma neque decor: videbimus illum: ſed non eſt ei aſpectus, vt cupiamus illum. Deſpectus eſt & nouiſſimus virorum, vir (inquam) dolorum, & qui infirmita-*
Pſalm. 22. *tem eſt expertus: erit vt is à quo quis faciem abſconderet, &c. Et ipſe in Pſalmo dicit: Ego vermis ſum, & non vir, opprobrium hominum & contemptus à populo. Ad iſta igitur in præſenti reſpiciens, hoc dicere videtur: Qualemcunque me vulgo homines æſtiment, ſum tamen ipſo Ioanne*
Iſa. 42. *præſtantior, adeoque is ſum, cui omnis gloria debetur, & qui meam gloriam alteri non dabo. Sic ergo Ioannem laudat, vt omnem noſtræ redemptionis gloriam ſibi integram reſeruet. Quo loco docemur, ita à nobis quoque laudari debere ſanctos Dei ſeruos, ne interim in illos transferamus quod Chriſti eſt. Faciunt hoc nimis imprudenter (ne quid grauius dicam) qui mediatores & aduocatos ſibi ex illis faciunt, qui illos in periculis inuocant, qui denique illorum meritis ſe ſeruari contendunt. At hanc gloriam illi nunquam affectarunt, ſed hunc ſui miniſterij finem ſibi propoſitum habuerunt, vt omnes homines vni Chriſto adducerent. Illos ergo honore digno proſequemur, ſi doctrinæ eorum credamus, & fidem imitemur, cuius exemplar illuſtre fuerunt.*

Sors Ioannis in hoc mundo.

Interea non oſcitanter hoc loco præterire debemus, quæ Ioannis Baptiſtæ, viri reuera maximi & præſtantiſſimi inter eos, qui ex mulieribus nati ſunt, ſors in hoc mundo fuerit. Num enim eius doctrinæ aut teſtimonio omnes crediderunt? Num apud omnes in honore & pretio fuit? Nequaquam. Imò mox deferbuit populi ad illum vndique concurrentis ſtudium, interea verò ſummis pontificibus, ſcribis, phariſæis & omnibus alijs, qui in altiori dignitatis gradu conſtituti erant, exoſus fuit. Nec multò poſt Herodes meretricis inceſtæ blanditijs irritatus illum captum in Macheruntem abduxit, vbi poſt diuturna vincula in ipſo carcere non minus crudeliter quàm iniuſtè occiſus eſt. Hæc tanti viri in terris ſors, & hic eiuſdem ex hoc mundo exitus fuit. At hunc cum multis alijs communem ſortitus eſt, qui ſimili fide & ſtudio infelicis mundi ſalutem quæſiuerunt. Neminem igitur offendant pericula & aduerſa, quibus hodie etiam Chriſti cultores exercentur, vt
2. Tim. 2. *ideo illos extra Dei protectionem eſſe putet. Nouit enim Dominus qui ſunt ſui, & olim ſui regni atque gloriæ cohæredes faciet eos, qui ipſi crucis & afflictionum ſocij fuerunt. In præſenti verò Chriſti inſtitutum obſeruemus, qui hoc vnum effectum vult, vt populus in Ioannis doctrina conſtanter perſeueret, eiuſque teſtimonio credat. Quod ipſum non minus ad nos quoque pertinet. Et elucet in eo magna Dei bonitas, qui Ioannis miniſterio vti voluit, ne qui per ignorantiam perirent. Sunt bonitatis eiuſdem multa argumenta hodie, quibus nos quoque excitari conuenit, vt ardenti veræ pœnitentiæ ſtudio præparemur ad excipiendum Ieſum Chriſtum, & in illo ſalutem conſequamur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

HOMILIA

HOMILIA LXX.

Et his auditis totus populus & publicani iuſtificauerunt Deum, qui baptizati fuerant baptiſmo Ioannis, Phariſæi autem & legis interpretes conſilium Dei reiecerunt aduerſus ſemetipſos, non baptizati ab eo. Dixit autem Dominus: Cui ergo aſsimilabo homines nationis iſtius? & cui ſunt ſimiles? Similes ſunt puerulis ſedentibus in foro, & qui alij alijs acclamant, & dicunt: Cecinimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non fleuiſtis. Venit enim Ioannes Baptiſta neq; edens panem, neq; bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis edens ac bibens, & dicitis: Ecce homo edax & vinipotor, amicus publicanorum & peccatorum. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis omnibus.

DOminus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus magnificè admodum nuper commendauit Ioannem Baptiſtam, inque ea commendatione fidem & conſtantiam eius imprimis prædicauit, qua in officio ſibi credito vſus eſt, atque eum omnibus Prophetis præſtantiorem eſſe docuit. Finis omnium hic eſt, vt Ioannis teſtimonium, quod is de Chriſto tulit, plus fidei & authoritatis habeat in eccleſia. Ideo ſe, quàmuis minimus & contemptiſsimus omnium eſſe videatur in regno Dei, Ioanne tamen maiorem ſiue excellentiorem eſſe dixit. Quo loco admonemur, in quem finem & quomodo ſancti laudari debeant: Nimirum, vt non ipſis addicti hæreamus, ſed vt eorum cum doctrina tum exemplo excitati ad Chriſtum contendamus, in quo illi omnem ſalutem nobis repoſitam eſſe docuerunt. Nam etſi Dei filius ſeruos ſuos honore ſummo dignetur, & eoſdem ſpiritus ſui donis mirificè exornet, Domini tamen & redemptoris nomen ſibi ſoli ſeruat, & eam gloriam (ſicuti apud Iſaiam loquitur) dat nemini. Sequitur commendationis iſtius effectus, vbi duo hominum genera proponuntur: alterum eorum, quibus Chriſti concio ſalutaris fuit: alterum eorum, qui peiores & induratiores facti proprium ſibijpſis exitium accerſiuerunt. Quorum exemplis docemur, quid à nobis fieri aut caueri oporteat, & quis exitus eos maneat, qui ſeſe Chriſto ſalutem nobis offerenti contumacius opponere audent. Iſa.41.

Summa loci totius eſt, vulgus hominum, qui aut propter ruditatem & conditionem abiectiorem contemptibiles, aut etiam peccatis morumq; licentia infames erant, Chriſtum amplexos fuiſſe: Phariſæos autem & legis interpretes, quos propriæ iuſtitiæ fiducia & doctrinæ aut ſapientiæ exiſtimatio inflabat, illum contempſiſſe. Poterat hoc nobis mirum videri, niſi hanc Euangelij ſui ſortem eſſe, Chriſtus iampridem nos admonuiſſet. Nam apud Ioannem inquit: Ad iudiciũ ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant. Et infra decimo cap. hoc nomine Deo Patri gratias agens dicit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea infantibus. Et poſſunt huius rei cauſæ adduci, quarum aliæ in hominibus, aliæ in Dei æterno conſilio ſitæ ſunt. Inter homines enim ad Chriſtum excipiendum magis idonei ſunt, qui cùm neq; doctrinæ neq; iuſtitiæ propriæ ſplendore ſe venditare poſſint, ſibi magiſtro ſimul & ſeruatore opus eſſe ſentiunt. Quod cùm non intelligant, qui ſibijpſis ſapere videntur, & ſuorum operum iuſtitiã ſuperbè oſtentant, ijdem Chriſtum minimè admittunt, ne ſuam indignitatem fateri & ſub huius potenti manu ſeſe humiliare cogantur. Deinde hanc regni ſui conditionem eſſe vult Deus, ne quis hoc ex hominum dignitate & conſilio pendere exiſtimet, & vt omnem ſalutem in ipſius gratia & voluntate conſiſtere fateantur. Admonet de hoc Paulus, quando in priori ad Corinth. ſcribit: Poſtquam in ſapientia Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultam prædicationem ſeruare credentes. Quandoquidem & Iudæi ſignum petunt & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum; Iudæis quidem offendiculum, Græcis verè ſtultitiam. Et paulò poſt huius conſilij rationem exponens ait: Videtis vocationem veſtram fratres, quòd non multi ſapientes ſecundùm carnem non multi potentes, non multi nobiles: Verum quæ ſtulta ſunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat ſapientes: & quæ ſunt infirma

Summa totius loci.

Ioan.9.

1.Cor.1.

in mundo elegit Deus, vt pudefaciat ea quæ ſunt robuſta: & quæ ignobilia ſunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt quæ ſunt aboleret: Vt ne glorietur vlla caro coram eo. Sunt hæc diligenter obſeruanda propter eos, qui nobis quidem noſtræ partis hominum conditionem miſeram & mundi iudicio contemptibilem exprobrant, ſuæ verò factionis ſplendorem atque potentiam magnificè extollunt. Quid verò aliud iſti faciunt, quàm quòd idem nobis hodie euenire fatentur, quod olim ipſi Chriſto & eius apoſtolis euenit? Neminem ergo illorum tripudia & Traſonicæ gloriationes offendant. Nec enim ex mundo hoc eſt regnum Chriſti, & proinde mundi potentia, armiſque authoritate, nequaquam ſtabilitur. Cæterum accedamus ad huius loci tractationem, & audiamus, quid de vtroque auditorum Chriſti genere Lucas ſcribat.

Vulgus & publicani credunt. Primum vulgus promiſcuum & publicanos habet, ſub quibus homines idiotas aut illiteratos, ad hæc vitijs manifeſtis infames comprehendi ſupra diximus. De his duo dicuntur. Primum, quod iam ante baptiſmo Ioannis baptizati fuerint. Nam ad hunc populi turbam ex tota Iudæa & Galilæa confluxiſſe ſcribitur alibi, vt docentem audirent & ab eo baptizarentur. Ergo iam pridem ſeſe Deo addixerant, vt relictis prioribus ſtudijs vitam nouam & regni eius ciuibus dignam viuerent. Alterum, quòd audito Chriſti de Ioanne teſtimonio Deum iuſtificarint. Subſcripſerunt ergo doctrinæ Chriſti, & ita publicè prædicarunt Dei iuſtitiam & bonitatem, quam nobis ille in filio ſuo offert. Itaque nunc ſeſe in illis exerit effectus baptiſmi, quo diu ante tincti fuerant.

Auditorum verbi officia. Docet autem horum exemplo ſpiritus ſanctus, quid nos facere conueniat, quando nobis quoque per Euangelium ſalus in Chriſto Ieſu offertur. Videndum hîc ante omnia, ne media ſpernamus, quibus erga nos vtitur Deus. Sunt hæc, verbi doctrina & ſacramenta. Illo enim ſalutis æternæ promiſſiones nobis proponit & illius rationē omnem exponit, his verò illas obſignat & ipſos etiam ſenſus ad eas apprehendendas excitat. Verbum ergò diligenter audire. Sacramentis autē religioſe vti debemus: neque hîc nobis obſtet, quòd non ſemper initio ſtatim intelligimus, quid hæc ſibi velint, aut quòd carnis ſenſui nimis abiecta & inutilia videntur. Vt enim qui in altum aſcendere volunt, ab infimis gradibus initium faciant oportet: ita ad ſublimiorem fidei gradum & plenam Ieſu Chriſti cognitionē non peruenient, qui huius rudimenta vel oſcitanter negligunt, vel improbè contemnunt. At qui iiſdē piè vtuntur, iis præparatio ſunt non inutilis ad maiora, & ſuū aliquando fructum ferunt, licet initio vix aliquid profutura nobis eſſe videantur. Exemplum huius iſti ſatis euidens præbent. Cùm enim baptiſmo ab Ioanne tingerentur, inanis & inefficax ceremonia hæc videri poterat, & credibile eſt illos ipſos vix maius aliquid animo tunc concepiſſe. Quia verò ordini à Deo inſtituto ſeſe accommodant, & quas hic illis offert maioris profectus occaſiones non negligunt, præclarus nunc baptiſmi illius effectus cernitur. Quod multis etiam hodie obtingere videmus, in quibus prima ſalutis initia admodum contempta & tenuia aliquando apparebant. Arguunt hæc Anabaptiſtarum errorem, qui infantes aut paruulos baptizari nolunt, eò quòd baptiſmi myſterium & vſum non intelligant, neque aliquis illius effectus mox appareat. Quaſi verò hic ad momentum illud temporis alligatus ſit, quo infans tingitur, & non potius per omnem vitam ſeſe extendat. Et quid prohibet, quò minus in Sacramentis fiat, quod in verbo fieri ipſe Chriſtus fatetur? Hoc enim non ſemper prima ſtatim hora

Marc. 4. in auditorum animis fructum facit, ſed interdum aliquandiu deliteſcit, vt extinctum videri poſſit, ſuo autem tempore in mentem redit homini, & fructibus minimè pœnitendis ſeſe conſpicuum præbet. Sed perinde faciunt phanatici illi, ac ſi quis ſementem facere prohibeat, eò quòd ſpicæ maturæ & fruges non illico è terra enaſcantur.

Deum iuſtificare quid? Deinde Deum iuſtificare debent ij, quibus Euangelium prædicatur. Requiritur ad hoc, vt nos peccatores eſſe fateamur, quibus aliena iuſtitia opus ſit. Proximum inde eſt, vt eam fide firma apprehendamus, quam nobis Deus in filio ſuo offert. Ita illum iuſtificabimus, quia illi tribuimus laudem iuſtitiæ, bonitatis, miſericordiæ & veritatis. Et hic Deo cultus eſt longè gratiſſimus, quando illum ex animo talem agnoſcimus, qualis reuera eſt, & talem publicè etiam prædicamus. Quod cùm non niſi per fidem fiat, non temere hæc tantis præconijs in ſcriptura commendatur, quòd nimirum ſola nos iuſtificet & ſaluos faciat. Vt enim Chriſtum Ieſum apprehendit, eique nos inſerit, qui iuſtitia, vita & ſalus eſt: ita in ſe omnia continet, quæ ad verum Dei cultum faciunt. Etenim qui Filium nobis à Patre datum eſſe, & illum miſeros nos deſtructo diaboli regno in libertatem

filiorum

filiorum Dei aſſeruiſſe firmiter credit: is profectò Deum veracem eſſe agnoſcit, qui promiſſionibus olim factis abunde ſatisfecerit. Idem illius quoque bonitatem & miſericordiam immenſam prædicat, qui ne Filio quidem proprio propter nos parcere voluerit. Iuſtitiam item Dei agnoſcit, cuius ille adeò tenax eſt, vt peccata noſtra Filij potius morte expiare, quàm inulta & impunita ferre voluerit. Quid verò de illius omnipotentia dicemus, quæ & ipſa à nemine tam magnificè prædicatur, vt ab ijs, qui Dei filium in aſſumpta ex nobis carne miſera & mortali tantum potuiſſe credunt, vt diabolum cum toto ſuo regno deſtrueret? Verè ergo Deum iuſtificant, qui Chriſto credunt, & ijdem Deo obſequium quoq; præſtant fideliſſimum: quia fieri non poteſt, quin ſe totos illi mancipent, cuius veritatem infallibilem, iuſtitiam omnibus numeris abſolutam, bonitatem inexhauſtam, miſericordiam plus quàm paternam, ſapientiam infinitam & potentiam inuictam in Chriſto agnoſcunt. At quia hæc omnia humani ingenij captum ſuperant, diuinitus in nobis fides accendatur oportet, ideoq; illam Chriſtus opus Dei vocat, & his idcirco optimo iure opus illud, cuius ipſe in nobis author eſt, æterna vitæ præmio remunerat. *Ioan. 6.* Minimè ergo audiri debent, qui vt ſuorum operum iuſtitiam ſtabiliant, de fide contemptim nimis loquuntur, & nos ſalutis rationem eiuſmodi fingere clamant, quæ carni habenas laxet, & bonis operibus ſit inimica. Quia enim atrocem iniuriam illi tam nobis quàm Euangelio Ieſu Chriſti faciant, ex ijs apparet, quæ modò diximus. Ipſi verò, dum præ alijs Dei cultores haberi volunt, non vno modo blaſphemi fiunt, quando Chriſtum abijciendo ſimul Dei veritatem, iuſtitiam, bonitatẽ, miſericordiam & omnia alia negant, quæ ſi ab illo auferas, Deus eſſe deſinet.

Sed ad alterum genus auditorum Chriſti tranſeamus, in quo Phariſæos & legis interpretes fuiſſe doctores fuiſſe, ſupra diximus: qui duo ordines illo ſeculo inter Iudæos præcipuam doctrinæ & iuſtitiæ exiſtimationem ſuſtinebant. *Phariſæi & legiſperiti ſpernunt Dei conſilium.* Dicuntur hi conſilium Dei ſpreuiſſe. Quod non tunc demum facere cœperunt, quando Chriſtum de Ioanne concionantem audiuerunt, ſed iam pridem ipſum Ioannem eiuſque baptiſmum aſpernati fuerant, vt cap. tertio audiuimus. Conſilium Dei ergo dicit doctrinam Euangelij, eò quòd hæc æternum illud Dei conſilium exponit, quo ille nos in Chriſto Ieſu elegit, vt ſuum peculium efficeremur, & in illo vitæ æternæ hæreditatem obtineremus. Facit ergo locus hic plurimùm ad aſſerendam Euangelij dignitatem. Nam eius authorem docet eſſe Deum, qui per illud non rerum nihil ad nos pertinentium narrationes, multò minus fabulas ad aurium oblectationem confictas, ſed conſilij & decreti ſui arcana nobis reuelare dignatus eſt, ex quo ſalus noſtra omnis dependet. Eſt hoc magnum diuini amoris argumentum, cuius conſideratio nos excitare debet, ne conſilio eius improbè reluctemur. Hoc enim in Phariſæis & legiſperitis hoc loco Euangeliſta reprehendit, quando illos Dei conſilium ſpreuiſſe dicit. Fuit hæc impudens nimiùm audacia, eoque maiori reprehenſione digna, quòd nihil audirent, quàm quod ex lege & Prophetis iampridẽ didiciſſe debebant. Sed propria eſt hypocritis iſta audacia. Quia enim inanis ſcientiæ fiducia eos inflat, omne id ſcurriliter reijciunt & damnant, quod vel non intelligunt, vel ſtudijs ſuis aduerſum eſſe ſentiunt. Chriſtum ergo & doctrinam de gratuita ſalute, quæ in hoc nobis exhibetur, illi admittere non potuerunt. Vt enim illa mundi huius ſapientibus ſtultitia eſt, ita intolerabilis omnino illis erat, qui religionem ſibijpſis iampridem quæſtum fecerant, & huius ſeculi gloriam gloriæ Dei longè præferebant, vt non vno loco de illis Chriſtus teſtatur. Nemo igitur mirari debet, hodie etiam Monachis & ſacrificulis ſordere Euangelij doctrinam, & ab illis non modo ſperni, verumetiam conculcari: Quia fieri non poteſt, vt patienter eos ferant, qui gratis illud omnibus offerunt, ex quo illi quæſtum maximum facere conſueuerunt. Sequuntur hos proximò gradu, qui ſe totos mundo & carnis deſiderijs addixere. Nam his quoque non durum modò, ſed iniquum & iniuſtum videtur Dei conſilium, qui nos per Euangelium ad vitæ nouitatem excitat, & à regni ſui hæreditate omnes eos excludit, in quibus non certa regenerationis & nouæ naturæ indicia elucent. Spernunt ergo & ſcurrili dicacitate omnẽ hanc doctrinam eludunt, imò ex eo ſibi læta omnia pollicentur, ſi ea liberari poſſint, ne porrò auribus ipſorum obſtrepat. Et hi quidem omnes ſibi delitias faciunt, quòd non Deum reijciant, ſed importunos rerum turbatores & Stentores inſanos, qui rerum naturas innouare, & totum mundum inaudita ambitione pro ſuo nutu cogere inſtituant. Sed reuera ipſius Dei conſilium ſpernunt, & proinde in ſpiritum ſanctum, per prophetas & apoſtolos loquentem, ſunt iniurij. Idem ergo illis quod ægrotis medicorum ſana conſilia contemnentibus accidet. Vt enim hi ſua contumacia

ſibijpſis mortem acceſſunt, ita iſtis quoque obſtinata illa temeritas atque proteruia exitium afferet.

Infideles Sacramenta negligunt. *Sed alterum quoque de noſtris hiſce dicitur, quòd ne baptizati quidem ſint ab Ioanne. Erumpit enim in apertum impietas, poſtquam Dei conſilium ſpernitur, & mox Sacramentorum atq; omnis ordinis à Deo inſtituti contemptum parit. Quia enim omnia ſuo ſenſu metiuntur, nihil autem in Sacramentis apparet magnificum, quod carnis expectationi reſpondeat, idem ferè de baptiſmo omnes illi ſentiunt, quod de Iordane olim Naamanus ille Syrus, cùm in eo ſe tingere ab Elia iuſſus*
2.Reg.5. *eſſet. En cogitabam (inquit) apud me, Omnino exibit, & ſtans inuocabit nomen Domini Dei ſui, admouebitq; e manum ſuam ad locum, & curabit lepram. Annon præſtant Abana & Parpar, fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraelis? annon ſi lauero in eis, mundus ero? Ita (inquam) iſti quoque non ſine contemptu loquuntur: Magnum quid atque nouum expectabamus ex Euangelij doctrina, de qua tanta animorum vehementia contenditur. At quid aliud iubemur, quàm vt cœtus ſacros ingreſſi verbum audiamus, vt in Chriſti nomine aqua baptiſmi aſpergamur, vt certis diebus panis buccellam & parum vini cum reliquis eandem fidem profitentibus ſumamus. Et quid iſta ad animarum ſalutem facerent? Annon ſcripturas domi legere, domi etiam lauari & epulum longe ſplendidius inſtruere poſſumus? Sed vtinam, qui ita ſentiunt & loquuntur, Naamani ſeruulos ſimul imitati viciſſim cogitarent: Si quid magnum & arduum iuberet Deus, annon eius mandato parere oportet? Quæ ergo ingratitudo, imò quæ hæc eſt, impietas eum contemnere, qui ne cui grauis ſit, ineffabilia illa & humani ingenij captum excedentia regni cœleſtis myſteria Sacramentis pauculis & obſeruatu facillimis adumbrat atque obſignat? Sunt hæc nobis probè meditanda, ne ex ſpecie externa de illis iudicemus, quæ non ſine certa ratione Deus inſtituit. Inter quæ primum locum facilè tenent cœtus ſacri, in quibus verbum prædicatur, preces publicæ fiunt & Sacramenta adminiſtran-*
Leuit.23. *tur. Eſt illorum inſtitutio antiquiſſima, & in lege ſua in eum finem Deus feſta peculiaria manda-*
Deut.16. *uit, vt ad illa ter in anno omnes conuenirent ad audiendam legem, & ad ſacra facienda, quæ tunc in*
Matt.18. *vſu erant. In nouo autem teſtamento eccleſiæ cœtus ampliſſima promiſſione Chriſtus ornauit, quòd nimirum & ipſe in illis medius adeſſe velit, & quòd quæ in his fiunt preces, ratæ ſint apud Patrem qui in cœlis eſt. Quæ cauſa eſt, quòd illos Apoſtoli ſumma diligentia inſtituerunt, & quòd primitiua eccleſia in iiſdem cogendis frequentiſſima fuit. Imò, ſi verum fateri libeat, hæc ferè omnibus ſeculis perſecutionum initia fuerunt, quòd Chriſtianis hominibus non ſatis fuit fidem ſuam intra animos ſuos fouiſſe, niſi eandem & publicè profiterentur, & in cœtibus ſacris eius exercitia adhiberent, quæ à Chriſto mandata nobis eſſe ſciebant. At hodie multi illos vnà cum Dei verbo & toto Sacramentorum vſu contemnunt: qui reuera Dei conſilium ſpernunt, vt ſupra diximus, & hoc vnde abunde teſtantur, ſe ex Deo non eſſe, neque in ouium Chriſti numero cenſeri debere, quarum proprium eſt paſtoris vocem audire & gregis ſocietatem integram ſeruare.*

Qui Dei conſilium ſpernunt, ſeipſos perdũt. *Sed obſeruent iſti, non temere de Scribis & Phariſæis hîc dici, quòd Dei conſilium ſpreuerint aduerſus ſemetipſos, id eſt, in proprium exitium. Non ergo ipſi Deo, ſed potius nobis fraudi eſt verbi ſui & ſacramentorum contemptus: neque Deum, ſed ſeipſos lædunt, qui quam nobis ille offert*
Pſalm.33. *gratiam aſpernantur. Manet enim in æternum Dei conſilium (vt Dauid ait) & eiuſdem verbo ex hominum incredulitate ſiue inobedientia nihil decedit, ſibijpſis autem exitij authores ſunt, qui illi non obtemperant. Poterat hoc pluribus exemplis illuſtrari, ſufficiat tamen quod publicè in eccleſijs fieri videmus. Etſi enim ſæpe corruant & prorſus diſſipentur eccleſiæ, quæ prius præ alijs florebant, & quibus pereuntibus nullæ ſeruari poſſe videbantur, fit tamen, vt illæ quidem ingratitudinis & inconſtantiæ pœnas dent, aliæ tamen præter omnem expectationem ſaluæ maneant, multæ etiam nouæ apud eos emergant, qui à Chriſti cognitione prius quàm maximè abhorrebant. Ita verò diuinitatem ſuam & immenſam ſuam potentiam Chriſtus palàm declarat, eius autem contemptores dum in cœlum nimis temere expuunt, ſibijpſis exitium & ignominiam accerſunt ſempiternam.*

Phariſæi & Scribæ obiurgantur. *Pertinet huc grauis obiurgatio, qua Chriſtus docet, illos incurabili contumacia aduerſus Deum peccare, qui ipſos varijs quidem modis conatus ſit in viam reducere, nihil autem hucuſq; profecerit. Orationem autem ſimili ſiue exemplo figurat à pueris deſumpto, vt obiter oſtendat puerilia eſſe,*

quæcunq; ab hypocritis & propia ſcientiæ fiducia inflatis fiunt: vt deniq; ſuperbis illis ſupercilium deprimat, qui cùm doctores & Rabbini illuminatiſſimi haberi vellent, tamen ne ea quidem in ſemetipſis obſeruabant, quæ ex pueris in triuijs ludentibus addiſci poterant. Cui (inquit) aſſimilabo homines nationis iſtius? & cui ſunt ſimiles? Interrogatione excitat auditores, & illis (quod hypocritis proprium eſt) magnum quid expectantibus, infert: Similes ſunt puerulis in foro ſedentibus, qui alij alijs acclamant, & dicunt: Cecinimus vobis tibijs, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non fleuiſtis. Videtur autem tunc inter Iudæorum pueros in more fuiſſe, vt præfractis & moroſis alij cantilenam eiuſmodi occinerent, qua moroſitatem & contumaciam ſuam illis exprobrabant: Senſus ergo eſt, Deo cum ipſis agenti idem omnino accidere, quod melioris indolis puerulis cum proteruis & petulanti moroſitate laborantibus accidere ſoleat. Vt enim hi ſociorum voluntati & inſtituto nunquam ſe accommodant, ſed ipſi omnibus imperare volunt, & niſi hoc illis concedatur, ſocietatem ſubitò abrumpunt, & implacabiles ſeſe præbent: ita ipſos facere ait, quando obduratis animis in ſua contumacia pergant, & neq; leniori inſtitutione, neq; grauiori correptione emolliri poſſint, vt officium faciant. Id verò non minus euidenter quam grauiter reipſa demonſtrat. Nam venit (inquit) Ioannes Baptiſta, qui threnodijs & cantilenis lugubribus vſus eſſe videtur, quando doctrina ſeueriori & plena comminationum, adhæc exemplo vitæ ſeuerioris, vos ad pœnitentiam & vitæ emendationem excitauit, vt ad gratiam Dei, quæ præ foribus erat, amplectendam idoneos faceret. Nam neque panem comedit, neque vinum bibit, id eſt, adeò non indulſit genio & carnis cupiditati, vt à communi & conceſſa omnibus victus ratione abſtinuerit, ijs contentus, quæ in locis deſertis & incultis inueniri poterant, locuſtis uimirum & melle ſylueſtri. At vos adeò non mouit eius doctrina & exemplum, vt potius eum dæmonio, id eſt, ſpiritu familiari vti dixeritis, & magicis præſtigijs rudem populum dementare. Succeſſi mox ego, qui carmen lætum & iucundum vobis occinere ſoleo, dum omnes qui laborant & onerati ſunt ad me inuito: dum laborantibus requiem, famelicis panem, ſitibundis aquam vita polliceor. Adhæc vitæ genus mitius & ab vſitato more nequaquam alienum mihi propoſui: nam vſitatis cibis, vt alij, veſcor, potu ſolito vires recreò, vocatus ad aliorum menſas accedo, denique familiarem & affabilem me omnibus præbeo. At quid vos? Ecce (dicitis) homo edax & vinipotor, amicus publicanorum & peccatorum. Quando igitur neq; diſciplina ſeueriori, neq; familiariori & amica inſtitutione corrigi poteſtis, ſatis apparet, contumaciam veſtram incurabilem eſſe, & vos veſtro vitio perire. Itaq; iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis omnibus, id eſt, vos qui filij Dei dici & haberi vultis, & quos olim Moſes ſolos gentem ſapientem eſſe dixit, ſapientiam Dei abunde excuſatis & omni culpa liberatis (hoc enim ſenſu Hebræi verbo iuſtificandi vtuntur) quando veſtris hiſce moribus & iudicijs iniquiſſimis teſtamini, Deum quidem inſtar optimi & ſapientiſſimi patris, nihil eorum prætermiſiſſe, quæ vobis emendandis & ſeruandis ſeruire poterant, vos autem indomita peruicacia in proprium exitium ruere. Hic verborum Chriſti ſenſus eſt ſimpliciſſimus, & illius inſtituto propriè conuenit. Eſt ergo exprobratio hæc ſimilis illi, qua apud Iſaiam ſub vineæ parabola vtitur, & expoſito diligenter ſtudio & labore, quo in illa colenda nequicquam vſus ſit, tandem infert. Quid præterea faciendum erat vineæ meæ, quod non fecerim ei? Vt enim illic ipſos Iudæos huius cauſæ iudices conſtituit: ita hîc quoq; non obſcurè iſtorum conſcientias appellat, vt proprio teſtimonio conuicti diſcant Deo gloriam dare. Iſa.5.

Hic autem obſeruanda nobis occurrit Dei bonitas, qui iam inde à primo rerum exordio homines varijs rationibus ad ſerium propriæ ſalutis ſtudium allicere conatus eſt, & proinde pro ingeniorum diuerſitate modos etiam docendi & monendi diuerſos adhibuit. Nam cum primæ ætatis hominibus breuius & ſuccinctius egit, vt promiſſionibus ſalutis per Chriſtum inſtaurandæ eos confirmaret, penes quos recens erat conditi mundi & lapſus primorum parentum memoria, quiq; iræ ipſius ſenſu magis afficiebantur. At cùm mundus in peius proficeret, & excuſſo timore Dei in omne ſcelus petulanter rueret, horrendo generalis diluuij exemplo poſteris nouum metum incuſſit, & legibus quoq; contra cædes atq; vim iniuſtam latis hominum temeritatem coercere cœpit, & eoſdem ad ingenium redeuntes ſupplicio de Sodomæis ſumpto amplius terruit. Tandem Iſraelitis ex Ægypto eductis legem dedit ſcriptam & cultus ſui formam certam inſtituit, & tam huius quam doctrinæ ſuæ adminiſtros dedit Sacerdotes, quorum ſtudio & induſtria homines in officio continerentur. At his Dei bonitas ſeſe nobis accommodans.

ETſi Dei Filius, Ieſus Chriſtus, ſalutem & vitã, cuius ipſe nobis author atq; mediator eſt, o-
mnibus hominibus admodum liberaliter offerat, pleriq; tamen tam ipſum quàm doctrinam eius
aſpernari conſueuerunt. Inter hoc tamen primatum facilè tenent Phariſæi & hypocritæ, qui ſuorum
operum meritis & propria iuſtitiæ fiducia turgent. Tales enim aliena iuſtitia aut iuſtificatore aliõ
ſe nequaquam opus habere arbitrantur: & iiſdem ſtultitia magna videtur aliena iuſtitia niti vellẽ,
& quidem iuſtitia Chriſti, qui cum facinoroſis damnatus in cruce mortem infamem ſuſtinuit. Non
admittunt ergo æternum illud & ſalutiferum Dei conſilium, qui in vno Filio ſuo nobis iuſtitiam &
ſalutem perfectam exhibet, & dum propriam iuſtitiam (vt Paulus ait) conſtituere volunt, non ſub- Rom. 10.
iiciuntur iuſtitiæ Dei, quæ ſola nos tueri & ſeruare poteſt. Exemplum huius rei euidens in iis, quæ
proximè præceſſerunt, vidimus. Cùm enim publicani & plures alij peccatis non vulgaribus infames
Chriſtum amplecterentur, imò Ioannis doctrina & baptiſmo iampridẽ ad pœnitentiæ veræ ſtudium
inflammati eſſent, Phariſæi tamen & Legis interpretes conſilium Dei ſpreuerunt, & tam Ioannem
quàm Chriſtum Dominũ conuitiis atrocibus inſectati ſunt. Grauiter ergo illos Dominus obiurgat,
& idem non temere alibi dicit illis: Amen amen dico vobis, quòd Publicani & meretrices præeunt Matth. 21.
vobis in regnum Dei. Facit ad huius illuſtrationem hiſtoria, quam Lucas in præſenti ſubiicit. Ea
enim primò diluitur eorum calumnia, qui Chriſtum comeſſatorem & vinipotorem dicebant. Nam
docet quomodo & in quem finem cum peccatoribus familiarius conuerſari ſoleat: non quidem, vt
peccandi licentiam in illis excuſet, ſed vt ad pœnitentiam excitet, & vt peccatorum conſcientia op-
preſſis conſcientiis remedium adhibeat. Oſtendit deinde quid pleroſq; absterreat, quò minus ad ipſum
accedant & ſalutis in ipſo participes fiant.

Occaſionem totius negotij aut tractationis Phariſæus quidam, Simon nomine, præbuit. Is enim Occaſio huius negotij.
cùm Chriſtum domum ſuam inuitaſſet, mulier quædam proſtituto pudore & libidine infamis, nunc
autem peccatorum conſcientia miſerè preſſa, & pœnitentiæ ſtudio ardens, ad illum accedens eius
gratiam ambiuit, vt cum Deo reconciliata mortem effugeret. Quod factum vt Phariſæum & reli-
quos conuiuas offendit, ita Chriſto de tota hac cauſa dicendi occaſionem præbuit. At nunc primam
hiſtoriæ partem videbimus.

Primo autem loco Phariſæus ſe offert, qui etſi non ex apertis & violentis Chriſti hoſtibus fuiſ- Phariſæus exemplum hypocritarum.
ſe videatur, malitioſum tamen & aſtutum hypocritam fuiſſe apparet, cùm in captandis offenſioni-
bus nimiùm diligens fuerit, vt Chriſtum in contemptum adducere, aut inuidiam illi conflare poſſet.
Egregiè autem hypocritarum ingenium atq; mores exprimit. Nam odium, quo Chriſtum perſequè-
batur diſſimulare nouit, quando illum non modò menſæ ſuæ adhibet, verumetiam officiosè rogat, vt
ad ſe venire dignetur. Quòd ſi cauſam quæras, quæ illum mouit, ego hanc præcipuam eſſe crediderim,
vt ea ratione populi fauorẽ ſibi conciliaret, in quo pleroſq; de Chriſto honorificè ſentire intelligebat.
Dum ergo Chriſtum honorat, priuatum honorem quærit, ne ex eorum numero putetur eſſe, qui illum
propter Veritatis doctrinam & liberiorem Verbi diuini prædicationem extinctum volebant. Eſt
hoc proprium illis, qui ſub Euangelij prætextu ſuum commodum quærunt, quos Chriſtus in ſemen-
tis parabola πρόσκαιρους, id eſt, temporarios vocat, eò quòd ad tempus modò de ſeipſis aliquam pie- Marc. 4.
tatis veræ ſpem præbeant, quæ tamen mox fallit, ſi quid pro Chriſto audendum eſt, aut ſi illum ſuis
ſtudiis aduerſari ſentiunt. Eſt horum non exiguus numerus hodie, qui cùm Euangelium peſſimè
oderint, tamen & conciones ſacras audiunt, & illius præcones in honore habent, & frequenter ad
conuiuia honoraria inuitant, iiſdem aſſentiuntur & ſuam opem promittunt: id verò omne nõ aliam
ob cauſam faciunt, quàm vt apud veros Chriſti cultores ſibi locum parent, ad honores publicos ad-
mittantur, & ſuis rebus conſulant. Eſt igitur inſidioſa valde eiuſmodi hominum amicitia, eò quòd
frequenter ingens aliquod malum dent, ſi quæ Euangelij opprimendi occaſio ſeſe offerat. Et hîc im-
primis impletur illud Chriſti, qui huius ſeculi filios in ſua generatione prudentiores eſſe teſtatur, quã
filios lucis. Quamobrem circumſpectione magna opus eſt, ne illorum artibus circumuenti ſalutis ia-
cturam faciamus, aut periculorum inextricabilium Labyrinthis implicemur.

Deinde Chriſtus quoq; non oſcitanter cõſiderandus venit, qui ad Phariſæum diuertit, quàmuis Chriſtus ad Phariſæum diuertit.
& eum hoſtili in ſe animo præditum eſſe, & hoc ipſum ſibi vitio verti ſciret, quòd conuiuiis lautio-
ribus intereſſe ſoleret. Hoc enim ex officio fecit, vt medicus & æternæ ſalutis doctor, non vt gulæ

ſeruiat, aut eorum fauorem ſibi conciliet, quos incurabili contumacia aduerſus Deum pugnare ſciebat. Suo igitur exemplo minimè patrocinatur Monachorum & papiſticorum præſulum conuiuis, quos ſolus lautioris culinæ nidor, vt canes famelicos allicit, & qui omnibus aſſentari iampridem in animum induxerunt, vt gratuitis epulis frui & ex alieno voluptuari poßint. Tuentur quidem illi ſeipſos Chriſti exemplo, ſed verius illis Petri exemplũ conuenit. Nam vt hic cùm ad eundem ignem cum ſummi Pontificis famulis ſeſe calefaceret, in zelo Chriſti frigidior factus eum turpiter abnegauit, cuius cauſa prius omnia ſua reliquerat: ita iſti Abbatum & Epiſcoporum beneficijs & conſuetudine frequentiori deuicti, fidem & Chriſtiani hominis officium paulatim dediſcunt, & tandem aperti abnegatores fiunt, ne ruſtice nimis ab ijs diſſentire videantur, quorum amicitiam ſibi quæſtuoſam eſſe ſentiunt. Vt ergo olim Diogenes dicebat, auream illam libertatem, quæ ſub Saturno floruit, in pultibus veſcendis inueniri, non in regum luxurioſis epulis: ita fidei libertatem facilius ſeruant, qui contemptis huius ſeculi delitijs & Chriſti hoſtium fauore, frugalitatis & temperantiæ ſtudium ſectantur.

Chriſtus ſalutis hominum ſtudioſiſsimus. 1.Tim.2. *Imprimis autem hîc obſeruatu digniſſimum eſt ardens illud Ieſu Chriſti ſtudium, quod in ſeruandis hominibus adhibuit. Hunc enim cibum ſuum eſſe dicit, vt faciat voluntatem patris ſui, & opus eius perficiat. Atqui Dei voluntatem Paulus eſſe teſtatur, vt omnes homines ſalui fiant, & in cognitionem Veritatis inducantur. Huic igitur operi ſic ille intentus fuit, vt ne eos quidẽ negligendos eſſe putarit, quos maligno & hoſtili in ſe animo præditos, & ſalute indigniſſimos eſſe non ignorabat. Ideo hîc Phariſæi domum ingreditur, & inſidioſè ſecum agentibus ſalutem prædicat. Et alibi neq; præſentia neq; inſidiæ hoſtium illum abſterrere poſſunt, quò minus docendo pergat, & ſaluificam ſuam virtutem miraculoſis operibus declaret. Hinc ergo conſolationem petamus, ſi quando nos tentationes grauiores exercent. Qui enim hoſtibus & pœnitere neſcijs tam ſe amicũ & propitium præbuit, nunquam eos faſtidire poterit, qui ipſum animo amico & precibus verè pijs inuitauerint, aut*
Apoc.3. *pulſanti aperuerint. Eius enim promiſsio eſt: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, ingrediar ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Admonet præterea nos Chriſti exemplum, minimè deſerendam eſſe vocationem aut munus à Deo nobis iniunctum, etiamſi multos hoſtiliter ergà nos affectos eſſe, multa etiam in calumniã malignius trahi ſentiamus. Chriſti munus erat docere, oues perditas quærere, errantes in viam reducere, laſciuientes coercere, deniq; neminem ad ſe venientem eijcere foras. Hæc ille indefeſſo ſtudio facere perrexit, neq; per eos ſe auocari paſſus eſt, qui & facta eius omnia calumniabantur, & offenſiones inſidioſè captabant, vt ipſum quàm plurimis inuiſum & exoſum facerent. Exempla huius ſtudij paſſim occurrunt euangelicam hiſtoriam legentibus. Imitentur hoc omnes homines, imprimis autem illi, qui in gradu aliquo ſublimiori à Deo conſtituti ſunt, & quorum fidei multorum quoq; aliorum ſalus commiſſa eſt. Etenim qui eccleſijs ſeruiunt, multos ſui miniſterij æſtimatores iniquos, pleroſq; autem ingratos experiuntur, pro quorum ſalute ipſi dies noctesquè excubant: neque calumniatores deſunt, qui quæ benè aut piè facta ſunt, in ſenſum alienum detorquent. At nihilominus illi pergere debent, neq; hominum ingratiſſimorum iudicijs moueri, quando hæc ipſis fraudi eſſe nõ poterũt, modò fidem ſuam Deo probare poßint, qui ſuorum ſeruorum vindex atq; remunerator eſt fideliſſimus. Eadem eſt eorum conditio, qui rempub. adminiſtrant. Nam ſi hi quoq; officium fecerint, alijs quidem ſeueri nimiùm & crudeles, multis iniqui & iniuſti videbuntur, & fortaßis ſeditionum authores ipſis periculum ſtruent. At nõ propterea diſcedendum eſt à reipub. gubernaculis, ſed eò diligentius aduigilare & à Deo commiſſam functionem obire oportet, ne dum ignauo metu victi ſuccumbunt, tam ſeipſos quàm infelicem populum in periculum adducant. Debent hoc ipſum priuatim ad ſe transferre, quicunq; Chriſto nomen dederunt. Quia enim lucem Veritatis mundus odit, multa quoq; in huius ſectatores comminiſcitur, vt exoſos reddat omnibus, quò fit, vt nihil ferè ab illis dici aut fieri poßit, quod non impudenter nimis proſcindant calumniatores improbi, qui ex eo laudem ſibi quærunt, ſi Chriſti cultoribus negotium faciant. Veruntamen hic quoq; conſtantia opus eſt, neq; ideo intermitti debent veræ pietatis exercitia, quibus Deum delectari ſcimus. In ijs verò, quæ vel per ſe illicita ſunt, vel ſalua fide & pietate vitari poſſunt, etiam atq; etiam videndum eſt, ne cui infirmo adhuc ſcandali alicuius authores ſimus. Vide Rom.14. & 1.Cor.8.10.*

Tranſeamus

Mulier peccatrix.

Tranſeamus nunc ad mulierem, quæ præcipua huius actionis perſona eſt, & quæ diſputationi, quæ mox ſequetur, argumentum ſiue anſam præbuit. De hac ſic ſcribit Lucas: Et ecce mulier, quæ erat in vrbe peccatrix, cùm cognouiſſet eum accubuiſſe in domo Phariſæi, detulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans ad pedes eius retro, flens cœpit lachrymis rigare pedes eius, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Quibus verbis initiò mulieris huius conditionem deſcribit. Erat (inquit) peccatrix in vrbe. Nam quàmuis ſeria hæc conuerſio ad Chriſtum, illam, quoad Dei iudicium, ab omni culpa liberauerat, apud homines tamẽ adhuc peſſimè audiebat, neq; alio locò habebatur, quàm quo proſtituti pudoris fœminæ haberi ſolent. Quod ideo obſeruari debet, vt illuſtrior ſit Chriſti bonitas, qui talem in conſpectum admittere, & eiuſdem in ſe officia probare, & in gratiam recipere dignatus eſt. Facit huc demonſtratiua particula, ECCE. Ea enim nos vt ad rei nouæ & conſideratu digniſſimæ conſiderationem Euangeliſta excitat. Et ſanè multa admiratione dignum eſt, mulierem libidine & ſcortatione infamem, ſubita peccati cognitione perculſam de conuerſione ad Deum tam ſeriò cogitauiſſe, vt omni mora abrupta ad Chriſtum contenderit, & eo interceſſore atq; mediatore cum illo reconciliari optarit. Non ergo pigeat eam diligentius paulò inſpicere.

Pœnitentiæ exemplum.

Proponitur enim hoc loco pœnitentiæ exemplum perfectiſſimũ, quod niſi imitemur, ſalui eſſe non poſſumus. In eo autem primum occurrit peccati cognitio, quam in muliere iſta ſeriam & minimè fucatam fuiſſe, circumſtantiæ omnes abunde docent. Nunquam enim adduci potuiſſet, vt in alienã domum, & quidem Phariſæi domum, in conuiuium item honeſtiſſimorum hominum, adhæc in Chriſti conſpectum veniret, niſi ex ſcelerum admiſſorũ cognitione dolorẽ in animo ſenſiſſet incredibilem, qui hoc illam facere coegit. Fuit ergo cum peccati cognitione coniuncta cordis cõtritio & iræ diuinæ ſenſus, qui vt animum eius mirificè excruciauit, ita eandem mouit, vt ſalutem apud Chriſtum quæreret. Id verò nunquam feciſſet, niſi iam in animo eius radices egiſſet fides, qua illam donatam fuiſſe, Chriſtus poſtea diſertè teſtabitur. Accẽdit hanc procul dubio in animo eius Spiritus ſanctus, qui ipſi author fuit, vt Chriſti conciones audiret, & eiuſdem miracula diligentius obſeruaret. Audiuerat ergo illum omnes qui laborant & onerati ſunt, ad ſe inuitare, & ad ſe venientibus quietem polliceri: audierat medicum eſſe, qui ad ſanandum malè affectos in mundum veniſſet: paſtorem item, qui errantes & perditos quæreret, & peccatores vocaret ad pœnitentiam: deniq; clamantem audiuerat: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Item: Amen amen dicò vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Viderat autem promiſſiones illas infinitis ſignis confirmari, in quibus & voluntatem eius ad iuuandum propenſiſſimũ, & eiuſdem virtutem ſiue potentiam planè diuinam obſeruabat: cùm & neminẽ quantumuis vilem & indignum abs ſe reijceret, & morbis humana arte incurabilibus ipſo ſolo verbo mederetur. Nec dubitarim ad aures illius iam delatam fuiſſe famam de paralytici curatione, qua non obſcurè demonſtrauerat, ſe animi quoq; morbis mederi poſſe, & peccata remittendi poteſtatem habere. Hæc (inquam) fidei in Chriſtum ſemina fuerunt, quæ iam animo concepta Spiritus ſanctus viuificauit, vt cum fiducia certa ad illum accederet. Et quia virtutem humana maiorem in illo agnoſcit, honore etiam dignum iudicat. Ideo alabaſtrum vnguenti pretioſi ſecum affert, vt eum pro more gentis inungat. At inter hæc omnia metus & pudor ex prioris vitæ & ſcelerũ conſcientia enatus eam impediunt, quò minus rectà in illius conſpectum ſe inferat. Itaq; à tergo accedens ad pedes recumbentis conſtitit, & tota in pias lachrymas ſoluitur, quibus peccata ſua deplorat. Mox tamen vbi pudorem & metum fides vicit, pedibus illius aduoluitur, quos largo lachrymarum imbre rigat, capillis abſtergit, & vnguento inungit: hoc nimirum officio indicans, qualem ipſum eſſe credat, & quid ab eo ſperet, cùm id verbis non poſſet exprimere.

Pœnitentiæ veræ partes.

Habet ergo hic omnes veræ & ſalutaris pœnitentiæ partes. Hæc (vt iam ſæpe diximus) totius hominis conuerſio eſt ad Deum, à quo peccatorum illecebras ſecuti receſſimus. Vbi ante omnia peccatorum cognitione vera opus eſt. Quia enim natura ad peccandum procliues ſumus, & peccatis delectamur, nunquam iis relictis ad Deum conuertemur, niſi illorum atrocitas probè nobis cognita atq; perſpecta ſit. Ea verò in Legis ſpeculo deprehenditur, ſi cũ præceptis Dei dicta & facta noſtra omnia diligenter conferamus. Et quia Lex diris quoq; comminationibus aduerſus tranſgreſſores fulminat, & iram Dei nobis ob oculos ſtatuit, parit cognitio hæc terrores horribiles, qui nobis omnia infeſta,

Pſal.6.32.et 51. adeoq́ vitam ipſam iniucundam reddunt. Senſit hoc David, quando in Pſalmis clamabat: Tranſ-
greßiones meas agnoſco, peccatum meum ſemper coram me eſt. Contremefacta ſunt oſſa mea, ſed &
anima mea territa eſt vehementer. Defatigatus ſum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectũ
meum, lachrymis meis grabbatum meum irrigo. Dies nocteſq́ ingraueſcit ſuper me manus tua, ver-
ſus eſt ſuccus meus in ſiccitates æſtiuas. Et huius generis multa in ſanctorum exemplis occurrunt,
quæ ideo obſeruare conuenit, ne ſi quid ſimile nobis accidit, conſcientiæ terroribus toti abſorbeamur:
quin potius agnoſcamus in nobis veræ pœnitentiæ initia. Mox autem Dei promißiones & gratiæ
2 atq; bonitatis eius exempla in mentem reuocemus, vt ex his ſpe veniæ concepta in fide confirmemur,
ſine qua (vt Paulus ait) ad Deum nemo poteſt accedere. Et niſi fides nos ſuſtentet, peccati cognitio
deſperationem pariet, ſicuti in Caini & Iudæ exemplis eſt videre. Quod ne nobis quoq; accidat, facilè
cauebimus, ſi in Chriſtum intenti ſimus, qui nobis gratiæ Dei mediator, imò iuſtitia & ſatisfactio à
patre factus eſt: vt quæ nobis deſunt, ipſe ſua perfectione ſarciat. Adhæc cum promißionibus diui-
næ gratiæ exempla conferamus eorum, qui non vulgaribus delictis grauati cum Deo in gratiam re-
dierunt, & huic meditationi preces coniungamus ardentes, vt & peccatis noſtris propitius ſit Deus,
& fidem noſtram fulciat, ſpiritu idem ſancto nos confirmet, ne de eius bonitate deſperemus. Quàmuis
3 autem fidem in nobis bene confirmatã ſentiamus & de Dei gratia abunde certi ſimus, non tamen ex
eo cõfidentiæ ſpiritũ concipere, ſed pio metu & pudore humiliari debemus, bonæ indolis filios imitati,
qui etſi de patris bonitate minimè dubitent, eundem tamen reuerentur, & quia ſuæ inobedientiæ ipſos
pudet, non ſine timore ingenuo in eius conſpectum veniunt. Eſt enim fidei coniuncta modeſtia & hu-
militas, vt in Petri exemplo vidimus, qui diuinæ in Chriſto virtutis conſideratione perculſus, ad
pedes eius procidit clamans: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Et David etiamſi de gra-
tia Dei ſpem bonam concepiſſet, tamen in lachrymis (vt modò diximus) aßiduus, ſibi multitudine
miſerationum opus eſſe ſentiebat. Vehementer ergo errant, qui ſuorum operum fiducia elati, perinde
4 in Dei conſpectum irrumpunt, ac ſi ipſi pro ſuis delictis ſatisfacere poßint. Neq; ideo bona opera da-
mnamus, imò his omnino ſtudendum eſſe dicimus, vt quam verbis profitemur pœnitentiam, reipſa
teſtemur. Quomodo enim ad Deum conuerſi eſſe dicentur, qui adhuc priſtinis ſtudijs dediti peccato
ſeruiunt, & carnis cupiditatibus indulgent? Sibi ergo dictum putent, qui verum pœnitentiam agere
Rom.6. videri volunt, quod ad Romanos Paulus ait: Ne regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obe-
diatis peccato in cupiditatibus corporis. Neq; ſiſtite membra veſtra arma iniuſtitiæ, ſed ſiſtite vos
Deo vt ex mortuis viuos, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Quorum ſenſus eſt, vt faculta-
tes omnes ad Dei ſeruitium ſiue cultum conferamus, quibus aliquando carni atque peccato ſeruiui-
mus. Excitemus ergo nos quoque odorem bonæ fragrantiæ Chriſto, & ita viuamus, vt in nobis
ille glorificetur. Et hæc vera ſalutis ratio eſt, quam ſcripturæ paßim docent. De hac enim expo-
Ezech.18. ni debet, quod apud prophetam dicit Dominus: Viuo ego, quòd nolo mortem peccatoris, ſed vt con-
Zach.1. uertatur, & viuat. Item, Reuertimini ad me, & ego ad vos reuertar. Hac igitur via nobis etiam ho-
die ingrediendum erit, ſi quas tot ſignis nobis denuntiat Deus, pœnas effugere libeat. At in hoc ple-
riq; peccant, quòd aut nunquam cogitant de vitæ & morum ſuorũ emendatione, aut ad creaturas &
ſuorum operum merita conuerſi Deum negligunt, aut ludos ſcenicos inſtituunt, quos pœnitentiæ pu-
blicæ titulo veſtiunt, vel etiam pœnitentiam agunt momentaneam, & ad priſtina ſtudia redeunt,
quã primùm Dei iram deferbuiſſe arbitrantur. Sunt hi omnes eorum ſimiles, quos hoc nomine Deus
Hoſeæ ſexto accuſat, &c.

Mulierum officium & decorum. Priuſquam tamẽ ab hoc loco digrediamur, in peccatricis exemplo obſeruari debet præterea, quid
mulieres imprimis deceat. Eſt ſexus iſte natura procliuis ad libidinem, & ferè quæ corpus à ſtupris
intactum cuſtodiunt, ornamentis tamen & cultu delectantur nimio & ad laſciuiam compoſito. Nam
erecto collo faciem fuco depictam oſtentant, capillorum criſpantium cincinnis frontem exornant, re-
liquis per humeros ſparſis & ad imum dorſum vſq; demißis ſuperbiunt, pectus auro multo ornatum
quaſi venale exponunt, brachia armillis, digitos gemmis aggrauant, nec contentæ corpus totum ſeri-
co nimio veſtiuiſſe, & ſæpe formas veſtium finxiſſe non ſatis pudicas, in pedibus quoq; ſuperbiæ & la-
ſciuiæ illecebras oſtentant. At ſunt hæc omnia indigna Chriſtianis fœminis, quarum ornatus (vt Pe-
1.Pet.3. trus ſcribit) non debet eſſe externus ille, qui in capillorum nodis, & circumpoſito auro, vel palliorum

amictu

amictu conſiſtit: ſed occultus ille cordis homo, ſitus in incorruptione lenis & quieti ſpiritus, qui eſt corã Deo pretioſus. Si quæ ergo immodico corporis cultu peccauerũt, peccatricis huius ex animo conuerſæ exemplum imitentur, & meretricium vultus impudici fucum vera pœnitentiæ lachrymis abluant, pectus ab impuris cogitationibus liberent, brachia & manus ſuperbiæ laqueis ſolutas ad Dei miniſterium expediant, corpus totum Chriſto ſiſtant viventem hoſtiam, capillos autem, id eſt, ornatum omnem ſuperfluum & quicquid neceſſitati minus ſeruit, ad Chriſti pedes tergendos conferant. Sunt autem Chriſti pedes (vt Auguſtinus in hiſtoriam Mariæ Lazari ſororis annotauit) pauperes, quos nobis ille ea conditione commendat, vt in ſuas rationes ſe aſcripturum eſſe polliceatur officia, quæ in illos impendimus. O ergo felices capillos, qui iſtos extergunt, ô verè pretioſos annulos & torques, qui pauperum famem ſatiant: ô purpuram beatam, quæ nudos veſtit, & inopes morbis contabeſcentes fouet. Hæc vos meditari oportebat ô matronæ & virgines, quæ Chriſtianum nomen profitemini. Nec enim luxum veſtrum vel generis nobilitas, vel opum abundantia excuſat: quia nobilitas vera eſt in Chriſto renatum & filium Dei factum eſſe, opum verò vſus licitus eſt, vt & noſtræ neceſſitati ſeruiant, & noſtra abundantia egentium inopiæ ſuccurrat.

Cæterùm Phariſæi Simonis de hoc facto iudicium audiamus. Prodit is ſuum ingenium, & inde occaſionem ſumit, vt Chriſto calumniam ſtruat. Cautè tamen & aſtutè rem intra animum ſuum meditatur, priuſquam aliquid contra eum pronuntiet, quam ad reſpondendum ſatis inſtructum eſſe ex anteactis ſciebat. Itaq; apud ſe dicit. Hic, ſi eſſet Propheta, noſſet quæ & qualis ſit hæc mulier, quæ tangit ipſum: nam eſt peccatrix. Vbi ante omnia obſeruabis, nihil impudicum de Chriſto illum ſuſpicari, ſed prophetiæ modò dignitatem illi negare, quam populus ei tribuebat. Vnde apparet, eam in Chriſto innocentiam vitæ & modeſtiam fuiſſe, vt ne hoſtes quidem infenſiſſimi in illo iuſtam ſiniſtræ alicuius ſuſpicionis cauſam inuenire potuerint. Itaq; talem omninò agnoſcit Chriſtum, qui ſe ab iſta muliere tangi minimè paſſurus fuiſſet, ſi quæ nam & qualis ea ſit ſciret. Quia autem hoc illũ neſcire arbitratur, ex eo colligit, ne Prophetam quidẽ eſſe: quaſi verò prophetæ omnes omnium facta & mores ſemper nouerint. Cauſa erroris huius præcipua eſt, quòd Meſſiæ officium non intellexit, cuius eſt Mediatorẽ agere, & miſeros peccatores cum Deo in gratiam reducere. Et hoc illud ſcandalum eſt, ad quod noſtro etiam ſeculo Anabaptiſtæ offendunt, quando eccleſias noſtras hoc nomine damnant, quòd in illis admittantur, qui peccatis & ſceleribus infames ſunt. Atqui cogitare debebant, Euangelium retis aut verriculi inſtar eſſe, quo omnis generis piſces trahuntur, neq; nos temere nobis de aliorum conſcientia iudicium ſumere debere. Et vt ad Simonem iſtum redeamus, ſi in ſemetipſum ille deſcendiſſet, Chriſtum non auſus fuiſſet ad menſam ſuam vocare, ſed cum Centurione dixiſſet: Domine, non ſum dignus, vt ſub tectum meum ingrediaris: Imò non minus fuiſſet admiratus, Chriſtum in ſuam domum diuertiſſe, qui muliere hac multò deterior erat, quàm quòd ſe ab illa tangi paſſus erat. Elucet igitur in hoc exemplo, quo ingenio præditi ſint hypocritæ, qui Veritati ſe opponere ſemel in animum induxerunt. Sunt hi mortalium oculatiſſimi in aliorum vitijs notandis, in eorum maximè, quos ab ipſis ſeceſſionem feciſſe, aut ipſorum ſtudijs aduerſos eſſe norunt. In ſuis autem vitijs obſeruandis plus quàm cæci ſunt: imò quàmuis illa atrociſſima ſint, ea tamen mirificè extenuare, & ſibijpſis blanditias facere conſueuerũt. At hic præterea nõ oſcitanter obſeruari debet, Phariſæum ex mulieris iſtius moribus occaſionem arripuiſſe, qua Chriſti doctrinam in dubium vocaret. Eſt hoc admodum frequens hodie. Quia enim tanta eſt Euangelicæ doctrinæ puritas, vt in illa nemo aliquid inueniat reprehenſione dignum, eos oculatiſſimè obſeruant eius hoſtes, qui illã profitentur: vt aliquam calumniandi cauſam inueniant. Faciunt hoc (vt paulò ante dictum eſt) Anabaptiſtæ, quando in euangelicæ doctrinæ & fidei noſtræ contemptum eos nobis exprobrant, qui in noſtris eccleſijs vitam viuunt Chriſtiana profeſſione indignam. Faciunt hoc ipſum Papiſticæ ſuperſtitionis ſectatores, & ita fit, vt quæ ipſi præter officium facimus, in Chriſti contumeliam redundent. Erat de hoc nobis ſæpe cogitandum, & de hoc nos ille admonet, quando nos ciuitatis inſtar eſſe dicit, quæ in monte ſita latere nõ poteſt, ex eo autem infert, opera noſtra lucere debere, vt per ea pater noſter glorificetur. Meminerimus ergo hîc non noſtram modò cauſam agi, ſed ſimul in periculum venire Filij Dei Ieſu Chriſti gloriam, cui nos totos conſecratos eſſe conuenit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Phariſæus Chriſtum calumniatur.

HOMILIA LXXII.

Tunc reſpondens Ieſus dixit ei: Simon habeo quiddã quod tibi dicã. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores (inquit Ieſus) erant cuidam creditori: vnus debebat denarios quingentos, alter verò quinquaginta. Cũ autem illi non eſſent ſoluendo, gratificatus eſt vtriſq;. Horum igitur, dic, vter eum plus diliget? Reſpondens verò Simon dixit: Exiſtimo eum, cui plus gratificatus eſt. At ille dixit ei: Rectè iudicauiſti.

Vſus & argumentum totius hiſtoriæ.

LVcas Euangeliſta non temere hiſtoriam mulieris peccatricis & Simonis phariſæi ſumma diligentia & ſtudio deſcribit. Continet enim hæc vniuerſam redemptionis & ſalutis noſtræ rationem, ſimulq; docet, ad hanc percipiendam magis idoneos eſſe eos, qui peccatorum debito aut pondere præ alijs oppreſſi ſunt, quam illos, qui propter opera in ſpeciem bona ſibijpſis, aut etiam alijs hominibus iuſti eſſe videntur. Opponuntur enim inter ſe mulier libidine infamis & phariſæus propriæ iuſtitiæ fiducia ebrius. Illa peccatorum agnitione territa ad Chriſtum confugit, & ſuo exemplo docet, quæ vera ſit pœnitentia, & quid nos facere conueniat, ſi cum Deo in gratiam redire & ſeruari velimus. Opus hîc ante omnia peccatorum agnitione, quæ animi contritionem & humiliationem parit, ſimulq; obſtat ne noſtrarum virium aut meritorum fiducia efferamur. Simul autem per fidem in Ieſum Chriſtum ad thronum gratiæ confugiamus oportet. Sequetur hinc obedientia, quæ nos totos Deo vendicabit, vt is per nos & opera noſtra glorificetur. Ab his longè alieniſſimus eſt Phariſæus iſte, quem ſuijpſius fiducia ſic dementauit, vt non contentus mulierem iſtam nimiùm præcipiti iudicio damnauiſſe, inſuper Chriſtum quoq; calumnietur, aut ſaltem ſiniſtris ſuſpicionibus grauet. Eſt hoc propriũ hypocritis & propriæ iuſtitiæ oſtentatoribus. Nam vt iuſti & ſancti putentur, in quoſuis obuios ſibi cenſurã ſumunt, vitia omnium obſeruant, omnes damnant, & ipſam quoq; gratiæ prædicationem iniquiſſimis calumnijs laceſſunt, id quod abſq; Dei patris & Chriſti Mediatoris contumelia fieri non poteſt. Cæterum ad horum pleniorem explicationem facit, quæ modò ſequitur, altera huius hiſtoriæ pars, qua docetur, quid pleroſq; hominum abſterreat, quò minus ad Chriſtum accedant. Nimirum quòd gratiæ Dei in illo nobis exhibitæ magnitudinem non agnoſcant. Accidit hoc tam Epicureis & apertis omnis religionis contemptoribus, quàm illis, qui ſuæ iuſtitiæ meritis confidunt. Nam vt hi gratuita miſericordia ſibi nequaquam opus eſſe exiſtimant: ita illi hanc rident: eò quòd fabula ipſis videtur quicquid ſcripturæ de cœlis & inferis, & alterius vitæ præmijs aut pœnis tradunt. In præſenti tamen Chriſtus aduerſus iuſtitiarios actionem inſtituit, quæ ob ſingularem grauitatem cum diuina ſuauitate commixtam admodum memorabilis & multa conſideratione digniſſima eſt.

Chriſtus Phariſei cogitationes protrahit.

Primum occurrit, quòd etſi nihil in Chriſtum dixiſſet Phariſæus, ille tamen ad occultas animi cogitationes reſpondet, & has quaſi ex latebris in lucem protractas confutat. At hoc agendo Phariſæum reipſa erroris conuincit. Nam cogitabat ille: Hic ſi eſſet propheta, noſſet quæ & qualis ſit hæc mulier, & proinde ſe ab ea contriſtari non pateretur. Ad iſta ergo abſque mora aut curioſiore inueſtigatione Chriſtus reſpondens, abunde teſtatur, ſe mulieris iſtius mores atq; conditionem non ignorare, imò ſe plus quàm prophetam eſſe, qui & omnia norit, & ſimul omnibus afflictis poſſit ſuccurrere. Et eſt hoc euidens diuinitatis Ieſu Chriſti argumentum. Nam vt aliâs diximus, conſtat ſolius Dei eſſe, cordium cogitationes & occulta hominum deſideria ſcrutari. At Chriſtum tam hæc quàm illas nouiſſe, ex hoc & infinitis alijs exemplis appares. Deus ergo verus ſit oportet. Neque hîc mihi aliquis reuelationes ſomniet, quales olim prophetæ habuerunt. Nihil enim huius de Chriſto traditur, qui vt propria virtute opera fecit humanis viribus maiora, ſic etiam ex ſemetipſo omnia nouit, neque aliunde eum aliquid diſcere opus fuit, in quo omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauros reconditos eſſe, & quem nobis à patre ſapientiam factum eſſe, Apoſtolus ſcribit. Prodeſt autem hæc omniſcientiæ Chriſti argumenta obſeruare, eò quòd dulciſſimam conſolationem continent, & ad vitam rectè pieq; inſtituendam plurimùm conferunt. Qui enim mortali carne veſtitus ſuorum labores & hoſtium occultas cogitationes vidit, is procul dubiò nunc quoque in cœleſti gloria conſtitutus nos laborantes ſpectat, & iuſto atque vindice oculo intuetur eorum machinationes,

qui eccleſiam ſuam eiuſq; membra perſequuntur. Quid ergo trepidamus auditis impiorum conſilijs? aut cur nobis terrori ſunt hominum vires, quas flatu ſuo facilè diſsipabit, qui pro ſuo nutu cœlum terramq; gubernat? Quid enim illo inſcio homines tentare, aut eodẽ inuito perficere poſſunt? Certè, qui hoc diligentius meditantur, hi ad omnem fortunæ euentum intrepidi & conſtantes ſunt. Iidem vitã quoq; ſuam & actiones omnes ſic inſtituunt, ne eius oculos offendant, quem olim omnis carnis iudicem venturum eſſe audiunt. Si enim pudet coram hominibus aliqua authoritate præditis res turpes deſignare, multò magis eos ſuæ nequitiæ pudebit, qui ſe in Chriſti Ieſu, iudicis totius terræ, conſpectu agere cogitant. Et hæc cauſa eſt, quòd hoc ferè hominibus perſuadere ſtudet Satan, vt cum impio illo Nabale dicant aut ſentiant, non eſſe Deum, qui res hominum inſpiciat. Nam eſt hoc omnis impietatis fundamentum, quod ſi ſemel in animo iactum fuerit, mox effectum ſuum habebunt carnis deſideria, quæ nos ad omne ſcelus procliues abripiunt.

Pſal. 14. & 53.

Imprimis autem hoc loco nobis obſeruanda venit Chriſti manſuetudo, qui hoſpitem malè fidum & ad calumnias nimis procliuem neque relinquit illico, neque (vt merebatur) durius increpat, ſed potius humaniter & amicè inſtituit: imò officij, quod hoſpites decet, probè memor, honorifica præfatiuncula vtitur, qua dicendi copiam ſibi fieri petit. Simon (inquit) habeo quiddam quod tibi dicam. Eſt hæc bonitas illa, quam propheta promiſſo humani generis redemptori tribuit, ſic de illo ſcribens: Non clamabit, neque efferetur, non faciet audiri in platea vocem ſuam. Arundinem fractam non conteret, & linum fumigans non extinguet, &c. Vſus eſt bonitate illa etiam priuſquam in carnem veniret, cum tota Iudæorum gente, ſicuti prophetarum ſermones teſtantur, quos illius ſpiritu motos fuiſſe Petrus teſtatur. Et in Euangelio infinita illius exempla occurrunt, quæ eiuſmodi ſunt, vt non admiratione ſolùm, ſed ſtupore dignum ſit, illum genti ad miraculum vſque contumaci tantum indulgere potuiſſe. Minus tamen mirabimur, ſi cogitemus, eum ſimili facilitate & manſuetudine nobiſcum etiam agere, qui non minori proteruia admonitiones eius reijcimus & beneficia contemnimus. Ex eo autem apparet, illum noſtræ ſalutis cupidiſsimum eſſe: quod vt in tentationibus conſcientias nos ſolatur, ita viciſsim excitare debet, vt nos illi gratos & obſequentes præbeamus. Quod enim de hominibus olim Mimus dixit, Furor fit læſa diu patientia: hoc ipſum de Deo rectiſsimè dici poteſt, qui etſi non cæco furore excandeſcat, iuſto tamen iudicio pœnas acrius & ſeuerius exigit, quando ſuam manſuetudinem à nobis contemni, & noſtram contumaciam incurabilem eſſe videt. Quod Iudæos olim ſenſiſſe notius eſt, quàm vt multis demonſtrari oporteat. Interim Ieſu Chriſti exemplum omnes homines imitentur, imprimis autem Euangelij præcones, ne proternè nimis aut præcipitantius agendo multos abſterreant, quos ſuis admonitionibus & correptionibus allicere aut lucrifacere debebant. Iubet hoc Paulus in poſteriori ad Timotheum, ſic ſcribens: Seruum domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrariè ſunt animo affecti, experturum ecquando det eis Deus, vt conuerſi agnoſcant veritatem. Reliqui verò Simonem hunc ſibi imitandum proponant, qui etſi iniquius de Chriſto iudicaret, & animum eius ſiniſtræ ſuſpiciones iam occupauiſſent, non tamen reijcit indiguius pro ſe dicere volentem, ſed aures illi amicè atque patienter præbet. Hodie multi in eo grauiſsimè peccant, quòd præiudicijs iniquiſsimis faſcinati ne videre quidem vel audire volunt eos, de quibus ſuſpiciones prauas animo conceperunt, aut quos ab ipſis diſſentire norunt. At meminiſſe oportet, nihil fallacius eſſe ſuſpicione, neque temere Apoſtolum dixiſſe: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

Chriſtus Simonem hoſpitem benigne alloquitur.

Iſa. 42.

2. Timoth. 2.

Sed ad Chriſtũ redeamus, qui quod dicturus erat, per parabolam exponit, & hanc more Hebræorum vt rem verè geſtam narrat. Vt verò alias omnes, ita iſtam quoq; ex rebus vulgo notis deſumit, & iudicium cauſæ propoſitæ ipſi Phariſæo permittit, vt magis perſpicua ſint omnia, & iſtius improbitas atq; hypocriſis euidentius arguatur. Scopus totius actionis eſt, quòd primò mulierem defendit, quam Simon nimis præcipiti ſententia damnauerat, dum adhuc peccatricem & honorum conſuetudine indignam dixit, quam Deus ipſe abſoluerat: deinde ſe quoq; excuſat, qui per hanc ſibi præſtita pietatis & dilectionis officia non debuerit reſpuere: poſtremò tam Simonis quàm aliorum ſui ordinis hominum ingratitudinem perſtringit, imò grauiter accuſat, qui oblatam ſibi à Deo gratiã agnoſcere & amplecti dedignentur. Duo debitores (inquit) erãt cuidam creditori: vnus debebat denarios

Parabolæ argumentum.

quingentos, alter verò quinquaginta. Cùm autẽ illi non eſſent ſoluendo, gratificatus eſt vtriſq. Horum igitur, dic, vter eum plus diliget? Id eſt, vter horum illum plus diligere & dilectionem pluribus officijs teſtari debet? Ad hanc quæſtionẽ Simon ex cõmuni ſenſu & naturæ legibus rectè reſpondens ait: Exiſtimo eum, cui plus gratificatus eſt, &c. Per duos debitores Simonẽ Phariſæum & mulierẽ iſtã intelligit, & hanc quidẽ ei confert, qui denarios 500, debuit: illũ verò qui ſolũ 50. Eam autẽ comparationẽ ex hominũ iudicio ſic inſtituit, qui Phariſæos alijs meliores & ſanctiores eſſe putabãt, cùm in Dei iudicio eò ſceleratiores eſſent, quò magis ſuæ iuſtitiæ fiducia efferebantur. Et Chriſtus cum neutrũ ex illis ſoluendo fuiſſe ait, vtrũq. in eodẽ gradu collocat, & poſtea (vt ſuo loco dicetur) hunc muliere iſta peiorẽ eſſe docet, quòd non pari gratitudine Dei bonitatẽ excipiat. Et quia conuiuis mirum videri poterat, mulierẽ, quæ libidini & ſuperbiæ atq. luxui aſſueuerat, nunc totã in lachrymas ſolui, & ſe ad eius pedes vſq. demittere, qui plæriſq. cõtemptus & inuiſus erat, huius tam ſubitæ mutationis animiq. tam officioſi cauſas indicat: Nimirũ quòd tam debiti ſui quàm gratiæ ſibi factæ magnitudinẽ agnoſcat, & proinde ſe Deo gratã præbere cupiat. Ex eo autẽ colligit, nõ debere amplius eam pro ſcelerata & vitijs infami haberi, cui Deus ipſe culpã omnem condonarit, quæq. ſe totã Deo impendere cupiat: ſimulq. oſtendit ſe quoq. non poſſe non grata & accepta habere officia, quæ ex animo verè pio & Dei beneficium dignè agnoſcente proficiſcãtur. Ita verò (quod iam ante monuimus) euincit, mulierem hanc, qualemcunq. alij iudicent, omnibus Phariſæis præſtare, qui Dei bonitatẽ ſecuri contemnant, neq. vllo erga illum gratitudinis officio fungantur. Hic (inquã) parabolæ huius finis, & hoc Chriſti eam proponentis inſtitutum eſt. Quod dum aliqui minus obſeruant, totius hiſtoriæ ſenſum & vſum verum corruperunt: quaſi nimirum mulier iſta officijs hiſce externis peccatorum remiſſionem meruerit, cùm potius gratuitæ remiſſionis ſenſus atq. agnitio illorum cauſa fuiſſe indicetur. Quod ipſum de omnibus alijs dici poteſt, quorum opera in ſcripturis cõmendantur: & ideò non in operibus hærere, ſed ad horum fontem aſcendere oportet, vt quicquid boni habemus ad ſolius Dei gratiam referatur. Et debet hinc generalis doctrina peti: Ea demum opera Deo grata & accepta eſſe, quæ ex charitate nõ fucata fiunt, quam fides & miſericordiæ Dei ſenſus in nobis parit. Hic enim nos totos Deo mancipat, & cauſa eſt, vt noſtra omnia ſecundùm regulam verbi eius inſtituamus: & vt charitas legis totius impletio eſt, teſte Apoſtolo: ita peccatum eſt, quicquid non ex fide fit. Cæterùm continet parabola hæc vniuerſam redemptionis & ſalutis humanæ rationẽ, cuius ſingulas partes propius inſpexiſſe proderit.

Omnes homines conferuntur debitoribus.

Occurrit hîc primum, quòd Simonẽ Phariſæum & mulierem iſtam duobus debitoribus confert. Comprehendit ſub his totum genus hominũ, & oſtendit tam eos qui mundi iudicio iuſti habentur, quam illos qui publicis ſceleribus & flagitijs infames ſunt, in Dei ære, id eſt, apud Dei tribunal peccati atq. mortis reos eſſe. Nam ſi ad natales noſtros deſcendamus, eadẽ omniũ corruptio apparebit: eò quòd in ſua imagine, id eſt, in natura ſua corrupta, quam ex prima tranſgreſſione contraxerat, Adam omnes ſuos liberos genuit, & ſic (ut Paulus dicebat) peccatũ in mundũ introiuit, & quod de ſemetipſo Dauid olim dixit, hoc omnes dicẽt, qui verũ fateri voluerint: In iniquitate formatus ſum, & in peccato cõcepit me mater mea. Deinde etſi gradus ſint peccatorũ, & quoad peccata quæ vocant actualia, alij alijs honeſtiores & meliores ſint, nemo tamen hominũ ſe prorſus iuſtũ & ab omni peccato immunẽ dicere poteſt. Exerit enim ſeſe in ipſis quoq. infantibus ex primo parente in nos deriuata naturæ vitioſitas, et nõ temere à Deo dictũ eſt, figmẽta cordis humani praua eſſe à pueritia ſua. Hoc enim veriſſimũ eſſe fatebũtur, quicunq. in cunis iacentiũ ingenio & nõ obſcura ira, æmulationis, contumacia & aliorũ affectuũ argumenta diligentius obſeruauerint. Creſcit autẽ cũ ætate peccati vis, & cauſa eſt, vt in multis omnes labamur, vt Iacobus Apoſtolus ſcribit. Et ſi cui datur, vt ab omni maleficio manus & corpus reliquũ abſtineat (quod tamen neſcio an vlli vnquã datũ ſit) æſtuant tamen intra animos noſtros peccatorũ deſideria, quæ cogitationũ & meditationũ peſſimarũ cauſa ſunt, & potiorẽ noſtri partẽ ab ea obedientia abducũt, quà nos totos Deo cõſecrare debebamus. Itaq. qualeſcunq. ſimus hominum iudicio, Deo tamen debitores ſumus, dum occulta carnis deſideria, mentis cogitationes & quæcunque alia ſunt eius generis ab illo alienamus. Quid, quòd quæ per ſe bona & ſancta ſunt opera à nobis polluuntur, dum in illis ipſis cupiditates noxiæ & cogitationes impuræ cõcurrũt? Quod probè olim Iſaias obſeruauit, qui pios quoq. et veros cultores Dei exclamare docuit:

Gene 5.
Rom. 5.
Pſalm. 51.
Gen. 8.
Iacob. 3.

Sumus

Sumus nos omnes veluti immundum, & inſtar veſtis centonũ abiectiſsimorũ omnes iuſtitiæ noſtræ. Et tanta eſt huius debiti ſumma, vt ipſi ſoluendo non ſimus, cùm & nihil poſsimus ex nobis ipſis, & noua quotidie delicta veteribus accumulemus. Agnouerunt hoc olim ſanctiſsimi quiq;, quorũ iſtæ ferè preces fuiſſe leguntur: Ratio iniquitatum noſtrarum ſuperauit nos: ne ingrediaris cum ſeruis tuis in iudicium, peccatorum adoleſcentiæ noſtræ & ſcelerũ noſtrorum ne ſis memor: Nam ſi peccata obſeruaueris Domine, quis conſiſtet? Et hoc illud eſt, quod eadem debitorum parabola Chriſtus apud Matth. cap. 18. fuſius exponit. Debent iſta diligenter à nobis cõſiderari. Primò enim nos de peccatorum atrocitate admonent, & horũ blanditias confutant, quibus pleriq; capiuntur, vt ſecuri affectibus carnis indulgeant, & in ſceleribus ſuis perſeuerent. Atqui peccata debitorũ inſtar ſunt, & nos iuſtitiæ Dei obſtrictos reddunt, cui nos ſatisfacere non poſſumus, niſi quas illa peccatis ſingulis pœnas conſtituit luamus. Ita verò mortẽ æternam ſuſtineamus oportet, quam peccati ſtipendium eſſe, ſcriptura omnis vnanimi conſenſu docet. Vt enim qui in magiſtratus leges delinquit, in illius ære eſt, quoad mulctam non diſſoluit: ita mortis rei & inferorum pœnis obnoxij manent, quantum in ipſis eſt, quicunq; Dei leges quocunq; modo tranſgrediuntur. Quoties ergo ad peccandum ſelicitaris, cogitato te iam ante plus ſatis grauatum eſſe, & homines frugi imitare, qui etſi ſe ad diſſoluendũ æs alienum non ſufficere ſentiunt, cauent tamen ne præter cauſam nouis & non neceſſarijs debitis ſeipſos onerent. Deinde docet quoq; hæc comparatio, vaniſsimas eſſe quaſcunq; homines ex ſuo cerebro fingunt ſatisfactiones. Qua enim re diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciat homo, qui quantus quantus eſt, peccatũ eſt, & nouis quotidie delictis Dei oculos offendit? Aut ſi nos hodie tantum nobis de noſtris viribus aut meritis pollicemur, quæ ratio olim ſanctiſsimos Dei cultores coegit, vt precarentur, ne cum ipſis ille in iudicium deſcenderet? Vides ergo glorioſulos illos ſuarum ſatisfactionũ oſtentatores non modò aduerſus Dei iuſtitiam inſurgere, ſed illos ipſos ſtolidæ & non neceſſariæ ſubiectionis inſimulare, ex quibus veræ pietatis exempla capere debebant.

Pſalm. 65. 143. 25. 130.

Quæ ergo ratio eſt (inquis) per quam à peccatorũ debito liberemur? Eſt hoc alterũ huius tractationis caput, quod vno verbo Chriſtus explicat, dicens: Cùm illi nõ eſſent ſoluendo, gratificatus eſt vtriſq;. Loquitur autẽ de gratuita Dei miſericordia, quam is nobis per Euangeliũ offert in filio ſuo, qui nobis ab illo iuſtitia & ſatisfactio factus eſt. Ad eundem modũ apud Matth. de ſeruo, qui ſoluendo non erat, dicitur: Miſertus eius Dominus, dimiſit eum, & debitum ei remiſit. Ergo quoad Deũ, omnibus ille gratificatur, & ad delenda nomina ſe facilem & miſericordem præbet. Etenim vniuerſales promiſsiones ſunt: Ego ego ille ipſe ſum, qui deleo tranſgreſsiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorũ non recordabor. Item, Ego delebo tranſgreſsiones tuas vt denſas nebulas, & vt nubẽ peccata tua: reuertere ad me, quia redemi te. Quòd verò non omnes hac gratia fruuntur, eorũ contumacia fit, qui promiſsioni eius non credunt, neq; oblatam ſibi peccatorũ remiſsionem quo decet animo excipiunt. Fides etenim ſola medium illud eſt, quod nos Chriſto inſerit, & iuſtitiæ atq; ſatisfactionis, quam in eo nobis Pater offert, participes facit. Fundatur itaq; hîc præcipuum illud doctrinæ Apoſtolicæ caput: Sola fide homines iuſtificari & ſaluos fieri. Rurſus autem euertuntur omnes ſatisfactiones aut expiationes peccatorũ, quibus homines ſuperſtitioſi confidunt. Vbi enim gratis remittuntur debita, aut alterius impenſis diſſoluuntur, ibi de noſtra ſatisfactione gloriari nequaquã poſſumus. Et quicunq; hanc ſtatuunt, ij & gratiam Dei nimis impudenter negant, & in filium eius Ieſum Chriſtum iniurij ſunt, qui ſolus Patrem nobis propitium reddidit. Mirum verò eſt hodie tam multos pro ſatisfactionibus ſuis contendere, quas tamen ipſi negant, quoties nobiſcũ precantur: Remitte nobis debita noſtra, &c.

Deus ex gratia remittit debita.

1. Corinth. 1.

Iſa. 43. & 44.

Ergo (inquis) nihil nobis agendũ reſtat, quando ſola fides ſufficit? Nihil vtiq; præter fidẽ requiritur, ſi de remiſsionis peccatorũ cauſis interroges. Nã per gratiã nos ſeruari iam ante euicimus. At hanc Apoſtolus operũ meritis ita opponit, vt duo hæc ſimul ſubſiſtere poſſe neget. Nam ſi per gratiam (inquit) iam non ex operibus: alioqui gratia non eſt gratia. Sin ex operibus, iam nõ eſt gratia: alioqui opus iam non eſt opus. At ex eo minimè ſequitur, bona opera non debere fieri, aut nullũ eorũ vſum eſſe. Etſi enim qui ſoluendo non ſunt, gratuita remiſsione opus habent, ijdem tamen creditorẽ tam facilem & beneficum diligere & gratitudinem quo poſſunt officio teſtari debent. Eadem ratio apud Deum quoq; obſeruari debet, de quo etſi nihil mereri poſsint qui natura peccatores & filij iræ

Quid Deo debeatur pro remiſsione gratuita.

ſunt, illũ tamẽ amare, & eidẽ omne obſequiũ præſtare debẽt. Ideò Chriſtus Simonẽ interrogat: Vter horũ ex debitoribus creditorẽ plus diliget? Et rectè reſpondet Phariſæus, eum exiſtimans, cui plus ſit ille gratificatus: Nimirũ eum intelligens, qui gratiã ſibi factã melius agnoſcit. Id verò præ alijs faciunt, quorũ peccata tam multa tamq; atrocia & manifeſta ſunt, vt ea diſsimulare nõ poßint. Minimè ergo bonis operibus inimica eſt doctrina hæc, neq; ſecuros facit homines, ſed potius bonorũ operum fontes aperit, & nos ad illa ſic obſtrictos eſſe docet, vt ea intermittere nõ poßimus, niſi nos mortalium ingratiſsimos & omni gratia indignos velimus præſtare.

Dilectio fructus fidei.

Cæterum vno verbo cõprahendit hic Chriſtus, quid Deo debeant, qui ex fide iuſtificati ſunt: Hoc nimirũ, vt illũ diligant. Eſt hic proprius & germanus fidei fructus, quam ideò Paulus per charitatẽ agere dicit. Nec enim fieri poteſt, quin Deum ex toto animo redamet, quiſquis intelligit quanto amore ille nos complexus ſit, vt nimirũ filium ſuum vnigenitũ pro nobis in mortẽ dederit. Eſt autem gemina hæc dilectio: quia ſic Deum amplectitur, vt ſimul in proximũ redundet, quẽ is nobis tantopere cõmendauit. Et quia eius origo in corde aut animo eſt, quem omniũ actionum fontem eſſe conſtat, illius effecta per omnẽ hominis vitã extenduntur, & ideò rectè à Paulo legis totius cõplementũ eſſe dicitur. Nam qui Deum ex fide vera diligit, is vnum hunc obſeruat, colit & audit, neq; aliquid officij detrectat, quo illum delectari nouit. Hinc ergo audiendi Verbi ſtudium accenditur, hinc precandi aßiduitas emanat, hinc vitæ innocẽtia naſcitur, hinc miſericordia erga calamitoſos excitatur, hinc patientia in aduerſis, ſpei inuictum robur, fidei conſtantia & quicquid præterea Chriſtianarum virtutum eſt, originem ducunt. Arguit hoc eorum vanitatem, qui cum omnibus iſtis careant, adhuc tamen fidei titulo ſuperbiunt, & ſe per fidem iuſtificatos eſſe gloriantur. Quos rectè Iacobus compellans ait: Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis. Et ijſdem olim Chriſtus dicet: Non noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatẽ, &c. Nos ergo ô fratres, gratiã nobis in Ieſu Chriſto factã ſic agnoſcamus, vt hunc viua fide amplexi in eundem transformemur, nosq; eius ſpiritu agi teſtemur dictis & factis noſtris omnibus. Illi debetur bendictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIII.

Et cõuerſus ad mulierẽ dixit Simoni: Vides hanc mulierẽ? Ingreſſus ſum domũ tuam, aquã pedibus meis nõ dediſti: hæc autẽ lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis ſui exterſit. Oſculum mihi nõ dediſti: hæc autem ex quo intraui, non intermiſit deoſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autẽ vnguento vnxit pedes meos. Cuius *rei* gratia dico tibi, remiſſa eſſe peccata eius multa: nam dilexit multùm. Cui autem paululum remittitur, paululum diligit. Dixit autem ad illam: Remiſſa ſunt tibi peccata. Et cœperunt qui ſimul accumbebant, dicere inter ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem mulieri: Fides tua te ſeruauit, vade in pace.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus Simoni Phariſæo, qui propria iuſtitiæ fiducia turgidus & inflatus mulierem peccatricem temere damnauerat, parabolam de duobus debitoribus propoſuit, quæ vniuerſam noſtræ ſalutis rationem paucis & perſpicuè complectitur. Docet enim, omnes homines natura peccatores & ita Deo obnoxios eſſe, vt huic ſatisfacere aut eius iudicium ſuſtinere nullo modo poßint: iuſtificari autem gratis propter fidem, qua ipſum qui nobis ſatisfactio à Patre datus eſt, apprahendunt. Vnde colligitur, non aliam eſſe noſtram iuſtitiam, quàm quòd peccata nobis non imputantur, ſed Chriſti merito tegũtur, vel etiã delentur, vt olim Prophetæ locuti ſunt. Simul verò quæ ſint iuſtificatorum officia, indicatur: nimirum, vt ſibi factam à Deo gratiam agnoſcant, & animi gratitudinem atq; fidem in Deũ dilectionis ſynceræ officijs teſtentur, quæ ſummatim omnia comprahendunt, quæ ad præceptorũ Dei obſeruationem atq; veram obedientiam faciunt. Quod probè tenendum eſt, ne vitæ & morum licentia ijs calumniandi occaſionem demus, qui Euangelij doctrinã hoc nomine ſuſpectam multis faciunt, quòd bonis operibus inimicam eſſe vociferantur. Sed videamus reliqua, quæ hiſtoriam iſtam abſoluunt.

Chriſtus parabolam perſonis & rebus applicat.

Pergit enim Chriſtus, & parabolam rebus & perſonis præſentibus, quibus cum agebat, applicat. Priuſquam verò ad verborum interpretationem accedamus, exemplum eius obſeruari debet, quòd nimirum non contentus rem per parabolam propoſuiſſe, quæ auditoribus attentis, aut non omnino ſtupidis, ſufficere poterat, nunc eandem ipſe exponit, vt auditorum inſtitutioni magis ſeruias. Eſt hoc in docendo imprimis neceſſarium. Vt enim homo animalis ſuopte ingenio non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ita cæco philautiæ affectu pleriq; perſtringi ſolent, vt quæ dicuntur, vix putent ad ſe pertinere. Et hoc illud vitium eſt, quod in ſementis parabola Chriſtus perſtringit, de illis loquens, qui ſemen illud Verbi Dei in viam, id eſt, in animos ſecuros & patentes excipiunt, & mox per cogitationes carnis & quoſuis alios idē ſibi eripi patiuntur: eò quòd in illo de rebus non multum ad ſe pertinentibus agi exiſtiment. Quod genus hominum per Ezechielem quoq; olim Deus accuſauit, quando eos Verbum ſuum non aliter quàm cantilenam aliquam audire ait, cuius effectus aut fructus vnà cum ſono euaneſcit. Ideò Chriſtus tam hic quàm alibi parabolis explicationes ſubijcit, & conciones ſuas omnes ita inſtituit, vt de ſe agi nō obſcurè ſenſerint ij, quibus loquebatur. Et hoc illud eſt, quòd Apoſtolus in doctore requirit, vt Verbum Dei rectè ſcindat: hoc nimirum volens, vt doctrinam prudenter applicando in ſingulorum animos penetret, & vt ſinguli id ex illa referre poßint, quod ipſis neceſſarium eſt. Obſeruarunt iſtud admodum diligenter veteres Prophetæ, & quàm rectè id fecerint, in Nathani & Dauidis exemplo apparet. Cùm enim hic turpi adulterio ſeipſum polluiſſet, & huic homicidium, vel potius parricidium accumulauiſſet non ſine atroci & manifeſta nominis diuini ignominia, parabolam quidem ei Nathan propoſuit, qua ſcelus illud ceu in tabula depictum exhibebatur: ſed quia eundem libidinis affectu ita excæcatum cernebat, vt de ſe agi non ſentiret, mox animum eius propius feriens ipſum eſſe oſtendit, qui Dei iram aduerſus ſe prouocarit, & qui ob imminentem ſibi diuinam vindictam matura & ſeria pœnitentia opus habeat. Debent eandem in docendo rationem omnes miniſtri tenere: & ſalutis quidem rationem ſic tradere debent, vt quicunq; viam diuerſam ingrediuntur, ſe errare ſentiant: ſcelera autem ita arguere & increpare, vt Epicurei quoq; percellantur, & eorum ſecuritas ſiue ſtupor prædicationis perſpicuitate ſiue vehementia ſuperetur. Conſolationes item euangelicas ita adhibeant, vt per illas ſubleuentur, quicunq; conſcientiæ terrores ſibi infeſtos eſſe, aut alijs moleſtijs ſeſe premi ſentiunt. Eſt ergo ridiculus & perniitioſus illorum error, qui nudam Verbi Dei recitationem ſufficere arbitrantur, & proinde indignius ferunt, ſi doctrina rebus præſentibus & perſonis accommodetur. Belli profectò & egregij Dei filij, qui Patrem ita loqui volunt, vt ipſis ſermonem fieri nemo intelligat. Faciunt autem illi perinde, ac ſi quis morbo aliquo grauiori laborans, medicum accerſat, qui de morbo, eius cauſis & curatione in genere quidem apud ipſum diſputet, adhæc pharmaca ipſo vidente miſceat & emplaſtra diligenter paret, nolit autem admittere, vt locis affectis illa apponat, aut ipſum ad pharmaca ſumenda inuitet aut cogat. Quid verò iſti diſputationes quantumuis docta & elegantes proderunt? quid in abaco diſpoſita pharmaca & vnguenta iuuabunt? Atqui nihilo meliorem fructum ex concionibus Verbi Dei generalioribus percipiunt, qui ſuos errores corrigi & peccata ſua argui nolunt. Idem ergo cum mundo contumaci & ſtupido concionatores faciant, quod cum phreneticis fidi & periti medici: vt nimirum inuitis & multùm reluctantibus doctrinam eam ingerant, quàm ipſis neceſſariam eſſe vident.

Ezech, 33.

2. Timoth. 2.

Chriſtus Phariſæum magis quàm peccatricem reprehenſione dignum eſſe docet.

Cæterùm quoad parabolæ huius interpretationem, hoc agit Dominus, vt oſtendat, Simonē Phariſæum maiori reprehenſione dignum eſſe, quàm mulierem hanc, quam ille omni conſortio aut conſuetudine indignam iudicabat. Eadem verò opera ſeipſum quoq; excuſat, qui iſta dilectionis officia non temere ſibi ab illa impendi paſſus ſit. Argumentum, quo Chriſtus vtitur, eſt eiuſmodi: quiſquis gratiæ Dei magnitudinem, & quam is hominibus offert peccatorum remißionem rectè agnoſcit, is non poteſt non me diligere, qui vnicus gratiæ huius Mediator ſum: ideoq; amorem hunc officijs externis teſtatur, quæ Deus ſibi grata & accepta habet, cùm ex fide & charitate nō fucata emanent. Atqui mulier iſta ſuum erga me amorem omni officiorum genere declarat, dum pedes meos lachrymis abluit & deoſculatur, dum eoſdem capillis ſuis extergit, & vnguento pretioſo dignos iudicat. Agnoſcit ergo ſibi factam gratiā, neq; ego eius officia aſpernari debeo, quorū cauſa ſiue origo tam pia & ſancta eſt. Hæc (inquā) eorū ſumma eſt, quæ à Chriſto in præſenti dicuntur. Vt autē efficatius fiat Phariſei animū, qui propriæ iuſtitiæ fiducia quaſi occalluerat: vt gratiæ prædicatione nō mul-

cùm moueri poſſet, Minorem eleganti comparatione amplificat, qua mulieris iſtius officioſam munificentiam cum illius parſimonia, vel forditia potius, confert. Ego (inquit) ingreſſus ſum domũ tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis ſui exterſit, &c. Proderit autem ſingulas huius comparationis partes diligentius excutere. Ego in tuam domum ingreſſus ſum, quem tamen tu neglexiſti: iſta me in domo aliena quæſiuit, vt dignis officijs proſequeretur. Tu ne vulgari quidem aqua meos pedes abluere & panno ſiue linteo aliquo reiectitio ablutos tergere dignatus es: at iſta lachrymis, quas peccatorum agnitio & pius veræ pœnitentiæ dolor extorſit, illos abluit, & capillis proprijs exterſit. Tu oſculum, commune amoris & amicitiæ ſymbolum, ori meo negauiſti: iſta verò ne à pedibus quidem meis abhorruit, quo minus eos oſculis ſuis, ijſq́ creberrimis & itidem repetitis, dignos iudicaret. Tu caput meum oleo vulgari inungere detrectaſti: hæc autem pedibus vnguentum pretioſum adhibuit. Vnde verò hæc tua parſimonia, & quænam iſti tantæ liberalitatis cauſa fuit? Hæc nimirum, quòd hæc multum diligit, quia eius peccata multa remiſſa ſunt, &c. Id eſt, ex ſcelerum ſuorum multitudine gratiam ſibi factam æſtimans nullum officium tantum eſſe exiſtimat, quod illi reſpondere poſſit: tu verò, quia te iuſtum putas, neque Dei gratiam agnoſcis, neque mihi aliquo iure te obſtrictum eſſe arbitraris. Ita verò Simonis impudentem confidentiam arguit, qui ſibijpſi de ſua pietate & dilectione Dei procul dubio plurimum pollicebatur, cùm interim vulgaria quoque & communia veræ pietatis officia ſecurè negligeret. Ex eo autem colligit, eius conditionem multò deteriorem eſſe, quàm mulieris iſtius: eò quòd ipſe nullo adhuc diuinæ miſericordiæ ſenſu tangatur, & proinde in reddenda gratia tam frigidum & negligentem ſeſe præbeat.

Cur hæc mulieris officia Chriſtus admiſerit?

Interim non obſcurè apparet in his verbis, cur hæc tam delicata & ſumptuoſa mulieris iſtius officia Chriſtus admiſerit, quem in cæteris ab omni luxu et delitijs alieniſſimũ fuiſſe conſtat. Nimirũ, quòd & hypocritæ Simonis improbã confidentiam exemplo hoc arguere, & ſimul eodem veræ pietatis officia nobis cõmendare voluit. Inter hæc primus locus pœnitentiæ debetur, quam conuerſionem à peccatis ad Deum eſſe, alibi diximus. Niſi enim hinc exordiamur, inutilis & fruſtraneus erit omnis conatus, quem in pietatis negotio adhibemus. At quia pœnitentiam ſeriam Deus requirit, quæ non in theatrica oſtensatione conſiſtat, ſed cum vera peccatorum agnitione & animi contritione coniuncta ſit: illam pijs lachrymis teſtemur oportet. Etenim cùm peccati ſenſus & qui ex eo enaſcitur dolor acerbiſſimus ſit, fieri non poteſt, quin ſe totos in luctum conijciant, quicunque peccata ſua ex animo agnoſcunt. Hinc Dauidis illæ querelæ manarunt: Tranſgreſſiones meas agnoſco, & peccatũ meum æſſiduè mihi obuerſatur. In te, in te (inquam) ſolũ peccaui, & malum hoc in oculis tuis admiſi: Contremefacta ſunt omnia oſſa mea, & anima mea territa eſt vehementer. Defatigatus ſum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectũ meũ, lachrymis meis grabbatum meũ liquefacio. Nihil integrũ eſt in carne mea propter indignationẽ tuam, non eſt pax oſſibus meis propter peccatũ meum, &c. Sed & Petrũ Apoſtolũ amare aut acerbè fleuiſſe legimus, tùm galli cantu & efficaci Chriſti ipſum reſpicientis virtute excitatus ſceleris ſui atrocitatẽ ſentiret. At quia dolor iſte inutilis, imò noxius erit, niſi ad Deũ conuertamur, ſecundo loco certã veniæ ſpem animo cõcipere debemus: quæ ex illius promiſſionibus facilè hauriri poterit, ſi in illas toto animo intenti de eius veritate ſimul & omnipotentia ſeriò cogitemus. Promiſſiones eiuſmodi paſſim in ſcripturis obuiæ, & inter has imprimis memorabiles ſunt:

Ezech. 18.

Viuo ego (dicit Dominus) nolo mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur & uiuat. Itẽ: Si peccata veſtra fuerint vt coccus, niue albiora reddentur: ſi rubeãt inſtar purpuræ, vt natiua lana erũt.

Iſa. 1. & 43.

Et rurſus: Ego ego ille ipſe ſum, qui deleo trãſgreſſiones tuas, idq́ propter me, & peccatorũ tuorũ nõ recordabor.

Mich. 7.

Eſt etiã conſolationis dulciſſimæ plenũ, quod Micheas dicit: Quis Deus ſicut tu? qui tollis iniquitatẽ, & ſuper ſcelus tranſis reliquijs hæreditatis tuæ. Non retinet irã ſuã perpetuò, quoniã delectatur bonitate. Reuertetur & noſtri miſerebitur, ſubiget iniquitates noſtras, & deijciet in abyſſum maris oĩa peccata eorũ.

Matth. 9.
Luc. 24.
Marc. 16.

Quibus omnino addi debent euãgelicæ illæ Chriſti Ieſu voces: Nõ veni ad vocandũ iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiã. Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiã et remiſſionẽ peccatorũ. Itẽ, Quiſquis crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur. Cũ his ſi eorũ exẽpla conferamus, qui ex atrociſſimis ſceleribus ad Deũ conuerſi remiſſionẽ gratuitam inuenerunt, mox nos quoque mirificè confirmari ſentiemus, vt procul abiecta deſperatione ad thronũ gratiæ recurramus.

At

At hîc etiam atque etiam videndum erit (quod tertium huius tractationis caput eſt) ne impudenti proteruia in Dei conſpectum ruamus. Etſi enim hic nos blãdiſsimis promiſsis inuitet, nos tamen noſtriipſius pudere debet, vt totis animis contriti cum filio prodigo clamemus: Pater, peccaui in cælum & in te, neque ſum dignus, vt dicar filius tuus. Quem affectum iſta quoque peccatrix prodit, quando de Chriſti bonitate quidem optimè ſperat, à tergo tamen aſtans cum lachrymis ad pedes ipſius aduoluitur. Poſtremò vnguentis quoque noſtris Chriſtum honorare & eius pedes inungere, & eoſdem capillis noſtris tergere debemus. Fiet hoc, ſi nos totos illi conſecremus in viuam hoſtiam, vt propter nos glorificetur nomen eius: ſimul autem in pauperes eius liberaliter conferamus ea, quæ nobis aut ſuperflua ſunt, aut prius voluptatum atque ſuperbiæ irritamenta fuerunt. Hæc ferè ſunt pietatis Chriſtianæ officia, quibus reuera delectatur Deus, & quibus cùm præſentis tum futuræ vitæ promiſsiones datas eſſe Paulus affirmat 1. Tim. 4.

Admonet præterea nos locus iſte, quomodo de operibus tam noſtris quam aliorũ iudicare debeamus. Fuerunt enim Phariſæorum opera, quo ad externam ſpeciem, ſplendidiſsima. Manus & corpus totum frequenter abluebant, & nefas illis videbatur à foro reuerſum accumbere priuſquam quis probè lotus eſſet. Simili cura & ſtudio in vaſis quoque purgandis vtebantur. Ieiunabant item crebrò, eleemoſynas multas faciebãt publicè, decimas & quæ alia ſunt huius generis bona fide reddebant: adhæc veſtitus, inceſſus & totius corporis geſtus ad pietatem & animi deuotionem declarãdam erant compoſiti. Et ſi hunc Simonem ſpectes, præ alijs illius ordinis hominibus hoc quoque habuit, quòd Chriſtum domi ſuæ excipit, eundem menſa ſua dignatur, & quàmuis non ſatis æquo in illum ſit animo, nihil tamen aduerſus eum hoſtile molitur. Verumtamen omnium iſtorum operibus præfertur id, quod mulier peccatrix fecit. Quòd ſi cauſam quæras, non alia reddi poteſt, quàm quòd fide prædita fuit, qua Phariſæi omnes deſtituebantur. Fidei etenim luce excitata in peccatorum ſuorum cognitionem venit, Dei gratiam humiliter implorauit, ſeipſam & omnia ſua Chriſti pedibus ſubiecit, & tota in hoc fuit, vt vitam omnem illi conſecraret, quam prius in turpiſsimis voluptatibus tranſegerat. Extant huius generis multa exempla apud Prophetas, qui diſertis verbis eos damnant, qui circa templum & ſacra externa occupatiſsimi erant, è contra verò illos commendãt, qui vnum Deum inuocant, iudicium & iuſtitiam faciunt, benefici ſunt & humiliter cum Deo ſuo ambulant. Quapropter de operibus hominum nequaquam iudicari debet ſecundùm externum ſplẽdorem. Nam vt Paulus ait, quicquid ſine fide fit, peccatum eſt, neque cum operibus noſtris in Dei conſpectu comparere poſſumus, niſi illum nobis propitium reddat Chriſtus Ieſus, in quo ſolo illi complacitum eſt. At fidei ingenium eſt, in ſolius Dei verbum reſpicere, hoc omnium actionum regulam putare, & ſalutis fiduciam in vno Chriſto habere collocatam. Vnde ſequitur bona opera non eſſe, neque Deo placere poſſe, quæ non ſecundum Dei verbum fiunt, & in quibus ſalutis meritum homines ſuperſticioſi quærunt. Habes ergo hîc quod ijs reſpondeas, qui nos bonorum operum inimicos eſſe vociferantur, eò quòd nolimus circa ea occupari, quæ ipſi ex humanarum traditionum præſcripto faciunt. At prius illis probandum erat, iſta in bonorum operum cenſum debere referri. Id verò factu impoſsibile eſt, cùm hominum traditiones iampridem Deus proprio ore damnarit, & ſe illis nequicquam coli teſtetur. Imò ne tergiuerſari videamur, libere & rotundo ore dicimus, patres familiâs & horum vxores, agricolas item, operarios mechanicos, magiſtratus item & quicunque horum ſimiles ſuam vocationem fideliter obeunt, labores & curas huic coniunctas patienter ferunt, neminem defraudant, & vitam viuunt innocuam, plus bonorum operum habere, quàm omnes vel ſacrificulos vel monachos aut eremitas, quos neſcio quæ vitæ morumq́ aſperitas commendat. Quid enim illi ſimul omnes faciunt, quod diuinis legibus commendetur, aut aliorum hominum commodis ſiue neceſsitati ſeruiat? Enimuero ex fidei fontibus illorum opera manare nemo dixerit, cùm Dei verbo deſtituantur, in quod vnum fides incumbit. Eſt ergo illorum hominum eò turpior confidentia, quòd ab ijs longe ſuperantur apud Dei tribunal, quos ipſi vix conſpectu ſuo aut familiariorẽ colloquio dignos iudicant. Quomodo de operibus debeat iudicari? Mich. 6. Pſal. 50. &c. Rom. 14.

Porro ad Chriſtum redeamus, qui ad mulierem conuerſus ait illi: Remiſſa ſunt tibi peccata. Poterat hoc ſuperuacaneum videri, cùm hoc ipſum iam ante non ſemel in debitorum parabola & eius expoſitione dixiſſet. Sed fidem mulieris amplius confirmari oportuit, quam non leuiter tenta- Chriſtus mulieris peccata remittit.

tam fuiſſe veriſimile eſt, cùm eos ſibi aduerſarios & infeſtos eſſe videret, qui præ alijs iuſtitiæ & ſanctitatis opinione eminebant. Neq; debet aliqua doctrina ſiue cõſolatio ſuperuacua videri, quando ſingulis horis plurima occurrunt, quæ nos à via ſalutis tranſuerſos abripiunt, aut fidem noſtram aliqua ex parte labefactant. Nos potius Dei bonitatem obſeruare & exoſculari debemus, qui in tempore nobis adeſſe, noſque fidis admonitionibus & conſolationibus in officio retinere conſueuit. Sed accedit in præſenti alia etiam cauſa. Nam nouas cogitationes ſiue calumnias occultas Phariſeorum in lucem protrahere voluit, vt ea occaſione fontes remiſſionis peccatorum apertius indicaret. Etenim his auditis offenduntur conuiuæ, & inter ſe dicunt: Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit? Offenſionis aut ſcandali cauſa eſt, quòd Meſſiæ officiũ non intelligunt, quẽ diuinæ gratiæ & remiſſionis peccatorum Mediatorem nobis fore, olim Prophetæ prædixerant, vt ſupra in paralytici

Homil. 49. *hiſtoria demonſtrauimus. Et hic ille lapis eſt, ad quem etiam hodie iuſtitiarij hypocritæ impingunt; quibus hoc proprium eſt, quòd & miſeris peccatoribus remiſſionem gratuitam inuident, & eandem in Chriſto monſtrari indigniſſimè ferunt, eò quòd vtrumque gloriæ ipſorum officit, & operum iuſtitiam euertit, qua illi quam maximè ſuperbiunt. Auget verò errorem hunc, quòd ſeipſos & peccata ſua non agnoſcunt. Nam ſi inhærentem ſibi propriæ naturæ vitioſitatem & quæ ex hac quotidie promanant peccata propriùs intuerentur, ſibiipſis eodem remedio opus eſſe viderent, quod in alijs indignius ferunt.*

Phariſæi intelligunt ſolum Deum peccata remittere.

At qualeſcunque iſti ſint, in eo laudem merentur, quòd ſola Meſſiæ ingnorantia, quæ tunc omnibus communis erat, peccant, interim verò hoc fidei & religionis veræ principium conſtanter retinent, quo docemur, peccatorum remiſſionem in ſolius Dei poteſtate eſſe, & apud hunc ſolum quæri debere. At hodie impuriſſimi homines ſacrilega audacia in ipſius Dei ditionem (vt ſic loquar) manum inferunt, & quod huius ſolius eſt ſibi & coniuratis ſuis vendicant: neque eo contenti, inſuper miſeros & rerum imperitos cogunt, vt peccata ſingula ipſis in aurem confiteantur, & eorundem remiſſionem ab ipſis prece & pretio redimant. Sunt hi Iudæorum phariſæis deteriores, & mirum eſt Chriſtianum orbem illorum tyrannidem tam diu ferre potuiſſe, cuius prætextu innumeros principes proditoriè circumuentos eſſe omnium propè gentium hiſtoriæ teſtantur, vt iam de tentata ſæpius matronarum pudicitia, & interceptis hæreditatibus alienis nihil dicamus. Abutuntur illi ad ſuæ audaciæ defenſionem Chriſti verbis, quibus is claues regni cælorum diſcipulis credidit. At ſub clauibus iſtis non aliud, quam Euangelij prædicationem & legitimum eccleſiæ miniſterium intelligi debere res ipſa clamitat: per quod verè credentibus peccatorũ remiſſio, incredulis autem & pœnitere neſcijs æternæ damnationis ſententia denuntiatur: quod vtrumque in cælis ratum eſt, non quia ſic vncti & raſi pronuntiant, ſed quia ſic Dei filius ex æterno patris decreto conſtituit, dicens: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Quiſquis crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur. Qui verò non crediderit, damnabitur. Sed plura de his alibi.

Fontes ſalutis indicat Chriſtus.

Pergamus nunc in Chriſti actione, qui nihil moratus hypocritarum & hominum ſuperſtitioſiſſimorum iudicia, mulierem noua conſolatione confirmat, & idem fontes ſalutis euidentius demõſtrat. Fides tua (inquit) te ſeruauit, vade in pace. Quaſi dicat. Non eſt, quòd criticorum iſtorũ ſententiam formides, aut propter illos de ſalute tua quicquam dubites. Quia enim Dei promiſſionibus credidiſti, & peccatorum tuorum remiſſionem apud me, qui huius Mediator à Patre conſtitutus ſum, quæſiuiſti hæc tua fides tibi ſalutem attulit certam & indubitatam, quæ iſtorum iniquis & temerarijs iudicijs neque euerti neque eripi poterit. Tu igitur in hac tua fide acquieſcito, & læta atq; ſalutis ſecura abi resq; tuas agito. Eſt hæc totius actionis concluſio, quæ diligenti conſideratione & aſſidua meditatione digniſſima eſt. Primùm enim eos confutat, qui ex ijs, quæ præteſſerunt, anſam arripiunt, vt ſuæ iuſtitiæ meritum ſtatuant. Ex his enim verbis ſatis apparet, peccatorum remiſſionem mulieri iſti ex ſola fide obtigiſſe cuius effecta ſiue fructus fuêre, quæ prius commemorauimus, pietatis & dilectionis officia. Neque hæc Chriſto placuiſſent, niſi ex fide facta fuiſſent. Firmiter ergo & conſtanter teneamus axioma illud doctrinæ apoſtolicæ, Sola fide in Chriſtum nos iuſtificari & ſeruari. Hæc enim ſola Chriſtum apprehendit, qui nobis à Deo Patre iuſticia, ſatisfactio, ſanctificatio & redemptio factus eſt. Non poſſumus ergo iuſticiæ & ſalutis fiduciam in quacunq; alia re collocare, quin Dei filium ſuo honore ſpoliemus, & hunc aut in creaturas aut noſtra opera transferamus.

ſpiramus. At quia fides Dei donum eſt, & ad Chriſtum nemo venit, niſi eum Pater traxerit, ſalutem quoque gratuita Dei miſericordia beneficium eſſe conſtat.

Secundò fructum veræ fidei hoc dicto nobis Chriſtus indicat. Eſt is pax & tranquillitas Fructus fidei.
conſcientiæ, quæ ex eo naſcitur, quòd Deum nobis propitium iam eſſe ſcimus, qui prius propter peccata nobis infenſus erat. Quò Paulus reſpiciens dicebat: Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus Rom. 5.
erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam fide habuimus aditũ in gratiam hanc, per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei. Superat pax iſta (vt idem Apoſto- Philip. 4.
lus monet) omnem intellectum mundi, eò quòd in medijs afflictionibus inconcuſſa manet, & tunc maximè ſuam virtutem exerit, quando nulla in humanis ſpes nobis eſt reliqua. Eſt ergo hic incomparabilis verè credentium theſaurus, quem rectè æſtimabimus, ſi eos nobis ob oculos ponamus, qui deſperationis æſtro exagitati horribiles conſcientiæ terrores adeoquè inferorum diros cruciatus ſentiunt. Procul ergo vt publici ſalutis humanæ hoſtes arceri debent, qui pacem iſtam ex imperitorum animis auferunt, quando hominem ſalutis ſuæ certum fieri poſſe negant, & proinde de ſalute & gratia perpetuò dubitandum eſſe docent. Ad hæc falſi arguuntur hoc loco abſolutiones Pontificiæ, quas ſacrificuli & Monachi ſuper illorum capita demurmurant, qui ad ipſorum genua prouoluti peccata ſua illis confitentur. Hæ enim non pacem aut tranquilitatẽ animorũ gignunt, ſed quia his ad ſuas ſatiſfactiones miſeri remittuntur, nouos labores, curas & moleſtias, ad hæc perpetuam conſciẽtiæ fluctuantis carnificinã exhibent. Et qui his nituntur, in illis perpetuò impleri ſolet, quod Chriſtus Samaritidi dicebat: Quiſquis biberit ex aqua iſta, quam ipſe haurit ſuis viribus & induſtria, Ioan. 4.
ſitiet iterum &c. Nos ergo ad verum & vnicum gratiæ fontem contendamus, quem in Filio ſuo nobis Deus aperuit: neque hypocritarum iudicijs moueamur, quos cæca ſuperſtitio in rabiem agit, vt nos eo nomine damnent, quòd vno Chriſto contenti ſumus. Vt enim ridiculus & irritus eorum labor eſt, qui Solem puluere iniecto extinguere aut obſcurare conantur: ita nihil proficient Sophiſtæ, dum lucem illam vitæ æternæ ex credentium animis eripere volunt, aut diuinæ gratiæ effectum impedire. Nobis ergo ſingulis priuatim dici putemus, quod mulieri huic dicitur, ideoq́ firmi & intrepidi ſtemus, & precemur Deum patrem, vt nos in credendo omni gaudio & pace impleat, vt ſpe inuicta abundemus per virtutem ſpiritus ſancti, & olim cum Chriſto Ieſu in cælis viuamus atque regnemus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT VIII.

HOMILIA LXXIIII.

ET factum eſt deinceps, ipſe iter faciebat per ſingulas vrbes & vicos, prædicans & euangelizans regnũ Dei: & duodecim illi erant cum eo, ſimulq́ quædam mulieres, quas ſanauerat à ſpiritibus malis & morbis: Maria, quæ vocabatur Magdalene, ex qua ſeptem dæmonia exierat: & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei ex facultatibus ſuis.

QVoniam vniuerſa humanæ ſalutis ratio in vno Dei filio, Ieſu Chriſto, continetur, nihil nobis tam vtile & neceſſarium eſt, quàm vt vera eius cognitione illuminati ipſum fide firma & conſtanti complectamur. Et hæc cauſa eſt, quòd & ipſe paſſim ſeſe omnibus tam publicè quàm priuatim manifeſtauit, & quæcunque ad eius cognitionem faciunt ab Euangeliſtis tanta diligentia deſcribuntur. Pertinet huc locus iſte, quem modò recitauimus, cum ijs, quæ proximè ſequuntur. Narrat enim Lucas primò quàm ſedulus in docendo fuerit, vt quàm plurimos ad ſalutis & vitæ æternæ hæreditatem pertraheret. Deinde quod doctrinæ aut prædicationis argumentum fuerit: Tertio quos habuerit comites, & quales eſſe conueniat, qui ſalutis per illum partæ hæredes fieri cupiunt. Sed proderit ſingula, quæ dicuntur, inſpicere.

Chriſti ſedulitas in docendo.

Principio illius in docendo induſtriam paucis verbis, ſed admodum perſpicuis comprehendit, ſic dicens: Et factum eſt deinceps, ipſe iter faciebat per ſingulas vrbes & vicos, prædicans & Euãgelizans regnum Dei. Quo loco nobis in genere obſeruanda venit paterna Dei bonitas, qui nos ſalutem nou modò quærere iubet, ſed eandem non quærentibus ipſe offert, & cunctantes atque ſecuros ad illam amplectendam hortatur. Exemplũ huius ſtudij in prima rerum origine præbuit, quando Adamum ſceleris admiſſi conſcientia trepidum atque fugitiuum quæſiuit, & paternis planè vocibus ex fuga retractum ſalutis per ſemen mulieris inſtaurandæ promiſſione conſolatus eſt. Eiuſdẽ bonitatis fuit poſtea, quòd Abrahamum ex terra idololatrica è que medio idololatrarum contubernio euocauit, vt cum eo fœdus ſalutis inſtauraret, quod in diluuio totum intercidiſſe & abolitũ eſſe videbatur: quòd item eius poſteros Aegyptiorum ſuperſtitionibus excæcatos, & nihil minus quàm puriorem Dei cultum quærentes, per Moſem miraculoſè eduxit, & legem dedit, quæ perfectum voluntatis ipſius compendium vnà cum veri cultus ratione & promiſſi redemptoris typis pulcherrimis continet. Quòd ſi vlterius progredi libeat, dies nos prius deficeret, quàm omnia gratiæ & bonitatis illius exempla exponeremus, quæ docent, quoties illos in proprium exitium ruentes retraxerit, quoties tenebrarum caligine immerſis lucem veritatis accenderit, quoties item pœnas diutiſſimè diſtulerit, vt non indignis modò, verumetiam improbè reluctantibus pœnitentiæ agendæ tempus atq; occaſionem præberet. Queritur de hoc ille non vno loco per prophetas, quòd nequicquam manè ſurrexerit, & tota die manus expanderit ad populum rebellem & contumacem: at non ita queritur, vt ipſius bonitatem horum contumacia vincere potuerit, quò minus eorum ſalutem prouehere atque iuuare ſtuderet. Imò quaſi nihil adhuc feciſſet, tandem Filium vnigenitum miſit, qui noſtram carnem indutus, omne id fecit, quod duriſſimis quibusque emoliendis ſufficere poterat, niſi illorum impietas quaſi callo obducto incurabilis fuiſſet facta. Et vt priora repetamus, quoties obſecro ingratos, pertinaces & hoſtili in ſe animo præditos expertus eſt eos, pro quorũ ſalute ipſe excubabat? Adde, quòd vbique in Synagogis Scribæ & Phariſæi occurrebant, qui iam centies conati erant ſuis inſidijs & artibus plus quàm proditorijs circumuentum perdere. Pergit tamen ille, & adhuc per ſingulas vrbes & vicos Euangelium prædicat, ne quos defraudet, de quibus ſpes aliqua adhuc reliqua erat. Experti ſunt hanc Dei bonitatem & filij eius in ſeruando humano genere indefeſſam induſtriã

Iſa 53. Ezech. 34.

alij quoque omnes. Nam vt Iſaias ait, omnes tanquam oues errauimus, & cùm nemo eſſet (vt apud Ezechielem clamat Dominus) qui perditos quæreret, verus ille Dauid prodijt, qui per montes & valles diſperſos collegit, & multos quaſi humeris impoſitos ad gregem portauit, ne diabolo, Leoni illi rugienti, præda fierent. Et quod olim fecit Dei filius, cùm in carne manifeſtatus vitam in terris ageret, hoc ipſum hodie quoque facit, quando Euangelij doctrinam in toto terrarum orbe quaſi circumfert, & ad vitæ æternæ hæreditatem omnes homines inuitat. Horum conſideratio vt nos officij erga Deum admonet, ita peruerſum noſtræ carnis ingenium arguit. Noſtrarum enim partium erat tantam Dei gratiam dignè æſtimare, & oblatam nobis ſalutem gratis animis amplecti. At conſtat nihil hodie tam contemptum, tam inuiſum & exoſum eſſe, quàm verbi diuini miniſterium, per quod ſuam gratiam & ſalutem nobis offert Dominus. Olim quidem, cùm ſuperſtitionum tenebræ omnium animos excæcauiſſent, & Romani Pontifices immani crudelitate & ambitione inſaturabili in omnium corpora atque animas ſibi imperium vendicarent, nulla familia tam diues & illuſtris, nulla tam obſcura & egena erat, quæ non aliquos ex ſuis eccleſiæ miniſterio conſecraret, & plerique fraudatis hæredibus legitimis opes ſuas ſacrificulorum & monachorum collegijs legabant, ne de religione minus honorificè ſentire, aut animarum ſalutem negligere viderentur. At hodie maior hominum pars hanc ſummam ignominiam eſſe ducit, ſi quæ familiæ verbi miniſtros ex ſe progenitos habeant. Cuius mali cauſa eſt, quòd pro hominibus turbulentis, ſeditioſis & publicorum malorũ authoribus vulgò habentur, quotquot in Chriſti prædicatione operã fidelem nauant. Paſſim ergo Achabicæ illæ voces audiuntur: Tu ne ille es, qui turbas Iſraelem? Et vt olim Amaſiæ ſa-

1. Reg. 18. Amos. 7.

cerdoti conciones Amos prophetæ tales videbantur, quas ne ipſa quidem terra poſſet ſuſtinere: ita hodie nihil moleſtius, nihil intolerabilius, nihil publicæ paci tam inimicum putatur, quàm libera & ingenua verbi Dei prædicatio, per quam homines ex errorum tenebris & à mortis præcipitio in lucem & vitæ æternæ viam reuocantur. Neque filij Dei exemplum multos mouet, quò minus ex eo

ſibi

ſibi laudem præcipuam quærant, quòd cum verbi adminiſtris ipſum Euangelium ſcurrili proteruia contemnere & conculcare auſint. Porro non aliã iſti homines laudem inde referunt, quàm quòd palam teſtantur, ſe nequaquam ex filiorum Dei numero eſſe, & proinde indignos ſe eſſe, qui ad cœleſtis patriæ hæreditatem admittantur. Notum eſt enim illud Chriſti: Qui ex Deo natus eſt, is verba mea audit. Item, Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur eam. Quem verò ſuæ impietatis finem iſti homines ſperare debeant, Iudæorum exemplo docemur: quos vnà cum vrbe & templo horribiliter perijſſe, & hodie adhuc in exemplum diuinæ vltionis in toto orbe incertis ſedibus & omnibus inuiſos vagari conſtat, quòd diem viſitationis ſuæ agnoſcere noluerunt. Vide Chriſti comminationes Luc. 19. Matth. 23. 24. &c.

Ioan. 8. & 10.

Præterea ſuo exemplo Chriſtus omnes homines ſui officij admonet, quod eſt, vt ſinguli ſuam functionem, ad quam diuinitus vocati ſunt, pari ſtudio & diligentia obeant. Nam fuit hæc (vt alibi monuimus) vocatio & peculiaris functio filij Dei in carne manifeſtati, vt magnum illum Prophetam ageret, quem venturum eſſe Moſes prædixerat, & pauperibus Euangelium, captiuis dimiſsionem prædicaret. In ea ergo obeunda aſsiduus & indefeſſus eſt, & neque laborum moleſtia, neque populi ingratitudine, neque Sacerdotum & magnatũ contumacia, non item periculis vllis, quæ vndique imminebant, ſe abſterreri patitur, quò minus ſtationẽ ſuã teneat, & omnẽ docendi occaſionem ſtudioſiſsimè venetur. Debent exemplum hoc imitari omnes, quibus eccleſiæ miniſterium Deus credidit. Eſt quidem functio eorum laboris & periculi plena: quia cum mundo illis res eſt, qui vt peſsimis ſtudijs delectatur, ita plus quàm hoſtili animo ijs ſe opponit, qui illum retrahere & ad obſequium Deo præſtandum hortari ſtudent. Omnibus ergo, qui in illo munere verſantur, idem accidit, quod Ieremiæ dicebat Dominus: Pugnabunt aduerſus te: ſed ijdem ſibi quoque dici putent: Ne paueas à conſpectu eorũ, ego enim tecum ſum vt te liberem, dicit Dominus. Prædicent ergo ſermonẽ, inſtent tempeſtiuè & intempeſtiuè, arguant, obiurgẽt, exhortentur cũ omni lenitate & doctrina: Neque eos audiant, qui ſufficere arbitrantur, ſi ſemel & iterum doceant quid ſingulis facto ſit opus, nec enim æquum eſſe, vt nos inutili labore fatigemus, aut periculis obijciamus propter eos, in quibus corrigendis nihil proficias, cùm admonitiones omnes vnà cum monitoribus ſidis odio proſequantur. Nam ideo inſtare iubet miniſtros Paulus, quòd ex ſpiritus reuelatione ſciret fore tempus, quo ſaniorem doctrinam mundus hic tolerare nollet: id quod hodie paſsim fieri videmus. Sed tunc (vt nuper diximus) cum contumacia mundi nos luctari oportet, vt licet nemo emendetur, noſtras tamen animas ipſi liberemus, vt olim Ezechieli Dominus dicebat. Ac quod de verbi adminiſtris dicitur, hoc ipſum ad ſe pertinere arbitrentur, qui rempub. adminiſtrant. Quam laborioſa enim & periculoſa horũ quoq; functio ſit, multorũ exempla teſtantur, qui non ingratos modò & inobediẽtes, ſed rebelles & ſeditioſos, imò hoſtes apertos ſenſerunt eos, pro quorũ ſalute ipſi dies noctesq; excubabant. Accedit huic malo effrenis populi libido, qui in morũ licẽtia felicitatẽ omnẽ conſiſtere putat, fœneratorũ itẽ & vſurariorũ artes, quibus depræhẽdẽdis, nedũ coercẽdis, vix vlla induſtria poteſt ſufficere. Taceo nũc quotidianos labores & moleſtias, omitto iniqua multorũ de bonis legibus iudicia, quæ multos olĩ mouerũt, vt à reipub. gubernaculis procul abſcederẽt, & in ocio honeſto potius viuere quã curis & negotijs publicis ſeſe nequicquã fatigare mallent. At longè alia debet eſſe hominũ Chriſtianorũ ſentẽtia, quos ad rẽpub. Deus vocauit. Meminerint illi, neminẽ ſibi ſoli natũ eſſe, & nos plurimũ debere cõmuni patriæ, cuius ſalus vt omnib. cõmẽdatiſsima eſſe debet, ita negligi nõ poteſt, quin Dei gloriæ aliquid decedat, cuius niſi ſtudioſiſsimi ſimus, nũquã ſalui erimus. Pergãt ergo magiſtratus in tuẽdis bonis legibus, in puniẽdis improbis, in Dei cultu prouehẽdo, & imprimis curẽt, vt vrbes ſuas Chriſto cõſecrẽt, & eccleſiæ hoſpitiũ præbeãt, quã in terris iſtis peregrinari, vel potius exulare cõſtat. Hæc ſi illis cordi fuerint, ſentiẽt ſe plus proficere, quàm quis ſperare audeat. Solet enĩ ſuo ſpiritu Deus piorũ conatus iuuare, & in periculis eos tueri, qui pro ipſius gloria & ſalute publica aliquid audẽt: ſicuti in Dauidis, Ezechiæ, Cõſtãtini, Theodoſij & ſimiliũ exẽplis eſt videre. Trãsferãt ad ſe quoq; iſtã doctrinã parẽtes, quos liberorũ educatio ſolicitos habet: præceptores itẽ publici & priuati, qui in iuuẽtute inſtituẽda laborãt. Cogitẽt ſe Deo laborare, & proinde cura & ſtudio indefeſſo opus eſſe, ne eos ſua negligentia perdant, quos reipub. & eccleſiæ ſpẽ eſſe, non immerito dixeris.

Singuli ſuam functionem obeant.

Deut. 18.
Iſa. 61.

Ierem. 1.
2. Tim. 4.

Ezech. 3.

Porro priuſquam à Chriſti exemplo diſcedamus, quæ nam eius doctrina, aut quod huius argu-

Doctrinæ Chriſti argumentum.

mentum fuerit, videre oportet. Compræhendis hoc vno verbo Lucas, quando eum Regnum Dei prædicauiſſe & euangelizauiſſe ſcribit. Dicitur autem regnum Dei in ſcripturis vniuerſum humanæ ſalutis negotium, eò quòd huius finis & ſcop[illegible] ſit, vt quoad in terris viuimus, ſuo verbo & ſpiritu in nobis Deus regnet, noſque mundo & huius principe, carne denique noſtra & ipſa morte tandem ſuperiores facti, cum illo in cœlis viuamus atque regnemus. Et hoc illud eſt, quod in Apocalypſi de Chriſto dicitur, eum nos Patri ſuo ſacerdotes & reges feciſſe.

Apoc. 1.

Extãt de hoc regno Dei infinitæ promiſſiones & veterum prophetarũ vaticinia. Huc enim referri debent, quæcunq; ſub regni parabolis de humani generis redemptione, de eccleſia itẽ & eius felici propagatione atque ſtatu beatiſſimo paſſim dicuntur. Hoc igitur regnũ præ foribus iam adeſſe Chriſtus docuit, & ad illud gratis animis excipiendũ omnes hortatus eſt. Rectè autem euangelizandi verbo Lucas vtitur. Nec enim aliud nuntiũ humano generi lætius & iucundius poteſt offerri, quam cùm docetur, Dei filiũ deuicto diabolo nos in libertatẽ vindicauiſſe, & regni ſui cohæredes feciſſe eos, qui prius infelicia Satanæ mãcipia erãt, & mortẽ æternam merebãtur. Quãta autẽ huius doctrinæ authoritas apud nos eſſe debeat, hoc vno argumẽto abũde docemur, quòd vt eius promiſſionẽ Deus primus in paradiſo vulgauit, ita nunc Filius Dei illius miniſter atq; præco fieri dignatus eſt. Sunt autẽ hîc nobis duo obſeruanda:

Euangelio regnum Dei continetur.

Primũ, Euangelio regnũ Dei contineri: illud nimirũ, quod inter orandũ requirimus, ex Chriſti præſcripto dicentes: Adueniat regnũ tuũ. Ex eo enim ſequitur, à nobis obediẽtiã requiri, neq; nos illã Deo negare poſſe, niſi manifeſtã rebellionẽ meditari, vel etiã cũ illo ludere velimus, dũ vita & moribus regni illius leges atq; diſciplinã reijcimus, quod nobis aduenire poſtulamus. Obſeruauit hoc diligẽter Paulus Apoſtolus, quãdo euangelicæ doctrinæ & prædicationis finẽ eſſe ſcripſit, obedientiã fidei, qua intellectũ & ſenſum omnẽ vnà cũ carnis deſiderijs Dei verbo ſubijcere debeamus: adhæc illius adminiſtros armis inſtructos eſſe ait, quæ non carnalia, ſed diuina virtute animata & efficacia ſint ad deprimẽdã omnẽ ſublimitatẽ, quæ aduerſus Dei cognitionẽ extollitur: & vt captiuã ducant omnẽ cogitationẽ ad obediendũ Chriſto.

2. Cor. 10.

Arguũt hæc illorũ impudentiã, qui cum fidem in Chriſtũ Ieſum profiteãtur, & Euãgelij ſtudiũ ſimulẽt, interim tamen diabolo ſeruiunt, & hunc in ipſis regnare patiuntur, cuius caput Chriſtus contriuit, vt nos ex eius tyrannide aſſereret. Pugnant hi cum fine Euangelij & totius Chriſtianiſmi, adeoq; eorum ſimiles ſunt, qui poſtquam imperatori militiæ nomen dederunt, cum hoſtibus tamen colludunt, & in eorum caſtris deſident.

Regnum Dei propagatur prædicatione uerbi.

Alterũ, quod Regnũ hoc Dei, non armis huius mundi, ſed verbi prædicatione propagatur. Poterat quidem Chriſtus vel angelorum legionibus ad nutum ſuum vti vel, Romanos rerum tunc dominos ſubitò mutare, vt ipſi armis ſumptis tam Iudæos quàm gentes reliquas ad amplectendam religionem Chriſtianam cogerent: Sed ipſe vrbes & vicos circuire, Euangelium prædicare, & in eodem prædicando Apoſtolorum opera ſiue miniſterio poſtea vti voluit, vt hominum mentes veritatis doctrina illuminatæ ſua ſponte ad Dei regnum concederent, impij vero intra animos ſuos iugulati locum ipſi dare cogerentur. Et hoc illud eſt, de quo Iſaias vaticinatus fuerat, dicens: Terram percutiet virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et Dauid eidem populum ſpontaneum tribuit, qui nimirum ſpiritus virtute ex verbi æterni ſemine renatus voluntarium ipſi obſequium præſtet.

Iſa. 11.
Pſal. 110.

Docent iſta regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, & proinde armis mundi neque prouehi, neque deſtrui poſſe. Vult quidem Deus reges ſuæ eccleſiæ nutritios eſſe & vt ijdem Chriſtum exoſculentur Dauid iubet: at huius decreti cauſa eſt, non quòd Regum authoritate ſiue armis ipſi opus ſit, ſed quòd politicum magiſtratum abs ſe inſtitutum honore tanto Deus dignatur, & eundem ſui officij admonet, ne conceſſam ſibi poteſtatem in proprium exitium conuertat.

Iſa. 49.
Pſal. 2.

Nobis vero dulciſſimam conſolationem parit, quòd regnum Chriſti, cuius ciues ſumus, mundi huius vicibus minimè ſubiectum eſſe audimus, & proinde non timenda eſſe eorum arma, qui ad eius extirpationem coniurant. Docet præterea de Euangelij prædicatione imprimis ſolicitos eſſe debere eos, qui regnũ Chriſti propagatum & defenſum volunt. Scholas ergo aperiant pij principes, verbi adminiſtros tueantur, cœtus ſacros defendant, impoſtores & ſeductores authoritate publica coerceant. Ita eccleſiæ nutritij erunt, & Chriſto officiũ preſtabũt lõgè gratiſſimũ. E contra patet hic, quo loco habẽdi ſint, qui Iulianũ apoſtatam imitati, ſcholas claudunt & diſſipant, verbi miniſtris ſtipendia ſubducunt, cœtus publicos eccleſiæ prohibent,

falſis

*falſis doctoribus & ſuperſtitionum magiſtris patrocinantur, omnia deniq; faciunt, quibus Euange-
lij curſus impeditur. Sunt hi hoſtes regni Dei, & procul dubio olim ſceptro Chriſti ferreo coercebun-
tur, ſicuti Dauid illis minatur.*

Tranſeamus nunc ad alteram huius loci partem, qua Chriſti comitatus deſcribitur, non magni- Comitatus Chriſti ignobilis.
fico apparatu terribilis, neque huius mundi ſplendore illuſtris, ſed vilis admodum & contemptus,
qualem fore olim Prophetæ prædixerant. De Chriſto enim Iſaias ſcribit: Non clamabit, neq; effe- Iſa. 42.
retur, non audiri faciet in platea vocem ſuam. Et notum eſt illud Zachariæ: Exulta filia, Zion, Zach. 9.
*iubila filia Ieruſalem, en Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſeruator, pauper ſiue mitis, &c. Quæ ve-
riſſimè olim prædicta eſſe, in eius comitatu apparet. Primum in eo locum obtinent duodecim Apo
ſtoli, quot (vt cap. ſexto audiuimus) in eum finem ſibi domeſticos diſcipulos fecerat, vt eorum mini-
ſterio tandem vteretur ad Euangelium in toto orbe diuulgandum. Erant autem illi omnes obſcuro
loco nati, adhæc homines illiterati, qui vel manuarijs opificijs victum ſibi parauerant antea, vel ex
publicanorum ordine erant vocati, quos omnibus inuiſos & quaſi publica infamia notatos fuiſſe, ſu-
pra diximus. Cur verò tales Chriſtus elegerit, alibi ex priori ad Corinth. docuimus, & proinde non* 1. Cor. 1.
*opus eſt eadem repetere. Nunc cum duodecim diſcipulis mulieres aliquot numerantur, quas per il-
lum à ſpiritibus malis & morbis ſanatas fuiſſe ſcribitur: & ex his quidem aliquæ ob vitam anteactam
vulgo infames fuerunt, qualem Mariam fuiſſe ſcimus, quæ ad aliarum eiuſdem nominis differenti
am à loco natali Magdalene dicitur: aliquæ autem opibus ſimul & conditione illuſtres, vt pote Io-
anna vxor Chuzæ, qui Herodis Regis procurator fuit, & Suſanna quædam, quam huius ſociam
& fortaſsis eiuſdem conditionis fuiſſe, veriſimile eſt. Acceſſerunt his multæ aliæ, de quibus omnibus
dicitur, quòd non modò ſecutæ aut comitatæ ſint Chriſtum, ſed quòd eidem ex ſuis facultatibus vi-
ctum & impenſas ſubminiſtrauerint.*

Quo loco ipſe Chriſtus primùm conſiderandus venit, qui tales in ſuum comitatum, vel contuber- Chriſtus nõ faſtidit peccatores.
*nium potius admiſit, quarum conſuetudo & familiaritas ipſi parum honorifica erat multorum iudi
cio. Sed ita teſtari voluit, ſe non faſtidire peccatores, neq; nobis fraudi fore vitam anteactam & quæ
pridem deſignauimus ſcelera, ſi totis animis ad ipſum conuerſi, ipſius diſcipuli fieri cupiamus. Ece-
nim ſtupendum bonitatis exemplum eſt, quòd Magdalene, quæ paulo ante à ſeptem immundis ſpi-
ritibus obſeſſa viliſsimum Satanæ mancipium fuerat, inter ſuos familiares locum tribuit: Quod vt
conſolationem dulciſsimam affert ijs, qui peccatorum ſuorum conſciẽtia grauantur: ita eorum auda
ciam atq; hypocriſim arguit, qui peccatores ſimul omnes ita faſtidiunt, vt eccleſias quoq; totas nimi-
ùm præcipiti iudicio damnent, in quibus aliquos conſpicantur, qui vitijs qualibuſcunq; notati ſunt.
Et vt maiorem ſanctitatis exiſtimationem ſibi concilient, excommunicationem ſubinde in ore ha-
bent, & modò hos modò illos excludendos eſſe clamitãt. Atqui de colligendis potius fratribus quàm
diſsipandis nos ſolicitos eſſe oportet, & infirmos non ſtatim reſcindere, ſed cum omni lenitate aſſume
re iubet apoſtolus. Clamant illi, eccleſiam oportere eſſe abſq; ruga & macula. Agnoſco Apoſtoli ver-* Rom. 14.
ba: ſed reſpondeo Chriſtum minimè eiuſmodi eccleſiam inueniſſe, ſed talem feciſſe ſui ſangui- Epheſ. 5.
*nis lauacro eam, quæ rugis & maculis, imò morbis fœdiſsimis, tota erat obſita. Quàm cùm ille non
horruerit, quò minus eam ſuo contactu, imò ſuo ſanguine dignatus ſit, cur ipſi tam delicatuli aut mo
roſi ſunt, vt mox ſectione aut vſtione opus eſſe putent, vbi remedia leuiora adhuc locum habere po-
terant? Deinde non hoc vult Apoſtolus, vt nos ad eam perfectionem vnquam, quoad in carne viui-
mus, peruenire poſſe doceat: quomodo enim ſine ruga & macula dicentur, qui legem peccati adhuc in
membris ſuis circumferunt, & qui quotidie ex Chriſti mandato precantur, Remitte nobis debita no* Rom. 7.
ſtra? ſed vt Chriſti beneficium & meritum cõmendet, quo is peccata noſtra tam probè legit (vt Da- Pſal. 32.
*uidis verbo vtar) vt coram Dei iudicio pro iuſtis & ſanctis habeamur, etiamſi multæ nobis adhuc
labes ex peccata inhæreant, & in multis frequenter erremus. Nos quidem aſsiduè anniti decet, vt
ad perfectionem maiorem pertingamus, at non temerarij eſſe debemus in ijs damnandis, qui cum
Chriſto coniungi cupiunt, & quos hic tam benignè & amicè complectitur. Et hîc quidem ſingularem
conſiderationẽ meretur, quòd bonitatis ſuæ exemplũ Dei Filius in mulieres potiſsimùm edere vo-
luit. Eo enim publicè teſtatur, ſe huius quoq; ſexus ſeruatorẽ eſſe: quod multas ob cauſas peculiari
demonſtratione doceri oportebat. Per mulierem enim peccatum & mors in mundum introierant, &*

Heuam non modò priorem peccauiſſe, verumetiam viro peccati cauſam ſiue authorem fuiſſe ſacra hiſtoria docet. Ideo ſexum hunc grauioribus quoq; pœnis & moleſtijs pluribus Deus mulctauit. Ne ergo inter has tentationibus ſuperatæ de gratia Dei deſperarent, & promiſſæ ſalutis authorem, Ieſum Chriſtum, nihil ad ſe pertinere arbitrarentur, hic ex muliere homo naſci voluit, & mulieres in ſuo comitatu habuit, ijſdem Euãgelium prædicauit, & in illarum morbis curandis miracula adidit non vulgaria: imò (vt alibi annotauimus) reſurrectionem ſuam; quæ noſtræ ſalutis complementum eſt, mulieribus inprimis, voluit innoteſcere. Hinc ergo conſolationem petant in omni tentationum genere, neq; deſperent de ſalutis ſuæ certitudine, quam Dei filius tot argumentis confirmauit.

Mulieres fidei & gratitudinis exemplum. Deinde præclarum fidei & gratitudinis exemplum mulieres iſtæ præbent. Senſerant Chriſti gratiam, qui beneficia omnis generis, tam ſpiritualia quam corporalia in eas cõtulerat. Ergo gratiam, quam poſſunt, illi referunt, & ita ſe ei totas conſecrant, vt neque honoris & exiſtimationis ſuæ, neque opum, neque etiam propriæ vitæ aliquam rationem habeant, dummodo ſuo erga illum officio defungantur. Etenim turpe videbatur Chriſtum & diſcipulos eius incertis ſedibus oberrantes ſequi: neque dubium eſt maleuolos ex eo calumniandi occaſionem auidè arripuiſſe. Ioanna idem illud periculoſum fuit, quæ maritum habuit, quem heri ſui Herodis ſimillimum fuiſſe veriſimile eſt: quod ipſum de Suſanna quoq; & multis alijs poſſumus ſentire. Accedit his rei domeſticæ cura, quæ ſola eas ab inſtituto reuocare poterat. Sed nihil huius curant, quæ vero Chriſti amore ardent, & gloriæ eius prouehendæ zelum iam animo ſuo conceperunt. Neque illum ſequuntur modò, vt aut verbi eius auditione aures paſcant, aut miraculorum ſpectatione curioſitati (quæ huic ſexui familiaris eſt) ſuæ ſatisfaciant: ſed vt illi adſint, ſuis eum officijs ſubleuent, & ex facultatibus ſuis tam ipſum
1.Cor.9. quàm diſcipulos eius alant. Iam ergo illud Apoſtoli intra animos ſuos ſentiunt, æquiſſimum eſſe, vt corporalia ex nobis beneficia metant, qui ſpiritualia ſeminauerunt. Suo igitur exemplo noſtri ſæculi ingratitudinem iſtæ arguunt, quando plerique etſi ex Euangelio Chriſti beneficia quotidie infinita percipiunt, nihil tamen pro illo audent, neque alicuius inuidiam ſiue odium illius cauſa ſubire volunt: & tam abeſt, vt aliquid in egentia Chriſti membra & Euangelij miniſtros conferant, vt potius maiorum liberalitate ditatas eccleſias ipſi ſpolient, & collegiorum redditus inſatiabili rapacitate vel ſibijpſis vendicent, vel in vſus alienos conuertant. Sunt hæc indigna nomine Chriſtiano, neq; inultam ſinet Deus ingratitudinem iſtam, quæ cultum ſuum vehementer impedit, & hoſtibus calumniandi materiam præbet.

Dei prouidentia ſeruãtur qui Chriſto ſeruiunt. Continet præterea locus iſte eximium diuinæ prouidentiæ exemplum, quo nos in rerum omnium anguſtia atque inopia ſolemur. Captus erat propter liberiorem verbi prædicationem Ioannes Baptiſta: at nihilominus per totam Galilæam Chriſtus cum ſuo comitatu tutus peregrinatur. Huius item gratia res ſuas omnes diſcipuli reliquerant, & ipſum ſecuti erant, qui non habebat quò caput ſuum reclinaret. At diuinitus excitantur ex eo hominum genere, de quo quam minimum ſperari poterat, qui illos cum ſuo præceptore alant. Neque ad breue modò tempus ſubſidium iſtud durauit, ſe quàm diu in Chriſti ſeruitio fuerunt, nihil illis vnquam defuit (ſicuti in vltima cœna ipſimet te-
Luc.22. ſtantur) etiamſi ab illo abſq; peccunia & commeatu mitterentur. Debent hoc exemplo ſeſe conſolari omnes, qui in Dei vocatione ambulant. Meminerint ſe ſub illius prouidẽtia agere, qui & vitæ dies & capitis noſtri capillos in numerato habet. Cogitent præterea, illi varias eſſe rationes, quibus ſuos ſeruare & alere poteſt. Olim ſanè Iſraeliticam gentem propè innumerabilem per annos quadraginta in ſterili Arabiæ deſerto abſq; ſemẽte & meſſe mirificè & liberaliſſimè aluit. In prophetis autem
1.Reg.18, &c. Ier.38. multa huius generis exempla occurrunt, quos modo per tyrannorũ ſeruos aulicos (quales Abdias & Abdemelech fuerunt) modò coruorum miniſterio alijsq; inuſitatis rationibus ſeruauit. Sunt ergo nimium ſtulti, qui in præſentem modo rerum anguſtiam oculos defigunt, & non potius animum ad Deum attollunt, qui cùm florum in agro naſcentium & auium tam accuratam rationem habeat, eos negligere non poteſt, quos ipſe rebus grauioribus & magis arduis deſtinauit.

Stipendia eccleſiaſtica confirmantur. Poſtremò ordinaria miniſtrorum eccleſiæ ſtipendia Chriſtus ſuo exẽplo confirmat. Qui enim axioma illud ex lege naturæ deſumptum, Dignus eſt operarius mercede ſua, alibi ad apoſtolos trãsfert,
Matth.10. idem nunc ipſe eorum liberalitate ſe & ſuos ali atq; ſuſtentari patitur, quibus ſalutis æternæ verbũ prædicabat. Atqui facilè illi fuiſſet vel abſq; omni cibo ſuos in vita conſeruare, vel per miraculum

illis

illis cœlitus aut aliunde proſpicere. Sed ea ratione vti voluit, quam olim Leuitis in lege præſcripſerat, & quæ in omnibus alijs vitæ generibus obſeruatur (ſicuti Paulus agricolarum, paſtorum & 1. Cor. 9. *militum exemplis demonſtrat) ne quis à miniſtris verbi peculiare quid & ſublimius exigeret, & vt ſinguli gratitudinis & beneficentiæ exercendæ occaſionem atq; materiam haberent. Neminem ergo hominum inuidorum calumniæ moueant, qui cùm non alia ratione Euangelij doctrinam vulgo inuiſam & ſuſpectam facere poßint, miniſtrorum ſtipendia odioſè exagitant: quaſi verò quicquam illis dari poßit, quod æternæ vitæ theſauros ſuo pretio ſuperet. Diſcant potius ſinguli Dei bonitatem agnoſcere, qui nos verbi ſui luce dignatur: hanc verò animis pijs & gratis excipiant, neq; pigeat in eius miniſtros ea conferre, quæ infelix mundus in turpißimos vſus & fœda diaboli mancipia profundere conſueuit. Indiuulſis autem animis Ieſu Chriſto adhæreamus, qui & hîc nihil nobis deſieri patietur, & olim æternæ vitæ cohæredes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA LXXV.

Cùm autem multa turba conueniret, & qui in ſingulis vrbibus erãt proficiſcerẽtur ad eum, dixit per parabolã: Exijt quidam ſeminator ad ſeminandum ſemen ſuum: & in ſeminando aliud cecidit in viã, & conculcatũ eſt, & volucres cœli deuorarunt illud. Et aliud cecidit ſuper petram, & enatum exaruit, quia nõ habebat humorẽ. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinę ſuffocarunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & cùm enatum eſſet edidit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, dicentes quæ eſſet iſta parabola. Ipſe verò dixit eis: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei: reliquis autem per parabolas loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

EXpoſuit Lucas ardentißimum Ieſu Chriſti in propagando regno Dei & ſeruandis hominibus ſtudium; vt nimirum comitantibus ipſum diſcipulis ſuis & aliquot mulieribus, quæ tam ipſum Vide Marcum noſtrum homil. *quàm diſcipulos eius ſuis facultatibus aluerunt, Euãgeliũ per ſingula oppida atq; vicos prædicarit.* 30. *Quo loco & Dei bonitatẽ didicimus, qua is ſaluti noſtræ conſultũ cupit, & mulierũ iſtarum exemplo didicimus, noſtri etiam officij eſſe, vt ſinguli pro ſua conditione Chriſtum adiuuent, & regnum Dei* Exo. 35. *pro virili proueh ant. Nam vt olim ad tabernaculi conſtructionẽ alij aurum, alij argentum alij gẽmas, alij ſericum, alij pelles caprinas conferebant omniũ verò munera Deo grata & accepta erant: ita ſingulis habebunt, quo Euangelij prædicationem & huius miniſtros adiuuẽt, ſiquidẽ vero pietatis zelo ardeant, & ſingulorũ officia Deus digno aliquo præmio remunerabitur. Chriſti enim promißio eſt; quod mercedẽ ſuã minimè amiſſurus ſit, qui vel poculum aquæ frigidæ vni ſuorum dederit eo nomine, quod ipſius diſcipulũ eſſe audit. Sequitur in præſenti, vt populus Chriſtũ exceperit, & nõ minori ſtudio ad eũ audiendũ vndiq; conuenerit, quæ itẽ eius fuerit doctrina, qua ad ſe venientes inſtruxit.*

De populo ſummatim & in genere hoc dicitur, quod frequens ad illum confluxerit, quodq; qui in Populi ad Chriſtum concurſus *vrbibus ſingulis habitabant profecti ſint, vt eũ audirent. Id verò tanta cũ importunitate & violentia fecerunt, vt ne cibi quidem capiendi ocium haberet (ſicuti in Marco annotatur) & tandẽ ex littore in nauim conſcẽdere, & hac nonnihil in altũ ſubducta, inde ad populum in littore aſtantem docere coactus fuerit. Et hic concurſus concioni, quàm mox audiemus, occaſionem præbuit. Nunc, priuſquam ad illius explicationem accedamus, duo obſeruanda veniunt, quorum alterum ad populum, alterum ad ipſum Chriſtum pertinet. In populo mundi huius ingeniũ apparet, qui rebus nouis mox capitur, diuerſis antẽ ſtudijs intentus mox frigeſcit, vbi ſe ſpe ſua falli ſentit. Quod iſtis accidiſſe ſequens hiſtoria docebit. Etenim cùm Chriſtus non omnium votis ſatisfaceret, adhac præpoſtera illorũ ſtudia non obſcurè accuſaret, mox ad ſua dilapſi ſunt. Sunt autẽ eiuſmodi exempla in eum finem diligenter obſeruanda, vt neq; fidamus mũdo temere; neq; eiuſdẽ leuitate & inconſtantia offendamur.*

Nec enim aliter poſſunt facere, qui natura mendaces & ſui amantes ſunt. Mutantur horum mores & inſtituta in ſingulas horas, neq; aliquid apud ſe certum aut ſtabile poſſunt conſtituere. At ſibiipſi ſemper conſtat Deus, & ideo falli non poſſunt quicunq; in illius verbum reſpexerint. In Chriſto autẽ nouum bonitatis exemplum proponitur. Etſi enim iſtorum mores & animos inconſtantes non ignoraret, non tamen propterea ſuo officio deeſt, ſed eadem qua prius induſtria atq; ſtudio in illis inſtituẽdis vtitur, & doctrinã morbo ipſorum, quo potiſſimùm laborabant, prudenter accommodat, vt ſuo loco videbimus. Prodeſt autem in horum conſideratione frequenter verſari, vt eã fidem noſtram in tentationum lucta vacillantem confirmemus. Qui enim tam benignè eos excepit & inſtituit, quorũ maximam partem minus honorificè de ipſo ſentire & ab ipſo prorſus aliena quærere ſciebat, nunquã certè eos faſtidire aut abijcere poterit, qui ſerio veræ pietatis atq; ſalutis ſuæ ſtudio ad illum accedunt. Minimè ergo formidemus doctoris & ſeruatoris tam fidi & humani congreſſum. Simul autẽ meminerimus nobis in exemplum proponi illius facilitatem, vt nimirum eam imitemur, ne in fratres noſtros ipſi duriores ſimus, quàm ille erga nos fuit, quos optimo iure abijcere poterat, ſi noſtris moribus & factis digna præmia reddere voluiſſet.

Chriſtus ex naui concionatur. *Nunc ad concionem eius accedamus, quam ex naui ad populum habuit. Conſtat ea meris parabolis, vt apud Matthæum & Marcum eſt videre, qui plures ex ordine ab eo adductas deſcripſerunt. Lucas vnius modò meminit de ſeminatore, quæ auditoribus, quos tunc habuit, egregiè ſeruit, & ſcãdalo, quod ex illis enaſci ſolet, probè medetur. Vt enim olim mirum videri potuit, quòd ipſo Dei Filio tanta cum induſtria docente & doctrinã ſuam ſignis miraculoſis confirmante, tam pauci crediderunt: ita hodie multi vehementer offenduntur, quando verbi tam exiguum fructũ apud eos vident, qui ſe Euangelicos eſſe profitentur. Fit enim, vt multi aut verbum Dei eſſe dubitent quod prædicatur, aut eccleſiam omnino extinctã & deletam eſſe arbitrentur, & proinde incerti fiant, cui nam cœtui ſeſe debeant coniũgere.* Concionis argumentum. *Hiſce ergo ſcandalis remediũ iſta parabola Chriſtus adhibet, qua & verbi Dei vim atq; naturam, & eccleſiæ hoc in ſæculo conditionem graphicè adumbratam proponit. Primò enim docet eccleſiam Dei illic eſſe, vbi verbũ legitimè prædicatur, etiamſi non omnes credant & & obediant. Vt enim agricola prudens non niſi agro ſemina cõmittit: ita minimè dubitandũ eſt Dei agrum illic eſſe, vbi verbi ſui ſemen ille ſpargit, neq; nos moueat, ſi ſentibus & ſpinis totum ferè obſitum, aut etiã lapidibus tectum videamus. Deinde oſtendit verbum hoc per ſe fructiferum eſſe, non autem apud omnes fructum dignum edere, eò quòd pleriq; animos parum idoneos afferant. Vnde colligit, culpam omnem in auditoribus hærere, neq; propter hos de verbi veritate aut virtute eſſe dubitandum. At hoc dicendo, ſimul auditores, quos tunc habebat, acriter pungit, qui magno quidẽ ſtudio & diligenti attentione docentem audiebant, pleriq; autem peſſimis affectibus occupati inſtar terræ ſteriles & incultæ erant, in qua fruſtra ſementem agricola fecerit. Quod ſi verò tales cẽſentur Chriſti iudicio, qui per longa itinera non ſine periculo & luculento rerũ ſuarum diſpendio ad illum conuenerunt, & in quibus mira arſit eius audiendi auiditas, quantò nos hodie infeliciores ſumus, qui iam pridem nauſeam verbi Dei animo concepimus, qui ad fores noſtras concionantẽ Chriſtum audire detrectamus, & quos piorum magiſtratuum edictis cogi oportet, vt ad cœtus ſacros veniant, conciones audiant, vt vel aliqua ex parte profeſſioni Chriſtianæ ſeſe accõmodent, ne alijs mali exempli authores ſint? Noſtra ergo inſtitutioni parabola iſta plurimùm ſeruit. Nam & ſtudiũ verbi in nobis accendet eius conſideratio, & docebit quæ vitia cauenda ſint ijs, qui illud non ſine fructu audire volũt. Adhæc miniſtris eccleſiæ cõſolationem dulciſſimam hîc adhibet Chriſtus, ne de ſui miniſterij fructu deſperent, aut de illo temere deſerendo cogitent, ſi non tantum proficiunt, quantum ipſi cupiebãt. Vt enim agricola ſemẽ per agrum ſpargit, etiamſi aliud ab auibus mox deuoratũ iri, aliud inter ſpinas aliud in locis petroſis periturũ, multa etiam fortaſſis per grandines & tempeſtatum procellas vaſtanda fore, non omnino neſciat, Ita verbi adminiſtros in ſuo officio conſtanter pergere conuenit, neq; per eos abſterreri, quos ad omnem doctrinam iampridem obriguiſſe & incurabiles factos eſſe conſtat. Meminerint potius inter vepres & ſaxa terræ bonæ aliquam portiunculam inueniri poſſe, in qua verbi ſemen fructum ſuum proferat. Qui enim olim apud Iſraelitas tùm non ager modò incultus, ſed potius deſertum horribile videri poſſens, ſeptem millia ſuorum electorum habuit, in quibus inſtituendis prophetæ non fruſtra laborauerant: idem ille omnibus ſæculis & vbiq; locorum aliquos habet,*

qui

qui verbum ipſius dignè audiunt, & ex eo meliores fiunt. At quia de his poſtea dicetur, quando ipſe Chriſtus parabolam iſtam exponet, nunc ad alia tranſeamus, quæ hic nobis ſunt obſeruanda.

Chriſtus non de Ceremonijs, ſed de verbo Dei concionatur.

Primum hîc occurrit, quòd in frequentiſſima auditorum turba non de cultu Dei externo & ceremonijs diſſerit, ſed de verbo Dei, vt huius virtutẽ omnes intelligant, ſeq; ad hoc dignè audiendũ præparent. Ita verò non obſcurè admonet, verbum Dei omnibus externis ceremonijs præſtare, & verũ Dei cultũ in illius ſtudio potius quàm in externis ſacris conſiſtere. Viderunt hoc olim quoq; ſancti homines, cum adhuc in vſu eſſent Leuiticæ ceremoniæ. Dauid certè verã legis Dei cognitionem ſibi obtingere imprimis optat, neq; aliud magis precatur, quàm vt in illius ſemitis ambulet. Idem beatum pronunciat non eum, qui ſacra ſacris accumulat & victimas cædit infinitas, ſed eũ, qui in lege Domini dies & noctes pia meditatione tranſigit. Neq; temere ita ſenſerunt piiſſimi Dei cultores. Videbant enim omnẽ externum cultum in corporali exercitatione conſiſtere, quæ nihil aut parum vtilitatis habet: At Dei verbum ipſas hominum mẽtes Deo vendicat in fidei obediẽtiam, qui illi cultus eſt lõgè gratiſſimus. Externa itẽ ſacra, ſi verbũ ab illis auferas, oculos modò paſcunt, & animũ ad breue tẽporis momentum lenicula deuotione detinent, quæ ferè ſuperſtitionẽ parit: at verbum Dei efficaciſſimum illud & ſalutiferum regenerationis ſemen eſt, ex quo per ſpiritus virtutem omnes nos renaſci oportet, qui regni cœleſtis hæreditatem adire volent. Deniq; Dei verbũ vitæ regula, lucerna pedum noſtrorum, diuinæ voluntatis teſtimonium, doctrina ſimplicium, infirmorũ conſolatio, & iamiã pereuntium præſentiſſima medicina eſt. Rectè ergo Chriſtus in præſenti de illius natura atq; effectis, deq; auditorũ eius officio diſſerit, apud eos, quorum ſaluti conſultum volebat: & idem in docendo quidem aſſiduus fuit, circa ceremonia verò parciſſimus, adeò, vt ne baptiſmum quidẽ ipſe adminiſtrauerit, ſicuti Ioannes teſtatur. Sunt ergo inepti nimis, qui hodie eccleſiam nouis quotidie ceremonijs onerant, & iis quidẽ, quas vel ex antiquata per Chriſtum Moſis lege poſtliminio reducunt, vel quæ nudis atq; friuolis hominum ſuperſtitioſiſſimorũ traditionibus nituntur. Iſtis debemus veri Dei ignorãtiã & immanem omnis numinis cõtemptum cum effreni morum licentia, quæ hodie paſſim regnum obtinent. Quid enim ſub illis magiſtris infelix populus proficiat, qui totos dies in frigidiſſimis ceremonijs & cantionibus peregrinis conſumunt, vix autem toto anno vnam aut alteram horam ſeriæ verbi Dei prædicationi tribuunt? Eò vſq; certè multorum inſcitia progreſſa eſt, vt nõ alias ſcripturas ſacras eſſe putent, quam fragmenta illa Euangelica, quæ in poſtillis (quas vocãt) extãt. Et quia illorum quoq; interpretatio aut omnino nulla eſt, aut inepta & frigida eſt, quæ neq; locis neq; perſonis præſentibus accommodatur, fructus ex illis nullus enaſci poteſt, ſed creſcens indies verbi Dei ignorãtia apud alios quidem ſuperſtitiones parit infinitas, alios autem in Epicuræum vel Cyclopicum potius omnis religionis contemptum adducit. Quicunq; ergo eccleſias reformare, & religionem Chriſtianam à ſordibus repurgare atq; veri Dei cultum puriorem reducere voluerint, eos de verbi Dei prædicatione inſtauranda imprimis ſolicitos eſſe oportet, quæ ſola hominum mentes erroribus liberabit, & eoſdem Deo gratos atq; acceptos faciet.

Pſal. 1. 19. 25. 119. &c.

1. Tim. 4.

1. Pet. 1.

Ioan. 4.

Chriſtus parabolis vtitur inter docendum.

Sed vt ad Chriſtum redeamus, hoc quoq; in eius exemplo obſeruari debet, quòd rẽ maximi momẽti parabola ex vulgò aut re ruſtica deſumpta illuſtrat. Quod in ſcripturis tã veteris quàm noui teſtamẽti admodum frequens eſſe ſciunt, quicunq; illas vel à primo limine ſalutauerunt. Quòd ſi cauſam quæras, ex iis, quæ poſtea Chriſtus dicet, duplex adduci poterit. Altera ad reprobos pertinet, cum quibus obſcurius agi oportet, vt iuſto Dei iudicio magis excæcati, tandẽ dignas ſuæ impietatis pœnas luant. Altera in electis eſt, qui etſi ænigmata iſta nõ ſemper primo intuitu intelligant, mox tamẽ illuminantur, & per res terrenas adũbrata regni Dei myſteria melius intelligunt, deq; iiſdẽ cogitandi occaſiones paſſim obuias habent, quibus ad diligentiorẽ illorũ conſiderationem excitantur. Simul autẽ iſta nos admonent, cauſam ſalutis noſtræ & vniuerſum religionis Chriſtianæ negotium per ſe planũ & facile traditu eſſe. Nam etſi cœleſtia humanis excellentiora ſint, tamen per res terrenas, adeoq; per eas, quæ in vulgari & quotidiano vſu ſunt, adũbrari poſſunt. Quò etiã pertinet, quòd iſta Deus pueris quoq; & mulieribus, opificibus & ruſticis, omnis deniq; loci & ordinis hominibus tradi voluit. Minimè ergo audiendi ſunt, qui myſteria quadã Eleuſyna in ſcripturis contineri fingũt, quæ nemo niſi vnctus & raſus intelligat, & inde colligunt, à librorum ſacrorum lectione procul arcẽdos eſſe omnes alios homines, ne erroribus quotidie nouis inuoluãtur. Malè ergo (ſi horum iudiciũ

audiamus) humano generi Deus conſuluit, & imprudẽs nimium dici poterit ſpiritus ſanctus, qui ita
2. Cor. 4. loqui vult, vt à nemine intelligatur. Reprobis quidem omnia obſcura & cæca ſunt, quorum mentes
Deus huius ſæculi (vt Paulus ait) obtenebrauit, & qui ipſi in mediã lucẽ tenebras inferunt. At alia
eſt electorũ ratio, in quorũ gratiam balbutire etiam dignatur ſpiritus ſanctus, vt rectius illum intel
ligant: adhæc fideliſſimi præceptoris inſtar ſeſe ad captum noſtrum demittit, & in exemplis vulgari
bus ea nobis demonſtrat, quæ nudis verbis propoſita minus intelligeremus.

Imagines non ſunt libri laicorum. Arguitur præterea hic illorum error, qui ſimulachra vel imagines in templa inferunt, vt libri lai
corum ſint, quorum contẽplatione de multis ad ſalutẽ pertinentibus admoneantur, qui ſcripturas le-
gere non poſſunt. Peccant iſti in Dei præceptũ, quo imagines ſimul omnes ad cultum propoſitæ prohi
bentur. Nam nõ poſtrema cultus ſpecies eſt, quòd illis parẽ cum ſcripturis dignitatem tribuunt, quòd
Hab. 2. per illas nos doceri volunt, quòd iiſdem Deum & quæ adhunc ſpectant exprimi poſſe affirmant: neq;
prophetam audiunt, qui horrendum illud væ omnibus denunciat, qui ex ſimulachris (quæ mendacij
magiſtros vocat) volunt diſcere. Deinde iidem ſtulto & inutili labore ſeſe fatigant. Quid enim opus
eſt ex mutis ſimulachris diſcere eos, qui ſcripturæ libros habent, & qui Deum in his loquentẽ quoti-
die audire poſſunt? Quæ itẽ vaſania eſt adminiſtrorum verbi loco, quos in eccleſia ſua Chriſtus ordi
nauit, imagines mutas ſubſtituere? Oſtendant illi prius, quis ipſis tantã authoritatẽ dederit, vel tan
tum iuris in eccleſiã conceſſerit, vt ordinem in illa ab ipſo Deo inſtitutum mutare auſint. In templis
certè Dei verbum ſonare & Sacramenta exerceri debent, quæ ſi cum verbi doctrina proponantur,
omnes hominis ſenſus ad beneficiorũ Dei contemplationem ita excitant, fidemq; promiſſionum eius tã
certò nobis obſignant, vt ſimulachris præterea alijs minimè ſit opus. Adde his, quòd nihil in tota re-
rũ natura eſt, quod non ipſe ſpiritus ſanctus in eum vſum deſtinarit, vt nos de regni Dei myſterijs
& noſtro officio admoneat. Ideo enim parabolas eiuſmodi ex rebus vulgo vſitatiſſimis petit, vt quo
ties hæ in conſpectũ veniunt, toties de illis cogitandi occaſio occurrat, quæ iis adumbrãtur. Quod vt
rectius intelligant, quos vetus & diuturnus error aliquãto obſtinatiores fecit, exẽpla paucula addu
cemus, quibus facilè oſtendetur, quàm inutilis ſit ſumptus ille & labor, qui imaginibus fingendis im-
penditur. Per viam publicam ambulas: Annõ ſuccurrere debet illud Chriſti: Ego ſum via, veritas
Ioan. 14. & vita: Nemo venit ad patrẽ niſi per me. Quid ergo neceſſe eſt in triuijs & cõpitis Crucifixi imagi-
nem proſtare, quando ipſa via tibi Chriſtum adumbrat? Per oſtiũ in ædes proprias ſiue alienas ingre
Ioan. 10. deris. Quòd ſi hic quoq; in mentẽ veniat Chriſti vox, Ego ſum oſtiũ per me ſi quis introierit, ſeruabi
tur, & ingredietur, & paſcua inueniet: nõ opus erit alia imagine, quæ tibi Chriſtum repræſentet. Ita
ſi ſponſum cum ſponſa ſua ad templũ deduci & nuptias legitimè celebrari videas, annon viua occurra
Ephes. 5. rit Chriſti & eccleſiæ imago, quæ arctiſſimum noſtræ cũ illo coniunctionis vinculum, eius erga nos
amorem, & quæ viciſſim nos ei debemus officia, quaſi in tabula depicta exhibet? Et vt præſenti pa-
rabolæ inſiſtamus, quando ſementẽ fieri aut ſegetes adoleſcere, vel in herba præfocari vides, mox ti-
bi tota verbi Dei natura conſiderãda venit, & plus inde diſces, quàm ſi ſimulachra ſimul omnia in-
ſpexeris. Eadem eſt ratio panis in menſa appoſiti, vini itẽ & vitis vel vineæ, fontium, piſcationis, rei
paſtoritiæ, arborũ, ouium, Solis & lucis, rerum deniq; omnium, quæ in vſu habentur. Nimiùm ergo
ſimplices & rudes ſunt, qui præterea imagines deſiderant, inexcuſabilis autem eorum eſt cõtumatia,
qui cùm in ſcripturis probè verſati ſint, & iſta non ignorent, adhuc tamen imaginum vſum in tem-
plis defendunt, & ſuo exemplo infelicis vulgi ſuperſtitionem confirmant. Sed plura de his alibi.

Diſcipuli nõ intelligunt parabolam. Nunc ad Chriſti diſcipulos tranſeamus, qui etiam ipſi parabolam iſtam non intellexerunt. Ea e-
nim eſt humani ingenij hebitudo, vt quamuis perſpicuè proponantur quæ ad regnum Dei ſpectant,
ea tamen non percipiamus, eò quòd mens alijs affectib. ferè occupata circa res huius ſæculi vagatur.
Quod diſcipulis quoq; regni terreni expectatione detentis non ſemel accidiſſe cõſtat. Quò minus mira
ri nos decet, quòd non viderint quorſum ſeminis parabola ſpectarit, aut quid ea Dominus docere vo
luerit. At laudem non vulgarem merentur, quòd ſuã ignorantiã non diſſimulant ruſtico pudore: ſed
quia ſibi perſuaſum habent, Chriſtũ non niſi de rebus arduis & cognitu neceſſarijs concionari, interro-
gando potius inſcitiã ſuam profiteri, quàm aliquid ignorare malũt eorum, quæ ſine ſalutis iactura
ignorari non poſſunt. Modeſtiæ autem argumentum eſt, quòd non in publico quærunt, neq; concionẽ
Chriſti importunò clamore interrũpunt, ſed (vt Matthæus & Marcus annotauerunt) priuatim cũ

eo agunt,

to agunt, cùm ſe domum iam recepiſſet. Imitemur nos illorum exemplũ, & ſerio proficiẽdi ſtudio accẽſi nihil eorum omittamus, quæ nos ad pleniorem cognitionem Chriſti & æternæ ſalutis poſſunt adducere. Quàm enim hoc Chriſto placeat, in præſenti videmus. Nã non reijcit interrogantes, neq; ſuã ignorantiam illis contumelioſè exprobat, ſed amicè reſpondet: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, reliquis autẽ per parabolas loquor, vt videntes nõ videant, & audientes nõ intelligant. Ita verò duo facit auditorũ genera, et per cõparationem Dei beneficiũ, quo diſcipuli fruebãtur, amplificat, & ſimul iudicium Dei omnium oculis exponit, qui Iudæorũ contumaciã imitantur. Primum genus diſcipulos Chriſti & cum his electos ſimul omnes cõprehendit. His datum eſſe ait, vt myſteria regni Dei norint. Audiunt enim vt oues placidæ vocem paſtoris ſui, & ea delectantur, ideoq; eandẽ ſequuntur. Alterum genus reprobæ mentis homines habet, qui cùm Chriſti & veritatis odio toti ardeant, nihil videre vel intelligere volunt, imò oculos ipſi claudunt & aures obturant, ne ingerentẽ ſeſe verbi diuini lucem admittere cogantur. Id verò Iſaiæ verbis enuntiat, quæ alij Euangeliſtæ fuſius recitant: vt partim cauſæ excæcationis iuſtæ plenius intelligantur, partim conſtet malũ hoc non nouum eſſe, ſed auitum ſiue hæreditarium, quo olim maiores quoq; illorum ſibijpſis exitiũ acceſſiuerint. At quia de hoc loco non ſemel alibi diximus, nunc ſufficiat annotauiſſe, quantum ſcelus ſit verbi diuini contẽptus & craſſa illa ignorãtia, qua multi etiam hodie ſibijpſis tenebras offendunt. Vt enim inter Dei beneficia præcipuũ eſt, quod miſeros nos verbi ſui luce dignatur, & per illud nobis Filium ſuũ & in hoc ſalutem omnẽ offert, ita non poteſt alia ingratitudo atrocior eſſe & impudentior, quàm ſi qui verbũ illud audire dedignentur, & mendacia veritati, tenebras luci ſcientes atq; volentes ante ponant. Ita certè illa offenditur Deus, vt quaſi ingenium & naturã ſuã mutarit, verbum ſuum aut omnino auferat, aut obſcurius reddat, vt quod per ſe ſaluiferum & odor viuificus eſt ad vitam, iſtis hominibus toxici inſtar mortem atq; exitium afferat. Fieri ergo non poteſt, quin contẽptus ille verbi omnes huius mundi partes hominibus infeſtos reddat, & extremæ perditionis cauſa ſit. Et hoc non obſcurè docet Deus quando in eo loco, quem in præſenti Chriſtus adducit, prophetæ interroganti, quã diu cæcitas illa duratura ſit, reſpondet: Donec vaſtatæ fuerint vrbes, vt nemo ſit qui inhabitet & in domibus nullus ſit homo, tellusq; redigatur in ſolitudinem. Longiſſimè autem ablegabit homines Dominus, eritq; deſolatio multa in terra. Quibus omnino cõſentiunt, quæ Iudæis, & Hieroſolymæ Chriſtus alibi minatur, eo quod diẽ viſitationis ſuæ non agnoſcãt. Horum itaq; conſideratio nos excitet, vt cogitemus nos inſtitutione opus habere, & proinde agnoſcamus Dei bonitatem, qui illã per verbum nobis adhibet. Amplectamur autem totis animis Dei verbum, vt ex eo renati, germani Dei filij & Ieſu Chriſti fratres atq; cohæredes efficiamur: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen

Chriſtus non reijcit de uerbo ſuo quærentes.

Iſa. 6.

2 Cor. 2

HOMILIA LXXVI.

Eſt autem hæc parabola: Semẽ eſt verbum Dei. Qui autem in viam, ij ſunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit ſermonem è corde eorum, ne, cùm crediderint, ſeruentur.

OMnis tã noui quàm veteris teſtamenti ſcriptura non aliud nobis perinde vt Dei verbum cõmendat. Hoc enim vitæ lucernã, morum atq; actionum omnium regulam, panem & potũ animæ, ſemen regnerationis, deniq; ſaluificã Dei potentiam dicere cõſueuit, & ſimul omnes homines ad huius ſtudium & crebram meditationem excitat. At ea eſt hominum corruptio, vt multi illud omnino reijciant, & hoſtiliter oppugnent, plerique verò, qui huius ſtudioſi videri volunt, id abſq; omni profectu audiant. Eſt hæc multorum & nocentiſſimorũ ſcandalorũ cauſa. Alij enim de uerbo, quod prædicatur, dubitare incipiunt, an ſcilicet Dei uerbum ſit, cuius fructum adeò rarum aut ferè nullũ conſpicantur. Alij, quorum audacia longius progreditur, id apertè negant, & auditorũ uitia eã unam ob cauſam odioſè exagitant, ut ſuam Dei uerbo authoritatẽ detrahere poſſint. Faciunt hoc mira impudentia Anabaptiſtæ, qui hoc potiſſimũ argumento rudes & rerũ nõ ſatis peritos circumueniunt, ut eos ab eccleſijs abſtrahant: Multi quoq;, dum uerbi prædicatione tã parum proſici uident, uerbũ fingunt non ſcriptũ, quod per reuelationes peculiares nobis innoteſcat: ita uerò illuſionib. Satanicis feneſtram aperiunt: Accedit his, quòd non raro uerbi adminiſtros ſuæ induſtria & laborum tæ-

Vide Marcum homil. 32.

dere incipit, vt de deſerenda vocatione ſua cogitent, ne abſq; fructu cum incurabili impiorum contumacia amplius luctari cogantur. Exempla huius impatientiæ in præſtantiſsimis prophetis, Eliæ & Ieremiæ, extant: Nã ille quidem è terra profugere inſtituit, & cum Deo expoſtulat, quòd alijs pro-
1 Reg. 19. phetis omnibus è medio ſublatus, ipſe ſolus hoc ſaxum voluere cogatur: hic verò exclamat: Væ mihi ô
Iere. 15. mater mea, quòd me peperiſti virum litigatorem, & virũ controuerſiæ vniuerſæ terræ, &c. Et Iſa-
Iſa. 24. & 53. ias nõ vno loco de eorum paucitate queritur, qui verbo per ipſum prædicato credebant. At omnibus iſtis Chriſtus ſuo exemplo medetur. Etſi enim ex ſua doctrina fructum ferè nullũ enaſci videret apud Iudæos, qui inſtar terræ incultæ & ſterilis ſemen verbi nequaquã in animos demittebãt, pergit tamen docendo, neq; aliquã concionandi occaſionem negligit. Deinde cum ex infirmioribus multos offendi ſciret, parabolam iſtam proponit, qua & verbi Dei naturam & hominum mores atq; ingenia euidētiſsimè depingit. Docet enim, illud per ſe viuũ & efficax eſſe, hominum autem vitio fieri, quòd non apud omnes, qui hoc audiunt, dignum fructum edat. Quæ admonitio, cùm admodum neceſſaria ſit, ipſe eam ita petentibus diſcipulis diligentius interpretatur, & ſingulis auditorum generibus applicat. Quo loco, priuſquam ad Chriſti verba accedamus, duo nobis conſideranda veniunt.

Verbũ Dei quomodo debeat prædicari? Primum, quomodo prædicari debeat verbum Dei: de quo etſi non ſemel ſit dictum, ſæpius tamen dicendum eſt propter eos, qui cùm ipſum verbum palàm dãnare aut ex eccleſia eijcere nõ auſint, ad artes conuerſi, verum illius vſum impedire conantur. Aiunt enim ſufficere, ſi obiter recitetur, indigniſsimè autem eos ferunt, qui verum eius ſenſum diligenti ſcripturarum collatione eruũt, atq; ex eodem doctrinas, admonitiones, hortationes, increpationes & cõſolationes eliciunt, quas auditoribus accommodant, prout rerum & temporum ratio poſtulare videtur. At perinde homines illi faciũt, ac ſi quis pannum quidem multum proferri velit, nolit autem ex eo veſtes ſcindi, quæ corporibus hominum ſeruiant, aut etiã veſtes iam factas induere prohibeat. Quàm autem ſtupidi ſint pleriq; in ijs obſeruandis, quæ ad ipſos maximè pertinent, quotidianis exemplis docemur, & in ſemetipſis ſinguli ſentirent, modò oculos aperire velint. Et cõfutantur alteri illi doctrinæ inductæ ſiue Cenſores ipſius Chriſti exemplo, qui etſi occulta ſpiritus virtute diſcipulorũ mentes illuminare poſſet, vt parabolã intelligerent & ſuæ inſtitutioni accõmodarent, ordinariã tamen rationem ſequi voluit, & quod illis obſcurius erat, clariori interpretatione illuſtrauit. Fecit idem olim Deus, quando legem, quã decem præceptis cõprehenſam promulgauerat, multis expoſuit, & pro delictorum omniũq; generis caſuum ratione in plures ſpecies diduxit, vt omnis loci hominibus vitæ totius regula eſſet, et iudices ex eadē iudiciorũ ſuorum formulas petere poſſent. Neq; eo contentus, inſuper legis interpretes dedit Prophetas, qui populum de eius vſu quotidie admonerent. Secuti ſunt hæc exempla Apoſtoli quoq;, quorum omnium veſtigijs eos inſiſtere decet, qui docendi munus in eccleſia ſuſtinent. Nimiùm autem arrogantes ſunt, qui nouam docendi rationem eccleſijs obtrudere, & veterem tot exemplis & omnium ſæculorum vſu comprobatam abolere conantur.

Verbi interpretatio unde petẽda? Secundò admonet nos locus iſte, vnde verbi Dei interpretatio peti debeat, quæq; huius ſit regula, quæ falli aut aberrare non ſinat. Vendicat ſibi authoritatē interpretandi Scripturas Romanus Põtifex, neq; ad hoc munus aliquē admittit, qui nõ ipſius charactere fuerit inſignitus. Sed quã turpiter in verbo Dei iã multis ſæculis hallucinati ſint Pontifices, notius eſt quã vt demonſtrari oporteat. Nos ergo Apoſtolorum exemplum obſeruemus, quos Chriſtũ interrogaſſe nuper audiuimus, qui nunc parabolæ, cuius ipſe author fuerat, interpretē quoq; agit fideliſsimum. Itaq; ex eiuſdem ore nos quoq; verũ verbi Dei ſenſum requirere debemus. Docuit hoc olim Deus per Oraculi typũ, quãdo ad
1. Sam. 4. Propitiatoriũ venientibus reſponſa dabat, & ideo Dominus inter Cherubim habitans dicebatur.
2. Sam. 6. Quò etiã referri debet, quòd in cauſis difficilioribus Iudæi ad Summũ Sacerdotē recurrebãt, vt legem
Pſal. 80. 99. &c. ex eius ore (vt Malachias ait) audirent. Nã ſacerdotes illos Chriſti perſonã ſiue typum ſuſtinuiſſe
Mal. 2. ſcimus. Quòd ſi obijcias, Chriſtum iãpridem in cælos abijſſe, neq; coràm interrogari à nobis poſſe, &
Deut. 17. ideo neceſſe eſſe, ut aliquis illius uices in terris obeat: Reſpondemus, ab illo quidem Euangelij præcones eſſe inſtitutos, non autem tanta eos authoritate inſtruxiſſe, ut ipſius tanquam abſentis uicarij ſint, aut ut pro oraculo habeatur quicquid illi dixerint, ſed aliam rationem monſtrauiſſe, qua cum ipſo in colloquium venire, & ipſum de Patris voluntate interrogare poſsimus. Scripturas enim de-
Ioan. 5. dit, in quibus ipſe loquitur, & vt illas ſcrutemur monuit. Si quis ergo locus occurrit dubius aut ob-

ſcurus

ſcurus, ſcripturarum collatione nos vti docet, & (vt Paulus docuit) ad fidei analogiam omnes locos exigere, quã qui ſequuntur, falli non poſſunt. Sunt enim certa fidei Chriſtianæ capita, quæ Symbolo (quod Apoſtolicum vocant) continentur. Et hanc Apoſtolicam traditionem & fidei vera regulam eſſe, vetuſtiſſimi & Apoſtolorum tẽporibus proximi ſcriptores, Irenæus & Tertulianus, teſtantur. Illis ergo inſiſtamus, et pernitioſè errare non poterimus. Nã etſi non ſemper germanũ & proprium loci cõtrouerſi ſenſum attingamus, nihil tamen ſtatuemus, quod nos ab vnius Dei cultu & vera ſalutis ratione abducat. Ad eundẽ quoq; Canonẽ, ceu Lydium lapidem, probare poterimus aliorũ interpretationes, neq; latere nos poterit fucus, ſi quẽ nobis aliqui facere conãtur. Poterat res iſta exemplis illuſtrari, ſed quia paßim illa occurrunt, & quædã alibi adduximus, eadẽ aut ſimilia nunc repetere ſuperuacaneũ foret. His præmißis ergo, Chriſtum ſuæ parabolæ optimũ interpretem audiamus.

Ioan. 5.
Rom. 12.

Primò, quia per omnes parabolæ partes ſeminis vox repetitur, quid ea ſignificetur, docet. Semen (inquit) eſt verbum Dei, id eſt, per ſemen hîc ipſum Dei verbũ figuratur & intelligitur. Vtitur autem verbo ſubſtantiuo Eſt, non vt doceat, ſemen illud naturale, quod terræ mandatur, reuera & eſſentialiter ipſißimum Dei verbum eſſe: ſed vt oſtendat, hoc per illud verè adumbrari, & verbũ hoc ſuo modo ſemen eſſe: dum in regenerãdis hominibus hoc ipſum agit, quod reliqua ſemina in frugibus producendis agere ſolent. Itaq; non ſuperuacaneum eſt verbum illud ſubſtantiuum Eſt, neq; illo ludit Chriſtus, etiamſi eo Tropice vtatur. Quod propter eos annotamus, qui in locutionibus ſacramentalibus hodie hac vna particula nobis negotium faciunt, quaſi nobis in ipſum Chriſtum ius & imperiũ vendicemus, eò quòd non ſecundum literã, ſenſu nimiùm craſſo accipimus, quod ille de pane myſtico pronunciauit. Imò ſunt, qui nos in Cœnæ verbis particulã illam prorſus abijcere aiunt, vt qui nihil in tota illa actione, quàm inanem & otioſam ſignificationẽ agnoſcamus. Faciunt illi nobis atrocem iniuriam. Agnoſcimus enim Chriſti vocem, qui ita loqui debuit, vt non tam quid panis ille ſignificet doceret, ſed inſuper teſtaretur quoq; ſe panẽ illum vitæ eſſe verum, qui fide mãducatus nos paſcat ad vitam æternã. At quia de his alibi commodius dicetur, nunc quàm probè ſeminis typus Dei verbo conueniat, videamus. Vbi tamen ſemper memoria tenendum eſt, Chriſtum de eo verbo loqui, quod per miniſtros eccleſiæ prædicatur. Nam mox eorum, qui hoc audiunt, mentionem facit. Procul ergo faceſſant, qui nobis verbum quoddam Dei non ſcriptum obtrudere conantur, & eo figmento religionem & ſalutis rationẽ omnem prorſus dubiam & incertam reddunt. Rectè autem & verè verbum iſtud ſemen dicitur. Nam vt ſemen res vilis & exigua videtur: ita Dei verbum hominum iudicio contemptiſſimum eſt, imò quæ hoc continentur dogmata huius ſæculi ſapientibus uel ſtolida & ſtulta hominum ſuperſtitioſorum cõmenta, vel etiam ſcandali plena eſſe putantur. Vt verò ſemini vis generandi ineſt, quæ omnẽ humani ingenij captum ſuperat, & quam fruſtra in alijs rebus humana induſtria & arte factis requiras (quis enim, niſi experientia edoctus, viſo grano aliquo ex eo vel ſpicam culmo procero nitentem, vel olus latis folijs ſeſe extendentẽ, vel etiam arborem alto vertice & ramis hinc inde diffuſis ſuperbã atq; fructibus grauem enaſci putaret?) Ita Dei verbum virtute occulta & nobis inſcrutabili hominum mentes mutat, voluntatem nouam generat, actiones ſanctas & honeſtas gignit, & non ſingulos modò homines innouat, ſed totis regnis & orbi terrarum vniuerſo nouam faciem inducit. Ea denique agit inter homines, quæ nullis prudentiſſimorum virorum conſilijs, nulla ingenioſiſſimorum hominum arte, nulla regum potentia perfici vel etiam quo minus fiant, impediri poſſunt. Et huc referri debet parabola de grano ſinapis, quã hanc verbi ſui vim atq; naturam Chriſtus apud Matthæum deſcribit. Deinde vt ſemen fructum non feret, quoad in horreis aſſeruatur, neq; etiam ſi vt gemmis fieri ſolet, auro includatur, uel manibus aut ſinu geſtetur, ſed terræ ſulcis mandetur oportet: ita etſi Dei uerbum in libris deſcriptum habeas, auro, argento, ſerico & gemmis exornes, in manibus & ore circumferas, nullus tamen ex eo fructus naſcetur, qui nos Deo cõmendet, & ſalutẽ noſtram adiuuet, niſi intra animi penetralia reconditũ operandi locum inueniat. Vidi ego in celeberrimo urbis Imperialis cœnobio codicẽ multo auro & gẽmis pretioſiſſimùm, in quo quatuor Euãgeliſtarum hiſtoria auro in membranã tenuiſſimam deſcripta erat, & qui nõ niſi honoris gratia uiris illuſtrib. oſtẽdebatur. At quis inde fructus, cùm in ea vrbe ſuperſtitiones regnarent, & nulla eſſet Chriſti cognitio? Satius certè fuiſſet uel ex ſordidiſſimo libello Dei uerbũ prædicari, vt homines docerẽtur de ijs, quæ ad ueri Dei cultũ et ſalutem æternã faciũt. Præ-

Semen eſt verbum Dei.

Vt uerbum ſemini cõferatur.

terra, vt non aliam ob cauſam ſemina ſulcis cõmittuntur, quàm vt fructum adat: ita non alius præ
4 *dicationis verbi finis conſtitui debet, quàm vt inter homines fructificet, dũ ex hoc renati innouan-*
tur & Deo viuunt, qui prius per delicta mortui erant. Hic ergo ſcopus verbi adminiſtris propoſitus
ſit, non vt eruditionẽ & eloquentiam ſuã oſtentent, aut populi fauorem ſibi concilient, ſiue aures ina
ni vocis oblectatione demulceant. Et hac cauſa eſt, ob quam ſpiritus ſanctus non doceri modò vult
5 *homines, verumetiam admonitionibus & hortationibus, imò increpationibus & minis quoq; vrge-*
ri, vt officium faciant. Et quemadmodum ſemente facta de terra iudicare licet, fœcunda ne ſit &
Ioan.10. *fructibus ferendis idonea, an ſterilis & maledictioni obnoxia: ita vbi Dei verbũ inter homines præ*
dicatur, mox hominũ ingenia & mentes reuelantur. Nam qui ex electorum & ouiũ Chriſti numero
ſunt, ij paſtoris ſui vocem agnoſcunt, & hanc ſecuti innouantur: reprobi verò, quia ſeſe vrgeri ſenti
unt, maiori contumacia ſeſe Deo opponunt, & quotidie in peius proficiunt. Et vt ad eundẽ ignem te
ra quidẽ molleſcit, lutum verò durius et intractabilius redditur: ita eiuſdem verbi prædicatione pij
mouentur, vt relictis ſtudijs prioribus voluntariũ Deo obſequium præſtẽt, impij verò præfractio-
res facti magis aduerſus illum proteruiunt. Non ergo verbum accuſari meretur, ſi quid huius acci-
dat, ſed hominũ vitioſitas agnoſci debet, eoq; magis annitendũ eſt, vt illi Deus remedium adhibeat.
Acto.16. 6 *Vt enim nullus ex ſemente fructus naſcetur, niſi cœleſtis benedictio accedat, & ipſe Deus incremen-*
tũ det: ita neq; verbi prædicatio apud homines frugifera erit, niſi illorum mentes Deus aperiat, ſicu-
ti de Lydia purpuraria ſcribitur. Quod vt ad preces nos excitare debet: ita monet quoq; ne quid ad-
miniſtrorũ verbi induſtria tribuamus, ſed omnem noſtri profectus gloriam vni Deo tranſcribamus,
qui animos noſtros ſpiritus virtute trahere & illuminare dignatus eſt. Vide 1. Corinth. 3.

Auditorum genera diuerſa.

Sed pergamus in Chriſti expoſitione, qui de verbi auditoribus diligenter admodũ diſſerit. Vbi ante omnia obſeruabis, nihil hoc loco de apertis & iuratis verbi hoſtibus agi, ſed ijs, qui in externo eccleſiæ cœtu cenſentur, & attentionem atq; obedientiæ ſtudium egregie ſimulãt. At ſi inter hos maior ferè eorũ pars eſt, apud quos Verbi fructus euaneſcit, quid obſecro de alteris illis iudicabimus, qui aperto furore aduerſus Deũ inſurgunt? At dũ inter auditores ſuos ita diſtinguit Dominus duplicẽ eorum eccleſiã facit, Hypocriticam nimirum & Chriſtianam verè. In illa ponit tria hominum genera, qui omnes verbum abſq; fructu audiunt, & in his ſimul cauſas indicat, quibus ſinguli impediuntur, ne ex illo fructũ aliquem referant. Primum genus eos habet, qui ſemen illud diuinum non admittunt in animos, ſed nuda & otioſa auditione contenti nihil præterea de ſuo officio cogitant. Alterum eorum eſt, qui admittũt quidem verbum, ſed non ita, vt radices in ipſis agere & fructum ferre poſſit. Tertij ſunt, qui etſi in ipſis radices agat verbum, hoc tamen intra ſe præfocari patiuntur, ne vnquam ſeges illa adoleſcat. Et hæc quidem à nobis ita conſiderari debent, vt vitia, quæ hic perſtringuntur, cauere, alteros verò illos imitari diſcamus, quos in vera eccleſia Chriſtus numerat.

1 Semen excipiunt in uiam.

Videamus ergo primum illud genus eorum, qui ſemen verbi in viam excipere dicuntur. Sunt hi, qui audiunt quidem, ſed (vt modò diximus) non in animos vſq; demittunt verbum, vt id penes ſe recondant & diligenti meditatione foueant, vt aliquando fructum ſuum ferat. Hi viæ publicæ conferuntur, vel terræ, quæ inſtar viæ tritiſſimæ indurata nequicquam ſeritur, cùm in ſummam modò ſuperficiem ſemina excipiat. Sunt ergo tales, qui animos habent nimiũ patẽtes, quiq; dum quibuſuis cogitationibus & opinionibus locum dant, nihil in toto fidei & religionis negotio certi habere poſſunt, & proinde intra animos ſuos aut Deum omnino negant, aut religionem pro indifferenti habẽt, quæ certis legibus aſtringi neque poſſit neque debeat. Idem ergo iſti in religione faciunt, quod olim in philoſophia gentilium Pyrrhonij, qui nihil vnquam certi conſtituebant, ſed in aliorum modò ſententijs oppugnandis verſabantur: quos ideo Græci Scepticos dixere, quòd ſemper ampliori conſideratione opus eſſe dicerent. Eſt horum magnus numerus hodie, quibus nemo unquam ſatiſfaciat. Hi tamen ne pro impijs & ab omni religione alienis habeantur, ad conciones quidem ſacras accedunt, ſed non eo animo, vt Dei uerbum eſſe credant, quod illic prædicatur, cui omnem hominis intellectum atque ſenſum ſubijci oporteat. Audiunt ergo & aliquid facturi uidentur, ſed mox aut priores opiniones in mentem reuocant, aut nouas admittunt, & dum in illis aliquam ueri ſimilitudinem ſibi fingunt, de eo dubitare incipiunt, quod ex Dei uerbo iam didiciſſe videbantur. Qui verò inter hos optimi ſunt, hi ex verbo Dei Lesbiam regulam fingunt, quam om-

nium

nium ſententijs atq; opinionibus accommodant, & ea ingenij volubilitate vti norũt, vt cum omnem religionem iampridem animo eiecerint, omnes tamen probare videantur. Habentur ergo iſti in pretio apud pleroſq; & ſupremam modeſtiæ & prudentiæ laudem referunt. Sed reuera animos habent quauis via publica patentiores, quibus noua in ſingulas horas ſuggeſtiones occurſant, neq; vnquam proficient, niſi mentem mutauerint.

De hoc igitur nos grauiter Chriſtus admonet. Venit (inquit) diabolus, & tollit ſermonem è corde eorum, ne cùm crediderint, ſeruentur. Quo loco multa cõſideratione digniſſimum eſt, quòd iſtis cùm diabolo rem eſſe ait. Putant quidem illi leuiculum eſſe quod agunt, & ſe ab hominibus ſolis diſſentire, quos vel ſuperſtitio inanis vel cæca ſapientiæ propriæ perſuaſio hinc inde impellat, aut in ſententia ſemel animo concepto pertinaciores faciat. Sed totum hoc diaboli opus eſt. Quia enim is perditos vult homines, & inſtar famelici atq; rugientis leonis oberrans ſemper quærit quos deuoret, ferre non poteſt, vt vitæ ſemen, per quod ab interitu liberamur, in animis noſtris radices agat. Itaq; dum illud audiũt iſti, mox ille obrepit, & (vt Chriſtus ait) aues ſuas immittit, quæ verbum hoc ex animis eorum auferant, vel ita cõculcent, vt germinare nullo modo poſſit. Et hic quidẽ primus locus debetur prauis affectibus & iam ante cõceptis opinionibus, à quibus recedere multis nefas & ignominioſum eſſe videtur. Ac his admiſſis, mox omnis verbi fructus impeditur, & paulatim diffluũt quæ non male intellecta putabantur. Excitat præterea nouas cogitationes Satan, quas probabilitatis ſpecie veſtit, vt in verbi doctrina nihil certi haberi perſuadeat. Et imprimis nocentiſſima auis eſt Securitas, qua multi decepti, nihil ad ſe pertinere putant, quæ Dei verbo traduntur. Eſt hæc Harpyiæ inſtar, quia dum virgineo & amico vultu ſeſe inſinuat, mox fœdiſſima ventris proluuie & vnguibus rapaciſſimis ſemẽ illud partim horribiliter fœdat, partim diſcerpit & aufert, ex quo nos renaſci & ad vitam æternã paſci oportebat. Accedunt his illuſores, qui mirifica & plus quàm ſcurrili dicacitate in dubium vocant omnia, quæ Dei Verbo traduntur, & Deum nobis fingunt, qui mortalia non curet, ſed ſola animorum noſtrorum intentione contentus, nihil præterea requirat. Eſt & aliud auium his omnibus turpius & nocentius, eorum ſcilicet, qui & animarum immortalitatem, & corporũ reſurrectionem apertè negant, & ea ratione ipſiſſima religionis fundamenta in hominum animis conuellunt. Non poſſunt ergo Dei verbo credere, quicunq; illis locum dant, & proinde abſq; fructu audiunt, neq; ſalutem aſſequuntur. Vt enim hæc nobis per verbum offertur, ita eius percipiendæ nulla alia eſt ratio, quàm fides, quæ apud tales nulla eſſe poteſt.

Proderit ergo tanti mali remedium nouiſſe, quod mox apparebit, ſi rem omnẽ diligentius expendamus. Cogitemus ergo nos in Dei conſpectum venire, quoties ad audiendum verbum cœtus ſacros ingredimur: venire autẽ non iudices aut cenſores; ſed diſcipulos, qui doctrina, inſtitutione & conſolatione opus habeant. Proderit hoc ad excutiendã ſecuritatẽ & domandam ferociam, quibus vitijs plerique impediti, vel non attendunt ijs quæ dicuntur, vel eadẽ ſuperbè contemnunt: vt nihil ad ſe pertinentia. Et hoc eſt, quod Iacobus his verbis docet: Abiecta omni ſorditia & excremento malitiæ cũ lenitate aut manſuetudine admittite inſitũ ſermonẽ, id eſt, eum qui Miniſtrorum opera inſeritur. Vt enim in artibus diſcendis nihil proficiũt ferocis ingenij iuuenes, qui præceptores contẽnunt, & ſe iam plus ſatis didiciſſe ſibi perſuaſerunt: ita neq; ex verbi diuini doctrina aliquem fructum referent, niſi qui procul abiecta confidentia animi, ſeipſos ſpiritus ſancti magiſterio regendos præbent. At quia plerique de verbo minus honorificè ſentiunt, quòd in ſolam Miniſtri perſonam reſpiciant, proderit animum altius attollere, & cogitare, illos Dei nomine loqui & Ieſu Chriſti legatos agere, qui de illis dixit: Qui vos audit, me audit: qui verò me audit, eum audit qui miſit me. In eo autem Miniſtri auditores iuuare debent, vt nimirum eo ſpiritus ardore & grauitate ſermonem prædicent, vt aperta Chriſti per ipſos loquentis experimenta præbeant, ſicuti Paulus Corinthijs nimiùm petulanter ipſum contemnentibus dicebat. Deinde meminerimus, vix alibi nobis Satanam magis inſidiari, quàm hic vbi maximè ſalus noſtra agitur. Exemplo nobis ſint dæmoniaci, in quibus immundi ſpiritus tunc ſæuiſſimos ſeſe præbuerunt, & modò horrendis clamoribus, modò ementitis blanditijs ſuum in miſeros imperium retinere conati ſunt, quando Chriſtum præſentem adeſſe viderunt. Diaboli igitur ſuggeſtionem eſſe ne dubites, quicquid tibi in mentem venit, quo vel ab audiendo verbo reuoceris; vel vt eius veritatem in dubium trahes moneris.

Diabolus ſemẽ aufert.

Remedium.

Iacob. 1.

Luc. 10.

2. Cor. 13.

Itaq; vigilare, & ſimul precibus apud Deum inſtare oportet, ne is nos ſuggeſtionibus prauis ſuccumbere ſinat, vtq; nos à malo liberet. Accedat his tertia cura, vt tibijpſi applices quæcunq; dicuntur, ne que putes in concionibus ſacris de rebus ſuperuacaneis aut nihil ad te pertinentibus agi: Vbi neceſſe fuerit, vt innatam vitioſitatem & quæ ex ea naſcuntur vitia ſemper ob oculos habeat. Ex eo enim intelliges, nihil aduerſus ſceleratiſſimos quoſq; & flagitia deterrima tam grauiter dici, quo non tu quoq; opus habeas ad frænanda carnis deſideria, quibus optimi quiq; abripiuntur præter omnem expectationem, ſi vel modicum illis indulſerint. Debēt ad hos nos excitare multorum exempla, quæ partim in Scripturis habentur, partim quotidie in oculos incurrunt. Imo exemplis non multis opus eſt, quando quæ in nobiſipſis quotidie experimur ſtimuli acerrimi loco nobis eſſe poterunt. In horum conſideratione (inquam) ſi non oſcitanter verſemur, primo huic vitio facilè medebimur, procul item pellemus à nobis infelix illud diaboli auitium, quo pulſo verbum ita audiemus, vt ex eius ſemine in filios Dei renati cœleſtis regni hæredes efficiamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXVII.

Qui verò ſuper petram, ij ſunt, qui cùm audierint cum gaudio excipiunt ſermonem: ſed iſti radicem non habent, qui ad tempus credunt & tēpore tentationis abſcedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, ij ſunt, qui audierunt, ſed profecti à ſolicitudinibus & diuitijs ac voluptatibus vitæ ſuffocantur, nec fructum perferunt. Quod autem in bonam terram cecidit, ij ſunt qui in corde honeſto & bono auditum ſermonē retinent, & fructum adferunt per patientiam.

Marcus homil. 33. & 34.

NOn abſq; grauibus cauſis Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus tam diligenter de vitijs diſſerit, quibus verbi Dei profectus in nobis impeditur. Ita enim quid ijs cauendum ſit docet, qui illud cum fructu audire volunt, & ſimul ſcandalis medetur, quæ enaſci ſolent, quando pauci ex verbi prædicatione meliores, multi verò etiam deteriores, aut ſaltem in pietate languidiores fiunt. Eſt ergo doctrina hæc admodum neceſſaria, & ideo vt magis perſpicua fiat, parabola veſtitur, cuius interpretationem ipſe Chriſtus ſubijcient, verbi auditores (vt nuper diximus) in duas quaſi eccleſias diſtinguit. Prima hypocritas habet, qui etſi verbi ſtudium initiò ſimulent, vel etiam à pietate non omnino ſint alieni, multis tamen alijs vitijs obnoxij ſeſe detineri patiuntur, quò minus proficiant. Sunt inter hos tria hominum genera, inter quæ primum locum tenent, qui etſi verbum audiunt, id tamen non admittunt in animos, ſed duri nimium & patuli diabolicis ſuggeſtionibus locum dant: quæ ſemen hoc, quàm primùm ſeritur, rurſus ex animis ipſorum auferunt. Et de his quidem in proximo ſermone egimus. Sequuntur alia duo genera eorum qui Verbum admittunt quidem, vt fructum facturi videantur, mox tamen impedimentis aliunde oblatis reuocantur, ne fructus iſte ad maturitatem perueniat. His omnibus deinde electorum ſeu verè piorum eccleſia opponitur, qui vt par eſt, ad Verbum accedunt, & ex eo renati pietatem dignis fructibus teſtantur.

2. Semen excipiunt in loca petricoſa.

Porro ſecundum genus eorum, qui verbum inutiliter audiunt, eos habet, qui ſemen illud excipiunt in loca petricoſa, vbi radices viuas agere non poteſt, & proinde ne adoleſcere quidem, vt aliquando fructum edat. Differunt hi à primis in eo, quòd illi nullam fructus ſpem vnquam de ſe præbent, cùm verbum in ore ſolum & cordis ſuperficiè (vt ſic loquar) geſtent, vbi mox diffluit atq; euaneſcit: iſti verò illud in animos vſq; admittunt, eo delectantur, idem magnificè laudant, & magna alacritate rem agentes bonis omnibus de ſe ſpem maximam faciunt: tandem verò, ſi quæ grauior tentatio incidit, non conſtãt ſibijpſis, ſed turpiter deficiunt, quando perſeuerantia imprimis opus erat. Rectè ergo per loca petricoſa eos intelliges, qui animos habent natura vehementiores, & proinde mox probant quicquid bonum, verum & ſalutare eſſe apparet, non autem adhuc ſubacti ſunt vera Dei cognitione, neq; ceruicem ſuam adhuc emollierunt, vt Chriſti iugum ſuſcipere & ferre poſſint. Iſti, cum natura minimè mali ſint, ad Euangelij prædicationem alacri mente accedunt, & magnam ex

ea vo-

ea uoluptatem capiunt, quando gratuita Dei miſericordia & peccatorum remiſsio miſeris mortalibus annuntiatur, quādo item ſuperſtitiones accuſantur, impoſtores arguuntur, et omues vocantur ad capeſſendum libertatis per Chriſtum acquiſitæ beneficium. Sequuntur ergo doctrinam iſtam, eandem omnibus cōmendant, eius præcones laudibus in cœlum vſque euehunt, deniq; Euangelij patronos & vindices ſeſe præbent acerrimos. At quæ tanti feruoris atq; alacritatis cauſa eſt? Hæc nimirum quod præſentibus modò & temporarijs bonis intenti, carnalia ferè cogitant, & ſub libertatis prætexcu ferè non aliud quàm ieiuniorum & diſciplinæ omnis relaxationem, ſub gratiæ Dei promiſsione peccandi licentiam & impunitatem, adhæc opes, honores, multorum amicitias, pacem huius ſeculi & omnia alia animo concipiunt, quæ carni magnifica & iucunda videntur. Et hos quidem ad tempus credere dicit Chriſtus, fidei nomine ornans primum illum aſſenſum, quem Euangelio præbent, qui tamen durabilis non eſt, ſed cum tempore mutatur, vt poſtea audiemus: ideoq; apud Matthæum & Marcum πρoσκαίρυς vocat, partim quòd tempori ſeruiunt (vt prouerbio dicitur) propter priuata commoda: partim quòd mox deficiunt, ſi quid accidat, quod ipſis durius & cum periculo aliquo coniunctum eſſe videtur. Tales olim fuerunt, qui Chriſtum miraculis & ſignis florentem magnis agminibus ſecuti ſunt, & eidē regni honorē ſponte detulerunt, cùm ipſius vera cognitione deſtituerentur. Tales Samaritani Sichemitæ fuêre, quos vnius mulierculæ teſtimoniū excitauit, vt ad Chriſtū exirent, & eum in vrbem reciperent. Ad horū album Galatæ etiam pertinent, qui Paulum vt Dei angelū excepêre, & eundem oculis proprijs chariorem habuerunt, mox autem publicum leuitatis & inconſtantiæ exemplum facti ſunt. Et horum ingens numerus eſt hodie, quorum leuitas et defectio cùm multos offendat, ſemper meminiſſe oportet, Chriſtum nos de illis admonuiſſe, & nunquā prædicari Euangelium, quin aliquos ex hoc genere auditores habeat. Ioan.6.& 4. Galat.4.

Proderit autē diligentius videre, quid iſti patiantur. In parabola ſemē in loca petricoſa cecidiſſe, et enatū exaruiſſe dixit, nimirum exorto æſtu (vt apud Matth. loquitur) eò ꝙ nō haberet humorē, quē terra plantis per radices in ipſa actas ſubminiſtrare ſolet. Id in præſenti breuiter et vno quaſi verbo exponens, eos tēpore tētationis abſcedere, id eſt, à fide deficere, vel potius eā abnegare, et eccleſiæ ſocietatē relinquere dicit. Per æſtū ergo tentationes grauiores intelligit, quib. ſuccūbunt, qui fidei radices veras nō habent, neq; viua & ſolida Chriſti cognitione illuſtrati ſunt. Sunt autē tētationes in duplici differentia. Quid iſti patiantur?

1 Aliæ enim ex cruce & afflictionibus enaſcuntur, quas perpetuas Euangelij comites eſſe, iam ſæpe diximus. Et rectè has per ignis æſtū adumbrat Chriſtus, quia his fides noſtra perinde vt aurum igne probatur atq; illuſtrior redditur. Afflictiones enim patientiā pariūt, patientia experientiā, hæc verò ſpē, quæ nos falli & pudefieri non finit. Quid, ꝙ ignis iſte carnis ſcoriam excoquit, innatas cupiditates reſtinguit, cogitationes noxias procul arcet, ſecuros antea animos excitat, vt maiori fidei ardore in Deū reſpiciant, & relictis mundi ſtudijs illi ſe totos conſecrent? Et hic quidē crucis atq; afflictionū effectus eſt in electis, qui Dei Verbū ita audiunt, vt vera Ieſu Chriſti cognitio in animis eorum viuas radices agat. At longè alia eſt hypocritarū & hominū carnalium conditio, qui nō ſerio pietatis ſenſu afficiuntur. Hi enim quia aut religionē omnino nullā habēs, ſed ſimulant tantùm, aut illā quæſtu & vtilitate metiuntur, æſtu illo crucis offendi ſolent, & cùm ſolidi auri in illis nihil ſit, ſcoria illa, quæ inani fulgore ad tēpus ſplenduit, omnis in fumū euaneſcit. Vel vt præſentis parabolæ veſtigijs inſiſtamus, vt ſeges in loco petris obſito, enata nimio Solis ardore aduritur, eo quod humore nullo vegetecur, qui ad fructus producēdos neceſſarius eſt: ita iſti aduerſis et periculis ſuperati nullū fidei cōſtantiæ fructū ædunt, cùm ſolida Chriſti cognitione careant, quæ ſola nos aduerſus mundū & huius principē inuictos reddit. Neq; mirū eſt hoc iſtis accidere, quando electi etiā ſæpe ſuccumbunt ad tempus, vt fidē aut diſsimulēt turpiter, aut etiā apertè negent (vt in Petro eſt videre) qui tamē mox in viam redeunt, eò ꝙ ſemen illud Verbi, cùm verè in animis eorum radices egerit, totum emori non 1.Pet.1. Rom.1.

2 poſsit. Eſt deinde aliud tentationū genus, quod intra nos ex innato carnis ingenio & eius vitioſitate oritur. Hæc enim cupiditates omnis generis accendit, quibus homines carnales abrepti, ſe totos peccato mancipant. Et ex his quidē multi (vt ſupra diximus) Euangelij doctrinā cū gaudio excipiūt, eò quòd hanc licentiæ morum patrocinari, opum, honorū ex voluptatū materiā ſubminiſtrare arbitrantur. At ijdem vbi carnis mortificationem, ſuijpſius abnegationē, vitæ nouitatē & innocentiam præcipi, ſcelera argui & accuſari, ſeq; ſeuerius corripi & vrgeri ſentiūt, vt vitā ſua profeſsione dignā

viuant, tunc pro innata nobis malitia illos nouis quaſi flãmis accendi videmus, & maiori quàm, an
tea furore in omnẽ licentiã profundi. Nam vt Poeta olim dixit, Nitimur in vetitum ſemper, cu-
pimuſq́; negata. Itaq; illi eò plus ſibi licere putant, quòd Euangelio aures præbuerint, quòd multis
alijs hoc admittendi fuerint authores, quòd propter eius miniſtros multorũ odia incurrerint: ideoq́;
indignè ſecũ agi dicunt, quòd ob rem tantillã publicè accuſentur, aut ipſis negetur quod multis alijs
liceat, qui apertè aduerſus veritatẽ coniurauerunt. Fit ergo, vt aut diſciplinæ impatientia ſuperati
manifeſtã faciant ab eccleſia ſeceſſionẽ, aut Euangelij prætextu ad peccandi licentiã abutantur, &
paulatim intermoriente in animis ipſorum Verbi ſemine, nihil præter inanem profeſſionem nominis
Chriſtiani retineant, quæ illis tandem iniuſtæ damnationis teſtimoniũ ſeruiat. Eſt ergo malũ hoc no-
centiſſimum, quod per terram petricoſam adumbratur, & ex his apparet, non ſufficere, vt Verbum
leuiter in animos admittatur, niſi penitus reconditum radices agat.

Remediũ, quo ſeruantur. *Sed proderit remediũ tenere, quo malum iſtud arceri poteſt. Oſtendet hoc Chriſtus cap. 14. vbi per*
parabolas ex re militari & ab ædificãtibus deſumptas monet, vt ſeipſos diligenter explorẽt, quicũq;
ipſi nomẽ dare voluerint. Præparatione ergo diligenti & viriũ noſtrarũ probatione opus eſt, ne teme
re cõcepta animi alacritas, & quã de fide noſtra ſpẽ præbemus, ſubitò euaneſcat. Ad hanc præparatio
nem duo imprimis neceſſaria ſunt. Alterũ eſt vera Chriſti cognitio: vt nimirũ intelligamus, quis ille
ſit, quid in eo nobis Pater dederit, & quæ regni eius in terris ſit cõditio. Hæc qui ignorãt, ij tantũ non
Iudaico errore decepti, Regẽ & regnũ terrenũ ſomniant, et terrena cõmoda in illo quærunt, ideoq́; nõ
poſſunt nõ offendi, quando ſpe ſua fruſtrantur. Semper ergo ob oculos verſetur, Dei Filiũ nobis æter
næ ſalutis authorẽ datũ eſſe, et regnũ eius nõ eſſe de hoc mundo, & proinde non præſentis vitæ cõmo-
da, ſed cœleſtia & æterna bona in illo quæri debere. Horũ autẽ ſpẽ, dum hic viuimus, crucis amaritu
dine cõdiri, vt procul abiecto rerũ huius ſeculi ſtudio ad ſola cœleſtia aſpiremus. Iſta conſideratio nos
excitabit, vt ad crucẽ ferendam nos præparemus: quod qui faciunt, illa non poſſunt offendi, vt nec mi
les claſſico & prælij inſtantis periculo conſternatur, qui iam pridẽ ſe armis idoneis inſtruxit. Alterũ
eſt, vt de Verbo Dei rectè iudicemus, et in quem finẽ prædicetur, intelligamus. Atqui illud in ſcriptu
Matth. 5. *ris ſalẽ dici ſcimus, nimirũ q̃ vitã omnẽ condiat, & à carnaliũ deſideriorũ putredine cõſeruet: Lucer*
Marc. 9. *nam itẽ, quia viã præceptorũ Dei nobis monſtrat, & peccata, quæ vel ipſi ignoramus, vel malignè*
Hebr. 4. *diſſimulamus, arguit: Gladiũ deniq;, eò q̃ animos penetrat, & mactatis cupiditatibus belluinis, nos*
Epheſ. 6. *Deo viuentẽ hoſtiã ſiſtit. Quæ cum verbi propria ſint, quid mirum, ſi mordeat, arguat, vulneret, &*
quacũq; alia ratione tarui moleſtiã exhibeat? Quis enim vero rationis vſu præditus creaturis alijs
indignatur, ſi naturali motu ad id ferantur, ad quod illa natura opifex deſtinauit? Quæ ergo temeri
tas vel inſania potius eſt, indignius ferre eius Verbi effecta, cuius virtute tota hæc mundi machina
regitur? Certè, qui duo iſta rectè intra animos ſuos expendunt, ij tanquam aruum aliquot excolen
tur, vt ſemen illud Verbi admittant, & fructus ferant ſua vocatione dignos. Debet autem his con
iungi modeſtiæ & humilitatis ſtudium, ne primo ſucceſſu confidentiores facti, poſtea fatiſcant, vbi
grauior aliqua moles incumbit.

3. In ſpinas ſe- *Sequitur tertiũ genus eorum, quibus Verbum abſq; fructu prædicatur. Hos terræ ſpinis horridæ*
men excipiunt. *confert Chriſtus, per ſpinas autẽ ſolicitudines & curas huius ſeculi, diuitias item & voluptates vitæ*
præſentis intelligi debere ipſe docet: & tribus hiſce ſpeciebus omnes cupiditates illicitas cõprehendit,
quæ ſerium Verbi Dei ſtudium in nobis reſtinguunt, & eiuſdem fructũ impediunt, quò minus ſuc-
creſcere & ad maturitatem perduci poſſit. Rectè autem hæc omnia ſpinis cõparantur. Quid enim cu
ris & ſolicitudinibus huius ſeculi ſpinoſius? quid acutius? quid magis dolorificum? Certè, qui his lo-
cum dant, ij nec quieſcere poſſunt vnquam, neq; ſomni beneficio fruuntur, neq; ex cibo & potu volu-
ptatem aliquam capiunt, deniq; ijdem vitam ipſam ſibi amaram reddunt. Neq; corpus ſolum mace-
rant, ſed animum quoq; excarnificant, & cor ipſum crudeliter exedunt. Exempla huius mali multa
in illis occurrunt, quos gloriæ cupiditas in curas exitiales adduxit. Hac enim extimulatus Saul
ſeipſum & regnum totum in perſequendo Dauide fatigauit. Hæc Themiſtoclem inſomnes noctes
ducere coegit, quod Miltiadis triumphos ſubinde animo volueret. Eadem Alexandrum accendit,
vt orbis vnius imperio non contentus, neſcio quid inſolentius animo conciperet. Quod autẽ iſtis ac-
cidit, hoc ipſum omnibus euenire ſolet, qui quibuſcunq; alijs affectibus inflammati curis inde enatis
indulgent. Et quia curarũ materia vbiq; occurrit, non habent illi quò ſe vertant, ſed quocunq; vitæ

genus ſequantur, nouis curis ſe pungi & vulnerari ſentiunt. Eadē eſt diuitiarum conditio, quas ſpinarū accutiſſimarū faſciculū veriſſimè dixeris. Vt enim has neq; contrectare, neq; diſſoluere aut loco mouere potes, quin puncturā aliquam ſentias: ita ſiue diuitias acquirere, ſiue quæſitis vti, ſiue eaſdē relinquere aut amittere velis, ſemper occurret, quo animū tuū non leuiter lædi ſenties. Imò inter ſpinas tutius multò conſederis, quàm ij, qui opum ſtudio ſuperati, ſe totos Mammonæ ſeruitio cōſecrarunt. De voluptatibus verò quid attinet dicere, quando hæ nō tam ſpinæ ſunt, quàm ſcorpiones, qui letali aculeo incautos vulnerãt. Et vt Solomon voluptatem, quæ ex ebrioſorum conuiuijs capitur, aſpidis morſui confert: ſic idem eam, quæ in illicito mulierū amore quæritur, prunis ardentibus & ſagittis animam vulnerantibus ſimilem eſſe dicit. Fieri ergo non poteſt, vt Verbum vitæ apud eos fructum edat, qui ſpinis & aculeis letiferis locum dant. Vt enim ſpinæ celerius multò enaſcentes ſegetem in ipſa herba deprimunt: ita cùm curis & cupiditatibus eiuſmodi noua quotidie ex mundo & innata nobis vitioſitate alimenta accedant, breui tantis viribus augentur, vt ipſum Dei Verbum ſuperent, & omnem eius fructum in nobis impediant.

Vt ſpinæ iſtæ remoueri debeant?

Quid ergo fieri debet (inquis) vt huic malo remedium inueniatur (Num abiectis ſimul curis omnibus in vtramque aurem ſuauiter dormiendum, neque aliquis admittendus, qui alicuius rei triſtioris mentionem faciat? Aut num opes omnes in mare aut profluentem abijciemus, quod Crates Thebanus olim feciſſe dicitur, quòd putaret diuitias & virtutes ſimul haberi non poſſe? Vel num omne id fugiemus, quod oblectare nos poſſit? Aut Monachos ne imitabimur, quibus religio eſt pecuniam manibus contrectare, & qui paupertatem vouent voluntariam? Nihil huius ſacræ literæ præcipiunt. Quin potius curas aliquas ſanctas & neceſſarias eſſe docent, quales ſunt, quas in reipub. adminiſtratione boni magiſtratus, in eccleſiæ gubernatione fidi paſtores, in familia ſeruanda & liberis probè educandis pij parentes, in curandis negotijs frugi famuli ſuſtinent. Et diuitias ex Dei benedictione interdum ſanctiſſimis hominibus obtingere, multosq; opibus abundauiſſe ſcimus, quorum pietatem ſpiritus ſanctus magnificè prædicat. Sunt & voluptates aliquæ honeſtæ & licitæ, quibus vitæ huius labores atque moleſtias miſeris mortalibus Deus mitigare conſueuit. Neque multùm profeceris, etiamſi relictis iſtis omnibus vitam ſolitariam procul omni hominum conſortio excluſus vixeris. Ager etenim ille, quem Verbi ſemine conſeri oportet, cor eſt. Ex hoc igitur ſpinas euelli neceſſe eſt. Quod tunc fiet, ſi nimias illas & mordaces curas ſuſtuleris, quæ animum totum ſtudijs huius ſeculi mancipant, & proinde obſtant, quò minus ijs attendamus, quæ ex Dei Verbo didicimus: ſi item cogitationes vanas ex animo eijcias, quæ auaritiæ, libidini & fœdis voluptatibus alimenta miniſtrant. Hîc autem magno ſtudio & cura indefeſſa opus eſt, quia ſpinæ iſtæ & multæ ſunt, & imis cordibus infixæ hærent, perq; omnia vitæ huius ſtudia ſeſe longè lateq; extendunt, adhuc euulſæ licet, vel potius fractæ, repullulant, eò quòd vix vnquam radicitus extirpantur. Plurimùm tamen proficies, ſi tria hæc adhibeas: Prouidentiæ diuinæ fiduciam, Diuitiarum huius ſeculi & Vitæ totius conſiderationem diligentem. Cur enim curis ſeipſum excruciet, qui omnia noſtra ex æterno Prouidentiæ Dei decreto pendere credit? Cur ſibi aut ſuis metuat nimiùm, qui ſe Patri cœleſti curæ eſſe intelligit? Aut num immodico opum ſtudio ſeſe accendi patietur, qui quàm vanæ fugaces & ad vitam ſeruandam inutiles illæ ſint, rectè perſpexerit? Num item voluptatum aculeos admittet, qui has quidem momentaneas, dolorem verò, qui ex illis enaſcitur, perpetuum eſſe cogitat. Hæc qui ſecum non oſcitanter expendunt, & hiſce meditationibus aſſiduū Verbi ſtudium & preces indeſinentes coniungunt, ij mox ſentient ſpinas iſtas magna ex parte intra animos ſuos minui. Verbum enim Dei gladius ille eſt acutiſſimus, qui corda & medullas penetrans ea excindit, quæ ſaluti noſtræ officiunt: precibus autem pijs & ex fide non fucata manantibus ſanctus ille & ſalutifer ignis ſpiritus diuini elicitur, qui illa inſuper adurit & conficit, ne vnquam nouas radices agere & Verbi fructum impedire poſſint.

Terra bona & auditores germani.

Porrò eorum eccleſiæ, quibus fruſtra Verbum Dei annunciatur, veros & germanos auditores opponit, quos bonæ et fœcundæ terræ ſimiles eſſe ait. Quod in bonā terrā cecidit, ij ſunt (inquit) qui in corde honeſto & bono auditū ſermonē retinent, & fructū adferunt per patientiā. Videndū hîc ante omnia, qui nam terra illa bona ſint. Nam ſi hominem propius inſpiciamus, omnes in peccato conceptos & natos eſſe patebit, vt non immerito Chriſtus dixerit: Nemo bonus eſt, præter ſolum Deum.

Matth.19. *Boni tamen hìc dicuntur, quos Deus in hoc ſeparauit, vt fructus ferant, quibus ipſe coli poßit: & hos ſcriptura Electos dicere conſueuit. Nemo igitur terra bona dici meretur, niſi quem Deus ex gratia elegit, & ſpiritus virtute idoneũ fecit, vt Verbum admittat, & ſe huic præbeat obſequentẽ. Quod in eum finẽ obſeruari debet, ne eorũ delirijs nos decipi ſinamus, qui nos fructus ex nobiſipſis & propria virtute edere putant, & in eo ſuum meritũ quærunt, in quo Dei gratiã agnoſcere debebãt. Quia verò vnũ modò genus facit eorũ, qui Euangeliũ dignè audiunt, cùm priores illos in tria genera diſtinxerit: non obſcurè innuit, minorẽ ſemper fore piorum numerũ, qui fructũ aliquẽ ex Euangelio referunt. Quod apertius alibi docet, his verbis: Multi ſunt vocati, pauci electi. Et prodeſt hoc cõtra eos obſeruare, qui dum ex operibus auditorum de doctrina iudicium faciunt, ipſiſsimum Dei Verbum in dubium vocare audent: quos hac parabola confutari, ſupra quoque diximus.*

Auditores boni quid faciant? *Cæterùm quid iſti faciant, audiamus. Tria de illis dicit. Primum, quòd etiã ipſi Verbum audiant. Ergo non offenduntur aliorum vitijs (vt hodie Anabaptiſtæ ſolent) neq; quas iam ante animis inſcriptas habẽt notitijs cõmunibus tantum tribuunt, vt ſe inſtitutione externa nequaquã opus habere putent, neq; Verbum aliquod non ſcriptum fingunt: ſed potius Dei bonitatem agnoſcunt, qui nobiſcum loqui dignatur, & quia ſic ab illo inſtitutum eſſe ſciunt, vt per Verbi prædicationem fides & æternæ ſalutis cognitio hominibus obtingat, illi ſeſe obſequentes accõmodant. Et huc illud Chriſti* Ioan.10. *pertinet, Oues meæ vocem meam audiũt, & ſequuntur eam. Vnde colligimus, ex electorum numero minimè cenſendos eſſe eos, qui Verbum audire dedignantur. Deinde Verbum auditum animo quoq; concipiunt & retinent. Ergo non locum dant infelici illi malarum cogitationum & impiorum illuſorum auitio, quod ſemen auferre & deuorare ſolet, neq; perſecutionum & cupiditatum carnalium æſtu illud aduri patiuntur, neque ſpinas ſuccreſcere ſinunt (de quibus modò diximus) quæ illud ſuffocent. Sed quod audiuère diligenti meditatione repetunt atque ruminant, vt in vero eius ſenſu atq;* Act.17. *fide magis confirmentur. Et hoc illud eſt, quod in Berœenſibus Lucas commendat, quos Paulum attentis animis audiuiſſe, & domi ſcripturas diligenter ſcrutatos eſſe ſcribit, num ita haberent ea, quæ ex illo audierant. Quod vt fiat, omnino neceſſe eſt. Ita enim in vſum noſtrũ applicatur doctrina, quã* Pſalm.1. *alioqui nihil ad nos pertinere putabimus. Ideò Dauid beatũ pronuntiat eũ, qui in Lege Domini dies & noctes meditatur. Sequitur ex his tertiũ, quod fructũ adferunt per patientiã. Fructũ dicit ea, quæ Deus Verbo ſuo præcipit, & quæ à nobis ſecundũ meius præſcriptum fiunt. Poſſumus illa omnia ſub fide & operibus fidei comprehendere, quæ omnia vitæ innocentia, charitate & obedientia continentur. At fructum hunc per patientiã edi docet, vt oſtendat hanc rem non leuis momenti, ſed magni laboris opus eſſe. Vt enim ſemen nõ primo ſtatim die prouenit, & vbi germinauit varijs tempeſtatum viribus exercetur, atq; modò pluuijs tantumnõ obruitur, modò rore rigatur, mox pruinis aduritur, diu etiã ſub niuibus altiſsimis quaſi ſepultũ deliteſcit, adhuc ventorũ diuerſiſsimorũ turbinibus atq; procellis agitatur: ita qui Verbi ſemen animo cõceperunt, & aliquã de ſeipſis ſpem fructus præbent, illis multa occurrunt, quæ fructũ hunc impeditura videntur, & de quibus iam ante eſt dictũ. At qui bona terra ſunt, & animos habent ſerio veræ pietatis ſtudio ardentes, ij per omnia obſtacula ſuperiores fiunt, vt per infinitas hyemes in æternæ vitæ horrea ad Chriſtũ colligantur. Fruſtra ergo Euangelij nomine ſuperbiunt, qui fructus omnino nullos ferunt, ex quibus fidẽ eorum agnoſcere poßis. Vbi tamẽ minimè probamus eorum ſeueritatẽ, qui præcipiti iudicio omnes dãnant, in quibus nulla adhuc fidei fructificantis indicia apparent. Vrgendi quidẽ ſunt illi, vt officiũ faciant: interim verò meminerimus, fructũ in multis tardius enaſci, quos non ideò reijcit Deus, ſed ad ſe conuerſos benignè recipit. Iubet etiam charitatis lex, vt bene ſperemus de omnibus, qui Verbo Dei locum dant, licet non*

Fructuum diuerſitas. *ſemper illi mores eorum reſpondeant. Debet hoc ipſum in diuerſitate etiã fructuum obſeruari, quam Chriſtus apud Matthæũ & Marcũ euidentius exprimit, quando alios quidem centuplũ, alios ſexagecuplum, alios trigecuplũ proferre ait. Vt enim in ſeminibus aliud alio fœcũdius eſt: ita inter homines alij alijs maiores in Verbo Dei progreſſus faciunt. Vt verò agricola ſegetẽ totam colligit, neque ſpicas tenuiores cõtemptim abijcit: ita Deus oẽs, qui pro gratia ſibi conceſſa fructũ quantuluncunq; ædũt, ſua bonitate cõplecti, & (vt in talentorũ parabola Chriſtus pollicetur) dona ſua in illis augere ſolet, qui in paruo fideles fuerint. Prodeſt hoc obſeruaſſe, ne vel eos cõtemnamus, qui nobis inferiores ſunt, vel animũ deſpondeamus, ſi nos à ſupremo perfectionis gradu longius adhuc videamus abeſſe.*

At

At quia neque terra bona erimus, neque fructus feremus aliquos ex nobis ipſis, Deum Patrem indeſinenter oremus neceſſe eſt, vt animos noſtros mutet, trahat & ad omne bonum idoneos reddat in Filio ſuo dilecto, Ieſu Chriſto, Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXVIII.

Cæterùm nemo, vbi lucernam accendit, eam operit vaſe, aut ſubter lectum ponit: ſed candelabro imponit, vt qui ingrediuntur videant lumen. Non eſt enim quicquam occultũ, quod non ſit futurũ manifeſtũ: nec abſconditũ, quod non ſit cognoſcendũ, & venturum in apertũ. Videte ergo quomodo audiatis. Quiſquis enim habet, dabitur ei, & quicunque non habet, etiam quod videtur habere, tolletur ab eo.

Vide Marcum Homil. 35.

MAgnum quidem & incomparabile bonitatis diuinæ argumentũ eſt, quòd miſeris & indignis mortalibus Verbũ ſuum manifeſtare dignatur, vt ex eo renati fructus dignos ferant, & tandem regni cæleſtis hæreditatem adeant: At non minus noſtræ vitioſitatis indicium eſt, quòd Verbũ hoc pleriq; contemnunt, inter eos autem, qui illud audiunt, pauci reperiuntur, in quibus fructus ferat. Ideò nuper Chriſtus eleganti parabola omnium oculis expoſuit, quæcunque nobis in hac cauſa cognitu neceſſaria ſunt. Docuit enim quæ Verbi Dei natura ſit, in quem finem prædicetur, quæ vitia ſiue obſtacula fructum eius impediant, quales deniq; nos eſſe oporteat, ſi illud dignè & vtiliter audire velimus. Huic doctrinæ nunc commodè ſententias aliquot prouerbiales ſubijcit, quibus Verbi ſtudium commendat, ſimulq; docet qua ratione illud in eccleſia proponi debeat & tractari. Seruit ergo locus hic Miniſtrorum inſtitutioni imprimis, ſimul tamen alios quoq; homines officij admonet, ne illis propter liberiorem Verbi prædicationem ſuccenſeant.

Quomodo Verbum Dei prædicari debeat.

Primò veram docendi rationẽ breui ſententia comprehendit: Nemo, vbi lucernã accendit, eam operit vaſe, aut ſubter lectum ponit: ſed candelabro imponit, vt qui ingrediuntur videant lucẽ. Lucernam dicit Verbũ Dei, qua Metaphora Dauidem quoq; in Pſalmis vti ſcimus. Propriè autẽ ſic dicitur, ſiue illud quale in ſeipſo eſt, ſiue eius effecta conſideres. Vt enim lux ſua natura puriſſima & à ſordibus alieniſſima eſt: ita Dei Verbũ purum, ſanctũ, mundum & argento ſepties excocto (vt Dauid inquit) purgatius eſt. Lucernã verò in eo ſuperat, quòd impuritatẽ, quæ in nobis eſt, tollit, & ex immũdis mundos facit eos, qui illud vera fide apprehendunt. Docet hoc Chriſtus, quando diſcipulis dicit: Iam vos mundi eſtis propter Verbũ meum quod locutus ſum vobis. Præterea vt lux aerem illuminans facit, vt viſui pateant, quæ prius tenebris tecta latebant: ita Dei Verbo illuminantur omnia, vt ea etiam à nobis cognoſci poſſint, quæ per ſe captũ humani ingenij longè ſuperant. Adhæc Dei Verbũ lux illa eſt, quæ hominis ex illo renati actiones omnes dirigit, vt totus bonis operibus illuſtris ſit, qui prius ſub tenebrarũ poteſtate conſtitutus in errores & exitium ruebat. Deniq; vt lux pleno fulgore cælum & aerem irradians ſerenitatem inducit: ita Dei Verbo mentes peccatorũ conſcientia obnubilatæ illuminantur, vt terroribus procul pulſis noua luce gaudeant, dum diuinæ bonitatis vultum ſibi in Chriſto oriri vident. Rectè ergo lucernæ confertur huius doctrina. Veruntamen amplius quid hac Metaphora Chriſtus docere inſtituit: nimirum vt oſtendat quomodo in Verbi huius tractatione verſari debeamus.

Verbum Dei debet exponi.

Quo loco primum occurrit, quòd vt lucernã accendi oportet, ſiquidẽ illius aliquis vſus eſſe debet: ita Dei Verbũ inter homines prædicatione & interpretatione idonea illuſtretur neceſſe eſt, eò quòd niſi id fiat, pleriq; ſenſum eius nõ intelligent, aut ſaltem illud non putabunt ad ſe pertinere. In interpretatione autẽ duo obſeruanda veniunt, quorũ alterum caueri, alterum fieri conuenit. Ad prius pertinet, ne lucernam hanc ſub vaſe aut modio (vt alibi Chriſtus loquitur) vel ſub lecto occultemus. Sub modiũ cogunt Dei Verbũ, qui humanæ rationis examen adhibent, & illud carnis ſenſu metiuntur, dum nihil credendum aut recipiendum putant, quod non humanis rationibus probari poſſit. Faciunt hoc, qui vel philoſophiam cum illo miſcent, vel ciuili ſapientia in eo tradendo vtuntur, quorum illi quidem longiſſimè à Veritatis ſcopo aberrant, & ſub prætextu Verbi Dei tam in huius, quàm in ipſius hominis cognitione falluntur: hi verò ex eo Lesbiam regulam fingunt, & dum nimiùm politici ſunt,

Verbũ ſibi prorſus inutile reddunt. Subter lectũ verò lucernã iſtam recondunt ignaui & malæ fidei
doctores, qui ex Euangelio doctrinæ quoddã genus molliculũ & blandulum eliciunt, quo eos etiã ſibi
demereri ſtudent, qui vitã à Chriſti profeſſione alieniſsimã viuere cõſueuerunt. Itaq; omiſſa ſcelerum
redargutione, omiſsis item increpationibus, hortationibus & iudicij diuini cõminatione, ea modò lo-
quuntur, quæ ſceleratiſsimis & pœnitere neſcijs probari poſſunt. Ex horum numero fuêre, qui olim
Ezech.13. *puluillos (vt Propheta ait) inter concionandum impijs ſubſternebant, quibus innixi ſuauiter dormi-*
rent, qui potius cõminationum tonitruis excitari debuerant. Et vtinam nõ magnus horum numerus
hodie etiam haberetur, in principum aulis maximè & vrbibus opulentioribus, vbi propter luxum
& effrenem omnium ſcelerum licentiam liberiori accuſatione opus erat.
Candelabrum miniſterij typus. *Porrò quid fieri velit, videamus, quod alterũ huius tractationis caput eſſe diximus: Candelabro*
(inquit) lucerna imponitur, vt omnes qui ingrediuntur videant. Candelabro publicum eccleſiæ mini-
ſterium ſignificari, ex Tabernaculi Leuitici hiſtoria patet. In eo enim candelabrum totum aureum
proſtabat, quod in ſeptẽ haſtilia ſiue brachia diuiſum totidẽ lampades ſuſtinebat, in quibus ignẽ ſan-
ctum ſacerdotes magna diligentia aſſeruabãt, vt & Tabernaculũ illuminaretur, et ex eo accenderen-
tur ſacrificia atq; thymiamata, in quibus offerendis igne alieno vti capitale erat, vt filiorũ Aaronis
exemplo Deus docuit. Nec enim poſſunt illi placere cultus, qui nõ ſecundùm Verbi ſui præſcriptũ in-
ſtituuntur. Vult ergo in eccleſia miniſterium hoc perpetuò ſeruari, quãdo ſine hoc eccleſia cõſiſtere nõ
poteſt. Vt enim hæc ex Verbo naſcitur, quod vnicũ regenerationis ſemẽ eſt: ita per illud regatur quoq;
oportet. Eſt ergo hic eccleſiæ theſaurus pretioſiſsimus, quem inter beneficia Dei ferè Scripturæ ſacræ
primo loco numerant. Itaq; huius admonitionis ſenſus eſt; Dei Verbũ in eccleſia publicè annunciari,
& inſtar lucernæ ita proponi debere, vt omniũ oculi & mentes eo illuminentur, & ſinguli intelligãt,
quid ipſis facto opus ſit. Quod vt Apoſtolis et horũ ſucceſſoribus imprimis dicitur, ne quid in alicuius
gratiã diſsimulent, aut fidei dogmata ambiguis interpretationibus inuoluant & obſcurent: ita eorũ
audaciã arguit & confutat, qui illis dicendi leges præſcribunt, & plus quàm Cyclopica inſolentia in
Verbum Dei ſibi ius & imperiũ vendicãt, vt hæc quidẽ dici, illa verò taceri velint, quæ ſtudijs ſuis
minus cõuenire ſentiunt. Tales olim erant Prophetarũ tẽporibus, qui videntibus dicebãt, Ne videa-
Iſa 30. *tis: et cõtemplantibus, Ne cõtemplemini nobis plana, loquimini nobis blanda, contemplamini illuſio-*
nes, recedite à via, declinate à ſemita, quieſcere facite à facie noſtra Sanctũ Iſraelis. Itẽ alibi Prophe-
Mich.2. *tas ſtillare prohibent, ita nimirum Verbi prædicationẽ ſtillicidio moleſto & intolerabili cõparantes.*
Act.4.5. *Patrum verò veſtigia ſecuti ſunt Sacerdotes & Phariſæi, qui Apoſtolis cum graui cõminatione edi-*
xerunt, ne in nomine Ieſu docerẽt. Et hodie paſsim audiuntur, quibus intolerabile et nulla venia di-
gnum flagitium videtur, ſi Verbi adminiſtri errores, ſuperſtitiones, illicitos cultus & corruptos ho-
minum mores liberius arguant. Ex eo enim ſeditiones oriri, hominum mentes exacerbari, odia &
ſimultates excitari & multorum famã atq; honorem in ſuſpicionem adduci clamant. Itaq; doctrinæ
formulam nouam illi nobis fingunt, qua ſimpliciter doceatur quid credi & fieri debeat, non autem
alicuius vitæ & moribus Verbum applicetur. Et hoc ferè à nobis exigunt, quorum ſumma eſt in
Repub. authoritas & formidabilis potentia. Sed non debent aliquem iſtorum rationes aut minæ mo-
uere, quò minus Chriſto obtemperet, qui verbi lucernam accendere et candelabro imponere, id eſt, ita
prædicare iubet, vt ſinguli intelligant de ſe agi, & ex eo diſcant quid in ipſis emendatione opus ha-
beat. Et vt olim Prophetæ & Apoſtoli inuicta animi conſtantia perrexerunt, eò quòd ſcirent Deo
potius quàm hominibus eſſe obediendum: ita non minori fortitudine cum inſolentum iſtorum domi-
natorum eccleſiæ audacia luctari debent omnes, qui in eccleſiæ miniſterio conſtituti ſuam operã Chri-
ſto probari, & ex laboribus ſuis aliquem fructum enaſci cupiunt.
In De[…]uerbo nihil tam obſcurum, quod non reueletur. *At hoc monenti Chriſto aliquis obijceret: Si Verbũ Dei publicè prædicari, et doctrina hæc ea per-*
ſpicuitate tradi debet, vt omnium inſtitutioni ſeruiat, cur tu eam parabolis inuoluis? cur non diſertè
quod res eſt eloqueris? cur item obſcuro Iudææ & Galilææ angulo quaſi incluſus ignobili plebeculæ
eam proponis, & non potius toti orbi diuulgas? Iſtas obiectiones ille præoccupans ait: Non eſt quic-
quam occultum, quod non ſit futurum manifeſtum: nec abſconditum, quod non ſit cognoſcendum, &
venturum in apertum. Subeſt autem verbis iſtis argumentum à tempore deſumptum, & ſenſus eſt,
Nunc quidem pro temporis huius ratione obſcurius paulò prædico, & intra Iudææ fines doctrina
huius

huius curſum contineo: ſed mox aliud tempus aderit, quo omnia euidentius toti mundo propo-
nentur: neque aliquid eſt in toto ſalutis humanæ negotio tam obſcurum aut abſtruſum, quod non
omnium oculis tunc coràm exponi oporteat. Neminem ergo veſtrum moueat hæc, quam nunc ſe-
quor, docendi ratio: quin potius vbi tempus iſtud illuxerit, vos alacri mente in totũ orbem degreſ-
ſi Euangelium omnibus prædicate, & quod nunc vobis in tenebris dico, vos in aperta luce dicite, Matth.10.
quodque in aurem audiſtis, clara voce in tectis annuntiate. Ita verò paucis verbis multa Chriſtus
comprehendit. Primò enim ſeipſum omni ſuſpitione liberat, ne quis ipſum obſcurius loqui arbi-
tretur, quòd alicui mortalium ſalutis & veritatis cognitionem inuideat. Hic verò Dei Pa-
tris bonitatem nobis commendat, qui vt omnibus ſæculis promiſsiones ſalutis dedit, quæ ſufficere
poterant: ita nouiſsimis temporibus, quæ tenebris denſioribus inuoluenda ſciebat, lucem abundan-
tiorem deſtinauit, vt (quod olim per Iſaiam promiſerat) omnis terra ſcientia Domini repleatur. Iſa.11.
Deinde Apoſtolos excitat, vt intrepido animo munus ſuum capeſſant, & in toto orbe terrarum li-
bere Euangelium prædicent. Ad hac ſpem illis victoriæ certam facit, quando pollicetur fore, vt do-
ctrina hæc omnibus innoteſcat, nequicquam aduerſus eam luctantibus ijs, qui ſuperſtitionum atque
errorum tenebras luci æternæ veritatis præferunt. Et iſta quidem ſuum habuere euentum, quando
illi intra breue paucorum annorum curriculum omnes gentes luce illa illuſtrauerunt: & tantum
fuit hoc Euangelij tonitru, vt non ſolum Iudæorum Synagogas, verumetiam omnes philoſophorum
ſcholas, curias & fora omnia, principum item aulas, & ipſam Romam rerum dominam, penetra-
uerit. Voluit de his Apoſtolos Chriſtus admonere, quò alacriores eſſent in ſuo munere. Quia verò
iſta adhuc hodie fieri videmus, & promiſsio nobis quoque facta eſt, fore, vt ante nouiſsimum iudi- Marc.13.
cij diem Euangelium in toto orbe prædicetur, nos quoque ex eo ſpem lætam concipere & nos ſtren-
nuos Chriſti milites præbere conuenit. Fuit quidem infelix mundus Antichriſto duce, qui ipſum quo-
que Acharonta mouere ſatagit, vt & æterna ſalutis doctrinam in tenebris detineat, & ſuas frau-
des celet, quibus iam ſæculis aliquot terrarum orbem decepit, diripuit, & in ſeruitutem miſerri-
mam adduxit, & quibus detectis regnum ſuum ſubitò ruiturum ſentit. Nunquam tamen efficiet,
vt aut Dei verbum tenebris obruatur, aut ſuæ artes perpetuò lateant. Nam vt Euangelium in
toto orbe diuulgari neceſſe eſt, ita iſtius quoque meretricis dolos detegi, & ipſas veſtium fimbrias
ſupra caput attolli oportet, vt eius turpitudinem omnes gentes videant.

Sed in Chriſti verbis pergamus, qui locũ iſtũ graui admonitione concludit, qua ad ſeriũ audiẽdi Studium uerbi
verbi ſtudiũ omnes excitat fic, dicens: Videte ergo quomodo audiatis: Quiſquis enim habet, dabitur ſerium commẽ-
ei: & quicũq; nõ habet, etiã quod videtur habere, tolletur ab eo. Quaſi dicat: Nõ leniter in his verſa- dat.
ri oportet. Nec enim res ſuperuacanea hîc agitur, ſed imprimis ſeria, & ex qua omnis hominũ ſalus
depẽdet. Videte ergo, quid vobis dicatur, & quã vobis offert ſalutẽ Deus, animis gratis excipite, &
quid is à vobis viciſsim requirat, diligẽter expẽdite, ne vnquã veſtro officio deſitis. Quiſquis enĩ ha-
bet: id eſt, quiſquis collatã ſibi gratiã Dei agnoſcit, eãdẽ retinere ſtudet, & donis ſibi datis ad illuſtrã-
dũ illius regnũ ſedulò vtitur, illi plura addentur. Solet enĩ Pater meus idẽ facere, quod prudẽtes rei
domeſticæ adminiſtratores, qui plura & maiora negotia ijs ſeruis credũt, quos præ alijs in ſuo officio
induſtrios atq; fidos eſſe ſentiũt. At ſi quis nõ habet: id eſt, non agnoſcit gratiæ dona, & quaſi nihil vn-
quã à Deo acceperit, ſecurus rerũ omnia negligit, quæ ad ſalutem conſequendã neceſſaria ſunt, illi id
quoq; eripietur, quod habere videbatur. Tales enim, cùm prius ingenij dotibus inſtructi eſſe, & iudi-
cio atq; prudentia nonparũ valere putarentur, mox iſta quoq; euaneſcere ſentiunt, & tandẽ belluino
ſtupore correpti nihil porrò videre aut intelligere poſſunt. Meretur hoc ingratitudo illorum, quam
Deus inultam non ſinit. Exempla huius rei multa extant, & imprimis horrendũ eſt, quod in Iudæo-
rum gente Deus edidit. Habuerunt illi ampliſsima gratiæ diuinæ dona, promiſsiones, legis doctri-
nam, prophetiam, vt non immerito Moſes hanc ſolam gentem ſapientem dixerit. At quia hæc pro Deut.4.
nihilo æſtimarunt; neque donis iſtis vſi ſunt, vt par erat; ad illuſtrandam & propagandam Dei
gloriam; ita illis ſpoliati ſunt, vt nulla hodie in orbe terrarum gens ſit, quæ illis conferri mereatur,
ſiuè ſcripturarum ignorantiam, ſiue ſuperſtitiones aniles, ſiue barbaram artium omnium inſcitiam,
ſiue belluinũ omniũ diſciplinarũ contemptum conſideres. Et quod illi paſsi ſunt, hoc multis ex gentiũ
eccleſijs accidiſſe ſcimus, quæ hodie dura Turcarũ tyrannide oppreſſæ gemunt; eò quòd ſynceriorem

Euangelij doctrinã contẽpſerunt, & licenter nimis ad philoſophicas rationes ea traxerunt, quæ ſolâ fide cognoſci & appræhendi poſſunt. Docent hæc, quæ cauſa ſit, cur multis hodie verbum Dei nequicquam prædicetur: Quòd nimirum non vident quid aut quomodo audiant, id eſt non agnoſcunt beneficium Dei, quod is infelici mundo per Euangelij prædicationem in Chriſto offert, neque ad ſe pertinere putant quæ dicuntur.
Ezech 33. *Audiunt ergo, vt ij quos ad Ezechielis conciones non maiori ſtudio quàm ad cantiones aliquas conuenire, olim Deus querebatur. Et hi quidem optimi videri poſſunt, ſi cum illis conferantur, qui verbum hoc ſcurriliter rident, vel etiam in maiorem rabiem conuerſi apertis conuitijs proſcindunt. Quare iuſto iudicio hanc ingratitudinem mundi Deus vleiſcitur, vt in luce meridiana plerique cæcutiant, & in ſalutis negotio plus quàm pueri ſint, qui in alijs mira ſolertia & ingenij acumine omnes excellunt. Fit deniq;, vt qui iam multum profeciſſe videbantur, ſubitò in errores relapſi omnem veritatis cognitionem amittant. Debet ergo omnium animis probè recondi iſta admonitio, vt meminerint, Euangelij doctrinam abſque certo ſalutis periculo contemni non poſſe. Eam ergo patienter ferant, Dei paternam bonitatem agnoſcant, huius voluntati ſeſe per fidei obedientiam ſubmittant, ſeque totos Filio eius Ieſu Chriſto conſecrent, in quo vno vita & ſalus inuenitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA LXXIX.

Venerunt autem ad eum mater & fratres eius, & nõ poterant eum conuenire propter turbam: & annuntiatum eſt ei dicentibus nonnullis: Mater tua & fratres tui ſtant foris, cupientes te videre. Ipſe verò reſpondens dixit eis: Mater mea & fratres mei ſunt, qui ſermonem Dei audiunt & eum præſtant.

Vide Marci. 3. Homil. 29. *QVemadmodum vnus ſoluſq; Deus bonus eſt, idemque bonorum omnium theſaurum in ſeipſo habet: ita bona hæc nobis fruenda offert per verbum ſuum, & eodem illa conſequendi viam atque rationem nobis commonſtrat. Nihil ergo homini vtilius, nihil ſalutarius, nihil magis neceſſarium eſt, quàm vt verbum Dei ſedulò audiat, & ad huius doctrinam ſeipſum atque actiones ſuas omnes componat. Nam qui in hoc aberrarint, ij ſalutis ſuæ iacturam faciunt. Quæ cauſa eſt, quòd nuper Chriſtus de verbi Dei natura & effectu copioſè diſſeruit, ſimulque ad huius ſtudiũ omnes homines grauiter hortatus eſt. Commodè autem illi tractationi huius loci hiſtoriam ſubijcit, qua docemur, quanto apud Deum in honore & pretio ſint, qui verbum eius, vt par eſt, au-*
Occaſio huius tractationis. *diunt, & huic ſeſe morigeros atque obſequentes præbent.*

Orditur autem narrationem hanc Lucas ab ijs, qui Chriſto de hac re diſſerendi occaſionem præbuerunt. Fuerunt ij mater & fratres eius, quo nomine ex Hebræorum more conſobrinos & propiori cognationis gradu coniunctos ſignificari, iam ſæpe diximus. Veniunt iſti illo in domo quadam docente, & cùm præ auditorum frequentia ingredi non poſſent, mittunt aliquem (vt Marcus annotauit) qui ipſum foras euocaret. Vbi non immeritò quis miretur, cur non illi quoque eum aſſiduè comitati & ſecuti ſint, interque eius auditores primi conſederint? Atqui Mariam Virginem eius obſer-
Ioan. 7. *uantiſſimam fuiſſe, ſatis conſtat: de eiuſdem verò fratribus ſiue cognatis Ioannes ſcribit, quòd non crediderint in eum, & quòd eius omnia apertè calumniati ſint. Comitantur tamen nunc illi Mariã, vel quòd hoc officium illi negare non poſſunt, vel quòd nunc demum eius ipſos non amplius pudet, quando eum apud populum in ſummo pretio eſſe vident. Ideo ſatis pro imperio illum foras euocant, vt melius pateat omnibus, ipſos propter cognationem ius aliquod in illum obtinere. Eſt hoc magnum corruptæ aut vitioſæ naturæ in nobis argumentum, quando ad credendum tardiſſimi ſunt, qui præ alijs Chriſtum agnoſcere & amplecti debuiſſent, cùm iam inde à tenera ætate ſpiritum & indolem humana maiorem multis argumentis declaraſſet, quæ illi non poterant ignorare, qui ipſi conuiuebant. Sed vt ex familiaritate ferè contemptus naſcitur, ſic illa inuidiam quoque & odium parit, vt indignius feramus eos nobis præferri, qui nobis ex ſanguinis propinquitate aut alias ob cauſas arctius coniuncti ſunt. Exempla huius generis multa paſſim occurrunt, & in tota Iudæorum*

gente

gente impletum fuiſſe conſtat, quod de iſtis dicitur. Nam etſi ex Iudæis Chriſtus ſecundùm carnem natus eſſet, & eandem generis ſui originem Apoſtoli quoque haberent, nulli tamen tam Chriſti quàm Apoſtolorum acriores hoſtes fuere, quàm illi ipſi, ad quos ille propter promiſſiones patribus factas imprimis pertinebat. Eadem quoque, Chriſto teſte, omnium piorum atque credentium ſors eſt, vt domeſticos ſuos ferè hoſtes ſentiant, qui illos calumnijs & criminibus falſis inſectantur. Queritur de hoc Dauid non vno loco vt iam de multis alijs nihil dicamus, qui eandem fortunam paßi ſunt. At cùm hoc ipſum Dei filio acciderit, in quo nihil contemptu aut odio dignum inueniri potuit, nequaquam nos offendi decet, qui ſæpe in cauſa bona affectibus prauis abrepti ea facimus, quæ reprehenſionem merentur.

Audiamus nunc Chriſti reſponſum, in quo recitando Lucas breuitatij ſtuduit, nimirum quòd hoc à Matthæo & Marco plenius expoſitum eſſe ſciret, qui ſic eum reſpondiſſe ſcribunt: Quæ eſt mater mea, & fratres mei? Et mox cùm circumſpexiſſet in circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes, protenſa in illos manu dixit. Ecce mater mea, & fratres mei. Mater enim mea & fratres mei ſunt, qui ſermonem Dei audiunt, & eum præſtant. Sunt ergo reſponſionis huius partes duæ. Prima durius reijcit nuntium hoc, quo foras euocabatur. Quæ (inquit) eſt mater mea, & fratres mei? Quæ verba non eo ſenſu accipi debent, quaſi aut matrem abnegarit, aut fratrum atque cognatorum ipſum puduerit: ſed quòd ipſum ſibi à Patre cœleſti commiſſum munus obeuntem importunius reuocarent, reprehendit, ſeque nihil hîc illis debere oſtendit. Idem ergo hîc dicit, quod ſupra, quando à virgine matre reprehenſus, quòd in vrbe manſiſſet & in templo doceret, reſpondit: Quid eſt quòd quærebatis me? an neſciebatis, quòd in ijs quæ patris mei ſunt, oporteat me eſſe? Nemo igitur hinc impietatis occaſionẽ arripiat, vt parentes aut eos, quibus obſtrictus eſt, deſerat, & debitum illis officium neget: quod hodie Monachi & Anabaptiſtæ non minus impudenter quàm inhumaniter faciunt. Conſtat enim in alijs Chriſtum matris obſeruantiſſimum fuiſſe, & vt ipſum patris putatitij non puduit, quò minus cum illo artem fabrilem exerceret: ita matrem ne moriturus quidẽ neglexit, ſed ſui erga eã officij probè memor, illã Ioãni dilecto diſcipulo cõmẽdauit. Deſinãt ergo crudeles illi pietatis prætextu & Chriſti exemplo ad impietatis ſuæ defenſionẽ abuti. Sunt enim ipſi ex ἀστόργων numero, quos nouiſſimis temporibus orituros eſſe Paulus prædixit, & quos idẽ infidelibus deteriores eſſe pronũciat, quando innatas nobis affectiones extingunt, & eos etiã crudeliter negligũt, quos naturæ lex nobis cõmẽdat, & quos alieni à fide maximi facere cõſueuerũt. Chriſtus nuntium de fratribus reijcit.

Nemo igitur exemplũ hoc Filij Dei extra præſentis argumenti fines longius extendere debet. Hoc enĩ ſolũ docere vult, eos qui in Dei vocatione verſantur, omnibus alijs rebus relictis huic vni vacare debere, adeò, vt (ſi opus ſit) στοργὰς quoq; id eſt, affectiones naturales exuãt, neq; aliquẽ mortaliũ ſati faciãt, vt in eius gratiã ab officio ſuo diſcẽdant. Qui enĩ (vt D. Ambroſius ſcribit) alijs dicebat. Qui nõ reliquerit patrẽ ſuũ & matrẽ ſuã, nõ eſt me dignus: ſeipſum primus eidẽ ſentẽtiæ ſubiecit, vt ſuo exẽplo nobis præiret. Sibi ergo hæc dici meminerũt, quicũq; in eccleſiæ miniſterio agũt. Debẽt illi parentibus ſuis omnia pietatis officia. At ſi ijdẽ ipſos in verbi prædicatione impedire, aut ab officio ſuo prorſus retrahere inſtituãt, indignos tunc putẽt, quos parentũ loco habeãt. Obſeruarũt hoc olim Prophetæ & Apoſtoli. Elizeus certè cùm ab Elia vocaretur, & vocationẽ hãc ex Deo eſſe intelligeret, mox parentibus valedixit, & relictis boum iugis & aratro, illũ ſecutus eſt. Quod ipſum Chriſto vocãte Petrũ & Andreã, Ioannẽ & Iacobũ feciſſe ſcimus. Idẽ ſui quoque muneris eſſe ſciant, qui Rẽpub. adminiſtrãt. Quia enĩ his patriæ cõmunis & populi totius ſalus credita eſt, minimè decet, vt propter parẽtes aut cognatos ſuos, qui minima eius populi pars ſunt, publicã ſalutẽ negligãt. Laudatur in hiſtorijs Romanus ille Cõſul, qui patrẽ ad ſe venientẽ ex equo deſcẽdere iuſsit, ne maiorẽ priuatæ pietatis quàm publicæ authoritatis rationẽ habere videretur. Quanto magis ergo hoc tunc obſeruari debet, quando publica ſalus in periculũ venit? At quod de publicis perſonis dicitur, non minus ad ſingulos priuatim pertinet: vt nimirum quã à Deo habent vocationem omnibus rebus præferant. Vocamur autem omnes ad Chriſtum, vt procul relictis ſuperſtitionibus & mundi huius ſtudijs, illi ſoli nos conſecremus, & per hunc nos Patri cœleſti ſiſtamus viuentem hoſtiã. Tueamur ergo vocationẽ noſtrã, neq; aliquid tanti è nobis fiat, vt eius gratia fidem Chriſto datam violemus. Debent autem hæc alij quoq; expendere, quibus cũ nobis res eſt: ne videlicet indigniùs ferant, ſi ipſis

Dei vocatio omnibus alijs debet anteponi.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

obſequium negemus in ijs, quæ ſalua obedientia & pietate, quam Deo debemus, fieri non poſſunt. Tu enim quis es ô homo, cuius voluntati diuina maieſtas cedere debeat? Improbantur filij qui vt ſodalium petulantiæ morem gerant, parentum iuſſa negligunt: & tu ab aliquo mortalium requiris, vt propter te Dei mandatum transgrediatur.

Diuorũ cultores confutantur.

Seruit præterea locus hic ijs confutandis, qui vt Mariæ Virgini & Diuis cælitibus rem gratam (vt ipſi ſentiunt) faciant, relicto Chriſto illos ſibi aduocatos & Mediatores faciunt, illos inuocant, & iiſdem ſacra faciunt. Poſſumus nos quoque illis dicere: Et quæ eſt, Maria? & qui ſunt Diui cælites, vt propter illos fidem in vnum Ieſum Chriſtum abnegare, & qui huic vni debetur, honorem in illos transferre debeamus? Maria quidem electum illud organum eſt, quo Deus ex ſingulari gratia vti dignatus eſt, vt ex ea Filius eius æternus hominis filius fieret, & illam ſaluo atque illæſo virginitatis flore Dei Filium ex ſpiritu ſancto concepiſſe atque poſtea peperiſſe credimus & fatemur. Eandem verò pro nobis intercedere, periclitantibus adeſſe, & proinde inuocari & diuinis honoribus coli debere negamus: quia nihil huius docent ſacræ literæ, neque exempla habemus veteris & primitiuæ eccleſiæ quibus id defendi poſſit. Apoſtolorum enim omnium doctrina atq; ſententia fuit. Non eſſe aliud nomen ſub cælo hominibus datum, in quo nos ſeruari oporteat, præter vnum Ieſum Chriſtum. Item, Vnus Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Et rurſus: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Ieſum Chriſtum. Neque legimus, quenquam ex ſanctis illis Martyribus, quos primitiua eccleſia per annos amplius quingentos dedit, vel Mariæ virginis vel Diuorum interceſſione confiſum eſſe & illos inuocaſſe, fuerunt quidem Apoſtoli & qui poſt eos Euangelij doctrinam in orbe terrarum diuulgarunt, fideles Chriſti ſerui, quorum opera ille in regno ſuo propagando feliciter vſus eſt. At iidem adeò nihil ſibi tribui voluerunt, vt intollerabile flagitium putarint, ſi quos in ipſis hærere & ipſos ſalutis authores credere viderunt, ſicuti Ioannis & Petri, Pauli item & Barnabæ exempla teſtantur. Qui ergo illud hodie ſolent, ij & Chriſtum & Diuos atroci iniuria afficiunt, quando illi quidem ſuum honorem eripiunt, horum autem nominibus abutuntur in ſtabiliendis ſuperſtitionibus, qui vt Chriſto ſuum honorem vindicarent, ſanguinem proprium fuderunt.

Chriſtus omniũ credentiũ ſeruator.

Sed tranſeamus ad alteram reſponſionis Chriſti partem, quam mira cum grauitate enuntiat. Prius enim diſcipulos in circuitu ſedentes circumſpiciens, quaſi magnum quid animo iam volueret (vt reuera faciebat) inde manu in illos protenſa ait: Ecce mater mea & fratres mei. Et mox dicti ſui rationem adducit, addens: Mater enim mea, & fratres mei ſunt, qui ſermonem Dei audiũt, & eum præſtant. Eſt autem tota huius ſententiæ ratio in Chriſti officio fundata. Ne enim aliqui ſuperſtitioſiores felicitatem in carnali cognatione, quæ pauculis iſtis cum Chriſto intercedebat, cõſiſtere putarent, diſertè docet, hanc ad æternam ſalutem nihil nobis conferre, neque ſe paucorum modò Seruatorem eſſe, ſed omnium, qui verbum Dei audiunt, & audito obediunt. Non ergo Virginem matrem contumelioſius prius negauit, neque cognatos ſuperbo contemptu faſtidiuit, ſed ex erroris occaſione, quæ oblata erat, doctrinam generalem infert, & omnibus neceſſariam, qui cum ipſo coniungi & filij Dei fieri cupiunt. Et quod Ambroſius annotauit, non obſcurè Iudæis repudium denuntiauit, quos carnis & generis prærogatiua imprimis ſuperbiuiſſe, & in hac ſalutis fiduciam habuiſſe ſcimus. Oſtendit ergo, quòd illis reiectis, qui ex patribus ſanctiſſimis oriundi erant, & ex quibus ipſe homo natus fuerat, eos in filiorum Dei locum ſuccedere oporteat, qui ipſi per fidem rectè coaleſcunt.

De quo uerbo loquatur Chriſtus.

At hîc nobis ante omnia probè obſeruandum eſt, quod nam illud verbum Dei ſit, de quo Chriſtus loquitur. Sunt enim, qui (vt alibi diximus) verbum neſcio quod internum & non ſcriptum ſomniantes, ſeſe vaniſſimorum hominum illuſionibus ſeducendos præbent. At quod hîc de verbo dicit, hoc apud Matthæũ & Marcum voluntati Dei patris cæleſtis tribuit, Qui fecerit (inquit) voluntatem patris mei, qui eſt in cælis, hic meus frater, & ſoror, & mater eſt. De nullo igitur verbo locus iſte intelligi debet, quàm quo ſuam voluntatem nobis Deus reuelauit. Id autem ſcripturis cõtineri, nemo negare poteſt, niſi qui ipſam Dei voluntatem in dubium vocare velit. Et vt vno verbo rem expediamus, Sermo ille Dei non aliud eſt, quàm Euangelium, quo Chriſtus prædicatur, & in hoc nobis iuſtitia, ſanctificatio, redemptio & ſalus offertur. Huius argumentum & ſummũ pri-

ma

ma promiſſio continet de ſemine mulieris, per quod ſerpentis caput conteri & Adamum cum ſua
poſteritate ex diaboli ſeruitio & morte aſſeri oporteat. Ad huius expoſitionẽ pleniorẽ & cõfirmatio-
nem faciunt Lex & Prophetæ, quibus deinde lux clarior & perfectior acceſſit, quando Dei Filius
in carne manifeſtatus, ipſe æternum hoc Patris conſilium prædicauit, & idem ipſius iuſſu Apoſto-
li in toto terrarum orbe diuulgauerunt. Ideo apud Ioannem ille ait, Amen dico vobis, qui ſer- Ioan. 5.
monem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam. En de ſuo ſermone Chriſtus
loquitur, quem non alium quàm Euangelium eſſe, ex ijs apparet, quæ Apoſtolis in mandatis de-
dit, dicens: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, & docete omnes gen- Mar. 16.
tes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæ Matth. 28.
mandaui vobis. Ac idem alibi teſtatur, doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed Patris, qui ipſum mi- Ioan. 7.
ſit. Ergo Euangelij doctrina ſalutiferum illud Dei verbum continet, de quo hîc ſermo eſt, hoc
ipſum verò Dei quoque voluntatem nobis indicat, quam qui faciunt, in Dei Filios renati vitæ æ-
ternæ hæreditatem obtinebunt. Docet hoc Chriſtus Ioannis ſexto ſic dicens: Hæc eſt voluntas
Dei, qui miſit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum habeat vitam æternam. Et hæc
quidem diligentius tractanda fuerunt propter rudes & rerum imperitos, ne phanaticorum ſom-
nijs decepti, Verbum Dei & eius voluntatem extra ſcripturas quærant, & errorum laqueis in-
tricentur.

Deinde tenere oportet, vt in verbo hoc verſari debeamus. Loquitur autem de illis Chriſtus, Vt in uerbo
qui ſermonem Dei audiunt, & eum præſtant. Primùm vt illum audiamus neceſſe eſt, eò quòd Dei debeamus
niſi id fiat, nulla nobis illius cognitio poteſt obtingere. Quomodo credent ei (inquit Paulus) de quo uerſari
non audierunt? Et nota eſt Patris vox de Filio cœlitus delata, Ipſum audite. In ipſo igitur limine Rom. 10.
offendunt, qui Euangelium ne audire quidem volunt, ſiue illud hoſtili animo, ſiue confidenti præ-
ſumptione faciant. At ne quis in otioſa verbi auditione, vel etiam lectione ſalutem conſiſtere putet,
alterum addit, vt quod audiuimus factis præſtemus. Non enim in ſermone aut locutione (vt Pau- 1. Cor. 4.
lus ait) eſt regnum Dei, ſed in virtute ſpiritus. Et alibi Chriſtus eos quoque abs ſe reijcit, qui verbi Matth. 7.
adminiſtri quidem fuerunt, non autem fecerunt voluntatem Patris ſui, qui in cœlis eſt. Præſtant
autem ſermonem Dei, qui (vt paulo ante ex Ioannis ſexto annotauimus) Filium eius Ieſum Chri-
ſtum rectè agnoſcunt, & in illo vno omnem ſuæ ſalutis ſpem atque fiduciam collocant. Eſt enim hoc
præcipuum diuinæ voluntatis caput, ex quo omnia alia deriuantur. Fides enim hæc ita nos Chriſto
inſerit, vt eius ſpiritu animati illum vita & moribus referamus, eademque charitatem in nobis gi-
gnit, qua legem totam impleri Apoſtolus teſtatur.

Ex hoc igitur præclarus ille & admirabilis verbi Dei effectus ſequitur, quem in præſenti no- Verbi Dei effe
bis Chriſtus commendat, quando eos, qui illud audiunt & præſtant, ſuos fratres, ſorores, imò ma- ctus.
trem quoque eſſe ait. Quia enim (vt Ioannis primo ſcribitur) filij Dei fiunt, qui Chriſtum Ieſum
apprehendunt fide, ijdem huius etiam fratres & ſorores fiunt, neceſſe eſt. Sed & mater Chriſti
eſſe dicuntur: Quia verbum illud intra animi & cordis ſinus concipiunt, ex quo Chriſtus tùm in
ipſis tum in alijs generatur, quos ipſi Deo adducunt. Quem verbi effectum Paulus obſeruans, Gal. 4.
Galatis dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. En Chriſtum
in illis formari, adeòque nouum naſci cupit, & hunc ſui miniſterij finem ſibi propoſitum habet. Mi-
nimè ergo eorum ſimilis fuit, qui hodie vnctionis & tonſionis Pontificio authoritate accepta fidu-
cia freti, quinque verborum ſuſurris Chriſtum ex cruſtula panis formare ſatagunt. Nec enim
vt ex pane aut in pane, ſed vt in hominibus Chriſtus formetur, neceſſe eſt. Quòd cùm fiat quando
verbũ audimus & præſtamus, magna huius dignitas ſit oportet. Quid? quòd ipſius etiã Chriſti ſpõſa
efficimur, quã is ſanguine ſuo ablutã & mundatã ſibi æterni fœderis vinculo plus quàm adamantino
copulauit, vt & regni ſui & bonorum cœleſtium conſortem habeat? Magna igitur & deteſta-
bilis eorum ingratitudo eſt, qui cum tam expeditam rationem ſibi propoſitam videant, qua Filij
Dei fratres, ſorores, mater denique & ſponſa fieri poſſunt, eam tamen ſecuri negligunt, & mundo
potius placere ſtudent. Impietas autem plus quàm diabolica eorum eſt, qui tantam Dei bonita-
tem hoſtiliter inſectantur, neque eo contenti ſunt, quòd ipſi fratres & ſorores Chriſti fieri nolunt, ve-
rumetiam alijs ferro & igne ſeſe opponunt, ne ad dignitatem iſtam peruenire poſſint.

Dignitas Chri ſtianorum. *Commendatur nobis præterea Chriſtianorum hominum dignitas, qui à nobis maximi fieri debent. Si enim præclarum mundo videtur, ex illuſtri viro natum eſſe, & auitis ſtemmatum nobiliſſimorum ornamentis gloriari poſſe, quantò maior eorum gloria cenſeri debet, quos pro germanis filijs Deus agnoſcit, eò quòd Filij ſui vnigeniti fratres per fidem facti ſint? Heroes ſuos Poetæ hoc potiſſimùm nomine commendant, quod ex Dijs genitos, & à Ioue enutritos eſſe fabulantur. At ijdem dum hoc faciunt, Deos quidem ſuos libidine & ſtupris infames faciunt, illis autem legitimi thori natales negant. Et quibus gradibus ferè hodie ad nobilitatis faſtigium plerique aſcendant, non opus eſt dicere, quãdo tota illa gloria in diuitijs conſiſtit, quas vel lenocinio, vel vſura & fraudibus, vel etiam cædibus & rapinis parari ſcimus. Neminem ergo inanis mundi ſplendor aut cæca hominum vaniſſimorum iudicia fallant: quin his contemptis toti in hoc ſimus, vt ex verbo Dei renati, Chriſti fratres efficiamur, quæ vt vera nobilitas eſt, ſic ſalutem quoque æternam ſibi coniunctam habet. Debet præterea locus iſte nos ad charitatis & beneficentiæ ſtudium excitare. Si enim nõ facilè negliguntur principum & magnatum filij, eò quòd nihil non ex illis ſibi policentur, qui eos in aliquo periculo aut rerum anguſtia laborantes iuuant: multò minus negligi debent, qui per fidem in Chriſtum Dei filij facti ſunt. Vt enim hos pro ſuis fratribus agnoſcit æternus Dei Filius, ita olim in magno illo die tanquam ſibi facta officia remunerabitur, quæcunque illis facta fuerint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA LXXX.

Factum eſt autem quodam die, ipſe ingreſſus eſt in nauigium, ac diſcipuli eius, & dixit eis: Tranſeamus in vlteriorem ripam ſtagni. Et profecti ſunt. Nauigantibus autem eis ſopitus eſt, & deſcendit turbo venti in ſtagnum, & complebantur, ac periclitabãtur. Accedentes autem expergefecerunt eum, dicentes: Magiſter, magiſter, perimus. Ipſe verò experrectus obiurgauit ventum ac fluctuationẽ aquæ: & ceſſauerũt, factàque eſt tranquillitas. Dixit autem eis: Vbi eſt fides veſtra? Timentes autem mirati ſunt, dicentes alij ad alios: Quis nam iſte eſt, vt ventis quoq; & aquæ imperet, & auſcultẽt ei?

Marcus homil. 38. *QVoniam ſalus noſtra omnis in eo potiſſimùm conſiſtit, vt Dei verbum dignè audiamus, & quæ in hoc nobis offeruntur fide conſtanti apprehendamus, Chriſtus Ieſus illius ſtudium ita nobis commendat, vt ſimul vitijs omnibus diligenter medeatur, quæ aut nos ab illo reuocare, aut eius fructum impedire poſſunt. Primum inter illa locum habent praui affectus, qui animum totum à Deo & verbo eius alienant, eòque vehementiores ſunt, ſi diaboli ſuggeſtionibus, mundi exemplo atq; illecebris accendantur. Iſtos autem corrigere & ijſdem ſua fomenta ſubtrahere docuit per ſementis parabolam. Deinde admonitionem ſubiecit grauem, qua docuit vt verbum hoc tractari debeat, & quòd hoc nemo impune contemnat aut negligat: Quia verò plurimùm hîc nocent mundi iudicia, qui eos ferè contumelijs & infamia obruit, qui ſerio verbi ſtudio tenentur, ijſdem conſolationem adhibuit, qua ſupremam gloriam illis pollicetur, dum eos ſibi fratrum, ſororum & matris loco fore docet. Nunc ad illud accedit, quo caro noſtra quàm maximè abſterretur, perſecutiones nimirum, quas omnibus illis paratas eſſe Apoſtolus monet, qui in ipſo volunt piè viuere. Et cùm alibi nos doctrina inſtruat & promiſſionibus ampliſſimis confirmet, nunc inſigni miraculo demonſtrat, ſe illis nunquam defuturum eſſe, qui propter ipſum periclitantur, neque ſibi vires deeſſe, quibus eos liberet, & omnibus tentationibus ſuperiores faciat. Continet præterea locus iſte vtilem doctrinam de fidei imbecillitate, quæ in ſanctis quoque interdum inuenitur, de aduerſorum & perſecutionum cauſis, & quid nos in illis facere conueniat: Quam quia nobis Dei Filius, quaſi in tabella depictam propoſuit, eò nos diligentiores eſſe oportet in eius conſideratione, vt quoties opus eſt, nobis ob oculos & in animo verſetur.*

Chriſtus poſt concionem ſuos periculo obijcit. *Occaſionem totius negotij ipſe Chriſtus præbuit, qui ſtagnum traijcere volens, diſcipulos iubet,*

vt in eo

vt in eo ſuam operam ipſi præſtent. Narrat hoc diligenter Marcus, qui ea ipſa naui eos traieciſſe ſcribit, ex qua ad populum in littore ſtantem ille concionatus fuerat. Vnde apparet, hiſtoriam, quam proximè audiuimus à Luca non obſeruato ordine temporis, ſed propter argumenti ſimilitudinem interpoſitam fuiſſe, vt Verbum Dei magis cõmendaretur. In præſenti autem obſeruari diligenter debet Chriſtus, qui etſi non ignoraret quid eſſet futurum, traijcere tamen inſtituit, & diſcipulos ſoluere iubet, adeoq; ſciens & conſultò illos periculo maximo obijcit, in quo perituros ſe putauerunt. Iſtud verò tunc fecit, quando de Verbo Dei & eius effectis concionem luculentam & dulciſſimæ conſolationis plenam habuerat. Ita verò re ipſa docere voluit, ne ſub Euangelij prætextu otium & voluptates quæramus, ſed meminerimus labores & omnis generis pericula eos manere, qui ipſi nomẽ dederunt, & crucem Verbi ſui comitem eſſe indiuulſam ad quam ferendam diſcipulos ſuos præparari oporteat. Admonet de hoc nos ſæpius diſertis verbis, & nunquam non debet in auribus noſtris ſonare vox illa: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Coniungamus huic exempla, quæ in vtriuſq; Teſtamenti libris plurima habentur, & facilè intelligemus, nihil nouum aut inſolens nobis accidere, ſi nos quoque laboribus & periculis nouis quotidie exerceamur. Soletur autem nos in hiſce certaminibus, quòd nihil inſcio aut inuito Chriſto nobis accidit. Pendent enim omnia noſtra à Dei prouidentia, qui cùm auibus & reliquis animantibus proſpiciat, procul dubio eccleſiam ſuam non fortuitis & incertis cæcæ fortunæ vicibus fluctuare ſinit, ſed certo & prudenti conſilio eam regit atque gubernat. Quoties ergo periculis vndique imminentibus premimur, & in extremo rerum diſcrimine ſumus conſtituti, tunc cogitemus hoc non abſq; Dei conſilio fieri, qui fidem noſtram hac ratione exercet, noſtræ infirmitatis nos admonet, patientiæ materiam præbet, & poſtremò ſuam in nobis liberandis atque defendendis potentiam eò illuſtriorem reddit, quò grauius & periculoſius nos tentari ſinit. Neque de euentu nos multùm ſolicitos eſſe conuenit. Nam fieri non poteſt, quin is feliciſſimus ijs obtingat, qui Chriſto iubente ſeſe & res ſuas periculis committunt. Nam vt Apoſtolus ait, fidelis eſt Deus, qui non ſinit nos tentari ſupra id quod 1. Corinth. 10.
poſſumus, ſed præſtat cum tentatione etiam euaſionem, vt poſſimus ſufferre. Quòd ſi autem duræ & aduerſa multa ſentiunt, qui Chriſtum vocantem aut iubentem ſequuntur, quid de illis ſperabimus, qui cæcas carnis cupiditates ſecuti ſeſe mundi huius pelago committunt, & manifeſtis periculis obijciunt, vt diuitias conſequantur, honoribus publicis ornentur, vel etiam vt libidini ſuæ & voluptatibus illicitis indulgeant? Videntur quidem illi interdum feliciſſimi mortalium, & trahit illos fortunæ blandientis inſidioſus fauor, vt cõtemptis admonitionibus ſibi omnia læta polliceantur, & ſcientes atque volentes Satanæ laqueis ſeipſos obijciant. Accidit ergo illis tandem quod Sirachides ille dixit: Qui amat periculum, peribit in eo.

Porrò videamus quid in præſenti paſſi ſint, qui iubente Chriſto nauigarunt. Deſcendit turbo venti in ſtagnum, & complebantur, ac periclitabantur. Paucis verbis tempeſtatem grauiſſimam & periculi plenam deſcribit, quam Marcus euidentius expreſſit, ſic dicens: Et oritur procella venti magna, & fluctus irruebant in nauim, ita vt illa iam impleretur. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens. Ventus ergo vehemens exortus eſt, nec vulgaris, ſed turbo, qui quæuis obuia vertit & rotat, & ex quo pericula nauigantibus maxima enaſci ſolent. Hîc certè fluctus in altum eleuati in nauim irruerunt, quæ tantumnon aquis obruta naufragio proxima fuit. Et auget periculi metum, quòd interea Chriſtus dormit, in quo vno ſalutis ſpes reliqua erat. Habent iſta euidentem eccleſiæ typum, quæ dum in terris hiſce verſatur nauiculæ per mare nauigantis ſimillima eſt. Vt enim hæc aliquando per aquas placidas & tranquillas aura ſecunda fertur, repente autem ſurgentibus ventis & vndis intumeſcentibus periclitatur: ita eccleſia interdum in mundo pace & otio fruitur, & magnis incrementis Chriſti regnum augetur, ſed rarò diuturna eſt tranquillitas illa, quin ex improuiſo turbæ oriuntur, quæ extremum excidium minantur. Et fit hoc, quàm primùm Chriſtus dormit, id eſt, vt primùm ille quaſi depoſita eccleſiæ cura, eam mundi arbitrio permittere videtur. Tunc enim Satan, vt ſuum regnum ſtabiliat, vel hypocritas Sophiſtas excitat, vel tyrannos armat, vel ſimultates & contentiones inteſtinas accendit, & vndique imminentibus periculis ipſos miniſtros inter ſe committit, qui remigum inſtar tunc imprimis vnanimi ſtudio & coniunctis viribus remis incumbere debebant. Et dum hæc fiunt, ſæpe Chriſtus quaſi altum dormiens diſſimulat

Tempeſtatis periculum.

Typus eccleſiæ.

omnia, vt & fidem ſuorum tentet (vt ſupra diximus) & eorum ſocordiam caſtigat; qui nimiùm ſecuri antea ſalutem propriam neglexerunt. Fuit hæc eccleſiæ conditio iam inde à prima rerum o; igine. Quàm ſæua enim & atrox procella eam quaſſauit ô fratres, quando Abelus, qui eius propagandæ ſpes vnica erat, ab impio fratre trucidatus eſt? Nónne tunc naufragium iam feciſſe videri poterat? Quibus verò procellis & fluctibus iactata eſt, cùm omnem terram longè lateq́ operientibus diluuij aquis, illa intra arcæ parietes quaſi in media morte pependit? Quàm varijs verò & periculoſis caſibus iactati ſunt patriarchæ, Abraham, Iſaac & Iacob, qui ſoli ferè cum ſuis domeſticis eccleſiæ nomen ſuſtinebant? Quid autem de filijs Iſrael ſub Moſe in deſerto agentibus dicemus? Quæ maris tempeſtas, qui ventorum turbines, qui fluctus, quæ Syrtes, qui ſcopuli certius naufragium minitari poſſunt, quàm quod tunc timeri potuit totius eccleſiæ excidium, quando illam & externi hoſtes oppugnarunt, & domeſticæ ſeditiones perpetuò exercuerunt? Nec multò melior ſors eam excepit, cùm ſedes olim patribus promiſſas iam tenerent, ſicuti in Ioſuæ & Regum libris eſt videre. Quòd ſi ad primitiuæ eccleſiæ hiſtoriam accedamus, ibi cum Iudæis ipſos Romanos Imperatores, cum philoſophis proconſules & omnis propè ordinis atque loci homines in eccleſiæ exitium conſpiraniſſe, & nouas quotidie tempeſtates excitatas fuiſſe videbis, quibus illa obrueretur. Et durat hæc ſors in iſtũ vſq; diem, neq; mutatio aliqua in melius ſperari poteſt, cùm & mundus hic ingenium ſuum non mutet, & Chriſtiani quoq; homines ſua negligentia & ingratitudine diſciplinam eiuſmodi mereantur. Neminem ergo motus iſti offendere debent, quaſi nouum quid & inſolens nobis hodie accidat: quin potius quid nos facere deceat quæramus, id quod ſuo exemplo diſcipuli docebunt.

Diſcipuli quid in periculo fecerint?

De illis enim ſic loquuntur Euangeliſtæ, vt illos vehementer timuiſſe conſtet. Nam ad Chriſtum recurrunt, eum non ſine querulis verbis & exprobratione plenis expergefaciunt. Magiſter, magiſter (inquiunt) perimus. Imò (vt Marcus annotauit) clamant: Magiſter, non eſt tibi curæ quod perimus? Etſi ergo timor per ſe vitioſus non ſit, & ſanctos Dei cultores ſæpe timuiſſe, neq; ideò reprehenſos fuiſſe legamus, peccant tamen illi, quòd metu ſuperati modum excedunt, & non tam certa animi fiducia, quàm conſternatione ad Chriſtum confugiunt, neq; reuerenter eius opem implorant, ſed illum potius accuſant, vt qui præter ſuum officium immerentes negligat. Vitij huius cauſa eſt, quòd toti in carnis præſentiam defixi, illum non aliter ſuis adeſſe & opem ferre putant, quàm ſi præſentiam ſuam corporali & inter homines vſitato more oſtendat. Nam ſi illum rectè agnouiſſent, facilè crediſſent ſomnum hunc ad corpus ſolum pertinere, ex eo autem nihil decedere Deitati, quæ (vt ipſe Ioannes quinto cap. ait) ſemper operatur & efficaciter agit ea, quæ ad noſtram ſalutem faciunt. Solet hæc fidei infirmitas ſæpe in ſanctos cadere, & hæc eas querelas parit, quæ in Pſalmis paſſim occurrunt. Quòuſque mei obliuiſceris Domine? Quòuſque clamo, & non exaudis? Exurge Domine, & iudica, &c. Et iſtis cogitationibus noſtram quoq; fidem tentari ſentimus, quando aut egeſtate & fame grauiori, aut morbis diuturnioribus, aut perſecutione & exilio exercemur. Sed non ideò nos deſperare conuenit, quando illis ſanctiſſimos quoſq; tentatos olim fuiſſe conſtat. Interim neq; delitias hîc nobis facere debemus, ſed toti in hoc ſimus, vt fidei fundamentum in nobis ſaluum maneat, & vt animos fluctuantes mox confirmemus, apud illum opem quærendo, quem caro dormire aut noſtri curam depoſuiſſe ſuſpicatur.

Ad Chriſtum confugere oportet.

Itaq; diſcipulos hoſte imitemur, qui etſi infirmitate fidei peccent, ad Chriſtum tamen confugiunt, & eo teſtantur quòd neq; de potentia eius diuina, neq; propenſa erga ipſos voluntate omnino deſperauerint. Eſt hoc ante omnia factu neceſſariũ, vt nimirũ ad Chriſtũ nos recipiamus, qui verus atq; fidelis ſuæ nauiculæ gubernator eſt, & in omnes ventos atq; procellas imperiũ habet, quibus illã Satan obruere conatur. Iubet hoc ille ſingulos priuatim, cùm dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati eſtis, & ego vobis requiẽ præſtabo. Publica autẽ promiſſio eſt: In mundo afflictionẽ habebitis, ſed forti animo eſtote, ego vici mũdũ. Itẽ: Ecce mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, & ego vobiſcũ ſum vſq; in cõſummationẽ ſeculi. In ipſo igitur limine (quod dici ſolet) offendunt, qui in quibuſcunq; periculis aliò, quàm ad Chriſtũ recurrunt, qui vt nobis Patrẽ propitiũ reddidit, ita ſolus ad nos ſeruandos ſufficit. Ad hunc autem non aliter, quàm pœnitentia vera et ſeria conuertemur. Quomodo enim cum eo illis cõueniet, qui in ſuperſtitionibus & peccatis defixi manent? Pœnitentiã autẽ cum errorũ & delictorũ cognitione fidem coniunctam habere, alibi diximus. Et hæc preces parit, quibus

Matth. 11.
Ioan. 16.
Matth. 28.

omnino

omnino opus eſt, cùm Deus inuocari velit, & in iiſdem conſtantia, adeoq́; importunitas ſancta requiritur, eò quòd ille opem aliquando diutius differt, quò magis fidem noſtram exerceat, vt infra in vidua & iniqui iudicis parabola audiemus. Hæc (inquam) nobis in diſcipulorum exemplo ſpiritus ſanctus commendat. At hodie in omnibus ferè peccatur: Furit quidem infelix mundus, & inter huius machinationes eccleſia fluctuat, & interdum peritura videtur. At hîc plerique ad principum fœdera, ad exterorum auxilia & præſidia armorum recurrunt, quaſi iſtis Chriſto opus ſit. Pœnitentia autem ratio nulla habetur, imò inter eos etiam ſcelera ſceleribus accumulantur & ſuperſtitiones quotidie creſcunt, qui Chriſtianiſſimi haberi volunt. Preces item aut omnino nullas, aut frigidas admodum fundimus: vt iam nihil de illis dicatur, qui nihil præter vlulatum belluinum in Dei conſpectum afferunt. Iſta ergo emendare oportebit, ſi nobis conſultum eſſe velimus.

Chriſtus opem fert periclitantibus.

Excitet hîc nos Chriſti facilitas, qui etſi importunius agant diſcipuli, abſque mora tamen opem fert periclitantibus. Et primò quidem mox expergiſcitur, vt oſtendat, ſe minimè ſurdum eſſe, neque ſuorum preces negligere. Deinde ventum & aquæ fluctuationem increpat; & mox tranquillitas magna fit. Vbi nemini abſurdum videri debet, quòd muta elementa verbis compellat. Ita enim docet, ſe eum eſſe, cuius virtute illa in principio creata ſint, & proinde ſuo imperio ea quoque parêre, quæ nullius alterius leges admittunt. Eſt hoc euidens veræ Deitatis in illo argumentum, quod ſi qui negare velint, iidem Patris quoque diuinam virtutem negent; quam Prophetæ paſſim his argumentis aſſerunt, quòd ventos creet, maris fluctus coerceat, tempeſtatibus imperet, elementis denique omnibus pro ſuo arbitrio vtatur. Seruit autem exemplum hoc conſolationi noſtræ in aduerſis & afflictionibus. Qui enim hîc ventis & fluctibus cum authoritate præcipit, idem alibi morbos etiã increpat, adeoq́; in ipſam mortem ius habet. Et in Pſalmis reges in ira ſua corripere, & iiſdem arma vel intra manus confringere, vel etiam ex manibus extorquere dicitur. Et quod hîc factum eſt, vt tranquillitas ſubita tempeſtatem ſæuiſſimam excipiat, hoc ipſum ſæpe fieri videmus, vt tyrannis vndique aduerſus eccleſiam ſurgentibus, & rebus in extremum diſcrimen adductis, vnius & alterius improuiſa mors, aut præter expectationem omnem accepta clades, toti terrarum orbi pacem optatam afferat. Sunt hæc nobis diligenter obſeruanda, ne de Dei ope dubitemus, aut fidem noſtram labefactari patiamur, ſi mundus hic cum ſuo principe aduerſus nos inſaniat. Addit tamen tertium Chriſtus, quòd diſcipulos increpat, dicens: Vbi eſt fides veſtra? Et apud Marcum, Quid timidi eſtis adeò? Quî fit, quòd non habeatis fiduciam? Sic ergo nobis opem fert ille, vt interim minimè patrocinetur vitiis noſtris, multò minus aduletur iis, qui reprehenſione digni ſunt. Et ſanè ſeriam reprehenſionem merentur, quicunque Chriſto præſente timent et trepidant. Si Deus pro nobis (inquit Paulus) quis contra nos? Atqui hunc pro nobis ſtare & in Chriſto nobis propitium factum eſſe ſcimus, qui idem ſe nobiſcum futurum pollicetur, neque paſſurum, vt aliquis ouẽ ex manibus ipſius eripiat. Iſtis ergo promiſſionibus & inuicta Dei noſtri potentia freti, pericula omnia intrepidi ſubeamus, & pro noſtræ vocationis ratione noſtrum illi præſtemus obſequium.

Rom. 8.

Effectus miraculi.

Sequitur miraculi effectus, quem his verbis Lucas comprehendit: Timẽtes autem mirati ſunt, dicentes alii ad alios. Quis nam iſte eſt, vt ventis quoque & aquæ imperet, & auſcultent ei? Primò timuiſſe dicuntur. Nec enim diuina potentia ſenſum caro noſtra abſque terrore & metu ferre poteſt, vt multa ſanctorum exempla teſtantur. Quid ergo de impiis fiet, quando Deum ſibi iraſci & fulmina in ſe vibrare ſentient? Deinde non ſuccumbunt iſti ignauo metu, ſed mox linguas & ora in Chriſti laudes ſoluunt, & non obſcurum ei diuinæ virtutis teſtimonium perhibent. Eſt hoc proprium fidei officium, vt quemadmodum nos in periculis Deum inuocare docet, ita eidem pro liberatione gratias agere iubeat, neque verba modo nobis ſuggerit, quibus id faciamus, ſed nos totos Deo vindicat, vt hunc vita & factis noſtris omnibus prædicemus. Imprimis autem obſeruari debent inſigniora Dei beneficia, vt quando ea fiunt, quæ nulla hominum virtute & conſilio perfici poterant, illius manum præſentem agnoſcamus, & nomen eius prædicemus in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXI.

Et nauigarunt in regionem Gadarenorũ, quæ eſt in ripa oppoſita Galilææ. Ipſi autẽ egreſſo in terram occurrit ex vrbe vir quidam, qui habebat dæmonia à temporibus multis, & veſtimento nõ induebatur, neq; in vlla domo manebat, ſed in monumentis. Is ergo cùm vidiſſet Ieſum, & exclamaſſet, procidit ante illum, & voce magna dixit: Quid mihi tecũm Ieſu Fili Dei altiſsimi? rogo te ne me torqueas. Præcipiebat enim ſpiritui impuro, vt exiret ab eo homine: nam à multo tẽpore corripuerat eum. Itaq; vinctus ille catenis & pedicis, cuſtodiebatur: ſed diruptis vinculis agitabatur à dæmone in deſerta. Interrogauit autem eum Ieſus, dicens. Quod tibi nomen eſt? Ipſe verò dixit, Legio. Nam dæmonia multa ingreſſa erant in eum. Et rogabãt eum, ne imperaret ipſis vt abirent in abyſſum.

Vide Marcum Homil. 39.

VT ſerium & diligens Verbi Dei ſtudium Ieſus Chriſtus nobis vnicè cõmendauit in ijs, quæ hucuſq; expoſita ſunt: ita omnibus illis grauiter occurrit, quæ huius fructum impedire ſolent: qualia ſunt innata nobis carnis cupiditates, ſiniſtra mundi huius iudicia, et perſecutionum pericula, quibus exercentur, quicunq; Verbum audiunt, & hoc vt rerum agendarum regulam obſeruãt. At inter omnes ſalutis noſtræ remoras primatum facilè obtinet Satan, qui non modò extrinſecus nos oppugnat, ſed ipſis animis ſeſe inſinuans, vel ſocordes & propriæ ſalutis negligentes reddit, vel in furorem nos agit, quo in proprium exitium horribiliter ruimus. Cõmodè ergo noui miraculi hiſtoriam ſubtexit Lucas, quo docetur quantæ in perdendis hominibus diaboli vires ſint, ſimul autem demonſtratur Ieſum Chriſtum eſſe promiſſum illud ſemen, cuius virtute hoſtis ille noſter deuictus ſit, & qui vel vno verbo nos aduerſus illius tyrannidem tueri, noſq; in libertatem aſſerere poßit. Arguitur item hominum ingratitudo, qui cùm toti carnis & mundi ſtudijs immerſi ſint, tanto Chriſti beneficio carere potius malunt, quàm illud vel minima ſuarum rerum iactura redimere. Eſt ergo hiſtoria hæc admodum memorabilis & digna, quæ à nobis diligentiſsimè conſideretur.

Ex tempeſtate elapſis nouum periculum occurrit.

Prima pars locum rei geſtæ & dæmoniaci, in quo miraculum hoc æditum eſt, deſcriptionẽ continet. Nam tranſmiſſo ſtagno aut lacu venerunt in regionem Gadarenorum, quam ex aduerſo Galilææ ſitam fuiſſe dicitur, ſic dictam à Gadara ciuitate, à qua non multùm diſtat Gergeſa, quæ eidem tractui Gergeſenorum nomen impoſuit, quos in huius hiſtoriæ narratione Matthæus nominat. Illic vix dum in terram ex naui egreſſo occurrit ex vrbe, id eſt, ea via, qua ex vrbe ad lacum ibatur, dæmoniacus quidam, cuius occurſum diſcipulis formidabilem fuiſſe ex eius deſcriptione conſtat. Nouũ ergo periculum illis obijcitur, qui iam primùm à naufragio ſeruati fuerant. Eſt hæc piorum ſors, vt nunquam omnibus aduerſis ſimul defungi poßint, ſed vnde minimè ſperent noua ſibi certamina excitari videant. Exẽpla huius rei cumprimis memorabilia in Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Dauide, Paulo Apoſtolo habemus, in quorum meditatione nos frequentes eſſe cõuenit, quo minus offendamur ijs, quæ nobis quotidie accidunt. Cùm enim cuiuſuis hominis vita laborum plena ſit, quid mirum fuerit eos grauioribus & crebrioribus moleſtijs exerceri, quos Dei Filius ex mundo ſelegit, vt inter huius ſeculi filios pro exulibus & peregrinis haberi poßint? Curemus modò nos vt horum memores ſemper in ſtatione ſimus, ne incautos hoſtis ex improuiſo opprimat.

Diaboli uires in hominibus infeſtandis.

Debet hîc nos excitare, quòd nõ exiguas diaboli vires eſſe videmus, & quòd horrenda in hominibus agit, niſi Deus ſuo imperio atq; potentia illum coerceat. Quales enim faciat, quos ſemel occupauit, in miſeri iſtius exemplo apparet. Nudus enim diſcurrit, & neque pudore continetur, neque cæli iniuria mouetur, quò minus veſtes dilaniet atque abijciat. Furore item immani abreptus manicas & pedicas abrumpit, neque vllis vinculis contineri poteſt. Adhæc non ſeipſum modò, ſed ſimul quoſuis alios infeſtat, vt nemo ipſi tutò occurrere aut cohabitare poßit. Poſtremò ciuitatem & domum fugiens in loca ab hominum conſuetudine remotiora ſeſe recipit, & in mortuorum ſepulchris ſibi domicilium quærit. Et iſta quidem hodie etiam fieri videmus, quorum corpora & naturales

facultates

facultates mali ſpiritus occuparunt: vt nimirum veſtibus abiectis abſque pudore quiduis faciant, viribus item plus quàm humanis catenas diſrumpant, effractis repagulis è carceribus elabantur, hinc inde diſcurrant, & ferè locis tetris & fœdis delectentur. Sunt iſti multa commiſeratione digni: ac magis deploranda eſt eorum ſors, quorum animos diabolus obſedit, vt ſe totos ipſius ſeruitio mancipent. Solent enim illi abſterſo pudore in omne ſcelus ruere. Itaque procul abijciunt innocentiæ veſtem, qua olim Adamum Deus ornauerat, & quam nobis Chriſtus ſuo merito inſtaurauit. Iidem diſciplinæ omnis cùm politicæ tum eccleſiaſticæ iugum excutiunt, legum vincula ceu aranearum telas perrumpunt, & in eo laudem quærunt, quòd ea auſint facere, à quibus alij pudore aut metu absterrentur. Neque ſibijpſis ſolùm, ſed inſuper multis alijs moleſti ſunt, dum aliorum fortunis damnum inferunt, modò famam aliorum in periculum adducunt, modò pudicitiæ inſidias ſtruunt, modò in corpora quoque & vitam eorum graſſantur, quos vel oderunt, vel quibus temere iraſcuntur. Et quod omnia alia ſuperat, domum & ciuitatem Dei fugiunt, in qua vna tanto malo remedium & certum ſalutis aſylum inuenire poterant: eorum autem conſuetudine delectantur, qui iampridem per delicta mortua corpora ſua ſepulchrorum inſtar fecerunt, in quibus infelices etiam animæ tantumnon computreſcunt & ſcelerum fœtore enecantur. Exempla iſtorum paßim hodie occurrunt, quæ his fidem faciunt: quò magis nos aduigilare decet, ne locum demus Satanæ, ſed ei reſiſtamus fortes in fide, tueamur autem libertatem noſtram, quam ſui ſanguinis pretio nobis Chriſtus acquiſiuit.

Ac quia de his & alijs hoc loco obſeruatu dignis in Marco noſtro diximus, nunc alterã hiſtoriæ huius partẽ inſpiciamus, quæ narratur, quid miſer iſte, vel potius in ipſo diabolus fecerit, vbi Chriſtum conſpicatus eſt. Primò, vt Ieſum à longè videt, accurrit, & ad pedes eius prolapſus, exclamat. Quod illum præter ſuam voluntatem feciſſe non eſt dubium. Ita verò ſuam impotentiam turpiter prodit, qui ſuperbo principis huius mundi titulo ſuperbit, & eius imperiũ Chriſto alibi pollicebatur, ſi ipſum adoraret. Et eſt hîc plenum conſolatione, quòd ipſe Satan miſerum hunc, quem perditum volebat, ad Chriſtum medicum & ſeruatorem humani generis adducit. Veriſſimè ergo ille dixit: Oues meas nemo poteſt rapere ex manu mea. Quid enim homines faciant, quando diabolus vel inuitus illi in ſeruandis hominibus operam præſtare cogitur? Demoniacus Chriſto occurrit.

Deinde vbi ſe à Chriſto vrgeri ſentit, palàm fatetur, nihil ſibi cum illo eſſe negotij. Quod verum quidem eſt, ſi vtriuſq; mores & ſtudia conſideres. Chriſtus enim Veritas, ipſe mendax & mendatij pater eſt. Chriſtus iuſtitia & ſanctitas, adhac nobis etiam iuſtitiæ author atque mediator: ipſe verò iniuſticiæ, impuritatis & ſcelerum magiſter eſt. Chriſtus vt peccatores ſeruaret in mundum venit, at Satan totus in hoc incumbit, vt occidat & ad inferos præcipitet. Reuera ergo nulla inter hunc & illum eſt communio, & proinde ſi hoc ſenſu verba diaboli accipiantur, veriſſima ſunt. At ſi rem propius conſideres, illum hoc dicendo egregiè mentiri & ſui defenſionem planè Sophiſticam ſtruere videbis. Nec enim ideò aderat Chriſtus, vt cum illo ſocietatem inire, aut eum in ſuas partes trahere vellet, ſed opera eius deſtruere & ipſum è regni malè vſurpati poſſeßione deijcere debebat. Hîc ille iniuſtè & iniquè ſecum agi clamat, eò quòd nihil ei cum Chriſto ſit negotij. Sed eho mendaciſſime Sophiſta & impudentiſſime quadruplator, quo ore tibi nihil rei cum Chriſto eſſe dicis, cùm humanam naturam omnem, cuius ipſe particeps eſt, perditam velis? cùm gentes omnes ipſi iure hæreditario promiſſas iam multis ſeculis ſub dira tenebrarum poteſtate premas? cùm humani generis redemptionem impedire coneris, quam ille ex æterno patris decreto facere debuit? cùm Veritatis doctrinam, cuius ipſe præco eſt, mendaciorum nebulis obſcurare ſubinde tentes? cum denique iuſtitiam & vitam indefeſſo ſtudio oppugnes, quæ per ipſum reduci & inſtaurari oportebat? Iam ergo te mendacem eſſe vides, & hoc vno tam mendaci dicto meruiſſe, vt ad ima tartara detruſus regnum Chriſto cedas, cui illud debetur. Hæc ideò diligentius annotamus ô fratres, vt diaboli aſtutias agnoſcere diſcamus, qui tunc quoque ſibi nobiſcum nihil negotij eſſe fingit, quando totis viribus in noſtram perniciem incumbit. Annon enim multis hodie perſuadet, nullum hominibus cum ipſo commercium intercedere, etiamſi ſceleribus ſeruiant, ſuperſtitionibus ſeſe conſecrent, ariolos, magos, veneficos conſulant, & etiam ipſi artes illicitas ſectentur? Annon fidis Chriſti miniſtris ſuperſtitiones manifeſtas & idololatriam accuſantibus per Pontifices & Epiſcopos oggan- Diabolus nihil cum Chriſto commune habet.

nis, nihil ſibi cum illis eſſe negotij? Quibus nos reſpondere poſſumus: Cur ergo eccleſiam humanarum traditionum iugo premitis? cur ſuam ſponſam Chriſto eripitis? cur ab illo hominum mentes alienatis? cur denique eius regnum, cuius nos miniſtri ſumus, occupare & in eo tyrannidem exercere conamini? Ita ſemper ſui ſimilis eſt Satan: & qui huius ſeruitio ſeſe addixerunt, perinde faciunt quando Chriſti Verbo vrgentur, vt ij qui legitimis hæredibus litem mouent, qui ipſos ex poſſeßione malis artibus occupata exturbare conantur. Neminem ergo clamores iſti mouere debent. Diſcant autem Chriſtiani homines ex ipſius diaboli ore argumentum arripere, quo ſuam aduerſus illum libertatem tueantur. Cùm enim ipſe fateatur, nihil ſibi cum Chriſto negotij eſſe, cur huic obſequium præſtent, qui Chriſto per baptiſmum conſecrati & corporis eius membra ſunt? Fugite ergo ô Chriſtiani infelix diaboli commercium, abijcite procul iugum eius, cauete blanditias & inſidias eius, qui ſe Chriſti hoſtem eſſe iampridem teſtatus eſt. Sed vtinam iſta omnes expenderent, & non paßim inuenirentur, qui cùm Chriſti nomen profiteantur, cum diabolo tamen plenis buccis gloriari audent, nihil rei ipſis cum Chriſto eſſe. Quid enim aliud faciunt, qui Euangelij doctrinam, admonitiones, hortationes, correptiones, nihil ad ſe pertinere clamant? qui ſacros cœtus oderunt, quibus ille medius intereſt? qui Sacramentorum vſum faſtidiunt, quibus ille ſua beneficia nobis obſignat? Atqui horum maximus hodie eſt numerus, qui tamen Chriſtiani dici & haberi volunt: quorum eò maior eſt impudentia & impietas, quò & verbis & factis profeßionem ſuam conculcant.

Diabolus Chriſti præſentia torquetur.

Sed redeamus ad huius maligni ſpiritus verba, qui Chriſtum, ne ipſum torqueat precatur, imò (vt Marcus annotauit) per Deum adiurat. Iam ergo ex Chriſti præſentia tormentum ſentiebat, & quemadmodum reo intolerabilis eſt iudicis conſpectus, ita Chriſtum ferre non potuit Satan, cùm per illum ſe regno ſuo deijciendũ & æternis tenebrarum catenis conſtringendum eſſe sciret. Apud Matthæum verò tantummodo de vi conqueritur, quando ſe ante tempus torqueri dicit. Atqui iam aderat tempus illud præfinitum, quo Dei Filius ex muliere naſci, ſerpentis caput conterere & miſeros mortales ſeruare debuit. Sed nullius calumniæ pudere poteſt patrem mendaciorum: & inter alia hoc quoque illi proprium eſt, vt quando ſibi cedendum eſſe videt, inducias ſibi dari petat, & moras nectat quantulaſcunque, nouam nimirum occaſionem capturus, qua regnum ſuum ſtabilire poßit. Fit

Diabolus inducias ſibi dari petit.

hoc publicè & priuatim. Sicubi enim vel eccleſiæ vel reipub. reformatio inſtituitur, mirum eſt quàm multa ex eius ſuggeſtione cõminiſci poßint, qui ſuperſtitiones & morum licentiam retinere cupiunt. Plerunque autem, quando illos non poteſt non pudere errorum atq; ſcelerum, temporis incommoditatem, pericula imminentia, aduerſariorum conatus & infinita alia cauſantur, quorum omnino rationem haberi volunt, ne quid imprudentius & infelicius tentetur. Si qui verò priuatim vrgentur, vt relictis vitæ anteactæ ſtudijs ad Deum conuertantur & vitam viuant Chriſtiana profeßione dignam: mox hi quoq; ad eaſdem artes conuerſi, multa ſibi prius agenda reſtare, neq; iſtam ætatẽ mores ſeueriores ferre poſſe dicunt. Vtrinq; verò omnis mora pernicioſa eſt, interea enim feruor ille bonus, qui ex parte conceptus erat, deferueſcit, nouas autẽ vires colligit Satan, quibus nos in ſeruitute detineat. Vt ergo in re militari boni imperatores nullum tempus importunum, & nullam occaſionem minus idoneam eſſe iudicant, qua hoſtem, priuſquam copias maiores cõtrahat, opprimi poſſe vident: Ita nobis quoq; omne tempus & omnis ætas opportuna videri debet, vt procul profligato Satana, nos in libertatem filiorum Dei vindicemus. Quòd ſi quibus, Chriſtus ante tempus venire, & reformationem atque pœnitentiam intempeſtiuè à nobis requirere videtur, ij eius ſpiritus ingenium referunt, quem hic de Chriſto conqueri audimus.

Chriſtus diaboli nomen quærit.

Quid autem iſte? Num querelis hiſce locum dat, & hoſti inducias concedit? Minimè, ſed occulta virtute ſic ei inſtat, vt nullam hominis iſtius porrò obtinendi ſpem ſibi supereſſe videat, ſed oret, ne adhuc in abyſſum, id eſt, æterni cruciatus loca detrudatur. Priuſquam tamen eum eijciat, de nomine quærit, vt & hominis iſtius vel potius humani generis totius miſeria, & redemptionis per ipſum factæ beneficium melius innoteſcat. Fatetur enim nomen ſuum Satan, & Legionem ſe nuncupari dicit. Et nominis huius ratio redditur, quòd non vnum dæmonium, ſed multa adeoq; ingens dæmoniorum exercitus iſtum occupaſſet. Erat enim Legionis nomen tunc Iudæis notißimum, eò quòd Romani eo vterentur, qui tunc temporis exercitus ſuos per totam Syriam diſpoſitos habebant. Et

continebat

continebat legio militum duodecim millia atque quingentos. Neque dubium eſt, voluiſſe diabolum, & ſi ſe ruiturum videret, adhuc ſuas vires oſtentare, vt ſi non Chriſto, ſaltem eius diſcipulis terrorem incuteret: Sed ita ſuam potius vanitatem prodit, vt nemini piorum poſt hac formidabilis eſſe debeat. Si enim tanta dæmoniorum multitudo ne vnicum quidem hominem in ſua poteſtate detinere potuit, nimiùm ridiculi ſunt, qui ab iſtis ardelionibus ſibi adhuc metuunt. Interim diſcamus hîc iudicare, quàm periculoſa ſit noſtra conditio, ſi Chriſti præſidio deſtituamur. Tunc enim toti patemus diaboli inſidijs, & non vnus Satan, ſed infiniti dæmonum exercitus nos infeſtant. Simul autem agnoſcamus Filij Dei beneficium, qui nos ex infelici hoc ſeruitio vindicauit, vt in illo ipſi quoque victores ſimus, cui debetur benedictio, gloria, honor & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXII.

Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte, & rogabant eum dæmonia, vt permitteret ipſis in illos ingredi. Et permiſit eis. Egreſſa autem dæmonia ex eo homine, ingreſſa ſunt in porcos, & grex ruit per præcipitium in ſtagnum, & ſuffocatus eſt. Cùm autem paſtores vidiſſent quod factũ fuerat, fugerunt: & profecti annũtiarunt in vrbem & in agros. Exierunt igitur vt viderent quod factũ erat, venerũtq; ad Ieſum, & inuenerũt hominẽ illũ, à quo dæmonia exierant, veſtitũ ac ſanæ mentis, ſedentẽ ad pedes Ieſu: & timuerunt. Anuntiauerunt autẽ ipſis etiam ij qui viderant, quomodo liberatus fuiſſet qui fuerat dæmoniacus. Et rogauit eũ tota multitudo circumiacentis regionis Gadarenorum vt diſcederet ab ipſis, quia magno timore tenebãtur: ipſe autẽ ingreſſus nauigiũ reuerſus eſt. Rogauit autẽ eum vir ille, à quo dæmonia exierant, vt eſſet cum eo: ſed dimiſit eum Ieſus, dicens: Reuertere domum tuam, & narra quanta tibi præſtiterit Deus. Abijt igitur prædicans per totam vrbẽ, quanta ipſi præſtitiſſet Ieſus.

INter ea, quæ Dei filius in carne manifeſtatus fecit, præcipuum eſt, quòd diabolum, communẽ humani generis hoſtem deuicit, & miſeros mortales ex illius tyrannide aſſeruit. De hoc enim prima promiſsio olim data fuit, & de eodem ille frequenter apud diſcipulos diſſeruit, vt quid de ipſo ſperari atque ſentiri debeat, intelligerent. Etſi verò victoriã plenã in cruce demũ obtinuerit, quãdo expiatis mũdi peccatis, mortẽ ſimul atq; inferos exarmauit, priuſquã tamen id fieret, ſæpe cũ illo cõgreſſus eſt, eumq́ue ex nonnullis ſingulari beneficio eiecit: partim quidem, vt ſe redemptorem illum promiſſum eſſe publicè teſtaretur, partim verò, vt nobis cum hoſte illo pugnantibus ſpem victoriæ certam faceret, & ſimul doceret, quibus artibus & armis à nobis deuinci poſſit. Et hic præcipuus hiſtoriæ ſcopus eſt. Deteguntur enim hîc diaboli ingeniũ, vires & artes, quibus regnũ ſuũ ſtabilire conatur, è contra autem docetur quanta ſit Chriſti potentia, qui reluctantem & multum tergiuerſantem vno verbo expellit. Nuper autem miſerabilẽ hominis dæmoniaci conditionẽ vidimus & quid ad primũ Chriſti occurſum Satan fecerit. Sequuntur nunc reliqua, quæ ad hanc hiſtoriam pertinent. Marcus homil. 40.

Pergit enim Lucas, & narrat vt ex miſero hoc legionẽ dæmoniorũ Chriſtus eiecerit. Rogarãt illa nuper, ne adhuc in abyſſum mitterentur, nunc alteram petitionem ſubijciunt, vt nimirum in gregem porcorum illis tranſire liceat, qui non procul inde ad montem paſcebantur. Fatentur ergo diaboli, ſe iam pridem damnatos & exitio deuotos eſſe, adhuc tamen in terris verſari cupiunt, vt plus mali dent hominibus, quos ſecum perditos volunt. Elucet in hoc ingenium diaboli, quo ad nocendum ſubinde procliuis fertur, & tunc quoque damnum dare cupit, quando ſe victum eſſe ſentit. Exempla huius rei alibi adduximus, & huc imprimis pertinet, quòd ſub Chriſti aduentum & deinceps totum orbem terrarum bellis ciuilibus & horrendis motibus turbauit, ne inultus ex poſſeſsione diu malè occupata diſcederet. Referunt eius ingenium, qui etſi verbo Dei ſe victos eſſe ſentiunt, nihilominus tamen aliquid moliuntur aduerſus illius doctrinam, & illis inſidias

Diabolus, quãdo ſe uictum uidet, adhuc nocere cupit.

ſtruunt, quibus bonã gratiam referre debebant. Similes horum ſunt, qui ſcelerum conuicti, illa tunc alijs affricare conantur, quando pœnas iam ſibi à Deo paratas eſſe vident.

Aſtutia diaboli.

Imprimis tamen obſeruari hîc debet aſtutia diaboli, qui tunc quoque regnum Chriſti labefactare ſtudet, quando ei locum dare videtur. Cur enim in porcos inuadere cupit? Num quòd iſtos edere? Nequaquam. Sed vt Chriſtũ Gadarenis inuiſum reddat, & hos tanta rerũ ſuarũ iactura aduerſus illũ in rabiẽ accendat. Scit enim homines naturali rei domeſticæ ſtudio teneri, & fortunarum ſuarũ diſpendia impatientius ferre. Ideo in Iobi quoque facultates non minus crudeliter quàm iniq. olim graſſatus eſt, vt ille harũ amiſsione exacerbatus contra Deũ murmuraret, & hunc cõuicijs indignis proſcinderet. Debemus hoc diligenter expendere, vt quoties nos ad egeſtatẽ redigi, vel etiam morbis grauiſsimis infeſtari ſentimus, ſimul cogitemus, non tam fortunas & corpus noſtrum, quàm animam à diabolo peti, cuius ſaluti ille per noſtram impatientiam inſidias ſtruit: quas facile effugiemus, ſi in Dei prouidentiam intenti omnia noſtra in illius arbitrio & poteſtate ſita eſſe firmiter credamus.

Impotentia diaboli.

At dum maximè fremit Satan, & in omnes formas ſeſe vertit, vt Chriſto incommodet, ſuã impotentiã magis prodit, qua victus ſeipſum mendacij arguit. Qui enim paulo ante clamauerat. Quid mihi tecum negotij eſt? nunc ſupplex petit ne in abyſſum detrudatur, & vt in porcos ſibi migrare liceat. Quàm autẽ iſta inter ſe conueniunt? Si enim nullius iniuriæ in Chriſtũ ſibi conſcius eſt, cur pœnam deprecatur? Si verò nihil cum Chriſto habet negotij, cur ad eius pedes ſupplex procidit? cur nõ illo inconſulto aut etiam inuito, quo vult migrat? Quid, quòd qui ingentes copias modò iactauerat, & quaſi pugnaturus Legiones totas in ore habuit, nunc tã ſeruiliter eius nutui ſe permittit, quo nihil in orbe vilius & contemptius tunc eſſe putabatur? Addè his, quòd qui ſimplicium animos plerũque horribiliter terret, & ſe aduerſus nos nihil non poſſe gloriatur, hîc ne in porcos quidem ius habet, animal non minus fœdum quàm contemptum & ignobile. Et hic ille eſt, qui olim Altiſsimo ſimilis fieri voluit, & qui ſuis ſeruis cœlos pollicetur, cum ipſe ſibi non in hara, ſed in ipſis porcis domicilium deligat. Extant huius vanitatis & impotentiæ multa alia exempla, quæ nos diligẽter obſeruare decet, ne vel eius promiſsis fidem habeamus, vel minis terreamur. Vt enim natura mendax & mendacij pater eſt, ita nihil in nos poterit, niſi quod Deus permittit, qui (vt alibi monuimus) nos ſupra vires tentari non ſinet.

Dæmonia porcos inuadunt.

Sed Chriſtum videamus, qui dæmonijs in porcos inuadendi poteſtatem facit: nec mora, illorum rabie hi agitati in ſtagnum præcipites ruunt, & illic grex totus perit, qui porcis circiter bis mille conſtabat, vt Marcus annotauit. Quo argumento apparet diabolos ſpiritus eſſe, qui ſua eſſentia conſtent, & proinde vehementer eos falli, qui per illos non aliud quàm prauos affectus intelligunt, qui ex peccato originali in nobis enaſcuntur. Quod ſi demus, ſimile quid de bonis ſpiritibus ſiue angelis fateri oportebit, quòd nimirum ſancti & boni animorum motus ſint, quos Deus in nobis excitet. Ita verò Sadducæorum errorem inſtaurabimus. Vel vt huius hiſtoriæ veſtigijs inſiſtamus, dicant illi quem locum in porcis habere potuerint auaritia, odium, ambitio & ſimiles praui affectus, quos illi dæmonia eſſe dicunt? Poterat hoc minutius videri, aliquid tamen dicendum fuit propter phanaticos quoſdam, qui & veteres errores reuocant, & noua quotidie opinionum portenta fingunt, quibus fidei & doctrinæ Chriſtianæ veritatem conuellunt & labefactant.

Chriſtus an iniuſtus fuerit.

Quòd ſi quæras, annon iniuſtus fuerit Chriſtus, qui impuris ſpiritibus in eo morem geſsit, quod ſine multorũ damno fieri non poterat? Ego quæſtionem hanc ſuperuacuã, & curioſam potius quàm neceſſariam eſſe reſpondeo. Quia enim ille æternus Dei Filius eſt, cui omnem poteſtatem in cœlo & in terra pater dedit, cuius itẽ eſt terra & plenitudo eius, licet illi de ſuo ſtatuere, quod ipſi libuerit. Neque ille alicui quicquam iniuſte rapit, ſed iuſto iudicio rurſus aufert, quod ex gratia prius dederat. Quòd ſi hoc alicui non ſatiſfacit, dicat ille, num iniquitatis accuſari debeat Deus, quando ſegetes grandine ſternit, vites pruina adurit, aquarum inũdatione campos operit, fulmina cœlitus iaculatur, pecora & homines immiſſa lue occidit? Potuerũt in his gẽtes olim iuſta Dei irati iudicia agnoſcere: quæ ergo inſania eſt illi propter porcorũ gregẽ litẽ mouere? Quin eius iuſtitiã cum bonitate plus quàm paterna intuemur, qui etſi Gadareni (quorũ ingratitudo quæuis ſupplicia merebatur) damnũ acceperunt, iiſdẽ tamẽ beneficiũ multo maius cõtulit, quãdo & hominem, qui omnibus porcis

& pecoribus

& pecoribus longè præſtát, ſaluti reſtituit, & ipſis ſimul omnibus occaſionem dedit, qua in æternæ veritatis cognitionem peruenire & vitæ cæleſtis hæredes fieri poterant, niſi tanta bona ingratitudine ſua reieciſſent. Simul autem in hoc exemplo obſeruemus, in quos nam Deus diabolo ius & imperium permittat: In porcos nimirum, qui terrenis modò ſtudijs immerſi, dignitatē ſuā, ad quam cōditi ſunt, non agnoſcunt, qui itē obſcœno grunnitu verbo eius obſtrepunt, & cæleſtis regni margaritas impuris pedibus conculcant. In horū numero cenſeri merentur ebrioſi, qui manè ſurgunt ad potandum, qui conuiuijs ſuis clamores & grunnitus impudentes & intemperantiam planè porcinam intermiſcent, neque interea opus Domini conſiderant. Scortatores item & adulteri, qui libidinis æſtu abrepti corpora ſua fœdè polluunt, & ex ſpiritus ſancti templis diaboli proſtibula faciūt: Auari quoq;, quibus lucri bonus odor eſt ex re qualibet, vt non ſolùm cum Veſpaſiano Imperatore ex lotio & alijs excrementis, verumetiā ex ſceleribus quibuscunq; & omni ſtercore fœdioribus quæſtū venentur. Pertinent eōdē blaſphemi homines & palàm impij, qui & ipſi terrenis ſolis immerſi, animos & ora nūquā ad cœlos attollūt, niſi quādo aduerſus Dei verbū grunniunt, & illius etiā nomine ad ſuas deierationes atq; imprecationes impijſſimè abutuntur. Quid verò de idololatris dicemus, qui quē Deo debent cultū ſimulachris exhibent, quæ ſcriptura nō vno loco ſtercora dicunt? Iſti omnes & quicunq; horū ſimiles ſunt, quoad non totis animis conuertuntur, à regno Dei excluſi ſunt, & proinde Satanæ inſidijs patent, imò huius ſunt mancipia, qui ipſos quoque tandē ad exitium præcipitabit, è quo nunquam emergent. Itaque noſtræ conditionis atque dignitatis memores, relictis impuræ carnis & mundi infelicis ſtudijs animos noſtros ad cæleſtium bonorū conſiderationem erigamus, ad quod, ſi non alia ratio, ipſa corporis noſtri ſtatura nos excitare debet, quam gentilis poëta non oſcitanter obſeruans hominem ſanctius animal & mentis capacius altæ dicit, eumque formatum ſcribit ad effigiem moderantum cuncta Deorum. Quibus mox iſtos verſus ſubijcit.

Diabolus in quos imperium habeat.

Iſa. 5.

Pronaque cùm ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Hæc cùm obſeruare potuerint, qui nulla veri Dei cognitione illuminati fuerūt, pudeat nos noſtræ ignauiæ, qui cùm ſciamus Ieſum Chriſtū, in quo vita noſtra (vt Apoſtolus ait) recōdita eſt, ad dextrā Dei Patris ī cæleſtib. cōſidere, adhuc tamē relictis ſupernis circa terrena et carnalia occupamur.

Effectus miraculi.

Sequitur effectus miraculi, qui pro hominum diuerſitate multiplex fuit. Et primi producuntur paſtores, qui his viſis illico fugerunt, & rem omnem, vt geſta erat, in vrbe Gadarenorum & toto agro circumiacente diuulgarunt. Vult enim Chriſtus toti mundo innoteſcere, & proinde opera ſua paſſim prædicari vult. In eo autem ferè hominum obſcurorum & vilium miniſterio vtitur, ne his ſeruiliter addicti ſimus, ſed in eorum potius contemplatione verſemur, quæ illi annunciant. Et eſt hoc omnium eorum munus, quos ſui gregis paſtores ille conſtituit, vt quæcumque ipſe propter nos fecit, bona fide prædicent, & omnes ad hunc excipiendum excitent.

Deinde de Gadarenis dicitur, quòd ad Chriſtum egreſſi, cùm coràm omnia vidiſſent & audiſſent, timuerint. Ergo ſentiunt diuina virtute hoc omne factum eſſe, timent autem, eò quòd non reſpiciunt in Dei bonitatem ſaluificam, quæ in dæmoniaci liberatione ſeſe ipſis omnibus offerebat. Fuit ergo hic timor præpoſterus, qualem in omnibus oboriri videmus, qui ſolius Dei iudicijs percelluntur, non autem eorum cauſas & quæ illa comitatur gratiam atque bonitatem eius conſiderant. Nihilo igitur iſti meliores fiunt, ſed in peius proficiunt. Rogant enim Chriſtum, vt ex eorum terra diſcedat, quaſi nimirum ipſo digreſſo, pœnas ſimul omnes effugerint, quas adhuc grauiores imminere timebant. Fuit ergo hic plus quàm belluinus ſtupor, cum immani ingratitudine coniunctus, quando tantum Chriſti beneficium non agnoſcunt, qui & hominem nulla humana arte curabilem ſeruarat, & itinera ipſis tuta fecerat; adeoque totam illam regionem periculo & metu communi liberarat. Eſt hoc ingenium eorum, qui ſæculo huic toti ſunt dediti. Quia enim nihil ſublime & cæleſte ſapiunt, ſemper timent, ne Chriſti prædicatio turbas det & alicuius periculi grauioris cauſa ſit. Interim neque peccata ſua agnoſcunt, propter quæ venit ira Dei, neque iudiciorum Dei finem & vſum obſeruant, qui eſt vt his ad pœnitentiam excitemur. Adhæc quia terrena cæleſtibus præferunt, ne minimum quidem fortunarum ſuarum diſpendium ferre

Gadareni timēt & Chriſtū abire volunt.

& Chriſto potius æternùm volunt carere, quam de rebus ſuis periclitari. Regnat hoc hominum genus hodie vbique locorum, & in eo ferè ſuam prudentiam plerique oſtentant, quòd Chriſti præcones, vel ſilere iubent ad tempus, vel etiam finibus ſuis emigrare, vt proximum quodque periculum declinent. Quibus tamen peiores ſunt, qui cùm pace bona fruantur, Chriſti tamen doctrina liberari cupiunt, quia hanc moribus ſuis corruptiſſimis aduerſam eſſe ſentiunt: & hi nõ rarò in tantã rabiẽ exardeſcunt, vt vim quoque huius miniſtris inferant: Atqui vi minimè opus erat. Vt enim à Gadarenis mox abit Chriſtus, ita ſponte ab omnibus diſcedit, qui horum ingratitudinem imitantur. Non autem ideo illi feliciores aut magis in tuto ſunt: imò ferè grauioribus malis obruuntur. Quia enim benedictionem omnem cuius ipſe vnicus Mediator eſt, ſecum aufert, mox irati Dei iudicia ſeſe exerunt, & fit ſæpè, vt non leuiculas ſolum, verumetiam turpes ob cauſas extremũ diſcrimen ſubeant, qui pro Dei gloria & propria ſalute periclitari noluerunt.

Demoniaci reſtitutio. Acto. 22. Eſt ergo maiori laude dignus dæmoniacus ille, cuius exemplum nobis imitandũ ſpiritus ſanctus propoſuit. Sedet is ad pedes Ieſu, quod diſcipulorum eſſe, ex Pauli verbis patet, qui ſe ad pedes Gamalielis inſtitutum fuiſſe dicit. Deinde ſumptis veſtibus ſimul pudorẽ quoque ingenuũ induit, quem diaboli furiæ prius illi abſterſerant. Ad hæc mentem ſaniorem verbis & moribus teſtatur. Poſtremò Chriſti diſcipulus & comes indiuulſus eſſe, & relicto patrio ſolo & ingratis gentilibus cum illo abire cupit. Quod etſi ille non permittat, non tamen repulſa illa offenditur, ſed acceptum ab illo beneficium vbique prædicat. Vnde verò hæc omnia? Ex eo nimirum, quòd in Chriſto non modò diuinæ virtutis formidabilem potentiam, ſed eiuſdem ſaluificam quoque beneficentiam obſeruauit. Et ſunt hæc eorum officia, quos ex diaboli tyrannide Chriſtus aſſeruit: vt nimirum illum induant, eidem ſeſe per fidei obedientiam ſubmittant, mentis ſanitatem vita & moribus probent, illi adhæreant totis animis, & bonitatis eius prædicatione alios quoque illi adducant. Vnde apparet, eos nondum rectè agnoſcere gratiam Dei ſibi in Chriſto factam, in quorum vita nihil huius cerni poteſt.

Chriſtus demoniacum remittit domum. Porro non vult Dominus, vt ſecum ille ex locis iis diſcedat. Nec enim neceſſe erat ad ſalutem, vt in Apoſtolorum gregem aſſumeretur, aut relicta domo & re domeſtica ipſum hinc inde docentem comitaretur. Et conſtat plures quoq; alios Chriſti diſcipulos fuiſſe, qui et rem domeſticã curarunt, & quam prius habebant vocationem ſedulò ſecuti ſunt: quales fuerunt Lazarus Bethanienſis cum ſororibus ſuis, Nicodemus Zachæus, Ioſephus Arimathæus, & plures alij. Quod obſeruari debet propter phanaticos illos, qui ab omnibus requirunt, vt Apoſtolorum exemplum imitentur: neq; cogitant, vocationẽ eos habuiſſe peculiarem, ad quam obeundã neceſſe fuit, vt diuerſum ab aliis vitæ genus ſequerentur. Interim hic ſingulare bonitatis ſuæ ſpecimen Chriſtus ædit, qui apud ingratã & quouis ſupplicio dignam Gadarenorum gentem hunc ſuæ gratiæ præconem manere voluit, vt eius exemplo ſimul & prædicatione aliqui ſaltem ad ſalutis propriæ ſtudium accenderentur. Ita ſolet cũ noſtra contumacia luctari diuina bonitas, cuius exempla plurima paſſim in ſcripturis extant. Nos verò quod præcipuum huius hiſtoriæ caput eſt, memori mente iteidem repetamus. Fuit enim omnium noſtrûm eadem, quæ miſeri iſtius dæmoniaci, conditio. Seruauit autem nos & in filiorũ Dei libertatem tranſtulit Ieſus Chriſtus. Huic ergo gratias dignas agamus, & illum induti nos atque omnia noſtra ei conſecremus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

Factum eſt autem cùm reuertiſſet Ieſus, excepit eum turba: nam omnes expectabant eum. Et ecce venit quidam, cui nomen Iairus, qui erat præfectus Synagogæ, cumq; accidiſſet ad pedes Ieſu, rogabat eum, vt ingrederetur domum ipſius: Quia erat ei vnigenita filia, quaſi annorum duodecim, eaq; moriebatur. Inter eundum verò turba coarctabat eum. Et mulier, quæ erat in fluxione ſanguinis ab annis duodecim, & in medicos impenderat totum victum, nec ab vllo potuerat curari: cùm acceſſiſ-

ſet à tergo, tetigit fimbriam veſtis ipſius. & illico ſubſtitit fluxio ſanguinis eius. Tunc ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum eo erant: Magiſter, turba te conſtringit & opprimit, & dicis, Quis eſt qui me tetigit? Ieſus autem ait: Tetigit me aliquis: nam ego cognoui virtutem à me exiſſe. Cum autem mulier illa videret, ſe non latuiſſe, tremens venit & accidit ei ad pedes, & declarauit ei in cõſpectu totius populi, quam ob cauſam tetigiſſet eum, & vt ſanata fuiſſet illico. Ipſe verò dixit ei: Confide filia, fides tua te ſeruauit: Vade cum pace.

IEſus Chriſtus, Dominus & Seruator noſter, cum Nicodemo colloquens, inter alia grauiter pronuntiat: Hæc eſt condemnatio, quòd lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem. Exemplum huius ingratitudinis memorabile admodum nuper in Gadarenis vidimus. Venit ad hos Chriſtus, & in vnius dæmoniaci liberatione docuit, quis nam ipſe ſit, & quanta bona ſecum afferat. At illi leuicula porcorum iactura offenſi eum faſtidiunt, & vt ab ipſis aliò tranſmigret precantur. Et huius generis multa fecerunt Iudæi, & aliquando ne à vi quidem abſtinuerunt: quæ omnia in eum finem conſiderari debent, vt eò illuſtrior nobis ſit Chriſti bonitas, qui quaſi cum illorum contumacia certamen ſuſcepiſſet, eò plura in illos beneficia confert, quò illi ſunt præfractiores, neque horum ingratitudinẽ incurabilem ijs fraudi eſſe ſinit, qui ipſum cum fide quærunt, & ſe ab ipſo cupiunt iuuari. Apparet hoc in ſequenti naratione, quæ ad finem Cap. vſque extenditur. Continet hæc duo miracula, quibus euidentiſſimè demonſtratur, ipſum mortis & peccati victorem eſſe, & proinde Seruatorem verum, in quo vno vita & ſalus omnis inueniatur. Marcus homil. 41.

Præmittit autem Lucas huius loci initio alterius miraculi paraſceuen ſeu præparationem, quæ tria habet. Primum, quòd ex Gadarenorum terra reuerſus magno cum applauſu & gratulatione populi, qui ipſum auidè expectarat, exceptus ſit. Vbi diſcimus, Chriſtum ab ingratis quidem repelli, eidem tamen non deeſſe ad quos ſe recipiat, & quos ſalute dignetur. Ergo neque regni eius potentia, neque eiuſdem benignitas, hominum contumacia aut ingratitudine ſuperatur. Debet hoc nos conſolari, ne de eius regno & gratia inter huius mundi motus deſperemus: ſimul autem imitarè debemus facilitatem Chriſti, neque à benefaciendo abſtinere, etiamſi beneficia noſtra contemni, aut à quibuſdem peſſimam gratiam nobis referri videmus. Secundo ponitur deſcriptio perſonæ, in qua miraculum fuit æditum. Erat hæc Iairi præfecti Synagogæ filia duodennis & vnigenita, quæ morbo letali correpta iam in extremis agebat. Huius pater, cùm iam reipſa procul dubiò experiretur, nullum amplius locum humanis remedijs reliquum eſſe, ad Chriſtum venit, & hunc vt ſecum domum eat precatur ad opem ferendam filiæ. Adeò magnus afflictionum vſus eſt in electis, vt non tam manuducant quàm cogant ad verum ſalutis authorem eos confugere, qui dum res ſecundæ ſunt, de illo vix obiter cogitant. Et ſanè eſt hoc præclarum bonitatis diuinæ argumentum, quòd ex eo hominũ genere, qui Chriſto infeſtiſſimi erant, iſtũ adducit, vt ſalutis in eo per fidem particeps fiat. De nullo igitur homine nos temere deſperare debemus. Habet enim Deus vbiq; ſuos, & quorum vult miſeretur, neque etiam vel locus vel vitæ genus & conditio obſtarè poſſunt, quò minus ſuo tempore efficaciter trahat eos, quos æterno ſuo decreto ad ſalutem prædeſtinauit. Eſtq; conſolatio hæc eò efficacior, quòd illum fidei noſtræ infirmitate non offendi, ſed potius huic ſubuenire videmus, vt viribus ſubinde nouis augeatur. Nam credidit quidem Iairus, ſed non tanta eius fides fuit, quantam in Centurione ſupra vidimus. Etenim corporali præſentia Chriſti opus eſſe putat, quod magnum infirmitatis & imperfectionis argumentum eſt. Non tamen eum ille faſtidit, ſed abſque mora (quod tertium huius Præparationis caput eſt) cum illo iter ingreditur, & neque fidei imbecillitatem, neque communem populi ingratitudinem aut inconſtantiam, neque impios primatum conatus illi exprobrat, qui ipſum extinctum volebant. Eſt ergo reuera ſalutis noſtræ cupidiſſimus, & magnam ei iniuriam faciunt, qui durum & inmitem hodie fingunt, apud quem alijs interceſſoribus opus ſit. Chriſtus à Gadarenis reiectus alibi cum applauſu excipitur.

Fides mulieris.

Ioan. 16.

Videamus ergo nos, quæ iſtius mulieris fides fuerit, quidue fecerit, vt eius exemplum imitemur, quod ipſe Dei Filius non tam verbis quàm reipſa comprobauit. Primò vbi in medicis operam & impenſam periiſſe videt, de Chriſto autem multa audierat, ad hunc contendit, & ſe quoq; eius ope curari poſſe ſperat, qua multis hucuſq; ſalutaris fuerat. Multum ergo illi profuit medicorum ſiue inſcitia ſiue improbitas. Nam ſi horũ arte fuiſſet curata, corpore quidem melius habuiſſet, anima verò in ſuperſtitione & erroribus demerſa manſiſſet. Ita frequenter veræ ſalutis cauſam nobis affert, quod noxium & diuinæ iræ argumentum eſſe videbatur. Eſt autem hic primus ad ſalutem gradus, vt nos per omnia miſeros eſſe, & humanis viribus aut meritis nihil profici intelligamus. Nam ſi tunc diuinæ gratiæ per Chriſtum nobis factæ prædicatio accedat, mox noua ſpes animum noſtrum excitabit, vt certa fiducia concepta ad Chriſtum contendamus, qui vnicus animarum medicus atq; ſeruator eſt. Ideo Euangelij prædicationem ab hoc articulo Chriſtus inchoandam eſſe docet, quando de Spiritu ſancto, quem Apoſtoli accipere debebant, ait: Ille arguet mundum de peccato, &c. Et debent redargutionem iſtam patienter ferre ij, quibus ſalus ſua cordi eſt, vt maiori deſiderio Chriſti accendantur, & relictis inutilibus atq; noxijs remedijs, quam ille nobis offert ſalutem totis animis amplexentur. Eſt ergo pernitioſa admodũ illorum peruerſitas, qui aut peccati noxam in ſemetipſis agnoſcere nolunt, aut quàmuis illam ſentiant, adhuc tamen Chriſto relicto circa externas & ab hominibus ſuperſtitioſis confictas peccatorum expiationes occupantur.

A tergo accedens tangit fimbriam.

Deinde à tergo accedit, & fimbriam veſtimenti eius tangit. Nam (vt Marcus annotauit) dicebat: Si vel veſtimenta eius tetigero, ſeruabor. Paucis verbis eximiam mulieris fidem Euangeliſtæ deſcribunt. De Chriſti enim virtute tantam fiduciam animo concepit, vt ſolius pallij tactu ſe curari poſſe ſperet. De voluntate quoq; eius non omnino dubitat, etiamſi propriæ immunditiei conſcientia timidiuſculam fecerit. Sciebat enim eas, quæ fluxum ſanguinis patiebantur, in Lege pro immundis cenſeri, & ab hominum commercijs ſiue conſuetudine excludi. Rectè ergo trepidat nonnihil, & laudem meretur pudor iſte, quem Legis cognitio pariebat. Vincit tamen hunc fides vt quàmuis non auſit adhuc in conſpectum venire, bene tamen ſperet de illius bonitate, qua leproſos quoq; ab illo tactos atq; curatos fuiſſe audierat, & proinde audet eius veſtes à tergo contingere. Et eſt hoc fidei ingenium, vt cum carnis prudentia luctetur, & de Dei quidem gratia nihil non nobis promittat, ſimul tamẽ modeſtos & verecundos faciat, ſicuti ſupra in peccatricis hiſtoria vidimus. Conſtat igitur vel hoc vno argumento à fide alieniſſimos eſſe, qui phariſaica ſua dignitatis & meritorum fiducia turgidi in conſpectum Dei irrumpunt, vt non tam eius gratiam implorent, quàm ab eo debitam ſibi mercedem exigant. Quòd verò mulier iſta fimbriam veſtimentorum Chriſti tangere cupiuit, minimè eorum ſuperſtitioni patrocinatur, qui illius tunicam adhuc hodie haberi, eiuſq; aſpectum ſiue contactum ſaluificum eſſe fingunt. Neq; eo contenti, Diuorum quoq; reliquias infinitas non minus ridiculè quàm impiè oſtentant, & apud illas ſalutem tam corporis quàm animæ quærere docent. Nihil enim vana ſuperſtitione hîc factum eſſe, paulò ante audiuimus, & non in veſte Chriſti hæſit mulier iſta, ſed in Chriſti ſaluificam virtutem reſpexit. Quin ipſe, quaſi errorem illum confutare voluerit, mox teſtabitur, virtutẽ illam ex ſe egreſſam eſſe, & ita omnem huius miraculi gloriam ſibi ſoli vendicat. Omiſſis ergo ſuperſtitioſorum hominum commentis, mulierem hanc in eo imitemur, vt ipſi quoque eam Chriſti veſtem tangamus, qua indutus in terris olim vixit, & quam ſecum in gloriam cœleſtem euexit. Eſt hæc humana natura, quam ex Virgine matre aſſumpſit, & quæ ſola fide tangi poteſt, eò quòd per hanc illi vnimur, vt ipſe in nobis ſit, & nos in illo. Quotquot ergo crediderint, Dei Filium propter nos hominem factum eſſe, & ea feciſſe, quæ ad humani generis redemptionem facta neceſſaria erant, nunc autem è cœlis ſalutem nobis conferre certam, ij & tangunt illum verè, & ex tactu illo vitam ſibi obtingere ſentient.

Chriſtus fidem mulieris protrahit & confirmat.

Facit huc poſtrema huius hiſtoriæ pars, qua narratur, vt Chriſtus fidem mulieris in lucem protraxerit, & quam obtinuerat ſalutem ſua promiſſione confirmauit. Quærit illico, Quis eſt qui me tetigit? Mirabilis quæſtio, & quæ diſcipulis quoq; abſurda atq; ſuperuacanea viſa eſt, cùm eum hinc inde à turba premi & coarctari viderent. Sed non tangebant illi Chriſtum, quatenus ſalubriter tangi poteſt, vt nec Iudas eum manducauit, cùm bucellam ex ipſius manu ſumptam comediſſet. Nam vt ſola fide eius corpus manducatur & ſanguis bibitur ad vitam: ſic ſola fide tangitur, vt nobis

ſalutifer fiat. Et huius nouum ſpecimen mulier præbet. Etſi enim nouo timore perculſa tremeret, nō tamen de illius bonitate deſperat, ſed ad pedes eius ſupplex procidens rem omnem coram toto populo ex ordine narrat. Fuit ergo hic pius timor, quem & parta ſalutis cognitio & Chriſti maieſtas illi extorſit, & idem confeßionem parit, quæ niſi accedat fides in nobis nulla eſt. Nam ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo (inquit Paulus) quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſeruaberis. Sunt autem confeßionis fidei partes duæ: Altera, qua noſtram indignitatem & peccata fatemur: altera, qua Dei gratiam & ſalutis gratuitæ beneficium nobis in Chriſto exhibitum prædicamus. Quæ duo quicunq; verè agnoſcunt & fatentur, ij & Deo grati ſunt ex animo, & vitam omnem ad illius nutum componunt.

Fructus totius hiſtoriæ. *Porro totius hiſtoriæ fructum ipſe Chriſtus exponit, mulieri dicens: Confide filia, fides tua te ſeruauit, Vade cum pace. Primò conſolatur trepidantem, & præſenti animo eſſe iubet: vtq; efficacior ſit conſolatio, filiam dicit. Veriſsimè ergo à Ioanne dictum eſt, Dei filios fieri eos, qui Chriſtum fide apprehendunt. Neminem ergo vel indignitas propria, vel fidei infirmitas terreat, ſed accedamus ad Chriſtum, qui nos pro filijs Dei & pro fratribus ſuis agnoſcet, neq; ſui iudicij rigore in nos vtetur. Deinde ſalutis cauſam indicat, fidem. Exiuerat quidē ex ipſo virtus illa ſaluifica, ſed nihil hæc profuiſſet mulieri, niſi eam fides illius apprehendiſſet. Quoad ergo nos, fides medium illud eſt, quod nos Chriſti ſimul & bonorum eius omnium participes reddit: & ideo nos ſola fide iuſtificari & ſeruari Apoſtoli docent. Quando doctrinam ipſe Chriſtus in præſenti confirmat. Nam non contentus dixiſſe, Fides tua te ſeruauit, poſtremò addit: Vade cum pace. Loquitur autem de pace animarum, quam iuſtificati ex fide (vt Paulus ait) habemus apud Deum. Ita verò ſalutis certam facit, ne in poſterum vllis tentationum fluctibus ſeſe ſuperari patiatur. At quia in huius exemplo eam, quæ omnibus credentibus communis eſt, ſalutis rationem Spiritus ſanctus adumbrat, nobis hæc dici putemus, & proinde ſalutis noſtræ certi ambulemus in pace illa, quam nobis ſuæ mortis merito acquiſiuit Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA LXXXIIII.

Adhuc eo loquente, venit quidam à præfecto Synagogæ, dicens ei: Mortua eſt filia tua, ne vexa magiſtrum. Ieſus autem hoc audito reſpondit ei: Ne metue, crede ſolummodo, & ſeruabitur. Ingreſſus verò domū, non permiſit ingredi quenquam, niſi Petrum & Iacobum & Ioannem, & patrem ac matrem puellæ. Flebant autem omnes & plangebant eā. Ipſe verò dixit: Ne flete, non eſt mortua, ſed dormit. Et deridebāt eum, quòd ſcirent eſſe mortuā. Ipſe verò eiectis foras omnibus, & præhenſa manu eius clamauit, dicens: Puella, ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, ac ſurrexit illico: & ipſe præcepit, vt ei daretur cibus. Et obſtupuerunt parentes eius, ipſe verò pręcepit eis, vt nulli dicerent quod factū fuerat.

Marcus homil. 44. 45. *Miraculorum Domini noſtri Ieſu Chriſti hic finis & ſcopus eſt, vt diſcamus ipſum eſſe humani generis ſeruatorem, & ſalutis eius merito parta per fidem in ipſum participes fiamus. Elucet autem in hoc admirabilis Dei bonitas, qui Filium ſuū non ſolùm promißionibus ampliſsimis & euidentibus veterum prophetarum oraculis, ſed operibus quoq; miraculoſis commendari voluit, vt & melius ipſe agnoſcatur, & nos ad illum amplectēdum efficacius excitemur. Debet hic iſtius quoq; miraculi vſus nobis eſſe, quod in præſenti narratur: in quo multa concurrunt, quæ Chriſti cùm bonitatem verè paternam tum diuinam potentiam nobis commendant. Agitur enim hîc de puella, non morbo aliquo grauiori detenta, ſed mortua, quam ex mortis faucibus in vitam reſtitui oportuit: qui conatus humanæ rationi non modò impoßibilis, ſed ridiculus quoq; videtur. Et ſi huius patrem Iairum ſpectes, qui tantum beneficium poſtulauit, non pauca occurrent, quæ illo indignū fuiſſe docebunt. Nam quoad conditionem, Synagogæ præfectus ſiue antiſtes fuit, quem hominum ordinē Chriſto infenſiſsimum fuiſſe conſtat. Et quamuis Chriſti opem imploret, fide tamen dubia, aut ſaltem infirma admodum præditus fuit. Ad ſe tamen venientem, & cum infirmitate illa fidei luctantem*

non re-

non reijcit ille, ſed mira facilitate ſe ei accommodans, illum domum verſus ſequitur, conſolationibus pijs ſubleuat, & inter eundum fidem illius nouo miraculo (vt nuper audiuimus) confirmat, & tandem filiam modò defunctam vitæ reſtituens, ſe vitæ ſimul & mortis Dominum eſſe teſtatur, qui in ipſa etiam morte ſeruare, & ex inferis quoque ſuos reducere poßit. Debet igitur hiſtoria hæc ſic à nobis conſiderari, vt cogitemus in ea generalem doctrinam ſiue conſolationem proponi, quæ nobis ſemper ob oculos verſetur, quando tentationes grauiores ſurgunt. Et huc imprimis ſeruiet huius loci diligens conſideratio.

Vbi primùm occurrit noua & grauißima tentatio, qua Iairi fides rurſus oppugnata fuit, cùm iam ſpem aliquam ex præcedenti miraculo concepiſſe videretur. Etenim iam ante illam vacillaniſſe audiuimus, & ideo Chriſtum feſtinanter domum ſuam deducere cupiebat. Interceſſerat tamē aliqua mora, quæ illi haud dubiè moleſtißima fuit, quando omnis mora longißima nobis videtur, quæ noſtri animi deſideria vel minimùm differt. Interea moritur filia, & veniunt nuntij, qui non modò mortem eius nuntiant, ſed inſuper omnem ſpem reſtitutionis illi negant, quando monent, ne porrò Chriſtum fatiget, qui prius opem laturus eſſe videbatur. Eſt autem hæc ſors ſanctorum, vt nouis in ſingula momenta tentationibus exerceantur: neq; illis inducias longas permittit Satan, qui ex noſtra perditione maximam voluptatem capere conſueuit. Et quàmuis non ignoret, electorum fidem omnino euerti non poſſe, iucundum tamen illi eſt, ſi eos aliqua ex parte terreri & labaſcere videat. Permittit autem id Deus, partim vt nos exerceat, & ad opem eius implorandam accendat: partim vt in noſtra infirmitate ipſius virtus & gratia magis illuſtretur. Et huc referri debent exempla ſanctißimorum hominum, quæ in ſcripturis occurrunt, & qualia quotidie in illis cernimus, qui Dei vocationem ſequuntur, & eius voluntati ſeſe accōmodant. Si quid ergo huius ſentimus, minimè nos deſperare decet, neq; aliquid facere aut dicere, quod cum noſtra profeßione minus conueniat.

Fides Iairi tentatur.

Et hic mihi non parua laude dignus eſſe videtur Iairus, cuius animum etſi nuncium hoc de filiæ obitu haud dubiè grauißimè vulnerarit, non tamen in muliebrem eiulatum effunditur, neq; geſtibus indecoris doloris impatientiam prodit, multò minus Chriſtum ob moram factam accuſat, aut mulieri, quæ moræ cauſa fuerat, conuitiatur: vt ferè ſolent, qui nullo veræ pietatis ſenſu tanguntur: ſed intra animum ſuum dolorem premit, & (vt mox dicetur) Chriſto ſeſe inſtituendum præbet. Debent hoc imprimis facere Chriſtiani homines, ne ab ijs vincantur, qui etſi futuræ reſurrectionis ſpem nullam habuerunt, ſuorum tamen obitus tulere patienter. De Romano quodam legitur, quòd cùm filij mortem reſciuiſſet, præſenti animo reſponderit: Equidem ſciebam me mortalem genuiſſe. Dauid autem cum in filij morbo letali ſeſe ieiunijs & precibus aßiduis afflixiſſet, vbi mortuum eſſe audiuit, mox corpus abluit & vnxit, atque mutata veſte adorauit Dominum, inde cibum ſumpſit, & tam ſubitæ atque inſolitæ mutationis cauſam quærentibus ſeruis, dixit: Viuente adhuc puero ieiunaui ac fleui, ſic cogitans, Quis ſcit ſi miſereatur mei Deus, vt puer ſuperſtes maneat? nunc autem cum ſit mortuus, quid ieiunarem? num potero eum reuocare vltra? ego vado ad eum, ipſe non redibit ad me. Quantò autem ſapientior fuit Dauid Solone, qui cùm inter Græciæ ſapientes primo loco numeretur, in filij morte eum ſe præbuit, vt nihil à quoquam ſtultius dici potuerit. Cùm enim à quodam moneretur, vt luctui parceret, quia nihil proficeret, reſpondit: Ac propter hoc lachrymor, quia nihil proficio. O ſtultum & delirum hominem, qui quaſi nouum quid & inſolens filio accidiſſet, plorauit, & lachrymis inutilibus indulgendum eſſe putauit, cùm de vera conſolatione potius cogitare deberet. Atqui illum imitantur hodie multi ex Chriſtiani nominis profeſſoribus, qui ſuorum funera immodico fletu proſequuntur, & animi dolorem ſtudiosè fouent, atque iniuriam ſibi fieri arbitrantur, ſi qui ipſis conſolationem adhibeant. Prudentius multò Lycij olim factitarunt, qui in funeribus veſtem muliebrem ſumebant, vt cultus aut habitus deformitate commoti maturius mœrorem deponerent.

Iairi fortis animus in morte filiæ.

2. Sam. 12.

Quia tamen nos non ſaxeos natura creauit, & naturale eſt dilectißimorum hominum obitu commoueri, Chriſtus Iairo mox conſolationem adhibet, qua & ſe eorum curam habere docet, qui in luctu aut mœrore iuſto verſantur, & nos ſimul omnes officij admonet, vt ſecundùm apoſtoli præceptum condoleamus dolentibus, & eorum mœrorem pijs conſolationibus ſubleuemus. Quæ autem conſolatio illa eſt, qua Iairum dolore conſternatum & in fide titubantē Chriſtus confirmat? Ne metuas

Chriſtus Iairū conſolatur.

(inquit) crede ſolummodo, & ſeruabitur. Sunt hæc verba diligenter nobis conſideranda. Primò metuere prohibet, & cauſam addit, quòd filiam ſaluã & viuã accepturus ſit. Atqui verè mortuã fuiſſe, omnes circumſtantiæ docent. Ergo neq; vita neq; mors nos ſeparare poteſt ab ea ſalute, cuius nobis author eſt Chriſtus. Nam ſi viuamus, Domino viuimus: ſin verò moriamur, Domino morimur. Et qui Ieſum excitauit à mortuis, is viuificabit etiam mortalia corpora noſtra per inhabitantem eius ſpiritum in nobis. Eſt hæc omnium efficaciſſima conſolatio, qua in funeribus imprimis vtendum eſſe, Paulus in priori ad Theſſal. docet. Nam quod Chriſtus in præſenti de Iairi filia loquitur, hoc alibi de omnibus nobis pronunciat, quòd à morte in vitam tranſeamus, olim corporibus quoq; reſuſcitando, cùm ipſe venerit ad iudicandum viuos & mortuos. At docet ſimul, quid nos facere oporteat, vt tanto bono fruamur. Crede ſolummodo, inquit. Solam ergo fidem requirit, vt oſtendat in ipſo neque virtutem neque ſeruandi voluntatem defore, modò illam Iairus admittat. Et ſanè non aliud medium eſt, quo ſaluificam, quæ ſe in Chriſto nobis offert, Dei virtutem apprehendamus, præter vnam fidem, qua corda noſtra ſpe certa dilatat & ſupra cælos euehit, vt diuinæ bonitatis theſauros pleno ſinu recipiant. Et eſt hîc probè obſeruandum, quòd in re omnium difficillima, & quæ non vires modò humanas, ſed omnem quoq; humani ingenij captum excedebat, tam diſertè ſolius fidei Chriſtus meminit. Nimiùm ergo proterui & impudentes ſunt, qui nos hodie rident, quòd ſola fide hominem iuſtificari & ſeruari docemus: quaſi verò impoſſibile ſit Deo, quod nobis impoſſibile videtur. Quin Chriſtum audiunt alibi dicentẽ: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Quapropter minimè timendum eſt nobis, ne credendo modum excedamus, vbi de voluntate Dei nobis ex Verbo eius conſtat. Vt enim bonitas Dei inexhauſta & æterna, ſic eiuſdem potentia inuicta eſt. In fide ergo promiſſionum illius conſolationem quæramus, ſi quando duriora certamina nobis incumbunt. Qui enim Iairo dixit: Ne metuas, crede ſolummodo, & ſeruabitur filia tua: idem nobis quoq; omnibus dicit: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet. Item: In mundo afflictionem habebitis, ſed bono animo eſtote, ego vici mundum. Et rurſus: Ne timeas puſille grex, nam complacitum eſt Patri veſtro dare vobis regnum. Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi, &c.

Rom. 8. & 14.

1. Theſſal. 4.

Ioan. 5.

Ioan. 5. 11. 16.

Luc. 12.

Teſtes miraculi.

Sed tranſeamus ad miraculi deſcriptionem, quam hoc ordine Lucas proponit. Primò de teſtibus agit, quos Chriſtus adhibuit. Secluſit is vniuerſam populi multitudinẽ, quæ ipſum huc uſq; ſecuta fuerat, in qua pleriq; indigni erat, qui ad tantæ rei ſpectaculũ admitterentur: & exigebat hoc ipſum temporis ratio, cùm hora illa glorificationis nõdum adeſſet. Neq; etiam miraculo aliquid decedebat, cùm poſtea viuam & ſaluam viderent eam, de cuius morte certum nuncium ad patrem deferri audiuerunt. Et aliâs quoq; Chriſtum cauiſſe ſcimus, ne quid ad oſtentationem faceret. Ideo ex diſcipulis quoque domeſticis tres ſolos deligit, qui ad rei teſtimonium ſufficere poterant: & illis coniungit puellæ parentes, ad quos res maximè pertinebat. Docet autem locus iſte, inter germanos Chriſti diſcipulos non omnes in eodem dignitatis gradu eſſe conſtitutos, ſed pro donorum diuerſitate alios alijs negotijs deſtinari. Quæ omnia cùm ipſe Deus diſpenſet, cuius iudicia iuſta ſunt, nullus inter eos æmulationi locus eſſe debet, neq; decet, vt quis abſq; certa Dei vocatione rebus grauioribus ſeſe immiſceat. Quod vt in eccleſia, ſic in repub. quoq; obſeruari debet, alioqui æmulatio cæca ſimultates & eorum omnium confuſionem pariet.

Funeris apparatus ad miraculi certitudinem facit.

Porro domum ingreſſus familiam omnem in luctu eſſe vidit, & (vt Matthæus annotauit) tibicines quoq; inuenit, quos in funeribus olim apud gentes adhibitos fuiſſe ſcimus. Eſt ergo hoc quoq; argumentum corruptæ apud Iudæos religionis, quando contra Dei legem funera gentilitio more duxerunt, cùm vel ipſa mortis mentio eos fidei in Deum & ſui erga hunc officij admonere deberet. Idem hodie de Pontificiæ religionis ſectatoribus dicere poſſumus, qui cũ Chriſtiani dici & haberi velint, in ipſo tamẽ mortis articulo atq; funeribus ea faciunt, quæ ſatis docent, ipſos ex Iudaiſmo & gentiliſmo vnũ veluti chaos ſuperſtitionum ineptiſſimarũ conflauiſſe. At quia de his alibi diximus, nunc eadem repetere non eſt opus. Obſeruemus autẽ, totum hunc funeris apparatũ, qui iam in procinctu fuit, ad miraculi certitudinẽ & virtutis Chriſti amplificationem facere. Nam niſi verè mortuã eſſe ſciuiſſent, nequaquã locus datus eſſet ijs, qui funus deducere debebãt, neq; etiã familia tota in luctu fuiſſet occupata. Ita Chriſtus pro æterna ſua ſapientia ijs etiã ad gloriã Dei & noſtræ fidei confirmationẽ bene abutitur, quæ à nobis ineptè, imò impiè aut ſuperſtitiosè fiunt.

Ne

Ne tamen morem hunc probare videatur, tibicines quoq; domo eijcit, domeſticis verò conſolationem adhibet. Ne flete (inquit) non eſt mortua, ſed dormit. Non autem luctum aut lachrymas ſimpliciter prohibet, quas niſi modum excedant in funeribus conceſſas eſſe ſupra diximus: ſed nunc luctu aut lachrymis minimè opus eſſe docet, eò quòd filia non mortua ſit, ſed dormiat. Quod etſi Chriſtus pro ratione reſuſcitationis, quæ mox ſecutura erat, dixerit: poteſt tamen ex ea generalis conſolatio & doctrina peti, qua nos aduerſus mortis terrores confirmemus. Reuera enim mors ſomnus eſt, & qui illa ſoluti hinc migrant, ij non pereunt aut moriuntur, ſed obdormiunt. Vt enim poſt diurnos labores corpora noſtra ſomni beneficio recreantur, & poſt horas aliquot expergefacta ad opus redeunt: ita poſt emenſum huius vitæ curriculum, quod laborum & curarum plenum eſt, animæ noſtræ ad beatæ immortalitatis ſedes colliguntur, corpora verò requieſcunt à laboribus ſuis, vt olim cùm magnus ille dies Domini illuxerit, ad vitæ cæleſtis & æterni gaudij poſſeßionem reſurgant. Vbi rurſum ſapientum huius ſeculi ſtultitia arguitur, qui morte totum hominem aboleri arbitrantur & proinde conſolationem certam ac ſolidam habere non poſſunt. Celebres præ alijs ſunt ex horum numero Gymnoſophiſtæ, quibus cùm Alexander Macedo quæſtionem propoſuiſſet, Vtrum plures ſint viui an mortui? reſponderunt, Viui, eò quòd mortui non amplius extent. At ſi non extant amplius, certè perierint oportet, & cum ijſdem perijt ſpes omnis, quã in viuis fouerunt. Quàm verò miſera eſt hæc ſapientia, quæ cum breui & laborum pleno huius vitæ curriculo finitur? Nos ergò Chriſtum audiamus, qui mortuos dormire ait, & alibi Deum Abrahami & Iſaaci & Iacobi Deum eſſe teſtatur, eò quòd illi, etſi quoad corpus obierint, animabus tamen viuant, & olim corporibus quoque ſint reſurrecturi.

Sed ridet Chriſti doctrinam mundus hic, & imprimis quidem ij, qui ſub religionis prætextu ex funeribus lucrum captant, qui in præſenti per tibicines iſtos adumbrantur. In quorum numero primatum facilè habent ſacrificuli & Monachi, qui dum alij mortuos ſuos lugent, ipſi ſuauiter cantillant & conuiuantur: nunquam profectò hoc cum tanto mundi totius ludibrio facturi, ſi vel cælos vel inferos eſſe crederent, aut de reſurrectione mortuorum ſpem quantulamcunq; animo ſuo fouerent. At magno illis conſtabit ludus iſte. Vt enim in præſenti illos ſimul omnes eiecit Dominus, ita olim quoq; ſe à regni cælorum conſortio excludi ſentient, quando alij cum Chriſto viuent & regnabunt, qui illius promißis crediderunt. In præſenti autem reipſa iſtorum riſus atq; ludibria Chriſtus confutat. Nam prehenſa manu puellæ, alta voce clamat: Puella, ſurge. Nec mora redit illico eius ſpiritus, & ſurgit illa, vt qui ex ſomno expergeſiunt. Iubet autem illi cibum dari Chriſtus, vt omnem dubitationem ex parentum animis eximat, quos interea miſerè diſcruciatos fuiſſe non eſt dubium. Ne ergo ſpectrum aliquod ſe videre putarent, eodem argumento nunc iſti miraculo fidem facit, quo poſtea ſui quoq; corporis reſurrectionem aſſeruit. Et quàmuis occulta diuinitatis virtute iſtud omne factum ſit, vocem tamen altius extollit, vt oſtendat, ſe verbum illud Dei eſſe, cuius virtute olim omnis hæc mundi machina ex nihilo producta ſit: & ad quam olim reſurrecturi ſint omnes, qui ante nouißimum ſuum aduentum morientur. Eſt ergo Chriſtus vitæ & mortis dominus, neq; alicui mirum aut impoßibile videri debet, quod illius virtute olim mortuos excitandos eſſe docemus, quando cùm in mortali carne ageret, eius vocem viuifica ſua virtute ad mortuos vſque penetraniſſe conſtat. Vt verò hæc noſtræ reſurrectionis ſpem confirmant: ita totum noſtræ redemptionis negotium euidentißimè adumbrant, cuius idem Chriſtus nobis vnicus author eſt, vt in Marco noſtro diximus.

Chriſtus ridetur.

Chriſtus puellam excitat.

Cæterùm rei nouitate perculſi parentes puellæ ſtupent, quod illis ex carnis infirmitate accidit. Et pium eſt, vt ſingularia Dei opera cum timore obſeruemus. Prohibet autem Chriſtus, ne cui dicant quod factum fuerat. Quod præceptum mihi temporarium fuiſſe videtur. Noluit enim ille ſua miracula perpetuo ſilentio ſepeliri. Proderat autem iſtis, vt rem tanti momenti diligentius ſecum expenderent, & in fide vera confirmarentur, prinſquam illam temere apud quoſuis diuulgarent. Et ſimul cauendum erat, ne miraculo in filia vnigenita & dilectißima edito inſolentius ſuperbirent. Ad hæc non tam à ſacerdotibus periculum erat, qui eius operibus irritabantur, quàm à populo, cuius infinita multitudo confluxerat, ne quid in Chriſto honorando tentaret, quod cum ſeditioſo rerum nouandarum ſtudio coniunctum eſſe videretur. Quid enim non facturi erant hoc miraculo cognito, qui

Miraculum celari vult Chriſtus.

alibi illum regem facere voluerunt, cùm ipſos epulo gratuito excepiſſet? Ita verò docet, nobis quoq; in ijs, quæ facimus, maiorem gloriæ Dei & ſalutis publicæ quàm priuati honoris rationem eſſe habendam. Quàm enim vtriq; officiant, qui ſe præcipiti carnis affectu abripi patiuntur, exempla cùm vetera tum quotidiana abunde docent. Interim ſemper nobis ob oculos verſetur miraculi iſtius ſcopus, vt Chriſtum Ieſum credamus vitæ veræ nobis authorem eſſe, & proinde huic nos totos conſecremus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT IX.

HOMILIA LXXV.

Conuocatis autem duodecim diſcipulis, dedit eis vim ac poteſtatem in omnia dæmonia, & ſanandi morbos. Miſitq; eos vt prædicarent regnũ Dei, & ſanarent ægrotos. Et dixit eis: Nihil ſumite ad iter, neq; virgas, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neq; binas tunicas habete. Et in quamcunq; domum intraueritis, illic manete, & illinc exite. Et quicunq; non receperint vos, exeuntes ex vrbe illa, etiam puluerem à pedibus veſtris excutite in teſtimonium aduerſus eos. Exeuntes igitur obibant ſingulos vicos, euangelizantes & ſanantes vbiq;.

Vide Marcum homil. 47. & 48.

Vidimus hucuſq; multa & præclara opera Ieſu Chriſti, quibus abunde demonſtratum eſt, eum ideo in mundum veniſſe, vt miſeros nos ex peccati laqueis, & diaboli poteſtate redimeret. At ne quis exiſtimaret, hoc eius beneficiũ ad paucos modò pertinere, nunc diſcipulos emittit, qui ipſum paſſim per totam Iudæam prædicent, & homines excitent ad excipiendam eam ſalutem, cuius ipſe nobis author atq; mediator eſt. Quo loco ante omnia obſeruari debet ipſius fides & induſtria, qua inſtar optimi paſtoris nihil eorum omiſit, quibus diſperſæ illæ gentis Iudaicæ oues iterum colligi atq; ſeruari poterant. Cuius induſtriæ inſigne argumentum eſt, quòd neque populi iſtius ingratitudine & contumacia ſe ab inſtituto abſterreri paſſus eſt, neque diſcipulis chariſsimis pepercit, quò minus hos quoq; laboribus fatigaret in ijs vocandis, quorum ingratitudinem iam tot argumentis perſpectam habebat. Admonent nos iſta, ſalutem nobis ex gratuita Dei miſericordia obtingere, quando ipſi quoq; non alia ratione ad illam vocamur: & proinde noſtri officij eſſe, vt eam totis animis amplectamur, & viciſſim nos quoq; totos Chriſto mancipemus per obedientiam fidei. Porro etſi legatio iſta, quæ hîc deſcribitur, ſpecialis fuerit, vt quæ paucorum dierum ſpacio confici debebat, & certis Iudææ finibus circumſcribebatur, quos adhuc exire nefas erat, multa tamen hîc continentur, quæ nos de omnibus ijs admonere poſſunt, quæ ad miniſteriũ verbi Dei & eccleſiæ pertinent.

Certi ex toto diſcipulorum cœtu deliguntur qui prædicent.

Occurrit inter hæc primum, quòd ex toto diſcipulorum & credentium grege, quem tunc habebat Chriſtus, certos & delectos homines mittit, quos prius peculiari vocatione ad prædicandi munus deſtinarat: Nimirum duodecim illos, de quibus in Cap. ſexto eſt dictum. Eo autem facto docet, nõ ſtatim ad docendum idoneos eſſe omnes eos, qui in Chriſti cognitione atq; fide inſtituti ſunt. Hæc enim omnibus neceſſaria eſt, qui ſeruari volunt, neq; vel poſtremus locus in eccleſia illis concedi debet, qui à fide ſunt alieni. Ad docendi verò munus aliæ inſuper dotes requiruntur, quæ non omnibus Chriſtianis communes ſunt: amplior nimirum & profundior myſteriorum ſalutis cognitio, dicendi facultas & ſingularis animi conſtantia atq; fortitudo. Quibus præterea vocationem legitimam accedere oportet, ne quis ex eorum numero ſit, de quibus per Ieremiam queritur Dominus: Currebant, & non miſeram eos. Seruit hoc confutandis Anabaptiſtarum furoribus, qui temere ad docendum prorumpunt, & Pauli loco, qui in priori ad Corinth. cap. 14. habetur, abutuntur, vt cuiuis in eccleſia loquendi poteſtatem faciant. Ergo plus illi hodie ruſticis & cerdonibus permiſſum volunt, quàm prophetis & apoſtolis olim licuerit, quos non ſine certa vocatione ad docendum prodijſſe conſtat. Sed & oſcitanter nimis Pauli verba inſpiciunt, qui ibidem monet, vt omnia decenter & cum ordine fiant, vtq; ſileant, qui interpretationis dono non ſunt inſtructi.

Ierem. 23.

Secundò

Apoſtolorum munus prædicare regnum Dei.

Secundò in quem finem Apoſtolos ſuos Chriſtus miſerit, indicatur: Nimirùm, vt prædicarent regnum Dei. Solet ita dici Euangelium, vel potius vniuerſum noſtræ redemptionis negotium, quod illo prædicatur. Ratio iſtius nominis certa eſt, quòd per Euangelium modus aut via traditur, qua ad regnum Dei peruenitur, & totius prædicationis finis eſt, vt in nobis regnet Deus, quoad in carne hac mortali viuimus, huius autem vinculis ſoluti in cæleſtis regni poſſeſſionem admittamur. Et non temere Chriſtus Euangelium hoc titulo ornare conſueuit. Eo enim auditores illius admonentur, ne quid in ipſo terrenum & caducum quærant, ſed in ea ſola intenti ſint, quæ ad vitam æternam ſpectant. Eſt autem hoc præclarum doctrinæ Euangelicæ præconium, quòd regnum Dei nobis prædicat, & proinde bona illa cæleſtia & æterna nobis offert, quæ non ſolùm omnes huius ſeculi theſauros, verumetiam omnem humani ingenij captum longè ſuperant: Nam quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, nec in mentem homini venerunt, ea præparauit Deus ijs, qui ipſum diligunt. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus Euangelium alibi theſauro & margaritæ confert, cuius gratia debeamus omnia noſtra diuendere. Vnde ſequitur inexcuſabilem & quouis ſupplicio dignam eſſe eorum ingratitudinem, qui quam illis Deus gratis offert regni ſui promiſsionem aſpernantur. Admonet præterea hic locus, quis eccleſiæ miniſtris inter docendum finis aut ſcopus propoſitus eſſe debeat: Is nimirum, vt regnum Dei inter homines propagetur. Nam ſi conditionem, in qua ex Adamo nati ſumus, ſpectes, regnum in nos habuit Satan, qui (vt Paulus monet) dira tenebrarum poteſtate premebat omnes, quos per peccatum in ſeruitutem redegerat. Sed ideo in mundum venit Dei Filius, vt diaboli opera deſtrueret, & Dei regnum inter homines inſtauraret. Huius præcones ergo cùm ſint quotquot Euangelium prædicant, ijdem hoc vnum agere debent, vt ad illud omnes homines adducant. Id autem fieri impoſsibile eſt, niſi ea demoliantur, quæ ad opprimendum regnum Dei Satan excitare aut erigere ſolet. Ideo armis ſpiritualibus miniſtros ſuos Chriſtus inſtruxit, quæ (vt Paulus ait) in Deo valida ſunt ad ſubuerſionem munitionum, & ad demoliendam omnem ſublimitatem, quæ aduerſus cognitionem Dei extollitur. Oppugnent ergo fortiter falſam doctrinam, ſuperſtitiones, nefarios cultus, ſcelera & peccandi licentiam: neque contenti ſint ea aggredi, quæ foris apparent; ſed in ipſos hominum animos penetrent, vt illic latentem impietatem eruant. Ita olim Dei regnum prophetæ prædicarunt; quorum veſtigijs poſtea Ioannes Bapt. & Apoſtoli omnes inſtiterunt: nimirum Chriſti ſpiritu ducti, qui ipſe quoque eandem docendi rationem ingreſſus eſt. Docent iſta, quo loco habendi ſint miniſtri, qui ad ſuperſtitiones conniuent & apertis quoque ſceleribus blandiuntur: quorum magnus vbique eſt numerus hodie, inter eos maximè qui ſub Euangelij prætextu nihil præter carnem & mundum quærunt. At quanta quamque exetrabilis eorum audacia eſt, qui fidis Chriſti præconibus dicendi leges præſcribere audent, & minaciter nimis prohibent, ne aduerſus ea conciones ſuas inſtituant, quibus diaboli poteſtas maximè nititur, & regnum Dei impeditur?

Iſa. 64.
1. Cor. 2.
Matth. 13.
2. Cor. 10.

Apoſtoli bini mittuntur.

Sed ad tertium huius loci caput accedamus, quo miſsionis iſtius modus deſcribitur. Ad hunc pertinet, quòd Marcus binos miſſos fuiſſe ſcribit. Ita verò Chriſtus infirmitati eorum conſulere voluit, quos nondum perfectè inſtitutos eſſe ſciebat. Et eſt hic Dei mos, quòd laborum atque periculorum ſocios dare ſolet ijs, quorum opera in rebus arduis vult vti. Sic olim Moſi Aaronem fratrem collegam dedit, & vtriſque poſtea ſeptuaginta ſeniores adiunxit, qui illos ſubleuarent. Et huius generis exempla paſsim occurrunt. Neminem ergo terreat negotiorum difficultas, ad quæ à Domino vocatur. Poterit enim is facilè excitare aliquos, qui nos iuuent, vel etiam nos ipſos ſuo ſpiritu armare, vt ad ea ſufficiamus, quibus paulò ante eramus impares.

Num. 11.

Apoſtoli miraculis inſtruuntur.

Deinde, quia Apoſtoli doctrinam prædicare debebant, quæ illius ſeculi hominibus noua & inſolens erat, fidem illis Chriſtus per ſigna & miracula conciliat. Nam dedit eis vim & poteſtatem in omnia dæmonia, & ſanandi morbos. Fuerunt hæc inſtar literarum teſtimonialium, quas vulgò credentias vocant. Obſeruabis autem potuiſſe Chriſtum miraculis multò ſplendidioribus illos inſtruere: vt nimirum naturas & ſubſtantias rerum mutarent, oſtentis & prodigijs inſolitis quoſuis territarent: qualia olim Moſes & Aaron in Ægypto fecerunt: Sed quia ad ſeruandum genus humanum venerat, & vt Patris gloriam proueheret, non vt inani oſtentatione virtutis ſuæ gloriam ſiue auram popularem venaretur, eiuſmodi ſignis Apoſtolos inſtruere voluit, quæ negotio

quod agebatur, quàm optimè conueniebant. Ita enim omnes admonebãtur, iam exhibitum eſſe ſemen illud mulieris, quod ſerpentis caput conculcare debeat, & corruptæ hominum naturæ mederi, atque miſeros ex morte in vitam reſtituere. Et hic miraculorum proprius vſus eſt, vt Chriſto & doctrinæ eius teſtimonium ferant, non vt in ea defixi, ſuperſtitionum materiam ex illis colligamus. Faciunt hoc inepti quidam, qui dum per aliquos quid præter naturam in curandis hominum morbis aut dæmonibus profligandis factum audiunt, mox illos inuocatione & cultu diuino dignos eſſe iudicant. Ita verò miraculorum vſum peruertunt, & ex ſalutaribus noxia, ex veris falſa faciunt. Nec enim vera miracula ſunt, niſi quæ veritatis doctrinam ſuo teſtimonio confirmant, & ad vnum Chriſtum deducunt. Quæ cauſa eſt, quòd poſteris temporibus miracula ceſſarunt, cum Euangelij doctrina iam ſatis confirmata eſſet, vt alibi prolixius eſt dictum.

Apoſtolorum commeatus. *Quarto loco Chriſtus Apoſtolos de commeatu & toto legationis iſtius apparatu admonet, in quibus Regum legati plurimùm laborare ſolent, vt & legationes tutius obire poſſint, & ſimul principum ſuorum magnificentiam atque vires oſtentent. Quid autem Chriſtus, Rex regum, cui omnis poteſtas in cælo & in terra data eſt? Nil ſumite (inquit) ad iter, neque virgas, neque peram, neq; panem, neque pecuniam, neque binas tunicas habete. Vbi animo repetere oportet, hîc non de apoſtolatu perpetuo agi, cuius hora nondum aduenerat, ſed de legatione paucorum dierum, quæ vt ſuum vſum tunc habebat peculiarem, ita tyrocinium quoddam erat, quo ad labores maiores præparabantur. Ergo præcepta iſta partim ſymbolica ſunt, partim ad profectionem, quam tunc ſuſcepturi erant, reſtringi debent, in qua feſtinatione & celeritate erat opus. Etenim ſymbolicum eſſe, quod de virga dicitur, ex eo apparet, quòd quam hîc probibet, in Marco permittit. Vbi nemo vel Chriſtum ſibiipſi contradixiſſe, vel Euangeliſtas in recitandis illius præceptis negligentiores & minus circumſpectos fuiſſe putauerit: Nam ſi virgæ aut baculi vſum duplicem ſpectemus, facilè hunc nodum ſecabimus. Prior eſt, quòd corpori ſuſtentando & greſſibus dirigendis ſeruit, & quoad hunc paupertatis quoq; ſymbolum eſt, eò quòd ditiores ferè iumentis vehi & ſuas profectiones maiori cum apparatu atque commoditate perficere ſolent. Quò Iacob patriarcha reſpiciens, vt Dei liberalitatem atque fidem*
Gene.32. *commendaret, dicebat: Cum baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc creui in duas turmas. Alter vſus eſt, quòd ad defenſionem geſtatur, & proinde cuſpidibus ſæpe armantur baculi iſti ſiue ſcipiones, imò interdum gladios occultant. Priori ſenſu virgam apud Marcum permittit diſcipulis Chriſtus, poſteriori autem probibet in præſenti, vt nimirum admoneat, non debere ipſos de defenſione ſolicitos eſſe, ſed ſe totos Dei prouidentiæ committere, qui omnem iniuriam ab illis facilè ſit propulſurus. Altera illa de pera, pane, pecunia & binis tunicis ad feſtinationem pertinent, ne de commeatu, victu & veſtitu ſibi parando ſoliciti cunctentur, ſed abrupta omni mora ad iter ſe accingant, & quod in mandatis acceperant, ſedulò exequantur. Et ſanè, niſi hoc ſenſu accipiãtur hæc præcepta, iam ipſe Chriſtus peccauiſſe dicetur, qui & loculos habuit, & commeatum frequenter per diſcipulos geſtari paſſus eſt, vt ex quinque & ſeptem panum miraculis apparet, & ex eo, quòd illos aliquando anxios fuiſſe legimus, quòd obliti fuiſſent panes ſecum deferre, &c. Similiter Paulus penulam ha-*
2.Tim.4. *buit, quam Troade relictã voluit per Timotheum vnà cum libris atque membranis ad ſe deferri. Minimè ergo audiri debent phanatici, qui præcepta iſta perpetua & vniuerſalia eſſe contendunt, ad quæ omnes eccleſiarum miniſtri aſtringi debeant. Quod perinde eſt, ac ſi quis inter curſorem, cui per equos diſpoſitos iter quàm celerrimè conficiendum eſt, & regium diſpenſatorem diſcrimen nullum eſſe velit, quoad habitum & reliquum apparatum.*

Chriſti maieſtas in apoſtolorum tenuitate eluceet. *Interim diligenti conſideratione dignum eſt, quòd non maiori cum ſplendore Apoſtolos ſuos Chriſtus emiſit. In iſta enim tenuitate ſplendidius elucet illius maieſtas & virtus planè diuina. Etſi enim inopes emittat, & quidem in medios lupos (vt Matth. 10. dicit) eoſdem tamen ſeruauit, vt neque periculum vitæ vllum ſubierint, neque fame aut rerum neceſſariarum penuria laborarint,*
Luc.22. *ſicuti in vltima Cœna ipſimet fatentur. Debet ex eo generalis doctrina peti, ne ſolicitudine & curis nimijs grauemur, ſi quid ex Dei vocatione aut mandato faciendum eſt. Nouit enim ille, quibus potiſſimum nobis opus ſit, & quia fideliſſimus eſt ſuorum pater, nunquam eos negliget, qui in eius ſeruitio diligentes fuerint. Extant huius generis exempla in multis alijs, vtpote Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Iſraelitis in deſerto agentibus, Eliæ: & hodie multa fiunt, quæ poſſunt fidem facere promiſſioni, quæ*

ſioni,quâ Chriſtus pollicetur,nihil ijs defuturum eſſe,qui regnum Dei & eius iuſtitiam ante omnia quæſierint. Et notū eſt illud Dauidis: Iuuenis fui & nunc ſenui,neque vidi iuſtum derelictum,neque poſteros eius mendicantes panem. Admonet præterea nos locus iſte,in Chriſto Ieſu & toto fidei Chriſtianæ negotio non debere externum ſplendorem quæri. Nec enim de mundo hoc eſt regnum Chriſti, neque huius mundi præſidijs aut commendatione opus habet. Itaque ipſius exemplo confutantur Pontifices,qui cùm eius vicarios profiteantur, luxu tamen & faſtu reges potentiſſimos ſuperant: adhæc armatis vndique turmis ſtipantur, vt nimirum in his præſidium habeant, qui armis ſpiritualibus omnino deſtituuntur. Denique ſinguli diſcunt, Chriſtianorum hominum eſſe,ne in externo ſplendore gloriam ſibi quærant. Quid enim ſtultius eſt,quàm iis rebus ſuperbire,quæ momentaneæ ſunt,& tunc ferè dilabuntur, quando illis maximè opus eſt? Quid autem indignius ſeruo Chriſti,quàm relicto humilitatis exemplo, quo ille nobis præiuit, immodico faſtu mundum imitari, è quo nos ille ſelegit? Ioan.15.

Hoſpitia non temere mutanda.

Quintò, quomodo ſe in vrbibus & vicis gerant, docet. In quamcunque domum intraueritis, illic manete,& illinc exite. Paucis hîc dicit,quod infra cap. decimo pluribus explicat. Senſus eſt, non mutanda eſſe hoſpitia,ſed in eo eſſe manendum, quod ſibi primùm delegerint, donec ex vrbe aut vico diſcedant. Seruit autem hoc quoq; feſtinationi, quâ illos vti debuiſſe, iam non ſemel diximus. Hæc enim non ſinebat vt in hoſpitijs quærendis aut mutandis delicatuli eſſent, neque etiam permittebat,vt quem ſibi delegiſſent hoſpitem,diutius grauarent. Interim omnes verbi miniſtros prudentiæ & modeſtiæ admonet: Ne videlicet temere cum quouis commercium ineant, ſed hominum animos atque mores (quoad eius fieri poteſt) explorent neúe ſe rebus ad ſuam functionem nihil pertinentibus immiſceant. Illud enim multis nominibus periculoſum & cum ſcandalo coniunctum eſt: hoc verò vt omnibus alijs, ita peregrinis maximè odium atque inuidiam conciliat. Quis enim virum bonum aut honeſti amantem putet eum, qui improborum conſuetudine delectatur? Aut quis patienter ferat eum, qui negotia aliena curioſius ſcrutatur,& relictis proprijs negotijs ea agit,quæ nihil ad ipſum pertinent?

Quid cum contemptoribus uerbi agendū.

At quia non ignorabat Dominus,pleroſq; hominum doctrinam Euangelij reiecturos eſſe,ſextò loco admonet,quid cum illis agant,qui illam contemnunt, & ipſos quoque præcones recipere dedignantur. Quicunque (inquit) non receperint vos, exeuntes ex vrbe illa,etiam puluerem à pedibus veſtris excutite in teſtimonium aduerſus eos. Primò exire iubet. Ergò verbum Dei non obtrudi debet inuitis,ne fortè margaritas porcis,& ſanctum canibus proijciamus. At hîc multo iudicio opus eſt verbi adminiſtris,ne ſibi ſemper permiſſum putent,quod tunc Apoſtoli facere debuerunt, quibus omnino feſtinandum erat, vt intra paucos dies Iudæam totam percurrerent. Non poterant illi diſputationes longas inſtituere,aut multis agere cum illis,quos contumaciores eſſe videbant. Alia eſt paſtorum ratio, quibus eccleſiæ vnius cura commiſſa eſt. Hos enim docendo, monendo,hortando, increpando inſtare iubet Paulus: imò præcipit,vt malos quoque tolerent, & cum multa lenitate eos erudiant,qui contrariè ſunt affecti. Deinde puluerem à pedibus eos excutere iubet in teſtimonium aduerſus illos. Videtur hoc tunc vulgò in vſu fuiſſe,vt puluerem aduerſus eos excuterent, quos extremo odio aut abominatione dignos eſſe iudicabant. Eo enim ritu ſignificabatur,eorum conſuetudinem tam eſſe noxiam & deteſtabilem, vt ne puluerem quidem boni cum illis cōmunem habere debeant. Seruiebat hoc probe præſenti negotio: quia qui Dei verbū reijciunt, ij indigni ſunt quos terra ferat,& ijdem (vt in Pſal.1. Spiritus ſanctus admonet) inſtar pulueris à vento exagitati diſijcientur. Poterat hoc infinitis exemplis probari,ſed eorum cōmemoratione nequaquā opus eſt,quando cōſtat,omnibus ſeculis infeliciſſimos fuiſſe,quotquot Deum in verbo ſuo loquentem audire noluerunt.

1. Tim. 2. & 4.

Pulueris excuſſio.

Eſt autem obſeruanda probè locutio, quòd puluerem excutere iubet in teſtimonium aduerſus eos. Ea enim à miniſtris zelus requiritur,quo accenſi ſeſe verbi contemptoribus opponant. Eſt hic neceſſarius admodum,partim propter ipſos miniſtros,ne aduerſariorū minis terreantur: partim propter auditores,vt qui adhuc curabiles ſunt,animo perculſi Deo cedant, incurabiles autem aliquando damnationis iuſtæ teſtimonium intra ſemetipſos inueniant. Et eſt hoc euidens iuſtitiæ diuinæ argumentum, quòd neminem niſi teſtibus idoneis conuictum punit. At nemo hinc impunitatis ſpem concipere debet. Nam etſi multorum ea ſit aſtutia, vt hominum oculos fallere poſſint,

Deum tamen nemo latere poteſt, & eidem facillimum eſt ſceleris & inobedientiæ conuincere omnes, qui peccant. Si enim puluis ex miniſtrorum pedibus excuſſus ſufficit in teſtimonium aduerſus eos, qui verbum audire dedignantur, quantum pondus habebunt ipſæ conciones, & aſsidui labores miniſtrorum? quid item non poterunt hîc tot libri, tot prodigia, tot iudiciorum Dei exempla, quibus pœnitere neſcios Deus quotidie excitat? Quòd ſi obijcias, Atqui non curant hæc omnia impij, ideoq́; teſtimonia eiuſmodi facilè eludent: Reſpondeo, Illis etiam inuitis conſcientiam obrepere, quæ illos ſceleris accuſat, & in mentem reuocat omnia, quæ aliquando audierunt atque viderunt. Qua igitur ratione iudicij ſententiam ſubterfugient, quos propria mens accuſat, & qui propriæ conſcientiæ teſtimonio conuincuntur? Eſt autem eadem aliorum quoque ſcelerum ratio, quod gentium philoſophi quoque intellexerunt. Et hinc planctus ille naſcetur, quem impij olim facient, quando Chriſtum in nubibus cæli iudicem venire conſpicabuntur. Quid enim aliud faciant, qui intra animos ſuos ſentiunt, adeſſe iam tempus, quo iampridem meritas ſcelerum pœnas exoluant?

Apoſtoli ubiq; prædicant.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua narratur, vt Chriſti mandatum Apoſtoli obierint. Illos autem exiuiſſe ſcribit Lucas, & obiuiſſe ſingulos vicos, euangelizantes & ſanantes vbique. Paruerunt igitur Chriſto, quàmuis multa eſſent, quæ ipſos abſterrere poterant. Nota enim erat ſacerdotum improbitas, magnatum crudelis furor, & populi totius inconſtantia. Iniquum quoque poterat videri, ex tam magno auditorum cœtu, duodecim ſolos tantis laboribus atque periculis obijcere, imò binos tantùm mittere, vt ita quaſi diuiſa in multas turmas acie hoſtes aggrederentur. Sed nihil huius in quæſtionem vocant, vt qui iampridem didicerant Deo eſſe obediendum in ijs etiam, quæ rationi carnis iniqua, vel etiam ſtulta & impoſsibilia eſſe videntur. Neque ſucceſſus defuit pio inſtituto. Nam vt ſuo loco audiemus, nihil incommodi paſsi redeunt, & læti exponunt Domino quid fecerint. Excitet nos iſtorum omnium conſideratio, vt magnifaciamus Euangelij doctrinam, qua regnum Dei nobis offertur, & illam conſtanti fide amplexi, totos nos conſecremus Domino & Seruatori noſtro Ieſu Chriſto, qui in huius vitæ ſtudio currentes tuebitur, & hoc emenſos in regni ſui cæleſtis & beatitudinis æternæ ſocietatem transferet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXVI.

Audiuit autem Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & heſitabat: propterea quòd dicebatur à quibuſdam, Ioannem excitatum eſſe à mortuis: à quibuſdam verò, Eliam apparuiſſe: ab alijs autem, Prophetam quempiam ex antiquis reſurrexiſſe. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Et ſtudebat eum videre. Reuerſi autem Apoſtoli narrauerunt ei quæcunque fecerant. Et ipſe aſſumptis illis, ſeceſsit priuatim in locum deſertum vrbis, quæ vocatur Bethſaida. Quod cùm cognouiſſet turba, ſecuta eſt eum: ipſe autem excepit eos, & loquebatur eis de regno Dei, & eos quibus ſanatione opus erat, ſanabat.

Vide Marcum Homil. 49. & 53.

SIcuti Dominus noſter Ieſus Chriſtus æternæ Patris conſilio prædeſtinatus eſt, vt humani generis redemptor, adeoq́; Rex & Sacerdos æternus fieret: ita beneuolentiam ſuam & propenſum nos ſeruandi ſtudium multis argumentis declarauit. Inter quæ non poſtremum eſt, quòd non ipſe modò paſsim docuit, ſed vt doctrina ſalutis latius diuulgaretur, diſcipulos quoque ſuos ad prædicandum emiſit, vt per hos ad ipſum recipiendum omnes excitarentur. Ibidem verò ſimul ſuæ ſapientiæ & potentiæ diuinæ ſpecimen dedit, quando illos ita inſtruxit, vt nemini quidem moleſti eſſent, neque tamen ipſis aliquid deeſſet, quàmdiu in hoc ſuo munere verſati ſunt. Admonentur illorum exemplo omnes homines, vt demandatam ſibi à Deo functionem ſedulò & fideliter obeant, neq; de externis huius vitæ præſidijs multum ſoliciti ſint. Fieri enim non poteſt, vt ſuos ſeruos negligat Deus, cuius prouidentia ad feras & volucres, imò ad flores in agris naſcentes extenditur. Subijcit his præſentem hunc

tem hunc locum, Euangeliſta, qui ad huius doctrinæ confirmationem non parum ſeruit, & tria continet, quæ conſideratu digniſſima ſunt. Primo diuerſa vulgi Iudæorum iudicia de Chriſto narrantur, inter quæ præ alijs memorabile eſt Herodis iudicium, qui animum admiſſi ſceleris conſcientia æſtuantem pulchre prodidit. Deinde, vt Apoſtoli ex legatione ſua redierint docet, & vt ad ſe reuerſos Chriſtus exceperit. Additur his nouum bonitatis Chriſti exemplum, qua populum vndique ad ſe confluentem excepit, quæ nouo miraculo occaſionem dedit.

Vulgi diuerſa de Chriſto iudicia.

Primum his verbis exponit: Audiuit Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæſitabat: propterea quòd dicebatur à quibuſdã, Ioannem excitatũ eſſe à mortuis: à quibuſdam verò Eliam apparuiſſe: ab alijs autem, Prophetam quempiã ex antiquis reſurrexiſſe. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Quibus verbis non obſcurè innuitur, Chriſtum non obſcurum aliquem erronem fuiſſe, qui paucis modò et nullius pretij hominibus notus fuerit. Tanta enim fuit nominis eius celebritas, vt in aulam luxu & libidine diffluentem, & ad ipſius tyranni aures vſq; penetrauerit. Nulla ergo excuſatio reliqua eſt Iudæis, qui illum & doctrinam eius contempſerunt: quando vel ſolus hic locus abunde docet, eos non ignorantia, ſed malitia peccauiſſe. Interim non obſeruatu ſolum, verumetiam admiratione dignum eſt, quòd cùm tam variæ & multæ de Chriſto ſententiæ vulgò ferantur, nemo inuentus fuit hucuſque, qui verũ attigerit, vt promiſſum illum humani generis vindicem aut ſeruatorẽ eſſe diceret. Atqui temporis illius conditio illos de hoc admonere poterat, vt iam nihil de miraculis eius dicamus, aut de ijs, quæ circa natiuitatẽ illius accidiſſe ſupra audiuimus. Accedit huic errori alius maior & tantumnon pernitioſior. Nam etſi Prophetam aliquem eſſe ſentiant ex eorum numero, quorũ ſepulchra (vt alibi illis Chriſtus exprobrat) magnificè colebant, non tamen illius doctrinæ fidem adhibent, neque qua decet diligentia in eius miracula intenti ſunt. Ita verò ſolent huius ſeculi filij. Etſi enim tantus veritatis atque virtutis diuinæ ſplendor ſit, vt eum diſſimulare aut negare non poſſint, eidem tamen non cedunt, eò quòd ſuis ſtudijs illam repugnare ſentiunt. Nos autem iſtorum exemplo admonemur, religionis cauſam minimè hominum iudicijs ſubijci debere. Vt enim hi in diuinis nihil ſapiunt ex ſemetipſis: ita affectibus quoque prauis diſtrahuntur, qui illos lucem oculis ſeſe ingerentem cernere non ſinunt. Itaque tutiſſimum eſt, Deum in ſcripturis loquentem audire, qui ipſa eſt veritas.

Matth. 23.

Herodes animo errore hæſitat.

Sed ad Herodem veniamus, qui hæſitauiſſe dicitur, quòd nonnullos audiret, qui Ioannem ex mortuis reſuſcitatum eſſe putarent. Erat enim tunc vulgaris inter Iudæos error de animarũ transmigratione in alia corpora: Et mirum eſt, illum inter eos locum inueniſſe, quorum pleriq; de animarũ immortalitate dubitabant. Sed facilè fert Sathan quemuis errorem, modò à veritatis doctrina nos abducat: imò hoc illi præcipuum ſtudium eſt, vt nouis quotidie erroribus implicemur, vt magis incertos reddat, & facilius in tenebris nos detineat. At hæſitatio illa timoris argumentum eſt, quem animo concepit Herodes, eò quòd Ioannem reſuſcitatum putaret. Et ſi verba eius examines, illum quidem timorem hunc diſſimulare voluiſſe videbis, non autem id potuiſſe, quò minus animum miſerè anxium atq; fluctuantem proderet. Nam quaſi de Ioanne abs ſe occiſo glorietur, inquit: Ioannem ego decollaui: Ac mox admirabundus & trepidus ſubijcit, Quis eſt autem iſte, de quo ego talia audio? Ergo intra animum ſuum ſentiebat virtutem maiorem in Chriſto relucere, & vel Ioannem ſeipſo nunc maiorem reſurrexiſſe, vel Chriſtum illo longè eſſe potentiorem. Quo exemplo docemur, impios veritatis hoſtes nunquam aſſequi quod volunt, neq; metu & curis liberari, etiamſi è medio ſublatos videant, quos maximè oderunt. Manet enim alta mente repoſta ſcelerum conſcientia, quæ infelices excruciat, & quando minimè putant, nouos verbi ſui preconés excitat Deus, qui aut pari aut etiam maiori ſpiritus ardore atq; vehementia illos accuſant, & intra animos ſuos ſceleris admiſſi conuincunt. Sic olim Eliæ Eliſæus ſucceſſit, qui Achabi domum atq; poſteritatem fortius quàm ille terruit, imò illam funditus euertit. Neminem ergo tyrannorũ ſucceſſus & laborioſa, quæ ſub his habetur, piorum conditio offendat. Illi enim ſub purpura & vultus læti ſimulatione animos aſſiduis curis contabeſcentes tegunt: hi autem tandem ad Chriſtum colliguntur, ſucceſſores autem ferè eliquunt, qui cauſam ipſorũ aſſerunt, & proinde hac vita defuncti de hoſtibus ſuis glorioſe triumphãt.

Herodes cupit videre Chriſtũ.

Cæterũ obſeruari ſimul debet curioſa Herodis audacia, vel potius audax atq; impia curioſitas. Etſi enim à propria conſcientia ſe morderi & pungi ſentiat, & ad Chriſti mentionem trepidet,

eum tamen videre cupit, aut ſaltem ſe hoc cupere ſimulat, vt fortis & intrepidus videatur. Similes huius ſunt hodie multi, qui Euangelij audiendi & cognoſcendi ſtudium & animi fortitudinem inuictam præ ſe ferunt, cùm intra ſe toti trepident, & veritati crudeles inſidias ſtruant. At tunc nos Chriſtum imitari conuenit. Is nihil facit in Herodis gratiam, vt neque poſtea, quando à Pilato ad illum tranſmiſſus fuit. Sciebat enim impium & fraudulentum nebulonem eſſe (quæ cauſa eſt, quòd vulpem infrà vocabit) & proinde indignum, quem ſuo vel conſpectu vel colloquio dignaretur. Cuius vtinam meminiſſent, qui hodie principibus nimiùm ſeruiliter morem gerunt, vt illorum amicitia atque fauore frui poſſint. Falluntur hi plerunq; & dum ſibi conſulere volunt, tam ſeipſos quàm veritatis cauſam turpiter produnt atque perdunt. Semper ergo in auribus noſtris ſonet Regij illius Prophetæ vox: Ne fidatis principibus, neq; filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.

Apoſtol. ad Chriſtum redeunt.

Tranſeamus nunc ad alterum huius loci caput, quo Apoſtoli ad Chriſtum rediiſſe dicuntur, & quid hic cum illis egerit narratur. Et illi quidem ei omnia narrarunt, quæcunque fecerant. At quia nullius querimoniæ hîc mentio fit, ſatis apparet, legationem hanc illis feliciter ceſſiſſe: ita nimirum ipſos ſeruante Chriſto, cui ſeruiebant. Eſtq; hoc inter eius miracula non poſtremum, quòd cùm ipſum odiſſent principes atque Sacerdotes populi Iudaici, & ijdem diſcipulis quoq; propter ipſum infenſiſſimi eſſent, illis tamen totam terram tutò obire & Euangelium prædicare licuit. Soletur nos exemplum hoc, ne nos ignauo metu abſterreri patiamur, ſi quid ex Dei mandato faciendum eſt. Vt enim is nos viribus inſtruere & ad quæuis idoneos facere poteſt: ita non difficile eidem fuerit, hoſtium manus continere, & frænum illis inijcere, qui aduerſus ſeruos ipſius inſurgunt. Simul autem officij ſui admonentur omnes verbi adminiſtri, vt omnem ſui miniſterij laudem atque gloriam ad Chriſtum referant, & ita res ſuas inſtituant, vt huic rationem reddere poſſint, atq; eius iudicio probentur. At quia de hoc alibi non ſemel diximus, paucula hæc modò ſufficiant.

Chriſtus cum diſcipulis ſecedit.

Nunc Chriſtum videamus, qui aſſumptis diſcipulis ſeceſſit priuatim in locum deſertum vrbis Bethſaidæ. Cauſa ſeceſſionis huius duplex fuit. Prima, vt Herodis furorem declinaret, & hanc non obſcurè Matthæus indicat, qui illum audita Ioannis morte, nauicula in deſertum abiiſſe ſcribit. Vnde colligimus hanc Apoſtolorum miſſionem eo ipſo tempore mox factam fuiſſe, quando Ioannem Herodes è medio ſuſtulit. Terruit haud dubiè exemplum iſtud multorum animos, qui Dei verbum ſuſpiciebant. Ne ergo hoc cum Ioanne extinctum putarent, nouis præconibus opus fuit, quorum prædicatione confirmarentur. Et credibile eſt, diſcipulos Chriſti, licet feliciſſimè ipſis ceſſiſſet ea legatio, aliquid tamen humani paſſos & tanti viri morte perculſos fuiſſe, cùm hoc quaſi præludio admonerentur, quid ipſis aliquando euenturum eſſet. Vt ergo tyranno ſæuitiæ nouæ occaſionem dare noluit Dominus, ita ſimul diſcipulorum infirmitati conſuluit, vt trepidos & conſternatos nouis conſolationibus recrearet. Apparet autem in Chriſti facto, quæ nam Herodis mens fuerit, & quo conſilio illum videre ſtuduerit: nimirum vt per inſidias interceptum vnà cum diſcipulis occideret. Nec enim mitiores fiunt impij ex conſcientiæ terroribus, ſed potius nouos furores animo concipiunt, & deſperatione in rabiem aguntur, vt ipſi etiam Deo bellum inferre conentur. Sed vt non potuit Chriſtum fallere crudelis illa vulpes: ita neque hodie vllis impiorum conſilijs fallitur. Videt enim ex alto, quid illi machinentur, imò quid intra animos ſuos ſtatuant, & ideo hæc omnia facilè eludit. Docet autem ſuo exemplo, licere nobis, vt impiorũ furori cedamus, quando id ſalua gloria Dei & vocatione noſtra fieri poteſt. Nam quod hîc facit, id alibi quoque eum feciſſe legimus, quoties ante horam ipſi à Patre conſtitutam hoſtes eum perdere voluerunt. Et diſcipulis dicit: Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Veruntamen hic diligenti cautione opus eſt, ne dum nobis ipſis conſulimus, ſtationem deſeramus, in qua à Deo ſumus conſtituti. Itaque ſi in eas redigamur anguſtias, vt aut moriendum ſit nobis, aut aliquid faciendum præter officium, tunc vel mori ſatius fuerit, quàm aliquid admittere, quo Dei gloria labefactetur.

Exemplum reipub. malè conſtitutæ.

Præter alia autem regni tyrannici & Reipub. malè conſtitutæ exemplum locus iſte nobis exhibet. Nam Herodis ſæuitiam eò vſque progreſſam fuiſſe videmus, vt viri boni & Dei amantes tutius in deſertis locis inter feras, quàm in vrbibus eius imperio ſubditis agerent: nihil autem interea periculi erat hominibus impuris, inceſtis, ebrioſis, iniuſtis, ſanguinarijs, qui in media eius aula dominabantur. Similis olim ſub Achabo & Iezabele fuit rerum facies, & eius generis exempla multa

Imperatorum Romanorum hiſtoriæ nobis exhibent, qui fidem Chriſtianam perſecuti ſunt. Et vtinam non hodie quoque multi ita regnarent, vt ebrioſis quidem & adulteris, imò graſſatoribus & prædonibus liceat omne genus flagitij in medijs vrbibus deſignare, pijs autem non liceat in priuata aliqua domo cœtum ſacrum agere, in quo Dei verbum audiant, & Sacramentis à Chriſto inſtitutis communicent. At quid de vrbibus aut domibus priuatis dico, quando ne in ſyluis quidem et inter ferarum luſtra tutò degunt, qui puriorem Chriſti doctrinam profitentur? At non diuturna fuit Herodis potentia, qui non multò poſt cum inceſta & ſanguinaria Herodiade terris exutus & in exilium relegatus eſt, in quo vitæ turpiter tranſactæ finem infelicem impoſuit. Et ſuas etiam pœnas dederunt alij tyranni, qui eius veſtigia ſecuti ſunt. Debent exempla eiuſmodi diligenter obſeruare omnes, qui magiſtratum gerunt: vt imprimis quidem Chriſto Regi gloriæ portas ſuas aperiant, & eccleſiæ eius penes ſe locum dent: deinde verò ciuium ſuorum corpora, honorem, famam & fortunas ſedulò tueantur. Nam illud quidem religio, hoc autem iuſtitia requirit, quibus duabus quaſi columnis atque fulcris Reſpub. nititur.

Altera ſeceſſionis Chriſti cauſa eſt, quòd diſcipulos ex itinere & prædicandi labore feſſos recreare voluit. Et hanc Marcus indicat, qui eum dixiſſe ſcribit: Venite vos ſoli in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Et ibidem cauſam quoque aſsignat, dicens: Erant enim multi, qui veniebant & abibant, vt ne cibum quidem capere vacarent. Elucet in eo admirabilis Chriſti Ieſu bonitas, qui non requiſitus diſcipulis otium & quietem permittit, vt vires multo labore exhauſtas rurſus colligant. Nouit enim infirmitatem noſtram, & proinde ſupra vires nos grauari non ſinit. Huius nos meminiſſe decet, ſi quando morbis aut quibuſcunque alijs aduerſis grauamur. Eſt hæc Chriſti palæſtra, in qua ſuos ille exercet, & vt ille Agonothetes eſt oculatiſsimus, qui nos certantes ſpectat, ita laborantibus aut nouas vires ſuggerit, aut præter omnem expectationem certamini finem imponit. Interim illius exemplum ipſi quoque imitemur, ne in eos duriores & iniqui ſimus, in quos nobis ius eſt & imperium. Nec enim fruſtra Sabbatũ Deus inſtituit, in cuius præcepto diligentiſsima ſit mentio ſeruorum, ancillarum, peregrinorum, imò iumentorum quoque. Vnde colligimus cum ſacrilegio coniunctam eſſe eorum inhumanitatem, qui à Deo conceſſam quietem ſuis inuident aut præripiunt. At hîc non minus videre oportet, vt cum Chriſto ſeceſſum petamus, ne otiũ illud prophanum ſit, & vitijs occaſionem præbeat. Peccatur hodie in vtramq; partem, dum alij quidem auaritia faſcinati ſeipſos & ſuos laboribus immodicis fatigant, alij verò ſabbati quiete ad voluptates & carnis licentiã abutuntur, vt nunquã magis diabolo ſeruiant, quàm quando toti Deo addicti eſſe debebant. Chriſtus diſcipulis quietem concedit.

Sequitur tertium huius loci caput, in quo Chriſti facilitas atque bonitas nouo exemplo commendatur. Cùm enim populus intellexiſſet, eum in deſertum ſeceſsiſſe, mox pedeſtri itinere (vt Marcus ſcribit) ex multis vrbibus magno concurſu facto illum ſequuntur, & tanta quidem feſtinatione, vt ipſum præuenerint. Fuit zelus hic per ſe bonus & ſanctus, in eo autem repræhenſione digni ſunt, quòd plerique ea modò quærunt, quæ carni ſeruiebant, non vt cœleſti doctrina ad vitam æternam inſtituantur. Eſt horum magnus numerus hodie: qui & ipſi circa initium feruent, vt nihil non facturi videantur, at mox frigeſcunt, ſi Chriſtum votis ipſorum minus reſpondere ſentiant. Qui vt ſeipſos ſalute æterna ſpoliant, ita alijs quoq; mali exempli authores ſunt, & ſæpè eccleſias totas miſerè diſsipant. At qualeſcunq; iſti fuerint, ſuo tamen exemplo noſtri ſeculi mores damnant. Nam cùm Chriſtum nonniſi temporalium beneficiorum authorem eſſe putent, nihilominus tanto feruore eum ſequuntur, & dignum cenſent, cuius cauſa vrbes atque domus ſuas relinquant. At hodie, qui illum æternæ ſalutis authorem eſſe profitentur, vix adduci poſſunt, vt ſemel aut iterum in ſeptimana ipſum in Euangelio ſuo loquentem audiant. Populus Chriſtum ſequitur.

Quid verò in præſenti cum illis agit? Sunt in hoc deſcribendo Euangeliſtæ admodum diligentes, vt eius benignitatem omnibus perſpectam faciant. Primò enim Marcus eum ad populum prodijſſe dicit, vt (quod hîc annotatur) eos exciperet. Ita ergo quietem quæſiuit, vt minimè negligeret eos, à quibus ſe quæri videbat. Et vt eos aliquo labore leuet, ſponte illis obuiam progreditur. O miram facilitatem, & incredibilem in ferendis aliorum moribus patientiam. Hodie, qui ſe eius vicarios profitentur, vix Reges & Imperatores intra ſuos parietes ad pedum ſuorum oſcula admittunt, nedum vt ad opificum, agricolarum, mendicorum turbam ipſi progrediantur. Deinde totus Chriſti benignitas erga populum.

O

miſericordia mouetur ſuper eos (quod etiam Marcus annotauit) eò quòd ouium inſtar vagarentur, quæ paſtorem non habent. Erant quidem infiniti, qui paſtores illorum dici atque haberi volebant, Sacerdotes nimirum & Scribæ, ſed hi omnes non aliud agebant, quàm quod Ezechiel de ſui ſeculi paſtoribus dicit: Paſcebant enim ſeipſos, dum in hoc erant, vt ex populi fortunis diteſcerent, nihil interim de doctrina & cultu Dei ſoliciti. Et cùm ipſi in diuerſos ordines ſciſſi eſſent, fieri non poterat, quin populus quoque ſub illis in ſectas ſcinderetur. Hinc ergo diſſipatio illa, quam Chriſtus ſine acerba animi commotione intueri non potuit, eò quòd cum miſerorum exitio coniunctam eſſe ſciret. Nec enim ſeruari poſſunt, niſi qui in ipſo vnum ſunt, & Eccleſiæ vnitatem ſedulò tuentur. At ſi eorum miſeria commouetur ille, qui diſſipati hinc inde oberrant, quis non eundem vehementer illis iraſci putet, qui diſſipationum eiuſmodi authores ſunt? Hinc ergo graues illæ increpationes & comminationes, quibus aduerſus Phariſæos & Scribas fulminauit, quos modò lupos, modò fures & latrones dicit, & horrendum illud væ intonando eoſdem exitio deuouet. Neque dubium nobis eſſe debet, illum etiam hodie ſuorum miſeria moueri, & non minus illis iraſci, qui eccleſiam eius falſa doctrina & vaniſſimis ſuperſtitionibus dilacerant. Ne autẽ hæc Chriſti bonitas in otioſa & inani commiſeratione acquieuiſſe putaretur, addit Lucas: Et loquebatur eis de regno Dei, & eos quibus ſanatione opus erat, ſanabat. Plus ergo inueniunt iſti quàm quærebant. Qui enim carnalibus intenti erant, ijs Dei regnũ prædicatur, de quo iam ſæpe diximus. Interim non deſunt miracula, quibus & morbis eorum medetur, & (qui proprius miraculorum vſus eſt) doctrinam ſuam confirmat, ne de eius veritate dubitent. Magna autem apud nos eſſe debet Euangelij authoritas, quando huius prædicationi maximè vacauit Dei Filius, & ad eius commendationem opera eius miraculoſa imprimis ſeruiunt. Agnoſcamus ergo beneficium hoc ingens, quo inter poſtrema mundi huius ad ſuum finem tendentis certamina nos Deus dignatur, & audiamus in Euangelio loquentem, vt ex peccati laqueis redempti vitæ æternæ hæredes ſimus cum Ieſu Chriſto, Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXXVII.

Dies autem cœperat inclinare, & accedentes duodecim dixerunt ei: Dimitte turbam, vt abeuntes in circumiacentes vicos & agros, illuc diuertant, & inueniant cibaria: nam hic in loco deſerto ſumus. Ipſe verò dixit eis: Date ipſis vos quo veſcantur. Ipſi autem dixerunt: Non ſunt nobis plus quam quinque panes & duo piſces, niſi nos profecti emamus toti huic populo eſcas. Aderant enim quaſi viri quinquies mille. Ait autem diſcipulis ſuis: Facite vt diſcumbãt per ſingulos quoſque diſcubitus quinquageni. Ipſi igitur ita fecerunt, & diſcubuerunt omnes. Ipſe verò acceptis quinque illis panibus & duobus piſcibus, ſuſpiciens in cœlum, benedixit eis, & fregit, deditꝗ diſcipulis vt apponerent turbæ. Comederunt igitur omnes illi, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt quod ſuperfuit illis fragmentorum cophini duodecim.

Vide Marcum Homil. 54. Ioannem item Homil. 45. & 46.

QVemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſua doctrina ſe omnium, qui ad ipſum veniunt, ſeruatorẽ eſſe teſtatur: ita miracula quoq; eiuſmodi ædidit, quæ non obiter modò hanc eius doctrinam confirmant, ſed nobis quoq; priuatim talem fore docent. Inter ea non poſtremum cenſeri debet, quod modò recitauimus. Hoc enim ſe panem illum vitæ eſſe declarat, qui ſolus nos ad vitam cæleſtem & æternã alit, ſimulq́ue promiſſionibus ſuis fidem facit, vt intelligamus ijs, qui ipſum ſequuntur, nihil defuturum eorum, quæ ad corporis aut animæ ſalutem faciunt. Vt ergo hîc nobis Dei prouidentia commendatur, quæ omnes homines paſcit & ſeruat: ita miniſterij quoque eccleſiaſtici typus proponitur, per quod ſeipſum Chriſtus nobis propinat, vt in ipſo ſalutem æternam habeamus. Non temere ergo factum putabimus, quòd huius miraculi hiſtoriam Spiritus ſanctus ab

omnibus Euangeliſtis deſcribi voluit: quorum diligentia nos excitare debet, vt in eius conſideratione attentis animis verſemur.

Occaſio miraculi.

Primùm occaſio totius facti narratur, quam temporis circunſtantia præbuit. Iam enim dies inclinare cœperat, vt ſatis conſtaret, populum, niſi abſque mora dimitteretur, in proximos vicos aut vrbes peruenire non poſſe. De eo igitur Chriſtum diſcipuli admonent, qui mox ſeſe ad opus accingit, vt illis proſpiciat, qui iam aliunde cibum non poterant habere. Quo loco ſingulæ perſonæ non oſcitanter inſpici debent. In populo enim magni zeli atque ſtudij argumentum eſt, quòd qui ex remotiſsimis locis conuenerant, eò vſque cum Chriſto manent, & tantam ex eius doctrina voluptatem capiunt, vt nec dies ad occaſum inclinans eos de reditu admoneat. Atqui non dubium eſt, multis hoc valde incommodum fuiſſe, quos rei domeſticæ cura reuocare poterat. Sed facilè omnem iacturam ferunt, quos pretioſiſsimæ illius margaritæ cupiditas ſemel accendit, & qui Euangelij dulcedinem iam intra animos ſuos guſtare incipiunt. Nobis autem iſti noſtram ſocordiam & ingratitudinem exprobrant, quibus graue eſt Chriſtum domi noſtræ concionantem audire, & qui omnem moram moleſtè ferimus, quæ audiendo verbo Dei tribuitur.

Zelus Chriſti erga homines.

At non minor zelus in Chriſto apparet, qui cùm quietis capiendæ gratia eò ſe cum diſcipulis ſuis contuliſſet, tam diu tamque patienter illos fert, qui ad ipſum confluxerant, neque eos inſtituere dedignatur, quos commodi alicuius temporalis ſpes potius quàm regni Dei ſtudium trahebat. Hinc ergo conſolationem petant, qui metuunt, ne ipſos Chriſtus faſtidiat, & proinde in precibus frigidiores ſunt. Atqui delectatur ille importunitate noſtra, & hunc cibum ſuum eſſe dicit, vt ex Patris ſui mandato quàm plurimos ſeruet. Exemplum autem eius ſibi imitandum proponant omnes eccleſiarum miniſtri, neque eos alicuius laboris aut moleſtiæ pigeat, quæ in docendo populo publicè aut priuatim deuoranda eſt. Meminerint ſe hoc officium non tam auditoribus ſuis, quàm ipſi Chriſto præſtare, qui eccleſiam propria vita & ſanguine chariorem habet. Quòd ſi qui hîc negligentiores ſunt, næ illi non ſatis dignè gratiam ſibi factam æſtimant, & olim ſuæ ſocordiæ pœnas dignas exoluent. Ioan. 4. At non ſine certo conſilio miraculum hoc ad veſperam vſque diſtulit Dominus. Ita enim populi fidem atque patientiam probari oportebat, vt omnibus conſtaret, quales eſſe debeant, qui beneficentia eius frui cupiunt. Simul etiam fidem noſtram hoc exemplo confirmat, ne ſtatim deſperemus, ſi quando nos in anguſtias extremas venire patiatur. Nam vt nihil præſidij in humanis reliquum ſit, ſemper tamen illi ad manum erit ratio, qua rebus afflictiſsimis ſalutem afferat. Nos autem eò vſque exerceri vtile eſt, vt ſalutem nobis ab illo vno obtingere ſentiamus, & ea accepta cum gratiarum actione bene & ſalubriter vtamur.

Diſcipulorum Chriſtum admonentium error.

Porrò de diſcipulis quoque aliquid dicendum eſt, qui Chriſtum de populo dimittendo admonent, & ad hoc argumenta à loco & tempore deſumpta proferunt. Poterat hoc charitatis officium videri, neque ego negauerim illos populi miſertos fuiſſe, quem tanto cum incommodo huc uſque apud Chriſtum hæſiſſe cernebant. At non caruit vitio iſta miſericordia. Inexcuſabilis enim arrogantia eſt, quòd populum ſibi magis quàm Chriſto cordi eſſe, & hunc monitore opus habere putant: imò quòd tantum ſibijpſis tribuunt, vt non vocati aut requiſiti ſuum illi conſilium proponant. Deinde Chriſtum negligentiæ inſimulant, aut etiam ſuperbiæ, quaſi nulla loci aut temporis ratione habita, populi ſimplicis patientia abutatur. Præterea promiſsionum eius immemores fuiſſe apparet, eius maximè, qua is nihil illis defuturum eſſe pollicetur, qui ante omnia regnum Dei & eius iuſtitiam quæſierint. Et cur non ſeipſos conſiderant, quos ille non ſine miraculo huc uſque ſeruarat, & non ita pridem liberaliter aluerat, cùm eos abſq; omni commeatu ad prædicandum ablegauiſſet? At hi ſapientiæ humanæ fructus ſunt, ſi eius fiducia freti ſine Deo ſapere inſtituimus. Hinc enim errores & peccata omnis generis emanant, & multorum exempla extant, quibus propria ſapientia exitium attulit: inter quos vel vnus Saul infelici ſuo exitu nos terrere poterat.

Chriſtus diſcipulos iubet, quod illos ſciebat eſſe impoſſibile.

Cæterùm Chriſtus, vt & diſcipulorum errorem corrigat, & populo eſurienti ſuccurrat, ad miraculum accingitur, & ſimul illos ad diligentiorem eius conſiderationem præparat. Iubet enim, vt ipſi tantæ multitudini cibum depromant. At hoc factu impoſsibile eſſe ſciebat: iubet tamen, primùm vt eorum temeritatem arguat. Quaſi diceret: Si vobis populus magis quàm mihi cordi eſt, agite, ipſi illis inſternite menſam, vt videam quid vos tanti conſultores poſsitis: deinde vt miraculi veritas

ipſis certius & luculentius innoteſcat. Quò etiam facit, quòd apud Marcum illos abire & videre iubet, quot panes habeant. Etenim niſi id feciſſent, exiſtimare poterant, aliunde allatos fuiſſe panes & cibaria, quibus illi paulò poſt ſaturati ſunt. Ergo ad fidem illorum confirmandam facit mandatum hoc, quo rem iubebat, quam ipſi præſtare non poterant. Quo exemplò confutantur, qui arbitrij noſtri libertatem & humanæ naturæ vires ex præceptis in lege datis aſtruere conantur, & nos Deum fingere clamant, qui cum hominibus ludat, ea iubendo quæ ipſis præſtitu impoßibilia ſint. An ergo cum diſcipulis ſuis luſit Chriſtus, quando vt tot millibus hominum conuiuium parent iuſſit? Imò vt ita faceret opus erat, vt oſcitantes illos & confidentes ad rei, quæ tunc agebatur, conſiderationem diligentiorem excitaret. At non minus nobis opus eſt, vt qui natura confidentiores ſumus, ad legem remittamur, vt huius pondere ſuperati diſcamus ad gratuitam Dei miſericordiam confugere, & Chriſtum amplecti, qui nobis ab illo ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redemptio factus eſt. Conuincuntur præterea hoc exemplo, qui miracula nobis obtrudere ſolent, quæ nemo hominum vnquã vidit, & quorum ne mentionem quidem aliquam Chriſtus fecit: qui (vt Euangelica hiſtoria teſtatur) miracula ſua omnibus nota & ab omni fraudis ſuſpicione alieniſſima eſſe voluit.

Iubentur discumbere. *Sed ad rem ipſam accedamus, quam ita peragit ille, vt in ſingulis eius partibus diuina ipſius potentia ſeſe proferat. Primùm enim diſcipulis præcipit, vt populum hunc diſcumbere iubeant, & ita quidem vt per ſingulos diſcubitus quinquageni collocentur. Faciebat hoc quoque ad miraculi certitudinem, quia facilius tota hæc multitudo numerari poterat, & confuſio cauebatur, quæ alioquin negotium hoc omne facilè turbaſſet, ipſi autem ſe mutuo ſpectare poterant epulantes. Memorabile autem obedientiæ Chriſtianæ exemplum diſcipuli præbent. Nam etſi ridiculum videretur, tam numeroſum populum ad diſcumbendum inuitare, cùm ſibi nihil præter quinque panes & duos piſces ad manum eſſe ſcirent, Chriſto tamen hoc ita iubenti ſimpliciter obediunt. Imitemur nos, vt quàmuis abſurdum videatur carnis iudicio quod Deus iubet, neq; nobis de rei euentu aliquid certò conſtet, noſtrum tamen illi officium præſtemus. Noſtrum enim obſequium Deus poſtulat, non autem conſilio noſtro vtitur, quod in diuinis omnino nullum eſt.*

Chriſtus benedicit. *Deinde acceptis quinque panibus & duobus piſcibus in cælum ſuſpicit, & illis benedicit. Fuit hic illi mos perpetuus, vt nunquam ſine gratiarumactione cibum ſumeret: in præſenti tamen rei magnitudo geſtus quoque peculiares requirebat, quibus aſtantes ad magis ſeriam contemplationem excitarentur. In cælum ergo ſuſpicit, vt nihil hîc humanum animo concipiant, ſed cæleſti & diuina virtute hoc omne perficiendum fore cogitent. Etenim neceſſe omnino erat ad cælum remittere diſcipulos, quos ob populi multitudinem & commeatus tenuitatem non parum dubitaſſe verba eorum teſtantur. Neque aliud nobis præſentius remedium eſſe poteſt in quauis rerum anguſtia, quàm ſi terrenis nimiùm intentos animos in cælum attollamus, & illîc nos Patrem habere cogitemus, cuius bonitas immenſa, miſericordia inexhauſta & potentia inuicta ſit. Iſta enim conſideratio facilè omnes carnis rationes retundit, quibus illa fidem noſtram oppugnat. Ideo Dauid in Pſalmis canit: Leuo oculos meos ad montes, vnde veniat meum auxilium. Auxilium meum venit à conditore cæli & terræ. Et in Oratione Dominica exordimur: Pater noſter, qui es in cælis. Benedicit præterea panibus & piſcibus iſtis Dominus, partim vt cibos ex Dei benedictione dari doceat, partim vt gratiarumactionem commendet, quæ ſola illos nobis ſalutares reddit. Suo igitur exemplo eos damnat, qui vt bonorum omnium authorem Deum non agnoſcunt, ita porcorum inſtar ad menſas accedunt, & neq; petunt ſibi à Deo victum dari, neq; pro illo iam accepto gratias agunt. Eſt hæc ingratitudo deteſtabilis, cùm tam multa argumenta ſint, quæ terram à nobis nequicquam coli docent, niſi Dei benedictione fœcundetur. Quod qui non agnoſcunt, ij & ſenſum communem exuerunt, & illius donis ferè in ſuum exitium abutuntur.*

Miraculi veritas aſſeritur. *Addit autem his tertium Chriſtus. Panes enim frangit, vt commodius in populum diſtribui poßint, & fractos diſcipulis tradit, qui eos diſcũbentibus apponunt. Interim occulta Dei virtute intra illorũ manus tam panes quàm piſces multiplicantur, vt ex illis omnes edant, & ſaturentur. Vbi rurſus rei geſtæ veritas aſſeritur, et omnis præſtigij ſuſpicio remouetur. Quis enim præſtigio locus eſſe potuit, quando panes ad illũ diſcipuli detulerunt, ipſe illis videntibus eos fregit, iiſdem reddidit, & eorundem miniſterio in illis diſtribuendis vſus eſt? Et vt demus hîc aliquid doli fuiſſe, apud*

populum

populum tamen hic minimè habuiſſet locum; quando omnes illi comederunt & ſaturati ſunt. Quod niſi verè factum fuiſſet, nunquam ad Chriſtum rediiſſent, quod illos craſtino die feciſſe Ioannes ſcribit. Adde his reliquias fragmentorum, quæ panes illos quinque ad minimum duodecuplo ſuperauerunt, cum ex illis cophini duodecim impleti fuerint. At quia nobis cū Chriſtianis hominibus res eſt, omiſſis iſtis, miraculi huius vſum inſpiciamus, qui præter id, quod Chriſti diuinitatē aſſerit, & eum omnium creatorem eſſe docet, de tribus adhuc cognitu neceſſarijs nos admonet.

Obſignatur promiſſio.
Matth. 6.

Primò promiſſionem ſuam obſignat atque confirmat Chriſtus, quā dixit: Quærite ante omnia regnum Dei & iuſtitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Vt enim non requiſitus à quoquam ſponte iſtorum miſertus eſt, qui ipſum per longa itinera & multo cum labore ſecuti fuerant, & eos non modò aluit in præſenti, verumetiam domibus eorum benedixit, ne quid damni interea paterentur: Ita nihil vnquā deſieri patietur ijs, qui in ipſum credunt, & doctrinæ eius obtemperant. Exempla quibus hoc magis probetur, paſſim in ſcripturis plurima occurrunt, & huc illud Dauidis pertinet: Iuuenis fui, & nunc ſenui, nec vidi iuſtum derelictū, aut poſteros eius mendicantes panem. Veruntamen hîc meminiſſe oportet, non ſemper rerum abundantiā aut lautitias pijs obtingere. Non enim quid caro expetat, ſed quid toti homini ad ſalutem æternam proſit, Deus ſpectare ſolet. Quantum ergo nobis ſatis eſt largitur, & plerunq; humi diſcumbentes panibus hordeaceis paſcit, id eſt, ita nos alit & ſeruat, vt interim carnem natura laſciuientem crucis diſciplina in ordinem redigat. Et hoc non oſcitanter obſeruari debet, vt primò quidem procul relicta victus & rerum huius ſeculi ſolicitudine in Chriſto ſectando conſtantes ſimus: deinde verò non regnum terrenum, non otium, non delitias, ſed ea in illo quæramus, quæ ad Dei regnum pertinent, neque offendamur crucis amaritudine, qua vitam hanc condiri omnino neceſſe eſt.

Pſalm. 37.

Panis uitæ Chriſtus.

Deinde ſe panem illum vitæ eſſe docet Chriſtus, qui vt vitam in ſemetipſo habet, ita eam omnibus cōmunicat, qui ipſum fide vera & conſtanti apprehendunt. Quod igitur veteribus per Manna adumbratum fuit, hoc iſtos miraculo præſenti docuit, imò etiam hodie nos eius conſideratione excitat, vt non alibi quæramus panem illum viuificum, qui ſolus ad vitam æternam alere & ſeruare poteſt. Et huc referri debet tota illa concio, quam huius ſigni occaſione apud Ioannem cap. 6. habuit. Vbi plurimum proderit, ſi noſipſos intueamur paulò diligentius. Ibi enim occurret innata nobis vitioſitas, quæ nos per omnia miſeros eſſe docet, & ita fame bonorum cæleſtium accendit, quām qui ſentiunt, ij demum ad Chriſtum amplectendum verè idonei & inſtructi ſunt.

Typus miniſterij eccleſiaſtici.

Poſtremò miniſterij eccleſiaſtici typum continet hiſtoria iſta, quem hoc loco ſubijci vtiliſſimum fuit, cùm paulò ante diſcipulis illud demandauiſſet. Nam etſi ſolius Chriſti ſit animas famelicas paſcere, idem tamen ex hominibus ſibi adiutores aut cooperarios deligit, quorum miniſterio vtitur. Eſt hæc ſuprema hominis dignitas, in cuius conſideratione ita verſari debent eccleſiarum miniſtri, vt non ſuperbiant, neque pro ſuo arbitrio aliquid in eccleſia inſtituant aut mutent. Vt enim Apoſtoli ex Chriſti mandato omnia fecerunt, & ex eius manibus acceptos panes atque piſces diſcumbentibus appoſuerunt: Ita qui hodie munus iſtud eccleſiaſticum ſuſtinent, ij ante omnia Chriſtum audire, & quod ex eius ore didicerunt eccleſijs prædicare debent. Admonet de hoc ille, quando Apoſtolis dicit: Docete eos ſeruare, quæ ego vobis tradidi. Nimiùm ergo confidentes & temerarij ſunt, qui in Dei domum alienas epulas inferre audent, & humanis traditionibus infelices animas onerant, quas Euangelij doctrina inſtruere & conſolari debebant. Et hæc quidem nunc breuiter perſtringimus, quia de illis alibi copioſius eſt dictum. Diſcant ſinguli beneficium hoc Dei agnoſcere, qui vt olim filium ſuum pro nobis tradidit, vt panis vitæ nobis fieret: ita illum quotidie per Euangelium nobis propinat, & ad illum recipiendum exhortatur. Accedamus ergo ad menſam illam, vt in ipſo ſaturati cum eodem viuamus & regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

Vide Marcum Homil. 67. 68.

Et factum eſt cum ipſe ſolus precaretur, erant cum eo diſcipuli, interrogauitq; eos, dicens: Quem me dicit eſſe turba? At ipſi responden-

tes dixerunt: Ioannem Baptiſtam: alij autem Eliam: alij verò Prophetam quempiam ex antiquis reſurrexiſſe. Dixit autē eis: Vos verò quem me eſſe dicitis? Reſpondens autem Petrus dixit: Chriſtum illum Dei. Ipſe verò interminatus eis, præcepit vt nulli hoc dicerent, dicens: Oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & principibus Sacerdotum & Scribis, & trucidari, & tertia die excitari.

Cognitio Chriſti neceſſaria. Iſa. 53. Ioan. 17.

QVoniam Deus vitam & ſalutem omnem in Filio ſuo vnigenito compræhenſam eſſe voluit, in huius etiam cognitione tota ſalutis conſequendæ ratio conſiſtit. Docuit hoc olim Iſaias, de Chriſto dicens: Cognitione ſui iuſtificabit multos iuſtus ſeruus meus. Et ipſe apud Ioannem inquit: Hæc eſt, Pater, vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Quæ cauſa eſt, quòd eius notitiam Deus iam inde à prima rerum origine patribus manifeſtauit, & quòd ipſe poſtquam homo factus eſt, non ſolùm doctrina, verumetiam operibus miraculoſis publicè teſtatus eſt, ſe eum eſſe, cuius merito humanum genus redimi atq; ſeruari oporteat. At quàmuis ſimplex & facilis ſit eius cognitio, multa tamen Satan obijcit, quibus tam difficilem & obſcuram reddat: imò ipſi homines ſibi ſuis commentis nebulas offundunt, quibus impediti illum videre non poſſunt. Quod ijs etiam accidiſſe ſcimus, quos ex toto mortalium genere selectos ſibi diſcipulos domeſticos fecerat. Ideo vt ſæpe aliàs, ita in præſenti quoque illos diligentiſſimè inſtituit. Eſtq; locus hic multa conſideratione digniſſimus, vt qui omnia plenè continet, quæ nos in vera & perfecta Ieſu Chriſti cognitione poſſunt inſtruere. Primò enim falſas, quæ tunc inter Iudæos ferebantur, multorum de illo ſententias proponit. Deinde vera & orthodoxa illius confeſſio ſubijcitur, quæ apoſtolicæ doctrinæ ſummam continet. Tertiò ipſe Chriſtus redemptionis noſtræ modum omnem explicat, & quid in ipſo maximè ſpectari debeat, docet.

Chriſtus precatur, et inde quærit, quid vulgus de ipſo ſentiat.

Facit autem ad huius doctrinæ commendationem, quòd Lucas Chriſtum prius precatum fuiſſe ſcribit. Ex eo enim apparet, ipſum nihil hîc temere feciſſe, ſed vt de his ageret ſeria ſuæ vocationis meditatione fuiſſe excitatum. Et quia ipſe precibus minimè opus habebat, ideoq; pro diſcipulis ſuis orare ſolitus fuit, procul dubio inter precandum imbecillitatis, qua laborabant, recordatus, huic remedium adhibere, & ab omni errore mentes eorum liberare voluit. Ideo fidi & periti medici inſtar à morbi cognitione orditur, & falſa de ſe vulgi iudicia arguit. Nam diſcipulos interrogat, dicens: Quem me dicit eſſe turba? Vbi nemo putauerit, quæſtionis huius cauſam fuiſſe vel ignorantiam vel ambitionem. Quomodo enim vulgi ſermones & quæ publice ferebantur ignoraret, qui ipſas quoque cordium cogitationes nouerat, vt non vno exemplo docuit? Aut cur populari aura delectaretur, qui ſpontè ſeſe ad infimi mortalis ſortem demiſerat, & qui disertè teſtatur, ſe ab homine teſtimonium non accipere? Hoc ergo potius ſpectauit, vt quæ ex diuerſis de ipſo hominum ſententijs naſcebantur ſcandala, è medio tolleret, atque diſcipulos in vera & certa fide confirmaret, ne incertis opinionibus ſe quoque abripi paterentur. Ideo non contentus iſta quæſtione, mox quid ipſi ſentiant quærit, & ita veræ fidei confeſſionem ex illorum ore elicit.

Chriſtus vult aliorum de ſe iudicia agnoſcere.

Eſt autem obſeruatu dignum exemplum Chriſti, qui aliorum de ſe iudicia audire vult, neque diſcipulos hæc ipſi exponentes reijcit, quin potius vt ea narrent inuitat. Debent hoc ipſum facere omnes homines, & imprimis quidem ij, qui alijs præſunt, vt ita de vitijs ſuis admoneantur, & quid correctione opus habeat intelligant. Quia enim noſipſos diligimus, paucos eſt inuenire, qui næuos ſuos agnoſcant: & cùm hos quoque diſſimulent plerunque amici, multi etiam ſeruiliter nobis adulentur, vt vitia noſtra ex alijs diſcamus neceſſe eſt. Viderunt hoc gentium philoſophi, qui hanc vtilitatem ex inimicis captare docuerunt, vt eorum conuitijs excitati de illis emendandis cogitemus quæ in nobis repræhenſione digna ſunt. Neque imprudenter faciunt principes nonnulli, qui interdum mutato habitu cum plebeis hominibus conuerſantur, & horum de ipſis ſermones obſeruant. Ea enim occaſione de multis admonentur, quæ ex ſuis aulicis nunquam audirent. Curent modò ijdem, ne indignius ferant liberas quorundam voces, & de ſuis potius moribus corrigendis, quàm alijs puniendis cogitent. Quòd autem Apoſtolos de iſtis Chriſtus interrogat, eo miniſtros Eccleſiarum omnes admonet, non ſatis eſſe, ſi qualemcunque habeant veræ doctrinæ cognitionem, ſed

nem, ſed vt falſas & erroneas quoque de religione aliorum ſententias norint requiri: nimirum, vt de his ſuæ fidei creditos admonere & errores confutare poſſint. Eſt id hodie cumprimis neceſſarium, quando & veteres hæreſes multi inſtaurant, & inſuper noua abſurdiſſimarum opinionum portenta pariunt.

Diſcipuli libere reſpondent.

Sed Apoſtolos audiamus, qui ad propoſitam quæſtionem liberè & fortiter reſpondent, nosque ſuo exemplo docent, ne cui turpiter adulemur. Vt enim animi ignaui argumentum eſt in aliorum gratiam mentiri: ita inter magnates non alia nocentior eſt peſtis, quàm ea apud illos diſſimulare, quæ ipſos ſcire inprimis oportebat. Quòd ſi ijdem falſis laudibus demententur, iam nullus correctioni locus ſit reliquus. Et conſtat multis principibus exitium attuliſſe, quòd populi querelas & optimorum de ſe iudicia ignorarunt. Quoad autem Apoſtolos, non aliud reſpondent, quàm quod ſupra audiuimus in omnium ore fuiſſe. Alij (inquiunt) te Ioannem Baptiſtam eſſe aiunt, alij autem Eliam: alij verò Prophetam quempiam ex antiquis reſurrexiſſe. Sunt hæ ſententiæ multùm inter ſe diuerſæ, in hoc tamen conueniunt, quòd ex eodem παλιγγενεσίας errore promanant, quem inter Iudæos tūc vulgò obtinuiſſe ſupra diximus. Tanta enim eſt errorum fœcunditas, vt vnus aliquis admiſſus mox infinitos alios pariat, & nihil non ſibijpſis in figmentis ſuis permittunt, qui ſemel à vero receſſerunt. Ita verò tunc de Chriſto ſenſerunt melior pars hominum, in quibus aliquæ religionis purioris ſcintillæ adhuc reliquæ erant, & eccleſiæ mox renaſcituræ ſeminarium videri poterant. Ioannem enim aliqui eſſe putant propter doctrinæ ſimilitudinem, & quòd eius ſpiritum ex animæ regeneratione non ſ viribus aut donis auctum eſſe ſuſpicantur. Alij Eliam dicunt, quòd eadem arguendi libertate eum in omnes inuehi viderent, qua olim Elias vſus eſt. Multi Ieremiam vel quemcunque alium ex veterum prophetarum numero fingunt, quòd non vulgaria ſpiritus dona in illo comparerent. Certè omnes illi virtutem ſingularem in illo agnoſcunt. Quàm multi autem intereà fuerunt, qui de illo peſſimè ſenſerunt? Phariſæi enim & Scribæ eum modo Samaritanum eſſe, modò dæmonio agitari, modò publicanorum amicum & omnis nequitiæ patronum eſſe dicunt. Plerique autem impoſtorem & ſeditionum authorem eſſe clamant, & hoc nomine eum apud Pilati tribunal accuſarunt.

Neminem diuerſa hominū de religione diſſidia offendant.

At quod illo tempore factum eſt, ab ipſa rerum origine omnibus ſeculis factum fuiſſe conſtat: vt nimirum variæ de religione hominum ſententiæ fuerint, ex quibus ſectæ diuerſæ enatæ ſunt. Quia enim homo animalis non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, externis ſolis ducitur, & pro ſuo arbitrio ſibi Deum aut ſalutis rationem fabricat. Vehementer ergo errant, qui hodie diſſidijs offenduntur, quæ inter doctrinæ euangelicæ inſtauratores exorta in hunc vſque diem gliſcunt: neque ſe Euangelio credituros eſſe aiunt, donec omnes eos, qui huius profeſſione gloriantur, idem ſentire & loqui videant. Quid verò ſi illi omnes in errore aliquo conſentirent, an tunc in illorum partes vellent concedere? Vel num Iudæos illi excuſabunt, qui indomita pertinacia Chriſtum reiecerunt? Non opinor. Atqui hi quoque ſententiarum de Chriſto diuerſitatem prætexere poterant. Non igitur quid homines ſentiant & loquantur ſpectare debemus, ſed quid Deus dicat, & quid is nobis in Filio ſuo polliceatur. Et ſi conſenſum quærimus, cui tutò poſſimus niti, ad ſcripturam ſacram oculos conuertamus, quæ nobis Patriarchas, Moſem, Prophetas, Apoſtolos & innumeros veri Dei cultores atque amicos proponit, qui omnes vno ore & corde confeſſi ſunt, ſalutem in vno Meſſia contineri, qui Adamo promiſſus olim, tandem præfinito tempore ex virgine homo factus nos cum Deo Patre in gratiam reduxit. His nos coniungamus, & non fallemur. Quoad autem infelices mundi de religione iudicia, neminem hæc offendere aut in fide impedire debent. Nam vt Paulus ait, oportet ſectas eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant: & iuſto Dei iudicio fit, vt qui in religione ludunt, dum pro ſua libidine ſibi dogmata fingunt, errorum Labyrinthis impliciti in diuerſas partes ſcindantur. Adde his, quòd nouiſſimis temporibus non doctores modò falſos, ſed Chriſtos quoque falſos exorituros eſſe Dominus prædixit. Non ergo nouum aut inſolens eſt, quod hodie fieri videmus, quin potius ſi verum fateri libeat, hoc proprium & germanum eſt Euangelij renaſcentis indicium, quòd eius progreſſum diſſidijs inteſtinis Satan conatur impedire. Etenim in alijs religionibus facilè ſeſe mutuò ferunt, qui quoad dogmata & ritus diſſentiunt: at qui Euangelium profitentur, maiori animorum contentione inter ſe pugnant, quàm primùm diſſenſionis ſpecies aliqua incidit. Quam verò eius

1. Cor. 11.
Matth. 24.

rei cauſam aſsignabimus. Eam nimirum, quòd alteros illos facilè fert Satan, quando ſimul omnes à
vericatis ſcopo aberrant: inter hos autem diſsidia excitat & fouet, ne coniunctis viribus regnũ ipſius
oppugnent atq; euertant.

Diſcipulorum fides & confeſsio. Quapropter ad alteram huius loci partem accedamus, quæ vera & orthodoxæ fidei confeſsionem continet. Pergit enim Chriſtus, & ait: Quem verò vos me eſſe dicitis? Non vult ergo, vt interea dubij & rerum incerti pedeant diſcipuli, dum reliqui in diuerſas partes abeunt, deq; ipſo inter
ſe altercantur. Neque etiam illi negotium hoc differendum cenſent, donec vel alteri illi omnes in v-
num conueniant, aut publica Sacerdotum atq; Seniorum authoritate decernatur, quid omnes ſenti-
re & credere debeant. Sed mox omnium nomine Petrus reſpondet, dicens: Tu es Chriſtus ille Dei.
Apud Matthæum verò alteram quoq; partem addit: Filius Dei viuentis. Prima parte officium
Chriſtus. eius definit, & quid nobis in illo datum ſit, docet. Tu es (inquit) Chriſtus ille Dei. At Chriſti vox
Vnctum ſignificat, quo nomine olim Reges & Sacerdotes denotabantur, eò quòd vnctione ſolemni
initiarentur. Ita verò promiſſum humani generis Seruatorem ſcripturæ vocant, quòd is Regis &
Sacerdotis inſtar omnia ea perfecerit, quæ ad noſtram redemptionem pertinebant. De quibus cùm
iam ſæpius dictum ſit, nolumus eadem hîc repetere. Hoc tamen notatu dignum eſt, quòd non abſque
Emphaſi dicit: Tu es Chriſtus ille Dei. Nam Chriſtos Dei olim dicebant Reges, quos ipſe Deus pe
culiari gratia in eam dignitatem euexerat: & ea appellatione illis Spiritus authoritatem concilia-
1. Sam. 24. & 26. bat, ne quis eos lædere aut contemptius tractare auderet. Quo Dauid reſpiciens Saulem Vnctum Do
mini dixit, quoties rationem reddebat, cur illi manum inferre nollet. Docet ergo Petrus, Ieſum hunc
illum ipſum Chriſtum, id eſt, Regem & Sacerdotem eſſe, quem Deus Pater æterno ſuo conſilio ad
hoc munus deſtinarit, & de quo iam inde ab æterno dictum ſit: Ego conſtitui Regem meum ſuper
Pſal. 2. & 110. Zion montem meum ſanctum. Item: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchize-
dech. Altera parte Filium Dei viuentis (id eſt, veri Dei, qui nihil cum fictitijs gentium Dijs mu-
tiſq; eorundem ſimulachris commune habeat) eſſe dicit. Atqui non ignorabat, eum ex Maria homi-
nem factum eſſe, & ipſum ſeſe Filium hominis appellare quotidie audiebat. Itaq; in illo aliquid ho-
mine maius agnoſcit, & eum eſſe credit, qui ab æterno quidem Dei Filius verus & Patri coeſſentia-
lis ſit, conſtituto autem tempore hominem propter nos induerit, vt quæ propria ſunt redemptoris at
que Mediatoris officia pro nobis obire poſſet. Et hæc quidem fides vera atq; apoſtolica eſt, quam ex
Matth. 16. Patris cæleſtis reuelatione Petrus didicit (vt apud Matthæum ipſe Chriſtus teſtatur) & quam
Apoſtoli ſimul omnes in toto orbe terrarum prædicauerunt. Conſentiunt huic ſummæ, quæ nos hodie
in Symbolo, quod apoſtolicum dicunt, profitemur. Hæc deniq; catholica, id eſt, vniuerſalis fides di-
citur, eò quòd omnium locorum atq; temporum credentibus communis ſit, qui per illam ſimul omnes
in vnam Eccleſiam coaleſcunt, cuius caput, ſponſus, Rex & Sacerdos eſt æternus ille Dei Filius,
de quo hîc agitur. In hac ergo fide acquieſcant, quicunq; ſeruari volunt, neq; eorum iniquis iudicijs
moueantur, qui nos hodie hæreſæos damnant, quòd præter vnum Ieſum Chriſtum nolumus alium
Regem & Sacerdotem agnoſcere.

Vſus confeſsionis fidei. Cæterùm non ſufficit hæc obiter nouiſſe, & eandem cum Petro fidei confeſsionem ædere, ſed horũ
vſum probè tenere oportet, qui triplex eſt. Primus, vt in vno hoc Chriſto omnem ſpem & fiduciam
habeamus collocatam, neq; alibi quæramus ea, quæ noſtræ ſalutis ſunt. Et huc Petri dictum pertinet,
quod Ioan. 6. cap. habetur. Cùm enim multis à Chriſto deficientibus hic diſcipulos interrogaret, Num
& vos abibitis? Reſpondit ille: Ah Domine, quò ibimus? Tu verba vitæ æternæ habes, &c. Talem
ergo Sacerdotem & Regem agnouit Chriſtum, qui ſolus ſeruare & vitã conferre poſſit. Et hoc di-
ctum nos hodie opponamus ijs, qui nos ad defectionem à fide aut Euangelio ſolicitant. Monſtrẽt illi
nobis alium præter Chriſtũ, qui pro nobis homo factus & in crucem ſuffixus ſit, qui item in ſcripturis
vitam conferre dicatur. Nec eſt quòd ſalutis rationẽ mutatam dicant. Eſt enim Chriſtus ſacerdos
Luc. 1. æternus & regni eius non eſt finis: & in æternum Dei conſilium peccant, quicunq; illum vel aſper-
nantur, vel ipſi debitũ honorem aut officium ſuperſtitioſè in quoſcunq; alios transferunt. Alter vſus
eſt, vt fidem hanc obedientiæ fidelis ſtudio teſtemur. Debebatur hæc olim Sacerdotibus. Legẽ (inquit
Malach. 2. Deut. 17. Malachias) ex ore Sacerdotis requirent. Et apud Moſem capitalis pœna ijs ſtatuitur, qui ſummi
Pontificis ſententiæ contradicere audent. Debetur etiã obedientia Regibus & omnibus qui rempub.
adminiſtrant,

adminiſtrant, vt prolixè Paulus ad Rom. docet. Quantò magis ergo eam Chriſto, ſummo & æterno
Pontifici debemus, de quo Pater cælitus pronunciauit, Hunc audite? Aut cur illam Regi regum & Matth. 17.
æterno Dei Filio negaremus, de quo Dauid regibus dicit: Prudenter agite ô Reges, erudimini iudi- Pſal. 2.
ces terræ. Seruite Domino in timore, & exultate in tremore. Oſculamini Filium, ne fortè iraſcatur,
& pere..is in via, &c. Tertiò conſolationi ſeruit hæc fidei confeſſio in tentationibus. Sunt harum
duo genera. Primum ex peccatis naſcitur, & propriè ad conſcientiam ſpectat. Sentiunt hoc, quibus
Satan perſuadere conatur, Deum illis non fore propitium, ſed in peccatis perituros eſſe. Hi ad Chri-
ſtum Sacerdotem recurrant, qui vt vna victima totius mundi peccatum expiauit: ita fidelis ponti-
fex eſt, & eaſdem nobiſcum infirmitates expertus (excepto tamen peccato) nobis condolere poteſt.
Ad hunc nos Ioannes remittit, ſcribens: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Ieſum 1. Ioan.
Chriſtum, iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, &c. Quin ipſe in Euangelio clamat: Ve-
nite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos refocillabo. Alterum tentationũ genus ex
cruce externa naſcitur, ad quod morbi, egeſtas, fames, perſecutiones, exilium, bella & quæcunq; alia
ſunt huius generis pertinent. His nos Chriſtum regem opponere debemus, cui omnis poteſtas in cælo
& in terris data eſt. Hic ergo morbis omnibus mederi poterit, quod infinitis exemplis olim teſta-
tus eſt. Idem ſuos alit in ipſa rerum inopia, quod Apoſtoli, ſi[illegible]ico & commeatu ab eo ablegati,
experti ſunt. Idem nobis in cælo patriam & ſedes firmas parauit, quarum poſſeſſionem nunquam
eripient qui nobis terram negant. Adhæc cùm Dominus exercituum ſit, Eccleſiam ſuam & ſingula
eius membra aduerſus diabolum & mundum tueri poterit: quod ſe facturum eſſe non vno loco pro-
miſit, & iam ab ipſo rerum exordio in hunc vſq; diem fideliſſimè præſtitit. Huius deniq; vox eſt:
Ne timeas puſille grex, quoniam Patri placuit tibi dare regnum. In hoc ergo conſtantes ſimus, neq;
vllis tentationum procellis nos à fidei in illum confeſſione abſterreri patiamur.

Facit ad horum explicationem tertia huius loci pars, quam priuſquam excutiamus, obſeruari Chriſtus prohibet ne diſcipuli ſuam confeſſionem diuulgent.
debet, quòd Chriſtus non ſine graui interminatione diſcipulis præcepit, ne cui dicerent quod nunc de
ipſo confeſſi fuerant. Poterat hoc mirum videri, cùm confeſſionem illam (vt in Matthæo ſcribitur)
magnificè cõmendauerit, & paulò poſt omnes hortetur, ne fidem in ipſum ignauo & ignobili metu
diſſimulent. At non mirabimur, ſi quales tunc fuerint diſcipuli cogitemus. Nam etſi illũ mundi Ser-
uatorem eſſe agnoſcerent, magna tamen erat fidei ipſorum infirmitas atq; imperfectio: cùm & regnũ
terrenũ in illo ſomniarent, & redemptionis humanæ modum nondum intelligerent, neq; etiam Spiri-
tus ſancti donis adhuc ſatis eſſent inſtructi. Ad tempus ergo illos ſilere voluit, ne ſeipſos & fidei do-
ctrinam aduerſariorum ludibrijs exponant, & vt ipſi interea in fide magis confirmentur. Quo loco
docemur, non ſtatim ad docendum idoneos eſſe, qui fidem in Chriſtum verè confitentur, ſed præter do-
na illa peculiaria, quibus Verbi adminiſtros oportet inſtructos eſſe, vocationem quoq; legitimam re-
quiri, de qua nuper plura diximus.

Quia verò errorem & ignorantiam, qua diſcipuli tenebantur, non ignorabat Ch[illegible]tus, remediũ Chriſtus regni & ſacerdotij ſui conditionẽ exponit.
adhibet, & longè aliam regni atq; ſacerdotij ſui conditionẽ eſſe docet, quàm ipſi imagin[illegible]bantur. Opor-
tet (inquit) filiũ hominis multa pati, & reprobari à Senioribus & principibus Sacerdotum & Scri-
bis, & tertia die excitari. Quibus verbis non modò quid ipſi euenturum ſit, docet, ſed hæc ita fieri o-
portere teſtatur: nimirum, quòd ſic Patri viſum ſit, cuius conſilio non poſſit non obtemperare. Quod
ipſum poſt reſurrectionem quoq; apertius indicat, quãdo duobus diſcipulis Emauntem euntibus, qui
eius morte non parum offenſi fuerant, ait: O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ lo- Luc. 24.
cuti ſunt Prophetæ: Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam? Et paulò poſt
illis omnibus cõgregatis inquit: Hi ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſ-
cum, quòd ſcilibet oporteret impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis & Pſal-
mis de me. Ita enim ſcriptũ eſt, & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die. Qua-
propter hîc quoq; ad Patris decretum diſcipulos remittit, quaſi diceret: Vos quidem me Regẽ illum
promiſſum eſſe agnoſcitis, & in me vobis regnũ in hoc mundo, opibus & victorijs illuſtre pollicemini,
in quo non poſtrema gloriæ & felicitatis pars ad vos redeat. At longè alia eſt regni mei ratio, & mul-
tò aliter de toto hoc humanæ redemptionis negotio Pater ſtatuit. Tam enim abeſt, vt regnũ in hoc
ſeculo obtineam, quale vos ſomniatis, vt potius me multa pati, à diſcipulo prodi, & (quod omniũ indi-

gniſſimũ eſt) ab illis ipſis reprobari & damnari oporteat, qui me præ alijs amplecti, & omnem populũ ad me amplectendum excitare debebant. Veruntamen nolim vos, ſi iſta fiãt, animo deijci & offendi. Nõ enim iſtud modò Pater decreuit, ſed vt hoſtibus meis & ipſa etiam morte ſuperior factus, tertia diè reſurgam & regnum mihi promiſſum obtineam. Ad iſta igitur certamina vos præparare, neq; huius ſeculi honores, opes, voluptates, ſed bona cæleſtia & æterna in me quærere debitis.

Modus & ratio noſtræ redemptionis.

In hunc finem potiſſimùm iſta dicuntur, at ſimul his omnem noſtræ redemptionis modum aut rationem comprahendit, quæ ferè tota in eius morte & reſurrectione conſiſtit. Mors ad ſacerdotium pertinet. In illis enim ſeſe pro peccatis totius mundi victimam Deo patri obtulit, & ijs expiatis iuſtitiæ diuinæ ſatisfecit, vt quam nos merueramus pœnam à nobis auerteret. Reſurrectio autem ad regni ſui complementum facit. Ea enim mortem deuicit, aculeum mortis ſuſtulit & confregit, inferorum portas euertit, deniq; ſe vitæ & mortis dominum eſſe oſtendit. Et debent iſta coniungi inter docendum, vt in morte quidem Chriſti peccatorum noſtrorum expiationem nobis repoſitam eſſe intelligamus, ex reſurrectione autem conſolationem capiamus, quæ & crucis ſcandalo medeatur, & nos aduerſus mortis atq; inferorum terrores confirmet. Rectè igitur Paulus ad Romanos ſcribit: Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitarit, à mortuis, ſaluus eris. Accedit duobus iſtis triumphi loco glorioſa Aſcenſio, qua aſſumptam ex nobis carnem in cælos euexit ad dexteram Dei, vt hos quoq; nobis aperiret, & locum pararet, vbi nos cum ipſo æternum viuamus atq; regnemus. Et hæc ſunt, quæ vnanimi conſenſu Apoſtoli prædicarunt, quorum doctrina hodie etiam in eccleſijs retineri & abſq; omni humanarum traditionum fermento proponi debet. Singuli autem hæc ita conſiderent, vt procul relictis diuerſis multorum de religione & ſalutis negotio ſententijs, vnum Ieſum Chriſtum agnoſcant, Regem & Sacerdotem ſuum, qui pro peccatis noſtris mortuus & propter iuſtificationem noſtram ex mortuis ſuſcitatus, nunc ad dextram Dei Patris pro nobis intercedit. Huic ita fidant, vt ſimul ipſi quoq; peccatis quotidie moriantur reſurgant autem cum illo ad vitam nouam & cæleſtem, quam emenſi tandem ad ipſum colligantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Rom. 10.

HOMILIA LXXXIX.

Dicebat autẽ omnibus: Si quis vult me ſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me. Quiſquis enim voluerit animã ſuam ſeruare, perdet eam: quiſquis verò perdiderit animam ſuã mea cauſa, is ſeruabit eam. Quid enim prodeſt cuipiam, ſi lucretur vniuerſum mũdum, ſeipſum autem perdat, ſiue ſeipſo mulctetur? Quem enim puduerit mei ac meorum ſermonum, eius pudebit Filium hominis, quando venerit cum gloria ſua & Patris, ſanctorumq; Angelorum. Dico autem vobis verè, ſunt quidam ex ijs, qui hîc aſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, vſq; dum viderint regnum Dei,

Vide Marcum homil. 69. 70.

AVdiuimus nuper Petrum Apoſtolum, qui omnium diſcipulorum nomine confeſſus eſt, Ieſum, qui ex Maria Virgine hominem aſſumpſit, verum & æternum Dei viuentis Filium, adhæc Chriſtum illum Dei, id eſt, Regem & Sacerdotem eſſe, quem Deus ad ſeruandos homines deſtinarit, & patribus priſcis promiſerit. At quia diſcipuli redemptionis & ſalutis humanæ modum ignorabant, & communi gentis ſuæ errore decepti regnum in Chriſto terrenum quærebant, docuit ille paucis, quæ tam regni quàm ſacerdotij ſui ſit conditio, & ſalutem noſtram omnem in mortis ſuæ merito & reſurrectionis virtute conſiſtere oſtendit. His modò nouam doctrinam ſubijcit, qua docemur, quid eos facere oporteat, qui ſalutis, quam ipſe nobis meruit, participes fieri volunt. Eſtq; locus iſte inter omnes alios maximè memorabilis, quia nullus ad nos fructus redibit ex omnibus ijs, quæ de Chriſto & vniuerſo redemptionis noſtræ negotio traduntur, niſi probè teneamus rationem, qua eius germani diſcipuli efficimur, ad quos ſolos regni ipſius promiſſiones & hæreditas pertinent. Occaſionem huic diſſertationi Petrus præbuit, qui (vt Matthæus & Marcus ſcribunt) ſermone quem Chriſtus de ſua morte habuerat, offenſus, eum dehortari cœperat, & ideo grauiter ab illo cor-

illo correptus fuit. Dixit enim illi: Abſcede à me Satan, quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum. Quia verò Chriſtus, hoc commune omnibus diſcipulis vitium eſſe ſciebat, quòd adhuc præſentis ſeculi bonis intenti, à cruce & afflictionibus abhorrerent, neceſſe erat eos diligentius & plenius inſtitui ad patientiam, & ſimul argumentis ſolidis confirmari.

Chriſtus omnibus loquitur.

Priuſquam verò ad Chriſti verba accedamus, inſpexiſſe proderit, quibus ille loquatur, & ad quos doctrina iſta pertineat. Lucas hæc illum omnibus dixiſſe ſcribit. Marcus autem apertius, Cùm aduocaſſet (inquit) turbam cum diſcipulis ſuis, dixit eis, &c. Omnibus ergo hîc loquitur, & quæ dicuntur ex æquo ad omnes pertinent, qui eius diſcipuli eſſe cupiunt. Nemo igitur hæc Apoſtolis ſolis, aut horum in eccleſiæ miniſterio ſucceſſoribus, dicta eſſe exiſtimet. Communis enim hæc regula eſt, quam Chriſtiani omnes, cuiuſcunque ſint loci aut ordinis, tenere debent. Vt enim in Chriſto non eſt mas aut fœmina, non ſeruus aut liber, non Iudæus, Græcus, Scytha, barbarus: ita non obſtant externa hæc perſonarum diſcrimina, quò minus ipſius regulæ omnes obedire debeãt, qui fidem in illum profitentur. Dictat enim hoc communis ſenſus, vt qui Chriſti diſcipuli cenſeri volunt, illius legibus viuant. Cùm verò is ad vnius regulæ obſeruationem omnes ſuos obſtringat, ſimul omnes alias ſectas cum ſuis regulis aut placitis abolet, quibus qui ſub illo vnum corpus eſſe debebant, in partes ſcinduntur. Paulus certè ijs ſolis pacem & miſericordiam à Deo pollicetur, qui ſecundùm hãc regulam, quam nobis Chriſtus præſcripſit, greſſus ſuos dirigunt. Galat. 6. Ac continetur ea tribus præceptis, quæ deinceps ex ordine videbimus.

1. Abneget ſeipſum.

Primum eſt, quo vt nos ipſos abnegemus, iubet. Vult ergo, vt à ſeipſis initium faciant, qui germani ipſius diſcipuli haberi volunt. Ita verò totam hominis naturam damnat: quia niſi hæc vitioſa & modis omnibus deprauata eſſet, abnegatione eius minimè eſſet opus. At hanc neceſſariam omnino eſſe facilè patebit, ſi qui nam & quales ſimus conſideret. In peccatis nos concipi & naſci ſcriptura docet. Quæ cauſa eſt, vt peccati legem in membris noſtris inhærentem geſtemus, qua fit, vt figmenta cordis noſtri praua ſint ab ineunte ætate. Quod nunquam negare poterunt, qui vel infantes paulò attentius inſpexerint, & ſuas cogitationes atq; cupiditates non oſcitanter obſeruarint. Accedit his malis philautia, qua excæcati nobis ipſis placemus, & noſtra omnia ſic probamus, vt Dei quoq; verbum hoc ſolo nomine nobis ſordeat, quòd illud noſtris figmentis atq; deſiderijs ſentimus contrarium eſſe. Hinc illa in fingendis nouis Dijs & illicitis eorundem cultibus audacia, hinc ſuperſtitionum multitudo, hinc qua nobis ipſis delitias facimus indulgentia, quæ plerunque in effrænem peccandi licentiam erumpit. Niſi ergo ſeipſum abneget homo, nunquam Chriſti diſcipulus erit, qui nos ad eum finem contendere iubet, vt per fidei obedientiam nos totos Deo Patri conſecremus. Cuius rei exempla alibi in Abrahamo, Iobo, Dauide & vtriuſque Teſtamenti Martyribus propoſuimus. At hic nos ante omnia carnis rationem frænare, & in hoc ſeculo (vt Paulus monet) ſtultos fieri oportet, vt in Deo ſapientes efficiamur. Quo initio facto, mox ad carnis deſideria progrediamur, vt ea quoque in ordinem redacta nobis obſtrepere deſinant. At hîc luctam grauem nobis propoſitam eſſe videbimus, in qua diuino auxilio opus erit, quando ex nobis ipſis ne ad cogitandum quidem idonei ſumus. Hîc ergo preces exiguntur, in quibus primum locum meritò habebit petitio illa orationis Dominicæ, qua vt Dei regnum nobis adueniat rogamus. Accedat precibus diligens noſtri officij, cui nos deſtinatos eſſe ſcimus, conſideratio, quæ ſola nos continere poterit, ne quid noſtra vocatione indignum committamus. Quòd ſi inſuper eorum conditionem propius contemplemur, quæ in hoc ſeculo eximia habentur, mox patebit, nihil in illis eſſe, cuius gratia aliquid fiat diuinis legibus contrarium.

2. Tollat crucem ſuam. Crucis ſpecies duæ.

Alterum regulæ Chriſti præceptum eſt: Tollat crucem ſuam quotidie. Crucis nomine genus omne malorum aut afflictionum deſignari, alibi diximus, quarum cùm numerus ſit infinitus, ad duas tamen ſpecies referri omnes poſſunt. Prima eas habet, quæ omnibus hominibus propter peccatum communes ſunt. Poſtquam enim Adam in Legem à Deo acceptam peccauit, maledictionem tam ſibi ipſi quàm creaturis reliquis meruit. Itaq; tellus non vt olim ſponte ſua fruges protrudit, ſed multo cum labore colitur, & ne ſic quidem agricolarum votis ſemper reſpondet. Impleri enim oportet, quod Adamo dictum fuit: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Et vt cum dolore & lachrymis in lucem hanc prodimus: ſic vitæ totius curſus doloris, lachrymarum, laborum & curarum plenus eſt. Quibus omnibus morbi accedunt, quorum tam multi ſunt, vt ſtellas citius quàm illos numeraueris.

Et horum quidem omnium materiam intra nos habemus, quæ cauſa eſt, vt illos neq; declinare neque depellere poſſimus, quando libet. Quibus omnibus ita obnoxij ſumus, vt nemo ſe immunem aut exemptum dicere poſſit: quo Iobus reſpiciens dicebat: Homo ad laborem natus eſt, vt auis ad volandum. Etenim quotidianis exemplis diſcimus, opulentiſſimos quoſq; ad extremam egeſtatem redigi, potentiſſimos rerum dominos è ſolijs ſuis deturbari, ferociſſimos ſubitò in ordinem cogi, ſapientiſſimos proprijs conſilijs, ceu laqueis arctiſſimis, conſtringi, aut morbis ex improuiſo conſumi, qui mortalium beatiſſimi videbantur. Adde his communem omnibus moriendi neceſſitatem, cuius recordatio ipſam quoq; vitam amaram reddit illis, qui futuræ & melioris vitæ ſpem ignorant. Altera malorum aut miſeriarum huius ſeculi ſpecies ea continet, quæ pijs & credẽtibus propria ſunt. Quia enim veritatis lucem odit mundus, non poteſt non eos quoq; odiſſe, penes quos illa lucet, & qui hanc ſequendo illius mores prauos ſuo exemplo arguunt. Ex hoc igitur fonte emanant perſecutiones, in quibus Chriſti fideles falſis criminibus grauantur, in carceres abducuntur, fortunis mulctantur, in exilium relegantur, vel etiam exemplis horrendis & inauditis è medio tolluntur. Obſeruauit hæc
Pſal.34. *olim Dauid, & ideo multas eſſe dixit tribulationes iuſtorum: & de his non vno loco nos Chriſtus admonet. Et ſi vetera exempla ab ipſo mundi exordio repetere libeat, videbis nos cũ Poeta dicere poſſe, Fraterno primi maduerunt ſanguine campi. Abelus enim, primus poſt Adamum veri Dei cultor, ab impio fratre Caino cæſus ſuo exemplo docuit, quid pij omnes in hiſce terris ſperare debeant. Neq; meliorem multò poſterorum ſortem fuiſſe, omnium ſeculorum hiſtorijs probari poterat, ſi opus eſſet.*
Afflictiones cur crux dicatur. *At quia hæc ſatis nota ſunt, hoc potius in præſenti obſeruemus, quòd afflictiones quæ pijs ferendæ ſunt, Chriſtus crucis nomine dignatur. Eo enim vocabulo nos communionis admonet, quæ nobis cum illo intercedit. Vt enim ipſe propter nos in cruce dolores infandos & mortem infamem ſubijt: ita nos propter illum huic mundo exoſi ſumus, & quæ paulò ante recitauimus ferre cogimur, dum fidem in illum ſanctam & illibatam cuſtodimus. Quin ea crucis Chriſti virtus eſt, vt quæ nobis cum prophanis hominibus communia ſunt, per illam ſanctificentur, vt iam crux dici poſſint paupertas, labor, morbi, & quæcunq; nobis, dum hîc viuimus, ferenda ſunt. Debet hoc diligenter conſiderari, quia noſtræ cùm inſtitutioni tum conſolationi plurimùm ſeruit. Quia enim cum Chriſto communionem habemus, æquum eſt, vt ad eius exemplum grauiſſima quæq; patienter feramus, quibus nos in hac vita Deus exercet. Nam quid durius aut intolerabilius ijs accidere poteſt, quæ Dei Filius iam pridem propter nos ſuſtinuit? Vt enim vitam eius ab initio conſideres, quid in illa aliud præter paupertatem, labores, infamiam, dolores continuos videbis? Etenim qui totius mundi peccata in ſe receperat, eum omnibus quoque miſerijs exerceri oportebat, quibus nos propter peccatum obnoxij eramus. Quòd ſi verò nos ſuæ crucis ſocios habere dignatur Dei Filius, quis dubitet, nos gloriæ quoque & regni cohæredes illi fore? Ipſius certè promiſſio eſt: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Ego igitur paciſcor vobis, prout pactus eſt mihi Pater meus regnum: Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Item: Volo, vt vbi ſum ego, illis ſit etiam miniſter meus. Et notum eſt illud Pauli: Si cum eo mortui ſumus, cum eo etiam viuemus: ſi toleramus, etiam cum eo regnabimus.*

Quam crucem quiſq; ferre debeat. *Cæterum hîc plurimùm proderit, Chriſti verba propius & diligentius inſpexiſſe. Tollat (inquit) crucem ſuã quotidie. Vbi primùm obſeruabis, quam crucem quiſq; ferre debeat. Suam nimirũ, id eſt, eam, quam Deus ipſi quaſi propriam impoſuit. Quod non ita accipi debet, quaſi aliorũ calamitates negligere & ſiccis oculis præterire debeamus. Semper enim rata manet charitatis lex, quæ iubet vt ploremus cum plorantibus, & eam inter nos συμπάθειαν ſeruemus, quæ inter eiuſdem corporis membra eſſe conſueuit. Hoc ergo præcipit Dominus, vt in ijs ferendis patientes ſimus, quæ Deus imponit, non autem ei præſcribamus, quib nobiſcum agere debet: vt deniq; non velimus cum alijs onera cõmutare, vel cruces nihil ad nos pertinentes accerſere. Quid enim hoc facere opus eſt, quando nunquam nobis labores & moleſtiæ deerunt, ſi in Chriſto (vt Paulus ait) piè velimus viuere? Damnantur ergo hîc ſuperſtitioſi, qui vel ieiunijs non neceſſarijs ſeipſos conficiunt, vel peregrinationes vouent laboris & periculi plenas, vel vitam eremiticam deligunt, aut intra monaſteriorum muros ſeſe vigilijs, chameunijs, cilicijs & alia diſciplina corporis ſeueriori macerant. Pollicentur illi ſibijpſis beatitudinem, quòd crucem ferãt. At nos illos ſuam crucem ferre negamus, cùm nihil huius vnquam*

ab illis requiſierit Deus, ipſi verò relicta ſua vocatione laboribus & moleſtijs nihil ad ſe pertinentibus ſeipſos implicent. Multò minus Chriſti crucem illi ferunt, qui iſta nunquam præcepit, neq; vitæ genera mutauit, quæ Deus inter homines obſeruari vult. Idem Anabaptiſtis reſpondemus, qui ſe beatos dicunt, quòd perſecutionem patiantur. Sed multùm illos fallit iſta opinio, cùm ideo patiantur, quòd cœtibus ſacris intereſſe nolunt, quòd eccleſiæ vnitatem ſcindunt, rempub. turbant, & cum ipſis pijs eſſe liceat, ſeditiones & ſciſmata non neceſſaria mouent. Idē ergo illis dici poteſt, quod D. Auguſtinus olim Donatiſtis ſimili gloriatione turgidis dicebat: Num martyr continuò amandus „ eſt, „ quia pro ſuperſtitione, quam piam religionem putabat, pœnas legibus luit? Item: Non ex paſſio „ ne certa eſt iuſtitia, ſed ex iuſtitia paſſio glorioſa eſt. Et rurſus: Prius quid faciant, & poſtea quid „ patiantur aduertant: ne tùm aduerſus facta ſua oculos claudunt, & ad pœnas oculos ſuos aperiunt, „ & hîc fruſtra temporalia patiantur, & in vltimo iudicio Dei etiam pro hoc ipſo, quòd fruſtra eos ta „ libus moleſtijs vt emendaret admonuit, æterno ſupplicio puniantur, &c. Quæ omnia cum illo Chri „ ſti conueniunt: Beati qui perſecutionem patiuntur iuſtitiæ cauſa. At hîc minimè eos damnamus, qui propter delicta aut facinora ſua legibus ciuilibus pœnas dant, & in his patientes ſunt. Nam & hi à Deo impoſitam crucem ferunt, & ſi fide certa in Chriſtum reſpiciant, in eodem ſeruabuntur. Et huc latronis exemplum pertinet, cui ille dixit: Hodie mecum eris in paradiſo.

Contra Epiſt. Parmen. lib. 1. cap. 7.
Lib. 3. cap. ult.

Deinde, vt crucē noſtram ipſi tollamus, iubet Chriſtus, quo verbo obedientiam & patientiā voluntariā requirit. Sunt enim qui crucē ferunt, ſed inuiti, & inter ferendum aduerſus Deū quidē fremūt, homines autem, quos ſibi malorum authores eſſe putant, odio perſequuntur. At nō probantur hi Deo, qui vt in alijs obſequium voluntarium à nobis requirit, ita hîc imprimis nos ſpontaneos & alacres eſſe vult. Tales olim Apoſtoli fuerunt, quos gauiſos fuiſſe Lucas ſcribit, quòd dignos iudicauiſſet Deus, qui propter Filium ſuum cæderentur. Iſtos ergo imitentur, quotquot hanc eius regulā ſibi ſequendam propoſuerunt. Imprimis autem eius nos meminiſſe oportet, quod nos crucē noſtram QVOTIDIE *tollere iubet. Non ergo omni officio defuncti ſumus, ſi ſemel & iterum aliquam moleſtiam patienter ſuſtinuimus. Habent enim ſinguli dies, imò omnia horarum momenta, ſuos labores, & nouis indies curis pij exercentur: neq; vllum vitæ genus eſt, quod non aſſiduis moleſtijs refertum ſit, quas mox ſentient, qui ſuo officio probè fungi voluerint. Peccant hîc grauiter, qui quam illis Dominus impoſuit crucem per media illicita vel ſubterfugere vel ab humeris ſuis excutere conantur. Faciunt hoc, qui in perſecutionibus Chriſtum & fidem in illum abnegant, ſacris alienis cōmunicant, & impiorum amicitias ſeruiliter captant. Item, qui inopiæ ſuæ per furta, rapinas, vſuras, militiam mercenariam aut quodcunq; aliud ſcelus conſulere volunt. Quibus meritò adnumeraueris eos, qui in rei alicuius amiſſione aut morbis ad ariolos, magos, incantatores & veneficos confugiunt. Quomodo enim illi omnes Chriſto obediunt, qui quam ipſi ſpontè in humeros ſuos attollere debebant, crucem ijs rationibus reijciunt, quibus nemo ſine ſcelere poteſt vti? Aſam regē ſcriptura reprehendit, quòd ex pedibus laborans medicos potius quàm Dominum conſuluiſſet: & tu impunitatem tibi polliceris, qui ad Satanam, communem humani generis hoſtem, recurris?*

In cruce obedientia uoluntaria requiritur.
Quotidie.

At dura ſunt hæc carni, quæ in otio & deſideriorum ſuorum licentia voluptatem præcipuam conſiſtere arbitratur. Sed multum ex crucis noſtræ & afflictionum omnium pondere decedet, ſi abnegato carnis iudicio rem ipſam rectè expendamus. Vbi primùm occurrat, quòd nihil nobis abſq; certo diuinæ prouidentiæ conſilio accidit. Nam vt Deus mundum hunc omnem creauit: ita in ſingulis eius partibus prouidentiæ eius virtus elucet, quæ certis vicibus omnia regit, & nihil fortuitum eſſe ſinit. Num ergo hominem, quem aliorum omnium principem conſtituit, temere hinc inde rapi aut circumferri pateretur? Quicquid ergo aduerſi incidit, hoc nobis diuinitus immitti cogitemus. At ſimul meminerimus, Deo ſummum in nos ius eſſe & imperium: iniuſtus ergo aut iniquus dici non poteſt, etſi opes auferat, corpus morbis debilitet, imò vitam ipſam eripiat. Licet enim illi de ſuis quod libet ſtatuere, neq; quicquam nobis eripit, quàm quod ex eius manu prius accepimus. Quo ergo iure aduerſus illum actionem inſtitues? quibus legibus eum conuinces, vt tecum iniquius ſe egiſſe fateatur? Quin potius illud obſeruare nos decet, quòd ſuo in nos iure & imperio non vt tyrānus vtitur, qui ex miſerorum eiulatu & cruentis ſpectaculis voluptatem capit: ſed patrem agit indulgentiſſimum, qui cùm nos melius, quàm nos ipſi norit, totus in hoc eſt, vt nos virgis eiuſmodi vel in offitio cōtineat, ne ex-

Rationes, quibus crux leuitur.

orbitemus: vel in viam reducat, ne cum mundo infelici & pœnitere neſcio pereamus. Et quàmuis caſtigatione omnino digni ſimus, noſtræ tamen infirmitatis memor, nos ſupra vires tentari nõ ſinit. Nouit enim nos ex puluere & terra conſtare, ideoq́ diſciplinæ ſeueritatem patria clementia temperat. De his olim ſancti homines cogitarũt, & iſta conſideratione confirmati aduerſis omnibus ſuperiores facti ſunt. Adde his crucis fructũ multiplicem, quẽ alibi expoſuimus, & fateberis nos potius Deo gratias agere, quã aduerſus eum murmurare debere, ſi quid nobis præter animi voluntatẽ accidere ſinit.

3. Sequatur me. Sed tempus eſt, vt ad tertium regulæ Chriſti præceptum tranſeamus, quo iubet, vt ipſum ſequamur. Diſputarunt de hoc prolixè admodum Monachi, qui ſuis figmentis partim futilibus, partim impijs & ſuperſtitioſis, viam qua nobis eundum eſt difficilem & ſpinoſam fecerunt. Nos igitur omiſſis illis tenemus ad ſequelam hanc duo potiſſimùm requiri. Primum fides eſt, qua Chriſtũ vnicum Seruatorẽ, magiſtrum & ducem noſtrum agnoſcimus. De hac ipſe cõcionatur, dicens: Ego ſum lux mundi: qui me ſequitur, nõ ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. (Ioan. 8. & 12.) Et hoc ipſum clarius explicans alibi, ait: Dum lucẽ habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Quò etiam referri debet, quod Ioannes ſub initium operis ſui euangelici ſcribit: Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in mundũ. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, ſed mundus eum non agnouit. Ad ſuos venit, & ſui eum non receperunt: Quotquot aũt eum acceperunt, ijs hanc dignitatem dedit. vt filij Dei fierent, ijs nimirũ, QVI CREDVNT in nomen eius. Docent iſta, fidem præcipuũ illud eſſe, quo Chriſtũ ſequi, imò aſſequi & appræhẽdere poſſumus. (Ioan. 8.) Hac olim Abrahã illum ſecutus eſt, vt & diem eius videret, & ſalutis in illo particeps fieret. Eadem illũ verè ſecuti ſunt Apoſtoli, multis alijs eum nequicquam corpore ſequentibus, qui fide deſtituebantur. Eſt hoc probè obſeruandum propter eos, qui ſe Chriſti ſectatores eſſe putant, ſi quod vitæ genus auſterum deligunt, & corpus diſciplina arctiori quidem, ſed quæ nullo Dei præcepto commendatur, excruciant. At hi nõ Chriſtum, ſed ſuperſtitioſorum hominum traditiones, aut proprij capitis figmenta ſequuntur, & quò magis in hac via ſua feſtinant, eò longius à Chriſto recedunt, dum quæ in eius ſolius merito repoſita eſſe debebat, æternæ ſalutis fiduciam in rebus hiſce leuiculis collocatam habent. Porro ex fide, qua Chriſtum verè ſequimur, alterum dependet, totius nimirum vitæ conuerſatio, quam ad illius exemplum component, quotquot ipſum fide viua appræhenderint. Sciunt enim illum dixiſſe: Exemplum præbui vobis, vt ſicut ego feci, & vos faciatis. (Ioan. 13.) Et illud Petri agnoſcunt: Chriſtus paſſus eſt pro vobis exemplar, vt ſequamini veſtigia ipſius. (1 Pet. 2.) Opus ergo erit omnem, quam in hiſce terris tranſegit, Chriſti vitã inſpicere, in qua omnis virtutis exemplar perfectiſſimum elucebit: obedientiæ nimirum quam Patri præſtitit: innocentiæ, quam ne hoſtes quidem vllis calumnijs aut falſis teſtibus polluere potuerunt: charitatis, quæ eum pro hoſtibus orare compulit: patientiæ, quæ aduerſus omnes cruciatus, omnia tormenta, omnes exprobrationes & conuitia, fortis & inuicta conſtitit: fidei deniq́, ex qua tunc quoque Deum patrem inuocauit, cùm nullum eius gratiæ argumentum appareret. Poterant hæc fuſiſſimè extendi per omnes hominum ordines & vitæ actiones vniuerſas: ſed facilè iſta ſibi applicabunt, qui ſerio pietatis ſenſu afficiuntur. Hoc vnum in præſenti omnes obſeruent, nihil in tota hac Chriſti regula cõtineri, quod nobis meritò iniquũ, inhoneſtum, aut difficile & periculoſum videri debeat. Quid enim magis æquum & honeſtum eſt, quam vt Chriſto conformes fiant, qui ab illo denominantur? Aut cur difficile putemus eum ſequi, qui vt ſuo exemplo nobis præiuit: ita ſectatoribus ſuis manum porrigit, & feſſos quoq́ nouis viribus inſtaurat? Num verò ſibi timeant, qui eum ducem ſequuntur, qui deuicto mundo & principe eius cœlis & terris imperat?

Inſtruit aduerſus ea, quæ nos ab illo auocant. Cæterùm etſi iſta verè dicantur, & ſibi aures vellicari ſentiant, quotquot de his non omnino oſcitanter cogitant, multa tamen ſunt, quæ pios quoq́ in hoc inſtituto ſanctiſſimo remorantur. Alios enim innata omnibus vitæ cupiditas detinet, quibus durum videtur illam in periculũ adducere. Alij opum amore faſcinantur, vt quiduis potius quàm de illis periclitari velint. Multos mundi amicitia & ambitio excæcãt, vt Chriſtum abnegare & ab hoc præſcriptam regulam tranſgredi ſatius eſſe putent, quàm vt mundo exoſi & infames fiant. Sunt qui ſtultos & ridiculos nimiùm eos eſſe putant, qui propter Chriſtum & fidei veræ confeſſionem ſeipſos & fortunas ſuas in periculum adducunt, cùm dubia & incerta ſint, quæ de cælis & vita æterna dicuntur. Quæ cùm non ignoraret ille, noua & validiſſima argumenta profert, quibus omnes iſtorum rationes grauiſſimè confutat.

1. Vitæ periculum.

Primùm de ijs loquitur, qui vitæ conſultum volunt in hoc ſeculo, & ſic dicit: Quiſquis voluerit animam ſuam ſeruare, perdet eam: Quiſquis verò perdiderit animam ſuam mea cauſa, is ſeruabit eam. Sumitur argumentum hoc à fine aut officio hominis Chriſtiani, & (vt diximus) eorum errori opponitur, qui ne de anima aut vita periclitentur, à regula ipſius deficiunt, vel etiam fidem in illum abnegant. Oſtendit enim, nos non tã de huius ſeculi vita, quàm de futura ſolicitos eſſe debere, ne dum nobis nunc conſulimus, vitæ æternæ iacturam faciamus. Et eſt hæc bipertita ſententia. Prima parte oſtendit, eos non modò falli ſpe ſua, qui animam turpi defectione nunc ſeruare volunt, verumetiam ſibiipſis animæ exitium accerſere. Adhuc enim ipſis incumbit, quæ omnibus communis eſt, lex moriendi. At dum hora illa fatalis imminet, tunc ſpe & conſolatione omni deſtitutis ſubinde hæc Chriſti ſententia obſtrepit: Quemcunq; mei puduerit & Euangelij mei, eius me quoq; pudebit, cùm venero in gloria patris mei. Moriuntur ergo, & ſimul huius vitæ vſum amittunt, & à cœleſti excluſi manent, ad quam nobis nullus acceſſus patet, niſi in Chriſto, quem illi abnegarunt. Altera parte felicem & beatam eorum conditionem exponit, qui animam aut vitam ipſius cauſa deponunt, adeoq; perdunt. Nam hi (inquit) ſeruabunt eam. Ratio promiſſionis huius certa & euidens eſt: quia animas ſuas in Dei manus deponunt, qui remunerator eſt fideliſſimus. Colligit ergo has ille ad Filium ſuũ, cum quo viuunt & regnant, & olim ad corpora ſua rediture ſunt, vt vnà cum his bona illa cœleſtia poſſideant, quæ omnem huius mundi captum ſuperare ſcriptura teſtatur. Iſa. 64.

2. Opum iactura.

At quia remoram hîc nobis maximam iniiciunt opes, quarum plerique natura appetentes ſunt, qui ſe non pœnitendum lucrum feciſſe ſibi perſuadent, ſi vitæ huius vſum longius extendant, & ſimul fortunis ſuis conſulant, ne his exuti oberrent: ſecundo loco iſtis etiam remedium adhibet, dicens: Quid prodeſt cuipiam, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſeipſum autem perdat, aut ſeipſo mulctetur? Conuenit argumentum hoc cum communi ſenſu, quo docemur, hominem inter res huius ſeculi nihil ſeipſo præſtantius aut charius habere. Ex eo autem ſequitur, nihil eos lucrari, ſed potius irrecuperabilem iacturam facere, qui vt opes ſeruent, Chriſtum abnegando ſeipſos æternum perdunt. Vt enim paulò ante diximus, adhuc moriendi neceſſitate tenentur, & (vt Pſaltes ait) ex illis qui nituntur opulentiá ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, nemo fratrem ſuum vlla ratione redimere poteſt, neq; Deo pretium redemptionis eius perſoluere. (Pſal. 48.) Imò fieri videmus, vt ferè præter omnem expectationem nouiſſima vitæ hora nobis obrepat, & mors atra fores pulſet, quæ neq; muneribus neque promiſſis flectitur. At cum vita opum quoq; vſum amittimus, ignari ferè quibus nam illæ cedant: de quo infra Cap. 12. pluribus dicetur. Veriſſime ergo dicitur, nihil vtilitatis aut lucri eos referre, qui ſeipſos perdunt, vt fortunis ſuis conſulant.

3. Famæ periculum & ignominia.

Cæterum graue & durum multis videtur famæ periculum ſubire & ex dignitatum gradu deiici, adeoq; omnium digitis per contumeliam monſtrari: quod plerunq; accidere videmus ijs, qui Chriſto fideles ſunt. Olim certè balteo militari mulctabantur, qui illi nomen dederant. Inter Iudæos autem è Synagoga excludebantur, quæ extrema erat ignominia. Et hodie, vbi vtcunq; feruntur fidei purioris profeſſores, iiſdem tamẽ nullus ad publicos honores aditus patet, & Regibus atq; principibus ſuſpecti ſunt, eò quòd ſeditioſi dicantur rerum nouatores, qui ſoli dominari velint. Sunt autem, qui cùm opum & ipſius vitæ iacturam non magni faciant, ignominiam tamen eiuſmodi intolerabilem putent. Quapropter his quoq; conſultum volens Dominus, ait: Quem puduerit mei ac meorum ſermonũ, eius pudebit Filium hominis, quando venerit cum gloria ſua & Patris, ſanctorumq; Angelorum. Quibus verbis non obſcurè docet, abnegationem aut diſſimulationem fidei cum maximo ſcelere coniunctam eſſe: quia fieri non poſſit, quin nos ſui pudeat. At quid grauius, quid homine indignius dici poterat? Aut quo non ſupplicio dignus erit, quem ſui creatoris, redemptoris atq; ſeruatoris pudet? Auget ſceleris atrocitatem comparatio, qua apud Marcum ſeſe & mundum hunc opponit, cuius fauorem ambitioſi illi tanti faciunt. In præſenti verò non opus fuit pœnam apertius exprimere, eò quòd nulla nobis grauior & atrocior irrogari poteſt, quàm ſi noſtri pudeat Chriſtum in magno illo die, quo ad æternos inferorum cruciatus relegabuntur, quoſcunq; pro ſuis agnoſcere dedignatus fuerit. Nec temere ſe & Verbum ſuum coniungit, vt oſtendat eos quoq; damnari, qui ne in mundo inglorij ſint, cœtus ſacros & Euangelij prædicationem negligunt, aut hoc proſcindi patiuntur, vel eius cognitionem turpiter diſſimulant. Horum conſideratio olim Martyres tam animoſos fecit, vt nihil nõ ſibi feren-

dum putarent, ne in iſtam Chriſti ſententiam incurrerent. Et his intentos eſſe oportebat eos, quos aulicus faſtus & honores publici ſuo ſplendore ita perſtringunt, vt Chriſto longum valere renuntient, ne qua ignominiæ nota aſpergantur: neq; vident miſeri homines, ſe maiorem ignominiam ſubire non poſſe, quàm ea ſit, quam ſibijpſis ſponte acerſunt, dum fidem in Chriſtum turpiter diſsimulant. Excitent illos exempla eorum, qui olim honoribus mulctati propter fidei confeſsionem, non multò poſt ad Imperatoriæ maieſtatis faſtigium euecti ſunt: quod Iouiniano & Valentiniano accidiſſe conſtat. Et ſimilia exempla noſtro ſeculo non pauca vidimus. Quod etſi non omnibus obtingat, non fallet tamen nos Chriſtus, quin quam hîc ſuo nomine ſuſtinemus ignominiam æterna regni ſui cœleſtis gloria compenſet.

4. Dubitatio de fine ſeculi & nouiſsimo Chriſti aduentu. 2.Pet.3.

Sed non omnes multùm mouet hæc doctrina, eò quòd vix fide digna iudicant, quæ de fine huius mundi & nouiſsimo Chriſti aduentu, deq; piorum præmijs & impiorum ſupplicijs æternis dicuntur. Neq; ignorabat ille impios illos illuſores, quos Petrus venturos prædixit, & qui hodie paſsim audiuntur. Ne quid ergo diſcipuli dubitarent, quorum infirmitas ipſi ſatis perſpecta erat, addit: Dico autem vobis verè, ſunt quidam ex ijs qui hîc aſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, vſque dum viderint regnum Dei. Apud Matthæum ait: Dum viderint Filium hominis venientem in regno ſuo, id eſt, talem me viderint, qualis olim venturus ſum, quando regnum Dei cum poteſtate & gloria toti mundo reuelabitur. Et hoc de hiſtoria, quam mox ſubijciet Lucas, dicitur: in qua coram tribus diſcipulis transformatus, aut potius clarificatus, cœleſtis illius gloriæ guſtum vel ſpecimen exhibuit, in qua ad iudicium veniet, & quam nos quoq; in noſtris corporibus olim obtinebimus. Eſtq; hoc præclarum bonitatis diuinæ argumentum, quòd hac etiam ratione noſtræ infirmitati conſulere & futuræ gloriæ ſpem nobis confirmare voluit. Huius ergo fiducia freti, conſtantes ſimus in agnita veritate, & procul relictis mundi huius ſtudijs ſecundùm regulam Ieſu Chriſti ambulemus, qui & inter huius ſeculi diſcrimina aduerſus hoſtium tam viſibilium quàm inuiſibilium conatus tuebitur, & olim regni atq; gloriæ ſuæ cœleſtis conſortes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XC.

Factum eſt autem, poſt hæc verba quaſi diebus octo, cùm aſſumptis Petro & Ioanne & Iacobo, aſcẽdit in montem vt precaretur. Et facta eſt inter precandum ſpecies vultus eius alia, & veſtitus eius albus ac emicans. Et ecce duo viri colloquebantur cum eo, qui erãt Moſes & Elias, Qui viſi cum gloria dicebant ipſius exitum, quo futurum erat vt defungeretur in Hieruſalem. Petrus verò & qui cum ipſo erant, grauati erãt ſomno: cùm autem euigilaſſent, viderunt gloriam eius, & duos illos viros, qui ſtabant cum eo. Et factũ eſt, cùm illi diſcederent ab eo, dixit Petrus ad Ieſum: Magiſter, bonum eſt nos hîc eſſe, & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moſi, & vnum Eliæ: neſciens quid diceret. Hæc autem ipſo dicente, extitit nubes, quæ inumbrauit ipſos: timuerũt autem, dum ingrederentur in nubem. Et vox extitit è nube, dicens: Hic eſt Filius ille meus dilectus, ipſum audite. Et poſtquam vox iſta extitiſſet, inuentus eſt Ieſus ſolus. Ipſi autem ſiluerũt, & nulli declararunt per id tempus quicquam eorum quæ viderant.

Vide Marcum homil. 71.72.

MVltis & grauibus argumentis nuper Chriſtus Ieſus omnes homines hortatus eſt, vt ab ipſo præſcriptam piè & bene viuendi regulam ſedulò ſequantur, inq; ea conſtanter perſeuerent. Præcipuum fuit, nouiſsimus eius ad iudicium aduentus, in quo pudefieri & cõfundi oporteat omnes eos, quos ipſius puduerit coram mundo hoc prauo atq; adultero. At quia mundi finem pleriq; ſemper negarunt, & ipſe ſciebat, nouiſsimis temporibus paucos credituros eſſe, quòd ad iudicium ipſe venturus ſit, guſtum & ſpecimen aliquod regni cœleſtis & aduentus ſui pollicitus eſt, quod vt exhibuerit, Lucas ijs verbis, quæ modò recitauimus, deſcribit. Eſtq; hiſtoria iſta vna ex præcipuis & maximè memo-

mè memorabilibus, quæ in nouo teſtamento continentur, & vt alibi diximus, vſum habet duplicem. Primò enim hoc gratiæ ſuæ ſpecimine docet Chriſtus, qualis olim ad iudiciũ venturus, & qua tunc in regno ſuo futura ſit omnium fidelium conditio. Deinde demonſtrat, ſe eſſe promiſſum illum humani generis Seruatorem, quem vnum omnes ſequi & ſuum doctorem atq; magiſtrum agnoſcere debeant. Facit autem vtrunq; hoc ad remouendum crucis ſcandalum, à quo diſcipulos vehementer abhorruiſſe conſtat, & quo hodie etiam multi vehementer offendi ſolent.

Chriſti fides in promiſsis præſtandis.

Quia ergo multiplex huius hiſtoriæ fructus eſt, diligenter omnes eius circumſtantias Euangeliſtæ enumerant. Et Lucas quidem à tempore exorſus intra octauũ circiter diem à promiſsione, cuius modò meminimus, hæc facta eſſe ſcribit. Ex quo apparet Chriſti fides ſimul & bonitas: qui vt promiſsis ſuis minimè deeſt, ita non diutius æquo illa differt, ſed noſtræ infirmitatis rationem habet, ne quod damnum nobis mora ipſius afferat. Quod enim hîc factum, hoc illum in reſurrectione quoq; ſua obſeruauiſſe conſtat, quam nulla hoſtium vires atque machinationes impedire potuerunt, quò minus tertio die fieret, ſicuti promiſerat. Idem de Spiritus ſancti miſsione dicere poſſumus, quæ tunc facta eſt, cùm diſcipuli illo imprimis opus habebant. Sunt exempla hæc nobis obſeruanda, ne de illis promiſsionibus dubitemus, quibus nobis periclitantibus ſuam opem pollicitus eſt. Nec enim illarum vnquam obliuiſcetur: quòd ſi quando diutius differt, id ſingulari eius conſilio in noſtrum bonum fieri cogitemus.

Teſtes huius hiſtoriæ.

Deinde teſtes indicantur oculati, Petrus, Ioannes & Iacobus. Sufficiebant iſti ad teſtandum de rei veritate. Sunt autem illi ipſi, quos ſæpe aliâs rebus grauioribus adhibuit. Vnde apparet, inter electos quoq; nõ paruum diſcrimen eſſe, & vt functiones diuerſæ ſunt, ita dona quoq;, & ideo alij alijs præſtare ſolent. At hîc meminiſſe oportet, neminem ex eo vel inſoleſcendi vel deſperandi, multò minus autem inuidiæ aut odij occaſionem arripere debere. Nam vt Paulus ait, diſcrimina quidem donorum ſunt, ſed idem eſt Spiritus illorum author: & diſcrimina miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus omnium: & diſcrimina facultatũ ſunt, ſed idem eſt Deus, qui eas omnes efficit in quibuſuis. Singuli ergo in hoc potius ſint, vt ſuis quidem donis ad Dei gloriam & multorum ædificationem bene vtantur, in alijs verò obſeruent gratiam, qua illos Deus idem dignatus eſt: & ita curent, ne diſſenſiones ex eo oriantur, quod concordiæ vinculum eſſe debet.

1. Cor. 12.

Locus mont.

Tertiò locum quoq; denotat, quando in montem cum tribus iſtis aſcendiſſe eum dicit, & quidem vt precaretur. Fuit autem hoc ſolenne Chriſto, vt ſingulare quid facturus montes & locos ſublimiores delegerit, & tunc quoq; in precibus fuerit attentior. Atqui vt illi non opus erat locorum religionem obſeruare, ita neque preces ipſi neceſſariæ fuerunt, cui facile fuit in aſſumptæ carnis infirmitate virtutis diuinæ potentiam atq; maieſtatem declarare quoties voluit. Propter nos ergo iſta omnia fecit, vt nobis gratiam apud Deum impetraret, & ſuo exemplo doceret animos à terrenis cogitationibus ſupra mundum hunc euehere, vt cæleſtis illius gloriæ guſtu confirmemur, & olim cum ipſo glorificemur. Neq; terreat nos, quòd hos vires noſtras ſuperat. In illo enim omnia poterimus, qui vt hîc pro tribus iſtis diſcipulis orauit, ita pro omnibus nobis apud Patrem aſsiduè intercedit, & nota eſt eius promiſsio: Ego gloriam, quam dediſti mihi Pater, dedi eis. Item: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt ſpectent gloriam illam meam, quam dediſti mihi, &c.

Modus glorificationis Chriſti.

His glorificationis modus ſubijcitur, quem Matthæus & Marcus primò transformationem dicunt, deinde hanc diligentius exponentes eorum quoq; meminerunt, quæ hîc breuius de vultu & veſtitu eius dicuntur. Facta eſt (inquit Lucas) inter precandum ſpecies eius alia, & veſtitus eius albus ac emicans ſiue fulgurans. Matthæus vultum eius inſtar Solis ſplenduiſſe ſcribit. Marcus veſtium albedinem ſiue fulgorem duabus ſimilitudinibus ſeu comparationibus explicat, dicens: Veſtimenta eius facta ſunt coruſcantia, candida valde vt nix, qualia non poteſt fullo ſuper terram dealbare. Fuit ergo ſplendor iſte maior, quàm huius ſeculi natura referre poſſit, adeoq; cæleſtis & æthereus fuit, nihil tamen de corporis veritate & ſubſtantia abſtulit. Cùm enim faciei mentio fiat, reliqua membra minimè excluduntur, de quibus ipſe diſertè loquitur, quando poſt reſurrectionem corporis clarificati veritatem oculari & palpabili demonſtratione aſſerit. Et quomodo corporis ſubſtantiam euacuaret clarificatio, quæ ne veſtium quidem ſubſtãtiam aboleuit? Et hæc quidem veteris & orthodoxæ eccleſiæ ſententia eſt, quæ multis patrũ teſtimonijs probari poterat. Sed ſufficiat nobis

D. Hieronymus; qui aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani ad Pammachium ſic ſcribit: Sic Dominus noſter in monte transfiguratus eſt in gloria, non vt manus ac pedes caeteraq; membra perderet, & ſubitò in rotunditate vel Solis vel ſphæræ volueretur: ſed eadē membra Solis fulgore rutilantia Apoſtolorum oculos perſtringerent: Vnde & veſtimenta eius mutata ſunt in candorem, non in aerem, ne fortè & veſtes eius aſſeras ſpirituales. Et facies (inquit) eius fulgebat, ſicut Sol. Vbi autem facies nominatur, exiſtimo quòd & cætera membra conſpecta ſint. Hæc Hieron. Pertinet verò ad Chriſti gloriam, quòd Moſes & Elias ipſi aſtant, & cum eo colloquuntur de exitu aut morte, qua ipſum Hieroſolymæ defungi oportebat. Ita enim docebatur, Ieſum hunc eum eſſe redemptorē, de quo olim Moſes & Prophetæ ſimul omnes teſtati ſint, neq; aliquem eius morte debere offendi, cùm de hac quoq; illi prophetarint, ipſe verò eam non inuitus aut à quoquā coactus, ſed vltrò ſubierit, vt æterno Patris decreto obediens ſufficientem pro peccatis totius mundi victimam offerret. At quia hoc ad alterum huius hiſtoriæ vſum pertinet, nunc in illo nolumus immorari.

Quomodo Chriſtus venturus ſit ad iudicium?

Videamus ergo quæ ad priorem ſpectant. Vbi firmiter tenendum eſt, æternum Dei Filium, qui ex Maria Virgine homo factus eſt, in reſurrectione aſſumptam carnem glorificauiſſe quidem, non autem depoſuiſſe eius ſubſtantiam, neq; ea quæ corporibus humanis ita propria ſunt vt ſine ijs conſiſtere non poſſint. Glorificatione enim noua maieſtas confertur, veritas autē & ſubſtantia minimè euacuatur. Ideo vt hic faciem & veſtitum retinuit: ita alibi iam reſuſcitatus, pedum, manuum, lateris, denique carnis & oſſium meminit. Vitia ergo, quæ ex peccato noſtris corporibus acceſſerunt, in clarificatione auferuntur, non aboletur autem corporum veritas. Itaq; in nubibus cæli olim veniet idem ille Ieſus, qui ex Maria Virgine natus, in aſſumpta carne mortem ſuſtinuit, in qua nunc ſedet ad dextram Dei Patris. Veniet autem cum gloria Patris, lætus quidē ſuis, qui in occurſum eius per aerem rapientur, vt æternum cum ipſo viuat: terribilis autem impijs, qui iudicem ſeuerum ferre cogentur, quem Seruatorem ſuum agnoſcere noluerunt. In quorum conſideratione ita nos verſari conuenit, vt & conſolationem hinc petamus in tentationibus, & ſimul horum memores innocentiam & ſanctitatem noſtram tueamur, vt in illo die ſubſiſtere poſſimus ad tribunal illud ſupremum, ad quod omnes homines ſiſti oportet.

Noſtrorum corporum conditio in Reſurrectione.

Ac ſimul quæ olim noſtrorum corporum in reſurrectione & regno Dei conditio futura ſit, hîc admonemur. Fruſtra enim ſuam gloriam diſcipulis Chriſtus ſpectandam exhibuiſſet, niſi ea in nos quoq; redundaret. Primò autem hoc nobis ratum eſto, quòd vt Chriſtus neq; in clarificatione iſta, neque in reſurrectione, corporis ſui veritatem depoſuit: ita nobis quoque corpora, in quibus nunc viuimus, reſtituentur: non autem vitijs, quibus nunc laboramus, obnoxia, ſed glorioſa & corpori Chriſti conformia. Deinde in Chriſti faciem diſcipuli iſti tres intuentur. Eius ergo conſpectu nos quoq; fruemur, & in ea bonis omnibus ſaturabimur, vt nullo amplioris felicitatis deſiderio nos ringi neceſſe ſit: Patet hoc in Petri exemplo, qui huius contemplationis dulcedine abreptus omnium quæ in terris habebat, obliuiſcitur, & non vt Lothi vxor ad illa reſpicit, ſed potius ijs relictis illic tabernaculum ſuum defigi vult, vt perpetuò cum Chriſto viuat. Et huc facit Iſaiæ teſtimonium, qui cæleſtium bonorum præſtantiam commendaturus, inter alia dicit: Quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, &c. Tertiò vident illi cum Chriſto Moſem & Eliam, quos & agnoſcunt licet nunquam abs ſe viſos. Quo docetur, nos cum ſanctis omnibus communionem habituros eſſe. Fruemur ergo omnium eorum conſortio, quorum fides atq; virtus in ſcripturis prædicatur, & quorum memoria nobis hodie iucunda atq; pretioſa eſt. Et vt olim Adamus, cùm nondum peccauiſſet, Euam ex ſuis oſſibus & carne ſua ſumptam eſſe ſciebat, quàmuis illam nunquam anteà vidiſſet: ita nos ab omni ignorantia vitio liberati eos omnes agnoſcemus, qui eiuſdem regni nobiſcum hæredes erūt. At cum ignorantia ſimul alij quoq; affectus vitioſi excludentur. Nullus ergo erit illic gaudij carnalis exceſſus, nulla libidinis nos titillātis cupiditas, nullus ex noſtrorum deſiderio dolor: deniq; Angelorum ſimiles erunt, quos nullus affectus prauus tranſuerſus abripit. Erit ergo hæc perfecta felicitas, quando nihil ſentiemus, quo illa turbari poſſit. Iſta verò vt nos ad cæleſtis patriæ amorem atq; deſiderium accendere debent: ita in noſtrorum obitu nos efficaciſſimè conſolantur, ne indignius feramus illorum mortem, qui vitam hanc infelicem cum æterna commutarunt, & quos ipſi quoq; breui ſequemur, &c.

Priuſquam

Discipuli ut hac uiſione affecti fuerint.

Priuſquam autē hinc diſcedamus, videndum eſt, vt hoc cæleſtis gloriæ guſtu diſcipuli illi tres affecti fuerint. Primū ſomno grauantur, dum iſta fiunt. Quod illis ex metu, quo conſternatos fuiſſe alij ſcribūt, accidiſſe apparet. Tandē vbi ad ſe redierūt, hæc viderunt & audierūt, quæ tunc agebantur. Quo exēplo non infirmitas modò noſtra adumbratur, quæ dum in carne viuimus, diuina & cæleſtia non percipit, verumetiā ignauia & tarditas arguitur, qua impediti illa vix obſeruamus, vt decebat. Tanta autem illa eſt, vt neq; lætis neq; triſtibus excuti aut ſuperari poſſit. Nam quod hîc patiuntur diſcipuli, hoc ipſum poſtea iiſdem accidit, quando Chriſtus imminente mortis ſuæ hora extrema carnis aſſumptæ infirmitatem coram illis teſtatus, & eos ad excubias & preces hortatus eſt. Experimur huius generis multa in nobis ipſis, quorum conſideratio nos excitare debet, vt & in precibus ferüentiores ſimus, & Dei bonitatem agnoſcamus, qui indignos nos monet & erigit, ne in veterno iſto animarum pernitioſiſſimo malè pereamus. Porro huic vitio aliud coniungit Petrus feruore & zelo, quo præ alijs ferè flagrauit, abreptus. Cùm enim Moſem & Eliam iam diſceſſuros videret, veritus ne ſpectaculum hoc iucundiſſimum horum abitu turbaretur, exclamat: Magiſter, bonum eſt nos hîc eſſe, & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & vnum Moſi, & vnum Eliæ. Vbi laudem quidem meretur tam ſanctæ contemplationis deſiderium, repræhenſione autem digniſſima eſt ſtupida hæc ignorantia, qua illum laborauiſſe Lucas teſtatur, & quam non vno argumento prodit. Primò enim finem huius viſionis ignorat, & quàmuis Chriſtum de ſua morte non ſemel concionantem, & de eadem cum illo Moſem & Eliam colloquentes iam nunc audiuiſſet, ipſe tamen quaſi re omni confecta ſibi iam triumphum fingit, & priuſquam aliquid paſſus ſit, regnare cupit. Deinde tabernaculis opus eſſe putat ijs, quos cæleſti gloria coruſcare & extra omnem huius ſeculi fortunam conſtitutos eſſe videbat. Quid, quòd nullum diſcrimen facit inter Chriſtum & eius ſeruos, & dum his vnà cum illo tabernacula facere conatur, in eodem illos gradu cum eo collocat. Eſt hoc carnis noſtræ ingenium, vt ante tempus nobis triumphos paremus, & ferè de noſtris conſilijs plus quàm par ſit nobis polliceamur. Fit ergo, vt dum bono zelo abrepti in diuinis ſapere volumus, plerunque ſtultitiam extremam teſtemur. Poterat hoc multis exemplis probari: ſed quia in nobis ipſis hoc frequenter experimur, alienis minimè opus eſt. Diſcamus potius humiliari ſub Dei manu, neque quicquam bonum putare, quàm quod ille decreuit.

Docetur Ieſum eſſe Chriſtum.

Tranſeamus nunc ad alteram huius hiſtoriæ partem, qua alter illius vſus aut fructus continetur: qui docet, Ieſum hunc eſſe Chriſtum, id eſt, promiſſum mediatorem, per quem vnum nobis Pater placatus ſit, & quem ſolum audire debeant, quotquot ſeruari volunt. Id verò Pater ipſe docet, qui præſentiam ſuam partim nube (vt olim ſæpius) partim cæleſti voce teſtatus eſt, dicens: Hic eſt filius ille meus dilectus (apud Matthæum additur, In quo placatus ſum) ipſum audite. Quæ verba ex Moſe & Prophetis deſumpta eſſe, alibi oſtendimus: vt appareat, non alium eſſe Chriſtum, quàm de quo Moſes & Prophetæ concionati ſint: & ſimul aſſeritur hîc conſenſus inter vetus & nouum teſtamentum, qui nos dulciſſimæ illius communionis admonet, quæ nobis cum veteribus intercedit: de qua iam ante diximus. Diſertè autem ait: Hic eſt Filius ille meus dilectus: vt partim quidem eum ſufficere doceat muneri, ad quod deſtinatus eſt: partim vt inter ipſum & Moſem atq; Eliam, adeoq; omnes ſanctos diſtinguat, & oſtendat gloriam hanc noſtræ cum Deo reconciliationis huic vni deberi. Et ideo hunc audire iubet. Ita enim eum nobis doctorem atq; Magiſtrum præficit, vt (quod olim Moſes teſtatus eſt) ſalutē & regni ſui hæreditatem omnibus neget, qui ipſum audire nolunt. Deut. 18. *Ideo cùm Euangelij ſui prædicationem Apoſtolis mandaret, addit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabitur: Qui non crediderit, damnabitur. Ad quorum omnium confirmationem facit, quòd tùm hanc vocem promulgaret Pater, nemo præter ſolum Ieſum adeſſe viſus eſt. Quando ergo de æternæ ſalutis negotio agitur, ita vnus & ſolus Chriſtus eminere debet, vt procul faceſſere & euaneſcere debeant ſancti omnes cum ſuis meritis, niſi quatenus illi teſtimoniū dederunt. Semper enim rata erit eius ſententia, quā per Iſaiam protulit: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum,* Iſa. 42. *& gloriam meā alteri non dabo. Continetur ergo hîc æternū Dei Patris decretū, cui Moſes & Prophetæ conſentiunt, & quod nunc in cœtu ſelectiſſimorū Dei hominum ſolenni & inaudita prius maieſtate promulgatum eſt. Huic nos fidere decet, neq; ſuperſtitioſorum hominum delirijs moueri, qui nobis Patres neſcio quos & Concilia obtrudere ſatagunt. Nā ſi illi idem cum Deo Patre loquūtur,*

illis non eſt opus. Sin verò diuerſum tradunt, & ex ſemetipſis nouas ſalutis aſſequendæ rationes nobis fabricant, anathema ſunt, neque merentur audiri. Poterat de his ſermo in immenſum extendi, ſed breuitati ſtudemus, quia alibi diximus, quæ ad ampliorem iſtorum explicationem faciunt.

Diſcipuli tacent ex Chriſti mandato.

De diſcipulis additur, quòd taciti hæc omnia ſibi ſeruauerint. Quod illos ex Chriſti mandato feciſſe, Marcus diſertè docet. Præceperat enim iis grauiter, ne cui narrarent quæ viderant. Cuius mandati duplex ratio aſſignari poteſt. Prima, ipſorum ignorantia, quæ adhuc craſſiſſima erat. Adeò enim nondum tenebant regni Chriſti & ſalutis myſteria, vt quid reſurrectio ex mortuis ſit, adhuc ignorarent, vt in Marco eſt videre. Altera, quòd iſta non meruiſſent fidem apud aliquos, tùm omnes in regni terreni expectationem intenti eſſent, & pauci in Chriſto gloriam cœleſtem agnoſcerent. Satius ergo fuit iſta ad tempus reticere, quàm intempeſtiua atque inepta prædicatione totum humanæ redemptionis negotium ludibrio aduerſariorum exponere. Quàmuis autem hodie nihil eorum diſsimulari debeat, quæ Dei filius propter nos fecit, idem tamen à verbi ſui diſpenſatoribus adhuc prudentiam requirit, vt in loco & tempore omnia proponant, & tam ſuæ tenuitatis quàm captus auditorum rationem habeant diligentem. At quod præcipuum huius loci caput eſt, diſcant omnes, Ieſum hunc, qui ex virgine hominem aſſumpſit, æternum & dilectum illum eſſe Dei filium, cuius merito nobis Pater placatus eſt, & qui olim in gloria veniet, vt hoſtium quidem contumaciam vlciſcatur, ſuis autem æterna regni promiſſi præmia rependat. Illum ergo audiamus, eidem credamus, & in ipſo ſeruabimur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XCI.

Factum eſt autem ſequenti die, cum ipſi deſcendiſſent de monte, occurrit ei turba multa. Et ecce quidam è turba exclamauit, dicens: Magiſter, rogo te, reſpice ad filium meum: nam vnigenitus eſt mihi. Et ecce ſpiritus arripit eum, & repentè clamat, & diſcerpit eum cum ſpuma, & vix diſcedit ab eo, conterens eum. Et rogaui diſcipulos tuos, vt ipſum eijcerent: ſed non potuerunt. Reſpondens autē Ieſus ait: O natio incredula & peruerſa, quouſque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Adduc filium tuum huc. Cùm autē adhuc accederet: lacerauit eum dæmonium & diſcerpſit. Obiurgauit autem Ieſus ſpiritum impurum, & ſanauit puerū, & reddidit eum patri ſuo. Percellebantur igitur omnes ſuper magnifica Dei virtute. Omnibus verò mirantibus ſuper omnibus quæ faciebat, dixit diſcipulis ſuis: Reponite vos in aures veſtras ſermones iſtos. Futurum eſt enim, vt Filius hominis tradatur in manus hominum. Ipſi verò ignorabant dictum iſtud, eratque ipſis occultum, adeò vt illud non ſentirent, & timebant eum interrogare de hoc dicto.

Vide Marcum Homil. 74. & 75. &c.

QVemadmodum Deus Filium ſuum iam inde ab æterno humani generis ſeruatorē conſtituit: ita eundem multis & varijs teſtimonijs cōmendauit, vt facilius agnoſceretur & plures per ipſum ſalui fierent. Inter illa autem cumprimis memorabile eſt, quod illi nuper reddidit, quando coram tribus diſcipulis transformatus cœleſtis gloriæ ſpecimen dedit. Eo enim hunc Filium ſuum eſſe teſtatus eſt, in quo vno ſalus omnis habeatur, & quem omnes audire atque ſequi debeant. Cæterùm ne quis hæc putaret nuda verba eſſe, opera miraculoſa acceſſerunt, quibus teſtimonia illa cōfirmantur. Quia enim ea fecit, quæ Meſſiam facturū eſſe olim Iſaias & alij Prophetæ prædixerunt, ſatis conſtat, eum eſſe ipſum, de quo illi vaticinati ſunt. Et huc referri debet hiſtoria, quā modò recitauimus. Nam dum puerum ſanitati reſtituit, quem Satan ab infantia vſque occuparat, & in quo manifeſta iræ Dei argumenta elucebant, quis non videat, nos per illum ex diaboli poteſtate redemptos & Deo reconciliatos eſſe? Quod vt rectius intelligatur, hiſtoriā hanc omnē per partes ſingulas inſpiciemus.

Occurrit

Occaſio miraculi.

Occurrit inter has primùm miraculi occaſio, quam Marcus diligentius exponit. Interea enim dum Chriſtus cum diſcipulis tribus in monte verſatus eſt, quidam ad alios nouem filium ſuum comitiali morbo ſecundùm Lunæ vices (vt Matthæus annotauit) laborantem & malo dæmonio agitatum adduxit, petens vt ei mederentur. Illi verò, quia in alijs multis res non infeliciter ſucceſſerat, ad opus ſeſe accingunt, ſed nequicquam. Hinc ergo Scribæ aduerſus illos diſputandi occaſionem arripiunt, hoc nimirum agentes, vt totum Chriſti Ieſu negotium omni populo ſuſpectum reddant. Eſt enim hoc proprium hoſtibus Chriſti, vt ex eorum vitijs, qui ipſum profitentur, calumniandi occaſionem arripiant: quò magis nos anniti decet, ne quam illis præbeamus, &c. Et credibile eſt, diſcipulos ea re vehementer turbatos fuiſſe, cùm & ſe vulgi ludibrijs exponi, & ſimul Chriſti gloriam in ipſis periclitari viderent. At hic illis altercantibus ille ſuperuenit, cui mox omnes obuiam excurrunt, rem exponunt, & accedunt his patris miſeri preces, & ita miraculi edendi occaſionem Chriſtus habuit. Quo loco nobis ante omnia diſcipuli conſiderandi veniunt, qui cum à pluribus obſeſſis dæmonia prius eiecerint, hoc tamen eijcere non poſſunt, quo miſer iſte agitabatur. Quod etſi miraculo ſecuturo occaſionem præbere debuerit, & Chriſti potentiam illuſtrare, ſimul tamen in genere docet, nihil feliciter ab illis perfici, qui ſine Chriſto aliquid tentant, & non ſolida fide armati ſunt. Solus enim ille nobis Deum propitium reddit, & ſpiritum illum largitur, qui nos ad omnia idoneos atque inuictos facit. Huius ergo meminerint, quotquot in eccleſiæ miniſterio conſtituti ſunt, & cogitent nihil eſſe eos qui plantant aut rigant, incrementum verò omne dari à Deo per Chriſtum, quem is ſuæ gratiæ mediatorem conſtituit. Idem obſeruent qui rempub. adminiſtrant: quia niſi Dominus ciuitatem cuſtodierit, fruſtra excubabunt quotquot eam ſeruare volent. Viderunt hoc optimi Reges olim, quibus prima ſemper fuit religionis cura, vt Chriſto propitio vterentur. Quod ipſum ad rem domeſticam quoque transferri debet, in qua felices eſſe non poſſumus, niſi Deum nobis habeamus præſentem in Chriſto, qui ſola fide apprehenditur. Hoc ſi diligentius paulò omnes expenderent, mox viderent quæ potiſſima infortuniorum noſtri ſeculi cauſa ſit. Sudant multi in eccleſia miniſterio, laborant alij in repub. & rem domeſticam alij maximo cum labore obeunt. Interim in eccleſia errores dominantur, in repub. ſcelerum licentia regnat, priuatim ira Dei ſeſe paſſim exerit. Mirantur hæc multi, ſed quod miremur non eſt, quando conſtat pleroſque ad eccleſiæ & reipub. adminiſtrationem ſine Chriſto accedere, & priuatis ſolùm commodis intentos eſſe, in re domeſtica autem ferè omnes nimia ſolicitudine angi, & in artibus malis potius quàm in Dei benedictione fiduciam collocare. Cæterùm hinc digreſſi ad miraculi hiſtoriam accedamus, quæ hoc ordine deſcribitur.

Pater pro filio lunatico intercedit.

Primùm miſeri iſtius pater producitur, qui Chriſto rogante (vt in Marco habetur) quid rei ageretur tanta cum altercatione, infelicem filij ſui conditionem multis exponit, & vt ipſi opem ferat, precatur. Propoſitio eſt: Reſpice filium meum, Ratio: Nam vnigenitus eſt mihi. Id verò ad mouendum affectum faciebat, & hanc curam patris iuſtam eſſe docebat. Nam ſi pium eſt pro filijs pluribus ſolicitum eſſe, quis eum reprehendat, qui vnigeniti ſalutem peculiari ſtudio quæſiuerit? Facit tamen ad huius confirmationem diligentior deſcriptio, quam ſubijcit. Nam ecce ſpiritus (inquit) eum arripit, & vt miſerabiliter clamet cogit, imò diſcerpit & lacerat miſerum atque ſpumantem, & vix tandem illo grauiſſimè mulctato diſcedit. Apud Marcum ſpiritus ille mutus ab effectu dicitur, quod ad augendam miſeriam plurimùm facit, quando de ea ne queri quidem aut opem aliorum verbis idoneis flagitare poſſumus. Additur ibidem, quòd ab infantia vſque eum afflixerit, & ſæpe in aquam, ſæpe in ignem abiecerit, nimirum vt totum perderet. Adumbratur tota hac narratione ingenium diaboli, qui vt ab initio homicida fuit, ita perdendis nobis nunquam non intentus eſt: Quàmuis enim non in omnium corpora ad hunc modum graſſetur, idem tamen in omnibus fieri videmus, quos in peccati ſeruitium adduxit. Nam hos quoque peſſimarum cupiditatum laqueis irretitos hinc inde rapit & lacerat. Mutos item reddit quoad Deum, ne cum hoc per preces pias colloquantur, at iidem quoad ſcelera nimiùm vocales & clamoſi fiunt, dum & monitoribus fidis obſtrepunt, & aduerſus Deum quoque linguas virulentas laxant. Spumat ergo in illis peccandi libido, & ſingulis propè momentis in proprium exitium ruunt, & niſi Deus illis ſuc-

Diaboli ingenium.

curràt, tandem in ſuis deſiderijs conſumuntur atque pereunt. Exempla horum paſsim in libidinoſis & ſcortatoribus, in auaris, in ebrioſis & infinitis alijs occurrunt. At ſimul in lunatico iſto paterna Dei prouidentia nobis conſideranda venit, qui non tantum Satanæ permittit, quantum is cupit, ſed occultis frænis furorem eius atque nocendi libidinem coercet. Quod in hoc factum fuiſſe, res ipſa loquitur. Quia enim infantem adhuc corripuit, procul dubio iampridem eum perdidiſſet, niſi Dei virtute fuiſſet impeditus. Tantum ergo hic ei ad tempus permiſit, quantum ad illuſtrandam per ipſum Filij ſui Ieſu Chriſti gloriam ſufficere ſciebat. Simile quid in Iobi hiſtoria videmus, vbi etiam certis finibus Satanam Deus circumſepſit, ne longius quàm ipſe volebat, in illum manus extenderet. Eadem Dei cura nos quoque ſeruamur, ne vel dormientes vel alioqui rerum ſecuros improbus ille perdat. Hæc vt nobis pietatis ſtudium commendant & Deo gratos eſſe docent: ita eorum ſuperſtitionem atque vanitatem arguunt, qui in diaboli poteſtate eſſe putant, vt nos aut fruges veneficarum & ſagarum præſtigijs perdat, aut quibuſcunque alijs incantationibus damnum nobis inferat. Quam parum enim ille poſsit, in Ægyptiorum Magorum & Balaami exemplis eſt videre, vt infinita alia omittamus, quæ in exteris hiſtorijs habentur. Non ergo diabolum aut hominum illi addictorum præſtigias timere debent Chriſtiani, ſed toti à Deo pendere, cui facile eſt ſuos tueri atque ſeruare.

Dei paterna cura pro nobis.

Chriſtus ſuorũ incredulitatem deplorat.

Et hîc nos ſolari debet, quod in præſenti nobis Chriſtus exhibet, ſuæ bonitatis atque fidei plus quàm paternæ ſpecimen. Nam etſi graues cauſæ eſſent, quæ vt ab ingratis & contumacibus diſcederet, monebant, non tamen opem ſuam negat, ſed potius non ſine amoris & doloris paterni ſignificatione illorum incredulitatem deplorat, dicens: O natio incredula & peruerſa, quò vſque tandem ero apud vos, & tolerabo vos? Quæ verba etſi propriè in apertos & contumaces hoſtes dicantur, omnibus tamen & ſingulis, qui aderant, ex parte conueniunt. Nam ſi à diſcipulis exordiamur, eos in fide infirmiores tunc fuiſſe patet, cùm ſpiritum hunc impurum non potuerint eijcere. Et alibi quoque ὀλιγοπιςίαν aut fidei tenuitatem in illis Chriſtus accuſat. Pater autem pueri ipſe apud Marcum fatetur, quàm procul adhuc à fidei perfectione abſit, quando diſcipulorum errore offenſus de Chriſti potentia non obſcurè dubitat, dicens: Si quid potes, ſuccurre nobis. Et mox: Credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ. Quòd ſi Scribas conſideres, ij cum incredulitate manifeſtam quoque impietatem & odium Chriſti coniunxerant: imò iam quaſi exuto omni humanitatis ſenſu, non tam diſcipulis quàm infelici huic inſultabant, qui filium ſuum ad illos adduxerat. In populo autem etſi aliqui eſſent non omnino mali, tamen ne inter illos quidem inuentus eſt, qui Chriſti gloriam publicè tueretur. Itaque iampridem omnes illi meruerant, vt ab eo reijcerentur, & non immerito de illis omnibus conqueritur. Dum verò incredulitatem potiſsimum in illis accuſat, non obſcurè docet, illa diaboli regnum maximè ſtabiliri, quod fide in ipſum deſtruitur & euertitur. Vt enim hæc nos Chriſto inſitos cum Deo coniungit: ita incredulitas à Deo abducit, & vel ſuperſtitiones gignit in animis hominum, vel prauis cupiditatibus habenas laxas & in ſcelerum licentiam erumpit. Vtiliſsimum ergo fuerit, vt aſsidua promiſsionum gratiæ Dei meditatione atque precibus crebris fidem in Chriſtum foueant, qui miſera & crudeli Satanæ tyrannide liberari volunt.

Chriſti bonitas & diaboli ferocia.

Poterit autem nos vehementer confirmare huius etiam miraculi diligens conſideratio. Nam etſi iuſtiſsima eſſet expoſtulatio, qua aduerſus illos vſus eſt, mox tamen ad patrem pueri conuerſus, vt filium ſuum adducat iubet. Ita ergo de nobis queritur Deus, vt interim nos ad ſe inuitet & nobis conſultum velit quod exemplis infinitis demonſtrari poterat. Vt verò Chriſtus ſua facilitate iſtorum duritiem ad fidem emollire cupit: ita Satan vires omnes exerit, vt malè occupatam poſſeſſionem in miſero illo retineat. Dum enim is ad Chriſtum adducitur, ille nouis furoribus inflammatus puerum lacerat, diſcerpit, humi denique proſternit, vt inter pulueres horrendum ſpumans volutetur. Et cùm illi fortius inſtaret Chriſtus, & inuitum exire cogeret, ita eum mulctat, vt plerique extinctum putarent. Eſt hoc ſatanæ ingenium, vt quo propius Chriſtum accedere videt, eò magis furiat. Sentit enim per illum vires ſuas imminui & regnum totum deſtrui, imò caput ipſum conculcari, vt primæ promiſsionis verba docent. Et quàmuis ſciat Chriſti regnum impediri non poſſe, turbas tamen dat, vt huius præcones & ſalutis appropinquantis adminiſtros vulgò ſuſpectos &

ſpectos & exoſos reddat. Ideo postremi quique illius conatus prioribus grauiores atque atrociores ſunt. Sic in Ægypto olim factum fuiſſe legimus. Qui enim initio contentus erat Dei populum libertate ſpoliauiſſe, vbi tempus liberationis appropinquare videt, noua rabie Pharaonis animum accendit, vt iam non in viros modò, ſed in recens natos infantes ſæuiret, & iam naſcituris crudeles inſidias strueret, adhæc laboribus intolerandis populum grauaret. Quo aſtu effecit, vt Moſi atque Aaronis odium conciperent plerique, & eos de liberatione loquentes porrò nollent audire. Similiter, cum Babylonici exilij initia tolerabilia fuiſſent ſub Nabuchodonozore & Euilmerodacho regibus, ſub illius finem Balsazari extremæ impietatis & ſacrilegi furoris author fuit, quo religionem & veri Dei cultum omnino abolere conatus eſt, cuius inſtaurationem præ foribus adeſſe videbat: multos item decepit tunc ſatan nouis periculis, quæ in Iudæa oriebantur, vt in Babylone potius manere, quam libertatis beneficio frui mallent. Debent huc referri immaniſſima crudelitatis plus quàm belluinæ exempla, quæ in toto Romano Imperio per annos circiter trecentos edita fuiſſe conſtat, cum fides Chriſtiana per totum orbem longè lateque propagaretur, & ſatan ceſſantibus vbique oraculis & euaneſcente indies idolorum cultu, ſibi cedendum eſſe ſentiret. Et quod tunc factum fuit, nunc etiam ſub huius mundi finem experimur, quando reges & Pontifices aduerſus ſurgentem vbique terrarum Euangelij doctrinam excitat, & regna paſſim omnia bellis ciuilibus atque externis turbat, vt quàmuis Chriſti doctrinam prorſus abolere non poſſit, eam tamen pleriſque inuiſam reddat, & tantorum malorum cauſam eſſe perſuadeat. Mirantur hæc multi, alij verò vehementer offenſi, quò ſe vertant, neſciunt. At quid opus eſt ijs, ceu nouis & inſolitis offendi, quæ euentura olim Chriſtus prædixit? Aut cur nos iſta diaboli rabies terreat, quæ vt regni Chriſti paſſim ſurgentis indicium eſt, ita illum cum infelici hoc mundo breui periturum eſſe teſtatur? Quin ergo fidei conſtantia armamur? Breuis enim ille diaboli furor eſt, eoque citius finem ſuum attinget, quo magis feſtinat.

Chriſtus diabolum facilè eijcit.

Et hìc nos animare debet Chriſti exemplum, qui etſi breues inducias diabolo concedat, vt & patris pueri fidem magis exploret, & miraculum illuſtrius faciat, mox tamen hoſtem aggreſſus eum non magno cum negotio eijcit. Etenim increpat eum publicè, vt ſe eius hoſtem eſſe teſtetur. Eſt hoc conſolationis plenum. Cur enim diabolum timeamus, cùm huius hoſtem ſe profiteatur Dei Filius, Dominus ille exercituum, cui omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra? Et quod Marcus annotauit, ſuis illum titulis compellat, atque ſpiritum mutum & ſurdum vocat: ita nimirum docens non dignum eſſe, quem aliquis in pretio habeat, aut formidet. Nam vtut ferocias & vires ſuas oſtentet, reuera tamen ſurdus & mutus eſt in Chriſti conſpectu, cùm ad huius dicta aures obturet, nec habeat quod illi reſpondeat. Præterea cum authoritate illi præcipit, vt à puero exeat, neque vnquam in illum reuertatur. Habet ergo imperium in illum, cui vel inuitus obedire cogitur. Nam etſi puerum (vt ante diximus) iterum laceret & proſternat, exit tamen, Chriſtus verò ſua manu puerum erigit & patri ſuo ſanum atque incolumem reſtituit. Docent iſta, Ieſum hunc promiſſum illud ſemen mulieris eſſe, cuius merito diaboli caput conteri & humanum genus redimi debuit. Ad hunc ergo ipſi quoq; accedamus, & procul dubio ſalui erimus.

Chriſtiani aſſiduè cum diabolo luctari debent.

Interim meminiſſe nos oportet, nobis quoque cum hoc hoſte luctandum eſſe. Eſt enim inter nos & illum inimicitia perpetua, quam ipſe Deus ſanciuit, quando ſerpenti dixit: Ponam inimicitias inter te & mulierem, inter ſemen denique tuum & ſemen illius, &c. Et cùm ſatis conſtet, quàm pertinax ſit diabolus in ſeruando aduerſus humanum genus odio, vtque rugientis leonis inſtar obambulans nunquam non quærat quos deuoret, minimè decet, vt nos remiſſiores ſimus, & illi inducias demus. Quin potius meminerimus, nos in baptiſmo in militiam Ieſu Chriſti adſcriptos eſſe, vt ſub eius ſigno aduerſus hoſtem iſtum bellum perpetuum & (vt Græci loquuntur) ἄσπονδον geramus. Teſtemur ergo nos illi inimicos eſſe. Adhæc ſuis illum depingamus coloribus, vt ſe à nobis nequaquam ignorari intelligat. Nec enim alia re magis terretur improbus ille, quàm ſi ſuum ingenium, artes atque mores ſentiat nos non latere. Nam vt impoſtores locum non habent apud eos, qui ipſorum dolos & artes iampridem perſpectas habent: Ita neque diabolus quicquam poteſt, ſi mendacia ſua & fraudes à nobis agnoſci ſentiat. Mandemus præterea illi ex Chriſti authori-

tate, vt procul à nobis faceſſat: neque deerit felix pugnæ huic euentus. Qui enim olim aduerſus Chriſtum nihil potuit, is neque in eos aliquid iuris habet, qui Chriſto per fidem ſunt inſiti. In ipſo enim nos omnia poſſumus, & ita nos ipſe Patri Deo reſtituit, vt ſub eius protectione tuti omnes hoſtis inſidias facilè contemnamus.

Effectus miraculi. Sequitur quis miraculi effectus apud ſpectatores fuerit. Percellebantur (inquit) omnes ſuper magnifica Dei virtute. In Chriſto igitur virtutem humana maiorem agnouerunt, & eius conſideratione perculſi ſunt, quòd eius officium ignorarent: alioqui enim ex eo conſolationem habuiſſent, quòd Dei virtus eò vſque ſeſe in illo demiſerat, vt nobis ſeruandis occuparetur. Sed ſolet Dei potentia impios quoque terrere, quàmuis terror ille inutilis ſit, cùm breui tempore duret, neque ad pietatem veram illos inſtituat. Non negauerim tamen aliquos ex his meliores fuiſſe, in quibus ſuo tempore ſignum hoc & vniuerſa Chriſti doctrina fructum tulit. Imprimis autem obſeruemus, quàm facile ſit Chriſto hoſtium ſuorum petulantiam compeſcere. Paulò ante diſcipulis eius inſultabant Scribæ, & ſibi plauſibilem occaſionem obtigiſſe putabant, qua illum vulgo contemptum facerent. Fuit hoc diabolo ſpectaculum ſuauiſſimum, qui & ipſe in hac ſua victoria momentanea exultauit. At ecce vno verbo & huius ferociam frangit Dominus, & illos nouo timore perculſos omnium ludibrio exponit, neque poſſunt iam diuinam in ipſo virtutem negare, qui prius impoſtorem & nullius pretij hominem dixerant. Fit hoc frequenter impijs, vt ſubitò ſpe ſua fruſtrentur, quando ad plenam victoriam nihil ſibi amplius deeſſe putant. Et hic maximè habet locum illud Solomonis: Ante ruinam exaltatio.

Chriſtus ad futura certamina diſcipulos armat. Cæterùm ne diſcipulos quoque lætitia immodica abriperet & ſecuriores faceret, in tempore remedium adhibet Dominus. Nam omnibus iis virtutis & operum ſuorum admiratione occupatis, illis conſiderationem horum diligentiorem commendat, dicens: Reponite vos in aures veſtras ſermones iſtos: Futurum eſt enim, vt Filius hominis tradatur in manus hominum. Rurſus ergo crucis illos admonet, per quam ipſum in Patris gloriam ingredi & regnum ſibi promiſſum obtinere oporteat: & docet, ne in huius miraculi ſucceſſu acquieſcant, ſed potius eius conſideratione confirmati ad certamina maiora ſeſe parent. Eſt ergo hæc generalis admonitio, quam hodie etiam non auribus ſolum percipere, ſed imis cordibus recondere debemus: vt quoties res ſecundæ

Iob. 7. nobis ſunt, de aduerſis & triſtibus, quæ nos in hoc ſeculo manent, diligenter cogitemus. Eſt enim militia vita hominis ſuper terram, & quàmuis interdum pax nobis conceſſa eſſe videatur, hæ tamen breues modò induciæ ſunt, quibus nos Deus recreat, vt animoſiores ad pugnam redeamus. Quoties ergo eccleſiam florere, nouis indies acceſſionibus creſcere, & hoſtibus ſuperiorem eſſe videmus, tunc in animum reuocentur, quæ de perſecutionibus olim à Chriſto prædicta ſunt, neque putemus iam nos portum attigiſſe. Ita ſi quando res priuatæ nobis ſaluæ & optimè conſtitutæ putantur, tunc quæ rerum humanarum viciſſitudo & quàm inſtabilis ſit huius ſeculi conditio cogitemus. Eſt hæc meditatio vtilis admodum, imò neceſſaria quoque: quia in officio nos continet, ne vel inſolentiores facti rebus lætis impiè abutamur, vel ſaltem ſecuritate oppreſſi ſalutem propriam negligamus.

Diſcipulorum ignorãtia, &c. Quàm certè neceſſarium fuerit diſcipulos de his admoneri, ex eorum ignorantia apparet. Dicit enim Lucas: Ipſi verò ignorabant dictum iſtud, eratque ipſis occultum, adeò vt illud non ſentirent, & timebant eum interrogare de hoc dicto. Paucis verbis vitia multa comprehendit. Primò quid Chriſtus ſibi velit non intelligũt. Deinde non ſentiunt quoq; id eſt, verbis eius nõ afficiuntur vt decebat. Quomodo enim in animos eorũ penetraret quod nõ intelligebant? Acceſſit tertium, quòd neq; interrogare audẽt. Fuit hic pudor nõ ruſticus modò, ſed pernitioſus valde et reprehenſione dignus, ſiue eũ metus ſiue ambitio pepererit. Quid enim opus erat ab eo ſibi timere, cuius facilitas ipſis tot iã exemplis erat perſpecta? Quòd ſi ideo non quærunt, ne ignorantes videantur, næ ſtulta admodũ & nocentiſſima fuit hæc ſcientiæ ſimulatio, quæ ipſos in ignorantiæ tenebris detinebat. Poterant hæc mira & ſtupenda videri. Sed meminiſſe oportet, animos ipſorũ falſa de regno Chriſti terreno opinione præoccupatos fuiſſe. Non potuerũt ergo ea videre, quæ de eius morte indigna dicebantur: & vt aliorũ inopia non multũ mouentur, quos opum fiducia inebriat: ita crucis mentio nequaquã eos afficere potuit,

quorum

quorum mentes nihil quàm regni ſplendorem, victorias & triumphos ſomniabant. Et quantum poſſit in diſsimulanda ignorantia gloriæ cupiditas, in nobis ipſis non rarò experimur. Excitet ergo nos diſcipulorum exemplum, vt Chriſtum non ex noſtro cerebro nobis nouum fingamus, ſed talem agnoſcamus, qualis in Scriptura prædicatur. Ignorantiæ autem noſtræ, ſi quam ſentimus, ita nos pudeat, vt ſimul in melius proficere cura ſit. Accedamus ergo ad doctorem iſtum indulgentiſsimum, qui cùm nobis à Deo Patre ſapientia factus ſit, nos in errorum tenebris perire non ſinet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA XCII.

Incidit autem diſceptatio inter eos, quis eſſet eorum maximus. Ieſus autem viſa cogitatione cordis ipſorum, acceptum puerulum ſtatuit apud ſe, & dixit eis: Quicunque exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicunque me exceperit, excipit eum qui me miſit. Nam qui minimus eſt inter vos omnes, is erit magnus.

Cur ſanctorum vitia narrentur

SCripturæ ſacræ non ſolum præclara virtutis & pietatis exempla in Dei ſeruis eximijs proponunt, ſed eorundem vitia quoque commemorant, vt in illis quidem Dei gratiam ſingularem agnoſcamus, his autem admoneamur nihil cuiquam hominum ſuperſtitioſius eſſe tribuendum, & vt tantorum virorum exemplis moniti attentius vigilemus. Obſeruari hoc ipſum debet in Ieſu Chriſti diſcipulis, de quibus aliqua prius narrauit Lucas, quæ laudem ſingularem merentur. Nam ad prædicandum emiſsi iniunctum ſibi munus fideliter obierunt. Deinde fidei confeſsionem ediderunt, quæ vniuerſam ſalutis humanæ rationem continet. Præterea tres ex eorum cœtu Chriſtus delegit, vt illis gloriæ ſuæ & regni cœleſtis ſpecimen præberet. Itaque ea viderunt & audiuerunt, quæ olim multi Prophetæ & iuſti cupiuerunt videre & audire. Ne quis ergo de illis ſublimius æquo ſentiret, & inde ſuperſtitionis materiam venaretur, non ſine Spiritus ſancti conſilio nonnulla eorundem vitia ſubijciuntur. Inter quæ primum locum habet fidei imbecillitas, qua illos laborauiſſe in præcedenti hiſtoria vidimus. Secuta eſt mox ignorantia cum ſtupore quodam cõiuncta, quæ cauſa fuit, vt Chriſtum non intellexerint de ijs diſſerentem, ſine quibus hominum ſalus non poteſt conſiſtere. Sequuntur nunc alia, quæ ex ordine videbimus, & in præſenti quidem ambitio & ſuperbia eorum taxatur, quæ Chriſto occaſionem dedit diſſerendi de humilitate, ſine qua diſcipuli eius cenſeri non poſſumus.

Diſcipuli de primatu contendunt.

Vitium eorum Lucas his verbis deſcribit: Incidit diſceptatio inter eos, quis eſſet eorum maximus. Matthæus & Marcus hoc in profectione Capernaum verſus factum aiunt: cùm paulò ante Chriſtus illos de cruce imminenti admonuiſſet. Facit hoc ad amplificationem huius peccati, quòd adeò non mouentur ijs, quæ magiſtro ſuo euentura eſſe audierant, vt interea de primatu cogitent. Origo omnis mali fuit (vt nuper quoque diximus) falſa, quæ inter Iudæos tunc vulgò ferebatur de regno Chriſti opinio. Quia enim illud terrenum fore ſomniabant, ſimul illos titillare cœpit innata hominibus ſupra alios eminendi cupiditas. Accendit autem hanc non leuis occaſio, quod Petrum, Ioannem & Iacobum iam ſemel & iterum negotijs ſecretioribus adhibuiſſet: quod vt tribus iſtis ſpem aliquã primatus obtinendi facere potuit, ita reliquos ad æmulationem extimulauit. Hinc ergo contentio illa exorta eſt, in qua multifariam peccarunt. Primò enim ſuperbiæ & ambitioni locum dant, qui Chriſti doctrina & exemplo quotidie ad humilitatem & modeſtiã inſtituebantur. Deinde præcipiti gloriæ ſtudio abrepti triumphos & regnum animo concipiunt, priuſquam in certamine illo vicerint, quod tam Chriſto quàm ipſis propoſitum eſſe audiuerant. Sunt ergo militum perfidorum ſimiles, qui ſub horam prælij ſtipendium ſibi numerari volunt, & priuſquam hoſtem vicerunt. Imò his deteriores, pugnam quoque detrectant. Accedit his, quòd qui ad vnum idemque certamen vocabantur, & proinde coniunctis animis atque viribus pugnam debebant capeſſere, nunc inter ſe commiſsi de regno altercantur. Concurrunt his æmulatio, inuidia, odium, ſimultas, quæ tandem in apertum diſsidium eruperunt. Ergo ijs vitijs laborant, quæ vt multis regnis exitium attulerunt, ita à regno Dei excludunt omnes, qui in illis abſque pœnitentia perſeuerant. Atque hi ſunt illi, quos è mundo ſe elegiſſe

Ioan. 15.

Chriſtus fatetur, & quos mundos vocat propter ſermonem quam ipſis ſit locutus. Admonẽt nos iſta vitioſitatis noſtræ & docent quam imprudenter agant, qui ſuarum virium aut dignitatis ſuæ fiducia elati ſupra alios eminere volunt. Fuit ſanè multa laude digniſſima diſcipulorũ virtus, qua Chriſtum hucuſq; ſecuti ſunt, & multis alijs deficientibus cum eo inter omnis generis tentationes perſeuerauerunt. At vnus hic locus abunde docet, miſere perituros fuiſſe illos omnes, niſi ex ſingulari gratia fuiſſent ſeruati. Docet præterea exemplum hoc, quam parum in regno Chriſti proficiant, qui nõdum renati ſunt ex verbi ſemine. Quia enim circa terrena modò occupantur, animos ad cœleſtium bonorum contemplationem attollere non poſſunt, & ferè non ſine publico ſcandalo, fidei & religionis prætextu abutuntur. Eſtq; ſcandalum hoc eò nocentius, quò ſublimior eſt eorum conditio, qui affectibus iſtis indulgent.

Apo. 9.

Pertinet huc quod de ſtella cœlo delapſa in Apocalypſi legitur, cui data eſt clauis putei abyſſi, quo aperto fumus aſcendit, qui & Solem obſcurauit, & locuſtas genuit toti orbi terrarum noxias. Conſtat enim in eo libro per ſtellas epiſcopos aut eccleſiarum miniſtros denotari, qui de cœlo cadere dicuntur, quando relictis regni cœlorum ſtudijs & doctrina cœleſti ad terrenas aut huius ſæculi dignitates atq; opes aſpirant. De cœlo igitur cecidit magna ſtella, quando Romani epiſcopi in eccleſia ſummum ius & imperium ſibi vendicarunt, & eadem occaſione Reges & principes pedibus ſuis ſubiecerunt. Ab eo autem tempore data eſt illis clauis, non regni cœlorum, qua apoſtoli & horum ſucceſſores hucuſq; pie & bene vſi fuerant, ſed putei abyſſi, id eſt, infernalis malitiæ & diabolicæ impoſturæ: quo per illos aperto mox falſæ doctrinæ fumus Soli iuſtitiæ tenebras induxit, vt extincta maxima ex parte Chriſti & meriti eius cognitione, plerique in errorum Labyrinthos inextricabiles immerſi ſint. Ex fumo autem illo locuſtarum exercitus prodierunt, ſacrificulorum nimirum & monachorum agmina, quorum hypocriſi & dolis eccleſiæ paſſim omnes vaſtatæ, ſimul autem atritis omnium regnorum opibus Pontificum potentia in immenſum aucta fuit. Poterant hæc prolixè tractari, ſed ſufficiat occaſionem dediſſe ijs, qui in eccleſia ſeruiunt, de his diligentius cogitandi, ne diaboli ſugggeſtionibus locum dent, qui ipſis etiam Apoſtolis opum & regni terreni ſpem facere auſus fuit, vt Chriſti regnum impediret, quod ipſorum miniſterio propagandum fore ſciebat.

Chriſtus diſcipulorũ contentionem nouit.

Porro Chriſtum videamus, quem occulta diſcipulorum diſceptatio non latuit cùm quid ſinguli intra animos ſuos cogitarent, probè ſciret. Et quamuis nullum illis verbum fecerit in itinere, Capernai tamen, cùm iam diuertiſſet, quid inter ſe altercati ſint, interrogat. Quod vt euidens eſt diuinitatis eius argumentum, ita docet, non temere illum nobis alibi comminatum eſſe, quòd de quouis verbo otioſe rationem ſimus reddituri. Diſcipulis certè nunquam in mẽtem venit, hæc illi nota eſſe, quæ ipſi furtim inter ſe muſſitabant. At nihil horum ei occultum fuit, & vel inuitos atque pudore ſuffuſos nunc in medium protrahit, quamq; grauiter peccarint, docet. Horum vtinã hodie meminiſſent, qui effreni licentia quiduis dicunt & faciunt, impunitatem verò ſibi ex eo pollicentur, ſi vitia ſua inter homines celare poſſint. At fruſtra celantur apud eos, quæ Chriſti oculis expoſita ſunt, qui cùm ipſi viſum fuerit, in res abſtruſiſſimas lucem inferre poteſt, vt omnibus nota fiant, quæ optimè occultata videbantur. Et quia arcanam de primatu contentionẽ hîc arguit, non obſcurè admonent, ſe ijs etiam iraſci, qui intra animos ſuos cæca æmulatione accenſi de fratribus opprimendis aut ſubigendis cogitant. Adhæc conſolationis plenum eſt, quòd diſcipulos tam grauiter corripit. Ex eo enim apparet, non latere ipſum eorum conſilia, qui falſis Apoſtolicorum titulis ſuperbi in eccleſiam eius tyrannidem affectant. Colludunt quidem illi inter ſeſe, & profundo aſtu Reges quoq; in ſuas partes trahunt, vt horum auxilijs malè partum imperium tueantur: ſed videt horum machinationes Chriſtus, & quod noſtro ſæculo non ſemel factum vidimus, proditoria eorum conſilia præter omnem expectationem detegit. At quæ illorum hominum eſt pertinacia, non vllis diuinæ iuſtitiæ aut prouidentiæ exemplis mouẽtur, & proinde in peius indies proficiunt, donec dignas ſuæ impietatis pœnas exoluent. Quia verò hæc alterius loci ſunt, quid Chriſtus cum diſcipulis egerit, videamus.

Chriſtus diſcipulorum ambitionẽ corripit.

Sunt in horum deſcriptione diligentiores duo alij Euangeliſtæ, quæ cauſa mihi videtur, quòd Lucas breuitati ſtuduit. Marcus illum conſediſſe & duodecim ſimul ad ſe vocauiſſe ſcribit: vt vel ita oſtenderet, ſe de re graui & ad omnes ex æquo pertinente eſſe dicturum. Deinde quia ambitionis ſpiritum animis eorum altius inſediſſe ſciebat, quàm vt facilè eijci poſſet, ebria vtitur, qua periculum

riculum, quod ſibi accerſant, ob oculos ponit, & ſimul occaſionem aut materiã præbet cogitandi ſemper de illis, quæ ipſis obſeruatu neceſſaria erant. Nam puerulum acceptum apud ſe ſtatuit, & mox eum complexus ait: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini puerulorum ſimiles, nõ ingrediemini in regnum cælorum. Itaq; à contrario argumentum ducit, Quaſi diceret. Vos ſinguli ſupra alios in regno meo eminere vultis, at niſi humiliemini nullus in illo vobis erit locus. Etenim humilitas ſola medium ſiue ſcala eſt, quæ homines euehit, vt in regno cælorum eximios & Deo acceptos faciat. Fuit ergo hoc dictum graue admodum ijs, qui nihil in terris regno Chriſti antiquius habebant: & ſolum hoc (ſiquidem Chriſtiani ſumus) nobis quoq; ſufficere debet ad deprimendos ſpiritus illos, quibus ſupra homines omnes, imò ſupra Deum ipſum frequenter extollimur. Nunquam enim fallet hæc Chriſti vox, cui planè conſentit, illud Petri: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

At quia in puerulis ex innata nobis vitioſitate multa inſunt, quæ non imitatione, ſed reprahenſione digna ſunt, ſcire oportet, in quibus illos debeamus imitari. Inter hæc primum eſt, quòd à dominandi deſiderio ita alieni ſunt, vt quid nam ſit dominari prorſus ignorent. Pueri, in quibus exemplo nobis eſſe debeant. *Vbi nemo mihi obijciat, in puerulis quoq; non obſcura ſuperbiæ & ambitionis indicia apparere. Fatemur nos iſtud, imò eos (ſi ſuo iure vti velit Deus) dignos eſſe dicimus, qui è regno Dei excludantur. Sed Chriſtus de eo hîc loquitur, quod in illorum ingenio & moribus vulgo apparet, non quod ex naturæ vitio in illis occultius hæret. Et quamuis (vt modò diximus) ſuperbia ſpiritus iam nunc in illis agat, non tamen adhuc gradus illos honorum agnoſcunt, multò minus de illis omnibus ſuperandis ſoliciti ſunt, ſed ſua ſorte contenti viuunt. Deinde diſciplinæ ſubſunt pueri & eam patienter ferunt (de ingenuis & bonæ indolis puerulis loquimur) ita in regno Dei locus non erit alijs, quàm qui legis Dei diſciplinam libenter admittunt, & Filium eius reuerenter exoſculantur. Adde his, quod facile cũ illis puerulis in gratiam redeũt, qui eos offenderunt, quod euidentiſſimum eſt animi de ſeipſo humiliter ſentientis indicium. Atqui hoc illud eſt, quod à nobis Scriptura paſſim requirit, & de quo nos Chriſtus in orationis formula admonet, vt ea conditione nobis debita noſtra remitti petamus, qua nos ab alijs acceptas iniurias condonamus. Hæc quicunq; præſtant, ij (vt Paulus ait) non ſenſibus, ſed malitia pueri ſunt, & in eorum ordine cenſeri merentur, de quibus in præſenti Chriſtus loquitur. Voluit autem de his admonere diſcipulos, vt intelligant quantum via ipſos relegere oporteat, qui ſe in Chriſti regno iam plus ſatis profeciſſe putabant.* 1.Cor.14. *Prodeſt autem, vt ipſi quoq; in hoc ſpeculo puerili nos ſæpius contemplemur, vt diſcamus, quantum adhuc abſimus à perfectionis meta, ad quam omnes aſpirare oportet.*

Cæterùm ne cui turpe aut indecorum videatur, à puerulis diſcere, hos nobis diligenter commendat. Puerulos Chriſtus commẽdat. *Nam vt ante diximus, iſtum in vlnas accipit, vt ſibi chariſſimum eſſe teſtetur. Cur ergo indignum vitæ & morum exemplar eſſe putes, quod apud Dei Filium in honore & precio eſſe cernis? Non puduit olim Diogenem, acerrimum omnium hominum contemptorem, puerulum manus vola aquas haurientem obſeruare, & ex illo diſcere ſibi porrò ſcutella non opus eſſe. Nimiùm ergo ſuperbi & delicatuli ſunt, qui exemplum ab ipſo Dei Filio propoſitum faſtidire non verentur. At non contentus ille hoc geſtu ſuum erga infantulos animum declarauiſſe, inſuper addit. Quicunq; exceperit puerulum hunc nomine meo, me excipit: & quicunq; me exceperit, excipit eum, qui me miſit. Quibus verbis, quoad huius loci ſtatum, admonemur amplius, ſalutis & veritatis doctrinam propter authorem ſiue adminiſtrum vilem aut deſpectum nequaquam contemni debere. Solet enim Deus tam hominibus quàm rebus in ſpeciem contemptis vti in nobis erudiendis, vt non ab vllius creaturæ ſed ipſius ſolius authoritate pendere diſcamus. Simul autem eius bonitatem nos obſeruare decet, qui exempla omnis generis proponit, vt vbiq; nobis occurrat occaſio de ijs cogitandi, quæ nobis cognitu & obſeruatu neceſſaria ſunt. Qui ingenui ſunt filij, præceptores ſibi à parentibus datos omni honore dignos eſſe agnoſcunt, licet eos ſibi neq; generis nobilitate neq; fortunis aut opibus pares eſſe norint. Eadem ergo eſt germanorum filiorum Dei indoles, quibus non graue eſt, ſi ſe ad flores agri, ad volucres cæli, ad coruorum pullos, deniq; ad oues, ſementem, piſcaturam, boues, aſinos, remitti audiant, vt illic diſcant ea, ſine quibus ſalus noſtra non poteſt conſiſtere. At inter noſtri ſæculi calamitates non poſtrema eſt, quod plerią; vix aliquem eſſe putant, cuius magiſterio ſe debeant ſubijcere. Itaque*

dum in omnibus iuſtas & dignas contemptus cauſas ſolicitè quærunt, ferè excuſſo omni diſciplinæ iugo in licentiam effunduntur, ac tandem miſerè pereunt.

Pueri quàm nobis curæ eſſe debeant.

Eſt præterea hoc loco nobis obſeruandum, commendatiſſimos nobis eſſe debere puerulos, quos tanto fauore æternus Dei Filius dignatus eſt, & quos nobis ex ſingulari benedictione Dei obtingere, Scriptura paſſim docet. Ad hos certè regnum ſuum propriè pertinere, alibi Chriſtus teſtatur. Itaque etiam atq; etiam nos cauere decet, ne illos vel negligentia noſtra, vel praua inſtitutione perdamus, vt aliquando à Deo ſeceſſione facta à regni eius hæreditate excidant. Eſt enim ſcelus hoc cum ſacrilegio coniunctum, quia ſimul è poſſeſſione ſua ſpiritus Dei eijcitur, qui in illorum cordibus ſibi domicilium delegit. Fuerunt in iſta meditatione diligentiſſimi olim Patriarchæ, quos non aliam ob cauſam ſobolis procreandæ tanto deſiderio arſiſſe conſtat, quàm quòd cuperẽt omnibus ſæculis quàm plurimos extare, à quibus Deus verè coleretur. At hodie qui liberos gignant plurimi paſſim reperiuntur, at qui in illis educandis & piè inſtituendis operam dignam collocent pauciſſimos eſt videre. Sunt ergo pleriq; agricolarum ignauorum ſimiles, qui ſemẽtem quidem magno cum labore faciunt, ſegetes autem iam adoleſcentes infelici lolio & ſpinis ſimul ſuccreſcentibus ſuffocari patiuntur. Et vt ijdem in plantandis aut inſerendis arboribus aſſidui ſunt, eaſdem verò fruteſcere ſinũt, & proinde nullum ex inſitione fructum percipiunt: Ita parentes ferè liberos quidem gignunt, ſed eoſdem partim ſua negligentia, partim praua inſtitutione, & plerunq; peſſimo exemplo corrumpũt. Ac quia in pueris reipub. ſpes conſiſtit, publica authoritate tales in ordinem redigi oportebat, quod olim in bene conſtitutis regnis atq; ciuitatibus inter gentes factum fuiſſe ſcimus.

Humilitatem cõmendat Chriſtus.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui actionem hanc graui ſententia concludit: Qui minimus eſt inter vos omnes, is erit magnus. Seruiebat dictum hoc plurimum ambitioſis & ſuperbis coercendis. Nam ita dicere videtur: Video vos pari ſtudio ad hoc aſpirare, vt in regno meo emineatis, & vnũquemque in hoc eſſe, vt ſupra alios excellat. Id autem non improbo, modò ea via ingrediamini, quæ ſola ad faſtigium illud peruenitur. Ea autem longè diuerſa eſt ab ea, quam hucuſq; tenuiſtis. Nam tunc demum ſe alijs ſublimiores fore ſinguli arbitrantur, ſi alios deprimant & ſibi ſeruos faciant. At plurimum vos ea opinio fallit. Quia qui minimus fuerit inter vos omnes, id eſt, qui ſe aliorum omnium ſeruum fecerit, is verè magnus & alijs præſtantior eſſe iudicabitur. Et conſultò vniuerſali particula, OMNES, vti voluit, ne quis ſe officio ſuo defunctum putet, ſi infra vnum aut alterum ſeſe demiſerit. Vult enim, vt quoſcunque alios nobis præſtantiores putemus, quo ſenſu Paulus

Phil. 2.

hoc dictum interpretatur. Nihil ergo te feciſſe adhuc putabis ſi ijs te inferiorem facias, qui aut generis prærogatiua, aut opibus, aut meritis & beneficijs te excellunt, ſed vt eundem animum erga omnes homines induas neceſſe eſt. Vbi tamen nemo putet, Chriſtum legitimos & ab ipſo Deo conſtitutos honorum gradus abolere, ſine quibus neque Reſpublica neque Eccleſiæ ordo, neque res domeſtica conſiſtit. Rata igitur perpetuò manent quæ ſubditi magiſtratibus, auditores doctoribus, liberi parentibus, vxores maritis & ſerui heris debent officia. Humilitatem verò præcipit Chriſtus,

Humilitas in quibus conſiſtat.

quæ in duobus ferè conſiſtit. Primum eſt, vt à Deo initio facto, nihil nobis ipſis coram illo arrogemus, ſed cum Abrahamo fateamur, nos terram ſiue puluerem eſſe, neque aliquid habere boni aut eximij, quod non ab illo acceperimus. Eſt hic proprius humilitatis atque modeſtiæ fons, ex quo alterum emanat, quod neminem præ nobis contemnimus aut faſtidimus. Si qui enim nobis inferiores ſunt, eò plus nos illis debere agnoſcimus, cùm nos ideo donis ſuis Deus locupletarit, vt noſtra copia ſiue abundantia aliorum inopiæ ſubueniat. Eſt igitur humilitas fidiſſima charitatis nutrix, & fœcundiſſima omnium officiorum mater, quibus illa inter homines conſeruatur. Fuerunt huius ſtudioſiſſimi, quotquot in ſcripturis commendantur. Hac inſignis fuit Ioſephus, quando fratribus perfidis & parricidis omne dilectionis fraternæ officium præſtitit, neque ideo illis inferior factus eſt, ſed quò magis ſeſe ad illorum ſeruitium demiſit, eò maiori ac ſublimiori honore à Deo coronatus eſt, & quoad homines quoque ſupremum inter illos dignitatis gradum obtinuit. Humilitatis item ſtudio ad regij throni faſtigium Dauid aſcendit, ex quo Saul propter ſuperbiam deturbatus fuerat. At quid hominum exemplis immorari opus eſt, quando Ieſum Chriſtum non alia ratione in regnũ Patris ingreſſum fuiſſe conſtat, quàm quòd ſerui forma aſſumpta ſeipſum humiliauit, adeò vt nullius ipſum officij erga homines ingratiſſimos puduerit? Sũt ergo nimium ridiculi, qui hominum ini-

quis

quis iudicijs terrentur, & ne cõtemptiſsimi fiant metuunt, ſi ſpontè ſeſe ad aliorum obſequia demittant. Nec enim ex hominum iudicio pendet fidelium gloria, ſed eius diſpenſator Deus eſt, qui vt puerulos ſibi commendatiſsimos habet, & hos omnibus acceptos facit: ita eorum quoque honori & ſaluti conſulit, qui eos imitantur. At cùm ad humilitatis ſtudium omnes aſtringat Dei Filius, qui regni ſui ciues aut hæredes fieri volunt, quis non videat, quo loco habendi ſint, quotquot ſub religionis Chriſtianæ prætextu ſibi in alios dominium vendicant? Et mirum eſt tam vecordes aut ſtupidos eſſe Pontifices, vt non ſentiant, vel hoc vno Chriſti dicto omnem ipſorum potentiam atque dignitatem deſtrui, quam ſub plauſibili ſucceſsionis Apoſtolicæ titulo ſibi vendicant. Si enim Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, cur non ſibi dictum cogitant, quod illis dixit Dei Filius? Cur adhuc primatum in eccleſia, & in omnes alios Epiſcopos imperium affectant? Seruos quidem ſeruorum ſeſe dicunt, at ſi dominandi libidinem, faſtum, opes, pompam & qua ipſos quoque Reges conculcant inſolentiam conſideres, dominos dominorum potius & Reges regum eſſe dixeris. Cæterùm non ſoli illi peccant, ſed inter eos quoq; qui Euangelij doctrinam profitentur, non paucos eſt inuenire, qui ſoli in eccleſia excellere, & vt dictatores quidam ab omnibus audiri volunt: qui mihi tum Pontificibus non tam pro Chriſti gloria & eccleſiarum libertate, quàm pro primatu pugnare videntur. Accenſeri iſtis debent priuati homines, qui dum Euangelium profitentur, hoc vnum quærunt, vt primum in repub. locum obtineant, & honoribus atque opibus augeantur. Et hi quidem plerumque ſuperbiæ ſpiritu faſcinati, ex falſis fratribus tandem aperti hoſtes fiunt, ſi res non per omnia votis ipſorum reſpondeat. Diſcant ergo omnes humilitati ſtudere, & in eo Ieſu Chriſti exemplum imitentur, vt cum eodem in regno Patris ſui viuant & regnent. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum.

HOMILIA XCIII.

Reſpondens autem Ioannes, ait: Magiſter, vidimus quendam ſub nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia te non ſequitur nobiſcum. Et dixit eis Ieſus: Ne prohibete. Qui enim non eſt aduerſum nos, pro nobis eſt.

PErgit Lucas Euangeliſta in commemorandis vitijs, quibus diſcipuli illi ſelectiores Ieſu Chriſti laborauerunt: id autem non in eum finem facit, vt infames faciat, aut quicquam authoritati eorum deroget, ſed vt melius agnita noſtræ naturæ vitioſitate, intelligamus illis ex gratuita Dei miſericordia obtigiſſe quicquid boni & eximij habuerunt, & vt horum exemplis admoniti non ſecuri aut confidentes ſimus, ſi quando nos in Chriſti doctrina aliquos progreſſus feciſſe cernimus, ſed potius vigilemus aduerſus propriæ carnis cupiditates, quibus Satan in noſtram pernitiem abutitur, niſi probè frænentur. Idem ergo præſentis etiam hiſtoriæ nobis vſus eſto, in qua Ioannis, dilecti illius diſcipuli, factum narratur, in quo ſimul temeritate, inuidia & ambitione peccatum fuit. Quibus error acceſsit intolerabilis, quod dum ſuo honori conſultum volunt diſcipuli, quantum in ipſis eſt, Chriſti gloriam impediunt atq; obſcurant. Nos ſingula ex ordine conſiderabimus. Vide Marcum homil. 78.

Occaſionem errori huic quidam præbuit, qui in Chriſti nomine dæmonia eijciebat, quamuis ipſum non ſequeretur, neque ex familiarium ipſius numero eſſet. At quo animo in illum præditus fuerit, non exprimitur, videtur tamen non maligne aut iniquo fuiſſe. Interim temeritate eum peccauiſſe non eſt dubium, quando abſque legitima vocatione rem tantam aggreſſus eſt. Non caruit tamen ſucceſſu conatus iſte, quod nimirum Deus etiam hac ratione Filij ſui gloriam illuſtrare, & Iudæorum contumaciam inexcuſabilem facere voluerit. Et hoc non obſcurè Chriſtus docet, quando ijs, qui ipſum Beelzebuli præſidio dæmonia eijcere calumniabantur, reſpondit: Si ego per Beelzebul eijcio dæmonia, filij veſtri per quem eijciunt? propterea ipſi erunt veſtri iudices. In iſtis certè apparet diuina Chriſti virtus, qua per eos etiam efficatiſsimè egit, qui in fide adhuc imper- Quidam nomine Chriſti dæmonia eiecit, &c. Matth. 12.

ſecti nomen eius vel temeritate vel curioſitate inconſulta vſurpabant: Quod minus mirabimur, ſi illam in rebus inanimatis quoq; non ſemel eluxiſſe cogitemus, vtpote Petri Apoſtoli vmbra & Pau- Acto. 5. & 19. *li ſudarijs, vt in Actis Lucas teſtatur. Adde his, quæ ad Martyrum ſepulchra aliquoties facta ſunt, & quod ad Ieſu Chriſti monumentum dæmones aliquãdo rugiſſe D. Hieronymus ſcribit. Quibus omnibus teſtatum fieri voluit Deus, Ieſum hunc Filium ſuum dilectum & promiſſum Seruatorem eſſe, qui ſerpentis caput conculcarit, diabolum ſuo regno eiecerit, & quòd ea fide homines ſeruentur, in cuius confeßione Martyres conſtantißimè obierunt: Et his proprius miraculorum omnium vſus eſt.*

Miracula non ſemper argumẽta ſunt perfectionis. *In quibus tamen non oſcitanter obſeruari debet, illa non ſemper fidei perfectæ aut ſupremæ ſanctitatis argumenta eſſe, vt ferè homines ſuperſtitioſi ſibijpſis perſuadent. Quia enim non propter eos propriè fiunt, quorum opera in illis ædendis Deus vtitur, ſed propter alios, quos in doctrinæ admirationem adduci, aut in fide amplius confirmari oportet: non rarò fit, vt qui in fide imperfectißimi ſunt, ſigna faciant imprimis ſtupenda, ſicuti in iſto videmus, de quo hic agitur: imò in ipſis Chriſti diſcipulis, qui priuſquam ſpiritum ſanctum accepiſſent, miracula omnis generis fecerunt, cùm tamen neque regni Chriſti cognitionem adhuc veram haberent, neque in fide ſatis confirmati eſſent, & inſuper vitijs grauißimis laborarent. At quid de imperfectis dico, quando hypocritæ & iniquitatis operarij de miraculis gloriari poſſunt Chriſto teſte? ita nimirum permittente Deo,* Matth. 7. *qui regnum Filij ſui per illos etiam vult propagari. Quæ cauſa eſt, quòd in Actis Petrus & Ioan-* Acto. 3. *nes populum ob claudi miraculoſam reſtitutionem in ipſis hærentem ad Chriſtum reuocant, dicentes: Viri Iſraelitæ, quid miramini ſuper hoc? aut quid intentos oculos in nos habetis, quaſi noſtra virtute aut pietate effecerimus vt hic ambularet? Deus ille Abrahami & Iſaaci & Iacobi, Deus patrum noſtrorum, glorificauit Filium ſuum, &c. Annotamus hæc diligentius propter ſuperſtitioſos, qui dum in ſola miracula intenti ſunt, ferè gloriam, quæ Chriſto debetur, in eius ſeruos, aut etiam res inanimatas, vtpote illorum veſtes, oſſa aut quæcunq; alia transferunt, non ſine manifeſta nominis Chriſtiani contumelia. Imò non rarò fit, vt diabolo ſeſe illudendos præbeant, qui ſuos ſeruos miraculis inſignes facit: quod ipſum Deus quoque iuſto iudicio permittit, vt ſuorum quidem fidem tẽtet, contumaces autem & impios efficaci errore excæcatos digno exitio mulctet. Itaq; in miraculis ante omnia doctrinam, quæ illis coniungitur, reſpicere oportet, & pro falſis putare ea, quæ nos à Chriſto & viui Dei inuocatione abducunt.*

Diſcipuli prohibent ne aliena ab ipſis vtatur Chriſti nomine. *Sed ad Ioannẽ & eius ſocios accedamus, qui iſtum prohibuerunt, ne in eijciendis dæmonijs Chriſti nomine vteretur. Facti autem ſui non aliam cauſam adducunt, quàm quòd aiunt: Quia te non ſequitur nobiſcum. At hîc in vno facto in ſpeciem leuiculo, multi & magni errores (vt initio diximus) concurrunt. Primò enim temeritas fuit inexcuſabilis, quòd in re dubia tantum ſibi iuris ſumunt, vt imperioſè nimis prohibeant id, cuius rationem nondum intelligebant. Et ſanè nulla venia dignus eſt, qui in diuinis aliquid ſtatuit, cuius non certa ipſi ratio conſtat. Deinde inuidia & ambitione peccant, quando ipſis dolet, Chriſti nomen ab eo etiam vſurpari, quem ſui loci & ordinis non eſſe videbant. Quid enim aliud illorum verba ſonant, quàm, Nolumus hunc nobis æquari, qui non te nobiſcum ſequitur, neq; eandem vitæ rationem nobiſcum tenet? Sibi igitur hoc priuilegium vẽdicant, vt ſaluifica & diuina Chriſti virtus in ipſis ſolis elucere debeat. Eadem ergo illos æmulatio* Ioan. 3. *excæcat, quam in Ioannis Baptiſtæ diſcipulis regnauiſſe alibi diximus. His accedit ignorantia cum manifeſta ſuperſtitione coniuncta, quando omnes Chriſti diſcipulos ad vnum vitæ genus aſtringere conantur, neque putant aliquem illius ſectatorem debere cenſeri, qui non idem ex eius domeſticis fit, & ipſorum exemplum ſecutus omnia relinquat. Quod quid aliud erat, quàm Chriſti regnum intra duodecim virorum numerum finibus plus nimiùm anguſtis concludere, & ita illius gloriæ obſtare, cuius ſtudioſißimi videri volebant? Similis hodie Monachorum & Anabaptiſtarum error eſt, qui & ipſi ſalutem hominum & regnum Dei intra ſuos quaſi parietes concludunt, neque obſeruant non aboleri per Chriſtum ordines hominum, quos ipſe Deus inſtituit, & ſine quibus (vt nuper diximus) neque Reſpublica neque res domeſtica conſiſtit: imò quibus ſublatis, in eccleſia nihil præter barbaram confuſionem videre licebit. Cur verò ordines illi aboleantur, quando inter verbi ad-*

miniſtros

miniſtros diſcrimina non obſcura Chriſtus inſtituit, vt Paulus admonet, dum alios quidem Apo-
ſtolos fecit, qui nullis certis locis affixi Euangelium hincinde prædicant: alios autem Paſtores, qui Ephes. 4.
ſuæ fidei creditum gregem paſcunt, neque aliorum laboribus ſeſe temere immiſcent, &c. Vides igi-
tur in diſcipulorum facto, quàm periculoſum ſit, ſi ſuis opinionibus homines indulgeant, & de rebus
nondum plenè cognitis aut probè perſpectis temere pronuntient. Quamuis autem in his errent diſci
puli, ſuo tamen exemplo noſtri ſeculi ignauiam & tepiditatem accuſant. Indignum illis videtur, vt
aliquis Chriſti nomine honorificè vtatur, qui non apertus & germanus ſit eius diſcipulus. At ho-
die qui Chriſtianiſſimi videri volunt, aperta ſcelera ferre poſſunt, quæ cum multorum ſcandalo &
tum manifeſta nominis Chriſtiani ignominia paſſim deſignantur. Adhæc illorum quoque audaci-
am arguunt, qui quos à Chriſti cognitione atq; fide alieniſſimos eſſe norunt, eos tamen eccleſijs ob-
trudunt, & harum paſtores faciunt, qui propter rerum diuinarum ignorantiam, prophanum reli-
gionis contemptum & corruptiſſimos mores, ne extremo quidem loco in eccleſia digni ſunt, & potius
ab eius ſocietate procul reijci debebant. Peccant in eo multum hodie principes viri, & qui miniſtro-
rum electionem penes ſe ſolos eſſe volunt. Quorum multi cùm religionis purioris & imprimis diſci-
plinæ eccleſiaſticæ hoſtes ſint, homines leues & ſui ſimiles deligunt, vt ita dignum habeat patella o-
perculũ, & quos ipſi pro ſua libidine regere poſſint. Sunt hi Ieroboami & Herodis ſimiles, quos eodẽ
aſtu vſos fuiſſe legimus quando ſub religionis prætextu regnum ſuum ſtabilire voluerunt. Sed vt
iſti pœnas graues dederunt, ita noſtrorum quoq; audaciam Deus inultam non ſinet.

Nunc Chriſtum audiamus, qui diſcipulorum factum improbat, & ne quem in poſterum prohibe- Chriſtus diſci-
ant, edicit. Rationes apud Marcum tres adducit, ex quibus vnam modò, & quæ diſcipulorum affe- pulos reprimit.
ctui medendo optimè conueniebat, Lucas recitat. Hi enim pro Chriſti hoſtibus habebant omnes, qui
ipſum non publicè ſequerentur: aut ſaltem indignos iudicabant, qui illius nomen quacunq; ratione v-
ſurparent. Dicit ergo: Qui non eſt aduerſum nos, pro nobis eſt. Pro ſuo ergo agnoſcit, quem illi alie-
num putabant. Interim ſententia hæc nequaquam ijs patrocinatur, qui ſufficere putant, ſi Chriſtum
non apertè oppugnent, interim verò turpi & ignaua diſſimulatione vtuntur, vbi conſtantia & inge-
nua veritatis confeſſione imprimis opus erat. Nec enim talis erat, de quo hîc agitur, cùm Chriſti nõ-
mine, quod magnatibus exoſum eſſe ſciebat, publicè vſus ſit, & diaboli regnum oppugnarit, Dei ve-
rò regnum & Filij eius gloriam illuſtrauerit. Non igitur huius exemplo ſibi delitias faciant igna-
ui illi tergiuerſatores niſi eundem prius imitentur. Similiter neq; erronum licentiam Chriſtus hîc
defendit, qui abſq; legitima vocatione ius docendi in eccleſia ſibi vendicant. Aliud enim eſt docere, Phil. 1.
aliud miracula ædere, neq; duo illa ſemper coniuncta ſunt. Ferebat quidem Paulus eos, qui ex æmu-
latione non bona & per contentionem Chriſtum prædicabant: idem tamen non probauit eorum teme-
ritatem, ſed Dei prouidentiam in eo agnoſcere docet, qui per improbos quoq; regnum ſuum poſſit dila-
tare. Et procul dubiò illorum petulantiam coercuiſſet, ſi qua ratione commoda id potuiſſet fieri. Sed
multa tunc ferri oportuit, quando eccleſiæ omni magiſtratuum præſidio deſtitutæ inter medios lupos
& vulpes agebant. At hodie in ſeruando ordine & forma legitima doctrinæ attentiores eſſe conue-
nit eos, quibus libertas maior conceſſa eſt, ne tantũ Dei beneficiũ ſua ignauia perire & diffluere pa-
tiantur, curent tamen vt huius dicti memores non temere damnent eos, qui adhuc imperfectiores ſunt.
Nã qui illud faciunt, ſæpe ad defectionẽ eos cogunt, & apertos hoſtes faciunt ex ijs, quorũ opera Ec-
cleſijs nõ inutilis eſſe poterat, ſi moderatius tractarentur. Interim meminerint omnes, ſui officij eſſe,
vt ſuam operam ad propagãdum & cõſeruandum Ieſu Chriſti regnũ conferant, & quacunq; ratione
poſſunt nomen eius illuſtrent. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA XCIIII.

Factum eſt autem cùm impleretur tempus, quo ſurſum reciperetur, tum ipſe obfirmauit faciem ſuam, vt proficiſceretur in Hieruſalem. Miſitq; nuntios ante faciem ſuam, qui profecti ingreſsi ſunt in vicum Samaritanorum, vt pararent ei hoſpitium. Sed illi non receperunt eum, quòd habitum præferret proficiſcentis in Hieruſalem.

Cùm autem hoc vidiſſent diſcipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixérunt: Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat è cœlo, & conſumat eos, vt etiam Elias fecit? Sed conuerſus Ieſus obiurgauit eos, dicens: Neſcitis cuius ſpiritus vos ſitis. Filius enim hominis non venit vt perdat animas hominum, ſed vt ſeruet. Abierunt igitur in aliũ vicũ.

EXpoſuit Lucas quatuor inſignes errores aut vitia, quibus diſcipuli Ieſu Chriſti laborauerũt, fidei nimirum imbecillitatem aut imperfectionem, ignorantiam capitum ſalutis humanæ, ambitionem ſiue regnandi cupiditatem, cæcam item æmulationem, qua accenſi Chriſtum eiuſque virtutem ad ſe ſolos pertinere putarunt: alios verò omnes, qui non ipſorum contubernales erant, pro indignis habuerunt, qui Chriſti nomẽ vſurparent. His modò ſubijcitur peccatũ craſſius, impatientia nimirum cum præcipiti ira & impotenti vindictæ cupiditate coniuncta, qua non ſolùm in charitatis leges, verumetiam in Chriſti officium peccarunt, dum longè alium hunc fingunt, quàm nobis à Patre ſit datus. At ſimul multa alia continet hæc hiſtoria, quæ nos de multis cognitu neceſſarijs poſſunt admonere. Quare eam Lucas diligenter narrat, vt ſuo exemplo nos ad conſiderationem illius attentiorem extitet.

Occaſio præſentis actionis.

Præmittitur totius negotij occaſio, quam temporis circumſtantia præbuit. Iam enim inſtabat hora illa fatalis, qua Chriſtum ſurſum recipi, id eſt, per mortem ex mundo exire & corpus ſuum in cælos inferre oportebat. Ideo qui huc uſq; intra Galilææ fines ſeſe continuerat, nunc faciem ſuam obfirmat & certo immobilique animi propoſito profectionem in Hieruſalem inſtituit, vbi ſe moriturum eſſe nouerat. At media inter Iudæam & Galilæam (vt Ioannes cap. quarto annotauit) iacebat Samaria, & proinde neceſſariò ei per hanc erat tranſeundũ. Huius ergo fines ingreſſus, præmittit aliquos ex ſuis, qui ipſi hoſpitium parent. Vbi nemo putauerit, Chriſtum vel lautitias quæſiuiſſe, vel (vt huius ſæculi principes ſolent) pompa & faſtu inſolentiori potentiam ſuam oſtentauiſſe: ſed vt ita faceret, neceſſitas poſtulabat, cùm in profectione illa comitatum haberet ſatis numeroſum. Nam vt in proximo cap. audiemus, præter duodecim Apoſtolos, alios diſcipulos ſeptuaginta habuit, quos ad prædicandum non multò poſt emiſit. His mulieres acceſſerunt, quarum mentio ſupra cap. octauo facta eſt, & turba populi vndique confluentis. Noluit ergo cum tanto comitatu temere & ex improuiſo eos obruere, quos erga Iudæorum gentem non bene affectos eſſe ſciebat. Itaque ciuilis iuſtitia & modeſtiæ ſingularis exemplum præbet, quod peregrinis omnibus eſt imitandum, ne quid imprudentius agant, neue ijs quibus cum viuunt temere moleſtiam aliquam exhibeant: quod olim Patriarchas ſanctiſſimos magna diligentia cauiſſe legimus. Interim regni ſui iam mox inſtaurandi ſpecimen nobis præbet Chriſtus, quando qui nihil habebat proprium, & neque commeatu inſtructus erat, neq; opes aut dignitates cuiquam pollicebatur, tam multos tamen inuenit, qui ipſum ſponte ſequuntur, & ſuis impenſis eum alunt, vt ſupra vidimus. At non agnouerunt hoc Dei conſilium Samaritani, ad quos ille diuertere voluit, ſed veteris odij memoria accenſi, non minus inhumaniter quàm indignè hoſpitium negant hominibus abſq; maleficio tranſire volentibus, & ex quibus nihil hoſtile timeri poterat. Id verò diſcipulis erroris occaſionem dedit, quem poſtea audiemus. Nũc ea videamus, quæ in his diligentiori conſideratione digna ſunt.

Chriſti mors aſſumptio dicitur.

Inter quæ primum occurrit, quod de morte Chriſti iam appropinquante loquens Euangeliſta, tempus illud præfinitum in progreſſu & quaſi iam impletum fuiſſe ait, quo illum oportuit ſurſum recipi. Conuenit hoc cum eo, quod ipſe alibi dixit, ſe poſthac non fore in mundo, ſed hoc relicto ad Patrem abire velle. Quibus verbis procul dubio vſus eſt, vt & ſeipſum, quoad aſſumptam carnis noſtræ infirmitatem, aduerſus mortis imminentis terrores conſolaretur, & ſimul diſcipulos confirmaret, quos tunc ſcandalum ingens paſſuros eſſe non ignorabat. Eodem igitur Lucas etiam reſpexit. Itaque eodem ſenſu & fine nos quoque locutiones iſtas conſiderare & nobiſipſis applicare debemus: vt meminerimus mortem nobis profectionem eſſe ex mundo hoc in cæleſtem patriam: horam verò mortis tempus eſſe æterno Dei decreto nobis præfixum, quo nos ex infelici iſta & miſerabili lachrymarum valle in ſedes beatæ immortalitatis euehi & in

beatorum

beatorum ſpirituum gregem aſſumi oporteat, vt illic cum Chriſto propius coniungamur. Admonet nos de his Dominus, quando eos qui in ipſum credunt, à morte iu vitam tranſire, aut (vt de Lazaro infra loquetur) in ſirium Abrahami deferri ait. Quod Paulus rectè expendens, cupiebat diſſolui, vt cum Chriſto ageret. Eſt ergo hæc efficaciſſima conſolatio, quæ omnes terrores procul pellit aut mitigat. Stultiſſimi autem ſunt, qui cùm iſta norint, mortem tamen metuunt: miſerrimos verò rectiſſimè dixeris omnes, qui de his unquam, aut certè rarò & negligenter cogitant, cùm ſe in terris peregrinos eſſe non poſſint negare.

Ioan. 5. Luc. 16. Phil. 1.

Chriſtus obfirmato animo ad mortem tendit.

Audiamus igitur, quid hoc tempore Chriſtus fecerit, quem perfectiſſimum omnis virtutis exemplum eſſe ſcimus. Faciem ſuam obfirmauiſſe dicitur, vt Hieroſolymam proficiſceretur. Qua locutione certum firmumq; animi propoſitū notatur, quo per omnes remoras conſtanter eluctatus eſt. Conſtat enim illum cum carne ſimul infirmitates quoq; noſtras in ſe tranſtuliſſe, & inſtar hominis veri fuiſſe tentatum. Inter illas autem non poſtrema eſt, quòd mortis metu terremur, & per hunc ſæpe reuocamur, quò minus Deo ſimus obſequētes. Non dubium ergo eſt, quin in præſenti luctam vehementem ſuſtinuerit, cùm quàm multa & quàm dira eum manerent, ſecum expenderet. Poſtea certè horū meditatione grauiter affectus dixit: Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater, conſerua me ab hac hora, &c. Taceo nunc quæ ad oliueti montem paſſus eſt, & quæ diſcipulos ſuos minimè celauit. Porro vt tunc forti fiducia vicit, ita hîc quoq; vincit obedientia, quam ſe Patri debere ſciebat. Vltrò igitur morti obuiam iuit, vt ſua obedientia noſtram inobedientiam expiaret. Imitemur autem nos exemplum eius, quotieſcunq; nos grauius tentari ſentimus. Multa enim nobis propria caro, multa mundus & huius princeps Satan obijciunt, quæ nos auocant, quò minus debitum Deo obſequium præſtemus. Sed tunc faciem obfirmare, & ipſum animum diligenti officij noſtri conſideratione armare oportet, vt aduerſus omnia obſtacula eluctemur. Quid enim inter res huius ſæculi tam magnificum, tam iucundum, tam denique quæſtuoſum eſt, cuius gratia Deo datam fidem fallere debeamus? Cur verò mortis terror nos vincat, cùm huius dolores momentanei, inter hos autem vitæ ſpes certa, & his ſuperatis regni cælorum gaudia ſempiterna ſine.

Ioan. 12.

Chriſti ergà nos amor.

Habet præterea hoc Chriſti factum ingens amoris, quo nos proſecutus eſt, argumentum: quando abnegata propriæ vitæ cura per medios mortis terrores tāta animi conſtantia perrupit, vt noſtram redemptionem maturaret, quæ aliter peragi non poterat. Conſoletur nos hæc eius in nos promptitudo, ſi quando tentationibus nos Deus exercet. Nec enim fieri poteſt, vt nunc nos negligat, qui nos propria vita chariores habuit. Rurſus verò hoc nos officij admoneat, vt nullum laborem & periculum detrectemus ſubire proximi cauſa, ſi eius ſalutem hoc ita poſtulare videamus. Neq; nos offendat, ſi in ſancto curſu pergētibus aliquam remoram Deus inijciat, aut illos ipſos malè gratos experiamur, quibus conſultum volumus. Nam hoc ipſum Chriſto cùm hîc tum ſæpe alias accidit, cuius veſtigijs nos piè ac fortiter inſiſtere decet.

Samaritani nolunt Chriſtum recipere.

Sunt autem nobis paulò diligentius conſiderandi Samaritani, qui Chriſtum intra vicum ſuum recipere noluerunt. Vbi non dubitauerim illos multa prætexuiſſe, quibus inhumanitatem ſuam excuſarent: vtpote rerum penuriam, hoſpitum multitudinem, periculum & inſidias, quæ iſta occaſione ſtrui poterant, & ſexcenta alia. Sed veram cauſam Lucas exprimit, illos eum recipere noluiſſe, quod habitum præferret proficiſcentis in Hieruſalem. Ergo religionis odio fecerunt, quicquid hîc factum eſt. Erat enim illud inter duas gentes illas acerrimum, & vetuſtate iampridem incurabile factum erat. Origo vel initium eius inde fuit, quòd terram, quæ olim ab Iſraelitis habitata fuerat, ipſi occuparent, à Salmanazare Aſſyriorum rege illuc deducti, cùm is decem tribus in exilium ſiue captiuitatem abduxiſſet. Factum id annis ante natum Chriſtum ſeptingentis triginta & octo. Fuit autem procul dubio ingratum & moleſtum Iudæis, qui terram hanc omnē olim patribus promiſſam ad ſe ſolos pertinere putabant. Creuit autem odium iſtud, quando his ex Babylone reuerſis Samaritani præ alijs reſtiterunt, ne vrbem & templū ædificarent. Acceſſit religionis diſſimilitudo, & quòd illi duce Manaſſe, impio apoſtata, templū ædificaſſent in monte Garizim, & quē illic exercebāt cultū exēplo patrū priſcorū defenderent. Quæ cauſa erat, quòd non rarò ad Samaritanos deficerēt, qui inter Iudæos ſeuerius corripiebantur ob violatā legis diuinæ diſciplinā. Vt ergo Iudæi tales odio extremo et abominatione dignos iudicabāt, ita viciſſim Samaritani ipſos deteſtabātur, & indignos ho

Vide homil. in Ioan. 26.

2. Reg. 17.

Annis ante Chriſtum natum 333.

ſpitio exiſtimabant eos, qui propter ſacra & dies feſtos ad templum Hieroſolymitanũ aſcendebant. Et tanta fuit vtriuſq; gentis in fouendo odio iſto pertinacia, vt tandem ad manus ventum fuerit, & ſeditionibus initium dederit, quæ vtriq; genti exeidium attulerunt. Cùm enim quidam ex Galilaa Hieroſolymam proficiſcentes à Samaritanis occiſi eſſent, Cumanus autem præſes muneribus corruptus in cladis huius authores nollet animaduertere, Iudæi ſuorum cædem vindicaturi arma cœperunt, & ab eo tempore latrocinijs Iudæa infeſtari cœpit. Quod ideo annotamus, quò minus mireris, quod hic de Samaritanis iſtis ſcribitur.

Ioſeph. ant. 20. cap. 7. 8. Bell. Ius. 2. cap. 11. Corn. Tac. lib. 11.

Odia atrociſſima ſunt, quæ ex religionis diſſẽſione naſcũtur.

Docemur autem hoc exemplo, nulla eſſe atrociora odia, nulla item diſſidia graniora, quàm quæ ex religionis diſſenſione naſcuntur. Ea enim religionis vis eſt, vt totum hominem poſſideat. Si ergo in ſuperſtitionem degeneret, ita aduerſus cõtrariæ partis ſectatores animos accendit, vt illos non ſolùm oderint, ſed poſito omni humanitatis ſenſu in rabiem agantur, & ſe pios putent, quando ferro & igne omnia miſcent. Et quamuis qui veri Dei cultores ſunt, eos patienter ferant, & omni officiorũ genere ſibi eos demereri ſtudeant, ab ipſis tamen inhumaniter reijciuntur. Chriſtus equidem hoc loco à Samaritanorum conſuetudine non abhorret, quin potius dum ad eos diuertere cupit, ſe totum ipſis ſpõte offert: ſed ab illis præter omne meritum reijcitur. Simile exemplum in Samaritide apud Ioãnem extat. Cùm enim hanc quoq; Chriſtus adeò non abominaretur, vt etiam potum ſibi ab ea dari peteret, illa tamen proteruè nimis odium gentis ei exprobrat vt indignum oſtendat, cui aliquid officij præſtet. Et multa huius generis ab ipſa rerum origine acciderunt. Diſſentiunt in religione & Dei cultu primi fratres, Cain & Abel, & ex diſſenſione Cain odium concepit, quod neq; Dei admonitione grauiſſima, neq; Abeli ſimplicitate & conſuetudine reſtingui potuit: Imò dum hic illũ amicè fert, neq; hoſtile aliquid metuit, ab illo præter expectationem crudeliſſimè trucidatur. Sic ab Eſauo cœpit ſimultas, quæ publici & implacabilis inter Iſraelem & Idumæos diſſidij cauſa fuit. Quòd ſi ad eccleſiæ renaſcentis tempora accedamus, neq; Iudæi neq; Ethnicos Chriſtiani hoſtiliter perſecuti ſunt, ſed in eo toti fuerunt, vt omnes homines ad eiuſdem ſalutis atq; felicitatis hæreditatẽ pertraherent: at indomita fuit illorum rabies, quæ & Euangelij doctrinam & eccleſiam ſimul omnem extinctam voluerũt. Et noſtro ſæculo multa huius generis experimur, & priuata exẽpla ſunt, quæ hic poſſunt fidem facere, vt de publicis iam nihil dicamus. Ita verò impletur, quod ſub initium mundi Deus prædixit, inimicitias inter ſerpentem & ſemen mulieris, adeoq; omnem filiorum Dei generationem fore perpetuas. Iſtorum autem nos meminiſſe oportet, nõ quidem vt ipſi quoq; odij & ſimultatum ſemina in animis noſtris foueamus ſed vt tauti ſimus ſecundùm Chriſti præceptum, qui monuit vt nobis caueamus ab hominibus, eos nimirum intelligens, qui nihil quàm homines ſunt, & de quibus Propheta dixit: Vafrum & inſcrutabile eſt, eſt cor hominis, quis cognoſcet illud? Interim Chriſtum imitemur, qui etſi quid facturi eſſent Samaritani non ignoraret, non diſſimulat tamẽ religionẽ, ſed toto corporis habitu ſimul & vultu oſtendit, ſe cum ſuis Hieroſolymam ad feſtum illic agendum proficiſci. Non ergo turpi & ignaua fidei diſſimulatione illorum amicitiam & hoſpitium redimere voluit. Suo igitur exemplo eos arguit, qui inter exteros quiduis ſibi licere arbitrantur, & oraculi inſtar ſemper in ore habent dictum illud ineptum & impium: Si fueris Romæ, Romano viuito more. Quaſi verò fides certis locis alligata, & aliquis in orbe terrarum angulus ſit, in quo cultum Dei negligere, impias autem & illicitas ſuperſtitiones exercere liceat.

Iere. 17.

Inhoſpitalitas damnatur.

Admonemur præterea Samaritanorum exemplo, quales cenſeri debeant, qui in hoſpites inhumani ſunt, & eos quidem imprimis, qui Chriſtum ſecuti incertis ſedibus oberrans. Hi plerumq; cũ Chriſto eos excludũt, quorũ conſuetudo ipſis vtiliſſima & certæ ſalutis cauſa eſſe poterat, & ſeipſos piorũ præſidio nudatos periculis obijciunt, in quibus tandẽ miſerè pereunt. Excludunt Chriſtum Samaritani, at ijdem non multò poſt Simoni Mago locum dederunt, qui totã illam gentẽ horrendis erroribus dementauit, & ab illis factum eſt belli initium, quo tam ipſos quàm Iudæos Romani deleuerũt. Atrocius exemplũ olim in Sodomæos æditũ fuit, qui cùm & Angelos hoſpites violare, & Lothũ, eò quòd peregrinus eſſet, ſcurriliter reijcere auderẽt, ijs ex vrbe digreſſis, mox igne et ſulphure cœlitus demiſſis horibiliter ſunt exuſti. Et vt Aegypto ſalutẽ attulit Pharaonis illius priſci humanitas, qua in Ioſephũ & eccleſiã Dei apud ſe peregrinantẽ vſus eſt: ita poſteris & toti gẽti exitio fuit, quòd

Ioſ. bel. Iud. 3. cap. 11.

eandem

eandem opprimere & inhumaniter vexare auſi fuerũt. Semper ergo animis noſtris obuerſetur Chriſti dictum: Peregrinus fui, & collegiſtis me: neq, graue ſit eum excipere, qui vt nemini grauis aut onerosus eſt: ita omnis boni theſauros in ſeipſo reconditos habet, & ſolus ſuo merito nobis Patrẽ conciliat. Et cum hoſpitalitas per ſe laude digna ſit, & ſæpe multis ſalutem attulerit, non poteſt non laudatiſsima & quouis præmio digna eſſe, qua ipſe Dei Filius in membris ſuis excipitur.

Zelus nimius Ioannis & Iacobi.

Sed tranſeamus ad Ioannem & Iacobum, qui dum Samaritanorum impietatem quouis ſupplicio dignam eſſe vident, ſeipſos non poſſunt continere, quin nimio Chriſti zelo abrepti illis inhumaniores & crudeliores fiant. Aiunt enim Domine, vis dicamus vt ignis deſcendat è cælo, & conſumat eos, vt etiam Elias fecit? Fuit hoc animi vehementer commoti argumentum. Mouit autem eos rei indignitas, quòd Chriſtum, cuius cauſa ipſi ſua omnia reliquerant, ab illis tam inhumaniter & impiè excludi viderent. Interim non dubitauerim, aliquid hic datum fuiſſe affectui priuato atq, inimicitijs, quibus illæ gentes (vt ante diximus) inter ſe diſsidebant. Iam ergo iuſtiſsimam vindictæ cauſam ſibi obtigiſſe putant, & ſeſe ad eius executionem paratos eſſe oſtendunt, modò Chriſtus annuat, cuius virtutem ad omnia ſufficere ſciebant. Interim Eliæ exemplum prætexunt, quem ſimile quid feciſſe in hiſtoria Regum ſcribitur. Fuit ergo hoc illorum votum ſiue deſiderium carnis iudicio plauſibile, ſed multiplex ſub illo error deliteſcit. Primo enim zelus hic præpoſterus eſt, neq, ſcientia veri regitur, cùm adhuc Chriſti officium ignorent, de quo toties illis concionatus fuerat. Accedit huic (vt diximus) vindictæ cupiditas, & quòd doctrinæ Chriſti immemores ſibi licere putant, vt malum malo referant. Imò non contenti talionis lege, omnes illius loci incolas cum coniugibus & liberis prorſus extinctos cupiunt, qui etſi hoſpitium ipſis negaſſent, ſaluos tamen & incolumes dimiſerant. Ad hæc ſcripturæ authoritate abutuntur, & Eliæ exemplum ad ſe transferunt, atq, huic pares eſſe volunt, cũ vocationem ſimilem non haberent. Eſt igitur exemplum hoc admodum memorabile & digniſsimum obſeruatu. In eo enim apparet, quàm cæco impetu ad vindictam ruant, quotquot carnis rationem in conſilium admittunt. Solent iſti ferè Dei cultum & charitatis officia prætexere & ideo ſibi quiduis licere putant. At ſi rem propius inſpiciamus, ferè & charitatis leges violant, & religione abutuntur, imò hanc impiorum ludibrio exponunt. Eſtq, error iſte vulgaris noſtro ſæculo, eò quòd pleriq, in charitatis lege duntaxat quid ipſis debeatur vident, ſecuri interim eorum quæ ipſi debent alijs. Quò fit, vt mox exitio dignos iudicent omnes eos, qui non omnibus ipſorum poſtulatis ſatisfaciunt, cùm ipſi ſæpe puniri mereantur, quòd iniqua petant, & ijs moleſti ſint, quos ſuis officijs ſubleuare debebant. A ſeipſis ergo ſinguli initium faciant & charitatis regulam ſibi applicent, priuſquam alios de eius tranſgreſsione accuſent.

2.Reg.1.

In ſcripturæ exemplis lapſus eſt facilis.

Admonet præterea locus hic, quàm facilis in ſcripturis & ſanctorum exemplis lapſus ſit, niſi diligenter attendamus, quæ noſtra ſit vocatio, & quid ad nos propriè pertineat. Sæpe enim affectu ſiniſtro faſcinati non videmus germanum eius loci ſenſum aduerſus nos facere, quem noſtro inſtituto ſeruire putamus. Sic in talionis lege olim Iudæi errabant, cùm ſinguli priuatim ad ſe raperent, quod iudicibus in puniendis iniurijs erat mandatum. Quoad verò exempla aliorum, non ſtatim omnibus licet aut ſemper, quod ſemel vni & alteri licuit. Olim quidem vbiq, locorum ſacra facere licebat cum Deus ſuo cultui locum certum nondum conſtituiſſet. At hoc conſtituto, ſcelus fuit alibi ſacrificare, & quàmuis patrum exemplo ſeſe excuſarent qui in excelſis ſacrificabant, eoſdẽ tamen ſpiritus ſanctus apertè damnat. Quod ipſum de Samaritanis dici poteſt, quos praua & ſtolida patrũ imitatio decepit, vt neglecto templo Hieroſolymitano in monte Garizim cultum Dei exercerent, & Iudæos hoſtiliter odiſſent. Et vt Eliam videamus, licuit illi ſacerdotes Baalis occidere, & igne cælitus euocato perdere impios milites, qui ipſum & Dei verbum procaciter ridebant: quia vt hoc fieret, occulta ſpiritus ſuggeſtione, quæ illi vocationis peculiaris loco fuit, admonebatur. At nihil huius habebant Ioannes & Iacobus. Peccant ergo, quando illum volunt imitari: & cum illis etiam hodie peccabũt, ſi qui ex adminiſtrorum verbi numero ſibi in ſacrificulos & Monachos idẽ licere putauerint. Non ergo ſufficit exempla aliorum adduxiſſe, niſi primò conſtet illos rectè feciſſe: deinde noſtri etiam officij eſſe, vt illos imitemur.

Chriſtus diſcipulos obiurgat.

Porro ipſum Chriſtum diſcipulis reſpondentem audiamus. Conuerſus enim eos obiurgauit, dicẽs: Neſcitis cuius ſpiritus vos ſitis. Filius enim hominis non venit & perdat animas hominum,

ſed vt ſeruet. Duobus argumentis illos erroris conuincit. Primum ab ipſorum perſona ſumitur, & illo ſuæ conditionis atq; officij eos admonet, ad quod ſint deſtinati Neſcitis (inquit) cuius ſpiritus vos ſitis. Quaſi diceret, Quæ hæc eſt veſtra petitio? quæ item tā præceps cupiditas, quæ vt vos ipſos ignoretis facit? Maligni enim ſpiritus opus eſt perdere homines, quod illum in primis parentibus fe ciſſe conſtat. At vos mei diſcipuli eſtis, & proinde mei ſpiritus ductum debetis ſequi, qui mitis & hu milis cùm ſit, iniuriarum patientes facit, & malum bono vincere docet. Quod autem diſcipulis Chri ſtus dicit, ad omnes nos ex æquo pertinet. Nec enim Chriſti diſcipuli erimus, niſi eius ſpiritu ſi-
Rom. 8. *mus præditi, vt Paulus monuit. At quis nam & qualis eſt ille ſpiritus? Spiritum Dei dicit ſcriptura, ſpiritum item ſanctum, ſpiritum veritatis, humilitatis, dilectionis, manſuetudinis, &c. De his ergo cogitemus, quoties nos Satan à Deo abſtrahere, mendacijs ineſcare, ad fraudes, dolos, impoſturas & iniurias ſolicitare ſatagit: quoties item ſuperbiæ ventis animos inflari, aut eoſdem inuidiæ et odij atq; iræ flammis accendi ſentimus. Meminerimus tunc, nos alterius ſpiritus diſcipulos eſſe, cui omnino parere oporteat, niſi à Chriſto diuelli & ſimul æternæ ſalutis iacturā facere velimus. Huc certè Paulus reſpexit, quando à ſcortatione homines Chriſtianos hoc argumento dehortatur, quòd nefas ſit ea corpora tam turpiter proſtitui, quæ Chriſti ſanguine abluta & ſpiritus Dei templa facta ſint.*

Chriſtus uenit ut ſeruet, &c.

Alterum argumentum à ſua perſona Dominus petit, dicens: Filius hominis non venit vt perdat animas hominum, ſed vt ſeruet. Eſt hæc ſententia non poſtrema inter eas, quibus totum Euangelium comprehenditur, & ideo illam ſæpe Chriſtus repetit. In præſenti autem huius meminit, vt oſtendat, non iam tempus eſſe, quo hominum ſcelera puniat, aut ſibi factas iniurias vlciſcatur. Obſeruabis ergo duplicem in ſcripturis aduentum Chriſti prædicari. Primus, quo venit vt ex virgine carnem aſſumeret, & in aſſumpta carne pro nobis hoſtia factus, nos à peccatis ſimul & morte æterna redimeret. De hoc aduentu olim Iſaias dixit: Deus ipſe veniet, & ſeruabit nos. In eo igitur non niſi ſaluificæ ſuæ virtutis exempla edidit, & ijs quoq; ſe mitem atq; beneficum præbuit, qui apertis iniurijs eius iram prouocabant, & quouis ſupplicio digni erant. Quæ cauſa fuit, quòd ne hîc quidem diſcipulorum voluntati morem gerere, neq; Samaritanos ob ingratitudinem & indignam repulſam perdere debuit. Reſtat autem alter aduentus, quo in fine huius mundi in nubibus cæli comparebit ad iudicandum viuos & mortuos. Siſtentur tunc ad eius tribunal omnes homines, vt in corporibus ſimul & animabus ſuis digna factis ſuis præmia recipiant, prodeſt autem, vt in vtriuſq; aduentus meditatione multùm & diligenter verſemur. Vt enim prioris conſideratio nobis in quouis tentationum genere conſolationem dulciſſimam affert, & de ſalute noſtra certos facit: ita poſterior nos in officio continet, & ſimul ſcandalo medetur, quod ex impiorum proſperis ſucceſſibus & ſcelerum impunitate, quæ ferè hic fruuntur, naſcitur. Cur enim hanc nos impatientius feramus, aut illorum felicitate offendamur, quando ſcimus, venturum aliquando Chriſtum iudicem, vt dignas de illis pœnas ſumat, promiſſa autem vitæ æternæ præmia credentibus retribuat.

Chriſtus diuertit aliò.

Habet præterea non vulgarem conſolationem loci huius concluſio, qua dicitur Chriſtum cum ſuis in alium vicum abijſſe. Ergo non defuerunt alij, qui eum cùm ſuo comitatu reciperent, & quos priorum exemplum non mouit vt eos imitari vellent. Habet ergo Dominus vbiq; locorum ſuos, & facilè etiam hodie eccleſiæ ſuæ in terris exulanti hoſpitium inuenit. Ipſius enim eſt terra & plenitudo eius. Idem in ſua manu tenet corda omnium hominum, quorum voluntates etiam inclinare poteſt, vt ſuis ſeruis ſeſe beneficos præbeant. Exempla huius generis alibi adduximus, quæ modò repetere non eſt opus. Nos igitur iſta confirment, vt in fide Chriſti conſtantes, eum intrepidè ſequamur, neq; nos mundi ingratitudo aut inhumanitas terreat. Quod autem in diſcipulorum exemplo præcipuum eſt, diſcamus, etiam in cauſa optima zelum noſtrum ſuſpectum habere, conſiliorum verò noſtrorum & actionum omnium hunc nobis finem atque ſcopum proponamus, vt & Dei gloria per nos prouehatur, & quàm plurimos ad Ieſu Chriſti cognitionem adducamus, vt ſalutis in illo nobiſcum conſortes fiant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA XCV.

Factum eſt autem proficiſcentibus ipſis, quidam in via dixit ei: Sequar te quocunque ieris, Domine. Dixit autem ei Ieſus: Vulpes luſtra habent, & volucres cœli, nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput inclinet. Ait autem ad alium quendam: Sequere me. Ille verò dixit: Domine, permitte mihi vt prius abeam, ac ſepeliam patrem meum. Dixit autem ei Ieſus: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu verò profectus annuntia regnum Dei. Dixit autem etiam alius: Sequar te Domine, ſed permitte mihi prius, vt valedicam ijs qui ſunt domi meæ. Ait autem ei Ieſus: Nemo qui manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea quæ retro ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei.

QVemadmodũ Deus in Filio ſuo vnigenito Ieſu Chriſto omnia ea hominibus offert, quæ æternæ ſalutis ſunt: ita à nobis exigit, vt eum fide vera apprahenſum ſedulò & conſtanter ſequamur. Nam niſi id fiat, nullus ex eo ad nos fructus redit, & inanis eſt nominis ipſius profeſſio. Quia autẽ in hoc plurimùm peccatur, & multi tam alijs quàm ſibijpſis turpiter & pernitioſè impouunt, dum nudam fidei profeſſionem & externum Sacramentorum vſum ſufficere putant, hoc loco tria exempla Lucas ſubijcit, quibus docemur, quid in tota hac cauſa nos facere, quidúe cauere oporteat. De ſingulis igitur ex ordine dicemus.

Exemplũ hypocritæ diſcipuli.

Primus ex Scribarum numero prodijt (vt Matthæus annotat) & hypocrita eſt, quales plerique illius loci & ordinis fuerunt. Hic dum Chriſtus cum ſuis in ſuſcepto itinere pergit, ad illum accedit, dicens: Magiſter, ſequar te quòcunque ieris. Magnifica ſanè promiſſio, ſi verba ſpectes: Nam magiſtrum & Dominum agnoſcit, quem alij Scribæ & Sacerdotes vix hominis loco habebant. Deinde non vocatus neq; requiſitus ſeſe offert, & quidem ad omnia. Sequar te (inquit) quòcunque ieris. Itaque abſque vlla exceptione ſe paratum oſtendit ad labores, pericula, caſus denique omnes. At hoc illum animo ſubdolo feciſſe, ex Chriſti reſponſione apparet, qui non tam ad verba eius quàm animũ loquentis reſpexit. Eſt ergo Scriba hic eorum typus, qui ſub Chriſti & religionis Chriſtianæ prætextu ſua quærunt, & ad huius ſeculi bona potius quàm ad regnum Dei cœleſte reſpiciunt. Hi cæco carnis affectu abrepti, non expectant vocantem Dominum, ſed ſponte currunt, & inter diſcipulos primum locum ſibi deberi putant, cùm quid ſit Chriſti diſcipulum agere, nondum intelligant. Itaq; quo magis feſtinant, eò longius recedunt à via ſalutis, quæ in illo nobis monſtratur. Deinde tunc accedunt, quando res omnis in tuto conſtituta eſt, & felici ſucceſſu regnum Chriſti propagatur: quàm primùm verò tempeſtas aliqua oritur, turpiter pedem referunt. Quæ omnia in hoc Scriba noſtro cernimus. Videt is Chriſtum miraculis illuſtrem omnium ore prædicari, cum magno comitatu per Galilæam & Samariam iter facere, amicorum & mulierum illuſtrium liberalitate ali, diſcipulos item eius etiamſi nihil poſſideant, omnibus tamen neceſſarijs abundare, & vbique locorum habere patronos, qui illos excipiant atque humaniſſimè tractent. Quapropter qui in otio enutritus nihil præter vulgi applauſum & viuendi rationem minimè laborioſam quærebat, Chriſtum ſibi quàm maximè conuenire putauit: ſed (vt mox audiemus) accepto reſponſo quale nõ expectabat, ab inſtituto reſilit. Eſt horum magnus numerus hodie, quibus nemo temere fidat. Sunt enim reuera πρόσκαιροι, id eſt, temporarij illi & præcocis fidei homines, quos in ſementis parabola Chriſtus ſub eorum typo deſcribit, qui ſemen in loca petricoſa excipiunt, vbi neque radices agere, neque æſtum vehementiorem ſuſtinere poteſt, quo fructum excoqui oportet.

Chriſtus non recipit hypocritam ſua modo quærentem.

Et hæc cauſa eſt, quòd hunc quoque Scribam non recipit Dominus in diſcipulorum gregem, quàmuis alibi dicat: Eum qui venit ad me, non eijcio foras. Nam licet corpore veniret, animus tamen non tam ad Chriſtum quàm ad opes, honores & felicitatem huius ſeculi aſpirabat. Et nouerat ille, quàm ingens ſcandalum tales dare ſoleant, quando in publico eccleſiæ periculo ſtationem ſuam turpiter deſerunt. Quàmuis autem illum durius accipere & acriter corripere poſſet, occultius tamen arguit eius vanitatem, quæ huius inſtituti cauſa ipſi fuerat: cùm nullum adhuc offendiculum

inde ad alios redundauiſſet. Vulpes (inquit) luſtra habent, & volucres cæli, nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput inclinet. Quorum verborum hic ſenſus eſt: Tu quidem tibi omnia læta polliceris, & iam opum, honorum & otij beatiſſimi ſpem maximam animo concepiſti, neque tibi quicquam eorum, quæ ad vitæ huius felicitatem pertinent, defuturum putas, ſi in diſcipulorum meorum album adſcribaris. Sed vehementer falleris ô bone. Tam enim abeſt, vt ego his abundem, aut meis iſta conferam, vt ipſe potius feris & volucribus ſim pauperior. Quæ enim fera tam miſera, quæ beſtiola tam infelix eſt, quæ non luſtrum habeat, quò ſe recipere poßit? Quæ auis item tam vaga eſt, quæ nido deſtituatur? Vulpes certè, animal inuiſum meritò, foueas habet, in quibus & ipſa latet & ſuos catulos educat. Eadem auicularum omnium conditio. At ego, qui vt homines ſeruarem, Filius hominis factus ſum, his omnibus miſerior, propriũ nihil habeo, vbi vel caput quietis aut ſomni cauſa inclinem. Itaque ſi vel regnum quæris in hoc ſeculo, vel ad opes & dignitates aſpiras, non eſt quòd me ſequaris, qui non huius mundi bona caduca & momentanea meis largiri ſoleo, ſed cæleſtium atq; æternorum Mediator ſum, &c. Itaq; admonent iſta, eos qui Chriſtum ſequi volunt, ad labores, egeſtatem & quæuis incommoda præparatos eſſe oportere, ne quando his offenſi ſuccumbant aut deficiant, vbi fortitudine & conſtantia cumprimis opus eſt.

Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo. *Docet autem ſimul his verbis Chriſtus, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Nam non vt in terris dominetur homo factus eſt, ſed vt Veritati teſtimonium ferret, & Patris promißiones ratas faceret. Debuit ergo eius aduentus humilis & nullo faſtu aut ſplendore terribilis eſſe. Vt ergo miſerè falluntur, qui in illo terrena quærunt: ita non minus turpis illorũ error eſt, qui cùm huius diſcipuli cenſeri velint, opes & huius ſeculi ſplendorem magnificè oſtentant. At ſi non habuit Chriſtus in terris, vbi caput ſuum inclinaret, vnde ergo eius vicarij regna, prouincias, arces, oppida, terras longè lateq; patentes acceperunt? Aut vnde Petrus patrimonium illud habuit, quo ſuos ſucceſſores potentiſsimis quoque Regibus terribiles fecit? Antichriſto Daniel propheta tribuit, quòd in ſua poteſtate habiturus ſit theſauros terræ, Apoſtolis verò ſuis nihil huius vnquam Chriſtus promiſit. Cæterùm quod de illis dicimus, qui falſo nomine Chriſti vicarios profitentur, hoc ijs quoq; dici putemus, qui cùm purioris doctrinæ ſectatores videri velint, tamen ipſi quoque opibus congerendis addicti ſunt, & vt mundo placeant, omnium moribus atque ſtudijs ſeſe accommodare ſolent. Et ſanè mirum eſt tantam eſſe iſtorum omnium impudentiam, vt inter immenſos diuitiarum aceruos, & ſuperbas magnificorum titulorum appellationes Chriſti pauperis & egeni nomen iactare audeant.*

Cur Chriſtus in terris pauper fuerit *Sed præſtat cauſas diligentius inſpicere, ob quas Dei Filius pauper naſci & viuere in terris voluit, vt illis cognitis, vſum quoque paupertatis eius teneamus, qui ferè tria continet. Primò enim illum in hoc mundo pauperem, egenum, adhæc peregrinum fieri oportuit, vt nobis æterni & cæleſtis regni diuitias mereretur, & patriam in cælis pararet. Deinde omnibus, qui nomen eius profitentur, formam præbere voluit, quam in vita ſua & omnibus actionibus ſuis ſequantur: quod vt omnes alij obſeruare debent, ita maximè ij, quos Verbi ſui adminiſtros ille conſtituit. Nec enim decet, vt iſti ſuam conditionem præſtantiorem aut beatiorem eſſe cupiant, quàm ſui præceptoris & heri fuerit. Poſtremò paupertatem & inopiam ſuo exemplo ſanctificauit, vt quæ impijs peccati pœna eſt, credentibus ſalutare ſit ad veram pietatẽ exercitium, in quo fidei & patientiæ ſuæ declarandæ materiam habeant. Nemo igitur vel ſeipſum vel quenquam alium propter inopiam Deo inuiſum aut exoſum eſſe putet. Quin exempli huius pauperes meminerint, vt ſe Chriſti ſocios eſſe cogitent, vt alacri animo ferant onus illud, quo huius ſeculi filijs nullũ grauius eſſe ſolet. Potuit olim philoſophos in rerum omnium anguſtia hoc vnum confirmare, quòd ſe non multis opus habere, & naturam paucis contentam eſſe ſcirent. Cur ergo impatientes ſint Chriſtiani homines, qui in Chriſto Ieſu ſibi bonorum omnium theſaurum & (vt prouerbio dicitur) copiæ cornu propoſitum eſſe norunt? Sed & diuites horum meminiſſe debent, ne quem contemnant, qui cum inopia aut egeſtate conflictatur. Nam*
Prouerb. 22. & 17. *vt Solomon ait, diues & pauper occurrerunt ſibi, ſed vtriuſque factor aut creator Dominus eſt: ideoq; qui ſubſannat pauperem, probris afficit factorem eius. Deus quippe eſt, qui alios diuites, alios pauperes facere conſueuit. At ſi ideò non contemni debet egenus, quantò pluris idem à nobis fieri debet, quòd in ipſo Chriſti in hoc mundo viuentis imaginem cernimus, & quòd hunc in ſuas rationes aſcriptum eſſe ſcimus, quicquid illi fecerimus?*

Sed

Sed alterum videamus, qui à priori longè alius cunctatorem agit. Nam à Chriſto vocatus, & iuſſus vt ſequeretur, moratur nectit & tergiuerſatur, interim verò pietatem in parentes prætexit, dicens: Domine, permitte mihi vt prius abeam, & ſepeliam patrem meum. Sciebat ergo ſe hoc debere Chriſto, vt eius vocationi obediret, ſed infirmum adhuc in fide multa retinebant, quæ tamen aſtutè diſsimulat, & eo prætextu vtitur, qui vt honeſtus erat, ita cum pietate coniunctus eſſe videbatur. Et hunc quoq; ita proponit, vt quod petebat ſibi minimè negandum eſſe, docere velit. Quaſi diceret: Sum equidem paratus vt te ſequar Domine, ſed vnum me remoratur, quod vt per te prius exequi mihi liceat rogo. Eſt mihi pater iam ſenio confectus & morti vicinus: quem cùm deſerere non poſsim, neq; debeam, permitte quæſo, vt tantiſper illi adſim, donec hac vita defuncto officiũ extremum præſtem, & eum honorificè ſepeliam. Fuit hæc ſanè excuſatio pia in ſpeciem, & digna quæ admitteretur. Sed affectu carnis detentum fuiſſe, ex Chriſti reſponſione patebit. Eſt ergo hic eorum typus, qui quàmuis ſe diuinitus vocari ſentiant, laboribus tamen & periculis ſibi propoſitis terrentur, & cunctandi cauſas vndiq; conquirunt. Hi cùm non ignorent, Deo vocanti nequaquam eſſe reluctandum, eiuſmodi excuſationibus ſibi opus eſſe vident, quæ pietatis ſpecie & verbi diuini authoritate colorentur. Alius ergo noſtrum hunc imitatus parentes ſuos commemorat, & quæ illis debentur officia. Quid (inquit) faciam? Cuperem equidem me totum Chriſto addicere, & relictis omnibus huic vni ſeruire: at parentum me miſeret, à quibus diſcedere non poſſum, niſi et doloris acerbiſsimi illis author ſim, & ſimul vitæ ſubſidia ſubducam. Atqui vt parentes honoremus, lex Dei præcipit & communis ſenſus admonet. O felicem Abrahamum, quem è natali ſolo diſcedentem pater ſequi dignatus eſt. At mihi parentes longè alij contigerunt, quos & patriæ amor & veteris ſuperſtitionis ſtudium detinent, vt me ſequi nolint. Quod ergo vnum reſtat, eorũ infirmitati indulgeam oportet, donec aut animum mutent, aut peracto vitæ ſuæ curriculo hinc euocentur, &c. Sunt rurſus, qui pietatem in patriam prætexunt, & ſeſe verbis non minus ſplendidis excuſant. O beatos & felices (aiunt) quibus hoc datum eſt, vt ſub principibus Chriſtianis Deo ſeruire & verbo eius parêre poſsint. O felices item, quibus licet ſalua conſcientia ex natali ſolo diſcedere, & inter exteros libertate Chriſtiana frui. At quæ noſtra eſt calamitas, vtrunq; nobis negauit Deus. Nam & principes dedit partim ſuperſtitioſos, partim ignauos & meticuloſos, qui etſi mutationem aliquam publicè fieri prohibeant, ad multa tamen conniuent, & non rarò nos pro pijs intercedentes clementer audiunt. Quid ergo faceremus? Num ex patria digreſsi, & hanc & infelices ciues omni patrocinio deſtitutos Monachorum & Inquiſitorum tyrannidi permittemus? Annon ſatius eſt, vt nos melioribus ſeruemus temporibus, & ipſi quoque multa præter animi ſententiam diſsimulando interea eorum conſilia turbemus, qui ſimul omnibus pijs exitium ſtruunt? His adde tertio loco eos, qui magiſtratus authoritate ſuam ignauiam excuſant, & ex ſcripturis teſtimonia congerunt, quibus probent, illi omnino eſſe obediendum. Sunt item, qui cauendum ſibi aiunt, ne alicuius ſcandali cuiquam authores ſint, néue pacem & concordiam publicam turbent, aut hominibus ſeditioſis aliquam occaſionem ſuo exemplo præbeant, qua ad res nouas & reipub. turbationem abutantur. Audiuntur huius generis multa hodie, & ingenioſa admodum eſt caro noſtra in fingendis rationibus, quibus ignauiam ſuam, aut etiam manifeſtam Veritatis & fidei abnegationem excuſet.

Exemplum cunctatoris diſcipuli.

Cæterùm omnibus iſtis Chriſtus reſpondet, cunctatori huic dicens: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu verò profectus annuncia regnum Dei. Atqui non potuit illi diſplicere pius in parentem ſenio confectum animus, quando conſtat ipſum, cùm in cruce penderet, inter acerbiſsimos mortis dolores matris ſuæ rationem habuiſſe, & eam Ioanni dilecto diſcipulo commendaſſe. Neq; etiam extremum quod mortuis præſtatur officium improbat, dum eorum corpora honorificè ſepeliuntur. Vt enim de hoc Adamum Deus admonuit: ita per Amos prophetam barbaram eorum inhumanitatem grauiter accuſat, qui corpora defunctorum violare audent. Sed quia hunc ad Euangelij prædicationem deſtinarat, vult vt omnibus alijs rebus relictis ad hanc accingatur. Et veriſimile eſt eum ex ſeptuaginta illorum numero fuiſſe, quorum miſsionem in ſequenti Capite Lucas deſcribet. Etenim cùm in veteri Teſtamẽto grauiter prohibeat Deus, ne ſacerdotes funerũ deductionibus et luctu, quo alij mortuos proſequuntur, ſeſe polluant, quantò minus ferre debuit Chriſtus, vt de patre ſepeliendo ſolicitus eſſet, quem ipſe vitæ æternæ præconem fecerat? Mortuos enim hîc figurata locutione dicit

Chriſtus cunctatoris prætextum nõ admittit.

Amos 2.

Leuit. 21.

eos, qui neglecto vitæ cæleſtis ſtudio circa res huius mundi occupantur, neque in hoc ſunt, vt Deo viuant, & huic debitum obſequium præſtent. Horum (inquit) eſt funera & quæ ad mortuos ſpectant, curare. Tu ad regnum Dei deſtinatus es: huius ergo Verbum prædica, quod homines vitæ veræ reſtituit.

Sacerdotiũ Papiſticum euertitur.

At ſi hoc Chriſti dictum propius inſpiciamus, videbis eo confutari & deſtrui non minimam partem ſacerdotij illius, quod Romani Pontifices inſtituerunt. Chriſtus enim non ſacerdotes aut ſacrificos, ſed Euangelij præcones inſtituit, qui viuentium curam habeant, & ad vitæ Chriſtianæ officia omnes excitent, denique ad cæleſtis atque æternæ vitæ hæreditatem vocent eos, qui prius morte digni cenſebantur. At illi ſacrificulos ordinarunt, qui ferè neglectis viuis, toti circa mortuos occupantur, neque eo contenti ſunt, vt in funeribus ſacra faciant, ſed eadem triceſimo die repetunt, imò annua ſacrificia commenti ſunt quæ perpetuò pro defunctorum ſalute fieri neceſſe eſt. Et ne quid præter rationem facere videantur, ignem luſtralem ſiue purgatorium (vt illi loquuntur) tradiderunt, in quo animæ pro delictis ſuis inter grauiſſimos cruciatus ſatisfaciant, inuentur autem ſacris eiuſmodi, vt pœnæ illæ & tolerabiliores & breuieres fiant. Fuit hoc illis aucupium quæſtuoſiſſimum, & hi ſoli Alchymiſtæ veri dici poſſunt, qui à multis diu quæſitam artem inuenerunt. Nec enim ex metallo aut alia quæcunque materia, ſed ex nihilo, id eſt, ex vaniſſimis commentis aurum, argentum, palatia, prædia, redditus annuos, theſauros denique conflauerunt, quos ne Crœſi quidem diuitiæ æquauerint. Et cùm ceremonias ſuas partim veteris Teſtamenti authoritate, partim Apoſtolorum exemplo tueantur, vnum hoc illos in vtroque falſi arguit. Qua fronte enim Moſis legem citabunt, quæ vt ſacra pro defunctis prorſus nulla præcepit olim, ita ſacerdotes funeribus nequaquam occupari voluit? Quo item exemplo Apoſtolico ſeſe tuebuntur, quando Apoſtolos nihil huius vnquam feciſſe, neque etiam docuiſſe manifeſtius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat? Quicquid ergo iſti faciunt, non alio quàm prophanarum gentium exemplo nititur, quas olim in funeribus ſacra eiuſmodi feciſſe legimus.

Vocationi diuinæ omnia debent poſtponi.

Sed omiſſis illis, quod in Chriſti reſponſo præcipuum eſt videamus. Docet enim nos in Dei vocatione ita pergere debere, vt huic omnia poſtponantur, quæ nos quocunq; prætextu ab illius obedientia auocare poſſunt. Eſt quidem multa laude digniſſima pietas, qua bonæ indolis liberi ſuos parentes, & boni ciues patriam ſuam proſequuntur. Multa item ſibi mutuò debent coniuges, & arctiſſimum eſt vinculum illud fidei, quo ſubditos ſuis principibus Deus obſtrictos eſſe voluit. At hæc omnia ſuperat fides quam Deo debemus, qui vt Filium ſuum Ieſum Chriſtum audiamus iuſſit, & quam hic nobis præſcripſit vitæ totius regulam ſequamur. Itaque quoties parentum, coniugum, liberorum aut cognatorum amore nos à fide reuocari ſentimus, ſemper verborum Chriſti meminerimus, dicentis:
Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem ſupra me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus. Similiter quoties ſuam authoritatem nobis magiſtratus obijcit, tunc Chriſti dictum nobis in mentem veniat: Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ ſunt Dei: & tum Apoſtolis reſpondeamus: Oportet Deo potius obedire quàm hominibus.* (*Acto. 5.*) *Ita ſi amici & mundus nos retrahant, cogitemus non temere ab Iacobo dictũ eſſe: Amicitia mundi huius eſt inimicitia cum Deo.* (*Iaco. 4.*) *Cui Paulus conſentiens dicebat: Si hominibus placerem, Dei ſeruus non eſſem.* (*Galat. 1.*) *Neque etiam nos moueant, qui præter rationem ſcandala ſibi fingunt, & ijs offenduntur, quæ nos ex officio facimus. Nam his quoque Chriſtus reſpondet, quando diſcipulis de Phariſæorum offenſione quærentibus dixit: Sinite eos, quia cæci duces ſunt cæcorum.* (*Matth. 15.*) *At quod in genere dicitur de fide in Chriſtum & vero Dei cultu, hoc ipſum ſinguli ad ſeipſos reſtringere debent, vt quod ipſis peculiariter iniunxit Deus, ſedulò exequantur. Ergo procul relictis omnibus alijs curis, Verbum conſtanter prædicent, qui ad eius miniſterium ſunt vocati. Abſque reſpectu item perſonarum ius dicant, qui in magiſtratu conſtituti ſunt, neque vllis rationibus ſeſe ab inſtituto reuocari ſinant. Denique diſcant omnes homines Deo quidem fideles eſſe in omnibus, quæ ad cultum eius ſpectant, priuatim verò & publicè ſuum quoque officium faciant, & quam à Deo ſibi creditam habent ſtationem fortiter tueantur.*

Chriſti in diſcipulis eligendis prouidentia.

Porrò priuſquam hinc diſcedamus, obſeruanda etiam nobis venit ſingularis Ieſu Chriſti bonitas ſimul atq; prouidentia, qua in deligendis ſeruis atque diſcipulis vtitur. Nam priorem illum, qui ſe-

ipſum ſponte & alacri animo ad omne obſequium offerebat, reijcit, eò quòd animum eius perſpectum haberet, & eccleſiæ ſuæ nunquam vtilem fore ſciret. Hunc verò cunctantem & effugia quærentem efficaciter vocat & vrget, vt ad miniſterium hoc ocyus accedat. Sunt ergo admirabilia eius iudicia, quorum rationem etſi non ſemper aſſequi poßimus, non tamen periculum eſt ne ille fallatur, qui & corda hominum inſpicit, & futura non minus quàm quæ ob oculos ſunt cognita habet. Conſolationem verò magnam habet hæc eius bonitas, qua infirmum adhuc & fluctuantem non contempſit, ſed in ſuorum gregem adoptare dignatus eſt. Quod enim hîc fecit, hoc ipſum in alijs etiam diſcipulis cernitur, quorum vitia & infirmitates admirabili lenitate pertulit, quamuis ſæpe acerbam repræhenſionem meruerint. At ne quis hinc ignauiæ ſuæ patrocinium quærat, probè obſeruabis, ita huius infirmitati ignouiſſe Chriſtum, vt interim eam non excuſarit præpoſtera indulgentia: quin potius (vt modò diximus) illum vrget, vt affectui valedicat, qui ipſum ab officio retrahebat. Ita nos quoque fratres infirmos ferre conuenit, vt interea eos confirmare & ad faciendum officium excitare ſatagamus.

Sequitur tertius, quem ambidextrum dicere poſſumus, eò quòd ſimul & Chriſti diſcipulum agere & res priuatas ſiue terrenas curare vult. Ait enim: Sequar te Domine, ſed permitte mihi prius, vt valedicam ijs qui ſunt domi meæ. Ea verò locutione vniuerſam domus & rei domeſticæ diſpoſitionem intelligit, imprimis verò id, vt cum bona ſuorum pace aut venia ipſum ſequi poßit. Ergo diſcipulum quidem ſe fore profitetur, ſed interim et tergum obuertit, non obſcurè ſignificans, quòd maiorem rei priuatæ quàm Chriſti rationem habeat. Eorum autem hic typus eſt, qui duobus dominis ſimul ſeruire volunt, & (quod prouerbio dicitur) vna fidelia duos parietes dealbare. Eſt magnus iſtorum numerus hodie. Huius enim ordinis ſunt, qui ita Euangelio nomen dant, vt interim nolint à mundi amicitia excidere. Tales paßim in Regum aulis reperiuntur, qui cùm fidei Chriſtianæ myſteria non ignorent, & hanc apud pios aperte fateantur, non prius tamen à ſuis principibus abire, & conditionem ſuam relinquere volunt, quàm id cum bona illorum gratia poßit fieri. Grauius tamen peccant multi ex principibus, qui Euangelicæ doctrinæ tutores atque eccleſiæ propugnatores haberi volunt, interim Verbi miniſtris dicendi leges præſcribunt, & Euangelium ita prædicari poſſe exiſtimant, vt apertis quoque hoſtibus, imò Monachis atque Epiſcopis probetur. Eſt horum turpis admodum error, quod non cum ſuis modo (vt noſter hic) verumetiam cum hoſtibus Chriſti & ijs qui nihil ad ipſos pertinent, tranſigere volunt, vt per illos ipſis liceat Veritatis doctrinam ſequi. Pertinent præterea ad hunc ordinem, qui dum ſe Chriſtianos profitentur, ſimul ſibi ipſis & ſuis, quoad res huius ſeculi, proſpicere cupiunt in omnem euentum, ne quam rerum ſuarum iacturam faciant. Talis olim Iudas fuit, talis Ananias cum ſua Sapphira, qui omnes hoc potiſsimùm ſpectarunt, vt quoad res Chriſti ſaluæ eſſent, ipſi quoque ſub eo commodè agerent: illis autem cadentibus, nihil ipſis periculi eſſet ſubeundum. Et vtinam non plures iſtorum ſimiles paßim inter eos inuenirentur, qui primi in eccleſijs cenſeri cupiunt. Horum certè artibus debemus, quòd Chriſti regnum minus ſurgit, & plerique tunc languent atque frigent, quando imprimis debebant feruere. Debent his adnumerari, qui ea conditione Chriſtum admittunt, vt ſimul etiam Baccho & Veneri locus ſit, id eſt, vt voluptatibus & libidini indulgeant, & per omne genus ſcelerum volutentur. Et hi quidem omnes, cùm & bonis omnibus moleſti ſint, infirmis autem ſcandala ponant nocentiſsima, tamen optimi & ſapientiſsimi mortalium eſſe putantur, & digni quos omnes in pretio habeant.

Sed Chriſtum Ieſum de his omnibus pronuntiantem audiamus: Nemo qui manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea quæ retro ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei. Quibus verbis apertè docet, ſe iſtum & eius ſimiles nequaquam pro diſcipulis & regni ſui conſortibus agnoſcere poſſe. Nam hic quoque ad animum potius quàm ad verba loquentis reſpicit. Scimus enim rei domeſticæ curam & quæ familiaribus noſtris debentur officia nuſquam à Deo prohiberi, ſed potius præcipi: & Paulus Ethnicis ac infidelibus deteriores eſſe ait eos, qui ſuis non vt decet proſpiciunt. At hic fide imprimis opus eſt, vt in Dei prouidentiam intenti, nos nimia ſolicitudine & immodicis curis non patiamur abripi, neque propter rem domeſticam cunctatores aut negligentes ſimus in ijs, quæ peculiari mandato nobis Deus iniunxit. Animum ergo Chriſtus liberum & fortem atque conſtantem requi-

Exemplum ambidextri diſcipuli.

Chriſtus ambidextros reijcit.

1.Timoth.5.

rit, qui procul relictis huius ſeculi curis in via ſemel cœpta pergat, & in finem vſque perſeueret. Vtitur autem ſimili ex re ruſtica deſumpto, vt hoc non temere requiri intelligamus. Vt enim ſulcos rectos ducere non poteſt, qui manu quidem ſtiuam tenet, oculos autem ad ea conuertit, quæ à tergo ſunt: ita impoßibile eſt, vt in regno Dei aliquos progreſſus feliciter faciant, quotquot huius ſeculi curis implicitı mundum & huius ſtudia reſpiciunt, quæ iam dudum à tergo reliquiſſe debebant. Vt
2.Cor.6. *enim nulla inter Chriſtum & Belialem conuentio eſt, ita neque inter mundum & Chriſtum: eo quòd ille quidem totus in malo iacet, & terrenis occupatur, hic autem nos ad cœleſtia & æterna vocat. Exempla, quibus hoc probetur paßim ſunt obuia. Huc enim Lothi vxor pertinet, quæ etſi ex*
Gen.19. *Sodomis egreſſa eſſet, paulò poſt tamen in ſtatuam ſalis mutata eſt, cùm ad ea reſpiceret, quæ iam reliquerat. Iſraelitis quoque non profuit, quòd ex Aegypto eos Moſes eduxerat: quia enim ad ollas carnium & cepas atque allia, quæ illic habuerant, animum adiecerunt, omnes in deſerto horrendis exemplis proſtrati & extincti ſunt. Adde his Demam, quem Paulus hoc nomine taxat, quòd*
Num.11. & 21.&c.
2.Tim 4.
relictis Chriſti caſtris præſens hoc ſeculum amplexus ſit. Debent his omnibus opponi Patriarchæ, qui per omne genus laborum atque periculorum vocantem Deum conſtanter ſecuti ſunt. Apoſtoli item, qui relictis omnibus cum Chriſto inter grauiſſimas tentationes perſeuerauerunt. Paulus certè cùm inter Iudæos genere, eruditione & authoritate præſtaret, omnia quæ in mundo eximia habentur, pro ſtercoribus & rebus noxijs habuit, vt Chriſtum lucrifacere poſſet: ita verò coronam iuſtitiæ obtinuit, quam omnibus parauit Deus, qui Filij ſui aduentum diligunt, & eius ſpe confirmati in fide vera perſeuerant. Singuli ergo ſibi ipſis applicent, quæ de tribus iſtis hucuſque dicta ſunt, & primò quidem ad omnia incommoda atque aduerſa ſeſe præparent: deinde verò hominibus coniunctißimis ſimul atque omnibus huius ſeculi curis longum valere renuncient, vt Chriſti Ieſu diſcipuli ſint, in quo vno vita & ſalus inuenitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.
Phil.3.

CAPVT X.

HOMILIA XCVI.

POſt hæc deſignauit Dominus etiam alios ſeptuaginta, miſitque eos binos ante faciem ſuam in omnem vrbem & locum, quò futurum erat vt ipſe veniret. Dicebat ergo eis: Meſsis quidem multa, ſed operarij pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, vt extrudat operarios in meſſem ſuam.

QVemadmodum Dei Filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, noſtræ redemptionis & ſalutis cauſa in mundum venit & homo factus eſt: Ita actiones ſuas omnes ſic inſtituit, vt ſe ſalutis noſtræ ſtudioſiſſimum eſſe, nouis ſubinde indicijs oſtenderet. Vidimus hoc hucuſque in eius doctrina & miraculis, maximè tamen id elucet in vltima eius profectione Hieroſolymam, quam Lucas proximo Capite deſcribere cœpit. Primò enim cùm tempus mortis inſtare ſciret, ſponte ad eam accingitur, & quidem obfirmata facie, vt omnes affectus diuerſum ſuadentes excluſerit. Deinde Samaritanos, qui inhoſpitalitate & ingratitudine in ipſum turpiſsimè peccarant, non modò non perdit, verumetiam diſcipulos vindictæ ſtudio flagrantes grauiter reprehendit. Tertiò tribus exemplis docet, vt eos affectos eſſe oporteat, qui germani eius diſcipuli eſſe, & in ipſo ſeruari cupiunt. Exigitur ab his, ne ſua quærant, ſed quæ Chriſti ſunt: vt item ſeipſos & omnia ſua abnegent, & poſtquam illi nomen dederunt, conſtanter cum eo in finem vſque perſeuerent. Pertinet eòdem prima huius Capitis pars, qua narratur, vt ſui cognitionem & appropinquantē humani generis redemptionem per plures diuulgari & ad hanc excipiendam omnes præparari curauerit. In præſenti autem deſcribit Lucas, quàm multos ad hoc deſignarit, & quò illos miſerit. Deinde inſtituti ſui cauſam Chriſtus ipſe exponit, ſimulq́ monet, quid fieri debeat, ſi ea ſit conditio rerum, quæ illo tempore inter Iudæos fuit.

Primus

Primum his verbis narratur: Poſt hæc deſignauit Dominus etiam alios ſeptuaginta, miſitque LXX. mittuntur ut prædicēt.
vos binos ante faciem ſuam in omnem vrbem & locum, quò futurum erat vt ipſe veniret. Nuper
quidem, cùm adhuc in Galilæa ageret, duodecim diſcipulos, qui Apoſtoli dicuntur, ſolos eadem de
cauſa emiſit, quòd hi in regione anguſtiori & in populo tractabiliori ſufficere poterant. Nunc verò
quando Iudææ appropinquat, qua latius patebat, & in qua Sacerdotes cum Scribis et Senioribus in
ijs, quæ ad religionem ſpectant, dominabatur, ſumma autem rerum poteſtas penes homines propha-
nos, Romanos nimirum præſides erat, populus verò à Sacerdotum & Seniorum fauore pendens, à
Chriſto & eius doctrina magis abhorrebat, plures præmittit ſui aduentus & appropinquantis re-
gni Dei præcones. Et quod in duodecim Apoſtolis factum fuiſſe Marcus annotauit, vt bini mitte-
rentur, id in præſenti quoque obſeruatur. Solet enim Deus noſtræ infirmitatis rationem habere, &
ijs laborum atque periculorum ſocios adiungere, quos rebus arduis & periculoſis deſtinat. Quòd ſi id
non initiò ſtatim facit, ſaltem iam opus iniunctum aggreſſos non negligit, quin ſibi vnde minimè
ſperabant auxiliū & opem afferri videant. Exempla huius rei alibi adduximus, quæ modò repete-
re non eſt opus. Debet autem hæc Dei fides & bonitas nos excitare, ne quod ille nobis iniungit
detrectemus. Habet enim ille in manu ſua omnium corda, vt vel amicos & ſocios excitare poſſit
quoſcunque voluerit, vel hoſtium animos continere, ne quod volunt & poſſunt faciant.

Quòd ſi quærat, cur ſeptuaginta numero præmittere voluerit, cùm vel plures vel pauciores Cur LXX. miſerit
mittere poſſet, in promptu cauſa eſt. Scimus enim omnia, quæ in Nouo teſtamento geſta ſunt, ijs
reſpondere debuiſſe, quæ veteribus (vt Paulus ait) in figura acciderunt. Fuerunt autem in veteri
populo duodecim Patriarchæ, ex quibus tribus duodecim propagatæ ſunt, & quos tota gens ſuos 1.Cor.10.
progenitores agnouit. Horum igitur loco Chriſtus duodecim Apoſtolos eſſe voluit, quos populi
Chriſtiani Patriarchas iure dicere poſſumus, quando per hos Iudæi ſimul & Gentes ex immorta-
lis æternique verbi ſemine in filios Dei regenerati ſunt. Vnde Paulus Corinthijs dicebat: Etſi de-
cem millia pædagogorum habueritis in Chriſto, non tamen multos patres: In Chriſto enim Ieſu 1.Cor.4.
per Euangelium ego vos genui. Et ad Galatas idem ſcribit: Filioli mei, quos iterum partu- Galat.4
rio, vſquequo formetur Chriſtus in vobis. Quoad verò ſeptuaginta hoſce diſcipulos, eum nume-
rum obſeruare voluit Dominus, qui propter multas cauſas populo Iſraelitico in ſumma authori-
tate & quadam ratione ſacer erat. Nam cum ſeptuaginta animabus in Aegyptum Iacobus de-
ſcenderat, quibus ita benedixit illic Deus, vt propter infinitam multitudinem, quæ ex illis pro-
gnata fuit, filij Iſraël toti Aegypto formidabiles fierent. Deinde cùm in deſerto Moſes de onere
tanti populi regendi quereretur, iuſſit Dominus, vt ex præfectis tribuum & familiarum viros
ſeptuaginta ſegregaret, inter quos Spiritus dona non ſine miraculo diſtribuit, & eos Moſi adiun- Num.11.
xit, vt eum in onere hoc ferendo adiuuarent. Vnde factum videtur, quòd populo ex Babylone re-
uerſo, rurſus ſeptuaginta duo Seniores conſtituti ſunt, qui vulgò (vt in numeris eiuſmodi fieri ſo-
let) Septuaginta Seniores, συνέδριον & vel corrupto vocabulo Sanhedrim dicebantur, eò quòd ſu-
premum totius populi Senatum referrent. Hos quia plerique ex Dauidis poſteritate deſcendebant,
Herodes, vt regnum ſuum ſtabiliret, ſimul omnes interfici, & Senatum illum aboleri curauit.
Fuit hoc euidens argumentum, ex quo populi totius diſſipatio colligi poterat, cùm & regnum penes
alienigenam eſſet, & iam ſublatus eſſet Senatus ille, qui ſolus veteris aut priſtinæ dignitatis ſpe-
ciem aliquam præ ſe ferebat. Opportunè igitur nunc Septuaginta hos ſui aduentus præcones per Iu-
dæam Chriſtus emittit, vt vel ipſo numero admoneantur, adeſſe præ foribus nouam populi inſtau-
rationem, noui nimirum illius populi Dei, ſiue Eccleſiæ, quæ inter Iudæos quidem primùm
naſci & colligi, inde verò per totum orbem terrarum maximis incrementis diffundi & propagari
debeat. Hæc eò diligentius recitamus, vt conſtet in toto Ieſu Chriſti negotio nihil fortuitum fuiſſe,
ſed plena myſteriorū eſſe omnia, & proinde in eorum conſideratione non obiter aut oſcitanter nobis
eſſe verſandum. Qui verò ſeptuaginta iſti fuerint, Euangeliſtæ nuſpiam docent, & non tutum eſt
ea curioſius inquirere, quæ in ſcripturis non traduntur. Haud dubiè ex Chriſti comitatu fuerunt,
quem in vltima hac profectione numeroſiſſimum ex vtroque ſexu habuit, & ſi quis locus eſt conie-
cturis, ad centum illos & viginti pertinent, qui (vt in Actis Lucas ſcribit) ſimul congregati fuêre
cùm Matthias in Iudæ proditoris locum ſurrogaretur: & credibile eſt, illos poſtea quoque in pro- Actō.1.

uehendo regno Chriſti bonam atque fidelem operam nauauiſſe. Nomina autẽ eorum Spiritus Sanctus ſuppreſſa voluit, vt diſcamus regnum Dei non ab hominum ſplendore ſiue authoritate pendere, ſed illorum quoque opera Deum vti interdum, qui inter homines ne nomen quidem habent. Vide 1. Cor. 1.

Miniſtri non ad certum numerum aſtringẽdi.

Admonemur autem Chriſti exemplo, Eccleſiarum miniſtros non ad certum numerum aſtringi, ſed pro locorum & temporum atque negotiorum ratione plures ſiue pauciores ordinari debere. Olim ſanè ſub Moſe Leuitarum circiter viginti duo millia cenſebantur, qui poſtea, cùm Iſraelitæ terram promiſſam occupauiſſent, per omnes tribus diſtributi ſunt, prout vrbium & cuiuſque tribus conditio poſtulabat. Poſterus temporibus, cùm illi officio minus fungerentur, extraordinariè vocati ſunt Prophetæ, qui populum ex Dei verbo erudirent. Chriſtus verò, qui ſupra duodecim modò diſcipulos emiſit, hic ſeptuaginta illi muneri deſtinat, cùm rẽ ipſam hoc exigere videret. Et Titum ab Apoſtolo in Creta relictum fuiſſe ſcimus, vt oppidatim presbyteros ſeu Eccleſiæ miniſtros conſtitueret: non exprimitur autem numerus certus, quàm multi nimirum in ſingulis oppidis conſtitui debeant: ſed quia id à Paulo nõ poterat definiri, illud omne Titi iudicio relinquit, vt pro locorum & hominum ratione agat. Sunt hæc propter eos obſeruanda, qui cùm verbum Dei faſtidiant, quàm pauciſſimos huius præcones eſſe vellent, & proinde ſufficere putant, ſi ſingulis parochijs (vt dicunt) & vrbibus vnus aliquis præficiatur, qui Verbũ prædicet, & Sacramenta diſtribuat, neque aliquã multitudinis rationem habent, quæ ſæpe tanta eſt, vt vix decem vni vrbi ſufficiant, vel etiam plures, maximè ſi peſtis aut alij morbi graſſentur. Sed faciunt iſti homines perinde, ac ſi quis paſtorem, qui centum oues paſcit, multis etiam millibus paſcendis ſufficere clamet. Vt verò hic dum ſumptibus parcit, gregem totum lupis obijcit: ita iſti dum miniſtrorum numerum minuunt, Eccleſijs ferè diſſipationis authores ſunt, quæ non ſine animarum periculo experiuntur, quando minimè opus erat, quid ſit fidis paſtoribus deſtitui. Sed plura de hoc poſtea.

Quò miſſi ſint iſti LXX.

Nunc præterea obſeruabimus, quò nam ſeptuaginta iſtos Chriſtus miſerit? In omnem locum & vrbem (inquit Lucas) quò futurum erat vt ipſe veniret. Fuerunt ergo præcurſores, qualis Ioannes Baptiſta fuit, qui homines de eius aduentu admonere, & omniũ animos ad ipſum dignè excipiendum excitare debuerunt. Quo loco primùm admonemur, quàm procul ab impoſtorum & ſeductorũ ingenio ſiue moribus Chriſtus abfuerit. Solent illi clàm et noctu plerunque, noctuarum & veſpertilionum inſtar, in vrbes ingredi, & (vt Paulus de illis ſcribit) in familias obrepere, vt mulierculas & homines rudes rerumq́ imperitos capiant, & per hos ceu cuniculos quoſdam ſibi ad plures alios aditũ parent. Quod hodie Anabaptiſtas non minori aſtutia quàm impudentia facere videmus. At Chriſtus non ipſe modò apertè agit, verumetiam præcurſores præmittit, qui ipſum venire nuntient. Eſt enim lux ipſa, quæ latere non poteſt: alteri verò illi dum lucem fugiunt, ſe tenebriones vel nebulones, & opera ipſorum praua eſſe teſtantur. Nec enim vnquam fallet illud Chriſti: Omnis qui peruerſe agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera eius. Qui autem ſyncerè agit, venit ad lucem, vt manifeſta fiant facta ipſius, quòd ſecundùm Deum ſint facta. Vide Ioan. 3.

2. Tim. 3.

Ad Chriſtum excipiendum præparatione eſt opus.

Porrò præcipuũ huius loci caput eſt, quòd Chriſtus vt prius Ioannẽ, ita nunc iſtos præcurſores, habet, qui populũ ipſi præparẽt, nec enim prodeſt ille, niſi dignè à nobis excipiatur. Docent hoc omnes parabolæ, quibus ſeipſum in Euangelio depingit. Dicit ſe panẽ vitæ eſſe: at quæ panis vtilitas, ſi in menſa ſolum propoſitus ſit, non aũt edatur, & per digeſtionẽ in alimentũ tranſeat? Dicitur item fons aquæ viuentis: ſed nunquã nobis ſitim aqua reſtinguet, niſi eam bibamus. Similiter lucẽ mundi ſe eſſe ait: quid verò lux proderit, niſi viſus organa ſint integra, quæ illam apprehendãt? Medicũ quoq́ ſe eſſe profitetur: ſed quomodo eos curabit medicus, qui ipſum admittere & eius conſilio vti nolũt? Eadem eſt paſtoris ratio, quẽ ſe eſſe teſtatur: nec enim huius cura alijs prodeſt quàm ouibus, quæ vocem eius audiunt atq́ ſequuntur. Oſtiũ quoq́ dicitur: ſed quid tibi oſtiũ profuerit, ſi per illud in domum nolis ingredi? Vides igitur neminẽ in Chriſto ſeruari, niſi qui ipſum verè cognitũ toto animo amplexus fuerit: Ideo in precatione illa ardentiſſima dicebat: Hæc eſt vita æterna Pater, vt cognoſcant te ſolũ verum Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum. Parit enim cognitio illa fidem viuam & veram, vel potius ipſiſſima fides eſt, quæ ita Chriſtum apprehendit vt nos in illo ſimus, ipſe verò in nobis agat, noſq́ ſuiipſius & bonorum ſuorum omnium participes reddat. At quemadmodum ſtomachus, quem

Ioan. 17.

mali

mali & noxij humores repleuerunt, cibũ quantumuis ſuauẽ & ſalutarẽ reſpuit, & proinde purga-
tione & confortatione opus habet: ita cùm nos natura corrupti ſimus, & mentẽ partim prauis cupi-
ditatibus, partĩ falſis de religione & ſummo hominis bono opinionib. praoccupatã habeamus, Chri-
ſtum, panem illum vitæ & fontem aquæ viuentis non admittimus, neque lucem illam æternã lippiẽ-
tes noſtri intellectus oculi ferre poſſũt, & quod malorũ ſummum eſt, medicũ fugimus, paſtorem dete-
ſtamur, & ſponte relicto oſtio regni Dei ambages & auia quærimus. Itaq; multa & diligenti præpa-
ratione nobis hîc quoque opus eſt, quam Deus per verbi prædicationẽ adhibet. Per hoc enim innatã
naturæ vitioſitatẽ arguit, & quæ ex hac emanant peccata accuſat. Quæ cauſa eſt, vt nobis ipſis di-
ſplicere, iuſtitiã eſurire & ſitire, lucem veritatis toto animo deſiderare, paſtorem ipſi quærere & ad
vitæ æternæ viã ſiue oſtium anhelare incipiamus. Ideo miniſtri Dei paſſim à pœnitentia prædicandi
initium faciunt, quæ ſine fiducia diuinæ gratiæ & miſericordiæ eſſe non poteſt, & proinde hominem
excitat, vt à peccatis & infelici Satanæ ſeruitio ad Deũ conuerti & cum illo reconciliari cupiat.
Ibi verò ſeſe Chriſtus offert, quẽ ille inter ſe & homines mediatorem conſtituit. Et hæc illa præpa-
ratio eſt, de qua olim Iſaias & Malachias vaticinati ſunt, & cuius primus in Nouo teſtamẽto mi- Iſa. 40.
niſter fuit Ioãnes Baptiſta: à cuius denique doctrina Chriſtus exorſus, eandẽ Apoſtolis cõmendauit, Luc. 9.
quando ait in ſuo nomine & pœnitentiã & remiſſionẽ peccatorũ prædicari oportere. Quàmuis autem
doctrinam iſtam Septuaginta illi plenã & exactam tradere non potuerint, fuit tamẽ hoc non leue in-
citamentum ad permouendos hominũ animos, vt de ſalute ſua diligentius cogitare inciperent, quã-
do tot homines per regionẽ & oppida diſcurrere, omnes eandẽ doctrinã tradere, & rerũ omniũ muta-
tionem, ipſius nimirũ Dei regnum, annuntiare audiebant. Nã plus quàm ſtupidus, imò ferreus fue-
rit oportet, cui non priſtinæ vitæ miſerabilis conditio in mẽtem venerit, vt ſimul cogitaret, quomo-
do ad excipiendum regnum Dei ſeſe deberet præparare. Arguuntur autem hîc, primum qui per E-
uangelium, bona opera prohiberi, & peccandi licentiam plantari clamant: deinde qui ſub illius præ-
textu licenter nimis viuunt, & aduerſarijs calumniandi occaſionem præbent. Faciũt hi quidem ma-
gnam iniuriam Chriſto, qui in mundum venit, vt opera diaboli deſtruat, inter quæ peccato primus
locus debetur. Alteri verò illi ſcandalorum, quorum authores ſunt, graues pœnas dabunt, quando
Chriſtum dicentem audient: Non omnis qui dixerit mihi, Domine, Domine, ingredietur in regnum
meum, ſed is qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Porrò ſui inſtituti cauſam Chriſtus diſcipulis exponit, ne ſe temere mitti ſuſpicentur. Meſſis Cauſa miſſio-
quidem (inquit) multa, ſed operarij pauci. Apud Matthæum eadem habetur ſentẽtia, ſed alia occa- nis huius.
ſione eã illic profert. Cùm enim populum vidiſſet, qui doctrina & conſolatione deſtitutus, adhæc mi- Matth. 9.
ſerè diſtractus & diſperſus erat inſtar ouium, quæ paſtorem nullum habent, ex animo eorum miſer-
tus eadem verba quæ hîc habentur pronuntiauit. In præſenti verò & ſi idem affectus erga populũ
in illo haud dubiè nõdum deferbuiſſet, tamen potius Septuaginta illos diſcipulos reſpicit, quos cer-
ta ſpe erigere inque commiſſo ipſis munere confirmare vult, ne ſe fruſtra laboraturos aut periclita-
turos eſſe arbitrentur in tanta populi cæcitate, & antiſtitum eius contumacia. Senſus enim eſt: Ne
formidetis hunc laborem ſubire, qui fructu ſuo minimè carebit. Et ſi enim indomita ſit ſacerdotum
& ſcribarum audacia, & plerique in populo quoque hactenus nullis neque admonitionibus neq; mi-
raculis flecti potuerint, vt mihi obedirent: non tamen eadem omnium mens eſt atque ſententia. Eſt
enim multa meſſis, id eſt, plurimi ſunt veritatis cupidi, & multi regnum Dei ſummo animi deſide-
rio expectant. Qui quòd hactenus mihi non acceſſerint, non alia cauſa eſt, quàm operariorum ino-
pia, qui Dei negotium fideliter egerint. Vos igitur alacri animo opus hoc aggredimini, admouete
verbi diuini falcem, oſtendite optatam ſalutem præ foribus adeſſe, & appropinquare iam Regnum
illud Dei, quod tam diu anxij & ſoliciti expectarunt. Hæc ſi annuntiaueritis, non deerit ſucceſſus,
& paſſim inuenietis, qui vos vt par eſt excipient. &c.

At miretur hîc aliquis, qua ratione adductus Dominus operarios paucos eſſe dicat, qui popu- Qua ratione
lum ſalutis cupidum inſtituant & ad regnum Dei colligant. Atqui ingens erat Leuitarum nume- operarij pauci
rus, quorum multa millia olim fuiſſe nuper diximus. Erant præterea infinitæ Synagogæ, in quibus dicãtur.
Scribæ & Legiſperiti docẽdi munus ſibi vſurpabãt. Erãt itẽ ſuperioris ordinis Sacerdotes, qui ſe cla-
uẽ ſciẽtiæ habere gloriabãtur, & magna cũ authoritate Moſis cathedrã ſibi vendicabãt. Accedebãt

*his omnibus Phariſæi, penes quos tūc erat ſumma doctrinæ & ſanctitatis exiſtimatio. Quomodo igi-
tur abſq; paſtoribus erat populus iſte? aut quis in illa meſſe operarios paucos fuiſſe dixerit? Sed hîc
obſeruandū eſt, Chriſtū nō de infidis mercenarijs, aut ignauis doctoribus loqui, qui nominis & tituli
ſplendore contenti de munere ſuo vix vnquam cogitant: ſed de fidis, laborioſis & induſtrijs, quibus
dei gloria & populi ſalus verè cordi eſt, quique toti in hoc ſunt, vt populum in veritatis cognitio-
ne inſtituant, & ipſi adducant, in quo vno vita atque ſalus habetur. Tales in Iudaico populo tunc
temporis pauciſſimi, adeòque nulli erant. Nam vt Euangelica hiſtoria docet, ad hypocriſim & o-
ſtentationem omnia ſua inſtituebant: Legis verò doctrinam iampridem humanis traditionibus cor-
ruperant, templum autem in emporium & externum cultum omnem in quæſtum priuatum com-
mutarant. Seipſos ergo illi omnes paſcebant, populus autem ſalutis incertus circa opiniones vanas
vagabatur, cùm nulla eſſet veri Meſſiæ cognitio, imò hæc quoque à ſcribis & ſacerdotibus putidiſ-
ſimis figmentis obſcuraretur. Atqui vtinam non idē in orbe Chriſtiano iam olim accidiſſet, & hodie
multis in locis non adhuc fieret. Quis enim neſcit populum Chriſtianum in mille ſectas & fraterni-
tates diſtractum, & diſperſo gregi, qui paſtore deſtituitur, ſimillimum fuiſſe, & etiam hodie in non-
nullis locis talem cerni? Atqui non deſunt, qui paſtorum nomine glorientur. Eſt ſummus ille paſto-
rum princeps, Romanus Pontifex, qui ſe Chriſti vicarium in terris eſſe, & de ſalutis neceſſitate eſſe
clamat, vt omnis anima ipſi obtemperet. Habet is adiunctum ſibi auguſtiſſimum Cardinaliū pur-
puratorum collegium, qui vt Eccleſiæ proceres & columnæ videri volunt, ita Senatum ſupremum
orbis Chriſtiani referunt. Et ex his plurimi in aulis regum agunt, vt paſſim rebus proſpiciāt. Ac-
cedūt his Epiſcopi, quorum infinitus eſt numerus, & habent hi quoque ſuos vicarios, ſuffraganeos
& Canonicos plerumque generis nobilitate illuſtres & annuis Eccleſiarum prouentibus egregiè di-
tatos. Habent præterea ſingulæ parochiæ ſuos parochos aut paſtores, quibus ferè adiuncti ſunt ſui
diaconi. Accedunt his Sacellani, Oſtiarij, Euāngeliſtæ, Lectores, Exorciſtæ, Acoluthi, quorū tanta
eſt multitudo, vt ſæpe in vno templo celebriori quadraginta aut quinquaginta conſpiciantur, qui
omnes pro publica populi ſalute excubare videri volunt. His ſi addas Monachorum greges, frater-
culorum examina, Lolhardos, moniales, Beguttas, Deum immortalem quot millia inuenies, quorū
ſinguli ſe pro Eccleſia laborare glorientur? Quis ergo ſine paſtoribus eſſe dixerit Chriſtianum po-*
2 Tim. 4. *pulum? Sed plerique ex eorum numero ſunt, quos (vt Paulus prædixit) ij ſibijpſis acerſiuerunt,
qui ſanam veritatis doctrinam ferre nō poſſunt, & ideò omiſſo verbo Dei circa traditiunculas ina-
nes & ceremonias frigidiſſimas occupantur. Fit ergo vt plerique in populo quid credant, quidue de
religione & toto ſalutis negotio ſentiant incerti ſint, ſed fide quadam implicita contenti vanis ſom-
nijs circunducantur. Eſt hæc miſerrima populi conditio, qua nulla infelicior excogitari poteſt.
Soletur tamen nos, quando iſta videmus, quòd Deus tales, etiamſi ſic tractari mereantur, non om-
nino negligit, & vt horum miſeretur, ita grauiter ijs iraſcitur, qui infelicis vulgi ſimplicitate pro li-
bidine ad quæſtum abuti ſolent. Olim certè per Ezechielem de eiuſmodi populi ſui ſorte grauiter*
Ezech. 34. *conqueſtum fuiſſe ſcimus, cùm inquit: Errauit grex meus in omnibus montibus, & in omni colle ex-
celſo, & in omni ſuperficie terræ diſperſus eſt grex meus, nec eſt qui quærat aut requirat. Sed ibi-
dem horribiles pœnas falſis paſtoribus minatur, & ſe oues ſuas quæſiturum pollicetur, ne cui porrò
prædæ ſint. Et in Chriſto, quem populi diſperſi miſertum fuiſſe ſupra diximus, non inanis aut otioſus
affectus fuit, ſed non multò poſt infidos illos paſtores per Romanorum arma cum templo & vrbe*
Iſa. 10. & c. 1. *excidit, prius verò per Apoſtolos oues ſuas collegit, & (vt in Prophetis promiſerat) reliquias ex il-
lo incendio ſeruauit, quæ eccleſiæ, quæ inde latiſſimè propagata fuit, initium dederunt. Viuit autem
adhuc Chriſtus, & procul dubio etiam hodie ſuos diſperſos & afflictos videt, quos ſuo tempore ex
perſonatorum paſtorum manibus non ſine magno ipſorum malo vindicabit, ne Sponſæ ſuæ Eccleſiæ
diutius illudant.*

In corruptiſ. gente ſuperſunt multi electi. *Sed vt ad Chriſti verba redeamus, eſt in his multa obſeruatione dignum quòd in corruptiſſi-
ma & multis modis excæcata gente, multam adhuc meſſem ſibi litereſſe teſtatur, eos nimirum in-
telligens, qui ſalutis cupidi & ad regnum Dei excipiendum idonei ſint. Ita vbique gentium ſuos e-
lectos habet miſericors Deus, quos vbi tempus eſt vocat & colligit, ne cum infelici mundo pereant.
Exempla huius rei multa extant. In Sodomis enim Lothum fuiſſe ſcimus fidum cultorē Domini,*

quem

quem reliquis omnibus pertuuſibus mirificè ſeruauit. Heliæ item temporibus, cùm ille piorum 1.Reg.19.
neminem ſuperſtitem putaret, ſeptem millia virorum habuit Deus, qui neque publicæ idololatriæ
contagio polluti fuerunt, neque in Achabi & Iezabelis crudeles manus inciderunt. Quòd ſi Acto-
rum librum excutias, videbis in Cypro Veneri ſacra, Corinthi, in omnis libidinis proſtibulo, Ephe-
ſi inter curioſarum artiũ cultores, Romæ denique et in ipſa Cæſaris familia, quaſi in medio luporũ,
Christo multum populum fuiſſe, qui illius beneficio ſeruatus eſt. Spirat enim ventus ille ſalutifer Do
mini, vbicunque voluerit, neque vllis hominũ viribus, aut impiorũ nequitia impediri poteſt. Quod
vt nobis dulciſſimam conſolationem affert, quando omnia in deterius ruere videmus: ita admonet
quoque, vt diuinæ bonitatis atque virtutis memores de nemine mortalium temere deſperemus.

Præterea non temere fieri putemus, quòd eccleſiam aut electos ſuos ſegeti ad meſſem matu-
ræ confert. Eſt parabola hæc frequens in Euangelio, imprimis tamen huc pertinet, quod Ioannis Electi ſegeti ad
Cap. quarto Christus diſcipulis dicit, cùm Samaritanos ex Sichem ad ſe aduentantes videret: meſſem matu-
Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimeſtre ſpacium ſupereſt, & meßis aderit? Ecce dico vobis, at- ræ conferun-
tollite oculos veſtros, & ſpectate regiones, nam, albæ iam ſunt ad meſſem &c. Docet parabolæ huius tur.
conſideratio, Eccleſiam ſua habere incrementa, neque ſemper conſtare qui nam vera & germana il-
lius membra ſint. Vt enim ſemen vbi ſulcis commiſſum fuerit, non ſtatim fructum fert, ſed aliquã-
diu ſub glebis delireſcit, tandem germinat, mox autem pruinis autumnalibus aduritur, niuibus
quaſi ſepelitur, & verno demum tempore herbeſcit, poſtea culmum facit et ariſtas ſiue ſpicas, in qui-
bus modò inter pluuias, modò inter intenſiſſimos Solis ardores grana ad maturitatem excoquun-
tur: Ita verbi ſemen per prædicationem ſpargitur, & hominum animis concipitur, vix autem poſt
multos labores & dura crucis certamina eò deuenitur, vt in regni cœleſtis horrea colligamur. Pro-
deſt autem vt in horum meditatione frequenter verſemur, quò minus offendamur, ſi vel fructus
ex verbi prædicatione nullus initio apparet, vel eccleſiam grauibus tentationibus & aduerſis exer-
ceri videamus. Erit tandem iſtorum omnium lætiſſimus finis, & cum minimè ſperatur, fructum
feret verbum Domini, quod prorſus intercidiſſe videbatur.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua docet Christus, quid nos in fidelium doctorum ſiue ad-
miniſtrorum verbi inopia facere deceat. Dicit enim: Rogate ergo dominum meßis, vt extrudat Orandum ut
operarios in meſſem ſuam. Primò ad dominum meßis nos remittit, qui non alius quàm Deus fingi Deus operari-
debet. Nã vt Paulus ait, Dei aruũ eſt Eccleſia, & vt illi colitur, ita ad eundem tota quoq; meßis os extrudat.
& fructus omnis pertinet. Deinde illum orare iubet, vt operarios in meſſem hanc ſuam extrudat: 1.Cor.3.
fidos nimirum, qui ipſius & publicæ ſalutis negotium ſeriò agant. & illi, non ſibiipſis metant atque
congregent. Etenim tales dare ſolius Dei eſt. Nã vt Apoſtolus fatetur, nemo noſtrûm ne ad cogitã-
dum quidem idoneus eſt. Vt ergo ad tantam functionem idonei ſimus, ab illo donis neceſſarijs in- 2.Cor.3.
ſtruamur oportet. Ideo Iſaiæ labia ipſe purgauiſſe, & in Ieremiæ os verba ſua poſuiſſe legitur. Apo-
ſtolis quoque Spiritum Sanctum dedit, priuſquam permitteret, vt in totum orbem ad prædicãdum Iſa.6.
exirent. Quò Paulus reſpiciens dicebat: Quomodo prædicabunt, niſi mißi fuerint? Sciebas Iere.1.
enim à Deo neminem niſi idoneum mitti, ineptos autem, vel etiam infidos eſſe omnes, qui ſponte Rom.10.
currunt. Quòd ſi verò diſcipuli orare debuerunt, vt Deus operarios in meſſem ſuam axtru-
dat, vtique omnium eſt, vt hanc cauſam ſibi commendatiſſimam habeant, & quantùm in ipſis eſt
curẽt, vt eccleſijs quoad fidos miniſtros proſpiciatur. Faciant ergo omni ſtudio id quo negotium hoc
promoueri poſſe vident. Olim quidem Deus ab aratro & pecorum armentis Prophetas vocabat,
& Christum homines illiteratos huic muneri deſtinauiſſe ſcimus, quos miraculoſe & ſubitò inſtru-
xit, vt ad illud idonei eſſent. Sed iampridem miracula illa ceſſarunt: relictæ autẽ nobis ſunt ſcriptu-
ræ ſacræ cum bonarum literarum & artium ſtudijs, in quibus ſeſe cum inuocatione Dei exercere
debent, qui ſe ad Eccleſiæ miniſterium vocari ſentiunt. Magiſtratus ergo fuerit Scholas inſtituere,
& curare vt in illis ingenui adoleſcentes probè inſtituantur. Parentes quoque hanc curam
ad ſe pertinere ſciant, vt quos ex ſuis filijs huic functioni idoneos eſſe vident, Christo & Ec-
cleſiæ conſecrent. Et qui non aliud poſſunt, ſaltem precibus & pijs votis opus hoc ſanctiſſimum
adiuuent. Quod cum omni tempore fieri debeat, hodie imprimis facto opus eſt. Quantam enim &
quàm copioſam meſſem videmus ô fratres, in potentiſſimis Europæ regnis, vbi ad Euangelij

libertatem multa hominem millia aſpirant ea, autem frui non poſſunt, quòd vel operarij nulli ſunt, vel ſi qui ſe offerunt, ij Regum edictis, minis & horrendis ſuplicijs procul ab opere arcentur? Hic nos afflictorum fratrum ex animo miſereri, & apud Deũ precibus aßiduis inſtare conuenit, vt tandem tyrannidi finem faciat, & propter nomen ſuum periclitantibus ſuccurrat.

Extrudi oportet operarios bonos.

Nec temere putemus Chriſtum hîc extrudendi aut eijciendi vocabulo vti. Eo enim innuit, nõ facilè fidos operarios inueniri, qui ſua ſponte ad opus hoc accedant. Nam qui ſuas vires cum illius difficultate conferunt, ij illud quauis ratione ſubterfugere conantur. Cuius rei exempla in Moſe, Ieremia, Iona & pluribus alijs cernimus. Diuina ergo virtute opus eſt, qua non modo idonei fiant qui vocantur, verumetiam voluntarij, qui Chriſto & eccleſiæ eius operam ſuam præſtare cupiant. Porro qui vocantur, ij ſe non ad otium, ſed ad meſſem vocari, & operarios dici cogitent. Nec enim externis laruis conſtat Eccleſiæ miniſterium, ſed tales requiruntur, qui aruum Domini ſedulò colant, ſemen verbi prudenter ſpargant, incommodis ſegetum diligenter occurrant, maturas congregent, & ita domino arui fructum vberrimum reddant. Idem docent paſtorum, vinitorum, œconomorum & militum parabolæ, quibus alibi ſcriptura vtitur. Nam apud hos quoque nullus otio aut ſegnitiei locus eſt: ſed ſtudio, labore, induſtria vtantur oportet, ſi officium facere velint. Procul ergo ab Eccleſia faceſſant operarij mali, & perſonati paſtores, qualibus olim Iudæa ſcatebat, & quales hodie nimis multi paßim inueniuntur. Orent autem omnes Deum Patrem, vt eccleſiæ ſuæ multis modis afflictißimæ miſertus fidos operarios excitet, qui diſperſos congregent ad Chriſtum Ieſum, in quo æternùm ſeruentur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XCVII.

Abite, ecce ego mitto uos vt agnos in medium luporum. Ne portate crumenam, neque peram, neque calceamenta: & neminem in via ſalutaueritis. In quamcunque domum ingrediamini, primũ dicite: Pax huic domui. Quòd ſi fuerit illic quiſpiam filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra: ſin minus, ad vos reuertetur.

INter Dei opera nullum præſtantius habetur, quàm quòd Filium ſuum vnigenitum & ſibi coæternum propter nos hominem fieri voluit, & eundem in mortem acerbam & infamem crucis pro nobis tradidit. Nam vt huius conſideratio omnem humanæ rationis intellectum ſuperat: ita ab eodem vniuerſa noſtra ſalus dependet, quæ aliter reparari non poterat. Ideo ipſe etiã Dei Filius, cùm iam hora mortis eius inſtaret, omnia ſua ſic inſtituit, vt omnibus notum fieret, in morte ſua humani generis redemptionem contineri. Quò cumprimis facit, quod cùm ad crucis ſupplicium Hieroſolymam proficiſceretur, & Iudææ iam appropinquaret, Septuaginta diſcipulos præmiſit, qui omnia loca & oppida, quò ipſe venturus erat, percurrerent, & ſingulos admonerent, iam adeſſe tempus illud optatum, quo diaboli regnum deſtrui, Dei autem regnum inſtaurari oporteat. Vſus iſtius legationis & prædicationis fuit, vt ad eius aduentum omnes excitarentur, & ita concionum ſuarum, quas vltimas habuit, mortis item & reſurrectionis plures teſtes haberet. Quàmuis autem prædicatio iſtorum initiò non admodum fructuoſa fuiſſe videatur, ſuo tamen tempore fructum tulit non pœnitendum, quando poſt eius Aſcenſionem in cœlos plurimi crediderunt, quibus procul dubio tunc in mentẽ venit, quod prius ex ipſo Chriſto & eius diſcipulis audiuerant. Ideo ne ſe in caſſum laboraturos putarent, diſertè illos monuit, ſibi in gente illa quantùmuis corruptißima copioſam meſſem eſſe, defuiſſe autem hucuſque fidos operarios, qui homines ad ſe congregarent. Sequitur nunc diligentior inſtructio, quomodo ſeſe in itinere, in vrbibus & hoſpitijs gerere, quidque prædicare debeant.

De periculis admonet.

Initio tamen de periculis imminentibus admonet, ne ſibi tuta & læta omnia pollicendo ſecuri nimis & confidentiores fierent. Dicit igitur: Abite, ecce ego mitto vos vt agnos in medium luporũ. Agnis confert, quia inermes & omni præſidio deſtituti erant. Sacerdotes autem & eos, qui tunc rerum in Iudæa potiebantur, lupos dicit, partim propter rabiem, qua contra veritatis miniſtros ardebant, partim propter potentiam & vires, quibus ad nocendum erant inſtructi. Nam & præſidium

*Romanorùm authoritate muniti erant, & ab illis maior populi pars pendebat: vt plerunq; fieri ſolet,
vt ſtolida admiratione eos ſuſpiciat & colat rude vulgus, à quibus decipitur & ſpoliatur. Eſt au-
tem hæc ferè ſors piorùm omnium in hoc mùndo, vt tanquam agni inter lupos verſentur. Sunt enim
paſſim falſi antiſtites, qui ſub religionis ſpecie inquiſitionibus, delationibus, calumnijs & omni in-
ſidiarum generè ipſis negotium faciunt. Sunt præterea tyranni, qui horùm conſilijs ſeſe regi patiun-
tur, & in illorum gratiam nihil non audènt. Hinc ergo perſecutiones oriuntùr, in quibus pij vin-
cula, carceres, èxilia, mortès infames ſuſtinent, & (vt Paulus ex Pſalmo annotauit) non alio loco* Rom. 8.
*habentur quàm ouès, quæ ad mactationem deſtinatæ ſunt. Inter quæ pericula adeò vires & præſidia,
quibus ſeſe defendãt, nulla habent, vt qui prius ipſis amici erant, tales amplius videri nolint, ne pro-
pter eos in periculum, aut ſaltem in ſuſpitionem veniãt. Prodeſt autẽ de his ſæpe cogitare, quò mi-
nus offendamur, ſi quid huius accidit. Et ideo Chriſtus nunc ſeptuaginta illos de hac piorum ſorte
admonet, quàmuis in iſta profectione nihil aduerſum ipſos ſubituros ſciret. Nam in poſterũ illis pro
ſpicere voluit, ne eundem ſucceſſum perpetuũ fore putarent, ſed ad quæuis ferènda ſeſe præmunirent.*

Eſt autem probè obſeruandum, quòd etſi pericula prædicat, tamen ire iubet, & quidẽ vno ver- Etſi pericula
bo, ita nimirum omnem cunctandi aut tergiuerſandi occàſionem præripiens. Similia exempla alibi prædicat, tamẽ
quoq; habemus. Nam cùm Moſi & Aaroni legàtionem ad Pharaonem cõmitteret, ſimul prædicit, ire iubet.
ſe cor Regis induraturum eſſe, vt eos minime audiat. Quid verò illi ex eo aliud, quàm triſtiſſima Exod. 7.
*quæque poterant ſperare? Vult tamen, vt iniunctum ſibi munus exequantur, & prius Moſi illum
ſuccenſuiſſe legimus, cùm is illud detrectaret. Idem cum Ieremia factum eſſe ſcimus, aduerſus quem* Ierem. 1.
*Reges, principes, ſacerdotes, populum deniq; totum pugnaturos dicit, nihilominus tamen mandat, vt
quæcunq; ab ipſo in mandatis acceperit, conſtanter exequatur. Et quod hîc ſeptuaginta iſtis dicitur,
hoc ipſum apoſtolis quoq; dictum fuiſſe Matthæus ſcribit. Docent hæc neminem periculis aut labo-
rum difficultate terreri debere, vt Dei vocationem negligat. Cùm enim omnis vita laborum & pe-
riculorum plena ſit, quæ ſtultitia fuerit, pro Deo nihil ferre aut facere velle? Imprimis verò ignauos
iſtos hæc arguunt, qui neq; hominũ ſcelera, neq; ſuperſtitiones & errores liberius accuſant, & id fru-
ſtra fieri dicunt, cum nemo emendetur. Quaſi verò nihil nos facere conueniat, niſi de euentu certi ſi-
mus, & non potius Dei mandatum debeat reſpici, cui cum præſenti etiam vitæ periculo obedire opor
tet. Sed iſti plauſibilem prætextum quærunt, quo timiditatẽ & huius ſeculi ſtudium excuſent, cui ita
addicti ſunt, vt nihil dicendum aut faciendum eſſe putent, quo potentũ iram contra ſe prouocent. At
non meminerunt interea, quantò grauius ſit incidere in manum Dei viuentis, quàm hominum:*

Itaq; ne quid huius pij patiantur, hoc potius memori mente teneant, quòd qui in medium lupo- Deus oues in-
rum hoſce agnos ſuos emiſit, eoſdem mirificè defendit & ſeruauit, vt nihil aduerſi ipſis acciderit, ter lupos tue-
quemadmodum ex ipſorum ore ſuo loco audiemus. Quod ipſum multi alij experti ſunt, qui in operè tur.
*Domini fideles & ſtrenui fuerunt. Nam huc rurſus Moſes & Aaron pertinent, qui etſi illis cum
immaniſſimo tyranno & aperto Dei contemptore res eſſet, diuinitus tamen ſeruati ſunt, ne vel ille
ipſis manum inijceret, vel ab Ægyptiorum gente ob tot tamq; graues plagas acceptas trucidaren-
tur. Idem de prophetis poſſumus dicere, quorum aliqui ſub crudeliſſimis regibus & populo cõtumaci
& impio per annos triginta, aliqui quadraginta, quidã quinquaginta & amplius verbum Dei præ-
dicarunt. Senſerunt hanc Dei defenſionem Apoſtoli, qui licet Iudæorum principes ſimul & Roma-
nos Imperatores hoſtes haberent, non antea tamen occiſi ſunt, quàm curſum ſuum feliciter abſoluiſ-
ſent. Inter quos, ſi vel vnum Paulum diligentius conſideremus, non poterimus non mirari, illum in-
ter tot inſidias ſeruatum fuiſſe, ex vinculis & carceribus toties euaſiſſe, imò inter lapidum grandi-
nes non occubuiſſe, denique docendi libertatem habuiſſe Romæ, cùm illic ſub Nerone, omnis libidinis
& crudelitatis portento, captiuus ageret. Nec adhuc extincta eſt hæc Dei fides & potentia. Nam
hodie huius generis multa videmus fieri, quando & miniſtri tutò docent inter apertos hoſtes, & vr-
bes atque principes non admodum potentes ſeruantur contra potentiſſimos tyrannos, qui nouis quo-
tidie coniurationibus factis aduerſus illos extrema quæque moliuntur. Quid; quòd vt olim inter
Neronis domeſticos ſuas oues Chriſtus habuit, ita hodie in aulis Regum impijſſimorum tutò ſatis
degunt, & ſæpe in pretio ſunt, qui fidem orthodoxam non diffitentur? Fiunt iſta non ſine miraculo;
& proinde nos in iſtis Dei noſtri potentiam conſiderare, & inde conſolationem petere debemus; vt*

fortes & animoſiſſimus, ſi quid ex vocatione noſtra pro Dei gloria & publica ſalute audendum eſt.

Prudentia in periculis cauendis præcipitur.

Interim quod apud Matthæum, vbi idem Apoſtolis dicitur, Chriſtus admonet, omnes ſibi dictum putent: ne videlicet diuinæ protectionis fiducia in confidentiam degeneret, quæ ſecuros & temerarios reddat, ſed cum columbina ſimplicitate ſerpentinam prudentiam coniungant. Vt enim ſerpentes, quia ſe omnibus exoſos eſſe norunt, hominum conſpectum fugiunt, & in ſuis latebris ſeſe continent: ita cùm conſtet nos toti mundo inuiſos eſſe, & impios omnem nos circumueniendi occaſionem captare, quoad eius fieri poteſt, nobis ab hominibus huius ſeculi caueamus, conſilia eorum obſeruemus, non neceſſaria cum illis commercia vitemus, ne illi ex noſtra negligentia aut nimia facilitate nobis nocendi occaſionem arripiant.

De apparatu & viatico diſcipulorum.

Veniamus nunc ad ea, quæ diſcipulis hiſce in itinere obſeruanda fuerunt, vbi de duobus admonet. Primum de commeatu ſiue viatico & toto profectionis apparatu eſt. Ne portate (inquit) crumenam, neque peram, neq; calceamenta. Eadem præcipit quæ Apoſtolis proximo cap. mandauit, niſi quòd hîc calceamenta quoq; prohibet, quibus pro more illius regionis non omnes vtebantur. Fuerunt autem (vt tunc diximus) hæc præcepta partim temporaria, & huic modò profectioni accommodata, in qua propter feſtinationem, qua opus erat, expeditiſſimos eſſe oportebat: partim ſymbolica, quibus plus quiddam ſignificabatur. Elucet autem in hac tenuitate legatorum Chriſti, ipſius potentia, qui nihilominus illis proſpicere potuit, ne quid rerum neceſſariarum eis deeſſet: ſimulq; nos admonemur, ne in illo ſplendorem quæramus externum, neq; ipſius prouidentiæ diffidamus, etiamſi non ſtatim ad manum eſſe videamus, quibus nos putamus opus habere.

Ne quem in uia ſalutent. 2. Reg. 4.

Alterum eſt, ne quem in via ſalutent. Conuenit hoc cum eo, quod Elizæus famulo ſuo Giezi præcipit, cum eius opera in reſuſcitando Sunamitidis filio vti vellet. Accinge (inquit) lumbos tuos, & tolle baculum meum in manum tuam, & vade. Quòd ſi tibi quiſpiam obuius factus fuerit, ne ſalutaueris illum: & ſi quiſpiam te ſalutauerit, ne reſpondeas ei, & pone baculum meum ſuper faciem pueri, &c. Eſt autem præceptum hoc ſymbolicum, qualia in ſcripturis multa habentur. Nam neque Prophetæ neque Chriſti mens eſt, vt inciuiles & inhumani ſimus, qui minima quoque officia negligamus, quibus frequenter inter ignotos amicitia conciliatur. Sed ſumma feſtinatione opus eſſe docet, adeò vt inter eundum ne ſalute quidem aliquē impartiantur, neq; ſalutanti reſpondeant. Scimus enim ſæpe ex ſalutatione colloquijs prolixioribus occaſionem dari, quibus impediuntur & detinentur, qui aliquid grauioris negotij exequi debebant. Hanc ergo moræ cauſam Chriſtus illos vult abrumpere.

Nemo quocunque prætextu officium negligat.

Continet autem præceptum hoc generalem doctrinam, ne quis ſub aliquo prætextu, quantùmuis in ſpeciem pio & honeſto ea prætermittat, quæ ſui ſunt officij. Pium eſt parentes & cognatos amare & in neceſſitate conſtitutis ſuccurrere. At hîc ſimul Chriſtum audire debemus dicentem: Qui amauerit parentes, fratres, ſorores, vxorem & liberos plus quàm me, non eſt me dignus. Iuſtum & æquum eſt obedire magiſtratibus. Sed hic quoque Chriſtus audiatur, qui Cæſari ita reddere iubet quæ ſunt Cæſaris, vt quæ Dei ſunt huic etiam fideliter præſtemus. Quoties ergo magiſtratus mandat, quæ Dei præceptis contraria ſunt, cum Apoſtolis dicamus: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Similiter ijs, qui in magiſtratu ſunt, pauperes & afflictos imprimis à Deo commendatos eſſe ſcimus. At quando illi ad audiendum cauſas conſederunt, tunc ſibi ab eodem Deo dictum eſſe meminerint: Ne ornes pauperem in cauſa ſua: vt nimirum perſonæ eius reſpectu contra aduerſarium illius iniquam feras ſententiam. Ita inimicos quidem ex Chriſti præcepto diligere debemus, ſed (vt paulò ante monuimus) abſtinendum eſt ab eiuſmodi illorum commercijs, quibus & ipſi in malo confirmari, & nos corrumpi, vel etiam in periculum non neceſſarium incidere poſſumus. Et huius generis multa ſunt, quæ diligenter obſeruare oportet, ne ſub pietatis prætextu nobis ipſis delitias faciendo aliquid præter officium faciamus.

De hoſpitijs admonet.

Porro pergit Chriſtus, & de hoſpitijs quoque ſeptuaginta illos admonet, dicens: In quamcunque domum ingrediamini, primùm dicite: Pax huic domui, &c. Apud Matthæum Apoſtolos in ſua legatione inſtruens, vrbem aliquam ingreſſos iubet quærere, quis dignus ſit ad quem diuertant, & cui prædicent. At quia multi falſa pietatis ſpecie commendantur, hîc certo etiam indicio & argumento explorare docet, num quæ domus ad excipiendam doctrinam de regno Dei idonea ſit. Vt enim

conuerſationis

conuerſationis & conſuetudinis ratio diligens habenda eſt ijs, qui ad res magnas deſtinati ſunt, ne propter malorum conſortia bonis & honeſtis ſuſpecti fiant: ita verbum Dei & æternæ ſalutis myſteria non temere quibuſuis proijci debent, vt Chriſtus Matth. ſeptimo admonet. Hinc enim contemptus verbi naſcitur, qui tandem in illius authorem, Deum redũdat. Et impij illi, quos Chriſtus porcos & canes dicit, non contenti verbum ſpreuiſſe, aduerſus eius præcones quoque inſurgunt, qui tunc nulla graui & iuſta de cauſa in periculum veniunt. Rectè ergo Solomon monebat: Qui erudit illuſorem, reportat ſibi ignominiam: & qui impium corripit, maculam ſuam. Noli ergo illuſorem corripere, ne te oderit, redargue ſapientem, & amabit te. Hinc verò æſtimare licet, quàm præclarum ſit hoc Dei beneficium, quo verbum ſuum & per hoc voluntatis ſuæ cognitionem nobis reuelat, qua non omnibus frui datur. Debet ergo huius conſideratio nos ad gratitudinem & obedientiam voluntariam excitare.

Prouerb. 9.

Quo indicio boſpites explorari poßint

At quod nam illud indiciũ eſt, quo domus aut familias explorare debuerunt? Dicite (inquit) Pax huic domui. Fuit hæc Iudæis ex priſco more vulgaris & vſitata ſalutandi formula, vt pacem ſibi mutuò precarentur, ſed qua totam hominis felicitatem ſiue incolumitatem comprehendunt. At quia hîc nihil vulgare Chriſtus præcipit, plus quiddam innuitur. Nam cùm hi eius legati eſſent, qui nobis veræ pacis & reconciliationis cum Deo Patre author eſt, hanc pacem illi ab initio ſtatim, quàmprimum domum aliquam ingrediebantur, denuntiare debuerunt, ita vt domeſtici ſentire poſſent, illos nouæ ſalutis præcones eſſe. Ideo addit Dominus: Quòd ſi fuerit illic quiſpiam filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra, &c. Filium pacis dicit, qui doctrinam pacis, ipſum videlicet Euangelium non faſtidit, & quem Deus elegit, vt ad veræ pacis & ſalutis cognitionem vocetur. Si quis ergo (inquit) talis in aliqua domo fuerit, ille vos admittet, & quod illi verbis precamini, id reuera ei eueniet, vt nimirum pacis illius fructu fruatur. Ratum enim habet Deus quicquid miniſtri ſui ipſius nomine illis pollicentur, qui promiſsionibus eius fidem adhibent. Quòd ſi filius pacis in domo illa nullus, ſed omnes increduli & contumaces fuerint, pax veſtra (inquit) ad vos reuertetur. Senſus eſt: Nihil vobis peribit, vos veſtro functi eſtis officio, & illi quidem in ſua incredulitate peribunt, pacis autem denuntiatio vobis ſalua manebit, vt ea apud alios poßitis vti, qui eam dignè excipiant. Nec enim ab vllorum hominum dignitate pendet regnum Dei, & nihil ei decedit, etiamſi hi aut iſti illud non excipiant, &c. Sunt in his quædam ordine obſeruanda.

Euangelio pax prædicatur.

Primum, per Euangelium nobis pacem denunciari & offerri. Illo enim prædicatur Chriſtus, quem principem pacis Prophetæ vocant, non quidem pacis ſeculi huius, quæ incerta & fluxa, adhæc plerunq; maiorum turbarum cauſa eſt: ſed diuinæ, cœleſtis, veræ & perpetuæ, quæ in medijs etiam afflictionibus durat, & proinde omnem huius mundi intellectum ſuperat. Nam nos cum Deo reconciliat, cum quo nobis prius propter peccata non conueniebat. Hinc pax conſcientiæ naſcitur, quæ aduerſa quæque nobis non leuia modò, verumetiam læta & iucunda reddit. Fructus verò eius quoad hanc vitam, eſt, quòd homines inter ſe quoq; conciliat, & cauſa eſt, vt qui prius vel inimici erant, vel ſe mutuo non nouerant, per fidem ſub Chriſto Ieſu in vnum corpus coaleſcant. Itaq; tam priuata quàm publica hominum ſalus ex hac pace ſuam ducit originem. Patet igitur hoc loco cauſa turbarum & malorum omnium, quibus hoc ſeculo infelix mundus exercetur. Eſt hæc, quòd plerique principem & authorem pacis, Chriſtum ſuper ſe regnare nolunt: imò Euangelij præcones, per quos pacem nobis offert, ſeditioſos eſſe clamant, ſimiles planè ſeditioſorum, qui non contenti turbas mouiſſe, inſuper Regios legatos pacem & condonationem omnium delictorum offerentes, omni iniuriarum genere, vel etiam mortis ſupplicio afficiunt. Meritò igitur Deus pacis turbatores dat, qui bellis, ſeditionibus & inimicitijs totum orbem terrarum implent: & ita pax vtraque, humana & diuina amittitur. Neq; nouum hoc eſt, ſed exempla in Iudæis & gentibus præceſſerunt, quibus idem olim accidit. Simus ergo filij pacis, & ſalua nobis erunt omnia.

Propter unum filium pacis toti domui prædicandum.

Secundo loco obſeruabis, quòd propter vnum filium pacis diſcipulos in domo illa manere, toti familiæ regnum Dei prædicare & ſalutis ſpem certam facere iubet. Docemur hîc, Deum ſui fœderis gratiam non in vno patrefamiliâs ſiſtere, ſed ſimul ad liberos & domeſticos omnes extendere. Quod cum Abrahamo factum fuiſſe notius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Sic propter Zachæum toti domui ſalutem obtigiſſe, & illam Abrahami filiam factam fuiſſe Chriſtus teſtatur. Similia exempla

in Cornelio Centurione, Lydia purpuraria, carceris custode apud Philippenſes, & infinitis alijs hiſtoria ſacra nobis exhibet. Et hæc cauſa eſt, quòd Apoſtoli totas familias abſque mora baptizarũt, in quibus vera fidei profeſſionem apud adultiores locum habere videbant. Quorum exempla Nouatianos arguunt, qui ſua moroſitate multis authores fuêre, vt baptiſmum in horam mortis vſq; differrent, & ne hoc accepto iterum peccarent, decumbentes in lectu baptizabantur, vnde apud veteres Clinici dicti ſunt. Imitantur hos magna ex parte noſtri Anabaptiſtæ, homines ad hoc nati, vt & Eccleſias turbent, & imperitorum conſcientijs ſcrupulum injiciant. Simul autem admonet hic locus, quanto in honore habendi ſint viri boni & pij. Nam quod hîc de domibus & familijs dicitur, alibi totis regnis & ciuitatibus accidiſſe conſtat, vt paucorum, vel etiam vnius pietas & cum fide coniuncta prudentia illis ſalutem attulerit. Huc pertinet, quod de Ioſepho apud Ægyptios agente ſcribitur, de Ioſia item, quo viuente imminens Iudæis exitium Deus diſtulit. E contra paucorum impietas toti populo ſæpe exitialis eſt, niſi digna ſeueritate & iuſtis pœnis coerceantur.

Pacis prædicatio non perit, &c. *Poſtremò adhuc diligentius expendi debet, quod ait: Pax veſtra ad vos reuertetur. Oſtendit officium & laborem ipſis minimè periturum eſſe, quando habituri ſint quod alijs denuntient. Semper enim inueniuntur, qui Chriſtum ab alijs reiectum magno deſiderio & fide conſtanti apprehendunt. Hinc autem generalis doctrina petenda eſt, Non fruſtra eos laborare, qui etiam apud indignos & ingratos officio ſuo fideliter defunguntur. Nam beneficium ad illos redit, & ſi non aliud proficiunt, ſaltem apud Deum excuſati ſunt, qui remunerator eſt liberalis & fidelis. Et ad miniſtros quidem*

Ezech. 33. *pertinet, quod Ezechieli dicitur, ipſum ſuam animam liberaturum eſſe fideliter & disertè monendo impios, etiamſi illi non conuertantur. Idem verò ad ſe transferre debent omnes alij ordines. Magiſtratus eſt pietatem veram & vitæ honeſtatem prouehere, bonos tueri, malos dignis modis coercere. At dum officium facit, ſæpe obſtat populi contumacia & eorum perfidia, quorum miniſterio illum vti oportet: quod olim Dauidi, Ezechiæ, Ioſiæ & alijs pijſſimis principibus accidiſſe conſtat. Sed nihilominus pergere & cum omnium improbitate luctari conuenit, neque deerunt, qui fidem ipſorum agnoſcant, & Deus promiſſis præmijs illos minimè fraudabit. Pertinet item ad patresfamilias, quorum officium eſt liberos ſanctè inſtituere, petulantiam eorum frænare, domeſticos deniq; omnes ad pietatem & honeſtatem aſſuefacere. Sed licet illi ſanctiſſimi ſint, & officium ſedulò faciant, tanta tamen nonnunquam eſt liberorum contumacia, vt neque admonitionibus, neque correptionibus, & ne virgis quidem aut alia diſciplina ſeueriori flecti poſſit. Non autem ideo ceſſandum eſt, vt ſaltem ſuam fidem & induſtriam Deo approbent, qui illos digno honore olim remunerabitur. Quòd ſi verò negligentes fuerint, iam ipſis imputantur liberorum ſcelera, & cum his ipſi quoque mulctabuntur, cuius rei exemplum memorabile in Heli ſacerdote habemus. Eandem rationem ſecum ineant ſerui & ancillæ, quibus cum heris duris & inhumanis res eſt. Sint illi fideles, & ad ipſos redibit beneficij gratia, cui digna præmia Deus retribuet. Idem de illis poſſumus dicere, qui inimicos habent implacabiles & inſuperabili vindictæ cupiditate ardentes. Faciant modò ipſi charitatis officium, & apud Deum hæc gratia eis minimè peribit, alteri verò illi pœnas ſuo odio dignas ſubibunt. Denique horum conſideratio omnes excitet, vt in officio ſuo non fatigentur: Imprimis verò, vt Dei beneficium agnoſcant, qui ex filijs iræ filios pacis & gratiæ facere dignatur. Amplectamur ergo conſtanti fide Ieſum Chriſtum, qui huius pacis mediator eſt, & hunc oremus, vt in ea nos ſeruare, & tandem in æternæ pacis regnum transferre dignetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA XCVIII.

Manete autem in ea ipſa domo, edentes & bibentes quæ ab ipſis appoſita fuerint. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Ne tranſite è domo in domum. Sed & in quamcunq; vrbem ingreſsi fueritis, & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis. Et ſanate ægrotos, qui in ea fuerint, & dicite eis: Appropinquauit ad vos regnum Dei. In quamcunq; autem vrbem ingreſsi fueritis, & nõ exceperint vos,

egreſsi,

egreſsi in plateas eius dicite: Etiam puluerem, qui adhæſit nobis ex vrbe veſtra, vobis abſtergimus: tamen hoc ſcitote, appropinquaſſe ad vos regnum Dei. Dico autem vobis, quòd Sodomis tolerabilius erit in die illo, quàm vrbi illi.

QVoniam hominum ſalus potiſſimum in hoc verſatur, vt verbum Dei diligenter audiant, & quam is per hoc nobis offert gratiam vera fide amplectantur, Chriſtus Ieſus diſcipulos ſuos, quos huic prædicationi deſtinauit, non ſine grauibus cauſis tanta diligentia inſtituit. Nec enim ſimpliciter docet quid faciant, verumetiam officium ſuum illis commendat, vt intelligant, nihil tam honeſtum, tam neceſſarium denique eſſe, cuius prætextu illud negligere debeant. Huc enim pertinet, quòd non vult de commeatu aut viatico ſolicitos eſſe: quòd item prohibet, ne quem inter eundum ſalutent: præterea quòd diſertè docet, illos operam ſuam minimè luſuros eſſe, etiamſi in indignos & contumaces incidant, qui verbum pacis audire dedignentur. His nunc alia ſubijcit, quæ ad ipſorum inſtitutionem pertinent.

De victu miniſtrorum verbi.

Primum inter hæc eſt, victus parandi ratio, de qua ipſos expreſſe admoneri opus erat, cùm abſque commeatu & abſque pecunijs emitterentur. Poterant enim dicere: Quid edemus? aut quis victum nobis ſuppeditabit, ſi nudi & vacui veniamus? Num in obuia quæque manus inijciemus, & inuitis aut inſcijs dominis aliena vſurpabimus? Occurrit ergo Chriſtus & dicit: Manete autem in ea ipſa domo, edentes & bibentes quæ ab ipſis appoſita fuerint. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Et mox, vt melius inculcet hoc, quod non parui momenti erat, idem repetens addit: Sed & in quamcunque vrbem ingreſsi fueritis, & exceperint vos, edite quæ apponuntur vobis. Quibus verbis duo docet. Primum, non defuturum victum in hoc officio verſantibus. Eos enim qui ipſos excipiunt & filij pacis ſunt, libenter ſua cum illis communicaturos eſſe. Nec dubium eſt, quin hoc faciant, qui Euangelij prædicationem & quæ per hanc nobis offeruntur bona dignè æſtimant. Simul autem ſcrupulum illis eximit, ne ſe peccare putent, ſi ab auditoribus victum accipiant. Et ideo illis applicat generalem regulam, ex naturæ legibus petitam: Dignus eſt operarius mercede ſua. Rurſus verò operarios dicit, vt omnes verbi adminiſtri intelligant, Chriſtum non pigros & otioſos ventres inſtituiſſe, ſed qui in Eccleſia, quæ aruum & vinea Dei eſt, operi ſtrenuè incumbant.

Mercedes miniſtrorum.

Stabiliuntur igitur hoc loco ipſius Chriſti authoritate ſtipendia adminiſtrorum verbi Dei. Mercedis enim nomine omnia intelliguntur, quæ ad vitæ huius vſum neceſſaria ſunt. Æquum enim eſt, vt qui omnibus alijs negotijs relictis, ſoli Eccleſiæ ſe totum impendit, ab eadem accipiat victum, amictum & alia, ſine quibus viui non poteſt. Docet hoc Paulus multis in locis. Nam ad Galatas ſcribit: Communicet qui inſtituitur in ſermone, ei qui ſe inſtituit, omnia bona. Et in priori ad Timotheum: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt (vbi honoris nomine etiam vitæ ſubſidia & quæuis erga illos officia comprehenduntur) maximè ij qui laborant in ſermone & doctrina. Imprimis autem in priori ad Corinth. nono capite, contra maleuolos & iniquos miniſterij eccleſiaſtici æſtimatores hanc cauſam diligentiſſimè tractat, multis argumentis adductis, quibus probat, vt ex verbi prædicatione viuant, qui ſe totos illi conſecrarunt. Primò enim ſimilibus vtitur huic negotio mirè congruentibus. Quis (inquit) militat proprijs ſtipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit? Quaſi diceret: Qui militiam ſequuntur, à ſuis imperatoribus ſtipendia accipiunt, quibus viuant. Cur ergo non idem verbi miniſtris concedatur, qui perpetuò pro Eccleſia in armis ſunt contra Satanam, peccatum, mundum & alia, quæ humanæ ſaluti officiunt? Præterea cùm æquiſſimum ſit, vt vinitores ex ſuis vineis, paſtores ex ſuo grege victum recipiant, annon ſimiliter ex ſuis laboribus viuere debent, qui vineam Domini excolunt, & eius gregem paſcunt? Deinde ne humanis rationibus in cauſa diuina vti videretur, legem Dei eadem docentem allegat: Num ſecùndum hominem hæc dico? nonne etiam Lex hæc dicit? Nam in Moſis lege ſcriptum eſt, Non obligabis os boui trituranti. Num boues curæ ſunt Deo? vt nimirum propter hos leges ferre velit? Vel num propter nos hoc omnino dicit? Propter nos enim hoc ſcriptum eſt. Et mox alia ſimilia ex naturæ legibus & communi more deſumpta adducens addit: Nam ſub ſpe debet is qui arat, arare, & qui triturat ſub ſpe,

Galat. 6.

1. Tim. 5.

ſpei ſuæ particeps eſſe. Quæ ſimilia huc pertinent, quia verbi præcones Eccleſiæ ſeruiunt, quæ aruum & area Dei eſt. Tertiò collationem facit bonorum, quæ vtrinque dantur & recipiuntur, vt inde colligat, nihil iniquum hîc exigi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum ne eſt, ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus? Oſtendit illos in lucro eſſe, eò quòd pro bonis temporarijs, quæ doctoribus ſuis in vitæ ſubſidium largiantur, æterna recipiant & cæleſtia. Et tandem Veteris & Noui teſtamenti comparatione facta, eandem vtrique, quoad miniſtrorum ſtipendia, rationem eſſe docet. An neſcitis (inquit) quòd qui ſacris operantur, quæ ex ſacrario ſunt edunt? qui altari aſſident, cum altari participant? Ita & Dominus conſtituit ijs, qui Euangelium annuntiant, vt ex Euangelio viuant. Id verò dicit propter ea, quæ hîc & duodecim apoſtolis apud Matthæum à Chriſto dicta eſſe ſciebat. Et hæc quidem fieri debuerunt eo tempore, quo Eccleſiæ hinc inde diſperſæ, opes publicas nullas habebant, niſi quæ ab ipſis fidelibus contribuebantur. Hodie multò tolerabilior eſt ratio, quando principum & maiorum noſtrorum liberalitate Eccleſiæ ditatæ redditus habent annuos, ex quibus & miniſtros ſuos alere, & alijs neceſſitatibus proſpicere poſſunt. At ſimul hoc multorum ingratitudinem arguit, qui cùm ipſi nihil dent, nec quiſquam ab illis aliquid poſtulet, ea tamen miniſtris inuident, quæ olim à pijs & ſanctis viris ſunt donata. At non debet horum malignitas illis aliquem ſcrupulum inijcere, quò minus iure ſuo, quod illis Chriſtus fecit, vtantur: curent modò, vt in commiſſo ſibi munere ſeduli ſint, neque eos imitentur, qui maximos Eccleſiarum redditus intercipiunt, illis autem nulla prorſus in re ſeruiunt.

Miniſtros temperantia & modeſtia decet. *Alterũ quod hîc Chriſtus agit, eſt, quòd modeſtiæ & temperantiæ diſcipulos admonet, quando iubet, vt quæ apponuntur edant & bibant, non autẽ vt ipſi nouas lautitias petant, aut moroſi ea faſtidiant, quibus alij contenti viuunt. Eſt hoc vitium intolerabile illis, qui ſpontanea liberalitate hominibus peregrinis benefacere ſtudent: turpiſſimum autem eſt in verbi adminiſtris, qui alijs continentiæ, frugalitatis & temperantiæ magiſtri eſſe debent. At ſimul admonentur hîc omnes Eccleſiarum miniſtri, vt ipſi quoq; non immodicas opes, nõ delitias ſuperfluas, non faſtum & ſplendorẽ externum quærant, ſed ijs contenti ſint, quæ ad huius vitæ neceſſitatẽ faciunt, & quæ dare poſſunt, ij quibus verbum prædicant. Peccatur in hoc vehementer à nonnullis, quibus nihil ſatis eſt, quòd vel inſatiabili auaritia laborant, vel intemperantius viuunt quàm homines Chriſtianos, nedũ verbi Dei adminiſtros deceat. Quæ cauſa eſt, vt Eccleſijs intolerabiles fiant, et pleruną pinguiori ſtipendio oblato illas deſerant non ſine ſcandalo. Sunt hi ex mercenariorũ numero, de quibus Chriſtus Ioan. 10. diſſerit, & ſæpe in canes mutos degenerant, dum ad publica ſcelera conniuent, & quibuſuis ſeruiliter blandiuntur, à quibus ſtipendij auctionem ſperare poſſunt. At meminerint quæſo illi, quàm immane ſcelus ſit diuinum illud miniſterium, quo nihil inter homines ſanctius & ſalutarius eſt propter quæſtum aut ventrem hominibus prophanis proſtituere.*

Operarius dignus mercede ſua. *Eſt præterea omnibus, cuiuſcunq; loci aut ordinis ſint, diligenter obſeruanda ſententia hæc, quam ex lege naturæ deſumptam eſſe diximus, operarium ſua mercede dignũ eſſe. Nemo igitur mercede ſua fraudari debet. Quod vt erga omnes tenere decet, quorũ opera & miniſterio vtimur, ita maximè erga eos, qui manuum ſuarum labore in diem viuunt. Extat de hoc lex Dei: Opus mercenarij*
Leuit. 19. *ne pernoctet apud te vſq; mane. Et Moſes peccatum hoc inter clamantia numerat, quæ omniũ atro-*
Deut. 24. *ciſſima habentur. Nam in Deuteron. ſic ſcribit: Ne neges aut vi retineas mercenario pauperi & inopi, ſiue ſit de fratribus tuis, ſiue de peregrinis tuis, qui ſunt in terra tua atq; intra portas tuas: die ſuo dabis ei mercedem ſuam, neq; Sol occidas ſuper eum: quoniã pauper eſt, & ad illam attollit ani-*
Eccli. 34. *mum ſuum: ne contra te ad Dominum clamet, & cedat tibi in peccatum. Et Sapiens ille Sirachides grauiter admodum pronuntiat: Quem quis victu priuat, eum interficit: & qui mercedem ſubtrahit*
Malac. 3. *mercenario, effundit ſanguinem. Sed & apud Malachiam Chriſtus ipſe inter eos, quos ex Eccleſia ſua electurus ſit, illos quoq; numerat, qui mercenarij mercedẽ ſupprimunt. Si enim peccant, qui egenti non ſubueniũt, quàm graue ſit oportet illorũ ſcelus, qui illius ſimul opera & labore gratis abutuntur?*
Iacob. 5. *Ideo Iacobus Apoſtolus horribile Dei iudiciũ iniuſtis diuitibus denuntians, inter alia inquit: Ecce merces operariorũ, qui meſſuerũt regiones veſtras, quæ fraude nõ reddita eſt à vobis, clamat: & clamores eorũ, qui meſſuerant, in aures Dñi Sabaoth introierunt. Quid verò de illis dicemus, qui aliorũ parta laboribus violenter diripiũt, qui hodie multis quæſtus vt vberrimus, ita honeſtiſſimus iudicatur? Sed quia hæc nõ ſunt huius loci, ad ea quæ in Chriſti verbis ſequuntur pergamus.* Hîc

Temeraria hoſpitij mutationes prohibentur.

Hîc non modò poteſtatem facit edendi & bibendi apud auditores, ſimulque temperantiam præcipit, verumetiam prohibet, ne temere mutent hoſpitia, quæ ſemel ſubierint. Ne tranſite (inquit) è domo in domum. Seruiebat quidem etiam hoc feſtinationi (vt Cap. nono diximus) ſed ſimul vagas & curioſas diſcurſiones vetat, quæ peregrinos ſæpe ſuſpectos & inuiſos reddunt. Vult item, ne pluribus moleſti ſint, aut ex leuitate, aut alio affectu prauo ſibi alia hoſpitia quærant. Id enim fieri non poteſt abſque prioris hoſpitis contumelia, qui bonis ſuſpectus redditur, quaſi ſua inhumanitate aut ſorditie abire coegerit eos quos ſemel ſuſceperat: deinde animos leues, delicatulos & quibus nihil ſufficiat, arguit. Quid verò ad hoc Domini præceptum reſpondebunt fratres mendicantes, qui vicatim & oſtiatim per totas vrbes & pagos diſcurrunt, ſaccos ſuos & caniſtra omni lautiſſimorum ferculorum genere farciunt? Volunt hi quidem Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti imitatores videri, cùm neque Euangelium prædicent, neque alijs Chriſti præceptis inſiſtant. At ſimul hoc præceptum nos admonet, ciuilitatis & honeſtatis publicæ rationem habendam eſſe hominibus Chriſtianis, ne aliquo facto indecentiori Euangelij doctrinam ſuſpectam aut inuiſam reddant. Docet hoc Paulus quoque, quando iubet, vt alij alios honore præueniant. Minimè ergo audiendi ſunt barbari illi, qui tunc demum ſe euangelicos & verè Chriſtianos eſſe putant, ſi abſq; omni perſonarum reſpectu ruſticè & inciuiliter agant omnia: quaſi verò religio ciuilitati morum aduerſetur, & ex hominibus canes Diogenianos efficiat. Quantò magis autẽ cauendum, ne apertis ſceleribus Euangelij profeſſionem diffamemus?

Status legationis diſcipulorũ.

Poſtquam verò Dominus diſcipulos præceptis ad victus rationem & mores pertinentibus inſtruxit, nunc legationis huius ſtatum exponit, & quid ſuo nomine prædicare debeant, docet his verbis: Sanate ægrotos, qui in ea vrbe fuerint, & dicite eis: Appropinquauit ad vos regnum Dei. Duo mandat, ſed prius inter hæc eſt, quod hîc ordine poſterius ponitur, Annunciatio nimirum regni Dei. Conſtat enim miracula propter doctrinam & prædicationem fieri, vt eam confirment: & ſi quando illam præcedunt, id non alia ratione fit, quàm vt homines ad doctrinam audiendam excitentur. Sed ſingula videamus.

Euangelio prædicatur regnũ Dei.

Primò quid prædicare debuerunt? Regnum Dei, quòd nimirum hoc iam appropinquauerit. Ita verò nominat totum redemptionis noſtræ negotium, quod euangelicæ prædicationis argumentum eſt. Appropinquaſſe autem dicit, quia iam impletum erat præfinitum illud tempus, de quo Prophetæ, & inter hos Daniel imprimis fuerant vaticinati. Et dicitur regnum Dei totum hoc negòtium euangelicũ, quia rationem oſtendit, vt in nobis Deus regnet, & nos olim regni eius cæleſtis participes efficiamur. Nam vt aliâs diximus, prius regnum in mundo hoc toto obtinebat Satan per peccatũ, & regni eius finis erat totius hominis perditio. At Chriſtus à Patre miſſus opera eius deſtruxit, regnum euertit, & nos in libertatem aſſeruit, denique Deo Patri ſuo nos Reges & Sacerdotes fecit, vt in Apocal. ſcribitur. Quæ cùm alibi fuſius tractata ſint, nunc conſultò breuitati ſtudemus. Patet autem ex his, finem euangelicæ prædicationis eſſe, vt homines intelligant, regnum Dei iam inſtauratum eſſe, & proinde ſe totos huic conſecrent per fidei obedientiam. Quod vt fiat, omnibus obſtare debent miniſtri Eccleſiarum, quæ homines impedire aut auocare poſſunt, quò minus Deum in ſe regnare patiantur. Sunt inter hæc præcipua ferè falſa doctrina, ſuperſtitio, idololatria, ſcelerum licentia, ſecuritas nimia, & quæ alia ſunt huius generis. Hæc olim oppugnarunt omni ſtudio Prophetæ, & ad hæc demolienda Noui teſtamenti miniſtros armis ſpiritualibus à Deo inſtructos eſſe ſcribit Apoſtolus. Qui ergo hodie obſtant, quò minus iſta accuſentur & confutentur, ij Chriſti mandato reſiſtũt, quod impune non ferent.

Miracula Euangelij teſtimonia.

Secundò doctrinæ miracula coniungit, non vana & ad oſtentationem compoſita, ſed ſalutaria & quæ prædicationi reſpondeant. Iubet enim ſanare ægrotos aut infirmos. At conſtat morbos vnà cum morte ex peccato originem habere, & propter hoc homines Satanæ tradi, qui morbis homines affligat. Ideo alibi eos ſcripturæ flagella vocant, & ſpiritum infirmitatis habere dicuntur, qui morbis grauioribus laborant. Quando igitur Apoſtoli & Septuaginta iſti morbos in ſolo Chriſti nomine profligabant, ſatis teſtatum fiebat, tempus ſalutis adeſſe, quo peccatum expiari & diabolo vires ſuas frangi oporteat. Et hic verus miraculorum vſus eſt, non quem homines ſuperſtitioſi fingunt, qui ex ijs occaſionẽ ſumunt, vt relicto Chriſto Diuos colant & inuocent, quos aliquando miraculis claruiſſe.

audiunt. Et ſimul arguuntur hîc, qui hodie miracula requirũt, quibus minimè opus eſt, cùm veteribus illis Chriſtiana fides & religio abunde confirmata ſit. Elucet præterea hoc loco diuina Chriſti potentia, qui virtutem edendi miracula vera & ſalutaria quæ ipſi propria eſt, ſolo nutu & voluntatis ſuæ declaratione ſuis ſeruis poteſt largiri, & ſimul ijs ad ſuam gloriam vti, quæ propter peccatum inualuerunt, & noſtræ perditionis præludia quædam cenſeri poterant: qualia ſunt morbi, dæmonum vexationes, deniq́ ipſa mors. In his enim & ſimilibus profligandis maximè oſtendit, ſibi omnem poteſtatem datam eſſe in cælo & in terra. Eſt ergo reuera humani generis ſeruator, ad quem vnum confugere, & in omni neceſſitate ab illo opem & auxilium poſtulare debemus.

Quid agendum cum nolentibus audire.

Cæterùm poterant diſcipuli iſti propter tam lætum nuntium tamq́ ſalutaria miracula ſibi omnia læta polliceri, quòd nimirum ipſos omnes obuijs (quod aiunt) vlnis excepturi eſſent, & ipſos in ſummo pretio & honore habituri. Ne ergo ſpe vana ſeſe lactantes poſtea multorum contumacia offenderentur, oſtendit plures fore, qui ipſos excludant & audire dedignentur, ſimulq́ docet, quid cum talibus ſit agendum. Verba eius hæc ſunt: In quamcunq́ autem vrbem ingreſſi fueritis, & non exceperint vos, egreſſi in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæſit nobis ex vrbe veſtra, vobis abſtergimus: tamen hoc ſcitote, appropinquaviſſe ad vos regnum Dei. Primò in publicas vrbis plateas exire iubet, vt qui nihil diſſimulanter aut meticulosè agere debeant. Deinde puluerem excutiant contra ipſos in teſtimonium. Hoc enim innuit publica proteſtatio, qua vti iubentur, cuius ſenſus eſt: Nos vobis regnum Dei & ſalutem veram in foribus adeſſe nuntiamus, & vos ad hanc excipiendam hortamur. At vos nuntium hoc faſtiditis, & nos procul abire cupitis. Atqui non multo negotio opus eſt. Sponte enim diſcedimus, & vt vos noſtrum diſceſſum optatis, ita nos viciſſim veſtram vrbem tanto ſtudio deuitandam eſſe iudicamus, vt ne puluerem quidem, qui nobis adhæſit, nobiſcum efferre libeat. Eum ergo vobis abſtergimus, vt hoc etiam ſoli fruamini. Interim hic ipſe aliquando contra vos teſtabitur, quòd Deus regnum ſuum vobis obtulerit, vos autem eius præcones reieceritis, & proinde quouis ſupplicio digni ſitis. Fuit autem (vt aliâs monuimus) pulueris excuſſio Chria tunc vſitata inter Iudæos. Vt enim veſtium ſciſſione teſtabantur quàm abhorrerent à blaſphemijs, quibus Dei honor violatur: ita pulueris excuſſione ſceleratis denuntiabant, eos homines eſſe execrabiles, & bonis omnibus fugiendos, adeò vt ne pulueri quidem ipſorum communicare debeat. Fuit ergo proteſtatio eiuſmodi cum publica ignominia totius vrbis, in qua fiebat, coniuncta, & proinde ea vti periculoſiſſimum fuit. Et quàm indignè hanc ignominiam Iudæi ferre ſoliti fuerint, exemplum eorum docet, qui Corinthi poſt pulueris abſterſionem à Paulo factam, maiori rabie in illum inſurrexerunt. Vnde colligimus, quàm forti zelo armatos eſſe conueniat Chriſti miniſtros, vt in aſſerẽda gloria Dei & Veritatis doctrina neq́ hominũ reſpectu vllo, neq́ proprio periculo terreãtur. Hîc tamẽ multa cautione opus eſſe monuimus, ne qui ordinarij & certi Eccleſiarũ paſtores ſunt, ſibi idem permiſſum putent, quod hic diſcipulis & alibi Apoſtolis mandatur. Hi enim non vni loco affixi erant, ſed Chriſti teſtimonium longè lateq́ debebant circumferre. Non licebat ergo illis diutius cum impijs altercando moras nectere inutiles. Deinde ab illis modò diſcedendum fuit, quorum deplorata contumacia & incredulitas iam ſatis perſpecta erat: & ideo rariſſimè Apoſtolos hac ſeueritate vſos eſſe legimus. Ergo κακοζηλίᾳ peccant paſtores nonnulli, qui vt primùm non omnes ipſorum monitis obediunt, ſibi ius eſſe arbitrantur diſcedendi ab Eccleſijs, etiamſi plurimi ſint, qui vt germanæ oues vocem Chriſti audiunt, & ipſos pro ſuis paſtoribus agnoſcunt. Sunt hi diſſipationis Eccleſiarum authores, & olim pœnas dabunt Domino: imò plerunq́ ſeipſos in pericula & caſus difficiliores conijciunt. Quòd ſi verò omnino diſcedendum eſt, vt cùm qui oues videbantur in hircos degenerant, vel propter alicuius miniſtri præſentiam Eccleſia tota periclitatur, quæ illo digreſſo tutius agere poterit, tunc hanc quidem ita relinquere oportet, vt inuitos & non ſine acerbo animi dolore abire omnibus conſtet, ſimulq́ quoad eius fieri poteſt, curare, vt alius fidus & idoneus ſuccedat: erga illos verò fiducia & conſtantia atq́ publica proteſtatione vti conuenit, qua & Dei gloria aſſeratur, & qui curabiles ſunt aliquando de ſalute ſua cogitandi occaſionem habeant, contumacium verò & incurabilium animis ſtimulus inijciatur, qui vbi Dei iudicium ſupra illos venerit, eius iuſtitiæ intra conſcientias ipſorum teſtimonium ferat. Sed plura de his alibi diximus, quæ omnia nunc repetere ſuperuacaneum foret.

Porro

Porro ne quis pulueris excuſsionem vt rem ridiculam contemneres, quando eam ab hominibus exteris & vagis, qui nulla vel priuata vel publica authoritate commendabantur, fieri videbas, grauiſsimam pœnæ comminationem infert, quam ab exemplo amplificat, dicens: Dico autem vobis, quòd Sodomis tolerabilius erit in illo die (nouiſsimi nimirum iudicij (vt in Matthæo ipſe interpretatur) quàm vrbi illi. (Pœna contemptorum Euangelij.) *Sodomæorum hiſtoria in Geneſi deſcribitur, vbi dicuntur homines peſsimi & peccatores coram Domino fuiſſe, adeò vt illorum clamor ad Dominum aſcenderit.* (Gen. 13. 18. 19. Ezech. 16.) *Peccata autem eorum Ezechiel definit, faſtum, abundantiam panis, felicitatem, otium, quòd item manũ pauperis & egeni non firmauerint, ſed his donis abuſi ſint pro ſua libidine, atq; abominanda patrauerint coram Domino, horrendum videlicet & Chriſtianis auribus indignum maſculæ Veneris ſcelus intelligens, cuius nimis turpe ſpecimen nocte, quæ ipſis vltima fuit, dederunt, cum Lothi domum obſidentes, hoſpites eius Angelos ad nefariam hanc libidinem ſibi dari poſtularent. Propter quæ ſcelera ſub ortum Solis nouo & inaudito exemplo per ignem & ſulphur cælitus demiſſum vnà cum vicinis vrbibus & tota regione exuſti ſunt, & in locum terræ, quæ inſtar paradiſi prius fuerat, lacus bitumine & ſulphure redolens ſucceſsit, qui (vt prophani quoq; ſcriptores tradunt) de eius loci hominum ſceleribus ſimul & ſupplicio teſtaretur. Ideo prophetæ quoties horrenda flagitia populi accuſant, & his pœnas non vulgares minantur, huius exempli meminiſſe ſolent, vt Iſaias contra Babylonios, quos truces Eccleſiæ diſsipatores fore in ſpiritu præuidebat: Ieremias contra Idumæos: Sophonias cõtra Moabitas & Ammonitas, infeſtiſsimas populi Dei gentes.* (Iſa. 13. Ierem. 49. Soph. 2.) *Imò ijdem quoties contra Iudæorum ſcelera altius inſurgunt, exemplum idem allegant. Sunt autem hæc in eum finem obſeruanda, vt diſcamus inter peccata nullum contemptu verbi atrocius eſſe, quod facilè patebit, ſi Sodomæorum ſcelera conſideres, quibus tamen Chriſtus mitius & tolerabilius iudicium, quàm Verbi ſui contemptoribus denunciat. At quia collationem hanc in Marco noſtro fecimus, eandem hîc nolumus repetere. Diſcant nũc omnes & imprimis qui in magiſtratu ſunt, reipub. incolumitatem & pacem in eo conſiſtere, vt Verbum pacis admittatur, quod alibi Sceptrũ Meſsiæ dicitur. Eſt ergo hoc incomparabile Dei beneficiũ, quòd cùm Sodomæorum ſcelera hodie regnent, pœnas tamen ille differt, & interim ſuam gratiam & pacem nobis offerre dignatur. Itaq; quàm chara nobis eſt ſalus cum priuata tum publica, nunciũ pacis admittamus, vt & diras pœnas euitemus, quæ illius cõtemptoribus parata ſunt, & in Chriſto Ieſu ſalutem veram conſequamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.*

HOMILIA XCIX.

Væ tibi Chorazim, væ tibi Bethſaida: nam ſi in Tyro & Sidone ęditæ fuiſſent virtutes, quæ æditæ ſunt apud vos, olim cum ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent. Veruntamẽ Tyro & Sidoni tolerabilius erit in iudicio, quàm vobis. Et tu Capernaũ, quæ vſq; ad cœlum ſublata es, vſq; ad inferos deprimêris. Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit: qui verò me reijcit, reijcit eum, qui miſit me.

POſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos in prædicandi munere diligenter inſtituit, poſtremò grauiſsimam tulit in doctrinæ ipſorum contemptores ſententiam. Docet ea nullum peccatum grauius eſſe, quàm cùm Euangeliũ contemnitur, eò quòd in hoc cum multis alijs ſceleribus contemptus gratiæ Dei, quam is nobis per Euangelium in Filio ſuo offert, concurrit, qui homines omnino inexcuſabiles reddit. Deinde admonemur, rerumpub. ſalutem maximè in hoc conſiſtere, vt doctrinæ de Chriſto & per hunc facta humani generis redemptione locũ dent, & vt huic ſeſe omnes per fidei obedientiam ſubijciant. Cæterùm ne hæc inania verba viderentur, ſententiam hanc nunc exemplis vrbium Galilææ confirmat, quibus hucuſq; ſine fructu prædicarat, & ideo illis horrendum illud Væ denuntiat, quo omnes tã huius quàm futuri ſeculi pœnæ comprehenduntur. Eſtq; hæc actio Chriſti admiratione & conſideratione digniſsima, eò quòd is diris deuoues totas ciuitates, qui ideo in mundum venerat, vt nobis benedictionem & ſalutem afferret. Sed occaſionem illi præbuit præſens hæc diſcipulorum ad Iudææ vrbes ablegatio. Inter hanc enim animo voluens illarum ciuitatum contumaciam & ingratitudinem, in quibus tam diu docendo nihil profecerat, ab ijs diſcedens nunquã re-

diturus, illis vt digna erant valedicit, vt nimirum loco benedictionis maledictionem relinquat. Eſt ergo hoc exemplum imprimis horrendum, quo docemur, Chriſtum ſi ab aliquibus per incredulitatem pellitur, ſimul ſuam ab illis gratiam & benedictionem auferre, relinquere autem maledictionem, quam æternum exitium comitatur. Quod vtinam cogitarent diligentius, qui diſciplinæ Chriſtianæ tædio, vel odio potius, moti, felicitatẽ ſummam ſibi ex eo pollicentur, ſi Euangelij prædicationem abs ſe repellere poßint. Simul autem Chriſtus hîc ſuo exemplo confirmat præceptum de pulueris excußione, & Verbi ſui adminiſtros docet, vt conſtanti animo contra incurabiles quoq; luctentur, neq; ab illis diſcedãt abſq; diſerta iudicij diuini denuntiatione, quod ſubituri ſint, ſi tales eſſe pergant. Sed ſingulas huius loci partes videamus.

Corazin & Bethſaida. *Primò duas vrbes coniungit, dicens: Væ tibi Corazin, væ tibi Bethſaida, &c. Vtraq; ad lacum Tiberiadis, qui & Genezareth dicitur, ſita fuit, quẽ tractum ante alia Iudææ & Galilææ loca Chriſti prædicatione illuſtratum fuiſſe, ex Matthæi 4. Cap. colligitur. Fuit etiam Bethſaida Ioannis & Iacobi patria, qui inter Apoſtolos non poſtremi fuerunt. Vtriq; tamen vrbi, quaſi veteris conſuetudinis & in eas collatorum beneficiorum oblitus, Væ illud dirum imprecatur. Cauſa huius execrationis eſt, quòd hucuſq; non reſipuerint ad ipſius miracula & prædicationem. Et ne quid poßint prætexere, addit: Nam ſi in Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes, quæ editæ ſunt apud vos, olim cum*

Tyrus & Sidõ. *ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent. Fuerunt autem Tyrus & Sidõ ciuitates extra Iudææ fines, in quibus idololatria & ſuperſtitiones regnabant, propter ſitũ verò nobilißima emporijs, adhæc colonijs quoq;, quas in omnes prope orbis habitati partes deduxerunt, vt prophani etiã ſcriptores teſtantur. Sed vt fieri ſolet, cõmercia cum omnibus gentibus diuitias immoditas, hæ verò luxum, faſtum & turpißimã omnis diſciplinæ morumq; corruptelam pepererunt. Sæpe ergo punitæ ſunt à Domino. Et Tyri quidem per Nabuchodonozorem expugnati Ezechiel meminit, quo tempore Sidonẽ quoq; extrema paſſam fuiſſe non eſt dubium. Inſtauratæ tamẽ ad priſtinos mores redierunt, quare rurſus manum ſuam Deus ad percutiendum extendit. Itaq; Sidon cùm à Perſis defectionẽ feciſſet, & Ægyptios cum alijs multis in ſocietatem pellexiſſet, ab Artaxerxe Ocho per proditionem capta eſt. Quod vbi ciues animaduerterunt, incenſis domibus vniuerſis, ſimul omnes cum vxoribus & liberis horribiliter perierunt, ne in hoſtium poteſtatem venirent. Inde poſt ſedecim annos Alexander Magnus contra Perſas bellum gerens Tyrum poſt longam obſidionem cæpit, in cuius expugnatione octo millia ciuium crudeliter cæſa, triginta autẽ millia in ſeruitutem vendita ſunt. Veruntamen tanta fuit loci & ſitus commoditas, vt rurſus extrui & habitari cœperint, eadem verò cõmoditas cum diuitijs priſtinos quoq; mores reduxit, quos non ante reliquerunt, quàm irreparabili excidio deletæ ſunt. Cum his confert duarum ciuitatum, Corazim & Bethſaidæ habitatores, vt eorum contumaciam & ingratitudinem magis amplificet, & ſimul Iudæos omnes acrius pungat, qui ſe ſolos gentem ſanctam eſſe gloriabantur, reliquas autem omnes præ ſe contemnebant, cùm ipſi interim ijſdem, quibus prophanæ gentes, moribus viuerent, imò his multò eſſent deteriores. Fuit igitur hoc durum & graue auditu, eos qui in Dei peculio cenſebantur, infra gentes idololatras à cognitione veri Dei alienas & publicis ſceleribus infames, deprimi. Non tacet tamen Dominus, quia illi ſic merebantur, & iam tempus inſtabat, vt Iudæis reiectis gentes in eorum locum adoptarentur. Imprimis autem virtutum, id eſt, miraculorum, in quibus diuina Chriſti virtus elucebat, meminit, vt plus quàm ſtupidam incredulitatem illis exprobret, quæ ne ſignis quidem expugnari potuerit, quibus ij quoq; mouentur, qui à religione alienißimi ſunt, & quibus milites aliquot in Chriſti cognitionem excitatos fuiſſe ſcimus.*

Cur non Tyri aut Sidonis Chriſtus docuerit? *Vbi non eſt, quòd cum curioſis quibuſdam & prophanis diſputatoribus quæramus, cur ergo non Tyri potius & Sidonis Chriſtus docuerit & miraculoſa opera fecerit apud eos, quos ad pœnitentiam magis pronos eſſe ſciebat? Et annon Deus author fuerit, quòd duæ iſtæ ciuitates nõ fuerunt conuerſæ, quando doctrinã ſalutis eis non cõmunicauit, ſed in ignorantia eas perire paſſus eſt? Deus enim cum iudicio agit omnia, non quidẽ ſemper aperto (vt D. Auguſtinus ait) ſemper autem iuſto. Deinde ſemper tenendum eſt, eandem eſſe omnium hominum conditionẽ: quia omnes in peccatis concipiuntur & naſcuntur, & proinde natura peccatores & in ære Dei ſunt: Deus autẽ nemini quicquam debet. Quis enim (inquit Paulus, prior dedit illi, & reddetur ei? Si quem ergo præterit, & gratia ſua indignum iudicat, nullam illi facit iniuriam, cùm is nihil præter meritum patiatur. Si quos autẽ vocare*

& adoptare

& adoptare dignatur, ij illius gratiã agnoſcere & vocationi eius ſeſe accõmodare debent. Quod niſi fecerint in damnationẽ eis cedet gratia, quam illis Deus fruſtra offert. Qui ergo iuſto iudicio Tyrios & Sidonios præterijt, vt dignas ſcelerum pœnas exoluentes toti mundo exemplum fierent: idem nõ minùs iuſte Galilæis iſtis, quos incurabiles fore ſciebat, Verbum ſuum miraculis confirmatum propoſuit, vt inexcuſabiles magis fierent, & grauioribus pœnis mulctati docerent ſuo exemplo, quàm diſpliceat Deo Filij ſui & Euangelij eius contemptus. His nos acquieſcere, non autem in Dei arcana penetrare & eum ad rationem reddendam vocare conuenit. At quia nec ipſe Chriſtus Dei prædeſtinationem hîc excutere voluit, nos quæ ad hunc locum propriè pertinent conſideremus.

Inter hæc primum occurrit, quid in iſtis Dominus maximè deſideret: Nimirũ quòd non reſipuerint, quando ille prædicabat, & doctrinam miraculis prius nunquam viſis neq; auditis confirmabat. Præcipuũ ergo, quod in nobis etiam hodie Chriſtus requirit, eſt pœnitentia, quam conuerſionẽ à peccatis ad Deũ eſſe alibi docuimus ex eius verbis per Ieremiam dicentis: Si reuerti velis, ad me reuertere. Venit enim ideo in mundum Dei Filius, vt diaboli opera deſtruat, inter quæ peccatis primus locus debetur. Quoad ergo nos in illis perſeueramus & abſq; pœnitentia pergimus, vt Deo probemur impoſſibile eſt, etiamſi quoad reliqua prærogatiuis plurimis & publica etiam dignitate cõmendemur. Exemplo nobis ſunt Chorazin & Bethſaida, quibus ſi reliqua ſpectes, nihil defuit. Nam præter ea, quæ paulò ante cõmemorauimus, externa pietatis indicia non pauca habuerunt, vt multis alijs meliores videri poſſint fuiſſe. Nam quem multi alij hoſtiliter oderant & perſequebantur, Ieſum Chriſtum, ipſæ admittebant, audiebant eius doctrinã, tam hanc quàm miracula admirabantur, & (vt in euangelica hiſtoria eſt videre) ſæpe in publicam eius confeſſionẽ multi ex illis erumpebant. Sed quia non seriò ad Deum conuerſi ſunt, vt quam nobis in Filio ſuo offert gratiã conſtanti fide apprehenderent, hæc tã dira & horrenda illis Chriſtus denuntiat, & ethnicis facit inferiores atq; infeliciores. Docet igitur ſuo exemplo Dominus, quis etiã hodie finis ſiue ſcopus verbi ſui adminiſtris propoſitus eſſe debeat: Is videlicet, vt populus verè & ex animo à peccatis & ſuperſtitionibus conuertatur ad Deũm, verã pietatem colat, innocentiæ & ſanctitati ſtudeat. Hoc Prophetas olim in ſuis concionibus potiſſimum egiſſe ſcimus. Ab eadẽ doctrina Ioannes Bapt. primus Noui teſtament miniſter exorſus eſt, quando Meſsiæ venturo viam præparabat. Inde etiam prædicandi initiũ Chriſtus fecit, & Apoſtolos ſuos facere iuſsit. Imitentur ergo hæc tantorum ſeruorũ Dei exempla ij, quibus docendi munus eſt creditum. Quod vt faciant publici mores & quæ apud omnes ordines regnant flagitia eos admonere poſſunt. Quis enim tam cæcus & ſtupidus eſt, vt nõ videat nouiſsima tempora hæc eſſe, in quæ incidimus? Fiũt enim quæcũq; de illis prophetæ olim, & poſtea Chriſtus & Apoſtoli prædixerũt. Inflent ergo tubã verbi Dei, peccata arguant ſancta dicendi libertate, ſecuros & dormientes excitẽt, contumaces accuſent & increpent, cunctantes vrgeant, impijs verò & incurabilibus horrendũ Dei iudicium & pœnas meritas denuntient. Quod niſi fecerint, non aliquis prætextus illos excuſabit, quò minus de ipſorum manibus illorum ſanguinem requirat Dominus, qui ipſorũ incuria aut negligentia pereunt. Nihil ergo agunt canes muti, qui in ſolius gratiæ prædicatione intenti, pœnitentiæ doctrinã prorſus negligunt. Neq; probandi ſunt, qui principibus & magiſtratibus ſeruiliter blandiuntur, & immodicis laudibus eos in cœlos vſq; euehũt, eò quòd Euangelio & eccleſiæ Chriſti locũ dent, interim verò eoſdẽ luxu & libidine diffluere patiuntur, ad eorundem iniquiſsimas exactiones, immodicum faſtũ, bella non neceſſaria, rapinas aliaq; teterrima ſcelera turpiter conniuent. Non ita olim Prophetæ egerunt, neq; ita olim Apoſtoli egiſſent, ſi principes habuiſſent, qui Chriſtianũ nomen profiterentur. Magnum quidem & præclarum eſt ô principes Chriſtiani, quod Chriſto aduentãti portas aperitis, quòd eccleſiæ eius afflictæ & exulanti hoſpitium præbetis, quòd eiuſdẽ nutritios agitis. Sed plus quiddam à vobis requiritur: nimirum vt ipſi quoq; Filium Dei oſculemini, vt eidem ſeruiatis cũ timore, & exultetis cum tremore. De his vos olim regius ille Pſaltes admonuit, quibus vera & ſeria conuerſio ad Deum & vita verè Chriſtiana comprehenduntur. Quod autem principibus dicitur, hoc ipſum ſingulæ ciuitates & qui in his agũt populi ſibi dictum cogitent. Præclarum eſt Euangelium audire, ex eius præſcripto reformationem eccleſiæ inſtituere, abuſus tollere, & alia facere, quæ illo docentur. Sed ad ſalutem æternam nihil hæc omnia faciunt, niſi pœnitentia & vita accedat, quæ Euangelicæ profeſsioni reſpondeat. Alioqui Turcis deteriores iudicabimur, qui cùm à vera Chriſti cogni-

Pœnitentia requiritur maximè.

Ierem. 3.

tione alieni ſint, vitam tamen viuunt honeſtiorem & ſanctiorem, quàm multi faciant, qui Chriſtiano nomine & Euangelij doctrina gloriantur.

Qualis pœnitentia exigatur.

Porro audiamus, qualem pœnitentiam requirat Chriſtus, & in quibus illa conſiſtat. De Tyrijs & Sidonijs loquitur: Olim cum ſacco & cinere reſipuiſſent. Dicit hoc pro veterum more & conſuetudine. Solebant enim antiquitus in grauiori aliquo caſu & grauioris iræ Dei comminationibus ſive indicijs, ſaccis, id eſt, veſte ſtrictiori & craſſiore induti, & caput cinere aut puluere conſperſi luctum & pœnitentiam teſtari. Accedebat his, imò præcedebat plerunq; veſtium ſciſſio, vt in Achabi, Niniuitarũ & aliorum exemplis eſt videre. Erant hæc ſigna animi maximè dolentis & ſimul delicta confitentis. Ideo ſedebant quoq; in pulueribus, vt eo etiam geſtu humiliationẽ animi teſtarentur, ſine qua peccatorum agnitio & vera pœnitentia non conſiſtit. Et hæc quidem apud Orientales in vſu erant, qui (vt aliàs monuimus) affectibus magis abripi ſolent, & ideo in his exprimendis multa adhibent, quæ alijs populis ſuperflua aut ridicula videri poſſunt. Et ſi rem ipſam, de qua hîc agitur, rectè conſideremus, nequaquam in externis hiſce pœnitentia vera conſiſtit: quod non obſcurè Ioel Propheta docet, clamans: Sed & nunc dicit Dominus, Conuertimini vſq; ad me in toto corde veſtro, ieiunio, fletu & lamento: & ſcindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum. Nobis ergo hæc potius ſpectanda ſunt, quæ ceremonijs iſtis veterum ſignificantur. Primum inter illa eſt vera peccati agnitio. Quomodo enim de admiſſis pœnitentiam aget, qui illorum atrocitatem ne agnoſcit quidem? Ac quia nobiſipſis plerunq; blandimur, peccatum quoq; ipſum miris blanditijs & lenocinijs ſeſe animis noſtris inſinuat, diligenti noſtriipſius examine opus eſt, vt ad veram peccati agnitionem veniamus. Illud autẽ Verbo Dei adiuuari oportet, quæ cauſa eſt, quòd & ſpeculum Legis ſuæ nobis Deus propoſuit, & Verbi ſui adminiſtros inſtituit, qui inuitis quoq; & reluctantibus illud ingerant, & ijſdem ſcelera ſua oſtendant. Itaq; in ipſo limine (quod dicitur) offendunt, qui peccata ſua argui nolunt, Verbum Dei fugiunt & eius præcones odio perſequuntur. Agnitionem peccati proximo loco ſequitur dolor & animi contritio, quam Paulus dicit dolorem ſecundum Deum. Qui enim fiat, vt non totus horreat, ſibiipſi diſpliceat & toto animo diſcrucietur, quiſquis videt quot modis contra Deum peccarit, & quanta iræ eius magnitudo ſit, quantusq; ardor aduerſus omnes, qui eius leges transgrediũtur? Huc ergo pertinet, quod modò ex Ioele de cordis ſciſſione diximus, quæ veſtium dilaceratione ſignificabatur. Et illa Dauidis: Nihil integrum eſt in carne mea propter indignationem tuam, non eſt pax oſſibus meis propter peccatũ meum. Nam iniquitates meæ tranſcẽdunt caput meũ, ceu graue onus grauiora ſunt quàm ſim ferendo. Defatigatus ſum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectum meum, lachrymis meis grabbatum meum madefacio, &c. Hæc & alia his grauiora ſentiunt, qui ex vera peccati agnitione intra animos ſuos conteruntur: à quorũ ingenio alieniſſimi ſunt, qui cùm ſe de admiſſis delictis pœnitere dicãt, interim in omnem laſciuiã & gaudia vix ſatis honeſta effundi ſolent. Contritio autem animi confeſſionẽ peccati parit, quæ Deo vel priuatim & occultè, vel etiam publicè fit, ſi ita rei neceſſitas, aut ipſius gloria poſtulet. Quia enim qui verè pœnitent, ad Dei miſericordiam confugere & culpam ſuã iramq; Dei deprecari ſolent, id ſine peccatorũ confeſſione fieri non poteſt. Et niſi hæc fiat, neq; intra animos noſtros pacem habere, neq; peccati remiſſionem obtinere poſſumus. Docet hoc proprio exemplo Dauid, quãdo ſic dicit: Cùm tacerem putruerũt oſſa mea in fremitu meo quotidie. Nam dies noctesq; ingraueſcebat ſuper me manus tua, verſus eſt ſuccus meus in ſiccitates æſtiuas. At poſtquam peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non celaui, ſed dicerem: Fatebor contra me transgreſſionem meam Domino, tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Exigitur autem peccati cõfeſſio, quia per hanc coram Deo humiliamur, & cum iuſtitia eius quoq; miſericordiam prædicamus. Ideo Ioannes Apoſtolus ſcribebat: Si dixerimus, nos peccatum non habere, nosipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & nos purget ab omni iniquitate. Hæc igitur vera & ſalutaris confeſſio peccatorũ eſt, quam ſcriptura tradit, non qua homines ſuperſtitioſi in ſacrificuli aures ſua delicta deponunt, vt ab eo abſolutionem ſiue remiſſionem accipiant, qui ne ſeipſum quidem à proprijs ſceleribus liberare poteſt. Simul etiam diſcimus, quàm malè ſuæ ſaluti conſulant, qui peccata ſua diſſimulare & tegere conantur, cùm potius illa, ceu nocentiſſima & lethalia vlcera, Deo medico fideliſſimo, retegere debebant. Veruntamen non ſufficiunt iſta,

de quibus

Marginal references: 1. Reg. 21. Ioan. 3. (beside "Niniuitarũ"); Ioel. 2. (beside "Propheta docet"); Pſal. 38. & 6. (beside "carne mea"); Pſal. 32. (beside "parit"); 1. Ioan. 1. (beside "bebat: Si dixerimus")

de quibus hucuſq; dictum eſt, niſi ab ijs quoq; omnibus abſtineamus, quibus Dei oculos offendimus, & quæ carnis petulantiam accendere, ideoq; pœnitentiam impedire poſſnnt. Qua ratione enim de flagitijs ſuis pœnitere & vitæ emendationem meditari dicetur, qui illa fouet, & noua veteribus quotidie accumulat? Ideo paſſim Prophetæ clamant, vt à vijs ſuis reuertantur qui peccarunt, & in Dei vijs atq; præceptis ambulent. Et hæc illa pœnitentia eſt, quam à nobis Chriſtus per Euangelium requirit, & ob quã prætermiſſam Galilææ vrbes diris atq; extremo exitio deuouet. In his ergo nos hodie eſſe oportebat, quando paſſim iræ Dei ſigna apparent, imò pleriſq; in locis iræ eius & pœnæ ſcelerum ſentinntur. Sed actiones externæ, quibus pleriq; hominnm occupantur, vtpote comeſſationes intemperantes, choreæ & ſaltationes laſciuæ, feſta ad omnem petulantiam & libidinem ſeruientia; immanis & barbarus veſtium luxus, vſnræ inſatiabiles, & infinita alia huius generis, ſatis oſtendunt, illos de peccatis ſuis & ira Dei vix vnquam adhuc cogitauiſſe.

Non minus ergo noſtri ſeculi hominibus loquitur Chriſtus, quàm Galilæis iſtis, & contumacibus illis atq; pœnitere neſcijs Verbi adminiſtri hæc intonare debent: Tyro & Sidoni tolerabilius erit in iudicio, quàm vobis. Etenim ipſis idololatris & Dei veri ignorantibus grauius puniuntur ij, qni Dei Verbum contemnnnt, & ad eius prædicationem non reſipiſcunt. Videtur quidem hoc multis iniquũ, qui hoc nomine ſibijpſis blandiuntur, quòd qualeſcunq; ſint, Verbo tamen Dei locum dent, & in Chriſti merito ſalutis fiduciam collocent. Sed audiant illi Chriſtum ipſis reſpondentem: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, ingredietur in regnum meum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt. Item: Seruus, qui nouit voluntatem domini, nec ſe comparauit, nec fecit ex voluntate eius, cædetur multis plagis. Meretur præterea grauius iudicium iſtorum hominum leuitas, quæ gentes & Turcas longe ſnperant. Hi enim ſuæ religioni ſeriò ſtudent, & ne quid huius profeſſione indignnm faciant, cauent ſedulò: at noſtri illi religionem, quam profitentur, corruptiſſimis moribus & qnidnis agendi licentia prophanant, & apertis eius hoſtibus illudendam proponunt. Cnr ergo non grauius pnniantur? Nec eſt quòd de Chriſti verbis dnbitemus, eò quòd tales ferè in hoc ſeculo felices & beati ſunt, & inter ſua ſcelera impunitate perpetua fruuntur. Nam ad nouiſſimum iudiciũ illos citat Dominus, quando ad eius tribunal omnes homines ſiſtentur, nec quicquam admittetur eorum, quibus in hoc ſeculo iudicia interuerti & corrumpi ſolent. Irreuocabilis autem erit, quæ tunc contra impios feretur ſententia, neque vllus pœnarum finis erit, ad quas damnabuntur. Horum cõſideratio ſemper ob oculos nobis verſetur, & facilius carnis deſiderijs reſiſtemus, ardentiori autem pietatis zelo accendemur.

Chriſtus nobis etiam hodie loquitur.

Matth. 7.

Luc. 12.

Porro ad Capernaum tranſit Chriſtus, facta ad illnd Apoſtrophe, vt grauior ſit oratio. Et tu Capernaum (inqnit) quæ vſq; ad cælos ſublata es, vſq; ad inferos deprimêris. Fnit autem Capernaũ ciuitatum Galilææ celeberrima: nam ad oſtium Iordanis lacum introenntis ſita, propter loci commoditatem totius regionis emporinm fuit frequentiſſimum. Eam Chriſtus ſub initium ſtatim prædicationis ſuæ ſibi præ alijs delegerat, ceu ſtationem, in quam ſe reciperet, & illic frequentiſſimè docebat: nimirum communi bono hominum, vt eius doctrina & miracula citius atq; latius vulgarentur. Ideo apud Matthæum ciuitas Domini dicitur, quo non alius titulus nobilior ciuitatibus tribui poteſt. Miracula autem illic tot tamq; præclara edidit, vt Nazarethanis inuidiã mouerint, vt ſupra Cap. 4. eſt dictũ. Verè ergo de illa dicitur, quòd vſq; ad cælos ſublata fuerit. Sed quid addit Chriſtus? Vſq; ad inferos deprimêris. Qnibus verbis partim extremam ignominiam, partim excidiũ cum æternis inferorũ ſupplicijs minatur. Apud Matthæum cauſam eandem adducit, quã prius: vt verò incredulitatem & contumaciam illorum magis amplificet, cum Sodomæis eos confert, & his deteriores facit. Si in Sodomis (inquit) factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſnnt in te, manſiſſent vſq; ad hodiernum diem. Qnin etiam dico vobis, terræ Sodomæorum tolerabilius erit in die iudicij, quàm tibi.

Capernaum.

Matth. 8.

Matth. 11.

Admonemur hoc loco, quæ ſumma ſit ciuitatum & nationnm gloria. Ea nimirum, ſi Chriſtũ penès ſe habeant, & eius doctrinæ locum dent. Vt enim præcipua principum gloria eſt, quòd illos Deus ſuæ Eccleſiæ nutritios conſtituit: ita ciuitatum & populorum non poteſt maior eſſe dignitas, quàm ſi Eccleſiæ hoſpitiũ dent, imò Eccleſiæ pars fiant. Ita enim verè in cælos euehuntur, & regni illius cæleſtis ciues fiunt, quod nobis Dei Filius ſanguinis ſui pretio acquiſiuit. Poteſt tamen etiam de huius ſeculi gloria hoc intelligi. Nam Dei promiſſio eſt, Honorantes me honorabo. Nec obſtat, quòd mul-

Ciuitatum gloria quæ ſit?

1. Sam. 2.

tis exoſi & inuiſi ſunt, qui pauciorem Euangelij doctrinam ſectantur. Aſſerit enim nihilominus illorum nomen atq; honorem Dominus, & ſua ope eis adeſt, vt per omnia obſtacula eluctari poſsint. Exempla, quibus hoc probetur, in hiſtorijs multa extant. Conſtantinus certè, qui primus Eccleſiæ pacem dedit, immortalem gloriam & Magni nomen ex eo conſecutus eſt, & ſub eodem Romanũ Imperium, quod prius tyrannorum ambitione & crudelitate dilaceratum fuerat, in priſtinam dignitatem eſt reſtitutum. Idem de Theodoſio dicere poſſumus, quem cùm Chriſti & Eccleſiæ negotium ſeriò ageret, Deus in ſummam dignitatem extulit, & miraculoſis ventorum etq; tempeſtatum turbinibus contra hoſtes, Eugenium & Arbogaſtum iuuit. At quid veteribus exemplis immorari opus eſt, cùm noſtro ſeculo ſimilia viderimus. Dedit renaſcenti Euangelio antè alias nationes locum Germania. At quis ignorat, quantum gloriæ, dignitatis & authoritatis ab eo tempore illi acceſſerit? Nam vt alia omittamus, bonis literis exculta eſt, quæ prius barbara erat, & eos viros dedit, quorum eruditio exteris quoq; admirationi fuit. Quotquot ergò patriam verè amant, & illius gloriæ conſultum volunt, in hoc ſua ſtudia & conſilia conferant, vt Chriſti regnum inter nos firmum maneat, atq; relictis ſceleribus Chriſtiani nominis profeſsioni omnes reſpondeant.

Pœna ciuitatũ ingratarum.

Nam docet ſimul hic locus, quid eas vrbes & populos maneat, qui hanc ſuam dignitatem non agnoſcunt, neq; fructus ferunt Euangelio dignos. Ad inferos vſq; deprimuntur. Quod in Capernaum impletum eſſe hiſtoriæ teſtantur. Nam vt Ioſephus ſcribit, in Galilæa primò cœpit bellũ, quo deinceps tota Iudæa miſerè vaſtata, & Iudæi partim cæſi, partim in totum orbem diſperſi ſunt. Vbi cordatus quiſq; facilè intelliget, quàm horrenda paſſi ſint ij, in quos primus militum furor effuſus fuit. Quid autem de Hieroſolyma dicemus, quæ tum ciuitas Dei diu dicta fuiſſet, propter Chriſtũ tamen occiſum & Apoſtolos indignè reiectos excidiũ paſſa eſt, cuius hiſtoriam vix aliquis abſq; lachrymis legerit. Tito certè hoſti & à vera religione alieno tantum horrorẽ peperit, vt manibus in cælum expanſis apud Deum proteſtaretur, ſe tantarum calamitatum authorẽ non eſſe, ſed infelices illos ſe inuito ſibi exitium acterſere. Sic ad cælos vſq; propter doctrinæ puritatem & fidei conſtantiã infinitis martyrijs probatam ſublatæ olim fuerunt Antiochia, Alexandria, Epheſus, Theſſalonica, Conſtantinopolis & plures aliæ in Græcia & Aſia ciuitates. At poſtquam relicta doctrinæ ſimplicitate philoſophis & horum diſcipulis, hæreticis locum dederunt, impijs contentionibus inter ſe cõmiſsi illorum lotorũ Chriſtiani tyrannis perſecutoribus præda ſunt, & qui nunc in illis vrbibus habitant, aut barbara ſunt Mahumetanæ ſuperſtitionis mancipia, aut ob Chriſti qualemcunq; profeſsionem crudeliter oppreſsi & omnium ludibrio expoſiti, nihil præter gemitus & lachrymas reliqui habent, quibus ſuam miſeriam deplorant. Sunt hæc triſtia exempla, in quæ nos ô fratres Germani, aſsiduè intueri decebat, ne qui gloria & dignitate propter Euangelij doctrinam excelluimus, tandem propter inutiles & ſuperuacaneas contentiones & peccandi licentiam ignominia obruamur indelebili, imò ad inferos vſq; deprimamur, æternis cruciatibus illic mulctandi.

Nemo Dei donis abutatur.

Poteſt autem & debet doctrina hæc ad omnia alia Dei dona transferri, ne illis vel ad faſtũ inanem aut carnis illicita ſtudia abutamur. Nam quò quis magis excellit, eò ignominioſius deijcitur & grauius punitur, ſi Dei beneficentiam non agnoſcat, & eius donis non rectè vtatur. Exempla huius generis habemus in potentiſsimis Regibus, quorum gloria nubes tranſcendere viſa fuit, finẽ verò contumelioſiſsimum ſortita eſt. Quis Regum vnquam victorijs, regnorũ amplitudine, potentia, diuitijs Dan.2. *& dignitate Nabuchodonozore fuit glorioſior, quem Spiritus ſanctus de Monarchijs mundi diſſerens caput aureum dicit? At idẽm cùm immani confidentia & ſuperbia turgidus diceret, Annõ hæc eſt Babylon, quem ego feci? mox ratione exutus in animal brutum degenerauit, & ex ſuorũ manibus elapſus longo tempore inter feras vitam tranſegit. In Perſica Monarchia Xerxes habetur, qui cùm copiarum ſuarũ multitudine fluuios exiccaret, montes perfoderet, maria nauibus seu ponte ſterneret, potentia autẽ illa ad opprimendam aliarum gentium libertatẽ contra ius & fas abuteretur, à parua Græcorũ manu profligatus, piſcatoriæ nauiculæ præſidio vitam ſeruare coactus fuit. Pertinẽt huc quæ de Alexandro Magno, diuinitatis affectatore, de Iulio Cæſare gentiũ domitore, & multis alijs* Prouerb.16. *hiſtorici ſcribunt, in quibus omnibus illud Solomonis impletum eſt: Præit cõminutionem elatus ſpiritus, & anteit ruinam ſuperbia animi. Neq; deſunt noſtro tempore exempla, quæ his poſſunt fidẽ facere. Nec minus ad priuatos homines iſta doctrina pertinet. Quàm multos enim eſt videre, quos ſuæ*

eruditionis & eloquentiæ fiducia in extremū exitium adduxit? Quàm multis opes immodicæ interitus ignominioſi cauſa fuerunt, eò quòd illis licenter nimis abuſi ſint? Quot item inueniuntur, quos virium corporis cōfidentia perdidit? Milonem Crotoniatem ferunt à feris immaniter diſcerptū fuiſſe, quòd iam ſenex in trunco arboris diſtrahēdo vires priſtinas experiri voluit. Et hodie huius generis exempla quotidie occurrunt. Cogitent ergo ſinguli, ſe nihil ex ſemetipſis, neq; etiam aliquid proprij habere: adhæc propter innatam nobis naturæ vitioſitatem eò lubriciorem eſſe conditionem noſtram, quò altiori gradu ſumus conſtituti. Quòd ſi non contenti gloria, quam Deus conceſſit, ad altiora aſpiramus, fit quod Solomō dicebat: Qui exaltat domum ſuam, quærit ruinam. Humilientur ergo omnes ſub potenti manu Domini, & ab eo acceptis donis ad ipſius gloriam prouehendam, & ſalutem multorum atq; proprium vſum cum gratiarumactione vtantur.

Prouerb. 17.

Authoritas miniſterij.

Cæterùm ad Chriſti verba redeamus, qui ad diſcipulos ſimul omnes conuerſus totā hanc tractationē graui ſententia concludit, dicens: Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit: qui verò me reijcit, reijcit eum qui miſit me. Quibus verbis partim cauſam reddit diræ iſtius execrationis, quâ vrbes ingratas & contumaces exitio deuouerat: partim diſcipulos cōſolatur, vt ſe Dei præſidio tutos fore ſciant, qui authoritatē ſuam non paſſurus ſit in ipſis impunè violari. Fundatur enim hæc ſententia in iure gentiū, quo legatorū contemptus & illis facta iniuria perinde vindicatur, ac ſi quis Regē aut principē ipſum violauiſſet, à quo illi miſſi ſunt. Et ex hiſtorijs conſtat, magnam, adeoq; ſacroſanctam apud omnes gentes legatorum authoritatem fuiſſe cùm pacis tum belli tempore: eorundē verò violationem ſæpenumero bella cruenta peperiſſe, & multis exitij cauſam præbuiſſe. Tarētum certè, opulentiſſimā ciuitatem & omni præſidiorum genere munitiſſimā, hoc imprimis perdidit, quòd Romanorum legatos iniurijs multis ciues eius affeciſſent, & illorū in his ferendis patientia eò vſq; eſſent abuſi, vt quidā ex illis vrina quoq; conſpergeretur. Num ergo Deum in ſua authoritate vindicanda remiſſiorē fore putabimus, qui ſe zelotē eſſe publicè ꝓfitetur? Porro nobis huius loci duplex vſus eſt.

Nemo Euangelium propter miniſtros contemnat.

1. Cor. 4.

Act. 14.

Primus, ne Euangelij doctrinā propter miniſtros aut præcones eius viles & obſcuros contemnamus. Quid enim vnquam in mundo contemptius fuit Apoſtolis, de quibus ipſe Paulus ſcribit: Puto quòd Deus nos Apoſtolos poſtremos deſignarit, tanquam morti addictos. Nam ſpectaculū facti ſumus mūdo, angelis & hominibus. Attamē de illis pronūtiat Dei filius. Qui vos audit, me audit, &c. Quid ergo hodie externū ſplendorem in verbi adminiſtris requirimus? Quin potius Dei bonitatem nos agnoſcere decet, qui cùm ſciat nos maieſtatis ipſius non eſſe capaces, Eccleſiæ miniſteriū inſtituit, quo per homines nobis æquales & ὁμοιοπαθεῖς (vt Paulus ait) nos ſuam voluntatem edocet. Quod quàm neceſſarium ſit, Iſraelitarum exemplo admonemur, qui cùm ad montem Sinai Deum propria voce concionantē audirent, eius tremenda maieſtate perterriti petierunt, vt interprete Moſe vteretur. Quod cùm illis acciderit, qui horrenda prodigia in Ægypto viderāt, & ante paucos dies per maris rubri vadum inter imminentes vtrinq; pendentium aquarū moles tranſiuerāt, quid obſecro nobis euenturum putemus, ſi ſuæ vocis maieſtatem erga nos Deus proferat? Meminerimus ergò hunc illi cultum gratiſſimū eſſe, ſi ipſum per obſcuros miniſtros nobis loquentē patienter audiamus, & Verbo eius voluntarium & alacre præſtemus obſequium. Ita enim cōſtat, nos nòn ab hominibus, ſed à ſolius Dei authoritate pendere. Et vt ſubditi aut ciuis fidelis indicium eſt, ſi viliſſimo apparitori aut præconi, cum magiſtratus mandato ad ſe venienti fidem habeat atq; obtemperet: ita ex eo apparet nos veros regni Dei ciues, imò germanos huius filios eſſe, ſi Verbum eius audiamus reuerenter, etiāſi hoc nobis per contemptiſſimum omnium mortalium prædicetur. E contra, qui propter doctorem illud faſtidiunt, cùm Dei Verbum eſſe negare non poſſint, ij meminerint, contemptum illum (quod hîc diſertè docetur) in ipſum Dei Filium & Patrem redundare. Hoc vtinam diligentius expenderent, qui hodie indignius ferunt, ſi quando ab æqualibus ſuis, aut hominibus vel peregrinis vel alioqui contemptis & obſcuris liberius corripiuntur.

Certitudo ſalutis aſſeritur.

Alter huius ſententiæ vſus eſt, quòd ſalutis noſtræ certitudinem & fiduciā confirmat, cuius promiſſiones in doctrina Apoſtolorum proponuntur. Poterāt enim aliqui hanc in dubiū vocare, eò quòd Apoſtoli nulla vel publica vel priuata authoritate cōmendantur. Et hodie audiuntur ſcurriles hominum prophanorum voces, qui per ludibrium quærunt, quis nam ille Paulus, quis Ioannes, quis Petrus fuerit, quibus neceſſariò credi oporteat? Sed his omnibus antidotum Chriſtus, æternus Dei Fi-

lius adhibet, quando hos ſuos præcones & legatos conſtituit, & ſeipſum in illis loqui teſtatur. Cùm ergo verè pœnitentibus & Chriſtum fide ſyncera apprehendentibus ex Apoſtolorum ſcriptis peccatorum remiſsio & vita æterna promittitur, hanc Chriſti vocem eſſe, & in cœlis ratam fore non dubitemus. Rurſus, cùm iidem incredulis & pœnitere neſcijs æternæ damnationis ſententiā intonāt, hæc quoq; Filij Dei vox eſt, quam nulla mundi huius potentia ſiue authoritas impedire aut reuocare poterit. Et hæ claues ſunt, quas in Apoſtolis Euangelij ſui adminiſtris omnibus Chriſtus tradidit, quarum vſus in duabus hiſce ſententijs conſiſtit. Qui crediderit & baptizatus fuerit, habet vitam æternam: Et, Qui non crediderit, condemnabitur.

Solis legitimis miniſtris iſta ſeruiunt. Galat. 1.

Ergo hæc Chriſti ſententia ij ſoli commendantur, qui ab ipſo miſsi eius verbum annunciant. Nā neq; ipſos Apoſtolos audiri debuiſſe, ſi quid à Chriſti doctrina diuerſum prædicarēt, ex Pauli verbis conſtat, qui Galatarum leuitatem corripiens, inter alia ſcribit: Etiamſi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Nihil ergo locus iſte ad eos, qui ſui capitis ſomnia, aut aliorum figmenta atq; traditiones obtrudunt. Vendicat quidem ſibi & ſuis Creaturis hoc dictum Romanus Pontifex. At Chriſtus non alicuius hominis priuatam authoritatē ſtabilire, ſed Euangelij ſui certitudinem confirmare & ſuis miniſtris fidem facere voluit. Si ergo ſe audiri volunt, ſi obedientiam abſq; omni contradictione ab omnibus iure exigunt, agedum Euangelij doctrinam prædicēt, ad vnum Chriſtum omnes remittant, ſub huius ſceptro ipſi quoq; humilientur, & iā omnis inter nos contentio ſopita erit, & eò maiori honore dignos iudicabimus, quo in Chriſti gloria & meriti eius dignitate aſſerenda feruentiores fuerint. Quouſq; verò vocem alienam protulerint, Chriſti meritum & gratiam Dei conculcarint humanarum virium & meritorum prædicatione, Eccleſiā deniq; infinitis traditionibus onerauerint, deſinant ſeſe pro Apoſtolicis venditare apud eos, qui inter paſtoris ſui vocem & lupi vlulatum iampridem diſcernere didicerūt. Quibus verò hoc contigit, ij Deo grati ſint, Euangelium qua decet fide & reuerentia audiant, & in hoc loquenti Filio Dei, Ieſu Chriſto, ſeſe obedientes præbeant, vt in ipſo ſalutem veram & æternam conſequantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA C.

Reuerſi ſunt autē Septuaginta cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis per nomen tuum. Ipſe autem dixit eis: Spectabam Satanam, vt fulgur, è cœlo cadentem. Ecce do vobis poteſtatē calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem vim inimici: & nihil vos lædet. Veruntamē de eo ne gaudete, quòd ſpiritus vobis ſubijciantur: gaudete verò potius, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

QVoniam ſalus noſtra omnis ex morte filij Dei, Ieſu Chriſti, dependet, cuius merito peccatum mundi expiatum, noſq; ex eius ſeruitio & morte æterna redempti ſumus: ſic ille mori voluit, vt mors eius minimè occulta, ſed omnibus nota eſſet, vt illius fructus ad plures redundaret. Ideo ex Galilæa comitatum numeroſum ſecum duxit, & iam Iudææ appropinquans Septuaginta diſcipulos præmiſit, qui regni Dei inſtaurationem in foribus adeſſe nunciarent. Inſtruxit hos varijs præceptis, & ea occaſione ſimul Verbi ſui contemptoribus graues pœnas minatus eſt, adhæc ingratas aliquot atq; contumaces Galilææ ciuitates exitio deuouit, quòd ad ipſius doctrinam & miracula nō reſipuiſſent. At hîc cogitet aliquis: Quòd ſi Dei filius, cui in animos hominum ius eſt docendo nihil profecit, niſi quòd omnium ferè odia atq; inimicitias in ſe prouocauit, annon inconſultum planè inſtitutum fuit diſcipulos hoſce, homines rudes atq; rerum imperitos, emittere, qui erronium inſtar hinc inde diſcurrentes eandem doctrinam prædicarent? Quid enim hi aliud inde referre potuerunt, quàm contumelias, conuitia, verbera denique & vulnera apud eos, quibus Chriſti doctrina nihil moleſtius, nihil intolerabilius eſſe videbatur? Pergit ergo in inſtituta narratione Lucas, & vt illi legatione ſua feliciter peracta ad Chriſtum redierint, & quomodo ab eodem excepti & amplius inſtituti ſint deſcribit. Qui locus multa continet, quæ & potentiam Chriſti diuinam, & Euangelij eius virtutem commendant, ſimulq; nos in noſtræ ſalutis negotio erudiunt.

Primò Septuaginta illi cum gaudio redijſſe dicuntur, & Chriſto Domino narraſſe, quòd adeò nihil obſtiterit ipſorum legationi & commiſſo muneri, vt dæmonia quoq; ipſis nomen eius inuocantibus ceſſerint. Fuit autem hoc gaudium maxima ex parte carnis affectu permixtum, vt ex Chriſti reſponſione patebit. Interim ſi felicem hunc eorum ſucceſſum cum eo, qui tunc erat, Iudææ ſtatu conferas, & cum periculis, de quibus illos Dominus admonuerat, quòd nimirum inſtar ouium in medio luporum verſaturi eſſent, illuſtre habebis diuinæ Chriſti potentiæ argumentum, euidens item eius protectionis aut defenſionis exemplum, quam ſuis paſſim pollicetur. Quod autem iſtis accidit, hoc ipſum Apoſtoli quoq; experti ſunt, qui in vltima Cœna à Chriſto interrogati, num quid ipſis defuerit, quando abſque commeatu & externo præſidio ad docendum emiſſi fuerunt, ſibi quicquam defuiſſe negant. Sunt hæc exempla obſeruatu digniſſima, vt ijs noſtram fidem confirmemus, ſi quid ex Dei mandato agendum eſt. Diſcipuli redeunt cum gaudio.

Debet enim hinc generalis doctrina peti, ijs qui in Dei vocatione ambulant, nihil obſtare poſſe, quò minus perficiant quod ille ab ipſis effectum vult. Poteſt enim Deus ſolo nutu è medio tollere quæcunque ipſius voluntati reſiſtunt, vt qui Dominus ſit exercituum, id eſt, creaturarum omnium, quæ vel in cœlis, vel in terra, vel in mari ſunt, imò ſpirituum quoq; tam malorum quàm bonorum. Deinde idem ille in promiſſis ſuis fidelis & verax eſt, & quàmuis obſtacula nobis obijciat, id tamen noſtro bono facit, vt fidei exercendæ materiam habeamus, interim nos ſupra quàm ferre poſſimus tentari non ſinit, & præter expectationem noſtram leuia & iucunda reddit, quæ grauiſſima atq; nocentiſſima videbantur. Exempla, quibus hoc probetur, paſſim occurrunt, & memorabile imprimis eſt, quod in liberatione Iſraelitarum ex Ægypto habetur. Promiſerat Abrahamo Deus, fore vt ipſius poſteri poſt duram ſeruitutem, quam in terra non ſua ſeruituri eſſent, in terram Chanaan reuerterentur, eamq; poſſiderent. Huic Dei decreto opponunt ſeſe, quæcunq; tunc in mundo potentiſſima videbantur: Pharao nimirum Rex, cuius potentia (vt quidam vetuſtiſſimorum ſcriptorum tradiderũt) tunc longè lateq; extendebatur: Magi Ægyptiaci, qui ſummam ſapientiæ exiſtimationem ſuſtinebant: præfecti regij, ipſorum Iſraelitarũ ingratitudo & malitia, quæ Moſem à Deo prædeſtinatum liberatorem prius ſolum vertere coegit: & quod hæc omnia ſuperat, cùm poſt multas difficultates iam iter ingreſſi eſſent, mare rubrum ſeſe illis obijcit, imminente ipſis à tergo Pharaone cũ validiſſimo equitatu, vt miſeros ad internecionem cæderet. Quis hîc nõ dubitaſſet de Dei promiſſione? Quis inermes & non ſarcinis modò, verumetiam mulierum & paruulorum turba impeditos ex illis anguſtijs euaſuros ſperauiſſet? Populus certè, etſi prius ſtupẽda opera Domini in Ægypto viderat, tamen quaſi omnium oblitus, contra Moſem & Aaronẽ murmurare cæpit, & ipſe Moſes animi anxius ardentes intra ſe preces ad Deum fudit, quæ clamoris inſtar apud illũ fuerunt. Num verò hæc omnia Dei decretum & promiſſam populi ſui liberationem potuerunt impedire? Nequaquam. Imò mare ipſum ſcinditur, & vtrinq; inſtar muri ſolidi in altum ſurgit, ventus autem vadũ exiccat, & Iſraelitæ quidem tutò ac pede ſicco tranſeunt, hos autem inſequentes Ægyptij cum Rege ſuo & toto equitatu aquarum fluctibus obruuntur. Ipſa ergo rerum natura Dei promiſſioni & in hac ambulantibus cedere coacta fuit. Adde huic exemplo alterã populi liberationem ex Babylone, & idẽ illic quoq; factum videbis. Dei enim promiſſio erat, illos poſt ſeptuaginta exilij annos in ſuam terrã reuerſuros & vrbem cum templo rurſus ædificaturos eſſe. Huic promiſſioni obſtabat populi per Babylonici regni prouincias diſperſio, quæ tanta fuit, vt vix vnquam in vnũ conuenire poſſe viderentur. Obſtabat ipſa Babyloniorum monarchia, qua nihil tunc in orbe terrarũ potentius habebatur. Acceſſit poſtremi Regis, Baltazaris, impietas, qui Dei veri contemptum & populi eius odium multis modis declarabat. Sed ecce præter omnem expectationem capitur Babylon, & Monarchia Orientis ad Cyrũ deuoluitur, qui (vt Iſaias prædixerat) Dei ſpiritu excitatus populo redeundi poteſtatẽ facit, & additis quoq; muneribus dimittit. Rurſus autem in terram reuerſis & ædificare incipientibus opponũt ſeſe vicini, & modò calumnijs apud Perſas populum exoſum facere, modò vi vrbis ædificationẽ impedire conantur. Vincit tamen Dei decretum, nec quicquam obſtare poteſt, quò minus vrbs cũ templo inſtauretur, & verus Dei cultus denuò inſtituatur. Quòd ſi priuata exempla requiris, Dauidem habes, qui cùm à Deo rex Iſraelis deſignatus eſſet, aduerſarium habuit acerrimũ, Saulem, qui populũ totũ contra illum armauit, & eundem in eas anguſtias adegit, vt terra Iſraelitica excedere, & apud

In Dei vocatione ambulantibus nihil poteſt obſtare.

Gen. 15.

Iſa. 45.

exteros hoſpitium tutũ quærere cogeretur. Sed nihil proficit Saul tyrannus, quàm quòd regno in extremũ diſcrimẽ adducto, ipſe propria manu ſibiipſi mortem conſciuit, Dauid autẽ promiſſo diuinitus regno potitur. Sed dies me deficeret, ſi omnia huius generis exempla cõmemorare velim. Nos potius illa nobis accõmodemus, vt ex illo cõſolationẽ et confirmationẽ fidei petamus. Dei vocatio eſt, vt filiũ ſuũ Ieſum Chriſtũ fide conſtanti apprehendamus, & fidẽ illã intrepidè coram quibuſuis conſiteamur.

Matth. 28. Iſa. 59. *Habemus præterea promiſſionem Domini, quòd ipſe Eccleſiæ ſuæ ſemper præſens adeſſe eamq́; tueri velit, quodq́; verbum ſalutis nunquam ab ea receſſurum ſit, quò minus prædicetur. Neminẽ ergo vel Pontificum vel tyrannorũ minæ atq; conatus terreant, vt fidẽ hanc abnegare & ab Eccleſia deficere velit. Non fallet enim Chriſtus, qui oues ſuas nouit & tuetur, & in æternũ non mutabitur decretum Dei, quo eccleſiæ conſeruationẽ & perpetuam Euangelij prædicationem nobis promiſit. Quòd ſi quid nobis patiendũ eſt ob fidei veræ confeſſionem, beati ſumus, quos Dei Filius crucis ſuæ ſocios facere dignatur, & vt nos per crucẽ vincimus, ita vincit etiam cauſa quam tuemur, & olim noſtrã quoq; memoriam Dominus aſſeret. Poſſunt etiam priuatim ad ſuã vocationem hæc exempla ſinguli accõmodare. Laborioſa & periculi plena eſt magiſtratus functio, periculoſior adhuc eorũ conditio, qui in eccleſiæ miniſterio verſantur: at cùm hanc illi vocationẽ à Deo habeant, conſtanter eã obire debẽt, neq; dubitare de illius ope, cui facile fuerit ea è medio remouere, quæ prorſus inſuperabilia eſſe videbãtur.*

Diſcipuli nihil ſibiipſis tribuunt. *Sed ad Septuaginta diſcipulos redeamus, in quibus laude dignum eſt, quòd etſi gaudium eorum carnis affectu vitiatum ſit, nihil tamen ſuæ virtuti aut dignitati tribuunt, ſed omnem gloriam in ſolidum Chriſto tranſcribunt, à quo poteſtatem illam ædendi miracula acceperunt. Non enim arroganter dicunt: Dæmonia quoq; nobis ſubijciuntur: Sed addunt, Per nomen tuum. Chriſti ergo virtute hæc omnia confecta eſſe fatentur, ſibiipſis verò nihil quàm miniſterium tribuunt, cui ipſos ille deſtinare dignatus fuerat. Eadem Apoſtolorum omnium mens fuit & ſententia, quibus intolerabile omnino fuit, ſi qui ſtulta & ſuperſtitioſa miraculorum admiratione decepti, diuinam virtutẽ ipſis tribuere voluerunt, ſicuti in Petri & Ioannis, Pauli & Barnabæ exemplis eſt videre, quæ Lucas in Actis deſcribit. Turpiter ergo errant, & atrocem Diuis iniuriã faciunt, qui propter miracula olim ab ipſis facta eos in morbis aut alijs periculis inuocant, neq; vni Chriſto adhærent, cuius virtute illi omnia fecerunt. At ſimul debet hinc quoq; generalis doctrina peti, vt ſi quid à nobis præclarè factum fuerit ſiue publicè ſiue priuatim, illud omne vni Deo tribuamus, qui nos hac gratia dignatus eſt. Nã*
Pſal. 127. *vt in Pſalmo ſcribitur, niſi Dominus ædificet domum, fruſtra labores & moleſtiam perferunt qui eam ædificare conantur: & niſi idem ciuitates & reſpub. cuſtodierit, nihil quantùmuis ſedula cuſtodũ aut præſidũ cura proficiet. Hoc qui non agnoſcunt, ij ferè confidentia elati, Dei donis inſolenter abutuntur, & ita ſibiipſis exitium accerſunt, vt nuper prolixius demonſtrauimus. Cæterùm quia nouerat Dominus, diſcipulos non ſine carnis affectu exultare, qui ne altius aſcenderent prohibebat, reprimit eos breui oratione, cuius partes ſunt tres.*

Effectus Euangelij. *Prima effectum verbi Euangelici & miniſterij eius indicat, & ita obiter diſcipulorum affectum corrigit, qui ſufficere putabant, quòd ex quibuſdam priuatim dæmonia eiecissent, non autem cogitabant, quid iſtud portẽderet, & quid ipſis porrò eſſet faciendum. Docet ergo longius progrediendũ eſſe, & hunc eſſe miniſterij Euangelici finem, vt diabolus toto ſuo regno eijciatur. Spectabã (inquit) Satanam, vt fulgur, è cælo cadentem. Quorum verborum ſenſus eſt: Non nouũ mihi eſt, quod dicitis, neq; vos temere, vt incertus de euentu, emiſi ad prædicandum. Iampridem enim videbam Satanã ad Verbi mei prædicationem inſtar fulguris de cælo cadere. Hoc potius vobis curandum erit, vt vndiq; poſſeſſione malè occupata ille pellatur, & miſeri mortales ex eius tyrannide liberentur. Eſt hic inſignis locus, qui Euangelium ab effectu magnificè commendat. Per illud enim Satan è cælo, id eſt, o-*
Ioan. 8. *mni ſua poteſtate & gloria deijcitur, quod non alia ratione fieri poteſt. Quoad ſedes cæleſtes, iam olim deturbatus eſt, quando in veritate non ſtetit. Sed videri potuit priorem poteſtatem, adeoq́; cælos ipſos, rurſus occupauiſſe, quando in toto orbe terrarum regnum obtinuit per falſam doctrinam, ſuperſtitionem, idololatriam, effrenem peccandi licentiam & immaniſſima ſcelera, quæ vbiq; impunè graſſabantur. Imò cælos ſibiipſi nouos fabricauit, quando gentes ſuperſtitionibus dementatæ cultus*
Deut. 32. *diuinos Dijs fictitijs exhibuerunt, qui nuſpiam in rerum natura erant. Ita enim (vt Moſes & Pau-*
1. Cor. 10. *lus teſtantur) cultus ille omnis ad diabolum redibat, qui ſub idolis & Deorum illorum nomine colebatur.*

batur. Ergo iam non cælos modò in hominum animis occupauit, ſed Deum ſeſe fecit: quo nomine in ſcripturis princeps mundi & Deus ſeculi huius dicitur. Vt verò ipſe per Chriſtum deuictus eſt, qui caput eius contriuit: ita per Euangelij prædicationem regnum eius inter gentes quoque & toto orbe terrarum eſt euerſum. Facta enim mirabilis totius mundi mutatio, quando gentes relictis Dijs ſuis & ſuperſtitionibus ad Chriſti fidem tranſierunt; quando cultus illi magnifici paßim conciderunt, quando oracula ceſſarunt, in quibus Satan ſummum ſui regni præſidium conſtitutum habuit. Eò enim rem adduxerat, vt non priuati modò homines in rebus dubijs diuinos & fatidicos conſulerent, verumetiam Reges potentißimi nihil inconſultis oraculis facerent, quæ diabolus vel per idola, vel per mulieres malo ſpiritu abreptas reddebat. Nonne ergo è cælo ſuo deiectus eſt, & regno ſuo prorſus exutus? Quod autem olim eſt factum, hoc ipſum hodie etiam fieri videmus. Vbicunque enim Euangelij doctrina admittitur, ibi mox idolorum cultus corruit, ſuperſtitioſæ opiniones in hominum animis intermoriuntur, coercetur peccandi libido, ceſſant denique omnia, per quæ diabolus ſibi in nos regnum vendicat. Ex quibus apparet, eos demum in Euangelio rectè profeciſſe, in quibus Satan non amplius regnat, & qui ſtudijs eius omnibus ex animo renuntiarunt. Qui verò huius imperium adhuc ferunt, aut qui ſuperſtitiones; idololatriam, ſcelerum licentiam & alia Satanici regni fulcra atque præſidia reuocant & inſtaurant; ij ſatis oſtendunt, ſe neque infelicem illam tyrannidem, qua Satan homines premit; neque redemptionis per Chriſtum factæ beneficium vnquam rectè agnouiſſe, & proinde Euangelium quoque nunquam verè in animum admiſiſſe. Quæ enim communio luci cum tenebris? Chriſto cum Belial? 2. Cor. 6.

At ſingularem conſiderationem in Chriſti verbis meretur comparatio, qua diaboli ruinam fulguri confert. Poteſt id bifariam intelligi. Primò enim fulgur ſubitò emicat: ita Satan cum regno ſuo plerunque ſubitò & præter omnem expectationem corruit, quando hoc maximè confirmatum eſſe videtur. Factum hoc tempore Apoſtolorum, quando regnum ſuum ſic ſtabiliuerat Satan, vt nullis humanis rationibus euerti poſſet. Quoad Iudæos enim, hi per Romanos ſuo cultu, qui totus in ſuperſtitionem degenerauerat, liberè vti licebat. Gentium verò idololatria eorundem Romanorum authoritate defendebatur: & hi (vt Tertullianus ſcribit) contra Tiberij voluntatem Senatuſconſulto Chriſtum damnauerant, ne quis eum pro Deo coleret. Sed ecce duodecim viri obſcuri, ex inuiſa Iudæorum gente egreßi, Euangelium inter omnes gentes prædicant, & per hos ſubitò concidit regnum illud tenebrarum, quod tantis præſidijs Satan fulciuerat. Quòd ſi ad noſtra tempora accedas, idem videbis. Quis enim neſcit quantæ Pontificum vires fuerint, in quorum verba Reges & Imperatores iurare coguntur, vt reductas ex Iudaiſmo & gentiliſmo ſuperſtitiones atque ſedis illius Romanæ potentiam tueantur? Acceſſerunt per omnes vrbes diſpoſita monachorum, ſacrificorum & nobilium Canonicorum præſidia, quorum erat cauere, ne qua mutatio fieret, aut ne quis contra receptas ſuperſtitiones vel mutire auderet. At quando Deus humani generis miſertus lucem Euangelij denuo accenſam voluit, ſubitò exorti ſunt, qui magno zelo, nec minori ſucceſſu, nouum illud Satanæ regnum maxima ex parte euerterunt, & Eccleſiæ reformatio facta eſt, quam nemo auſus fuiſſet ſperare. Deinde fulguris emicatio terribilis quidem eſt, & loca omnia penetrat, ſed in momento euaneſcit: Sic quando è regno ſuo Satan deijcitur, terribiliter furit, & vires ſuas omnes exerit, vt vel tunc malum aliquod dare poßit, cuius furoris exemplum cap. 9. vidimus: ſed conatus iſte momentaneus & euanidus eſt, eò quòd neq; contra Chriſtum neq; contra eos aliquid poßit, qui huic per fidem ſunt inſiti. Debet ergo hæc fulguris & diaboli comparatio probè obſeruari vt ex ea conſolationem petamus, ſi quando Satan omnia in ſuam poteſtatem redegiſſe videtur; aut contra Euangelij prædicationem omnibus viribus inſurgit.

Diaboli ruina fulguri confertur.

Et huc facit ſecunda orationis Chriſti pars, qua conſolationem diſcipulis adhibet; qua illos ad futura certamina armat, dicens: Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem vim inimici: & nihil vos lædet. Alludit ad verba Pſalm. 91. vbi de pio ſub diuinæ prouidentia alis deliteſcente, inter alia ſcribitur: Pardum calcabis & aſpidem conculcabis leunculum atq; draconem. Hæc autem Chriſtus peculiariter verbi ſui adminiſtris accommodat, eò quòd his magis quàm alijs hominibus Satan inſidiatur. Hunc ſerpenti confert propter nocendi cupiditatem & quòd primos parentes ſub ſerpentis ſpecie decepit. Scorpionem quoque dicit propter ſingularem aſtutiam;

Chriſtus diſcipulos conſolatur.

qua in nobis circumueniendis vtitur. Vt enim ſcorpiones veſtibus & lectis ſeſe ingerunt, & caudam aculeo armatam indeſinenter mouent, ne feriendi occaſionem vllam negligant, adhæc recto & obliquo ictu feriunt: Ita Satan miris blanditijs ſeſe venditare & in ipſos animos inſinuare ſolet, & nocendi cupidiſſimus omnem occaſionem diligenter obſeruat, & ſiue recta ſiue palàm impia ſuadeat, non niſi hominis interitum quærit. Addit autem Chriſtus vim omnem inimici, vno verbo omnes illius vires & artes comprehendens, quibus nocere & hominum ſalutem euertere conatur. Huc ergo pertinent hypocritæ, ſophiſtæ, tyranni perſecutores, impiorum conſortia, & quæcunq; alia ſunt eius generis. At omnia iſta (inquit Dominus) nihil vos lædent. Ita verò eos excitat, vt in commiſſo munere conſtanter pergant, & inuicta fidei fortitudine aduerſus diabolum & eius membra pugnent, quando grauiora certamina inſtabunt. Nec vana fuit hæc promiſſio. Nam ex hiſtorijs conſtat, Apoſtolos & viros Apoſtolicos per Euangelium diabolo & omnibus eius membris ſuperiores fuiſſe: & quàmuis tandem ab illis crudeliter occiſi ſint, ne ſic tamen eos læſerunt: In fide enim vera defuncti nunc in cælis gaudent, in terris memoria eorum pijs omnibus iucunda & ſancta eſt, corpora verò in ſpe futuræ reſurrectionis quieſcunt, in qua & ipſa immortalitatem induent.

Quis finis debeat miniſtris propoſitus eſſe.

Interim admonet locus iſte omnes Euangelij miniſtros, quis finis in ſuo miniſterio ipſis propoſitus eſſe debeat. Olim quidem Papa Alexander, eius nominis tertius aduerſus Fridericum Barbaroſſam Imperatorem verbis iſtis non ſine publica Imperatoriæ Maieſtatis contumelia vſus eſt. Cùm enim ille ad pedum eius oſcula ſupplex procumberet, Papa impuro pede illius ceruicem calcans dixit: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. At nihil minus Chriſto in animo fuit, quàm Euangelij ſui præcones eiuſmodi poteſtate armare, qua legitimis magiſtratibus ſuperbè inſultent: ſed eius voluntas atque mandatum eſt, vt diabolum conculcent gladio ſpiritus iugulatum, & regnum eius, quod inter homines per ſuperſtitiones, idololatriam, falſam doctrinam & ſcelerum licentiam obtinet, euertere ſatagunt, vt illius ſeruitio liberati vni Deo viuere & ſeruire poſſint. Ad hunc ſcopum omnes verbi adminiſtri collimare debent, neque vllis Satanæ minis & conatibus deterreri, quò minus officium faciant. Quòd ſi Reges & principes ſeſe illis opponant, nihil tamen ſeditioſè agendum, ſed admonendi potius ſunt ſubditi, vt vel obedientia pia principum animos flectant, vel (ſi aliter fieri non poteſt) crucem patienter ferant, & in patientia ſua animas ſuas poſſideant. At quod verbi doctoribus dicitur, hoc ipſum omnes Chriſtiani ſibi dictum putent. Nam ſingulis quoque perpetua cum diabolo pugna eſt, quam Deus ipſe in prima rerum origine ſanciuit, ſerpenti dicens: Ponam inimicitias inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius. Cuius inimicitiæ typus in eo habetur, quòd & homines natura à ſerpentibus abhorrent, & hi viciſſim hominum conſpectum fugiunt quidem, ſed tamen quandocunque poſſunt nocent. Et Petrus Apoſtolus ad ſobrietatem & vigilantiam pios excitans, hanc cauſam ſubijcit: Nam aduerſarius veſter, diabolus, tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. At ne quis hæc audiens terreretur, mox addit: Cui reſiſtite firmi per fidem. Cur enim diabolum timeant, qui hunc à Chriſto iam olim deuictum eſſe ſciunt? Cur illius minis terreantur, qui per fidem Chriſto ſunt inſiti, petræ inuictæ, aduerſus quem ne portæ quidem inferorum aliquid poſſunt? Firmos ergo nos eſſe conuenit, neque aliquam timoris ſpeciem præbere. Vt primùm enim ſe timere ſentit improbus ille, mox criſtas erigit, & ſibi plenam victoriam pollicens maiori conatu contra nos inſurgit. Multò minus ei aliquid indulgere debemus. Vbi enim pedem ſemel fixit, illico vlterius progreditur, & indulgentia noſtra tandem in turpem ignauiam degenerans illum indies ferociorem & nocentiorem reddit. Eſt hæc doctrina admodum neceſſaria hodie, quando cum dolis vires quoque & arma Satan exerit, vt Chriſti regnum euertat, & nos ab eo auulſos æternæ exitio mancipet. Reſiſtamus ergo fortes in fide, neque dubitemus Dominum à nobis ſtare, qui (vt Paulus ait) hoſtem illum ſub pedibus noſtris conculcabit.

Remittit diſcipulos ad gratiam Dei, &c.

Tertia parte à carnis affectu, cui immerſi adhuc erant illi diſcipuli, ad altiora eos Chriſtus euehit, dicens: Veruntamen de eo ne gaudete, quòd ſpiritus vobis ſubijciantur: gaudete verò potius, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Non prohibet aut damnat ſimpliciter & abſolutè gaudium illud, quo tunc exultabant. Pium enim eſt gaudere donis Dei, maximè ſi his nos cum aliquo ſucceſſu vti videamus. Sed vt diximus, quod in ipſorum gaudio ex carnis ingenio vitioſum erat, id corrigit.

id corrigit. Eſt enim hoc vitium pijs etiam commune, quòd in externis & temporalibus Dei beneficijs hærentes, maiorum, quæ nobis in cœlo repoſita ſunt minus recordamur: cùm potius per illa ad horum contemplationem accendi deberemus. Itaque ne diſcipuli in hac dæmoniorum eiectione acquieſcerent, aut etiam paulatim aliquam de propria dignitate fiduciam conciperent, ad fontem omnis gratiæ & ſalutis eos remittit, Electionem nimirum gratuitam. Alludit autem ad morem in ciuitatibus bene conſtitutis receptum, in quibus ciuium nomina in libris publicis deſcripta habentur.
Quò Moſes quoque reſpexiſſe videtur, quando Deum rogabat, vt aut populo, qui peccauerat, cul- Exod. 32.
pam condonaret, aut ſuum nomen deleret de libro, quem ipſe ſcripſiſſet. Et in Apocalypſi mentio fre- Apoc. 3. 20. 21.
quens fit libri vitæ, qui ad regni cœleſtis & æternæ vitæ hæreditatem prædeſtinatos contineat. Quòd ſi quæras, quis aut qualis iſtè liber ſit, non alium monſtrare poſſumus, quàm Ieſum Chriſtum,
in quo nos priuſquam mundus hic crearetur, electos eſſe, Paulus non vno loco docet. Qui igitur in Ephes. 1.
Chriſto ſunt, eorundem nomina in cœlis in libro vitæ deſcripta ſunt. Eò igitur diſcipulos iſtos remittens Dominus, hanc ipſis gaudij omnis materiam eſſe debere docet, quòd Deus ipſos ab æterno elegerit, & quòd per Euangelij prædicationem vocati, electionis ſuæ certiſſimam teſſeram habeant, fidem, per quam ipſi inſiti & ciues regni cælorum facti ſint. Hoc verum & ſolidum Chriſtiani hominis gaudium eſt, quod Apoſtolus nobis ſæpius commendat, quando nos ſemper gaudere iubet in Domino. Quòd ſi ea ſpectemus, quibus homines in hoc mundo gaudent & exultant, omnia illa incerta, fluxa & plerunque per ſe noxia ſunt: quæ cauſa eſt, quòd eorum exultationes ferè finem triſtem & flebilem ſortiuntur. Imò ne miracula quidem ſolidi & æterni gaudij cauſa dici poſſunt, neque Euangelici miniſterij dignitas & felix in illo ſucceſſus: quando iſta apud hypocritas ſæpe inueniuntur, vt Chriſtus Matthæi ſeptimo capite docet. At quod hîc nobis commendatur gaudium, certum & perpetuum eſt, quod ne afflictionibus quidem grauiſſimis turbari poteſt. Sciunt enim pij electionem & vocationem Dei ſtabilem eſſe, cuius illum pœnitere non poſſit. Sciunt gratiam & miſericordiam Dei, quæ electionis cauſa eſt prima, inexhauſto & perenni fonte in credentes deriuari. Sciunt Chriſtum, in quo electi ſunt, paſtorem bonum & fortem eſſe, qui oues ſuas nouit, neque eas ſibi ex manibus ſuis eripi patiatur. Quapropter huius ſeculi laboribus, curis, moleſtijs, perſecutionibus, vinculis, tormentis, ſupplicijs denique diris & horrendis, adeò non mouentur, vt potius noua ipſis exultandi materia ſit, ſi ſe quoad crucem Filio Dei conformes factos videant.
Inde enim colligunt, quod Paulus docuit. Si cum eo morimur, cum eodem viuemus: Si toleramus, 2. Tim. 2.
cum eo regnabimus. In horum ergo conſideratione nos hodie exerceamus ô fratres, quando in nobis ipſis, quo gaudeamus, nihil eſt, in mundo autem non niſi triſtiſſima aut ſcelerum nefandiſſimorum, aut horribilium mutationum, perſecutionum denique & omnis generis calamitatum exempla occurrunt. Exultemus ergo nos in Chriſto Ieſu, in quo nos Pater ab æterno elegit, & qui verus ille liber vitæ eſt, in quem adſcripti, in cœlis olim cum ipſo viuemus atque regnabimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CI.

Eo ipſo momento exultauit Ieſus ſpiritu, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc abſconderis à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea infantibus: Etiam Pater, quia ita placuit tibi. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo nouit quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius reuelare. Tunc conuerſus ad diſcipulos ſeorſim dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiuiſſe videre, quæ vos videtis, nec vidiſſe, & audire quæ auditis, nec audiuiſſe.

Poſtquam ſeptuaginta diſcipuli Domino noſtro Ieſu Chriſto felicem ſuæ legationis ſucceſſum expoſuerunt, præclaram & dulcem conſolationem ille ſubiecit, qua & illos in poſterum aduer-

ſus omnem periculorùm metum confirmat, & Euangelij ſui miniſterium magnificè commendat. Docet enim per hoc Satanam è regno ſuo deturbari, & ſimul plenam hanc vincendi poteſtatem concedit. Quæ etſi de verbi adminiſtris præcipuè dicantur, generalem tamen conſolationem continens, quam omnes Chriſtiani ſibi priuatim accommodare debent. Omnibus enim perpetua cum diabolo pugna eſt, cùm hic quidem ſaluti ipſorum nunquam non inſidias ſtruat, illi verò ipſum nullo modo admittere aut ferre poſſint. Quàmuis autem ille vires ſuas terribiliter oſtentet, nihil tamen contra eos poteſt, qui Chriſto inſiti, & boni illius paſtoris oues ſunt, qui neminem ſibi eripi patitur. His commodiſſimè cohæret locus, quem modò recitauimus, in quo de auditoribus Euangelij primùm, deinde de ſemetipſo ita Dominus diſſerit, vt varia ſcandala remoueat, quæ hîc incidere conſueuerunt. Poſtremò eorum felicitatem prædicat, quibus datur ipſum iam exhibitum mundi ſeruatorem cognoſcere.

De Euangelij auditoribus agitur.

Primùm ſcandalo occurrit, quod ex contempta & vili Eccleſiæ ſpecie naſcitur, dum ad hanc fere homines mundi iudicio ſtulti & rerum ignari, adhac obſcuri & ignobiles, per Euangelij prædicationem colliguntur, abhorrentibus interim ab illa ijs, qui ſummam ſapientiæ exiſtimationem ſuſtinent, & apud omnes in pretio habentur. Et quia multum in eo ſitum eſt, ne hîc carnis iudicium audiamus, magna grauitate & ſingularis affectus ſignificatione rem iſtam tractat. Primò enim ſcribit Lucas. Eo ipſo momento exultauit Ieſus ſpiritu. Tempus indicat, quia ex hoc data fuit occaſio de his dicendi. Cùm enim diſcipulos cùm gaudio reuerſos lætum ſuæ functionis ſucceſſum exponentes audiuiſſet, & ipſe de mirabili Euangelicæ prædicationis effectu verba feciſſet, ſimulq́ animo volueret, qualem & quàm inſignem Eccleſiam breui eſſet habiturus, ex obſcuris quidem & nulla huius ſeculi ſapientia turgentibus ſed omni virtutum genere ornatiſſimis hominibus collectam, tunc (inquam) exultauit ſpiritu, id eſt, toto animo gauiſus eſt, & gaudium hoc haud dubiè non verbis modò, verumetiam geſtu & vultu eſt teſtatus. Deinde ne gaudium & exultatio iſta carnalis eſſe putaretur, Deo patri gratias agit, dicens: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, &c. Confitendi verbo vtitur Hebraica phraſi, qua Deo confiteri dicuntur, qui ei veritatis, iuſtitiæ, bonitatis, ſapientiæ & miſericordiæ laudem tribuunt atque illius beneficia celebrant. Publicè ergo prædicat bonitatem & veritatem Dei Patris, qui nunc præſtare incipiat, quod ab æterno decreuit. Vocat autem Dominum cæli & terræ, vt eorum audaciam retundat, qui in hac cauſa curioſis quæſtionibus Dei decretum vellicant. Tertiò quid nam illud ſit, docet: Quòd hæc abſconderis à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea infantibus. Et quia hoc carni abſurdum, vel etiã iniquum videtur, rurſus ad Dei decretum ſiue voluntatem nos relegat, addens: Etiam Pater, quia ita placuit tibi.

De fide & Euangelio non iudicandum ſecundum externam ſpeciem Eccleſiæ. Ioan. 7.

Docent autem hæc Chriſti verba, de fide Chriſtiana non iudicandum eſſe ſecundum externam Eccleſiæ ſpeciem, & eorum in hoc ſeculo conditionem, qui hanc amplectuntur. Nam ſi hoc facere libeat, ipſe etiam Chriſtus reprobandus erit, in quo nihil præter inopiam, contemptum, infamiam & omnia ea videre licet quæ mundus pro infauſtis & pro extrema miſeria reputat. Et hic ille lapis eſt, ad quem Iudæorum principes impegiſſe, ipſorum verba teſtantur, quando ſeruis illius doctrinam cum admiratione prædicantibus reſponderunt: Num & vos ſeducti eſtis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Phariſæis? Sed turba iſta, quæ non nouit legem, execrabilis eſt. Quo argumento etiam hodie multi in propriam pernitiem vtuntur, dum non quid Euangelio tradatur reſpiciunt, ſed quales ſint, quoad huius ſeculi conditionem, qui illud docent & ſequuntur. At nos excluſo & reiecto procul carnis & mundi iudicio, hoc potius obſeruemus, quòd Chriſtus in ſpiritu exultat propter paucos illos & contemptos diſcipulos, qui mundo pro infantibus, & ſtultis habentur. Ergo qualeſcunq́ ſint fideles, quoad externam ſpeciem, peculium Dei & vnicus ille Chriſti theſaurus ſunt, in quo ille ſibi mirificè placet, in quo acquieſcit, in quo deniq́ gaudet & exultat, vt pater in dulciſſimis liberis, & vt ſponſus in ſponſa dilectiſſima, quam diu adamatam multo labore ſibi tandem acquiſiuit. Nam vt Paulus de ſemetipſo dicit, dilexit nos Chriſtus & ſemetipſum pro nobis tradidit. Galat. 2.

Non quæramus cur infantibus reueletur Chriſtus.

Neque hîc eos audiamus, qui non tam curioſis & ſupernatatiuis quàm impijs quæſtionibus Dei gratiam exagitant, dum quærunt: Cur verò ſtultos, infantes, obſcuros & omnium iudicio contemptiſſimos elegit Deus, vt ipſis Filij ſui cognitionem & regni ſui myſteria reuelet? Cur eos præterit,

quorum authoritas & exemplum multos alios attrahere poteſt? Quibus vno verbo Paulus reſpondet: Tu quis es ô homo, qui ex aduerſo reſpondes Deo? Annon habet poteſtatem figulus luti, vt Rom. 9.
ex eadem maſſa fingat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Et quis obſecro eſt, qui Deum ſibi debitorem poſſit dicere? Quòd ſi nemini quicquam debet, cur ergo eum in iudicium vocamus? cur ab illo eorum quæ agit rationem exigimus? Quin potius ſufficiat nobis, eum ſit velle, qui eſt Dominus cæli & terræ, & proinde libera poteſtate regni ſui theſauros, prout ipſe voluerit, diſpenſare poteſt. Tibi licet in domũ tuam recipere quos velis, & ab eadem quos volueris excludere: Et tu Deo idem ius in ſua domo non concedes? Et quam aliam rationẽ in præſenti Chriſtus affert? Num Patris arcana & decretum curioſius & altius ſcrutatur? Minimè. Sed ait: Etiam Pater, quia ita tibi placuit. Quòd ſi ergo æternus Dei Filius, relictis omnib. alijs diſputationibus in Patre εὐδοκίᾳ, id eſt, voluntate & decreto acquieſcit, quis non temerarium & imperium facinus dixerit, nos homunciones, imò vermiculos vnius horæ, altiora ſcrutari & ſcire velle? Vt tamen humanæ curioſitati, quæ infinita & inſatiabilis eſt, aliquo modo ſatisfaceret Spiritus ſanctus, rationẽ diuini huius decreti aliquam nobis per Paulum Apoſtolum reuelauit, qui in priori ad Corinth. 1. cap. ſic ſcribit: Videtis vocationem veſtram fratres, quòd non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: Verùm quæ ſtulta ſunt in mundo, elegit Deus, vt pudefaciat ſapientes: & quæ ſunt infirma in mundo, elegit Deus, vt pudefaciat ea quæ ſunt robuſta: & quæ ignobilia ſunt in mundo, & pro nihilo habita, elegit Deus, & ea quæ nõ ſunt, vt ea quæ ſunt aboleret: Vt ne glorietur vlla caro coram eo. Ergo ad Dei gloriam illuſtrandam, & carnis ſuperbæ confidentiã atq; arrogantiam retundendã facit diſpenſatio hæc diuinorum myſteriorũ, cuius in præſenti meminit. Quid ergo vltra quærimus, quando omnium hoc eſt officium, vt repreſſa carnis inſolentia & ambitione, quæ primos parentes perdidit, vires ſuas omnes ad gloriam Dei illuſtrandam conferant?

Nunc Chriſti exemplum obſeruemus, qui credentiũ acceßione gaudet & exultat. Eo admonemur, nobis etiam in hoc exultandum eſſe, quando fidelium numerus augetur, & regnum Dei latius propagatur: ideoq; (quod modò monuimus) huc omnes ſtudia ſua conferre debent pro ratione vocationis ſuæ & talentorum, quæ à Domino acceperunt. Et huius nos Oratio Dominica admonet, in qua inter alia petimus: Adueniat regnum tuum. Videndũ ergo ne ſtudia noſtra cum precatione illa pugnent, & in Dei conſpectu hypocritæ deprehendamur. Obſeruarũt hoc diligenter ſanctißimi quiq;, quorum hoc præcipuum ſtudium fuit, vt per ipſos alij plures ad verbi Dei cognitionem atq; cultum adducerentur. Hoc nomine ab ipſo Domino cõmendatur Abrahamus pater credentium. Dauid certè cum regni rebus vtcunq; pacificatis de cultu Dei inſtaurando cogitaret, & arcam Domini in ciuitatem ſuam deduceret, tanto gaudio perfuſus fuit, vt regiæ dignitatis tantumnõ oblitus, Ephod indueret, & in conſpectu totius Iſraelis cithara ludens ſaltaret. Et hic prouehendæ gloriæ Dei zelus tot nobis tam Veteris quàm Noui Teſtamenti Martyres dedit, qui ſibi moriendũ potius putarunt, quàm ea facere, quæ in veri Dei contumeliam ceſſura videbant. Alios quoq; non alia ex re maiorem dolorem concepiſſe conſtat, quàm ſi fideles tolli & cultum Dei imminui vel aboleri cernerent. Elias Propheta mori optabat, quòd ſe ſolum in Iſraele relictum putaret ex cultorũ Dei numero. Et vt ad 1. Reg. 19.
Dauidem redeamus, in ſuo exilio nihil illi moleſtius fuiſſe nonnulli Pſalmi teſtantur, quàm quòd ab externis veræ religionis exercitijs excluderetur. In multis verò alijs Pſalmis amaræ piorũ querelæ continentur de Eccleſiæ oppreßione, de Dei templo vaſtato, & cultu verò extincto. Quæ exẽpla ſatis docent, quo loco habendi ſint, quibus dolet, ſicubi Euangelium propagari & ad huius doctrinam acceßionem nouam fieri audiunt. Quantò autem his peiores ſunt, qui cùm Chriſtianum nomen profitentur, curſum tamen Euangelij manibus pedibuſq; impediunt, & non contenti propria incredulitate, vel impietate potius, alios quoq; in erroribus & tenebris detinere ſtudent? Eſt horum ingens numerus hodie, quorum iudicium non dormitat. Nam quantum in ipſis eſt, gaudium Chriſti impediunt, & ſpiritui ſancto ſeſe opponunt, qui nihilominus ſpirabit vbicunq; ipſe voluerit, illi autem ſentient aliquando, quid ſit in Solem expuere.

Gaudendum eſt ob acceßionem multorum ad regnum Dei.

Præterea admonent nos verba hæc, qui nam verè idonei ſint ad audiendum verbum Dei & Chriſtum amplectendum. Patrem myſteria hæc regni ſui abſcondiſſe dicit à ſapientibus & intelligentibus, reuelauiſſe autem infantibus. Quo loco non vult ſapientiam damnare, qua

Qui idonei ſint auditores Euangelij.

quæ præclarum Dei donum, & ad res rectè agendas non vtilis modò, verumetiam neceſſaria eſt: quemadmodum neque ignorantiam & inſcitiam laudat, quæ potius vituperium meretur. Sed primò, vt huius mundi ſapientibus criſtas detrahat, rudes autem & ob rerum ignorantiam contemptos ſoletur, docet, carnis ſapientiam nihil facere ad fidei cognitionem & ad regnum Dei conſequendum, & è contra neminem ignorantia impediri, quò minus à Spiritu ſancto illuminari & ad cognitionem veritatis adduci poßit. Deinde non ſimpliciter inſcios & ignaros rerum vel ſtultos, ſed infantes nominat, vt inde colligamus, quales nos fieri oporteat, vt ipſum agnoſcere & vera fide amplecti poßimus: Infantes nimirum, qui carnis ſapientiæ renuntiauerint, ſeque ipſos abnegarint, vt ſe totos Dei verbo per fidei obedientiam ſubijciant. Idem alibi monet, quando de primatu contendentes infantum ſimiles vult fieri, & niſi tales fiant, in regnum Dei ingreſſuros eſſe negat. Nam vt homo animalis non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ita quoad illius ratione & conſilio ducimur, ad veram regni Dei & ſalutis æternæ cognitionem peruenire non dabitur. Ideo noſtrijpſius abnegationem alibi Chriſtus requirit, quam Apoſtolus per veteris hominis aut carnis mortificationem exprimit. Et huc
1.Pet.2. *pertinet, quòd Petrus in priori epiſtola, poſtquam nos ex verbo Dei renatos eſſe docuit, mox ſubijcit: Proinde depoſita omni malitia & omni dolo, & ſimulationibus, & inuidentijs, & omnibus obtrectationibus, vt modò nati infantes lac illud ſermonis ſyncerum expetite, vt per illud adoleſcatis. Ea vitia deponere iubet, quæ homini propria ſunt, adeoque nobiſcum naſcuntur. Radix omnium malitia eſt, innata nimirum naturæ noſtræ vitioſitas. Parit hæc dolos & ſimulationes, quibus ita addicti ſumus, vt paucos inuenias, qui non alij ſint, quàm foris appareant. Sequitur inuidentia, id eſt, dolor, qui ex aliorum proſperis ſucceßibus naſcitur, & niſi initiò ſtatim enecetur, obtrectationes parit, calumnias item, conuitia, iniurias omnis generis, & nonnunquam ad verbera & cædes vſque deſcendit. At qui ab iſtis omnibus alieni ſyncero animo cum omnibus verſantur, ſuas res negligunt alienas curant, vindictæ cupiditatem facilè reſtinguunt, denique ſe totos ad charitatis regulam componunt, ij mundo infantes, ſtupidi, ſtulti, fanatici, imò dementes dicuntur. Sed hi illi ſunt, quibus cæleſtis Pater æternæ ſalutis myſteria reuelat, & quos ad regni ſui hæreditatem inuitat. Neminem ergo impiorum calumniæ & peruerſa mundi iuditia moueant. Sufficiat nobis Chriſtus, in quo theſauri omnis ſcientiæ & cognitionis reconditi ſunt, & qui nobis à Patre ſapientia eſt factus, quæ nos à recto tramite deuiare non ſinet.*

Chriſtus ſuam authoritatem aſſerit. *Tranſeamus nunc ad alteram huius loci partem, qua de ſemetipſo agit Dominus, & quod ex eius vili atque contempta ſpecie naſcitur ſcandalum remouet. Sic enim ait: Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo: & nemo nouit quis ſit Filius, niſi Pater, &c. Quorum verborum ſenſus hic eſt: Scio me à pleriſque contemni, nec pro eo, qui reuera ſum, agnoſci: eò quòd non magnifico ſplendore neque pompa regia aut numeroſo ſatellitio, armorumque ſtrepitu, vt huius ſeculi principes ſolent, me oſtentem. Sed qualiſcunque videar, ſum tamen vnigenitus ille & dilectus Dei Filius, cui Pater omne iudicium & omnem poteſtatem in cælo & in terra tradidit. Quòd verò non omnes me recipiunt, hinc eſt, quòd præter Patrem nemo ſcit qui ſim, & cui ille hoc reuelare voluerit: quemadmodum è contra nemo Patrem nouit, niſi Filius, & cui is illum reuelare dignatus fuerit. Ita verò docet, hominum ignorantiam & incredulitatem ipſius maieſtati nihil derogare, & ſimul in Spiritus ſancti ſcholam eos remittit, qui in veri Dei & ſalutis propriæ cognitione proficere cupiunt. Sunt autem hîc præterea hæc conſideranda.*

Potentia Chriſti diuina. *Primum eſt eximia planeque diuina Chriſti potentia atque maieſtas, de qua ſic diſſerit, vt ſingula verba ad eius illuſtrationem faciant. Nam primo OMNIA (inquit) mihi tradita ſunt. Nihil ergo excipitur, ſed penes Chriſtum eſt imperium cæli & terræ, ſpirituum bonorum & malorum, regnorum mundi huius, maris, animalium terreſtrium, aquatilium, volatilium, populorum omnium, hominum item ſingulorum, denique omnium, quæcunque ingens hæc mundi machina continet. Eſt ergo verè is, quem ſcriptura Dominum exercituum vocare ſolet. Creatis enim omnibus tanquam copijs aut exercitibus ad nutum ſuum paratis vtitur. Deinde ait: TRADITA ſunt mihi. Quod ſecundùm aſſumptam hominis naturam ab eo dicitur. Nam quoad diuinitatem, Patri coæternus & coeſſentialis, gloria & poteſtate nunquam caruit, quod ipſemet teſtatur, quando*
Ioan.17. *iam mortem aditurus dicebat: Glorifica me tu Pater apud temetipſum ea gloria, quam habui apud*

te priuſ-

te priuſquam hic mundus exiſteret. At qui gloriam & poteſtatem ab æterno habuit, quatenus Deus eſt æternus, huic illa etiam quoad humanitatem data eſt, quando ex Patris decreto hominem aſſumpſit. Et ita hoc exponit optimus interpres, Paulus Apoſtolus, ad Philippen. ſic ſcribens: Ipſe ſe inaniuit forma ſerui ſumpta, ſimilis hominibus factus, & habitu compertus vt homo: Ipſe ſe ſubmiſit factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatẽ, ac donauit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen: Vt ad nomen Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium ac terreſtrium & ſubterraneorum, omniſque lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus ad gloriam Dei Patris. Interim tradendi verbum nos admonet, poteſtatem hanc Chriſti legitimam eſſe, vt quam non ipſe ſibi temere vſurparit, ſed legitimè traditam acceperit. A quo nam? Num à Satana, qui in montem altiſſimum ſubducto omnia huius mundi regna & eorum gloriam monſtrauit aliquando, & ei ſe illa omnia daturum eſſe promiſit, ſi ipſum adoraret? Minimè gentium. Sed A' PATRE MEO, inquit. Quod poteſtatem hanc non modò legitimam & ordinariam, ſed firmam quoq; & ſtabilem eſſe innuit. Quis enim Filio eripiat, quod à Patre Deo accepit? Aut quo iure à paterna hæreditate idem ille deijciatur? Hæc autem non ſine cauſa diligentius annotamus. Ex iſtis enim ſequitur, omnes homines, cuiuſcunq; ſexus, ætatis, loci aut ordinis ſint, Chriſto obedientiam debere voluntariam, & rebellionis reos eſſe apud Dei tribunal omnes, qui illum pro ſuo Rege agnoſcere dedignantur. Ideo Dauid in ſpiritu hanc illius gloriam præuidens dicebat: Sapite ergo ô reges, erudimini iudices terræ. Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore. Oſculamini Filium ne iraſcatur, & pereatis de via. Deinde dulciſſimam conſolationem habet hæc poteſtatis Chriſti conſideratio. Quia enim ille in omnes ius habet & imperium, non eſt quòd timeamus, ne quis nos ei eripiat, aut illo inuito lædat. Nec negligere poterit eos, quos ipſi Pater tradidit: imò eoſdem vult eſſe vbi ipſe eſt. Sed & ne mors quidem nobis timenda eſt, tùm huius quoq; ſit Dominus & eam in ſe credentibus ex peccati pœna in lætam profectionem ſiue tranſitum ex hac lachrymarum valle in patriam cœleſtem commutarit.

Philip. 2.

Pſalm. 2.

Secundò obſeruari hîc debet, Ieſu Chriſti veram & ſalutarem cognitionẽ hominibus à ſolo Deo Patre obtingere, quando is ſpiritus ſancti luce corda noſtra illuſtrare dignatur. Docet hoc alibi quoq; Dominus. Nam apud Ioannẽ ait: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Et Petro, qui præclaram de ipſo cõfeſſionem ædiderat, dixit: Beatus es Simon Bar Ionæ, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus cœleſtis. Et Iſaias credentes omnes θεοδιδάκτους, id eſt, à Deo edoctos fore vaticinatur. Inde ſequitur, eos ſolos Chriſtum verè nouiſſe, qui Patrem de illo teſtantem audiunt. Habentur autem huius teſtimonia paſſim in ſcripturis tam Veteris quàm Noui Teſtamenti. Huc enim primæ promiſſiones pertinent, quibus docetur, illum eſſe ſemen illud mulieris, quod ſerpentis caput conculcaturum ſit, & in quo omnes gentes benedici oporteat. Huc typi legales faciunt, quibus totũ eius ſacerdotium & ſacrificium, quod pro peccatis mundi offerre debuit, adumbratur. Quæ apud Prophetas habentur, longum foret recenſere. Sufficiat ergo omnium epiſomen audire, quæ in eo teſtimonio habetur, quod illi iam in carne manifeſtato cœlitus magna cum maieſtate dedit, & bis quidem, quò minus dubia eſſet illius authoritas. Eſt hoc eiuſmodi: Hic eſt Filius ille meus dilectus, in quo placatus ſum: hunc audite. Sunt huius teſtimonij partes duæ, quarum prior Chriſti perſonam, altera officium deſcribit. Ad perſonam pertinet, quòd eum, quem verum hominem eſſe omnibus conſtabat, Filium ſuum vocat: nimirum verum ex ſe genitum, ſibi coæternum & conſubſtantialem. Id innuit Dilecti vox, quæ de nullo hominum aliter quàm ex gratia pronuntiari potuit, cùm omnes natura filij iræ eſſent. Et huc facit, quod Chriſtus apud Ioannem Patri dicit: Dilexiſti me ante iacta fundamenta mundi. Eſt ergo Chriſtus in vna eademq; perſona Deus verus & homo verus: Deus quidem ab æterno, homo autem factus ex muliere (vt Paulus ait) cùm præfinitum illud tempus iam adueniſſet. In quẽ verò finem? aut quod eius fuit in carne aſſumpta officium? Vt Patrem nobis placaret, qui prius propter peccata toti generi humano iratus erat. Id quomodo fecerit, & vt hodie adhuc pro nobis intercedat, alibi ſæpe eſt dictum. In his ergo Chriſti cognitio conſiſtit, quam nobis per verbum ſuum Pater propria voce cœlitus reuelauit. In illa ergo non minus turpiter quàm pernicioſe falluntur, qui vel Deum verum & æternum eſſe negãt, vel humanitatem eius in dubiũ vocant. Errant etiam, qui cùm priora hæc fateantur, non tamen illo vno contenti ſunt,

Chriſti cognitio à ſolo Patre obtingit.
Ioan. 6.
Matth. 16.
Iſa. 54.

Ioan. 17.

ſed alios ſibi mediatores & interceſſores quærunt, quorum interceßione ipſis Pater reconcilietur, nequicquam Chriſto clamante: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Cùm ergò Filium nemo norit, niſi Pater, hic autem quis ille ſit tam clarè, tam perſpicuè, tamq; grauiter teſtetur, huius teſtimonio nos inſiſtere decet, nec quicquam aliud admittere, quod illi vel minima ex parte aduerſatur.

Patris cognitio per Filium obtingit.

1.Tim.6.

Ioan.1.

Tertiò non minus obſeruatu dignum eſt, Patris quoq; cognitionem non haberi, niſi hunc nobis Filius reuelarit. Nam vt Paulus ait, habitat ille lucem inacceſſam, neq; tanta eſt humani intellectus lux, vt propria facultate ad eum vſq; penetrare, vel immenſam atque infinitam eius maieſtatem & quæ alia illi propria ſunt compræhendere poßit. At qui talis eſt, ſeipſum nobis in Filio manifeſtauit, qui vt eſt ſplendor gloriæ & character perſonæ ipſius, ita nobis omnia ea tradidit, quæ de illo cognitu neceſſaria ſunt. Ideo Ioannes Euangeliſta ſcribit: Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille nobis enarrauit. Damnantur igitur hoc loco omnium gentium religiones, quæ Chriſtum non nouerunt, aut etiam contumelioſe reijciunt. Nam abſq; Dei cognitione religio vera conſiſtere non poteſt: illum autem non niſi in Filio cognoſci, hic tam diſertè affirmatur, vt de eo amplius diſputare nefas ſit. Adhæc Philippo Chriſtus dicebat: Qui me vidit, Patrem vidit. Quæ propoſitio rectißimè conuertitur, vt dicamus: Qui non vidit Filium, ne Patrem quidem vidit. Habuerunt quidem cognitionẽ aliquam Dei gentes, quam (vt Paulus ad Romanos ſcribit) ex huius mundi & partium eius contemplatione conceperunt: at quia Chriſti notitia deſtituti fuerunt, in errores & ſuperſtitiones abſurdißimas prolapſi ſunt. Et Iudæi ſe ſolos eſſe arbitrantur populum illum ſapientem, penes quem ſit vera Dei cognitio: ſed quia Chriſtum faſtidiunt, in tenebris oberrant, & Thalmudicis fabulis circunduci ſeſe patiuntur, quibus nihil abſurdius, nihil ineptius, nihil putidius & magis impium fingi poteſt. Eadem eſt Turcarum conditio, qui vnius Dei creatoris cœli & terræ cultu atq; adoratione gloriantur, de Chriſto item nonnulla honorificè prædicant, quem Dei verbum, Dei animam & ſpiritum eſſe, & nouißimo die venturum fatentur, vt viuos & mortuos iudicet: quia tamen Dei Filium non agnoſcunt, adhæc incarnationis myſterium ignorant, crucis & mortis eius meritum negant, vana & inanis eſt illorum fides & religio, quæ tota Mahumeticis traditionibus, partim ſtultis & ridiculis, partim impijs & nefandis conſtat. Quòd ſi Papiſticæ ſuperſtitionis ſectatores inſpiciamus, hæc illis quoq; omnium errorum & ſuperſtitionum cauſa eſt, quòd etſi Chriſtum in ore habeant, vera tamen & ſolida meriti & officij ipſius cognitione deſtituuntur. Hinc enim Miſſæ ſacrificium, hinc operum noſtrorum merita, hinc ſatisfactioner, hinc ſacra pro defunctis, hinc Diuorum interceßio & inuocatio, hinc Romanæ indulgentiæ, hinc purgatorius ignis, fraternitates, monaſtica vota, emptitiæ preces & ſexcenta alia originem duxerunt. Adde his, quòd ſola fides in Chriſtum iuſtificat, & vitæ æternæ participes facit. Inutilis ergo omnis religio & cultus Dei, qui abſq; fide inſtituitur. Ideo apud Ioannem Chriſtus ait: Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem: Qui non honorat Filium, nõ honorat Patrem, qui miſit ipſum. Poſſent hæc copioſißimè tractari, ſed nos vſum iſtorum obſeruemus, qui eſt vt totos nos Chriſti cognitioni dedamus, in quo non ſolum Dei iuſtitia, ſapientia, omnipotentia & quæ alia in illo gentes agnouere, cernuntur, verumetiam inexhauſta eiuſdem bonitas, infinita miſericordia, & imprimis æternum illud eius decretum manifeſtatur, ex quo tota humani generis redemptio dependet. Quæ cognitio ſola fidem veram parit, & proinde ſola ſalutaris eſt.

Ioan.14.

Ioan.5.

Cognitio Dei quam pretioſa ſit.

1.Cor.4.

2.Cor.3.

Philip.2.

Admonet nos præterea locus iſte, quantus & quàm pretioſus veræ cognitionis Dei theſaurus ſit. Nam quæcunque alia in mundo magnifica habentur, ea vel pretio, vel labore & induſtria acquiri poſſunt. At Dei cognitio omnem humani ingenij induſtriam & acumen ſuperat, & non niſi cœlitus ex Spiritus reuelatione obtingit. Inde ſequitur, non ſuperbiendum eſſe ijs, qui ſe iſta cognitione illuminatos eſſe ſentiunt. Quid enim habens, quod non acceperint? Itaque Deo potius grati ſint, & memores ſe theſaurum hunc pretioſißimum in teſtaceis, imò vitro fragilioribus vaſis geſtare, ſalutem ſuam operentur cum timore & tremore. Diſcimus item non temere damnandos aut reijciendos eſſe eos, qui Dei cognitione adhuc deſtituti ſunt. Poteſt enim hos quoque illuminare Deus, cuius electio & vocatio libera eſt, nec vlli hominum aut perſonarum reſpectui alligata. Interim noſtrum fuerit docendo & monendo apud omnes inſtare, precibus item iuuare ſalutem omnium hominum, ſi alia ratione id facere non poſſumus.

Porro

Porro his publicè dictis, Chriſtus ad diſcipulos conuerſus, illos docet, quàm felix & beata ſit Felicitas eorum
ipſorum conditio, vt ea ratione ipſos magis animet & confirmet, ne vllis periculis ſeſe ab ipſo abduci qui Chriſtum
patiantur. Beati (inquit) oculi, qui vident, quæ vos videtis. Habet ſermo hic exclamationis ſpeciem verè agnoſcũt.
quæ ad amplificationem facit. Et mox cauſam ſui dicti reddit: Dico enim vobis, multos Prophetas
& Reges cupiuiſſe videre quæ vos videtis, nec vidiſſe: & audire quæ auditis, nec audiuiſſe. Quæ
verba non intelligi debent de externo ſpectaculo, quo Phariſæi quoque & alij eius hoſtes ipſum &
miracula eius viderunt: ſed de contemplatione fidei, qua diſcipuli ipſum videbant eſſe Filium Dei,
& promiſſum humani generis redemptorem, in quo implerentur, quæcunque olim Deus patribus
pollicitus fuit. Habuerunt quidem illi promiſſiones ampliſſimas & illuſtria vaticinia de Chriſto,
& quia his crediderunt, per eam fidem ſeruati ſunt. Interim tamen fieri non potuit, quin incredibili
deſiderio arderent coram videndi promiſſum illum ſeruatorem, qui maledictionem auferret, bene-
dictionem reduceret, & miſeros mortales cum Deo Patre verè & plenè reconciliaret. Hoc de Abra
hamo Chriſtus teſtatur, quem geſtiuiſſe dicit, vt diem ſuum videret. Et quantum Dauidis deſide- Ioan. 8.
rium fuerit, ex eo apparet, quòd locum templi (quo promiſſus ille redemptor figurabatur) tanto ſtu-
dio quæſiuit, vt cum iureiurando diceret: Si tabernaculum domus meæ ſubiero, ſi conſcendero ſpon- Pſalm. 132.
dam lecti mei: Si conceſſero oculis meis ſomnum, & palpebris meis dormitionem: Donec inueniam
locum Domino, & habitaculum forti Iacob, &c. Adde his, quod Petrus ſcribit, Prophetas veteres 1. Pet. 1.
Chriſti ſpiritu ductos magna dilgentia eius afflictiones & inde ſecuturam gloriam inquiſiuiſſe:
Quod nunquam facturi erant, niſi ardentiſſime eius videndi deſiderio fuiſſent accenſi. Et hoc illud
eſt, de quo in præſenti Chriſtus loquitur, vt diſcipulorum beatitudinem amplificet, quibus datum
erat ipſum coram videre & docentem audire. Vbi meminiſſe oportet, illum non minus nobis loqui,
qui etiam hodie ipſum in Euangelio videmus & audimus, adeoque præſtita habemus, quæ veteres
futura ſperabant. Excitet nos huius beneficij conſideratio, vt Deo grati ſimus, & alia huius nouiſſi-
mi ſeculi incommoda patienter feramus: imprimis autem conſtanti fide retineamus Ieſum Chri-
ſtum, in quo vno vita & ſalus habetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æter-
num. Amen.

HOMILIA CII.

Tum ecce, quidam Legis interpres ſurrexit tentans eum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſsidebo? At ille dixit ei: In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ille verò reſpondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione tua: & proximum tuum vt teipſum. Tum ille dixit ei: Rectè reſpondiſti, hoc fac & viues.

POſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ijs, quæ præceſſerunt, de Euangelij ſui prædicatione & eiuſdem effectu diſſeruit, inde in ardentem gratiarum actionem erupit, qua Dei Patris iuſtitiam ſimul & bonitatem prædicat, qui hæc regni ſui & æternæ ſalutis myſteria hominibus mundi iudicio ſtultis & contemptis reuelare dignatus ſit, abſconderit autem à ſapientibus & intelligentibus. Vbi didicimus, qui nam digni & idonei Verbi diuini auditores ſint: ij nimirum, qui carnis rationi & ſapientiæ renuntiant, & relictis huius ſeculi rebus omnibus, in hoc vnum intenti ſunt, vt Deo ſeſe ſubijciant per obedientiam fidei. Putantur hi eſſe ſtultiſſimi mortalium, ſed ijdem veræ illius & cæleſtis ſapientiæ capaces ſunt ſoli, quæ homines in via iuſtitiæ & æternæ ſalutis dirigit. E contra hanc admittere non poſſunt, qui humanæ ſapientiæ fiducia turgent, quæ vel præſentibus intenta res cæleſtes & æternæ vitæ præmia negligit, vel ſalutem noſtris viribus & noſtrorum operum meritis acquiri poſſe docet. Quod vt rectius intelligamus, commodè nunc Lucas eius rei exemplum ſubijcit in quodam Legis doctore, qui ea ipſa hora, qua hæc à Chriſto dicta ſunt, talem ſe præbuit, vt in eo ceu in ſpeculo lucidiſſimo videre liceat, quàm arroganter ſeſe illi opponant, qui ſua

ſapientia nituntur. Quia autem hiſtoria hæc doctrinam quoque præclaram & perfectam de vita rectè pieq́ ſecundum charitatis regulam inſtituenda continet, digna eſt, cuius ſingulæ partes diligentius ex ordine conſiderentur.

Exemplum ſapientum huius ſeculi.

Principiò Legis interpres producitur, de quo ſic ſcribit Lucas: Tum ecce quidam legis interpres ſurrexit, tentans eum & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poßidebo? Emphaſim habent duæ iſtæ particulæ, Tum ecce, vel (vt in Græco habetur) καὶ ἰδοὺ, & ecce, quod idem eſt, cùm copulatiua particula hæc præcedentibus connectat, & Doctorem hunc aduerſus Chriſtum de tantis myſterijs diſſerentem inſurrexiſſe oſtendat. Perinde ergo hoc eſt, ac ſi diceret: Cùm Dominus iſta tanto cum affectu pronuntiauiſſet, vt meritò terreri debuerint, qui hucuſque propriæ ſapientiæ fiducia inflati fuerant, adeò tamen apud eos nihil profecit, vt ecce præter omnium expectationem eo ipſo momento ſurgere auſus fuerit quidam legis interpres, qui illum quæſtione captioſa aggrederetur, qua eum irretire & populo inuiſum vel contemptum reddere conatus eſt. Eſt ergo hoc memorabile exemplum, quo admonemur, quantum poßit propriæ iuſtitiæ & ſapientiæ perſuaſio, quodq́ nobis non mirum videri debeat, ſi etiam hodie in aperta Euangelij Lucæ, quam vulgus hominum cernit & amplectitur, indies exacerbantur & præfractiores fiunt, qui ſummam doctrinæ & ſapientiæ exiſtimationem ſuſtinent. Eſt enim hoc carnis ingenium, vt quò magis vrgetur verbo Dei, eò magis contra illud inſurgat atque ferociat. Et cum Chriſto docente hoc factum ſit, quid mirum ſi idem hodie fiat, quando Euangelium ab hominibus prædicatur, qui & ipſi communibus affectibus obnoxij ſunt, & interdum vitijs quoque manifeſtis laborant?

Quæſtio legiſperiti.

Sed audiamus quæſtionem huius Legiſperiti. Magiſter (inquit) quid faciendo vitam æternam poßidebo? Pia quæſtio in ſpeciem, imò per ſe neceſſaria: ſed dum ab iſto mouetur, communem errorem coniunctum habet, qui tunc inter Iudæos regnabat: quòd nimirum hominem ſuis factis & operibus iuſtificari & ſalutem æternam conſequi putarent. Erroris cauſa erat, quòd Legis vſum ignorarent, & in ſola promißionum legalium verba intenti, interim non obſeruabant virium noſtrarum imbecillitatem, qua impediti ea non poſſumus præſtare, quæ Lex à nobis requirit. Quoad verò ſuperbum hunc Doctorem, mouet is hanc quæſtionem duas ob cauſas.
1. *Primò, quòd cùm ipſe totus à Lege, vel potius adulterino & peruerſo legis ſenſu penderet, non potuit non offendi Euangelij doctrina, quæ ſalutem in mera Dei gratia monſtrat, & eandem non niſi per fidem in promiſſum humani generis ſeruatorem acquiri poſſe docet. Putat ergo illam cum Moſe pugnare, & proinde eſſe intolerabilem.*
2. *Deinde communi Legiſperitorum & Scribarum morbo laborat: ambitione nimirum, quæ illum mouet, vt indignè ferat ſuam & totius ordinis ſui authoritatem minui, & populum ipſis relictis ad Chriſtum confluere. Eiuſmodi ergo quæſtionem proponit, qua putat ex Chriſti ore reſponſum elici poſſe, quod palàm Moſis doctrinæ aduerſetur, & ita ſibi apud populum inuidiam & odium conciliaturum eſſe: quod ipſum illos aliâs ſæpe tentauiſſe ſcimus.*

Hoſtium veritatis ingenium et mores.

Et debet diligenter obſeruari hæc hoſtium veritatis aſtutia. Simulant pietatis & ſalutis æternæ ſtudium, cùm animos à pietate alieniſſimos habeant, & non alio quàm proprij honoris & commodi ſtudio ducantur. Deinde ſcripturas allegare audent, quaſi illarũ ſtudio ſerio teneantur, in illis autem ea ſola obſeruant, quæ ipſorum erroribus patrocinari videntur. Et vt aranea ex illis floribus venenum haurit, ex quibus dulcia & ſalubria mella apes colligunt: ita iſti ex ſcripturis venenata & noxia errorũ fomenta decerpunt: non quòd illæ aliquid huius contineant, ſed quòd ipſi locos complures impiè detorquendo ſibijpſis & alijs noxios reddant. Deniq́ cùm quæſtiones de religione, de cultu Dei, de fide, de æternæ ſalutis ratione nunquam non in ore habeant, hoc tamen vnũ agunt, vt & veritatẽ obſcurent, & huius ſtudioſos in periculũ adducant. Eſt hodie infinitus iſtorum hominum numerus, quorum artes magna diligentia obſeruari debent, ne nobis falſa pietatis ſpecie imponant, aut etiam incautos in naſſam trahant, vt vnà cùm veritatis doctrina periclitemur.

Omnium eſt de vita æterna quærere.

Porrò quod malignus iſte legis interpres dolo malo hîc agit, hoc nos ſeriò facere decet, vt nimirum de vita æterna & huius conſequendæ ratione quæramus, non autem præſenti huic ſeculo ſimus addicti. Nec enim hîc ciuitatem habemus permanentem, ſed in mundo peregrini ſumus, quorum patria in cœlis eſt: quod ipſi inter orandum fatemur, quoties Patrem noſtrum inuocamus, qui in cœlis eſt. Deinde fluxa & caduca ſunt quæcunq́ in hoc mundo pro eximijs habentur. Quod apud Iſaiam

magna

magna cum grauitate docet Dominus. Nam Prophetam clamare, id eſt, clara voce, ceu rem ad omnes pertinentem, promulgare iubet id, quod ipſi erat ſuggeſturus. Et illo quærente, Quid clamabo? ſubijcit vox Domini: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſicut flos agri. Exaruit fœnum, decidit flos, verbum autem Dei noſtri manet in æternum. O præclaram ſententiam, & nunquam ſatis conſideratam, quàmuis exemplis quotidianis confirmetur. Nam ſi ipſum hominem ſpectes, quem ſcriptura ferè Carnem dicere conſueuit, quid illo miſerius, corruptibilius & pluribus caſibus obnoxium? Viret quidem interdum, & tam robore quàm forma corporis conſpicuus habetur. At idem mox leui febricula ita attenuatur, vt ſui planè diſſimilis appareat. Taceo morbos infinitos, quorum numerum ne medici quidem hucuſq; certum conſtituere potuerunt, & quorum materiam intra corpus noſtrum geſtamus, quæ mouente illam Domino mox per corpus diffunditur, & omnes eius vires debilitat. Taceo caſus, qui aliunde accidunt, quibus enumerandis vix dies totus ſuffecerit. Quid verò de ipſa mortis hora dicemus, quæ plerunq; cùm minimè putatur, obrepit, & circa longè alia ſtudia occupatos abripit? Verè igitur homo graminis inſtar eſt, quod etſi ad tempus virenti & ſmaragdino ornatu terram veſtiat, mox tamen vel vento calidiori aduſtum, vel falce deſectum exareſcit. Quòd ſi gloriam carnis, id eſt, ea inſpiciamus, quæ homini præcipuam authoritatem conciliare, & in quibus ipſe etiam imprimis gloriari & ſuperbire ſolet, quid hîc aliud quàm flores agri temere naſcentes & ſubitò areſcentes videbis? Fluxa & incerta eſt diuitiarum poſſeſſio. Incerti & dubij honores, qui plerunq; ab aura populari, quouis vento mutabiliori, dependent. Fallax humanæ ſapientiæ exiſtimatio, vt non temere prouerbio iactetur, ſapientiſſimos quoſq; præ alijs turpiter errare & vitia deſignare non vulgaria. Eadem deniq; eſt omnium aliorũ conditio. Non temere ergo ſapientiſſimus ille mortalium Solomon, cùm quæcunq; ſub Sole ſunt attentiſſimè cõſiderauiſſet, tandem exclamauit: Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas. Quid verò hinc colligemus? Hoc nimirum, ne præ- Eccle. 1.
ſentibus bonis nimiùm ſimus addicti, ſed (vt Paulus monet) mundo hoc ſic vtamur, ne illo abuta- 1. Cor. 7.
mur, perpetuò autem quæramus futuram illam ciuitatẽ, quam nobis in cœlo Chriſtus parauit, quodq; Hebr. 13.
initiò monuimus, ſeriò ſcrutemur veram vitæ æternæ conſequendæ rationem, eamq; nobis in verbo Domini monſtratam ſedulò ſequamur. Quàm verò beati & felices eſſent homines, ſi hunc ſibi ſtudiorum ſuorum ſcopum proponerent? Ita certè curis, laboribus & periculis infinitis liberarentur, quibus ſeipſos immergunt, dum circa vana mundi ſtudia occupantur. Nunquã non ergo ipſi nobis hanc quæſtionẽ occinamus: Quid faciendo poſſidebis vitam æternam? Etſi enim huius obtinendæ ratio ſimplex ſit, nos tamen quotidie & in horas ſingulas admoneri neceſſe eſt, nos non ad terrenam hanc & mortalẽ, ſed cœleſtem & æternã vitam creatos eſſe, & proinde de hac imprimis ſolicitos eſſe debere.

Porro audiamus tandem Chriſtum, qui longè aliter reſpondet, quàm legis interpres ſperabat. Legiſperitum
Arbitrabatur enim hic, eum nouam exorſurum eſſe orationem, in qua de modo vitæ æternæ conſe- Chriſtus ad le-
quendæ diſſereret, & rationẽ oſtenderet nouam, longeq; aliam ab ea, quæ olim à Deo per Moſem fue- gem remittit.
rat tradita. Inde verò ſibi occaſionem oblatum iri ſperabat, qua ipſum poſſet apud populum traducere, apud quem ſacroſancta erat Moſis authoritas. At Dominus, qui eius animum perſpectum habebat, aliam illi quæſtionem opponit, & eò eum adducit, vt proprij oris teſtimonio conuictus tandem non ſine ignominia ex temere ſuſcepto certamine diſcedat, vt ſuo loco audiemus. Nam ad legem remittit eum, cuius cognitione imprimis ſuperbiebat, & disertè oſtendit, ſe nihil ab hac diuerſum docere. Dicit enim: In lege quid ſcriptũ eſt? quomodo legis? Quaſi diceret: Mirum eſt, hanc quæſtionem abs te moueri, qui legis interpres & doctor es? Annon enim Deus in illa vitæ æternæ cõſequendæ rationem prolixè & diligenter præſcripſit? Annon illic traditur, quid à nobis fieri, quidue caueri debeat, ſi illo propitio vti, & æternum ſeruari velimus? Ex te igitur ego audire velim, quid illa doceat, & tuum eſt mihi & alijs de lege ſciſcitantibus reſpondere. Ita verò eum cogit, vt ipſe ad quæſtionem abs ſe propoſitam reſpondeat, qua Chriſtum voluerat irretire. Quia enim legis interpres erat, & docendi officio fungebatur, non potuit non reſpondere ad ea, quæ de lege interrogabantur.

Etſi verò Dominus diuinæ ſapientiæ ſpecimen hîc exhibeat, quæ huius ſeculi ſapientes in pro- Salutis ratio in
pria aſtutia capere ſolet, ſimul tamen docet, rationem ſalutis conſequendæ nuſquam quàm in legè lege Dei debet
Dei quæri debere. Porro legis vocabulo non ſolùm libri Moſis, ſed vniuerſa ſcriptura Veteris te- quæri.
ſtamenti comprehenditur. Chriſtus enim Ioannis decimo capite, locum Pſalmi adducturus ait:

Annon in lege veſtra ſcriptum eſt, Ego dixi, Dij eſtis? &c. Et Paulus Iſaiam allegans, legis voce vtitur in priori ad Corinthios capite 14. At inter Vetus & Nouum Teſtamentum optimè conuenire, imò in hoc clarius explicari, quæ in illo obſcurius tradebantur, alibi eſt demonſtratum. Scripturas ergo ſacras legant & audiant, qui ſalutis & vitæ æternæ ſerio ſtudio tenentur. In his enim ſuam voluntatem nobis Deus reuelauit, quæ nos in huius vitæ curriculo dirigit, & cuius cognitio nos in omni tentationum genere conſolatur. Eadem ſola vitæ æternæ viam nobis monſtrat.
Ioan. 5. *Ideo apud Ioannem Chriſtus ſcribis dicebat: Scrutamini ſcripturas: nam vos videmini vobis in illis vitam æternam habere. Quibus verbis eos non reprehendit, quòd ſcripturis plus æquo tribuant, ſed quòd harum ſtudio & cognitione gloriarentur, eaſdem verò non diligentius inueſtigarent, vt quæ de ipſo in illis habentur teſtimonia poſſent deprehendere. Addit enim: Illæ de me te-*
2. Tim. 3. *ſtantur. Et Paulus Apoſtolus, ſacras literas à Deo inſpiratas, & vtiles atque ſufficientes eſſe docet ad hoc, vt homo Dei perfectus fiat, & ad omne opus bonum paratus. Eſt ergo turpis & pernicioſus illorum error, qui quando de religione & æternæ ſalutis negotio agitur, ad Canones neſcio quos Apoſtolicos, ad Patres, ad Concilia & Pontificum decreta confugiunt. Faciunt hi atrocem iniuriam Spiritui ſancto, quem inſimulant, quaſi non plenè tradiderit in ſcripturis, quæ ad ſalutis hu-*
Isa. 29. *manæ rationem pertinent. Iugulantur autem vnica Dei ſententia, per Iſaiam dicentis: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, ſiue traditiones hominum.*

Summa legis de uita rectè inſtituenda. *Sed redeamus ad legis interpretem, qui ad Chriſti quæſtionem reſpondet, & duos locos coniungit, quorum alter Deuteron. ſexto, alter Leuit. 19. cap. habetur. Diliges (inquit) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota cogitatione vel*
Vide Marcum Homil. 101. & 102. *mente tua: & proximum tuum vt teip. Vbi obſeruabis, quòd etſi hæc ab hoſte veritatis dicantur, verè tamẽ dicuntur. Nam & in præſenti ſua reſponſione hæc approbat Chriſtus, & apud Matthæum poſtea ab alio magis ingenuo interrogatus, quod nam inter Dei præcepta primum & præcipuum ſit, his ipſis verbis reſpondet, & addit: Ab iſtis duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent. Habemus igitur hoc loco perfectam piè & rectè viuendi regulam duobus membris ſiue capitibus comprehenſam, Dilectione Dei nimirum & Proximi. In quo paterna Dei bonitas elucet, qui non infinitis præceptis nos grauare voluit, vt ferè ſolent qui inter homines ſibi magiſterium vendicant: nec etiam alia præſcribit, quàm quæ per charitatem perfici aut præſtari poſſunt, qua nihil iucundius, nihil amabilius, nihil etiam in tota hominum vita & conſuetudine vtilius eſt & magis neceſſarium, & quæ res difficillimas nobis faciles & iucundas reddit. Quod vnum ad confutandam eorum ſtultitiam & ingratitudinem ſufficit, qui relicta viuendi regula à Deo præſcripta, perfectius quid in Monachorum regulis & aliorum hominum traditionibus quærunt, quæ vt nihil veræ & ſolidæ pietatis continent, ita inani labore miſeros fatigant, & eos qui nummatiores ſunt expoliant. Sed vtrumque præceptum ſeorſim excutiamus, vt quid nos facere conueniat, melius conſtet.*

Dilectio Dei. *Primum eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Quid ſit diligere & dilectio, alibi diximus, & omnibus per ſe ſatis notum eſt. Nunc hoc ante omnia obſeruari operæpretiũ eſt, quòd ſui dilectionem à nobis Deus poſtulat. Ergo nõ externi cultus magnifico ſplendore delectatur, ſed animi ipſi per omnia addicti affectum requirit, qui verum numinis reuerentiam & voluntariæ obedientiæ ſtudium in nobis gignit. Et huc faciunt, quæ paſſim apud Prophetas dicuntur, contra eos, qui circa victimas ſolas & reliquum cultum externum occupabantur, interim verò fidem in Deum, eiuſdem dilectionem, & quæ ei debetur obedientiam ſecuri negligebant. Vt autem meritò & iure eum diligere debemus, quia noſter creator, pater & protector; adhæc ſummum bonum & omnis boni fons eſt: ita magnum hoc eſt bonitatis eius argumentum, quòd à nobis diligi vult, & ſimul ſe*
1. Ioan. 4. *quoq; totum bonaq; ſua omnia nobis fruenda offert. Imò vt Ioannes Apoſtolus docet, ipſe prior nos dilexit, & Filium ſuum æterno ſuo decreto nobis ſeruatorẽ deſtinauit. Qui in hoc ſeculo generis nobilitate, diuitijs & dignitatibus excellunt, ij hominum ignobilium & pauperum amicitiam ſibi ignominioſam eſſe arbitrantur, & ferè cognatos quoq; ſuos & ſanguine iunctos faſtidiunt, ſi qui inter hos pauperiores ſunt & obſcuri: Quanta ergo hæc Dei bonitas eſt, qui à nobis diligi vult, qui non modò omnibus modis miſeri, adhæc mortales, verumetiã peccatores & propter peccatũ æterna morte digni ſumus? Hinc ergo conſolationis argumenta petamus in tentationibus, & noſipſos ad illius amorem excitemus.*

excitemus. Nam etſi Deus ipſe per ſuum ſpiritum dilectionem ſui in nobis accendat, & (vt Paulus ait) diffundat in cordibus noſtris, plurimum tamen nos hic iuuat frequens & diligens beneficiorum eius meditatio, Verbi ſtudiũ, & preces, quibus nos imprimis apud illum inſtare oportet, vt noſtri & mundi amore in nobis extincto, animos noſtros ſyncero & ſancto ſui amore inflammet.

Quomodo Deus diligi debeat

Porro modum quoq; dilectionis Dei Moſes diligenter exprimit propter eos, qui qualemcunq; amorem ſufficere putant, vel etiam ſolis verbis diligunt. Docet ergo dilectionem ſolidam & perfectam requiri, quæ hominem totum Deo vendicet, & ideo præcipuas, vel potius omnes hominis facultates ex ordine recenſet. Primò diliges (inquit) Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo. Atqui conſtat cor fontem eſſe affectuum omnium. Hos ergo ſimul omnes in Dei dilectionem dirigere, & per hanc ipſius voluntati ſubijcere oportet. Quod vt fiat alias etiam ob cauſas neceſſe eſt. Sunt enim affectus noſtri praui propter innatam nobis naturæ vitioſitatem, & ideo ad malum ferũtur, & nobis omnis generis vitiorum cauſa ſunt. Correctione igitur opus habent, quæ non alia eſt, quàm Dei dilectio. Hæc enim illos in officio continet, & vt vni Deo ſeruiant moderatur. Secundò, ex tota anima Deũ diligere debemus. In anima hominis vita conſiſtit. Hæc ergo tota Dei dilectionem ſpirare debet, nec aliquid faciendum eſt, quod eum à nobis minus diligi teſtetur. Et hic peccant, qui meliorem vitæ ſuæ partem mundi & diaboli ſeruitio tribuunt, ſenectam demum Deo conſecraturi, cùm tamen ignorent, an vnquam ad illam peruenturi ſint. Tertiò ex totis viribus noſtris Deus diligendus eſt. Intelliguntur omnes corporis vires, bona deniq; externa, quæ philoſophi fortunæ eſſe dixerunt: qualia ſunt opes, honores, dignitates & alia huiuſmodi. Et iſta quidem omnia iure ſibi vendicat Deus. Nam & corpus ipſe creauit, & eius donum ſunt valetudo bona, robur & vires validæ, forma, agilitas & quæcunq; alia inter corporis bene conſtituti dotes numerantur. Eadem eſt bonorum externorum ratio, quæ nõ (vt prophani philoſophi ſenſerunt) à cæco fortunæ fauore proueniunt, ſed etiam à Deo dantur, quod non vno loco ſcripturæ docent. Quicquid ergo vel corporis viribus, vel diuitijs, vel dignitate & authoritate poſſumus, id omne per Dei dilectionem in hunc finem à nobis dirigi debet, vt in nobis ille glorificetur, & debitũ ei præſtemus obſequium. Additur quarto loco, Ex tota cogitatione vel mente tua. Mentem ſuperiorem illam animi facultatem dixerunt, quæ rationem de rebus agendis aut omittendis init, & cogitationibus ſuis per omnia mirifica celeritate diſcurrit. At quia hæc quoq; in nobis corrupta eſt, fit, vt cogitationes noſtræ prauæ, & (vt Deus ipſe teſtatur) omnia cordis aut mentis humanæ figmenta mala ſint. Quod mox deprehendes, ſi cogitationes tuas diligentius conſideraueris. Quid enim hæ aliud verſant intra animum tuum, quàm opes, honores huius ſeculi, libidines fœdas, vindictæ ſtudium & alia huius generis, quæ nos à Deo abſtrahunt? Et tanta illarum eſt improbitas, vt etiam circa bonũ aliquod opus occupatis obrepant. Nam eleemoſynam facientibus ſuccurrit ambitio, precantibus item infinita alia in mentẽ veniunt, quæ ita nos diſtrahunt, vt rarò Orationem dominicam quis totam recitare poſsit, quin ea cogitet, quæ ipſum coram hominibus dicere aut facere puderet. Huic igitur malo remedium adhibiturus Moſes, monet, vt cogitationibus quoq; noſtris frænum dilectionis Dei inijciamus, quo à rebus prauis & illicitis abſtrahantur, ad ea autem dirigantur, quæ ad Dei gloriam faciunt. Quòd ſi verò hæc omnia diligentius expendamus, patebit nullum hypocriſi locum eſſe, ſi Deo verè ſeruire velimus, & ſimul apparebit, quanta ſit humani ingenij corruptio, quando nemo eſt, qui iſta præſtare poſsit, etiamſi ea optimo iure à nobis requiri omnes fateantur.

Dilectio proximi.

Alterum præceptum eſt: Diliges proximum tuum, vt teipſum. Proximi nomine omnes homines intelliguntur, qui noſtra ope & auxilio indigent, vt in Samaritani parabola ſequenti Sermone Chriſtus ipſe docebit. Requiritur autem proximi dilectio, quia hæc in vnum corpus nos colligit, beneficentiæ mater eſt, iniurias omnes prohibet, & ideo legem totam implere à Paulo dicitur. Sed huius etiam modum Lex exprimit, quando proximum perinde vt noſipſos diligere iubet. Ita verò præcipit, quia natura φίλαυτοι, id eſt, noſtrijpſorum amantes ſumus, & nobis ipſis nimiùm addicti. Quæ cauſa eſt, quòd quàm primum de noſtris commodis agitur, proximos facilè negligimus. Vult ergo Deus, vt alios homines eodem, quo noſipſos loco habeamus, eorumq; commodis non minus quàm noſtris ſtudeamus. Simul etiam ijs occurrit, qui vt ſeſe excuſent, ſe neſcire aiunt, quatenus & quò vſq; proximum diligere debeant. Atqui in teipſum deſcende, & quomodo teipſum diligas vide,

*& non multa quæſtione porrò opus erit. Teipſum non ſimulatè, nec verbis ſolis,ſed verè & ex a-
nimo diligis: adhæc non frigidè,ſed ardenter. Simili ergo amore alios quoque homines proſequere,
ne quid animò fucato fiat, neque perfunctoriè,ſed ardenti illos iuuandi ſtudio. Deinde noſtris com-
modis ſtudemus: fac ergo proximi quoque commoda,qua potes ratione promoueas. Præterea non
defatigamur nos ipſos amando, etiamſi vitia nobis inſint multa, quæ odium merentur. Ita proxi-
mi amor perpetuus & conſtans ſit, qui nec officiorum erga illum difficultate, nec etiam vitijs, qui-
bus ille laborat extinguatur. Eſt enim hoc veri amoris proprium, quòd etſi amicis ſatisfaciat a-
bunde, ſibijpſi tamen ſatisfaciat nunquam, quin ſe plura debere exiſtimet. Idem quoque (quod ex
Prouerb. 16. Solomone Petrus annotauit) multitudinem peccatorum operit, & quæ in proximo corrigere non
1.Pet.4. poteſt, piè diſſimulat & patienter fert,eiusque honori conſultum cupit. Et hæc quidem dicta ſuf-
ficiant nunc de duobus hiſce præceptis, quæ qui obſeruarint, ijs ad vitam rectè & piè inſtituendam
nihil deerit.*

Legis uſus uerus docetur. *Reſtat Ieſu Chriſti reſponſio,qui paucis infert: Rectè reſpondiſti,hoc fac,& viues. Quæ verba
non ſic accipi debent,quaſi operum noſtrorum iuſtitiam docere voluerit:ſed quia Doctor iſte pro com
muni Iudaorum errore,de operibus quæſiuerat,reſponſionem ſuam illius quæſtioni accommodat. Si-
mul tamen veriſſimum eſt quod dicit. Si enim faceremus ea,quæ ex Moſe modò audiuimus, vtiq,
Leuit.18. vitam conſequeremur æternam. Nam Dei ipſius verba ſunt: Cuſtodietis ritus meos,& iudicia mea,
quæ quiſquis fecerit,in eis viuet: Ego Dominus. At cum nemo mortalium iſta faciat,nec etiam fa-
cere poſſit(quod Paulus ad Romanos multis docet,& ipſi quotidie in nobis experimur)nemo etiam
per opera hæc Legis vitam poteſt conſequi. Vult ergo Chriſtus eum, quem ſuorum operum fiducia
niei ſciebat,in ſeipſum deſcendere,ad præcepta hæc vires ſuas examinare, vt ita propriæ conſcientiæ
teſtimonio conuictus ſentiat ſibi alia iuſtitia opus eſſe. Habet itaq, locus hic egregiam doctrinam de
vero Legis vſu. Dedit hanc Deus,& vt per ſe ſancta & bona eſt,ita eandem ampliſſimis promiſſio
nibus cõmendauit, quas omnes Dominus hîc ſuo teſtimonio confirmat. Nec tamen ignorauit Deus,
neminem eſſe,qui illi obedire & omnia eius exequi poſſet. Dedit tamen,nõ vt nobiſcum luderet, mul-
tò minus vt in deſperationem nos conijceret:ſed vt nobis ſpeculi inſtar ſit,in quo non ſolùm iam com-
miſſa peccata, verumetiam inhærentem naturæ noſtræ vitioſitatem & noſtrarum virium imbecilli-
tatem agnoſcamus,& his agnitis conſcientiæ terrore preſſi ad thronum gratiæ confugiamus: vbi ſe
Chriſtus offert,qui nobis à Deo Patre iuſtitia & ſatisfactio eſt factus. Ieaq, quòd Lex neminem ſer
uat,non ipſius,ſed noſtro vitio fit. Illa enim ſpiritualis eſt (vt Paulus ait)nos autem carnales ſu-
Rom.7. mus,venundati ſub peccatum. Rectè ergo illa vtamur,non vt in eius operibus ſalutem quæramus,
ſed vt nobis pædagogi loco ſit ad Chriſtum, qui peccatum pro nobis factus eſt, vt nos iuſtitia Dei
per ipſum efficeremur. Interim luctemur cum innata nobis corruptione,& relictis mũdi ſtudijs Deũ
ſupra omnia diligamus, eiusq, dilectionem amore proximi teſtemur. Hæc enim propria diſcipulo-
rum Ieſu Chriſti nota eſt, quos regni ſui cæleſtis ille olim cohæredes faciet. Illi debetur benedictio,
honor,gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CIII.

Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit Ieſu: Et quis eſt meus proximus? Excipiens autem Ieſus dixit: Quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui ſpoliato eo & plagis impoſitis abierunt, ſeminecem relinquentes. Forte autem Sacerdos quidam deſcendit per eandem viam, qui viſo eo ex aduerſo præterijt. Similiter & Leuita cùm veniſſet ad eum locum, & eum vidiſſet, præterijt ex aduerſo. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & coviſo, miſericordia commotus eſt. Et accedens obligauit eius vulnera, infundẽs oleum ac vinum, & ipſum impoſitum ſuo iumento duxit in diuerſoriũ, & eius curam egit. Poſtero autem die abiẽs, prolatos duos denarios dedit hoſpiti, & dixit ei: Curam ipſius age; & quodcunque præterea inſumpſerit,

ſumpſerit, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis igitur horum trium tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Ille autem dixit: Is qui vſus eſt miſericordia erga eum. Ait igitur ei Ieſus: Abi, & tu fac ſimiliter.

QVemadmodum Deus in omnibus operibus ſuis ſuæ erga nos bonitatis memor eſt: ita in legibus quoq; & præceptis, quæ nobis eradit, imprimis noſtræ ſalutis rationem habet. Non enim alias nobis leges dat, quàm quæ omnes ſub vna charitate aut dilectione comprehendi poſſunt, ex qua (ſi rem ipſam probè conſideremus) plus boni ad nos redit, quàm ad eos, quibus illa impenditur. Primò enim nos ad Dei imaginem reformat, qui (vt Ioannes inquit) charitas ipſa eſt. Deinde totius vitæ, quam propter omnis generis calamitates non immerito vallem lachrymarum dixeris, ſuauiſſimum eſt condimentum. Nam offenſis omnibus medetur, infirmitatibus proximi ignoſcit, vindictæ cupiditatem reſtinguit, patienter omnia ſuffert, aduerſa mitigat, & quæ difficillima videbantur nobis leuia atq; iucunda reddit. E contra vbi huius loco inuidia, odium, ira, inimicitiæ & ſimultates regnant, ibi homines ipſi ſibi omnia acerba & infeſta reddunt, vt exemplis infinitis demonſtrari poterat, niſi quæ quotidie fiunt his abunde fidẽ facerent. At maxima charitatis peſtis eſt φιλαυτία, id eſt, amor ille cæcus quo noſipſos proſequimur. Is vt multa alia parit, quæ fraternæ dilectioni prorſus contraria ſunt: ita nos excæcare ſolet, vt de proximis noſtris non rectè iudicemus, & vndiq; captemus occaſiones eos negligendi, quos noſtro conſilio & auxilio ſubleuare debebamus. Sequitur ergo plenior huius negotij tractatio, qua quis proximus cenſeri debeat explicatur, & ſimul charitatis ingenium atq; officia diligentius ex ordine deſcribuntur.

1. Ioan. 4.

Occaſionem de his diſſerendi Legiſperiti proteruia & inſolentia præbuit. Is enim cùm Dominum ſibi dicentem audiuiſſet, Hoc fac & viues, ſe iuſtificare voluit, id eſt, pro iuſto venditare, vt qui hæc omnia iampridem præſtiterit, & proinde vitam æternam mereatur. Vnde apparet, eum ex Phariſæorum numero fuiſſe, quos in operibus Legis & propriæ iuſtitiæ merito ſalutis fiduciam collocauiſſe ſcimus. Quia autem Dei dilectionem iactare cuiuis facile eſt, quando res ex voto & feliciter procedunt, in proximi autem dilectione hypocriſis maximè detegitur, ad artes ſeſe conuertit, & in proximi vocabulo effugium quærit. Nam hanc Legis diuinæ partem Scribæ Iudæorum iamdudum interpretationibus & traditionibus ſuis corruperant. Per proximum enim non alios quàm cognatos & ſanguine coniunctos, & cum his amicos & bene de nobis meritos intelligi docebant. Et hinc longius progreſſi concludebant, quòd inimicos odio proſequi liceret: quam particulam illos Legi Dei adijcere auſos fuiſſe, Chriſtus Matth. 5. Cap. diſertè teſtatur. Itaq; iſto errore hic etiam imbutus, vt ſe nullum dilectionis proximi officium neglexiſſe oſtendat, ſuperbè & non ſine Sarcaſmo Chriſtum interrogat: Et quis eſt meus proximus? Quaſi diceret: Aliud quiddam ſublimius abs te expectabam, qui tibi in populo doctoris munus hucuſq; ſumpſiſti. Atqui non aliud iubes, quàm vt faciam ea quæ modò ex Moſe recitaui: Vt nimirum Deum diligam ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus & tota cogitatione mea: & proximum meum, vt meipſum. At iſta me hactenus præſtitiſſe, nemo opinor negauerit. Deo vni adhæreo, hunc colo & pro virili diligo. Quoad proximum, diligo meæ gentis homines, & eos omnes, qui mei proximi, id eſt, propinqui & amici ſunt. Quid ergo prohibet, quò minus vitam & ſalutem æternam conſequar? niſi tu fortè alios mihi proximos monſtraueris, quos ego nullos noui, cùm nos ab omnibus alijs populis Deus ipſe ſegregauerit, &c. Hic quæſtionis iſtius ſenſus eſt, ſub quo ſimul latet acerba & amarulenta doctrinæ Chriſti reprehenſio: vt quæ inutilis & ſuperuacanea ſit, cùm hucuſq; ſine illa Legi diuinæ ſatisfacere & vitam æternam mereri potuerint. Quo argumento etiam hodie aduerſarij noſtri prædicationem Euangelij contemptam aut inuiſam reddere ſolent apud rudes & rerum imperitos. Quæ lex (inquiunt) vetuit maiores noſtros ſaluos fieri, priuſquam nouum hoc Euangelium prædicaretur? Annon ſemper fidem in vnum Deũ per Filium eius Ieſum Chriſtum docuerunt ij, quibus prædicandi munus fuit creditum? Annon illi quoq; ad mutuam charitatem, vitæ innocentiam & ſanctitatem populum hortati ſunt? Si ergo noui iſti doctores non alia requirunt, quid rerum innouatione opus eſt, quæ ſine turbis & maximis periculis fieri non poteſt? Sed facile eſt argumentis eiuſmodi reſpondere, cùm illi proprijs operibus

Legiſperitus Chriſti doctrinam vellicat.

arguantur, quæ illos à fide in vnum Deum alieniſſimos eſſe conuincunt. Quod ipſum in noſtro hoc tam ſuperbo Legis interprete cernimus, qui ſuo exemplo docet quàm audax malum ſit hypocriſis cum Veritatis odio coniuncta. Nam infinita erant, quæ tam ipſum quàm totum illud Legiſperitorum Scribarum & Sacerdotum collegium contempta & neglecta, imò conculcata Legis Dei conuincerent. Si enim Deum diligebant ex toto corde, cur non legibus ab illo latis contenti erant? cur eas ſuis figmentis & traditionibus obſcurabant, corrumpebant, abolebant? cur cultum eius ſibi quæſtum faciebant tanta impudentia, vt templum Dei ab emporio & vſurariorum officinis nihil differret? Et tamen ſuperbus iſte primum illud de Deo diligendo præceptum ſecurus præterit, quaſi de eo non opus ſit vllum verbum facere, cùm id diligentiſſimè ab ipſis obſeruetur. Idem de proximi dilectione dici poteſt, quam non minus impudenter negligebant. Oberrabant paſſim mendici contra
Deut. 15. *Legem Domini, qui ne mendicus eſſet in Iſrael, prohibuerat. Qui verò extra Iudææ fines habitabant Iudæi, adeò contempti erant, vt qui tempore dierum feſtorum Hieroſolymis moriebantur, ſepulturæ loco carerent, ſicuti in paſſionis Dominicæ hiſtoria eſt videre. Et quæ obſecro dilectio vera inter eos eſſe potuit, qui in ſectas diuiſi erant, & ſententijs de religione & toto humanæ ſalutis negotio ſcindebantur? Nihilominus arrogans iſte Doctor, quaſi extra omnem culpam ſit, per ludibrium quærere audet, & quis nam ſit proximus ſuus, quem diligere & officijs ſuis iuuare debeat? Quàm magnus autem eiuſmodi hominum numerus eſt hodie? Oberrant & vagantur nunc quoq; mendicantium agmina, quos pleriq; ſecuri negligunt, & ad clamores eorum aures ſuas obturant. Eduntur alibi plus quàm barbaræ crudelitatis exempla in omnis ſexus & ætatis homines. At his omnibus pauciſſimi condolent, pleriq; autem interea voluptuantur & toti opibus coaceruandis inhiant. Interim extra omnem culpam cenſeri volunt, & ſi de proximo iuuando admoneantur, non minori impudentia quàm hic Legis interpres, oggannire audent: Et quis eſt meus ille proximus, cui mea largiri, & cuius commodis ego relictis interea meis rebus, ſeruire debeo? Volunt ergo hi quoq; ſeipſos iuſtificare, & apud ſui ſimiles facile applauſum & patronos inueniunt: ſed apud Deum omnis hæc excuſatio calua eſt. Porro omnis mali cauſa eſt, quòd neq; de proximo rectè iudicamus, neq; verè æſtimamus charitatis officia.*

Parabola Samaritani. *Quapropter Dominus noſter Ieſus Chriſtus vtriq; errori aut vitio eleganti parabola medetur. Introducitur in ea homo Iudæus, qui ex ſancta Hieroſolymorum ciuitate Ierichuntidem iter inſtituerit. Hunc à latronibus ſpoliatum & vulneribus malè affectum atque ſeminecem cùm vidiſſent Sacerdos & Leuita, eo neglecto tranſierunt. At hos ſecutus Samaritanus quidam, homo peregrinus & ob gentem ſuam Iudæis exoſus, cùm & ipſe infelicem illum vidiſſet, eius miſertus omni humanitatis & dilectionis officium ei præſtitit. Quam parabolam vbi multis Chriſtus recitauit, tandem ſuum illum aduerſarium interrogat: Quis horum trium tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Reſpondet ille: Is qui vſus eſt miſericordia erga eum. Ita verò rei veritate conuictum cogit Chriſtus verum fateri contra receptam inter illos de proximo ſententiam, & ſeipſum neglectæ charitatis fraternæ damnare, quod nunquam facturus erat hypocrita, ſi Chriſtus rem ipſam ſimpliciter abſq; omni inuolucro propoſuiſſet. Tantum enim erat apud Iudæos omnes gentium exterarum odium, vt ex his oriundos vix hominum, nedum proximi loco haberent.*

Iudæorum inhumanitas arguitur. *Conſultò autem hominem Iudæum & ex Hieroſolyma venientem inducit, cui à ſuæ gentis Sacerdote & Leuita neglecto opem tulerit Samaritanus. Ita enim Iudæorum inhumanitatem perſtringit, qui magnificè quidem vnum patrem Abrahamum iactabant, & ſe vnius Dei cultores, imò peculium illud Dei eſſe gloriabantur, quod is ſibi ex omnibus populis ſelegiſſet: interim verò plus quàm barbara crudelitate ſe inuicem negligebant, adeò vt (quod paulò ante etiam diximus) nulla neq; cognationis, neque religionis communis, neq; etiam Legis Dei ratione habita, pauperes ſuos paterentur famelicos oberrare, & non oſtiatim modò, verumetiam ad templi fores ab introeuntibus & exeuntibus ſtipem mendicare. Præ alijs autem Sacerdotum & Leuitarum meminit, qui vt alijs ſanctiores haberi volebant, ita huius etiam mali præcipui erant authores. Quia enim ſacerdotium venale fecerant, publicas quoq; opes eccleſiæ ſibi vendicabant, ex quibus pauperes ali debebant. Et vt quæſtum maiorem facerent, non ad miſericordiam & fraternæ dilectionis ſtudium populum hortabantur, ſed*
Matth. 15. *vt in templo frequentes adeſſent, ſacrificia multa adducerent, & pecunias in corbonam aut gazophy-*

lacium

lacium deponerent. Deniq; eò impudentiæ progreſſi iam erant, vt quæ liberi in parentum ſenio confectorũ alimoniam debebant conferre, illi ad ſe deferri iuberent, ſeq; tã pro parentibus quàm ipſis liberis ſacrificaturos & preces facturos pollicebãtur, & ea ratione (quod infra illos Chriſtus exprobrat) deuorabant domus viduarum & orphanorum ſub longæ precationis prætextu. Quam ergo ſubuentionis pauperum curam fuiſſe putabimus apud eos, qui parentes ſenio graues, viduas & orphanos omni præſidio deſtitutos non ſolùm negligebant, verumetiam deprædabantur? Docet igitur hac parabola Chriſtus illos Samaritanis eſſe deteriores, apud quos Lex naturæ & communis ſenſus humanitatis plus valeat, quàm apud ipſos Lex Dei & magnifica veræ religionis profeſſio.

Luc. 20. a

At vtinam nõ idem de nobis dici poſſet hodie, qui Chriſtiani eſſe & haberi volumus. Ditatæ ſunt olim principum & diuitum hominum liberalitate Eccleſiæ, inſtituta collegia magnifica & opulenta, in quibus Eccleſiarum miniſtri alerentur, theologiæ candidati inſtituerentur, & pauperum neceſſitati ſubueniretur. At poſtquam Epiſcopi relicta maiorum ſuorum frugalitate, faſtu turgere & cum principibus luxu & apparatu magnifico certare cœperunt, mox communia Eccleſiæ bona in ſuam poteſtatem redegêre, & eos ſibi aſciuerunt collegas aut ſocios, qui iiſdem moribus præditi, quod illi reliquum fecerunt ſibi vendicarunt. Hinc factum, vt miniſtri pij & docti ab Eccleſijs expulſi ſint, in collegia autem nouum hominum genus, cucullatum, ineptum, ambitioſum, vorax & veritati inimicum irrepſerit. Simul autem pauperes ad eleemoſynas relegati ſunt, quas hinc inde colligerent, voluptuantibus interim & luxuriantibus ex eccleſiarum redditibus fucis illis ignauis, qui & ipſi ſub religionis prætextu paulatim agros, villas & opes tam nobilium quàm plebeiorum in ſuam naſſam attraxerunt. Quàmuis autem Euangelij lucem Deus ex ſingulari gratia nouiſſimis hiſce temporibus reſtituerit, & multis in locis facta ſit Eccleſiæ & religionis reformatio, hîc tamen ferè reformationes omnes pedẽ ſiſtunt, vbi de reducendo veteri bonorum Eccleſiæ vſu agitur. Cauſa huius ceſſationis eſt, quòd alibi principes & magiſtratus, alibi homines priuati illa ſibi vendicãt, & ſub plauſibili diſpenſatorũ eccleſiæ prætextu diteſcunt. Horum omnium inſatiabili cupiditati debemus miſerabilẽ illam mendicantium multitudinem, qui famelici & omnium egeni, multi etiam morbis confecti, adhæc vlceribus & tabo diffluentes, magna cum Chriſtiani nominis ignominia oberrant. Queruntur de hoc pij & boni multi, & reformationem aliquam fieri poſtulant. Sed vnica omnium reſponſio eſt, rem eò deueniſſe, vt mutatio aliqua fieri non poſſit, & impoſſibile eſſe tantam hominum egentium multitudinem alere. Sed vtinam illi primitiuæ Eccleſiæ exemplum inſpicerent, in qua priuati homines contributione facta res ita inſtituerunt: vt inter medios perſecutionum fluctus egeni ex publico alerentur, neq; aliquem vel fames vel rei domeſticæ anguſtia victum ab alijs emendicare cogeret. Quòd ſi exemplum hoc longius petitum videtur, agedum noſtri ſeculi Iudæos inſpiciant, qui cùm hinc inde diſperſi viuant, & pleriſq; in locis per publicas leges illis neq; agros poſſidere, neque artificia manuaria exercere liceat, neminem tamen ex ſuis mendicare patiuntur, magnum ſcilicet nefas æſtimantes, hominem circumciſum & ex ſancta Abrahami ſtirpe oriundum, prophanorum Goijm (vt ipſi loquuntur) contemptui & ludibrio exponere. Et nobis qui in pace & otio agimus, qui opibus priuatis & publicis abundamus, qui Eccleſias & Collegia habemus maiorum liberalitate ditata, & ex quorum redditibus quotannis multi diteſcunt, impoſſibile eſt fidei domeſticos alere, neq; nos pudet eos ad fidei hoſtes noſtra inhumanitate extrudere, inter quos non ſine Euangelicæ doctrinæ contumelia, multa audire & videre, imò multa facere coguntur, quæ cum fidei noſtræ profeſſione pugnant? In nos ergo non minus, quàm in ſui ſeculi Iudæos, Chriſtum hanc parabolã ſtringere cogitemus, qui quoad pauperum ſubuentionem Iudæis & Turcis ſumus deteriores. Sed ad ea accedamus, quæ præcipua ſunt huius parabolæ capita, in quibus hæc obſeruabis.

Chriſtianorum inhumanitas.

Primum, quem nam Scripturæ ſacræ proximi nomine deſignent? Vnumquenque nimirum hominem, in quem incidimus, cuiuſcunq; ille gentis, conditionis aut ordinis fuerit. Quia enim omnes ex vno patre originem ducimus, naturale quoddam & ſacroſanctum fraternitatis vinculũ intercedit, quo omnes homines inter ſe conſtringuntur. Quapropter, vt aliquem proximi loco habeat & eidem præſtet charitatis offitia, nõ multis argumentis homo Chriſtianus vrgeri ſeſe patitur. Sufficit enim ei, quòd hominem & eiuſdem ſecum naturæ ſocium eſſe videt eum, qui ipſius ope & conſilio indiget. Non igitur ampliori inquiſitione opus eſt, maximè ſi quis in ea neceſſitate cõſtitutus ſit, vt res nullã

Proximus quis dicatur?

cunctationem aut moram admittat. Id parabola hac Dominus diſertè docet. Proponitur enim homo Samaritanus, alienigena, & qui ſe in Iudæorũ gente omnibus exoſum eſſe ſciebat. Nam vt in Euangelio ſecundùm Ioannem habetur, tantum erat inter duas iſtas gentes odiũ, vt altera alterius conſue-
Ioan. 4. 8. *tudinẽ deteſtaretur, & apud Iudæos vix aliud conuitium contumelioſius putabatur, quàm ſi quẽ Samaritanum dicerent. Nihilominus tamen noſter hic in terra hoſtili beneficium maximũ confert homini ignoto, à ſuis gentilibus neglecto, ſaucio, ſpoliato, ſemineci, tali deniq́, à quo remunerationẽ omni nonullam ſperare poterat. Quam verò ob cauſam? Nimirum quòd Lege naturæ admonitus ſciret hominis eſſe, cuiuis egenti opem ferre, & miſeris quibuſcunq́ ſubuenire. Et quia hunc Chriſtus omnibus imitandum proponit, non obſcurè omnes eos damnat, qui odioſa perſonarum diſcrimina ideo fingunt, & vndiq́ cauſas corradũt, vt miſericordiæ & charitatis officia indigentibus aliquo prætextu negare poßint. Eſt hoc vitium nimis frequens hodie. Alijs enim natale ſolum exprobratur, in alijs acceptæ ab illis iniuriæ in memoriam reuocantur, alij propter vitam licentius tranſactam indigni iudicantur quibus benefiat. Multis hoc vnum ad inhumanitatis ſuæ excuſationem ſufficere videtur, quòd nihil vicißim ab ijs ſperare poßint, qui nunc beneficium ab ipſis poſtulant. Quaſi verò Deus charitatem quæſtum eſſe velit, & non potius nos de dando quàm accipiendo beneficio ſolicitos eſſe iubeat. At ſi Chriſti doctrinam cum Samaritani huius exemplo conferamus, mox patebit vaniſſimas eſſe excuſationes, quas ſuiipſius amans caro fingere conſueuit.*

Modus dilectionis traditur. *Secundò modus dilectionis exprimitur, & quod eius ingeniũ ſit, quibuſue officijs ſeſe declaret. Sũma eſt, quòd (vt Ioannes ait) non verbis, ſed operibus diligere, id eſt, dilectionis affectũ reipſa & beneficijs declarare debeamus. Id verò in Samaritani exemplo Dominus diligenter exponit, & rẽ omnẽ*
1. Miſeretur. *ceu in tabula depictã exhibet. Primò vbi miſerum hunc, nudum, vulneratũ & ad mortẽ vſq́ iniquiſſimè mulctatum vidit, miſericordia motus eſt. In Græco habetur ἐσπλαγχνίσθη, quod imis aut totis viſceribus cõmotum fuiſſe ſignificat. Et ſolent Hebræi per viſcerum cõmotionem naturales illos motus aut affectiones denotare, quas Græci στοργὰς dicunt: quales ſunt parentum erga liberos, & horũ erga illos, fratrum item & ſororum erga ſe mutuò: quarum exemplũ & in meretrice altera apud Solomonem pro filio ſuo litigãte hiſtoria ſacra proponit. Habet ergo vera dilectio miſericordiæ affectũ, qui illã ceſſare aut frigere nõ ſinit. Huius enim effectus eſt, quòd aliena cõmouemur miſeria, cũ mox ſuccurrat, nos quoq́ homines eſſe, & proinde humanũ nihil à nobis eſſe alienũ: nec quicquã obſtare, quò minus nos ijſdẽ quibus calamitoſiſſimi quiq́ miſerijs exerceamur, præter Dei gratiã, qui nos hucuſq́ ſeruarit & tutatus ſit. Quod qui cogitant, ij non poſſunt non toto animo cõmoueri, ſi quod ſingulare exemplũ humanæ miſeriæ in aliquo conſpicantur. Vnde iam colligimus, eos dilectione omnino vacuos eſſe, qui nullo alienæ miſeriæ ſenſu tanguntur. Quod Ioannes Apoſtolus pulchrè docet his verbis: Si*
1. Ioan. 3. *quis habuerit ſubſtantiã mundi, videat autẽ fratrem ſuum egere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Et Paulus nos afflictis & captiuis cõdolere iubet, perinde ac ſi nos*
Hebr. 13. *in illorũ corpore affligeremur: & eos ἀστόργους, id eſt, eos qui à miſericordia & cõmuni humanitatis ſenſu, deniq́ ab affectionibus illis, quas natura nobis inſitas eſſe diximus, alieni ſunt, inter nouiſſimorũ temporũ peſtes numerat, à quibus ſibi debeant cauere, qui pietatis veræ ſtudio tenentur. 2. Tim. 3.*

2. Accedit. *Secundò accedit Samaritanus ad iacentem humi & proprio ſanguine fœdatum, neq́ præterit, ſicuti Sacerdos & Leuita paulò ante fecerant. Atqui multa erant, quæ eum poterant reuocare. Nam cogitaret: Homo es peregrinus, & per gentem tibi tuisq́ omnibus infeſtam iter facis, quis verò ille ſit neſcis, nec aliquis Iudæorum hucuſque illius aliquam rationem habuit. Quid ergo tu faceres, qui hîc abſque manifeſto periculo nihil potes agere? Nam aut aliqui ſuperuenient, qui hunc abs te ſpoliatum & tam miſerè tractatum eſſe ſuſpicabuntur, teque comprehenſum ad iudices trahent, vbi facilè fidem inueniet quiſquis aduerſus Samaritanum aliquid dixerit, aut qui hunc aggreßi ſunt latrones fortè non procul abſunt, & te quoque circa iſtius curam occupatum adorientur: & ita iſtum non ſeruabis, te autem in periculum conijcies. Quin ergo res tuas agis, & iter inſtitutum perſequeris? Hæc & multa alia huius generis homini cordato & prudenti, qualem hunc Dominus deſcribit, in mentem venire potuerunt. Sed nihil horum eum mouet, quò minus accedat, & infelicem illum propius inſpiciat. Eſt ergo efficax veræ dilectionis affectus, nec in nuda aut otioſa commiſeratione acquieſcit: qualem in illos videmus, qui afflictis bene precantur, fauſta & læta*

omnia

omnia optant, nihil autem præſtant officij, quo ſubleuentur, aut ex quo aliquã capiant conſolationẽ.
De quibus Iacobus verè ſcribit: Quòd ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu, Iacob.2.
dicat autẽ eis aliquis veſtrûm, Abite cum pace, calefcite & ſaturamini: non tamen dederitis eis quæ
ſunt neceſſaria corpori, quæ erit vtilitas? &c. Sunt hæc probè obſeruanda, ne nobiſipſis imponamus,
dum vltra frigidum & otioſum cõmiſerationis temere concepta affectum non progredimur.

Tertiò vulnera iſtius Samaritanus obligat, infuſo prius vino & oleo, quæ ſola ſecum habebat, 3. Vulnera obligat.
neq; incõmoda erant huic officio. Vino enim vulnerum cruor & ſanies eluitur, oleum verò dolorem
mitigat. Non igitur acceſſit modò ad ſaucium & ſeminecem, ſed quod putauit ad vitam eius ſeruan
dam conducere, & quod in iſta rerum anguſtia potuit, fideliſſimè præſtitit, & nec fœdè hiantiũ vul
nerum tabo aut ſanie absterretur, quò minus officium faciat. Vbi rurſus charitatis ingenium expri-
mitur, quæ vt omne periculum vincit, ita nullum officium tam vile, tam faſtidioſum vel nauſeæ ple
num eſt, quod propter proximi ſalutem obire detrectet. Ideò Chriſtus eius officia vſq; ad pedum ab-
lutionem extendit: & hæc cauſa eſt, quòd circa ægrotos et diutinis grauibusq; morbis detentos impri
mis occupantur, quos diuinus ille charitatis ignis accendit. At delicatuli, & qui ſe ſibi ſolis natos pu-
tant, omnẽ aſpectũ fœdũ, omnem tetrũ odorem ſibi fugiendũ cenſent, & magno cum faſtidio ab ægro-
tantiũ viſitatione abſtinent. Peccatur in hoc plurimum ab ijs quoq; qui puriorem Euangelij doctri-
nam profitentur, ſi quando Deus lue aut peſte peccata noſtra punit. Tunc enim hac correptos vel
domi tanquam maleficos concludunt, vel ex proprijs ædibus, imò extra vrbis mœnia eijciunt, & mi
nacibus edictis prohibent, ne quis illos accedat, præter eos, qui huic miniſterio deſtinati ſunt. Itaq; fre
quenter accidit, vt nec coniuges, nec fratres & ſorores ſibi mutuò officiũ charitatis præſtare poſſint,
ſed tunc abs ſe inuicem magno cum dolore diuellantur, quando imprimis ſibi inuicem adeſſe debebãt,
ægroti autem hominibus ignotis & ferè infamibus committantur. Cauſa tum barbaræ crudelitatis
eſt, quòd contagium quoddam fingunt, & ſibijpſis perſuadent mox à peſte eos etiam corripi, qui ex
hac laborantes accedunt. Deinde pietatis prætextu impietatem iſtam excuſant, & aiunt, non tenta-
ri debere Deum, id autem eos facere, qui ædes peſte infectas ingrediantur: nam id perinde eſſe, ac ſi
quis ſciens volens ſeſe in incendium conijciat. Sed velim iſtos homines ſuæ profeſſionis meminiſſe, &
rem diligentius expendere. Quod enim de contagio dicunt, exemplis manifeſtis confutari poteſt, &
ſcriptura peſtilentiã ſagittas Dei vocat, qui quos vult ferit, neq; incertis ictibus graſſatur. Et in Da Pſalm.38.91.
uidis hiſtoria Angelus Domini populum percuſſiſſe dicitur, cùm intra paucos dies multa millia ho- 2.Sam.24.
minum peſte abſumerentur. Mirum autem eſt Chriſtianos homines non videre, quod gentium poetæ
intellexerunt. Homerus certè peſtem in Græcorum caſtris graſſantem deſcribens, non contagiũ fin-
git cæcum, ſed Apollinem inducit ſuis telis illos ferientem. Cæterùm vt demus contagio luem hinc
inde ſerpere, nihil tamen hoc quoque iſtorum inhumanitati patrocinabitur. Nam contagioſos quoq;
morbos per Dei prouidentiam gubernari fateantur oportet, niſi ſortem noſtram deteriorem eſſe ve-
lint quàm paſſerculorum, quos abſque Patris ſui voluntate mori Chriſtus negat. Ad alterum argu-
mentum de non tentando Deo, reſpondemus, illos Dei præcepto abuti. Tentatur enim ille, quando
abſque eius vocatione & iuſſu nos periculis non neceſſarijs obijcimus. Atqui Dei mandatum eſt,
vt ægrotantibus aut ex quocunq; morbo laborantibus (nec enim vllus nominatim excipitur præter
lepram, de qua alias ob cauſas legem peculiarem Deus dedit) omne officium præſtemus, & in ſcri-
pturis commendantur, qui in hoc ſeduli ſunt & diligentes. Dauid certè dicit: Beatus, qui proſpicit Pſal.41.& 38.
ægroto: in tempore aduerſo eripiet eum Dominus. Dominus cuſtodiet eum, valetudinem reſtituet ei,
&c. Et idem amicis perfidis atq; impijs hoc tribuit, quòd cùm ipſe ex peſte decumberet, procul con-
ſtiterint, nimirum contagium veriti. Quid quod Chriſtus in nouiſſimo die electis ſuis dicturus eſt:
Aegrotus fui, et inuiſiſtis me? Iſta Chriſtianis hominibus ſufficere debent, vt quod Samaritanus iſte
in miſeri illius vulneribus abluendis & obligandis fecit, ipſi erga omnes faciant, qui in morbis qua-
libuſcunque ipſorum officium requirunt.

Quartò in iumentum proprium imponit, & ipſe pedes incedit. Deducit præterea in diuerſorium, 4. Deducit in
& illic eius curam ipſe agit, ne quid aliorum negligentia peccetur. Poſtero autem die, cùm ipſum hoſpitium, &c.
negocia aliò vocarent, hoſpiti eum diligentiſſimè cõmendat, pecuniam eius nomine largitur, & inſu-
per fideiuſſorem ſeſe ſiſtit pro impenſis, quas præterea facturus ſit. Docent iſta quàm officioſa ſit cha

1.Cor.13. *ritate, quã Paulus omnia ſufferre, & omnia ſuſtinere dicit. Quid enim iſte non facit, quod pater ali-
quis filio vnigenito, aut frater fratri chariſſimo in eiuſmodi neceſſitate faceret? Non labori parcit,
dum pedes iter facit, vt ſaucium hunc ſuo iumento vehat: neq; hoc ſibi inhoneſtũ aut indecorũ eſſe pu
tat, dummodo iſtius ſaluti conſulatur. Sumptus quoq; facit, & in poſterũ quoq; illi proſpicit. Hæc au
tem omnia propter nos dici meminerimus, cùm Samaritanũ hunc cõmune charitatis exemplũ Chri-
ſtus proponat. Diſcamus ergo abſq; omni perſonarum diſcrimine miſeris & afflictis condolere, iiſdem
opem ferre, & pro virili omnia præſtare, quibus illos opus habere videmus. Sed vah quàm variè &
grauiter hodie aduerſus hæc omnia peccatur. Iacent vbiq; locorum miſeri, ſpoliati & ſaucij: nec pri-
uati modò homines, ſed totæ gentes periclitantur, Eccleſiæ florentiſſimæ vaſtantur, ouiculæ Chriſti
exulant, multi item viri illuſtres, infinitæ matronæ & virgines incertis ſedibus oberrant. Sed pau-
cos tangit cõmiſerationis ſenſus, & pleriq; iſta abſq; gemitu ſpectant: pauciores verò accedunt, vt o-
pem ferant: pleriq; autem optimè ſecum agi putant, ſi ipſi rerum ſecuri aliorum naufragia ex portu
ſpectare poſſint. Prætexunt quidem illi multa, quibus ſeſe excuſent, ſed proprijs exemplis conuincun
tur, cùm in alijs rebus neq; labori neq; ſumptui parcant, & pericula quoq; interdum ſubeant grauiſ-
ſima. Quid verò de illis dicemus, qui ex aliorũ calamitatibus occaſionem arripiunt res ſuas augen-
di? Ex horum numero ſunt vſurarij auari, qui ſuis artibus miſeros circunueniunt, & quod adhuc
reliquum habent, eripiunt. Crudeliores his ſunt milites mercenarij, qui dum publicæ Eccleſiarum va
ſtationes fiunt, quaſi opem laturi aduolant, interim verò abſque omni diſcrimine prædantur, neque
aliquod inhumanitatis genus omittunt. Et hic hodie quæſtus vberrimus atque honeſtiſſimus puta-
tur. Sed ſentient omnes illi aliquando manũ Domini, & ſuæ crudelitatis pœnas dabunt tunc, quan-
do rebus ſuis optimè conſultum arbitrantur. Vide Iſa. 33.*

Allegoria. *Allegorias, quas hîc aliqui tractarunt, conſultò prætermittimus, quia partim impiæ ſunt, & ad
euacuandam gratiam Dei compoſitæ: partim ineptæ & à Chriſti inſtituto alienæ. Prioris generis
eſt, quòd per infelicem illum ſeminecem humanam naturam adumbrari dicunt, quam in Adamo
vulneratam Chriſtus medicus reſtituerit. Atqui Adam ſerpenti morem gerens, non modò vulnera-
tus & debilitatus, ſed omnino mortuus eſt, ſicuti fore Deus prædixerat: Quacunque hora ederis ex
arbore iſta, morte morieris. At iſti, vt liberum arbitrium tueantur, aliquas vires homini adhuc re-
liquas fuiſſe contendunt, & nos per Chriſtum ſubleuatos modò, non ex morte in vitam reſtitutos
eſſe docent. Atqui huius diſputationis, quæ Chriſto cum Legisperito interceſſit, ſcopo & inſtituto
confutantur. Ideò enim hunc ad Legem remittit Dominus, vt ſibi vires omnino nullas eſſe ſentiat*
Ephes. 2. *ea agendi, quæ ad vitam conſequendam faciunt. Et Paulus nos in offenſis & peccatis omnino mor-
tuos fuiſſe teſtatur, & idem ſuo exemplo docet, in electis quoque & renatis peccati reliquias ſuper-*
Rom. 7. *eſſe, quæ inuitos arripiant, quò minus Legi Dei obtemperent. Ad alterum genus pertinet, quòd
aliqui hominem peccatorem deſignari aiunt, cui Chriſtus vino & oleo, id eſt, per pœnitentiam &
peccatorum remiſſionem gratuitam medeatur. Dicitur hoc piè & verè. (Eſt enim Chriſtus à Pa-*
Acto. 5. *tre miſſus, vt nobis pœnitentiam & peccatorum remiſſionem largiatur) ſed non ſunt iſta huius loci,
& quid opus eſt in ſcripturis ludere, eaſq; in ſententiam alienam detorquere, cùm paſſim loci aper-
ti occurrant, quibus Chriſtianæ religionis dogmata confirmari poſſunt? Itaque nos in Chriſti inſti-
tutum intenti, teneamus, omnes homines neceſſario charitatis mutuæ vinculo ſibi inuicem obſtrictos
eſſe: benefaciamus ergo omnibus, & inimicos quoq; diligamus, vt eo argumento teſtemur, nos germa
nos diſcipulos eſſe Ieſu Chriſti, qui vt verbis hoc docuit, ita exemplo ſuo nobis præiuit. Ipſi debetur
benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CIIII.

Factum eſt autẽ inter eundum, ipſe ingreſſus eſt in quendam vicũ:
mulier verò quædam Martha nomine excepit eum domum ſuam. Et
huic erat ſoror, quæ vocabatur Maria, quæ etiam aſsidens ad pedes Ie-
ſu, audiebat ipſius ſermonẽ. Martha verò diſtrahebatur circa frequens
miniſterium: ſuperueniens igitur ait: Domine, non eſt tibi curæ: quòd
ſoror

ſoror mea reliquit me vt ſola miniſtrem? dic ergo ei, vt mihi viciſsim opituletur. Reſpondens autem dixit ei Ieſus: Martha Martha, ſolicita es, & turbaris circa multa: atqui vna re opus eſt. Maria verò bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

MVlta hucuſq; toto hoc Cap. dicta ſunt de Prædicatione Verbi Dei, & de illis, qui eam vel admittũt vel impiè aſpernantur. Subiecit his Lucas colloquiũ ſeu diſputationẽ Ieſu Chriſti cum arrogante & faſtuoſo Legis interprete, quæ ſummã veræ doctrinæ & omnium mandatorũ Dei continet. Conſiſtit hæc in duobus capitibus, Dilectione Dei nimirũ, quæ fidem in hunc & obedientiã veram cõprahendit, & Dilectione proximi, ex qua vitæ innocentia deriuatur. Et de proximi dilectione quidẽ abunde dictũ eſt in Samaritani parabola, qua Chriſtus docuit, quis proximi loco haberi debeat, & quibus officijs charitatẽ ſiue dilectionẽ erga illum teſtari debeamus. Ne quis autẽ hinc colligeret ſalutem noſtrã iũ operũ meritis deberi, cõmodè ſubtexitur hiſtoria, quã modò recitauimus, quæ exemplis pulcherrimis totã hanc doctrinã illuſtrat. Continet enim hoſpitalitatis præclarũ exemplũ, quo omnia charitatis officia traduntur. Viciſsim verò docet, quis nam verus Dei cultus ſit, quo huius dilectionem teſtari debeamus, & ex quo tota noſtræ ſalutis ratio dependet. Nimirum, vt Ieſum Chriſtum audiamus, quem ille nobis doctorem ac Seruatorem dedit, &c.

Orditur autem ab occaſione totius hiſtoriæ, quæ fuit, quòd Ieſus Chriſtus dum iter aut profectionem ſuam verſus Hieroſolymam proſequitur, in vicum quendam diuertit ad Martham & Mariam ſorores. Vicum hunc Bethaniam, Mariam verò & Marthã Lazari ſorores fuiſſe conſtat ex Ioannis vndecimo Cap. Singulari autem beneuolentia familiam hanc Chriſtus proſecutus eſt, adeò vt cùm Lazarus in morbum letalem incidiſſet, ſorores non aliud illi abſenti nunciari curent, quàm Domine, is quem tu amas, ægrotat. Et ipſe paulò poſt diſcipulis ait: Lazarus, amicus noſter dormit, & illis etiam reluctantibus ob periculi metum Bethaniam abit, & iam quartum diem in ſepulchro agentem à mortuis reſuſcitat.

Chriſtus diuertit ad Martham & Mariam.

Nunc autem ante omnia Chriſtus obſeruandus venit, qui etſi Rex regum ſit, & omnia illi tradita ſint à Patre ſuo, tamen in ædes alienas diuertit, non autẽ more regũ huius ſeculi paſsim per vrbes & vicos celebriores palatia habet, et ipſum expectantes ſeruos aulicos, qui eum excipiant. Debuit enim in aſſumpta humanitate, quoad hîc vixit, nihil proprium habere, vt nos æternis regni cœlorum bonis locupletaret. At magnum bonitatis eius argumentum eſt, quod ſubinde ad homines priuatos diuertit: quod tunc demum nobis rectè patebit, ſi quis ipſe ſit expendamus. Eſt enim ſemen illud Abrahamo promiſſum, quod maledictionem omnem ab humano genere auertere, benedictionem verò omnibus gentibus reducere debuit. Eſt dilectus ille & æternus Dei Filius, in quo Patri cõplacuit, vt nobiſcum in gratiam rediret. Eſt is, in quo omnes theſauri ſcientiæ & cognitionis reconditi ſunt, & qui nobis à Deo factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptionis noſtræ pretium. Non poteſt ergo ad aliquem amicè ac familiariter diuertere, quin ſecum ferat hæc ſua bona omnia, & ea cum ſalute certa ijs conferat, quos amicorum loco habet. Ideò infra Zachæi domui ſalutem contigiſſe dicet, cùm ad illum diuertiſſet, & ab eodem fuiſſet exceptus. Et hoc quidem hodie multi fatentur, ſeq; paratos eſſe adhuc ad illum excipiendum ſi modò ad ipſos veniret, vt olim ad Zachæum, ad Lazarum & ſorores eius venire dignatus fuit. Atqui vt ita ad nos diuertat, minimè opus eſt. Nam quod illi in terris agendum erat, dudum peregit, & nobis vtile fuit, vt relicto mundo hoc ad cœleſtes æternæ beatitudinis ſedes aſcenderet, & nobis illic locum pararet, atq; nunc apud Patrẽ pro nobis intercedat. Nihilominus tamen ad nos quotidie diuertit per Verbum ſuum, in quo ſeipſum & bona ſua omnia nobis offert, & amicè vt illis fruamur inuitat. Hîc ergo paratas habeamus, nõ ædes noſtras ex lignis & lapidibus extructas, ſed mentes noſtras, vt Verbum eius cum fide vera excipiamus, & eidem obtemperemus, vt poſtea prolixius dicetur. Diuertit ad nos etiam in pauperibus, & ijs maximè, qui eius nomine exulant: quos in ſuum locum ſubſtituit, vt in ſuas rationes ſe aſcripturum polliceatur, quicquid officij in ipſos fuerit collatum. Si quibus ergo tam charus & gratus foret ipſius Chriſti aduentus, quàm ipſi gloriantur, agedum hîc ſeſe ad præſtanda dilectionis officia accingant, & ipſum Chriſtum excepiſſe iudicabuntur.

Chriſtus in ædes alienas diuertit.

Habent illi hoc loco memorabile hoſpitalitatis exemplum, quod imitentur. Fuit familia hæc di ues admodum, & inter Iudæos magnæ exiſtimationis, vt in circunſtantijs hiſtoriæ de Lazaro reſuſcitato & in facto Mariæ Chriſtum pretioſiſsimo oleo vngentis eſt videre. Et ea tunc erat rerum conditio, vt non ſolùm Chriſtus publicè exoſus eſſet, verumetiam cum illo periclitarentur, quotquot ipſius diſcipuli aut ſectatores erant. Phariſæi enim, quorum potentia ipſis quoque primatibus formidoloſa erat, publico edicto excõmunicationem aut excluſionem è Synagoga in omnes decreuerant, qui in illum credebant. At venit nunc Chriſtus Bethaniam cum numeroſiſsimo comitatu. vt latêrè nullo modo poſſet, & palàm in domum illam diuertit. Concurrunt ergo multa ſimul, quæ Lazarum cum ſororibus mouere poterant, vt aut excluderẽt eum, aut amicè vt aliò diuerteret rogarent: ſumptus nimirum ingens, labor non exiguus, moleſtia magna, & quod hæc omnia ſuperat, excommunicationis periculum. Sed nihil horum illos abſterrere poteſt, quò minus illum cum ſuis hoſpitio excipiant: neque id inuiti aut cum murmure faciunt, vt ſolent ij quos laborum & impenſarum piget: ſed omne veri amoris indicium monſtrant, totiq; in eo ſunt, vt amicè & honorificè ab ipſis tractetur. Tales decet eſſe Chriſtianos, hoſpitales videlicet, & ita quidem vt læto & alacri vultu peregrinis omne hoſpitalitatis officium præſtent. Vt enim Deus ipſe hilarem datorem diligit; ita conſolationem maximam hoc peregrinis & exulantibus affert, ſi ſe diligi & nemini graues aut moleſtos eſſe ſentiant. Nec nos hîc alicuius laboris aut ſumptuum pigere debet. Suo enim exemplo nobis præiuerunt Abraham, Lothus & alij ſanctiſsimi homines, quos non imitari turpe foret. Et ijdem interdum Angelos ſuſceperunt, cùm homines ad ſe diuertere putarent. Excitent nos præterea Dei præcepta, quibus peregrinos nobis diligentiſsimè commẽdat, & ne quam illis iniuriam faciamus ſeueriſsimè prohibet. Et ſi lucri ſpes nobis cordi eſt, quis à nobis quæſtus vberior poteſt excogitari, quàm ſi ipſum Dei Filium nobis debitorem faciamus, qui ſe remuneratorem fore pollicetur, & olim in magno illo die in ſe collatum eſſe reputabit, quicquid in ſuos cultores collatum fuerit?

Chriſtus docet. *Quia verò de his ſæpe dictum eſt, nunc quid in domo Lazari & ſororum eius Dominus fecerit videamus, quàm primùm eò diuertit. Num turpi otio aut ignauo ſomno ſeſe dedidit? vel num pro imperio familiæ imperauit ſtatim, quid fieri velit, & qualis apparatus eſſe debeat? vel num mox epulari cœpit? Nihil horum Lucas narrat, ſed eum mox docendi officio functum eſſe, & Patris cœleſtis Verbum prædicauiſſe ſcribit. Nam vt ſupra audiuimus, comitatum in profectione illa maximum habuit tam virorum quàm mulierum, qui omnes illum vt doctrinam eius audirent, ſequebantur. Itaque locum commodum nactus, illos inſtituit, & eadem opera familiæ huic Verbum æternæ ſalutis denunciat. Eſt autem obſeruatu digniſsima eius induſtria atque ſedulitas, qua in*
Iſa. 61. *obeundo munere ſibi à Patre commiſſo vſus eſt. Nam vt de illo Iſaias vaticinatus fuerat, ad euangelizandum pauperibus mitti debuit, & ipſe non vno loco fatetur, ſe ideò veniſſe, vt regnum Dei paſsim prædicet. Id igitur tam ſedulo ac indefeſſo ſtudio agit, vt ne tunc quidem ceſſet, quando locus & tempus otium ſiue quietem poſtulare videbantur. Exempla huius induſtriæ multa alia in Euangelio extant, quæ ex ordine recitare non eſt opus, cùm legentibus ſubinde occurrant. Nos hinc*
Ioan 4. *colligamus, illum ſalutis noſtræ ſitientiſsimum eſſe, adeoq; (vt apud Ioannem teſtatur) hunc cibum ſuum eſſe, vt ex Patris voluntate atque mandato quàm plurimos ad ſalutem inſtituat. Hinc ergo conſolatio peti debet in tentationibus, ne facilè de ſalute noſtra deſperemus, quam fidiſsimo huic paſtori & medico tantopere cordi eſſe cernimus. Simul autem bonæ indolis diſcipulos imitari induſtria eius conſideratione excitemur, vt non minori diligentia illum in verbo ſuo nobis loquentem audiamus, denique præparemus nos, vt (quod beatus Ignatius olim de ſeipſo dicebat) panis mundus inueniamur, quo Chriſtus ſaturari atque delectari poſsit. Præterea diſcant exemplo Chriſti omnes homines, vt ipſi quoque functiones ſuas, ad quas diuinitus vocati ſunt, pari ſtudio obeant, vt olim Deo de illis rationem poſsint reddere.*

Sorores Lazari. *His præmiſsis ad duas haſce ſorores accedamus, de quibus potiſsimùm hîc agitur. Vnus vtrique affectus, idem in vtraque Chriſti amor, idem denique ſtudium, quòd videlicet illum honorare, & ſuam erga hunc voluntatem dignis officijs declarare volunt. Id vero non eadem ratione, neque eodem modo faciunt. Quare ſingulas ſeorſim inſpexiſſe proderit, vt plus vtilitatis & fructus ex conſi-*

deratione

deratione eorum, quæ fecerunt, ad nos redeat. Martha, quæ ſtrenuæ & laborioſæ matrisfamiliâs typum gerit, tota in hoc eſt, vt domum adornet, conuiuium inſtruat, omnibus qui venerant dignè proſpiciat, denique (vt ipſe Chriſtus poſtea ei dicet) circa multa ſatagit atque occupatur. Maria autem interea ad pedes Ieſu docentis conſidet, & illum concionantem audit. Diſplicet hoc Marthæ, non quòd eam laboris pigeat, ſed quòd ſororis opem iam ſibi neceſſariam putet, & ideò Dominum compellans ait: Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me, vt ſola miniſtrem? dic ergò ei, vt mihi viciſſim opituletur, vel vt ipſa quoque manus operi admoueat, & me tam multis occupatam adiuuet. Quid verò ad illa Dominus? Martha Martha (inquit) ſolicita es, & turbaris vel ſatagis circa multa: atqui vna re opus eſt. Maria verò bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quibus verbis, etſi Martha repræhendatur, Maria autem defendatur, non tamen ita accipi debent, quaſi Marthæ ſedulitas per ſe vituperio digna fuerit, & Chriſto improbetur. Quin potius eo nomine laude digna eſt, quod licet diuitijs abundet, & præ alijs multis inter ſuæ gentis homines in honore ſit & precio, non dedignatur tamen laborem iſtum ſubire, & nihil non facit, quo Chriſtum & hoſpites reliquos honorari poſſe exiſtimat. Talem mulierum credentium morem, Saram Moſes deſcribit. Nam cùm Abrahamus hoſpites domum deduxiſſet, ipſa prouectæ iam ætatis farinam ſubigit, panes & placentas parat, nullum denique detrectat laborem, vt & marito & hoſpitibus rem gratam faciat. Gen.18. Talem matremfamiliâs deſcribit Solomon, quæ lanam & linum quærat, & manibus ſuis cum voluptate operetur: imò quæ de nocte ſurgat, vt familiæ ſuæ cibum, & puellis ſuis penſa ſua diſtribuat: quæ denique ipſa lumbos ſuos accingat brachiaq́; ſua ad opus faciendum corroboret. Prouerb. 31. Et Paulus Apoſtolus Chriſtianas fœminas diligentes rei domeſticæ adminiſtras eſſe vult, & quæ liberos fideliter educent: quod vtrunque abſque labore & moleſtia fieri non poteſt. Pudeat ergo multas ſuæ ignauiæ, quæ molles & delicatulæ vel domi deſident, rei verò domeſticæ curam nihil ad ſe pertinere putant: vel magno cum faſtu otioſæ deambulant, equis molliter gradientibus aut ehedis magnificè ornatis vehuntur. Sunt tales ferè familiarum calamitas, dum quæ virorum induſtria parantur, ipſæ turpi faſtu & luxu prodigunt. Non talis Martha hæc, cuius pietas alibi quoque commendatur: & iſta etiam ſedulitas, quam nunc præſtat, laudem ſuam meruiſſet, niſi (quod pijs ſæpe accidit) vitia alia concurriſſent, quæ repræhenſione digna fuerunt. Primò enim modum excedit, & Chriſtum apparatu ſplendidiore atque lautioribus epulis excipere vult, qui frugalitate potius delectatur. Deinde circa hæc, quæ corpori curando ſeruiunt occupata, ſalutarem animæ cibum negligit, quem Chriſtus auditoribus ſuis depromebat. Tertiò de ſorore audacius iudicat, & ignauiæ adſcribit, quod pio diſcendi ſtudio ab ea fiebat, ſe denique illa meliorem putat propter externa hæc, quæ obibat, officia. Accedit his immodeſtia, quòd Chriſtum de rebus grauibus diſſerentem interpellat. Propter iſta repræhenſione digna fuit, quæ ſua induſtria laudem ſummam merebatur, ſi ea & in tempore vſa eſſet, & eandem vitijs hiſce non polluiſſet. Eſt ergo hoc memorabile exemplum, quo admonemur, quàm nobis ſuſpecta eſſe debeant opera & ſtudia noſtra omnia, & quàm diligenti cura opus ſit, ne tunc quoque, quando quid boni facimus, cæco carnis zelo abrepti exorbitemus.

Habemus ergo in Martha typum omnium eorum, qui Deum externis officijs pro ſui animi arbitrio colere inſtituunt. Martha typus eorum qui Deũ externis officijs colunt. Occupantur hi circa multa. Templa ſumptuoſa & cum regum palatijs certantia ædificant, addunt his ſacella, quæ in compitis quoque & triuijs extruunt: auro & argento illa exornant: precioſiſſima quæque ad Dei cultum congerunt, diſcurrunt, ſuffitum faciunt, accendunt cerea & lampades, cantant, ludunt organis, noctu excubias agunt, ſacra celebrant matutina & antelucana, ieiunijs ſeſe immodicis macerant, induuntur cilicijs, humi dormiunt, nudis pedibus & capite diſcooperto incedunt, denique ſexcenta alia faciunt, quæ ipſis magnifica, pia & Deo accepta eſſe putantur. E contra pios Dei cultores, qui vno Verbo contenti, non eadem cum ipſis faciunt, ignauiæ accuſant, & bonorum operum contemptores atq; hoſtes eſſe clamant, & tantum non Deum ipſum vnà cum cœlis & inferis aduerſus illos ad vindictã prouocant. Sed idem illis dici poteſt, quod in præſenti Marthæ dicitur: Vos quidẽ ſoliciti eſtis, & vobis ipſis labores atq; moleſtias facitis, dum circa multa tumultuamini: atqui ad ſalutem conſequendã vnica re opus eſt, quæ à vobis negligitur. Nã vt ipſe Dominus Samaritidi dicebat, Deus externa hæc nõ curat: ſed cùm ſpiritus ſit, in ſpiritu Ioan. 4.

& veritate vult coli & adorari. Quin olim, cùm externa ſacra adhuc in vſu eſſent, ea tamen abomi
natus eſt, quoties ijs ſolis occupati ea negligebant, quæ per illa adumbrabantur. Et cùm in Pſal. 50.
litem inſtitueret aduerſus populum Iudaicum, inter alia dicit: Non reprehendam te ſacrificiorum
cauſa, holocauſta enim tua ſunt iugiter coram me: Nec eſt vt accipiam de domo tua iuuencum, nec
de caulis tuis hircos. Mea etenim ſunt omnes feræ ſyluarũ, pecudes in mille montibus. Noui vniuer-
ſas in montibus volucres, penes me ſunt omnes animantes agreſtes. Si eſuriero, non eſt vt tibi indicẽ,
cùm meus ſit orbis & quicquid ille continet, &c. Et huius generis infiniti loci apud Prophetas occur
runt. Quòd ſi olim hæc Dei mens fuit, cùm cultus ille Leuiticus adhuc duraret, num eum hodie ex-
ternis his delectari putabimus, poſtquam Chriſtus veteribus vmbris ſublatis cultum ſubſtituit ſim-
pliciſſimum, & nos ad ſpiritum & veritatem reuocat? Non ergo templa illi extrui poterunt, qui-
bus includatur, cuius thronus cælum, ſcabellum verò pedum terra eſt. Non aurum & argentum
requirit, quæ Antichriſti Deo Mayzim Daniel tribuit. Non à nobis odores ſuaues poſtulat, qui
thura & aromata omnia creauit. Non noſtris diſcurſionibus delectatur, qui gratiam ſuam, & Filij
ſui meritum nobis vbique locorum per Euangelij prædicationem offert. Num verò noſtris cereis
opus habebit, qui totum orbem terrarum Solis radijs, & noctis tenebras Luna atq; ſyderibus illu-
ſtrat? Num item noſtrum cantum & à nobis excogitatorum organorum harmoniam alicuius faciet
is, cui cæleſtes chori hymnos ineffabiles concinunt, & qui auiculas voce donauit, quæ omne humanĩ
ingenij artificium longè ſuperat? Num deniq; ex noſtris vigilijs, ieiunijs, cilicijs alijsq́; corporis no-
ſtri caſtigationibus voluptatem aliquam capiet, qui ſomnum dedit, vt vires diurno labore fatigatas
recreet, qui cibos creauit & ijſdẽ cum gratiarũ actione veſci iuſſit, qui denique aues, feras & flores
agri mirificè veſtit? Sunt hæc cogitatu & dictu puerilia, & poſſunt hæc ſola ſufficere ad confutan-
das ſuperſtitiones, pro quibus hodie multi perinde pugnant, ac ſi tota hominis ſalus ab illis ſolis
dependeret.

Vnum neceſſarium. Quod ergo vnicum illud eſt, in quo verus Dei cultus & vniuerſa noſtræ ſalutis ratio conſiſtit, et
quo ſolo opus eſſe Chriſtus ait? Id hic nobis ceu digito monſtrat in Mariæ exemplo, quando hanc di
cit bonam partem elegiſſe, quæ ab ea nunquam auferatur. Quid verò illa fecit? Sedit ad pedes Ieſu,
& audiuit Verbum eius. Solebant olim diſcipuli & auditores ad pedes doctorũ ſuorum ſedere, quod
humilitatis & voluntariæ obedientiæ ſignum erat. Ita Paulus ad pedes Gamalielis in Lege patria
inſtitutus fuiſſe dicitur. In hoc igitur verus Dei cultus & ſalus hominis conſiſtit, vt primò nos ad pe
des Ieſu Chriſti demittamus, id eſt, vt contrito animo coram illo humiliemur, & reuerenter afficia-
Iſa. 66. mur ad Verbum ipſius. Docet hoc ipſe per Iſaiam ſic loquens: Ad quem reſpiciam? Ad pauperẽ &
contritũ ſpiritu, & qui ad Verbũ meum contremiſcit. Deinde alterum accedat oportet, vt Verbum
hoc fide vera amplectamur. Sunt enim qui & Verbũ audiunt, & eo audito conſternantur (cuius
rei exemplũ in impio Achabo hiſtoria ſacra proponit) ſed quia fide deſtituuntur, nõ credunt promiſ-
ſionibus Dei, & proinde vel impiè contemnunt & rident quæ dicuntur, vel cõſcientiæ terroribus ſu-
perati deſperant: At fides Dei amorem gignit, promiſſionũ dulci contemplatione animas exhilarat,
vnde ardens obedientiæ ſtudium naſcitur, quæ cauſa eſt, quòd Verbi fructus ſeſe per omnem vitam
noſtram diffundit. Et hoc vnicum illud eſt, quod Chriſtus ſolum neceſſarium eſſe dicit, & cuius
ſtudium alibi quoque omnibus alijs exercitijs & rebus per ſe ſanctiſſimis præfertur. Nam vt ad
Pſal. 40. Veteris teſtamenti teſtimonia veniamus, Dauid non temere pronuntiat. Victimam & ſacrificium
cibarium non amas, aures autem perfodiſti mihi: holocauſtum & hoſtiam pro peccato non poſtula-
uiſti. Tum dixi, En ipſe adſum, in pagina libri ſcriptum eſt de me: Vt faciam quæ tu probas ô
Deus meus, collibuit, & Lex tua in medio viſcerum meorum, &c. Quo loco Verbi Dei ſtudium &
Exod. 21. quæ illi debetur obedientiam (quam per aurium perforationem, locutione ex Lege petita, intelli-
git) omnibus ſacrificijs disertè præfert. Et in primo Pſalmo, beatum pronuntiat non eum, qui in
externo cultu aſſiduus ſit (quod etiam in hypocritis eſt videre) ſed eum, qui procul relictis impro-
rum & illuſorum conſortijs, in Lege Domini dies & noctes meditatur. Et huius generis multa in
Pſalmis in Verbi diuini commendationem dicuntur. Sed alia quoque Chriſti teſtimonia audia-
mus. Matthæi duodecimo Capite cùm inter docendum à matre & fratribus foras euocaretur,
non paruit, ſed extenſa ſuper diſcipulos manu ſua dixit: Ecce mater mea, & fratres mei:

Quiſquis

Quiſquis enim fecerit voluntatē Patris mei, qui eſt in cælis, ille meus frater, & ſoror, & mater eſt. Luc. 11.
Et rurſus alibi, cùm mulier quadā doctrinæ eius admiratione abrepta exclamaret: Beatus venter
qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti: Reſpondit ille, Imò verò beati, qui audiunt ſermonem Dei, et Acto. 6.
cuſtodiunt eum. Adde his Apoſtolorum exemplum, qui cùm initio bonorum Eccleſiæ diſpenſationē
ſuſcepiſſent, vt ex ijs victum pauperibus diſtribuerent (quod officium piiſſimum & ſanctiſſimū eſt)
poſtea autem ſentirent, ſe à prædicatione verbi Dei reuocari, conuocata Eccleſia tota muneri huic
renuntiarunt: indignum hoc eſſe arbitrati, vt relicto docendi officio menſis miniſtrarent. Et Paulus 1. Cor. 1.
Apoſtolus tanti fecit Euangelij prædicationem, vt eam Sacramentis quoque præſtantiorē duxerit.
Nā cū in priori ad Corinthios, ſe quàm pauciſſimos baptizauiſſe dixiſſet, rationē ſubijcit: Nō enim
miſit me Chriſtus vt baptizarē, ſed vt Euāgelizarem. In quo ipſius Domini exemplū ſecutus fuiſſe
videtur, qui et ipſe in docendo quidē aſſiduus fuit, neminē autē baptizauit. At inter externa exerci- Ioan. 4.
tia religionis Eccleſia nihil ſanctius & ſalutarius habet Sacramētis. Cùm verò hæc infra Dei ver-
bū longe ſubſidant, manifeſtè conſtat, huius ſtudiū Deo cultum eſſe omniū acceptiſſimum, & proin-
de vehementer falli omnes, qui hoc relicto aut contempto, circa externos ritus occupantur. Ideo in
præſenti Chriſtus Mariam ait bonam, adeòque potiorē & meliorem partem elegiſſe: & addit. Quæ
non auferetur ab ea. Quo membro fructum huius ſtudij exprimit, & hunc perpetuum eſſe & in æ- Ioan. 15.
ternum manere docet. Quod ipſum apud Ioannem quoque indicat, quando ſe diſcipulos miſiſſe dicit,
vt prædicando verbum Dei inter homines fructum ferant, & fructus eorum maneat. Et ſanè non
poteſt intercidere aut perire Euangelij fructus apud electos Dei, qui illud cum fide audiūt. Chriſtus
enim bonus & fidelis ille paſtor eſt, qui oues ſuas nouit, & eas ex manibus ſuis eripi non ſinit: Idem
quoq; nos Patri ſuo cæleſti ita reconciliauit, vt neque afflictio vlla, neq; anguſtia, neq; perſecutio, neq;
fames, neq; nuditas, neq; vllius periculi metus, neq; gladius, neque mors, neq; vita, nos ab eius dile-
ctione ſeparare poſſit. Latet quidem interdum fructus ille, dum pij quoq; carnis deſiderijs oppreſſi,
aut ſecuritate circumuenti, officium ſuum minus faciunt, & Deus ſæpe illos deſeruiſſe videtur, ſed
quia ſemen filiorum Dei intra ſe habent, ſuſcitat hoc ſuo tempore ſpiritus Domini, vt in viam re-
deant, & tunc Deus etiam fauorem ſuum denuo erga illos exerit, nec in huius modò vitæ curriculo
eos tuetur, ſed etiam vbi hoc emenſi fuerint, regni ſui cæleſtis heredes facit.

Hæc ſi diligentius expendantur, abunde docent, quàm turpiter hac hiſtoria abuſi ſint Mona- Abuſus iſtius
chi, non ſine atroci omnium aliorum hominum contumelia. Finxerunt illi duo vitæ genera, quorum hiſtoriæ.
alterum Contemplatiuum dixere, quod Angelis ſimiles faciat, alterum Actiuum, quod circa huius
ſæculi negotia verſetur, & homines à rerum cæleſtiū contemplatione & meditatione reuocet. Illius
exemplum in Maria, huius autem in Martha proponi tradiderunt. Et in Actiuo quidem genere
verſari dicunt omnes eos, qui vel rempub. adminiſtrant, vel agriculturam aut artificia manuaria
exercent: quorum omnium conditionem tanquam inutilem, imo vt noxiam, damnarunt. Contem-
platiuum verò vitæ genus ſibi tribuentes, illud in otio monaſtico conſtituerunt. At vbi nam hoc præ-
cepit Deus, vt quis euitato hominū conſortio ſeſe in luſtrum aliquod abdat, & ſibi ſoli viuat? Aut
quæ ratio eſt, quæ nos ex Mariæ exemplo tale quid colligere doceat? Nunc quidem cùm tam præ-
clara ſeſe offerret occaſio, ad pedes Chriſti conſedit, vt docentem audiret. Nū autem illic hæſit per-
petuò? annon poſtea ad rei domeſticæ curam redijt? Certè hoc illam feciſſe, ſatis docent quæ Ioānis
vndecimo & duodecimo Cap. ſcribuntur. Et ſi vitæ humanæ rationem nobis à Deo præſcriptā con-
ſideremus, nihil minus ille vult, quàm vt circa ignauam & otioſam contemplationem occupati, ab
alijs negotijs ad vitam ſuſtentandam neceſſarijs abſtineamus. Adamo quidem ille promiſſionem de
ſemine mulieris dedit, in cuius meditatione frequentem & aſſiduum eſſe voluit: ſimul tamen eidem
dixit: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Deinde Dei ordinatio eſt, vt alij quidem rem-
pub. adminiſtrent, alij opifices ſint, alij alijs rebus neceſſarijs vacent: & nullum illi acceptius eſt offi-
cium, quàm ſi ſinguli ſuam vocationem ſedulò ſequantur. Nos itaque omiſſis Monachorū ineptijs,
quibus ſuam arrogantiam & impietatem produnt, verum huius hiſtoriæ vſum obſeruemus, qui eſt,
vt diſcamus, quomodo à nobis Chriſtus excipi debeat. Primum hic eſt vt verbū eius ſedulò audia-
mus. Alterum, vt quod ex illo didicimus, factis teſtemur, & imprimis quidem charitatis officijs,
inter quæ hoſpitalitas non poſtremum locum obtinet. Qui duo hæc coniungunt, ij Filium Dei Ie-

contendunt. Quorum argumenta ſunt: Deus omniſcius eſt, & nihil eum poteſt latere: ergo inanis & irritus labor eſt, illi noſtras curas atque calamitates exponere, quas iam ante perſpectas habet. Item: Deus ab æterno ſtatuit quæ rerum omnium initia, qui progreſſus, quis denique finis & euentus eſſe debeant, & eius decreta reuocari aut impediri impoſſibile eſt: ergo preces noſtræ irritæ & inanes ſunt. Nam ſi ea petimus quæ ille fieri decreuit, fruſtra id facimus, cùm ea etiam nobis non poſtulantibus euentura ſint. Sin verò poſtulamus quæ cum eius decretis pugnant, non inutilis modò hic labor eſt, ſed inexcuſabilis arrogantiæ ſcelus eſt tantum nobis tribuere, vt Deum propter nos æterna ſua decreta mutaturum eſſe putemus. Eſt autem hoc ſingulare diaboli ſtratagema, qui (vt Paulus ait) ſeſe in Angelum lucis transformare poteſt, & his ipſis argumentis preces impedire conatur, quibus nos imprimis ad precandum excitari oportebat. Itaque aduerſus Sophiſticã hanc firmiter teneamus: preces nobis tam eſſe neceſſarias, vt ſine ijs neque Deo ſeruire, neque ſalutẽ conſequi poſſimus. Primò enim præceptum Dei eſt, vt ipſum inuocemus. Qui enim ſeuerè admodum mandat, vt ſe ſolum agnoſcamus pro Deo & ipſi vni fidamus, idem hoc etiam requirit, vt in periculis quibuſcunque ab ipſo vno opem flagitemus. Sic enim in Pſalmis ait: Sacrifica Deo laudem, & perſolue altiſſimo vota tua. In die afflictionis inuoca me, & cùm te libero, glorificato me. Et Chriſtus nos non ſolum orare verumetiam pulſare, & inuicta ſanctáque pertinacia in precibus perſeuerare iubet, vt ſuo loco audiemus. Adhæc promiſsionibus ampliſſimis nos excitat atque fidem noſtrã confirmat, ne de Patris cœleſtis beneuolentia dubitemus. Deinde vt precemur neceſſitas ipſa cùm publica tum priuata monet, vel potius cogit. Quicquid enim boni nobis obtingit, id ab vno Deo datur, qui & ſummũ bonum & omnis boni fons atque origo eſt. At is à nobis rogari vult, ſicuti Iacobus docet, & paulò ante annotauimus. Ad hæc vndique nos pericula circumſtant, & malis infinitis obnoxij ſumus, in quibus omnibus Dei auxilio opus eſt. Accedit his Satan, qui nunquam non nobis inſidias ſtruit, & rugientis leonis inſtar obambulat quærens quem deuoret. Excitat hic intra animos noſtros ſæpe tentationes grauiſſimas, quæ cum præſenti ſalutis periculo coniunctæ ſunt. Vt ergo in periculis quæ humana ope & conſilio euitari aut repelli poſſunt, ad homines prudentes & potentia inſtructos confugimus: ita in ijs quæ vires humanas ſuperant, ad Deum recurramus neceſſe eſt. Et huc pertinent exempla ſanctiſſimorum hominum vtriuſque teſtamenti, qui non alia in re quàm precibus frequentiores fuerunt. Quid, quòd ipſe Dei Filius interdũ totas noctes in inuocatione Patris ſui perſeuerauit? Quis verò tam impudens eſt, qui eum circa rem inutilem occupari voluiſſe dicere auſit, qui ipſiſſima eſt ſapientia? Sed & ipſe Deus cultores ſuos per Spiritum ſuum à precibus procul dubio reuocauiſſet, ſi nulla earum eſſet vtilitas.

Pſal. 50.

Vt verò illis quoque reſpondeamus, qui diuinæ omniſcientiæ & prouidentiæ prætextu contra preces abutuntur, tenendum eſt, nos nequaquam Deo, tanquam ignoranti, noſtras neceſſitates exponere, neque eo animo precari, vt æterna ſua decreta aboleat aut reuocet. Sed curas noſtras in Dei ſinum deponendo fidem noſtram teſtamur. Inter æterna verò prouidentiæ Dei decreta hoc non poſtremũ eſſe ſcimus, quòd eorũ preces exaudire vult, qui animo contrito & verè reſipiſcenti opẽ illius inuocant, & cum ipſo in gratiam redire cupiunt. Eius enim promiſsio eſt: Reuertimini ad me, & ego ad vos reuertar. Et per Ieremiam ait: Momento vt locutus fuero de aliqua gente aut regno, vt euellam, extirpem & perdam, redieritque ea gens, contra quam locutus eram, à malitia ſua, iam & me pœnitebit mali, quod ei facere conſtitueram. Atqui hoc ipſum de ſingulis hominibus intelligi debere, apud Ezechielẽ docet his verbis: Num deſidero aut volo mortem peccatoris, dicit Dominus? Annon magis vt conuertat ſe à vijs ſuis, & viuat? Dei ergo æternis decretis non pœnæ ſolum ſceleribus conſtitutæ ſunt, verumetiam ijſdem ratio continetur, qua illas effugiamus, pœnitentia nimirum, à qua diuinæ gratiæ inuocatio ſeparari nullo modo poteſt. Exempla quibus hoc probetur, paſſim occurrunt. Quoties Deus Iſraëlem in deſerto perdere ſtatuit? At quoties idem ille Moſis precibus placatus manum, iam ad percutiendum extenſam retraxit? Quod ipſum temporibus Iudicum ſæpiſſime factum fuiſſe ſcimus. Quo etiam referri debet, quod de Niniuitis ad Ionæ prædicationem conuerſis, de Ezechia item ex peſte laborante legitur. Accedunt his exempla quotidiana, quorum tantus eſt numerus, vt mirum ſit, aliquos inueniri, qui preces tanquam inefficaces & inutiles reijcere auſint.

Dei omniſcientia & prouidentia non abolet preces.

Ezech. 1.
Ierem. 18.

Ezech. 18.

Oratio quid ſit? *His abſolutis, videamus quid ſit Oratio, & quibus partibus conſtet. Oratio eſt colloquium animi fidelis cum Deo, quo vel nobiſipſis vel alijs bonum quid petimus, aut mala deprecamur, aut eidem pro acceptis beneficijs gratias agimus. Dicitur autem animi cum Deo colloquium, quia orationis loco minimè habentur nuda verba, quæ ore aut labijs proferuntur, niſi ex animo fide prædito & certa ſpe in Dei auxilium erecto procedant. Partes verò eius ſunt, Inuocatio, qua aliquid petimus aut deprecamur, & Gratiarum actio. Harum Paulus quoque meminit ad Philippenſes ſcribens: De nulla re ſoliciti ſitis: ſed in omni re per precationem & obſecrationem cum gratiarũ actio-*
Phil. 4. *ne petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et ad Coloſſen. In precibus perdurate, inuigilantes ijs cum gratiarum actione. Quæ verba nos admonent, nos inter precandum gratiarum actionis nunquã*
Coloſ. 4. *obliuiſci debere. Nam etſi nondum obtinuerimus ea quæ poſtulamus, magnum tamen hoc Dei beneficium eſt, quòd nobis cum eo colloqui, & eius opem implorare licet. Ideo Paulum & Sylam, cùm in carcere Philippenſi ſuas ad Deum preces funderent, ſimul Deum glorificauiſſe legimus.*

Porro vt rem omnem rectius intelligamus, ſpecies quoque Orationis obſeruari debent. Eſt enim alia priuata, alia publica. Priuata dicitur, quam ſinguli penes ſe priuatim ad Deum fundunt.
Oratio priuata. *De hac Chriſtus Matth. ſexto Cap. loquitur: Tu cùm precaris, introito in conclaue tuum, & clauſo oſtio tuo precare Patrem tuum, qui eſt in cælis &c. Et in hac quidem ſingulos quotidie aſſiduos eſſe conuenit, eò quòd nunquam non Dei auxilio & protectione nobis opus eſt. Hinc illi ſanctorum mos, quos matutino & veſpertino tempore, adhac quoties ad menſam cibi ſumendi cauſa acceſſerũt, ſemper precatos fuiſſe legimus. Quem morem ſuo exemplo Dei Filius confirmauit. At hîc tenendum eſt, priuatas preces neque loco neque tempori, neque ad certum corporis habitum aut ſitum alligatas eſſe. Iubet enim Paulus viros quouis in loco manus puras ad Deum attollere. Dauidem ve-*
1. Tim. 2. *rò in medijs ſyluis, in ſpeluncis, noctu item in lecto ſuo: Ionam in ceti ventre, Danielem inter leones, eius verò ſocios in fornace accenſo, Deum inuocauiſſe, & ab eo exauditos eſſe ſcimus. Vbicunque ergo locorum, aut quocunque tempore pij & fideles ad Deum preces fuderint ex vera fide, procul dubio hæ illi gratiſſimæ & efficaces erunt. Quia enim corpora noſtra per Chriſtum in templa Spiritus ſancti conſecrata ſunt, non poteſt non Deo acceptum eſſe, quicquid in noſtro corpore ex eius mãdato & cum fide facimus. Hinc ergo conſolationem petant, qui morbis confecti neque genua flectere, neque manus in cælum attollere, neque alijs geſtibus decoris inter precandum vti poſſunt. Quia enim viribus deſtituuntur, Deus non in geſtus aut corporis habitum, ſed potius corda eorum reſpicit, quæ ſi verè humiliata & contrita fuerint, minimè aſpernabitur. Exempla huius generis multa in paralyticis, cæcis & mutis Euangelica hiſtoria exhibet.*

Publicæ preces ſunt, quæ à multis credentibus ſimul in cætu ſacro congregatis fiunt, tam pro tota Eccleſia & repub. quàm priuatis hominibus, qui piorum apud Deum interceſſionem expetunt.
Publica oratio. *Fuerunt illæ ſemper in frequenti vſu, & propter has etiam cætus ſacri antiquitus inſtituti ſunt. Et quàmuis Eccleſia omni tempore certos dies precibus eiuſmodi deſtinatos habuerit, peculiares tamen cætus indicere ſolita fuit, ſi quando bella, fames, peſtis aut alia calamitates grauiores ſubitò exortæ ſunt. Exemplum eius rei apud Ioëlem extat, qui ſub Ezechia Aſſyriaci belli tempore prophetauit. Et Chriſtus preces iſtas ſingulari promiſſione commendauit, dicens: Dico vobis, ſi duo ex vobis*
Ioël. 2. *conſenſerint in terra, quodcunque petierint fiet eis à Patre meo, qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo*
Matth. 18. *aut tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Quapropter pij homines, etſi domi ſuæ in priuatis precibus frequentes ſint, publicas tamen minimè negligunt, quin potius ſingulari cum voluptate & deſiderio ad illas conueniunt. Exemplum huius ſtudij in Dauide habemus, qui cùm Saulis tyrannide pulſus incertis ſedibus oberraret, de hoc potiſſimùm queritur, quòd à ſacris cætibus arceretur. Et Lucas teſtatur Apoſtolos ſub horam precationis publicæ templum frequentare ſolitos fuiſſe. Tertullianus verò vetuſtiſſimus ſcriptor hoc præcipuum veteris Eccleſiæ exercitium*
Acto. 3. *fuiſſe teſtatur, & inter alia ſic ſcribit: Coimus in cætum & aggregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Confutantur hic, qui cùm Chriſtiani dici & haberi velint, cætus tamen ſacros declinant, & preces publicas contemnunt. Gloriantur quidem illi de priuatis ſuis precibus, ſed nequicquam hoc faciunt, quando Dei ordinem tot promiſſionibus & exemplis confirmatum negligunt.*

Quàmuis

Quàmuis autem precationis effectus neque loco neque tempori alligatus ſit, publicæ tamen Orationis lo-
preces locum certum & tempus ſtatum ſeu definitum requirunt, vt ordo ſeruari queat. Hæc cus & tempus.
ergo templorum origo fuit, quæ ab ipſo Chriſto domus precationis, & à veteribus Chriſtianis Matth.21.
Oratoria dicta fuerunt. Conſtat præterea non Sabbatum ſolum cultui externo & cœtibus ſa-
cris deſtinatum, ſed inſuper quotidie tres horas precationis conſtitutas fuiſſe, matutinam ſci-
licet, meridianam & veſpertinam, quibus ad templum aut Synagogas conueniebant ij, qui-
bus illud per negotia aut valetudinem licebat, qui verò id non poterant, ij domi precabantur, &
ita ſuas preces cum publicis coniungebant, vt harum quoque participes fierent. Exemplum huius
moris in Daniele habemus, qui etiam contra regis edictum tribus iſtis horis precari ſolebat. Et
Apoſtolos eundem ſeruaſſe, Actorum liber Cap. tertio & decimo non obſcure teſtatur. Plinius quo- 10.
que Secundus, qui Traiano Imperante Aſiæ Proconſul fuit, ad Imperatorem de Chriſtianorum
moribus ſcribens, illos cœtus antelucanos agere teſtatur (nimirum quòd interdiu illis propter per-
ſecutiones conuenire non liceret) in quibus precentur & Deum ſuum communi voce celebrent. Po-
ſteriùs verò temporibus hæc omnia in ſuperſtitionem degenerarunt: quando nimirum nouæ templo-
rum dedicationes fieri, horæ Canonicæ obſeruari, & gratia Dei atque precum virtus locis atq; tem-
poribus certis alligari cœperunt. Verumtamen non debet hoc pios abſterrere: quò minus verum &
legitimum precum publicarum vſum retineant. Templis itaq; pie & rectè vtantur; ea ab omni
prophano vſu impolluta ſeruent, horas verò publicis precibus deſtinent, quæ populo opportunæ
& commodæ ſint, & in his omnem ſuperſtitionis occaſionem, qua poſſunt diligentia, deuitent.

Videretur nunc ordo poſtulare, vt quis nam inuocari debeat, doceremus: at quia de hoc in ſua Præparatio
precationis initio Chriſtus admonebit, nunc porrò videbimus, vt precaturi ſeſe præparare, & qua- precantium.
les inter precandum eſſe debeant, ſi preces ſuas Deo acceptas eſſe velint. Quo loco ſex potiſſimùm
obſeruanda veniunt. Primò procul remoueri & excludi debet propria dignitatis & iuſtitia, ad- 1.Humilitas.
hæc virium noſtrarum fiducia, adeò vt toti corã Deo humiliemur, vt qui nos eius gratia & miſeri-
cordia opus habere agnoſcamus. Nam vt Petrus ait, Deus humilibus gratiam largitur, ſuperbis
verò & confidentibus reſiſtit. Atqui nulla ſuperbia arrogantior, nulla arrogantia deteſtabilior eſt,
quàm ſi tantum ſibiipſi homo tribuat, vt ſe de Deo, qui ſummũ & æternum bonũ eſt, aliquid mere-
ri; aut apud eius tribunal ſe propria iuſtitia conſiſtere poſſe ſibi perſuadeat. Et quia tales contẽpta
Dei miſericordia, eius iuſtitiam contra ſe prouocant impoſſibile eſt vt precando quicquam impetrẽt.
Docet hoc ipſe Chriſtus in Phariſæi & publicani parabola euidentiſſimè, vt alijs rationibus aut
argumentis nequaquam opus ſit. Intellexerunt hoc olim quoque ſanctiſſimi quique cultores Dei,
qui ideo inter precandum clamare ſoliti fuerunt: Memor eſto miſerationum tuarum ô Domine, Pſal.25.
& bonitatis tuæ: quoniam à ſæculo ſunt. Peccatorum adoleſcentiæ meæ, ac ſcelerum meorum ne
ſis memor: memor autem mei ſis ſecundùm benignitatem tuam, propter bonitatem tuam ô Domi- Pſal.143. 130.
ne. Item: Ne iure vtaris cum ſeruo tuo, quoniã non iuſtificabitur coram te vlla caro. Et rurſus: Si 51.
iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſubſiſtet? Quibus & hoc adde: Miſerere mei Domine pro bo-
nitate tua: ſecundùm multitudinem miſericordiarum tuarũ dele ſcelera mea. Laua me plurimùm ab
iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Nam tranſgreſſiones meas agnoſco, & peccatum meũ
aſſiduè mihi obuerſatur. Et ne quis putet, has ſolius Dauidis preces fuiſſe, cuius atrocia ſcelera eiuſ-
modi humiliationem merebantur, obſeruabis, eos etiam ita precari ſolitos fuiſſe; qui nihil atrocis
flagitij vnquam deſignauerunt. Daniel certè, poſt multa in populum Dei merita & egregiè facta,
in precibus ſuis tam ſua quàm totius populi atque omnium ordinum peccata ingenuè fatetur.
Dicit enim: Nos peccauimus & inique egimus, impie egimus, & deſciuimus deflectendo etiam Dan.9.
à præceptis tuis, & iudicijs tuis. Neque obediuimus ſeruis tuis prophetis, qui tuo nomine locuti
ſunt ad reges noſtros, principes noſtros, & patres noſtros, & ad totum populum terræ. Tibi
quidem iuſtitia debetur Domine, nobis autem pudor &c. Et poſt prolixam peccatorum con-
feſſionem tandem ſubijcit: Adhibe mi Deus aurem tuam, vt audias: & aperi oculos tuos, vt
videas noſtras ſolitudines, & vrbis quæ tuo nomine vocatur: Non enim in precibus noſtris,
quas effundimus coram te, allegamus noſtram iuſtitiam, ſed tuam profuſiſſimam miſericordiam.
Ecce quanta cum animi contritione ſeſe demiſerit ſanctiſſimus Propheta, quem ipſe Deus vi-

rum deſideriorum dicere conſueuit? Et huc imprimis referri debet, quod Chriſtus inter orandũ nos
omnes dicere iubet, Remitte nobis debita noſtra &c. At quo ore iſtud dicemus, niſi nos Deo debitores
eſſe agnoſcamus?

Noſtriipſius cognitio humiles facit.
Porro vt innatã carni confidentiã deprimere, & in Dei conſpectu verè humiliari poßimus, al-
tius in nos ipſos deſcendamus oportet, vt non ſolũ opera noſtra, verumetiã vires noſtras vnà cũ car-
nis ingenio diligentius conſideremus. Vbi legis ſpeculo opus eſt: quod ſi propius intueamur, mox nos
non modò peccatores, ſed adeò corruptos eſſe videbimus, vt ex nobis ipſis non aliud quàm peccare
poßimus. Quia enim Adam Dei imaginẽ, ad quã initiò conditus erat, peccando corrupit, & peccati
Pſal 51. *ſeruus factus eſt, non alios quàm peccati ſeruos in corrupta ſua & vitioſa imagine generare potuit.*
Hebr. 13. *Idee Dauid dicebat: En in iniquitate formatus ſum, & in peccato cõcepit me mater mea. Atqui cõ-*
ſtat, illũ ex legitimo coniugio natum fuiſſe, cuius thorum Paulus ſanctum & impollutum eſſe dicit.
Gen. 8. *Ergo de vitioſa & peccatrice natura hoc Dauid pronuntiat, in qua vt reliqui omnes Adami po-*
ſteri natus erat. Quò Deus ipſe reſpiciens, hominem nihil niſi carnem, & humani cordis figmenta à
pueris praua eſſe pronuntiat. Nam etſi non peccemus opere aut facto aliquo, quàm primùm ex ma-
Rom. 7. *tris vtero prodimus, vitioſum tamẽ & peccans ingeniũ, & (vt Paulus loquitur) lex peccati in mẽ-*
bris noſtris deliteſcit, quæ cum ætatis progreſſu ſeſe exerit, & in opus erumpit vt primum per vires
noſtras id fieri poteſt. Itaque vt lupi catulus lupus eſt, quàmuis ouẽ adhuc nullam laniarit: ſic etiã ſi
dum infantes ſumus non peccemus opere, natura tamen Adami filij & peccatores ſumus, et propter
naturæ noſtræ vitioſitatem iræ Dei obnoxij. Quòd ſi quando quid boni facimus, id non ex nobis pro-
cedit, ſed diuinæ gratiæ in nobis agentis opus eſt. Quare peccatorũ quidem nos pudere debet, quæ pro-
priè ex nobis proueniunt, de bonis autem operibus gloriari neque poſſumus neque debemus, ſed potius
gratias agere Deo, qui illa per nos perficere dignatus eſt. Hæc qui dignè expendunt, ij ſola Dei gra-
tia freti, preces ſuas humiliter facient, neque vlla ſuæ dignitatis fiducia efferentur. At qui ſuæ na-
turæ vicioſitatem eiuſque effectus non agnoſcunt, ij aut ſalutem ſuam omnino negligunt, aut in Dei
conſpectum confidenter veniunt, ſe & iuſtitiam ſuam ſuperbè oſtentãt, adeoque Deum ſibiipſis de-
bitorem faciunt: quæ cauſa eſt, quòd nec ipſi neque preces eorum illi placere poſſunt.

2. Animi deuotio.
Secundò curandum eſt, ne (quod apud Iſaiam Dominus reprehendit) ore & labijs ſolis Deo
appropinquemus, ſed vt ex ipſo corde oratio procedat. Quia enim Deus ipſiſſima veritas eſt, hypocri-
ſim omnẽ odit, & in ſpiritu atque veritate adorari vult. At quæ hypocriſis eſt impudentior, quàm
ſi quis ſe precari ſimulat, & verbis quidem atque geſtu precantis vtitur, cùm interim animum ſuũ
circa vaniſſimas cogitationes & fœdas carnis cupiditates vagari patiatur? Aut num Deus hanc
precationis loco habebit, à qua melior noſtri pars, animus nimirũ, prorſus eſt alienus? Diſplicet tibi
proximus tuus, ſi eum in animo ſuo aliter erga te affectum eſſe ſcias, quàm illius verba ſonent: Nũ
ergo te probaret Deus, ſi ore quidem illum inuoces, animum verò totũ auaritiæ, ſuperbiæ, inuidiæ, o-
dio, libidini alijſque nefarijs cogitationibus immerſum habeas? Hic ergo omniũ grauiſſimum peri-
culum ſeſe offert, quod precaturis ſolet accidere, cùm infinita ſint, quæ animi deuotionem impedi-
unt. Nam vt innatas nobis cupiditates omnino exuamus, fieri non poteſt quoad in hac carne vi-
uimus. At illæ cogitationes varias pariunt, quæ mentem turbare & à precibus auocare ſolent. Ac-
cedit his Satan, qui & ipſe multa ſuggerit, quibus animi deuotio & piæ meditationes diſturbantur.
Quò fit vt rariſſime animum noſtrum à cogitationibus alienis liberum tantiſper poßimus ſeruare
vſque quò orationem Dominicam abſoluamus: & frequenter accidit, vt finita precatione, quid
nam precati ſimus, ipſi ignoremus.

Animi deuotio quibus rebus iuuetur.
Magna igitur hîc cura & diligẽtia opus eſt, vt huic vitio medeamur. Ante omnia autẽ prode-
rit, ſi Dei maieſtatem probè conſideremus, corã qua preces noſtras effundimus, ſimulque cogitemus,
quanti referat, vt preces noſtræ exaudiantur. Qui cauſam grauem coram Senatu aut iudi-
cum conſeſſu acturi ſunt, ij quid dicant diligenter expendunt, neque interea vanis cogitationibus
ſe diſtrahi patiuntur. Quanto autem magis hoc in ſuprema illius maieſtatis conſpectu obſeruari
debet, vbi non corpora ſolum & fortunæ noſtræ, verumetiam animarum ſalus periclitatur? Quod ſi
præterea cogitemus, nos æterno exitio dignos eſſe, & abſq; Dei miſericordia atq; fauore ne momento
quidẽ poſſe conſiſtere, tunc nõ difficile fuerit cogitationes prauas cohibere, ne animi deuotionem im-
pediant.

*impediant. Deinde neceſſariũ eſt, vt carni noſtræ omnia ea ſubducamus, quibus malæ cupiditates cõ
firmantur: qualia ſunt cibus potusq; immodicus, veſtium luxus & concessæ etiam voluptates. Vbi
ſinguli ſibiipſis optimè conſulere poterunt, ſi diligentius obſeruent, quæ nam illa ſint, quibus carnis
ipſorum libido atq; petulantia maximè accenditur. Et hoc verum illud ieiunium eſt, de quo ſcri-
pturæ loquuntur, & cuius diſciplina olim ſanctiſſimi quiq; in carne ſua coercenda vſi ſunt. Id verò
non in ſuperſtitioſo ciborum diſcrimine aut delectu conſiſtebat, ſed in omnium eorum abſtinentia,
quæ animos peccantium aliò ſolent auocare. Ideo ferè precibus coniungitur, vt hæ illo adiutæ feruen
tiores fiant. Et huc facit, quod Ioel ad publicas preces populum exhortans, ſponſum de thalamo ſuo* Ioel. 2.
exire iubet: & quòd Paulus coniugibus aliquando ſecubandi poteſtatem facit, vt ardentius precẽ- 1. Cor.
*tur. Sed & cilicijs olim vtebantur, & cineres aut terram capiti inſpergebant, vt carnis petulantia
hoc modo domita precandi feruorem minus impediret. Cauenda tamen in his ſuperſtitio, ne meri-
tum in iis ſtatuamus, quæ non niſi propter preces debent fieri.*

Tertiò neceſſe eſt, vt certa & indubitata fide vel fiducia erga Deum precemur, ſine qua nihil im 3 Fiducia certa
petrabimus. Nam precatio non poteſt verè dici, quæ non cum fide coniuncta fuerit. Notum eſt e- gratiæ Dei.
nim illud Pauli: Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Qui homini alieni quantum- Rom. 10.
*uis eximio non fidunt, ij ab eodẽ neq; auxilium neq; conſilium expetunt. Adhæc ingratæ & inefficaces
ſunt omnes petitiones noſtræ apud eos, qui nos nihil boni de ipſis ſperare ſciunt. Ita enim natura
comparatum eſt, vt eos ſpem bonam de nobis habere velimus, qui opem noſtrã flagitant. At qui hoc
ipſum à nobis Deum exigere Scriptura paſſim teſtatur, quæ inſuper docet, cultum nullum illi gratũ
eſſe, niſi qui cũ vera fide cõiunctus eſt. Huc primus fœderis cum Abrahamo initi articulus pertinet,
quo Deus pollicetur, quòd in ipſo omnia habituri ſimus, quæ ad præſentem hanc & futuram vitã no
bis neceſſaria ſunt. Idem primum Decalogi præceptum docet, quo prohibemur, ne nobis Deos alienos
faciamus, id eſt, ne ſpem & fiduciam noſtram in alio, quàm in vno vero Deo collocemus. Itaq; pre-
ces & fides abs ſe inuicẽ diuelli non poſſunt. Qui enim vni Deo fidunt, ij hunc vnum etiam inuocãt.
Si qui verò abſq; fide ad Deum clamant, horũ clamor non precatio eſt vera, ſed aut inanis quædam
garrulitas, quæ ex hypocriſi procedit, aut belluinus vlulatus, quem doloris impatientia extorquet,
& proinde Deo placere nõ poteſt. Rectè igitur Diuus Iacobus ſcripſit: Qui precatur, is poſtulet cum
fide, nihil diſceptans: nam qui diſceptat ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur & iactatur: neq;* Iac. 1.
*exiſtimet homo ille, ſe quicquam accepturum à Domino. Atqui fides donum Dei eſt, qui hanc per
ſpiritum ſuum cordibus noſtris inſerit, & ſpe certa confirmat. Opus ergo fuerit, vt aſſiduè cum A-
poſtolis clamemus: Domine, adauge nobis fidem. Item, Succurre incredulitati noſtræ. Nec enim fi-* Luc. 17.
des noſtra vnquam tam firma & conſtans erit, quin caro aliquas dubitationes excitet, aduerſus Mar. 9.
quas nos luctari oportebit.

Sunt tamen nonnulla quorum conſideratione fidem noſtram vehementer confirmare poſſumus. Fides quibus cõ
Inter quæ præcipuum eſt vera Dei cognitio & diligens eorum, quæ illi propria ſunt conſideratio, firmetur.
*in qua nihil occurrit, quod fidem & ſpem noſtram non plurimùm augeat. Primò enim natura bo-
nus, beneficus & liberalis eſt, adeò vt etiam non requiſitus bona ſua in omnes creaturas diſtribu-
at. Nam vt Dauid in Pſalmis canit, pecori quoq; pabulum producit, feras in deſertis alit, & ijſdem* Pſal. 104. 105.
in ſummis montibus fontes aperit, coruorum pullis proſpicit, aues cœli paſcit, & flores in agris temere 107.
*naſcentes mirificè veſtit & exornat. Num ergo hominem neceſſaria abs ſe petentem negligeret,
qui brutis & inanimatis nihil petentibus tam benignè proſpicit? Atqui humani generis amantiſſi-
mum eſſe conſtat. Hominem enim initiò ex mera gratia condidit, vt eſſet quem bonorum ſuorũ par-
ticipem faceret. Propter illum alia omnia creauit, & ea illius ſubiecit imperio. Neq; aliquod tem-
poris momentum elabitur, quo non ſentiamus ſui erga nos fauoris ſpecimen aliquod. Superat tamen
omnia hæc, quòd cùm miſeris nobis & propter peccatum æterna morte dignis Filio eius redem-
ptore opus eſſet, hunc quoq; pro nobis in mortem tradidit. Quid ergo ab eo maius aut excellentius
petere poſſumus, quod nos impetraturos eſſe dubitemus? Paulus certè ex eo nos ita argumentari
docet: Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quî non etiam cum eo
omnia nobis gratificetur? Facit etiam ad fidei noſtræ cõfirmationem æterna & conſtantiſſima Dei* Rom. 8.
veritas, quæ non patitur vt promiſſa fallat. At infinitæ promiſſiones extant, quibus ad ſe claman-

tes exauditurum ſe eſſe pollicetur. In Pſalmo ait: In die afflictionis tuæ inuoca me, & liberabo te.
Pſal. 50 et 145. *Item: Praſto adeſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus (inquam) inuocantibus eum cum*
veritate. Facit autem quicquid volunt, qui timent eum, & clamorem eorum exaudit, ac ſeruat
Iſa. 65. *eos. Apud Iſaiam verò ait: Futurum eſt, vt prinſquam inuocent, ego reſpondeam, & adhuc illis lo-*
quentibus ego exaudiam. Quæ promiſſiones in Nouo teſtamento per Ieſum Chriſtum confirman-
Math. 7. *tur, qui nos non modò precari iubet, verumetiam vt precari debeamus docet. Petite (inquit) & dabi-*
tur vobis: Poſtulate, et accipietis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Adhæc ſeipſum
nobis quaſi fideiuſſorem ſiſtit, dicens: Amen amen dico vobis, quæcunq; petieritis à Patre in nomine
Ioan. 16. *meo, dabit vobis. Hactenus non petiſtis quicquam in nomine meo: petite, & accipietis, &c. Vt verò*
promiſſiones iſtæ plus fidei apud nos habeant, eorum exempla ſimul coniungere oportet, qui in pre-
cibus ſuis exauditi res humanis viribus impoſſibiles confecerunt. Clamant in Aegypto ad Domi-
Exod. 3. 14. 17. *num filij Iſrael, & ille mox audito eorum clamore, Moſem illis vindicem deſtinat. Precatur ad*
mare rubrum Moſes intra cor ſuum, & Deus illum clamare dicit, & per medias aquas tutũ tran-
Iacob. 5. *ſitum toti populo præbet. Idem ille precibus ſuis Amalekitas deuicit. Elias precando cœlum clauſit,*
Iſa. 38. *vt per triennium neq; ros neq; pluuia caderet, & rurſus illud precibus aperuit. Ezechias ad Deum*
clamando vitæ ſuæ annos prorogat. In Nouo teſtamento huius generis exempla plurima habentur,
præcipuè in Actorum libro, qui Apoſtolos non ſemel piorum orationibus è carceribus liberatos eſſe
commemorat. Neque hîc mihi obijcias: Scio quidem iſtos à Deo exauditos olim fuiſſe, at mihi ideo
perſuadere non poſſum, quòd me quoq; exauditurus ſit. Nam ſi in temetipſum deſcendas, & animo
repetas, quæ tibi iam inde à pueritia acciderunt, infinita diuinæ bonitatis argumenta inuenies. An-
Pſal. 22. *non enim Deus is eſt, qui (vt Dauid ait) te ex matris vtero eripuit, & in hunc vſque diem ſerua-*
uit? Annon fateri cogeris, te illum ſæpius inuocaſſe, & ab eo fuiſſe exauditum? Quin ergo ex an-
teactis colligis, quòd in poſterum quoq; te exaudire & ſeruare velit? Hæc omnia ſi diligentius pau-
lò expendamus, & huic conſiderationi frequens coniungamus verbi Dei ſtudium, fidem in nobis
plurimum augeri atque confirmari ſentiemus, quæ deinde noſtras preces apud Deum acceptas &
efficaces reddet.

A Vita precib. reſpondeat. *Quartò vita & mores noſtri precibus reſpondeant oportet. Quia enim Deus in nobis glorificari*
vult, nunquam eorum preces ratas habebit, qui nomen eius ſuis ſceleribus polluunt atque propha-
nant. Nō poſſunt eorum filiorum clamorem magni facere pij patres, quos ſibi dedecori eſſe ſentiunt.
Cur ergo nos clamantes audiat Deus, ſi ore quidem filios eius nos eſſe profiteamur, reipſa autem nos
nominis eius hoſtes declaremus? Talibus per Prophetam reſpondet Deus: Filius honorat patrem
Malach. 1. *ſuum, & ſeruus dominum ſuum: Si ergo ego pater ſuum, vbi honor eſt meus? Si verò dominus ſum*
Prou. 28. *veſter, vbi meus timor? Et memorabilis eſt Solomonis ſententia: Qui aurem ſuam auertit, quo mi-*
nus Legem audiat, eius precatio quoque abominanda eſt. Itaque etſi nos ab omni peccato abſtinere
impoſſibile ſit, cauendum tamen eſt impium & deuotum peccandi ſtudium, quo hodie multi preces
ſuas Deo abominabiles reddunt, dum ad illũ non niſi extrema neceſſitate preſſi confugiunt, interim
verò nihil eorum præſtans, quæ ille à nobis exigit. Quorum preces ſacrificio Caini ſimiles ſunt, qui
& ipſe cultor Dei videri volebat, cùm animum haberet inuidia & odio æſtuantem, atque à timore
Dei alieniſſimum. Et ſeruit illis, quod in Pſalmo 50. impio dicit Dominus: Quid tibi vis, quòd cō-
memoras ceremonias meas? cur ore tuo fœdus meum iactas? Cùm odio habeas diſciplinam, & ver-
ba mea poſt te abijcias. Vt verò in omni vita Deo obedire oportet, ita ſtudendum eſt, vt omnia no-
ſtra dicta & facta cum verbis precum noſtrarum conueniant. Vno ore Deum patrem noſtrum dici-
mus. Meminerimus ergo nos omnes fratres atque ſorores eſſe, & proinde nemo alios præ ſe contem-
nat, multò minus autem odio proſequatur. Imploramus Dei gratiam atque miſericordiam: er-
go nos quoque in proximos benefici & miſericordes eſſe debemus. Petimus vt Dei nomen ſanctifi-
cetur: abſtineamus ergo ab omnibus, quæ illud prophanant. Precamur vt regnum Dei aduentat, &
in nobis inſtauretur: præparemus ergo nos, vt in nobis Deus regnare poſſit. Oramus, vt Dei volun-
tas in terris perinde vt in cœlis fiat: itaq; huic nos ſubijcere, nec quicquam ex noſtræ carnis arbitrio
aduerſus illam inſtituere debemus. Hoc ipſum in omnibus alijs petitionibus obſeruetur, ſiquidem
nos exaudiri volumus.

Docent

Contra ſcelerũ oſtentatores.

Docent iſta quid de illorum precibus iudicari debeat, qui non ſolum in ſuis ſceleribus pergunt, verumetiam ea inter precandum quaſi oſtentant in Dei conſpectu, & in illis laudem atque gloriam quærunt. Faciunt hoc, qui veſtium luxum in templa inferunt, & quibus non ſatis eſt, quòd iam ante peccarunt libidine & petulantia, niſi in cœtus quoque ſacros eum ornatum inferant, quo quàm plurimos offendunt. Taceo nunc eos, qui quæ ſcortando, mœchando, vſurarijs item artibus, aut etiam militiam mercenariam ſectando pararunt, magno cum faſtu coram Deo & Eccleſia eius oſtentant. Quibus eos etiam rectè adnumeraueris, qui inſignia & arma ſua in templis ſuſpendunt, & iam defuncti imagines ſuas armatas in ſepulchris conſpici volunt. Et quis obſecro iſtorum preces Deo gratas fore putet? Nam vt de teipſo exẽplum ſumas, quis tibi animus foret, ſi quis abs te aliquid peciturus cum monili aut torque ab vxore aut filia tua in libidinis præmium accepto, aut cum filij tui abs ſe occiſi veſte adhuc ſanguinolenta compareret? Id verò tibi prorſus intolerabile foret. At quàm multos eſt videre, qui cùm ſe preces facturos ſimulent, fœda libidinis præmia, & filijs Dei detracta ſpolia in eius conſpectum afferunt? Atqui hi reuera peccatores illi ſunt, quos à Deo exaudiri Scriptura negat. Et contra eoſdem Dominus per Iſaiam clamat: Cum expanderitis manus veſtras, abſcondam oculos meos à vobis: & ſi multiplicaueritis precationem, non exandiam: quia manus veſtræ plenæ ſunt ſanguinibus. Et alibi Prophetis ſuis mandat, ne ipſi pro talibus intercedant, eò quòd impunitos dimittere non poſſit. In horum igitur meditatione diligentes non eſſe conuenit, ne vitæ impuritate & morum licentia preces noſtras non inutiles modò, verumetiam abominabiles & Deo exoſas reddamus.

Ioan. 9.
Iſa. 1.

5 Nihil Deo indignũ petatur.

Quintò, nihil peti debet, quod Deo indignum aut voluntati eius contrarium ſit. Quis enim vir bonus ferat ſuam operam ad res turpes & inhoneſtas à quoquam expeti? Atqui eadem eſt Dei ratio, & proinde eius naturam atque ingenium probè obſeruari à nobis neceſſe eſt. Humani generis amantiſſimum eſſe ſupra diximus: nihil igitur ab eo petendum, quod alijs hominibus fraudi vel damno eſſe poſſit. Beneficus, mitis & miſericors eſt Deus: nihil ergo poſtulari ab illo debet ex inuidia & odio, vel vindictæ cupiditate. Purus, ſanctus & ex omni parte impollutus eſt: ergo non rogandus erit, vt nobis ad res turpes & flagitioſas opem ſuam conferat. Iuſtus, adeoq́ue iuſtitia ipſa eſt: nihil ergo ab eo iniuſtum vel iniquum poſtuletur. Verax & ipſa veritas eſt: minimè ergo orandus erit, vt noſtris mendacijs, dolis atque fraudibus faueat. Idem creator eſt omnium, cui omnis gloria & honor debetur: nihil igitur poſtulandum quod ipſius maieſtati & gloriæ deroget. Denique diligenter videndum eſt quod Dei ingenium & quæ eius voluntas ſit, vt noſtras poſtulationes per fidei obedientiam illi ſubijcere poſſimus, & ne illi temere præſcribamus quid aut quomodo nobiſcum agere debeat. Quàm primùm enim maiorem noſtrorum deſideriorum quàm diuinæ voluntatis rationem habemus, nos Deus exaudire nequit. Cur enim faceret, quod & gloriæ ipſius & noſtræ ſaluti fraudi eſſet? ideo Ioannes Apoſtolus ſcribit: Hæc eſt fiducia, quam habemus apud eũ, quòd ſi quid petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Ergo Dei voluntas noſtrarum precationum forma & regula eſſe debet. Et Iacobus de huius ſeculi filijs ſcribens, eos exaudiri negat, quia precum ſuarum finem habeant praua carnis ſuæ deſideria. Petitis (inquit) & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptatibus veſtris inſumatis. Eiuſmodi ſunt preces eorum, qui vt carnis cupiditatibus indulgeant, nihil præter opes, honores, integram valetudinem, formoſam coniugem, pacem huius ſæculi, & alia huius generis poſtulant, nulla interea vel gloriæ Dei vel propriæ ſalutis ratione habita. Non mirum ergo fuerit tales non exaudiri, ſed plerunq; votis ſuis contraria accipere. Sed plura de hoc in tertia petitione Orationis Dominicæ dicentur.

1. Ioan. 5.
Iacob. 4.

6 Perſeuerantia in precibus.

Reſtat quod in hac tractatione ſextum & poſtremum eſt, vt nimirum in precando conſtantes & perſeuerantes ſimus. Sæpius enim accidit, vt quamuis cùm humilitate & fide à Domino ea petamus, quæ ipſius voluntati conueniunt, opem tamen aut promiſſum beneficium differat, nõ quòd promiſſionum ſuarum ſit immemor: ſed quòd aut fidem noſtram probare, aut deſideria noſtra pia & ſancta magis accendere, & dona ſua nobis iucundiora & pretioſiora vult reddere. Ibi videndum eſt, ne ſuperbos & confidentes homines imitemur, qui niſi illico eorum poſtulationi ſatisfacias, indignationem animi concipiũt, & iniquè ſecum agi arbitrantur. Quin potius in mentem nobis veniat, Deum omnium noſtrûm amantem, adhæc ſummè ſapientem & iuſtum eſſe, ideoq́ue nos exaudi-

turum eſſe opportuno tempore, interea verò fidem noſtram aſsidua inuocatione foueamus, ſicuti in Euangelio Chriſtus docet, quando nos non ſolùm petere, ſed poſtulare quoq; adhac quærere & pulſare iubet. Imprimis autem huc pertinet elegans illa viduæ & iniqui iudicis parabola, quæ apud
Luc.18. *Lucam habetur. Hac enim iſto argumento nos Chriſtus vti docet: Cùm ab homine iniquo, impio & inhumano indeſinenti interpellatione aliquid impetrari poſsit, multò potius hoc apud Deum fiet, qui natura beneficus & ad iuuandum propenſus eſt. Nam etſi interdum opem differt, non ta-*
1.Cor.10. *men nos (vt Paulus ait) ſupra quam ferre poſsimus tentari ſinit. Interea noſtrum eſt illum expectare cum fide & ſilentio, neque tantum nobis ipſis tribuere, vt eius iudicia accuſare, vel illi præ-*
Matth.15. *ſcribere audeamus. Quin potius Cananæam illam mulierculam imitemur, quæ etſi ſuas preces initiò negligi, deinde diſcipulos interceſſores ſuos reijci, tandem ſe quoque non ſine totius gentis ſuæ contumelia repelli, & canibus conferri audiret, pia tamen & ſancta precandi pertinacia impetrauit quod volebat, & laudem immortalem ipſo Chriſto teſte meruit, qui fidem eius magnificè prædicat.*

Cur multorum preces non audiantur? *Hæc omnia ſi diligentius conſiderentur, mox patebit, cur hodie multorum preces Deus non exaudiat. Nam qui præ alijs zelo pietatis ardere videntur, ij propria iuſtitia freti in ipſius Dei conſpectu ſuperbiunt. Alij plerunque abſque animi deuotione & fide precantur, quaſi ſufficiat inani multiloquio Dei aures obtudiſſe. Nihil verò vulgarius eſt, quàm quòd plerique vitam viuunt, quæ precibus quàm minimè reſpondet. Adhæc ea petunt, quæ & gloriæ Dei & propriæ ipſorum ſaluti officiunt. Quòd ſi verò ipſorum votis non ſtatim annuat Deus, mox fremere & aduerſus eum murmurare incipiunt, quaſi verò pro ipſorum nutu ille omnia adminiſtrare debeat. Hæc igitur vitia emendent ſinguli, & quæ hucuſque commemorauimus obſeruent: vt nimirum humilientur in conſpectu Dei, animis totis illi conſecratis, & ex fide vera orent, vitam & mores precibus ſuis conformes faciant, diuinæ voluntati ſe totos permittant, atq; in precando conſtanter perſeuerent. Ità fiet, vt illos Deus abſque dubio exaudiat propter Filium ſuum Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

HOMILIA CVI.

Dixit autem eis Ieſus: Cùm precamini, dicite: Pater noſter, qui es in cœlis.

QVoniam homo per lapſum peccati à prima ſua dignitate excidit, & quoad animi atque corporis vires totus corruptus eſt, nihil in nobis ipſis boni habemus, niſi quod supernè (vt Iaco-
Iacob.1. *bus ait) nobis à Patre æterno datur. Vult autem is, vt bona eius abs ſe precibus pijs poſtulemus. Quamobrem neceſſarium eſt, vt certò ſciamus quomodo preces à nobis inſtitui ac fieri debeant. Diximus de eo nuper in proximo Sermone. Proximum nunc eſt, vt certam quoque precandi formulam teneamus, ne noſtræ carnis placitum ſecuti ex nobis ipſis aliquid fingamus, quod tam preces noſtras, quàm nosipſos Deo minus acceptos reddat. De hoc in præſenti ita diſſeremus, vt primò doceamus, quid in formula precationum vitari debeat. Deinde verum eius formulæ vſum indicabimus, quam nobis Dei Filius tradidit. Poſtremò eiuſdem Exordium interpretabimur.*

Quid in formula precandi uitari debeat? *Quoad primum, abunde nos Chriſtus ipſe inſtituit, Matthæi ſexto Cap. ſic dicens: Precantes ne ſitis loquaces vt ethnici: putant enim fore, vt in ſua illa loquacitate exaudiantur. Ne igitur ipſis aſsimilemini. Nouit enim Pater veſter quibus ſit vobis opus, antequam vos petatis ab eo. Quibus verbis docemur, quoad formulam precandi imprimis loquacem & inanem verborum ſplendorem eſſe vitandum. Et ne hoc præceptum leue putemus, duobus argumentis illud Chriſtus confirmat. Alterum ab ethnicorum exemplo ſumit, qui cùm Deos ſuos ex ſeipſis æſtiment, eos perinde vt homines verbis multis perſuaderi & moueri putant. At communis ſenſus admonet, Chriſtianos homines ab omnibus ethnicorum atque infidelium ritibus aut ceremonijs abſtinere debere. Alterum ab ingenio & natura Dei deducit, dicens: Nouit enim Pater veſter, quibus ſit vobis opus, antequam petatis ab eo. Quo argumento ethnicum illum errorem validiſsimè confutat, vt qui diuina*

natura

natura palàm aduerſetur. Irritus & ſuperuacuus labor eſt, ſi perito & exercitato medico, qui morbi tui vim melius quàm tuipſe intelligit, eam multis exponere inſtituas. Atqui eadem eſt ratio Dei. Quia enim nos creauit, & inſuper omnes creaturas ſuæ prouidentiæ fræno gubernat, nihil illum latêre poteſt. Nouit ergo omnes labores noſtros, & (vt Dauid ait) fugas noſtras omnes numerat, lachrymas ſuorum ad ſe colligit, quin capitis noſtri pilos in numerato habet. Pſal.56. *Quid ergo apud illum prolixa eorum quæ patimur commemoratione eſt opus? Neq, tamen hîc mihi obijcias: Ergo ab omni precatione abſtinebo, cùm Deo iam ante nota ſint omnia. Etſi enim illi nequaquam neceſſe ſit, vt tuas calamitates ei exponas, tibi tamen vt id facias vtile & neceſſe eſt, vt hac ratione in fide tua confirmeris, & conſolationem aliquam accipias. Et obſeruabis hoc loco, Deum preces propter nos inſtituiſſe, non quòd ipſe illis opus habeat. Itaque ſi quando ſancti ſuas miſerias & pericula inter precandum multis exponunt (cuius rei exempla in Pſalmis eſt videre) non ethnico errore id faciunt, neque in hac verborum prolixitate ſpem aliquam collocant: ſed ita Dei promiſsiones in mentem reuocant, vt fides eorum magis attendatur. Qua ratione nos quoque illos imitari poterimus.*

Confutantur hoc loco errores duo grauiſsimi; qui inter Chriſtianos longo tempore nimiùm fuerunt vulgares. Contra Roſaria & linguam peragrinam. *Primus eorum eſt, qui preces ſuas globulis traiecto fune connexis (quos Roſaria vocant) Deo adnumerant, quaſi cauere velint, ne nimiùm precentur, aut numerum precum minuant. Hinc factum, vt multi mira linguæ volubilitate illas abſque omni meditatione diligentiori profuderint. At quid aliud hoc eſt, quàm error ille, quem Chriſtus in præſenti confutat? Quid, quòd ſuperſtitio eſt manifeſta preces & earum effectum certo numero alligare? Accedit diuini nominis abuſus, quod toties fruſtra & abſque fide repetitur. Taceo, quòd maior precum pars Diuis deſtinatur, quod cum idololatria coniunctum eſt. Alter eorum eſt error, qui lingua peregrina & ipſis ignota precantur. Quàm paucos enim reperies inter monachorum armenta ſiue greges, qui Pſalmos lingua vernacula interpretari poſsint, quos tamen quotidie demurmurant? Quid ergo de monialibus dicemus, quas idem facere cogunt? Fiunt hæc contra Pauli doctrinam, qui diſertè præcipit,* 1.Cor.14. *vt in cœtibus ſacris prophetia, pſalmodiæ & preces lingua vulgari & omnibus nota peragantur, & ne quis imperitæ multitudinis aures linguæ peregrinæ oſtentatione fatiget. Quamuis verò hic error omnibus manifeſtus & inexcuſabilis ſit, non tamen eius emendatio hucuſque à Pontificibus & epiſcopis poenit impetrari: quod vnum ſatis oſtendit, quàm alieni ſint ab omni Chriſtianæ Reformationis conſilio. Quòd ſi autem ſimul obſerues, quàm impudenter ſub precum & Pſalmodiarum eiuſmodi prætextu domos viduarum & orphanorum deuorent, hæreditates intercipiant, & rerum imperitos ſuis facultatibus emungant, mox videbis hic ethnicum ſimul & Iudaicum errorem concurrere. Quid mirum ergo orbem Chriſtianum hodie tam grauiter à Deo puniri, quando ira eius precibus huiuſmodi prouocatur, quæ nobis ad illam placandam ſeruire debebant?*

Debet præterea hîc conſiderari eximia & paterna Dei bonitas, qui vt ad benefaciendum & Deus in precibus noſtræ infirmitati conſulit. *iuuandum ſponte propenſus eſt: ita à precaturis neque copiam verborum neque artificioſum dicendi ornatum requirit. Ita verò noſtræ infirmitati conſulit. Nouit enim non omnibus datum eſſe, vt artificioſe dicant quod ſentiunt. Nouit item nos interdum ita turbari curis & miſerijs, vt quod animo concepimus effari non poſsimus. Scit denique verborum prolixitate animi deuotionem impediri, noſque dum de verborum ornatu ſoliciti ſumus, rem ipſam de qua agitur negligere. Iſtis ergo vitijs omnibus remedium adhibet, dum ne inter precandum loquaces ſimus præcipit. Hinc eſt, quòd Sanctiſsimi Dei cultores in maximis periculis ferè precatiunculis breuiſsimis vſi ſunt: cuius rei exempla in Iacobo Patriarcha, Moſe, Elia, imò in ipſo Dei Filio Ieſu Chriſto habemus. Is enim cùm aliquando totas noctes in oratione perdurauiſſet, poſtea cùm mortis hora inſtaret, quò propius ea acceſsit, eò preces breuiores ad Patrem quaſi eiaculatus eſt. Iſtud nos conſoletur, ſi quando morborum cruciatibus & alijs periculis ſiue tentationibus ita vrgemur, vt neſciamus vnde precandi initium ſumere, aut quibus verbis preces inſtituere debeamus. Deus enim non verba, ſed cor contritum reſpicit, & gemitus quoque noſtros exaudit. Quid quòd ipſa pericula & calamitates, quibus premimur, pro nobis loquuntur, etiamſi nobis ne verbum quidem proferre liceat? Vt enim pater, qui filiolum dilectum in aquis aut incendio periclitari videt, naturali affectu mouetur, vt illi*

opem ferat, quamuis puellus eius nomen inclamare non poſſit: ita Deus, cuius amor parentum ςοργὰς longè ſuperat, noſtris periculis, ſuſpirijs & gemitibus mouetur, licet verba vel nulla vel pauciſſima accedant.

Formula precandi à Chriſto præſcripta.

Porro vt nos Chriſtus admonet, quid in formula precandi caueri debeat: ita poſtulantibus hoc diſcipulis modum & formam certam præſcripſit, quam tutò ſequamur. Vbi rurſus immenſa Dei bonitas elucet. Quia enim nos non ſolùm iubet precari, verumetiam qua ratione id fieri debeat docet, adeoque verba ipſa ori noſtro inſerit, quibus cum ipſo collocuturi vtamur, certiſſimo & infallibili argumento teſtatur, quòd nos exaudire & quæcunque nobis vtilia atque neceſſaria ſunt conferre velit.

Vſus orationis Dominicæ.

Quoad vero formulam Dominicæ Orationis, minimè putandum eſt, Chriſtum concepta quædam verba tradere voluiſſe, quibus vis quædam inſit, quæ Deum largiri cogat quæ petimus: quemadmodum Iudæorum Rabbini de ſuo Schem Hamphoras, & Magi ſiue venefici de ſuis Exorciſmis fabulantur, per quos vel ore pronunciatos vel ex collo ſuſpenſos mirifica quædam confici ſibi perſuadent. Nihil (inquam) huius nos hic ſentire decet. Conſtat enim olim in veteri teſtamento multorum preces Deo acceptas fuiſſe, qui tamen verbis longè alijs precati ſunt. Et Apoſtolos non ſemper hæc ipſa verba recitauiſſe, & tamen exauditos fuiſſe ſcimus. Itaque quemadmodum Chriſtus in proximo Capite Legem totam & Prophetas in breue compendium redegit, & duobus verbis complexus eſt: ita breui hac formula comprehendere voluit omnes ſanctorum preces, quas iam inde ab origine rerum ex ſpiritus ſancti ſuggeſtione ad Deum fuderunt. Quapropter verus & proprius Orationis Dominicæ vſus in duobus conſiſtit.

1 Quid à Deo peti debeat. Matth. 20.

Primo docet nos Dei Filius, quibus nobis in hac vita opus ſit, & quid à Patre ſuo cæleſti petere debeamus. Eſt hoc ſcitu valde neceſſarium: quia plerunque in eo erramus, quòd (vt filijs Zebedæi Chriſtus dicebat) quid oremus neſcimus. Et vt illi in regno eius terreno, quod animo conceperant, primatum ſibi ſupra alios diſcipulos dari petebant: ita nos ferè diuitias huius ſæculi, honores, bonam corporis valetudinem, pacem mundi huius, otium, voluptates, victoriam de hoſtibus, & alia huius generis poſtulamus, quæ carni arrident & iucunda ſunt. Quæ ſi darentur, non minus nobis noxia eſſent, quàm gladius puerulo aut furioſo traditus. Illis enim ferè pro carnis libidine abutimur, & proinde tam corpora quàm animas noſtras perdimus. Quapropter Dominus cæcas carnis cupiditates ijs petitionibus, quas in ſua precandi formula proponit, circumſcribere & quaſi coercere voluit, vt ex illis diſcamus quæ nobis ad ſalutem ſint neceſſaria. Itaque in omni tentatione in hanc formulam reſpicere, & num vota noſtra huic reſpondeant videre debemus. Certò enim conſtat noxium & pernicioſum eſſe omne id, quod in ea non continetur. Et hic Orationis iſtius primus atque præcipuus vſus eſt.

2 Vt preces omnes formari debeant.

Alter in eo conſiſtit, vt ſciamus quomodo in quauis tentatione aut periculo preces concipere & facere debeamus. Nec enim ſemper opus eſt, vt totum Orationis Dominicæ contextum recitemus, ſed licet Chriſtiano homini ex ſingulis petitionibus peculiarem precationem formare, prout præſens neceſſitas requirit. Hoc ipſum Chriſtus fecit, quando ad montem oliuarum eam modò huius Orationis partem excerpſit, qua illi tunc imprimis opus erat, cùm diceret: Non mea, ſed tua voluntas fiat. Quod vt rectius intelligatur, exemplis rem omnem declarabimus. Videt quis mundi huius ſtatum corruptiſſimum, immanem apud omnes ordines Verbi Dei contemptum, horribilem denique nominis diuini prophanationem. Is prima petitione vtatur, & dicat: Ah Pater noſter, qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum. Aſſere quæſo gloriam tuam, neque nomen tuum tam turpiter proſcindi & prophanari ſinas. Ita Chriſtus hac petitione vſus eſt.

Ioan. 12.

Cùm enim mortis ſuæ triſti recordatione turbatus dixiſſet, Pater, libera me ex hora iſta: mox ſubijcit, Atqui propterea veni in horam hanc: Pater, glorifica nomen tuum. Quaſi diceret, Cùm ideo in mundum venerim, vt diro mortis ſupplicio peccata hominum expiem, age vt id faciam paratus ſum: da modò ô Pater, vt hoc omne ad tui nominis gloriam faciat, &c. Rurſus ſenſit aliquis

diaboli

diaboli ſuggeſtiones & tentationes grauiores ſibi incumbere, quàm ſuſtinere poßit, is ſecunda petitione pugnet, clamans: Adueniat ô Pater, regnum tuũ. Vel, O Pater, quouſque ad diaboli & mundi me tentantis improbitatem conniues? Quouſque pugnam hanc ſuſtinebo, & ei ſuccumbam? Veni quæſo Domine, adiuua me, & tuum regnum in me inſtaura. Seruit hæc ipſa petitio ijs quoque, qui impiorum ſucceßibus & piorum aduerſis offenduntur, in quem finem illa Prophetæ olim vſi ſunt. Similiter ſi quis ſe in morbis alijsque calamitatibus impatientiorem fieri ſentit, is ad tertiam petitionem recurrens cum Chriſto dicat: Pater, ſi poßibile eſt, transfer à me calicem iſtum: veruntamen tua voluntas fiat. Da modò; vt quemadmodum in cœlo omnes Angeli & beatorum ſpiritus tibi obediunt: ita ego quoque tuæ voluntati me ſpontè ſubijciam, &c. Præterea ſi quid corpori vel animæ deficere ſentimus, in quarta petitione remedium paratum erit, ſi dicamus: O Pater, etſi hactenus inobedientes & contumaces fuerimus, tui tamen filij ſumus. Da ergo panem quotidianum, & noſtræ neceßitati ſuccurrito, &c. Quòd ſi intra animum tuum peccatorum pondere premeris, & diabolus propriæ conſcientiæ terroribus ad deſperationem te ſolicitat, tunc quinta petitio locum habet, & dicas: Peccaui equidem ô Pater, & debita mea maiora ſunt, quàm vt ſim ſoluendo: Sed remitte ô Pater, &c. Et vt ſemel finiamus locum hunc, cùm iam pugna tentationum inſtat, vltima petitione vtamur: Ne inducas nos ô Pater in tentationem, aut ſi ita tibi placet, ſaltem vires nobis ſuffice, vt ferendo ſimus, & nos ex manibus mali illius, imò omnium malorum authoris libera. Eſt ergo huius precationis vſus maximus & ſaluberrimus in omni afflictionum genere, & ſingulæ petitiones nouæ atque peculiaris precationis argumentum ſiue materiam nobis præbent. Interim non prohibemus quò minus tota Oratio quotidie ſæpius recitetur: imò vt id fiat neceſſe eſt, cùm nunquam non ijs opus habeamus, quæ in hac poſtulantur: ſed docemus ſolùm, vt ſingulis petitionibus vti & eas præſenti neceßitati accommodare debeamus, ſi quando ita angimur, vt totam ex ordine recitare non poßimus.

His præmißis ad Exordium accedamus, quod eſt eiuſmodi: PATER NOSTER QVI ES IN COELIS. His verbis nos preces exordiri docet Dominus, vt ab initio ſtatim admoneamur, quem inuocare, & quam de illo ſpem atque fiduciam animo concipere debeamus. In eo enim pietatis veræ cardo verſatur, vt vnum & ſolum verum Deum inuocemus, & ideo admonet Chriſtus, ne preces noſtras ad alium dirigamus, quàm eum, cui hæc verba conueniunt, vt noſtrûm omnium Pater eſſe, & in cœlis regnare dici poßit. At cui hæc conueniant nemo eſt, præter vnum Deum qui ſolus omnium noſtrum Pater & Creator eſt, & qui idem cœlis & omnibus quæ ſub ijs ſunt imperat. Docent hoc paßim ſcriptura ſacra, & apud Ieremiam hoc nomine potißimùm Iudæos accuſat Deus, quòd relicto ipſo, fonte nimirum aquæ viuæ, ciſternas pertuſas ſibi foderint. Et ſi cum Exordio ſingulas quoque petitiones conferamus, nemo præter vnum Deum inuenietur, cui illæ conuenire poßint. Cui enim ex creaturis omnibus ſalua pietate dicere poſſumus: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum, Fiat voluntas tua in terra, quemadmodum in cœlo, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Remitte nobis debita noſtra, &c? Etenim omnes pij fatentur, ſolius Dei nomen apud omnes glorificari debere, huic item ſoli regnum deberi, quodque omnia ſecundùm illius voluntatem geri debeant, denique quòd ipſe ſolus is ſit, qui tam corpora quàm animas noſtras paſcit, & peccata remittendi poteſtatem habeat. Adde his quòd ſolus Deus eas habet dotes, quibus eum oportet inſtructum eſſe, qui inuocari vult. Hunc omniſcium eſſe oportet, qui noſtras curas & labores melius norit quàm ipſi verbis exponere poßimus: idem vt omnia videat & audiat neceſſe eſt, vt vbique præſens, adhæc omnipotens & ad nos ſeruandum promptus ſit. Si cui aliquid horum deeſt, is cum certa ſpe & fiducia inuocari non poteſt. Atqui ſolus Deus corda & renes ſcrutatur, ſolus omnia videt & audit, ſolus omni præſens & omnipotens, & ſimul noſtri amantißimus atque ſalutis noſtræ cupidißimus eſt. Solus ergo inuocari meretur. Deinde inuocatio fidei opus eſt, adeoque fidei noſtræ confeßio. Vt ergo vni Deo fidere, ita ipſum vnum & ſolum inuocare debemus. Præterea inuocatio cultus di-

Vnus & ſolus Deus inuocari debet.

Ier. 2.

nini pars, imò gratiſſimus Deo cultus eſt, quem is omnibus ceremonijs externis præfert. Vnde rurſus ſequitur, preces in vnum illum dirigi debere. Et huc facit, quòd olim thymiama, quod ſu-
Exo.30. *pra aureum altare quotidie adolebatur, Deus ita ſibi ſoli vendicabat, vt mortis ſupplicium ei conſtitueret, qui illo ad alios vſus abuteretur. Atqui illud preces adumbrabat, quæ ſoli Deo in nomine Ieſu Chriſti offerri debent, qui per aureum altare figurabatur. Et ita typum hunc veteres intellexiſſe, ex Dauidis verbis apparet, dicentis: Sit precatio mea pro incenſo apud te, & leuatio manuum mearum pro veſpertino ſacrificio. Pſal. 141. Poſſent huius generis argumenta plura adduci vnà cum infinitis tam Veteris quàm Noui teſtamenti teſtimonijs: ſed ea conſultò prætermittimus breuitatis cauſa, quando vnicum hoc Orationis Dominicæ exordium ſufficit ad confutandum omnes eos, qui vel Deos alienos, vel Angelos, vel Diuos cælites inuocant.*

Redeamus ergo ad verba huius prooemij, quæ præterea docent, nos certam de Deo ſpem atque fiduciam animo concipere debere, quòd nos ſeruare velit ſimul & poſſit, cùm & Pater noſter ſit, & tam cælis quàm ijs quæ ſub his continentur imperet. Sed præſtat ſingula verba ſeorſim conſiderare, vt quæ alia quoque ſub his latent myſteria intelligamus.

Deum iubemur Patrem dicere. *Primò Deum iubemur Patrem appellare, quod non ſine certa ratione fit, cùm multa alia nomina illi ſcriptura tribuant, quæ hominum iudicio auguſtiora & magnifica magis videri poſſunt. Nam Iudex vniuerſæ terræ, Rex regum, ignis conſumens, Dominus exercituum, Boni omnis fons, adeóque Bonum ſummum dicitur. At nullius horum nunc mentionem facit Dominus, vt quæ nobis terrorem poſſent parere. Nam ſi Regem diceremus, non poſſet non nobis formidabilis eſſe eius potentia & maieſtas, cùm nos defectores & rebelles eſſe non poſſimus negare. Si iudicem, propria conſcientia damnationis ſententiam nobis occineret: Si Boni fontem aut Bonum ſummum, mox audiremus, nullum cum illo commertium aut communionem eſſe poſſe nobis, qui natura mali & corrupti ſumus. Ideo Patris nomine illum inuocare iubet Chriſtus, quo nullum inter homines iucundius, dulcius atque amabilius eſt. Nam etſi ſimul in mentem veniat nos filios eſſe inobedientes, Patris tamen nomen nos eius bonitatis & indulgentiæ admonet, qua parentes filios immorigeros proſequuntur, ſi illos miſerijs domitos ad ſe recurrere & ipſorum miſericordiam implorare videant.*

Vnde libertas Deum dicendi patrem? *At hic probè conſiderandum erit, vnde nobis hæc libertas & fiducia obtigerit, vt Deum audeamus Patrem noſtrum dicere. Nec enim hoc leue eſt, cùm nulla nobis, quoad noſtram naturam, communio cum illo intercedat, Imò ſi nos ſpectes, propter peccatum filij iræ & damnationis ſumus. Vnde ergo hoc, quòd Deum Patrem vocamus? Num inde, quòd nos creauerit? Atqui hoc cum brutis animantibus commune habemus. Eum ergo reſpiciamus oportet, qui ius filiorum Dei nobis inſtaurauit, nos cum illo in gratiam reduxit, & nos eius filios fecit. Is eſt Ieſus Chriſtus vnigenitus & naturalis Dei Filius, quem ex ſua eſſentia ſiue ſubſtantia ſibi coæternum genuit. Hic in mun-*
Ioan 1. *dum venit, & omnibus qui eum receperunt (vt Ioannes ait) hanc poteſtatem atque dignitatem*
1.Pet.1. *dedit, vt filij Dei fierent. Nam nos non ſolùm à peccatis liberauit, verumetiam ex ſemine ver-*
Rom 8. *bi ſui æterni & immortalis regenuit, & Spiritum adoptionis cordibus noſtris inſeruit, in quo cla-*
Galat.4. *mamus, Abba pater. Itaque primum Orationis Dominicæ vocabulum nos ad Chriſtum remittit, cuius merito nobis Deus rurſus Pater, & nos eius filij facti ſumus. Seruit hoc nobis primùm inſtitutioni, vt preces noſtras Deo per ſolum Ieſum Chriſtum offeramus, qui ſolus aureum illud altare eſt, de quo ſupra diximus. Quis enim non nimiùm confidenter nos agere diceret, ſi Deum Patrem noſtrum diceremus, eo interim neglecto & ſpreto, qui illam dignitatem nobis meruit? Deinde officij noſtri nos iſtud vocabulum admonet: Quia enim Deum Patrem dicimus, noſtrum fuerit illum amare, & ei obedire, ne filij ſimus degeneres, quales olim fuere, de quibus per Malachiam conqueritur. Præterea conſolatur nos hoc Patris nomen, & fidem noſtram confirmat. Quia enim Deus Pater dici vult, procul dubio paterna fide & bonitate nobiſcum aget. Eſt etenim ipſa veritas, nec vanis titulis ſeſe venditat, ſed nominibus, quæ ipſe ſibi imponit, reſpondet. Docet hoc Dauid his verbis: Vt pater miſeretur liberorum, ita Dominus miſeretur timen-*
Pſal.103. *tium eum. Et ipſe apud Iſaiam teſtatur, ſe omnes parentum ϛοργὰς vincere ea dilectio-*
Iſa 49. *ne & cura, qua nos proſequitur. Nam ſic ait: Num obliuiſcitur mulier infantis ſui, quò*

minus

minus miſereatur filij vteri ſui? Sed eſto, obliniſcantur illa, ego tamen tui non obliuiſcar. Ecce in manibus iſtis ambabus inſculpſi te, &c. Manuum meminit, quibus ſe nomina noſtra inciſiſſe ait, vt oſtendat non frigidam apud ſe eſſe noſtri memoriam, ſed quòd ſimul nos protegat atque tueatur. Et hæc quidem in Patris nomine obſeruanda veniunt.

Alterum vocabulum eſt, NOSTER, *quo conſolatio & fiducia, quam modò audiuimus, validiſſimè confirmatur. Nec enim profuerit ſcire Deum Patrem eſſe, niſi noſtrum Patrem eſſe nobis certò perſuaſum ſit. Diceret enim aliquis: Scio Deũ Patrem eſſe Angelorũ, qui in hiſtoria Iobi filij Dei dicuntur, electorum item ſuorum, qui ei iam inde ab origine mundi in vera fide, & charitate non ſimulata & ſanctitate ſeruiuerunt, quales fuêre Seth, Henoch, Noa, Abraham, &c. Quid verò hoc ad te, qui neque Angelus, neque tam ſanctus es, vt patribus iſtis conferri queas? Iſtis obiectionibus Chriſtus occurrit, quando non ſolùm concedit, verumetiam iubet, vt Deum Patrem* NOSTRUM *dicamus. Et id quidem libere & iure optimo, vel potius diuino, facere poſſumus. Quia enim vnigenitus & naturalis Dei Filius nos ſibi fratres & ſorores fecit, fieri non poteſt, quin omnes qui illi per fidem inſiti ſunt, vnà cum eo Dei filij fiant. Eſt hoc probè obſeruandum. In hoc enim ſalutis noſtræ cardo verſatur, quem perpetuò Satan oppugnat, dum nobis perſuadere conatur, Deũ nolle nobis Patrem eſſe, etſi multorum aliorum Pater ſit. At dum hoc obijcit quadruplator iſte, tu ad Chriſtum recurrito, qui verus liber vitæ eſt, in quo Deus ſuos elegit, antequam mundus hic crearetur. Si ergo te Chriſto inſitum eſſe inueneris per fidem, tunc eius frater vel ſoror, & proinde filius Dei & hæres, atque Chriſti cohæres es; &c.* NOSTER.

Simul autem Dominus primis hiſce verbis nos cõmunionis admonet, quam in ipſo habemus. Quia enim non dicimus, Mi pater: ſed, Pater noſter, nõ in noſtra modò perſona loquimur, ſed in omnium eorum, qui Patrem hunc nobiſcum inuocant. Fatemur deniq; non nos ſolos filios Dei eſſe, verumetiam alios omnes, qui eadem nobiſcum precatione vtuntur. Omnes ergo vnum & eundem Patrem in cælis habemus, omnes ex eodem ſemine & per eundem ſpiritum renati ſumus, omnes eodem adoptionis ſpiritu ad Deum clamamus, & tandem omnes eandem in cælis hæreditatem poſſidebimus. Vnde ſequitur nos omnes in Chriſto fratres, & ſorores eſſe, cuiuſcunque tandem loci aut ordinis, aut ex quacunq; natione ſimus oriundi. Eſtque fraternitas hæc multò arctior quàm eorum, qui ex iiſdem parentibus ſecundùm carnem nati ſunt, eò quòd communio iſta in rebus multò ſublimioribus conſiſtit. Itaque officij noſtri fuerit, vt nos mutuò fraterna dilectione proſequamur, & ſinguli inter precandum aliorum quoque ſalutem ſibi commendatam habere debent. In horum conſideratione diligẽtius verſari conueniebat eos, qui generis nobilitate, aut opum ſuarum, vel etiam patriæ ſuæ fiducia adeò efferuntur, vt alios omnes præ ſe contemnant, & iniuriam ſibi fieri putent, ſi aliorum quoque ſalutem quærere, & ſe inferioribus accommodare, cumq; his familiariter & amicè conuerſari iubeantur. Sed reſponde hîc ô bone, quiſquis es. Annon tu quoque, quoad carnis generationem, Adami filius, adhuc peccator, & proinde iræ Dei obnoxius es? Vnde ergo tibi hæc dignitas, quòd nunc Dei filius cenſeris, vt dicere auſis, Pater noſter qui es in cælis? Annon ex gratia hanc accepiſti per Ieſum Chriſtum? Num verò tibi ſoli hanc gratiam contulit Deus? Nequaquam. Eius enim participes ſunt, quotquot Chriſto per fidem ſunt inſiti, ſiue pauperes ſiue ſint diuites, nobiles aut ignobiles, docti vel indocti, Germani denique, Galli, Itali aut quarumcunq; nationum homines. In Chriſto enim (vt Paulus ait) non eſt ſeruus aut liber, non mas aut fœmina, non Iudæus aut Græcus, & eius regnum vſque ad fines orbis terrarum extenditur. Itaque idem ille, quem tu contemnis, non minus Dei filius eſt, quàm tu ſis, & fortaſſis in Chriſto generoſior & opulentior eſt te, cùm à ſuperbia alienus humilitati, patientiæ & conſtantiæ fidei ex animo ſtudeat. Quem ergo ex tua ſuperbia fructum alium reportas, quàm extremam ignominiam, qua teipſum afficis? Eo enim ignorantiam tuam prodis, quòd nimirum nondum precari didiceris, neque iucundiſſimum hoc plenumque conſolationis Orationis Dominicæ exordium adhuc intelligas. Nam ſi hoc intelligeres, puderet te aliquem ex Dei filijs contemnere. An verò illud Solomonis ignoras: Qui pauperem contemnit, illudit factori eius? Qua fronte ergo tu Deum Patrem appellas, cùm eius dilectos filios contemnere non verearis? Sunt hæc probè obſeruanda, ne inter precandum nos ipſos accuſemus apud Deum, vel etiam condemnemus.

Cõmun… ſtræ … admonemur.

Prou. 17.

Qui es in cœlis. *Porro quoniam patres noſtros carnales in terris habemus, ex Chriſti iuſſu addimus:* QVI ES IN COELIS. *Qua particula parentes terrenos ab eo diſtinguimus, quem hîc inuocamus: teſtamur item nos non de aliquo hominum loqui ſub Patris vocabulo, ſed de eo, qui cælos inhabitat, vtpote cæli & terræ dominus. Tribuitur autem cælum Deo in ſcripturis non eo ſenſu, quaſi is loco certo includatur* (Iere 33.) *(notum eſt enim quod per Ieremiam dicit, Cælum & terram ego impleo) ſed aliæ huius dicti rationes ſunt. Primò, vt Regum huius ſæculi potentia atque maieſtas nuſpiam melius perſpicitur quàm in palatijs, quæ cum ſuis aulicis incolunt: Ita Dei maieſtas in nullis creaturis tam perſpicuè elucet, vt in cælo, cuius ornatus mirificus eſt, ſiue Solem & Lunam ſiue reliqua aſtra, ſiue nubes & mirabiles orbium cæleſtium motus conſideres. Deinde cælitus potiſſimùm ſuam bonitatem & iram Deus declarat. E cælis enim pluuiæ deſcendunt, & aliæ influentiæ, quibus terra rigatur & fœcunda redditur.* (Rom.1.) *Rurſus de cælo manifeſtatur ira Dei (vt Paulus ait) per grandines, fulgura, tonitrua, fulmina & tempeſtates noxias, quæ terræ prouentum intercipiunt. Præterea cælum præſentiæ Dei euidentiſſimus typus eſt. Nam vbicunque locorum ſimus, cælum ſupra nos conſpicimus. Ita Deus quoque vbique præſens eſt, vt Dauid in Pſal. 139 multis explicat. Et hæc præcipua cauſa eſt, propter quam inter precandum cæleſtis illius habitationis Dei mentionem facimus. Per hanc enim admonemur, Deum vbique nobis præſentem adeſſe, & proinde vbique nos exaudire poſſe. Ideo Salomon in templi dedicatione ſæpius repetebat, Deum ſuorum preces exauditurum de loco habitationis ſuæ, id eſt, de cælo. Quod ſi omnipræſens eſt Deus, & nos vbique exaudire poteſt, omnipotens quoque ſit oportet: quod etiam hîc obſeruari debet, cùm eodem argumento Dauid Dei omnipotentiam aſſerat. Cùm enim gentium Deos & idola damnare vellet, prius veri Dei maieſtatem deſcribit paucis hiſce verbis: Deus noſter in cælis eſt, omnia quæ vult facit. Pſal. 115.*

Deus poteſt iuuare. *Itaque in iſtis verbis altera conſolatio habetur, quæ precantium fidem confirmat: Ea eſt, quòd Pater noſter, quem inuocamus, in cælis habitet & omnia poſſit. Eſt ergo inter hunc & terrenos parentes ingens diſcrimen. Hi enim liberis ſuis libenter quidem ſuccurrunt, ſed ſæpe accidit, vt illis ſubuenire non poſſint, & non ſine acerbiſſimo animi dolore illorum interitum ſpectare cogantur. At Deus Pater noſter omnipotens eſt, Dominus (inquam) exercituum eſt, cui omnes creaturæ tam cæleſtes quàm terreſtres, Angeli item & diaboli, pij & impij, feræ & pecora, ignis & aqua, aer & terra & quæcunque alia poſſunt nominari, ſeruire coguntur. Omni igitur tempore & loco nobis poteſt ſuccurrere. Poſſet hoc multis demonſtrari, ſed quia omnipotentia & maieſtas eius tam nota & euidens eſt, vt coram ea dæmones quoque contremiſcant, pluribus agere non eſt opus. Sufficiat nunc hoc precationis noſtræ exordium diligenter inſpexiſſe, ne de Dei voluntate & omnipotentia dubitemus, certam verò fiduciam animo concipiamus; nos ab illo accepturos eſſe, quæcunque nobis vtilia atque neceſſaria ſunt. Priuſquam verò huic Sermoni finem imponamus, duo adhuc conſideranda veniunt.*

Nemo mundi et diaboli minis terreatur. *Primùm, non debere Chriſtianos homines mundi & diaboli minis atque furioſis conatibus terreri. Quia enim Patrem in cælis habemus, qui toti mundo & diabolis omnibus imperat, nihil illi nobis nocere poterunt: Nec enim ſecurus quidam aut ſomnolentus Deus eſt, qui res noſtras minimè curet,* (Exo. 1.30.) *ſed zelotes & Deus vltionum eſt, qui iniurias ſuis illatas non patitur inultas.* (Pſal. 94.) *Et apud Zachariam dicit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* (Zach. 2.) *Nec deſunt exempla, quæ docent, quanta cum fide & zelo ſuorum cauſam omnibus ſæculis defenderit.* (Exod. 22.) *Inter quæ admodum memorabilia ſunt, quæ de Abeli indigna cæde grauiſſimè in Caino punita, de filiorum Iſrael liberatione ex Aegypto & horrendo Pharaonis interitu, de Dauide & multis alijs narrantur. Et in Lege ſe viduarum, orphanorum & peregrinorum vindicem profitetur. Idem etiam nos per Filium ſuum potentiſſimè aſſeruit, diaboli tyrannidem ſeueriſſimè vltus eſt, & eius regnum deſtruxit. Cur ergo aliquem timeant, qui ſe Dei filios eſſe norunt? Quin cum Dauide & Paulo dicimus: Dominus nobis adiutor, cur ergo timeamus nobis ab homine? Si Deus nobiſcum, quis contra nos?*

Patria noſtra in cœlis eſt. *Alterum eſt, quæ noſtra vita in terris ſit conditio. Quia enim Patrem in cælis habemus, vtique ibidem quoque patria noſtra erit atque hæreditas.* (Heb. 11.13. Gen. 47.) *Non habemus ergo (vt Paulus docet) in*

terris

terris ciuitatem permanentem, ſed vita noſtra peregrinationis inſtar eſt, qua ad patriam cœleſtem tendimus. Ac ſi patria & patrimonium noſtrum in cœlis eſt, cur terrenis hiſce bonis tanto-pere ſumus addicti, quæ plerunq; citius quàm putemus, relinquere cogimur? Vel cur mundum time mus, qui bonis cœleſtibus damnum nullum inferre poteſt? Quin faciat ille ex principis ſui inſtinctu omne quod libuerit, non tamen aliud poterit, quàm coniugem, liberos, honores, opes & tandem vitã quoq; eripere. In cœleſte verò patrimonium nihil poteſtatis habet, quin ad huius poſſeſſionem nos pro mouet, dum terrenis ſpoliat. Hæc & alia multa Orationis Dominicæ exordio continentur, dulciſſimæ conſolationis pleniſſima: in quibus paterna erga nos Dei bonitas atq; fides clariſſimè elucet, qui per Filium ſuum precandi formulam tradidit, cuius initium ſolum totam noſtræ ſalutis rationem continet, & conſolatione inſtruit efficaciſſima, qua armati vniuerſos mundi atq; diaboli inſultus ſuſtinere & vincere poſſumus. Itaq; procul relictis humanæ ſapientiæ figmentis, his verbis Deum cõpellemus, qui procul dubio in omni neceſſitate nos exaudiet propter Filium ſuum Ieſum Chriſtum; cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CVII.

PETITIO I.

Sanctificetur nomen tuum.

Diuus Iacobus Apoſtolus ſcribit: Qui orat, poſtulet cum fiducia, nihil diſceptans. Nam qui diſceptat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur & iactatur: neq; exiſtimet homo ille, ſe quicquam à Deo accepturũ eſſe. Iacob. 1. Non temere ergo Ieſus Chriſtus Orationis, quã diſcipulis tradidit, eiuſmodi Exordiũ fecit, quo fides precantium validiſſimè confirmatur. Docet enim Deũ nos exaudire & quæ nobis ſalutaria ſunt abſq; dubio largiri velle, cùm Pater noſter ſit, & hoc nomine à nobis inuocari velit: Poſſe item nobis in omni afflictione ſuccurrere, quia cœlos inhabitet, & omnium quæ in cœlis ſunt atq; ſub his continentur, plenam poteſtatem penes ſe habeat. Cæterùm ne inter precandum carnis deſiderijs & præpoſtera prudentia decepti, res inutiles, vel etiam nobis noxias poſtulemus, Chriſtus ſex petitiones nobis præſcribit, quibus omne id comprehenditur, quod tam corporum quàm animarum ſaluti ſeruit. Et quia petitiones iſtæ latiſſimè extenduntur, ſingulas ſeorſim ex ordine conſiderabimus, & in præſenti de prima ſolùm dicemus, quæ eſt: Sanctificetur nomen tuum.

Ponitur hæc primo loco, partim quidem quòd Dei gloria ſemper primas tenere & ante omnia quæri vel promoueri debet: partim verò, quòd initio ſtatim nos filios Dei profeſſi ſumus, & hunc patrẽ noſtrũ diximus. Cur petitio hæc prima ponatur. Quapropter gloria Dei & nominis ipſius nobis magis quàm nos ipſi & omnes noſtra res curæ eſſe debet, adeò vt illam omni ſtudio & pro virili proueharmus, ne nobis ille idem reſpondeat, quod olim Iudæis: Si Pater veſter ſum, vbi honor, qui mihi à vobis debetur? Vt verò petitionem hãc rectius intelligamus, & ei nos maiori zelo accommodemus, primò quod nam illud Dei nomen ſit, videre oportet: deinde quid per ſanctificandi verbum hoc loco intelligi debeat.

Nomina propriè rerum notæ ſunt quibus abs ſe inuicem deſtinguuntur, vt dignoſci poſſint, & Nominum ratio & uſus. ideo ferè rerum naturam & proprietates exprimunt, ita vt audito nomine mox intelligamus, quid illud ſit, de quo ſermo habetur. At Deo nomen eiuſmodi tribui non poteſt. Quia enim vnicus eſt, vt ab vllis alijs diſtinguatur non eſt opus. Adhæc cum æternus, immenſus & infinitus ſit, impoſſibile fuerit nomen aliquod excogitare, quo ille definiatur. Quod enim Iudæi de ſuo illo Schem Hamphoras, id eſt, de illuſtri & eximio, nomine Dei fabulantur, quod in Sancto ſanctorum deſcriptum fuerit, & cuius virtute miracula fieri potuerint, non aliud quàm diabolicum figmentum eſt; quod in eum finem excogitarunt Rabbini, vt Chriſti miraculis fides detrahatur. Et iuſto Dei iudicio fit, vt infelices illi, qui verum Dei nomẽ neq; agnoſcere neq; ſanctificare volunt magicis eiuſmodi fabulis dementeṇtur. Quia enim (vt modò diximus) Deus immenſum & infinitum æternumq; bonum eſt, ne cogitandum quidem fuerit, eum vnito vocabulo deſcribi aut definiri poſſe.

Nomen autem Dei in ſcripturis dicitur omne id, quod de illo prædicatur, & quo eius natura atq; Nomen Dei quid? ingenium deſcribitur, Ideo Dauid dicebat; Vt nomen tuum ô Deus, ita & laus tua pertingit vſq; ad Pſal. 48.

fines terræ. Itaq; Abrahamo olim per nomen Schaddai ſeſe manifeſtauit, vt doceret, ſe omni ſufficientẽ & eum ipſum eſſe, qui tam corpora quàm animas ſaturare ſolus poßit. Apud Moſem ſeſe Iehoua nominat, quia ex ſeipſo ab æterno exiſtit, adhæc omnibus rebus ſuum eſſe largitur, & eaſdem in illo conſeruat. Alibi ſcribitur, nomen eius eſſe, Dominus, eò quòd omnibus imperat atq; omnia gubernat. Græci θεὸν dixerunt à currendo, quia omnia penetrat, & vbiq; præſens adeſt. Germani illum Gott vocant, à bono, eò quod vnicum, ſummum & æternum bonum ſit, vnde hauriamus oportet quicquid vſpiam boni habetur. Imprimis verò huc pertinent tituli illi magnifici, quibus ſeipſum deſcripſit, quando Moſes vt ſe illi ſpectandum præberet, petebat. Tunc enim coram eo tranſiens clamauit: Dominus, Dominus Deus, miſericors, beneficus, leni animo, immẽſæ bonitatis ac veritatis, tenax bonitatis in mille, condonans iniquitatem, tranſgreßionem & peccatum: at impunita minimè dimittens, viſitans iniquitatem patrum in filijs ac nepotibus, in tertiam & quartam generationẽ. Hæc (inquam) & quæcunq; alia Scriptura habent, quibus Dei natura deſcribitur, Nomen eius dici ſolent. Itaq; per illud hoc loco non aliud quàm eius gloriam veramq; eius cognitionem intelligere debemus, quæ ex ſcripturis rectißimè perfectißimeq;, quatenus nunc nobis opus eſt, addiſcitur.

Gen 17. Exo. 3. 6. Exo 20. Pſal. 86. Exo. 34.

Sanctificare quid.

Sanctificare autem propriè idem eſt quod rem aliquam Deo conſecrare, vt eius ſolius cultui & honori ſeruiat. Inde ſanctũ dicitur, quod ab omni prophano aut communi vſu ſeparatũ, & vni Deo conſecratum eſt. Græci ἅγιον dicunt, quæ vox teſte Platone in Cratylo, compoſita eſt ex priuatiua particula α & γαῖα quod terram ſignificat: nimirum quòd ea demum ſancta dici mereãtur, quæ cum rebus terrenis nihil commune habent. In præſenti verò ſanctificare idem eſt, quod pro ſancto æſtimare, honorare & celebrare. Quo ſenſu Deus ipſe hoc verbo vtitur, per Ezechielem dicens: Et magnificabor, & ſanctificabor, & notus ero in oculis gentium multarum, & ſcient quia ego Dominus. Quo etiam poteſt referri illud Iſaiæ: Nudauit Dominus brachium ſuum ſanctum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri. Quoad enim nomen Dei, per ſe ſanctum, adeoq; ſanctitas ipſa eſt, neq; eius ſanctitati quicquam poteſt accedere. Quia verò non ab omnibus agnoſcitur, & multi partim ex ignorantia, ſuperſtitionibus & idololatria, partim malitia & deuoto ad peccandum animo horrendis blaſphemijs, execrationibus, deierationibus, manifeſtis deniq; & ſcandali plenis ſceleribus Dei nomen quotidie proſcindunt, atq; quantum in ipſis eſt, conculcãt prima hac petitione precamur, vt Deus nominis ſui gloriam vindicet, & det vt omnes illud verè agnoſcant, honorent, laudent & celebrent.

Ezech. 38. Iſa. 25.

Per quæ Dei nomen ſanctificetur.

At hîc ſciamus oportet, quæ illa ſint, per quæ Dei nomen potißimum ſanctificatur. Ex eo enim rectius intelligemus, quid prima hac petitione poſtuletur. Vbi primus locus debetur veræ cognitioni Dei. Nec enim ſine hac de illo rectè ſentire, & multò minus nominis eius gloriam prouehere poterimus. Poterant hîc multa dici de ſingulis virtutibus Dei, quas in eo agnoſcere & dignis laudib. proſequi debemus, ſed ſufficiat nunc de duabus dixiſſe, ne in immenſum excreſcat oratio. Prima eſt eius iuſtitia, cuius reuelatione contra impios nomen eius maximè glorificatur. Illi enim ſi quando pro ſua libidine verbum Dei & Eccleſiam opprimere ac dißipare poſſunt, non pios modò ab ipſis oppreſſos, verumetiam Deum ipſum & vnctum eius diris conuitijs petere, & illi inſultare incipiunt, quaſi ille populum ſuum tueri & ex ipſorum manibus eripere non potuerit. Exempla huius impietatis memorabilia extant in Pharaone & Senacheribo Aſſyriorum tyranno, quorum ille dicere audebat: Quis eſt Iehoua, cui ego obedire debeam? Hic verò victoriarum ſucceſſu elatus eò dementiæ deuenit, vt non gentes modò, ſed Deos quoq; earum abs ſe deuictos eſſe putaret, & ex eo certam quoq; de Deo vero & æterno victoriam ſibi polliceretur. Habent duo iſti hodie multos ſucceſſores, qui immani inſolentia & horrendis conuitijs verbum Dei vnà cum Chriſto Ieſu & vera fide proſcindere & extremis contumelijs afficere non verentur, vt primùm ſe rerum potitos putant. Vt verò olim Deus nominis ſui gloriam fortißimè vindicauit, quando Pharaonem maris rubri fluctibus obruit, Senacheribi autem exercitum vnius Angeli opera totum deleuit, & ipſum à proprijs filijs in conſpectu Dei ſui fictitij interfici paſſus eſt: Ita omnibus ſeculis nomen eius ſanctificatur, quoties ſuam iuſtitiam atq; potentiam ſimilibus exemplis aduerſus verbi ſui hoſtes exerit, & Eccleſiam ſuam ex illorum tyrannide liberat. Itaq; prima iſta petitione precamur, ne Deus nomen ſuum ſanctum propter peccata noſtra violari aut prophanari patiatur, ſed potius noſtri miſertus det, vt ipſi quidem

Iuſtitiæ Dei declaratio.

Exo 5. Iſa. 10.

dum emendemur, hoſtes verò incurabiles & pænitere neſcij torqueantur, vt omnes homines nomen ſuum agnoſcere diſcant, & ipſe paßim timeatur atq; honoretur. Ad hunc modum olim pios Dei cultores precatos fuiſſe legimus: Non nobis, non nobis Domine, ſed tuo nomini da gloriam, propter boni- Pſalm. 115.
tatem & veritatem tuam. Cur enim dicant Gentes, Vbi eſt Deus ipſorũ? Item: Effunde iram tuam 79. 94.
Domine in Gentes, quæ te non agnoſcunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocant. Adiuua nos Iocl. 2. &c.
ô Deus ſalutis noſtræ, propter gloriam nominis tui, & libera nos, et propitius ſis peccatis noſtris propter nomen tuum. Cur dicerent Gentes, Vbi eſt Deus eorum? Elucescat inter gentes nobis videntibus, vltio ſanguinis ſeruorũ tuorum, qui effuſus eſt, &c. At in eiuſmodi precibus diligẽter cauendum eſt, ne ex priuata & vitioſa vindictæ cupiditate, ſed ſancto nominis et gloriæ Dei zelo procedãt, &c.

Altera Dei virtus, cuius reuelatione & cognitione nomẽ eius ſanctificatur, eſt immenſa atq; in- Miſericordia
exhauſta eius bonitas ſiue miſericordia. Vt primùm enim hæc rectè agnoſcitur, mox ad illum redamandũ homines excitantur, & omnibus ijs ſtudere incipiunt, quibus nominis eius gloria prouehi poteſt. Extant illius plurima argumenta, nullũ autem illuſtrius eſt, quàm quod in Filio eius habetur, quẽ pro nobis in mortẽ tradidit. Quamobrẽ in huius etiã beneficij cõſideratione nos potißimùm verſari conuenit. Nam ſi illud rectè expendatur, mox omnes errores cõcidunt, qui circa fidẽ & Dei cultum enaſci ſolent, vbi Chriſti cognitione homines deſtituuntur. Qui autẽ hac inſtructus eſt, is procul relictis inutilibus medijs, in quibus aliquando ſalutẽ quæſiuit, fiduciam omnem in vnum Deum per Ieſum Chriſtum collocat. Idem non vllam ex creaturis, ſed vnum Deum inuocat: abiectis quoq; ſuperſtitionibus Deum in ſpiritu & veritate adorat: non porrò mundum carnem cæco amore proſequitur, ſed Deum ſupra omnia diligit: in cruce & afflictionibus conſtanter perſeuerat, nec per has ſeſe à Deo abſtrahi patitur: & quemadmodũ beneficia ex manu Dei lætus & cum gratiarũactione recipit: ita gaudet & exultat ſi ſe eo honore dignum cenſeri videat, vt pro Chriſti nomine affligatur, ſicuti in Apoſtolorũ exemplis eſt videre. Quia ergo hos tam eximios fructus parit cognitio gratiæ Dei quam nobis fecit in Filio ſuo Ieſu Chriſto, hic quoq; huius primæ petitionis vſus aut ſcopus eſt: vt Deus in Filij ſui cognitionem omnes homines inducere, et Euangelij lucem paßim attendere dignetur, vt vera fide omnes illuſtrati ipſi vni ſeruiant, & eius nomen dignis laudibus proſequantur. Precamur item, vt nobis quoq;, conſtantiam in vera fide largiatur, ne mundi fauore aut illecebris, vel minis quoq; ſuperati nominis ſui gloriam negligamus, ſed in eius confeßione conſtantes, eam (ſi ita ita opus ſit) ſanguine etiam proprio obſignemus. Dei declaratio.

Eſt ergo multiplex huius petitionis vſus, & per omnia extenditur quæ nobis in huius vitæ pa- Vſus petitionis
læſtra publicè & priuatim accidunt, ideoq; in omni caſu ſemper primas tenere debet. Exempli gra- huius.
tia, quando totum mundum quoad religionem in diuerſas ſententias ſcindi, & inde contentiones grauißimas & terribiles motus enaſci videmus, tunc precemur, vt Deus omnibus hominibus veram nominis ſui cognitionem reuelare, veritatis lucem in omniũ animis accendere, & nos in æternæ ſalutis ſemita dirigere dignetur, ne à vero aberremus, ſed ea faciamus, quæ nominis ipſius gloriæ promouendæ ſeruiunt. Similiter, ſi quando ſentimus, nos mundi illecebris capi, vt gloria Dei nobis iam minus cordi ſit, tunc neceſſaria planè eſt iſta petitio, vt Deus ſui nominis amorem atq; zelum in animis noſtris accendat, ne quid faciamus in nominis ſui ſancti contumeliam. Adhæc ſi diuitijs & honoribus ſupra alios homines excellimus, imprimis neceſſe eſt vt clamemus: Sanctificetur ô Pater, nomen tuum, & da quæſo, vt huius ſeculi opibus atque honoribus ita vtamur, ne nomen tuum propter nos malè audiat, &c. Quàm enim neceſſarium ſit hoc petere, multorum exempla docent, qui opum deſiderio atq; abuſu à Deo abſtrahuntur, & gloriæ Dei immemores in eius contumeliam ijs abutuntur, quæ ex illius liberalitate acceperunt. Non minus etiam hac petitione opus eſt, ſi quando diuitijs amißis ad egeſtatem redigimur. Tunc enim carnis ingeniũ omnis inopiæ impaciens ſeſe prodit, quæ Deo etiam obſtrepere audet, quaſi iniquius & crudelius nobiſcum agat. Itaque ex animo dicamus: Sanctificetur ô Pater, nomen tuum. Iudicia tua iuſta, vera & ſancta ſunt. Tu quidẽ diuitijs & honoribus me donaueras. At ego vel non bene vſus ſum illis, vel tu quid facturus eſſem iam vidiſti, & ideò ea eripuiſti rurſus. Quia verò tua ſunt quæcunque hic orbis terrarum continet, tibi de illis ſtatuere licet pro tuo arbitrio, ego autem quod iure de te querar non habeo. Sit nomẽ tuum benedictum & ſanctificetur in æternum, &c. Ita Iobum feciſſe legimus, cùm vno quaſi momento ex ampliſſima

fortuna in extremas ſordes deijceretur. Eadem eſt bonæ valetudinis & morborum ratio. Quando enim rectè valemus, facilè noſtri erga Deum officij obliuiſcimur. Quare opus eſt precatione iſta, vt valetudine integra ad diuini nominis gloriam rectè vtamur. In morbis verò & quæ tunc ſeſe prodit carnis impatientia, mox in mentem reuocemus, quæ noſtra vita, qui mores, quæ ſtudia fuerint, cùm valetudine bona vteremur, & mox patebit, Deum non iniquius nobiſcum agere: ſimul autem oremus, vt Deus ſuum nomen in nobis ſanctificet, & ea gratia dignetur, vt alij ex nobis fidei & patientiæ Chriſtianæ exemplum capere poßint. Eadem ratione hanc Orationis Dominicæ partem nobis in omni afflictionum genere applicemus, vt ante omnia diuini nominis gloria nobis cordi ſit. Ita fiet, vt omnia nobis adiumento ſint in bonum, neque aliquis caſus vel lætus vel aduerſus nos ſeparare poßit à dilectione Dei, &c.

Precibus coniungantur opera. *At quia nuper dictum eſt, preces non ore modò fieri, ſed ex corde non fucato procedere debere, hîc imprimis neceſſe eſt, vt reipſa quoq; ijs ſtudeamus, per quæ Dei nomen ſanctificari & glorificari poteſt. Illuſores enim Dei ſunt, qui ore quidem clamant, Sanctificetur nomen tuum, interim verò toti in ſceleribus voluntantur, per quæ illud prophanatur. At ijdem precibus ſuis ſeipſos accuſant, & vltricem Dei iram aduerſus ſe prouocant. Quia enim filij Dei dicimur, quæcunque à nobis fiunt mundus in Deum referre ſolet, adeò vt hic propter nos vel bene vel malè audiat. Meminerimus ergo nos precari, vt Deus nos gratiæ & gloriæ ſuæ vaſa facere dignetur. ideoq; vitam omnem in eum finem dirigamus, vt illius nomen in nobis ſanctificetur. Quo loco bifariam conſiderari debet officiū noſtrum, quod Deo præſtare debemus.*

Primo nos ipſos quoad noſtras perſonas omnibus illis ſtudere oportet, per quæ Dei nomen ſanctificatur, abſtinere autem ab omnibus, quibus illud pollui aut prophanari poteſt. Vbi ante omnia requiritur, vt incredulitatem & diffidentiam abijciamus, quæ cauſa eſt, vt de Dei veritate dubitemus, & extra hunc alibi opem quæramus atque auxilium. Renunciemus quoq; oportet vniuerſis ſuperſtitionibus, & imprimis idolorum cultui, quibus infideles Dei naturam & eſſentiam adumbrare conantur. Quæ enim Deo iniuria maior fieri poteſt, quàm ſi hominis mortalis imagini ſimilem, & talem eſſe iudicamus, qui per ſimulachra ex ligno, lapide, ære, auro deniq; & argento facta exprimi poßit? Opus præterea eſt, vt ab omni nominis diuini abuſu abſtineamus, quo plurimùm peccant, qui per illud deierant, execrantur, aut etiam veneficia & artes magicas, adhæc ſub eius prætextu in contractibus impoſturas exercent. Quàm enim abſurdum fuerit, precari quidem, Sanctificetur nomen tuum, interim verò nomine iſto ad deierationes temerarias, execrationes, incantationes & veneficia impiè abuti? Caueamus item impatientiam, ne in tentationibus hac ſuperati aliquid faciamus aut dicamus nominis huius profeßione indignū: quod interdū ſub diuini zeli prætextu fieri conſueuit, vt in

Num. 10. *Moſis & Aaronis exemplo eſt videre: qui populi indignis querelis atq; murmure victi, Deo nō vt par erat, honorē tribuerunt, & ideò ne vnquàm in terram patribus promiſſam ingrederentur, mulctati ſunt. Neq; etiā duo hæc inter ſe cōuenire poſſunt, vt Dei nomē ſanctificari poſtulemus, ſimul autē de eodē conqueramur, quaſi iniuſtè, iniquè & crudeliter nobiſcū agat. Vitari quoq; neceſſe eſt in tota vitæ conuerſatione ſcandalū omne, ex quo impij verū Dei cultū calumniandi poſſunt arripere. E contra verò totos nos in eo eſſe decet, vt vera fide præditi, nomine Dei honorificè vtamur, patienter feramus quicquid à Deo nobis imponitur, & vitā viuamus ſanctā atq; innocentem, in qua carni & mundo mortui, noſipſos Deo ſiſtamus viuentem hoſtiam: ita deniq; viuamus, vt homines videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt.*

Dei gloria propaganda ad alios. *Secundò requiritur, vt nō ipſi modò tales ſimus, verumetiam diuini nominis gloriā apud alios, quibus cum nobis aliquid negotij eſt, promoueamus. Vt enim bonæ indolis filio non ſufficit, ſi ipſe parentem ſuum honoret, ſed eundem ab alijs quoque honorari & in pretio haberi cupit: ita qui germani & veri filij Dei ſunt, ijs non ſatis eſt, ſi ipſi Patrem ſuum cæleſtē colant atq; venerentur, ſed inſuper huc omne ſuum ſtudium intendunt, vt quàm plurimi alij Deum hunc agnoſcant, nomen eius reuereantur & obſeruent. Hinc fit, quòd qui vera fide præditi ſunt, nihil videre aut ferre poſſunt, quod gloriæ Dei & ſancto eius nomini officere ſciunt: ſed quàmprimum tale quid conſpicantur, tantum non omnis modeſtiæ, patientiæ & manſuetudinis obliti, zelum ſuum proferunt, & ſi opus*

ſit

ſit, etiam cum vitæ periculo nominis diuini gloriā vindicans. Vt enim Deum ſupra omnia diligunt:
ita nihil illis periude vt eius gloria cordi eſt. Huc pertinēt præclara illa ſeruorū Dei exempla, qui
zelū hunc cum præſenti vitæ periculo declarauerunt. Inter quos non poſtremus locus Moſi debetur.
Is cùm populus Iſraeliticus cōtra diſertū Dei præceptū idololatriæ peccato ſeſe polluiſſet, & immor
talis Dei maieſtatē (vt Dauid ait) cōmutaſſet cum imagine vituli comedentis fœnū: ſic ira & zelo Pſal.106.
exarſit, vt tabulas fœderis Dei digito inſcriptas, quibus nihil pretioſius hic orbis vidit, abijceret, ido
lum frangeret, & in puluerem redigeret, quo in aquas iniecto infelices illos etiā coegit, vt hunc ſuum
tam egregiū Deum biberent, quò euidentius pateret, quàm turpiter & nefariè errauiſſent. Adhæc
idololatriæ huius authores interfici iubet, quod ſine vitæ periculo fieri non poterat. Similis zelus in
Ioſua & Chalebo cernitur, qui etiā ipſi cum aperto vitæ ſuæ diſcrimine gloriā Dei aduerſus perfidos Num.13.
ſpeculatores defenderunt. His adnumerari meretur Phinees, qui nefariū Zamri vnà cum Madiani Num 25.
tico ſcorto cōfodit, cùm occaſione ſcortationis populū à Deo abduci & ad cultus nefarios ſolicitari vi
deret. Eodem zelo Dauidem arſiſſe legimus, qui ipſum iuuenē licet & pugnandi imperitū coegit, vt
immanē Goliam aggredi auderet, qui Deo Iſraelis palàm conuitiabatur, Et huius generis multa de
Elia Propheta & ſanctiſſimis regibus Ezechia & Ioſia cōmemorari poſſent, qui ſimili ardore et ſtu
dio aduerſus falſam doctrinā et idololatriā vſi ſunt. Neq; illo Apoſtoli caruerūt, quibus intolerabile
ſcelus viſum fuit, ſi vel cultibus nefarijs aliquos deditos eſſe viderunt, vel ipſis homines imperiti ali-
quid ſublimius cum diuini nominis cōtumelia coniunctū tribuere voluerunt. Exempla in Ioāne & Act.3.& .14.
Petro, Paulo & Barnaba habentur. Ex quibus facilè colligitur, admodū frigidos eſſe in zelo gloriæ
& nominis Dei omnes eos, qui apertam multorum incredulitatē, idololatriā, blaſphemias, ſcandala
item omnis generis abſq; omni contradictione ferre poſſunt. At quia talium precatio, quoad primam
hanc petitionem, fucata & proinde inutilis eſt, nos priores illos, quorum exempla cūmemorauimus
imitari conuenit, vt ne in alijs quidem feramus quæ gloriam Dei obſcurant.

Sed ne hîc quidem pedem ſiſtunt germani filij Dei, quin ſimul omne id plantare & prouehere ſtu Plantari debēt
dent, quo Dei nomen & eius gloria illuſtratur. Inter quæ primum locū tenet pura et ſana Euangelij quæ Dei glo-
doctrina, per quam vera Dei cognitio traditur, fides in hominum animis plantatur, & purus atque riam illuſtrant.
ſyncerus Dei cultus docetur. Deinde in repub. hoc agunt, vt leges bonæ ferantur & defendantur, vt
diſciplina & publica honeſtas conſeruetur, vt deniq; ſcandala omnia tollantur è medio. Et hæc ferè
olim fuerunt ſanctorum principum & regum ſtudia, ſicuti in Dauide, Ioſaphato, Ezechia, Ioſia, et
poſt hos in Conſtantino Magno, Theodoſio & alijs ſimilibus cernitur: qui omnes hunc ſuæ guberna
tionis ſcopū ſibi propoſuerunt, vt locū haberent leges bonæ, & imprimis vt doctrina Verbi diuini pu
rè prædicaretur, & cultus ſecundùm eius præſcriptū eſſet inſtitutus. Et in hunc ſcopum hodie etiam
reſpicere debent, quicunq; rempub. adminiſtrant, niſi per primā hanc petitionem apud Deum falſi &
hypocriſis argui & conuinci velint. Quod verò illis dicitur, id omnibus Chriſtianis cōmune eſt, qui
ſinguli in ſua vitæ conditione hoc ipſum obſeruare debent: vtpote parentes erga ſuos liberos, & ſin-
guli erga proximum ſuum: vt nimirū hos ad verum Dei cultū inſtituant & ab erroribus impijs ab-
ducant. Quod niſi fecerint, prima hac petitione nunquā verè apud Deum vti poterunt. Quo ore enim
princeps aut Senator aliquis dicet, Sanctificetur nomen tuum, ſi illud à quouis impunè violari pa-
tiatur, neq; ea curæ habet, per quæ honorari aut ſanctificari poteſt? Quo ore item paterfamiliâs ean
dem precationem faciet, ſi inter ſuos omne id fieri patitur, quod ad nominis diuini contumeliā facit?
Singuli deniq; reſpondeant velim, quo argumento hypocriſim excuſabunt, ſi labijs quidem hæc ver-
ba proferant, proximum verò quenque abſque omni admonitione aut correptione pergere ſinant in
ijs, propter quæ Dei nomen male audit?

In his ergo apparet, quanta ſit noſtri ſeculi, & quàm corrupta omnium ordinum cōditio, quando Corrupti no-
pauci ſunt, qui rem tanti momenti dignè conſiderent. Ore quidem omnes precamur, Sanctificetur no ſtri ſeculi mo-
men tuum: at quotus quiſq; curat, vt huic petitioni mores & ſtudia ſua reſpondeant? Principes & res.
qui in magiſtratu ſunt ferè ſui honoris & gloriæ priuatæ maiorem quàm diuinæ rationem habent.
Multi etiam ex horum numero ſibijpſis perſuadent, religionis cauſam nihil ad ſe pertinere, ſed ſui
muneris eſſe res huius ſeculi tractare, quæ verò ad fidem & religionē ſpectant, Epiſcopis & ſacerdo
tibus vel monachis relinquere. Quæ cauſa eſt, quòd ab his Dei Verbum opprimitur, & fideles Ieſu

Chriſti ſerui crudeliter affliguntur. Sed & inter Eccleſiarum miniſtros multos eſt videre, qui ſui officij immemores, huius ſeculi res pluris quàm diuinas faciunt. Apud parentes nihil vulgarius eſt, quàm quòd liberos ſuos mundo potius quàm Deo conſecrant, ſeq́ officio ſuo egregiè defunctos arbitrantur, ſi illos ad opes & honores ampliſſimos euehant, quàmuis & Dei & nominis eius cognitione deſtituantur. Inter plebeios ſingulorum ferè ea eſt ſententia, quòd diuina minus ad ipſos pertineant, & ſtultè nimis eos facere, qui propter ea aliquem ſibi inimicum faciunt, cùm interim opum & lucri cauſa omnium odia facilè contemnant. Hinc ſequitur, quòd nulli ferè hominum ordini ſuus honor tribuitur. Cur enim eorum honorem Deus tueatur, qui ipſius tam facilè negligant? Impleri potius oportet quod per Prophetam dixit: Qui me honorant, eos honorabo: contumelia autē afficientur, qui me contemnunt. Cur item in aliquo pretio eos eſſe pateretur, quos non pudet inter precandū quoq; ſimulare & mentiri? Eſt ergo res non leuis momenti hæc prima petitio. Probè igitur eam expendere, & ea animo minimè fucato vti debemus, ſimulq́ omnibus ijs ſtudere, quibus Dei nomē glorificatur, vt & nos Deus pro filijs ſuis agnoſcat, Spiritu ſuo donet, & tandē cohæredes faciat Filij ſui vnigeniti Ieſu Chriſti, Domini noſtri, cui debetur benedictio, honor, gloria et poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CVIII.

PETITIO II.

Adueniat Regnum tuum.

Dominus & redemptor noſter Ieſus Chriſtus certam precandi formulam nobis præſcripſit, nō quidem eo propoſito, quòd nefas ſit alijs quoq; inter precandū verbis vti (quod plures Dei ſerui in vtroq; Teſtamento factitarunt) ſed partim docere vult, quibus rebus in hoc ſeculo nobis potiſſimùm opus ſit, & quid præ alijs à Deo peti debeat: partim, quis noſtrarum precum finis aut ſcopus debeat conſtitui, ne carnis noſtræ cæca prudentia decepti, in eo ipſo erremus, in quo opem atque præſidium quærimus. Vidimus hoc ſatis euidenter in prima petitione, quæ filiorum Dei propria eſt, à quibus hoc iure exigitur, vt Patris ſui cœleſtis gloriam præ omnibus alijs rebus cōmendatam habeant, & proinde eam quantum poſſunt ſtudeant promouere.

Ordo huius petitionis. *Sequitur ſecunda petitio, qua precamur, vt Dei regnum ad nos veniat. Subijcitur hæc priori admodum opportuno & ordine cōmodiſſimo, vt quæ ei cohæreat, & ex ea deriuetur. Quî enim fieri poteſt, vt Dei nomen per nos, qui natura corrupti & peccatores ſumus ſanctificetur, niſi Deus ipſe per Spiritum ſuum in nobis regnet? Quoad hoc non fit, nihil in nobis eſt præter peccatum, neque ex nobis ipſis aliud poterimus, quàm quod ad diuini nominis contumeliam facit. Quia ergo ante omnia precari debemus, vt Dei nomē in nobis ſanctificetur, id verò nobis præſtitu impoſſibile eſt, neceſſe eſt vt mox ſubijciamus: Adueniat regnū. Id eſt: O Pater, noſtri quidē officij erat ſanctificare nomē tuum: ad id verò præſtandum non inepti modò & imbecilles, verumetiam indigni ſumus, vt qui noſtris delictis iampridem meruerimus, ne vnquam gloriæ tuæ vaſa cenſeamur. Quia verò ita nos precari iubes, nimirum pro ſua bonitate & clementia nos pro talibus denuo agnoſcis. Quæſumus ergo, vt tu cum tuo regno ad nos venias, & nos regas, vt tuæ voluntati ſatisfiat, & nomen tuum per nos verè ſanctificetur, &c. Vt verò huius petitionis ſenſum probè intelligamus, ante omnia tenendum erit, quid ſit Regnum Dei & quæ eius conditio. Ex eo enim patebit, quis huius petitionis in omni tentatione proprius vſus ſit.*

Regnum diaboli in mundo. *Regna inter homines in terris hiſce duo ſunt, quod ipſum petitio hæc nō obſcurè docet. Quia enim Dei Regnum venire precamur, fatemur vtiq; regnum quoddam aliud in nobis eſſe, cuius potentiam ſentiamus. Id verò diaboli regnum eſt, quod in ipſa mundi origine per primorum parentum tranſgreſſionē obtinuit, et quod omni ſtudio retinere atq; augere conatur. Quo nomine princeps huius mūdi dicitur: non quidem eo ſenſu, quòd Deum à mūdi gubernaculis deiecerit, & ipſe pro ſua libidine illū gubernet: ſed quòd Deus iuſto iudicio aliqua ex parte tale quid illi permiſit, vt mūdi malitia & ingratitudo dignis pœnis mulctetur. Quia enim Deus hominem ſecundùm ſuam imaginem conditum*

in ſum-

in ſummam dignitatem extulerat, vt omniũ creatorum dominus haberetur; ipſe verò tantum Dei beneficium non agnouit, ſed ex diaboli inſtinctu rebellione facta diuinitatem ipſam affectauit, iuſto et æquo Dei iudicio factum eſt, vt in diaboli poteſtatẽ traderetur, vt ita homines magno ſuo malo experirentur, quem nam Regem, ſeu tyrannum potius, loco Dei optimi & beneficentiſſimi, ſibi delegiſſent. Ab eo itaq; tempore diaboli regnũ cœpit, quod in duobus potiſſimùm conſiſtit, mendacijs nimirũ & apertis ſceleribus. Vt enim ipſe mendax eſt, & in veritate non perſtitit: ita mendacijs quoq; regnũ Mendacia.
ſuum prouehit, & homines ab ea, quam Deo debent, obedientia abducit. Cuius rei initium in primis parentibus factũ eſt, quos diuinitatis mẽdaci promiſſione Deo inobedientes fecit. Poſtea inter gentes philoſophos excitauit, qui falſæ ſapientiæ profeſſione ſeipſos et alios quoq; dementarunt, falſis de Deo opinionibus & infinitis in religionẽ erroribus inuectis. Acceſſerunt his vates omnis generis et Deorũ Oracula, quorũ tanta fuit apud infelices homines authoritas, vt potentiſſimi quoq; reges in regnorũ adminiſtratione nihil niſi illis conſultis tentandũ putarent. In Dei populo autẽ humanas traditiones induxit, quibus Verbi diuini doctrina obſcurata fuit, vera Dei cognitio paulatim euanuit, fides extincta, cultus externus corruptus, & hominum mentes à Deo abſtractæ fuerunt, vt ſalutem extra illum quæſiuerint. Factum hoc olim apud Iudæos, poſteris verò temporibus inter Chriſtianos quoque, quorum pleriq; hac ratione decepti ſunt, vt Mahumeticis fabulis & Antichriſtianæ tyrannidi locum dederint. Tanta fuit diaboli aſtutia in regno ſuo per mendacia & dolos propagando: quod ideò regnum tenebrarum dicitur, quòd omnia in eo obſcura & incerta, adhæc terrorum plena & periculoſa ſunt.

Deinde per aperta quoq; ſcelera regnat, quibus quàm maximè delectatur, eo quòd per illa à Deo Scelera aperta.
abſtracti, ipſi diabolo conformes efficimur. Eſt ipſe ſpiritus immundus & impurus: impuros ergo & immũdos quoq; reddit homines, in quorũ cordibus fœdæ cogitationes naſcuntur, impuræ cupiditates accenduntur, quæ poſtea per verba ſcandali plena, per ſtupra, ſcortationẽ, adulteria, inceſtus & nefarios maſculorum concubitus ita erumpunt, vt impurus ille in omnibus membris noſtris dominetur. Quibus addi debent quæcunque ab ebrioſis & intemperantibus fœdiſſima ſcelera deſignantur. Adhæc (vt ante diximus) mendax eſt: ideò homines quoq; mendaces reddit & impoſtores, quæ omnis iniuſtitiæ in contractibus & commercijs cauſa eſt. Idem inſatiabili cupiditate nocendi ardet, & ſubinde rugienti leoni ſimilis oberrat. Itaque in hominibus quoque accendit inſatiabiles cupiditates opum, voluptatum, honorum, quibus ita immerguntur, vt nec Deum nec Regnum eius deinceps magni faciant. Adhæc ab initio homicida fuit, & in Adamo (quantum in ipſo fuit) totum genus humanum perdidit. Ergo vt infelices quoque homines ſibi ſimiles reddat, in illis priuati cõmodi ſtudium accendit, ex quo deinde æmulatio, inuidia, odium, ſimultates, iniuriæ, conuitia, contentiones, rixæ, pugnæ, verbera, vulnera, & tandem cædes atque parricidia naſcuntur: cuius rei exemplum memorabile in illius primogenito, Caino, extat. Taceo nunc bella & prælia, quibus ſæpe vnius horæ ſpatio multa millia crudeliter trucidantur, qui ira & vindictæ cupiditate flagrantes abſque pœnitentia & diuini nominis inuocatione decedunt. Taceo agrorum vaſtationes, prædationes, incendia, ſtupra matronarum & virginum, & quæ alia in bello fieri conſueuerunt. Denique ſuperbus ille ſpiritus eſt Satan, qui Altiſſimo æqualis fieri voluit, & adhuc hodie aduerſus eum immani arrogantia ſeipſum extollit. Ergo eos quoque qui ipſum audiunt ſuperbiæ ſpiritu inflat, quo decepti omnes alios præ ſe contemnunt, Dei donis inſolentiſſimè abutuntur, & ſimul aduerſus Deum & Verbum eius indomita confidentia inſurgunt, neque ſe eius legibus teneri ſibijpſis perſuadent: quæ omnis inobedientiæ præcipua cauſa eſt. Et hæc quidem omnia ex diaboli ſuggeſtione fiunt, cui ſeruitur, & qui hac ratione regni ſui fines protendit. At regni huius non aliud ſtipendium eſt, quàm damnatio & mors æterna. Nam ex Dei Verbo conſtat peccati ſtipendium eſſe mortem. Et ideò regni huius conditio per tyrannidem Aegyptiacam propriiſſimè adumbratur. Vt enim Iſraelitæ ſub Pharaone in ſordido luto opus facere cogebantur, laborum verò & ſeruitutis duriſſimæ non aliud ſtipendium recipiebant, quàm indignas ſuorum infantium cædes, & quòd tandem primogenitis ipſorum ab Angelo vaſtatore periculum præſens paratum fuit, è quo non alia ratione, quàm ex gratia Dei per agni ſanguinem erepti ſunt: Ita quotquos diaboli regno ſubſunt, ij in luto & ſordibus incredulitatis, idololatriæ & ſcelerum illi ſeruiunt, neque ex eo ſeruitio aliam mercedem poſſunt ſpe-

rare, quàm æternos inferorum cruciatus. Et hæc de infelici hoc regno dicta ſint, cuius ſenſu cogimur precari, vt Dei Regnum adueniat.

Regnum Dei. *Porrò vt Deus ab æterno præuidit, humanum genus diaboli regno & huius infelici tyrannidi ſubijciendum fore, & vt id fieret iuſto ſuo iudicio permiſit: ita æterno ſuo decreto Regnum aliud conſtituere ſtatuit, cuius inſtauratione diaboli regnum deſtrueretur, nos autem ex eius ſeruitio liberati, denuo ipſi reconciliaremur. Et hoc Dei Regnum dicitur, eò quòd huius princeps & vnicum caput eſt. Filius Dei, quem is nobis antequam mundus hic conderetur (vt Petrus ait) liberatorem conſtituit, qui diaboli caput conculcaret, nosq́; ad ſalutarem Dei obedientiam & beatam regni cæleſtis hæreditatem ſiue cõmunionem reduceret. De hoc Regno intelligi debent præclara illa prophetarum vaticinia, quæ in Pſal. 2. 45. 72. &c. item Iſa. 9. Ierem. 23. & imprimis apud Danielem leguntur. De eodem quoq; Paulus agit, quando nos Deo Patri gratias agere iubet, qui nos liberauerit à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulerit in Regnum Filij ſibi dilecti. Et hoc propriè Regnum illud eſt, quod vt veniat hîc precamur.*

Coloſ. 1.

Regni Dei ordo & progreſſus. *Vt verò diaboli regnum ſuis progreſſionibus augetur & propagatur, dum à mendacijs, dolis & impoſturis initio facto, deinceps per incredulitatem, ſuperſtitiones, idolomaniam & manifeſta ſcelera ſubinde altius aſſurgit, donec vnà cum membris ſuis ad æternum exitium præcipitabitur: Ita Dei quoq; regnum ordine certo conſtat, & ſua habet incrementa, quibus inter homines inſtauratum atque ſubinde latius propagatum fuit.*

1. Manifeſtatũ per Verbum. *Principio enim Deus illud hominibus per Verbum ſuum manifeſtauit, & ea ratione propter electos ſuos diabolo ſeſe fortiſſimè oppoſuit, quò minus ſeſe apud incautos & rerum ignaros intrudere poſſet. Quia enim ſemen quoddam peculiare mulieris promiſit, quod diaboli caput contriturum & regnum eius deſtructurũ eſſet, non obſcurè docuit, ſuos cultores nequaquam animum deſpondere, neq; ſe diabolo ſubijcere debere, ſed conſtanti fide Regnum illud gratiæ expectare. Rurſus quando humani generis redemptionem in promiſſo illo ſemine monſtrauit, ſatis admonuit, non aliam doctrinã audiendam, neque aliquos admittendos eſſe, qui aliam ab hac ſalutis rationem aut alia redemptionis noſtræ media fingere auſint. Adhæc cum promiſſionibus iſtis eos de redemptione tam certos fecerit, ſimul exhortari voluit, ne diaboli ſeruitio ſeſe ſubmittant, ſed illi reſiſtant, vt promiſſi & tandem venturi Regni melioris ciues fieri poſſint. Et hic præcipuus promiſſionum omnium, quibus Patriarchas olim Deus conſolatus eſt, finis atque ſcopus fuit: quæ poſtea per Legis typos & Prophetarum vaticinia clarius illuſtrata ſunt. Quò enim propius acceſſit præfinitum illud promiſſi redemptoris tempus, eò clarius lucere cœpit ſalutaris ille Regni Dei ſplendor, quo electos recreari & exhilarari oportebat. Eſtq́; hoc plenum conſolationis, quòd Deus tam Regni ſui quàm electorum ſuorum tantam curam tunc habuit, quando humanum genus prorſus abieciſſe & in diaboli poteſtatem tradidiſſe videbatur.*

2. Inſtauratum per Chriſtum. *Vbi verò præfinitum tempus aduenit, abſq; mora Deus promiſſum illud ſemen, nempe Filium ſuum Ieſum Chriſtum, in mundum miſit, qui ex intemerata Virgine Maria homo factus, in aſſumpta carne omne id executus eſt, quod ad Regni Dei inſtaurationem fieri neceſſe erat. Primò enim peccata noſtra in ſe tranſtulit, & illa mortis ſuæ merito in ara crucis expiauit: qua ratione nos etiam à peccati pœna liberatos in libertatem filiorum Dei aſſeruit. Nec enim peccata ſolùm noſtra è medio abſtulit, verumetiam vult vt ipſi per fidem inſiti eius membra efficiamur, quibus ſuum meritum & iuſtitiam ſuam ita communicet, vt quàmuis peccatores ſimus quantum in nobis eſt, peccata tamen nobis non imputentur, adeò, vt propter ipſius meritum ad Dei tribunal pro iuſtis comparere poſſimus. Et tanta eſt huius expiationis peccatorum atque ſatisfactionis certitudo, vt nulla diaboli calumniæ nobis poſthac timenda ſint, quò minus cum Paulo dicamus: Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt, imò verò qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui etiam intercedit & poſtulat pro nobis. Quia ergo Dei Filius pro peccatis ſatisfecit, & peccatorum pœnam, mortem videlicet & damnationem, ſua reſurrectionis virtute vicit atque aboleuit, hinc ſequatur oportet, quòd diaboli regnum (cuius potentia & vires ſolo peccato & morte nitebantur) vicerit atque deſtruxerit. Quod ipſum infinitis miraculis, & imprimis dæmoniorum eiectione teſtatus eſt.*

Rom. 8.

Quia

Quia enim hæc eius timore perculſa ad eius imperium ex hominibus diſceſſêre, non obſcurè perſpici potuit, veniſſe iam Regnum Dei, per quod diaboli regno finem imponi oporteat. Vide Luc. 11. Matth. 12.

3. Confirmatur per Spiritum Sanctum.

Cæterùm vt redemptionis noſtræ fructus perpetuus & Dei Regnum inter nos ſtabile & firmum ſit, non ſolùm nos ex peccati ſeruitio liberauit, ſed Spiritum quoque ſuum ſanctum cordibus noſtris inſerit, per quem vt certiſſimum ſalutis noſtræ arrhabonem (quo nomine eum Paulus appellat) aduerſus omnes dubiæ carnis tentationes confirmamur, ad hæc ex ſemine æterni atque immortalis verbi regeneramur innouamurque, & in omnem veritatem inducimur. Quo fit, vt qui ex nobis ipſis non aliud quàm peccare poſſumus, in poſterum duce & cooperante nobis Spiritu Chriſti ad omne bonum idonei ſimus, peccato reſiſtamus, Deo debitum præſtemus obſequium, & in bono indies proficiamus. Exempla huius innouationis paſſim in veris Chriſti cultoribus cernuntur, qui non ſolùm illicitas peccati cupiditates fortiter repellunt & ſubigunt, verumetiam contemptis omnibus mundi huius minis atque furioſis conatibus in Chriſto Ieſu conſtanter perſeuerant, & in media etiam morte diaboli tyrannidem vincunt. Quod factu impoſsibile eſſet; niſi illos Deus ex illius poteſtate eripuiſſet, & ſuum regnum in ipſis inſtauraſſet.

4. Diuulgatur per Euangeliũ.

Præterea, vt Regnum Dei per totum orbem diuulgaretur, & vbique gentium locum haberet, Chriſtus Ieſus Euangelij prædicationem inſtituit, per quam omnia ea, quæ noſtræ redemptionis & ſalutis cauſa fecit atque ſuſtinuit, toti mundo annuntiata, & ad ipſum ex omnibus populis diſcipuli adducti ſunt. Et hoc legitimũ atq; ordinarium medium eſt, per quod Deus Regni ſui limites per totum orbem extendit, & omnium nationum homines ad ſuam obedientiam adduxit. Ideo Euangelium aliquando Sermo aut verbum Regni Dei dicitur. Huius enim prædicatione docemur, promiſſum illud & benedictum ſemen à Deo exhibitum eſſe, cuius merito redempti ſimus, Regnum verò Dei inſtauratum ſit, cuius ciues & conſortes procul dubio futuri ſint, quotquot doctrinam hanc fide vera & conſtanti amplexantur, & in ea perſeuerant. Chriſti enim promiſſio eſt: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Mar. 16.

Regnum Dei à diabolo oppugnatur.

Pſal 110. & 2.

Neque hîc multùm moramur diaboli improbitatem, qui Regnũ iſtud perpetuò oppugnat, multos etiam ab eo diuellit, qui eius membra & ciues eſſe putabantur. Nam & ſi ille à Chriſto deuictus ſit, ingenium tamen ſuum perpetuò retinet, vt nimirũ homines perdere cupiat. Quapropter filios ſuos exitio deuotos, & quos Deus iuſto iudicio in reprobum ſenſum tradidit, perpetuò aduerſus Dei filios inſtruit, & his pugnas mouet aſsiduas, veruntamẽ vt exarmatus & iampridẽ deuictus hoſtis, nihil efficere poteſt, ſed cũ ignominia repulſus cedere cogitur, Chriſto interĩ ſuũ Regnũ inter medios hoſtes ſemper ſeruante, & interdũ ferreũ ſuũ ſceptrum exerente, quo hoſtium ſuorum phalanges ceu vaſa figuli diſsipat atque cõminuit. Idem, cùm paſtor ille bonus & fidus ſit, nullam ex ouium ſuarum numero ſibi eripi patitur. Nam etiamſi interdũ ingens à Regno Dei defectio facta eſſe videatur, minimè tamen id de electis intelligi debet, ſed de perfidis hypocritis, quos Satan ipſe prius doloſè credentium gregi permiſcuit, vt aliquam publici ſcandali materiam haberet. Hi crucе & perſecutione exorta, palearum inſtar diſsipantur, & ad ſuum priorem principem redeunt. Interea autem veri & germani ciues Regni Dei, quorũ nomina in cælis adſcripta, conſtantes perſeuerant: & licet interdum ex carnis infirmitate vacillent, Dei tamen Spiritu mox iterum confirmantur, & mirificè retinentur ne ſuam ſtationem deſerant. Teſtimonia & exempla, quibus hoc demonſtretur, iam inde à condito orbe infinita habemus. Hac enim ratione Deus Regnum ſuum (quàmuis nondum perfectè reuelatum aut manifeſtum eſſet) ante diluuium aduerſus impios Caini poſteros & immanem Nephilim progeniem defendit: & idem mox inter diluuij aquas arcæ beneficio mirabiliter conſeruauit. Sic Patriarchas quoque aduerſus Chananæorum ferociam tutatus eſt, in quorum animis vocem hanc minacem ſubinde intonuit, Nolite tangere Chriſtos vel vnctos meos, id eſt, homines mihi conſecratos. Idem poſtea in Aegypto, Babylone & alibi non ſemel factum eſt. Euidentiora tamen habemus in ijs, quæ Chriſti aduentum ſecuta ſunt. Nam etſi Imperatores Romani, penes quos tunc erat orbis totius imperium, Chriſti doctrinam hoſtiliter oppugnarint, & homines Chriſtianos crudeliſsimè ſint perſecuti, Deus tamẽ per obſcuros & nullius in mũdo pretij ſeruos ſuos regnũ ſuũ nõ ſine totius orbis admiratione per omnes gentes propugnauit, & in hũc vſq; diẽ aduerſus

olim ſanctiſſimos Reges, Dauidem, Ezechiam, Ioſiam, Conſtantinum M. Theodoſium & horum ſimiles magna cum laude feciſſe ſcimus. Et huc pertinet Pſalmus LXXII. *qui pulcherrimam pro principibus precandi formulam ſubditis omnibus præſcribit. Similiter pro parentibus omnibus hic oramus, vt & ipſi ſyncero pietatis ſtudio accenſi ex ſe natos liberos Deo adducant, eoſdem in huius cognitione & vero cultu diligenter inſtituant. Et hoc inter externa media, quibus Dei Regnum in terris hiſce inſtauratur, nequaquam poſtremum cenſeri debet. Præterea Scholas quoque Deo commendamus, vt has conſeruare, & ſuo Spiritu tam doctores quàm diſcipulos regere dignetur ne vnquam deſint viri docti & ſapientes, qui rempub. bene adminiſtrent, Eccleſijs fideliter præſint, Dei verbum clarè prædicent, errores & falſa dogmata fortiter confutent, fidem veram atque Dei cultum fideliter plantent, & ea ratione Regnum Dei indies proueh ant. Quantum enim ad huius conſeruationem Scholæ faciant, impius quoque & aſtutus apoſtata Iulianus intellexit, qui illas Chriſtianis clauſit, ita fore ſperans, vt idoneis doctoribus tandem deſtituti non poſſent fidem ſuã aduerſus Sophiſtarum fallacias tueri. Denique, vt ſummatim omnia dicamus, nihil eſt quod ad Regni Dei inſtaurationem ſiue propagationem facit, quod non hac petitione Chriſtus comprehendat. Nam præter hæc, quæ huc uſque commemorauimus, precamur quoque, vt ſub cruce & afflictionum pondere laborantes Deus ſuo ſpiritu confirmet, ne vel impatientia vel alijs affectibus ſuperati ab eo defectionem faciamus, ſed omnia aduerſa, perſecutiones & tentationes omnes fidei conſtantia & fortitudine vincamus.*

Confitemur noſtram uitioſitatem.

Sed priuſquam Sermonem hunc concludamus, adhuc quædam conſideranda veniunt, quæ noſtræ ſalutis negotium & ſimul noſtrum in hoc officium concernunt. Primò enim hac petitione noſtram miſeriam, adeóque exilium noſtrum bifariàm confitemur. Dum enim oramus, vt Regnũ Dei ad nos veniat, facis apertè teſtamur, nos eo adhuc carere, imò quòd extra Regnũ Dei in exilio agamus. Eſt hæc ingens miſeria, quam omnes electi probè expenderunt, & ideo huius ſeculi vitã peregrinationẽ, ſeipſos autem peregrinos dixerunt, vt qui ad patriam nondũ perueniſſent. Fatemur præterea, nos proprijs viribus aut meritis Regnum Dei aſſequi non poſſe, ſed neceſſe eſſe, vt illud ad nos veniat. Vt enim prius in cœlum non potuimus aſcendere, ſed Filium Dei ad nos deſcendere oportuit, vt nos ſaluos faceret: Ita porrò requiritur, vt Deus Spiritum ſuum nobis cœlitus mittat, per quẽ regeneremur & quaſi manuducamur, vt in nobis ille regnare queat. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus hunc toties pollicetur, & promiſſionem hanc tunc quoque repetit, quando diſcipuli de Regno ſuo ipſum interrogabant: vt doceret, Regnum hoc cœleſte eſſe, quod ad nos è ſupernis venire oporteat. Confutantur his validiſſime peregrinationes ſacræ & omnium illorum errores, qui Regnum Dei, id eſt, ſalutem ſuam hinc inde quærunt, quaſi ea certis locis alligata ſit: cùm Chriſtus Ieſus vnicum illud gratiæ diuinæ pignus ſit, in quo ſolo ſalus inuenitur, & qui nulli certo loco in terris alligatus eſt, ſed in cœlis ad dextram Patris reſidet, vnde Spiritum ſuum nobis mittit, meritum ſuum largitur, & vbique locorum in nobis agit ea, quæ nobis ad conſequendum Regnũ Dei neceſſaria ſunt. Idem nuſpiam docet, vt hinc inde diſcurrendo illud aſſequi conemur; ſed vt precemur, vt ad nos veniat. Monet præterea nos, ne illis fidem habeamus, qui ipſum & ſalutem noſtram certis in locis monſtrant, ſimulq́; teſtatur Regnum Dei non venturum ita vt obſeruari poſſit &c. Luc. 17. Matth. 24.

Ioan. 9.

Ioã. 14. & 16. Acto. 1.

Officij noſtri admonemur.

Rurſus officij noſtri hac petitio nos admonet. Quia enim oramus, vt Regnũ Dei aduenìat, & in terris hiſce propagetur, docet vtique, vt ſinguli quoad ſeipſos huic ſeſe ſubijciãt, & diaboli caſtris relictis Deo obedire ac viuere ſatagant: denique vt illud apud alios quoq; pro virili inſtaurent atque propagent. Nã ſi in eo negligentiores ſimus coram Deo nos hypocriſis precatio iſta arguit. Excites nos ergo vt quo poſſumus ſtudio omnibus ijs obſtemus, quibus Regnũ Dei impeditur, ſtudeamus autẽ ijs quibus promouetur. Ad ſe igitur hoc ſinguli transferãt pro ſuæ vocationis ratione. Nã ſi verbi adminiſtri precatione hac dignè vti velint, neceſſe fuerit, vt Chriſti exemplum imitati zelo gloriæ & regni Dei ardeant, adeò vt nihil eorũ ferre poſſint quæ huic aduerſantur, & è cõtra abſq; omni perſonarũ reſpectu omne id agãt, quo illud promoueri poſſe vident. Exẽplũ huius zeli in Paulo habemus, qui quòcunq; locorũ venit, annũtiãdi Regni Dei occaſionẽ captauit. Athenis intolerabile ei videtur vrbem celeberrimam præ alijs idololatriæ deditã eſſe, & inſuper Deo ignoto ſacra facere.

Act. 17.

& ideo hinc occaſionem arripit de vero Deo apud illos concionandi, quem hucuſque ignorauerant. Simili ſtudio Corinthi quoq, Epheſi & vbique alibi vſus eſt, & ideo vas electum à Domino dicitur. Qui hunc imitantur doctores, ij demum verè precabuntur, & eos Deus exaudiet, vt & ipſi organa gloriæ ſint. At qui negligentes & ſecuri rerum ſuperſtitiones, idololatriam & aperta ſcelera ferre

Iſa.56. poſſunt atque vt muti canes (quo nomine eos Iſaias appellat) omnia fieri patiuntur, quæ ad Regni Dei deſtructionem faciunt, ij hac precatione ſeipſos damnant, cùm proprio ore teſtentur, ſe maiori ſtudio in munere ſuo verſari debere. Eadem eſt eorum ratio, qui rempub. adminiſtrant, qui & ipſi Regnum Dei pro virili prouehere & diaboli regnum deſtruere debent, niſi preces ſuas inutiles eſſe velint. Idem de parentibus & omnibus iuuentutis gubernatoribus, denique de Chriſtianis omnibus debet intelligi. Nam vt alibi diximus, hypocriſis Deus ferre non poteſt, & dum preces facimus, hoc præcipue nobis cauendum eſt, ne ore ſolùm Deo appropinquemus, corde autē ab eo alieni ſimus.

Ante omnia quæratur Regnum Dei. Docet præterea petitio iſta, Regnum Dei ante omnia quærendum eſſe, neque nos rebus terrenis & temporarijs nimiùm addictos eſſe debere. Nam vt ſupra audiuimus, hîc quidem in nobis Regnum Dei inchoatur, in cælis autem demum perficitur, vt plenum complementum habeat. Si ergo huius ex animo cupidi ſumus, neceſſe eſt, vt eius perfectum complementum quæramus, aduentū Chriſti diligamus, & hunc nobis conſtituamus actionum & ſtudiorum noſtrorum finem, vt in cæleſti patria Regnum Dei poſſidere, & cum Chriſto æternum regnare poſſimus. Quotquot ergo huius ſæculi rebus addicti, nihil præter opes, honores & voluptates animo voluunt, ij zelo Regni Dei flagrare non poſſunt, & proinde nullum huius petitionis fructum ſentiunt, ſed per eam potius damnabuntur. Impoſſibile enim eſt, vt Regnum Dei in cælis poſſideant, & cum Chriſto regnent, qui dum hîc viuunt illi ſubeſſe nolunt.

Neceſſitas huius petitionis. Et hæc quidem in ſecundam Orationis Dominicæ petitionem dicta ſint, quæ vniuerſum noſtræ ſalutis negotium comprætendit, vnà cum ijs quæ Deo debemus. Debet illa nobis eo magis cordi eſſe, quòd multis argumētis depræhendimus, quàm variè et grauiter Regnū Dei oppugnetur. Faciūt hoc falſi doctores ac impoſtores plurimi, qui doctrinam ſalutis traditionibus hominū et proprijs figmentis impudentiſſimè obſcurarunt, & ſimplices à Regno Dei abducūt. Et hi quidē patronos habēt potentiſſimos, qui armis quoque eos tuentur. Inde ſequitur, quod fideles Chriſti cultores omnium ferè odijs ſubiacent, ſedibus ſuis eiecti exulant, fortunis ſpoliantur, & demum crudeliter occiduntur. Eò denique res deuenit, proh dolor, vt nullum ſcelus grauius eſſe æſtimetur, quàm ſi quis fidelē Regni Dei ſubditū ſeſe præbere ſtudeat. Taceo nunc horribiles clades à Turcis intra paucos annos acceptas, per quas infinita millia animarum à Chriſto auulſa, & Mahumeticis abominationibus ſubiecta ſunt. Taceo exemplum mundi huius ſceleratiſſimum, effrenem multorum petulantiam, ſcelera aperta, quæ paſſim magno cum ſcandalo patiuntur, & Dei Regno plurimùm officiunt. Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt non temere ſuſpicemur, eſſe iam tempora illa, quibus fidem ceſſaturam, charitatem interituram eſſe Chriſtus prædixit. Eſt ergo huius petitionis conſideratio valde neceſſaria: videndum verò nobis eſt, vt eam non ore ſolùm recitemus, ſed quod docet reipſa præſtemus: vt Regnum Dei hîc in nobis feliciter inchoatum, per nos etiam longè latéque propagetur, tandem verò in cælis æterni illius Regni conſortes ſimus per Chriſtum Ieſum, Dominum noſtrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CVIII.

PETITIO III.

Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, etiam in terra.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus in precandi formula, quā diſcipulis nobis omnibus tradidit, petitiones ita connectit, vt alia ex alia quaſi deriuetur. Primò enī vt germanos Dei filios precari docet, vt Patris noſtri cæleſtis nomen ſanctificetur & vt ſuum tam in nobis quam alijs hominibus honorem obtineat. Eſt hoc precum noſtrarum fundamentum verum, & hic omnium ſtudiorū

noſtrorum

noſtrorum finis eſſe debet. At quia illud fieri nequit, quoad Satan in nobis regnat & agit, qui nominis & gloriæ Dei hoſtis acerrimus eſt, ſecundo loco petimus, vt Deus ſuum Regnum in nobis inſtauret, & per hoc diaboli regnum deſtruat. Atqui in nobis Deus regnare non poteſt, niſi nos illi totos dedamus, & ad obediendum voluntati eius parati ac proni ſimus. Commodiſsimo igitur ordine tertia petitio ſubsequitur, quæ eſt: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. Quibus verbis nos tam animo quàm corpore Deo addicimus, ſimulque oſtendimus, æquum eſſe, vt ſuo Regno ad nos ille veniat, & in ſuam protectionem nos ſuſcipiat, cùm ipſius voluntati parêre, & omne obſequium ei præſtare cupiamus.

Cur precemur, ut Dei uolũtas fiat

Priusquã verò huius petitionis ſenſum excutiamus, diligentius hoc expendi debet, cur vt Dei Patris voluntas fiat, precari iubeamur: & non potius, vt noſtræ volũtati ille indulgeat, & hãc ratam eſſe velit? Etenim cũ communi ſenſu pugnare videtur, vt quis propria voluntate poſthabita, alienæ ſeſe ſubijciat. At in promptu cauſa eſt. Quia enim Chriſtus ea petere docet, quæ nobis vtilia & ſalutaria ſunt, non potuit iubere vt noſtrã voluntatẽ fieri velimus, quæ mala, iniuſta & noxia eſt. Quod facilè apparebit, ſi naturam noſtrã & carnis ingenium diligenter conſideremus. Poſtquam enim Adam per præcepti à Deo accepti tranſgreſsionem peccauit, non à dignitate modò, ad quam conditus erat, excidit, verumetiam diuino illo & ſublimi intellectus acumine eſt ſpoliatus, quo ante lapſum præditus fuit. Quo fit, vt homo animalis non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Quia ergo intellectus, ex quo omnia hominis conſilia, deſideria & voluntas deriuantur, corruptus eſt, voluntas quoq; noſtra mala & diuinæ contraria ſit oportet, ideoque non poteſt non etiam noxia & ſaluti noſtræ inimica eſſe. Quî enim fieri poteſt, vt voluntas ad ea prona ſit, quæ tu non intelligis? Rectè ergo Deus hominem nihil quàm carnem, & omnia cordis humani figmenta praua eſſe, olim pronũtiauit. Nam carnis ratio verbo Dei fidem habere non poteſt, & proinde Deo quoque non fidimus, vt decebat. Adhæc caro ad peccata procliuis eſt, his delectatur, & ideo pugnam perpetuam aduerſus ſpiritum exercet, qui diuinæ voluntati obtemperare cupit. Quòd ſi verò Deus nobis ſuccurrere velit per afflictiones, quas noſtro bono immittit, vt carnis petulantiã coërceat, mox impatiẽtes aduerſorũ iugũ Dei excutere conamur. Deniq; ſiue læta ſiue triſtia accidant, volũtatis ac totius naturæ noſtræ prauitatẽ prodimus. Nam illis quidẽ pro libidine noſtra abutimur, in his verò fremimus atq; murmuramus aduerſus eũ, cuius iuſtã atq; ſalutarẽ manum debebamus agnoſcere. Minimè ergo orandum eſt, vt noſtræ voluntati Deus indulgeat. Ita enim precando exitiũ nobis accerſeremus.

Gen. 6. & 8.

Cõtra liberum arbitrium.

Confutãtur ergo hîc validiſsimè, qui homini, quoad fidẽ & ſalutis negotium, proprij arbitrij libertatẽ tribuunt, quaſi proprijs viribus bonũ eligere, & voluntatẽ quoq; bonam atq; Deo acceptam concipere poſsimus. Vnde aliud quoq; colligunt, hominẽ ſuis operibus ſalutem mereri poſſe. At ſi ita res haberet, tum petitio iſta ſtulta & ſuperuacanea eſſet. Homo enim bona voluntate ex ſeipſo concepta, ſic precari deberet: Mea voluntas fiat, ô Domine. Vel, da mihi hoc ô Pater, vt mea volũtas fiat. At diuerſum omnino Chriſtus docet: vnde patet noſtrã voluntatem prauam & noxiã eſſe, & ſi quid boni aliquando volumus, hoc nõ noſtrũ, ſed Dei donũ eſt, qui (vt Paulus ait) in nobis operatur tã velle quàm facere, cùm ipſi ne ad cogitandũ quidem idonei ſimus, & ſine Chriſto (vt ipſemet teſtatur) nihil facere poſsimus. Quòd ſi ne volũtatẽ quidẽ in noſtra poteſtate habemus, quî fieri poteſt, vt ex nobis opera bona faciamus? Itaq; cùm neq; voluntatẽ neq; opera in noſtra habeamus poteſtate, quicquid verò boni in nobis eſt, ex Dei gratia donetur, de nullo vtiq; noſtrorũ operũ merito coram Deo gloriari poterimus. Mox enim nobis reſponderetur: Quid habes, quod non accepiſti? Quòd ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? At quid verbis opus eſt? Fatemur ipſi hac petitione, ſoliu Dei voluntatem iuſtam & bonam, noſtram verò iniuſtam & malam eſſe. Imò aduerſus nosipſos, vt hoſtem acerrimum precamur. Etenim reuera hoſtem neminem nobiſipſis nocentiorem habemus, eò quòd innata nobis vitioſitas nos à Deo & eius voluntate abducit, & ad omnem inobedientiam ſolicitat. Vide Pauli exemplum Roma. 7. cap.

Phil. 3.
2. Cor. 3.
Ioan. 15.
1. Cor. 4.

Dei uoluntas bona et ſancta.

Vt autem non precari debemus, vt noſtra voluntas fiat, quæ praua & noxia eſt: ita vt Patris cæleſtis voluntas fiat, nos Chriſtus precari iubet: nimirum quòd hæc iuſta, ſancta, bona & ſalutaris ſit, licet nos id non ſemper videamus. Quî enim fieri poſſet, vt quid mali & iniuſti velles is, qui & Summum bonum & ipſiſsima eſt iuſtitia? Aut qua ratione aduerſus nos malum aut

noxium quid inſtituat, qui omnium noſtrûm Pater eſt, & amore atque indulgentia parentes om-
nes longè ſuperat? Carnis quidem interdum hæ cogitationes ſunt, Deum durius nobiſcum agere,
voluntatem eius nimis rigidam & præcepta intolerabilia eſſe, neque illum ſemper in ſuis iudicijs
Pſal. 73. *æquitatem veram obſeruare. At ſi (vt Aſaph monet) in eius ſanctuarium penetramus, & ipſius*
myſteria, quatenus per verbum nobis reuelantur, vnà cum fine rerum omnium diligentius conſide-
ramus, illico patebit, Dei voluntatem non iuſtam modò & bonam eſſe, ſed in eo omnem noſtram ſa-
lutem conſiſtere, vt & illa fiat, & eidem nos obediamus. Argumenta, quibus hoc probetur, euiden-
tiſſima habemus in humani generis lapſu & reſtitutione. Vnde enim cœpit omnium noſtrûm miſeria
atq; calamitas? Vnde prauæ cupiditates, æmulatio, inuidia, odium, curæ denique & ſolicitudines
cum multis alijs, quæ animam turbant & excruciant, initium habuerunt? Vnde morbi tam multi
& varij, quibus corpora noſtra obnoxia ſunt? Vnde maledictio illa, quæ terræ imminet, vt non niſi
multo labore culta fructum ferat? Cur tanto cum dolore naſcimur? Denique vnde caſus illi varij,
qui nos exercent, & tandem ipſa mors, quæ nos hinc non ſine terrore & acutiſſimis doloribus ab-
ripit? Omnium horum non alia cauſa eſt, quàm quòd Adam contempta Dei voluntate, ſuam,
quam illi ſerpens ſuggeſſerat, ſecutus eſt. Hæc (inquam) cauſa eſt, quòd & illis omnibus, quæ
Leuit. 26. *modò commemorauimus obnoxij ſumus, & quòd inſuper fame, peſte, bellis, ſeditionibus eos quotidie*
Deut. 28. *punit Deus, qui ſuæ voluntati minus obtemperant. E contra, quam cauſam eſſe dicemus, quòd*
calamitates iſtæ & pœnæ non exitium æternum nobis afferunt, ſed potius diſciplinæ loco ſunt, quà
Deus nos patris optimi inſtar caſtigat? quòd Deus nobis iterum reconciliatus peccata condonat,
& inter huius ſæculi tempeſtates tuetur, atque tandem æternæ felicitatis hæredes facit? Non a-
Philip. 2. *liam certè præter meritum Filij Dei Ieſu Chriſti, qui ex voluntate & decreto Patris ſeſe hu-*
miliauit, & obediens fuit vſque ad mortem, & quidem mortem crucis. Huius obedientia noſtram
inobedientiam quaſi è medio ſuſtulit, Deumque nobis placauit, vt propter hunc Filium ſuum
nobis iam propitius ſit. Cùm ergo Adami inobedientia maledictionem, calamitates omnes, mor-
tem denique & exitium induxerit, Chriſtus verò ſua obedientia nos redemerit, ſaluos fecerit
& cæleſtis regni hæredes, neceſſe omnino eſt, vt ex animo precemur, ne noſtra, ſed Dei Patris
voluntas fiat, & vt hic eam nobis gratiam largiatur, vt huic nos accommodare & obedire poſ-
ſimus. At hîc obiter conſideranda, vel potius deploranda venit multorum cæcitas, qui cùm ſe-
cundùm Dei voluntatem in pace & beatè viuere poſſent, hoc tamen vnum agunt, vt incurabili
contumacia iugum illud ſaluberrimum excutiant, & ſuam voluntatem prauam atque noxias car-
nis cupiditates ſequi malunt, quibus ſibijpſis omnis generis curas, labores, pericula, turbas & exi-
tium accerſunt, ſicuti multis exemplis demonſtrari poterat. Sed paucis nunc id attingimus, vt
maiori zelo non precemur modò, vt Dei voluntas fiat, verumetiam reipſa hanc, quantum in nobis
eſt, exequi ſtudeamus.

Voluntas Dei quæ ſit? *Porro vt ad hoc præſtandũ promptiores ſimus, videndũ erit, quænã illa Dei voluntas ſit, vbi ſi-*
mul intelligemus, quis proprius huius petitionis ſenſus ſit. Bifariam autẽ volũtas Dei conſideratur.
Primò volũtas eſt æterna, infinita et omnipotẽs, ſecũdùm quã omnia gubernat et agit, ſicuti ab æter-
1. Aeterna. *no decreuit. Et hæc volũtas fit ſemper, adeò, vt nemo eã impedire poſſit, et eandẽ plerũq; ignoramus,*
donec in illius operib. atq; iudicijs ſeſe exerit. De iſta volũtate per Iſaiã ipſe loquitur: Ego ſum De-
Iſa. 46. *us, qui dico, & conſiliũ meum ratum eſt, & quicquid volo, facio. Quò et illud Dauidis referri debet:*
Pſal. 115. & 33. *Deus noſter in cælis eſt, & fecit quæcunque voluit. Item: Dei conſilium manet in æternum. Et rur-*
ſus Iſaias: Domino exercituum aliquid conſtituente, quis illud faciet irritum? Et de hac quidem
voluntate Dei non hic nobis ſermo eſt. Quia enim æterna diuinæ prouidentiæ & prædeſtinationis
decreta comprehendit, nunquam non ſuum habet progreſſum, neque opus eſt, vt de eius executio-
ne multùm ſoliciti ſimus. Hoc ſolum noſtri officij eſt, ne illam accuſemus aut reprehendamus, & ne
eius arcana curioſius velimus ſcrutari.

2. Reuelata. *Deinde volũtas alia Dei reuelata eſt, quã nos ſcire oportet, cùm abſq; eius cognitione ſeruari nõ*
Ioan. 1. & 14. *poſſimus. Hãc omnĩu clariſſimè nobis reuelauit in Filio ſuo Ieſu Chriſto, quẽ catholicũ et irrefraga-*
bilẽ totius orbis doctorem conſtituit, cælitus de illo pronuncians: Hunc audite. Ideò Ioannes ſcribit:
Deum nemo vidit vnquam, ſed vnigenitus Filius Dei, qui eſt in ſinu Patris, is annunciauit nobis.

Et

*Et ipſe diſcipulis ait: Omnia, quæ audiui à Patre meo, manifeſtaui vobis. Quod non ita accipi de-
bet, quaſi ab origine rerum vſque ad Chriſti incarnationem nulla prorſus inter homines voluntatis
diuinæ cognitio fuerit. Nam etſi ille, vt vera lux mundi, ſuo aduentu omnia plenius illuſtrauerit,
& Dei Patris voluntatem non ſolum clarius tradiderit, verumetiam impleuerit: idem tamen olim
quoque veteribus, quantum ipſis ad ſalutem conſequendam neceſſe fuit, illam manifeſtauit. Cum
patriarchis enim per viſiones & reuelationes varias egit. Deinde Legem dedit, quæ voluntatis di-
uinæ declarationem continet. Tandem per Prophetas locutus eſt, qui ſimul omnes (vt Petrus te-* 1.Pet.1.
*ſtatur) ipſius ſpiritu ducti eius afflictiones & inde ſecuturam gloriam ſcrutati ſunt, & totum hu-
manæ redemptionis negotium populo enarrauerunt. Tandem poſtquam ipſe in terras haſce venit,
& aliquandiu docuit, eo non contentus, in Apoſtolis ſuis Verbi aut Euangelij ſui miniſterium in-* Epheſ.4.
*ſtituit, & adhuc Eccleſiæ miniſtros dat, qui Patris ſui voluntatem mundo annuntient. Denique
ipſe æternum, viuum & omnipotens Dei Verbum eſt, per quod omnia condita ſunt, & cuius vir-
tute omnia conſeruantur atque reguntur, quique nos etiam hodie illuminat, vt Patris ſui volun-
tatem intelligamus. Dicuntur iſta in eum finem, ne illius cognitionem alibi quæramus, ſed in eius
ſolius Verbum intenti, omnes hominum traditiones totis animis abominemur, quibus Satan Dei
voluntatem & eius cognitionem in multorum animis obſcurat, & ſæpe omnino extinguit. Et de iſta
voluntate Dei, quæ in Chriſto nobis reuelata eſt, petitio hæc potiſſimùm debet intelligi, cuius hic
vſus & finis eſt, vt Deus nos in ſuæ voluntatis ſemitis dirigere, & animos noſtros inclinare digne-
tur, vt illa delectentur, & eidem obtemperent. Sed præſtat videre, quænam voluntatis iſtius præci-
pua ſint capita, quibus tota comprahenditur.*

Primùm vult Deus, vt ſalui fiamus per Filium ſuum Ieſum Chriſtum. In eo enim (vt Pau- Capita voluntatis Dei.
*lus docet) nos ab æterno elegit, vt regni ſui cœleſtis hæredes ſimus. De hac voluntate Patris Chri-
ſtus ipſe ſic loquitur: Hæc eſt voluntas eius qui miſit me, vt omnis qui videt Filiũ, & in eum cre-* Ioan.6.
*dit, habeat vitam æternam. Itaque petitione iſta ante omnia poſtulamus, vt Deus tam nos quàm
alios homines fide in Chriſtum illuminare dignetur, ne eius voluntas, quoad hanc partem noſtra in-
credulitate & contumacia impediatur. Vbi ſimul docemur, fidem donum Dei gratuitum eſſe, ne-* Epheſ.2.
*que noſtra induſtria aut viribus poſſe obtineri. Quod Chriſtus ipſe non obſcurè ſupra docuit, dicens:
Nemo nouit Filium niſi Pater, & is cui Pater eum vult manifeſtare. Item: Nemo venit ad me,
niſi Pater meus traxerit eum. Nam vt alibi monuimus, totum hoc Chriſti & humanæ redemptio-* 1.Ioan.3.
*nis myſterium carni non obſcurum modò, ſed abſurdum quoque & inutile videtur. Diuinitus ergo
illuminemur oportet, vt petitio iſta in nobis rata eſſe poſſit. Quòd ſi verò voluntas Dei eſt, vt
per fidem in Chriſtum ſeruemur, proprijs precibus ſeipſos damnant, qui per opera electitia & bo-
rum merita iuſtificationem & ſalutem obtinere conantur. Pugnant enim illi cum æterno Dei
Patris conſilio, ſiue decreto, quo vniuerſam humanæ ſalutis rationem in ſolius Filij ſui merito com-
plexus eſt.*

*Secundò Dei voluntas eſt, vt quotquot per Filium eius redempti, & hunc fide amplexi ſunt, ſe
illi gratos & morigeros præbeant, atque in ipſius præceptis ambulent. Nam qui præcepta eius ſer-
uat (inquit Ioannes) is in Deo manet, & Deus manet in ipſo. Et Lex naturæ admonet, vt qui per
ſanguinem Filij Dei redempti ſunt, illi ſe totos addicere & conſecrare debeant. Poſſunt autem
præcepta eius paucis comprahendi. Primò enim requirit, vt ſicuti ipſe Deus vnicus eſt, nos quo-
que ipſum ſolum agnoſcamus, ſolum colamus, timeamus & amemus ſupra omnia ex toto corde, ex
tota anima, & totis viribus noſtris. Deinde vult, vt qui per Filium ſuum purificati & à peccatis
abluti ſumus, poſthac ipſi ſimus conſecrati, innocentiæ & puritati ſtudeamus, neque corpora noſtra,
quæ ille Spiritus Sancti templa fecit, peccatorum ſordibus denuo prophanemus. Huc illa Pauli per-* 1.Corinth.6.
tinent: Hæc eſt voluntas Dei, nempe ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis à ſcortatione: & ſciat v- 1.Theſſ.4.
*nuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere cum ſanctificatione & honore: non cum morbo cupiditatis,
ſicut gentes quæ non nouerunt Deum. Idem alibi teſtatur, Deum nos ab æterno elegiſſe, vt quoad* Epheſ.1.
huius vitæ conſuetudinem, inculpati ſimus & irrepræhenſibiles. Quò etiam imprimis referri debet, Ioan.13.
*quod Chriſtus in vltima Cœna de pedibus itidem abluendis admonet. Vult ergo Deus, ne porrò
priores carnis cupiditates ſequamur, ſed vt membra noſtra terreſtria mortificemus, veteri Adamo*

*moriamur, & ad vitæ nouitatem reſurgamus, omne denique id pro virili fugiamus, quo homines pol
lui ac prophanari poſſunt. Vult præterea Deus, vt ſicuti ipſum ſupra omnia diligimus, ita pro-
pter ipſum proximos noſtros perinde vt nos ipſos diligamus, & dilectionem hanc non ore & verbis
Ioan.13.& 15. modò, ſed reipſa & factis declaremus. Hoc nouum illud & ſingulare præceptum eſt, quod nobis
Chriſtus tradidit, qui nos multis alijs grauare noluit, cùm vno hoc abunde comprehendatur, quic-
quid ad iuſtitiam & pacem inter homines conſeruandam neceſſarium eſt. Itaque tribus hiſce præ-
ceptis, dilectionis Dei, ſanctitatis, & mutuæ charitatis, tota Dei voluntas continetur, cui in huius
vitæ curriculo ſtudere debemus. Precamur igitur hoc loco, vt Deus ſua gratia nobis adſit, vt ipſum
ex animo diligamus, ſanctitatem & innocentiam colamus, proximum item eodem, quo noſipſos, a-
more proſequamur, denique vt vitam omnem ſecundùm voluntatis eius ſanctæ regulam inſtitua-
mus, vt ita ipſius voluntas in nobis fiat, carnis autem libido atque petulantia coerceatur, noſq; toti
ſub fidei obedientiam redigamur. Rurſus ergo cum ſuis precibus palàm pugnant, qui circa alie-
nos aut plures Deos occupantur, qui mundo potius quàm illi ſeruiunt, qui corpora ſua libidini-
bus vagis & omni intemperantiæ genere polluunt, aut inuidia, odio, priuati commodi ſtudijs contra
fas nefasq; indulgent.*

Rom.8. *Tertiò voluntas Dei eſt, vt imagini Filij ſui Ieſu Chriſti conformes efficiamur, id eſt, vt
2.Tim.2. ſicut ille per crucem & diræ mortis ſupplicium in gloriam ſuam ingreſſus eſt, nos quoque dum hic
viuimus, cruci obnoxij ſimus, vt per hanc carne noſtra domita, tandem cœleſtis Regni poſſeſſio-
Hebr.12. nem adeamus. Nam vt pater bonus liberos, quos diligit, caſtigat, ne petulantiores fiant: ita Deus
multis ac varijs calamitatibus nos tentari ſinit, ne carnis deſiderijs vincamur, ſed potius illi reſi-
ſtere poſſimus. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus ſuos diſcipulos ad crucem ferendam inuitat, & hanc
quotidie in humeros attollere iubet, innuens nimirum, hanc nunquam defuturam ijs, qui in ipſo piè
Acto.14. viuere volunt. Et Paulus ſic à Deo conſtitutum eſſe ait, vt per multas tribulationes nos in Re-
gnum eius ingredi oporteat. Debet autem hoc de omnibus aduerſis intelligi, quæ in hoc ſeculo no-
bis accidere ſolent: qualia ſunt, egeſtas, fames, morbi, ignominia, perſecutio, carceres, & deni-
que ipſa mors. Quæ omnia non ſine Dei prouidentia immittuntur, qui capillos quoque noſtros in
numerato habet. Iſta ergo petitione omne id poſtulamus, quo nobis ſub cruce laborantibus opus
eſt: vt nimirum Deus nobis fidem & patientiam largiri velit, ne aduerſus ipſum murmure-
mus, ſed eius voluntati nos totos ſubmittamus. Et hic quidem ſuo exemplo nobis Chriſtus præi-
uit, qui cùm pro aſſumptæ carnis infirmitate imminentis ſupplicij atrocitate commoueretur, orauit:
Pater, ſi poſſibile eſt, aufer à me hunc calicem: veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.
Quæ verba facilè quidem ore & labijs enunciantur, ſed quàm difficulter caro adducatur, vt ea
verè & ex animo proferamus, quotidie experimur, ſi vel morbo aliquo diuturniori tentemur. Nec
enim fieri poteſt, vt quis iſtud verè precetur, niſi prius ſeipſum prorſus abnegauerit. Petimus
præterea, vt ea gratia nos Deus dignetur, ne impiorum & hoſtium eius ſucceſſibus lætis offenda-
mur. Eſt hoc vitium admodum vulgare, vt his viſis, & ſimul perſpecta indigna piorum ſorte, Dei
iudicia accuſemus, vel ſaltem perplexi de ijs dubitemus. Exempla huius in electis quoque, imò in
Pſalm 73. Prophetis ipſis habemus, vtpote Aſapho, Ieremia, Habakuko & multis alijs. Ac ſi quid hu-
Ierem.12. ius accidit, mox in mentem reuocemus, Deum iuſtum & fidelem, adhæc Deum vltionum & re-
Hab.1. muneratorem eſſe, qui & cultoribus ſuis promiſſa præmia retribuat, & hoſtes ſuos pro meritis
ipſorum puniat. Hæc ſi dignè expendamus, mox ad quæuis ferenda parati erimus, & ex animo
poterimus dicere: O Pater, etſi tua iudicia carnis rationi abſurda videntur, te tamen iuſtum
& bonum eſſe ſcimus, qui noſtræ ſaluti conſultum velis. Tu noniſti, cur impijs tantum indul-
geas, nos autem cruce & aduerſis exerceas. Age, tua voluntas fiat. Da modò ô Pater, vt & te cog-
noſcamus, & patientia armati malis omnibus ſuperiores ſimus, nec vſpiam à tuæ voluntatis via
declinemus.*

Præcipuus hu-ius petitionis vſus. *Eſt hic præcipuus huius petitionis vſus, vt ea nos aduerſus afflictionum atq; huius ſeculi ſcan-
dala conſolemur: & proinde tunc maximè proferri debet, quando ſub cruce & aduerſis laboramus.
Cùm enim diuitijs abundamus, in honore & precio ſumus, valetudine integra fruimur, & feliciter
nobis omnia ſuccedunt, facile eſt dicere, Tua voluntas fiat, Domine. Nec enim alia Dei volun-*

tas nobis

tas nobis ob oculos verſatur, quàm quæ carni quoque ſuauis & iucunda eſt. At quando diuturnis morbis confecti contabeſcimus, à pleriſque contemnimur, iniurias & perſecutiones ſuſtinemus, cruce denique perpetua fatigamur, tunc demum ſentimus, quàm graue & difficile ſit iſtud ex animo dicere. Atqui vt ita precemur, & quidem ex animo ſic precemur, omnino neceſſe eſt. Itaque in diligenti diuinæ voluntatis meditatione nos indeſinenter verſari conuenit, vt ſciamus, quàm bona, vtilis, ſalutaris & plena conſolationis illa ſit, & proinde afflictiones omnes facilius ſuperemus.

Porrò modum quoque exprimere docet Chriſtus, quem in voluntate ſua in nobis perficienda Deus obſeruare debeat, vt intelligamus, quò vſque petitio hæc extendatur. Dicimus enim: Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, etiam in terra. Nec ſine cauſa iſtud adijcitur. Ita enim admonet Dominus, quàm perfectam Deo obedientiam debeamus: talem nimirum, qualē cœleſtes creaturæ illi præſtant, inter quas nihil inuenitur, quod voluntati diuinæ repugnet. In cœlis etenim ſunt Angeli, qui iam inde ab origine rerum in veritate perſtiterunt, & (vt Daniel ſcribit) in conſpectu Dei perpetuò apparent, vt huic ſeruiant. Vt ergo Deus homines vult ſaluos fieri: ita illi quoque hominum ſalute gaudent, & Chriſto teſte exultant, quoties peccator aliquis conuerſus reſipiſcit. Et quia ſpiritus ſunt miniſtrantes, qui ad electorum miniſterium emittuntur, ſalutem quoque noſtram promouent, circa nos caſtrametantur, nos defendunt, & aduerſus Eccleſiæ hoſtes iudicia Dei ſedulò exequuntur: cuius rei exempla cùm priuata tum publica Scripturæ paſſim proponunt. Præterea, vt Deus nomen ſuum ſanctificari & celebrari vult: ita Angeli quoque hoc ipſum fieri ſummo ſtudio curant: adeò, vt ipſis intolerabile ſit, ſi quis vel ipſos colere, adorare, aut alijs honoribus diuinis proſequi velit. Exemplum habes in eo Angelo, qui Ioanni Apoſtolo regni Chriſti myſteria & Eccleſiæ fata expoſuit. Denique tanta eſt Angelorum induſtria & obedientia, vt nihil illis tam iucundum ſit, quàm Dei voluntatem exequi.

Modus huius petitionis.
Angeli.
Daniel. 7.
Lucæ 15.
Hebr. 1.
Pſal. 34.
Apoc. 19. et 22.

In cœlis quoque ſunt electorum, qui ex hac vita deceſſerunt, ſpiritus vel animæ: quæ cùm in Dei conſpectu (vt Dauid inquit) ſatietate gaudiorum fruantur, liberæ autem ſint ab omnibus huius ſeculi curis atque laboribus, nulla etiam propria aut peculiari voluntate ducuntur, ſed diuinæ aſſentiuntur, huic ſeſe accommodant, Deo in omnibus ſuis operibus atque iudicijs laudem & honorem tribuunt. Nec enim ignorant, hunc æterna ſua prouidentia res omnes iuſtè, bene & ad ſalutem hominis inſtituiſſe. Typum huius rei elegantiſſimum Apocalypſis ſeu Reuelatio Ieſu Chriſti Ioanni facta in libro ſeptem ſigillis obſignato & viginti quatuor Senioribus exhibet. Per librum enim prouidentia Dei adumbratur, quæ omnia quæ fieri debent, comprehendit, & ab æterno ad finem ſuum deſtinauit. Librum iſtum nemo aperire poteſt præter Agnum, qui eſt Dei Filius, Ieſus Chriſtus. Nam huic data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ideoq; omnia regit, neque aliquid præter ſuam voluntatem fieri patitur. Huic vt liber datur, vt illum reſignatis ſigillis aperiat, viginti quatuor Seniores (qui vniuerſam beatorum & electorum cùm Veteris tum Noui Teſtamenti Eccleſiam adumbrant) coram throno & Agno procidunt, hunc laudant & celebrant, gaudent denique & exultant, omnia ſecundùm Dei decretum & ex Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti adminiſtratione fieri.

Animæ electorum.
Pſal. 16.
Apocal. 4. et 5.

Quemadmodum autem Angeli & electorum ſpiritus in vnius Dei voluntate acquieſcunt: ita non minus aliæ quoque cœleſtes creaturæ huic obtemperant. Cœli motus perpetuus & certus eſt, qualem Deus iam inde ab origine rerum conſtituit. Similiter Sol, Luna & aſtra reliqua ordinem ſibi præſcriptum conſtanter ſeruant. Ver amœnum atque floridum, ſicca & arida Æſtas, pomifer Autumnus & glacialis Hyems, ſecundùm Solis curſum certis vicibus quotannis redeunt. Denique etſi ordo iſtorum omnium iam annis amplius quinque millibus & ſexcentis durauerit, adhuc tamen ſtabilis manet, neque vllum horum leges ſibi à Deo præſcriptas tranſgreditur. Cœlum præterea prout Deo viſum fuerit, pluuias deſtillat, niues ſpargit, pruinas congelat, grandines & fulmina eiaculatur, frigus item & æſtum ſiue calorem diſtribuit; vt ne in his quidem aliquid fortuito aut abſque Dei prouidentia accidat.

Orbes cœleſtes, &c.

Hæc ſi diligentius conſiderentur, verus petitionis iſtius ſenſus nobis patebit, & à nobis requiri intelligemus obedientiam perfectam, qua noſtram voluntatem diuinæ ſubijciamus, adeò, vt nihil optemus, poſtulemus aut velimus, quàm quod Deum velle, & huic placere nouimus. At quo magis

Obedientia perfecta requiritur.

in horum conſideratione verſabimur, eò luculentius vitioſum noſtræ naturæ ingenium deprehendamus, quo non pellicimur modò, verumetiam cogimur & impellimur, vt ea cupiamus & velimus quæ cum Dei voluntate pugnant. Nam etſi in petitione iſta terræ mentio fiat, de ſolis tamen hominibus agitur, qui ſoli inter terreſtres creaturas Deo inobedientes atque rebelles ſunt, reliquis omnibus ſuam ſtationem firmiter tenentibus, & officium facientibus, ad quod à Deo deſtinata ſunt. Terra ſiquidem culturam patienter admittit, vt tam hominibus quàm reliquis animantibus victum ſuum depromat. Aqua curſum & fluxum ſuum ſeruat, vt reliqua humectet & recreet. Ignis calore ſuo omnia perpetuò fouet. Aer motum ſuum ſeruat, vt per ipſum creaturæ etiam reliqua ſeruentur. Arbores tempore præfinito fructus ferunt. Animalia bruta à Deo datis legibus obediunt.

Ierem. 3. *Ciconia, hirundo, grus, norunt tempus ſuum, quo venire & abire debent. Equus, etſi robore & celeritate hominem longè vincat, huic tamen obedit, frenum & calcaria admittit. Idem in bobus cornigeris, in aſinis quantùmuis natura contumacibus, in ſuperbis camelis, voracibus vrſis, ſæuis leonibus, aſtutis ſerpentibus, aquilis item altiuolantibus, denique animalibus vniuerſis cernimus, quòd hominem pro ſuo domino & principe agnoſcunt, & præter ingenium ſuum ſeſe ſubigi atque cicurari patiuntur, homini denique (quoniam ita Deo viſum eſt) ad neceſſarios ſimul vſus & ad voluptatem ſeruiunt. Solus homo ſui officij immemor, Dei quoque & Creatoris ſui obliuiſcitur, voluntatem eius faſtidit, ſuis autem cupiditatibus delectatur, quibus deceptus quotidie peccat, & ſibiipſi exitium accerſit. Taceo eos, qui Dei voluntatem prorſus ignorant, & eandem ne diſcere quidē volunt. Meritò igitur hanc noſtram corruptionem deplorare, & perpetuò ad Deum clamare debemus, vt prauam hanc voluntatem in nobis frangat, nouam verò & ſanctam creet, ne in noſtra hac contumacia atque rebellione miſerabiliter pereamus.*

Deus terræ etiam Dominus eſt. *Sed priuſquam tractationem hanc concludamus, videndum erit, de quibus præterea nos petitio iſta admoneat. Et primò quidem, cùm precemur, vt Dei voluntas in terris hiſce, perinde vt in cælis fiat, non obſcurè fatemur atque teſtamur, Deum non cæli modò, verumetiam terræ Dominum atque gubernatorem eſſe. Quod propter eos obſeruandum eſt, qui ſibiipſis Deum fingunt, qui cæleſtia ſola curet, terras autem & quæ in his geruntur prorſus negligat. Quæ ſententia omnis nequitiæ & impietatis fons atque origo eſt, vt quæ omnem timorem Dei in hominum animis reſtinguit: quod Dauid in Pſalmis aliquot euidenter docet. At quis huius petitionis vſus eſſet, ſi Deus nos in terris agentes non curaret? At cùm precemur, vt illius voluntas in terris quoque fiat, patet vtique hanc ſeſe in terras quoque & ad homines extendere Et ideò Dauid alibi rectè ait: Domini eſt terra & plenitudo eius. Iſta autem petitione ſeipſos damnant, quotquot deuoto ad peccandum animo ſibi perſuadent, ſe Deo obedientiam aut obſequium non debere.*

Cognitio voluntatis Dei propaganda. *Admonemur deinde hoc loco, noſtri officij eſſe, vt cognitioni voluntatis diuinæ diligenter ſtudeamus, & vt alij quoque plures in ea proficiant, authores ſimus. Fieri enim nequit, vt voluntati Dei obtemperent, qui eam ignorant. Niſi ergo Deum hypocriſi & ſimulatis precibus offendere libeat, hic nobis ſtudiorum omnium finis ſit, vt Dei voluntas ab omnibus cognoſcatur, & eidem omnes obediant. Vbi præcipuè eos ſui officij meminiſſe oportet, quos Deus, vt alijs præſint, conſtituit: quales ſunt omnes, qui rempublicam adminiſtrant, Eccleſiarum præfecti & doctores, parentes, pædagogi, & qui in ſcholis iuuentutem inſtituunt. Quia enim hæc petitio omnibus communis eſt, æquum ſanè, imò neceſſarium fuerit, vt eos, qui nobis ex peculiari Dei inſtituto crediti ſunt, quantum in nobis eſt, in diuinæ voluntatis cognitionem adducamus. Quapropter qui in magiſtratu ſunt, ſanam Verbi Dei doctrinam pro viribus promouere, doctores eandem fideliter annuntiare, parentes quoque ſuos priuatim inſtituere, omnes autem ſimul in hoc incumbere debent, vt ſinguli vitam ſuam omnem ſecundùm Dei voluntatem inſtituant. Qui enim in eo negligentes fuerint, ijs petitio hæc in iuſtæ damnationis teſtimonium ſeruiet.*

Contra corruptores & perſecutores doctrinæ veræ. *Quòd ſi verò hîc periclitantur, qui ſola negligētia & ſocordia peccant, quanto infelicior illorū ſors erit, qui Dei voluntati ſeſe ſcientes opponunt, cognitionē eius obſcurant, homines quò minus Deo obtemperent, abſtrahunt, imò cōtra eius voluntatē & Verbū multa facere violenter cogunt? In horū numero ſunt falſi doctores, qui humanis figmentis auditores à fide & vero Dei cultu abducūt. Prin*

cipes

pes iſtę & magiſtratus, qui Dei verbū palàm perſequuntur, & aduerſus omnes eos iniuſta & crudeli tyrānide ſæuiunt, qui in fidei & religionis negotio, atq; toto vitæ ſuæ curriculo, Dei voluntatē ſtudioſe obſeruant. Eſt tyrannis iſta tam vulgaris noſtro ſeculo, vt multi reges & principes omniū hominū peſtilentiſſimos ſceleratiſſimosq; iudicent eos, qui præ alijs Deo obtemperare & obedire ſtudent. Debent his parentes quoq; adnumerari, qui liberos ſuos in ſuperſtitionibus inſtituunt, & à pueritia ſtatim ad idololatriam & aperta ſcelera aſſuefaciunt. Omnes deniq;, qui proximos ſuos ad peccandū inuitant, & quocunq; modo illis authores ſunt, quò minus diuinæ voluntatis præcepta ſequantur. Væ iſtis omnibus. Quàm enim graue & horrendū ſupplicium ſubire eos neceſſe & iuſtum eſt, qui ore quidem dicunt, Fiat ô Pater, voluntas tua, ſicut in cœlo, etiam in terra: interim verò voluntatē Dei, nobis in Scripturis reuelatam hoſtiliter perſequuntur, ſtudiaq; & conſilia ſua omnia eò dirigunt, ne illa ſuum progreſſum poſſit habere? Hi (inquam) omnes cum ſeruo illo nequam ex proprio ore iudicabuntur, cùm quod ore loquuntur, factis improbis oppugnent.

Poſtremò nos miſeræ & infelicis conditionis, quam in hoc ſeculo ſuſtinemus, hæc petitio admonet. Dum enim quotidie petimus, vt Dei voluntas in terra fiat, fatemur ſimul hanc inter homines minus hucuſque obſeruatam eſſe, & quòd inter eos vitam degamus, qui Deo rebelles, huius voluntati audacter reſiſtunt. Eadem ergo noſtra conditio eſt, quæ olim Lothi fuit, qui (vt Petrus ſcribit) in Sodomis agens animam ſuam iuſtam indies excruciabat, cùm fœdiſſima illorum ſcelera ſubinde videre, & obſcœna impiaq; dicta audire cogeretur. Et vt probus fidusq; ſubditus non poteſt non toto animo diſcruciari, ſi inter homines ſeditioſos viuere cogatur, qui à principe ſuo legitimo iniuſtam defectionem fecerunt: ita doleat & gemat oportet homo verè Chriſtianus, quoties videt, ſibi inter eos viuendum eſſe, qui non ſolùm non obtemperant voluntati Dei, verumetiam aduerſus hunc; Creatorem & Patrem noſtrum fideliſſimum, impudenter inſurgere audent. Iure ergo ſtulti cenſentur, quos huius ſeculi vita & mundi conſuetudo tantopere delectat, vt interea æternæ & cœleſtis patriæ nulla cura tangantur. Hi certè Spiritum filiorū Dei nondum apprehenderunt. Quis enim bonæ indolis filius eorum conſuetudine delectatur, à quibus patrem ſuum omni cōuitiorum genere proſcindi audit? Quæ ratio ergo iubēt, vt germanus Dei filius cenſeatur, qui mundū hunc diligit, in quo Deus quotidie diris blaſphemijs quaſi obruitur, & eius ſancta voluntas fœdiſſimè conculcatur? Debet nos horum conſideratio excitare, vt ad æternam atq; cœleſtem patriam aſpiremus, in qua ſecundùm Patris noſtri voluntatem omnia fiunt, & vbi nihil videre vel audire cogemur, quod illic nobis parata gaudia interturbet.

Margin: Conditio piorum in terris. — 2.Pet.2.

Hæc in tertiam Orationis Dominicæ petitionem dicta ſint, quæ eo maiori diligentia conſiderari debent, quòd omnis noſtra ſalus ex eo dependet, vt diuinæ voluntati obſequamur. Meminerimus ergo, voluntatē noſtram prauam eſſe, & proinde neceſſarium eſſe, vt nos diuinæ ex toto corde ſubijciamus. Nec enim ad cœleſtis vitæ hereditatem peruenire licebit, niſi ſecundùm cœleſtiū ſpirituum & creaturarum exemplum Deo per omnia obtemperemus. Quia verò caro noſtra infirma, tarda, imò etiam contumax eſt, indeſinenter nos precari conuenit, vt Deus animos noſtros ſuæ voluntatis cognitione & amore illuminet, vt huic obediamus, & poſtquam huius vitæ curſum emenſi fuerimus, in cœlis viuere, & cum ſancto illo cœlitum choro lætis laudibus celebrare poſſimus Dominum & redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CX.

PETITIO IIII.

Panem noſtrum quotidianum da nobis in diem,

QVoniam Deus hominem ex mera gratia ſecundùm ſuam imaginem initiò condidit, eamq; in nobis peccato corruptam & deletam per Filium ſuum inſtaurauit, & nos priori dignitati reſtituit, noſtrum officium atque munus eſt, Dei tam benigni Patris gloriam ante omnia quærere

& pro virili noſtra promouere. Huius nos Chriſtus quoque per ordinem orationis ſuæ admonet.
Nam primis tribus petitionibus nos ea poſtulare docet, quæ ad Deum præcipuè ſpectant: vt nimi-
rum eius nomen in nobis ſanctificetur, vt Regnum eius in mundo propagetur & extendatur in-
dies, & vt quotquot in terris adhuc viuunt, ipſius voluntati obtemperent. Quæ non ita accipi de-
bent, quaſi ita ad Deum ſpectent, vt nihil inde fructus aut boni ad nos redeat. Quin potius in his e-
lucet communio, quam cum Deo habemus, quando tunc nobis & ſaluti noſtræ imprimis conſulitur,
cùm Dei gloria & Regnum augentur, & in eius voluntate nos acquieſcimus. Etenim cùm nos ille
filiorum loco habeat, nobiſcum quoque bona ſua communia habere cupit. Hoc autem præcipuè nos
ordo iſte docet, ne vt ſui amantes ſolent, noſtra modò quæramus, ſed potius Dei gloriam præ omni-
bus alijs rebus nobis habeamus commendatam. Sequuntur nunc reliquæ petitiones, quæ peculia-
riter ad nos pertinent, & pleniſſimè omnia ea comprehendunt, quæ nobis in hoc ſeculo viuentibus
ad corporis ſimul & animæ ſalutem neceſſaria ſunt, quæcunque item nos in tentationum palæſtra
conſolari atque fidem noſtram confirmare poſſunt. Inter eas petitiones prima (aliâs quarta or-
dine) eſt, quam modò recitauimus: PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM
da nobis in diem. Et hæc quidem inter eas, quæ ad nos ſpectant, non temere primo loco ponitur.
Quia enim in Dei conſpectum vt eius filij venimus, iure ab eo panem petimus: & quia eius no-
men atque Regnum illuſtrare & promouere cupimus, adhæc obedientiam & obſequium omne illi
offerimus, æquum eſt, vt ille nobis de victu & reliquis neceſſarijs proſpiciat. Vt verò petitionem
hanc rectius intelligamus, ſingula eius verba diligentius nobis conſideranda erunt.

Panis omnem victum compre hendit. Vbi primo loco PANIS vocabulum occurrit, quem nobis dari petimus. Per hoc Hebræi vni-
uerſum hominis victum & quæcunque ad eius conſeruationem requiruntur intelligunt: quod mul-
tis ſcripturæ locis demonſtrari poterat, niſi hoc ſatis notum eſſet omnibus, qui illam vel à primo limi-
ne ſalutarunt. Scopus ergo & ſumma huius petitionis eſt, vt Deus in hac vita degentibus victum
& quæcunq; præter hunc nobis neceſſaria ſunt, ex paterni amoris benignitate largiri dignetur. At
cùm homo duabus partibus conſtet, Anima nimirum & Corpore, duplici etiam cibo opus eſt, quo
totus ali atque conſeruari poſſit.

Panis animæ. Anima ſpiritus eſt, & ideò eius cibum quoq; ſpiritualem eſſe oportet. Is propriè eſt æternum il-
lud & omnipotens Dei verbum, Ieſus Chriſtus, qui animas noſtras merito ſuæ mortis, in qua car-
nem ſuam dedit pro mundi vita, Verbo denique & Spiritu ſuo, paſcit, confortat atque ſeruat
Ioan. 6. ad vitam æternam. Ideò apud Ioannem, ſe panem illum vitæ ſeu viuum eſſe ait, qui cœlitus
1. Corinth. 10. venerit, vt omnis qui edit ex eo, non moriatur, ſed vitam æternam habeat. Et Paulus il-
lum eſcam ſeu cibum ſpiritualem vocat, quem Veteris Teſtamenti patres nobiſcum mandu-
carint, idq; per fidem nimirum, qua Chriſtum Ieſum, qui per Verbum ipſis promittebatur, per
Manna autem & Legis ceremonias adumbrabatur, apprehenderunt. Vt enim corpora noſtra
ad hanc temporariam atque mortalem vitam pane confortantur & aluntur: Ita Chriſtus nos
ad æternam vitam ſuo Verbo & Spiritu, denique meriti aut corporis & ſanguinis ſui pro no-
bis traditi & effuſi virtute, alit atque confirmat, vt in omni tentationum atque aduerſorum
genere conſtanter perſeuerare, & noſtro erga Deum officio defungi poſſimus. Quapropter petitio-
ne iſta primò poſtulamus, vt cœleſtis Pater nobis Filij ſui Ieſu Chriſti cognitionem reuelare,
fidem in hunc veram largiri velit, vt eius merito frui poſſimus, atque eiuſdem Verbo & Spi-
ritu ducamur atque confirmemur. Quia verò panis iſte nobis per Euangelij prædicationem of-
fertur, hanc quoque & omnia alia petitio hæc comprehendit, quæ ad Eccleſiæ miniſterium con-
ſeruandum neceſſaria ſunt. Simul ergo precamur, vt Deus Eccleſiæ ſuæ ordinem atque diſci-
plinam conſeruet, miniſtros atque doctores fidos excitet, qui cibum hunc fideliter depromant
Matth. 24. & rectè ſecent, vt Paulus loquitur. Huc facit, quòd ipſe Chriſtus Eccleſiæ miniſtros ſer-
Luc. 12. uis confert, quibus ab heris peregrè abeuntibus cura domus committitur, vt familiæ ſuum
2. Cor. 4. dimenſum dent in tempore, id eſt, prout opportunum & neceſſarium eſſe viderint. Quò
Paulus alludens Euangelij præcones myſteriorum Dei diſpenſatores eſſe ſcribit. Et idem E-
uangelij prædicationem cibo corporali confert, cùm ait, ſe Corinthios lactis potu aluiſſe, eò

quòd

quòd cibum ſolidiorem nondum ferre poſſent. Debent hoc obſeruare omnes ij, qui Eccleſiæ miniſterium contumelioſius aſpernantur, miniſtros oderunt atque perſequuntur, cùm interea quotidie panem illum cæleſtem & ſpiritualem ſibi dari poſtulent, quem nobis Deus per illorum miniſterium offert. Sunt hi ſimiles puerorum contumacium, qui panem ſummis clamoribus petunt, eundem verò ex manu famulorum, quorum opera in illis alendis parentes vtuntur, nolunt accipere. At qui ita affecti ſunt, pane hoc ſaluberrimo nunquam frui poterunt, quoad verbum externum contemnere perrexerint. Nec enim Deus in eorum gratiam, qui ipſius inſtituta ſpernunt, nouum aut ſingulare quid inſtituet. &c.

Quoad verò alteram hominis partem, corpus ſcilicet, hoc quoque ſuo pane opus habet, quî terrenus eſt, cùm illud quoque ex terra originem ſumpſerit. Hîc autem panis vocabulo omne id comprehendimus, quod ad corporis ſuſtentationem facit, vt pote omnis generis cibos ſimul & potum, veſtes, domicilium, integram valetudinem, & quæcunque alia nominari poſſunt. Deinde ea quoque, quibus quæ modò recenſuimus, vel acquiri vel retineri & ſeruari ſolent. Nam vt cibos habeamus, terræ fœcunditate & tempeſtatibus commodis opus eſt. Vt amictus ſuppetat, feris & pecoribus indigemus, quæ præter quòd victui ſeruiunt, lanam, pelles & corium nobis ſubminiſtrant. Corporis valetudo bonam aëris conſtitutionem, aquas ſalubres, fructus ad maturitatem bene excoctos, & cum his herbas, radices & alia medicinæ ſeruientia requirit. Vt verò his omnibus commodè fruamur, otium & pax publica neceſſaria ſunt, quæ abſque magiſtratu prudenti, fideli & forti, neque obtineri neque ſeruari poſſunt. Ergo precamur, vt hunc quoque Deus dare dignetur, vt reliquis illis omnibus honeſtè & tutò fruamur. Tot & tanta bona petitio hæc comprehendit, quæ primo intuitu nihil præter panem aut vulgarem victum poſtulare videtur. — *Panis corporis.*

Porro qualem panem à Deo petimus? Panem Noſtrum Quotidianum (dicimus) da nobis &c. Quo loco duo hæc vocabula, NOSTRVM & QVOTIDIANVM, diligentius expendi debent. Primo NOSTRVM dicimus, non quidem quòd iure noſter ſit, ſed quòd hunc nobis Deus ex gratia deſtinauit, & quòd ſine eo vitam ſuſtentare non poſſumus. Nam ſi propriè loqui libeat, proprium nihil habemus, neque etiam nobis Deus aliquid debet. At quia ipſe ex gratia ſic res noſtras conſtituit, vt anima quidem noſtra per Filium ſuum Ieſum Chriſtum, corpora autem externis rebus alantur & ſuſtententur, panis hic noſter eſſe dicitur eadem ratione, qua Chriſtum quoque noſtrum Dominum & noſtrum redemptorem dicere ſolemus: non quòd nobis aliquod in illum ius ſit, ſed quòd eo nobis opus eſt ſeruatore, & quòd nobis eum Pater deſtinauit, vt noſtra eſſet ſapientia, iuſtitia, redemptio &c. 1. Cor. 1. — *Panis noſter.*

Adhæc vno hoc vocabulo noſtri officij nos Chriſtus admonet, quod eſt, vt noſtro proprio pane, id eſt ijs quæ nobis à Deo dantur, contenti ſimus, neque quæ aliorum ſunt præripiamus. Faciunt hoc, quotquot ex aliorum laboribus viuunt, & aliorum facultates medijs illicitis atque iniuſtis ad ſe transferunt. Pugnat hoc cum primo Dei inſtituto, cum charitate denique fraterna & iuſtitia publica, ſine quibus hominum vita conſiſtere non poteſt. Nam Dei inſtitutum ſiue Lex Adamo data hæc eſt: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Tuum (inquit) non alienum. Et Apoſtolus ait: Qui furabatur, non amplius furetur: ſed potius laboret, operando proprijs manibus quod bonum ſit, vt poßit impertiri cui opus fuerit. Idem præcipit, vt homines ignaui atque otioſi, qui inordinatè ex aliorum facultatibus viuere in animum induxerunt, ab Eccleſia repellantur. Quare vnica hac voce omnes ij accuſantur & conuincuntur, qui ſuis non contenti, aliorum laboribus parta inuadunt. In quorũ numero ſunt fœneratores & vſurarij, diuites item auari, qui mercenarijs quoque mercedem debitam detinent, milites item, qui pecunia conducti regiones exteras inuadunt, vt ex rapinis & cædibus diteſcant: omnes denique, qui non expectata Dei benedictione, per media illicita ingentes diuitiarum theſauros congerunt. Imminet his omnibus maledictio, quam Propheta eis Dei nomine denuntiat, clamans: Væ ei, qui congerit non ſua. Item: Væ tibi qui prædaris, quoniam tu quoque præda fies. Quiſquis ergo es, qui talia hucuſque deſignaſti, expende diligentius, quid ſibi petitio iſta velit, qua dicis: Panem noſtrum

Quiſque ſuo pane contentus ſit. — Gen. 3. — Epheſ. 4. — 2. Theſ. 3. — Haba. 2. — Iſa. 33.

da nobis ô Pater. Quo ore enim tuum panem à Deo poſtulare audes, qui alienum rapis? Qua fronte item precaris vt tuum panem ille det, cuius benedictionem non expectas? Fatearis ergo oportet, te in Dei conſpectu nimis impudentem hypocritam agere, & proinde pœnas, quæ hypocritis debentur, mereri.

Quotidianus panis.

Deinde panem QVOTIDIANVM *poſtulamus: qua voce noſtram egeſtatem atque inopiam fatemur, vt qui quotidie Dei ope & beneficentia opus habeamus. Nam etſi ſemel tam anima quàm corpore ſaturati ſumus, id tamen nobis nequaquam ſufficit. Quia enim anima quotidie nouis tentationibus exercetur, corpora autem labore & ciborum digeſtione rurſus exhauriuntur, confortatione & pane ſeu cibo quotidiano opus eſt. Et ideo addimus,* IN DIEM, *vel (vt Matthæus habet)* HODIE, *& dicimus: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, vel in diem, id eſt, quotidie. Quod perinde eſt, ac ſi diceremus: Tu quidem ô Pater heri, pridie, nudius tertius, omnibus denique diebus vitæ noſtræ nos liberaliſſimè aluiſti & ſeruaſti. At quia hodie etiã eſurimus atque ſitimus, & nobis tua beneficentia quotidie opus eſt, te rogamus, vt hodie quoque nobis victum tam animæ quàm corporis largiri digneris, ne vnquam in tuorum præceptorum obſeruatione deficiamus &c. Et hîc quidem videre eſt, quàm egregios Deos nos fecerit Satan, qui Euam ad peccandum ſolicitans, dicebat: Eo ipſo die, quo comederitis ex arbore iſta, aperientur oculi veſtri, & eritis tanquam Dij, ſcientes bonum & malum. Quàm primùm enim parentes noſtri eius conſilium ſecuti & Dei mandatum transgreſſi ſunt, in hanc egeſtatem cum poſteritate tota deuenerunt, vt quotidie eſuriamus, ſitiamus, algeamus, æſtuemus, ægrotemus, & proinde mendicorum inſtar Dei miſericordiam quotidie cogamur implorare. At vtinam vel ſemel quotidie iſtud nobis ſeriò in mentem veniret, vt & noſtram miſeriam & eius originem agnoſcere diſceremus. Ita enim in Dei conſpectu magis humiliaremur, & maiori cum gratitudine donis eius vteremur, quæ nobis tam liberaliter confert.*

Quiſque ſua ſorte præſenti contentus viuat.

Cæterùm in duobus hiſce vocabulis adhuc conſiderandum reſtat, quòd Chriſtus nos præſenti & quotidiana Patris ſui beneficentia contentos eſſe vult, ne anxia ſolicitudine opum theſauros ſuperfluos congeramus. Nam vt alibi admonet, ſuus cuique diei labor coniunctus eſt, vt nos in craſtinum minimè ſolicitos eſſe oporteat. Vt enim Dominus panem quotidianum nos poſtulare docuit, ita quotidie nobis Pater ille cæleſtis proſpiciet. Nouit enim quibus nobis opus ſit, & impoſſibile erit, vt qui aues cæli & pullos coruorum à parentibus relictos & deſertos alit, floresq́ agri veſtit, nos derelinquat, quos initiò ſecundùm ſuam imaginem condidit, deinde per filium ſuum redemit, & in filios adoptauit. Ne ergo animi aut carnis noſtræ deſideria longius extendamus, quàm petitionis iſtius verba ſonant: quin potius electorum Dei exempla imitemur, qui olim abſque omni ſolicitudine Dei beneficentia quotidiana contenti vixerunt. Fecit hoc pater credentium, Abrahamus, qui niſi eo animo præditus fuiſſet, nunquam certè relicto ſolo paterno incertam Dei vocationem eſſet ſecutus, cùm non deeſſent rationes plurimæ, quibus cæterò retineri poterat. Eundem animum in eius nepote Iacobo cernimus, qui cùm fratris Eſaui inſidias declinare, & in Meſopotamiam profugere cogeretur, nihil à Deo præter victum &

Gen.28.

amictum petijt. Neque alia Moſis mens fuit, qui relictis Aegypti diuitijs, afflicto & infelici Iſraëlitarum populo ſeſe coniunxit, quod nunquam facturus erat, niſi fides illum à quotidiana Dei liberalitate pendere docuiſſet. Poterant hîc Prophetarum & Apoſtolorum exempla connumerari: ſed quia ſatis nota ſunt, breuitatis cauſa ea præterimus. Hoc ſaltem obſeruatu digniſſimum eſt, quòd Deus petitionem iſtam ſingulari miraculo confirmauit, quando Iſraëlitas in deſerto totis annis quadraginta aluit pane cælitus demiſſo, & grauiter mandauit, ne qui ex illo

Exo.16.

plus colligerent, quàm præſentis diei neceſſitas poſtularet. Cùm verò quidam carnis curioſitate & ſolicitudine inſatiabili decepti, ſibijpſis in poſterum quoque proſpicere vellent, quicquid illis reliquum manſit, tetra putredine & vermibus exeſum perijt. Quo exemplo Deus toti hominum generi declarare voluit, quàm ipſi diſplicent, qui eius liberalitati, quam quotidie experimur, diffidunt.

Damnãtur luxui dediti & auari.

Damnantur hîc duo hominum genera, quæ hodie paſſim regnant. Primum eorum eſt, qui

neceſſarijs

*neceſſarijs non contenti, plura habere cupiunt, vt aut gulæ, aut ſuperbiæ & ambitioni ſuæ ſatiſfa-
ciant. Ex horum grege ſunt, qui nouas lautitias quærunt, & contempto victu, quem patria
tellus ex Dei benedictione profert, peregrinos cibos affectant, & conuiuia ad luxum inſtituunt.
Similes horum ſunt, qui veſtitu peregrino, ædificijs item inſanis & ſuperbis ambitioſos & Deo in-
gratos animos oſtentant. Qui omnes, vbi quid ſuis cupiditatibus minus reſpondere vident, mox ad-
uerſus Deum linguas ſoluunt, quaſi is malignius ipſis proſpiciat. Sunt hi Iſraëlitarum ſimiles, qui
etſi (vt modò diximus) non minus miraculoſe quàm liberaliter à Deo cœlitus alerentur, eius* Pſal. 78.
*tamen fidem atque beneficentiam ſe non prius agnituros dicebant, donec carnes quoque da-
ret, & epulum lautius ipſis in deſerto inſtrueret. Fuit hæc grauis tentatio Dei, qui illorum
cupiditati indulſit quidem, & coturnices dedit, quas epularentur: ſed cùm caro adhuc eſſet
inter dentes eorum, immiſſa lue horribili locum illum ſepulchris extinctorum infamem fecit.
Accidit hoc ipſum frequenter luxurioſis & intemperantibus, vt eorum quidem gulæ ſatiſfa-
ciat Deus, ſed huic intentos iuſto iudicio perdat, vt lupi dum eſcam à venatoribus appoſitam
auidius vorant, ab ijdem intercipi ac trucidari ſolent. Alterum genus eorum eſt; qui aua-
ritia incenſi quotidianam Dei beneficentiam ſpernunt, & plura appetunt, non vt inſumant,
ſed vt congerant, & (vt Poëta dicebat) nummos contemplentur in arca. Vitij huius cau-
ſa eſt diffidentia, quæ facit, vt quàmuis præſentibus vti non audeant, per fas tamen & nefas
corradant, quibus in poſterum vtantur. Imitantur hi eos Iſraëlitas, qui contra Dei man-
datum plus Manna collegerunt. Vt verò hi nihil inde retulerunt præter vermes in illo na-
tos, & putredinem, quæ nauſeam ipſis moueret: ita ferè fit, vt qui ex congeſtis diuitiarum
cumulis voluptatem aut ſenectam tranquillam ſperabant, nihil præter doloris, lachrymarum
& interdum publicæ infamiæ materiam in illis inueniant. Nam aut liberos habent malæ fru-
gis & ſceleratos, qui ipſis adhuc viuentibus amicas illas opes dilapidant: aut morbis ita con-
ficiuntur, vt illis nullo modo frui poſſint. Accedunt etiam plerunque vermes conſcientiam
arrodentes, qui omnia illis infeſta reddunt, vt & noctes inſomnes agant, & tutiſſima quæque
miſerè timeant. Quòd ſi nihil horum fiat, ferè ſubita morte tunc auferuntur, quando ſe bonis
ſuis cum otio & voluptate fruituros ſperabant, & cui illa ceſſura ſint, planè neſciunt: quod Chri-
ſtus in ſtulti illius diuitis parabola elegantiſſimè adumbrat. Vbi eandem omnium eorum ſortem* Luc. 12.
*eſſe ait, qui theſauros quidem congerunt, non autem in Deo diuites ſunt, vt nimirum huic fidant,
& ab eius benedictione pendeant. Sunt illi mortalium ſtultiſſimi (licet mundi iudicio pruden-
tiſſimi cenſeantur) quia & animas ſuas negligunt, quarum iactura irrecuperabilis eſt, &
ſortis ſuæ mortalis obliuiſcuntur, & præterea ſpem atque fiduciam omnem in opibus collocant,
quibus nihil incertius, inſtabilius & lubricum magis fingi poteſt. Imò ijdem hac precatione tan-
tum non cum Deo ludunt, dum egentium inſtar panem quotidianum petunt, cùm ipſi iam immenſos
theſauros congeſſerint, quos tam ſibi quàm poſteris ſuis in multa ſæcula ſatis futuros ſibi perſuaſe-
runt. Sed næ magno illis hic luſus conſtabit, quando ſuum iudicium Deus exeret.*

Sed vt ad petitionis huius verba redeamus, ſingularem conſiderationem particula, Da nobis.
NOBIS, *meretur. Dicimus enim: Panem noſtrum quotidianum da* NOBIS *hodie.
Ad quem modum poſtremæ hæ petitiones omnes efferuntur, & vt initiò Deum communem
omnium noſtrûm Patrem appellamus: ita deinceps dicimus:* DA NOBIS: *Remitte*
NOBIS *debita noſtra:* NE NOS *inducas in tentationem: Libera* NOS *à malo. Er-
go non pro nobis ſolis priuatim precamur, ſed in precibus noſtris ſimul omnes homines comprehen-
dimus, qui eundem Patrem cœleſtem nobiſcum agnoſcunt. Id verò nos communionis Chriſtianæ
admonet, quæ nobis mutuò tanquam corporis eiuſdem membris in Chriſto Ieſu intercedit. Vt enim
corpus vnum ex multis membris ſub vno capite coagmentatis conficitur: ita ſecundùm Pauli do-* 1. Cor. 12.
ctrinam vniuerſa fidelium Eccleſia corpus vnum eſt ſub vno capite, Ieſu Chriſto, ex quo omnes Epheſ. 1.
eundem vitæ ſpiritum hauriunt. Et quemadmodum inter membra naturalis συμπάθεια *ſiue
compaſſio eſt, & nullum ſibi ſoli operatur & conſulit, ſed in commune alijs omnibus pro ſui
officij ratione proſpicit: ita Chriſtiani homines ſeſe mutuò iuuant, & ſinguli aliorum omnium
ſaluti, quantum in ipſis eſt, conſulunt, & (vt alibi Apoſtolus monet) plorant cum plorantibus,*

gaudent cum gaudentibus. Quæ cauſa eſt, quòd preces quoque inter ſe communes habent, vt & alibi docuimus.

Petitio hæc alijs nobiſcum communis eſt. 2.Cor.8.

Quoad verò petitionem hanc, particula iſta nos admonet, panem quotidianum & quæcunque alia ſunt Dei dona: ſic peti debere, vt quæ ab illo accipimus, non ſolis nobis data putemus, ſed in eum finem data eſſe, vt aliorum quoque neceßitati ſeruiant, & (vt Paulus ait) noſtra abundantia aliorum inopiæ ſuccurrat. Minime ergo ij ſeruit hæc petitio, qui ſua modò quærunt, aliorum verò neceßitatem prorſus negligunt. Ludunt hi quoque cum Deo, cùm quod omnium Chriſtianorum nomine poſtularunt, ſibi ſolis vendicent. Meminerimus ergo, illum neque ex ignorantia neque vllo affectu prauo dona ſua inter homines menſura inæquali diſtribuere: ſed conſultò id facit, vt locum habeat inter nos charitas, cùm alius alterius ope indiget. Itaque qui diuitijs ampliſsimis abundant, diſpenſatores Dei ſunt, quorum opera & miniſterio illis ſubuenire vult, qui minus ab ipſo acceperunt. Iniqui ergo & perfidi diſpenſatores ſunt, qui pane ſuo ſoli fruuntur, & eum pauperi frangere detrectant. Neque eos excuſat, quod hominum iudicio legitimi poſſeſſores cenſentur, neque vllis legibus accuſari poſſunt. Nam poſſeßionem quidem & proprietatem opum illis concedit Deus, vſum fructum verò non ad ipſos ſolos pertinere, ſed vlterius ad alios quoque extendi vult. Et quàmuis, quoad ius humanum à nemine accuſari poßint, ſeipſos tamen accuſant cum precantur: Panem noſtrum quotidianum da nobis, &c. Cùm enim hoc omnium filiorum Dei nomine dicant, ſibi tamen ſolis vſurpant, quod omnium nomine accipiunt.

Cõditionis noſtræ admonemur.

Poſtquam verò ſingula huius petitionis verba excuſſimus, reſtat vt videamus, de quibus nos Chriſtus præterea admoneat, dum à Patre cæleſti iubet omnia petere, quæ ad corporis & animæ ſuſtentationem neceſſaria ſunt. Et primò quidem noſtræ conditionis admonemur, quod ex nobis ipſis nihil iſtorum habeamus. Si enim ea ex nobis haberemus, aut noſtris viribus poſſemus parare, ea à Deo petere non eſſet opus. Hinc certè Germani trito prouerbio dicunt: Selber haben iſt für båttlen gůt. *Et ſanè, ſi hoc probè expendamus, patebit, nos (quod ſupra quoque attigimus) coram Deo omnium miſerrimos & egentiſsimos mendicos eſſe. Nam quoad animam attinet, huius cibus nobis à ſolo Deo datur ex mera gratia. Notum eſt enim illud Chriſti: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum traderet, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Datus ergo Chriſtus, qui panis ille vitæ eſt, non quòd nos digni eſſemus, aut hunc meruiſſemus (quis enim tantum de Deo nullius indigo mereri poterat?) ſed quia nos Deus dilexit. Et quales nos dilexit? Peccatores, rebelles, filios iræ. Et vt Filium nobis donauit immerentibus: ita fidem quoque, qua is apprehenditur, vt noſter cibus fiat, gratuito dono nobis largitur, vt alibi prolixè demonſtrauimus. Itaque vt ad vitam æternam alamur, precibus opus eſt, quibus ad Dei miſericordiam, mendicorum inſtar, recurramus. At non melior eſt corporis conditio, quoad huius ſæculi vitam, cuius victum ſimiliter à Deo flagitare nos oportet. Quis enim noſtrûm vel vnicum frumenti granum, aut viliſsimum oluſculum creare poteſt, vnde cibum habeat? Quis linum aut canabim propria virtute producet, vt eo veſtiatur? Annõ ſolus Deus is eſt qui vbi manum ſuam aperuerit, omnium animantium deſiderium ſaturat? Ille fœnum pecori producit, & herbam ad vſum hominis, vt proferat panem de terra. Idem ille nos canabi & lino veſtit, & in eundem vſum animalium quoque pelles & corium largitur. Nam etſi noſtro labore terram coli oporteat, non tamen hoc ideo fit, quòd noſtra opera in his producendis Deus indigeat; ſed peccati pœna eſt, quæ nos exercet: interim (vt Paulus ait) nos neque plantando neque rigando quicquam proficimus, niſi ille incrementum dederit. Et ſi idem (vt Ezechielis verbo vtar) baculum panis fregerit, omnis labor noſter irritus erit & inutilis. Ergo vt mendici pauperrimi perpetuò ad Dei oſtium ſtamus, & ab eo panem noſtrum quotidianum petimus, quem à nemine alio poſſumus ſperare. Et quoties edimus aut bibimus, illius conuiuæ ſumus, cùm præter hunc nemo ſit, qui nos alere queat. Vtinam verò iſtud ſeriò expenderemus. Iſta enim conſideratio & ſuperbiæ criſtas deprimeret, & moneret, ne pauperes & egenos faſtidiremus tam inſolenter, qui victum ſuum à nobis flagitant. Nam mox ſuccurreret, eandem noſtram ſortem eſſe apud Deum, cuius eleemoſyna non minus nos ali oportet, quàm eos qui ad noſtra domus oſtium panem mendicant.*

Ezech.4.5.14.

Deinde

Deinde paternam Dei bonitatem, qua nos proſequitur, hæc petitio commendat. Quia enim poſtulare iubet quæcunque nobis neceſſaria ſunt, non dubium eſt, quin ea quoque largiri velit. Quapropter plena conſolationis promiſsio hîc continetur, velle nimirum Deum tam corpori quàm animæ noſtræ liberaliter proſpicere, ne quid neceſſariorum nobis deſit. Eſt hoc obſeruatu vtiliſsimum aduerſus anxiam carnis ſolicitudinem, quæ auaritiæ & multorum malorũ cauſa eſt, dum ſubinde metuimus, ne quando victus & quæ alia nobis ſuſtentandis ſeruiunt, nos deficiant. Conſolatur nos, quoad hunc metum, alibi Chriſtus argumentis validiſsimis. Dicit enim: Annon anima præſtantior eſt alimento, & corpus veſtitu præſtat? Quaſi dicat. Cùm quod præſtantius eſt Deus dederit, animam videlicet & corpus, id quod minus eſt non negabit, ſed ea quoque largietur, quæ ad vtriuſque conſeruationem faciunt. Deinde volucres cæli & flores agri contemplari iubet, quos Deus mirificè alit, veſtit & conſeruat. Vnde colligere debemus, illum multò magis nobis proſpecturum eſſe, in quorum gratiam omnia alia creauit. Alibi verò vniuerſalem Patris ſui bonitatem nobis ob oculos ſtatuit, qui ſolem oriri ſinit ſuper bonos & malos, pluuias demittit pijs ac impijs, & terræ prouentus ijs quoque liberaliter impertitur, qui nomen eius ignorant. Quî ergo nos negligeret, qui ipſius filij & cultores ſumus? At præter promiſsiones iſtas, plurimùm nos hæc petitio conſolatur, vt de illius beneficentia non poſsimus dubitare. Qui enim inter homines aliquem abs ſe petere iubent neceſſaria, ſi viri boni ſint, eum petentem minimè fruſtrantur. Atqui Deus Pater per Filium ſuum nos abs ſe poſtulare iubet panem quotidianum. Nunquam ergo eos repellet, qui quod ipſe iuſsit faciunt. Simul autem hoc latius extendi debet, vt nosipſos in ſpe ſalutis æternæ confirmemus. Quia enim Deus corpora noſtra ad hanc vitam temporariam alit & veſtit, multò magis totum hominem tam anima quàm corpore ad vitæ æternæ poſſeſsionem ſeruabit per Filij ſui meritum, quem pro nobis tradidit.

Bonitas Dei paterna cõmendatur.

Luc 12.
Matth. 6.

Matth. 5.

Poſtremò petitione iſta admonemur, vt Dei donis debeamus vti. Quo loco nobis duo obſeruanda ſunt. Primum, vt gratos nos præbeamus Deo, ex cuius manu neceſſaria quotidie accipimus. Docet hoc lex naturæ, quam creaturis omnibus Deus præſcripſit. Quòd enim animal tam ferox eſt, quod herum ſuum à quo alitur, non agnoſcat? Nouit bos (vt Dominus per Iſaiam loquitur) poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe ſuum, Equi eos diligunt, à quibus curantur. Canes pro heris ſuis pugnant, & eorundem domus cuſtodiunt. Imò in vrſis, leonibus & alijs ferociſsimis beſtijs hoc ipſum cernitur, quod ſuis nutritijs grata ſunt, & in eorum gratiam multa faciunt, quæ cũ illarum ingenio & natura pugnant. Terra quoque, ſi bene colatur, magna cum prouentuum vſura agricolæ laboribus reſpondet. Quantò magis ergo homines gratos eſſe conuenit Deo, à quo victũ & amictum quotidie accipiunt? Sed quia hîc noſtri officij frequenter obliuiſcimur, proderit petitionem hanc ſæpius in mentem reuocare, quæ vt docet nos nihil ex nobisipſis habere, ita ad gratitudinem Deo præſtandam hortatur, qui nobis tam benignè proſpicit. Excitet nos præterea Chriſti exemplum, qui nunquam ſine gratiarum actione panem fregit, vt ex eo diſceremus quid nos facere deceat, Vix ergo hominum nomine digni ſunt, qui Dei immemores, porcorũ inſtar, ad cibos ruunt, & his ſumptis perinde abeunt, ac ſi nihil ex illius manu accepiſſent. Alterum eſt, vt donis Dei ad ipſius honorem & noſtram neceſsitatẽ temperanter vtamur. Nam & hoc communis ſenſus monet, vt donis acceptis ſic vtamur, ne qua ignominia ad eum redeat, qui illa dedit. Quod ipſum imprimis quoad Deum obſeruari debet, ne turpi & luxurioſo donorum eius abuſu ipſius gloriam & nomen prophanemus. Etſi enim ſcelus hoc per ſe graue eſt, Dei tamen iudicio grauius & atrocius cenſetur, ſi cum nominis ipſius ignominia ijs abutamur, quæ ille dedit, vt nobis bono eſſent. Fit hoc, ſi illis ſuperbiamus, luxuriemur, & intemperantius gulæ atque alijs deſiderijs indulgeamus. Ita enim fit, vt noſtri quoque corporis & animi dotes, memoriam, intellectum, valetudinem, formam & quæ alia ſunt huius generis turpiter perdamus. Accedit his, quòd interea pauperes negliguntur, propter quos nobis Deus tam multa dedit, vt ſupra diximus. Simul etiam tam Dei quàm mortalis noſtræ ſortis obliti, ſalutem propriam negligimus, quæ nobis ante omnia cordi eſſe debebat. Et hoc diuitis illius epulonis peccatum fuit, quem Chriſtus quotidie lautius epulatum eſſe, & byſſo atque purpura ſeſe induiſſe dicit, nullam autem rationem habuiſſe pauperis Lazari, qui ad oſtium domus ſuæ

Donis Dei quo modo utendũ.

Iſa. 1.

proſtratus micis de menſa cadentibus ſaturari cupiebat. Quis verò illius fuit finis? Improuiſa morte ſublatus, & ad inferorũ cruciatus horribiles detruſus eſt. Hoc ipſum Sodomæ peccatum fuiſſe, Ezech.16. *Ezechiel ſcribit, quòd nimirum felicitate à Deo conceſſa elati, eiuſdem donis luxurioſe & intemperanter abuſi ſunt, neglectis interim egenis, quibus imprimis proſpicere debuiſſent. Non temere ergo Chriſtus de nouiſsimorum temporum moribus corruptiſsimis vaticinans, grauiter monet, ne corda noſtra grauemus crapula & ebrietate.* Luc.17. *Quibus verbis non obſcure docet, vitijs iſtis nõ tam corpora quàm animas noſtras lædi. Quàm pauci verò ſunt, proh dolor, qui horum hodie meminerint. Inter Eccleſiarum miniſtros inueniuntur, qui nihil quàm pocula quærunt, belluantur, comeſſantur, vt canes illi muti, de quibus Iſaias loquitur.* Iſa.56. *Qui rempub. adminiſtrant, ebrietati & intemperantiæ præ alijs deditiſunt, cum alijs exemplum frugalitatis præbere deberent. Vulgus autem hominum iiſdem vitijs ita laborat, vt malum hoc iam prorſus immedicabile factum eſſe videatur. Hinc pernitioſa illa ſecuritas, quæ pleroſq; & ſuæ ſortis & ipſius Dei creatoris immemores facit. Remedium autem illi non aliud præſentius adhiberi poterat, quàm ſi in huius petitionis meditatione frequentes ſubinde cogitaremus, nos quæcunque habemus ex Dei Patris cœleſtis manu accipere. Itaque noſtræ conditionis memores, ſimul Dei paternam bonitatem conſideremus, qui & animas noſtras quotidie verbo ſuo conſolatur atque Filij ſui merito paſcit, & corporibus quoq; liberaliſsimè proſpicit. Conſiderationis autem huius finis ſit, vt Deo grati ſimus, donis eius ad ipſius honorem & gloriam vtamur, abuſum omnem caueamus & illa non nobis ſolis vendicemus, ſed pauperibus quoque diſtribuamus quantum noſtræ facultates ferre poterunt. Ita certè, nos precantes Pater exaudiet, neque panem modò quotidianum in hoc ſæculo viuentibus dabit, ſed in cœlis quoq; participes faciet menſæ Filij ſui Ieſu Chriſti: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXI.

PETITIO V.

Et remitte nobis debita noſtra: etenim ipſi remittimus omnibus, qui nobis debent.

Beneficiũ precandi commẽdatur. *INter alia, quæ ſalutẽ noſtrã promouent, non poſtremũ eſt vera bonitatis & miſericordiæ Dei cognitio. Ideo illã quotidie multis beneficijs declarat, vt ea cognita in fide confirmemur, et ad æternæ ſalutis cõmunionem adducamur. At ſi beneficia illius omnia probè examinemus, inter præcipua numerãdũ erit, quòd per Filiũ ſuũ Ieſum Chriſtũ verã precandi rationẽ nobis tradidit. Nam per ſe magnum & admiratione dignũ eſt, quòd miſeris nobis in Dei conſpectũ venire, & eius opẽ implorare licet, quàmuis illi nequaquã conferendi ſimus. Superat tamen hoc, quòd nobis poteſtatẽ dat poſtulandi res omniũ præſtantiſsimas, ex quibus ſalus noſtra potiſsimùm dependet: vt nimirum nomen eius in nobis ſanctificetur: vt ſuo Spiritu in nobis regnet, & tandem regni ſui cœleſtis participes faciat: vt ſecundùm ſuam voluntatem nos in huius vitæ curriculo dirigat: denique vt in diem largiatur quæcunque tam corporum quàm animarum ſuſtentationi ſeruiunt. Sunt hæc tanta bona, vt quoad noſtræ naturæ corruptionem, illis non indigni modò, ſed ne capaces quidẽ ſimus, niſi nos Deus ex peculiari gratia ſuo Spiritu præparet, & illis percipiendis idoneos reddat. Fateamur ergo oportet, Deum Patrem fideliſsimum eſſe, qui omnino nos ſaluos fieri cupiat.*

Cõſcientia peccatorum precantibus obſtat. *At quando iſta ab illo poſtulamus, ferè communis noſter hoſtis Satan nos turbat, & peccatorum admiſſorum conſcientia terrens huiuſmodi cogitationes ſuggerit: Quæ hæc temeritas eſt, ô miſer homo, vt tuis precibus in Dei conſpectum venire audeas? Quo ore illum audes Patrem dicere, cùm tu nunquam filium obedientem te præbueris? Annon pudet precari, vt per te ſuum nomen ille glorioſum & celebre reddat, cùm tu illud quotidie prophanes & polluas? Quæ item ratio te mouet, vt illum cũ Regno ſuo ad te venire poſtules, qui hucuſq; Satanæ locũ dediſti, & illũ in te regnare paſſus es? Et cur precaris, vt Dei voluntas in te perficiatur, cùm illã oderis, & deuoto*

animo

animo in inobedientiam ruat? Deniq; annon impudens hæc eſt temeritas, quòd à Deo panem quotidianum flagitas, cùm hactenus ita vixeris, vt non Dei filius, ſed potius canis dici merearis? An neſcis Dominum dixiſſe, non æquum eſſe vt panis filiorum canibus proijciatur? His & multis alijs ſimilibus cogitationibus inter precandum turbamur, quas in eum finem diabolus ſuggerit, vt nos penitus ab inuocatione Dei abſtrahat, vtpote cuius nullus fructus ſperari poſſit, cū tales ſimus, quales modò deſcripſimus. At ne tentationibus iſtis ſuperemur, Chriſtus quintam petitionem prioribus ſubijcere docet, qua cogitationibus hiſce omnibus occurrere, vel etiam eas præuenire poſſumus. Nam ſic dicere iubet: ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA: etenim ipſi remittimus omnibus, qui nobis debēt. Vel vt apud Matthæum legitur: Sicut nos remittimus debitoribus noſtris. Quia ergo petitio hæc grauiſſimis conſcientiæ tentationibus & ignitis Satanæ telis opponitur, neceſſe fuerit, vt germanum & proprium eius ſenſum probè teneamus.

Debitum quid hîc ſignificet.

Ante omnia autem videndum erit, quid debiti nomine intelligi debeat. Quoad enim noſtrum officium, Deo multis nominibus obſtricti ſumus, & ei debemus timorem, obedientiam & dilectionē non fucatam. At non de eiuſmodi debitis hîc ſermo eſt. Nec enim filios Dei deceret precari, vt ab his nos ſolueret, quæ & illius gloriæ & noſtræ ſaluti ſeruiunt. Ergo aliud debiti genus hîc conſiderandū venit, Peccatum videlicet, quod nos Deo debitores reddit, dum quam illi debemus obedientiam non præſtamus, & proinde pœnas meremur, quibus eius iuſtitiæ ſatisfiat. Quia verò hoc nobis intolerabile foret (nam peccati ſtipendium ſiue pœna eſt mors, æterna nimirum illa, quæ cum inferorum perpetuis cruciatibus coniuncta eſt) iſta petitione gratiam & miſericordiam Dei imploramus, & nos quidem pœna dignos eſſe fatemur, petimus autem ne pro meritis nos puniat, neq; peccata nobis imputet, ſed illa clementer remittat atq; condonet: nosq; filiorum loco habeat. Eſtq; precatio hæc neceſſaria admodum, eò quòd germanis Dei filijs nihil grauius aut intolerabilius eſt Patris ſui ira; nosq; ſeruari impoſſibile eſt, quoad Deus peccata imputat, & nos pro meritis punire inſtituit.

Omnes homines ſunt peccatores.

Porro ſi petitionem hanc propius conſideremus, ea totum noſtræ ſalutis negotiū contineri patebit. Primò enim, quia remiſſionem debitorūm noſtrorū omnes iubemur poſtulare, proprio ore nos teſtari vult Dominus, nos omnes peccauiſſe, & Deo debitores eſſe, egenos & inopes, qui iuſtitiæ eius ſatisfacere nō poſſint, ſed gratuita cōdonatione ac remiſſione opus habeant. Idē ergo hîc fatemur, quod omnis ſcriptura paſſim docet, nos nimirū natura prorſus corruptos & perditos eſſe, & peccato obnoxios. Quia enim (vt Dauid de ſemetipſo fatetur) in peccato cōcipimur & naſcimur, omnes noſtræ cogitationes malæ, adeoq; omnia cordis noſtri figmenta à pueris praua ſint oportet: Quod in nobis ipſis quotidie experimur. Nec enim tā grati ſumus Deo pro acceptis beneficijs, quàm nos eſſe decebat. Dōnis itē eius multiuariam abutimur. Verbum Dei & in hoc nobis reuelatam eius voluntatē minus obſeruamus. Deniq; (vt Iacobus ait) in multis labimur omnes. Sentimus adhæc, quòd etſi per Dei ſpiritum ex verbi ſemine renati ſumus, in nobis tamen naturæ vitioſitas adhuc locum habet, quæ ſæpe nobis grauiſſimorū delictorū cauſa eſt: quod in multis electis Dei cultoribus cernimus, & de ſemetipſo Paulus fatetur, ſe in membris ſuis legem peccati inuenire, quæ ipſum contra ſpiritus voluntatē peccato captiuū ducit. Vt verò de hoc ſcriptura teſtatur, ita idem nos coram Deo & hominibus fateri iubet Chriſtus, vt peccatorū agnitione humiliati, ſalutē in vnius Dei gratia & miſericordia quæramus.

Pſal. 51.

Iac. 3.

Rom. 7.

Peccati grauitas.

Simul autem hoc loco de peccato iudicare docemur, quo caro delectatur, & cuius blanditijs nos facilè decipi patimur, vt Deum quoq; illud non ita deteſtari putemus, vt quidā affirmāt. Eſt hic error nocentiſſimus, quia pœnitentiam impedit. At ſi cogitemus, peccatum debitū eſſe, quod nos Deo ita obſtrictos reddit, vt abſq; gratuita remiſſione neq; eo liberari, neq; ſalutem conſequi poſſimus: mox intelligemus, nihil apud Deum illo deteſtabilius, nobis autē in toto ſalutis negotio nihil eodem nocentius & pernitioſius eſſe. Magnū ſcelus admiſerit oportet filius, quem pater abdicat & exhæredat. Atqui peccatū cauſa vnica eſt, ob quā Pater cœleſtis nos abdicare & à regni ſui hæreditate excludere ſolet. Huius nos meminiſſe oportet, quoties carnis cupiditatibus tentamur, & mundi illecebroſo exemplo ad peccata noua ſolicitamur. Tunc (inquā) meminerimus, nos iam ante Deo debitores eſſe; qui eius iuſtitiæ ſatisfacere nō poſſint, & proinde inexcuſabilē fore temeritatē noſtrā, ſi deuotis ad peccandū animis ſcelera ſceleribus accumulemus, malæ frugis hominū ſimiles, qui indies æs alienū magis augēt.

Remiſſio peccatorum penes ſolum Deū eſt.

Secundo docet etiam petitio hæc, per quem hoc peccatorum debito ſimul & pœna liberemur: Nec

enim alicuius ſolutionis aut ſatisfactionis mentionem facimus, ſed gratuitam poſtulamus remiſſio-
nẽ. Vnde ſequitur hanc apud ſolum Deum quæri debere, qui debita hæc nobis ex gratia & miſericor-
dia mera remittit. Quia enim Deo peccamus (vt Dauid de ſemetipſo fatetur) & peccando illius de
Matth. 9. Luc. 5. bitores efficimur, nemini præter vni Deo ius & poteſtas erit debitũ hoc remittendi, quod Phariſæos
quoq; intellexiſſe ſcimus. Deinde cùm ex nobiſipſis nihil boni habeamus, & proinde iuſtitiæ Dei non
poſſumus ſatisfacere, vt gratuita remiſſione nobis ſubueniatur neceſſe eſt. Eſt hæc doctrina totius
Pſal. 32. ſcripturæ teſtimonio confirmata. Dauid enim docere volens, qua ratione homo apud Deum iuſtifice-
tur, nullius operis aut meriti noſtri meminit, ſed ita ait: Beati, quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quo
rum peccata tecta ſunt. Beatus vir, cui Dominus peccatum non imputat. Apud Iſaiam verò Domi
Iſa. 44. & 43. nus ipſe clamat: Ego deleui tranſgreſſiones tuas vt denſas nebulas, & peccatum tuum vt nubem. Et
rurſus: Ego ego deleo tranſgreſſiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorũ non amplius recor-
dabor. Qui loci perſpicuè docent, peccatorum noſtrorum remiſſionem non in noſtrorum operũ meritis,
Matth. 18. ſed in ſolius Dei miſericordia gratuita conſiſtere. Id verò Chriſtus ipſe elegantiſſima parabola illu-
ſtrat, quando regnũ Dei ſimile dicit eſſe hero opulento, cui rationem cum ſeruis ſuis ſubducenti quidã
oblatus eſt, qui decem millia talentorum debebat. Is cùm ſoluendo non eſſet, herus eum cũ vxore &
liberis venũdari iuſſit. Tunc ad heri pedes ſupplex procidit, eius implorauit miſericordiã, & ita gra
tuitam condonationem impetrauit. Herus ille, de quo Chriſtus loquitur, Deus eſt, cuius famuli aut
ſerui nos ſumus. Ratio, quam nobiſcum confert, eſt vitæ noſtræ & dictorum factorumq; noſtrorum e-
xamen. Codex rationum Lex eſt, quæ quid illi debeamus prolixe docet, & ad ea præſtanda minis gra
uiſſimis obſtringit. Ad hanc ſi vitam & mores noſtros Deus examinet, eadem omnium noſtrûm, quæ
miſeri huius ſeruuli, eſt conditio. Nos enim in ſingula Legis præcepta plus millies peccauiſſe depræ
hendimur, & quò diligentius ipſi nos in hoc codice examinamus, eò plura debita reperiemus. Quia
autem Deus iuſtus eſt, hoc vnum reſtat, vt tam corpus quàm anima ad damnationẽ ſempiternam
venundentur, & ita ſcelerum admiſſorum pœnas exoluamus. Nam etſi ſeruulus iſte ſolutionẽ ſuo-
rum debitorũ polliceatur, inanis tamen hæc promiſſio eſt, vtpote quam terror & metus extorſit, non
certa tanti promiſſi præſtãdi fiducia. Quis enim ſeruus vnquam decem millia talentorũ diſſolueret?
Ita neq; nos iuſtitiæ Dei vnquã ſatisfacere poſſumus, cũ iam ante omnia noſtra illi debeamus, & (vt
Luc. 17. Chriſtus ait) ſerui inutiles ſimus, licet omnia præſtemus, quæ Lex iubet. Qui ergo nunc ſumus prob
dolor, cùm pleraq; præceptorũ Dei partim ſocordia, partim malitia tranſgrediamur? Hoc ergo vnũ
nobis reliquũ eſt, vt ſupplices ad thronum gratiæ prolapſi clamemus: Remitte nobis ô Pater, debita
noſtra. Peccauimus quidẽ in te grauiſſimè, neq; digni ſumus, qui filij tui dicamur. Sed propitius nobis
eſto Domine, neq; intres in iudicium cum ſeruis tuis. Ne imputes nobis debita noſtra, quibus diſſol-
uendis ſufficere non poſſumus. Aufer quæſo cruentam illam ſyngrapham, quæ nos accuſat & con-
uincit, & tua nos dignare miſericordia, &c. Hæc & his ſimilia dicamus atq; ingenuè fateamur opor
tet, cùm in noſtris operibus aut meritis nihil ſpei aut fiduciæ ſit reliquum.

Remiſſionis certitudo. Hæc autem petentibus dulciſſimã conſolationem affert, quòd Deus ipſe per filium ſuũ nos ita pre
cari iubet. Eſt enim hoc irrefragabile ſuæ erga nos clementiæ teſtimonium, quod nos de peccatorũ re-
miſſione certos facit. Quod ipſum in parabola, cuius modò meminimus, perſpicuè docet. Quàm primũ
enim ſeruulus ille ſupplex heri miſericordiam implorat, hunc propitium ſibi inuenit. Neminem ergo
peccatorũ ſiue multitudo ſiue atrocitas ita terreat, vt de ſalute deſperet. Superat enim peccata totius
Pſal. 103. et 130 mundi miſericordiã Dei, & (vt Dauidis verbis vtar) quantum cœli à terra diſtant, tantũ præualet
benignitas eius erga omnes, qui ipſum timent: & quàm procul ortus ab occaſu diſtat, tam procul re-
mouit à nobis peccata noſtra. Semper ergo cogitemus, quòd etſi peccata noſtra multa & grauia ſint,
plus tamen miſericordiæ inueniri apud Deum, qui in omnibus ſuis proprietatibus omnipotens eſt,
nec ab aliquo poteſt ſuperari. Et huc referri debent exempla multorũ, quæ Spiritus ſanctus in ſcri
pturis proponit, vt ex illis conſolationem capiamus, qualia ſunt Dauidis adulteri & homicidæ nefa
rij, Petri abnegatoris, Matthæi publicani, Mariæ Magdalenæ peccatricis infamis, de qua Cap. 7.
dictum eſt, Pauli item crudeliſſimi aliquando eccleſiæ perſecutoris, & ſimilium multorum. In quibus
obſeruandũ eſt, Deum in his non peculiare quid agere voluiſſe, ſed promiſſiones ſuæ gratiæ cõfirmaſ-
ſe, vt eandẽ ſibi quoq; paratam eſſe norint, qui ad ipſum conuertuntur, quod Paulus de ſeipſo loquens
in priori ad Timoth. disertè docet.

Vt verò

Vt verò ſalutis noſtræ certiores ſimus, tertio loco medium illud nouiſſe oportet, per quod & cuius Mediator remiſsionis unus Chriſtus.
cauſa nobis Deus debita noſtra condonat. Nam etſi benignus atq; miſericors, & ad nos ſeruandum
propenſus ſit, idem tamen iuſtus etiam eſt, & proinde eius iuſtitia ſatisfactionẽ pro peccatis noſtris
exigit. Quia item peccato maledictionem impoſuit, hæc abſq; ſatisfactione à nobis non poterit remo-
ueri. Hic ergo obſeruemus, quoad nos, peccata nobis ex mera & gratuita miſericordia remitti, nullo
noſtrorum operum aut meritorum reſpectu, quæ in nobis prorſus nulla ſunt: quoad verò Dei iuſti-
tiam, huic quoq; nihil derogatur. Quàmuis enim nos illi non poßimus ſatisfacere, alius tamen qui-
dam eſt, qui illi ſatisfecit, & debitum noſtrum omne diſſoluit: Æternus nimirum Dei Filius, Ieſus
Chriſtus, qui ſecundùm veteres promißiones præfinito tempore in mundum venit, & homo factus de
bita noſtra in ſe tranſtulit, & illa ſuæ mortis merito in ara Crucis diſſoluit. Docet hoc Iſaias, qui om- Iſa.53.
nium hominum peccata in illo conueniſſe, & ipſi noſtræ correctionis mulctam impoſitam eſſe ait, vt
eius liuore & ſanguine ipſi ſanaremur. Et Paulus, Deum nos in Filio ſuo vitæ reſtituiſſe ſcribit, Coloſſ.2.
qui chirographum peccati in Crucẽ ſuffixum ſuo ſanguine deleuerit. Idem Chriſtum dicit pro nobis 2.Cor.5.
peccatum factum eſſe, vt nos per illum Dei iuſtitia efficeremur. Cùm enim nobis propter peccatum
maledictio illa incumberet, Maledictus omnis, qui non omnia ſeruat, quæ ſcripta ſunt in libro Legis Deut. 27.
huius: Chriſtus Dominus illam alia maledictione in ſe tranſlata expiauit, Crucis nimirum ſupplicio, Galat.3.
quod ſimiliter maledictioni obnoxium eſſe Lex docet. Abunde ergo pro peccatorum noſtrorum debi- Deut.21.
tis ſatisfactum eſt, cùm mors Filij Dei non minus atrox, quàm peccatum, eſſe cenſeatur. Quiſquis
ergo per fidem Chriſto inſeritur, is meriti quoq; illius particeps fit, vt propter illum peccata eius re-
mittantur, & ipſe propter fidem in Chriſtum pro iuſto habeatur. Ideo Paulus nos per fidẽ iuſtificari
docet, eò quòd non alio medio aut inſtrumento quàm fide, Chriſtũ apprehendimus. Hic ergo in iuſti-
tia Dei ſtrictißima eiuſdem quoq; immenſa atq; inexhauſta miſericordia ſeſe exerit. Quàmuis enim
peccata impunita non ſinat, tantus tamen in illo humani generis amor, tanta erga infelices nos com-
miſeratio eſt, vt Filij ſui morte nobis ſubuenire, & hunc potius inter acerbißimos dolores in cruce
pendentem, quàm nos in æternis inferorum tormentis videre voluerit. Eò igitur certior eſt remiſ-
ſionis peccatorum noſtrorum fiducia, quòd illa non ſola Dei miſericordia, ſed iuſtitia quoq; eiuſdem
nititur. Quia enim huic pro nobis ſatisfecit Chriſtus, quem ipſe Pater huic negotio deſtinauit, nõ eſt
quòd eam poſthac formidemus, cùm potius conſolationi nobis eſſe debeat. Quò Ioannes reſpiciens di-
cebat: Si confiteamur peccata noſtra, Deus fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, &
nos purget ab omni iniquitate. 1. Ioan. 1.

Ex his colligitur, nos per Chriſti meritum plenè redemptos, & non à culpa ſolùm (vt Sophiſtæ Purgatorius ignis confutatur.
Scholaſtici loquuntur) verumetiam à pœna liberatos eſſe. Quia enim debitorum noſtrorũ Syngrapha
deleta eſt, nemo illa poſthac exigere aut nouam ſatisfactionem à nobis iure poſtulare poterit. Confu-
tantur itaq; hoc loco, qui non quidem disertè negant, Chriſtum peccata noſtra in Cruce expiauiſſe, at
peccati pœnam non ſublatam eſſe aiunt, ſed hanc partim in hoc ſeculo partim in igne purgatorio ex-
olui oportere. Quæ doctrina nõ ſolùm falſa, ſed puerilis quoq; & ridicula eſt. Perinde enim ſecundũ
horum ſententiam nobiſcũ Deus ageret, ac ſi quis debitori diceret: Decem aureos, quos mihi debes, ti
bi remittam & in libro rationum mearum delebo, ea tamen conditione, vt quoties mihi in vineæ cul-
tura operarij opus eſt, tu quoq; illic mercenarium agas, donec ſummam illam omnem diſſolueris.
Quis verò debitori illi aliquid remiſſum eſſe diceret? Atqui non alium iſti homines nobis Deum fin-
gunt. Si enim nos pro peccatis noſtris vel in hoc vel futuro ſeculo ſatisfacere, & illa noſtris laboribus
& cruciatibus expiare oportet, non multũ de Chriſti merito & ſatisfactione gloriari poſſumus. Imò
meritum eius, quoad nos, nullum, neq; aliquis huius petitionis fructus erit, qua remißionẽ gratuitam
poſtulamus. At diuerſum nos omnis ſcriptura docet, quæ & meritum Chriſti apud Patrem ſummæ
dignitatis, & preces ex fide factas apud eundẽ efficacißimas eſſe oſtendit. Sed cõmento iſto opus fuit
hominibus auaris, vt quæſtum tam ex viuis quàm ex mortuis captarent. Hinc enim exequiæ ſum-
ptuoſæ, tricesimæ, ſacra anniuerſaria, liberalißimæ donationes & multa alia originẽ duxerunt, qui-
bus ſtulti homines iſtorum doctrina decepti, animas partim in purgatorio iuuari & recreari, partim
ex tormentis illis citius liberari putarunt. Nec tamen his contenti, ſuam quoq; operã alijs locarunt,
quaſi ipſi canendo aut pſallendo, ieiunando, Miſſas faciendo, deniq; ſuorum operũ meritis, in illo igne

laborantibus ſubuenire poſſent. Et hæc quidem opera ſupererogationis dixerunt, quaſi his ipſi abundarent, & ea proinde alijs precio erogare aut diuendere poſſent. Vbi duplex error, & vterq; impietate plenus habetur. Nam contra totius ſcripturæ authoritatem ſibi eam ſanctitatem tribuerũt, vt ſe plus etiam præſtare poſſe dicerent, quàm ipſis ad ſalutem neceſſe eſſet: deinde ſibi vendicarunt quod ſolius Chriſti eſt, qui ſuam iuſtitiam nobis communicat, vt propter eam in Dei conſpectu iuſti cenſeamur. Nos igitur huius petitionis verbis admoniti, non dubitemus, Deum Patrem, qui ita precari iuſsit, nobis propter Filium ſuum Ieſum Chriſtum peccata remittere, & ita quidem vt eorum ne recordetur quidem amplius (quemamodum in Prophetis loquitur) nedum vt illa à nobis iam defunctis expiari velit. Conuenit cum hoc per omnia articulus fidei, qui in Symbolo Apoſtolico habetur. Vt enim precando remiſsionem gratuitam petimus: ita in Symbolo poſt eorum confeſsionem, quæ pro nobis Dei filius fecit & paſſus eſt, illam ipſam nos credere profitemur. Quòd ſi ergo eam credimus, & credendo aſſequimur, nulla hic emptione, nulla ſatisfactione humana, nulla etiam pœnarũ redemptione pecuniaria opus erit. Docet hoc ipſum Chriſtus quoq;, cuius hæc verba Ioan. 5. Cap. leguntur: Amen amen dico vobis, qui audit verba mea, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternã, & in iudicium nõ veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam. Confirmãtur hæc multis exemplis vtriuſq; teſtamenti. Dauidi certè peccatum ſuum confitenti, & Dei miſericordiam imploranti, Nathan non nouos ignis luſtralis aut purgatorij terrores propoſuit, ſed dixit: Dominus tranſtulit peccatũ tuum. Ita verò ad Meſsiam promiſſum illum remiſit, in quem totius mundi peccata transferri debuerunt, vt ſupra ex Iſaia docuimus. Et Chriſtus eos, qui apud ipſum peccata defleuerunt, & eius merito cupierunt ſeruari, in pace abire iuſsit, eò quòd fides eos ſeruaret. At quomodo pacatis conſcientijs potuiſſent abire, ſi ignis illius terribilis cruciatus adhuc illis timendi fuiſſent? Et imprimis huc facit, quod latroni in ipſo mortis articulo ſe inuocanti reſpondit: Hodie mecum eris in paradiſo. His (inquam) nos inſiſtere conuenit, ignem verò illum ficticium, monachis & ſacrificis, papiſticæ culinæ calefactoribus, relinquamus: qui niſi cum Deo & Eccleſia eius ludere deſinant, aliquando ignem illum inextinguibilem ſentient, quem ille ſuis contemptoribus paſsim minatur.

De caſtigationibus piorum. *At hic obijciunt nonnulli: Cur ergo Deus hominibus flagitioſis & pœnitere neſcijs iram ſuã minatur, & pœnas grauiſsimas, vtpote famem & rerum inopiam, peſtem item cum alijs morborum generibus nouis & immedicabilibus, adhæc bellũ, terræ vaſtitatem & infinita alia immittit? Item: Cur ergo Dauid poſtquam peccatũ ſuum confeſſus eſt, & à Propheta Nathano remiſsionis promiſsionẽ accepit, à filio ſuo Abſolone regno eiectus & omni afflictionũ genere mulctatus eſt, ita vt inter ſuos liberos inceſtos cõcubitus & parricidia patrari, & cõiuges proprias fœdiſsimè violari, ſenſerit? Quis illum peccatorum pœnas exoluiſſe & pro ijs ſatisfeciſſe negabit? Sed facilis eſt ad hanc obiectionem reſponſio. Primò enim non de impijs & reprobis huius ſeculi filijs hîc loquimur, quos Deus propter incurabilem malitiam & deuotum peccandi ſtudium, dùm hîc viuunt, punire incipit, vt ſuæ iuſtitiæ ſpecimina toti mundo exhibeat. Quæ pœnæ (cùm ipſi non ſolùm incurabiles ſint, verumetiam illis contumaciores fiant) ipſis æternæ damnationis quaſi præludium ſunt. Sed de filijs Dei nobis ſermo eſt, qui propter peccata ſua ab illo viſitantur aduerſis & afflictionibus varijs, non quidẽ vt his peccata ſua expient, ſed vt ceu paternis virgis caro ipſorum caſtigetur, ne & ipſi incurabiles facti in ſcelera altius demergantur, & cum infelici atq; pœnitere neſcio mundo malè pereant. Ita totã hanc cauſam*
1. Cor. 11. *Paulus explicat, quando de lue, qua Deus Corinthios propter fœdum Cœnæ Dominicæ abuſum puniebat, loquens, inter alia ſic dicit: Cùm iudicamur, à Domino erudimur, ſiue caſtigamur, ne cũ mundo cõdemnemur. Quaſi diceret: Videtur quidẽ Deus iudicij ſui rigore aduerſus ſuos etiam vti, quando morbos, bella, perſecutiones & alia aduerſa immittit. Sed longè alia eſt ratio iſtorũ omnium. Nam quæcunq; ſunt huius generis, tanquã paternæ caſtigationes ſuſcipi debent, quibus nos ad emendationem vitæ & pœnitentiã excitat, ne in graue illud & horribile iudiciũ incidamus, quo mundũ contumacẽ & incurabilẽ punire ſtatuit. Quo ſenſu Petrus quoq; dicit, iudicium à domo Dei incipere, vt huius filij per hoc emendati exitium mundo paratum effugiant. Et huc referri debẽt quæcunq; Dauidi poſt factam peccati confeſsionẽ acciderunt, & quæ nobis quoq; in eiuſmodi caſibus accidere ſolent: ne pœnas putemus, quibus nos pro peccatis noſtris iuſtitiæ Dei ſatisfacere oporteat. Quoad hoc enim iam ante ſatis demonſtratum eſt, ſolum Chriſtum eſſe, qui ſua mortis merito peccata noſtra expiauerit,*

& ita

& ita quidem vt nulla alia ſatisfactione præterea ſit opus. Quotquot verò à fide alieni extra hunc eſſe deprahendentur, ij peccatorum pœnas exoluent in horrendo illo & æterno igne, quem diabolo & eius miniſtris iam inde ab origine rerum paratum eſſe Scriptura teſtatur.

Summa huius petitionis.

Et hæc quidem in quintam huius Orationis petitionem de peccatorum remiſſione aut condonatione diximus. Continent iſta totum noſtræ redemptionis negotium. Audiuimus enim nos in Dei conſpectu miſeros & omnium egenos debitores eſſe, quibus nõ aliter ſuccurri poſſit, quàm per immenſam Dei gratiam atq; miſericordiam, quam nobis is in Filio ſuo Ieſu Chriſto præſtitit. Hunc, vt peccata noſtra expiaret, in mundum miſit, & eundem pro nobis tradidit, vt qui credit in illum, non in peccatis ſuis pereat, ſed illius merito ſeruetur. Quapropter petitio quoq; iſta potiſſimum illius merito nititur, in quod nos reſpicere, & eius fiducia precari oportet, ne nos Deus, prout peccatis noſtris meruimus, puniat, ſed propter Filium ſuum nobis propitius eſſe dignetur. Vnde colligitur, petitionem hãc illis nequaquam ſeruire, qui aut propria iuſtitia confidunt, aut peccatorum remiſſionem extra Chriſtum quærunt. Nam qui ſuis nituntur operibus, & his ſe ſeruari ſibi perſuaſerunt, ij petitione iſta ſibi minimè opus eſſe arbitrantur. Illis autem qui peccatorum remiſſionem non in vno Chriſto quærunt, eadem prorſus inutilis eſt, cùm (vt Petrus ait) præter illum non aliud nomen ſub cælo hominibus datum ſit, per quod nos ſeruari oporteat. Acto. 4.

Conditio huius petitionis.

Porro peculiare quid huic petitioni connectit Chriſtus, conditionem ſcilicet certam, qua debita noſtra nobis non alia ratione remitti precamur, quàm qua nos ijs ignoſcimus, qui in nos peccauerunt. Dicimus enim: Remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris. In quibus verbis ante omnia obſeruari debet, ea non (vt quidam ſentiunt) intelligenda eſſe, quaſi meritum quoddam ſtatuatur, & quòd nobis peccata ideo remittere teneatur Deus, quia nos alijs condonamus quæ in nos deliquerunt. Nam vt prolixè alibi docuimus, noſtrorum operum meritum nullum eſt, cùm neq; ex nobis ipſis boni quid faciamus, neq; perfecta, ſed propter inhærentem naturæ vitioſitatem polluta quoq; ſint ea, quæ Spiritus ſancti virtute adiuti facimus. Et abſurdum foret, nos ad noſtri alicuius operis meritum in ea ipſa precatione remitti, qua nos Deo debitores eſſe fatemur, qui gratuita condonatione opus habeant. Sed & remiſſionis vocabulum omnem noſtri meriti gloriationem excludit.

Cauſa conditionis huius.

Alius ergo huius appendicis ſenſus neceſſariò quærendus erit, qui & fidei noſtræ præcipuis capitibus & toti ſcripturæ conſentiat. Eſt autem is, quòd Dominus partim nos noſtri erga proximum officij admonere, & ad hoc præſtandum graui & neceſſaria conditione obſtringere vult: partim nos de peccatorum noſtrorum remiſſione certos facere argumento irrefragabili, quod in nobis ipſis inuenire poſſimus. Quæ cauſa eſt, quòd apud Lucam noſtrum verba iſta ſic leguntur: Etenim ipſi remittimus omnibus, qui nobis debent. Quòd ſi verò in noſipſos deſcendamus, patebit appendicem hunc nobis imprimis neceſſarium eſſe. Nam primò natura vindictæ cupidi ſumus, adeò, vt multi in eo gloriam ſummam conſiſtere putent, ſi nullam ipſis factam iniuriam inultam abire ſinant. At quia charitas Chriſtiana, quæ propria filiorum Dei nota eſt, locum habere non poteſt, vbi vindictæ cupiditas regnat, & proinde hæc nobis exitij cauſa foret, non temere Chriſtus in ea petitione, quæ maximè omnium nobis neceſſaria eſt, huius nos admonere voluit, vt quoties precamur, nobis in mentem veniat, vindictæ omni prorſus longum valere renuntiandum eſſe, niſi noſipſos proprijs precibus velimus damnare. Deinde ſentimus ſubinde quàm varijs tentationibus nos Satan oppugnet, vt fidem noſtram, qua gratuitam peccatorum remiſſionem ſperamus, labefactet. Neceſſe ergo nobis eſt, vt non ſolùm promiſſionibus Verbi Dei confirmemur, verumetiam intra animos & conſcientias noſtras certum aliquod gratiæ & miſericordiæ Dei argumentum habeamus. Argumentum eiuſmodi eſt facilitas & bonitas illa, qua ijs ignoſcimus, qui nos dicto aut facto aliquo læſerunt. Cùm enim (vt paulò ante dictum eſt) naturali quadam vindictæ cupiditate rapiamur, iniurias acceptas nunquam condonabimus, niſi Dei Spiritus naturæ noſtræ vitioſitatem corrigat, vindictæ ardorem reſtinguat, & charitatis ignem in nobis accendat. Vbi ergo hoc factum fuerit, certum eſt, nos Dei Spiritu agi, & proinde (vt Paulus ait) Dei filios eſſe. Vnde colligere poſſumus, Deũ nobis velle propitium eſſe, & noſtris delictis ignoſcere, cùm Spiritum ſuum nobis donarit, & huius virtute renatos in filiorum ſuorũ numerum adoptauerit. Itaq; huius appendicis proprius ſenſus & vſus in duobus

Rom. 8.

hiſce conſiſtit, quòd & noſtri officij admonemur, & de peccatorum noſtrorum remiſſione certiores efficimur. Quare verba hæc Chriſtianis hominibus non (vt quidam ſibi perſuadent) terrorem, ſed potius conſolationem dulciſſimam afferunt, &c.

Bonitatis Dei argumentum. Elucet hîc rurſus immenſa & plus quàm paterna Dei bonitas, qui pro dono omnium maximo, quod ab ipſo poſtulari poterat, non aliud à nobis exigit, quàm quod nobis ad huius etiam vitæ tranquillitatem ſeruandam vtile ac neceſſarium eſt. Quid enim ab illo peti poteſt præſtantius, quàm gratuita delictorum remiſſio, ex qua ſalus noſtra omnis dependet? Quid verò ille viciſſim pro hac à nobis exigit? Num aurũ, argẽtum, veſtes aut laborioſa aliqua corporis ſeruitia? Minimè. Sed vnũ hoc, vt ſicut ipſe nobis ex gratia ignoſcit: ita nos quoq; ijs ignoſcamus, qui nos offenderunt. Vbi ſi rem rectè expendamus, patebit, ad nos ex eo plus commodi redire, quàm ad eos, quibus à nobis ignoſcitur. Quoad enim vindictæ cupiditas & quæ ex illa naſcuntur inuidia atq; odium in nobis regnant, nobis ipſis moleſtias & labores infinitos acterſimus, dum intra animos noſtros ringimur, noctes inſomnes ducimus, ira ardemus, & multa alia facimus, quæ tam corpori quàm animæ officiunt. Nam his ipſis preces quoq; nobis inutiles, imò noxias reddimus. Quàm primùm verò extinctis hiſce prauis affectibus offenſas omnes proximis noſtris condonamus, mox omnibus hiſce liberamur moleſtijs, & nobis amicos facimus eos, qui prius vt hoſtes nobis ſuſpecti, & ideo formidini quoq; erant. Quòd ſi verò poſtremum hoc nos fallat, & tanta ſit aduerſariorum noſtrorum contumacia, vt noſtra facilitate & indulgentia vinci non poſſit, nobis tamen illa minimè fraudi erit, qui iam & Deum nobis propitium eſſe ſcimus, & vera animi pace & tranquillitate fruimur. Hæc diligentius cõſiderata docẽt, Deum perinde nobiſcum agere, ac ſi princeps aliquis clementiſſimus ſubditis, qui aduerſus ipſum rebellarunt, non modò ignoſcat, verumetiam ſatisfactionis loco non aliud mandet, quàm vt actorum omnium ἀμνηστεία aut obliuione ſancita, ipſi inter ſe vitam tranquillam degant, nec quiſquam alteri aliquid exprobret. Nos enim quoties peccamus, qui alij quàm Deo rebelles ſumus? Hîc ergo, niſi æternùm perire libeat, ſupplices illius gratiam implorare, & vt nobis ignoſcat precari cogimur. Tantæ autem bonitatis eſt ille, vt non ſolùm nobis condonet rebellionem iſtam, ſed omnis pœnæ loco (ſiquidem ita loqui fas eſt) hoc vnum exigat, vt ipſi eadem facilitate erga nos mutuò vtamur, & vitam viuamus tranquillam atq; beatam. Quis ergo negabit æquum & neceſſarium eſſe, vt illi obtemperemus? Quis non dementes & inſanos eſſe dixerit omnes eos, qui ei obedire dedignantur?

Contra cupiditatem vindictæ. Erant hæc diligentius conſideranda ijs, qui vindictæ ſtudio & odio ita ardent, vt ne minimam quidem iniuriam, quam accepere, inultam ſinant, cùm ipſi grauiſſimorum ſcelerum, quibus Deum offenderunt, condonationem ab eo quotidie flagitent. Imitantur hi malignum illum ſeruum, qui remiſſione decem millium talentorum ſibi facta, à conſeruo ſuo centum denarios violenter exigere auſus eſt. Quid verò inde lucri retulit? Vnum hoc, quòd ipſum ad carceres perpetuos herus damnauit. Accidit hoc ipſum omnibus, qui proximo offenſas ſuas condonare nolunt, vt ſibi prius facta à Deo gratia priuentur, & iuſtum eius iudicium contra ſe prouocent. Maior tamen eorum eſt iniquitas, qui nullis iniurijs prouocati alijs inuident bona, quæ ipſos à Deo accepiſſe vident, & iiſdem dolo, fraude, vi aperta nocere ſtudent. Quo ore iſti Dei miſericordiam implorabunt, qui eos perditos

Matth. 5. volunt, à quibus nunquam læſi ſunt? Iubet alibi Dominus, vt qui rem diuinam facturi ſunt, ſi recordentur proximum aliquid cauſæ aut litis contra ſe habere, relicto ad altare ſacrificio ſuo, prius cum illo reconcilientur, quàm illud Deo offerant. At noſtra ſacrificia preces ſunt. Quantò magis ergo precaturis opus eſt, vt quam ipſi animo conceperunt inuidiam deponant, ſi preces ſuas Deo acceptas eſſe velint? Debent præterea his accenſeri, qui ſub ſanctitatis nomine fratribus obtrectant, & vitia eorum occultiora quoq; diuulgant. Eo enim argumento teſtantur, ſe charitate deſtitui, quæ (vt

Prou. 10. ex Solomone Petrus annotauit) multitudinem peccatorum tegere potius quàm diffamare ſolet. At

1. Pet. 4. perinde iſti faciunt, vt hypocritæ illi, quos Chriſtus in oculo fratris feſtucam obſeruare ait, cùm in proprio oculo trabes maiores non ſentiant. Adnumerari deniq; iſtis omnibus debent, qui ſe proximo ignoſcere aiunt, ea tamen conditione, ne ipſis in conſpectum veniat, neq; vllum ab ipſis amici officium vel beneficium expectet. Eſt hoc genus hominum hodie vulgare, qui ſe omni officio defunctos putant, ſi maleficium non dederint, etiamſi à benefaciendo abſtineant. At hi quoq; ex iſta petitione non multum fructum referunt. Cùm enim non aliter quàm cum ea conditione, quam modò audiuimus,

ijs igno-

ijs ignoſcant, qui ipſos læſerunt, quid aliud petunt, quàm vt ipſos quoq; Deus à conſpectu ſuo reijciat, & nullo beneficio dignetur? Sed ô miſeros, quibus hoc accidit. Qui enim à Deo negliguntur, ij omnibus diaboli inſidijs patent, ac non poſſunt non perire. Quid multis? omnia corda penetrat Dominus huius petitionis appendice, & neceſſario dilectionis vinculo omnes inter ſe mutuò obſtringit, cùm aut hanc colere, aut gratia quam nobis in Filio ſuo fecit, nos priuari oporteat.

Cæterùm hic aliquos in fide infirmos eſt audire, qui dicunt: Scio quidem me nullius hominis odio flagrare, & mei muneris eſſe, vt omnibus condonem, qui me iniuria aliqua affecerunt. Veruntamen me imbecilliorem eſſe ſentio, quàm vt hoc dignè & vt par eſt præſtare poſſim. Exerit enim ſe ſubinde carnis ingenium improbum, quod me ne quod bene inſtitui perficiam, impedit. Itaq; anxius quid faciam neſcio, & metuo, ne erga me quoq; Deus ſui iudicij rigore vtatur. Et tantùm apud nonnullos iſtæ cogitationes efficiunt, vt vltima hac petitionis iſtius verba omittant, ne aduerſus propriam ſalutem precentur. Sed inutile eſt hoc effugium, quod quærunt. Nam etſi verba iſta nõ pronunciemus, rata tamen manet Chriſti ſententia, apud Matthæum dicentis: Si remiſeritis hominibus offenſas ipſorum, remittet etiam vobis Pater ille cæleſtis. Sin autem non remiſeritis hominibus ipſorum offenſas, neq; Pater veſter remittet vobis offenſas veſtras. Qui verò in fide ſe imbecilliores eſſe ſentiunt, non ideo deſperare debent, quoad propenſam ad ignoſcendum voluntatem in ſemetipſis deprehenderint. In eiuſmodi enim caſu homo bifariam conſiderari debet, nimirum quoad Spiritum aut internum hominem, & quoad carnem. Pugnant hi duo inter ſe perpetuò, ſicut Paulus admonet, & ſinguli in ſemetipſis quotidie experiuntur. Quoad verò pugna hæc durat, bene ſperandum eſt, quia ex ea apparet nos carnis affectui nondum ſuccubuiſſe. Cur enim de victoria deſperet miles, qui ſe hoſti adhuc reſiſtere poſſe ſentit, vt fuga minimè ſit opus? At hic Spiritui opem feramus oportet, quòd multis modis poteſt fieri. Proderit enim, quando carnem vel inuitam cogimus hoſtibus benefacere. Ita enim quod inuita aliquandiu facit, tandem cum voluptate faciet, vbi eo aſſueuerit. Opus item, vt in Dei verbo nos ſedulò exerceamus, inq; beneficiorum eius conſideratione ſimus frequentes: hæ enim meditationes tam Dei quàm proximi dilectionem vehementer accendunt. Imprimis autem neceſſe erit precibus ad Deum aſsiduis, vt ſuum Spiritum in nobis confirmet, & fidem augeat. Qui iſtis ſtudent, ijs ſuam imbecillitatem Deus non imputat, ſed potius gratia ea dignatur, vt quotidie in omni virtute proficiant, & tandem perfecta aduerſus carnem victoria potiantur. Conſolatio infirmiorum.

Poſtremò propter fanaticos quoſdam obſeruemus, petitionem hanc non abolere magiſtratus officium, nec obſtare, quò minus ille ſceleratos & flagitioſos dignis pœnis coerceat. Priuatis enim hominibus iſta ſeruiunt, & vindictam priuatam prohibent, ne quid ex huius cupiditate in ijs, quæ ad nos ſpectant, faciamus. Atqui alia eſt magiſtratus conditio, quem Deus inſtituit, vt ipſius iudicia exerceat, & bonos quidem defendat, malos autem, prout meruerunt, puniat: de quo Paulus in epiſtola ad Romanos multis diſſerit. Interim firmiter teneamus, nos omnes natum peccatores eſſe, peccatorum autem remiſſionem apud ſolum Deum per Ieſum Chriſtum inueniri. Itaque illius gratiam implorare, & omnem remiſſionis atque ſalutis ſpem in vnius Chriſti merito collocare debemus, cum omnibus verò hominibus charitatem & pacem colamus, vt germani filij Dei, & regni eius hæredes ſimus cum Ieſu Chriſto Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen. Petitio hæc non abolet magiſtratum.

HOMILIA CXII.

PETITIO VI.

Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo.

DOminus & redemptor noſter Ieſus Chriſtus, hactenus nos docuit quinque petitionibus omnia ea à Patre noſtro cæleſti poſtulare, quæ ad promouendam ſui nominis & regni gloriam, & communem omnium noſtrûm tam animæ quàm corporis ſalutem pertinent. At quia homines ſumus,

& quoad in hac carne viuimus varijs tentationibus oppugnamur, quibus nos ab obedientia Dei, & æternæ ſalutis via Satan abducere conatur, neceſſe eſt, vt aduerſus illius aſſultus atque inſidias fraudis & aſtutiæ plenas probè armemur, vt in quouis certaminis genere victoriam obtinere poſſimus. Huic rei ſeruit, quæ nunc recitata eſt, ſexta & vltima Orationis Dominicæ petitio, in qua ex Chriſti mandato dicimus: NE INDVCAS NOS O PATER, IN TENTATIONEM: SED LIBERA NOS A' MALO. Vbi ante omnia (quod in prioribus quoque petitionibus factum eſt) verba ſingula expendere oportebit, vt ex illis verus huius petitionis ſenſus atque vſus nobis pateant.

Tentare & tentatio quid? Tentare propriè idem eſt quod experiri, & ex certis indicijs alicuius rei periculum facere, vt ſciamus quæ eius ſit natura, conditio & vſus. Variè autem verbum iſtud vſurpatur. Dicitur enim Deus ab hominibus tentari: quando nimirum non credunt verbo eius, quod ipſum bonum, clementem, amantem humani generis, beneficum & omnipotentem eſſe docet: ſed inſuper poſtulant, vt ſe talem eſſe certis aliquibus operibus demonſtret, quæ ipſi illi præſcribunt. Sic Iſraelitæ illius bonitatem ſimul & omnipotentiam tentauiſſe dicuntur, quando carnes ſibi ab illo dari, & quaſi epulum in deſerto inſtrui poſtulauerunt. Et eodem ſenſu diabolus Chriſtum tentauit, cùm petijt vt ſeſe ex pinnaculo templi præcipitem daret, & eo argumento diſceret, num ipſum Deus Angelorum ſuorum miniſterio inter omnia pericula ſeruare vellet.

Deus quomodo tentet nos? Vt autem Deus & res alia à nobis tentantur: ita viciſſim nos quoq; tentamur, vt certius conſtet qui ſimus, quod item noſtrum ſit ingenium, quæ animi affectio, & quid alij ſibijpſis de nobis polliceri debeant. Et hoc quidem non vno modo fieri conſueuit. Primo enim homo alios tentare ſolet, vt intelligat ad quid eorum opera ipſi vtilis eſſe poſſit, & num quid boni vel mali de vnoquoque ſit ſperandum. Deinde ab ipſo Deo tentamur, non quidem ea ratione, quaſi is qui ſimus non probè norit, ſed quòd vel nosipſos in propriæ infirmitatis & imperfectionis cognitionem inducere vult, ne confidentiores ſimus: vel fidem noſtram & dilectionem, qua ipſum proſequimur, manifeſtam facere, vt plures alij noſtro exemplo erudiantur. Sic Abrahamum olim tentauit, quando iuſſit, vt filium ſuum Iſaacum, quem vnicè diligebat, & in quo promiſſiones omnes acceperat, immolaret. Nam procul dubio inuictam fidei eius conſtantiam, & ardentiſſimam dilectionem, qua erga ipſum flagrabat, Deus non ignorauit: Veruntamen eum toti mundo in exemplum voluit proponere, ex quo omnes diſcant, quò vſque fides & dilectio Dei debeat extendi: eò vſque nimirùm, vt ei non opes modò, verumetiam ex nobis natos, adeoque proprium ſanguinem, conſecremus, & fidei conſtantiam tunc quoque retineamus, quando ipſe Deus aliqua agere vel etiam mandare videtur, quæ ipſius promiſſionibus aduerſentur. Simili modo Iobus quoque ex Dei permiſſione tentatus eſt, vt in illo commune fidei, obedientiæ & patientiæ exemplum omnes homines haberent. At de hoc tentationum genere in præſenti non agitur. Quia enim illa à Deo proueniunt, cuius voluntati nos totos in tertia petitione ſubijcimus, abſurdum foret nunc precari, ne quid huius ille nobiſcum inſtitueret. Deinde non poteſt non felix eſſe eiuſmodi tentationum finis, cùm neque ſupra vires nos grauari patiatur Deus, & euentum bo-
1. Cor. 10. num ipſe etiam largiatur. Ideo Dauid ab illo explorari & tentari cupiebat. Et Iacobus Apoſtolus
Pſalm. 26. ſcribit: Pro ſummo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis, cùm ſciatis,
Iacob. 1. quòd probatio fidei veſtræ pariat patientiam, cæterùm patientia opus perfectum habet. Item: Beatus vir, qui tolerat tentationem: quoniam cùm probatus erit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit Dominus ijs, à quibus diligitur, &c.

Tentationes diaboli. Tentamur præterea à communi noſtro hoſte diabolo, quem ſcriptura propriè Tentatorem vocat, eò quòd aſſiduè varia molitur, vt nos à Deo abducat, & per incredulitatem aut peccandi licentiam malè perdat, quo nomine illum in petitione iſta πονηρὸν dicimus, quod non ſimpliciter malum ſignificat, ſed eum qui mente & voluntate ad nocendum procliuis alios quoque corrumpere & perdere ſtudet. Ita Græci πονηρὸν ὕδωρ dicunt τὸ νοσοποιὸν, id eſt, aquam quæ morbos parit. Et conuenit hoc epithetom diabolo propriè. Quia enim iam inde ab initio mendax & homicida fuit, hoc ſuum ingenium perpetuò retinet. Et cùm artifex ſit aſtutiſſimus innata nobis naturæ noſtræ vitioſitate ad ſuum inſtitutum abuti nouit. Quàm primum enim cupiditates prauæ in nobis oriūtur, mox ille quoque ex eo occaſione ſumpta ſuggeſtionibus peſſimis nos infeſtat, & eò nos adigere conatur, vt

quod

quod animo concepimus in opus quoque erumpat. De hoc tentationum genere hic potiſſimum nobis ſermo eſt, quæ nobis exitio ſunt, niſi probè vigilemus. Precamur autem Patrem cœleſtem, ne nos diaboli inſidijs circumueniri patiatur, ſed vt ex huius manu liberet, & in tentationibus ſuo Spiritu conſeruet, ne in peccatorum laqueis pereamus. Quo loco de rebus maximi momenti admonemur, quæ diligenter obſeruari merentur.

Conditio uitæ noſtræ periculoſa.

Primò diſcimus, imò ipſi fatemur petitione iſta, quàm periculoſa ſit in hoc ſeculo vitæ noſtræ conditio, cùm aſſiduè nobis orandum ſit, vt nos Deus in tentationibus tueatur, & ex hoſtis noſtri poteſtate liberet. Niſi enim hîc periculum eſſet ingens, precatione iſta minimè eſſet opus. Sed vt diximus, hoſtem habemus veterem, verſipellem, improbum & inquietum, qui indeſinenter Leonis rugientis inſtar oberrans quærit quem deuoret. Medijs autem hîc varijs vtitur, & ferè inopinatis, ex quibus vix aliquid periculi timemus. Inter quæ caro noſtra ferè primas tenet, cuius deſiderijs nos accēdit, vt his plus quàm Deo & propriæ ſaluti tribuamus. Ponit item nobis ob oculos illecebroſum huius mundi exemplum, cuius maximæ in nobis permouendis vires ſunt, cùm alioqui voluptatum, opū, faſtus & honorū huius ſeculi appetentes ſimus. Accedunt colloquia praua, quæ per impios, quibus ceu flabellis vtitur, inſtituit, vt peccati magnitudinē extenuet. Sed & ſecundis & aduerſis rebus abuti nouit, vt nos in via ſalutis remoretur. Nam ſi diuitiæ & honores affluant, ferè diaboli ſuggeſtione decepti efferimur & ſuperbimus, atq; Dei immemores illis confidimus, deniq; ijs ad faſtū & libidinem abutimur. Quò fit vt ea nobis idololatriæ & grauiſſimorū ſcelerū cauſa ſint, quibus cum aſſidua gratiarum actione ad promouendā Dei gloriam vti debebamus. E contra ſi paupertate, ignominia aut alijs aduerſis premamur, mox aduerſus Deū murmuramus, iudicia eius accuſamus, quaſi nobiſcū iniquius agat. Idem in valetudine corporis integra & in morbis, in pace & bello, rerū abundantia & caritate, omnibus deniq; alijs, quæ in hoc ſeculo agentibus accidunt, fieri ſolet. Si quid enim carni iucundum eſt, eo abutimur. Sin minus impatientes & queruli ad media illicita confugimus, quibus contra Dei voluntatem nobiſipſis conamūr opem ferre. Paupertatem enim pleriq; per dolos, vſuras, furta & rapinas fugiunt. In morbis ad Diuos, ad magos, exorciſtas & veneficia recurritur. Bellis ſurgentibus in impijs & blaſphemis militibus ſpes omnis collocatur. Deniq; quicquid accidat nunquam deſunt hoſti noſtro occaſiones, quibus nos tentet, & à Deo abſtrahat. Itaq; vita noſtra militia & pugna perpetua eſt, in qua eo plus periculi imminet, quòd hic non de patria terrena, de corporum libertate, fortunis, vxoribus & liberis agitur: ſed de cœleſti patria & æterna tam corporum quàm animarum ſalute. Si enim diaboli ſuggeſtionibus ſuccumbamus, iam nobis perijt filiorum Dei ſtipendium, neq; eius loco aliud ſperare poſſumus, quàm quod diabolo & eius angelis eſt deſtinatum. Vides ergo quanta ſit eorum ſtultitia, qui huius ſeculi vita, tam plena periculi & miſeriarum, ita delectantur, vt in ea ſpem ac fiduciam omnem collocent.

Infirmitatem noſtram fatemur.

Docet præterea hæc petitio, nos infirmiores eſſe, quàm hoſti huic noſtro reſiſtere poſſimus. Quis enim tam ignauus & meticuloſus fuerit, vt alterius opem querulus imploret, ſi ipſe ad hoſtem repellendum ſatis inſtructus ſit? At Dei Filius nos Patris cœleſtis opem poſtulare iubet aduerſus diabolum & eius machinationes. Ergo nobis in hac pugna vires deſunt, quæ ad victoriam parandam poſſint ſufficere. Etenim quid ipſi hîc efficiamus, cùm præcipuè hominis facultates nobis aduerſentur, imò arma ac tela ſint, quibus Satan nos maximè oppugnat? Quid enim intellectus noſter aliud facit, quàm quòd nobis in hac pugna impedimento eſt, cùm non in Dei verbum reſpiciat, ſed ſuis placitis ducatur? Quid verò noſtræ cogitationes, quàm quòd diabolo ſeruiunt, cùm à pueris (vt Deus ipſe ait) prauæ ſint? Itaque ſi in hoc certamine noſtro intellectui, noſtris conſilijs & viribus aliquid tribuamus, mox locum diabolo dabimus nos vincendi, perinde ac ſi quis belli imperator hoſtem ijs militibus debellare inſtituat, quos non ſolùm inuitos ad pugnam procedere, verumetiam hoſti fauere nouit. Rectè ergo Chriſtus Patris ſui opem flagitare iubet, ne noſtris viribus & conſilijs innixi nobiſipſis exitium accerſamus.

Conſolatio in tentatione.

Non debet autem hoc nos terrere, ſed conſolari potius. Quia enim nos alibi auxilium quærere iubet, ſimul admonet, victoriam non à nobis, ſed ab alio pendere, qui nobis maior ſit atque potentior. Eſt hæc efficaciſſima conſolatio. Etenim ſi vel cogitaremus victoriam hanc noſtris viribus obtineri oportere, non poſſemus non deſperare, cùm tam infirmos & imbecilles nos eſſe ſentiamus,

Sed ex Deo illa pendet, quem nemo viribus ſuperat. Certò igitur nobis ſperare licet, quod huius ope adiuti ſuperiores futuri & diabolum repulſuri ſimus. Et huc imprimis faciunt huius petitionis verba, quibus dicimus: Ne inducas nos ô Pater in tentationem. Nam etſi non de ſalutari illo tentationum genere loquamur, quibus nos Deus explorat & probat, ſed de illis, quibus Satan nos perdere conatur: perinde tamen loquimur, ac ſi Deus harum quoque cauſa & author ſit. Nec enim (vt quidam perperam precantur) dicimus: Ne permittas nos induci in tentationem: Sed, Ne inducas, ſcilicet tu, vel (vt Græci vocabuli emphaſim exprimamus.) Ne inferas nos in tentationem. Deo itaque non otioſam permiſſionem aut conſenſum, ſed actionem ipſam tribuimus. Quod tamen non eo ſenſu accipi debet, quaſi ille noſtrorum peccatorum & exitij author ſit: ſed ideo ſic loquimur, quòd tam nos quàm omnia noſtra illius prouidentiæ ſubiecta ſunt, & per hanc ita gubernantur, vt abſque eius voluntate & prædeſtinatione nihil nobis accidat: & ne ipſe quidem diabolus nihil contra nos inſtituere aut aggredi auſit, niſi id ei Deus permittat, & certo conſilio definierit. Dicitur quidem diabolus princeps huius mundi, ſed non eo ſenſu, vt in eius poteſtate ſit pro ſuo arbitrio quicquam agere: ſed ideo quòd infelices & incurabiles huius ſeculi filij illum pro ſuo principe & domino agnoſcunt, & huic potius cum ſuo exitio in omni ſcelerum genere, quam Deo in ſanctitate ſeruire malunt. Sed & ipſe Satan iactabundus ſe rerum omnium potentem dicere audet: quàm verò inanis & vana ſit hæc gloriatio, exemplum Iobi & alia infinita teſtantur. Et quid in hominem ille poſſit,

Luc. 8. *qui (vt Euangelica hiſtoria docet) ne in porcos quidem viliſſimos ius habet? Teſtatur præterea Chriſtus, quòd diſcipulos quidem ille cribrare expetiuerit, ſe autē ſuis precibus illi obſtitiſſe, ne quid proficeret. Rectè ergo petitio iſta ſic enuntiatur, quaſi tentationes à Deo immittantur, cùm abſque huius permiſſione nihil contra nos poſſit Satan. Vbi ſimul .enere oportet Deum non ſecurum aut negligentem rerum adminiſtratorem eſſe, qui abſque certo conſilio quicquam fieri permittat: ſed vt omnia illius prouidentiæ ſubiacent, ita eadem ſapienter & iuſtè gubernat, vt quem ab æterno decreuit finem aſſequantur.*

Fidei confirmatio.

Hæc vt fideles in omni alio caſu conſolantur: ita nos in hac petitione vehementer in fide confirmant, quod hic imprimis fieri neceſſe eſt. Nec enim nobis quicquam grauius accidere poteſt, quàm cùm non ſolum, quoad externa, turbamur, aut ad peccandum impellimur, verumetiam intra animos noſtros tentamur, vt cogitemus nos à Deo derelictos, & diaboli libidini traditos eſſe. Eſt hæc omnium grauiſſima tentatio. At ſi huius petitionis probè memores cogitemus, nihil nobis abſque Dei voluntate accidere, mox ſpe meliori concepta confirmamur, quando conſtat, illum non iuſtum modò & ſapientem, verumetiam humani generis amantiſſimum eſſe. Hinc enim colligimus, tentationes nobis ſalutares fore, neq; illum paſſurum, vt ſupra vires tentemur. Debent huc ſanctorum exempla referri, qui ex grauiſſimis quoque delictis eximios fructus reportarunt, vt in Dauide, Petro ac ſimilibus eſt videre. Quare in nulla tentatione, quantumuis graui & periculoſa nos deſperare decet. Nam vt Dominus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, à Spiritu in deſertum ductus eſt, vt à Satana tentaretur, & ibidem victoriam glorioſam obtinuit: ita nos quoque non ſine Dei conſilio tentationibus obijcimur, in quibus procul dubio vincemus. Perpetuò enim ratum erit illud Petri dictum:

2. Pet. 2. *Nouit Deus ſuos ex tentatione eripere. Ergo non ſine certa fiducia precatione hac vti debemus, quam nobis Chriſtus minimè traditurus erat, niſi ſciuiſſet Patrem cæleſtem nos clementer eſſe exauditurum.*

Vita noſtra petitioni huic reſpondeat.

Quod verò in alijs petitionibus monuimus, eas non ore ſolùm enunciari oportere, ſed curandum eſſe, vt noſtra ſtudia & actiones illis reſpondeant, hoc etiam in iſta imprimis obſeruari debet. Et ſanè magna hîc nobis occaſio offertur de noſtro officio diligentius cogitandi. Quoniam enim conſtat nobis perpetuam pugnam contra diabolum ſuſtinendam eſſe, in qua diuini auxilij inuocatione opus ſit, ſequitur, nos quoque aduerſus hoſtis illius conatus ita pugnare debere, ne quas illi inducias concedamus, multò minus pacem aut fœdus cum illo faciamus vllum. Nam minimè decet, vt qui in baptiſmo Chriſto nomen dederunt, cum eius hoſte acerrimo pacem aut amicitiam colant. Etenim mundi iudicio turpiter facere dicuntur, qui ſociorū quidem opem in bellis poſtulant, interim verò clam cum hoſte colludunt, & pacem cum ſociorum damno ineunt. Atqui eadem hîc ratio eſt. Bellum etenim hoc Deus ipſe in prima rerum origine ſanciuit, quando dixit, ſe inimicitias poſiturum inter ſerpentem &

tem & mulierem & inter vtriuſque ſemen. Atqui mulieris ſemen, de quo illic agitur, propriè quidem eſt Chriſtus: ſed huic ſubſunt omnes Dei filij, qui illius membra dici ſolent. *Gene. 3.* Cùm ergo pugna indeſinens ſit inter Chriſtum & diabolum, neque inter iſtos vlla communio aut ſocietas eſſe poſsit: æquum fuerit, vt illius membra quoque ſub ſuo capite & Imperatore aduerſus eundem hoſtem perpetuò dimicent, neque vllam cum eo pacem aut communionem habeant. Cur enim Chriſti miles in diaboli caſtris & ſub huius ſignis conſpiciatur? Quomodo item Chriſtiani hominis nomine ampliùs cenſeri merebitur, qui diaboli ſocietatem colit, cum quo Chriſto nihil commune eſſe poteſt? Hic enim humani generis ſeruator eſt, diabolus autem hoc perditum cupit. Chriſtus Patris ſui voluntatem nobis manifeſtauit, at hanc diabolus obſcurare & ſupprimere ſatagit. Chriſtus veritas & lux eſt, diabolus autem mendax & tenebrarum princeps. Chriſtus ſeipſum noſtræ redemptionis cauſa in mortem tradidit: diaboli autem ſtudium eſt, vt in peccato & morte nos detineat. Chriſti Spiritus eſt ſanctus, purus & omnis boni author: diaboli ſpiritus impurus & obſcœnus, ad ſcelera & vitæ impuritatem impellit. Deniq; quò diligentius vtriuſq; ſtudia & ingenium conſideramus, eò clarius patebit quàm inter ſe diſsimiles & contrarij ſint. Officij ergo noſtri fuerit aduerſus diabolũ dimicare, ſiquidem Chriſti diſcipuli & membra eſſe velimus. Perfidi enim in Chriſtum ſunt, quoquot ſeſe diaboli ſeruitio mancipant: eoq; deteſtabilior eſt eorum perfidia, ſi interea Dei opem aduerſus eum hoſtem implorent, cum quo iampridem fœdus & pacem fecerunt.

At quoniam nullum ad hoſtem deuincendum ſtratagema vtilius eſt, quàm ſi armis proprijs exuatur, aut ne illis vti poſsit impediatur, nobis quoque videndum erit, vt diabolo arma præripiamus, quibus nos potiſsimum oppugnat. *Arma præripi debent diabolo.* Sunt hæc (vt nuper diximus) caro noſtra, intellectus & ſapientia humana, cogitationes item noſtræ, & mundi huius exemplum cum omnibus ijs, quæ in mundo iucunda & ſuauia habentur. Hìc ergo neceſſe fuerit, vt iſta aut in noſtram poteſtatem redigamus, aut aduerſus ea ſic armemur, ne nobis nocere queant. A nobis ipſis ergo pugnam hanc exordiri oportet, vt nimirum propriam carnem domemus & mortificemus, ne per ſuas cupiditates nobis dominetur. Deinde intellectum & rationem carnis ſub fidei obedientiam cogi neceſſe eſt, ne noſtris placitis ducamur, ſed ab vno Dei verbo pendeamus: imò ſuſpectum nobis eſſe debet, quicquid noſtra ratio nobis ſuadet aut conſulit. Cogitationes autem cordis noſtri frænari debent, ne poſt carnis deſideria vagentur. Adhæc de mundo rectè iudicare diſcamus, quòd nimirum (vt Ioannes inquit) totus in malo iaceat, & à Dei Regno auulſus diabolo ſeruiat. *1. Ioan. 5.* Hos qui intelligunt, eius exemplum abominari potius quàm ſequi ſolent. Cogitemus item diligenter, quàm incerta & fallacia ſint, quæcunque mundus præclara & pretioſa æſtimat, vt pote opes, honores, voluptates & quæ alia ſunt huius generis. Nam qui iſtorum lubricitatem agnoſcunt, non multum diabolo per illa eos ſollicitanti tribuent. Adhæc omnes peccandi occaſiones vitare conuenit. Quò referri debet concupiſcentia oculorum, quibus ferè accendimur, vt illicita cupiamus & perpetremus: vt in Dauide apparet, cui diligentior Bethſabæ lauantis contemplatio adulterij cauſa fuit, & ideo poſtea omnes monuit, vt oculos auertant, ne videant vanitatem. Quod qui ſtudioſè faciunt, ij aduerſus Satanam multum præſidij ſibi acquiſiuerunt. Eadem aurium quoque & linguæ ratio eſt, quas cuſtodire oportet, ne colloquia laſciua cum quoquam inſtituamus, aures verò occludamus ad omnia, quæ inhoneſta & turpia ſunt. Veriſsimum enim eſt, quod ex Menandro Paulus annotauit, prauis colloquijs bonos etiam mores corrumpi. *1. Cor. 15.* Imò quæ ipſi turpia & obſcœna dicimus, animos noſtros malis deſiderijs accendunt, ex quibus cogitationes fœdæ, & tandem ſcelera quoque aperta oriuntur. Nec temere Iacobus linguam igni confert, qui ab inferis ſuccendatur, & omnia noſtra corrumpat. Et alibi dicit ſcriptura: Qui videre cupis dies bonos, linguam ſuam cuſtodias, &c. *Iacob. 3.* Imprimis autem procul excludendæ ſunt cantilenæ obſcœnæ de ſtupris, adulterijs & ſcortandi licentia. *Pſalm. 34.* Hæ enim eò plus nocent, quò magis Muſicæ lepore & vi commendantur. Similiter veſtitus ratio habenda eſt. Nam ſi is ad luxum faſtum & libidinem factus fuerit, tam nobiſipſis quàm alijs multorum ſcelerum occaſionem præbet. Quæ cauſa eſt, quòd Prophetas & Apoſtolos non puduit de hoc præcepta dare, & luxum eius publicè accuſare. Multum quoque conducet, ſi in cibo & potu temperantes ſimus, ne per ebrietatem ratione omni extincta carnis deſiderijs habenas laxemus. Sunt enim quotidiana exempla, quæ ſatis docent, quantam ſcelerum ſegetem ebrietas pariat.

Prouerb. 23. Nam vt vulgo dicitur, vino illabente ratio & ſapientia expellitur, & tunc (vt Solomon ait) oculi alienas formas ſpectare incipiunt, tunc cupiditatibus prauis accendimur, tunc lingua ſermones ineptos & obſcœnos effert, tunc rixæ, pugnæ, cædes naſcuntur, & infinita alia fiunt à pietate & Chriſtiani hominis officio aliena. Vitetur præterea otium, quod multorum ſcelerum occaſionem præbet. Quia enim hominis ingenium eſt, vt quieſcere omnino non poſsis, niſi honeſtis aliquibus ſtudijs atq; actionibus occupetur, ad inhoneſta & illicita delabitur. Quæ cauſa eſt, quòd non ſcripturæ modò ſacræ otium damnant, ſed apud gentes quoque in bene conſtitutis ciuitatibus, otioſis pœnæ olim conſtitutæ fuerunt. Et hæc præcipua ſunt, quæ in hoc tentationum certamine diligenter obſeruari debent, ne à diabolo noſtris proprijs armis vincamur.

Arma Chriſtianorum. Cæterùm vbi hæc fecerimus, vlterius nos progredi oportet, vt arma quoque paremus, quibus hoſtem repellere & omnino deuincere poſsimus. Quæ verò illa ſint, paucis & perſpicuè Paulus docet, Locus Epheſ. VI. ad Epheſios ſexto cap. ſic ſcribens: Aſſumite vniuerſam illam armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere tempore aduerſo, & omnibus confectis ſtare. State igitur lumbis circuncinctis veritate, & induti thorace Iuſtitiæ, calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis: aſſumpto inſuper ſcuto fidei, quo poſsitis omnia iacula Mali illius ignita extinguere. Galeam item ſalutis accipite, & gladium Spiritus, hoc eſt, verbum Dei: Omni prece & ſupplicatione precantes omni tempore per Spiritum, & illi ipſi rei inuigilantes cum omni perſeuerantia & ſupplicatione, &c. Armaturam Dei nobis Apoſtolus monſtrat, ideo nimirùm, quòd hoſtis iſte nulla humana & externa vi, ſed ſolius Dei virtute vincitur. Armaturam verò illam diligenter per partes deſcribit. Primò enim lumbos circuncingere iubet veritate. Hæc igitur Chriſtianorum hominum balteus militaris, adeoque ordinis equeſtris & veræ nobilitatis inſigne eſt: & prima ordine collocatur, quia vbi illa locum habet, ibi Satan mendacij pater nihil poteſt proficere dolis & fraudibus ſuis, quæ per veritatis lucem facilè diſcutiuntur. Secundò thoracem iuſtitiæ induere iubet, quo nomine non aliud quàm meritum Ieſu Chriſti, qui noſtra iuſtitia eſt, intelligere debemus. Opus autem thorace iſto, quia non alia conſolatio efficacior eſt, ſi quando admiſſorum ſcelerum & innatæ vitioſitatis conſcientia nos diabolus oppugnat, & nos tam victos eſſe perſuadere conatur, eò quòd natura peccatores, & propter peccatum damnationi obnoxij ſimus. At ſi Chriſti meritum fide apprehēderimus, hunc eius ictum facilè eludemus, & cum Paulo dicere licebit: Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis ergo qui condemnet? Tertiò vt pedes calceatos habeamus monet Euangelio pacis. Pedes enim affectuum typus ſunt, eò quòd his tota hominis vita, perinde vt corpus pedibus, ducitur & regitur. Ac illi quia natura praui ſunt, coerceantur & in ordinem redigantur oportet. Id verò per Euangelium fit, quo totus homo vnà cum intellectu & affectibus ſuis fidei obedientiæ ſubijcitur, ne ſecundùm carnis ſuæ deſideria, ſed ſecundùm Dei verbum ambulet. Et ideo Euangelium pacis dicitur, quòd non ſolum pacem Dei nobis annunciat & offert, verumetiam in illa nos conſeruat, ne rurſus filij iræ efficiamur. Quartò cum Satan tentationibus acutiſsimis interdum nos infeſtet, quæ cogitationes & cupiditates varias & periculoſas in nobis accendunt, ſcutum fidei apprehendere iubet Apoſtolus, quod ad reſtinguēda diaboli iacula abunde ſufficit. Nam ſi in Deum verè credimus, deſperatio apud nos locum nullum inueniet, vtut tandem res huius ſeculi cadant. Neq; etiam de eius præceptis dubitabimus, ſed ea pro bonis, iuſtis & ſalutaribus agnoſcemus; ideoq; illa non impudenti & impia temeritate tranſgrediemur. Quintò galea ſalutis munitos eſſe conuenit, quæ non alia quàm Chriſtus eſt, quem alibi caput noſtrum ſcriptura vocat. Ipſe enim nobis vitam largitur, huius ſpiritum ſingulis membris diſtribuit, & ſimul nos aduerſus omnes diaboli atq; mundi aſſultus tuetur. Sextò gladium Spiritus nobis Paulus tradit, quo Satan vulnerari & omnino repelli ſolet. Eſt ille verbum Dei, quo ſi quis inſtructus fueris, & ipſum in omni tentatione vibraueris dexterè, nullus porrò Satanæ locus relinquitur, ſed arena cedat oportet. Exemplo nobis ſit Chriſtus, qui cum in deſerto tentaretur, hoc vno gladio pugnauit & vicit. Hunc ergò imitemur, & quoties aliquid ſuggerit Satan, mox quid Deus loquatur & iubeat, quidue nobis promittat videamus, & mox hoſtis illius machinationes prorſus inanes & inefficaces eſſe patebit, etiamſi victoriam iam in manibus habere videatur. Exempli gratia, ſuggerit ille, te poſthac Deo non curæ fore, ſed periturum omnino propter peccata tua. Huic ſuggeſtioni verbum Dei opponito, quo docemur, illum velle, vt omnes homines

ſalui

ſalui fiant, & in veritatis cognitionem veniant. Et quod ipſe dixit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Rurſus obijcit ille quadruplator, Chriſtum quidem mundi ſeruatorem eſſe, ſed eius meritum nihil ad te pertinere, qui & pluribus & grauioribus peccatis, quàm reliqui homines obnoxius ſis. Huic calumniæ Chriſti dictum oppono: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos refocillabo. Item: Neminem qui venit ad me, eijciam foras. Quòd ſi autem hoſtis ille improbus blanditijs peccatorũ te capere conetur, dum ea mirificè extenuat, tunc Decalogi præcepta, legis item promiſsiones atq; minas in mentem reuocabis, quæ fucum illum mox abſtergent, vt peccati atrocitas tota tibi pateat. At cùm noſtræ vires in hoc certamine nullæ ſint, neq; etiam armis iſtis prout decet vti ſciamus, poſtremò ad preces & ſupplicationes nos Paulus remittit, & in his aſsiduos eſſe iubet. Quia verò de his iam abunde dictum eſt, & Chriſtus vltima hac petitione idem nos docet, non opus fuerit plura in præſenti addere.

1.Tim 2.
Ezech.18.

Quòd ſi petitionem hanc ad hunc modum expendamus, & ſimul noſtrum conſideremus officium, mox apparebit, quàm variè hîc peccemus, dum multa facimus, quæ illi omnino aduerſantur. Præ alijs tamen hac confutantur duo hominum genera. Primum eſt eorum, qui abſque iuſta & graui cauſa ſeipſos tentationibus periculoſiſsimis immergunt, vt affectuum libidini ſatisfaciant, cùm interim precentur, ne Deus ipſos in tentationem inducat. In hoc genere ſunt, qui quæſtus cauſa ad eos commigrant, inter quos fidem in Chriſtum profiteri non licet, & à quibus ad fidei abnegationem atq; idololatriam coguntur. Deinde ij quoque, qui cùm certam habeant vocationem, in qua Deo liberè & tutò ſeruire poſſunt, illam tamen temere deſerunt, & non vocante Deo ad aliud vitæ genus tranſeunt, quod periculi plenum eſſe non ignorant, & in quo quotidie variè & grauiter admodum tentantur. Quibus illos addito, qui improborũ conſortijs ſeſe immiſcent, à quibus ad intemperantes comeſſationes, aleam infamem, contemptum verbi Dei, ſcortationẽ & alia flagitia ſolicitantur. Deniq; ad hoc genus pertinent, quotquot ab illis non abſtinent, per quæ diabolo occaſionem nos tentandi dari audiuimus, & ita hoſti arma ipſi tradunt, quibus in hoc certamine vincantur.

Arguuntur qui ſeipſos tentationibus obijciunt.

Alterum genus omnes eos comprehendit, qui alijs ſcandalum dant, ſiue verbis obſcœnis, ſiue ad libidinem prouocandam compoſitis cantionibus, ſiue impudicis geſtibus, veſtitu deniq; & totius vitæ ſuæ exemplo. Quid autem vtriq; aliud faciunt, quàm quòd precationem hanc ſibijpſis luſum iocumq; faciunt, & cum Deo impudenter ludunt? Nam tam ſuo quàm aliorum fidelium nomine clamant: Ne inducas nos ô Pater, in tentationem, ſed libera nos à malo. Simul autem ſeipſos periculis peccatorum obijciunt, & alijs quoq; authores ſunt non ſolùm tentationum, verumetiam maximorum ſcelerum. Sunt hi petulantium nebulonum ſimiles, qui in aquis periclitãtes opem ſibi ferri magnis clamoribus contendunt, interim verò ſponte ſeſe in profundiſsimos vortices præcipitant, & alios ſecum in periculi ſocietatem trahunt. Vt verò hi indigni ſunt quibus ſuccurratur: ita illis quoque minimè ſperandum eſt, quòd ipſos Deus ſit exauditurus in precibus iſtis, quæ non preces dici merentur, cùm his Deum ſimul & homines ludibrio habeant. Quapropter quod in alijs petitionibus monuimus, omni ſtudio nobis annitendũ eſt, ne quid hic petulanter aut cũ hypocriſi fiat, ſed vt in Dei conſpectu animi intentio cum ore aut labijs conſentiat, & actiones noſtræ omnes precibus reſpondeant.

Contra ſcandalorum authores.

Reſtat Orationis Dominicæ concluſio, quæ à Luca omiſſa, apud Matthæum talis habetur: Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen. Quæ verba huc probè conueniunt, & conſolationem habent dulciſsimam, quæ de multis cognitu & obſeruatu neceſſarijs nos admonet: Primò enim Deus his celebratur, quod inter precandum ſemper fieri debet, ſicut ipſe docet in Pſalmo dicens: Tempore afflictionis inuoca me, & liberabo te, tu autem me glorificabis. Veruntamen hîc ea modò attributa Dei cõmemorantur, quæ in toto hoc negotio præ alijs conſideratu vtilia & neceſſaria ſunt. Tribuitur enim illi Regnum, in cœlo videlicet & in terra, cùm omniũ creator ſit & dominus. Id verò nos plurimùm ſolatur aduerſus diaboli potentiam atq; minas, quibus ita ſeſe oſtentat, quaſi ad ipſum pertineat omniũ regnorum huius mundi dominium. At quod hic dicitur cum tota Scriptura conuenit, quæ paſsim regnũ Deo tribuit. Dauid enim ait: Domini eſt regnũ, & ipſe dominatur gentibus. Item: Dominus in cœlo parauit thronũ, & regnũ eius dominatur in omnibus. Deinde potentiã quoq; illi tribuimus, ne quis regnum eius infirmum eſſe putet, aut quòd principum huius ſeculi ſimilis ſit, qui inanibus titulis ſuperbi, eorum quoq; regnorum dominos ſeſe iactant, quæ nunquam viderunt,

Δοξολογία & eius vſus.
Pſalm.50.
Pſalm.22. & 103.

& in quibus poteſtatē non habent aliquam. Non ea Patris noſtri cœleſtis conditio, qui potentia inſtructus, adhæc æternus & vbiq; præſens eſt. Præterea gloriam & maieſtatem quoq; ei aſcribimus, quo & eius potentiam amplius prædicamus, ſimulq́; teſtamur, ipſi omnē gloriam, honorem & maieſtatem deberi, cùm ab ipſo originem ducat omnis potentia, gloria & quicquid in cœlo & in terra boni eſt. Poſtremò fatemur, eum iſta habere in ſæcula, id eſt, in æternum. Vt enim Deus quoad eſſentiam ſuam æternus & nulli corruptioni obnoxius eſt: ita regnum quoque & potentia & maieſtas eius, & quæcunq; alia de ipſo prædicantur, æterna ſunt, neq; vnquam vel mutantur vel minuuntur. Ideo David dicebat: Regnū tuum regnum æternum eſt, & imperiū tuum durat in omnia ſæcula. Pſal. 145.

Precandi fiducia confirmatur.

Plurimum vero iſta faciunt ad fidei noſtræ confirmationem aduerſus diaboli inſidias atq; machinationes, cuius hoc vnicum ſtudium eſt, vt Regnum Dei inter nos totum euertat. Quoties ergo de huius ſtabilitate dubitare incipimus, tunc huius concluſionis memores dicamus: Fatemur quidem ô Pater, nos indignos eſſe, qui Regni tui & tantorum bonorum, quæ abs te petimus, participes efficiamur: at cùm tuæ gloriæ rationem habere ſoleas, illa non negabis, ne quid tuo Regno, tuo nomini & maieſtati tuæ decedat, etc. Eſt autem hoc magnum argumentum dignitatis filiorum Dei, fiduciæ item, qua aduerſus mundi furores atq; minas nituntur. Nam ipſi fatentur, & quidē per Ieſum Chriſtum ita edocti, quòd Patrem in cœlis habeant, cui omne regnum, omnis potentia, gloria & maieſtas
Prouc. 21. *in æternū debetur: Qui item (vt Solomon & omnis Scriptura teſtatur) Regum corda in ſua manu*
Dan. 2. 7. *teneat, Reges conſtituat & è ſolijs ſuis deturbet, regna deniq; pro ſuo arbitrio mutet & transferat.*
Pſalm. 113. *Cur ergo aliquem timeant Chriſti cultores? Cur Regum minacibus edictis terreantur, cùm hi ipſi Deo ſubiecti ſint, neq; vires ſuas longius, quàm ille permiſerit, poſſint extendere?*

Officium principum.

Præterea ſui quoq; officij principes & magiſtratus omnes admonētur: ne ſcilicet authoritatis & potentiæ ſuæ fiducia elati ſuperbiant, ſed meminerint regnum omne & iudicium (vt Ioſaphat olim
2. Par. 19. *dicebat) Dei eſſe: qui illos ad tantum honorem & potentiam euexerit, non vt pro ſua libidine agant, ſed vt ipſius iudicia enuntient, populum piè & ſanctè regant, cultū verum proueha nt, pacem pub-*
Pſalm. 82. *licam ſedulò tueantur. Meminerint item illum vbiq; præſentem, imò medium inter illos adeſſe, conſilia & ſententias eorum audire, & quòd ipſi olim ſuæ functionis rationē reddituri ſint in magno illo die, quo omnia regna huius mundi ceſſabunt atq; abolebuntur, & Filius Dei Regnum Patri tradet,*
Exod. 5. *vt ſit Deus omnia in omnibus. Nimiū ergo feroces & barbari, imò impij ſunt, qui (vt Pharao olim) hunc Dominum & Deum ſuum non agnoſcunt, & ſibijpſis omnem poteſtatem vendicant, quaſi liberum ipſis ſit quoſuis pro ſua libidine tractare. Sentient illi aliquando non ſine magno ſuo malo, quòd qui oculum creauit, & aurem finxit, ſimul etiam ipſe omnia videat & audiat, adhæc Deus vltionum ſit, qui tyrannidem & populo ſuo factas iniurias impunitas abire non ſinat.*

AMEN.

Poſtrema Orationis noſtræ pars eſt particula, Amen. Eſt hoc vocabulū Hebraicum, quo ſuū conſenſum teſtabantur olim in iis, quæ maximi momenti erant, & ad omnes ex æquo pertinebant, vt apud Moſem eſt videre. Cùm enim ille minas atq; maledictiones Dei populo ex ordine pronuntiaret,
Deut. 27. *hic ad ſingulas reſpondere iubebatur, Amen. Idem in libro Nehemiæ habetur, quando Eſdras librū*
Nehe. 8. *legis populo recitauit. Et ex priori ad Corinthios patet, olim hunc Eccleſiæ morē fuiſſe, vt populus eam cōciones ſacras quàm preces publicas huius particulæ acclamatione confirmaret. Quem morē in Romana eccleſia adhuc D. Hieronymi ſeculo obſeruatum fuiſſe, ipſe in proœmio lib. ſecundi cōment. ad Galat. teſtatur his verbis: Vbi ſic ad ſimilitudinē cœleſtis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Senſus vocis eſt: Ita fiat, vel, Hoc ratum eſto. Vſus autem eius in precibus duplex eſt. Primo ardens animi noſtri deſideriū teſtamur, quo ea impetrare cupimus, quæ poſtulamus. Deinde fidē noſtram quodāmodo confitemur, eam videlicet nos de Dei bonitate ſpē & fiduciā concepiſſe, vt nō dubitemus nos ea accepturos eſſe, quæ ex eius mandato & iuſſu petimus. Itaq; hæc etiam particula nos noſtri officij admonet, vt nimirum ex toto corde & fide certa atq; conſtanti precemur. Quomodo enim poterimus ſub finem hanc conſenſus & fidei noſtræ ſignificationē adijcere, ſi abſq; animi deuotione verba precationis ita profundimus, vt ne ipſi quidem quid dixerimus, poſſimus meminiſſe? Et qui ita orant, fiducia certa niti non poſſunt, & proinde nullum ex ſuis precibus fructum percipiunt, cùm ſola fides eas Deo gratas & acceptas reddat, vt alibi prolixè docuimus.*

Paraphraſtica Orationis Dominicæ expoſitio.

Iam ergo expoſita eſt à nobis, prout per gratiam à Deo datam potuimus, precatio tota, quam Dei Filius tradidit. Didicimus autem, vt ea vti debeamus, & de quibus nos ſingulæ eius partes admoneant.

admoneant. Quapropter loco concluſionis ſimul omnes ex corde & fide firma oremus: O Pater noſter, qui in cælis habitas & omnipotens es rerum dominus, ex ſingulari autem gratia eò vſque te demiſiſti, vt noſter Pater eſſe digneris, quos in Filio tuo vnigenito adoptauiſti: Da quæſo, ne nomen tuum per nos prophanetur, ſed vt potius illud noſtris cùm dictis tum factis ſanctificemus, et inter homines illuſtrius reddamus. Quod vt fiat, tu cum tuo Regno ad nos venias, vt per hoc diaboli illud infelix regnum deſtruatur, cogitationes prauæ ex cordibus noſtris auferantur, cupiditates noxiæ reſtinguantur, noſque toti vt bonæ indolis filij ſub tuam obedientiam redigamur. Sentimus quidem hoc carni noſtræ acerbum videri, præualet tamen in nobis tuus Spiritus, quo duce tuæ voluntati nos ſubmittere cupimus. Ne ergo ô clementiſſimè Pater nobis fraudi ſit caro hæc improba, ſed da potius, vt quemadmodum cæleſtes ſpiritus tibi obediunt, ita nos quoque abſque murmure & omni contradictione tua voluntate delectemur, & illi obtemperemus ſedulò. Quia verò ad hoc præſtandum infirmiores ſumus, & inſuper corpora quoq; noſtra multis indigent, tu quæſo animas noſtras paſce & confirma merito Filij tui Ieſu Chriſti, qui panis vitæ eſt, & ſimul ea quoq; largitor, quibus in hoc ſeculo opus habemus, ne inopia impatientia ſuperati illa alibi quæramus, relicto te, omnis boni fonte atq; authore. Fatemur equidem nos indignos eſſe, quibus bona tanta largiaris, cùm tuam Maieſtatem tot peccatis & ſceleribus offenderimus. Veruntamen cùm Filius tuus vnigenitus pro nobis non ſolùm fideiuſſerit, verumetiam ſatisfecerit, in nobis verò quod præterea demus, nihil ſit: remitte obſecro nobis debita noſtra, & Filij tui meritum noſtræ ſatisfactionis loco ſuſcipe, quò vno fidimus, vt quem tu noſtram iuſtitiam & ſatisfactionem eſſe voluiſti. Vouemus autem & pollicemur, quòd ipſi quoq; tuæ bonitatis exemplũ ſecuti omnibus ijs ignoſcere velimus, qui nos offenderunt. Scimus enim te ipſiſſimam charitatem eſſe, & proinde inter tuos filios æmulationem, inuidiam, odium & ſimultates ferre non poſſe. Quoniam autem homines ſumus affectibus varijs obnoxij, & à Satana aſſiduè tentamur, in quo certamine tam caro propria quàm mundus hic ſuo exemplo nobis plurimum negotij faciunt, tu ô Pater cauſam noſtram ſuſcipe, tu viribus & armis malè firmos nos inſtrue, ne tentationibus vllis ſuccumbamus. Non otium ignauum petimus, neq; vt ab omni tentatione immunes ſimus precamur (ſcimus enim te res noſtræ ſalutis ergò ita inſtituiſſe) ſed vt nos conſtantia & fortitudine dones rogamus. Armato igitur nos tui Filij iuſtitia, baltheo veritatis lumbos & renes noſtros conſtringe, deduc nos in ſemitis Euangelij pacis, galea ſalutis capita & animas noſtras defendito, da ſcutum fidei, quo Satanæ tela excipere & reſtinguere poſſimus, et vt gladio Spiritus feliciter vtamur nos inſtrue. Deniq; tùm nos ex diaboli tyrannide redemeris incomparabili ſanguinis Filij tui vnigeniti pretio, porrò etiam nos ſeruato, ne illi iterum præda fiamus. Nam etſi hic noſtra potiſſimum res agatur, tamen vt hæc fiant tua quoque intereſt. Tuum enim eſt omne Regnum, tua eſt omnis potentia, tua eſt omnis gloria & maieſtas. Cur ergo paterere, vt huis propter nos aliquid decederet? Itaque exaudi nos ô Pater, & da vt preces noſtræ ſint Etiam & Amen, propter Filium tuum, Ieſum Chriſtum, cui vnà tecum & cum Spiritu ſancto, debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXIII.

Dixit etiam eis: Quis veſtrûm habebit amicum, & proficiſcetur ad eum media nocte, & dicet ei: Amice, da mihi mutuò tres panes: quoniã amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam ei: & ille intus reſpondens dicat: Ne mihi moleſtiam exhibe: iam oſtium clauſum eſt, & pueruli mei mecũ ſunt in cubili: non poſſum ſurgere & dare tibi. Dico vobis, etiamſi non dederit ei ſurgens, eò quòd amicus eius ſit, at certè propter importunitatem eius ſurget, ac dabit ei quotquot ſunt ei opus. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit inuenit: & pulſanti aperietur. Ecquis autem ex vobis pater, ſi filius petierit panem, lapidem ei dabit? aut ſi piſcem, num pro piſce da-

bit ei ſerpentem? aut ſi petierit ouum, num dabit ei ſcorpium? Si vos igitur cùm ſitis mali, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum ijs, qui ab eo petierint?

AVdiuimus hucuſque orandi formulam, quam Chriſtus Ieſus primò quidem ſuis diſcipulis, deinde verò per horum miniſterium nobis quoq; tradidit. Comprehendit ea paucis, quæcunq; tam corporum quàm animarum ſaluti ſeruiunt: & ſimul nos dignitatis noſtræ admonet, quam Dei Filius nobis ſuæ mortis merito reſtituit: Vt nimirum nobis iam liberum ſit in Dei conſpectum venire, illum Patrem noſtrum dicere, & ab illo hæc tanta bona petere, ad quæ percipienda, ſi noſtram naturam & conditionẽ conſideres, neq; digni neq; idonei ſumus. Quia autem in precibus (vt iam ſæpe diximus) primùm fide certa & conſtanti, deinde perſeuerantia opus eſt, vtrumque verò iſtorum varijs tentationibus oppugnatur, & interdum ita euertitur, vt vel dubitemus de Dei bonitate & auxilio, vel à precibus, tanquam inutilibus & ſuperuacaneis, prorſus abſtineamus: non temere Dominus noſter Ieſus Chriſtus tractationem hanc omnem hiſce verbis, quæ modò recitauimus, concludit, quibus præcipuas remoras è medio tollit, quibus inter precandum impedimur. Prima eſt, quòd interdum cogitamus, Deum pluribus & grauioribus negotijs occupatum eſſe, quàm vt noſtri & rerum noſtrarum curam ſuſcipiat. Quæ perſuaſio, ſi in animos hominum confirmetur, non preces modò impedit, ſed ſimul veram Dei cognitionem, huius timorem, religionem deniq; omnem paulatim extinguit. Altera, quòd noſtræ conditionis miſeræ & modis omnibus corruptæ conſideratione perculſi, nos indignos eſſe putamus, quos exaudiat Deus, & proinde preces eſſe inutiles. Vtrique huic remoræ Chriſtus in præſenti parabolis elegantiſſimis occurrit, quibus partim noſtram conditionem atq; ſortem perſpicuè adumbrat, partim Dei ingenium & naturam depingit, & quomodo is erga nos affectus ſit, docet. Finis & vſus omnium eſt, vt poſthabitis impedimentis omnibus, preces noſtras fide conſtanti & inuicta perſeuerantia in Dei conſpectum proferamus.

Deus non ita alijs occupatus eſt, ut nos negligat.

Petit autem Chriſtus parabolas iſtas pro ſuo more ex rebus vulgò notis, vt & melius res intelligatur, & firmius memoriæ inhæreat. In prima enim duos amicos ſiue vicinos inducit, qui ita erga ſe inuicem affecti ſint, vt ſi alteruter vel media nocte ab altero propter improuiſum hoſpitis aduentum panem petere cogatur, is eos illi minimè ſit negaturus. Imò (inquit) etſi amicitiæ non tantam haberet rationem, illius tamen importunitate ſe moueri pateretur. Iſta precibus noſtris accommodans, Deum eodem erga nos affectu præditum eſſe, docet: amicum enim nobis eſſe, & proinde licet aliquando noſtri curam abieciſſe, aut longè alijs negotijs occupatus eſſe videatur, exauditurũ tamen preces noſtras, & ea daturum, quæ vel corpori vel animæ vtilia & neceſſaria ſunt. Et parabolæ exhortationem ampliſſimis promiſſionibus confirmatam ſubijcit, quò minus dubitemus: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis, &c. Vt autem hinc plus conſolationis percipiamus, ſingulas parabolæ circunſtantias vnà cum eius explicatione expendemus.

Conditio hominis in hac uita.

Primus amicus, cui ex improuiſo hoſpes media nocte aduenit, quemuis fidelem aut Chriſtianum adumbrat, & per eum Chriſtus docere vult, quæ noſtrum omnium ſors ſit atque conditio. Vt enim ipſi in terris peregrini & hoſpites ſumus: ita nobis quotidie omnis generis hoſpites adueniunt, à quibus ferè ex improuiſo obruimur, adeò vt nobis ſecuritatem aliquam nunquam poſſimus polliceri. Eiuſmodi hoſpites primùm ſunt afflictiones omnis generis, & imprimis morbi, quos nos Germani vulgo hoſpites dicere ſolemus. Eadem eſt omnium aduerſorum ratio. Ita vel ſubitò irruens vel ſenſim obrepens paupertas, hoſpes eſt: quod ipſum de bello, peſte, rerum caritate & omnibus alijs dici poteſt. Imò nomen iſtud mors ipſa meretur, quæ plerunque non inuitata à nobis ex improuiſo adeſt, vt nos ipſos depaſcatur. Hoſpites deinde nominantur praui affectus & noxiarum cupiditatum illecebræ, quibus nos Satan ad peccata & ſcelera ſolicitat. Ratio nominis eſt, quòd fere initiũ aliunde ſumunt, deinde verò in corrupta & vitioſa noſtra natura locum ſiue hoſpitiũ quærunt, vt nos ab ea, quã Deo debemus obedientia abducant. Hoc ſenſu Nathan propheta cupiditatẽ, qua Dauid accenſus adulterij ſcelus cõmiſit, hoſpiti cõfert, cui præter fas & æquum Vriæ vxorẽ epulandã appoſuerit. Et ſanè multos huius generis hoſpites nobis Satan ſubmittit, quãdo per huius ſeculi voluptates, per opũ

& bonorum

& honorum blanditias, per iniurias denique & minas improborum hominum nos ad ſcortandum, mœchandum, vel ad vſuras, ad iram & vindictæ cupiditatem inuitat. Et iſtæ quidem illecebræ ac peccandi occaſiones amici dicuntur, eò quòd mirificis blanditijs ſeſe apud nos inſinuant, & fauſta omnia pollicentur, cùm reuera nocentiſſimi hoſtes ſint, vt qui ſuis blanditijs in peccati laqueos adducunt, & inde ad æternam damnationem & inferos præcipitant.

Tres panes neceſſarij.

Quando autem hoſpites eiuſmodi nobis adueniunt, tunc tribus hiſce panibus nobis opus eſt, de quibus hoc loco Chriſtus loquitur. Primò enim patientia & conſtantia nos confirmari neceſſe eſt, ne vel aduerſorum & afflictionum pondere, vel peccatorum aut cupiditatum noxiarum illecebris nos vinci patiamur. Deinde fides requiritur, quæ dum Chriſtum apprehendit, facit vt huius virtute & merito paſcamur, & eiuſdem Spiritu inter grauiſſima tentationum certamina tuti conſeruemur. Poſtremo conſilio & conſolatione nos ſubleuari oportet, quæ in ſolo Dei verbo certa & ſolida inueniri poſſunt. Hæc niſi nobis adſint, hoſpites illos declinare aut excludere non poterimus, quin procul dubio nobis malum dent. Atqui iſta domi noſtræ non habemus, cùm natura in aduerſis impatientes, in affectuum & cupiditatum illecebris infirmi nimis, adhæc increduli & rerum dubij ſimus. Nulla ergo in nobis conſolatio, nullum conſilium, nullum denique auxilium, quibus niti aut nos ipſos iuuare poſſimus. Docent hoc ſapientiſſimorum atque fortiſſimorum hominum exempla, qui plerunque ſapientia & fortitudine deſtituuntur, quando hoſpites illi improbi ipſis adueniunt.

Deus noſter amicus & vicinus.

Neceſſe ergo eſt, vt amicum aut vicinum habeamus, à quo iſta poſtulemus: Cùm autem eadem ſit omnium hominum ſors atq; conditio, nullus illorum hæc præſtare poterit, & proinde ad Deum nos conuerti & recurrere oportet. Hic amicus noſter dicitur, quia nos diligit, & ſalutis noſtræ appetentiſſimus eſt: deniq; fideliſſimi amici inſtar bona ſua omnia ſic nobiſcum communia habet, vt Filium quoq; vnigenitũ, cùm eo nobis opus eſſet, pro nobis dederit. Itaq; de eius amicitia & fide nullo modo dubitare poſſumus. Idem vicinus quoq; noſter eſt. Nam etſi in cœlis habitet, imò ſupra omnes cœlos (vt Dauid inquit) ſolium ſuum collocarit, demittit tamen ſeſe, vt videat quæcunq; in cœlis & in terra ſunt: adhæc omnia penetrat & vbiq; præſens eſt, vt nemo ab ipſius prouidentia & gubernatione ſeſe ſubtrahere poſſit. Quapropter vbicunq; locorum fuerimus, rectà ad illum confugere, & eius opem atq; auxilium implorare poſſumus. Et huc eorum exempla referri debent, quos diuerſis in locis exaudiuit: vt Moſis, filiorum Iſraelis, Dauidis, Eliæ, Ionæ, Danielis, & multorum aliorum, quorum alij in altis montibus, alij in vallibus & locis deſertis, alij ad maris littora, vel etiam in huius abyſſo, alij inter medios leones aut alijs locis incõmodiſſimis Dei opem inuocauerunt, & hunc ſibi propinquum aut vicinum eſſe experti ſunt. Ideo Dauid dicebat: Deus mihi aſtat à dextris, & Dominus propè adeſt omnibus, qui ipſum inuocant. Eſt hæc certa & efficaciſſima conſolatio in omni afflictionum genere. Nam etſi ab hominibus vniuerſis, adeoq; à parentibus quoq; noſtris (vt idem Dauid ait) deſeramur, Deo tamen amico & vicino tanto vti poſſumus, qui & ſemper nobis adeſt, & ſe à nobis inueniri gaudet, vt ſuo conſilio & auxilio in tentationibus ſubleuemur.

Pſalm. 146. & 27.

Deus interdum dormire videtur.

Cæterùm accidit interdum, vt Deus oſtium ſuum nobis occluſiſſe, & inſuper dormire videatur: quando nos cum diuturnis miſerijs & afflictionibus ſubinde conflictari patitur, adeò vt nullum vſpiam auxilium, & ne ſpes quidem alicuius liberationis appareat. Et tunc omnes quoque pueruli Dei dormiunt, id eſt, omnes creaturæ, quoad nos, quieſcunt & ceſſant, quibus alias adiuuari poteramus. Exempla huius rei manifeſta habemus in morbis diuturnioribus, quibus ea quoque remedia nequicquam adhibentur, quibus multi alij ſeruati ſunt. Sic multis in egeſtate agentibus nulla induſtria, nullus labor ſufficit, vt ex illa emergant. Similiter in bellis ſæpe omnia fallunt, ex quibus præſens auxilium ſperabatur. Vbi tamen minimè putabimus, Deum vel dormire reuera, vel rerum adminiſtrationem interdum ad tempus deponere. Nec enim Baalis aut Deorum gentium ſimilis eſt, qui vel dormire, vel ad Æthiopum epulas proficiſci, vel amoribus indulgere, & interea res hominum negligere à poetis finguntur: Sed ſui ſemper ſimilis eſt tam quoad eſſentiam ſuam, quàm huius mundi & omnium, quæ in eo geruntur adminiſtrationẽm: & neque ſomno opus habet, cùm nunquam defatigetur: neque ex loco in locum alium mouetur, cùm cælum & terram impleat: ſed neque obliuio rerum aut negligentia in eum cadere poteſt, qui ipſiſſima ſapientia eſt, & cuius oculi per totam terram diſcurrunt. Sed interdum perinde facit, ac ſi noſtri immemor ſit, quando vel pro-

propter delicta noſtra, pro vt meruimus, vel quòd ita nobis vtile & neceſſarium ſit, nos diutius affligi atque tentari ſinit, vt nos à ſomno & veterno carnis excitet, vt in noſipſos deſcendamus, officium noſtrum attentius conſideremus, vitia emendemus, carnem denique cum ſuis cupiditatibus mortificatam coerceamus.

De Dei beneficentia bene ſperandum.

Quapropter non ſtatim ſpem omnem abijcere debemus, quaſi nos Deus prorſus dereliquerit: ſed vt de amico eam ſpem concipimus, vt ne media quidem nocte opem & auxilium petentibus quicquam negaturus ſit: ita multò magis de Deo ſperandum eſt, apud eum nos nequaquam repulſam paſſuros eſſe, quacunque tandem hora ipſum inuocemus: & quàmuis aliquandiu opem interdum differat, opportuno tamen tempore daturum quæcunque nobis ad corporis & animæ ſalutem neceſſaria ſunt. Quia enim cœlum & terram cum omnibus quæ his continentur propter nos condidit, nullis alijs negotijs occupari poterit, quæ illum noſtri immemorem reddant. Quin potius, ſi ita opus ſit, creaturas omnes in noſtrum auxilium excitabit, & vniuerſam huius mundi gubernationem ad eum finem diriget, vt noſtræ ſaluti cum hîc tum in futuro ſeculo conſulatur. Et huc parabolæ huius pars poſtrema referri debet, in qua Chriſtus ait: Dico vobis, etiamſi non dederit ei ſurgens, eò quòd amicus eius ſit, attamen propter importunitatem eius ſurget, & dabit ei quotquot ſunt ei opus. Quibus verbis docet, rerum noſtrarum conditionem nunquã tam miſeram & calamitoſam fore, quin Deum in noſtrum auxiliũ precibus noſtris excitare poſſimus: ſimulq́ ex nobis ipſis de Deo nos iudicare docet. Quaſi diceret: Videtis in ijs, quæ quotidie accidunt, eos etiam qui ſui commodi & otij amantiores ſunt, precibus importunis & indeſinentibus expugnari poſſe, vt relicto otio, aut etiã negotijs neceſſarijs, amicorum neceſſitati ſubueniant. Quæ ergo ratio foret, non meliora multò de Deo ſperare, qui neque philantiæ vitio laborat, ſed natura mitis & beneficus eſt, neque vllis negotijs, quò minus nos adiuuet, impeditur? Plura vide Luc. 18. cap.

Quomodo procedendum in precibus.

His autem in præſenti grauem exhortationẽ ſubijcit, dicens: Et ego dico vobis: petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Qua exhortatione præterea admonemur, vt preces noſtras inſtituere, & quo ordine in ijs procedere debeamus. Primùm petere nos iubet: nimirũ ab eo, qui ſolus omnis boni fons atq; largitor eſt, Deo. At quia preces noſtræ ob cauſas, quas modò cõmemorauimus, non ſemper illico exaudiuntur, & Deus ſæpe opem promiſſam aliquandiu differt, ſecundo loco, vt quæramus admonet. Quærendi autem verbo diligentiam maiorem requirit, quàm vulgò inter precandũ adhiberi ſoleat. Quo ſenſu Prophetæ nos Deum quoq; quærere, id eſt, eius voluntatem & opem ſummo ſtudio expetere iubent, vt ſolent qui ardentiſſimo rei amiſſæ deſiderio tenentur. Quòd ſi neq; ita aliquid proficiamus, tunc pulſemus oportet. Quo verbo aſſiduitatẽ, adeoq; importunam poſtulandi perſeuerantiam denotat. Singulis autem hiſce verbis peculiarem promiſſionem coniungit, quam paulò poſt ad omnes homines extendit, ne quis eam de ſolis Apoſtolis intelligat. Addit enim: Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Quorum verborũ ſenſus eſt: Quiſquis tandem aut qualiſcunq; ſit homo, ſi in anguſtia & periculo conſtitutus auxilio & liberatione opus habeat, is alacri & fiducia pleno animo ad Deum Patrem cœleſtem recurrat, qui eum minimè repellet. Natura enim propenſus eſt, vt petenti largiatur, quærenti ſe obuiũ præbeat, & pulſanti aperiat. Pertinent huc omnes etiã aliæ promiſſiones, quæ in vtroq; teſtamento hac de re habentur. Similiter exempla quoq; eorum, quibus illud Deus fideliter præſtitit, dum exauditis eorum precibus periclitantes liberauit. At quia hæc in Sermonibus, qui præceſſerunt, adduximus, ea hîc repetere non opus eſt. Hoc ſaltem ex iſta parabola firmiter teneamus, longè aliam Dei conditionem eſſe, quàm multi imaginentur, quaſi grauioribus negotijs occupatus ſit, quàm vt noſtris precibus attendere & res noſtras curare poſſit. Quæ enim iſta negotia eſſe queant, cùm omnes mundi partes, omnes ſpiritus, omnia animalia propter nos creauerit? Noſter item amicus & vicinus eſt, & nos procul dubio exaudit vocantes, etiamſi interdum vel dormire, vel alijs negotijs diſtineri videatur. Tunc verò neq; de eius ope deſperare, neq; precando defatigari, ſed omni ſtudio petere, quærere & pulſare debemus, & ita non ſine fructu id fieri experiemur.

Nemo à precibus abſtineat propter indignitatem ſuam.

Cæterum alia adhuc tentatione oppugnamur, quæ vt Deo diffidamus, & de eius bonitate dubitemus nos mouet. Et hæc (vt ſupra diximus) ex noſtræ infirmitatis & vitioſitatis conſideratione naſcitur. Quando enim cogitamus, nos natura peccatores, & propter peccatum iræ Dei

obnoxios

obnoxios eſſe, mox ſuggeritur aliud quoque animis noſtris: nos nimirum indignos eſſe, qui maxima hæc & ſublimia Dei dona recipiamus, & proinde nullum ex precibus noſtris fructum nobis eſſe ſperandum. Huic tentationi alia parabola Chriſtus occurrit, quæ & ipſa ex vulgo petitur. Deum enim patri, nos autem puerulis à patre ſuo cibum petentibus confert. Verba eius hæc ſunt: Es quis autem ex vobis pater, ſi filius petierit panem, lapidem ei dabit? aut ſi piſcem, num pro piſce dabit ei ſerpentem? aut ſi petierit ouum, num dabit ei ſcorpium? Ita verò docet, parentes natura erga ſuos liberos ita affectos eſſe, vt illis victum conuenientem & neceſſarium fideliter ſubminiſtrent: & quamuis non ſemper quod illi poſcunt largiantur, nihil tamen noxium aut pernitioſum dare ſoleant. Id verò grauiſſimis verbis ad cauſam hanc, de qua agitur, extendit, dicens: Si vos igitur cùm ſitis mali, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſanctum ijs, qui ab eo petierint? Vis argumenti huius ex collatione noſtræ vitioſæ naturæ & diuinæ bonitatis dependet. Cùm enim paternus affectus & ϛοργὴ apud homines ſui amantes & natura corruptos tantæ virtutis ſit, vt quamuis liberi noſtri quotidie inobedientia & petulantia puerili peccent, ijs tamen victum neceſſariũ non negemus, multò minus autẽ rebus noxijs aut venenatis perdamus: inde nobis colligendum eſt, Deum multò magis hac paterna bonitate præditũ eſſe, qui natura bonus, miſericors, & ad benefaciendum propenſus, adhæc ab omni prauo aut vitioſo affectu prorſus liber eſt.

Docet igitur hac parabola Dominus, nos dum precamur, non ad noſtram infirmitatem aut indignitatem, ſed in paternam Dei clementiam atq; bonitatem reſpicere debere, & ita noſtras rationes inire: Nos quidem ô Pater natura mali ſumus, & tuam iram huc uſq; multis & grauiſſimis peccatis prouocauimus, ideoq; (quantum in nobis eſt) indigni ſumus, quibus tanta bona largiaris. Sed quid facias Pater clementiſſime? Qualeſcunq; ſimus, tui ſumus filij, quos tu initiò ex gratia condidiſti, & poſtea Filij vnigeniti ſanguine redemptos ex Verbi tui ſemine per Spiritum ſanctum regenuiſti, vt Regni tui cæleſtis hæredes faceres. Nunquam ergo nobis deſieri patieris aut negabis, quæ ad noſtrorum corporum atq; animarum ſuſtentationem faciunt. Quis enim pater tam imprudens aut durus eſt, vt propter puerulorum ſuorum petulantiam ſui officij & paterni amoris prorſus obliuiſcatur? Cur ergo tu ô Pater, tuum ingenium & naturam exueres, eò quòd nos mali atq; inobedientes ſumus? Tua miſericordia extenditur ab ortu ad occaſum vſq; & tuæ bonitatis non eſt finis, ſed durat in ſeculum, &c. In Dei bonitatem reſpicere decet.

Quòd ſi Deum nobiſipſis ad hunc modum imaginemur, & quam modò audiuiſtis rationem ineamus, mox animos colligemus fiducia plenos, quos nulla noſtræ indignitatis conſideratio à precibus deterrere poterit. Vt verò ad horum meditationem paratiores ſimus, prima Orationis Dominicæ verba, quibus Deum Patrem noſtrum dicimus ſæpius conſideranda & expendenda nobis erunt. Accedat his frequens beneficiorum eius conſideratio, quæ nobis quotidie confert. Illi debemus originem noſtram, cùm ab ipſo in matris vtero formati & anima rationali atq; immortali donati ſimus. Ille nos paſcit & veſtit, vt alibi demonſtrauimus. Ille nos omnium aliorum, quæ ab ipſo creata ſunt, dominos & principes conſtituit, adeò vt nobis ſeruire cogantur. Illius beneficium eſt, quòd terra fructum & alimenta reliqua producit: quòd aquæ hinc inde deriuatæ terram irrigant, quòd ignis ſuo calore nos fouet, & in multis alijs nos adiuuat: quòd aer nos & reliqua omnia ſuſtentat: quòd deniq; animalia quædam noſtros labores adiuuant, quædam victum & amictum nobis ſubminiſtrant. Neque iſta modò nobis Pater cæleſtis dedit, verumetiam multa alia, quæ non tam neceſſitati, quàm voluptati ſeruiunt: vtpote aues, quæ cantu ſuo nos oblectant, flores, qui colore & odore nos recreant. Quæ omnia ſuperat, quòd Angelos quoq; nobis miniſtros fecit, vt alibi demonſtrauimus. Ineffabile autem & rationi quoq; comprehenſu impoſſibile eſt, quòd Filium vnigenitum pro nobis tradidit. Hæc ſi attentius conſiderentur, fateamur oportet, Deum Patrem eſſe indulgentiſſimum, qui nos neceſſaria & vtilia petentes negligere non poſſit. Vt verò minus dubitemus, Chriſtus in præſenti doni omnium excellentiſſimi meminit, quod à Deo poſtulari poteſt: Spiritus ſancti nimirum, qui in ſe dona omnia comprehendit, quæ tam præſenti quàm futuræ vitæ ſeruiunt. Eſt enim Spiritus Veritatis, iuſtitiæ, ſanctitatis, ſapientiæ, fortitudinis, conſilij, timoris Domini, precationum item, adoptionis, conſolationis, author denique omnis boni: adeò, vt qui hoc inſtructus eſt, illi nihil eorum, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, deeſſe poſſit. Quid ergo maius, præſtantius, vtilius peti à Deo po- Fiducia bonitatis diuinæ quomodo confirmandæ

eſt? Quòd ſi verò quod omnia alia ſuperat largiri vult (ſicuti in vltima Cœna prolixius & liberalius adhuc Chriſtus pollicetur) num quæ minoris momenti ſunt, illum nobis negaturum eſſe putabimus?

Deus vtilia dat, non noxia.

At ſingularem conſiderationem meretur, quòd nos liberis noſtris bona & vtilia dona largiri, Chriſtus ait, ita nimirum vt panem, piſces, oua & aliud cibi genus poſtentibus nequaquam lapides, multò minus verò ſerpentes aut ſcorpiones, vel aliud quidpiam porrigamus, quo lædi aut perdi poſſent. Et ſanè non ſolum à paterni amoris ingenio, verumetiam à communis naturæ & humanitatis ſenſu alienum facinus cenſeretur, ſi quis liberis pro pane clamantibus lapides proijceret, & eos edere iuberet. Tale quid Satan cum Chriſto fecit in deſerto eſuriente. Crudelius tamen foret, ſi quis illis ſerpentes, ſcorpiones, aut alias venenatas beſtias apponeret. Deniq; hoc inter homines ex communi more receptum eſſe videmus, vt licet quis non largiatur ea, quæ paruuli liberi poſcunt, nihil tamen noxij dat, & altera illa ideo negat, quòd illis noxia fore, aut ſaltem non neceſſaria eſſe intelligit. At quorſum hæc Chriſtus dicit? Vt oſtendat idem erga nos eſſe Dei ingenium. Quia enim Pater noſter eſt, alieno in nos animo eſſe non poteſt. Rurſus quia natura bonus, vel potius ſummum bonum & omnis boni fons eſt, nihil noxium aut pernitioſum dare ſolet. Vult enim (vt Apoſtolus ait) nos ſaluos fieri. Si quid ergo poſtulamus, quod ſaluti noſtræ ſeruit, procul dubio id ſuo tempore largitur. At ſi ex innata nobis ignorantia aut prauo aliquo carnis affectu petimus, quod nobis damno aut fraudi eſſe poteſt, precibus noſtris minimè mouetur: imò interdum fidi patris inſtar virgas exerit, vt importunos clamores & carnis ſtulta deſideria coerceat. Quando igitur nos precantes non exaudit Deus, id nos non eius duritie & difficultate fieri cogitemus, ſed propter ignorantiam noſtrã, qua decepti ea poſtulamus, quæ neq; illum decet dare, neq; nobis accipere vtile eſſet.

Cur preces non ſemper exaudiantur.

Iam ergo illis reſponſum eſt, qui quærunt, Cur preces noſtræ non ſemper à Deo exaudiantur? Primò enim (vt modò diximus) plerunq; ſtulta & noxia petimus, & ipſimet (vt de filijs Zebedæi Chriſtus loquitur) quid optemus ignoramus. Tunc ergo ſapientiſſimus ille Pater exaudire nequaquam debet. Et hoc illud eſt, de quo Iacobus ſcribit: Iac. 4. *Concupiſcitis, & non habetis: inuidetis & ſtudioſè affectatis, nec poteſtis aſſequi: pugnatis & bellatis, non tamen obtinetis, propterea quòd non petitis. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptates veſtras in ſumatis. Dicuntur hæc omnibus, qui non niſi diuitias, honores huius ſeculi, corporis valetudinem bonam & alia huius generis petunt, neglectis interim ijs, quæ ad Dei gloriam & animarum ſuarum ſalutem pertinent. Deinde frequenter fit, vt non ingenui & germani filij Dei, ſed degeneres & rebelles ſimus, propter quos nomen Dei paſſim malè audit: tunc ergo in nobis illud Solomonis impletur:* Prou. 28. *Qui obturat aures ſuas, vt non audiat Legem, huius precatio quoq; abominabilis eſt.* Iſa. 1. *Exemplum huius rei in Iſraelitis habemus, quibus per Iſaiam dicit Deus: Cùm expanderitis manus veſtras, auertam oculos meos: quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Adhæc interdum abſq; fide precamur, & tunc idem nobis accidit, quod Iudæis, qui ſine fide iuſtificari voluerunt, vt Paulus de illis ſcribit. Præterea ſæpe præſcribimus Deo, quid largiri, & quomodo nobiſcum agere debeat: cùm potius noſtri officij ſit per obedientiam fidei nos ipſius voluntati accommodare atq; ſubijcere. Et hæ præcipuæ cauſæ ſunt, propter quas preces non exaudiuntur. At quia hæ in nobis hærent, non Deum, ſed noſipſos accuſare debemus, ſi quid præter votum nobis accidat. Emendemus ergo hæc vitia, & preces noſtras ſecundùm formulam nobis à Filio Dei traditam inſtituamus, nec dubitemus, nos reipſa experturos eſſe promiſſionis eius veritatem. Exaudiet enim nos Pater ille cœleſtis, & omnia dabit, quæ noſtræ ſaluti conducunt, propter nomen Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXIIII.

Eiecit etiam dæmonium, quod erat mutum. Factum eſt autem, egreſſo dæmonio, locutus eſt mutus: & mirata eſt turba. Quidam verò ex eis dixerunt. Per principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes ſignum è cœlo petebant ab eo. Ipſe verò cùm ſciret cogitationes corum

eorum, dixit eis: Omne regnum diſsidens aduerſus ſeſe, vaſtatur: & domus aduerſus ſeſe diſsidens, cadit. Quòd ſi etiam Satanas aduerſus ſeipſum diſsidet, quomodo ſtabit regnum eius? Nam dicitis, per Beelzebul eijcere me dæmonia. Quòd ſi ego per Beelzebul eijcio dæmonia, filij veſtri per quem eijciunt? propterea ipſi erunt veſtri iudices.

Vide Marcum homil. 26.27.

Quemadmodum Dei Filius, vt miſeros mortales redimeret & ſeruaret, in mundum venit & homo factus eſt: ita ne ignotus negligeretur, ſuam cùm voluntatem tum potentiam plurimis miraculis manifeſtauit. Hic ergo omnium eorum, quæ ab Euangeliſtis deſcribuntur, finis & vſus eſt, vt illum agnoſcamus promiſſum humani generis ſeruatorem eſſe, & eundem fide amplexi ſalutem æternam conſequamur. Eodem igitur, quod hîc narratur debet referri: quod ijs, quæ proximè præceſſerunt, commodiſſimè ſubijcitur. Nam diſcipulos & cùm his nos quoq; omnes precari docuit, & poſtrema petitionum eſt, vt nos Pater cœleſtis liberet à malo illo & improbo hoſte Satana, ne ipſius tentationibus victi ſuccumbamus. Quia verò precatio iſta admodum neceſſaria eſt, fides autem noſtra hîc grauiſſimè tentari ſolet, quando & hoſtis illius improbam aſtutiam & noſtrã infirmitatem expendimus, miraculis nouis diſcipulorum fidem confirmare voluit, dum reipſa demonſtrat, ſe diaboli victorem eſſe, & proinde ratas fore preces noſtras, cùm non aliud petamus, quàm cuius gratia in mundum ipſe à Patre miſſus ſit. Nam vt ex Marci Cap. 3. colligere licet, plures, qui à Satana obſeſſi erant, tunc temporis liberauit. Lucas tamen (quemadmodum & Matthæus) vnius ſolùm mentionem facit, qui diſputationi occaſionem dedit, qua miraculorum eiuſmodi vſus indicatur.

Chriſtus dæmonium cæcum & mutum eijcit.

Breuis autem eſt in illius narratione Euangeliſta, & rei geſtæ ſummam ſolùm his verbis exponit: Eiecit etiam dæmonium, quod erat mutum. Matthæus dæmoniacum ad ipſum adductũ fuiſſe ſcribit, vt ab eo curaretur. Mutum autẽ dæmonium fuiſſe Lucas dicit, ab effectu, eò quòd infelici huic omnem ſermonis vſum abſtuliſſet. Matthæus cæcum quoq; fuiſſe teſtatur. Fuit ergo infelix admodum & miſera hominis iſtius conditio, quem diabolus duabus præſtantiſſimis facultatibus priuauit, Viſu nimirum & ſermonis vſu, ſine quibus homini nihil iucundum, nihil ſuaue aut etiam vtile eſſe poteſt. Viſu enim oblectamur quàm maximè, dum Dei opera & pulcherrimam hanc cœli & terræ machinam, adhæc homines charos & amicos intuemur. Idem ſenſus ad res agendas non vtilis modò, ſed neceſſarius quoq; eſt, & à periculis multis defendit, in quæ cæci ſolent incidere. Quàm præclarus autẽ ſermonis vſus ſit, vel ex eo conſtat, quòd multi hunc inter diſcrimina, quibus à brutis diſcernimur, numerant. Per hunc certè animi ſenſum & voluntatem alijs exponimus, eoq; miſeriores ſunt qui hoc deſtituuntur, ſi aliæ calamitates accedant, quæ multorum auxilia requirunt: qualẽ hunc fuiſſe conſtat. Cùm enim à malo dæmone obſeſſus fuerit, non dubium eſt, quin ille non ſolùm externos ſenſus, verumetiam rationem & intellectum eius turbarit, vt neq; ea, quæ ad huius vitæ vſum ſpectant, potuerit cernere. Quæ omnia docent, quàm ingens fuerit beneficium, quod à Chriſto accepit.

Diaboli potentia & malignitas.

At nobis hîc conſideranda venit diaboli potentia ſimul & malitioſa improbitas, qua ijs potiſſimùm donis & facultatibus inſidiatur, quibus nos minimè carere poſſe videt, vt his extinctis aut ablatis nos facilius perdat. Plurimùm verò in hoc poteſt, ſi illi id Deus permittat. Nam & foris infeſtat miſeros, & ſimul cordibus quoq; ſeſe inſinuat, adeò vt ab eius inſidijs nihil tutum eſſe poſſit. Exempla huius rei in Euangelio paſſim extant, & multa huius generis ipſi quotidie in ijs cernimus, quos iuſto iudicio Deus illius libidini permittit. Nec tamen in illis modò agere putandus eſt, quorum corpora affligit, & quos omni intellectu ſpoliatos ad inſaniam redigit. Sed multos alios quoque ille obſidet, qui rationis vſum præ alijs ſolertiſſimum habere, & hominum ſapientiſſimi eſſe videntur. Nam multos horum in ijs quæ ad hoc ſeculum pertinent, egregiè ſapere videmus, qui tamen in diuinis & in æternæ ſalutis negotio ſtulti & amentes ſunt, dum neq; Dei voluntatem vident atq; intelligunt, neq; ſalutis propriæ vllam rationem habent, vel hanc quærunt in rebus non vanis modò & inutilibus, verumetiam noxijs, quibus à Deo & vitæ æternæ ſemitis abſtrahuntur. Eſt hæc cæcitas omnium miſerrima, quia totum hominem perdit, niſi Chriſti beneficio curetur. Sed & mutos reddit Satan multos, qui inter homines quidem loquaciſſimi ſunt, & de rebus prophanis cum magni-

ſico verborum apparatu poſſunt diſſerere, cùm interim neq; cum Deo colloqui, neque de diuinis rebus verbum vllum facere poſſint. In horum numero ſunt, qui fide vacui verum precandi modum ignorant, & vel nunquam cum Deo colloquuntur, vel grauioribus malis oppreſſi belluino vlulatu auribus eius obſtrepunt. Deinde, qui de ijs, ad Regnum Dei ſpectant, interrogati, piſce magis muti ſunt, nec modò quod reſpondeant non habent, verumetiam iſtorum cognitionem nihil ad ſe pertinere aiunt. Eſt hoc hominum genus hodie frequentiſſimum, quos omnino mutos eſſe præſtaret, ne alijs ſermonibus prophanis & obſcænis multorum aures offenderent. Debent his adnumerari, qui cùm non ignorent fidei Chriſtianæ myſteria & quæ ad Dei gloriam faciunt, ea tamen confiteri nolunt, ne in periculum veniant, & in aſſerenda Dei gloria plus quàm muti ſunt, ſi quando in hoſtes Veritatis incidunt, qui de toto religionis negotio peſſimè loquuntur. Volunt illi cauere ne quem offendant, aut rixis occaſionem præbeant. At nō vident, ſe & Deum offendere, & multis ſcandalo eſſe, quorum fides ipſorum ſilentio labefactatur. Peiores ſunt, qui contra animi ſententiam calumnijs aduerſariorum aſſenſum præbent, & in horum gratiam aliqua dicunt, quæ Veritati repugnant. Debent iſtis adnumerari impij illi & furioſi, qui linguas ſuas in diras imprecationes, deierationes, execrationes & omne blaſphemiarum genus laxant, quibus ſacroſanctum Dei nomen conſpuitur & conculcatur. Taceo nunc eos, qui ex calumnijs, obtrectationibus & conuitijs voluptatem capiunt. Peruertunt iſti omnes vſum ſermonis, qui imprimis ad propagandam Dei gloriam & proximi ædificationem accommodari debebat. Sed meminerint, ſe interea diabolo gratum officium præſtare, qui linguas ipſorum cohibet ignauo metu, quando liberrimas eſſe oportebat, eaſdem verò ſoluit & laxat, vbi ſilere vtilius erat.

Chriſti facilitas in iuuando.

Porro vt ad noſtrum hunc redeamus, Chriſto ab alijs adductum mox à dæmonio liberat. Quo loco primum obſeruari debet propenſa iuuandi voluntas, cuius ſingulare ſpecimen hîc ædidit. Venit miſer iſte, non ſponte aut quòd illum ſeruare poſſe exiſtimet, ſed ab alijs adductus, qui eius miſerebantur. Imò quò duceretur, ne videre quidem potuit. Adhæc non petit ipſe opem, nec aliquam ſuæ in Chriſtum fiduciæ confeſſionem facit. Et quia in talibus rationis quoq; vſus nullus eſt, haud dubiè quid ageretur ignorabat. Nihilominus tamen eius commiſeratione Chriſtus tangitur, & ei clementer ſuccurrit. Et hoc illud eſt, quod alibi diximus, apud Deum non verbis multis opus eſſe, cùm miſeria noſtra apud illum ſermonis loco ſit. Nam vt pater filij periclitantis ſponte miſeretur, & ne requiſitus quidem accurrit, vt auxilium ferat: ita Deus paterno in nos affectu præditus & ſemper ad iuuandum paratus eſt. Nec tamen hoc ita accipi debet, quaſi preces non neceſſariæ ſint, ſed vt cognita hac Dei bonitate ſpem de illo bonam concipiamus, neq; dubitemus in eius conſpectum venire. Deinde ne deſperemus, ſi quando morbis aut alijs calamitatibus eò vſq; deprimimur, vt ne precari quidem poſſimus. Sufficit enim tunc animum ad Deum eleuaſſe, & gemitu atq; ſuſpirijs eius opem flagitauiſſe. Præcipuus verò huius conſolationis vſus eſt in mortis articulo, quando iam extinctis ſenſibus omnibus, & intellectu quoq; ſopito omnium ignari iacemus. Tunc enim maximè nobis adeſt Dominus, vt mortalis huius ergaſtuli vinculis ſolutas animas noſtras ad ſe transferat: & ipſe ſpiritus gemitibus inenarrabilibus pro nobis interpellat, vt Paulus ad Rom. Cap. 8. docet.

Chriſti potentia.

Porrò non minus diuina quoq; Chriſti virtus & potentia hîc elucet, qua dæmonium hoc tam facilè eiecit. Nam breuitas narrationis qua Euangeliſtæ vtuntur, hoc abſq; multo labore factum eſſe innuit. Nec imaginaria fuit hæc liberatio, qualia ſolent eſſe impoſtorum & præſtigiatorum opera: ſed vera & ſolida, quæ effectis quoq; confirmatur. Nam Matthæus eum qui cæcus & mutus fuerat, mox & vidiſſe & locutum eſſe ſcribit. Verè ergo is eſt Chriſtus, qui diaboli opera deſtruere, & eius caput atq; vires conculcare debuit. Nos autem ex his potentiæ eius exemplis ſiue teſtimonijs cōſolationem petamus, ſi quando diaboli furores eò vſq; progrediuntur, vt nulla liberationis & ſalutis ſpes videatur reliqua eſſe. Maior enim eſt qui in nobis agit, & cuius vnicum verbulum ad domandam hoſtis illius rabiem ſufficit. Simul autem admonemur, quales eſſe velit Dominus eos, quos liberat. Videt ille mox & loquitur. Ita nos, qui illius virtute & merito ex diaboli tyrannide aſſerti ſumus, videre & loqui conuenit. Vident autem, qui in Deum reſpiciunt, eius præcepta obſeruant, & operum atque iudiciorum eius contemplatione delectantur. Iidem loquuntur etiam quæ pia, honeſta, ſancta ſunt, dum & Deo pro accepta ſalute gratias agunt, & eius beneficentiā publicè prædicant, vt quàm

plures

pluresalij in eius cognitionem adducantur. Vnde rurſus apparet, quo loco habendi ſint, qui cæcorum inſtar oberrant, Dei opera negligunt, & vel muti ſunt in eius beneficijs celebrandis, vel impuris potius ſermonibus delectantur.

Sequitur miraculi effectus, qui apud ſpectatores varius fuit, & varia atque diuerſa de Chriſto iudicia continet. Primò enim de turba populi & plebeis hominibus dicitur, quòd admirati ſint tam facilem & ſubitam hominis miſerrimi liberationem. Neque leuis & vana fuit hæc admiratio, ſed per eam excitati longius progrediuntur, atque (vt Matthæus annotauit) quærunt: Nonne iſte eſt Filius ille Dauidis, id eſt, ſeruator ille & redemptor, quem ex Dauidis ſtirpe naſciturum eſſe, olim Prophetæ prædixerunt? Erat enim vulgò notum, quod Iſaias de miraculoſis Meſsiæ operibus vaticinatus fuerat, fore nimirum, vt cæci viderent, claudi exultarent & mutorum linguæ ſoluerentur in iubilum. Cùm ergo hæc tam manifeſtè fieri viderent, non poſſunt ſuam de Chriſto opinionem diſsimulare. Simile quid apud Ioannem habetur, vbi quidam ex vulgo dicunt: Si Meſsias venerit, num opera his maiora faciet, quæ iſte facit? In his autem exemplum habemus eius, quod ſupra Chriſtus dixit, Deum Patrem ſui Regni myſteria paruulis aut obſcuris manifeſtare, eadem autem abſcondere à ſapientibus huius ſeculi. Et mirum eſt, homines plebeios in Chriſto virtutem humana maiorem agnoſcere potuiſſe, quam non obſeruarunt, qui tunc ſummam ſapientiæ & doctrinæ exiſtimationem ſuſtinebant. Sunt autem exempla eiuſmodi obſeruanda, ne ſimilibus hodie offendamur.

Effectus miraculi, & varia de hoc iudicia.

Iſa. 35.

Secundi fuerunt ex phariſæorum & ſcribarum Hieroſolymitanorum grege, qui non ſolùm ignorantia & ſtupiditate, ſed malicia in Chriſtum peccauerunt. Nam quod diuinæ virtutis opus fuit, illi diabolo aſcribunt, quaſi cum hoc occultam & illicitam conſpirationem aut communionem Chriſtus habeat, Dicunt enim: Per principem dæmoniorum eijcis dæmonia. Ita verò populum accuſant, quaſi is ſtulta miraculorum eiuſmodi admiratione ducatur. Quaſi dicerent: Quid iſta miramini? Et quæ ſtultitia eſt, mox pro Meſsia agnoſcere velle aliquem, qui dæmonium eijcit? An ignoratis quid poſsint diaboli præſtigiæ? quàm multa item miraculosè faciant, qui cum illo coniurarunt, & artes illicitas ſequuntur? Et quid hîc aliud fieri putabimus, quàm quòd per Beelzebul, principem dæmoniorum iſte dæmonia eijciat? Eſt hoc memorabile exemplum, quo docemur, quanta ſit diaboli & membrorum eius in oppugnando Regno Chriſti aſtutia atque malignitas. Vident iſti populum de Chriſto exiſtimationem maiorem concepiſſe. Factum ipſum, quod illum mouebat, negare nimis perfrictæ impudentiæ fuiſſet. Neque etiam illud vel extenuare, vel vt malum & noxium accuſare poſſunt. Quid ergo? In diabolum transferunt, quaſi huius virtute & ope Chriſtus talia faciat. Tanta odij aduerſus Veritatem concepti vis eſt, vt impij honorem, qui Chriſto debetur, diabolo potius quàm illi tribuere ſoleant. Tanta item eorum cæcitas, vt quæ bona & ſalutaria ſunt huic adſcribere non dubitent, quem ab initio mendacem & homicidam fuiſſe conſtat. Faciunt hoc multi hodie, qui cùm mirabiles Euangelij effectus neque negare neque disertè repræhendere poſsint, huius præcones à diabolo agitari dicunt, qui illos tanta dicendi facultate inſtruat, vt quiduis auditoribus ſuis perſuadere poſsint. Imò calumnia impudentiori Chriſto & Euangelio eius diſsidia, quibus infelix mundus turbatur, accepta ferunt, magnificè verò extollunt pacem & concordiam, quæ durantibus adhuc ſuperſtitionibus floruerit. Sed eſt hæc diaboli ſophiſtica, qua ſeipſum hominibus commendare, Chriſtum verò atque Euangelium eius omnibus inuiſum reddere ſtudet.

Phariſæi miraculum calumniantur.

Porro calumniatoribus Scribis & Phariſæis tertij accedunt, qui illum tentantes ſignum petunt è cœlo. Tentandi verbo indicat Lucas, quo animo & in quem finem hæc fecerint: nimirum vt miracula, quæ huc uſque fecerat, extenuent & aliquo modo ſuſpecta reddant. Nam perinde hoc eſt, ac ſi dixiſſent: Tu quidem te à Deo miſſum eſſe, & diuina virtute omnia facere videri vis. Quin ergo cœlitus aliquod ſignum edis, quo id manifeſtè probet? At hoc poſtulando impietatem ſuam egregiè produnt. Conueniebat Chriſti doctrina cum ijs, quæ olim Moſes & Prophetæ tradiderant. Miraculis quotidie nouis confirmabatur, in quibus diuina virtus tam apertè elucebat, vt eam vulgus quoque agnoſceret. Neque aliquid erat, propter quod cuiquam meritò ſuſpecta eſſe deberent. His tamen omnibus contemptis ſignum aliquod cœleſte petunt, quod nimirum vulgus hominum non tam facilè percipere poſſet, ipſi autem in eo calumniando occaſionem maiorem haberent. Vnde apparet, adeò nullum in iſtis hominibus Veritatis ſtudium fuiſſe, vt potius hanc obſcurare ſtuduerint, ne eius luce argue-

Signum è cœlo petunt aliqui.

rentur. Similes eorum ſunt hodie, qui cùm Chriſtianos ſe eſſe profiteantur, ſcripturas ſacras pro veris agnoſcant, doctrinæ tamen non credunt, quæ ex illis depromitur, & eam miraculis & ſignis à nobis confirmari petunt. Interim ipſi quoq; admiranda iudiciorum Dei exempla non obſeruant, quibus Euangelij doctrinam aduerſus hoſtium conatus non ſine miraculo hucuſq; defendit. Produnt ergo hi quoq; impietatem ſuam, & ferè fit, vt in ipſis Deus ſigna edat, quibus Verbi ſui contemptum vlciſcitur, vt ipſorum exemplis alij territi emendentur.

Chriſtus nouit cogitationes hominum.

Sed audiamus Chriſtum, qui primò Scribis & Phariſæis reſpondet, inde ad eos tranſit, qui ſignũ de cœlo petebant. Dicitur autem cogitationes illorum ſciuiſſe. Ergo non voces modò audiuit, verum etiam intellexit, quis animi ipſorum ſenſus atq; affectus eſſet, ac in quem finem iſta ab illis dicerẽtur. Eſt hoc euidens diuinitatis eius vera argumentum. Solius enim Dei eſt corda & renes ſcrutari, vt ſcripturæ paſſim teſtantur, & rerum vſus ſatis docet. Nec enim vllus vnquam inuentus eſt, qui abſq; arcana Spiritus reuelatione alterius cogitationes nouerit. Quod gentium ſapientes quoq; intellexiſſe, ex Momi fabula conſtat: quem fingunt in humani corporis fabrica hoc repræhendiſſe, quòd feneſtra pectori deeſſet, per quam hominis animus atq; cogitationes vel arcana conſilia inſpici poſſent.

Ioan. 2.

At Chriſtus propria virtute vidit hominũ arcana, & (vt Ioan. ait) non opus habuit, vt quis ipſi alicuius voluntatẽ exponeret, eò quòd ipſe ſciret, quid ſit in homine. Et huius diuinæ virtutis exempla nõ pauca edidit, quæ alibi recenſuimus. Sunt aũt hæc diligenter obſeruanda, vt primò memores in cuius conſpectu verſemur, ab omnibus ijs abſtineamus, quibus ille offendi poteſt: deinde vt conſolationẽ ſumamus ex eo, quòd Chriſtus, qui noſtri amantiſſimus eſt, tam ſubdolos hoſtium conatus, quàm nos in omnibus periculis & aduerſis videt, & haud dubiè aderit nobis, ne ſupra vires noſtras tentemur.

Probat ſe propria uirtute eijcere dæmonia.

Cæterùm grauiter admodum & validiſſimis argumentis hoſtium calumniam confutat: nimirum propter eos, qui iam de ipſo rectius incipiebant ſentire. Eſt enim talium ratio habenda, etiamſi eos incurabiles eſſe conſtet, cum quibus nobis res eſt. Primum argumentum ex eo ſumit, quod multorum ſeculorum atq; gentium exemplis eſt confirmatum. Omne regnum diſſidens aduerſus ſeſe, vaſtatur: & domus aduerſus ſe diſſidens cadit. Quod ſi etiam Satanas aduerſus ſeipſum diſſidet, quomodo ſtabit regnum eius? Poteſt ex his verbis argumentum bifariàm formari. Primò ad hũc modum: Diſſidia inteſtina tam regnis quàm familijs diſſipationem & ruinam certam afferunt, & proinde non admittuntur ab ijs, qui vel rem pub. vel domeſticam ſaluam volunt. Atqui diabolus ſui regni propugnator acerrimus eſt, & magna aſtutia in illo propagando vtitur: Nunquam ergo admittet, vt ipſe ſecum diſſideat, & ſuos ſpiritus impuros hoſtiliter eijciat ex illis, quos ex ipſius inſtinctu & voluntate occupauerũt. Deinde ſic quoq; argumentum formari poterit. Quæcunq; regna inteſtinis diſſidijs ſcinduntur, diutius conſiſtere non poſſunt. At ſi ego per dæmoniorum principem dæmonia eijcio, iam diabolus ſecum ipſe diſſidet. Ergo regni eius ruina in foribus eſt, & illud breui totum deſtruetur. Vnde ſequitur, regnum Dei iam aduenisſe, quod per Meſſiam inſtaurandum fore, Prophetæ prædixerunt. Et huic poſtremæ argumentationi fauent Chriſti verba, quæ poſtea ipſe in hanc ſententiam ſubijciet. Sed vtut iſta accipias, finis & ſcopus ipſius eſt, ſe eſſe promiſſum illũ humani generis vindicem, qui diaboli regnum deſtruere, Dei autem inſtaurare debeat.

Regnorum ſalus ex concordia dependet.

Nititur autem argumentum hoc generali ſententia, quam nemo facilè negauerit, qui aliquem habet rerum vſum. Conſtat enim omnium, quæ in mundo ſunt incolumitatem ex cõcordi conſenſu & mutuo auxilio pendere. Vt enim Deus in ſua eſſentia vnus eſt, ita inter ſe vniantur oportet, quæcunq; in illo conſiſtunt. Tolle ex pulcherrima hac mundi fabrica mirabilem harmoniam, qua ſphæræ cœleſtes & elementa inter ſe alioqui diuerſiſſima conueniunt, mox totam corruere videbis. Imò (vt

Hoſ. 2.

Prophetæ verbis vtar) niſi cœli terram exaudiant, & duæ hæ remotiſſimæ mundi partes conſenſum inter ſe habeant, prouentu terræ carebimus. Eadẽ eſt corporis humani ratio, in quo humores inter ſe natura diuerſi valetudinem bonam conſeruant, ſi rectè temperentur, vt alius alium adiuuet: ijdem verò ſi turbentur & diſſideant, corpori toti exitium afferunt. Idem igitur in Repub. quoq; fieri ſolet, quod prudenter olim Menenius Agrippa obſeruauit, qui populum Romanum aduerſus Senatum & primates tumultuantem Apologo de corporis humani conſtitutione ad obedientiam & concordiæ ſtudium reduxit. Et ſi hiſtorias omnium gentium euoluamus, patebit, omnibus ſeculis paruas & contemptibiles Reſpub. concordia & conſenſu mutuo in immenſum creuiſſe, regna autem maxima

potentiſſimaq;

potentiſſimaq; inteſtinis diſſidijs eſſe euerſa. Iſraelis certè regnum ſeditionibus & ambitione regum ſeſe mutuo iugulantium perijt. In Græciam ciuitatum potentiſſimarum diſſidia Perſas adduxerunt, qui illam per annos multos crudelibus bellis infeſtarunt. Macedonico item aut Alexandrino regno regum ambitio & hinc exorta bella finem impoſuerunt. Romanam rempub. cùm potentiſſima eſſet, Marij & Syllæ factiones primò labefactarunt, deinde Pompeij & Cæſaris ciuilia bella libertate ſpoliarunt, poſtremò totam ſubiugarunt nouæ inter Antonium & Auguſtum inimicitiæ, vt in Monarchiæ formam redigeretur, quæ cauſa fuit, vt Imperium tandem ad barbaras gentes deuolueretur, quas Romani prius multo labore & ſanguine deuicerant. Sed quid opus eſt vetera exempla commemorare, cùm multa huius generis noſtro ſæculo in omnibus ferè nationibus fieri viderimus? & vtinam fieri iampridem deſijſſent. Prudenter ergo olim Scillurus Scytharum Rex iã moriturus filios de concordia admonebat, & vt firmior apud eos eſſet admonitionis tam neceſſariæ memoria, typo ſitu ebria eleganti rem quaſi oculis ſpectandam propoſuit. Nam tela, quæ pro more gentis geſtabant, in vnum faſciculum omnia colligari, & inde ſingulos in faſciculo hoc frangendo vires ſuas experiri iuſſit. Quod cũ fruſtra tentauiſſent, præcepit, vt faſciculo ſoluto ſinguli ſuum telum frangerent. Et cùm hoc abſque labore eſſet factum, ſubiecit: Ita vos quoq; ô chariſſimi filij animis & voluntatibus coniunctos nulla vis hoſtilis debellabit: at diſcordes quiuis hoſtis facilè vincet & regnum totum diſſipabit. Potuit ergo Rex barbarus videre, quod hodie Chriſtiani principes minus obſeruant, & ne ij quidem omnes, qui Euangelij doctrinam profitentur. De re domeſtica, cuius hîc quoque Chriſtus meminit, non opus eſt dicere, cùm quotidianis exemplis diſcamus, quantum ea damni accipiat ex domeſticorum diſſidijs. Hoc verò non poſſumus tacere, eandem Eccleſiarũ quoq; eſſe conditionem, vt concordia & conſenſu fidelium ſeruentur & creſcant, diſſenſionibus autem & contentionibus peſſum eant. Exempla paſſim ſunt obuia. De primitiua & Apoſtolica Eccleſia ſcribitur, quòd credentium omnium cor vnum fuerit, ac eandem quotidie miris augmentis creuiſſe legimus. Poſteris temporibus, vbi epiſcoporum ambitio diſſidia inuexit, mox & hæreſes exortæ ſunt, & hoſtibus occaſio data eſt aduerſus Chriſtianos homines ferro & igne graſſandi. Quid hodie fiat, pij omnes non ſine dolore & lachrymis inueniunt. Horum ergo meminerint, quotquot rebus ſubinde in peius labentibus vel publicè vel priuatim conſultum volunt.

Alterum argumentum ex eo deſumit Chriſtus, quod tunc paſſim fiebat. Quia enim tunc temporis res apud Iudæos deprauatiſſimæ fuerunt, non pauci inueniebantur, qui cùm à Chriſti vera cognitione & fide alieniſſimi eſſent, tamen vel quæſtus vel oſtentationis cauſa, diſcipulos eius imitabantur, vt ipſi quoque in nomine Chriſti dæmonia eijcerent. Neque illis deerat ſucceſſus, non quòd eorũ leuitatem Deus probaret, ſed vt hac etiam occaſione Filij ſui cognitio latius propagaretur. Exemplum huius rei ſupra cap. nono audiuimus, vbi Ioannes quendam prohibitum ab ipſis fuiſſe dicit, ne in Chriſti nomine dæmones eijceret, eò quòd ipſos non ſequeretur. Et in Actis filij Sceuæ deſcribuntur, qui cùm nefarij exorciſtæ eſſent, tamen nomine Ieſu ad quæſtum faciendum voluerunt abuti. Ex eiuſmodi ergo exemplis argumentum Dominus petens ait: Quòd ſi ego per Belzebul eijcio dæmonia, filij veſtri per quem eijciunt? Filios eorum dicit eos qui illud faciebant, quia ab ipſis nihilominus pro bonis & pijs agnoſcebantur, cùm in Chriſti partes non tranſirent, neq; ipſorum ſacra negligerent: quemadmodum hodie etiam dilecti & germani Eccleſiæ filij, catholici item & orthodoxi dicuntur, qui ſub Romanæ Eccleſiæ obedientia manent, Miſſas audiunt, Pontifices venerantur, & nullam reformationem admittunt, licet interea multa faciant, quæ cum pontificijs canonibus & antiquis decretis minus conueniunt. Eſt autem argumentum eiuſmodi: Cùm filij veſtri in meo nomine dæmonia eijciant, quid obſecro opus eſt, vt ego alieno præſidio vtar, & in illis eijciẽdis Beelzebul in auxilium vocem? An meam virtutem in meipſo minus quàm in alijs poſſe arbitramini? Et mirum eſt me à vobis accuſari impiæ cũ Beelzebul coniurationis, cùm alteros illos feratis & probetis, qui meo nomine ex affectu priuato abutuntur. Eſt ergo magna huius argumẽti acrimonia, quia non tam ſeipſum excuſat Dominus, quam illorum iniquitatem & corruptum iudicium reprehendit. Sunt hi calumniatorum & ſycophantarũ mores: quòd non de factis ipſis iudicant, ſed illa pro perſonarum reſpectu probant vel improbant. Non poſſunt ergo non illorum iudicia iniquiſſima eſſe. Quòd ſi verò affectus iſte in magiſtratus & publicos iudices incidat, nihil ex illis iuſtũ aut æquũ

Iudæi vulgo eijciebant dæmonia in Chriſti nomine.

Acto. 19.

amplius ſperari poteſt. Priuatis autē hominibus in religionis & æternæ ſalutis negotio plurimum nocet: quia frequenter cum præſenti animarum exitio veritatis doctrinam & pias admonitiones propter doctoris perſonam faſtidiunt.

Impij à ſuis domeſticis iudicātur.

Cæterùm comminationem interſerit Chriſtus: Propterea ipſi, ſcilicet veſtri filij, erunt veſtri iudices. Quaſi diceret. Putatis quidem vobis contra me omnia licere, ſed quæ facitis nunquam feretis impunè. Nam etſi neque populus contra vos hiſcere audeat, neque aliquis magiſtratus ſit, qui in vos animaduertat, tamen veſtri illi filij iudices veſtri erunt: imò iam nunc illorum exemplo condemnamini, cùm mea virtutis efficacia tam apertè in ipſis manifeſtetur, quam vos non vultis agnoſcere. Accidit hoc impijs omnibus, vt ferè domeſticos iudices habeant, à quibus damnentur, & qui omnem excuſationis prætextum ipſis auferant. Huc pertinet, quòd in Sophiſtarum impijſſimorum Scholis, in Canonicorum libidinoſiſſimorum collegijs, denique in tyrānorum aulis fideles Chriſti diſcipuli inueniuntur. Quam ergo ignorantiam illi prætexent, cùm in ipſorum luſtra vſque lux veritatis penetret, quam alij amplectuntur? Horum itaque memores, diſcamus poſitis affectibus prauis vera fide excipere vnicum ſalutis authorem, Ieſum Chriſtum: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXV.

Sin autem digito Dei eijcio dæmonia, nempe peruenit ad vos Regnum Dei. Cùm validus quiſpiam armatus cuſtodit aulam ſuam, in pace ſunt ea quæ habet. Vbi verò alius eo validior inuadens vicerit eum, totam armaturam eius aufert, qua confidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, ſpargit.

CVm Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex homine cæco & muto dæmonium eieciſſet, varia de hoc facto fuerunt hominum iudicia. Præ alijs autem iniquiſſimè de illo pronnutiarunt Phariſæi & Scribæ, qui Hieroſolyma aduenerant. Nam illum cum Beelzebul dæmoniorum principe conſpirauiſſe & huius virtute miracula eiuſmodi facere dixerunt. Et hanc calumniā, vt & multas alias ille ſubire ac ſuſtinere voluit, ne hodie offendamur, ſi vel Euangelium, vel eius præcones horrendis criminibus atque conuitijs audimus grauari. De hoc ipſe diſcipulos apud Matthæum admonet, dicens: Si ipſum patremfamilias Beelzebul dixerunt, quantò magis domeſticos eius? Veruntamen quia hîc non tam de illius perſona, quàm veritatis doctrina & multorū ſalute agebatur, qui rectius de ipſo iam cæperant ſentire, diligentem apologiam vel defenſionem ſuæ innocentiæ inſtituit: ſuo exemplo docens, nos ita patientes eſſe debere in perferendis iniurijs, ne interim veritatis cauſam negligamus, quæ ſemper cum gloria Dei & multorum ſalute coniuncta eſſe ſolet. Et nuper quidem duo argumenta præmiſit, quorum alterum ex communi ſenſu multorum ſeculorum exemplis & experientia confirmatum, alterum ab eorum exemplo ſumpſit, qui licet eius diſcipuli domeſtici non eſſent, eius tamen nomine immundos ſpiritus eijciebant.

Matth. 10.

Chriſtus Regni Dei inſtaurator.

In præſenti autem concluſionem infert, qua tam huius quàm miraculorum omnium finem infert: Sin digito Dei eijcio dæmonia, nempe peruenit ad vos Regnum Dei. Per digitum Dei Spiritus eius intelligi debet, vt ex Matthæo patet, qui eandem hiſtoriam deſcribens Spiritum Dei poſuit. Ratio nominis eſt, quod ſuo ſpiritu Deus omnia regit, adminiſtrat & ſeruat, atque per eundem in electis ſuis agit ſiue operatur. Eſt igitur Metaphorica locutio quæ Iudæis non potuit ignota eſſe, cùm Aegyptij Magi in Moſis & Aaronis miraculis virtutem diuinam agnoſcentes eadem olim vſi eſſent. Ita verò Spiritus ſancti diuinitas exprimitur, qua Patri & Filio (quem Iſaias brachium Dei vocat) coeſſentialis eſt. Porro quoad Chriſti intentionem, euincere vult iam aduenisse Regnū illud Dei, quod olim per Prophetas ille promiſerit. Poteſt enim ex verbis eius argumentum huiuſmodi colligi: Regnum Dei in mundo non prius quam Satan eijciatur, conſtitui aut inſtaurari poteſt: At hunc per me eijci videtis, & quidem diuina atque propria virtute: Ergo iam tempus illud Regnī Dei adeſt, & hoc ad vos peruenit. Breui autem hoc argumento duo agit Chriſtus. Primò ſe promiſſum

Exo 8.
Iſa. 53.

*miſſum illud ſemen mulieris aut Meßiam eſſe docet, quem Veteris teſtamenti ſcriptura ad hoc de-
ſtinatum eſſe docebat, vt conculcato ſerpentis capite, & euerſo atque deſtructo diaboli regno, Dei Re-
gnum inſtauraret. Alterum eſt, quòd Scribarum atque Phariſæorum ingratitudinem arguit, qui
Dei gratiam aſpernabantur, & hunc ipſis Regnum ſuum vltrò offerentem ſupra ſe regnare nole-
bant. Quò imprimis perueniendi verbum pertinet. Nam perinde eſt ac ſi diceret: Veſtrum erat
Regnum Dei quærere, & in eo quærendo nullis laboribus & impenſis parcere: at quæ veſtra eſt
iniquitas & ingratitudo, Deum ipſum ad vos venientem & ſaluificam ſuam virtutem apertè in
me declarantem, neque agnoſcere, neque Regnum eius admittere dignamini. Fuit autem hæc gra-
uis reprahenſio, quam admodum ingratam fuiſſe non eſt dubium hominibus ambitioſis, qui Regni
Dei cupidißimi videri volebant, & ſe omnia eius myſteria ad vnguem tenere ſibi perſuaſerant.*

Obſeruabis autem per Regnum Dei, non aureum ſæculum, quale Chiliaſtæ & horum diſcipuli Regnum Dei
fingunt, intelligi: ſed humanæ redemptionis beneficium, totumque illud negotium, cuius Chriſtus Ie- quid ſit?
*ſus adminiſter & mediator fuit. Hoc iam ad Iudæos perueniſſe dicit, quod minimè potuiſſet dicere,
ſi per illud vniuerſalis pax totius mundi & feliciſsima piorum in terris conditio intelligi deberet,
cùm conſtet res populi Dei nunquam in peiori ſtatu fuiſſe, quàm tùm iſta à Chriſto dicerentur. Spi-
rituale ergo regnum olim Prophetæ promiſerunt, & de hoc Euangeliſtæ & Apoſtoli loquuntur, quo
humani generis redemptio continetur, & quod in hiſce terris inchoatum in cælis demum ſuum ha-
bet complementum, vbi fideles omnibus curis & laboribus ſoluti pace verè beata & æterna fruen-
tur. Interim non temere locucione iſta & Regni Dei nomine Spiritus ſanctus vtitur. Primo enim
ſic exprimitur, redemptionis noſtræ finis, qui eſt, vt deſtructo in nobis diaboli regno, Deus in nobis
regnet, & nos (quemadmodum Petrus admonet) reuera ſimus genus illud electum, regale ſacerdoti-* 1.Pet.2.
*um, gens ſancta, Dei denique peculium, qui & ore & vitæ totius conſuetudine atque moribus vir-tu-
tes eius prædicemus, qui nos ex tenebris vocauit in admirabilem ſuam lucem. Vnde ſequitur, Re-
gnum Dei nequaquam adhuc locum obtinere apud eos, qui diabolo militant, & hunc in ſe regnare
patiuntur. Atqui tales ſunt, qui vel ſuperſtitionibus contumaciter inhærent, & ſaniorem veritatis
doctrinam contemnunt, vel peccato aßiduè ſeruiunt, atque abſque omni pœnitentia in turpißimis
ſceleribus perſeuerant. Hi certè omnes obſequium longè gratißimum diabolo præſtant, & proinde
Regno Dei fruſtra gloriantur, quod niſi ex nobis diaboli impurus & mendax ſpiritus eijciatur,
noſque eius ſeruitium totis viribus excutiamus, in nobis locum habere non poteſt. Præterea conſo-
lationi quoque piorum atque credentium hæc locutio ſeruit. Quia enim Chriſtus Regnum Dei inſtau-
rauit, & deſtructo diaboli regno nos ſuos ciues fecit, nihil vsque in nos iuris habet hoſtis ille impro-
bus, neque etiam aliquid ijs nocere poteſt, qui Chriſto per fidem veram ſunt inſiti. Quod enim hic
in Euangelio dicit: Venit contra me princeps mundi huius, ſed in me non habet quicquam: hoc non* Ioan.14.
*tam in ſuo quàm membrorum ſuorum omnium nomine loquitur, in quos nihil porrò iuris habet
diabolus propter peccatum, cùm hoc ſuo merito Chriſtus expiarit, & nobis à Deo iuſtitia factus ſit.
Ideo Paulus dicebat, nullam eſſe condemnationem ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Imò ipſe eos, qui ver-* Rom.8.
bum eius audiunt, & audito credunt, ne in iudicium quidem venturos, ſed à morte in vitam tran- Ioan.5.
*ſituros eſſe teſtatur. Quid ergo adhuc timemus mendaciſsimi illius ardelionis minas, qui iam olim
deuictus vires amiſit, vt abſque Dei permißione nihil tentare auſit? Num verò benignißimum il-
lum Patrem aliquid illi permiſſurum putamus cõtra eos, quos pretioſo Filij ſanguine redemit? Cur
item mortem timemus, quæ credentibus non amplius mors eſt, ſed felix animæ in carnis ergaſtulo
laborantis & gementis liberatio, imò tranſitus ad cæleſtem patriam, quò olim corpora quoque ſuis
animabus reſtituta transferentur?*

Sed poterat aliquis obijcere: Si tu ille es, qui Dei digito dæmonia eijcis & Satanam regno ſuo Satanam violẽ-
pellis, cur ille hactenus in tuta & tranquilla poſſeßione manſit, & cur nunc tam multa ille conatur, ter eijci opor-
quibus tuum inſtitutum impedias? Cur non te viſo mox cedit, & Regno Dei dat locum? Huic obie- tet.
*ctioni per Præoccupationem Chriſtus reſpondet, & parabolam proponit, qua & negotium hoc to-
tum, de quo agebatur, illuſtrat, & ſimul docet, hoc Satanæ ingenium eſſe, vt violenter ipſum eijci
oporteat. Cùm (inquit) validus quiſpiam armatus cuſtodit aulam ſuam, in pace ſunt ea quæ habet:
Vbi verò quis eo validior vicerit eum, totam armaturam eius aufert, qua confidebat, & ſpolia eius*

diſtribuit. Duo rurſus Chriſtum agere diximus. Primo enim quod cœpit dicere, plenius exponit, & ſe diaboli victorem eſſe demonſtrat, & proinde non opus habere, vt ab illo adiuuetur. Et hunc ſenſum Matthæus & Marcus exprimunt, qui parabolam hanc paulò aliter narrant, ad hunc ſcilicet modum: Nam quomodo poteſt aliquis ingredi domum validi alicuius, & vaſa eius diripere, niſi primò vinxerit validum illum? & tunc domum illius diripiet. Quibus verbis tale argumentũ continetur: Quiſquis potentis & robuſti alicuius domum inuadit eamq; diripit, illo robuſtior ſit oportet, vt reluctantem quoq; vincire poſſit: Atqui ego domum principis dæmoniorum inuado, hunc vinco & conſtringo, atq; inuito etiam eripio illi homines, quibus hucuſq; vt vaſis vſus eſt: Ergo illo potentior ſum, & adeò nihil cum illo habeo commercij, vt potius is ſim, qui eius regnum deſtruere & totũ exterminare debeo. Maior communi omnium ſenſu probatur, quando omnes natura res ſuas ſaluas volunt, nec aliquis tã ignauus eſt, qui illas diripi patiatur, ſi defendere poſſit. Minorem Chriſti miracula probabant, quæ nunc illis omnia in mentem reuocat, ea autem præcipuè, quibus quotidie à dæmonijs obſeſſi per ipſum liberabantur. Ac ſimul alterum hîc agit, docens nimirum, negotium hoc nõ abſq; vi & labore confici, quia Satan ægrè loco cedat, & ad defenſionem regni ſui probè armatus & inſtructus ſit. Et hoc Lucas expreſſit, cuius verba paulò ante recitauimus. In idem tamen vterque ſenſus recidit, & paucis verbis Dominus communis noſtri hoſtis ingeniũ, vnà cum tote redemptionis noſtræ negotio comprehendit.

Redemptionis noſtræ ratio.

Validus enim iſte & fortis diabolus eſt, quẽ alibi ſub Leuiathan, immanis & indomitæ belluæ marinæ typo Scriptura depingit, vt illius vires atq; indomitũ ingeniũ exprimat. Domus ſiue aula eius eſt mundus hic, cuius princeps dicitur, eò quòd in ijs regnet & triumphet, qui toti rebus huius mundi addicti cœleſtia & æterna bona negligunt. Vaſa eius ſunt homines, qui in primo parente Adamo illius mancipia facti ſunt, & quibus ille ad ſuperſtitiones, idololatriã, ſcelera omnis generis, deniq; ad horrendos etiam furores abutitur. Et hæc quidem poſſeſſio illi multis ſæculis tuta & trãquilla fuit. Nã etſi apud Patriarchas promiſſiones de futura redemptione extarent, & inter Iudæos vera Dei cognitio vnà cum promiſſionibus illis traderetur, reliquas tamen gentes ſub poteſtate tenebrarum detinebat, vt iam nihil dicamus de Iſraelitis & magna Iudæorum parte, qui & ipſi relicto Deo & cultu eius illi ſeruierunt. Neq; opus fuit, vt ob regnum defendendũ tumultuaretur, cùm illud pauci oppugnarent, & ipſe armis validis atq; idoneis eſſet inſtructus. Inter gentes enim falſa ſapientia regnabat, quam philoſophi profitebantur, qui ſuis diſputationibus veri Dei cognitionem indies obſcurabant. Maxima item erat oraculorum authoritas, quæ neglecto Dei verbo in rebus arduis conſulebantur, & per quæ reſponſis partim obſcuris, partim ambiguis Satan infelices homines mirificè ludificabat. Accedebat Regum & principũ potentia, qui ſuperſtitiones & falſos cultus ſummo ſtudio tuebantur, adeò vt Deos illos fictitios negare capitale eſſet, ſicuti in Socratis & multorum aliorum exemplis eſt videre. Inter hæc omnia autem effrenis erat morum licentia, & ſcelerum impunitate pleriq; trahebantur, vt mutationem nullam vellent admittere. Neq; multò melior fuit rerum conditio apud Iudæos, vt in Prophetarum Sermonibus eſt videre, niſi quod Deus ex ſingulari gratia ſeminarium quoddam ſuorum electorum ſubinde ſeruabat, ex quo Eccleſia ſuo tempore inſtauraretur. Quia ergo his artibus eò rem Satan adduxerat, vt ſponte ipſi omnes parerent, imò eius ſeruitio quantumuis turpi & infelici delectarentur, vtiq; in pace erant eius omnia, & tranquilla regni malè acquiſiti poſſeſſione fruebatur. Neq; hîc aliqua liberationis aut melioris ſortis ſpes erat in hominibus, cùm eadem eſſet omniũ conditio, vt nemo ſibijpſi opem ferre, nedum alios ſeruare poſſet. Nã propter innatam omnibus naturæ prauitatẽ & vitia, quæ ex illa naſcũtur, in eos etiam ius aliquod erat diabolo, qui atrocibus ſceleribus nõ erant polluti. Itaq; aliquo validiore & fortiore vindice opus fuit, qui tantis præſidijs munitum & tam probè armatum vinceret. Is verò eſt Ieſus Chriſtus æternus Dei Filius, qui præfinito tempore homo factus eſt, vt nos ex infelici tyrannide aſſereret. Fortior is & potentior dicitur diabolo, nõ ſolùm quoad diuinam naturam, & quòd omnem poteſtatẽ illi Pater tradidit: verumetiam quoad aſſumptam carnem. Quia enim abſque omni peccato ex Spiritu ſancto conceptus, & ex Virgine caſta atq; impolluta natus eſt, ab omni etiam originalis vitij labe immunis fuit, & ideo nihil in eum iuris habuit improbus ille tyrannus, qui in reliquos homines imperium per peccatum obtinuerat. Venit ergo in mundum, id eſt, in diaboli domum & aulã Chriſtus.

& mox

& mox cùm illo pugnare cœpit. Initium certaminis enim ſtatim à baptiſmo in deſerto factum eſt, vbi glorioſa victoria eum repulit, & nobis quoq; eius vincendi rationem monſtrauit. Inde apertius cum illo congreſſus eſt, quando totam Iudæam & Galilæam Regni Dei prædicatione compleuit, & omnes tantũnon excitauit, vt relicto infelici Satanæ ſeruitio illud amplecterentur. Doctrinæ miracula acceſſerunt, inter quæ imprimis memorabilia ſunt, quod dæmonia ex obſeſſis hominibus eiecit, vt oſtenderet, iam adeſſe tempus illud optatum, quo Satanã ex poſſeſſione ſua deturbari, & Regnum Dei inſtaurari oporteret. Iam tum ergo in multorum animis labefactatum eſt diaboli regnũ. Tandem verò illius iugulum petijt Chriſtus, quando in ara crucis mundi peccata expiauit, reſurrectione autem ſua mortem deuicit, vt credentibus peccati pœna eſſe deſierit. Itaq; omnem armaturã, qua maximè confidebat Satan, ei abſtulit, peccatum nimirũ & mortem: & quod imprimis memorabile eſt, oraculis quoq;, quibus gentes deceptas & dementatas fuiſſe diximus, ſilentium impoſuit, vt exteri quoq; ſcriptores teſtãtur. Iam ergo conſtrictus erat improbus ille, & eius vaſa Chriſtus diripuit atq; ſpolia diſtribuit. Homines enim, quibus hucuſq; turpiſſimè abuſus fuerat, ex eius poteſtate aſſertos Patri Deo adduxit, & varijs deſtinauit functionibus, in quibus illi ſeruientes Regnũ ipſius propagarent. Secutus eſt victoriam glorioſus triumphus, Aſcenſio Chriſti nimirum, in qua (vt Paulus ait) ſupra omnes cœlos euectus captiuam duxit captiuitatem, & cœlitus dona Spiritus ſui Apoſtolis atq; viris Apoſtolicis diſtribuit, quibus hi ceu armis validiſſimis inſtructi, in totum orbem egreſſi ſunt, & ſalutiferà Euangelij prædicatione mundum, cuius princeps iam deuictus & vinctus iacebat, ad Chriſtum adduxerunt. Et hoc illud eſt, de quo ipſe in præſenti loquitur.

Eph. 4.

Num verò iſta abſq; labore & periculo facta ſunt? Nequaquam. Imò cum improbus ille & verſipellis hoſtis tempus illud fatale appropinquare videret, etiam antequam in mundum veniret Dei Filius, tumultuari cœpit, vt eius aduentum omnibus inuiſum atq; ſuſpectum faceret. Ciuilibus enim Romanorũ bellis per Iulium & Pompeium excitatis, totum orbem turbauit, & paulò ante Pompeium in Iudæam adduxit, qui vrbe capta ſanctum quoq; ſanctorum ingreſſus prophano intuitu illud polluit, & Iudæorum gentem libertate ſpoliatã Romanorum tyrannidi ſubiecit. Secuta ſunt mox grauiora, quando Auguſtus & Antonius infelici genti Herodem Regem dederunt, qui & omnem regiam atq; ſacerdotalem proſapiam crucidauit, Seniorum Senatum (quem illi corrupto Græco vocabulo Sanhedrim dicebant) aboleuit, ſacerdotium verò ad homines obſcuros & improbos trãſtulit. Idem iam nato Chriſto crudeles inſidias ſtruxit, qua occaſione infantes Bethlehemitici nouo & inaudito crudelitatis exemplo cæſi ſunt. Quod non alia ratione fieri voluit Satan, quã vt toti iſti viciniæ, in qua Filij Dei natiuitas primum per Angelos paſtoribus innotuerat, ipſam quoq; Chriſti mentionem inuiſam faceret, & publico tot parentũ luctu Angelos mendacij ſuſpectos redderet, qui gaudium ingens toti populo denunciarant. Poſtea autem Chriſto docenti & per miracula ſuam virtutem ſimul atq; aduentus ſui cauſam manifeſtanti, ſeſe per Sacerdotes, Scribas, Seniores, Phariſæos, Herodem & innumeros alios magno conatu oppoſuit, qui non ante ab inſtituto deſtiterunt, quàm ille in crucem ſuffixus fuit. Et quàmuis per mortem Chriſti letale vulnus ſibi inflictum eſſe ſentiret Satan, tamen huius quoq; meritum vnà cum illius reſurrectione partim apertis mendacijs atq; calumnijs, partim falſa doctrina apud omnes in dubium vocare conatus eſt. Sed & in priuatis hominibus abunde oſtendit, quanta ſit ſua pertinacia, tunc maximè inſaniendo & tumultuando, quando ipſum Chriſtus ex aliquo obſeſſorum eijcere voluit. At vbi poſt huius aſcenſionem Apoſtoli Euangelium inter Iudæos & gentes prædicauerunt, tũc demum, victus licet & exarmatus, nouas turbas dedit, excitatis paſſim per Iudæos non ſolùm perſecutionibus, verumetiã ſeditionibus publicis, vt Chriſti prædicationem Romanis, qui tunc rerum domini erant, exoſam redderet. Neq; ipſum ſpes ſua omnino fefellit. Mox enim Nero contra Chriſtianos edicta promulgauit, & plures illorum ſub falſo Romæ ab eis incenſæ crimine crudeliter occidit, vt Cornelius Tacitus, ſcriptor alioqui nobis non amicus, perhibet. Secuti ſunt plures alij ex Imperatoribus, quorum crudelitas per annos trecentos ferè longius & latius graſſata eſt.

Diabolus prius quam eijciatur, turbas dat.

Luc. 2.

Et hæc quidem fuſiori & prolixiori narratione voluimus exponere, vt omnibus pateat, diabolum nõ ſpõtè regno ſuo ceſſiſſe, ſed in eo eijciẽdo diuina virtute ſimul & multo ſanguine opus fuiſſe, adeoq; totum orbem terrarum illius furoribus fuiſſe turbatum, priuſquã Chriſto locum daret. Sunt autem

Nemo noſtri ſeculi turbis offendatur.

hæc probè obſeruanda aduerſus eos, qui noſtri ſæculi turbis, ſeditionibus & bellis inteſtinis offenduntur, & nobis pacem & otium illud magnificè iactant, quo totus orbis olim recepta & ſeruata paſſim Papiſtica religione ſit vſus. Multi etiam dum motus hoſce Euangelio acceptos ferunt, non ſine ſumma impietate Chriſtum ſeditionum, bellorum & homicidiorum authorem faciunt. Atqui iſtorum malorum patrem & authorem eſſe conſtat diabolum. Chriſtus autem pacis princeps eſt, & Euangelium pacis præconiũ eſt, quo vt ad vnum Deum omnes vocamur, ita vt per fidem in vnum corpus coaleſcamus & mutuam inter nos charitatem foueamus, docet. Itaq; ne fallamur, diaboli ingenium hoc diligentius obſeruare oportet. In pace ſunt & tranquilla eius omnia, dum armis & præſidijs munitus, regnũ obtinet, & à nemine infeſtatur. Studet enim otij & pacis voluptatibus ſuos cõtinere, ne ad libertatem filiorum Dei aſpirent. Et hîc aſtutia admirabili vtitur, vt qui ſententijs diſsident, ſe tamẽ mutuò ferant, & ſpeciem concordiæ foueant. Sic olim gentes, etiamſi diuerſos Deos ritibus quoque inter ſe diuerſiſsimis colerent, conſenſum tamen habuerunt in oppugnando vero Deo, neque aliqui alijs propter religionis diuerſitatem moleſtiam fecerunt. Et hodie in Papatu non eoſdem Diuos inuocant omnes, neque eadem omnino ſacrorum forma aut ritu vtuntur, attamen inter ſeſe conſentiunt. Idem inter homines ſceleratos eſt videre, qui etſi affectibus diuerſis ducantur, concordiam tamen & amicitiam inter ſe mirificè conſeruare norunt. At quia eiuſmodi concordia per ſe minimè bona eſt, & in erroribus atq; vitijs homines confirmat, minimè probari meretur, & diaboli opus eſt, qui ideo quieſcit, quòd omnia ſua in tuto eſſe videt. Idem verò quàm primùm oppugnatur, & ſibi loco cedendum eſſe ſentit, mox in furorem conuerſus cœlum terræ miſcere conatur, vt regnum malè occupatum peioribus artibus retineat. Hinc ergo parentum & filiorum diſsidia, fratrum contentiones, rerumpub. motus ſeditiones, bella tùm extera tum ciuilia, cædes & omnis generis mala naſcuntur, quibus Euangelij doctrinam & reformationem orbis improbus ille conatur impedire. Et iuuat eum non mediocriter mundus infelix, qui lucem veritatis per ſe odit, ne eius opera mala arguantur. Nimiùm ergo iniqui iudices ſunt, qui hæc nobis & Euangelio exprobrant, vt hoc falſi conuincant. Etenim hoc potius argumento conſtat, virtutem diuinam adeſſe, & diaboli regnum oppugnari, quod is ſeruatum vult. Nam cur prius ille tumultuaretur, cùm illi tuta eſſet rerum poſſeſsio, neq; aliquis ei occaſionem tumultuandi præberet? At nunc per Euangelium ſuperſtitiones oppugnantur, & morum licentia coercetur, denique regnum eius inuaditur & indies coarctatur. Inſanit ergo, & vt olim, ita hodie quoq; orbem terrarum turbat. At non ideo ceſſare debent fideles Chriſti ſerui: ſed vt hic eò fortius in hoſtem illum impreſsionem fecit, quò ferocius illum reſiſtere vidit: ita nobis quoq; eò conſtantius pugnandum eſt, quò crudelius ille furit. Et errant vehementer, qui ſe Regni Dei ſtudioſos eſſe profitentur, & hoc vnum ſe optare aiunt, vt diaboli regnum totum deſtruatur: interim verò indignius ferunt, ſi Chriſti miniſtri ſpiritualia arma aduerſus hunc exerant, & Euangelium liberius prædicent. Faciunt hi perinde, ac ſi quis hoſtem è finibus ſuis eiectum velit, prohibeat autem, ne quis eum oppugnet, aut aliquam illi moleſtiam exhibeat. Fallit autem illos humana prudentia. Quia enim inter homines facilitate & tolerantia multos vinci vident, vt tandem officium faciant, idem hîc quoque fieri poſſe ſibi perſuadent. At ingens inter homines cordatos atq; modeſtos & diabolum diſcrimen eſt: multum etiam res huius ſæculi & religio differunt. Admittunt rationes bonas modeſti homines, nec facilè propter res temporarias cum quoquã acrius contendũt: at diabolus nihil audit, & quamuis interdum aliquid concedere videatur, nil niſi inducias quærit, vt regnum ſuum interea magis ſtabiliat: qua intentione olim etiam Chriſto blanditus eſt, & huic honorificum teſtimonium perhibuit, qui tamen illum ſemper iuſsit tacere, & ab illo prædicari noluit. Deinde res huius ſæculi ferè in noſtra poteſtate ſunt, & tunc propter eas contendere nolle, pium & Chriſtianum eſt. Cæterum religio ad Deum ſpectat, qui certam eius doctrinam atque formam tradidit, in qua aliquid in alicuius gratiam mutare nefas eſt. Et tanta illius apud nos debet eſſe authoritas, vt cum parentibus quoque & fratribus potius diſsidere, quàm ab illius puritate diſcedere debeamus. Quantò minus igitur diabolo & membris eius tribui debet, cum quibus Chriſtiano homini nunquam conuenire poterit? Nec eſt quod de illis aliquid nobis polliceamur, quãdo conſtat omnium ſæculorum exemplis, atterrimas & implacabiles eſſe inimicitias, quæ propter religionis diuerſitatem ſuſcipiuntur.

Porro

Porro ad demonſtrationem, vel potius ſuæ innocentiæ defenſionem, redit Chriſtus, & alio argumento probat, ſibi nihil cum diabolo commercij eſſe. Qui non eſt mecum (inquit) contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit. Quibus Minor propoſitio ſubijci debebat: Atqui diabolus mecum non eſt, neque etiam mecum colligit: Vnde ſequitur, illum mihi contrarium, & nihil nobis eſſe commune. Sed quia cuiuis facile erat hoc colligere, vnica illa ſententia Chriſtus contentus eſſe voluit. Et ſanè inter Chriſtum & diabolum tam magnum tamq; multiplex diſcrimen eſt, vt illis aliqua ſocietas aut communio intercedere nequaquam poßit. Diabolus tenebrarum princeps eſt, & hominum mentes excæcat: Chriſtus autē lux mundi omnes illuminat, qui ipſum ſequūtur. Ille peccati author eſt: Chriſtus ſempiternā iuſtitiā reduxit, imò nobis iuſtitia à Patre eſt factus. Ille homicida eſt: hic vita & ſalus. Ille diſsidia ſeminat & coniunctos inter ſe ſcindit: hic colligit, & ideo in mundū venit, vt filios Dei, qui diſperſi erant, in vnum cogeret, & ſub vno paſtore vnum gregem faceret. Ille ſuum regnum ſtabilire nititur: hic Regnum Dei inſtaurat & prouehit. Ille mendax & mendacij pater: hic veritas eſt. Ille odio & inuidia homines exagitat: hic charitatis igne credentes accendit. Et huius generis multa alia poterant adduci, quæ ſatis demonſtrant, impudentißimam calumniam fuiſſe, qua hîc Phariſæi & Scribæ Chriſtum voluerunt infamem facere.

Chriſto & diabolo nihil commune eſt.

Hinc autem nos colligere oportet, Chriſtum nunquam in nobis Regnum Dei inſtauraturū eſſe, niſi nos Satanam profligemus, cum quo ei tam malè conuenit. Quomodo enim apud eos locum obtineret Dei iuſtitia, qui iniuſtitiæ authori locum dant? Serio igitur Chriſtum amplecti oportet, vt Deo toti conſecremur: neq; putemus nobis licere, vt in tanto diſsidio neutrales ſimus aut vtroque ſimul ſeruiamus. Nam niſi cum Chriſto ſimus, illius aduerſarij ſumus, dum (quantum in nobis eſt) regnum eius concidere, aut ſaltem labefactari patimur. Dominis autem duobus tam apertè diſsidentibus ſimul ſeruire impoßibile eſt. Confutantur ergo hoc dicto validißimè, qui vt otio ſuo conſulāt, miris compoſitionibus religionem veram cum falſa, adeoq; Chriſtum cum Belial conciliare ſtudent. Quibus relictis, nos duo hæc à nobis requiri cogitemus. Primum, vt palàm nos Chriſto adiūgamus, neque nos eius pudeat coram mundo hoc prauo & degenere. Quem enim (inquit ille) mei & Euangelij puduerit coram hominibus, eius & me pudebit, cùm venero in gloria Patris mei cum ſanctis Angelis. Alterum, vt cum illo colligamus, nimirum ad Regnum Dei & Eccleſiæ ſuæ conſortium. Eſt hoc illi officium longè gratißimum: & ideo nomine Chriſtiano prorſus indigni ſunt, qui ad hoc non dirigunt ſtudia ſua omnia. Habent autem hîc omnis loci & ordinis homines quod agant. Miniſtri cum Chriſto colligant, non diſsipent, neque nouis doctrinis Eccleſiam diſtrahant. Peccant hîc multi, qui colligunt quidem, ſed nō cum Chriſto, cū in hominum verba iurarint, quibus auditores ſuos adducere ſtudent. Paulum ergo imitentur illi, qui omnibus omnia fiebat, vt non ſibi, ſed Chriſto omnes lucrifaceret. Qui in magiſtratu ſunt, ſe Eccleſiæ nutritios eſſe meminerint, & in huius gremio ſuæ fidei commiſſum populum contineant. Prouehant ergo verbi doctrinam, ſcholas aperiri curent, fidos miniſtros populo præficiant: & imprimis curent, ne ſua auaritia & rapacitate authores ſint, vt Eccleſiæ fidis miniſtris deſtituantur. Parentes item tam liberos ſuos quàm domeſticos reliquos ſimiliter Chriſto adducant, & priuatim domeſtica inſtitutione hoc agant, vt Dei amorem, verbi eius ſtudium & veræ pietatis principia animis illorum inſtillent. Qui verò neminem ſuæ fidei creditum habent, curent vt & ſeipſos & eos quibus cum verſantur, ſi qua ſe occaſio offert ad Regnum Dei colligant. Qui hoc ſedulò faciunt, ij cum Filio Dei Ieſu Chriſto colligunt, & olim ab ipſo cum electis omnibus ad regnum cæleſte colligentur, vt cum eo viuant & regnent. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Cum Satana pugnēt, qui Deū in ſe regnare uolunt.

HOMILIA CXVI.

Cùm impurus ſpiritus exierit ab homine, tranſit per arida loca, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar domum meā, vnde exiui. Veniens igitur inuenit eam terſam & ornatam. Tunc proficiſcitur, & accipit ſeptem alios ſpiritus peiores quàm ſit ipſe: & ingreſsi habitāt illic, & fiunt poſtrema hominis illius deteriora primis.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus hucuſq; Phariſæorũ atq; Scribarum calumniam cõfutauit, qui ipſum dæmonia per Beelzebul eijcere dixerant. Docuit autem ſibi adeò nihil commercij eſſe cum diabolo, vt potius hoſtiliter inter ſe diſsideant, cùm ipſe promiſſus ille humani generis ſeruator ſit, qui illius caput conculcare & ipſum è regno malè occupato deturbare debeat. Finis omnium iſtorum eſt, vt Chriſtum agnoſcamus qualis eſt, & ei per fidem inſiti ipſi quoque aduerſus diabolum & regnum eius pugnemus pro virili, ad Chriſtum verò colligamus omnes, quibus cum nobis conſuetudo aliqua intercedit. Cæterum quia ſciebat tam ipſos quàm pleroſq; Iudæorum prorſus incurabiles eſſe, hunc locum ſubijcit, quo & ingratitudinem eorum illis grauiter exprobrat, & huius pœnas horribiles denunciat. Quia autem in illis exemplum publicum toti mundo Deus propoſuit, generalis etiam doctrina hîc continetur, qua oſtenditur, quid omnes gratiæ Dei contemptores maneat.

Quid fiat ijs, qui ad diaboli ſeruitium relabuntur.

Primò autem videamus, vt iſta Iudæis conueniant. Nam ipſis potiſsimùm Chriſtum locutum eſſe, ex Matthæo conſtat, vbi ſub finem adijcitur: Ita etiam erit nationi huic malæ. Et quia miraculum in dæmoniaco cæco & muto aditum toti huic diſputationi occaſionem dederat, hîc quoque parabola dæmoniaci vtitur, & in vnius hominis perſona docet, quid toti genti ſit euenturum. Verba per ſe clara ſunt & perſpicua, quare ſummam eorum, & finem, in quem dicuntur, tenuiſſe ſufficit. Quemadmodum (inquit) dæmoniacus, ex quo Satan expulſus eſt, ſi ingratus atque ſecurus ei rurſus locum det, poſtea grauius laborat, adeò vt eius poſterior conditio priori longè deterior fiat: Ita vobis quoq; accidet, erga quos non ſemel Deus gratiam ſuam declarauit, vt ex diaboli tyrannide ereptos ad ſe reciperet, vos autem libertatis pertæſi ſubinde ad priores ſordes relabimini, & diabolo rurſus hoſpitium præbetis. Paucis autem verbis tria agit, quæ ipſis conſideratu imprimis neceſſaria erant. Primò enim beneficia Dei omnia, quæ iam inde ab initio genti illi contulerat, ipſis in memoriam reducit. Deinde ipſorum ingratitudinem & impiam ſecuritatem accuſat. Poſtremò pœnas grauiſsimas minatur.

Dei beneficia in Iudæos.

Quoad primum, ſatis conſtat, ipſos non ſemel gratiam Dei ſenſiſſe, qui illos ex diaboli tyrannide liberare ſtuduit. Nam vt ad patrem illorum Abrahamum aſcendamus, hunc cum inter idololatras ageret, & (vt Ioſua teſtatur) Dijs alienis ſeruiret, euocauit ex mera gratia, & in terram Chanaan eduxit, vt cum ipſo promiſsiones de ſemine benedicto & fœdus illud inſtauraret, quod in diluuio abolitum eſſe videbatur. Deinde cum in Aegypto dira Pharaonis tyrannide oppreſsi non ſolùm libertatem corporum amiſiſſent, verumetiam Aegyptiorum exemplo ſeducti, ſimulachra colerent & varijs ſuperſtitionibus eſſent immerſi, rurſus per Moſem eos liberauit, & (vt in Pſalmo ſcribitur) miſſo verbo ſuo ſanauit eos. Pſal. 107. *Nam ex Aegypto eductis legem dedit, qua ſeipſum & voluntatem ſuã ipſis abunde manifeſtauit, ſimulq; ceremonijs ſplendidiſsimis & myſteriorum plenis inſtruxit, ne quam haberent ad gentiũ ſuperſtitiones declinandi occaſionem. Et quod imprimis neceſſarium erat, ſacerdotes inſtituit, qui Legis doctrinam ſubinde proponerent, ne huius ignorantia diabolo aditum præberet ipſos ſeducendi. Poſtea ceſſantibus in officio ſuo ſacerdotibus, & idololatria cum omni ſcelerum genere ſenſim irrepente, extraordinarios doctores excitauit, Prophetas, qui populum ad veri Dei cultum reuocarent, ſcelera accuſarent, & diaboli conatibus ſeſe opponerent. Similis Dei gratia in exilio Babylonico eluxit. Nam ne illic diabolus eos Babyloniorum exemplo & authoritate ad idololatriam pertraheret, Danielem & eius ſocios ſpiritu ſuo inſtruxit, qui ipſum quoq; Nabuchodonozorem in veri Dei cognitionem adduxerunt, vt ſub eius imperio fidei & religionis puritatẽ retinere poſſent. Et cùm impius Baltazar relictis patrũ ſuorũ veſtigijs veri cultus hoſtis eſſet, & procul dubio Iudæos quoq; ad nefarios cultus & ſuperſtitiones cogere inſtituiſſet, illo extincto & Babylonico regno euerſo, rerũ ſummã ad Cyrum tranſtulit, qui illos libertate donatos honorificè dimiſit, vt vrbem & templum ædificarent, & à Deo accepta ſacra iterum obirẽt. Adde his, quæ Machabæorum tempore ſunt geſta: quando Antiochus templũ prophanauit, Legis libros exuſsit, multos ad fidei veræ abnegationem horrendis ſupplicijs coegit. Tunc enim rurſus heroes fortiſsimos, Iudam & fratres eius excitauit, qui non ſolùm Antiochi & ſociorum eius tyrannidem repreſſerunt, ſed populum iam quaſi redactum ſub diaboli poteſtatem ad veri Dei cultum reduxerunt. Hos omnes ſecutus eſt æternus Dei Filius, Ieſus Chriſtus, qui plenam ſalutem & vniuerſos gratiæ Dei theſauros illis obtulit ſponte, & vt his fruantur hortatus eſt. Et ne quid poſſent tergiuerſari, infinitis mi-*

raculis

vatulis declarauit,ſe promiſſum illum ſeruatorem eſſe,qui ipſos ex diaboli tyrannide aſſerere velit. Vides ergo non ſemel liberatos fuiſſe,& Deum plus quàm paternam bonitatem erga ipſos declaraviſſe,quando toties ſuam gratiam illis obtulit.

Iudæorum ingratitudo.

Quid verò illi? Ingratiſſimi omnium mortalium,quaſi cum Deo certamen ſuſcepiſſent, ſubinde ad priſtinos errores relapſi ſunt. Nam in deſerto non multis ab accepta Lege diebus,vitulum aureum fecerunt,& gloriam immortalis Dei commutarunt cum imagine bouis comedentis fœnum. Terra autem promiſſa iam potiti, multoties derelicto vero Deo, vicinarum gentium ſuperſtitionibus ſeſe polluerunt,& quamuis hoc illis nunquam impunè ceſſerit,tamen quoties pax & otium illis datum fuit, ad vomitum redierunt: adeò vt Samuelis temporibus inuenti fuerint adhuc, qui Aſtaroth & Deos alienos colerent. Sub Regibus idem factum fuiſſe, Prophetarum ſermones teſtantur. Et quamuis interdum pios Reges Deus daret,qui abolitis cultibus peregrinis veram religionẽ magno ſtudio inſtaurarent,pleroſque tamen ſibi aduerſarios ſenſerunt,qui publicè & priuatim ſuperſtitiones retinere conabantur: quod ſub Ezechia & Ioſia imprimis factum fuiſſe conſtat. Similiter poſt Machabæorum obitum ſectis locum dederunt, quæ ex gentium ſcholis prodierant; vt iam in Phariſæos, Saducæos & Eſſenos ſciſſi eſſent, qui vnus populus & ſub vno Deo vna Eccleſia eſſe debebant. Denique ita iam locum inter illos inuenerat Satan, vt palàm Saducæis liceret reſurrectionem mortuorum & cum animarum immortalitate ſpiritus cùm bonos tum malos negare. Erãt præterea paſſim, quorum ſenſus quoque & corpora dæmones occuparant, qui furoribus acti omnia infeſta reddebant. Quod ideo permiſiſſe videtur Deus,vt in illis viderent infelicẽ totius gentis conditionem. Idem tamen rurſus illorum miſertus Filium miſit, qui rebus afflictis opem ferret. Is(vt aliàs monuimus) veritatis doctrina diaboli tenebras diſcuſſit, & dæmonia paſſim ex obſeſſis eijciendo oſtendit iam adeſſe Regnum Dei, in quod ex diaboli tyrannide ipſos transferre velit, modò gratiam ſibi oblatam non aſpernentur. Et cogebatur iam Satan ex multis diſcedere,quorum exemplo Chriſti doctrina & promiſſiones confirmabantur. Cæterùm adeo non mouit ingratos illos tanta Dei ipſos inuiſentis bonitas,vt potius quaſi res ipſorum per omnia incolumes eſſent, & ipſi ſibi ſufficerent, Chriſtum non modò neglexerint, verumetiam odio letali perſecuti ſint: cuius odij exempla cùm in tota Euangelij hiſtoria paſſim occurrant,non opus eſt plura de illo dicere. Hoc modò obſeruemus,cauſam tantæ ingratitudinis & impietatis præcipuam fuiſſe,quòd rebus ſuis optimè conſultum eſſe,neq; ſibi aliquo redemptore aut vindice opus eſſe putarent.

Pœna ingratitudinis Iudæorũ.

At ne ſe hoc impunè facturos arbitrarentur, pœnas graues & horrendas Chriſtus illis denuntiat: Quòd nimirum poſtrema eorum deteriora ſint futura primis. Quaſi diceret. Quoniam non agnoſcitis toties vobis ſeſe offerentem Dei gratiam,& aduerſus eam incurabili pertinacia atq; ingratitudine luctamini,iuſto iudicio permittet ille, vt diabolus maiori tyrannide vos opprimat,& totos redigat in ſuam poteſtatem. Tunc verò in eas calamitates præcipitabimini,vt quæ huc vſq; paſſi eſtis luſus iocusq; videri poſſint præ ijs,quæ vos porrò manent. Nec inanes fuiſſe minas iſtas, res ipſa demonſtrat. Nam ſiue corpora ſiue animas ſpectemus,nulla vnquam gens infelicior, miſerior & calamitoſior fuit,quàm Iudæorum ab eo tempore fuerit. Nam qui Dei Filium,vnicum & liberaliſſimum ſalutis omniſque boni authorem recipere noluerunt,ij poſtea(quod ille fore prædixerat) diaboli ſuggeſtionibus decepti, impoſtoribus impijs & ſeditioſis locum dedere,per quos factum eſt, vt Romani aſſiduis turbis & tumultibus prouocati, vrbem cum templo exciderent, populum verò infelicem, qui ſuperſtes erat, hinc inde diſpergerent. Itaque cum externo cultu, quem inuito Chriſto retinere volebant, libertatem quoque & omnem reipublicæ formam amiſerunt. Et cùm patrum exilia & captiuitates certum finem habuerint, poſtrema hæc illorum diſſipatio annis amplius mille quingentis durauit, neque vlla adhuc liberationis ſpes ipſis affulget. Leuiculum tamen hoc videri poterat præ illis, quæ ad animam & ſalutis æternæ iacturam pertinent. Nam in reprobum ſenſum traditi, ſcripturas ignorant, ab omni liberalium diſciplinarum cognitione alieni ſunt, toti autem à Rabbinis pendent, qui portentoſis fabulis Dei verbum corrumpunt, & vniuerſum religionis atque ſalutis negotium non obſcurant modo, verumetiam ludibrio omnium exponunt. Itaque (quod fore olim Amos prædixerat) famem quidem verbi Dei patiuntur, & à mari ad mare, vel potius ab vna Rabbinorum palude ad aliam diſcurrũt, vt conſola-

Ioan. 5.

tionem inueniunt, ſed id abſq; fructu faciunt. Nam quod omnem ad gratiam Dei aditum illis præcludit, Chriſtum Ieſum adhuc odio capitali perſequuntur, & maiori quàm patres ipſorum impietate conuitia omnis generis in illum congerunt, deniq; in Synagogis ſuis palàm eũ diris deuouent. Quis ergo non videt diabolum aſſumptis infinitis alijs dæmonijs gentem illam inuaſiſſe, & eius conditionẽ longè deteriorem eſſe nunc, quàm olim fuerit? Vnde verò hoc? Quia domum vacuam apud illos Satan inuenit, id eſt, tales reperit, qui repulſo Chriſto (qui ſolus Legis & typorum legalium complementum eſt) ſua ſomnia ſecuti ſunt, & rerum ſecuri admonitiones & correptiones omnes contempſerunt. Quia autem Dominus hæc primùm in genere proponit, deinde Iudæis applicat, quos omnium qui Dei populus & Eccleſia eius membra cenſentur, typum vel exemplar fuiſſe conſtat, nobis quoque hinc generalis doctrina petenda eſt, quæ multa continet, & cuius ſingulæ partes nobis accommodari poſſunt.

Infelix hominũ conditio.

Primò adumbratur hic miſera & infelix hominum conditio. Dum enim hominis mentionẽ Chriſtus facit, è quo diabolus exeat, non obſcurè docet, omnes homines huius tyrãnidi obnoxios eſſe, quoad peculiari gratia liberentur. Quod veriſſimum eſſe, multis argumẽtis demonſtrari poterat. Nam primus parens noſter dum diabolo potius quàm Deo fidem habuit, & illius conſilium ſecutus diuinum mandatum tranſgreſſus eſt, ſeipſum ſponte diaboli ſeruum fecit, neq; dignus fuit, quem pro ſuo Deus porrò agnoſceret. Quare paradiſo eiectus à dignitate ſua priori excidit, & ſimul eximias illas animi atq; corporis facultates amiſit, quibus antea ornatus fuerat, & in quibus Dei imago elucebat. Idem ergo (vt Moſes ſcribit) in ſua imagine peccatrice & corrupta liberos genuit, qui & ipſi ex matris vtero miſeram hanc & ſeruilem conditionem hauſerunt, vt in illos Satan ius & imperium haberet. Et quantum hic in nos poſſit, nemo eſt qui non in ſemetipſo ſentiat. Vnde enim hoc eſſe dicemus, quòd à pueris ſtatim peſſimis cogitationibus diſtrahimur? quòd prauis cupiditatib. ardemus? quòd à Dei voluntate bona & ſancta abhorremus, ad malum autem ſumus procliues? Nũ ex Deo? Nequaquam cùm is ſanctus ſit, & iniquitatem oderit. Num ex prima hominis creatione? Ne hoc quidem: quia ad ſuam imaginem Deus hominem creauit, bonum ſcilicet, innocentem, omniſcium & rerum omnium principẽ. Reſtat ergo, quòd diabolus huius mali ſit author, qui cùm in peccato concipiamur & naſcamur, ſeſe mox infantum quoq; animis inſinuat, vt cum ætate peccati quoq; vis augeatur, quæ illicitarum cogitationum atq; cupiditatum, & tandem apertorum quoq; ſcelerum cauſa eſt. Ita ergo nobis dominatur Satã, vt membra & facultates noſtræ omnes ipſi ſeruiant ad omnem iniuſtitiam, cuius ſtipendium eſt mors & totius hominis interitus. Eſtq; ſeruitus hæc eò grauior & pernitioſior, quòd neq; dominum nobis mutare licet, neq; fuga nobis conſulere poſſumus. Nam quocunq; te cõferas, intra animum & viſcera tua peccatum circumfers, & proinde ſub diaboli ditione & poteſtate es. Accedit hoc quoque, quòd ne volumus quidem liberari, eo quòd ex peccato voluptatem capimus, & illo plus quam vllis alijs rebus delectamur. Et hæc quidem omnium noſtrum, quoad propriam naturam conditio eſt: perdita nimirum & deplorata, niſi nobis aliunde auxilium veniat.

Chriſtus ex diaboli tyrannide liberat.

Itaque hoc quoq; Chriſtus hac parabola indicat. Dum enim Iudæis minatur, diabolum aſſumptis alijs ſpiritibus peioribus denuo ipſos inuaſurum eſſe, eò quòd gratiam Dei in ſeipſis affulgentem impiè contemnant, ſatis docet, ſe eum eſſe, qui miſeros nos ex diaboli tyrannide eripiat. Et ſanè æterno Dei conſilio ipſum ad hoc prædeſtinatum fuiſſe Apoſtoli teſtãtur, & ex prima promiſſione, quam Adamo fecit Deus, ſatis conſtat. In ea enim pugnam illam ſanciuit, quæ ſemini mulieris cum ſerpente veteri perpetua futura ſit, & in qua huius caput conteri oporteat. Venit ergo ille in mũdum præfinito tempore, & (vt aliâs monuimus) pugnam hanc mox à baptiſmo aggreſſus, ab eo tempore tam docendo quàm miraculis regnum diaboli oppugnauit, & multis opem tulit, quorum corpora & ſenſus ille obſidebat, multos item liberauit, in quorum animis peſſimi affectus & cupiditates prauæ, ab illo incenſæ, æſtuabant. Et quam iſtis attulit ſalutem, omnibus communem eſſe vult, dum ad ſe vocat omnes qui laborant & onerati ſunt, & omnibus qui ad ſe veniunt refocillationem & quietem certam pollicetur. Denique iam mortem aditurus diſertè docet, iam adeſſe tempus illud fatale, quo principem mundi foras eijci oporteat. Et mox expiatis per mortis ſuæ meritum peccatis mundi, illum ijs armis exuit, quibus initio regnum mundi occupauerat, & quibus maximè in hominibus capiendis atque retinendis vtitur. Et vt conſtaret redemptionem

perfectam

perfectam & plenam in ipſo haberi, mortem quoq; reſurrectione ſua deuicit, ne hæc quoq; credentibus poſthac formidabilis eſſet. Redemptionem verò hanc & ſalutem tunc partam, poſtea per Euangelij prædicationem toti terrarum orbi denunciari & offerri voluit, & hodie adhuc nobis quoq; offert, imò per eandem ipſe ſuo ſpiritu & virtute diabolum quotidie oppugnat, ne electis ſuis iterum dominetur. Euangelij enim luce falſa doctrina arguitur, ſuperſtitiones profligantur, illiciti cultus abolentur, detegitur ſcelerum & vitiorum turpitudo, emendantur corrupti mores, intellectus hominis illuſtratur, denique totus homo per fidei obedientiã Deo ſubijcitur, quò fit, vt hic in illis regnare poſſit, qui prius diaboli mancipia erant. Perpetua enim & ſemper rata eſt promiſſio illa: Prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Nã quia ipſe Chriſtus per illud ad nos accedit, Satan ad eius prædicationem conſiſtere non poteſt. Ideo Angelus Cornelio Centurioni mandans, vt Petrum ad ſe accerſeret, addit: Ille tibi loquetur verba, per quæ ſeruaberis tu & domus tua. Et Macedonicus ille Angelus Paulum vocans dicebat: Veni, & ſerua nos. Commendatur ergo hic nobis Euangelicæ doctrinæ dignitas atque excellentia, quæ paſſim verbum ſalutis & vitæ æternæ dicitur, ſola denique medium illud eſt, per quod ex diaboli ſeruitio infelici ad libertatem filiorum Dei transferimur. Et vt per illud vincitur & profligatur diabolus: ita illi victoria aduerſus Antichriſtum tribuitur, quoad hoc ſæculum. Euangelium enim Spiritus oris Chriſti & virga labiorum eius eſt, quo impium illum & magnum fidei aduerſarium Iſaias & Paulus percuti & iugulari prædixerunt. Quod noſtro ſæculo paſſim fieri videmus. Nam etſi adhuc magnifico ſplendore & regum fœderibus ille ſeſe venditet, in hominum tamẽ animis iampridem iugulatus eſt, qui agnita Euangelij veritate illius minas atque fulmina contemnunt. Debent iſta in eum finem conſiderari, vt Euangelij ſtudium in nobis accendatur, & vt qui rebus præſunt, illud purè prædicari & latiſſimè extendi curent. Ita enim tam propriæ quàm multorum ſaluti conſulent, & deſtructa diaboli tyrannide Regnum Dei ſalutiferum propagabunt.

Act. 10. & 16.

Iſa. 11.
2. Theſ. 2.

Et hic quidem magno ſtudio & diligentia ſingulari opus eſſe Chriſtus docet, quando inquietum & nocendi cupidum diaboli ingenium deſcribit, qui ne victus quidem & expulſus quieſcat. Cùm impurus ſpiritus (inquit) exierit ab homine, tranſit per arida loca quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar domum meam, vnde exiui: Veniens igitur inuenit eam verſam & ornatam (Matthæus vacantem quoque addit) itaque abit & accipit ſeptem alios ſpiritus peiores quàm ipſe ſit, & ingreſſi habitant illic, &c. Expulſum per deſerta loca eum vagari, & requiem, id eſt, domicilium nouum quærere dicit. Quod bifariam poteſt intelligi, vel quòd expulſio illa ipſi inſtar horridi deſerti ſit, in quo exulare cogitur (& ſanè nihil ei triſtius accidere poſſe dæmoniorum clamores teſtantur, quibus ſæpius de Chriſto conqueſti ſunt) vel quòd ad homines impios tranſeat, quos iam ante ſub ditione tenet, & qui verè loca deſerta ſunt, cùm neque Dei verbo ſe coli patiantur, neque aliquos fructus ferant Regno Dei dignos. Sed apud hos quoque requiem non inuenit. Nam etſi peſſimis illorum ſtudijs & interitu delectetur, non tamen hoc ei ſatis eſt, quem perpetua nocendi & quàm plurimos perdendi libido extimulat. Et vt prædo auarus præda quidem iam parta gaudet, in ea autem acquieſcere non poteſt, ſed ad nouas prædationes aſpirat: ita quies diabolo nulla eſt, niſi noua in horas occaſio ſeſe offerat, qua homines perdat. Quid ergo facit? Cùm hominum mores & ingenium norit, qui rebus integris & ſaluis ferè ſecuri fiunt, de reditu in priſtinum hoſpitium cogitat, vt amiſſam poſſeſſionem recuperet. Neque ſemper illum ſpes ſua fallit. Plerunq; enim accidit, vt ocioſos & ſecuros, adhæc mundi huius ornatui & ſplendori deditos inueniat. Quia enim natura ad otium procliues ſumus, facilè nobis perpetuam pacem & felicitatem pollicemur, ſi nobis Deus ſeſe propitium oſtendat. Quæ perſuaſio etſi per ſe non mala ſit (eſt enim electorum & verè credentiũ ſalus firma & perpetua) niſi tamen ſerio pietatis ſtudio temperetur, & finem noſtræ redẽptionis diligenter obſeruemus, cõfidentes & ſecuros reddit, & ita aditũ patefacit veteri & malitioſo hoſpiti, qui omnem nocendi occaſionem indeſinenter captat. Itaque ſi tales inueniat, prioris eiectionis dolore adhuc exacerbatus, & vt rebus ſuis melius conſulat, maiori conatu rem aggreditur. Nam aſſumptis alijs quoque ſpiritibus peſſimis, redit eo, vnde eiectus fuerat: quæ cauſa eſt, vt eiuſmodi hominum conditio poſterior priori deterior ſit & infelicior. Exempla, quibus hoc probari poterat, multa paſſim occurrunt. Quotidie enim videmus homines qui à pueris bene inſtituti magnos in Regno Dei

Diabolus expulſus nõ quieſcit.

progreſſus fecerunt, poſtea ſecuriores fieri & confidentia nimia inflari, qua alios quoq; præ ſe contemnunt. At ijdem plerunq; nouis Satanæ inſidijs circumuenti ita ab eo poßidentur, vt impietate, verbi Dei contemptu, morum licentia & libidine eos etiam ſuperent, qui eximiũ illud Euangelicæ gratiæ donum nunquam deguſtauerunt. Et quod priuatis hominibus accidit, hoc ipſum in totis populis atque Eccleſijs accidere ſolet. Docent hoc Eccleſiæ Orientales, quæ cùm olim præ alijs floruerint, ſecuritas & confidentia contentiones ambitioſas in illis excitauit, quæ eò vſque progreſſæ ſunt, vt relicta Euangelij ſimplicitate diſputationibus vanis atque inutilibus vacarent, & ſingulæ humanis præſidijs ſibi conſulere conarentur. Ea igitur occaſione obſeruata diabolus hoſpitium, quod olim illic habuerat, repetijt, & Mahumetem miſeris obtruſit, cuius partim doctrina impijßima, partim armis ſubiugati longè deteriori loco ſunt quàm olim, quando gentium ſuperſtitionibus erant immerſi. Simile quid Occidens quoque ſub Romanis pontificibus paſſus eſt. Et hodie vrbium aliquot exempla vidimus, quæ poſtquam profligata & reiecta Euangelij luce tenebrarum principi denuo locum dederunt, non modò ad priſtinas ſuperſtitiones relapſæ ſunt, ſed ſimul omni timore Dei excuſſo & bonis legibus ſublatis, omni ſcelerum generi feneſtras aperuerunt. Verè ergo Chriſtus ait, eiuſmodi hominum poſtremam conditionem priori deteriorem fieri. Et de ijſdem Petrus ſcribit:

2.Pet.2.

Si poſtquam inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Seruatoris Ieſu Chriſti effugerint, his rurſus implicati ſuperentur, fiunt poſtrema eorum peiora primis. Satius enim fuiſſet eis non cognouiſſe viam iuſtitiæ, quàm hac cognita regredi à ſancta doctrina ipſis tradita. Sed accidit eis quod vero prouerbio dici ſolet: Canis reuerſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, & Sus lota ad volutabrum luti. Ita verò verbi & gratiæ ſuæ contemptum iuſto iudicio Deus vlciſcitur, vt qui tales ſunt, impleta tandẽ ſuæ iniquitatis menſura iuſtas ipſi pœnas exoluant. Et videmus ferè in hoc etiam ſæculo tales infeliciſſimos eſſe. Nam amiſſa plerunque corporum quoque libertate, iugum alienum ferre coguntur, eoq; miſeriores ſunt, quòd in tanta carnis & ſcelerum licentia miſeriam ſuam non agnoſcunt. Sed ſunt hæc præludia tantum eorum, quæ olim patientur, quando cum principe ſuo diabolo ad æternos inferorum cruciatus relegabuntur.

Vigilandũ perpetuo cõtra Satanam.

Porro omnia iſta in eum finem à Chriſto dicuntur, vt eorum conſideratione ſimul & tam Iudæorum quàm aliorum exemplis territi, aduerſus diaboli inſidias vigilemus. Nam etſi in electis ſpiritus promptus ſit & alacer, caro tamen infirma eſt, & (vt Paulus monet) pretioſiſſimum hunc Re-

2.Cor.4.

gni Dei & æternæ ſalutis theſaurum in vaſis teſtaceis geſtamus. E contra magna eſt hoſtis noſtri improbitas, neque minor in nobis oppugnandis aſtutia. Quia enim homo vetus ipſius hoſpitium eſt, non ignorat qua parte infirmißimi ſimus, & quibus artibus potißimùm poßimus vinci. Multa igitur & diligenti cura opus eſt, vt omnes illi aditus præcludamus: quod non alia ratione commodius fiet, quàm ſi Chriſtus ei opponatur, qui & olim eum vicit, & petra inuicta eſt, aduerſus quam ne inferorum quidem portæ præualent. Ita ergo hæc ad noſtri admonitionem dicuntur, vt interim pios & fideles minimè terreant. Nam vt vt illorum ſaluti inſidietur Satan, vt vt ad ipſos opprimendos cœlum terræ miſceat, nihil tamen aduerſus eos poterit, ſi veritatis lucem ſemper ob oculos habeant, & omnes mali occaſiones pro virili deuitent. Vt verò priuatim hæc ſinguli cogitare debent, ita maximè ad Eccleſiæ miniſtros & reipub. præfectos hæc cura pertinet, quorum eſt videre, vt ſi quando reformationis occaſio ſeſe offert, nullas ſuperſtitionum reliquias relinquant, ſed ſimul omnia tollant, quæ cum Euangelio minus conueniunt: & vt ab alijs ſublata non patiantur reduci aut reſtitui. Commendantur aliqui Reges Iuda, quòd Dei cultum à prophanis ſuperſtitionibus repurgauerint: ſed eoſdem Spiritus ſanctus propter Excelſa relicta repræhendit: ſolidam verò laudem Ezechias & Ioſias meruerunt, quorum induſtria & zelo omnia ſimul ſublata ſunt, adeò vt ille ne ſerpenti quidẽ æneo pepercerit, cùm aliquos ei huiuſque ſacra feciſſe videret. Iſtos ergo imitentur, qui publicæ ſaluti conſultum volunt: & quod in religione faciunt, hoc ipſum in moribus quoque populi reformandis obſeruent, ne aliquid permittant, quod vitijs aliquibus occaſionem dare poteſt. Quod ſi illorum zelo populi quoque & ſingulorum priuatim ſtudium acceſſerit, facilè omnis aditus Satanæ præcludetur, regnum verò ſuum in nobis Chriſtus Ieſus obtinebit, cum quo olim in cœlis quoq; viuemus atq; regnabimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMI-

HOMILIA, CXVII.

Factum eſt autem cùm hæc diceret, attollens vocem mulier quædã in turba dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Ipſe verò dixit: Imò verò beati, qui audiunt Verbũ Dei, & illud obſeruant.

NArrauit hucuſq; Lucas, vt Chriſtus Ieſus ex homine cæco & muto dæmonium eiecerit, & vt hoc nomine Phariſæi & Scribæ ipſum calumniati ſint, quaſi cum Beelzebul colluderet & artibus illicitis vteretur. In qua hiſtoria in Iudæis quidem extremæ contumaciæ & impietatis exemplum, in Chriſto autem diuinæ bonitatis eximium ſpecimen proponitur. Nam etſi indigni eſſent, quibus cùm amplius verſaretur, aut vnum verbum commutaret, tamen adhuc ſaluti ipſorum conſultum cupit. Primò enim calumniam illam diligenter diluit, & ea occaſione quis ſit docet. Deinde ingratitudinem eorum accuſat, & ſimul pœnas graues denuntiat, vt ſi qui fortè adhuc curabiles eſſent, his auditis de emendatione feriò cogitarent. Porrò non defuerunt aliqui non mali, qui tamen ſe omni officio defunctos putabant, ſi illum ſequerentur, Verbum vel conciones eius audirent, & miracula quæ plurima ædebat admirabundi ſpectarent. Quare nunc iſtos etiam officij admonet, & veram ſalutis conſequendæ rationem ſic tradit, vt ſimul ſuperſtitionibus occurras, quibus multi ab illa auocantur.

Occaſionem huic doctrinæ dedit mulier quædam, quæ miraculorum & ſermonum eius admiratione abrepta ſe continere non potuit, quin tacentibus alijs omnibus ipſa eum publicè celebrare. Clamat ergo: Beatus venter, qui te portauit, & vbera (ſcilicet beata) quæ ſuxiſti. Eſt hæc locutio vulgaris, qua ferè vtimur, quando aliquem ſummis laudibus vehere volumus, prophanis quoque Scriptoribus vſitata, vt ex illo Poetæ dicto apparet: Felices, talem qui te genuêre parentes. Inter Iudæos tamen frequentior fuit, qui ſciebant felicem & laude dignam ſobolem inter Dei benedictiones non poſtremo loco cenſeri. Opponitur autem hoc mulierculæ obſcuræ teſtimonium Phariſæorum atq; Scribarum impudenti calumniæ, vt hoc exemplo diſcamus, nunquam defuturos, qui Chriſto teſtimoniũ ferant, & illius gloriam aduerſus quoſuis hoſtes libere ac fortiter tueantur. Habet enim Deus ſuos electos vbique locorum, etiam vbi ſumma impietas regnat: qui interdum ita latens, vt ab ipſis etiam Verbi adminiſtris ignorentur (quod Eliæ temporibus accidiſſe ſcimus) eoſdẽ tamen ille quando tempus eſt & ipſa rei neceſſitas poſtulat, præter omnem expectationẽ excitare poteſt, vt officiũ faciant, & Veritati palàm, neq; ſine fructu, patrocinentur. Quid, quòd hominibus vniuerſis tacentibus, lapides potius loquentur, quàm Deo ſuæ gloriæ & bonitatis teſtes deſint, vt Chriſtus olim Sacerdotibus dicebat? Et ipſi cœli (vt Dauid ait) gloriam eius prædicant, vt iam de alijs creaturis nihil dicamus. Conſoletur hoc nos aduerſus hoſtiũ Chriſti conatus. Hunc illi omnino oppreſſum & extinctum voluns, ne regnũ in ipſos obtineat: & ſæpe rem eò deducunt, vt ipſi viciſſe videantur: quando nimirum ſua authoritate & tyrannide ita omnes terrent, vt vix quiſquam mutire audeat. Sed Chriſto, cui omnem poteſtatem in cœlo & in terra pater tradidit, facile eſt eorum conatus ludificare, vt omnium riſui exponantur, qui ſe ipſum Deum è cœlo deturbare poſſe ſibi perſuaſerunt. Exempla huius generis hiſtoriæ ſacræ & eccleſiaſticæ multa exhibent. Et conſtat nouiſſimis hiſce temporibus per annos amplius quingentos, quibus Pontificum auaritia & ambitione Veritatis doctrina ex templis eiecta fuit, & quaſi ſepulta iacuit, nunquã tamen illius teſtes defuiſſe, qui veræ fidei confeſſionẽ publicè fecerunt, & eiuſdem ſemina multorum animis inſeruerunt, qui deinceps ipſorum veſtigia ſecuti ſunt. Seipſos ergo ſua impietate & furioſis conatibus infames & Deo exoſos facere poſſunt Chriſti hoſtes, at ijdem Veritatis lucem nunquam extinguent, quin ſcintillæ ſuperſint, quæ ipſos in ſuis tenebris turpiter exultantes arguant & confundant.

Mulier de Chriſto teſtatur publicè.

Luc.19.
Pſalm.16.

At hîc obſeruatu digniſſimum eſt, in tanta hominum turba vnicam mulierculam, eamq; obſcuri & ignoti nominis prodire, quæ tacentibus etiam Chriſti diſcipulis, eius gloriam aſſerit, non quidẽ contra homines ſui ſimiles, ſed contra Phariſæos, quorum maxima erat authoritas, & contra Scribas Hieroſolymitanos, qui in tota illa gente ſummam doctrinæ & eruditionis exiſtimationem ſuſtinebant. Elucet in eo admirabile Dei conſilium, & quòd Regnum Chriſti non ſit de hoc mundo, ſicuti

Chriſtus teſtes uiles deligit.

ipſe etiam apud Pilatum teſtatur. Longè aliter enim ſolent Reges huius ſeculi, qui viles & obſitū ros præcones faſtidiunt, grandiloquos autem & multa eruditione celebres ſcriptores atque oratores pretio conducunt, qui ipſorum potentiam, victorias, virtutes (quas aut pauciſſimas, aut omnino nullas habent) ſcriptis & orationibus ad oſtentationem compoſitis decantent. Vel ipſi ſibi in ea re tradunt operas mutuas, vt ſimiles labra lactucas habeant. At Chriſtus, Rex ille regum, ex ore infantium & lactentium laudem recipit, & humilibus atque obſcuris præconibus delectatur. Neque mirum nobis videri poteſt, mulieris huius teſtimonium ipſi gratum fuiſſe, ſi cogitemus, quales Apoſtolos ſibi delegerit, & qualis eius fuerit comitatus, de quo aliâs diximus. Hinc verò conſolationem petere debent, quicunque ne ob vilem & abiectam ſuam conditionē, officia eorum Deo minus grata ſint metuunt. Nec enim perſonas ille reſpicit, ſed vt in quauis gente (quemadmodū Petrus Cornelio dicebat) ſic etiam in quauis conditione illi acceptus eſt, quiſquis ipſum verè timet, & iuſtitiam operatur. Vide præterea quæ in hanc ſententiam à Paulo dicuntur Galat. 3. Coloſ. 3.

Religio non æſtimanda ex hominum authoritate.

Admonemur præterea hoc exemplo, neminem debere ab hominibus pendere in fidei & religionis atque æternæ ſalutis negotio. Hoc enim non hominum authoritate, ſed æterno Dei conſilio nititur, qui hominum authoritate ſiue ſuffragijs minimè opus habet. Nam vt ex eius mandato Iſaias proclamauit, Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri eſt, & tùm hæc inſtar fœni aut floris exareſcat & defluat, ſolum Domini Verbum manet in æternum. Imò Chriſto teſte, Cœlum quidem & terra tranſibunt, ex eius autem verbis nullus apex intercidet. Quid ergo ad diuini cultus & æternæ ſalutis myſteria conferre poſſet hominum quantùmuis excellentiſſimorū authoritas? Quin potius hanc reijcit Deus, & humiles huius mundi eligit, vt omnē hominū ſapientiam, dignitatē, gloriam & exiſtimationē pudefaciat. Et exempla multa ſunt, quæ euidenter docent, quàm fallantur pernitioſè, qui in hac cauſa homines potius quàm Deū reſpiciunt. In Aegypto Moſes populo Dei libertatē poſtulat à Pharaone, neq; aliquem ſecū habet, qui eius cauſam probet & adiuuet, præter vnū Aaronē fratrem. Ex aduerſa autem parte ſunt Rex Pharao, regni proceres, Magi item, qui tunc mortaliū ſapientiſſimi eſſe iudicabantur. Quis ergo non damnaret Moſis cauſam, ſi hominum iudicio res deberet decerni? Sed hunc bonam cauſam ſuſtinuiſſe, Deus plurimis ſignis & rei euentu comprobauit. Simile quid poſtea in deſerto accidit, quando tota Eccleſia cum ſummo Pontifice in aurei vituli cultum conſenſit, omnibus autem illis rurſus Moſes cum paucis ſeſe oppoſuit, vitulum confregit, & tanti ſceleris authores puniuit. Quid autem de Elia dicemus, qui in publicis totius regni Iſraelitici comitijs, ſiue Concilio potius religionis cauſa indicto, ſolus veri Dei cultum contra Regem, contra Baalis ſacerdotes quadringentos quinquaginta & totum populum aſſeruit? Sed & Micheas cum pſeudoprophetis circiter quadringentis congreſſus eſt, neque eius cauſa propter horum vel multitudinem vel authoritatem fuit deterior. Idem de Iſaia dici poteſt, qui ſub Achas Rege de credentium paucitate conqueritur, & ſe cum ſuis auditoribus portenti inſtar videri dicit. Neque melior Ieremiæ & aliorum Prophetarum ſors fuit. Sed exemplo, quod præ manibus habemus, inſiſtamus. Damnarunt Chriſtum Phariſæi & Scribæ, & quàmuis ille ſeſe grauiter excuſet, ſilent tamen omnes: Vnica autem muliercula eius innocentiam ſuo teſtimonio tuetur. Quòd ſi ergo hominum authoritas valere debet, iam Chriſtus dæmoniorum ſocius erit, & religio Chriſtiana tota euerſa iacet. Eiuſdē generis eſt, quòd Chriſto publica Concilij authoritate & Romani quoq; Præſidis ſententia damnato, & iam inter omnis ordinis hominū impia ludibria in cruce pendenti, vnus latro patronus eſt, qui de eius innocentia, diuina virtute & ſaluifico officio ex cruce ſua tanquam ex cathedra ſacra concionatur, & verè quidem, reliquis omnibus in ſalutis cauſa non minus impiè quàm turpiter errantibus. Quæ exempla omnia eorum ſtultitiā arguunt, qui hodie in controuerſia de religione Concilia requirunt, in quibus res ſuffragiorum multitudine & hominū authoritate decernatur: & eorū quidē, de quorum tyrannide pijſſimi quiq; iam aliquot ſeculis cōqueſti ſunt, & quorū tanta eſt cùm pertinacia tum impudētia, vt in tam clara Euangelij luce, qua abuſus & ſuperſtitiones vulgo quoq; manifeſtauit, ne leuiſſimum quidē errorem ipſi emendare hucuſq; dignati ſint: quin eos etiam contumaciter tuentur, quos Dei Verbo palàm aduerſos eſſe, & quibus Chriſtianos ſimul et exteros offendi nō ignorāt. Quid ergo ab illis ſperes? Num vt medici, qui hactenus Eccleſiæ morbos tā facilè neglexerūt, ſibi ipſis nūc cauteriū adhibeāt? Id certè nūquā facient. Nū verò interea Chriſtianus orbis in tenebris

hærebit,

bærebit, dum illi reſipiſcant? Iniquum hoc fuerit ab aliquo exigere. Singuli ergo ſalutis propriæ curam habeant, & mulieris huius exemplum imitati, fremeutibus licet Chriſti aduerſarijs, quam agnouerunt Veritatem fortiter confiteantur.

Porrò reſpondet mulieris voci Dominus, & inde occaſione ſumpta docet, iu quo uam ſalus hominis & illius conſequendæ ratio conſiſtat. Rurſus autem veræ humilitatis & modeſtiæ, quæ cum ardenti noſtræ ſalutis ſtudio coniuncta fuit, exemplum præbet. Alius enim, quem inanis gloriæ cupiditas titillauiſſet, aliorum quoq; aſſenſum ſiue applauſum auidè expectaſſet, vel hinc occaſionē cœpiſſet de ſeipſo amplius diſſerendi. At ille ſeipſo quaſi neglecto hoc agit, vt cōmuni omnium ſaluti conſulat. Imò verò (inquit) beati, qui audiunt Verbum Dei, & illud obſeruant. Habet autem reſponſum hoc non obſcuram reprehenſionis ſpeciem, qua quod in huius mulieris præconio vitioſum erat, aut alijs cauſam erroris præbere poterat, corrigit. Non tamen hoc reprehendit, quòd matrem eius Mariam beatam pronuntiauiſſet. Verè enim beata & eximium vas gloriæ & gratiæ Dei fuit, cùm in terris ageret, & nunc in cœlis inter beatorum omnium ſpiritus viuit, & regni illius æterni gaudijs fruitur, quod nobis Chriſtus ſuo merito acquiſiuit. Reprehenſione autem dignum fuit, quòd bona hæc mulier admiratione & zelo Chriſti abrepta, in eius prædicatione id omiſit, quod imprimis laudem meretur: nimirum quòd ipſe Verba vitæ æternæ habet, quòd vnicus inter Deum & homines Mediator, vnicus item ſalutis humanæ fons atque author eſt, & quòd ipſum audire & amplecti debent, quicunque ſeruari cupiunt. Hæc vera & ſolida Chriſti gloria eſt, quam ſe nemini cōmunicaturum eſſe apud Iſaiam clamat, & quam Phariſæi cum Scribis obſcurare, imò totam extinguere conabantur. Iſa.42. *Huius ergo quia mentionem nullam fecerat mulier iſta, & beatitudinem externis, quæ Chriſto exhibentur, officijs tranſcribere videbatur (quæ multis grauiſsimi erroris occaſio eſſe potuiſſet) meritò eius dictum ille corrigit, & vt in ipſo ſalutem conſequamur, longè aliud requiri docet. Conuenit ergo locus iſte cum ijs, quæ Cap. octauo audiuimus, vbi matrem & fratres ſuos ſimiliter eos eſſe dicit, qui Verbum ſuum audiunt atque cuſtodiunt.*

Chriſtus affectum mulieris corrigit.

Continetur ergo hîc memorabilis & neceſſaria obſeruatu doctrina: Hominis beatitudinem atque ſalutem adeò non conſiſtere in vllis externis officijs aut operibus, vt ne generatio quidem carnalis aliquid ad hanc conferat. Nam qualiſcunque aut ex quibuſcunque hæc nobis obtingat, certum eſt, nos in peccato concipi & naſci, vt alibi docuimus. Cœlitus ergo regeneremur oportet, quod Chriſtus disertè monet, quando Nicodemum phariſaica propriæ iuſtitiæ & dignitatis fiducia adhuc turgentem ab ipſis fidei & religionis fundamentis inſtituere volens, hoc ſuæ doctrinæ principium ponit: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei. Ioan.3. *At regeneratio iſta neque ex matris vtero fit, neque noſtris viribus aut operibus conficitur (quid enim ad eam conferant, qui ad carnis generationem nihil conferre potuerunt?) ſed eorum modò eſt, quibus Chriſtus Ieſus fide vera receptus hanc dignitatem contulit, vt filij Dei dicantur.* Ioan.1. *Et ſemen quidem eius eſt Verbum Dei, adminiſter autem & author Spiritus Sanctus, cuius virtute illud viuificatum nos renouat. Poterat hoc multis Scripturæ teſtimonijs demonſtrari, ſed ſufficiat nobis vnius Mariæ Virginis exemplum. Eſt hæc (vt ante etiam diximus) verè beata & glorioſa, & Elizabetæ vocem ex Spiritus ſuggeſtione loquentis agnoſcimus: Benedicta tu inter mulieres. Beatitudinis verò eius cauſa non hæc fuit, quòd Dei Filium in carne peperit (nam in progenitorum eius catalogo multos impios & infelices Euangeliſtæ numerant) quod eundem ſuis lactauit vberibus, & reliqua matris fideliſsimæ officia exhibuit: ſed ex eo potius, quòd Dei Verbo credidit, & ex ſe natum humani generis Seruatorem fide complexa inq; eo renata eſt. Fidei enim vox fuit, quæ Angelo totum incarnationis Filij Dei myſterium exponenti reſpondit: Fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et Elizabeta Spiritu Sancto plena eidem dixit: Beata quæ credidiſti: nam perficientur ea, quæ dicta ſunt ei à Domino. Quin ipſa Maria eiuſdem Spiritus impulſu ſibijpſi nihil præter vilem & humilem conditionem tribuit, quam Deus ex gratia reſpicere dignatus ſit, et mox addit: Quia magnificè mecum egit potens ille, cuius ſanctum eſt nomen, & cuius miſericordia in omnes ætates parata eſt timētibus ipſum, &c. At ne quis nos noui dogmatis authores eſſe putet, Auguſtini verba ex Tract. in Ioan. decimo audite: Cùm Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna & prodigia, & oſtendens quid lateret in carne, admiratæ quædā animæ dixerunt, Felix venter qui te portauit: Et*

Generatio externis nihil facit ad ſalutem.

ille, Imò felices qui audiunt Verbum Dei & cuſtodiunt illud: hoc eſt dicere: Et mater mea, quā appellatis felicem, inde felix, quia Verbum Dei cuſtodit, non quia in illa Verbū caro factum eſt, & habitauit in nobis: ſed quia cuſtodit ipſum Verbum Dei, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt. Homines non gaudeant prole temporali, exultent ſi ſpiritu iunguntur Deo. Hæc Auguſt.

Contra cultores Mariæ.

Confutantur ergo hîc præpoſteri Mariæ cultores, qui hoc loco abutuntur, quo vix alius ipſorum errori magis repugnat. Dicunt enim ſcriptum eſſe: Beatus venter qui te portauit et vbera quæ ſuxiſti. Addunt his ſalutationem Angelicam, Aue Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres. Item quod Elizabeta adiecit: Benedictus fructus ventris tui. Inde verò concludunt: Ergo Maria inuocari & diuinis honoribus coli debet. Mira ſanè conſequentia. Fatemur equidem Angelum ſalutatione iſta vſum eſſe, neque negamus quod Elizabeta & mulier iſta dixerunt. Sed quod iſti ex illis colligunt, id neque ſcripturarum teſtimonijs, neque vllis ſanctorum exemplis probari poſſe dicimus. Illæ enim vnum Deum inuocandum eſſe docent, vt aliâs multis demonſtrauimus. Adhæc multis alijs ſimilia vel Angelos vel ipſum Deum dixiſſe ſcimus, quos tamen nemo piorum pro Dijs coluit & inuocauit. Abrahamo Deus ipſe dicit: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Et hoc ipſum cum Iſaaco & Iacobo colloquens repetit. De Dauide etiam teſtatur: Inueni virum ſecundùm cor meum. Gedeonem Angelus ſalutat: Sit Dominus tecum heros fortiſſime. Item: Vade in virtute tua, & tu ſeruabis Iſraelem de manu Madianitarū. Quis verò vnquā in veteri Teſtamento propterea Abrahamū, Danidem aut Gedeonē inuocauit? Quis in illorū honorem vel templa extruxit, vel aras conſecrauit? Nemo vtiq. Imò ne in quæſtionē quidē hoc vnquam venit inter pios Dei cultores, quorū fides & pietas in ſcripturis prædicatur. Eſt ergo nimis abſurda & ridicula iſtorum hominū argumentatio. Mariam quidem in ſummo honore & pretio habendā eſſe fatemur, vt quam Deus Filij ſui in carne manifeſtandi matrem eſſe voluit. Sed inuocandam eſſe negamus, ne in religionis Chriſtianæ principia peccemus, quæ honorem iſtum vni Deo tribuunt. Mariam autem verè coles, ſi exemplum eius imiteris, ſi quem illa genuit mundi Seruatorem fide conſtanti amplectaris, & (quod illa iuſſit) feceris quæcunque ille præceperit. Ioan. 2.

Iud. 6.

Ratio conſequendæ ſalutis.

Sed ad Chriſti Verba redeamus, qui mox veram ſalutis conſequendæ rationem ſubijcit dicens: Beati, qui audiunt Verbū Dei, & illud obſeruant. Sunt verba hæc in ſe clara & perſpicua, ſed quæ his continentur, diligentem conſiderationem requirunt. Et primò quidem, cùm in ipſo vno omnis ſalus & beatitudo habeatur, & proinde dicere poſſet: Imò qui credit in me, habet vitam æternam, & tam in hoc quàm futuro ſeculo verè beatus eſt: aliter hîc rem explicat, & ad Verbum Dei nos remittit: non quòd diuerſum quid doceat ab ijs, quæ paſſim inculcat, ſed vt veram fidei & religionis formam ſeu regulam præſcribat, quam tutò ſequamur. Sunt enim (vt de alijs ſectis nihil dicamus) qui fide in Chriſtum gloriantur, longè alium verò fingunt, quàm Verbo Dei tradatur: talem nimirum, apud quem alijs interceſſoribus ſit opus, qui peccatoribus ſeſe difficiliorem præbeat nunc in cælis, quàm olim in terris agens fuerit, quem Virgo mater per vbera obteſtetur, quem quotidie pro peccatis viuorum & mortuorum immolari oporteat: quibus multa alia addunt illo indigna & à religione Chriſtiana alieniſſima. Ne quid ergo huiuſmodi fingamus, ad Dei Verbum nos relegat. Vbi obſeruabis, non aliud intelligi, quàm quod in Scripturis ſacris continetur. Per has enim nobiſcum loquitur Deus, vt nequaquam nouæ reuelationes aut inſpirationes expectandæ ſint, quibus quid ille velit edoceamur. Gloriantur illis multi, quibus ſeruile videtur à ſolis ſcripturis pendere: ſed ijdem ferè ſuis ſomnijs decepti, in errores graues & pernicioſos incidunt. Nos potius Dei fidem & bonitatem exoſculemur, qui certam doctrinæ formulam eſſe voluit, quam ſequamur. Ideò per Moſem conſcripta ſunt quæ olim cum patribus egit, qui primas ſalutis promiſſiones acceperunt. Idem à Deo acceptam Legem ex eius iuſſu ſcriptis mandauit, qua ipſius voluntas pleniſſimè explicatur. Adhæc Prophetæ literis comprehenderunt, quæ per illos Deus locutus eſt. Quod ipſum de Apoſtolis dicere poſſumus. Et mirum eſt Scripturæ ſacræ libros inter tot hoſtiles inſidias, perſecutiones, bella & horribiles orbis terrarum motus in hodiernum vſque diem ſeruatos eſſe, cùm interea tot millia librorum interciderint, quos potentiſſimi Reges ſeruatos voluerunt. Cur verò id factum dicemus? Num vt neglectis Scripturis ipſi nobis nouū doctrinæ genus fingamus, aut Verbum Dei nouum, vel non ſcriptum, quæramus? Minimè gentiū. Imò potius, vt certa nobis conſtaret fidei

regula

regula atque ſalutis ratio, & ne qua occaſio eſſet, quæ nos incertis opinionibus vagari cogeret. Porrò non modò ad Verbum Dei remittit Chriſtus, ſed vt in eo verſari debeamus docet.

Primò vt Verbum audiamus monet. Nam vt Paulus ait, fides ex auditu eſt. Audiendi autẽ Verbum Dei
vocabulo diligens & ſerium Verbi ſtudiũ intelligit, quo etiam lectio & meditatio eorum, quæ audi- audiri debet.
uimus & legimus, compræhenditur. Vt enim ipſe in ſementis parabola docet, nõ omnes, qui Verbum
auribus percipiunt ſeruantur. Sunt enim qui ſemen illud in viam, id eſt, animos prauis affectibus et
ſuggeſtionibus patentes excipiunt. Sunt qui corda afferunt petricoſa, in quibus radices agere non po-
teſt. Sunt qui animos ſpinis curarum huius ſeculi obſitos habent. In quibus omnibus illud fructum
aliquem ferre non poteſt. Requiritur ergo animus honeſtus & diſcendi cupidus, qui quod audiuit
aut legit, retineat, & diligenti meditatione ruminet, vt veram diuinæ voluntatis & myſteriorum
ſalutis cognitionem aſſequatur. Dum verò Dei Verbum audire iubet, eos omnes confutat, qui hu-
manas traditiones audiunt & ſequuntur. Impingunt hi in ipſo limine, quando conſtat, eos nequic-
quam circa Dei cultum occupari, qui hominum figmentis inhærent. Simul etiam ijs reſpondetur
hîc, qui queruntur ſe neſcire, quid inter tot tamq; graues de religione controuerſias credere debeant.
Atqui vno verbo Chriſtus nos dubitare vetat, quando beatos dicit eos, qui Verbum Dei audiunt.
Huius ergo præceptum ſequere, quod te falli aut errare non ſinet.

At quia nuda auditio Verbi non ſufficit, alterum addit, vt illud obſeruemus & cuſtodiamus. Verbum Dei
Nam vt modò diximus, multa ſunt quæ Verbum ex animis auferunt, & obſtant ne fructum in obſeruetur.
nobis ferat aliquem. Itaque animo memori & fido commiſſorum aut depoſitorum cuſtode opus eſt.
Is verò in nobis non erit, niſi ijs quæ dicuntur credamus, & ea Dei Verbum eſſe habeamus perſua-
ſum. Hinc deinde mandatorum Dei obſeruatio & obedientia vera naſcitur, quam niſi præſtemus,
Verbum nobiſipſis in teſtimonium audimus, & à ſalute excidimus. Ideò grauiter admodum de hoc
Iacobus admonet, ſic ſcribens: Reipſa præſtate ſermonem, nec ſitis auditores ſolùm, fallentes voſ- Iacobi 1.
metipſos. Nam ſi quis audit ſermonem, & eum non præſtat, ſimilis eſt viro conſideranti natiuam fa
ciem ſuã in ſpeculo: Conſiderauit enim ſeipſum, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis eſſet. At qui per-
ſpexerit in perfectam illam Legem Libertatis, & in ea permanſerit, quia non fuerit auditor obliuio-
ſus, ſed effector operis, beatus erit in opere ſuo, &c.

Vt verò Verbum Dei rectè obſeruemus, quid illo doceatur & mandetur tenere oportet. Poſſunt Verbum Dei
ea omnia duobus capitibus compræhendi. Primum eſt fides in Chriſtum Ieſum, ſub qua totus Dei quid doceat.
cultus tam externus quàm internus continetur. De hoc ipſe apud Ioannem loquitur his verbis: Hoc
eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem ille miſit. Item: Hæc eſt voluntas eius qui miſit me, vt omnis Ioan. 6.
qui videt Filiũ & credit in eum, habeat vitam æternam, &c. Et præceptorẽ noſtrum ſecutus Ioan-
nes Apoſtolus, inter præcepta Dei ſimiliter hoc primo loco ponit, vt credamus nomini Filij ſui Ieſu 1. Ioan. 3.
Chriſti, id eſt, vt hunc Seruatorẽ, Regem & Pontificẽ noſtrum ſummũ atq; æternum agnoſcamus,
qualis ſuo nomine deſcribitur, & in Scripturis prædicatur, de quo paulò ante diximus. Hîc ergo ex-
cluduntur omnia, quæ illius merito derogant, dum nos ſalutẽ alibi, quàm in ipſo ſolo quærere docent.
Nam perpetuò ratum erit hoc eius dictũ: Ego Dominus, hoc eſt nomen meũ, & gloriã meam alteri Iſa. 42.
non dabo. Alterum caput eſt, vt vitam viuamus Chriſtiana profeſſione dignam. Quia enim fi-
des hominem totum Deo vendicat, eundem regenerat quoque, vt iam non ipſe viuat, ſed Chriſtum
in ſe habeat viuentem, vt de ſemetipſo Paulus ſcribit. Veriſſimè ergo dicimus, eos à fide adhuc alie-
nos eſſe, qui vitam prophanam viuunt, & ſceleribus indulgent. Rectè ergo Iacobus ait: Quæ vtili- Iacob. 2.
tas fuerit, fratres mei, ſi quis fidem habeat, opera autem non habeat? Loquitur enim de nuda & in-
ani fidei profeſſione, quam paulò poſt fidem mortuam dicit, & addit: Tu fidem habes; id eſt, fide
gloriaris: oſtende mihi fidem tuam operibus tuis. Nam vt hominem viuere ex actionibus conſtat,
nec viuere dicetur is, in quo ſenſus omnes extincti ſunt, calor refriguit, nerui & membra obriguerũt,
vt nullum vitæ inditium ſit reliquum: ita fides reipſa & totius vitæ ſtudijs ſeſe declarat, & proin-
de in illis nulla erit, qui non ſerio prouehendæ gloriæ Dei ſtudio tenentur, in quibus charitas extin-
cta friget, & qui nullum præſtant hominis Chriſtiani officium. Sed ne hîc quoque cum multis ſuper-
ſtitioſis erremus, qui bonorum operum nomine externa quædam frigidiſſimarum ceremoniarum
exercitia intelligunt, tutiſſimum erit, vt ipſius exemplum nobis imitandum proponamus. Sic enim

Matth.11. *ipſe monſt, quando abs ſe nos diſcere iubet, & exemplum ſe nobis præbuiſſe dicit. In ipſo autem obe-*
Ioan.13. *dientia & humilitas erga Patrem cæleſtem extrema cernitur, qua ſe exinaniuit, & forma ſerui*
Philip.2. *aſſumpta obediens fuit vſque ad mortem, & quidem vſque ad mortem crucis, qua nihil atrocius &*
magis infame fingi poterat. Innocentiæ ſtudium quoque tantum, vt inſenſiſſimis hoſtibus dicere au-
Ioan.8. *ſit: Quis veſtrûm arguet me peccati? Charitatis autem igne ita flagrauit, vt hoſtibus quoque nun-*
quam ceſſauerit benefacere, & pro illis etiam preces fuderit, à quibus in crucem ſuffigebatur. Ad-
hæc patientia & fidei conſtantia tanta armatus fuit, vt inter grauiſſimas tentationes & immanes
mortis appropinquantis dolores Deum inuocarit & huic animam crediderit. Hæc quicunq; imitan-
tur, ij Dei Verbum obſeruant, & proinde verè beati ſunt, adeoq; Chriſti cognatis carnalibus præ-
feruntur, cùm & eius germani fratres & veri filij Dei ſint. Beati (inquam) ſunt, etiamſi innume-
ris & aſſiduis calamitatibus exerceantur. Nam inter has de ſalute ſua certi ſunt, & huius arrha-
bonem habens certiſſimum, Spiritum Sanctum, in quo clamant, Abba Pater. Sorte item ſua conten-
ti viuunt, quam non poſtremam felicitatis partem eſſe, gentium quoque philoſophi intellexerunt.
Vbi verò vitæ ſuæ curſum emenſi fuerint, ad Chriſtum colliguntur, cuius promiſſio eſt: Volo vt
vbi ego ſum, etiam ſit miniſter meus. Item: Volo Pater, vt vbi ſum ego, etiam ſint quos dedi-
ſti mihi. Quia enim huius oues & peculium, imò eius ſponſa ſunt, nunquam illos abs ſe diuelli
patietur.

Cauſæ malorũ huius ſeculi. *Traditur ergo breui hac ſententia ratio ſalutis certa, adeoq; pietas illa, quam Paulus cùm præ-*
ſentis tum futuri ſeculi promiſſiones habere ſcribit. Huius autem conſideratio diligentior ſimul nos
admonet, quæ cauſa ſit calamitatum, quibus hodie totus terrarum orbis affligitur. Diſputant de il-
la multi, & remedia nequicquam quærunt. Atqui vnica beatitudinis obtinendæ ratio eſt, vt Ver-
bum Dei audiatur & obſeruetur. Hanc Lex & Prophetæ monſtrant, quorum doctrinam Chri-
ſtus in præſenti confirmat. Iſtam verò pauciſſimi ſequuntur. Multi enim Verbum Dei ne audire
quidem dignantur, ſed ſcurriliter contemnunt. Multi inſuper illud ferro & igne oppugnant, & in
eius ſectatores hoſtiliter ſæuiunt. Qui verò audiunt, ij Dei Verbum eſſe non credunt, & ideò non cu-
ſtodiunt neque obſeruant illud, ſicuti in ipſorum moribus apparet. Imò plerique eorum ſic viuunt, vt
propter ipſos illud male audiat. Quòd ſi verò flagella & virgas ſuas Deus exerat, tunc impatien-
tia ſuperati aduerſus illum fremunt & murmurant, adhæc non ad ipſum, ſed ad media illicita con-
uertuntur, quibus ſibijpſis opem ferre volunt. Sunt hæc nota omnibus. Neminem ergo noſtri ſeculi
mala offendant. Quid enim aliud faceret Deus? Diſcant potius ſinguli vitia illa emendare, Verbum
Dei audire, præcepta eius obſeruare, Chriſtum Ieſum fide vera amplecti & eius imitari exemplum.
Ita & in hoc ſeculo beati erunt, & hac vita defuncti cum illo æternùm viuent & gaudebunt. Illi
debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVIII.

Cùm autem turba congregaretur apud eum, cœpit dicere: Natio hæc mala eſt: ſignum requirit, ſed ſignum non dabitur ei, niſi ſignum illud Ionæ Prophetæ. Nam prout fuit Ionas ſignum Niniuitis: ita erit Filius hominis nationi iſti. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris nationis huius, & condemnabit eos: quòd venerit à terminis terræ, vt audiret ſapientiã Solomonis: & ecce plus quàm Solomon eſt hoc in loco. Viri Niniuitæ reſurgent in iudicio cũ hac natione, & condemnabunt eam: quòd ad præconiũ Ionæ reſipuerint: & ecce plus quàm Ionas eſt hoc in loco.

EXpoſuit nuper Lucas diuerſa hominum de facto Chriſti, qui dæmoniacum curauerat, iudicia: quorum alij pia admiratione capti, aliquid ſublimius de illo ſentire cœperunt: alij verò, inter quos primi fuêre Phariſæi & Scribæ Hieroſolymitani, ad calumnias conuerſi, illum magicis & illicitis artibus deditum eſſe dixêre, vt eius authoritati derogarent; & populo tam doctrinam eius

quàm miracula ſuſpecta facerent. His tertij acceſſerunt, qui ſignum è cælo poſtularunt, quo probaretur ipſum à Deo magiſtrum & doctorem datum eſſe, & diuina virtute omnia agere. At hoc petendo non niſi ſuffugium quæſiuerunt, quo ſuam incredulitatem excuſarent, vt qui merito non crederent ei, qui terrena modò miracula, nullum autem cælitus ederet. Hactenus autē calumniæ Phariſæorum reſpondit, & ita quidem, vt reliquis omnibus præ Phariſæorũ & Scribarũ metu tacentibus muliercula quædam præclarum illi teſtimonium dederit. Nunc ergo cum poſtremis illis agit, qui ſignum petebant è cælo. Qui locus inter multa alia, quæ obſeruatu digniſſima ſunt, grauem admonitionem, vel comminationem potius, continet, qua docemur improbos verbi cōtemptores, dum ſigna poſtulant, eorum loco pœnas auferre, quibus illorum impietatem Deus vlciſcitur. Nam alibi idem petentibus Phariſæis, iratus eos deſerit, vt ſua gratia indignos eſſe oſtendat. Hîc autem diligentius & magno ſtudio rem hanc tractat: nimirum vt eadem opera multis alijs conſulat, qui ipſum audiebant.

Mat. 8.

Nam occaſionē de his maiori cum fructu dicendi ipſum captauiſſe, Lucas apertè innuit, quando hæc eum dixiſſe ſcribit, tùm magnus iam concurſus populi ad ipſum factus eſſet, quem partim miraculi in dæmoniaco editi fama, partim exorta inter Scribas & illum diſputatio excitauerat. Eo autem oſtendit Chriſtus, ſe bona fide & ingenuè cum aduerſarijs agere vellè, adeò vt teſtes minimè fugiat. Non ergo inuidos calumniatores imitatur, qui aut abſentibus obtrectant, aut abſque teſtibus crimina falſa in immerentes congerunt: ita denique agunt, vt ſemper locus negandi aut elabendi pateat, ſi quid contra ipſos iure tentetur. Non ita Chriſtus egit, ſed cùm turba vndiq; ad ipſum congregaretur, cœpit dicere: Natio hæc mala eſt, ſignum requirit &c. Apud Matthæũ hæc prima verba ſic enuntiantur: Natio mala & adulterina ſignum requirit. Nationis aut generationis vocabulo vtitur, vt incredulitatem & contumaciam hanc non nouam, ſed veterem & quaſi hæreditariã eſſe oſtendat. Quo ſenſu Moſes quoque peruerſam & detortam generationem vocat in ſuo Cantico. Quàmuis autē indecorũ videatur patrũ vitia poſteris exprobrare, vt tamen id fiat ſæpe neceſſitas requirit, præſertim quando incurabilem videmus horum malitiam, et quòd patribus glorientur atq; ſuperbiãt, quod Iudæis nimiùm vulgare erat. Tria autem in illis accuſat. Primò malos eſſe dicit. In Græco vox πονηρὸς ponitur, quæ in Dominica Oratione & in alijs ſcripturæ locis diabolus notari ſolet. Propriè enim eum ſignificat, qui non ſimpliciter & ſibijpſi modò malus eſt, ſed alijs quoque ſua malitia & improbitate moleſtiam atque laborem exhibet. Quod diaboli ingenium eſſe, ſcripturæ docent, & res ipſa abunde teſtatur. Rectè autem hic titulus Phariſæis & Scribis conueniebat, qui & ipſi non contenti propria nequitia, inſuper populum quoque ſeducebant, & Chriſto indeſinenter inſidiabantur, vt nouam ei moleſtiam facerent, & ſalutis communis negotium impedirent, quod ille agebat. Secundò adulterinos vocat, quod perinde eſt, ac ſi ſpurios & illegitimo thoro natos dixiſſet. Cuius epitheti ratio eſt, quòd cùm Abrahami filij & Iſraëlitæ vocari vellent, à ſanctis illis patribus iampridem degenerauiſſent, & à fide Abrahami eſſent prorſus alieni. Quò Ioãnes quoque Baptiſta reſpiciens, progeniem viperarum eos dicit, & ne Abrahamo patre glorientur prohibet. Poteſt tamen latius quoque huius nominis ſignificatio extendi, vt nimirum adulterina aut adultera natio dicantur, quia fidem Deo datam fefellerant. Scimus enim ex Ezechiele & Hoſea Prophetis, hunc illos non modò ſuum ſibi peculium feciſſe, verumetiam deſpondiſſe, vt ſponſa ſua eſſent, quæ cum bona ſua communia haberet. At quàm turpiter patres eorum poſt Deos gentium & idola eorum ſcortati ſint, ijdem Prophetæ teſtantur: & quàmuis Chriſti tempore ab idololatria illa craſſiori immunes eſſent, tamen non minori perfidia peccabant, cùm legem fœdè corrumperent, cultum omnem Dei ſibijpſis quæſtum facerent, & Filium eius, in quo ille nos ſibi deſpondit, non modò contemnerent, verumetiam hoſtiliter perſequerentur. Ergo plus quam adulterina ſoboles erant, cùm in illis ipſis ſpiritualis illius fornicationis crimen hæreret, qua Deus maximè offenditur. Tertio ad rem ipſam accedit Chriſtus, & ideo hanc reprehenſionem illos mereri ait, quòd ſignum requirant. Atqui ſignis confirmari velle, per ſe impium non eſt. Fecit hoc olim Gedeon, & quidem importunè ſatis, cui tamen clementer & patria quaſi indulgentia Deus morem geſſit. Achazo autem Regi Iſaias iraſcitur, quòd iuſſus ſignum petere, id facere recuſaret. Cæterùm longè alia iſtorum ratio fuit: Nam ſupra annotauit Lucas, illos tentandi

Chriſtus ſignũ petentes reprehendit.

Deut 32.

gratia ſignum è cælo petijſſe, vt nimirum contumaciæ ſuæ prætextum haberent, niſi ipſorum petitioni ſatisfaceret: rurſus autem calumniandi maior eſſet occaſio, ſi quid huius fieret. Fuit ergo hoc incurabilis malitiæ argumentum, quã ipſorum quoque maiores olim in deſerto non ſemel peccauiſſe, ſacra hiſtoria docet. Quid enim opus erat ſigna noua è cælo poſtulare, cùm quotidiè infinita fieri viderent, quæ non niſi cæleſti & diuina virtute perfici poterant? non ergo (vt diximus) vt in fide confirmentur quærunt, ſed vt licentius in ſua impietate pergere, & eam apud populum aliquo prætextu excuſare poſſint.

Contra eos, qui hodie ſigna petunt.

Imitantur iſtorum malitiam & adulterinum ingenium, qui hodie in aperta Euangelij luce indies deteriores fiunt, & cùm accuſantur, per eiuſmodi effugia ſe elabi poſſe putant, ſi doctrinam noſtram ſignis confirmari poſtulent. Ac ſi Chriſtiani ſunt, agnoſcunt vtique Chriſti vocem, quæ omnes ad ſe vocat, & in ſe vno omnem ſalutem repoſitam eſſe docet. Agnoſcunt vtique Symboli Apoſtolici articulos, quibus tota fides Chriſtiana continetur. Neque reijcient à Chriſto traditam precandi formulam, quâ vnum Deum Patrem inuocare iubemur, & ab eo ſolo petere, quæ tam corpori quàm animæ neceſſaria ſunt. At quid ab his diuerſum aut alienũ docemus? Oſtendant quæſo ſi poſſunt nos ab iſtis fidei & religionis Chriſtianæ principijs vel latum culmũ diſcedere. Quid ergo ſignis nouis eſt opus ad eam doctrinã confirmandam, cuius veritatem æternus Dei Filius, Apoſtoli item & ſancti Martyres iam olim multis millibus miraculorum demonſtrauerunt? Quòd ſi omnino à ſignis potius quàm à Dei verbo pendere volunt, cur non in ea corporis & animi oculos intendunt, quæ quotidie non ſine miraculo fiunt? Quis enim miraculum eſſe neget, Pontificum tyrannidem tot opibus, tot Regum & principum ſocietate, & propria quoque potentia munitam, aliquot item ſæculorum conſuetudine confirmatam, per homines prius obſcuros & nulla vel priuata vel publica authoritate armatos, ſubitò labefactari, & multis in locis omnino dirui & euerti potuiſſe? Quis non admirabilem Dei potentiam agnoſcat, qui doctrinam Euangelicæ veritatis iam per annos plus minus quinquaginta aduerſus potentiſſimorum principum conatus, multarum gentium fœdera & conſpirationes, inter tot tamque graues totius orbis motus, ſeditiones, bella item cùm externa tum ciuilia conſeruauit? Sunt hæc certè maiora multò, quàm ſi dæmonia pellerentur, cæcis viſus, ſurdis auditus, mutis linguæ vſus, claudis denique, paralyticis & leproſis valetudo integra reſtitueretur. Quòd ſi mortuos reſuſcitari petunt, cur non eos obſeruant, qui mortui per delicta, & in ſepulchris ſcelerum computreſcentes, ad Euangelij vocem ſubitò reſurgunt, & vitam nouam viuunt in Chriſto, cuius merito ſe redemptos eſſe fatentur? Sed quid hæc dicere neceſſe eſt, quando ipſi papiſticos errores agnoſcunt, & intra proprias conſcientias conuicti ſunt? Verumtamen adhuc ſigna petunt, & neque rationibus, neque proprij animi iudicio mouentur, vt potentem Dei manum agnoſcant, quæ Euangelium ſimul & Eccleſiam ſuam mirificè tuetur. Quid ergo de illis aliud dicas, quàm quod de Phariſæis iſtis Chriſtus pronuntiauit? eſſe nimirum malos & adulterinos, qui à filiorum Dei ingenio iam pridem degenerarint, fidem Deo datam fefellerint, & tam huic quàm hominibus pijs moleſtiam exhibeant?

Non parcendũ impijs propter titulos ſuos.

Neque hîc illis propter magnificos titulos & prærogatiuas, quibus ferè gloriantur, parcendũ eſt. Quomodo enim cũ talibus verbi adminiſtri agere debeãt, Chriſtus hîc proprio exẽplo docet. Erat quidẽ magna illorũ authoritas, & Dei peculiũ, gens ſancta et ſacerdotale regnum dicebantur. Quia verò ſuis illis titulis minus reſpõdebãt, Chriſtus nõ ad eos, ſed quales reuera eſſent, reſpicit, & ijs nominibus illos exornat, quæ eorũ facta merebãtur. Idẽ ante illius in carnẽ aduentũ olim prophetæ fecerũt, qui illos modò Chananæorũ poſteros, modò Amorrhæos, interdũ populũ Gomorrhæ dicũt, & meretricibus ſimiles aiunt, quæ perfricta frõte & procul abiecto omni pudore quibuſuis obuijs ſeſe proſtituũt. Et quid Baptiſta fecerit, paulò ante diximus. Nec clemẽtius à Stephano tractantur, quàmuis is ſibi tam pereundum eſſe videret. Ita autem fieri neceſſe eſt. Nam niſi hominibus eiuſmodi larua detrahatur, quâ ſeſe apud vulgus venditant, fruſtra cum illis egeris: quia nunquam pœnitentia ſibi opus eſſe putabunt, quoad ſe apud aliquos in precio eſſe viderint. Sunt quidem qui modeſtiæ ſtudendum eſſe dicunt, ne qui adhuc curabiles ſunt irritentur & hoſtes fiant. Id nos non negamus, ſed quid contumaces & deploratæ ſpei hoſtes veritatis mereantur docemus, quales hodie plerique ſunt, qui Euangelij doctrinam oppugnant, ſicuti iam ante demonſtrauimus.

Sed

Sed pergamus in Chriſti verbis, qui ſignum quidem pollicetur, non autem quale ipſi petebant, ſed quale ipſorum improbitas & contumacia merebatur. Signum (inquit) non dabitur huic nationi, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Nam prout fuit Ionas ſignum Niniuitis: ita erit Filius hominis nationi iſti. Quæ verba non ſic accipi debent, quaſi poſt hunc cum aduerſarijs ſuis congreſſum nulla porrò ſigna aut miracula fecerit Chriſtus. Nam plurimos à morbis grauiſſimis liberauit, & quod omnia reliqua ſuperat, Lazarum ex mortuis reſuſcitauit in vitam. Sed quia hæc omnia ab illis contemni ſciebat, vnum adhuc ſupereſſe dicit, quod & ipſum ipſorum cupiditati minimè ſatisfacturum ſit, optimè autem reſponſurum eorum moribus, vt ex quo non ſalutis, ſed potius exitij ſui, quod dudum meruerint, indicium aut præſagium ſint habituri. Exemplo autem Ionæ & Niniuitarum rem illuſtrat, vt olim quoque ſimile quid factum eſſe intelligant, & vt ſimul nouam habeat ipſos corripiendi materiam Hiſtoria ſatis nota eſt, quare ſenſum potius & mentem Chriſti conſideremus. Quemadmodum (inquit) Ionas ex ceti aut balenæ vtero terræ redditus Niniuitis ſigni loco fuit, quo ad ipſum audiendum & ad pœnitentiæ ſtudium excitari debuerunt: ita ego quoque tertio die ex mortuis rediuiuus genti huic in ſignum ero, cuius conſideratione omnes excitari & moueri conueniebat, vt me per Apoſtolos loquentem audirent & reſipiſcerent. Quibus iam inferri poterat: Quia autem vos Niniuitarum diſſimiles pœnitentiam minimè agetis, ſed potius noua rabie accenſi contra diſcipulos meos tumultuabimini, ſignum hoc reſurrectionis meæ vobis non ad ſalutem, ſed ad exitium cedet. Vt enim Ionas Niniuen intra quadraginta dies perituram eſſe minatus eſt: ita ego à reſurrectione mea vobis per annos quadraginta Euangelium prædicari curabo, vt pœnitentiam agendi tempus habeatis: quam quia minimè acturi eſtis, miſerè peribitis. Quod illis accidiſſe, ex hiſtorijs certò conſtat. Cùm enim aduerſus Chriſti diſcipulos, qui huius reſurrectionem in ſuis contionibus potiſſimùm vrgebant, immani odio & crudelitate graſſarentur, & non contenti in Iudæa id feciſſe, inſuper vbique gentium ſeditiones excitarent, quibus Euangelij doctrina opprimeretur, Deus tandem iuſto iudicio Romanorum arma euocauit, qui vrbe cum templo euerſa, infelicem gentem in totum orbem diſperſerunt, vt paſſim vindictæ diuinæ exemplum fierent. Quod tamen leuiculum videri poterat præ eo, quod eos omnino repudiatos Deus in reprobũ ſenſum tradidit, & in eorum locum gentes adoptauit, quæ prius à repub. Iſraëlis, à fœdere Dei & ſalutis promiſſionibus excluſæ erant. Vt autem in Iudæos optimè quadrat Ionæ & Niniuitarum exemplum: ita Chriſto etiam probè conuenit, eò quòd Crucis ſiue mortis eius myſterium atque fructum adumbrat. Cùm enim nautæ Ionam in mare proijcerent, nihil minus cogitabant, quàm quòd hoc vllis hominibus ſalutiferum foret: Ita cùm Chriſtum in crucem ſuffigerent milites, nunquam eis in mentem venit, quòd ipſe ſalutem cuiquam mortalium eſſet daturus. Verumtamen vt Ionas ex maris abyſſo reuerſus Niniuitis pœnitentiæ & ſalutis author fuit: ita Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus per Apoſtolos ſuos gentes omnes à ſuperſtitionibus & infelici Satanæ ſeruitio in libertatem filiorum Dei tranſtulit, & ab imminenti æternæ damnationis ſupplicio ereptos regni ſui hæredes fecit.

Signum Ionæ prophetæ.

Habetur autem in his Chriſti verbis doctrina memorabilis, aduerſa nimirum & afflictiones, quæ pijs Dei cultoribus immittuntur, ſignorum atq; portentorum inſtar eſſe, quibus Deus mũdum admonet, quid cum impijs & ſceleratis acturus ſit, niſi reſipiſcant. Et huc referri debet dictum illud Chriſti, qui de ſua morte aiebat: Si hoc fit in viridi ligno, quid fiet in arido? Etenim vt Petrus ſcribit, ſolet Deus iudiciorum ſuorum initium facere à domo ſua, partim quidem ne in ſuis probare videatur ea, quæ in alijs punit: partim verò vt ſuos ad pœnitentiam excitet, ne cùm mundo incurabili & pœnitere neſcio æternùm pereant. Inde verò colligere docet Apoſtolus, quàm periculoſa impiorum ſors ſit, cùm iuſto ſua ſalus tot calamitatibus atq; laboribus conſtet. Et ſanè quod de Iona Propheta & ſemetipſo Chriſtus in præſenti dicit, multorum ſæculorum exemplis probatum eſt. Affliguntur in Aegypto grauiſſimè filij Iſraëlis, qui etſi id ſuis peccatis meruiſſent, Dei tamẽ populus & peculiũ erãt: At nõne mox grauiora paſſi ſunt Aegyptij, qui poſt horribiles plagas & primogenitorũ cædẽ cũ ſuo Rege maris rubri vorticibus abſorpti ſunt? Ergo quod Iſraëlitis accidit, ſignum fuit iudicij diuini, quod ipſorum oppreſſoribus imminebat. Pertinet huc etiam Ioſiæ Regis ſanctiſſimi miſerabilis interitus, qui cùm ſancto zelo & populi ſui amore motus bello non neceſſario

Afflictiones piorum, ſigna ſunt.

ſeſe implicuiſſet, in prælio occubuit, & ita ſigni inſtar fuit, quo docebatur, quid poſteris ſuis euenturum eſſet, ſi temerarijs conſilijs & exterorum fœderibus iniquis ſuam impietatem & idololatriam quam Deus punire ſtatuerat, defendere conarentur. Ad eundem modum Babylonica captiuitas, in quam Deus populum ſuum propter ſcelera & contumaciam adduci paſſus eſt, ſignum fuit, quo portendebatur, quid de crudeli & ſanguinario Babyloniorum imperio futurum eſſet. Poterant huius generis exempla infinita adduci, ſed ijs non multùm opus eſt, cùm noſtro ſæculo nõ ſemel viderimus piorum perſecutiones prælудia fuiſſe ingentiũ calamitatum, quibus regna potentiſſima oppreſſa ſunt. Quoties ergo pios Chriſti cultores exulare, egere, eſurire, ſedibus incertis vagari et duriſſima quæque pati videmus, ſemper in mentem venias, Deum procul dubio grauius quid de mundo impio ſtatuiſſe, quid item nobis ſperandum ſit, qui in pietatis ſtudio nondum eò vſque profecimus, vt quicquam aduerſum velimus ſuſtinere. Hæc conſideratio & commiſerationem Chriſtianam pariet, & magnum nobis erit ad vitam piè tranſigendam incitamentum.

Cæterùm ex Ionæ & Niniuitarum exemplo occaſione ſumpta, docet non in hoc ſolùm ſæculo,
Iudæi in futuro quoque ſeculo punientur. verumetiã in futuro puniendos eſſe: idque probat argumento ex communi ſenſu deſumpto. Vt enim morbis grauioribus remedia quoque vehementiora adhiberi, & membra incurabilia omnino reſecari oportet: ita æquum eſt, vt grauius puniantur, quos ea non mouent, quibus multi alij permoti ſunt, vt pœnitentiam agerent, & de ſua ſalute diligentius cogitarent. Quantò autem atrocioribus ſupplicijs digni ſunt, qui cùm plures reſipiſcendi occaſiones illis Deus adhibeat, corrigi tamen nolunt, ſed prophano contemptu omnes admonitiones & correptiones reijciunt? Atqui tales eſſe Iudæos, duobus exemplis probat. Primum eſt Reginæ Auſtri vel Aethiopiæ, quæ
Regina Sabæ. aliâs Regina Sabæ dicitur à Saba regni ſede, quæ Meroës inſulæ Nili eſt ciuitas. De illa ſic ait: Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris nationis huius, & condemnabit eos: quòd venerit à terminis terræ, vt audiret ſapientiam Solomonis: & ecce plus quàm Solomon eſt hoc in loco. Extat hiſtoria in libro primo Regum Cap. decimo. Habet autem exemplum hoc multiplicem comparationem, qua Iudaica gentis contumacia amplificatur, propter quam olim in vniuerſali illo iudicio damnandi ſunt. Reginam autem Auſtri ſurrecturam aduerſus illos ait, vt eos damnet, non quod illa iudicandi poteſtatem habitura ſit (hæc enim ad ſolum Chriſtum pertinet, ſecundùm illud: Pater omne iudicium dedit Filio) ſed quòd illius exemplo tunc conuincendi ſint, adeò, vt nullus excuſationis prætextus ipſis reliquus maneat. Quod clarius patebit, ſi comparationis membra inſpiciamus. Nam perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Illa cum mulier eſſet, & ad longinquas profectiones minus idonea, tamen hoc fecit: Vos autem qui viri eſtis, tam ſegnes & vecordes vos præbetis. Illa gentilitijs ſuperſtitionibus imbuta tanti fecit ſapientiam: vos qui Dei populus & per Circunciſionem in fœderis eius ſocietatem aſſumpti eſtis, illam tam improbè contemnitis. Illam fama ſola excitare potuit: vos coram videtis & auditis, quæ multi iuſti & Prophetæ videre & audire cupiuerunt, nec tamen illis mouemini. Illa aduenit longo & periculoſo itinere: vos me ad vos venientem reijcitis. Illa ſumptus magnos fecit, & inſuper ingentia & pretioſiſſima dona ad Solomonem attulit: vos me non auditis, qui dona maxima ad vos affero, & gratis benefacio omnibus. Quis verò non videat nunc æternam damnationem illos meruiſſe?

Alterum exemplum Niniuitarum eſt, quod his verbis proponit: Viri Niniuitæ reſurgent
Niniuitæ. in iudicio cum hac natione, & condemnabunt eam: quòd ad præconium Ionæ reſipuerint: & ecce plus quàm Ionas eſt in hoc loco. Subeſt his quoque comparatio multiplex, cuius idem, qui prioris vſus & finis eſt. Niniuitæ alieni à populo Dei, & gentiliſmo immerſi ſeſe corrigi paſſi ſunt: Vos qui legem & veri cultus rationem à Deo accepiſtis, contumaciter in veſtra impietate pergitis. Illi vnum Ionam audiuerunt: vos Prophetas innumeros habuiſtis, quibus Ioannes Baptiſta & ego ſucceſſimus, qui omnes eandem doctrinam inculcauimus. Illi vno die audierunt imminentis ſupplicij comminationem: vobis iam per aliquot ſæcula Verbum Dei prædicatum eſt. Illi cùm præconium Ionæ nullo inter ipſos ſigno edito confirmaretur, tamen reſipuerunt: vos cùm ſigna quotidie noua videatis, tamen & hæc & doctrinam contemnitis. Illos mouit hominis peregrini & ex gente inuiſa oriundi prædicatio, vos me ex vobis natum faſtiditis. Illi dirum & horrendum excidium minantem tulerunt: vos me gratia diuina & ſalutis æternæ theſauros offerentem

Ventem odio & morte dignum indicatis. Illi denique homini mortali & peccatori crediderunt: vos mihi non creditis, qui me homine quid maius habere indies demonſtro, & quem nullius peccati poteſtis arguere. Iudices ergo habebitis Niniuitas, qui in magno illo die ſuo exemplo vos conuincens, & æternis ſupplicijs dignos eſſe probabunt.

Sunt hæc dura admodum, vera tamen & communi ſenſu (vt diximus) confirmantur. Debes autem ex illis doctrina ſeu admonitio generalis peti, quid verbi Dei contemptores maneat, eos (inquam) imprimis, qui cùm Dei populus & Eccleſiæ Chriſti membra haberi velint, vitam tamen viuunt improbam atque prophanam, neque vllis verbi admonitionibus mouentur. Promittunt tales ferè ſibijpſis impunitatem, & externis titulis atque Sacramentorum vſu ſeſe abunde defendi putant. Sed vana hæc ſpes eſt, & magno cum ludibrio & æternæ damnationis ignominia olim ab ijs damnabuntur, qui à veri Dei cognitione alieni honeſtiùs vixerunt, & quæ ipſi impunita dimittunt ſcelera, publica authoritate coërcuerunt. Poteſt ergo doctrina hæc latiſſimè extendi. Damnabunt Græci multos Chriſtianorum in nouiſſimo die: eò quòd illi philoſophos incertis opinionibus tumultuantes in pretio habuerunt, & de virtute diſſerentes aſſentè audiuere: ipſi verò diuini verbi doctrinam certam & ſibijpſi conſtantem contemnant. Damnabunt quoque multos ex noſtris Romani, qui libris Sibyllinis eum honorem detulerunt, vt in rebus dubijs conſulendos putarent, etiamſi pleraque in illis obſcura & incerta eſſent: illi verò Scripturas negligant, quæ Dei voluntatem continent, & certa atque ſalutaria conſilia ſuggerunt, quæ in ſecundis & aduerſis rebus tutò ſequi poſſumus. Damnabunt gentes ſuo exemplo Chriſtianos homines, qui virginum ſtupra, adulteria, vſuras & alia huius generis flagitia nullis pœnis coërcent, aduerſus quæ gentium legiſlatores grauiſſimas leges tulerunt. Damnabunt nos Iudæi, qui in triſti & multorum ſæculorum exilio atque hinc inde diſperſi ſuos pauperes alunt & ſuſtentant: cùm nos in pace & otio agentes, fidei domeſticos mendicare, & publicæ inopiæ exempla fieri patiamur. Damnabunt ignauos fidei abnegatores ethnici, qui pro focis & aris mori honeſtum & glorioſum eſſe putauerunt. Damnabunt nos maiores noſtri, qui in ignorantiæ tenebris viuentes ſua liberalitate Eccleſias & Collegia dotarunt, quæ hodie à pleriſque Euangelij luce gloriantibus ſacrilega rapacitate ſpoliantur. Poterant huius generis multa alia addi, ſed hæc modò ſufficiant, quibus inſuper admonemur, quis verus hiſtoriarum exterarum vſus ſit: vt nimirum ex illis quoque virtutis exempla petamus, ne illis inferiores ſimus, & eorum exemplo condemnemur, qui nullam habuerant veræ religionis cognitionem. Quòd ſi nos hactenus peccaſſe & illis deteriores fuiſſe ſentimus, noſtrum eſt vitia emendare, & cælitus iam nobis loquentem Filium Dei, Ieſum Chriſtum, audire: vt in magno illo die læta & tranquilla conſcientia ad eius tribunal comparere poſſimus, & cum electis omnibus ad illum in Regni cæleſtis ſocietatem colligi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen. Contra pſeudo Chriſtianos.

HOMILIA CXIX.

Nullus verò cùm lucernam accenderit, eam in occulto ponit, neque ſubter modium: ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur ſplendorem videant. Lucerna corporis eſt oculus. Cùm igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: ſin verò malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Conſidera ergo num lumen quod in te eſt, tenebræ ſint. Itaque ſi corpus tuum totũ lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebroſam, ſic erit lucidum totum, vt cùm lucerna, fulgore te illuſtrat.

IN ijs, quæ proximè præceſſerunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus cum incredulis & contumacibus verbi ſui & miraculorum ſuorum contemptoribus egit: neque verbis modò nudis increpa-

bilem eorum malitiam corripuit, verumetiam pœnas grauiſſimas comminatus eſt: Fore nimirum, vt quoniam diuinitus ſibi factam gratiam aſpernentur, in peius mox proficiant, diabolo ſuum in ipſis regnum recuperante, vt item horribili excidio pereant, & præterea in nouiſſimo die gentium idololatrarum exemplo ad æternos inferorum cruciatus damnentur. His commodiſſimo & quaſi naturali ordine locum hunc, quem modò recitauimus ſubijcit, quo plenè & perſpicue omnia ea comprehendit, quæ ad Dei verbum pertinent. Docet enim quid illud ſit, quomodo in Eccleſia tractari, & quis nobis illius in tota vita noſtra vſus eſſe debeat. Ita verò iſta proponit, vt ſimul nos ad officium faciendum ſeriò exhortetur.

Verbum Dei lucerna eſt.

Quoad primum, ſimilitudine aut Metaphora vtitur, dum Lucernæ meminit, per quam non aliud quàm Dei verbum debet intelligi. Ita enim olim Dauid Rex & Propheta appellauit, dicens: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ita verò dicitur partim propter authorem Deum, qui illud nobis per Filium ſuum iam inde ab origine rerum reuelauit, qui propriè vera illa lux mundi eſt, quæ tenebras in ſe habet nullas: partim verò propter ipſius verbi naturam atque effectus. Vt enim in tota rerum natura nihil purius eſt luce: ita Dei verbum in ſe purum & ab omni errorum tenebris alienum eſt: cùm è contra omnes aliæ doctrinæ, quantùmuis in ſpeciem ſplendidæ, multa falſa & erronea admixta habeant. Ideo Dauid illud argento ſepties purgato confert. Deinde vt lux diſcuſſis tenebris ea reuelat, quæ prius latebant: ita Dei verbum multa manifeſtat, quæ nobis alioqui ignota ſunt. Nam & latentem in nobis naturæ corruptionem arguit, quam nemo ſapientum huius ſæculi vnquam agnouit, & ſalutis atque Regni cœlorum arcana patefacit, vt ea intelligamus & fide apprehendamus, quæ naturalem humani ingenij captum ſuperant. Adhæc vt lucerna greſſus atque alias hominis actiones reguntur: ita Dei verbum rationem ſimul atque ſtudia conſiliaq́; & facta noſtra omnia dirigit, vt ad verum finem pertingant. Denique vt lux cum tenebris animi quoque triſtitiam, quæ ex illis concipitur, diſcutere & hominem exhilarare ſolet: ita Dei verbo hominum conſcientiæ illuminatæ terroribus peccati & æternæ mortis metu liberantur, vt in Chriſto verè & ſolidè gaudere poſſint. Et hæc cauſa eſt, quòd Ioannes Baptiſta lucerna ardens dicitur, & Apoſtoli lux mundi appellantur: non quòd ipſi hominum mentes illuminare potuerint, ſed quòd lucis illius veræ adminiſtri fuerunt, qua nos illuſtrari oportet. Iſta verò nos de mundi conditione admonent. Quia enim verbum Dei lucerna eſt, quæ ſuo fulgore nos illuminat &

Gen. 1.

regit, illum in tenebris eſſe ſequitur. Et quemadmodum in exordio rerum tenebræ fuiſſe ſcribuntur ſuper faciem abyſſi, donec lux à Deo producta eſt: ita totum mundum tenebræ occupant, & vbi lux illa verbi deeſt, ibi ignorantia & errores regnum obtinent. Quare Paulus gentes, quæ verbo Dei ante Chriſti aduentum caruerunt, ſub tenebrarum poteſtate, imò ipſas tenebras fuiſſe ait. Facit hoc ad commendationem bonitatis & gratiæ Dei, qui infelici & degeneri huic mundo verbi ſui lucem accendere, & huius adminiſtrum Filium ſuum conſtituere dignatus eſt, ne totus in tenebris periret. Eſt hoc inter eius beneficia longè præſtantiſſimum: quod facilè fatebuntur, quicunque infelicitatem ſuam & miſeriam verè ſenſerunt, quæ illis in tenebris & ignorantiæ caligine adhuc verſantibus, conſcientias eorum afflixit. Debet ergo huius conſideratio nos excitare, vt (quod alibi Chriſtus admonet) in luce illa ambulemus, dum ea ſuo ſplendore viam ſalutis nobis commonſtrat.

Vt Verbū Dei proponi debeat?

Et huc imprimis pertinet prima huius loci pars, qua Chriſtus docet, vt Dei verbum in Eccleſijs tractari debeat. Nullus (inquit) cùm lucernam accenderit, eam in occulto ponit, neque ſubter modium: ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur ſplendorem videant. Apud Marcum prior huius ſententiæ pars per interrogationem enuntiatur: Numquid lucerna accenditur, vt ſubter modium ponatur, aut ſubter lectum? Qua parte quid in verbi Dei tractatione caueri debeat, docet: & quia in hoc plurimum momenti ſitum eſt, interrogatione vtitur, vt rei abſurditatem clarius exprimat, quæ accidit, ſi ſecus quàm fieri oportet tractetur. Abſurdè & ſtultè faciunt, qui lucernam accenſam vel ſubter modium vel ſubter lectum occulant. Quis enim eius ſub modio vſus eſt? Sub lectum verò poſita periculum incendij parit, quod vix vlla ratione poteſt caueri. Ita abſurdè nimis & periculoſè eos facere docet, qui Dei verbum

ſubter

ſubter modium aut lectum occultant. Atqui nam (inquis) hoc faciunt? Id facilè intelligemus, ſi quid modius & lectus hoc loco & alibi ſignificent, viderimus. Modius certa menſura eſt, qua in aridis diſtribuendis vulgò vtuntur. Verbum Dei ergo ſubter modium ponunt, qui illi certos fines & limites præſcribunt, dum illud ſuæ rationis modulo metiuntur, quam potius cùm ſuis deſiderijs & omni intellectu per fidei obedientiam illi ſubijcere debebant. Peccant in hoc vt plurimum eruditi, quos doctrinæ variæ cognitio celebres facit. Hi enim dum philoſophorum veterum ſcriptis nimiùm addicti ſunt, ita illorum placita imbibere ſolent, vt Dei Verbum ipſis ſapere aut placere non poſſit, niſi falſis interpretationibus detortum atq; circumſcriptum philoſophia prophanæ ſaliuam redoleat. Regnauit hoc hominum genus ſeculis aliquot in ſcholis non ſine publico Eccleſiæ & religionis Chriſtianæ incommodo. Huic enim debemus doctrinam de libero hominis arbitrio & naturalium facultatum effectis, de operum & humanæ iuſtitiæ meritis, de igne luſtrali ſeu purgatorio, de exequijs & ſacris pro defunctis, & ſexcenta alia, quæ partim ex Ariſtotele & Platone atque aliorum philoſophorum ſcriptis, partim ex poetarum vaniſſimorum fabulis deſumpta eſſe, nemo ignorare poteſt, qui hæc vel à primo limine ſalutauit. His autem finibus ſiuè modio iſto Verbum Dei ita incluſerunt audaciſſimi homines, vt neminem ad ſacrarum literarum ſtudium admiſerint, niſi humanæ philoſophiæ placitis probè imbutum. Hinc ergo tenebræ illæ ſecutæ ſunt, quæ Verbi diuini lucem impedierunt, ne ſuum ſplendorem diffunderet. Nam etſi ex Poſtillis ſuis (vt vocant) alicuius Euangelij aut epiſtolæ locum populo recitarent, eundem tamen aut omnino nulla interpretatione illuſtrarunt, aut ſuis figmentis improbè corruperunt, imprimis autem cauerunt, ne quis ſcripturæ locos diligentius excutiendo & rebus præſentibus applicando errores detegeret. Et in eum quoq; finem omnè ferè tempus, quod ſacris dabatur, theatrico Miſſæ ſpectaculo, pſalmodijs non intellectis, organorum latè reſonantium tinnicibus atq; alijs eiuſmodi ceremonijs diſtribuerunt, vt vix minima portiuncula ſupereſſet, qua Euangelij aliquis locus recitari poſſet. Quia ergo apud Iudæos olim idem fiebat, & quid nouiſſimis temporibus futurum eſſet, Chriſtus præuidebat, ne quid huius fiat prohibet. At non minus in hac re à viris politicis & huius ſeculi ſapientibus peccatur. Hi enim quia huius mundi pacem atque concordiam ſummum bonum eſſe exiſtimant, de pace autem Dei & æterna felicitate non multùm ſoliciti ſunt, nihil à Verbi præconibus dici volunt, quo aliqui hominum offendi poſſunt. Itaq; dicendi & tacendi leges illis præſcribunt, ne ſcelera arguant, ne pœnarum comminationibus aliquem inquietent, ne ſuperſtitiones & illicitos cultus damnent, ſed vnumquenq; pro ſuo arbitrio viuere & quam velit religionem ſequi patiantur. Regnauit hoc etiam hominum genus Prophetarum tempore, quibus præcipiebant, vt blanda ipſis loquerentur. Et poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolis mandare audebant Sacerdotes & Seniores Iudæorum, ne in Chriſti nomine prædicarent, imprimis autem ne aliquam reſurrectionis ipſius mentionem facerent. Hodie autem tales multi non inter aduerſarios modò apertos, verumetiam inter Euangelicæ fidei profeſſores reperiuntur, quos huius temeritatis minimè pudet, imò ex eo ſibi ſummam ſapientiæ laudem quærunt, quòd eam docendi rationem ſe inueniſſe arbitrantur, qua Euangelium abſq; vllius hominis offenſione prædicari poſſit. Sed ita ſe hominum ſtultiſſimos eſſe produnt, qui nec mundi ingenium lucem Verbi odio habentis adhuc cognitum habeant, neq; de Eccleſiæ miniſterio iudicare poſſint. Quæ cauſa eſt, quòd in Dei Verbū, adeoq; ipſum Spiritum ſanctum ſibi ius ſumunt, & quid dici debeat docere inſtituunt eum, quem in ſcripturis & miniſtris ſuis loquentem audire debebant. Et hi quidem omnes lucernam ſubter modium ponunt, quod hîc grauiſſimè prohibetur.

Videamus autem eos quoq;, qui illam ſubter lectum abſcondunt. Lectus quieti & ſomno deſtinatus eſt, at eodem multi ad libidinem & illicitas voluptates, aut ſaltem ad ignauam ſomnolentiam fouendam abuti ſolent. Ergo Verbi lucernam ſub lectum abſcondunt, qui vel ignauia, vel voluptatū ſtudio eam reſtinguunt. Et hoc propriè ad illius adminiſtros pertinet. Ab his enim in hac parte peccatur, quando vel labores fugiunt, vel odia declinare & ſuis rebus conſulere volunt. Vident enim functionem hanc laboris & periculi plenam eſſe, eò quòd mundus hic argui nolit. Vident quid olim Prophetis & Apoſtolis acciderit, & quid hodie multi patiantur, qui dum Deo fideles ſunt, cum fortunis vitam quoq; perdunt. Audiunt præterea graues impiorum cōminationes, & inſuper carceres, vincula & mille mortis crudeliſſimæ ſpecies ſibi iam paratas eſſe conſpicantur. Itaq; vt & pericula ſubterfu-

Modius.

Lectus.

giant, & otio atq; quieti ſuæ proſpiciant, vel omnino tacent, vel ſub modeſtiæ & charitatis prætextu nouum docendi genus cõminiſcuntur, vt omiſſa pœnitentiæ doctrina, ſolam Dei gratiã & in Chriſto nobis factam peccatorum remiſſionem ijs prædicent, qui ſe peccatores eſſe nunquam adhuc agnouerunt, & quos propter indomitam contumaciam publicè arguere & iudiciorum Dei minis terrere oportebat, vt quàmuis ipſi incurabiles maneant, alij tamen eorum exemplo perculſi emendarentur. Et hi canes muti ſunt, de quibus Iſaias queritur: hi impijs puluillos conſuunt atq; ſubſternunt, quibus inter ſcelera ſua indormiant, vt Ezechiel ait: hi deniq; lucernam illã Verbi Dei ſub lecto abſcondunt, & plerunq; publicarũ calamitatum ſunt authores. Dum enim fauſta & læta impijs denũciant, eoſdem in ſceleribus ſuis ſecuros reddunt, quæ cauſa eſt, vt ipſorum exemplum ad plures alios ſerpat, & tandem ſuperante & regnante vbiq; malitia, Dei ira exardeſcat, quæ cum populo incurabili equè nos quoq; illos doctores abſumit. Exemplis multis hoc probari poterat, ſed veteribus minimè opus eſt, cùm hodie experiamur, quantum mali dent Eccleſijs, qui vel diteſcendi & voluptuandi ſtudio, vel vt dogmata peruerſa tueantur, principibus viris turpiter blandiri conſueuerunt. Sed hos quoq; ſuo tempore Deus puniet.

Candelabrum. Quid ergo (inquis) fieri, & quomodo Verbum tractari debet? Chriſtum audi, qui lucernam ſuper candelabrum poni ait, vt omnes qui domum ingrediuntur & negotia illic agunt ſplendorem eius videant. Candelabrum in veteris populi templo inter vaſa ſacra non poſtremo loco habebatur, & miniſterij eccleſiaſtici typus erat, cùm in eo ignis cælo primùm demiſſus aſſidua Sacerdotum cura ex Dei mandato aſſeruaretur. Quod myſterium vt obſcuraret Satan, inter gentes ignem Veſtæ Deæ excogitauit, quem ad hoc munus delectæ virgines nullo cum fructu fouebant, niſi quod ſuperſtitioſi homines in idololatria confirmabantur, tùm Reipub. & Imperij incolumitatem in huius ignis conſeruatione conſiſtere putarent. In Apocalypſi autem Eccleſiæ candelabris conferuntur, nimirum, quòd lucem Verbi Dei ſuſtineant, & hinc inde diffundant. Senſus ergo Verborum Chriſti eſt, Verbum Dei nullo modo occultari, ſed ita proponi & annunciari debere in Eccleſia, vt omnium inſtitutioni & conſolationi ſeruiat: vt denique omnis loci & ordinis homines ſecundùm illud actiones, conſilia & ſtudia ſua poſſint dirigere, neque ſuorum affectuum & cupiditatum caligine decipiantur. Ita verò huius adminiſtros officij ſui admonet, ne quid celent aut obſcurius proponant in alicuius hominis gratiam. Quia enim lucernæ inſtar prælucere debent, ita in ſuo miniſterio verſentur oportet, vt ſinguli ſuos errores & vitia agnoſcere, & ex Verbo Dei horum emendandorum rationem diſcere poſſint. Et huc facit, quòd Prophetæ clamare & inſtar tubæ vocem ſuam attollere iubentur: quòd item Apoſtolis alibi mandatur, vt ſuper tecta diuulgent, & proclament, quæ nunc ipſis in aurem dicantur.

Verbum Dei ad omnes pertinet. Docemur præterea, Dei Verbum ad omnes homines, cuiuſcunque conditionis ſint, pertinere, & huic obedientiam debere omnes, qui ex familia Dei vel Eccleſiæ eius membra cenſeri volunt. Vult enim Chriſtus, vt lucernæ huius ſplendorem videant omnes, qui domum ipſius ingrediuntur. Neque perſonarum reſpectus eſt apud Deum, vt alios quidem legibus coercere velit, alios autem exleges facere, qui pro ſuo arbitrio vitam ſuam inſtituant. Obſeruandum hoc erat ſuperbis illis & inſolentibus, qui cùm Chriſtiano nomine glorientur, tamen immunitatem quandam ſibi vendicant, & Verbo Dei vitia ſua argui atq; ſe officij admoneri nolunt. Atqui Chriſtus, qui alibi doctorem toti ſuæ familiæ præfectum eſſe docet, idem in præſenti lucernam hanc Verbi ſui ſic accendi & proponi vult, vt omnibus præluceat, qui eius domum ingrediuntur. Et olim Ieremiæ dicebatur: Ecce ego facio te hodie ciuitatem munitam, columnam ferream & murum aneum contra omnem terrãm, contra Reges Iuda, contra principes eius, contra ſacerdotes, & contra vniuerſum populum terræ. Nihil ergo proficiunt inſolentes illi, quã quòd ſe non eſſe ex Dei familia conteſtantur, quando patris & domini domus huius ſanctæ vocem audire nolunt. Non tamẽ ideo Dei iudicium ſubterfugient. Nam (vt Paulus ait) qui ſine Lege peccauerunt ſine Lege damnabuntur. Deinde eos etiam hic locus confutat, qui laicos à diligentiori Verbi Dei cognitione arcent, & ne hanc aliquando conſequantur, non modò ipſi docendi officiũ intermittunt, verumetiam libros ſacros ex illorũ manibus excutiunt, & nefas eſſe clamant, vt hi in linguis vulgaribus legantur. Sed longè aliter Deus in Lege ſua inſtituit, vt alibi demonſtrauimus. Et quomodo poterunt lucernã Verbi omnes ſequi, ſi & nemo hoc prædicat, & vt priuatim id legant, prohibentur?

At

At quia non ſatis eſt Verbum prædicauiſſe & audiuiſſe, ſed vt omnes vitæ huius actiones illi reſpondeant, neceſſe eſt, grauem admonitionem, quæ ſimul exhortationis loco eſt, Chriſtus ſubijcit. Lucerna corporis (inquit) eſt oculus. Cùm igitur oculus tuus fuerit ſimplex, totum quoque corpus tuum lucidum erit: ſin verò malus fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Oculi nomine rationem & intellectum hominis denotat: Per corpus autem, vitam totam intelligit. Vt enim oculus inſtar lucernæ toti corpori prælucet, vt membra ſingula poßint officium facere: ita ratio vitam & omnes actiones hominis ſua luce dirigere debet, vt rectè & legitimè inſtituantur. Vocat autem oculum ſimplicem, intellectum ſiue rationem ſynceram & ab affectuum prauorum intemperie liberam: & huic corpus lucidum, id eſt, vitam ſanctam, Chriſtianam & bonis actionibus lucentem tribuit: malum verò oculum dicit rationem corruptam atque vitioſam, quæ corpus quoque totum, id eſt, vitæ totius conuerſationem tenebroſam reddit, dum videlicet carnis cupiditatibus abrepti, nunc hîc nunc illic (vt qui in tenebris ambulant) offendimus, & loco operum lucis opera tenebrarum facimus. Itaq; conſidera (inquit) num lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. Senſus eſt: Etiam atq; etiã vide, vt rationem verè illuminatam habeas, ne quæ tibi lucernæ loco eſſe debebat, tenebras & caliginem tibi offundat. Si enim (vt apud Matthæum habetur) ipſum lumen tenebræ fuerint, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Et ne quis ſeipſum inani profeßione Verbi Dei fallat, addit: Si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebroſam, ſic erit lucidum totum, vt cùm lucerna fulgore te illuſtrat. Id eſt, ſi vitam tuam ita inſtitueris, vt non niſi lucis opera in te conſpiciantur, tenebrarum autem operibus nullus apud te locus ſit, tunc demum patebit, te cæleſti illa & ſalutifera Euangelij luce verè illuſtratum eſſe. Ex quo iam contrarium colligi poteſt, eos nondum rectè deguſtauiſſe Euangelij doctrinam, qui tenebrarum principi ſeruiunt, & illarum operibus delectantur. Sunt autem in his quædam diligentius conſideranda.

Verbo Dei vita tota reſpõdeat.

Nimirum, mentem atque rationem hominis illuminatione cæleſti opus habere. Nam vt aliâs monuimus, Adam in lapſu ſuo & mandati diuini tranſgreßione non modò à dignitate ſua priori excidit, verumetiam perfectam illam intellectus lucem amiſit, qua initiò præditus creaturis omnibus nomina imponere, & Euam primo intuitu agnoſcere eiuſque originem & vnde deſumpta eſſet, intelligere potuit. Itaq; animalis homo (vt Paulus ait) id eſt, is qui naturali modò ratione & intellectu ducitur, non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Nimium autem inepti ſunt, qui huius loci authoritate abutuntur, vt naturales hominis facultates extollant, & inde arbitrij noſtri libertatem atque meritum noſtrorum operum colligant. Dicunt Chriſtum de oculo ſimplici verba facere, quod totum corpus lucidum reddat. Fateor, ſed prius lucernæ meminit, cuius ſplendore eorum oculos illuminari oporteat, qui in eius Eccleſiam ingredi, & germana huius membra eſſe velint. Nec temere oculi ſimilitudine vtitur. Nam vt is facultatem quidem videndi habeat, eam tamen exerere non poteſt, niſi lux accedat, qua aer, qui medium viſus eſt, illuminetur: ita etſi homo ratione & intellectu præditus ſit, in diuinis tamen & cæleſtibus nihil videt, nihil intelligit, nihil ſapit, niſi diuina lux accedat, quæ illa patefaciat, & ipſum quoq; illuminet atq; regat, vt ad illa percipienda idoneus ſit. Lucem verò hanc per Verbum ſuum nobis offert, quo voluntatem ſuam omnem nobis manifeſtat, & rationem quoq; regit, ne prauas cupiditates ſecuta ab illius ſemitis declinet. Ad huius ergo ſtudium nos Chriſtus adhortatur, & ſine illo omnia nobis obſcura & tenebricoſa eſſe docet, tam abeſt, vt hominis facultates extollere, & harum inani fiducia nos inebriare velit. Si enim intellectus eiuſmodi eſt, vt per ſe nihil videat & intelligat, quæ obſecro in nobis voluntas bona eſſe poterit? Hanc enim ex illo generari conſtat. Neminem ergo ſuijpſius fiducia decipiat, ſed meminerint omnes, Deum eſſe, qui in nobis & velle & facere operatur, ideoq; ad huius gratiam confugiant, & medijs, quibus ergà nos vtitur, ſeſe obedienter accommodent.

Mens illuminatione opus habet.

Porro totus hic locus Verbum Dei & huius ſtudium nobis commendat. Magnum equidem & præclarum beneficium eſt, quòd ſua luce huius mundi tenebras diſcutit, & ſimul diaboli regnum labefactat, quod ignorantiæ tenebris maximè ſtabilitur. Maius autem & excellentius multò, quòd hominis intellectum, qui & tenebris gaudet & cœno fœdißimarum cupiditatum totus immerſus atque obrutus eſt, illuminat, imò excitat quoque, vt quaſi ſublato capite ſublimius ſapere & ad cæleſtium cognitionem aſpirare incipiat. Eſt hoc regenerationis noſtræ initium, ex quo mox totius

Studium Verbi commendatur.

hominis innouatio ſequitur, quæ in tota vita & actionibus omnibus ſeſe exerit, quò fit, vt & Deus in nobis glorificetur, & plures alij noſtro exemplo excitati emendentur, & vnà nobiſcum æternæ ſalutis participes fiant. Et hic finis eſt, propter quem Verbum ſunm nobis Deus reuelat. Quapropter grauiſsimè peccant, qui cùm huius doctrina glorientur, vitam viuunt prophanam & impuram. Nec enim ſuam modò ſalutem negligunt, ſed authores ſunt, vt Verbum Dei propter ipſos malè audiat, & multi eorum exemplo offenſi ab illius doctrina abhorreant. Itaque duplicem damnationem tales merentur, cùm & in Deum eiuſque maieſtatem directè peccent, & proximo perditionis canſam præbeant. Qui verò lucem hanc odio proſequuntur & prorſus extinctam volunt, eos Ægyptiæ tenebræ manent, vt quàmuis inter filios lucis medij verſentur, ipſi tamen in tenebris errorum atque affectuum ſuorum miſerè tumultuentur, nec aliquid certum habeant. Exempla huius generis hodie paſsim videmus in mnltis, qui cùm ſeculi huius ſapientia alijs ferè præſtent, in diuinis tamen & ijs, quæ ad ſalutem æternam faciunt, talpa ſunt cæciores. Diſcant ergo ſinguli agnoſcere Dei beneficinm, neque Verbum eius audiant modò aut legant, ſed memores quare hoc nobis prædicetur, vitam atque mores ſuos ad illius regulam examinant, & quæ tunc deprehendunt vitia emendent, ambulent denique in luce illa, quoad ea frui datur, vt olim in Chriſto Ieſu, vera & æterna luce, æternùm gaudere & exultare poſsint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXX.

Poſtquam autem locutus eſſet, rogauit eum Phariſæus quidam, vt pranderet apud ſe. Ingreſſus igitur diſcubuit. Phariſæus autem cùm hoc vidiſſet, admiratus eſt eum non prius ablutum fuiſſe ante prandium. Dixit autem Dominus ei: Vos quidem Phariſæi exteriorem poculi patinæq́ partem purgatis: ſed quod intra vos eſt, plenum eſt rapina & ſcelere. Dementes, nonne qui fecit quod foris eſt, etiam id quod intus eſt fecit? Veruntamen ea quæ intus ſunt date in eleemoſynam: & ecce omnia erunt vobis pura.

QVemadmodum homini nihil vel vtilius vel neceſſarium magis eſt pura & ſyncera Veritatis doctrina: ita nihil exitialius eſt & pernicioſius quàm doctrina falſa, quæ externa ſanctitatis ſpecie ſeſe venditat. Nam vt vera nos Deo adducit: ſic falſa ab eodem nos abſtrahit, adhæc verum cultum corrumpit, religionis purioris ſtudium extinguit, & proinde ſcelerum quoque maximorum quaſi mater atque nutrix eſt. Ideo olim aduerſus hanc acerrimè pugnarunt Prophetæ, & Apoſtoli non contenti eos confutauiſſe, qui ipſorum temporibus falſa dogmata ſpargebant, de illis etiam diligenter poſteros præmonuerunt, quos nouiſsimo ſeculo exorituros eſſe in Spiritu prænidebant. Sed & Chriſto perpetua cum Scribis & Sacerdotibus lis fuit propter falſam doctrinam, qua populus ab ipſis ſeducebatur. Exemplum eius rei in præſenti Lucas commodiſsimè ſubijcit. Hactenus enim ille de Verbo Dei aut Euangelio diſeruit, docens, lucernam eſſe, qua hominis mentem & rationem illuminari oporteat, ne in tenebrarum operibus incertus oberret: ſed potius vitæ puritate & ſanctitatis veræ exemplo alijs præluceat. His nunc alia tractatio de doctrina falſa ſubijcitur, quam mox à priori in domo Phariſæi cuiuſdam inſtituit. Vbi exempli loco quædam Phariſæorum dogmata grauiter exagitat, in quibus illius natura atque effectus cerni poſſunt, ſimul autem illorum authoribus pœnas graues denuntiat. Quæ omnia ſic Lucas deſcribit, vt de ſimilibus facile ſit iudicare.

Phariſæus inuitat Chriſtum. *Occaſionem huic cauſæ Phariſæus præbuit, qui Chriſtum inuitanit, vt apud ſe pranderet. Hic ergo illi morem gerens, domum eius ingreditur, & non lotus antea diſcumbit, & hinc diſputatio exorta eſt, quæ ipſi de illorum doctrina & moribus dicendi anſam dedit. Priuſquam verò ad cauſæ tractationem accedamus, quædam de Phariſæo & de Chriſto dicenda erunt. Nam in illo admiratione dignum eſt, quòd hunc domum ſuam inuitat, & quidem ad conuiuium honorarium, cui plures*

alios

alios eiuſdem ordinis, adhæc Scribas & Legis interpretes, interfuiſſe, ſuo loco audiemus. Atqui conſtat, Chriſto nullos hoſtes fuiſſe acriores & magis infenſos Phariſæis, quos omnium fere conſiliorum aduerſus illum præcipuos authores fuiſſe, Euangeliſtæ paſſim docent. Quia enim externa iuſtitiæ ſpecie ſeſe venditabant, & ſalutis ſpem in ſuorum operum meritis habebant collocatam, Chriſtũ ferre non potuerunt, qui & hypocriſim eorum arguebat, & omnes homines à propriæ iuſtitiæ fiducia ad Dei gratiam atq; miſericordiam reuocabat. Nec eſt quòd miremur, doctrinam hanc, qua nihil iucundius & ſuauius homini proponi poteſt, ita illis diſplicuiſſe, cùm hodie etiam non alij eius hoſtes truculentiores ſint, quàm Monachi, & qui horum traditionibus decepti propriæ iuſtitiæ & meritorum ſuorum fiducia turgẽt. Vt enim horum oſtentatio ipſis apud vulgus authoritatẽ conciliat, ita laruam ſibi detrahi indigniſſimè ferunt. Veruntamen Phariſæus iſte Dominum honorificè inuitat, imò amicè etiam rogat, vt apud ſe prandere dignetur. Cauſæ huius inuitationis variæ adduci poſſunt. Nam aut bonam gratiam inire vult apud populum, quem Chriſti ſtudioſum eſſe ſciebat (ſcimus enim iſtud hominum genus nihil aura populari antiquius habuiſſe) aut eum blanditijs & gulæ illecebris, vel amicitiæ prætextu atq; honorum ſpe demulceri poſſe ſperas, quem in diſputatorijs congreſſibus inuictum eſſe videbat: aut quod veriſimilius eſt, in tanta doctorum turba aliquos inueniri poſſe arbitratur, qui captioſis quæſtionibus irretitum in periculum capitis, vel ſaltem in populi odium adducant. Eſt hoc ergo egregium aſtutiæ & calliditatis exemplum, qua impij veritatis Euangelicæ hoſtes aduerſus huius profeſſores vti conſueuerunt. Vt enim diabolus interdum ſeſe in Angelum lucis transformare & gloriæ Dei ſtudium ſimulare ſolet: ita huius miniſtri ſæpe odium Veritatis diſſimulant, omnia amicitiæ officia huius doctoribus pollicentur, amicè præhenſant & ſalutant, domum deducunt, ita deniq; agunt, vt nemo aliquid hoſtile ſuſpicari poſſit. Id verò tunc faciunt, quando (quæ illorum aſtutia eſt) tempori ſeruiendum eſſe vident. Niſi ergo artes illorum pij diligenter obſeruent, facile ipſis ſecuritas obrepit, qua fit, vt multa præter officium faciant, aut dolis eorum circumuenti ſeipſos & Veritatis cauſam impiorum ludibrio exponant.

Quid ergo (inquis) faciã? Num amicitiam ſuam mihi ſpontè offerentes ego auerſabor? num humanitatis officia non admittam? Vel num inimicos faciam mea duritie & intractabilitate ex ijs, qui amici eſſe cupiunt? Sunt hæ ferè quæſtiones eorum, qui nimiùm faciles ſunt hodie in admittendis impiorum conſortijs. Sed ad illos nos vno verbo reſpondemus, Chriſti exemplum eſſe imitandum, quod nos errare non ſinet. Hic morem gerit Phariſæo, & ad eum pranſurus diuertit, ne alicuius amicitiam ſubterfugere, aut humanitatis officia ſuperbius faſtidire videatur: interea autem ſui officij, ad quod à Patre deſtinatus erat, probè memor, nihil diſſimulat in hoſpitis ſui gratiam, neque ex eorum numero eſt, qui vt aliena quadra viuere poſſint, quibuſuis ſeruiliter aſſentiuntur: quin potius occaſionem captat aduerſus totum hunc Phariſæorum, Scribarum atquè Legis interpretum cœtum diſputandi, vt tam ipſos quàm populum ab eorum authoritate pendẽtem ſuperſtitione liberet. Nam, quod illos indignè laturos eſſe ſciebat, illico illotis manibus accumbit. Erat enim hæc inter Iudaicas ſuperſtitiones non poſtrema, quòd frequentius lauabantur. Occaſionem quidem eius moris ſiue ritus ex Lege Dei habebant, in qua ablutiones aliquæ cùm veſtium tum corporum præcipiuntur. Qui enim vel cadauer aliquod vel quamcunq; rem immundam tetigerat, immundus cenſebatur, donec ſecundùm Legem ablutus & expiatus erat. Iſtis verò Deus veræ puritatis & ſanctimoniæ ſtudium populo ſuo commendabat, ſimulq; docebat purificatione opus eſſe, quam in promiſſi ſeminis ſanguine eſſent habituri. At quod in alijs ceremonijs poſteri fecerunt, hoc ipſum in iſta quoq; accidit. Nam neq; in promiſſum illum ſeruatorem reſpexerunt, neq; ijs fuerunt contenti quæ Deus præceperat: ſed quaſi in externa ablutione vera hominis purificatio atq; ſalus conſiſteret, multas alias excogitarũt, quibus abſq; magna occaſione vtebantur. Etenim vt Marcus annotauit, à foro venientes non edebant, niſi prius loti fuiſſent. Obſeruabant præterea diligenter lotiones crebras poculorum & ſextariorum, & æramentorum atq; lectorum, quas à maioribus traditas acceperant. In quem vſum etiam in ſingulis ferè domibus hydriæ proſtabant, ſicuti in nuptiarum, quæ in Cana Galilea facta ſunt, hiſtoria apud Ioannem eſt videre. Eadem ergo ſuperſtitio Iudæos tunc temporis tenuit, qua hodie multi laborant, qui aquæ luſtralis aſperſione ſe purificari & mundari arbitrantur. Vt ergo huic errori medeatur Dominus, & de vera hominis purificatione differendi occaſionem habeat, illotis ma-

Chriſtus in Phariſæi domum diuertit.

Marc. 7.

tibus accumbit, & illud omittit, quod ciuilitas morum alioqui facere iubet, & quod ſalua conſcientia fieri poterat, niſi illorum errori patrocinari viſus fuiſſet.

Facilitas Chriſti.

Sunt autem in eius exemplo duo non oſcitanter obſeruanda. Vnum eſt, facilitas eius, quæ tanta fuit, vt hoſti quoq; morem gerere dignatus ſit. Vt enim omnes, qui eius ope atq; conſilio indigent, ad ſe vocat: ita neminem ad ſe venientem reijcit. Exempla huius bonitatis multa paſsim habemus, inter quæ admodum memorabilia ſunt, quod in muliere peccatrice Cap. 7. vidimus, & quod in Nicodemi hiſtoria Ioannes deſcribit, quem licet Phariſæus eſſet, & ſui eum puderet, ideoq; noctu ad ipſum accederet, amicè tamen in colloquium admiſſum à primis rudimentis in toto ſalutis negotio fideliſsimè inſtituit. Debent autem eiuſmodi exempla diligenter obſeruari, vt ex illis conſolationem petamus in conſcientiæ terroribus. Qui enim olim peccatores & filios iræ, imò manifeſtos hoſtes tam humaniter admiſit, qua ratione eos reijceret, quos ſui ſanguinis merito iam olim Patri reconciliauit, & qui ipſum Seruatorem ſuum eſſe agnoſcunt, opemq; eius ſupplices expetunt?

Quatenus conuerſari liceat cum infidelibus

Alterum eſt, de quo iam agere cœperamus: Quatenus videlicet vel conuiuari vel quancunq; aliam conſuetudinem per ſe non inhoneſtam habere liceat cum ijs, quos à vera fide alienos eſſe ſcimus. Quatenus videlicet medico cum ægrotis verſari liceat: & ne à Chriſti exemplo diſcedamus: Medicus nuſpiam rectius agit, quàm apud eos, qui ex morbis decumbũt. Hæc enim eius vocatio, hæc eius area ſiue palæſtra eſt, in qua ſuæ tam artis quàm fidei ſpecimina edere debet. At quis illi finis eſt propoſitus? Num vt ipſe ſibi ex contagio eundem morbum accerſat? vel vt ægroto blandiatur ſolùm, & blanditijs atq; inutilibus, vel etiam noxijs fomentis, morbum eius augeat? Minimè gentium. Nam ne quid ipſe mali patiatur, antidotis ſeſe præmunit: ægrotum verò à morbo liberare ſtudet, & vbi opus eſt, non vnctionibus modò & potionibus dulcioribus vtitur, ſed amariora quoq; pharmaca propinat, & ſæpe cultros, ſerras, forcipes & cauteria exerit, vt à carnifice vix quicquam differre videatur. Ad eundem modum Chriſtus fecit, qui ſe medicum in mundum hunc veniſſe profitetur. Nam fidi medici inſtar ad omnes acceſsit, qui eius opem flagitarunt, aut etiam alijs de cauſis (vt Phariſæus hic) ipſum vocauerunt. At non eadem medendi ratione apud omnes eſt vſus. Nam alios quidem, quos peccati agnitio ad deſperationis præcipitium deducebat, amicis & blandis gratiæ Dei promiſsionibus reduxit & confirmauit: alios autem qui præfractiores erant, minis terruit: in eos verò, quos omnino incurabiles eſſe videbat, grauius inuectus eſt, & laruam exiſtimationis quam ſuſtinebant illis detraxit, ne alijs mali exempli authores eſſent: qua ratione cum Phariſæis eum egiſſe poſtea audiemus, quibus adeò nihil indulſit, vt ne manus quidem more ipſorum abluere dignatus fuerit. Ad hunc modũ quoq; cum alienis à fide conſuetudinem habere licebit: vt nimirum non noſtrum commodum, non lautitias et pontificalia conuiuia, non huius mundi amicitiam, non ſeculi huius honores aut opes, ſed illorum ſalutem quæramus. Id verò fiet, ſi errores ipſorum arguantur, ſi Veritatis ſemita ipſis monſtretur, & admonitionibus ſerijs vrgeantur, vt in illa ambulent. Quod ſi ab illis impetretur, næ bonum opus (vt Iacobus ait) fecerit, qui tanti boni ipſis fuerit author. Vt verò id facilius fiat, ſtudioſè admodum cauere oportet, ne vel verbulo vno erroribus ipſorum aſſentiamur, vel minima ex parte eorundem ſuperſtitionibus communicemus. Solent enim iſti homines omnia noſtra dicta & facta obſeruare, & quàmuis nos propter diuerſæ ab ipſis fidei & religionis profeſsionem odio proſequantur, tamen vt oraculum quoddam excipiunt quicquid à nobis fit aut dicitur, quod in errorum & ſuperſtitionis ipſorum patrocinium rapi poſſe exiſtimant. Huius ergo memores ab ijs etiam abſtineamus, quæ per ſe media & indifferentia ſunt, & quibus ſi illi abeſſent, ſalua atq; bona conſcientia vti poſſemus. Nam vt Paulus in priori ad Corinthios admonet, omnia quidem credentibus licent, ſed non omnia conducunt, neq; etiam omnia faciunt ad Eccleſiæ & fratrum ædificationem. Et poteſt huc propriè referri tota de carnibus immolatitijs & earum eſu diſputatio, quam illic prolixè tractat: tum etiam ea, quæ de ciborum aliorum delectu atq; diſcrimine in epiſtola ad Romanos diſſerit. Quòd ſi autem à licitis abſtinendum eſt, ne vel ſuperſtitioſos vel infirmos in errore confirmemus, quantò magis cauere oportet, ne diſertis verbis, aut etiam reſponſis ambiguis errores eorum probemus, aut in illorum gratiam faciamus, quæ prorſus illicita & à fidei Chriſtianæ profeſsione aliena ſunt? Nec enim (vt Elias dicebat) in vtranq; partem claudicare licet ijs, qui veri Dei cultores haberi volunt. Hæc ſi hodie obſeruarent & ſedulò facerent ſeruiles iſti

homines

homines, quos culina papiſticæ nidor trahit, vt in Monachorum comitatu & deductione conſpici, eorundem menſis frequenter accumbere, & ab illis in pretio haberi ſummum honorem ducant, profectò aut ipſi mox ab incurabiliū conſuetudine ſponte abhorrerent, aut ab illis delicatis patribus excluderentur: quibus nihil durius & iniquius putatur, quàm ſi quis aures eorum audeat mordaci radere vero. Sed longè diuerſum fieri videmus: vt nimirum pſeudoeuangelici illi apertis veritatis hoſtibus ſeruiliter blandiantur, omnia diſsimulent, imò ne ab ipſorum gratia excidant, nihil non ſibi faciendum putent: quò fit, vt ipſi quidem quotidie in peius proficiant, illi verò in ſuperſtitionibus ſuis confirmentur. Nihil ergo illis Chriſti exemplum patrocinatur, cum quo prorſus nihil commune habent.

Sed Phariſæum Chriſti hoſpitem videamus, quem Lucas admiratum fuiſſe ſcribit, quòd non ſeſe abluiſſet ante prandium. Fuit autem admiratio hæc haud dubiè cum indignatione coniuncta, vt eorum qui Matth. 15. cap. diſcipulos Chriſti eandem ob cauſam accuſarunt. Ita verò occaſionem ei præbuit, quam quærebat, vt aduerſus ſuperſtitiones ipſorum poſſet differere. Adumbrantur autem in huius Phariſæi exemplo omnium hypocritarum mores atque ingenium. Solent illi externam ſanctimoniæ ſpeciem, quæ in vanis & inanibus ceremonijs conſiſtit, mirifico & magno ſtudio vrgere, cùm internam animi puritatem & vitæ innocentiam facilè negligant. Tales olim Prophetarum temporibus fuerunt, qui in ſacrificijs quidem aſsidui erant, nunquam verò de mactandis pecuinis affectibus & carnis mortificatione, multò minus autem de fide in promiſſum humani generis Seruatorem cogitabant, qui externo illo cultu adumbrabatur. Sed aliud etiam vitium accedit, quòd humanas traditiones violari indigniſsimè ferunt, cùm ipſi diuinas leges abſque omni metu transgrediantur, quod poſtea Chriſtus Phariſæorum factis demonſtrabit. Cauſa omnis mali eſt, quòd ſuam potius quàm Dei gloriam quærunt: imò vix credunt Deum eſſe, qui iſta videat, ſed huius nomine turpiter abutuntur, vt & ſibijpſis authoritatem concilient, & populum rudem in obedientia contineant. Vtrumque noſtro ſeculo admodum frequens eſt. Nam ſi diligentius conſideres, in quo nam tota Papiſtarum ſanctimonia, & quidem Monachorum imprimis conſiſtat, quid aliud reperies, quam Miſſas, ſuffitus, lampades, cerea, veſtium nouas & peculiares formas, ciborum delectum, peregrinationes ad longinquas Diuorum imagines, & alia eius generis, quæ exercitatione corporis ferè conſtant, quam Paulus parum vtilitatis habere ait, & quæ iſtis propter coniunctam ei meriti fiduciam exitialis eſt? Vt autem mens ſana & pura ſit, vt fide in Chriſtum illuminetur, vt vitam viuant verè Chriſtianam, non multùm curant: imò vbi alij illis defuncti ſunt, ſibi nihil præterea agendum eſſe arbitrantur. Similiter, ſi ea reſpicias, propter quæ illi nobis indignantur noſque accuſant, rurſus Phariſæorum ſimiles videbis. Nec enim nos violatæ & abiectæ legis Dei, aut quòd fidem in Ieſum Chriſtum abnegauerimus, aut Dei verbum conculcemus accuſare poſſunt (quin potius quòd iſta ſola apud nos in pretio & honore ſint, nobis indignantur) ſed hos indigniſsimè ferunt, quod abrogato Miſſæ ſacrificio verum Cœnæ Dominicæ vſum reſtituimus, quòd imagines & ſuperſtitioſum atque ſuperbum templorum ornatum ſuſtulimus, quòd ignem purgatorium Dei verbo extinximus, quòd exequias & queſtuoſa ſacra pro defunctis damnamus, quòd Papam cum ſuis indulgentijs, bullis & anathematiſmis ſiue excommunicationibus contemnimus atque ridemus, quòd vota monaſtica, dierum obſeruationes, ciborum diſcrimina, ieiunia ſuperſtitioſa & alia huius generis infinita improbamus. Hæc (inquam) ſunt, propter quæ nobis indignantur, & dignos eſſe clamant, qui ferro & igne excindamur. At qualia obſecro illa ſunt? aut quis ea inſtituit? Num Deus? num huius ſerui Prophetæ? num aliquam horum mentionem fecit vnquam in carne manifeſtatus Dei Filius, quem vnum nos Pater audire iuſsit? num quid huius tradiderunt Apoſtoli, quos ille orbis totius doctores conſtituit? Nunquam profectò hoc illi dicere audebunt, neque ſi audeant, teſtimonijs aut rationibus idoneis probare poterunt. Hominum ergo figmenta ſunt, & non niſi humanarum traditionum authoritate nituntur, quas iam olim ſimul omnes Deus damnauit, quando ſe illis fruſtra coli dicit. Non eſt ergo, quòd quiſquam iſtorum indignationem metuat, aut temerarias damnationes formidet, aut eorundem calumnijs moueatur. Omnia enim hæc Phariſaicum ſpiritum redolent, nos autem verbi Dei authoritas facilè excuſabit.

Phariſæorum & hypocritarum mores.

Ff 4

Chriſtus phariſæorum hypocriſim arguit.

Et hoc imprimis faciunt, quæ in præſenti Chriſtus aduerſus Phariſæos in ſui facti defenſionem profert. Primò enim illorum errorem atque hypocriſim arguit, dicens: Vos quidem Phariſæi exteriorem poculi patinæq́ partem purgatis: ſed quod intra vos eſt, plenum eſt rapina & ſcelere. Accuſat quòd puritati & munditiei externæ ſtudeant, vt hominibus probentur, nihili autem faciant animi & conſcientiæ puritatem, quam ſolam Deus reſpicit & probat: imò perinde eos facere ait, ac ſi nihil illis ſit cum Deo negotij. Eſt hic communis hypocritarum morbus, vt paulò ante diximus. Si enim Deum eſſe crederent, cuius oculi (vt Propheta ait) per omnem terram diſcurrunt, & qui corda reneſq́ ſcrutatur, nunquam certè tam impudenter cum illo luderent. Iſtis autem Chriſtus potiſsimùm rapinas & πονηρίαν, id eſt, malitioſam alios moleſtandi libidinem exprobrat, quæ ſcelerum maximorum fœcundiſsima mater eſt. Fuit hoc durum dictu, & non dubium eſt, quin plures eo offenſi fuerint. Sed verè hoc dicit, & alibi rationem affert validiſsimam, quòd nimirum ſub prætextu longæ precationis domus viduarum & pupillorum deuorarent, adhæc liberis impietatis in parentes authores eſſent, quando illos in corbonam ea deponere iubebant, quibus hos ſenio confectos alere debuiſſent. Et cur non raptores & prædones, imò ſacrilegi dicerentur, qui totum cultum externum ſibi quæſtum, templum autem latronum ſpeluncam fecerant? Quid autem aliud de noſtri ſeculi Phariſæis, ſacrificis & monachis, dici poteſt? Nonne enim hi quoque ſub externa ſanctimoniæ, precum conductitiarum, Miſſarum pretio redemptarum, denique operum ſupererogationis prætextu rapiunt atque prædantur? Nulla equidem familia eſt, quæ illorum manus effugere potuerit: & conſtat ſæpe integra patrimonia, fraudatis hæredibus legitimis, per illos intercipi.

Purificationem ueram requirit.

Cæterùm errori huic Chriſtus medetur, & quid fieri debeat, docet. Dementes, nonne qui fecit quod foris eſt, etiam quod intus eſt, fecit? Ad Dei tribunal eos citat, & dementes dicit, qui non meminerint, ſe à Deo creatos eſſe, & proinde nihil hunc eorum, quæ vel palàm vel occultè faciant, latêre poſſe. Simile quid in Pſalmo 94. aduerſus eos dicit Spiritus ſanctus, qui Deum nihil videre & audire putabant. At in præſenti Chriſtus hoc ſimul ſuo inſtituto accõmodat. Docet enim, Deum hominis corpus & animam creauiſſe, & ideo non illius ſolùm, verumetiam huius puritati & ſanctimoniæ eſſe ſtudendum, nec tam videndum eſſe, qui cibi per os ingrediantur, aut num illotis manibus ſumantur, quàm quid ex corde exeat. Quod apud Matthæum diligentius diſcipulis ſuis exponit, his verbis: Audite & intelligite: Non quod ingreditur in os polluit hominem: ſed quod egreditur ex ore, hoc polluit hominem. Et mox huius dicti rationem reddens addit: Quicquid ingreditur in os, in ventrem cedit, & in latrinam eijcitur. Quæ autem proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa polluunt hominem. Nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſcortationes, furta, falſa teſtimonia, obtrectationes. Hæc ſunt quæ polluũt hominem, illotis autem manibus veſci, non polluit hominem. Vult ergo, vt ante omnia animi purificationem quæramus, qui actionum omnium fons eſt. Ita enim illæ etiam puræ & ſanctæ, ceu riui ex illo fonte emanabunt. Quia autem rapinas & ſcelere partas opes illis exprobrauerat, alterum quoque addit: Veruntamen ea quæ intus ſunt, date in eleemoſynam, & ecce omnia erunt vobis pura. Per ea quæ intus ſunt opes reconditas intelligit, & quia hæ malè acquiſitæ erant, reſtitutionem exigit: quæ cùm à talibus vix, imò ne vix quidem fieri poſsit, pauperibus illas erogare iubet, & tunc demum reliqua eorum pura fore docet, ſi ſcelere parta procul reiecta & ſublata fuerint. Ineptè ergo hunc locum pro ſatisfactionibus ſuis, quibus nos peccata expiare docent, adducunt. Nec enim hic Chriſtus docere inſtituit, quæ apud Deum ſit expiationis aut remiſsionis peccatorum ratio, ſed qua ratione opes purgare poſsimus, vt earum vſus nobis purus & ſanctus ſit.

Purificatio uera in quibus conſiſtat?
Hebr. 12.
Ioan. 4.

Continet autem locus hic præclaram & imprimis neceſſariam doctrinam de vera purificatione hominis tam interna quàm externa. Vt enim Deo probemur, animos noſtros purgari neceſſe eſt: & hæc illa ſanctimonia eſt, ſine qua (Paulo teſte) Deum nemo videbit. Nam qui ſpiritus eſt & veritas, in ſpiritu & veritate coli vult. At quomodo ſpiritu & mente ſua illum verè colent, qui hanc peſsimis cupiditatibus & peccati ſeruitio ſubiectam habent? Vt ergo corda & animi purificentur, ante omnia videre oportet. Ad hos autem nihil proderunt externa corporis exercitia, non ceremoniæ vllæ, non pecuniarum qualeſcunque erogationes, aut quæcunque alia huius generis excogitari poſſunt. Nam etſi illa mundo magnifica videantur, ad animum tamen non pertingunt, &

proinde

proinde hunc non poſſunt purificare. Aliud ergo medium, alia via & ratio quærenda erit, qua in Dei conſpectu purificemur. Eſt hæc ſola fides, quæ in Euangelio traditur. Hac enim Ieſum Chriſtum apprehendimus, cuius ſanguis (vt Ioannes inquit) nos emundat ab omni peccato, & qui peccatum, 1.Ioan.1.
id eſt, hoſtia pro peccato factus eſt pro nobis, vt nos per ipſum iuſtitia Dei efficeremur. Extra hunc 2.Cor.5.
nulla purificatio, nulla ſanctificatio aut iuſtificatio inuenitur. Neq; nos primi ita docemus, vt aduerſarij noſtri calumniantur, ſed eſt hæc communis Apoſtolorum omnium doctrina, quam ipſi ex Chriſti ore didicerunt. Patet hoc ex Actis Concilij verè Apoſtolici, quod Hieroſolymis congrega- Acto.15.
tum fuit aduerſus eos, qui gentibus ad fidem conuerſis circuncisionem & alias legis ceremonias obtrudere conabantur. Illic enim cùm multa prius diſceptatio fuiſſet, Petrus tandē exurgens eiuſmodi orationem habuit: Viri fratres, vos ſcitis Deum iampridem inter nos elegiſſe me, vt per os meum audirent gentes verbum Euangelij, & crederent. Et Deus, qui nouit corda, dedit eis teſtimonium, dato ipſis Spiritu ſancto, ſicut & nobis: nihilq; diſcreuit inter nos & illos, FIDE PVRGATIS *cordibus illorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponendo iugum ceruici diſcipulorum, quod neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini* IESV CHRISTI CREDIMVS *nos ſeruatum iri, quemadmodū & illos. Quibus omnino conſentiunt, quæ in Synagoga Antiochena Paulus dixit: Notum ſit vobis fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorū per Ieſum* Actor.13.
Chriſtum: & ab omnibus, à quibus per Legem Moſis non potuiſtis abſolui, per hunc QVEMVIS QVI CREDAT *abſolui. Itaq; vera hominis purificatio in ſolo Chriſto habetur per fidem, ſine qua ad Deum appropinquare impoſſibile eſt. Quoad verò externum rerum huius ſeculi vſum, hæc quoq; nobis purificantur partim (vt Paulus docet) per gratiarum actionem, partim (quod hîc Chri-* 1.Tim.4.
ſtus admonet) beneficentia in pauperes. Nam etſi hîc de malè partis opibus agatur, eas tamen, quæ ex Dei benedictione obueniunt, non alia conditione accipimus, quàm vt primò quidē noſtræ neceſſitati ſeruiant, deinde vt noſtra abundantia aliorum inopiæ ſuccurrat. Vnde ſequitur, opes & earum vſum, cibos deniq; & quæcunq; ad huius vitæ ſuſtentationem faciunt, ſolis illis polluta eſſe & noxia, qui vel malè ea acquiſiuerunt, vel Deum non agnoſcunt authorem, & ſimul pauperes inhumaniter negligunt. At ijs qui per fidem in Ieſum Chriſtum purificati ſunt, pura ſunt omnia: & hi malè parta non retinent, vt infra in Zachæi exemplo videbimus, reliquis autem cum gratiarum actione vtuntur, & inopes ſibi commendatos habent. Itaq; diſcant omnes, relictis humanorum figmentorū obſeruationibus, fide vera amplecti Dei Filium Ieſum Chriſtum, qui ſuo ſanguine & Spiritu purificatos diriget, vt vitam viuant innocuam, & huius ſeculi rebus bene vtantur, eoſdem verò, vbi huius vitæ curſum emenſi fuerint, in regnum ſuum cæleſte colliget. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXII.

Sed væ uobis Phariſæis, quoniam decimatis mentham & rutam, et quoduis olus, ſed præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Væ vobis Phariſæis, quoniam diligitis primum conſeſſum in conuentibus, & ſalutationes in foris. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam eſtis vt monumenta, quæ non apparent, & quæ neſciunt ij, qui ſuper ea ambulant.

DOminus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus, in hoc cap. multa dixit de vera doctrina verbi Dei, docens, quæ huius ſit ratio, quàm vtilis itē atq; neceſſaria ſit, & quàm graues pœnæ huius contemptores maneant. Quoniā verò ſub huius prætextu ferè ab impoſtoribus falſa doctrina obtruditur, quæ verum Dei cultum corrumpit, & hominū mentes à Deo ad ſuperſtitiones auocat, commodiſſimo ordine nunc de illa quoq; agit, & quidem inter Phariſæos, qui illo tempore præcipui erant eius profeſſores. Suo autem exemplo docet, nequaquam ſufficere, ſi veritatis doctrina purè & ſimpliciter proponatur, ſed falſam quoq; argui oportere, ne ſimplices & rerum imperiti per ignorantiā ſeducantur. Exponit autem Phariſæorū mores atq; ſtudia, vt ex his falſæ doctrinæ effecta aut fructus cognoſcere diſcamus, & his cognitis illā magis abominemur. Primo loco autem fucatā ſanctimoniam poſuit, qua ſeſe venditabant, quoad ablutiones frequentes & purificationes externas, cùm de cordis

puritate nihil omnino eſſent ſoliciti. His in præſenti alia ſubijcit, nec (vt cœperat) ſimplici orationis genere vtitur, ſed diris imprecationibus agit, partim quòd incurabiles eſſe ſciret, & proindè dignos extremis ſupplicijs: partim vt omnes intelligant hîc de re maximi momenti agi, neque ab ijs ſe ſeduci patiantur, quibus leuitulum videtur, etiamſi doctrina, quæ vulgo proponitur, non per omnia cum verbo Dei conueniat.

Accuſat quòd minima obſeruent, maiora negligant.

Væ vobis Phariſæis (inquit) quoniam decimatis mentham & rutam, & quoduis olus, ſed præteritis iudiciũ & charitatem Dei. Obijcit, quòd minutiſſima quæq; anxiè & ſolicitè obſeruent, grauiora autem negligant. Eſt hoc hypocritis proprium, quòd quàm minimo labore & ſumptu Deum colere cupiunt, ea autem prætermittunt, quæ carni moleſta & præſtitu difficiliora ſunt. At hypocriſim cum falſa doctrina coniunctam eſſe, nemo ignorat, quæ in hoc illis aſſentitur, & ipſa quoq; non niſi externa quædam exigit, quæ per ſe non magni momenti ſunt. Adducit autem exempli loco, quo illos conuincat, quod circa decimas faciebant, in quibus ſoluendis diligentiſſimos fuiſſe infra in Phariſæi Luc. 18. *ſuam iuſtitiam iactantis parabola patebit. Decimatis (inquit) mentham & rutam, & quoduis olus. Atqui hoc per ſe non erat repræhenſione dignum. Scimus enim à Deo mandatũ fuiſſe, vt filij Iſraelis ex agrorum ſuorum prouentu decimas ipſi conſecrarent, & earundem vſus ſanctiſſimus erat præſcriptus. Nam ad cultus diuini conſeruationem faciebant, cùm ex illis Sacerdotes & Leuitæ alerentur: & quædam illarum pars pauperibus cedebat, quos ita ali volebat Deus, ne inopia & fames illos mendicare & publica miſeriæ exempla fieri cogeret.* Malach. 3. *Ideo Malachias propheta ſacrilegij eos accuſat, qui in decimis fraudem committebant. Num (inquit Dominus) homo Deum ſpoliabit? Vos autem me ſpoliaſtis, & dicitis: In quo te ſpoliauimus? In decimis & oblationibus. Ideo execratione maledicti eſtis vos tota gens, quòd me ſpoliauiſtis, &c. Cur ergo (inquis) curioſam & diligentẽ prouentuum decimationẽ Chriſtus iſtis vitio vertit, & propter hanc væ illud horrendum ipſis imprecatur? Non propter hanc quidem id facit, ſed quòd ea tam Deo quàm hominibus fucum faciebant, & quaſi iam omni pietatis officio defuncti eſſent, ea negligebant, in quibus tam Dei cultus quã vitæ ſanctimonia vel innocentia præcipuè conſiſtunt, iudicium videlicet & charitatem Dei. Ideo ne quis ex hoc dicto calumniandi occaſionẽ arriperet, quaſi decimarum ſolutionẽ damnando Dei legem violaret & populo tumultuandi occaſionem præberet, per Præoccupationẽ addit: Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Quod autem iſtis hîc exprobratur, id hodie etiam admodum vulgare eſt, & in toto Papatu iſta hypocriſis regnat. Nam ſi Monachos inſpicias, ſolicitos valde videbis, ne in veſtitu, eſu, inceſſu aliquid faciant ordinis ſui legibus ſiue ſtatutis contrariũ. At pleriſq; illorum nulla religio eſt, rudem populum putidiſſimis figmentis circunducere, hæreditates alienas intercipere, violare virgines, thoros itẽ alienos polluere, principes aduerſus pios Chriſti cultores inflammare, vt in hos ferro & igne graſſentur: deniq; omnes Dei leges ſecuri tranſgrediuntur, modò ſui ordinis exiſtimationi & cõmodis conſulant. Imitantur deinde hos, quicunq; ab ipſorũ doctrina pendent. His enim durum & inexpiabile ſcelus videtur, ſi quis interdicto die carnes edat, aut ouum deguſtet, ſi votum Diuo alicui factum non exoluat, ſi Miſſæ non interſit, ſi ſolitum precularũ numerum non quotidie demurmuret, aut quid aliud omittat eorũ quæ ſuperſtitioſi homines excogitarunt. At ijdem abſq; omni numinis metu vſuras iniquiſſimas exercent, ſcortantur, mœchantur, ebrietate & intemperancia ſeſe perdunt, per omnia ſacra deierant, bella ſectantur mercenaria, in quibus omnia fiunt, quibus Chriſtiani nominis profeſſio turpiſſimè prophanatur. Quid verò hoc aliud eſt, quàm culicem colare, camelum autem deglutire, vel (quod hic Phariſæis exprobratur) menthæ & rutæ atque olerum viliſſimorũ decimatione velle ſatisfacere Deo, omiſſis ijs, quæ is potiſſimum requirit? Sibi ergo dictum putent omnes iſti, quod Phariſæis in præſenti dicitur.*

Obſeruatio legis uera.

At ſimul docet etiam Chriſtus, quæ vera ſit Legis Dei obſeruatio. Sunt in hac quædã grauiora capita ſiue mandata, quæ apud Matthæum ipſe Dominus ſic vocat, partim quòd in illis Dei cultus & vitæ puritas potiſſimùm conſiſtant, partim quòd non niſi à germanis Dei filijs, qui verè renati ſunt, præſtari poſſint. Ad horum cenſum totus Decalogus pertinet, & quæ hîc à Chriſto nominantur, de quibus mox dicemus. Deinde ſunt leuiora nonnulla, quæ ab hypocritis quoq; & quibuſuis alijs facilè poſſunt perfici, vt decimarũ & primitiarum oblationes, ſacrificia, & (vt vno verbo omnia complectar) ceremoniæ ſeu externi ritus, quotquot in lege præſcribuntur. In vtroq; mandatorum genere

obſeruari debet regula Chriſti, quam hîc præſcribit: Vt nimirũ minima quidẽ hæc ſedulò præſtemus, maiora autem illa & grauiora non negligamus. Et in ijs quidẽ, quæ minoris videntur eſſe momenti obedientiæ ſtudendum eſt, quia nihil fruſtra præcipit Deus, etiamſi non ſemper præceptorũ ſuorum rationem nobis reddat: & quòd qui in paruis peccare aſſueſcunt, ij plerunq; vlterius progrediuntur, vt maiora quoq; non magni faciant. Exemplũ eius rei in Saule habemus, qui à paruis inobedientiæ initijs ad incurabilem contumaciã peruenit, quæ ipſum tandem ad deſperationis præcipitiũ adduxit. Et hæc cauſa eſt, quòd Deus capitales pœnas ijs ſtatuit, qui vel circuncisionem neglexiſſent in ſuis filijs, vel Paſchatis diebus aliquid fermentatum comediſſent: quòd item Aaronis filios propter alienum ignem ad ſacra illatum flammis cœlitus immiſsis combuſsit. Voluit enim exempla extare, quæ nos perterrefaciant, ne leuiculum putemus ab eius præceptis vel latum vnguem deflectere. Cæterùm dum in minoribus ſumus occupati, diligenter videre nos oportet, ne maiora negligamus: quod vt Phariſæi olim fecêre, ita multi hodie faciunt, qui pietatẽ omnem in externis quibuſdam actiunculis conſiſtere putant. Atqui inutilis, adeoq; nulla eſt iſtorum omniũ obedientia. Vt enim non probatur bono patri filius, qui in minimis officijs obeundis ſedulus eſt, ea autem prætermittit, ex quibus familiæ totius incolumitas & ipſius patris exiſtimatio atq; gloria dependent: ita neq; eorum obedientia Deo placebit, qui leniora ſedulò præſtant, ea autem negligunt, quibus gloria illius & tam ipſorum quàm aliorum hominum ſalus imprimis promouetur.

Capita legis maiora.

1. Iudicium.

Vt verò minus peccemus, quæ nam grauiora illa Legis capita ſint, videre oportet. Apud Matth. tria nominãtur, Iudicium, Miſericordia & Fides. In præſenti duo tantũ, Iudiciũ & charitas Dei, quæ & fidem & miſericordiã complectitur. Iudicij nomine Hebræi ferè cuiuſq; hominis decorũ ſiue officium intelligunt, cui pro ſuæ vocationis ratione intentus eſſe debet. Quod quia in ſe iuſtitiam & æquitatẽ vnà cum omnibus, quæ alijs hominibus debentur, officijs, compræhendit, iudicium facere dicuntur, qui officium faciunt & vnicuiq; tribuunt, quod ſuum eſt. Extenditur ergo primum hoc caput per omnes hominũ ordines, & ab hoc ordiri voluit Chriſtus, non quòd quæ hominib. debemus, ijs præferri debeant, quæ directè ad Deum pertinent: ſed quia in illis facilè cernitur, quo animo erga Deum & legem eius ſimus affecti. Hîc ergo ſingulos videre conuenit, quam perſonã ipſis Deus impoſuerit, & quid alijs debeant. Et vt ab ijs, qui magiſtratum gerunt, exordiantur, horum eſt, vt ante omnia Dei gloriã quærant, & ita ſe huic gratos præbeant, qui ad tã ſublime honoris & dignitatis faſtigiũ eos euexit. Curẽt ergo, vt huius verbũ purè prædicetur, cultus rectè inſtituatur, vtq; huius præceptis populus obtemperet. Quoad verò Reipub. adminiſtrationẽ, Dei iudicia enuntient, non ſua placita temere proferant, ius dicant in iuſtitia abſq; omni perſonarũ reſpectu, vt Dei ingenium referant, cuius vicem gerunt. Benefici item ſint in pauperes, cuius vel vetuſtiſsimus ille titulus admonere debet, quo Chriſtus illos antiquitus ornatos fuiſſe teſtatur. Afflictos vindicent à vi & calumnijs: populũ à fœnore & vſura liberent, & pretioſum ducant ſanguinẽ ſubditorum ſuorum, ideoq; in iudicijs non præcipites ſint, neq; bella moueãt non neceſſaria. Hæc qui præſtant, ij in Repub. verè iudiciũ faciunt. Viciſsim verò populi eſt, principes ſuos amare, obſeruare, colere, ijſdẽ obedire, & ſi ita opus ſit, cum fortunis omnibus ſanguinẽ quoq; pro illorũ & Reipub. ſalute deponere: & ita ipſi quoq; iudiciũ facient. Eadem eſt ratio inter parentes & liberos. Illorum enim eſt ex ſe natos honeſtè educare, in Dei cognitione & vera pietate inſtituere, ætatem tenerum bonis moribus formare, & ijſdem quoad eius fieri poteſt proſpicere, vt honeſtè & cõmode vitam tranſigere poſsint. Liberi verò parentes amore & honore proſequi debent, & hunc animum ſuum obedientia ſedula omniq; officiorũ genere teſtari: imprimis autẽ curare, ne ſenio confectis aliquid deſit. Habent etiã ſuum iudiciũ coniuges, quod in eo verſatur, vt fidem coniugalem vtrinq; inuiolatam ſeruent, ſeſe mutuũ ament, honeſtati ſtudeant, & omnem fortunam patienter ſimul ferant. Ita iudicium facient heri, ſi ſeruos ſuos & homines & ſuos in Chriſto fratres eſſe meminerint, & proinde illis non abutantur, victũ item & quod eis præterea debetur, amicè & liberaliter numerent. Rurſus horũ officium eſt, heris obſequi, cõmodis eorum ſtudere, & fideliter præſtare, quod illis vel ex pacto, vel ex ſeruitij iure debent. Poſſet hoc ipſum ad vendentes & ementes, ad opifices, agricolas, milites & ad quoſuis alios extendi: ſed ſufficiat occaſionẽ cogitandi dediſſe ijs, qui nondũ oẽm numinis metũ abiecerunt: & meminerint omnes, inter præcipua legis capita hoc haberi, vt ſinguli in ſua vocatione officiũ faciãt. Hoc enim vt nos in Dei obſequio cõtinet, ita etiam plurimũ conſolatur, quod nos in quouis vitæ genere ipſi gratũ officiũ præſtare poſſe ſcimus.

2. Charitas Dei.

Secundo loco charitatem Dei ponit Chriſtus, ſub qua fidem erga hunc & ſimul miſericordiam comprehendi diximus. Et Deo quidem amorem atque dilectionem deberi, communis ſenſus docet: quia nos creauit, perditos in Filio ſuo vnigenito regenuit, in filiorum locum adoptauit, neque his contentus, inſuper nobis in ſingulas horas proſpicit, quoad corporis & animæ ſalutem. At qui iſta beneficia Dei agnoſcunt, ij hunc non vulgari ſolùm amore proſequuntur, verumetiam in eodem omnem ſpem atque fiduciam collocant, & ab illo vno pendent, vnde obedientia vera, cultus deniq; Dei purus atque ſyncerus naſcitur. Neque abeſſe poteſt ab hac Dei dilectione dilectio proximi vel quorumuis aliorum hominum. Quomodo enim hos non amabimus, quos ille nobis tantopere commendat, qui ipſum vnà nobiſcum Patris nomine inuocant, qui noſtri in Chriſto fratres atque cæleſtis regni cohæredes ſunt? Dilectionis autem huius effectum ſiue fructus eſt miſericordia, qua fit, vt aliorum miſerijs tangamur, & ne requiſiti quidem illos noſtra ope & conſilio iuuemus, quos ijs opus habere cernimus, vt in Samaritani parabola Chriſtus docuit. Ita verò idem ille hoc loco duobus capitibus præcipua legis mandata, imò legem totam comprehendit. Illis ergo ſinguli ſtudeant, ne his neglectis circa minutiora quædam & inutiles ceremonias fruſtra occupentur, quod hîc in Phariſæis reprehenditur.

Phariſæi noſtrorum temporũ.

At ſi noſtri ſeculi mores diligentius excutiamus, omnis ferè loci & ordinis homines ad eundem lapidem offendere videbis. Cùm Phariſæis enim peccant Eccleſiarum miniſtri, qui res leuioris momenti, & quæ ipſorum potius commodis quàm publicæ omnium ſaluti ſeruiunt, conſtanter vrgent & exigunt, nihil interea ſoliciti de ijs, quibus Dei gloria & populi ſalus promouetur. Eſt hoc frequens admodum in Papatu, vbi Miſſas neglexiſſe, non confeſſum eſſe ſacerdoti, non obtuliſſe pecuniam in altari, votum Diuo nuncupatum non perſoluiſſe, & alia huiuſmodi pro capitalibus ſceleribus & excommunicatione dignis habentur, & in hæc magna cum contentione Monachi & Doctores reliqui declamant, qui interim ad aliorum ſtupra, adulteria, execrationes, vſuras, homicidia quoque & immaniſſima quæque flagitia conniuent. Neque ab hac culpa omnino immunes ſunt concionatores Euangelici, quorum multi in vulgaribus populi vitijs exagitandis feruent, in atrociſſimis autem magnatum ſceleribus canes muti ſunt. Peccant hîc etiam principes & magiſtratus, ſi ijs modò intenti ſunt, quæ ad ipſorum honorem ſpectant & lucrum ipſis priuatum, vel etiam publicum ferunt, Dei verò cultum & populi ſalutem ſecuri negligunt. Peccatur item à priuatis hominibus, vt quando parentes liberis ſuis ſolùm quoad victum & res huius ſeculi proſpiciunt, non autem curant, vt in Dei cognitione & pietate inſtituantur, quæ præſentis & futuri ſeculi promiſſiones habet. Idem ferè inter coniuges ſolet fieri, dum amori quidem coniugali & rei domeſticæ intenti ſunt, pietatis autem officia intermittunt. Quod ipſum de heris quoque & ſeruis dici poteſt, inter quos illi quidem ſeruos interdum ſatis humaniter tractant, nullam autem fidei & religionis ipſorum rationem habent, neque illis cordi eſt, vt cœtus ſacros inuiſant, verbum Dei audiant, precibus publicis interſint & Cœnæ myſticæ communicent: hi verò ad oculum quidem ſeruiunt, animis autem ab heris ſuis ſunt alieniſſimi, adhæc impatienter & cum murmure ſeruitutis iugum ferunt. Hi omnes dici poſſunt mentham & anethum ſiue rutam decimare, ea verò prætermittere, quæ grauiora ſunt.

Ambitio Phariſæorum.

Sed in Chriſti verbis progrediamur, qui tertio loco ambitionem & inanem dignitatis oſtentationem Phariſæis exprobrat, qui etiam falſæ doctrinæ & antiſtitum eius propriiſſimus fructus eſt. Cur enim hi fucatæ ſanctimoniæ ſtudent, quàm vt magnifiant & ab omnibus in pretio habeantur? Ideo apud Matthæum hoc illorum vitium diligentius exponens ait: Omnia opera ſua faciunt vt ſpectentur ab hominibus. Quibus verbis diſcrimen inter hypocritas & verè pios continetur. Hi enim ſtudiorum & actionum omnium hunc finem ſibi propoſitum habent, vt & Deo placeant, & alijs bono exemplo ſint. Illi verò de Dei gloria parum ſoliciti, hoc vnum quærunt, vt coram mundo glorioſi ſint. Pij ergo caſtæ & fidelis matronæ ingenium atque mores referunt, quæ vni marito placere ſtudet, neque impudicorum amatorum iudicia moratur: hypocritæ autem perfidarum vxorum & adulterarum ſimiles ſunt, quæ neglectis & contemptis maritis ſuis in aliorum gratiam comuntur atque ornantur. Sed ne Phariſæis iniuriam Chriſtus facere videatur, ſpeciem vnam atque alteram vanæ oſtentationis adducit, vt eos conuincat. Dilatant (inquit) phylacteria ſua, & producunt fimbrias palliorum ſuorum. Iuſſerat Deus, vt præcipua legis ſuæ capita Iudæi in fimbrijs veſtium deſcripta [illegible]

geſtarent,

geſtarent, & poſtibus oſtiorum ſuorum inſculperent, vt ea ratione ad perpetuam ſuæ voluntatis meditationem extitarentur. Vt ergo Phariſæi apud vulgus exiſtimationẽ ſibi pararent, quaſi præ alijs diuinæ Legis ſtudioſi eſſent, phylacteria, id eſt, memoriales illas fimbrias latiſſimas facere ſolebant, vt plures Legis ſententias illis poſſent inſcribere, cùm interim huius obſeruandæ cura nulla illos teneret. Erat ergo hæc inanis oſtentatio, quam Dei præceptum non excuſabat, quia & Deum & Legem eius habebant ludibrio. Huis aliam ſpeciem ſubijcit Dominus, cuius & hîc Lucas meminit, qui illum dixiſſe ſcribit: Væ vobis Phariſæis, quoniam diligitis primum conſeſſum in conuentibus, & ſalutationes in foris. Apud Matthæum formula quoq; ſalutationum exprimitur, quòd Rabbi dici vellent, quæ vox excellentis & multiplicis doctrinæ hominem ſignificat, & proinde Doctorum titulo reſpondet, quo hodie in ſcholis Chriſtianorum ſuperbitur. Non autem ſimpliciter iuſtos honorũ gradus aut titulos Chriſtus damnat, ſed illos reprahendit, quòd qui ſe melioribus debebantur honores, ipſi priuatæ ambitione ſibi vendicarent, & in ijſdem modum omnem excederent. Manet enim firma & rata Lex Dei, qui parentes & eos, qui parentum loco ſunt, honorare iubet, & coram cano capite aſſurgere. Et notum eſt illud Apoſtoli, qui monet, vt alij alios honore præueniant. Quàm multos autem hodie eſt videre, in quos hæc Chriſti verba dici poſſunt? Inter eos certè, qui primi Eccleſiæ totius proceres haberi volunt, non alium finem aut ſcopum propoſitum eſſe videmus, quàm vt ab hominibus ſpectentur. Ideò enim veſtitum ſibi peculiarem & planè theatricum excogitarunt, cui cruces varias & alia pietatis inſignia addunt. Quàm verò ambitioſè primos honores ambiant, norunt omnes, qui in Regum & principum aulis verſantur. Illic enim primæ etiam nobilitatis homines Epiſcopis & Monachis infimo loco natis, & quos neque virtus neque eruditio commendat, primos accubitus cedere, ſeq́; illis ſeruiliter ſubmittere coguntur. Taceo Pontificum inſolentiam, quos non pudet ad pedum ſuorum oſcula Reges atque Imperatores vocare. Quòd ſi titulos illorum audias, quid aliud quàm ambitionem & ſuperbiam planè Luciferianam ſpirant? Alij enim Paſtores vniuerſales totius Eccleſiæ per orbem diſperſæ dici volunt, neque eo contenti ſunt, niſi Caput etiam Eccleſiæ, vicarij Ieſu Chriſti, Sanctiſſimi & ipſa Sanctitas dicantur. Alij Reuerendiſſimi & Reuerendi appellantur, & ijdem Beneficorum & ipſius Gratiæ titulos ſibi vendicant, qui ex veteri more principibus viris debentur. Inter Monachos autem, qui ſe mundo mortuos profitentur, Doctorũ illuminatiſſimorum, Seraphicorũ, Subtilium, Magiſtrorũ noſtrorũ nomina ſonant. Et vt ſatis ineptos ſeſe ſua ambitione præbeant, ſunt quos delectat, ſi Mallei hæreticorũ, Candelabra Eccleſiæ, Luminaria, imò ipſa Lux mundi dicantur. Vtinam verò extra omnem ſulpam hîc eſſent noſtrorum aliquot, quos auræ popularis ſtudium, principum fauor, ſeruilis ſcholarum applauſus & titulorum inſolitorum ſplendor nõ minus delectant. Nam vt ſcholaſticos honorum gradus, qui ad diligentiam in iuuenibus excitandam inſtituti ſunt, in bonarum artium, Medicinæ & Iuriſprudentiæ ſtudio nunquam improbauerim: ita non video qua ratione excuſari poſſint, qui in Theologiæ ſtudium eoſdem inferunt, & eos ſuperbis titulis inebriant, qui crucis Chriſti & humilitatis doctores aliquando fieri debent. Quid autẽ de illis dicemus, qui poſtquam in Eccleſiæ miniſterio multis annis verſati ſunt, Doctoratus inſignibus ornari volunt, vt ad pinguius aliquod munus Eccleſiaſticum promoueri, aut ſub Superintendentium titulo quæſtuoſum in alios miniſtros dominium obtinere poſſint? Viderint illi quàm procul à Phariſæorum moribus abſint, & annon tota illorum actio Simoniaca dici mereatur. Satis certè teſtantur, ſe non adeò magno gloriæ Dei ſtudio teneri, quæ hodie paſſim periclitatur, cùm ſuam tam anxiè quærant. Interim debet hinc generalis doctrina peti, vt omnes humilitati ſtudeant ſecundùm Chriſti exemplum, ne in ipſos quoque hæc illius tam dira imprecatio cadat, eoq; grauiori lapſu ruant, quò altius ſeſe ſupra alios extulerunt. Quid enim ſuperbire iuuat, quando in ijs quæ ad ſalutem æternam faciunt, nihil ex nobis ipſis poſſumus, in externis autem & huius ſeculi bonis nihil certum aut ſtabile habetur?

Leuit. 19.
Rom. 12.

Porrò redit ad hypocriſim Phariſæorum Chriſtus, & quàm turpiter ea homines fallant, docet. Væ vobis Scribæ (inquit) & Phariſæi hypocritæ, quoniam eſtis vt monumenta, quæ non apparent, & quæ neſciunt ij, qui ſuper ea ambulant. Apud Matthæum hæc quoque copioſius explicantur his verbis: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam aſſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ extra quidem apparent ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, omniq́; immunditia: Ita

Phariſæi ſepulchrorum ſimiles.

& vos extra quidem apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Coniungit nunc Phariſæis Scribas, vt clarius appareat de doctrina falſa & eius effectis agi. Et verba quidem perſpicua ſunt, cùm ipſe Dominus doceat, quid per dealbationem & ornatum ſepulchrorum, quid item per oſſa mortuorum & reliquas ſordes, quæ in illis deliteſcunt, debeat intelligi. Differunt tamen Euangeliſtæ in eo, quòd alter quidem ſepulchrorum, quæ ſupra terram eriguntur & magnificè ornantur, meminit, alter verò eorum quæ intra humum effodiuntur, & ita rurſus obruuntur, vt ſupra ea ambulari poßit, & ita quidem, vt plerique ſepulchra abs ſe calcari neſciant. Sed cùm non eodem tempore & loco Chriſtus vtrunque dixerit, diuerſis ſimilibus vti voluit, vt hypocriſis & fucatæ ſanctimoniæ naturam ſiue proprietatem melius exprimeret. Etenim pulchre his docetur, quæ illius ſit conditio tam quoad Deum quàm quoad homines. Speciosa quidem eſt hominum iudicio, qui præter externam ſpeciem nihil vident: at coram Deo, qui in cordis penetralia vſque penetrat, non minus fœtet quàm oßium & ſepulchrorum immundities. Mortua enim & nullius precij ſunt omnia opera, quæ abſque fide fiunt. Et quia Chriſtus ſolus ſalutifer ille bonæ fragrantiæ odor eſt, propter quem Pater ſe nobis propitium præbet, non poſſunt non in eius conſpectu fœtere quotquot ſine illo Mediatore ad ipſum veniunt. Interim vt ſuper ſepulchra multi incedunt, & denſos læti graminis ceſpites mirantur, ignorantes quid pedibus ipſorum ſubſit, & ideò interdum fractis ſub terra mortuorum arcis ſubſidunt: ita rudes & imperiti rerum falſa doctrinæ & ſimulata ſanctimoniæ fuco decepti, ferè ijs utuntur, & hanc veram ſalutis viam eſſe putant, ignari quàm Deo diſpliceat, & quantum periculi animabus ipſorum hoc prætextu ſtruat: multi etiam magno ſuo malo experiuntur, quàm turpiter & miſerè ſua ſpes ipſos fefellerit. Hæc igitur ſic à Chriſto olim dicta eſſe meminerimus, vt nobis admonitioni eſſe debeant. Fugiamus ergo doctores, quotquot Phariſæorum mores & ingenium referunt, neque putemus Deum falſo ſanctimoniæ externæ prætextu vel demulceri vel falli poſſe: quin potius in hoc ſimus vt cordibus verè purificatis per fidem in Ieſum Chriſtum, in eodem vitam viuamus noſtra profeßione dignam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXII.

Reſpondens autem quidam ex Legis interpretibus, ait ei: Magiſter, cùm hæc dicis, etiam nos afficis iniuria. Ipſe autem dixit: Væ vobis quoque Legis interpretibus, quoniam oneratis homines oneribus difficilibus portatu, ſed ipſi vno ex digitis veſtris non attingitis onera. Væ vobis, quoniam ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem veſtri trucidarunt eos. Nempe teſtimonio veſtro comprobatis facta patrum veſtrorũ: quoniam illi quidem eos trucidarunt, vos autem ædificatis eorum monumenta.

QVàmuis Dei Filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, erga infirmos & miſeros peccatores fideliſsimi medici inſtar mitem atq; benignum ſeſe præbeat, & deſperabundos amicè ad ſe inuitet: idem tamen contra hypocriticos & falſos doctores totus ardet, & in eos acerrimè inuehitur, ſuo nos exemplo docens, quàm ſeriò & quanto zelo hos oppugnare debeant, quicunq; in Eccleſiæ miniſterio verſantur. Nam qui tales ſunt, ij Veritatẽ atq; lucem Verbi Dei ſuis traditionibus corrumpunt & obſcurant, & (vt apud Ierem. Deus queritur) tritico, quo ſuum gregẽ hic paſcit, paleas inanes miſcent. Ierem. 23. *Deinde verum Dei cultum euertunt, atq; ſyncerum numinis timorem in hominũ animis extinguunt. Adhæc ſua iuſtitiæ fiducia aduerſus Chriſtum efferuntur, & rerum imperitis, vt idem non minus pernitioſè quàm ſtultè faciant, authores ſunt. Ex eo enim ſequitur, quòd dum ſuam iuſtitiã homines ſtabilire conantur, à Dei iuſtitia excidant, quã is nobis in Filio ſuo offert. Sed neq; humanam, quæ hoc nomine digna ſit, aſſequuntur, cùm nõ niſi fuco inani ſeſe venditent, & pro Dei cultoribus vaniſsimi oſtentatores fiant, quod genus hominũ ipſi præ alijs omnibus exoſum eſt. Non temere ergo neq; cæco odij affectu Dominus eam diris imprecationibus & tanta vehementia tacitate in Phariſæos inuehitur, vt qui nam doctrinæ ipſorum fructus ſit, oſtendat.*

Quia

Quia autem in vltimo, quod audiuimus ſuæ correptionis membro cum Phariſæis Scribas coniunxit, mox eius ſermonem quidam ex Legis interpretum numero, qui & ipſi ad Scribarum ordinem pertinebant, interrumpit, dicens: Magiſter, cùm hæc dicis, etiam nos afficis iniuria. Non quidem Phariſæorum cauſam defendendam ſuſcipit, imò altum ſilentiũ egit quàm diu de illis ſolis Chriſtus locutus eſt: ſed nunc nimium putat, & æquo vehementiorem, quando Scribas quoq; eodem cum illis reatu inuoluit. Eſt autem hic cõmunis typus antiſtitum, qui admonitiones & correptiones Verbi Dei indignius ferunt. Primò iniquum eſſe putat, ſuum quoq; ordinem reprehendi & taxari. Vnde apparet, Scribas & Legis interpretes prorſus irreprehenſibiles videri voluiſſe. Imitatur hos hodie Papa cum ſuis Cardinalibus, qui ſi in vnum conueniant, Eccleſiæ titulum ſibijpſis tribuunt, quam errare poſſe negant. Quin eò vſque progreſſam fuiſſe ſcimus Pontificum audaciam, vt ne tunc quidem ſe à quoquam mortalium argui aut reprehendi debere in ſuis decretis ſtatuerint, ſi animas multorum ſecum ad gehennam abduxerint. Et hi quidem omnes facilè patiuntur quoſuis alios hominum ordines accuſari & duriſſimè corripi, modò quis ab ipſis abſtineat, & ipſorum exiſtimationem intactam relinquat. Quæ cauſa eſt, quòd cùm Iudæos & Turcas ſuis legibus viuere patiantur, in ſolos Chriſti præcones ſeuerius ſoleant animaduertere, quia horum prædicatione ſuam authoritatẽ atq; dignitatem labefactari ſentiunt.

Scribæ & Legiſperiti volebant irreprehenſibiles haberi.

Deinde noſter hic Legulator iniuriam atq; contumeliam eſſe dicit correctionem, quam illis Chriſtus neceſſariò adhibebat. Eſt hoc proprium impijs, qui ſuam authoritatem in ijs etiam valere volunt, quæ ad Deum pertinent. Et hoc eſt, quod Reges atq; principes maximè inflammat, quòd ſibi atrocem iniuriam fieri ſibi perſuadent, ſi quid aduerſus ipſorum ſtatuta aut ab ipſis receptam formam religionis liberius à quoquã dicatur. Sic Ieroboam primus Iſraelis Rex extenſo brachio mox vt læſæ maieſtatis reum corripi iubebat Virum Dei, qui aduerſus aram & ſacra ab ipſo inſtituta prophetauerat. Et Achab Eliam regni turbatorem ſolebat dicere, quòd ab ipſo inuectum Baalis cultum reprehenderet. Poſteris temporibus Romani Imperatores ſuam exiſtimationem grauiſſimè lædi & totam conculcari putauerunt à Chriſtianis doctoribus, qui contra ipſorum leges populum ab idolorum cultu ad Chriſtum vocabant. Hodie autem nihil vulgarius eſt, quàm quòd in principes & reges contumelioſi dicuntur, quicunque ab ipſis approbatas ſuperſtitiones reprehendere audent. Atqui non conuitium facit, neque contumelia aut iniuria quenquam afficit, ſed beneficium ingens confert, qui errantes ab errore reuocat, & vt facilius obtemperent, errores eorum liberius arguit. Peſtis autem nocentiſſima eſt peruerſum hoc de fidis doctoribus iudicium: quia & odio maiori animos accendit, & pœnitentiæ viam præcludit, & proinde cauſa eſt, quòd qui illo ſeducuntur, in peccatis ſuis miſerè pereant: quod pleriſque iſtorum, de quibus hîc agitur, accidiſſe conſtat, ſicuti Chriſtus illis prædixerat. Et huc tendunt, quotquot hodie etiam miniſtrorum linguas frænare conantur, Ioan. 8. *aut dicendi leges ijſdem præſcribere audent. Ita enim ſeipſos Verbo ſalutis ſpoliant, & peſſimis affectibus imperium permittunt, qui non aliud quàm exitium afferre poſſunt.*

Correctionem iuſtam dicunt contumeliam.

Sed Chriſtum audiamus, qui Legiſperito huic reſpondens diſertè affirmat, ea quæ dixerat, non minus ipſis quàm Phariſæis conuenire. Væ vobis quoque (inquit) Legis interpretibus, quoniam oneratis homines, &c. Quaſi dicat: Scio equidem vobis indignum videri, ſi quis vos perſtringat & accuſet, qui Eccleſiæ lumina, duces cæcorum, eruditores inſipientium & magiſtri infantium haberi vultis. At non minus veſtra quàm aliorum cauſa hîc agitur, & vobis imprimis Rom. 2. *leoninam detrahi oportet, qui falſa Legis interpretatione & veſtris figmentis atque traditionibus omnis mali in Eccleſia eſtis authores. Et mox grauiſſima quædam crimina illis obijcit, propter quæ ſingula Væ illis imprecatur. Docet autem ſuo exemplo Dominus, qua libertate & fiducia dicendi Verbi adminiſtri in ſuo munere vti debeant. Sunt hi ſerui Dei, quos ſuæ domui* Ierem. 1. *præfecit, vt excindant & plantent, diruant & ædificent, vt denique pœnas imminentes ſceleratis denuncient, & eoſdem ad pœnitentiam exhortentur. Adhæc (vt Paulus ſcribit) legationem Filij Dei obeunt, cuius nomine omnia dicunt & faciunt. Ergo nullius perſonam reſpicere, ſed ſuo iure atque priuilegio erga quoſuis vti debent, vt ut hoc pleriſque indignum aut iniquum videatur. Obſeruarunt hoc diligenter olim omnes ſerui Dei, quorum fidem Spiritus Sanctus in ſcripturis commendat. Nam vt à Moſe exordiamur, quàm multa fuerunt, quæ ipſum auocare poteã*

Chriſti libertas in arguendis antiſtibus.

Ezech. 33.
2. Corinth. 5.

rant, vt quid aduerſus Pharaonem tentaret. Obſtare videbatur pietas, ne ſe eius voluntati opponeret, qui ipſius nutritius fuerat, qui ipſum in omni ſapientia Aegyptiorum liberaliter inſtitui curarat, & ad honores ſummos euexerat. Accedebat periculum ob cædem Aegyptij factam, & quòd nimia temeritatis facinus cenſeri poterat, quadraginta annorum exulem eius populi liberationẽ moliri, quem Rex oppreſſum volebat. De quibus et multis alijs Moſem feriò cogitauiſſe, eius verba indicant, quibus initiò munus illud detrectauit. Sed cùm audiret Deum hoc omnino velle, magno & conſtanti animo rem aggreſſus eſt, & Pharaonis contumaciam atque minas facilè contempſit, vt Deo obediret. Idem in Prophetis eſt videre, qui ſi hominum iudicia ſpectemus, ſæpe grauiſſimis & iuſtiſſimis rationibus moti fuiſſe videntur, vt in ſubeundo ſuo munere tardiores eſſent. Ionæ certè nõ abſque cauſa durum & graue videbatur, hominem Iudæum Niniuitis exitium minitari, qui tunc toti Orienti imperabãt. Idem tamen cum periculo edoctus, quàm graue ſit Deo ſeſe opponere, aut eius mandatis reluctari, Niniuen profectus fortiter ſuam legationem obijt. Ieremiam verò & ſuæ ætatis conſideratio, & populi contumacia, atque irriti tot tantorumq; Prophetarum, qui ipſum præceſſerant, labores terrebant, vt ſibi à concionandi munere abſtinendum eſſe putaret. At cùm Dei mandato ſe vrgeri ſentiret, paruis & abſque omni perſonarum reſpectu pœnitere neſcijs excidium vrbis atque templi denunciauit. Et quàm putas durum fuiſſe illis omnibus, quando populum illum electum Chananæis & Amorrhæis conferre, principes Sodomæorum principibus ſimiles dicere, & conciones ſuas directè contra ipſos reges & eos, qui hic à conſilijs erant, inſtituere cogebantur? Sed

Amos 3. in omnium animis ſonuit, quod Amos dicebat: Leo ſi rugiat, quis non timeret? Dominus Deus locutus eſt, & quis non prophetaret? Nec minori libertate Noui Teſtamenti miniſtros vſos eſſe videbis, ſi quæ Ioannes Baptiſta contra Phariſæos & Sacerdotes declamauit, & quæ idem Herodi in faciem dixit, conſideres: quæ item Apoſtoli Hieroſolymis partim in publicis concionibus, partim in Senatu & Concilio antiſtitum atque Seniorum dixerunt. Quorum omnium exempla cùm Chriſtus tam hîc quàm alibi ſuo exemplo confirmet, illa ſibi imitanda proponant, quotquot hoc ſce-

2. Timoth 4. leratiſſimo ſeculo Verbum Dei prædicant. Admonet de hoc Paulus, quando Timotheum non modò ſermonem prædicare, ſed arguere, obiurgare, imò tempeſtiuè & intempeſtiuè inſtare iubet, & ſui præcepti hanc rationem affert, quod futurum ſit, vt doctrinam Veritatis non audiant homines, ſed doctores ſibi accerſant, qui aures blandis ſermonibus demulceant. Ita verò ijs occurrit, qui ideò tacendum eſſe cenſent, quòd monendo, hortando, increpando nihil proficere ſe vident. Atqui eò fortius inſtare oportet, vt ſi omnia fallant, ſuas ſaltem animas miniſtri liberent. Nimiùm verò ſtulti & infelices ſunt, qui id nolunt ferre, quaſi Deus in ipſorum gratiam tacere, aut tot ſeculis vſurpatam docendi rationem mutare debeat.

Onera populi iniuſta accuſat. Cur verò Chriſtus tam grauiter in Legis interpretes inuehitur? Oneratis (inquit) homines oneribus difficilibus portatu, ſed ipſi vno ex digitis veſtris nõ attingitis onera. Duplex crimen illis obijcit. Primum, quòd qui afflictis conſcientijs conſulere debebant, oneribus intolerabilibus populum magis grauarent. Id autem partim de Legis doctrina, qualem ipſi tradebant, dicit: eſt enim illa (vt nuper ex Petri verbis monuimus) iugum importabile, ſi abſq; Chriſto tradatur, ad quem nobis pædagogi inſtar eſſe debet: partim de ipſorum traditionibus, quas Legi addebant, & quibus ea intolerabilior multò reddebatur. His enim crebriores, quàm par erat, purificationes, oblationes & alia multa exigebantur, quæ Sacerdotibus quidem & Scribis quæſtuoſa, populo autem multas ob cauſas grauia & portatu difficillima erant. Alterum crimen fuit, quòd ipſi eadem illa onera ne vno quidem digito attingerent. Ergo vita eorum doctrinæ minimè reſpondebat, cùm ipſi non niſi circa inanes ceremonias & ſimulatæ ſanctimoniæ ſtudium occuparentur, ea autẽ perinde vt Phariſæi negligerent, in quibus verus Dei cultus & hominum ſalus maximè conſiſtunt. Eſt autem hoc proprium hypocritis, quòd ſeueri admodum & rigidi ſunt in exigendis pietatis officijs, & nunquam non excommunicationis, damnationis æternæ & inferorũ minas in ore habent, cùm interim ſibijpſis nimiùm indulgenter blandiantur in grauiſſimis ſceleribus. Cauſa huius vitij eſt duplex. Primò auſteritate illa nimia maiorem ſanctimoniæ exiſtimationem ſibi apud populum rudem parare ſtudent. Quis enim non putet totos pietatis zelo ardere, quos tam rigidos obedientiæ erga Deum exactores eſſe videt, & qui tanto ſtudio aduerſus ſcelera quorumuis publicè declamant? Deinde quia ſeipſos non nouerunt,

inani

inani iuſtitiæ fiducia turgidi ſibi nihil deeſſe putant, cùm interim (qui cõmunis hominũ morbus eſt) in aliorum vitijs notandis oculatiſſimi ſint cenſores. Hoc igitur in iſtis quoq; Chriſtus accuſat, quòd ἐργοδιώκτων illorum ſimiles, quos Pharao Iſraelitis præfecerat, multa quidem à populo exigerent, ipſi verò manum operi nullam admouerent.

Eſt autem in hiſce verbis probè obſeruandum, vehementer peccari ab omnibus, qui doctrinam ſuam faciunt æquo grauiorem atq; intolerabilem. Fit hoc non vno modo, imprimis tamẽ, ſi vitæ quidem præcepta ſeuerè vrgeantur vnà cum comminationibus, quibus impios horũ transgreſſores Spiritus Sanctus terret, interim verò nulla fiat Ieſu Chriſti mentio, qui transgreſſiones noſtras & iniquitates expiauit, nos cum Patre cœleſti in gratiam reduxit, ſpiritum adoptionis nobis dedit, qui & verã in nobis pœnitentiã excitat, & remiſſionis peccatorũ atq; ſalutis arrhabo eſt certiſſimus. Nam ſi iſta omittantur, quid aliud ex legis doctrina & Euangelicis præceptis enaſci poteſt, quàm horribiles conſcientiæ terrores, quibus homo tandem ad deſperationis præcipitium abripitur, niſi illi gratia Dei ſuccurrat? Videt enim miſer, ſe non ſolùm peccaniſſe, verumetiam eam eſſe naturæ ſuæ vitioſitatem, vt non poſſit non peccare, cùm Legem peccati in membris ſuis circunferat, quæ illum ſæpe contra ſuam voluntatem peccato captiuum ducit. Audis præterea horrendam illam vocem: Maledictus omnis, qui non fecerit omnia verba libri huius, & dicet omnis populus, Amen. Nonne hîc exclamare cogetur, Miſerum me, quis me liberabit à corpore mortis huius? Et niſi cum Paulo ſibijpſi reſpondere poſſit, Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum: deſperationem omnino ſequi neceſſe eſt. At quomodo illud dicet, qui de Chriſto nihil vnquam audiuit, qui meritum eius & reconciliationis per ipſum factæ myſterium ignorat, qui denique hunc non agnoſcit Mediatorem illum eſſe, qui pro nobis apud Patrem intercedat, ſed ad ſuas ſatisfactiones remittitur, in quibus nihil certi, nihil ſolidi & perfecti inuenit, vt illis niti queat? Eſt ergo hoc doctrinæ genus nocentiſſimum, eò quòd ſub plauſibili pœnitentiæ atque bonorum operum prætextu à vera ſalutis via abducit, & æternum Filium Dei ſuo honore ſpoliat. At illud imprimis vrgent, qui ſuam infirmitatẽ & naturæ propriæ corruptionem (vt ante diximus) non agnoſcunt. Quare doctoribus non tam vtile quàm neceſſarium eſt, vt ſeipſos frequenter excutiant, & mox videbunt qua moderatione debeant vti in exigendis Legis diuinæ mandatis, qua item ratione conſcientijs afflictis mederi, & nimijs terroribus proſtratas erigere debeant. Deinde ad augendum doctrinæ pondus plurimùm facit, ſi ipſi doctores illam non proprio exemplo commendent, ſed potius omnia ijs, quæ docent, contraria atque aduerſa faciant. Vt enim in re militari militibus nulli labores nimij, nulla pericula iniqua videntur, ſi imperatorem eadem ſubire, imò in illis ſubeundis primum eſſe cernant: Ita de doctrinæ & præceptorum grauitate non poſſunt conqueri, qui horum viuum exemplum in doctoribus ſuis conſpicantur. E contra verò, vt milites omnis laboris impatientes & periculorum omnium detrectatores reddit, ſi duces ſibi poſt principia cauere, ſe autem ſolos difficultatibus obijci videant: ita cùm natura à præceptorum Dei obſeruatione abhorreamus, mox murmurare, tergiuerſandi occaſiones quærere, imò ad cõuitia quoq; prorumpere ſolemus, ſi illa ne ab ijs quidem obſeruentur, qui ea à nobis ſeuerius exigunt. Hominum igitur vitio Dei præcepta intolerabilia fiunt, quæ ſi rectè proponantur, grauia non ſunt, vt dilectus ille diſcipulus in ſua Catholica epiſtola docet. 1. Ioan. 3.

Porrò ſi hæc ad noſtra tempora transferas, paſſim ab omnibus peccari videbis, qui docendo & monendo alijs præeſſe debebant. In Papatu non quidem omittitur Legis diuinæ doctrina, ſed ea omnino ratione proponitur, qua apud Iudæos illam Scribæ tractare ſolebant. Nam omiſſa Chriſti prædicatione, hominis vires cõmendant, operum merita, ſatisfactiones & infinita alia vrgent, quæ corpus quidem fatigant & loculos exhauriunt, nullam autem conſcientijs peccatorum agnitione territis pacem aut conſolationem afferunt. Negant quidem ſe prædicationẽ Chriſti omittere, ſed re ipſa conuincuntur. Nec enim Chriſtum prædicant omnes, qui nomen eius in ore habent, qui nomen Ieſu in concionibus ſuis cum mirifica vocis ad deuotionis animorum ſimulationẽ compoſitæ modulatione ſæpius ingeminant: ſed qui cauſam ſui in carnem aduentus, mortis & reſurrectionis eius meritũ atq; virtutẽ diligenter exponunt, & qui cum Apoſtolis docent, nos ſola fide in illum iuſtificari & ſeruari, eò quòd ipſe ſolus noſter apud Patrem Mediator, ſolus ad thronum gratiæ via & oſtium, ſolus nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſatisfactio, ſanctificatio & redemptio ſit factus, quòd deniq; præter

Grauamina doctrinæ.

Vt hæc conueniant noſtro ſeculo.

illum non aliud nomen ſub cœlo hominibus ſit datum, in quo illos ſeruari oporteat. At ſi Chriſtum hoc modo prædicant Papiſtici doctores, quid ſibi vult Miſſa ſacrificium? quid noſtrorum operum iuſtitia atque meritū? quid tot Diui Mediatores? quid ſatisfactiones & opera ſuperetogationis? quid Pontificum bullæ & indulgentiæ? quid vota monaſtica? quid ciborum delectus, peregrinationes ad longinquos Diuos, & ſexcenta alia, quæ non alia quàm hominum ſuperſtitioſorū authoritate nituntur? Cur item poſt omnia iſta ignis Purgatorij luſtratione, ſumptuoſis exequijs, & perpetuis pro animarum in igne iſto laborantiū redemptione ſacris opus eſſe docent? Cur non Chriſti verbis inſiſtunt, qui credentes in iudiciū venire negat, ſed rectà à morte in vitam tranſire ait? Adde his, quòd homines ſalutis prorſus incertos reddunt, quando aliquem de gratia Dei, dum hîc viuit, certum fieri poſſe negant. Vides ergo illos onera difficilia portatu, imò impoſsibilia hominū conſcientijs imponere, cùm & Chriſtum excludant à Legis doctrina, & eandem per ſe importabilem ſuis traditionibus magis aggrauent. Quid verò ipſi interea faciunt? Num onus illud ſuis humeris ſubeunt, vt ſuo exemplo id leuius alijs reddant? Nequaquam. Imò ſecurè ex quæſtuoſis illis ſacris delitiantur, in ſinu gaudent, & hominum ſtultitiam penes ſe rident, adeoq; vna omnium vox eſt, quæ Alexandri VI. Pontificis, Bonam eſſe hanc Chriſtianorum perſuaſionē, per quam ipſi regnent atq; dominentur. Verè hæc dici ipſorum vita atque mores teſtantur. Nam ſi ſuis traditionibus ipſi fidem adhiberent, ſi vel cœlum vel inferos aut Purgatorium ignem eſſe crederent, nunquam tam impudenter ſcortari, mœchari & grauiora his deſignare auderent. Sed vtinam in ſolis iſtis hæc altera culpa hæreret, & non inter illos quoque conſpiceretur, qui puriorem Euangelij doctrinam prædicant & Chriſtum ſyncerè docent. Debebant illi vitam ſuam ita inſtituere, vt cum Paulo ſuis auditoribus dicere poſſent: Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti ſum. Quàm multos autem in illorum ordine inuenies, qui ambitione ebrij in fratres & Symmyſtas ſibi dominium vendicant? qui auaritia accenſi per fas & nefas rapiunt atque colligunt? qui inuidia & odio contabeſcunt? qui contentiones ſcandali plenas vel de nihilo excitant ipſi, vel ab alijs excitatas fouent? qui veſtium luxu ſuperbiunt, ebrietati, aleæ, venationi ſunt deditī? qui denique fidem coniugalem impudenter violant, & fœdiſsimo adulterij ſcelere ſeſe polluunt? Et hi illi ſunt, propter quos malè audit nomen Domini, & qui ſuis auditoribus doctrinam Euangelij partim intolerabilē, partim ſuſpectā atq; contemptā reddunt. Graue ergo illos iudicium manet, & ſentient olim quàm horrendū ſit incidere in manus Dei viuentis, qui tam effrænem atq; impiam licentiam impunitam non dimittet. Quod autem de Euangelij adminiſtris dicitur, hoc ipſum ad alios quoq; ordines transferri poteſt. Ad eundem enim lapidem multi, qui rempub. adminiſtrant, offendunt, dum Leges per ſe vtiles, ſalutares atq; neceſſarias ſuo exemplo graues reddunt, id eſt, authores ſunt populo ad licentiam procliui, vt illas impatientius ferat. Et priuatim in hoc parentes ſæpe peccant, qui licentius viuendo liberis cauſam præbent, vt diſciplinam minus libenter admittant. Deniq; omnium ferè admonitionum atq; correptionum contemptus hinc naſcitur, quòd qui has alijs adhibent, ferè iiſdem contraria faciunt.

Doctorum improbitas, Verbi contemptores non excuſat.

Num verò (inquis) excuſantur apud Deum, qui ideò doctrinā Veritatis aut admonitiones ſalutares reijciunt? Minimè. Nam de hoc quoq; Chriſtus apud Matthæum diligenter admonet, de Scribis & Phariſæis ad populum ſic loquens: In cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo, quæ dixerint vobis vt ſeruetis, ſeruate & facite: ſed ſecundùm opera eorum ne facite: dicunt enim, & non faciunt. In cathedra Moſis ſedere dicuntur, qui Legem docent ſine traditionibus humanis. Solebat enim hæc diebus Sabbati (vt ex Iacobi oratione Act. 15. apparet) in Synagogis populo recitari aut prælegi. Itaque verborum Chriſti ſenſus eſt: Quando Legis diuinæ præcepta illi vobis proponunt, tunc illis obedite, neque illa propter prauum illorum exemplum contemnite. Hoc ipſum ergo noſtri ſeculi homines ſibi dictum putent. Prædicat quis Euangelij doctrinam purè & ſyncerè. Huic fidem adhibe & obtempera, etiamſi peſsimis moribus præditum, aut etiam flagicijs apertis infamem eſſe videas. Nec enim ab hominibus vllis pendet Verbi diuini authoritas, neque etiam alicuius vitijs minuitur. Et tu ſi bene docenti obtemperaueris, laudem habebis & præmium coram Deo, improbus autem ille doctor pœnas ſubibit, quas ſcandalorum authoribus & Verbi ſui prophanatoribus Deus alibi minatur. Eadem eſt ſubditorum & magiſtratuum ſiue principum, liberorum atque parentum ratio, omnium denique qui ab iiſ admonentur,

admonetur, qui ipſi inhoneſtius viuũt. Si enim (vt gentiũ philoſophi docuerũt) ex inimicis hæc vtilitas captanda eſt, vt ex conuitijs, quæ in nos iaciunt, diſcamus, quid in nobis emẽdari debeat, quantò patientius eos ferre conuenit, qui qualeſcunque ſint, nos tamen ex officio admonent?

Cæterùm pergit Dominus, & ſecundo loco Legis interpretibus præpoſteram Prophetarum veterum obſeruantiam exprobrat, qua & maioribus ſuis meliores atque ſanctiores videri volebant, & populi fauorem venabantur, apud quos maxima erat illorũ authoritas. Væ (inquit) vobis, quoniã ædificatis monumenta Prophetarum, patres autẽ veſtri trucidarunt eos. Apud Matthæũ additur, illos de patrũ iniquitate conqueri ſolitos fuiſſe. Dicebãt enim: Si fuiſſemus temporibus patrum noſtrorũ, non fuiſſemus eorũ ſocij in cæde Prophetarũ. Quid verò Chriſtus? Oſtendit eos maioribus ſuis longè deteriores, adeoque mali corui peſſimũ ouũ eſſe. Nam in Matthæo ſubijcit: Itaq; teſtamini aduerſus voſmetipſos, vos eſſe filios eorum, qui Prophetas occiderunt. Id verò ſuperbæ generis fiduciæ opponit, qua ſe Abrahami filios eſſe gloriabantur, & ideo ſe impunè omnia laturos ſibi perſuadebant. Atqui latronum filij eſtis (inquit Chriſtus) & hoc ipſi teſtamini, dum Prophetarũ monumenta magnificè exornatis. Et ne vel hoc nomine ſibi placerent, hîc addit: Nempe teſtimonio veſtro comprobatis facta patrum veſtrorũ: quoniam illi quidẽ eos trucidarunt, vos autem ædificatis eorum monumenta. Videtur autẽ poſtremũ hoc membrũ prouerbij loco per Sarcaſmum eſſe dictum; vt idẽ ſit Prophetarũ ſepulchra extruere, quod illos totos obruere, ne vnquã in ſua doctrina reſurgant. Nã apud Matthæũ ſic iſtud enuntiatur: Vos quoque completis menſurã patrũ veſtrorum; id eſt, adeò non eſtis his meliores, vt potius quod ipſi omiſerũt, vos planè effectũ detis. Id verò propter ſe dicit, cuius aduentũ cùm Prophetæ omnes prædixiſſent, & in hoc ſalutẽ quærere docuiſſent, ipſi tamen eum hoſtiliter perſequebantur, neque ceſſaturi erant, vſque quò crudeli & infami morte ſuſtuliſſent. Imò ne tunc quidem ceſſarunt, ſed Apoſtolos quoque vbique locorum perſecuti ſunt, & quoad fieri potuit reſtiterunt, ne Euangelium inter gentes prædicaretur.

Cultus Prophetarum præpoſterus.

Proponitur autẽ in hiſce Iudæorũ Legiſperitis, vel potius in tota Iudæorum gente exemplum præpoſteri & ſuperſtitioſi iudicij de hominibus ſanctis & virtute præditis. Prophetas mortuos et à patribus occiſos in honore habebãt, & eorundem memoriã magnificis monumentorũ ſtructuris conſeruare ſtudebant: at Chriſtũ, qui eandem cũ illis doctrinã prædicabat, imò in quẽ illi omnes reſpexerant, volebant occiſum. Inter gentes quoque huius generis exempla habentur. Socratis atque Ariſtidis mortẽ Athenienſes luxerũt acerbis lachrymis, quos cùm in viuis eſſent, odio capitali perſequebantur. Hodie autem inter Chriſtiani nominis profeſſores multa fiunt ſimilia. Coluntur à multis Apoſtolorũ & Martyrũ non ſepulchra modò, verumetiã minutiſſimæ reliquiæ, quarũ maxima pars fictitia & adulterina eſt, & in eorum memoriã templa magnifica extruuntur, dies feſti conſecrantur, canuntur Miſſæ & multa alia fiunt, quæ vel ſuperſtitioſa ſunt, vel vni atq; ſoli Deo debentur. Ijdẽ quoq; qui iſta faciunt, nunquã non Diuos in ore habent, & nos horum prophanos contẽptores eſſe aiunt, quãdo diuinis honoribus colendos eſſe negamus. At ſi quis Apoſtolorum atq; Martyrum fidem profiteatur, aut cum illis doceat, vnum Chriſtum eſſe noſtrã iuſtitiam, ſatisfactionem pro peccatis, Mediatorem apud Patrem cæleſtem, viam vnicam, qua ad ſalutem venitur, denique nihil vel eſſe vel nominari poſſe præter illum, quo ſeruemur: mox hunc hæreticum, blaſphemum, ſchiſmaticum, veræ fidei deſertorem, Eccleſiæ hoſtem, & proinde dignum eſſe clamant, qui non niſi lento igne aut alio atrociori ſupplicio occidatur. Vnde verò tanta iudicij peruerſitas? Ex eo nimirum, quòd illi iã olim mortui nullius vitã & mores reprehendunt, neq; ſuperſtitiones & quæſtus ſacrilegos coràm accuſant: at qui hodie ex illorum ſcriptis docent, ij impijs omnibus moleſti ſunt: qui tamen vt impietatẽ ſuã diſſimulent, Diuorũ cultores & magnifici veneratores haberi volunt. Sed neminem illorum clamores debent offendere. Nec enim in Diuos contumelioſus eſt, qui diuinos honores illis negat, quos non ſolùm nunquã affectarunt, verumetiã vt ſummã impietatẽ deteſtati ſunt (vt Pauli & Barnabæ exemplũ in Actis teſtatur) ſed qui ipſorũ doctrinã conculcant & eam, pro qua mortui ſunt, fidem hæreſeos accuſant. Et quid hos maneat, in ijs quæ ſequuntur, audiemus. Cultores autem & veneratores Diuorum veri erimus, ſi doctrinæ eorum credamus, exemplum imitemur, & quem prædicarunt Ieſum Chriſtum fide vera amplexemur, & vnicum eſſe agnoſcamus humani generis Seruatorem; cui debeatur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Præpoſtera hominum de ſanctis iudicia.

HOMILIA CXXIII.

Propterea etiam Sapientia Dei dixit: Mittam ad eos Prophetas & Apoſtolos, & ex ipſis quoſdam trucidabunt, & quoſdam expellent: vt à natione iſta requiratur ſanguis omnium Prophetarũ, effuſus à iactis fundamentis mundi, à ſanguine Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ qui perijt inter altare & ædem: Etiam dico vobis requiretur ab hac natione.

QVemadmodũ Deus per ſalutarẽ verbi ſui doctrinam in Filio ſuo Ieſu Chriſto omnes Regni ſui et gratiæ theſauros nobis offert: ita non aliud ſcelus indignius ferre ſolet, quam ſi illa vel impie contẽnatur, vel traditionibus humanis corrũpatur aut obſcuretur. Quia qui hoc faciũt, ij ingratitudine aduerſus Deum multiplici peccãt. Nam primùm ab illo recedunt, qui fons eſt aquæ viuentis, & contempta eius liberalitate ciſternas pertuſas atque peſtilentes ſibijpſis fodiunt. Deinde cultum Dei euacuant, & paulatim excuſſo omni timore cum illo ludere aſſueſcunt. Vnde tandem effrænis atque indomita peccandi licentia naſcitur. Et hæc cauſa eſt, quòd Chriſtus, qui erga peccatores publicis quoque flagitijs infames ſe paſſim facilem & manſuetiſſimum præbet, tanta verborum vehementia & multorum criminum quaſi congerie quadam aduerſus Phariſæos & Legiſperitos Iudæorum inuehitur, qui & doctrinam Legis fœdiſſimè adulterabant, & patrum veſtigia ſecuti vera docentes hoſtiliter perſequebantur, cùm interim patres accuſarent, et his vellent ſanctiores haberi. Quia autem dixerat, illos patrum menſurã implere, adeoque his eſſe deteriores, id nunc probat, & apertius quid facturi ſint docet.

Sapientia Dei loquitur.

Propterea etiã Sapientia Dei dixit: Mittã ad eos Prophetas & Apoſtolos, & ex ipſis quoſdã trucidabunt, & quoſdã expellent &c. Sapientiã Dei loquentẽ inducit per Proſopopœiã, vt & grauior ſit oratio, & iſta nõ temere fieri oſtendat, ſed iã olim Dei conſilio ſic decretũ eſſe, qui certa cũ ratione omnia agat. Pulchre autẽ confert bonitatem Dei cũ illorum contumacia, quæ aduerſus illam magno ſuo malo luctentur. Singularis enim bonitatis fuit, quòd Prophetas & Apoſtolos miſit. Apud Matthæum Sapientes quoq; & Scribas nominat, vt gratiæ Dei liberalitas melius exprimatur. E contra autem magnum ſummæ ingratitudinis & contumaciæ argumentum eſt, quòd non modò non obtemperaturos dicit, verumetiam trucidaturos & expulſures eſſe eos, qui ſalutis ipſorum cauſa ad ipſos mittantur. Quibus deinde grauem pœnæ comminationem infert, qua peccatum ipſorum magis quoque amplificatur. Sed præſtat ſingula ex ordine videre.

Bonitas Dei magna in Iudæos.

Primò, vt diximus, inſigne & præclarum diuinæ bonitatis exemplum hîc proponitur, qua ille erga mundum quantùmuis ingratum & contumacem ſolet vti. Eam autem euidentius agnoſcemus, ſi tempus conſideretur, quo hæc à Domino dicta ſunt: Tunc nimirum, quando poſt regni diuiſionem à Salomonis morte factam annis amplius mille cum iſta gente Deus nequicquam egerat: quando ad ipſos miſſi Prophetæ indignis modis reiecti & occiſi erant: quando ex Babylone reuerſi ad verbi Dei contemptum & Prophetarum cædes redierant: quando relicta vnitate Eccleſiæ in ſectas erant diuiſi: quando Legem Dei ſuis traditionibus corruperant, cultum & religionem omnem partim ad hypocriſim inſtituerant, partim ſibijpſis quæſtum fecerant: quando denique iam ipſum quoque Dei Filium in gentium manus tradituri & crudeliſſime occiſuri erant. Tunc (inquam) Deus ex æterno ſuo decreto plures adhuc miſit, qui infelicem populum à ſceleribus & ab interitu reuocarent. Et ſicuti per Ioëlem promiſerat, effudit magna tum liberalitate Spiritum ſuum, & ex ipſorum filijs atque ſenibus Prophetas excitauit, qui de futuris pœnis illos admonerent, & ad pœnitentiam hortarentur. Dedit item viros ſapientes & ſcripturarum peritos, qui conſilia ſana & vtilia ſuggererent. Adhæc ex ipſis delegit Apoſtolos, qui Spiritus virtute pleni æternæ ſalutis verbum primo in ſanguinaria Hieroſolymorum vrbe, deinde in Iudæa, & tandem per totum orbem terrarum diuulgarent. Quibus adde, quòd (ſicuti olim minatus erat) gentium exemplo illos ad æmulationem prouocare conatus eſt, vt ſuam dignitatem tueri ſtuderent.

Sunt

Bonitas Dei vniuerſalis.

Sunt hæc incomparabilis bonitatis & gratiæ argumenta: nobis autem vniuerſalem Dei bonitatem commēdant, quæ erga omnes homines vtitur. Nam vt Paulus ait, hoc eius ingeniū eſt, quòd omnes vult ſaluos fieri, & ad veritatis cognitionem peruenire. Et huius tam benignæ voluntatis exempla infinita extant ab ipſo mundi exordio. Huc enim pertinet, quòd hominem, quo minimè opus habebat, ex terra creauit, vt nimirum eum mundi prius iam conditi principem cōſtitueret, & bonorum ſuorum omnium faceret conſortem. Fuit hæc inſignis bonitas, ſed maior in eo elucet, quòd eundem hominem turpi defectione lapſum, & iam morte æterna dignum denuo erexit, promiſsionibus de venturo vindice & Seruatore conſolatus eſt, denique quòd in Filio ſuo nos regenuit & quaſi nouos creauit, vt in filiorum locum adoptaret & Regni ſui cœleſtis hæredes ſcribere poſſet. Quis verò in his non agnoſcat atque admiretur illius plus quàm paternam miſericordiam? Eſt autem argumentum eius aliud quoque non minus euidens: quòd nimirum ſceleratiſsimos & ingratiſsimos quoſque non punit, niſi ſæpius & fideliter antea præmonitos & edoctos, qua ratione pœnas ipſis imminentes poſsint effugere. Quam bonitatem Amos Propheta commendans ait: Non facit Dominus Deus quicquam, niſi reuelet arcanum ſuū ſeruis ſuis Prophetis. Quod ipſum quoq; omnium gentium exemplis probari poteſt. Nam vt à Caino exordiamur, nonne hunc cùm iniquum contra fratrem odium animo concepiſſet, & eius nefariam cædem meditaretur, fideliſsime, & in tempore quidem, admonuit, & quid de ipſo futurum eſſet docuit, niſi ab inſtituto deſiſteret? Deinde cùm filij Dei cæca libidine abrepti cum Cainitarum filiabus ſe ſe miſcuiſſent, & inde impia Nephilim, id eſt, defectorum & ab omni religione alienorum progenies propagata totum mundum ſuo exemplo inficeret, & iam omnis caro corrupiſſet viam ſuam, non ante diluuij aquas immiſit, quàm prius pœnitentiæ agendæ tempus daret annorum centum viginti, & præconem iuſtitiæ ſuæ excitaret Noam, qui non verbis modò illos hortaretur, vt relictis ſceleribus ad Deum redirent, verumetiam arcæ ædificatione pœnas adumbraret, quas de ipſis ille eſſet ſumpturus, niſi eius admonitionibus obtemperarent. Poſt diluuium verò, cùm maior hominum pars ad peccandi licentiam, illicitos cultus & idololatriam rediſſet, Patriarchas excitauit, qui Prophetas agerent. Et hi quidem hinc inde incertis ſedibus peregrinantes ſalutis promiſsiones omnibus inculcarunt, & ſuo exemplo vnius & veri Dei cultum tradiderunt. Et cùm inter alias gentes luxu & dominandi libidine Aegyptij maximè peccarent, hos quoque non puniuit, quin prius ad illos Ioſephum deſtinaret, qui ſuo conſilio ipſis adeſſet, pœnas leuiores & famem immiſſam tolerabiliorem faceret, bonas leges conſtitueret, quibus intemperantia & peccandi licentia coërcerentur. Poſtquam autem hoc mortuo reges noui & rerum ignari ſucceſſerunt, qui filios Iſraëlis immani tyrannide affligebant, & cum tota gente in illius populi exitium conſpirauerant, non tamen mox in illos fulminauit, ſed per Moſem & Aaronem tam verbis quam grauibus & horrendis plagis eos admonuit, vt iram ipſius & pœnam grauiorem matura pœnitentia declinarent. Chananæos quoque prius per Patriarchas nequicquam admonitos, poſtea Aegyptiorum & Baſanitarum exemplis terruit (ſicuti Rahab teſtatur) vt intra conſcientias ſuas facilè intelligerent, quid de ipſis eſſet futurum. De Iudæis verò quid attinet dicere, inter quos perpetuam verbi ſui prædicationem eſſe voluit, qua admonerētur, & eius cauſa Leuitas & Sacerdotes inſtituit, adhæc his in ſuo officio ceſſantibus, extraordinariè Prophetas ex omni hominum genere excitauit, qui ſcelera principum & populi corriperent, pœnas venturas denuntiarent, & ad pœnitentiam hortarentur. Quòd ſi ad gentes exteras ſiue prophanas, quæ tunc fuerunt, oculos conuertamus, his quoque admonitiones omnis generis adhibuit. Nam etſi verbo eius deſtituerentur, naturæ tamen legem cordibus inſcriptam habuerunt, quæ quid rectum quid prauum ſit doceret. Dedit etiam illis Deus viros Sapientiæ ſtudioſos, qui virtutis ſtudium tam doctrina quàm proprio exemplo illis commēdabant. Habuerunt item Romani libros Sibyllinos, qui de multis eos admonebant. Quòd ſi autem propter enormia & aſsidua peccata illos Deus vel peſte, vel fame, vel bellis affligere voluit, portēta & prodigia præmiſit, quibus iram ſuam apertè teſtatus eſt, vt huius metu territi de vitæ emendatione cogitarent. Taceo nunc, quòd Ionam ad Niniuitas miſit, quòd reliqui Prophetæ vicinis etiam gentibus ſua fata prædixerunt, quòd Babylonijs Danielem dedit fideliſsimum conſultorem, quòd per totum Romanum Imperium Apoſtolos emiſit, & in ipſa vrbe Roma verbū ſuum prædicari voluit,

priuſquam Imperij diſſipatio fieret. Quod autem olim fecit Deus, hoc ipſum hodie fieri videmus. Regnat vbique illius contemptus, & aut prophana audacia numen omne homines rident, aut ineptis atque impijs ſuperſtitionibus dediti verum illius cultum conculcant. Merebatur ergo mundus ſubitum & extremum exitium. Verumtamen non ſtricto iure agit Deus, ſed verbi ſui lucernam nouiſſimis hiſce temporibus accendit, huius doctrinam inuitis etiam tyrannis per totum orbem diuulgat, per hanc ſcelera corripit, pœnas minatur, ad pœnitentiam excitat, prodigijs & ſignis in cælo & reliquis mundi partibus propoſitis, adhæc quotidianis iudiciorum ſuorum exemplis doctrinam atque minas verbi ſui confirmat, & (quod imprimis memorabile eſt) eum omnium ferè hominum animis ſenſum inſerit, vt vnanimiter & quaſi vno ore teſtentur, hanc mundi faciem conſiſtere non poſſe, & mutationem orbis totius omnino fieri oportere, alioqui vniuerſale exitium breui ſecuturum eſſe. Audiuntur hæc paſſim ex vulgi ore, & cùm infinitis diſſenſionibus inter ſe homines ſcindantur, in hoc tamen vno conſentiunt. Sunt autem hæc diuinæ bonitatis argumenta, qua externis ſimul & internis præmonitionibus nos ab imminenti interitu reuocare ſatagit. Illam ergo nos agnoſcere, in nos ipſos deſcendere, ad Deum hunc tam beneuolum conuerti, & procul relictis ſceleribus ſub miſericordiæ eius alas confugere decet, ne nobis quoque dicatur aliquando, quod Chriſtus apud Matthæum incurabili Hieroſolymitanorum ciuitati dicit: Ieruſalem, Ieruſalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur, quoties volui congregare liberos tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſtis?

Verbi præcones non temere ueniunt.

Debet nos ad diligentiorem huius ſtudij conſiderationem excitare, quòd ipſius Dei Sapientiã loquentem Chriſtus inducit: Mittam ad eos Prophetas & Apoſtolos. Eo enim docet, verbi ſui præcones non temere prodire aut ſurgere ad docendũ, ſed ab illo mitti & deſtinari. Quod Paulus vno verbo explicans ait: Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint? Nam cùm ex ſeipſis homines ne ad cogitandum quidem idonei ſint (vt idem Apoſtolus teſtatur) nemo tantam functionem rectè obire poterit, niſi donis ad eam neceſſarijs fuerit à Deo inſtructus. Id verò de illis nequaquam ſperari poteſt, qui non ab eo miſſi fuerint. E contra autem, vbi dotes cernuntur, quæ miniſtrum Eccleſiæ decent, ſolida nimirum Scripturarum cognitio, docendi facultas, fides & zelus gloriæ Dei, fortitudo et conſtantia in veritate aſſerenda, & quæ aliæ ſunt huius generis, illis dubitare non poſſumus, quin tales à Deo miſſi ſint. Qui ergo horum admonitiones atq; minas contemnunt, ij in Deum peccant, & huius bonitatem atque gratiam aſpernantur. Eſt hoc ſæpe meditandum, vt patientius feramus correptiones adminiſtrorum verbi, imò oremus Deum, vt tales mittat, qui non quæ carni noſtræ arrident, ſed quæ ad ſalutem noſtram faciunt, nobis prædicent.

Iudæorum ingratitudo & crudelitas.

Cæterùm ad alterum quoq; huius loci caput accedamus, quo Iudæorum ingratitudinẽ & contumaciam cum ſumma crudelitate coniunctam deſcribit, dicens: Ex ipſis quoſdam trucidabunt, & quoſdam expellent. In Matthæo plures ſpecies enumerans ait: Ex illis nonnullos trucidabitis & crucifigetis, & nonnullos ex ipſis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini ex vrbe in vrbem. Et hæc quidem omnia illos feciſſe conſtat. Nam ab ipſo Domino, principe Prophetarũ initio facto, eum in crucem egerunt. Ab eius autem aſcenſione Stephanum lapidarunt, Apoſtolos non ſemel in carcerem coniectos in Synagogis vel Concilijs ſuis virgis cecîderunt, & vniuerſali perſecutione per Saulum excitata multos vtriuſque ſexus inhumaniſſimè tractarunt, quorum alij crudeliter occiſi, alij infirmiores fidem abnegare coacti, multi verò amiſſis fortunis omnibus per Iudæam & Samariam diſperſi ſunt. Tandem Iacobum Apoſtolũ Herodes capite mulctauit, & quia hoc facinus Iudæis gratiſſimum eſſe videbat, Petrum quoque comprehendit, hunc etiam occiſurus, niſi eum Angelus Domini mirabiliter liberaniſſet. Quàm iniuſtè autem & inique cum Paulo egerint, Lucas in Actorum libro prolixè exponit. Sua certè iniquitate eum ad Cæſarem Neronem, monſtrum libidinis & crudelitatis, prouocare coêgerunt, & Romæ ius quærere, quod illi in vrbe Sancta negabatur. Tanta denique fuit iſtorum hominum aduerſus Chriſtũ & eius ſeruos rabies, vt qui inter gentes hinc inde diſperſi habitabant, non veriti fuerint, Apoſtolis ſeſe opponere, & ſeditiones excitare publicas, vt Euãgelij prædicationẽ impedirent: quod in Antiochia Piſidiæ,

1. Theſ. 2.

Iconij, Derbæ, Lyſtris, Corinthi & multis alijs locis factũ fuiſſe legimus: adeo vt veriſſimè de illis

Paulus

Paulus ſcripſerit: Qui etiã Dominũ Ieſum occiderũt & proprios Prophetas, noſq; expulerunt: neq; Deo placẽt, & omnibus hominibus aduerſantur, prohibẽtes nos gentibus prædicare vt ſeruetur, vt ſemper cõpleant peccata ſua: Occupauit enim eos ira ad extremũ vſque. Poterant hæc mira & incredibilia videri, cũ videlicet populũ eò impietatis olim eſſe progreſſum, quẽ Deus ex omnibus gentibus ſibi peculiũ delegerat, quẽ gentẽ ſanctã & ſolã dicit, inter quos cultũ ſuũ cõſtituerat, quibus ſolis ferè verbũ ſuũ reuelarat, & ex quibus Filiũ ſuũ, ſecundùm carnẽ, naſci oportuit: niſi adhuc hodie in infelicibus reliquijs hinc inde diſperſis vetus illud ingenium & odij veteris argumenta clariſſima elucerent. Etſi enim extrema olim paſſi ſint, & adhuc repub. ſimul & ordinarij cultus exercitijs deſtituantur, omnium item ludibrio & iniurijs expoſiti ſint, & mortuum potius populi cadauer quàm populus conſeri mereantur, non deſinunt tamen Chriſto Ieſu maledicere & quibuſcunque poſſunt modis illius cultoribus nocere. Adhuc ergo implent menſuram patrum ſuorum, ſicuti nuper Dominus dixit, ideoq; domus eorum deſerta manet.

Sors præconum verbi in mũdo.

Intereu ſimul docet hic locus, quæ adminiſtrorũ verbi Dei ſors ſit in hoc mũdo. Conſtat hic ferè ex Phariſæis propriæ iuſtitiæ fiducia turgentibus, & Epicuræis, qui cum Deo ſacra omnia contemnunt, & cum riſu excipiunt quæcunq; de cœlo & inferis, deq; futuræ vitæ præmijs & pœnis dicũtur. At neutri horũ verbi diuini lucẽ & Chriſti prædicationẽ ferre poſſunt. Illi enim iuſtitiã ſuam damnari nolunt, & gratiæ doctrinam oderunt, quæ noſtrorũ operum merita confutat. Hi verò diſciplinam nullam admittere, neque ſuam licentiam vllis admonitionibus aut correptionibus volunt coërceri. Eſt enim hoc natura inſitum omnibus hominibus, vt virtuti quidem ſtudendum eſſe intelligant, ſimul autem carnis affectibus abrepti ad vitia inclinent, & his potiſſimùm delectentur. Hinc fit, quòd horum quidem illos pudeat, virtutis autem vmbram modò & fucum ſequantur, quò vitia ſua pallient. Nihil ergo illis tam aduerſum & moleſtum eſt, quàm ſi per verbum Dei vitia arguantur & fucus ille virtutis abſtergatur. At quia lucem ipſam extinguere non poſſunt, aduerſus huius adminiſtros inſurgunt, quaſi his è medio ſublatis illa non amplius lucere queat. Et mirum eſt, hæc duo hominum genera, cùm inter ſe quàm maximè pugnent, poſſe tamen conuenire, quoties de Euangelij luce obruenda agitur. Sic olim Phariſæos cum Sadducæis & Herodianis, quorum impietas omnibus nota erat, in Chriſti perniciem coniuraiſſe legimus. Et hodie Monachos, qui mundo & carni omnino mortui videri volunt, non ſolum inter aulicos luxu & libidine diſluentes, verumetiam in medijs caſtris, inter militum acies et vtrinque tonantium bombardarum fulmina volitare, & militiæ contra Chriſti vnius cultores duces eſſe videmus. Taceo quòd ijdem ſæpe piorum quæſtionibus interſunt & carnifices in adhibendis & excogitandis tormentis adiuuant. Tanta odij aduerſus veritatem concepti vis eſt atque rabies. Nemo autem quando hæc fieri videt, vt nouis & inſolitis offendatur, ſed in mentem reuocet quæ olim facta ſunt, & quæ tam hîc quàm alibi à Chriſto prædicuntur. Vniuerſalis enim, quam omnibus ſuis cultoribus præſcribit, regula eſt: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Et Paulus ait: Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Item. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum Dei. Quod propter eos annotamus, qui ſolos verbi præcones ad crucem vocari putant, ſibijpſis verò otium, opes, honores, pacem huius ſæculi & omnia læta pollicentur.

Cur Deus ſuos indignius tractari ſinat.

At quia carnis ratio curioſe nimis miratur, cur iſta Deus fieri ſinat, & cur Euangelij ſui nuntios mittat, quos à mundo infelici tam duriter & tam inique tractandos eſſe nouit: nonnulla de hoc adijcienda erunt. Etenim inter homines parum prudens, & vix vir bonus haberetur, qui ſeruulos viliſſimos, nedum filios ſuos, ſciens volensq; in manifeſtum vitæ diſcrimen abſque fructu conijceret. Sed longè alia eſt ratio apud Deum, cuius æterna ſapientia, bonitas, veritas et iuſtitia in hoc maximè elucent. Primo enim ouium ſuarum rationem habet, quæ inter huius ſæculi filios hinc inde diſperſæ, paſtoribus indigent, qui ipſas colligant, paſcant, confirment & ducant, ne eodem cum impijs lupis & vulpibus exitio inuoluantur. Nec enim æquum foret impiorum malitiam & contumaciam electis Dei fraudi eſſe, quos ab eius dilectione (vt Paulus ait) nemo ſeparare poteſt. Deinde neque miniſtri aut paſtores habent, de quo iure conquerantur. Quia enim æternus Dei Filius ideo in mundum venit, & poſt infinitos labores atq; pericula mortẽ crudelẽ in cruce

Ioan. 10.

ſubijt, vt filios Dei diſperſos ad ſui gregis vnitatem reduceret, quæ obſecro iniuria ſit hominibus, ſi eorum opera in eo ipſo vtatur, quod ipſe prior præſtitit? Quin potius ſuam gloriam & dignitatem tales agnoſcere debent, quòd nimirũ Chriſtus illos pro ſuis adiutoribus & cooperatoribus (vt Paulus loquitur) habere dignatur, & eoſdem ſibi in cruce & afflictionibus conformes facit, vt olim eiuſdem gloriæ & regni ſocij atque cohæredes fiant. Et huc promiſſio eius referri debet: Volo vt vbi ego ſum, illic ſit etiam miniſter meus. Quorum Apoſtoli olim memores gaudebant, quòd dignos iudicaſſet Deus, qui pro nomine Filij ſui virgis cæderentur. Poſtremò impios Dei & veritatis contemptores omni excuſationis prætextu ſpoliari neceſſe eſt. Nam nota ſatis eſt humani ingenij improbitas, qua fit, vt peſſimi quique effugia captent, & ſuæ perditionis cauſam in ipſum Deum, vitæ authorem, reijcere audeant, quod nos ex primis parentibus quaſi iure hæreditario contraxiſſe alibi demonſtrauimus. Si ergo quos incurabiles eſſe nouit Deus, omni doctrina & verbi ſui prædicatione in vniuerſum deſtitueret, iam haberent illi quod ipſi obijcerent, quaſi ab eo per inuidiã eſſent neglecti. Quapropter illis etiam verbi ſui medicinam adhibet, vt quando eos ex illa deteriores fieri videmus, quæ alijs ad vitã adiumento eſt, omnibus conſtet, ipſos ſibi proprij exitij authores eſſe. Exigit item Dei iuſtitia, vt eos non antea puniat quàm menſurã ſuam impleuerint. Id verò ea occaſione fit, dum oblatam ſibi in verbo Dei gratiam impiè reijciunt atque conculcant. Nihil ergo in tota hac cauſa Deus vel imprudenter vel iniuſtè facit: & intra hos fines pij ſuas cogitationes continere debent, ne dum in conſiliorum illius arcana profundius inquirunt, temerarij nimis fiant, & eandem cum impijs illuſoribus puniantur.

Pœna Iudæorũ. *Reſtat tertium & poſtremum huius loci caput, quo pœnam Iudæis perſecutoribus ſeruorum Dei denuntiat his verbis: Vt à natione iſta requiratur ſanguis omnium Prophetarum effuſus à iactis fundamentis mundi. Et mox per amplificationem addit: A ſanguine Abeli vſque ad ſanguinem Zachariæ qui perijt inter altare & ædem. Nec eo contentus, affirmationis vehementioris loco ſubijcit: Etiam dico vobis, requiretur ab iſta natione. Eſt autem hæc grauiſſima comminatio, quod facilè intelligemus, ſi quantum ſit apud Deũ homicidij & effuſi ſanguinis ſcelus conſideretur. Hoc certè ſub initiũ mundi in Caino ſeueriſſimè puniuit. A diluuio autẽ hãc legẽ ferè ſolã Noæ et filijs ſuis dedit, ne hominis ſanguinẽ funderent, & pœnã capitalem homicidis iam tunc conſtituit: vtq́ minus excideret Legis tam neceſſaria memoria, ſanguinis eſu interdixit. In Lege verò non contentus cædes ſimpliciter & disertè prohibuiſſe, inter alia ſic dicit:* Num. 35. *Ne recipiatis pretium redemptionis pro vita homicidæ, qui ad mortem damnatus eſt, ſed omnino interfici debet. Ne faciatis vt terra, in qua habitatis, fallat, Sanguis enim facit, vt terra fallat, neq; poteſt terra à ſanguine, qui in ea effuſus eſt, expiari, niſi per ſanguinẽ illius, qui ſanguinẽ effudit. Quòd ſi vnius cædis ſcelus tãta abominationi eſt Deo, quid ergo de illis fiet, qui multorũ ſimul reatu tenẽtur?* Ezech. 33. *Ideo Ezechieli dirũ quoddã ſupplicium minitaturus, quo ipſum puniri oporteat, ſi in ſuo officio ſit negligentior, ait: Sanguinem eorum, qui pereunt, de manu tua requiram. Et apud Matthæũ Iudeorum genti ſpem ſimul omnem reſtitutionis negat, dicẽs: Idcirco relinquetur vobis domus veſtra deſerta: Dico enim vobis, nequaquam videbitis me ab hoc tempore, vſque dum dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quod minatur, verè illis accidiſſe, ex hiſtorijs patet. Cùm enim menſuram impietatis impleuiſſent, Romanorũ legiones illis induxit Deus, qui terra omni capta & vaſtata, tandẽ Hieroſolymæ muris exercitum admouerunt, quam poſt diuturnam & diram famem atque cædes innumeras ceperunt, captam vnà cum templo ſolo æquarunt, reliquias autem populi infelicis in diuerſa loca diſtribuerunt. Manſit ab eo tempore locus, vbi vrbs fuit, deſertus, neque templum vnquam reædificari potuit: Iudæi autem hodie adhuc miſerrimi hominum patrijs ſedibus eiecti exulant, omniumq́ iniurias & ludibria ſuſtinent. Et ita ſuorum ſeruorum ſanguinem vltus eſt Dominus.*

Impiorum conſilijs cõmunicare, ingens ſcelus. *Docet autem locus hic, quàm graue quamque noxium peccatum ſit, impiorum, & quidem patrum quoque, improbis conſilijs atque ſceleribus communicare. Nã qui id faciunt, ij non ſolũ flagitij, quod ipſi committunt, verumetiam omnium iam ante à ſimilibus commiſſorum ſeſe reos faciunt. Vt enim qui latronum ſocietati ſe coniungit, cũ illis comprehenſus eaſdem cũ illis omniũ furtorum, rapinarum atque cædium, quas prius illi commiſerunt, pœnas luit: ita qui impiorum mores & facta imitatur, eodẽ cũ illis reatu & iiſdem pœnis inuoluitur. Nã in ipſis mũdi primordijs, in duas*

quaſi

quaſi ciuitatem totum genus humanum diuiſum eſt, Ciuitatem nimirum Cainitarū & Ciuitatē filiorum Dei. Vt ergo quicunq; filij Dei per fidem in Chriſtum fiunt, eandē cum veteribus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, electis deniq; omnibus, regni cœlorum hæreditatē adeunt: ita qui Cainitarum generi per libidinē, rapinas, cædes & alia flagitia adfruteſcunt, ij quoq; iiſdem cum primis illis Dei & æqui omnis contemptoribus pœnis affligentur. Rectè ergo Dominus à Iudæis requirendum fore dicit ſanguinem omnium Prophetarum, qui ab ipſius Abelis cæde per Cainum facta effuſus ſit, vſq; ad Zachariam filium Barachiæ, quem ipſorum patres inter templū & altare occiderint. Fuit autem Zacharias ex duodecim Prophetarū, quos Minores dicunt, numero, & ex Babylone reuerſus concionatus eſt, ſicuti in illius expoſitione demonſtrauimus. Et loci meminit Chriſtus, vt patrum impiam crudelitatem arguat, quos nec templi nec ſacrorū religio continere potuerit, vt ab innoxij ſanguinis effuſione ſibi temperarent. Ita verò criſtas detrahit ijs, qui patrum virtute gloriabantur. Hoc autem hinc diſcamus, non temere à Dauide eum beatum pronuntiari, qui non ambulat in conſilio impiorum, nec in via peccatorum, pedem ſiſtit, neq; in conſeſſum illuſorū ſeſe ingerit. Caueamus ergo talium hominū conſuetudinem, & ſi id non omnino poteſt fieri, ſaltem nihil cum illorum moribus, ſtudijs atq; conſilijs commune habeamus. Nec enim inultum ſinit ſuorum ſanguinē Dominus, etiamſi ad tempus vim atq; iniuriam illis factam diſſimulet. Et pretioſa eſt in oculis eius mors ſanctorum ipſius, quorum animæ ſub magno illo altari deliteſcentes vindictam poſtulant. Exempla, Apoc. 7. *quæ huc faciunt, infinita cùm priuata tum publica adduci poterant, ſed cùm multorū loco eſſe poſſit quod hîc in Iudæorum gente proponitur, alijs non eſt opus.*

Obſeruari autem hic debet, vnde vrbium & gentiū excidia ferè proueniant? Nimirum ex verbi Vnde gentium & urbium excidia? *Dei contemptu & innocentis ſanguinis effuſione. Fieri enim non poteſt, vt ſuam gratiam, quam per verbum nobis offert Deus, reijci & conculcari patiatur. Ferunt quidem interdum principes ſubditorum ſuorum rebellionem, & culpam ſuam agnoſcentes in gratiam recipiunt. At ſi iidem non modò ſeditioſe tumultuentur, ſed gratiam quoq; ſibi oblatam aſpernentur, & aduerſus eius nuntios hoſtiliter inſurgant, id nemo bonus princeps patienter ferre poteſt. Atqui eadē eſt ratio inter nos & Deum. Natura enim omnes rebellionis reatu tenemur, & quotidie in illius leges peccamus. Condonat ille nobis clementer hanc culpam, & per Euangelium nobis pacem in Filio ſuo Ieſu Chriſto offert. Quem ſi recipiamus, concordia facta & rata eſt. At ſi Euangeliū pacis contemnamus, huius Mediatorem Chriſtum audire detrectemus, & eius ſeruos ſiue præcones perſequamur, proſcindamus, occidamus deniq;, id demum nulla venia dignum ſcelus eſt, & aduerſus tales mox ſui iudicij rigorē Deus ſtringit, vt digno exitio illos malè perdat. Eſt hoc probatum omnium ſeculorū exemplis, quæ cùm hiſtorias legentibus ſubinde occurrant, nolumus illis recenſendis immorari. Noſtrorum potius temporum mores & ſtatum cōſideremus, & quæ hic dicuntur illis omnino conuenire patebit. Regnat vbiq; peccandi licentia, vt veriſſimè hodie dici poſſit, quod de ſuo ſeculo olim Dauid cecinit: Omnes defecerūt,* Pſalm. 14. *omnes pariter corrupti ſunt, nullus eſt qui quod bonum eſt faciat, ne vnus quidem: Deuorant populum meum perinde ac ſi panem vorarent, neq; Dominū inuocant, &c. Nihilominus tamen verbi ſui doctrina nos Deus dignatur, quæ ad pœnitentiā inuitat, & ad ſe conuerſis gratiæ ſuæ theſauros pollicetur. Quid verò fit? Verbum hoc alij ſecurè contemnunt, alij gratiæ prædicationem erroris & hæreſeos accuſant, multi in huius præcones vim faciunt, ferro & igne tam hos quàm horū ſectatores crudeliſſimè perſequuntur. Quid ergo aliud faciat Deus, quàm vt ſuam quoq; manū ad verbera exerat, & infelicem mundum turbis, ſeditionibus, bellis externis atq; ciuilibus inter ſe cōmittat, vt qui aduerſus ipſum tumultuātur, dignas ſuæ impietatis pœnas luant? Fiunt iſta hodie, & grauiora ſequētur, niſi ad Deum ſeriò conuertamur. Agnoſcamus ergo gratiam Dei, quam indignis offert, audiamus Euangeliū pacis, & huius principi nos humiliter ſubijciamus, Ieſu Chriſto nimirum, qui ſolus rebus afflictis opem ferre poterit. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXXIIII.

Væ vobis Legis interpretibus, quoniam ſuſtuliſtis clauem cognitionis: ipſi non introiuiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. Cùm autem hæc eis diceret, cæperunt Scribæ & Phariſæi vehementer ipſi im-

minere, & eum allicere ad loquendum de multis, inſidiantes ei, & quærentes vænari aliquid ex ipſius ore, vt eum accuſarent.

Cur in Scribas ſic inuehatur Chriſtus?

QVoniam Dei Filius, Ieſus Chriſtus, vt nos ſaluos faceret in mundum venit, officij ſui fuit omnia ea oppugnare & è medio tollere, quæ nos impediunt, quò minus ſalutem conſequamur. Inter illa primum locum tenent falſi doctores, qui verbi Dei doctrinam ſuis traditionibus & figmentis vel corrumpunt, vel omnino abolent & ſepeliunt. Faciebant vtrumq; inter Iudæos Scribæ & Sacerdotes. Ideo grauiſſimè in illos inuehitur, non quidem quòd illos curari poſſe ſperaret, ſed vt ſimplicem populum ab illis abſtraheret. Quia enim Sacerdotũ ordo Dei inſtitutione nitebatur, qui legem ab illis requirere, & eoſdem in omnibus, quæ agenda ſunt, conſulere iuſſerat, populus eos, qui tunc hoc nomine gloriabantur, pro legitimis & ordinarijs doctoribus habebat, quibus neceſſariò eſſet obtemperandum. Quæ perſuaſio multis exitij & perditionis cauſa erat, eò quòd hos ſecuti ipſum negligebant, qui nobis à Patre veritatis doctor datus eſt, & in quo vno omnis ſalus habetur. Itaq; illis alteris larnam detrahi neceſſe erat, vt eos nõ legitimos aut veros doctores, ſed ſeductores, nõ paſtores, ſed lupos eſſe omnes viderent, & proinde ſe ab illis ſeduci non paterentur. Quod autẽ Chriſtus fecit, hoc etiam hodie fieri debet, quando multi in Eccleſia ſibi omne ius vendicant, quos ſimiliter rudes & rerũ imperiti ſuſpiciunt & venerantur, cùm reuera lupi ſint, & Chriſti ouile horribiliter diſſipent. Contra illos ergo verbi adminiſtri vocem ſuam attollere, errores & tyrannidẽ eorum arguere, & omnes admonere debent, vt ab illis ſibi caueant. Neq; audiendi ſunt, qui hoc factu indignũ & à miniſtrorum Eccleſiæ officio alienũ putant, quos lenitas & manſuetudo imprimis deceat. Nam vt hac erga peccatores vti conuenit, vt corrigantur & ſpem ſalutis certã concipiant: ita crudelitas fuerit maxima lupis permittere, vt incautas oues ſubinde lanient atque deuorent. Et maior harum ratio habenda eſt, quando videmus multos, qui Chriſtum iam amplexi ſunt, inani antiſtitum eiuſmodi ſplendore ſic decipi, vt ſe ſponte in illorum vngues & fauces ingerant. Nec eſt quòd hominum huius ſeculi indicia multum moreantur fideles miniſtri, quando ad hos defendendos Chriſti exemplũ ſufficit, quo nemo vnquam mitior & manſuetior in terris viſus eſt. Sed vt ad præſentis loci tractationem accedamus, nuper tyrannidem legis interpretum & doctorum accuſauit, quam partim docendo exercebant, cùm miſeros homines traditionibus portatu difficillimis grauarent: partim perſecutionibus, quibus veritatis præcones expellere & in eos crudeliter graſſari ſolebant, maiorum ſuorum veſtigia nimirum ſecuti, qui olim idem fecerant. Nunc verò ad ipſum Colophonem impietatis & tyrannidis ipſorum accedit, & illos fures ſacrilegos atque latrones eſſe oſtendit, quales apud Ioannem capite decimo dixerat.

Clauis cognitionis.

Væ vobis (inquit) Legis interpretibus, quoniã ſuſtuliſtis clauem cognitionis: ipſi non introiuiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis. Quæ verba apud Matthæum ſic enuntiantur: Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam clauditis regnum cælorum coram hominibus: vos enim non introitis, neque introeuntes ſinitis introire. Ergo de regno cælorum & æternæ ſalutis negotio hîc agitur. Per clauem verò cognitionis aut ſcientiæ doctrina & prædicatio verbi Dei intelligitur, per quam Regni Dei myſteria reſerantur, vt homines ea videre & huius conſequendi rationem atque viam intelligere poſſint. Et admonet nos iſta locutio, quàm neceſſaria ſit doctrina & diligens Verbi Dei atque Scripturarum enarratio. Nam vt non profuerit palatium magnificum coràm videre, aut arcam habere rebus pretioſiſſimis refertam, niſi clauem quoque habeas, qua palatij fores aperias, vt in illud ingredi poſſis, & arcam reſeres, & ita ijs fruaris, quæ in illa recondita ſunt: ita ſimplici & rudi populo non ſatis eſt Scripturas habere, in quibus regnum Dei & omnes gratiæ theſauri proponuntur, niſi interpretatio earundem & ex his deſumpta doctrina accedat, quæ illum inſtituat & aditum patefaciat ad Regni huius & ſalutis æternæ poſſeſſionem. Elucet autem in hoc ſingularis Dei bonitas, qui miſeris hominibus & à Regno ſuo exulantibus claues eiuſmodi dedit, & ianitores (vt ita dicam) conſtituit, qui in illud admittant & deducant eos, quibus alioqui pereundum erat. Et hæc cauſa eſt, quòd Euangelij præcones dicuntur homines ſeruare: non quidem quòd ipſi ſalutis authores ſint, ſed quòd ad hanc aditum faciunt, dum

verbum

*verbum Dei dextrè interpretantur, & illud ſingulorum inſtitutioni, prout opus eſt, accommodant.
Rurſus autem hinc colligi poteſt, quanta ſit eorum improbitas, qui verbi miniſterium aſpernantur
atque ſublatum volunt. Peccant illi ingratitudine in Deum, & ſimul ſibijpſis oſtium regni cælorum
præcludunt, ne vnquam in illud ingrediantur.*

Porro quoad Iudæorum Scribas aut legis interpretes, tria in illis Chriſtus accuſat & reprehen Vt clauem cognitionis Scribæ tulerint?
*dit. Primum, quòd clauem cognitionis ſuſtulerint. Erat quidem illis commiſſa legis doctrina, & ideo
in cathedra Moſis ſedere dicuntur. Atqui lex, ſi rectè intelligatur, pædagogus eſt nos ad Chriſtum
deducens, qui nobis Patrē placauit, & fores regni cælorū, quas Adam nobis præcluſerat, rurſus ape
ruit, vt in illud iam nobis acceſſus pateat. Illi verò doctrinam verum legis traditionibus ſuis obrue
rant, vt vix aliquis eſſet, qui verum eius vſum intelligeret: imò populū à Chriſto reuocabant, vt eius
ignorantia ad quæſtū ſuum poſſent abuti. E medio igitur ſuſtulerant clauem illam cognitionis, quæ
ſola hominibus regnum Dei patefacit, & proinde fures erant atq; ſacrilegi. Alterum eſt, quòd ipſi
quoq; non ingrediantur in regnum Dei. Quibus verbis prophanum religionis & ſalutis propriæ con-
temptum illis exprobrat, & quòd qui alijs ſuo exemplo præire debuerint, potius toti populo ſcandalū
poſuerint. Eſt hoc grauiſſimum ſcelus, vt alibi Chriſtus admonet: & proinde imprimis ſtudere de-
bent verbi præcones, vt ipſi primi ſalutis viam ingrediantur, & (quod de bono paſtore dicitur) oues
ſuas præcedant atq; viæ duces ſint. Nam ſi ita illi viuant, vt omnibus appareat, ne ipſos quidem cre
dere ea, quæ alijs prædicant, quid inde aliud ſequi poteſt, quàm prophanus doctrinæ omnis contem-
ptus, & effrænis in toto populo ſcelerum licentia? Ideo Paulus ad Timotheū ſuum ſcribebat: Eſto* 1. Tim. 4.
*exemplar fidelium in ſermone, in conuerſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in puritate. Quod ſibi
quoq; dictum putare debent, quotquot in Eccleſiæ miniſterio verſantur: omnes item qui vel in repub.
vel re domeſtica alijs præſunt. Magna enim exemplorum vis eſt, & malorū quidem maxima pro-
pter naturæ noſtræ vitioſitatem. Quòd ſi verò ijſdem authoritas ex perſonæ eminētia aut dignitate
accedat, non poſſunt non plurimi illis ſeduci. At quàm diras & graues pœnas ſcandalorū authoribus
Chriſtus minetur, alibi diximus. Vtinam de ijs diligentius cogitarent omnes, quibus prædicandi
Euangelij munus commiſſum eſt. Poſtremò hoc legis interpretibus exprobrat Dominus, quòd non
ipſi ſolum non ingreſſi ſint in regnum Dei, verumetiam ſi qui pij & boni in illud ingredi velint, & de
via ſalutis seriò quærant, ij per ipſos prohibeantur, quò minus eò perueniant. Id autem nō vno modo
faciebant. Nam vt ſupra diximus, cùm illorum eſſet verum finem legis docere, & populum Chriſto
adducere, qui ſolus via eſt, per quam ad Patrem venitur, ipſi ab hoc potius abducebant ad inanes,
ſibi autem quæſtuoſas ceremonias: quas vt facilius retinerent, in locum legis diuinæ traditiones pa-
trum inuexerant, quibus illius doctrina prorſus abolebatur. Deinde non contenti doctrina falſa popu
lum ſeduxiſſe, aperta quoq; vi agebant, & ſi qui illis relictis ad Ieſum Chriſtum concedebant, eos ex-
cōmunicationibus & infinitis alijs modis territabant: quæ cauſa fuit (vt Ioannes ſcribit) quòd cùm* Ioan. 12.
*multi ex principibus in illum crederent, fidem tamen ſuā non auderent profiteri propter Phariſæos,
qui iam conſtituerant, vt omnes Chriſti ſectatores è Synagoga eijcerentur. Quòd ſi autem principi-
bus formidabilis fuit illorum potentia atq; tyrannis, facilè ex eo conijci poteſt, quàm miſera & in-
felix ſub illis fuerit populi conditio. Itaq; iam non fures modò & ſacrilegi erant, verumetiā latrones,
cùm ſuæ curæ creditos impedirent, ne ſalutis viam ingrederentur, imò cogerent ad ea, quæ certum
animabus exitium afferunt. Et eò grauius erat ipſorū ſcelus, quòd ad hoc religionis prætextu abu-
tebantur, & Dei templum ſpeluncam latronum fecerant. Digni ergo fuerunt, quibus horrendū illud
væ denuntiaret Dominus, & qui non multò poſt cum vrbe ſimul & templo excinderentur.*

Admonet autem nos locus iſte, non nouum hoc aut inſolens eſſe, quòd qui Eccleſiæ & regni Dei Eccleſia non deſinit eſſe, licet antiſtites errent, &c.
*ianitores eſſe debebant, primi ferè ſunt, qui populum ab eius ingreſſu arcent, neq; tamen inde ſequi,
quòd nulla ſit prorſus Dei eccleſia. Eſt hoc diligenter obſeruandū propter aduerſarios noſtros, qui
apud rudem & imperitum populum hoc potiſſimum argumento ſeſe tuentur. Si (inquiunt) non vera
eſt religio, quæ in Papatu exercetur, ſi item non legitimi ſunt Epiſcopi, qui à Pontificibus ordinan-
tur, ſi deniq; Dei verbo repugnat quæ hucuſq; ſeruata eſt Eccleſiæ œconomia, Eccleſiam ipſam tot
ſeculis erraniſſe, adeoq; Eccleſiam nullā fuiſſe oportet. Vbi ergo interea locū habuit promiſſio Chri-
ſti: Ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationē ſeculi? Falſi etiam arguitur Paulus Apoſtolus, qui-* 1. Tim. 3.

Eccleſiam columnam & ſtabilimentum veritatis eſſe dixit. Sed facilis eſt ad iſta reſponſio. Nec enim Eccleſia ad eos alligata eſt, qui huius antiſtites habentur, & magnificis titulis atq; ſplendore ſeſe venditant: ſed aliquãdo flores et vnà cum veris atq; fidis doctoribus quaſi triumphat: aliquando autem ad exiguum credentium numerum redacta latet, vt vix illis nota ſit, qui docendi munus in ea ſuſtinent. Fit etiam interdum vt maior pars Eccleſiæ cum ſuis doctoribus in nonnullis erret, perſiſtentibus interea in veritatis doctrina paucioribus, qui poſtea alteros illos in viam reducunt. Poteſt hoc exemplis pluribus demonſtrari. Eccleſia Dei erant filij Iſraelis, & huic ad montem Sinai Legem ſuam Deus propria voce promulgauerat. Legitimus & ordinarius illius antiſtes erat Aaron. At hi ſimul omnes errant, non in leui aliquo articulo, qui ad res huius ſeculi pertineat, ſed in eo, qui ad veram Dei cognitionem & cultum eius ſpectat, & ex quo hominis ſalus dependet: dum videlicet Dei ſimulachrum fieri volunt contra expreſſum illius mandatum, & illis morem geris Aaron, adeoq; nefarij cultus ducem atq; magiſtrum ſeſe præbet. Num autem idcirco nullam tunc amplius in Iſraele Eccleſiam fuiſſe dicemus? Hanc certè Moſes inuenit. Cùm enim clamaret, Qui Domini eſt, ad me accedat: mox ad ipſum congregati ſunt omnes filij Leui, quorum tantus fuit zelus in aſſerenda Dei gloria, vt aduerſus fratres quoq; inſurrexerint, eoſque trucidarint. Quid item Eliæ temporibus acciderit, ſatis notum eſt. Eò vſque tunc regis tyrannis & populi impietas excreuerant, vt Elias ne vnum quidem veri Dei cultorem reliquum factum, ſed ſe ſolum ſuperſtitem eſſe putaret. Sed quid ei dicit Dominus? Seruaui mihi ſeptem millia virorum, quorũ neq; genua incuruata ſunt coram Baal, neq; os oſculatum eſt eum. Fuit ergo tunc in Iſraele Eccleſia, ſed occulta, quæ non errauit, etiamſi in erroribus & nefarijs ſuperſtitionibus volutarentur, qui præ alijs Eccleſiæ & populi Dei nomen ſibi vendicabant. Simile quid Iſaiæ ſeculo ſub Rege Athaz accidiſſe ſcimus, quando populi maior pars regis & principum exemplum ſecuta à veri Dei cultu defecit, adeò vt Propheta queratur, ſe cum paucis diſcipulis, quos Dominus ipſi dederit, inſtar portenti eſſe in gente illa rebelli & contumaci. Quod ipſum de omnibus Prophetis dici poteſt, quos ferè extraordinariè ad docendi munus à Deo vocatos eſſe ſcimus, ſi quando Sacerdotes in ſuo officio ceſſarunt, aut Regibus idololatris ſeſe ſeruiliter accõmodauerunt. Sed vt ad Chriſti tempora accedamus, quæ vnquam fuit maior corruptio populi Dei, quàm quæ tunc fuit? In ſectas diuerſas ſciſſi erant, qui vt vno fœdere Deo erãt obſtricti, ita vno corde & ore illum colere & laudare debebant. Extinctus erat per Herodem Sacerdotum veterum ordo, & in horum locum ſucceſſera... homines obſcuri, auari, impij & impudentes, quorum artibus ſacra omnia in quæſtum turpiſſimum erant conuerſa. Iidem clauẽ cognitionis Dei, id eſt veram legis & verbi Dei doctrinam è medio ſuſtulerant, nec propria impietate contenti, populum quoq; vaniſſimis traditionibus circunducebãt, imò cogebant ad ſuperſtitiones. Sed & in populo regnabat prophanus Dei contemptus, ingratitudo erga Dei Filium, & immanis ſcelerum omniũ licentia. Errarunt ergo tunc Sacerdotes, Doctores, legis interpretes, Seniores, populus deniq; qui ſimul omnes tunc Eccleſiæ nomine cenſebantur. At habuit nihilominus in illa gente Deus Eccleſiæ veræ reliquias, Zachariam, Elizabetam, Ioſephum, Mariam virginẽ, Simeonem, Annam prophetiſſam, cùm multis alijs, qui regnum Dei expectabant, cùm veteres prophetias iam impletas eſſe viderent. Acceſſerũt his poſtea Apoſtoli cum ſeptuaginta diſcipulis, de quibus ſupra audiuimus, mulieres item aliquot, Nicodemus, Ioſephus Arimathæus & plures alij, quorũ nomina non exprimuntur. Etſi ergo tunc Eccleſia admodum tenuis eſſet, & inter publicos antiſtitũ totiuſq; populi errores atq; apertã tyrannidem obſcura lateret, Eccleſia tamen fuit, quæ ſalutis viam ingreſſa eſt, & quam Dei Filius pro ſua ſponſa agnouit. Quòd ſi verò hiſtorias excutiamus, eandem nouiſſimorum temporũ conditionem eſſe patebit. Nam etſi Pontifices nõ minori impudentia, quàm olim Iudæorũ Sacerdotes doctrinam & verũ Dei cultũ corruperint, & tyrannidẽ in Eccleſia exercuerint iniquiſſimã, qua & Regũ authoritate & vulgi conſenſu fuit confirmata, nunquã tamen defuerunt teſtes veritatis, qui errores iſtos arguerunt, tyrannidẽ antiſtitum accuſarunt, et ſimplicẽ fidei in vnũ Deum per Ieſum Chriſtum confeſſionem conſtanter retinuerunt. Et conſtat patrũ memoria, cùm denſiſſima tenebræ omnia iam occupauiſſent, ſubinde inuentos fuiſſe, qui rectius ſentiebant, et alijs quidẽ admirationi fuerũt propter diuerſam ſententiã de religione, in honore tamen & pretio habiti ſunt propter vitæ & morũ integritatem. Hi ergo reliquiæ fuerũt verè credentiũ, quos ex peculiari gratia ſibi Deus ſeruauit, vt ex illis

tempore Eccleſiam numeroſiorem excitaret. Quapropter iniuriam uobis magnam aduerſarij faciunt, quando clamant, nos Eccleſiam Dei accuſare, quaſi illa tot ſeculis errauerit, imò negare illis temporibus Eccleſiam fuiſſe. Nihil enim horum nos vnquam diximus. Hoc autem dicemus & dicere pergemus, Eccleſiam non ſemper penes eos eſſe, qui ſibi in illam ius & imperium vendicant, neq; nouum eſſe aut inſolens, ſi iſti errent, quando iam olim quoq; clauem ſcientiæ abſtulerunt, qui alijs ad Regnum Dei ianitores eſſe debebant. Id autem nos verè dicere de illis, qui hodie iſtum honorem in ſe transferunt, res ipſa loquitur, & tuinis patebis, ſi illorum mores cum ijs, quæ hîc à Chriſto dicuntur, conferamus.

Claues regni cælorum omnibus miniſtris data.

Matth. 16.

Ioan. 20.

Dedit Chriſtus Ieſus ſuæ Eccleſiæ & omnibus huius miniſtris claues, id eſt, Euangelij miniſterium, quo arcana regni Dei & quæcunque ad hominis ſalutem faciunt, credentibus aperiuntur & certò promittuntur, incredulis autem & cõtumacibus clauduntur ſiue negantur. Nam quod apud Matthæum Petro dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum: quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in cælo: & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutũ in cælo: Hoc ipſum iam à mortuis excitatus diſcipulis ſimul omnibus dicit verbis nonnihil mutatis: Accipite Spiritum ſanctum: Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorũ retinueritis, retenta ſunt. Vtrumq; vero clarius interpretatur iam cælos cõſcenſurus, quando ait: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui non crediderit, cõdemnabitur. Et in præſenti de claue cognitionis vel ſcientiæ loquitur. Ex quibus omnibus apertè patet, per claues non debere abſolutã quandam aut priuatam poteſtatem intelligi, ſed doctrinam & prædicationẽ Euangelij his denotari, quâ miniſtros ſuæ Eccleſiæ Chriſtus donauit, vt quod hi verè credentibus per illã pollicentur, aut impijs ac incurabilibus minantur, Deus ratum habeat: non quia illi verba quædam concepta pronuntiant, aut ita fieri volunt, ſed quia Chriſti verbis ipſius Dei voluntatẽ exprimunt, qui æterno decreto ſalutẽ omnem in Filio ſuo vnigenito cõcluſit, exitio autem & æternis inferorum cruciatibus eos deſtinauit, qui hunc recipere dedignantur & in ſceleribus abſq; omni pœnitẽtia perſeuerant. Itaq; ſi Euangelij doctrinã è medio tollas, ſimul etiã claues ſuſtuliſti, quæ ſine illa nullæ ſunt.

Rom. pont. claues abſtulerũt.

Quid verò Romani Pontifices iam ſeculis aliquot fecerunt, & quid adhuc hodie faciunt? Omnia ea, quæ Iudæorum Scribis & Phariſæis Chriſtus in præſenti exprobrat. Primò clauem ſcientiæ vel cognitionis ſuſtulerunt, vt nulla amplius fuerit in Eccleſia. Nam ſublata verbi Dei doctrina, huius interpretationem in ſui pectoris ſcrinio reconditam eſſe; & non niſi inde peti debere aiunt: ex clauibus autem poteſtatem & dominium quoddam externum fabricauerunt, quo in animas ſimul & corpora atq; fortunas hominum vſi ſunt. Deinde poteſtatem hanc ſibi ſolis vendicarũt, & tanta quidem impudentia, vt quemadmodum huius ſeculi principes & nobiles viri ſuæ familiæ inſignia habent, ita illi duas claues cum triplici corona oſtentent, & ita ſibi tanquam Chriſti in terra vicarijs omnem poteſtatem in cælo, & in terra, & in purgatorio igne datam eſſe teſtantur, adeò vt ſe pro ſuo arbitrio animas in cælum admittere, aut in igne illo luſtrali diutius detinere, vel etiã omnino à cælis excludere poſſe doceant. Neq; hîc à quoquam reprehendi volunt, etiamſi animarum turmas atq; cohortes ad inferos deducant. Itaq; poteſtate ſua malè vſurpata peßimè vtuntur. Paulus ſe cum reliquis Apoſtolis poteſtatẽ habere dicebat ad ædificationem, non ad deſtructionem. At illi de Eccleſiæ & hominum ſingulorum ædificatione in vera fide nihil ſoliciti, hoc vnum agunt, vt eos deſtruant & perdant, qui ipſorum decretis obedire nolunt, & de tyrannide eorum conqueruntur, vel etiam de illa abolenda cogitant. Et in eo quidẽ tanta audacia & temeritate vtuntur, vt in potentißimos Reges & Imperatores ſub Clauium prætextu ſuis excõmunicationibus fulminent: quæ non ſemel ſeditionũ & horribilium bellorum cauſa fuit, quibus orbis concuſſus & periculoſæ regnorũ mutationes factæ ſunt. Senſerunt audaciã hanc Græci Imperatores, qui per Pontifices Italia pulſi & eiecti ſunt. Senſerũt & Germani Imperatores plurimi, vtpote Heinrichus IIII. cum filio Heinricho V. Heinrichus item VII. Friderichi item duo, Primus & ſecundus, Ludouicus IIII. & ſub hoc maiores quoq; noſtri in hiſce regionibus, quos Pontificia excõmunicatio & ex hac enata quorundam tyrannis coegit, vt æterno fœdere ſancito libertatem ſuam tuerentur. Quæ verò noſtris temporibus ſub Clauium nomine deſignarint, lachrymis potius piorum omniũ deplorari, quàm verbis exponi poſſunt. Claues ergo, quas Apoſtolis & Eccleſiæ ſuæ Chriſtus dedit, penes illos nullæ, ſed prorſus ſublatæ ſunt, & proinde eodẽ cum Scribis iſtis crimine tenentur.

Pontifices ipſi non ingrediuntur in cœlos.

Ioan.10. 14.

Quod autem ſecundo his Chriſtus obijcit, hoc quoq; in noſtris illis eſt videre, Nimirum quòd licet clauibus regni Dei glorientur, & huius ianitores haberi velint, ipſi tamen foris manent, neq; in illud ingrediuntur. Quod ſi negare velint, facilè ſuorũ operum teſtimonio conuincentur. Chriſti enim vox eſt: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſeruabitur: & ingredietur ac egredietur, & paſcua inueniet. Item: Amen amen dico vobis, qui non ingreditur per oſtium, ſed aſcendit aliunde, fur eſt & latro. Et alibi: Ego ſum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me. Ex quibus verbis Apoſtoli docuerunt, ſalutem in vno Ieſu Chriſto haberi, neq; aliud nomen extare ſub cœlo, per quod quiſquam ſeruari poßit. At Pontifices illum pro luſu habent, & oſtia regni cœlorum infinita fabricarunt, vtpote Diuorum interceßionem, Miſſæ ſacrificium, Indulgentias ſuas, vota Monaſtica, Peregrinationes ad varia & diuerſa Diuorum ſimulachra, Fraternitates & ſexcenta alia, quæ commemorare longum foret. Deinde his omnibus ad quæſtum ſuum tam impudenter abutuntur, vt quiuis cordatus videat, eos iſtis quoq; nihil tribuere. Quòd ſi vitam & mores eorum inſpicias, aut hypocritas inuenies, qui fucatæ ſanctimoniæ ticulo (vt olim Phariſæi) ſeſe pallians, aut palàm flagitioſos, qui ijs etiã ſceleribus madent, propter quæ homines à regno Dei excludi ſcripturæ teſtantur. Poſſent hæc prolixè demonſtrari, ſed cùm vbiq; locorum ſint oculati teſtes, qui Romanæ curiæ mores atq; ſtudia coràm viderunt, pluribus argumentis ſiue exemplis non eſt opus. Vnum tamen prætermittere non poſſum: Regnare nimirum illic eos, quibus luſus & iocus eſt, de corporum reſurrectione & animarum immortalitate diſputare, & impunè quidem vtramq; multi negant, modò aduerſus ſummi Pontificis poteſtatem nihil pronuntient. Quomodo ergo in regnum Dei ingrediantur, qui vitam poſt mortalis huius curſum abſolutum nullam ſupereſſe credunt?

Pont. prohibet, ne quis alius ingrediatur.

Reſtat tertium, quod de ſcribis & legis interpretibus dicitur, eos quoq; ab illis prohiberi, qui ingredi volunt. Idem verò Pontifices cum ſuis creaturis nimium apertè faciunt. Viam enim, qua ad Chriſtum, qui (vt diximus) vnicũ oſtium eſt, venitur, ſuis traditionibus obſtruunt: & ne Euangelium purè prædicetur prohibent, ne qui huius cognitione illuminati, ipſis relictis in vno Chriſto acquieſcant. Si qui verò nonnihil animoſiores de vera ſalutis ratione interrogant, & quæ ipſos dubios rerumq; incertos faciunt, liberius exponunt, eos aut duris atq; minacibus reſponſis reijciunt, aut ſcurriliter eludunt, dicentes, accuratiorem iſtorum cognitionem nequaquam pertinere ad laicos, quorũ ſit ſimpliciter credere & in fide Eccleſiæ permanere, reliqua autẽ ijs relinquere excutienda, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedeant. Ac ſi quis inſtet, & vnumquenq; ſua fide viuere dicat, iam in furorẽ conuerſi, vincula, gladios & faces exerunt, vt vnius & alterius exemplo alij territi à quæſtionibus & diſputationibus eiuſmodi abſtineant. Quòd ſi verò Reſpub. aliqua aut princeps Euangelio oſtiũ aperiant, & è medio ſublatis abuſibus atq; ſuperſtitionibus reformationem ſecundum Dei verbum inſtituant, Deum immortalẽ quas turbas illi excitant? Mittũt legatos à latere, qui iſtos immane ſcelus cõmittere vociferantur, eò quòd propria authoritate rem tentent, quæ ad ſolum Pontificẽ & vniuerſalis Concilij determinationẽ pertineat: addunt præterea minas, quibus mox excõmunicationis fulmina ſuccedunt: indicunt Concilia, in quibus non alij, quàm qui in ipſorũ verba iurarunt, præſident: ad hæc citantur quos iã ante hæreſeos damnarunt: & ſi quis comparere, aut Concilij decretis obedire dedignetur, mox aduerſus hunc executionẽ fieri iubent ab ijs, quos concilij defenſores & propugnatores conſtituerunt. Hinc ergo ſeditiones, bella ciuilia & extera, vrbium expugnationes, horribiles regnorum metus, cædes, rapinæ, incendia, agrorũ vaſtationes & omnia alia naſcuntur, quæ in bello crudeliſsimo fieri conſueuerũt. Verum me dicere fatebuntur, quicunq; Pontificum hiſtorias vel à primo limine ſalutarunt. Sed quid hiſtorijs veteribusq; exẽplis opus eſt, quando iſta omnia hodie fiunt, & iſtorum hominum plus quàm Turcicam crudelitatẽ non vnà ſolum natio, ſed totus ferè orbis Chriſtianus expertus eſt? Quid verò hoc aliud eſt, quam nolle ingredi in Regnũ Dei, & eos qui ingredi volunt prohibere? Vt autem iſta à Chriſto olim ideo dicta ſunt, vt Iudæi ſibi à ſeductoribus & lupis eiuſmodi cauerent: ita nobis quoq; horum omniũ hic vſus eſſe debet, vt ijs qui illos hodie imitantur, procul relictis, puriorem Euangelij doctrinã ſequamur, & grati ſimus Deo, qui illorum fraudes luce verbi ſui detexit, & Eccleſiæ claues regni cœlorũ atq; verum earundẽ vſum reſtituit. Neq; nos terreant iſtorum hominum minæ & crudeles conatus. Viuit enim & regnat in cœlis Chriſtus, Rex regum & dominus dominantium, qui illos videt, & Eccleſiam ſuam exerceri quidem ſub cruce ſinit, eandem

nit, tandem verò euerti & deleri non patitur. Idem quoq; ferreo ſceptro tandem in hoſtibus ſuis coercendis vtetur, qui ſalutari virga Euangelicæ doctrinæ regi nolunt.

Sed tempus eſt, vt videamus, quis tam ſeriæ correptionis effectus apud Legis interpretes & Phariſæos fuerit, de quo Lucas ſic ſcribit: Cum autem hæc eis diceret, cœperunt Scribæ & Phariſæi vehementer ei imminere, & eum allicere aut prouocare ad loquendum de multis, inſidiantes ei, & quærentes venari aliquid ex ipſius ore, vt eum accuſarent. Ergò non meliores, ſed potius deteriores facti ſunt, quod fore Chriſtus non ignorabat, dixit tamen iſta (vt initiò monuimus) propter ſimplices, vt hi à lupis iſtis ſibi cauerent. Nos autem horum exemplo admonemur, incurabiles tandem fieri eos, qui fucatæ ſanctimoniæ, gloriæ item priuatæ & quæſtui ſuo potius quàm ſolidæ pietati & Veritati ſtudent. Quò enim magis vrgentur, eò magis ſæuiunt, & nouis quodammodo viribus collectis aduerſus Veritatis doctrinam maiori conatu inſurgunt. Diuinæ autem virtutis argumentum eſt, quòd Chriſtus tam diris imprecationibus irritatos continere potuit, ne ad manus venirent, ſed verbis & quæſtionibus rem agerent. At non modeſtè & cum ordine aliquo legitimo, vt par erat, id fecerunt: ſed multi ſimul varijs & diuerſis quæſtionibus eum fatigare conati ſunt, quibus haud dubiè verba quoq; contumelioſa & iniuriarum plena acceſſerunt, vt his irritatus aliquid inconſideratius effutiret, ex quo ipſum accuſandi anſam haberent. Et tales etiam hodie ſolent eſſe Sophiſtarum Monachorum & omnium eorum diſputationes, qui aduerſus Euangelij doctrinam coniurarunt. Nam vt liberos cum doctis congreſſus coram æquis iudicibus ſtudioſe ſubterfugiunt: ita ſi quos in ſuam arenam protrahere poſſunt, in qua ipſi ſoli dominantur, tunc gigantum inſtar victoriæ ſpe conſepti nullum petulantiæ & fallaciæ genus omittunt, vt animi perplexos reddant eos, qui Veritatis doctrinam tuentur. Exempla, quibus hoc probetur, hodie paßim habentur. Debent autem iſta nos admonere, ne fidei & religionis cauſam, aut fidos huius propugnatores, temerè iſtorum hominum petulantiæ & corruptis iudicijs committamus: quod hodie quidam nimis inconſultò faciunt. Quòd ſi verò in illos pij incidunt, ne terreantur: ſed fidei & doctrinæ ſuæ ſimplicitatem conſtanter defendat, quæſtiones captioſas prudenter declinent, & in Chriſto Ieſu fortes ſint, qui nobis os & ſapientiam promiſit, cui nemo aduerſariorum poßit reſiſtere. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Phariſæi incurabiles.

CAPVT XII.

HOMILIA CXXV.

INterea cùm congregata eſſet multa turba, adeò vt alij alios conculcarent, cœpit dicere diſcipulis ſuis: Imprimis cauete vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis: Nihil enim opertum eſt, quod non ſit detegendum: neq; occultum, quod non ſit cognoſcendum. Propterea quæ in tenebris dixiſtis, in luce audientur: & quod in aurem locuti eſtis in conclauibus, prædicabitur ſupra domos.

DOminus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, in proximo Capite cum Phariſæis & Legis interpretibus grauiter expoſtulauit, qui ſimulata ſanctitatis ſpecie & falſa doctrina populum ſimplicem & infelicem ſeducebant, & ideo illis pœnas grauiſſimas minatus eſt. Etſi verò hac correptione ſaluti ipſorum conſultum voluerit, illi tamē adeò non emendantur, vt potius in maiorem rabiem accenſi, ipſum inſidioſis atq; importunis quæſtionibus obruere & irretire conati ſint. Quo exemplo docemur, quid hodie etiam de omnibus ſit ſperandum, qui religionē quæſtu metiuntur, & ſuæ potius quàm Dei gloriæ ſtudent. Non poſſunt tales credere (vt apud Ioannem Chriſtus ait) & proinde in ſua impietate incurabiles perſeuerant. Quia verò horum exemplum & ſimplices offendere, & Apoſtolos terrere poterat, prima huius Capitis parte hos in frequenti hominum turba amicè & fideliter inſtituit. Et primò quidem monet, ne Phariſæos imitentur, ſed ab hypocriſi, qua illi peccabant, ſibi imprimis caueant. Deinde iubet, vt creditam ſibi Veritatis doctrinam conſtanter & intrepidè prædicēt: quo loco multis validißimis argumentis eos aduerſus omnem metū hoſtium & ipſius etiam mortis præmunit & armat. Continet autem locus iſte generalem doctri- Argumentum ſequentis tractationis. Ioan. 5.

nam, quæ primò ad omnes Verbi Dei adminiſtros pertinet, deinde ad Chriſtianos quoq; omnes extendi poteſt. Ante omnia verò Chriſti exemplum obſeruari debet, qui cùm apud doctrinæ & religionis antiſtites nihil vel monendo vel corripiendo proficeret, diſcipulos ſuos & populum aduerſus illos inſtruit, quò minus illorum fallacijs ſeduci poſſint. Non ergo ceſſare debent in ſuo munere Euangelij præcones, etiamſi eos incurabiles manere, vel etiam deteriores fieri videant, quorum ſumma eſt apud omnes authoritas: ſed tunc potius aduerſus hos vocem ſuam attollere, eorum errores & tyrannidẽ arguere, & quoſuis præmonere debent, quò facilius ſibi ab illis cauere queãt. Quod enim Chriſtus in præſenti fecit, hoc ipſum olim ante ipſum Prophetas & poſtea Apoſtolos quoq; feciſſe ſcimus. Sed quoniam de hoc nuper quoq; dictum eſt, nunc ad huius loci tractationem accedamus.

Confluxus populi ad Chriſtum.

Rurſus autem pro ſuo more totius negotij occaſionem Lucas præmittit. Fuit hæc ingens populi concurſus, in quo myriades hominum confluxiſſe ſcribit. Vbi etſi numerus finitus pro infinito ponatur, conſtat tamen maximam turbam fuiſſe, cùm præ multitudine alij alios conculcauerint. Voluit ergo Dominus de re maximi momenti in frequentiſſima populi concione diſſerere, vt plures inſtituerentur. Eſtq; hîc obſeruatu digniſſimum, quàm vana & inania ſint magnatum huius ſeculi conſilia aduerſus Chriſtum & Verbum eius. Quis enim alius ſcopus aut finis Phariſæis & Scribis propoſitus fuit, quàm vt illum accuſandi occaſionem haberent, & apud omnes in contemptum & odium adducerent? Sed adeò nihil profecerunt, vt potius iſta occaſione populus ad ipſum audiendum ardenti & maximo ſtudio confluxerit. Quod ipſum ſæpe aliâs factum fuiſſe apud Euangeliſtas legimus. Imò, vt Ioannes narrat, cùm aliquando ſeruos ſuos ad illum capiendum ablegauiſſent, hi in templo concionantem attentè audiuerunt, nec ſolùm ſine illo reuerſi ſunt, verumetiam de eius doctrina præclarum tulerunt teſtimonium. Et in Actorum libro commemoratur, quòd quò magis de ſilentio Apoſtolis imponendo Sacerdotes & Seniores conſultarunt, eò liberius & maiori cum fructu illi de Chriſto locuti ſint. Quid, quòd cùm Sauli crudelitas Eccleſiam Hieroſolymitanam diſſipauiſſet, fideles tanquam tabulæ ardentes ex vrbis incendio diſperſæ, totam Iudæam & Samariam Euangelij prædicatione accenderunt? Et hoc illud eſt, quod Dauid dicit, Deum ex alto ridere eorum conſilia, qui aduerſus ipſum & Vnctum eius conſpirant. Cùm ergo huius generis exempla non pauca noſtro etiam ſeculo viderimus, debet tam eorum quàm veterum conſideratio nos confirmare, ne vllis hoſtium minis aut machinationibus nos è ſtatione deijci patiamur.

Cœtus ſacri cõmendantur.

Eſt præterea perquàm memorabile & imitatione dignum populi Iudaici exemplum. Sciebant omnes, quàm immani odio Chriſtum proceres cùm eccleſiaſtici tum politici perſequerentur, neq; illos latêre potuerunt edicta publica de excommunicandis vel è Synagoga eijciendis omnibus, qui ipſum ſectarentur: quibus edictis multos ex principum numero territos fuiſſe ſcribit Ioannes, ne fidem in illum auderent profiteri. Nihilominus tamen populus ad eum concurrit, & cœtus cogunt frequentiſſimos, in quibus eum de Regno Dei diſſerentem audiunt. Quòd cùm ij fecerint, qui nondum illi apertè nomen dederant, quantò magis id nos facere conuenit, qui in nomen eius baptizati ſumus, & ab illo Chriſtiani denominamur? Meminerimus igitur exemplis huiuſmodi nobis cœtus ſacros commendari, quibus ad veram pietatem fouendam atq; exercendam nihil vtilius & magis neceſſarium eſt. In illis verbum Dei prædicatur, & præſentibus temporibus atq; perſonis accommodatum altius multò in animos hominum penetrat, quàm ſi illud ſinguli domi ſuæ legant. In illis etiam Sacramenta adminiſtrantur, quæ vt promiſſionum & beneficiorum Dei ſigilla ſunt: ita Chriſtianæ etiam ſocietatis teſſeræ ſunt & vincula, quibus illa firmius & arctius colligatur. Fiũt etiam in cœtibus eiuſmodi preces publicæ, quarum maximam vim eſſe vel vnica Chriſti promiſſio docet, qui duos aut tres, qui in ſuo nomine congregati fuerint, omne id impetraturos eſſe ait, quod à Patre ſuo petierint. Ideo cœtus ſacros in Lege ſua Deus inſtituit, & in eum finem Leuitas voluit per omnes tribus diſtribui, vt vbiq; eſſent, qui populum diebus Sabbati collectum ex Verbo ſuo erudirent. Neq; eo contentus, inſuper mandauit, vt quotannis omnes mares ter ad locum tabernaculi ſiue templi conuenirent, & ſimul dies feſtos agerent in veterum beneficiorum eius memoriam. Et conſtat in feſtis illis non poſtremum locum datum fuiſſe conuocationi aut congregationi ſanctæ, ad quam omnes ſimul conueniebant. Prophetæ etiam, ſi quando grauiora pericula inſtabant, populum hortabantur vt cœtus extraordinarios indicerent, in quibus Dei Verbum audirent, & illius iram deprecarentur. Quòd

ſi ſanctorum

ſi ſanctorum exempla inſpicias, omnes illos in cœtibus ſacris frequentandis diligentiſſimos fuiſſe videbis. Dauidi certè ſub Saule exulanti nihil moleſtius fuit, quàm quòd illos adire non poſſet, & à ſacris publicis excluderetur. In nouo Teſtamento Chriſtus cœtus populi frequentes habuit, & idem eius exemplo Apoſtoli quoq; fecerunt. Inter veteres autem Chriſtianos tantum fuit conueniendi ſtudium, vt perſecutionum tempore nocturnos potius conuentus magno cum vitæ & fortunarum omnium periculo agere voluerint, quàm tam neceſſario pietatis exercitio in vniuerſum carere. Quos hodie multi ſub tyrannis perſecutoribus piè imitantur, qui vt ſuo exemplo noſtram nobis ingratitudinem exprobrant, qui tantum Dei beneficium, quo tutò & cum laude poteramus frui, tam turpiter negligimus: ita olim in magno illo die omnes eos damnabunt, qui cœtus ſacros derident, & eos ſcurriliter inſectantur, qui in illis frequentes & aſſidui eſſe conſueuerunt. Clamant ferè illi: Fides donum Dei eſt, nec ab aliquo hominum poteſt dari: Neque meliores nobis eſſe videmus eos, qui ad templa frequenter confluunt, vt illic concionantes audiant & precibus publicis interſint. Quis verò noſtrûm negat, fidem à ſolo Deo dari? aut quis eam à Verbi præconibus poſtulat? Tu verò qui prius illud fateris, cur non etiam Paulinum illud obſeruas: Fides ex auditu eſt, auditus autem per Verbum Dei? Et illud Chriſti: Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur eam? Quibus manifeſtè docetur, Deum fidem nobis per Verbi ſui prædicationem largiri, & proinde illam nunquam aſſecuturos eſſe eos, qui hanc aſpernantur. Nec enim æquum eſt, vt noua & extraordinaria ratione in illis illuminandis Deus vtatur, qui medium illud ordinarium improbè contemnunt, cui ſeſe iam inde ab orbe condito ſancti & electi omnes accommodauerunt. Quòd autem illi ſcurriliter quærunt, in quo ipſi meliores ſint ij, qui cœtus ſacros frequenter adeunt, facilis eſt reſponſio. Nam etſi homines ſint & affectibus humanis obnoxij, adhæc interdum in vitia quoq; aperta prolabantur, eo ipſo tamen alteris illis meliores ſunt, quòd Dei Verbum audiunt, eo delectantur, & quid ille velit diſcere ſtudent. Et vt ſpes bona eſt de filio, qui quàmuis iuuenilibus deſiderijs ſuperatus multa præter officium facit, patrem tamen monentem audit, & eius correptionem veretur: nihil autem boni ſperari poteſt de eo, qui non contentus peccauiſſe, inſuper patris conſpectum fugit, admonitiones eius contemnit, correptiones odit, & minas ſcurrilibus dictis eludit: Ita de Verbi quoq; ſtudioſis optimè ſperare poſſumus, vtut interdum exorbitent, cùm de huius oſoribus ſpes ſalutis omnino ſit nulla. In iſtorum ergò meditatione pij verſentur, & à Deo inſtitutis medijs ſedulò ſeſe accommodent, neq; improborum iſtorum cauillis moueantur.

Porro ad Chriſtum veniamus, qui in tam frequenti concione populi diſcipulos ſuos inſtituere incipit, & initiò ſtatim fontem omnis mali in Eccleſia obturaturus ait: Imprimis cauete vobis à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Per hypocriſim verò magnificam ſanctimoniæ ſimul & externi in docendo apparatus oſtentationem intelligit, qua Phariſæi ſeſe apud populum vendicabant. Nam vt nuper audiuimus, crebrò abluebantur, phylacteria & fimbrias veſtium dilatabant, ſtolis longis amicti in publicum prodibant, omnia deniq; faciebant ad oſtentationem ſingularis ſanctitatis, vt ſibi apud rudes & ſimplices exiſtimationem & dignitatem maiorem pararent. At quia præcipuus finis erat, quòd doctrinæ falſæ fidem & authoritatem conciliare hoc modo conabantur, hanc quoq; ſub iſto nomine comprehendit. Vult ergo Chriſtus, vt Apoſtoli ſimplicitati & integritati ſtudeant in ſuo munere, neq; fucum aliquem accerſant, quo Euangelij doctrinam commendent. Eſt enim ſimplex Veritatis oratio, neq; aliunde accerſitis coloribus aut ornatu fictitio opus habet. Et qui iſta adhibent inter docendum, ij ſe de propria potius gloria & authoritate, quàm de Dei gloria & populi ſalute ſolicitos eſſe produnt. Itaq; hoc Chriſti dictum omnes eos arguit & confutat, qui inſolito veſtitu, ambitioſis titulis, inceſſu & geſtibus peculiaribus, pronuntiatione theatrica aut ad lachrymas mulierculis mouendas compoſita ſeſe & ſuam doctrinam vendicare ſolent. In quibus magni artifices ſunt Monachi, qui his potiſſimùm rebus apud ſimplicem plebeculam ſibi authoritatem conciliant. Sed non minus his peccant quidam Euangelicæ doctrinæ profeſſores, qui & ipſi titulos ſuperbos multa pecunia redimunt, & vbi hos aſſecuti ſunt, veſtitum ſibi ſumunt à communi aliorum miniſtrorum habitu diuerſum, multa deniq; alia faciunt, quæ ambitioſam hypocriſin redolent. At nihil horum vnquam fecerunt Apoſtoli, qui huius præcepti à Chriſto accepti memores, modeſtiæ & humilitati ſtuduerunt, in docendo autem fideles, induſtrij & feruidi fuerunt, & ita doctrinæ ſuæ

Hypocriſis prohibetur.

fidem, ſibijpſis verò authoritatem ſolidam compararunt.

Hypocriſis fermentū dicitur.

Porro obſeruatu digna eſt Metaphora, qua hypocriſim Chriſtus fermentum dicit. Ea enim huius ingenium, vires & effecta exprimit. Vt enim fermentum maſſæ ita miſcetur & vnitur, vt ab ea amplius ſeparari non poßit: ita hypocriſis nobis à natura inhæret, vt quæ hæreditario iure ex primis parentibus in nos deriuata eſt. Hos enim poſt primum lapſum, cùm à propria conſcientia redarguerentur, ad ſimulationem ſanctitatis & innocentiæ confugiſſe conſtat. Ex ficuum enim folijs perizomata ſibi contexuerunt, quibus nuditatem ſuam tegerent. Inde verbis quoq; ſatis audacibus vſi ſunt, quibus ſe excuſarunt, vt culpam ſuam non obſcurè in ipſum Deum transferrent. Quod hodie omnibus hominibus proprium eſt, vt in pueris & peßimis quibuſq; cernimus. Illi enim cum vix quicquam adhuc per ætatē ſapere videntur, ſi quid peccarunt, id mirifice tegere & dißimulare ſolēt, conuicti autem ad nouas artes conuertuntur, & in tranſlatione criminum admodum ingenioſi ſunt. Hi verò, etſi illos ad peccandum præceps libido abripiat, deprahenſi tamen & accuſati pertinaciter negant, & optimi videri volunt, neq; illos alicuius fuci & coloris pudet, modò aliquam ſuæ nequitiæ excuſationem ex eo ſperare poßint. Adeò altas in corrupta hominis natura radices egit hypocriſis, & ideo rectè fermento tenacißimo confertur. Deinde vt hoc ſemel admixtum breui temporis ſpacio totam farinæ iam conſperſæ maſſam penetrat: ita hypocriſis, ſi ei homo indulgeat, quàm celerrimè totam vitam & mores inficit, vt in omnibus dictis & factis ſeſe exerat. Delectat enim improbißimos quoq; ſimulata virtutis ſpecies, cui eò magis ſtudent, ſi ſe proficere & propter eam in honore & pretio eſſe videāt. Itaq; eò vſq; tandem progrediuntur, vt quemadmodum hominibus imponunt, ita ſe Deū quoq; fallere poſſe exiſtiment. Quæ cauſa eſt, vt in huius cultu impiè ludant, & pietatem magnam ſimulent, etiamſi animis ab omni religione ſint alienißimi. Exempla iſtorum hominum in Prophetis multa deſcribūtur, qui eorum pietatem rori matutino & nubeculæ citò tranſeunti conferunt, eò quòd nihil ſolidum & ſtabile habeat. Præterea vt fermentum maſſam totam inflat & aceſcere facit: ſic hypocriſis ſuperbiæ mater homines vana propriæ iuſtitiæ fiducia turgidos reddit, vt illa in Dei etiam conſpectu gloriari non vereantur. Exemplum huius inſolentiæ infra in Phariſæo videbimus, qui bonorum operum ſuorum catalogum Deo recenſuit, quaſi cum illo rationem initurus. At nihil inde aliud iſti homines referunt, quàm quod ſeipſos Deo minus acceptos, & omnia ſua eidē acida & inſipida reddunt. Quia enim hic ipſa Veritas eſt, mendacium & fucum non poteſt non odiſſe. Et cùm omnis ſuperbia ei inuiſa ſit, omnium maximè eam abominatur: qua homines, quos propriæ vitioſitatis & inde naſcentium peccatorum agnitio humiliare & deprimere debebat, apud ipſius tribunal ſeſe pro iuſtis & ſanctis vendicant. Hæc certè repudij & exitij Iudæorum cauſa fuit, de quibus hoc Paulus pronuntiat, quòd ſuam iuſtitiam ſtabiliendo à iuſtitia Dei exciderint, quam is nobis in Filio ſuo offert, & quæ ſola nos ad eius tribunal tueri poteſt. Et Chriſtus ſeruo aut œconomo domus ſuæ perfido atq; dißipatori grauißimum ſupplicium minitaturus, eum diſſectum iri dicit, vt partem ſuam habeat cum hypocritis.

Matth. 24.

Hypocriſi totus Papatus conſtat.

Hæc ſi diligentius conſiderentur, ſola ſufficere poſſunt ad euertendum totum Papatum & quæcunq; in hoc præſtantißima habentur. Quid enim in eo præter vanam inanium titulorum oſtentationem & fucatam ſanctitatis ſpeciem eſt videre? Gloriatur vniuerſalis Epiſcopi nomine Romanus Pontifex, qui ne vnius quidem parochiæ in vrbe Roma paſtorem agit. Idem vt humilitatis nomine ſe commendet, Seruus ſeruorum dici vult: interim verò triplici tiara redimitus aliorum humeris ſublimis fertur, in Reges & Imperatores imperium ſibi vendicat, & iiſdem pedes oſculandos obtrudit. Eadem eſt aliorum Epiſcoporum conditio, qui nihil minus ſunt quàm quòd dicuntur, cùm neq; doceant, neq; alia obeant munera eccleſiaſtica, ſed immani faſtu & pompa cum huius ſeculi principibus contendant. Quòd ſi ad ſanctißimum in hoc regno Pontificio hominum genus oculos conuertas, Monachos nimirum, idem in his quoq; deprahendes. Monachi dicuntur à ſolitudine: at in medijs vrbibus, in foro, in aulis, in caſtris deniq; viſuntur. Vouent paupertatem voluntariam: ſed ſub huius prætextu omnibus abundant, & ſecuri in otio ex aliorum laboribus viuunt, imò frequenter ad opes & honores ampliſsimos aſcendunt, & principum more dominantur. Vouēt obedientiam: at ab omni obedientia, quæ ſecundùm leges naturæ parentibus & magiſtratibus debetur, ſeſe eximunt, & immunitatem quandam ſibi parauerunt, quæ à ciuilibus quoq; oneribus liberos reddit. Vo-

nent caſti-

uent caſtitatem: ſed quæ in cœlibatu ſolo conſiſtit, cùm interim thoros alienos impudentiſſimè polluant, puellarum pudicitiæ inſidientur, ſpurijs ſuis omnia compleant, & ea quoq; deſignent, quæ verbis eloqui nefas eſt. Adhæc veſtitu hiſtrionico carnis mortificationem, humilitatem, innocentiam, ſanctitatem, zelum gloriæ Dei, charitatis Chriſtianæ ardorem, ſuiipſius abnegationem, patientiam & omnis virtutis ſtudium profitentur: cæterùm nulli magis in carne agunt, nulli inſolentius contra Deum & homines efferuntur, nulli turpius viuunt, nulli gloriam Dei & charitatis fraternæ officia ſecurius negligunt, nulli deniq; iniurias leuiſſimas impatientius ferunt. Et huius generis multa recenſeri poterant, quæ tam aperta ſunt & nota omnibus, vt ea nemo negare poſſit. Num ergo cultum, quem iſti homines Deo exhibent, ei probari putabimus?

Porro quia diſcipulos in docendi munere ſibi ab hoc hypocriſis & vanæ oſtenſationis fermento **Hypocriſis omnis inutilis eſt.** *cauere iuſſerat Dominus, & integritati ſtudere, bonaq; fide ſalutis doctrinam mundo tradere, alias ipſe quoq; ſui præcepti ſiue admonitionis rationes affert è communi ſenſu & experientia quotidiana petitas, vt magis moueat eos, qui carni adhuc addictiores erant. Nihil enim opertum eſt (inquit) quod non ſit detegendum: neq; occultum, quod non ſit cognoſcendum. Propterea quæ in tenebris dixiſtis, in luce audientur: & quod in aurem locuti eſtis in conclauibus, prædicabitur ſupra domos. Senſus eſt, de ipſorum honore & exiſtimatione hîc agi, eò quòd omnis ſimulatio & oſtentatio prorſus inutilis ſit, cùm nihil tam bene tegatur aut occultetur, quin tandem in lucem veniat, vel in hoc vel in futuro ſeculo. Quaſi diceret: Qualeſcunq; in veſtro munere fueritis, id ſuo tempore omnibus patebit. Itaq; ſi Phariſæos imitati vos inani fuco oſtentetis, doctrinam verò vobis creditam minus ſyncerè proponatis, ad tempus quidem latebitis, ſed tandem fraus iſta detegetur, & vos impoſtores fuiſſe patebit. Rurſus, ſi bona fide agatis, hæc quoq; veſtra integritas nota fiet omnibus, etiamſi nunc malevolorum calumnijs obruatur, & multi ſecus de vobis iudicent. Nec enim celari poterit Euangelium, cuius prædicatio vobis commiſſa eſt, ſed illud per totum orbem diuulgari oportebit. Itaq; quæ in tenebris & occultius initiò dicetis, ſuo tempore in luce vel publico audientur: & quæ priuatis diſcipulis in cubiculis interioribus quaſi in aurem loquemini, mox ſupra domorum tecta, quaſi publici præconis voce, promulgabuntur. At hæc dicendo non tam à fraude & hypocriſi illos deterret, quàm animos illis addit, dum pollicetur, Euangelij doctrinam per omnia obſtacula euaſuram, vt totum orbem terrarum compleat. Quod factum fuiſſe, ex hiſtorijs apparet, & res ipſa loquitur. Nam etiam ſi initio obſcurior & finibus anguſtioribus concluſa videretur Apoſtolorum prædicatio, ſubitò tamē erupit, & ceu ſonitru ingens apud omnes populos exaudita, & (vt Paulus annotauit) omni creaturæ eſt annuntiata. Etenim ea Veritatis eſt conditio, vt interdum quidem lateat, ſed ſuo tempore victrix erumpat in lucem: quare veteres illam temporis filiam dixerunt.*

Eſt autem huius dicti vſus non vulgaris etiam nobis, ſi probè expendatur. Primò enim admo- **Nemo ſpe latendi peccet:** *net, ne ſpe latendi aut impunitatis noſmetipſos fallamus, vt licentius peccemus. Nam etſi hominum oculos fallere detur, Dei tamen oculos nunquam effugiemus, qui (vt Propheta ait) per omnem terram diſcurrunt, & abſtruſiſſima quæq; vident, imò in cordium arcana penetrant. Exempla, quibus id probetur, in omnibus hiſtorijs occurrunt. Aduerſus Abelum fratrem in agro Cain inſurrexerat, & eum clàm, procul remotis arbitris omnibus trucidarat, neq; dubium eſt, eum rationes quoque diligenter iniiſſe, quibus apud parentes facinus iſtud diſſimulari & tegi poſſe putaret. Sed nihil illum iſta omnia iuuant apud Deum, qui fratrem ex eius manu requirit, & ſe tanti ſceleris ſpectatorem fuiſſe, & ſanguinem iam nunc ad ſe clamantem audire teſtatur. Simile huic eſt, quod Iacobi filijs in Ioſephi fratris venditione accidit. Nam etſi hoc ſuum flagitium apud patrem mirifico aſtu texiſſent, vt is à feris diſcerpsum filium putaret, & res multos iam annos latuiſſet, tamen publicè tandem omnibus magna cum ipſorū ignominia innotuit. Quod ipſum de Dauidis adulterio & indigna Vriæ cæde dicere poſſumus, quæ Deus per Prophetam arguit, cùm ille rem omnem probè contectam putaret. Taceo nunc eos, qui ipſi ſæpe ſcelera ſua produnt, in quibus celandis diu magna diligentia ſunt vſi, tandem verò vel vno dicto inconſideratius elapſo ſeipſos in periculum adducunt: cuius rei memorabile exemplum in latronibus, qui Ibicum Poetam occiderunt, gentium hiſtoriæ proponunt. Cùm enim is iam moriturus grues ſuperuolantes implorasset, vt ſuæ necis teſtes eſſent, latrones poſtea in foro grues videntes inter ſe dicebant, Ecce Ibici grues. Quæ vox à circunſtantibus audita, quū*

Ibicùm amiſſum dolebant, cauſa fuit, vt comprehenſi ſcelus faterentur, & meritas pœnas exoluerent. Quàm multos item à canibus, ab equis, à coruis proditos fuiſſe legimus? Quid, quòd ſæpe conſcientiæ cruciatibus homines ſcelerati coguntur ſua flagitia fateri, quod olim Iudæ proditori accidit? Quia autem hæc quotidianis etiam exemplis confirmantur, eò magis nos excitare debent, vt ſinguli doctrinam hanc ad ſe transferant, & cogitent nihil tam occultè fieri poſſe, de quo non aliquando reddenda ſit ratio Deo, qui ſcelus nullum inultum abire ſinit. Itaq; ſinguli in genere quidem innocentiæ & charitati erga omnes, priuatim verò quoad ſuam functionem integritati ſtudeant, & quod ipſis Deus mandauit bona fide exequantur. Si quid verò peccauerunt, non ad inanes fucos ſed ad Chriſtum conuertantur, qui ſuo merito & iuſtitia noſtras iniquitates tegit, ne apud Patris tribunal in rationem veniant.

Innocentia piorum tandem innoteſcit.

Deinde conſolationem quoq; dulciſſimam hoc Chriſti dictum continet. Vt enim ſcelera diutius latêre non poſſunt: ſic innocentia quoq; eorum, qui calumnijs & ſiniſtris ſuſpicionibus grauantur, tandem reuelatur & innoteſcit. Obſeruandum hoc in religionis negotio, vbi ferè pro hæreticis & ſeditioſis habentur, qui vnum Deum colunt, & ſalutis ſuæ ſpem in vnius Chriſti merito collocatam habent. Sed aſſerit tandem ſuorum memoriam Deus, vt qui dum in viuis eſſent, omnium odijs & conuitijs expoſiti fuerunt, vita hac defuncti in honore ſint, & pro veris Dei cultoribus agnoſcantur. Exemplo nobis ſint Prophetæ, Apoſtoli & reliqui Martyres, quorũ memoria hodie apud eos etiam ſancta & venerabilis eſt, qui fidem, quam tradiderunt, odiſſe & perſequi ſolent. Fit idem in ijs, quæ ad huius vitæ vſum ſpectant, vt qui diu calumnijs oppreſſi fuerunt, tandem liberati ſuam innocentiam omnibus approbare poſſint. Sic Ioſeph impudicæ mulieris falſa accuſatione in capitis periculum adductus, poſtea ad honores ſummos euectus eſt. Sic Dauidis innocentiam Deus ſuo tempore contra Saulis calumnias aſſeruit. Et in prophanis hiſtorijs eiuſmodi exempla multa extant, neque deſunt quotidiana, quæ hanc conſolationem confirmare poſſunt. Vſus autem totius huius loci eſto, vt ſinguli in ſua vocatione officium ſedulò faciant, neque improborum calumnijs offendantur. Senſit has etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui his ſuperior factus in cœlis nunc viuit & regnat, & ſuos quoque olim honore & gloria immortali donabit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVI.

Dico autem vobis amicis meis, Ne timete vobis ab ijs qui trucidant corpus, & poſtea non habent quod amplius faciant. Præmonſtrabo autem vobis quem timeatis: Timete eum, qui poſtquam trucidarit, poteſtatem habet inijciendi in gehennam. Etiam dico vobis, hunc timete. Nonne quinq; paſſerculi væneunt aſſarijs duobus, & vnus ex ijs non eſt in obliuione apud Deum? Quin etiam capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Ne igitur timete. Multis paſſerculis præſtatis.

Contra mortis metum Chriſtus ſuos inſtruit.

Poſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus Phariſæos & Legis interpretes Iudæorum grauiter corripuit, hi verò non ſolùm incurabiles manſerunt, ſed in rabiem maiorem accenſi ſunt, ne qui eorum exemplo offenderentur, mox ad diſcipulos conuerſus hoc diligenter inſtituit, & aduerſus illorum furores armat atq; confirmat. Et principiò quidem, quia ad docendi munus deſtinati erant, ne in eo Phariſæorum more oſtentationi & pompæ ſtuderẽt, omnis mali fontem obturat, hypocriſim nimirum, quæ ſemper cum inanis gloriæ ſtudio coniuncta eſt, Dei verò gloriam & hominum ſalutem facilè negligit. Monet ergo, vt ipſi bona fide tradant creditam ſibi æternæ ſalutis doctrinam, & integritati ſtudeant. At qui hoc faciunt, eos infinita pericula & aduerſa manent. Nec enim ferre poteſt Veritatis lucem mundus hic, cùm opera eius mala ſint. Argui etiam nolunt hypocritæ, qui ferè in omni hominum ordine dominantur. Inuiſa item & exoſa eſt religionis receptæ & diu obſeruatæ mutatio. Hinc ergo adminiſtrorum Verbi Dei odia naſcuntur, quæ inſidias occultas, adhæc apertas perſecutiones pariunt, in quibus ceu oues mactationi deſtinatæ (vt Paulus ait) in ſingulas horas ad crude-

ad crudeliſſima ſupplicia rapiuntur. Tūc autem pijs quoq; multum impedimenti affert innata omnibus vitæ huius cupiditas & mortis imminentis metus. Eſt conſtat interdum optimos quoſq; aliquid humanitus pati, vt in fide labaſcant, & ſui officij minus ſint memores; ſicuti in Elia, Iona, Petro & multis alijs eſt videre. Itaq; ne quid omittat Dominus, nunc aduerſus mortis metum & nimiam huius vitæ cupiditatem diſcipulos inſtituit & grauiſſimis argumentis confirmat. Quæ doctrina etiamſi omnibus ſeculis obſeruatu digniſſima fuerit, hodie tamen plus quàm neceſſaria eſt, quando extremos conatus Satan profert ad regnum ſuum ſtabiliendum, & non ſolis doctoribus, verumetiam principibus Eccleſiæ nutritijs & ſingulis credentibus pericula omnis generis quotidie ſtruuntur, nec iam priuatis ſupplicijs, ſed publicis ſeditionibus & apertis bellis res agitur, in quibus nationes potentiſſimæ totius Europæ inter ſe committuntur.

Audiamus ergo nos quoq; attentis animis Chriſtum, & nobis hodie dici putemus, quæ olim diſcipulis eius dicta ſunt. Præcipit autem ille initiò quid in periculis eiuſmodi fieri & obſeruari debeat. Et quia hîc de re graui & maximi momenti agitur, verbis quoq; grauibus quidem, ſed blanda ſimul & amica ſummi amoris ſignificatione mixtis vtitur. Ait enim: Dico autem vobis amicis meis, Ne timete vobis ab ijs, qui trucidant corpus, & poſtea non habent quod amplius faciant: Præmonſtrabo autem vobis quem timeatis, &c. Amicos ſuos dicit, vt eos Phariſæis & Scribis opponat, qui aperti hoſtes erant, & proinde digni, quos durius tractaret, vt nuper audiuimus. Simul autem doctrinam hanc per ſe grauem & duram hac blanda compellatione mitigare & emollire vult. Quia enim illos amicorum loco habet, non obſcurè innuit, ſe ſaluti ipſorum conſultum velle, & in omnibus periculis ſuam opem allaturum eſſe, ne vllis hoſtium minis aut terriculamentis ſuccumbant. Propoſitio.

Cæterum hoc nomine diſcipulos ſuos compellans, ſimul admonet, doctrinam hanc ad omnes pertinere, qui ipſius amici eſſe cupiunt. Vnde iam aliud ſequitur, perſecutiones & aduerſa, quibus in hoc ſeculo pij exercentur, non odij aut iræ Dei, ſed amoris potius & beneuolentiæ argumenta eſſe, cùm Filius eius amicos dicat eos, quos præ alijs hominibus omnis generis pericula atq; calamitates ſuſtinuiſſe conſtat. Eſt autem obſeruatu digniſſima & conſolationis plena hæc Chriſti bonitas, qua ſibi ex hominibus amicos accerſere dignatur. Inter homines enim ita comparatum eſt, vt amicitiæ & fœdera inter inæquales difficulter coeant, & potentiorum amicitiæ ferè infirmioribus inſidioſæ & periculoſæ ſint. Magna ergo ſit oportet, & planè incomparabilis, iſta facilitas, qua æternus Dei Filius, Patri coeſſentialis, quiq; nullius indiget, cum hominibus amicitiam inire dignatus eſt, qui vt omnium indigi, ita natura corrupti & ſcelerati, & propterea digni ſunt, qui à Dei conſpectu procul arceantur. Nec eſt quòd Chriſtū hoc loco ſuos inani titulo fallere putemus. Si enim amicitia (vt gentium philoſophi eam rectè definiuerunt) eſt omnium diuinarum humanarumq; rerum cùm beneuolentia & charitate ſumma conſenſio, quæ vt amici omnia inter ſe cōmunia habeant, efficit: de Chriſti amicitia dubitare nullo modo poſſumus. Nam vt nobiſcū conuenire poſſet, in mundū venit, & homo factus ſimul noſtras infirmitates experiri & peccata noſtra in ſe transferre dignatus eſt: è cōtra verò nobis manifeſtauit quæcunq; à Patre ſuo accepit, quod certiſſimū veri amoris argumentū eſſe, ipſe apud Ioannem teſtatur. Adhæc omnia ſua bona nobiſcum communia habet, & nos mortis ſuæ merito Ioan. 15. Patri cœleſti ideo reconciliauit, vt nos regni ſui æterni cohæredes habere poſſet. Prodeſt autem in tantæ bonitatis Filij Dei conſideratione frequenter verſari, vt de retinendo eius fauore & colenda cum illo amicitia diligentius cogitemus. Nam ſi inter homines tanta eſt amicitiæ neceſſitas, vt Solem è mundo tollere Cicero eos dixerit, qui illam è medio auferunt: quantò magis neceſſe eſt, vt Filium Dei amicum habeamus, ſine quo neq; Patre cœleſti propitio vti poſſumus, neq; quicquam nobis in hac vita iucundum ſiue tutum eſſe poteſt, cùm omnia ijs infeſta ſint, qui Deum ſibi iratum eſſe ſentiunt? At nunquam nobis cum Chriſto firma coniunctio eſſe poterit, niſi doctrinam, quam hoc loco tradit probè obſeruemus. Itaq; eam ad ſe trahere debent omnis loci & ordinis homines.

Videamus ergo quæ nam illa ſit. Ne timete (inquit) vobis ab his, qui trucidant corpus, & poſtea non habent quod amplius faciant, id eſt, vos præterea lædant: Præmonſtrabo autem vobis quē timeatis: Timete eum, qui poſtquam trucidarit, poteſtatem habet inijciendi in gehennā. Et vt hanc doctrinam magis commendet, per repetitionem ſubijcit: Etiam dico vobis, hunc timete. Prohibet ne homines timeamus, qui corpus occidere poſſunt. Atqui in ſcripturis alibi nominantur, qui timeri de- Nemo timeat homines.

beant, & Paulus talibus timorem reddere iubet: quales ſunt qui magiſtratum gerunt, parentes, præceptores, heri & quicunq; nobis ſunt ſuperiores. At hic de tyrannis perſecutoribus & vniuerſis veræ fidei atq; doctrinæ hoſtibus ſermo eſt, & hos timere vetamur. Imò generalius quoq; accipi debet hæc Chriſti admonitio, ne aliquem mortalium plus timeamus quàm Deum, néue in alicuius gratiam fidem in Deum abnegemus, aut ab officio diſcedamus, cui nos ille deſtinauit. Etenim fieri non poteſt, quin verus Dei timor apud nos euanuerit, quàm primùm vel metu vel gratia hominum ea facimus, quibus Dei ira prouocatur. Neq; huius amici eſſe poterunt, qui mundum hunc tanti faciunt. Solet enim hic in omnibus Deo repugnare. Odit & extinctam vult Verbi doctrinam, quam Deus apud omnes homines vult diuulgari. Odit innocentiæ ſtudium, quod hic vnicè requirit, & ſine quo nemo ipſum videbit. Omnia verò charitatis legibus contraria facit, quas niſi obſeruemus, Chriſti diſcipuli non erimus. Quòd ſi ad religionem & Dei cultum accedamus, hunc mundo addicti homines in vaniſsimis ſuperſtitionibus & inutilibus ceremonijs collocant, cùm ille ſpiritu & veritate coli velit. Deniq; non tam aqua igni repugnat, quàm mundus hic Deo aduerſatur. Quod Iacobus obſeruans, dixit, amicitiam huius mundi inimicitiam eſſe cum Deo. Quis verò Dei timentem dixerit eũ, qui cum eius hoſtibus amicitiam colere, cum ipſo autem inimicitiam apertam ſuſcipere non veretur? Eſt ergo (vt diximus) multiplex huius admonitionis vſus, & ad omnis loci atq; ordinis homines pertinet, qui omnes victoriam aduerſus mundi huius cùm minas tum illecebras facilè obtinebunt, ſi Deum magis quàm homines timere diſcant. Nam ſi Verbi præcones cogitent, illis olim rationem ſui miniſterij reddendam eſſe, mox pio eius timore pleni omnibus, qui ipſis ſilentium mandare audent, cum Apoſtolis reſpondebunt. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Similiter qui in magiſtratu ſunt & iudices aliorum conſtituti, ſi meminerint Deum in medio ipſorum præſentem adeſſe, neq; audire ſolùm ipſorum ſententias, verumetiam corda inſpicere, & videre quo animo quoue affectu omnia dicant & faciant, nunquam certè aliquid ex odio cuiuſquam aut fauore pronuntiabunt. In fidei autem & religionis cauſa nullum ingenuo & ſyncero Dei timore fortius eſt propugnaculum, quo omnes minæ & pericula validiſsimè reijciuntur. Nam qui hoc ſeſe muniuerũt, ij nullis rationibus adduci poterunt, vt Dei Filium negent, quem ille ab omnibus agnoſci atque coli vult. Sentient enim nùlla venia dignum ſcelus eſſe ab eo defectionem facere, qui nos ſanguinis ſui pretio redemptos ſibi in peculium acquiſiuit. Cuius rei memorabile exemplum in Polycarpo extat, qui à Proconſule iuſſus, vt contra religionis Chriſtianæ leges per Cæſaris fortunam iuraret, & Chriſto conuitiaretur, reſpondit: Octoginta & ſex annis ei ſeruio, neq; me læſit vnquam: quomodo igitur poſſum maledicere Regi meo, qui ſalutem mihi dedit? Sed & in vita & moribus Dei timor, vt veræ ſapientiæ initium, ſic fortiſsimum ad tuendam innocentiam incitamentum eſt, & idem carnis cupiditates vnà cum peccatorum illecebris prorſus reſtinguit, ne nos ijs ſuperari patiamur. Hoc clypeo munitus Ioſeph heræ impudicæ illicitos amores effugit, & periculis inde enatis ſuperior factus eſt. Eodem Suſanna quoque pudicitiam ſuam aduerſus Seniorum libidinoſorum blanditias ſimul atque minas defendit. Dicebat enim: Melius eſt mihi, hoc flagitio non admiſſo, incidere in manus veſtras, quàm in conſpectu Domini delinquere. Quæ exempla ſatis docent à timore Dei alieniſſimos eſſe eos, qui hodie in religione impudenter ludunt, aut vitam ſuam ſceleribus & omni vitiorum genere polluunt.

Tyranni cum Deo conferuntur.

Porro quia vndiq; imminentibus periculis, & inter gladios nùdatos rogosq; accenſos conſtitutis, difficile eſt perſuadere, vt metu mortis poſito fidem in Chriſtum liberè & conſtanter profiteantur, admonitioni ſuæ argumenta quoq; addit Dominus, quibus ſuorum fidem labaſcentem cõfirmet. Et primum quidem his ipſis verbis continetur, quibus quid facere quidue cauere debeant, docet, atq; ex communi ſenſu deſumptum eſt, quo omnes homines admonentur, inter duo pericula leuius eſſe ſubeundum, ne grauiori implicemur. Confert enim inter ſe tyrannos & Deum, illorum item & huius vires ſiue poteſtatem, vitam deniq; hanc fluxam & mortalem cum futura & immortali. Et tyrannis quidem veræ fidei perſecutoribus tribuit, quòd trucidare quidem poſſint, & vitam hanc alioqui euanituram eripere, nihil autẽ præterea in nos iuris aut poteſtatis habeant. Penes Deum verò tam corporis quàm animæ poteſtatem eſſe ait, adeò vt & corpus occidere vitamq; hanc fluxam eripere, & ſimul animas in gehennam æternis cruciatibus torquẽdas abijcere poſſit. Ex qua comparatione validiſsimè

lidiſsimè concluditur, Deum potius quàm homines quantacunque potentia præditos timeri debere. Quid enim illi poſſunt, ſi omnia illis permittat Dominus, quod cum æternis inferorum pænis conferri mereatur? Corpus in carceres abripiunt, & vinculis duriſsimis conſtringunt: at interim anima in Chriſto libertate fruitur, & huius ſpiritu confirmata exultat. Ducūt deinde ad ſupplicium, vbi etſi omnes ingenij ſui crudeliſsimi vires intēdant, nō niſi horis aliquot corpus excruciare poſſunt, animā interim cum gaudio ſuam liberationē expectante, vt ex infelici hoc ergaſtulo ad beatorum ſpirituū ſocietatē in cælis triumphantē euadat. Itaq; beneficium conferunt tyranni, dum maximè in pios ſæuiunt. Nam eorum liberationē accelerant, adeoq; eos iuuāt, vt vitam hanc fluxam, miſeram & mortalem cum immortali commutent. Cur ergo illorum minas & rabiem homo Chriſtianus metuat? Potuit olim Marcum Caſtritium animare ſenectus, vt Cn. Carbonis Conſulis minas contemneret. Nam cùm hic illi minitaretur, ſe multos gladios habere, quibus imperium ſuum recuſantem interficeret, reſpondit ille: Et ego multos annos habeo: ita nimirum indicans, ſibi non poſſe terribilem eſſe mortem: quæ exigui temporis iactura ſibi iam conſtet, quo elapſo alioqui moriturus ſit. Cui ſimilis planè fuit Ceſelius, qui cùm multa liberius in Cæſarem diceret, amicis ne id faceret monentibus reſpondit: Duæ res quæ hominibus amariſsimæ videntur, mihi magnam licentiam præbent, Senectus & orbitas. Quòd ſi tantum animi prophanis hominibus & beatæ immortalitatis ſpem ignorantibus, addere potuit breuitatis vitæ huius præſentis conſideratio, quantò fortiores in contemnendis mortis terroribus eſſe conuenit nos, qui animas ad Chriſtum & æterna regni cæleſtis gaudia colligi nouimus? Magis autem confirmabimur, ſi cogitemus, Deum ſui cultus deſertores & fidei abnegatores æternis inferorum cruciatibus punire. Nam ſi hos cum ijs conferamus, quæ tyranni & horum miniſtri nobis inferunt ſupplicia, nihil in hoc ſeculo tam durum, tam triſte, tam miſerabile eſſe patebit, quod non patienter ferri debeat, vt futuri ſeculi tormenta ſubterfugiamus. Illic enim vermes illi nunquam intermorientes miſerorum tam corpora quàm animas arrodunt: illic ignis ille inextinguibilis ardet, quem æſtus furoris Domini accendit: illic ſempiternus auditur ploratus & ſtridor dentium. Horum meditatio olim Apoſtolos & ſanctos Martyres confirmauit, vt magno animo omnes minas tyrannorum & iam parata ſibi ſuppliciorum tormēta contemnerent. Et hic rurſus nobis exemplo eſt Polycarpus, cuius paulò ante mentionem fecimus. Nam cùm ei Proconſul ignē minitaretur, reſpondit: Ignē minaris hunc, qui ad momentum accenditur & ardet, at paulò poſt extinguitur: quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impiorū. In horum meditatione nos etiam frequenter verſari decet, ne huius vitæ incōmodis, aut tormentis, quæ impij carnifices nobis adhibent, terreamur: neue homines timeamus, qui in ſolū corpus rabie ſua graſſantur, obſtare autem non poſſunt, quò minus animæ ſtatim à morte ad æternas vitæ cæleſtis ſedes tranſmigrent, & ipſa quoq; corpora in magno illo die reſtitutionis omnium reſuſcitata glorioſo Chriſti corpori conformia fiant, & ſuis animabus reſtituta æternùm viuant & gaudeant.

Eſt autem hic locus eo etiam nomine memorabilis, quòd præclarum de animarū immortalitate & futura vita teſtimoniū continet. Nam ſi impij tyranni ſolùm corpus occidere poſſunt, Deus autem vbi corpus occidit, inſuper in gehennam poteſt conijcere, aliquam hominis partē eſſe oportet, quæ extincto corpore adhuc ſuperſtes maneat, & tam ſupplicij quàm præmij æterni capax ſit. Confirmatur hoc multis alijs ſcripturæ locis & exēplis, quæ nobis diligenter obſeruanda ſunt propter eos, qui cum corpore animas etiam intermori, & cum huius vitæ curriculo omnia hominis finiri dicunt. Quæ opinio pernitioſiſsimam ſecuritatem parit, timorem Dei extinguit, & cauſa eſt, vt in omni ſcelerum genere multi ſeſe volutantes, tandem magno ſuo malo verum eſſe ſentiant, quod nunquam voluerūt credere. Arguit præterea locus iſte Pontificum arrogantiam, qui & in corpora piorum ſæuiunt, & animas quoq; eorundem Orco deuouent. Atqui negat Chriſtus homines poſtquam corpus occiderunt, quicquam præterea poſſe. Eſt ergo illorum poteſtas vmbratilis, neq; timere ſibi debent ab eorum execrationibus pij, quibus Chriſtus benedixit & ſalutem æternam meruit. *Animarum immortalitas.*

At durum & iniquum aliquibus videri poterat, impios homines in corpora piorū aliquid poſſe & hæc trucidandi poteſtatem habere. Plenius ergo ſeipſum Chriſtus explicat, & hoc per Conceſsionem dictum eſſe oſtendit, docens tyrannis ne in corpora quidem noſtra quicquam licere, niſi hoc illis Deus permittat. Id verò probat argumento à Dei prouidentia ducto, qua omnia in hoc ſeculo reguntur. *Tyranni in corpus quidē poſſunt aliquid.*

Nonne quinq; paſſerculi (inquit) duobus aſſarijs veneunt? & vnus ex ijs non eſt in obliuione apud Deum? Quin etiam capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt, &c. Senſus eſt, Dei prouidentiam ad omnes creaturas extendi, adeò vt nihil vel extra hominem vel in homine tam vile & contemptũ requiri queat, quod ille ignoret aut negligat. Et ex eorũ quidem numero, quæ extra nos ſunt, paſſerculos nominat, quibus nulla inter aues vilior & magis etiam exoſa eſt, vt qui fruges modò conſumere nati videntur, & neq; cantu delectant, neq; in cibum adhibiti ſaporem gratum habent. Veruntamen hos Deus nouit, nec in genere modò, ſed ita, vt ne vnius quidem illorum obliuiſcatur, aut temere perire ſinat. Ex ijs verò quæ in homine ſunt, capilli allegantur, qui etſi ex corpore enaſci ſoleãt, vix tamen inter eius partes & membra numerari merentur, cùm excrementa potius ſint ex humoribus ſuperfluis enaſcentia, & ſine illis corpus conſtare poßit, adhæc abſque vllo labore reſecentur. Sed ne hos quidem à Patre ſuo negligi Chriſtus dicit, quin eos omnes in numerato habeat, vt abſque eius voluntate nullus poßit defluere. Ex his autem colligit, multò magis nos Deo curæ eſſe, nec quicquam nobis abſque eius permißione nocituros tyrannos, qui fidem veram & huius doctrinam extinctam volunt. Nam mox infert: Ne igitur timete: multis paſſerculis præſtatis. Quibus verbis argumentum hoc confirmatur. Qui enim auiculas & omnes alias creaturas tam fideliter protegit & ſeruat, qua ratione hominem negligeret, propter quem mundi huius totam fabricam cum omnibus quæ illa continentur, creauit? Dignitatis ergo noſtræ hîc nos admonet, vt huius memores eò efficaciorem ex Dei prouidentia conſolationem capiamus. Etſi verò dignitas illa omnibus hominibus communis ſit, & impijs quoque omnes huius mundi partes ſeruiant, præcipuè tamen locum habet in electis & credentibus, qui non ſolùm quoad corpus & hanc vitam mortalem à Deo creati, verumetiam in Chriſto regenerati, & germani filij Dei facti ſunt, quos hic æternæ etiam vitæ heredes eſſe vult.

Dei Prouidentia.

Meretur autem locus hic diligentem conſiderationem, & dignus eſt, quem nunquam non in animo noſtro & recenti memoria ſeruemus. Nam plurimùm facit ad veram Dei cognitionem, quæ nos in omni caſu officij admonet, & ſimul in ordine continet, ne exorbitemus. Docet enim Deum non modò Creatorem eſſe cæli & terræ omniumque eorum quæ his continentur: verumetiam omnia illa certo iudicio & decreto gubernare, ſingulis item proſpicere, vt quoad ipſe vult conſeruentur. Teſtantur idem paßim ſacræ literæ, & Dauid in Pſalmis prolixè Dei paternam curam commendat, qui feris quoque ſyluestribus & ab omni hominum vſu atque conſuetudine remotis pabulum ſuum in locis deſertis procreet, & ijſdem in ſummis etiam montium cacuminibus fontes aperiat, quibus recreentur. In præſenti autem Dominus Patris ſui prouidentiam ad ſingulos paſſerculos & capitis pilos extendit, ne quis generalem modò curam Dei fingat: quod multi hodie faciunt, qui etſi eius potentia & ſapientia mundum hunc regi non auſint negare, indignum tamen illis videtur, ſi talem fingamus, qui circa ſingulas creaturas ſit occupatus. Ideo quæ hîc Chriſtus dicit, & quæ alia huius generis in Scriptura ſacra habentur, per Hyperbolem dicta aiunt, neque opus eſſe, vt propterea Deum ad infima hæc & ſordida officia detrudamus. At iſti homines dum præ alijs ſapere volunt, ſe omnium ſtultißimos eſſe produnt: & dum diuinam maieſtatem tueri conantur, eam quàm maximè deprimunt & conculcant. Velim enim mihi dicant, quid nam per Hyperbolem de Deo dici poßit, qui & omnipotens & omniſcius & vbique præſens eſt? Certe quicquid illi ab eius cura exterminant, ipſius omnipotentiæ & gubernationi aliquid detrahent. Nec eſt quòd vereantur, ne illum ad ſordida eiuſque maieſtati indigna officia detrudamus. Nec enim ea illius, quæ opificum, eſt conditio, vt cum labore & moleſtia, aut etiam cum animi ſolicitudine res perficere cogatur: ſed nutus eius ad quæuis ſufficit, quem cæcus ille gentium Homerus tantæ virtutis eſſe agnouit, vt ſimul cælum terramque concutiat. Imò hoc euidentißimum maieſtatis eius argumentum eſt, quòd oculi eius omnia vident, quòd ſapientia ſua res omnes diſponit, quòd in ſingulis creaturis agit & operatur, quòd ſingula ad ſuum finem deſtinat, & vt eum aſſequantur dirigit, quòd denique illo inſcio vel inuito nihil accidit. Procul ergo faceſſant, qui in Dei Prouidentia neſcio quam Contingentiam ſtatuunt, qui proximus ad Epicureiſmum gradus eſt. Fatemur quidem nobis multa præter animi voluntatem & inſtitutum accidere, & multa in rerum natura fieri, quæ aliter fieri poterant: at quid hoc ad Deum, qui omnia videt & gubernat, adeò, vt ſi eius Prouidentiam

ſpectes,

ſpectes, nihil temere, nihil fortuito fiat? Num illum ex noſtro ingenio metiemur, & ne quid de illo dicamus, quod noſtræ rationi abſurdum videtur, eum à mundi gubernaculis deturbabimus? Sunt hæc indigna Chriſtianis auribus. Nobis ergo perſuaſum ſit, Deum omnipotentem eſſe, cœlum & terram penetrare, omnia regere, neq; quicquam abſq; eius voluntate fieri, quæ nobis quidem (vt D. Auguſtinus olim dicebat) non quidem ſemper nota, ſemper autem iuſta eſt.

Vſus Prouidentiæ Dei.

Vſus autem huius conſiderationis nobis eſto, nõ vt illius arcana ſcrutari, & quæcunq; fiunt, ad noſtræ rationis calculum reuocare velimus: ſed vt primùm memores, nos in Dei conſpectu agere, cuius oculos & aures nemo fallere aut latêre poteſt, tam in dictis quàm factis noſtris omnibus innocentiæ & ſanctitati ſtudeamus. Deinde vt hinc conſolationem petamus in aduerſis. Quia enim abſq; eius voluntate nihil fit, illo permittente nos tyranni perſequuntur, fortunis ſpoliant, ſedibus patrijs eijciunt, in vincula & carceres rapiunt, occidunt deniq; & omne crudelitatis genus in nos exercent. Similiter eius voluntas eſt, vt cum morbis diuturnis luctemur, vt egeſtate premamur, vt eſuriamus, algeamus, calumnijs circumueniamur, periclitemur, aut quicquid præterea homini incõmodum aut noxium accidere poteſt, ſuſtineamus. At quia idem ille Pater indulgentiſsimus, iudex item iuſtiſsimus, adhæc ipſa eſt ſapientia, procul dubio nihil nobis accidere ſinet, quàm quod nobis vtile & ſalutare fuerit, neq; quiſquam de eius iuſtitia conqueri poterit. Dei ergo manum in omni afflictionũ genere agnoſcamus, & leuiſsima mox apparebunt, quæ primo intuitu grauiſsima & prorſus intolerabilia eſſe videbantur. Hac conſolatione olim Ioſephus carcerem, ſeruitutem, calumnias & exilium diuturnum ſuperauit, quòd ſe nõ ſine certo Dei conſilio in Ægyptum perueniſſe cogitaret. Hæc ipſa Iobum quoq; armauit, vt opum direptionem, agrorum vaſtationem, liberorum dulciſsimorum miſerabilem interitum patienter ferret. Sciebat enim hæc omnia ſibi priùs à Deo gratuita liberalitate donata, nunc aũt iuſto iudicio rurſus erepta eſſe. Et ſanè qui hoc ipſum in ſuis periculis & aduerſis cogitant, nunquã impatientia ſuperabuntur, neq; aduerſus Deum murmurabunt. Adhæc fidem noſtram inter precandum hæc conſideratio confirmat, quando cogitamus Deũ nos laborantes videre, & proinde audire etiam ad ſe clamantium preces. Imò vt Deum ex fide inuocet impoſsibile eſt, quiſquis de eius Prouidentia dubitauerit. Mox enim cogitationes obrepent, Num te miſerum & contemptiſsimum ille reſpiceret? num tui curam ſuſciperet Deus, cùm te intimi tui negligant? num qui circa mundi totius gubernationem occupatus eſt, ſeſe ad tuas miſerias ſubleuandas demitteret? At inanes eſſe eorum preces, qui inter dubitationes eiuſmodi fluctuant; Scripturæ non vno loco docent. Rectè ergo Chriſtus ad Prouidentiam Patris cœleſtis diſcipulos remittit, in quam nos quoq; recumbere decet. Itaq; meminerimus nos ad cœleſtem & immortalem vitam creatos eſſe, & proinde fluxæ huius & mortalis iacturam patienter feramus: & quia huius etiam cuſtos eſt Deus, qui illius dies iam olim in numerato habet, de illa non plus æquo ſoliciti ſimus. Nam vt Apoſtolus ait, nullus ſibiipſi viuit, & nullus ſibiipſi moritur. Etenim ſiue viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur. Siue igitur viuamus ſiue moriamur, Domini ſumus. Ad hoc enim Chriſtus & mortuus eſt & reſurrexit & reuixit, vt tam mortuis quàm viuentibus dominetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVII.

Dico autem vobis: Quiſquis me confeſſus fuerit coram hominibus, eum Filius quoq; hominis confitebitur coram Angelis Dei. Qui verò negauerit me in conſpectu hominum, is abnegabitur in conſpectu Angelorum Dei. Et quiſquis dicet verbum in Filium hominis, ei remittetur: Ei verò qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur. Cùm autem adduxerint vos ad Synagogas, & ad magiſtratus ac poteſtates, ne ſoliciti eſtote, quomodo aut quid pro defenſione allaturi, aut quid dicturi ſitis: Spiritus enim ſanctus docebit vos eo ipſo momento, quæ oporteat dicere.

QVemadmodum homo felicitatis in hoc ſeculo appetens eſt, & hanc ferè ſuorum ſtudiorum atq; actionum finem ſiue ſcopum conſtituit: ita eam imprimis in religione quærere, imò etiam certò ſperare ſolet. Quia enim nos per hanc Deo, qui omnis boni fons eſt, coniungi audit, mox carnis ſenſum ſecutus ſpem magnarum opum, honorum, otij & pacis animo concipit, neglectis bonis cæleſtibus & æternis, quæ in ſe credentibus Deus offert. Eſt autem error hic nocentiſſimus, quia in cauſa eſt, vt pleriq; aduerſis, quæ præter omnem expectationem incidunt, offenſi, de religione ex huius ſeculi euentu iudicent, & à fide turpiter deficiant. Prudenter ergo Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos, qui fidei doctores eſſe debebant, aduerſus omnes tentationes armat & inſtruit. Et initiò quidem eos neglecta omni pompa & inanis oſtentationis fuco, integritati ſtudere & ab ipſo acceptam Veritatis doctrinam bona fide tradere iuſſit. Quia verò hoc non ſine periculo fieri poteſt, eò quòd mundus hic Veritatis lucem indigniſſimè ferat, rationes adhibet validiſſimas, quibus confirmentur. Prima eſt, quòd qui ad vitam æternam & beatam immortalitatem deſtinati ſunt, nequaquam ſibi ab hominibus timere debeant, qui non niſi corpus trucidare & vitam hanc fluxam eripere poſſunt. Altera ex Dei Prouidentia deſumitur, in quam illos recumbere iubet, quando fieri non poſſit, vt ſuorum vitam ille negligat, qui & auiculis otioſis proſpicit, & capitis noſtri pilos numeratos habet. Cæterùm, ne quis ſolis Apoſtolis & horum in docendi munere ſucceſſoribus hæc dicta putaret, nunc in genere omnibus doctrinam hanc applicat, docens, ab vnoquoq; noſtrûm liberam & ingenuam fidei confeſſionem requiri, neq; ſaluos fore eos, qui ipſum coram hoc mundo negauerint.

Cōfeſſio Chriſti omnibus præcipitur.

Sic enim ait: Quiſquis me confeſſus fuerit coram hominibus, eum Filius quoq; hominis confitebitur coram Angelis Dei: Qui verò negauerit me in conſpectu hominum, is abnegabitur in conſpectu Angelorum Dei. Comprehenditur hîc (vt modò dcimus) generale præceptum, quod ad omnes homines pertinet, qui Chriſtiani haberi & in Chriſto ſeruari volunt. Eſt hoc, vt eum liberè & ingenuè

Marc.8.

confiteamur, neq; nos eius apud quenquam pudeat. Ita enim hæc verba apud Marcum enunciātur. Non ergo ſufficit, vt intra animos noſtros de fide rectè inſtituti ſimus, ſed huius confeſſionem attendere oportet. Nam vt pater eum filium ferre non poteſt, neq; herus ſeruum, quem ſui pudere nouit, & marito intolerabile fuerit vxorem habere, quæ eius vxor videri nolit: Ita indigni ſunt, qui pro Dei filijs agnoſcantur, quos Patris cæleſtis & Filij eius vnigeniti pudet, neq; Chriſti ſerui & ſponſa cenſeri merentur, qui ipſi ſeſe hac dignitate abdicant, dum illum apud eos abnegant, quos eius hoſtes eſſe nouerunt. Et quia nos ex mundo ſelegit, vt totos ſibi conſecraret, nimiùm iniqui & ingrati ſunt, qui vt mundo placeant, illum ſuum Dominum & ſeruatorem agnoſcere dedignantur. Damnat itaque Chriſtus hoc loco omnes eos, qui fidei confeſſionem inter res medias & indifferentes numerant, & ſimul Chriſto ac mundo ſeruire volunt: quales hodie Libertini & Dauidiani ſunt, qui vbi ipſis commodum & vtile eſt, Chriſtum & fidem in hunc pleno ore profitentur: at vbi periculum imminere vident, eam turpiter diſſimulant, vel etiam disertè negant. Et hi quidem fide, quam in animo habeant, gloriantur, neque quicquam præterea à nobis requiri putant. Sed longè aliter hîc Chriſtus pronunciat, & notum eſt illud Pauli: Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus: Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum excitauit à mortuis, ſeruaberis. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Rom. 10.

Confiteri Chriſtum quid ſit.

Cæterùm ne fidei confeſſio vitioſa ſit & imperfecta, & eiuſdem abnegatio facilius caueri poſſit, teneamus oportet quid ſit Chriſtum confiteri aut abnegare. Illud itaque eſt, eum ingenuè coram quibuſuis pro humani generis vnico redemptore agnoſcere & prædicare, omnia deniq; profiteri publicè, quæ per Euangelium de illo traduntur. Itaq; confeſſionis regula ex Euangelio peti debet, quod ipſe apud Marcum, & ſupra Cap. nono, non obſcurè docet, vbi ſe & ſermones ſuos coniungit, dicens: Quemcunq; puduerit mei & meorum ſermonum, &c. Et Paulus fidem ſuam profeſſurus aiebat: Non me pudet Euangelij Ieſu Chriſti: eſt enim potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Conſtat autem confeſſio vera verbis & factis. Verborum confeſſio eſt, qualis Petri fuit, qui quid diſcipuli de Chriſto ſentirent interrogatus omnium nomine reſpondit: Tu es CHRISTVS ille, Filius Dei viuentis. Cui reliquorum etiam Apoſtolorum & Martyrum omnium confeſſiones conſentiūt. Et hîc exigitur, vt & de perſona ſiue eſſentia Chriſti, & de eiuſdem officio rectè pronuntiemus. Et in perſona quidem vna atq; indiuiſa Deum ſimul & hominem fateri oportet. Quoad officium

verò, quòd idem ille Sacerdos ſit æternus & Rex, quem Deus Pater æterno ſuo decreto conſtituerit ſuper Zion montem ſuum ſanctum. Ad Sacerdotium pertinet, vt doctorem catholicum æternæ veritatis agnoſcamus, & talem quidem, qui ſeipſum pro nobis in ara crucis obtulerit, & peccatorum remiſsionem meruerit nobis ſempiternam, quique peracto ſalutis negotio in cœlos ſubuectus noſter apud Patrem Mediator ſit & aduocatus. Regis autem officium præſtitit idem, quando nos ex diaboli tyrannide aſſeruit, & adhuc Regem agit fidelem & bonum, dum Eccleſiam ſuam aduerſus omnes hoſtes tam viſibiles quàm inuiſibiles tuetur, dum eandem legibus bonis & ſanctis regit, iuſtitiam facit & iudicium in puniendis hoſtibus & ſeruandis ſuis, dum denique liberalitate plus quàm regia regni cœleſtis theſauros inter nos diſtribuit, noſq; ditat omni benedictione ſpirituali. Hæc omnia in illo fateri oportet eos, qui veram & perfectam confeſsionem verbis edere volunt. Vbi imprimis obſeruandum, vt iſta omnia illi ſoli tribuantur, neue quæ eius ſunt in alios partiamur. In hoc enim multi hodie peccant, qui ſe officio ſuo probe defunctos putant, ſi iſta obiter de Chriſto fateantur, cùm interim hæc ipſa Diuis quoque cœlitibus tribuant, & ita illum magna ex parte ſuo honore ſpolient. At neminem ille in ſuæ gloriæ conſortium admittit, & hoc olim Martyres probè obſeruarunt, qui hoc potiſsimum nomine horrendis ſupplicijs excruciati ſunt, quòd vno Chriſto contenti, nullos alios Deos & ſeruatores voluerunt agnoſcere. Factis autem illum fatebimur, ſi tota vita Chriſtum loquatur, ſi apud illum ſolum quæramus quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, neque aliquid admittamus quod eius merito deroget.

Ex his iam colligi poteſt, quid ſit Chriſtum & fidem in hunc abnegare. Fit hoc quoque non vno modo. Craſsiſsimum verò abnegationis genus eſt, quando Dei Filius eſſe negatur & vnicus humani generis redemptor, ſimulq; Euangelium ipſius falſi arguitur, denique ſi nobis nihil cum eo commercij intercedere dicamus. Ita autem illum alij ex prophano contemptu & malitia negant, vt olim Iudæi coram Pilato, & impius ille omnis religionis illuſor Iulianus Apoſtata: alij autem ex metu, quod Petro inter Sacerdotum famulos accidiſſe ſcimus. Verumq; hodie nimis vulgare eſt, dum alij procul abiecto diuini cultus ſtudio mundi amicitiam atq; voluptates ſectantur, alij autem ad quaſuis impiorum minas conſternati, illorum poſtulationibus nimium ſeruiliter indulgent. Factis etiã Chriſtus negatur multiuariàm. Primùm, cùm contra Chriſtianæ profeſsionis leges alienis ſacris communicamus, cœtus papiſticos accedimus, Miſſas audimus, apud ſimulachra procumbimus, aut quocunq; honore illa veneramur: cum item ſacra pro defunctis facimus, aut illis adſtamus in hominum gratiam. Quibus etiam adnumerari debent, qui per Deos aut Diuos iurant, quod olim à Martyribus imprimis requiſitum fuiſſe hiſtoriæ eccleſiaſticæ teſtantur. Quia enim hæc omnia cum fidei ingenio & legibus pugnant, non poſſunt non ignaui huius diſsimulatores aut abnegatores dici, quotquot aliquid horum faciunt. Deinde abnegatur Chriſtus, quando in aduerſis & periculis alibi quàm apud illũ ſolum opem & auxilium quærimus. Faciunt hoc qui Diuos inuocant & illis vota nuncupant: qui in morbis aut rerum amiſsione Magos & diuinos conſulunt: qui deniq; in hominibus plus ſpei habent quam in Deo, quẽ nobis Chriſtus placatum & propitiũ reddidit. Nam has abnegationis ſpecies eſſe, Deus in Prophetis paſsim docet. Eos enim defectionis impiæ accuſat, qui etſi ipſum ex parte faterentur, Deos tamẽ alienos inuocabant. Et Ochoziæ, qui ex graui morbo decumbens ad Baalzebub Deũ Ekrom legatos mittebat, Elias dici mandauit: Annon eſt Deus in Iſraele, quòd vos conſultũ mittitis ad Baalzebub? Quæ verba ſatis docent, de Deo prius ſpem omnẽ eos abieciſſe, qui alio confugiũt in periculis. Ieremias autẽ maledictum pronuntiat, qui ſpem ſuam ponit in homine, & Aſa Rex hoc nomine repræhenditur, quòd ex pedibus laborans medicorum potius quàm Dei opem quæſiuiſſet. Fit præterea abnegatio moribus & vitæ conuerſatione, quando ore quidem profitemur, vitam autem viuimus ab eius regula alieniſsimam, neque obedimus Euangelio, quod verum & ſanctum eſſe dicimus. De talibus Paulus pronuntiat: Deum fatentur ſe ſcire, verùm factis eundem negant, cùm ſint abominabiles & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. Et ſanè fieri non poteſt, vt Chriſtum ſuum redemptorem eſſe, & eundem omnis carnis iudicem fore credant, qui ita viuunt, vt propter ipſos nomen eius & Euangelium malè audiat. Hæc igitur omnia Chriſtus prohibet, & vult vt relictis procul ſuperſtitionibus & vitijs ipſum tam ore quàm vita ingenuè profiteamur. Eſt enim hæc non poſtrema cultus diuinæ pars, & ij demum fidem ſuam in hoc mundo piè &

Abnegare Chriſtum quid ſit?

vtiliter exercent, qui liberum ſui ſeruatoris confeßionẽ ſuperſtitionibus atq; corruptis mundi ſtudijs fortiter opponunt, & ſi opus ſit, etiam ſanguine ſuo illi teſtimonium ferunt.

Confeßionis Chriſti præmium. Quia verò hoc carni durum & graue videtur propter impiorum petulantiam & tyrannorum rabiem, qui veros Chriſti confeſſores non oderunt modò, verumetiam extinctos volunt, præceptum ſuum ille promißione magnifica & comminatione terribili confirmat. Nam quiſquis (inquit) me confeſſus fuerit coram hominibus, eum Filius quoque hominis confitebitur coram Angelis Dei. Filium hominis ſeſe dicit, vt ijs medeatur; qui vili eius ſpecie ita offenduntur, vt eius ipſos pudeat, ideoq; Angelorum quoque meminit. Quaſi diceret: Etſi nunc non alius quàm filius hominis, imò hominum infimus & miſerrimus eſſe videar, non eſt tamen quòd aliquem mei pudeat. Nam ſimul æternus ille Dei Filius ſum, quem Daniel olim innumeris Angelorum myriadibus ſtipatum vidit, & qui in nouißimo die cum Angelis ſanctis in gloria Patris venturus ſum ad iudicandum viuos & mortuos: & tunc ego quoq; veræ fidei & pietatis teſtimonium feram ijs, qui me coram hominibus confeßi fuerunt, imò eos pro fratribus & fideliſsimis meæ gloriæ vindicibus agnoſcam. Eſt hæc ampliſſima promißio, quæ omnem hominis felicitatem continet, vnà cum omnibus, quæ ad ſalutem æternam faciunt. Si enim olim ſui nominis confeſſores Chriſtus agnoſcet, vtique iam quoq; in certamine conſtitutos vides tanquam Agonothetes aliquis diligentißimus. Poteſt hoc vnũ nobis animos addere. Quem enim non pudeat remißius & ignauius agere in Filij Dei conſpectu? Aut quis de victoria deſperes, qui cogitat illum non modò laborum & certaminum noſtrorum ſpectatorẽ eſſe, verumetiam præſidem fidelem, qui pro ſua gloria certantes ſuo fauore iuuat, & infirmioribus aut iam ſuccubituris nouas vires ſufficit, vel aſſultus hoſtis coercet, vt in omni pugna ſuperiores fieri poßint? Eſt enim (vt Paulus ait) fidelis & noſtri amans, neq; nos ſupra quàm ferre poßimus tentari ſinit. Quanta autem hæc gloria futura eſt, quando in totius mundi, & quidem hoſtium ſuorum iam ad æternas pœnas deſtinatorum conſpectu, adhæc coram ſanctis Angelis & Patre ſuo cæleſti, eorum fidem & virtutem Dei Filius publicè commendabit, qui ipſum in hoc mundo ingenuè confeßi fuerũt? Gaudent Imperatorum ſuorum triumphis milites, & eius honoris ſpe fortius pugnant. Atqui luſus & iocus, imò inanis gloriæ vmbra ſunt triumphi huius ſeculi præ illa gloria, quam in illo die veri Chriſti cultores obtinebunt. Finge Regis potentißimi filium e pugna reuerſum coram patre in frequenti procerum & nobilium totius regni conſeſſu aliquos producere, qui ab hoſtibus circumuentum protexerint, & non ſine periculo & vulneribus liberarint. Quis non beatos dicet quibus hoc contingit? Quis non honeſta & felicia iudicabit vulnera, quæ tantum habent præconem, & quibus merces quoq; maxima iam parata eſt? Quantò igitur felicior eorum ſors erit, quibus in magno illo die virtutis & fidei conſtantis teſtimonium deferet æternus Dei Filius? Nam quos hic nunc pro ſuis agnoſcet, ij ipſius fratres atq; cohæredes erunt, & (vt diſcipulis dicebat) ad illius menſam beatè illo immortalitatis nectare in æternum fruentur.

Abnegatorum Chriſti pœna. E contra, Qui negauerit me in conſpectu hominum, is abnegabitur in conſpectu angelorum Dei. Apud Marcum loco hominum ponit nationem adulteram & peccatricem, vt oſtendat, non dignum eſſe mundum aut huius ſeculi filios, quorum tantam rationem habeamus, vt propter eos ipſum abnegemus. Sunt enim adulteri & degeneres, qui & fidem Deo debitam dudũ violarunt, & ingenium filiorum Dei nullo modo referunt, cùm toti ſceleribus & vitijs ſint obſiti. Facit ergo hoc ad ſceleris amplificationem, ſi propter tales æternus Dei Filius negetur, qui nobis à Patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio factus eſt. Ideo minatur, quòd ipſe etiam abnegaturus ſit coram Angelis Dei eos, qui ipſum coram hominibus tam peruerſis & improbis negare audent. Vt verò prioribus illis omnem felicitatem cum ſumma gloria coniunctam pollicetur: ita his omnem infelicitatem & extremam ignominiam minatur. Quia enim ſalus in illo vno habetur, ab hac excidant oportet, quoſcunq; ille ſuo teſtimonio reijcit, ne in filiorum Dei & fratrum ſuorum numero cenſeantur. Et quæ turpior atque infelicior ignominia homini accidere poteſt, quàm ſi in conſpectu omnium Angelorum & electorum Dei pro Chriſti ſeruatoris noſtri deſertore habeatur, & eo nomine excludatur à Regni cæleſtis conſortio? Etenim quem ille abdicat, huic in hoc etiam ſeculo omnes creaturæ infenſæ ſunt, & idem diabolo permittitur, qui infinitis modis ludificatum tandem ad ſempiternos inferorum cruciatus abripit. Eſt ergo locus hic multa & diligenti conſideratione dignißimus. Docet

enim

enim eos demum verè Chriſtianos eſſe, qui fidem & vitam ſuam ita inſtituunt, vt eos Chriſtus in aduentu ſuo nouiſſimo pro ſuis poßit agnoſcere: non qui nomine Chriſtiano & Dei verbo atq; Sacramentis abſque fide gloriantur. Studeamus ergo ijs rebus, in quibus veram Chriſti confeßionem conſiſtere diximus, ea autem horreamus & abominemur, quibus ille abnegatur.

Quia verò de his multi leuißime iudicant, quibus etiam indignum & iniquum videtur tam graue ſupplicium ijs ſtatui, qui Chriſtum vel ex metu vel alicuius luculenti commodi cauſa abnegant, amplius ille docet, quàm graue & immane hoc ſcelus ſit, & ſimul comminationis ſuæ rationem reddit. Sic autem ait: Et quiſquis dicet verbum in Filium hominis, ei remittetur: Ei verò, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur. Diſtinguit inter eos, qui ipſum ex ignorantia reijciunt & contumelioſius habent, & alteros illos, qui cùm Dei Filium & humani generis ſeruatorem eſſe norint, nihilominus vel lucri vel periculi alicuius vitandi cauſa, vel deuota malitia, eum abnegant. Nam in Filium hominis conuitium dicere aut peccare dicuntur, qui nondum eius cognitione illuminati ſunt, & proinde eundem Dei Filium eſſe ignorant, nec quicquam homine maius in illo agnoſcunt. Vt ſi quis Regis filium, abſque omni comitatu & pannis laceris malè tectum, erronem dicat ex ignorantia, quod minimè facturus erat, ſi Regis filium eſſe sciret. Ad hunc modum multi olim Chriſtum negauerunt & eidem conuitiati ſunt, vt multi Iudæorum, qui illum Pilato traditum ad crucis ſupplicium ſeditioſis clamoribus poſtularunt: quos Petrus hoc per ignorantiam feciſſe teſtatur, & ideo plurimos ex illis ſeruatos fuiſſe legimus. In quo numero ij quoque, qui illum in crucem ſuffixerunt, cenſendi ſunt, pro quibus ipſe Dominus intercedens ait: Pater remitte eis, neſciunt enim quid faciant. Et Paulus: Si cognouiſſent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Quin hic ipſe Apoſtolus non modò aduerſus Filium hominis multa contumelioſè dixit & fecit, ſed eiuſdem Eccleſiam quoque hoſtiliter & crudeliſſimè perſecutus eſt. Idem tamen gratiam inuenit apud Deum, quia patriæ legis zelo excæcatus & ignorans hæc omnia fecit. Tales hodie multi ſunt, qui vel Papiſticæ ſuperſtitionis tenebris adhuc immerſi, vel Mahumeticis delirijs faſcinati fidem Chriſtianam oderunt, & de Euangelij doctrina peſſimè loquuntur, id autem zelo bono, ſed non ſecundùm ſcientiam, faciunt. Et his quidem omnibus in præſenti Chriſtus æternæ ſalutis ſpem facit, quando eos remißionem ſui peccati conſequi poſſe teſtatur. Non ergo de illis facilè deſperare, multò minus autem eos temere damnare, ſed potius (quod Chriſtus & Paulus fecerunt) pro illis apud Deum intercedere, & eorum ſalutem precibus noſtris adiuuare debemus. Eſt autem hoc magnum diuinæ bonitatis argumentum, quòd cùm æterno ſupplicio dignus ſit, qui in hominem quemcunque vel ex odio, vel ira, vel ſuperbo contemptu contumelioſius eſt, conuitia tamen quæ in Filium ſuum vnigenitum dicuntur, benignè remittit, & in gratiam recipit eos, à quibus grauißimè læſus eſt. Quod vt in tentationibus conſcientiæ nos plurimum conſolari & in fide confirmare poteſt: ita officij quoque nos admonet, ne rigidiores ſimus in eos, qui nos aliquo dicto aut facto læſerunt.

De ijs, qui Chriſto conuitiantur ex ignorantia.

Cæterum ijs, qui in ipſum per ignorantiam peccant, eos opponit, qui conuitium dicunt in Spiritum ſanctum, & horum ſcelus nullam veniam aut remißionem habiturum teſtatur. Quod non ita accipi debet, quaſi Spiritus ſanctus Filio præſtantior ſit, aut hic ab illo diuelli poßit: Sed in Spiritum ſanctum contumelioſi eſſe dicuntur, qui per hunc Filij Dei cognitione illuminati, & intra conſcientias ſuas conuicti, hunc & Deum verum & diaboli victorem atque olim promiſſum humani generis redemptorem eſſe, nihilominus tamen illum negant, & eius doctrinæ contradicunt. Tales olim Phariſæi fuerunt, qui etſi doctrina & miraculis conuincerentur, Chriſtum diuina virtute malos ſpiritus eijcere, eum tamẽ coniurationis cum Beelzebub factæ accuſabant. Talis olim Pharao quoq; fuit, qui etſi sciret Moſem & Aaronem Dei negotiũ agere, & ſæpius Spiritus ſancti ſuggeſtione ſuperatus ſe huic obtemperaturũ eſſe polliceretur, mox tamen ad ingeniũ redijt, & populum Dei tyrannide maiori oppreßit. In horum etiã ordine Iulianus Apoſtata poni debet, qui Chriſtum, quem prius publicè profeſſus fuerat, Galilæum dicere ſolebat, & nihil non moliebatur, vt eius doctrinam atq; vaticinia falſi argueret. Quibus in præſenti Dominus omnes eos adnumerat, qui vt dignitates, honores, mundi amicitiam, opes, vitã deniq; retineant, fidẽ in ipſum abnegant, ſuperſtitionibus & ſacris alienis communicant, & ab eius Eccleſia manifeſtã faciunt ſeceßionem. Et hos quidem in Spiritũ ſanctum blaſphemos eſſe ait, quia hæc facere non poſſunt, quin hunc falſi accuſent, & quã ex eius illuminatione

Conuitium in Spiritum ſanctum.

habuerunt Chriſti cognitionem, impiè conculcent. Quod Paulus obſeruans coram Rege Agrippa fa-
Acto.26. tetur, ſe Chriſtianos homines ad blaſphemandum coegiſſe: nimirum quòd videret cum fidei abnega-
tione blaſphemiam in Spiritum ſanctum coniunctam eſſe. De iſtis verò Chriſtus pronunciat, quòd
Hebr.6. remiſſionem peccati nullam ſonſequantur: quia (vt Paulus ait) non poſſunt renouari per pœniten-
tiam. Vt enim terra quædam, etſi pluuijs & rore irrigetur, non tamen molleſcit, neque fœcunda red-
ditur, quod apertum maledictionis veteris & ſterilitatis incurabilis indicium eſt: ita illi quàmuis
verbum Dei audiant, amicè moneantur, animos ſuos interdum vinci ſentiant, adeò tamen non emen
dantur, vt potius contumaciores fiant, & vndique rationes conquirant, quibus ſibijpſis delitias fa-
ciant & defectionem à fide tueantur. Tales hodie multos eſt videre in Epiſcoporum & principum
aulis, inter eos item, qui lucri & quæſtus cauſa in ea loca concedunt, vbi veritatem profiteri non au-
dent, & inſuper ſacris atque cultibus illicitis intereſſe coguntur. Qui non contenti ab Eccleſia Chri-
ſti ſeceſſionem feciſſe, inſuper conditionem ſuam mirificè commendant, & ſibijpſis magnæ pruden-
tiæ laudem tribuunt, qui rebus ſuis tam probè conſuluerint. Sed quicquid illi dicant, in Spiritum
tamen ſanctum contumelioſi ſunt, cuius dona tam ſecurè aſpernantur. Et de his nos pro ſuo erga
homines amore Chriſtus admonet, vt reuelatam nobis ſui cognitionem & fidei veræ lucem ma-
gni facere diſcamus, & in eius confeſſione conſtanter perſeueremus. Quàm primùm enim de illa le-
uius ſentire incipitur, euaneſcit paulatim Dei timor & fidei zelus: quò fit, vt à paruis initijs ad
ſcelus illud longè atrociſſimum progrediamur, quod certam homini pernitiem & æternam mor-
tem affert.

Conſolatio rudium & indoctorum. Porro multos à fidei libera atque ingenua confeſſione abſterret, quòd ſuæ inſcitiæ & infantiæ
ſibi conſcij metuunt, ne confeſſionem ſuam aduerſus hoſtes authoritate & rerum vſu atque eruditio-
ne præſtantes tueri poſſint, & ita non ſeipſos modò, ſed totam quoque fidei Chriſtianæ cauſam impio-
rum ludibrio exponant. Quapropter huic etiam obſtaculo Dominus remedium præſens adhibet,
dicens: Cùm autem adduxerint vos ad Synagogas, & ad magiſtratus ac poteſtates, ne ſoliciti eſtote,
quid pro defenſione allaturi, aut quid dicturi ſitis, &c. Synagogas nominat, ſub quibus nos Concilia
quoque intelligere poſſumus, in quibus ferè præſident, penes quos ſumma eſt ſanctitatis & eruditio-
nis exiſtimatio. Deinde magiſtratuum meminit, quo nomine iudices intelligit, qui aliorum nomine
& mandato iudicia publica exercent. His coniungit poteſtates, id eſt, ſupremos rerum dominos,
quales ſunt Reges, Imperatores & quotquot horum ſimiles ſummum & merum imperium in ſuos
obtinent. Tribus ergo verbis comprehendit quicquid in mundo magnificum & terribile habetur: &
ſimul de ſua ſorte fideles omnes admonet, fore nimirum vt capti coram talibus ſiſtantur, vt ſuæ fidei
rationem reddant: quod Matth. decimo cap. apertius dicit. Iubet autem ne propterea animis conci-
dant, imò ſolicitos eſſe vetat quid dicturi aut quibus argumentis cauſam ſuam defenſuri ſint. Vbi
nemo putauerit, Chriſtum nos ſecuros rerum eſſe velle, qui belluino ſtupore omnia negligamus, quæ
nobis accidunt. Nam alibi ſerpentina prudentia nos hominum inſidias cauere iubet. Sed anxiam
illam animorum ſolicitudinem prohibet, quæ perplexos & ſeruiliter timidos reddit, atque liberam
veritatis confeſſionem quàm maximè impedire ſolet. Vult ergo nos animo præſenti & ad omnem
euentum parato eſſe, ne propriæ infirmitatis aut inſcitiæ ſenſu nos ſuperari aut abſterreri patiamur.
Et præcepto promiſſionem conſolationis dulciſſimæ plenam ſubijcit: Spiritus enim ſanctus docebit
vos eo ipſo momento, quæ oporteat dicere. Alibi hoc ipſum maiori verborum emphaſi explicans ait:
Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri is eſt, qui loquitur in vobis. Eſt autem
promiſſio hæc plurimis exemplis confirmata. Nam ſi Apoſtolos ſpectemus, nihil illis imperitius &
ab omni diſciplinarum ſtudio alienius fuit. At ijdem accepto Spiritu ſancto non apud vulgus modò
hominum Euangelij doctrinam perſpicuè & commodè prædicarunt, verumetiam in Senatu Hiero-
ſolymitano Chriſti cauſam tanta conſtantia & dexteritate egerunt, vt omnibus admirationi eſſent,
qui illos homines idiotas & illiteratos antea fuiſſe ſciebant. Quid autem de caeco illo dicemus, quem
Ioannes cap. nono deſcribit, qui cum à partu matris oculorum vſu deſtitutus fuiſſet, & mendicando
victum ſibi parare cogeretur, tamen ob acceptum à Chriſto viſus beneficiũ in Sacerdotum & Pha-
riſæorum conſeſſum vocatus, in confitendo illo talem ſeſe præbuit, vt magnifici illi doctrinæ & au-
thoritatis ſuæ oſtentatores omnibus ludibrio eſſent. In eccleſiaſticis verò hiſtorijs multa huius gene-
ris exem-

ris exempla inueniuntur. Conſtat enim non ſemel mulieres, pueros, puellas vix dum nubiles acutiſſimis philoſophorum & tyrannorum quæſtionibus ſic reſpondiſſe, vt illi non haberent quod opponerent, præter faces & gladios atque reliqua impiæ crudelitatis inſtrumenta. Et noſtro ſeculo omnes prope nationes eiuſmodi exempla viderunt, & adhuc non ſine multorum admiratione vident. Quæ omnia nos de huius promiſſionis veritate nequaquam dubitare ſinunt.

Debet igitur ex his doctrina ſiue conſolatio generalis peti, Deum videlicet nequaquam ſuos miniſtros deſerere, quorum opera & miniſterio ad regnum ſuum propagandum vti decreuit. Nouit enim qui ſimus, & quàm multa nobis deſint eorum, quæ ad tantam functioem ſunt neceſſaria. Ipſe ergo nos inſtruit, & eos qui (vt Paulus ait) ne ad cogitandum idonei erant, ſubitò ad omnia idoneos & inſtructos facere conſueuit. Sic Moſem olim ex tardioris linguæ & meticuloſo homine facundum & animoſum reddidit. Sic Bezaleelem ſapientia, intelligentia & ſcientia donauit, vt ad mirificam & artificioſiſſimam tabernaculi atque ſacrorum vaſorum ſtructuram poſſet ſufficere. Similiter ſeptuaginta illos Seniores repente Spiritus ſui donis repleuit, quos Moſis in adminiſtranda repub. ſocios eſſe volebat. Quibus multorum Iudicum, qui populi vindices fuerunt, Dauidis, Solomonis, Prophetarum denique omnium exempla adnumerari poterant, in quibus omnibus ſimilis Spiritus ſancti virtus & præſens auxilium eluxit. Debent ergo promiſſionem hanc ad ſe transferre omnis loci & ordinis homines, vt in ſuo munere conſtantes ſint & intrepidi. Expectent ſinguli legitimam vocationem, neque ipſi temere onera ſubeant, ad quæ illos Deus non deſtinauit. Vocati autem ſedulò officium faciant, neque illis deerit Dominus, ſi quid per eos confectum volet, & quàmuis euentus noſtræ voluntati non ſemper reſpondeat, probatur tamen illi ſanctus conatus noſter, & ſua ſemper apud illum parata erunt virtuti præmia. Imprimis autem hæc in fidei cauſa meditemur, & conſtantes ſimus in Ieſu Chriſti confeſſione, vt hic quoque nos pro fratribus & cohæredibus ſuis agnoſcat cùm venerit ad iudicandum viuos & mortuos in gloria Patris ſui. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Deus ſuos donis neceſſarijs inſtruit.

HOMILIA CXXVIII.

Dixit autem ei quidam è turba: Magiſter, dic fratri meo, vt partiatur mecum hæreditatem. Ipſe verò dixit ei: Heus tu, quis me vobis iudicem aut partitorem conſtituit? Dixit igitur eis: Videte & cauete ab auaritia. Neque enim cùm quiſpiam abundat, vita ipſi conſtat ex bonis ſuis. Dixit autem eis parabolam in hæc verba: Hominis cuiuſdam ager vberes prouentus tulit: itaque ratiocinabatur apud ſe dicens, Quid faciam? nec enim habeo vbi cogam fructus meos. Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo, & illic cogam fructus meos, & bona mea: & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona, repoſita in annos multos: requieſce, comede, bibe, oblectare. Dixit autem ei Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ verò parauiſti, cuius erunt? Ita eſt qui theſaurum congerit ſibi, nec eſt in Deo diues.

QVoniam Dei Filius, Ieſus Chriſtus propter nos in mundum venit, & eò vſq; ſeipſum demiſit, vt ſerui formam ſiue perſonã ſuſciperet, optimo iure à nobis viciſſim requirit, vt & nos eius non pudeat, vtq; ipſum coram quibuſuis noſtrum Dominum & ſeruatorem eſſe liberè ac ingenuè profiteamur. Et quia hîc multa nos impediunt, rationes nuper validiſſimas adduxit, quibus fides noſtra confirmari poteſt, ne vel mortis vel alterius alicuius periculi metu nos à confeſſione eius abſterreri patiamur. Cæterùm inter fidei obſtacula, quibus eius confeſſio quoque impeditur, nullum vulgarius & efficacius ſiue nocentius eſt, quàm auaritia & inſatiabile opum huius ſeculi ſtudium. Vt enim hoc accenſi plerunque diuitias per fas nefaſque acquirunt: ita qui illas iam acquiſiuerunt,

ij aut ſpem & fiduciam in ijs collocando idololatræ fiunt, aut illis ad luxum & faſtum abutuntur,
quo inebriati diuina & cœleſtia bona negligunt. Vtrique certè cùm propter fidem & religionem opes
in periculum veniunt, illam potius abnegare, quàm has amittere volunt. Commodiſſimè ergo Chri-
ſtus nouam orationem inſtituit, qua credentes diligenter & copiòſe admonet, vt in Dei ſolius Pro-
uidentiam recumbant, & ſorte ſua contenti cœleſtia quærant, ne ab hac nocentiſſima peſte circum-
uenti ſalutis æternæ iacturam faciant.

Auari exemplũ in Christò terrena quærẽtis. Occaſionem de his diſſerendi Chriſto præbuit auarus quidam, qui de grauiſſimis rebus dicentem
interturbat, importuno clamore petens, vt fratrem, à quo ſe fraudatum aut omnino deiectum queri-
tur, ad iuſtam patrimonij diuiſionem cogat. Quod etſi importunè ſimul & imprudenter faciat, alij
tamen errores atque vitia grauiora concurrunt. Primò enim non leuiter delinquit in eo, quòd ſolis
opibus & à maioribus relicto patrimonio intentus, à ſeria & attenta verbi Dei auſcultatione ſiue
meditatione mentem ſuam auocari ſinit. Eſt ergo fucatus Chriſti diſcipulus, & ex eorum audito-
rum numero, qui ſemen verbi à curis & ſolicitudine huius ſeculi ſuffocari patiuntur, ne dignum fru
ctum ferat. Accedit huic vitio alter error, quòd Chriſtum terrenum principem & rerum tempora-
lium iudicem fingit, cuius authoritate & iuſſu frater cogi poſſit & debeat. Itaque in illo non regni
cælorum theſauros, ſed huius ſeculi bona & eorundem tutam atque tranquillam poſſeſſionem quæſi-
uit. Quem errorem inter Iudæos vulgarem omnino fuiſſe alibi diximus, nimirum quòd Propheta-
rum oracula de Regno Meſſiæ ſecundum literam & carnis ſenſum acciperent, neglectis interea pro-
miſſionibus bonorm cœleſtium, quæ ille nobis offert. Eſt autem auarus hic & importunus Chriſti
auditor typus omnium eorum, qui ſub Chriſtianæ fidei atque religionis prætextu non aliud quàm
quæ carnis ſunt quærunt. Hi etſi aliquando, vel etiam frequenter admodum, cœtibus ſacris inter-
ſint, & conciones ex verbo Dei audiant, non mouentur tamen ijs, quæ de ſalute æterna & huius ac-
quirendæ ratione dicuntur. Nam aut animis ſuis peregrinantur, vt dictis minimè aures præbeant,
aut quæcunque audiunt, ad ſuorum affectuum calculum reuocant, quibus niſi ſatisfiat, omnia ſcur-
Mich. 2. riliter & cum riſu exibilant. Fuerunt tales multi Prophetarum temporibus, quos Micheas repræ-
hendens ait: Si vir eſſem ventum ſequens & mendacium concinnãs, & ſtillarem, id eſt, propheta-
rem de vino & ſicera, tũc Propheta eſſem pro hoc populo. Hodie autem paſſim audiuntur, qui non
minus impiè quàm impudenter à verbi adminiſtris poſtulare audent, vt conciones habeant blan-
das, vtque ad belluiuum potandi certamen, ad choreas & ſaltationes laſciuas, ad vſurariorum frau
des, ad bella mercenaria, & quæ alia ſunt huius generis conniueant. Plerique verò, vt noſter hic,
ſub Euangelij prætextu opes quærunt, neque alio inſtituto illud amplectuntur, quàm vt ex cœno-
biorum & Eccleſiarum bonis diteſcant. Atqui omnes iſti, quàmuis interdum in fidei profeſſione
toti feruere videantur, mox tamen deficiunt, quando ea ſibi negari aut eripi vident, quæ ipſis vnicè
cordi ſunt. Quare hîc antidoto præſenti & efficaci opus eſt, quod hac occaſione oblata Chri-
ſtus adhibet.

Chriſtus non vult hereditatem partiri. Prius tamen auari iſtius importunam poſtulationem graui reſponſione abs ſe reijcit, dicens:
Heus tu, quis me vobis iudicem aut partitorem conſtituit? Atqui bonum opus eſt fratres ob hære-
ditatem aut alias cauſas inter ſe diſcordes reconciliare, & vt id faciamus charitatis lex monet. Iu-
ſtum quoque & æquum eſt, ne quem fraudari patiamur, ſed pro virili curemus, vt vnicuique de-
tur quod ſuum eſt. Et in lege Deus multa ſtatuit de hæreditatibus, ne hæ ad alienos transferan-
tur. Denique quanti patrimonia ſua pij ſemper fecerint, vel vnius Nabothi exemplum docere po-
teſt, qui à patribus ſuis ſibi relictam vineam Regi quoque negandam putauit. Non vult tamen
huic liti ſe interponere Chriſtus, neque partiundæ hæreditatis inter hos fratres munus ſubire.
Quam verò ob cauſam? Num quòd ipſi improbetur, quod alibi lex iubet? Aut quòd Chriſtia-
num hominem non decere oſtendat, vt vel iudicem agat, vel hæreditates diuidat, aut quibuſcun-
que negotijs ciuilibus ſeſe immiſceat? Quem ſenſum anabaptiſtæ ex eius facto ſiue exemplo eli-
cere conantur. At nihil horum illi in mentem venit, ſed longè alias huius dicti rationes habuit.
Primò enim cauere voluit, ne falſam Iudæorum de Regno Meſſiæ opinionem confirmaret, & ſi-
mul aduerſarijs occaſionem calumniandi præberet, qui omnia eius attentiſſimè obſeruabant. Nam
vt primum huic liti ſuam authoritatem interpoſuiſſet, mox multi ex rudioribus ſimile quid,

vel etiam

vel etiam maiora, ab eo poſtulaſſent, improbi verò clamauiſſent, illum iura publica turbare, priuata iudicia inſtituere, & intolerabilem atq; ſeditionis ſuſpectam introducere reipub. mutationem. Deinde inter docendi munus vel Eccleſiæ miniſterium, cui deſtinatus erat, & magiſtratus officium diſtinguere voluit, ne vel Apoſtolis vel horum ſucceſſoribus anſam daret ea tractandi, quæ ab ipſorū functione aliena ſunt. Poſtremò eos arguit, qui Euangelij prætextu, & miniſtrorum authoritate vel fauore abutuntur, vt res ſuas agant & commodo priuato conſulant. Quod genus hominū omnibus ſeculis frequentiſſimū fuit, & hodie paſſim cernitur. Quàm multos enim eſt inuenire, qui cùm Euāgelij doctrinam improbè contemnāt, & eius miniſtros odio proſequantur, ſi tamen ipſis cum aliquibus controuerſia intercedit, aut aliquid eiuſmodi ab iis ſperare poſſunt, quos Euāgelicæ doctrinæ ſtudioſos & huius adminiſtrorum amicos eſſe norunt, illico ipſi quoq; eiuſdem doctrinæ ſtudium ſimulant, miniſtros accedunt, officia quæuis pollicētur, domum ſuam inuitant, & nihil non faciunt quod ab horum obſeruantiſſimo ſperari poterat. Ac tunc magna cautione opus eſt miniſtris, ne improbis illis hypocritis facilè morem gerant, & ſua authoritate eos in ſuis cupiditatibus & peſſimis ſtudiis confirment. Nam niſi hîc admodum circumſpectè agant, fraudi erit piis ipſorum interceſſio, & multis calumniandi occaſio datur, quaſi illi quoq; mundi huius amicitiam pluris faciant quàm verbum Dei, quod ab eis prædicatur. Hæ (inquam) cauſæ Chriſtum mouerunt, vt reſponſo hoc duriori auari huius petitionem abs ſe reiecerit.

Christus non damnat actiones ciuiles.

Vehementer ergo & turpiter nimis falluntur Anabaptiſtæ, qui iudicum ordinem & magiſtratum omnem huius exempli authoritate aboleri clamant. Nec enim ſemper quæcunq; Chriſtus fecit, in generale exemplū trahi & ad omnes homines transferri debent. Sunt enim nonnulla, quæ ad eius modò officium ſpectant, cui illum Pater cœleſtis deſtinauerat, quæ ſi quilibet abſque certa Dei vocatione imitari velit, non ſine ſcelere id faciet. Eius generis eſt, quòd puer deſertis parentibus Hieroſolymæ manſit, & in templo docuit, neque ei curæ fuit, quòd ſe ab illis magna cum ſolicitudine & acerbo animi dolore interea quæri ſciret. Quod vt faceret, Patris mandatum iubebat. At ſi idem alij pueri tentent, impietatis in parentes pœnas dabunt. Ita in præſenti neque iudicem agere neq; hæreditatem inter fratres partiri voluit, non quia hoc per ſe malū ſit, aut ab hominis Chriſtiani officio alienum, ſed quod non ad ipſum iſta pertinebant. qui vt Patris voluntatem nobis manifeſtaret, & nos ſui corporis ſacrificio à peccatis ac morte redimeret, regnum deniq; Dei ſpirituale inter homines inſtauraret, in mundū venerat. Paralogizant ergo Anabaptiſtæ, perinde ac ſi quis diceret: Chriſtus non exercuit artem ſutoriam, neque agros coluit, neque domum adminiſtrauit: ergo iſta Chriſtianos minimè decent.

Nemo alienam functionem inuadat.

Debet autem imprimis hoc obſeruari, quòd alienam functionem ille ſubire noluit. Ex eo enim generalis doctrina rectiſſimè petitur, vt ſinguli ſe intra ſuas metas contineant, neque res aggrediantur à ſua vocatione alienas, vnde alij occaſionem calumniandi arripere poſſint. Quod ſi fanatici illi obſeruarent, minus ab illis turbaretur Eccleſia. Nec enim familias ſuas deſererent, neq; docendi munus priuata temeritate inuaderent, neq; magiſtratus abolere & nouam mundi faciem introducere conarentur. Quæ omnia cùm ſeditioſè nimis ſub Euangelij prætextu faciant, hoc multis ſuſpectum & exoſum reddunt, apertis verò eiuſdem hoſtibus ampliſſimam maledicendi materiam præbēt. Imprimis autem hoc Chriſti exemplo Pontifices & Epiſcopi confutantur, qui cùm Chriſti in terris vicarij & Apoſtolorum ſucceſſores haberi velint, negotiis tamen ab illorum functione alieniſſimis ſeſe immiſcent. Nec enim hæreditates ſolùm diuidunt inter fratres, ſed alienas hæreditates intercipiunt, & patrimonium quoddam Petri finxerunt, cuius nomine magnam Italiæ partem Græcis Imperatoribus eripuerunt: neque eo contenti, in alia quoque regna ſibi ius & imperium vendicarūt, adeoque orbis imperium pro ſua libidine hinc inde transferunt. Quorum veſtigia alij etiam Epiſcopi ſecuti, ampliſſimas ditiones, comitatus & ducatus, cum vrbibus florentiſſimis ad ſe rapuerunt, in quibus more principum huius ſæculi dominantur. Sunt hæc aliena prorſus ab eccleſiaſtica functione, & non exemplo ſolùm, verumetiam diſertis Chriſti verbis arguuntur, qui Apoſtolis dixit: Principes gentium imperitant, vos autem non ſic, &c.

Contra raptores.

Obſeruabis præterea, hunc tam duriter à Chriſto reijci, qui ipſius authoritate & prætextu ad hæreditatem, quæ ad ipſum iure pertinebat, obtinendam abuti voluit, neglecto Dei verbo, quod ma-

Hab.2.
Iſa.5.& 33.

iora & æterna bona ipſi offerebat. Quid ergo fiet iniquis & temerarijs raptoribus, qui fidei Chriſtianæ & Euangelij nomine palliati aliena inuadunt? Eſt hoc per ſe nefas, & iam olim per Prophetas omnibus illis væ illud horrendum denuntiauit, qui adaugent non ſua, qui prædantur, qui domos domibus & agros agris coniungunt. At vehementer augetur huius peccati atrocitas ſiue pondus, ſi Chriſtum & Euangelium eius cupiditati nefariæ prætexamus. Quis enim vir bonus ferat aliquem ſui nominis aut etiam ſigilli ſui prætextu decipi vel fraudari? Et nos Chriſtum, qui ipſiſſima iuſtitia eſt, hoc paſſurum putabimus, vt quis eius nomine, Euangelio item & Sacramentis Eccleſiæ ſuæ ad ſpoliandos homines abutatur? Quod vtinam præ alijs obſeruarent, qui dum Euangelicæ doctrinæ patroni & propugnatores videri volunt, Iudas agunt, & quæ olim pijſſimi principes & maiores noſtri Eccleſijs contulerunt, inſatiabili rapacitate ſibi vendicant. Sentient illi aliquando, quid ſit cũ Chriſto ludere, & eius verbo abuti.

Auaritia cauenda.
πλεονεξία.

Sed ad eius verba redeamus, qui poſtquam importunum iſtum reiecit, nunc in generalem doctrinam de auaritia digreditur, & (vt diximus) omnium nocentiſſimæ cupiditati remedium adhibet. Propoſitio totius tractationis eſt: Videte, & cauete ab auaritia. Lucas πλεονεξίας vocabulũ poſuit, quod plus quiddam quàm auaritia denotat. Nam immodicam plura indies habendi cupiditatem ſignificat, quæ cum aliorum detrimento coniuncta eſt, quibus ſua vel eripiuntur, vel iniquè detinentur, & opponitur τῇ αὐταρκείᾳ, quæ facit, vt homo ſua ſorte contentus nihil præterea velit aut cupiat, quam Paulus maximum quæſtum eſſe dicit, ſi cum pietate vera coniungatur. Graui autem admonitione diſcipulos & totum populum compellat. Videte (inquit) & cauete. Cura igitur & magno ſtudio hîc opus eſſe innuit, vt cupiditatẽ hanc euitare & eius laqueos effugere poſſimus. Nec ſine cauſa ſic loquitur Dominus. Eſt enim vitium illud nobis innatum, & à pueris nobiſcum ſuccreſcit atq; augetur. Docent hoc mores infantium atque puerorum, qui æqualibus præſtare volunt, & ſi quid inter eos diuidi oporteat, ſinguli ad portionem eam aſpirant, quam reliquis maiorem aut meliorem eſſe arbitrantur. Neque id mirum videri poteſt, cùm primos parentes, quibus in ſumma rerum abundantia & felicitate conſtitutis nihil omnino deerat, ad altiora animum adiecisse ſciamus, quæ illis infelicißimæ ruinæ cauſa fuit. Ex illis ergo hoc malum in omnem poſteritatem propagatum eſt, vt nemo ſua ſorte contentus viuat, & ij quoq; plura appetant, qui ne ijs quidem omnibus poſſunt vti, quæ iam poßident. Cuius rei exempla in opulentißimis quibuſq;, imò in Regibus potentißimis quotidie videmus, qui cum terras ſuas ne omnes quidem luſtrare, nedum regere poſſint, alienis tamen regnis ſubinde inhiant, vt vix orbis totus cupiditati ipſorũ ſufficiat. Rectè ergo auari hydropicis conferuntur, de quibus Poeta dixit: Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

1.Tim.6.

Vita non conſiſtit in opum abundantia.

Porro admonitionem ſiue præceptum ſuum Chriſtus ratione confirmat, quæ plurimum mouere poteſt, ſi diligentius conſideretur. Neque enim (inquit) cùm quiſpiam abundat, vita ipſi conſtat ex bonis ſuis. Vitæ nomine non ſolùm eam, quæ propriè vita dicitur, ſed ſimul omnem hominis incolumitatem & felicitatem, adhæc omnia vitæ præſidia intelligit. Opponit autem hanc ſententiam communi hominum opinioni, qui vitæ beatitudinem in opum abundantia conſiſtere putant, qui proprius auaritiæ & inſatiabilis illius cupiditatis fons eſt. Itaque ſenſus eſt, Inane & ſuperuacaneum eſſe ditescendi ſtudium, & fruſtra ſeipſos circa hoc homines fatigare, cùm neque ipſa vita, neq; huius felicitas in diuitijs conſiſtat. Sunt enim hæ externa modò vitæ adminicula, quæ per ſe non proſunt, niſi Dei benedictione nobis vtilia & ſalutaria fiant. Poteſt hoc facilè probari ijs, qui vitæ huius conditionem & diuitiarum vſum propius conſiderant. Primò enim vita noſtra diuitijs ſuperfluis minimè opus habet, cùm natura paucis contenta ſit, & ij quoque non incommodè viuant, quibus res domeſtica anguſtior contigit. Et ſi verum fateri libeat, commodius & tranquillius viuunt, qui ſuo labore victum neceſſarium ſibi in diem parant, quàm qui in opum abundantia vel luxu diffluunt, & ſibijpſis morbos accerſunt, vel curis & ſolicitudine aßidua excruciantur. Deinde ex opibus nihil ad nos redit præter vſum neceſſarium. Vt enim nudi naſcimur, nec quicquam in mundum inferimus: ita vbi vitæ noſtræ curſum emenſi ſumus, hinc migrantes animæ corpus ſepulturæ relinquunt, nihil autem ex omnibus bonis huius ſæculi nobiſcum efferimus. Quare etſi infinita aureorum millia, immenſa agrorum latifundia, domos innumeras & multa alia poßideas, nihil inde ad te redit præter victum & amictum, ſub quo hoſpitij quoq; vſus continetur. Præterea neq; ad vitæ curſum prolongandum

Iob.1.
1.Tim.6.

gandum aliquid ſeruiunt, opes immodicæ. Sunt enim (vt Chriſtus ait) horæ diei duodecim, & vbi Ioan. 11.
nobis præfinita mortis hora aduenerit, omnino hinc migrandum eſt, neq; vlla vita redemptio poteſt
fieri. Quod Dauid his verbis prolixè docet: Ex ijs qui nituntur opulentia ſua, & in multitudine di- Pſal. 49.
uitiarum ſuarum gloriantur, nemo fratrem ſuum vlla ratione redimere poteſt, neq; Deo pretium
redemptionis ſuæ perſoluere. Nimij ſiquidem pretij eſt redimi à morte animas eorum vt æuo viuant
perpetuo, & vitam in ſempiternum proferant ſepulchrum nunquã viſuri. Etenim videre eſt, vt ſa-
pientes perinde moriantur ac ſtulti, & ſtupidi intereãt, atq; opes ſuas alijs relinquant, &c. Sunt hæc
tam manifeſta, vt ampliori demonſtratione nequaquam opus habeant. Quòd ſi verò ad vitam æter-
nam reſpiciamus, quæ ſola vita nomine digna eſt, ad hanc conſequendam adeò nihil conferunt diui-
tiæ, vt potius nos remorentur, quò minus ad eam peruenire poſſimus. Nam plerunque malis & ini-
quis artibus acquirũtur, nec temere veteri prouerbio diues aut iniquus aut iniqui hæres eſſe dicitur.
Vbi autem iam acquiſitæ & vehementer auctæ ſunt, tunc vel luxus & faſtus materiam præbent,
& multorum ſcelerum cauſa ſunt, vel idololatras reddunt eos, qui quam in Deo collocare debebant
fiduciam, in illis repoſitam habent. Et hi quoq; dum illis addicti ſunt, infinitis curis & prophanis co-
gitationibus diſtrahuntur, vt de Regno Dei & vita æterna vix vnquam ſerio cogitare poſſint. At
ſi caſus aliquis improuiſus opes eripiat, Deum immortalem, quid non dicunt & faciunt, qui vitam
ſuam & felicitatem in harum abundantia conſiſtere putant? Illos certè omnis iacturæ impatientiſſi-
mos eſſe, & animi impotentiam modò diris conuitijs in homines, modò blaſphemijs in Deum atro-
ciſſimis, modò vocibus deſperationis plenis teſtari videbis. Quis ergo non fateatur, veriſſimè à Chri-
ſto dictum eſſe, vitam homini non ex opibus immodicis conſtare?

Cæterùm quod breui ſententia dixerat, nunc parabola eleganti illuſtrat, qua res omnis ceu in ſpe- Parabola.
culo ſpectanda proponitur. Eſtq; illa eo illuſtrior & ad perſuadendum efficacior, quia etſi fictã nar-
rationem continere videatur, nihil tamen habet, quàm quod indies fieri conſueuit. Proderit autem
ſingulas partes ex ordine videre, vt plus inde ad nos vtilitatis redeat.

Primùm homo quidam diues proponitur ex eorum ordine, qui opes iuſtas poſſident. Nec enim de Diues propon-
publicano aliquo, aut vſurario, aut ſanguinario milite præda & hoſtium ſpolijs ditato loquitur, ſed turnõ iniuſtus.
de patrefamiliâs, qui agros coluit, & ex Dei benedictione prouentus vberrimos collegit. At quæ ita
obtingunt opes, cum nullius iniuria aut damno obtingunt. Veruntamen in illis iſte peccauit, & Dei
ſententia damnatur, vt poſtea audiemus. Vbi admonemur, quàm periculoſa ſit opum adminiſtratio
ſiue poſſeſſio. Si enim circa eas, quas nobis diuina benedictio largitur, ſalutis iactura fieri poteſt, quid
de illis dicemus, qui iniquiſſimis modis & cum aliorum detrimento diuitias congerunt, & in ipſo li-
mine (quod dicitur) offendunt? Debebant hoc diligenter obſeruare fæneratores & vſurarij, qui mo-
nopolijs, monetæ mutationibus inſidioſis, mercium adulteratione, & alijs infinitis artibus in iuſtitiæ
& charitatis leges apertè peccant. Placent illi ſibijpſis mirificè, & quæſtus dulcedine illecti vix vn-
quam cogitant, ſe Dei oculos offendere. Sed paſſim eorum artes damnãtur & has in lege Dominus Deut. 23.
venenato ſerpentis morſui confert, eò quòd præſens exitium afferunt omnibus, quibus cum ipſis res
eſt. Nec minori diligentia illis etiam hæc meditanda erant, qui mercenarios & quoſuis alios, quo- Deut. 24.
rum labore & opera vtuntur, defraudant, quorum peccatum ad Deum clamat, & quibus Iacobus Iacob. 5.
Apoſtolus horribilem Dei maledictionem denunciat. Item ij quoq;, qui ex militia mercenaria, rapi-
nis & ſanguinis effuſione diteſcunt, quorum maximus eſt numerus hodie, & qui ſibi præcipuam for-
titudinis laudem vendicant, atq; patriæ communis propugnatores & defenſores videri volunt. Sed
in omnium iſtorum domibus ignis ardet (vt Michæas ait) theſauri nimirum impij & iniuſti, quibus Mich. 6.
in illos Dei ira accenditur. Diſcant ergo ſinguli ab omni iniquitate ſibi cauere, & cùm opes iuſtæ ob-
tingunt, has quoq; propter noſtræ naturæ vitioſitatem ſpinarum inſtar eſſe meminerint, & vt ijs re-
ctè vtantur cogitent.

Videamus autẽ, vt iſte diues peccarit. Ratiocinabatur apud ſe dicens: Quid faciam? Nec enim Mores diuitum
habeo vbi cogam fructus meos. Et dixit: Hoc faciam: deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo,
& illic cogam fructus meos, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona, repoſita
in annos multos: requieſce, comede, bibe, oblectare. His verbis ingenium, mores, conſilia & ſtudia di-
uitum huius ſæculi ceu in tabula Chriſtus depingit. Primò non rectè iudicat de vbere illo ſuarum

terrarum prouentu. Nam fructus hoſce ſuos dicit, in quo bifariam peccat. Suo enim labore & induſtria eos comparatos arbitratur, nec agnoſcit Dei beneficium, ex cuius benedictione omnia proueniunt. Etenim vt Paulus ait, nihil eſt qui plantat, nec qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. Deinde ſuos dicendo, ſibi ſoli illorum vſum vendicat, neque aliquam vel Dei vel hominum mentionem facit. Eſt hic fons omnis abuſus, quo circa diuitias peccatur. Qui enim ita ſentiunt, ij vel recondunt illas, vt neq; ſibiipſis neq; alijs ſint vſui: vel carnis cupiditatibus abrepti ex illis ſuperbiunt, voluptuantur, luxuriantur, neq; aliquam gloriæ Dei aut proximorum egentium rationem habent. Admonemur itaq; hoc loco, vt de opum largitore & earundem vſu legitimo ſemper cogitemus. Dantur illæ à Deo. Nam niſi hic ſua benedictione terram fœcundet, & ipſe domum ædificet, fruſtra nos mane ſurgimus (vt Dauid inquit) & circa rem domeſticam fatigamur. Vt enim nihil in mundum inferimus, ita ne herbulam quidem aut culmum vnum creare poſſumus. Dantur autem à Deo diuitiæ vt œconomis & diſpenſatoribus, qui aliorum inopiam reſpicere, & eam ſua abundantia ſubleuare debent, vt infra cap. decimo ſexto Chriſtus apertius docebit. Iſta qui ignorant aut negligunt, ij bonis ſuis nunquam rectè vtentur.

Diuites nihil à pauperibus differunt.

Deinde ratiocinatur apud ſe & conſultat quid ſit agendum. Sunt ergo tales rerum ſuarum incerti, & varijs cogitationibus diſtrahuntur, ideoq; nihil à pauperibus & egenis differunt. Hos enim egeſtas cogit de victu in diem parando cogitare: illic autem vt congerant & congeſta ſeruent, omnis generis conſilia ineunt. Imò potior eſt & felicior in hac parte pauperũ conditio. Hi enim paruo contenti ſunt, & vbi victum neceſſarium acquiſiuerunt, à curis ſuis quieſcunt: at illis quies nulla eſt, dum nihil illis ſufficit, & ne opes quæſitæ dilabantur metuunt. Itaq; perpetuis curis æſtuãt, quæ dies illis laborioſos, noctes autem inſomnes reddunt, vt nec ea quiete fruantur, qua canes, iumenta & reliqua animalia gaudent. Et de hoc eleganter Solomon diſſerit his verbis: Qui amat argentum, non ſaturabitur argento: & qui amat diuitias, nullum fructum percipiet: quæ quidem etiam inanitas eſt: Dum augentur opes, augentur etiam qui eas comedant: & quæ vtilitas peruenit ad poſſeſſores ipſarum, quàm vt oculis ſuis ſpectent? Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum ſiue multum comederit: diuiti autem ſacietas non concedit dormire, &c. Quæ omnia docent, quàm imprudenter rebus ſuis conſulant, qui diuitijs ſe totos addicunt, cùm quæ has comitantur ſolicitudines, & corpus fatigẽt, & animi tranquillitatem turbent.

Eccleſ. 5.

Extruunt horrea, delitiantur

Poſtremò concludit diues iſte. Hoc faciam, inquit: Deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo, & illic cogam fructus meos, & bona mea: & dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona, &c. Duo ſtatuit facienda. Primum, quod horreis veteribus deſtructis noua & maiora velit extruere, quæ tãtum anni prouentum capere poſſint. At quid his opus erat, cùm vetera hucuſq; ipſi potuerint ſufficere? Cur non ad pauperes reſpicit, quorum domus ſimul & ventres omnino vacui multa capere poterãt? Alterum, quòd otium & voluptates ſibi porrò pollicetur. Dicam animæ meæ (inquit) Anima, habes multa bona, repoſita in annos multos: requieſce, comede, bibe, oblectare. Eſt hic belluinus planè error, quòd non alium vſum diuitiarum agnoſcit, quàm quem belluæ & pecudes ex prædæ & pabuli abundantia percipiunt. Neq; hic quoq; aliquam Dei mentionem facit, cui gratias agere & eius ſpiritum petere debuiſſet, vt eo gubernatus bonis conceſſis rectè vteretur. Itaq; Dei obliuio ſecuritatem peperit & ſtultam vitæ in plurimos annos prorogandæ fiduciam. Etenim dũ de otio, de edendo, bibendo & oblectationibus ſolummodo verba facit, ſatis innuit, ſe ſortis ſuæ mortalis prorſus eſſe oblitum. Solus item ex bonis illis voluptuari vult, immemor ſe illorum diſpenſatorem à Deo conſtitutum eſſe. Et hæc quidem in illo Chriſtus reprehendit, qui alioqui moderatã & cum pietate coniunctã rei domeſticæ curã non damnat: cuius exempla etiam in ſanctiſsimis patribus ſcriptura nobis proponit. Debẽt autem iſta nos admonere, vt de noſtri ſæculi moribus diſcamus iudicare. Nam hodie ſciã congerendis terræ fructibus publicè & priuatim ſtudetur: & in eum finẽ noua horrea, granaria, apotheca & cellæ vinariæ paſſim extruuntur, cùm interim innumerabiles pauperum turbæ oberrent, quibus victus quoq; neceſſarius deeſt, quos pleriq; negligunt. Imò abundantia reconditorum bonorũ Dei immemores reddit, & eò ſtupiditatis multos adducit, vt ſe mortales eſſe non amplius cogitent, ſed vitæ ſuæ rationes in annos infinitos vſq; extendant. Hinc ſequitur voluptuandi ſtudium, otium ignauum, comeſſationes, ebrietas, luxus, libido & quæcunq; carnis inexplebilis cupiditas ſuadet. Et

qui

qui his ſtudent, hodie optimi cenſeri poſſunt, ſi cum illis conferantur, qui opibus ſuis vſuras exercent, & artibus iniquiſſimis quoſuis circumueniunt & opprimunt. Sunt ergo plerią; hoc diuite peiores, & ijs moribus viuunt, quos nouiſſimi ſæculi hominibus Chriſtus tribuit.

Sed deliberationis iſtius & totius negotij exitum videamus, quem his verbis Dominus exponit: Diuitum ſpes fallacet. *Dixit autem ei Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ verò parauiſti, cuius erunt? Continentur his multa digniſſima obſeruatu. Primùm illum Deus compellat, de quo ipſe ne cogitabat quidem. Non ergo ignorat hic noſtras cogitationes & conſilia, & quamuis ipſi rerum ſecuri illum negligamus, non tamen hic nos negligit, ſed vindice oculò in noſtra omnia inquirit. Deinde ſtultum ſiue dementem vocat, quod cæco mundi iudicio opponitur. Huic enim, qui tales ſunt, mortalium ſapientiſſimi putantur, vt qui dum viuunt, bene viuere curant, ſeą; ab omni curarum moleſtia eximunt. Sed Dei ſententia omniũ ſtultiſſimi ſunt, quia rebus caducis intenti & fluxis huius ſæculi voluptatibus immerſi, æterna regni cœlorũ gaudia amittũt. Tertiò quid ipſum maneat, docet. Tu (inquis) agrorum prouentus in multos annos habes reconditos, & voluptates perpetuas tibi pollicerís: ſed hac ipſa nocte repetetur abs te anima tua, & moriẽdum tibi erit, adeoą; migrabit hinc anima tua, quam ad ſecurum voluptuãdi ſtudium modò exhortatus es. Fingis autem Angelos exactorum rigidiſſimorum ſimiles, quia talibus nihil huius opinantibus & planè inuitis mors obrepit, & tunc debitum illud naturæ neceſſariò perſoluendum eſt, tùm neą; opes, neą; honores, neą; potentia vlla nos ab eo liberare poſſint. Alia autẽ eſt piorum ratio, qui cùm ſe mortales & in hoc mũdo peregrinos eſſe norint, nunquam non vigilant, & ipſi ſponte animas ſuas Deo commendant, adeoą; cupiunt diſſolui, vt cum Chriſto in cœlis viuere poſſint. Porro aliud adhuc addit Dominus, quod auaros opum coaceruatores peſſimè habet. Quæ verò parauiſti (inquit) cuius erunt? Quaſi diceret. Quæ tibi & Deo & vita æterna chariora fuerũt, ex quibus item tibi felicitatẽ & omnis generis voluptates pollicitus es: Illa (inquam) ita nũc relinquenda erunt, vt neſcias ad quos peruentura ſint. Congerũt quidẽ multi, vt liberis & nepotibus ſuis proſpiciant. Sed vaniſſimus ille labor eſt. Fit enim ſæpiſſimè, vt congeſtæ illæ opes turpiter dilapidẽtur, & lenonibus, ſcortis, aleatoribus, vſurarijs & fæneratorib. cedãt, quæ illi magnis laboribus, vel etiã genij ſui fraudatione parauerũt. Et huc illa Solomonis pertinẽt. Eſt malũ, quod vidi ſub Sole, idą; principatum inter homines obtinet. Eſt vir, cui Deus diuitias dedit, & opes, & honores, vt nulla re careat, quæ animus eius delectetur ex omnibus quæ poſſet expetere, nec tamẽ instituit eũ Deus dominũ, vt comedat ex illis, ſed externus quiſpiam ea deuorabit. Eccleſ. 6.* Diuites qui dicantur

Poterant hæc multis exemplis demonſtrari, ſed præſtat parabolæ totius vſum videre, quem Dominus infert his verbis: Ita eſt qui theſaurum congerit ſibi, nec eſt in Deo diues. Generalem doctrinam ex his colligit, eandem eſſe omnium conditionem, qui ſibiipſis diuitias coaceruant, non autẽ ſunt in Deo diuites. Non ergo diuites per ſe ſimpliciter propter diuitias damnãtur, ſed ij ſoli, qui ſibiipſis congerunt. Faciunt hoc qui non expectata Dei benedictione opes corradunt, in quibus fiduciam collocant, & quaſi ipſis ſolis data ſint, quoſuis alios ſecuri negligunt. Hi quem ſperant ex opibus ſuis fructum, nunquam percipiunt. Itaą; omne illorum ſtudium inane & labor irritus eſt. His autem opponit eos, qui in Deo diuites ſunt, quod Paulus in priori ad Timotheum exponit, dicens: Iis qui diuites ſunt in hoc ſæculo, denuntia ne efferantur animo, neque ſpem ponant in diuitijs incertis, ſed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruẽdum: Vt alijs benefaciant, vt diuites ſint operibus bonis, faciles ad impartiendum, faciles conuictu: recondentes ſibiipſis fundamentum bonum in poſterum, vt apprehendant æternam vitam. 1. Tim. 6. *Sunt igitur in Deo diuites, qui humiliter & modeſtè de ſeipſis ſentientes, non diuitijs cor apponunt, ſed ſpem omnem cùm præſentis tum futuræ vitæ in vno Deo repoſitam habent, diuitijs autem ſuis ſobriè vtuntur, & pauperes omni officiorum genere iuuant. Hæc ergo ſinguli ſeriò meditentur, vt olim in magno illo die iudicij ex eorum numero ſint, quos Chriſtus Ieſus propter charitatis & miſericordiæ opera commendabit, & Regni ſui cœleſtis cohæredes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

HOMILIA CXXIX.

Dixit autem diſcipulis ſuis: Propterea dico vobis, ne ſoliciti eſtote de anima veſtra, quid eſuri ſitis, neą; de corpore, qua re ſitis induendi.

Anima plus eſt quàm alimẽtum, & corpus quàm veſtitus. Conſiderate coruos: nec enim ſeminant, neq; metunt, quibus non eſt cella neq; horreũ, & Deus alit eos. Quãtò vos præſtatis volucribus? Quis autẽ ex vobis ſolicitè cogitando poteſt apponere ad ſtaturam ſuam cubitũ vnũ? Itaq; ſi ne id quidem quod minimũ eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia, quomodò creſcant: nõ fatigantur, neq; nent: dico autem vobis, ne Solomonem quidem in omni gloria ſua amictum fuiſſe vt vnum ex iis. Quòd ſi herbã, quę hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ita circumueſtit, quantò magis vos ô exigua fide præditi? Vos igitur ne quærite quid eſuri ſitis, aut quid bibituri: & ne ſuſpenſo animo eſtote. Hæc enim omnia gentes mundi requirunt: Pater autem veſter nouit vos iſtis indigere. Quin potius quærite Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.

ETſi homo ad Dei gloriam & Regni cæleſtis poſſeßionem creatus ſit, ea tamen eſt ingenij noſtri prauitas, vt plerique in ſola huius ſæculi bona intenti, de iis acquirendis cogitent, æterna autẽ & cæleſtia negligant. Eſt hæc ſalutis remora nocentißima. Impoßibile enim eſt, vnum duobus dominis tam multùm inter ſe dißidentibus ſeruire, Deo nimirum & Mammonæ, cùm ille nos totos ſibi vẽdicet. Deinde cupiditas illa multorum ſcelerum radix eſt: quia illa inflãmatis media illicita Satan obiicit, vt fieri nequeat, quin in tentationes & illius laqueos incidant, qui diteſcere volunt. Adhæc idololatria ſpecies eſt, ſi quæ in vno Deo collocari debebat, fiduciam in opibus repoſitam habeamus. Ideo Chriſtus Ieſus de hoc vitio diſcipulos ſuos admodum diligenter admonet: & vt huic medeatur, nuper communẽ vulgi errorem oppugnauit, docens, hominis vitam & felicitatem nõ in opum abundãtia, ſed in eo potius conſiſtere, vt quis in Deo diues ſit. Quia verò propter innatam nobis habendi cupiditatem nulla diligentia hîc nimia aut ſupernacanea eſſe poteſt, nunc ipſam huius mali radicem aggreditur, quæ eſt cura & ſolicitudo de victu & amictu parando, ſub quibus omnia alia continentur, quæ noſtræ neceßitati ſeruiunt. Nam ſub horum prætextu ferè auaritiæ & opibus congerendis ſtudetur. Docet ergo curam omnem in Deum reiicere, cuius Prouidentiam magnificè commendat, quã qui rectè conſiderant, ii aduerſus omne tentationum genus abunde inſtructi ſunt.

Vitæ præſentis ſolicitudo prohibetur. *Propoſitio & ſumma huius doctrinæ eſt: Ne ſoliciti eſtote de anima, id eſt, vita veſtra, quid eſuri ſitis, neque de corpore, quare ſitis induendi. Solicitudinẽ prohibet, qua plerique ob hæc vitæ mortalis ſubſidia diſtrahuntur. At quia hîc in vtramque partem peccatur, dũ alij auariores ſunt, alij nimiùm ſecuri ſeipſos & ſuos impiè negligunt, diligentius videre oportet, quid hoc præcepto Chriſtus ſibi velit. Vbi obſeruabimus duplicẽ eſſe curam aut ſolicitudinem, qua homines in hac vita tenentur. Alia eſt ſobria & legitima, imò neceſſaria quoque, vt omnino vitari aut abiici nec poßit nec debeat. Dei enim mandatum eſt: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Et Apoſtoli non vno loco docent, Chriſtianorũ eſſe, vt vitæ ſuæ rationẽ ita inſtituãt, ne quem grauent, ſed potius aliis ſubuenire poßint, & eos ethnicis atque infidelibus deteriores eſſe ſcribunt, qui ſuis non proſpiciunt.* *2. Theß. 3. 1. Tim. 5.* *Id verò abſque labore fieri non poteſt, cui cura & ſolicitudo aliqua cõiuncta eſt. Sunt item ſanctißimorum hominũ exempla, qui rei domeſticæ curam diligentẽ habuerunt, inter quos celeberrimi ſunt Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, qui toti regno ſua cura & prouidẽtia proſpexit, ne famis tempore populo victus deeſſet. Et annonæ curam principibus imprimis commendatam eſſe debere, ipſe rerum vſus quotidianus docet. De hac cura non agitur in præſenti, neque eam Sacræ literæ prohibent, tùm ex eorũ numero ſit, quibus nos Deus coercet, ne animo elati & noſtræ ſortis immemores laſciuiamus. Alia autem ſolicitudo eſt immoderata, qua fit, vt ex diffidẽtia anxiè nimis opibus accumulandis ſtudeamus, quaſi neque Deus noſtri curã habeat aliquam, neque vſpiam ſit in rerũ natura, quod nobis poßit ſufficere. Hæc auaritiæ & malorum omnium, quæ ex hac naſcuntur, fons atque origo eſt. Hinc enim fit, quòd nulla opũ abundantia homines contenti, plura ſemper appetunt, & ipſa copia magis accenduntur, vt plura congerere & coaceruare velint. Illam ergo à Chriſtianis hominibus Dominus alienißimam eſſe vult: quorũ eſt, cauere quidem ne cui ſint oneri, & proinde honeſto labore ſibiipſis neceſſaria parare: interim verò ſeipſos & ſua omnia Deo committere, abſque cuius benedictione nihil noſtris curis vel induſtria proficimus. Nihil ergo hic locus malæ frugis hominibus patrocinatur, qui ſua turpiter dißipãt, deinde otioſi*

& ina

& inertes oberrant, publicè quidē Eccleſijs, priuatim verò bonis omnibus graues & moleſti, dum ex
alieno viuere volunt. Hos Paulus ἀτάκτους, id eſt, inordinatos dicit, eò quòd nullis legibus ſeſe con-
tineri ſinunt, & naturæ quoq; ordinem violant, quæ iubet, vt quiſq; ſibijpſi & ſuis, honeſtis rationi-
bus proſpiciat, & huius curæ exempla in feris quoq; immaniſsimis proponit, quæ catulos ſuos lacta-
re & alere ſolent, donec ipſi ſibi proſpicere poſsint. Indigni ſunt ergo illi, qui in repub. bene conſtituta,
nedum in Eccleſia, ferantur. Viderunt hoc ſapientiſsimi quiq; inter gentes, qui ob grauem & pruden
tem reipub. adminiſtrationem commendantur. Apud Athenienſes enim diligenter in vnumquenque
inquiri ſolebat, qua arte aut quo quæſtu viueret, & otioſi in ius vocabantur, vt inertiæ & ignauiæ
pœnas darent. Maſsilienſes verò neminem in ciuitatem ſuam admittebant, qui non artem aliquam
teneret, qua ſe honeſtè aleret: & in eo tam attenti & ſeueri fuerunt, vt non ſolùm Mimos & hiſtrio
nes, verumetiā omnes eos procul arcerent, qui ſub aliquo religionis prætextu inertiæ alimenta quæ-
rebant: quòd hodie à fratribus (quos vocant mendicantes) imprimis fieri ſolet.

2 Porro rationes videamus, quibus ſuum hoc præceptum Chriſtus probat, & quarum pleræq; ex Pa — Qui vitam & corpus dedit, non negabit horum ſubſidia.
tris cœleſtis Prouidētia deſumptæ ſunt. Prima generalior eſt, & tam victum quā amictum hominis
comprehendit. Anima (inquit) plus eſt quàm alimentum, & corpus quàm veſtitus. Apud Matthæ
um hæc per interrogationē enunciantur, vt magis moueat, & nos proprij oris teſtimonio conuincat.
Eſt autem argumentū à cōparatis, cuius ſenſus eſt: Deus, qui quod maius & præſtantius eſt, dedit, mi
nora & viliora non negabit: Atqui ille vitam dedit, quæ alimentum longè ſuperat, corpus item cum
ſuis membris formauit, quod veſtibus longè præſtat. Nū ergo negaret idē ille, quæ vitæ ſeruandæ &
corpori aduerſus cæli iniurias tegendo neceſſaria ſunt? Ita verò admonet, ne tā iniquè de Deo ſentia
mus, quaſi is ſua dona & ſuas creaturas negligat. Non autē abſq; cauſa vitæ & corporis nobis ab il
lo dati meminit. Prodeſt enim in huius conſideratione crebrò & diligēter verſari, quod olim ſanctiſſi
mi Patres & cultores Dei fecerunt. Dauid certè non vno loco Deum ſuū Deum fuiſſe fatetur iam
inde ab vtero matris, & ab illo ſe formatū inq; lucem hanc eductum. Iſta enim conſideratio efficaciſſi
ma conſolationis argumenta aduerſus omne tentationū genus nobis exhibet, maximè ſi generationis
noſtræ rationem & admirabilem atq; ad omnia vitæ huius negotia optimè ſeruientem corporis hu-
mani fabricam diligenter expendamus. Quis enim non inde colligat, hominem Deo curæ eſſe, cùm is
ſeſe adea quoq; demittat, quæ in noſtro corpore contemptiſsima videtur? Simul autem officij noſtri
per illā conſiderationē admonemur. Quia enim Deus nobis vitā & corpus dedit, & (vt Paulus ex
veteri Poeta dixit) in illo viuimus, mouemur & ſumus, ſatis cōſtat, nos illi noſtra omnia debere, &
proinde nimium ingratos & iniquos eſſe, qui propter carnis ſtudia & res huius ſæculi illū negligunt.

Cæterùm quod in genere de victu & amictu dixit Dominus, id nunc ſingulis applicat: & exemplis — Ab exēplo coruorum & auium.
euidentiſsimis probat, etiā minora hæc ad Dei Prouidentiam pertinere, qui ea nunquā ſit negaturus
ijs, qui in ſua vocatione ambulāt. Et quoad victū ait: Conſiderate coruos: nec enim ſemināt, neq; me
tunt, quibus non eſt cella neq; horreum & tamen Deus alit eos. Poterat patrū exempla allegare, vt
Abrahami, Iſaaci & Iacobi, qui in terris peregrinis duriſsimæ famis tēporibus à Deo liberaliſsimè
acceperunt, quæ vitæ ſubſidia ſunt. Et imprimis huc pertinebat Iſraelitarū in deſerto agentiū exem
plum, quos totis annis quadraginta abſq; ſemente & meſſe aluit pane, quod cœlitus pluebat, vt ita do
ceret (ſicuti Moſes interpretatur) hominem non ſolo pane vſitato & ordinario viuere, ſed infinitas — Deut. 8.
eſſe Deo huius alendi rationes, & ad hoc ſufficiens eſſe quicquid ille in eū vſum deſtinauerit. Nota
ſunt etiam Moſis & Eliæ exempla, quorum vterq; quadraginta dies abſq; omni cibo tranſegit, hūc
verò corui etiam aluerunt, qui quotidie mane & veſpere panē atq; carnes ad ipſum deferebant. Et
huius generis multa alia in Scripturis habentur. Sed quia exempla eiuſmodi, ſi nobis applicentur, nō
ſemper nobis conueniunt, & in ſemetipſis errores & vitia multa homines deprehendunt, quæ illos
prohibēt ſperare, quod miracula in ipſorum gratiam Deus edere, aut peculiari aliqua ratione ipſos
etiam ſeruare velit, coruos adducit, vorax & infauſtum (vt vulgo putatur) atque pleriſq; inuiſum
auitij genus, ne quam nobis tergiuerſandi aut de diuina bonitate dubitandi occaſionem relinquat:
& ſimul ad Scripturas diſcipulos remittit, quæ eodem exemplo Dei beneficētiam nobis cōmendant.
Nam ipſum Iobo olim inter operum ſuorum commemorationē quæ captum humanum ſuperant, his
etiam verbis vſum fuiſſe legimus: An tu leenæ venaberis prædam, & paſtum ſufficientē exhibebis
catulis eius, cùm in cubilibus iacent atq; inſidiantur in luſtro? Quis parat ſuam prædam coruo, cùm — Iob. 38.

tius pulli ad Deum clamant, & cibo carentes oberrant? Et Dauid in Pſalmis de Deo ait: Qui dat pecori ſuum paſtum, & pullis coruorũ, qui ipſum inuocãt. Ad hæc ergo loca alludit Dominus, vt diſcipulos ad attentiorem veterum Scripturarum lectionem atq; meditationẽ excitet. Apud Matthæum verò omnium volucrum cœli meminit, quæ per æſtatem temere circumuolitantes nihil colligunt, neq; penum aliquem recondunt, ex quo poſsint hiberno tempore viuere. Inde autem nos conſolationẽ petere docet, ne Deum in victu largiendo nobis maligniorem fore putemus. Ideò infert: Quantò vos præſtatis volucribus? Quaſi diceret. Etſi omnes aues vnà cũ reliquis animãtibus vniuerſis in vnũ conueniant, non tamen vnius modò hominis dignitatem poſſunt æquare, cùm omnia in huius vſum ſint condita. Cùm ergo Deus aues otioſas & inertes alat, & ita quidem, vt pullis coruorũ à parentibus derelictis & confuſo clamore ad illum crocitantibus proſpiciat, & hieme ferè pinguiores ſint auiculæ, quibus nullus penus reconditus eſt, quàm iniquum & abſurdum fuerit de illius liberalitate dubitare, quaſi is hominem negligere velis, qui ſecundùm ipſius imaginem creatus eſt?

Dei prouidentia. Debet autem ſæpe & diligenter à nobis conſiderari hæc paterna Dei Prouidentia, qui ad minima quoq; ſeſe demittit, adeò, vt neq; coruorum pullos negligat. Prædicat hanc paſsim in Scripturis Spiritus ſanctus, & huc imprimis pertinent, quæ in poſtrema parte libri Iobi & Pſalmis aliquot habẽtur. Nam vt aliâs monuimus, non alia efficacior ratio eſt, quæ nos & in aduerſis conſolari, & ſimul in officio continere poſsit, ne affectuum & prauarum cupiditatum æſtu abrepti exorbitemus. Ac hîc maximum noſtræ corruptionis & vitioſitatis argumentum cernitur. Agnoſcunt enim Dei imperiũ omnes creaturæ, & ſorte ſua contentæ officium faciunt. Norũt hirundo, turtur, grus & ciconia tempus ſuum (vt apud Ieremiam dicit Dominus) quo ad nos redire, & rurſus aliò abire debẽt: & quia ita Deo viſum eſt, boues cornibus & robore præſtantes, equi vngulis & dentibus armati, aſini quãtumuis ſtolidi & contumaces, homini ſuum obſequium præſtant, imò aues & piſces ad prædam ſeſe ingerunt, & belluæ immaniſsimæ ab illo ſeſe cicurari patiuntur. At ſolus homo ſuæ conditionis immemor recalcitrat, vt ſuum officium Deo creatori minus præſtet. Diſcamus ergo frequenter ad animalium aliorum exempla reſpicere, vt in diuinæ prouidentiæ cognitione confirmati Deo melius fidamus & fidelius obtemperemus.

Solicitudo noſtra inutilis eſt. Quia vero multos ea perſuaſio ſeducit, quòd ſua induſtria & viribus tot confici oportere & poſſe arbitrantur, & ideo minus in Dei Prouidentiam reſpiciunt, aliud argumentũ ſubijcit, quo omnem curam atq; ſolicitudinem noſtram inutilem eſſe & nos fruſtra fatigare docet. Sic enim ait: Quis autẽ ex vobis ſolicite cogitando poteſt apponere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Itaq; ſi ne id quidem quod minimũ eſt poteſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis? In humani corporis conſtitutione minimũ eſt ſtatura, vt quæ nec ad præſentẽ vitam neq; ad æternam ſalutem quicquam confert. Nam nõ minus commodè viuunt parui quàm magni, apud Deum autem nulla ſtaturæ noſtræ ratio eſt, quoad dona

1. Sam. 16. eius, quæ tam paruis quàm grãdibus atq; proceris confert. Ideo olim Samueli inter Iſai filios Regẽ quærenti dicebat: Ne reſpicias ad formã eius, neq; ad proceritatem ſtaturæ eius: non enim quod videt homo (homo ſiquidẽ videt quod oculis obuerſatur) ſed Dominus cor intuetur. Porro corporis proprij ſtaturã mutare, & ei aliquid vel auferre vel addere nemo poteſt, imò (vt alibi Chriſtus ait) ne

Matth. 5. capillũ quidem vnicũ vel album vel nigrum facere poſſumus. Quæ ergo ſtultitia eſt circa ea fatigari, quæ & longè grauiora & multò minus in noſtra poteſtate ſunt? Nũ enim nos terram fœcundam reddere, ſeminibus vim generãdi inſerere, tẽpeſtates cõmodas & neceſſarias de cœlo elicere, vẽtorum flatus tẽperare, è terra ſegetes, ex diſtortis vitib. vuas, & ex arborũ fragilib. ramis omnis generis poma producere poterimus? Nihil ergo tutius et cõmodius fuerit, quã in ſolius Dei prouidẽtia recũbere.

Vires hominis nullæ. Cum autem quæ ad corporis & vitæ huius mortalis ſuſtentationem faciunt, Chriſtus in noſtro arbitrio & poteſtate eſſe negat, idq; nos quoque fateri cogamur, non minus ſtultus quàm impius & inſolens illorum error eſt, qui æternæ ſalutis hæreditatem ex hominis libero arbitrio & viribus atq; operum eius meritis pendere contendunt. Num enim ſe totos regenerare & innouare poterunt qui ne corporis quidem ſtaturam aut capillorum colorem mutare poſſunt? Vel num in illis quæ naturam humanam longè excedunt aliquid proficient ſuis viribus, qui ne actiones quidẽ naturales, in ſua poteſtate habent? Nam vt dormiat iube eum, quẽ aut mordaces curæ aut aduerſa valetudo noctes inſomnes ducere cogit. Certè fruſtra iuſſeris, etiãſi ipſe tibi obtẽperare quã maximè cupiat. Ea-

dem

dem eſt actionum ferè omniũ ratio, quia Deus eſt, qui vias & greſſus hominis diſponit. Itaq; ſalutem in eius gratia conſiſtere credamus, & ita illius certi erimus, cùm qui aliò reſpiciunt, ſemper incertis cogitationibus iactati fluctuent.

Cura veſtitus nimia prohibetur.

Caeterum pergit Chriſtus Ieſus, & de veſtitu quoq; exemplum ex rerum natura adducit, vt illius curam & ſtudium nimium prohibeat. Et ſanè nemo illius in his tradendis diligentiã mirabitur, qui cogitauerit hîc etiam imprimis euidens corruptæ ac perverſæ noſtræ naturæ argumentum elucere. Nam veſtium originem ex peccato eſſe conſtat. Vt ergo facinoroſum vincula & compedes de ſceleribus admonẽt: ita nos quoties induimur & exuimur de primorum parentum infelici lapſu & inde in nos propagato peccato miſerijsq; ex hoc quotidie naſcentib. cogitare debebamus, vt in Dei conſpectu humiliati veræ pœnitentiæ ſtuderemus. Id autem adeò non fit à pleriſq; hominum, vt potius circa immodicam veſtitus & ornatus corporis curã occupati, reliqua omnia negligãt, & in illis potiſſimùm luxu & faſtu peccent. Et vt pauperiores nimia ſolicitudine peccant, dũ metuunt ne deſint aliquando indumenta, quæ in veterum & attritorum locum ſuccedant: ita qui opulentiores ſunt, mollitiei & peregrinitati ſtudent, & dum quiſque alio præſtare cupit, terras & maria omnia fatigant. Eſt vtrunq; peccatũ graue admodum, & multa in ſuperbos & molles illos veſtium oſtentatores à Prophetis dicũtur: prioribus autem illis, quos aut egeſtas aut præpropera rerum huius ſæculi cura plus æquo ſolicitos reddit, Chriſtus in præſenti conſolationem adhibet, dicens: Conſiderate lilia, quomodo creſcant: non fatigantur neq; nent: dico autem vobis, ne Solomonem quidẽ in omni gloria ſua amictum fuiſſe vt vnum ex ijs, &c. Summa omnium eſt, quod hoc quoque ad Dei Prouidentiam remittit, cui amictus noſter non minus quàm victus curæ ſit. Et vt prius non celebrium amicorum atque cultorum Dei exempla, ſed coruos & volucres otioſas adduxit: ita hîc quoq; non eorum meminit, in quorum veſtitu Dei bonitas mirabiliter ſeſe exeruit, quales primi parentes fuerunt, quibus ille ipſe veſtes parauit, Iſraelitæ item in deſerto, quorum veſtes totis annis quadraginta neq; vetuſtate cõputruerunt, neq; vſu quotidiano attritæ ſunt: ſed lilia allegat, ſub quibus genus omne florũ comprehendit. Nam in Matthæo lilia aut flores agri nominantur, quos nulla hominũ cura aut induſtria adaeat & colit, ſicuti alijs nonnullis fieri ſolet, qui in hortis delicatioribus ſolent plantari. Rem verò mirificè amplificat, & verbis vtitur, quæ ſingula animos monere poſſunt. Primò, conſiderate (inquit) lilia. At quis non excitetur, quando ſe à Dei Filio ad rem aliquam ſpectandam vocari audit? Quid verò in lilijs aut floribus adeò ſpectatu dignum eſt? Videte (inquit) quomodo creſcãt. Et ſanè mirabilis eſt florum generatio, ſi vt primùm ex terra prodeãt, quàm fragili ſtylo innixi ventis & pluuijs reſiſtant, vt diſruptis caliculis folia diſtendant, & alia huius generis conſideres. Vnde verò iſta habent? Non fatigantur (ait Chriſtus) neq; nent, imò ne poſſunt quidem aliquid operis facere. Verum tamen veſtiuntur & ita quidẽ, vt ne Solomonis quidem veſtitus, quo in ſuæ maieſtatis publica declaratione vti ſolebat, vel vni illorum conferri poſſit. Atqui illum ſplendidiſſimum fuiſſe oportuit, cùm Reginam Saba ſeruorum eius veſtes cũ admiratione obſeruaniſſe legamus. Et ſanè nullus Regũ cultus flores æquare poteſt, ſiue formam eorũ, ſiue colorum ſplendorem & admirabilem compoſitionem ſpectemus: vt iã de odore iucundiſſimo & medendi virtute, qua pleriq; commendantur, nihil dicamus. Quomodo autem flores æquarent ſericum aut acu picta veſtes, quando illos pro exemplari habent, qui iſtis texendis occupantur? Quid verò inde Chriſtus colligit? Rurſus à maiori ad maius argumentum ducens ait: Quòd ſi herbam, quæ hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ita circũueſtit, quanto magis vos, ô exigua fide præditi? Verba hæc per ſe clara ſunt, nec expoſitione aliqua opus habent. Obſeruanda autẽ in his eſt diligenter paterna Dei bonitas, quà creaturis omnibus, etiam viliſſimis tam mirabiliter proſpicit. Quid enim floribus magis caducum & vanius? Per illos certè rerum huius ſæculi inſtabilẽ conditionem & gloriæ humanæ aut carnalis vanitatem Spiritus ſanctus adumbrat. Omnis caro fœnũ (clamat Iſaias) & omnis gloria eius flos agri. Et Iobus de homine miſero & mortali dicit: Vt floſculus oritur & ſucciditur. Et Dauid: Hominis ætas gramini ſimilis eſt, floretq; vt flos in agro: Qui nullus erit, cũ eum ventus peruaſerit, &c. Ita tamen fouet & veſtit ornatq; flores Deus, vt nos de eius Prouidentia admonere & in fide confirmare poſſint. Quis ergo eius bonitatem non exoſculetur & colat? Quis non ab illo vno pendeat? Quis item non deteſtetur illorum vaſaniam, qui ſimulachris opus eſſe aiunt, quæ Deum & eius beneficia nobis

Iſa. 40.
Iob. 14.
Pſal. 103.

in mentem reuocent, quando vnius floſculi temere naſcentis contemplatio nobis poteſt ſufficere?

Diffidentia diſcipulorum accuſatur.

Porro priuſquam progrediamur, obſeruare nos conuenit correptionem illam ſatis acrem, qua fidei imbecillitatẽ diſcipulis ſuis Chriſtus exprobrat. Illa enim docet, eos etſi ſua iampridem reliquiſſent, curis tamen & ſolicitudine adhuc tentatos fuiſſe, quæ animos eorum diſtraxerunt, vt ijs minus attenderent, quæ ab illo ipſis dicebantur. Habet ergo fides ſua augmenta, nec ſtatim ad ſummã perfectionem aſcendunt, qui ſemel Chriſto nomen dederunt. De nullius ergo ſalute propter vitia quædam aut fidei infirmitatem temere eſt deſperandum. Interim admonemur omnes illas ſolicitudines atq; curas, quibus propter victum & amictum pleriq; excruciantur, ex diffidentia enaſci, & fidei minus adhuc firmæ certiſſimum eſſe argumẽtum. Nunquam enim curis immoderatis locum dabit, qui Deum ſua Prouidentia nos alere, veſtire & ſeruare ex animo credit. Et vt infantes ab vna matre pendent, in eius ſolius gremio acquieſcunt, & hanc ſolam expetunt: ita filij Dei ſe totos eius Prouidentiæ committunt, & (quod Dauid iubet) in hunc ſarcinas ſuas reijciunt, de cuius fide non poſſunt dubitare. Pſal. 55.

Ad curã victus redit.

Redit autem ad victum Dominus, quia de hoc plus quàm alijs ſolicitos eſſe nouit eos, qui non omnibus neceſſarijs abundant. Vos igitur (inquit) ne quærite (anxiè nimirum & ſolicitè) quid eſuri ſitis, aut quid bibituri, & ne ſuſpenſo animo eſtote. Qua locutione ad eorum mores & ingenium alludit, qui non in Dei Prouidentiam reſpiciunt, ſed curis & cogitationibus ſuis indulgent. Hi enim ſemper animi pendent, & varijs conſilijs diſtracti nunquam certum quid & ſolidum de ſuis rebus poſſunt ſtatuere. Hanc verò animorum fluctuationem Chriſtus à ſuis diſcipulis alieniſſimam eſſe vult, & vt huic medeatur, duo argumenta prioribus adijcit. Primum ab exemplo fidei aduerſo ſumitur, cùm dicit: Hæc enim omnia gentes mundi requirunt, qui nimirũ nulla Dei veri cognitione, & multò minus fide inſtructi ſunt. Hi enim ſuis viribus atq; induſtria hæc acquiri oportere arbitrantur, & proinde curis & anxijs iſtis cogitationibus non poſſunt non diſtrahi, quando non ſtatim ad manum eſſe vident neceſſaria vitæ ſubſidia. Ita verò docet, nimiùm adhuc craſſos & ignorantes eſſe, & ne prima quidem Chriſtianæ fidei principia eos tenere, qui ijſdem curis locum dãt. Quomodo enim Deũ & Patrem & Omnipotentem eſſe credet, qui illum nos alere velle & poſſe nondum intelligit? Aut num ab hoc Filium vnigenitum nobis in panem vitæ æternæ datum eſſe vnquam credet, qui an panem quotidianum nobis ille daturus ſit, dubitat? Qua ratione item ſibi de æternis & cæleſtibus bonis ſpem certam faciet, qui temporaria hæc & quotidiana nõdum ſperare didicit? Rectè ergo & merito tales gentibus prophanis Chriſtus confert.

Pater ſcit quibus indigeamus

Alterum argumentum rurſus ex Dei Prouidentia petit, quò magis in hac vna acquieſcere diſcamus. Dicit enim: Pater autem veſter nouit vos iſtis indigere. Breuis, ſed multæ conſolationis plena ſententia. Nam ſi propius inſpiciatur, triplex in ea argumentum latêre videbis. Primum eſt, quòd de Deo loquens, hunc Patrem noſtrũ dicit. Quis ergo de eius bonitate & beneficentia dubitet? Secundum in eo eſt, quòd illum nouiſſe aut ſcire dicit. Nihil enim hunc latet, quia omnia penetrat, & oculi eius per omnem terram diſcurrunt. Quid verò nouit? Vos iſtis indigere: Eſt hæc tertia ratio, quæ nos ſolatur. Ita enim inter homines comparatũ eſt, vt ſi parentes norint filijs peregrè agentibus aliquid deeſſe, mox quacunq; poſſunt ratione illis opem ferant. At cæleſtis ille Pater, cuius bonitas & miſericordia cælum tranſcendit, nos in hac lachrymarum valle peregrinantes videt, & victu, veſtitu, domicilio alijſq; vitæ ſubſidijs opus habere nouit. Nũquam ergo illa negabit, quoad nos hîc viuere volet. Quomodo enim filios ſuos ille negligeret, cuius proprium opus eſt ijs ſuccurrere, qui in neceſſitate conſtituti ſunt? Docẽt hæc quam felix & beata ſit credentium conditio, de qua propter innatam carni noſtræ ſocordiam pleriq; rarius cogitant. Patrem habent in cælis, qui vt illos hîc laborantes videt & nouit: ita ſcit quoq; quibus rebus indigeant. Imò cùm nos melius cognitos habeat, quàm nos ipſi, melius etiam quæ nobis vtilia & ſalutaria ſint intelligit, & vt ea nobis largiatur nũquam non paratus eſt. Ab hoc igitur cùm omnia noſtra pendeant, ei omnem noſtri curam relinquere debemus, ne inani & noxio labore nosipſos fatigemus.

Regnum Dei ante omnia quæratur.

Porro doctrinæ huius vſum ipſe Dominus tradit, dũ infert: Quin potius quærite Regnũ Dei, & hæc omnia adijcietur vobis. Per Regnum Dei tota noſtræ redemptionis & ſalutis ratio intelligitur, cuius hic finis eſt, vt deſtructo diaboli & peccati regno, in nobis regnet Deus, noſq; ei obediamus, & tandem

tandem ad regnum illud cœleſte transferamur, quod ſui ſanguinis pretio Chriſtus nobis acquiſiuit. Quærunt Regnum hoc, qui Filium Dei vera fide amplexi, ſeſe illius voluntati accommodant, & vocationem ſuam, cui ipſos Deus destinauit, ſedulò ſequuntur. Iis in præſenti pollicetur Dominus, quòd nihil ipſis defuturum ſit eorum, quæ ad vitam hanc tuendam neceſſaria ſunt. Cui promiſſioni illud Dauidis conuenit: Iuuenis fui, & nunc ſenui, nec vidi iuſtum derelictum, aut poſteros eius mendicãtes panem. Et Paulus pietatem cum animo ſua ſorte contento magnum quæſtum eſſe dicit, vt quæ promiſſiones præſentis & futuræ vitæ habeat. Exempla cùm vetera tum recentia paſſim occurrũt, quibus hoc probari poteſt, & prodeſt diligenter obſeruare quæ pijs inter medios perſecutionum fluctus accidunt, & hoc à Chriſto veriſſimè dictum eſſe patebit. Debet autem doctrina hæc ad omnis loci & ordinis homines extendi. Qui igitur rempub. adminiſtrant, ij ante omnia curent, vt Deus regnet, huic credant, leges ipſius voluntati conſentientes condant, eaſque conſtanter tueantur, iiſdem verò populus obtemperet, nec dubium eſt, quin omnia habituri ſint à Deo, quæ ad pacem & conſeruationem reipublicæ faciunt. Idem patresfamiliâs, opifices, agricolæ & quicunq; alij nominari poſſunt, obſeruent, & ipſi quoque Dei benedictionem ſentient, quæ omnia illorum fauſta & auſpicata reddet. Nec enim ſuos fallere poteſt Ieſus Chriſtus, qui ipſiſſima eſt Veritas: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen. Pſal.37.

HOMILIA CXXX.

Ne timeas ô parue grex: nam viſum eſt Patri veſtro dare vobis Regnum. Vẽdite bona veſtra & date eleemoſynam. Parate vobis crumenas, quæ non veteraſcunt, theſaurum in cœlis qui nunquam deficiat: quò fur non appropinquat, & vbi tinea non corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, illic & cor veſtrum erit.

Quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos ad conſtantiam in vera fide & ingenuam eius confeſſionem grauiter hortatus eſt, omnia etiam remouet, quæ nos hîc abſterrere aut impedire poſſunt. Inter quæ poſtremo loco auaritia producitur, à qua multis & grauiſſimis rationibus dehortatus eſt, eò quòd vix aliud ſit, quod efficacius nos à Deo auocet. Oſtendit ergo cõtra vulgi opinionem, opes ad veram hominis felicitatem nihil conferre, neq; vitã hanc tueri poſſe, quando mortis hora inſtat, quæ ferè incautis & nihil tale ſperantibus obrepit. Item opum poſſeſſionem dubiam eſſe, nec aliquem ſcire poſſe, cui iam moriturus ea relinquat, quæ ſuis curis atq; laboribus acquiſiuit. Et quia pleroſq; victus & veſtitus cura ſolicitos habet, de hac nuper multis & diligẽter monuit docens, hanc omnino inutilem & ſuperuacaneam eſſe, cùm noſtra induſtria ne in minimis quidẽ aliquid poſſit, Deus autem, cuius Prouidentia ad coruos & flores vſq; extendatur, ſuos nunquam ſit neglecturus. Cæterùm vt olim Cato Cenſorius populo Romano ob frumenti diuiſionem tumultuanti dicebat, difficile eſt verba facere ventri auribus carenti: ideo Chriſtus Dominus ſpem, quam diſcipulis nuper fecit, prima huius loci parte confirmat, deinde ad beneficentiæ ſtudium exhortatur, vt oſtendat, Chriſtianos homines huic potius vacare, quàm opibus congerendis intentos eſſe debere.

Primum breui & patheticaplaut ſententia abſoluit, ſic dicens: Ne timeas ô parue grex: nam viſum eſt (vel, placuit) Patri veſtro dare vobis Regnum. Cohærent iſta cum ijs, quæ aduerſus nimiam & immoderatam victus curam diſſeruerat, & docent, non debere eos ſibi in hoc ſæculo ab egeſtate timere, quibus Deus Regni ſui cœleſtis hæreditatem æterno ſuo decreto deſtinauerit. Cur enim huius vitæ ſubſidia, quæ ne belluis quidem & volucribus negantur, non ſperent à Patre cœleſti, qui ſe maiora & æterna bona accepturos eſſe nouerint? Quia verò multa alia ſunt, quæ pios terrent, vt ſunt fidelium paucitas, hoſtium vires & potentia, perpetuæ item eorundem inſidiæ & ſanguinariæ machinationes, multaque alia huius generis, debet hinc generalis conſolatio peti, qua nos aduerſus omnes tentationum ſpecies confirmemus. Quæ vt efficacior ſit, ſingulæ huius dicti partes erunt excutiendæ. Cõſolatio generalis.

Et primò quidem videre oportet, quos nam Dominus alloquatur, & quo nomine aut titulo eos Quibus loquatur?

compellet. Atqui ad diſcipulos hunc ſermonem habitum fuiſſe, ſupra Lucas oſtendit. In horum numero tunc cenſebantur duodecim Apoſtoli cum ſeptuaginta diſcipulis, de quibus cap. decimo eſt dictum. Acceſſerunt his aliqui comites ex Galilæa, inter quos ferè illuſtriores fuerunt aliquot mulieres, de quibus infra cap. vigeſimo tertio dicetur. Hos ſimul omnes alloquens amicè admodum, eos puſillum gregem dicit.

Chriſtiani grex ſunt. Vbi ante omnia obſeruabis, Chriſti fideles gregem vocari. Nam dulciſſimæ conſolationis plena eſt huius vocabuli conſideratio. Vbi enim grex eſt, illic paſtor quoq; ſit oportet, cum ſine illo oues diſpergi ſoleant, vt quæ pro ſua ſtoliditate in vnum conuenire & gregis vnitatem tueri non poſſint, niſi à paſtore cogantur. Ergo qualeſcunq; ſint Chriſtiani, pauci aut multi, illuſtres aut obſcuri, diuites aut pauperes, firmi deniq; aut infirmi, grex tamen ſunt, & paſtorem habent, æternum ſcilicet Dei Filiũ, quẽ Pater iam olim, & quidem ab æterno, huic muneri deſtinauit. De hoc enim Iſaias va-
Iſa. 40. ticinatus eſt: Ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus veniet in robore, & brachiũ ſuũ dominabitur per ſeſe: ecce merces eius cum eo, & opus eius ante ipſum. Paſcet gregem ſuum vt paſtor, & brachio
Ioan. 10. ſuo congregabit agnos, inq; gremio ſuo feret, fœtas autem ſuaniter ducet. Et ipſe in Euangelio non ſemel ſe paſtorem eſſe profitetur. Qualis autem paſtor eſt? Sapiens nimirum & rei paſtoritiæ gna-
Zach. 11. rus, nõ ſtultus, vt ille quem incurabilibus & pœnitere neſcijs Deus per Zachariã minatur. Nouit enim Chriſtus oues ſuas, & quod de Cyro (qui eius typum geſſit) ſcribitur, eum militum ſuorum omnium nomina tenuiſſe, hoc imprimis in Chriſto locum habet, qui omnium ſuarum nomina in cælis adſcripta habet, & ſingulas etiam nominatim vocat. Nouit etiam paſcua ſalubria, in quibus oues adoleſcere poſſint. Deinde fidelis eſt paſtor, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ut eas ex immanis illius leonis, diaboli nimirum, faucibus eriperet, qui æternum perditas volebat. Adhæc potentiſſimus & inuictus paſtor eſt, ex cuius manu oues nemo poteſt rapere. Nam nemo poteſt (inquit) eas rapere ex manu Patris mei, ego autem & Pater vnum ſumus. Quibus ſi addas, quæ de ſeipſo idem ille per Ezechielem dicit, nullum in eo fidiſſimi Paſtoris officium deſiderabis. Vide Ezech. 34.

Chriſtianorum officia. At ſimul nos etiam noſtri officij hæc gregis & ouium nomina admonent. Harum enim eſt vocem paſtoris ſui noviſſe, auditam ſequi, gregis vnitatem tueri, neq; hinc inde diſpergi. Itaq; noſtrum quoq; erit, paſtorem vnicum agnoſcere, huius verbum audire, impoſtorum verò & ſeductorum doctrinas vitare, Eccleſiæ ſocietatem colere, à ſectis nobis cauere, in periculis item omnibus ad vnum Chriſtum confugere, & in hoc ſolo opem & ſalutem omnem ſperare. Ita demum grex Filij Dei erimus, qui pro ſuis nunquam agnoſcet eos, qui ipſo relicto hinc inde diſperguntur, & incertis doctrinis agitati fluctuant, neq; ipſius verbo obediunt.

Chriſtiani grex paruus. Sed audiamus etiam, qualis grex ſint Chriſti cultores: Paruus nimirum ſiue exiguus, tam numero (ſi cum mundo aut huius ſæculi filijs conferantur) quàm æſtimatione. Nam etſi interdum longè lateq; extendantur Eccleſiæ pomeria, & ad hanc nationes multæ & populoſiſſimæ colligantur, tamen ſi mundum ſpectamus, ſemper verum eſſe deprehenderur, quod Chriſtus dixit, Multos quidem eſſe vocatos, electos autem paucos. Eſt enim mundus hic totus in malo conſtitutus, & ideo plerique carnis ſapientiam & deſideria ſecuti in proprium exitiũ ruunt: vt iam de hypocritis nihil dicamus, qui cùm Chriſtum ore profiteantur, cum mundo tamen colludunt, & animos habent à fide prorſus alienos. Vt verò cum impijs & prophanis collatione facta piorum grex admodum puſillus eſt: ita ijdem nullius in mundo exiſtimationis ſunt, & ab alijs quidem odio habentur, ab alijs autem ſtulti & dementes eſſe iudicantur, qui ſoli ſapere & diuerſam ab alijs ſalutis rationem ſequi velint. Et hanc quidem Eccleſiæ ſortem ab ipſa rerum origine fuiſſe conſtat. Ante diluuium certè in immenſum aucta eſt infelicis Caini poſteritas, quæ artium inuentione, vrbium ædificatione, potentia & opibus floruit, decreſcente interim Sethi progenie & pleriſque etiam ex ea degenerantibus, adeò vt patribus ſanctis omnibus hac vita defunctis, ſolus Noe cum octo animabus in arca ſeruatus Eccleſiæ ſeminarium fuerit. Hoc ipſum de Abrahami & filiorũ eius temporibus dici poteſt. Nec meliorem fuiſſe rerum conditionem Prophetis docentibus, eorum ſermones abunde teſtantur. Iſaias enim clamat: Niſi Dominus nobis aliquas ſeruaſſet reliquias, vt Sodoma & Gomorrha facti eſſemus. Et alibi ſe cum paucis diſcipulis portenti inſtar in Iſraele eſſe queritur. Idem de Chriſto & redemptionis per ipſum factæ beneficio vaticinaturus, præfatur, paucos fore qui huic prædicationi
credant,

credant, & Dei virtutem in Filio reuelatam agnoſcant. Quòd quàm verè ab illo dictum ſit, Euangelica hiſtoria ſatis docet. Etſi enim Euangeliũ per totum orbem Apoſtoli prædicarint, & hinc inde Eccleſias conſtituerint, maior tamen gentium atque Iudæorum pars in ignorantia & incredulitatis tenebris permanſit, & Romani Imperatores per annos ferè trecentos vſq; ad Cõſtantini Magni tempora Eccleſiam crudeliſſimè perſecuti ſunt. De noſtris temporibus quid attinet dicere, quando res ipſa loquitur puſillum eſſe verè credentium gregem, ſi cum reliqua totius mundi multitudine conferantur? Sunt autem vetera exempla probè obſeruanda propter eos, qui quando de fide & religione agitur, ad hominum multitudinem, potentiam & authoritatem reſpiciunt. At ſi hæc ad veritatem aliquid momenti conferunt, Aegyptiorum Magos Moſi, Baalis ſacerdotes Eliæ, Phariſæos denique & Scribas ipſi Chriſto & Apoſtolis anteponere oportebit. Quin ergo Dei conſilium obſeruemus, qui (vt Paulus docet) humilia & ſtulta huius mundi deligit, vt iſtius faſtum deprimat, noſq; in illo vno gloriari diſcamus. De Eccleſia autem ex Dei Verbo iudicari debet, ex quo illa naſcitur: non ex hominum authoritate, quam Deus non magni facit.

Quid autem gregi ſuo & ſingulis fidelibus Chriſtus præcipit? Ne timeas, inquit. At hoc præcepto non obſcurè innuit, non defore vnquam timoris cauſam atque materiam, ſi carnis iudicium audire velimus. Quid enim de hoc admonere opus erat, niſi eſſent, quæ nos terrere & fortiſſimis quibuſque metum incutere poſſunt? Et ſanè vt Satan regno ſuo difficulter cedit; ita mundus hic Veritatis lucem odit, neque eos ferre poteſt, qui hanc ſecuti ab ipſo ſeceſſionem faciunt. Hinc ergo omnis generis afflictiones atque pericula oriuntur, quibus olim pij grauiſſimè exercitati ſunt, & quæ hodie etiam ipſi experimur. Sed hîc nos timere vetat Dominus. Quod non ita accipi debet, quaſi nos ſtipites aut truncos eſſe velit, qui nullis aduerſis moueamur, ſed ne metu nos ita ſuperari patiamur præcipit, vt vel fidem negemus, vel aliqua in re noſtrum negligamus officium. Eſtq; præceptum hoc perquàm neceſſarium obſeruatu. Nam vt in bellis ſi timor militum animos occupet, nullo pudore aut periculo etiam in acie retineri poſſunt: ita in fidei negotio timor conceptus homines ſui officij prorſus immemores & rerum omnium incertos reddit, ſimulq; pudorem omnem excutit, ſicuti in Petri abnegatoris & multorum aliorum exemplis eſt videre. Ideò præceptum hoc frequenter Deus ijs etiam olim inculcauit, qui inuicta animi conſtantia muniti videbantur: ex quorum numero Moſes fuit, Ioſua, Ieremias & alij quidam Prophetæ. Nobis ergo hoc ipſum dictum putemus, & quoties terrorem aliquem Satan aut mundus concitant, conſolationis huius recordatione fidem labaſcentem fulciamus: meminerimus item nimiùm ignaui & degeneris animi argumentum eſſe, ſi ijs nos perterrefieri ſinamus, de quibus toties ſumus admoniti, & quæ nobis iampridem præmeditata eſſe debebant. Quis enim militem in caſtris ferat, quem claſſici cantus terret, & qui non potius hoc audito pugnandi ardorem animo concipit?

Chriſtiani non timeant.

Deut. 3. Ioſue 1. Ierem. 1.

Porrò rationem ſui præcepti adducit Dominus: Nam viſum eſt Patri veſtro dare vobis Regnum. Id verò de Regno cælorũ dicit, cuius nomine vniuerſa hominum ſalus & beata immortalitas intelligitur, in qua omnis dolor & gemitus ceſſabit, & omnis lachryma abſtergetur, nec aliquid erit, quod nos terrere poſſit, aut quod metuere debeamus. Habent autẽ ſingula verba emphaſim. Rurſus enim Dei Patris meminit, & hunc noſtrum Patrem vocat, quò minus de eius bona erga nos voluntate dubitemus. Imò dum Patrem ſuum nobiſcum communem facit, nos ex iure ſuos regni illius cohæredes fore docet. Deinde Patri veſtro (inquit) viſum eſt, ſiue placuit. In Græco verbũ εὐδοκεῖν ponitur, quod beneuolentiam ſiue miſericordiam gratuitam denotat, cuius non alia cauſa ſit, quàm quòd ita placeat Deo, qui homines cupiat ſaluos fieri, & ita nos dilexerit, vt Filium quoque vnigenitum pro nobis daret. Ad illam verò nos remittit, vt intelligamus ſalutem noſtram non ex noſtris meritis pendere, ſed in libera & gratuita miſericordia Dei fundatam eſſe, & proinde noſtræ indignitatis ſenſu non terreamur. Adhæc irreuocabile Dei decretum hæc vox exprimit. Si enim ita placuit aut viſum eſt Deo omnipotenti, cui in omnes creaturas ius eſt & imperiũ, & qui ideò Dominus exercituum dicitur, quis obſtabit, quò minus quod decreuit perficiat? Domino exercituũ aliquid conſtituente (inquit Iſaias) quis illud faciet irritum? Et Dauid: Conſilium Domini in æternũ perſtat, & decreta cordis eius per omnia ſecula. Quid autem viſum eſt Patri? Vobis dare Regnum, qui nimirum paruus & cõtemptiſſimus grex eſtis, & quos hic mundus vix dignos cenſet quos terra ferat,

Chriſtianis debetur regnum.

Iſaie 14. Pſalm. 33.

quiq; cõmuni cum alijs hominibus aura fruantur. *Vobis,inquam,Regnum dare placuit; vt mecum eius gloria atq; felicitate fruamini.* Exprimitur his magna Chriſtianorũ dignitas, quos Dei Filius Apoc.1.& 5. (vt in Apocalypſi ſcribitur) Reges fecit, non quidem terrenos, ſed tales, qui mundo, peccato, carne propria & eius deſiderijs ſuperiores facti, olim in cælis cum ipſo regnabunt. Debet nos illius conſideratio conſolari, ne vllis aduerſis ſuccumbamus. Cur enim huius ſeculi infamia multum moueatur, qui ſe cœleſtis & æternæ gloriæ hæredem fore audit? Cur egeſtatem metuat, qui regni Dei theſauros ad ſe pertinere credit? Cur famem & ſitim indignè ferat, qui olim ad menſam Ieſu Chriſti beato immortalitatis nectare & ambroſia ſaturabitur? Cur exiliũ formidet, qui patriã & Regnum in cælis habet? Cur item credentiũ paucitate offendatur, qui in magno illo die cum omnibus electis & innumeris Angelorum myriadibus in cælis viuet? Deniq; cur mors illis acerba & grauis videatur, qui vitam æternam ſibi promiſſam & paratam ſciunt? Aut cur hoſtium fidei minis & diris conatibus conſternetur, qui Chriſto redemptore gaudet, qui in medio inimicorum ſuorum dominatur? Vides ergo breui hac ſententia conſolationem multiplicem contineri, quæ ſola nobis aduerſus omnia poteſt ſufficere, quæ carni terrorem & formidinem incutiunt.

Vſus diuitiarũ. Cæterùm quia de opum vanitate & incertitudine ſupra Dominus diſſeruit, ſimulq; de victu & reliquis neceſſarijs ſolicitos eſſe prohibuit, poterant hinc quæſtiones duæ enaſci. Prima, quis ergo diuitiarum huius ſeculi vſus ſit, quas ex Dei benedictione interdum ſanctiſſimis quoque dari videmus? Altera, num omnino nefas ſit aliquem ſibijpſi & ſuis proſpicere? Ad vtramque ergo Dominus reſpondet, & ita quidem, vt & verum bonorum temporariorũ vſum tradat, & ſimul oſtendat, qua ratione homo ſibi commodiſſimè proſpicere & diuitias ſolidas & verè felices comparare poſſit. Ad primam quæſtionem pertinet præceptum hoc: *Vendite bona veſtra, & date eleemoſynam.* Quorum verborum ſenſus germanus diligenter inueſtigari debet, eò quòd omnibus ſeculis inuenti ſint, qui de opibus malè iudicarunt, quaſi per ſe noxiæ & indignæ ſint, quæ ab ijs poſſideantur, qui virtuti & pietati operã dare inſtituerunt. Nam gentiũ in hiſtorijs Crates Thebanus narratur immenſum auri pondus abieciſſe, cùm animum ad philoſophiam appuliſſet. Inter Chriſtianos autem homines olim reperti fuerunt, quibus nefas videbatur, aliquid proprium poſſidere. Hodie Monachi paupertatem voluntariam vouent, & nonnullis eorum religio eſt pecuniam manibus contrectare: Anabaptiſtæ autem Platonicam bonorum omnium communionem pertinaciter vrgent, & Chriſtianos eſſe negant eos, qui non omnibus relictis hinc inde vagantur, & alijs oneri ſunt. Sed infinitæ rationes ſunt, quibus omnium iſtorum ſententiæ confutantur. Primò enim Scripturæ ſacræ vberes terræ prouentus & diuitias inter Dei benedictiones numerant, quibus cultorum ſuorum pietatem, ille ſoleat etiam in hoc ſeculo remunerare. Deinde ditiſſimos fuiſſe conſtat multos ex ſanctiſſimis Dei cultoribus, & inter hos Abrahamum quoque, quem credentium omnium patrem Apoſtolus vocat. Sed & furtum tam in Lege quàm Euangelio prohibetur, quod fruſtra fieret, ſi quid proprium habere non liceret. Adhac diuitibus præcepta dantur, vt opibus ſuis vti debeant, ſicuti ſupra audiuimus. Poſtremò repugnat illorum ſententiæ Eccleſiæ primitiuæ mos, in qua bonorum communio magis quàm vllis vnquam temporibus locum habuit. Nec enim tunc quiſquam cogebatur, vt ſua bona in commune deponeret, ſed cuiq; liberum erat de ſuis prout ipſi videbatur conſtituere, ſicuti Petri verba ad Ananiam diſertè docent. Et multi tunc ſuas domos & alias facultates retinuerunt. Quid, quòd ne vendere quidem licuiſſet, ſi quid proprium habere non liceret? Ita enim alijs peccandi fuiſſent authores, quod ab homine Chriſtiano alieniſſimum eſſe debet. Non ergo ſecundum literã Chriſti verba vrgeri, nec generale præceptum ex iiſdem colligi poteſt, niſi illum toti ſcripturæ contradicere, velimus putare. Quid ergo ſibi vult? Verum diuitiarum vſum tradit, qui eſt vt beneficentia erga quoſuis ſtudeamus, maximè autem eos, qui noſtra ope indigent. Quia autẽ multum nos remoratur opum vſus, verbis vehementioribus vtitur, vt oſtendat, adeò non negligendos eſſe miſeros & egenos, vt ſi redditus annui & ea quibus abundamus, non ſufficiant illis iuuandis, non grauemur prædia quoque & alia bona vendere. Itaq; vendendi verbo animi promptitudinem requirit. Quæ enim venum exponimus, ea omnino cupimus diſtrahi, & emptores nobis obtingere gaudemus. Et hoc quidem in beneficentia imprimis requiritur. Nam hilarem datorem diligit Dominus, & egentibus quoq; magis grata ſunt noſtra officia, ſi nos

illa

illa prompto & alacri animo præſtare videant. Ideò David diſpergendi verbo vitur, quando de ho- Pſalm.112
minis verè pij & iuſti liberalitate erga pauperes ſermonē facit. Et huc pertinet, quod alibi Chriſtus
monet, ne ſiniſtra manus norit quid dextera faciat, id eſt, ne quis ſiniſter & malevolus affectus con-
currat, quo noſtra beneficentia vitietur. Deinde vt noſtra bona vendamus iubet, ita innuens nos
ex proprijs facultatibus, non ex alienis largiri debere, quod ipſum Thobias quoq; diligenter filio ſuo Thob.4.
mandauit. Nec enim Deo probatur ex alieno facta liberalitas: quia quod noſtrum non eſt legiti-
mis dominis reſtituere debemus, quod niſi fiat, furti arguimur. Quod Zachæus obſeruauit, dum pol-
licetur, quòd reſtitutione ſecundùm Legem facta, dimidium ſuorum bonorum pauperibus elargiri
velit. Nihil ergo proficiunt homines iniqui, qui vbi contra humanitatis leges vſuris, rapinis, frau-
dibus, ſanguinis denique effuſione diuites facti ſunt, partem aliquam pauperibus decidunt, quaſi
cum Deo paciſci velint, vt reliqua præda ipſis frui permittat. Quid enim hoc aliud eſt, quàm illum
in ſceleris ſocietatem vocare, quod nemo vir bonus patienter ferre poſſet? Poſtremò, date (inquit)
eleemoſynam. Hæc Græcis à miſericordia nomen habet, & fontem veræ beneficentiæ exprimit, qui
eſt alienæ miſeriæ reſpectus, & ex hac enaſcens animi commotio. Non ergo eleemoſynas dant, qui
vt ab hominibus conſpiciantur & ſibi laudem parent, vel alicuius priuati commodi cauſa egenis ali-
quid largiuntur. At ſimul admonemur, in quos beneficentiam exercere debeamus. In omnes vide-
licet, qui miſeri & egentes noſtram opem requirunt, vel ea opus habent: de quo in Samaritani para-
bola prolixè dictū eſt. In eo enim nos Dei Patris noſtri exemplum imitari conuenit, qui erga omnes
beneficus eſt, & (vt in Pſalmis ſcribitur) aperit manum ſuam, & omnia implet benedictione, Pſalm.145.
omniumq; animantium deſiderium ſaturat. Præ alijs tamen nobis commendati eſſe debent dome-
ſtici fidei, ne cum publico Chriſtianæ religionis ludibrio egeſtatis exempla fiant. Fuerunt in hoc di-
ligentiſſimi primitiuæ Eccleſiæ fideles, qui exteris quoque & procul diſſitis ſua liberalitate ſubue-
nerunt. At quid hodie fiat, nimis notum eſt, & multorum lachrymis deploratur.

Quia autem carni graue & iniquum videtur ſua alijs largiri, & (quod dicitur) propriū genium Ratio diteſcen-
fraudare, vt aliorum inopiæ ſuccurras, alteram quoq; doctrinam ſubijcit Chriſtus, quæ & ampliſſi- di tutiſſima.
mæ retributionis promiſſionem continet, & ſimul oſtendit, eam demum certiſſimam tutiſſimamq; ſo-
lidas diuitias cōparandi rationem eſſe, ſi egentibus liberaliter largiamur ea, quibus opus habent. Pa-
rate (inquit) vobis crumenas, quæ non veteraſcunt, id eſt, recondite veſtra ſic vt amitti non poſſint,
ſicuti amittuntur quæcunq; in crumenas vetuſtate conſumptas & pertuſas homines reponunt. Et
huius modum vel rationem mox exponit: Theſaurum videlicet parate in cælis, qui nunquam defi-
ciat: quò fur non appropinquat, & vbi tinea non corrumpit. Pulchrè autem Dominus infelicē diui-
tiarum huius ſeculi conditionem exprimit, quando furum & tinearū, & (vt Matthæus annotauit)
æruginis quoq; facit mentionem. Ita enim docet, illas infinitis caſibus obnoxias eſſe, nec vnquam tam
bene cuſtodiri poſſe, quin aliqua tandem earum iactura fiat. Nam vt nihil aliud accidat, metalla
rubigine exeduntur, veſtes precioſæ à tineis & vermiculis arroduntur, fruges in horreis conditæ à
muribus & alijs animalculis deuorantur, vina in dolijs aceſcunt & fugiunt, pecora morbis contabe-
ſcunt. Sed hiſce incommodis accedunt tempeſtates, quæ opulentos terra mariq; infeſtant: obrepunt
fures, qui clàm pecunias, veſtes & quæcunq; alia auferunt: irruunt violenti raptores, qui omnia diſ-
ſipant; oriuntur ſubita incendia, quæ ditiſſimos quoque ad extremam egeſtatem adducunt: lites
mouent ſycophantæ, & inſidioſis cauſidicorum artibus adiuti aliena bona ad ſe transferunt: filij
item prodigi aut rixatores maxima eorum parte parentes interdum ſpoliant. Taceo nunc eos, qui
diuitias ſibi quaſi ex manibus effluere ſentiunt, neque ipſi rationem poſſunt reddere, qua illac amit-
tant. Tot, inquam, inſidijs & caſibus obnoxiæ ſunt opes, vt non temere veterum quidam aurum
præ metu pallere dixerint. Verè ergo in crumenas pertuſas recondunt ſua, quicunque abiecto pieta-
tis ſtudio diuitijs coaceruandis inuigilant. Nam etſi nihil horum accidat, ipſis tamen quando mini-
mè putant moriendum eſt & eiuſmodi opes rarò ad tertium vſque hæredem deueniunt. Quæ ergo
ſtultitia, vel dementia potius eſt, ſeipſum fatigare, vt opes tineis, furibus, ærugini, incendijs alijſq;
caſibus congeras, quarum poſſeſſio periculoſa eſt, iactura autem animum incredibili dolore excru-
ciat? Veriſſimè enim Satyricus dixit: Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris.

Theſaurus in cœlis cõdatur. *Quid ergo (inquis) faciam? Quod Chriſtus iubet, vt theſaurum nobis in cœlis recondamus. Id verò faciunt, qui procul relictis huius ſeculi curis & inſano diteſcendi ſtudio, vni Deo fidunt, vitam cœleſtem viuere ſtudent, opes autem & quæcunq; præterea habent, in Dei manus deponunt, & ab eius Prouidentia atq; benedictione toti pendent. Qui ita affecti ſunt, ij ſi opus ſit & ſic Dei vocatio iubeat, opes ſuas propter ipſum alacri mente relinquunt, ſicuti olim Abrahamũ, Moſem, Apoſtolos & multos alios feciſſe legimus. Iidẽ, dum eis illarũ poſſeſſio cõceditur, liberaliter egentibus quibuſuis ſuccurrunt, & quoad animi voluntatẽ omnia ſua cum reliquis Chriſti membris cõmunia habent. Itaq; in crumenas minimè pertuſas neq; vetuſtate pereuntes, ſed in ipſius Dei æterni atq; immortalis ſinum ſua reponunt, qui remunerator eſt fideliſſimus, neque ſuis quicquam deſieri patitur. Et huc promiſſiones Chriſti pertinent: Quiſquis reliquerit domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrẽ, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum recipiet, & vita æternæ hæreditate fruetur. Item quod in nouiſſimo ſuo aduentu ad iudiciũ ſuis dicet: Amen amen dico vobis, quod*

Prouerb. 19. *feciſtis vni ex hiſce fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Quibus conſentit Solomon, qui Domino eum fœnerari dicit, qui pauperi largitur. At vtinam in horum conſideratione frequentiores hodie eſſemus. Quàm multos enim eſt videre, qui tunc demum ſe rebus ſuis proſpexiſſe arbitrantur, ſi pecunias ſuas dent ad vſurã, & apud fœneratores deponant, à quibus redditus maiores quàm vulgo ſoleat recipiunt. At quantò ſatius erat facultates omnes apud Deũ deponere, quàm neglecto veræ pietatis officio inſuper peccatis etiã alienis cõmunicare? Cyrus olim Cræſo ſuadenti, vt pecunias accumularet, reſpondebat: Vt theſauros apud me collectos habeam iubes, vt propter eos inuidiæ ſim & odio, fidamq; cuſtodibus mercenarijs, quos ijs præfecerim: at ego dum amicos diuites reddo, hos puto mihi eſſe theſauros & cuſtodes ſimul cùm meipſius tum meorum bonorum. Et poeta prophanus ait:*

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Quòd ſi iſti ea demum cum lucro certo depoſita putarunt, quæ amicis dantur, nimiùm craſſi & ignorantes ſunt, qui ſua in Chriſti amicos & fratres conferre nolunt, ne aliquando ipſis deſit vnde viuant. Sed magnas ſuæ ſtultitiæ pœnas dabunt, quando ærugo & tineæ (vt Iacobus ſcribit) quæ bona & veſtes ipſorum eroſerunt, eos inhumanitatis conuincent, & Dei Filius in magno illo die ſibi negatum iudicabit, quod minimo ex ſuis fratribus illi negarunt.

Vbi theſaurus, ibi cor. *Sed ipſum Dominum audiamus ſui præcepti rationẽ reddentem: Vbi enim theſaurus veſter eſt, illic & cor veſtrum erit. Quo dicto docet, neceſſarium omnino eſſe, vt theſauros nobis in cœlo recondamus, niſi à Deo prorſus deficere libeat. Theſauri enim nomine idem denotat, quod vulgo Summũ bonum dicunt, & generalis hæc ſententia eſt, atque vſu aut experientia quotidiana probatur. Nam fieri non poteſt, quin cor & animum totum homo ei rei addicat, in qua ſummum bonum & felicitatem ſuam conſiſtere ſibijpſi perſuaſit. Itaq; qui hoc honoribus huius ſeculi tribuit, huius animam ambitio occupat: qui in voluptatibus beatitudinem collocat, eius mens circa comeſſationes, ludos, libidines vagas & alia huius generis ſtudia occupatur: qui verò ex multiplici rerum cognitione ſe felicem fore ſperat, huius cogitationes & ſtudia in librorum pluriũ lectione & rerum vſu vario verſantur. Similiter qui Summum hominis bonum in diuitijs ſtatuunt, horũ corda his ſolis affixa ſunt, deq; ijs accumulandis dies noctesq; cogitant. Ac cùm Deus cor totũ ſibi vendicet, ſeq; vnũ tota anima & omnibus viribus diligi atq; coli velit, nunquã certè pro ſuis ſeruis eos agnoſcet, qui cor ſuum rebus & ſtudijs alijs mancipauerunt. Rectè ergo Chriſtus iubet theſaurum in cœlis reconditum habere, vt eius deſiderio inflãmati, relictis huius ſeculi ſtudijs cœleſtia meditemur, & vitã viuamus noſtra profeſ-*

Coloſ. 3. *ſione dignã. Quo ſenſu Paulus quoq; cùm Coloſſen. ad vitæ cœleſtis ſtudiũ hortaretur, Chriſtũ ipſum in cœlis monſtrat, in quo vita noſtra adeoq; ſummũ bonũ hominis, abſconditũ ſit. Interea admonet nos locus iſte, quàm multiplex peccatũ ſit auaritia. Hæc enim cauſa eſt, vt contra charitatis leges fratres egenos negligamus, vt contra ius & æquum aliena inuadamus, & nobiliſſimã hominis partem, mentem ſiue animum turpi ſeruitute grauemus. Eadem omnia pietatis exercitia impedit, preces nimirũ & Verbi diuini ſtudiũ, dum cordis noſtri cogitationes etiã inter illa aliò auocat. Deniq; idololatras reddit, vt opes Dei loco nobis ſint, quando ſpem & fiduciam omnẽ in his habemus collocatam. Fugiamus ergo tam noxiã & multiplicem peſtem, et theſaurum in cœlis recondamus, quo fruemur,*

ſi Ieſum

ſi Ieſum Chriſtum fide conſtanti & per charitatē agente amplexi fuerimus, qui arca illa fœderis eſt, in qua omnes theſauros ſcientiæ & cognitionis, gratiæ item ſuæ & regni cœlorum vitæq; æternæ nobis Pater propoſuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXI.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ accenſæ: & vos ſimiles eſtote ijs, qui expectant quando dominus ſuus reuerſurus ſit à nuptijs: vt cùm venerit ac pulſauerit, ſtatim aperiant ei. Beati ſerui illi, quos cùm venerit dominus, inueniet vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet vt diſcumbant, & prodiens miniſtrabit eis. Et ſi venerit ſecunda vigilia, & ſi tertia vigilia venerit, atque ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, ſi ſciret paterfamiliâs, qua hora fur venturus ſit, vigilaret, nec ſineret perfodi domum ſuam. Et vos igitur eſtote parati: quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.

Dominus & ſeruator noſter, Ieſus Chriſtus, non ſolùm æternæ ſalutis rationem perſpicuè tradit, & vt eam fide conſtanti amplectamur monet, verumetiam fideliter vitijs omnibus medetur, quæ nos à ſalutis via reuocare, & ſynceram fidei profeßionē impedire ſolent. Apparet hoc tum alibi, tum in tota eius doctrina, quæ hoc Cap. deſcribitur. Quia enim ad fidei conſtantiā & eius confeßionem hortatus erat, mox obſtacula remouit, quæ multis cauſam præbent, vt à fide omnino deficiant, aut ſaltem ignauo & ſeruili metu ſuperati eam turpiter dißimulent. At quia illa remouiſſe non ſatis eſt propter innatam nobis ſocordiam, quæ in rebus diuinis nunquam non obrepit, denuò ad hortationes nunc redit, vt omnibus huius mundi curis atque ſtudijs procul abiectis, ſinguli ſuum officium faciant, neue vlla mora aut difficultate ſeſe ſuperari patiantur, quò minus in ſtatione ſibi à Deo commiſſa maneant. Continet autem locus iſte vniuerſam vitæ noſtræ, quam in terris agimus, conditionem elegantibus parabolis adumbratam, & proinde digniſsimus eſt, quem diligenter conſideremus.

Prima parabola de ſeruis eſt herum ſuum expectantibus, quando à nuptijs domum reuertatur. Vbi, vt diximus, vitæ noſtræ imago aut typus proponitur. Serui enim illi ſunt, quotquot Chriſto nomen dederunt, & eum tum fide ſunt amplexi. Ipſe autem herus eſt, quem à nuptijs reuerſurum expectamus. Nam vbi redemptionis noſtræ negotium totum perfecit, ex mundo hoc in cœlos aſcendit, & eò carnem, quam ex nobis aſſumpſerat, ſubuexit. Solet autem nuptijs conferri vita cœleſtis & immortalis, cùm quòd nullus in ea dolori, luctui aut lachrymis locus eſt, ſed ſolidi & perpetui gaudij plena ſunt omnia, tum quòd æternus Dei Filius illic Eccleſiam, quæ ſponſa eius dicitur, ſibi verè coniunget, vt bonorum ipſius omnium conſors & particeps fiat. Imò iam nunc in cœlis nuptias illas beatißimas agit cum omnibus pijs & credentibus, qui ab ipſo rerum exordio in hunc vſque diem in fide vera deceſſerunt, & ad beatas æternæ vitæ ſedes collecti ſunt. Et frequenter hac nuptiarum parabola Chriſtus tam apud Prophetas quàm in Euangelio vtitur, vt nos futuri gaudij conſideratione ad patientiam & conſtantiam in vera fide excitet. Et in præſenti apertè docet, ſe nos non ita reliquiſſe, etiamſi corpus ſuum ex hoc mundo abſtulerit, vt nullam noſtri curam habeat, qui in terris hiſce cum infinitis periculis quotidie luctamur. Nam quoad huius ſeculi vitam ſemper nobis adeſt ſuo Spiritu, quem nobis aduocatum ſiue patronum & conſolatorem dedit: ſimulq; Eccleſiam ſedulò regit & gubernat, atque ſingulos in periculis & aduerſis laborantes videt, & viribus ſubinde nouis armat, ne afflictionum pondere opprimantur. Quoad verò futuri ſeculi vitam, ad ſingulos venit ſuo tempore, vt eorum animas ad ſe colligat, olim autem cum gloria & maieſtate venturus eſt ad iudicium, vt impios quidem ſui nominis hoſtes & perfidos defectores æternis inferorum cruciatibus mancipet, fideles autem ſeruos ſuos ad nuptias illas æternas transferat, vbi tam corpore quàm anima in æternum viuant atque gaudeant. Ita ipſe ſeſe exponit, quando in vltima Cœna diſcipulis dicit: In domo Patris mei habitationes multæ ſunt:

Chriſtus ad nuptias abijt.

Ioan. 14.

quòd ſi ſecus eſſet, dixiſſem vobis. Vado vobis paraturus locum: & cùm profectus fuero, & parauero vobis locum, rurſus veniam, & aſſumam vos ad meipſum: vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Et
1.Theſſ.4. *Paulus ipſam aduentus Chriſti noſtrą ad illum aſſumptionis hiſtoriam deſcribens ait: Ipſe Dominus cum hortationis clamore ac voce Archangeli & tuba Dei deſcendet è cælo: & qui mortui fuerint in Chriſto reſurgent primùm: deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubibus in occurſum Domini in aerem, & ita ſemper cum Domino erimus. Et hæc quidem omnibus ſeculis omnium ſanctorum ſpes fuit, qua ſeſe in tentationibus conſolati ſunt (vt ſæpe aliâs diximus) & hanc in præſenti Chriſtus confirmat.*

Nos ſerui expectantes Dominum.

Præcipuum tamen hîc eſt, quòd officij noſtri nos admonet, & hoc paucis capitibus comprahendit. Inter quæ primum eſt, quòd ſimiles iubet eſſe ſeruis, qui expectant quando dominus ſuus à nuptijs redeat. Ergo licet ex hoc mundo Chriſtus quoad corpus ſuum abierit, non tamen nos rerum ſecuros & ocioſos eſſe vult, ſed vt bonus paterfamiliâs ſeruulos ſuos quàm maximè operi intentos eſſe, & res omnes diligentius ſolito curare iubet, quādo ipſe peregre proficiſcitur: ita à nobis quoq; tandem ſedulitatem & induſtriam Dominus requirit. Expectandi autem verbo obedientiam cum patientia conſtanti requirit, qua omnino opus eſt. Nam differt ſuum aduentum Dominus, ſiue ſingulos pri-
1.Reg.19. *uatim, ſiue vniuerſalem totius mundi conſummationem conſideres. Et frequenter accidit, vt pro-*
Pſalm.39. *pter continuos labores, pericula & metum perpetuum pios huius vitæ tædere incipiat, & mortem quàm ocyſſimè approperare velint, quod Eliam quoq; aliquando paſſum fuiſſe ſcimus. David etiam grauiſſimis morbi diuturni doloribus excruciatus clamabat: Indica mihi Domine finem meum, & quis nam ſit terminus dierum meorum, vt ſciam quàm diu mihi in miſerijs viuendum ſit. Similiter quando pij mundum hunc indies in peius proficere, impios aduerſus Eccleſiam ferocire, Chriſti cultores crudeliter opprimi, legum diſciplinam diſsipari, denique diabolum in membris ſuis tantum-*
Hab.1. *non triumphare vident, ferè cōmuni voce cum Propheta clamant, Quòuſque tandem Domine via*
Ierem.12. *impiorum proſperatur? Quòuſque noſtri obliuiſceris? Quòuſq; Domine, qui es iuſtus & verax, non*
Pſalm.13. *iudicas, at vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Et hi ſimul omnes Chriſtum*
Apoc.6. *quàm celerrimè venire vellent, vt ſemel malis omnibus finem imponeret. At tunc quàm maximè fidei obedientia opus eſt, vt ea admoniti non murmuremus, neque Deo præſcribamus, ſed patienter expectemus eius aduentum. Et huc pertinent illa Dauidis, quibus ſeipſum confirmauit, dicens:*
Pſal.27. & 62. *Expecta Dominum, forte ſit & roboretur cor tuum, expecta Dominum. Item, Vtique ad Deum ſilens reſpicit anima. Silere ſe dicit, non quoad preces, in quibus nos nunquam non aſsiduos eſſe oportet, ſed quòd linguam cohibuit, ne aduerſus Deum murmuraret, aut illi temere præſcriberet. Quid verò Dauidem inter tot triſtiſsimos caſus & noua indies pericula tam patientem reddidit? Audi ipſum amplius dicentem: Ab ipſo ſalus mea: Vtique ipſe eſt petra mea & ſalus mea, ipſe arx ſub-*
1.Corinth.10. *limis mea: ideò non labaſcam admodū grauiter. Quibus nos addere poſſumus, quòd Paulus Deum fidelem eſſe ſcribit, qui nos ſupra vires tentari non patiatur, ſed cum tentatione viam quoq; euaſionis monſtret. Hæc qui diligenter expendunt tam in priuatis quàm publicis Eccleſiæ totius calamitatibus, ijs non admodum graue erit ſalutiferum Domini aduentum expectare, qui quo diutius differtur, eò iucundior nobis redditur, & gloriam Dei magis illuſtrat.*

Quomodo expectari debeat Chriſtus.

At multum in eo ſitum eſt, vt illum rectè & vt pios decet expectemus. Nam inuenias ſeruulos, qui herum quidem rediturum ſciunt, & eius aduentum expectant, attamen ſecuri nimis interea ocio indulgent, aut etiam turpiſsima quæq; deſignāt. Ideò Chriſtus à ſuis ſeruis duo requirit. Primum eſt, vt lumbis ſuccincti ſint. Loquitur autem pro more Orientaliū, qui longioribus veſtibus vtuntur, quas vel iter facturi, vel opus aliquod obituri ſuccingere ſolent, vt ſint expeditiores. Vult ergo nos ſemper ad iter paratos eſſe, vt quandocunq; venerit, ipſi obuiā prodeamus. Nam in hiſce terris peregrini ſumus, neque hîc habemus ciuitatem permanentem, patria autem & municipatus noſter in cælis eſt, vbi nobis à Chriſto locum paratum eſſe paulò ante diximus. Semper ergo nos vlterius
Ioan.6. *progredi, ſemper item in opere Domini eſſe conuenit, quod eſt (vt ipſe interpretatur) vt relictis huius mundi ſtudijs omnibusq; quæ carni & ventri ſeruiunt, panem illum viuificum quæramus, quem ipſe nobis in ſeipſo offert, & vitam viuamus cæleſtem. Debet huc referri, quod infra mo-*
Luc.17. *net, vt vxoris Lothi meminerimus, ne idem nobis, quod illi accidat. Nam vt hæc cùm Sodomis*

egreſſa

egreſſa ducibus Angelis à tergo reſpiceret, vitam minimè ſeruauit, ſed in ſtatuam ſalis commutata
eſt: ita qui per Chriſtum è mundo hoc impuro euocantur, ſi aliquò vſque progreſſi ad huius delitias
atque voluptates reſpiciant, magno ſuo cum dedecore ſalutis & vitæ æternæ iacturam faciunt.

Quia verò mundus hic tenebris & caligine totus eſt obſitus, lucerna opus erit, ne eò longius Lucernæ.
aberremus, quò feſtinantius pergimus. Nam quibus hoc accidit, eos ſatius eſſet pedem ſiſtere,
aut quàm tardiſſimè progredi. Iubet ergo Dominus, vt lucernas in manibus habeamus. Lucer-
næ autem parabola Verbum Dei denotari, ſupra docuimus: & notum eſt illud Dauidis: Lucer-
na pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitarum noſtrarum. Lucernam verò hanc Chriſtus nos Pſal.119.
non in ore aut capite, ſed manibus geſtare iubet, vt doceat, non ſufficere otioſam eius profeſſionem,
ſed omnes vitæ noſtræ actiones ſecundùm illius regulam inſtitui & dirigi debere. Eſt hoc obſer-
natu imprimis neceſſarium. Eſt enim hoc hominis naturæ inſitum, quòd in ijs etiam ex ſemetipſo
ſapere vult, quæ ad Deum & æternæ ſalutis negotium ſpectant. Quàmprimum verò ſibijpſi in-
dulget, tunc aut proprij animi intentione, aut aliorum placitis ac traditionibus ſeductus à veritatis
via deflectit, & indies maioribus errorum Labyrinthis atque tenebris inuoluitur. Accidit hoc
olim gentium philoſophis, vt Paulus ad Romanos ſcribit. Et Iudæorum ſacerdotes atque docto-
res hac ratione ſeductos fuiſſe ſcimus, qui deinde toti populo errorum atque ſuperſtitionum fuerunt
authores. Quid verò nouiſſimis hiſce temporibus inter Chriſtiani nominis profeſſores acciderit, no-
tius eſt, quàm vt multis commemorari oporteat. Poſtquam enim in ſcholis loco verbi Dei Philo-
ſophorum libri prælegi cœperunt, nec quiſquam ad Theologiæ ſtudium eſt admiſſus, niſi prius il-
lorũ placitis bene imbutus, imò excæcatus eſſet, nulla poſtea apud tales lucernæ illius fuit vtilitas.
In hanc enim illi ſuas tenebras intulerunt, & Dei verbum ſecundùm philoſophiæ dogmata interpre-
tati ſunt, à quibus diſſentire nefas videbatur. Hinc ergo errores de libero arbitrio, de hominis viri-
bus, operum noſtrorum meritis, ſatisfactionibus, igne luſtrali aut purgatorio, Diuorum cœliũ inter
ceſſione & alijs infinitis exorti ſunt, quæ omnia olim inter gentes ſolis nominibus mutatis recepta
fuerunt. Et quia tantũ hominis arbitrio atq; facultatibus datũ eſt, ſinguli ex ſemetipſis nouos cultus
inſtituere & nouas ſalutis vias ingredi cœperunt, quæ ſectarum cauſa fuiſtiſque quas diſtracti & ſciſſi
ſunt, qui ſub vno capite Chriſto vnũ corpus, id eſt, grex vnus et vna Eccleſiá eſſe debebãt. Quin ho-
die adhuc plurimos in ſuperſtitionum tenebris hæc perſuaſio detinet, quòd cultus ſacros apud Deum
ex cordis noſtri intentione æſtimari, & proinde vnumquenque in ſua religione ſeruari poſſe arbitrã-
tur. Eſt ergo neceſſaria hæc admonitio, vt non modo ad opus Domini & ad iter regni cælorum
accincti ſimus, verumetiam curemus, vt noſtris actionibus verbum Dei præluceat, quod nos aberra
re non ſinet. Nam niſi illud ſequamur, de nobis quoque dicetur, quod Chriſtus ex Propheta repe-
tijt: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas hominum. Iſa. 29. Matth.15.

Tertiò requiritur, vt domino venienti & pulſanti aperiamus. Pulſat autem Chriſtus ad Aperire opor-
oſtium cordis noſtri per verbum ſuum, quo ſe totum & omnium bonorum ſuorum communionem tet Chriſto pul
nobis offert. Et huc pertinet, quod Laodicenſium Eccleſia in Apocalypſi dicitur: Ecce ſto ad oſtiũ ſanti.
& pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit oſtium, ingrediar ad illum, & cœnabo cum eo, Apo.3.
& ipſe quoq; mecũ. Itẽ quod in Euangelio Chriſtus ait: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit: Ioan.14.
& pater meus diliget eum, & ad eũ veniemus, & manſionẽ apud ipſum faciemus. Itaq; hîc imprimis
ſtudio & induſtria opus eſt, ne vel pulſantem Dominum excludamus, quod impij & pœnitere
neſcij faciunt: vel in eo admittendo cunctatores ſimus, quales multi hodie paſſim cernuntur. Sunt
enim, qui Chriſtum Seruatorem ſuum eſſe, & Euangelio verba vitæ æternæ contineri, ideoque cul-
tum externum & omnes vitæ actiones ſecundùm illud inſtitui debere fatentur: interim verò cun-
ctatores agunt, & abſque animarũ periculo rem differri poſſe putant. Peccatur in hoc publicè & pri-
uatim. Publicè, dum Eccleſiarũ reformatio extrahitur, & occaſiones commodiores vel tẽpora mi-
nus turbulẽta aut periculoſa expectant; qui illã maturare debebant. Priuatim verò, quando poſt a-
gnitã veritatem quidam in ſuperſtitionibus adhuc hærent, fidem diſſimulant, vt interim rebus ſuis
poſſint proſpicere, priuſquam ex ijs locis diſcedant, in quibus fidem profiteri non audent, ſacris autẽ
illicitis cõmunicare coguntur. Priuatim quoq; peccant, qui per Dei verbum intra cõſcientias ſuas
ſcelerum conuicti, pœnitentiam tamen differunt, prius nimirũ ea perfecturi, quæ ex ſuo cõmodo fore

eximant. Hi omnes dum bene agendi occaſiones meliores expectant, optimas negligunt, quas illis Dominus offert, & pulſantem excludunt. Vt autem dignas & iuſtas iras herus concipit, ſi à ſeruis vel omnino excludatur, vel pulſans diutius negligatur, illis interim ſuo genio indulgentibus: ita non poteſt non illis iraſci Deus, qui ſuam gratiam et ſalutem æternam per verbum ſuum offerentem nolunt admittere. Ideo apud Prophetam de talibus ait: Fiet vt quemmadmodum ego clamaui, & non audierunt: ita & ipſi clamabunt, & non exaudiam eos. Et in Euangelio excluduntur à nuptijs fatuæ virgines, quæ ſine oleo aduentantes, ſponſum, dum tempus erat, neglexerunt. Pertinent autem iſta ad omnis loci & ordinis homines. Meminerint ergo ſinguli, ſe Dei ſeruos eſſe, et proinde ad omne obſequium ſemper parati ſint, neque huius ſæculi ſordibus immorentur. Obſeruent autem Dei verbum, ne ſuæ voluntatis aut intentionis placita ſequendo exorbitent. Et ſi quando aberrarunt, Dominum ipſos reuocantem audiant, & in viam redeant: ſimiliter, ſi quando huius immemores, eum quaſi excluſerunt, pulſanti aperiant, vt denuo apud ipſos locum habeat. Hæc ſi faciant qui in eccleſiæ miniſterio ſunt, aut qui rempub. adminiſtrant, ſinguli item priuatim, nũquam à ſalutis via aberrabunt.

Zach. 7.

Mors pulſanti ſimilis.

Porro pulſare etiam dicitur Dominus, quando fatalis illa hora imminet, & animas noſtras ex huius corporis ergaſtulo euocat. Quod gentium quoque ſapientes intellexiſſe, Horatius his herbis docet: Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumq́ turres. Tunc quoq; nos excitari, imò in omnia momenta paratos eſſe conuenit, vt alacri animo vitam hanc ærumnoſam relinquamus & optemus diſſolui, vt cum Chriſto in cælis viuere liceat. Et quia tunc imprimis nobis inſidiatur Satan, vt aut mortis terroribus, aut peccatorum commiſſorum conſcientia in deſperationẽ adducat, lucerna verbi quàm maximè eſt opus, vt ea illuminati videamus neque mortem Chriſtiano homini formidabilem eſſe, neque hunc de peccatorum remiſſione & gratia Dei deſperare debere. Solent quidam morituris candelas in manus dare ardentes, quaſi hæ ad eorum ſalutem aliquid conferant. Sed maiores atque denſiores ſunt peccati & mortis tenebræ, quàm vt lucernis ſebaceis aut cereis diſcuti poſſint. At ſi Deum audiamus loquentem, qui nobis in Filio ſuo gratuitam peccatorũ remiſſionem offert, & mortem credentibus non peccati pœnam, ſed tranſitum ex hac mortali vita ad immortalem eſſe docet, mox nouam lucem animis noſtris exoriri ſentimus, quæ & ſalutis certos, & mortem nobis iucundam reddit. Et qui Dei verbum, dum viuunt & valent, ſemper ob oculos habent, ijs nõ inexpectata mors obrepit, ſed in omnes horas eius memores, Dominum per hanc fores pulſantem mox agnoſcunt, & eidem aperiunt, cum ſancto illo Simeone clamantes: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, in pace. &c.

Beati, qui Dominum expectant.

Cæterùm quia in his natura tardiores ac ſegniores ſumus, rationes aut argumenta ſubijcit Chriſtus, quibus nos vrgeat. Primum ab vtili ſumitur, & ampliſſimam promiſſionem habet. Beati (inquit) ſerui illi, quos cùm venerit Dominus, inueniet vigilantes. Et mox beatitudinis huius conditionem explicans addit: Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet vt diſcumbant, & prodiens miniſtrabit eis. Loquitur autem pro ratione huius ſæculi, in quo heri humaniores ſeruorum fidelium obſequia agnoſcunt, & licet hi omnia ex debito faciant, tamen ſe illis viciſſim gratos præbent, vt magis in officio contineant. Iubet hoc communis humanitatis ſenſus, vt quia homines ſunt ſerui, & eiuſdem nobiſcum naturæ participes, illis quoque non vt iumentis abutamur, ſed humanitatis officia ipſis quoque præſtemus. Admonet de hoc Paulus, qui cùm ſua officia ſeruis præſcripſiſſet, heris quoque dicit: Vos domini æquitatem & æquabilitatem ſeruis exhibete, ſcientes vos quoq; Dominum habere in cælis. Et cõmẽdatur in hiſtorijs Alexandri Magni humanitas, qui cùm quodam loco niuali tempeſtate oppreſſus, ſenio iam confectum militem, nimio frigore obſtupefactum, ipſe ſublimi & igni propinqua ſede ſedens, animaduerteret, mox non fortunæ, ſed ætatis vtriuſque æſtimatione facta, deſcendit, & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore duplicatum in ſuam ſedem impoſuit. Quo etiam referri poſſunt multorum exempla, qui ſeruos fideles libertate donarunt, & omni humanitatis officio proſecuti ſunt. Porro quoad verborum Chriſti ſenſum, nemo hunc iam in cœleſti gloria reſidentem aliquid ſeruile facere putabit: pollicetur autem, quod parem gratiam reddere velit ijs, qui in eius ſeruitio fideles fuerint. Id autem bifariam facit. Primo dum ſuum meritum illis communicat, & eorum participes reddit, quæ olim forma ſerui aſſumpta,

Coloſ. 3. & 4.

noſtra

noſtræ ſalutis ergò fecit. Nam vt diſcipulorum pedes abluit, ſic nos à peccatis purgauit proprio ſanguine. Menſam item nobis inſtruxit lautiſſimam, ad quam ſuo corpore & ſanguine nos paſcit & alit ad vitam æternam. Horum ergo beneficiorum participes erimus, ſi ad eius obſequium parati ſimus, & ipſum pulſantem atque monentem admittamus. Deinde amplior & perfecta omnibus numeris retributio in cœlis ſequetur, vbi nos ex huius vitæ laboribus ereptos ad ſuam menſam diſcumbere faciet, id eſt, requie æterna donabit, & bona ſua cœleſtia nobiſcum communia habebit. Eſtque hoc obſeruatu digniſſimum; imò neceſſarium, ne huius ſæculi miſerijs ſuperati deficiamus. Facilè autem illas omnes vincemus; ſi nobis retributionem in cœlis præparatam eſſe firmiter credamus. Cùm enim nunc multa faciamus & feramus ſpe alicuius commodi temporarij, quæ carni dura & acerba ſunt, nihil intolerabile illis videri poterit, qui æternæ illius remunerationis ſpem animo ſuo verè conceperunt. Hæc enim certa eſt & infallibilis, neque de ea dubitare cuiquam licet. Nam promiſſiones ſunt infinitæ, non hominum; ſed Dei, qui ipſa eſt veritas. Et hac ſpe ſeruatos eſſe conſtat omnes quorum fides & pietas in ſcripturis commendatur. Sed & Dei iuſtitia hoc exigit, vt ſua virtuti præmia reddantur. Quod cùm in hoc ſæculo rariùs fiat, & plerumque pij multis periculis, laboribus & curis exerceantur, in cœlis retributionem fieri neceſſe eſt, niſi Deum iniuſtum dicere libeat. Eſt hæc efficaciſſima conſolatio, quæ omnes huius ſæculi labores nobis leues & iucundos reddit: & hanc cœleſtis vox in Apocalypſi confirmat, clamans: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Etiam, dicit Spiritus: quoniam requieſcunt à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos. Facit autem ad conſolationis iſtius confirmationem, quod addit: Et ſi venerit ſecunda vigilia, & ſi tertia vigilia venerit, atque ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi. Vbi rurſum pro illius ſæculi more loquitur, quo excubias nocturnas in quaterna horarum ſpatia diuidebant, vnde vigilia prima, ſecunda, tertia & quarta dicebantur. Senſus ergo eſt, ijs qui credunt & in officio ſuo diligentes ſunt, neque mortis horam neque poſtremum Domini aduentum triſtem aut inauſpicatum poſſe accidere. Nam quandocunque Deo viſum fuerit, vel animas eorum hinc euocare, vel toti mundo finem imponere, illos paratos inueniet, & proinde hora illa eis beata & fœlix erit, vt quæ ipſorum laboribus finem optatum adferet, vt modò diximus. Apoc. 14.

Secundum argumentum ab exemplo ſumit, quod eſt eiuſmodi: Hoc autem ſcitote, ſi ſciret paterfamiliâs, qua hora fur venturus ſit, vigilaret, nec ſineret perfodi domum ſuam. Subeſt his comparatio à minori ad maius. Quaſi dicat. Tãta rei domeſticæ cura tenet patresfamiliâs, vt ſi de furis aduentu admoneantur, totas noctes potius vigilare, quàm iacturã rerum ſuarum aliquam facere velint. Quantò magis ergo vobis vigilandum eſt, de quorũ animabus & ſalute æterna hîc agitur? Simul autem his verbis perſtringitur humani ingenij peruerſitas & præpoſtera cura, In ijs quæ corpori & huic ſæculo ſeruiunt, nihil planè negligimus. Agricolæ tempora arationis, ſementis, meſſis et vindemiæ, lunæ item incrementa & decrementa diligenter obſeruant. Nautæ etiam ventos et tempeſtates futuras proſpiciunt. Patresfamiliâs congerunt, ædes & horrea probè claudunt, vigilant quoque, & totas noctes ſæpe inſomnes ducunt, ne quid damni accipiant. In morbis pro valetudine recuperanda quiduis facimus & ferimus. Interim verò potiorẽ noſtri partẽ, animas nimirum, et quæ ad ſalutem æternam faciunt, ſecuri negligimus. Nec enim vocem Domini pulſantis audimus: neq; viſitationis noſtræ tempus agnoſcimus: & cùm non ignoremus, diabolum nobis perpetuò inſidias ſtruere, vt incautos opprimat, perpetuò tamen dormimus & ſtertimus, quaſi nihil nobis periculi vſpiã ſit timendũ. Vult ergo Dominus vt ſi rationibus è Dei verbo petitis minus moueamur, ſaltẽ hominũ huius ſæculi exẽplis excitemur. Turpe enim fuerit, nos in æternæ ſalutis negotio negligẽtiores deprahẽdi illis, qui pro rebus tẽporarijs et breui perituris, tantũ ſtudij curæ atq; laboris impendunt. Ab exemplo.

Cohæret his tertium argumentum à neceſſario: Et vos igitur eſtote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Qui herum certò venturum eſſe ſciunt, diem verò & horam aduentus eius ignorant, eos perpetuò vigilare & paratos eſſe neceſſe eſt, ne ex improuiſo ille adueniens negligentiores & officij immemores inueniat. Atqui eadem eſt omnium noſtrũ conditio, ſiue de mortis hora, ſiue de nouiſſimo Chriſti aduentu hæc verba intelligas. Illa enim in omnes ætates cadit, & via eſt omnis terræ, quam omnes ingredi coguntur, quotquot viuunt, cuiuſcunque ſint conditionis aut ordinis. At hora mortis adeò dubia & incerta eſt, vt paucos inueniat, quibus illa non A neceſſario.

præter omnem expectationem obrepat. Plerunq; enim fit, vt qui aut negotijs plurimis & inextricabilibus diſtinentur, aut rebus omnibus compoſitis vitam ſibijpſis quietam & tranquillam promittunt, morte minimè ſperata hinc auferantur: vt iam de illis nihil dicam, quos ſubitaneus aliquis caſus vno quaſi momento abripit. Horam verò aduentus Domini Angeli quoque ignorant, & proinde hanc quoque nihil huius opinantibus impijs ſuperuenturam eſſe, Chriſtus alibi diluuij, & Sodomarum exemplo docet. Et Paulus ſcribit: Scitis fratres, diem illum Domini, vt furem in nocte, ita
Matth. 24.
1. Theſ. 5.
venturum eſſe. Cùm enim dicent, Pax & tuta omnia: tunc repentinum eis imminet exitium, ſicuti dolor partus mulieri vterum ferenti, nec effugient. Quibus planè conſentiunt, quæ Petrus in posteriori ſua epiſtola Cap. tertio tradit. Eſt autem hoc non vulgare diuinæ bonitatis & fidei argumentum. Nouit Deus quàm ſocordes & ſecuriſſimus, & quòd ferè differimus ea, quæ ad ſalutem æternam faciunt. Neceſſitate ergo nos ad vigilandum aſtringit, & tam mortis quàm finis huius ſæculi horam incertam & omnibus ignotam eſſe voluit, vt in omnes horas intenti ſimus, & nunquã non vigilemus. Quod vt diligentius faciamus, quotidianis exemplis nos ad mortis conſiderationem excitat, dum modò hos, modò illos ſubitò tollit, qui quàm diutiſſimè victuri videbantur. Quoad verò nouiſſimum Domini aduentum, ſigna multa et illuſtria habemus ex ipſius ore, quæ illũ non procul abeſſe docent. Minimè ergo audiendi ſunt, qui illum planè in dubium vocant, eò quòd hucuſque
2. Pet. 3.
dilatus ſit, multis ex patribus eum auidè optantibus. Nam vt Petrus ait: Non tardat Dominus qui promiſit (vt nonnulli tarditatem hanc eſſe ducunt) ſed patiens eſt erga nos, nolens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam tendere. Et qui nunc aduentum ſuum differt, vt pœnitentiæ tempus concedat peccatoribus, idem vbi malitia mundi præualuerit, illum accelerabit propter electos ſuos, ne & ipſi ſeducantur & pereant. Horum itaque memores, ſemper in ſtatione noſtra inſtructi et parati ſimus, vigilemus item & diuini verbi lucernam ſequamur conſtanter: vt nos omni momento fidelium ſeruorum ſimiles inueniat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & ſecum ad nuptias illas cœleſtes transferat, vbi laborum omnium retributionem accipiemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXII.

Dixit autem ei Petrus: Domine, nobis dicis iſtam parabolam, an etiam omnibus? Dixit autem Dominus: Quis nam fidus diſpenſator ac prudens, quem dominus præficiet famulitio ſuo, vt in tempore det demenſum? Beatus ſeruus ille, quem dominus cùm venerit, inueniet ita facientem. Verè dico vobis, omnibus ſuis bonis præficiet eum. Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Tardat dominus meus aduentum: cœperitq; verberare ſeruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari: veniet dominus ſerui illius die quo non expectat, & qua hora non nouit, & diſſecabit eum, partemq; cum infidis ei aſsignabit.

IN ijs quæ proximè præceſſerunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in genere de omniũ eorũ officijs diſſeruit, qui eius ſerui eſſe & haberi voluit. Iuſsit autẽ illos ſemper ſuccinctos & ad opus ſuũ paratos eſſe, aduẽtum ſuum ſedulò expectare, actiones verò omnes ſecundùm lucernã aut regulã verbi Dei inſtituere. Sunt præcepta hæc æqua & iuſta, nec ab aliquo improbari poſſunt, niſi qui omnẽ pietatis ſenſum exuerit. Verumtamen tanta eſt noſtra naturæ vitioſitas, vt in ijs quoque negligentiores ſimus, quæ honeſta & ſalutaria eſſe fatemur. Ideo Deus omnibus ſæculis verbi ſui præcones dedit, qui vt ἐργοδιῶκται quidã nos vrgeant & ad officium præſtandum ſubinde hortentur. Quia ergo horum magnus vſus eſt, ijdem verò plurimùm nocent, ſi in ſuo munere negligentiores fuerint, nunc de illis etiam Chriſtus diſſerit. Vſus autem loci huius eſt duplex. Primò enim Eccleſiæ miniſtros ſuæ dignitatis ſimul & officij admonet. Deinde alios omnes de illis & toto munere eccleſiaſtico rectè iudicare docet: quod imprimis eſt neceſſarium. Nam niſi in hoc probè inſtructi ſint homines,

nunquam

nunquam illos patienter ferent, & dum eorum admonitiones aut correptiones reijciunt, in ipſum Deum peccabunt, qui verbi ſui contemptum inultum non ſinit.

Occaſio huius tractationis.

Occaſionem huic tractationi Petrus præbuit, qui cùm perpetuas vigilias à Chriſti ſeruis exigi audiret, quærit, an hæc ipſis dicantur, aut num ad alios etiam omnes pertineant? Eo enim vitio Apoſtoli, priuſquam Spiritu Sancto donarentur, laborarunt, vt quemadmodum in Chriſto regnum terrenum ſperauerunt: ita ſibijpſis gradum altiorem polliciti ſunt, in quo à communi hominum ſorte exempti, alijs omnibus præſtarent, & abſque moleſtia dignitatibus ampliſſimis quietè & tranquillè fruerentur. Itaque nunc etiam Petrus iniquè cum ipſis agi putat, ſi ad labores & curas aſſiduas vocentur, neque à vulgo reliquo Chriſtianorum differant. Habemus ergo hic typum eorum, qui hodie etiam ſibi plus licere putant quàm alijs, & ſupra omnes homines eminere volunt. Eſt horum perſuaſio nocentiſſima: quia qui eam conceperunt, ij & alios præ ſe contemnunt, & in ſuo munere deſides fiunt, quaſi illos Dominus in dignitatem quandam otioſam ſubuexerit. Tutius ergo & ſalutarius eſt, vt quæcunque ex Dei verbo audimus, nobis etiam putemus dici, etiamſi de alterius ordinis aut conditionis hominibus ſermo ſit. Ea enim verbi natura eſt, vt ſingula eius præcepta, ſingulæ admonitiones, hortationes, correptiones, omnibus applicari poſſint, vt omnium inſtitutioni & conſolationi ſeruiant.

Applicatur apoſtolis doctrina prior.

Apparet hoc in præſenti tractatione. Quod enim de omnium Chriſtianorum officio Dominus dixerat, nunc Apoſtolis ſic applicat, vt oſtendat, hoc imprimis ab ipſis exigi, vt vigilent & munus ſuum magno ſtudio adminiſtrent, eò quòd non tam de ipſorum ſalute agatur, quàm multorum aliorum, quorum cura ipſis ſit credita. Vnde rurſus poteſt generalis doctrina peti, idem ab alijs etiam requiri, qui aliquem ſublimiorem dignitatis gradum in populo Dei tenent, ſiue illi in magiſtratu ſint conſtituti, ſiue patresfamiliâs ſint, aut ſcholis præfecti pueros, quos non temere Reipub. & Eccleſiæ ſpem dixeris, inſtituere debent. Nã hi omnes, ſi negligentiores ſint, ad multos alios damnum redundat, & proinde Deo pœnas grauiores dabunt. Ideo Chriſtus de Eccleſiaſtico munere grauiter diſſerit, & vt magis moueat, fidum miniſtrum cum perfido & ſcelerato confert, & rem totam parabola ex re domeſtica petita illuſtrat. Prioris partis hæc ſumma & ſenſus eſt: Quemadmodum diues aliquis peregre abiturus, alicui ex ſeruis totius familiæ curam committit & ab illo fidem atque prudentiam in domo adminiſtranda requirit: Ita ego iam breui ex hoc mundo abiturus, vobis meæ domus atque familiæ, quæ Eccleſia eſt, curam commendo, & à vobis peto, vt fideles & prudentes ſitis, & ſingulis proſpiciatis, ne quis veſtra incuria pereat. Vt enim felix erit œconomus, quem herus reuerſus officium fideliter feciſſe deprehenderit, & illi ampliora multò credentur: ita vos quoque beati eritis, ſi quod vobis mandaui fideliter exequamini. Nam & functionis veſtræ rationem mihi ad iudicium redeunti reddere poteritis, & æternis regni cæleſtis bonis mecum fruemini. At quia his omnia comprehenduntur, quæ de munere Eccleſiaſtico dici poſſunt, vtile fuerit ſingulas huius parabolæ partes ſiue circumſtantias ex ordine conſiderare.

Author miniſterij eccleſiæ.

Primò igitur miniſterij huius authorem videamus. Eſt is ipſe Chriſtus, qui per diuitem illum patremfamiliâs adumbratur. Hic enim Eccleſiæ ſuæ caput, dominus, Rex & Sacerdos eſt, & ideo hæc Dei domus dicitur. Docet hoc Paulus euidenter, quando illum in altum aſcendiſſe, & dona Spiritus ſui inter homines diſtribuere ſcribit, vt alios quidem daret Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios item Paſtores & doctores ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterij, ad ædificationem (inquam) corporis ſui. (Epheſ. 4.) Et idem in Synodo Miletana Aſiæ miniſtris dicit: Attendite vobisipſis & toti gregi, in quo vos Spiritus Sanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſuo ſanguine. (Acto. 20.) Quod vt ab omnibus intelligeretur, in vtroque teſtamento multos ipſe Deus immediatè, & interdum non ſine miraculo, vocauit: & apud Ieremiam grauiter de audaculis quibuſdam queritur, quòd cum ab ipſo nõ miſſi eſſent, nihilominus tamen currerent ad prædicandum. (Iere. 23.) Et Paulus dicit: Quomodo prædicabunt, niſi miſſi fuerint? Eſt hoc diligenter obſeruandum, vt ſciamus, quo loco haberi debeant verbi adminiſtri: Nimirum quod à Deo inſtituti, & huius ſerui, adeoque in eius domo, Eccleſiæ, miſteriorum illius (vt Paulus ait) œconomi ſiue diſpenſatores ſint. (1. Cor. 4.) Neque hic aliquem moueat, quod non hodie etiam, vt olim, omnes ab ipſo Deo immediatè vocantur, & miraculis com-

mendantur. Eadem enim miniſterij Eccleſiaſtici ratio eſt, quæ aliorum ordinum, quos inter homines Deus inſtituit. Exempli gratia, primos parentes ipſe coniugio iunxit, vt ſe coniugij authorem eſſe doceret, & de hoc leges dedit. Qui ergo hodie matrimonium legitimè contrahunt, hi quoq; Dei inſtituto gloriari poſſunt, etiamſi non ab ipſo Deo, ſed huius nomine ab Eccleſiæ miniſtro ſolenni cum benedictione coniunguntur. Sic Moſem olim reipub. Iſraeliticæ præfecit, huic ſucceſſorem ſubſtituit Ioſuam, Iudices item ſuo Spiritu excitauit, Dauidem quoque conſtituit Regem, denique ſua iudicia iudicibus enuncianda credidit, vt oſtenderet, magiſtratum & omnem huius poteſtatem ex ipſo eſſe. Quotquot ergo hodie ad rempub. legitimè vocantur & eam ſecundùm Dei leges adminiſtrant, ij non minus ſerui Dei ſunt, quàm veteres illi, & ipſis quoque obedientia debetur, vt Paulus ad Romanos docet. Ita olim quidem Prophetæ & Apoſtoli immediatè à Deo vocati ſunt, vt hunc miniſterij huius authorem eſſe conſtaret, interim verò Eccleſiæ poteſtas data eſt eligendi Paſtores, & de ea re Canones Apoſtolici in epiſtolis ad Timoth. & Titum extant. Quicunque ergo ſecundùm hos eliguntur, ij pro legitimis miniſtris & Dei ſeruis agnoſci debent, modò ſuum officium faciant. Et de hoc admonebat olim manuum impoſitio, quæ ex ſacrificantiũ ritu deſumpta conſecrationis ſymbolum erat, quo docebatur, illos iam totos Deo & Eccleſiæ ſuæ miniſterio conſecratos eſſe debere. Horum diligens cognitio primùm ipſos miniſtros admonet, ne abſque vocatione legitima tantum onus ſubeant temere, vocati autem curent, ne ſua leuitate & corruptis moribus miniſterij authoritatem proſtituant, ita vt propter ipſos verbum Domini malè audiat. Quãtum enim illud ſcelus ſit, & quàm grauiter talibus iraſcatur Deus, exempla filiorũ Eli & eorum
1.Sam.2.3.4. Mal.1.& 2. *ſacerdotũ abũde docent, de quibus per Malachiã conqueritur. Deinde auditores quoq; admonentur, ne quẽ miniſtrorum Eccleſiæ, qui Dei verbum fideliter et liberè prædicat, propter vilem et abiectam ſpeciem contemnant. Nam vt Cap decimo dictum eſt, contemptus ille in ipſum Deum redundat, & miniſtris exploſis pœnæ ſcelerum magis aggrauantur, ſicuti omnium ſæculorum exempla docent.*

Secundò videre oportet, quo nomine illos Chriſtus dignetur. Seruos dicit, & quidem ſeruos
Miniſtri diſpenſatores ſunt *œconomos ſiue diſpenſatores, quia illis domus ſuæ curam & (vt paulò ante diximus) myſteriorum regni ſui & ſalutis æternæ diſpenſationem commiſit. Debet hoc quoque diligenter obſeruari, quòd etſi domui Dei præficiantur, ſerui tamen ſunt, non domini, qui pro ſuo arbitrio in Eccleſia quicquã agere debeant. Vnus enim Eccleſiæ dominus, caput & ſponſus eſt, quem Petrus* ἀρχιποιμένα *ideſt, paſtorum principem dicit. Qui cùm gloriam ſuam det nemini, omnes huic ſubeſſe, ei obedire, & in Eccleſiam, quæ eius ſponſa eſt, non plus iuris & imperij ſibi ſumere debent, quàm ipſis ab illo ſit datum. Ideo olim Prophetæ certo Dei mandato aſtricti fuerunt, vt verbũ ex ore Dei ſumerent, & duriter accuſantur, qui ſub huius muneris prætextu res ſuas agebant. Et Apoſtolis non liberũ fuit quiduis pro ſuo nutu ſtatuere, ſed quæ à Domino acceperant, docere debuerunt. Seruit hoc confutandis Pontificibus, qui cùm Serui ſeruorum dici velint, interim crudelem in Eccleſia tyrannidẽ exercent, & non ſolum contra Chriſti præceptum in huius ſæculi regna ſibi poteſtatem vendicant, verum etiam in religione pro ſua libidine leges condunt, & in ijs quæ ad animam ſpectant, ſuperbè dominãtur. Sed & ſingulorum admonitioni hoc ſeruit, ne Eccleſiarum miniſtris plus quàm par eſt tribuant (quod olim Corinthij fecerunt) neque illos pro ſalutis authoribus habeant, ſed Dei ſeruos eſſe agnoſcant, quibus eatenus parendum ſit, quatenus Dei verbum docent. Nam ſi qui diuerſum tradunt, ij non merentur audiri, etiamſi Angeli cæleſtes fuerint. Vide Galat.1.*

Tertium in hac tractatione eſt, vt quibus verbi ſui adminiſtros Dominus præfecerit, intelliga-
Miniſtri quibus præficiuntur. *mus. Famulitium hîc nominat, quo nomine omnes, qui ad domum ſiue Eccleſiam Dei pertinent intelliguntur. Nam ij omnes cuiuſcunq; loci ſint aut ordinis, Dei ſerui & famuli ſunt. Ideo apud Ezechielem domus Iuda vel Iſrael nominatur, & Paulus ſe Timotheo ſcribere dicit, vt ſciat, quomodo verſari debeat in domo Dei. Comprehendit autem hæc vox omnes hominum ordines principes, ſubditos, heros & ſeruos, ſenes & pueros, mares & fœminas, doctos & indoctos, diuites & pauperes, nobiles & ignobiles. Nam vt Paulus docet, non aliquis apud Deũ perſonarum*
Ier.1 *reſpectus eſt. Ideo Ieremiæ dicebatur: Conſtitui te ſuper gentes & regna. Item: Ecce ego facio te hodie ciuitatem munitam, columnam ferream & murum æneum contra omnem terram, contra reges Iuda, contra principes eius, et contra vniuerſum populum terræ. Et Chriſtus Apoſtolis man-*

*dauit, vt Euangelium omni creaturæ prædicarent. Ergo miniſtri neminem negligere aut vilem at-
que contemptu dignum cenſere debent, pro quo Dei Filius mori dignatus eſt, & qui inter Eccleſiæ
membra aut Chriſti domeſticos numeratur. Quin potius cogitent, in magna domo (vt Apoſtolus* 2.Tim.2.
*ait) omnis generis vaſa eſſe, aurea, argentea, ænea, ferrea, lignea, teſtacea, de omnibus autem ratio-
nem eſſe reddendam ei, qui domus adminiſtrationem ab hero ſuſcepit. Et boni paſtoris eſt non ſo-
lùm oues pingues paſcere, ſed macilentis quoque proſpicere, imò errantes quærere, vulneratas &
ſaucias obligare, inualidis mederi, omnia denique agere, quæ ad ſingnlarum ſalutem faciunt. Obſer-
uarunt hoc olim Prophetæ diligenter, vt in illorum ſermonibus eſt videre. Et Ioannes Baptiſta
omnibus promiſcuè concionatus eſt, deinde ſingulis abs ſe conſilium petentibus fideliter indicauit,
quid eos facere conueniret. Idem Chriſtus fecit, cuius exemplum & mandatum Apoſtoli ſecuti, om-
nis loci, ætatis & ſexus hominibus ſua officia præſcripſerunt. Debet ad hoc miniſtros excitare, quòd
impij quoque ſanguinem de eorum manu Deus requiret, ſi in illo admonendo negligentiores fuerint.
Quas ergo pœnas non merentur, qui ſalutis & veritatis cognoſcendæ cupidos negligunt, & interea
rebus vacant à ſua functione alienis? At ſimnl docet locus iſte, omnes homines teneri, vt Dei ver-
bum audiant & hoc annuntianti miniſtro obtemperent. Nam vt omnibus doctrina & inſtitutione
opus eſt: ita nemo cuiuſcunque ſit loci aut ordinis, ſe immunem & ab aliorum numero exemptum
dicere poteſt, niſi ſimul ex Dei familia velit expungi. Eſt ergo nimiùm impudens & effrænis illo-
rum arrogantia, qui Eccleſiarum miniſtros nihil ad ipſos pertinentia tractare clamant, neque ſuos
mores & ſtudia praua ab illis argui atque corripi patiuntur. Inſurgunt hi aduerſus ipſum Deum, &
& ſeipſos abdicant, ne ex filiorum eius numero cenſeantur, vnde non aliud quàm præſens exitium
& ſempiternus interitus ſequi poteſt. Nam qui ex Deo eſt (inquit Chriſtus) audit verbum meum.
Et Phariſæos diaboli filios eſſe dicit, quòd illud audire dedignarentur. Ioan. 8. cap.*

Quartò proprium & præcipuum diſpenſatoris Eccleſiaſtici officium exprimitur: quod eſt vt Miniſtrorum
familiæ Domini in tempore det demenſum. Fuit autem demenſum certa frumenti menſura, quam officium.
*ſingulis menſibus heri ſeruis admetiebantur in totius menſis victum. Senſus ergo eſt, quòd miniſtri
Eccleſiæ cibum ſingulis depromere & diſtribuere debeant. Loquitur autem non de cibo corruptibili
quo homines ad vitam hanc temporariam & mortalem aluntur: ſed de æterno & cœleſti, quo ad vi-
tam cœleſtem atque æternam paſcimur. Eſt is verbum Dei, de quo apud Iſaiam loquens Dominus
clamat: O vos omnes, qui ſititis, venite ad aquas: & vos quibus non eſt pecunia, venite: cõparate, &* Iſa. 55.
*comedite. Emite, inquam, ſine argento & ſine pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniam pro non
pane? & laborem veſtrum pro eo quod non ſatiat? Et mox ſeipſum exponens addit: Audite audien-
do me, & comedite bonum, & in pinguedine oblectet ſe anima veſtra: Inclinate aurem veſtram, & ad
me venite, audite, & viuet anima veſtra, &c. De cibo igitur & potu agit, qui audiendo editur &
bibitur: vnde conſtat, hunc non alium quàm verbum eſſe, cùm ſola voce auditu percipiantur. Præ-
cipuum ergo miniſtri Eccleſiæ munus eſt, docere aut prædicare verbum Dei: in quo poſt Prophetas
& Ioannem Baptiſtam Chriſtus quoq; imprimis occupatus fuit, qui ſe ideo in mundum veniſſe teſta-
tur. Verbum verò hoc proponere debet in tempore, id eſt, pro ratione temporum, locorum, & inge-
niorum, quibus cum illi res eſt, & ita accõmodare, vt ex eo quàm plurimi ædificentur ad ſalutem
æternam. Id Paulus vocat, Rectè ſecare verbum Domini. Quod ipſe ſumma diligentia præſtitit;* 2.Tim.2.
*quando omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret: & Corinthios lacte abs ſe enutritos fuiſſe
teſtatur, cùm ſolidiorem cibum nondum poſſent capere. Idem verò Galatas durius tractat, eò quòd
illud eorum leuitas, & huic coniuncta ſtupiditas mereretur. Et debet hoc propter eos obſeruari, qui
verbum Dei ſimpliciter annnntiari, nullius autem moribus applicari debere clamant: & qui
nihil præter promiſſiones de gratia Dei & ſuaui de humani generis redemptione & Ieſu Chriſti
merito doctrinam audire cupiunt. Quod perinde eſt, ac ſi ægrotus medico præſcribat, & dulcia leniaq́;
pharmaca aut molles vnctiones adhiberi velit, quando vſtione aut ſectione opus eſt. Vt autem me-
dici ſæpe inuitis amariora pharmaca ingerunt, & reluctantes vrunt atq; ſecant: ita verbi admini-
ſtrum non illorum delicatulas aures reſpicere, ſed ad miniſterij ſui finem conſtanter tendere oportet,
qui eſt, vt homines in Chriſto pœnitentiam ſimul & remiſſionẽ peccatorum aſſequantur. Et de hoc
Paulus Timotheum ſuum magna cum grauitate admonet, dicens: Obteſtor ego coram Deo & Do-* 2.Tim. 4.

mino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos in illuſtri illo ſuo aduentu & regno ſuo: Prædica ſermonem, inſta tempeſtiuè & intempeſtiuè, argue, obiurga, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Intempeſtiuum quoq; eſſe iubet, non Chriſti mandato contradicens, ſed vt oſtendat pro eorum etiam ingenio prædicationem accommodari oportere, qui præfractiores ſunt, & eam minus patienter ferunt. Ideo huius dicti rationem ſubijcit: Nam erit tempus, cùm ſanam doctrinam non tolerabunt: ſed auribus prurientes ipſi ſibi pro ſuis cupiditatibus coaceruabunt doctores, &c. Ergo non hominum deſiderijs indulgere, ſed quod à Deo in mandatis habet, miniſter exequi debet.

Virtutes miniſtro neceſſariæ. *Et huc pertinet, quòd dotes quoq; animi aut virtutes Chriſtus commemorat, quibus illum inſtructum eſſe conuenit. Dicit enim: Quis nam eſt fidus diſpenſator ac prudens? Primò fidem in rebus agendis requirit, quam Paulus quoq; præ omnibus alijs in diſpenſatore requiri ait. Nam ſi hac destituatur, iam aut fur eris, aut heri bona negligentia ſua diſſipabit. At fidi ſunt diſpenſatores in domo Dei, qui ſtudiorum ſuorum omnium finem ſibi proponunt gloriam illius & Eccleſiæ ædificationem. Quod tunc illos facere patebit, ſi in multis Chriſto adducendis & gloria Dei prouehenda induſtrij ſint, nec quicquam ferre poſſint, quo vel hæc obſcuratur, aut homines à ſalute in Chriſto parta abſtrahuntur: qualia imprimis ſunt falſa doctrina, ſuperſtitiones, illiciti cultus, idololatria aperta & ſcelerum licentia. Hæc igitur fidi miniſtri diruunt, extirpant & eradicant, ſicuti Ieremiæ olim Dominus mandauit. Vnde ſequitur parum fideles Deo & hominibus eſſe eos, qui cum falſis doctoribus colludunt, qui ſuperſtitiones fouent, qui ad cultus nefarios & idololatricos conniuent, & in ſceleribus arguendis canes muti ſunt. At ne zelus fidei cõiunctus tranſuerſos abripiat, prudentem quoq; & prouidum eſſe vult Dominus ſuæ domus diſpenſatorem, qui quid quouis loco & tempore doceri debeat, & quid ædificationi ſeruiat, videre poſſit. Vbi ante omnia diligenti ſcripturarum cognitione*
1.Tim.4. *opus eſt, ex quibus doctrinam omnem hauriri oportet. Ideo Paulus Timotheum, quem à pueris in Scripturis enutritum eſſe ſciebat, nihilominus lectioni incumbere iubet. Deinde vigilans & diligens omnium circunſtantiarũ obſeruatio requiritur, pro quarũ ratione doctrinam attemperet. Non ergo de carnis & mundi prudentia loquitur Chriſtus, cui ſi miniſtri ſtudeant, ferè perfidi fiunt, & dum mundo placere volunt, Dei ſerui eſſe non poſſunt. Prudentia igitur opus eſt, quæ cum fide coniuncta ſit, imò quæ hanc quaſi ducem ſequatur, & qua non tam alijs, quàm ſibijpſis attendant (vt Paulus ait) ne quid inconſultius agant cum Eccleſiæ incommodo.*

Miniſtri fidelis merces. *Quia verò tota hæc functio laboris & odij plena eſt, ampliſſimi præmij promiſſione miniſtros excitat Dominus, dicens: Beatus ſeruus ille, quem Dominus, cùm venerit, inueniet ſic facientem: Verè dico vobis, omnibus ſuis bonis præficiet eum. Primò beatum dicit, & hoc mundi atque carnis iudicio opponit, quo tales ferè omnium mortalium miſerrimi putantur. Idem enim illis fit, quod fidis œconomis in perfida & petulanti familia. Vt enim hi dum heri ſui commodis ſtudent, illam aduerſus ſe prouocant, & domeſticos omnes inimicos habent: ita qui in Eccleſiæ miniſterio fideles ſunt, ab ijs ferè acerbiſſimis odijs infeſtantur, pro quorũ ſalute ipſi dies noctesq; excubant. Ideo Elias mori cu-*
1.Reg.19. *piebat, ne porrò hoc ſaxũ voluere cogeretur. Et Ieremias clamabat. Væ mihi ô mater mea, quòd me*
Ierem.15. *peperiſti, virum litigatorẽ, & virum cõtrouerſiæ vniuerſæ terræ: non fœneraui, neq; fœnori innexus ſum, veruntamẽ omnes me contemnunt. Sed non debet corruptũ mundi iudicium aliquos mouêre, qui officiũ ſuum diligenter faciunt. Reuera enim beati ſunt, vtut de illis caro ſentiat. Nam Chriſto ſeruiunt liberaliſſimo remuneratori, qui omnibus bonis ſuis eos præficiet. Dicitur hoc ἀνθρωποπαθῶς, id eſt, pro hominũ ſenſu & more, qui ſeruis, quorũ fidem perſpectã habent, pluriũ & maiorum rerum adminiſtrationẽ ſolent cõmittere. Exponitur autẽ infra cap.22. vbi Apoſtolos ſecum ad eandẽ menſam in regno Patris ſui diſcubituros, id eſt, honorũ cæleſtiũ vnà participes & conſortes futuros eſſe*
Dan.12. *pollicetur. Et cum Daniele de fine ſeculi huius diſſerens Angelus, inter alia ait: Porro doctores ſplendebunt, vt ſplendor firmamẽti: & qui multos ad iuſtitiã adducunt, vt ſtellæ ſempiternis temporibus. Quæ ita de Eccleſiæ miniſtris dicuntur, vt non minus ijs quoq; omnibus accõmodari poſſint, qui vel in Repub. vel Scholis, vel familijs ſuis gloriã Dei prouehunt, aut etiã priuatim aliquos ad pœnitentiam & fidẽ in Chriſtum excitant. Imò attentis quoq; verbi auditoribus, qui ei obtemperant, Regnũ Dei promittitur, & quòd in cælis cum Chriſto honorũ cæleſtium hæredes futuri ſint. Vide Ioan.17.*

Tranſeamus nunc ad alteram huius loci partem, quæ diſpenſatorem perfidum atque nequam deſcribit.

deſcribit, & huius mores ſimul ac pœnam, quæ ipſum manet, fido & prudenti ſeruo opponit, vt magis moueat. Sic autem ait: Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Tardat dominus meus aduentum, &c. Orditur à cauſa omnis mali & licentiæ, quæ eſt, quòd in corde ſuo dicit, id eſt, perſuadet ſibijpſi, herum vel nondum, vel etiam omnino non rediturum eſſe. Quo locò malæ frugis ſeruorum ingenium atq; mores exprimuntur. Hi quia ad oculum modò ſeruiunt, heri diſceſſu gaudent, & ſeduli ſunt in omnibus parandis, quæ illi ad profectionem ſunt neceſſaria. Vt primùm verò illum iam longius receßiſſe ſciunt, mox illius reditum in multos menſes aut annos reijciunt, aut eum omnino vix vnquam redire poſſe ſibi pollicentur. Quæ cauſa eſt, quòd neglecto ſuo officio carnis cupiditatibus indulgent, & ad omnem nequitiam ſeſe proijciunt, vt poſtea audiemus. Idem Chriſtus Eccleſiæ miniſtris accidere dicit, vt falſis perſuaſionibus ſeſe decipiant, niſi animos vero & ſerio Dei timore muniant.

Miniſtrorũ nequam conditio.

Debet autẽ hinc generalis doctrina peti, omnis impietatis & licentiæ ſcelerum præcipuã cauſam eſſe falſo cõceptas de Deo & eius Prouidentia opiniones. Nam vt vera Dei cognitio fidem parit; eius item dilectionem & ingenuum timorem, quem ſerium illi obſequendi ſtudiũ neceſſariò ſequitur: Ita falſæ de illo opiniones fidem extinguunt, & hac extincta amorem quoq; Dei ex animis auferũt, ſuperſtitionum verò cauſa ſunt & idololatriæ, quam plerunq; effrænis morum corruptio comitatur, vt Paulus gentium exemplo ad Romanos docet. Inter opiniones autem huiuſmodi omnium nocentißima eſt eorum, qui aut Deum omnino nullum eſſe dicunt, aut (quod in idem recidit) illum res hominum & quæ in terris geruntur, curare negant. Hi enim, cuiuſcunq; ſint loci & ordinis, in omne ſcelus præcipites ruunt. Ideo Dauid impietatis fontem & progreſſum deſcripturus ait: Dixit Nabal (id eſt, homo ſtolidus & mentis deprauatæ) in corde ſuo, Non eſt Deus. Et mox ſubijcit: corrupta & abominanda ſtudia ſectantur, nemo eſt qui quod bonum eſt faciat, &c. Et alibi, cùm de tyrannicis ſui ſeculi moribus conqueſtus eſſet, eorũ ſcilicet, qui populum Dei affligebant, viduas & aduenas occidebant, & pupillos interimebant, etiam infert: Interim dicunt, Dominus non videt, neq; Deus Iacob intelligit, &c. Diſcant ergo ſinguli rectis de Deo ſententijs aſſueſcere, & ex Scripturis ſacris edocti firmiter credãt Deum eſſe, qui omnia crearit & omnia gubernet: qui nos in terris hiſce laborantes & tumultuantes videat, afflictorum clamores audiat, & eorundẽ lachrymas in ſuarum rationum libros aſcribat: qui zelotes ſit & ſceleribus iraſcatur, & qui iudicium ſit facturus olim, in quo ſcelerum pœnas exoluere oporteat omnes eos, qui ſe contumaciores & incurabiles præbent. Qui iſta frequenter meditantur, & ſimul quæ quotidie fiunt iudiciorum Dei exempla obſeruant, ij neq; carnis propriæ ſocordia, neque mundi huius exemplo decipi poterunt, quò minus fidelium ſeruorum inſtar ad illius aduentum ſemper parati ſint.

Cauſa impietatis & ſcelerũ.

Pſalm. 14. 94.

Pſalm. 56.

Sed ad Chriſti verba redeamus, qui impietatis progreſſum exponens, perfidi & nequam ſerui mores & facta deſcribit, & duobus membris ſeu tribus omnia eius ſcelera comprehendit. Primum eſt, quòd ſua poteſtate crudeliter abutens in conſeruos, quos alere debebat, tyrannidem exercet, & ſeruos atq; ancillas percutit. Solent hoc ferè ſeruilis ingenij homines, qui ex infima conditione in aliquem ſublimiorẽ dignitatis gradum euehuntur, vt non temere prouerbio dicatur nulla imperia duriora & minus tolerabilia eſſe, quàm pauperum & ſeruorum. Alterum eſt, quòd non ſolum familiam & res heri ſui negligit, verumetiam luxu & intemperantia illius bona dilapidat. Cui tertium coniunctum eſt, quòd malorum conſortia ſectatur, & cum ebrioſis comeſſatur ac potat. Quod ipſum quoq; malæ frugis ſerui facere conſueuerunt: & cùm ſerui ſit res heri ſui vt proprias curare, honori & commodo eius pro virili conſulere, diuerſum planè faciunt, & quaſi ad diſsipandam rem domeſticam conducti ſint, omnia dilapidant, nocturnis comeſſationibus ſeſe dedunt, & ſui ſimiles nequam intra heriles ædes adducunt, aut heri penum ad illos exportant, quæ certißima familiarũ peſtis eſt.

Mores perfidi miniſtri.

Porro ſub hoc typo perfidos Eccleſiæ miniſtros graphicè Dominus depingit, in quibus hæc omnia licet inuenire. Olim certè Prophetarum temporibus falſi doctores in hos crudelem tyrannidem exercuerunt. Nam ſub Achabo Rege Zedekias quidam impoſtor nequißimus Micheam verbum Domini annuntiantẽ ignominioſe in faciem percutit. Amos Prophetam Amaſias Sacerdos ſolum vertere iubet, & obedire nolentem apud Ieroboamum Regem ſeditionis accuſat. Ieremias quoque non alios grauiores hoſtes ſenſit, quàm Hananiam & alios falſos doctores, qui ſe veros Eccleſiæ

Typus perfidorum eccleſiaſtarum.

antiſtites & paſtores eſſe profitebantur. Et reliquos Prophetas idem paſſos eſſe, eorum ſermones ſatis euidenter docent. Sed & totum populum Dei illi percuſſêre, quando falſa ſua doctrina ſeductis multorum malorum, & tandem excidij atque exilij Babylonici fuerunt authores. Pertinet huc
Mich. 3. *quod Micheas ſcribit: Sic dicit Dominus contra prophetas, qui ſeducunt populum meum: Mordent dentibus ſuis, & clamant, Pax: & ſi quis non dederit in os eorum, ſanctificant contra eum bellum.*
Iſa. 56. *Quibus verbis ſimul gulæ & ventris quoque ſtudium eis exprobrat, quod euidentius Iſaias facit, dicens: Paſtores ipſi nihil intelligunt, omnes ſuam viam ſpectant, quiſque ad emolumentum ſuum à ſummo eius. Venite (aiunt) vinum adferam, vt perpotemus ad ebrietatem vſque: atque adeò ſicut hodie, ita & cras abundantia magna valde. Quales autē olim in veteri teſtamēto falſi antiſtites fuerunt, tales in Nouo quoq; tēporibus Chriſti & Apoſtolorū fuiſſe, Euangelica hiſtoria docet. Eò vſq; progreſſa fuit Sacerdotum & Phariſæorum audacia, vt ipſi Dei Filio inſidiarentur, & eum ſuis artibus atq; calumnijs ad infamem crucis mortē adducerent. Populum verò traditionibus iniquis & nocentiſsimis grauarunt. Inſuper Eccleſiæ bona, decimas, primitias & quæcunq; alia conferebantur, ad ſe rapuerunt, & ex illis ditati ſunt, multis interim contra legem Dei mendicantibus, quibus publicè & priuatim proſpici debebat. Interim cum Sadducæis Epicureiſmi ſectatoribus, cum Herodianis item & Romanis præſidibus colludebant, vt veritatis præcones facilius poſſent opprimere.*

Contra Pontifices noſtri ſeculi. *Docent iſta nos iudicare de ijs, qui nouiſsimis hiſce temporibus in Dei domo omne ius & imperiū vſurparunt, Pontificibus nimirum & Epiſcopis, in quibus eoſdem mores & eadē ſtudia eſt videre. Primò enim tyrannide Eccleſiam oppreſſerunt, quoad animas & corpora atq; fortunas hominum. Quos enim verbo Dei paſcere debebant, eos traditionibus impijs de ſalute incertos & dubios fecerūt, eo autē prætextu fortunis quoq; ſpoliarunt, quando tota religio ipſis quæſtus facta eſt. Quòd ſi qui fideles ſerui Dei ipſorum iniquitatem arguere auſi ſunt, mox ad vim conuerſi, illos carceribus, vinculis, ferro item & igne coercuerunt. Tanta deniq; eorum rabies & inſolentia iam ſeculis aliquot fuit, vt ne Regibus quidem & Imperatoribus pepercerint, ſed hos quoq; ſuis excōmunicationibus flagellarint, ſeditionibus & bellis exagitarint, ſibi ſupplices fieri coegerint, & eorum colla pedibus impuris calcarint. Exēpla huius contumeliæ in Heinricho IIII. Friedericho I. & II. & multis alijs extant, quorum vitæ etiam non putarunt eſſe parcendum. Et quid hodie faciant, quamq; multorū bellorum atq; ſeditionum authores ſint, vulgo notum eſt, vt ijs commemorandis non opus ſit inſiſtere. Interim ijdem toti carnis ſtudijs & voluptatibus immerſi res Eccleſiæ negligunt, ventri autē et gulæ ſtudent, venantur, ludunt, perpotant, ſcortātur, thoros alienos polluunt, adhæc libidinis æſtro extimulati ea deſignant nonnulli, quæ pudor eſt dicere. Et cùm Eccleſiæ antiſtites videri & haberi velint, plerunq; eos in delitijs habent, qui vt inter Eccleſiæ membra numerentur indigni ſunt: imò interdū cum Turcis colludunt, vt ſuæ tyrannidi conſulant. Sic Friderichū Barbaroſſam ab Alexandro III. Turcis*
Paulus Iouius lib. 2. hiſt. ſui temporis. *proditum fuiſſe hiſtoriæ teſtantur. Et ſimilis in Carolum Francorū regem Alexandri VI. perfidia, patrum memoria extitit. Cùm enim ille in Neapolim cum exercitu tenderet, eoq; bello confecto in Græciam traijcere decreuiſſet, vt eam ex Turcarum tyrannide vindicaret, & ad id bellum Baiazetis Turcici Imperatoris fratre Geme, qui patria pulſus & extorris Romæ in cuſtodia detinebatur, vti decreuiſſet, Pontifex hæc Regis conſilia Baiazeti prodidit, neq; antea Carolo Gemem tradidit, quàm ei venenum lentum propinauiſſet, ex quo ad Caietam mortuus eſt. Et huius generis exempla infinita adduci poterant, ſi quis ſingulorum Pontificum, Cardinalium & Epiſcoporum vitas vellet excutere. Quis ergo dubitet eos illorum loco debere haberi, quos hîc Chriſtus ſub iniquiſsimi diſpenſatoris perſona deſcribit? Eſt autem deplorata mundi infelicis ſtupiditas, qui cùm iſta non modò videat, verumetiam magno ſuo malo ſentiat, illos tamen fert, imò tyrannidem eorum publica authoritate defendit, & pro illis pugnat aduerſus omnes, qui ipſis ſubeſſe nolunt.*

Superintendentes. *At non inter Pontifices modò & Epiſcopos diſpenſatores illi nequam inueniuntur, ſed apud eos etiam, proh dolor, qui Euangelij doctrinam puriorem profitentur. Quàm procul enim ab iſtorum moribus abſunt Superintendentes quidam, qui in multas Eccleſias ſibi ius ſumunt, & non ſolum illis contra Petri præceptum, verumetiam earum miniſtris ſuperbè dominantur? Et cùm multorum corruptos mores facilè ferant, eos tamen ferre nequeunt qui vetus illud Papiſticæ de re Sacramentaria doctrinæ fermentum improbant, & ſimplicem veteris Eccleſiæ ſententiam tradunt.*

Quàm

Quàm primùm enim iſtis verbulum aliquod excidit, quo craſſa ipſorum opinio perſtringitur, mox ceu Catones quidam è cælo delapſi eos ad ſuum quaſi tribunal citant; nec rationem doctrinæ ab eis exigunt, ſed vt nondum conuicti errorem & culpam agnoſcant petunt, & in hominum quorundam verba iurare cogunt, quorum autoritatem ipſi ſupra omnes primitiuæ Eccleſiæ doctores atque Martyres eminere volunt. Quòd ſi illi obedire detrectent, ad amicum colloquium aut diſputationem ſeſe offerant, & vt rationes ipſorum audiantur poſtulent: tunc noui iſti omnium doctrinarum Cenſores maiori rabie accenſi apud principes eos accuſant, & odioſis Sacramentariorum ac Suermerorum nominibus grauatos ab Eccleſiarum miniſterio deturbant, & cum vxoribus atque dulciſſimis liberis in exilium eijciunt. Annon hoc eſt conſeruos & ancillas in domo Dei percutere? Adde his; quòd ijdem illi ampliſſimis ſtipendijs ditati cum ebrioſis aulicis comeſſantur & ludunt; fame interim tantum non pereuntibus multis verbi adminiſtris, qui tenuiſſimo ſalario, tanquam pecudum paſtores conducti, in diem victitant. Sed ne illi quidem ſoli reprehenſionem merentur, cùm inter vulgus quoque miniſtrorum non pauci ſint, qui depoſita ferè omni cura gregis ſibi crediti, frequentius in publicis diuerſorijs inter ebrioſorum comeſſationes, quàm domi inter libros & Scripturæ ſacræ meditationem viſuntur. Et hi quoque cùm turpiſſimè ipſi viuant, & Euangelicæ doctrinæ labes ſint, interim ſuperbè nimis ſuo in quoſuis imperio abutuntur, & quouis ſupplicio dignos eſſe putant omnes, qui ipſorum authoritatem contemnunt, quam ipſi iampridem ſuis vicijs proſtituerunt. Sunt hæc ſeculi corruptiſſimi argumenta, cui interitus haud dubiè imminet, cùm ad iſta plerique conniueant, & improbi illi ſcurræ fidis verbi Dei diſpenſatoribus præferantur.

Cæterum ne quis illorum impunitate, qua nunc gaudent, offendatur, pœnam grauem illis Dominus denunciat. Veniet (inquit) dominus ſerui illius die quo non expectat, & qua hora non nouit, & diſſecabit eum, partemque cum infidis ei aſſignabit. Primò improuiſum & repentinum aduentum ſuum illis minatur, qui eò terribilior erit, quò minus illi de eo cogitant, vt nuper ex Paulo docuimus. Deinde pœnas daturos dicit, quæ ex veteri more etiam adhuc hodie de proditoribus ſumi conſueuerunt. Diſſecabit enim (inquit) illum, & eius partem ſiue ſortem ei tribuet cum malæ fidei hominibus. Apud Matthæum addit: Illic erit fletus & ſtridor dentium: quod de æternis inferorum cruciatibus intelligi debere, ex alijs locis apparet. Etenim indigni ſunt, qui cum pijs ad Regni cœleſtis ſocietatem admittantur, quicunque Dei Eccleſiam in terris turbant. Magno igitur iſtis conſtabit ſua licentia & ſecuritas. Porro quòd de illis dicitur, ad alios quoque extendi poteſt. Diſcant ergo principes viri, ne Dei populum iniqua tyrannide opprimant, & exactionibus immodicis excorient aut deglubant. Ijdem à luxu & intemperantia ſibi caueant: neque cum impijs colludant, vt aliquid contra Dei leges faciant in illorum gratiam. Nam niſi hæc cauerint, eaſdem pœnas cum improbis Eccleſiarum miniſtris ſubibunt. Omnes verò, cuiuſcunque loci ſint, aduentus Ieſu Chriſti memores, ita viuant, vt hunc cum gaudio excipere poſſint, & ab eo ad Regni æterni hæreditatem atque poſſeſſionem colligantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Perfidi miniſtri pœna.

HOMILIA CXXXIII.

Ille autem ſeruus, qui nouit voluntatem domini ſui, nec ſe comparauit, nec fecit ex voluntate eius, cædetur multis plagis. Qui verò non nouit, & fecit digna plagis, cædetur paucis. Porro cuicunque multum datum eſt, ab eo multum repetetur: & apud quem depoſuerunt multa, ab eo amplius repoſcent.

QVoniam Deus à nobis exigit, vt omnes vitæ noſtræ actiones ſecundùm ſuæ voluntatis regulam inſtituamus, omnibus ſeculis verbi ſui adminiſtros & præcones dedit, quorum miniſterio voluntatem ſuam nobis reuelat. Eſt hoc inter eius beneficia longè præſtantiſſimum: quia & nos ſibi amicorum loco eſſe teſtatur, & ſimul mentes illuminat, vt ſalutis in Chriſto exhibitæ participes fieri poſſimus. At quia miniſtri etiam homines, & proinde erroribus & vitijs obnoxij ſunt, frequenter illos officij ſui admonet. Et Chriſtus quàmuis de hoc ſæpius apud diſcipulos ſuos diſſeruiſſet, idem

tamen hoc etiam loco ſingulari cum grauitate & diligentia facit: vtq; magis moueat, nuper elegantiſſima parabola verbi præcones œconomis aut diſpenſatoribus aſſimilauit, eò quòd per illos ſalutis æternæ myſteria Eccleſiæ diſtribuuntur, & fidis quidem ſuoq; officio probè fungentibus ampliſſima præmia promiſit, infidis autē atq; domus Dei turbatoribus minatus eſt, quod ceu proditores gloriæ Dei & publicæ ſalutis diſſecandi & ad ſempiternos inferorū cruciatus damnandi ſint. Id verò quia nonnullis durum nimis videri poterat, ſententiam hanc ſuam modò duobus argumentis grauiſſimis, & ex communi ſenſu hominum petitis confirmat. Sunt autem hæc eiuſmodi, vt ad omnes homines transferri poſſint: quamobrem diligentius à ſingulis debent conſiderari.

Magis punitur qui voluntatem heri nouit. *Primum his verbis proponit: Ille autem ſeruus, qui nouit voluntatem Domini ſui: nec ſe comparauit, nec fecit ex voluntate eius, cædetur multis plagis, &c. Conuenit dictum hoc cum eo, quòd in lege qui deliquerant pro ſui ſceleris ratione plagis multis aut paucioribus cædi iubentur. Cùm enim omnium conſenſu conſtet grauiorem eſſe eius culpam, qui de heri ſui voluntate probè inſtructus, non ignorantia aut imprudentia, ſed improbo contemptu illam transgreditur, quàm eius, qui ignarus & imprudens delinquit: illum etiam grauius puniri debere fatendum erit. Etenim cùm ne ignorantia quidem nos apud Deum excuſet (vt poſtea audiemus) quæ obſecro poteſt excuſatio illis reliqua eſſe, qui omni illius timore abiecto impudenter aduerſus illum proteruiunt, aut ſaltem in ſuo munere exequendo ſunt negligentiores? Id verò imprimis ad Eccleſiæ miniſtros & verbi Dei præcones pertinet. Norunt hi illius voluntatem eſſe, vt homines ſalui fiant & ad veritatis cognitionem adducantur. Norunt item miniſterij huius finem eſſe, vt homines ad Chriſti corpus colligantur, & in eius fide ædificati ſub illo inter ſe coaleſcant. Sciunt præterea ſui officij eſſe, vt in Scripturarum meditatione ſeduli ſint, & ex illis deſumptam doctrinam bona fide & prudenter populo annuntient, neque aliquem negligant, quem in ſalutis negotio vel deſidem & cunctatorem, vel contumacem viderint. Neque etiam illos latet quæ præmia fidis doctoribus parata ſint, quæ rurſus pœnæ infidos maneant. Quomodo enim ignorarent quod Ezechieli dicitur: Niſi disertè monueris impium ex me, vt conuertatur à via ſua mala, ipſe quidem in impietate ſua morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram? Et illud Pauli, Væ mihi ſi non euangelizem? Habent denique exempla innumerabilia tam veteris quàm noui teſtamenti, quibus promiſſiones & minæ iſtæ confirmantur. Quòd ſi igitur hæc omnia illos non moueant, vt in officio ſuo diligentes ſint, quis non videt dignos eſſe, qui plagis plurimis grauiſſimiſque mulctentur? Atqui accedit his omnibus, quòd negligentia quidem ſua multorum pœnitentiam atque ſalutem impediunt, malo autem vitæ exemplo ſcandalum præbent longè nocentiſſimum. Nam qui illos de cælorum gaudijs deque pœnis infernalibus ſplendidè quidem diſſerentes audiunt, flagitioſam verò & timoris Dei expertem vitam viuere vident, non poſſunt non de doctrinæ ipſorum veritate dubitare, & paulatim ipſi quoque ſceleribus & peccandi licentiæ aſſueſcunt. Itaque propter illos malè audit verbum Domini, & multis exitij authores ſunt, qui ſalutis adminiſtri eſſe debebant. Quia ergo hæc ſcientes faciunt, imò (quod dubium eſſe non poteſt) contra propriam conſcientiam ſcelerato Dei contemptu peccant, nulla pœna de illis ſumi poteſt, quæ tanti ſceleris magnitudini reſpondeat. Et hæc quidem omnia Chriſtus breui hoc dicto comprehendit, cuius memoria nunquam excidere debet ijs, qui ad Eccleſiæ miniſterium vocati ſunt. Huius certè conſideratio Paulum excitauit, vt in opere Euangelico indefeſ-*
2.Cor.11.
1.Cor.9. *ſus fuerit, & omnium Eccleſiarum curam ſuis humeris incumbere putaret, neque tamen de ſuo hoc ſtudio gloriaretur, eò quòd ſciret ſe neceſſitate & Dei mandato vrgeri, & hæc omnia ex officio facere. Quod ipſum de reliquis etiam Apoſtolis & Prophetis dicere poſſumus. Et ſi iſta diligentius expenderent omnes hodie, quibus Eccleſiarum cura commiſſa eſt, haud dubiè & has melius conſtitutas haberemus, & ſinguli maiores in pietate progreſſus facerent.*

Voluntas Dei quæ ſit *Quia verò hoc Chriſti dictum generalem doctrinam continet, quæ ad omnis ordinis homines debet extendi, quædam diligentius erunt conſideranda, vt qui rudiores ſunt plenius intelligant, quid ab ipſis fieri debeat. Inter quæ primum eſt, quæ ſit generalis illa Dei voluntas, cui omnes ſtudere conuenit, & num ea nobis ſit reuelata. Sunt enim fanatici quidam & peſſimi impoſtores, qui vt ſibi ad ſua dogmata viam ſternant, nondum plenè conſtare aiunt, quid Deus velit, & ne*

Apoſtolorum

Apoſtolorum quidem temporibus Veritatis cognitionem ſatis adhuc patefactam fuiſſe. Ita verò mendacij arguunt Deum, qui per Moſem Iſraelitis dixit: Præceptum iſtud, quod ego tibi præcipio hodie, non eſt abſconditum tibi, neq; remotum. Non eſt in cælo, vt dicas: Quis aſcendet nobis in cælum, vt illud nobis afferat, annunciet'q; nobis vt illud faciamus? Nec eſt vltra mare, vt dicas: Quis traijciet nobis mare, & afferet nobis annunciet'q; vt ipſum faciamus? Sed valde propinquum eſt tibi verbum in ore tuo & in corde tuo, vt facias illud. Ecce poſui hodie ante te vitam & bonum, mortem deniq; & malum, &c. Et Paulus ſcripturas à Deo inſpiratas & vtiles eſſe dicit, vt homo Dei perfectus fiat, & ad omne bonum opus inſtructus. At quomodo hoc præſtare poterunt, ſi non intelliguntur, & quæ in illis continetur Veritas nõ adhuc manifeſtata eſt? Quibus adde, quòd quæ fuſius in Lege & tota ſcriptura traduntur, Deus ipſe in compendia & epitomes breuiores contraxit, vt illiterati quoq; homines & pueri voluntatem eius intelligere poſſent. Huc Decalogus pertinet, & quæ Deut. 6. Cap. habentur, atq; alij ſimiles loci. Vt verò cum veteri Lege Euangelij doctrinam apertius coniungamus, poteſt tota Dei voluntas, cuius cognitio nobis neceſſaria eſt, tribus capitibus comprahendi. Primum eſt, vt vni Deo fidamus, & ex fide hac illum diligamus ex toto corde, timeamus, colamus, & apud ipſum, ceu vnicum omnis boni fontem, quæramus quæcunq; nobis neceſſaria & vtilia ſunt. Eſt hoc primum & præcipuum fœderis cum Abrahamo inſtaurati caput. Idem in primo Decalogi præcepto diligentiſſimè inculcatur. Et Chriſtum ideo in mundum veniſſe ſcimus, vt in illo Pater omnes ſuæ gratiæ theſauros aperiret, nosq; in eo omnem ſalutem nobis repoſitam eſſe ſciremus. Alterum ergo diuinæ voluntatis caput eſt, vt per hunc Mediatorem ad Deum contendamus, & illum vera atq; conſtanti fide amplexemur. Hæc eſt enim voluntas eius, qui miſit me (inquit ille) vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Tertium, vt ſecundùm charitatis legem ſanctè & innocẽter viuamus. In his (inquam) voluntas illa Dei conſiſtit, cui nos ſtudere vult Chriſtus: quæ cùm paſſim in ſacris literis perſpicuè tradantur, & tam vulgaria ſint hodie, vt in omnibus linguis decantentur, adhæc picturis quoq; illuſtrentur: nimiùm impudentes ſunt, qui illam obſcuriorem eſſe aiunt, quàm vt certò cognoſci queat.

Deut. 30.

Ioan. 6.

Cæterùm vt nos huic accommodare debeamus; & quæ huius exequendæ ratio ſit, tenteamus oportet. Exprimit hanc Chriſtus, quando de malo illo ſeruo dicit, quòd nequè ſe comparauerit, neq; fecerit ex voluntate heri ſui. Duo ergo requiruntur. Primum eſt præparatio, qua homo ſe totum huic ſtudio dedit, vt voluntati diuinæ ſatisfaciat. Nam niſi animus totus huc deſtinetur, perfunctoriè modò omnia faciet, neq; Deo probari poterit. Et huc pertinent, quæ de abnegatione ſuiipſius, de mortificatione carnis, de regeneratione & innouatione hominis alibi traduntur. Quòd enim carni habenas laxamus, & eius deſiderijs indulgemus, nullus apud nos diuinæ voluntati locus erit. Concupiſcit enim caro contra ſpiritum, & illa dominante hic opprimitur. Multum autem hic profuerit, ſi ad audiendum Dei verbum animis rectè præparatis & diſcendi cupidis accedamus. Tunc enim ſemen Verbi verè excipiemus, & hoc in nobis radices agere poterit. Quòd ſi ſimul preces accedant ſeriæ & ardentes, procul dubio carnis cupiditates reſtingui, corda mutari & voluntatis diuinæ ſtudio accendi ſentiemus. At hîc nequaquam ſubſiſtere debemus, quaſi officio omni ſimus defuncti: ſed quod animo concepimus, id factis præſtare oportet. Non enim in otioſa meditatione, aut externa profeſſione vel ſermone conſiſtit Regnum Dei, ſed in virtute, quæ totum hominem transformat, & ſeſe in omnibus eius ſtudijs atque actionibus exerit. Et hoc eſt, quod Dauid eum, qui Legem Dei dies & noctes meditatur, arbori fœcundiſſimæ confert, quæ quouis tempore fert fructus ſuos. Pſalmo primo.

Ratio voluntatis Dei exequendæ.

Vt verò Eccleſiarum miniſtri grauius puniuntur, ſi ipſis probè cognitam Dei voluntatem ſequi negligant, inq; officio ſuo remiſſiores, vel etiam proterui præuaricatores ſint: ita omnes alij pœnas acerbiores merentur, qui cùm Verbo diuino illuminati quid credi, vel Deus coli & quomodo vita omnis inſtitui debeat, abunde norint, nihilominus tamen mundo ac carni indulgens, & reclamante conſcientia in Dei voluntatem peccant. Eſt enim hoc animi prophani & ab omni numinis reuerentia alieni argumentum, quo excuſationis prætextus omnis adimitur. Peccauit in hoc grauiſſimè Iudæorum gens, de qua Chriſtus dicit: Si non veniſſem & locutus eis eſſem, peccatum non haberent: Nunc autem non habent, quòd prætexant peccato ſuo. Et ſanè illos grauiſſimè puniturus

Applicatio doctrinæ huius.

Ioan. 15.

eſſe conſtat. Etſi enim multa & horrenda extent iudiciorum Dei exempla, quæ in alias gentes edita ſunt, nullum tamen pœnarum atrocitate ac diuturnitate illud æquat, quo in Iudæos animaduertit, qui poſt clades maximas, poſt vrbis & templi excidium & terræ totius vaſtationem, per omnes gentes diſperſi, iam annis amplius mille quingentis repub. ſimul & ſacris ordinarijs deſtituuntur, & ſimul omnium ludibrio atq; iniurijs ſunt expoſiti. Sunt tamen multorum quoq; aliorum exempla, quæ huic Chriſti dicto fidem faciunt, inter quæ memorabilia admodũ ſunt, quæ in Aſiæ, Ægypti, Aphricæ & Græciæ Eccleſijs videmus. Fuerunt enim iſti homines in Chriſtiana fide ac religione probè inſtituti per ipſos Apoſtolos & horũ ſucceſſores. At quia aduerſus cognitã Dei voluntatem curioſis hominibus locum dedere, qui impijs diſputationibus fidei principia conuellere & religionis fundamenta oppugnare auſi ſunt; adhæc à cultus diuini ſimplicitate receſſerunt, & incurabili ſcelerum licentia fidem Chriſtianam prophanarunt, grauiſſimè in illos Dei ira exarſit, qui crudeli Turcarum tyrannidi eas terras ſubiecit, in quibus olim Apoſtolorum voces auditæ fuerunt. Et neſcio quàm procul à nobis abſit eadem pœna, quando & eadem inter nos ſcelera regnant, & creſcente indies Turcici Imperij potentia Chriſtianus orbis arctioribus indies finibus concluditur. Debebant in horum conſideratione diligentius verſari, qui quam animo conceperunt fidem, & de cuius veritate ſatis instructi ſunt, in hominum gratia abnegant: qui cultus illicitos admittunt, & contra propriam conſcientiam ſeſe illis polluunt: qui item effræni licentia in turpiſſima quæuis flagitia ruunt, à quorum turpitudine communis etiam ſenſus abhorret. Eſt eiuſmodi hominum magnus numerus vbiq; gentium: pleriq; tamen quaſi quæ faciunt nullius momenti ſint, impietati ſuæ colophonem imponunt, dum petulantes linguas aduerſus Deum laxant, & huius præcepta ſingula vna cum Verbi diuini admonitionibus & correptionibus ſcurriliter eludunt & rident. Sunt hi ex illuſorum numero, quos Spiritus ſanctus in ſcripturis non vno loco grauiſſimè reprehendit. Accedunt tamen his quoq; alij peiores, qui non contenti eo, quòd obedientiæ iugum & omnis diſciplinæ frænum excuſſerunt, inſuper aduerſus Deum & Verbum eius hoſtiliter inſurgunt, neq; ea accuſari aut corripi patiuntur, à quibus olim quotquot inter gentes ſolam naturæ legem ſecuti ſunt, abhorruerunt. De Chriſtiani nominis & Euangelij profeſſoribus loquor, inter quos gigantes iſti & Cyclopes paſſim inueniuntur, quorum impia audacia fit, vt tutius agant, qui toti flagitijs & ſceleribus ſunt obruti, quàm qui illa ex Dei Verbo reprehendunt. Eſt hoc exitij ad fores noſtras excubantis certiſſimum argumentum, quod non alia ratione effugere poterimus, quàm ſi nos totos diuinæ voluntati per fidei obedientiam ſubijciamus, &c.

Ignorantia non excuſat. Porro obijciat aliquis: Si qui Dei voluntatem nouerunt, non autem ei obtemperant grauius puniuntur, præſtat illam ignorare & Verbum eius, ex quo ea diſcitur, negligere. Et ſanè hodie non paucos eſt inuenire, qui inter noſtri ſeculi de religione & Dei cultu controuerſias nihil tutius eſſe arbitrantur, quàm rerum ſacrarum ignorantiam, ſeq; apud Deum abunde excuſatos putant, ſi in patrum religione, ſiue ea vera ſiue falſa fuerit, ſimpliciter pergant. Et hi ferè diſputationes de religione ad homines otioſos pertinere, ac ſuperuacaneas eſſe dicunt. Sed & in manifeſtis ſceleribus ad ignorantiæ prætextum, quaſi ad clypeum Aiacis confugiunt. His ergo aliam ſententiam opponit Dominus: Qui verò non nouit, & fecit digna plagis, cædetur paucis. Faciunt hæc quidem ad prioris confirmationem, interim docent, eum quoq; non impunè laturum eſſe, qui diuinæ voluntatis ignarus ea deſignarit, quæ pœnas merentur. At ne cui hoc durius dictum videatur, tenere oportet duplicem eſſe cognitionem Dei & voluntatis ipſius. Vna eſt perfecta, quæ per Verbum eius in Scripturis manifeſtatum traditur, & imprimis per Chriſtum reuelata eſt, ſecundùm illud Ioannis: Deum nemo vidit vnquam: ſed Filius ille Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe nobis expoſuit. Et ipſe Chriſtus ait: Omnia quæ accepi à Patre meo, nota feci vobis. Hæc igitur cognitio diuinæ voluntatis plenè & perfectè continet omnia, quæ nobis ad ſalutem æternam neceſſaria ſunt: quia Chriſtum ſimul appræhendit, in quo omnes ſcientiæ theſauri repoſiti ſunt, & qui nobis quoque à Patre ſapientia factus eſt. Et de hac cognitione prior ſententia exponi debet, de qua hucuſq; diximus. Altera eſt imperfectior, quam Deus omnium hominum animis inſculpſit, & quæ notitias generales continet, de Deo & religione, de vitæ innocentia, de colenda mutua dilectione, alijſq; rebus ad huius vitæ vſum neceſſarijs. Hanc vulgo legem naturæ vocant, & voluit eam Deus ex peculiari gratia in hominibus reliquam

liquam eſſe poſt Adami lapſum, quò melius in officio continerentur, & non in infinitum graſſaretur peccandi licentia cum vniuerſali humani generis exitio. Et illa enim homines prudentes & virtutis ſtudio præ alijs præditi leges bonas & Reipub. vtiles promulgarunt, quales apud omnes ferè gentes fuiſſe, hiſtorici teſtantur. De hac Paulus in epiſtola ad Romanos differit, quando ait gentes, quæ Legem Moſis non acceperunt, ſibijpſis Legem eſſe, & opus Legis in cordibus ſuis ſcriptum oſtendere, quando ſuis legibus ſcelera prohibent & puniunt, opera verò egregia & virtutis plena honoribus & præmijs exornant. At quia hæc cognitio (vt idem Paulus docet) partim quorundam curioſitate & ex ea natis ſuperſtitionibus corrupta atq; obſcurata, quorundam verò temeritate & licentia ferè tota extincta fuit, prorſus nulla cenſeri poteſt, ſi cum priori illa conferatur. Et hanc præſupponit (vt aiunt) Chriſtus hoc altero membro de ſeruo loquens, qui voluntatis diuinæ ignarus pœnis aut plagis digna fecerit. Nam eos intelligit, qui notitias quidem illas generales cordibus inſcriptas habent, ipſum verò ſalutis æternæ authorem & quæ ſolis electis patent Regni cælorum myſteria ignorant. Et hos non quidem tam grauiter vt priores illos punitum iri, non tamen ab omni pœna liberos & immunes fore dicit. Sufficit enim ad eos conuincendos Lex naturæ, idq; eò magis quòd ipſorum conſcientia huic teſtimonium defert, & à proprijs cogitationibus accuſantur, ſi quid præter officium fecerunt, excuſantur autem quando ſuo munere diligenter defuncti ſunt.

Vnde ſequitur apud Dei tribunal neminem excuſari, ſed omnes homines coram illo peccati reos & pœnis dignos eſſe: fruſtra denique ad ignorantiæ prætextum eos confugere, & Deum iniquitatis aut ſeueritatis nimiæ accuſare, qui à propria conſcientia & cogitationibus cordis ſui conuincuntur. Etenim cùm nos à ſeruis noſtris requiramus, ne quid temere pro ſuo arbitrio faciant, ſed de noſtra voluntate inquirant, eamq; obſeruent: quantò magis hoc Deo debemus, vt procul relictis noſtris placitis, eius voluntati nos accommodemus, quæ ſola bona, ſancta & ſalutaris eſt? Et quam obſecro ignorantiam prætexere poſſumus, quando ille (vt ſupra monuimus) voluntatem ſuam omnem nobis fideliſſimè manifeſtauit? Negligentia ergo potius eſt quàm ignorantia, quam præteximus, & illa quidem cum Dei contemptu coniuncta, cui tam parum honoris deferimus, vt quid ille à nobis exigat non quæramus. Quod ſæpe cogitare decebat eos, qui cùm Eccleſiarum miniſtri & paſtores haberi & eſſe velint, falſa tamen doctrina & vaniſſimis ſuperſtitionibus populum infelicem circunducunt, deinde eo accuſati, ſe meliora ignorare, & proinde vetera inſtituta patrum retinere aiunt. Placent illi ſibijpſis egregiè iſta excuſatione, qua nihil vanius & putidius excogitari poterat. Poſſunt quidem iſto prætextu aliqua ex parte excuſari, qui ante manifeſtatam Euangelij lucem communis tenebris immerſi, adhæc monitoribus ſimul & libris deſtituti fuerunt, ex quibus meliora diſcerent. At quid hoc ad noſtri ſeculi homines pertinet, qui omnia habent, quæ ipſis ad Veritatis cognitionem adiumento eſſe poterant? Audiuntur enim paſſim Euangelij præcones, libri ſacri in omnes linguas tranſlati in omnium manibus verſantur, de religione & Dei cultu diſputant non docti modò & illuſtres viri, verumetiam opifices, agricolæ, nautæ, mercatores, mulieres denique & pueri. Quod ergo illi ignorantes ſubinde manent, id inexcuſabilis oſcitantiæ argumentum eſt. Quia enim ipſorum munus circa æternæ ſalutis negotium verſatur, & hoc cum multarum animarum periculo in controuerſia eſt, illorum erat, non veterem ſaliuam populo pertinaciter obtrudere, ſed poſito omni affectu rei veritatem inueſtigare, & (quod Chriſtus Iudæorum Scribis dicebat) ſcripturas diligentius ſcrutari, in quibus vitæ æternæ conſequendæ ratio vera traditur. Non damnatur ſtatim qui nauticam artem ignorat, quando hæc non omnium eſt; nec vt eam omnes norint opus eſt: At ſi quis eam profitetur, & vectores cum ſuis mercibus in nauim receptos in altum educit, poſtea autem ventis aduerſis flantibus & tempeſtate periculoſa mare turbantibus ſe illius ignarum eſſe oſtendit, næ ille pœna potius quàm venia aut commiſeratione dignus eſt. At quid hîc indicari poteſt aliud de ijs, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedent, & quidem multis inuitis & reluctantibus, in tantis autem ſententiarum de religione diuerſiſſimarum fluctibus ignorantiam ſuam ſponte profitentur, & cauſam hanc ad alios reijciunt, qui de ea decernere debeant? Atqui ſingulorum paſtorum eſt ô boni, paſcua bona noniſſe, & Chriſti principis paſtorum vocem tenere, vt ea oues ducant & gregis eccleſiaſtici vnitatem conſeruent. Omnibus item in hoc munere conſtitutis dicitur: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legē ex ore eius requirent.

Ad Dei tribunal omnes peccatores ſunt.

Ioan. 5.

Fruſtra ergo ad aliorum iudicia controuerſiam hanc reijcitis, de cuius veritate vos veſtræ fidei commiſſos debebatis edocere. Sunt tamen peiores his, qui ne doceri quidem volunt, imò oblatam Veritatis lucem hoſtiliter perſequuntur. Eſt horum maximus numerus hodie, qui hoc ſibi gloriæ & laudi ducunt, quòd à nemine ſuos errores argui, à nemine item doceri, admoneri, neq; alicuius de religione diſputationes admittere ſoleant. Atqui hæc gloria illis cum Mahumete communis eſt, qui ſuis hominibus hanc legem tulit, ne cum aliquo de religione diſputent. Videbat enim aſtutiſſimus impoſtor, eam eſſe ſuorum dogmatum abſurditatem, vt nullis vel ſcripturis vel rationibus probabilibus defendi poſſint. Quod ipſum cùm hodie etiam multi videant, quibus falſa religio vberrimus quæſtus eſt, hanc vnam rationem ſibi reliquam eſſe intelligunt, qua quæſtum ſuum retineant. Sed cùm hi neq; primis illis, neq; alteris conferri poſſint, de quibus hoc loco agitur, ſed aperti Veritatis hoſtes ſint, horribiles procul dubio pœnas dabunt, neq; de eis multum ſperari poteſt, cùm ſibiipſis data opera tenebras offundant, & ſalutis oſtium præcludant, quod illis multi patefacere conantur.

Miniſtrorum eadem quæ depoſitariorum conditio.

Sed alterum quoque argumentum videamus, quo ſuam ſententiam Chriſtus confirmat, ſic dicens: Cuicunq; multum datum eſt, ab eo multum repetetur: & apud quem depoſuerunt multa, ab eo amplius repoſcent. Sumitur hoc quoq; ex communi hominum more, & cum Lege naturæ conuenit. Cùm enim hunc ſenſum in brutis animalibus eſſe videamus, vt ſuos benefactores agnoſcant, & iiſdem bonam gratiam referant: adhæc cùm rudis tellus agricolarum labori atq; induſtriæ reſpondeat, adeò vt quò diligentius colitur, eò vberiorem prouentum ferat, meſſemq; habeat copioſiorem, qui ſementem fecit liberaliter: æquum eſt, vt homines quoq; eorum reſpondeant fidei & liberalitati, qui in ipſos aliqua beneficia contulerunt, neq; maligni aut fraudulenti ſint eorum, quæ apud ipſos deponuntur, cuſtodes. Id verò commodiſſimè Chriſtus ad Eccleſiarum miniſtros transfert, de quorum officio huc uſq; diſſeruit. Vt enim illos in ſublimiorem dignitatis gradum Deus collocauit, & ſuæ voluntatis apud alios interpretes conſtituit: ita eoſdem donis quoq; amplioribus exornat, vt functioni ſuæ ſatisfacere poſſint. Nam ſi illos ſpectes, homines ſunt & iiſdem cum alijs hominibus affectionibus obnoxij: & vt Paulus de ſeipſo & reliquis ſui ſeculi doctoribus fatetur, ex ſemetipſis ad nihil idonei ſunt, ſed ex Deo habent quicquid in ipſis præclarum eſt, & ad miniſterium, quod eis creditum eſt, vtile. Cur ergo non ab eis idem ille rationem exigat? Et quis non videat ſupplicio dignos eſſe eos, qui & propriæ dignitatis & gratiæ ipſis à Deo factæ immemores, dona ſua vel perfidè in vſus alienos transferunt, vel turpi ignauia perire ſinunt? Pertinet autem ad huius loci illuſtrationem parabola de talentis, quæ Matth. 25. deſcribitur.

Nemo ſuæ functionis & donorum excellentia ſuperbiat.

At debet hinc doctrina generalis peti, neminem ob ſuæ functionis excellentiam & dotes à Deo acceptas ſuperbire & inſolentius efferri, ſed potius terreri atq; humiliari debere. Vt enim ex alto grauior eſt caſus: ita maior & perículoſior peccandi occaſio illis in ſingula momenta offertur qui in altiori dignitatis gradu conſtituti ſunt: & eò diligentius ſeueriusq; ab eis rationem exiget Deus, quò pluribus atq; præſtantioribus donis eos cumulauit. Meminerint huius diligenter miniſtri Eccleſiarum, de quibus imprimis hîc agitur. Vocat hos Chriſtus lucem mundi & ſalem terræ, eò quòd Verbi ſui lucerna & vitæ exemplo omnibus prælucere, & ſingulis pia admonitione atq; doctrina mederi debent, ne in vitijs computreſcant. Curent ergo ne quid negligant, neue vel otij ſui, vel quæſtus maiorem habeant rationem, quàm gloriæ Dei & publicæ ſalutis. Niſi enim officium fecerint, eò maiori infamia mulctabuntur, quò maior eſt dignitas, in quam euecti ſunt. Exemplo ſint illis Iudæorum

Malach. 2. *antiſtites, quibus per prophetam Dominus minatur: Si non audieritis, neq; poſueritis ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, dicit Dominus exercituum, mittam in vos execrationem, atq; maledicam benedictionibus veſtris: quin maledixi iam, quia non ponitis ſuper cor. En ego increpabo vobis ſemen, & ſpargam ſtercus in facies veſtras: ſtercus (inquam) dierum veſtrorum ſolennium, tolletq; vos ad ſe: & ſcietis, quòd ad vos mandatum iſtud miſerim, &c. Quod autẽ his dicitur, hoc ipſum principes viri & quotquot magiſtratum gerunt, ad ſe quoq; pertinere ſciant. Dignatur hos potẽtia ſimul & dignitate ſumma Deus, quando ſuum quoq; nomen illis communicat. Gratiam ergo ei referant dignam, & eius gloriam viciſſim proueheant, & imprimis caueant, ne cui vel in religione ſcandalo ſint, vel vitæ morumq; exemplo aliquem ſeducant atq; corrumpant. Quid enim tales maneat, Solomonis, Ieroboami, Achabi & multorum aliorum exempla abunde docent. Et notum eſt illud Sapientis*

pientis dictum: Potentes potenter punientur. Transferant quoq; ad ſe dictum hoc Chriſti diuites, & cogitent quantum Deo debeant, qui illos exemit moleſtijs, quæ paupertati multæ & grauiſſimæ coniunctæ ſunt: & proinde officij ſui memores diuitijs ad prouehendam illius gloriam & fratrum inopum ſubuentionem vtantur, vt illi olim poſſint rationem reddere. Seruit etiam doctrina hæc iuuenibus, quibus parentes & inſtitutores fidi obtigerunt, atq; alia ad virtutem ſiue eruditionem adminicula. Nam ab his quoq; rationem olim repetet Dominus, nec impunè ferent, ſi tantorum beneficiorum ingrati contemptores fuiſſe depræhendentur, Et vt tandem dicendi finem faciamus, curent omnes, vt Deo, qui ſuam voluntatem nobis fideliſſimè reuelat, ſeſe accommodent, & ab illo acceptis donis vſuram illam ſanctam exerceant, qua multi alij ad ſalutis ſocietatem adducuntur, vt olim cum bonis & fidis ſeruis ingredi poſſint in gaudium Domini noſtri Ieſu Chriſti: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIIII.

Ignem veni miſſurus in terram, & quid volò ſi iam accenſus eſt? Sed baptiſmo oportet me baptizari: & quomodo conſtringor, vſquequò perficiatur? Putatis me veniſſe pacem daturum in terra? non dico vobis, imò diſsidium. Erunt enim ex hoc tempore quinque in vna domo diſsidentes: tres aduerſus duos, & duo aduerſus tres. Diſsidebit pater aduerſus filium, & filius aduerſus patrem: mater aduerſus filiam, & filia aduerſus matrem: ſocrus aduerſus nurum ſuam, & nurus aduerſus ſocrum ſuam.

MVltis & diligenter hucuſque Dominus & redemptor noſter, Ieſus Chriſtus, de Eccleſiæ ſuæ & Verbi Dei miniſtris diſſeruit, ſimulq; in genere omnes admonuit, vt fidelium ac frugi ſeruorum inſtar ſemper ad omne officium parati ſint, & ſecundùm Verbi illius regulam actiones ſuas omnes inſtituant. His commodiſſimè ſubijciuntur quæ modò recitauimus, in quibus de Verbi ſui aut Euangelij effectu amplius diſſerit, docens, quid hoc tam in pijs quàm impijs agat, & quàm turbulenta totius mundi conditio futura ſit, quando hoc paſſim prædicabitur. Eſt ergo locus hic multa ac diligenti conſideratione digniſſimus. Nam ſcandalum remouet Chriſtus, ad quod plerique offendunt, quando ex Euangelij prædicatione turbas ac tumultus publicos, adhæc inter priuatos homines, qui prius coniunctiſſimi erant, diſsidia acerrima atque implacabiles inimicitias oriri vident. Admonemur præterea, quo animo ad Chriſtum accedere, & vt nos ad certamina hæc ſubeunda præparare debeamus.

Principiò cur in mundum hunc venerit, docet: vt nimirum totius orbis mutationem aut innouationem inuehat per Euangelij ſui doctrinam. Ignem (inquit) veni miſſurus in terram, & quid volo ſi iam accenſus eſt? Quibus verbis hoc omnino dicere videtur. Quoniam mundus hic totus corruptus & deprauatus eſt, adeò, vt niſi mutatio quædam violentior fiat, omnes perituri eſſent, ego ex æterno Patris decreto veni, vt huius innouationis author ſim, neq; aliud perinde in votis habeo, quàm vt ignis ille ardeat, quo tota mundi facies innouabitur. At cùm iam nunc accenſus ſit, ſicuti ex quorundam ſtudio, qui me ſequuntur, & aliorum contumacia, qui me oppreſſum volunt, conijci poteſt, quid præterea volo? Iam enim confectum videri poterat id, cuius gratia veni. Cæterùm ſunt hæc ignis iſtius & mutationis principia tantùm. Nam per totum terrarum orbem extendatur oportet: quod non prius fiet, quàm ego mortem ſubiero. Tunc enim exaltatus omnia ad me traham, & eam, quæ nunc eſt, mundi faciem abolebo.

Cur Chriſtus in mundum uenerit

Porrò ignem dicit Verbum Dei, idq; ab effectu, eò quòd per illud innouationem hanc orbis fieri oportuit. Eſtque hæc Metaphora ſiue ſimilitudo frequens admodum in ſcripturis, & ipſe Dominus apud Ieremiam ait: An non Verbum meum eſt ſicut ignis, & ſicut malleus petras diſſipans? Etenim multa ſunt in igne, quæ Verbi naturam egregiè exprimunt. Primùm, vt inter elementa nullum illo purius eſt: ita Verbum Dei purum & mundum eſt, cumque omnes alia doctrina

Verbum Dei dicitur ignis.

Ierem. 23.

ſcoriam humanarum traditionum admixtam habeant, ſolius Verbi diuini doctrina ab omni errore libera, & (vt Dauid inquit) argento ſepties excocto & purgato ſimilis eſt. Deinde vt ignis calore ſuo omnia fouet ac vegetat, membris item ſorporem eximit: ita Dei Verbum animis conceptum Dei amorem accendit, ſpem atque fidem noſtram fouet & confirmat; adhæc induſtrios reddit ad omnia exequenda, quæ noſtri ſunt officij. Tertiò, vt ignis ſplendorem ſibi coniunctum habet, quo tenebras diſcutit & lucem rebus infert: ita Dei Verbum mentes illuminat, vt Deum atque voluntatem eius agnoſcere, & per huius mundi tenebras inoffenſo pede ambulare poſſimus: quo nomine Chriſtus ſupra illud lucernam dixit. Quartò, vt ignis neque celari neque concludi poteſt, quò minus erumpat: ita Dei Verbum occulcare, aut ſemel animo conceptum reprimere impoſſibile eſt. Efficaciter enim agit, vt etiam qui natura vel timidiores vel remiſſiores ſunt, eius virtute cogantur officium facere. Exemplum huius efficaciæ in Ieremia habemus, qui incurabili populi & principum atque ſacerdotum contumacia tantumnon victus aliquando dicebat: Quandoquidem Verbum Domini mihi probro vertitur, & omnibus diebus vituperio, ſtatui mentionem eius porrò non facere, neque poſthac loqui in nomine eius. Sed quid idem ille mox ſubijcit? Ac fiebat illud (inquit) in corde meo & in oſſibus meis tanquam concluſi ignis incendium, vt ſuſtentando laborarem, nec poſſem, &c. Et hæc illa vis eſt, quæ in miſſione Spiritus ſancti per igneas linguas adumbrata, Apoſtolos & horum germanos ſucceſſores mouet, vt contra regum & principum edicta & crudeles minas Euangelium conſtantiſſime prædicarint, & omnes difficultates atque pericula ſuperauerint. Quod ipſum etiam hodie faciunt, quicunque ignem hunc diuinum in cordibus ſuis accenſum habent. Poſtremò, quemadmodum ignis res mirificè tranſmutat, dum quaſdam abſumit prorſus, vt paleas & ſtipulas: quaſdam in cineres redigit, vt ligna: nonnullas indurat, vt lutum & ex hoc confecta vaſa: alias liquefacit, vt ceram: alias inſuper excoquit & purgat, vt aurum, argentum & ſimilia metalla: Ita Verbum Dei mutationem rebus humanis admirabilem & variam affert. Nam alij quidem hoc audito & animis concepto toti innouantur: alij etiamſi non eò vſq; proficiant, nonnihil tamen molleſcunt & tractabiliores fiunt: alij verò indurantur, vel potiùs in rabiem accenduntur, dum illud prauis ſuis cupiditatibus atq; ſtudijs ſceleratis aduerſari ſentiunt. Et quò minus iſti effectus prædicationem Euangelij ſequantur, nemo prohibere poteſt. Nam vt ij, qui ex electorum numero ſunt, vocem ſui paſtoris agnoſcũt, & hanc ſecuti ex ſemine illo renaſcuntur: ita prophani & reprobi aduerſus illud inſurgunt, & quotidie in peius proficiunt, non quidem Euangelij vitio (quod in illo nullum eſt) ſed propria culpa & ingenij ſui innata prauitate, qua Verbum ſalutis reſpuunt. Et huc imprimis facit, quod in præſenti de igne, quem in terram ſit miſſurus, Dominus dicit. Nam vt ſequentia docent, ſubitam rerum mutationem cum acerrimis eorum diſſidijs coniunctam intelligit, qui prius inter ſe conſentiebant. Nec temere hoc illum dixiſſe patebit, ſi quæ poſt eius Aſcenſionem acciderunt, conſideremus. Nam cœlitus accepto Spiritu ſancto Apoſtoli Euangelium in toto orbe terrarum prædicauerunt, cuius prædicatione tam electi quàm reprobi accenſi ſunt: illi quidem vt relictis ſuperſtitionibus & falſis Dijs, Deum verum in ſpiritu & veritate colerent: hi verò vt ſuperſtitiones & receptos cultus tuerentur: Interim tamen Euangelicus iſte ignis per omnia obſtacula erupit, & incendio longè lateque graſſanti ſimilis Deos illos fictitios vnà cum ſuis ſimulachris & idololatria abſumpſit: adeò, vt ex triginta millibus Deorum, quos in orbe cultos fuiſſe Diuus Auguſtinus ex Varrone prodidit, vix paucorum nomina extent; & ij quoque non alio in honore ſint, quàm quem illis Aſtrologi, vaniſſimum & impudentiſſimum hominum genus, tribuunt. Taceo nunc morum mutationes non minori admiratione dignas, quando homines, qui luxu & libidine diffluebant, ſubitò ſobrij & temperantes, ex auaris liberales & benefici, ex ſanguinarijs armorum & bellorum ſectatoribus mites & manſueti facti ſunt. Quod multis admirationi fuiſſe ſcimus, qui diuini iſtius ignis virtutem ignorabant. Et quantum hic etiam hodie poſſit, in multis videmus, qui non ficto animo ad Euangelij partes tranſeunt. E contra autem arguuntur hîc falſi, quicunque illud ore quidem profitentur & iactant, nullum verò vel gloriæ Dei zelum, vel morum mutationem in melius oſtendunt. Inde de turbis & motibus in orbe orituris Chriſtus omnes homines admonet, vt illis non offendantur, ſed potius agnoſcant in illis Verbi diuini virtutem, & huic obtemperent. Qui verò in Eccleſiæ miniſterio verſantur, ij Chriſtum imitari debent; neque ad vitandas turbas

Ierem.29. [margin note beside "cipum atque ſacerdotum contumacia"]

*das turbas Veritatem diſſimulare, ſed potius maiori Spiritus virtute aduerſus mundi contuma-
ciam luctari.*

Et huc imprimis pertinet votum illud Chriſti ardentiſſimum, quo ipſius Patris cæleſtis volun- Chriſtus Euangelium prædicari vult.
*tas exprimitur: quæ eſt, vt ignis iſte Euangelicus in toto orbe terrarum ardeat. Nam vt Paulus
ait, vult ille omnes homines ſaluos fieri, & in Veritatis cognitionem venire. Ideo ab ipſa rerum ori
gine patribus priſcis locutus eſt multifariàm, & Verbi ſui lucem eò clarius ſubinde accendit, quò
magis auctæ ſunt ſuperſtitionum & humanarum traditionũ tenebræ. Et quàmuis olim lux iſta intra
Iudaici populi fines concluderetur, eandem tamen ad gentes quoq; extendi tandem oportere promiſit
per Prophetas: quod Apoſtolorũ miniſterio factum eſt, qui (vt paulò ante diximus) ex Chriſti man
dato Euangeliũ ad extremos vſq; mundi cardines diuulgauerunt. Vnde nos colligere poſſumus, nul-
lum Deo cultum magis acceptum aut gratũ eſſe, quàm vt Verbum ſuũ quàm latiſſimè propagetur,
& huius prædicatione quàm plurimi ad illius cognitionẽ & æternæ ſalutis hæreditatem adducãtur.
Quò Paulus reſpiciens, gentes, quibus ipſe Euangelium prædicabat, oblationem ſiue victimam Deo* Rom. 15.
*gratam & per Spiritum ſanctificatam dicit. Itaq; Dei hoſtes ſunt, & cum eo bellum quodãmodo ge-
runt, qui Verbi doctrinã oderunt, & ne hoc diuulgetur obſtare audent. Sunt enim hi ipſi, quos Dauid
aduerſus Deum & Vnctum eius inſurrecturos prædixit, vt huius vincula diſrumpant, & iugũ eius
reijciant, deniqeù regnum eius euertant & deſtruant. Sed nihil proficiunt omnes iſti. Ridet enim
eorum conatus atq; conſilia Dominus, & ignem Verbi ſui flatu Spiritus accendit vbicunq; vult: ne-
que impediri poteſt Dei conſilium, qui vt paſſim ardeat, decreuit.*

Porro redeamus ad verba Chriſti, qui tempus etiam indicat, quo ignis iſte debeat accendi; & Tempus Euangelij diuulgandi.
*ita tacitæ obiectioni occurrit. Diceret enim aliquis: Si veniſti, vt Euangelij ignem in tota terra ac-
cendas, cur in obſcuro hoc Iudææ angulo moram trahis, & non potius orbem terrarum luſtrans vbiq;
inter gentes doces? Reſpondes ergo: Sed baptiſmo oportet me baptizari, & quomodo conſtringor,
vſquequò perficiatur? Id verò de morte ſua dicit, quam ipſum prius ſubire oporteat. Baptiſmũ autẽ
vocat mortem, quia inſtar tranſitus eſt per maxima diſcrimina ad vitæ æternæ poſſeſſionem. Vt
enim qui baptizantur, in aquas immerſi perire videntur, ſed iidem mox iterum emergunt: ita pij in
morte videri poſſunt communem cum impijs ſortem ſubire, quibus illa peccati pœna, & proinde
æternorum cruciatuũ initium eſt, ſed quia Chriſto inſiti & in hoc iampridem peccato mortui ſunt,
per illam tranſeunt ad vitam æternam. Quod imprimis in ipſo Dei Filio in carne manifeſtato lo-
cum habuit, qui per diram & infamem mortem crucis in gloriam Patris ingreſſus eſt. His autem
verbis ille innuit, hoc Dei conſilium eſſe, vt ipſe quidem ſolis Iudæis prædicet, & perditas Iſraelis o-
ues reducere atque colligere ſtudeat, mortuus autem & ex morte reſuſcitatus inq; cæleſtem gloriam
euectus per Apoſtolos Spiritus ſui virtute armatos totum orbem terrarum illuminet. Ita verò o-
ſtendit graues iſtos motus & horribilem mundi totius mutationem ſua morte ſanciri oportere, &
& ſe primum fore, qui pericula illa ſentiat. Et hoc illud eſt, quod olim per Zachariam Deus præ-* Zach. 3.
*dixerat: En ego adduco ſeruum meum, Germen. Ecce enim lapis, quem poſui coram Iehoſua: ſuper
lapidem vnum ſeptem oculi, & ego ſculpo ſculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam
iniquitatem terræ vno die. Quo loco Chriſtus primò Germen dicitur, eò quòd ex ſtirpe ſeu trunco
potius Iſai vel Dauidicæ poſteritatis excreuit, cùm hæc ad extremam egeſtatem redacta eſſet, &
humano iudicio nihil magnificum de ea poſſet ſperari. Eundem verò mox lapidem dicit, quem ipſe
in conſpectu ſummi Pontificis Iehoſuæ poſuerit, ceu fundamentum Eccleſiæ & ſalutis totius, quod
toto illo Sacerdotio adumbretur. Ideo ſeptem, id eſt, omnium electorum oculos in hunc lapidem re-
ſpicere ait, quem tamen prius ſecundùm æterni ſui conſilij decretum cælari aut ſculpi, id eſt, vul-
nerari, & occidi oporteat, vt eius merito mundi peccatum ſiue iniquitas expietur. Et huius generis
multa apud Prophetas habentur, quæ omnia Dominus ſuis diſcipulis nunc in mentem reuocat.
Vt verò iſtud impletum ſit, vnus Actorum liber abunde docet, vt longiori demonſtratione non
ſit opus. Conſideremus hîc potius, quanti à nobis fieri debeat lux Euangelica, quæ non prius mun-
do illuceſcere potuit, quàm Dei Filius ſua morte illi oſtium pateſaceret. Ex eo enim apparet ni-
miùm ingratos eſſe diuinæ bonitatis æſtimatores, qui illam faſtidiunt, & tenebras amant, vt pra-
uis ſuis ſtudijs liberius poſſint indulgere. Sed hi, vt par eſt, ferè in tenebris pereunt. Nos ergo*

Nn

dum lux illa ſalutifera nobis affulget, in ea ambulemus, ne nos tenebræ appræhendant.

Anguſtia Chriſti.

Eſt præterea hîc obſeruandum, quòd ſe conſtringi vel coarctari & angi dicit, donec baptiſmo illo mortis baptizetur, & ignem iſtum paßim accendat. Exprimit illa locutione magnas graueſque animi anguſtias, quæ ipſum vndique coarctabant. Vrgebatur enim æterno Patris decreto, cuius hanc voluntatem fuiſſe, ante diximus. Mouebat item humani generis amor, cui ſalutem reſtitutam voluit, & ideo in vltima Cœna ſe ingenti eius epuli edendi deſiderio accenſum fuiſſe teſtatur. Ex altera autem parte terruit illum mortis diræ & infamis recordatio, quam ipſi acerbißimam fuiſſe conſtat. Quia enim verum hominem aſſumpſit, & noſtras infirmitates ſentire debuit, non potuit non ad mortis recordationem exhorreſcere, in qua Dei ira elucet aduerſus peccata & omnes eos, qui his ſunt dediti. Fatetur hoc ipſum alibi disertis verbis. Nam ad oliuarum montem, cùm iam mortis hora inſtaret, animam ſuam contriſtari dicit vſque ad mortem, & nox eandem deprecatur, tantaq́; fuit huius triſtitiæ & anxietatis vehementia, vt ſanguineum ſudorem ei exprimeret.

Ioan. 12.

Et apud Ioannem, cùm de morte ſua & eius fructu, qui ad credentes redit, diſſereret, illius conſideratione territus inter alia dicit: Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater conſerua me ab hac hora: ſed propterea veni in horam hanc. Pater glorifica nomen tuum. Quæ verba diligenti & multa conſideratione dignißima ſunt. Nam primò euidens noſtræ infirmitatis, quam ille ſuſcepit, teſtimonium continent, quo eum fidelem ſacerdotem eſſe docemur, qui nobis condolere poßit: quod vnum in omni tentatione nos plurimùm conſolatur. Deinde luctam exprimunt, quæ frequenter in nobis inter Spiritum & Carnem oritur, & quid tunc facere conueniat, docent. Licet ergo de carnis infirmitate conqueri, nec per ſe peccatum eſt mortem aut alia pericula timere, aut etiam deprecari. At videre oportet, vt quemadmodum Chriſtus ad Patris decretum reſpexit, qui illum ideo in mundum miſerat, vt nos ſuæ mortis merito ſeruaret, & ideo hoc potißimum petijs, vt Patris nomen illuſtraretur: ita nos quoque cogitemus, nihil nobis abſque diuinæ prouidentiæ conſilio accidere, & proinde huic nos totos ſubmittamus, neque tam de nobis ipſis atque ſalute noſtra, quàm de gloria Dei ſoliciti ſimus, ne impatientia aut alijs affectibus ſuperati aliquid dicamus aut faciamus, quo illa obſcuretur, aut propter quod eius nomen ſiue Verbum malè audiat. Vbi plurimùm proderit, ſi Chriſti exemplum nobis ob oculos ponamus, & in cæleſtis gloriæ meditatione frequenter verſemur, quæ parata eſt omnibus, qui in finem vſque perſeuerauerint. Cur enim graue alicui videatur aut iniquum ea pati, quæ Filius Dei redemptionis & ſalutis ergò prior ſuſtinuit? Aut quem non excitet æternæ & cæleſtis gloriæ præmium, vt huius ſpe quæuis diſcrimina ſubeat, & labores quoſuis ferat? Neque terreat nos carnis propria infirmitas, quæ tunc maximè ſeſe exerit, quando minimè oportebat. Vincet enim hanc Spiritus, qui in nobis habitat, & in Chriſto poterunt omnia, qui ex ſemetipſis plus quàm manci & claudi ſunt. Qui enim nos ad certamina vocat, & horum ſpectator eſt, nos quoque in his laborantes videt, & iamiam ſuccubituros nouis viribus inſtruit, quibus ſuperare poſſumus quæcunque ſaluti noſtræ obſtare videbantur.

Diſsidia ex Euangelio acerrima.

Cæterùm ne alienos ſolùm & exteros, aut eos qui veteres inimicitias certis de cauſis fouent, ſibi hoſtes fore putarent diſcipuli, amplius exponit Dominus quò vſque ignis iſte exarſurus ſit apud impios: eò vſque nimirum, vt abruptis naturæ & communis humanitatis vinculis ij quoque aduerſus eos hoſtiliter inſurgant, qui ipſis cognationis & affinitatis iure coniunctißimi ſint. Ita verò communi Iudæorum errori occurrit, qui ex prophetarum oraculis malè intellectis enatus fuerat. Quia enim illi Regnum Meßiæ & piorum ſub hoc felicitatem per ſimilia & parabolas à regnis huius ſeculi deſumptas deſcribunt, & pacem atq; concordiam admirabilem pollicentur, quam lupi cum ouibus & agnis, vrſi cum bobus, leones cum reliquis pecoribus, baſiliſci deniq; & venenatißimi ſerpentes cum pueris & infantibus culturi ſint: plerique illa ſecundùm literam de felicitate huius ſeculi intelligentes ſibijpſis liberationẽ ex Romanæ tyrannidis ſeruitio, adhæc victorias contra hoſtes, & poſt has pacem vniuerſalem & omnia tuta atque læta promittebant. Quo errore Apoſtolos quoq; imbutos fuiſſe, alibi oſtendimus, & Euangeliſtæ non vno loco teſtantur. Quæ cauſa fuit, quòd plerique contempta & vili Chriſti ſpecie offenſi, cum pro Meßia & patribus promiſſo redemptore

demptore non poſſent agnoſcere. Quam ob rem diligenti admonitione opus fuit, & hodie ea non minus neceſſaria eſt, cùm multi in Chriſto & Euangelio tiõs non cœleſtia & æterna bona, ſed diuitias, honores, amicitias & pacem huius mundi quærant: qui deinde turbis & ſeditionibus ad illius prædicationem exorientibus, adhæc domeſticis multorum diſſidijs, publicis item perſecutionibus & infelici piorum ſorte, quam in hoc ſeculo ferè ſuſtinent, ita offenduntur, vt de Euangelij ac Verbi Dei veritate dubitent, & à fide reſiliant, quam prius amplexuri videbantur. Itaque ne quid nobis huius accidat, attentis animis Chriſtum de ſui Regni & Eccleſiæ ſtatu, quoad præſens ſeculum, differentem audiamus. Putatis (inquit) me veniſſe pacem daturum in terra? Non dico vobis, imò diſſidium. Quaſi diceret: Scio quæ multorum, adeoq; omnium veſtrûm ſententia ſit de Regno Meſſiæ, & quid nonnulli ex me ſperent, quaſi Regnum in hiſce terris pacificum & lætum conſtituturus ſim. Sed longè aliter ſe res habent. Nam pacis quidem princeps ſum, ſicuti Prophetæ prædixerunt, & pacem daturus veni, ſed meam pacem, non autem pacem huius mundi. Imò quoad hunc, diſſenſiones grauiſſimæ & diſſidia implacabilia exorientur inter eos quoque, qui vix vnquam diſſentire poſſe videbantur. Erunt enim ex hoc tempore quinque in vna domo diſſidentes, tres aduerſus duos, & duo aduerſus tres. Quod alibi breuius enuntiat, dicens: Erunt inimici hominis domeſtici eius. Et hic ſpecies quoque exponens, addit: Diſſidebit pater aduerſus filium, & filius aduerſus patrem: mater aduerſus filiam, & filia aduerſus matrem: ſocrus aduerſus nurum ſuam, & nurus aduerſus ſocrum ſuam. Tres hominum ordines enumerat, ſub quibus omnes alios humanæ ſocietatis & coniunctionis gradus comprehendit. Primus eſt patrum & filiorum: alter matrum & filiarum. Coniunxit hos mutuo amore & naturalibus affectionum vinculis Deus, quæ Græcis στοργαὶ dicuntur. Et ſanè, quoad naturæ Lex non tota extinguitur, non poſſunt non illi ſeſe mutuò amare, cùm liberi parentibus ſuam originem, adeoque vitam ipſam debeant: hi verò ſeſe in illis quodammodo renaſci & reuiuiſcere videant. Similis eſt inter ſocrus & nurus ratio, cùm hæ filiarum loco ſint, & nepotes pariant, in quibus optata generis propagatio conſpicitur. At nullum naturæ vinculum tam arctum, nullam coniunctionem tam iucundam, nullam ſocietatem tam neceſſariam fore Chriſtus ait, quæ non diſſiliat & abrumpatur, quando Euangelicus ille ignis ardere incipit.

At hic meminiſſe oportet, illum de diſſenſionibus ac diſſidijs inter electos & reprobos, fideles & infideles exorituris loqui, quorum propria cauſa eſt, non Euangelium, ſed obſtinata & incurabilis impiorum ac reproborum malitia, qui ſe illi hoſtiliter opponunt. Nam ſi Euangelium ſpectes, pacis & charitatis doctrinam continet, qua hoſtes quoque diligere & eorum ſalutem precibus noſtris iuuare iubemur. Et qui illam verè intra animos ſuos admittunt, ij mox extinctis odij atque inuidiæ flammis, & procul abiecta vindictæ cupiditate, eos etiam ſummo amore complectuntur, quos (ſi humana ſpectes) iuſtis de cauſis odiſſe poterant. Vnde ergo diſſidiorum tanti ignes naſcuntur? Ex impiorum (vt diximus) contumacia & rebellione. Hi enim quia toti in malo iacent (vt de mundo Ioannes pronuntiat) & operibus peſſimis atque apertis flagitijs aſſueuerunt, neque lucem ipſos arguentem, neque ignem conſcientias ipſorum adurentem ferre poſſunt, & proinde omnino extinctum volunt. Quod cùm perficere nequeant, rabiem ſuam aduerſus pios conuertunt, apud quos ignis iſte ardet & lucet. Hinc ergo diſſenſiones prodeunt, & præter animi voluntatem cum improbis illis diſſidere coguntur fideles Chriſti cultores, cùm neque agnitam Veritatem abnegare, neque illorum libidini indulgere poſſunt. Itaque ab illis quidem diſſentiunt, ſed ita, vt eos nihilominus ament, ſaluti ipſorum conſultum cupiant, & eorundem interitum pijs atque minimè fictis lachrymis deplorent. Sed implacabilis eſt impiorum furor, qui ſe non aliter ſuam felicitatem tueri poſſe arbitrantur, niſi illos ſimul omnes è medio tollant. Quapropter pax illa, quam Prophetæ in Chriſto pollicentur, inter eos ſolos coit, qui ipſum cum fide apprehendunt, qua animati in vnum corpus coaleſcunt: alijs verò idem ille turbarum author eſt, non ſua, ſed ipſorum culpa, qui ſe ei contumaciter opponere non verentur. Eſt hoc ingens corruptæ & vitioſæ naturæ noſtræ argumentum, cuius exempla ab ipſo mundi exordio infinita reperiuntur. Cœpit enim hoc diſſidium in primogenito Adami, Caino, qui Abelum fratrem crudeli parricidio occidit, non alia quàm religionis & fidei cauſa, quòd hunc propter huius puritatem Deo acceptum eſſe, ſe autem propter impiam hypocriſim ab eo- Euangelium nō propria cauſa diſſidiorum.

dem minus probari videret. Deinde creſcente indies magis humano genere, diſsidia quoque maiora & frequentiora exorta ſunt. Et ſi Apoſtolorum tempora inſpiciamus, hæc à Chriſto veriſsimè prædicta eſſe patebit. Sed non opus eſt longa veterum hiſtoriarum commemoratione, quando quæ hodie fiunt, his poſſunt fidem facere. Quot enim filios à patribus abdicatos, quot filias exhæredatas, quot ſocrus à nuribus derelictas, quot nurus à ſoceris & ſocribus domo expulſas, quot coniugia reſciſſa iam annis aliquot vidimus? Quòd ſi cauſam quæras, non aliam, quàm religionis inuenies, quòd nimirum hi quidem Veritatis lucem ſequuntur, illi verò quò minus id fiat, conantur prohibere. Sunt hæc dura & iniqua admodum, ſed vlterius quoque impietas crudelis graſſata eſt, quando fratres à fratribus, illuſtres item perſonæ à ſuis conſanguineis, filij à parentibus propter fidem in Ieſum Chriſtum cæſi ſunt. Taceo nunc eos, qui vt Euangelij doctrinam euerterent, veteres & cõmunes, hoſtes adhæc barbaras gentes nõ minus crudelitate quã publicis ac nefandis flagitijs infames in patriæ viſcera adduxerunt. Atqui vtinam vel nunc ceſſaret tanta impietas, & non quotidie adhuc fierent, quæ ſine lachrymis non poſſunt commemorari. Dum verò iſta fiunt, nos in hæc Chriſti verba reſpicere conuenit, ne tanquam nouis atq; inſolitis offendamur, ſed potius fidei conſtantia armati aduerſus mundi impietatem atq; audaciam luctemur.

Non omnis pax probatur.

Accuſant quidem nos impij Euangelicæ Veritatis hoſtes, quòd huius prædicatione pax publica turbata, concordia reſciſſa & conſenſus omnis in religione abruptus ſit. At quid aliud ſit hodie, quàm cuius cauſa ſe Chriſtus veniſſe dicit? Eſt quidem plauſibile pacis nomen, ſed non omnis pax bona, neque omnis concordia ſancta & ſalutaris eſt. Colunt inter ſe pacem prædones, concordiam fouent ſocij vſurarij, & inter ſcortatores atque ſcorta mirificus eſt conſenſus, vt alter in altero quaſi viuere videatur. Quis verò prudens & bonus iſta probauerit? Et nonne laudem meretur, qui iſtos dirimit, vt & ſcelerum finis fiat, & aliqui ſaltem ad frugem meliorem reducantur? Idem ergo in religione obſeruari debet. Nam neque ibi probari poteſt conſenſus in ſuperſtitionibus aut cultibus illicitis, niſi gentium idolomaniam, Mahumetiſtarum deliria & Iudæorum fabulas probare velimus: ſed quod Chriſtus iam moriturus precatur, vt in ipſo conſentiamus atque vnum ſimus videre oportet. Hypocritis autem & ſuperſtitioſis humanarum traditionum obſeruatoribus minimè conſentire debemus, etiamſi parentes, ſoceri, coniuges, fratres aut alijs nominibus nobis coniunctiſsimi fuerint. Nam vt D. Ambroſius ſcribit, prima religionis cauſa eſt, ſecunda pietatis, ideoque Deo potius quàm hominibus obedire decet. Quare inexcuſabilis illorum error eſt, qui hodie inter diſſenſiones & controuerſias de fide & religione, multa aduerſarijs concedenda eſſe putant, vt publica pax atque concordia ſeruetur. Quorum ſententia tunc demum admitti poſſet, ſi Dei Verbum noſtri iuris eſſe probarent prius, noſque de Dei cultu ſtatuendi poteſtatem habere oſtenderent. Quod cùm nemo poſsit demonſtrare, quid reliquum eſt, quàm vt nos ad certamina & crucem præparemus, & Chriſtum Ieſum ducem ſequamur, qui eos ad Regnum ſuum cæleſte transferet, qui in finem vſque perſeuerauerint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXV.

Dicebat autem etiam turbæ: Cùm videritis nubem exorientem ab Occaſu, ſtatim dicitis, Imber venit: & ita fit. Et cùm Auſtrum flantem, dicitis, Æſtus erit: & fit æſtus. Hypocritæ, faciem cœli & terræ noſtis probare: hoc autem tempus quî fit vt non probetis? Cur autem & per vos ipſos non iudicatis quod iuſtum eſt? Quando enim abis cum aduerſario tuo ad magiſtratum, da operam in via vt libereris ab eo: ne pertrahat te ad iudicem, & iudex te tradat exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Dico tibi, non exibis illinc vſquequò vltimũ etiam minutum reddideris.

Quàmuis

QVàmuis Deus omnis ordinis & loci homines velit ſaluos fieri & in veritatis cognitionē peruenire, nec aliquid eorū prætermittat, quæ ad ſalutē noſtram promouendā aut conſeruandū faciunt, ea tamen eſt plerorumq; peruerſitas atq; ingenij malitia, vt neq; Dei beneuolentiā infinitis argumentis ſeſe exerentem agnoſcāt, neq; oblatam ſibi ſalutis rationem amplectantur. Conqueritur de hoc ille paſſim apud Prophetas, quando ſe mane ſurrexiſſe & tota die manus expandiſſe dicit ad populum rebellem & contumacem. Et de hoc in præſenti etiam Chriſtus agit. Poſtquam enim docuit, hanc eſſe Dei Patris voluntatem, vt ignis Euangelij in toto terrarum orbe ardeat, mox etiam prædicit, quàm improbè quamq; contumaciter plurimi aduerſus hunc pugnaturi ſint: adeò, vt omnis charitatis & naturalium quoq; animi affectionum immemores, eos etiam perſequantur, quos cognationis & affinitatis vinculum ipſis arctiſſimè coniunxit. De illis verò ſuos præmonet, ne turbis & diſſidijs eiuſmodi offendantur, ſed potius voluntati diuinæ ſeſe accommodent, & ſalutis doctrinam gratis animis excipiant. At quia hîc natura tardiores ſumus, & ex ijs quibus tunc Chriſtus loquebatur, plerique incurabiles erant, admonitioni huic grauem increpationem ſubijcit, qua & horum contumaciam accuſat, & pios quid ipſi facere debeant, docet. Quæ vt rectius intelligantur, locus hic ex Matthæi Cap. 16. erit ſarciendus.

Phariſæi & Sadducæi ſignum petunt è cœlo.

Nam occaſionem, quæ illum mouit, vt durius eos tractaret, omittit Lucas, quæ apud Matthæum exprimitur. Illo enim populū inſtituente, Phariſæi & Sadducæi conſpiratione facta eum aggreſſi ſunt: & primò quidem (vt Marcus annotauit) diſputationem contra illum inſtituerunt, vbi verò nihil proficiunt, ſignum aliquod cœlitus fieri poſtulant, quo probet, ſe à Deo miſſum, & doctrinam ſuam diuinam atque cæleſtem eſſe, cui omnes credere & obedire debeant. Aſtute autem hoc petunt, quo olim ſerui Dei & Prophetæ ſibi fidem conciliarunt. Moſis certè doctrina ſignis cœleſtibus, columna nimirum nubis & ignis, Manna item cœlitus dato, & ijs quæ in monte Sinaì acciderunt, comprobata fuit. Samuel quoque populi ingratitudinem & contumaciam tonitruis & pluuijs ſubitò exortis, cùm cœlum prius ſereniſſimum eſſet, redarguit. Et Elias non modò ad montem Carmeli Baalis cultum igne cœlitus impetrato confutauit, verumetiam prophanos & imperioſos Regis Ochoziæ nuntios ad ſe miſſos flammis cæleſtibus exuſſit. Quæ cùm non ignorarent Phariſæi & Sadducæi, conſultò ſimile quid fieri volunt, vt ſuam contumaciam priſcis exemplis defendant atque excuſent.

Hoſtium Veritatis improbitas.

Rurſus autem elucet hîc hoſtium Veritatis malitia atq; improbitas. Audiuerunt iſti hucuſque Chriſtum docentem, qui totam ſalutis humanæ rationem non minus perſpicuè quàm fideliter tradebat: neq; eius doctrinam vllis vel ſcripturæ teſtimonijs vel argumentis idoneis confutare poſſunt: imò cùm hoc ſæpius tentaſſent, ſemper non ſine ignominiā victi ſuccubuerunt. Non tamen cedunt Veritati, ſed nouas ſubinde cauillandi occaſiones quærunt, vt populo ſuſpectum & inuiſum reddant. Maiori tamen impudentia eius miracula contemnunt atq; in dubium vocare audent, quàmuis nulla in illis fraus ſiue impoſtura à quoquam poſſet deprehendi, & quæ populus publicè prædicabat, eò quòd multis ſalutaria eſſent. Quo exemplo admonemur, Veritatis doctrinam à nemine tam clarè & perſpicuè proponi, quin aduerſarios atq; contradictores habeat. Quid enim de ſua induſtria & dexteritate ſibiipſis homines pollicentur, quando Dei Filius, qui æterna eſt Dei ſapientia, non omnibus perſuadere potuit, vt illam amplecterentur? Et hîc quidem admiratione imprimis dignum eſt, eos Veritati præ alijs obſtrepere, qui eius ſtudium publicè profitentur, & præcipuam doctrinæ atq; pietatis exiſtimationem ſuſtinent. Tales enim iſtos fuiſſe, alibi diximus. Sed hoc ita euenturum eſſe, olim Prophetæ prædixerūt. Iſaias certè de Chriſto vaticinaturus, ab initio ſtatim de paucitate credentium conqueritur. Quis credidit (inquit) prædicationi noſtræ? & brachium Domini cui reuelatum Iſa. 53.
eſt? Dauid verò lapidem hunc ab ipſis architectis reprobatum iri ait, qui in caput anguli à Deo conſtitutus ſit. Et quod Chriſto in terris agenti accidit, hoc ipſum Apoſtoli quoq; paſſim experti ſunt. Patet hoc abunde ex toto Acto. lib. cuius exempla hîc cōmemorare nimis longum foret, & ſufficere po- Acto. 28.
teſt quod Iudæi Paulo Romam deducto dicunt, ſibi compertum eſſe, quòd Chriſtianorum ſecta paſſim ab omnibus contradicatur. Habet ergo quod ijs reſpondeat, qui hodie iſtud nobis obijciunt, quòd Euāgelij doctrina apud pleroſq; malè audiat, & ijs inuiſa ſit, qui in hoc mūdo dignitate & ſapiētia reliquis præſtant. Nec enim hoc nouum eſt aut inſolens: imò hinc colligimus in illa Veritatis lucem

proponi, quam mundus ferre non poteſt, eò quòd opera eius mala ſint. Et quomodo doctrinam illam, quæ gloriam omnem vni Deo vendicat, ij probarent, qui mundi gloriam affectant, de Dei autem gloria vix vnquam cogitant?

Chriſtus cum dolore aduerſarios increpat.

Porro Chriſtum audiamus, quem Marcus in ſpiritu ſuo altè ingemuiſſe ſcribit, nimirũ quòd Patris ſui bonitatem ab iſtis tam malitioſè cõculcari, & ipſos ſpontè in proprium exitium ruere, ſimulq; multos alios ſecum abripere videret. Eſt hoc animi planè paterni argumẽtum. Nam vt fidelis pater liberorum interitu dolet, quem ipſi neq; videre neq; cauere volunt: ita Filius Dei non ſemel animi ſui dolorem ex hoſtium malitia & perditione conceptum teſtatus eſt, cùm illi ſecuri nimis omnes admonitiones contemnerent. In præſenti autem pius iſte & iuſtus dolor illum mouet, vt aduerſarios ſuos grauiter increpet, ſic dicens: Cùm videritis nubem exorientem ab Occaſu, ſtatim dicitis, Imber venit: & ita fit. Et cùm Auſtrum flantem, dicitis, Æſtus erit: & fit æſtus. Hypocritæ, faciem cæli & terræ noſtis probare: hoc autẽ tempus quî fit vt non probetis? Hypocritas dicit, quia pietatis ac veritatis ſtudium ſimulabant, cùm omnia inſidioſè facerent, & ſuis quæſtionibus non aliud quàm Veritatis oppreſſionem molirentur. De duobus autem illos accuſat. Primum eſt, incurabilis & voluntaria cæcitas, qua ſibijpſis malitioſè oculos claudant, ne virtutem ſuam apertè ſatis in doctrina & miraculis ſeſe exerentem agnoſcant. Deniq; eos eſſe oſtendit, qui in luce meridiana tenebras quærant, ne Veritati cedere cogantur. Alterum, quòd huius ſeculi commodis addicti, quæcunq; illa promouere poſſunt, diligenter obſeruent, negligant autem ea, quæ ad Regnum Dei & æternam veramq; hominis ſalutem faciunt. Vtrumq; verò confirmat & illuſtrat exemplo ex communi vulgi vſu petito, cuius hic ſenſus eſt: Petitis vt ſigno aliquo cæleſti probem, me à Deo miſſum & diu à patribus expectatũ Meſſiam eſſe. Ita verò dum incredulitatem veſtram excuſare vultis, malitioſam & voluntariam ignorantiam ſiue cæcitatem egregiè proditis. Nam ea eſt veſtri ingenij ſolertia atq; induſtria, vt ex ſignis naturalibus futuras tempeſtates cognoſcere poſſitis, & eas etiam prædicere. Quæ ergo malitia eſt, ex ijs quæ ob oculos verſantur & quotidie fiunt, non iudicare de præſenti temporum iſtorũ ſtatu & conditione, vosq; illi accommodare? Vnde verò iſta cæcitas ſuam originem ducit? Non aliunde certè, quàm quòd cæleſtia bona ſecuri negligitis, & huius ſolùm vitæ commodis intenti, Veritatis lucem auerſamini, quæ ſtudijs veſtris peſſimis aduerſatur.

Signa Meſſiam indicantia.

Loquitur autem Dominus de ijs, quæ Meſſiæ temporibus euentura eſſe olim Prophetæ prædixerant. Inter quæ primum erat Iacobi oraculum, qui iam moriturus ex Spiritus ſancti ſuggeſtione docuit, ſceptrũ & regiam poteſtatem non prius auferendam fore à Iuda, quàm in foribus iam adſit Schilo, id eſt, Seruator ille promiſſus, ad quem gentes quoq; confluere oporteat. Sed apertius Daniel tempus illud monſtrauit, tunc naſciturũ illũ prædicens, quando Monarchia quarta, Romana ſcilicet iam ſtabilita & confirmata fuerit. Et Iſaias eũ ex trunco Iſai inſtar ſurculi aut germinis noui emerſurũ ait, id eſt, tunc naſciturum, quando Dauidis familia omni dignitate ſpoliata ad egeſtatem & miſeram illam conditionem denuo redacta fuerit, qualis fuit Iſai, quem ruſticũ fuiſſe & ſuo labore victitaſſe legimus. His adde quod de Elia præcurſore & voce præconis in deſerto clamantis idẽ Iſaias &

Mich. 7.

Malachias tradunt. Sed & diſſidiorum atq; inimicitiarum inter cõiunctiſſimos Micheas meminit:

Iſa. 35.

neq; reticẽtur miracula, quibus diuinam virtutem ille declaraturus ſit. Nam Iſaias populum, quem multa triſtia manebãt, conſolaturus inter alia dicit: Deus ipſe veniet, & ſeruabit nos: Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures ſurdorum reſerabuntur: tunc claudus inſtar cerui ſaltabit, & iubilabit lingua muti. Et huius generis multa apud Prophetas habẽtur, quæ vulgo notiſſima erant, adeò vt multi in ſingulas horas Regni Dei inſtaurationem expectarent, ſicuti de Simeone, Ioſepho Arimathæo, Anna propheteiſſa Lucas teſtatur. Apud Ioannem verò publicè in templo multi dixerunt: Cùm venerit Chriſtus, num maiora ſigna edet, quã iſte? Interim plerіq; auaritia, ambitione & Veritatis odio excæcati, iſta minimè obſeruabant, neq; pro Meſſia & promiſſo ſeruatore Ieſum hunc agnoſcebant, in quo hæc omnia quotidie implebantur. Meritò igitur Chriſtus malitioſam & voluntariam cæcitatem ſiue ignorantiam illis exprobrat, ob quam breui pœnas graues daturi ſint. Similis exprobratio apud Ieremiam extat, vbi volucrum exemplis Iudæorum ſtupiditatem & ſocordiam Deus arguit, dicens: Ciconia in aere nouit ſua ſtata tempora: turtur, grus & hirundo obſeruant tempus pro-

Ierem. 8.

fectionis ſuæ: at populus meus non cognouit iudicium Domini. Et Chriſtus infra Hieroſolymam

cum

tum tota gente nouo & inaudito exemplo excidendam fore dicit, ob quòd non agnoſcant tempus ſuæ viſitationis.

Porrò vt hæc paternam Dei bonitatem nobis commendant, qui omnibus ſeculis gratiæ ſuæ certa ſigna extare voluit, vt hanc omnes amplecti & ſalutem conſequi poſſint: ita ſimul humani ingenij peruerſitatem atque improbitatem arguunt. Ingenij humani peruerſitas. *In ijs enim quæ corpori & carnis cupiditatibus ſeruiunt nihil negligimus, & mira eſt hominum induſtria in excogitandis rationibus, quibus aut ſua commoda promoueant, aut carnis libidini atque voluptatibus ſatisfaciant. Tempora ſementis, meſſis & vindemiæ diligenter agricolæ obſeruant. Nautæ ventorum & tempeſtatum ſigna norunt, & ijdem per immenſum Oceanum ſiderum ductu naues ad littora certa dirigunt. Piſcatores ex imis lacuum & fluuiorum vadis atque maris abyſſo piſces extrahunt. Venatores ferarum luſtra inquirunt, & ex his illas eijcere ſolent, vt præda petita potiantur. Quid verò non faciunt & ferunt auari aut voluptatibus dediti, quibus neque tellus vniuerſa ſufficit, quò minus per maria quoque lucrum aut voluptatum materiam quærant? Taceo amatores, quos libido & ingenioſos & ad quæuis indigniſſima ferenda paratos reddit. At in ijs, quæ ad Regnum Dei & ſalutem æternam ſpectant, ferè cæci, ignaui & omnis laboris impatientiſſimi ſumus. Nam etſi omnem illius rationem nobis Deus per verbum ſuum in Scripturis reuelet, & ea nullis argutijs inuoluta, ſed facilis atque perſpicua ſit: plerique tamen de eius obſcuritate conqueruntur, & quaſi nihil certum de hominis ſalute vnquam traditum ſit, hinc inde dubij reſpiciunt, & nouas definitiones expectant. Quòd ſi verò aliquid pro religione audendum eſt, ibi timidiſſimos & ignauiſſimos eſſe videbis, qui ſi de priuato ipſorum honore aut lucro agatur, cælum terræ potius miſcere vellent, quàm de ſuo iure vel latum vnguem cedere. Neque hic ſolùm tam ſtupidos & ignauos ſeſe plerique præbent, ſed in obſeruandis etiam iræ Dei & iudiciorum eius indicijs hæc ipſa ſocordia regnat. Quis enim non videt & ſentit hodie horribiles tempeſtates imminere, quibus totum orbem terrarum concuti oporteat? Quis ignorat turbas & motus omnium populorum, quibus inter ſe committuntur, qui vnanimi ſtudio ſuæ gentis incolumitati proſpicere debebant? Quis non audit Dei vocem, qua ad pœnitentiam omnes inuitat, & in hac ſola effugium & ſalutem nos inuenturos eſſe docet? At quotus quiſque eſt, qui iſta diligentius obſeruet, aut ijſdem moueatur, vt de pœnitentia ſeriò cogitet? Idem de fine ſæculorum & nouiſſimo Chriſti ad iuditium aduentu dicere poſſumus. Nam quocunque oculos vertas, ſigna occurrent, quæ illum nón procul abeſſe docent, noſque excitant vt fidelium ſeruorum inſtar ſuccincti & ad illum excipiendum parati ſimus: In religione diſſenſiones & ſciſmata ſunt. Cum pſeudoprophetis pſeudochriſti etiam audiuntur, qui Ieſu Chriſti honorem & gloriam in ſe transferunt. Sed & ipſe Chriſtus monſtratur in certis locis, in deſerto, in cellulis aut ædiculis penarijs, quæ vulgo Ciboria vocant. Sedet in templo Dei Filius ille perditionis, qui ſe ſupra omne numẽ extollit. Audiuntur falſi doctores, qui dæmoniorum dogmata prædicant, dum cibos à Deo nobis datos prohibent; & coniugium damnant, in quo ſanctiſſimi quique vixerunt. In Eccleſiam quoque iampridem Chananæi mercatores irrepſerunt, qui non ſacra modò omnia venalia habent, verumetiam fictis ſermonibus populi ſimplicis animas negotiantur: & Chriſtum redemptorem ſuum apertè negant, dum nomina alia ſibiipſis accerſunt. Et hæc quidem circa religionem euentura eſſe nouiſſimis temporibus, Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt. Quòd ſi reliquam mundi faciem inſpicias, hanc quoque cum illorum vaticinijs conuenire videbis. Sunt enim omnia turbarum plena, bellicis rumoribus orbis totus ſtrepit, inſurgit gens alia aduerſus aliam, fides nuſpiam tuta eſt, extincta friget charitas, fames & rerum omnium caritas infelix vulgus miſerè affligit, neque vnquam minuitur ſemel auctum rei cuiuſcunque pretium: graſſatur peſtis continua, & noui atque prius inauditi morbi indies exoriuntur. Accedunt his ſigna in cælo, prodigia in terris & omnis generis oſtenta, quibus iram ſuam Deus denunciat. At inter hæc omnia plus quàm ſupina ſecuritas & admonitionum omnium contemptus mentes hominum occupat; nec quiſquam ferè eſt, qui vel à verbi miniſtris argui, vel ab amiciſſimis admoneri, vel publica magiſtratus authoritate coerceri velit: denique ij planè noſtro ſeculo omnium hominum mores ſunt, quos Noæ & Lothi temporibus fuiſſe Chriſtus ait. Spes autem reformationis aut emendationis nulla eſſe poteſt, quando in pueris quoque huius corruptionis & contumaciæ exempla paſſim cernere licet. Itaque increpa-*

tio iſta non minus hodie nobis ſeruit, quàm olim Iudæorum genti, cuius duritiam & ſtupiditatem plerique ſuperant, dum ea quoque oſcitanter nimis negligunt, quæ vitæ præſentis exitium & fortunarum omnium iacturam poſſunt afferre.

Fons ſocordiæ, quòd nemo ſeipſum inſpicit.

Cæterum pergit Dominus, & fontem quoque omnis mali oſtendit, ſimulque tacitæ obiectioni reſpondet. Nam diceret aliquis: Quomodo ego de temporis ſtatu & conditione iudicarem, qui rerum omnino rudis atque imperitus ſum? Et ſolent ferè ad ignorantiæ excuſationem confugere, qui doctrinam atque admonitiones omnes ſuis cupiditatibus poſtponunt. Dicit ergo Chriſtus: Cur autem & per vos ipſos non iudicatis quod iuſtum eſt, id eſt, quid vos facere deceat? Quaſi diceret: Age concedo hoc, vos tam rudes eſſe, vt Meßiæ vobis exhibiti indicia agnoſcere & de huius temporis ſtatu iudicare non poßitis. Sed cur quæſo non animum attenditis, vt ex ijs, quæ homines frugi & cordati faciunt, documentum ſumatis, quid nunc vobis facto ſit opus? Et mox exemplum ſubijcit è foro petitum, quod vt vulgare ſic omnibus notum eſt. Eo autem docet nocentißimæ huius ſocordiæ cauſam eſſe, quòd homines non inſpiciunt ſeipſos, nec quæ ipſis in vſu quotidiano ſunt conſiderant, quæ ſola quoque eos admonere poterant, vt de diuinis & ijs, quæ ad æternam ſalutem faciunt, rectè iudicarent. Eſtque hoc vitium ferè innatum omnibus, vt quàmuis ad Dei gloriam & futurorum cæleſtiumque bonorum poſſeßionem deſtinati ſint, tamen perinde vt bruta animalia præſentibus modò ducantur, & in terrenis quoque non magnam eorum, quæ futura ſunt, rationem habeant. Fieri ergo nequit, vt qui tales ſunt, de diuinis rectè iudicent.

Immerito de ſalutis doctrina homines queruntur.

Admonet autem nos in genere hoc Chriſti dictum, immeritò aliquos de ſalutis æternæ negotio conqueri, quaſi hoc intricatum & obſcurum ſit, quod non niſi ab acutißimis ingenijs intelligi queat. Nam vt fateamur, nonnulla in ſcripturis contineri, quorum ſenſus non omnibus patet, ea tamen eiuſmodi ſunt, vt ſine ſalutis iactura ignorari poßint. Quæ verò ad illam conſequendam cognitu & creditu neceſſaria ſunt, ea perſpicuitate & methodo proponuntur, vt pueris quoque & agricolis tradi queant. Adhæc in ſemetipſis & quotidiano vſu multa habent homines, quæ totum illud Regni Dei myſterium illuſtrant, & huius amplexandi rationem tradunt. Dum enim ſementem aut meſſem faciunt agricolæ, de verbi Dei natura & effectis admonentur, & ſimul diſcunt, quæ præmia pios & ex verbi ſemine renatos (qui inſtar boni frumenti ſunt) quæ item pœnæ impios maneant, qui paleis inanibus conferuntur. Sic paſtores propria perſona, quam ſuſtinent, & oues in Chriſti veri animarum paſtoris conſiderationem adducere, ſimulque admonere poſſunt, vt hunc ſolum audiant atque ſequantur. In œconomia patribusfamiliâs occurrunt, quæ docent quid eos facere oporteat, qui in Dei domo locum habere cupiunt. Quoties item nuptiæ celebrantur, toties nobis arctißima, quæ nobis cum Chriſto intercedit coniunctio, & quod illi debemus officium in mentem venire poteſt. Sic panis, fontes, lucernæ, petræ, oſtium, vites, & innumera alia Chriſtum nobis adumbrant, & nos ad illum dignè excipiendum hortantur. Quis ergo iuſtis querelis locus eſt reliquus? Aut quam præterea definitionem expectamus, quæ omnes de religione controuerſias componat aut è medio tollat? Sunt hæc autem contra eos quoque obſeruanda, qui imaginibus patrocinantur hoc argumento, quòd libri ſint hominum illiteratorum, quos illarum contemplatione excitari deque Dei beneficijs in Chriſto exhibitis admoneri oporteat. Atqui imaginum, quas Deus ipſe ſuo verbo conſecrauit, plena ſunt omnia, vt hominum manibus nouas fingere nequaquam opus ſit. Illarum ergo myſteria atque typos Eccleſiarum miniſtri diligenter populo exponant, & ſe plus proficere ſentient, quàm ſi in omnibus locis, cùm publicis tum prophanis ſtatuæ erigantur, aut imagines Chriſti ſiue ſeruorum ſuorum depingantur. Nam vt illæ contra Dei præceptum fiunt, & forma mendaci commendantur, ita non niſi mendacia & falſos cultus ex illis homines diſcunt, vt alibi ex Propheta docuimus. Vide Habak. 2.

Exemplo vulgari arguit ſocordiam.

Nunc exemplum videamus, quo Dominus doctrinam & admonitionem ſuam confirmat, ſic dicens: Quando enim abis cum aduerſario tuo ad magiſtratum, da operam in via vt libereris ab eo: ne pertrahat te ad iudicem, & iudex te tradat exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Dico tibi, non exibis illinc, vſquequo vltimum etiam minutum reddideris. Eſt exemplum hoc ab ijs deſumptum, qui ob rem pecuniariam aut æs alienum à creditoribus ſuis in ius vocantur. Et quàmuis docere velis, in ſalutis negotio tam rationem obſeruari debere, quam in caſu eiuſmodi homines

frugi

frugi & cordati ſequuntur, tamen ſub præceptionis formula parabolam totam proponit, vt partim ijs ſimul occurrat, qui libertatis Chriſtianæ prætextu ad capiendam immunitatem abutuntur, & ſe nemini quicquam debere contendunt: partim vt de charitatis officio omnes admoneat, ne temerarijs litibus ſeipſos & fortunas ſuas omnes in diſcrimen adducant. Es in hunc finẽ eadem apud Matthæum quinto capite dicuntur. Quoad verò huius loci ſtatum, ita mihi dicere videtur: Si quis te propter debitam ſibi pecuniã in ius vocet, tuq; homo frugi & prudens fueris, procul dubio in ipſa etiam via, dum ad forum itur, operam dabis, vt cum illo aliqua ratione tranſigas. Nam qui id negligũt, ij iudicum ſententijs damnati exactoribus aut publicis miniſtris traduntur, qui eos in neruum aut carcerem trahunt, vnde euadere non poſſunt, niſi totum debitum ad extremum vſque quadrantem diſſoluerint. Atqui hoc ipſum in re maioris momenti, æternæ nimirũ ſalutis negotio, cuius ego Mediator & author ſum, obſeruari debebat. Adumbratur autem hoc exemplo vniuerſa noſtræ ſalutis ratio, cuius ſingulas partes inſpexiſſe proderit.

Creditoris & debitoris parabola.

Primo igitur loco obſeruemus, quòd redemptionis & ſalutis noſtræ negotium per debitoris & creditoris parabolam adumbratur. Eſt hoc frequens admodum in Scripturis. Et huc pertinet, quod in Oratione Dominica petimus, vt Pater cæleſtis nobis debita noſtra remittat, ſicuti nos remittimus debitoribus noſtris. Quod vt fiat, Chriſtus eleganti parabola apud Matthæum cap. 18. exponit. Ita verò noſtræ conditionis admonemur, quæ ſi per ſe & nuda conſideretur, ſanè miſerrima eſt. Nam omnes in ære Dei & huius debitores ſumus, idq; multis nominibus. Is enim noſter creator eſt, qui vt olim Adamum ex vili luto formauit, & eidem inſpirauit animã viuentem: ita nos quoq; (vt Dauid teſtatur) ratione admirabili & quæ omnem humani ingenij captum excedit, in matris vtero formare, & illic ceu in ſepulchro deliteſcentibus animam inſpirare, & cùm tempus eſt illinc educere ſoles. Idem nos à pueris & teneris vnguiculis tuetur, cuſtodit & ſeruat, ne inter pericula & caſus varios, quibus ætatula illa obnoxia eſt, pereamus. Adhæc terram, aquam, ignem, aërem, animalia denique omnia in nobis alendis occupata eſſe vult. Neque his contentus, cæleſtes quoque ſpiritus, Angelos nimirum, vitæ noſtræ cuſtodes dedit, qui nobis adſunt, nos ducunt, & ſæpe præter animi noſtræ voluntatem ſeruant, ne pericula nobis incognita incurramus. Deo igitur debemus quòd viuimus, ſumus, & inter innumera rerum humanarum diſcrimina incolumes manemus. Magna ſunt hæc & præclara beneficia, ſed maiora ſequuntur. Nam ne huius vitæ breui curriculo eius gratia concluderetur, nos in Filio ſuo vnigenito adoptauit, & hunc pro nobis tradidit, vt eius morte ac ſanguine à peccatorũ nexibus liberati, eius filij & Regni cæleſtis hæredes efficeremur. Quis verò hanc illius bonitatem atque beneficentiam gratuitam dignis verbis explicet? Quis item nos illius debitores eſſe negabit? Debemus autem ei non aurum, non argentum, non veſtes, non victimas animalium (nec enim externis hiſce & corporalibus ſubſidijs opus habet, qui Spiritus eſt, & in Spiritu atque veritate vult coli) ſed vt ipſi vni fidamus, ipſum ex toto animo diligamus ſupra omnia, atque præceptis eius animo ſyncero minimeq; fucato obtemperemus requirit. Comprehendunt hæc proximi quoque dilectionem & vitæ totius innocentiam atque ſanctitatem: denique huc omnis noſtri debiti ſumma redit, vt (quod Paulus admonet) mortificemus membra noſtra terreſtria, & nos illi ſiſtamus hoſtiam viuentem. Et hæc quidem à nobis ille exigit in fœdere cum Abrahamo facto, in Lege & Prophetis, neque aliud vnquam Chriſtus & Apoſtoli eius nomine poſtulauerunt. At ſi in nosipſos deſcendamus, & qui ſimus propius conſideremus, iam nos in his exoluendis cunctatores & mala nomina eſſe patebit, ideoque dignos, qui Legis ſententiam ſubeant, quæ maledictionem & mortem æternam omnibus minatur, qui officium ſuum Deo non præſtant. Et hæc quidem noſtrûm omnium eſt conditio.

Quid faciant qui Deo debitores ſunt?

Quid ergo hîc nobis agendum fuerit, vt ſententiam hanc duram effugiamus? Docet id paucis verbis Dominus. Da (inquit) operam in via, vt libereris ab eo. Primùm vt negotium hoc curemus admonet, dum in via ſumus, id eſt, dum hæc vita durat, & priuſquam nobis mors obrepit, quæ omnem bene agendi occaſionem abrumpere & auferre ſolet. Et rectè vitæ noſtræ curriculum viæ confert, quando illam peregrinationis inſtar eſſe omnis Scriptura docet, & res ipſa abundè teſtatur. At ſic loquendo procraſtinatores eſſe vetat, quales multi ſunt, qui ſalutis æternæ curam

magno ſuo malo de die in diem reijciunt atque ſuſpendunt, dum ſibijpſis adhuc multos vitæ annos pollicentur, intra quos pœnitentiam agere & tum Deo reconciliari poßint. Atqui vaniſsimæ ſunt eiuſmodi perſuaſiones, quando quotidianis exemplis docemur vitæ huius finem incertiſsimum eſſe, & nos plerunque ad metam propius veniſſe quàm putemus. Quàm multi enim dum & opibus florent, & honoribus ſuperbiunt, & valetudine proſperrima fruuntur, ſubitò & improuiſo aliquo caſu pereunt? Omnis ergo procraſtinatio in hac cauſa periculi plena & noxia eſt, & ideo alibi etiam Chriſtus nos perpetuò vigilare iubet, eò quòd neſciamus, quando nobis hora illa fatalis inſtet, quæ vitæ noſtræ finem imponat. Deinde docet etiam Dominus, quid fieri debeat, dum adhuc in via ſumus. Da operam (inquit) vt libereris ab eo. Id apud Matthæum clarius exponit, dicens: Beneuolus eſto, id eſt, amicè cum illo tranſige, vt cum eo reconcilieris & in gratiam redeas. At quomodo cum Deo tranſigere & ei reconciliari poterimus, qui & filij iræ ſumus, & nihil ex

Pſalm. 65. nobis ipſis habemus, quod ei ſatisfaciat? Nam vt Dauid ait, ſuperat nos ratio iniquitatum noſtrarum, & ſi nobiſcum Deus iure agat, toti perijmus. Hîc ergo Mediatore opus erit, cuius reſpectu ille iram ſuam remittat, & nos debito illo liberet, quod ipſi diſſoluere non poſſumus. Quis verò ille? Vnus Ieſus Chriſtus, æternus Dei Filius, qui ex Patris decreto homo factus, noſtras iniquitates

Acto. 5. in ſe tranſtulit, & eaſdem mortis ſuæ merito in ara crucis expiauit. Hic nobis (vt in Actis Apoſtoli dicunt) & pœnitentiam & peccatorum remiſsionem largitur: hic nos ex verbi ſui ſemine per Spiritum ſanctum regenerat in filios Dei, & qui illum fide vera apprehendunt, ij & Deo placent, & Filij eius cohæredes ſunt. Docet hoc Pater cœleſtis, quando de illo de cœlis teſtatur, hunc eſſe Filium ſuum dilectum, in quo nobis placatus atque reconciliatus ſit. Vult ergo in præſenti Dominus, vt cùm Dei iudicium nobis ſemper inſtet, omni mora abrupta de illo nobis reconciliando cogitemus, & vt ipſum vera fide amplexi in eo vitam viuamus nouam, & carnis membra mortificemus. Et hæc vnica illa ratio eſt, qua à peccatorum debitis liberari & æternæ damnationis ſententiam ſubterfugere poſſumus: quam cùm paßim ſacræ literæ tradant, nolumus nunc prolixius agere.

Pœna cunctatorum. Vt verò carnem noſtram cunctatricem magis excitet Chriſtus, pœnam minatur ijs, qui hîc negligentiores fuerint: & idem eis euenire docet, quod illis, qui contemptis admonitionibus & poſtulationibus legitimis creditores ſuos eludere & debiti diſſolutionem contemptim, vel etiam ſcurriliter extrahere audent. Nam vt hi illos ad iuſtã iram prouocant, & interdum vel inuitos cogunt ius ſuum perſequi: quod eſt, vt exactoribus publicis rem omnem committant, qui ſi illi negligentes & cunctatores eſſe pergant, eos in carceres abducunt, vnde non niſi omni debito plenè diſſoluto exire poſſunt: Ita Deus improbos illos ſuæ gratiæ contemptores, qui eius longanimitate ad peccandi licentiam abutuntur, iuſta ſua ira vlciſci ſolet, & ſi in peccatis ſuis moriantur, eos ſuo exactori, diabolo tradit, qui eos ad tartara abreptos vinculis ſeu catenis tenebrarum conſtringit, vt illic iuſtitiæ Dei ſatiſfaciant, quam dum in huius vitæ itinere ſiue curriculo eſſent, contemptui habuerunt. Eſt autem hæc Chriſti admonitio diligenti & aſsidua conſideratione digniſsima. Etenim ſi vnum hoc ſeriò expenderent homines, pœnitentiæ & gratiæ tempus poſt hanc vitam nullum reliquum eſſe, ſed æternos inferorum cruciatus ijs deſtinatos eſſe, qui in ſceleribus pergunt, & gratiæ Dei Mediatorem, Ieſum Chriſtum aſpernantur: ſentirent profectò non tanti faciendas eſſe huius ſeculi voluptates & carnis cæca ſtudia, vt quiſquam propter illa Dei iram contra ſe prouocare debeat.

Contra Purgatorium. Porro vt reliquam doctrinam Chriſti omnem Antichriſtiani doctores vel obſcurarunt vel corruperunt: ita hanc quoque tantumnon aboleuerunt, vt pauci de illa cogitarint. Finxerunt enim Purgatorium ignem, in quo animæ corporis vinculo ſolutæ omnis generis cruciatus patiantur, & vbi iuſtitiæ Dei ſatisfecerint, inde liberatæ ad beatorum ſedes transferantur. Inter alia autem, quibus ſuum commentum confirmant, hunc quoque locum adducunt, & argumentum eiuſmodi colligunt: Ex inferis nulla eſt redemptio: At Chriſtus de carcere loquitur, vnde aliquando egreſſuri ſint peccatores: quando nimirum vltimum quadrantem ſiue minutum reddiderint: Ergo locus eſt inter cœlos & inferos medius, vbi animæ à peccatis expiantur, quorum pœnitentiam homines, dum in viuis eſſent, neglexerunt. Habet hoc apud ſimplices & imperitos aliquam veri ſpeciem, & errores in

tes in Eccleſiam plurimos nocentiſſimoſque inuexit. Nam ſimul ſacra excogitarunt quibus animæ in igne illo laborantes liberari poſſint. Sacris hiſce coniunxerunt Indulgentias Romanas, peregrinationes ad Diuorum ſimulachra, operum item noſtrorum merita. Quò factum eſt, vt quæ vni Chriſto debetur gloria, partim in Purgatorium ignem, partim in ſuperſtitioſa ſacra & hominum opera transferretur. Acceſſit aliud malum, quòd plerique huius tam neceſſariæ admonitionis obliti licentius peccarunt, eò quòd ſuam ex Purgatorio redemptionem Miſſarum multiplici repetitione, ſacrificulorum conductitijs preculis, aqua luſtrali, cereorum fulgore, donationibus & anathematis in templo ſuſpenſis, alijſque eiuſmodi rebus accelerari poſſe crederent. Fuit hoc Monachis & ſacrificulis quæſtuoſiſſimum aucupium, & hic lapis ille philoſophicus aut quinta eſſentia dici poteſt, in qua inuenienda Alchymiſtarum ingenia tot iam ſeculis fruſtra laborauerunt. Sed ſi Chriſti verba propius conſiderentur, fallacia facilè patebit, qua illi ea in alium ſenſum detorſerunt. Primò enim iubet nos ſalutis æternæ cauſam agere & cum Deo in gratiam redire, dum in huius vitæ via ſumus. Ergo nullum ſalutis curandæ locum nobis relinquit, vbi è viuis excesſerimus. Deinde non exituros dicit ex illo carcere, qui ſemel eò detruſi fuerint, donec pro omnibus ſuis debitis ſatisfecerint. At vt hoc fiat impoſſibile eſt, eò quòd peccata non temporarias pœnas, ſed æternam mortem merentur. Quare ſequitur, Chriſtum hæc non alio ſenſu dicere, quàm quo creditor, quem debitoris ſcurrilitas iuſta ira accendit, ei iam in vincula abducendo ait: Non exibis inde, donec obulum quoque vltimum diſſolueris: cùm non ignoret, illum nec habere vnde ipſi ſatisfaciat, neque etiam à quoquam aliquid accipere poſſe. Eſt ergo iſtorum hominum commentum vaniſſimum. Nos potius in huius loci ſtatum reſpiciamus, neque extrahamus admiſſorum peccatorum pœnitentiam, ſed de Deo nobis placando in tempore cogitemus: quoad verò æternæ ſalutis ſpem, redemptoris noſtri Ieſu Chriſti verbis credamus, qui vt latroni in mortis articulo ipſum inuocanti dixit, Hodie mecum eris in paradiſo: ita omnibus qui in ipſum credunt, pollicetur, quòd non in iudicium aliquod, ſed à morte tranſituri ſint in vitam æternam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

CAPVT XIII.

HOMILIA CXXXVI.

ADfuerunt autem eo ipſo tempore quidam annunciantes ei de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ipſorum ſacrificijs. Et reſpondens Ieſus dixit eis: Putatis hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuiſſe, quoniam talia paſsi ſunt? Non, dico vobis: imò niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis. Aut illos decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloam, & trucidauit eos, putatis debitores fuiſſe præ omnibus hominibus qui habitant in Hieruſalem? Non, dico vobis: imò niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis. Dixit autem hanc parabolam: Ficum habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in ea, neque inuenit. Dixit autem vinitori: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficu iſta, & non inuenio: Excinde eam: quorſum etiam terram inutilem reddit? Ille verò reſpondens dixit ei: Domine, dimitte eam etiam hoc anno, vſquequò fodero circa eam, & miſero ſtercus. Et ſi quidem tulerit fructum, dimittes: ſin minus, in futurum excindes eam.

Diligenter admodum & prolixè Dominus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus in ijs quæ præceſſerunt, de Euangelij doctrina diſſeruit: cuius hæc ſumma eſt, vt homines à peccatis ad Deum conuerſi prioris vitæ pœnitentiam agant, & ipſum conſtanti fide apprehendant, in quo vno nobis peccatorum remiſſio parta & cæleſtis Pater placatus eſt. At quia in pœnitentiæ negotio natura ſegnes & cunctatores ſumus, vehemens fuit in illa exigenda Dominus. Nam ad ſigna remiſit auditores, ex quibus cognoſcant imminere iam diem illum, quando omnes ad ſuum tribunal ſiſti & omnium quæ fecerunt rationem reddere oporteat. Addit his creditoris & debitoris parabolam, quæ docet quid contumaces & pœnitere neſcios procraſtinatores maneat. Cæterùm conſtat, Deum nos non ſolum Verbo ſuo, verumetiam crebris & grauibus iudiciorum ſuorum exemplis ad pœnitentiam excitare: quæ cùm plerique aut omnino non obſeruent, aut etiam pro ſua libidine perperam interpretentur, commodè Chriſtus hoc loco docet, vt de illis iudicare & iiſdem ſalubriter vti debeamus. Eſt igitur doctrina hæc noſtris temporibus non minus neceſſaria quàm vtilis, quando infinitis quidem exemplis iram ſuam Deus declarat, plerique tamen illa plus quàm belluino ſtupore negligunt, neque eorum conſiderationem ad ſe pertinere arbitrantur: imò ex ijs ferè deteriores fiunt, dum ex eo calumniandi & miſeris inſultandi occaſionem arripiunt, ex quo vitæ rectius inſtituendæ documentum petere debebant. Duo autem exempla hîc proponuntur, alterum publicum, alterum priuatum, quibus parabola generalem de pœnitentia doctrinam continens ſubijcitur.

Galilæi à Pilato cæſi.

Occaſionem de his diſſerendi Chriſto præbuerunt quidam non ſine numinis ductu ſuperuenientes, qui eo tempore factam Galilæorum ſtragem nunciauerunt, quorum ſanguinem Pilatus cum ipſorum ſacrificijs miſcuerat. Cuius facti etſi nulla, quod ſciam, in hiſtorijs mentio fiat (niſi quod de Iuda Galilæo in Actis Gamaliel narrat, huc referre velimus) ex illorum tamen temporum ſtatu & Iudæorum moribus atque conſilijs, quæ paſſim deſcribuntur, ſatis apparet, Galilæos illos ſeditioſè ſub prætextu libertatis recuperandæ collectos fuiſſe. Cùm enim hanc per inteſtina diſſidia Iudæi amiſiſſent, & graui Romanorum præſidum iugo premerentur, indies tumultuari & omnem vindicandæ libertatis priſtinæ occaſionem auidè magis quàm prudenter arripere ſolebant. Neque deerant impoſtores, qui vulgi ſimplicitate abutebantur, & ſeſe eiuſmodi conſiliorum duces præbebant. Hinc ergo ſeditiones quotidie nouæ exoriebantur, quas Romani præſides facilè reprimere poterant, cùm militum præſidia per vrbes fere ſingulas diſpoſita haberent. Quod in præſenti etiã factum eſt. Et videntur iſti, vt felicius res ſuccederet, à re diuina & ſacrificijs cœpiſſe, à Pilato autem cum militibus repentè ſuperueniente inter ipſa ſacra crudeliter fuiſſe cæſos, adeò vt circa aras occumbentium ſanguis cum pecorum immolatorum ſanguine confunderetur. Quam rem tùm plerique indigniſſimam putarent, alijs Galilæorum ſeditioſam temeritatem, alijs Pilati crudelem impietatem accuſantibus, nuntium hoc quidam ad Chriſtum attulerunt, vt huius de toto hoc facto iudicium audirent.

Conditio populi qui libertatẽ amiſit.

At priuſquam longius progrediamur, non inutile fuerit in Iudæorum exemplo conſiderare, quis ferè ſtatus & qui mores eſſe ſoleant populi, qui amiſſa libertate priſtina alienæ aut peregrinæ tyrannidis iugo premitur. Iudæos enim in libertatem non ſemel aſſeruerat Deus, vt ſuum peculium eſſent, & miraculum cenſeri poterat, gentem illam inter grauiſſimos totius orbis motus libertatem ſuam cum religione & legibus diuinitus traditis retinere potuiſſe. Sed quæ humani ingenij eſt improbitas, tantum Dei beneficium vix vnquam rectè æſtimauerunt. Nam vt patres illorum in deſerto aduerſus Moſem, primum libertatis ſuæ vindicem tumultuati ſunt, ita deinceps ſuæ ſortis pertæſi poſteri Regem ceruicibus ſuis impoſuerunt & tandem quaſi vnus non ſufficeret ipſis deglubendis in duo regna ſciſſi ſunt, quæ diuiſio bellorum ciuilium cauſa fuit, & tandem vtrique regno exitium peperit, quando Iſraelitæ quidem ab Aſſyrijs, Iudæi verò à Babylonijs deuicti & in exilium abducti ſunt. E Babylone verò hi cum alijs multis reuerſi poſt vrbem & rempub. inſtauratam mox ad ingenium redierunt, & poſt multa indignè & impiè ab ipſis facta, poſtremo duorum fratrum, Ariſtobuli & Hircani, ambitione in partes diſtracti, Romanis tunc contra Parthos belligerantibus Iudæam opprimendi occaſionem dederunt. Ab horum autem præſidibus & hinc inde

diſpoſitis

diſpoſitis præſidijs cùm multa indignè & crudeliter quotidie fierent, ſentire cœperunt quantum bo-
num amiſiſſent, & amiſſam libertatem nouis ſubinde ſeditionibus recuperare conati ſunt, quarum
infelix ſemper exitus fuit, & quibus Romani tandem irritati vrbem cum templo deuaſtarunt, &
infelices populi reliquias per omnes gentes diſperſerunt. Solet hoc ipſum omnibus accidere, qui pri-
uatas cupiditates libertati patriæ præferunt, & non agnoſcunt Dei beneficium, qui à tyrannide li-
beros atque immunes eſſe voluit. Exempla enim ſimilia in Græcis, Lacedæmonijs & multis alijs
gentibus hiſtoriæ proponunt. Et Romanis, cùm potentia & opibus quàm maximè florerent, pau-
corum auaritia atque ambitio, quorum conſilijs atque promißionibus populus ſeſe in partes di-
ſtrahi paſſus eſt, libertatem abſtulit, & tyrannidem inuexit intolerabilem, qua oppreßi Impe-
ratoribus, quorum plerique propter libidinem & crudelitatem nefariam monſtra naturæ dici po-
terant, parère coacti ſunt, qui prius bonis legibus & legitimi Senatus imperio ſubeſſe nolebant.
Vtinam verò in iſtorum conſideratione diligentius verſarentur, quibus hodie etiam patria liber-
tas ſordet, & qui luxu atque peregrini faſtus ſtudio abreptitum exteris colludunt, & vt ſibijpſis
priuatim conſulant, publicæ libertatis oppreſſores in propriæ patriæ viſcera addutunt. Falluntur
iſti omnes ſpe ſua, neque ſibijpſis conſulunt, ſed tandem cum alijs oppreßi ſeſe infelices & miſeros
eſſe ſentiunt. Accedit huic malo, quòd dum libertatem turpiter proditam ſeditionibus recupera-
re conantur, ferè in ſuis illis conſilijs pereunt, & iugum ſeruitutis indies grauius atque intolera-
bilius reddunt. Nec enim ſeditionibus quicquam proficitur, quàmuis hæ ſub plauſibili religionis
prætextu excitentur, quem Galilæos quoque iſtos captauiſſe apparet. Quare initijs potius tanti
mali reſiſtendum eſt, & huc operas ſuas omnis loci & ordinis homines conferre decet. Itaque Ec-
cleſiarum miniſtri publica & priuata Dei beneficia populo diligenter commendent, & eundem aßi-
duis admonitionibus in officio contineant, & doceant paci & concordiæ ſtudere. Qui verò magiſtra-
tum gerunt, doctrinam Veritatis & puriorem cultum Dei ſedulò tueantur, ius ſanctè dicant, ho-
neſtati ſtudeant, diſciplinam Verbi Dei patienter ferant, curent denique, ne quis vel iudicio-
rum iniquitate vel prauo ipſorum exemplo prouocatus tumultuandi occaſionem habeat. Populus
autem vtriſque obediat, & omnem reipublicæ mutationem periculoſam eſſe cogitet, ideoq́ patien-
ter ferat quæuis incommoda, ne dum leuiora imprudentius depellere ſtudet, grauiora ſibi accerſat.
His artibus libertas retinetur, quam tuo vitio amiſſam per ſeditiones nunquam recuperaueris.
Nam Dei iudicijs nemo reſiſtere poteſt, & notum eſt illud Chriſti: Qui gladium arripit, gla-
dio peribit.

Sed redeamus ad huius loci hiſtoriam, & vulgi de illa iudicium audiamus. Veniunt ad Chri- Vulgi de aliorum calamitatibus iudicium.
ſtum nonnulli, & rem ei nuntiant, vtq́ ex eius reſponſione apparet, Galilæos iſtos præ omnibus alijs
peccatores fuiſſe putant, qui ſua temeritate & tumultuandi libidine cladem iſtam meruerint.
Quo exemplo admonemur, vt ferè vulgus de aliorum calamitatibus iudicare ſoleat. Eſt naturæ
Lex omnium animis inſcripta, qua edocti Deum iuſtum eſſe nouerunt, qui hominum peccata dignis
ſupplicijs mulctare ſoleat. Atquia philautiæ morbo excæcati pleriq́ ſibijpſis placent, bifariàm erra-
tur, quoties Deus in alios iuſtæ ſeueritatis exempla edit. Primò enim pauci in ſemetipſis deſcen- 1.
dunt, vt quid ipſi mereantur cogitent. Deinde ex impunitate, qua ipſi fruuntur, ſpem inanem con- 2.
cipiunt, quaſi ipſorum moribus Deus delectetur, neque eis in mentem venit, illum exemplis eiuſ-
modi omnes homines ad pœnitentiam excitare. Hinc fit, vt in aliorum peccatis inueſtigandis ocu-
latißimi & acerrimi cenſores ſint, & illis etiam ſcurrilius inſultent, quos conſolationibus pijs ſub-
leuare debebant. Et tanta eſt humani ingenij licentia, vt de illis quoque malè ſuſpicemur, imò
damnemus quoque eos, in quibus nullum ſcelus reprehenſione dignum ſeſe profert. Exemplum hu-
ius rei in Iobi amicis hiſtoria ſacra proponit, qui ex calamitatibus repentè immißis eum accuſandi
occaſionem arripuerunt, cuius fides atque integritas toti Orienti nota atque perſpecta erat. Et di-
ſcipuli apud Ioannem, cùm mendicum quendam, qui ex natiuitate cæcus erat, conſpicarentur, non Ioan. 9.
de occulta iudiciorum diuinorum ratione cogitant, ſed quaſi nulla alia cæcitatis iſtius cauſa reddi
poßit, quærunt, num ipſe aut parentes eius ſuis peccatis meruerint, vt talis naſceretur. Idem pleri-
que faciunt, quando aut veteres hiſtorias legunt, aut ſui ſeculi hominum calamitates atque aduer-
ſos caſus intuentur. Ita verò in charitatis legem peccatur, & augetur afflictorum miſeria, dum ipſi

calamitoſis eſſe non licet niſi inſuper pro flagitioſis et ſceleratis habeantur. Adhæc ſecuritatem parit malum hoc, vt aliorum exempla nihil ad nos pertinere putemus, neque emendemus, etiamſi manifeſta iræ Dei argumenta in oculos noſtros incurrant, quibus ad pœnitentiam nos excitari oportebat.

Nemo aliquem præ alijs peccaſſe putet.

Audiamus ergo Ieſu Chriſti reſponſum, cuius partes ſunt duæ. Prima corrupto & falſo de aliorum calamitatibus iudicio medetur, dicens: Putatis ne hos Galilæos, præ omnibus Galilæis peccatores fuiſſe, quoniam talia paſſi ſunt? Quaſi diceret: Fateor quidem illos peccauiſſe, & hoc vel etiam grauiori ſupplicio dignos fuiſſe: At præ omnibus alijs hoc illos meruiſſe, vt qui alijs ſceleratiores fuerint, id verò conſtanter nego. Nullam ergo illis inſultandi occaſionem habetis, neque opus eſt eorum ſceleribus inueſtigandis vos diutius inſiſtere. Continet autem hæc pars generalem doctrinam, qua admonemur, omnes homines in Dei iudicio peccatores & quibuſuis ſupplicijs dignos eſſe, quæ de alijs ille ſumit. Nec enim naturalis ſolum & hæreditaria vitioſitas nobis inhæret, verumetiam eius fructus ſeſe in noſtris cogitationibus, deſiderijs, dictis & factis quotidie exerunt. Et quamuis peccatum aliud alio grauius ſit, minimum tamen atque leuiſſimum mortem æternam atque perpetuos inferorum cruciatus meretur. Quis ergo temporarijs calamitatibus aut pœnis indignos dicet eos, qui vt æternis ſupplicijs mulctentur meruerunt? Agnouerunt hoc optimi & ſanctiſſimi quique, quorum preces in ſcripturis extant: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine: Si enim iniquitates obſeruaueris, quis ſubſiſtet? Remitte nobis debita noſtra, &c. Et prodeſt in communis huius miſeriæ conſideratione crebrò & diligenter verſari, ne temere de aliorum calamitatibus pronuntiemus, ſed fraterna pietate ijs condoleamus, qui diuinitus puniuntur. Cur enim alijs inſultent, qui ſe eadem meruiſſe, & propter communem humani generis ſortem ijſdem caſibus obnoxios eſſe meminerunt?

Vſus exemplorum.

Altera parte exempli huius & omnium ſimilium vſum Chriſtus tradit, dum ſic infert: Niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis. Quibus verbis teſtatur, Deum non tam Galilæos iſtos punire, quàm portendere & præmonere voluiſſe, quid de tota Iudæorum gente futurum ſit, niſi matura pœnitentia ad illum conuertantur. Eſt ergo hic proprius & ſalutaris iudiciorum Dei vſus, vt quæcunque alijs accidunt, nobis in exemplum fieri cogitemus. Niſi enim alios excitare vellet Deus, occultè peccata punire poterat, vt minimè opus eſſet iram ſuam cælitus manifeſtare. Quoties ergo impij homines puniuntur, quos manifeſtis ſceleribus Dei iram prouocauiſſe ſatis conſtat, non tamen in illis pedem ſiſtere, neque ſolùm Dei iuſtitiam qua in illis puniendis vſus eſt, prædicare debemus, ſed ſimul noſtram quoque vitam atque mores excutere, vbi fortaſſis ſimilia aut etiam grauiora vitia deprehendemus, quæ nobis etiam pœnitentia opus eſſe docebunt. Quòd ſi autem pios videamus affligi, mox ſuccurrat quod Petrus ait, iudicium Domini à domo eius ferè incipere, & illud Chriſti: Si hoc fit in viridi, quid fiet in arido? Iſta conſideratione fiet, vt neque in charitatis leges peccemus, neque ſecuritate oppreſſi exempla iudiciorum Dei negligamus, ſed quæcunque alijs accidunt, noſtræ inſtitutioni ſeruiant. Transferamus ergo hanc doctrinam ad noſtri ſeculi exempla, quæ plurima in vtramque partem extant. Puniuntur aperti Euangelicæ veritatis hoſtes ſeditionibus, bellis exteris atque ciuilibus, direptionibus & infinitis alijs malis: adeò, vt idem illis videamus accidere, quod olim Iudæis, qui Chriſtum regem ſuum agnoſcere dedignati ſunt. Puniuntur item qui Euangelio locum dant, & huius doctrinam profitentur, eò quòd ſuæ profeſſioni minus reſpondeant, & partim ſuperſtitionum plurimarum reliquijs, partim vitæ morumque licentia fidem Chriſtianam polluant. Poſſunt hic plerique cauſas pœnarum in aliorum moribus atque ſtudijs deprehendere, & de illis pleno ore paſſim diſſerunt: qui ſi in ſeipſos deſcenderent, ſe quoque Chriſti regnum ſubterfugere, Deo item ingratos, ſuperſtitionum contumaces defenſores, & infinitis ſceleribus pollutos eſſe ſentirent. At quia pauci manticam ſuam inſpiciunt, ſed à tergo pendentem ſecurè negligunt, fit vt plerique in peius quotidie proficiant, & iram Dei nouis ſubinde ſceleribus prouocent. Quoties ergo huius generis exempla cernimus, ſemper nobis hoc Chriſti dictum in mentem veniat: Niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis.

1.Pet.4.
Luc.23.

Turris Siloam.

Sequitur alterum exemplum, quod ipſe Dominus allegat. Eſt hoc priuatum, & fortuitum videri poterat. Nam turris ad Siloam (fuit is riuus qui in vrbem placido curſu defluens piſcinam

efficiebat

efficiebat aquæductui ſeruientem, vt ex Iſaiæ octauo & Ioannis nono Cap. apparet) repente collapſa viros decem & octo oppreſſerat, de quorum miſerabili interitu diuerſa hominum iudicia fuiſſe non eſt dubium, pleriſque exiſtimantibus eos ob ſingularia quædam & atrocia ſcelera diuinitus ſic punitos fuiſſe. Negat ergo hoc quoque Chriſtus, & quod de Galilæis dixerat hic repetit, dicens: Illos decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloam, & trucidauit eos, num putatis debitores fuiſſe præ omnibus hominibus, qui habitant in Hieruſalem? Non, dico vobis: imò niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis.

Quæ fortuita uidentur, exemplo ſunt alijs.

Quo loco imprimis obſeruari debet, quòd in exemplum trahit Chriſtus, quod prophanis hominibus & caruis prudentiæ fortuitum ſiue contingens videri ſolet, & ex eo quoque doctrinam generalem elicit, qua omnes ad maturam pœnitentiam hortatur. Conſtat ex hoc, nemini quicquam fortuitò & ſine certo diuinæ prouidentiæ conſilio accidere. Nouit enim Deus omnes homines, & (vt apud Prophetam ait) manibus ſuis inſculptos habet, capitis item pilos numerat, & ne paſſerculos quidem abſque ſuo conſenſu aut voluntate perire patitur. Aut quomodo illo vel inſcio vel inuito aliquid fiat, qui vbique præſens adeſt, qui omnia videt, & cuius nutus ad quoduis opus hominum impediendum vel promouendum ſufficit? Quod D. Auguſtinus obſeruans libere fatetur ſibi diſplicere, quòd in nonnullis libris fortunæ & fortuiti vocabulis vſus eſſet, & hoc omne ad Dei prouidentiam referri debere docet. Huius nos meminiſſe conuenit in repentinis calamitatibus, quæ præter omnem expectationem incidunt: vt cùm domus aut arboris ruina aliquem opprimit, aut cùm quis ex caſu aut lapſu ſubito moritur, vel etiam ab alio per imprudentiam & præter animi voluntatem occiditur, dum vel ligna ſimul ſecant (quo exemplo Deus in Lege de aſylis vtitur) vel quodcunque opus aliud faciunt. In eiuſmodi (inquam) caſibus, neque iudicium noſtrum temere præcipitare, neque eos qui ita pereunt mox damnare debemus, niſi eorum impietas & incurabilis aduerſus Deum contumacia certis argumentis perſpecta ſit, neque (quod ferè modeſtiores ſolent) talia in fortunam aut diei horam inauſpicatam referre, ſed potius arcanum iuſtumq́ Dei iudicium agnoſcere atque exoſculari, qui vel illos hac ratione ad Regni ſui cœleſtis poſſeſſionem transferre, vel nobis exemplum proponere voluit, in quo incertam vitæ noſtræ conditionem agnoſcere, noſq́ in ſingulas horas ad omnem euentum præparare diſcamus, ne quid ſimile nobis inopinantibus accidat. Nam (vt paulò ante dictum eſt) ſumus omnes ijſdem caſibus obnoxij, neque vlla tam triſtis & inſolens calamitas incidere poteſt, quam non ipſi quoque meruerimus, ſi ſuo iure in nos Deus vti velit. Quòd ergo hactenus tuti & immunes fuimus, id nos diuinæ bonitati debere fateamur, quæ noſtræ infirmitati parcere voluerit, ne ſupra vires noſtras tentati ſuccumbamus. Eſt hæc conſideratio longè vtiliſſima, & huius occaſiones atque materiam Deus nobis ſubinde offert, quò facilius linguæ petulantiam frænare, & alienis malis ad noſtram emendationem vti poſſimus.

Retract. 1. cap. 1. & 3.

Deut. 19. Num. 35.

Parabola de ficu ſterili.

Porrò doctrinam hanc parabola de ficu ſterili Chriſtus illuſtrat atque confirmat, cuius ſtatus aut finis eſt, Deum non ſemper ſubitò omnes eos perdere, qui excidio digni ſunt, ſed erga illos quoque multa longanimitate & clementia vti, & pœnas quas meruerunt differre, ſi fortè conuerſi pœnitentiam agant: eoſdem verò ob moram hanc non debere ſibijpſis impunitatem perpetuam polliceri, quando hoc firmum & ſemper ratum Dei decretum ſit, vt pœnitere neſcij et ſuæ bonitatis contemptores tandem miſerè pereant, & ab Eccleſiæ ſuæ conſortio eiecti æternis cruciatibus tam animæ quàm corpore mulctentur. Conuenit autem probè cum præcedentibus exemplis hæc doctrina, quia alteri adhuc vitio medetur, quo multi peccant, quando vel ſeipſos vel alios improuiſa aliqua calamitate obrui ſentiunt. Tunc enim aduerſus Deum linguas laxant, & cur non ſimili iudicio in multos alios vtatur quærunt, qui ſimilia aut etiam grauiora flagitia deſignarint? Adhæc ex aliorum impunitate occaſionem arripiunt contemnendi exempla iudiciorum Dei, ſic vt omnia fortuitò ferri, neque diuinitus gubernari dicant. Admonet ergo Dominus, impios & ſteriles ſui nominis profeſſores, etſi ad tempus locum ſuum tueri videantur & lætis rerum ſucceſſibus floreant, non tamen hoc illis perpetuum fore, ſed iam nunc diem conſtitutum eſſe, quando contumaciæ ſuæ dignas pœnas exoluant: ideoq́ illorum proſperitate neminem offendi, multò minus autem Dei iudicia accuſari debere. Sed præſtat ſingulas huius parabolæ partes ex ordine conſiderare.

Vinea & ficus Eccleſiæ typus.

Ficus plantata in vinea quamuis gentem & quemuis hominem in Eccleſiæ ſocietatem adoptatum ſibi inſitum denotat. Eccleſiam enim vineam eſſe Dei ex Iſaia & alijs Chriſti parabolis notius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Habet hæc vinea vitem vnicam, ipſum Chriſtum, cuius palmites dicuntur omnes, qui per fidem ei ſunt inſiti & nomen ipſius profitentur. Vt verò in vineis nemo bonus agricola arborem feret ſterilem, quæ & ſuccum terræ attrahat & vmbra ſua vitibus noceat, fructum verò nullum ferat, quo damna illa ſarciantur: Ita neque Deus in Eccleſiæ ſuæ conſortio eos perpetuò tolerat, qui inani profeßionis Chriſtianæ titulo turgidi non aliud præſtant, quàm quod Eccleſiæ dona ad ſe rapere conantur, exemplo ſuo pijs omnibus nocent, nullum verò fidei & charitatis fructum ex ſe pariunt, quo vel Dei nomen honoretur, vel alij homines in fide ædificentur ac meliores fiant.

Deus Vineam ſuam inuiſit.

Quid ergo facit Deus? Inuiſit frequentius vineam ſuam, neque ignauos & ſocordes patresfamiliâs imitatur, qui prædia ſua prorſus negligunt: ſed eos potius, qui cum oculo heri agros maximè impinguari norint, ſeruos in illos opus facientibus ſubinde adeſſe. & vt omnia rectè atque fideliter fiant proſpicere ſolent. Et cur Eccleſiam, qua nihil in toto mundo charius & pretioſius habet, aut huius membra Deus negligeret, qui ſuam prouidentiam ad pecora, ad feras immanes, ad auiculas & coruorum pullos, denique ad res inanimatas quoque extendit? Venit autem ferè tribus annis continuis & fructum quærit. Qua locutione eius bonitatem & longanimitatem Chriſtus exprimit, quæ tanta eſt, vt quàmuis ſemel & iterum ſpe ſua fruſtretur, non tamen mox ſecurim ſtringat & infrugiferas excindat. Pugnat enim cum noſtra duritie & contumacia Dominus, & omnes rationes huius vincendæ & emolliendæ adhibet. Exempla huius ſtudij & induſtriæ paßim
occurrunt. Sic olim Iudæorum gentem tribus quaſi vicibus inuiſit. Primò nimirum per Moſem,
1. quando ex Aegyptiaca ſeruitute vindicatis Legem dedit, quæ in ſingulis præceptis fructus à nobis
requirit noſtra profeßione dignos & Deo gratos. Deinde cùm Legem illi negligerent, & Sacerdo-
2. tes legitimi, quos huius cuſtodes & exactores conſtituerat, ferè in ſuo officio ceſſarent, extraordina-
riè Prophetas excitauit, qui mira cum grauitate tam illos quàm totum populum officij ſui admo-
3. nuerunt. At his quoq; non multùm proficientibus apud duræ ceruicis gentem, tandem Filium vnigenitum miſit, ſi fortè huius reuerentia moti ſeſe tractabiliores atque morigeros præberent. Sed huius quoque ſtudium inutile & irritum fuiſſe, Euangelica hiſtoria abunde docet. Et quod in Iudæis factum fuit, hoc ipſum in gentibus quoque alijs obſeruatum fuiſſe conſtat. Ab his fructus innocentiæ & pietatis primùm per Legem naturæ requiſiuit, quæ ſingulorum animis inſcripta eos quid facerent quidúe cauerent admonuit. Acceßit mox aliqua diuinæ Legis & per Moſem deſcriptæ cognitio, quando Iudæos varijs exilijs in gentes ferè omnes diſperſit, qui multos in veri Dei & voluntatis eius cognitionem adduxerunt. Secuta eſt poſtremò Euangelij prædicatio, quæ totum orbem terrarum breui paucorum annorum ſpacio percurrit, & vbique Eccleſias conſtituit, in quibus in veri Dei cultu & omnibus pietatis officijs inſtituerentur, qui prius ſub tenebrarum poteſtate degentes ignorantiæ tenebris immerſi fuerant. Quòd ſi autem ſingulos homines priuatim inſpicias, eandem Dei induſtriam deprehendes, qui ſerò quàcerò illos inuiſit & fructus quærit, quibus delectari queat. Nec enim vlla hominis ætas eſt, cui ſeſe non accommodet, dum modò per Verbi prædicationem, modò occultis propriæ conſcientiæ ſuggeſtionibus, modò per amicos prudentes & fidos, ſæpe etiam per inimicos officij admonet. Porrò vt olim Iudæorum gentem ſterilem inuenit & omnium admonitionum contemptricem: ita plerique etiam hodie nullos pietatis fructus ferunt, ſed inani profeßionis Chriſtianæ fiducia decepti, Chriſtum factis ſuis abnegant, quem ore profitentur. Et vt gentes quæque ſua habent peculiaria ſcelera, quæ eradicare difficile eſt: ita nulla ætas eſt, quæ non ſuis vitijs proprijs laboret, quibus iuſtitiæ & pietatis fructus impeditur. Ad omnes ergo pertinet, quod in præſenti bonus ille paterfamiliâs vinitori aut colono ſuo dicit: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficu iſta, & non inuenio: Excinde igitur eam: quorſum etiam terram inutilem reddit? Eſt enim Deus iuſtus iudex & verax, qui neque apertam impietatem, neque fucatam & ementitā pietatis ſpeciem impunitam abire ſinit. Et conuenit dictum hoc cum illo alio Chriſti: Quæcunq; arbor non fert fructum bonum, exciditur & in ignem conijcitur.

Matth. 7. n. 12.

Quid

Quid ergo remoratur Dei iudicium, quò minus ſteriles iſtæ ficus ſubitò excidantur & malè pereant? Exprimit enim moræ cauſam Dominus, quando colonum pro ficu interceßiſſe ait, & hero dixiſſe: Domine, dimitte eam etiam hoc anno, vſquequò fodero circa eam & miſero ſtercus: Et ſi quidem tulerit fructum, dimittes: ſin minus, in futurum excîdes eam. Colonus hic eſt Dei Filius Ieſus Chriſtus, quem ſuæ Vineæ aut Eccleſiæ Pater ſacerdotem conſtituit. Hic quia noſtras infirmitates expertus eſt, fidelem agit interceſſorem, vt Dei iram à nobis auertat. Sed conditiones obſeruare oportet, quibus ſuam hanc interceßionem temperat, vt iuſtitiæ Dei nihil omnino derogetur. Nam primò ſuam induſtriam promittit, quæ ſterilitati noſtræ velit mederi. Fodiam (inquit) circa ficum iſtam, & mittam ſtercus. Fodit autem circum nos Dominus, quando Cruce & afflictionibus nos exercet, quæ nobis non minus vtiles ſunt, quàm arboribus foßio eſſe ſoleat. Vt enim hæc radices purgat, & ne præfocatæ arboribus ariditatem pariant atque interitum, cauet: ita fidei radix cruce purgatur, & eadem vegetatur, ne deficiat, & nos eius virtute deſtituti vitam veram amittamus, quæ bonorum fructuum cauſa eſt. Similiter nos ſtercorat Chriſtus, quando Euangelij doctrinam adhibet per miniſtros ſuos, qui ideò & rigare dicuntur, quòd affectuum ardorem Verbo reſtingnunt, & eos qui iam aridi prorſus atque exucci erant fœcundos & ad omne opus bonum idoneos reddunt. Et in his quidem Chriſtum mirè ſedulum & induſtrium eſſe conſtat. Nam & dona Spiritus ſui liberaliter diſtribuit, ne doctoribus idoneis Eccleſia deſtituatur, & ſuos omnes ad crucem vocat, quæ carnis petulantiam coercet, & ad preces atque reliqua veræ pietatis exercitia ardentiores reddit. At ſimul altera adhuc conditio proponitur, quâ apud Patrem pro ficu illa ſterili intercedit, dicens: Si quidem tulerit fructum, dimittes: ſin minus, in futurum excîdes eam. Non ergo nequitiæ & improborum hominum, qui incurabili malitia peccant, Chriſtus patronus eſt: ſed peccatoris & inani pietatis fuco gloriantium vitam ſic quærit, vt eoſdem proprio ore damnet ad exitium, ſi tales eſſe pergant. Sunt igitur hic nobis duo hæc diligenter obſeruanda. Primum, Chriſti interceßione fieri, quòd non ſemper illico puniuntur & exciduntur, qui hoc iampridem ſuis ſceleribus meruerunt. Et quia Deus miſericors eſt & humani generis amans, iram ſuam quantumuis iuſtam differre ſolet, ne ijs qui reſipiſcunt ianuam ſalutis præcludat. Quod vt ſingulos priuatim conſolatur, ita admonet ſimul, ne temere de alicuius hominis ſalute deſperemus. Quàm enim efficax ſit Chriſti apud Patrem interceßio, eorum exemplo patet, qui ipſum in Crucem ſuffixerunt, & Pilato traditum turpißimè abnegarunt: ex quorum numero non paucos conuerſos & ſalutis æternæ hæredes factos eſſe ſcimus. Alterum eſt, quòd Deus non perpetuò parcit ſterilibus in ſua vinea arboribus. Quia enim hypocritæ & palàm ſcelerati ipſam quoque terram Eccleſiæ inutilem reddunt, dum multos alios ſuo exemplo ſeducunt, & religionem ipſam impiè prophanatam in contemptum trahunt, iuſto illius iudicio exciduntur, vbi ſe incurabiles eſſe ſufficientibus argumentis declarauerunt. Exempla, quibus hoc probari poterat, multa paßim occurrunt, & quid totis Eccleſijs in Oriente olim acciderit, quid item priuatim multi patiantur, qui ſuum in Eccleſia locum non probè tutati ſunt, pleriſque ſatis notum eſt. Itaque huius parabolæ doctrinam ſinguli ad ſe transferant. Cogitent qua conditione in Eccleſiam adoptati ſint. Ferant patienter à Deo ſubmiſſos fructuum exactores. Imprimis autem colono Vineæ iſtius, Domino Ieſu Chriſto, ſeſe morigeros et obſequentes præbeant, vt huius diſciplina et inſtitutione meliores & indies fœcundiores facti, cum eodem in cœlis tandem viuant & regnent: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Colonus Chriſtus intercedit pro ficu ſterili.

HOMILIA CXXXVII.

Docebat autem in quadam ſynagoga Sabbato. Et ecce adfuit mulier habens ſpiritum inualitudinis ab annis decem & octo, eratq́ incurua, nec prorſus ſeſe poterat recuruare. Ipſam autem cùm vidiſſet Ieſus, aduocauit, & dixit ei: Mulier, abſoluta es ab inualitudine tua. Et impoſuit ei manus: & illico ſurrecta eſt, & glorificabat Deum.

Doctrina de ficu illuſtratur miraculo.

QVemadmodum Deus Eccleſiam, quæ per Euangelij prædicationem ex omnibus gentibus colligitur, ſuum peculium & ſibi conſecratam eſſe vult: ita poſtulat quoque, vt quotquot huius membra cenſeri volunt, ſe tales eſſe vita & moribus teſtentur. Quæ cauſa eſt, quòd Eccleſiæ Rex & Sacerdos, Ieſus Chriſtus, paſſim pœnitentiam docet, & ab ea ferè prædicandi initium facit. Pertinent huc quæ in ijs, quæ proximè præceſſerunt, audiuimus, vbi non obiter modò Iudæorum genti pœnitentiam ſuaſit, ſed quia contumaciores eſſe ſciebat, minis quoque & exemplis grauiſſimis vſus eſt, adhæc ficus parabola docuit, quid ſteriles & pœnitere neſcios maneat. His ordine commodiſſimo Lucas hiſtoriam de muliere incurua per Chriſtum curata, & Synagogæ principis de illo facto iudicium ſubijcit. Ea enim docetur, vnde nobis virtus illa obtingat, quæ nos ad bona opera fœcundos atque idoneos facit, ſimulq́; ſterilis ficus exemplum proponitur in hypocrita ille, qui præter inanem & foliorum ſimilem pietatis oſtentationem nihil habebat. In præſenti tamen priorem modò partem hiſtoriæ conſiderabimus.

Mulieris deſcriptio. *Principiò perſona deſcribitur, in qua miraculum æditum eſt. Fuit ea multis modis miſerrima. Nam ſpiritu inualitudinis aut infirmitatis detentam fuiſſe Lucas ſcribit, quod poſtea Chriſtus exponens, eam Satanæ vinculis conſtrictam fuiſſe dicit. Ergo illam diabolo vexandam Deus tradiderat, communi humani generis hoſti, qui vt ab initio homicida fuit, ita ex eo ſummam voluptatem capit, ſi quos eius poteſtati Deus permittit, nouis & horrendis exemplis affligere queat, ſicuti in Iobi etiam hiſtoria eſt videre, & in multis dæmoniacis, quorum indomites furores & miſerrimam conditionem Euangeliſtæ deſcribunt. Deinde morbi ſpecies exprimitur, qui fuit corporis totius incuruatio, & talis quidem, vt non poſſet pro communi hominum more caput attollere, aut erecto corpore incedere ſed brutorum animantium inſtar prona terram ſolam ſpectaret. Acceſſit morbo, quem Satanæ vis incurabilem faciebat, diuturnitas ſpem quoq; ſalutis omnem adimens. Nam annis totis decem & octo iam inualitudine iſta laborabat.*

Conditio hominum. *Et hæc quidem huius mulieris conditio fuit quoad corpus, in qua communis omnium hominum typus proponitur, qui nam & quales ſint quoad animam, priuſquam illis Chriſtus remedium adhibet. Etenim quando diabolus primos parentes ſuis mellitis promiſſionibus illectos in peccatum adduxit, eadem opera ſibi in omnem illorum poſteritatem ius & imperium acquiſiuit. Adam enim amiſſa & obliterata Dei imagine, ad quam initio conditus fuerat, & totus peccator factus,*
Gen. 5. *non alios quàm ſui ſimiles filios gignere potuit: quod Moſes non obſcurè exprimit, quando illum in ſuo ſimulachro & ſecundùm ſuam imaginem, corruptam videlicet & peccatricem, fi-*
Rom. 5. *lios genuiſſe ſcribit. Et huic conſentiens Paulus, peccatum per vnum hominem ingreſſum eſſe*
Pſalm. 51. *ait, adeò vt omnes quotquot ex Adamo deſcendunt, peccatores facti ſint. Agnouerunt hoc in ſemetipſis etiam ſanctiſſimi quique, inter quos Dauid ſe in iniquitate conceptum & in peccato formatum eſſe fatetur. At vbi peccatum regnat, ibi diabolus regnum obtinet, quem hoc nomine mundi huius principem Scripturæ vocant. Hic autem cùm in Veritate non ſteterit, & turpi à Deo defectione factâ à priſtina dignitate exciderit, hoc vnum iam agit, vt ſui ſimiles faciat omnes, quos in ſuam poteſtatem redegit. Eſt autem ille immundus & impurus ſpiritus, ſcelerum & nequitiæ author, terrenarum rerum amans, cæleſtium contemptor & Dei inimicus. Tales ergo ſuos facit, quorum animis ſeſe inſinuat, Et huius operatione fit, vt homo animalis non intelligat ea quæ ſunt Spiritus Dei. Ex corrupto autem intellectu voluntas praua & à diuinis atque cæleſtibus abhorrens naſcatur oportet. Itaque vt qui corpore incuruo ſunt terram modò intuentur: ſic quoad corruptam carnis rationem & ex primis parentibus quaſi hæreditario iure in nos deriuatam totius naturæ vitioſitatem ſequimur, neque Deum omnis boni fontem amare, neque eundem in ſpiritu & veritate colere, neq; ad cæleſtia animos attollere, neque virtuti & ſanctimoniæ ſtudere poſſumus: ſed impuro Satanæ ſpiritu & carnis infelicis cæco iudicio prauiſq; deſiderijs decepti, in ſolis terrenis hæremus. Et ſi quid de Deo cogitamus, id omne erroneum, abſurdum & ab illius ingenio atq; natura alieniſſimum eſt: & quia eundem ex noſtro ingenio fingimus, cultus quoq; inſtituimus quibus dæmones potius quàm ille, delectantur, ſicuti de gentibus. Paulus teſtatur. Sequuntur mox omnis generis peccata & ſcelera, in quorum ſterquilinio vt porci volutamur, & tunc de-*

mum

[illegible] nos felices eſſe iudicamus, ſi illis pro noſtra libidine indulgere liceat. Exempla huius mali paſſim occurrunt, & quanta ſit natura corruptio ſancti quoque in ſemetipſis experiuntur, à quibus tentandis minimè abſtinet Satan, qui ipſum quoque Dei Filium aggredi non eſt veritus. Eſtque malum hoc vetuſtum atque diuturnum, vt quod ex conceptione (vt diximus) nobis inhæret. Itaque vt immedicabilia ferè ſunt corporis vitia, quæ aut in vtero matris nobis innaſcuntur, aut in partu accidunt, ita innatæ nobis naturæ vitioſitati nemo hominum mederi poteſt.

Christus naturæ vitioſæ medetur.

Vbi ergo medicina aut ſalus quæri debet? Apud illum ſolum, qui iſti mulieri remediũ adhibuit. Eſt is æternus Dei Filius, qui ex Maria Virgine hominem aſſumpſit, & ipſo nomine Ieſu medicum & Seruatorem noſtrum ſe eſſe profitetur. Hic in Synagoga docuit, in quam mulier quoque hæc venerat, & ea viſa opem illi abſque mora tulit. Proderit autem, ſi ordinem, quo in illa curanda vſus eſt, aliquantò diligentius conſideremus. Si enim qui valetudinis ſuæ rationem habent, ſtudioſè obſeruant qua methodo & ordine periti medici in difficilioribus morbis curandis progrediuntur: quantò magis nos Chriſtum vnicum humanæ ſalutis authorem atque adminiſtrum obſeruare decet, vt huic nos accommodare diſcamus?

Salutis cauſa eſt miſericordia gratuita.
Luc. 4.

Primo illam vidiſſe dicitur. At qui alios quoq; procul dubio vidit, qui in Synagoga cõgregati ipſum docentem audiebant. At hîc ſingularis bonitas et miſericordia affectus notatur, qua miſerã et afflictã reſpexit, vt ipſi ſubueniret. Atqui eo tẽpore in præcipuæ dignitatis et maximè neceſſario docendi munere verſabatur, cuius ergô ſe in mundum veniſſe alibi fatetur, & à quo ne à matre quidem & fratribus ſuis requiſitus aliâs diſcedere voluit. Ita verò de initio & fonte ſalutis noſtræ nos Spiritus Sanctus admonet. Eſt is incredibilis & plus quàm paterna Dei bonitas, qui etſi in alto habitet (vt Pſaltes ille regius canit) eiuſque gloria cœlis ſublimior ſit, adhæc totius mundi gubernationem adminiſtret, demittit tamen ſeſe, vt pauperrimos & miſerrimos quoſque reſpiciat, & opem optatam, vel etiam non requiſitam interdum, illis ferat. Ita Adamum corpore & anima nudum vidit, & improbi tranſgreſſoris miſertus, fugientem & latebras quærentem ipſe quæſiuit prior. Eadem bonitate Abrahamum inter idololatras agentem reſpexit, & ne eorum exemplo ſeductus periret curauit. Ad eundẽ modũ filios Iſrael Aegyptiorum tyrãnide crudeliter oppreſſos et (quod omni ſeruitute miſerius erat) eorundem ſuperſtitionibus excæcatos iam & corruptos vidit, deque illis liberandis cum Moſe egit. Quid? nonne eiuſdem gratiæ & bonitatis fuit, quòd Dauidẽ adulterum & homicidã, ſalutis autẽ ſuæ ſecurum nimis contemptorem et nefarijs libidinibus, ceu re bene confecta, gaudentem vidit, & de illo in viam reducendo conſilium cæpit? Extant huius generis exempla plurima in Scripturis, quæ omnia recitare longum foret, ſufficiat autem omnium loco, quòd totum genus humanum peccati ſeruitio & mortis tyrannide oppreſſum ex alto vidit Dei Filius, & vt nos ſeruaret, ex ſinu Patris ad nos deſcendere & in mundũ hunc longè miſerrimum venire dignatus eſt: & quòd nos ab eodem quotidie reſpici ſentimus, dum nobiſipſis inter peccandum delitias facimus, & vix quicquam de ſalute noſtra cogitamus. Hæc vt vitam noſtram & ſalutem omnem in mera Dei bonitate fundatam eſſe docent, omnemque meriti noſtri reſpectum procul excludunt: ita cõſolationem efficaciſſimam habent, qua fidem noſtram in omni tentationum genere confirmemus. Cur enim conſcientiæ terroribus ſuperati in peccatis ſuis deſperent, qui peccatores à Deo non negligi aut hoſtiliter repelli, ſed oculis plus quàm paternis reſpici audiunt? Cur ſalutem ſuam in dubium vocent, qui dilectum illum Dei Filium, in quo omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri reconditi ſunt, ſibi medicum deſtinatum eſſe norunt? Vel cur in egeſtate, exilio, morbis aut quibuſcunque alijs miſerijs animũ deſpondeant, qui pauperes & afflictos à Deo imprimis reſpici tot ſcripturæ teſtimonijs & exemplis cum antiquis tum recentibus & quotidianis edocentur? Horum itaque conſideratio ſpem noſtram atque fidem fulcire debet, ne vel deſperemus, vel impatientia ſuperati murmuremus aduerſus Deum, vel etiam tempus & modum auxilij ferendi eidem præſcribamus. Huius potius voluntati nos ſubijci decet, & ei ſalutis noſtræ curam committere, qui cùm noſtri ſit amantiſſimus, nullam eius promouendæ occaſionem negliget.

Dominus vocat peccatores.

Deinde aduocat mulierem inualidam Dominus ad ſe. Eſt enim bonus ille paſtor, qui oues ſuas nouit, & ſingulas nomine etiam vocat. Et hic nobis ſecundus ad ſalutem gradus eſt, quod à Deo efficaciter vocamur, alioqui nũquã ad eũ acceſſuri. Nã eorũ ſimiles ſumus, qui ne ægrotare vi-

deantur, medicum non adeunt, vel illum ſponte venientem ex medicina impatientia reijciunt. Vt ergo vocemur diuinitus, imò vt trahamur opus eſt, Chriſto teſte, qui dicit: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit illum. At hîc etiam probè ſuo officio Dominus fungitur. Vt enim iſtam vocauit, ita frequenter in Scripturis omnes homines ad ſe vocat, & ad ſe venientibus certam ſalutis ſpem facit. Huc referri debet, quod apud Iſaiã clamat: O vos omnes qui ſititis venite ad aquas: & hi quibus non eſt pecunia, venite: comparate, & comedite: emite ſine argento & ſine precio vinum & lac, &c. Generalis etiam eſt vocatio, quam ſinguli ad ſe trahere poſſunt, illa Chriſti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ergo vos refocillabo. Item: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Vocat nos etiam viua voce per praecones ſuos, quoties Euangeliũ praedicatur. Et priuata atque occulta vocatio dici poteſt, quoties nobis Spiritus Sanctus aurem vellicat & animis noſtris bonas cogitationes inſinuat, quibus ad verbi Dei & ſalutis noſtrae ſtudium excitamur. At quocunq; modo vocemur, noſtrum fuerit vocantem Deum audire & ſequi, ne eius mandato reluctantes ſimul ſalutem, quam ille nobis liberaliſſimè offert, excludamus.

Iſa. 55.

Chriſtus ad ſe venientes ſeruat.

Excitet ergo nos huius exempli ſiue miraculi conſideratio. Nã ad ſe accedentẽ mulierẽ Chriſtus illico ſanat, quod his verbis Lucas deſcribit: Dixit ei, Mulier, abſoluta es ab inualitudine tua: & impoſuit ei manus, & illico ſurrecta eſt. Duo dicuntur, quibus & Chriſti virtus et modus ſiue ordo continetur, quo in nobis ſeruandis vti ſolet. Primum eſt, quòd verbo ſalutem praeſentem pollicetur: Mulier (inquit) abſoluta es ab inualitudine tua. Iam abſolutam eſſe pronuntiat, cùm nihil minus adhuc appareret. Sed pro imperio loquitur, vt ſe potentem rerum dominum eſſe oſtendat, qui tam morbos quàm vitam & mortem in ſua manu habeat, et tunc quoq; ſalutem praeſentem nutu atque verbo ſuo nobis conferre poſſit, quando carnis rationi nulla huius ſpes affulget. Et eſt hic Dei mos iam inde à prima rerum origine vſurpatus, quòd per verbum nos ſeruat. Sic Adamo verbum ſalutis propoſuit, quando pollicitus eſt ſemen mulieris, cuius merito & virtute caput ſerpentis conteri oporteat. Et Abrahamo ſalutem certam attulit promiſſio In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terrae. Quia enim huic credidit, fides haec ipſi imputata eſt ad iuſtitiam, & ſimul diem Ieſu Chriſti vidit, cuius merito ſeruatus eſt. Pertinet huc quoque illud Pſalmi dictum, quo de ijs, qui morbis confecti ad Deum clamant, pronuntiat: Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos. Quod Paulus obſeruans dicebat, Euangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti. Cui conuenit Angeli teſtimonium, qui Cornelium Centurionem, vt Petrum accerſeret, admonens ait: Is tibi loquetur verba, per quae ſerueris tu & domus tua. Etenim ſi Reges huius ſaeculi ſuam erga ſeruos ſuos beneficam voluntatem verbo vno declarare ſolent, quod irritum eſſe nolunt: quantò magis cum Filij Dei, Sacerdotis & regis aeterni verbo ſaluifica virtus coniuncta eſt? Faciunt haec ad Euangelij commendationem, & eos confutant validiſſimè, qui huius praedicationem contemnunt, & eius ſtudium inutile eſſe arbitrantur. Qui dum ordinem ſalutis à Deo inſtitutum & tot ſaeculis confirmatum nolunt admittere, à ſalute omni excidunt.

Pſal. 107.

Acto. 11.

Manuum Chriſti impoſitio.

Alterũ eſt, quòd manus mulieri Dominus impoſuit. Vſus eſt hoc ritu ſiue geſtu etiã in multis alijs curandis, quo cõmunicatio figuratur, per quam ille nobis coniungatur oportet. Nam niſi id fiat, nulla ex ipſo ſalus ſperari poteſt. Quid enim à nobis alienus proderit? At cõmunicationi huic imprimis incarnatio ſeruit, de qua Ioañes Euangeliſta pronuntiat: Verbũ Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Qua ratione etiam Emanuel dicitur, quod idem eſt ac ſi dicas: NOBISCVM DEVS. Vinculum huius coniunctionis fides eſt, quae Spiritus Sancti virtute in nobis generata animos noſtros illuſtrat & ſupra mundum hunc corruptibilem, adeoque ſupra omnes caelos euehit, vt illum apprehendamus, & eidem inſeramur, vt ipſe quidem in nobis, nos autem in illo viuamus. Quae vt verbo traduntur: ita externis quoque ſignis adumbrari & confirmari ſolent, vt noſtrae infirmitati conſulatur, qua impediti ad tam ſublimia myſteria percipienda tardiores ſumus. Baptiſmo igitur in Eccleſiae ſocietatem adoptamur, quae Chriſti corpus eſt, vt ex ipſo capite omnium electorũ vitae ſpiritum hauriamus. In Coena autẽ obſignatur redẽptionis per mortẽ illius factae beneficium, & ſimul oſtenditur ipſum eſſe panem illum vitae, qui ideo de caelo venerit, vt nos ad vitam aeternam paſcat. Et haec cauſa eſt, quòd in Sacramentis ipſi Chriſto communicare dicimur: vbi tamen nos nihil carnale & craſſum (vt olim Capernaitae fecerunt) imaginari decet, cùm tota

hac ratio communicandi ſpiritualis ſit, neque nos eius aliter quàm per fidem participes efficiamur. Non ergo in externis ſymbolis hærere; ſed potius fidei contemplatione in rem ipſam, quæ his adumbratur atque obſignatur intenti eſſe debemus. Nam vt multis non profuit, quod vel ipſi Chriſtum contrectauerunt, vel ab ipſo contrectati ſunt (vt in Iudæ proditoris & aliorum, qui fide deſtituti fuerunt, exemplis cernitur) ita multò minus Symbola corporis & ſanguinis eius proderunt, ſi ea abſque fide vſurpemus. Ac quia de his alibi copioſius eſt dictum, hæc nunc breuius perſtrinxiſſe ſatis ſit. Interim tenere oportet, hanc eſſe ſalutis conſequendæ rationem vnicam, vt Chriſtum in Euangelio nobis loquentem audiamus, & eundem ſe nobis quaſi manibus porrectis & ad nos protenſis offerentem admittamus. Nam vt mulier iſta, dum hoc facit, illico ſurrecta & à maligno illo infirmitatis ſpiritu liberata eſt: ita mox ſuos quoque animos ex terræ ſterquilinio in cœlos erigi, & Satanam procul diſcedere ſentient, quotquot illius exemplum imitati fuerint. Nec enim illi ius eſt aliquod in eos, qui Chriſti peculium facti ſunt. Et vt huic nos conſecremus, nos huic mulieri exhibitum beneficium excitare debet, in quo tam illuſtre ſuæ tam gratiæ quàm potentiæ ſpecimen adidit. Gratiæ enim & bonitatis ſingularis argumentum eſt, quòd illam reſpicit, & viſam ad ſe vocat, & accedenti manus imponere dignatur. Potentiæ autem & virtutis diuinæ opus fuit, quod verba & promiſſionem eius abſq; mora effectus ſequitur, & nullo alio fulcro adiuta erectos ad ſidera vultus attollit, qua ab annis decem & octo incurua repſerat.

Porro vt huius miraculi doctrina fructuoſior ſit, diligentius conſiderandum erit mulieris exemplum, vt quid hæc ante & poſt reſtitutæ ſalutis beneficium fecerit videamus. Occurrit hîc primum, quòd die Sabbati Synagogam ingreſſa eſt, vbi ex veteri more Lex Dei & veterum Prophetarum ſermones prælegebantur, & preces publicæ fiebant. Fuit ergo verbi Dei amans & pietatis ſtudioſa, quod electis proprium eſſe Chriſtus docet, apud Ioãnem dicens: Qui ex Deo eſt, audit verba mea. Item: Oues meæ vocem meam audiunt. Amplius verò mulieris huius pietatem commendat aduerſa eius valetudo. Quàm enim moleſtum & laborioſum ei fuerit domo egredi & in publicum prodire, facilè æſtimabunt, qui vel vnico alicuius membri morbo laborant. Ac hæc toto corpore incurua moleſtiam omnem ſuperat. Magnum ergo in illa fuerit oportet verbi Dei ſtudium, in quo procul dubio conſolationem multam & recreationem à morbo grauiſſimo inueniebat, vt cum Dauide poſſet dicere: Magis expetibilia ſunt verba Domini quàm aurum præſtantiſſimum, & dulciora fauis melle ſtillantibus. Eſt hoc (vt ante diximus) quoad nos, ſalutis noſtræ principium. Quia enim hanc nobis per verbum Deus offert, nunquam eam aſſequentur, qui illud faſtidiunt vel oderunt. Et ſimul à nobis rogari vult Deus, cùm preces propriiſſimum ſint exercitium fidei, qua ille imprimis delectatur. Pudeat autem ſua ignauiæ eos, qui cùm corpore ſint ſano & integro, nunquam tamen vel quàm rariſſimè ad cœtus ſacros veniunt, & quaſi ſibiipſis ſufficere poſſint ad omnia, vnà cum verbo Dei preces quoque cùm publicas tum priuatas negligunt. Solent illi multa prætexere, quibus ſeſe excuſent, ſed ſufficit illis confutandis & conuincendis mulierculæ huius exemplum, quam neque corporis miſerabilis conditio, neque labor & itineris moleſtia, neque ſacerdotum & ſcribarum indocta auaritia abſterrere potuit, quò minus ad cœtus ſacros proreperet, vt verbum Dei recitari audiret, & cum aliorum precibus ſuas quoque coniungeret. Non neglexit ergo eam Dominus, & ſuæ ordinationi ſeſe accommodantem ita ſanauit, vt multis alijs ad ſalutem aſpirantibus potuerit eſſe exemplo, & nos quoque hodie erudiat.

Deinde oblatũ ex inſperato Dei beneficiũ alacri et prõpto animo excipit. Argumẽta huius ſunt duo: Vnũ, quòd à Chriſto vocata mox ad eũ accedit, neq; inceſſus ſui abſurdi & miſerabilis ipſam pudet corã tota Eccleſia, vt propius ei cõiungatur, quẽ docentẽ hucuſq; cũ voluptate audiuerat. Alterũ quod audita ſalutis promiſſione illico ſurrigitur, et terræ iã diu aſſuetos oculos in cœlũ attollit. Sunt hæc quoque imitanda nobis, ſi ſalutis in Chriſto participes velimus fieri. Et imprimis videre oportet, ne nos pudeat illum vocantem audire ac ſequi, quod quàm plurimis hodie obſtaculo eſſe ſolet, quò minus ſalui fiant. Sunt enim non pauci, qui etſi aurem ſibi à Spiritu Chriſti vellicari ſentiant, neq; etiã animo ad illũ ſequendũ prorſus alieno ſint, mũdũ tamen & vitæ prioris ſocios tãti faciũt, vt eos deſerere et ſubitã morum mutationem facere ipſis indecorum & inhoneſtũ videatur. Eſt autẽ pudor hic plus quàm præpoſterus, adhæc noxius & cum præſenti exitio coniunctus eſt, cùm pœnia

Officia eorũ, qui ſeruari volunt.

1. Studium uerbi.

2. Alacritas fidei & obedientiæ.

tentiæ obſtet, & à Chriſto vnico ſalutis authore abducat. Non puduit olim Polemonem Athenienſem iuuenem, ebrietate & morum licentia infamem, ſubitò coronas conuiuales ex capite detrahere, corporis totius cultum mutare et morum emendationem polliceri, cùm à conuiuio luxurioſo rediens Xenocratem philoſophum de temperantia & modeſtia diſſerentem audiuiſſet. At hodie qui Chriſtiani dici volunt, rem pudore dignam putant, ſi Chriſtum ad vitæ genus melius & ſalutarius ipſos vocantem audiant. Diſcant ergo omnes cæcum hoc & peruerſum iudicium corrigere, & cogitent ſe ad vitam cæleſtem conditos eſſe, cuius nobis doctor & author Chriſtus eſt. Huius igitur voce audita à ſomno expergeſiant, animos humi defixos attollant, & desertis huius mundi ſtudijs cæleſtia meditentur, ſeque totos medico huic fidiſſimo accommodent, ne ab ipſo oblatum æternæ ſalutis beneficium ſpreuiſſe videantur.

Vel. Max. lib. 6. cap. 11.

Poſtremò mulier, vbi ſalutem ſibi reſtitutam ſentit, Deum publicè glorificat, & huic beneficiũ iſtud omne tranſcribit. Et quidem inter eos hoc facit, quorum multos de Chriſto peſſimè ſentire & eum odiſſe non poterat ignorare. Ita verò Dei mandato obedit, qui vt ſe inuocari vult, & ipſum inuocantibus opem pollicetur, ita ab iiſdem requirit, vt liberati ipſum dignis laudibus vehant. Eſt hoc nobis probè obſeruandum, quibus ſalutem æternam Chriſtus attulit, cùm plus quàm incurui ſub tenebrarum poteſtate premeremur. Si enim hominibus benefactoribus gratiam bonam debemus, quantò magis Dei Filio, qui vt nobis ſubueniret, extrema & triſtiſſima quæque perpeti voluit? Ideo gratiarum actionem publicam Dauid in Pſalmis vouet, quoties in aliquo grauiori periculo conſtitutus Dei opem implorat. Et facit illa ad fidei confeſſionem, cuius neminem pudere debet, qui æternæ vitæ hæres fieri voluerit. Quàm seriò enim illam à nobis exigat Dominus, non vno loco audiuimus. At videndum ſimul, ne illa otioſa ſit, & verbis nudis atque inanibus conſtet, ſed vt vita atque mores noſtri illi reſpondeant. Ita enim verè glorificatur Deus, quando noſtro exemplo plures alij in illius cognitionem & ad veri cultus ſtudium adducuntur. Faxit ille, vt horum meditatione accenſi mulierem iſtam imitemur, & ſalutis per Ieſum Chriſtum partæ digni & legitimi hæredes efficiamur. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

3 Gratiarum actio.

Pſal. 51.

HOMILIA CXXXVIII.

Reſpondens autem præfectus Synagogæ, indignans quòd Sabbato ſanaſſet Ieſus, dixit turbæ: Sex dies ſunt quibus oportet operari: his ergo venite & ſanamini: & non die Sabati. Reſpondit ergo ei Dominus & dixit: Hypocrita, vnuſquiſque veſtrûm Sabbato nonne ſoluit bouem ſuum aut aſinum à præſepi, & ducit aquatũ? Hanc autem filiam Abrahami quam vinxerat Satanas, ecce decem & octo annos, non oportuit vinculo iſto ſolui die Sabbati? Et cùm hæc diceret, pudore afficiebantur omnes qui ſe opponebant ei: ſed tota turba gaudebat ſuper omnibus rebus, quæ fiebant ab eo.

Poſtquam Dominus noſter Ieſus Chriſtus Iudæorum gentem & cum his ſimul omnes homines grauiſſimis rationibus & exemplis eo ipſo tempore editis ad pœnitentiam hortatus eſt, mox miraculo in mulieris incuruæ curatione facto docuit, vnde nobis, qui natura ſteriles & ad bona opera inepti ſumus, virtus illa obtingat, quæ pœnitentiæ ſtudium excitat & fœcundos reddit, vt noſtra profeſſione dignos fructus feramus. Eſt enim quoad animam (vt nuper diximus) eadem omnium noſtrûm conditio, quæ huius mulieris fuit. Sed vt ea Chriſti verbo & contactu ſanatur: ita nos quoq; illius virtute reſtituimur, qui per verbum ſeſe nobis offert, & ideo homo factus eſt, vt quæcunque in ipſo ſunt nobis communicaret. Itaque fide perceptus facit, vt ex verbi ſemine renati omnia poſſimus, quæ prius nobis factu impoſſibilia erant. Hinc ergo bonorum fructuum fœcundiſſima ſeges naſcitur, vt animis ex terra & mundi huius ſordibus erectis cæleſtia meditemur, & toti in hoc ſimus, vt Deus in dictis & factis noſtris omnibus glorificetur. His

Lucas in præſenti principis Synagogæ de hoc Chriſti facto iudicium ſubijcit, in quo fici iſtius ſterilis exemplum proponitur, de qua nuper audiuimus, & in qua præter folia, id eſt, externam pietatis & ſanctimoniæ fucatæ ſpeciem nihil inuenitur. At cum ſimul multa alia hic locus contineat, de ſingulis eius partibus ex ordine erit dicendum.

Principio de Principe Synagogæ dicitur, quòd Chriſti factum inique tulerit, & indignabundus populum corripuerit, qui illius opem die Sabbati quærebat. Vidit ergo miraculum in muliere miſera æditum, & illud nec diſſimulare, nec negare, multò minus autem reprehendere aut damnare poteſt. Nam vt illuſtre erat diuinæ virtutis & gratiæ teſtimonium: ita per ſe pium & laude dignum eſt miſeris ſuccurrere, & malis diuturnis fatigatos atque depreſſos leuare. Adhæc Chriſti virtutem veritus cum illo congredi non audet, neque eum coram Eccleſia in diſputationis arenam aut certamen protrahere. Itaque ad rudem plebeculam conuerſus, eos accuſat violati ſabbati, qui vt ſanarentur ad illum conuenerant. Sex (inquit) dies ſunt, quibus oportet operari: his ergo venite & ſanamini, non autem die Sabbati. In quibus verbis imperitiã & ignorantiam ne iſtius nebulonis, an potius effrontem cum hypocriſi coniunctã audaciam mirari debeamus, neſcio. Ignorantia enim eſt quòd in ſolã literam Legis intentus verum huius ſenſum non videt neq; intelligit. Stupiditas autem & cæcitas dici meretur, quod inter opera ſeruilia & vera atque ſalutaria pietatis exercitia non poteſt diſcernere, quorum illa quidem prohibentur, hæc autem nunquam magis quàm die Sabbati fieri debent. Et quid obſecro hîc factum fuerat, quod inter opera prophana aut à Sabbati religione aliena referri poſſet? In Synagogam venerat hæc mulier, vt Dei verbũ audiret, & publicis Eccleſiæ precibus intereſſet. A Chriſto tũc accerſita ad ipſum progreſſa erat, vt ei obediret, qui tũc doctoris officio fungebatur. Nec præterea quicquã fecit, quàm quod oblatũ ſibi ex gratia ſalutis reſtitutæ beneficium læto & grato animo excepit, & Deo publicè gratias egit. Quid verò in his omnibus reprehenſione dignũ eſt? Aut an non hæc ſunt veri cultus exercitia, propter quæ dies Sabbati inſtitutus & eius obſeruatio nobis à Deo mandata eſt? Idẽ fateamur oportet, ſi Chriſti factum excutiamus, de quo non aliud dicitur, quàm quòd docuerit, & mulierẽ ſolo verbo & manuum impoſitione ſanarit. Fuit ergo hic Synagogæ princeps ipſo Mida & Murſia ſtolidior, cùm eius iudicio Sabbatum violent, qui Dei verbum vel docent vel audiunt, aut ad proximum laborantem manus amicas extendũt. At huic ſtoliditati atque ignorantiæ audacia deteſtabiles coniuncta eſt, quæ in populum inuehitur nulla reprehenſione dignum, & ita prouerbio vulgari fidem facit, quo nihil inſcitia arrogantius ſiue audacius eſſe dicitur. Vnde autem hæc enata eſt? Ex religionis fuco & hypocriſi, quæ iſtius loci homines iam pridem apud populum infelicem ſibi authoritatem & in Eccleſiam ſummum ius atque imperium acquiſiuerant. Quia enim homines fallebant, Deum quoque falli poſſe arbitrabantur, & proinde nihil abs ſe tam abſurdum fieri ſibi iam pridem perſuaſerant, quod ſimulata hac pietatis et religionis ſpecie non poſſet defendi.

Eſt autem hæc viua hypocriſis imago, ex qua omnium hypocritarum mores atque ingenium æſtimare poſſumus. Nouerunt hi plerumque veritatem, cùm ea vel inuitis ſeſe ingerat & ipſos propriæ conſcientiæ teſtimonio conuincat. Verumtamen non cedunt, eò quòd ſuo honori & quæſtui timent, quem ex pietatis ementita ſpecie habent vberrimum. Itaque in illis maximè impletur, quod Iſaias improbis verbi Dei contemptoribus denuntiat, fore vt audiant quidem auribus, ſed non intelligant: & videndo videant, neq; tamen cognoſcant: quales hodie multos videmus, qui dum ex religione ludos fingunt theatricos, diuino Dei iudicio in craſſam hanc & voluntariam cæcitatem ſiue ignorantiam præcipitantur. Et accedit huic malo aliud, quòd audaciæ improbæ ac impudenti metus coniunctus eſt, quem diſſimulare non poſſunt, quantùmuis ferociant. Solebant quidem Iudæi hypocritæ magno cum faſtu apud populum imperitum ſeſe venditare, & coram illo nihil non audere. At ijdem cum Chriſto palàm & aperto Marte congredi non audebant: ſed vel omnem cum eo diſputationem declinabant, vel ex inſidijs per quæſtiones captioſas illum aggrediebantur. Idem metus hodie etiam hypocritas exagitat. Quia enim in tenebris præcipuum & fortiſſimum ſui regni præſidium eſſe ſciunt, non poſſunt non timere veritatis lucem, quæ omnem ignorantiæ caliginem penetrat, & vulgi oculos illuſtrat, vt eos agnoſcant, & agnitos contemnant atque deteſtentur, quos prius pro ſanctis aut Semideis venerabantur. Itaq; ſi quod ab illa periculum

Princeps Synagogæ ficus ſterilis exemplum.

Hypocriſis imago.

Iſa. 6.

imminere vident, mox ad populnm rudem atque rernm imperitum conuerſi cum omnibus ijs expoſtulant, qui veritatis doctrinæ aures præbent, & de illa rectius ſentire incipiunt: Adhæc anxiè cauent, ne ad liberam & publicam diſceptationem res perueniat. Fit iſtud hodie tam aperte, vt nemo negare poßit. Clamant enim ex omnibus pulpitis Monachi & ſacrifici aduerſus Euangelij doctrinam, & populi leuitatem accuſant, qui nouis iſtis doctoribus (ſic de nobis loquuntur) atque hæreticis locum det. At ſi quis vel ex doctorum numero, vel etiam ex vulgo ſeſe offerat, qui cum ipſis de tota hac controuerſia colloquium aut diſputationem publicā petat, mox ſuffugia quærunt, & congreſſum omnem deuitant, ne populus ampliorem habeat veritatis cognoſcendæ occaſionem. Maior eſt autem Pontificum impudentia, qui ne cauſæ cognitionem ſubterfugere videantur, Concilia indicunt generalia, ad quæ omnes tam Epiſcopos quàm principes conuenire iubent, & in ijs cuique liberum tutumque fore pollicentur, vt ſuæ doctrinæ & fidei rationem reddat. Interim verò iniquis præiudicijs iſtud omne agunt, dum ad reddendam rationem eos vocant, quos iam ante nondum auditos damnauerunt, & ſeipſos actores, teſtes & iudices faciunt: ita denique rem omnem agunt, vt veritatis cognitio ad vulgus uunquam poßit peruenire: nec cauſæ huius cognitionem vlli permittunt, quàm quos ſibi prius iuramento peculiari obſtrinxerunt. Ne quid tamen ſceleris deſit, in omnibus iſtis Dei zelum & diuini cultus atque publicæ ſalutis ſtudium prætexunt. Hæc tamen ita vrgent, vt omißis præcipuis capitibus ex quibus Dei cultus & hominum ſalus dependent, in externis modò hæreant, quæ inani potius oſtentationi quàm pietati ſeruiunt. Sic noſter iſte de ſolœcio Sabbati agit, & hoc tale fingit, quo proprius quoque Sabbati vſus in vniuerſum aboleatur. Ita hodie Monachi & qui eorum partes ſequuntur apud imperitum vulgus ferias & dies ſacros, ieiunia, caſtitatem, paupertatem voluntariam, carnis mortificationem, obedientiam & ſexcenta alia perpetuò in ore habent: iſta autem omnia non niſi externa & hypocritica ſpecie metiuntur, & ſub feriarum nomine vel otium ignauum, vel ſuperſtitioſum Diuorum cultum intelligunt: ieiunia autem inutili ciborum diſcrimine, caſtitatem impuro ſuo cælibatu, paupertatem quæſtuoſa & impudenti mendicitate, carnis caſtigationem ciliciorum vſu & alijs exercitijs corporalibus, obedientiam immunitate licentioſa definiunt, ſub cuius prætextu parentibus, magiſtratib. legitimis, eccleſiarū paſtoribus, omnibus deniq; debitū obſequiū negant, quibus nos Lex diuina obedire iubet.

Iſa.

Nihil autē ijdem dicūt de ieiunio vero, quod per Iſaiā nobis Deus cōmendat, nihil de otio ſacro, quod nos vni Deo addicit: nihil de fide & caſtitate coniugali, quā patres olim in legitima liberorū procreatione obſeruarunt, & quæ thorū coniugalē omni pollutione liberat: nihil de cōmunione bonorū Chriſtiana, quæ & ſuū cuiq; ius integrū ſeruat, & veræ beneficētiæ mater eſt: nihil de carnis mortificatione, quæ gladio ſpiritus perficitur, nihil de obedientia vera, quæ Deo reddere iubet quæ Dei ſunt, & Cæſari quæ ſunt Cæſaris. Et hi omnes reuera fici ſunt non ſteriles ſolùm, verumetiam noxiæ. Nam & terram Dominicæ vineæ occupant, in qua ſibi ſummū imperium vendicarunt, & ſimul obſtant ne alij fructus ferant, dum quoſuis à vera pietate ad inanes ceremonias remittunt, quæ neque gloriæ Dei neque ſaluti hominum ſeruiunt. Quales fuiſſe Iudæorū antiſtites ſupra audiuimus, qui cùm clauem ſcientiæ haberent, nec ipſi ingrediebantur in regnum cælorum, neque alios ingredi ſinebant. Et tales nouißimis temporibus regnaturos eße Paulus prædixit, quos infelix mundus ſibi accumulaturus ſit, vt eorum traditionibus & blandiloquentia delibutus veritatis doctrinam non admittat, quæ carni & morum licentiæ aſſuetis durior & intolerabilior eſſe videtur. Quod cùm multis in locis hodie fiat, neque exempla deſint eorum, qui ab illis decepti corpore & anima pereunt, eò magis nos adniti ac vigilare decet, ne idem nobis accidat. Neminem ergo titulorum magnificus ſplendor, aut quantùmuis ſpecioſus ſanctitatis fucus mouere debet, vt aliquem temere audiat et ſequatur. Sed rem ipſam omnes conſiderent, & ſpiritus ſiue doctrinas omnes ad verbi Dei examen reuocent. Quòd ſi cum hoc pugnent, noxiæ cenſeantur, & qui eas inuehunt in eorū architectorū numero habeātur, qui pretioſum illū lapidem fundamēti reprobare audēt.

Chriſtus mulieri patrocinatur.

Porro ad Chriſtum veniamus, qui ſimplici plebi, quam inſolens iſte princeps Synagogæ ſuis duris dictis protelare & procul ab illo arcere conabatur, egregiè patrocinatus eſt, et huius nequitiā atq; iudicij temeritatem probè detexit. Nec enim ille ſuos vnquā deſerit, quiſquis tandem ſit qui eis moleſtiam exhibet. Nam fidelis paſtor nihil acerbius eſſe putat & intolerabilius, quàm ſi qui

oues

oues ab ipſo abducere conentur. Ita alibi diſcipulos tuetur, quos phariſæi accuſabāt, quòd illotis manibus ad menſam accubuiſſent. Simili fide poſtea Mariæ ſuum patrocinium præbuit, cùm ab ipſis Apoſtolis temere reprehenderetur, eò quòd maximi pretij vnguento caput eius & corpus totū perfudiſſet. Debet hoc fidos Chriſti ſeruos conſolari, quando in grauiſsimis periculis famæ aut vitæ ſuæ ſe omni humano præſidio deſtitutos eſſe vident. Nam vbi pater meus & mater mea (inquit Dauid) me deſerunt, Dominus adeſt mihi. Neque patronum alium ſibi anxiè quærere debent, quibus ſpiritum ſanctum paracleti & aduocati loco æternus Dei filius deſtinauit. Simul autem omnes Eccleſiarum paſtores exemplum hoc officij ſui admonere debet: ne videlicet perſonatos illos alienæ fidei dominatores in rudem populum graſſari patiantur, ſed lupos ouillis pellibus tectos liberè arguant, ſeq; improbis eorum conatibus opponant. Sed Chriſtum ipſum loquentem audiamus.

Pſal. 27.

Hypocritæ crimen.

Hypocrita (inquit) vnuſquiſque veſtrûm Sabbato nonne ſoluit bouem ſuū aut aſinum à præſepi, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahami, quam vinxerat ſatanas ecce decem & octo annos, non oportuit ſolui die ſabbati? Primò hypocritam dicit, & ita eum maximi ſceleris accuſat. Quia enim hypocrita eſt, qui ſpecie falſa alium ſeſe ſimulat, quàm reuera ſit, perinde hoc eſt, ac ſi mendacem dixiſſet. At mendacij pater eſt diabolus, & huius filij ſunt, quotquot mendacijs ſtudent & veritatem oderunt. Et hoc quidem de omni mendaciorum genere dici poteſt. Quòd ſi qui verò hypocritæ ſunt in ijs, quæ ad religionem ſpectant, & Dei nomine ad velanda mendacia ſua abutuntur, horum ſcelus cum ſumma impietate coniunctum eſt. Nam tales ſpiritui ſancto mentiuntur, & (quod nemo vir bonus ferre poteſt) ſuis fraudibus nomen Dei prætexunt. Poterat ergo Chriſtus conuitiator videri, quando hoc nomine eum compellat, cuius ſumma erat in illa ſynagoga authoritas. Sed non ſtatim conuitium dicit, qui ex officio vnumquenq; eum dicit qui eſt. Et miniſtrorum verbi eſt peccata arguere & vnumquenque in ſuiipſius cognitionem inducere, vt vitia ſua deteſtari diſcant, & pœnitentiam ſeriam meditentur. Id verò in hypocritis omnino fieri oportet, qui ſimulata pietatis & ſanctimoniæ ſpecie ſibiipſis quidem delitias faciunt, alijs autem multis imponunt, qui ipſorum cum doctrina tum exemplo ſeducuntur. Itaque huic etiam laruam detrahi neceſſe fuit, vt magis animo percelleretur, & auditores eius authoritati minus tribui debere intelligerent. Et admonentur hoc exemplo omnes Eccleſiarum paſtores, quà ratione ipſi quoque eos tractare debeant, qui cùm doctrinæ & religionis primi antiſtites haberi velint, Chriſto tamen & veritati ſeſe impudenter opponunt. Sunt hi liberè arguendi, ne qui illorum authoritate & magnifico titulorum ſplendore ſeducti pereant. Quod enim hic fecit Dominus, hoc eum ſæpe aliâs feciſſe ſcimus, & idem ante illum ex ſpiritus impulſu Prophetæ fecerunt, quorum omnium exemplum Apoſtoli imitati ſunt, quibus non ſatis fuit ſui ſæculi impoſtores arguiſſe, niſi de ijs etiam admonerent, quos nouiſsimis temporibus exorituros eſſe ſciebant. Hos autem ſuis nominibus ita deſcripſerunt, vt nihil omiſerint, quod eos pijs inuiſos & exoſos poſſet reddere. Nam magnum illum Chriſti aduerſariū Paulus filium perditionis dicit, & hominem peccati, qui diabolica virtute inſtructus ſeſe exaltaturus ſit ſupra omne numen. Et alibi eos, qui coniugij & ciborum nobis à Deo conceſſorum vſum prohibent, dæmoniorum doctrinam annuntiare ſcribit. Nimiùm ergo iniqui ſunt, qui hodie dicendi leges fidis Euangelij miniſtris præſcribunt, & indignum putant, ſi qui iſta faciunt liberius arguantur. Nam non ſolum in Dei verbum & ſpiritum ſanctum ſibi ius ſumunt (quæ plus quam diabolica eſt arrogantia) verumetiam populum Chriſtianum ab interitu eripi nolunt, & ſcandalum ponunt cæcis, quorum inſtitutioni potius & ſaluti conſulere debebant.

Chriſtus ſuum factum tuetur.

Sed pergit Dominus & cauſam ſuam tuetur, docens eiuſmodi operibus nequaquam violari Sabbati religionem: Id autem exemplo vulgari & ex quotidiano vſu petito probat. Vnuſquiſque veſtrûm die Sabbati ((inquit) ſoluit iumenta ſua à præſepi, & aquatum ducit, neque id lex diuina prohibet, eò quòd ſit fieri neceſſe ſit, & neceſsitati lex non ſit poſita. Cur ergo accuſor ego, qui filiam Abrahami decem & octo annorum ſpatio diaboli vinculis aſtrictam ſolui hodie, vt dulciſsimis conſolationis diuinæ aquis tandem ipſa quoque recreetur? Amplificatur verò argumentum hoc comparatione. Nam inter ſe conferuntur bos ſiue aſina & filia Abrahami: deinde capiſtrum, quo iumenta ad præſepe aſtringuntur, & vincula diaboli. At quàm ingens diſcrimen ſit inter iumenta & Abrahami filios, id eſt, electos Dei, nemo non nouit. Imò ne verbis quidem exprimi poteſt, quantum

vel minimus ex filiorum Dei numero omnibus animantibus præſtet, cùm pro illis vnigenitus Dei Filius mortem infamem ſubire & proprium ſanguinem effundere dignatus ſit. Similiter non minus ferè inter ſe differunt capiſtrũ & vincula Satanæ. Illo enim iumenta ad præſepe alligantur, vbi pabulum ſuum habent, & ideo alligantur, ne in ſtabulo inter ſe pugnent & ſe mutuò lædant. At Satan ſuis vinculis ideo aſtringit homines, vt ab Eccleſiæ præſepi & Verbi Dei pabulo retrahat, & iiſdem impatientiæ, murmuris, ſcelerum denique maximorum anſam præbeat, quibus exitium tam ſibi ipſis quàm alijs accerſant. Ex his autem efficaciſsimè concluditur: Si iumentum à præſepi ſoluere & aquatum ducere licet die Sabbati, multò magis hominem ad Dei imaginem conditũ & qui Eccleſiæ Dei membrum eſt, Sabbato licebit vinculis diaboli liberare, neq; in eo cunctari debent quibus hoc faciendi facultas offertur, quando in eiuſmodi caſu omnis mora pernicioſa eſt. Simile argumentum Chriſtus Matthæi duodecimo capite adducit, vbi hominem, cuius manus exaruerat, die Sabbati curauit: & infra capite decimo quarto tale quid audiemus, vbi hydropici Sabbato curati hiſtoria deſcribitur.

Abrahami filia quomodo dicatur?

Sed priuſquã de huius quæſtionis aut controuerſiæ ſtatu plura dicamus, diligenter obſeruari debet Chriſti locutio, qua filiam Abrahami dicit mulierem, quã diabolus quoad corpus per annos decem & octo ſuis vinculis aſtrictã habuerat. Ita enim dicitur, non quòd ſecundùm carnis generationem ex Abrahami genere nata eſſet, ſed ad electionis gratiã reſpicit Dominus, qua illam Pater cœleſtis inter germanos Abrahami filios & regni ſui hæredes æterno ſuo conſilio adoptarat. Ad eundem modum Paulus non vno loco eos, qui ex gentibus crediderãt, prius ſub poteſtate tenebrarũ, ad hæc à repub. Iſraelis abalienatos, extraneos à pactis promiſsionum & Dei expertes in mundo fuiſſe ſcribit, cùm ijdem illi tunc quoq; apud Deum in electorum numero eſſent. Et hoc illud eſt, quòd Chriſtus apud Ioannem ſe oues alias, præter Iudæos, habere ait, quas vocari oporteat: ita nimirũ electos ex gentibus vocant, qui tunc à ſocietate Eccleſiæ adhuc alieni erant. Non ergo ex præſenti ſtatu de quoquã temere pronuntiandum eſt, cùm quo loco apud Deum ſit neſciamus. Multò minus damnandi ſtatim ſunt, quos à diabolo exagitari & vexari videmus. Nam hoc etiã electis ſuis certo conſilio accidere Deus patitur, quãdo vel carnis eorum petulantiã coercere, vel fidem exercere, vel etiã alijs eos in exemplum proponere decreuit. Patet hoc in huius mulieris hiſtoria, in quam etſi Satan tanto tempore ſummũ imperiũ habere viſus ſit, eadem tamen in Chriſti manu fuit, qui ne quid anima eius pateretur, eam fideliter cuſtodiuit. Simile eſt Iobi exemplum & multorum aliorum, quos Scriptura nobis proponunt. Non temere ergo Apoſtoli olim homines contumaces & impœnitentes in Satanæ poteſtatem tradebant ad carnis interitum, vt ſpiritus ſeruaretur in die Domini, ſicuti in Corinthio illo inceſto videmus factum fuiſſe. Et quàmuis hodie Eccleſiarũ miniſtri non armati ſint ſimili aut eadem Spiritus virtute, Deus tamen illud ipſum quotidie facit, dum morbis diuturnis aut alijs flagellis, in quibus Satana miniſtro vtitur, eos domat & frangit, qui incurabili vel malitia vel ſocordia ad exitiũ tendunt. Tunc autem nobis patientia & ſano fidei iudicio opus eſt, ne nos ideo à Deo deſertos & Satanæ omnino mancipatos eſſe putemus. Nam etſi interdum Dominus opem diutius differat, interea tamen Spiritu ſuo nobis adeſt, neque nos ſupra vires tentari patitur, & quando ſalus noſtra id exigit, omni flagello liberatos in integrum reſtituit.

Ioan. 10.

Sabbati uſus uerus.

Porro verũ Sabbati vel diei Dominici vſum paucis hiſce verbis Chriſtus tradit. Eſt huius inſtitutio vetuſtiſsima, vt quæ ad primam mundi creationem refertur, & hominis lapſum præceſsit, nec dubium eſt, quin illum priſci patres religioſiſsimè obſeruarint. In Lege deinceps Deus illius obſeruationem ſæpiſsimè & magna cum grauitate commendat, adeò, vt in eius tranſgreſſores pœnam capitis decernat. Prophetæ item Sabbati violationem inter excidij Hieroſolymitani & Babylonici exilij cauſas numerant. Quod Nehemiã mouit, vt poſt reditum ab illo exilio & vrbe iam rurſus inſtaurata hunc ſanctiſsimè coli vellet, & eiuſdem obſeruationem contra vicinos, armata quoq; manu, niſi ab eius prophanatione abſtinerent, ſe vindicaturum eſſe minitaretur. Sed neq; Legis diuinæ authoritas, neq; principum piorum & fidelium doctorũ diligentia atque ſeueritas vllis ſeculis efficere potuit, quin ſemper peccatum ſit aut ſuperſtitione aut prophano contemptu. Et Chriſti tempore per humanas traditiones Rabbini Iudæorum rem eò deduxerant, vt vniuerſa Sabbati obſeruatio in ceremonijs & præceptiunculis non minus ridiculis quàm inutilibus conſiſteret, adeò vt nefas

Num. 15.

putarent

putarent eo die pulicem ſaltantem capere. Inter Chriſtianos autem homines in ſuperſtitionis locum prophanus contemptus ſubijt: nimirum quòd qui ex gentibus oriundi dies feſtos prius conuiuijs, choreis & ludis tranſegerãt, hoc ipſum diebus Dominicis ſibi licere putarent. Quare multa in Patrum ſermonibus leguntur, quibus petulantiã illam accuſant: & extant leges Imperatoriæ, quibus eadem ſeueriſſimè prohibetur. Quid hodie fiat, nemo pius non videt, & quidem non ſine dolore. Eſt ergo hic locus multa conſideratione digniſſimus, quo verum et propriũ Sabbati vſum Chriſtus tradit: qui eſt, vt eo die tam nos ipſos quàm alios ſoluamus à vinculis diaboli. Sunt hæc potiſſimùm peccata, quibus homines ille conſtringit, vt ad pietatis exercitia neq; pedes neque manus mouere, imò ne oculos quidem ad cœleſtium bonorũ contemplationem attollere poſſint. Soluuntur vincula iſta per Verbi Dei ſtudium & preces ad Deum ardentes. His etiam pietas & beneficentia atq; dilectio fraterna excitantur. Et hæc præcipua otij huius ſacri ratio eſt, vt verbo Dei & precibus vacare poſſint, quos alijs diebus communis omnium hominum neceſſitas circa ea, quæ corpori curando & rei domeſticæ ſeruiunt, occupatos tenet. At ſi noſtrorum temporum mores ſpectemus, nunquã diabolo magis quàm hoc die ſeruitur, dum illius vincula pleriq; ſibijpſis acceſſunt, & ſimul alijs eadem inijcere ſatagunt. Alij enim auaritiæ laqueis conſtricti rationes ſuas ineunt, quando cœtibus ſacris adeſſe debebant, vel mercantur, vel debita ab alijs exigunt, ſimulq; ſeruos & ancillas in aliquo opere detinent, ne vel vnum diem otioſos alere cogantur. Alij libidine irretiti ſcorta ſectantur, & tunc maximè corpus & animum polluunt, quando toti ſanctimoniæ ſtudere debebant. Plerique Baccho feſtum agunt, qui mos ita obtinuit, vt nunquam plures temulenti & ebrij conſpiciantur, quàm diebus Dominicis, & tunc maximè hoſpitia publica, tabernæ meritoria, domus priuatæ vino madent, incondito ebriorùm clamore & cantu ſtrepunt, qui plerunque in rixas, pugnas & cædes deſinit. Qui verò optimi ſunt, ij vel aucupio ſeſe exercent, vel ferarum & leporum vulpiumq; luſtra indagant, aut ignaui domi deſident, vt neque conciones ſacras adeant, neque Scripturas ipſi legant, & nulla prorſus operum atq; beneficiorum Dei meditatione animos recreent. Sunt hæc tam manifeſta, vt extremæ impudentiæ ſit ea negare. Non eſt ergo, quòd calamitatum tam publicarum quàm priuatarum, quæ nos vndique vrgent, cauſas admiremur aut curioſius inquiramus, quando hæc ſola ad prouocandam Dei iram poteſt ſufficere.

Reſtat vt totius negotij finem aut exitum videamus, quem his verbis Lucas deſcribit: Et cùm hæc diceret, pudore afficiebantur omnes, qui ſe opponebant ei: ſed tota turba gaudebat ſuper omnibus glorioſis rebus, quæ fiebant ab eo. Proponuntur hîc nobis duo hominum genera. Vnum eſt aduerſariorum Chriſti, quorum ducem aut anteſignanum dicere poſſumus Principem ſynagogæ, qui primus hanc litem mouerat. Hi ſimul omnes pudore afficiuntur, quando ſe publicè & coram toto populo ita conuinci audiunt, vt nihil poſſint reſpondere. Et ſanè meritò illos ſuæ ſtoliditatis pudet, qui ne id quidem potuerũt intelligere, de quo proprijs exemplis quotidie admonebantur. Sed quàmuis ipſos pudeat, non tamen cedunt, ſed Chriſtum pertinaci atque incurabili odio proſequuntur, quæ cauſa fuit, quòd omnia eius dicta & facta ſubinde calumniati ſunt. Eſt hoc proprium hypocritis: Quia enim gloriæ priuatæ ſtudio tument, mox pudorem abſtergunt, & quamuis occaſionem auidè arripiunt, quæ veritatis lucem obſcurari poſſe ſperant. Alterum genus eſt hominum vulgarium, qui gaudent audito Chriſto, & ei publicè congratulantur, quòd hypocritæ impudentem arrogantiam tam feliciter repreſſerit. Apparet in hoc exemplo quanta ſit vis diuinæ Veritatis. Nam etſi hoſtes habeat atterrimos, potentia & authoritate inſtructos & qui cedere ipſi neſciunt, eoſdem tamen intra conſcientias ſuas conuincere poteſt vt inuitos quoque ſuæ ignorantiæ & temeritatis pudeat: vtq; eorum confuſione atque ignominia gaudeant, qui illos prius pro Dijs adorare ſolebant. Eſt ergo infeliciſſima hypocritarum conditio, quia dum ſe iam regnum obtinuiſſe putant, ſubitò detectis ipſorum fraudibus, eos etiam ſibi inimicos eſſe ſentiunt, à quibus paulo ante colebantur. Exempla huius generis hodie paſſim cernuntur. Triumphant quidem Epiſcopi & præſules perſonati, dum nemo eſt qui ſe ipſis opponat. Quàm primum verò luce veritatis arguuntur, mox aduerſus eos omnis loci & ordinis homines conclamant, & quod antea mente repoſtum celabant odium detegunt. Nimiùm ergo ſtulti ſunt, qui vulgi momentaneo fauore decepti veritatem abs ſe vinci aut opprimi poſſe ſperant. Diſcant potius omnes huic cedere, & gloriam Deo dare, quando ſe intra animos ſuos conuinci ſen-

Effectus actionis huius.

tiunt: gaudeant denique, quando Ieſum Chriſtum hoſtibus ſuis ſuperiorem eſſe vident. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIX.

Dixit autem Ieſus: Cui rei ſimile eſt Regnũ Dei? & cui illud aſsimilabo? Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum quiſpiam miſit in hortum ſuum: & creuit, & euaſit in arborem magnam, & volucres cœli nidulati ſunt in eius ramis. Et rurſum dixit: Cui rei aſsimilabo Regnum Dei? Simile eſt fermento, quod acceptum mulier condidit in farinæ ſatis tribus, vſquequò fermentaretur tota. Et tranſibat ſingulas vrbes & vicos, docens & iter faciens Hieroſolymam.

Vide Marcum homil. 37. *INter Dei opera nullum præſtantius, illuſtrius atq; admirabilius eſt, quàm quòd Filium ſuũ vnigenitum & dilectum nobis Seruatorem dedit, qui & mortis ſuæ merito nos redemit, & ſalutem ſanguinis ſui pretio partam per Euangelium omnibus liberaliſsimè offert. Idem tamen hoc omne ita adminiſtrauit, vt nihil contemptius aut ignobilius videri queat, ſi res humani iuditij calculo æſtimetur. Nam vt Dei filius, Ieſus Chriſtus, ex virgine paupercula in ſtabulo naſci voluit, & in terris pauper atq; contemptiſsimus vixit: Ita Euangelij ſui doctrina non ſolùm ſimplex & nullis verborum phaleris commendabilis, ſed propter hoſtes quos habet acerrimos & qui hanc comitantur motus atque turbas, pleriſq; noxia & proinde odio digna putatur. Offendit hoc multos hodie, nec dubium eſt, quin olim quoq; multi offenſi fuerint, quando ipſum Dominum potentiſsimis quibuſq; exoſum eſſe, & eius doctrinam quotidie oppugnari videbant. Itaque cum nuper quidam Synagogæ princeps ſeſe ei oppoſuiſſet, & populum quoque abſterrere conatus eſſet, ne apud illum opem ſiue ſalutem quærerent, ex eo occaſione ſumpta parabolas binas proponit, quibus populo & auditoribus ſuis animum facit, ne humilibus hiſce Regni ſui exordijs offendantur, neque etiam hoſtium minis aut conatibus ſeſe perterrefieri ſinant. Docet enim eam eſſe Euangelicæ doctrinæ vim, vt præter omnem hominum expectationem ſuccreſcat, & inuitis aduerſarijs omnibus ſeſe quàm latiſsimè diffundat. Eſt ergo conſolatio iſta nobis etiam hodie plus quàm neceſſaria, quando Antichriſtus omnes vires atque extremos conatus exerit, vt ſurgentem Euangelij lucem extinguat, aut ſaltem intra anguſti anguli fines concludat.*

Parabola de ſinapi. *Primam parabolam ex re hortulana petit, & ab interrogatione admirationis plena exorditur, vt auditores attentiores reddat. Cui rei (inquit) ſimile eſt Regnũ Dei? & cui illud aſsimilabo? Vocat autem Regnum Dei ipſum Euangelium, ſiue huius prædicationem, eò quòd per hanc nobis Regnum ſuum Deus offert, cuius initium hîc eſt totius hominis innouatio, quæ illum totum Deo vindicat, finis autem & complementum in cælo habetur, vbi credentes Chriſtus ſibi cohæredes adoptat. Et hoc ſenſu Dominus ipſe & Apoſtoli Regnum Dei prædicauiſſe dicũtur. In præſenti autem ſibiipſi reſpondens ait: Simile eſt grano ſinapis, quod acceptum quiſpiam miſit in hortum ſuum: & creuit, & euaſit in arborem magnam, & volucres cæli nidulati ſunt in eius ramis. Quo loco tota grani ſinapis natura conſideranda erit. Nam etſi Chriſtus duo ſolùm attingat, tamen reliqua etiam, quæ illi inſunt, ad illuſtrandam Euangelicæ doctrinæ virtutem plurimùm faciunt. Et paruum quidem eſt, nec magni momenti res videri poterat, niſi vim ſuam effectis non vulgaribus proderet. Natura enim calidum & ſiccum eſt, & ideo acre admodum, quod mox ab ijs ſentitur, qui illud vel manibus vel dentibus conterunt. Adhæc purgandi vim habet, ex capite phlegma eijcit, & ſerpentum atque ſcorpionum ictibus medetur. Et quod in præſenti Chriſtus potiſsimùm attingit, etſi inter ſemina minimum ſit, tam felix tamen eſt eius prouentus, vt ſemel in hortis ſemente eius facta, ipſum ſibi deinceps ſemen atque ſationem ſubminiſtret, & in altum ſurgens ramoſq; latiſsimè diffundens omnes plantas hortenſes longè ſuperet, adeò vt auium nidos ſuſtinere poſsit.*

Euãgelij natura & cõditio. *Iſta verò Euangelij naturam atque conditionem nobis ceu in tabula depictam adumbrant, vel potius perfectiſsimè exprimunt. Nam hoc quoque, ſi externam ſpeciem conſideres, carnis iudicio nullius pretij aut virtutis eſſe putabitur. Argumentum enim eius eſt Ieſus Chriſtus, de quo olim Iſaias*

Iſa. 53. *vaticinatus eſt: Non eſt ei forma neque decor: videbimus eum, ſed non eſt ei aſpectus vt cupiamus*

illum:

*illum: Deſpectus eſt & abiectus inter viros, vir dolorum, & qui infirmitatem expertus eſt: erit vt
aliquis, à quo quis faciem abſconderet &c. Quæ omnia cum ijs conſentiunt, quæ de illo ab Euangeli-
ſtis traduntur. Non temere ergo Paulus dixit: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis qui* 1. Corinth. 1.
*dem ſcandalum, Græcis verò ſtultitiam. Et vtinam hodie hoc ſolum nobis dicere liceret: ſed eò vſq;
progreſſa eſt hominum impietas, vt Chriſtiani quoque nominis profeſſoribus pleriſque idem poßit
dici, quorum alij Chriſti cruce & vili ſpecie offenduntur, alij doctrinam eius ſannis & ludibrijs elu
dunt, multi verò hoſtiliter erga eam affecti ſunt. Sed & dicendi genus eſt ſimplex & humile, nullis
humanæ eloquentiæ coloribus phaleratum. Miniſtri ſiue præcones ferè homines obſcuri, contempti,
& propter huius prædicationem liberiorem exoſi. Ea denique horum eſt ſors atque conditio, vt cùm
alios omnes ſua fides & induſtria commendet, ſoli Euãgelij præcones eò magis odio habeantur, quò
fidelius in creditam ſibi prouinciam incumbunt. Itaque cum illius prædicatione crux atque perſecu-
tiones ſemper coniunctæ ſunt, quæ in auditores quoque redundant. Vt enim Verbi Dei lucem mun-
dus odit, quia per hanc opera eius praua arguuntur: ita neque eos ferre poteſt, qui lucem iſtam fo-
uent, & ſuo etiam exemplo impios atque prophanos homines accuſant. Fit ergo quod Paulus dicit,
vt perſecutionem patiantur quicunq; volunt in Chriſto piè viuere. Etſi verò hæc in mundo Euange
lij ſors ſit, virtus tamen eius maxima & effectus mirifici ſunt. Nam calorẽ habet & acrimoniam,
quibus totum hominem penetrat, animos cæleſtium bonorum amore accendit, carnis deſideria adu-
rit & conſumit, eorundem ſuperflua ſtudia exiccat: & ideo alibi ſali & gladio confertur. Quod vt
apud pios illud commẽdat, ita impios in odium eius excitat, vt modò diximus. Deinde vt ipſum pu
rum eſt & argento ſepties per ignem purgato ſimile: ita in homine purgando plurimùm poteſt. Nam
redundantes humanæ ſapientiæ humores eijcit, carnis deſideria abſtergit, & veteris ſerpentis mor-
ſui medetur, quo Adam ictus peccatum & mortem ad omnem poſteritatem quaſi hæreditario iu-
re tranſmiſit. Quia enim Chriſtum prædicat, qui nobis à Deo Patre ſapientia, iuſtitia & ſatisfactio
datus eſt, quotquot illi verè credunt, ijs propter Chriſtum fide appræhenſum peccata non imputan
tur amplius, & ijdem ignorantiæ tenebris exempti luce filiorum Dei ſalutari fruuntur. Vnde ſequi
tur, vt quoad mores innocentiæ & ſanctimoniæ ſtudeant, & quas ipſis mundus & natura carnis cor
rupta labes aſpergunt pœnitentia quotidiana abluant. Denique totũ hominem immutat & regene-
rat ſemen Euangelij, ſicuti in torum exemplis eſt videre, qui olim ei crediderunt, & hodie illud non
ficta fide recipiunt. Vt verò ſinapi ſemel ſeminatum poſtea ſeipſum ſeminat & propagat: ita admiſ-
ſa ſemel Euangelij doctrina proprijs viribus (vt ita dicam) indies latius diffunditur, & ad plures
ſubinde ſeſe extendens nouos quotidie Chriſto cultores parat. Factum hoc Apoſtolorum temporibus,
quando incredibili ſucceſſu paucorum annorum ſpatio totum orbem terrarum percurrit. Et huc im-
primis pertinent, quæ de mirificis Eccleſiarum aliquot incrementis traduntur. Vocatur in Mace-
doniam per Angelum Paulus, & haud dubiè ſpem Euangelij in ea propagandi maximam conce-
pit. At Philippis ſola Lydia purpuraria cum pauculis alijs eum docentem audit, & Chriſto nomen
dat. Mox inde in carcerẽ rapitur & virgis cæditur, quod carceris cuſtodi lucrifaciendo occaſionem
præbuit. Et hoc tam tenui fidei Chriſtianæ initio facto ex ea vrbe diſcedit. Cæterũ pauca hæc ſemina
tanto cum fœnore prouenerunt, vt Eccleſiam illic conſtituerint, cuius fidem, conſtantiam atque libe
ralitatẽ Paulus præ multis alijs prædicat. Quod ipſum de Theſſalonicenſibus, Epheſijs, Corinthijs
& infinitis alijs dici poteſt. Et ſunt noſtri ſæculi exempla, quæ iſtis fidem faciant. Quàm enim con-
temptum fuerit lucis Euangelicæ exordium apud Germanos, & quàm leuem adeoq; ridiculam eius
proferendæ occaſionem habuerint Lutherus apud Saxones, & in Heluetiorum gente Zuinglius,
cum paucis alijs, quorum vix nomina prius audita fuerant, nemo ignorat. At ex tam paruo ſemi-
ne arbor illa nata eſt, quæ breui temporis ſpatio ramos ſuos ad omnes Europæ nationes extendit, &
nouam (vt ſic loquar) toti orbi terrarum faciem induxit. Ita denique factum eſt, vt nunc ſub illius
vmbra nidulentur, qui prius auium inſtar vagabantur per omnis generis ſuperſtitiones, neq; locum
inuenire poterant, in quo animæ & conſcientiæ ipſorũ quieſcerent. Eſt ergo Euangelij doctrina, quæ
carnis & mũdi iudicio contemptiſſima videtur, omnium diſciplinarũ præſtantiſſima nobiliſſimaq;,
ſiue argumenti excellentiam, ſiue tradendi modum, ſiue effectus, ſiue etiã eiuſdem adminiſtros atque
ſectatores conſideres. Argumentum enim eius eſt Chriſtus Ieſus, æternus Dei Filius, quem etſi reij-*

ciant qui Eccleſiæ architecti haberi volunt, lapis tamen ille pretioſus eſt, qui & ædificium totum ſuſtinet, & in caput anguli aſſurgit. Tradendi modus eſt ſimplex, quem pueri quoque, mulieres, ſutores, cerdones, nautæ, agricolæ percipere poſſunt, cùm paucis capitibus compræhendantur quæcunque ad ſalutem cognitu & creditu neceſſaria ſunt. Nec enim inuidet nobis iſtorum cognitionem Spiritus Sanctus, ſed vt hanc plures aſſequantur, omnium captui ſeſe accommodat. Effectus autem huius doctrinæ tam priuatim quam publicè incredibiles ſunt, quos eò magis admirari oportet, quòd ijs miniſtris vtitur Chriſtus, qui nulla humana authoritate commendantur. Diuinam ergo virtutem eſſe oportet, quæ in illis ſeſe exerit. Poterat his vetuſtas & diuturnitas huius doctrinæ addi, quæ ve æterno Dei decreto nititur, ita in paradiſo poſt primi parentis lapſum vulgari cœpit, & ab eo tempore nunquam prorſus extincta eſt, durabit autem Chriſto teſte vſque ad finem mundi.

Officia Euangelicorum.

Hæc vt huius doctrinæ dignitatem & ſtudium nobis commendant, ita officij quoque omnes eos admonent, qui illam profitentur: quod eſt, vt ipſi quoque granum ſinapis vita & moribus referant. Itaque ante omnia ſuæ tenuitatis ſibi conſcij humilitati & modeſtiæ ſtudeant, neq; huius mundi faſtu delectentur, vt ambitioſo ſplendore ſeipſos ſupra alios omnes attollant. Calere autē & feruere debent zelo gloriæ Dei & veræ pietatis, idque dictis, factis & omni vita teſtentur. Item Chriſti ſanguine purgati & abluti à peccatorum ſordibus, nequaquam illis penes ſe locum dent amplius, ſed procul abiectis humanæ ſapientiæ noxijs humoribus & fœdis carnis ſuæ deſiderijs innocentiam & ſanctimoniam ſuam conſtantiſſimè tueantur. Imprimis autem ramos ſuos ad quoſuis alios diffundant, vt & Regnum Dei indies latius propagetur, & apud ipſos nidum aut ſedes tutas inueniant, qui propter fidem in Chriſtum à patrio ſolo exulare coguntur. Minimè ergo audiant neque admittant malæ fidei colonos, qui huius arbuſti ramos, quaſi nimiùm luxuriantes, detruncare conantur: dum miniſtris Eccleſiarum dicendi ſcribendique libertatem eripere ſtudent, & typographicam artem, quæ in doni linguarum, quo olim Apoſtoli claruerunt, locum ſucceſſit, ſuppreſſam & extinctam volunt. Quin potius ſinguli Chriſtianæ communionis memores, ſe omnibus hominibus debitores eſſe cogitent, & pro ſuæ vocationis ratione, talento ſuo, quod à Domino acceperunt, vſuram illam ſanctiſſimam exerceant, qua plures quotidie Chriſto lucrifiant, in quibus Dei gloria illuſtretur. Sunt hæc diligenter ijs meditanda, quibus hoc turbulentiſſimo ſæculo datur, vt pace & otio abundent, atque Euangelij doctrina tutò frui poſſint, cuius liberam prædicationem multi alij vix ſanguine ſuo tuentur. In eum enim finem Deus Eccleſiæ ſuæ omnibus ſæculis ſedem aliquam tutiorem concedere ſolet, vt non deſint, qui alijs periclitantibus conſilio atque auxilio ſuo adeſſe, & ſuis ſedibus eiectos recipere queant. Quod ſingulare Dei beneficium ſi illi agnoſcant, ſeq; fidos & beneficos præbeāt, tunc demum res ſuas ſtabilient, & perpetuo Dei fauore protegentur. Qui verò tanti beneficij ingrati æſtimatores ſunt, ſibi ſolis viuūt, & inſuper otio ſuo ad libidines & impura carnis ſtudia abutuntur, horribiles ſuæ impietatis pœnas dabunt, quas nunquā effugient. Et hæc quidem in primam huius loci parabolam dicta ſint.

Fermenti parabola.

Tranſeamus nunc ad alteram, quam à fermenti natura petit, & cuius idem qui prioris ſenſus eſt. Proponit hanc quoque non ſine admirationis ſpecie Dominus, ſic dicens: Cui rei aſſimilabo Regnum Dei? Simile eſt fermento, quod acceptum mulier condidit in farinæ ſatis tribus, vſque quò fermentaretur tota. Quo loco nemini ſcrupulum mouere debet, quòd alibi fermentum in malam partem ſumitur pro hypocriſi & falſa doctrina, item pro peccato & naturæ vitioſitate atque peſſimis eius effectis: vt cum Chriſtus diſcipulos monet, vt ſibi caueant à fermento Phariſæorum & Herodis: & Apoſtolus clamat: Expurgate vetus fermentum. Scimus enim multa eſſe in rerum natura, ex quibus pro diuerſorum effectuum ratione ſimilitudines tam in bonam quàm in malam partem peti poſſunt: neque etiam opus eſt, vt quæcunque alicui rei inſunt cum argumento ſimilitudinis conueniant: & ideo ſimilia ferè omnia claudicare dicuntur. Equidem in præſenti ad vim ſolam fermenti Chriſtus reſpicit, qua maſſam aut farinæ conſperſionem maximam penetrat, vt ei ſaporem nouum magisq; gratum conferat. Itaque verborūm eius hic ſenſus eſt: Quemadmodum fermentum res vilis & nullius efficaciæ eſſe videtur, verumtamen ſi tribus aut etiam pluribus farinæ ſatis miſceatur, mirifica vi totam illam maſſam peruadit, & ex ea coctos panes ſapore iucundo condit, vt & palato melius ſapiant, & ſtomacho totiq; corpori ſalubriores ſint: Ita Euangelij verbum primo quidem aſpe-

ctu con-

tu contemptibile & infirmum videtur, ſed in aliqua gente aut vrbe prædicatum in ſingulas horas latius ſerpit, plures ſubinde in Chriſti cognitionē trahit, quos ex ſe renatos per Spiritus Sancti virtutem planè alios facit, vt qui prius filij iræ & ad nullum opus bonum idonei erant, mox & Deo accepti & pulcherrimis virtutibus inſignes ſint, ad quos æternæ ſalutis hæreditas pertinet. Eſt ergo hîc illud etiam diligenter obſeruandum, quod per Euangelium nobis virtus illa offertur, quæ nos fæcundos & ad opera Deo grata idoneos, adeoq; Chriſti conſortes facit, in quo vno ſalus omnis habetur. In nobis ergo nihil eſt, quo gloriari poſſimus, & omnibus verè loquitur Paulus: Quid habes quod non accepiſti? Quòd ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Interim noſtri officij eſt, ſancto illi fermento locum dare, quo vetus & noxium peccati fermentum pellitur, vt in Chriſto Ieſu noua maſſa ſiue conſperſio, & (vt Ignatius martyr dicebat) Dei triticum, imò Deo ipſi panes mundi ac ſynceri efficiamur.

Cæterùm in vtriuſque parabolæ finem ſiue ſcopum, quem Chriſtus ſibi propoſitum habuit, & de quo ſub initiū huius Sermonis quædam diximus, nos imprimis intentos eſſe oportet. Eſt is, ne quem tenuia & contempta Euangelij aut Regni Dei in hoc mundo exordia offendant, & nemo impiorum ludibrijs moueatur, qui ex illis nobis inſultandi occaſionem arripiunt. Quia enim totū hoc negotium Dei eſt, neque ab humana authoritate ſiue potentia dependet, ſtultè nimis faciunt, qui illud ex primo intuitu & præſenti facie æſtimant. Finem potius diuini conſilij inſpiciamus, quem Paulus hunc eſſe docet, vt per ea quæ in hoc mundo humilia, ignobilia, ſtulta & quaſi nulla ſunt, vniuerſus mundi faſtus ſimul & humanæ ſapientiæ turgidus ſplendor pudefiat, & omnis gloria ipſi ſoli detur. Itaque rident quidem impij Veritatis hoſtes, quando in potentiſſimis regnis & ferociſſimis nationibus reformationem religionis homines aliqui obſcuri & imbelles, neque vlla authoritate publica muniti, moliuntur, & nos ex illorum ſtudio atque conatu fructum non pœnitendum ſperamus. At quia rem iſtam carnis ac mundi iudicio metiuntur, quod in diuinis cæcum & plus quàm ſtultum eſt, turpiſſimè ſeipſos fallunt, & plerunque ſuijpſorum eos pudet, quod ante victoriam triumphos iactarint & Pæana cecinerint. Non autem irrita eſt ſpes noſtra, vtut illi fremant & ſanguine atque incendijs omnia miſceant: quia fieri non poteſt, vt vel ſanguis martyrum, quo Eccleſiæ ager rigatur, fructu omni careat, vel Euangelij ſemen reprimatur, vt non ſuo tempore germinet & meſſis alicuius ſpem certam faciat. Docet hoc Dominus apud Marcum alio etiam ſimili, ſic dicens: Ita eſt Regnum Dei, vt ſi quiſpiam iaciat ſemen in terram, & dormiat & exurgat nocte & die & ſemen germinet atque exurgat quomodo ipſe neſcit: Spontè enim terra fructum fert, primùm herbam, deinde ſpicam, inde plenum frumentum in ſpica &c. Qua parabola nos Chriſtus de Euangelica ſemente ſecuros eſſe iubet, quoad huius mundi furores. Vt enim agricolæ, vbi ſementem fecerunt, nihil præterea poſſunt addere, & proinde dormiunt & ſurgunt, id eſt, alias res agunt ad rem domeſticam pertinentes, & interim ſomno etiam & quiete conceſſa fruuntur: Ita ſidos Verbi adminiſtros, & qui illud iampridem receperunt facere conuenit, vt vbi ipſi ſuum in hac ſemente officium fecerunt, rem omnem Deo committant, & in reliquis diligentes ſint, in quibus ipſorum induſtria requiritur. Nam vt ſemen terræ mandatum huius virtute per Dei benedictionem vegetatum ſpontè germinat, & quàmuis nunc quidem niuibus obrutum lateat, modò pruinis aduratur, mox imbrium fluentis quaſi ſuffocetur, ſæpe etiam grandine horribili ſternatur, ſuis tamen incrementis augetur, donec ad maturitatem perductum agricolam meſſe læta exhilarat: Ita Dei Verbum vbi ſemel prædicatum & vel à pauculis atque viliſſimis homuncionibus receptum fuerit, propria virtute germinat, & quàmuis omnis generis obſtacula mundus & Satan obijciant, ſuccreſcit tamen, neque anguſtioris agelli finibus concludi poteſt, & tandem fructus fert omni ſpe & expectatione vberiores. Sunt hæc omnium ſæculorum exemplis confirmata, & (vt ſupra dictum eſt) multa noſtri ſæculi exempla extant, quæ hodie aduerſus Antichriſti atque complicum eius conatus nos conſolari & confirmare poſſunt. Quòd ſi verò infelicius in aliqua gente res ſuccedit, id quoque certa cum ratione & iuſto iudicio fieri permittit Deus: idem tamen ſuorum ſpem minimè fruſtratur, quos interea crucis & afflictionum Filij ſui participes factos ad ſe colligit, & eoſdem olim in magno illo die non ſinè ſumma impiorum conſternatione atque ignominia pro ſuis agnoſcet.

Finis utriuſque parabolæ.

Chriſti in obeundo ſuo munere ſedulitas.

Porro poſtremam huius loci partem audiamus, quæ ſummatim Lucas deſcribit, quæ potiſſimũ Ieſu Chriſti in profectione hac, de qua cap. nono dicere cœpit, ſtudia fuerint, ſic dicens: Et tranſibat ſingulas vrbes & vicos, docens & iter faciens Hieroſolymam. Eo autem illum contendiſſe ſupradictum eſt, quòd dies aſſumptionis ſuæ inſtaret. Eſt hoc euidens obedientiæ argumentum, qua æterno Patris decreto ſeſe accommodauit, & quo ſimul teſtatum voluit, ſe animam ſuam ſponte pro nobis tradidiſſe. Inter eundum verò ad ſingulas vrbes & vicos diuertit, vt in illis doceret. Quod ipſum ſæpe annotant Euangeliſtæ, & ipſe alibi ſe in hoc à Patre miſſum eſſe teſtatur. Rurſus ergo nobis ſuo exemplo Euangelij dignitatem commendat, & miniſterij eccleſiaſtici contemptores arguit, quorum hodie infinitus eſt numerus. Nam etſi vix vllum vitæ genus ſit, quod non multis arrideat, & cui non ſuos liberos addicant qui illis proſpicere cupiunt: vix tamen milleſimus quiſque inuenitur, qui ſuis impenſis filium alat, quem in bonis atque ſacris literis inſtitui curet, vt aliquãdo Eccleſiæ Chriſti ſeruire poſſit. Imò pleriſque ignominioſum videtur, ſi filium aut affinem habeant Verbi Dei miniſtrum. At quid iſti aliud faciunt, quàm quòd Dei Filium faſtidiunt, quando hoc alijs vitio vertunt, circa quod ille quàm maximè fuit occupatus? Meretur ingratitudo hæc graues pœnas, & huic debemus, quòd multi fidis miniſtris deſtituuntur, multi ſe dignos habent, qui aut canes muti ſunt, aut malo exemplo Eccleſias diſſipant, & multos ſecum in exitium trahunt.

Mors neminẽ abſterreat ab officio ſuo.

At in Chriſti facto non oſcitanter obſeruari debet, quod Hieroſolymam verſus iter faciens, vbi ſe moriturum & prius dira quæque paſſurum eſſe ſciebat, tam ſedulus eſt in prædicando & docendo. Atqui eum Phariſæis & Sacerdotibus non aliam ob cauſam exoſum fuiſſe ſcimus, quàm quòd Veritatis doctrina eorum impoſturas argueret, & ita ipſorũ quæſtui atque honori multùm derogaret. Pergit tamen in munere ſibi à Deo Patre commiſſo, & ſuo exemplo docet, quàm ſeduli & conſtantes nos quoq; eſſe debeamus in ijs exequendis, quæ nobis diuinitus mandata ſunt. Si enim imminens diræ ac infamis mortis ſupplicium non abſterruit Filium Dei, quin officium fideliter faceret, nimium profectò molles & ignauos ſe eſſe oſtendunt, qui laborem omnem ſubterfugiunt, & quouis ſtrepitu aut minis leuiſſimis terrentur. Meminerimus ergo non ſatis eſſe, ſi quid bene cœptum aut inchoatum eſt, ſed eos demum probari Deo & ſaluos fore, qui in finem vſque perſeuerant. Neque coronatur ſtatim qui certat, niſi legitimè certauerit. Viderunt hoc veteres Prophetæ, quorum aliqui per annos quadraginta, alij quinquaginta & ſexaginta, vel etiam plures (vt ex Regum hiſtoria colligere licet) hoc ſaxum voluerunt, etiamſi ſibi nihil quàm irritos labores & dira pericula polliceri poſſent apud gentem ingratam atque contumacem, quam Dei ſententia iampridem damnatam eſſe non ignorabant. Idem de Apoſtolis, & imprimis Paulo, poſſumus dicere, ſi quæ Lucas in Actis de illo prodidit, diligentius inſpiciamus. Hos autem non ſolum Verbi præcones, verumetiam alij quoque omnes in ſuis functionibus imitari debent. Etenim ijs qui Rempub. adminiſtrant, hoc imprimis neceſſarium eſſe, Saulis, Solomonis, Vziæ & ſimilium exempla docent, qui in medio quaſi curſu defecerunt, & à Deo grauiter puniti ſunt. Et quoad fidei negotium & vitæ totius conſuetudinem, nunquam ſalui erunt, qui non in finem vſque conſtantes manſerint. Quis enim mercede dignos dixerit eos ſeruos, qui ſibijpſis ferias faciunt hero nolente, aut opus non abſolutum temere deſerunt? Itaque huius loci conſideratione confirmati nullis laboribus aut periculis nos fatigari patiamur, vt quando finis vitæ huius nobis inſtat, ſinguli cum Paulo poſſimus dicere: Certamen illud præclarum decertaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus Ieſus in illo die, iuſtus (inquam) ille iudex: non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus, qui expetierint illuſtrem illum ipſius aduentum. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXL.

Dixit autem ei quidam: Domine, num pauci ſunt qui ſeruentur? Ipſe autem dixit eis: Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, ſtudebunt intrare, & non poterunt: Ex quo videlicet ſurrexerit paterfamiliâs, & occluſerit oſtium, & cæperitis foris ſtare, & pulſare oſtium, dicentes: Domine Domine aperi nobis. Qui reſpondens

ſpondens dicet vobis: Neſcio vnde vos ſcitis. Tunc incipietis dicere: Edimus in tuî cõſpectu, & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. Et dicet: Dico vobis, neſcio vnde vos ſitis: abſcedite à me omnes, qui facitis quod iniuſtum eſt. Illic erit fletus & ſtridor dentium, cùm videritis Abrahamum & Iſaacum & Iacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient multi ab Oriente & Occidente, & Borea & Auſtro & diſcumbent in regno Dei. Et ecce ſunt vltimi, qui erunt primi: & ſunt primi, qui erunt vltimi.

Contumacibus pœnas denũtiat Chriſtus.

OLim quidem Deus æternæ ſalutis promiſſiones priſcis patribus ita reuelauit, vt eas ad omnes gentes pertinere ſatis euidenter pateat: idem tamen Iudæorum gentem præ omnibus alijs elegit, cum qua familiarius verſatus eſt, vt in illis oſtenderet, quæ nã ipſius voluntas, quæ item vera & vnica ſalutis ratio ſit, quam omnes ſectari debeãt. Vt autẽ in eo eluxit ſingularis eius bonitas: ita in illis contumaciæ & ingratitudinis extremæ exemplum habemus, cuius ſimile nullum aliud extat. Nam & Moſem improbè aſpernati ſunt, cuius miniſterio ex Ægyptiaca ſeruitute liberati Legem & cultus diuini rationem acceperant, & cum Prophetis perpetuò pugnarunt, qui eos in officio & vero ſalutis tramite retinere ſtudebant. Neq; eo contenti, maiori audacia & impietate aduerſus æternum Dei filium inſurrexerunt, quando is in carne manifeſtatus ipſis primis Verbum vitæ æternæ prædicauit. Nam etſi magno ſtudio atq; diligentia ille omnes vrbes & vicos obiret docens ſimul & doctrinam ſuam operibus miraculoſis confirmans, adeò tamen nõ potuit frangere contumaces eorum animos, vt odio illius exacerbati quotidie in peius profecerint. Quapropter cũ indefeſſum Ieſu Chriſti erga illam gentem ſtudium & eorundem incurabilem ingratitudinem Lucas hucuſque multis exemplis expoſuiſſet, nunc illum pœnas graues & diras eis minitantem deſcribit. Vbi nemo putauerit, quæ hîc dicuntur ad illos ſolos pertinere. Quia enim hos (vt diximus) omnibus populis exemplo eſſe voluit, imprimis ad nos iſta pertinent, qui in illorum locum adoptati, nunc Dei populus aut Eccleſia dicimur. Itaque huius loci nobis vſus hic eſto, vt infelici & triſti illorum exemplo admoniti, vel territi potius, nos Chriſto Domino tractabiles atq; morigeros præbeamus.

Quæſtio de numero ſeruandorum.

Præmittitur autẽ occaſio, quæ illum vt de his diſſereret mouit. Dum enim Euangelij doctrinam per omnes vrbes & vicos celebriores ſpargit, quidam huius conſideratione abreptus, de eorũ numero quæſtionẽ mouet, qui ſalutis æternæ participes futuri ſint. Domine (inquit) nũ pauci ſunt qui ſeruentur? Videtur autẽ hic quæſtionis huius argumentũ ſumpſiſſe ex ipſius Chriſti doctrina. Prædicabat is primò pœnitentiam, & hanc nõ in ſimulatis ieiunijs & manibus ceremonijs, ſed in totius hominis mortificatione & innouatione, vel (vt ipſe ait) in abnegatione ſuijpſius & regeneratione, cõſiſtere docebat: fructus autẽ illius eſſe oſtendebat perpetuũ et perfectũ innocentiæ, ſanctimoniæ & beneficentiæ erga quoſuis ſtudiũ. Quæ omnia, ſi rectè cõſiderentur, hominis vires lõgè ſuperãt. Addebat his ſecundo loco promiſſionẽ de peccatorũ remiſſione & Regno Dei, quod omnibus pateat, qui ipſum vera & conſtanti fide amplexantur. Hæc cùm iſte, quiſquis fuit, cũ paucitate diſcipulorũ Chriſti conferret, non potuit non offendi, & ideo num pauci ſeruandi ſint quærit. Et videtur non tam curioſi hominis quàm impij fuiſſe hæc quæſtio, qui Chriſtũ mendacij arguere & ſimul omnibus inuiſum facere voluerit. Nam ſi ſaluandorũ numerũ ingentem fore reſpondiſſet, in prõptu erat excipere. Atqui pauciſſimi te ſequuntur, & ideo homines abſq; te tuaq; doctrina ſeruari poſſunt. Sin paucos fore dicat, indignè ferent omnes maiorem hominũ partem damnari, nec quiſquam inter illos cenſeri volet. Deniq; omnino videtur iſte ex eorũ numero fuiſſe, qui in homines potius quàm Dei Verbũ reſpiciunt. Hi vt ſibi delitias faciant, Dei bonitatẽ magnificè commendant, neq; veriſimile eſſe aiunt, quòd is plures perire quàm ſeruari velit, cùm miſericordia eius in omnibus operibus & iudicijs ipſius emineat. Tandem verò peccandi dulcedine & mundi amore ineſcati palàm teſtari audent, ſe cum multis damnari, quàm cum paucis ſeruari malle. Exemplum tantæ impietatis memorabile in Rhatholdo Friſiorum principe, qui Caroli Martelli temporibus regnauit, hiſtorici proponunt. Cùm enim Friſij ad fidem Chriſtianam cogerentur, & ipſe baptiſmum ſe recepturum eſſe ſimulans pedem alterũ in lauacrum ſacrum iam impoſuiſſet, ad Epiſcopum conuerſus interrogauit, plures ne ex defunctis, apud inferos,

aut in cælis agerent? Eo autem reſpondente, maiorem eſſe apud inferos agentium numerum: illico pedem retraxit dicens: Igitur & ego multitudinem ſequar. Et tales quidem hodie multos eſſe, ſi non verba eorum, certè facta & mores abunde teſtantur. Plerique enim multitudinis conſenſum Verbo Dei & omnibus ijs præferunt, qui laborioſam hanc & mundo inuiſam Chriſti ſectam ſequendo ab alijs diſſentiunt. Alij verò à principũ authoritate pendent, & in fide amplectenda cunctantur, quoad illos ab ea abhorrere vident. Multi quæſtiones de electione & prædeſtinatione mouent curioſas potius quàm neceſſarias, & dum de ſingulorum ſalute aut damnatione interrogant, rem omnem vel in dubium vocant, vel vulgi ludibrio exponunt. Eſt præterea vitium hoc ſanctis etiam commune, quod vt primùm de perſonis hominũ agitur, & ipſi quid facere debeant admonentur, ad alios potius reſpicere ſoleãt, quàm de ſua functione aut ſorte cogitare. Exemplũ huius rei in Petro habemus, qui cùm à Chriſto admoneretur, quid iam ſeni eſſet euenturum, non ad ſeriam martyrij meditationẽ aut preces ardentes, ſed ad Ioannem dilectũ Chriſti diſcipulum conuerſus ait: Domine, hic autem quid? Eſt hæc admodũ noxia curioſitas, cuius initijs obſtare debent, qui ad maiorẽ impietatem progredi nolunt. Quoties ergo admiratio iſta animos noſtros ſubit, quid de his aut iſtis futurũ ſit? nobis idẽ quod Petro à Chriſto dici putemus: Si eos omnes manere velim quales ſunt, quid hoc ad te? tu me ſequere.

Reſponſio Chriſti.

Conuenit cum hoc dicto quod in præſenti curioſo iſti reſpõdetur. Quia enim quæſtiones eiuſmodi ſalutem impediunt potius quàm promouent, non directè, neque illi ſoli reſpondet Dominus: ſed ad totam populi multitudinem ſermonem dirigens, ſingulos docet, quid ipſos facere cõueniat, & argumentis efficaciſſimis cunctabũdos illos propriæ ſalutis procraſtinatores vrget: atq; ea occaſione in Iudaicæ gentis impietatẽ digreditur, illam à Regno Dei excludendã, gentes autem prophanas in eorũ locum ſucceſſuras eſſe docens. Sunt aũt ſingulæ huius loci partes digniſſimæ, quæ diligẽtius inſpiciãtur.

Ingredi iubet per portã anguſtam.

Primò ſic ait: Contendite intrare per anguſtam portã &c. Plenius hæc apud Matthæũ cap. ſeptimo exponuntur, vbi duas portas fingit, quarum vna lata & ſpatioſa dicitur, ad interitũ ducens: altera anguſta & arcta, per quã ad vitã ſit aditus. Et tale quid gentium quoq; philoſophi naturæ lege illuminati viderũt, quando virtutis viam, quæ ad felicitatem & gloriã veram deducit, aſperam atq; ſuperatu difficillimam: vitiorum verò tritã & facilem eſſe dixerunt. Quò etiam referri debet, quod de litera Pythagoræ à poetis traditur. Quia autem porta, quæ ad interitum ducit, non ſolum lata & carni iucunda eſt, verumetiam mundi authoritate & multitudine cõmendatur, Chriſtus contendere nos iubet, vt per alteram illam, quæ anguſtior eſt, ingrediamur. Ita verò docet difficultates plurimas nobis propoſitas eſſe, cum quibus nos luctari oporteat, ſimulq; admonet, ne multitudinis exemplum ſequamur, quæ vitiorum illecebris capta ad interitum tendit. Facit hoc ad frenandam eorum curioſitatem, qui in alios ſemper reſpicere ſolent, & docemur, ſingulos potius de propria ſalute & quid ipſos facere deceat cogitare debere, quàm in alios inquirere.

Porta uitæ Chriſtus.

Hic autẽ neceſſe eſt, vt quænam illa porta vitæ ſit, probè teneamus, ne nos Satan decipiat, qui mirifica & profunda aſtutia portas non minus anguſtas & arctas fabricauit, quæ ad exitium abducunt: veram autem ſalutis ianuam hoc nomine multis ſuſpectã facit, quòd nimiùm patens & tranſitu facillima, adhæc carni iucundior exiſtat. Nam ſi regulas Monachorum inſpicias, quid illis difficilius & aſperius, quid item eremitica vita ad coercendam carnis petulantiam efficacius videri poteſt? At non quid carni videatur, ſed quid Chriſtus Ieſus, qui nobis à Patre doctor & magiſter datus eſt, nos ſpectare conuenit. Is autem alibi clamat: Ego ſum oſtiũ: per me ſi quis introierit, ſeruabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Itẽ: Ego ſum via & veritas & vita: nemo venit ad Patrẽ niſi per me. Et eodẽ ſcala illa, quã in ſomnis Iacobus vidit, referri debet, quæ ex terra

Ioan. 10. et 14. *in cælum vſq; protenſa Chriſtũ adumbrauit, qui terrã cælis coniũxit, quãdo Patri placuit per illum*
Gen 28. *ſibi reconciliare tã quæ in terra quàm quæ in cælo ſunt. Ergo idẽ ille porta eſt, de qua hîc agitur, &*
Coloſſ. 1. *per eã ingrediuntur, qui ipſum fide vera amplexi, eius regulæ inſiſtunt, quã omnibus diſcipulis ſuis communẽ præſcripſit, dicens: Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuã quotidie, & ſequatur me. Quo dicto primũ obedientia fidei exigitur, qua fit, vt homo procul abiectis carnis deſiderijs vnà cũ ſenſu & intellectu ſuo omni, ſe totũ Dei Verbo ſubijciat. Deinde alacrẽ & conſtantem in ferenda cruce patientiam præcipit Dominus. Poſtremò fidem requirit, quæ nos in ipſum vnũ reſpicere doceat, & ſimul ad exempli ſui imitationẽ nos excitet, quo ipſe nobis præiuit. Diximus*

de his

de his alibi fuſius, & ideo hîc conſultò ſumus breuiores. Hoc autem imprimis teneamus, portam vitæ nobis in vno Chriſto patefactam eſſe, & proinde neminem audiri debere, qui nobis aliud ſalutis oſtium, aut viam aliam monſtrare auſit, qua ad Patrem veniatur.

Chriſtus quomodo porta anguſta dicatur.

Cur verò porta hæc anguſta & tranſitu difficilis dicitur, cùm Chriſtus omnibus pateat, nec aliquem reijciat ad ſe venientem, & inſuper dicat, Iugum meum facile eſt, & onus meum leue eſt? Sed in præſenti ad hominum iudicium atque mores reſpicit, qui ſuo vitio viam hanc ſibi aſperam & arctam faciunt. Sunt inter hos alij hypocritæ, alij prorſus carnales & mundo dediti: vtriſque autem porta ſalutis anguſtiſſima eſt. Illi enim vt per eam ingrediantur adduci non poſſunt, ſed ſuorum operum meritis confiſi ſuperſtitiones ſubinde accumulant, quarum fiducia turgidi ita à Chriſto abhorrent, vt eius prædicatione offendantur, vel etiam ſtultam aut bonis moribus inimicam putent eam doctrinam, quæ illi vni confidere nos iubet. Ita verò oſtium, quod latè patens omnes recipere & ad regni cœleſtis hæreditatem ſimul tranſmittere poſſet, ipſi humanarum traditionum & ſuperſtitioſa inanium ceremoniarum fiducia ſibi obſtruunt, & idem cum Iudæis patiuntur, qui (vt Paulus ait) cùm propriam iuſtitiam conſtituere vellent, à iuſtitia Dei exciderunt, quam is nobis in Filio ſuo offert. Non minus autem anguſta eſt porta hæc mundo & carni addictis. Hi enim ſalutis rationẽ ſibi monſtrari vellent, quæ carni arrideret, & hãc tractaret indulgentius. At longè aliam audiunt eſſe regulam Chriſti, qui non inanes ritus, non ſimulatam ſanctimoniæ ſpeciem, ſed totius hominis innouationem, carnis mortificationem & ſui exempli imitationem requirit: adhæc de cruce verba facit, quam non ſolùm nos ferre, ſed alacri animo in nos ſuſcipere iubet. Quæ omnia vt carni dura & ingrata, ſic etiam præſtitu impoſſibilia ſunt. Itaque ſiue fucatos illos iuſtitiæ propriæ oſtentatores, ſiue carni & mundo ſeruientes ſpectemus, vitæ porta humano iudicio anguſta eſt, & pauci per eam ingrediuntur. Ne ergo aliorũ exemplis ſeducamur, nobis cũ mundi illecebris, imò cũ propria carne eiusq; prudentia luctandum eſt, vt calcare poſſimus quæcunq; nos remorari ſolẽnt. Hoc olim Abrahamum & alios patres feciſſe legimus, & hic animus Martyribus fuit, qui inuicta fidei conſtantia per anguſtias & difficultates omnes ad Regni cœleſtis poſſeſſionem penetrauerunt. Turpiſſimè autem falluntur, qui vbi iam iter ingreſſi ſunt, ſubinde ad mundi exemplum reſpiciunt, & hoc detenti pedem ſiſtunt, quaſi ab illo diſſentire nefas ſit. Quia verò caro vix perſuaderi poteſt, vt iſtis fidem habeat, argumenta validiſſima ſubijcit Dominus, quibus illam vrget atque extimulat. *Rom. 10.*

Porta vitæ non ſemper omnibus patebit.

Primò ſpem inanem confutat, qua plerique ſeipſos decipiunt, dum viam in cœlos facilem eſſe & nunquam non patere ſibi perſuadent. Dicit ergo: Quia multi, dico vobis, ſtudebunt intrare & nõ poterunt. Quaſi dicat, Iuſſi vt contendatis intrare per anguſtam portam, & neq; multitudinem ſectemini, neq; curam ſalutis æternæ differatis, ſed potius abſque mora hanc, dum offertur, ſtudeatis apprehendere. Id verò non temere monui. Nam etſi quidam ſibijpſis delitias faciant, & ſe pro ſuæ voluntatis arbitrio ingreſſuros putent ad Regni cœleſtis poſſeſſionem, quandocunq; ipſis libuerit: eſt tamen hæc illorum ſpes non incerta modò, verumetiam periculoſa. Nam multis hoc accidet, vt magno quidem conatu ad ſalutem aſpirent, eam tamen obtinere non poſſint. Vobis ergo videndum erit, ne qui ſeipſos, vel alios vana hac perſuaſione decipiant, dum oblatam ſalutis occaſionem præterlabi ſinunt. Sufficit autẽ vnus hic locus ijs confutandis, qui vires hominis eò vſq; extollunt, vt in eius poteſtate ſitam eſſe dicant ſalutem, modò eam amplecti velit. Atqui nos ne ad cogitandũ quidem idoneos eſſe ex nobiſipſis Paulus ait. Et vt demus nos voluntatem in noſtra manu habere, tamẽ ne hoc quidem ad ſalutem ſufficere Chriſtus disertè pronuntiat. Multi (inquit) ſtudebunt intrare, & non poterunt. Et huius rei exempla in ijs videmus, qui deſperatione exagitati nihil perinde volunt & cupiunt quàm vt Chriſti participes fiant, nihil autem proficiunt, niſi Deus ex ſingulari miſericordia ipſis ſuccurrat.

Quibus & quando claudatur.

Cæterum diligentius exponit, quod vno verbo dixerat, & quando conatus iſte irritus aut fruſtraneus ſit, docet his verbis: Ex quo videlicet ſurrexerit paterfamiliâs, & occluſerit oſtium, & cœperitis foris ſtare & pulſare oſtium, dicentes: Domine Domine, aperi nobis: Qui reſpondens dicet vobis, Neſcio vnde vos ſitis &c. Deum ſub patrisfamiliâs perſona deſcribit, quod in Scripturis admodum frequens eſt. Ita enim & illius bonitas commendatur, & nos de noſtro officio admonemur: quod hoc loco imprimis Chriſtus ſpectat. Vt enim bonus paterfamiliâs domus ſuæ curam habet adeò

diligentẽ, vt interdùm excuſſo ſomno de nocte ſurgat, et peſſulo oſtij obdito malæ frugis famulos excludat qui præter eius mandatũ domo egreſſi vel in tabernis & ganeis perpotãt, vel per plateas atq; vicos graſſantur: Ita Deus Pater, etſi interdum dormire videatur, quando nobis omnem ſalutis occaſionem negligentibus ad noſtram petulantiam conniuet, ſuo tamen tempore ſurgit ad iudicandum, & ex familia ſua excludit eos, qui profeßioni ſuæ non reſpondent. Patet quidẽ ſemper in Chriſto oſtium gratiæ Dei & ſalutis omnibus, qui ſeria pœnitentia ad ipſum conuertuntur: ijs autem occluditur, qui aut incurabili pertinacia bonitatem Dei ſuperant, dum agnitæ veritati reluctando in ſpiritum ſanctum peccant, aut pœnitere neſcij in ſuis peccatis moriuntur. Nam vt prioribus illis remißio peccatorum negatur: ita alteri illi nullam habent poſtquam è viuis diſceſſerunt cum Deo in gratiam redeundi occaſionem. Vides ergo Deum cum paterna bonitate & indulgentia ſeueritatem coniungere, quando illam contemni videt, & (vt hiſtoricus Romanus ait) tarditatem vindictæ ſupplicij grauitate compenſare. Extãt eius generis exempla iam inde à prima mundi origine, quæ cùm alibi cõmemorauerimus, eadem nunc repetere non opus eſt. Neq; deſunt hodie, quæ nos ad ſerium ſalutis ſtudium excitare poterant, niſi cum pudore & communi intellectu plerique omnis etiam mali ſenſum depoſuiſſent. Veruntamen quæ in hoc ſæculo impijs & incurabilibus procraſtinatoribus accidunt, ludus & iocus ſunt præ illis, quæ in altero ſæculo patientur, vt paulò poſt audiemus. Interim

Contra Purgatorium.

extinguitur huius loci authoritate Purgatorius ille ignis, adeoq; maxima doctrinæ Papiſticæ pars palàm euertitur, quæ defunctis quoque ſalutis ſpem facit, vt ab ijs tributum exigere poßint homines auari, qui religionem omnem quæſtu metiuntur. Atqui admonet Chriſtus, ne dum adhuc in vita ſuperſtites ſumus, noſipſos ſpe inani decipiamus: quantò minus ergo ſpem ſalutis poſt mortem vſque extendere debemus, quaſi vel noſtris cruciatibus, vel hæredum noſtrorum operibus meritorijs Deus placari poßit, vt ſemel occluſum domus ſuæ cæleſtis oſtium nobis patefaciat.

Iudæorũ hypocritarum gloriatio irrita.

Porro quia ipſi cum hypocritis res erat, qui etiamſi in ſcelere deprehendantur, ſe tamen excuſare & operum ſuorum merita prætexere audent, aut priuilegia quædã ſibi vendicare, ex quibus immunitatem quandam ſibijpſis pollicentur: ipſos per Proſopopœiam patrifamiliâs reſpondentes & ſuis operibus gloriantes inducit: Edimus in tui conſpectu & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti. Pertinent iſta propriè ad Iudæos, quos ſcimus hac potißimum fiducia elatos fuiſſe, quòd ſe ſolos Dei populum & Eccleſiam eſſe putarent, cui ille obſtrictus eſſet. Horum ergo voces erant: Nos ſumus vinea Dei, grex Dei, populus Dei, electum illud peculium, quod is ſibi ex omnibus gentibus ſelegit, & regnum ſacerdotale. Nobis ille ſe familiarius quàm vllis alijs populis reuelauit: nobis legem dedit, nos illum in noſtris Synagogis & plateis docentem audiuimus: nobis cultum illum magnificum instituit, qui ſolus in orbe ei probatur: nos ſecundùm eius præcepta ſacrificamus, nos ex ſacrifitijs & libaminibus epulas ſacras inſtituimus, & coram ipſo (ſicuti iußit) edimus & bibimus atque dies lætos agimus: nobis denique promiſſus eſt Meßias, Rex & Sacerdos æternus. Num ergo nos ignoraret Deus? Num nos excluderet promißionum veterum immemor? Num populum ſuum abijciat, cuius ſunt patres, teſtamenta, fœdus, & qui hucuſque ſolus cultum eius verum exercuit? Hanc gloriationem Iudæorum fuiſſe omnibus ſæculis, non ſolùm Prophetarum ſermones, verumetiam ea teſtantur, quæ Ioanni Baptiſtæ & ipſi Chriſto de patre ſuo Abrahamo obiecerũt. Sed Dominus hanc inutilem prorſus fore docet, quando patremfamiliâs priorem ſententiam ijſdem verbis repetentem & ſimul ipſos duriori reſponſo reijcientem inducit. Nam dicet vobis, inquit: Dico vobis, neſcio vnde vos ſitis: abſcedite à me omnes qui facitis quod iniuſtum eſt. Et apud Matthæum præmittitur: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in cælis. Quibus verbis diſertè docet, neque externam fidei profeßionem, neque ritus vllos aut ceremonias, neque vlla opera, quæ abſque fide fiunt, ad ſalutem acquirendam ſufficere: ſed hanc omnem in eo conſiſtere, vt nos Patris cæleſtis voluntati accommodemus. Eſt autem hæc vt Filium ſuum dilectum audiamus, huic vni fidamus, & eius regulam ſecuti noſipſos abnegemus, in cruce ferenda alacres atque conſtantes ſimus, & exemplum illius, quo nobis præiuit, ſedulò imitemur.

Exod 19. Deut. 14. 16. Matth. 17. Ioan 6. Luc 9.

Applicatur hæc Chriſtianis.

Quod ergo hîc Iudæis dicitur, nõ minus ad nos, qui Chriſtiano nomine gloriamur putemus pertinere. Nam eadem fiducia multos etiam hodie dementat, vt ſibi impunitatem ex falſa fidei profeßione

feſſione & externo atque hypocritico Sacramentorum vſu polliceantur. Solent hi quoque Chriſto ad pœnitentiam ſeriam ipſos exhortanti vel aperto ore vel intra animum ſuum reſpondere: Atqui in Chriſti nomen baptizati ſumus, de menſa Domini edimus & bibimus, Eccleſiæ titulo & nomine cenſemur, Euangelio locum damus, quod in noſtris templis prædicatur, intra priuatas ædes legitur & canitur, in plateis & forò paſſim ſonat. Num ergo nos non agnoſcat ille, qui neminem vnquam faſtidiuit? Num nobis abiectis Antichriſto locum dabit, aut Iudæorum delirijs vel Turcica barbarie omnem orbem obrui patietur? Sed nequicquam hæc ab ijs dicuntur, qui nominis ſui profeſſioni non reſpondent, ſed ſuis deſiderijs addicti per omnem iniuſtitiam & iniquitatem voluntantur. At ſi hæc nos Deo non poſſunt commendare, quæ ſi nudam literam ſpectet, ex eius præſcripto, ſed abſque fide fiunt: quid ergo de ſuperſtitioſis illis humanarum traditionum obſeruatoribus dicemus, qui ſuas ſordes & ſtercora Deo obtrudere audent clamantes: Nos Miſſæ ſacrificio quotidie aſſiſtimus, ad Chriſti & Diuorum imagines terni procumbimus, illis cerea accendimus, anathemata ijſdem conſecramus, peregrinationes ſuſcipimus longinquas ad laboris atque periculi plenas, adhæc feriamur, ieiunamus, cilicijs induimur, humi dormimus, cucullati, funibus cincti, nudipedes aut feneſtratis vel ligneis ſoleis muniti incedimus, de nocte & pſalmodias ſurgimus, à coniugijs abſtinemus, flagellis & virgis carnem noſtram torquemus, in ſyluis deſertis aut clauſtris vitam degimus, denique vitæ genus ſequimur à mundi huius conſuetudine & moribus alieniſſimum? Hæc (inquam) ſunt, quæ noſtri ſeculi hypocritis fiduciam faciunt, vt ſibi omnia tuta & perpetuum Dei fauorem promittant. Sed iampridem illis per Prophetam reſpondit Dominus: Quis requiſiuit iſta de manibus veſtris? Item: Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum. Quibus enim ſcripturis probabunt, hæc à Deo præcepta eſſe? Et quomodo ex fide poſſunt fieri, quæ nullo Dei verbo nituntur, in quod vnum fides reſpicit? At quod non ex fide fit, peccatum eſt. Rom. 14.

Sed ad Chriſti verba redeamus, qui hypocriſas, quibus non aliud hominum genus contumacius & incurabilius eſt, pœnarum atrocitate territans ſubdit: Illic erit fletus & ſtridor dentium, cùm videritis Abrahamum & Iſaacum & Iacobum & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras, &c. Multa ſimul congerit, quæ ad ſupplicij magnitudinem faciunt. Primò fletum & ſtridorem dentium minatur, qua locutione frequenter inferorum cruciatus deſcribit, vt hos non leues eſſe neque nihil præter otioſam à Regno Dei excluſionem afferre, ſed acutiſſimis doloribus ad animam ſimul & corpus penetrare oſtendat. Etenim cum vtraque hominis pars peccati particeps & miniſtra ſit, vtramque plecti oportet, niſi Deum iniuſtum dicere velimus. Itaque anima perpetuo ira Dei ſenſu cruciabitur, qui fletum & gemitus extorquebit. Corpus autem ardoribus diris aduſtum horrebit, & dentium quoque ſtridore dolorem intolerabilem teſtabitur. Erit autem cruciatus iſte eò grauior, quòd perpetuus vel æternus erit, quem nulla liberationis ſpes leuare aut mitigare poteſt. Nam vt alibi ex Propheta dicit Dominus, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Pœna hypocritarum.

Secundò, hæc tunc vobis euenient (inquit) cùm videritis Abrahamum & Iſaacum & Iacobum & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Facit hoc multum ad miſeriæ illius amplificationem. Acuit enim vahementer animi dolorem, quando alios in honore & gloria conſtitutos feliciter agere, nos autem miſeros & calamitoſos eſſe videmus: eoque magis ille intenditur, ſi tales videamus eos, quos aut odio habuimus ſemper, aut quorum admonitiones contempſimus, aut quorum nomine nequicquam gloriati ſumus. Quæ omnia Iudæis conueniunt. Prophetas enim oderant, admonitiones & minas eorum aſpernabantur, Abrahami & patrum aliorum nomen hypocritica & inani confidentia ſuis ſceleribus prætexebant. Non poterit ergo non incredibilis eſſe cruciatus ille, quem ſentient, quando hos quidem in cœleſtem gloriam recipi, ſe verò in totius mundi & Angelorum conſpectu, vt degeneres & ſpurios filios, à patrum ſocietate repelli & exludi videbunt. Proderat hîc patrum mentionem facere, ne generis fiducia porrò ſeipſos fallerent, & vt omnes ſcirent, non promiſcuam eorum qui ad exitium tendunt multitudinem, ſed potius ſanctorum patrum fidem atq; exemplum ſpectandum eſſe ijs, qui ſeruari volunt. Quod ipſum hodie obſeruare debebant, qui Diuos quidem in ore habent, eorum autem mores, doctrinam & exemplum ſequuntur, qui à fide Diuorum prorſus ſunt alieni. Tempus pœnæ notat.

Q q

Gentium adoptio.

Additur his tertium: Et venient multi ab Oriente & Occidente & Boreâ & Auſtro, & diſcumbent in Regno Dei. Quibus verbis non ſolùm Iudæos repudium paſſuros, ſed in eorum locum gentes adoptandas fore docet: quod ipſum Prophetæ etiam veteres non ſemel minati fuerant. Fuit autem hoc cum ſumma Iudaicæ gentis ignominia coniunctum. Eo enim patuit intolerabilem planè fuiſſe eorum impietatem, quando eos ipſis in Regni ſui hæreditatem Deus ſuccedere voluit, qui hucuſque pro prophanis habiti, & ab omni Eccleſiæ ſocietate & veri Dei cognitione alieni ſub tenebrarum poteſtate non minus turpem quàm miſeram peccati ſeruitutem ſeruierant. Voluit autem Dominus (ſicuti olim per Moſem prædixerat) zelotypia ſancta Iudæos prouocare, vt ad ipſum conuerſi ſe à gentibus prophanis præueniri non paterentur. Et ſimul eorum ſpem & fiduciam confutat, qui Deum ita ſibi obſtrictum eſſe arbitrabantur, vt ipſis reiectis nullam porrò Eccleſiam fore putarent. Docet ergo, non defuturos vnquam Deo quos vocet, & iam nunc per totum orbem prædeſtinatum eſſe electorum numerum, qui in Regni Dei hæreditatem ſubituri ſint. Idem Baptiſta quoq; Phariſæos monuit, quando Deum ex lapidibus Abrahamo filios excitaturum eſſe promiſit. Quod nobis etiam in mentem venire debet, quando eadem perſuaſio nos quoq; confidentiores & Deo minus obſequentes reddit. Nec enim deficient in vniuerſum Chriſtiani, etiamſi nos, qui hoc nomine nunc gloriamur, dignas noſtræ ingratitudinis & impietatis pœnas demus. Nam & de Iudæorum reſtitutione Paulus ad Romanos non obſcurè vaticinatur, & fortaſſis inter Turcas maiori cum fructu Euangelium prædicabitur, quàm inter pſeudochriſtianos, qui vel in Antichriſti verba iurarunt, vel Epicuri diſcipuli facti cum Deo ſacra ſimul omnia contemnunt.

Primi erunt ultimi, & contra.

Poſtremò addit Dominus: Et ſunt vltimi, qui erunt primi: & ſunt primi, qui erunt vltimi. Primos dicit Iudæos, quia cum horum patre Abrahamo Deus fœdus ſalutis, quod in diluuio abolitum videri poterat, inſtaurauit, & iiſdem ipſe primis per Euangelij prædicationem & miracula innotuit. Vltimi ſunt, qui poſtea ex gentibus vocati crediderunt. Iſta autem ſententia, quæ ſæpe ab illo repetitur, amplius adhuc deprimit Iudæorum ſupercilium, qui aduerſus omnes gentes ſuis prærogatiuis ſuperbiebant. Oſtendit enim fore viciſſitudinem rerum, vt qui nunc alieni ſunt à repub. Iſraelis, primum in ea locum obtineant, in poſtremum autem reijciantur qui ſecundùm carnem ex Abrahamo nati ſunt. Factum hoc duplici ratione. Nam quoad multitudinem & dignitatem, ij qui ex gentibus deſcendunt Chriſtiani, eos longè ſuperant, qui ex Iudæis crediderunt. Imò rarò bonæ frugis ſunt Iudæi, qui Chriſto per baptiſmum nomen dant, tùm plerique ad manifeſtam idololatriam, quæ in Papatu regnat, conuertantur (quod immanem & Cyclopicum legis per Moſem datæ contemptum arguit) aut ſaltem nihil præter quæſtum quærant, multi etiam ex eo voluptatem captent, quòd Chriſtianis hominibus illudere, & noſtris Sacramentis abuti poſſint. Deinde quoad ordinem quoque implebitur hoc Chriſti dictum. Nam, vt Paulus ſcribit, vbi plenitudo gentium intrauerit, tunc rurſus vocabuntur Iudæi, vt ita totus Iſrael, tam ij qui ſecundùm carnem, quàm alteri qui per fidem Iſraelitæ facti ſunt, ſeruetur. Semper autem meminiſſe nos decet, iſta ad nos quoque pertinere, neque nobis Deum parſurum eſſe, qui ex oleaſtro defracti & in ſanctam patrum ſtirpem inſiti ſumus, ſi Iudæorum cæcitatem & contumaciam imitemur. Itaque qui ſibijpſi videtur ſtare, videat ne cadat. Etenim ruinæ grauis præludia multa ſunt, & exemplis multis nos Deus excitat quotidie. Vigilemus ergo, & grati ſimus Deo, fidei verò profeſſionem vitæ ac morum ſanctimonia confirmemus, vt in magno illo die nos pro fratribus & cohæredibus ſuis agnoſcere poſſit æternus Dei Filius, Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Rom. 11.

HOMILIA CXLI.

Eo ipſo die acceſſerunt quidam Phariſæorum dicentes ei: Exi, & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare. Tunc ait eis: Profecti dicite vulpi illi: Ecce, eijciam dæmonia, & ſanationes peragam hodie & cras, & tertia die conſummabor. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere: quia fieri non poteſt, vt Propheta pereat extra

Hieruſalem, Hieruſalem, Hieruſalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pulliciem ſuam ſub alas? & noluiſtis. Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta. Amen autem dico vobis, non videbitis me, vſque dum venerit tempus vt dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

QVemadmodum doctor & ſeruator noſter, Ieſus Chriſtus, cùm primùm docere inciperet, omnes ad pœnitentiam atque vitæ prioris emendationem hortatus eſt: ita quando mortis hora inſtabat, eandem doctrinam paſsim magno & ſingulari ſtudio inculcauit. Et hoc quidem capite exempla ſimul & ſimilia multa in eum finem adduxit, vt oſtenderet nullam nobis ſalutis ſpem reliquam eſſe, niſi dum hæc vita durat ad Deum verè conuertamur. Doctrinam verò hanc Iudæis potiſsimùm accommodans, quos inani generis & externi cultus fiducia deceptos nimiùm in re maximè neceſſaria cunctari videbat, grauiter monuit, vt dum tempus eſt, cum Deo in gratiam redire ſtudeant, & niſi id faciant, eos à Regno illius omnino excludendos fore minatus eſt. Sequitur nunc, quàm parum doctrina hæc profecerit apud eos, qui in illa gente ſanctiſsimi habebantur: deinde vt ea occaſione toti populo, imprimis tamen Hieroſolymæ horrendum excidium atque diſsipationem miſerrimam denuntiarit, quibus Deus in hoc etiam ſeculo ipſorum contumaciam & ingratitudinem ſtatuerit vlciſci.

Ad primum huius loci caput pertinet quod de Phariſæis ſcribitur, qui nouam de his dicendi occaſionem Chriſto præbuerunt. Eo ipſo die (ait Lucas) acceſſerunt quidam Phariſæorum dicentes ei: Exi, & abi hinc: nam Herodes vult te trucidare. Videntur iſti ex eorum numero fuiſſe, qui ipſius amici videri volebant. Certè amici officium eſt, aliquem de imminenti periculo certiorem facere, & ſibi proſpiciat admonere. Sed falſam atque ſimulatam fuiſſe hanc admonitionem, ex Domini reſponſo abunde patet quo illam non ſine iuſta indignatione reiecit. Aſtutè autem illi & ſubdolè fugam ei ſuadent, vt porrò negotium ipſis facere deſinat. Scimus enim eum nuſpiam plures & conſtantiores habuiſſe diſcipulos, quàm in Galilæa, in qua vt plurimùm verſatus eſt, & vnde Apoſtoli quoque oriundi fuerunt. Et quia fortaſsis Sacerdotibus quoque minus licebat in regno Herodis, qui Iudæorum potentiam non ſine cauſa ſuſpectam habebat, eò res ſpectare videbatur, vt pleriſque Chriſto iam credentibus, & eius doctrina indies latius ſerpente gens illa tota à Sacerdotibus & Scribis apertè deficeret. Quia ergo in illis locis aliquid violentius tentare minimè tutum erat, & proinde eum aperta vi eijcere non poſſunt, ad dolos & mendacia conuerſi terrorem illi incutere volunt, vt ſponte diſcedens populum illum ipſis denuo in ſtatum priorem reducendum relinquat. Neque ignorare poterant homines aſtutiſsimi, quantum hoc autoritati illius derogaturum eſſet, ſi turpi fuga ſibi conſuleret, & in latebras aliquas ſeſe reciperet. Itaque vt ſuum regnum ſtabiliant, conſulunt, vt quam ocyſsimè ſe aliò conferat, & ad hoc Herodis Regis nomine abutuntur, quem Chriſto minus propitium eſſe veriſsimile erat, cùm eius præcurſorem, Ioannem Baptiſtam, non ita pridem crudeliter & iniuſtè iuſsiſſet decollari. Eſt hoc odij vehementiſsimi & implacabilis argumentum, quod iſtos homines ex ambitione & auaritia concepiſſe, aliâs diximus. Nam ſi Chriſtum ſpectemus, adeò non dignus erat odio, vt potius omnium hominum amorem atque fauorem mereretur: cùm non ſolùm nemini noceret, & ab omni abſtineret maleficio, verumetiam promiſcuè omnibus benefaceret, partim docendo, partim miracula ædendo, quibus immedicabiles multorum morbos curabat. Veruntamen tanto illius odio flagrant Phariſæi, vt & eum eiectum & populum tanto benefactore deſtitui velint, ne ipſorum fraudibus in vniuerſum detectis, eorum authoritas tota concidat, & quæſtus nefarius, quem ex ſacris faciebant, euertatur. Fuit hæc plus quàm ſacrilega impietas, quæ etiam hodie apud omnes eos regnat, qui fucata ſanctimoniæ ſpecie ſeſe venditant, eo autem prætextu non aliud quàm inanem gloriam inter homines & priuatum quæſtum venantur. Non poſſunt tales vllis beneficijs placari. Nam vt veritatis lux eos offendit, ita quæ in plures alios conferuntur ſalutis æternæ dona illos prorſus in rabiem adigunt.

Phariſæi Chriſto fugam ſuadent.

Impij ſub amicitiæ prætextu inſidiantur.

Quia verò ijdem non ſemper poſſunt quod volunt, iram atque odium nonnunquam egregiè diſſimulant, & quod aperta vi non poteſt perfici, id ſub falſo amicitiæ prætextu ad finem optatum deducere conantur. Et eſt hoc egregium atque ſingulare diaboli ſtratagema, quo ſuos miniſtros inſtruit, vt inanibus & fictis terriculamentis eos ab officio reuocet, quos regno ſuo obeſſe videt. Quod enim iſti hîc faciunt, hoc ipſum ſæpe aliâs factum eſſe ſcimus, & huic prorſus ſimile eſt, quod de Amaſia vitulini cultus antiſtite in Bethel ſcribitur. Is enim cùm Amos Prophetam extinctum cuperet, primò quidem eum apud Ieroboamum Regem grauiſſimè accuſat, & læſæ maieſtatis reum agere ſtudet. Amos (inquit) conſpirauit contra te in medio domus Iſraelis, nec poterit ipſa tellus omnes eius ſermones ſuſtinere, &c. At quando Regis animum ira atque indignatione accendi non poſſe videt, mox amicum ſimulans Prophetam accedit, & vt ſibi maturè conſulat, monet, dicens: Vade ô videns, & fuge in terram Iuda, & illic panem edito atque ibidem propheta: in Bethel autem ne poſthac prophetes: quoniam Sanctuarium eſt Regis, & domus Regis eſt. Videntur hæc ex animo amico & beneuolo profecta: cùm & locum tutiorem oſtendat, vbi maiori cum fructu docere poßit, & ſimul cauſas indicet, quæ obſtent quò minus in Iſraelis regno, & quidem in Bethel maximè, aliquid proficiat: imò periculoſum eſſe innuit illic aliquid moliri, vbi cultus exerceatur Regum publica authoritate & liberalitate iam pridem confirmatus, & vbi conatus eius non poßit celari, cùm illic Regis ſedes ſit, neque deſint Regibus Corycæi, qui omnia obſeruent, & iiſdem omnia renuntient, quæ in vulgo fiunt. Sed ſi rem ipſam propius contempleris, hoc vnum quærit crudelis hypocrita, vt Amos hoc nuntio territus profugiat, ſeque ipſum atque doctrinam ſuam omnium ludibrio exponat, adhæc fidem faciat calumniæ ſuæ, qua illum vt res nouas ſeditioſè molientem accuſauerat. Eſt horum infinitus numerus hodie, qui vbi Euangelij doctrinam in aliqua gente ita receptam atque confirmatam eſſe vident, vt eam aperta vi eijci non poſſe ſentiant, ad artes eiuſmodi conuerſi, ſe adminiſtrorum verbi amantes & publicæ ſalutis quàm maximè ſtudioſos eſſe ſimulant. Itaque de illis quidem honorificè loquuntur, ſtudium eorum commendant, ad menſam ſuam non rarò inuitant: interim verò ſe tam ipſis priuatim quàm toti reipub. timere dicunt, & frequenter ſermones inſtituunt de temporum noſtrorum iniquitate, vicinorum & ſociorum ingenio atque moribus, quibus omnino aliquid dari oporteat, ne quæ turbæ grauiores oriantur, quæ toti quidem genti & reipub. malum dent, imprimis autem in præconum Euangelij capita redundent. Sed & priuatim interdum cum illis agunt, vt circumſpectè & prudenter res ſuas inſtituant, neque rigidius atq; ſeuerius vrgeant id, quod non poßit obtineri. Adhæc pericula fingunt, & de diris quorundam conatibus non ſine gemitu loquuntur, vt plus fidei inueniant. At quorſum iſta omnia tendunt? Eò nimirum, vt Eccleſiæ miniſtri timore perculſi frigidius agant Domini negotium, aut etiam aliò ſeſe conferant, & turpi metu ſibiipſis & doctrinæ ſuæ fidem atque authoritatem omnem derogent: Vel vt principes atque magiſtratus terriculamentis eiuſmodi fracti, doctoribus abire nolentibus dicendi leges præſcribant, ſpiritus libertatem reſtinguant, & eoſdem ab omni ſcriptione abſtinere iubeant, ne hac aduerſarij irritentur. Ita verò tenebriones iſti ſub ementito amicitiæ & ſalutis publicæ prætextu plus poſtulare audent, quàm ipſi hoſtes facerent, ſi rerum omnino potirentur. Sunt ergo diligenter tales obſeruandi, & in eorum dolis arguendis verbi adminiſtros ſedulos atque intrepidos eſſe conuenit, ne qui artibus illis decepti, libertatem Euangelij amittant & Antichriſtianæ tyrannidi denuo ſubijciantur, dum ſibiipſis & alijs temere volunt conſulere.

Chriſtus fugam ſuadentes reijcit.

Docet hoc in præſenti Chriſtus ſuo exemplo. Nam ſubdolos hoſce & perfidos monitores graui reſponſo reijciens ait: Profecti dicite vulpi illi: Ecce eijciam dæmonia, & ſanationes peragam hodie & cras, & tertia die conſummabor: Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere: quia fieri non poteſt, vt pereat Propheta extra Hieruſalem. Primùm ipſos abire iubet abs ſe, qui illum vt ſe aliò reciperet, monuerant: eo ipſo indicans, quàm parum eorum conſilio tribuat. Deinde quia illi Herodis nomen prætexebant, ad eum illos remittit, & Vulpem nominat, nimirum propter aſtutiam & calliditatem, qua inſtructum fuiſſe eius facta & mores ſatis teſtantur. Nam ille ipſe eſt, qui Ioannem Baptiſtam, quem in precio habere & eius doctrina ſe delectari diu ſimularat, crudeliter in carcere occidi curauit ſub iuriſiurandi temere dati prætextu: quæ execrabilis

bilis omnino fuit aſtutia cum iniquitate ſumma coniuncta. Et credibile eſt, eum multa de Chriſto per inſidias opprimendo cogitaſſe, cùm apertam vim illi inferre non auderet. Huc enim referri poteſt, quod illo capto & ad ſe miſſo gauiſus eſt, & cùm non alia ratione ei nocere poſſet, candida veſte indutum ludibrio habuit. Vulpinæ etiam aſtutiæ argumentum eſt, quòd Philippi fratris vxorem, violato & hoſpitij & cognationis iure, ſuis blanditijs deceptam abduxit, ac ſibi per inceſtas nuptias coniunxit. Cuius ſimile eſt, quod in vxoris fratrem Herodem Agrippam deſignauit, quem Caio Caligulæ exoſum & inuiſum facere conatus eſt, vt regno eum exueret. Sed tunc vt vulpes laqueo capta ſibijpſi exilium & ignominiam accerſiuit. Quæ omnia cùm Dominus non ignoraret, vulpem dixit, vt indignum oſtenderet, in cuius gratiam faceret aliquid. Suo autem exemplo docet, qua dicendi libertate adminiſtri verbi Dei in arguendis hominibus ſceleratis & hoſtibus Dei vti debeant. Detrahenda enim omnino illis eſt larua, qua ſeſe occultant, vt minus nocere poſſint, & vt nemo eorum exemplis malis offendatur. Nec eſt quòd aliquis perſonæ dignitatem obijciat, quaſi propter hanc immunis ſit. Nam quò nocentius eſt, quod ab illuſtribus viris datur ſcandalum, eò liberius illi argui debent: quod olim Prophetæ, & poſt hoc Apoſtoli quoq; fecerunt.

Cauſæ, ob quas Chriſtus fugere noluit.

Quid verò illud eſt, quod Herodi renunciari voluit Dominus? Ecce (inquit) eijciam dæmonia & ſanationes peragam hodie & cras, & tertia die conſummabor, &c. Comprehendit his verbis cauſas, propter quas non poſſit neque debeat Herodis minis aut conatibus moueri, vt ab officio ſuo diſcedat. Primam ex Dei Patris prouidentia petit, quæ certos vitæ in terris agendæ dies iam pridem ipſi conſtituerit, quos ad ſuum finem decurrere oporteat. Ex quo colligit, neque Herodem neque quenquam alium ipſum occidere poſſe, donec finem aut metam hanc attigerit. Et huc faciunt omnes loci Euangelici, in quibus horæ mentio fit, qua debuerit mori: vt cùm Ioannes ait: Studebant eum prehendere, ſed nemo iniecit ei manum, quia nondum venerat hora eius. Et ipſe alicubi Patrem orat: Conſerua me ab hac hora, ſed propterea veni in horam hanc. Item: Sciens Ieſus veniſſe horam ipſius, vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, &c. Altera à breuitate temporis, quod ipſi adhuc reliquum ſit, ſumitur: Nam hodie & cras (ait) eijciam dæmonia & ſanationes peragam, & tertia die conſummabor. Quaſi diceret: Compleui ferè curſum vitæ meæ, vt vix pauculi dies adhuc reſtent, quibus elapſis conſummabor, id eſt, plenè perficiam, quæ per me effici vult Pater. Nam peccatum mundi mortis meæ merito expiabo, mortem & inferos reſurrectione vincam, de diabolo & vniuerſis ſalutis humanæ hoſtibus per Aſcenſionem triumphum agam, & in cælos euectus ad dextram Patris conſidebo Rex & Sacerdos æternus, cuius ſcabello pedum inimicos omnes ſubijci oportebit: deniq; eos etiam qui in me credũt perfectos & conſummatos reddam, vt iuſtificati & filij Dei facti, eiuſdem Regni & gloriæ cohæredes ſint. Quàm verò abſurdum & inconſultum foret, me nunc deficere, & à Patre commiſſum munus deſerere, cùm meta in propinquo adſit, & iam vno atque altero paſſu poſſit attingi? His tertia additur: Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere. A neceſſario hæc deſumpta eſt, & hunc ſenſum habet: Etſi ego ignauo metu ſuperatus velim officium negligere, tamen vt id faciam non licet. Quia enim Patris hoc æternum decretum eſt, neceſſe fuerit vt ſuum habeat in me complementum. Nam illo aliquid ſtatuente, quis illud irritum faciet? quis eius conſilia impediet, quò minus ſuum habeant effectum? Poſtrema cauſa ex loci conditione deducitur: quia non poſſit in Galilæa aliquid mali accidere ſibi, eò quòd Hieroſolyma ſuæ neci deſtinata ſit, quæ Prophetarum cædibus & ſanguini ita aſſueuerit, vt vix fieri poſſit Prophetam aliquem alibi trucidari.

Ioan. 7. 12. 13.

Nemo offendatur ſi Chriſtus in loco celebri perſecutores habeat.

Ita verò ſimul ſcandalo medetur, quod apud infirmiores enaſci poterat, quando eum viſuri erant in ea vrbe pro ſcelerato & impio damnari atque occidi, quam Deus ſui cultus ſedem fecerat, & quæ ideo Ciuitas Sancta dicebatur. Fuit hoc horrendum iudicium Dei, qui Filij ſui ſanguine menſuram iſtorum impleri voluit, vt mox dignas ſuæ impietatis pœnas darent. Quo exemplo docemur, quàm parum locorum ſanctitati & priſtinæ dignitati tribui debeat. Nec enim alicui vrbi aut genti Deus alligatus eſt, quò minus gratiam omnem ab ijs auferat, qui hanc improbè aſpernantur. Fruſtra ergo Romam ſuam nobis iactant Pontifices, cuius fidem Paulus commendauerit, in qua primus Eccleſiæ antiſtes fuerit Petrus, à quo legitima Epiſcoporum ſucceſſio ad noſtra vſque tempora numeretur. Nam vt hæc omnia illis demus (quæ tamen maxima ex parte conficta & falſa

ſunt) nunquam tamen inde colligi poterit, Romanum Pontificem Eccleſiarum omnium caput & vicarium Chriſti eſſe, cui omnes neceſſariò obedire debeant, & qui errare non poſſit. Quia enim ab ea fide, quam Paulus commendat, iam pridem defecerunt, eandem hodie ferro & igne perſequuntur, & maiorem Pontificum partem iam ſeculis aliquot Simoniacis artibus, multos etiam aperta vi, in eius ſedis faſtigium aſcendiſſe conſtat, quid obſecro de illa ciuitate nobis amplius, quàm de Hieroſolyma, poſſumus polliceri? Annon enim iam olim Apoſtolorum & epiſcoporum ſanctiſſimorum ſanguine maduit? Annon illuc, ceu ad publicam carnificinam ex toto terrarum orbe pertracti ſunt beati Martyres, vt illic vel beſtijs obijcerentur, aut alijs ſupplicijs crudeliſſimis excruciati perirent? Annon hodie adhuc ex ea vrbe procedunt fulmina excommunicationum, ſanguinaria de Euangelicæ veritatis oppreſſione conſilia, & legati à latere (vt ipſi loquuntur) qui in omnium Regum aulis verſantur, & illos aduerſus Chriſti fideles accendunt? Annon Pontificum artibus potentiſſimi Monarchæ hactenus commiſſi bella geſſerunt, in quibus plus ſanguinis Chriſtiani fuſum eſt, quàm olim truculentiſſimi Eccleſiæ hoſtes effuderint? Annon hodie Pontificum promiſſionibus, conſilijs, pecunijs, bella ciuilia fouentur, quibus florentiſſima regna vaſtantur, exhauriuntur & pereunt? Deſinant ergo nobis eius vrbis dignitatem iactare, quæ qualis qualis olim fuerit, nunc tamen cum ſanguinaria Hieroſolymorum ciuitate omnia cõmunia habet. Diſcant potius ij quos honore tanto Deus dignatur, vt verbo & cultui ſuo apud ipſos locum eſſe velit, illius beneficium agnoſcere, & tam horrendis exemplis territi, dignitatē ſuam conſtanti gloriæ Dei & veræ pietatis ſtudio tueantur. Nam quò altius euehuntur aliquæ ciuitates aut nationes, eò grauiori & ignominioſiori ruina cadunt, ſi gratiam ſibi à Deo factam turpiter prophanent atq; polluant, vt alibi in Capernai, Bethſaida & Corozaim exemplis vidimus.

Conſtantia in vocatione Dei commendatur. Porro quod præcipuum huius loci caput eſt, ſuo exemplo nos Chriſtus docet, qua conſtantia à Deo creditam nobis functionem obire debeamus. Nam ſi vniuerſam vitæ eius in terris tranſactæ hiſtoriam conſideres, nihil præter continuos labores, potentiſſimorum inimicitias, callidiſſimorũ hominum inſidias, & noua indies pericula videbis, quibus illum ſatan vel perdere vel ab officio ſuo reuocare conatus eſt. At neque labores eum defatigare, neq; vllorum hominum inimicitiæ & inſidiæ, neq; iam capiti imminentia pericula terrere potuerunt, vt ſtationē ſuam desereret: imò quò propius adeſſe vidit horam illam fatalem, quæ diræ & infamis necis ſupplicio deſtinata erat, eò fortior & animoſior omnium hoſtium conſilijs atq; terroribus ſeſe oppoſuit. Debent exemplum eius imitari, quotquot cum ipſo regnare & ſalutis per illum partæ hæredes fieri cupiunt. Quod tunc demum poterunt præſtare, ſi iiſdem rationibus atq; argumentis fidem ſuam confirment, quibus illum in præſenti vſum fuiſſe audimus. Diſcant ergo in Dei prouidentiam reſpicere, qui & dies vitæ noſtræ & capitis capillos numerauit, adhæc morti noſtræ ſuum tempus & locum conſtituit. Etenim vt duodecim horæ diei ſunt (ſicut alibi dicit Dominus) ita priuſquam noſtræ vitæ hora duodecima adueniat, nemo nobis nocere aut illam eripere poterit.

Ioan. 11. Quin ergo in tam prouidi Patris tutela acquieſcimus, qui ſolo nutu nos tueri, hoſtium conatus impedire, vel etiam animos eorum mutare poteſt? Cogitent etiam ſinguli, breue eſſe huius vitæ ſpatium, & in ſingula momenta ad ſuum finem propius decurrere: adeoque nosipſos ignorare quàm procul ab illo abſimus, plerunque autem fieri, vt iam finis inſtet, & extrema hora nos hinc euocet, quando nihil minus ſperabamus. Quare nimiùm imprudentes & ignaui ſunt, qui cùm ex anteactæ vitæ annis conijcere poſſint, ſe maiorem partem ſui temporis iam tranſegiſſe, deficiunt tamen, & tunc curſum ſiſtunt, quando æternæ vitæ brauium iam iam prehenſuri erant. Potuit olim ſenectus M. Caſtritium confirmare, vt Cn. Carboni iniquum quid petenti ſeſe opponeret, & huic minitanti ſe multos habere gladios, reſponderet, Et ego annos. Quantò maior ergo Chriſtianorum fiducia eſſe debet, qui annos ſuos in Dei manu, & vitæ huius tempus breue eſſe ſciunt, quam æterna excipiet, ſi in finem vſq; perſeuerauerimus? Debet præterea nobis ſemper in mentem venire, oportere nos omnino curſum noſtrum perficere. Qui enim nos ſumus, qui Dei decreto reſiſtamus, aut ei officium noſtrum negemus in illis rebus, quas noſtro miniſterio confectas vult? Num vt hominum conſilijs obtemperemus, cum illo pugnabimus? Vel num eo honore nos ſpoliabimus, quo ſeruos ſpontaneos & alacres ille dignatur? Obſeruarunt hoc diligenter.

genter Apoſtoli, qui olim Senatui Hieroſolymitano ſilentium ipſis mandanti reſponderunt: An iuſtum ſit vobis potius obedire quàm Deo, vos iudicate: Non poſſumus enim quæ audiuimus & quæ vidimus, non loqui. Et Paulus ſcribebat: Si euangelizem, non eſt quòd glorier: neceſſitas enim mihi incumbit: Væ autem mihi eſt, niſi euangelizem. Debent iſta ſibi accommodare omnis loci & ordinis homines, & in rebus agendis cum prudentia piè fiduciam certam in Deum coniungere, quæ ſola nos in officio continere poteſt, ne noſtræ carnis rationes ſecuti exorbitemus.

Cæterùm ex ijs, quæ de Hieroſolyma dixerat, occaſione ſumpta, totum ſermonem ad illam conuertit, vt imminens illi iudicium Dei apertè denunciet, & omnem ſcandali materiam remoueat, quæ ſimplicium fidem poterat labefactare. Vtitur autem pathetica prorſus exclamatione: Hieruſalem, Hieruſalem, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pulliciem ſuam ſub alas? & noluiſtis, &c. Sunt verba hæc plana & perſpicua admodum, ſed res multa conſideratione dignas continent. Primò enim Dei bonitatem & ſtudium plus quàm paternum commendant, quo ſaluti huius vrbis conſulere iam diu conatus ſit. Deinde illorum incurabilem contumaciam arguit. Tertiò pœnas prædicit graues atque horrendas. Apoſtrophe ad Hieroſolymam.

Orditur autem à Dei bonitate, vt euidentior ſit eorum culpa, & vt inexcuſabiles eſſe oſtendat. Et cùm infinita beneficia recitare poſſet, quibus ſuam gratiam erga illos declarauerat, Prophetarum imprimis meminit, qui ab ipſo miſſi Verbum ſuum illis prædicarint. Et hos quidem ipſis nunquam defuiſſe conſtat. Nam ſi ad primos vſque gentis illius progenitores aſcendamus, hos Prophetas fuiſſe inueniemus. Hoc enim nomine Abrahamum Deus exornat, & notum eſt illud Pſalmi, quo idem Chananæos terruit, ne quam illis vim facerent: Nolite tangere Chriſtos fine vnctos meos, & ne quid mali faciatis Prophetis meis. Poſtea per Moſem & Aaronem non ſolùm ex Aegypto liberauit filios Iſraelis, ſed vnà cum cultu externo Verbi ſui doctrinam inter eos vulgauit, cuius communes & perpetuos præcones atque interpretes eſſe voluit Sacerdotes, quos ex reliquis tribubus atque familijs ſibi in hunc vſum ſegregauerat. Et cùm iſti aliquando in ſuo munere ceſſarent, vel ſaltem negligentiores eſſent, extraordinariè ex diuerſis tribubus Prophetas excitauit, qui ſingulari Spiritus virtute armati totum populum & ipſos quoque antiſtites atque principes de ſuo officio admonerent. Succeſſit his tandem Ioannes, cuius eò maior debuit eſſe authoritas, quòd eius miſſionem veteres Prophetæ olim prædixerant. Veruntamen quaſi nihil vnquam feciſſet, tandem ipſe Dei Filius venit, qui incomparabili ſtudio omnia fecit, quæ ad ſeruandum aliquem populum factu neceſſaria ſunt. Idem quoque poſt ſe Apoſtolos reliquit, qui ab ipſo traditam ſalutis doctrinam vrgerent, & modis omnibus inſtarent apud eos, qui hactenus ſe nimiùm contumaces præbuerant. In quem verò finem hæc omnia facta ſunt? Volui (inquit) congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pulliciem ſuam ſub alas. Eſt hic prædicationis Verbi proprius finis aut ſcopus, quod per illam nos Deus ad ſe colligit, adeoque vt ſub vmbram alarum ſuarum confugiamus inuitat. Quod vt ſingularem eius erga nos bonitatem commendat: ita hîc ſimilitudine illuſtratur, quam ita proponit Chriſtus, vt ſingula verba Emphaſim & pondus habeant. Nam ait, Quoties volui. Quaſi dicat, Non nunc demum meum in vos ſtudium declarare cœpi, ſed à multis ſæculis totus in hoc fui, vt veſtræ ſaluti conſulerem, vt de mea voluntate non poſſitis dubitare. Volui autem cogere vel congregare, ne more aliarum gentium in ſectas & ſuperſtitiones varias diſtracti erraretis. Et quidem ad me congregare volui, qui & ſummum bonum & omnis boni fons ſum vnicus. Neque obiter & quaſi aliud agens hoc feci, ſed vt gallina pulliciem ſuam glocitando inuitat ſub alas: ita ego Verbi mei voce vos inuitaui, non vt vile aliquod obſequium mihi præſtaretis, ſed vt ſub alas meas abſconditi mihi quàm arctiſſimè coniungeremini, & ſub mea protectione tuti degeretis. Faciunt hæc omnia ad diuinæ bonitatis amplificationem, quam nunquam ſatis admirari poterimus, ſi illius maieſtatem cum noſtra plus quàm miſera conditione conferamus. Amoris & ſtudij ingens eſt argumentum, quòd qui nullius eſt indigens, noſtri curam qualemcunque ſuſcipit, & propter nos mundum hunc cum omnibus, quæ illo continentur, conſeruat atque regit. Maius verò, quòd qui ipſa iuſtitia & ſanctitas eſt, nos filiorum loco habere dignatur, qui natura peccatores & omni ſupplicio digni ſumus. Imò non patrem modò

Studium Dei erga Hieroſ. et Iudeos.

Gen.20.

Pſal.105.

noſtrum ſeeſſe profitetur, ſed matris quoque affectum induit, quo nullus eſt inter homines tenerior
& vehementior. Superat tamen hæc omnia, quòd gallinæ, aui viliſſimæ, ſeſe confert, & ita ſeſe ad
Iſa.49. pulueres vſque demittit, vt nos ſeruet. Etenim non fictam eſſe hanc comparationem, res ipſa teſta-
tur. Vt enim gallinæ innata vel naturalis vis fouendi ineſt: ita Deus propriam ſibi habet virtutem,
quæ omnibus fouendis atq; conſeruandis ſufficit. Et vt gallina ſuũ erga pullos ſtudiũ mirificè decla
rat, dum propter hos & genium ſuum defraudat, & pro illis acriter pugnat, imò corpus ſuum miluis
rapacibus obijcit, vt eos ſub alis ſuis abſconditos tueatur: ita Deus in Filio ſuo hæc omnia præſtitit,
qui propter nos extremã egeſtatem paſſus ſitiuit, eſuriuit, alſit, & tandem ſe totũ pro nobis tradidit
in mortem, vt nos redimeret, paſceret, tueretur & regni ſui cohæredes faceret. Quæ beneficia cùm
iam pridem per promiſſiones & Verbum ſuum Iudæorum genti obtuliſſet quàm liberaliſſimè, meri-
tò iſta nunc à Domino dicuntur: quæ à nobis ita accipi debent, vt multò magis nobis ea conuenire co-
gitemus, quibus perfecta ſalus iam pridem in Chriſto exhibita eſt, vt nos ei gratos & obſequentes
præbeamus. Auget enim culpam noſtram magnitudo diuinæ gratiæ, niſi eam qua decet reuerentia
agnoſcamus.

Et huc Hieroſolymitanæ vrbis exemplum pertinet, cuius ingratitudinem Dominus horum be-
Iudæorum ingratitudo. neficiorum commemoratione exaggerat. Quo loco præcipuum & omnis mali caput atq; fons eſt, quòd
ipſos ad Deum colligi & ſeruari noluiſſe dicit. Ergo cum Dei voluntate illi pugnarunt: quod vt
nimium frequenter fit, ita ingens eſt indicium, quo noſtræ naturæ corruptio & prauitas arguitur.
Nec enim ſolùm nihil boni ex ſemetipſo habet homo, verumetiam quam Deus ei ex gratia offert ſa-
lutem faſtidit & reſpuit, perinde vt qui ſtomachi cruditate laborant cibos optimos & ſaluberri-
mos reſpuere, noxios autem appetere conſueuerunt. Id verò in præſenti Chriſtus attingit, vt per-
Hoſ.13. ditionem (ſicut olim per Prophetam dixerat) ex ipſis eſſe oſtendat, & Deum omni culpa liberet.
Quòd autem noluerint ſalutem amplecti, aut Deo ipſos vocanti morem gerere, factis eorum probat.
Nam Prophetas hactenus Hieroſolymæ trucidatos, & à Deo miſſos voluntatis ſuæ interpretes
ibidem lapidatos fuiſſe dicit. Eſt hoc notius ex ſacra hiſtoria, quàm vt multis demonſtrari opor-
teat, & ſupra ſub finem vndecimi Cap. idem illis exprobrauit. Neq; hoc olim modò fecêre, ſed ipſum
quoque Filium Dei gentibus crucifigendum tradiderunt, & eadem rabie in eius quoque Apoſtolos
graſſati ſunt. At quia iſti omnes nullo ſcelere aut maleficio infames, ſed fidiſſimi pœnitentiæ & ſa-
lutis gratuitæ præcones fuerunt, quis non videat illos ad Deum congregari noluiſſe? Docemur au-
tem horum exemplo, Veritatis odium & quæ aduerſus huius miniſtros inſtituuntur perſecutiones,
extremæ ac deploratæ malitiæ argumentum eſſe. Quid enim de ægroto ſperes, qui & medicum odit,
& medicinam omnem reſpuit? Aut quis non de filio nequam deſperet, qui patrem exoſum habet, e-
iusq; admonitiones cum ludibrio reijcit? At quid hodie frequentius fit? Etenim ſi mundi mores ſpe-
ctemus, atrociſſima quidem ſcelera paſſim regnant, ſoli tamen pro ſceleratis & quouis ſupplicio di-
gnis iudicãtur fideles Verbi Dei interpretes. In hos alij ferrò et igne ſæuiunt: alij, qui Euangelij ſtu
dium profitentur, eoſdem tamen oderunt, vt qui ſoli diſſidiorum authores ſint, aut ſaltem pro fana-
ticis habent, quorum moroſitate nemo moueri debeat. At neminem piorum iſta debent offendere.
Eſt enim hoc mundi huius ingenium, qui ita ad propriam perniciem & exitium ruit, tùm interim
beati ac felices ſint qui in Domino moriuntur, & ſuo prius officio fideliter defuncti ſunt.

Iudæorum pœna. Sequitur grauiſſima pœnæ comminatio, quam de Iudæis ſumpturus ſit Deus. Ecce (inquit) re-
linquitur vobis domus veſtra deſerta: Amen autem dico vobis, non videbitis me, vſq; dum venerit
tempus, vt dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Primò excidium illis minatur, &
quamuis hoc ad totam vrbem & omnem terram ipſorum referri debeat, quæ cum omnibus vrbibus
ſuis Romanorum armis miſerè vaſtata eſt, inprimis tamen domus meminit, per quam templum
intelligi debere non eſt dubium. Et hanc ipſorum domum dicit, vt innuat eam à Deo non amplius
pro ſua agnoſci, eò quòd illam ex domo precationis ſpeluncam fecerint. Item relinquitur vobis, in-
quit: Quaſi diceret. Quoniam templum, relicto & cõtempto verò eius vſu, in veſtrũ vſum conuerti-
ſtis, & alij quidem in hoc ſpem & fiduciam omnem collocant, & ſub eius prætextu atrociſſima quæ-
que flagitia deſignant, alij verò tam templo quàm toto cultu externo ad ſuum quæſtum & ambitio-
nem abutuntur, Deus illud vobis relinquet, vt eo quale nunc eſt fruamini, & ſua gratia præſen-

tiam pro-

tiam procul ab illo auferet. Itaque deſertum vobis relinquetur, vt non poßitis illo amplius fidere, vbi nullum eius veſtigium extare videritis. Fuit hoc horrendum iuſtitiæ diuinæ exemplum, quando domum eius mandato extructam, promißionibus amplißimis commendatam, adhæc Filij ſui & noſtri redemptoris typum, à prophanis militibus incendi & excindi paſſus eſt: & ità quidem, vt nunquam inſtaurari potuerit (ſicuti alibi prolixè oſtendimus) & nunc annis circiter mille quingentis in cineribus & ruinis iaceat. Quo argumento Deus toti orbi demonſtrare voluit, ſe nulli loco aut genti propter externos ritus & priſtinam gloriam obſtrictum eſſe, quò minus contumaces & pœnitere neſcios malè perdat. Diſcant ergo hîc omnes homines, quæ illa flabella ſint, quibus Dei ira accenditur, quæ item cauſæ ſint ſeditionum, bellorum ciuilium, excidiorum denique, quibus regna florentißima & vrbes celeberrimæ intereunt: Non equidem (vt prophani homines & huius ſæculi ſapientia turgidi loquuntur) libera Verbi Dei prædicatio, & Eccleſiarum ex hac naſcens reformatio: ſed Verbi contemptus, odia miniſtrorum, perſecutiones piorum & incurabilis in retinendis ſuperſtitionibus atque peccandi libidine contumacia. Hæc ſunt, quæ Dei iram prouocant, & gentibus exitium afferunt: quod ille tam in lege quàm Prophetis paßim teſtatur, & huc exempla pertinent, quæ in omnium propè gentium hiſtorijs plurima occurrunt. Quæ omnia ſi hodie expendamus, facilè patebit, quid nobis ſperandum ſit, quando illa vbique regnant, vt paulò ante diximus.

Sed addit adhuc grauius quid Dominus dicens: Amen autem dico vobis, non videbitis me, vſque dum venerit tempus, vt dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quæ verba à nonnullis exponuntur, quod ſe non ante cum illis in gratiam rediturum eſſe minetur, quàm ipſi ex animo ad eum conuerſi fuerint. Sed cum horum ſententia pugnat, quòd Domino hîc cum incurabilibus res eſt, & quidem præcipuè cum Hieroſolyma, quam æterna maledictione ad irreparabile excidium damnatam eſſe conſtat. Rectius ergo de poſtremo Chriſti aduentu intelliguntur, cuius denuntiatione poſtea quoque Sacerdotes & Seniores Hieroſolymitanos terruit, cùm captiuus in eorum concilio de ſua doctrina & conditione interrogaretur. Nec nobis abſurdum videri debet, quòd illis verba tribuit, quæ in Pſalmis habentur, & quibus verè pij olim Chriſti ſui redemptoris aduentum optabunt atque celebrabunt. Nam hypocritas in nouißimo etiam die ingenium minimè mutaturos eſſe, ex ijs apparet, quæ de illis Chriſtus apud Matthæum cap. 7. & 25. dicit. Sed ſeram nimis & inutilem fore pœnitentiam hîc oſtendit, licet eam blanditijs & acclamationibus honorificis palliare conentur. Itaque qui tales ſunt, nihil præter æterna inferorum ſupplicia poſſunt ſperare, niſi dum in hac vita degunt ad Deum seriò conuertantur. Excitet autem nos tota huius loci conſideratio, vt quoties alas ſuas ille expandit, ad eum nos recipiamus. Hæc enim vnica eſt veræ ſalutis ratio & via. Dicitur autem ille alas ſuas extendere, quoties per Euangelium nos inuitat, vt Ieſum Chriſtum amplexemur, qui nobis ſalutis author & mediator eſt vnicus. Huic ergo fidere, ad eundem per fidei vnitatem congregari, & noſtra illi obſequia præſtare debemus, vt olim in magno illo die, non turbatis & territis animis (vt hypocritæ ſolent) ſed læta certaque ſalutis fiducia exclamare nobis liceat: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Aduentum ad iudicium denuntiat.

CAPVT XIIII.

HOMILIA CXLII.

ET factum eſt, cùm veniſſet in domum cuiuſdam ex primoribus Phariſæis Sabbato ad capiendum cibum, ipſi obſeruabant eum, Et ecce quidam hydropicus erat coram eo. Tum reſpondens Ieſus dixit Legis interpretibus & Phariſæis in hæc verba: Licet ne ſanare Sabbato? Ipſi verò tacuerunt. Tum ipſe præhenſum eum ſanauit ac dimiſit. Et reſpondens eis dixit: Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, qui non ſtatim extrahat eum die Sabbati? Et non poterant ei ex aduerſo ad iſta reſpondere.

Argumentum capitis.

QVoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus hucuſq; multis de pœnitētia et ſalutari ad Deum conuerſione diſſeruit, ſimulq; exemplis & argumētis grauiſſimis Iudæorū gentem, & cum his nos omnes, ad ſerium illius ſtudium exhortatus eſt: cōmodè nunc Lucas hoc capite non nulla eius facta & dicta cōmemorat, quæ erroribus atq; vicijs medentur, quibus pœnitentia quàm maximè impeditur, quibus item Iudæi ferè retinebantur, quò minus illam ſibi neceſſariā putarent. Primò enim rurſus de Sabbato agit, vt illos de externis omnibus rectè iudicare doceat, ne eorum fiducia dementati, nihil porrò ſibi facto opus eſſe putarent. Deinde cùm ſuperbia initium ſit peccati, hanc quoq; retundit, & humilitatem atq; modeſtiam nobis commendat. Tertiò veram dilectionem tradit, docens, eius officia ſic nos præſtare debere, ne ſub eorum prætextu noſtrum commodum quæramus. Poſtremò quid vocante nos Deo fieri debeat, docet, ne vocationi eius reluctantes illam nobis faciamus inutilem. In præſenti, quæ de Sabbato dicuntur, videbimus.

Vſus miraculi. *Quia autem non ignorabat Dominus, Iudæos in huius aliorumque rituum obſeruatione cum ſuperſtitioſa eorum fiducia incurabilem contumaciam coniunxiſſe, non verbis ſolis docet, in quo Sabbati religio conſiſtat, verumetiam facto miraculoſo doctrinam hanc ſuam confirmat: cuius idem finis & ſcopus eſt, qui prioris, quod ſub initium proximi cap. in muliere incurua editum fuiſſe, audiuimus: nimirum dilectionis & veræ pietatis officia propter Sabbatum & alias huius generis ceremonias nequaquā intermitti debere. Etſi verò in huius miraculi deſcriptione Lucas breuitati ſtudeat, tamen in recenſendis circumſtantijs, quæ alicuius momenti ſunt, diligentiſſimus eſt.*

Chriſtus diuertit ad Phariſæū. *Et primò locum cum tempore annotans, Chriſtum Sabbato in domum cuiuſdam principis Phariſæorum ingreſſum eſſe ſcribit, vt cibum illic caperet. Quod haud dubiè nō impudenter ab eo factum eſt, vt erronum more non vocatus irrumperet, ſed inuitatus eò venit cum multis alijs, qui ad idem conuiuium vocati fuerant. Et videri poterat Phariſæus iſte humanitatis atque amicitiæ officium facere, dum Chriſtum honorario cōuiuio adhibet: ſed inſidiosè & hoſtiliter iſtud omne factum fuiſſe, vno verbo indicatur, quando eos illum obſeruauiſſe, Euangeliſta ſcribit. Nec enim in eius verba intenti fuerunt, aut mores obſeruarunt, vt ex ipſo aliquid diſcerent, aut virtutis exemplum caperent: ſed vt aliquam ipſius accuſandi & perdendi occaſionem haberent. Fuit hoc non inhumanum modò, ſed planè barbarum quoque, & tantis viris indigniſſimum facinus. Conſtat enim, apud omnes gentes ex communi more eiuſdem menſæ communionem amicitiæ ſymbolum, vel etiam vinculum quoddam atque mutui amoris fomentum ſemper fuiſſe. Et quanto in pretio atque honore apud ethnicos quoque hoſpitalitatis ius fuerit, ex eo apparet, quòd in bellis etiam apertis illud violari nefas duxerunt, adeò vt hoſtibus parcerent, quos hoſpites paternos aliquando fuiſſe intelligebant. Sed & Iouem ſolebant Ξένιον vocare, quòd Deum hoſpitibus iura dare (vt poeta loquitur) & horum violatores vlciſci crederent. Neque ſuperſtitioſam fuiſſe hanc illorum perſuaſionem, exemplis ex ſcriptura ſacra deſumptis probari poteſt. Abrahamum certè hoſpitalitatis ſtudioſiſſimum fuiſſe legimus: nimirum, quòd illam Deo imprimis probari ſciret. Rurſus etſi infinita & nefanda fuerint Sodomæorum ſcelera, pœnas tamen diu diſtulit Dominus, ſi fortè ad ipſum conuerſi emendarentur: at poſtquam violato hoſpitij iure, Lothi domum oppugnare, & eius hoſpites ad extremam ignominiam poſtulare auſi ſunt, mox omnem moram abrupit, & primo ſtatim diluculo flammis cœlitus immiſſis illos cum tota finitima regione perdidit. Quid? annon ipſe Dei Filius hoſpitalitatis officia in magno illo die iudicij commendabit, eos autem deteſtabitur, qui illa neglexerint? Fuit ergo plus quàm barbara crudelitas, quod ſub conuiuij honorarij prætextu iſti inſidias Chriſto ſtruxerunt.*

Phariſæorum hypocriſis incurabilis. *At non inutile fuerit illos propius inſpicere, vt & incurabilem hypocritarum malitiam & è contra Dei bonitatem agnoſcere diſcamus. Phariſæos enim illo tempore pro ſanctiſſimis habitos fuiſſe, iam ſæpe diximus: veruntamen nulli illis grauiores Chriſti hoſtes fuerunt, cuius odio ita flagrarunt, vt toties ab illo victi, ſubinde tamen ad nouas artes conuerſi ſint, & pugnam aduerſus eum inſtaurarint. Interim quando opus eſt, odium iſtud celare, & amicitiam ſimulare poſſunt, vt fraude doloque in periculum adducant, quem argumentis & rationibus non poterant conuincere. Eſt hoc hypocritarum omnium ingenium. Sanctitatis nomen apud rude vulgus externo fuco ſibi acquirunt, & cùm illa præ alijs omnibus glorientur, cum tamen ferre nullo modo poſſunt,*

qui

qui ipſa ſanctitas eſt, & per quem vnum homines ſanctificantur. Ita verò fit, vt dum propria dignitate nituntur, à ſalute in vniuerſum excidant. Et quàmuis ſe miſeros & infelices eſſe propriæ conſcientiæ teſtimonio edoceantur, & non rarò publicè etiam conuincantur, iiſdem tamen nihil eſt audacius in veritate oppugnanda. Nam etſi ad tempus quieſcant, & pacem polliceantur, non tamen deſinunt venari occaſiones, quibus ſe aliquid profecturos eſſe ſperant. Semper ergo aduerſus eos in excubiis ſtent veritatis ſtudioſi, neque illorum blanditiis quicquam tribuant, ſed tunc imprimis ſuſpecta habeant eorum conſilia, quando nihil periculi ab eis imminere videtur. Et pudeat omnes eos ſuæ ignauiæ, qui cùm Chriſti nomen profiteantur, tamen eius cauſam, qua nulla honeſtior & ſanctior, quæque cum ſalute noſtra coniuncta eſt, non ſimili zelo atque ſtudio agunt, ſed ab his ſeſe vinci patiuntur, qui & propriæ ſalutis & gloriæ Dei ſtudio iam pridem excuſſo, nihil præter auram popularem & quæſtum priuatum quærunt.

Chriſti facilitas erga hoſtes.

Sed ipſius etiam Chriſti Ieſu factum conſideremus, qui ad eos ingreditur, quos hoſtes ſuos eſſe & omnia inſidiosè facere, non potuit ignorare. Id verò nequaquam fecit, vt ſeruiliter adulando eos ſibi magis propitios redderet, aut aliud quoddam commodum temporarium ex illis venaretur: ſed quia in mundum venerat, vt eos ſaluos faceret qui perierant, iſtud omne ex officio fecit, & quia Phariſæos præ aliis excæcatos & obſtinatos eſſe ſciebat, non publicè modò eos cum aliis docere & arguere, ſed priuatam quoque inſtitutionem adhibere voluit. Ideo frequenter ad illos diuertit, cum iiſdem edit & omnem occaſionẽ captat, qua vel doctrina ſua vel miraculis eos lucrifacere poßit. Et eodem referri debet, quòd Nicodemum, qui eiuſdem ordinis erat, noctu ad ſe venientem tam amicè & fideliter inſtituit. Sunt hæc præclara bonitatis & facilitatis incomparabilis argumenta, quando iis ſeſe tam amicum & beneuolum præbuit, qui eius vitæ irrequieto planè ſtudio inſidias struebant. Debent autem ex iis conſolationem petere pii, quando fidem ſuam intra ſuas conſcientias nonnihil tentari ſentiunt. Cur enim infirmos ille negligeret, qui erga obſtinatos & induratos officium fecit? Aut num eos aſpernari poterit, qui eius gratiam & opem implorant, qui hanc hoſtibus quoque acerrimis tam clementer, & plerunque nihil huius petentibus, offerre dignatur? Neminem ergo Satanicæ ſuggeſtiones ſalutis ſuæ dubium & incertum reddant. Nemo item propriæ infirmitatis ſenſu terreatur. Mendax enim eſt Satan, & quos abs ſe vinci omnino non poſſe videt, eos inanibus terriculamentis exagitare ſtudet, vt vel momentaneam ex illorum anxietate & ſolicitudine voluptatem capiat. At eoſdem non deſerit Chriſtus, qui ideo infirmitates noſtras in ſe ſuſcepit, & ab eodem tentari voluit, vt Pontificem atque mediatorem fidelem eſſe ſciremus, qui nobis condolere poßit, & inſtar indulgentiſſimi parentis noſtræ imbecillitati ignoſcere. Hoc modo caueant ſinguli ne eius facilitate abutantur, & quam ille ipſis ſpontè offert gratiam contemnant. Nam qui id faciunt, ii tandem ſeuerum impietatis vindicem ſentiunt, quem magiſtrum & ſeruatorem ſuum agnoſcere noluerunt. Exemplum huius rei memorabile eſt Pharao, cum cuius contumacia poſtquam diu fruſtra luctatus eſſet Deus, tandem rubri maris fluctibus emollitum fateri coegit, ſibi cum Iehoua, Deo omnium authore, negotium eſſe. Et quid Phariſæis incurabilibus, quid Sacerdotibus pœnitere neſciis, quid denique toti Iudæorum genti acciderit, hiſtoria teſtantur, & nos nuper quædam huc pertinentia diximus. Quæ exempla vtinam hodie diligentius expenderent, quos eodem fauore & honore Chriſtus dignatur, vt non inuitatus quoque ad ipſos diuertat per Verbi ſui prædicationem, qua & ſeipſum illis totum offert, & eoſdem ad regni ſui omniumque bonorum cæleſtium poſſeßionem vocat. Sed quæ noſtri ſæculi ingratitudo eſt, non temere pii & cordati omnes horribilem totius orbis mutationem metuunt, cùm Verbum illud ſalutis Cyclopico planè contemptu reiici, & ipſum Chriſtum in ſuis membris paßim pelli & affligi videant.

Quomodo cum impiis poßint uerſari pii.

Admonet nos præterea ſuo exemplo Dominus, qua conditione nos quoque cum iis familiarius poßimus conuerſari, quos à fide in Chriſtum & doctrina eius animo alieno eſſe ſcimus. In eo enim plurimi peccant, qui priuati commodi & mundi illecebris ſeſe vinci patiuntur, vt illorum amicitiam ambiant, ſeruiliter ſeſe illis ſubmittant, iiſdem in multis aſſentiantur, omnia denique ſimulent, & diſſimulent in eorum gratiam vt illis magis propitiis poßint vti. Et hi ferè Chriſti exemplo ſeſe tuentur, & Chriſtianam charitatem prætexunt, cuius ſit de omnibus bene ſperare, hoſtes diligere,

letali & doloribus aſſiduis fatigato opem feramus. Sed quia argumentum huic ſimile in proximo capite nuper vidimus, nunc non opus fuerit in hoc examinando atq; etiam confirmando diutius immorari: quare rem ipſam potius conſideremus.

Et primò quidem non oſcitanter obſeruari debet, quòd de Sabbato toties in Scripturis agitur. Nam ſi externa omnia, quæ ad Dei cultum ſpectant, ex ordine conſideres, nihil reperies, cuius obſeruatio tam ſeriò tamque crebrò inculcetur. Etſi enim hoc proprio exemplo Deus in rerum omnium creatione pijs abunde commendauiſſet, & iam multis ſaculis in vſu fuiſſet, de eodem tamen poſtea proprium præceptum dedit, quod vt in prima tabula locum quartum habet, ita verbis plurimis & diligentiſſima omnium circumſtantiarum enumeratione proponitur, ne quis in eo aliquam inueniret tergiuerſandi occaſionem. Poſtea rurſus in Legis expoſitione hoc ipſum vbiq; repetitur. Et Prophetæ in eius mentione frequentiſſimi ſunt, & Sabbati violationem aut prophanationem inter atrociſſima flagitia numerant, propter quæ Deus vrbem cum templo excîderit, & populum in Babylonem paſſus ſit abduci. Quibus adde, quòd cum in deſerto agentibus Iſraelitis Circuncisio infantium totis annis quadraginta ſine ſcelere neglecta eſſet, Sabbati tamen tranſgreſſionem Deus capitali ſupplicio puniri voluit. Vnde apparet rem hanc eſſe magni momenti, cuius vſum verum omnes inquirere, & de eo frequenter cogitare debeant. Et hîc nos Chriſti exemplũ excitare debet, qui & ipſe de illo toties diſputauit. Vt autem Phariſaicas ſuperſtitiones paſſim arguit, ita quid in illo nobis obſeruandum ſit, & quis nobis otij aut quietis illius ſacræ finis ſiue ſcopus eſſe debeat, ſubinde docet. Et in præſenti quidem vno verbo (vt dicitur) rem omnem comprehendit, dum licere docet, vt homo ſanetur, aut ſalutis beneficium conferatur morbo periculoſo laborantibus. Itaque proprium Sabbati opus eſt, ſaluti tam noſtræ quàm aliorum conſulere: & quia hæc ad totum hominem extenditur, neque anima neque corpus hîc à quoquam negligi debet. At ne ſub hoc prætextu vel ſuperſtitione peccemus, vt olim Iudæi: vel auaricia & intemperantia, vt hodie homines prophani ſolent, in quo nam vera hominis ſalus conſiſtat, probè teneamus oportet. Ad animæ ſalutem religionis & fidei exercitia pertinent, quæ ſunt, vt Dei verbum audiamus, opera & beneficia eius meditemur, eiuſdem nomen cum gratiarum actione prædicemus, precemur deniq; tam pro nobiſipſis quàm alijs hominibus, & abſtineamus à carnis operibus prauis, quibus & animæ noſtræ grauantur, & Dei ira accenditur. Et hic ſanè præcipuus Sabbati vſus eſt, propter quem dies ille Deo ſanctus eſſe paſſim dicitur. Quod primitiuæ Eccleſiæ patres obſeruaſſe patet, quando ne Iudæorum ſuperſtitionibus communicare viderentur, ſacram hanc quietem in diem quidem proximum tranſtulêre, ſed eundem Dominicum dixerunt, vt eum totum Domino conſecratum eſſe debere docerent. Ad corporis verò ſalutem facit quies, quæ tam hominibus quàm iumentis hoc die præcipitur: & neceſſariò quidem, quia quod caret alterna requie (vt Poeta ait) durabile non eſt: & quia nec ea quæ ad animæ ſalutem pertinere modò diximus, perfici poſſunt ab ijs, qui circa res huius ſaculi & corpori ſeruientes occupantur. Eſtque hoc non vulgare bonitatis & clementiæ argumentum, quòd cum Deus vniuerſum vitæ noſtræ tempus ſibi vendicare poſſet, ſex tamen dies noſtris vſibus conceſſit, vt ea curare poſſimus, quæ ad rem domeſticam faciunt: & rurſus vt noſtræ cupiditati modum poneret, & ne æternæ ſalutis cura in nobis tota extingueretur, diem vnum ſibi conſecratum eſſe voluit, quo & corpus & anima otio non minus neceſſario quàm ſancto reficeretur. Ex his autem cuiuis colligere promptum eſt, Sabbati præcepto neque diuina opera, neque ea, quorum intermiſſio cum certa hominis pernitie coniuncta eſt, prohiberi: quin potius mandari omnibus, vt ſicuti hoc die Deo ſeſe conſecrant, ita tunc potiſſimum charitatis Chriſtianæ meminerint, & hanc pro ſua virili beneficentiæ operibus teſtentur. Ideo quoties de feſtis celebrioribus Moſes loquitur, ſemper monet, vt pauperum & peregrinorum inter ipſos habitantium meminerint, vt hi ipſorum liberalitate recreati cum ipſis in Domino gaudendi occaſionem habeant. Et Paulus de collectione pecuniarum, quæ ad egenos Syriæ ac Iudææ fratres mittendæ erant ſcribens, admonet, vt diebus Sabbati quiſque ſeponat in eum vſum quod ipſi per Dei benignitatem licuerit. Ex his autem firmiſſimè concluditur, quod ſub initium huius Sermonis monuimus, Chriſtum ideo hanc de Sabbato tractationem hoc loco repetiiſſe, vt inanem omnium ceremoniarum fiduciam è medio collat, quæ tunc Iudæi impediebantur, quò minus doctrinam de vera pœnitentia admitterent. Cur enim de hac ſoliciti eſſent, qui ſe abunde omni pietatis

Sabbati religio ſepiſſimè commendatur.

Opus Sabbati proprium.

Fiducia ceremoniarum tollitur

officio defunctos putabant, ſi Sabbatum in ignauo otio tranſigerent, & ſacris obiter interfuiſſent. Docet ergo longè alia eſſe veræ pietatis exercitia: & cùm his Sabbatum cedere debuerit, quo inter omnia externa nihil ſanctius, nihil magis neceſſarium, nihil denique maiori cum ſeueritate à Deo mandatum erat, quantò magis alij ritus omnes ad eundem ſcopum dirigi debuerũt, ne his aliqui intenti illa præſtantiora & magis neceſſaria negligerẽt? Meminiſſe autem hîc oportet, eandẽ doctrinam ad nos quoque pertinere, vt externis ritibus non tantum tribuamus, quaſi in horum obſeruatione vel religio vera vel ſalus noſtra conſiſtat. Vtamur ergo illis ex Domini mandato, vt nobis ad veræ pietatis exercitia adiumento ſint, ſalutis verò ſpem atque fiduciam in ſola Dei gratia repoſitam habeamus, idque non tam verbis quàm pœnitentiæ aſſidua & obedientiæ veræ ſtudio teſtemur. Sed vtinam doctrina hæc hodie non perinde à Chriſtiani nominis profeſſoribus, vt olim à Iudæis exploderetur: quãdo alij quidem inanibus atque frigidiſſimis ceremonijs fidunt, alij verò tam his quàm die Dominico ad carnis licentiam abutuntur, & tunc maximè diabolo ſeruiunt, quando toti Deo conſecrati eſſe debebant.

Ratio ſalutis adumbratur.

Cæterùm vt alia Chriſti facta miraculoſa ferè docent, quæ ſit noſtræ ſalutis ratio: ita in hoc quoque eadem doctrina adumbratur. Et in hydropico quidem typum noſtræ conditionis longè corruptiſſimæ habemus euidẽtiſſimum. Solet morbus iſte ex inflammatione & corruptione membrorum vitalium, pulmonis imprimis atque hepatis & lienis obſtipatione oriri. Quibus corruptis neque ſtomachus officio ſuo fungitur, ideoque cibus non in alimentum, ſed phlegma purulentum atque ſanioſum conuertitur. Hinc ergo tuſſis præcordia infeſtans & concutiens naſcitur: hinc humores corrupti per totum corpus deſtillant, & viſceribus inflammatis reliqua etiam membra replent atque inflant. Sequitur mox ſitis non alium potum quàm noxium appetens, & quæ ne hoc quidem extingui poteſt. Nam vt Poeta dixit, Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Et cum præſens mors hydropicis quaſi ob oculos verſetur, plerunque tamen ſibi ſalutẽ pollicentur, neque patienter ſatis eos ferunt, qui ipſos de mortis appropinquãtis hora admonent. Eadem prorſus eſt conditio hominis propter innatam nobis naturæ vitioſitatem, quam vulgo peccatum originale dicunt. Per illam enim intellectus corruptus non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: voluntas item vitiata nil niſi malum appetit, à bono autem abhorret: Regnant ergo carnis cupiditates, quæ totum hominem rerum illicitarum amore inflammant, quæ adeò non reſtingui poteſt ſi ei indulgere incipias, vt potius magis accendatur. Exemplo ſunt auari, libidinoſi, ebrioſi, vindictæ cupidi, & quicunque alij prauis deſiderijs habenas laxant. Et quamuis iſtis omnibus verbum Dei mortem denunciet, & non deſint exempla multorũ, quibus peccata exitio fuerunt, illi tamen ſibijpſis tuta & ſalua omnia promittunt, & eos oderunt qui ipſos liberius admonent. Remedium ergo in nobis nullum eſt, & perijmus iam, niſi nobis Chriſtus opem ferat. Ad hunc ergo contendamus, qui vt hydropico iſti, quem inſidiosè in eius conſpectum collocarant Phariſæi, ſalutem attulit: ita multò magis ijs fidelis medicus erit, qui ad ipſum animo contrito accedunt, & ab eo curari petunt. Hic vnus nos regenerat & viribus nouis inſtruit: hic à vitiorum phlegmate purgat & emundat: hic denique cupiditates noxias reſtinguit, & cœleſtis vitæ deſiderio accenſos ſeruat atque tuetur, &c.

Hypocritæ tacent, ſed nõ perpetuo.

Reſtat huius hiſtoriæ clauſula, qua dicitur, non potuiſſe Phariſæos ad Chriſti quæſtionem aliquid reſpondere. Tanta veritatis vis eſt, vt pertinaciſſimis quoque hoſtibus ſilentium imponat. Attamen licet nunc tacere cogantur, neque in faciẽ illi reſiſtere audeant, non tamen perpetuo quieuerunt, ſed quam primùm occaſio data eſt, ad nouas inſidias conuerſi ſunt, vt eum neci traderent. Nunquã ergo ſecuritati locum dare debent pij, etiamſi interdum impiorum furor extinctus eſſe videatur. Nam ſolet nonnunquam Deus Halcyonia concedere Eccleſiæ ſuæ, ne perpetuis laboribus pij omnino frangantur: Nunquam tamẽ intra animos ſuos impij quieſcunt ſed vt mare æſtuant, & occaſione oblata nouos conatus proferunt. Dormiebant quidem ad Oliueti montem diſcipuli: ſed non dormiebant interea Pontifices, Iudas & milites, qui in Chriſti necem conſpirauerant. Debent nos iſta exempla excitare, vt perpetuo vigilemus, & ad pugnam parati ſtemus, ne nos ex improuiſo Satan obruat. De victoria autem minimè deſperare nos decet, quam nobis iampridem peperit Ieſus Chriſtus, in quo & nos vincemus, ſi fidem in ipſum conſtantem ſeruauerimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMI-

HOMILIA CXLIII.

Dixit autem parabolam ijs qui vocati fuerant, attendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens eis: Cùm vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco: ne fortè honoratior te ſit vocatus ab eo, & is qui te & illum vocauit, veniens dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum pudore vltimum locum obtinere. Sed cùm vocatus fueris, vade diſcubitum in vltimum locum: vt cùm venerit qui te vocauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria in conſpectu eorum, qui tecum diſcumbunt. Nam omnis qui ſe extollit, deprimetur: & qui ſe depreſſerit, extolletur.

QVoniam Dei Filius ideo in mundum venit, vt nos ſaluos faceret, vndequaque occaſionem captat nos admonendi de ijs, quæ ad ſalutem conſequendam cognitu neceſſaria ſunt. Argumentum huius ſtudij euidens ſunt parabolæ, quibus doctrinã ſuam illuſtrat. Eas enim ex rebus paſſim obuijs & quæ in frequenti hominum vſu ſunt deſumit, vt quocunque oculos circumferamus, aliquid occurrat, quod nobis occaſionẽ præbeat ea meditandi, quæ ad ſalutem noſtram faciũt. Adde his, quod vt paſſim in Synagogis, in vicis publicis, in locis deſertis populũ ad ſe confluentem docuit: ita quoties ipſum ad conuiuia ſua aliqui inuitarunt: non tam cibo ſumendo intentus fuit, quàm vt accumbentium animas verbo Dei ipſe paſceret, & ſalutem conferret ijs, qui eius deſiderio tenebantur. Exemplum eius rei ſupra cap. ſeptimo vidimus, quando à Simone quodam Phariſæo inuitatus mulierem peccatricem in gratiam recepit, & inde occaſione ſumpta hoſpitem ſuum de vera ſalutis ratione admonuit. Huic rectè adnumeraueris primam huius capitis partem, quæ narratur, quid fecerit, cum alius quidam inter Phariſæos primarius ipſum ad menſam ſuam vocauiſſet. Primò enim hominem ex aqua intercute letaliter laborantem curauit, & eo facto partim ſuperſtitioſum de Sabbati & aliarum ceremoniarum obſeruatione errorem confutauit, quo tunc maior Iudæorum pars impediebatur, quò minus de ſpirituali cultu & vera pœnitentia ſoliciti eſſent: partim ſe medicum eſſe oſtendit, qui ſolus vitijs noſtris omnibus mederi poſſit, & propterea ad ipſum debere confugere omnes, qui ſeruari velint. At non contentus hoc miraculo ſe illis patefeciſſe, qui ipſum hoſtiliter & inſidiosè obſeruabant, nunc ijſdem beneficium confert, & eo vitio eos liberare ſtudet, ex quo veritatis odium & ſanioris doctrinæ contemptus aliaque infinita enaſcebantur. Erat illud ambitio & inanis gloriæ ſtudium, quod hodie etiam multis obſtat, quò minus credant, & relictis ſuperſtitionibus Deum in ſpiritu & veritate colant. Eſt autem exemplum hoc Chriſti probè obſeruandum. Ex eo enim bonitas illius perſpicitur, cuius cognitio afflictis conſcientijs dulciſſimam conſolationem affert: Adhæc doctrinam eius confirmat, quæ hoſtes quoque diligere & de ipſis bene mereri iubemur.

Cæterùm vt præſentis admonitionis ſtatus rectè intelligatur, & ex ea ad nos fructus vberior redeat, ante omnia Phariſæorũ ambitio diligentius erit inſpicienda. Hîc enim vna ſolummodo ſpecies notatur, quòd nimirum in conuiuijs primos accubitus captarint, id quod tum morum quoque ciuilitate pugnabat. Et quamuis ex eo Dominus occaſionem ipſos admonendi arripuerit, certum tamen eſt, eum longius proſpexiſſe: nimirum, vt omnis huius mali fontem obturaret, eam videlicet animi ſuperbiam, quæ aduerſus ipſum Deum efferebantur. Nam certum eſt, eos propriã iuſtitiam conſtituiſſe, vt qui propter ſuorum operum merita atque dignitatem ad Dei tribunal conſiſtere poſſent. Quod vt facilius quibuſuis perſuaderent, externa ſanctimoniæ ſpecie mirificè ſeſe venditabant, cùm fimbrias lege Dei inſcriptas dilatarent, de religione & vitæ innocentia crebrò diſſererent, in ſacrificijs liberales eſſent, decimas minutiſſimarum quoque rerum perſoluerent, morum auſteritate ſingulari vterentur, adhæc ieiunijs & precibus frequentius vacarent, eleemoſynas denique in publico diſtribuerent. Quæ omnia illos, vt hominum iudicio probarentur & pro ſanctis haberentur, feciſſe Chriſtus alibi teſtatur: imò non tam ab omnibus probari, quàm ſupra omnes efferri & cunctis dominari cupiebant. Quomodo enim aliquos hominum ipſis ſuperiores ferre poterant ij, quos in Dei conſpectu ſuperbire non pudebat? Itaque in moribus quoque & totius vitæ

Ambitio Phariſæorum.

Rr 2

conſuetudine ambitioſi illi ſpiritus ſeſe exercebant, vt in Synagogis in ſublimiori loco conſidere vellent, & in conuiuijs primi accumberent, denique in omnibus quæ agenda erant primatum ambirent. Et quod ambitioſis omnibus ſolet accidere, apud ipſos etiam locum habuit. Nam etſi eandem ſectam omnes tenerent, & idem omnes vitæ inſtitutum ſequerentur, ambitione tamen inter ſeipſos commiſſi ſunt, & quia ſinguli præ alijs omnibus eminere cupiebant, non potuerunt non inter ipſos nouæ indies concertationes exoriri. Et tale quid illos in hac principis ſui domo deſignauiſſe, Lucas non obſcurè docet, quando Chriſtum animaduertiſſe ſcribit, qua ambitione ad primos accubitus contenderent, neque expectarent vt pro conuiuatoris arbitrio collocarentur. Et hi fuerunt ſancti illi & rigidiſſimi omnium cenſores, qui Chriſtum paulò ante ex inſidijs obruere conati fuerant, ſi vel minimo opere Sabbati religionem violaret, cum ipſi tam corpus quàm animum ambitione fatigarent, qua nihil laborioſius, nihil inquietius excogitari poteſt.

Chriſtus humilitatem ſuadet.

Rectè ergo ille eos arguit, & quia idem omnium morbus erat aut vitium, omnes quoque ſimul aggreditur, & quid fieri ab ipſis debeat monet. Propoſitio ſeu ſumma aut ſtatus admonitionis eſt, Vnumquenque humilitati & modeſtiæ potius ſtudere debere, quàm vt priuata temeritate ſupra alios efferri cupiat. Id probat argumento, quo nullum aliud ambitioſis deprimendis commodius & efficacius haberi poteſt. Nam omnis (inquit) qui ſe extollit, deprimetur: & qui ſe depreſſerit, extolletur. Quaſi diceret. Cùm nihil gloria antiquius habeatis, & ſupra omnes velitis eminere, etiam atque etiam videndum vobis erit, ne per eam viam ingrediamini, quæ ad præcipitium infamiæ & ignominiæ ducit: ſed illi inſiſtatis, quæ homines verè extollit & glorioſos reddit. Ea autem eſt modeſtiæ & humilitatis ſtudium. Ita enim inter homines eſt comparatum, vt quò quis modeſtior eſt, & quò magis ſeſe ad quæuis officia omnibus præſtanda demittit, eò magis ab omnibus diligatur & maiori ſit in pretio: exoſi autem ſint & contemnantur ſuperbi & confidentes, qui quaſi ſoli honore digni ſint, omnibus præferri volunt. Id verò ſimilitudine ſiue exemplo ex re præſenti, conuiuiorum ſcilicet conſuetudine, deſumpto illuſtrat. In his enim frequenter fieri ſolet, vt qui propria arrogantia primum locum occupant, alio hoſpite honoratiore ſuperueniente, ei locum dare iubeantur, & non ſine pudore atque ignominia infra eos etiam collocentur, qui ipſis multò inferiores ſunt: rurſus, qui ſua ſponte ad extremum menſæ angulum accumbunt, ij ferè à conuiuatore altius aſcendere, & locum honoratiorem occupare iubentur, id quod ipſis verè glorioſum eſt. Hic omnium eorum ſenſus eſt, quæ hîc à Chriſto dicuntur. Non debent tamen ea ſic accipi, quaſi ſub humilitatis prætextu gloriam inter homines venari, & ideo nos demittere debeamus, vt ſupra alios extollamur. Eiuſmodi enim humiliatio à Phariſaica ambitione nihil differt, cui per omnia ſimilis eſt, qua Monachi hodie ſeſe venditant, dum hominis totius mortificationem, voluntariam paupertatem, contemptum huius ſæculi, obedientiam & ſubmiſſionem aut humilitatem extremam profitentur, ijs autem artibus in aulas Regum obrepunt, primum inter illorum conſultores locum occupant, & tandem ad epiſcopatus & Pontificatum vſque inexplebili gloriæ cupiditate aſcendunt. Atqui nihil huius hîc Dominus iubet, ſed (vt initiò monuimus) occaſionem modò ex conuiuiorum conſuetudine ſumit docendi, quales nos in ipſius Dei conſpectu gerere debeamus, vt nimirum verè humiliati ab illius gratia toti pendeamus, qui nobis ad veram & immortalem gloriam gradus futurus ſit. Eorum ergo commemoratione, quæ inter homines fieri ſolent, ambitioſos terret, vt eò magis Dei iudicium timeant, qui ſuperbiam omnem deteſtatur, & cui facile eſt vnumquenque ex ſupremæ dignitatis gradu deturbare. Quia verò locus hic totus planus eſt, & iam ſatis conſtat, quò nam Chriſtus hæc dicendo reſpexerit, res ipſæ potius conſiderandæ ſunt, de quibus hîc agitur.

Superbia quæ Deo potiſſ. exoſa ſit.

Videamus ergo ante omnia quæ nam ſuperbia illa ſit, quam Chriſtus damnat, quæ rurſus vera humilitas ſiue modeſtia, quam tantopere commendat. Nam etſi omnes fateantur, ſuperbiam ſcelus aut vitium eſſe deteſtabile, pauci tamen de eo rectè iudicant, vt illud tam in ſemetipſis quàm alijs poſſint agnoſcere. Superbire autem Latinis voce ex præpoſitione ſuper & verbo eo is ire compoſita dicuntur, qui ſupra alios vadere aut emergere cupiunt, aut ſeipſos vana perſuaſione extollunt, quaſi alijs ſint præſtantiores. Hinc ſuperbia deriuatur, quæ vox elationem animi ſignificat, qua homo impulſus vel inflatus ſibi arrogat quod non habet, aut quæ habet Dei dona, ijs cum

aliorum

aliorum contemptu abutitur. Patet autem vitium hoc latiſſimè, vt ex jis apparet, quæ nuper de Phariſæis diximus. Et omnium teterrima nocentiſſimaque ſuperbia eſt, qua aduerſus Deum homo extollitur. Faciunt hoc, qui iuſtitiam propriam iactant, & ſuorum operum meritis ſe ſeruari poſſe contendunt: qui item ſanctimoniam & innocentiam perfectam ſibi tribuunt. Quid enim iſti faciunt aliud, quàm quòd ſibi arrogant quæ ſolius Dei ſunt, qui vt ſolus ex ſeipſo iuſtus ſanctus & æternus eſt: ita ſolus etiam quos vult iuſtificat, ſanctificat, & vita æterna donat? Proximi iſtos ſequuntur. qui etſi hoc fateantur, & Dei donum eſſe dicant quicquid habent, gratuitam tamen illius liberalitatem non agnoſcunt, ſed dignitatem quandam ſibi fingunt, quam in ipſis Deus reſpexerit, vt eos donis præſtantioribus exornaret. Quæ perſuaſio vt vaniſſima eſt, ita temerarios & audaces reddit, vt non contenti ſua ſorte, ad altiorem gradum ſubinde aſpirent, & (quod olim primis parentibus Satan perſuaſit) Deo ſimiles eſſe cupiant. Atqui omnes iſti cum Deo bellum ſuſcipiunt, cùm & gratiam atque miſericordiam eius aſpernantur, & contra ipſius voluntatem plus ſibijpſis tribuunt, quàm ab eo acceperint, adhæc imperium quoque eius contemnant. Huic autem ſuperbiæ omnes ſuperſtitiones debemus cum toto cultu hypocritico, quo homines confiſi, ſe gratia aliqua ſingulari nequaquam opus habere arbitrantur. Et quod irrefragabile eſt ſuperbiæ plus quàm diabolicæ argumentum, omnes iſti verbum Dei non modò contemnunt atque ſcurriliter eludunt, verumetiam oderunt & hoſtiliter inſectantur, quando per illud ſe grauius vrgeri, & eius luce arrogantiam ſuam argui, adeoque inanem illam falſæ ſanctitatis atque dignitatis laruam ſibi detrahi ſentiunt. Hinc ergo omnibus ſæculis Prophetarum perſecutiones & indigniſſimæ cædes exortæ ſunt: & vt Chriſtum illo potiſſimum nomine Phariſæi extinctum voluerunt: ita hodie etiam quæcunq; aduerſus fidos Chriſti cultores geruntur bella, tam ciuilia quàm extera arrogantibus illis & ſuperbis hypocritis debemus, qui veteres illos imitantur. Et hæc quidem ſuperbia eſt, quā pleriq; ſpiritualem dixerunt quia in ſpiritualibus Dei donis potiſſimùm ſeſe exerit, & falſa ſpiritus humiliati cordiſque contriti ſpecie palliatur. Eſt deinde alia craſſior, quam carnalem poſſumus dicere, & qua ij quoque turgent, qui de ſpiritualibus Dei donis nihil ſoliciti, cultum quoque Dei omnem apertè contemnunt, & toti circa res huius ſæculi occupantur. Et iſta ferè per totam vitæ conſuetudinem extenditur, atq; cauſa eſt, vt externis Dei donis, vel etiam animi dotibus, quibus prophanos quoq; homines & à fidei profeſſione alieniſſimos interdum Deus dignatur, confiſi, nihil non ſibi arrogent, vt ſupra omnes alios eminere velint. Hanc vulgo Ambitionem dicunt, & immoderatam gloriæ atq; honorum ſiue dignitatum cupiditatem eſſe definiunt. Qui verò hac laborant, ij opum abundantia inſolentius efferuntur, eandem veſtitu ſplendidiori & minus vſitato, victu ſumptuoſo, ædificijs magnificis & ſublimioribus, ſeruorum atque clientum turba, denique cultu, inceſſu, geſtibus & verbis, à communi loquendi conſuetudine alienis & altum quiddam ſpirantibus teſtantur. Iidem in foro, Senatu, templis, theatris, conuiuijs primo loco ſedere, in pompis & proceſſionibus ſupra alios conſpici, omnium oculos in ſe conuerti, omniumque digitis monſtrari, & (vt ſemel dicam) ſe ſolos videri volunt, à quibus publica ſalus dependeat, qui ſoli ſapiant, ſoli rebus conſulere poſſint, & proinde ſoli digni ſint qui ab omnibus colantur, & in alios omnes, imperium atq; dominium habeant.

Et de his quidem omnibus hæc Chriſti admonitio intelligi debet, & omnes ſuperbiæ ſpecies neceſſario fugiendæ ſunt ijs, qui nomen illius atque fidem in illum profitentur, vt ſe nihil perinde decere cogitent, quàm vt humilitati & modeſtiæ ſtudeant. Quæ tamen iſta ſit, & in quibus rebus conſiſtat, ex ijs facile patet, quæ de ſuperbia huc uſque diximus. Vt enim hæc animi eleuatio eſt, ita humilitatis nomine illius depreſſio ſignificatur, qua homo ſeſe demittit, vt de ſuo potius erga Deum & homines officio, quàm de gradu dignitatis ſublimiori cogitet. Non ergo in veſtitu ſordidiori, non in inceſſu & geſtu ad ſimulandam animi deiectionem, neque in vlla ſpecie externa conſiſtit, ſed in eo, vt homo ſeipſum abneget atque exinaniat, neq; carnis ad altiora ſemper aſpirantis affectibus obtemperet. Verè ergo humiliantur, qui de ſemetipſis modeſtè ſentiunt, coram Deo ſe peccatores eſſe agnoſcunt, miſeriam ſuam fatentur, & abiecta omni propria dignitatis fiducia ad illius miſericordiam confugiunt. Item, qui donis ab illo acceptis non efferuntur vt proprijs, ſed gratuitæ liberalitatis ea eſſe ſciunt, & proinde eorum conſideratione excitati, ijſdem rectè vti ſtudent. Huius modeſtiæ & humiliationis effectus ſunt, quòd ſua ſorte contenti, abſque Dei vocatione ad nullos honores aut di-

Humilitas quæ Deo probetur?

gnitates ſublimiores aſpirant, quòd verbo Dei delectantur, & per hoc de ſuo officio edoceri atque admoneri cupiunt: quòd cum omnibus pacificè viuunt, nemini ſeſe præferunt, honore omnes præueniunt, vt qui alios ſe præſtantiores eſſe putent: quòd nulla opum fiducia elati, nulla ciuilium honorum aut munerum dignitate ebrij, nullo rerum huius ſæculi ſplendore decepti, in omnibus ſuis dictis & factis modeſtiam exerunt, & ad omnia dilectionis Chriſtianæ officia quibuſuis præſtanda nunquam non prompti atq; parati ſint: & vt ipſi omnibus conſultum eſſe cupiunt, ita aliorum quoq; ſententias patienter audiunt, atq; meliora dicentibus libenter obtemperant.

Rationes quibus humilitas ſuadetur. *Hæc ergo ſunt, de quibus nos Chriſtus in præſenti admonet, quæ ſic à nobis conſiderari debent, vt ſinguli ea ad ſe pertinere certò ſibi perſuadeant. Nam etſi vnam modò cauſam ſiue rationem hìc afferat, propter quam ſuperbia vitari, modeſtia autem ſiue humilitas coli debeat, ſunt tamen infinitæ aliæ, quæ nos cogunt, ſiquidem ſalus noſtra nobis cordi eſt. Etenim exigit hoc primùm ipſa nominis Chriſtiani profeſſio. Quam enim turpe fuerit, eos inſolentius efferri, & vel contra Deum vel homines ſuperbire, qui Chriſto gloriantur, quo nemo vnquam modeſtior, humilior atque abiectior in terris viſus eſt? Intolerabilis eſt ſeruorum ſuperbia, qui ſupra heros eminere volunt: diſcipulorum item, qui magiſtros ſuos ſuperare cupiunt. At quantò intolerabilius peccant, qui ſupra æternum Dei filium, quem ſuum Dominum & magiſtrum eſſe fatentur, ſeſe extollunt, & neque admonitionibus, neque exemplo illius adduci poſſunt, vt de ſemetipſis modeſtius ſentiant?* Math. 11. *Semper ergo in auribus noſtris ſonent illius verba, dicentis: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quòd mitis ſim & humilis corde. Deinde ipſa fides nos idem docet. Huius enim proprium eſt, in ſolam Dei miſericordiam propter Chriſti meritum reſpicere, & in hoc vno omnem ſalutis fiduciam collocare. Quomodo autem id faciet, quem propriæ dignitatis fiducia dementat? Adhæc fides vinculum illud eſt Chriſtianæ communionis, quæ nos omnes eiuſdem Patris Dei filios, & eiuſdem corporis Chriſti, Eccleſiæ nimirum membra facit. Quis ergo fide præditum dicet eum, qui ſupra eos inſolentius aſſurgere nititur, quos pro fratribus & commembris ſuis (ſi nouo vocabulo vti licet) agnoſcere debebat?* Eccl. 10. *Adde his, quòd ſuperbiam peccati initium eſſe Scripturæ docent, & quòd eadem plurimorum & atrocium vitiorum fœcundiſſima mater eſt. Nam vt ſuperba diuini honoris affectatione primi parentes peccauerunt; ita Cain eorundem primogenitus non aliam ob cauſam Abelum fratrem immani parricidio ſuſtulit, quàm quòd hunc ſibi à Deo præferri dolebat. Et hodie hæc eadem omnis inuidiæ, odij, ſimultatum, homicidiorum, bellorum denique præcipua cauſa eſt, quòd alij alios contemnunt, & ſe ſolos dignos iudicant, qui donis Dei & honoribus huius ſæculi excellant. Quid verò in morbis & afflictionibus diuinitus immiſſis impatientes & murmuratores facit? quid vindictæ cupiditate iniurijs affectos accendit? niſi quòd de ſemetipſis arrogantius ſentiunt, & indignos ſe arbitrantur, in quos vel Deus animaduertere, vel quiſquam hominum aliquid audere debeat? Taceo nunc donorum Dei turpiſſimum abuſum, qui ex ſuperbia naſcens per omnem vitam atque omnes hominis actiones ſeſe diffundit. E contra autem humilitas ſiue modeſtia mutuæ charitatis fideliſſima nutrix eſt, quæ Paulus Legem totam impleri,* Rom. 13. *& proinde eandem virtutum omnium parentem eſſe docet. Ideo Chriſtus, cum nouum & eximium illud de dilectione fraterna ſiue mutua præceptum diſcipulis commendare vellet, prius eò vſque demiſit ſe vt eorum omnium pedes ablueret, ſicque ſuo exemplo doceret, neminem poſthac alicuius officij pudere debere, quo proximum iuuari poſſe videt. Et exempla ſunt quotidiana, quæ docent ad placandos ſimul & retinendos in amore homines, nihil efficacius eſſe officioſa modeſtia & humilitate: cùm ex aduerſo inter ambitioſos & ſuperbos neque charitas Chriſtiana radices agere, neque concordia diu ſubſiſtere aut durare poſſit. Ex quibus hoc quoque colligitur, humilitati omnes eos ſtudere debere, qui vel Rempublicam vel Eccleſiam ſeruatam volunt. Conſtat enim vtriuſque ſalutem, quoad hominum ſtudia, potiſſimùm ex animorum conſenſione in ijs quæ recta & bona ſunt, pendere. Atqui neque animis verè conſentient vnquam, neque conſilia ſua ſyncerè in commune conferent, imò neque conſilijs ſanis acquieſcent, quotquot ſupra omnes alios eminere conantur. Hinc ergo acerbæ contentiones in Senatu interque verbi adminiſtros, hinc ſimultates, odia, inſidiæ, iniuriæ omnis generis, & tandem aperta diſſidia naſcuntur, quæ quaſi ex capite in populi*

tocius

totius corpus diffuſa factiones & partium ſtudia pariunt, quibus reſpublicas & regna potentiſsima diſsipata & prorſus euerſa eſſe, omnium gentium hiſtoria teſtantur. Romanam certè Rempublicam atque libertatem duorum in illa excellentium ducum, Iulij Cæſaris & Pompeij, ambitio perdidit, cùm hic neminem ſe ſuperiorem, ille verò ne parem quidem ferre vellet. Quantum autem Eccleſiæ totique rei Chriſtianæ nocuerit olim Epiſcoporum ſuperbia, norunt omnes, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam vel obiter percurrerunt. Illa certè & hæreſes peperit, quibus Eccleſiæ vnitas ſciſſa eſt, & perſecutoribus tyrannis ſæuiendi occaſionem dedit, tandem verò partu plus ſatis infelici atque inauſpicatiſsimo Antichriſtum enixa eſt, qui in templo Dei throno ſuo collocato ſeſe ſupra omne numen extulit, & euerſo veri Dei cultu ſuperſtitionum abſurdiſsimarum chaos inuexit, quo tam animæ quàm corpora hominum grauiſsimè affliguntur. Et vtinam hodie nulla exempla extarent eorum, qui ſuperbia & ambitione extimulati ſordes papiſticas tuentur, ne quid ipſorum exiſtimationi decedat, ſi relictis erroribus in aliorum ſententiam eant, qui veritatem purius tradunt.

Deus ſuperbos deprimit, humiles exaltat.

Sunt hæ rationes grauiſsimæ, quibus alia etiam adijci poterant, quæ Chriſtianis hominibus nihil decentius, vtilius magiſque neceſſarium eſſe probant, quàm humilitatis & modeſtiæ ſtudium: ſed ne prolixiores ſimus, vnam illam paulò propius excutiamus, qua in præſenti ſuperbos Chriſtus territat, dicens: Nam omnis qui ſe extollit, deprimetur, & qui ſe depreſſerit aut humiliauerit, extolletur. Eſt hæc generalis ſententia, quæ ex Dei natura atque ingenio deſumpta eſt. Solet enim is humiles & abiectos reſpicere, faſtidire autem ſuperbos & arrogantes, ſicuti multis Scripturæ ſacræ teſtimonijs docemur. In Pſalmis certè multa huius generis occurrunt. Dominus (inquit Dauid) ſublimis exiſtit, & quod humile eſt intuetur: & quod altum eſt, eminus vel à longè agnoſcit. (Pſal. 138. 147. 113.) Item: Dominus euehit manſuetos, deprimit impios vſque ad terram. At quis magis impius, quàm qui ſeſe aduerſus illum extollit? Et rurſus: Quis ſimilis eſt Domino Deo noſtro, qui in alto præſidet, ſeque demittit, vt inſpiciat quæcunque ſunt in cœlo & in terra? Qui erigit tenuem ex puluere, & pauperem è ſtercore euehit: Vt collocet eum cum principibus populi ſui, &c. Conſentit his Solomon, dicens. (Prouerb. 16.) Præit ruinam exaltatio, & comminutionem præcedit animi elatio. Melius eſt animo deijci cum humilibus, quàm prædam partiri cum elatis. Quibus adde quod Maria Virgo canit: Detraxit potentes de ſolijs, & euexit humiles. Quæ omnia Petrus Apoſtolus non ignorans ſcribebat: (1. Pet. 5.) Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus verò dat gratiam. Sunt hæc infinitis exemplis confirmata. Annon primi parentes cùm diuinitatem ambitioſè affectarent, in ſordes & miſerias extremas deturbati ſunt? Annon Cain fratre ſuo præſtare volens æternam ignominiam ſibi accerſiuit, hic autem nomen glorioſum & immortale aſſecutus eſt? Quid verò de Saule & Dauide dicemus? Annon illum perdidit arrogantia, hunc autem humilitas & modeſtia Deo gratum & acceptum fecit? Adde his horrenda iudiciorum Dei exempla, quibus Sennacheribi Aſſyriorum tyranni, Baltazaris Babylonij, & ante hunc Nabuchodonozoris, Herodis Agrippæ, multorumque Regum faſtum immanem repreſsit. At quid veterum commemoratione opus eſt, quando quotidie fiunt quæ his poſſunt fidem facere? Imò ea eſt arrogantiæ & ſuperborum conditio, vt ſi nulla calamitas illis ſuperueniat, ipſi propria culpa ſibi ignominiam atque pernitiem accerſant, & ſe hominum abiectiſsimos eſſe teſtentur. Magni enim & vere excellentis animi argumentum eſt, virtuti operam dare, res caducas & fluxas non magni facere, vulgi ſtolidi iudicia contemnere, cæleſtia ſectari & aduerſa omnia conſtanter ſufferre. At quid horum ambitioſi & arrogantes faciunt? Imò annon omnia his contraria faciunt, quando virtutis ſtudio neglecto de ſola gloria huius ſæculi cogitant, res fluxas & inſtabiles admirantur, vulgo ſeruiliter ſeſe ſubmittunt, & eorum manus prenſare & fauorem ambire ſolent, qui neque de republica neque de priuatis rebus poſſunt iudicare, denique quando terrenis affixi nihil altius ſapiunt, & in calamitatibus muliebri eiulatu & querelis iniquiſsimis animos degeneres produnt? Quis ergo eos dignos iudicet, quos homines cordati & ſapientes in pretio habeant? Accedit his, quòd arroganti ſuo faſtu odia multorum ſibi conciliant, & ideo ferè in hoc ſæculo ignominia publica notantur. Taceo, quòd cùm diaboli ingenium & mores referant, cum eodem ad inferos detruſi æternùm dolebunt, niſi ante

obitum ſuũ verè humiliati ad Dei gratiam confugiant. Docent hæc quid de noſtri ſæculi hominibus iudices, quando immanis arrogantia paßim regnat. Pontifices enim non contenti Eccleſiaſtici muneris dignitate, diuinos honores ſibi vendicant: Epiſcopi & Abbates regnum in Eccleſia affectant, & calcato Dei verbo pro ſua libidine omnia inſtituunt. Principes & qui in magiſtratu ſunt, nihil non ſibi licere putant, & ſubditorum non fortunas modò inſolenter diripiunt, verumetiam eorundem capitibus ſuperbè nimis inſultant. Sed ne vulgus quidem hominum Dei verbo ſubeſſe vult, & paucos eſt videre, qui per hoc ſe argui & corrigi patiantur. Hinc ergo prodeunt tot iudiciorum Dei exempla, quibus incurabilem mundi contumaciam Deus contundit, & periculum eſt, ne breui duriora ſequantur.

Quæ uia uerè humiliemur.

Quapropter nunquam nobis excidere debet huius loci doctrina, vt humilitati & modeſtiæ ſtudeamus. Id verò etiam reluctante carnis & naturæ noſtræ vitioſo ingenio poterimus, ſi primùm nosipſos, deinde res quibus plerique ſuperbiunt, poſtremò Dei maieſtatem propius conſideremus. Nam ſi hominem per ſe, qualis ſuapte natura eſt, conſideres, omnium creatorum miſerrimum eſſe videbis. Quid huius natalibus triſtius & ſordidius? Quanta à primis vnguiculis corpuſculi humani imbecillitas? Quod animalculum, vel inſectum quoque, tam parum in ſeipſo præſidij & virium habet? Quod nam ex brutis omnibus tot morbis atque periculis eſt obnoxium? Sunt hæc admodum miſera, at miſerior multò eſt animæ conditio, quæ peccatorum vinculis atque ſarcinis grauata, niſi Dei manu ſubleuetur, ad cæleſtia ſuſpicere non poteſt. Quid ergo in uobis aliud eſt, quàm extrema pernities? Et vt lætior interdum nobis fortuna arrideat, quid illa inſtabilius? quid mortis taciè ob repentis hora incertius & velocius? Quæ igitur ſtultitia eſt arrogantius de ſemetipſo ſentire? At ſunt mihi (inquis) opes, honoribus publicis infinitos alios ſupero, eſt firma corporis valetudo, forma integra, applaudit vulgus, & pace atque otio abundo. Audio ô bone. Sed quid in his omnibus ſtabile, quid ſolidum, quid perpetuum eſt? Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri. Fluxa & incerta eſt opum poſſeßio, honores & dignitates ex vulgi mutabilis iudicio pendent, valetudo facillimè & præter expectationem deſtruitur, forma bonum fragile & ſæpe turpitudinis extremæ cauſa eſt, voluptates plerunque dolores & ignominiam pariunt: denique ſi cum Solomone omnia inſpicias, quæ ſub Sole ſunt, exclamabis tandem: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quòd ſi ſimul cogites, nos in Dei conſpectu viuere, qui corda & renes ſcrutatur, qui iudex ſcelerum ſeuerus, imò ignis conſumens eſt, certè non poteris non de teipſo humillimè ſentire, & toto animo trepidare, quòd olim Abrahamum, Dauidem, Paulum & ſanctißimos quosque paſſos fuiſſe ſcimus. Horum conſideratio nos excitare debet, vt ſuperbiæ ſpiritu fracto & excuſſo eum affectum induamus, qui in Chriſto Ieſu fuit, vt ad eius exemplum humiliati, cum eodem olim in gloriam cæleſtem euehamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXLIIII.

Dicebat autem etiam ei qui ipſum vocauerat: Cùm facis prandium aut cœnam, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neq; cognatos tuos, neque vicinos diuites: nequando & ipſi te viciſsim vocent, ac retribuatur tibi gratia. Sed cùm facis epulum, voca pauperes, mancos, claudos, cæcos: Et beatus eris, quia non poſſunt retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Hæc autem cùm audiſſet quidã ex ijs, qui ſimul accumbebant, dixit ei: Beatus, qui comedet panem in Regno Dei.

PRecipuum & proprium Domini noſtri Ieſu Chriſti officium eſt, miſeros mortales cum Deo Patre in gratiam reducere, vt huic reconciliati æternæ ſalutis hæredes fiant. Id verò non obiter modò præſtitit, quando in cruce moriens peccata noſtra expiauit, quæ nos à Deo alienos faciebant: ſed doctrinam quoq; ſuã ita nobis attemperat, vt omnibus vitijs medeatur, quæ nos in veræ pietatis

& ſalutis

& ſalutis ſtudio remorari poſſunt. Quod vt multis alijs in locis fecit, ita maximè in hoc cap. præſtat, vbi cum apertis hoſtibus agens, omnia ſalutis obſtacula ex ordine tollit. Nam primùm à cultu Dei exorſus, ſuperſtitioſam ceremoniarum fiduciam confutauit, docens, non iſtarum obſeruationem vmbratilem & oſtentationi potiſſimum ſeruientem, ſed multò magis vera ſolidæ pietatis ac beneficentiæ officia à nobis requiri. Deinde cùm illos ambitione & gloriæ priuatæ ſtudio quàm maxime impediri sciret, quò minus crederent, huic etiam malo remedium adhibuit, & non ſine graui comminatione æternæ ignominiæ ipſis humilitatem commendauit. His nunc commodiſſimè ſubijcit doctrinam de dilectione & beneficentia, quæ inter fidei & veræ pœnitentiæ opera ſiue effecta primas tenet. Et quia circa illam quoque plurimùm peccabant Iudæi, imò & hodie ferè ſub eius prætextu pleriq; ſua commoda quærũt, grauiter monet ille, quid hîc præcipuè obſeruari & fieri debeat.

Rurſus autem ex re præſenti occaſione ſumpta veram conuiuiorum rationem tradit, quæ doctrina inde ad omnia charitatis & beneficentiæ officia extendi debet. Videbat enim pleroſque Iudæorum non ſolùm priuati commodi ſtudio peccare, verumetiam in conuiuijs omni lautitiarum genere & apparatus magnifici ſplendore ſeſe oſtentare, adeoque in eleemoſynis quoque diſtribuendis (vt apud Matthæum annotatur) gloriam & auram popularem captare. Quo vitio cùm procul dubio princeps iſte Phariſæorum laboraret, ad cuius menſam cum multis alijs fuerat inuitatus, totum ſermonem ad illum imprimis dirigit, vt ſimulatum eius officium vero & ſolido beneficio rependat. Nec enim melior gratia ijs quoque, qui nobis ex animo benefaciunt, referri poteſt, quàm ſi erroribus liberentur, & fideliter inſtituantur in ijs, ſine quibus ſalus æterna conſtare non poteſt. Itaque Dominus ante omnia vitio medetur, quo tota beneficentiæ ratio turbari ſolet: deinde quid fieri debeat docet, & ſuam doctrinam magnifica præmij ampliſſimi atque æterni promiſſione confirmat. Occaſio præſentis doctrinæ.

Ad primam huius orationis partem pertinent hæc verba: Cùm facis prandium aut cœnam, ne vocato amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites, ne quando & ipſi te viciſſim vocent, ac retribuatur tibi gratia. Quo loco probè tenendum eſt, non damnari à Chriſto hoſpitalitatis officia, quæ amicis, fratribus, cognatis aut vicinis opulentioribus & in aliqua dignitate conſtitutis exhibentur. Scriptura enim paſſim humanitatem & gratitudinem nobis commendat, ingratos verò & inhumanos deteſtatur. Et vt Chriſtus nuſpiam docuit ingratitudinem, ita homines ἀστόργους, qui nullo cognationis reſpectu ducuntur, & ab eo etiam amore alieni ſunt, quo natura nos eos proſequi iubet, qui nobis propius coniuncti ſunt, inter nouiſſimi ſæculi peſtes numerat Paulus Apoſtolus, & ne illorum mores imitemur admonet. Sed & naturæ lex eſt, vt bonam gratiam quibuſcunque referamus, & amorem inter nos mutuis officijs foueamus. Viderunt hoc olim omnes, qui inter gentes ſapientia & virtute excelluerunt: apud quos hoſpitalitas tanto in precio fuit, vt huius præſidem dixerint ſummum illum Iouem, ſicuti alibi diximus. Itaq; plus quam barbarum eſſet, hoſpitalitatis officium amicis negare, quod peregrinis etiam atque ignotis debetur. Quòd ſi hominis ingenium ſpectemus, nos ad ſocietatem & amicitiam natura procliues & propenſos eſſe conſtat, & inde factum eſſe, vt olim in ciuitates coirent, qui prius diſperſi vagabantur. Ad ſocietatem verò vel ineundam vel ſeruandam conuiuia honeſta & amica plurimùm conferre, nemo negauerit, qui vel mediocrem habet rerum humanarum vſum. Cato certè inter Romanos non tam grauiſſimus morum cenſor, quàm paterfamiliâs frugalis & prouidus, menſam amicorum parentem atque procreatricem dicere ſolebat. Et ipſa conuiuij vox communionem vitæ ſignificat, qua nihil iucundius, nihil vtilius, nihil deniq; magis neceſſarium eſt, cum ſine illa neq; priuata amicitia, neq; ciuitatum concordia, imò nec quæ in Chriſti Eccleſia habetur ſalutis æternæ cõmunio ſiue ſocietas conſiſtere poteſt. Quapropter honoraria conuiuia ſanctiſſimis quoq; patribus olim in vſu fuiſſe legimus. Abrahamus cùm Iſaacum Sara ablactauiſſet, conuiuium magnum inſtruxit amicis ſuis, vt acceptum à Deo beneficium publicè prædicaret. Iſaacus quoq; Abimelechum regem cũ magno amicorum eius numero & militiæ præfecto Phicole epulo ſplendidiori excepit. Idem poſtea Ioſephus fecit, cùm ad ipſum fratres eius emendi frumenti cauſa in Aegyptum veniſſent. At quid exemplis alijs opus eſt, quando ipſe Chriſtus ad conuiuia honoraria acceſſit? quod nunquam facturus erat, ſi illa Deo Patri improbari sciuiſſet, eoq; magis ab illis abſtinuiſſet, quòd ſuos aduerſarios inde

Nõ damnantur conuiuia honoraria.

2. Tim. 3.

Gen. 21. 26. 43.

calumniandi & ipſum traducendi occaſionem arripere non ignoraret. Addet amen his omnibus, quòd inter cultus diuini exercitia aliquis conuiuiorum eiuſmodi vſus fuit. Qui enim ſacrificia Euchariſtica pro acceptis à Deo beneficijs offerebant, ij ex illorũ carnibus conuiuia inſtruere, & ad illa amicos inuitare ſolebant, vt hos ſuæ lætitiæ teſtes & congratulatores haberent. Quem morem adeò non improbauit Deus, vt potius per Moſem feſtorum publicorum rationem tradiderit, & inter alia iuſſerit Iſraelitas in ſuo conſpectu epulari. Quo referri poteſt Samuelis hiſtoria, qui Saulem epulo eiuſmodi excepit, & eidem inter inuitatos primum locum dedit, quòd eum à Deo Regem Iſraelis deſignatum eſſe cognouiſſet. Poſſent huius generis multa recenſeri, quæ abunde docent, non debere Chriſti verba ad ſtatum alienum detorqueri ne ciuilitatis & humanitatis pars præcipua aboleatur inter homines, quorum aliqui auaritia ducti omnem deuitandæ impenſæ occaſionem facilè arripiunt, aliqui verò in nimia & inhumana auſteritate ſummam religionis conſiſtere putant, & tunc demum ſuam authoritatem ſaluam fore ſibi perſuadent, ſi in conuictu difficiles & ipſi neminem domum ſuam inuitent, & ad nullius menſam ſe inuitari patiantur. In qua ſententia olim aliqui inter gentes fuerunt, qui conuiuia cum magnanimitate pugnare arbitrati ſunt, eò quòd in illis morum grauitas vix retineri poßit, & qui illa frequentant multa diſsimulare cogantur, & ita in ſuſpicionem animi ſeruilis & abiecti veniant. Quod Periclem mouit, vt poſtquam ad Rempublicã acceßit, nullis vnquam conuiuijs interfuerit, ne authoritati ipſius aliquid decederet. Fatemur quidem iſtud fieri non rarò, ſi luxurioſis epulis ſeſe admiſceant qui in Eccleſia & Republica præſunt. At nos de conuiuijs honeſtis & amicitiæ ſeruandæ cauſa inſtitutis loquimur, quæ damnari non poſſunt, niſi amicitias magna ex parte abolere, & cum inhumanitate coniunctam barbariem inducere velimus.

Deut.14,et 16.

Vera beneficẽtiæ ratio traditur.

Quid ergo Chriſtum hoc loco agere dicemus? Hoc ipſum nimirum, quod ſæpe aliâs facit, vt ex re vulgari & minoris momenti occaſione ſumpta, animos ad ſublimiora euehat, & erroribus medeatur, quibus multi implicati circa fidei & ſalutis æternæ myſteria hallucinantur. Sic cũ de manuum ablutione quæſtionem Phariſæi mouiſſent, ille non de hac curioſius diſputat, ſed de vera & interna hominis tam purificatione quàm pollutione ſermonem inſtituit: & ſimile quid in cauſa de ieiunijs factum fuiſſe ſcimus, vt nunc multa alia omittamus. Ita in præſenti ſub conuiuiorum exemplo ſiue parabola, quid in charitatis officijs & beneficentiæ potißimum caueri debeat docet, quid item fieri debeat, vt illa ſolida ſint, & Deo vero probentur. Debent autem ea caueri, quibus Iudæos tunc temporis peccauiſſe, paulò ante diximus: priuati nimirũ commodi aut retributionis amplioris ſpes, vel gloriæ & auræ popularis cupiditas. Qui enim vt plura recipiant benefaciunt, ij ſub beneficentiæ prætextu quæſtum turpem faciunt. Quid autem inhoneſtius & inciuilius fingi poteſt, quàm vili aliquo officio alios cogere, vt maiora quaſi ex debito reddant, à quibus nihil huius petere auderes? Et cùm eiuſmodi officia hominibus ſordeant, num ea probare poterit Deus, qui nos abſq; omni mercedis temporariæ reſpectu à ſua gratia pendere vult? Qui verò hoc artificio laudem venantur, ij (vt alibi Chriſtus monet) iam receperunt mercedem ſuam, neque habent quo apud Deum glorientur, qui miſericordiam & voluntariam beneficentiam requirit, ſicuti in Samaritani parabola vidimus. Peccant ergo in Chriſti præceptum, quotquot non niſi in publico eleemoſynas faciunt, vt apud plures beneficentiæ laudem mereantur: quotquot item in templis quoque illarum memoriam extare volunt, aut in alijs locis publicis: quibus annumerari debent, qui ſuæ liberalitatis præcones conducunt poetaſtros & ſcripturiendi ſcabie prurientes, & ita tantum non tubarum clangore ſua officia apud poſteros quoq; diuulgari cupiunt. Adde his eos, qui in pios & eximios Chriſti ſeruos beneficia plurima conferunt, vt horũ fauore atq; patrocinio iuuentur apud principes viros, qui illos in honore & pretio habent. Et tales quidem ſuis temporibus plurimos fuiſſe Chryſoſtomus queritur, hodie autem infinitus eſt illorum numerus in locis ijs, vbi Chriſtianæ religionis libertas regnat. Qui vt non niſi priuatum commodum quærunt, vt nimirum vel honoribus publicis augeantur, vel ad munera quæſtuoſa ſibi viã parent; ita miniſtrorum Eccleſiæ fauore nimis turpiter abutũtur, & ſæpe his inuidiã atq; odium conciliant. Peccãt deniq; hoc loco omnes, qui ſumptus quidem magnos faciunt in alijs vel honorandis vel iuuandis, in eo autem nihil præter gloriã priuatam aut retributionem quærunt. Itaq; ſi ad hanc regulam ſinguli ſua officia, quibus charitatem erga alios declarare videntur,

examinent,

examinent, mox videbunt quantum illis decedat, & quàm exiguam adeoque nullam de illis gloriandi occaſionem habeant.

Benefaciendum egentibus.

Quid ergo hîc obſeruari & fieri debet? Cùm facis epulum (inquit Dominus) voca pauperes, mancos, claudos, cæcos, &c. Senſus eſt, benefaciendum eſſe illis, qui noſtræ opis ſunt indigi, quamuis nulla retributionis ſpes affulgeat. Quid enim ex paupere aliud ſperes, quàm vt vno beneficio illectus plura abs te petat? Quid ex manco, claudo & cæco tibi pollicear e præter laborem atque moleſtiam tum faſtidio coniunctam? At nihilominus illis præſtari debēt dilectionis officia, idq́ eò magis, quòd & ipſi nihil ſibi conferre poſſunt, & plerunque ab alijs negliguntur. Admonet de hoc ipſa dilectionis vox, quæ relationem habet ad alios. Quomodo enim illa locum habebit, ſi nemo ſit quem diligas? At quis magis dignus dilectione, quàm qui aliorum auxilio carere non poteſt, & proinde à tua beneficentia totus pendet? Vult ergo Dominus, vt non noſtri, ſed aliorum rationem habeamus, quoties benefici in aliquos eſſe aut videri volumus. Quod ipſum ſupra per Samaritani parabolam apertius docuit. Apud Matthæum verò Dei Patris exemplum nobis imitandum proponit, quod vnum nos abunde docere, & omnium argumentorum loco eſſe poteſt. Si enim filij Dei cenſeri & regni eius hæredes eſſe cupimus, non poterimus illius exemplum contemnere, ſed vt eius ingenio atque moribus nos accommodemus neceſſe eſt. Atqui is totus quantus eſt, charitas eſt: & quàmuis dilectionis ſuæ exempla paſſim edat, & illa in omnibus mundi partibus occurrant, magis tamen illuſtria & frequentiora ſunt, quibus illam erga homines miſerrimos & omni præſidio deſtitutos declarat. Quo nomine pater viduarum & orphanorum, patronus peregrinorum, afflictorum vindex & ſeruator in Scripturis dicitur. Quid, quòd indignos & filios iræ dilexit, & quotidie ſalutem in Chriſto illis offert, qui æternam mortē merentur? Et deniq; eo in nos affectu præditus eſt, vt quando pœnas à nobis eius iuſtitia neceſſariò exigit, hanc tamen miſericordia ſua temperet, & non alium finem ſibi proponat, quàm vt à peccatis conuerſi ſeruemur. Quò Pſaltes reſpiciens eos beatos dicit, quos Dominus caſtigat. Et rurſus: Bonum mihi Domine, quòd humiliauiſti me. Et tales quidem nos quoq; Chriſtus eſſe iubet, vt tam benefici Patris filij germani ſimus.

Durities noſtri ſeculi.

At eluces hîc non ſeculi modò noſtri deplorata conditio, verumetiam vniuerſalis ingenij noſtri prauitas atque malitia. Nam cùm Chriſtiani dici & haberi velimus, quorum propria nota atque teſſera eſt mutua dilectio, eam tamen ferè negligimus in pauperibus & egenis, qui nobis præ alijs commendati eſſe debebant: vt hîc nimis apertè illud videas quod Chriſtus de nouiſſimorum temporum hominibus dixit, fore vt charitas prorſus frigeat atque extinguatur. Argumentum, quo duritiem & inhumanitatem ſuam plerique excuſant, præcipuum eſt, quòd tantæ egentium multitudini alendæ nemo ſufficiat, cùm pleriſq; inopia & mendicitas quæſtus factus ſit. Sed vtinam non idem de diuitijs dici poſſit, quarum multi non alium vſum norunt, quàm quòd vſuris & impoſturis illas quotidie augent, & auaritia inſatiabili accenſi quæſtum ex quæſtu faciunt. Quàm verò friuolum ſit, quòd pauperes ali poſſe negant, ex eo ſatis apparet, quòd plerique in res nihili & inhoneſtas mira prodigalitate opes ingentes profundunt, & nimij ſunt erga eos, qui ſeipſos alere poterant. Quid enim de conuiuiorum luxu & menſis plus quàm Sybariticis dici poteſt, quod noſtri ſeculi intemperantia non longè ſuperet? Quid de immodico veſtium ornatu, quo viri animos muliebres, mulieres autem tum faſtu ferociam plus quàm virilem & meretriciam impudentiam produnt? Quid de inſanis ædificiorum ſtructuris, in quas paſſim opes tam publicæ quam priuatæ inutiliter conſumuntur? Interim qui tanta prodigalitate Baccho, Veneri, mundo & huius principi diabolo ſeruiunt, in ſolos pauperes parciſſimi & pumice aridiores ſunt, imò hos ſolum perditum, aut ſaltem malè collocatum arbitrantur, quod in illos confertur. Non ergo hos alendi facultas, ſed voluntas pleriſque deeſt, quæ mox in illis noua naſceretur, ſi charitatis igne animi ipſorum arderent.

Non pereunt, quæ conferuntur pauperibus

Quia verò hæc fruſtra ijs dicuntur, qui præter quæſtum aut honorem vel mundi applauſum nihil ſpectant, grauem & noſtræ vitioſitati imprimis conuenientem rationem Chriſtus ſuæ doctrinæ ſubijcit, dicens: Et beatus eris, quia non poſſunt retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Quaſi diceret. Non eſt quòd beneficia, quæ in pauperes contuleris, te amiſſurum aut malè collocaturum eſſe timeas. Tam enim hoc abeſt, vt hanc non pe-

ſtremam tuæ felicitatis partem putare debeas. Quia enim illi non poſſunt dignas gratias referre, remuneratorem habebis Deum, qui illa cum fœnore retribuet. Neque etiam te moueat, ſi in hoc ſeculo retributionem planè nullam recipias, tunc enim vberior tibi obtinget in reſurrectione iuſtorũ, id eſt, eo die, quo omnes homines à mortuis reſuſcitati ad Dei tribunal ſiſtentur, tu verò inter iuſtos & legitimos Dei cultores cenſeberis, qui regni illius cæleſtis & æterni hæreditatem adibunt. Debent huc referri promißiones, quibus paßim Spiritus ſanctus Deum ipſum pro pauperibus vadem aut fideiuſſorem nobis ſiſtit. In Lege certè non vno loco illos ea conditione commendat, quòd ſe eos locupletare velle promittit, qui in illos benefici fuerint. Et notum eſt illud Solomonis: Domino fœneratur quiſquis benefacit pauperi: ſecundùm beneficium eius rependetur ei. Apud Iſaiam verò clamat: Si effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam ſatiaueris, tunc orietur in tenebris lux tua, & erit caligo tua ſicut meridies: Et deducet te Dominus ſemper, & ſaturam reddet in ſiccitatibus animam tuam, & oſſa tua ſaginabit, &c. Plenißimè autem hæc omnia ab ipſo Chriſto confirmantur, qui in magno illo die ſibi factũ iudicabit, quicquid in pauperes ſuos collatum fuerit. Sunt ergo nimium vecordes, qui illos negligunt, eò quòd ex eis retributionem nullam ſperare poſſunt: hi autem, imò terque quaterque ſtulti ſunt, qui ab hominibus mendaciſſimis gratias dignas expectant, Dei autem promißionibus diffidunt, qui ipſa eſt Veritas.

Deut. 14. 15. 24. &c. Prou. 19. Iſa. 58.

Iudicium nouiſſimum aſſeritur.

Porro poteſt ex hoc loco firmißimum argumentum peti, quo nouißimus Chriſti ad iudicium aduentus & vita æterna aſſeratur. Nam vt retributionem habeant tã iuſti quam iniuſti, pij & impij, ipſa Dei iuſtitia exigit. Quia enim iuſtitiæ eſt ſuum cuique tribuere, & ſceleratos quidem pro meritis mulctare, bonos autẽ præmijs dignis honorare, Deum iniuſtum dicere oporteb it, niſi illud ipſum præſtet. At in hoc ſæculo remunerationem dignam non ſemper, ſed quàm rarißimè fieri videmus. Ferè enim impij diuitijs & honoribus affluunt, impunitate ſcelerum gaudent, & pro ſua libidine res ſuas agunt: pijs interea laborantibus & aduerſa omnis generis ſuſtinentibus. Quæ res non ſemel fidis Dei cultoribus adeò moleſta fuit, vt de eius iuſtitia grauiter conqueſti ſint. Aliud ergo ſæculum ſequatur oportet, quo Deus omnibus iuſtè rependat pro ijs, quæ in hac vita fecerũt. Et ideo Chriſtus hîc nos ad reſurrectionem iuſtorum remittit, ne de Dei iuſtitia dubitemus, ſi quando non ſtatim virtutis præmia accipimus, aut impios atq; crudeles non confeſtim puniri videmus. Eſt hæc conſideratio vtilißima, adhac digna & neceſſaria, quæ crebrò nobis in mentem veniat. Nam vt à ſceleribus nos vehementer abſterret, ita animos & voluntatem noſtram confirmat, ne benefaciendo defatigemur. Accidit hoc multis, qui mundum hunc ſuis benefactoribus ſemper ingratißimum fuiſſe nouerunt, & qui peßimam gratiam ſibi quoque referri ſentiunt ab illis, de quibus meliora ſunt meriti. Cogitemus ergo, nos remuneratorem in cælis habere Deum, qui virtuti ſua præmia deſieri nunquã patietur: viciſſim autem grauibus ſupplicijs mulctabit inhumanos & duros illos, qui aliorum miſerias ſiccis oculis intuentur, vel etiam ex illis res ſuas augendi occaſionem arripiunt. Sed & pauperes hinc conſolationem petere poſſunt. Nam etſi ipſorum inopia pauci moueantur, videt tamen hanc Deus, qui patientiam ipſorum æternis regni ſui theſauris remunerabit.

Exemplum pij deſiderij.

Cæterùm quando Chriſtus reſurrectionis iuſtorum mentionem fecit, in qua beneficentiæ ſuæ præmia accepturi ſint, qui in pauperes ſunt liberales, quidam ex ijs qui ſimul accumbebant, ex eo occaſionem arripiens exclamauit: Beatus, qui comedet panẽ in Regno Dei. Videtur is, quiſquis fuerit, non omnino prophanus & impius verbi Dei irriſor fuiſſe. Nam qui tales ſunt, ij tam minas quam promißiones de futuro ſæculo & nouißima illa retributione cum cachinnis excipere & impudenter exibilare ſolent. Hic verò meditatione alterius vitæ abreptus, eos demum beatos fore pronuntiat, qui hanc aſſecuti gloria in cælis vera & mortali fruentur. Locutione autem vtitur, quæ præſenti argumento optimè conueniebat, cùm de beneficentia ſub conuiuiorum parabola Dominus hucuſque diſſeruiſſet. Et frequens eſt locutio iſta in Scripturis, adeò vt Chriſtus quoque credentes omnium gentium cum Abrahamo Iſaaco & Iacobo accubituros dicat. Et in vltima Cœna diſcipulis ait: Vos ij eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Ego igitur paciſcor vobis prout pactus eſt mihi Pater meus, regnum: vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, &c. Quibus verbis non aliud quam cæleſtis gloriæ & felicitatis, ſocietatem intelligit. Et tale quid gentium quoque ſapientes innuiſſe videntur, quando cælites ambroſia veſci, & nectar bibere dixerunt, cùm

vtraque vox immortalitatem & conditionem nulli corruptioni obnoxiam ſignificet. Secuti ſunt poſtea quidam craßiores & ventris gulæq́ mancipia, qui conuiuia in cælis agitari finxerunt, qualia impurus etiam Mahumetes ſomniauit. Qui error licet inter Iudæos non habuerit locum, & proinde conuiua iſte hæc verba ſano ſenſu dixiſſe videatur, Chriſtus tamen ex illis occaſionem ſumit Iudæos ſimul omnes repræhendendi, qui cùm æternæ ſalutis ſtudium profiterentur, illam tamen non recipiebant, imò vocati quoq́ & inuitati ad epulas illas cæleſtes accedere detrectabant: vt in ſequenti Sermone dicetur.

Nunc non oſcitanter obſeruari debet, commune quoddam ſalutis deſiderium omnibus hominibus inſitum eſſe, cuius indicia non rarò in impijs & prophanis quoque apparent, ſi quando illorum conſcientias Deus tangit. Tunc enim terrores ſentiunt, & eos beatos dicunt, quos tranquillos & ſalutis ſecuros eſſe vident. Quid, quòd qui cælos & inferos impudenter negant, damnatorum tamen gregi adnumerari nolunt, & iniquißimè ferunt eos, qui ex Dei verbo æterna ſupplicia ipſis minantur? Vnde verò hoc? ex eo nimirum, quòd occulta Spiritus ſuggeſtione aliquis Vitæ futuræ ſenſus vel inuitis obrepit. At qui eò impietatis nondum progreßi ſunt, ij ſalutem æternam ſeriò deſiderant, plerique autem in eius aſſequendæ ratione falluntur, dum ex carnis ratione & ſenſu hanc rem æſtimant, quæ omnem humani ingenij captum excedit. Et hæc ferè ſuperſtitionum cauſa eſt, quibus infelix mundus omnibus ſeculis in diuerſas ſectas ſciſſus & diſtractus à vero Regni Dei tramite aberrauit. Diſcamus ergo huius conuiuæ exemplo, non ſufficere ardentißimum Vitæ æternæ deſiderium, & quæ ex hoc naſcitur bonam animi noſtri intentionem: ſed neceſſe eſſe, vt tota illius ratio nobis perſpecta ſit, & vt eam viam ingrediamur, quæ ſola nos ad illam deducit. Eſt illa æternus Dei Filius, Ieſus Chriſtus, quem qui ſequitur, is non ambulabit in tenebris, & in illo optata ſalute fruetur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Deſiderium ſalutis naturæ omnibus inſitū.

HOMILIA CXLV.

Ieſus autem dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, miſitq́ ſeruū ſuum hora cœnæ, vt diceret vocatis: Venite, quia iam parata ſunt omnia. Et omnes cœperunt vno ore ſe excuſare. Primus dixit ei: Agrum emi, & neceſſe habeo exire, & eum inſpicere: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & proficiſcor ad probandum ea: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & proprerea non poſſum venire. Cùm igitur ſeruus adueniſſet, annunciauit iſta domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliâs dixit ſeruo ſuo: Abi citò in plateas & vicos vrbis, & pauperes ac mancos claudosq́ & cæcos huc introducito. Et ait ſeruus: Domine, factum eſt vt imperaſti, vt adhuc locus eſt. Tunc ait dominus ſeruo: Abi in vias & & ſepes, & coge ingredi, & impleatur domus mea. Dico enim vobis, neminem virorum illorum, qui vocati fuerant, guſtaturum cœnam meam.

QVoniam homo per peccatum non ſolùm à felicitate priſtina excidit, verumetiam præclaram illam intellectus lucem & pleniorem rerum cæleſtium cognitionem amiſit, qua initio illum Deus donauit: manet quidem in omnibus naturale quoddam ſalutis æternæ deſiderium, huius autem aſſequendæ rationem videre non poſſunt, niſi cælitus illuminentur. Quæ cauſa eſt, quòd multi de Regno Dei præclarè diſſerunt, & quàm ardenti eius ſtudio flagrent, verbis grauibus & plerunque non ſine gemitu pronunciatis teſtentur, cùm interim Dei ipſos inuitantis gratiam contemnant atque faſtidiant. Laborarunt hoc vitio imprimis Iudæi, quàmuis Regnum Dei ad ſe ſol oſputarent pertinere: & eius exemplum non omnino obſcurum nuper vidimus in eo, qui Chriſti verbis de Reſurrectione iuſtorum excitatus inter diſcumbentes exclamauit: Beatus, qui comedet panem

in Regno Dei. Ideò Dominus illi nunc ita reſpondet, vt in eius perſona generalem Iudaici populi ingratitudinem & contumax gratiæ Dei faſtidium reprehendat, ſimulq́ pœnas dignas denunciet: quod nimirum ipſis à Regno cœlorum excluſis gentes vocari & in illorum locum ſurrogari oporteat. Rurſus autem parabola ex re præſenti petita vtitur, qua æternum Dei conſilium de hominum ſalute comprehendit, cauſas item oſtendit, quibus plerique auocati illud aſpernantur, & quæ pœnæ contemptores eiuſmodi maneant. Parabolæ partes ſunt duæ. Prima propriè ad Iudæos pertinet. Altera de Gentium vocatione diſſerit, & qua conditione omnes à Deo vocemur, docet. Quia verò Lucas breuior eſt, quædam ex Matthæo ſarcienda erunt, quæ ſuo loco videbimus.

Conſilium Dei de hominum ſalute.

Principiò æternum Dei de hominibus ſeruandis conſilium exponit, quando hominem quendam cœnam magnam feciſſe ait. Et hominem dicit Deum Patrem, non quod is homo factus ſit, ſed quòd humano prorſus more & amicè nobiſcum agit. Matthæus Regem quendam filio ſuo nuptias feciſſe ſcribit. Ergo de cœna nuptiali hîc agitur, & huic ſalutem & beatitudinem æternam, qua in cœlis fruemur, Dominus confert: quia in eo maximè conſiſtit, vt cum Chriſto, vnico ſponſo noſtro, ſpiritualis coniugij vinculo ſociemur: & quàmuis coniunctio iſta nunc incipiat, ſub veſperum tamen & finem mundi demum perficietur, quando ille tam corpora quàm animas noſtras ad ſe recipiet in cœlos, vt æternum cum ipſo viuamus & regnemus. Et debet hoc non oſcitanter obſeruari, ne moræ impatientia ſuperati ante tempus liberari, & priuſquam certamen noſtrum decertauerimus, triumphare velimus. Nam vt ſanguinis ſui pretio nos Dei Filius acquiſiuit, vt ſibi ſponſam faceret: ita nobis quoque coniunctio illa multis laboribus, periculis, curis & plerunque ſanguine etiam multo conſtat. In his ergo nos durare, & ſponſi aduentum, quem tota hæc mundi fabrica cum gemitu deſiderat, patienter expectare decet.

Prædeſtinatio.

Nec temere cœnam hanc iam pridem paratam fuiſſe Chriſtus ait. Ea enim locutione æternum electionis & prædeſtinationis decretum denotatur, de quo Apoſtoli teſtantur, quòd & Chriſtum nobis Seruatorem deſtinarit, & nos in illo elegerit, priuſquam mundus hic conderetur. Et ipſe Dominus in nouiſſimo iudicio ſuis cultoribus dicet: Venite benedicti Patris mei, & poßidete Regnum paratum vobis à iactis mundi fundamentis. Commendant hæc Dei bonitatem, & ſalutem nobis ex mera grattia obtingere docent, ne quid noſtro arbitrio aut viribus, vel etiam operum noſtrorum meritis tribuamus. Quid enim ad ſalutem noſtram conferre potuimus, cùm nondum creati fuimus: imò priuſquàm hic mundus corruptibilis exiſteret? Aut num in nobis aliquid præuidere potuit Deus, quod tantam ſalutem mereretur, qui quanti quanti ſumus, peccatores ſumus, & qui in æterno exitio manſuri eramus, niſi ille noſtri miſertus Filium deſtinaſſet, cuius merito redempti ad Regni ſui hæreditatem veniremus?

Ordo vocationis Dei.

Quàmuis verò omnium ſeculorum atque Gentium credentes iam inde ab æterno ad nuptias illas cœleſtes electi & conſcripti ſint, ordine tamen certo in illis vocandis Deus eſt vſus, & à Iudæis initium fieri voluit, vt in illis ſuæ cùm bonitatis tum iuſtitiæ exempla toti orbi terrarum proponeret. Id in præſenti his verbis Dominus exponit: Vocauit multos, miſitq́ ſeruum ſuum hora cœnæ, vt diceret vocatis: Venite, quia iam parata ſunt omnia. Apud Matthæum plures ſerui & ſæpius miſsi fuiſſe dicuntur. Etenim iam olim cœpit Deus ſuam gratiam erga Iudæos varijs modis declarare, poſtquàm cum Abrahamo fœdere inito eius poſteros reliquis gentibus antepoſuit, & eoſdem poſtea per Moſem & Prophetas vocauit, qui vt numero plures, ita per omnia ſæcula diſtributi fuerunt, ne vlli vocationis iſtius lætiſsimæ expertes eſſent. Nam durauit hæc ad ipſum Chriſtum vſque, qui præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam, quem totum in hoc fuiſſe conſtat, vt quàm plurimos Chriſto adduceret. Sed & ipſe Dominus in illis vocandis & alliciendis aßiduus fuit, & hinc diſceſſurus Apoſtolos dedit, qui ipſi quoque ſalutis doctrinam Iudæis primùm prædicauerunt. Eſt hoc præclarum bonitatis Dei argumentum, qui ſeruos ſuos ſelectiſsimos vnà cum Filio ſuo dilecto tot ſeculis in illis vocandis occupatos eſſe voluit. At cùm non minus benignus erga nos quoq́ ſit, etiam atque etiam cauere nos decet, ne Iudæorum ſimiles hanc eius gratiam aſpernemur.

Sed mo-

Modus uocationis.

Sed modum quoque vocationis huius videre præſtat: Venite (inquiunt) quia iam parata ſunt omnia. Ita verò officij illos admonuerunt, quod à nobis quoque exigitur. Eſt hoc, vt veniamus ad Chriſtum, in quo nobis parata ſunt, quæcunque ad noſtram ſalutem pertinent. Et ſic quidem olim Prophetæ clamabant: O vos qui ſititis, venite ad aquas: & hi quibus non eſt pecunia, venite. Et ipſius Chriſti vox in Euangelio auditur: Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, &c. Item, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Venitur autem ad illum ſola fide, quæ animos noſtros euehit, vt relictis terrenis illi coniungamur. Ita ipſe hoc myſterium interpretatur apud Ioannem, dicens: Qui venit ad me, nequaquam eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam.

In Chriſto parata ſunt omnia.

At non negligenter conſiderari debet ratio, qua Dei ſerui Iudæos, & cum his omnes homines excitant, vt ad nuptias iſtas feſtinent: Quia iam parata ſunt (aiunt) omnia. Etenim in Chriſto Ieſu parata & confecta ſunt, atque pleniſſimè nobis exhibentur, quæcunque animas eſurientes & ſitientes ſaturare atque recreare poſſunt. Ille enim nobis à Deo Patre factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Ille panis vitæ eſt, qui cœlo ad nos delapſus carnem ſuam dedit pro mundi vita. Ille fons eſt gratiæ vberrimus, qui æſtuantis conſcientiæ ardores ſolus reſtinguit. Ille agnus Dei eſt, qui peccatum mundi tollit. Ille denique lux, via, veritas & ſalus ipſa eſt, & vt hæc omnia in ſe habet, ita omnibus eadem liberaliter communicat, qui ad ipſum accedunt. Debet ergo hæc vox in omnium noſtrûm auribus atque animis ſonare, ne vocati moras nectamus, neque illos audiamus, qui nobis extra Chriſtum noua ſalutis adminicula monſtrant, quibus meritum illius magna ex parte euacuatur. Parata ſunt in illo iam inde ab æterno, quæcunque ad cœnam illam verè nuptialem & cæleſtem requiruntur. Ergo nimiùm ſtolidi ſunt coci illi, qui nouis ferculis illam vel augere vel ornare conantur: imò ferè venefici ſunt, dum humanarum traditionum & nocentiſſimarum ſuperſtitionum toxica admiſcent, quæ multos ſalutis incertos faciunt, pleriſque autem exitium afferunt. Plus autem quàm miſeri & calamitoſi ſunt, qui cùm in Chriſto iam omnia parata & inſtructa eſſe audiant, impuris illis ſordium impuriſſimarum fartoribus atque cupediarijs ſqualidiſſimis locum dant: quaſi verò ab illis aliquid fingi poſſit Chriſto ſuauius, delicatius atque ſalubrius.

Iudæorum in ſpernenda ſalute contumacia.

Porrò videamus Iudæorum ingratitudinem & ſtolidam contumaciam, qua oblatam ſibi Dei gratiam reſpuerunt. Comprehendit hanc vno verbo Dominus, dicens: Et omnes cœperunt vno ore, & quaſi ex pacto & conſtituto (tantundem enim ſignificat locutio Græca, qua Lucas vtitur) ſe excuſare. Et hi quidem reliquis meliores, imò optimi in illa gente fuerunt. Nam apud Matthæum aliqui ſeruos, à quibus vocabantur, contumelijs affeciſſe & trucidauiſſe dicuntur. Creſcit enim ſuis augmentis ſiue gradibus impietas, & qui initiò Dei gratiam obiter faſtidiunt, ij tandem ſi fortius vrgeantur, furore accenſi eius præconibus vim quoque inferunt. In præſenti Chriſto ſatis fuit docere, Iudæos propria culpa à ſalute excidiſſe, cùm Deus quidem hanc illis liberaliter obtulerit, ipſi verò eam noluerint amplecti, imò aduerſus huius præconium hoſtiliter inſurrexerint. Quod ipſum de omnibus alijs dici poteſt: quando quotquot pereunt, vel ſupino contemptu Dei gratiam negligunt, vel contumelioſè faſtidiunt, vel etiam plus quàm gigantea temeritate oppugnant.

Quibus rebus à Regno Dei plerique auocentur.

Cæterum priores illos audiamus, qui excuſationis honeſtos prætextus quæſiuerunt, ne prophani gratiæ Dei contemptores eſſe putarentur. Primus dixit: Agrum emi, & neceſſe habeo exire, & eum inſpicere: rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & proficiſcor ad probandum ea: rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & propterea non poſſum venire. Nominantur hic tria hominum genera, quibus omnes eos comprehendit Dominus, qui rerum huius ſeculi curis ſiue ſtudijs, & quidem per ſe licitis atque conceſſis, ſe auocari patiuntur, quo minus ad Regnum Dei accedant. Primum eorum eſt, qui agros emunt in quo numerari debent omnes, quos rei domeſticæ cura impedit. Etenim agricultura per ſe laudem meretur, cùm eam primis parentibus Deus mandauerit, & huius inſtitutum ſit, vt homo in ſudore vultus ſui panem ſuum comedat. Nec minus licita ſunt alia opificia, quibus boni patres familiâs tam ſibijpſis quàm ſuis proſpiciunt. Et Paulus infidelibus deteriores eſſe dicit eos, qui 1. Timoth. 5.

Iſaiæ 5.

nulla ſuorum domeſticorum cura tanguntur. Sed hîc de illis ſermo eſt, quos anxia nimis & irrequieta cura diſtrahit, dum (vt Propheta loquitur) domus domibus & agros agris coniungunt, et rei domeſticæ ita addicti ſunt, vt præ hac Regnum Dei negligant. Eſt horu..s ingens numerus hodie, quos ſtudium hoc ita captiuos detinet, vt ne dominicis quidem diebus ad cœtus ſacros veniant, neque Dei Verbum audiant, ſi qua lucri faciendi ſpes ſeſe offerat. Secundum genus eos habet, qui boues emunt: quo omnes denotantur, qui ex mercatura qualicunque quæſtum faciunt. Licet hoc quoque, & rerum vſus docet, neceſſaria eſſe commercia inter homines, quando non omnis fert omnia tellus: neque iuſtum aut æquum eſſet, aliquem in aliorum gratiam mercibus aliunde inferendis abſque omni lucro defatigari. At rurſus hîc quoque eos perſtringit Chriſtus, qui facultatibus ſuis augendis ita intenti ſunt, vt nulla prorſus vitæ & ſalutis æternæ cura tangantur, neque Apoſtoli regulam obſeruant, qui eos qui emunt ita affectos eſſe iubet, quaſi nihil poſſideant: & eos qui hoc mundo vtuntur videre docet, ne eo abutantur. Et iſti quoque plurimi hodie paſſim inueniuntur, quibus ſuauiſſimus eſt lucri odor ex re qualibet, & qui multis menſibus aut annis conciones ſacras prorſus negligere malunt, quàm leuem rerum ſuarum iacturam facere. Tertio genere continentur qui vxores duxerunt, & ideò non poſſunt venire. Quo loco non ſimpliciter damnantur omnes, qui vxoribus coniugij vinculo copulantur (hoc enim ſanctum & thorus coniugalis impollutus eſt, dæmoniorum autem doctrina ab Apoſtolo dicitur, quæ nubere prohibet) ſed qui vxorij nimis ſunt, & vt vel eas obtineant quas volunt, aut vxoribus commodioribus vtantur, religionem minus curant, et frequenter propter coniuges ſacris alienis communicant. Et iſti quidem omnes excuſatos ſe haberi cupiunt, & rationes prætexunt graues atque minimè contemnendas, ſi carnis iudicium in hac cauſa aliquid valeret. Primi enim neceſſitate ſe vrgeri dicunt: alteri vtilitatem adducunt, cui ferè in commercijs neceſſitas quoque coniuncta eſt: poſtremi impoſſibilitatem allegant, ad quam (vt vulgò aiunt) nemo debet obſtringi. Et ſatis conſtat quàm magnificis verbis quamq; grauibus argumentis ſuas excuſationes amplificare & exornare ſoleant, qui hodie in religione ambidextri ſunt, & in vtrunque latus claudicant. Multi denique tanto artificio illud faciunt, vt tunc maximè gloriam Dei & ſalutem propriam curare videantur, quando vt ſua priuata commoda retineant, Regnum cœlorum prorſus negligunt. At docet hoc loco Chriſtus mutiles eſſe iſtas delitias, quas ſibiipſis faciunt homines carni & mundo dediti. Vt enim his impedimentis Iudæi detenti ſalutis ſuæ iacturam fecerunt: ita nihil melius ſibi polliceri poterant, quotquot hodie eoſdem laqueos ſibi iniici patiuntur. Meminerimus ergo ſpeciem huius mundi euanidam eſſe, & proinde indignam, cuius gratia vocationem Dei negligamus. Itaque regulam eam ſequamur in rerum huius ſeculi vſu, quam ex Pauli ad Corinthios Epiſtola adduximus.

Cùm verò tantæ tamq; efficaces ſint huius mundi illecebræ, vt earum quoque rerum ſtudia, quæ per ſe licitæ & neceſſariæ ſunt, nos à via ſalutis reuocent, quantò maiori cura & diligentia caueri debent, quæ disertis Dei verbis damnantur? Nocet nimium rei domeſticæ ſtudium: quid ergo fiet, ſi auaritia ineſcati fraudes & impoſturas exerceamus? ſi vſuris iniquis eos grauemus, qui noſtra beneficentia debebant ſubleuari? ſi item ex ſanguine & bellis non neceſſarijs quæſtum capiemus? Impedit multos coniugalis amor, qui & honeſtus & ad vitam bene inſtituendam neceſſarius eſt: quid igitur ſperare poſſunt, qui libidines vagas ſectantur, & ſcortatione atque adulterijs fœdis ſeſe polluunt? Procul ergo arceri debent, qui homines in perditiſſimis ſcelerum ſtudijs ſeruari poſſe ſibi perſuadent, quaſi verò aliqua inter Chriſtum & Belial coniunctio, aut inter Regnum Dei & diaboli ſeruitium aliqua ſocietas eſſe poſſit. Etenim cùm tanta ſit noſtra naturæ & ingenij corruptio ſeu prauitas, vt ex ijs obſtacula æternæ ſalutis nobis faciamus, quæ Deus vt vita honeſtè & piè tranſigendæ adminicula ſint, inſtituit, quis aliud quàm præſens exitium ex ijs ſperare poteſt, quæ & Dei Verbo & naturæ legibus prohibentur? Semper ergo vigilemus, & Chriſti doctrinam ſequamur, qui eos demum ſuos diſcipulos & Regni cœlorum hæredes fore docet, qui per Spiritus virtutem renati carnem mortificant ſeq; ipſos abnegant.

Deus iraſcitur contemptoribus gratiæ.

Excitet nos ad hoc ſtudium Iudaicæ gentis exemplum, cui pœnas horrendas in præſenti Dominus denuntiat. Nam ſeruus ad herum rediiſſe, & renuntiaſſe dicitur, quid inuitati reſponderint. Quod non eo ſenſu accipi debet, quaſi internuntijs vllis Deus opus habeat: ſed vt ſciamus eum nihil eorum ignorare, quæ inter ſuæ gratiæ pracones & eiuſdem contemptores fiunt. Deinde iratus eſt vehementer, & quidem meritò. Si enim hominibus ſtomachum mouet ingratitudo, qua ſe ab ijs ſperni ſentiunt, de quibus optimè ſunt meriti, num quis Deum iniuſtum dixerit, ſi aduerſus ſuæ gratiæ & Regni contemptores excandeſcat? Vidit hoc Ioannes Baptiſta, qui iræ huius cauſam ſimul & vehementiam expreſſurus dicebat: Qui non paret Filio, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper eum. Ergo non tam leuis eſt incredulitatis & ſpreti Euangelij culpa, quàm multi exiſtimant. Quid enim ira Dei grauius fingi poteſt? Fremitus leonis (inquit Solomon) eſt ira regis. Quid igitur de Deo irato dicemus, de quo Propheta ſcribit: Terra ardet ex illius aſpectu, & totus orbis vnà cum degentibus in eo? Coram facie indignationis eius quis perſiſtet? In furore iræ eius quis durabit? Effunditur vt ignis furor eius, & ſilices ab eo diſſoluuntur, &c. Quid, quòd electis intolerabile prorſus eſt ſaluciferam Dei ipſos in ira ſua caſtigantis manum ſentire, ſicuti Dauid non vno loco teſtatur? Quid ergo ijs miſerius & infelicius eſſe poteſt, ſuper quos ira illa perpetuò manet? Id verò Chriſti contemptoribus Baptiſta ex Spiritus ſancti ſuggeſtione minatur: neque melius quid ſperari poteſt, eò quòd tales non ſolùm gratiam Dei faſtidiunt, verumetiam ipſum mendacij arguunt, quaſi de Filio falſò teſtatus ſit, & nos ad epulas fictitias & inanes inuitet. Ideò apud Matthæum Rex iſte miſsis exercitibus ſuis homicidas illos atque ingratos trucidauiſſe atque vrbem eorum incendiſſe dicitur. Quibus verbis totius gentis & vrbis Hieroſolymæ excidium denuntiat, quod non multò poſt ſecutum eſſe ſcimus. In præſenti addit: Dico vobis, neminem virorum illorum, qui inuitati fuerant, guſtaturum cœnam meam. Quæ comminatio priori illa grauior eſt, quia illos à Regni cœlorum hæreditate excludit, & vniuerſam ſalutis ſpem ſemel aufert. Vbi nos meminiſſe oportet, hæc ita Iudæis denuntiari, vt non minus nobis quoque ſeruiant, qui in illorum locum ſucceſsimus, ſi ſimili ingratitudine & contumacia iram Dei prouocemus. Qui enim naturalibus ramis non pepercit, multò minus ijs parcet, qui ex oleaſtro defracti & in ſtirpem ſanctam inſiti tantum eius beneficium non agnoſcunt. Pereunt ergo hi quoque quoad corpus & fortunas omnes: & (quod grauius multò eſt) excluſi à menſa Chriſti & omni ſalutis ſpe deſtituti famem illam diram ſentiunt, qua animæ quoque illorum contabeſcunt.

Gentium Vocatio.

Porrò ne quis æternum illud Dei decretum labefactatum aut omnino irritum factum putaret, eò quòd Iudæi accedere noluerunt, qui ſoli alijs omnibus præteritis inuitati & vocati eſſe videbantur: alteram parabolæ huius partem interſerit Dominus, qua de gentium vocatione diſſerit. Facit hæc Iudæis ad pœnæ ſuæ amplificationem, quia illa ipſorum ingratitudinem ex parte vltus eſt Deus, quando alios in illorum locum ſurrogauit. Idem enim paſsi ſunt quod mulier adultera, quæ non ſolùm ab ædibus & conſuetudine mariti repellitur, ſed aliam ab eo ductam eſſe videt, quam in pretio habet & diligit. Et ita olim per Moſem minatus fuerat Deus, dicens: Ipſi me prouocauerunt ad indignationem in eo, qui non eſt Deus, ad iracundiam me irritarunt vanitatibus ſuis: & ego illos quoque prouocabo in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta irritabo eos. Et huius generis multa in Prophetarum ſcriptis occurrunt: quorum omnium conſideratio nos admonet, nihil Dei gratiæ & Regno eius decedere, etiamſi illud improbe aſpernentur, qui præ alijs id amplecti debebant. Nec enim vlli genti aut ordini hominum ita ille alligatus eſt aut obſtrictus, vt non poſsit illud aliò transferre, ſi quos ingratos & iniquos ſuæ bonitatis æſtimatores eſſe ſenciat. Et vt in magna domo non perit cœna iam parata, etiamſi ex inuitatorum numero multi emaneant: ita multò facilius eſt Deo conuiuas inuenire, quos ſuæ menſæ participes faciat. Neminem ergo terreat multorum incredulitas & defectio: nemo etiam præſenti ſua dignitate efferatur, vt Deum ſibi perpetuò obſtrictum fore putet. Sed huius etiam alterius partis ſingula capita excutiamus.

Proverb. 19. — Nahum 1. — Deut. 32.

Conditio gentium prior.

Primùm dicitur ſeruo: Abi citò in vicos & plateas vrbis, & pauperes ac mancos, claudoſque & cæcos huc introducito. Per vicos & plateas loca ab Iſraelitarum republica excluſa intelligit, & proinde fore docet, vt in viam gentium diuertant ſalutis æternæ pracones, quod hucuſque non licue-

rat, vt Chriſti verba ad Apoſtolos Matth. decimo Cap. teſtantur. Iubet autem pauperes ac man-
cos, claudos item & cæcos introduci, idq́ de gentibus dicit non ſolùm ex Iudæorum iudicio aut ſen-
ſu loquens, qui omnes populos contemptui habebant: ſed vt ſimul innuat, quæ omnium conditio hu-
uſque fuerit, qui extra Eccleſiæ ſuæ pomeria ſub tenebrarum poteſtate vixerunt. Erant hi sane-
ra pauperes & omnibus donis ſpiritualibus deſtituti nihil eorum comparare ſibi poterant, quæ
ad vitam cœleſtem atque æternam neceſſaria ſunt. Itaque famelici per ſuorum philoſophorum
vias vagabantur, quæ miſeros & infelices ſimul in ſectas diuerſas diſtrahebant. Adhæc manci,
claudi & cæci erant, cùm vires non haberent aliquas, quibus ea facere poſſent quæ Deo proban-
tur, neque in vijs eius ambularent, imò ne viderent quidem Regni cœleſtis myſteria. Accede-
bant his malis oraculorum ambigua reſponſa, cultus illiciti & magna ex parte prophani & cru-
deles, effrenis denique peccandi licentia. Quid multis? ea fuit omnino gentium conditio, quam
Epheſ.2. Paulus ad Epheſios his verbis deſcribit: Mementote vos quondam Gentes in carne fuiſſe abſque
Chriſto, abalienatos à republica Iſraelis, extraneos à pactis promiſſionis, ſpem non habentes,
& Dei expertes in mundo. Veruntamen tales colligi & per Euangelium ad nuptias illas cæle-
ſtes & verè beatas vocari voluit Deus: vt & ſuæ bonitatis ſpecimen luculentum daret, & ſi-
mul oſtenderet eos demum idoneos eſſe ad Regnum Dei, qui ſuæ inopiæ ſenſu ita tanguntur, vt
eam diſſimulare nullo modo poſſint, qui item ſe cæcos, claudos & mancos eſſe agnoſcunt. Hi enim
bonitatem eius magni faciunt, Chriſtum medicum admittunt & eius conſilijs obtemperant, cùm
è contra hypocritæ iuſtitiarij gratiam Dei perinde vt ipſis minimè neceſſariam faſtidiant, medi-
cum excludant, & ad eius manum ſiue contactum fremant atque tumultuentur. Docet hoc ali-
bi Chriſtus Phariſæorum & publicanorum atque meretricum exemplo, quando hos illis anteire
dicit in Regno Dei. Et hodie videmus facilius eſſe homines militiæ & flagitijs manifeſtis dedi-
tos conuertere, quàm Monachum aliquem, quem propria iuſtitia & ſanctimoniæ fiducia inflat.

Cogendi ſunt qui ad uias & ſepes deſident. Sed pergamus in parabolæ expoſitione, qua admirabilis illa Patris cœleſtis bonitas erga
mundum hunc magis illuſtratur. Cùm enim poſt vocatos pauperes, claudos, mancos & cæcos
adhuc locus vacaret, dicit ſeruo: Abi in vias & ſepes, & coge ingredi, vt impleatur domus
mea. Vbi rurſus de ijs agitur, qui à Iudæorum republica excluſi per diuerſas ſuarum opinionum
vias, vel auia potius, errarunt, & ad ſepes peccatorum, quæ nos à Deo dirimunt, ſecuri quie-
Iſa.59. uerunt, inq́ deſiderijs ſuis prauis voluptuati ſunt. Hos cogi vult, vt domus impleatur. Habet
enim certum ſuorum electorum numerum Deus, quem omnino compleri oportet, neque in Eccle-
ſia ſua locum aliquem vacare vult. Obſeruabis autem, quòd cùm priores ſolummodo vocati ſint,
hos cogi oportuit vt ingrederentur. Ita enim admonet, non eodem omnes ingenio præditos eſſe, &
proinde non eadem docendi ratione apud omnes vti debere eos, quibus Verbi prædicatio commiſſa
eſt. Sunt enim quibus ſimplex doctrina ſufficit. Alij inſuper admonitione crebriori opus habent.
Multis neceſſaria eſt adhortatio grauior. Apud aliquos autem nihil proficias, niſi obiurgatione
& increpatione vehementiori vtaris, & eos ad Dei tribunal citando cogas, vt à vijs ſuis peruerſis
cõuertantur. Quod Paulus obſeruans Timotheũ iubet tempeſtiuè & intempeſtiuè inſtare, arguere
item, obiurgare & exhortari, prout auditorũ ingenia opus habere videris. Vehementer ergo fallun-
tur, qui Veritatis doctrinam ſimpliciter & abſque omni errorũ aut ſcelerũ redargutione proponi vo-
lunt. Quid enim illa proficias, quando multi ne increpatione quidem liberiori mouentur, & niſi pu-
blica quoque magiſtratus authoritas accedat, quæ reluctantes cogat relictis apertis ſuperſtitioni-
bus & flagitijs intra Eccleſiæ ſepta ingredi & Dei Verbum audire? Vidit hoc olim D. Auguſti-
Vide epiſt. 204. nus in Donatiſtis, & ideò eos ciuili etiam poteſtate coercendos eſſe cenſuit. Et hodie conſtat, mul-
tos pia Chriſtianorum principũ ſeueritate ſeruari, qui in erroribus ſuis perirent, & multos alios ſe-
ducerent, niſi publicis edictis & pœnarum metu coercerentur. Et frequenter fit, vt qui inuiti co-
guntur ad Eccleſiæ cœtus, poſtea cum voluptate Verbum ſalutis audiant, vbi illius dulcedinem
ſemel guſtauerunt.

Veſtis nuptialis. Adijcitur autem iſtis apud Matthæum, quid cum illo actum ſit, qui ſine veſte nuptiali ingreſ-
ſus ad Cœnam illam accubuit. Iuſsit eum Rex ligatis manibus & pedibus eius in tenebras exterio-
res con-

res conijci. Quo loco adumbratur, inter eos etiã, qui ex gentibus Iudæis ſurrogandi ſint, fore ſuper aliquos, qui ſuæ profeſſioni minus reſpondeãt, quos tandẽ rurſus eijci oporteat, ne ſuis ſordibus Eccleſiã polluant. Itaque admonet, vt qui ad nuptias illas accedere inſtituerunt, non ſine veſte nuptiali veniant. Eſt hæc ipſe Chriſtus, ſecundùm illud Apoſtoli: Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtũ induiſtis. Gal.3. *Dicitur is veſtis noſtra, quia nobis à Deo Patre ſapientia, iuſtitia & ſanctificatio factus eſt, adeò vt ſuo merito noſtra vitia tegat, ſuis autem virtutibus atque donis nos ornet, vt in Patris conſpectu comparere poßimus. Induitur autẽ fide, quæ nos illi inſerit, & cuius effectus eſt, quòd tota noſtra vita, actiones item et ſtudia illum loquũtur atque referunt. Eſt igitur cœna iſta miraculorum plena, cùm vnus & idem Chriſtus noſter cibus, potus & veſtis ſit, & tanta cum liberalitate ad hæc omnia ſeſe offerat hominibus indignißimis, qui non ſolùm negligi, ſed exterminari quoque merebantur. Quò magis nos anniti decet, vt ad eius menſam non indignè accedamus. Vocat enim adhuc hodie per Euangelij prædicationem omnes homines. Vocationem hanc multi contemnunt qui optimi & ſanctißimi videri volunt. Multi nuda profeßionis titulo turgidi, ſufficere arbitrantur, ſi cœtibus ſacris interſint, Sacramentis Eccleſiæ communicent, & ſe Chriſtianos eſſe dicant, licet interim quam ore profitentur, factis negent. Poſſunt hi aliquandiu inter Chriſti conniuas locum aliquem obtinere, quorum oculos fallere non admodum difficile eſt. Sed quando ipſe Dominus ingreditur, vt qui nam & quales venerint, ſpectet, tunc ſordes ſuas occultare non poterunt, & illo ipſos examinante obmuteſcent. Quid enim Deo reſpondeant, qui à propria conſcientia accuſantur? Meminerint ergo omnes, nos ea conditione ad ſalutis æternæ hæreditatem vocari, vt procul relictis ſordibus priſtinis Ieſum Chriſtum induamus, qui noſtram carnem mortalem aſſumere dignatus eſt, vt nos Dei Filios & Regni ſui cohæredes faceret. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXLVI.

Ibat autem turba multa cum eo: & conuerſus dixit eis: Si quis uenit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem & liberos, & fratres & ſorores, atque adeo etiam animam ſuam, nõ poteſt meus eſſe diſcipulus. Et quiſquis non porteat crucem ſuam, & non ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

DOminus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, in parabola cœnæ nuptialis de Iudaicæ gentis repudio & gentium vocatione ita diſſeruit, vt ſimul omnia complexus ſit, quæ de Regno Dei et æternæ ſalutis negotio dici poſſunt, aut nobis cognitu neceſſaria ſunt. Diſcipuli ueri qui ſint, docet. *Docet enim hanc nobis æterno Dei decreto ex gratuita miſericordia præparatam, & nos priuſquam mundus hic crearetur, in ipſo inuitatos, id eſt, electos eſſe, vt eius conſortes efficiamur. Oſtendit deinde hoc Dei decretum per Euangelij prædicationem reuelari, qua etiam vocamur, adeoque cogimur interdum, vt per multa obſtacula ad illam penetremus. Adhæc præcipuas quoque remoras expoſuit, quibus plerique hominum detinentur, quò minus vocationi diuinæ obtemperent: Sunt hæ Auaritia & immodicum rei domeſticæ ſtudium, voluptatum item huius ſæculi illecebræ. Vnde apparet ſalutem quidem nobis ex gratia abſque vllo noſtrorum meritorum reſpectu offerri, perditionis autem cauſam in nobis hærere, qui res vanas & inutiles illi præferimus. Denique quales eſſe oporteat eos docuit, qui in beatis illis nuptijs locum ſuum retinere volunt, ne denuo repulſi in tenebras exteriores eijciantur. Quam partem quia Lucas breuitatis ſtudio omiſit, conſultò Chriſti verba ſubijcit, quæ modò recitauimus, quibus apertè traditur, qui nam veri & germani illius diſcipuli ſint, quidque eos facere conueniat, qui ipſum cum fructu audire & ſalutis, quam nobis acquiſiuit, hæredes fieri cupiunt.*

Occaſionem verò huius doctrinæ ſeu admonitionis vno verbo exprimit Euangeliſta, quando multam populi turbam illi affuiſſe ſcribit, ad quos conuerſus iſta dixit. Cur nunc iſta doceat. *At quæ cauſa eum mouit, vt de his, quæ carni durißima & iniquißima videntur, apud eos verba faceret, qui tanto ſtudio ipſum ſequebantur, & potius promißis magnificis & blanditijs in officio debebant retineri?*

Nimirum ea, quòd plerique non ex animo ſequerentur, neque ſalutis æternæ aut Regni Dei ſtudio arderent, ſed quæ carnis ſunt quærerent. Patet hoc ſatis euidenter ex iis, quæ non multo poſt acciderunt. Etenim verſimile eſt, multos ſe illi coniunxiſſe, quòd audirent ſæpius illud iam inſtare, quo iniunctũ ſibi à Patre munus abſoluere ipſum oporteat: & quia in illo Regnũ terrenum, victorijs, opibus & gloria florentiſſimum ſomniabant, ſinguli ſibiipſis montes aureos pollicebantur. At omnes iſti, tùm à diſcipulo proditum in Sacerdotum manus veniſſe & præſidis quoque Romani ſententia damnatum eſſe viderent, turpi defectione facta nimis apertè oſtenderunt, quis illis antea animus fuiſſet. Grauem ergo & iuſtam cauſam habuit de his diſſerendi, quorum nos nunquam non meminiſſe oportebat. Hoc enim illud ſcandalum eſt, ad quod plerique offendunt, qui Chriſtum profitentur: quòd nimirum terrena potius quàm cœleſtia ſpectant. In hoc ipſos quoque Apoſtolos peccauiſſe, non ſemel diximus. Et hodie vix quicquam vulgarius eſt. Huic autem errori debemus, quòd multi perfidè deficiunt à fide, quando huius conſtantiam quàm maximè teſtari debebant: quòd item multi doctrinam Euangelij calumniantur, & ne à manifeſtis quidem atque atrociſſimis conuitijs ſibi temperant. Semper ergo nobis in mentem veniat, Regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, neque huius ſaeculi opes, honores atque voluptates ab eo debere ſperari, qui ipſe in terris pauper & omnium egenus, adhac inglorius vixit, & omne genus miſeriæ ſuſtinuit. Sed ipſum loquentem audiamus, qui duabus regulis totam hanc cauſam comprehendit.

Chriſtus non damnāt στοργάς.

Prima eſt: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem & liberos, & fratres & ſorores, atque adeò etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sunt hæc verba non oſcitanter excutienda, ne vel nobiſipſis blandiamur pernitioſè, dum ab officio noſtro diſcedimus, vel ſub pietatis prætextu impij efficiamur. Nec enim hoc iubet Dominus, vt extinctis naturalibus animi affectionibus, quas Græci στοργὰς vocant, parentes iniuſto odio perſequamur, coniugem cum liberis conculcemus, fratres & ſorores crudeliter negligamus, aut præcipiti temeritate vitæ noſtræ curſum violenter abrumpamus. Nam vt in veteri Lege Deus pietatem in parentes magnificè commendat: ita Chriſtum huius ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtat, qui & putatitio patri Ioſepho ſubditus fuit, & iam moriturus matris Virginis rationem habuit. Idem Phariſæos & omnes humanarum traditionum obſeruatores hoc nomine damnat, quòd ſub pietatis & cultus diuini prætextu liberorum erga parentes officia impedirent. Eadem eſt amoris atque fidei coniugalis ratio.

Luc.2.
Ioan.19.
Matth.15.

Quod enim olim in Paradiſo ſanciuit Deus, Chriſtus in Euangelio ſua authoritate confirmat, iubens, vt homo parentes deſerat & vxori ſuæ adglutinetur. Qua ratione autem liberos abijcere aut inhumaniter negligere iuberet, qui proprius naturalis illius amoris, quo eos proſequimur, author eſt, & qui per Paulum pronuntiat, eum infideli eſſe deteriorem, qui ſuis domeſticis non proſpiciat? Cur item vterinos fratres odiſſe & deſerere doceret, qui alienos quoque & nobis incognitos amore fraterno iubet complecti? Adde his, quòd ipſe vitæ ſuæ non ſemel fuga conſuluit, quando ipſi ante fatalem illam horam hoſtes inſidias ſtruebant. Turpiter ergo & impiè hoc loco abutuntur, qui ſub religionis prætextu parentibus debitum obſequium negant, coniuges & liberos deſerunt, & erga eos duri atque inhumani ſunt, quos cognationis vinculo ſibi coniunctos præ alijs diligere debebant. Peccant in hoc Monachi, qui tunc demum mundo mortuos ſe eſſe putant, ſi parentes negligant, & extremè periclitantes ſiccis oculis intueantur. Ijdem quoque coniugum & liberorum cura tangi non poſſunt, cùm nullas ſibi legitimo coniugij vinculo obſtrictas habeant, neque liberos legitimos procreent, ſed vaga libidine thoros alienos promiſcuè polluant. Inſiſtunt horum veſtigijs Anabaptiſtæ, qui inſuper vitam quoque impiè profundunt, dum abſque neceſſitate ad tormenta & mortis ſupplicia ſeſe offerunt: quod olim Donatiſtas ſimili cum inſania feciſſe legimus. Sunt autem hæc impia palàm, & non à Chriſtiana modò religionis profeſſione, verumetiam à communi humanitatis ſenſu aliena.

Chriſtus omnibus debet præferri.

Quid ergo Chriſtum hoc loco docere & à ſuis exigere dicemus? Hoc nimirum, vt ipſum omnibus, qui nobis coniunctiſſimi ſunt & qui naturæ legibus commendantur, præferamus, imò tantum non odio habeamus, ſi quando res eò deueniat, vt aut ipſum abnegare, aut ab illis diuelli oporteat. Itaque per Comparationem iſta dicuntur, vt neminem nobis tam charum aut amicum habeamus, vt in eius gratiam velimus à Chriſto deficere, qui nos ſui ſanguinis pretio ſibi acquiſiuit. Etenim

cùm

cùm inter homines certi coniunctionis & cognationis gradus ſint, quorum reſpectu aliquos præ alijs diligere debemus, æquum eſt, vt ſupra omnes Chriſtus emineat, qui nobis vnicus caput noſtrum eſt, & qui nos Dei Patris ſui filios fecit. Denique hoc ille vult, vt eos etiam affectus, qui per ſe laude digni ſunt, in officio contineamus, ne nos à fide & pietate, quam ipſi debemus, tranſuerſos abripiant. Et hunc ſenſum ipſe indicat, quando apud Matthæum hanc ſententiam ſic exprimit: Qui amat patrem & matrem ſupra me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſupra me, non eſt me dignus. In præſenti autem durius & grauius loquitur, vt carnem ſibi tenerius blandientē magis terreat, & odio dignos eſſe oſtendat omnes affectus, quibus ab illo abſtrahimur. Quod autem hic iubemur, id iam olim multos præſtitiſſe ſcimus, quorum fides & pietas in ſcripturis commendatur. Sic enim Abrahamus, pater credentium, natale ſolum cum domo paterna & cognatis omnibus odio habuit, quando ab illis potius diſcedere, quàm Dei vocationem negligere maluit. Idem filium Iſaacum odiſſe dici poterat, quando eum propria manu iugulare et Deo victimam offerre volebat. Simili ratione Moſes aulicas delitias, opes, honores, vitam denique propriam odio proſecutus eſt, quando nulla iſtorum omnium ratione habita Dei vocationi obediuit, qui ipſum populi ſui vindicem conſtituerat. Apoſtoli item inhumani & crudeles fortaßis multis viſi ſunt, quando vxores, familiam, parentes ſenio confectos, ſuos denique omnes reliquerunt, vt Chriſto diſcipuli & comites indiuulſi adhærerent. Et Paulus omnia pro damnoſis & noxijs habebat, quæ in mundo præſtantißima putantur, vt Chriſtum verè appræhenderet. Idem cùm ex Spiritus reuelatione ſciret, vincula & afflictiones omnis generis ſibi Hieroſolymis paratas eſſe, magno tamen animo, & multis nequitquam eum dehortantibus, eò perrexit, nimirum, quòd (vt in celebri illa miniſtrorum Aſiæ Synodo ipſe teſtatur) neque vitam propriam ſibi charam haberet, modò curſum ſuum abſolueret, & miniſterio, quod à Chriſto acceperat, dignè defungeretur. Acto.20. *Eadem omnium Martyrum ſententia fuit, qui nunquam tot tamque horribiles exquiſitißimorum tormentorum cruciatus ferre & ſuperare potuiſſent, niſi corpus & vitam ſuam præ Chriſto odiſſent. Ita erga omnes erga ſe affectos eſſe vult, qui ſalutis æternæ in ipſo participes fieri cupiunt. Nam diſertè ait: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem & liberos, & fratres & ſorores, atque adeò etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nemo igitur ſibijpſi delitias faciat, quaſi iſta non ad ſe, ſed ad ſolos Apoſtolos & horum in verbi miniſterio ſucceſſores pertineant. Nulla enim hîc eſt inter Chriſtianos homines immunitas, & quiſquis ille ſit, qui Chriſti diſcipulū ſe profitetur, hunc animum induat oportet, niſi falſi velit argui. Vult enim Deus, vt ipſum diligamus ex toto corde, ex tota anima & omnibus noſtris facultatibus. Id verò nunquam præſtabunt, quicunque vel vitam ſuam, vel aliquos hominum tanti faciunt, vt propter eos fidem abnegent. Atqui non poſſunt non iſtud facere, qui carnis rationem atque huic coniunctos affectus in conſilium admittunt. Itaque hos per fidei obedientiam ſubigere oportet, ne in re omnium maximè neceſſaria nobis impedimento ſint. Quod vnum ſi rectè conſideretur, ſatis docet, Chriſtianam religionem non in externa fidei profeßione aut Sacramentorum eccleſiæ vſu conſiſtere, ſed in eo potius, vt homo totus quantus eſt, Deo mancipatus ſit, neque vllis vel illecebris vel periculis ſe à Chriſto diuelli patiatur.*

Poteſt etiam ex hoc loco ijs reſponderi, qui in ijs etiam quæ ad religionem ſpectant, magiſtratui obediendum eſſe clamant. An magiſtratui parendum ſit defectionē mādāti. *Solent hi multa de Regum & principum authoritate diſſerere, vt eos extra culpam eſſe doceant, qui in rebus illicitis contra propriam conſcientiam illis obediunt. Atqui nos quoque libenter fatemur, illorum poteſtatem ex Deo eſſe, qui ſuum quoque nomen illis communicare dignatur: interim verò non debet negari, illam certis quoque limitibus eſſe circumſcriptam, neque illos aliquod ius habere in hominum conſcientias, vt has ad cultus illicitos cogant. Ita ergo illis obtemperandum eſt, vt (quod Chriſtus alibi admonet) Deo ſuum ius apud nos integrum maneat. Quod ipſum olim Prophetæ, Apoſtoli & Martyres ſanctißimi probè obſeruarunt. Imò hîc maximè opus eſt hac Chriſti regula, vt nos eius germanos diſcipulos eſſe probemus. Etenim ſi parentes, vxorem, liberos & fratres odio dignos iudicare debemus, ſi nos à Chriſto diuellere conentur: quantò magis principibus obedientiam negare decet, qui vt fidem abnegemus & prophanis cultibus nos polluamus mandant? Concedunt leges ciuiles, vt Conſul vrbis in adulterio depræhenſus à marito vxoris occidatur: & iniurias notorias, quibus ϛοργαὶ*

naturales violantur, tyrannorum cæde vlciſci licet. Sic Harpagus iure excuſatur, qui cum Cyro coniurauit aduerſus Aſtyagem Regem, qui ipſi filium proprium comedendum appoſuerat. Et multorum aliorum fortitudo probatur, qui vxorum & filiarum ſtupra aduerſus principes ſuos vindicarunt. Poteſt his adnumerari primus fœderis Heluetici author & fortiſſimus libertatis veteris vindex, Guilhelmus Tellius, qui tyrannum occidit, qui ipſum ex filij vertice pomum ſagitta decutere coegerat. Hæc cùm in rebus prophanis & ad corpus ſolùm ſpectantibus licita ſint, quæ ratio iubebit Regibus tunc ſimpliciter obedire, quando illi aduerſus Deum inſurgunt, & nos in hunc atque Filium ſuum vnigenitum impios eſſe cogunt? Nemo igitur vaniſſimos homines audiat, qui impiam à fide defectionem obedientiæ prætextu palliant, quam magiſtratui deberi aiunt. Videant tamen omnes, ne quid temere & abſque cauſa neceſſaria tentent, & priuatas iniurias ſub religionis prætextu vlciſcantur.

Quibus adminiculis hic opus ſit?

Quia verò carni durum & imprimis arduum eſt quod Chriſtus iubet, & certamen non leue nobis proponitur, non inutile fuerit ſcire, quibus præſidijs & adminiculis res tanta confici poſſit. Vbi ante omnia regeneratione opus eſt, quæ nos totos innouet: quia niſi id fiat, hæc nunquam præſtabimus. At hanc nobis supernè obtingere, & ſolius Spiritus virtute perfici notius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Noſtri autem officij fuerit, precibus aſſiduis apud Deum inſtare, vt animi viribus nos inſtruat, affectus immoderatos coërceat, & viuo Filij ſui amore corda noſtra accendat. Deinde non parum nobis proderit crebra & diligens noſtra vocationis conſideratio, quæ bifariàm fieri debet. Eſt enim publica, quam cum omnibus credentibus communem habemus: vt nimirum Chriſtiani, id eſt, vncti Dei, & proinde Reges atque Sacerdotes ſimus, qui mundo & affectibus omnibus dominentur, & ſeipſos Deo ſiſtant viuentem hoſtiam. Eſt alia priuata, cuius ratio ſingulis olim reddenda erit, quæ pro functionum diuerſitate non omnibus eadem eſt. Quòd ſi vtranque probè quis expenderit, mox videbis, quàm parum tribui debeat hominibus, cùm vtrinque ita nos ſibi Deus vendicet, vt vix vlli alij rei vacare poſſimus. Addamus his humanæ naturæ atque conditionis, adhæc rerum huius ſæculi conſiderationem. Illic enim inueniemus, alios quidem hominum indignos eſſe, in quorum gratiam aliquid fiat: eos autem qui nobis propter arctius vel cognationis vel coniugij vinculum commendatiſſimi eſſe debent, non opus habere, vt propter illos Chriſtum abnegemus. Nam etſi noſtra ope & defenſione deſtituantur, reuera tamen orphani & viduæ dici non poſſunt, cùm Deum habeant patrem, tutorem, maritum vel ſponſum, eos autem omnes Dei Filius pro fratribus et cohæredibus ſuis agnoſcat. Itaque dum ipſi ex viuis emigramus, illos ſub Dei protectione relinquimus, quæ eis abunde ſufficiet, donec perfecto ſuæ etiam vitæ curſu ad beatorum cæleſtes ſedes colligentur. Hæc qui non oſcitanter expendunt, ijs non admodum graue erit omnibus longum valere dicere, dummodo Chriſtum retineant, in quo omnis ſalus atque felicitas habetur.

Quiſque ſuam crucem ferat.

Tranſeamus nunc ad alteram regulam, quam ſuis ſectatoribus ille his verbis præſcribit: Et quiſquis non portat crucem ſuam, & non ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Rurſus ad hanc quoque neceſſitatis lege nos obſtringit, ne liberum nobis eſſe putemus ipſius præcepto obedire vel minus. Nam diſcipulos ſuos nos fore negat, niſi quod hic iubet faciamus. Duo autem præcipit, quæ in genere comprehendunt præcipua hominis Chriſtiani officia. Primum eſt, vt quiſque ſuam crucem portet. At crucis nomine omnia intelligi alibi diximus, quæ homini aduerſa atque moleſta accidunt: qualia ſunt paupertas, fames, morbi omnis generis, infamia, perſecutio, captiuitas, exiliũ, iniuriæ, oppreſſio, ſolicitudines variæ, conſcientiæ terrores, & quæcunque alia poſſunt nominari. Quibus etiam publica mala accenſeri debent, tempeſtates noxiæ, bella, incendia, deprædationes, vrbium excidia, inundationes, peſtilentia, & ſi qua alia totas ciuitates aut gentes exercent. Solent iſta apud Prophetas calix Domini dici, eò quòd ab illo quaſi propinantur, & quidem certa cum menſura & ratione. Chriſtus verò crucem vocat, vt communionis quæ nobis cum ipſo intercedit admoneamur: Itaque vox iſta tam inſtitutioni quàm conſolationi noſtræ pluribus ſeruit. Docet enim patienter ferenda eſſe, quæ nobis à Deo imponuntur, neque deſperare aliquem debere de illius gratia & auxilio: quia nunquam ille eos negligere poterit, quos Filij ſui dilecti in cruce ferenda ſocios eſſe vidit. Vt verò tales ſimus, altero opus eſt, vt ſcilicet ipſum ſequamur. Quod cùm corpore fieri non poſſit, animo & exempli eius imitatione fiat oportet. Hic ergo fides exigitur, quæ ſola animos noſtros

ſtros ſupra cœlũ euehit, vt Chriſtũ aſſequamur, & huius ſpiritu animemur. Excitat deinde hæc in nobis illum imitandi ſtudium: quo fit, vt diſcipuli eius germani vitam atq; mores, adeoq; actiones ſuas omnes ad illius exemplũ componant. Elucet in eo obedientia ſumma, quã ne mortis quidẽ acerbiſſimæ recordatio impedire potuit: innocentia omnibus numeris abſoluta, in qua reprehendenda ne hoſtes quidẽ oculatiſſimi aliquã occaſionẽ habuerũt: patientia inuicta, quæ per omnes cruciatus victrix euaſit: humilitas extrema, qualem ne in ſeruulo quidem abiectiſſimo inueniat: charitas perfecta, quæ omnibus iniurijs & contumelijs ſuperior facta hoſtium quoque ſaluti conſulere ſtuduit. Sed & ciuilis iuſtitiæ exemplo perfectiſſimo nobis præiuit, quando ſub cenſu naſci voluit non ſine maximo Virginis matris incommodo, & cenſum ipſe perſoluit, & Cæſari dare docuit quæ ei iure debentur. Hæc quicunque præſtant, ij Chriſtum verè ſequuntur, & eiuſdem diſcipuli ſunt veri.

At quia hæc omnia cum cruce coniuncta ſunt, qua nihil moleſtius & acerbius carni accidere poteſt, rationibus quoque certis nos excitari & confirmari oportet, vt ad iſta alacriores ſimus. Inter quas meritò primam numerauerís prouidentiæ Dei conſiderationem, ſine cuius nutu nihil nobis accidere poteſt. At quia is iuſtus, bonus, ſapiens & noſtri amantiſſimus eſt, nullam nobis iniuriam facit, & ſimul certa cum ratione omnia ad eum finem dirigit, vt ſalutis æternæ hæredes efficiamur. Quæ ergo cauſa iuſta excogitari poterit, qua nos excuſemus, ſi aduerſus illum murmurare libeat? Adde huic ingenij noſtri vitioſitatem, quæ niſi crucis fræno coerceatur, aduerſus ſpiritum proteruire nunquam deſinet. Quid quòd æquum eſt, vt Chriſti Ieſu in cruce ferenda ſocij ſint, qui Regni & gloriæ eius conſortes fieri cupiunt? Cur enim cum Imperatore triumpharent milites, qui pugnæ & belli diſcrimina cum illo ſubire detrectarunt? Accedat his omnibus ampliſſimi præmij, quod nobis in cœlis repoſitum eſt, meditatio, & mox videbimus huius ſpem ad omnia ea ſufficere, quæ carni iniqua & prorſus intolerabilia eſſe videntur. Poſſent iſta multis verbis illuſtrari, & exemplis quoque grauiſſimis confirmari, ſed breuiores hîc ſumus, cùm alibi de his abunde ſit dictum. Admonet nos autem diligens huius loci conſideratio, quàm procul adhuc à Chriſtianæ religionis ſcopo abſint, qui toti carnis cupiditatibus immerſi, ne à ſceleribus quidem manifeſtis & atrocibus abſtinent, & mundo infelici potius quàm Chriſto placere ſtudent. Gloriantur hi quidem Chriſtiani nominis profeſſione, ſed reuera abſque veſte nuptiali ad nuptias illas beatas irrepunt: in quibus etſi aliquandiu locum aliquem habeant, ſuo tamen tempore ſuam in illos ſententiam Dominus proferet, & tunc ad æternos tenebrarum exterarum cruciatus damnabuntur, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Itaque horum memores, carnis affectus tam prauos quàm bonos ſubigere diſcamus per fidei obedientiam, & ſupra omnia in animis uoſtris emineat Ieſus Chriſtus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Rationes, quæ nos ſub cruce ſubleuant.

HOMILIA CXLVII.

Quis enim ex vobis, ſi velit turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, an habeat quæ ad perfectionẽ operis requirũtur? Ne poſtquã poſuerit fundamentũ, & non potuerit perficere, omnes qui ſpectarint incipiant ei illudere, dicentes: Homo iſte cæpit ædificare, & non potuit perficere. Aut quis rex proficiſcens vt committat prælium aduerſus alterum regẽ, ſedens prius non conſultat, an poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit aduerſus ipſum? Alioqui cùm adhuc ille procul eſt, legatione miſſa rogat ea quæ ad pacem pertinent. Sic ergo quiſquis veſtrum non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

PRoponit quidem & liberaliter offert nobis Deus in Filio ſuo Ieſu Chriſto vniuerſos ſuæ gratiæ atq; bonitatis theſauros, & in eodẽ viam quoq; aperit, qua in illorum poſſeſſionem veniamus: ſed ea eſt noſtri ingenij prauitas, vt vel non amplectamur hunc vnicum ſalutis æternæ mediatorem, vel illius nomine & præpoſtera meriti eius fiducia turpiter abutamur, ſic vt nobis offendiculũ

lapis fiat, qui vitæ huius mortalis dux, & æternæ author eſſe debebat. Cauſa tanti mali præcipua eſt, quòd neglectis bonis ſpiritualibus plerique in illo longè alia, quàm oportebat, quærere ſolent. Et enim fit; vt vana temporariorum cõmodorũ ſpe decepti, Euangelicum illud ſemen in corda petricoſa excipiant, & vbi ſpe ſua ſeſe fruſtrari vident, turpiter deficiant à Chriſto, quando conſtantia fidei imprimis opus erat. Eſt ergo neceſſaria admodũ Chriſti doctrina, quã nuper tradere cæpit, et quæ docet, quibus cauſis potiſsimùm homines à ſalutis via reuocentur, quales itẽ eſſe oporteat eos, qui ipſius veri ſectatores & diſcipuli eſſe volũt. Requiritur ab his, vt abnegatis proprijs affectibus, ſimul omnibus ijs renuntient, quæ nos ab ipſo diuellunt: Deinde vt aduerſa quæuis patienter ferant, & ſe totos ad eius exemplum conforment. Id nunc parabolis elegantiſsimis illuſtrat, quibus vtilem admonitionem compræhendit, vt ſeipſos prius probè explorent qui ipſi nomen dare volunt, ne poſtea in medio curſu deficientes ſe omnibus ridendos propinent cum certa propriæ ſalutis iactura.

Chriſtiani ſimiles ijs qui turrim ædificant.

Primam parabolam ab ædificantibus ſumit, & ſenſus eſt: Quemadmodũ vir prudens & cordatus ædificium turris nõ inchoat, niſi ſubductis prius rationibus, num ſumptibus aut impenſis, quæ facienda ſunt, poſsit ſufficere: Ita ſi quis ad me venire & fidem in me profiteri velit, prius in ſeipſum deſcendat, & animum ſuum diligenter exploret, ne fortè poſtea tanti operis difficultate ſuperatus non ſine publica infamia illud vix dum inchoatũ relinquat. Quo loco ante omnia obſeruabis, eos qui Chriſtiani nominis profeſsionem faciunt, illis conferri qui turrim ædificant. Eſt ſimilitudo hæc vſitata admodum in ſcripturis, & notum eſt illud Pauli: Dei ædificatio vos eſtis. Ratio eius duplex afferri poteſt. Vna, quòd tales Dei templum ſunt (vt idem Paulus annotat) domus nimirum Dei ſpiritualis, quam ille cum theſauris & bonis ſuis omnibus inhabitare dignatur, quem cœli cœlorum non capiunt. Altera, quòd ijdem inſtar turris altæ & inexpugnabilis ſunt, dum & mundo & huius principi fortiſsimè reſiſtunt, neque ſe ab inſtituto tam pio & ſancto dimoueri patiuntur. Vt verò ædificatio res eſt plena laboris & moleſtiæ, neceſſaria tamen, eò quòd ſine ea homines tutò & commodè non poſſunt viuere: ita carni durum & acerbum eſt, ſi quis ex ſemetipſo Dei templum aut turrim ſacram ædificare velit, verumtamen vt id fiat neceſſe eſt, quia niſi tales ſimus, neque honeſtè in Dei conſpectu viuere, neque inter tot tamque graues mundi huius & diaboli inſidias tutò degere poterimus: imò (vt alibi Chriſtus monet) ſi nos otioſos & à veræ pietatis ſtudio alienos aut ſalutis ſecuros Satan inueniat, mox aſſumptis plurimis impuris ſpiritibus ſibijpſi in nobis domicilium parat, ex quo præſens exitium homini naſcitur. Rurſus vt turris clàm & occultè extrui non poteſt, & qui id faciunt, hominum et quidem viliſsimi cuiuſque ex vulgo iudicium non poſſunt ſubterfugere: ita cùm Chriſtiani nominis profeſsio apertè & publicè fiat, non poſſunt latere, qui hanc faciunt, ſed omnium oculis, ceu turris aliqua altiſsima aut vrbs in montis vertice ſita, expoſiti, varia multumque inter ſe diuerſa hominum iudicia ſubire coguntur, in quibus ferè omnium audaciſsimi ſunt, qui de religione & æternæ ſalutis negotio quàm minimũ iudicare poſſunt. Quod vnum, etſi nulla alia cauſa accederet, illos excitare debet, vt diligenter & prudenter res omnes inſtituant, ne (quod ineptis & temerarijs ædificatoribus ſolet accidere) cum publica ignominia ſalutis propriæ faciant iacturam irreparabilem.

1.Cor.3.

Fundamentum Chriſtus

Hic autem duo præcipuè requiruntur. Primum, vt fundamentum ædificij collocetur firmum & ſolidum. Id enim ante omnia curant architecti prudentes, quia qui ſupra terram nudam aut arenam moles ingentes extruunt, ſumptus planè faciunt inutiles. Nam aut paulatim illa ſubſidunt, & rimas agunt, quibus ædificia eiuſmodi deformantur: aut aquarum inundationibus violentis & ventorum vndique ruentium turbine atque procella euertuntur. Fundamentum verò vnicum eſt Chriſtus Ieſus, extra quem (vt Paulus teſtatur) aliud poni non poteſt, et idẽ Prophetarum atque Apoſtolorum fundamentũ dicitur, quia illum vnũ hi omnes prædicauerunt. Etenim per Iſaiam Deus ipſe ait: En ego fundo in Zion lapidem, lapidem probationis, angularem, pretioſum, ſolidiſsimũ fundamentum: & quiſquis credit in eũ, non pudefiet. Quẽ locum Apoſtoli de Chriſto diſertè exponunt, vt qui ipſum dixiſſe ſciebant: Super hanc petram (ſeipſum nimirum denotans) ædificabo Eccleſiã meã, & portæ inferorũ aduerſus eam non præualebunt. Neq; hic paraſitorũ Romanẽſium figmentũ admittimus, qui hæc verba de Petro dicta eſſe cõtendũt. Nã ipſius Petri authoritate confutantur, qui in Senatu Hieroſolymitano liberè teſtatur, Chriſtũ eſſe lapidem illũ pretioſum,

1.Cor.3.
Epheſ.2.

quem

quem architecti reprobarint: ita Iudaicos Sacerdotes nominans, qui Eccleſiæ inſtauratores & fundatores volebant haberi. Et idem in Epiſtola priori locum Iſaiæ, quem modò adduximus, de Chriſto luculenter exponens, omnes grauiſſimè hortatur, vt ſuper ipſum ceu viui lapides ædificentur in domum ſpiritualem, & ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, Deo acceptas per Ieſum Chriſtum.

1.Pet.2.

Hæc ergo omnium prima cura eſſe debet, ne fundamentum alienum iaciant, dum ſalutis ſpem atque fiduciam alibi habent collocatam. Faciunt hoc non modò Turcæ & Iudæi, qui à Chriſti fide prorſus alieni ſunt, verumetiam inter nos multi, qui illum magnificè prædicant, ſalutem verò in Diuorum interceſſione, in Pontificum bullis, & ſuorum operum meritis inueniri ſibi perſuaſerunt. Putant hi iſta cum Chriſto coniungi poſſe: ſed eſt hoc commentum friuolum, cùm neque in gloriæ ſuæ ſocietatem, quoad noſtræ redemptionis negotium, quenquam admittat, neq; Eccleſia, quæ vnica eſt & ideo Catholica, id eſt, vniuerſalis dicitur, diuerſis fundamentis imponi poſſit. Ita que non aliud iſti homines proficiunt, quàm quòd ſtructuræ ſuæ ruinam horribilem aliquando ſentient, quando in grauiori tentationum palæſtra, aut in mortis articulo, certam ſalutis fiduciam non poſſunt concipere.

Impenſæ ædificij ſpiritualis.

Deinde alterum requiritur, de quo in præſenti nos Chriſtus admonet: vt nimirum ſupputatis prius ædificij huius ſumptibus videamus, an noſtræ facultates illis poſſint ſufficere. At hîc de illis ſermo eſt, de quibus nuper dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum ac matrem, & vxorem & liberos, & fratres & ſorores, adeoq; etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. In alijs quidem ſtructuris multa pecunia eſt opus, & ferè rationes omnes, etſi diligentiſſimè ſubducantur, impenſæ poſtea ſuperant. At in hoc ſpirituali ædificio non de pecunijs & fortunis alijs agitur, ſed qui nobis coniunctiſſimi ſunt homines, parentes nimirum, vxor cum dulciſſimis liberis, fratres, ſorores, amici, denique ſanguis & vita noſtra in rationes impenſarum veniunt. Nam cum cruce coniuncta eſt Chriſtiani nominis profeſſio, & qui ſecundùm huius leges vitam inſtituunt, ij plerunque extorres facti à parentum & coniugum atque liberorum complexu auelluntur, & à fratribus atque amicis deſeruntur, vel etiam hos ſibi hoſtes acerrimos fieri ſentiunt. Denique nihil tam durum, tam crudele, tam acerbum excogitari poteſt, quod non ſuperent pericula illa, quibus fideles Chriſti cultores in hoc ſeculo exercentur. Hîc ergo, vt alibi diximus, noſtrijpſius abnegatione, carnis mortificatione, patientia conſtanti, adhæc totius mundi & omnium quæ in hoc præſtantiſſima habentur, contemptu opus eſt. Niſi enim his facultatibus inſtructi ſimus, mox nos inſtituti noſtri pænitebit, & bene cœptam fidei veræ profeſſionem deſeremus, vt primùm nobis parentum minæ, coniugum querelæ, ſuauiſſimorum pignorum lamentationes, exilij infamia & ipſius vitæ præſens periculum in oculos incurrent. Exempla huius ignauiæ & puſillanimitatis multa extant, & hodie non pauca æduntur publicè & priuatim, dum leuiſſima aliqua fortunarum iactura, aut etiam ſolo metu infamiæ aut mortis turpem à Chriſto defectionem faciunt, qui ædificij ſui faſtigium ſupra ipſos cælos educturi eſſe, paulò ante videbantur. Eſt hoc non ſolùm cum ignominia publica coniunctum, ſed multis ſcandalo eſt, qui iſtorum exemplis confirmari debuiſſent, & illis ipſis exitium affert, qui fidei ſuæ confeſſionem tantis cum impenſis nolunt facere. Nec enim temere à Chriſto dictum eſt: Nemo qui vbi manum aratro admouit, reſpexerit à tergo, idoneus eſt ad Regnum Dei. Vult ergo, ne temeraria leuitate prorumpamus, ſed prius ad iſtam regulam noſipſos & facultates noſtras omnes examinemus. In hoc autem vehementer falluntur, qui Regnum Chriſti de hoc mundo eſſe ſibi perſuaſerunt, & proinde ſibijpſis opes, honores, pacem & otium, victorias denique ſplendidiſſimas promittunt. Sunt hi reuera ſtultiſſimi homines, quaſi verò vt iſta nobis acquireret Dei Filius cælo deſcenderit & homo ſit factus, quæ prophanis huius ſeculi filijs & ab omni cognitione Dei alienis tumulatiſſimè obtingunt. Nos potius præmij multò præſtantioris ſpes excitare debet, cæleſtis nimirum patriæ hæreditas, & plena æterni gaudij cælorum palatia, in quibus nobis Chriſtus ſui ſanguinis pretio ſedes certas præparauit. Hæc ſi rectè & dignè æſtimemus, viliſſimum nobis videbitur vitam ipſam per mille mortes profundere, nedum hominum conſuetudini renunciare, modò in illorum poſſeſſionem veniamus.

Chriſtiani bellum geſturis conferuntur.

Sed tempus eſt, vt alteram quoque parabolam conſideremus, quam ex re militari petit Domi-

num, & quæ huic negotio mirificè conuenit. Scimus enim principes prudentes & populi ſui amantes à bellis non neceſſarijs toto animo abhorrere, cùm omne bellum mala innumera ſecum trahat, illa verò plerunque regnis florentiſſimis ruinam & excidium afferant. At ſi res quorundam iniuſtitia & improbitate eò adducatur, vt armis omnino experiri oporteat, magna cum circumſpectione & diligenti conſilio bellum ſuſcipiunt. Nam non ſolùm vires ſuas conſiderant, verumetiam rationem ſecum ineunt, num cum paruis copijs hoſtem cum maioribus aduentantem ſuſtinere & profligare poſſint, nec temere ſummam rei aleæ prælij, cuius euentus ferè dubius & incertus eſt, committunt. Hæc ergo & quæcunque alia in iſtam conſiderationem veniunt, Chriſtus ad hanc cauſam applicans, ita dicere videtur: Cùm tanta induſtria tamque grauibus atque profundis conſilijs reges huius ſeculi bella ſuſcipiant atque gerant, in quibus de regnorum finibus, acceptis iniurijs, aut alijs rebus temporarijs & caducis agitur: quantò cautiores & diligentiores eos eſſe decet, qui meum nomen profeſſi bellum ſuſcipiunt cum publico & veteri humani generis hoſte, in quo æterna animarum ſalus in periculum venit?

Vita Chriſtianorum militia eſt. *Eſt autem hîc multa conſideratione dignum, vitam Chriſtiani hominis bello aut prælio conferri. Nam etſi de quouis dici poſſit, vitam hominis in terra militiam eſſe, proprie tamen hoc pijs & Chriſtum profeſſis conuenit. Habent enim hi communem hoſtem diabolum, qui vt primos parentes ſuis telis melleo veneno tinctis proſtrauit: ita nunquam non rugientis leonis inſtar oberrans quærit quos perdat ac deuoret. Potentiam huius & vires Spiritus ſanctus in ſcripturis non diſſimulat, quando eum principem mundi & Deum huius ſeculi dicit. Crudelitas ex operibus eius plus ſatis perſpicua eſt, quando præter cædes, vrbium excidia, agrorum vaſtationes, incendia, ſtupra & infinita alia huius generis nihil ſpirat, quæ ſingula non corporibus ſolis nocent, ſed animas quoque ad tartara & æternos cruciatus adducunt. Arma eidem paſſim ad manum ſunt, cùm & inter homines maior pars in illius caſtris militet, & ijs etiam, quæ in nobis ſunt, contra nos abutatur: qualia ſunt innata nobis totius naturæ vitioſitas, cupiditates item quæ ex hac enaſcuntur, intellectus prauus, voluntas ad malum procliuis, ſenſuum organa, quæ omnia mirificis artibus deſiderijs carnis ſubijcit, vt huic vni aduerſus ſpiritum ſeruiant. Adde his mundum hunc totum, qui cùm totus in malo iaceat, vel malorum exemplorum illecebris & voluptatum laqueis, vel diris comminationibus & horrendis ſupplicijs cultores Chriſti oppugnat, vt deſerta ſua ſtatione diabolo locum dent. Nullam ergo pacem, nullum otium illi ſperare poſſunt, quoad vitam hanc mortalem in terris vixerint.*

Arma Chriſtianæ militiæ. *Quid ergo faciendum, ne in pugna ſuccumbamus? Primò cùm armis omnino opus ſit, num ijs inſtructi ſimus videndum eſt. Nimiùm enim temerarius fuerit, qui inermis hoſti armato & in armis exercitatiſſimo volet occurrere. Deinde num armis illis ita poſſimus vti videre oportet, vt nobis ad hoſtem deuincendum ſufficiant. Noluit Dauid armis Saulinis indutus cum Goliatho congredi, quòd ſe illis impediri & grauari potius quàm adiuuari & defendi ſentiret. Ita nos etiam atque etiam curare decet, vt arma habeamus, quæ & nobis conueniant, & quibus deuinci poſſint*

Locus ad Epheſ. V. *omnia ſalutis noſtræ obſtacula. Deſcribit ea Paulus Apoſtolus ad Epheſios his verbis: Aſſumite vniuerſam armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus imperia, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales malitias, quæ ſunt in ſublimi. Quapropter aſſumite armaturam illam Dei, vt poſſitis reſiſtere tempore aduerſo, & omnibus confectis ſtare. State igitur lumbis circumcinctis Veritate, & induti thorace Iuſtitiæ, calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis: adhæc aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: galeamque ſalutis accipite, & gladium Spiritus, qui eſt Verbum Dei: omni obſecratione & deprecatione orantes omni tempore per Spiritum, & illi ipſi inuigilantes cum omni perſeuerantia & deprecatione pro omnibus ſanctis, &c. Eſt hic Apoſtoli locus digniſſimus, quem ſemper in ore habeamus, & animo voluamus atque meditemur ſumma qua poſſumus diligentia. Nam primò hoſtem deſcribit, vt nos ad arma excitet, ne ſecuritate oppreſſi ſuccumbamus. Negat autem nobis cum carne & ſanguine rem eſſe, non vt carnem aut veterem hominem ab hac pugna*

excludat,

excludat, à quo nos quàm maximè oppugnari ſentimus: ſed vt hoſtis diaboli conditionem atque naturam exprimat, quæ non mortalis, caduca & infirma, ſed perpetua & potentiſſima eſt. Ideò dæmones poſtea malitias ſpirituales dicit, & iiſdem imperia atque poteſtates tribuit adeòque κοσμοκράτορας, id eſt, mundi potentes (vt D. Hilarij verbo vtar) & rectores tenebrarum huius ſeculi eſſe ait. At ne his auditis terreamur, armaturam nobis monſtrat, qua & nos defendere, & hoſtes tantos ſuperare poſſimus: & hanc Dei armaturam dicit, quia ab hoc datur, & eiuſdem virtute ad omnia potens atque efficax eſt, quæ in hac pugna fieri oportet. Quod vt meliùs intelligatur, ſingulas eius partes ex ordine commemorat. Et à baltheo orditur, quod militaris dignitatis inſigne olim fuit, vt poſteris temporibus torques aurei equeſtris ordinis teſtimonium eſſe cœperunt. Ab illo autem orditur, quia à nobis ipſis initium pugnæ fieri oportet, vt inteſtinos hoſtes, qui proditoria arte cum diabolo colludunt, ante omnia ſubigamus: affectus nimirum prauos & cupiditates illicitas. State igitur (inquit) lumbis circuncinctis Veritate. Rectè autem & pru- 1.Eſa. 4.
denter Veritatem primo loco nominat, quia nihil hac fortius eſt & potentius, nec etiam magis idoneum ad obtinendam huius pugnæ victoriam. Vt enim diabolus mendax eſt, & mendacijs maximè pugnat: ita veritatis lucem ferre nequit, qua eius impoſturæ & artes deteguntur. Similiter cupiditates prauæ ſuis illecebris nihil aduerſus eos poſſunt, qui Veritatis cognitione inſtructi de peccatis, de mundo, de voluptatibus, de hominum ſingulorum officijs rectè iudicant. Prima igitur nobis Veritatis cura ſit, & huius luce atque fulgore omnes, quas diabolus nobis offundit, huius ſæculi tenebræ diſcutiantur. Deinde thoracem nominat, quo pectus & tota corporis pars anterior munitur. Huius loco iuſtitiam nobis commendat, qua niſi tegamur, cauſam noſtram aduerſus Satanam non obtinebimus, qui nos peccati conuictos facilè ſubiget. At quia illa in nobis nulla eſt, ea intelligi debet, quæ nobis per Euangelium in Chriſto Ieſu offertur, quem nobis à Deo iuſtitiam factum eſſe, Paulus alibi teſtatur. Et ſanè vnus ille abunde ſufficit, vt iniquitates noſtras ſuo merito auferat, & noſtræ etiam naturæ vitioſitatem tegat, ne quid huius nobis imputetur. Adhæc qui huius per fidem verè participes ſunt facti, ijdem iuſtitiæ ſtudent, & tam Deo quàm hominibus debita officia præſtant. Quàmuis ergo parentes honorandos, coniugem cum liberis tenerrimè diligendos, fratres item fouendos, & vitæ noſtræ rationem diligentem habendam eſſe ſciant, quia tamen nos totos Deo obſtrictos eſſe, & hunc ſuper omnia ex toto corde & omnibus viribus diligi debere intelligunt, non graue illis fuerit omnibus ijs renuntiare, quibus ſe ab eius dilectione ſentiunt reuocari. At quia in pugna ſubinde progredi, hoſtem vrgere & in ſequi oportet, pedibus quoque armaturam ſuam Apoſtolus tribuit, & nos calceatos eſſe vult præparatione Euangelij pacis. Ita verò loquitur, quia per Euangelium & vocamur & præparamur, vt ſalutis viam ingreſſi per omnia aduerſa eluctemur. Conſultò autem Euangelium pacis dicit, vt ſciamus nos cum Deo reconciliatos eſſe, & proinde inter media arma & belli terrores certam pacis in Chriſto ſpem habere. Sed & finem indicat, qui nobis in hac pugna propoſitus eſſe debet: vt nimirum Deo propitio vtamur, & cum hominibus quoque omnibus pacem colamus, quantum in nobis eſt. Cæterum quia vndiq; tela volant, & ea non acuta modò, verumetiam ignita, quibus viſcera quoque & medullæ (vt ita dicam) aduruntur, quando chariſſima pignora & homines nobis coniunctiſſimos relinquere, adeoque famæ & vitæ noſtræ curam omnem abijcere cogimur, ſcuto etiam nos armat Apoſtolus: fide ſcilicet in Ieſum Chriſtum, quæ ſola telis illis & excipiendis & eludendis atque reſtinguendis poteſt ſufficere. Quia enim nos totos Chriſto inſerit, & hunc nobis quoque vnit, fit vt in eo omnia poſſimus, & proinde deſideria quoque carnis omnia reſtinguamus, quæ nobis hoc certamen ſuſtinentibus obſtaculo ſunt. Cur enim illis moueatur aut vincatur, qui totus Chriſti amore ardet, præ quo illi ſordent, quæcunque carni & mundo præclara aut magnifica videntur? Aut quomodo Satanæ vel minas vel pollicitationes admittat, qui Dei verbo credit, & in hoc Veritatem omnem nobis propoſitam eſſe nouit? Quia verò caput imprimis petit Satan, vt vulnera lethalia nobis infligat, galeam nobis Paulus imponit ſalutis, vel τῦ σωτηρίυ: quo nomine iuſtus ille & pius ſenex Simeon Chriſtum appellat, vtpote ſalutis vnicum authorem atque mediatorem. Hoc autem caput & ſenſus omnes vnà cum intellectu noſtro tegi atque muniri neceſſe eſt: quia eum nobis Pater dedit, vt ſapientia noſtra ſit, & qui in illum vnum intenti ſunt, ij neque pernicioſè er-

vare, neque diaboli telis vllis expugnari poſſunt. Porro parum proficiet miles, qui tela quidem hoſtium fortiter excipit, & ad illorum impreſſionem intrepidus conſiſtit, non habet autem quo illos feriat, iugulet & profliget: ergo ne quid in eo nobis deſit, dexteram quoque gladio Spiritus, id eſt, Verbo Dei Apoſtolus armat. Meritò autem hoc gladio confertur. Viuus enim eſt (vt ad Hebræos habetur) ſermo Dei, & efficax, & penetrantior quouis gladio ancipiti: ac pertingit vſque ad diuiſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis. Quæ omnia verè dici non ignorant, quicunque Verbum illud attenti audiunt vel legunt. Sed & diabolo gladius hic imprimis terribilis eſt, quia eius ſophiſmata, impoſturas & dolos arguit. Nequit ergo ille diutius conſiſtere cõtra eos, qui illum aſſiduè vibrant. Exemplum huius rei in hiſtoria Chriſti ab illo tentati vidimus: vnde peti debent, quæ ad pleniorem huius loci expoſitionem faciunt. Hoc vnum in præſenti monuiſſe ſufficiat, Chriſtianis hominibus nihil perinde neceſſarium eſſe, quàm vt Dei Verbum crebrò audiant, inque eius meditatione dies noctesque verſentur. Videtur quidem hoc multis ſuperuacaneum eſſe, quia ſe abunde inſtructos putant: ac ijdem poſtea ſibi multa deeſſe ſentiunt, ſi quando certamen acrius & grauius exoritur. Rurſus autem qui Verbi ſtudioſiores ſunt, ij tunc illorum opportuna recordatione plurimùm iuuantur, quæ ipſis cùm ea audirent, non vſque adeò neceſſaria eſſe viſa ſunt. At quia vires noſtræ nullæ ſunt, neque armis iſtis vti poſſumus, niſi Dei gratia & virtute adiuuemur, ex qua omnis huius pugnæ euentus atque victoria dependet, poſtremò nos ad preces aſſiduas Paulus remittit, quibus ea petere iubet à Deo quæ & nobis & omnibus ſanctis ſiue credentibus neceſſaria ſunt. Etſi enim ſingulis ſua certamina propoſita ſint, communis tamen eſt Chriſtianorum omnium militia, & ideo commilitones iure dicuntur. Quare non propriam ſolùm ſalutem ſinguli quærere, ſed alios etiam ſuo ſtudio adiuuare, proque illis apud Deum precibus aſſiduis intercedere debent. Et hæc quidem de armis noſtris dicta ſint, quibus nos inſtructos eſſe oportet, ſi germani & conſtantes Chriſti Ieſu diſcipuli eſſe velimus: quia ſine his nunquam ea præſtabimus, quæ ille nuper à ſuis requiſiuit.

Non licet nobis paciſci cum hoſte. *Porrò etſi nos vt prudentes architectos ſumptus ſupputare iubeat, priuſquam ædificium hoc ſpirituale inchoemus, & vires noſtras explorare priuſquam huic militiæ ſanctiſſimæ nomen demus: non tamen hæc ita accipi debent, quaſi nobis liceat ceſſare, aut etiam cum hoſte diabolo eiusque coniuratis paciſci, ſi nos infirmiores eſſe videmus, quàm vt tantis rebus poſſimus ſufficere. Solent quidem nonnulli hoc effugio vti, vt ſuæ ignauiæ patrocinium inueniant: ſed hi mentem Chriſti & huius admonitionis ſcopum minus obſeruant. Nec enim iſta proponit, vt nos terreat, & eos remoretur, qui alacri animo ad ipſum feſtinant: ſed vt rem probè ſecum deliberent monet, ne alacritas illa ex falſa ſpe bonorum huius ſeculi aut propriæ virtutis fiducia procedat, qua fruſtrati poſtea turpiter terga vertamus, & ita omnis noſtri ſtudij fructus euaneſcat. Ideo in fine ſubijcit: Sic quiſquis veſtrûm non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Rurſus ergo quid facto opus ſit docet, & nos ad id præſtandum præparari vult, ne tantum opus imprudenter & non prius exploratis viribus noſtris aggrediamur. Ex eo autem non ſequitur, ab illo abſtinendum eſſe ijs, qui ſe minus inſtructos vident: & in hoc ædificandi & militiæ parabola non conueniunt cum ſpirituali illa ædificatione atque militia, de qua hîc agitur. Nam in alteris illis prudentis eſt abſtinere ab ædificando, ſi impenſas ſuis facultatibus maiores fore videas, cum hoſte item de pacis honeſtæ, aut ſaltem tolerabilis condicionibus agere, ſi ſe imparem eſſe deprehendat. At vt nos ſupra Chriſtum ædificemur & noſtrum ædificium abſoluatur, vt item aduerſus hoſtem diabolum perpetuò pugnemus neceſſe eſt: quia aliter non poterimus ſalutem vel retinere vel conſequi. Itaque nullis impenſis nos absterreri patiamur, etiamſi cum fortunis omnibus parentes quoque, vxorem, liberos, fratres, ſorores abijcere oporteat: neque etiam vllis periculis, quæ Satan obijcit, nos patiamur adduci, vt cum eo pacem aut inducias aliquas faciamus, qui & Chriſti hoſtis eſt, & tunc maximè nobis nocet, quando amicitiam ſimulat. Lacedæmonij, fortiſſimi libertatis ſuæ vindices, olim hoſtibus iniquiſſimas pacis condiciones præſcribentibus reſpondiſſe feruntur: Si iubeamur duriora morte, potius moriemur. At quæcunque à nobis Satan & mundus exigunt, mille mortibus duriora ſunt: cùm Chriſti*

abnegationem

abnegationem petant, quæ cum præſenti æternæ mortis periculo coniuncta eſt. Potius ergo parentes & coniunctiſſimos quoſq; relinquamus, imò cum ſanguine vitã quoq; profundamus potius, quàm turpi illa defectione pacem faciamus cum eo hoſte, qui ſub pacis prætextu hoc vnum agit, vt Dei inimicos faciat. Arguunt hæc noſtri ſæculi hominum ignauiam, quorum alij rerum ſecuri genio indulgent, & vix vnquam aduerſus diabolum in arenam deſcendunt: alij verò cum pericula imminent, ad impia pacta ſeſe demittunt, & Chriſtum cum Belial, lucem cum tenebris conciliare conantur: multi, qui iam aliquò vſque progreſſi videbantur, ſubitò deficiunt. Non poſſunt hi omnes Chriſti diſcipuli eſſe qui neminem pro ſuo agnoſcet, quem ipſius puduerit coram mundo hoc prauo & adultero. Nec eſt, quod te infirmiorem eſſe dicas, quàm vt tantas impenſas atque pericula poſſis ſuſtinere. Nam non noſtris viribus hoc ædificium aut bellum conficitur. Noſtram ſolummodo operam & noſtrorum corporum vſum ad illa Deus requirit, vires autem & facultates ipſe largitur, quæ nobis neceſſaria ſunt. Non negemus ergo illi operam noſtram, oremus autem indeſinenter, vt ſuo Verbo & Spiritu nos armare dignetur, vt omnibus obſtaculis ſuperatis fortes & conſtantes ſimus in Chriſto Ieſu Domino & Seruatore noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amẽ.

HOMILIA CXLVIII.

Bonus eſt ſal: ſi verò ſal infatuatus fuerit, quo condietur? Neque ad terram neque ad ſterquilinium appoſitus eſt, foras eum abijciũt. Qui habet aures ad audiendum, audiat.

QVoniam hominum ſalus in eo potiſſimùm conſiſtit, vt vnigenitum Dei Filium Ieſum Chriſtum fide vera complectamùr, & in eodem conſtanter in finem vſque perſeueremus: non temere nos ille tanta diligentia admonet, nihil nobis tam charum, tam eximium, tam pretioſum debere cenſeri, quod non ſpontè relinquamus, imò vt noxium & odio dignum deteſtemur, ſi nos ab ipſo reuocet, aut ſalutis viam ingreſſos aliquo modo remoretur. Vt autem hoc facilius ſit præſtitu, neue inſolens nobis videatur, iubet, vt initiò ſtatim quando fidem profiteri volumus, diligenter prius labores, curas, pericula & quæcunque cum iſta profeſſione coniuncta ſunt expendamus, cumque his vires atque facultates noſtras conferamus, noſque ijs muniamus præſidijs, quæ ad opus hoc laborioſum & periculi plenum neceſſaria ſunt. Ad quem ſcopum ea quoque referri debent, quæ modò recitauimus. Nam argumento ab hominum Chriſtianorum conditione, ad quam vocati ſunt, petito, docet cauendum eſſe, ne qui abiecta fide & calcata Dei gratia, quam ſemel deguſtauerunt, non ſolùm ſeipſos perdant, verumetiam alios corrumpant, quos exemplo ſuo ſeruare & in officio continere debebant. Quia verò breuior eſt Lucas, locus iſte ex ijs ſupplendus erit, quæ Matthæi quinto & Marci nono cap. habentur. Vide Marcum homil. 80.

Et quia ſalis parabola vtitur, ante omnia obſeruabis, per illum diſcipulos ſuos & cum his Chriſtianos omnes intelligi debere, per quos terram ſiue mundum totum ſeruari oporteat. Ita verò illi dicuntur propter Verbum Dei, ex quo regenerántur vt filij Dei ſint, & cuius naturam referunt, quæ cum ſale prorſus conuenit. Eſt is natura calidus: ita Dei Verbum reuera calidum eſt, imò æſtuans atque feruens, adeò vt ſuo calore intimos ſenſus atque ipſas quoque hominum mentes penetret & accendat. Ideo frequenter in ſcripturis igni confertur. Nam apud Ieremiam dicit Deus: Annon Verbum meum eſt ſicut ignis, & ſicut malleus diſſipans petram? Et rurſus: Ecce ego reddam verba mea in ore tuo ignem, & populum iſtum ligna, & deuorabit eos. Nam vt Dei verbo piorum corda ſalubriter accenduntur & à ſordibus purgantur: ita illo ipſo impij deuorantur, & tandem magno ſuo malo ſentiunt in Dei miniſtris cum verbo coniunctam eſſe virtutem, quæ ſufficiat ad reprimendam ipſorum ferociam: quando nimirum Deus vindictam perſequitur, quam per illos minatus eſt. Et huc etiam pertinet, quod in Apocalypſi dicitur de igne, qui ex ore teſtium Chriſti egreſſurus ſit, vt ipſorum hoſtes deuoret. Et in præſenti parabola apud Mar-

Sal dicuntur diſcipuli Chriſti.

Ierem. 23. & 5.

cum ignem cum ſale coniungit, dicens: Omnis homo igne ſalietur, & omnis victima ſale ſelietur. Deinde ſal cum calidus ſit, exiccãdi vim habet, & proinde ſcabiei pruritum ex humorum a bundentia naſcentem tollit, adhac à corruptione ſeruat, & ideo perpetuitatis ſymbolum eſt, vt à ſale denominentur, quæ firma ſtabilia & perpetua eſſe debent. Sic pactum ſalis, id eſt ſtatutum perpetuum dicitur apud Moſem, quo Leuitis ſacerdotium & quæ inde recipere debebant ſtipendia Deus aſſignauit. Et fœdus ſalis cum Dauide Deus feciſſe dicitur, quando promiſſiones dedit de regno, quod in ſua poſteritate perpetuum & firmum manere debeat. Conueniunt hæc quoque cum Dei Verbo. Quia enim ignitum eſt, non poteſt ab eo abeſſe vis diuina, quæ ſuperfluos cupiditatum carnis noſtræ humores exiccat, peccandi pruritum reſtinguit, & ne illo abſumamur defendit. Nam vt illud æternum eſt, neque vnquam mutatur, multò minus autem aboletur: ita homines quoque ſeruat, ne in ſceleribus computreſcant, & eoſdem vitæ æternæ hæredes facit. Præterea ſale cibi condiuntur, vt ſapore ſuauiori commendentur, & in ſtomacho facilius concoquantur: Sic Dei Verbum nos, qui natura inſipidi & plus quàm fatui ſumus, Deo gratos & acceptos reddit, ſimulque nobis adiumento eſt, vt duriſſima quæque, & quæ prorſus intolerabilia videbantur, concoquere & animo conſtanti ſufferre poſſimus. Poſtremò magnus in ſacrificijs ſalis vſus fuit olim, & Lex apud Moſem extat: Omne munus ſacrificij tui cibarij ſale condias, ne vnquam deſit ſal fœderis Dei tui in cibarijs tuis ſacrificijs: ſed in omni munere tuo ſalem adhibebis. Id verò imprimis Verbo Dei conuenit, ſine quo nulli cultus, nulla dicta aut facta noſtra Deo placere poſſunt. Quod ergo veteres dixerunt, nihil ſole & ſale vtilius eſſe, hoc verius multò de Verbo Dei poteſt dici, quo & ad vitam hanc rectè inſtituendam, & ad conciliandum nobis Dei fauorem, nihil vtilius, nihil magis neceſſarium eſt: & ideo (vt paulò ante ex Marco annotauimus) omnes homines hoc igne cæleſti ſaliri oportere Chriſtus dixit.

Num.18. 2.Par.13. Leuit.2.

Chriſti diſcipuli quales eſſe debeant.

Quia verò quod Verbo ſuo proprium eſt, ad homines transfert, non obſcurè docet, quales eſſe oporteat omnes eos, qui ipſi nomen dederunt. In genere enim hoc ab omnibus requiritur, vt diuini iſtius ſalis naturam referant. Itaque ante omnia vero & conſtanti amore Dei ardere debent, vt nihil eius gloria antiquius habeant, eundem omnibus alijs rebus præferant, neque ab illo diuelli patiantur. Quod vt minori negotio fieri poſſit, carnis cupiditates inutiles & noxias reſtinguant, vt ſimul expurgatis corruptæ naturæ ſordibus, intolerabilis ille & moleſtiſſimus peccati pruritus reprimatur. Neque illis ſatis ſit, ipſos corruptionis & perditionis periculum effugiſſe, ſed curent interim vt ſuis ſermonibus atque totius vitæ exemplo alios quoque condiant, vt incorrupti ſint, & Deo probentur. Nam qui hoc faciunt, propriè ſal terræ dicuntur: quia & multis alijs ad ſalutem adiumento ſunt, & propter ipſos ſæpe populi toti & reſpublicæ ſeruantur, ſicuti in Sodomæorum hiſtoria Deus cum Abrahamo colloquens, diſertè docet. Denique in hoc præcipuè omnes incumbant, vt ſale iſto ſaluberrimo conditi, ſeipſos Deo ſiſtant hoſtiam viuentem, qua ille delectari poſſit. Elucet autem in his magna Chriſtianorum dignitas, quos tanto honore Deus dignatur: & ſimul eorum arguitur improbitas, qui nominis quidem Chriſtiani profeſſione gloriantur, nihil autem horum præſtant, imò his contraria planè faciunt. Eſt illorum magnus numerus hodie inter eos etiam, qui puriorem Euangelij doctrinam profitentur. Quàm multos enim eſt videre, qui adeò non calent Dei amore, vt nihil inter res huius ſæculi tam vile & contemptum ſit, quod non illi præferant: nemo item hominum tam improbus reperiatur, in cuius gratiam non aliquid faciant à Chriſtiana profeſſione alienum. Quàm parum autem plerique in expurgandis turpiſſimarum cupiditatum ſordibus profecerint; effrenis illa peccandi licentia ſatis docet, quæ vbique locorum regnat. Quid verò de illis dicemus, qui ſuo exemplo non ſolùm alios inficiunt, verumetiam autheres ſunt, vt propter ipſos Dei Verbum malè audiat, & multi pedem referant, qui iam ad illud acceſſuri erant? Qui verò ſeipſos Deo hoſtiam viuentem ſiſtant, pauciſſimi ſunt, cùm maior pars ſe totos peccato & mundo mancipauerint. Hinc ergo eſt, quòd plerique & ſeipſos perdunt, & alios quoq; corrumpunt.

Verbi præcones.

Porro quod in genere de omnibus Chriſtianis dicitur, hoc ſinguli etiam pro ſuæ vocationis ratione ad ſe priuatim transferre diſcant, vt quoad eos, quibus cum ipſis res eſt, ſalis inſtar ſint, quo condiantur atque ſeruentur. In quo ordine primus locus meritò miniſtris Eccleſiæ & Verbi præconibus debetur, quibus præ alijs potiſſimùm conuenit, quod apud Matthæum diſcipulis ſiue Apoſtolis dicitur:

dicitur: Vos eſtis ſal terræ. Debent ergo hi ſua cura creditos diligẽter ſalire, ne in vitijs aut ſuperſtitionibus computreſcant. Quo imprimis pertinet pœnitentiæ prædicatio, quæ & peccata publicè arguit, & quid quiſque facere debeat, docet. Commendauit hanc olim Deus Prophetis magna cum grauitate; & Apoſtolos ab hac docendi initium facere iuſſit Chriſtus, vtrique autem in illa inculcanda & vrgenda non diligentes modò, ſed acres etiam & feruentiſſimi fuerunt. At ne in ſcelerum apertorum locum peſtilens propria iuſtitiæ & meriti fiducia ſuccedat, quæ vt ſanies quædam hominum mentes totas inficit, vt inſtar carnis iampridem putrefactæ contabeſcant: ex altera parte gratiam Dei prædicare & remiſſionem peccatorum in ſolius Chriſti merito monſtrare oportet: vt fides in hominum animis accendatur, quæ ſola nos Deo ſapidos & acceptos reddit. Quòd ſi cum doctrinæ purioris ſale vitæ etiam piæ & Chriſtianæ exemplum doctores coniungant, tum reuera ſal terræ & multa laude digniſſimi ſunt.

Similiter hîc ſui etiam officij admonentur, qui reipub. gubernaculis præſident. Nam vt abſque ſale victus hominum ſalutaris non poteſt parari: ita ſine magiſtratu neque pax publica conſeruari, neque homines in officio contineri poſſunt, vt benè & commodè viuant. Ergo illi quoque ſale Euangelico conditi ardere debent, vt operam ſuam cum Eccleſiæ miniſtris coniungant, gloriam Dei prouehere ſtudeant, in legibus verò & iudicijs ſuis omnibus ſalis illius acrimoniam ſalutarem referant, vt cordatus & pius quiſque intelligat, ipſos Dei negotium bona fide agere. Et quia maxima exemplorum vis eſt, vitæ morumque ſuorum rationem habeant diligentem, vt proprio exemplo leges bonas confirment, & ſibijpſis authoritatem concilient quam ipſorum conditio requirit: Qui tales ſunt, ij ciuitatum & reipub. ſal dici merentur, & tam ſeipſos quàm alios ſeruant. Stultiſſimi autem & ingratiſſimi hominum ſunt, qui tales non venerantur, & in Eccleſia quidem miniſtros verbi ignauos, in repub. autem magiſtratus negligentes & infatuatos habere cupiunt, qui ad omnium facta conniueant. Magiſtratus.

Quod de Eccleſiarum miniſtris & magiſtratum gerentibus dicitur, non minus ad parentes & eos omnes pertinet, qui in inſtituendis pueris parentum officio funguntur. Debent hi quoque meminiſſe, ſe ſalem totius familiæ eſſe, quam niſi prudenter gubernent, & diſciplina diligenti coerceant, mox licentia ſequetur, quæ liberos, ſeruos, ancillas atque omnes alios domeſticos corrumpet. Curent ergo ſuæ fidei commiſſos in vera Dei cognitione & pietate inſtitui, petulantiam item & improbos eorundem mores pro virili corrigant, dicta ſcurrilia & impia proferri non patiantur, cantilenas laſciuas & quæcunque alia ſunt libidinis irritamenta procul excludant. Et hîc quoque non tam doctrina & inſtitutione, quàm exemplo opus eſſe meminerint. Quia enim parentũ mores plerique imitantur, nihil pietati & bonis moribus magis officit, quàm ſi mali exempli authores ſint illi, quos meritò alij omnes reſpiciunt & obſeruant. Debet iſta conſideratio ſcolarum quoque præfectos excitare, vt ſalem hunc ſpirent, ne ſua vel negligentia vel improbitate eos corrumpant, quos iure ſpem totius reipub. dixeris. Et huc referri debent quæcunque in lege de pueris in Dei cognitione & veræ pietatis exercitijs rectè inſtituendis traduntur. Parentes & pædagogi.

Vt verò iſta fortius perſuadeat Dominus, apud Marcum toti huic doctrinæ rationem ab vtili ſubijcit, dicens: Habete in vobis ipſis ſalem, & pacem habete inter vos inuicem. Duo coniungit, vt ſimul ijs reſpondeat, qui nimio & præpoſtero pacis aut concordiæ ſtudio abrepti ſale iſto minus vtendum eſſe putant, ne inde diſſenſiones & turbæ oriantur. Etenim paſſim inueniuntur, qui & diſciplinam omnem oderunt, & admonitionum omnium impatientes ſunt. Sed propter aliquos deploratæ malitiæ homines non intermitti debet quod ab omnibus Deus requirit officium. Nec enim in omnibus idem accidit. Imò ſi rem rectè æſtimemus, ita coniunctæ ſunt inter ſe diſciplina Chriſtiana & pax mutua, vt hanc propriè ex illa naſci dicendum ſit. Nam ſi verbi adminiſtri & qui Rempublicam gubernant ſalis iſtius acrimonia prudenter vtantur, multorũ proteruiam & improbitatem coercent, qui ad turbas proni ſunt. Et in familijs patrum ſeueritate & grauitate pacem inter domeſticos conſeruari videmus. Inter priuatos verò homines ad amicitiam vel conciliandam vel retinendam nihil vtilius & efficacius eſt, quàm ſi liberè admoneantur qui aliquid præter officium faciunt. Nam etſi nonnulli id primò impatientius ferunt, ijdem tamen (niſi cum humanitate ſenſum quoque communem exuerunt) poſtea re diligentius expenſa amici officium agnoſcunt, Diſciplina paci ſeruit.

& eos redamant, quorum correctio ipſis ſalutaris fuit. At qui in faciem quidem neminem admonent, ne quem offendant, ij ferè abſentes mordent, & occultis obtrectationibus aliorum famam lædunt, & ſic grauiſſimorum diſsidiorum atque ſimultatum authores ſunt. Rectè ergo hanc ſententiam Chriſtus interſerit, qua docet vt ſale iſto euangelico vti debeamus, & ſimul ex eo nobis fructum præſtantiſſimum, pacem nimirum, pollicetur.

Corruptio noſtri ſeculi.

Cæterùm ſi iſta omnia penitius conſiderentur, mox elucebit miſera & infelix noſtrorum temporum conditio, quando non vulgò ſolum ſuum officium plerique negligunt, verumetiam qui totius terræ ſal eſſe debebant, ipſi inſulſi & infatuati ſunt. Nam vt à miniſtris Eccleſiarum exordiamur, quàm multi inter hos ſunt canes muti, qui latrare non poſſunt, dum omnibus placere ſtudent, & omnem odij aut inuidiæ occaſionem declinant? Quid verò de illis dicemus, qui loco ſalis euangelici pulueres venenatos humanarum traditionum aſpergunt, & ſuperſtitionibus frigidiſſimis eos dementant, quos Dei verbo erudire & in veræ pietatis officio continere debebant? Sunt hi non Chriſti œconomi, ſed potius auari ſalitores, dum ſub verbi diuini prætextu ex ijs tributum colligunt & quæſtum faciunt, quæ ipſi ex ſuo cerebro comminiſcuntur. Adde his, quod ijdem ferè mali exempli authores ſunt alijs, dum vel ebrietati indulgent, vel libidinis fœdæ mancipia ſunt, vel toti circa opes accumulandas occupantur. Et vtinam non multi tales haberentur inter eos quoque, qui in reformatis Eccleſijs docent. Quòd ſi ad principes viros & eos, qui in magiſtratu ſunt, oculos conuertas, idem videbis. Nam plerique quis ſal ille diuinus ſit neſciunt, & aut nulla prorſus religionis cura tanguntur, aut in illa perinde vt in prophanis rebus ſibi omnia licere putant. Itaque religionem quæſtu metiuntur, & Eccleſiarum quidem prouentus ipſi intercipiunt, illarum verò miniſtris dicendi leges præſcribunt, vel etiam tacere cogunt. In repub. autem vel leges omnino nullas condunt, quibus morum licentia frænetur, vel bene conditas negligunt & abolent, aut ſaltem ſuo exemplo eas violant & vulgo contemptas faciunt. Sunt ergo homines reuera inſulſi, & vtinam non toti reipub. exitiales eſſent. Eadem ferè eſt patrumfamiliâs infelicitas, quorum maior pars de religione & ſancta liberorum inſtitutione vix vnquam cogitat, multi verò inſuper liberos ſuos peſſimis artibus inſtituunt, & à primis annis ad ſuperbam & luxurioſam veſtium oſtentationem, ad intemperantiam, libidinem, fraudes, impoſturas, denique ad crudelitatem & ſanguinariam bellandi rabiem aſſuefaciunt. Quibus plerunque hoc etiam accedit, quòd proprio exemplo corrumpunt eos, quos ad pietatem inſtituere debebant. Quis ergo tales nõ dixerit ſalem infatuatum, imò vix hoc etiam nomine dignos eſſe, cùm ne externam quidem ſalis ſpeciem referant? Hinc ergo enaſcitur quæ apud omnes hominum ordines regnat effrenis morum licentia, & immanis atque plus quàm Cyclopicus religionis contemptus. Quid enim aliud fiat, quando qui alios ad Chriſti fidem adducere, & ſuo inſuper exemplo terram omnem ſalire debebant, plurimos in ſuperſtitionibus detinent, à veritatis ſtudio abſterrent, & peſſimis exemplis paſſim omnes inficiunt?

Sali infatuato quid fiat

Sunt hi reuera omnium hominum infeliciſſimi, vt ex huius loci verbis patet. Addit enim Chriſtus: Si verò ſal infatuatus fuerit, quo condietur? Neque ad terram, neque ad ſterquilinium appoſitus eſt: foras eum abijciunt. Tria dicit, quibus iſtorum infelix conditio & quæ eos manent pœna comprehenduntur. Primum, ſi ſal infatuatus fuerit (inquit) quo ipſe condietur? Interrogatione vtitur, vt fortior ſit negatio, qua docere vult nihil eſſe, quo tales corrigi poſſint. Nam vt ſalis acrimonia ſemel amiſſa & extincta non poteſt reſtitui: ita incurabiles ſunt qui, quam ex Dei verbo habuerunt acrimoniam euaneſcere patiuntur, eamq́; ipſi reſtinguunt. Quia enim ſolum Dei verbum nos ſalit & illi acceptos reddit, certè qui illo excuſſo ad priſtinam corruptionem redeunt, ijs nihil in

Hebr. 6.

tota rerum natura reliquum eſt, quo poſſint reparari. Sunt enim ex eorum numero, quos Apoſtolus per pœnitentiam renouari poſſe negat. Nam vt terræ maledictæ indicium eſt, ſi licet cœlitus rigetur & ſtudioſè colatur, nihilominus tamen nihil præter ſpinas & tribulos profert: ita incurabiles planè ſunt, qui nec efficaciſſimo illo & ſaluberrimo ſale verbi Dei corrigi & in officio retineri poſſunt. Exempla paſſim occurrunt, euidentiſſima autem ſunt, quæ in illuſtrioribus perſonis proponuntur. Quem enim ex pſeudoprophetis & pſeudoapoſtolis vnquam emendatum fuiſſe legimus? Certè poſtquam Romani epiſcopi ab Apoſtolorum exemplo degenerauerunt, & ſal infatuatus facti ſunt, nemo mortalium, imò ne Imperatorum quidem potentiſſimorum, eos in ordinem redigere potuit. Quod

ipſum

*ipſum de apoſtatis omnibus dici poteſt, qui fide abnegata ſalem illum infatuari ſinunt, quo prius
conſecrati fuerant. Sunt enim peiores multò ijs, qui nulla habent adhuc fidei principia. Ita principes
quoque viri, ſi reliquis vitijs contemptum verbi Dei coniungant, corrigi non poſſunt. Qua enim ra-
tione id fiat, quando illud reijciunt, quod ſolum illis præſtantius eſt & efficacius? aut num homi-
num authoritate mouebuntur, quibus Dei omnipotentis & verbi eius authoritas ſordet? Deinde
ſalem infatuatum prorſus inutilem, & ne ad terram quidem aut ſterquilinium appoſitum eſſe di-
cit Chriſtus. Nam ſterilitatem inducit, nec aliquid ex ſeipſo procreat. Itaque etſi aliarum rerum
omnium, etiamſi corrumpantur, aliquis vſus ſit, ſalis tamen nullus eſſe poteſt, vbi acrimoniam
ſuam amiſit. Hoc ipſum hominibus ſolet accidere, qui Euangelij ſale conditi ſuam dignitatē ſemel
proſtituerunt. Digni enim ſunt, qui omni ſimul authoritate amiſſa omnibus exoſi & infames ſint.
Exempla quæ huc faciunt, in quibuſdam noſtri ſeculi doctis eſt videre, qui cum non vulgarem ha-
berent Euangelicæ veritatis cognitionem, vt ex eorum libris apparet, eam tamen apertè profiteri
aut Eccleſiæ Chriſti ſe coniungere noluerunt, ne potentes & illuſtres viros, quorum fauore ſuſtenta-
bantur, offenderent. Quid verò illis accidit? Euanuit paulatim apud illos ſalis iſtius acrimonia,
ipſi verò cùm ſuis ſcriptis, quorum immortalitati conſultum volebant, prorſus inutiles facti ſunt,
cùm & hoſtibus ſuſpecti ſint, & neque nos illis vti poſſimus, qui partes noſtras tam turpiter deſerue-
runt. Rectè igitur Chriſtus tertium adijcit, quòd ſalem infatuatum foras eijciant, vt conculcetur
à quibuſuis. Notatur ea locutione extremus contemptus, quo digni ſunt omnino, qui Dei gratiam
non maioris faciunt, quàm quòd ea guſtata ſeipſos tamē prophanant. Poſſunt huc referri, quæ apud
Malachiam infidis & ignauis Sacerdotibus Deus minatur. Senſit hoc Chriſti iudicium Ecebolius* Socrat. lib. 3.
Sophiſta Conſtantinopolitanus, qui cùm prius inter Chriſtianos præ alijs feruere videretur, ſub Iu- cap. 13.
*liano à fide defecit. Cùm enim hoc extincto ad Eccleſiam redire cuperet, propriæ conſcientiæ teſti-
monio conuictus ante templi fores proſternebatur, altum clamans: πατήσατέ με τὸ ἅλας τὸ ἀναί-
σθητον, id eſt, calcate me ſalem inſenſatum. At quod fidei abnegatoribus accidit, hoc etiam in repub.
principibus viris, & in re domeſtica patribusfamiliâs accidere ſolet, qui ſalem infatuatum referunt,
& authoritatem ſuam ipſi proſternunt, qua illos Deus armauit. Erat hoc probè meditandum Ec-
cleſiæ & Reipub. præſidibus, parentibus item & ſcholarum præfectis, qui omnes de collapſa omnium
ordinum authoritate queruntur. At quomodo ea conſiſtere poteſt, cùm ipſi ſal infatuatus ſint, &
ſuam dignitatem turpiſſimè proſtituant?*

Quia verò doctrina hæc magni momenti eſt, graui epiphonemate eam commendat: Qui habet Attentionem
aures ad audiendum, audiat. Quo dicto omnes ad illius meditationem diligentem excitantur, & requirit.
*cauetur, ne quis iocularem eſſe, aut eam nihil ad ſe pertinere putet. Non temere autem aurium me-
minit. Nam etſi de auditu ſolo dicere videatur, longius tamen proſpicit: Vt nimirum facultates om-
nes intendamus in ijs conſiderandis, ex quibus vniuerſum hominis Chriſtiani officium dependet.
Vt enim aures dantur ad audiendum, oculi ad videndum: ita ratio & intellectus dantur ad ea per-
cipienda quæ corporis ſenſus excedunt, & ad totius hominis ſalutem pertinent. Et qui donis iam
ſibi datis dignè vtuntur, ij indies in melius proficiunt: excæcatio autem horribilis & induratio cùm
æterna morte coniuncta eos manet, qui videntibus oculis videre nolunt, & audientes non audiunt,
adeoque quod ſciunt neſciunt. Faxit Deus Opt. Max. vt ſale verbi ſui verè imbuti, Chriſtum Ie-
ſum vita & moribus referamus, & cum eodem in cælis olim regnemus: cui debetur benedictio, ho-
nor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

CAPVT XV.

HOMILIA CXLIX.

ACcedebant autē ad eum omnes publicani & peccatores, vt eum audirent. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Iſte peccatores recipit, & veſcitur cum eis. Ipſe verò locutus eſt ad eos hanc parabolam, dicens: Quis ex vobis, ſi habeat centum oues, & perdiderit

vnam ex illis, non relinquit illas nonaginta nouem in deſerto, & pergit ad eam quæ perijt, vſque dum eam inueniat? Et inuentam imponit in humeros ſuos gaudens, veniensq́ domum conuocat amicos & vicinos, dicens eis: Gratulamini mihi, nam inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis ita fore gaudium in cœlo ſuper vno peccatore reſipiſcente maius, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, quibus non opus eſt reſipiſcentia. Aut quæ mulier, ſi habeat drachmas decem, & perdiderit drachmam vnam, non accendit lucernam ac verrit domum, quæritq́ accuratè, vſquequo eam inueniat? Et cùm inuenerit, cōuocat amicas & vicinas, dicens. Gratulamini mihi, nam inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium eſt apud Angelos Dei ſuper vno peccatore reſipiſcente.

Argumentum Capitis. *DIſſeruit hucuſque Ieſus Chriſtus de ſuorum diſcipulorum officijs, quæ ſunt, vt ſeipſos abnegens, crucem ſuam patienter ferant, & ipſum conſtanti fide atque diligenti ſui exempli imitatione ſequantur. Et hæc quidem tanta cum grauitate requirit, vt infamem & irreparabilem æternæ ſalutis iacturam omnibus minetur, qui non toti in hoc ſunt, vt iſtis ſufficere & ea præſtare poſſint. At poterant illa infirmiores & malè ſibi conſcios non parum terrere, quaſi ille neminem pro ſuo agnoſcat, qui non omnibus numeris perfectus ſit, aut in gratiam non recipiat eos, qui ſemel eius iugum excuſſerunt. Commodè ergo nunc toto hoc Cap. doctrinam de pœnitentia, de Dei miſericordia & gratuita peccatorum remiſſione ſubijcit, cuius ſumma eſt: ſe peccatores adeò non aſpernari, vt potius propter illos in hunc mundum venerit, Dei verò miſericordiam & peccatorum remiſſionem omnibus paratam eſſe, qui per pœnitentiam ad ipſius gregem, Eccleſiam reuertuntur.*

Publicani ad Chriſtum confluunt. *Præmittit autem pro more ſuo Lucas doctrinæ huius occaſionem, quæ fuit, quòd ad Chriſtum omnes iſtius loci publicani & qui alijs peccatis infames erant acceſſerunt. Factum hoc ſæpius, eò quòd in illo conſolationem & conſcientiæ pacem inueniebant. Id verò non poterant ferre Phariſæi & Scribæ, qui vt propriæ iuſtitiæ fiducia efferebantur, ita ex peccatis vulgi & afflictis multorum conſcientijs quæſtum faciebāt, cùm eos ad ſacrificia & alia legis opera remitterent. Mox ergo hunc concurſum hominum manifeſtis vitijs laborantium illi exprobrant, dicentes: Iſte peccatores recipit, & veſcitur cum eis. Et hæc dicendo non tam præſens factum carpere, quàm ipſum omnibus ſuſpectum & inuiſum facere inſtituunt, quaſi ſua doctrina & exemplo hominibus ſceleratis patrocinetur, atque indulgentia nimia eos præfractiores reddat, qui ſeuerius erant coercendi. Offenduntur ergo doctrina gratiæ & miſericordiæ Dei, quod omnibus proprium eſt, qui in ſalutis negotio humanam rationem in conſilium adhibent. Nam etſi Deus doctrinam illam & gratuitæ miſericordiæ promiſſiones in ipſo paradiſo primis parentibus prædicauerit, & eaſdem poſtea omnibus ſeculis illuſtrauerit atque exemplis plurimis confirmarit, hæret tamen in illis ſubinde carnis ratio, & Deum quidem miſericordem eſſe fatetur, ſed eius miſericoricordia eos ſolummodo frui putat, qui iuſtitiæ ſtudent, aut in quibus meritum aliquod inuenitur, quod aliqua ſaltem ratione ipſorum delicta compenſet. Nec enim de eo cogitat humana ſapientia, quòd miſericordia & gratiæ amplitudo illuſtrior multò apparet in miſeris peccatoribus, quàm in ijs qui aliquo iuſtitiæ titulo palliantur. Hinc eſt, quòd Phariſæi olim nunquam non contra Chriſtum murmurarunt, & hodie plurimos Euangelij doctrina hoc nomine offendit, quod gratiæ prædicatione iuſtitiam Dei aboleri, & inter homines ſecuritatem atque peccandi licentiam plantari metuunt. Et hoc quidem hodie nobis multi palàm obijciunt, eorumq́ue clamoribus ſimpliciores ferè offenſi de Euangelio minus honorificè ſentire, aut ſaltem animis ſuis fluctuare incipiunt.*

Status reſponſionis Chriſti. *Eſt ergo diligenti conſideratione digniſſima Chriſti reſponſio, quam horum cauillis opponit, cuius duplex ſtatus eſt. Primò enim docet, ſe nihil præter officiū facere, dum peccatores ad ſe colligit: quando boni paſtoris ſit, oues errantes quærere & ad gregem reducere, bonæ autem & frugi materfamiliâs in vnius drachmæ amiſſæ recuperatione ſtudium ſuum omne intendat. Deinde hypocriſim illorum arguit, adeoque malitiam eorum accuſat, qui remiſſionem peccatorum gratuitam & ſalutem ijs*

tem ijs inuideant, quibus potius congratulari deberent. Et quia hæc magni momenti ſunt, parabolis elegantiſsimis doctrinam hanc illuſtrat, quæ vt Dei gratiam nobis commendant, ita vniuerſum ſalutis noſtræ ordinem egregiè depingunt, & Eccleſiarum paſtores, adeoque omnes homines ſui erga peccatores officij admonent. In præſenti duas parabolas connectit, quas & nos breuitatis cauſa coniunctim exponemus hoc ordine: Primùm hominis peccatoris conditionem videbimus. Deinde de Dei erga peccatores ſtudio & vniuerſa ſalutis ratione dicetur. Poſtremò quis nobis erga eos animus eſſe debeat, in quorum conuerſione gratiæ Dei exemplum peculiare habemus.

Quoad primum, oui perditæ aut erranti & drachmæ amiſſæ peccatores confert Christus. Loquitur enim de ijs, qui non ſimpliciter ex innata nobis naturæ prauitate peccant (quod ſanctis quoque & fidis Dei cultoribus ſolet accidere) verùm de illis, qui à Deo prorſus alieni extra Eccleſiæ eius ſepta vagantur, & quorum ſalus, ſi illos ſolos ſpectes, prorſus deplorata eſt. Probè autem & propriſsimè vtraque ſimilitudo huic argumento conuenit. Peccatores ſunt oues perditæ & drachmæ amiſſæ. *Numis enim aut drachmis antiquo more (cuius authorem primum Ianum fuiſſe veteres ſcriptores prodiderunt) principum aut etiam Deorum imagines atque nomina imprimuntur. Ita ad ſuam imaginem Deus initiò hominem condidit, & ſuum nomen nobis quodammodo inſculpſit, dum nos ſuos filios & ſuum opus vocare dignatur. At imaginem iſtam primi parentes in ſeipſis vaſtarunt, quando diuini mandati tranſgreſſores facti ſunt, & eadem opera ſeipſos & poſteritatem omnem perdiderunt. Rectè ergo drachmis amiſsis aut perditis ſimiles dicit Christus, cùm hominis, in quo Dei imago obliterata eſt, in domo eius non maior vſus ſit, quàm in familia aliqua amiſsi numi eſſe poteſt. Deinde vt ouis animal ſtolidum eſt & futuri ignarum atque negligens, conſilio item deſtituitur, ſeque ipſam adeò iuuare aut ſeruare non poteſt, vt ſi ſemel gregem deſeruerit, ad eum non poſsit reuerti, neque paſtorem quærat ipſa, ſed vt ab eo quæratur neceſſe ſit: Ita homines poſt amiſſam puriorem rationis lucem natura ſtolidi ſunt, neque ea percipere poſſunt quæ ſunt ſpiritus Dei, adhæc præſentibus ſolis intenti de ſalute futura vix vnquam cogitant, & ſi ſemel à Deo auerſi ſint, ad eum ſpontè nunquam reuertuntur, niſi ipſe eos quærat, & ad ſuæ Eccleſiæ gregem reducat. Imò vt ouis ouem per præcipitia quoque ruentem ſequitur & temerario ſaltu ſeſe perdit: ita homines mundi in ſuum exitium ruentis exemplum ſequi ſolent, & quàmuis in peccatorum præcipitijs multos iam pridem perijſſe, multos item quotidie perire videant, nihilominus tamen ipſi quoque plus quàm ſtolida temeritate ijſdem peccatis ſeſe mancipant, & eiuſdem exitij ſibijpſis authores ſunt. Exempla, quibus id probetur, non opus eſt adducere, cùm quotidie fiant, quæ iſtis fidem faciunt. Ideo Iſaias quoque perditam & deploratam humani generis conditionem deſcripturus ait: Nos omnes tanquam ouis errauimus, quiſque in viam ſuam reſpexit. Eſt horum cognitio admodum neceſſaria, adeoque ſalutis noſtræ principium eſt. Quia enim tales ſumus, nihil ad illam ex nobiſipſis poſſumus conferre, ſed ad Dei gratiam confugiamus oportet, qui eam nobis in Filio ſuo offert. Itaque prima hæc pars eos confutat, qui hominis vires prædicant, & ad operum merita remittunt eos, qui peccatorum ſuorum conſcientia grauantur: quem nocentiſsimum errorem eſſe, non vno loco demonſtrauimus.*

Nunc ad alteram partem accedamus, quæ ardentiſsimum & plus quàm paternum Dei ſtudium erga peccatores, & totam ſalutis noſtræ rationem atque ordinem adumbrat. Dei ſtudium erga peccatores. *Vbi primo loco occurrit, quòd qui infelicem noſtram conditionem nouerat, minimè nos neglexit, ſed paſtorem nobis iam inde ab æterno conſtituit, Filium ſuum vnigenitum, cuius opera & labore ſeruaremur. Exponit hoc Dei conſilium Ezechiel Propheta, qui illum de gregis ſui diſperſione conquerentem* Ezech. 34. *his verbis inducit: Errauit grex meus in omnibus montibus, atque in omni colle excelſo, & in omni ſuperficie terræ diſperſus eſt grex meus, nec eſt qui quærat aut requirat. Poſt multa verò, quæ ibidem contra iniquos & malè fidos paſtores dicuntur, tandem ſubijcit: Ego ſeruabo oues meas, vt non pateant vltra direptioni, & iudicabo inter pecus & pecus. Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, Dauidem ſeruum meum: is paſcet eas, & is erit eis paſtor. Ego autem Dominus ero eis Deus, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Per Dauidem verò Chriſtum intelligit, quem ex Dauidis ſemine hominem naſciturum eſſe alibi promiſerat. Et huius generis multa apud Prophetas habentur. Iſaias certè idem his verbis dicit:*

Iſa. 40. *Ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus veniet in robore, & brachium eius dominabitur per ſeſe: ecce merces eius cum eo, & opus eius ante ipſum. Paſcet gregem ſuum vt paſtor, & brachio ſuo congregabit agnos, inque gremio ſuo feret, fœtas autem ſuauiter ducet, &c. Concurrunt hîc multa maxima bonitatis argumenta. Huius enim eſt, quòd nos priuſquam eſſemus reſpexit: quòd propriæ ſalutis ſecuros & nihil de ipſo cogitantes videt, & noſtra perditione dolet: quòd paſtorem ijs deſtinauit, qui ſeipſos paſcere & ſeruare non poterant. Superat autem hæc omnia, quòd cùm nemo hominum ſiue Angelorum huic muneri obeundo poſſet ſufficere, Filium ſuum vnigenitum & dilectum, paſtorem dedit, qui in Euangelio tam hîc quàm alibi ſe eum eſſe profitetur, ne quis talem ſibi imaginetur, quem noſtri pudeat: imò qui & homo fieri, & ſeruuli abiectiſsimi formam aſſumere voluit, ne diuina eius maieſtate terreamur. Hæc vt nobis paternam Dei bonitatem commendant: ita nos officij admonent, vt vnum hunc paſtorem agnoſcamus, & ſequamur vocem eius, non autem audiamus infelices mercenarios, qui vt quæſtum ex hominibus faciant, eos per mille ambages circunducunt.*

Chriſtus paſtor bonus. *At hîc proderit diligentius inſpicere quæ hîc dicuntur, vt videamus nullum in eo boni paſtoris officium deſiderari. Primùm de certo ouium numero & certa drachmarum ſumma loquitur. Habet ergo oues ſuas Chriſtus numeratas, quod in diligenti & fido paſtore imprimis requiritur. Quomodo enim omnes curabit & ſeruabit, qui quàm multas habeat, neſcit? Facit huc quod ille*
Ioan. 10. *apud Ioannem ait: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Et ſanè fieri non poteſt, vt aliquem ſuorum Chriſtus ignoret, cùm ipſe liber ille vitæ ſit, in quo electorum omnium nomina conſcripta ſunt. Nam in illo nos elegit Pater (vt Paulus ait) priuſquam mundus hic crearetur. Deinde non eas modò oues ille nouit, quæ gregi ſuo coniunctæ manent, & ipſius vocem ſequuntur, verumetiam eas, quæ vel à grege ſuo ſeſe alienauerunt, vel nunquam adhuc in illum aſſumptæ hinc inde vagantur, vt pro perditis & prorſus alienis haberi poſsint. Quæ enim hominum oculos latent, ea ille videt, & non ſolùm quales nunc ſint homines, verumetiam quales futuri ſint, & ad quid prædeſtinati ſint, perſpicit. Ideo rurſus apud Ioannem oues ſuas dicit eos ex gentibus qui nulla adhuc veri Dei cognitione illuſtrati in ſuperſtitionum & idololatriæ vepretis oberrabant, ſuo autem tempore ad Eccleſiæ ſuæ ſocietatem debebant vocari. Tertiò non ſolùm nouit, ſed ſi vel vnam ex ijs perdiderit, mox relictis alijs nonaginta nouem in loco tutiori, perditam quærit per montes & valles, nec prius ceſſat, quàm illam inuenerit. Vt ergo bonus paſtor officij ſui eſſe nouit, ex ouibus nullam perdere: ita Chriſtus ſingularum curam habet, ſingulas quærit & ſeruat. Exempla ſtudij huius multa ab origine rerum ſunt edita. Sic primos parentes quæſiuit Dominus, cùm illi fugerent & latebras quærerent, in quibus occultarentur, & qui ab Adamo inuocari debebat, ipſe clamauit: Adam vbi es? Eiuſdem bonitatis eſt, quòd Abrahamum in Chaldæa cum idolorum cultoribus agentem quæſiuit, vt totum ſibi vindicaret. Quæſiuit item per Moſen eos, qui per totam Ægyptum diſperſi duriſsima cùm corporum tum animarum tyrannide premebantur. Pertinet eòdem quod cum Dauide factum eſſe legimus. Cùm enim hic poſt libidinis fœdæ cupiditates erraret, & à Dei vijs deuiaſſet, per Nathanum quæſitus eſt, qui ipſum in viam reduxit. Quid verò cum tota Iudæorum gente egerit, ex ijs apparet, quæ paulò ante ex Ezechiele adduximus. Illuſtrius tamen huius ſtudij argumentum in gentium vocatione habetur. Cùm enim tempus illud aduenisſet, quo regnum Dei in toto orbe inſtaurari oportebat, bonus ille paſtor, qui vt filios Dei diſperſos colligeret in mundum venerat, accenſa verbi ſui face totum orbem terrarum luſtrauit, & in medijs tenebris latentes oues quæſiuit. Taceo nunc ſingularia exempla, quæ vbique gentium edita ſunt. Et quod olim factum eſt, hoc ipſum etiam hodie fieri videmus. Quàm multi enim quotidie relicto Chriſti grege per ſuperſtitiones, mendacia, & omnis generis ſcelera vagantur? quàm multi item obliterata prorſus quæ in ipſis extare debebat Dei imagine, ſeipſos perdunt, vt pro Chriſti nomine ſignatis non poſsint amplius agnoſci? At iſtos ab illo quæri conſtat, dum per Euangelium eos illuminat, vocat & trahit. Quo loco ſimul nobis deploranda venit multorum peruerſitas, qui ab illo inueniri nolunt, & vt Adam olim ficuum folijs tectus latebras quæſiuit: ita illi vel in peccatorum lutum ſeſe demergunt, vel ad ſuperſtitioſa figmenta conuerſi ſub cucullis, cilicijs & frigidiſsimarum ceremoniarum velis deliteſcunt, & iniuriam ſibi maximam fieri clamant,*

ſi quis

ſi quis per Dei Verbum deprehenſos inde extrahere conetur.

Quid cum peccatoribus Chriſtus agat?

Quid autem cum oue iam inuenta bonus ille paſtor agit? Num laboris impatientia & ira præcipiti abreptus ei conuitiatur, trepidantem percutit, conculcat aut humi allidit? Nequaquam, ſed in humeros ſuos ſublatam geſtat, adeoque in ſinu ſuo fouet, vt olim Iſaias prædixit. Et hæc quidem Chriſto optimè conueniunt, qui nullum vnquam peccatorem, qui ſe ab ipſo inueniri paſſus eſt, durius tractauit, ſed amiciſſimè ſuſcepit, adeo vt eius facilitas multis ſuſpecta eſſet, vt initiò audiuimus. Reuera autem humeris ſuis nos geſtauit, quando onus peccatorum, quo nos grauabamur, in ſe tranſtulit, & ſuæ mortis merito expiauit, ne nobis porrò imputetur. Geſtare etiam nos dicitur, quando infirmos indulgentius tractat, & ijs qui ad ſequendum vires nullas habent, ſpiritu ſuo adeſt, quo ſubleuati in ſalutis via pergunt. Arguit hæc pars eos, qui ſibi apud Chriſtum Mediatoribus Diuis opus eſſe putant, eò quòd illum erga peccatores durum & ſeuerum iudicem fingunt. Atqui non venit ille in hunc mundum, vt iudicet, ſed vt mundus per ipſum ſeruetur. Olim quidem iudicem aget, quando in nubibus cœli throno collocato tam pijs quàm impijs rependet. Interea ſuorum fidelis Pontifex eſt, qui infirmitates noſtras nouit, & pro nobis apud Patrem intercedit, ad ſe autem intrepidos venire iubet omnes, qui peccatorum ſenſu grauati laborant.

Chriſtus ad Eccleſiam colligit.

Porro non modò in humeros attollit paſtor iſte ouem perditam, ſed eandem domum portat, vt gregi ſuo rurſus coniungatur. Ergo non vagari ſinit ſuos, ſed per verbum ſuum eos ad Eccleſiæ ſuæ ſocietatem colligit, vt poſthac ipſius peculium maneant. Nam vt vnus paſtor, ſic vnus grex & vnum ouile eſt, extra quod ſalus nuſpiam inuenitur. Quod vnum eos abunde refellit, qui per Euangelij prædicationem Eccleſiæ vnitatem ſcindi, ſectas inuehi, adhæc peccandi licentiam plantari vociferantur. Nam ea conditione nos Chriſtus quærit, & in humeris atque ſinu ſuo geſtat, vt relictis ſuperſtitionibus ſimul & tota prioris vitæ conſuetudine, ipſi ſoli conſecrati ſimus, & nos verè conuerſos eſſe reipſa & factis teſtemur. Et huc pertinet, quòd reſipiſcenti peccatori vtramque parabolam Chriſtus applicat, ne quis ipſum eorum contumaciæ patrocinari putet, qui abſque pœnitentia in erroribus & ſceleribus ſuis pergunt.

Pœnitentiæ ratio.

Itaque nobis hoc loco conſideranda venit tota pœnitentiæ ratio, quam propriè conuerſionem ad Deum eſſe alibi diximus. Conſtat ea ferè tribus partibus, Contritione, Fiducia gratiæ Dei in Chriſto nobis factæ, & Obedientia fidei. 1. Contritio. *Contritio eſt, quando ira Dei agnita expaueſcimus, & toto animo dolemus, quòd Patrem tam bonum, benignum & iuſtum offenderimus. Naſcitur illa ex peccati agnitione, & vtraque admodum eſt neceſſaria. Nam cùm peccata carni noſtræ arrideant, & illis natura delectemur, nunquam illis relictis de emendatione vitæ cogitabimus, niſi illorum fœditas nobis perſpecta ſit, & nos irati Dei manu grauari ſentiamus. Vnde certò colligimus, eos adhuc pœnitere neſcios eſſe, qui nullo Dei timore aut iræ ipſius ſenſu percelluntur: quod non obſcurè Paulus docet, quando de gentibus pronuntiat: Qui poſtquam dedoluerunt, ſemetipſos proteruiæ dediderunt ad patrandũ impuritatem omnem certatim.* Epheſ. 4. *Et hodie videmus ſcelerum licentiam non aliunde naſci apud pleroſque, quàm quòd Deum nullum eſſe ſibi perſuadent, qui peccatis offendatur, & in ea pœnis animaduertat. Itaque ſecuri quiduis deſignant, modò nullo pœnarum ciuilium timore abſterreantur. Prodeſt igitur ſemper in promptu habere argumenta, quæ nos de Dei ira & peccatorum pœnis admoneant. Et hîc magnus legis vſus eſt, quæ minas graues & horribiles proponit, quibus ille ſuam iram, maledictionem, inopiam, famem, bella, regnorum euerſiones, exilium, mortem denique ſempiternam omnibus denuntiat, qui præcepta eius tranſgrediuntur. Nec facilè minas iſtas contemnere poterimus, ſi exempla ſimul conſideremus, quibus iam inde à rerum exordio confirmatæ ſunt, & indies non ſine multorum magno malo confirmantur. Imò ſi ſinguli ſeipſos & quæ ipſi aliquando paſſi ſunt, vel etiamnum patiuntur, paulò diligentius conſiderent, mox cùm Dauide fatebuntur, ſe Dei iram ſentire, & propter iniquitatem ſuam caſtigari.* Pſalm. 38. *Inter alia autem iræ ſuæ argumenta, cumprimis euidens & terrificum Deus in Filij ſui indigna & dira morte edidit. Quis enim illum peccata vel negligere vel indulgentius in nobis puniturum eſſe putet, qui vt illa digno ſupplicio expiarentur, Filium dilectum & vnigenitum in cruce ſuſpenſum atrociſſimis doloribus confici, conuitijs improbiſſimorum hominum obrui, & tandem inter duos latrones ex-*

pirare voluit. Enimuero qui hoc vnum non oſcitanter expendunt, de peccatis leuiter iudicare non poterunt, & mox iræ diuinæ ſenſu perterreſient, vnde vera animi contritio & (vt Pauli verbo vtar) dolor ſecundum Deum naſcitur.

2. Fiducia gratiæ Dei

Cæterùm ne dolor iſte terrorem nimium pariat, neue eo ſuperati Deum odiſſe & fugere incipiamus, quæ proxima ad deſperationem & exitium via eſt, fiducia gratiæ Dei in Chriſto facta opus erit, quæ animum territum conſoletur, fluctuantem ceu ancora verè ſacra confirmet, & conſcientiæ æſtum reſtinguat. Excitant hanc promiſſiones Euangelicæ, quæ in veteri etiam teſtamento occurrunt, quales ſunt: Ego ego deleo tranſgreſſiones tuas, idque propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum traderet, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quibus adde mandatum & æternum decretum Dei, qui iubet, vt per fidem in Filium ſuum iuſtitiam & peccatorum remiſſionem obtineamus, & hanc ab illo poſtulemus. Quòd ſi vel legis minæ vel peccatorum noſtrorum multitudo aut magnitudo nos terreat, illis quidem promiſſiones de quibus diximus, his autem Dei gratiam & miſericordiam opponamus, quæ inexhauſta eſt, & illic maximè exuberat, vbi peccatum abundat. Accedat his conſideratio exemplorum, quæ multa paſſim occurrunt, & his omnibus coniungamus preces, vt Deus fidem noſtram augeat, & infirmitati ſuccurrat, ne vllis tentationibus ſuperemur.

3. Obedientia fidei.

At ne caro promiſſionum & exemplorum gratia fiducia efferatur, & hac in ſecuritatem primò, deinde in nouam licentiam peccandi degeneret, finem noſtræ redemptionis ſemper ob oculos habere conuenit, qui eſt, vt ex ſemine verbi per ſpiritus virtutem renati & innouati ſanctè viuamus, neque porro peccatum patiamur regnare in membris noſtris, ſed affectus carnis vnà cum ratione & intellectu noſtro per fidei obedientiam ſubigamus, vt Deo audientes ſint. Hic autem firmo & conſtanti animi propoſito opus eſt, vt rectè viuamus, neque aliquid faciamus repugnante conſcientia. Iuuat propoſitum iſtud inuocatio Dei, in qua nos aſſiduos eſſe oportet, vt is ſuo Spiritu nos regat atque in officio contineat. Et hæc quidem pœnitentia vera eſt, quæ non leuibus initijs perficitur, ſed aſſidua & continua praxi (vt ita loquar) conſtat: quia ſemper aliquid occurret quod emendationem requirit, & cum quo nos luctari conuenit. Author illius verus eſt bonus ille paſtor, Chriſtus Ieſus, qui per illam nos ad ſui gregis ſocietatem reducit, in qua manere non poterunt, niſi qui illi perpetuò ſtudent, & infelix peccati ſeruitium abominantur.

Peccatoribus conuerſis congratulandum eſt.

Porro quia de his differendi occaſionem Chriſto Phariſæi & Scribæ dederant, qui publicanos & apertos peccatores in gratiam recipi indignius ferebant, hunc illorum errorem corrigit, & congratulandum potius eſſe docet ijs, qui à peccatis conuerſi in viam redeunt. Nam qui ouem perditam inuenit (inquit) conuocat amicos & vicinos, & dicit eis: Gratulamini mihi, nam inueni ouem meam, quæ perierat. Et quæ drachmam amiſſam reperit, ſimiliter amicas & vicinas conuocat, vt ipſi congratulentur. Iſta autem humano more de ſemetipſo Chriſtus loquitur, vt affectum & ſtudium, quo nos proſequitur, melius exprimat. Solemus enim eorum recuperatione, quæ amiſimus, magis gaudere quam ijs, quæ nobis ſemper ſalua manſerunt: quia ex amiſſione illorum conceptus dolor gaudium illud intendit & auget. Simul autem noſtri nos officij admonet. Si enim amici & vicini ijs congratulantur meritò, qui ſua recuperauerunt, & vt id illi faciant iure ab eis exigitur, quantò æquius eſt, vt nos Chriſto congratulemur, ſi quos ad ipſum conuerti, & (quod is ſuper omnia optat) ſalutis in ipſo participes fieri videmus? Quis enim nos eius amicos, quis illi coniunctos dixerit, niſi ijs gaudeamus, ex quibus ipſe maximam voluptatem percipit? Quod vt melius doceat, quid in cœlis fiat oſtendit. Dico vobis (inquit) ita fore gaudium in cœlo ſuper vno peccatore reſipiſcente magis, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, quibus non opus eſt reſipiſcentia. Iuſtos dicit eos, qui non alieni ſunt à ſuo grege, quàmuis alioqui ſuos næuos habeant, quos iugi pœnitentia elui oportet, & his peccatores opponit, eos nimirum intelligens, qui prorſus perditi erant, niſi per ipſum quæſiti & inuenti eſſent. At horum conuerſione cœlites gaudere ais,

Cœlites gaudent ob peccatoris conuerſionem.

vt horum

vt horum exemplo Phariſaicos illos ſpiritus confutet, qui illis Dei gratiam atque ſalutem inuident. Quòd verò dictum hoc nonnulli ad Diuos extendunt, vt eos res noſtras nouiſſe & pro nobis intercedere probent, nimis dilutum & friuolum eſt. Nam ſimpliciter in cælo gaudium fore dicit, ſi vnus modò peccator reſipiſcat: qui verò gauiſuri ſint; poſtea denotantur in drachmæ parabola, Angeli Dei nimirum. Quid ergo Diuos hic ingerere opus eſt, de quibus nullus eſt ſermo? De Angelorum autem ſtudio erga nos dubitare non poſſumus; cùm Dei miniſtri ſint; qui propter eos mittuntur, qui hæredes ſunt ſalutis. Et non poſſuns illi non gaudere noſtra reſipiſcentia, cùm per hanc Dei gloria illuſtretur, & regnum eius augeatur, cuius illi ſtudioſiſſimi ſuns. Obſeruemus potius hoc loco, quanta ſit hominis per Chriſtum reparati dignitas. Gaudet eius ſalute æternus Dei Filius, & tam huic quàm illi congratulantur Angeli. Quod vt nós in tentationibus grauiſſimis conſolari, ita etiam excitare debet, ne dignitatem hanc iterum prophanemus ſcelerum licentia, ſed tanto Chriſti ſtudio & tanto pretio partam fide conſtanti & vitæ ſanctitate conſeruemus. Admonent præterea hæc Chriſti verba, quàm alieni ſint ab eius affectu & bonorum ſpirituum ingenio, qui infamia & perditione hominum potius quàm eorum conuerſione & ſalute gaudent: qui item multis ſcandalo ſunt, vt à ſalute excidant. Sunt illi peſtes humani generis, & hoſtes Regni cælorum, qui ſua improbitate (quantum in ipſis eſt) Chriſtum & Angelos triſtitia & mærore afficiunt. Quod vtinam diligentius & frequentius meditarentur qui hodie Euangelij profeſſione ſuperbiunt, ſua autem licentia & nequitia Papiſtas ſuperant, & multos abſterrent, ne ad bonum illum paſtorem Chriſtum & ad Eccleſiæ ſocietatem colligantur. Dabunt hi olim graues pœnas, de quibus alibi eſt dictum. Imprimis autem ad ſe transferant Chriſti exemplum Eccleſiarum paſtores, & ex eo diſcant de ſuo officio iudicare. Meminerint ipſorum eſſe non ſolum paſcere obiter creditum ſibi gregem, ſed ſingulas oues ita curari ab ipſis debere, vt nulla ſua culpa amiſſas quærere, diſperſas colligere & humeris quoque ſuis & in ſinu geſtare debeant. Nam ſingulas de illorum manu requiret Chriſtus Dominus. Eſt ergo munus ipſorum plenum laboris & periculi, & cum ſtudio indefeſſo ſingularem quoque induſtriam requirit. Iuuent hos ſuo ſaltem fauore reliqui Chriſtiani, quos gratiæ Dei conſideratio non minus excitare debet, vt ipſi quoque omnium hominum ſaluti conſultum cupiant. Si qui verò ad hanc nihil conferre poſſunt, pia ſaltem congratulatione teſtentur ſe illa ex animo gaudere, ſimulque Deum Patrem precibus aſſiduis fatigent, vt is Regnum Filij ſui indies protendere & quàm plurimos ad eius ſocietatem pertrahere dignetur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CL.

Ait autem: Homo quidam habebat duos filios: quorum iunior dixit patri, Pater, da mihi partem ſubſtantiæ mihi contingentem. Et diuiſit illis facultates. Poſt dies autem non multos cùm omnia coegiſſet iunior ille filius, peregre profectus eſt in regionem longinquam: & illic diſſipauit ſubſtantiam ſuam profuſè viuendo. Omnibus verò ab eo conſumptis, orta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cæpit victu defici. Abijt igitur & adhæſit vni ex ciuibus regionis illius, qui miſit eum in agros ſuos, vt paſceret porcos. Et deſiderabat implere ventrem ſuum ſiliquis, quas edebant porci: & nemo ei dabat.

QVemadmodum Deus primis parentibus, cùm fœdiſſimè lapſi mortem meruiſſent, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum gratuitam prædicauit: ita doctrinam illam poſteris temporibus quoque toti mundo propoſuit, & vult idem vt per hanc ij quoque ad ipſum colligantur, qui iam perijſſe & exitio æterno digni eſſe videri poterant. Perpetuò enim ratum erit quod per Eze-

chielem pronuntiat: *Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt reſipiſcat & viuat.* Et ne quid de eo dubitaremus, Filium dedit, qui peccatores blandè ad ſe inuitat & recipit, omnes autem eos ſeueriter increpat, qui propriæ iuſtitiæ fiducia ſuperbi illos faſtidiunt, adeoque gratiam, quam illis Deus facit, inuidens. Pertinet huc totum iſtud caput, quo doctrinam iſtam aduerſus Phariſæos parabolis elegantiſſimis illuſtrat: quarum duas nuper vidimus. Subijcitur his confirmationis loco tertia, qua totum hoc negotium prolixè tractatur, & tanquam in tabella ſpectandum proponitur. Partes eius ſunt duæ. Priori docetur, quanta ſit Dei in peccatis condonandis & peccatoribus recipiendis facilitas. Altera iuſtitiarij confutantur, qui illos recipi indignè ferunt, & prædicationem gratiæ calumnijs ſuis vellicant. In prima parte omnia traduntur, quæ de ſalutis noſtræ ratione & ordine dici poſſunt. Deſcribitur enim hominis conditio, qualis nimirum ille ſit ſua natura, quidue ei accidat, ſi ſuæ rationis & cupiditatis ductum ſequatur. Deinde veræ pœnitentiæ ratio traditur. Inde Dei peccata condonantis & peccatores in gratiam recipientis bonitas adumbratur. In præſenti de primo agemus, & ſic quidem, vt initiò ea excutiamus, quæ in ipſa parabolæ hiſtoria ſecundùm literam conſiderari poſſunt: eadem verò poſtea ad hominis conditionem applicabimus.

Argumentum totius parabolæ.

Inducitur vir diues & illuſtris, cui duo fuerunt filij: alter frugi & patri obediens, alter proteruus & luxu perditus. Hic audacter patrem accedit, & ab eo poſtulat partem bonorum, quæ ex hæreditate ad ipſum pertineat. Qua impetrata & accepta, abit peregrè, pecuniam omnem luxu & intemperantia conſumit, & tandem omnibus exutus, cùm fames publica, & ea quidem validiſſima, in ea regione orta eſſet, cuiuſdam ſeruitio ſeſe addicere cogitur, qui ipſum ad porcos ablegat, inter quos ſordibus, fœtore & fame tantum non totus conficitur.

Parentum ſors & conditio.

Quo loco nobis ante omnia parentum ſors atque conditio, quam ferè vulgò experiuntur, conſideranda venit. Nam qui hic introducitur, procul dubio ex optimis fuit, cùm ipſius Dei perſonam illi Chriſtus imponat. Idem filios habuit duos ſolummodò, eoq́; felicior videri poterat, cùm liberorũ multitudo multis obſtet, ne illos cõmodè educare, aut eis dignè inſtituendis ſufficere poſſint. Verum tamen ex his qui natu minor eſt, peſſimæ frugis homo omnia facit impudentiſſimè, quæ de deploratæ indolis iuuene dici poſſunt. Idem ſanctiſſimis viris non ſemel accidiſſe legimus. Nam ſi ad Adamum vſq; aſcendamus, ex duobus filijs primogenitum non ſolùm contumacem fuiſſe, ſed eò impietatis progreſſum fuiſſe videbimus, vt omni humanitatis ſenſu extincto, fratrẽ crudeliſſimè trucidauerit, & acerbiſſimi luctus cauſam dederit parentibus, quos peccati conſcientia & ex illo enatæ miſeriæ plus ſatis excruciabant. Nec multò melior Noæ conditio fuit, cuius filium minorem neq; patris inſtitutio fidelis & diligens, neq; horrendum iuſtitiæ Dei in diluuio æditum exemplũ emollire potuit, quin parenti vino & ſomno deuicto petulanter nimis inſultaret, & eundẽ ignominia extrema afficeret. Quid de Abrahamo dicemus, qui etiã Deo teſte in filijs & domeſticis ſuis omnibus bene inſtituendis fideliſſimus fuit? Nónne hic etiam Iſmaelem habuit filium, illuſorem & intolerabilis proteruiæ hominem, qui vnà cum matre ex ædibus eijci merebatur? Poterant his adnumerari Iſaac, Iacob, Samuel, Dauid & infiniti alij: quorum exempla obſeruari prodeſt, ne vel offendamur ſi quid huius nobis quoq; accidit, ſed potius feramus patienter ſortem, quæ nobis cum tantis viris communis eſt: vel ſuſpectos temere habeamus parentes, quaſi hi nequitiæ filiorum authores ſint.

Filij proterui exemplum.

Sed quid iſte filius fecerit, videamus. Occurrit hîc primum, quòd de patris imperio excutiendo cogitat, vt qui non putat ſibi bene fore, niſi quàm longiſſimè ab illo abſit, ne eum ſuæ vitæ & morum cenſorem habeat. At non aliquam fuiſſe huius inſtituti cauſam iuſtam aut grauem, ipſe poſtea proprio ore teſtatur, quando patris bonitatem & liberalitatem prædicat, qua in mercenarios vti ſoleat. Ergo ſola proteruiendi libidine & impunitatis ſpe motus abitum parat. Deinde hæreditatem ſibi ante tempus dari petit, & patri de parte bonorum, quæ ad ipſum pertineat, verba facit, cùm in bona paterna nihil adhuc iuris haberet. Nam defunctis demum parentibus filij in bonorum aut facultatum, quas illi reliquerunt, poſſeſſionem veniunt. Eſt ergo poſtulatio hæc non minus iniqua quam impudens. Accedit his ingratitudo & impietas inexcuſabilis, quòd patrem iam ſeneſcentem deſerit, officia debita eidem negat, & inſuper magna bonorum parte ſpoliat. Tales hodie paſſim inueniuntur, qui hoc vnum agunt, vt paternæ diſciplinæ iugum excutiant, & ex eo ſibijpſis

omnia fauſta & læta pollicentur. Vt enim aues & feræ, quamuis in caueis optimè tractentur, libertatem tamen affectant: ita iuuenes licet patrum indulgentiam maximam experiantur, & omnibus abundent, quæ ad voluptatem honeſtam & alias huius vitæ commoditates faciunt, nihil tamen licentia beatius & felicius eſſe putant. Et excuſabilis quidem eſt auium atque ferarum cupiditas; quæ non aliud expetunt, quàm quod illis Deus dedit: ſed venia nulla digni ſunt, qui cùm ex Dei inſtituto parentes obſeruare & colere debebant, illis ſubeſſe nolunt. Interim ſolent iſti ſemper ius aliquod prætexere. Sunt enim qui hæreditatem maternam à patribus exigunt. Alij parentes negligentiæ accuſant, vt qui rem domeſticam peſſimè adminiſtrent: quòd olim Sophoclis filij fecerunt. Inueniuntur item, qui iuſtitiam in patribus deſiderant, quaſi non æquali iure erga liberos ſuos vtantur. Et hi omnes interea mirifica iactitant de ſua induſtria, qua rem augere & omnia melius adminiſtrare velint, ſi quando ipſis locus fiat. Sunt autem hæc ſummæ ingratitudinis argumenta, quam Deus inultam non ſinet. Nam qui longæuos annos pollicitus eſt ijs, qui parentes in honore & pretio habent: idem eos etiam ſeueriter punit, qui in illos impij ſunt, & impietate illa ipſis triſtitiam & mœrorem afferunt.

Id verò Christus in præſenti non obſcurè docet, dum quid huic noſtro Acolaſto euenerit, narrat. Primùm ex ſolo natali abit, & ſeipſum ſpontaneo exilio mulctat, quo viri boni & honeſti nihil grauius & moleſtius eſſe arbitrantur. Quid illic fit? Opes patrias & honeſtè à patre partas atque ſeruatas turpiſſimè prodigit intemperanter viuendo: & quæ patri abſtulerat, profundis in ganeones, lenones, ſcorta, mimos, aleatores, ambubaias, cupediarios, fartores, tibicines, ebrioſos & impuros homines, quos non immerito reipub. peſtes dixeris, & quos Propheta locuſtis confert, quòd publicas & priuatas opes deuorent. Et fertur quidem inter longinquæ regionis homines infelix ille iuuenis, quàm diu tantis ſumptibus poteſt ſufficere. Vbi verò omnibus dilapidatis, & ipſe iam egere incipit, & fames publica ex parciſſimo terræ prouentu rerumque inopia exorta latè iam regnat, mox miſer eijcitur, & ſeruus heri duri & iniqui factus conditionem ſuſtinet ipſis porcis infeliciorem. Solet hoc plerunque accidere iuuenibus, qui parentum diſciplinam & monita ferre dedignantur. Quia enim per ſe minus ſapiunt, & conſilio maturo deſtituuntur, totos abripit peſſimorum affectuum libido, qui in illis vehementiſſimi & prorſus immoderati ſunt. Fieri ergo non poteſt, quin ſe totos mundi & carnis voluptatibus dedant. Ita verò in homines nihili & malæ frugis incidunt, qui ipſorum facilitate ad ſuam libidinem abutuntur, & incautos pecunijs emungunt. Et iſta quidem fieri ferè patiuntur qui reipub. gubernaculis aſſident, quorum erat intemperantiam omnem publica legum authoritate coercere. Sed ceſſantibus illis, non tamen ceſſat aut dormitat Dei iudicium, qui & improbos iſtos concoctores priuatim, & totos populos publicè punit, qui iſta fieri patiuntur. Illi enim ferè ad inopiam extremam redacti, faſtidio & odio ſunt ijs, qui ipſis prius ſeruiliter blandiebantur, & ipſos pro Semideis quibuſdam colebant. Et iſti ſimul omnes Dei iram aduerſus ſe prouocant, qui immanem luxum & diſciplinæ omnis contemptum ſterilitate agrorum, inopia & fame caſtigat. Exempla, quibus hoc probetur, non opus eſt adducere, quia hiſtoriæ legentibus paſſim occurrunt, & multa fiunt quotidie, quæ iſtis fidem faciunt. Multis enim hodie idem accidit, quod de iſto peſſimo boni parentis filio dicitur. Noluit in domo paterna libertate frui, & à ſeruis paternis obſeruari ac coli: nunc autem in terra peregrina duriſſimam ſeruitutem ſeruire cogitur. Patris indulgentiſſimi imperium ferre detrectauit, nunc alienum herum ſibi accerſit, eumq́; durum & immitem. Durum illi viſum eſt inter patris domeſticos habitare, & cum hominibus amiciſſimis atque honeſtis vitam degere: dignus ergo eſt, qui ex impuriſſimorum nebulonum & ſcortorum contubernio infamiam ſibi conciliet, & tandem porcorum ſocius & conuiua, imò ſeruus fiat. Panes delicatiſſimos faſtidiuit, quibus in patris ædibus mercenarij abundabant: nunc ſiliquas & furfures vorat, nec eſt qui tantum illi det, quantum latrans præ fame ſtomachus requirebat. Eſt hæc communis ſors prodigorum, qui honeſtiori diſciplina ſe coerceri nolunt. Ad inopiam enim extremam redacti à ſocijs deſeruntur, quos ferè illorum pudet adeò, vt procul conſpectis ijs aliò declinent, ne eos vel ſalutare vel alloqui cogantur. Ergo ex patria ferè profugiunt, & ſerui fiunt crudeliſſimorum hominum, ducum militiæ, quos capitaneos vocant: qui vili pretio conductos, non ad porcos, ſed ad bellum educunt, vbi mille diſcrimina vitæ ſubeunt. Itaque qui optimis parentibus

Filiorum inobedientium pœna.

& legitimo pij magiſtratus imperio parere noluerunt, ſanguinarijs iſtis obſequi coguntur: qui domi ſuæ honeſtè viuere noluerunt, foris inter media arma fame, frigore, morbes confecti moriuntur, aut crudeliter trucidantur. Et cùm ex illorum ſanguine diteſcant capitanei, ipſi vel toti pereunt, vel inopes, famelici, nudi & infames tandem domum redeunt. Sunt hæc tam vulgaria & vſitata hodie, vt nulla ciuitas aut pagus extet, in quo non publica eiuſmodi hominum exempla cernere liceat. Debet autem horum conſideratio iuuenes mouere, ne diſciplinam oderint, quæ huic ætati prorſus neceſſaria eſt, & vt patienter ferant legitima parentum & magiſtratuum imperia. Nam etſi hæc interdum dura & iniqua videntur, ſalutaria tamen ſunt, & plurimum momenti conferunt ad vitam bene inſtituendam, vnde fructum quoque ferunt lætiſſimum.

Allegoria parabolæ.

Porro ad parabolæ argumentum accedamus, quod Chriſto hæc dicenti propoſitum fuit, qui prima hac parte infelicem & miſerrimam hominis peccatoris conditionem deſcribit. Nam homo iſte ſiue pater Deus eſt. Habet is in ſua domo, id eſt, in electorum numero, ſeu Eccleſia, duos filios, per quos duo hominum genera denotatur. Primum eos habet, qui vt filij frugi & obſequentes diſciplina ſe contineri ſinunt, & vitam ſuam honeſtè tranſigunt. Altero genere ij continentur, qui excuſſo omnis diſciplinæ iugo pro ſua libidine proteruiunt, nec prius ad officium redeunt, quàm à Deo ſeuerius caſtigentur. Et in his quidem omnia ſunt, quæ de filio prodigo & intemperante hactenus dicta ſunt.

Diſciplinæ impatientia initium omnis mali.

Initium mali ac infelicitatis omnis eſt, quòd Dei diſciplinæ ſubijci nolunt, neque ſe vnquam felices fore ſibi perſuadent, niſi huius iugo confracto & abiecto poſſint pro ſuo arbitrio viuere. Perſuaſionem hanc vehementer in illis auget & confirmat mundi exemplum, quando impios impunè proteruire & feliciter agere, pios autem perpetuis calamitatibus atque periculis exerceri vident. Nam vt pueri, qui à bonis parentibus arctiori diſciplina in officio continentur, ipſis multò beatiores putant eſſe alios, quibus per patrum negligentiam & incuriam quiduis pro ſuo arbitrio facere licet: ita plerique hominum eorum felicitatem prædicant, qui nulla legum authoritate, nullo pœnarum metu, nullis item aduerſis coercentur, ſeipſos autem cum tota filiorum Dei generatione

Pſalm. 73.

(vt Aſaphi Prophetæ verbis vtar) infelices, adeoque reprobatos à Deo eſſe arbitrantur, eò quòd ſe cum illis arctius in ordinem cogi, & perpetuo affligi cernant. Vt ergo ſibi conſulant, ex ſeipſis ſapere volunt, ſeque abunde inſtructos putans eſſe, vt ad omnia ſibi ſufficiant, quæ ad vitam bene gubernandam pertinent: Itaque contempta Dei voluntate, quam is nobis in verbo ſuo reuelat, pro ſuo arbitrio omnia inſtituunt, & tantumnon à Deo petunt, vt ipſos ſuo ſenſu abundare & propriæ rationis aut intellectus ductum ſequi permittat. Quid verò hoc aliud eſt, quàm debitam ſibi hæreditatis partem poſtulare à Deo, qui nemini quicquam debet? Fuit hoc Adamo peccati & omnis miſeriæ initium, quòd ſe plus ſapere putauit quàm Deum, & ideo contra huius præceptum ad diuinitatis faſtigium proprijs viribus atque ſua induſtria aſcendere voluit. Ad hunc lapidem Iſraelitæ etiam non ſemel offenderunt: quem gentibus quoque omnis erroris principium fuiſſe Paulus in primo cap. ad Roman. apertè docet. Sed & hodie hæc omnium ſuperſtitionum, adhæc ſcelerum & nequitiæ omnis prima cauſa eſt: quòd plerique rem ſe indignam putant, ſi intra domus Dei, id eſt, eccleſiæ ſepta contineantur, vbi ipſos verbi diuini legibus parêre, & his ſuam rationem & intellectum cum omnibus carnis deſiderijs ſubijcere oporteat. Nam quando ita affectos videt Deus, iuſto iudicio tales ſibiipſis permittit, vt facultatibus naturalibus, quas cum alijs hominibus communes habens, tanquam ſuis vtantur, ſimulq́ ſuam manum ipſis ſubducit.

Sors eorum, qui diſciplinæ iugum excutiunt.

Quid verò fit, quando hoc quaſi impetrarunt, vt abſque meliori diſciplina pro ſuo arbitrio viuant? Abeunt in regionem longinquam, id eſt, procul diſcedunt ab Eccleſia Dei, quæ verè eſt terra viuentium (vt Dauid loquitur.) & in qua ſuum πολίτευμα ſiue municipium habent electi, quoad in terris hiſce viuunt. At quia Eccleſia Dei domus eſt, qui illic habitare dignatur, ab eo ſimul elongantur, ſeque totos mundo addicunt. Ex eo ſequitur, quòd dum huic placere ſtudens, facultates ſibi à Deo datas turpiſſimè dilapident. Rationis enim acumen conſumunt atque atterunt in rebus partim inutilibus, partim pernitioſis & noxijs. Mentem, quæ Dei ſacrarium eſſe debebat, ab eo alienant, & ipſi quoque mente alienantur, dum abſque ratione & pudore omnia faciunt. Fit ergo vt corporis vires & membra omnia diaboli vaſa atque organa fiant, quæ iuſtitiæ arma

tiæ arma

tia arma eſſe debebant. Similiter fortunæ etiam bona non minus turpiter diſſipant, dum illis ad ſcelera omnis generis pro affectuum ſuorum libidine abutuntur. Fieri ergo non poteſt, quin tandem omnibus bonis tam animi quàm corporis ſpoliati ad extremam inopiam redigantur. Neq; hîc mihi aliquis eos obijciat, qui diuitijs interea affluunt, & ideo beati putantur. Nec enim diuites aut diuitiarum poſſeſſores dici debent, qui ipſi à diuitijs poſſidentur, aut quibus hæ non aliud ſunt quàm gladius in furentis manu, eò quòd eas in proprium exitium conuertunt. Qualeſcunq; ergo illi eſſe videantur, reuera tamen pauperes & omnium mortalium miſerrimi ſunt, cum neq; huius vitæ commodis fruantur, neq; de futura bene ſperare poſſint.

Fames animarum.

Id verò ea quæ ſequuntur plenius docent, quibus iſtorum hominum pœnæ deſcribuntur, quas in hoc ſeculo ferunt. Nam ipſis quoque fames oritur, qua ſui Verbi & diſciplinæ contemptum Deus vlciſcitur. Nam in anguſtias illas redacti ſentire incipiunt iudicium Dei, qui terrores conſcientiæ horribiles ipſis obijcit. Et occaſionem iſtam minimè negligit Satan, qui vt prius peccati blanditijs inescatos in naſſam pertraxit: ita tunc terrores illos mirificè auget, vt in deſperationis præcipitium miſeros detrudat. Tunc ergo fames illa animarum eos infeſtat, quam Deus per Amos Prophetam Verbi ſui contemptoribus minatur. Nam etſi ſe miſeros eſſe ſentiant, & ſibi conſultum velint, nihil tamen conſilij, nullam conſolationem, nullum ſalutis præſidium in ſemetipſis inuenire poſſunt. Quid enim hîc faciat carnis ratio, quæ in diuinis iam antea cæcutiebat, & nunc affectuum peſſimorum tyrannide prorſus oppreſſa iacet? Quod autem vnicum reſtabat Dei Verbum, quo hominum mentes illuſtrari & confirmari poſſunt, hoc illi iampridem abiecerunt: quo fit, vt nec ipſius cum aliquo fructu recordari, aut eius prædicationem attentis animis audire poſſint. Idem ergo iſti homines faciunt, quod de filio hoc prodigo dicitur. Nam conſilio & auxilio omni deſtituti, adiungunt vel addicunt ſe hero alieno in terra illa longinqua. Id eſt, extra Eccleſiæ ſepta vagantes conſcientiæ & fidei dominos ſiue tyrannos ſibi ſponte accerſunt, & temere quemuis recipiunt, ex quo aliquid ſperari poſſe videtur. Ita verò prorſus fiunt diaboli mancipia, qui prius in ijs modò peccare videbantur, quæ ad externæ vitæ conſuetudinem faciunt. Eſt autem ille herorum omnium iniquiſſimus, qui à Chriſto abſtractos ferè ad porcos remittit, vt ſubulci infelices & fœdi fiant, qui in Dei domo inter huius filios locum ſuum retinere noluerunt. Porcorum autem nomine homines impuri denotantur, qui vel ſub religionis prætextu vitam prophanam degunt (quales ferè ſunt Sacrificuli, Monachi & omnes ſuperſtitionum & idololatriæ miniſtri) vel in apertis flagitijs abſque omni religionis ſenſu volutantur. In priores incidunt, in quibus adhuc aliquis timoris Dei ſtimulus reliquus eſt, quo excitantur, vt ſalutis æternæ deſiderium atque ſtudium non poſſint omnino deponere. Alteris verò accedunt, qui excuſſo omni timore Dei, cœlum & inferos negare incipiunt, & quia æternæ vitæ ſpem omnem in animis ſuis iampridem extinxerunt, plus quàm Cyclopico omnis numinis contemptu abrepti cum Sardanapalo clamant:

Seruitus.

Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.

In quoſcunque ergo infelices illi bonorum Dei concoctores incidant, in porcos incidunt, quos ſuis quidem impenſis & laboribus paſcunt, ipſi verò apud illos nihil quàm ſiliquas & furfures inueniunt, & ne his quidem ad ſatietatem frui poſſunt. Reuera enim ſiliquæ & furfures ſunt hominum traditiones & quicunque ſecundùm has inſtituuntur cultus, vt animas eſurientes & æſtuantes recreent. Nam præter inanem ſpeciem pietatis nihil habent, quæ etſi oculos hominum aliquo ſplendore perſtringat, conſcientiæ tamen terrores non tollit, ſed potius auget & horribiliores reddit. Alteri verò illi, quos ſcelerum libido impulit, vt horum magiſtris ſeſe coniungant, ne ſiliquas quidem habent aut furfures, ſed in fœdiſſimis ſtercoribus volutantur, & ne ſic quidem libidini ſuæ poſſunt ſatisfacere. Sunt ergo omnes iſti omnibus modis miſeri atq; infelices, adeò vt luſus & iocus videri poſſint quæ de filio iſto prodigo dicuntur, præ ijs quæ iſti ſuſtinent.

Cur impij in hac quoq; uita puniantur?

Ita verò Deus Verbi ſui & legitimæ diſciplinæ contemptum atque inobedientiam in hoc etiam ſeculo vlciſcitur, & id quidem iuſtas & graues ob cauſas facit. Primò enim hoc iuſtitia requirit, vt improbi illi puniantur, & de ſeipſo ille pronuntiat, quòd peccatum quidem condonet, non autem impunitum dimittat, ſed patrum iniquitatem in filijs viſitet, ſi hi illorum ſimiles eſſe pergant. Deinde

vt pœnis eiuſmodi hominum licentia coerceatur neceſſe eſt, ne prorſus indomita & intolerabilis fiat. Nam vt Poeta olim dicebat,

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Poſtremò aduerſis & miſerijs ad pœnitentiam excitantur, qui de ea vix cogitant, quando ipſis omnia pro votis ſuccedunt. Vexatio enim (vt Iſaias ait) dat intellectum. Et notum eſt illud Ieremiæ: Caſtigauiſti me Domine, & eruditus ſum. Quod huic etiam contoctori noſtro accidiſſe audiemus, vt inter porcos de patris optimi liberalitate & fide, deque ſua nequitia rectius iudicare diſceret, qui in ſcola ingenuorum filiorum Dei minores antea progreſſus fecerat. Et hæc quidem de miſeria hominis peccatoris, qui ſe totum à Deo alienauit, nunc dicta ſint. Vſus autem horum eſto, vt ſibijpſis omnes caueant, & in Dei domo, Eccleſia, ſeſe contineant, illi ſeruiant totis animis, vt cœleſti pane fruantur & ſaturentur, qui eſt Chriſtus Ieſus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLI.

Cûm autem ad ſe rediſſet, dixit: Quot mercenarij patris mei abundant panibus, ego verò fame pereo? Surgens proficiſcar ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & aduerſum te: neque amplius ſum dignus vocari filius tuus: fac me vt vnum ex mercenarijs tuis. Surgens ergo venit ad patrem ſuum.

Ratio veræ pœnitentiæ. *INter parabolas, quibus Dominus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, doctrinam ſuam illuſtrat, ſemper celeberrima & præ alijs in vſu fuit hæc, quæ de filio prodigo habetur: & quidem meritò, cùm totum Euangelium & vniuerſam ſalutis humanæ rationem comprehendat. Conſtat enim illud doctrina pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum. Sub pœnitentia autem ipſum peccatum, huius pœna & vera ad Deum conuerſio continetur. Remiſsio peccatorum è contra Dei gratiam, iuſtificationis noſtræ negotium & omnem hominis felicitatem complectitur. Atqui omnia hæc per parabolã iſtam Chriſtus ceu in tabella nobis ſpectanda proponit. Nam in prima eius parte peccati originem & progreſſum vidimus. In ſecunda, eiuſdem pœna adumbratur, quæ eſt, quòd diaboli mãcipia facit, & tandem conſcientias hominum terroribus grauiſsimis & dolore incredibili excruciat. Sequitur modò pars tertia, quæ veræ pœnitentiæ rationem deſcribit, adeoq; depingit ordinem, quo in gratiam cum Deo redimus. Itaq; ſingula diligentius excuti debent.*

In ſe redire, initium eſt pœnitentiæ. *Primùm in ſe rediſſe, & dixiſſe fertur: Quot mercenarij patris mei abundant panibus, ego verò fame pereo? Notatur his verbis agnitio peccati, quæ iam animo eius affulgere cœpit. Rectè autem hac ratione peccatores in ſe redire dicuntur, quia quàm diu cupiditatibus ſuis excæcati manent, extra ſe quodammodo vagantur, vt neque ſeipſos, neque Deum agnoſcant, multò minus autem intelligant, quid huic ex officio debeant. Eſt ergo hoc veræ & ſalutaris pœnitentiæ initium, ſi homo ad ſe reuerſus cogitet, vnde exciderit, & quæ nunc ipſius ſit conditio, quodque miſeriam omnem, qua premitur, non alij cauſæ quàm peccandi licentiæ acceptã ferre poſſit. Exprimit hæc omnia paucis verbis hiſce Chriſtus. Nam ex præſenti conditione plus quàm infelici miſer iſte magnitudinẽ peccati æſtimat, & ſe propterea miſerum eſſe ſentit, quòd carnis cupiditatibus tantum indulſerit. Deinde non potuit non prioris ſuæ conditionis, quam in ædibus paternis vt filius herilis optimam habuit, recordari, cùm ei in mentem veniat, quantam liberalitatem in mercenarios ſuos pater exerceat: quod ad commendandam huius bonitatem plurimùm facit. Qui in iſta meditatione non probè exercentur, pœnitere ex animo non poſſunt, eò quòd vt peccatum nobis blanditur, ita oculos quoque perſtringit, vt quaſuis alias calamitatum cauſas nobis fingamus, modò ne quid nobis ex merito propter peccata accidere, cogamur fateri.*

Vnde fit, ut homo in ſe redeat. *At hîc teneamus oportet, vnde hoc nobis obtingat, quòd ad nos redimus, & de Dei ira ſimul atque*

atque paterna indulgentia cogitamus. Nam multi hoc omne in noſtro arbitrio ſitum eſſe ſibi perſuadent, & quoſdam ex priſcis patribus dixiſſe ſcimus: Velis modò, & Deus præoccurrit. Quos ego viciſſim interrogo, quomodo velle poſſit homo aliquid boni, qui ſuo intellectu non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, & cuius cor cum figmentis ſuis omnibus prauum eſt ab ineunte ætate? Paulus certè, nos ex nobiſipſis ne ad cogitandum quidem idoneos eſſe ſcribit, Deum autem eſſe, qui in nobis operetur velle & facere. Et Chriſti vox eſt: Sine me nihil poteſtis facere. Vt ergo infans, cuius poplites nondum confirmati ſunt, aſſurgere & ſe ad iter parare non poteſt: ita neq; nos ex peccatorum luto ad nos poſſumus redire, & ſeriam ſalutis curam atq; meditationem animo cõcipere, niſi manum porrigat Deus, & ſuo Spiritu nos excitet. Itaq; hoc ipſum gratuitum diuinæ miſericordiæ beneficium eſt, quòd ad nos reuerſi de Deo placando cogitamus.

At hîc duo obſeruari debent, quibus in nobis conuertendis Deus ſolet vti: media nimirùm externa, & interior animi illuminatio. Inter illa primus locus Verbo debetur, quo voluntatem ſuã nobis ille reuelat nosq; noſtri officij admonet. Proximæ ſunt admonitiones priuatæ, quas vel amici vel inimici nobis adhibent: illi quidem noſtri honoris & commodi ſtudio, hi verò exprobrandi & conuitiandi libidine abrepti. Accedunt his ſigna iræ Dei & pœnarum imminentium præſagia, quæ multa & varia ſæpe in cœlo, aere, aquarum intempeſtiuis inundationibus, & infinitis alijs rebus proponuntur. Et quia natura duriores atq; contumaciores ſumus, nõ rarò calamitatibus improuiſis & aliquo triſtiori caſu veternum hunc nocentiſſimum nobis Deus excutit. Veruntamẽ omnibus iſtis nihil proficitur, niſi ſuo Spiritu animos noſtros illuminet, & corda moueat, vt iſta diligentius expendant. Alioqui enim monitores, vt qui nos oderint, ſuſpectos habemus: alia verò omnia vel in cauſas naturales à philoſophis olim excogitatas reijcimus, vel fortuita eſſe, & nihil ad nos pertinere putamus.

Vtrunq; in hoc iuuene prodigo cernimus. Nam panis atq; delitiarum ſaturitas, quibus in patris domo abundabat, ferocem & refragatorem fecerat, vt paternis legibus porrò nollet ſubijci. Secuta eſt mox luxuriandi & voluptuandi licentia apud peregrinos, quæ ſecurum & ſocordem fecit, vt quotidie in peius proficeret, & facultates omnes dilapidaret. Vt ergo ſaluti eius conſulatur, Deus primò inopia mulctat, quæ cauſa eſt, vt ab illis ipſis eijciatur, qui eum antea vt Heroem & Semideum coluerant, cùm aliqua lucri ſpes affulgeret. Inopiam ſeruitus ſequitur non minus fœda quàm grauis & miſera. Comitatur hanc fames dira, quæ ad furfures & quiſquilias illum adigit, qui panes & lautitias patriæ culinæ faſtidierat. Inter mala autem hæc monitores quidem ex amicorum numero nullũ ſunt, porcos autem ſodales & conuiuas habet, qui intolerabili fœtore & moleſtiſſimo grunnitu ei obſtrepunt, & ne quiſquilijs quidẽ atq; ſiliquis eum pacificè veſci patiuntur. Et tales quidem concionatores atq; magiſtros audire merebatur, qui vitam porcinã in fœdiſſimis voluptatibus vixerat. Sunt autem hæc media, quibus animum eius excitat Deus, vt de ſeipſo diligentius incipiat cogitare, & ſeriam ſalutis ſuæ curam ſuſcipiat. Quod vt citius faciat, Spiritus quoque animi aures illi vellicat, vt tantæ miſeriæ cauſas veras diſcat agnoſcere. Et hoc quidem ordine cum ſuis ab ipſa vſq; rerum origine Deus egit, quod in Adami etiam lapſu perſpicuè cernitur. Nonne enim propriæ nuditatis conſpectus & iræ diuinæ ſenſus, qui conſcientiam eius infeſtabat, media fuerũt, quæ Dei & mandati diuini memoriam ei refricuerunt, quam paulò ante totam ex animo eiecerat? Acceſſit non multò poſt Dei ipſum quærentis vox: Adam vbi es? quæ eum excitauit, vt non de fuga ſola & latebris, quas fruſtra quærebat, cogitaret: ſed potius rationem ſecum iniret, vnde excidiſſet, & quò delapſus eſſet, quibus denique medijs ad hanc miſeriam eſſet adductus? Nec tamen his contentus fuit Deus, ſed eidem duros agriculturæ labores impoſuit, Euam partus doloribus acutiſſimis mulctauit, vtrunque à paradiſo eiectum exilij moleſtijs exercuit, vt perpetuam de ſuo peccato & priori felicitate occaſionem cogitandi haberent. Quid autem de indigna Abeli cæde dicemus, quem infando parricidio Cain ſuſtulit? Annon hunc quoque grauiſſimum ſtimulum fuiſſe putabimus, vt illius conſideratione excitati intelligerent, quanta ſit peccati vis, quando naturæ corruptæ iam in filios ſuos propagatæ tam dirum & horrendum ſpecimen videbant? Simile quid cum Dauide factum fuiſſe legimus. Media enim externa fuerunt, quibus ſecurum & confidentem nimis Dominus perterruit, Nathani Prophetæ non minus artificioſa quàm grauis admonitio, & quæ mox ſecuta ſunt, ſtuprum Thamari filiæ oblatum, Ammonis filij cædes, Abſolomica ſeditio, bellum ci-

uile, filij chariſſimi infelix & Tragicus obitus, & infinita alia, quæ bellum iſtud comitata ſunt. At ne iſta vel ineffitacia eſſent, vel conſcientiam deſperationis terroribus ſuperatam in ſalutis periculum adducerent, non defuit interea Spiritus ſancti ſuggeſtio, qui oculos eius illuſtrabat, vt & peccati ſui magnitudinem agnoſceret, & de calamitatum iſtarum cauſis rectè iudicaret, atque his omnibus ceu adminiculis ſaluberrimis iuuaretur, vt cum Deo poſſet in gratiam redire. Adde his exemplis Petrum Apoſtolum, cui cùm Chriſtum abnegauiſſet, galli cātus occaſionem dedit, vt illius ad ipſum reſpicientis bonitatem obſeruaret, & ad ſe reuerſus omnes Domini admonitiones in mentem reuocaret, & cum illo cuperet reconciliari. Poſſent huius generis infinita exempla adduci, ſed pluribus non eſt opus, cùm ſinguli iſta in ſemetipſis quotidie experiantur.

Ordini Dei ſe homo accommodet.

Heic potius ſui officij omnes meminiſſe conuenit, vt in his Dei bonitatem agnoſcant, & medijs iſtis atque ordini, quo in nobis reducendis vtitur, ſeſe accommodent. Sibi ergo dici meminerint, quod Laodicenſium Eccleſiæ in Apocalypſi dicitur: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Reuera enim iſtæ pulſantis Dei voces ſunt, quibus ſecuros & dormientes expergefacere ſolet, vt de ipſo admittendo cogitent, & ſe in viam reduci patiantur. Aperiant ergo illi animarum aures quicunque pulſantem audiunt. Fit hoc, quando Verbum audiunt diligenter, & quæ illud comitantur ſigna obſeruant, calamitates non fortuitas eſſe putant, ſed in his iuſtum Dei iudicium agnoſcunt, & earundem cauſas veras in ſeipſis & vita anteacta inquirunt. Qui iſta non oſcitanter faciunt, mox vident, ſe non habere aliquam murmurandi cauſam, etiamſi grauiter ipſos Deus vrgeat, & quaſi repetitis ictibus contundat. Nam ne ſic quidem ingenij noſtri durities emolliri & contumacia frangi poteſt. Veruntamen qui iſta patientius ferunt, & Dei paternam manum agnoſcunt, horum animis Spiritus cogitationes ſanctas & ſalutares ſuggerit, quibus admoniti intelligunt, quantò potior ſit ſors viliſſimorum ſeruorum in domo Dei, quàm eorum, qui extra hanc licenter vagantes, diaboli porcos paſcunt. Et ſanè poteſt hic non omnino ſtupidis modica diligentia ſufficere, vt apertis animi oculis rei veritatem cernant. Quis enim non videat, quantò beatius & quietius viuant, qui intra Eccleſiæ ſepta ſeſe continent, & illic Deum in Spiritu & Veritate ritu ſimpliciſſimo colunt, quàm qui illa relicta in ſuperſtitionibus oberrant, cultibus quotidie nouis fatigantur, ex quibus ad ipſos quidem nihil præter labores, moleſtias & aſſiduos conſcientiæ æſtuantis cruciatus, lucrum verò ingens ad impoſtores ſacrificos & monachos redit, quos non immeritò diaboli porcos dixeris? Idem iudicabis, ſi coniuges honeſtos & mutuæ fidei tenaces cum impuris ſcortatoribus & adulteris conferas. Illi enim moleſtiarum omnium ſolatia certa & efficaciſſima quotidie percipiunt, cùm in Dei vocatione viuant: hi verò cum ſui ſimilibus porcis in Satanæ ſterquilinio volutantur, & plerunque facultates omnes turpiter dilapidant, morbos fœdos & atroces contrahunt, & tandem infames etiam facti ab omnibus contemnuntur, qui non omnem honeſtatis curam abiecerunt. Confer item bonum & frugi patremfamiliâs, qui cum pietate animum ſua ſorte cōtentum (vt Pauli verbis vtar) coniunxit, cum auaro vſurario, & mox videbis, hunc quidem inſanis laboribus, immodicis vigilijs, curis mordacibus & infinitis alijs moleſtijs in infelici Satanæ ſeruitio confici, alterum verò iſtum in diem viuere vitam tranquillam, & Dei benedictione frui, denique ex ſuis laboribus voluptatem percipere. Quod ipſum fateri cogêris, ſi omnia alia vitæ genera percurras. Verè enim panibus & cœleſtibus donis abundant, quotquot in Dei domo fideliter ſeruiunt, fame interim pereuntibus ijs, qui diabolum cum ſuis porcis pietati & Dei beatiſſimo ſeruitiò præferunt.

Cur multi non verè pœniteant?

Ex his autem omnibus apparet, quæ cauſa ſit, cur multi ad pœnitentiam ſalutarem nunquam perueniant. Ea nimirum, quòd Deum pulſantem negligunt, & medijs quibus ille vtitur ſe accommodare dedignantur. Quàm multos enim eſt videre, qui vt Verbum Dei audiant adduci non poſſunt, qui amicorum admonitiones improbè eludunt, ſigna iræ Dei ſcurriliter contemnunt & rident, calamitatibus autem circumuenti, veras harum cauſas non reſpiciunt, ſed vndique exempla corradunt, quibus ſeſe tueantur, ne ſe dignas ſceleribus ſuis pœnas pati cogantur fateri? Sunt his magis deplorati, qui cùm Verbo Dei ſe conuictos eſſe, & eiuſdem iudicio vrgeri & ſpem liberationis omnem ſibi ereptam ſentiunt, fremere & in voces horrendas atq; blaſphemas ruere non verentur: cuius impietatis exempla in Caino, Saule, Iuliano, & hodie in multis extant, qui ex prophano omnis diſci-

plin

plinæ contemptu ſibi laudem ſupremam pollicentur. Quid ergo in omnibus illis Spiritus Dei proſi-ciat? aut num quis hoc petere auſit, vt is ſe ipſis reluctantibus in animos plus quàm porcinos & fœdiſsimum diaboli ſterquilinium intrudat? Itaq; in peius iſti omnes proficiunt, neq; vnquam ad ſe reuertuntur, & tandem in deſperationis præcipitium adducti pereunt.

Ad patrem redire cogitat.

Sed redeamus ad noſtrum ſubulcum, quem calamitatis ſenſus rectius iudicare docuit. Nam non ſolùm queritur de ſua infelicitate, ſed conſilio ſano ſecum inito addit: Surgens proficiſcar ad patrem meum. Paucis verbis duo comprahendit obſeruatu imprimis neceſſaria. Primum eſt, conditionis præſentis odium & vitæ totius emendatio. Nec enim ait: Quandoquidem me & amicis deſtitutum & mihi omnia elementa infeſta eſſe ſentio, neq; alia melioris ſortis ſpes mihi affulget, agedum ſatis ſuperq; in hoc porcorum ſterquilinio volutabor, aut aliquò profugiam, & rapinis, furtis, impoſturis meam leuabo inopiam: denique ne à cædibus quidem abſtinebo, vt vel melius mihi proſpiciam, vel vitam infelicem ſemel finiam. Nihil horum ille dicit, neque fratri aut alijs patris ſui domeſticis ſortem meliorem inuidet, quod multi faciunt, qui vbi ſibijpſis calamitates accerſiuerunt, vna ſecum omnes homines calamitoſos eſſe vellent, & odio dignos arbitrantur, quotquot felicius aut beatius viuere audiunt. Quin potius noſter hic ad patrem redire, & huius diſciplinæ ſe rurſus ſubijcere ſtatuit, cuius iugum antea improbè excuſſerat. Alterum huic conſilio coniunctum eſt, Spes bona de patris clementia & facilitate. Nam niſi illa confirmatus fuiſſet, de reditu ad illum ne cogitaſſet quidem.

Fides tædium peccati & fiduciam gratiæ parit.

Sunt hæc præcipua veræ & ſalutaris pœnitentiæ capita, ſine quibus hæc non conſiſtit. Quomodo enim relictis peccatis ad Deum reuertetur, quem nullus ſcelerum admiſſorum & vitæ anteactæ pudor tangit? Rurſus, quæ ratio mouebit vt ad illum redeat, qui non bene ſperat de eius bonitate & miſericordia? At nihil horum præſtabimus abſq; fide. Hæc enim ſola animos ſupra terrena omnia euehit, & de Dei clementia certos facit, dum ad hanc nobis aditum factum eſſe docet per Chriſtũ Ieſum, qui nobis ab illo iuſtitia & ſanctificatio datus eſt. Eadem vitæ prioris & mundi huius tædium in nobis generat, quod non poteſt non oboriri illis, qui immenſam Dei bonitatem & ineffabilem, quæ in cœlis nobis repoſita eſt, felicitatem diligentius intra animos ſuos expendunt. Et quàmuis mores ſolitos & ſtudia priora relinquere carni durum ſit, fides tamen ita nos Chriſto inſerit, vt eius Spiritu animati in ipſo poſsimus omnia. Itaque in pœnitentia imprimis fide opus eſt, quæ vt deſperationis periculum ſola repellit, ita virtutum omnium fœcundiſsima mater eſt, & nos ad ſeriam vitæ emendationem excitat, facit denique, vt in Chriſto renati fructum multum feramus. Quæ cauſa eſt, quòd hic non modò peccatorum remiſsionem, verumetiam pœnitentiam in ſuo nomine prædicare iuſsit. Et nocentiſsima illorum doctrina eſt, qui pœnitentiam quidem multis vrgent, nullam autem fidei mentionem faciunt, ſine qua illa aut nulla erit, aut ſalutaris eſſe non poterit. Nam ſi fidem auferas ab eo, qui iam viua & ſeria peccatorum cognitione & diuini iudicij ſenſu terretur, quis obſtabit, quò minus cum Caino, Saule, Iuda & ſimilibus deſperationis voragine abſorbeatur? Dauidem certè non aliud ſeruauit, quàm quòd cum ſuis peccatis multitudinem gratiæ & miſerationum Dei conferens, has omnibus illis ſuperiores eſſe videret. Et Petrum hoc ipſum ab interitu eripuit, quòd in Chriſti ipſum reſpicientis paterno intuitu bonitatem Dei gratuitam agnouit, quæ dolentem & in lachrymas amariſsimas effuſum ſpe bona impleuit. Multa igitur & diligenti promiſsionum Dei & exemplorum gratiæ eius meditatione nobis opus eſt: quæ cùm non ſemel iam alibi commemorauerimus, & ſcripturas legentibus paſsim occurrant, nolumus eorundem repetitioni nunc diutius inſiſtere.

Præcipitia duo cauenda.
1. Hypocriſis.
Hoſ. 6.

Caterùm in hac pœnitentiæ parte duo præcipitia diligenter cauere oportet. Primum eſt hypocriſis, quæ facit, vt pœnitentiam aut fucatam aut momentaneam agamus. Reprehendit hoc vitium paſsim Deus per prophetas in Iudæorum gente, & huc præcipuè pertinet, quod per Hoſeam dicit: Quid faciam tibi ô Ephraim? quid faciam tibi ô Iuda? Pietas veſtra eſt vt nubes matutina, & vt luti ros manè veniens & abiens. Similibus elegantiſsimis hypocritas depingit. Vt enim nubes matutinæ, etſi terræ arenti & ſitienti pluuias polliceantur, ad Solis tamen exortum euaneſcunt: ita illi interdum calamitatibus coacti pœnitentiæ conſilium ineunt, vt magno cum conatu neſcio quid facturi videantur: ſed mox nouis cupiditatum ardoribus inflammati curam hanc omnem abijciunt,

ad aliquem patris vicinum aut amicum confugere. Et eſt hoc magnum bonitatis & clementiæ Dei argumentum, qui etſi plurimis grauiſſimiſq; peccatis offendatur, pater tamen à nobis agnoſci & dici gaudet. Admonemur autẽ, nos quoq; peccata non alij, quàm huic confiteri debere eò quòd ſolus hic ea remittendi ius habet. Vt ergo ſtultus meritò cenſetur, qui medicinã quærit apud eum, qui neque medendi arte, neq; etiã pharmacis aut remedijs inſtructus eſt: ita non ſtulti modò, ſed terq; quaterq; infelices ſunt, qui in periculoſiſſimis animæ morbis ad eos confugiunt, qui his mederi non poſſunt. Faciunt hoc, qui Sacrificos & Monachos ſibi deligunt, in quorũ aures delicta ſua fatentur, & ab iiſdem horum remiſſionẽ, ſiue abſolutionem (vt ipſi loquuntur) poſtulant. Abutuntur illi ad erroris ſui defenſionẽ Iacobi authoritate, qui dixit: Confitemini alius alij offenſas aut delicta. Sed quid hoc ad ſa- Iacob. 5.
cerdotes, cùm de mutua iniuriarũ aut offenſarũ confeſſione Apoſtolus loquatur, qua fit, vt in gratiã redeant, qui prius inter ſe diſſidebant? Et non vident ſtupidiſſimi homines, ex illo loco confeſſionẽ illam, quã Sacrifici exigunt, non aliter aſtrui poſſe, quàm vt ipſi viciſſim in laicorũ aures ſua delicta deponant. Nos ergo hunc noſtrum imitemur, quod ſanctiſſimos quoſq; omnibus ſeculis feciſſe conſtat.

Quomodo autẽ fatetur peccata ſua filius iſte infelix? Num omnia ex ordine recenſet, vt quid to- Modus confeſſionis.
eo illo tẽpore, quo à patris ædibus abfuit, feceris, quidúe in ſingulis vrbibus deſignari, tex ordine exponat? Nequaquã. Etenim vt id ferè fiat, impoſſibile eſt. Delicta enim (inquit Dauid) quis intelligit? Pſalm. 19.
Et vafrũ eſt cor hominis & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Itaq; vno verbo omnia peccata ſua ſi- Ierem. 17.
mul cõpræhendis, neq; ea in aurẽ inſuſurrat, ſed clara voce clamat: Peccaui in cœlũ & aduerſum te. Paucis atrocitatẽ & magnitudinẽ peccati exprimis, quod imprimis opus eſt facto, vt eò feruentiori pœnitentiæ ſtudio accendamur, et ſimul Dei cùm bonitatẽ tum potentiã cõmendemus, qui peccatis noſtris vinci nõ poteſt. In cœlũ autẽ peccare dicimur multas ob cauſas. Primò, quòd etſi homines iniuria afficimus, in his tamẽ Deus ipſe læditur, qui ne quid huius faciamus, prohibet. Et hoc quàm maximè in iis locũ habet, qui impij ſunt in parentes, & quoſuis alios, qui ex Dei inſtituto aliquod ius in ipſos obtinent. Deinde in cœlũ peccare dicuntur homines, quia eorũ peccata in cœlũ clamant, ſicuti de ſanguine Abeli per Cainum effuſo, de Sodomæis item & Niniuitis Scriptura loquitur. Tertia huius locutionis ratio eſt, quia peccata cum naturæ ordine pugnant, cui creaturæ omnes obediunt, & quidem imprimis cœli quoad motũ perpetuum & certum atq; alias influentias ſiue effectus. Quis enim non fateatur his iniuriam fieri ab homine, qui cùm horum ſeruitio & obſequio vtatur ex ſingulari Dei beneficio, ipſe ſolus huic minus obtemperat? Adde his, quòd peccando dona cœleſtia prophanantur atq; minuuntur: deniq;, quòd cœlo teſte, adeoq; in ipſius Dei conſpectu peccatur. Prodeſt ergo hoc in ſingulis peccatis obſeruare, ne illa extenuando ſimul Dei gratiam non ſatis dignè æſtimemus, & in pœnitentia etiam ſimus languidiores.

Præterea ad extremã humilitatẽ noſter hic ſeſe deijcit, dicens: Neq; amplius ſum dignus vocari Humiliatio extrema.
filius tuus. Id verò imprimis fiat oportet. Quia enim ſuperbis & cõfidentibus Deus reſiſtit, nunquam huic probabuntur, qui nõ toti in eius conſpectu humiliati fuerint. Id verò præ alijs peccatores facere debent, qui Dei oculos atrocioribus delictis offenderũt. Et quantũ hìc noceat confidentia & ſuperbia Phariſaica, tam Iudæorũ veterũ, quàm multorum aliorũ exemplis admonemur. Quàm ſtultè autẽ faciãt, qui ſeſe confidentius efferunt, vnus hic locus abunde admonet, qui tantam peccati atrocitatem eſſe docet, vt indignos faciat, qui filij Dei nominemur. Ergo à Deo ſeparat (quod omnis miſeriæ & infelicitatis initium atq; ſumma eſt) & proinde à regni quoq; cœleſtis hæreditate excludit. Quàm ergo infelices ſunt, qui adhuc ſuperbiunt in Dei conſpectu, & ſua merita iactant?

Addit his poſtremò filius iſte: Fac me vt vnum ex mercenarijs tuis. Quibus verbis obedientiam Obedientiæ uotum.
pollicetur omnibus numeris perfectã. Quaſi diceret: Nõ peto vt priſtinæ dignitati reſtituar, quã turpiter proſtitui: ſed vt domi tuæ mihi verſari liceat, precor: quod vnum ſi mihi obtingat, nullã ſortem quantùmuis durã & acerbam ſubire detrecto. Imò me beatũ exiſtimabo, ſi vel inter mercenarios locum habeam. Ita olim Dauidem affectũ fuiſſe legimus, qui tunc quoq; ſe ad obſequiũ omne Deo pa- 2. Sam. 15.
ratum fore teſtabatur, ſi ſe ab illo reijci audiret. Nec aliter ipſi quoq; de nobis ſtatuere poterimus, ſi cogitemus, nihil nobis tam graue & dirũ accidere poſſe, quin grauiora & duriora meruerimus. Itaq; patienter omnem fortunam ſuſtinere debemus, & ſufficiat nobis, ſi in Dei domo locũ poſſimus qualemcunq; obtinere. Nam vt idem Dauid dicebat, ſatius eſt ad limen domus Dei deſidere, quàm in Pſalm. 84.

Orditur autem hanc partem Dominus à prima reconciliationis cauſa quam his verbis exponit: Reconciliationis cum Deo cauſa prima.
Cùm autem adhuc longè abeſſet filius ille perditus, vidit eum pater ipſius, ac miſericordia motus eſt.
Exprimitur his gratuita & paterna Dei bonitas, cuius certa idea indicantur. Prima eſt, quòd fi-
lium, qui adhuc procul aberat, ipſe prior videt. Vnde enim hoc? Nimirum, quod cum deſiderio eius
reditum expectauit, & ideò, quaſi in ſpecula aliqua conſtitutus in illum intentus fuit. Deinde illo vi-
ſo miſericordia motus eſt, vel (vt Lucas ſcripſit) ἐσπλαγχνίσθη, quod totis viſceribus commotum
fuiſſe ſignificat. Reſpondet enim Græca vox Hebrææ Rachan, & Rachem, qua στοργὴ, id eſt, natu- רחם
ralis illa affectio exprimitur, qua parentes erga liberos in periculo aut miſeria maxima conſtitutos
affici ſolent. Exemplum huius in meretrice, quæ apud Solomonis tribunal aduerſus ſociam ſuam pro
filio ſuo cõtendit, in hiſtoria ſacra habetur. Cùm enim Rex infantem diſſecari & vtriq; partem dari
iuſſiſſet, eius viſcera commota eſſe aut incaluiſſe dicuntur, adeò vt filiũ potius alteri concedere vel-
let, quàm in eius crudelem necem conſentire: quo indicio Solomon illam eius matrem eſſe deprehen-
dit. Hunc verò affectum Deo patri Chriſtus in præſenti tribuit, quod alibi quoq; in Scripturis fieri
conſueuit. Nam in Pſalmo ſcribitur: Sicut pater liberorum ſuorum miſeretur: ita Dominus miſe- Pſalm. 103.
retur eorum, qui ipſum timent. Et per Ieremiam ipſe populi ſui liberationem & reditum ex Baby- Ierem. 31.
lone promittens, inter alia dicit: Annon pretioſus filius eſt mihi Ephraim? annon natus delicatulus?
Omnino enim adhuc memor eius ſum iam inde cùm primùm ei loquerer: vnde & viſcera mea com-
mouentur ſuper eum, omnino miſerebor eius, dicit Dominus. Neq; nobis de hoc paterno Dei affectu
dubitare licet. Si enim homines, qui natura iracundi & iniuriarũ impatientes ſunt, paternus amor
vincit & mouet, vt filiorum contumaciũ miſerijs tangantur: quantò magis hoc nos de Deo ſperare Pſalm. 136.
debemus, cuius miſericordia ſempiterna eſt, & omnia opera eius ſuperat? Ipſe certè apud Iſaiam & 145.
amorem ſuum, quo nos proſequitur vehementiorem multò eſſe teſtatur, quàm naturales illas paren Iſa. 49.
tum affectiones, de quibus ante diximus.

Non temere autem huius primo ſtatim loco Chriſtus hîc meminit. Ita enim docet, reconciliatio- Deus à longè nos uidet.
nem cum Deo, ex qua omnis noſtra ſalus dependet, nobis ex mera & gratuita miſericordia obtin-
gere. Eadem eſt enim omnium noſtrûm, quæ filij huius concoctoris conditio. Nam abs ſe alienatos &
procul ſeiunctos Deus prior reſpicit, & quia pater eſt indulgentiſſimus, mox noſtri miſeretur, pri-
uſquam nos noſtram miſeriam exponamus, aut ipſius opem precibus multis & artificioſis implore-
mus. Vt enim patri ſufficit, ſi filium in flumine aut incendio periclitantem videat, & patris nomen
ab illo inclamari ac repeti audiat: ita periculis & calamitatibus noſtris Deus abunde mouetur, &
ſatis illi fuerit, ſi nos de pœnitentia & noſtræ miſeriæ confeſſione ſolicitos eſſe, iamq; animis noſtris
pias atque ſerias de his cogitationes concepiſſe intelligat. Videt enim animi noſtri receſſus, & ideò
(vt apud Iſaiam ait) priuſquàm clamemus, exaudit nos. Et hæc illa bonitas eſt, quam Dauid præ Iſa. 65.
dicat, dicens: Cùm cogitarem, Fatebor contra me tranſgreſſionem meam Domino, tu remiſiſti ini-
quitatem peccati mei. Exempla, quibus iſta cõfirmentur, plurima adduci poterant. Annon enim nos
omnes à longè vidit Deus, quando priuſquàm hic mundus crearetur, cõditionem noſtram infelicem,
in quam deuenturi eramus, conſiderans, noſtri miſertus, æterno ſuo decreto Filium ſuum nobis re-
demptorem prædeſtinauit? Annon procul abs ſe alienatos reſpexit Iſraelis filios, quando Pharao-
nis tyrannide oppreſſos, & Aegyptiorum ſuperſtitionibus immerſos liberauit, & ſibi ex illis pecu-
lium fecit? Sic à longè gentes vidit, quando ſub tenebrarum poteſtate laborantibus Apoſtolos ſub-
miſit, qui ſalutis Verbum illis prædicarent. Et vt de priuatis hominibus loquamur, nónne Ada-
mum eminus vidit, quando fugientem & latebras quærentem retraxit, vt promiſſionem de ſemi-
ne mulieris audiret? Annon à longè Abrahamum vidit, quando inter idololatras agentem euoca-
uit, vt cum eo ſalutis fœdus inſtauraret? Annon Dauidem iam procul extra ſalutis viam vagan-
tem vidit, quando Nathanum miſit, qui ſecurum in viam remitteret? Sic Petrum prior Chriſtus
reſpexit, cùm ille iam turpis abnegator factus illi tergum obuertiſſet. Sed quid horum commemora-
tione opus eſt, quando ſinguli hanc Dei gratiam in ſeipſis quotidie experiuntur? Prodeſt autẽ gra-
tuitam hanc Patris cœleſtis dilectionem atq; miſericordiam crebrò meditari. Eſt enim hæc præci-
pua & vnica ſalutis noſtræ ſpes, quæ ſola animos ob peccatorum magnitudinem fluctuantes confir-
mare & erigere poteſt. Nam quoad in ſuas vires aut ſuorum operũ merita homines reſpiciunt, ſa-

Xx 2

luis certi fieri non poſſunt, cum hæc quidē omninò nulla, illæ autē non ſolùm debilitata, verumetiam corruptæ & ad ſola peccata efficaces ſint. Minimè ergo audiri debent, qui ex hoc loco elicere conantur, principium reconciliationis cum Deo ex nobis eſſe, eò quòd miſerū iſtum tunc demum reſpexerit pater, cùm ille iam de pœnitentia seriò cogitauiſſet, & iter ingreſſus eſſet, vt ad patrē rediret. Nam ſupra diximus, pœnitentiam quoq; à Deo nobis dari, neque de illa nos cogitare poſſe, niſi ſuo Spiritu animos noſtros ille excitet. Quid enim hic faciat homo, qui ex ſemetipſo ne ad cogitandum quidem idoneus eſt? Et ſupra in ouis parabola audiuimus, Deum eſſe, qui nos quærit, & ad gregem ſuum reducit, qui alioqui nunquam iter ingreſſuri eramus, vt ad ipſum colligeremur.

Occurrit nobis Deus.

Quid autem viſo filio pater iſte fecit? Num in otioſa commiſeratione ſubſtitit, aut illacrymaſſe contentus illum præterea neglexit? Nequaquam, quin potius ei occurrit, ne quis ipſum ad ſe iturū impediret, aut ille ipſo viſo, terrore nouo perculſus pedem referret. Ita omnibus hominibus obuiam excurrit Deus in Filio ſuo, qui in mundum hunc venit, vt miſeros in gratiam reciperet. Et quotidie nobis publicè & priuatim occurrit, quando per Verbum ſuum gratiam ſuam nobis offert, et ſimul animis noſtris Spiritum ſuggerit, qui conſcientiæ terrores diſcutit, & ſpe bona nos implet atq; confirmat. Exemplis hoc demonſtrare nequaquam opus eſt, quando hanc gratiam Dei omnes fateri cogentur, qui quid cum ipſis agatur quotidie non oſcitanter obſeruauerint. Nunc potius meminerimus noſtri officij eſſe, ne nobis occurrentem ipſi auerſemur, & illi humeros aut tergum obuertamus, quod olim Iudæos atque Iſraelitas feciſſe ſcimus. Faciunt hoc, qui gratiæ prædicationem, vt ſupervacaneam & ſibi minimè neceſſariam, reſpuunt. Item qui pœnitentiam ipſis offerentem non admittunt, & non modò ad Verbum Dei aures obturant, verumetiam Spiritus ſancti ſuggeſtiones & propriæ conſcientiæ teſtimonium eludere & extinguere conantur. Eſt hic impietatis colophon, & compendium eſt, quo ad deſperationis præcipitium homines adducuntur. Non poteſt enim ſopiri conſcientiæ ſtimulus, quin tùm minimè ſperes recurrat. At ſi cor noſtrum nos condemnet, quomodo Dei iudicium ſuſtinebimus, qui & potentior eſt, & quem nihil eorum latet, quæ nos adhuc ignoramus? Vide 1. Ioan. 3.

Ruit in collum filij.

Sequitur in patris exemplo, quod in collum filij inciderit & complexus eum ſit oſculatus. Eſt hoc nouum tenerrimæ dilectionis argumentum, quæ à nobis melius cognoſcetur, ſi habitum filij animo repetamus, qui non alius eſſe potuit, quàm qualis ſubulcorum eſſe ſolet. Ergo laterum, ſordidum & ſqualidum, imò malè olentem & fœtore grauem complectitur & deoſculatur. Hic autem ſummus & paternus Dei amor plenius exprimitur, quem erga nos per Filium ſuum vnigenitum declarauit. In hoc enim nos, qui præter grauiſſimum fœtorē inter diaboli porcos, aut potius eius cloacas, contractum, & laceros ſqualentesq; pannos, nihil in eius conſpectum afferebamus, tenerrimè complexus eſt, quando naturā noſtram ille aſſumpſit, vt ipſi prorſus vniremur. Re uera enim magnus ſit oportet peccati fœtor, qui in cœlum vſque aſcendit, & Dei non nares modò, verumetiam oculos offendit. Quid verò noſtram iuſtitiam eſſe dicemus aliud, quàm veſtem laceram, quæ corpus ne tegere quidem, nedum ornare poteſt? *(Iſa. 64.)* Iſaias certè centonibus ſordidiſſimis, vel etiam pannis mulieris fluxum menſtruum patientis illam confert. Veruntamen non abſterruerunt iſta optimum illum patrem, quin nobis in Filio ſuo occurrere & nos complecti dignatus ſit. *(Oſculum Dei.)* Coniunxit complexui iſti oſcula quoque, quod inter homines præcipuum amicitiæ & amoris maximi ſymbolum habetur. Quia enim per os ſpiritus ducitur, & eodem animi noſtri cogitationes atque arcana manifeſtamus, per oris coniunctionem rectè ſpirituus atque animorum coniunctio ſignificatur. *(Cant. 1.)* Ideò in excellentiſſimo illo Solomonis Cantico Eccleſia Chriſtum orat, vt ipſam oſculetur oſculis oris ſui, id eſt, ſuum amorem ſuis vſitatis ſignis atque indicijs teſtetur, & ita de Dei gratia & ſalute ſua certam atque ſecuram faciat. Et ita D. Ambroſius locum illum intellexit, qui in Pſalm. 118. explicatione ſcribit: Oſculatur nos Dei Verbum, quando ſenſum noſtrum Spiritus cognitionis illuminat. Loquitur enim de læta illa & ſalutifera cognitione Dei, qua eius erga nos beneficam voluntatem percipimus. At quod Eccleſia orat, & quod in huius indulgentiſſimi Patris typo adumbratur, hoc Deus quotidie præſtat, & ita quidem, vt plus quàm ſtipites ſint, qui eius bonitatem non agnoſcunt, ferrum autem & adamantem duritie ſuperent, quos tanti amoris tot indicia non mouent atque emolliunt. Annon enim oſculū Dei eſt, quando ait: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur.

conuertatur & viuat? Quis item nõ oſculum Dei ſuauiſſimum agnoſcat in Chriſti verbis: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam? Oſculum Dei dulciſſimũ eſt, quod cœlitus nobis offert clamans: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo placatus ſum. Sic ipſe Filius, ſponſus animarũ noſtrarũ, oſculo lætiſſimo & ardentiſſimi amoris pleno nos inuitat, cùm ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Item: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Poſſunt etiam inter oſcula Dei cenſeri Sacramenta, quibus promiſſiones gratuitas & vniuerſum noſtræ redemptionis atq; ſalutis beneficiũ obſignat. Et reuera nos cõplectitur arctiſſimè & exoſculatur Dominus, quando per Baptiſmum nos in Eccleſiæ ſuæ gremium recipit, vt ſponſæ ſuæ membra & bonorum ipſius omnium hæredes efficiamur. Idem in Cœna ſua facit Dei Filius, quando ſe eum eſſe confirmat, qui ſua carne & ſanguine nos alat & ſeruet ad vitam æternam. Poſſumus his adnumerare quotidiana beneficia Dei, quibus ſuũ amorẽ nobis teſtatur, & quæ plura ſunt, quàm vt verbis explicari poſſint. Vtinam verò oſcula hæc Dei omnes agnoſcerent, & ijs ad ipſum redamandum accenderentur. Sed quæ noſtra eſt infelicitas, & ingenij corruptio, quàm plurimi reperiuntur, qui dum iſta per Euangelij prædicationẽ ad ſe deferri audiunt, non aliter rabie noua inflammantur, quàm ſi quid hoſtiliter aduerſus ſe tentari viderent. Ambiunt illi ferè magni illius Babylonici ſcorti, matris fornicationum, oſcula, quæ philtris et beneficijs ſuis ineſcatos ad exitium & infamiam ſempiternam deducit.

Deus priſtinæ dignitati reſtituit.

Audiuimus hucuſque magna & ſtupenda amoris diuini argumenta, ſed maiora ſequuntur. Priuſquàm enim orationẽ animo conceptam filius iſte miſerabilis totã abſoluat, ſeruos inclamat pater, & dicit eis: Proferte ſtolã illam primam, & induite eum, & date anulũ in manũ eius, & calceos in pedes: & adductum vitulum illum ſaginatum mactate, vt veſcentes oblectemur. Atqui durus aliquis Demea nunc ſibi exprobrandi occaſionẽ datam gauiſus eſſet, aut ſaltem ſe duriorẽ ſimulauiſſet, & non niſi conditionibus duriſſimis recepiſſet filium, vt eo obſequentiore in poſterum vteretur. Sed nihil iſtorum hîc audimus: imò abſque mora in filio veſtiendo & ornando ſeruos omnes occupatos eſſe vult, & ita eum ornare iubet, vt omnibus conſtare poſſet, eum poſthac non pro extero aut rebelli, vel mercenario aliquo vili, ſed pro filio herili agnoſci debere. Iſta autem parte docemur, Deum ita nos in gratiam ſuam recipere, vt (quod olim ex Sibyllinis carminibus Poeta malè ad Pollionis ſui filium detorſit) ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri, Irrita fint prorſus, nec nobis imputet illa. Imò donis prioribus nos rurſus inſtruit & ornat, adeoq; in priſtinam dignitatem reſtituit. Et huc pertinet tam diligens veſtium atque ornatus iſtius expoſitio. Primò enim ſtolam illam primã proferre iubet, vt ea induatur. Per hanc rectè innocentiam & ſanctimoniam veram intelligimus. Prima autem dicitur, non ſolùm κατ᾽ ἐξοχὴν, propter excellentiam ſuam, ſed quòd ea primùm parentem noſtrum Deus ornauerat, quando ad ſuam imaginem & ſimilitudinem eum creauit: cuius effectus erat, vt quàmuis corpore nudus eſſet, non tamen ipſum puderet. Sed amiſit veſtem hanc Adamus, quando diaboli conſilium ſecutus ex arbore vetita comedit. Tunc enim ex innocente & ſancto peccator & reus læſæ maieſtatis factus nuditatem ſuam vidit, & huius teſtimonio conuictus noua tegmina & latebras quæſiuit fruſtra, quibus ſeſe à Dei conſpectu occultaret. At reſtituit priorem illam veſtem ad ſe conuerſis Deus in filio ſuo Ieſu Chriſto, quem pro nobis peccatum fecit, vt nos per ipſum eius iuſtitia efficeremur. Imò hic nobis ſapientia, iuſtitia & ſanctificatio factus eſt, dum eius obedientia atque merito tegimur, vt noſtræ iniquitates apud Deum porrò non amplius in rationem veniant. Idem ille etiam nos regenerat, quo fit, vt veteri homine depoſito nouum induamus, & mortificatis carnis noſtræ deſiderijs vitam viuamus nouam, quæ nominis noſtri profeſſioni reſpondeat. Ideò Paulus dicebat: Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et hæc illa veſtis nuptialis eſt, ſine qua ad Eccleſiæ ſocietatẽ nemo ingredi, nemo etiam in ea perdurare poteſt, etiamſi ad tempus in externo illius cœtu aliquem locum obtineat. Debet hoc propter eos obſeruari, qui doctrinam de gratuita Dei miſericordia bonis operibus inimicam eſſe, & hominibus ad licentiam peccandi viam ſternere dicunt. Nec enim de eo nobis cum aliquo lis eſt, num bona opera fieri debeant: ſed num operibus noſtris remiſſionem peccatorum & ſalutem mereamur? Ex his poſtremum hoc negamus, & quidem grauiſſimis rationibus adducti, quas alibi commemorauimus: illud verò omnino neceſſarium eſſe docemus, quando fieri non poteſt, quin fructus ferant ſua

Stola prima.

Ioan.15. 1.Ioan.3. *profeßione dignos, qui in vite illa vera, Ieſu Chriſto, inſiti, cum eius Spiritu, ſucco nimirum vitali & vegetatiuo, participant. Scimus item eos qui iuſtitiam faciunt, iuſtos eſſe, & Chriſtum nobis non ſolùm gratuitæ iuſtificationis eſſe authorem, ſed in eodem nos etiam peccato mori, vt eius Verbo ac Spiritu ad vitæ nouitatem excitemur. Quia denique iuſtificati ex fide pacem habent cum Deo, ijdem conſcientiæ puritatem retineant oportet, quæ in peccandi licentia conſiſtere nullo modo poteſt.*

Anulus. *Sed ad patrem illum bonum redeamus, qui vt filio anulus quoque in manum detur, ſeruis mandat. Anulorum vſum antiquißimum eſſe conſtat ex hiſtoria Moſis, apud quem Iudas Thamari anulum pignoris loco dediſſe ſcribitur. Vſus autem eorum duplex fuit. Primò enim virtutis & honoris inſigne erat: & ideò apud Romanos antiquitus legatis, qui ad exteras gentes ituri erant, publicè dabantur anuli, vt dignitatis eſſent teſtimonium: neque alij ijs vtebantur, quàm qui illos ex ea cauſa publicè accepiſſent. Poſteris temporibus equeſtris ordinis inſigne anuli facti ſunt, vt his à plebe diſtinguerentur. Ideò nulli niſi libero anulum geſtare fas erat, neque plures vno habere licebat, imò pluribus vti viro infame erat, vt ex Gracchi verbis in Manium colligitur: Conſiderate Quirites ſiniſtram eius: en, cuius authoritatem ſequimini, qui propter mulierum cupiditatem vt mulier eſt ornatus. Certè virtutis ſymbolum fuiſſe anulos, mos quoque vetuſtus docet, quo illi in digito ſiniſtræ manus, qui minimo proximus eſt, geſtabantur. Quia enim ex eo neruus tenuißimus ad cor vſque extendi creditur, cor ipſum, qui virtutis fons habetur, coronare ad hunc modum videbantur, qui illi anulum inſerebant. Deinde fidei & obligationis ſymbolum anuli fuerunt, & ideò à ſponſo ſponſæ anulus mittebatur, & ſimul mos obtinuit, vt illis ſigilla quoque inſculperentur. Hodie quia luxus omnium mores corrupit, ferè non niſi oſtentationis cauſa promiſcuè ab indignißimis quoque geſtantur, & ſæpe anulis ſiguatorijs ſuperbiunt, qui vel literas prorſus ignorant, vel quod obſignent nihil habent. Quoad verò huius loci ſenſum, filio anulum dari iubet pater, vt eum priſtinæ dignitati reſtitutum eſſe oſtendat, & gratiam ſuam illi quaſi obſignet. Solet hoc ipſum Deus quoque facere illis, qui à peccatis ad ipſum conuertuntur. Vt enim eos dignitate filiorum ſuorum exornat, ita ijſdem Spiritum ſuum confert, quem υἱοθεσίας ſiue adoptionis ſpiritum, & proinde ſalutis quoque arrhabonem Apoſtolus nominat. Et rectißimè idem à nobis anulus dici poteſt, quia vinculum eſt, quo nos ſibi deſponſat Deus, & quo gratiam ſuam in cordibus noſtris obſignat, vt de ea amplius non poßimus dubitare. Ideò D. Ambroſius anulum ſynceræ fidei ſignaculum eſſe interpretatur, quod non aliud, quàm Spiritum illum dicere poſſumus, in quo clamamus Abba pater. Iſta verò vt ineffabilem Dei bonitatem nobis commendant, ita eorum commentum confutant, qui hominem ſalutis ſuæ certum fieri poſſe negant, & proinde de Dei gratia ſemper dubitandum eſſe docent. Ergo ſi illos audiamus, incerta & fallacia ſunt omnia ea, quibus ſuam gratiam nobis Deus offert, & maior erit conſcientiæ fluctuantis vis, quàm Spiritus ſancti, quem credentium cordibus Chriſtus inſinuat. Atqui huius effectum eſt, quòd cum Paulo nobis exclamare licet: Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? num oppreßio? num anguſtia? num perſecutio? &c. Vide Rom. 8.*

Calcei uera pœnitentiæ effectus. *Poſtremò calceamenta quoque pedibus filij reducis adduntur, quibus pœnitentiæ veræ effectus notatur. Per pedes enim affectus hominis ſignificari conſtat, & ideò illos Chriſtus quotidie ablui vult ab ijs quoq; quos ipſe ſuo ſanguine mundauit. At quia nunquam omnino elui poſſunt, quò minus locum apud nos habeant, vt diligentius coerceantur opus eſt, ne nos per errorum, & ſuperſtitionum auia, aut vitiorum ſpineta tranſuerſos abripiant. Id verò per Euangelij prædicationem fit, quæ & pedes noſtros munit, ne offendamus: & in vijs præceptorum Dei dirigit, vt intra vocationis noſtræ fines ambulemus, et ea ſtudeamus præſtare, quæ à nobis ille exigit. Et hunc ſenſum ex Pauli verbis colligimus, qui nos pedibus calceatos & ad iter paratos eſſe iubet præparatione Euangelij pacis. Itaque calcei iſti totum vitæ Chriſtianæ curſum adumbrant, in quo imprimis prælucere debet fidei confeßio, quæ tunc demum ſyncera & ſalutaris erit, ſi ei mores & dicta factaq; noſtra omnia reſpondeant.*

Conuerſorum ad Deũ notæ. *Eſt autem locus hic dignißimus, qui non ſemel modò à nobis diligentius conſideretur, ſed quem perpetuò meditemur & animo noſtro voluamus: Docet enim, quibus notis eos dignoſcamus, qui verè ad Deum conuerſi ſunt. Gloriantur eo nomine plerique, & ij quoque, qui ab illo adhuc longißimè*

abſunt: & nos ſæpe nobiſipſis turpiter imponimus, vt nos verè iam reſipuiſſe putemus, quando in veteri adhuc luto hæremus. Ac quia hoc triplici ornatu filius iſte donatur, vbi ad patrem reuerſus eſt, ſatis conſtat, nondum eum cœleſti Patre eos in gratiam rediiſſe, qui neque veſte illa nuptiali amicti ſunt, qua vitæ innocentiam & conſcientiæ puritatem denotari diximus, neque ſalutis arrhabonem, Spiritum ſanctum, intra animos ſuos receperunt, neque in ſua vocatione pedibus inoffenſis ambulant. Habent ergo hic Lydium lapidem omnis generis & loci homines, ad quem vitam atque fidem ſuam examinent, ne in otioſa meditatione ſubſiſtant, & ſeipſos vanis perſuaſionibus decipiant.

Deus iſta largitur per ſuos ſeruos.

At priuſquam hinc diſcedamus, videre præſtat, quis iſta nobis largiatur, aut qua ratione nobis obtingant. Vbi obſeruabis omnem hunc ornatum ex patris domo atque theſauris depromptum fuiſſe, hunc autem ſeruis ſuis mandauiſſe, vt illum proferrent atque eo filium induerent. Ergo nihil hîc noſtrum eſt, ſed à Deo nobis confertur priſtina innocentia atque dignitas. Huius item donum eſt Spiritus ille, quo corda noſtra obſignantur, & qui ſalutis noſtræ arrhabo eſt. Idem ille nos munit, confirmat & dirigit, vt ſecundum Euangelij ſui canonem in vocatione noſtra ambulemus. In his autem conferendis ſuorum ſeruorum opera vtitur, eorum videlicet, qui verbi eius adminiſtri ſunt, per quos omnia iſta ad nos deferuntur. Et hos quoque ille vocat, ad munus ſuum obeundum excitat, verba ſua ipſorum ori inſerit, vt ex ſuis theſauris ea depromere norint, quæ ad noſtram reſtitutionem neceſſaria ſunt. Ideo hos Chriſtus alibi ſub œconomorum perſona deſcribit, & eoſdem Apoſtolus myſteriorum Dei diſpenſatores dicit. Facit hoc ad miniſterij eccleſiaſtici commendationem, & nos admonet, vt ordini huic, quem Deus inſtituit, nos accommodemus. Nam qui eo cõtempto ſua figmenta ſequuntur, ij cum illo nunquam in gratiam redibunt.

Epulum cœleſte.

Porro non ſatis eſt patri illi indulgentiſſimo filium veſtitu digno ornauiſſe, ſed aliud quoque ſeruis mandat: Adductum (inquit) vitulum illum ſaginatum mactate, vt veſcentes oblectemur. Ergo epulum quoque inſtituit, cui Muſicum concentum & choros adhibitos fuiſſe, poſtea audiemus. Adumbratur conuiuio iſto felicitas vera & lætitia perpetua, qua qui verè conuerſi ſunt, tam in hac vita quàm futura fruuntur. Nam non poteſt illis non iucundiſſima eſſe bonitatis & gratiæ diuinæ recordatio, & ideo quaſi continuum epulum agentes in Deo ſemper exultant, & poculo ſalutis cum Dauide ſumpto in perpetua beneficiorum eius commemoratione gaudent. Neque cum vita hac mortali gaudium iſtud finitur, ſed vbi ex corporis huius ergaſtulo liberati ſunt, ad beatæ immortalitatis ſedes colliguntur, vt in cœlis cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo ad Filij Dei menſam accũbant, vbi cum Angelis ſanctis & omnibus electis gaudio æterno exultabunt. Interim hîc vituli ſaginati mentio fit, vt ſalutis & felicitatis huius vera ratio adũbretur. Hic enim Chriſtus eſt, qui pro peccatis noſtris hoſtia factus gaudiũ illud nobis meruit. Nã eius morte redempti ſumus, eiuſdẽ verò vita nobis iuſtitiam ſempiternam vnà cum priſtina dignitate atque vita cœleſti reſtituit. Saginatus verò dicitur, non ſolùm quòd dilectus ille Dei Filius & delicatiſſimus vitæ æternæ cibus eſt, verũ etiam quòd eũ Pater æterno ſuo decreto prædeſtinauit priuſquam mundi huius fundamenta iacerentur, vt noſter redemptor fieret. In hoc igitur ſalus omnis habetur, & idem ille cùm Sponſus noſter ſit, ſimul nobis in ſeipſo conuiuium illud nuptiale exhibet, à quo luctus & dolor omnis excluditur, animi autem gaudio cœleſti & nunquam intermorituro recreantur.

Deus conuerſione peccatorum gaudet.

Cæterùm ne quid temere aut leuiter factum putetur, cauſam ſui inſtituti pater ſubijcit: Quia filius iſte meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Faciunt iſta ad expoſitionem parabolarum de oue perdita & amiſſa drachma, quibus docuit, quàm gaudeat Deus eorum conuerſione, qui in erroribus & vitijs iam toti periiſſe videbantur: imò iam perierant, niſi gratuita illius miſericordia ad Eccleſiæ gremium rurſus colligerentur. Et dum ſimul omnes domeſticos lætari cœpiſſe dicit cum patre illo tam benigno, iterum Phariſæos perſtringit, qui ſuæ iuſtitiæ & dignitatis fiducia ebrij, ſalutem peccatoribus inuidebant, & ex eo dolorem concipiebant, quo Deus & Angeli omneſque germani filij Dei delectantur. At ſimul paucis hiſce verbis Chriſtus peccati & veræ pœnitentiæ effecta comprehendit. Peccatum occidit & perdit: Pœnitentia autem reditus in vitã eſt, et per eandem quaſi inuenimur rurſus à Deo, qui prius amiſſi & procul ab illo vagi aberrabamus. Adhæc diſcrimen indicatur inter electos & reprobos. Peccant vtrique, & tam hi quam illi

pro mortuis & perditis haberi debent, ſi ex conditione hominum communi iudicium fiat. At illi rediuiui ex peccatis reſurgunt, & ad Deum conuerſi ſeruantur, hi verò in morte perpetuò manent, & ne volunt quidem inueniri, tum ſceleribus & proprio interitu gaudeant. Reprobi enim truncis eradicatis & aridis ſimiles ſunt, ex quibus fruſtra fructum ſperes. 1. Ioan. 3. *Electi verò ſemen Dei in ſe habent, & arborum inſtar ſunt, quæ etſi hyberno tempore intermoriantur, nouo tamen vere ineunte ſucco vitali vegetantur, & quaſi reuiuiſcentes parturiunt, & nouos fructus generant.*

Contra peccandi licentiam. *Minimè ergo doctrina hæc de gratuita reconciliatione cum Deo ijs patrocinatur, qui illa ad carnis ſuæ licentiam abutuntur. Finis enim tam pœnitentiæ quàm reconciliationis noſtræ eſt, vt qui prius in peccatis mortui fuimus, vitam nouam viuamus, & fructus feramus noſtra profeſſione dignos. Intellexit hoc olim Dauid, qui cùm omnem ſpem ſalutis in gratuita Dei miſericordia collocatam haberet, ſic tamen orabat:* Pſal. 51. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua & Spiritum tuum ſanctum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu ſpontaneo confirma me. Qua precatione totum reconciliationis noſtræ myſterium & eius effecta breuiter explicat. Primum inter hæc eſt cordis mundicies, quam deleto in nobis peccato ſequi neceſſe eſt. Secundo loco ſpiritus rectus aut firmus nominatur, qui ſalutis certos facit, ne de Dei gratia dubitemus. Sequitur mox Spiritus ſanctificationis, qui nos gubernat, vt & Deum inuocemus, & vitã omnem ſanctè inſtituamus. His ſubijcit lætitiam ſalutaris Dei & ſpiritum ſpontaneum. Qui enim priora illa ſe accepiſſe ſentiunt, hi in ſalute per Deum exhibita lætantur, & voluntario ſpiritus motu ſe totos illius voluntati ſubijciunt per fidei obedientiam. Sit ergo hæc nobis quoque precum noſtrarum regula, & fide firma amplectamur gratiæ huius mediatorem, qui eſt æternus Dei Filius Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CLIII.

Erat autem filius eius ſenior in agro, qui vt veniens appropinquauit domui, audiuit concentum & choros: & cùm vnum ex pueris vocaſſet percontatus eſt, quid iſtud eſſet. Is verò dixit ei: Frater tuus venit, & mactauit pater tuus vitulum illum ſaginatū, quòd valentem illum receperit. Indignatus eſt autem ille, nec voluit introire. Pater ergo eius egreſſus hortatus eſt eum. Ipſe verò reſpondens dixit patri: Ecce tot annos ſeruio tibi, nec vnquam mandatum tuum ſum tranſgreſſus: nec vnquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis oblectarer. Sed cùm filius iſte tuus, qui deuorauit facultates tuas cum meretricibus, venit, mactaſti ei vitulum illum ſaginatum. Ipſe verò dixit ei: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: Oblectari autem & gaudere te oportebat, quòd frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perieratq́; & inuentus eſt.

Hypocritarum moroſitas & inuidia damnatur. *NIhil quidem homini tam neceſſarium eſt, quàm gratuita Dei miſericordia, per quam is nobis in Chriſto Ieſu peccata noſtra remittit, & nobis vitam æternam largitur: ea autem eſt humani ingenij prauitas, vt illam ſibi liberaliter oblatam pauci dignè excipiant. Sunt enim nonnulli, qui cùm omni pietatis ſenſu extincto in omne ſcelus præcipiti licentia ruant, iampridem ſibi perſuaſerunt, Deum qui mortalia curet nullum eſſe, & proinde nos illius gratia nequaquam opus habere. His iam opponit ſeſe hypocritarum turba, qui ſuorum operum meritis & propria iuſtitia confiſi, hæc ita oſtentant, vt gratiæ prædicationem, quaſi ſuperuacaneam & nihil ad ſe pertinentem facilè negligant. Et horum quidem tanta eſt improbitas, vt tanquam canes in præſepi alijs quoque inuideant benignitatem Dei, qua ipſi frui dedignantur. Vtriſque Dominus hac parabola medetur. Nam prioribus illis perſpicuè oſtendit quæ ſit peccati conditio, & quòd Deus diſciplinæ contemptũ atque violationem non dimittat impunè abire. Ne quis tamen ex eo in deſperationẽ delabatur, immenſam*

menſam Dei bonitatem depingit, qua ad ſe conuerſos indulgentia plus quàm paterna excipit. His nunc vltima pars parabolæ ſubtexitur, qua eorum confidentiam atque moroſitatem reprehendit, qui ſuæ iuſtitiæ fiducia turgidi, indignè ferunt peccatoribus peccata ſua remitti, & gratiæ Dei exempla malignis atque inuidis oculis intuentur. Typum iſtorum facit fratrem prodigi illius maiorem natu, per quem aliqui Iudæorum populum adumbrari arbitrantur. Quorum ſententia tolerabilis quidem eſt, ſi quis hos cum gentibus conferat. Sed ſi quis totum huius Cap. contextum diligentius conſideret, videbit Chriſtum generaliorem doctrinam proponere. Nam Scribas atque Phariſæos cum publicanis & peccatoribus manifeſtus confert, qui ſimul omnes vtrinque ex Iudæis erãt. Vt ergo prodigus ille omnium perſonam ſuſtinet, qui palàm diſciplinæ Dei iugum excutiunt & nefaria licentia illius dona turpiter prophanant: ita alter iſte, de quo nunc agetur, omnium hypocritarum ingenium atque mores exprimit, qui ſe ſolos dignos eſſe putant, vt pro Dei filijs & regni eius hæredibus habeantur. Quia verò tales non in ſola Iudæorum gente Phariſæi atque Scribæ fuerunt, ſed hodie etiam paſſim inueniuntur, & ijdem Euangelij doctrinæ inſolenter nimis obſtrepunt, proderit quæ de iſto dicuntur diligentius inſpicere, vt de illorum moribus ex ipſius Chriſti verbis diſcamus iudicare.

Hypocritarum ſtudia.

Erat (inquit) filius eius ſenior in agro, qui vt veniens appropinquauit domui, audiuit concentum & choros &c. Primùm vbi fuerit filius iſte indicatur, & vnde aduenerit. In agro autem fuit: qua locutione eorum ſtudia Chriſtus exprimit, qui ſalutem proprijs ſuorum operum meritis obtinere ſatagunt. Laborant hi in agro, terrenis nimirum operibus occupati, cùm ignorent ea quæ ſunt Spiritus Dei. Quia enim neſciunt vniuerſam humani generis ſalutem ex æterno Dei decreto pendere, qui noſtri miſertus Filium ſuum nobis Seruatorem vnicum prædeſtinauit, ex ſemetipſis cultus inſtituunt, quibus illum placari & Regnum eius obtineri poſſe ſibi perſuadent. Itaque alij quidem caſtitatem vouent, quam cælibatu definiunt, & eo ipſo coniugium impuritatis accuſant. Alij vitæ ſolitariæ genus ſequuntur, & in locis ab hominum conſuetudine remotioribus degunt, vt mundum reliquiſſe videantur. Alij vitam monaſticam in cœnobijs agunt, & ab alijs veſtitu quoque diſtingui volunt, quaſi is ad ſalutem aliquid faciat. Sunt qui ieiunijs & ferijs vacant, & in otio ignauo vel ciborum diſcrimine ſuperſtitioſo Dei cultum conſiſtere ſibi perſuadent. Sunt qui toti ex ſimulachrorum cultu pendent, neque illis quæ domi habent contenti per terras & maria vagantur, & mani labore ſeipſos conficiunt, vt peregrinis idolis nuncupata vota perſoluant. Inueniuntur etiam, qui ſuis viribus diffiſi, alios mercede conducunt, qui pro ipſis preces demurmurent, cantent, Miſſas celebrent, & alia infinita faciant, quæ nulla diuini verbi authoritate nituntur. Taceo nunc cilicia, chameunias, altarium extructiones, monaſteriorum fundationes, donationes, indulgenciarum contractus, fraternitates, exequias & ſacra pro defunctis, cum ſexcentis alijs, quæ homines ſuperſtitioſi excogitauerunt. Atqui omnia iſta in exercitatione corporali conſiſtunt, quam Paulus paululum vtilitatis habere ſcribit, & cùm terrena opera ſint, quæ humanis viribus confici poſſunt, vt ijs cælum quis mereatur impoſſibile eſt. Nemo enim aſcendit in cælum ſua virtute, niſi qui è cælo deſcendit, Ieſus Chriſtus, qui ex verbi ſui ſemine renatos nouis viribus inſtruit, vt & ipſi per fidem eò euehantur, & in ipſo bonorum cæleſtium participes fiant. Et cùm ex operibus Legis nemo iuſtificari queat, ſtultum fuerit aliquod ſalutis meritum in illis collocare, quæ ſecundùm humanas traditiones fiunt, quas Dei ſententia iampridem damnatas eſſe conſtat.

1.Tim. 4.
Ioan 3.

Deinde audit iſte cõcentũ Muſicorũ et choros in ædibus paternis. Vbi nemo laſciuas et petulãtes ſaltationes animo cõcipere debet, quæ hodie chorearũ et chororũ nomine palliãtur. Lõgè alia enĩ fuit horũ ratio apud veteres. Chori enim nõ ex maribus et puellis ſimul cõſtabant, ſed ſecundùm ſexum diſtinguebantur. Præcipuum in illis erat carminum concentus, ad quorum rhythmos greſſum quoq; moderabãtur. Carminũ verò argumentũ cũ re præſenti cõueniebat, vt in Tragœdijs eſt videre. Itaq; pro illorum temporum conſuetudine Chriſtus loquitur, et per concentum illum atq; choros lætitiam credentiũ adumbrat quæ ex diuinæ bonitatis conſideratione naſcitur, & in quam pij effunduntur, ſi quæ illius exempla ſingularia videant in illis, quorum ſalus iam omnino deſperata eſſe videbatur.

Chori lætitiam piorum adumbrant.

Et ſanè iucundiſſimus eſt chori illius eccleſiaſtici cõcentus. In illo enim ipſe Dei Spiritus, quaſi choragus aut chorodidaſcalus gratuitæ miſericordiæ prædicatione præire ſolet, quam ille nobis in Filio ſuo vnigenito exhibet. Reſpondent illi credentes cum gratiarum actione, & viciſſim ipſi quoque bonitatis illius laudes decãtant. Hinc conſcientiæ gaudium et tripudium oritur, in quo ſimul omnes totis animis exultant, adeò, vt quàmuis gaudium iſtud Satan perſecutionibus & afflictionibus omnis generis turbare conetur, nihil tamen proficiat. Qui enim ex fide iuſtificati pacem habent cum Deo, in aduerſis quoque gaudent, imò afflictionibus gloriantur, vt Paulus ad Romanos ſcribit. Et iſta quidem palàm fiunt in eccleſia, vt hypocritæ etiam & hoſtes gratiæ Dei ea audiant & videant. Sic in conſpectu Phariſæorum Matthæus & Zachæus cum ſuis exultarunt, & huius Cap. initio illis videntibus publicanos & peccatores ad Chriſtum confluxiſſe audiuimus, vt eius doctrinam audirent, quæ iſtius lætitiæ cauſam atque materiam exhibet. Nec enim diſſimulare poſſunt pij gratuitæ miſericordiæ Dei beneficium, & in eo etiam huius bonitas elucet, qui nouis quotidie exemplis hoſtes quoque inuitat, vt quam alij iam ſentiunt gratiam ipſi quoque amplectantur. Quòd ſi eam vel tunc quoque contempſerint, vel inde arripuerint aduerſus illum murmurandi occaſionem, eo ipſo confidentiam nulla venia dignam oſtendunt.

Hypocritæ ex exemplis gratiæ offenduntur. *Id verò pleriſque accidit, quos ſua iuſtitiæ fiducia inebriauit, quod fratris huius ſenioris exemplo Chriſtus docet. Audit is concentum & alia lætitiæ inſolitæ indicia in paternis ædibus, quæ ipſum excitare debebant, vt rectà ingreſſus ſe gaudij communis ſocium adiungeret. Sed homo tetricus prius cauſam huius rei cognoſcere vult, quaſi verò pater aliquid præter rationem domi ſuæ fieri pateretur. Illa autem cognita, mox indignatur, neque vult ingredi. Quid verò eum mouerit, paulo poſt ex eius ad patrem verbis intelligemus. Iſto autem exemplo arrogans hypocritarũ animus exprimitur, qui in Dei opera atque iudicia confidentiſſimè inquirunt, & quaſi illo ſanctiores atque honeſtiores ſint, nihil minus ferre poſſunt, quàm ſi illum gratiam ſuam peccatoribus communicare, & cum his familiarius agere videant. Exempla huius generis in Iudæorum Phariſæis Euangeliſtæ multa proponunt, & hodie infinita extant, ex quibus temerariam eiuſmodi hominum confidentiam poſſumus agnoſcere. Nam in exempla gratuitæ miſericordiæ curioſius inquirere, & ea ad ſuæ rationis calculum reuocare ſolent. Vbi mox occurrit, iniquum & abſurdum eſſe, vt inæqualibus æqualia dentur præmia, id eſt, vt regni cœlorum hæredes cum iuſtitiæ & honeſtatis publicæ ſtudioſis fiant ij, qui prius vitijs multis polluti & infames vixerunt. Et quia neque latentem ſub ſanctitatis ſpecie humani ingenij prauitatem, neque Dei miſericordiam rectè agnoſcunt, iſta conſideratione abrepti huius prædicationem reprehendere, & Deum ipſum (vt poſtea ſequetur) accuſare non verentur. Denique eò tandem deueniunt, quòd neque cum eccleſijs illis communicare volunt, quæ peccatores recipiunt, neque etiam cælum illud ingredi, in quo peccatoribus locum eſſe vident: imò etiam hanc ſalutis rationem deteſtantur, quæ ſceleratis & flagitioſis hominibus aditum facit ad thronum gratiæ, vt ij quoque vitæ & gaudij*

Anabaptiſtæ. *æterni hæredes fiant. In iſto hominum genere, noſtro ſæculo, facilè primatum habent Anabaptiſtæ, qui dum à nobis ſeceſſionem faciunt & ſciſmatis authores ſunt, hoc potiſſimum argumento ſeſe excuſant, quod nos eccleſias pollutas habere aiunt, in quibus homines vitijs dediti & flagitijs infames admittantur, vt Euangelium aut gratiæ Dei prædicationem audiant, & huius ſigillis, id eſt, ſacramentis communicent. Quaſi verò in noſtra poteſtate ſit gratiam Dei anguſtioribus finibus includere, aut eorum conſcientias altius ſcrutari, qui peccata ſua confitentur, & pœnitentiæ doctrinam admittunt. Stulti reuera homines, qui nulla neceſſitate adacti iudicium de aliorum conſcientijs ſibi vendicant, in quo omnes eos periculoſè errare oportet, qui cordium arcana non poſſunt inſpicere. Atqui hoc ſolius Dei opus eſſe notius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Ignorantiam verò ſuam ſimul egregie produnt, dum ex aliorum peccatis pollutionem metuunt, ſi cœtus ſacros ingrediantur, in quibus non ſcelerum, ſed ſacrorum communionem haberi conſtat. Cæterùm dum ſuæ innocentiæ & ſanctitati quàm maximè conſultum volunt, canes referunt. Vt enim hi inuidia præ alijs animalibus laborant: ita incomparabilis ſit oportet iſtorum inuidia, quæ eos adeò faſcinat & dementat, vt ſeipſos potius à Dei domo excludere malint, quàm cum alijs diuinæ bonitatis beneficia percipere, quos ſua conſuetudine ſemel indignos eſſe ſibi perſuaſerunt. Et*

vt

tanes ferè campanarum ſonitum, cubarum clangorem & concentum plurium cantorum ferre non poſſunt, ſed triſti & moleſto vlulatu illis obſtrepunt: ita iſti homines gratuitæ miſericordiæ diuulgatione, cœleſtis tubæ omnes homines ad Dei regnum vocantis lætiſſimo clangore, & dulciſſimo Prophetarum, Apoſtolorum & credentium omnium concentu offenduntur, qui vno ore & corde bonitatem Dei prædicant, & ad huius laudes nouis quotidie exemplis excitantur. Quæ autem ingenij peruerſitas eſt, ex eo dolorem & inuidiæ occaſionem arripere, vnde conſolationis argumenta peti debebant?

Dei manſuetudo erga huius iniquos æſtimatores.

Sed relictis liuidis iſtis gratiæ Dei oſoribus, ad huius bonitatem conſiderandam redeamus, quam nouo argumento nobis Chriſtus commendat. Nam patrem ad filium ingredi nolentem foras exiuiſſe, & illum hortatum fuiſſe dicit, vt & ipſe ingreſſus cum alijs gauderet. Iſtis verò admirabilem Dei manſuetudinem exprimit, qua malignos ſuæ gratiæ æſtimatores proſequitur, qui odio potius & contemptu digni erant. Poterat equidem pater iſte optimo iure cum filio ſuperbo & confidenti expoſtulare, qui moroſitate ſua gaudium totius familiæ iuſtum & honeſtum turbabat: ſed precibus cum illo agere dignatur. Ita non ſemel Deum feciſſe legimus. Huc enim pertinent paternæ illæ admonitiones & adhortationes non minus blandæ quàm graues, quibus per Prophetas apud veterem Iudæorum gentem olim vſus eſt. Quid verò de Filio Dei, Ieſu Chriſto, dicemus, qui gratiam Patris ſui non modò in genere prædicauit, verumetiam multa priuatim cum Phariſæis egit, qui illam confidenter nimis explodebant? Ita ſanè hæc cauſa illi cordi fuit, vt ne à lachrymis quidem ſibi temperauerit, quibus infelicem Hieroſolymitanæ vrbis ſortẽ defleuit, in qua iſtud hominum genus dominabatur. Facit hoc ipſum hodie etiam, quando aſſidua verbi ſui prædicatione eos ad ſe vocat, quos ſuorum operum fiducia in erroribus & ſuperſtitionibus detineri videt. Sed & ex illorum grege multos quotidie illuminat & trahit, vt eorum exemplo alij moueantur. Eſt hæc diuinæ bonitatis conſideratio plena dulciſſimæ conſolationis. Qui enim hoſtes & iniquiſſimos ſuæ gratiæ cenſores tanta benignitate inuitat, num eos negligere aut odiſſe poterit, qui totis animis ad illam anhelant?

Hypocritarum ſuperbia.

Porro filij maioris reſponſum audiamus, quem ita patri loquentem Chriſtus inducit: Ecce tot annos ſeruio tibi, nec vnquam mandatum tuum ſum tranſgreſſus: nec vnquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis oblectarer: Sed cùm filius iſte tuus, qui deuorauit facultates tuas cum meretricibus, venit, mactaſti ei vitulum illum ſaginatum. Depingitur hîc nobis intolerabilis hypocritarum ſuperbia, qui ne rogati quidem à Deo adduci poſſunt, vt eius bonitatem agnoſcant, & hanc fratribus inuidere deſinant. Sed præſtat ſingula illius verba propius inſpicere. Primò ſuas virtutes iactat, & quod ex officio fecit, perinde narrat, ac ſi beneficium gratuitum in patrem contuliſſet. Deinde patrem ingratitudinis & iniuſtitiæ accuſat, vt qui ne hædum quidem vnquam ipſi dederit, vt cum amicis oblectari poſſet. Atqui plura alia dederat pater, qui ipſum genuerat, educauerat, fauore ſummo erat proſecutus, & per quem ipſi quotidie licebat cum amicis paternis verſari, quibus haud dubiè gratus & in honore fuit. Neque eo contentus, fratris vitam & mores corruptos contumelioſè proſcindit, & illum patri rurſus inuiſum vel exoſum facere conatur. Et quod turpius eſt, patrem nequitiæ fautorem & patronum facit, quaſi is vitulum ſaginatum ideo in eius gratiam mactarit, quòd ſua omnia turpiter prodegiſſet. Itaque cum odio fratris impietatem quoq; in patrem optimè de ſe meritum coniungit. Et cùm fratrem accuſet, qui patris bona cum meretricibus abligurierit, ipſe ſibi in totam domum & ipſum patrem ius ſumit atque imperium, adeò vt per ipſum ei ne vitulum quidem mactare liceat.

Hypocritæ plus alijs peccant.

Eſt hîc euidentiſſimus typus, in quo hypocritarum mores atque ingeniũ ſpectare licet, qui cùm omnibus hominibus ſanctiores haberi velint, plus omnibus peccant. Nam initio iuſtitiæ ſpecie ſeſe magnificè venditant, dũ quid faciant & quid huc uſque fecerint multis exponunt. Horum enim voces ſunt: Ecce tot annis tibi iam ſeruimus Domine, tot annis in cœnobijs cucullati ſub diſciplina arctiſſima viximus, vigilijs, ieiunijs & curis aſſiduis nos macerauimus, pro Eccleſiæ conſeruatione ſoli laboramus, genium noſtrum fraudamus, vitæ honeſtatem anxiè tuemur, denique iam inde à pueris in Lege tua inſtituti tibi obedimus, adeò vt nos nemo facilè tranſgreſſionis reos poſſit agere. Sic Phariſæos olim locutos eſſe in Euangelio legimus, & hodie hanc multorum ſententiam eſſe inſolens illa propriorum meritorum fiducia abunde teſtatur. Quid enim non facere au-

ſint, qui precnlas quoque ſuas Deo adnumerant, quaſi cum eo aliquando rationem inituri. Atqui omnia iſta falſiſſima ſunt. Quo ore enim ſe Deo obedire dicunt, cùm maior eorum pars qua faciunt, contra Dei præſcriptum ab illis fiat, & hominum potius quàm Dei ſerui ſint? Quæ autem impudentia eſt Legis impletionem iactare, cùm ne vnicum quidem præceptum quiſquam perfectè obſeruare poſſit, & ideo ſanctiſſimi quoque orent: Ne introeas Domine cum ſeruis tuis in iudicium: item, Remitte nobis debita noſtra? &c. Quàm verò immane ſcelus eſt, in Dei conſpectu mendacem deprahendi, & tamen huic mendacia velle obtrudere? Vnum ergo iſtud ſufficiebat conuincendis illis, quos propriæ iuſtitiæ fiducia inflat. Sed aliud grauius adhuc ex ea naſcitur: quòd nimirum Deum iniuſtitiæ & ingratitudinis accuſant. Quia enim ſua illa opera tanti faciunt, leuiculum ipſis videtur quicquid in ipſos Deus confert, imò ſe ab illo iniquiſſimè negligi queruntur, ſi vel ſibi non omnia ex animi arbitrio ſuccedere, vel alios felicius agere & illo propitio vti videant. Ieiunauimus (inquiunt) & tu non vides: affligimus animas noſtras, & tu ignoras. Item: Fruſtra ſeruitur Deo: Quæ enim vtilitas, quòd cuſtodiam eius cuſtodiuimus, & quòd humiliati coram Domino exercituum incedimus? Imò beatos dicimus ſuperbos: & qui impietatem faciunt ædificantur, & qui Deum tentant, liberantur. At dum iſta tam impudenter contra Deum deblatterant hypocritæ, ſuo ſeſe indicio produnt: quòd nimirum nihil hucuſque de illo meriti ſint, & proinde inania eſſe ipſorum opera, quæ apud homines imperitos illi tanti æſtimant, vt cælum ipſis deberi iactitent. At qui eò vſque progreſſi ſunt, vt aduerſus Deum linguas ſuas laxare audeant, iidem nulli mortalium parcere norunt. Ideo ſi quos felicius agere, & à Deo in gratiam receptos eſſe vident, qui prius licentius viuebant, tunc quaſi noua iniuria affecti, iſtorum vitia omnibus in mentem reuocant, verbis contumelioſiſſimis amplificant, & quæ Deus ſua bonitate texit ipſi inuidioſè & odioſè nimis retegunt, imò hæc etiam ipſi Deo exprobrant, quaſi is ſcelerum fautor ſit atque patronus. Eſt hoc alieniſſimum à charitatis ingenio, quæ (vt D. Petrus ex Solomone docet) peccata proximi, licet multa & grauia ſint, tegere & diſſimulare ſolet, deque iis corrigendis potius cogitare, quam vt aliquem per illa infamem fieri velit. Itaque omnes iſti ex eorum numero ſunt, quos Chriſtus ait feſtucam quidem videre in oculo fratris ſui, in proprijs autem oculis trabes non obſeruare. Nam quæ aperta ſunt vitia & ab illis ipſis agnoſcuntur, qui ijs laborant, tanto odio exagitare ſolent, vt illos nulla venia dignos iudicent, cùm ipſi multò atrociora intra animos ſuos ſecurè foueant, qualia ſunt, propriæ iuſtitiæ fiducia planè phariſaica, dubitatio de gratia Dei, arrogans factorum eius reprehenſio, obmurmurationis plena impatientia, ſuiipſius admiratio, aliorum faſtidioſa deſpectio, inuidia, odium, ambitio & ſuperbia, qua decepti atque inebriati, & cælos ſibi ſolis deberi arbitrantur, & omnibus alijs dominari volunt. Interim tanta huius inuidiæ atque ſuperbiæ vis eſt, vt perpetuò foris ſtent, & ſeipſos à cæleſtis Patris domo excludant, ne gratiæ & bonitatis exempla videre cogantur, quibus ille ad ſe conuerſos recipit, & ſimul plures alios inuitat. Atqui hæc eſt ſanctitas illa egregia, qua hypocritæ ſeſe palliant, digna planè, quæ apertis publicanorum & meretricum flagitijs poſtponatur, vt alibi Chriſtus docet.

Malach. 3. — 1. Pet. 4. — Prouerb. 10.

Deus indignos quoque blandè compellat.

Sed patris reſponſum audiamus, quo tota iſta actio concluditur. Fili (inquit) tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt: Oblectari autem & gaudere te oportebat, quòd frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perieratque & inuentus eſt. Reſponſi huius partes duæ ſunt. Prima animum filij exarcerbatum mitigat: altera eundem officij admonet. Vtraque rationem adducit, qua doces, ipſum iniuſtè conqueri de indulgentia ſua, qua filium ad ſe reuerſum exceperat. Ad primam partem hæc verba pertinent: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Filij nomine eum dignatur, qui de ipſo tanquam iniquiſſimo diſpenſatore queſtus erat. Quod nouum eſt bonitatis Dei teſtimonium, cuius tanta vis eſt, vt non facilè ſe patrem noſtrum eſſe obliniſcatur, aut nos pro filijs ſuis agnoſcere dedignetur. Exempla huius in Prophetis paſſim extant, per quos ſæpius blandiſſimè eos appellat, & populum ſuum dicit, qui millies abdicari meruerant. Apud Micheam certè, etſi litē aduerſus eos inſtituat, non tamen immemor ſui amoris ſic ordicur: Popule mi, quid feci tibi? aut qua nam re moleſtus tibi fui? Item Popule mi, recordare quæſo, quid conſultarit contra te Balak, &c. Quod autem in præſenti dicitur. Tu ſemper mecum es,

Mich. 6.

&

& omnia mea tua ſunt: non ita accipi debet, quòd momentanea modò eſſe debuerit gratia illa, quæ filio prodigo iam facta erat, & idem in poſterum ab hæreditate paternorum bonorum excluſus eſſe debuerit: aut quòd Deus, etſi manifeſtos peccatores in gratiam recipiat, his tamen hypocritas iuſtitiarios præferat, quos alteris illis excluſis ſecum perpetuò ſeruare velit. Sed Conceſſionis ſpeciem habent verba iſta. Quaſi dicat. Etſi vera eſſent quæ dicis fili, tamen nulla tibi eſſet cauſa iuſta de me conquerendi. Annon enim tu mecum fuiſti hucuſque? annon mei amoris fructum percepiſti? annon tu interea, dum miſer ille foris eſuriuit, ſitiuit, alſit, domi mea ſatur & felix vixiſti? Annon te adhuc hæredem agnoſco, & habiturus ſum, modò tu teipſum tua inſolentia non abdicaueris? Nimiùm ergo moroſus & iniquus es, qui indulgentia mea in fratrem tuũ offenderis, cùm illa tibi nequaquam fraudi ſit, nec tibi inde quicquam decedat. Quin ergo procul abiecta æmulatione illa cæca communis illius lætitiæ ſocium te adiungis. Et his alteram rationem ex charitatis fraternæ ingenio deſumptam ſubijcit, quod eſt, vt fratrum reſtitutione homines gaudeant, non contriſtentur aut ringantur. Atqui tuus ille frater (inquit) mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Quare te quoque, ſiquidem germanus eius frater, atque meus filius es, nobiſcum gaudere decebat, &c.

Ita verò Dominus parabolam hanc totam ad ſuum ſtatum ſiue ſcopum refert, quem huius cap. initio propoſuit. Eſt is, quòd qui germani filij Dei ſunt, peccatoribus ad Deum conuerſis huius gratiam non inuidere, ſed potius illis gratulari & eorum ſalute gaudere debeant. Exigit hoc gloriæ Dei ſtudium, quod omnibus nobis commendatiſſimum eſſe debet. Nec enim illa maiori cum fructu propagatur & illuſtratur, quàm ſi noui quotidie diſcipuli accedant, qui relicto diaboli atque peccati ſeruitio, Dei regnum amplectuntur, & eius bonitatem publicè prædicant. Sunt tamen & aliæ rationes, quibus carnis ratio magis mouetur, & quas ideo Chriſtus in præſenti adducit. Prima eſt, quòd ne ſanctiſſimi quidem aliquam quiritandi cauſam habent, cùm ipſis nihil decedat ex promiſſo æternæ beatitudinis præmio, etiamſi ad illud multa quotidie millia eorum admittantur, qui prius apertis flagitijs dediti fuerunt. Eſt enim eadem omnium electorum hæreditas, cùm eos Chriſtus ſuos cohæredes fecerit. Et mirificum atque ineffabile eſt hæreditatis illius cœleſtis myſterium. Nam etſi noui quotidie ad eius ius admittantur, non tamen in partes illa diſtrahitur, ſed ſinguli totam poſſident, tota fruuntur, neque aliquod ex ſuis particulonibus detrimentum ſentiunt. Vt enim inexhauſtus eſt diuinæ bonitatis fons: ita omnibus patet, qui ad illum accedunt, & ij ſimul omnes & ſinguli in conſpectu Dei ſatietate bonorum atque gaudiorum fruuntur. Quæ ergo ratio mouet etiam ſanctiſſimos, vt aliquos admitti doleant? Non alia certè quàm inuidia, quam ſi in ſordibus ſuis regnare patiantur, iam non amplius ſancti, ſed potius diaboli mancipia ſunt, qui hominibus felicitatem inuidet: & quidem maiori iure, cùm ipſe ab illa exciderit. Ad omnes ergo pertinet, quod inuido operario & murmuratori cœleſtis ille Paterfamiliâs dicit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum eſt, & abi: Volo autem huic poſtremo dare, ſicut & tibi. Annon licet Matth. 20. *mihi quod volo facere in rebus meis? Num oculus tuus malignus eſt, quia ego benignus ſum? Eſt autem huius rationis multiplex vſus in ijs etiam, quæ ad huius ſæculi bona ſpectant: ne videlicet illis inuideamus, qui his abundant, cùm nobis deteriores, & proinde ijs indigni eſſe videantur. Fallitur enim frequenter noſtrum iudicium, & quàmuis non fallamur in iudicandis aliorum moribus, ſuum tamen ius Deo integrum manet, neque nobis licet de illo conqueri, ſi abſque noſtro damno multis alijs benefaciat. Ideo Cainum olim hoc argumento monuit, vt contra Abelum fratrem conceptam inuidiam deponeret.*

Nemo doleat ob peccatores in gratiam receptos.

Sed alia etiam ratio eſt, cuius in præſenti Chriſtus meminit: Nimiùm duros & ab humanitatis ſenſu alienos eſſe, qui non lætantur fratrum ſuorum reſtitutione atque ſalute. Etenim iubet hoc naturæ Lex, ex qua affectiones illæ vehementiſſimæ naſcuntur, quas Græci ςοργὰς dixerũt, quæ nos mouent, vt eorum interitum & pericula non poſſimus ſine acerbiſſimo dolore & gemitu intueri, qui ſanguinis propinquitate nobis coniuncti ſunt. Atqui arctior eſt multò ſpiritualis illa cognatio, quæ credentibus in Chriſto intercedit. Quis ergo Chriſtianos eſſe dixerit, qui aliquos ab interitu reuocari & cum Deo in gratiam redire iniquius ferunt? Interim ſemper nobis occurrat, quòd bis dicitur: Filius hic meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Eo enim admonemur, Dei gratiam non alijs expoſitam eſſe, neque alios communem hanc totius Eccleſiæ congratulationem

mereri, quàm eos qui ex peccatis reſurgunt, & in Chriſto vitam nouam viuunt: qui item à Deo ſalutem noſtram quærente ſe inueniri patiuntur, vt ad eius familiam redeant. Nihil ergo patrocinatur locus hic contumacibus & pœnitere neſcijs. Quin potius ad illos pertinent primæ huius parabolæ partes, quæ peccati conditionem & infelices eorum pœnas exprimunt, quæ illius ſeruis paratæ ſunt. At quot ſeriò pœnitentiæ ſenſus tangit, ij gratiæ Dei fores ſibi patêre non dubitent. Qui verò hactenus à grauioribus vitijs immunes fuerunt, ij iſtorum conuerſione gaudeant, & quotidie quoſuis alios adducere ſtudeant ad pœnitentiam, vt nouis indies incrementis Regnum Dei augeſcat, & quàm plurimi ſeruentur in Chriſto Ieſu, Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT XVI.

HOMILIA CLIIII.

Dixit autem etiam diſcipulis ſuis: Fuit homo quidam diues, qui habebat diſpenſatorem, & is delatus eſt apud eum, vt qui diſsiparet ipſius bona. Vocauit igitur eum, & dixit ei: Quid hoc audio de te? redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris amplius eſſe diſpenſator. Dixit autem apud ſe diſpenſator: Quid faciã, cùm dominus meus auferat à me diſpenſationem? Fodere non poſſum, mendicare pudet. Noui quid ſim facturus, vt cum amotus fuero à diſpenſatione, recipiãt me aliqui in domus ſuas. Conuocatis igitur ſingulis debitoribus domini ſui, dixit primo: Quantum debes domino meo? Is ait, Centum batos olei. Tum ille dixit ei: Accipe tabulas tuas, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Is autem ait, Centum coros tritici. Tum ipſe dixit ei: Accipe tabulas tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus diſpenſatorem iniuſtum, quòd prudenter feciſſet: Quoniam filij huius ſæculi prudentiores ſunt filijs lucis in ſuo genere.

Argumentum Capitis. *Diligenter hucuſque Chriſtus Ieſus de Euangelio & ſingulis huius partibus, pœnitentia nimirum & remiſsione peccatorum, diſſeruit. Et illam quidem omnibus neceſſariam eſſe docuit, qui cum Deo reconciliari & ſalutem conſequi volunt: hanc autem omnibus expoſitam eſſe oſtendit, qui à peccatis ad Deũ ſeriò conuertuntur. Atqui non in nuda aut inani profeſsione iſta conſiſtunt, neq; Deus ſuos cultores vult otioſos eſſe: ideo commodè nunc de præcipuo hominis Chriſtiani officio, dilectione & beneficentia, diſputat. Quæ vt in opum abundantia ampliſſimam habet ſeſe exercendi materiã: ita in illis maximè peccatur. Quapropter de his diligenter diſſerit aduerſus auaritiam & luxum, in quibus opum abuſus potiſsimùm conſiſtit. Et in præſenti quidem beneficentiæ ſtudiũ eleganti parabola nobis cõmendat, cuius hic ſcopus & hæc ſumma eſt: Eos, qui diuitias habent, non ſuis cupiditatibus indulgere, ſed potius recta illarum diſpenſatione animarum quoq; ſuarum ſaluti in futurum proſpicere debere: vt quando à nobis Deus rationes exigit, dignum & optatum ex noſtra beneficentia fructum percipiamus. Figuratur autem tota hæc tractatio per comparationem, quæ docet, inexcuſabilem eſſe illorum ignauiam, qui in ijs, quæ ad æternã vitam ſpectant, nõ eodem ſtudio & induſtria vtuntur, qua homines mundo dediti ea curare ſolent, quæ corporis neceſsitati, aut etiam voluptati ſoli, ſeruiunt. Quia verò ſingulæ partes ſimul multa alia continent, quæ cognitu vtiliſsima ſunt, de omnibus ex ordine dicemus.*

Opum ratio. *Principiò homo diues aut opulentus inducitur, qui opum ſuarum diſpenſatorem habuit. Qua parte tota diuitiarum aut bonorum huius ſæculi ratio adumbratur. Nam diues ille homo Deus eſt, quem omnium bonorum tam ſpiritualium quàm corporalium fontem atq; largitorem eſſe, non ſolum ſacræ literæ docent, verumetiam gentium philoſophi olim agnouerunt. Diſpenſatores huius ſunt homines, & ij imprimis, quos ille præ alijs diuites & bonis varijs inſtructos fecit. Nam vt diſpenſator*

proprium

proprium habet nihil,ſed alterius bona ſuæ fidei credita adminiſtrat:ita omnes nos nihil poſſidemus, quod poſſimus noſtrum dicere(quia nudi ex vtero matris naſcimur,nec aliquid in mundum inferimus)Deus autem ex gratuita bonitate inter nos dona ſua diſtribuit,alijs quidem opes,alijs honores atq; dignitates, alijs ſapientiam,alijs corporis vires, alijs aliud prout ipſi viſum fuerit.Imò ne hæc quidem æquali menſura omnibus confert,ſed certo iudicio agit, vt qui nos probè cognitos habet,& quantum cuique committi debeat,intelligit. Eſt hoc obſeruatu & conſideratu digniſſimum:quia nos officij admonet,& ne donis qualibuſcunque efferamur nos coercet. Nam omnibus occini poteſt Paulinum illud: Quid habes, quod non accepiſti? Quòd ſi accepiſti,quid gloriaris quaſi non acceperis? 1.Corin.4.
In quem finem verò dona Dei accipimus? Num vt nobis ſolis priuatim illa ſeruiant? Certè vt non nobis,ſed alijs naſcimur (quod omnibus ſæculis ſapientiſſimi quique intellexerunt)ita non nobis ſolis Deus ſua dona largitur,ſed diſpenſatores eſſe vult,qui illis ad ſui nominis illuſtrationē & multorum aliorum vtilitatem vtamur. Admonet nos de iſto corporis noſtri fabrica aut conſtitutio. Nam quia corpus vnum eſt,membra,& ſi diuerſa & alia alijs præſtantiora ſint,ſingula tamen quicquid habent in commune deponunt, vt totius corporis valetudo ſeruetur,& membris laborantibus ſuccurratur: Ita cùm vna ſit omnium credentium Eccleſia,quæ ex membris multùm inter ſe diuerſis conſtituitur(ſi Dei dona conſideres)æquum eſt, vt hic quoque omnes omnia inter ſe communia faciant, non quidem iniuſta confuſione, quæ ex rerum ſuarum poſſeſſione aliquem deijciat, ſed amica diſpenſatione,quam nobis Deus commiſit. Debent ergo iſtud ad ſe priuatim transferre omnis ordinis & loci homines, vt ſe Dei diſpenſatores,& proinde aliorum omnium in eius domo agentium ſeruos eſſe meminerint. Nam ſi vnum hoc non oſcitanter conſiderent,adeò non ſuperbibunt opibus aut quibuſcunque alijs bonis, vt potius eò humiliores fiant,quò plura ſe à Domino accepiſſe vident. Semper enim illis in mentem veniet,quòd de pluribus rationem reddere cogentur.

Sed è contra videamus, quis nam & qualis hic diſpenſator fuerit: Iniquus nimirum & perfidus. Nam bona heri ſuæ fidei credita diſſipauit, & tandem apud herum eo nomine delatus eſt. Quo Diuitum conditio.
loco diuitum huius ſæculi conditio nobis depingitur. Non ſufficiunt hi rebus ſuis curandis,& quò plures ſunt diuitiæ,eò pluribus ſeruis opus habent, per quos ſua & recipiant & diſpenſent. Ita verò onus & moleſtiam magnam ex eo ſentiunt, in quo infelix & ſtultus mundus ſummam felicitatis partem conſiſtere putat. Nam præter id,quòd ipſi ſeruis proſpicere,& proinde ipſis inſeruire coguntur,ab ijſdem plerunque contemni ſolent: vnde mox fraudes,impoſturæ,furta & omnis generis expilationes naſcuntur,quas nunquam omnes effugere poſſunt. Et cùm omni populo in ore ſint, quæ à ſeruis fraudulenter & iniuſtè fiunt,illi ferè poſtremi ea reſciſcunt cuius mali cauſa eſt, quòd vel ignaui & ſtupidi nimis paraſitos & aſſentatores frugi ſeruis præferunt: vel inſolentiores æquo ſe plus ſatis ſapere ſibi iampridem perſuaſerunt, neque de rebus ſuis à quoquam volunt admoneri. Sed & vulgi vitio multum hic delinquitur. Nam vt plerique leuiſſima quæque obſeruant & traducunt: ita rariſſimè ad eos rem referunt,ad quos ea imprimis pertinet. Ergo poſtremi ferè reſciſcunt patresfamiliâs,quæ à filijs & ſeruis ſuis improbè deſignantur. Eſt hæc tanta diuitum infelicitas, vt ſola ſufficere poſſet rectè conſiderata, ne opes tanto ſtudio corradamus, quibus tot curæ totque incommoda coniuncta ſunt.

Simul autem in iſto diſpenſatore omnium eorum typus proponitur, qui donis à Deo datis abu- Typus eorū, qui
tuntur. Eſt hoc vicium vulgare admodum: Qui enim diuitijs per ſe iuſtis & legitimè partis abun- dona Dei diſſi-
dant,ij aut non contenti illis quas habent,inſatiabili auaritiæ ſtudio quotidie illas augere ſatagunt, pant.
& ſibi ſolis ea congerunt atque poſſident, quæ multorum aliorum vſibus debebant ſeruire: aut luxu fœdo omnia diſſipant, dum ſuo faſtui,gulæ,libidini, ambitioni,alijsq; prauis cupiditatibus ſatisfacere ſtudent. Et illi ſe egregiè excuſatos arbitrantur,ſi diuitias ſuas eſſe dicant,& ſibi licere, vt eis pro ſuo arbitrio vtantur. At nihil habent illi,quod iure ſuum dicere poſſint,& ſimul ea,quæ Deus dedit,iniuſtè & turpiter diſſipant,dum ea alienis vſibus ſeruire cogunt. Eadem principum culpa eſt, qui authoritate & poteſtate diuinitus data ſuas res agunt, publicas negligunt: vel vt ipſi otio ſuo conſulant, populum officiarijs committunt, quorum rapacitate totus expilatur. Et hi quoq; ſe extra culpam eſſe putant,ſi penes ſe poteſtatem & ius eſſe vociferentur,de omnibus pro ſuo arbitrio ſtatuendi. Sed hi quoque præſtantiſſima Dei dona diſſipant, vt iam de populo nihil dicam,quem Deus

olim de ipſorum manibus requiret. Idem de ijs dicere poſſumus, qui valetudine, forma & viribus corporis, ſapientia & eloquentia, aliiſq; tam corporis quàm ingenij animiſque bonis pro ſua carnis arbitrio abutuntur. Quia enim illa in vſus inhoneſtos & Deo inuiſos conuertunt, & eorum improbi diſſipatores ſunt, dignas olim pœnas Domino exoluent. Hîc ergo magna & vniuerſalis (vt ſic loquar) mundi improbitas arguitur, quando pauciſſimos eſt videre, qui donis ſuis rectè vtantur, vt & Dei gloriam prouehant, & proximi commodis atque ſaluti conſultum velint.

Pœna male fidei diſpenſatorum.

Sed videamus quid cum ſuo iſto diſſipatore herus egerit, vt ex eo diſcamus quid à Deo expectare debeant omnes ij, qui illius mores imitantur. Vocatur ab hero, qui cum eo expoſtulans ait: Quid hoc audio de te? Quaſi dicat, Haec ne fides tua eſt? Ita ne rerum mearum curam geris? Et mox addit, Redde rationem diſpenſationis tuæ: non enim poteris amplius eſſe diſpenſator. Ita ergo rationem ſuæ adminiſtrationis ab illo exigit, vt ſimul eum ab officio remoueat. Solet hoc ipſum omnibus accidere, qui Dei negotia fide mala agunt. Rata enim erit omnibus ſeculis ſententia, quam

Iere.49.

per Ieremiam pronuntiat: Maledictus, qui fecerit opus Domini malignè. Et hîc primum occurrit, quòd tales diu latere non poſſunt, imò ne momento quidem oculos Dei effugere. Nam etſi ad tempus multa diſſimulet, omnia tamen videt & audit, vt aliorum relatione ipſi nequaquam ſit opus.

Iere.17.

Facit huc quod idem per eundem Prophetam dicit: Ego Dominus & cor perſcrutor, & renes exploro, vt reddam cuique iuxta viam ſuam, & ſecundùm fructum ſtudiorum ſuorum. Quod vnum ſufficere debebat ad excitandum eos, qui ſibi ex eo impunitatem perpetuam pollicentur, quòd Deus res humanas aut prorſus ignoret, aut ſaltem negligat. At neutrum de illo cogitari debere, hic locus docet. Nam qui huius diſpenſatoris improbitatem reſciuit, ſimul ab eodem ſuæ diſpenſationis rationem exigit. In quo cum ſeueritate iuſtitiam quoque ſuam declarat. Nam etſi iniquitatem impunitam non ſinat, iudicium tamen non ſolet præcipitare. Huius autem meminiſſe debent quotquot vel

[illegible]

opum abundantia affluunt, aut alijs Dei donis ornati ſunt. Reddent aliquando ſuæ diſpenſationis rationem, quando à morituris animam repoſcet Deus, quando item in magno illo die Chriſtus pauperum cauſam ſuſcipiet, & ſibi factum iudicabit quicquid cum illis factum fuerit. Sed & Eccleſiarum miniſtri & qui magiſtratus gerunt de hoc ipſo frequenter cogitare debent, à quibus ſuæ functionis rationem ſic Deus exiget, vt eorum quoque ſanguinem ex ipſorum manibus requiſiturus ſit, qui eorum incuria aut negligentia perierunt. Semper ergo in noſtris animis atq; auribus vox iſta ſonet, vt nobis dici putemus, Redde rationem diſpenſationis tuæ. Nec enim rationes modò à nobis exigit Deus, verumetiã ex gradu ſuo eos deturbat, quos malæ fidei diſpenſatores eſſe deprehendit. Aufert ergo illis bona ſua, quibus malè vſi ſunt, adeoq; infamia notatos à Regno ſuo in vniuerſum excludit. Hinc eſt, quòd diuitiæ vel palàm diripiuntur, aut per intemperantiam dilapidantur, vel etiam ſenſim euaneſcunt, vt rarò ad tertium hæredem perueniant immodicæ illæ opes, quæ in aliqua familia perpetuæ fore videbantur. Idem fit in ijs, qui in publicis functionibus parum fidi ſunt. Multos certè ex Eccleſiæ miniſtris exauthorari videmus iuſto Dei iudicio, vt inglorij & omnibus exoſi fiant, qui vt in honore & pretio eſſent, malis hominibus blandiendo ſuam authoritatem turpi ſilentio aut

Malach.2.

indulgentia ſeruili proſtituerunt. Cuius rei exempla in Heli ſacerdote & ijs, qui poſt Babylonicum exilium in aſſerenda Dei gloria ignauiores fuerunt, ſcripturæ ſacræ proponunt. Principes quoq; viros non rarò idem pati cernimus, & in hiſtorijs exempla eorum paſſim occurrunt, qui quòd in repub. perfidi aut negligentiores æquo fuerunt, hominum contemptiſſimi facti ſunt. Nec enim alicui mortalium Deus obſtrictus eſt, vt eius opera non poſſit carere: ſed facile illi eſt inuenire quorum miniſterio vtatur, et quos ad functiones ſuas obeundas donis neceſſarijs inſtruat. Nemo igitur ſeipſum inani perſuaſione fallat.

Magiſtratuum officia.

Continet præterea totus iſte locus doctrinam obſeruatu vtilem & neceſſariam ijs, qui rempub. adminiſtrant. Horum ante omnia eſt, vt ipſi negotia ſua curent, neque eorum gubernationem ita alijs committant, vt ipſi quid rerum geratur, ignorent. Quia tales ignorantia minimè excuſat, ſi quod malum dent. Nam cùm capitis inſtar ſint in populo, nomen iſtud nunquam merebuntur, niſi videant, audiant, ſapiant, ea denique proſpiciant, quæ reipub. ſalutaria & neceſſaria ſunt. At quæ noſtri ſeculi calamitas eſt, hodie plerique Reges & principes vltimi ferè reſciſcunt, quæ ipſorum miniſtri iniuſtè, iniqui, & interdum crudeliter faciunt: neque prius manum admouent, quàm malum

prorſus

prorſus eſt immedicabile. Deinde ſi quid ad ipſos deferatur, ne præcipitent iudicium. Eſt hoc vulgare vitium eorum, qui ſuo otio & negligentia res in diſcrimen adduxerunt. Tunc enim non tam reipub. amore, quàm vindictæ priuatæ ſtudio in quoſuis capitalibus pœnis animaduertunt, vt honorem ſuum aliquo modo tueantur, quem prius oſcitanter nimis neglexerunt. Atqui diligenter prius cauſæ cognoſci, & poſtea demum ſententiæ ferri debent. Vbi plerunque opus eſt, vt altera quoq; pars audiatur, & ne animum affectu aliquo priuato aut præiudicio occupatum habeamus. Poſtremò pro rei dignitate puniant eos, quos aliquid præter officium feciſſe vident. Quod vt in omnibus hominibus abſque omni perſonarum reſpectu obſeruari debet: ita maximè in ijs, qui ſupremi magiſtratus nomine rebus præfecti ſunt: eò quòd horum exempla, ſi impunita abeant, plures alios corrumpunt, & licentiam publicam inducunt. Quod ne fiat, initiò cauere proderit, ne qui alij rebus præficiantur, quàm quorum fides & integritas prius ſatis perſpecta eſt. At hodie in vtroque peccatur, dum temere publicis functionibus adhibentur, qui ſuas res nunquam cum laude adminiſtrarunt: & ijdem feruntur indulgenter nimis, etiamſi rempub. ſimul omnem diſsipent, & cum exitiali licentia coniunctam confuſionem introducant.

Mores inertiũ diſsipatorum.

Sed proderit diſpenſatorem hunc iniuſtum audire, quale ipſe de rebus ſuis conſiliũ ſecum ineat. Qiud faciam (inquit) cùm dominus meus auferat à me diſpenſationem? Vnde verò iſta conſilij incertitudo? Addit: Fodere non poſſum, mendicare pudet. Fatetur ergo ignauiam cum deteſtabili ſuperbia vel ambitione coniunctam. Quia enim in otio & rerum abundantia hucuſque enutritus fuerat, à labore non potuit non abhorrere. At cùm nihil haberet aliud vnde viueret, mendicandum illi fuiſſet, & oſtiatim ſtipes aut victus quærendus. Eius autem non poterat non pudere eum, qui hactenus ex alieno ſuperbierat. Quid ergo reſtat tibi ô infelix? Noui (inquit) quid faciam, vt cùm amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me aliqui in domus ſuas. Nouis ergo artibus amicos ſibi parare vult, qui egentem recipiant & ſua ope ſubleuent. At quæ illæ artes fuerint, paulò poſt audiemus. Nunc prius obſeruandi nobis veniunt inertium concoctorum & abliguritorum mores, quos hoc exemplo tanquam in tabula depictos Chriſtus nobis proponit. Primùm rerum omnium inerti ſunt, nec aliquam inire poſſunt honeſtè viuendi rationem, ſi vitæ genus ſit mutandum, cui iam diu aſſueuerunt. Ac quæ huius mali cauſa eſt? Quia fodere non poſſunt, mendicare autem pudet. Laboris enim omnis impatientes ſunt vt qui nunquam aliquod opus ſuis manibus fecerint. Eo ipſo autem ſe degeneres eſſe produnt, quando ad laborem omnes nati ſumus, & in primo parente omnibus nobis dictum ſit: In ſudôre vultus tui comedes panem tuũ. Quis ergo ſuæ ſortis aut etiam vocationis Dei memores eſſe dicat eos, qui à labore non aliter quàm à ſcelere aliquo aut re hominibus ingenuis indigna abhorrent? Atqui id faciunt reuera, quicunque aſſueuerunt ex alieno in rerũ omnium abundantia viuere. Iidem verò interea pauperes videri nolunt, & proinde mendicare eos pudet. Imò pleroſq; horum ſuperbire adhuc, & maiorum opibus, ſtemmatum antiquitate, generis nobilitate & neſcio quibus alijs hominum ambitioſorum figmentis gloriari videmus. Ergo vnum hoc illis reliquum eſt, vt ad malas artes conuertantur, quas interim honeſtatis & amicitiæ titulis palliant. Eſt hoc hominum genus hodie vbique obuium, & ijdem præcipui malorum ferè omnium authores ſunt. Sunt enim ignaui & inertes plurimi, qui laborare, neque poſſunt neque volunt. Sunt quos nobilitatis opinio inebriat, vt labores manuarios aut ſeruitia ſibi dedecori fore exiſtiment: & hi ferè eò vſque ſtultitiæ progrediuntur, vt familiæ ſuæ toti ignominiam fieri clament, ſi liberos ſuos opificibus manuarijs inſtituendos dare iubeantur. Interim vtrique edere & bibere volunt: imò belluari, voluptates omnis generis ſequi, veſtitu ſeſe oſtentare & ſupra omnes alios eminere volunt. Hinc ergo conſilia illa ineunt & ferè communis omnium iſtorum quæſtio eſt. Quid ſaciam? Nobili familia oriundus ſum, nobilibus ſemper conuixi, ſumptus magnos illud vitæ genus requirit quod ſolum me decet. Iſtos verò neque patrimonij tenuitas ſuſtinere poteſt, neque vt manuum labore aut oſtiatim mendicando illos mihi parem, decorum eſt. Num ergo furabor? At vt mihi abunde omnia ſuppetant neceſſe eſt. At quæ ferè eſt deliberationum eiuſmodi concluſio? Ea nimirum, vt dum omnem infamiam ſubterfugere volunt, & imprimis à furti crimine ſibi timent, quod imprimis infame & exoſum eſt, ad ſuas artes conuertuntur, quæ etſi non cenſeantur furti nomine, ſuſpendio tamẽ magis dignæ ſunt quàm iſtud. Alij enim ad remqub. admiſsi publicas leges & iura violant,

iudicia venalia habent, & mirificis exactionibus quoſuis expilant. Alij in bellum profugiunt & militiam mercenariam ſectantur, vt huius titulo ſua furta, rapinas, homicidia, ſacrilegia denique & quæuis atrociſsima ſcelera tegant. Alij ſeditioſas legum et reipub. mutationes moliuntur, quod olim cum ſuis coniuratis apud Romanos Catilina fecit. Alij quibus ad iſta non ſatis animi eſt, etſi mendici videri nolint, ex publico tamen ſibi dari volunt quod ipſis ſatis ſit. Itaq; ex ἀτάκτων illorum

1. Theſſ. 5. 2. Theſſ. 3. numero ſunt, de quibus in epiſtolis ad Theſſalonicenſes Paulus ſcribit, qui nullis legibus ſiue politicis ſiue eccleſiaſticis ſubditi abſq; omni diſciplina atq; ordine viuunt, & quæ in alios vſus collecta ſunt bona publica ipſi otioſi & ignaui ventres deuorant. Et tales quidem hodie plures paſsim eſſe videmus, quàm Chriſtianæ profeſsioni vtile aut decorũ ſit: imò periculum eſt, ne quando iſti & reſpub. & Eccleſias ſimul omnes euertant ac diſsipent, niſi remedium breui adhibeatur.

Ratio inertes illos coercendi. At quod nam illud fuerit? Primùm in Dei promiſsiones ſinguli reſpiciant, qui in ſua vocatione ambulantibus abunde pollicetur, quæ ad vitam commodè & honeſtè tranſigendam neceſſaria ſunt. Eas ergo ſibijpſis ſinguli applicent, neque dubitent de earum veritate, quæ olim plurimis exemplis demonſtrata eſt, & quotidie multis confirmatur. Iuuenis fui (inquit Dauid) & iam ſenui, nec vidi iuſtum derelictum, neque poſteros eius mendicantes panem. Deinde ſinguli vocationi diuinæ ſeſe accommodent, neque ignauum otium ſequantur, ſed labore aliquo honeſto victum ſibi parare ſatagant. Fecerunt hoc olim ſanctiſsimi patres quorum labores benedictione liberaliſsima Deus probauit. Et cur hodie alicuius operis pudeat Chriſtianos homines, qui patrem credentium Abrahamũ, Iſaacum item, Iacobum, Moſem, Dauidem agros coluiſſe & pecora pauiſſe audiunt? qui deniq; æternum Dei filium, iam hominem factum in pauperis fabri Ioſephi domo inter quotidianos labores educatũ eſſe norunt? Aut cur iuuenes patritij & ad rempub. nati ignominioſum ſibi ducãt, ſi aut agriculturæ intenti ſint, aut alijs ſeſe laboribus exerceant, quando conſtat tunc maximè veterũ reſpub. floruiſſe & imperio atque potentia auctas eſſe, quando ab aratro in curiam Patres veniebant, & ex triumphalibus curribus ad agros ſuos reuertebantur? Quàm potius turpe eſt eos in ignauo otio conſeneſcere, qui Chriſtum ſuum ſeruatorem profitentur, cuius vita omnis laborum & negotiorũ plena fuit, & qui Apoſtolis præceptoribus gloriantur, qui piſcando, texendo & alijs opificijs victum ſibi parauerunt? Horum igitur conſideratione omnes excitati, otium ignauũ fugiant, & mox ſentient, artibus hiſce malis & inhoneſtis nequaquã ſibi opus eſſe, quibus hodie multi ſibijpſis conſulunt. Accedat his magiſtratuum induſtria, quorũ eſt ad labores & opera honeſta ſuos aſſuefacere, leges ſumptuarias tueri, luxui & intemperantiæ modum ſtatuere, otioſis aditum ad rempub. præcludere: quod olim Athenienſes & Maſsilienſes, homines ſapientia & virtute celeberrimos, non minori cum fructu quàm laude feciſſe ſcimus. Apud illos enim Areopagitæ quid quiſque ciuiũ faceret, aut quo nam quæſtu ſuſtentaretur, diligentiſsimè inquirere ſolebant. Hi verò ab otio ita abhorruerunt, vt neque Mimis & hiſtrionibus locum darent, neq; intra vrbem admitterent eos, qui ſub alicuius religionis ſimulatione inertiæ alimenta quærebant. Quorum exempla ſi hodie principes & vrbium magiſtratus ſequerentur, breui Reſpub. & Eccleſias magis videremus florere.

Diſpenſatoris iniqui artes. Porro redeamus ad noſtrum illum, qui quod animo conceperat conſiliũ, facto exequitur. Nam ad ſe vocatis omnibus ſui heri debitoribus, ſingulis ex ſumma, quam debebant, aliquid detrahit. Et primum quidem, qui batos ſiue cados olei centum debebat, nouas tabulas vel nouum obligationis inſtrumentum conſcribere iubet, quo quinquaginta tantùm contineantur. Idem poſtea cum reliquis fecit, vt omnes illos tãto beneficio ſibi obſtringeret, & ex alieno ſibi amicos pararet, qui ipſum ad ſe reciperent. Vbi rurſum malæ fidei diſpenſatorum artes exprimuntur, quas non in eum finem Chriſtus deſcribit, vt aliquis eas imitetur, ſed potius vt ſibi ab illis cauere poſsint, quibus cum illis res eſt. At hodie tanta eſt aſtutia iſtorum hominum, vt ne Lynceis quidem oculis omnes eorum fraudes & doli poſsint deprehendi: & cùm nemini quicquam remittant, ſed potius ſummo rigore extremũ quoq; quadrantem exigant, ita tamen ſibijpſis proſpicere norunt, vt ſuorum magiſtratuum impenſis ſibi amicos parent, & cùm illos etiam turpiſsimè fallant, tamen fideliſsimi & integerrimi dicantur. Diſpenſator eiuſmodi Iudas fuit, qui ideo vnguenti pretioſi ſuper Chriſti caput effuſi vnctionem ægre tulit, quòd præclaram defraudandi occaſionem ſibi ex manibus elapſam eſſe videret. Et huius diſcipuli atque ſucceſſores ſunt, qui vel in Eccleſia vel Repub. pecunias aut quæcunq; alia bona ſibi credita

dica ſuffurantur: quod non vno modo (vt diximus) ſolet fieri. Nam inter expenſorum rationes ſæpe adſcribunt, quod ipſi nunquam dederunt, aut inter accepta minus conſignant quàm acceperint. Sæpe etiam ab iis, quos meticuloſiores eſſe vident, multa extorquent publicæ authoritatis prætextu, quæ poſtea ſibiipſis reſeruant. Taceo nunc fraudes in contractibus, in monetæ & nummorum rationibus, in frugum diſtractione & ſexcenta alia, quibus poſſunt oculatiſſimis quoque fucum facere, vt ſub reipub. prætextu res ſuas agant. At meminiſſe iidem debebant, fruſtra ea homines celari, quæ Dei oculis patent, qui occultiſſima quæque videt. Et qui olim Iudam peculatorem, & Ananiam, qui in proprijs pecunijs fraudem commiſit, exemplis nouis atque horrendis puniuit, nunquam impunitos dimittet eos, qui illorum veſtigijs inſiſtunt. At quod de illis dicitur, non minus ad eos pertinet, qui priuatim ſeruiunt, quales ſunt famuli domeſtici & famulæ vel ancillæ. Nam iſtorũ quoq; vocatio à Domino eſt, à quo reportabunt (vt Paulus ait) quicquid boni aut mali fecerint. Seruiant ergo cum ſimplicitate cordis, & cum timore ac tremore, neq; ad oculum modò ſeruiant, vt qui hominibus placere ſtudent, ſed vt ſerui Chriſti ex animo faciant, quæ vult Deus. Vide Epheſ. 6.

Reſtat poſtrema parabolæ pars, qua eius argumentũ atq; ſcopus continetur. Et laudauit dominus (inquit) diſpenſatorem iniuſtum, quod prudenter feciſſet. Laudauiſſe, cum dicitur herus, nõ quòd Status parabolæ.
fraudes & impoſturæ probentur Deo, ſed quòd ex hominum ſenſu atque more Chriſtus loquitur. Ita laudare dicimur ea, quæ admiratione proſequimur, aut in quibus aſtutiam & prudentiam eorum per Sarcaſmum probamus, qui reuera vituperio digni ſunt. Et mox gnomen generalem ſubijcit, qua omnes excitat, vt ſibi à filijs huius ſæculi caueant. Nam ſic ait. Quoniam filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in ſuo genere. Quæ ſententia reprehenſionis ſpeciem habet, ac ſi diceret. Mirum ſanè eſt filios lucis, id eſt, homines Deo conſecratos & Verbi atq; Spiritus luce illuſtratos, tam ſtupidos & ſocordes eſſe in iis, quæ ad ſalutem æternam ſpectant, cum huic mundo dediti tanta ſolertia atq; induſtria res ſuas agant, ne huius mortalis vitæ præſidijs deſtituantur. Quin ergo expergiſcimini horum exemplo, vt ipſi quoq;, quos ſuorum bonorum diſpenſatores Deus conſtituit, vobis amicos paretis, quorũ opera vobis aliquando vtilis atq; ſalutaris ſit. At quia parabolæ totius ſenſum atque ſcopum poſtea ipſe Dominus exponet, iſta modò ſufficiant. Nunc autem obſeruemus Chriſtum nobis cõmune vitiũ exprobrare, quo fit, vt res huius ſæculi maiori ſtudio agamus, quàm vitæ æternæ negotiũ. Exempla in omni vita plurima occurrunt. Quid enim non faciunt auari vt opum aceruos congerant? Per terras & maria diſcurrũt, mille diſcrimina vitæ ſubeunt, noctes inſomnes ducũt, laboribus totam familiam fatigant, ſeipſos curis conficiunt. At quantos iidem in veræ & cœleſtis ſapientiæ ſtudio progreſſus facerent, ſi vel decimam laborũ iſtorum partem huic ſeriò impenderent. At hîc ferè frigent, & nimium illis videtur quicquid Deus exigit. Idem de ambitioſis & auræ popularis captatoribus dicere licet, qui ſeruitutem omnium inhoneſtiſſimam ſubeunt, & vulgo ignobili, quem verè beſtiam multorũ capitum veteres dixerunt, turpiſſimè aſſentantur: qui interim eximijs Dei ſeruis, pijs nimirũ magiſtratibus & fidis verbi diuini doctoribus parere detrectant, qui ipſos ad cœleſtem & æternam gloriã euehere ſtudent. Quid verò de impuris ſcortatoribus dicemus, quos illicitus amor eò redigit, vt omnes animi & corporis vires incredibili induſtria intendant ad libidini ſuæ ſatisfaciendum? at iidem in cœleſtium bonorum amore prorſus frigent, neq; illa putãt digna eſſe, quorum cauſa aliquid faciant. Quòd ſi veritatis Euangelicæ hoſtes ſpectemus, quid his laborioſius, ingenioſius & pertinacius in oppugnanda luce illa, quã tantopere oderũt? ſtertentibus interea & omnem laborem ſubterfugientibus pijs, qui Veritatis ſtudiũ profitentur. Excitet nos iſtorum conſideratio, vt nos tam turpis ſocordiæ pudeat, & ne ex noſtris moribus hoſtium ingenia atq; conſilia iudicemus. Nunquam enim illi dormiunt & omnem extinguendæ doctrinæ purioris occaſionem venantur. Vigilemus ergo etiã nos, & fidem noſtram publicè teſtemur beneficentia in fratres egenos, innocentia vitæ & cultus puritate, vt olim cœleſtis regni hæredes ſimus cum Chriſto Ieſu, Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLV.

Et ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis eſt in

minimo, etiam in magno fidelis eſt: & qui in minimo iniuſtus eſt, etiam in magno eſt iniuſtus. Si ergo in iniuſto mammona fideles non fuiſtis, verum mammona quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Nullus ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire: Aut enim vnum odio habebit, & alterũ diliget: aut vni adhærebit, & alterũ contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.

QVoniam Deus teſte Ioanne Apoſtolo ipſiſſima charitas eſt, & in nos continuo atq; irremiſſo benefaciendi ſtudio bona ſua confert: nos quoque ſui ſimiles eſſe vult, & proinde nihil à nobis frequentius & diligentius exigit, quàm dilectionem & beneficentiam mutuam. Extant huius voluntatis teſtimonia paſſim in Lege & prophetis, quibus per omnia Chriſtus Ieſus conſentit, ſicuti tum alibi tum in præſenti hac eius concione videmus. Quia autem ea eſt noſtræ naturæ prauitas, vt opum huius ſæculi adminiſtratio, quæ nobis ad beneficentiæ ſtudium adiumento eſſe debebant, nos quàm maximè remoretur, de illis & vero earum vſu ante omnia diſſerit, & vt doctrina hæc animis noſtris altius atque tenacius hæreat, eam parabola eleganti veſtitam proponit. Docet enim nos Dei diſpenſatores eſſe: vnde ſequitur opes ab illo dari, & ita quidem, vt penes eum maneat proprietas, nobis autem illarum diſpenſatio ſola committatur, & proinde neminem debere eas ſibi quaſi proprias vendicare, ſed in eũ vſum conferre, quem Deus tradidit, ne dum illis vel per auaritiam, vel per luxum & faſtum abutimur, nos ipſos bonis cæleſtibus atq; æternis ſpoliemus. Id verò nunc Chriſtus pluribus exponit atque confirmat.

Argumentũ parabolæ præcedentis. *Et initio quidem totius parabolæ ſcopum & vſum paucis verbis indicat: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Quaſi diceret: Audiſtis qua ſolertia ſibi proſpiciant, qui opum alienarum diſpenſatores ab hominibus conſtituti ſunt. Hi quàm primum ſe ab illa functione amouendos fore reſciſcunt, mox ſibi ex alieno amicos parant, quorum beneficentia deinceps ſubleuentur. Quantò magis ergo vos omnes anniti decet, vt diuitijs, quæ vobis à Deo creditæ ſunt, amicæ vobis concilietis, cum quibus olim æternas beatæ immortalitatis ſedes incolatis. Sunt autem in paucis hiſce verbis, quibus tota diuitiarum huius ſæculi ratio continetur, quædam diligentius conſideranda, de quibus ex ordine dicemus.*

Mammona iniquitatis. *Occurrit hîc primum, quòd illas Mammona iniquitatis Chriſtus appellat. Atqui Mammona Syriacam vocem eſſe Hieronymus ſcribit, quæ idem ſignificet, quod Græcis πλοῦτος, quem ipſi Deum diuitiarum finxerunt. Diuus Auguſtinus Punica lingua, quæ cum Syriaca magnam affinitatem habuit, eadem voce lucrum denotari teſtatur. Et credibile eſt, Chriſtum eo vocabulo vti voluiſſe, quod tunc inter Iudæos vulgare erat, & diuitijs neſcio quid magnum tribuebat, cum τῷ πλούτῳ Græcorum reſponderet. Ideo vt animos ſtulta & pernitioſa opum admiratione atque cupiditate liberet, Mammona iniquitatis dicere voluit. Atqui certum eſt, eum hoc loco non agere de malè & iniquè partis opibus. Nam liberalitatem & beneficentiam in pauperes nobis commendat, quæ Deo non probatur, ſi eam ex alieno aut iniuſtè acquiſitis exerceamus. Qui enim in Lege prohibuit, ne quis in quocunque voto mercedem meretricis aut pretium canis inferat in domum Domini, eadem ratione prohibet, ne ex rapinis aut furtis vel ſanguinis pretio eleemoſynas faciamus, quæ inter ſacrificia cenſeri merentur, eò quòd ſibi factum æſtimat Dei Filius quicquid in pauperes ſuos confertur. Ideo Tobias filio ſuo dicebat: De facultatibus tuis exerce beneficentiã. Et Zachæus cùm ad Chriſtum conuerſus eſſet, ſe malè partorũ reſtitutionem quadruplam facturum, & inſuper dimidium ſuarũ facultatum in pauperes erogaturum eſſe pollicebatur. Cur ergo (inquis) Chriſtus Mammona iniquitatis dicit? Ab effectu nimirũ & propter multiplicem abuſum, qui apud eos cernitur, qui animos ſuos fide & pietate vera non probè munierunt. Nã ſi ea, ex quibus diuitiæ conſtant, conſideres, vtpote agros, pecora, aurũ, argentũ et quæcunq; alia ſunt huius generis: omnia iſta Dei creaturæ, & eiuſdem dona ſunt, quibus ſuorũ quoq; fidem atq; pietatem in hoc etiam ſæculo interdum remunerat, vt in Abrahami, Ioſephi & multorũ aliorũ exẽplis apparet. Sed ex noſtræ naturæ vitio abuſus ſ multiplex naſcitur, & quia in illam incidunt, irritamenta malorũ fiunt (vt veteris Poetæ verbis vtar)*

uitar) & multis ſceleribus occaſionem atque materiam præbent. Vulgare etenim eſt, quòd illarum abundantia confidentes reddit: at confidentiam mox ſequitur faſtus & inſolentia, inhumanitas & ſuperbus aliorum hominum contemptus, luxus, libido, petulantia morum, quibus omnibus ferè comes adeſt auaritia & inſatiabilis illas augendi cupiditas. Nam vt per ſe arrident carni, ita acceſſione ſua huius deſideria indies accendunt, & licet aliqui in ijs tractãdis prodigaliores ſint, ijdem tamen ſua profuſione coguntur, vt ferè tenaciores ſint vbi minimè oportebat, vt luxui & intemperantiæ ſuæ poſſint ſatisfacere. Et quia apud ſanctos quoque vitijs iſtis interdum locus eſt, non temere hæ etiam, quæ iuſtis rationibus partæ ſunt, aut ex peculiari Dei benedictione obtigerunt, iniquitatis diuitiæ dicuntur. Quibus addere licet, quòd etſi ſancti ſibijpſis diligenter caueant, & illis rectiſſimè vtantur, non idem tamen ſemper hæredum animus eſt, qui vt primùm in liberam earum poſſeſſionem veniunt, deſiderijs ſuis indulgere, & multa aduerſus charitatis & innocentiæ leges patrare incipiunt. Quæ cauſa eſt, quòd alibi Scriptura diuitias laqueum & ſpinas dicit, eò quòd ob inhærentem nobis naturæ corruptionem periculoſa eſt earũ tractatio, quæ ſi per ſe æſtimentur, diuinæ bonitatis præclarum donum ſunt. Poſſunt etiam iniquæ dici, quòd caducæ & fluxæ ſunt, & ideo ferè eos præter omnem expectationem fallunt, qui ſibi in illis certum & perpetuum vitæ præſidium conſtituerunt: qua de re ſupra capite duodecimo plura diximus. Vt enim non ſemper præſtant fœlicitatem, quam prima fronte pollicentur, cum comites habeant curas, laborem, metum & infinita alia, quæ ſæpe vitam ipſam nobis amaram reddunt: ita plerunque ſuos cultores atque cuſtodes ſubitò deſerunt, qui eas animabus ſuis chariores habebant. Et de his quidem diligentius dicimus propter eos, qui tùm ob paupertatem, cum qua ipſi conflictantur, moroſiores ſint, diuites omnes temere damnant, & ſtudioſè omnia ea corradunt, quæcunque in diuitiarum vituperium tam in ſacris quam prophanis ſcriptoribus dicuntur. Hi verò meminiſſe debebant, corruptos diuitum mores ita reprehendi ac traduci debere, ne qua interea Deo iniuria fiat, neque huius dona præclara & vtilia propter noſtram prauitatem damnentur. Sed & diuites nunquam non cogitent, quo epitheto æterna Dei ſapientia diuitias ornet. Huius enim conſideratio faciet, vt neq; anxiè nimis illas acquirere cupiant, neque ijſdem animos ſuos applicent: adhæc eoſdem in officio continebit, ne earum fiducia elati in charitatem fraternam & ſanctitatem vitæ inſolenter peccent.

Proderit ergo nunc verum quoque & licitum vſum diuitiarum propius intueri, quò minus à nobis peccetur. Eſt autem hic etiam multiplex. Primò noſtræ neceſſitati ſeruire debent. Nec enim ita earum diſpenſatores nos facit Deus, vt omnis fructus ad alios redeat, nos verò nihil inde præmij recipiamus. Sed vt diſpenſatores ex ſua functione mercedem habent, vnde viuunt: ita nobis quoque victum & alia neceſſaria huius vitæ ſubſidia ex opibus à Deo datis recipere licet. Minimè ergo peccant, qui diuitijs ſuis fruuntur, & ex illis commodius viuunt, modò in alijs etiam ſui officij probè ſint memores. Id enim ſanctiſſimos quoſque cultores Dei olim feciſſe legimus. Deinde cùm nos totos & omnia noſtra Deo debeamus, huius quoque cultus diuitijs noſtris adiuuari & prouehi debet. Atqui ipſe quidem neque auro & argento, neq; veſtibus aut pecoribus noſtris opus habet: gratiſſimus autem illi cultus eſt, ſi Verbi ſui doctrina longè lateque diuulgetur, ſi Eccleſiæ conſeruentur, & legitimus Sacramentorum vſus retineatur. Quæ omnia cum abſque ſcholis, verbi præconibus & Eccleſiarum miniſtris fieri non poſſint, non poterimus diuitijs noſtris melius vti, quàm ſi ſcholas & in his agentium ſtudia adiuuemus, & Verbi adminiſtros foueamus, ne qui inopia preſſi Eccleſias relinquere & aliam vitæ rationem inire cogantur. Ideò olim Deus ſacerdotibus & Leuitis ex terræ totius prouentibus decimas atque primitias reddere, & in publico populi cenſu vnumquenque qui in cenſum veniebat, dimidium ſiclum in cultum tabernaculi ſacri aut templi dare iuſſit. Quod olim Chriſtiani principes obſeruarunt, & decimas Eccleſijs hinc inde attribuerunt, quòd non aliam conſeruandi miniſterij eccleſiaſtici & externi cultus rationem commodiorem inueniri poſſe viderent. Tertius diuitiarum vſus eſt in ijs, quæ ad Rempub. pertinent. Quia enim multa ſunt, quæ non niſi publicis impenſis fieri poſſunt, ſiue ædificia publica, vrbium munitiones, vias, fontes, iuris adminiſtrationem, legationes, bellicum apparatum & infinita alia, quæ ad Reipub. conſeruationem neceſſaria ſunt, ſiue magiſtratuum & publicorum miniſtrorum ſtipendia ſpectemus, optimo ſanè iure exigitur, vt ſinguli pro ſuarum facultatum ratione quod

Verus diuitiarum vſus.

Num. 18.
Exod. 30.

publica authoritate conſtitutum & in quauis gente receptum eſt, contribuant. Admonet de hoc Chriſtus, quando Cæſari reddere iubet quæ ſunt Cæſaris, & ipſe ſub cenſu naſci & tam ſuo quàm Petri nomine didrachma dare voluit, ne quis ſuo exemplo abuteretur, aut ſub libertatis Chriſtianæ
Rom. 13. prætextu immunitatem ſibi vendicaret. Et notum eſt illud Pauli: Reddite omnibus quod debetis: cui tributum debetur, tributum: cui vectigal, vectigal. Itaque graue illorum ſcelus eſt, qui in his fraudulenter agunt, & ijdem in legitimum diuitiarum vſum non ſine totius reipub. incommodo peccant. Poſtremò pauperum quoque ſubuentioni opes noſtræ inſeruire debent, vt noſtra abundantia aliorum inopiam ſubleues atque ſarcias. Et de iſto potiſſimùm facultatum vſu Dominus in præſenti loquitur. Exigit hunc paſſim Scriptura ſacra, et in Lege pauperibus ita proſpectum voluit Deus, ne qui eſſent, qui ab opulentioribus neglecti victum ſuum ab alijs emendicare cogerentur. Et idem multas rationes oſtendit, quibus tam publicè quàm priuatim illis ſubueniri poſſit. Prophetæ etiam de beneficentia in pauperes ſæpe concionantur, & eam omnibus ſacrificijs & ieiunijs longè præferunt. Chriſtus item, ne qua nobis reſtaret tergiuerſandi occaſio, illos ſibi ſubſtituit, & vt in eos conferamus iuſſit, quæ in ipſum vellemus conferre, ſi adhuc in terris ageret. Quorum omnium Apoſtoli memores, hoc ſui officij imprimis eſſe putauerunt, vt ipſi cauſam egentium ſuſciperent, & cum in Iudæorum gente Sacerdotũ partim incuria, partim auaritia & rapacitate res eò deueniſſet, vt contra Legem Dei mendicorum plena eſſent omnia, qui & vias publicas & templi fores obſidebant: Apoſtoli id effectum dederunt, vt in primitiua Eccleſia nullus haberetur, cui vitæ ſubſidia deeſſent, aut qui oſtiatim panem ſtipémue peteret: & ijdem Eccleſias paſſim hortati ſunt, vt exterorum quoque inopiæ ſuccurrerent. Iubet hoc cõmunis humanitatis ſenſus, vt eorum miſereamur, qui cùm eiuſdem naturæ nobiſcum conſortes ſint, durius tamen tractantur. Neque poterimus non eorum miſeria tangi; ſi cogitemus à nobis quoque nihil humani alienum eſſe, & nobis idem poſſe accidere, quod illis accidit. Et iſta quidem gentium philoſophi viderunt, qui eo demum proximè ad Deorum ſimilitudinem dixerunt accedere, qui quàm plurimis benefaciunt. Ac diligentiores in his eſſe conuenit Chriſtianos homines, quos Deus ipſe ſuo Verbo ad iſta officia excitat, & qui in Chriſto Ieſu in vnum corpus coaluerunt, quique niſi vno ſpiritu ducantur, corporis iſtius membra cenſeri non poſſunt. At quis eodem ſpiritu eos duci & animari dixerit, qui ſuis modò rebus intenti, aliorum miſerias ſecurè negligunt? Non temere ergo de pauperum ſubuentione Chriſtus ſæpe concionatur: quæ doctrina etſi ad omnes homines extendi debeat, imprimis tamen ad eos pertinet, qui diuitijs pluribus à Deo donati ſunt. Hi ergo meminerint, ſe Dei diſpenſatores eſſe, qui certo iudicio alios alijs opulentiores & pauperiores facit, vt mutuæ beneficentiæ inter nos locus ſit: adeoq; vt ad illius ſtudium neceſſitatis vinculo aſtringi nos ſentiamus, cùm nemo ſibiipſi ſolus ſufficiat, ſed alter alterius opera & auxilio habeat opus. Turpe & iniquum iudicatur, ſi quis diſpenſator ab hominibus conſtitutus, aliena bona vel negligentius tractet, vel etiam fraudulenter diripiat. Ac quantò turpius ſcelus & maiori ſupplicio dignum eſt, in diſpenſatione diuinitus commiſſa perfidum & iniuſtum deprahendi?

Beneficentiæ præmium. Sed de eo etiam nos hic apertius admonet Chriſtus, quando beneficis ampliſſimi præmij promiſſionem ita proponit, vt ſimul doceat, quid de duris illis & inhumanis fratrum egentium contemptoribus Pater cæleſtis iampridem decreuerit. Facite (inquit) vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Cùm defeceritis, inquit, vt partim ad diſpenſatoris parabolam alludat, qui ab officio amotus ad egeſtatem venturus erat, niſi præpoſtera ſua beneficentia ſibi aliquorum animos conciliauiſſet, à quibus ſuſciperetur: partim verò nos communis noſtræ ſortis admonet, vt nos mortales eſſe meminerimus, qui vt nihil nobis inſolens accidat, cum ætate tamen deficimus, neque permanentem habemus ciuitatem in terris, vbi nunc cum labore & multiplici moleſtia peregrinamur. Vult ergo, ita res noſtras inſtituamus, vt cùm huius vitæ curriculum emenſi ſumus, locum in cæleſti patria iam præparatum habeamus, in quem cum alijs pijs, atque adeò cum illis ipſis colligamur, quos in hoc ſæculo egentes noſtra beneficentia ſubleuauimus. Ex eo autem aliud elici debet, nullam cæleſtis vitæ & fælicitatis ſpem illis reliquam eſſe, qui adamantina cordis duritia omnium calamitates atque egeſtatem deſpiciunt, & ſua abundantia ad explendam ingluuiem, ad faſtum & libidinem fœdè abutuntur.

Cæterùm

An cælites nos ad ſe recipiendi ius habeant?

Cæterum occurrũt hoc loco quæſtiones duæ. Vna, an ſancti cælites nos in vitæ æternæ cõſortium recipiendi ius habeant, aut vt recipiamur ſuis apud Deum precibus impetrent? Altera, nũ operibus charitatis & beneficentiæ cælos mereri poßimus? Controuertitur de vtraq; hodie paßim, & ſcimus aduerſarios noſtros huius loci authoritate plurimùm niti, eò quòd verba Chriſti tale quid dicere videntur. At cùm idem ille ſibijpſi minime contradicat, alibi autem diſertè prouũtiet, ſalutem & vitam æternam nobis ex mera & gratuita Dei miſericordia dari, huius autem apprehendendi rationem nullam eſſe aliam, quàm fidem, qua ipſi vnimur atque inſerimur: neceſſariò nobis ſenſus quærendus erit, qui cum fidei analogia conueniat, & omnem contradictionis ſpeciem tollat. Et primò quidem quoad ſanctos cælites, hi neque recipiendi in cælos ius habẽt, ſed omne hoc Chriſto relinquũt, cui ſoli omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra: neq; etiam noſtri apud Deum deprecatores ſunt, cùm hanc quoque gloriam ſibi vendicet Chriſtus, qui ſolus Filius ille dilectus eſt, in quo Patri eſt ſatisfactum. Et meminiſſe oportet, Chriſtum hîc de illis ſolis loqui, quos in terris agentes noſtra liberalitate adiuuimus. Hi nos in æterna tabernacula ad ſe recipere dicuntur, quando in illis noſtræ fidei teſtimonium extat, quæ ſola nos cælorum hæredes facit in Chriſto. Ad hæc vt Chriſtum ipſum alere, veſtire, inuiſere, hoſpitio excipere & iuuare dicuntur, qui pauperes illius officijs iſtis ſubleuant: ita hi ipſi nos in tabernacula æterna recipiunt, quando Chriſtus nos illorum cohæredes & contubernales (vt ita loquar) in cælis facit: à quibus omnino excludentur, quotquot ſua inhumanitate oſtendunt ſe à fide eſſe alienos.

Num opera beneficentiæ cælos mereantur?

Quoad alteram quæſtionem de operibus beneficentiæ aut charitatis, facilis etiã eſt ſolutio. Nam vt demus meritum aliquod ijs tribui, qui electis benefaciunt, quos ſuo tempore Chriſtus in cælos ad ſe recipiet, iam hoc ipſum omnibus alijs negabitur, qui eleemoſynã faciunt in indignos, quos pro ſuis Chriſtus nõ agnoſcit. Atqui conſtat beneficentiã noſtram ex noſtri animi inſtituto æſtimari, & Deo gratam eſſe, ſi propter Chriſti nomen eam exerceamus, licet multi nos fallant, qui hoc falsò & fraudulenter prætexunt. Quod niſi nobis probè perſuaſum ſit, mox charitatẽ frigere & beneficentiæ ſtudium extingui ſentiemus, ſi qui nobis vel leuißima ex cauſa ſuſpecti ſint. Quod ergo alibi monuimus, hîc quoq; obſeruandum erit, in operibus eiuſmodi ad fidem reſpici debere, ſine qua Deo probari non poſſunt. Nam quod non ex fide fit, peccatũ eſt: & vt per ſolum Chriſtum fide apprehenſum nobis ad thronum gratiæ acceſſus patet: ita opera quoq; nulla in Dei conſpectu conſiſtere poſſunt, quàm quæ ex fide iſta emanant. Itaq; omnis meriti gloria ad Chriſtum redit, propter quem & nos & opera noſtra Patri placent, vt imperfectionem, quæ illis coniuncta eſt, nobis non imputet. Et cùm illa ipſa in nobis Dei Spiritus operetur, ille ſuum opus in nobis remunerat (quod non vno loco D. Auguſtinus docet) nobis autem hoc ipſum adſcribit ex gratia, vt ad benefaciendum magis excitemur.

Bonitatis diuinæ teſtimonũ.

Sed vt ad rem ipſam redeamus, eſt hoc eximium diuinæ bonitatis argumentũ, quòd quæ in pauperes conferuntur officia tam cumulatè rependit, vt pro terrenis cæleſtia, pro temporalibus æterna retribuat. Nunquã enim hoc faceret, niſi miſeros nos mortales ineffabili amore cõplecteretur, & eos cuperet Regni ſui cæleſtis conſortes habere, qui ne hac quidẽ vita in terris digni ſumus. Et non deſunt exempla, quæ docent ad multos etiã in hoc ſæculo magno cum fœnore officia illa rediſſe, quæ in Dei ſeruos egentes contulerunt. Sareptana vidua Eliam, quẽ Achabi tyrãnus ex Iſraele eiecerat, hoſpitio excipit, & viciſsim huius miniſterio ad Dei veri Eccleſiã adducitur, & nunc in cælis viuit ac regnat. 1.Reg.17. *Eodem tẽpore Abdias prætorio præfectus Prophetas in ſpeluncis abſtõſos alit et tuetur: nec dubium eſt, quin fidei ſuæ fructũ in cælis habeat, in Eccleſia certè eius nomen magnificè celebratur. Sed quid exemplis opus eſt, quando vniuerſales promißiones vbiq; occurrũt, quibus fidem ſuã omnibus obſtringit Deus, qui in pauperes miſericordiã exercent? Apud Iſaiam ait:* Iſa.58. *Frange eſurienti panem tuũ, afflictos & vagos domũ deducito: ſi videris nudum, tege eũ, & à carne tua ne te abſcondas, id eſt, ne pudeat te proximi aut cognati tui pauperis. Tunc erũpet velut aurora lux tua, & ſanitas tua protinus germinabit: iuſtitia anteibit faciem tuã, & gloria Domini colliget te. Cõſentit his quod in præſenti Chriſtus promittit: quòd nimirũ benefici amicos ſibi pariãt veros Dei cultores & proinde Eccleſiæ Dei mẽbra fiant cũ quibus tandem in cælis quoq; ſint regnaturi. Arguit autem iſtorũ conſideratio multorũ inhumanitatem, quos neq; communis hominũ ſors, neq; præſens fratrũ egentium calamitas, neq; promißionũ diuinarũ liberalitas atq; amplitudo mouet, vt ijs ſuccurrant, quorũ opera*

fortaßis ipſis etiam aliquando vtilis eſſe poterat. Ita verò iſti ſeipſos à Regno Dei excludunt, dum eos tam facilè negligunt, qui eius veri ciues ſunt. Cauſa tanti mali eſt philautia, quæ pleroſque excæcat, vt non videant ſe Deo fœnerari, quando egenis benefaciunt, & quòd hunc remuneratorem habituri ſint. Quapropter Chriſtus rationes aliquot è vulgo petitas, adeoq́ ſententias prouerbiales ſubijcit, quibus veternum hunc nobis excutiat.

Qui fidelis eſt in minimo &c. *Prima eſt: Qui fidelis eſt in minimo, etiam in magno fidelis eſt: & qui in minimo iniuſtus eſt, etiam in magno eſt iniuſtus. Senſus eſt: Qui rebus maioribus præfici volunt, ij paruas fideliter adminiſtrare debent. Quis enim ea quæ maioris momenti ſunt ei committas, qui in minimis negligens & malæ fidei ſeruus eſſe depræhenditur? At nihil inter homines vilius & minoris pretij eſt quàm diuitiæ. Nam quæ in his pretioſiſsima habentur, aurum videlicet & argentum; quid aliud quàm terræ excrementa ſunt, ad ſolum luxum & fraudes idonea, quibus hominum vita commodius carere poterat: cùm per ſe ad hanc conſeruandam nihil conferant, inſuper autem præcipua ſint cauſa maximorum ſcelerum, quibus infelix hic mundus turbatur? Si quis ergo his ita addictus fuerit, vt neglecto illorum vſu, in quem ea Deus deſtinauit, ea petulanter diſsipat, aut malis artibus opes in vniuerſum omnes in vſum alienum conuertit, næ ille indignus eſt, qui ad veros illos & cœleſtes æternæ beatitudinis theſauros admittatur.*

Vſus ſententiæ huius. *Poteſt autem huius ſententiæ multiplex vſus eſſe in alijs vitæ generibus. Paulus certè diaco-*
1. Tim. 3. *nis hanc non obſcurè applicat, quando eos qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirere ait, vt ad maiora promoueantur. Et rurſus de epiſcopis agens, eos ad gubernandam Dei Eccleſiam minimè idoneos fore ſcribit, qui domui ſuæ præeſſe non poſſunt. Debent ergo huius ſententiæ omnes meminiſſe, vt in quacunque vocatione cogitent ſe Deo ſeruire, & hanc eius voluntatem eſſe, vt quod in mandatis acceperunt, fideliter exequantur. Dauid cùm opilionem ageret, eam fidem præſtitit, vt ouium cauſa, imò propter agnum vnicum cum vrſis & leonibus congrederetur: mox ergo ad militiam pro populo Dei obeundã promotus eſt. Et cùm hîc quoq́ omnia boni militis officia ſtrenuè obiret, dignũ ſe oſtendit eſſe, qui ad regiam dignitatẽ eueheretur. Debebant in horũ meditatione diligentius verſari, qui ſe à Deo negligi queruntur, & indignè ſecum agi putant, ſi non ad dignitates aut feliciorem vitæ conditionem proueh antur. Nam ſi in ſeipſos deſcenderent, & priſtinos mores examinarent, mox viderent nullam ſibi iniuriam fieri, ſed potius ſibi precibus opus eſſe apud Deum, ne is dignas ab illis negligentiæ pœnas exigat. Habent præterea hîc regulam generalem principes viri, quam obſeruent, ſi quando publici miniſtri, prouinciarum præfecti, quæſtores, diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, aut quicunque alij in Repub. conſtituendi ſunt: Vt nimirum eos deligant, quorum fides atque probitas in minoribus officijs, aut etiam in propriæ domus adminiſtratione, prius ſatis cognita & perſpecta eſt. At hodie ferè ad publica munera adhibentur, qui prius infami luxu ſua prodegerunt, quibus & reipub. & Eccleſiarum diſsipationem maxima ex parte debemus.*

Diuitiæ iniuſtæ & alienæ. *Secunda ratio eſt, quam ex priori concludit, dicens: Si in iniuſto mammona fideles non fuiſtis, verum mammona quis credet vobis? Iniuſtum mammona hîc dicit pro diuitijs mendacibus & fluxis, quæ poſſeſſorem fallunt & ſpe ſua fruſtrantur, vt ſupra diximus, & ideo illis veras opes opponit, cœleſtes nimirum & diuinas intelligens, quæ ſolæ ſtabiles & æternæ ſunt. Et eodem ſenſu ſubijcit: Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Vbi alienæ diuitiæ dicuntur, quas vulgò fortunæ bona dicunt, & alienas proprijſsimè vocat, eò quòd neque nobiſcum naſcuntur (nudi enim in mundum ex matris vtero venimus) neque reuera noſtræ ſunt, cùm earum diſpenſatores modò ſimus, & neque diſpenſatio illa in noſtra poteſtate ſit, ſed plerunq́ à nobis etiam inuitis atque reluctantibus transferatur. His opponuntur veræ, quas modò noſtras dicit: quia qui illas ſemel verè apprehenderunt, ij meliorem partẽ (vt de Maria dixit ſupra) elegerũt, quæ ab illis nunquam auferetur. Nam vt filij Dei & legitimi hæredes illas poßident. Ideo apud Matthæum eo nomine eas commendat, quòd neq́ à tineis aut erugine corrumpi, neque à furibus diripi poßint. Quid, quòd ne in morte quidem eas amittimus, ſed potius in plenam venimus poſſeßionem? Verè igitur de illis Chriſtiani homines dicere poſſunt, quod olim Bias de ſapientia & alijs animi bonis pronuntiauit, cùm capta ab hoſtibus Priene patria, alijs rerum pretioſiſsimarum pondere onuſtis, ipſe vacuus abibat, dicens: Ego vero bona mea mecum porto. Potuit ergo pro alienis agnoſcere ea, quæ for-*

tunæ

tunæ caſibus obnoxia ſunt: ſola autem ſua putauit eſſe, quæ à nemine eripi poterant. Arguitur hoc exemplo multorum peruerſitas (ne quid grauius dicam) qui de ſolis alienis & caducis opibus ſoliciti, ea nihili faciunt, quæ vt nobis propria & perpetua eſſent, Chriſtus ſanguinis ſui pretio acquiſiuit.

Tertia ratio ſequitur, quæ plus quiddam continet. Nam illis eam opponit, qui diuitijs ita ſe ſeruire poſſe ſibi perſuadent, vt ſimul Deo quoque cultum ſuum exhibeant, & pariter huius ſæculi & æternæ vitæ bonis fruantur. Hos igitur generali ſententia, quæ tunc quoq; in omnium ore fuiſſe videtur, confutat dicens: Nullus ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire: ijs nimirum, qui ingenio, moribus & iuſsis inter ſe pugnant. Nam aut vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Et quia hæc communi ſenſu confirmantur, ſententiam iſtam præſenti cauſæ accommodans infert: Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Cuius dicti veritas etſi in paucorum animis fidem inueniat, irrefragabilis tamen eſt, cùm Deus & Mammon ſiue Plutus tam præceptis quàm operibus diſsideant. Deus enim iubet theſaurum in cælis parare, Mammon vt in terris hiſce nobis proſpiciamus præcipit. Dei mandatum eſt iuuare pauperes & egentium miſereri: Mammon clamat, proximus tibijpſi eſto. & cur alios iuuando teipſum negligas? Deus mandat, ne quem fraudemus: Mammon in dolis, impoſturis, furtis & rapinis laudem induſtriæ & lucrum inueniri docet. Deus vt in ſe ſolo ſpem omnem collocemus præcipit, non autem in opibus perituris & momentaneis: Mammon ſpem vitæ & felicitatis omnem in diuitijs monſtrat. Dei voluntas eſt, vt opibus ſobriè & temperanter vtamur, & vitam viuamus honeſtam & ſanctam: Mammon verò nos luxuriari & voluptuari vult, & omnibus alijs contemptis immani faſtu efferri. Deniq; Deus ſuo Spiritu in nobis proximi dilectionem, verbi ſui ſtudium, fidei conſtantiam, pacem conſcientiæ gignit: At Mammon inuidiæ ac odij flammis animos accendit, verbi ſemẽ ſpinis ſuis ſuffocat, fidem extinguit, idololatras, iniuſtos, impoſtores & raptores facit, & conſcientias immanibus curis turbat, atq; ſalutis incertas facit. Veriſsimè ergo dicitur, eos non poſſe Deo ſeruire, qui diuitijs animos ſuos mancipauerunt. Diuites quidem fuiſſe fatemur multos eximios Dei cultores, at eoſdem diuitijs non ſeruiuiſſe, ſed potius his præfuiſſe & piè ijſdem vſos fuiſſe, omnia illorum facta teſtantur. Quid ergo reſtat fratres, quàm vt mundo & huius ſæculi bonis longum valere dicentes, totos nos Deo conſecremus, ab hoc datas opes gratis animis excipiamus, illis piè vtamur, vt non noſtra modò neceſsitati ſeruiant, verumetiam per nos Eccleſia, Reſpublica & pauperes iuuentur. Ita nobis amicos parabimus fideliſsimos. Nam electis Dei omnibus aſſociati in æterna tabernacula recipiemur, vbi immortali gaudio exultabimus cum Domino & redemptore noſtro Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

HOMILIA CLVI.

Audiebant autem hæc omnia etiam Phariſæi, qui erant auari: & ſannis eum excipiebant. Tunc dixit eis: Vos eſtis qui iuſtificatis voſipſos in hominum conſpectu: Deus autem nouit corda veſtra: Quia quod apud homines ſublime eſt, abominationi eſt in cõſpectu Dei. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem: ab eo tempore regnum Dei annuntiatur, & quiuis in illud vi irrumpit. Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quàm Legis vnum apicem excidere. Quiſquis dimittit vxorem ſuã, & alteram ducit, mœchatur: & qui à viro dimiſſam ducit, mœchatur.

DEi Filius, Ieſus Chriſtus, ideo in mundum venit & homo factus eſt, vt nos ex peccatis & ab æternæ damnationis ſententia liberatos Patri ſuo cæleſti reconciliaret: & Regni ſui cohæredes faceret. Quapropter totus in hoc eſt, vt nos à ſtudijs mundi & carnis noſtræ ad cæleſtia reuocet. Et eò pertinent quæcunq; ab illo de noſtra regeneratione, noſtri abnegatione, veteris hominis mortificatione, de pœnitentia deniq; & conuerſione ad Deum paſsim dicuntur. At quia inter Regni Dei atq; ſalutis impedimenta nullum efficacius & nocentius eſt auaritia, qua & fides in Deum impeditur, & proximi dilectio extinguitur, non temere aduerſus illam hoc cap. tam diligenter diſſerit. Et

primò quidem oſtendit quæ ſit opum huius ſæculi & ipſorum diuitum conditio, quos Deus non illarum dominos, ſed diſpenſatores conſtituerit, & quos illi rationem reddere oporteat ſuæ diſpenſationis. Huic loco grauiſſimas rationes ſubiecit, quibus omnes hortatus eſt, vt fidi ſint diſpenſatores bonorum, quæ à Deo acceperunt. Tandem teſtatus eſt, fieri non poſſe, vt ſimul Dei cultores ſimus, & Mammonæ aut diuitijs ſeruiamus. Debent iſta omnia ſic audiri & accipi, vt ea nobis dici, & non minus ad nos pertinere putemus, quàm ad eos, quos tunc auditores habuit. Quia verò in hoc plurimùm peccatur, commodè ea quæ nunc recitauimus Lucas ſubijcit, quæ nobis exemplum proponunt, quo docemur, quid in toto hoc negotio potiſſimùm caueri debeat.

Phariſæi doctrinam Chriſti rident.

Deſcribit enim initio, vt Phariſæi doctrinam hanc acceperint, & quid illis Chriſtus reſponderit. De illis dicitur, quòd ipſum diſſerentẽ audierint, ſed eius doctrinam ſannis exceperint. Cauſa additur, quòd auari eſſent. Ergo vlcus ſuum tangi non poſſunt ferre, & eo ipſo quòd doctrinam Chriſti derident atque ſcurriliter eludunt, verbis eius ſuo exemplo fidem aſtruunt, quòd nimirũ Deo obedire & ſeruire non poſſint, quorum corda auaritiæ ſtudium occupauit: imò ijdem ne audire quidem poſſunt, quæ aduerſus ipſos dicuntur. Vt enim ventri, qui auribus caret (quod Cato olim in publica concione dixit) fruſtra de ſobrietate & temperantia verba feceris: ità de opum contemptu & legitimo earundem vſu diſſerentem nunquam audient auari, quos earum cupiditas non ſurdos modò, verumetiam omnino cæcos fecit. Quod autem de illis dicitur, de omnibus ſentire debemus, qui ad aliquod vitium animum appulerunt: & hæc cauſa eſt præcipua, ob quam Euangelij doctrina paſſim ridetur, ſubſannatur atque eluditur: quòd nimirum nemo non pro ſui defenſione laborat, & quamuis de alijs diſſerentes verbi adminiſtros vtcunque ferat, mox animi ſui impatientiam prodit, ſi ſeipſum pungi & ſua vitia perſtringi ſentiat. Hic tamen duo hominum genera eſt videre. Primi ſunt, qui tum riſu & ſannis verbum excipiunt, & hi quidem optimi cenſeri poterant, ſi cum multis alijs conferantur. At deriſionis huius cauſa eſt, quòd verbum ad carnis ſuæ rationem examinant, & mundi huius iudicium ſequuntur. Carni enim proprium eſt, quòd peccatis delectatur, & proinde eius blanditijs atque illecebris facilè capitur. Non poteſt ergo ſibiipſi perſuadere, Deum adeò ſeuerum & rigidum eſſe, vt nos voluptatibus in vniuerſum fraudare, & eos qui in terris adhuc degunt cœleſtibus ſolis vacare velit. Adhæc quia maiorem hominum partem vitijs deditam eſſe videt, nimiùm iniquus & temerarius eſſe videtur, qui illos ſimul omnes damnare audeat. Itaque etſi ſibi ab odio veritatis nonnihil temperet, neque huius miniſtros conuitijs proſcindat, ridet tamen, & fanaticos putat, qui ex ſua moroſitate Deum æſtiment, & longè alium fingant, quàm reuera ſit. Exempla hodie paſſim extãt in ſcortatoribus, adulteris, ebrioſis, vſurarijs, militibus mercenarijs, Epicuræis denique omnibus, qui quæ de mundi fine & nouiſſimo Chriſti aduentu dicuntur, mira ſcurrilitate exagitare conſueuerunt, ſicuti de illis olim Petrus prædixit. Cæterùm his peiores & magis cauendi ſunt, qui non contenti riſu & ludibrijs, inſuper odij & iræ flammas aduerſus fidos monitores concipiunt. Vt enim qui phreneſi laborant, in medicos furiunt pharmaca propinantes: ita illi perditos volunt omnes eos, quos ſtudijs ſuis peſſimis contradicere audiunt. Nam hos pro acerrimis hoſtibus habent, vt in Achabi iudicio de Elia, in Iudæorum item exemplo aduerſus Ieremiam altercantium exemplo videmus. Et vtinam non hodie paſſim iſtorũ ſimiles haberemus. Sunt hi peſſimi mortalium, de quorum ſalute vix quicquam ſperari poteſt. Quia enim ea oppugnant hoſtiliter, quæ communi ſenſu probantur, non poſſunt non in propriam conſcientiam peccare, & proinde ijs adnumerari merentur, quos Paulus in reprobum ſenſum datos eſſe ſcribit. Interim non debent ſibiipſis blanditias facere priores illi, quibus luſus iocuſque videtur Dei verbum, & tunc demum ſe egregiè facetos atque iucundos congerrones eſſe putant, ſi ex ſcripturis ſcommata & dicteria concinnare, & his inter ſui ſimiles riſum excitare poſſint. Hic enim Phariſaicus ludus eſt, quem Deus tandem ſerijs & grauibus pœnis in riſum planè Sardonium conuertit. Imò iſti ipſi dum ludibrijs eiuſmodi aſſueſcunt, tandem aperti hoſtes fiunt, ſi quando fortius vrgeantur. Et ideo Spiritus ſanctus paſſim multa grauiter aduerſus illuſores eiuſmodi pronũciat, Dauid verò eum felicem & beatum dicit, qui ab irriſorum conſeſſu ſibi cauet. Pſal. 1.

1. Reg. 18. Iere. 44.

Chriſtus ſuam authoritatem tuetur.

Sed nunc Chriſtum audiamus, qui iſtorum ſannis minimè cedit, ſed aduerſus illos altius inſurgens ſuæ doctrinæ authoritatem tuetur, & ſimul hypocritis detrahit laruam, quæ apud rude & imperitum

periтum vulgus ſeſe oſtentabãt. Ita verò exemplum præbet omnibus verbi adminiſtris, quos eadem conſtantia armatos eſſe decet, ne ſe vllis aduerſariorum ludibrijs aut minis ſuperari ac perterre fieri patiantur. Quod olim Prophetas & Apoſtolos admodum diligenter feciſſe ſcimus. Verba Chriſti ſunt: Vos eſtis qui iuſtificatis voſipſos in hominum conſpectu: Deus autem nouit corda veſtra: quia quod apud homines ſublime eſt, abominationi eſt in conſpectu Dei. Senſus eſt: Vos quidem omnia veſtra in eum finem facitis, vt vos iuſtos & ſanctos eſſe oſtendatis, & tales hominum iudicio habeamini: Ideo crebris lotionibus, ieiunijs, precationibus & eleemoſynis in publico vacatis, veſtitu quoq; peculiari, & geſtibus mirificis, adhæc ſacrificijs & oblationibus, ſanctitatis laudem captatis. Quaſi verò illa in externis eiuſmodi laruis conſiſtat. At vaniſsimus & irritus planè hic veſter labor eſt. Deus enim non externo fuco aut inanibus ceremonijs ducitur, ſed cor & animũ totũ ſibi vendicat: & vt hunc cum omnibus facultatibus hominis tam externis quam internis requirit: ita cordium quoq; arcana intuetur, neq; aliquid in homine tam abſtruſum atq; occultum eſt, quod non videat. Adhæc tam abeſt vt hominũ iudicijs quicquam tribuat, vt potius in eius conſpectu abominationi ſit, quod apud homines eximium & immortali laude dignum habetur. Debet autem poſtremum hoc membrum non de virtute & huius præclaris exemplis intelligi, quæ homines cordati & non prorſus impij ſolent magni facere, imò quæ hoſtibus interdum admirationi ſunt: ſed de ijs Dominus loquitur, quæ hominum huic mundo addictorum iudicio eximia ſunt, maximè autem illis, quæ homines ex ſuo ſenſu circa religionem & Dei cultum inſtituũt. In ijs enim maximè à Phariſæis peccabatur, quos humanarum traditionum obſeruantiſsimos fuiſſe conſtat.

Debet autem ex hoc loco generalis doctrina peti, ne de vllo hominum inſtituto ex carnis aut noſtræ rationis ſenſu ſecundùm externam ſpeciem iudicemus, ſed in Dei verbum ſimus intenti, quod nobis actionum & conſiliorum omnium vnica regula eſſe debet. Magnum enim inter homines & Deũ diſcrimen eſt. & vt animalis homo ea nõ percipit quæ ſunt Spiritus Dei: ita ſi ſibijpſi permittatur, ea admirabitur & adorabit, quæ Deus quàm maximè abominatur. In hoc igitur ſapientia vera cõſiſtit (quam rerum humanarum atq; diuinarum cauſarumq; quibus illa continentur, ſcientiam eſſe, veteres philoſophi definierunt) vt de omnibus rebus ex verbo Dei iudicare & pronunciare poſsimus, quod nos falli aut errare nõ ſinet. Obſeruari ergo debet in religione. Ibi carnis iudicio arrident Ceremoniarum magnificentia, operum electitiorum gloriatio, multorum ſæculorum conſenſus, maiorum exemplum & Regum authoritas. At quid de omnibus illis pronuntiat Deus? Ceremonias vanitatis damnat, & animos fide vera illuminatos requirit. Ad quid mihi (inquit) multitudo ſacrificiorũ veſtrorum? Holocauſta arietum & adipem ſaginatorum faſtidio, boum cruorem, agnorum & hircorum non amo, &c. Idem corporalia exercitia nihili facit, vt quæ ad veram pietatẽ nihil faciant. Ideo de ieiunijs interrogatus olim reſpondit: Cùm comeditis & bibitis, annon vobis comeditis & bibitis? Item: Num huiuſmodi ieiunium eſt quod ego elegi, vt ad diem homo affligat animam ſuam, vt retorqueat caput ſuum tanquam hamum, ſaccum & puluerem ſternat? Num hoc ieiunium & diẽ gratum Domino appellabis? Annon hoc ieiunium eligo? aperire nexus impios, ſoluere faſciculos iugi, liberos dimittere oppreſſos? &c. Similiter neq; ſæculorum multorũ conſenſu, neq; vllorum hominum exemplis, aut etiam Regum authoritate Deus mouetur, cùm vetuſtiſsima omnium & à ſanctiſsimis hominibus obſeruata ſit ea fides, cuius ſumma & fundamẽta in prima promiſsione Adamo de ſemine mulieris facta continẽtur. Verè ergo in Dei conſpectu abominabile eſt omne illud, quo homines ſuperſtitioſi ſeſe venditant. At non minus hoc ad vitam quoq; & reliqua hominũ ſtudia debet transferri. Hîc enim apud mundum ſummo in pretio ſunt opes, honores, amicitiæ & fœdera, rei militaris gloria, victoriarum ſucceſſus, regnorum propagatio, & quæ alia ſunt huius generis. Et quidem tanti iſta fiunt, vt pleriq; propter ea ab officio diſcedant, & Deo debitum obſequium negent. Sed quodnam de iſtis omnibus eſt Dei iudicium? Opes mammona iniquitatis Chriſtus vocat, & eaſdẽ, ſi iniquis modis quæſitæ ſint, ignem eſſe dicit in ædibus, qui omnia deuoret. Honores autem ad ſalutem nobis maximo impedimento eſſe teſtatur, quando Scribas & Phariſæos in ſe credere poſſe negat, eò quòd gloriam abs ſe inuicem venentur, Dei verò gloriam negligant. Similiter per Iacobum Spiritus pronunciat, amicitiam huius mundi inimicitiam eſſe cum Deo. Quàm parui autem idem ille faciat militaris rei peritiam, belli magnificum apparatum & alia, in quibus pleriq; ſpem victoriæ omnem confi-

De hominũ inſtitutis non iudicandũ ex carnis ſenſu.

Iſa. 1.

Zach. 7.

Iſa. 58.

Mich. 6.

Ioan. 5.

ſententias temere congeßiſſe, & vt ſcopas diſſolntas protuliſſe arbitrantnr: Toto certè hoc cap. continuam Chriſti concionem deſcribi ſatis conſtat, cui hæc de Lege digreßiuncula optimè connenit, cùm ea Phariſæi validißimè confutentur & vrgeantnr, qui illius doctrinam ſcurriliter irridebant. Sunt autem in his quædam d ligentius inſpicienda.

Lex & Prophetæ vſq; ad [illegible] nem.

Primum eſt, quòd Legem & Prophetas ad Ioannem vſq; durauiſſe ait. Ita vero hunc primũ facit noui Teſtamenti præconem, vt hoc cum veteri coniungat: quam connexionẽ Diuus Marcus perſpicuè oſtendit, quando Euangeliũ Ieſu Chriſti ita cæpiſſe ſcribit, vt olim in Prophetis fuerat prædictũ. Id verò non ita accipi debet, quaſi in illius aduentn Lex cũ Prophetis omnino abolita ſit, aut quòd nullus vel illius vel horũ vſus nobis hodie eſſe debeat (nam de hoc Dominus mox ipſe teſtabitur) ſed dicto iſto admonemur, finem & ſcopum Legis, adeoq; totius veteris Teſtamẽti, eſſe Ieſum Chriſtum. Ita huius dicti ſententiam ipſe exponit, quando Moſem de ipſo ſcripſiſſe teſtatur, & ex mortuis reſuſcitatus diſcipulis ait: Hi ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcũ: quòd ſcilicet oporteret impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me. Poſſet hoc prolixè demonſtrari, niſi paßim de his dicendi occaſio ſeſe offerret. In Moſe certè primũ locum habent promißiones, quas omnes in Chriſto Ieſu eſſe Etiã & Amen, Paulus teſtatur. Eadem eſt omnium typorum & ceremoniarum ratio, quæ non alium quàm Chriſtum, vnicam pro peccatis hoſtiam adumbrarnnt. Et ipſa Lex dum omnes homines peccati reos agit & dãnatos eſſe docet, non obſcure oſtendit, nobis alia iuſtitia & redemptione opus eſſe, quæ in ſolo Chriſto habetur. Quid? annon Moſes poſt omnium, quæ in Lege continentur, promulgationem, ad Magnum illũ Prophetam remittit, quem omnes audire debeant? Quòd ſi quis omnia Prophetarũ teſtimonia producere velit totus dies illis recitandis non ſufficeret. Tam enim abeſt, vt illi æternam ſalutem alibi quàm in Chriſto nobis commonſtrent, vt hunc temporalium quoq; beneficiorum, quæ Deus olim Iudæis contulit Mediatorem vnicum eſſe doceant. De Pſalmis quid dicere attinet, quãdo præcipuus horum Scriptor Dauid Chriſti typum geßit? Hæc vt inanem eſſe docent omnem ceremoniarum & opernm noſtrorum fiduciam: ita oſtendunt ſimul, eam fidem & religionem, quæ ſolo Chriſto nititur, omninm vetuſtißimam atq; certißimam eſſe, neq; aliam ſalutis rationem in Eccleſia prædicari debere.

Ioan. 5.
Luc. 24.
2. Cor. 1.
Deut. 18.

A Ioanne cœpit prædicatio Regni Dei.

Deinde non temere dictnm putemus, à Ioanne Regni Dei prædicationem cæpiſſe. Solet ita Euangelium dici, vt alibi etiam annotauimus. Ratio nominis eſt, qnòd Chriſtnm prædicat, qui deſtructa diaboli tyrannide Dei Regnũ inſtaurauit. Habet hoc dulcißimam conſolationem, qnæ nos aduerſus diaboli minas atq; conſcientiæ terrores confirmat, quibus nos ille turbare ſatagit. Quid enim in nos poßit ille, quem iampridem foras eiectum eſſe, Chriſtus teſtatur, & qui ſe ab hoc deuictum eße nõ ſemel confeſſus eſt? Hunc ergo clypeum opponamus, & nos in Dei Regno eſſe meminerimus, quoties quadruplator ille fingit ſibi in nos aliquod ius eſſe & imperium. At ſimul officij quoq; iſtud nos admonet, vt memores nos Regni Dei ciues eſſe, diaboli iugum procul à nobis reijtiamus, & locum nullum demus peccatorum atq; peßimarum cupiditatum illecebris, quibus nos in priſtinam ſeruitutem retrahere conatur. Hîc ergo regeneratione, noſtri abnegatione, carnis mortificatione opus eſt. Hic ſanctimonia vera exigitur, ſine qua nemo videbit Deum. Hic charitati locus detnr oportet, ne Regni Dei vnitatem dißidijs noſtris turbemus. Deniq; cùm multa nos quotidie auocent, nunquam non precari nos conuenit, vt Regnum ſuum Deus in nobis ſno Spiritu & verbo inſtauret.

Heb. 12.

Prædicationis euangelicæ uis.

Tertiò prædicationis huius vim Chriſtus indicat, quãdo in Dei Regnum omnes vi irrnmpere ait. Apud Matthæũ, violẽti (inquit) rapiũt illud. Id verò de publicanis, meretricibus & alijs peccatoribus dicit, qui omnes mirifico ſtudio ad ipſum confluebãt, vt gratiæ Dei. quã ipſe offerebat, participes fierent. Idem de gentibus quoq; intelligi debet, quæ tnrmatim ad Chriſtũ paulò poſt cõfluxerunt. Et ſanè magnam eſſe oportuit Spiritus vim, qua flagitijs obrutos illuminauit, vt in Chriſto pænitẽtiæ locum & ſimul peccatorum remißionẽ ſibi offerri, certò ſcirent. Ineffabilis item fuerit neceſſe eſt Dei potentia, quæ homines obſcuros, imbelles, & inermes confirmauit, vt contra Imperatorũ edicta, cõtra Sacerdotum decreta, cõtra Proconſulnm & Præſidum crudeles comminationes, in Eccleſiæ Chriſti gremium irruerent, & neq; periculis grauißimis, neq; ſupplicijs horrendis & exquiſitis retineri aut abſterreri poſſent, quò minus fidem in Chriſtũ inter medios gladios & rogos ardentes profiterentnr. Exempla huius feruoris hodie multa in omnibus propè nationibus vidimus, quæ cùm omnibus nota ſint, non opus eſt eorũ commemorationi diutius inſiſtere. Nec aliter fieri poteſt, cùm Euangeliũ anis

Matth. 13.

mis hominum conceptum totos ſibi vendicet, & inſtar fermẽti omnes ſenſus penetret, adeoq́ homines nouos faciat, qui Dei voluntate & fide in Chriſtũ nihil antiquius habẽt. Vt autem Dominus hoc loco aliorũ exemplis Phariſæos excitare vult, ne ipſi alijs tardiores aut ignauiores ſint: ita nos quoq; moueri conuenit eorũ exemplis, qui per tot rerũ diſcrimina perq́ mille labores irrumpunt, vt in Euangelij communionẽ perueniant, & fidei libertate fruãtur. Quod vtinã nos diligentius meditaremur, qui otio quaſi abundamus, dũ in huius mũdi theatro paſſim ſuorũ electorũ certamina Deus exhibet. Vt enim hic ſuorũ ſtudio & feruore delectatur: ita non poteſt nõ eos dãnare, qui hic otioſos ſpectatores agunt, vel etiã in peius proficiunt. De illis certè alibi dicit Chriſtus: Erunt primi nouiſſimi, &c.

Legis authoritas per Chriſtũ non labefactatur.

At poterant hoc Chriſti pronuntiatũ Phariſæi falſo ſenſu accipere, quaſi nulla poſthac valere debeat Legis & Prophetarum authoritas. Vt enim multi hodie Euangelij doctrinã bonis operibus inimicã eſſe clamãt, eò quòd ſalutem in gratuita Dei miſericordia nobis commonſtrat: ita tunc Chriſtũ aduerſarij, Moſis & Prophetarũ authoritatem impiè labefactare vociferabantur, vt omnibus exoſum & inuiſum redderent. Id verò conſtantiſſimè negat, dicens: Facilius eſt autẽ cælum & terram præterire, quàm Legis vnum apicem excidere. Facit ad huius dicti interpretationẽ, quod apud Matthæum pluribus verbis dicitur: Ne exiſtimetis, quòd venerim vt diſſoluã Legem & Prophetas: non veni vt diſſoluã, ſed vt impleam. Amen quippe dico vobis, vſq; dum præterierit cælum & terra, iota vnum aut vnus apex nequaquam præterierit ex Lege, vſq; dum omnia facta fuerint. Fatetur his, vel proteſtatur potius, ſe Legis authoritatẽ inuiolabilẽ agnoſcere, imò nihil in tota hac cælorum & terrarum machina tam firmum & ſtabile eſſe, quàm Lex Dei ſit. Quia enim hæc Dei voluntatẽ cõtinet, quæ ſibijpſi ſemper conſtat, illa mutari & aboleri nunquam poterit. Et quamuis quædã in ea habeantur, quæ ad tempus correctionis abrogari debuerunt, id tamen non antea factum eſt, quàm cũ ipſa quoq; finem ſuũ attigiſſent, & in Chriſto eſſent impleta. Quo loco tota Legis ratio conſideranda venit, id quod paucis & breuiter abſolui poteſt. Diuiditur illa in Moralẽ, Ceremonialem & Iudicialẽ. Moralis eſt, quæ præcepta de Moribus & omnibus vitæ actionibus tradit, à quibus fides in Deũ & verus huius cultus ſeparari non poſſunt. Epitome illius eſt decalogus & alij loci, qui de vno Deo diligendo & de proximi dilectione habentur. Ceremonialis de externo Dei cultu agit, qui olim in ceremonijs & ritibus certis conſiſtebat, Circumciſione nimirũ, ferijs, ſacrificijs, ſuffitu, purificationũ formis varijs, & alijs eiuſmodi: quæ omnia partim promiſſionum diuinarũ ſigilla erant, partim homines ſui officij admonebant. Iudicialem dixerunt eam partẽ, quæ ad forum pertinet, de hæreditatibus, coniugio & diuortijs, pœnis ſontiũ & multis alijs, quorũ nonnulla ad ſolam Iudæorum rempub. accommodata fuerunt, quæ ab omnibus alijs populis palàm diſtincta eſſe debebat. Quoad verò impletionem & abrogationẽ Legis aut ſingularum partium, vtraq; in Chriſto ſolo habetur. Ceremonialia enim in eo ſuũ complementũ habuerunt, quando in morte ſua & reſurrectione omnia ea verè facta ſunt, quæ in illis adumbrabantur: & quia iã reipſa præſtitum eſt quicquid vmbræ illæ promittebant, nullus porrò illarũ eſt vſus in Eccleſia, & proinde ita abrogatæ ſunt, vt ſine Chriſti contumelia & meriti eius euacuatione reduci aut inſtaurari non poſſint, ſicuti Apoſtolus de circumciſione ad Galatas, & in epiſtola ad Hebræos de toto ſacerdotio & cultu Leuitico teſtatur. Abrogatio ergo Ceremonialis Legis facta eſt, non quidẽ ignominioſa, ſed cũprimis honorifica, quia ſic impleta ſunt quæcunq; in ea tradebantur, vt ne vnus quidẽ apex & vnum iota exciderit. In iudicialibus ea modò abrogata ſunt, quæ ad ſolam Iudæorũ remp. pertinebãt. Quia enim hæc in Chriſto ceſſare debuit propter ingratitudinem & contumaciã, qua aduerſus Dei Filium peccauerunt, illorum poſthac nulla potuit eſſe vtilitas. Quæ verò inter illa cũ Lege naturæ conueniunt, & alijs quoq; ſecundũ hanc viuentibus communia ſunt, vna cũ tota Lege Morali, ea adhuc rata ſunt, nec vnquã abrogari aut tolli debẽt. Abrogata autẽ eſt maledictio & damnatio, quæ olim omnes eos manebat, qui non omnia præſtarẽt, quæ in libro Legis continentur. Nã vt Paulus ait, Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio. Quæ omnia ſi paulò attentius expendantur, facilè apparebit, verum Legis vſum in Chriſto Ieſu adeò non aboleri, vt non alibi ſuum complemẽtum habeat. Quibus adde, quòd in illo renatis Spiritus adoptionis datur, quo confirmati ea facimus, quæ viribus noſtris prius perfici non poterant: & quamuis quotidie ſæpius labamur, eiuſdẽ tandem virtute reſurgimus ad vitæ nouitatem. Manet igitur ſemper rata & ſacroſancta Legis authoritas, neq; ex illa quicquã excidit, cum nos pædagogi inſtar ad Chriſtum deducat, in quo nobis perfecta iuſtitia & redemptio exhibetur.

(Margin notes beside the text: Galat. 5. — beside "lia & meriti eius euacuatione"; Galat. 3. — beside "quæ in libro Legis continentur".)

hibetur. Vt verò doctrina iſta conſolationem affert dulciſſimam in tentationibus conſcientiæ, ne Legis minis atq; dãnationibus terreamur: Ita peccandi licentiæ obſtat, quam multi ſub libertatis Chriſtianæ prætextu venantur. Ita enim maledictionem Legis Chriſtus ſuſtulit, vt rata ſemper eſſe velit præcepta, quæ habentur de vno Deo colendo, de veri cultus ratione, de peccato, vitæ innocentia, fraterna dilectione & alijs eiuſmodi: quæ niſi ſedulò obſeruemus, illius liberti nunquam erimus.

Exemplum de diuortijs probat Legem non eſſe abolitam.

Porro ne quod dubiũ in hominũ animis relinquat, exemplo docet, legem abs ſe nõ abrogari, ſed confirmari. Dicit enim: Quiſquis dimittit vxorẽ ſuã, & alteram ducit, mœchatur: & qui à viro dimiſſam ducit, mœchatur. Conuenit hoc cũ præceptorum quorundã pleniori expoſitione quæ apud Matthæũ quinto cap. habetur. Vt enim illic eos confutat, qui ſolo literali Legis ſenſu ducti, ſe abunde iuſtos eſſe arbitrabãtur, ſi à manifeſtis & actualibus (vt loquuntur) flagitijs abſtinerent, etiãſi animi fœdiſſimis cogitationib. & deſiderijs diſtracti à Deo & voluntate eius prorſus abhorrerẽt: Ita hîc diſpenſationem illã corrigit, quã Moſes propter duritiã cordis ipſorũ (vt alibi dicit) in cõiugij legibus permiſerat, quoad diuortia, et quã illi quotidie licẽter nimis vtebantur. De qua cũ alibi dixerimus, nũc ſufficiat monuiſſe, licentiã repudiorũ cũ Dei voluntate pugnare, & illa coniugij vinculũ imprimis violari. Quis enim adulterũ fieri negabit, qui aliam duxerit vxorẽ, priuſquã legitimũ cũ priori diuortiũ fecerit? Licet enim humano iure, aut diſpenſatione potius, diuortiũ fiat, manet tamẽ apud Deũ firma & rata prioris cõiugij neceſſitudo: quia homini nequaquã ius eſt ſeparare ea, quæ Deus cõiunxit. Similiter qui illegitimè à viro eiectã ducit, reuera mœchatur, cũ illa in Dei cõſpectu adhuc viri prioris vxor cenſeatur. At cũ vtrũq; inter Iudæos nimiũ frequens eſſet, non obſcurè Phariſæos et Scribas Chriſtus perſtringit, qui cũ acerrimi Legis vindices haberi vellent, iſta ſic fieri patiebãtur.

Matrimonij dignitas.

Non temere aũt factũ putabimus, quòd cùm infinita alia huius generis exempla poſſet adducere, hoc tamẽ vti voluit, quod ex coniugio petitur, & ad huius inſtaurationẽ pertinebat. Patet ex eo matrimonij dignitas, & quã illud Deo curæ ſit: quãti deniq; referat, vt illud rectè contrahatur atq; ſeruetur. Quia enim ex illo depẽdet legitima humani generis propagatio, vita quoq; hominũ ſine illo nũquã bene inſtituetur, & indies experimur veriſſimũ eſſe illud Dei dictũ: Non eſt bonũ, vt homo ſolus ſit. Quod cauſa eſt, quòd vt Deus illud in ipſo ſtatim rerũ initio inſtituit: ita eius obſeruationẽ gẽtibus vniuerſis occulto naturæ ſenſu cõmendauit: vt ſemper ſacroſanctum & honorabile fuerit apud omnes, qui non prorſus in belluas degenerauerunt. Docent hoc omnium gentium hiſtorici, qui grauiſſimos regnorum motus, periculoſiſſimas reipub. mutationes, horribiles potentiſſimorum regum cædes, bella denique cùm extera tum ciuilia ex adulterijs, thori alieni violatione & vagis libidinibus originem duxiſſe ſcribunt. Eſt ergo incurabilis & deteſtanda noſtri ſæculi hominum petulantia, quæ neq; exemplis, neq; æternæ mortis comminationibus coerceri poteſt.

Vt hodie in diuortijs peccetur.

Nec minus in repudijs aut diuortijs peccatur, in quibus olim inter gẽtes licẽtia nõ minus turpi quã iniuſta & iniqua multi vſi ſunt. Inter Chriſtianos autẽ hodie multi ſimiliter peccant, & quãuis cauſam ſufficientẽ eſſe cenſent ad diſſoluendũ coniugij vinculũ: & hi ferè Iudæis iniquiores ſunt. Illi enim ſaltẽ libellũ repudij dabant, quo vxorũ dimiſſarũ pudicitiæ & honori conſulebatur, at noſtri illẽ ferè cũ aliqua infamiæ nota dimittunt. Quorũ licentia vt omnibus bonis iure diſplicet: ita multos mouet, vt in alteram partẽ peccent, & Pontificum ſententiam ſequantur, qui omne repudiũ illicitũ eſſe tradiderunt. Fuit hoc iugum intolerabile pijs & honeſtis hominibus, qui adulteras vxores retinere, aut fornicationis periculũ ſubire coacti ſunt. Ita verò adulterij ab vxore cõmiſſi pœnas viri luunt; & rurſum adulterorũ loco innoxiæ fœminæ mulctantur, illis interea impunè per omne libidinis genus graſſantibus. Media erga via incedendũ eſt, vt neq; licentia repudiorũ locum habeat, neq; omne ius bonis eripiatur, quod ipſe Deus illis conceſſit. Atqui duas legitimi diuortij cauſas Scriptura oſtendit. Prima eſt adulterium. Cur enim non dimittatur, quæ cõiugij vinculũ ipſa iam abrupit? aut cur eum maritum ferat Chriſtiana mulier, qui fidem datã turpiter fallit? Certè qui iſtud licere negant, ij non coniugij, ſed ſcortationis & adulteriorũ patroni ſunt. Altera cauſa eſt Religionis, ſi infidelis coniugi fideli cohabitare nolit, & ab eo diſcedat. Quid enim hîc faciat Chriſtianus, qui Chriſtũ parentibus, coniugi, liberis longè præferri debere didicit? Paulus certè ait: Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: Non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi rebus. Sed quia Dominus hãc cauſam tantùm exempli cauſa adducit, non opus eſt nunc ei diutius immorari. Diſcamus nos vniuerſam Euangelij doctrinam magni facere, ne eam cum Phariſæis, vt nihil ad nos pertinentem rideamus. Studeamus autẽ pietati & ſanctitati veræ: ſalutis verò fiduciam omnem repoſitam habea-

mus in gratuita Dei miſericordia, qui Filium ſuum Ieſum Chriſtum pro nobis dedit, vt noſtra ſit iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ, Amen.

HOMILIA CLVII.

Cæterùm quidã erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & ſe oblectabat quotidie ſplendidè. Erat autem quidã mendicus nomine Lazarus, qui proiectus erat ad veſtibulũ eius, vlceroſus, & deſiderãs ſaturari micis, quę cadebant è menſa diuitis: ſed & canes veniebant ac lingebant eius vlcera.

Argumentum parabolæ. *DOminus noſter, Ieſus Chriſtus, multa hucuſq; de auaritia aut immodico opum ſtudio, deq; vero earundem vſu diſſeruit, qui eſt, vt non modò noſtræ neceſsitati ſeruiãt, ſed vt ſimul benefici ſimus in pauperes, & ita nos eorũ ſocietati inſinuemus, qui vera Eccleſiæ mẽbra ſunt, vt olim cũ illis in cælo viuamus. Eſt doctrina hæc ſimplex, & cõmunis ſenſus teſtimonio probatur: Vehementer autẽ illi obſtat iudiciũ vulgi. Pleriq; enim diuites ex huius ſæculi fortuna iudicant, & proinde illos ſolos felices atq; beatos dicunt, paupertate autẽ nihil infelicius, nihil miſerius aut calamitoſius eſſe ſentiunt. Hinc fit, quòd capitali paupertatis odio inflammati, nullas verbi Dei admonitiones audiũt, neq; rationibus vllis ſe perſuaderi patiuntur, vt mediocritati & beneficẽtiæ ſtudeãt: ſed potius inſatiabili habendi cupiditate diuitiarũ æternis cõgerendis inuigilent: quæ multorum atq; maximorum* 1.Tim. 6. *ſcelerum cauſa eſt. Nam qui diteſcere volunt (vt Paulus ait) incidũt in tentationẽ & laqueum, & in cupiditates multas amentes & damnoſas: quæ demergunt homines in exitium & interitum. Quapropter Chriſtus pro ſuo more doctrinã hanc ſuam eleganti parabola, vel potius rei geſtæ narratione (vt quibuſdam videtur, in quorum ſententia D. quoq; Ambroſium fuiſſe apparet) illuſtrat: qua cæcum vulgi iudiciũ confutatur, & multa alia continentur cognitu & obſeruatu neceſſaria. Hîc enim diſcemus, quæ nam ferè ſint diuitũ vitia, quæ opes illis exitiales reddunt. Quæ pœna eoſdẽ maneant. Rurſum, quæ pauperũ ſors ſit atq; conditio. Quid item de defunctis piè & orthodoxè ſentire debeamus. Admonemur præterea pœnitentiã nõ debere poſt mortẽ vſq; differri, et ex ſolis Scripturis petẽdũ eſſe ſalutis cõſiliũ. De quibus omnib. ſuo loco dicetur. Nũc de diuitis & Lazari perſonis agemus.*

Diues typus felicitatis huius ſeculi. *In Diuite typus ſummæ felicitatis proponitur, qualis hæc hominibus in hoc ſæculo obtingere poteſt. Itaq; diligentius conſideranda erit primũ tota eius conditio: deinde ſtudia quoq; & mores, quibus peccauit. Ad primũ pertinet, quòd ſimpliciter diuitẽ dicit, neq; alicuius publicæ dignitatis aut functionis meminit. Itaq; homo priuatus iſte fuit, & vitã priuatam vixit. Eſt hæc non poſtrema felicitatis pars, eòquòd non laboribus modò, verumetiã curis atq; periculis aſsiduis exercentur, quicunq; rebus præſunt, & publicã aliquã functionẽ ſuſtinent. Quod non imprudenter Rex ille barbarus obſeruauit, qui ſibi oblatum diadema multũ diuq; contemplatus eſſet, tandẽ exclamauit: ô nobilẽ potius & pretioſum quàm felicẽ pannũ, quem ne humi quidem iacẽtem tolleres, quiſquis ſcires quot & quantis curis atq; ſolicitudinibus refertus ſis. Placent quidem ſibi ipſis Reges in ſua magnificentia & opum atq; potentiæ oſtentatione, & Semidei quidam eſſe videntur: ſed quàm mordaces curas quamq; acerbos cruciatus intra animos ſuos ſentiant, exquiſita illa corporum ſuorũ cuſtodia non obſcurè teſtantur; dũ ferè barbaros & peregrinos milites accerſunt, quos multa pecunia conducunt, vt ab ijs ipſorũ vita ſeruetur intra ſuos parietes, vbi omnia tutiſsima eſſe debebant. Nihil nunc de illis dicimus, quibus proprij liberi, vxores, fratres ſuſpecti ſunt, & qui ne vrgente quidẽ fame cibum capere audẽt, niſi ab alijs præguſtatum, ne fortè venenum hauriant. Potuit ergo noſter hic verè beatus cenſeri, qui procul negotijs vitam priuatam egit, & proinde liberiorem ſuarum diuitiarum vſum habere potuit. Adde ita diuitem dici, vt neq; de opibus iniuſtè partis accuſetur. Nec enim fænerator aut vſurarius, non miles, non raptor, non ſacrilegus, non impoſtor vel defraudator dicitur. Talem ergo æſtimare poſſumus, qui opes poſſederit iuſtas & bono iure ad ſe pertinentes: qualis alter ille fuit, de quo cap. duodecimo eſt dictum. Sunt hæc in eum finẽ nobis obſeruanda, vt diſcamus in illarũ quoq; opũ adminiſtratione peccari poſſe, quæ optimo iure aut titulo à nobis poſsidentur: & proinde eos vehementer falli, qui ſibi in illis quicquid libet licere putant. Eſſet quidẽ aliqua iſtius perſuaſionis ratio, ſi quid ex nobis ipſis haberemus, quod iure poſſemus noſtrum dicere. Sed cùm opes à Deo dentur, nobis autẽ earum diſpenſatio modò credita ſit (vt ſupra audiuimus) ſtulta & pernicioſa eſt inſolentia, quæ nos impellit, vt à Deo datis bonis petulantius abutamur. Ergo noſtri huius exemplum intueamur, de quo*

nihil

nihil adhuc dici poteſt, vituperium mereatur, abuſu tamen in proprium exitium ſibi vertit opes, quas ex Dei liberalitate acceperat. Quid ergo de illis fiet, qui & peſſimis artibus diteſcunt, & iſtius mores atq; ſtudia imitantur?

Vitia diuitis.

Sed videamus, quæ illa fuerint? Induebatur purpura & byſſo, & ſe oblectabat quotidie ſplendidè. Primùm veſtitus mollior & ornatior illi tribuitur. Purpuræ enim tinctura excellentior pretium & dignitatem ſummam apud veteres conciliauit. Byſſus autem lini quoddã genus apud Aegyptios & Orientales fuit, cuius materia ex arboribus colligebatur. Deinde ſplendidius oblectatum fuiſſe dicit, quo membro victũ & omnia alia totius vitæ ſtudia comprehendit, & ſenſus eſt, quòd cibis vſus ſit lautioribus, adhæc ludis deditus hoc vnũ quæſierit, vt vitam in tripudijs & magnificentia tranſigeret. Atqui interdum ſplendidius veſtiri per ſe peccatum non eſt, modo conditionis & dignitatis ratio habeatur: & ſcimus quid in veſtitu Ioſeph, Dauid, Solomon, Heſtera regina fecerint, quorum omnium pietas in ſcripturis celebratur. Ita neq; in genere damnantur conuiuia lautiora, neq; etiam gaudia, quibus animos interdum recreari vtile & neceſſe eſt. Quin Moſes ipſe iubet, vt diebus feſtis, qui victimas obtulerant, epulentur & lætentur coram Domino. In quo ergo iſte peccauit? Vno verbo id Chriſtus indicat, quando hæc illum QVOTIDIE *feciſſe ait. Nam vt temporis ratio permittit, vt aliquando ſplendidius & lætius viuamus: ita non minus eadem illa requirit, vt interdum ieiunijs vacemus, ſacco veſtiamur & (vt ſcriptura loquũtur) animas noſtras affligamus. Qui ergo quotidie veſtitu molliori ſuperbiunt, & quotidie lautius epulantur, ij ſatis oſtendunt, ſe nimiùm ſecuros animi eſſe nec multùm moueri iudiciorum Dei exemplis, quibus hic mũdi petulantiam coercere ſatagit. Itaq; duo nõ vulgaria vitia diues iſte coniunxit, Securitatem nimirum atq; Luxum ſiue Intemperantiam. Ex his tertium manauit, pauperum contemptus, & quòd Lazarum famelicum atq; vlceribus obſitum, qui ad eius veſtibulũ proſtratus iacebat, facilè neglexit, adeò vt ne reliquijs quidem aut micis ex menſa ſua cadentibus eius famem atq; inopiam releuare dignaretur; imò canibus, qui eius vlcera lingebant, eſſet durior.*

Securitas.

Iſto autem exemplo diuitum vitia Chriſtus adumbrat, quibus plerunque iram Dei prouocant, & diuitias ſibijpſis exitiales reddunt. Primum inter illa eſt ſecuritas cum confidentia coniuncta, quam diuitijs perpetuam ferè comitem eſſe, aut ſaltem ex illis naſci, Germani vulgari prouerbio teſtantur. Vt enim egeſtas impatientes facit & murmuratores: ita difficile eſt cauere, ne triſtas attollant, qui opes poßident ampliores, & earum aceruos indies augeri vidẽt. Mali aut vitij huius præcipua cauſa eſt, cæcum atq; peruerſum de diuitijs iudicium. Quia enim has ſibi proprias eſſe, adhæc æternas, & in iiſdem veram hominis felicitatem conſiſtere ſibijpſis plerique perſuadent, non poſſunt non ſimul putare, ſe extra omnem teli iactum conſtitutos eſſe, ſi aurum & argentum plurimũ poßideant, latifundijs maximis & ampliſſimis dominentur, ſeruis ſtipati incedant & propter opes atq; ſplendorem inſolitum ab omnibus digito monſtrẽtur. Itaq; præſens vitij huius remedium fuerit, ſi nos nihil in terris proprium poßidere, ſed diſpenſatores modò eſſe cogitemus eorum, quæ Deus nobis gratuita miſericordia largitur. Tunc enim mox ſuccurret, olim reddendam eſſe rationem Deo, vbi nulla ex illarum abundantia ad nos vtilitas redidit: quin potius ea ipſa aduerſus nos teſtabitur, vt Iacobus docet. Iac. 5. *Adde his, quòd fluxæ & caducæ ſunt, & proinde ad hominis felicitatem nihil poſſunt conferre. Quæ omnia ſi diligenter expendantur, mox omnem ex animis ſecuritatem eijcient, & de vera diſpenſatione ſolicitos reddent eos, qui prius ſibijpſis omnia tuta promittebant.*

Luxus.

Alterum vitium, quo diuites plerunq; laborant, luxus eſt, qui ex priori illo naſcitur. Nã qui opes ſibi proprias eſſe ſibi perſuaſerunt, ij illarum vſum ad ſe ſolos pertinere putant. At cùm natura paucis contenta ſit, & neceßitati pauca poßint ſufficere, plura luxui dare oportet eos, qui diuitijs ſoli volunt vti. Varias itaq; eius ſpecies excogitat inſatiabilis hominũ cupiditas, quæ, ſi ſemel ei indulgeas, modum non inuenit. Hinc ergo luxurioſa in veſtitu mollities ſeſe exerit, quæ & naturæ & Chriſti legibus repugnat. Quia enim veſtium origo ex peccato eſt, nimis abſurdi ac imprudẽtes ſunt: qui illis ſuperbiunt: & quid obſecro hi aliud faciunt, quàm ſi quis facinoroſus ex catenis & laqueis, quibus vincitur, gloriam quærat? Quæ verò amentia eſt. Chriſtianum hominem veſtitu luxuriari, qui omnem ſalutis ſuæ fiduciam in Chriſto collocatam habet, qui vt veſtes habuit pauciſſimas, ita eaſdem propter nos militibus prophanis prædam fieri voluit, & nudus in cruce pependit, vt pri-

mam innocentiæ veſtem nobis recuperaret? Quæ cùm veriſſimè dicantur, & meritò molliculos illos pudore ſuffundere debeant, plerią; tamen diuitum non contenti ſumptuoſiori veſtitu, parum ſe feciſſe exiſtimant, niſi peregrinis quoq; veſtium formis ſeſe oſtentent, & has quoq; indies mutent, ne quid cum alijs commune habeant. Ridiculum ſanè hominum genus, qui dignitatem maiorem ſibijpſis ex pannis pollicentur, quaſi hi animum mutare & huius dotes augere poßint. Atqui (quod prouerbio dicitur) ſimia manet ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia. Comitatur luxum hunc intemperantia in victu, gulæ ſtudium, ex quo fœdus & belluinus donorum Dei abuſus naſcitur cum ebrietate, quam meritò omnium ſcelerum atq; turpitudinis parentem dixeris. Et quia huic etiam cupiditati finis ſtatui non poteſt, non minus peregrinas & nouas lautitias quotidie quærunt, qui illi ſemel cœperunt indulgere. Itaq; maria & terras omnes fatigant, vt non tam cibos quàm gulæ irritamenta conquirant, quibus palati faſtidio medeantur. Et dum ex illis voluptatem magnam ſperant, ſua intemperantia tam corporis quàm ingenij vires debilitant, & ſibijpſis morbos omnis generis accerſunt.

Pauperum contemptus.

Coniunctus eſt vitijs hiſce pauperum contemptus, quos ferè nihil ad ſe pertinere putant. Quomodo enim aliorum rationem aliquam haberent, quos ſecuritas iampridem occupauit, & quorum cogitationes circa veſtium ambitioſam oſtentationem, conuiuiorum luxum, ſuperbas inutilium ædificiorum ſtructuras, theatra, ludos, ſpectacula & alia ſexcenta huius generis diſtrahuntur, quibus paupertas ipſa inimica eſt? Itaq; qui inter illos alijs meliores ſunt, ſecuri pauperes atq; egenos negligũt, & Sacerdotem atq; Leuitam, de quibus in Samaritani parabola dictum eſt, imitantur, qui ſaucium & à latronibus ſpoliatum prætereunt, neq; eius curam ad ſe pertinere ſunt arbitrati. Et hanc oſcitantiam crudelem in iſto etiam diuite epulone Chriſtus perſtringit, quando Lazarum ad veſtibulũ eius proiectum iacuiſſe ait, nullam verò vel beneficij in ipſum collati, vel alicuius iniuriæ facit mentionem: Atqui eo nomine multi ſibijpſis placent, ſeſe; apud Deum abunde excuſatos eſſe arbitrantur, ſi ab iniurijs abſtineant, etiamſi interea pauperes omnes negligant. Quaſi verò nõ ſatis iniurius ſit, qui egenti debitum officium negat: aut non ſatis noceat, qui eum fame perire ſinit, quem ſua ope ſu-

Ezech. 16.

bleuare poterat. Et quid aliud in Sodomitis Deus per Ezechielem reprehendit, quàm quæ de hoc noſtro diuite narrantur? Ecce (inquit) hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, faſtus, ſaturitas panis, felicitas, otium, & manum pauperis atq; egeni non firmauit. Quò etiã referri debet, quòd Chriſtus in nouiſſimo die actionem ſuam propriè aduerſus eos inſtituet, qui eſurientem non cibarunt, ſitienti non dederunt potum, nudum non veſtierunt, peregrinum non exceperunt hoſpitio, ægrotantem aut captiuum non inuiſerunt, neq; conſolati ſunt. Quid ergo de illis fiet, qui non contenti neglexiſſe pauperes, inſuper eos odioſè accuſant, eorum vitia malignè notant, vt alios quoq; à beneficentia abſterreant, adhæc ab oſtijs & domibus ſuis procul arcent, vel etiam illis claudunt vrbiũ portas, quæ interea mimis, ſcurris, hiſtrionibus & meretricibus impudẽtiſſimis patẽt? Quid deniq; ſperare poſſunt ab his quorũ durities ne in his quidẽ modũ habet, ſed inſuper ſuis fraudibus, impoſturis, rapinis & tyrannide ad extremã egeſtatem redigunt, quorũ fortunas tueri debebant? Damnatur diues iſte, quod neglecto Lazaro ipſe veſtitu ſuperbiuit, & lautè epulatus eſt, ſeſe; ipſum ludis & omni voluptatis genere oblectauit. Num ergo impunè ferẽt, qui vt molliter veſtiri, epulari, ludere & voluptuari poßint, multos quotidie pauperes faciunt, & non ſolum ex ædibus paternis, verumetiam ex ſolo natali eijciunt? Atqui hi illi ſunt, qui hodie mortalium in hoc mundo beatiſſimi cenſentur, & quorum typum nobis in iſto ſumptuoſo epulone Chriſtus proponit. Sunt hi reuera omnium infeliciſſimi, cùm tota felicitatis ipſorum exiſtimatio ab opibus dependeat, quibus nihil eſt inſtabilius, & quæ illis tot-tantorumq; ſcelerum occaſiones atq; materiam ſuppeditant.

Lazarus typus miſeriæ huius ſeculi.

Sed videamus ex altera parte Lazarum, qui eorum eſt typus, quos mundus hic ſolos infelices & miſeros iudicare ſolet. In quo primùm nobis occurrit nomen, quo illum Chriſtus dignatur, qui diuitis nomen nullum expreßit. Ita verò in ipſo limine oſtendit, Dei iudicium ab hominum ſententia multùm differre. Hi enim ſolos diuites immortali gloria dignos eſſe exiſtimant, nec ſatis eſſe videtur, ſi nomen eorum cum aliqua honoris ſignificatione celebrent, niſi titulos quoq; addãt ambitionis plenos, quorũ aliqui nimij, aliqui indigni & abſurdi, multi inepti, omnes verò falſiſſimi ſunt. Sed & ipſi diuites, vt nomina ſua ad poſteritatẽ tranſmittant, ſtemmata ſua ex ordine domi ſuæ collocare, gentis inſignia in templis, hoſpitijs publicis, ad ſepulchra deniq; ſuſpendere ſolent: & inſuper ſeruilis ingenij

ſcriptores

ſcriptores ampliſſimis donis inuitare, quos ſuarum laudum præcones habeant. Et hæc quidem ad tempus aliquod multi admirantur: ſed plerunque præter omnem expectationem omnia iſta intercidunt, vt aut nulla extet vel nominis ipſorum memoria, aut ea fœtida & ignominioſa maneat. Quod Dauid obſeruans dicebat: Vidi impium ſeſe diffundentem inſtar lauri frondoſæ: Et tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus. Pſal. 37. *At longe alia eſt piorum ſors, qui etſi in hoc mundo obſcuri & ignobiles ſint, in cælis tamen eorum nomina adſcripta ſunt, & proinde immortalem atque æternam laudem habent. Ideo Chriſtus, qui diuitem illum molliculum & ambitioſum ne nominare quidem dignatus eſt, mendici pauperrimi nomen diligenter exprimit. At quale nam hoc fuit? Lazarus, quod idem eſt cum Eleazari nomine, verunque vero Deum adiutorem vel Dei adiutorium ſignificat.* Lazari nomen. *Videtur huic alluſio ſubeſſe ad vulgarem morem: quo mendicis ſtipem aut panem petentibus reſpondetur, Adiuuet te Deus. At quod illis ab inhumanis & duris dicitur, id Dominus conſolationis loco ipſis eſſe vult, eo quòd omnes illi, qui hominum ope deſtituuntur, reuera Lazari ſint, id eſt tales, quibus Deus adiutor & patronus eſſe velit. Huc enim illud Pſalmi pertinet: Beatus cuius auxilium eſt Deus Iacob, & cuius ſpes eſt apud Dominum Deum ſuum.* Pſal. 146. *Itaque ipſo nomine ſtatim Chriſtus eum felicem & beatum pronuntiat, qui propter egeſtatem miſerrimus erat hominum iudicio.*

Præſtat tamen paulò diligentius Lazari huius conditionem inſpicere. Primùm non pauper modò, ſed πτωχὸς *fuiſſe dicitur, quæ vox propriè eum ſignificat, qui omnium indigus ne labore quidem manuum ſibiipſi victum parare poteſt, ſed aliorum opem implorare cogitur: quos vulgò mendicos dicimus.* Mendicus. *Eſt horum conditio miſerrima, quia illis non ſolum cum paupertate, verumetiam cum mundo res eſt, in quo plures ſemper immites & inhumani ſunt, qui ipſos oderunt, & indignos eſſe iudicant, quibus aliquis opem ferat. Et quod reliqua mala ſuperat, vitæ etiam innocentia & morum probitas in iſto hominum ordine plurimum periclitatur. Quia enim paupertas, ſi per ſe conſideretur maleſuada eſt, tales autem ab omnibus fere negliguntur, nec vlla vel Eccleſiaſtica vel politica diſciplina continentur, facilis illis in omnem licentiam lapſus eſt, & ferè eò vſque delabuntur, vt ex inopia ſua impunitatem ſibiipſis polliceantur, & non ipſi modò peſſimè viuant, verumetiam liberos ſuos malè educent, & tales poſteros relinquant, quos neque religio neque magiſtratuum authoritas mouet, cùm nulla apud eos ſit illarum rerum cognitio, quibus homines in officio contineri poſſunt. Quæ cauſa eſt, quòd Deus olim pauperes quidem ſuo populo nunquam defuturos eſſe teſtatus eſt, & eoſdem commendatiſſimos eſſe voluit, ſimul autem grauiter monuit, ne mendicos eſſe patiantur. Quod ipſum Apoſtoli probè conſiderantes, in primitiua Eccleſia res ita inſtituerunt, ne quis egenus eſſet, qui viritim ſtipem aut oſtiatim panem emendicare cogeretur. Et Paulus in epiſtolis ad Theſſalonicenſes multa grauiter dicit* περὶ τῶν ἀτάκτων, *id eſt, de inordinatis illis hominibus, qui cùm nec priuatim rem domeſticam obeant, nec publicè politicis legibus aut Eccleſiaſticis viuant, ex publicis tamen Eccleſiæ bonis & priuatis piorum eleemoſynis ſibi dari volunt quod ipſorum ignauiæ & licentiæ poſſit ſufficere. Quoties ergo in euangelica hiſtoria mendicorum fit mentio, id in Iudæorum opprobrium fieri cogitemus, quorum Sacerdotes & Seniores publica bona ad ſe rapuerant, & nulla habita pauperum cura eos vagari & oberrare patiebantur. Quod vtinam non etiam hodie apud multos fieret, qui Euangelicæ doctrinæ profeſſione ſuperbiunt. Illis enim ferè debemus magnam illam mendicorum turbam, qui hinc inde famelici oberrant, vias omnes obſident, clamore & querelis omnes obtundunt, ex Eccleſiarum bonis interea diteſcentibus & voluptuantibus illis, qui vt inter Eccleſiæ membra numerentur, multis nominibus indigni ſunt. Sentient iſti aliquando graue Dei iudicium. Interim non obſtabit illorum inhumanitas atque rapacitas, quò minus Deo grati ſint, qui per illos mendicare coguntur, modò iſti fidem in Deum retineant, patientiæ & vitæ innocentiæ ſtudeant, quòd hunc Lazarum feciſſe paulò poſt audiemus.*

Nunc vt ad hunc redeamus, extremæ eius inopiæ aliud incommodum longè maius acceſſit, aduerſa nimirum corporis valetudo, & ea quidem non vulgaris aut in qua aliqua reſtitutionis ſpes poſſet haberi. Vlceroſus & famelicus. *Nam totus vlceribus obſitus fuit, quorum ſanies totum corpus & ipſas quoque medullas iam eò vſque depaſta erat, vt non multò poſt vitam ſuam finierit. Et cùm alios morbos ferè cibi faſtidium comitetur, iſte ſimul cum fame etiam conflictatus eſt, quam vulgò extremum malorum omnium eſſe aiunt. Adde his, quòd & famelicus & vlceribus contabeſcens, neque propriam domum, neque ho-*

ſpitium aut cubiculum meritorium habuit, in quo ſe contineret: ſed ad diuitis huius abliguritoris veſtibulum proiectus iacuit, præ fame non lautitias & rariores aliquas dapes (quas ferè ægroti appetunt) ſed micas petens è menſa cadentes, quas obrepens libenter collecturus erat, modò eò fuiſſet admiſſus. Facit præterea ad cumulum iſtius miſeriæ, quòd ſolus illic iacet, neque ſocium habet egeſtatis, ex quo vel conſolationẽ vel conſilium aliquod petere poſſit. A diuite autem & eius familia, quæ procul dubio numeroſiſſima fuit, ita inhumaniter & immiſericorditer negligitur, vt ne micas quidem modicas efflagitare poſſit, & canes omnibus illis humaniores & officioſiores erga ſe ſentiat. Hi enim veniebãt, & lingebant eius vlcera. Quo ſpectaculo Chriſtus non huius modò epulonis, ſed omnium eorum duritiem atq; crudelitatem arguit, qui procul abiecto omni humanitatis ſenſu nulla vllius hominis miſeria tanguntur. Hi certè non ſolùm in charitatem & communionem Chriſtianã peccant, ſed naturæ etiam leges violant. Cùm enim in pauperrimis hominibus imò in mendicis ſanie & tabo diffluentibus, humanæ naturæ dignitatem animalia bruta, canes, equi, volucres, & interdum feræ etiam agnoſcant, quis obſecro naturæ ſenſum aliquem in illis reliquum eſſe dixerit, qui eiuſdem ſecum naturæ conſortes tam facilè negligunt, vt neq; commiſeratione aliqua ſpontanea, neq; animalium brutorum exemplo moueantur? Quoties ergo canes aut iumenta aliquid offitij egenis atq; mendicantibus præſtare cernimus, toties aduerſus nos teſtes produci, aut à Deo iudices conſtitui cogitemus, quorum exemplis condemnemur.

Speculum noſtri temporis. Etenim hoc exemplo commune ſpeculum nobis Deus proponere voluit, in quo hominum mores, & quid hodie publicè atq; priuatim fiat contemplemur. Quid enim aliud faciunt principes, quos ne grauiores quidem ſui populi calamitate: mouent, vt de ope ferenda cogitent? Regnãt vbiq; terrarũ vſurarij, qui monopolijs ſuis & impoſturis plurimos quotidie ad egeſtatem redigunt, & rerum omnium pretium ita auxerunt, vt vix atrum panem ex laboribus ſuis habeant, qui dies noctesq; fatigantur. Clamat ergo paſſim miſera ciuium & agricolarum turba, plenæ ſunt querelarum curiæ omnes, tribunalia & iudicum ſubſellia ijſdem reſonant atq; ſtrepunt. Infiniti prædonum iſtorum artibus proſtrati principum opem implorant, magiſtratuũ genua ſupplices prehendunt. At quotus quiſque eſt, qui illorum miſereatur, qui vſuris modum ſtatuat, qui prædones publicos coerceat? Imò beatos poſſemus dicere pauperes ſi ſaltem quæ ex aliorum liberalitate illis debentur, & quæ multo ſudore acquirunt, ipſis ſalua manerent. Sed & bona Eccleſiarum multi ad ſe rapiunt, & inſuper miſeros nouis exactionibus, tributis, vectigalibus quotidie deglubunt, & à famelica opificum, agricolarum, vpilionum, ſubulcorum, viduarum & orphanorum turba exigunt pecunias, quas deinde in ludos, ſpectacula, venationem, aleam, ſcorta, mimos, inſana ædificia, ſanguinarios milites, paraſitos & nouarum voluptatum inuentores turpiter profundunt. Quis ergo illos hoc epulone inhumaniores & iniuſtiores eſſe negauerit? Hic certè canibus permittebat, vt Lazari vlcera lingerent. At ſi quis hodie pauperum & populi tot modis afflicti cauſam ſuſcipiat, mox erunt qui minacibus edictis illum deterreant.

Lazarus Eccleſiæ typus. Veruntamen luſus & iocus ſunt iſta, ſi cum ijs conferantur, quæ in Eccleſiã Chriſti deſignantur. Nam & hæc in mundo ſedibus incertis vagatur, & multis in locis famelica ſaltem micas aliquas ſanioris doctrinæ expetit. Adhæc morbis atque vitijs plurimis debilitata opem atque medelam poſtulat: & ad ipſa Pontificum atque Regum limina miſerè proſtrata iam multis annis eos ſuis clamoribus atque gemitibus fatigauit, qui ipſius nutritij, patroni, vindices & medici eſſe debebant. Sed nequicquam hæc omnia. Rident Eccleſiæ morbos Pontifices, & felices illos vulgi miſeri errores eſſe aiunt, per quos ipſi dominentur. Iidem propius accedenti & manum medicam poſcenti pedes deoſculandos propinant. Reges, aut ſecuri clamores eius negligunt, aut cum Pontificibus coniuratione facta querelas iſtas ferro & igne, aut etiam bellis publicis ſopire ſatagunt. Pauci aliqui canes à Deo excitati Eccleſiæ vulnera lingunt, dum verbi doctrinam & ex hac deſumptas afflictarum cõſcientiarum conſolationes adhibent. At ne hi quidem iſtud abſque periculo faciunt: & plerunque pro tam pio & neceſſario officio vincula, exilium, bonorum omnium direptionem & horrenda ſupplicia reportant. Et hæc quidem publicè fieri nemo negauerit, niſi qui in luce meridiana cæcutire velit: imò vtinam iſta negari poſſent, & ego potius mendacij arguerer, non autem tot infelices animæ de ſalute ſua periclitarentur.

Quod

Pauperum multitudo.

Quòd ſi verò ad huius ſeculi pauperes atque mendicos reuertamur, & quid priuatim in ſingulos plerique deſignent videamus, mox Lazarus iſte ad fores diuitis & voluptuarij lurconis veſtibulum proſtratus occurret. Quis enim non videat innumerabilem illorum multitudinem, quos aut principum iniquæ exactiones, aut militum rapacium crudelitas, aut incendia publica, aut tempeſtates & naufragia, aut etiam propria negligentia ſiue prodigalitas mendicos fecit? Sunt hi omnes publica exempla, quibus à nobis omnibus primò quidem pœnitentiam & vitæ anteactæ emendationem, deinde opem atque auxilium Chriſtus ipſe flagitat. Iacent hi ad templorum fores proſtrati, ad vrbium portas, ad magnatum palatia, adhæc oſtiatim pulſant, ſtipem & panem, adeóque micas ex menſa diuitum, & laceros attritóſque pannos, contemptas pretioſiſſimarum veſtium reliquias, magno & miſerabili clamore poſtulant. Ad hunc verò multi aures obturant, multi facies auertunt, multi iiſdem vias publicas & communem aerem inuident: omnium verò vna vox eſt, neminem tot mendicis alendis ſufficere. Quàm multi autem interea quamque immodici ſumptus fiunt in luxurioſa conuiuia, in turpes ludos, in theatrorum apparatus, in veſtes faſtuoſas & inhoneſtas, in aleam, in ſcorta, lenones, ſcurras, gelopœos, cithariſtrias & impuros Penelopes ſponſos, qui cùm fruges conſumere nati ſint, neque vllum opus honeſtum faciant, tamen feruntur & aluntur, imò conuiuijs publicis cum omnium applauſu interſunt, & tandem priuatim argenteis nobilium inſignibus, publicè autem veſtibus honorarijs & viatico donati diſcedunt. Et iſtis quidem ſumptibus plerique ſe ſufficere arbitrantur, & indignè ferunt. ſi quis eos illis leuare velit: quàm primum verò de pauperibus alendis & in ordinem redigendis quæſtio proponitur, omnes rem impoſſibilem tentari vociferantur. Quis ergo non exclamet, O mores, ô tempora? Intueamur ergo diligentius hoc noſtri ſeculi ſpeculum, ne dum diuitis iſtius mores imitamur, cum eodem pœnas demus Deo, qui pauperibus factas iniurias inultas non ſinit.

Lazari mores & ſtudia.

Porrò priuſquam dicendi finem faciamus, Lazari noſtri mores & ſtudia inſpicere oportet, vt eius exemplo inopes diſcant, quæ ipſorum ſint officia. Nam etſi Chriſtus de illis nihil expreſſè dicat, ex alijs tamen circumſtantijs facilè colligi poteſt, qualis fuerit. Quia enim illi morienti adſunt Angeli, quos electorum miniſtros eſſe Apoſtolus teſtatur, & animam eius in ſinum Abrahami deferunt: ſatis conſtat eum germanum Abrahami filium fuiſſe, quo nomine electos Dei & verè credentes Spiritus ſanctus in Scripturis ornare ſolet. Fidem certè operibus euidentiſſimè declarauit, patientia nimirum & charitate, quas virtutes in illo præclaras & perfectiſſimas fuiſſe oportet. Quàm enim multa audiuimus, quæ eius patientiam ſuperare poterant, niſi inuicta fide & ſpe ſuffulta fuiſſet? Et quàm multos hodie, qui in fide robuſtiſſimi habentur, murmurare, deque ſuis afflictionibus impatienter quiritari audimus, qui ne decimam quidem eorum partem patiuntur, quæ ille perpeſſus eſt? Adhæc quàm multas quamque graues cauſas habuit, quæ ipſum mouere poterant, vt diuiti iſti opes atque fortunas ſuas inuideret, & tam ipſi quàm toti eius familiæ malediceret, à quibus tam inhumaniter negligebatur? Solent hoc ferè pauperes, adeò vt ſæpius abſque omni cauſa quibuſuis conuitientur, & diuites quoſque exitio dignos eſſe indicent. At longè alia beati iſtius mendici mens fuit, qui ſuam ſortem patienter ferendo, neminem ſuæ miſeriæ ſocium, aut etiam ſeipſo miſeriorem fieri optauit. Imitentur exemplum hoc pauperes, & ante omnia fidem in Deum habeant inconcuſſam, neque ſe propter egeſtatem ab illo negligi putent. Reſpiciant autem in fidei huius Mediatorem Ieſum Chriſtum, qui vnus nobis Dei gratiam impetrauit, ne ex paupertate (quod multi faciunt) meritum fingant. Vt enim diuitiæ neminem damnant, qui inter illas pietati ſtudet: ita neque egeſtas aliquem ſeruat, qui à fide alienus fuerit. Fidem verò teſtentur patientia & dilectione. Itaque neque de Deo improbè conquerantur, neque alicui meliorem ſortem inuideant: quin potius tam publicam quàm priuatam omnium ſalutem Deo ſuis precibus quàm poſſunt fideliſſimè commendent. Hæc ſi fecerint, vberrimum ex ſua inopia fructum reportabunt. Erit enim ea ipſis ſaluberrima diſciplina, qua carnis cupiditates coerceant: palæſtra item patientiæ, in qua fidem ſuam magna cum laude exerceant: & vbi in finem vſq; perſeuerauerint, ſalutis per Ieſum Chriſtum participes fient, qui cùm diues eſſet, propter nos pauper factus eſt, vt nos illius paupertate diteſceremus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amẽ. 2.Cor.8.

HOMILIA CLVIII.

Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami. Mortuus eſt autem etiam diues ille, ac ſepultus eſt. Et apud inferos ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in ſinu eius. Tum ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digitum ſuum in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in iſta flamma. Dixit autem Abraham: Fili, memento te bona tua recipiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala: nunc autem hic ſolatio fruitur, tu verò cruciaris. Et ad hæc omnia, inter nos & vos hiatus ingens conſtitutus eſt: vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſsint, neque iſthinc huc tranſire.

QVoniam homo ex terra originem ducit, terrenis quoque ſtudijs ſolummodo intentus cœleſtia & æterna bona negligit, & ne ſenſu quidem & intellectu percipere poteſt ea quæ ſunt Spiritus Dei. Et hæc cauſa eſt, quod plerique communi errore decepti in diuitijs ſummam felicitatem conſiſtere, paupertate autem nihil miſerius aut calamitoſius eſſe putant. Parit hic error alium, vt egeſtatem quacunque ratione effugere conentur, diuitias autem per fas & nefas congerant. Adhæc quia futuræ & æternæ vitæ cura nulla tanguntur, vſum quoque diuitiarum nullum nouerunt, quàm qui huius vitæ commodis ſeruit, ideoque aut illis indormiunt, vt nec ipſi aliquem ex eis fructum percipiant, aut iiſdem ad luxum, faſtum & turpiſsima carnalium voluptatum ſtudia abutuntur. Quapropter vt tanto tamque multiplici malo remedium eſſet, Chriſtus Ieſus hiſtoriam de diuite quodam epulone & mendico Lazaro proponit, qua de hominis felicitate & miſeria non ex huius ſæculi conditione iudicare, ſed vltra in ſæculum futurum proſpicere docet. Ab vna enim parte diuitem producit, qui ſi mundi iudicium audiamus, omnibus numeris beatiſsimus videri poterat. Huic opponit mendicũ, quo vix aliquid miſerius & calamitoſius poſſet fingi. Atqui hunc verè beatum & felicem, illum verò infeliciſsimũ & miſerrimum fuiſſe, vtriuſq; exitus oſtendit, de quo nunc dicetur.

Lazarus morte declaratur feliciſsimus fuiſſe. *Lazari mortem paucis verbis deſcribit: Et factum eſt, vt moreretur mendicus, & aſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami. Concurrunt in breui hoc dicto multa, quæ ad ſummam hominis felicitatem faciunt. Primum eſt, quòd qui mendicus, famelicus, vlceroſus & ignominioſè ab omnibus neglectus ad diuitis veſtibulum iacuerat, moritur, & moriendo ſemel liberatur ab omnibus moleſtijs, quæ vitam ipſam illi amaram fecerant. Qua ergo ratione infelix dicetur, qui corporis morbidi & afflictiſsimi vinculis liberatus optatum malorum omnium finem inuenit? Beatus dicitur, qui ex carcere euadit ſubitò, in quo periturus videbatur. Cur ergo miſerum dicamus, qui ex corporis huius ergaſtulo extrahitur, in quo nihil præter triſtiſsima queq; nobis poſſumus polliceri? Atqui mors omnibus mortalibus communis eſt, & quantacunq; fuerit alicuius hominis calamitas, ea tamen finem ſuum aliquando attinget, ideoq; ex huius vitæ laboribus ſiue aduerſis nemo iudicari poteſt, cum qualis nam exitus ille futurus ſit, ignoremus. In horum meditatione diligentius verſari debent, quos afflictionis diuturnitas & longior huius vitæ mora offendit. Fieri enim non poteſt, vt perpetua ſit aliqua noſtra in hiſce terris calamitas, cùm vita ipſa mortalis ſit. Diuturnæ quidem carnis iudicio videntur afflictiones, ſed reuera diuturnitas iſta momentanea eſt, & ſingulis momentis ad ſuum finem decurrit. Itaque, quod alibi quoque monuimus, eadem eſt noſtra, quæ nauigantium conditio. Vt enim illi in inſtituto itinere in ſingulas horas proficiunt, ſiue in naui dormiant, ſiue vigilent, ſiue ſedeant, ſiue iaceant, & eadem fluminis rapacitas æquali motu ſanos & ægrotos, lætos atque triſtes ſecum auehit: ita eiuſdem temporis nauigio omnes vehimur, quod perpetuo & ſemper ſibi conſtanti curſu tam eos qui ſecundis ventis feruntur abripit, quàm eos, quibus omnis fortuna aduerſa eſſe videtur. Itaque mora illa omnis, quæ nos anxios facit, imaginaria eſt, nec digna cuius nomine noſipſos diſcruciemus.*

Lazarus ab Angelis aſportatur. *Secundò ab Angelis aſportatur Lazarus: id quod Synecdochicè de eius anima dicitur, quæ potior & immortalis ſiue incorruptibilis hominis pars eſt. Vide ergo mirificam rerũ viciſsitudinem.*

*Paulò ante nemo hominum illi aliquod officium præſtare voluit, & alijs quidem vlcerum fluentium
ſaniem, alijs intolerabilem eorundem fœtorem abominantibus, fortaßis nemo morienti adfuit, qui
vel caput eius molliter reclinaret, vel æternæ ſalutis promißionibus in extremo agone luctantem
confirmaret, vel iam mortui oculos clauderet. At idem ille nunc Angelos miniſtros habet, qui &
morienti adfuerunt, & iamiam ex corporis carcere exituram animam aduerſus diaboli inſidias
ſeruarunt, inque ſedes beatæ immortalitatis detulerunt. Quo loco incomparabilis piorum dignitas
conſideranda venit, de qua nemo dubitare debet, vtut mundo huic deſpicatui ſint. Nam ad hominis
quidem ſeruitium tota hæc mundi machina condita eſt, cum omnibus quæ illa continentur. Et in im
pijs quoque communem hanc humanæ naturæ dignitatem belluæ etiam agnoſcunt, & ideo illos me-
tuunt, ſeque ab illis cicurari & regi patiuntur. At electis & fidis Dei cultoribus Angeli quoque
in miniſterium deſtinati ſunt. Angelus Domini (inquit Pſalmus) caſtrametatur circa eos qui ip-
ſum timent, & eripit eos. Et ad omnes Dei filios pertinet, quod de Ieſu Chriſto dicitur: Angelis* Pſal.34.& 91.
*ſuis tuo nomine præcipiet, vt in omnibus vijs tuis te cuſtodiat: manibus geſtabunt te, ne pes tuus ad
lapidem offendat. Exempla, quæ promißionibus iſtis fidem faciant, paßim occurrunt Scripturas
legentibus, quæ cùm non vno loco recitauerimus, ea in præſenti breuitatis ſtudio omittimus. Vnum
tamen non poſſumus præterire, minimè dubitandum eſſe, quin nobis morientibus Angeli aßiſtant,
qui & malos ſpiritus procul arceant, & animas noſtras ad vitæ æternæ poſſeßionem deferant. Cùm
enim in leuioribus periculis illi nobis adſint, quæ ratio eos absterreret, ne in extremis agentes iuua-
rent? Chriſto certè ob mortis iam inſtantis recordationem grauißimè conſternato Angelus Domi
ni apparuit: vt eo exemplo diſcamus illum ijs quoque cum gaudio appariturum eſſe, qui vera Chriſti
membra fuerint. Neque deſunt exempla noſtro ſeculo, quæ vt iſtud credamus, nos monere debent.
Vnde enim iſta multorum in morte alacritas? vnde gaudium & voces conſolationis plenæ? vnde
animæ iam iam exire geſtientis tripudium, quod in multis cernimus, niſi quòd læto Angelorum
conſpectu exhilarantur, & iam nunc in ſpiritu ineffabilis illius gaudij guſtum percipiunt, quod
Deum diligentibus Iſaias præparatum eſſe ſcribit? Poſſem ego exempla commemorare, quæ in
hominibus planè illiteratis & ſimplicißimis edita vidi, qui in ipſa mortis hora tanta animi &
oris alacritate exultarunt, vt niſi ſubitò expirauiſſent, ab omni prorſus ægritudine liberati vi-
deri poterant. Debent iſta eos conſolari, quos aut grauiora pericula circumſtant, aut quibus
vel ſolis vel procul à ſuorum complexu agentibus mors inopina obrepit. Cogitent illi ſe Deo curæ
eſſe, neque officio ſuo defuturos eſſe Angelos, quos hominum ſalute exultare ſupra audiuimus.
Petant etiam hinc conſolationem, qui ſuos peregre diem ſuum obijſſe audiunt, omni hominum ſer-
uitio deſtitutos. Quid enim hos ſaluti illorum officere potuit, ſi in fide Chriſti obdormiuerunt, cùm
Angeli Lazaro ad ſuperbum impij diuitis palatium morienti tam fidele obſequium præſtiterint?
Diſcant potius omnes homines tantam Dei bonitatem agnoſcere, & hanc ſuam dignitatem aßiduo
atque ſerio innocentiæ atque pietatis ſtudio tueantur.*

Tertiò locus quoque exprimitur, quò Lazarum Angeli aſportauerunt: nimirum in ſinum Sinus Abrahami.
*Abrahami. Diſputatum de hoc ſinu olim inter Theologos, quibuſdam illum apud inferos, alijs
verò in cœlis eum conſtituentibus. Auguſtinus vbi nam ſit, ſe ignorare non dißimulat, apud in-* Epiſt.99.ad Euodium.
*feros tamen illum eſſe conſtanter negat ex authoritate verborum Abrahami, de quibus poſtea di-
cetur. Eundem tamen ſecretæ quietis habitationem eſſe definit, & in eo beatorum ſpiritus viuere
atque Dei læto conſpectu frui teſtatur, de Nebridio ſuo ſcribens: Nunc ille viuit in ſinu Abrahæ.* Confeſſ. lib. 9 cap.3.
*& mox addit: Quicquid illud eſt, quod illo ſignificatur ſinu, ibi Nebridius meus viuit, dulcis ami-
cus meus, tuus autem Domine adoptiuus ex liberto filius ibi viuit. Nam quis alius tali animæ lo-
cus? Iam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt
ſapientiam pro auiditate ſua, ſine fine felix, &c. Porro Abrahami ſinum non aliud quàm do-
mum patris cœleſtis dicere poſſumus, in qua Chriſtus nobis manſionem parauit, ſicuti ipſe apud Io-
annem teſtatur. Nam idem ille in Matthæo dicit: Multi ab Oriente & Occidente venient, & di-
ſcumbent cum Abrahamo & Iſaaco & Iacobo in Regno cælorum. Ergo in ſinum Abrahami de-
ferri idem eſt, quod in Regni cælorum poſſeßionem recipi, & ad eorum cœtum colligi, qui Abraha-
mi fidem imitati promißionibus de Chriſto redemptore crediderunt. Locum verò illum extra hunc*

mundum corruptibilem & omnibus cælis ſuperiorem eſſe, ex ijs apparet, quæ de Chriſti aſcenſione Apoſtoli prodiderunt. Itaque in cælos & æternæ beatitudinis ſedem Lazarus receptus eſt. Quis verò nunc illum miſerum & infelicem eſſe dixerit, quòd paulò ante ad veſtibulum diuitis helluonis iacuit, neque ſuperbum huius limen tranſilire auſus fuit? Quin potius rurſum obſeruemus lætam hanc viciſſitudinem, quòd in æterno Regni cælorum palatio iam triumphat, cui cùm in terris ageret priuatæ etiam miſerorum homuncionum ædes non patebant. Certè ſi communis ſenſus iudicium audire & ſequi libeat, felicem fuiſſe fatebimur eam egeſtatem, per quam ille ad Regni æterni hæreditatem admiſſus & cælorum ciuis factus eſt, cui in terris locus negabatur.

Animarum conditio.

Venit autem hoc loco nobis conſideranda animarum conditio, de quibus olim multa multi diſputarunt, quorum errores hodie quidam poſtliminio reducunt, vt præ alijs ſapere videantur, aut contra conſcientiæ terrores ſibijpſis delitias faciant. Quia verò illorum ſententiæ indignæ ſunt quæ recitentur, non ijs inſiſtemus, quæ certis Verbi Dei teſtimonijs cognoſci poſſunt. Illa verò animas, quoad

Luc. 23. *eſſentiam, ſpiritus: quoad conditionem, immortales eſſe docent. Spiritus enim vocabulo Chriſtus iam*

Acto. 7. *moriturus vtitur, de ſua anima loquens: & præceptoris exemplum Stephanus ſecutus eſt, quando inter vndique volitantium lapidum grandines clamauit: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Im-*

Matth. 22. *mortales autem eſſe, multis Scripturæ teſtimonijs probari poteſt. Veteres enim ad patres ſuos colligi dicebantur, & Chriſtus Abrahamum, Iſaacum & Iacobum viuere dicit, quod non aliter, quàm de*

Philip. 1. *animabus illorum poteſt intelligi. Quo ſenſu Paulus quoque diſſolui cupiebat, & cum Chriſto eſſe. Sed quid opus eſt teſtimonia congerere, cùm de animarum immortalitate dubitari non poſſit, niſi qui aut Scripturæ libros nunquam inſpexit, aut omnem pietatis ſenſum iampridem ex animo eiecit? Recipiuntur autem illæ, vbi ex hoc corpore migrant in certum locum: impiorum quidem ad inferos, vt mox in diuitis exemplo videbimus: piorum autem in ſedes à Chriſto nobis paratas. De vtriſque*

Ezech. 32. *teſtimonia paſſim habentur. Ezechiel enim diſertè inferni meminit, in quem colligantur omnes, qui*

Ioan. 5. *poſuerunt terrorem ſuum in terra viuentium. Chriſtus autem de ſuis pronuntiat: Amen dico vobis, qui audit verba mea, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, ſed à morte tranſiuit in vitam. Ad cuius promiſſionis confirmationem plurimum facit Lazari noſtri exemplũ, vt & latronis, cui in cruce Chriſtus dixit: Hodie mecũ eris in paradiſo. Iſta nobis in mentem venire debent, quoties aut terrenorũ ſtudio bonorum, aut acerba mortis recordatione tentamur. Cur enim terrenis totus inhiet, qui ad cæleſtia conditus, patrem, patrimonium & patriam in cælis habet? Cur verò mortis formidine vincatur, qui hanc non modò finem malorum huius ſæculi, ſed felicem ex hac lachrymarum valle ad patriam cæleſtem tranſitum eſſe nouit?*

Diuitis epulonis obitus.

Porrò ad diuitis quoque obitum tandem accedamus, de quo Chriſtus hæc dicit: Mortuus eſt autem etiam diues ille, ac ſepultus eſt. Paucis verbis rem maximi momenti comprehendit. Primùm, quòd diues etiam ille (emphaſim habet demonſtratiua particula, ILLE*) mortuus ſit. Quid (inquis) audio? Num diues ille, qui quotidie purpura & byſſo induebatur, qui inter conuiuia lautiſſima & perpetuos ludos oblectabatur, qui in ædibus magnificis, inter ſeruorum turbam, amicorum concurſum, clientum applauſum & totius vulgi admirationẽ Deorum vitã agebat, itáne mortuus eſt, & moriendo delitijs, voluptatibus, luxui, faſtui & ambitioni finẽ impoſuit? Quid ni? Mortuus eſt, inquam: neq; eius mortẽ pluribus verbis Dei Filius indicat, quàm quibus paulò ante de Lazari obitu vſus fuerat. Ita verò docet, mortem omnibus communem eſſe, neq; vllis viribus aut ratio-*

1. Reg. 2. *nibus poſſe impediri. Eſt enim via omnis terræ, quam nobis primi parentis tranſgreſſio ſtrauit,*

Rom. 5. *vt Paulus ad Romanos teſtatur. Ideo quod Poeta quoque obſeruauit, Pallida mors æquo pede pulſat pauperum tabernas, Regumque turres. Et vt egenis improuiſa obrepit, ita diuites quoque præter expectationem inuadit, vt ſupra cap. duodecimo audiuimus. Id verò illis grauiſſimum eſt, & non poteſt non terribile videri. Ita enim rationes eorũ ſubitò turbantur, quas illi in multos annos vſq; extenderãt. Deinde felicitati illorũ finis imponitur, & vt ab huius ſæculi bonis ægre diuelluntur, ita nulla futurorũ ſpe cõfirmari & inuitari poſſunt, cũ partim illa ignorent, partim vnà cum morte horribiles conſcientiæ & diuini iudicij terrores ſibi obrepere ſentiant, quos prius non ſine ſcurrilitate eludere ſolebant, nunc autem nullis rationibus nulla hominum authoritate, nullis gemitibus aut lachrymis poſſunt diſcutere. Nihil ergo quàm triſtiſſimus mortis horror eos exagitat, & tunc*

ob oculos verſantur ab ipſis oppreßi miſeri homines, quos iniquißimis modis ſpoliarunt: tunc ſeſe ingerunt viduæ & pupilli per ipſos ex patrimonio ſuo deiecti: tunc in auribus ipſorum reſonant prius neglecti pauperum clamores: tunc conſcientia illis exprobrat libidines, luxum, faſtũ, blaſphemias & infinita alia ſcelera, quæ aduerſus Deum & hominec deſignauerũt. Et hæc quidem initia modò ſunt malorum: quia non vani ſunt illi terrores, ſed ſequitur hos damnatio, & animas corporis vinculo ſolutas crudelis & æternus apud inferos cruciatus excipit, vt paulo poſt audiemus. Excitẽt nos iſta, vt quando res nobis ſecundæ affluunt, frequenter in mortis conſideratione verſemur, quæ vt certißimè nobis obrepet, ita moriendi horam incertam & nobis incognitam eſſe voluit Deus, vt ſciremus, nobis nunquam non vigilandum eſſe, ne terrenis ſtudijs immerſi æternæ ſalutis iacturam faciamus.

Sepultura diuitis.

Alterum de diuite hoc narratur, quòd ſepultus ſit. Id verò de Lazaro non dixit Dominus: nimirum, quia corpus eius vel ignominioſè abiectum, vel negligenter terra obrutum fuit. Iſtius verò funus magnificè & non ſine pompa ductum fuiſſe innuit. Ita verò ſolet fieri, vt qui vitam ſuam in faſtu & luxu, vel etiam ſceleribus maximis tranſegerunt, poſt mortem quoq; ſuperbire velint. Vbi vnum hoc illorum conditioni optimè conuenit, quòd qui iam morituri conſcientiæ terrores ſenſerũt, & animi dolorem acerbißimum turpi eiulatu teſtati ſunt, præficos & præficas, adhæc monachorum & ſacrificulorum turbam conducunt, qui & ipſi lugubri cantu, atro veſtitu & geſtibus ad maximi luctus ſignificationem compoſitis, illos miſeros & infelices eſſe teſtantur. Imò cùm ſacra quoq; pro illis fiant, quæ damnationis ipſorum publicum ſunt teſtimonium: ipſorum corpora Mauſolæis includuntur ſuperbis, quibus imagines eorũ armatæ incumbunt: quaſi nimirũ adhuc crudelitatẽ ſpirent, quorum animæ apud inferos torquẽtur. Sunt hæc ridicula admodũ, ſiquidem in re tam ſeria aliquis riſui locus eſt reliquus. Meminerint ergo Chriſtiani homines, ſepulturas quantùmuis magnificas animarum ſaluti nihil conferre, ſed potius ambitionis & vitæ abſq; pœnitentia tranſactæ teſtimoniũ eſſe. Itaq; iam morituri animas fide vera muniant, peccatorum remißionem à Deo ardenter flagitent, ſeq; ipſos certa gratiæ per Chriſtum nobis partæ fiducia illi commendent. Qui verò illorum funera ducunt, humanæ ſortis memores, non eos qui iam vita defuncti in cœlis gaudent, lugeant, ſed potius mortis recordatione ſeipſos ad vitæ cœleſtis meditationem excitent, defunctorum autem corpora ita ſepeliant, vt nihil ambitioni detur, nihil etiam ſuperſtitioſè fiat, quod merito Chriſti vel minima ex parte deroget. Et honorificè quidem ſepeliri debent corpora, quæ dum viuerent, Spiritus ſancti templa fuerunt, & quæ olim ad cæleſtis vitæ poſſeßionem Chriſtus ſuſcitabit: caueri tamen oportet omnia, quæ vel animos adhuc mundo addictos arguunt, aut fidem labefactare poſſunt.

Anima diuitis in inferno.

Tranſeamus nunc ad animam huius epulonis, vt videamus, quæ eius conditio poſt mortem in altero ſeculo fuerit. Hanc ita deſcribit Chriſtus: Et apud inferos ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in ſinu eius. Tum ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digitum ſuum in aquam, & refrigeret linguam meam: quoniam crucior in iſta flamma, &c. Vbi rurſus multa concurrunt, quæ miſerrimam eius conditionem fuiſſe docent. Et primò quidem locus notatur, in quem anima eius à morte migrauerit. Fuit is in inferno, quem ſupplicijs damnatorum deſtinatum eſſe ſcripturæ nõ vno loco teſtantur. Et tenendum eſt probè aduerſus Epicuræos illuſores, eſſe certum locum impijs præparatum, in quem animæ ipſorum ſtatim à morte, poſt reſurrectionem autem corpora quoq; colligantur. De hoc Moſes loquitur, quando Cora, Dathanum & Abironem terræ hiatu abſorptos eſſe, ac viuos cum omnibus ſuis ad infernũ deſcendiſſe ſcribit. *Num. 16.* Iſaias verò eius nõ meminit modò, verumetiam illum deſcribit, quando Aſſyrij tyranni ſupplicium exponens, inter alia ſic ait: Præparata eſt præterea ab heri Thopheth, hæc etiam pro rege præparata eſt: quam profundam & amplam fecit, penetrale eius ignis, vis lignorum ingens, quæ flatus Domini, ceu ſulphureus torrens, incendit. *Iſa. 30.* Pertinent eòdem, quæ apud Ezechielem Cap. 32. & Danielis 7. leguntur. Et Chriſtus Dominus ſæpißimè de inferno loquitur, & in nouißimi iudicij deſcriptione ſe impijs dicturum ait: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Ad quorum omnium confirmationem facit hic locus, quem ſi quis eludere velit, quòd parabolica ſit narratio, is ſimul totum narrationis huius argumentum negabit, & Chriſtum impoſtoribus ſimilem finget, qui inanibus terri-

tulamentis ſimplices hominum imperitorum mentes deludunt. At hodie multos eſt videre, qui mirifica & plus quàm ſcurrili dicacitate omnia iſta negant. Sunt ij reuera, de quibus in Pſalmis ſcribitur: Dixit ſtolidus in corde ſuo, Non eſt Deus. Sed quia Deum ſimpliciter negare, nimis durum eſt, & ab eo communis etiam ſenſus ita abhorret, vt inter ethnicos olim capitis ſupplicio digni habiti ſint, qui illud facere ſunt auſi: noſtri illi diabolum & inferos negant, quod perinde eſt. Ita enim ſcelerum pœnæ tolluntur, & proinde Dei iuſtitia negatur, quam ſi ſuſtuleris, non magis Deus dici merebitur, quàm Regis nomine dignus eſt, qui omnem iuris adminiſtrationem negligit. Itaq; quod hic de epulone habetur, illum in inferno fuiſſe, ſimpliciter accipi debet, quòd vt Lazarus in ſinu Abrahami inter beatorum ſpiritus fuit, ita ille ab horum cœtu excluſus, adeoq; à facie Dei reiectus & ad tartara detruſus fuerit.

Diues in tormentis uidet Lazarum in ſinu Abrahæ.

Quid verò illic patitur? Miſerè & variè torquetur. Primum ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, vidit Abrahamum procul, & Lazarum in ſinu eius. In tormentis fuiſſe dicitur, quæ & grauiſſima & perpetua eſſe, alibi Chriſtus docet his verbis: Vbi ignis non extinguitur, & vermis eorum non moritur. Ad ſupplicij verò grauitatem facit, quòd procul vidit Abrahamum, ita nimirum loci diſtantia ſpem ſalutis omnem negante. Item quod in eius ſinu Lazarum vidit, cuius conſpectus ipſi inhumanitatem exprobrabat, qua in famelicum & vlceroſum ante veſtibulum ipſius iacentem vſus fuerat. Deinde cruciatum ſuum non vno indicio prodit. Nam Abrahamum inclamat, & Lazari opem implorat, vt is ſummo digito in aquam intincto vel vnica aquæ guttula linguam arentem & inflammatam refrigeret. Et addit: Quoniam crucior in iſta flamma. Vbi ergo nunc mutatoriæ veſtes, quibus & frigoris & æſtus moleſtiam ſolebat declinare? Vbi domus in varia cubicula pro anni ratione diſtincta? Vbi vnguentorum fragrãtium odor? Vbi vinorum genera infinita? vbi artificioſæ dapes? vbi condimenta, quibus olim edendi & bibendi appetitum prouocare ſolebat? Horribilem ſanè & omni ſenſu humano ſuperiorem fuiſſe oportet cruciatum illum, qui homini voluptuario, faſtuoſo & ambitioſo pauperum contemptori voces iſtas extorquere potuit, quibus & tormentorum ſuorum acerbitatem confeſſus, & non tam Abrahamo quàm Lazaro prius tam indignè & inhumaniter abs ſe contempto ſupplex factus eſt. Et obſerua hîc quoque miram & iuſtiſſimam rerum viciſſitudinem. Lazarum intra veſtibuli limen admittere dedignatus eſt: nunc ipſe procul à Regni cælorum palatijs excluſus in inferno agit. Micas è menſa cadentes Lazaro negauit: ab eo autem nunc guttam aquæ ſibi aſpergi cupit. Inter delitias corpus & animum varijs delitijs recreauit: nunc totus flammis vndiq; circundatus torquetur. Lazarum vlceribus obſitum & tabo diffluentem conſpectu ſuo indignum iudicauit: nunc eundem cæleſti gloria ornatum videre cogitur. Iſta verò ſeuerum iuſtumq; Dei iudicium exprimunt, quo ille impiorum crudelitatem atq; ſcelera punire ſolet. Quod enim iſti accidit, hoc omnibus euenturum eſſe Scripturæ docent, qui huius veſtigijs inſiſtunt. Vident ergo impij inter ſua tormenta eos beatos & felices eſſe, quos hîc vel ſuperbè neglexerunt, vel etiam crudeliter perſecuti ſunt: qua de re ſupra quoq; Cap. 13. Dominus diſſeruit. Deinde retributionem ſentiunt dignam & ſuis moribus reſpondentem. Vt enim qui miſe-

Iac. 2.

ricordiam exercuerunt, mercedem ſuam minimè amittunt: Ita iudicium aut damnatio abſq; miſericordia erit ei, qui miſericordiam nõ præſtitit. Quapropter omni ſolatio illi deſtituuntur, neq; aliquid vident, quàm quo ipſorum dolor atq; cruciatus augẽtur. Interim admonet nos totus iſte locus, quàm turpiter iudicio ſuo fallantur, qui ex huius ſeculi conditione de hominum felicitate aut infelicitate iudicant. Vt enim cùm in viuis agerent diues iſte & Lazarus, hic quidem mortalium miſerrimus, ille verò omniũ beatiſſimus eſſe videbatur: Ita poſtquam hac vita defuncti ſunt, diues à Regno Dei reiectus horribiliter cruciatur, Lazarus autem æternis cælorum gaudijs fruitur. Neminem ergo huius ſeculi illecebræ capiant, neminem quæ hîc nobis occurrunt certamina abſterreant: ſed in hoc potius omnes incumbant, vt vitæ huius curriculum conſtanti & ſerio pietatis atq; innocentiæ ſtudio emenſi, olim in cælis viuant atq; exultent.

Abrahamus diuiti reſpondet.

Sed Abrahamum audiamus, qui epuloni iſti grauiter reſpondet, amicè tamen & verbis minimè contumelioſis, vt eo exemplo diſcamus, non ſcurriliter inſultandum eſſe ijs, qui dignas ſuorũ ſcelerum pœnas exoluunt. Et huc etiam referri debet, quòd non Lazarus, ſed ipſe Abrahamus reſpondens inducitur. Eſtq; exemplum hoc iudicibus imitandum, vt tunc quoque grauitatis ſuæ meminerint, quando

rint, quando illis cum hominibus quouis ſupplicio dignis res eſt. Fili (inquit) memento, te bona tua recepiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala: nunc autem hic ſolatio fruitur, tu verò cruciaris. Et ad hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens conſtitutus eſt, &c. Reſponſionis huius partes ſunt duæ. Prima iuſtum Dei iudicium exponit, dignè vnicuique rependentis ſecundùm ea, quæ in vita hac geſſit. Quo loco pulchra comparatione vtitur. Tu recepiſti bona tua in vita tua, id eſt, tu felicitatem omnem collocauiſti in bonis terrenis, quæ tibi copioſiſſimè affluxerunt, & quibus addictus, vel immerſus potius, nullam vel Dei vel hominum rationem habuiſti: Meritò ergo nunc iſta pateris. E contra Lazari vita ærumnarum & calamitatum pleniſſima fuit, æquum ergo eſt, vt is nunc ſolatio & quiete optata fruatur.

Cauſæ uiciſſitudinis in altero ſeculo.

Debent autem diligenter obſeruari viciſſitudinis huius cauſæ veræ & propriæ: ne vel meritum ſtatuamus in huius ſeculi afflictionibus, aut temere quoſuis damnemus, qui in hoc ſeculo felicius viuunt. Vt enim huius vitæ afflictiones nullo modo conferri poſſunt cum bonis illis æternis & incomparabilibus, quæ nobis in cœlis repoſita ſunt: ita minimè putandum eſt, quòd ea noſtris laboribus aut moleſtijs mereamur. Et non rarò fit, vt pij in hoc ſeculo bonis affluant & feliciter agant, è contra impij cum calamitatibus aſſiduis conflictentur: Deo nimirum vtriſque guſtum aliquem futuræ conditionis propinante, vt & ipſi de rebus ſuis diligentius cogitent, & alij exemplis eorum excitentur. Et huc promiſſiones atque minæ pertinent, quas in lege & Prophetis habemus. Nec temere à Paulo dictum eſt, pietatem cùm præſentis tum futuræ vitæ promiſſiones habere. Inde verò elicitur impietati pœnas quoque tam hîc quàm in alio ſeculo paratas eſſe. Itaque quod hîc de diuitis felicitate dicitur, quam nunc meritò cruciatus infernalis excipiat, ad illius abuſum reſtringi debet. Nec enim ideo ille ad inferos damnatus fuit, quòd opibus, otio & rebus ſecundis abundauiſſet: ſed quòd fortuna elatus totum ſe luxui & faſtui tradidit, neglecta pietate & beneficentia, quæ tales potiſſimùm decent. Similiter felicitatis æternæ cauſa propria Lazaro fuit non paupertas & aduerſa valetudo, ſed quòd Dei promiſſionibus credidit, onus ab eo ſibi impoſitum patienter tulit, ſeq; totum per fidei obedientiam voluntati diuinæ ſubmiſit. Itaque vt impios lætior fortuna inebriat, & officij ſui immemores facit: ita pijs afflictiones adiumento ſunt, vt in pietate magis proficiant. Et hinc retributio illa dependet, cuius in præſenti Abrahamus meminit. Debet tamen ex his generalis doctrina peti, perpetuam hanc eſſe rerum viciſſitudinem, vt qui in felici ſtatu alios affligunt, tandem ipſi quoque afflictionem ſuſtineant: & rurſum relaxationem habeant quicunque affliguntur. Vide Paulum in poſt. ad Theſſalonicẽ. cap. 1.

Negatur ſpes ſortis melioris.

Reſtat altera reſponſionis huius pars, quæ omnem liberationis aut ſortis melioris ſpem negat, dicens: Et ad hæc omnia inter nos & vos hiatus ingens conſtitutus eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque iſthinc huc tranſire. Hiatus nomine magnam intercapedinem aut diſtantiam loci vtriuſque denotat, qua alter ab altero ſeparetur. Longè aliter ergo Abrahamus ipſe de ſeculi & vitæ alterius conditione ſiue ſtatu loquitur, quàm hodie phanatici quidam & contentioſi homines, qui neque cœlum neque inferos locorum nomina eſſe, neque inter illa aliquam diſtantiam eſſe contendunt. Scio tamen quid illi reſpondeant, parabolam ſcilicet narrari. Sed quid dicent, ſi ego rem verè geſtam, & quæ Filio Dei non potuit ignota eſſe, recitari contendam? Quibus argumentis obſecro me erroris conuincent? Deinde cùm hîc de maximi momenti articulo agatur, de immutabili nimirum ſorte aut conditione eorum, qui hac vita defuncti & in alterum ſeculum tranſlati ſunt, quis obſecro ſanæ mentis, Abrahamum dicet argumento parabolico vſum eſſe, cuius verba aliter quàm ſonent, accipi debeant? Certè ipſe Chriſtus ingentem locorum diſtantiam expreſſit, quando Abrahamum procul viſum fuiſſe dixit à diuite. Et in præſenti, hiatus ille conſtitutus & fundatus eſſe dicitur, æterno nimirum Dei decreto. Itaque omiſſis quæſtionibus, quibus Scripturæ ſacræ veritas labefactatur, teneamus firmiter, eos qui ex hac vita migrant, perpetua & irreuocabili Dei ſententia vel in cœleſtes beatæ immortalitatis ſedes recipi, vel ad inferos detrudi. Et in huius conſideratione diligentius verſandum eſt, quia hîc duo inſignes errores confutantur.

Contra inuocationem Diuorum.

Primus eorum eſt, qui Diuos inuocandos eſſe contendunt, eò quòd illorum interceſſione & merito tam in hac præſenti quàm futura vita iuuari poſſimus. Solent hi inter alia argumenta epulonis

huius exemplum producere. Sed eo ſuam ſtoliditatem produnt. Quis enim hominis impij & damnati exemplum imitari velit in ijs, quæ ad æternam ſalutem faciunt? Etenim quàm parum illorum verbis tribui debeat ex alijs locis apparet, in quibus Dominus exponit, quàm ineptè & impudenter ijdem in nouiſſimo iudicio ſuam iuſtitiam atq; dignitatem iactaturi ſint. Deinde quid impetrat infelix ille, dum & Abrahami & Lazari opem implorat? Nihil prorſus. Imò Abrahamus negat, illi aliquam ſalutem aut relaxationem afferri poſſe. Quod de omnibus intelligi debet, qui iam in cœlis agunt. Nam vt alibi diximus, illi eos non norunt, qui adhuc in terris degunt, neque aliqua rerum huius ſeculi cura tanguntur. Alteros autem illos, qui iam ad æternas pœnas damnati ſunt, neq; poſſunt neque volunt iuuare. Cauſa in promptu eſt: Quia Dei voluntas ſola in cœlis omnia moderatur, & in hac cum laude & gratiarum actione Angeli & Diui cœlites acquieſcunt. Ideo inter precandum dicimus: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra. Quibus adde, quòd Deus Sanctos, non ſuarum rerum curatores fecit, ſed Regni ſui & beatitudinis conſortes, manente perpetuò mandati huius authoritate: In die afflictionis tuæ inuoca me, &c. Pſalm. 50.

Contra ſacra pro defunctis.

Alter eorum error eſt, qui ſalutis ſuæ curam poſt mortem vſque differunt, & eam vel hæredibus mandant, vel ſacrificulis aut monachis. Etenim duo ſoli loci ſunt, in quos defunctorum animæ colliguntur: Cœlum & Infernus. Tertium locum, Purgatorium ignem, Scriptura prorſus ignorat, & nil niſi hominum ſuperſtitioſorum atque αἰσχροκερδῶν figmentum eſt. Eorum verò conditio, qui vel in cœlis vel apud inferos agunt, immutabilis eſt. Fruſtra igitur homines, qui in terris ſuperſtites manſerunt, ſemel latam Dei ſententiam reuocare conantur. Adde, quòd ne cœlites quidem Diui eos iuuare poſſunt, qui infernalibus pœnis iam cruciantur: ſicuti in Abrahami verbis euidentiſſimè apparet. Quid ergo impurus ſacrificus aut monachus proficeret tale quid moliendo? Vel num ſepulchris aſperſa aqua luſtralis eos recrearet, qui in inferno ardent, cùm diues iſte à Lazaro nequicquam aquæ guttulam vnicam petierit? Itaque cogitent ſinguli, mortis tempus omnibus definitum eſſe, & in morte animas ad ſuos locos colligi, vnde nunquam diſceſſuræ ſint: inutiles autem eſſe omnes labores atque impenſas, quæ pro mortuis fiunt. Quare operemur bonum, dum tempus eſt: ſalutis verò fiduciam omnem in vno Ieſu Chriſto collocemus, cuius ſanguis nos ab omni peccato emundat, & ad menſam Patris ſui gaudio æterno recreat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CLIX.

Dixit autem ille: Rogo ergo te pater, vt eum mittas in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres: vt teſtificetur eis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormenti. Dicit ei Abraham: Habent Moſem & Prophetas, audiant eos. Ille verò dixit. Non pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis abierit ad eos, reſipiſcent. Abraham autem dixit ei: Si Moſem & Prophetas non audiunt, ne ſi quidem quiſpiam ex mortuis excitetur, aſſentientur.

ÆTernus Dei Filius Ieſus Chriſtus, qui vt miſeros nos ſeruaret, in mundum venit, doctrinam quoque omnem ad eum ſcopum dirigit, vt oſtendat, quid facere quidq; vitare aut intermittere debeant, qui ſerio æternæ ſalutis ſtudio tenentur. Obſeruat hoc ipſum in hiſtorica narratione, quam de diuite & Lazaro mendico contexuit. Ea enim ei vitio medetur, quo homines à vera & æternæ ſalutis via quàm maximè reuocantur: Corrupto nimirum iudicio de felicitate. Docet enim hanc non in opum abundantia aut vllis huius ſæculi commodis conſiſtere, ſed in fide, pietate & beneficentia. Ita verò ſimul diuites & pauperes ſui officij admonet. Vt hi quidem non obmurmurent Deo, neque impiorum ſucceſſibus inuideant, aut etiam illis offendantur, ſed onus ſibi impoſitum patienter ferant: illi verò ſpem ſuam non in diuitijs fluxis & perituris collocent, ſed in Deo viuo & æterno, atque creditam ſibi diſpenſationem bona fide adminiſtrent. Cæterùm quia hîc, vt in alijs quoque rebus, iugi & aſſidua doctrina opus eſt, ſine qua homines in officio contineri non poſſunt: ſimul autem ſub

tem ſub prætextu doctrinæ nobis Satan non minus aſtutè quàm pernitioſè inſidiatur, vltima huius narrationis parte de illa quoque diſſerit, docens, vnde nam benè & beatè viuendi ratio peti debeat, ſimulque omnes alias diſcendi rationes confutat, quas ex diaboli ſuggeſtione homines curioſi & ſuperſtitioſi inuexerunt.

Diues fratribus conſultũ cupit.

Principiò tractationis huius occaſio præmittitur. Diues cùm ſuæ ſalutis ſpem nullam audiret reliquam eſſe, de fratrum ſalute anxius redditur, quos ex ſeipſo æſtimat. Nam vt ex verbis eius euidentiſsimè apparet, cùm in viuis eſſet, non fidem habuit ijs, quæ in Scripturis de futura vita, de cœlo & inferis, de præmijs piorum & pœnis impiorum dicuntur: quàmuis in filiorum Abrahami numero conſeretur. Itaque huius modò ſeculi bonis intentus, præſentibus delitijs animum expleuit, futura autem prorſus neglexit. Quia ergo fratres ſui ſimiles eſſe ſciebat, nunc illis conſultum vellet: & ideo petit, vt ad eos mittatur Lazarus, quem haud dubiè illi nouerant, qui illos de futuri ſeculi ſtatu admoneat, vt conuertantur. Quo loco rurſus aduerſarij noſtri abutuntur, vt probent mortuos noſtræ ſalutis curam habere, & proinde illos à nobis debere inuocari. Sed quod nuper reſpondimus, hìc repeti debet, proponi nimirum hominis impij & ad æterna ſupplicia damnati exemplum, ex quo religionis & ſalutis dogmata petere, non ridiculum modò verumetiam nefarium eſt, & cum graui ſcandalo coniunctum. Neque tamen temere negauerim, impijs omnia ea in mentem venire, quæ dolorem & cruciatum illorum augere poſſunt. Quid verò hoc ad beatorum ſpiritus, quos ſi noſtra cura & ſolicitudine angi dicamus, iam multum derogabimus eorum felicitati, quam perfectam & omnibus numeris abſolutam eſſe, Scriptura docent? Itaque & ſi illos noſtri memores eſſe demus, fatendum tamen erit, recordationem hanc eorum modò eſſe, quæ dum in viuis agerent facta ſunt, nec quicquam continere, quod moleſtiam poßit afferre, qua ipſorum beatitudo atque gaudium turbetur. In qua ſententia olim Beatus quoque Auguſtinus fuit, qui etſi Nebridium in cœlo ſui memorem eſſe fateatur, idem tamen in libro De cura pro mortuis habenda diſertè negat, animas defunctorum nobis apparere, aut ſe noſtris immiſcere negotijs. Nam inter alia ſic ſcribit: Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quando eas videmus Cap. 13. *alloquerentur in ſomnis, vt de alijs taceam, meipſum pia mater nulla nocte deſereret, quæ terra marique ſecuta eſt vt mecum viueret. Abſit enim vt facta ſit vita feliciore crudelis, vſqueadeò, vt quando aliquid angit cor meum, me triſtem filiũ non conſoletur, quem dilexit vnicè, quem nunquam voluit mæſtum videre. Sed profectò quod ſacer Pſalmus perſonat, verum eſt: quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Si ergo dereliquerunt nos patres noſtri, quomodo noſtris curis & rebus interſunt? Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum, qui nouerunt quid agamus, quidue patiamur? Iſaias propheta dicit: Tu es enim pater noſter, quia Abraham nos neſciuit, & Iſrael non cognouit nos. Si tanti patriarchæ quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignorauerunt, quibus Deo credentibus populus ipſe de ſtirpe illorum promiſſus eſt, quomodo mortui viuorum rebus atque actibus cognoſcendis adiuuandiſque miſcentur? Hæc omnia Auguſtini ſunt, quæ ideo recitauimus, vt omnes intelligant, nos non noui dogmatis in Eccleſia authores eſſe, ſed eorum ſententiam ſequi, qui ex ſcripturis de mortuorum conditione magis ſobriè & diligentius diſſeruerunt, quàm poſteris temporibus factum ſit, quando auaritia & ambitio cum ſuperſtitionibus barbaram omnis ſcripturæ ignorantiam inuexerunt. Quapropter hoc epulonis noſtri exemplum non debet latius extendi, neque ad animas in cœlis gaudentes trahi, quod ille ideo paſſus eſt, vt eius tormenta atq; cruciatus augerentur.*

Sors eorum, qui futuræ uitæ ſpem negant.

Nunc illud potius conſideremus, quod propriè ad hunc locum pertinet, quid nimirum maneat impios illos & ſecuros illuſores, qui contempto & procul abiecto Dei verbo omnia ea rident, quæ de futuro ſeculo, de animarum immortalitate, de corporum reſurrectione, de æternis piorum præmijs & nunquam finiendis impiorum cruciatibus dicuntur. Fuerunt tales omnibus ſeculis, & nota eſt hæc Poetarum quorundam ſententia: Scilicet hic ſuperis labor eſt, hæc cura quietos ſollicitat: nouiſsimis autem temporibus iſtud hominum genus vulgò regnaturum Chriſtus & Apoſtoli prædixerunt. Vnde enim ſecuritas illa naſcitur, quam illis Dominus tribuit, quando ſimiles fore dicit ijs, qui Noæ & Lothi temporibus vixerunt? Ex eo nimirum, quòd non credent vnquam venturũ iudicem illum, ad cuius tribunal omnes homines ſiſtendi ſint? Petrus autem Apoſtolus diſertè & clarius

2.Pet.3. id exprimit, ſic ſcribens: *Venient extremis diebus irriſores, qui in ſuis ipſorum cupiditatibus incedant, & dicant: Vbi eſt pollicitatio aduentus eius? Nam ex quo patres noſtri obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis.* Quibus Paulus ſubſcribit, dicens: 1.Theſſ.5. *Cùm dixerint, Pax & tuta omnia: tunc repentinum eis imminet exitium, ſicuti dolor partus mulieri vterum ferenti, nec effugient.* Atqui audiuntur voces iſtæ hodie paſſim, & vtinam non inter eos etiam ſonarent, qui ſummi Eccleſiæ antiſtites haberi volunt. Et quamuis multi à verbis hiſce ſcurrilibus ſibi temperent, ne toti impij eſſe putentur, iidem tamen vita & moribus ſatis apertè teſtantur, hanc perſuaſionem animis ipſorum penitus inſculptam eſſe. Cur enim aliter de illis ſentiamus, qui omni cœleſtis & futuræ vitæ cogitatione abiecta, genio ſuo indulgent ſecuri, & ne quid illos turbet, aut conciones ſacras omnino nullas audiunt, aut eos ſibi doctores deligunt, qui inani blandiloquentia aures auditorũ demulcent, manifeſta autem & libera ſcelerum redargutione in conſcientias eorum minimè penetrant? Quin hi ipſi propriæ etiã conſcientiæ teſtimonia eludunt, quò ſecurius ſuis deſiderijs ſeruire poſſint. At iidem ſuo tempore velint nolint coguntur ſentire ea, quæ nunquam euentura eſſe credere noluerunt: & iam morituri non ſolùm eiulatu belluino animi ſui horribiles terrores teſtantur, verumetiã tunc magni facere incipiunt eos, quorum monita prius contempſerunt, imò quos propter liberiores admonitiones odio capitali perſecuti ſunt. Quid verò, niſi Deus eorũ ex ſingulari gratia mereatur, vt in extremis ſaltem conſtituti verè credant & reſipiſcant, apud inferos patiantur, exemplũ infelicis iſtius diuitis ſatis docet. Qui enim paulò ante Lazari miniſterium poſtularat, vt is vel vnica aquæ guttula linguam eius refocillaret, idem nunc cum ſuis fratribus, æquè nimirum ſuperbis & ambitioſis, doctorem mitti cupit, quem prius intra veſtibulum admittere dedignatus fuerat.

Debent exempla eiuſmodi, quorum multa quotidie videre licet, nos excitare, vt aures noſtras obturemus ad impias illuſorum iſtorum voces, quibus ipſiſſimus impietatis fons reſeratur. Firmiter autem animis noſtris perſuaſum ſit, Deum eſſe, qui omnia regat, omnia videat, & vbiq; præſens ſit. Si enim hoc ex admirabili iſta totius mundi machina intelligere potuerunt multi, qui animos ſuos paulò altius ſupra carnis ſenſum euexerunt, meritò ſuæ ſtupiditatis pudere debet Chriſtianos homines, quos Deus ipſe verbo ſuo quotidie docet & excitat. Deinde vlterius progreſſi, cogitemus hoc omnino poſtulare Dei iuſtitiam, vt vita poſt hanc mortalem alia immortalis & æterna ſequatur. Conſtat enim illum renumeratorem eſſe, & niſi talem fateamur, iniuſtum quoque & iniquum ſimul eſſe dicamus oportet. Atqui non ſemper neque erga omnes in hac vita remuneratoris officio fungitur: ſed multi inter ſcelera & vitam pœnitere neſciam pace & felicitate perpetua fruuntur, multa interim ferentibus & patientibus ijs, qui illum timent & inuocant. Aliud ergo ſeculum ſit neceſſe eſt, in quo hi quidem promiſſa pietatis præmia accipiant, illi verò dignas ſceleribus ſuis pœnas luant. Hæc ſi frequenter & attentius paulò meditemur, mox nos extimulari ſentiemus, vt contemptis huius mundi ſtudijs, nos totos accommodemus diuinæ voluntati & cœleſtia bona ſectemur, quæ ſola nos verè beatos facient. Nam & mors nobis neque inſperata neque terribilis obrepet, neq; morituri anxiè tumultuabimur, animæ autem corporis carcere ſolutæ nihil patientur, quod dolorem aut cruciatum illis afferat, ſed cum Chriſto in cœlis æternum gaudebunt.

Abraham ad Moſem & Prophetas remittit.

Porro Abrahamum diuiti reſpondentem audiamus: *Habent Moſem (inquit) & Prophetas, eos audiant.* Indignus erat, cui amplius reſponderetur, reſpondet tamen, vt magis appareat eorum vanitas, qui hodie adhuc iſta imitantur, & ſibi doctores ex altero orbe dari volunt, quorũ relatione diſcant, quid in cœlis & quid apud inferos rerum agatur. Ergo ſimpliciter quidem negat quod ille petebat, ſimul autem oſtendit poſtulationem eius ſuperuacaneam eſſe, cùm fratribus abundè proſpectum ſit, vt qui doctores habeant Lazaro multum præſtantiores: Moſem nimirum fideliſſimum illum in domo Dei ſeruum, in quo verè factum eſt teſte toto populo Iſraelitico, quod Poetæ prophani de Minoe ſuo fabulati ſunt, quem Iouis ὀαριστὴν, id eſt, collocutorem finxerunt. Quis verò eius colloquij teſtis vnquam productus eſt? At Moſes ſpectante & audiente toto populo ad Dei colloquium euocatus eſt, & cum eo per dies quadraginta verſatus eas leges attulit, quibus ipſiſſima Dei voluntas exprimitur, & quarum authoritas omnibus ſeculis firma & rata eſſe debet. Huic poſtea ſucceſſores dati ſunt Prophetæ, quos vt legis ſuæ interpretes eſſent Deus excitauit, & Spiritu ſuo inſtruxit. Ad hos ergo diuitis iſtius fratres Abraham remittit, vt oſtendat eos non ſui

modò

modò ſeculi hominibus ſeruiuiſſe, ſed eius doctrinæ fuiſſe miniſtros, quæ poſteris quoque omnibus vitæ & ſalutis rationem tradere debeat.

Vnde peti debeat doctrina ſalutis?

Admonemur igitur hoc loco, vnde nobis etiam hodie doctrina petenda ſit. Ex Scripturis nimirum per Moſem & Prophetas traditis. Potuerunt illæ olim veteri populo ſufficere, quia Chriſtum pollicentur, & ad eum omnes deducebant. Vt verò omnibus conſtaret, hunc mundo exhibitum eſſe, neque alium expectari debere, Apoſtolicos quoque libros veteribus illis Spiritus ſanctus coniungi voluit: ideoque noſtra ſors potior & præſtantior eſt quàm veterum olim fuerit, qui ſolis promiſſionibus atque prophetijs ducebantur. Authoritas autem totius ſcripturæ infinitis argumentis iam olim probata eſt. De Moſe certè dubitare non poſſumus, cùm occulta quadam Dei virtute factum ſit, vt illius libri apud eos etiam fidem inueniant, qui à religione & vera illius cognitione ſint alieniſſimi. Dei certè conſilio excitatus Ptolemæus Philadelphus magnis muneribus ex Iudæa euocauit interpretes, qui Moſis hiſtoriam Græco ſermone exponerent, quòd illis contineri reſciuiſſet hiſtoriam certam de mundi creatione & humanarum rerum progreſſu. Inter Iudæos autem etſi magna eſſet Sadducæorum improbitas atque impudentia, qua in ſcripturæ veteris libros ſibi iudicium atque cenſuram ſumebant, ijdem tamen Moſi quicquam derogare auſi non ſunt. Et hodie librorum eius ſummam authoritatem eſſe conſtat inter Turcas quantùmuis barbaros & acerrimos crucis Chriſti hoſtes. Eandem verò fidem Prophetas mereri Chriſtus ipſe docet, qui illos cum Moſe coniungit, & tam ex hoc quàm illis ſuarum concionum argumenta deſumpſit. Apud Ioannem certè Iudæis ille dicit: Scrutamini ſcripturas (nam vos videmini vobis in illis vitam æternam habere) & illa ſunt, quæ teſtificantur de me. Et paulò poſt. Si credidiſſetis Moſi, credidiſſetis mihi: de me enim ille ſcripſit. Paulus autem in poſteriori ad Timotheum (2.Tim.3.) ait: Tota ſcriptura diuinitus eſt inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, qua eſt in iuſtitia: Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. In quibus verbis duo diligenter obſeruari debent. Primum, quòd ſcripturæ authorem facit Spiritum Dei. Quod Petrus exponens ait: Non enim voluntate hominis allata eſt olim (2.Pet.1.) Prophetia: ſed acti à Spiritu ſancto locuti ſancti Dei homines. Ergo Dei verbum ſcripturæ continent, & has audire atque legere debent, quicunque Deum ipſum loquentem audire cupiunt. Alterum eſt, quòd ſcripturis omnia tradi teſtatur, quæ ad hominem vel inſtituendum, vel in officio retinendum neceſſaria ſunt. Nam vtilis eſt (inquit) ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia. Doctrinæ nomine dogmata fidei & ſalutis intelligit, quæ in ſcripturis omnia contineri nemo negauerit, quàm qui totam ſalutis rationem in dubium vocare cupiat. Doctrinam verò hanc non ſimpliciter tradi, ſed ita proponi oſtendit, vt ſimul ea arguantur errores, quibus multi à veritatis via abducuntur. Rurſus, cum peccatorum etiam illecebræ multos tranſuerſos abripiant, illis etiam corrigendis & in officio retinendis ſcripturas ſufficere dicit. Denique eaſdem ad inſtitutionem in iuſtitia vtiles eſſe ait, vt illis contineri doceat quicquid ad vitam piè & iuſtè inſtituendam cognitu neceſſarium eſt. Et ne quæ eſſes tergiuerſandi occaſio, hunc illarum vſum & finem eſſe teſtatur, vt homo Dei, id eſt, quiſquis Deo ſeruire & placere cupit, perfectus fiat, & ad omne opus bonum perfectè inſtruatur. Pleonaſmo vti voluit Apoſtolus, vt omnibus os obturaret, qui nobis aliud quoddam verbum Dei reconditum fingunt, quod non ex ſcripturis, ſed reuelationibus certis addiſcere oporteat. Quid enim diſcendum præter ſcripturas ei reliquum eſt, qui ſi illas probè imbiberit & rectè teneat, etiam Dei iuditio perfectus cenſetur? Eſt ergo multa obſeruatione digniſſima Dei bonitas, qui verbum ſuum non voce modò viua proponi, ſed ſcriptis ac literis compræhendi voluit, libros etiam ſcripturæ (vt alibi monuimus) in hunc vſque diem non ſine miraculo ſeruauit, vt quoties libet illum de rebus abſtruſiſſimis, de huius vitæ officijs, de futuræ ſtatu, de cælis, de inferis, de præmijs item & pœnis, denique de vniuerſa Regni cælorum adminiſtratione, loquentem audire liceat. Magna igitur eſt eorum ingratitudo, qui tantum beneficium Dei contemnunt: maior item eorum improbitas, qui ne quid ſuis affectibus contrarium audiant, aures ſuas obturant: execrabilis autem multorum impietas, qui Scripturis fidem derogant, & ſcurriliter omnia eludunt, imò ſtudioſe conquirunt argumenta, quibus illarum authoritatem euertere poſſint. Sunt hi (vt aliâs diximus)

perfidorum villicorum ſimiles, qui poſt multam herorum beneficentiam, qua diu vſi ſunt, rationum librot improbè vellicant, & ita falſi inſimulant eos, quibus omne gratitudinis officium debent. Semper ergo nobiſipſit hoc Abrahami dictum applicemus, quoties aliqua dubitatio in animis noſtris oboritur, aut nos curioſitatis vitio titillari ſentimus: nobis (inquam) tunc occinamus: Moſem habes & Prophetas, imò ipſum Dei Filium & Apoſtolot, quot hic orbis totius doctores eſſe voluit, hot audito, & in illis quæ ipſi tradiderunt, perſiſtito, &c.

Impij non ceſſant Deo obloqui.

Cæterùm non ſufficiens viſa eſt diuiti noſtro Moſis & Prophetarum doctrina. Manet enim ſemper ſui ſimilis impietas, & incurabili pertinacia aduerſus Deum tunc quoque luctatur, quando ſe conſtrictam & iuſto eius iudicio oppreſſam eſſe ſentit. Docet hoc ipſum alibi quoque Dominus, quando impiot in nouiſſimo die ſententiæ eius poſtremæ & irreuocabili oggauientes inducit: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut inualidum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Vt verò iſti ſeipſos excuſando iudicem illum iuſtiſſimum accuſant: ita diues hic ſimile quid Abrahamo reſponſat: Non pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis abierit ad eos, reſipiſcent. Quid enim hoc aliud erat, quàm Deum ipſum contumaciæ fratrum authorem facere, & in hunc perditionis atque exitij ipſorum cauſam transferre: quia non ea ratione erga eot vtatur, qua facilè emendari poſſiue? Sed & ſuæ damnationis culpam non omnino obſcurè in Deum reijcit, quaſi ipſe quoque vitæ ſuæ rationem aliter inſtituturus fuiſſet, ſi quem habuiſſet monitorem ex inferis aut ex ſuperis redeuntem. Audiuntur etiam hodie multa huius generis, & multi qui ſibi egregiè ſapere videntur, dicere audent: Cùm abundè omnibus conſtet, neque id Deus ignoret, pleroſque contumaciores eſſe, quàm vt ſcripturis fidem habeant, verbi prædicatione emendentur, aut à miniſtris illis moroſis & contentioſis admoneri atque repræhendi velint: cur non alia via rem aggreditur? Atqui facile illi foret, vel prodigijs ſubitis verbi contemptores terrere, vel aliquos ex defunctorum numero illis probè notos emittere, qui quæ ex Scripturis traduntur ſuo teſtimonio confirmarent: neque illi deſunt Angeli, qui noua & inſolita docendi ratione hominum mentes commouere poterant. At quorſum iſta omnia tendunt? Vt ſuam atq; aliorum contumaciam excuſent, Deum autem fingant, qui hominum exitio delectetur.

Incurabiles, qui Moſem & Prophetas non audiunt.

Sed omnibus iſtis Abrahamus reſpondet: Si Moſem & Prophetas non audiunt, ne ſi quidem quiſpiam ex mortuis excitetur, aſſentientur. Rationes huius dicti multæ afferri poſſunt. Nam ſi Moſit & Prophetarum libri excutiantur, quid obſecro in illis reperietur, quod non cum naturæ legibus & communi hominum paulò cordatiorum ſenſu conueniat? Paulus equidem gentes olim eam ipſam legem in cordibus ſuis inſcriptam habuiſſe teſtatur, quam Moſes Dei digito in tabulis lapidæis deſcriptam Iſraelitis promulgauit: quod ab illo veriſſimè dictum eſſe, in eius loci expoſitione prolixè demonſtrauimus. Si qui ergo Moſi credere dedignantur, eot certum eſt naturæ legem negare, & cum propria conſcientia certamen ſuſcepiſſe. Adde huic argumento vaticiniorum veritatem infallibilem, de quorum fide amplius dubitare non licet, cùm pleraque iam olim impleta ſint, & quæ adhuc reliqua ſunt, quotidie impleantur. Quibus ergo fidem adhibebunt, qui ea negare audent, quæ in omnium oculis, ore & manibus verſantur? Aut quis illos dignos eſſe dixerit, in quibus inſtituendis Deus noua ratione vtatur? Quæ verò eorum impudentia eſt, qui à Deo petere audent, quòd à viro bono & honeſto poſtulare, nimis inciuile & iniquum diceretur: vt nimirum propter viles & nullius pretij ſeruulos, imò propter contumaces reſponſatores totam ſuæ domus adminiſtrationem mutaret? Accedit his omnibus, quòd nunquam tutum eſſet mortuorum apparitionibus & nouis quotidie reuelationibus fidere. Nam & Satan ſeſe in Angelum lucis transformare nouit, & idem ſanctorum perſonam interdum aſſumit, vt facilius curioſis & incautis, vel aliquo affectu vehæmentiori laborantibus imponat: ſicuti in Samuelis & Saulis hiſtoria eſt videre. Et quàm multi per apparitionet & reuelationet eiuſmodi deluſi ſint & miſerè decepti non ſine aperto animarum ſuarum periculo, notius eſt, quàm vt multorum exemplorum commemoratione demonſtrari oporteat. Ergo vt noſtræ ſaluti Deus conſuleret, certam doctrinæ formam extare voluit, literis mandatam, ad quam in omni caſu recurrere & eam tutò ſequi poſſemus.

Rom. 2.

Homil. 11.

Verbum Dei in Scripturis habetur.

Ex his ergo omnes in genere diſcant, non aliud Dei verbum quæri debere, quam quod in Scripturis continetur. Cùm enim in his certa & omnibus numeris abſoluta credendi atq; viuendi regula proponatur,

*proponatur, inexcuſabilis ſtultitia, vel etiam execrabilis curioſitas eſt alias reuelationes expectare.
Itaq; confutantur huius loci authoritate omnes rationes diſcendi, quæ abſq; ſcripturis inſtituuntur.
Fuerunt hæ omnibus ſeculis infinitæ & multum inter ſe diuerſæ. Inter gentes artes fatidicas Perſa-
rum ſapientes, quos illi Magos dicebant, primi profeßi ſunt, inter quas antiquitus ſex ferè ſpecies
fuerunt, Necromantia, pyromantia, aeromantia, hydromantia, geomantia, & chiromantia. Ne-
cromantia vtebantur, qui ex defunctis reſcire volebant rerum euentus: & illi aut ſpiritus defuncto-
rum, aut etiam eorundem corpora excitare ſe profitebantur, à quibus de omnibus admonerentur.
Exemplum huius apud Lucanum habetur, vbi Erichtho Theſſalica maga mortui hominis cada-
uer excitauiſſe ſcribitur, quod belli ciuilis euentum Pompeij filio ex ordine recitauit. Et tantus hu-
ius artis vſus fuit, vt in populo Dei tandem locum habuerit, vt Saulis hiſtoria teſtatur, qui Samue
lem excitari voluit per veneficam quandam, vt ex illo diſceret quid ſibi in prælio contra Philiſtæos
eſſet euenturum. Pyromantiam dixerunt diuinationem, quæ per ignem fit, dum fulgurum, fulminũ
aut aliarum impreßionum ignearum vis inueſtigatur. Quò & tonitrua referri poſſunt, quæ Latini
homines felicia putabant, ſi à ſiniſtra parte audirentur, vt Cicero in hoc Ennij verſu obſeruauit,
Cùm tonuit læuum bene tempeſtate ſerena: cùm è contra Homerus Aiacem de Troianorum feroci- Lib. 2. de Diui-
tate cum Achille loquentem inducens tonitruis dextris lætum quid portendi innuat. Aeromantia natione.
erat, quæ ventos, auium volatus, inſolitas tempeſtates & alia huius generis obſeruabat. Hydro-
mantia circa aquas verſabatur, geomantia ex terræ hiatibus, chiromantia ex linearum, quæ in ma-
nibus viſuntur, inſpectione homini ſua fata prædicebat. Acceſſerunt poſteris temporibus infinitæ
aliæ ſpecies, aruſpicina, ſortes Præneſtinæ, oracula omnis generis, quibus Satan infelices gentes mi
ſerè deluſit. Noſtro autem tempore in hoc ordine primus locus ijs debetur, qui Aſtrologiam iudicia-
riam profitentur tanta audacia, vt hominis vitia & virtutes, mortem & vitam, adhæc regnorum
motus & mutationes, imò ipſam quoque religionem aſtris ſubijciant. Damnantur hi omnes per Le- Deut. 18.
gem Dei, & Prophetæ non ſolùm gentium diuinatoribus amarulenter inſultant, verumetiam om- Iſa. 47. &c.
nes artium eiuſmodi profeſſores à Chriſti regno excindendos & procul relegandos eſſe teſtantur. Ve- Mich. 5.
runtamen tanta ſuperſtitionis & curioſitatis humanæ vis eſt, vt inter Chriſtianos homines, qui ve-
teris illius artis impoſturas facilè obſeruarunt, aliæ locum inuenerint non minus periculoſæ, inter
quas vetuſtißimæ habentur, apparitiones Angelorum & reuelationes, quibus multi decepti ea ad-
miſerunt & fecerunt, quæ cum Dei Verbo apertè pugnant. Nam vt paulò ante diximus, poteſt ſe
in Angelum lucis Satan quoque transformare. Nec eſt quòd hîc mihi aliquis vetera exempla ob-
ijciat. Olim enim apud priſcos patres & Prophetas multus apparitionum & reuelationum vſus
fuit, qui hodie nullus eſt, cùm iampridem ſcripta ſint quæcunque nos ſcire neceſſe eſt. Et ſi hodie
Angeli doctores darentur, aut ea docerent, quæ Apoſtoli per Euangelium olim tradiderunt, aut
ab his diuerſa? Si eadem, inutilis & ſuperuacanea erit hæc mutata doctrinæ ratio. Si diuerſa au-
tem prædicarent, iam illis fidem habere Paulus prohibet. Paulò poſt animarum quoq; apparitiones
cœperunt, de quibus multum etiam Auguſtini temporibus diſputatum fuiſſe, ex illius libro De cura
pro mortuis gerenda apparet. Initio tamen de illis ferè ſolis agebatur, quæ in ſomnis apparent. Id
verò Sanctus ille Pater ridiculum eſſe docet ad animarum ſubſtantiam referre, cùm qui adhuc in
viuis ſunt, procul autem à nobis diſtant, ſæpe in ſomnis nobiſcum colloqui, nos de multis admonere,
aut alia nobiſcum agere videantur. Tandem verò creſcente indies ſuperſtitione, vigilantibus quoq;
ſpectra obijci cœperunt, ex quibus ignis Purgatorij calefactores quæſtum fecerunt longè vberri-
mum: & ipſe Satan mira finxit, quia hoc breuißimum compendium eſſe videbat, per quod homines
à Verbi Dei doctrina abducerentur. Atqui animas ſemel à corporibus egreſſas vel incertis locis va-
gari, vel ad nos redire, cum Chriſti doctrina apertè pugnat, & ad erroris huius confutationem v-
nicum hoc Abrahami reſponſum ſufficere poterat. Ergo quicquid huius obijcitur, id aut hominum
dolo & artibus fit, aut diabolica impoſtura eſt, cui interdum aliquid permittit Dominus, vt effi-
caci errore eos puniat, qui Veritati nolunt credere. Nobis ergo perſuaſum ſit, omnes quæ extra Scri
pturas inſtituuntur docendi rationes, illicitas & errorum irritamenta eſſe, & ideò Iſaiam audia- Iſa. 8.
mus dicentem: Si dixerint vobis, Sciſcitamini à Pythonicis diuinis, qui mußitant & ſuſurrant.
Annon gens quæq; ſuos Deos conſulit? Num pro viuis ad mortuos? Ad Legem & teſtimonium: &*

qui non dixerint ſecundùm verbum hoc, ijs non erit lux matutina. Denique celebremus gratũ animis Dei bonitatem, qui vt olim varijs modis cum patribus collocutus eſt: ſic tandem Filium ſuum miſit, qui voluntatem eius omnem exponeret. Hic cùm nobis etiam hodie loquatur per Scripturas, audiamus illum, vt eo magiſtro & doctore vſi per huius vitæ tenebras ſecuro pede ambulemus, tandem verò ſalutis & vitæ æternæ participes efficiamur, quam nobis ſuo merito acquiſiuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT XVII.

HOMILIA CLX.

AIt autem diſcipulis: Fieri nõ poteſt quin eueniant ſcandala: ſed væ illi per quem eueniunt. Expedit ei ſi mola aſinaria circũponatur collo eius, & abiectus fuerit in mare, quàm vt offendat vnũ ex paruis iſtis. Cauete vobis. Si peccauerit in te frater tuus, obiurga eum: & ſi reſipuerit, remitte ei. Et ſi ſepties in die peccauerit, & ſepties vno die reuertatur ad te, dicens: Pœnitet me: remittes ei.

Argumentum Capitis.

PRoximo Capite Chriſtus Ieſus multa grauiter dixit contra auaritiã & petulantẽ opum huius ſeculi abuſum. Et quia in his pleriq; ſummã ſuæ felicitatis collocant, errorẽ hunc nocentiſſimũ diligenter confutauit, docens quàm miſeri & infelices ſint poſt finitũ huius vitæ curſum, qui inter opes luxuriæ & voluptatibus deditì, fidei & charitatis officia negligunt. Porrò vt doctrina hæc tunc à Phariſæis cum riſu & ſannis excepta fuit, eò quòd cum auaritia inanem ſuperſtitioſæ perſuaſionis fiduciam coniunxerant, & omnem abuſum opum ſacrificijs atque oblationibus expiari poſſe arbitrabantur: Ita hodie etiam ab omnibus ridetur, qui carni & mundo deditì, ſibijpſis iampridem perſuaſerunt, Deum minuta iſta non curare, adhæc incerta eſſe & dubia, quæcunque de fine huius ſeculi, de vita futura, de animarum immortalitate, cœlo denique & inferis dicuntur. Et ſi qui meliores ſunt, hi quoque rapinas ſuas, impoſturas, faſtum & luxum abunde expiari exiſtimant, ſi ex malè partis aliquam ſummulam Deo decîdant, quæ vel in ignauos ſacrificulos, aut etiam in pauperes erogetur. Eſt autem hoc plenum ſcandali, ſimulq; multa alia quotidie fiunt, quæ Euangelij doctrinã magno cum ſcandalo remorantur apud eos, qui minus adhuc inſtructi ſunt: Ideò Dominus ad diſcipulos conuerſus admonitionem de ſcandalis ſubijcit, qua docet, fieri non poſſe, quin illa pijs multa & grauia obijciantur, ſimul autem pœnam horum authoribus denuntiat, & eorum cauendorum rationem tradit. Quorum omnium confirmationi ſeruit poſtrema pars huius Cap. quæ de nouiſſimorum temporum moribus atque ſtatu diſſerit.

Scandalum quid.

Priuſquàm verò ad Chriſti verba accedamus, de ſcandalis quædã in genere dicenda ſunt. Scandali vox Græca eſt, et Latinis impedimentũ, obſtaculũ vel offendiculũ ſignificat. Propriè autẽ de illis dicitur, ad quæ iter faciendo offendimus, adeò vt vel caſus ſequatur, aut aliqua læſio, quæ vt minus poſſimus progredi nos impedit. Per Metaphoram verò vox iſta ad hominis vitã & mores trãsfertur, et vt in Scripturis vita viæ cõfertur, ita ſcãdalũ ſeu offendiculũ dici ſolet omne dictũ aut factũ, quod in pietatis via ambulantes remoratur, aut lapſus occaſionẽ præbet. Sunt hæc multa & varia, adhæc variè etiã obijci ſolẽt, tam in religione quàm reliqua hominis vita. Et ſanè nocentiſſima ſunt, quæ in religione & Dei cultu nos impediunt, aut erroris cauſam præbent, eò q; ex religione vniuerſa hominis ſalus dependet. At hîc primũ locũ habet falſa doctrina, quæ ſimplices à veritatis via abducit, et ſupſtitionibus implicat, vt nõ poſſint progredi, quò maximè volebãt. Proximus locus principibus debetur, qui edictis publicis & proprio exẽplo ſupſtitiones & illicitos cultus inuehunt, imò etiam inuitis obtrudunt, vel q; Veritatis ignari zelo præpoſtero feruntur, vel ſub religionis prætextu regnũ ſuũ ſtabilire conantur, vt olim Ieroboã primus Iſraelis rex et Herodes fecerunt: quorũ veſtigijs hodie multi inſiſtunt, qui ſuperſtitiones Papiſticas non aliam ob cauſam apud ſuos tanta pertinacia tuentur, quàm vt Pontificũ & aliorũ regũ auxilijs ſuffulti tyrãnidẽ in ſuos tutius exercere poſſint.

Scandala

Scandala quoq; in religione non leuia ſunt conſortia non neceſſaria cum impijs & coniugia imparia, quæ in Lege Deus olim ſeueriter prohibuit. Fit enim vt vel ſociorũ cauſa, vel vt coniuge cõmodiore vtantur, pij multa faciant, quæ cum fidei profeßione minus conueniunt. Similiter ſcandalũ dant veræ religionis ſectatores imperitis, quando vel apertis ſuperſtitionibus cõmunicant, vel in rebus medijs atq; indifferentibus libertate ſua licentius vtuntur, nulla infirmorum ratione habita. Exemplũ in Corinthijs Paulus proponit, qui idolothytorũ eſum libertatis Chriſtianæ prætextu excuſabant, cùm interim dæmoniorũ cultui cõmunicarent. Et huc pertinent omnia ea, quæ hodie Euangelicæ fidei profeſſores in ſuſpicionẽ adducunt, quaſi à Papatu & idololatria minus abhorreant: vt cum alienis à fide filiæ elocantur, filij idololatris inſtituendi cõmittuntur, Encæniorum & Bacchanalium feſta frequentantur, multa deniq; fiũt & dicuntur, quibus vel ſuperſtitiones apertè probant, vel ſaltẽ leuiores eſſe ducunt, quàm vt propter illas cum quoquam aliquis debeat contendere. Quæ omnia cùm infirmiores videns, non poſſunt non offendi, vt vel odiſſe incipiant languidos & tepidos iſtos Euangelij profeſſores, vel eorundem exemplum ſecuti, ipſi quoque multa faciant reclamante conſcientia, ex quibus periculum ſalutis ipſis imminet. Non autem minor eſt in reliqua hominis vita ſcandalorum numerus, ſiue ſermonem aut verba, ſiue facta hominum inſpicias. Ad ſermonem pertinent ſcurriles facetiæ, illuſorum de cælo & inferis fabulæ, obſcæna dicta, conuitia, execrationes, & quæcunque alia animos hominum ad deſideria praua accendere, aut peßimarum cogitationum materiam ſiue argumentum præbere poſſunt. Eſt etenim maxima verborum vis, & vt noſtri animi index eſt ſermo, ita in aliorum quoque animis efficaciter agit: quod Paulus obſeruans ethnici Poetæ verſum dignũ putauit, quẽ ſua authoritate confirmaret: Corrumpunt mores bonos colloquia praua. 1. Corinth. 15. *Præ alijs tamen plurimùm poſſunt cantilenæ ab hominibus libidini deditis factæ, fabulæ item de amatoribus, quæ vt propter argumentum carni iucundæ ſunt, ita verborum elegantia & numerorum ſuauitate hominum mentes facilè abripiunt. Nec temere Platoni viſum eſt poetas è republica bene conſtituta eijcere, cùm illos non alia tractare videret, quàm quæ bonis moribus officiunt, & religionem quoque in contemptum adducunt. Porrò ex factis quoque hominum ſcandala plurima naſcuntur, eorum imprimis, qui authoritatem & exiſtimationẽ virtutis & ſapientiæ ſuſtinent. Nam ſi iſti vel in religione vel moribus aliquid præter officium faciant, mox imitatores inueniunt, qui iam ſibi licere putant, quæ prius illicita eſſe ſciebant: at qui meliores & honeſtatis amantes ſunt, non poſſunt non eos odiſſe, quos publicæ licentiæ authores eſſe vident. At quæ noſtri ſeculi calamitas eſt, hîc ferè ſcandalorum ſeges vberrima emergit: quando parentes in liberorum conſpectu multa indecenter, multa turpiter & impie faciunt: qui verò Eccleſiarum miniſtri ſunt, & qui rempublicam gubernant, ſuo exemplo ebrietatem, aleam, vſuras & publicam licentiam ſtabiliunt: rurſus ſenes quoq; iuniores ad libidinem & morũ leuitatem ſtabiliunt. Similiter diuites pauperibus offendiculũ præbent, quos ſuo faſtu & luxu eò adducũt, vt ſuã paupertatẽ impatientius ferant, et aduerſus Deũ murmurent, quaſi hic dona ſua indignè & iniquè diſtribuat. Taceo infinitas alias ſcandalorũ ſpecies, quæ partim alijs obijciunt homines, partim multi arripiunt, cùm nullæ dentur, vt calũniandi occaſionẽ habeãt. Et de his quidẽ omnibus Chriſtus iã diſſerit, breuiter quidẽ, ſed mira cũ grauitate.*

Primò autẽ periculũ ex ſcandalis mundo imminens prædicit, ne de re leuicula aut ſuperuacanea loqui videatur. Fieri non poteſt (inquit) quin eueniant ſcandala. Quod apud Matth. durioribus verbis expreßnrus clamat: Væ mũdo à ſcandalis: neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala. Quo loco nõ opus eſt ad prouidentiæ diuinæ arcana penetrare, vt ex ijs fatalẽ neceßitatẽ ſtatuamus, quæ homines culpa liberet, Deum autẽ tanti mali faciat authorẽ. Quin potius nos ipſos excutiamus, & dicti huius rationẽ ex peruerſa & incurabili hominũ malitia pendere intelligemus. Hi enim, quoad ſuã rationem ſequuntur, diuina & cæleſtia non ſapiunt, imò illa oderunt atq; abominantur. Fit ergo, vt impij & contumaces Dei hoſtes paßim ſcandala inueniunt, ad quæ impingũt, etiãſi nihil huius vel Deus vel quiſpiã alius obijciat. Sic Caino ambitionis et inuidiæ mancipio ſcandalũ fuit fauor Dei, quo hic Abelum proſequebatur: Eſauo itẽ Iacobi ſimplex integritas, quæ ipſum Deo & hominibus cõmendabat: huius autem filijs Ioſephi probitas atq; induſtria, & quòd eum à patre tenerius diligi viderent. Sic Pharaonem offendit populi Dei incredibilis propagatio. & hodie multos eſt videre, qui ſcandala ſibijpſis fabricant ex aliorũ felicitate, in qua Dei bonitatem agnoſcere, & eius conſideratione ad huius Scandala eſſe neceße eſt.

ſimul atq; fratrum dilectionẽ accendi deberent. Num verò id Deo fraudi eſſe aut vitio verti debet, quòd iſti maligno ſuo oculo eius beneficentiã intueri non poſſunt? Hodie certè peßimum illud eſt hominum genus, qui ex Euangelij doctrina ſtudioſè ſcandala conquirunt, quibus & ſuã & aliorũ fidẽ impediant. Alios enim ſimplex & ab omni fuco alienũ docendi genus offendit: alijs indignum & bonis moribus inimicum videtur, gratiam Dei in Chriſto peccatoribus prædicari: plerięq; ad crucem & perſecutiones impingunt, quas Euangelij comites perpetuos eſſe vident: ſunt qui diſſenſiones nobis exprobrãt, quibus inter ſe cõmittuntur præcipui huius doctrinæ inſtauratores: & iſta quidem omnia ſic exagitant, quaſi noua hæc ſint, nec vnquam viſa aut cognita in mundo. Sed cùm hos omnes præter cauſam ſibiypſis ſcandala fingere alibi demonſtrauerimus, non opus eſt nunc illorũ improbitatem pluribus confutare. Sed cùm tanta ſit hominum improbitas, vt ſcandala inueniant, vbi nulla ſunt: non poſſunt non ijdem multa quotidie facere & dicere, quibus rudes & infirmi offenduntur, vt aut nullos aut minores in regno Dei progreſſus faciant. Etenim tanta eſt vbiq; morum licentia, tam effrenis linguarum petulantia, tam horribilis opinionum abſurdißimarũ confuſio, vt optimos quoq; offendi oporteat, niſi indeſinenter in Chriſti verbum reſpiciant, qui hæc omnia nouißimis temporibus euentura eſſe prædixit. Adde his felices impiorum ſucceſſus, victorias, opes, honores, dignitates, quibus ita efferuntur, vt pij interdum nouis cogitationibus & rei indignitate extimulati clament: Quò vſque Domine clamo, & non exaudis? Qui fit, vt via impiorum proſperetur, & feliciter agant omnes, qui impudentißimè præuaricantur? Nõ ſunt eis nexus ad mortem, quin pingues ſunt & præualidi: Nulla eos, vt reliquos mortales, premit moleſtia, malorũ cõmunium immunes ſunt, &c. Et hæc quidem pij & ſancti homines impiorum ſucceßibus offenſi dicunt, vt in Ieremia, Aſaphi & ſimilium verbis eſt videre. At qui Dei timorem animis ſuis expuerunt, ij maiori impudentia animorũ offenſionẽ produnt, & dicunt: Fruſtra ſeruitur Deo: Quæ enim vtilitas, quòd cuſtodiã eius cuſtodiuimus? & quòd humiliati corã Domino exercituum incedimus? Et nunc beatos dicimus ſuperbos, quin & impietatem patrantes ædificantur, & qui Deum tentant, liberantur. Hæc (inquam) & multa alia huius generis hodie paßim audiuntur: & cùm hominum ingenia non mutentur, ſcandalorum finem nemo ſperare aut ſibiypſi tutò polliceri poteſt: quin cum Chriſto fateamur oportet, fieri nõ poſſe quin eueniant ſcandala. Permittit autẽ iſta Deus iuſto iudicio, vt electorum ſuorum fidem exerceat, hypocritas autem arguat, adeoq; ab Eccleſiæ ſuæ gremio excutiat, in qua ſæpe locũ primum obtinere videntur. Quo ſenſu Paulus hæreſes (quæ inter ſcandala facilè primatum habent) oportere eſſe ait: vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. 1. Corinth. 11.

In præfatione in epiſtolam ad Roman.

Malach. 3.

Exemplũ mundi ſequi, pernitioſum eſt.

Hîc autem non tam vtile quàm neceſſarium obſeruatu eſt, nihil periculoſius eſſe, quàm vel in fidei & religionis cauſa, vel vitæ conſuetudine & moribus mundi huius exemplum ſequi. Quia enim mundus ſcandalorum plenus eſt, & fieri non poteſt, quin illa eueniant, imò etiam augeantur in hac mundi quotidie in peius proficientis ſenecta, incerto greſſu feratur oportet, & ad ſingulos paſſus offendat, quiſquis multitudinem ſequi inſtituit. Debet hoc ijs reſponderi, qui hodie hoc vnum in ore habent, non diſcedendum eſſe à maiorum exemplis, multitudinis conſenſu & magnorũ principum authoritate. Optima ſanè ratio, ſi neq; hos falli poſſe, neq; maiores noſtros vnquam falſos fuiſſe conſtaret. At cum Chriſto teſte mundus tenebris gaudeat, & plures ſint qui per latam viam ad interitum ruunt, quàm qui per arctam & aſperam vitæ ſemitam incedunt, non poterunt non errare, quicunq; illos ſequi in animum inducunt. Et hîc verißimè impletur, quod alibi dicit Dominus: Si cæcus cæco viæ dux fuerit, ambo cadent in foueam. Itaq; in vnum Ieſum Chriſtum intenti ſimus, qui via eſt, veritas & vita, & qui in Euangelio nos ad ſe inuitans clamat: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

Pœna ſcandali authoribus denuntiatur.

Deut. 27.

Porrò ne quis ex neceßitate illa ſcandalorũ, quã Chriſtus ſtatuit, ſibiipſi delitias faceret, & per illã vel ſeipſum vel alios excuſaret, idẽ graue Dei iudiciũ & horribiles pœnas illorũ authoribus denunciat, dicens: Væ illi, per quem ſcandala eueniunt. Conuenit hoc dictum cum Legis ſententia: Maledictus, qui cæcũ errare aut impingere facit in itinere: & dicet vniuerſus populus, Amen. Comprehendit autem hæc imprecatio omnem infelicitatem hominis quoad corpus & animam. Vt enim ex Dei benedictione vniuerſa hominis ſalus atq; felicitas dependet, neq; vlla creatura ei nocere poteſt, quem ille ſuo amore & fauore in Filio ſuo Ieſu Chriſto cõplectitur: ita infelicißimus ſit oportet,

& omnium

& omnium malorũ generi obnoxius, quiſquis Deũ ſibi aduerſum habet, & eius maledictione premitur. Ideò Moſes maledictionẽ iſtam poſtea per partes ſiue ſpecies exponens dicit: *Maledictus eris in vrbe, maledictus in agro. Maledicta erit ſporta tua, et reliquiæ tuæ. Maledictus fructus vẽtris tui, & fructus terræ tuæ, fœtus boum tuorũ, & greges ouiũ tuarum. Maledictus in introitu tuo, maledictus in exitu tuo, &c.* Et ideò *va* illud horrendum non niſi deploratis & extrema quæq; iam meritis Chriſtus intonat, vtpote Phariſæis & Scribis, quorũ cõtumacia planè indomita & incurabilis erat; & Bethſaidæ, Corozaimo & Capernao, quæ nullis eius ſiue admonitionibus ſiue miraculis ad reſipiſcentiã adduci potuerãt. Et vt in præſenti pœnã amplificet, addit: *Expedit ei, ſi mola aſinaria circũponeretur collo eius, et abiectus fuerit in mare, quàm vt offendat vnũ ex paruis iſtis.* Fuit hoc ſupplicij genus nõ graue modò, ſed ignominioſiſſimũ quoq;, nõ multùm diſſimile ei, quo parricidæ apud Romanos mulctabantur. Vt enim hi cum vipera, cane, ſimia, ſerpente & gallo gallinaceo culeo inſuti in profluentẽ abijciebãtur, vt indigni, quos vel terra, vel ignis, vel aer, vel aqua propius attingerent: ita qui cũ lapide molari ex collo alligato in mare demergebantur, omniũ iudicio indigni erant, quorũ corpus vnquã aeri aut luci reſtitueretur. Quòd ſi verò grauius quid de ſcandalorũ authoribus Deus ſtatuit, pœnas eorum ne cum vita quidem per diram & infamem mortẽ finiri, ſed æternas eſſe oportet. Itaq; infernalibus ſupplicijs excruciandos fore innuit Chriſtus, dum iſta pronuntiat.

Cur tam grauiter puniantur ſcandala? 1. Corinth. 8.

Cauſas tam duræ & grauis ſententiæ Scriptura ſæpe cõmemorat, præcipuas autem Paulus breuiter comprehendit, vbi de illis diſſerens, qui in idolorum templis ad epulas ex ſacrificiorum carnibus in Deorum honorem inſtitutas accumbebant, inter alia ſic ſcribit: *Tua iſta ſcientia frater, qui infirmus eſt, propter quem Chriſtus mortuus eſt, peribit. Ita autem peccantes in fratres, & vulnerantes ipſorum conſcientiã infirmã, in Chriſtũ peccatis.* Cõiunguntur hîc duo grauiſſima ſcelera, quibus & charitas Chriſtiana violatur, & in Chriſtũ ipſum peccatur. Nam frater (inquit) qui tuo exemplo ad idem ſcelus adductus eſt, perit: nimirum quoad animam, cuius ſalus conſiſtere non poteſt, quàm primùm fit fidei naufragium. Cùm autem tuo exemplo pereat, tu vtique illum occidis, & propterea parricidij reus es. Sed & culpam amplificat, quòd infirmus perditur, quem ex charitatis officio erigere & ſeruare debebamus. Deinde cùm ille pereat, propter quem Chriſtus mortuus eſt, in hunc ipſum peccatur: quia meritum eius exinanitur, & maiori apud te eſſe oſtendis gulæ ſtudium, quàm ſanguinis Chriſti pretium, quo frater ille tuus redemptus fuerat. Quid verò ab homine grauius, quid ſceleratius, quid fidei profeſſione indignius deſignari poterat? Maledictum pronuntiat Lex Dei eum, qui cæco erroris aut lapſus cauſam præbet. Quo ergo ſupplicio non dignus eſt, qui ignorantem & infirmum fide ſuo exemplo in barathrum æterni exitij præcipitat? Nec tamẽ hîc ſubſiſtit adhuc tanti ſceleris indignitas. Nam ſimul & Dei gloria minuitur, & contagio ad multos alios ſerpit. Quod autem de iſto ſcandalo Paulus pronuntiauit, id in omnibus alijs locum habet. Nam cum omne peccatum mortem æternam mereatur, fratres ſuos (quantum in ipſis eſt) omnes ij perdunt, quicunque illis alicuius peccati authores ſunt. Nemo igitur Chriſtum nimij rigoris accuſare poterit.

In ſcandalis vitandis multa cautione opus eſt.

Nos potius iſtorum conſideratio excitet, vt in tota vita & morum conſuetudine prouidi ſimus, nec quicquam temere aut inconſultò faciamus, ſed (vt Apoſtolus monet) ſalutem noſtram operemur cum timore & tremore. Quid enim tam facile eſt, quàm vel dicto vel facto aliquem offendere? Faciunt hoc optimi quique, quando minimè volunt, quàmprimùm ſuis modò rebus intenti, aliorum ſalutem nihil ad ſe pertinere putant. Ideò Deus toties admonet, vt ori noſtro cuſtodiam ponamus, & linguam frænemus, ne quid temere effutiat. Et Chriſtus nos de quouis verbo otioſo rationem reddituros eſſe ait, vt nos attentos reddat, ne quid dicamus abſque diligenti præmeditatione, multò minus autem faciamus, quo alij poſſint offendi aut peiores fieri. Debebant iſta frequentius meditari ſecuri illi & inſolentes, qui cùm omnes homines contemnant, non aliquam habens ſuorum dictorum aut factorum rationem: imò non putant aliquem dignum eſſe, in cuius gratiã ab aliquo vel dicto vel facto abſtineant. Et quis (inquiunt) ille cerdo, ſutor aut mendicus, quem ego revereri debeo, quò minus meis diuitijs pro meo arbitrio vtar? Num propter peregrinos errones ego à ſaltationibus, compotationibus, ludis & iocis abſtinebo? Quin potius illi ad ſua redeant, ſi noſtris moribus offenduntur? Hæc & ſimilia multa audimus hodie ab illis dici, qui in morum licentia gloriam ſuam, &

voluptatem omnem conſiſtere putant. Sed ego illos cogitare velim, Chriſtum hîc non diuitum, non nobilium, non ciuium tuorum, aut quorumuis aliorum mentionem facere, quibus aliquo iure vel neceſsitatis vel propinquitatis obſtricti ſumus: ſed paruorum aut puſillorum, qui à pleriſque impunè contemnuntur. Nec enim vt vilis aut alienus æſtimari poterit aliquis, pro quo æternus Dei Filius mori dignatus eſt. Ideò non ex noſtro, ſed Dei iudicio homines æſtimare debemus, & minus peccabimus. Et huc facit grauis illa admonitio, cui ipſa breuitas vim addit: Cauete vobis. Perinde enim hoc eſt, ac ſi dixiſſet: Audio, & iampridem audiui, quid multi prætexant. Sed quid verbis aut rationibus opus eſt in re manifeſta? Si veſtra ſalus vobis cordi eſt, cauete vobis, ne quem offendatis veſtro exemplo, vel aliorum dictis factisúe offendamini. Quia enim Deus Verbo ſuo ſalutis viam planam & facilem ſternit, inexcuſabilis erit vterque, qui vel ipſe offendit, vel alijs offendendi occaſionem præbet. At cauendi ratio vnica eſt Fides: quæ quia Dei Verbo nititur, facit, vt nos illi totos ſubijciamus, neque vllorum moueamur exemplis, qui nos ab illo reuocant. Quotquot ergo huius ductum ſequuntur, hi & ipſi quotidie in melius proficiunt, & ἀπρόσκοποι viuunt, vt nemo ex ipſis ſcandali occaſionem habeat: quod à Chriſtianis Paulus quàm maximè requirit. Vide 1. Corinth. 10.

Quomodo agendum cum ſcandalorum authoribus.

Cæterùm hîc duplex ſcrupulus incidit. Alij enim eos, à quibus vel ipſi vel alij offenſi ſunt, mox temere damnant, & eos vel hoſtiliter oderunt, vel ſaltem negligunt vt indignos, quibus cum aliquid habeant cõmercij. Alijs verò nõ ſatis eſt ſcandalũ dediſſe aliquibus, inſuper aduerſus monitores ſuos inſurgunt, et eos à quibus corripiuntur, conuiſijs proſcindunt et hoſtiũ loco habent. Ita verò charitas vtrinq; turbatur, neq; è medio tolluntur ſcandala, ſed potius augentur indies, & eam propria quàm aliorũ culpa pereunt, qui ſeruari poterant, ſi charitatis lex rectius expenderetur. Quare vtilẽ & neceſſariam doctrinã Chriſtus ſubijcit de fratribus admonendis & in gratiã recipiendis, ſi reſipiſcant. Docet enim eos, qui peccarunt aut nos offenderunt, neq; negligi, neq; odioſius exagitari, ſed potius de errore ſuo admoneri debere, prout ſalutis eorũ ratio poſtulare videtur. Vnde alterũ ſequitur, admonitiones quoq; eiuſmodi patienter ferri debere, ne eas ſpernendo in charitatẽ peccemus, & viã ſalutis nobiſipſis præcludamus. Sic autẽ ait: Si peccauerit in te frater tuus, obiurga eũ: et ſi reſipuerit, remitte ei. Et ſi ſepties in die peccauerit, et ſepties vno die reuereatur ad te, dicens: Pœnitet me, remittes ei.

Chriſtus de hominibus priuatis & de peccatis priuatis loquitur.

Hîc autem ante omnia videndũ eſt, de quibus peccatis Chriſtus agat, & cum quibus loquatur. Sunt enim qui huius loci prætextu omniũ ſcelerum impunitatẽ atq; licentiam inuehere ſtudent, dum quæ hîc dicuntur, ad Verbi adminiſtros & Eccleſiarum paſtores, ad magiſtratus item & iudices, ad parentes deniq; & quoſuis alios extendunt, quorum eſt peccantes punire & diſciplina ſeueriori coercere. At Chriſtus cum diſcipulis ſuis, vt cum hominibus priuatis loquitur. Non ergo quicquã ex hoc loco perſonis publicis præſcribi debet, quo ipſorũ functio impediatur. Deinde diſertè ait: Si peccauerit IN TE *frater tuus. De ijs ergo peccatis agit, ex quibus iniuria aliqua ad nos redundat, et quorum condonatio in noſtra poteſtate eſt, adeò vt illa nemo alius lædatur, aut ſaltẽ impediatur, quò minus ſuum ius perſequi poſſit. Intra hos ergo cancellos ſeu limites hanc Chriſti admonitionem contineamus, ne inde eliciamus quod ab eius inſtituto eſt alieniſſimum. Non enim abolere voluit hîc ſpeciales eorum functiones, quibus diſciplinæ executio cùm publica tum priuata diuinitus mandatur: ſed vindictam priuatam prohibet, & ſimul commodiſſimam rationem præſcribit, qua eos qui in nos peccauerunt corrigere & in viam reuocare poſſimus, ne quod ex illis enatum eſt ſcandalum, latius ſerpat. Itaque conuenit hæc doctrina cum eo, quod in Lege Deus præcepit: Ne oderis in corde tuo*

Leuit. 19.

fratrem tuum: ſed arguendo argue, id eſt, diligenter & ſeriò reprehende & corripe proximũ tuum, ne feras propter eum peccatũ. Interim nõ obſtat hoc, quò minus ſinguli officiũ faciant pro ſuæ vocationis aut functionis ratione. Itaq; miniſter Eccleſiæ publicè coram omnibus eos arguat, qui publicè multos offenderunt: magiſtratus item publica authoritate malos & improbos coerceat, & pro delicti ratione quoſuis puniat: parentes ius ſuum contra liberos immorigeros atque contumaces ſeriò tueantur, ne quando horum nequitia ipſis imputetur, quod olim Eli ſacerdoti factũ fuiſſe legimus. Quapropter miſerè & pueriliter falluntur, qui ſub prætextu miſericordiæ & indulgentiæ, quæ ab hominibus priuatis exigitur, ſceleratis & publicorum ſcandalorum authoribus patrocinantur, & publicã licentiam inuehunt. Imò ſi verum dicere libeat, pugnant illi cum inſtituto Chriſti, qui fratres noſtra

correptione

correptione & ſeueritate corrigi vult, nos autem in ferendis priuatis iniurijs ad patientiam & dilectionem fraternam exercere.

Vt monendus ſit, qui nos iniuria affecit.

Sed videamus ipſum præceptũ. Si peccauerit in te (inquit) frater tuus, obiurga eum. Ergo non ſeruiliter diſsimulare, aut turpiter conniuere debemus ad ea quæ in nos contra charitatis, & æquitatis leges deſignantur. Cauendũ quidẽ, ne temere diffamemus fratrem, aut cũ eius contumelia publicemus quæ in hoc cõmiſit (ideo apud Matthæũ ait: Argue eum inter te & illũ ſolum) interim verò non parci debet eius petulantiæ, quò minus liberè & ſeriò arguatur, vt vel agnito peccato ſuo reſipiſcat ſtatim, vel in poſterum habeat reſipiſcendi occaſionem. Et ibidem addit: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. In præſenti verò dicit: Si reſipuerit, remitte ei. Quod propter eos dictum eſt, qui in eos adhuc ſibi multum licere putant, qui culpam ſuam agnoſcunt. Vult ergo, vt talibus ex animo remittamus: & vt id fiat æquum eſt, cum noſtra obiurgatio ſiue admonitio iam ſuũ finẽ attigerit. Nam niſi reſipiſcentem in gratiam recipiamus, obiurgatio illa non ex amore eius, ſed ex animo inuidia & odij pleno profecta fuiſſe videbitur. Ideo ne qua nobis reliqua ſit tergiuerſandi occaſio, addit: Et ſi ſepties in die peccauerit, & ſepties vno die reuertatur ad te dicens: Pœnitet me, remittes ei. Vult ergo hoc Chriſtus dilectionis affectu ita ardere, vt pluribus etiã iniurijs & ſæpius vno die repetitis nos vinci minimè patiamur, ſed ſemper faciles ſimus omnibus, qui ſe peccaſſe fatentur.

Quid agendum cum priuatæ admonitionis contemptoribus.

At quia multorũ cõtumacia maior eſt, quàm vt priuata admonitione corrigi poſsint, quid cum illis fieri debeat, apud Matthæũ docet: Sin verò te non audierit, accipe tecũ adhuc vnum aut duos: vt in ore duorũ aut trium teſtium ſtabile ſit omne verbum. Ergo ne tunc quidem abijciendus frater, etiãſi eũ erga te duriorẽ eſſe ſentias: neq; tuæ authoritatis contemptus tanti fieri debet, vt dignũ putes qui abs te negligatur. Quin potius adhibendi ſunt alij duo aut tres, qui & ipſi illum admoneant, ſi fortè horum authoritate moueatur: aut ſi hanc quoq; contemnat, illi teſtiũ loco ſint, quibus eius cõtumacia cõuincatur, tua autẽ indulgentia atq; bonitas cõmendetur. Eſt hoc ijs diligentius meditandum qui ſi quem obiter monuerũt, nihil præterea ſibi tentandum eſſe putant, quaſi officio ſuo plenè defuncti ſint. At indefeſſa eſt charitas in fratris ſalute quærenda, & ideo ne tunc quidẽ ceſſare hoc oportet, ſi ſecundum quoq; conatum nobis infelicius ſuccedere, & ſimul teſtium adhibitorum authoritatẽ vilipendi videamus. Nam addit Chriſtus: Quòd ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ. Loquitur autem pro eius ſæculi ratione. Eccleſia enim nomine appellabatur Septuaginta quorum Seniorũ Senatusquẽ Græci συνέδριον, Iudæi autẽ corrupto vocabulo Sanhedrim dicebant. Fuerat penes iſtũ ordinem ſumma authoritas poſt reditum ex Babylone: ſed poſtquam Romani rerũ in Iudæa potiti, eã primò per Herodem, deinde per præſides ſuos adminiſtrauerunt, Synedrij illius authoritas maxima ex parte imminuta eſt. Aliqua tamen erat propter veterem dignitatem apud eos, qui Iudaicæ gẽtis gloriam non omnino oppreſſam cupiebant. Iubet ergo Chriſtus, vt ſi iniuriæ à fratre nobis factæ intolerabiles ſint, ipſe autem priuatis paucorum admonitionibus ad mentem meliorem adduci non poſsit ad publicam authoritatem confugiamus, ſi fortè illius metu & reuerentia corrigatur. Quod vnum ſatis oſtendit, quàm fallantur, qui neminem ſeuerius corripi aut corrigi volunt, & eam ab hominibus Chriſtianis requirunt indulgentiam, quæ cum ſcelerum impunitate coniuncta ſit. Atqui Chriſtus ne hic quidem ſubſiſtit, ſed quo loco habendi ſint docet ij, qui publicam quoque ordinariorum iudicum authoritatem contemnunt. Nam ſubijcit: Quòd ſi Eccleſiam audire neglexit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus. Quibus verbis oſtendit, indignum eſſe, quẽ pro fratre agnoſcas, ſed aut Dei iudicio talẽ permitti, aut ita cũ eo agi debere, quemadmodũ cũ homine ab Eccleſia alieno agere licet.

Contra excommunicationem.

Et hic mihi tã huius loci quàm eorũ, quæ apud Matthæũ habentur, ſenſus videtur ſimpliciſsimus eſſe, et argumẽto præſenti imprimis congruere. Anabaptiſtæ autẽ hic ſuã Excõmunicationẽ ſtabiliri putãt, quod quàm firmis rationibus fiat, adhuc nõ video. Nã quod de priuatis iniurijs dicitur, 1.
hoc illi ad oĩa peccata publica extẽdunt. Deinde Senatũ eccleſiaſticũ fingũt, qualẽ ego à Deo nuſpiã 2.
inſtitutũ eſſe legi. Quæ enim de Senioribus dicũtur, qui Apoſtolorũ tẽpore fuerũt, ad hoc minime ſpectãt, qui magiſtratus habemus Chriſtianos, quorũ eſt in quorũuis mores inquirere et ſcãdala punire. At magiſtratus (inquiũt) nõ ſemper facit officiũ: Ergo alio Senatu opus eſt, qui hũc in ordinẽ cogat. Ego verò hanc conſequentiam nego, quòd nuſpiam legerim vel Prophetas vel Apoſtolos tale quid auſos fuiſſe: imò caniſſe potius diligenter, ne quam populo aduerſus magiſtratũ tumultuandi occa-

ſionem darent. Ferenda potius ſunt regnorum huius ſæculi vitia, dummodo ſub illis Eccleſia Chri-
ſti locum habeat: ne dum lepores leonibus iura dare volunt, Eccleſiam totam diſſipent. Poſtremò vt
3. hîc Excommunicationem inſtitui fateamur, non tamen ea talis fuerit, quæ à ſacrorum communione
eos excludat, qui illa frui cupiunt. Nam ſit tibi (inquit) vt ethnicus & publicanus. Atqui ethnicos
& publicanos in templum Dei admiſſos fuiſſe, nemo negauerit, niſi qui cum Iudæis inſanire velit,
qui Paulum hoc nomine accuſarunt, quòd incircunciſos in templum adduxiſſet. Nota eſt enim So-
lomonis precatio in templi dedicatione facta, in qua hoc etiam habetur: Sed & alienum, qui non eſt
1.Reg.8. de populo tuo Iſraël, qui è longinqua regione propter nomen tuum venerit (audient enim nomen
tuum magnum, manum tuam robuſtam, atque brachium tuum extenſum, venientque oraturi in do-
mo iſta) audies tu in cælis, in habitaculo manſionis tuæ &c. Et in ſequenti Cap. publicanum cum
Phariſæo ſimul in templo comparuiſſe audiemus. Quare etiamſi pro ethnicis & publicanis aliqui ha-
bendi ſint, non tamen ex eo colligi poterit, quòd à cœtibus ſacris, à verbi Dei doctrina, à precibus pu-
blicis, & per Conſequens ne à Sacramentis quidem temere arceri debeant, cùm hæc infra Dei ver-
bum longè ſubſidant, cuius non niſi appendices atque ſigilla ſunt, quorum nullus vſus erit, ſi verbum
& promiſſiones ab illis auferas. Denique ego excommunicationem, quæ à cœtibus ſacris excludat,
in Scripturis nullam inuenio, niſi quæ ſecundùm Legem Moſis propter immunditiem aliquam cor-
poralem fiebat, & qua Phariſæi non minus tyrannicè quàm impiè vſi ſunt in eos, qui Chriſtum ſe-
quebantur: quos à Synagogis excluſos fuiſſe legimus. Itaque Chriſti doctrina non latius, quàm il-
le voluit, extendi debet. Diſcant autem ſinguli, illum non temerarijs excommunicationibus fratrũ,
ſed potius pia erga eos qui peccarunt indulgentia delectari, & velle vt per nos reducantur, qui ipſi
ab Eccleſia diſceſſerunt: quod ouibus eius interdum accidere ſatis conſtat.

Rationes quæ fratrum iniurias remittere iubent.

At quia natura noſtri ipſius amantes, & ideo vindictæ cupidi ſumus, nec facilè offenſas illis re-
mittimus, qui in nos peccauerunt, rationibus iuſtis & idoneis nos extimulari oportet. Erit inter has
non inefficax noſtræ vitioſitatis diligentior conſideratio. Ex ea enim patebit, Deum non ſine cauſa
permittere interdum, vt iniurijs & damnis afficiamur, cùm vt nos caſtiget, tum vt noſtram imper-
fectionem agnoſcamus, quæ nos huc uſque latuit. Hæc certè meditatio olim Dauidem mouit, vt Se-
mei conuitia patienter ferret, quibus hic infelicem & à filio proprio pulſum indigniſſimè obruebat.
Eadem illa admonebit, in nos quoq; cadere poſſe, quod nunc in fratre quouis ſupplicio dignum eſſe iu-
dicamus. Quam ergo veniam tunc nobis dari vellemus, eam nunc fratri demus æquum eſt. Deinde
hoc etiam in mentem veniat, nos dum peccata alijs remittimus, maximum ex ea indulgentia fructũ
percipere. Nam per eam omnium crudeliſſima periculoſiſſimaque carnificina liberamur: odio nimi-
rum, vindictæ cupiditate & inuidia, de qua veriſſimè Poëta dixit: Inuidia Siculi non inuenêre ty-
ranni Tormentum maius. Hæc enim & curis aſſiduis diſcruciat, & periculoſa conſilia ſuggerit,
& ipſam vitam nobis amaram reddit. At qui hac procul exploſa cum inimicis verè in gratiam re-
deunt, ij tanto pietatis progreſſu gaudent, & ſeipſos cura atque ſolicitudine liberant. Adde his pro-
priam ſalutem, quæ vnicuique cõmendatiſſima eſſe debet, & quæ retineri nõ poterit, niſi in condonan-
dis iniurijs faciles ſimus. Nam qui vindictam perſequuntur, ſacrilegio ſeſe polluunt, dum quod ſo-
lius Dei eſt ſibi vendicant. Ipſe enim dixit: Mihi vindictam, ego retribuam. Iidem preces quoque
ſuas quodammodo exarmant, & inutiles, imò ſibiipſis exitiales faciunt. Precantur enim Deum: Re-
mitte nobis debita noſtra, ſicuti nos remittimus debitoribus noſtris. Cùm ergo ipſi remittere nolint,
vt eodem iuris rigore aduerſus ipſos Deus vtatur, poſtulant. Nec id fruſtra poſtulari, imò Deum,
licet nihil huius petant, inhumanitatem illam æternis ſupplicijs mulctare, Chriſtus eleganti para-
bola apud Matthæum in loco ſupra citato docet. In horum igitur conſideratione diligentes & aſſi-
dui ſimus: & qui alijs iniuriam fecerunt, ij admonitiones atque correptiones fraternas patienter
ferant, culpam agnoſcant, et vt ſibi ea remittatur piè petant: qui verò iniurias & damnũ paſſi ſunt,
dilectionis & patientiæ memores ſint, & fraterna facilitate quibuſuis ignoſcant. Erit hoc officium
vtrinque Deo gratiſſimum. Nam & infelicem ſcandalorum ſegetem maxima ex parte reſecat, &
nos germanos Ieſu Chriſti diſcipulos eſſe oſtendit, ad quos Regni per ipſum parti hæreditas pertine-
at. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA

HOMILIA CLX.

Tunc dixerunt Apoſtoli Domino: Adde nobis fidem. Dixit autē Dominus: Si haberetis fidem quantulum eſt granū ſinapis, diceretis huic ſycamino: Eradicator & plantator in mari: & obediret vobis. Quis autē veſtrū habet ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim: Prodi, ac diſcumbe? Imo nonne dicit ei: Para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi vſque dum edero & bibero: & poſtea edito & bibito tu? Num gratiā habet ſeruo illi, quia fecit quæ ipſi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.

Dominus & redemptor noſter Ieſus Chriſtus, nuper huius Cap. initio duos inſignes locos tractauit: alterum de ſcandalis, vbi docuit quàm graue quamque multiplex periculum ex illis naſcatur, & vt nobiſipſis in vtranque partem caueamus hortatus eſt, ne vel ipſi alios offendamus, vel temere illis miſceamur, qui nobis ſcandalum dare poſſunt: alterū de condonandis offenſis, ne quis ex ijs quæ de ſcandalis dictæ ſunt, odij occaſionem arripiat, et ſub zeli vehementioris prætextu fratrem vel negligat vel etiam perdat, cuius emendationi debebat ſtudere. Porrò ſi iſta cum noſtro ingenio & viribus noſtris conferamus, ea præſtitu impoſſibilia eſſe ſentiemus. Nā vt ipſi ad malum natura proclines ſumus: ita ſcandali quoque occaſionem, vbi nulla datur, facilè arripimus. Accedit huc philautiæ malum, quæ vindictæ cupidos facit, & charitati fraternæ imprimis obſtat. Quare hîc nobis aliena virtute opus eſt, quæ vitioſæ noſtræ naturæ medeatur, & viribus nouis inſtruat, vt ad ea præſtāda idonei ſimus, à quibus hominis ingeniū quàm maximè abhorret. De illa igitur in præſenti Chriſtus agit, & hanc docet eſſe Fidē, cuius virtute animatis atque confirmatis nihil impoſſibile ſit. Inde verò de fidei operibus diſſerens docet, quid de illis ſentire debeamus, ne fides in confidenciam degeneret, quæ facit, vt aduerſus Dei gratiā ſeſe inſolēter extollāt, qui præ alijs humiliari debebāt.

Diſcipuli fidem ſibi dari petūt.

Occaſionem huius doctrinæ Chriſto Apoſtoli dederunt. Audierant hi illum de rebus maximi momenti & arduis diſſerentem, & has cum ſuis viribus conferunt. Mox autem ſentiunt, ſibi non ſolùm vires deeſſe, quibus faciant quæ Deus iubet, verumetiam vix adduci poſſe aliquem, vt eius verbis aut mandatis fidem habeat. Itaque in extremis anguſtijs quodammodo luctantes, dum Chriſto obedire volunt, ad id verò ſe minus adhuc inſtructos eſſe ſentiunt, non ſine gemitu & magni doloris ſignificatione exclamant. Domine adde nobis fidem. Quaſi dicāt. Audimus Domine quid à nobis exigas, & debitum tibi obſequium præſtare cupimus: ſed quæ eſt humanæ naturæ calamitas. nos tantis rebus impares eſſe videmus. Atque vtinam firmo animi aſſenſu ijs credere poſſemus, quæ abs te dicuntur. Quia ergo nos multa auocant, tu quæſo da quod iubes: fidem (inquam) in animis noſtris accendito, ne quid de tua doctrina dubitemus, & qua armati vincamus omnia, quæ noſtram obedientiam remorantur.

Vt uerbum Dei audiri debeat.

Eſt autem hoc memorabile exemplum, quo admonemur, vt à nobis verbum Dei audiri, vtq; nos eo affici conueniat. Apoſtolis certè hæc tam ſeria & ardens precatio nunquam excidiſſet, niſi quæ à Chriſto dicebantur, ad ſe pertinere putaſſent. Itaque nos etiam ea, quæ ex Scripturis depromuntur, ad nos pertinere putemus. Quia enim in hunc finem Scriptura diuinitus inſpirata et data eſt, vt homo dei perfectus fiat, et perfectè ad omne opus bonū inſtruatur: nō poſſunt huius doctrinā abs ſe alienā putare, quotquot homines Dei, ideſt, veri huius cultores eſſe & haberi cupiūt. Ergo nobiſipſis accōmodemus quæcūq; dicūtur, vt ex ijs diſcamus, quātū nobis adhuc deſit. Hæc enī cognitio, aut potius infirmitatis noſtræ ſenſus, ſtudiū proficiēdi et errores vel vitia emēdandi in nobis accēdet, imò ad preces ſerias nos excitabit, quas Deus negligere nō poterit, cùm ea petamus, quæ volūtati eius cōſentanea ſunt, et quæ ille dare cupit. At ſi diſcipulorū exēplū cū noſtri ſeculi morib. cōferamus, mox videbimus, quæ incurabilis illius licētiæ cauſa ſit, qua hodie Dei verbū cōtēnitur. Nō deſunt equidē qui doceāt, moneāt, hortētur, increpent, tempeſtiuè deniq; & intempeſtiuè inſtēt: quin niſi manifeſtam

veritatem negare libeat, fatendum eſt, Deum non minori beneuolentia omnes nationes proſequi,
quàm olim Iſraëlitas ſuos. Nam ex filijs noſtris excitat prophetas, & manè ſurgens de malis immi
nentibus admonet, ad pœnitentiam hortatur, & ad ſe conuerſis gratuitam peccatorum remiſſionem
& ſalutem æternam pollicetur. At qui Apoſtolorum exemplum imitentur, pauciſſimi ſunt. Multi
ad verbi prædicationẽ aures obturant: multi cœtus ſacros fugiunt: multi doctrinam veritatis ode-
runt, conuitijs diris proſcindunt, adhuc ferro & igne perſequuntur. Qui verò optimi ſunt hodie, eos
ferè imitantur, de quibus apud Ezechielem Deus ſic loquitur: Et tu fili hominis, filij populi tui
obloquuntur tibi iuxta parietes, & in oſtijs domorum loquitur alius ad alium, quiſque videlicet ad
proximum ſuum dicendo: Venite quæſo, & audite quodnam verbum egreſſum ſit à Domino: & ve-
niunt ſecundùm ingreſſum populi (id eſt, multi & confertim, vt populus aliquis conuenire ſolet) ſe-
dentq́ coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, quos tamen non faciunt: quoniam cantio-
nes vel ſubſannationes ore ſuo concinnant: ſed poſt auaritiam eorũ vadit cor eorum. Et ecce tu es
eis inſtar cantionis amatoriæ, quæ ſuaui & eleganti melodia reſonat: audiuntq́ verba tua, ſed ea non
faciunt, &c. Quis verò in hiſce Dei verbis non agnoſcat eorum mores & voces, qui hodie Euange-
lij doctrinam & huius ſtudium profitentur?

Sine fide nihil poſſumus. Cæterùm ipſam Apoſtolorum petitionem paulò diligentius vnà cum ijs inſpiciamus, quæ in il-
la nobis ſunt obſeruanda. Primum in his eſt, ſine fide nihil eorum præſtari poſſe, quæ à nobis exi-
Hebr. 11. gis Deus, & proinde neminem quoque abſque fide illi placere poſſe: ſicuti Paulus ad Hebræos diſer-
tè teſtatur. Pugnat enim cum omnibus Dei præceptis carnis noſtræ ſenſus. Lex ſiquidem (vt Apo-
Rom. 7. Galat. 5. ſtolus ait) ſpiritualis eſt, & totum hominem ſub Spiritus Dei obedientiam adducere ſtudet: homo
autem carnalis eſt, venundatus ſub peccatum. Concupiſcit itaque caro aduerſus ſpiritum, & Legi
Dei non ſubijcitur, imò ne poteſt quidem. Fatebuntur hoc omnes, quotquot in Legis ſpeculo ſeipſos
diligentius contemplantur, & ſuas vires ad ſingula eius præcepta, ceu ad lydium lapidem, explorãt.
Sola fides totum hominis intellectum illuminat, rationem & ſenſus omnes verbo Dei ſubijcit, et no-
uis viribus nos donat, quibus carnis deſideria vincere, & animum noſtrum ad Dei ſeruitium appel
lere poſſumus. Atqui vno hoc argumento confutari poſſunt quicunque noſtrorum operum meritis
aliquid tribuunt, cùm peccatum ſit quicquid ſine fide fit. Rom 14.

Fides Dei donũ eſt. Vnde autem fides illa, quæ ſola innatæ nobis vitioſitati medetur? Sunt quidem qui in noſtro
arbitrio ſitum eſſe aiunt, vt credamus, vel minus. Alij initium ſaltem fidei ex nobis, huius verò au
gmentum atque profectum à Deo dari contendunt. Sed vtroſque ſuo exemplo Apoſtoli confutant.
Audiuerunt hi longo tempore Chriſtum, qui cùm eos ex toto hominum genere elegiſſet, & amicorũ
loco haberet, nihil eorum illos celauit, quæ à Patre ſibi manifeſtata erant. Imò beatos dicit, quibus
ea videre & audire datum ſit, quæ multi Prophetæ & iuſti olim videre atque audire nequicquã de-
ſiderauerint. Verumtamen ad preces confugiunt, & ſuæ tarditatis ſenſu territi Dominum rogant, vt
fidem illis addat. Nec pro augmento ſolùm orant (quod multi veteris interpretis tranſlatione dece-
pti arbitrantur) ſed ipſam fidem ſibi addi petunt, ad ea nimirum, quæ hucuſque didicerant. Itaque
fides Dei donum eſt, qui & animis noſtris eam inſerit, & eandem in nobis auget, adhæc confirmat,
Iom 6. vt in finem vſque conſtantes perſeueremus. Ideo Chriſtus credentes ſuos θεοδιδάκτους id eſt Dei
Matth. 16. diſcipulos vel à Deo edoctos nominat, & ibidem addit: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit
eum. Et Petro, qui ipſum libere confeſſus erat, idem reſpondit: Beatus es Simon, quia caro & ſan-
guis non reuelauit tibi; ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Non debent tamen iſta ſic accipi, quaſi in-
ertes & otioſi expectare debeamus, quando fidem nobis nihil huius opinantibus Deus inſerat: ſed
Rom. 10. cùm is ordinarijs medijs vti ſoleat, ad ea nos accommodemus oportet. Fides (inquit Paulus) ex au-
ditu eſt, auditus verò per verbum Dei. Et in priore ad Corinthios: Miniſtri Dei ſumus, per quos
credidiſtis, quantum vnicuique dedit Deus. En fidem illis à Deo datam eſſe docet, ſed hunc ad eam
rem Apoſtolorum miniſterio vſum eſſe teſtatur. Et hunc ordinem iam inde ab origine rerum obſer-
uatum fuiſſe omnes fatebuntur, qui Scripturas ſacras non omnino oſcitanter legerunt. Quapropter
etiamſi fidem Dei donum gratuitum eſſe dicamus, nemini tamen deſidiæ & ignaui otij ſumus autho
res. Qui enim doni huius participes fieri volent, ij ordini ſeſe accommodent oportet, quo ille in fide
nobis largienda vti conſueuit. Audiant ergo verbũ Dei ſedulo, legant Scripturas, in his dies noctesq́
meditentur,

meditentur, & huic ſtudio preces coniungant (quod Apoſtolos feciſſe audimus) & mox non pœnitendos progreſſus ſentient.

Fidei nihil eſt impoſſibile.

Excitet nos ad iſta Ieſu Chriſti reſponſio, quæ eiuſmodi eſt: *Si haberetis fidẽ quantulũ eſt granum ſinapis, diceretis huic ſycamino, Eradicator & plantator in mari: & obediret vobis.* Quibus verbis, non modò probat hanc Apoſtolorũ petitionẽ, ſed eorundem deſiderium adhuc magis accẽdit, dùm fidei mirabiles effectus deſcribit. Senſus enim huius dicti eſt, fidei nihil impoßibile eſſe, & eos qui hac præditi ſunt, ea præſtare poſſe, quæ naturæ rerum repugnant, & nullis hominũ viribus aut induſtria poſſunt perfici. Id verò parabola docet, in qua duo impoßibilia coniungit: Vnum, vt arbor ſeipſam eradicet, non alia vi quàm hominis credentis iuſſu impulſa vel adiuta: Alterum, vt ſeipſam tranſplantet, & quidem in mare, & in vnda inſtabili inter perpetuas fluctuum colliſiones firmas radices agat. Apud Matthæum & Marcum per alium occaſionem de fidei virtute et eius effectis diſſerens, montis exemplo vtitur. *Si dixeritis (inquit) monti huic, Migra hinc, et in mare proijcitor: mox obediet vobis.* Et ſunt hæ quidem comparationes hyperbolicæ, ſi rerum naturam ſpectes: at ſi diuinæ virtutis in credentibus agentis potentiam conſideres, nihil hîc hyperbolicum fuerit. Nam & hæc ipſa, quæ hic dicuntur, & his multò maiora olim facta fuiſſe, & quotidie fieri conſtat: Sunt enim homines inſtar arborum, quæ niſi tranſplantentur, fructum nullum ferunt. Regeneratione & innouatione nobis opus eſt. Vt verò homo ſeipſum regeneret aut innouet, tam impoßibile eſt, quàm arborem proprio motu transferri & alibi radices agere. Fit tamen illud per fidem, vt qui oleaſtri ſterilis germina & rami inutiles erant, in oleam illam pinguem, quam Deus in Abrahamo ſibi præparauit, inſiti, fructus ferant vberrimos. Et cùm Eccleſia in hoc mundo inter perpetuos & periculoſißimos orbis terrarum motus fluctuet, & in ſingula momenta naufragium factura videatur, pij tamen fidei radices in Chriſto firmißimas & profundißimas agunt, vt nullo ventorum vndique ruentium turbine, nullo collidentium fluctuum aſſultu, nullis denique mundi & principis eius conatibus è ſua ſtatione poßint deijci. Idem de montibus dicere poſſumus, qui nunquam non ceruicibus & humeris piorum maximi & grauißimi incumbunt, vt illos reuera Atlanti ſimiles eſſe dixeris, quem Poëtæ totam cælorum machinam humeris ſuis ſuſtinere fabulantur. Mons enim moleſtißimus eſt caro, cuius pondere preſſus Paulus clamat: *Miſerum me, quis me liberabit ex corpore iſto mortis?* Montis quoque ardui inſtar eſt mundus, qui vt exemplo ſuo nos premit, ita authoritate, potentia, tyrannide, minis & horrendis conatibus planè intolerabilis efficitur. Quid verò de diabolo dicam, qui vt Enceladus & Typhæus quiſpiam indefeſſo ſtudio horribiles montium moles ſupra piorum humeros congerit, ſi quo modo eos à Deo abſtrahere poßit, & fidem in illis extinguere? At vincit hæc montes iſtos omnes, imò per Dei verbum illis imperat, & excußos in mare præcipitat, vt ne veſtigia quidem molis illius appareant, quæ paulò ante ad nubes vſque extollebatur. Rectè ergo Ioannes dicebat: *Hæc eſt victoria, quæ vicit mundum, nempe fides noſtra, &c.* Exempla huius rei in Scripturis & hiſtorijs paßim occurrunt. Per fidem Moſes immanem illum montem, Pharaonem, & minaces Aegyptiorum ſcopulos in mare deiecit. Per fidem Ioſua Chananæorum vrbes & arces, montium inſtar exaltatas, euertit. Per fidem Dauid ingentem illum Golian deuicit. Per fidem omnia Saulis obſtacula è medio ſuſtulit. Huc denique pertinent quæcunque Apoſtolus ad Hebræos congerit exempla eorum, qui res maximas & humanis viribus impoßibiles ſolius fidei virtute confecerunt. At quid opus eſt vetera commemorare, cùm noſtro ſæculo his ſimilia multa ſint facta? Quos enim & quantæ molis montes è medio ſuſtulerunt ſancti Dei homines, qui ſæculis aliquot ſepultam et ſuperſtitionibus obrutam veritatis lucem inſtaurarunt? Quot montibus ſuperiores facti ſunt principes viri, qui cum illis ad Eccleſiæ reformationem animum appulerunt? Æditaſunt tunc multa præclara fidei opera, quæ immortalem laudem merentur. Hodie ad quemuis rumorẽ temere exortũ trepidamus, quia fide deſtituimur. Verumtamen non debet nos terrere hæc fidei imbecillitas. Nã quantulacunque ſit, ad Chriſtum apprehendendum ſufficit, & in hoc omnẽ mũdi potentiam longè ſuperat. Docet hoc non obſcure Dominus, dum eam grano ſinapis confert, de cuius natura & virtute cum Cap. XIII. diximus, non opus eſt eadam hîc repetere. Diſcant potius omnes, vt hac fidei commendatione excitati nunquam non cum Apoſtolis clament, vt Deus illam in animis ipſorum accendat, augeat & confirmet, vt aduerſus omnis generis ſcandala conſiſtere & mundi huius certaminibus ſufficere poßint.

Parabola ſecuritati ſimul & confidentiæ medetur.

Cæterùm dum fides prædicatur, bifariàm ferè homines offendunt. Alij enim quia per illam omnia confici audiunt, ex eo ſecuritatem concipiunt, nec quicquam ſibi faciendum eſſe arbitrantur: & hi fidem mortuam, id eſt, nudam & inanem fidei profeſſionem loco veræ fidei oſtentant. Alij verò tanta fidei virtute & eiuſdem operibus tam præclaris inſoleſcunt, adeò vt ſuis meritis atque viribus acceptum ferant quod nobis Deus ex gratuita miſericordia largitur. Quapropter Chriſtus doctrinæ de fide parabolam ex vulgari hominum conſuetudine deſumptam ſubijcit, quæ vtrique errori medetur. Quis autem veſtrûm (inquit) habet ſeruum arantem aut paſcentem, qui regreſſo ab agro dicat ſtatim: Prodi, ac diſcumbe? Imò, nonne dicet ei: Para quod cœnem, & præcinctus miniſtra mihi vſque dum edero & bibero: & poſtea edito & bibito tu? Nũ gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ illi præcepta fuerunt? Non puto. Sic & vos, &c. Quo loco vt res ſit magis perſpicua, obſeruare oportet, Chriſtum de ſeruis loqui, quales antiquitus fuerunt, qui aut bello capti, aut ære empti erant à ſuis heris, & mancipia, quaſi manu capti dicebantur. Erat in hos heris ſumma poteſtas, adeò vt his ſeipſos & labores ſuos omnes deberent, ipſis autem heri viciſſim nullo debiti iure tenerentur. Et hero quidem eiuſmodi Chriſtus Deum confert, nos autem mancipijs ſimiles facit, quia filij Dei ſanguine redempti nos & noſtra omnia illi debemus. Ex eo autem duo elicit, de quibus ſingulis ex ordine dicemus.

Chriſtiani omnem vitã Deo debent.

Alterum eſt de officio hominis Chriſtiani, adeoque omnis hominis, qui Dei ſeruus cenſeri cupit. Fingitur enim ſeruus, qui vbi totum diem arando aut paſcendo conſumpſit, veſpere domum reuerſus non antea accumbit, vt edat & bibat, priuſquam hero cœnam parauerit, & cœnanti miniſtrauerit: adeò vt ipſe vix ante multam noctem cœnare poſſit. Ea parte autem innuit Dominus, nos vitam noſtram omnem Deo debere, vſque ad noſtrum veſperum, id eſt, vſque ad mortis horam, quæ illi finem imponet. Non ergo deſides & otioſos facit fides, neque nos in inani quadã perſuaſione acquieſcere iubet, quod ferè faciunt, qui vitam contemplatiuam profitentur. Atqui Eccleſia Dei aruum, Dei vinea, Dei domus, Dei militia eſt, & vita Chriſtiani hominis peregrinatio eſt, qua ex hoc exilio & valle lachrymarum ad patriam cœleſtem contendimus. Deus itaque in ſuo aruo & vinea non otioſis contemplatoribus, ſed operarijs opus habet, neq; in peregrinatione illa quicquã proficitur contemplando, ſed progreſſu & labore opus eſt, vt in ſingulas horas aliquò vſq; promoueamus. Et vt non probatur ſeruus, qui poſtquam per aliquot horas opus fecit, inde ſe ad ſomnũ componit, aut otio ſeſe dedit, ſed vt ad veſperum vſq; perſeueret neceſſe eſt, & tunc quoq; cœnam hero paret, priuſquam ipſe ad menſam accumbat: Ita nunquam fideles & ſeduli ſerui Dei cenſebuntur, qui vbi ſemel aliquid laude dignũ fecêre, ipſi ſibi ferias indicũt, et ad quietẽ ſeſe cõponũt, priuſquã vitæ ſuæ finẽ attigerũt. Itaq; nullus hîc ignauiæ aut deſidiæ locus eſt, et tã abeſt, vt nos ab operibus bonis fides reuocet, vt potius nos Deo obſtrictos teneat, quoad vitæ huius ſpiritũ ducimus. Etenĩ ea etiã eſt hominis natura, vt omnino quieſcere nõ poſſit, & ideo vel Deo vel Diabolo ſeruiamus oportet. Si qui ergo de quiete et otio paciſcũtur, neq; ſe Deo porrò obſtrictos eſſe ſibi perſuadẽt, ij reliquum vitæ tẽpus diabolo impẽdãt oportet. Quod etiãſi illi ſe facere pernegent, ego tamẽ hoc reuera fieri dico. Nã vt ſcelus nullũ adhuc deſignarint, tamẽ illud ipſum otium, cui ſeipſos dediderunt, Diabolo cultus gratiſſimus eſt, cũ nullũ interea Deo obſequiũ præſtent, illi autẽ ampliſſimã occaſionẽ præbeant ipſos circumueniendi. Quod quàm facilè fiat, multorum exempla docent, qui poſt multa præclarè facta tandem turpiter ſuccubuere, poſtquam ſe omni officio defunctos eſſe ſibi perſuaſerunt.

Opera quæ Deo probẽtur.

In hac autem parte ſimul admonemur, quænam ſint bona opera, quæ Deo probentur. Nam vt diximus, ſeruus fingitur, qui ex heri iuſſu aut arauit aut gregem pauit, & ex agro domũ reuerſus eidẽ cœnã parat. Opera igitur bona nõ erũt, niſi quæ ex Dei mãdato fiũt ab ijs, qui ſe totos illius ſeruitio addixerunt. Nominantur autem opera, quæ propriè ſeruorum ſunt. Quare ea vnuſquiſque facere debet, quæ ſuæ vocationi conueniunt, neque temere in alienam functionem manus extendat, cùm ſingulis in ſua conditione nunquam defuturum ſit quod agant. Itaque qui ad rempub. vocati ſunt, populum ſuæ fidei creditum diligenter excolant & paſcant. Opus hîc aratro, vt nouis ſulcis ductis Dei nouale fiant, qui diu ſpinis & ſentibus obſiti fructum nullum tulerunt. Ergo legibus bonis peccandi licentiam coërceant, & diſciplinæ iugo contineant omnes, qui poſt ſuæ carnis deſideria exorbitare volunt. Adhæc ſe ποιμένας λαῶν, id eſt, populi paſtores eſſe meminerint: et ideo curent,

rent, vt gregis vnitas ſeruetur, ſinguli ſuo iure vti & bonis conceſsis tutò frui poſsint: imprimis autem populi ſalutem priuato ſuo commodo antiquiorem ducant. Qui verò Eccleſiarum miniſtri ſunt, ij quoque in Dei aruo (vt Paulus ait) ſe laborare cogitent: Vbi eradicatione & plantatione, ex- 1.Cor.3.
tirpatione & inſitione opus ſit, vt olim Ieremiæ Deus dicebat: Strenuè ergo laborem hunc obeant, vt ſimul Deo cœnam parent ſuauiſsimam, dum quàm plurimos illi adducunt. Hoc enim illud ferculum eſt, quo ille imprimis delectatur. Similiter parentes & qui iuuentuti inſtituendæ præfecti ſunt, hunc quoque agellum Dei eſſe meminerint, & curent vt in teneros animos ea plantent & inſerant, quorum fructus illum aliquando oblectare poſsit. Eadem eſt opificum, agricolarum, priuatorum denique hominum omnium ratio, qui ſimiliter ſeipſos excolere, prauas cupiditates ex corde ſuo excindere, virtutis ſemina concipere, & ea magno ſtudio educare debent, vt aliquando fructum Deo gratum ferant. Omnibus denique ſuorum ſtudiorum atque actionum hic finis propoſitus eſto, vt Dei ſanctiſsimum deſiderium expleant, qui non aliud quàm noſtram ſalutem eſurire & ſitire ſolet. Atqui hæc illa opera ſunt, quæ à nobis Deus exigit, & quæ ſola bona dici merentur, quia ex fide fiunt cum multorum commodo, & ſimul Dei gloriam prouehunt. Cum his ſi omnia ferè eorum opera conferas, qui meritis proprijs cælum conſcendere volunt, non modò meritum illis nullum ſubeſſe, ſed ne digna quidem eſſe patebit, quæ bona dicantur. Pleraq; enim nullo Dei mandato fiunt, ſed inanibus hominum traditionibus nituntur, & proinde neq; ex fide fiunt, quia hæc nulla eſſe poteſt, vbi verbum Dei nullum eſt. Deinde nemo ex illis aliquid commodi percipit. Quid enim alios iuuat, ſi tu ieiunijs teipſum maceres, ſi cilicio ſupra nudum corpus veſtiaris, ſi cælebs viuas, humi dormiat, vel noctes inſomnes ducas, ſi Pſalmorum integros modios præcipiti murmure profundas, cereis & lampadibus templa omnia illuſtres, fune nodoſo ilia, calceis feneſtratis pedes conſtringas? Certè licet hæc omnia magno cum labore facias, nihilominus tamen per ſe famelici eſuriunt, ſitibundi ſitiunt, nudi algent, exteri & peregrini incertis ſedibus oberrant, nec etiam quiſquam tuo exemplo emendatur. Num verò ex iſtis delectationem Deus capiat, qui eis minimè indiget, & ſi indigeret, illis abſq; tua opera poſſet potiri? Glorientur ergo omnes iſti, vt lubet, Spiritualium, Clericorum, Mortificatorum, Sanctorum denique titulis, ego tamen virum Senatorium ſanctè ius dicentem, opificem abſq; fraude opus facientem, ruſticum agros ſuos cum Dei inuocatione & gratiarum actione colentem, matremfamiliâs liberos procreantem & domum ſuam fideliter adminiſtrantem, pueros & puellas ſub parentum diſciplina honeſtè viuentes, omnibus iſtis ſanctiores eſſe dixero. Illi enim quicquid agunt, ex Dei mandato agunt: iſtis verò omnibus dicitur: Quis requiſiuit iſta ex manibus veſtris?

Alterum quod ex hac parabola Chriſtus elicit, ad operum noſtrorum meritum ſpectat, & quo Operum meri-
loco illa haberi debeant, docet his verbis: Num gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ipſi præcepta tum euertitur.
fuerant? Non puto. Ita & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. Quæſtio huius loci eſt: Num ea faciendo, quæ in lege nobis Deus præcipit, aliquid de ipſo mereamur? Id verò diſertè Chriſtus negat. Vt enim herus mancipio ſuo gratiam non habet, neque ei ideo obſtrictus redditur, etiamſi totum diem aret, paſcat, aut opus aliquod ab ipſo mandatum faciat: ita neque vobis (inquit Chriſtus) Pater meus quicquam debet, 2.Cor.3.
etiamſi ad finem vitæ vſque & extremum mortis articulum in eius præceptis ſeduli ac ſtrenui fue- Philip.2.
ritis. Cauſa huius pronunciati eſt, quòd quæcunque facimus, ex debito facimus. Deo enim debemus 1.Cor.4.
quòd in rerum natura ſumus, quòd ſpiritum vitalem ducimus, quòd mouemur: denique noſipſos & noſtra omnia ille ſibi optimo iure vendicat, vtpote noſter pater, opifex & dominus. Quid ergo nobis reliquum eſt, quod pro noſtro venditare, & Deo impendere poſsimus, vt is nobis debitor fiat? Damnari quidem & æterno exitio addici meremur, niſi præcepta Dei faciamus, quia ſic officium debitum ei negamus: vt verò eorundem obſeruatione quicquam mereamur impoſsibile eſt, eò quòd nihil ex noſtro illi damus, qui nos totos ſibi iam obſtrictos habet. Quibus adde, quòd neque noſtra dicere poſſumus opera, quæ ex Dei mandato bene & rectè facimus. Ex nobis ipſis enim nihil boni habemus, & (vt Paulus inquit) ne ad cogitandum quidem idonei ſumus: ſed Deus eſt, qui in nobis agit tam velle quàm facere. Vnde idem Apoſtolus dicebat: Quid habes quod non accepiſti? Quòd ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Quòd ſi verò ſerui inutiles ſumus, etiamſi omnia faciamus, quæ nobis in lege præcepta ſunt, qui obſecro aut quales dici meremur, quando ne milleſi-

nam quidem partem eorum facimus, quæ à nobis Deus requirit? Quem enim hominum dabis, qui vel vnius præcepti perfecta obſeruatione gloriari poßit? Nam vt ſupra diximus, lex ſpiritualis eſt, & ita totum hominem Deo vendicat, vt ne cogitare quidem aut cupere fas ſit ea, quæ in illa prohibentur. Quis verò eſt, qui cogitationum celerrimos diſcurſus continere, aut ſubitò emicantes cupiditatum ſcintillas reprimere poßit? Et vt minutiora hæc omittam (quæ tamen & ipſa mortem merentur) quis obſecro ſe nullo dicto aut facto vnquam peccauiſſe, dicere auſit? Certè qui hoc dixerit,

1.Ioan.1. *eo ipſo peccatum committet æterno inferorum cruciatu luendum. Ioannes enim Apoſtolus ait: Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. Et quaſi parum dixiſſet, addit: Si dixerimus nos non peccaſſe, mendacem facimus eum, & ſermo eius non eſt in nobis. Mentiuntur ergo, qui ſe peccaſſe aut peccati reatu teneri negant. Ac mendacij pater eſt diabolus, cuius illi ipſi iam filij ſunt. Eſt hoc graue admodum, ſed multò grauius, imò inexpiabile ſcelus eſt, quòd ijdem Deum mendacij arguunt, dum illud negare audent, quod ille per omnes Scripturas teſtatur. Quid verò verbis opus eſt? Niſi plus quàm diabolicà ſuperbia nos totos dementa-*

Iacob.3. *uerit, omnes cum Iacobo Apoſtolo fateri cogemur: In multis labimur omnes. Ergo ſi nos ſpectes, non inutiles modò ſerui, ſed noxij etiam, ſed perfidi, ſed domus Dei turbatores, & indigni ſumus, quorum opera Deus vel in minimis & abiectiſsimis rebus vtatur. Teneamus itaque huius loci capita diligenter. Primum eſt, nihil boni abſque fide fieri, hanc autem Dei donum eſſe, apud quem pro illa conſequenda precibus aßiduis intentos eſſe conuenit. Alterum, non habere nos quo apud Deum gloriemur, etiamſi omnia præſtemus, quæ is in lege ſua nobis præſcribit. Ex quo tertium ſequitur, morte æterna omnes homines dignos eſſe, cùm nemo inueniatur, qui non Dei leges infinitis delictis violet. Quid ergo nobis reſtat, ſiquidem ſeruari volumus, quàm vt noſtris viribus & meritis diffiſi, ad thronum gratiæ recurramus, & conſtanti fide amplexemur Ieſum Chriſtum, qui nobis à Deo Patre factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CLXII.

Et factum eſt inter eundum Hieroſolymam, ipſe tranſibat per medíam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur in quendã vicum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt procul, & extulerunt vocem dicentes: Ieſu magiſter miſerere noſtri. Et cùm eos vidiſſet, dixit eis. Profecti oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, vt inter eundum purgati ſint. Vnus autẽ ex ipſis, vt vidit ſe ſanatum eſſe, reuertit glorificans Deum voce magna. Et procidit in faciem ad pedes eius, gratias ei agens: erat& iſte Samaritanus. Reſpondens autem Ieſus dixit: Nonne decem illi purgati ſunt? nouem autem illi vbi ſunt? Non ſunt reperti qui redierint vt tribuerent gloriam Deo, niſi alienigena iſte. Et dixit ei: Surge, & abi: fides tua te ſeruauit.

Doctrinam de fide confirmat miraculo. *AVdiuimus in proximo Sermone Ieſum Chriſtum pulchrè & grauiter de fide & eius virtute atq; operibus ſiue effectis diſſerentem. Docuit autem per illam ea confici, quæ omnes hominis vires ſuperant, eò quòd corruptæ naturæ medetur, & omnẽ carnis ſenſum atq; intellectum vnà cum affectibus & deſiderijs noſtris obedientiæ Dei & verbi eius ſubijcit. Ne quem verò præclara illa & eximia fidei opera inſolentiorem facerent, neue quis loco fidei inanem perſuaſionem animo conciperet, parabolam ſubiecit, qua omnium eorum officia complectitur, qui per fidem Dei ſerui facti ſunt, ſimulq́; docet nullam eos quoq; gloriandi occaſionem habere, qui illa fideliſsimè faciunt. Quo enim merito ſuperbire poſſunt, qui cum ſerui ſint, ex debito omnia faciunt? Imò cùm nos ex nobiſipſis Deo ſeruitium nullum præſtare poßimus, ei potius nos gratias agere debemus, quòd nos ſeruorum loco habere dignatur. Eſt doctrina hæc non tam vtilis quàm neceſſaria cognitu, ideoq́ue in Scripturis paßim repetitur, & eandem Chriſtus in præſenti facto miraculoſo illuſtrat atque confirmat.*

Hiſtoriam

Hiſtoriam verò eius ſic deſcribit Lucas, vt eius multiplex vſus nobis eſſe poſſit. Nam impura & infelix hominum conditio in decem leproſis adumbratur. Deinde medicus noſter oſtenditur Chriſtus, qui ad ſe venientes purgat & ſeruat. Samaritani autem exemplo purgati docentur, quid nam ipſi Chriſto debeant: in reliquis verò nouem tam Iudæis quàm alijs omnibus ſua ingratitudo exprobratur, qui Chriſti beneficium non agnoſcunt, & libertate ſua ad carnis otium fouendum abutuntur. Quæ omnia vt rectius intelligamus, ſingulas hiſtoriæ partes ex ordine inſpiciemus.

Indefeſſa Chriſti beneficētia.

Primum de tempore & loco Euangeliſta nos admonet, docens, quando & vbi hoc miraculum Chriſtus fecerit: Nimirum quando per mediam Samariam ex Galilæa Hieroſolymam proficiſcebatur, vt illic ſeipſum pro mundi vita traderet. Eſt hoc magnũ bonitatis argumentum, quam neq; imminens diræ mortis periculum, neq; probè nota hominum ingratitudo vincere potuit, quò minus promiſcuè omnibus benefaceret, & à Patre ſibi creditam functionem in finem vſq; cõſtanter obiret. Suo igitur exemplo confirmat, quod proximæ parabolæ primum caput eſt, nos videlicet totum diem, id eſt, omnem vitam ad extremum vſq; mortis articulum in Dei vocatione laborare & huic debitum obſequium præſtare debere. Ad fidei verò confirmationem facit, quòd ſalutem omnibus ſubinde offert, & tantum non inter indigniſſimos quærit, quibus benefaciat. Indigni enim illo erant tam Iudæi quàm Samaritani, vt alibi demonſtrauimus.

Leproſi decem typus noſtræ corruptionis.

Secundò eos producit Lucas, in quibus miraculum hoc fuit æditum. Fuerunt autem decem viri leproſi, qui vicum quendam ingreſſuro occurrerunt. Atqui lepram inter peccati pœnas ſcriptura numerat, quas Deus iratus hominibus infligit. Moſes enim legis transgreſſoribus dicit: Percutiet te Dominus vlcere Ægyptiaco, ficu, ſcabie fluida & ſcabie ſicca,, ita vt ſanari non poſſis. Et ſingularia huius plagæ exempla extant in Maria ſorore Moſis, quæ quòd contra hunc contumacius locuta eſſet, lepra à Domino percuſſa eſt: in Giezi item Heliſæi famulo & Vzia rege, quorum hic propter arrogantem muneris ſacerdotalis vſurpationem, ille verò quòd donis heri ſui ſpiritualibus ad quæſtum priuatum abuti vellet, leproſus factus eſt. Veruntamen in lepra naturæ etiam noſtræ corruptionem adumbrari, & in leproſis nos omnes de miſerabili & infelici generis humani conditione admoneri, alibi diximus. Illa enim ex ſanguine aduſto & corrupto naſcitur, & ideo per totum corpus ſerpendo membra depaſcitur & faciem aſpectu fœdam totumq; hominẽ anhelitu grauem reddit, quæ cauſa eſt, quòd qui illa laborant, ab hominum conſortijs & conſuetudine excluſi ſeorſim vitam degunt. Atqui eadem peccati vis eſt, eademq; omnium conditio, quibus illud imperat. Nam ex primis parentibus quaſi hæreditario iure in nos propagatum medullis & cordi noſtro inhæret, & ideo mox omnes hominis facultates inficit, vt intellectus non percipiat ea quæ ſunt Spiritus Dei, voluntas autem à diuinis & cæleſtibus abhorreat, totus deniq; homo cupiditatibus peſſimis inflammatus æſtuet, & cogitationibus partim iniuſtis partim fœdis diffluat. Itaque per totam hominis vitam malum hoc diffunditur, & in omnibus actionibus, quantumuis in ſpeciem honeſtis, eius indicia apparent, quæ vt Dei oculos offendunt, ita alijs quoq; peccandi cauſam præbent, & alij alios ſuo exemplo inficiunt. Effectus autem omnium eſt, quòd niſi Deus gratuita miſericordia nobis ſuccurrat, ab eius conſpectu & Eccleſia excluſi æternùm perimus. De iſtis ergo nos admoneri cogitemus, quoties leproſi occurrunt. Sunt enim commune ſpeculum, in quo nos Deus communem humanæ naturæ infelicitatem contemplari vult, vt eò ſtudioſius ſalutis noſtræ curam ſuſcipiamus.

Quid faciant, qui ſeruari cupiunt.

Merentur autem diligentiorẽ conſiderationem decem iſti, quia ſuo exemplo ſimul docẽt, quid eos facere oporteat, qui peccati noxa liberari & Eccleſiæ Dei reſtitui cupiunt. Nam etſi nouem ex illis poſtea ingratitudine peccent, principia tamen fidei egregia habuerunt, quæ minimè contemni debent, ideo quòd non in finem vſque perſeuerarunt. Id enim ipſorum leuitati tribuendum eſt, non fidei, quæ veris & proprijs indicijs ſeſe exeruit: ideoque quid fecerint probè eſt obſeruandum. Primum eſt, quòd morbum ſuum & eius vim rectè agnouerunt: patet hoc ex eo, quòd ſalutem tam ſedulò & anxiè quæſiuerunt. Eſt hic primus ad ſalutem gradus. Vt enim qui morbum non agnoſcunt, ſed diſſimulant, ijdem neq; medicum neq; remedium vllum admittunt: ita quoad nos peccatores eſſe non intelligimus, imò tales nos eſſe diſſimulamus, vel etiam apertè negamus, ſalutis ſtudium in nobis locum habere non poteſt. Quia verò vitium illud nobis commune eſt, vt (quod olim primi parentes fecerunt) perizomata quæramus, quibus turpitudo noſtra tegatur: ideo legis ſpeculum inuitis

Deus obijcit, vt in illo noſipſos contemplemur, & peccatorum ſenſu coacti de ſalute noſtra seriò cogi-
2. *temus. Deinde ad ſolum Chriſtum decem illi contendunt, de cuius bonitate virtute & miraculis haud dubiè multa audiuerant. Eſt hoc euidens fidei argumentum, quam ex auditu illo conceperunt. Niſi enim bonitatis & virtutis Chriſti fiducia animos illorum confirmauiſſet, nunquam apud illum quæſituri fuiſſent, quod nulla hominum induſtria dari poſſe ſciebant. Hic ergo nobis quoque ſufficiat, neque de eius vel potentia vel benefica erga nos voluntate dubitemus, cùm dilectus ille ſit Dei Filius, cui omnis poteſtas in cœlo & in terra data eſt, & qui vt nos Patri ſuo reconciliaret in mundum venit, atque ſalutis noſtræ cauſa inopiam, labores omnis generis & mortem infamem ſuſtinuit. Et cùm iſta ſolus ille pro nobis fecerit, vehementer errant, qui ſalutẽ alibi quærunt. Tertiò*
3 *leproſi illi procul ſtetiſſe dicuntur, & in altum ſublata voce clamauiſſe: Ieſu magiſter miſerere noſtri. Procul ſteterunt, ne quid in Dei legem peccarent, qua expreſſè cautum erat, vt leproſi non ſolùm ſepararentur, verumetiam morbũ ſuum habitu & voce profiterentur, ſi quando in publicũ prodibant,*
Leuit. 13. *vt minus eſſet ab illis periculi. Ita enim apud Moſem Deus loquitur: Leproſus in quo fuerit macula, huius veſtimenta lacera ſint, & caput eius nudum, mentũ verò ſuperum tegat & clamet, Immundus immundus. Huius ergo memores non temere aut impudenter ſeſe in Chriſti conſpectũ & confertiſſimam illam hominum turbã ingerunt, quæ ipſum comitabatur. Ita verò nõ obſcurè oſtendunt, ſe nequaquã ex eorum numero eſſe, quos calamitas impudentes facit, & qui ſuos morbos quibuſuis affricare cupiunt, vt plures ſuæ miſeriæ ſocios habeant. Pulchre autem in his declaratur fidei ingenium. Eſt hæc certa & conſtans miſericordiæ Dei fiducia per Chriſtum. Firmiter ergo credit, illum nobis propitium fore: attamen non procax eſt aut impudens, ſed modeſta & humilis. Nec enim propriæ infirmitatis & imperfectionis immemores facit: ſed potius huius agnitionem in nobis auget, quæ humilitatis extrema cauſa eſt. Exemplum in Dauide habemus, qui cùm multitudinem miſerationum ſibi apud Deum repoſitam eſſe firmiter crederet, clamat tamen: Tranſgreßiones meas agnoſco, & peccatum meum aßiduè mihi obuerſatur. Item, En ego in iniquitate formatus ſum, & in peccato concepit me mater mea. Et huius generis multa in Scripturis occurrunt. Non impedit autem iſta animorum conſternatio inuocationem diuinæ miſericordiæ. Quia enim fides de ea dubitare non poteſt, excitat humiliatos illos & contritos animos, vt clament: Ieſu magiſter miſerere noſtri: Domine propitius eſto mihi peccatori: Miſerere mei Deus ſecundùm miſericordiam tuam, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele peccata mea. Ex quibus apparet, à fide adhuc nimiùm alienos eſſe, quos propriæ dignitatis aut iuſtitiæ fiducia inflat, & quibus ridiculum videtur ad ſolius miſericordiæ Dei thronum confugere, nulla proprij meriti aut noſtrarum ſatiſfactionum mentione facta.*

Leproſi ad Sacerdotes mittuntur. *Sed ad Chriſtum accedamus, qui iſtorum fidem miraculo publico comprobauit. Nam mox ad ſacerdotes abire iubet, vt ſe illis oſtendant. Ita verò purgationis aut ſanitatis ſpem illis facit, vel potius illam apertè pollicetur. Nam vt alibi diximus, ſacerdotibus inſpectio leproſorum diuinitus*
Leuit. 13. *mandata erat, vt penes illos eſſet lepra infectos excludere, mundos item aut purgatos in hominum contuberniũ admittere. Inſtituti huius cauſa fuit, quòd qui corporis immunditia laborabãt, à ſacrorum & tabernaculi cõmunione excludebantur. Quia ergo iſta excluſio propriè ad ſacerdotes pertine-*
1. *bat, horum etiã fuit de lepra & eius purgatione iudicare. Voluit autẽ Chriſtus abs ſe mundatos ad*
2. *ſacerdotes remittere, primũ ne quis leges publicas ab ipſo turbari diceret: deinde vt gratitudinis erga*
Leuit. 14. *Deum admoneret eos, qui tantum beneficiũ acceperant (Iubebantur enim ijdem ſacrificia gratulato-*
3. *ria Deo offerre) tertiò, vt ſacerdotes proprio teſtimonio conuincerentur, ſi ipſum Meßiã aut humani generis ſeruatorem eſſe negarent. Qua fronte enim id negare poterant, qui prius tam multos eius virtute à lepra mundatos eſſe, publicè teſtati fuerant? Nihil ergo facit locus iſte pro aduerſarijs noſtris, qui confeßionẽ auricularẽ ex eo eliciunt. Chriſtus enim nõ leproſos Sacerdotibus tranſmiſit, vt horũ miniſterio purgarentur: ſed iam purgatos, propter ciuilem ordinẽ, illorũ teſtimonio ciuitatibus & hominũ conſortio reſtitui voluit. Et ſi omnino hic aliquis Allegoriæ locus eſt, nõ alia hinc elici poterit, quàm quòd abs ſe inſtitutum Eccleſiæ ſuæ miniſterium confirmat. Quia enim fidem hominum non à ſignis, quæ interdum ab impoſtoribus quoq; fiunt, pendere oportet, ſed eandem verbo Dei confirmari atque gubernari neceſſe eſt, non poſſunt neque debent Eccleſiæ miniſterium contemnere,*

qui fidei

qui fidei fructum aliquem iam perceperunt. Confutatur ergo hic eorum contumacia, qui cùm fide in Chriſtum, & propter illam peccatorum quoque remiſsione & ſalute certa glorientur, cœtus tamen ſacros vnà cum concionibus verbi Dei & omnibus alijs Eccleſiæ exercitijs faſtidiunt.

Cæterum quia de his ſæpe aliâs dictum eſt, ad leproſos iſtos reuertamur, qui accepto Chriſti mandato mox abierunt, vt ſeſe ſacerdotibus oſtenderent. Eſt hoc nouum fidei non vulgaris argumentum. Nec enim adhuc purgati erant, ſed facies & corpora ipſorum adhuc ſcabies fœda occupabat. Abeunt tamen, ſic iubente Chriſto, vt ſeſe pro purgatis & mundis oſtendant apud eos, quorum hoſtiles in illum animos non poterant ignorare. Vnde verò hoc? Nimirū quòd ex verbis eius ſpem ſalutis certam concepiſſent, neq; dubitarent ſe plenè purgatos fore, priuſquam in Sacerdotum conſpectum venirent. Hinc ergo obedientia illa ſecuta eſt, qua omnes rationes contempſerunt, quas caro obijcere poterat, quò minus temere obediendo ſeipſos omnium ludibrio exponerent. Nec defuit ſucceſſus tantæ fidei. Nam inter eundum purgati ſunt. Excitemur ergo huius exempli conſideratione, vt neque de promiſsionibus Dei, neq; mandatis eius dubitemus. Qui enim veritas ipſa eſt, promittendo neminem ludificat aut fallit. Et cùm idem nobis optimè cōnſultum velit, adhæc poſsit etiam præſtare, quæcunque pollicetur, non eſt periculum, ne quis ludibrium fiat, qui ſe totum ei ſubiecerit per fidei obedientiam. Leproſi Chriſto ex fide obediūt.

Imprimis autem hoc loco miraculorum omnium finem & vſum obſeruare oportet. Sunt illa doctrinæ Chriſti Ieſu teſtimonia, neq; aliam ob cauſam facta ſunt, quàm vt re ipſa teſtaretur, ſe verè eum eſſe, quem ſe eſſe docebat. Ideo apud Ioannem Iudæis dixit: Opera quæ dedit mihi Pater, vt ea perficerem, ipſa (inquam) opera quæ ego facio, teſtantur de me, quòd Pater miſerit me. Et alibi: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Sin verò facio, etiamſi mihi non credatis, operibus credite: vt cognoſcatis & credatis, quòd Pater in me eſt, & ego in eo. Nec tamen nuda ſunt doctrinæ teſtimonia Chriſti miracula, ſed exempla quoq; & ſigilla ſunt promiſsionum Euangelij, quibus fidem noſtrā debemus confirmare, ne dubitemus, illum eadem bonitate, qua olim erga ſe inuocantes vſus eſt, nobis quoq; opem laturū eſſe, ſi illam fide non fucata petamus. Itaq; vt morbi omnis generis, inopia, fames, bella, ſeditiones, peſtilentiæ, mors, & quæcunq; aliæ afflictiones nos in huius vitæ palæſtra exercent, nos de peccato, naturæ noſtræ vitioſitate & ira Dei admonent: ita quoties Ieſum Chriſtum morbos miraculoſe depuliſſe, aut ex alijs periculis ſuos ſeruauiſſe audimus, illum nobis à Deo datum aut miſſum eſſe credamus, vt peccato abolito mortis imperium frangeret, & nos patri reconciliaret. Et prodeſt miraculoſas morborum incurabilium ſanationes, quæ olim ab illo factæ ſunt, diligentius inſpicere, vt ex illis fiduciam certam concipiamus, Chriſtum tam nobis priuatim quàm toti Eccleſiæ ſalutem afferre poſſe, quando res in extremas anguſtias deuenerunt, vt nulla in humanis ſpes ſalutis ſit reliqua. Finis miraculorum Chriſti. Ioan. 5. & 10.

Sed vt pergamus in hiſtoria, quid leproſi iſti fecerunt, quando inter eundum purgati ſunt? Nouem illi, qui omnes ex Iudæorum gente erant, ad Sacerdotes pergunt, & Chriſti tantumnō obliti pro tanto beneficio gratias ei agunt nullas. Vnus ſolus, quem Samaritanum fuiſſe Lucas ſcribit, vt primùm ſe ſanatum vidit, mox ex itinere reuerſus clara voce Deum glorificat, & ad Chriſti pedes procidens gratias illi agit quàm poteſt maximas. Ita verò Iudæorum ingratitudo adumbratur, fore nimirum, vt quàmuis ſalutem ipſis quoq; Dei Filius offerat, pauci tamen futuri ſint, qui eius beneficium agnoſcant, ſed pleroſq; Sacerdotio & cultui Moſaico addictos fore, vt propriæ iuſtitiæ fiducia gratiam Dei & Chriſti meritum obſcurent. Quod quanta pertinacia fecerint, Actorum liber & Apoſtolorum ſcripta prolixè indicant. Fuit autem hæc repudij illorum cauſa, vt abrupto fœderis cum Abrahamo initi vinculo, Deus gratiam ſuam ad gentes tranſtulerit, ipſi verò, cum Chriſto, quem recipere dedignati ſunt, templum quoque & ſacerdotium & totum illum cultum amiſerint, quem cum fortunarum omnium, imò corporum quoq; & animarum iactura non minus impiè quàm pertinaciter defendere ſategerunt. Iudæorum ingratitudo.

Exhibetur præterea hic generale exemplum cæcitatis & infirmitatis noſtræ, qua fit, vt pauci ſe Deo pro acceptis beneficijs gratos præbeant, pleriq; autem poſtquam ex periculis & afflictionibus liberati ſunt, Dei obliuiſcantur, & relabantur in ea ipſa ſcelera, quæ prius ipſis afflictionum cauſa fuerunt. Vt enim morborum diuturnitas, inopia, fames, oppreſsio & extrema quæque pericula nos Ingratitudo communis omnium.

excitant, vt Dei opem imploremus, ſi obedientiam & omnia noſtra voueamus: ita proſperior valetudo, diuitiæ, ſaturitas, libertas & felix conſiliorum noſtrorũ ſucceſſus Dei immemores, adhæc ſecuros & ingratos reddunt, deniq; cauſa ſunt, vt in priora ſcelera relabamur, vel etiã quotidie proficiamus in peius. Exemplum huius vitij non ſemel Iſraelitæ dederunt, qui quoties in deſerto grauius puniti ſunt, Dei opem implorare, peccata confiteri, Moſi ſupplices fieri ſolebant, liberati autem ſemper ad contumaciam & murmura redierũt. Quod ipſum illos poſtea quoq; Iudicum temporibus factitauiſſe conſtat. Faciunt idem multi priuatim. Saul certè toties liberatus à Deo, ſemper relapſus eſt, & peccata accumulauit. Et vt ad vulgaria deſcendamus, quotus quiſq; eſt, qui poſt meſſem & vindemiam factam, aut ex morbo reſtitutus ad Deum reuertatur, & huic ex animo gratias agat? Eſt autem vitium hoc etiam hominũ iudicio deteſtabile, & ferè vindictæ deſiderio accenduntur, qui ab ingratis ſe toties falli ſentiunt. Quantò autem magis Deum tales abominari putabimus, qui præter gratiarumactionem nihil à nobis pro maximis beneficijs requirit?

Chriſtus Iudæis ingratitudinem exprobrat. Chriſtus certè, etſi manſuetudine & bonitate omnes vincat, quotquot vnquã in terris viſi ſunt, in præſenti tamen non diſſimulat ſibi nouem illorum ingratitudinem quàm maximè diſplicere. Nam non ſine acerba illius exprobratione ait: Nonne decem illi purgati ſunt? nouem autẽ illi vbi ſunt? Non ſunt reperti qui redierint, vt tribuerent gloriam Deo, niſi alienigena iſte. Quæ verba ſic ab illo pronunciantur, vt tam nouem illis quàm toti Iudæorum genti ingratitudinẽ exprobret, & quas merebantur pœnas denunciet. Alienigenam enim nominat, vt in mentem ipſis reuocet ſingularem Dei gratiam, qui ipſorum patres, præteritis omnibus alijs gentibus, ſibi delegerat, vt ex illis progenitum populum ſibi peculium faceret, & inter illos conſtitueret regnum illud ſacerdotale, ex quo totius mundi ſalus dependebat. Et vt nouem iſtorum ingratitudo clarius & nõ ſine gentis totius ignominia eluxit in Samaritani exemplo: ita non multò poſt illuſtrior, imò execrabilior facta eſt Iudæorum pertinacia & improbitas, qui fide & pietate à gentibus prophanis & à repub. Iſraelis hucuſque excluſis ſe vinci paſſi ſunt.

Samaritanus à nouem illis diſtinguitur. Porrò addit Chriſtus in præſenti breue dictum, quo cauſas ſalutis ſimul atq; perditionis apertè ſatis indicat. Nam ad Samaritanum conuerſus dicit ei: Surge, & abi: fides tua te ſeruauit. Surgere iubet, & abire, vt mentem magnitudine beneficij accepti & digna eius æſtimatione deiectam erigat atq; confirmet. Rurſus verò, vt quod hic factum erat, multorũ inſtitutioni ſeruiret, addit: Fides tua te ſeruauit. Annon verò (inquis) de alijs nouem idem dici poterat, qui & ipſi crediderunt, & ex lepra ſeruati ſunt? Sed obſeruari debet, Chriſtum hîc de totius hominis, id eſt, de corporis ſimul & animæ ſalute loqui, & proinde Samaritani huius fidem ab aliorum fide diſtinguere. Etenim decem illos omnes Chriſto credidiſſe ſupra verè diximus, neq; id aliquis negauerit, qui effectus fidei obſeruarit, quibus eam non obſcurè declarauerunt. In eo autẽ differunt, quòd nouem illorum fides euanuit, vbi ſe ſanitati reſtitutos eſſe viderunt, & proinde Chriſto ſibi non adeo in poſterũ opus fore putarunt: Samaritanus autem cum fide perſeuerantiam coniunxit. Vnde apparet, eius fidem non in otioſa virtutis Chriſti prædicatione aut eiuſdem miraculis, ſed in Spiritu regenerationis fuiſſe fundatam, qui illum monit, vt acceptum à Chriſto beneficiũ dignè æſtimaret, & ſui officij eſſe intelligeret ſe totum illi conſecrare, & vitam omnem ad eius gloriam celebrandam inſtituere. Itaq; priores quidem illi corporis ſalutem temporariam ex fide ſua, quæ & ipſa temporaria & euanida fuit, retulerunt: Samaritanus autem corpore ſimul & anima ſeruatus eſt, quia per fidei conſtantiã in eo perſeuerauit, in quo totius hominis ſalus habetur. Vnde colligitur, externa beneficia Chriſti ſæpe hypocritis quoq; & temporarijs illis conferri, quos ille in ſementis parabola προσκαίρους vocat, eò quòd pro temporis ratione, & prout ipſis commodum videtur, fidem aut profitentur aut diſſimulant: illa ipſa autem ad animarum ſalutem ijs ſolis adiumento eſſe, qui fide viua & conſtanti ea excipiunt, & ſe Deo gratos præbent, adeò vt ſe totos huic ſiſtant viuentẽ hoſtiam, neq; vllis rationibus ſe ab eo patiantur diuelli. Hic ergo nobis totius hiſtoriæ vſus eſto, vt primò quidem nos natura miſeros & infelices, adeoq; in Dei conſpectu leproſorum inſtar eſſe agnoſcamus: deinde nobiſipſis & aliorum hominum ſiue viribus ſiue meritis diffiſi ſpem ſalutis omnem in vno Ieſu Chriſto collocemus, & ab eo ſalutem petamus: poſtremò, eius beneficio ſeruati gratias illi agamus, imò ita nos ei mancipemus, vt ipſi ſoli & viuamus & moriamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA

HOMILIA CLXIII.

Interrogatus autem à Phariſæis, quando venturum eſſet regnum Dei: reſpondit eis ac dixit: Non veniet regnum Dei cum obſeruatione: neq; dicent, Ecce hîc, aut, Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. Dixit autem diſcipulis: Veniet tempus, cùm deſiderabitis videre vnum ex diebus Filij hominis, nec videbitis. Et dicent vobis: Ecce hîc, aut, Ecce illic: ſed ne abite, neq; proſequimini. Nam ſicut fulgur coruſcans ex vna regione quæ ſub cœlo eſt, in alterã quæ ſub cœlo eſt, ſplendet: ita erit & Filius hominis in die ſuo. Sed prius oportet eũ multa pati & reprobari à natione iſta.

De Regno Dei diſſerit Chriſtus.

QVoniam Dei Filius, Ieſus Chriſtus, cùm mortis ſuæ hora immineret, diſcipulos de omnibus admonere & inſtituere voluit, quæ ipſis ad cauenda ſcandala, quæ multa & grauia euentura eſſe ſciebat, cognitu neceſſaria erant, multa hucuſq; de præcipuo Euangelicæ doctrinæ articulo diſſeruit, de fide nimirum & eius effectis, ſub quibus omnia Chriſtiani hominis officia comprehenduntur: Doctrinam verò ſuam miraculis plurimis confirmauit, inter quæ admodum illuſtre ac memorabile eſt, quod in decem leproſis editum fuiſſe nuper audiuimus. Cæterum præcipua ſalutis remora apud meliores quoque tunc temporis erat, quod Regni Dei conditionem & eius inter homines inſtaurandi rationem plerique Iudæorum ignorabant, & proinde inanibus figmentis deludebantur. Quapropter de hoc etiam ſermonem nunc inſtituit, qui ad finem Capitis vſque extenditur. Eſt autem doctrina hæc nobis maximè neceſſaria. Nam licet eam Chriſtus diſcipulis ſuis, qui tunc erant, accommodet, vt aduerſus pericula eos inſtruat, quæ toti Iudæorum genti poſt ſuum e terris diſceſſum imminebant: ita tamen iſta tractat, vt non minus noſtris temporibus ſeruiant, quibus in Hieroſolymæ & Iudaicæ gentis excidio præluſum fuit.

Phariſei quærunt, quando uenturum ſit Regnum Dei.

Occaſionem de his diſſerendi Phariſæi dederunt, qui Dominum interrogauerunt, quando Regnum Dei eſſet venturum. Credibile autem eſt, quæſtionem hanc per ludibrium ab illis motã fuiſſe, vt coram vulgo doctrinam eius omnem vanitatis arguerent. Scimus enim omnes eius temporis conciones de Regno Dei fuiſſe. Nam Ioannẽ Baptiſtam clamauiſſe ſcribitur: Reſipiſcite, in propinquo eſt enim Regnum cælorum. Concionum verò Chriſti argumentum Marcus iiſdem ferè verbis comprehendit: Impletum eſt tempus, & inſtat Regnum Dei: reſipiſcite, & credite Euangelio. Et ſupra Apoſtolos quoq; ad prædicandum Regnum Dei miſſos fuiſſe audiuimus. Solent autem Prophetæ redemptionis & ſalutis humanæ negotiũ, cuius author eſſe debuit promiſſus ille Meßias, Ieſus Chriſtus, Regnum Dei dicere, eò quòd illius hic finis eſt, vt destructa diaboli tyrannide homines in libertatem aſſerantur, & in illis Deus regnet ſuo Verbo & Spiritu, donec huius vitæ curſum emenſi ad regni cæleſtis & æterni poſſeßionem veniant. Id cum non intelligerent Iudæorum Scribæ & Sacerdotes, regnum terrenũ & temporarium ſomniabant, & prophetias ſecundùm literam interpretabantur. Quæ cauſa fuit, quòd omnium animi in regni terreni ſpem erecti, Meßiam eiuſmodi animo conciperent, qui Iudæos in libertatem priſtinam vindicaret, & inter illos regnum cõſtitueret, in quo ipſi victorijs, opibus & potẽtia vniuerſis hoſtibus ſuis eſſent formidabiles. Cũ ergo Chriſtus tã proprijs verbis quàm Apoſtolorum ſuorũ concionibus, regnum illud Dei promiſſum iam præ foribus eſſe quotidie clamaret, nulla autem interea fieret rerum mutatio, Phariſæi, vt illum vulgo exoſum facerẽt, aut ſaltem ludibrijs omnium exponerent, quæſtionem hanc in publico non ſine acerba irriſione mouerunt: Quaſi dicerent: Tu quidem Regnum Dei nunquam non in ore habes, & te huius inſtauratorem veniſſe multi arbitrãtur, quos tu promißionibus & miraculorum oſtentatione lactas. Quin ergo definis tandem certum tempus, quo Regnum hoc inſtaurari oporteat? aut dicito ſaltem quò vſq; expectare debeant, quos hucuſq; ſuſpenſos habuiſti? Quis enim tibi porrò fidem habeat, cùm nulla vſpiam regni noui ſpes appareat, & vulgi conditio indies deterior fiat?

Diaboli aſtutia in oppugnando Regno Dei.

Debet autem in his obſeruari diaboli aſtutia, qui Chriſti Ieſu cognitionem tunc maximè obſcurat, quando eius gloriam promouere videtur. Quia enim ipſe in animas noſtras ſibi imperium vendicat, Chriſtum in corpora & fortunas noſtras regnum obtinere facilè ferret, modò ipſi meliorem noſtri partem cederet. Imò vt hanc obtineret, Chriſtum Regem, quales in hoc ſeculo habentur, fatere

voluit, quando in montem altum ſubducto omnia huius mundi regna oſtendit, & dixit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus me adoraueris.* At quia illum cæco ambitionis affectu non potuit vincere, ſed ſe ab illo vinci ſenſit, ſaltē hominibus talem perſuadere conatur, vt nimirum relictis cœleſtium bonorum ſtudijs, in illo nō niſi terrena & temporalia quærant. Ideo Iudæos hac regni terreni expectatione dementauit, quæ tantum in eis potuit, vt Regnum Dei reiecerint, & in crucem egerint eum, qui hoc ipſis erat inſtauraturus. Quin hac vana ſpe auitæ libertatis & regni terreni adhuc hodie deluſi, ad Chriſti mentionem tantum non exhorreſcunt, adeoq́; diris horrendis eum proſequuntur, quem eorum patres tanto cum deſiderio expectauerunt. At quid de Iudæis dico, quando inter Chriſtianos homines inueniuntur, qui ſimili errore ſe deludi patiuntur? Olim certè Chiliaſtæ fuerunt, qui authore Papia regnum Chriſti poſt reſurrectionem in terris corporaliter futurum crediderūt: & ante hunc Cerinthus, Chriſtum à reſurrectione tradidit ſecundùm huius ſeculi morem Hieroſolymis regnaturum eſſe, & tunc homines iiſdem cupiditatibus atq; ſtudijs obnoxios fore, quibus hodie diſtrahuntur. A quorum opinione non omnino abſunt, qui Prophetarum vaticinia, quibus illi pacem vniuerſalem & vitam felicem in Chriſto pollicentur, ſecundùm literam interpretantur, & Regnum Dei adhuc veniſſe negant, eò quòd totum orbem terrarum bellis atq; ſeditionibus turbari, imprimis autem Eccleſiam aſſiduis periculis exerceri vident. Inſiſtunt horum veſtigijs Anabaptiſtæ, qui ſub Chriſtianæ libertatis prætextu magiſtratus & ius gladij abolere conantur, quaſi his minimè opus ſit, Chriſto nimirum ſuos mirificè defendente. Quid verò de Pontificibus dicemus, qui quod alij infelicius tentauerunt, miris artibus obtinuerunt, vt nimirum vicariorum Chriſti titulo ſuperbi totius mundi imperium ad ſe transferrent, & potentiſſimos reges pedibus ſuis ſubijcerent? Quod quid aliud eſt, quàm regnum Chriſti in terrenum commutare, & hunc talem fingere, qualem olim Chiliaſtæ & Iudæi ſomniauerunt? Quòd ſi noſtros homines inſpicias, qui puriori Veritatis euangelicæ & Chriſti cognitione gloriantur, quàm multos in illis reperies, qui ſub Euangelij prætextu non aliud quàm opes, honores, pacem huius ſeculi, & (quod turpiſſimum eſt) peccandi licentiam atq; impunitatem quærunt? Et hi quidem omnes diaboli ludibrijs circunducuntur, qui eiuſmodi perſuaſionibus infelices ineſcare ſolet, vt de cœleſtibus & æternis bonis cogitare deſinant.

Euſeb. Eccleſ. hiſt lib.3.cap. 39.& 28.

Audiamus ergo ipſum Chriſtum, qui etſi quæſtionem hanc Phariſæi per ludibrium mouiſſent, grauiter tamen reſpondet, & paucis verbis primò errorem Iudaici populi communem refellit, deinde regni ſui rationem explicat. Sic enim dicit: *Non veniet Regnum Dei cum obſeruatione: neq; dicent, Ecce hîc, aut, Ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt.* Negat Regnum Dei venturum cum obſeruatione. Atqui in Prophetis multa proponuntur, ex quibus veteres Chriſti aduentum primum præ foribus eſſe, agnoſcere debuerunt: & ipſe Dominus nos ſignis inſtruxit, quorum diligens obſeruatio admonet non procul abeſſe diem redemptionis noſtræ, quo Regnum Dei, quod nunc cœpit, vere compleri, & ſalutem totius hominis perfici oporteat. Sed in præſenti de ſplendore aut apparatu Chriſtus loquitur, qualem Iudæi iam pridem animo conceperant. Putabant enim præcurſuros anteambulones quoſdam, qui in eius aduentum omnia magnificè præpararent. Ipſum verò Meſſiam armis & militum copijs ſtipatum fingebant, qui deiectis Romanorum præſidijs Regni ſedem Hieroſolymæ eſſet conſtituturus: & alia huius generis multa ſibijpſis perſuaſerant, quæ in huius ſeculi regnis ſolent fieri. Ea verò omnia negat Dominus, dicens: *Non veniet Regnum Dei cum obſeruatione.* Et ideo per expoſitionem addit: *Neque dicent, Ecce hic: aut, Ecce illic.* Id eſt non habebit fixam & certā ſedem vel Hieroſolymæ, vel Samariæ, aut in vlla alia vrbe in terris celebriori. Conueniunt his, quæ in Prophetis habentur, qui etiamſi regnum Chriſti per comparationes & ſimilia ex regnis huius ſeculi petita deſcribant, multa tamen intermiſcent, ex quibus illius tenuitatem & aſpectum contemptibilem deprehendere licet. David certè ait: *De torrente in via bibet.* Et notum eſt Zachariæ vaticinium: *En Rex tuus veniet tibi, iuſtus & ſeruator ipſe, pauper, qui vehetur aſino & pullo aſinæ.* Quibus addere licet totum Iſaiæ Caput quinquageſimum tertium, quo totam ferè mortis eius hiſtoriam cum illius fructu Spiritus ſanctus clariſſimè prædixit. Quorum omnium confirmationi ſeruit, quod ipſemet à Pilato de regno interrogatus reſpondit: *Regnum meum non eſt ex hoc mundo: Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei certarent, ne traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.*

Regnum Dei non uenit cum obſeruatione.

Regnum Dei non eſt alligatum loco.

Debet ex his generalis doctrina peti, Regnum Dei, quod Euangelio prædicatur, & ex quo vniuerſa noſtræ ſalutis ratio dependet, non habere Metropolim certam aut ſedem fixam, ad quam ceu ad commune totius orbis oraculum omnes debeant concurrere. Olim quidẽ externi cultus & ſacrificiorum certum locum eſſe voluit Deus, ad quem vt ad cõmunem gentis totius parochiam Iudæi ex omnibus tribubus conuenirent: ſed id partim vnitatis conſeruandæ ſtudio conſtitutũ fuit, partim vt ad vnius Chriſti Ieſu ſacrificium omnes reſpicere diſcerent, qui Hieroſolymis ſui corporis victima peccatum mundi expiaturus erat. At vmbris illis iam olim ſublatis, nullum alium locum Chriſtus deſignauit, qui regni ſui aut Eccleſiæ ſedes ſit principalis: ſed vt hæc per totum orbem terrarum extenditur: ita quoad Chriſtum & eius meritum, ille omnibus Eccleſijs præſens adeſt, ſuo ſpiritu omnes gubernat, & ſuo merito partam ſalutem omnibus ex æquo impertit. Neq; hæc Domini voluntas fuit, vt omnes gentes Hieroſolymã conuenirent, ſed vt Apoſtoli inde digreſſi Regnũ Dei vbiq; terrarum prædicarent, & in omnibus locis tam celebrioribus quàm obſcuris Eccleſias ſibi colligerent. Extant de hoc Prophetarum promiſſiones, qualis eſt quæ in Pſalmis habetur: Dominus è Zion emittet virgam potentiæ tuæ. Et illa Iſaiæ, quam iiſdem verbis Micheas repetijt: E Zion exibit Lex, & Verbum Domini de Ieruſalem. Quibus omnino conſentit poſtremum Chriſti mandatũ, quo Apoſtolis dixit: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Item: Vos eritis mihi teſtes Hieroſolymæ, & in tota Iudæa, in Samaria, & vſq; ad fines terræ. Quæ omnia non temere dicta fuiſſe, Actorum Apoſtolicorum liber abunde declarat. Iſta eorum audaciam fortiſſimè refellunt, qui nouiſſimis hiſce temporibus Eccleſiæ & religionis Chriſtianæ ſedem Romæ conſtituerũt, eò quòd illius Eccleſiæ cathedram Petrus, princeps Apoſtolorum, tenuerit, ex quo Pontificum Romanorum perpetua ſucceſſio deducatur. Atqui Apoſtolorum principem fingunt Petrum, qui ſe aliorũ collegam & συμπρεσβύτερον dixit, neq; aliter dicere potuit, niſi Chriſto vellet contradicere, qui primatus affectationem ab illis omnibus alieniſſimam eſſe voluit. Deinde Petrum primum Romanæ Eccleſiæ epiſcopum fuiſſe fingunt, quem vnquam Romæ fuiſſe vix probari poteſt: certè illum tot annis illic docuiſſe, quot illi dicunt, totius hiſtoriæ Apoſtolicæ contextu aut ſerie & ſcriptorum Apoſtolicorum authoritate negari poteſt, vt alibi demonſtrauimus. Succeſſionẽ ergo Pontificum ab ipſo Petro deducunt, quæ omnino nulla eſt. Et quàmuis ea probari poſſet, quid obſecro ea ad defendendũ Eccleſiæ Romanæ primatũ faceret? Annon enim Dauidis ſucceſſores, imò poſteri fuerunt Achaz, Manaſſes, Ioakim & Zedechias? Aaroni verò & pijs ſacerdotibus alijs ſucceſſerunt Annas, Caiaphas, Alexander & aliæ gentis Iudaicæ peſtes? Eſt ergo putidiſſimum commentum quicquid illi fingunt, vt iam de eo nihil dicam, quòd & Petro grauẽ iniuriam faciunt, quaſi is relicta Apoſtolica functione vnius vrbis Epiſcopus fuerit per totos annos viginti quinq;, ſuo otio potius quã Chriſti mandato intentus: & Chriſti Regnum vni loco aſtringunt, quod is per totum orbem extendi voluit. Quin in ipſum Spiritum ſanctum hæc iniuria redundat, quem illi homines ad Romanam cathedram, vt olim gentes ſuum Apollinem ad Delphicum oraculum, alligant. Sed oportet vt eiuſmodi arundineis fulcris nitantur, qui ſemel aduerſus Veritatem proteruire inſtituerunt.

Pſal. 110.
Iſa. 2.
Mich. 4.
1. Pet. 5.
Hom. 94. in epiſtolam ad Roman.

Regnum Dei intra nos eſt.

At non contentus Iudæorum errorem confutauiſſe Chriſtus, ſimul etiam regni ſui rationem exponit, & illos non obſcurè hortatur, vt ſe illi accommodent. Ecce enim (inquit) Regnum Dei intra vos eſt. Quaſi diceret: Inepta & ſuperuacanea quæſtio, interrogare quando venturũ ſit Regnũ Dei, cùm illud iam in medio veſtri ſit, & ita ſe omnium oculis & ſenſibus ingerat, vt niſi talpis cæciores & caudicibus ſtupidiores eſſetis, non poſſetis non illud animaduertere. Ita verò ignorantiam craſſam & nimiam ſtupiditatem ipſis exprobrat, qui cùm populi duces & doctores haberi velint, vt abſentem quærant, qui ipſis quotidie adſit & colloquatur. Similis exprobratio apud Ioannem habetur, qui cùm Chriſtum dixiſſet eam lucem eſſe, quæ ſuo in mundum aduentu omnem hominem illuminet, mox tamen addit, illum non mundo ſolùm, verumetiam ſuis incognitum fuiſſe, quibus ſeipſum familiariſſimè manifeſtabat. In ſua (inquit) venit, & ſui eum non receperunt.

Regni Dei ratio in terris, &c.

Sed proderit hîc diligentius videre, quæ tunc fuerit inter Iudæos rerum conditio, vt ex ea intelligamus, quæ Regni Dei ratio ſit in terris, & quibus indicijs nos illud hodie agnoſcere poſſimus. Dominabantur tunc in illis locis Romani, qui Iudææ præſidem dederant, & præſidia per vrbes diſpoſuerant. In ſacris verò omnis poteſtas penes Sacerdotes & Scribas, maxime aũt penes Phariſæos erat,

qui præſidũ authoritate defendebantur. Erat ergo infeliciſſima miſeri populi conditio. Inter iſta autem publica mala Dei Filius pro nobis homo factus emerſit, qui Regnum Dei iam adeſſe clamabat, & ad hos excipiendum omnes hortabatur. Doctrinæ eius capita erant, Pænitentia & Remiſſio peccatorum, vtramq; autem in ſuo nomine prædicabat, ſe nimirum eum eſſe docens, cuius virtute nos ex verbi ſemine renaſci & mortificata atq; abnegata carne nouum hominẽ induere oporteat, vt per fidem in ipſum iuſtificati vitam æternam in regno illo Dei æterno atq; cœleſti conſequamur. Doctrinã hanc miraculis confirmabat, cũ dæmonia eijceret, morbis omnibus ſolo dicto aut nutu mederetur, leproſos mundaret: ita nimirum docẽt, ſe eum eſſe, qui mundi huius principem deuincat, naturæ noſtræ vitioſæ medeatur, veteris veſtigia culpæ deleat, à peccatis omnibus purget, & iuſtitiam ſempiternã (vt Daniel loquitur) cum ſalute vera atq; perfecta nobis reducat. Hæc (inquã) omnia cùm tunc faceret Chriſtus, & cum Veritatis doctrina æternæ vitæ beneficium omnibus offerret, Regnũ Dei intra illos eſſe ait. Ex quo colligimus, Regnum Dei apud omnes etiam hodie eſſe, quibus per Euangelij doctrinam in Chriſti nomine pænitentia & peccatorum remiſſio prædicatur: etiamſi externa tam Reipub. quàm Eccleſiæ conſtitutio turbulentiſſima atq; miſerrima ſit. Nec enim terrenum eſt Regnum iſtud, neq; in rituum aut ceremoniarum ſplendore aut fortunatis huius ſeculi ſucceſſibus conſiſtit: ſed in Spiritus virtute, quæ hominum mentes innouat, & Deo ſubijcit per fidei obedientiam. Hinc ergo conſolationẽ petant, quicunq; dura tyrannide premuntur, & ideo ſe à Regno Dei excluſos eſſe putant. Nec enim animæ libertatem ſeruitus corporis impedit: & poteſt in te Regnum ſuũ obtinere Deus, licet in ijs, inter quos tu verſaris, diabolus & tenebrarũ princeps dominetur. Sed & eos locus iſte confutat, qui Regnum Dei conſiſtere poſſe negant, niſi reipub. formam mutent, magiſtratus è medio tollant, & omnia pro ſuo arbitrio conſtituant. Sunt hi plerunq; maximarum turbarũ authores, & dum Regnum Dei inconſulta & ambitioſa temeritate prouehere ſtudẽt, ferè ab alijs feliciter iacta eius fundamenta ipſi conuellunt & diſſipant. Diſcant ergo omnes cauſam hanc prudenter & modeſtè agere, agnoſcant ſingulare Dei beneficium, qui inter nouiſſimorum temporũ periculoſiſſimos motus paſſim Eccleſiæ ſuæ hoſpites & hoſpitia qualiacunq; inuenit, & vt in noſtris quoq; regionibus doctrinam illam conſeruet oremus, per quam ſuum Regnum inſtauratur atq; ſeruatur.

Chriſtus relictis Phariſæis diſcipulos inſtituit.

Porro nõ ignorabat Chriſtus, ſe de tantis tamq; arduis myſterijs fruſtra verba facere apud Phariſæos, quibus iampridem luſus iocusq; eſſe cœperat, quicquid in Scripturis de regno Dei cœleſti traditur, cũ ipſi præter opes, honores & voluptates huius ſeculi nihil ſaperent. Ideo relictis illis, qui reuera canes & porci erant, ad diſcipulos ſermonem conuertit, quos primùm de periculis admonet, quibus infelicem Iudæorum gentem propter impium & prophanum Regni Dei cõtemptum, adhæc propter incurabilem ingratitudinem atq; contumaciam iactari oporteat. Deinde conſilio tam illos quàm omnes credentes inſtruit. Poſtremò redit ad mortis ſuæ mentionem, quam ſæpius apud eos fecerat, vt huius recordatio conceptum in animis illorum de Regno Dei terreno errorem confutet.

De periculis admonet.

Pericula & turbulentiſſimam rerum conditionem primùm in genere comprehendit, dum oſtendit, in quas anguſtias ipſi deuenturi, & quis ipſis animus futurus ſit. Veniet tempus (inquit) cùm deſiderabitis videre vnum ex diebus Filij hominis, nec videbitis. Dies filij hominis tempus illud dicit, quod in priori ſuo aduentu homo factus in terris tranſegit, & ſenſus verborum eſt: Nunc quidẽ à plerisq; contemnor & negligor, & vix vlli gratiam atq; ſaluificam Regni Dei virtutem in me ſeſe manifeſtantẽ agnoſcere dignantur: ſed breui eueniet, vt vos, quos mihi ceu ſingulares amicos & ſeruos ſelegi, propter vndiq; ſurgentia pericula & horribiles mundi motus, vel vnum diem mecum vt nunc familiarius conuerſari, & me conſultore & conſolatore vti optetis: id verò vobis contingere nõ poterit. Et iſta quidem diſcipulis dicit, vt ex comparatione hoſtes intelligant, quantò grauiora & duriora ipſi paſſuri ſint: ſimul autem ſuos excitat, vt felicitate illa, qua tunc vt domeſtici eius diſcipuli fruebantur, bene vti ſtudeant, & quod alibi dicit, ambulent dum lucem habeant, ne ſubitò à tenebris obruantur. Et ſanè non potuit diſcipulis ſuperuacanea videri hæc admonitio, cùm eos nimiùm ſecuros tanti beneficij æſtimatores fuiſſe conſtet, adeò vt de illorum fide actum fuerit, niſi Dominus illos ſua manu quaſi è cœlo protenſa erexiſſet, & tandem miſſo Spiritu ſuo magis confirmaſſet. Nec dubium eſt, hoc ſolicitum videndi eius deſiderium ipſorum animos vehemẽter diſcruciauiſſe, quando illo in cruce mortuo & ſepulto in latebris abſconſi iacuerũt, vt præ metu Iudæorum ne fores quidem

domus

domus aperire nedum prodire auderent. Quoties item hæc verba non ſine acerbiſſimo dolore illis in mentem veniſſe putabimus, quando totam Iudæam quotidianis ſeditioſorum hominũ furoribus turbari, multos paſſim cædi, pios in exilium eijci, & tandem Romanorum arma in patriam dulciſſimã inferri, agros & vicos vaſtari, oppida excindi, horribiles infelicis populi ſtrages fieri, & tandẽ miſeras reliquias per totũ orbem diſſipatas vagari viderunt? Taceo nunc, quæ ad ipſos propius ſpectarunt, quando vbiq; locorum ſibi inſidias ſtrui, carceres & vincula paſſim parata eſſe, & nunquam nõ ſua capita ab impijs Chriſti hoſtibus peti ſentiebant. Ah quoties tunc recordati ſunt dulciſſimæ illius conſuetudinis, in qua Dei Filiũ coram videre, audire, contrectare ſoliti fuerant? Quoties ſuæ ſocordiæ & negligentiæ illos pænituiſſe putas? Eſt enim hoc humani ingenij proprium, vt quæ dum præſentia ſunt faſtidimus, aut ſaltem oſcitanter nimis negligimus, ea cum gemitu, dolore, eiulatu requiramus vbi à nobis ablata aut amiſſa fuerint. Veruntamen quæ tunc Apoſtoli paſſi ſunt, ludus cenſeri poſſunt, ſi cum ijs conferantur, quæ reliquis Iudæis & impijs Chriſti aduerſarijs acciderunt: quos non ſolùm bellici terrores, cædes, oppidorum excidia, fames & diriſſima quæq; pericula exagitarunt, verumetiam propria conſcientiæ carnificina exercuit, cùm Deum ſibi iratum eſſe, & Filij ſui ſanguinẽ ex manibus ipſorum requirere, calamitates verò iſtas pœnarum infernalium præludia eſſe ſentirẽt. Quis dubitet tunc quoq; illos Chriſti ſæpiſſimè recordatos fuiſſe, & hunc ſolicitis animis requiſiuiſſe, fruſtra tamen, cùm fide vera deſtituerentur, neq; preces pias in Dei conſpectum afferrẽt, ſed belluino vlulatu ſanctis eius auribus obſtreperent?

Pœnæ eorum, qui Regnum Dei reijciunt.

Admonent iſta quid omnibus eueniat, qui per Euangelij prædicationem ſibi oblatum Regnum Dei reijciunt. Eſt peccatum hoc nimis vulgare inter eos etiam, qui Chriſtum pleno ore profitentur. Clamant illi, Adueniat Regnum tuum. Quando autem hoc Deus illis offert, & ad eius cõmunionem vocat per pænitentiæ doctrinam, illud auerſantur, & iniuriam ſibi fieri putant, quando iubentur excuſſo diaboli & mundi ſeruitio, Deum admittere, vt ſuo verbo & ſpiritu in illis regnet. Pollicentur iſti ſibiipſis omnia læta, ſi mundo ſeſe conformes faciant. Sed ſpe ſua miſerrimè falluntur. Nam non ſolùm æternæ vitæ, quam nullam eſſe credũt, iacturam faciunt, verumetiam in hoc mundo mortaliũ calamitoſiſſimi fiunt. Quia enim nobis Deus in ſolo Chriſto reconciliatus eſt, fieri non poteſt, quin ira Dei & maledictio omnibus ijs incumbat, qui Chriſti prædicationem reijciunt. At qui Deum ſibi iratum habet, huic omnes Angeli & homines, elementa deniq; omnia & creaturæ omnes infeſtæ ſunt. Exemplũ eius rei euidens eſt admodum, quod in Iudæis proponitur. Debuit ex his Dei Filius homo naſci, & ideo gentẽ illam ipſe amore plus quàm paterno proſecutus eſt, & beneficijs ampliſſimis ornauit. Quàm primùm autem hũc aſpernati ſunt, abſtulit ab eis regnum ſuum Deus, ipſi verò amiſſa vrbe & templo, iam per annos amplius mille quingentos vagãtur, Deo & hominibus exoſi, & omni reſtitutionis ſpe destituti. Similia exempla in multis Græciæ & Aſiæ populis extant, inter quos cùm olim Apoſtoli Eccleſias florentiſſimas conſtituerint, hodie ſub impuro Mahumetiſtarũ iugo ſeruitutem non minus ignominioſam quàm miſeram ſeruiunt. Et vtinam non magis vicina exempla videremus, quibus propter ſpretam Euangelij doctrinam regna celeberrima conquaſſantur, & tam externis quàm ciuilibus bellis ſeſe mutuò conficiunt. Debent iſta eos terrere, quibus cum pace Euangelio frui datum eſt, ne ſimilia mala, aut etiam his grauiora, ipſi quoq; aliquando patiantur.

Pſeudochriſti & impoſtores.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui ſui dicti rationẽ ſic reddit, vt ſimul doceat, à quo periculo maximè ſibi debeant cauere pij, quando motus iſtos & turbas oriri vident. Nimirum quòd impoſtores inter pericula futuri ſint plurimi, qui redemptorem promiſſum hinc inde monſtrent, & noua quotidie ſalutis conſilia fingendo omnes conſilij & auxilij incertos reddant. Nam dicent vobis: Ecce hic: aut, Ecce illic. Apud Matthæum & Marcum hæc pluribus exponuntur: Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hîc Chriſtus, aut illic: ne credatis. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & edẽt ſigna magna & prodigia: ita vt ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt: ne egrediamini. Ecce in conclauibus, aut penarijs cellis (has enim propriè vox Græca indicat) ne credatis. Pſeudochriſtos dicit eos, qui ſe Meſſiæ aut Seruatoris promiſſi nomine venditabant, quales multos fuiſſe ante vrbis & gentis totius excidium, in N:·ro noſtro ex Ioſepho annotauimus. Et digni erant Iudæi, quibus impoſtores & Magi illi exitium ſtruerent, cum verum Chriſtum tam multis tamq; ſalutaribus ſignis doctrinam ſuam commendantem,

Homil. 107. & 110.

agnoſcere & amplecti noluiſſent. Similia exempla omnibus ſeculis ſunt ædita. Sic Pharao & Ægyptij à Magis ſuis deluſi ſunt, qui Moſem & Aaronem noluerunt audire. Et multis Iudæ atq; Iſraelis regibus, qui Dei ſeruos contumelioſius tractarunt, exitio fuerunt pſeudoprophetæ, quos illi in pretio habebãt. Nouiſſimis autem temporibus idem accidiſſe, nemo ignorat, qui Eccleſiæ hiſtoriã obiter modò inſpexit. Poſtquã enim mundo ſordere cœpit purior & ſimplicior Chriſti doctrina, mox impoſturis ianua patuit, & Orientem quidem Mahumetici furores turbarunt, in Occidente autem Eccleſiæ imperium ſibi vendicarunt Pontifices, quorum aſtutia & tyrannide factum eſt, vt veri Chriſti cognitione ex hominum ãnimis deleta, nouum quendam & prioribus ſeculis inauditum Chriſtum pleriq; ſequerentur: qui nimirũ ex aqua & farina in ſartagine factus, & quinq; verbis conſecratus pro peccatis viuorum atq; mortuorum quotidie ſacrificaretur. Cœpit hoc iniquitatis myſterium agitari ſub annum Chriſti 844. quo tempore Romanam ſedem tenuit Sergius, quem prius fatali & portentoſo nomine Os porci dictum fuiſſe tradunt hiſtorici. Nec meliore fato Sergij nomen accepit, cùm annis ante ipſum circiter ducentis Sergius Monachus Orienti Mahumetẽ dediſſet. Cæterùm vbi Chriſtum eiuſmodi (vt diximus) nobis Pontifices fabricarũt, indies creſcere magis cœpit tam ipſorum quàm aliorum Sacerdotum potentia, quos illi ad eius miniſterium conſecrabant. Et parum illis viſum eſt, ſi Chriſtum interim dum ſacra fiunt corporaliter adeſſe populus crederet, ſed ne ipſorũ ſemper opera requireretur, talẽ finxerunt, qui ſemel factus diutius duraret, & proprio loco incluſus à quouis prætereunte ſalutari ac adorari poſſet. Loca illa ciboria dixerunt, quæ Græcè rectiſſimè ταμεῖα dixeris, quo vocabulo Matthæus vtitur. Author illorum fuit Honorius III. ſub annũ Chriſti 1225. quo tempore Franciſcanorum quoq; & Dominicanorum ordines cœperunt, & Pontificũ authoritate confirmati ſunt. Et ne quid deeſſet fictitio illi Chriſto, eidem Vrbanus IIII. anno 1264. diem ſacrum fecit, quem Feſtum corporis Chriſti ridiculè nominant, eo ipſo nimirũ profitentes, ſe corpus ſine ſpiritu colere. Quibus verò turbis interea orbis terrarum colliſus, quot familiæ illuſtres figmentis iſtis ad inopiam redactæ, quot animarum millia horribiliter excruciata ſint, longum foret commemorare. Sentimus adhuc hodie impoſturam illam: & præcipuæ noſtri ſeculi turbæ, quibus Eccleſiæ inter ſe committuntur, ab ijs potiſſimùm excitari ſolent, qui Chriſtum iam in cælis regnantem ſimplici vulgo in terris monſtrant, & tantumnon his ipſis verbis vtuntur: Ecce hic, Ecce illic.

Ne abite, &c. Non minus ergo nobis, quàm diſcipulis, ſeruit Domini conſilium, quod duobus verbis Lucas comprehendit: Sed ne abite, neq; proſequimini: ita admonens, vt ne obiter quidem impoſtorũ illorum voces ſequamur, nedum ſtudium aliquod impẽdamus, quod nos vel minimum illis tribuere teſtetur. Cauſam præcepti huius addit: Nam ſicut fulgur coruſcans ex vna regione quæ ſub cælo eſt, in alteram quæ ſub cælo eſt, ſplendet: ita erit & Filius hominis in die ſuo. Senſus eſt, non alium eius aduentum expectari debere, quàm illuſtrem illum, quo ad iudicandum viuos & mortuos veniet: aduentum verò illum ſubitum fore inſtar fulguris, vt neq; digito eminus aut cominus monſtrari, neq; certus illi locus deſignari poſſit. Quæ verba ſi diligentius expendantur, ſola ſufficere poſſunt ad confutandos duos inſignes errores, quibus craſſa illa corporis Chriſti præſentia in Cœna ſtatuitur, & Chriſti meritum certis locis alligatur, quæ perſuaſio peregrinationum ſuperſtitionem peperit, de qua alibi prolixè diximus.

Paſſionem ſuã prædicit Chriſtus. Cæterùm ne diſcipuli ſuſpicarentur, Chriſtum non ita multò poſt regni ſui maieſtatẽ tanta cum gloria & virtute manifeſtaturum eſſe, quod errorẽ terreni regni expectatione rurſus confirmare potuiſſet, diſertè docet, quid ipſe prius paſſurus ſit, dicẽs: Sed prius oportet me multa pati, & reprobari à natione iſta. Quaſi diceret: Tam abeſt, vt huius ſeculi more inter Iudæos regnaturus ſim, vt potius me ab illis reijci, contumelioſiſſimè tractari, & diram atq; infamem mortẽ in cruce perpeti oporteat. Rurſus ergo admonemur, Regnum Dei in terris cum cruce coniunctum eſſe, adeoq; ipſum Dei Filium, qui illius Mediator atq; inſtaurator eſt, per crucem in illud eſſe ingreſſum. Et hoc illud eſt, quod omnes ſcripturæ paſſim inculcant, & in cuius meditatione nos indeſinenter verſari cõuenit. Eo enim admonemur, nobis quoad in carne viuimus, per multa certamina eluctandum eſſe ad cæleſtem patriam. Ad ea ergo præparemur, & oremus Deum Patrem, vt regnum ſuum in nobis inſtauret, & viribus nouis inſtruat, quibus confirmati Filium eius Ieſum Chriſtum ſequi, & cum eodẽ cæleſte illud & immortale gaudiũ obtinere poſſimus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMI-

HOMILIA CLXIIII.

Et prout factum eſt in diebus Noæ, ita erit etiam in diebus Filij hominis. Edebant, bibebant, vxores ducebant & dabantur nuptum, ad eum vſque diem, quo introiuit Noe in arcam: venitq́ diluuiū, & perdidit omnes. Similiter etiā vt accidit in diebus Loti: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Quo autem die Lot exiuit Sodomis, pluit igne & ſulphure è cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit dies, quo Filius hominis reuelabitur.

VT homo ex innato ſuiipſius amore in omnibus alijs rebus ſiue actionibus ſuum commodum & præſentis vitæ felicitatem quærit: ita id cumprimis circa religionem facere ſolet. Eſt hæc cauſa multorum ſcandalorum, dum alij ſub religionis prætextu carnis licentiā ſecuti impuris mundi ſtudijs ſeſe accommodant: alij verò in perſecutionibus à fide turpiter deficiunt. Non temere ergo Chriſtus de Regno ſuo apud diſcipulos frequenter diſſerit. Et nuper quidem docuit diſertè, illud non terrenum aut temporarium, ſed ſpirituale eſſe, & in eo conſiſtere, vt dum hanc vitā viuimus, ipſum ſuo Verbo & Spiritu in nobis patiamur regnare, defuncti autem hac vita cum eodem in cælis regnemus æternū. Quia verò caro ab his natura abhorret, mox pœnas commemorauit, quæ Regni ſui contemptoribus iam paratæ ſint: vt nimirum non modò æterna & cæleſtia bona amittant (quæ facilè contemnunt, cùm non credant aliam vitam vnquam futuram eſſe) verumetiam in hoc ſæculo calamitatibus omnis generis obruti, ſimul conſolatione omni deſtituantur, & impoſtoribus prædæ fiant, qui ipſos vanis & noxijs promiſſionibus ludificent. Quod vt olim Iudæis euenit, ita hodie multis accidit, qui Veritatis doctrinam faſtidiunt. Porrò ne quid nobis deeſſet in re maximi momenti, tranſit modò ad deſcribendos nouiſſimorum temporum mores, quibus pœnam quoque denuntiat, improuiſum videlicet & ipſis horribilem totius mundi finem, quem ſubterfugere nullo modo poſſint. Finis autem & vſus loci iſtius eſt, vt præmoniti, nos communi exemplo non patiamur ſeduci, ne cum infelicibus iſtis eaſdem impiæ ſecuritatis pœnas luamus. Vt verò tota hæc commemoratio illuſtrior ſit, & animos natura ſtupidos efficacius moueat, ſimilibus, ſeu potius exemplis agit iudiciorum Dei, quibus olim homines incurabiles & pœnitere neſcios mulctauit. Poſſent illa, cùm eadem ferè ſint, ſimul comprehendi: ſed cùm Chriſtus de ſingulis peculiarem ſermonem fecerit, nos quoque ſingula diligentius conſiderare non pigeat. Ea enim in his eſt hominum ſtupiditas, vt nulla diligentia nimia aut ſuperuacanea eſſe poſſit.

Primum eſt primi ſæculi aut noui mundi hominum, qui ante diluuium vixerunt. Prout factum eſt (inquit) in diebus Noæ, ita erit etiam in diebus Filij hominis. Vocat autem dies Filij hominis totum illud tempus, quod à ſuo natali vſque ad finem mūdi decurrit. Vt enim tempus Patriarcharum eſt illa ætas mundi, in qua ante legem latam patres floruerunt, ex quibus genus humanum in omnes terras propagatum eſt, & cum quibus fœdus atque promiſſiones ſalutis Deus ſubinde inſtaurauit: & rurſus dies Moſis & Legis tempus illud denotāt, quo Lex per Moſis miniſterium promulgata regnauit: ita dies Filij hominis dicitur tempus illud nouiſſimum, quo Dei Filius in carne manifeſtatus ea omnia compleuit, quæ olim promiſſa & typis varijs adumbrata fuerunt: et extenditur ſæculum iſtud ad finem vſque, in quo ipſe venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos, vt redemptionem noſtrā prorſus abſoluat, corporibus quoq; noſtris beata immortalitate in gloria cæleſti gaudentibus. Debet ergo hæc locutio obſeruari diligenter aduerſus eos, qui adhuc nouam quandā mundi mutationem expectant, quales olim fuerunt, quæ in diluuio, in Legis promulgatione, & ſub primum Chriſti aduentū factæ ſunt. Quæ perſuaſio vt olim Chiliaſtis aut Millenarijs ſtultiſſimi erroris occaſionem dedit: ita Mahumeti quoq; feneſtram aperuit, vt toti Orienti abs ſe confictas fabulas non minus impias quàm ſuperſtitioſas & noxias inueheret. Cùm enim Moſem Dei ſeruum & Prophetam magnum, hoc autem maiorem fateretur eſſe Ieſum Chriſtum, nunquam ſe tertium & omnium maximum Prophetam eſſe, vllis hominum potuiſſet perſuadere, ſi cogitaſſent totum illud nouiſſimum tempus, vſq; ad conſummationem ſæculi ad Chriſtum pertinere, neq; aliquam vel Dies Filij hominis aut Christi.

Ddd

doctrina vel externi cultus mutationem porrò debere expectari. Nos itaque aliorum exemplo cautiores facti, omnes eos caueamus, qui nobis nouum quid & hucuſque inauditum obtrudere conantur. Nulla enim in hac mundi ſeneſcentis & quotidie in peius proficientis ætate poſtrema mutatio in melius ſperari poteſt, quàm quæ in nouiſſimo Chriſti aduentu fiet, qui & machinæ mundi huius & corruptis hominum moribus finem imponet, ſuos autem ad ſe recipiet, vt æternùm cum ipſo viuant.

Mores dierum Noe. *Quia verò eandem hominum conditionem fore dicit, quæ olim temporibus Noæ ante diluuium fuit, proderit paulò diligentius illorum temporum hiſtoriam obſeruaſſe, vt & de noſtri ſæculi moribus iudicare, & ab iis nobis cauere poſſimus, quæ illis olim exitium attulerunt. Deſcribitur hæc à Moſe ſatis prolixè ipſius etiam Dei verbis, quibus ſi quæ in præſenti Chriſtus dicit, adiicias, nihil deerit, quod ad illius cognitionem faciat. Summatim tamen præcipua capita perſtringemus. Primò immanis Dei contemptus regnauit apud omnis loci & ordinis homines. Nam etiamſi Noam haberent præconem iuſtitiæ Dei, nemo tamen illum audiebat: ſed toti caro erant, adeò vt nulla prorſus in*
Gen. 6. *illis Spiritus Dei virtus ſiue operatio eluceret. Quod Deus ipſe nõ obſcurè his verbis teſtatur: Non contendet aut rixabitur Spiritus meus perpetuò cum homine, id eſt, non fatigabo aut diſcruciabo poſthac meipſum propter hominem, in quo corrigendo me nihil proficere video, eò quòd caro ſit, id eſt, totus carni & prauis eius cupiditatibus ſeruiat. At ſtudia carnis, quibus tunc omnes vacauerunt, in præſenti Chriſtus commemorat, dicens: Edebant, bibebant, vxores ducebant & dabantur nuptum, ad eum vſq; diem, quo introiuit Noa in arcam, &c. Atqui edere, bibere, coniugio copulari mala non ſunt, neque vllis legibus diuinis prohibita: imò dæmoniorum doctrinã dicit Apoſtolus, quæ iſta prohibet: neque aliter dici meretur, cùm illa ad conſeruandum genus humanũ non minus neceſſaria ſint quàm vtilia. Sed impia ſecuritas notatur, & quòd Dei ſimul atque iudiciorum ſiue comminationum eius immemores, voluptatibus magis quàm neceſſitati ſtuduerint. Argumentum huius euidens eſt in coniugiis imparibus, quæ tunc in quotidiano vſu fuiſſe, Moſes apertè ſatis innuit, ſic ſcribẽs: Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, nataq; illis eſſent filiæ: viderunt filii Dei filias hominum, quòd elegantes eſſent, & duxerũt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant: Filios Dei dicit Sethi poſteros, inter quos purior Dei cognitio atq; cultus hucuſque permanſerat, cùm Cain & huius poſteri iampridem à Dei conſpectu reiecti proprium vitæ genus ſibiipſis delegiſſent: & hi Filii hominum dicuntur, eò quòd extincto in illis prorſus filiorum Dei ſemine, nihil quàm homines, id eſt corrupti & peccatores eſſent. Quamuis ergo inter duas iſtas progenies diſcrimen ſatis luculentum poſuiſſet Deus, eò tamen vſque ſecuritas omnium progreſſa eſt, vt qui Dei veri cultum ſinceriorem profitebãtur, vxores ſibi ducerent ex Caini genere, ſuperſtitioſas, faſtui, luxui et libidini deditas, & ita carnis ſuæ deſideria religioni longè præferrent. Ex cõiugiis autẽ eiuſmodi progeniti ſunt Nephilim, id eſt, homines defectores, quos adhuc dicere licebit. Qui enim à parentibus diuerſarum religionum profeſſoribus educabantur, in diuerſas quoq; ſententias diſtracti nihil de Deo & eius cultu certum ſtatuere poterant: & ideo paulatim euaneſcente in animis eorum omni Dei cognitione & timore ad manifeſtam impietatem prolabebantur, quæ deinde nefandiſſimorum ſcelerum, omnis denique iniuſtitiæ & violentiæ cauſa erat. Neque intra paucos hæc peſtis ſeſe continuit, ſed per totum orbem propagata omnium mentes longè lateq; peruaſit. Ideo Moſes addit: Et vidit Deus terram, & ecce corrupta fuit: nam omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram. Qua locutione docet, apud omnes hominum ordines nihil ſanum, nihil integrum, nihil iuſtum aut ſanctum fuiſſe. Et hæc quidem illorum ſtudia fuerunt in eum vſque diem, quo Noa in arcam cum ſuis ingreſſus eſt, diluuium verò ex improuiſo immiſſum omnes perdidit. Nihil ergo vel admonitiones piiſſimi ſerui Dei, vel eiuſdem exemplum eos mouit, cùm viderent virum multa authoritate grauem commune quoddam & ingens malum animo prauidere, ſeq; ipſum ad illud euitandum præparare. Fuit ergo hoc malitiæ incurabilis argumentum, vt de aliis iam nihil dicatur, quæ ipſos mouere debuiſſent.*

Mores noſtrorum temporũ. *At ſi iſta ad noſtrum ſæculum transferamus, eoſdem mores & eadem ſtudia hodie etiam regnare videbis. Prædicatur equidem Dei Verbum, & vbique locorum audiuntur præcones iuſtitiæ, & quod mirum eſt, plerique intra conſcientias ſuas conuicti, illos vera dicere fatentur. Nam quoſcunque hominum cœtus ſiue publicos in foro, ſiue priuatos ingrediaris, multos de vniuerſali & intolerabili omnium ordinum corruptione conqueri audies, quam ingens aliquod malum breui ſequatur oportet.*

oportet. Sed quotus quiſque eſt, qui vitam ſuã emendet, mores ſuos corrigat, vel ad reformationem publicam animũ ſeriò adijciat? Carni certè & deſiderijs carnalibus omnes ſtudent, & pleriq; etiam Euangelij prætextu ad ſuam licentiam abutuntur: vt de illis nunc nihil dicam, qui quam omnes deplorant communem omnium ordinum confuſionem, à ſolis Verbi adminiſtris ne attingi quidem volunt. Regnant ergo paßim quæ hoc loco Chriſtus prædixit: comeſſandi & belluandi ſtudium inſatiabile, ebrietas exemplo carens, ſecuritas profundißima, intemperantia omnis generis & effrenis libido. In matrimonijs, quæ gentes olim ſacroſancta haberi voluerunt, hodie nulla ſiue Dei ſiue religionis ratio habetur, ſed in illis contrahendis conſultores iam optimi putantur libido & auaritia. Itaque cum impijs Euangelicæ Veritatis hoſtibus per coniugij vinculum coaleſcunt, qui illius cultores & ſectatores volunt cenſeri, & (quod grauiter olim Paulus prohibuit) iugum ducunt cum incredulis aut infidelibus. Non poſſunt autem in eiuſmodi coniugijs liberi rectè inſtitui aut in veri Dei cultu erudiri, cùm ſemper in alterutro parente exemplum diuerſum occurrat. Itaque augetur indies tergiuerſatorum numerus, qui cùm religionem aut omnino nullam intra animos ſuos habeant, aut illam putent eſſe indifferentem, omnia pro mundi infelicis arbitrio, & prout ipſis commodum eſſe videtur, dicunt atque faciunt. Fit ergo quod de Noa temporibus Moſes ſcripſit, vt omnis caro, id eſt, omnis loci & ordinis homines viam ſuam corrumpant, dum à vocatione ſua diſcedunt, vel ſaltem poſthabita gloria Dei & publica ſalute ſuis modò commodis atq; peßimis cupiditatibus ſtudent. Potentißimi reges bellis non neceſſarijs inter ſe committuntur, & cæteros principes in partes trahũt. Pontifices per ſuos emiſſarios ad illa claßicũ canunt & frigidam ſuffundunt. Inter eos qui Euangelium profitentur, Eccleſiarum miniſtri vel inter ſeſe hoſtiliter diſceptant de rebus nihili, ſeq; inuicem dilacerant, vel otio dediti belluantur, & morum leuitate, luxu et faſtu ab improbißimis huius ſæculi filijs nihil differunt. Inter priuatos homines alij vſuras exercent voracißimas, alij vſuris opprimuntur atq; deuorantur, vtrinq; verò omnes libidine, luxu, petulantia & nequitia diffluunt, & cùm in ſolo ſcelerum immanißimorum ſtudio conſentiant, interea odijs ringuntur, conuitijs, litibus, iurgijs, pugnis, turbis cùm publicis tum priuatis omnia miſcent. Et quàmuis præter Verbi comminationes multa indies audiantur & omnium oculis videãtur, quæ iram Dei toti mundo iam imminere portendunt, communis tamen veternus omnium animos ita oppreßit, vt de pœnis euitandis nemo cogitet, durabilem verò omnes ſibi polliceantur rerum huius ſæculi conditionem. Imò quaſi non ſatis ſcelerum in mundo ſit, publicè audiuntur impij illi deriſores, qui (vt Petrus prædixit) mirificis ludibrijs in dubium vocant omnem doctrinã, quam de fine huius ſæculi, de mortuorum reſurrectione & animarum immortalitate, de cœleſtis vitæ gaudijs & horrendis infernalium pœnarum tormentis, Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt.

Mouentur hac vniuerſali totius mundi corruptione pij non parum, & interdum Deum putant æquo neglĩgentiorem eſſe, qui iſta tam diu fieri patiatur: multi etiam exemplo multitudinis abſtracti in vero Dei cultu & omnibus, quæ ad æternam ſalutem ſpectant, remißius agere incipiunt. At his vitijs remedium adhibet Chriſtus, quando pœnã quoq; cõmemorat, qua primi mũdi ſecuritatem atq; licentiam Deus tandem compeſcuit. Venit diluuium (inquit) & perdidit omnes. Paucis verbis horribilem totius mundi interitum comprehendit. Veniendi enim verbo improuiſam & ſubitam pœnã denotat, quæ nihil tale opinantibus accidit. Et quæ nam illa? Diluuium, id eſt, vniuerſalis aquarum omnium tam earũ quæ in mari ſunt quàm fluuiorum, lacuum & torrentiũ inundatio. Nam hæ omnes (vt Moſes ſcribit) tam imbribus cæleſtibus quam propriorũ fontium redundantia auctæ omnes campos, vrbes, vicos, ædificia deniq; omnia tã publica quàm priuata operuerunt, imo montium quoq; cacumina ſuperarunt. Additur, Et perdidit omnes, diuites nimirum & pauperes, viros & fœminas, nobiles & ignobiles, iuuenes & ſenes. Neminem ergo generis nobilitas ſeruauit, nemini diuitiæ profuerunt, nemini vita in delitijs & voluptatibus tranſacta, nemini ætas aut corporis vires, nemini mundi authoritas vel honores auxilio fuerunt: quò minus vnum diluuium tam vitæ ipſorũ, quàm delitijs et petulantiæ finem imponeret. Solus Noa per fidem admonitus (vt in epiſtola ad Hebræos ſcribitur) Dei timore concepto arcam præparauit, cuius beneficio cum ſuis filijs eorumq; vxoribus ſeruatus eſt, vt tam generis humani quàm Eccleſiæ Dei ſeminarium extaret. Fuit iſta horribilis rerum facies, quæ haud dubiè ſanctißimum quoq; virum vehemẽter terruit: nec fieri poteſt, quin he-

Pœna diluuij primum mundum perdidit.

Hebr. 11.

die eorũ animi exhorreſcant, qui exemplum illud iudicij diuini diligentius ſecũ expendunt. At nec in illo nos ſubſiſtere oportet, ſed animi cogitationes in noſipſos conuertere, vt diſcamus idẽ nouiſſimis quoque temporibus euenturum eſſe, vt vniuerſa hæc mundi machina vno incendio conflagret cum omnibus, quæ nunc nobis admirationi ſunt, & ſubitum exitium eos abripiat, qui ſibi in multos annos omnia læta, adhæc poſteris ſuis æternitatem mundi pollicentur. Nam vt Paulus ſcribit, cùm dixerint, Pax pax, repentinus illis imminebit interitus, vt partus dolores prægnanti mulieri. Et Petrus: Veniet noctu, ſicut fur, dies illa Domini: quo cæli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraq́; & quæ in ea ſunt opera exurentur. Tunc (vt apud Matthæum Chriſtus ait) plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum poteſtate & gloria multa. Debet iſtorum recordatio nunquam non animis noſtris obuerſari, & facilè cauebimus, ne infelicis mundi exemplo ſeducamur. Nam ſimul hoc quoq; occurret, Noam cum ſuis in arca ſola vitæ præſidium habuiſſe: quo exemplo ſimul adumbratum fuit, in extremo illo fine huius ſæculi non alios ſaluos fore, quam qui relicto mundo & huius ſtudijs, Eccleſiæ Chriſti ſeſe coniunxerint, quam is vt dilectam ſponſam inter huius mundi turbas & pericula ſeruat, & cùm in gloria ſua apparuerit, Regni ſui cæleſtis & æternæ vitæ conſortem habebit.

1.Theſſ.5.
2.Pet.3.

Exemplum Sodomæorum.

Porro alterum quoque exemplum videamus, quod ex hiſtoria temporum Loti & Abrahami adducit, & propriè ad Sodomæos atq; Gomorrhæos pertinet. Mores horum iiſdem ferè verbis deſcribit, quibus antea vſus erat. Edebant (inquit) bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Sunt & hæc omnia per ſe licita, ſed abuſum, quem nimia ſecuritas pepererat, reprehendit, de quo Deus ipſe per Ezechielem ſic diſſerit: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: faſtus, abundantia panis, felicitas, otium: hæc habuit ipſa & filiæ eius, ſed & manũ pauperis & egeni non firmauit. Cumq́; ſic faſtuoſæ eſſent, deſignarunt abominanda quædam in conſpectu meo: quas abieci, cùm illa vidiſſem. Ederunt ergo & biberunt, non vt decet, ſed cùm agros haberent fertiliſſimos, quos Scriptura paradiſo Domini confert, & inſuper felicitate & otio abundarent, ſaturitas illa in luxum nefarium degenerauit, vt ebrietati & immodico voluptatum ſtudio addicti donis Dei turpiter abuterentur. Luxum comitata eſt ſuperbia & immanis faſtus, qui contemptum pauperum & peregrinorum, ad hæc odium quoque piarum admonitionũ peperit. Cuius rei egregium ſpecimen pridie quàm perirent, dederunt. Cùm enim angeli humana ſpecie velati Sodomam veſpere veniſſent, nemo qui eos exciperet hoſpicio inuentus eſt, præter vnum Lotum, qui & ipſe peregrinus erat. Ciues autem non contenti barbara inhoſpitalitate, inſuper cũ iam bene poti eſſent, quaſi publico tumultu orto domum Loti obſederunt, & hoſpites ad fœdam & deteſtandam libidinem ſibi tradi poſtularunt. Neque hoc paucorum ſcelus fuit, ſed omnium: quando ſenes quoq; & pueros, adeoq́; populum vniuerſum ab extremis partibus vrbis confluxiſſe Moſes ſcribit. Fuit ergo incomparabilis iſtorum hominum malitia cui ſecuritas acceſſit, quam in præſenti Dominus plantandi & ædificandi verbis comprehendit. His enim innuit, eos quamuis in ſingulas horas Dei iram contra ſe prouocarent, vitæ tamen ſuæ rationes perinde inſtituiſſe, ac ſi perpetuò victuri eſſent, & extra omnem teli tactum eſſent conſtituti. Contumaciæ verò incurabilis argumentum luculentiſſimum fuit, quòd cùm non ita pridem ab hoſtibus bello victi & captiui abducerentur, Abrahami autem beneficio liberati atque ſedibus ſuis reſtituti eſſent, non modò ad mores ſuos & ſcelera priſtina redierunt, ſed Lotum quoque odio hoſtili proſecuti ſunt, cuius patruus tam præclaræ reſtitutionis ipſis author fuerat. Ita denique omnium illorum mentes libido nefaria obſederat, vt Lotum iam abiturum ne generi quidem ſequi voluerint, quibus eius filiæ iam deſponſatæ erant.

Ezech.16.

Nostri ſeculi mores Sodomæorum ſimiles.

Conueniunt iſta quoque nouiſſimorum temporum, in quæ nos incidimus, ſtudijs atque moribus. Regnat enim apud omnes homines luxus & nefarius abuſus frugum cum manifeſto Dei cõtemptu coniunctus. Eſt illi comes faſtus & ſuperbia, quã plerique veſtitu indecoro, diſciplinæ & legum contemptu teſtantur. Otio autem ita omnes gaudent, vt à manuarijs opificijs plerique abhorreant, in otio autem ignauo atque maleſuado nobilitatem & gloriam præcipuam conſiſtere putent. Et tolerabile videri poterat à ſuperbis otioſis & luxu perditis pauperes contemni atque negligi, niſi præterea partim vſurarijs artibus, partim ſycophantico iuris legumq́ue prætextu prorſus opprimerentur, à multis autem per vim diriperentur, qui bella mercenaria quæſtum honeſtiſſimum eſſe ducunt. Libidine

bidine verò apud omnis loci & ordinis homines peccatur. Scortatio publicè defenditur, quam inter Chriſtianos ne nominari quidem voluit Apoſtolus. Adulterium luſus & iocus putatur, & adulteri in foro, in Senatu, in cathedra ſacra rerum gubernaculis aſſident. Et vtinam ab horrendo Sodomiæ flagitio immunes eſſent, qui inter Chriſtianos Eccleſiæ proceres & ſummi religionis atque fidei antiſtites haberi volunt. Interim verò cùm iſta omnia fiant, quæ gentes olim exitij mox ſecuturi cauſas eſſe intellexerunt, plerique tamen ſibijpſis læta omnia pollicentur, hortos, vineta, agros conſerunt, palatia ipſi cælo minantia extruunt, redditus annuos in dies augent, vt à miſeris agricolis & ciuibus noua rapacitate corradant, quod ipſorum luxui & libidini ſufficiat. Adhuc tamen ſuæ erga nos bonitatis memor Deus, ſuo officio egregiè fungitur. Nam & Verbi præcones excitat tam noſtrates quàm peregrinos, & iudiciorum ſuorum exempla quotidie exhibet: ad hæc vt Lotum propter religionem peregrinantem Sodomis induxit, ita paſſim exules hodie viſuntur, qui purioris fidei & doctrinæ cauſa patrijs ſedibus eiecti, ſuo exemplo docent, quid nos maneat, niſi in tẽpore reſipiſcamus. Sed nequicquã iſta omnia. Imò plerique vix dum emerſi ex aliquo grauiori periculo redeũt ad ſtudia carnis peſſima, & ferè fortuita dicũt eſſe ea, quibus Deus ipſorũ petulantiã caſtigare voluit.

Pœna Sodomæorum fini mundi reſpondet.

Quoniam verò noſtra hæc tempora cum Sodomæorum moribus atque ſtudijs tam probè conueniunt, ad nos etiam pertinere putemus, quod de pœna illorum horrenda dicitur. Quo autem die (inquit Dominus) Lot exiuit Sodomis, pluit igne & ſulphure è cælo, & omnes perdidit. Et addit: Secundùm hæc erit dies, quo Filius hominis reuelabitur. Fuit hoc non obſcurum nouiſſimæ conſummationis mundi præludiũ, quod Petrus Apoſtolus de impijs nouiſſimi iudicij contemptoribus loquens, diſertè his verbis docet: Illud ſponte ipſos latet, quòd cœli iam olim extiterunt per Dei ſermonem, & terra ex aqua & in aqua conſiſtens. Quamobrem qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt: qui verò nunc ſunt cœli ac terra, eodem ſermone repoſiti, ſeruantur igni in diem damnationis & exitij impiorum hominum. Fuit autem exemplum illud in Sodomis æditum cumprimis horribile, cuius perpetuam memoriam lacum aſphaltitim, quem Mare mortuum Scriptura nominat, Deus extare voluit, quam à prophanis quoque ſcriptoribus obſeruatam eſſe, ex Strabone apparet. Quia verò ſubitum fuit illud incendium, & paucis horis vrbes plurimas cum agris adiacentibus conſumpſit, rectè exemplum eius ad nouiſſimum illum Chriſti aduentum refertur, quando ſimiliter ex improuiſo tota mundi machina conflagrabit, & impios repentinus interitus abripiet.

2. Pet. 3.

Pijs ſublatis pœnas dant impij.

At quia hæc in ſuorum quoque vſum Chriſtus dixit, non temere dici putabimus, eo die pluiſſe igne & ſulphure, quo Lot è Sodomis exiuit. Et id quidẽ Moſes diligenter inculcat, qui illum ab Angelis eductum eſſe, & propter eum Zoar oppidum ex incendio illo ſeruatum fuiſſe ſcribit. Eſt exemplum hoc multa obſeruatione digniſſimum. Vt enim Deus propter ſuos cultores toti mundo benefacit, & ſæpe in illorum gratiam regna & ciuitates ampliſſimas cõſeruat: ita his ſubductis aut è medio ſublatis, impios punit. Ante quidem (vt diximus) propter Lotũ Sodomæi ex hoſtium manu aſſerti & ſuæ ciuitati reſtituti ſunt: nunc autem eodem ex vrbe egreſſo, illa cæleſtibus flammis exuritur. Simile quid Hieroſolymis accidit, quãdo Eccleſia, quæ illic erat, oraculo admonita Pellam emigrauit, mox autem à Romanis illa obſeſſa, & tandem miſerabiliter euerſa eſt. Et de hoc Iſaias queritur, quando iuſtum colligi dicit priuſquam dies illi mali veniant, quibus impiorũ incurabilem malitiam Deus punire ſtatuit. Iſta nos admoneant, vt pios nobis commendatos habeamus. Simul autem conſolationi ſeruiat exemplum Loti. Eo enim Petrus docet, poſſe Deum ſuos ex tentatione eripere, & tunc etiam ſeruare, quãdo vniuerſali exitio pœnitere neſcios perdit. Eſt enim (vt Propheta ait) apud Deum diſcrimen inter pium & impium, quod multis alijs quoq; exemplis demonſtratum eſt, de quibus ſæpe aliâs diximus. Itaque huius admonitionis memores, non patiamur nos publico mundi infelicis exemplo abripi, ſed Noam atque Lotum ſecuti Deo fidem ſeruemus illibatam, neque dubitemus de promiſſionibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & huius ſæculi calamitates pro noſtra imbecillitate temperabit, & nos tandem in beatæ immortalitatis portum ad ſe recipiet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

2. Pet. 2.

HOMILIA CLXV.

In illo die ſi quis fuerit ſupra domum, & vaſa eius in ipſa domo, ne

deſcendat ad ea ſumenda: & qui in agro, ſimiliter non reuertatur retro. Memores eſtote vxoris Loti. Quicunque quæſierit animam ſuam ſeruare, perdet eam, & quicunque eam perdiderit, viuificabit eam. Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes ſimul: vna aſſumetur, altera relinquetur. Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Tunc reſpondentes dicunt ei: Vbi Domine? Ipſe verò dixit eis: Vbi corpus, illuc cogentur & aquilæ.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus de nouiſsimis temporibus & ſuo ad extremum iudicium aduentu magna diligentia diſſerit, idq; duas potiſsimùm ob cauſas. Prima eſt, vt doceat, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, neque in illo terrena bona aut temporariam felicitatem quæri debere. Et huc pertinent quæcunque de periculis & corruptiſsimis poſtremi ſæculi moribus hucuſque dicta ſunt, quibus multi etiam alij loci conueniunt, qui eadem prolixius exponunt. Paulus certè in poſteriori ad Timoth. cap. tertio ſcribit: Illud autem ſcito, quòd in poſtremis diebus inſtabunt tempora moleſta. Erũt enim homines ſui amãtes, auari, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, charitatis expertes, neſcij fœderis, calumniatores, intẽperantes, immites, minimè amantes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quàm amantes Dei, habentes effigiem pietatis, ſed qui vim eius abnegarint, &c. Quàm verò periculoſum ſit pijs Dei cultoribus inter tales viuere, quiuis facilè æſtimare poteſt: & non poſſunt non vehementer falli, quicunque ſibi in hoc ſæculo omnia tuta & læta pollicentur. Vult autem nos de his admoneri Chriſtus, ne ijs offendamur, ſi nobis præter expectationem accidant. Altera cauſa eſt, vt horum conſideratio nos ad vigilantiam & ſerium pietatisq; ſtudium excitet, ne huius mundi exemplo abrepti vel tantorum ſcelerum ſocij efficiamur, vel ſecuritate abſorbeamur. Et eſt hoc eximium bonitatis Dei argumentũ, qui non contentus de præſentibus nos admonuiſſe, futura quoque mala prædicit, vt omnibus ijs conſulat, qui vſque ad mundi conſummationem victuri ſunt. Debet huc referri locus, quem modò recitauimus, in quo præceptis ſaluberrimis ſuos inſtruit, quæ inter nouiſsimorum temporum horribiles motus obſeruare debeant, & eadem rationibus quoque grauiſsimis confirmat.

Singuli ſuæ vocationi intenti ſint.

Summa præceptorum Chriſti eſt: In illo die ſi quis fuerit ſupra domum, & vaſa eius in ipſa domo, ne deſcendat ad ea ſumenda: & qui in agro, ſimiliter non reuertatur retro. Sunt hæ figuratæ locutiones, quarum ſenſus eſt, vnumquenq; ſuæ vocationi debere intentum eſſe, & in ea ſic pergere, vt ne minimum quidem ſe huius mundi negotijs immiſceat: imò omnibus ijs, quæ in mũdo præclara & neceſſaria habemus, ita renuntiandum eſſe, vt nullam eorum habeamus rationem, dummodo cœleſtia & æterna bona poſsimus obtinere. Vaſa enim dicuntur, Hebraica phraſi nõ ea modò quæ ad ſupellectilem pertinent, verumetiam veſtes & quæcunque corporibus ſeruiunt. Quo loco cumprimis obſeruari debet, Chriſtum neque diſcipulis ſuis priuatis, neq; vulgo Chriſtianorum peculiare quoddam & nouum vitæ genus præſcribere, ſed hoc ab omnibus in genere exigi, ne mundi huius ſtudijs immergantur, ſed omnium quæ à tergo ſunt obliti per ſuam vocationem ad cœleſtis regni hæreditatem magno & irremiſſo ſtudio contendant. Nam vt aliâs monuimus, variæ multæq; inter ſe diuerſæ hominum vocationes ſunt, quas Chriſtus ſua doctrina minimè abrogat, neque vt abrogentur opus eſt, cùm in ipſo, quoad ſalutis æternæ negotium, non ſit mas aut fœmina, non ſeruus aut liber, & proinde non doctus aut indoctus, non opifex aut agricola, non ſutor aut nauta, &c. Hoc autem ab omnibus, cuiuſcunque ſint loci aut ordinis, requirit, vt ſinguli in ea vocatione aut vitæ genere, in quo vocati ſunt (de honeſtis & per ſe licitis loquor) maneant, & in eo ſuum officium conſtanter faciant. Itaque qui iam ſupra domum aſcenderunt, & in ſua vocatione ad faſtigium virtutis euecti ſunt, ij curent ne turpiter ad huius mundi ſtudia relabãtur. Qui item adhuc in agro ſunt, & aliquos ſaltẽ progreſſus fecerunt, ij non reſpiciant ad ea, quæ à tergo ſunt, ſed ad metã ſibi propoſitã perpetuò contendant. Hic enim omniũ vocationũ finis generalis eſt, vt huius vitæ vſibus ſeruiant ſecundùm charitatis & iuſtitiæ legẽ, interim verò ſtudia noſtra omnia ad gloriã Dei & æternæ ſalutis hæreditatẽ dirigant. Iſtã ergo regulã omnes homines pro ſuæ vocationis ratione ſibijpſis applicare debent.

Conſu-

Vita monaſtica confutatur.

Confutatur ergo huius loci authoritate illorum ſuperſtitioſus error, qui vt corruptiſſimos poſtremi ſæculi mores & horum contagionem fugiant, relicto vitæ prioris genere aut ſtatu, in deſertum profugiunt, aut in monaſteria ſeſe occultant, & nouæ regulæ legibus aſtricti inſolitam vitæ rationem veſtitu, geſtibus & ceremonijs peculiaribus profitentur. Ita verò ſe mundum fugere & mundo mori ſibijpſis perſuadent. Atqui mundus eſt, vbicunque carnis affectus atque mundi ſtudia ſunt. Quæ cùm in animis hominum ſedem ſuam habeant, neque aliter quàm per fidem & ſpiritum regenerationis mortificentur, mundum nobiſcum circunferimus ſiue in eremo, ſiue in monaſterio, ſiue quocunque alio loco viuamus. Exemplo nobis eſſe poſſunt Lot & filiæ eius. Nam cùm deletis Sodomis præ metu ex Zoare oppido diſcedentes in ſpelunca quadam montis ſibi domicilium delegiſſent, magis in mundo fuerunt, quàm cùm inter ſceleratiſſimos Sodomarum ciues viuerent. Filiæ enim, quæ virginitatis ſuæ florem hucuſque inuiolatum ſeruarant, illic de concubitu cum patre conſilium ineunt, ipſe autem vino nimio deuictus tam ſeipſum quàm filias proprias fœdo inceſtu polluit. Et quid plerunque accidere ſoleat ijs, qui in eremo vitam degunt, monachis item & monialibus intra arctiſſimos monaſteriorum muros concluſis, notius eſt quàm vt multis demonſtrari oporteat. Nam vt nihil dicatur de fœda illorum libidine, quâ peſſimè vruntur, nuſpiam certè magis regnant inuidia, æmulatio, odium, ira, obtrectatio, contentiones, ambitio & reliqua vitia, quæ propriiſſima mundi & carnis opera ſunt. In ſeipſis ergo mundum mortificent, & impuræ carnis deſideria fugiant, imò conculcent, quicunque relicto mundo ad patriam cæleſtem inoffenſo pede contendere volunt. Quâ in re plurimùm auxilij illis adferet, ſi quam à Deo habent vocationem ſemper ſibi ob oculos ponant. Nec enim aliquod ordinarium vitæ genus tam vile & leniculum eſt, quod non totum hominem ſibi vendicet, ſi quis ſuo officio dignè fungi velit: neq; multum otij erit in ſua vocatione ſerio occupatis, vt ſimul mundo ſeruire & carnis ſuæ deſiderijs ſatisfacere poſſint.

Contra opum iacturam inſtruit.

Quia verò hic nos multa retrahunt, qualia ſunt diuitiarum huius ſæculi illecebræ, quæ & auaritiam & diffidentiam in nobis gignunt, vitæ item huius cupiditas, dulciſſima cum hominibus coniunctiſſimis conſuetudo, ſingulis iſtis occurrit Dominus, & rationibus validiſſimis illa omnia oppugnat. Et primò quidem ijs, qui opum iacturam impatientius ferunt, eò quòd Dei gratiæ diffiſi in illis ſpem & fiduciam omnem collocant, vxoris Loti exemplum proponit. Memores (inquit) eſtote vxoris Loti. Quid verò iſta fecit, quidue paſſa eſt? Si hiſtoriæ circunſtantias conſideres, illam opes in Sodoma relictas maioris feciſſe patebit, quàm præclarum illud liberationis beneficium, quod per Angelorum miniſterium Deus toti eius familiæ conferebat. Nam cùm marito & ſibi dictum ſciret: Serua vitam tuam, neque reſpectes poſt te, neque conſiſtas in tota iſta planitie, &c. ipſa tamen aliquò vſque progreſſa, à tergo reſpexit: nimirum ſulphureæ pluuiæ ſtridore, ignis & fulgurum micantium ſplendore, ardentium tectorum crepitu, domuum ruentium fragore, virorum hinc inde diſcurrentium horrendis clamoribus & miſerabili mulierum atque paruulorum eiulatu excitata, quæ omnia domum amiſſam cum ſuppellectile chara & reliquis bonis illi in mentem reuocauerunt: adeò vt non tam corporeis oculis quàm animo iam diffidentiæ pleno in Sodomam reſpexit, id quod nunquam feciſſet, ſi Dei beneficium, quo tunc fruebatur, dignè æſtimaſſet. Quàm multos enim tunc in Sodomis fuiſſe putas, qui vitam ſuam libenter omnium fortunarum ſuarum iactura redempturi fuiſſent, ſi id facere licuiſſet: cùm illa opes iam cæleſti incendio pereuntes viſæ propriæ anteponeret? Idem ergo ei, quod poſtea Iſraelitis in Ægyptum ad ollas carnium reſpicientibus accidit. Et exempla huius generis hodie multa in ijs habemus, qui exhibitum in Chriſto ſalutis æternæ beneficium facilè contemnunt, modò bonis ſuis in hoc ſæculo frui poſſint. Quid verò de illis dicemus, quos non pudet publicè profiteri, ſe propter fidem in Chriſtum & Euangelium eius, neque cum aliquo diſceptare, neque fortunarum ſuarum quantulamcunque iacturam facere velle. Sunt hi longè deteriori loco, quàm Loti vxor fuerit, quæ reſpexiſſe ſolùm ad Sodomam dicitur: imò Loti generis peiores ſunt, qui emigrantem ſocerum ſequi noluerunt, quòd nihil huius euenturum putarent: cùm iſti iam educti ex mundo hoc ad eum redeant, etiamſi illum turpiſſimis immaniſſimorum ſcelerum cupiditatibus æſtuare, & diuinæ vindictæ ignem non vno loco iam incen-

ſum eſſe videant. Vult autem hoc omnes Chriſtus vxoris Loti meminiſſe, vt nimirum perpetuò cogitent, quale exemplum in illam Deus ædiderit, & quid ipſis ſit ſperandum, ſi tales eſſe pergant. Mutata eſt illa in ſtatuam ſalis. Ita verò perpetuum & incorruptibile monumentum vindictæ Dei factam fuiſſe innuitur. Quia enim ſal à corruptione ſeruat, perpetuitatis ſymbolum eſt,
Num. 18. vt locutiones multæ in ſcripturis docent. Nam fœdus ſalis pro perpetuo Deus dicit apud Moſem. Vel etiam ſecundùm literam intelligi poteſt, quòd in ſtatuam ſalis metallici mutata ſit, quem ita indureſcere cõſtat in fodinis aliquibus, vt cryſtalli ſimilis factus nunquam poſtea ſoluatur aut lique-
Lib. 31. cap. 7. fiat. Plinius certè author eſt, Carris Arabiæ oppido muros & domus ex maſsis ſalis ædificari. Et nota ſunt etiã noſtris hominibus in fodinis Poloniæ ſal gemmæ (quæ vocant) quæ inſtar cryſtalli indurata ſuum in medicina vſum habent. Non igitur incredibile eſt in eiuſmodi ſtatuam Loti vxorem abiiſſe, cuius materia ſalem metallicum aut cryſtallinum (vt ſic dicam) referret. Sed vtro ſenſu Moſis verba accipias, in idem recidet, voluiſſe nimirum Deum in hoc exemplo perpetuã memoriam extare, qua poſteri omnes admonerentur, non cunctandum eſſe iis, qui per Deũ euocati iter æternæ ſalutis iam ſemel ingreſsi ſunt: denique omnes eos mundum à tergo relinquere & ad cæleſtia reſpicere oportere, qui Dei iram effugere velint, quando ille venit ad iudicandum impios. Conſtat enim, iacturam ſalutis æternæ eos facere, qui Deo ſimul & mundo aut Mammonæ ſeruire volunt, quia id factu impoſsibile eſt, vt ſupra demonſtrauimus. Quoniam verò ad mundi & opum huius ſæculi ſtudium natura procliues ſumus, & plerunq; metuimus, ne ſatis ſit nobis, quo vitam noſtram ſuſtentemus, proderit animos certa promiſsionum Dei fiducia confirmare: quæ eò firmior atq; certior erit, ſi ſimul cogitemus, quàm fluxa & incerta ſit diuitiarũ poſſeſsio, & quòd in earum abundantia hominis vita ſiue incolumitas minimè conſiſtit. Vide Luc. 12.

Contra vitæ cupiditatẽ armat. Sed ad alterum ſalutis impedimentum tranſit, vitæ nimirum præſentis cupiditatẽ, quæ vt multis turpiſsimorum facinorum cauſa eſt: ita fidem in Chriſtum & felicitatem hominis veram vehementer impedit. Dicit ergo: Quicunq; quæſierit animam ſuam ſeruare, perdet eam: & quicunq; eam perdiderit, viuificabit eam. Habetur eadem ſententia ſupra nono cap. vbi de vita ſecundùm ſuam regulam & exemplum inſtituenda diſſerit. Eſt autem bimembris, & prima parte de iis loquitur, qui cum fidei abnegatione & vocationis ſuæ intermiſsione vitæ ſuæ conſulunt, id eſt, qui ne vitæ periculum ſubire cogantur, fidem veram abnegant, & non faciunt officium in eo, ad quod peculiariter à Deo deſtinati ſunt. Qui id faciunt, ii reuera animam perdunt, quia Chriſtum amittunt, in quo vno vita & ſalus habetur. Ipſe enim ait: Quemcunque mei & ſermonum meorum puduerit coram mundo hoc prauo & adultero, eius etiam Filium hominis pudebit cum venerit in gloria ſua cum Angelis ſanctis. Quibus adde, quòd iidem ne de huius quidem ſæculi vita certi ſunt: ſed aut ſubita morte tolluntur, quando ſe otio ſuo optimè conſuluiſſe putant: aut vitam viuunt inter horribiles conſcientiæ terrores atq; cruciatus ipſa morte miſeriorem. E contra quiſquis animam perdit (quæ altera huius ſententiæ pars eſt) nimirum propter Chriſtum, & veræ fidei confeſsionem, is viuificabit eam. In Græco eſt Verbum ζωογονεῖν, quod fœtum viuum parere ſignificat: & cauſæ præſenti pulcherrimè conuenit. Verè enim qui pro Chriſto & pietate moriuntur, animas ſuas ad vitam pariunt ſiue gignunt: Nam illo ipſo teſte à morte tranſeunt in vitam, & ad illum colliguntur ipſorũ animæ, quæ in reſurrectione corporibus reſtituentur, vt totus homo æterna vita & regni cœleſtis gaudiis fruatur. Qui iſta conſiderãt, hos præſentis vitæ cupiditas minimè retinebit, quò minus ad omnia pro Chriſto facienda atq; ferenda parati ſint. Cur enim illis graue videatur vitam profundere, quæ tunc demum immortalis fit, dum mortali huic finis imponitur? Aut cur propter huius ſæculi bona vitam hanc mortalem retinere cupiant, cùm & hæc fluxa ſit, illa autem ad hanc diutius ſeruandam nihil proſint? Diſcant potius omnes homines ex hiſce Chriſti verbis, non aliam eſſe rationem commodiorem ſide tutiorem conſeruandi vitam & quæcunque alia nobis chara atque pretioſa ſunt, quàm vt omnia noſtra ad diuinæ voluntatis nutum componamus, & in eius manum deponamus quæcunque is à nobis exigit. Vt enim fidelis eſt, neque nos ſupra vires tentari ſinit: Ita remunerator quoq; eſt liberaliſsimus, qui apud ſe depoſita cum fœnore reddere conſueuit. Exempla, quibus iſtud probari poſsit, paſsim in ſcripturis cùm ſacris tum prophanis occurrunt, quæ cum experientia quotidiana confirmentur, non opus eſt illis commemorandis diutius inſiſtere.

Contra hominum amicitias instruit.

Cæterùm multos eſt videre, quos non tam diuitiæ aut vitæ huius cupiditas quàm coniunctiſſimorum hominum dulciſſima conſuetudo detinet, quò minus mundo renunciare & ſe totos ad cæleſtium bonorum ſtudium componere poſſint. Nam non durum modò, ſed inhumanum, ſed barbarum, ſed iniquum videtur ab ijs diuelli, quibus vel propter coniugij aut alterius fœderis vinculum vel propter ſtudiorum ſimilitudinem, vel iucundiſſimum & diuturnum commercium non parum debes. Ergo iſtis quoque remedium adhibet, quando oſtendit diuiſionem aut ſeparationem omnino neceſſariam eſſe, neque nos vnquã poſſe obſtare, quin ea fiat inter eos, qui non pari fide & ſtudio Deum colunt, vtut in alijs conueniant. Suos enim ad ſe colligit Dominus, relictis in interitu ijs, qui maiorem ſuorum deſideriorum quàm Regni ſui rationem habuerunt. Sic autem dicit: Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes ſimul: vna aſſumetur, altera relinquetur. Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Quid ergo profuerit cum eo indiuulſam in hoc ſæculo conſuetudinem ſeruare velle, à quo vel ſub mortis horam, vel in nouiſſimo Chriſti aduentu diuellaris oportet, niſi cum illo æternùm perire velis? Certè ſi vnum hoc rectius omnes expenderent, nunquã tanti facerent hominũ impiorum aut à fide alienorũ conſortia.

Nouiſsimi iudicij executio qualis.

Simul autem his verbis docet Chriſtus, quæ nam nouiſſimi iudicij ratio ſiue executio futura ſit: ea nimirum, vt abſque omni perſonarum reſpectu, inter eiuſdem loci & ordinis homines alij quidem ſeruentur, alij verò damnentur, prout crediderunt, aut fide atq; pietate fuerunt deſtituti. Iſtud innuit Dominus, quando duorum in vno lecto iacentium, duarum ſimul in vno piſtrino molentium, duorum item in eodem agro laborantium meminit, quorum alterum ad ſe recipere velit, alterũ exitio ſempiterno relinquere. Confutantur igitur huius loci authoritate, qui vel coniugiũ vel quæcunque alia vitæ genera damnant, quaſi in ijs Deo ſeruire & ſeruari impoſſibile ſit: qui item hominis ſalutem paupertate & duro manuum labore, aut ſeruitute metiuntur. Hic enim inter eiuſdem thori conſortes, vel coniuges, aliquos aſſumptum iri audimus. Eſt enim thorus coniugum immaculatus, cùm illum Deus & inſtituerit & ſanctificarit. Imò adeò non officit ſaluti coniugium, vt pij Chriſti cultores ſalui futuri ſint, etiamſi coniuges æterno exitio deſtinatos habeant: modò non communicent illorum impietati. Quod Paulus non obſcurè alio argumento docet, quando liberos, qui ex imparibus coniugijs procreantur, & quorum alteruter modò parens fidelis eſt, ſanctos eſſe teſtatur. Similiter ex viliſſimis mancipijs aliquos damnationi obnoxios fore, Chriſtus dicit. Scimus enim antiquitus piſtrini laborem non grauem modò, ſed cum aliqua ignominiæ ſpecie coniunctum fuiſſe, cùm in illud ſerui contumaciores detruderentur, qui heros ſuos aliquo ſcelere aut delicto grauiori offenderant. Attamen ex illis quoque, qui in eodem piſtrino & ſub eiuſdem heri imperio laborant, aliqui ad cæleſtis regni hæreditatem aſſumentur, alij relinquentur, vt æternas ſuæ contumaciæ pœnas luant. Vt enim libertas per ſe neminẽ dãnat, qui ea bene vſus fuerit: ita neq; ſeruitus ſuo merito aliquem ſeruat, niſi in conditione ſeruili idem Chriſti libertus ſit. Idem de diuitijs & paupertate dicimus. Solius enim Ieſu Chriſti paupertas meritum coniunctum habet, qui cùm omnium dominus eſſet, pauper factus eſt, vt nos Regni cæleſtis theſauris ditaret. Et vt principes viri, qui iniuſta tyrannide terrorem ſuum in terra poſuerunt (vt Prophetæ verbis vtar) ad tartara rapientur: ita illos multi ex ſubditis eorum comitabuntur, qui vel ſcelerum ipſis miniſtri fuerunt, vel ſuis affectibus abrepti vitam vixerunt impiam & prophanam. Neminem ergo ſuæ conditionis fiducia decipiat: ſed qui ad res arduas vocati et in altiori gradu cõſtituti ſunt, periculi ſemper meminerint, quod ex alto cadentibus imminet, eoq; diligentius officio ſuo fungantur: quibus verò humilior & abiectior ſors obtigit, ij animis per fidem ſupra cælũ euectis in Chriſto conſolationẽ quærant, & huius merito ſe ſeruari firmiter credant. Et vt ſemel omnia dicam, quiſq; in ſua vocatione pietati ſtudeat, & ita in hoc mundo viuant, vt eo non abutantur, neq; animos ſuos prauis illius ſtudijs immergant. Itaque qui coniuges ſunt, fœderis ſui vinculum ſanctè ſeruent, & Deo liberos procreare ſtudeãt: cælibes verò animi & corporis caſtitatem ſedulò tueantur. Heri erga ſeruos humani & benigni: hi verò erga illos fideles ſint. Diuites in Dei conſpectu humilientur & beneficentiæ ſtudeant: pauperes & inopes paupertatis incommoda patienter ferant, nemini meliorem ſortem inuideant, multò minus autem conentur malis artibus aut etiam apertis ſceleribus ſibijpſis conſulere. Ita denique viuant omnes, ne magnus ille dies ipſos in flagitio aliquo deprehendat.

voluit, quando in montem altum ſubducto omnia huius mundi regna oſtendit, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus me adoraueris. At quia illum cæco ambitionis affectu non potuit vincere, ſed ſe ab illo vinci ſenſit, ſaltē hominibus talem perſuadere conatur, vt nimirum relictis cœleſtium bonorum ſtudijs, in illo nō niſi terrena & temporalia quærant. Ideo Iudæos hac regni terreni expectatione dementauit, quæ tantum in eis potuit, vt Regnum Dei reiecerint, & in crucem egerint eum, qui hoc ipſis erat inſtauraturus. Quin hac vana ſpe auitæ libertatis & regni terreni adhuc hodie deluſi, ad Chriſti mentionem tantumnon exhorreſcunt, adeoq; diris horrendis eum proſequuntur, quem eorum patres tanto cum deſiderio expectauerunt. At quid de Iudæis dico, quando inter Chriſtianos homines inuenti ſunt, qui ſimili errore ſe deludi paterentur? Olim certè Chiliaſtæ fuerunt, qui authore

Euſeb. Eccleſ. hiſt lib. 3. cap. 39. & 28.

Papia regnum Chriſti poſt reſurrectionem in terris corporaliter futurum crediderūt: & ante hunc Cerinthus, Chriſtum à reſurrectione tradidit ſecundùm huius ſeculi morem Hieroſolymis regnaturum eſſe, & tunc homines iiſdem cupiditatibus atq; ſtudijs obnoxios fore, quibus hodie diſtrahuntur. A quorum opinione non omnino abſunt, qui Prophetarum vaticinia, quibus illi pacem vniuerſalem & vitam felicem in Chriſto pollicentur, ſecundùm literam interpretantur, & Regnum Dei adhuc veniſſe negant, eò quòd totum orbem terrarum bellis atq; ſeditionibus turbari, imprimis autem Eccleſiam aſſiduis periculis exerceri vident. Inſiſtunt horum veſtigijs Anabaptiſtæ, qui ſub Chriſtianæ libertatis prætextu magiſtratus & ius gladij abolere conantur, quaſi his minimè opus ſit, Chriſto nimirum ſuos mirificè defendente. Quid verò de Pontificibus dicemus, qui quod alij infelicius tentauerunt, miris artibus obtinuerunt, vt nimirum vicariorum Chriſti titulo ſuperbi totius mundi imperium ad ſe transferrent, & potentiſſimos reges pedibus ſuis ſubijcerent? Quod quid aliud eſt, quàm regnum Chriſti in terrenum commutare, & hunc talem fingere, qualem olim Chiliaſtæ & Iudæi ſomniauerunt? Quòd ſi noſtros homines inſpicias, qui puriori Veritatis euangelicæ & Chriſti cognitione gloriantur, quàm multos in illis reperies, qui ſub Euangelij prætextu non aliud quàm opes, honores, pacem huius ſeculi, & (quod turpiſſimum eſt) peccandi licentiam atq; impunitatem quærunt? Et hi quidem omnes diaboli ludibrijs circunducuntur, qui eiuſmodi perſuaſionibus infelices ineſcare ſolet, vt de cœleſtibus & æternis bonis cogitare deſinant.

Regnum Dei non uenit cum obſeruatione.

Audiamus ergo ipſum Chriſtum, qui etſi quæſtionem hanc Phariſæi per ludibrium mouiſſent, grauiter tamen reſpondet, & paucis verbis primò errorem Iudaici populi communem refellit, deinde regni ſui rationem explicat. Sic enim dicit: Non veniet Regnum Dei cum obſeruatione: neq; dicent, Ecce hîc, aut, Ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt. Negat Regnum Dei venturum cum obſeruatione. Atqui in Prophetis multa proponuntur, ex quibus veteres Chriſti aduentum primum pra foribus eſſe, agnoſcere debuerunt: & ipſe Dominus nos ſignis inſtruxit, quorum diligens obſeruatio admonet non procul abeſſe diem redemptionis noſtræ, quo Regnum Dei, quod nunc cœpit, vere compleri, & ſalutem totius hominis perfici oporteat. Sed in præſenti de ſplendore aut apparatu Chriſtus loquitur, qualem Iudæi iam pridem animo conceperant. Putabant enim præcurſuros anteambulones quoſdam, qui in eius aduentum omnia magnificè præpararent. Ipſum verò Meſſiam armis & militum copijs ſtipatum fingebant, qui deiectis Romanorum præſidijs Regni ſedem Hieroſolymæ eſſet conſtituturus: & alia huius generis multa ſibijpſis perſuaſerant, quæ in huius ſeculi regnis ſolent fieri. Ea verò omnia negat Dominus, dicens: Non veniet Regnum Dei cum obſeruatione. Et ideo per expoſitionem addit: Neque dicent, Ecce hic: aut, Ecce illic. Id eſt non habebit fixam & certā ſedem vel Hieroſolymæ, vel Samariæ, aut in vlla alia vrbe in terris celebriori. Conueniunt his, quæ in Prophetis habentur, qui etiamſi regnum Chriſti per comparationes & ſimilia ex regnis huius ſeculi petita deſcribant, multa tamen intermiſcent, ex quibus illius tenuitatem & aſpectum contemptibilem deprahendere licet. David certè ait: De torrente in via bibet. Et notum eſt Zachariæ vaticinium: En Rex tuus veniet tibi, iuſtus & ſeruator ipſe, pauper, qui vehetur aſino & pullo aſinæ. Quibus addere licet totum Iſaiæ Caput quinquageſimum tertium, quo totam ferè mortis eius hiſtoriam cum illius fructu Spiritus ſanctus clariſſimè prædixit. Quorum omnium confirmationi ſeruit, quod ipſemet à Pilato de regno interrogatus reſpondit: Regnum meum non eſt ex hoc mundo: Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei certarent, ne traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.

Debet

Debet ex his generalis doctrina peti, Regnum Dei, quod Euangelio prædicatur, & ex quo vniuerſa noſtræ ſalutis ratio dependet, non habere Metropolim certam aut ſedem fixam, ad quam ceu ad commune totius orbis oraculum omnes debeant concurrere. Olim quidē externi cultus & ſacrificiorum certum locum eſſe voluit Deus, ad quem vt ad cōmunem gentis totius parochiam Iudæi ex omnibus tribubus conuenirent: ſed id partim vnitatis conſeruandæ ſtudio conſtitutū fuit, partim vt ad vnius Chriſti Ieſu ſacrificium omnes reſpicere diſcerent, qui Hieroſolymis ſui corporis victima peccatum mundi expiaturus erat. At vmbris illis iam olim ſublatis, nullum alium locum Chriſtus deſignauit, qui regni ſui aut Eccleſiæ ſedes ſit principalis: ſed vt hæc per totum orbem terrarum extenditur: ita quoad Chriſtum & eius meritum, ille omnibus Eccleſijs præſens adeſt, ſuo ſpiritu omnes gubernat, & ſuo merito partam ſalutem omnibus ex æquo impertit. Neq; hæc Domini voluntas fuit, vt omnes gentes Hieroſolymā conuenirent, ſed vt Apoſtoli inde digreſſi Regnū Dei vbiq; terrarum prædicarent, & in omnibus locis tam celebrioribus quàm obſcuris Eccleſias ſibi colligerent. Extant de hoc Prophetarum promiſſiones, qualis eſt quæ in Pſalmis habetur: Dominus è Zion emittet virgam potentiæ tuæ. Et illa Iſaiæ, quam ijſdem verbis Micheas repetijt: E Zion exibit Lex, & Verbum Domini de Ieruſalem. Quibus omnino conſentit poſtremum Chriſti mandatū, quo Apoſtolis dixit: Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Item: Vos eritis mihi teſtes Hieroſolymæ, & in tota Iudæa, in Samaria, & vſq; ad fines terræ. Quæ omnia non temere dicta fuiſſe, Actorum Apoſtolicorum liber abunde declarat. Iſta eorum audaciam fortiſſimè refellunt, qui nouiſſimis hiſce temporibus Eccleſiæ & religionis Chriſtianæ ſedem Romæ conſtituerūt, eò quòd illius Eccleſiæ cathedram Petrus, princeps Apoſtolorum, tenuerit, ex quo Pontificum Romanorum perpetua ſucceſſio deducatur. Atqui Apoſtolorum principem fingunt Petrum, qui ſe aliorū collegam & συμπρεσβύτερον dixit, neq; aliter dicere potuit, niſi Chriſto vellet contradicere, qui primatus affectationem ab illis omnibus alieniſſimam eſſe voluit. Deinde Petrum primum Romanæ Eccleſiæ epiſcopum fuiſſe fingunt, quem vnquam Romæ fuiſſe vix probari poteſt: certè illum tot annis illic docuiſſe, quot illi dicunt, totius hiſtoriæ Apoſtolicæ contextu aut ſerie & ſcriptorum Apoſtolicorum authoritate negari poteſt, vt alibi demonſtrauimus. Succeſſionē ergo Pontificum ab ipſo Petro deducunt, quæ omnino nulla eſt. Et quàmuis ea probari poſſet, quid obſecro ea ad defendendū Eccleſiæ Romanæ primatū faceret? Annon enim Dauidis ſucceſſores, imò poſteri fuerunt Achaz, Manaſſes, Ioakim & Zedechias? Aaroni verò & pijs ſacerdotibus alijs ſucceſſerunt Annas, Caiaphas, Alexander & aliæ gentis Iudaicæ peſtes? Eſt ergo putidiſſimum cōmentum quicquid illi fingunt, vt iam de eo nihil dicam, quòd & Petro grauē iniuriam faciunt, quaſi is relicta Apoſtolica functione vnius vrbis Epiſcopus fuerit per totos annos viginti quinq; ſuo otio potius quā Chriſti mandato intentus: & Chriſti Regnum vni loco aſtringunt, quod is per totum orbem extendi voluit. Quin in ipſum Spiritum ſanctum hæc iniuria redundat, quem illi homines ad Romanam cathedram, vt olim gentes ſuum Apollinem ad Delphicum oraculum, alligant. Sed oportet vt eiuſmodi arundineis fulcris nitantur, qui ſemel aduerſus Veritatem proteruire inſtituerunt.

Regnum Dei non eſt alligatum loco.

Pſal. 110.

Iſa. 2.

Mich. 4.

1. Pet. 5.

Hom. 94. in epiſtolam ad Roman.

At non contentus Iudæorum errorem confutauiſſe Chriſtus, ſimul etiam regni ſui rationem exponit, & illos non obſcurè hortatur, vt ſe illi accommodent. Ecce enim (inquit) Regnum Dei intra vos eſt. Quaſi diceret: Inepta & ſuperuacanea quæſtio, interrogare quando venturū ſit Regnū Dei, cùm illud iam in medio veſtri ſit, & ita ſe omnium oculis & ſenſibus ingerat, vt niſi talpis cæciores & caudicibus ſtupidiores eſſetis, non poſſetis non illud animaduertere. Ita verò ignorantiam craſſam & nimiam ſtupiditatem ipſis exprobrat, qui cùm populi duces & doctores haberi velint, vt abſentem quærant, qui ipſis quotidie adſit & colloquatur. Similis exprobratio apud Ioannem habetur, qui cùm Chriſtum dixiſſet eam lucem eſſe, quæ ſuo in mundum aduentu omnem hominem illuminet, mox tamen addit, illum non mundo ſolùm, verumetiam ſuis incognitum fuiſſe, quibus ſeipſum familiariſſimè manifeſtabat. In ſua (inquit) venit, & ſui eum non receperunt.

Regnum Dei intra nos eſt.

Sed proderit hîc diligentius videre, quæ tunc fuerit inter Iudæos rerum conditio, vt ex ea intelligamus, quæ Regni Dei ratio ſit in terris, & quibus indicijs nos illud hodie agnoſcere poſſimus. Dominabantur tunc in illis locis Romani, qui Iudææ præſidem dederant, & præſidia per vrbes diſpoſuerant. In ſacris verò omnis poteſtas penes Sacerdotes & Scribas, maxime aūt penes Phariſæos erat,

Regni Dei ratio in terris, &c.

qui præſidū authoritate defendebantur. Erat ergo infeliciſſima miſeri populi conditio. Inter iſta autem publica mala Dei Filius pro nobis homo factus emerſit, qui Regnum Dei iam adeſſe clamabat, & ad hoc excipiendum omnes hortabatur. Doctrinæ eius capita erant, Pœnitentia & Remiſſio peccatorum, vtramq; autem in ſuo nomine prædicabat, ſe nimirum eum eſſe docens, cuius virtute nos ex verbi ſemine renaſci & mortificata atq; abnegata carne nouum hominē induere oporteat, vt per fidem in ipſum iuſtificati vitam æternam in regno illo Dei æterno atq; cæleſti conſequamur. Doctrinā hanc miraculis confirmabat, cū dæmonia eijceret, morbis omnibus ſolo dicto aut nutu mederetur, leproſos mundaret: ita nimirum docēs, ſe eum eſſe, qui mundi huius principem deuincat, naturæ noſtræ vitioſæ medeatur, veteris veſtigia culpæ deleat, à peccatis omnibus purget, & iuſtitiam ſempiternā (vt Daniel loquitur) cum ſalute vera atq; perfecta nobis reducat. Hæc (inquā) omnia cùm tunc faceret Chriſtus, & cum Veritatis doctrina æternæ vitæ beneficium omnibus offerret, Regnū Dei intra illos eſſe ait. Ex quo colligimus, Regnum Dei apud omnes etiam hodie eſſe, quibus per Euangelij doctrinam in Chriſti nomine pœnitentia & peccatorum remiſſio prædicatur: etiamſi externa tam Reipub. quàm Eccleſiæ conſtitutio turbulentiſſima atq; miſerrima ſit. Nec enim terrenum eſt Regnum iſtud, neq; in rituum aut ceremoniarum ſplendore aut fortunatis huius ſeculi ſucceſſibus conſiſtit: ſed in Spiritus virtute, quæ hominum mentes innouat, & Deo ſubijcit per fidei obedientiam. Hinc ergo conſolationē petant, quicunq; dura tyrannide premuntur, & ideo ſe à Regno Dei excluſos eſſe putant. Nec enim animæ libertatem ſeruitus corporis impedit: & poteſt in te Regnum ſuū obtinere Deus, licet in ijs, inter quos tu verſaris, diabolus & tenebrarū princeps dominetur. Sed & eos locus iſte confutat, qui Regnum Dei conſiſtere poſſe negant, niſi reipub. formam mūtent, magiſtratus è medio tollant, & omnia pro ſuo arbitrio conſtituant. Sunt hi plerunq; maximarum turbarū authores, & dum Regnum Dei inconſulta & ambitioſa temeritate prouehere ſtudēt, ferè ab alijs feliciter iacta eius fundamenta ipſi conuellunt & diſſipant. Diſcant ergo omnes cauſam hanc prudenter & modeſtè agere, agnoſcant ſingulare Dei beneficium, qui inter nouiſſimorum temporū periculoſiſſimos motus paſſim Eccleſiæ ſuæ hoſpites & hoſpitia qualiacunq; inuenit, & vt in noſtris quoq; regionibus doctrinam illam conſeruet oremus, per quam ſuum Regnum inſtauratur atq; ſeruatur.

Chriſtus relictis Phariſæis diſcipulos inſtituit.

Porro nō ignorabat Chriſtus, ſe de tantis tamq; arduis myſterijs fruſtra verba facere apud Phariſæos, quibus iampridem luſus iocusq; eſſe cœperat, quicquid in Scripturis de regno Dei cæleſti traditur, cū ipſi præter opes, honores & voluptates huius ſeculi nihil ſaperent. Ideo relictis illis, qui reuera canes & porci erant, ad diſcipulos ſermonem conuertit, quos primùm de periculis admonet, quibus infelicem Iudæorum gentem propter impium & prophanum Regni Dei cōtemptum, adhæc propter incurabilem ingratitudinem atq; contumaciam iactari oporteat. Deinde conſilio tam illos quàm omnes credentes inſtruit. Poſtremò redit ad mortis ſuæ mentionem, quam ſæpius apud eos fecerat, vt huius recordatio conceptum in animis illorum de Regno Dei terreno errorem confutet.

De periculis admonet.

Pericula & turbulentiſſimam rerum conditionem primùm in genere comprehendit, dum oſtendit, in quas anguſtias ipſi deuenturi, & quis ipſis animus futurus ſit. Veniet tempus (inquit) cùm deſiderabitis videre vnum ex diebus Filij hominis, nec videbitis. Dies filij hominis tempus illud dicit, quod in priori ſuo aduentu homo factus in terris tranſegit, & ſenſus verborum eſt: Nunc quidē à plerisq; contemnor & negligor, & vix vlli gratiam atq; ſaluificam Regni Dei virtutem in me ſeſe manifeſtantē agnoſcere dignantur: ſed breui eueniet, vt vos, quos mihi ceu ſingulares amicos & ſeruos ſelegi, propter vndiq; ſurgentia pericula & horribiles mundi motus, vel vnum diem mecum vt nunc familiarius conuerſari, & me conſultore & conſolatore vti optetis: id verò vobis contingere nō poterit. Et iſta quidem diſcipulis dicit, vt ex comparatione hoſtes intelligant, quantò grauiora & duriora ipſi paſſuri ſint: ſimul autem ſuos excitat, vt felicitate illa, qua tunc vt domeſtici eius diſcipuli fruebantur, bene vti ſtudeant, & quod alibi dicit, ambulent dum lucem habeant, ne ſubitò à tenebris obruantur. Et ſanè non potuit diſcipulis ſuperuacanea videri hæc admonitio, cùm eos nimiùm ſecuros tanti beneficij æſtimatores fuiſſe conſtet, adeò vt de illorum fide actum fuerit, niſi Dominus illos ſua manu quaſi è cælo protenſa erexiſſet, & tandem miſſo Spiritu ſuo magis confirmaſſet. Nec dubium eſt, hoc ſolicitum videndi eius deſiderium ipſorum animos vehementer diſcruciauiſſe, quando illo in cruce mortuo & ſepulto in latebris abſconſi iacuerūt, vt præ metu Iudæorum ne fores quidem

domus aperire nedum prodire auderent. Quoties item hæc verba non ſine acerbiſſimo dolore illis in mentem veniſſe putabimus, quando totam Iudæam quotidianis ſeditioſorum hominũ furoribus turbari, multos paſſim cædi, pios in exilium eijci, & tandem Romanorum arma in patriam dulciſſimã inferri, agros & vicos vaſtari, oppida excindi, horribiles infelicis populi ſtrages fieri, & tandẽ miſeras reliquias per totũ orbem diſſipatas vagari viderunt? Taceo nunc, quæ ad ipſos propius ſpectarunt, quando vbiq; locorum ſibi inſidias ſtrui, carceres & vincula paſſim parata eſſe, & nunquam nõ ſua capita ab impijs Chriſti hoſtibus peti ſentiebant. Ah quoties tunc recordati ſunt dulciſſimæ illius conſuetudinis, in qua Dei Filiũ coram videre, audire, contrectare ſolici fuerant? Quoties ſuæ ſocordiæ & negligentiæ illos pœnituiſſe putas? Eſt enim hoc humani ingenij proprium, vt quæ dum præſentia ſunt faſtidimus, aut ſaltem oſcitanter nimis negligimus, ea cum gemitu, dolore, eiulatu requiramus vbi à nobis ablata aut amiſſa fuerint. Veruntamen quæ tunc Apoſtoli paſſi ſunt, ludus cenſeri poſſunt, ſi cum ijs conferantur, quæ reliquis Iudæis & impijs Chriſti aduerſarijs acciderunt: quos non ſolùm bellici terrores, cædes, oppidorum excidia, fames & diriſſima quæq; pericula exagitarunt, verumetiam propria conſcientiæ carnificina exercuit, cùm Deum ſibi iratum eſſe, & Filij ſui ſanguinẽ ex manibus ipſorum requirere, calamitates verò iſtas pœnarum infernalium præludia eſſe ſentirẽt. Quis dubitet tunc quoq; illos Chriſti ſæpiſſimè recordatos fuiſſe, & hunc ſolicitis animis requiſiuiſſe, fruſtra tamen, cùm fide vera deſtituerentur, neq; preces pias in Dei conſpectum afferrẽt, ſed belluino vlulatu ſanctis eius auribus obſtreperent?

Admonent iſta quid omnibus eueniat, qui per Euangelij prædicationem ſibi oblatum Regnum Dei reijciunt. Eſt peccatum hoc nimis vulgare inter eos etiam, qui Chriſtum pleno ore profitentur. Clamant illi, Adueniat Regnum tuum. Quando autem hoc Deus illis offert, & ad eius cõmunionem vocat per pœnitentiæ doctrinam, illud auerſantur, & iniuriam ſibi fieri putant, quando iubentur excuſſo diaboli & mundi ſeruitio, Deum admittere, vt ſuo verbo & ſpiritu in illis regnet. Pollicentur iſti ſibijpſis omnia læta, ſi mundo ſeſe conformes faciant. Sed ſpe ſua miſerrimè falluntur. Nam non ſolùm æternæ vitæ, quam nullam eſſe credũt, iacturam faciunt, verumetiam in hoc mundo mortaliũ calamitoſiſſimi fiunt. Quia enim nobis Deus in ſolo Chriſto reconciliatus eſt, fieri non poteſt, quin ira Dei & maledictio omnibus ijs incumbat, qui Chriſti prædicationem reijciunt. At qui Deum ſibi iratum habet, huic omnes Angeli & homines, elementa deniq; omnia & creaturæ omnes infeſtæ ſunt. Exemplũ eius rei euidens eſt admodum, quod in Iudæis proponitur. Debuit ex his Dei Filius homo naſci, & ideo gentẽ illam ipſe amore plus quàm paterno proſecutus eſt, & beneficijs ampliſſimis ornauit. Quàm primùm autem hũc aſpernati ſunt, abſtulit ab eis regnum ſuum Deus, ipſi verò amiſſa vrbe & templo, iam per annos amplius mille quingentos vagãtur, Deo & hominibus exoſi, & omni reſtitutionis ſpe deſtituti. Similia exempla in multis Græciæ & Aſiæ populis extant, inter quos cùm olim Apoſtoli Eccleſias florentiſſimas conſtituerint, hodie ſub impuro Mahumetiſtarũ iugo ſeruitutem non minus ignominioſam quàm miſeram ſeruiunt. Et vtinam non magis vicina exempla videremus, quibus propter ſpretam Euangelij doctrinam regna celeberrima conquaſſantur, & tam externis quàm ciuilibus bellis ſeſe mutuò conficiunt. Debent iſta eos terrere, quibus cum pace Euangelio frui datum eſt, ne ſimilia mala, aut etiam his grauiora, ipſi quoq; aliquando patiantur. Pœnæ eorum, qui Regnum Dei reijciunt.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui ſui dicti rationẽ ſic reddit, vt ſimul doceat, à quo periculo maximè ſibi debeant cauere pij, quando motus iſtos & turbas oriri vident. Nimirum quòd impoſtores inter pericula futuri ſint plurimi, qui redemptorem promiſſum hinc inde monſtrent, & noua quotidie ſalutis conſilia fingendo omnes conſilij & auxilij incertos reddant. Nam dicent vobis: Ecce hic: aut, Ecce illic. Apud Matthæum & Marcum hæc pluribus exponuntur: Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hîc Chriſtus, aut illic: ne credatis. Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dẽt ſigna magna & prodigia: ita vt ſeducant, ſi fieri poſſit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt: ne egrediamini. Ecce in conclauibus, aut penarijs cellis (has enim propriè vox Græca indicat) ne credatis. Pſeudochriſtos dicit eos, qui ſe Meſſiæ aut Seruatoris promiſſi nomine venditabant, quales multos fuiſſe ante vrbis & gentis totius excidium, in N[illegible]tro noſtro ex Ioſepho annotauimus. Et digni erant Iudæi, quibus impoſtores & Magi illi exitium ſtruerent, cum verum Chriſtum tam multis tamq; ſalutaribus ſignis doctrinam ſuam commendantem, Pſeudochriſti & impoſtores. Homil. 107. & 110.

agnoſcere & amplecti noluiſſent. Similia exempla omnibus ſeculis ſunt edita. Sic Pharao & Ægyptij à Magis ſuis deluſi ſunt, qui Moſem & Aaronem noluerunt audire. Et multis Iudæ atq; Iſraelis regibus, qui Dei ſeruos contumelioſius tractarunt, exitio fuerunt pſeudoprophetæ, quos illi in pretio habebãt. Nouiſſimis autem temporibus idem accidiſſe, nemo ignorat, qui Eccleſiæ hiſtoriã obiter modò inſpexit. Poſtquã enim mundo ſordere cœpit purior & ſimplicior Chriſti doctrina, mox impoſturis ianua patuit, & Orientem quidem Mahumetiſi furores turbarunt, in Occidente autem Eccleſiæ imperium ſibi venditarunt Pontifices, quorum aſtutia & tyrannide factum eſt, vt veri Chriſti cognitione ex hominum animis deleta, nouum quendam & prioribus ſeculis inauditum Chriſtum pleriq; ſequerentur: qui nimirũ ex aqua & farina in ſartagine factus, & quinq; verbis conſecratus pro peccatis viuorum atq; mortuorum quotidie ſacrificaretur. Cœpit hoc iniquitatis myſterium agitari ſub annum Chriſti 844. quo tempore Romanam ſedem tenuit Sergius, quem prius fatali & portentoſo nomine Os porci dictum fuiſſe tradunt hiſtorici. Nec meliore fato Sergij nomen accepit, cùm annis ante ipſum circiter ducentis Sergius Monachus Orienti Mahumetẽ dediſſet. Cæterùm vbi Chriſtum eiuſmodi (vt diximus) nobis Pontifices fabricarunt, indies creſcere magis cœpit tam ipſorum quàm aliorum Sacerdotum potentia, quos illi ad eius miniſterium conſecrabant. Et parum illis viſum eſt, ſi Chriſtum interim dum ſacra fiunt corporaliter adeſſe populus crederet, ſed ne ipſorũ ſemper opera requireretur, talẽ finxerunt, qui ſemel factus diutius duraret, & proprio loco incluſus à quouis prætereunte ſalutari ac adorari poſſet. Loca illa ciboria dixerunt, quæ Græcè rectiſſimè ταμεῖα dixeris, quo vocabulo Matthæus vtitur. Author illorum fuit Honorius III. ſub annũ Chriſti 1225. quo tempore Franciſcanorum quoq; & Dominicanorum ordines cœperunt, & Pontificũ authoritate confirmati ſunt. Et ne quid deeſſet fictitio illi Chriſto, eidem Vrbanus IIII. anno 1264. diem ſacrum fecit, quem Feſtum corporis Chriſti ridiculè nominant, eo ipſo nimirũ profitentes, ſe corpus ſine ſpiritu colere. Quibus verò turbis interea orbis terrarum colliſus, quot familiæ illuſtres figmentis iſtis ad inopiam redactæ, quot animarum millia horribiliter excruciata ſint, longum foret commemorare. Sentimus adhuc hodie impoſturam illam: & præcipuæ noſtri ſeculi turbæ, quibus Eccleſiæ inter ſe committuntur, ab ijs potiſſimùm excitari ſolent, qui Chriſtum iam in cœlis regnantem ſimplici vulgo in terris monſtrant, & tantumnon his ipſis verbis vtuntur: Ecce hic, Ecce illic.

Ne abite, &c. Non minus ergo nobis, quàm diſcipulis, ſeruit Domini conſilium, quod duobus verbis Lucas comprehendit: Sed ne abite, neq; proſequimini: ita admonens, vt ne obiter quidem impoſtorũ illorum voces ſequamur, nedum ſtudium aliquod impẽdamus, quod nos vel minimum illis tribuere teſtetur. Cauſam præcepti huius addit: Nam ſicut fulgur coruſcans ex vna regione quæ ſub cœlo eſt, in alteram quæ ſub cœlo eſt, ſplendet: ita erit & Filius hominis in die ſuo. Senſus eſt, non alium eius aduentum expectari debere, quàm illuſtrem illum, quo ad iudicandum viuos & mortuos veniet: aduentum verò illum ſubitum fore inſtar fulguris, vt neq; digito eminus aut cominus monſtrari, neq; certus illi locus deſignari poſſit. Quæ verba ſi diligentius expendantur, ſola ſufficere poſſunt ad confutandos duos inſignes errores, quibus craſſa illa corporis Chriſti præſentia in Cœna ſtatuitur, & Chriſti meritum certis locis alligatur, quæ perſuaſio peregrinationum ſuperſtitionem peperit, de qua alibi prolixè diximus.

Paſſionem ſuã predicit Chriſtus. Cæterùm ne diſcipuli ſuſpicarentur, Chriſtum non ita multò poſt regni ſui maieſtatẽ tanta cum gloria & virtute manifeſtaturum eſſe, quod errorẽ terreni regni expectatione rurſus confirmare potuiſſet, disertè docet, quid ipſe prius paſſurus ſit, dicẽs: Sed prius oportet me multa pati, & reprobari à natione iſta. Quaſi diceret: Tam abeſt, vt huius ſeculi more inter Iudæos regnaturus ſim, vt potius me ab illis reijci, contumelioſiſſimè tractari, & diram atq; infamem mortẽ in cruce perpeti oporteat. Rurſus ergo admonemur, Regnum Dei in terris cum cruce coniunctum eſſe, adeoq; ipſum Dei Filium, qui illius Mediator atq; inſtaurator eſt, per crucem in illud eſſe ingreſſum. Et hoc illud eſt, quod omnes ſcripturæ paſſim inculcant, & in cuius meditatione nos indeſinenter verſari cõuenit. Eo enim admonemur, nobis quoad in carne viuimus, per multa certamina eluctandum eſſe ad cœleſtem patriam. Ad ea ergo præparemur, & oremus Deum Patrem, vt regnum ſuum in nobis inſtauret, & viribus nouis inſtruat, quibus confirmati Filium eius Ieſum Chriſtum ſequi, & cum eodẽ cœleſte illud & immortale gaudiũ obtinere poſſimus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMI-

HOMILIA CLXIIII.

Et prout factum eſt in diebus Noæ, ita erit etiam in diebus Filij hominis. Edebant, bibebant, vxores ducebant & dabantur nuptum, ad eum vſque diem, quo introiuit Noe in arcam: venitq́ diluuiũ, & perdidit omnes. Similiter etiã vt accidit in diebus Loti: edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Quo autem die Lot exiuit Sodomis, pluit igne & ſulphure è cœlo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit dies, quo Filius hominis reuelabitur.

VT homo ex innato ſuijpſius amore in omnibus alijs rebus ſiue actionibus ſuum commodum & præſentis vitæ felicitatem quærit: ita id cumprimis circa religionem facere ſolet. Eſt hæc cauſa multorum ſcandalorum, dum alij ſub religionis prætextu carnis licentiã ſecuti impuris mundi ſtudijs ſeſe accommodant: alij verò in perſecutionibus à fide turpiter deficiunt. Non temere ergo Chriſtus de Regno ſuo apud diſcipulos frequenter diſſerit. Et nuper quidem docuit diſertè, illud non terrenum aut temporarium, ſed ſpirituale eſſe, & in eo conſiſtere, vt dum hanc vitã viuimus, ipſum ſuo Verbo & Spiritu in nobis patiamur regnare, defuncti autem hac vita cum eodem in cœlis regnemus æternũ. Quia verò caro ab his natura abhorret, mox pœnas commemorauit, quæ Regni ſui contemptoribus iam paratæ ſint: vt nimirum non modò æterna & cœleſtia bona amittant (quæ facilè contemnunt, cùm non credant aliam vitam vnquam futuram eſſe) verumetiam in hoc ſæculo calamitatibus omnis generis obruti, ſimul conſolatione omni deſtituantur, & impoſtoribus præda fiant, qui ipſos vanis & noxijs promiſſionibus ludificent. Quod vt olim Iudæis euenit, ita hodie multis accidit, qui Veritatis doctrinam faſtidiunt. Porrò ne quid nobis deeſſet in re maximi momenti, tranſit modò ad deſcribendos nouiſſimorum temporum mores, quibus pœnam quoque denunciat, improuiſum videlicet & ipſis horribilem totius mundi finem, quem ſubterfugere nullo modo poſſint. Finis autem & vſus loci iſtius eſt, vt præmoniti, nos communi exemplo non patiamur ſeduci, ne cum infelicibus iſtis eaſdem impiæ ſecuritatis pœnas luamus. Vt verò tota hæc commemoratio illuſtrior ſit, & animos natura ſtupidos efficacius moueat, ſimilibus, ſeu potius exemplis agit iudiciorum Dei, quibus olim homines incurabiles & pœnitere neſcios mulctauit. Poſſent illa, cùm eadem ferè ſint, ſimul comprehendi: ſed cùm Chriſtus de ſingulis peculiarem ſermonem fecerit, nos quoque ſingula diligentius conſiderare non pigeat. Ea enim in his eſt hominum ſtupiditas, vt nulla diligentia nimia aut ſuperuacanea eſſe poſſit.

Dies Filij hominis aut Christi.

Primum eſt primi ſæculi aut noui mundi hominum, qui ante diluuium vixerunt. Prout factum eſt (inquit) in diebus Noæ, ita erit etiam in diebus Filij hominis. Vocat autem dies Filij hominis totum illud tempus, quod à ſuo natali vſque ad finem mũdi decurrit. Vt enim tempus Patriarcharum eſt illa ætas mundi, in qua ante legem latam patres floruerunt, ex quibus genus humanum in omnes terras propagatum eſt, & cum quibus fœdus atque promiſſiones ſalutis Deus ſubinde inſtaurauit: & rurſus dies Moſis & Legis tempus illud denotãt, quo Lex per Moſis miniſterium promulgata regnauit: ita dies Filij hominis dicitur tempus illud nouiſſimum, quo Dei Filius in carne manifeſtatus ea omnia compleuit, quæ olim promiſſa & typis varijs adumbrata fuerunt: et extenditur ſæculum iſtud ad finem vſque, in quo ipſe venturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos, vt redemptionem noſtrã prorſus abſoluat, corporibus quoq́ noſtris beata immortalitate in gloria cœleſti gaudentibus. Debet ergo hæc locutio obſeruari diligenter aduerſus eos, qui adhuc nouam quandã mundi mutationem expectant, quales olim fuerunt, quæ in diluuio, in Legis promulgatione, & ſub primum Chriſti aduentũ facta ſunt. Quæ perſuaſio vt olim Chiliaſtis aut Millenarijs ſtultiſſimi erroris occaſionem dedit: ita Mahumeti quoq́ feneſtram aperuit, vt toti Orienti abs ſe confictas fabulas non minus impias quàm ſuperſtitioſas & noxias inueheret. Cùm enim Moſem Dei ſeruum & Prophetam magnum, hoc autem maiorem fateretur eſſe Ieſum Chriſtum, nunquam ſe tertium & omnium maximum Prophetam eſſe, vllis hominum potuiſſet perſuadere, ſi cogitaſſent totum illud nouiſſimum tempus, vſq́ ad conſummationem ſæculi ad Chriſtum pertinere, neq́ aliquam vel

doctrina vel externi cultus mutationem porrò debere expectari. Nos itaque aliorum exemplo cautiores facti, omnes eos caueamus, qui nobis nouum quid & hucuſque inauditum obtrudere conantur. Nulla enim in hac mundi ſeneſcentis & quotidie in peius proficientis ætate poſtrema mutatio in melius ſperari poteſt, quàm quæ in nouiſſimo Chriſti aduentu fiet, qui & machinæ mundi huius & corruptis hominum moribus finem imponet, ſuos autem ad ſe recipiet, vt æternùm cum ipſo viuant.

Mores dierum Noæ.

Quia verò eandem hominum conditionem fore dicit, quæ olim temporibus Noæ ante diluuium fuit, proderit paulò diligentius illorum temporum hiſtoriam obſeruaſſe, vt & de noſtri ſæculi moribus iudicare, & ab ijs nobis cauere poſſimus, quæ illis olim exitium attulerunt. Deſcribitur hæc à Moſe ſatis prolixè ipſius etiam Dei verbis, quibus ſi quæ in præſenti Chriſtus dicit, adijcias, nihil deerit, quod ad illius cognitionem faciat. Summatim tamen præcipua capita perſtringemus. Primò immanis Dei contemptus regnauit apud omnis loci & ordinis homines. Nam etiamſi Noam haberent præconem iuſtitiæ Dei, nemo tamen illum audiebat: ſed toti caro erant, adeò vt nulla prorſus in

Geneſ. 6.

illis Spiritus Dei virtus ſiue operatio eluceret. Quod Deus ipſe nõ obſcurè his verbis teſtatur: Non contendet aut rixabitur Spiritus meus perpetuò cum homine, id eſt, non fatigabo aut diſcruciabo poſthæc meipſum propter hominem, in quo corrigendo me nihil proficere video, eò quòd caro ſit, id eſt, totus carni & prauis eius cupiditatibus ſeruiat. At ſtudia carnis, quibus tunc omnes vacauerunt, in præſenti Chriſtus commemorat, dicens: Edebant, bibebant, vxores ducebant & dabantur nuptum, ad eum vſq; diem, quo introiuit Noa in arcam, &c. Atqui edere, bibere, coniugio copulari mala non ſunt, neque vllis legibus diuinis prohibita: imò dæmoniorum doctrinã dicit Apoſtolus, quæ iſta prohibet: neque aliter dici meretur, cùm illa ad conſeruandum genus humanũ non minus neceſſaria ſint quàm vtilia. Sed impia ſecuritas notatur, & quòd Dei ſimul atque iudiciorum ſiue comminationum eius immemores, voluptatibus magis quàm neceſſitati ſtuduerint. Argumentum huius euidens eſt in coniugijs imparibus, quæ tunc in quotidiano vſu fuiſſe, Moſes apertè ſatis innuit, ſic ſcribẽs: Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, nataq; illis eſſent filiæ: viderunt filij Dei filias hominum, quòd elegantes eſſent, & duxerũt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant: Filios Dei dicit Sethi poſteros, inter quos purior Dei cognitio atq; cultus hucuſque permanſerat, cùm Cain & huius poſteri iampridem à Dei conſpectu reiecti proprium vitæ genus ſibijpſis delegiſſent: & hi Filij hominum dicuntur, eò quòd extincto in illis prorſus filiorum Dei ſemine, nihil quàm homines, id eſt corrupti & peccatores eſſent. Quamuis ergo inter duas iſtas progenies diſcrimen ſatis luculentum poſuiſſet Deus, eò tamen vſque ſecuritas omnium progreſſa eſt, vt qui Dei veri cultum ſynceriorem profitebãtur, vxores ſibi ducerent ex Caini genere, ſuperſtitioſas, faſtui, luxui et libidini deditas, & ita carnis ſuæ deſideria religioni longè præferrent. Ex cõiugijs autẽ eiuſmodi progeniti ſunt Nephilim, id eſt, homines defectores, quos atheos dicere licebit. Qui enim à parentibus diuerſarum religionum profeſſoribus educabantur, in diuerſas quoq; ſententias diſtracti nihil de Deo & eius cultu certum ſtatuere poterant: & ideo paulatim euaneſcente in animis eorum omni Dei cognitione & timore ad manifeſtam impietatem prolabebantur, quæ deinde nefandiſſimorum ſcelerum, omnis denique iniuſtitiæ & violentiæ cauſa erat. Neque intra paucos hæc peſtis ſeſe continuit, ſed per totum orbem propagata omnium mentes longè lateq; peruaſit. Ideo Moſes addit: Et vidit Deus terram, & ecce corrupta fuit: nam omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram. Qua locutione docet, apud omnes hominum ordines nihil ſanum, nihil integrum, nihil iuſtum aut ſanctum fuiſſe. Et hæc quidem illorum ſtudia fuerunt in eum vſque diem, quo Noa in arcam cum ſuis ingreſſus eſt, diluuium verò ex improuiſo immiſſum omnes perdidit. Nihil ergo vel admonitiones piiſſimi ſerui Dei, vel eiuſdem exemplum eos mouit, cùm viderent virum multa authoritate grauem commune quoddam & ingens malum animo præuidere, ſeq; ipſum ad illud euitandum præparare. Fuit ergo hoc malitiæ incurabilis argumentum, vt de alijs iam nihil dicatur, quæ ipſos mouere debuiſſent.

Mores noſtrorum temporũ.

At ſi iſta ad noſtrum ſæculum transferamus, eoſdem mores & eadem ſtudia hodie etiam regnare videbis. Prædicatur equidem Dei Verbum, & vbique locorum audiuntur præcones iuſtitiæ, & quod mirum eſt, plerique intra conſcientias ſuas conuicti, illos vera dicere fatentur. Nam quoſcunque hominum cœtus ſiue publicos in foro, ſiue priuatos ingrediaris, multos de vniuerſali & intolerabili omnium ordinum corruptione conqueri audies, quam ingens aliquod malum breui ſequatur oportet.

oportet. Sed quotus quiſque eſt, qui vitam ſuā emendet, mores ſuos corrigat, vel ad reformationem publicam animū ſeriò adijciat? Carni certè & deſiderijs carnalibus omnes ſtudent, & pleriq; etiam Euangelij prætextu ad ſuam licentiam abutuntur: vt de illis nunc nihil dicam, qui quam omnes deplorant communem omnium ordinum confuſionem, à ſolis Verbi adminiſtris ne attingi quidem volunt. Regnant ergo paſſim quæ hoc loco Chriſtus prædixit: comeſſandi & belluandi ſtudium inſatiabile, ebrietas exemplo carens, ſecuritas profundiſſima, intemperantia omnis generis & effrenis libido. In matrimonijs, quæ gentes olim ſacroſancta haberi voluerunt, hodie nulla ſiue Dei ſiue religionis ratio habetur, ſed in illis contrahendis conſultores iam optimi putantur libido & auaritia. Itaque cum impijs Euangelicæ Veritatis hoſtibus per coniugij vinculum coaleſcunt, qui illius cultores & ſectatores volunt cenſeri, & (quod grauiter olim Paulus prohibuit) iugum ducunt cum incredulis aut infidelibus. Non poſſunt autem in eiuſmodi coniugijs liberi rectè inſtitui aut in vero Dei cultu erudiri, cùm ſemper in alterutro parente exemplum diuerſum occurrat. Itaque augetur indies tergiuerſatorum numerus, qui cùm religionem aut omnino nullam intra animos ſuos habeant, aut illam putent eſſe indifferentem, omnia pro mundi infelicis arbitrio, & prout ipſis commodum eſſe videtur, dicunt atque faciunt. Fit ergo quod de Noæ temporibus Moſes ſcripſit, vt omnis caro, id eſt, omnis loci & ordinis homines viam ſuam corrumpant, dum à vocatione ſua diſcedunt, vel ſaltem poſthabita gloria Dei & publica ſalute ſuis modò commodis atq; peſſimis cupiditatibus ſtudent. Potentiſſimi reges bellis non neceſſarijs inter ſe committuntur, & cæteros principes in partes trahūt. Pontifices per ſuos emiſſarios ad illa claſſicū canunt & frigidam ſuffundunt. Inter eos qui Euangelium profitentur, Eccleſiarum miniſtri vel inter ſeſe hoſtiliter diſceptant de rebus nihili, ſeq; inuicem dilacerant, vel otio dediti belluantur, & morum leuitate, luxu et faſtu ab improbiſſimis huius ſeculi filijs nihil differunt. Inter priuatos homines alij vſuras exercent voraciſſimas, alij vſuris opprimuntur atq; deuorantur, vtrinq; verò omnes libidine, luxu, petulantia & nequitia diffluunt, & cùm in ſolo ſcelerum immaniſſimorum ſtudio conſentiant, interea odijs ringuntur, conuitijs, litibus, iurgijs, pugnis, turbis cùm publicis tum priuatis omnia miſcent. Et quàmuis præter Verbi comminationes multa indies audiantur & omnium oculis videātur, quæ iram Dei toti mundo iam imminere portendunt, communis tamen veternus omnium animos ita oppreſſit, vt de pœnis euitandis nemo cogitet, durabilem verò omnes ſibi polliceantur rerum huius ſeculi conditionem. Imò quaſi non ſatis ſcelerum in mundo ſit, publicè audiuntur impij illi deriſores, qui (vt Petrus prædixit) mirificis ludibrijs in dubium vocant omnem doctrinā, quam de fine huius ſeculi, de mortuorum reſurrectione & animarum immortalitate, de cæleſtis vitæ gaudijs & horrendis infernalium pœnarum tormentis, Chriſtus & Apoſtoli tradiderunt.

Mouentur hac vniuerſali totius mundi corruptione pij non parum, & interdum Deum putant æquo negligētiorem eſſe, qui iſta tam diu fieri patiatur: multi etiam exemplo multitudinis abſtracti in vero Dei cultu & omnibus, quæ ad æternam ſalutem ſpectant, remiſſius agere incipiunt. At his vitijs remedium adhibet Chriſtus, quando pœnā quoq; cōmemorat, qua primi mūdi ſecuritatem atq; licentiam Deus tandem compeſcuit. Venit diluuium (inquit) & perdidit omnes. Paucis verbis horribilem totius mundi interitum compræhēdit. Veniendi enim verbo improuiſam & ſubitam pœnā denotat, quæ nihil tale opinantibus accidit. Et quæ nam illa? Diluuium, id eſt, vniuerſalis aquarum omnium tam earū quæ in mari ſunt quàm fluuiorum, lacuum & torrentiū inundatio. Nam hæ omnes (vt Moſes ſcribit) tam imbribus cœleſtibus quam propriorū fontium redundantia auctæ omnes campos, vrbes, vicos, ædificia deniq; omnia tā publica quàm priuata operuerunt, imo montium quoq; cacumina ſuperarunt. Additur, Et perdidit omnes, diuites nimirum & pauperes, viros & fœminas, nobiles & ignobiles, iuuenes & ſenes. Neminem ergo generis nobilitas ſeruauit, nemini diuitiæ profuerunt, nemini vita in delitijs & voluptatibus tranſacta, nemini ætas aut corporis vires, nemini mundi authoritas vel honores auxilio fuerunt: quò minus vnum diluuium tam vitæ ipſorū, quàm delitijs et petulantiæ finem imponeret. Solus Noa per fidem admonitus (vt in epiſtola ad Hebræos ſcribitur) Dei timore concepto arcam præparauit, cuius beneficio cum ſuis filijs eorumq; vxoribus ſeruatus eſt, vt tam generis humani quàm Eccleſiæ Dei ſeminarium extaret. Fuit iſta horribilis rerum facies, quæ haud dubiè ſanctiſſimum quoq; virum vehemēter terruit: nec fieri poteſt, quin ho-

Pœna diluuij primum mundum perdidit.

Hebr. 11.

die eorũ animi exhorreſcant, qui exemplum illud iudicij diuini diligentius ſecũ expendunt. At nos in illo nos ſubſiſtere oportet, ſed animi cogitationes in noſipſos conuertere, vt diſcamus idẽ nouiſſimis quoque temporibus euenturum eſſe, vt vniuerſa hæc mundi machina vno incendio conflagret cum omnibus, quæ nunc nobis admirationi ſunt, & ſubitum exitium eos abripiat, qui ſibi in multos annos omnia læta, adhæc poſteris ſuis æternitatem mundi pollicentur. Nam vt Paulus ſcribit, cùm dixerint, Pax pax, repentinus illos imminebit interitus, vt partus dolores prægnanti mulieri. Et Petrus: Veniet noctu, ſicut fur, dies ille Domini: quo cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſoluentur, terraq; & quæ in ea ſunt opera exurentur. Tunc (vt apud Matthæum Chriſtus ait) plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum poteſtate & gloria multa. Debet iſtorum recordatio nunquam non animis noſtris obuerſari, & facilè cauebimus, ne infelicis mundi exemplo ſeducamur. Nam ſimul hoc quoq; occurret, Noam cum ſuis in arca ſola vitæ præſidium habuiſſe: quo exemplo ſimul adumbratum fuit, in extremo illo fine huius ſæculi non alios ſaluos fore, quàm qui relicto mundo & huius ſtudijs, Eccleſiæ Chriſti ſeſe coniunxerint, quam is vt dilectam ſponſam inter huius mundi turbas & pericula ſeruat, & cùm in gloria ſua apparuerit, Regni ſui cœleſtis & æternæ vitæ conſortem habebit.

1.Theſſ.5. 2.Pet.3.

Exemplum Sodomæorum.

Porro alterum quoque exemplum videamus, quod ex hiſtoria temporum Loti & Abrahami adducit, & propriè ad Sodomæos atq; Gomorrhæos pertinet. Mores horum iiſdem ferè verbis deſcribit, quibus antea vſus erat. Edebant (inquit) bibebant, emebant, vendebant, plantabant, ædificabant. Sunt & hæc omnia per ſe licita, ſed abuſum, quem nimia ſecuritas pepererat, reprehendit, de quo Deus ipſe per Ezechielem ſic diſſerit: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ: faſtus, abundantia panis, felicitas, otium: hæc habuit ipſa & filiæ eius, ſed & manũ pauperis & egeni non firmauit. Cumq; ſic faſtuoſæ eſſent, deſignarunt abominanda quædam in conſpectu meo: quas abieci, cùm illa vidiſſem. Ederunt ergo & biberunt, non vt decet, ſed cùm agros haberent fertiliſſimos, quos Scriptura paradiſo Domini confert, & inſuper felicitate & otio abundarent, ſaturitas illa in luxum nefarium degenerauit, vt ebrietati & immodico voluptatum ſtudio addicti donis Dei turpiter abuterentur. Luxum comitata eſt ſuperbia & immanis faſtus, qui contemptum pauperum & peregrinorum, ad hæc odium quoque piarum admonitionũ peperit. Cuius rei egregium ſpecimen pridie quàm perirent, dederunt. Cùm enim angeli humana ſpecie velati Sodomam veſpere veniſſent, nemo qui eos exciperet hoſpitio inuentus eſt, præter vnum Lotum, qui & ipſe peregrinus erat. Ciues autem non contenti barbara inhoſpitalitate, inſuper cũ iam bene poti eſſent, quaſi publico tumultu orto domum Loti obſederunt, & hoſpites ad fœdam & deteſtandam libidinem ſibi tradi poſtularunt. Neque hoc paucorum ſcelus fuit, ſed omnium: quando ſenes quoq; & pueros, adeoq; populum vniuerſum ab extremis partibus vrbis confluxiſſe Moſes ſcribit. Fuit ergo incomparabilis iſtorum hominum malitia cui ſecuritas acceſſit, quam in præſenti Dominus plantandi & ædificandi verbis comprehendit. His enim innuit, eos quàmuis in ſingulas horas Dei iram contra ſe prouocarent, vitæ tamen ſuæ rationes perinde inſtituiſſe, ac ſi perpetuò victuri eſſent, & extra omnem teli iactum eſſent conſtituti. Contumaciæ verò incurabilis argumentum luculentiſſimum fuit, quòd cùm non ita pridem ab hoſtibus bello victi & captiui abducerentur, Abrahami autem beneficio liberati atque ſedibus ſuis reſtituti eſſent, non modò ad mores ſuos & ſcelera priſtina redierunt, ſed Lotum quoque odio hoſtili proſecuti ſunt, cuius patruus tam præclaræ reſtitutionis ipſis author fuerat. Ita denique omnium illorum mentes libido nefaria obſederat, vt Lotum iam abiturum ne generi quidem ſequi voluerint, quibus eius filiæ iam deſponſatæ erant.

Ezech.16.

Noſtri ſeculi mores Sodomæorum ſimiles.

Conueniunt iſta quoque nouiſſimorum temporum, in quæ nos incidimus, ſtudijs atque moribus. Regnat enim apud omnes homines luxus & nefarius abuſus frugum cum manifeſto Dei cõtemptu coniunctus. Eſt illi comes faſtus & ſuperbia, quã plerique veſtitu indecoro, diſciplinæ & legum contemptu teſtantur. Otio autem ita omnes gaudent, vt à manuarijs opificijs plerique abhorreant, in otio autem ignauo atque maleſuado nobilitatem & gloriam præcipuam conſiſtere putent. Et tolerabile videri poterat à ſuperbis otioſis & luxu perditis pauperes contemni atque negligi, niſi præterea partim vſurarijs artibus, partim ſycophantico iuris legumque prætextu prorſus opprimerentur, à multis autem per vim diriperentur, qui bella mercenaria quæſtum honeſtiſſimum eſſe ducunt. Libidine

bidine verò apud omnis loci & ordinis homines peccatur. Scortatio publicè defenditur, quam inter Chriſtianos ne nominari quidem voluit Apoſtolus. Adulterium luſus & iocus putatur, & adulteri in foro, in Senatu, in cathedra ſacra rerum gubernaculis aſſident. Et vtinam ab horrendo Sodomiæ flagitio immunes eſſent, qui inter Chriſtianos Eccleſiæ proceres & ſummi religionis atque fidei antiſtites haberi volunt. Interim verò cùm iſta omnia fiant, quæ gentes olim exitij mox ſecuturi cauſas eſſe intellexerunt, plerique tamen ſibiipſis læta omnia pollicentur, hortos, vineta, agros conſerunt, palatia ipſi cælo minantia extruunt, redditus annuos in dies augent, vt à miſeris agricolis & ciuibus noua rapacitate corradant, quod ipſorum luxui & libidini ſufficiat. Adhuc tamen ſuæ erga nos bonitatis memor Deus, ſuo officio egregiè fungitur. Nam & Verbi præcones excitat tam noſtrates quàm peregrinos, & iudiciorum ſuorum exempla quotidie exhibet: ad hæc vt Lotum propter religionem peregrinantem Sodomis induxit, ita paſſim exules hodie viſuntur, qui purioris fidei & doctrinæ cauſa patrijs ſedibus eiecti, ſuo exemplo docent, quid nos maneat, niſi in tẽpore reſipiſcamus. Sed nequicquã iſta omnia. Imò plerique vix dum emerſi ex aliquo grauiori periculo redeũt ad ſtudia carnis peſſima, & ferè fortuita dicũt eſſe ea, quibus Deus ipſorũ petulantiã caſtigare voluit.

Pœna Sodomæorum fini mundi reſpondet.

Quoniam verò noſtra hæc tempora cum Sodomæorum moribus atque ſtudijs tam probè conueniunt, ad nos etiam pertinere putemus, quod de pœna illorum horrenda dicitur. Quo autem die (inquit Dominus) Lot exiuit Sodomis, pluit igne & ſulphure è cælo, & omnes perdidit. Et addit: Secundùm hæc erit dies, quo Filius hominis reuelabitur. Fuit hoc non obſcurum nouiſſimæ conſummationis mundi præludiũ, quod Petrus Apoſtolus de impijs nouiſſimi iudicij contemptoribus loquens, diſertè his verbis docet: Illud ſponte ipſos latet, quòd cæli iam olim extiterunt per Dei ſermonem, & terra ex aqua & in aqua conſiſtens. Quamobrem qui tunc erat mundus, aqua inundatus perijt: qui verò nunc ſunt cæli ac terra, eodem ſermone repoſiti, ſeruantur igni in diem damnationis & exitij impiorum hominum. Fuit autem exemplum illud in Sodomis æditum cumprimis horribile, cuius perpetuam memoriam lacum aſphaltitin, quem Mare mortuum Scriptura nominat, Deus extare voluit, quam à prophanis quoque ſcriptoribus obſeruatam eſſe, ex Strabone apparet. Quia verò ſubitum fuit illud incendium, & paucis horis vrbes plurimas cum agris adiacentibus conſumpſit, rectè exemplum eius ad nouiſſimum illum Chriſti aduentum refertur, quando ſimiliter ex improuiſo tota mundi machina conflagrabit, & impios repentinus interitus abripiet.

2. Pet. 3.

Pijs ſublatis pœnas dant impij.

At quia hæc in ſuorum quoque vſum Chriſtus dixit, non temere dici putabimus, eo die pluiſſe igne & ſulphure, quo Lot è Sodomis exiuit. Et id quidẽ Moſes diligenter inculcat, qui illum ab Angelis eductum eſſe, & propter eum Zoar oppidum ex incendio illo ſeruatum fuiſſe ſcribit. Eſt exemplum hoc multa obſeruatione digniſſimum. Vt enim Deus propter ſuos cultores toti mundo benefacit, & ſæpe in illorum gratiam regna & ciuitates ampliſſimas cõſeruat: ita his ſubductis aut è medio ſublatis, impios punit. Ante quidem (vt diximus) propter Lotũ Sodomæi ex hoſtium manu aſſerti & ſuæ ciuitati reſtituti ſunt: nunc autem eodem ex vrbe egreſſo, illa cæleſtibus flammis exuritur. Simile quid Hieroſolymis accidit, quãdo Eccleſia, quæ illic erat, oraculo admonita Pellam emigrauit, mox autem à Romanis illa obſeſſa, & tandem miſerabiliter euerſa eſt. Et de hoc Iſaias queritur, quando iuſtum colligi dicit priuſquam dies illi mali veniant, quibus impiorũ incurabilem malitiam Deus punire ſtatuit. Iſta nos admoneant, vt pios nobis commendatos habeamus. Simul autem conſolationi ſeruiat exemplum Loti. Eo enim Petrus docet, poſſe Deum ſuos ex tentatione eripere, & tunc etiam ſeruare, quãdo vniuerſali exitio pœnitere neſcios perdit. Eſt enim (vt Propheta ait) apud Deum diſcrimen inter pium & impium, quod multis alijs quoq; exemplis demonſtratum eſt, de quibus ſæpe aliâs diximus. Itaque huius admonitionis memores, non patiamur nos publico mundi infelicis exemplo abripi, ſed Noam atque Lotum ſecuti Deo fidem ſeruemus illibatam, neque dubitemus de promiſſionibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & huius ſæculi calamitates pro noſtra imbecillitate temperabit, & nos tandem in beatæ immortalitatis portum ad ſe recipiet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

2. Pet. 2.

HOMILIA CLXV.

In illo die ſi quis fuerit ſupra domum, & vaſa eius in ipſa domo, ne

deſcendat ad ea ſumenda: & qui in agro, ſimiliter non reuertatur retro. Memores eſtote vxoris Loti. Quicunque quæſierit animam ſuam ſeruare, perdet eam, & quicunque eam perdiderit, viuificabit eam. Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes ſimul: vna aſſumetur, altera relinquetur. Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Tunc reſpondentes dicunt ei: Vbi Domine? Ipſe verò dixit eis: Vbi corpus, illuc cogentur & aquilæ.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus de nouiſſimis temporibus & ſuo ad extremum iudicium aduentu magna diligentia diſſerit, idq; duas poriſſimum ob cauſas. Prima eſt, vt doceat, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, neque in illo terrena bona aut temporariam felicitatem quæri debere. Et huc pertinent quæcunque de periculis & corruptiſſimis poſtremi ſæculi moribus hucuſque dicta ſunt, quibus multi etiam alij loci conueniunt, qui eadem prolixius exponunt. Paulus certè in poſteriori ad Timoth. cap. tertio ſcribit: Illud autem ſcito, quòd in poſtremis diebus inſtabunt tempora moleſta. Erũt enim homines ſui amãtes, auari, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, charitatis expertes, neſcij fœderis, calumniatores, intẽperantes, immites, minimè amantes bonorum, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amantes potius quàm amantes Dei, habentes effigiem pietatis, ſed qui vim eius abnegarint, &c. Quàm verò periculoſum ſit pijs Dei cultoribus inter tales viuere, quiuis facilè æſtimare poteſt: & non poſſunt non vehementer falli, quicunque ſibi in hoc ſæculo omnia tuta & læta pollicentur. Vult autem nos de his admoneri Chriſtus, ne ijs offendamur, ſi nobis præter expectationem accidant. Altera cauſa eſt, vt horum conſideratio nos ad vigilantiam & ſerium pietatiſq; ſtudium excitet, ne huius mundi exemplo abrepti vel tantorum ſcelerum ſocij efficiamur, vel ſecuritate abſorbeamur. Et eſt hoc eximium bonitatis Dei argumentũ, qui non contentus de præſentibus nos admonuiſſe, futura quoque mala prædicit, vt omnibus ijs conſulat, qui vſque ad mundi conſummationem victuri ſunt. Debet huc referri locus, quem modò recitauimus, in quo præceptis ſaluberrimis ſuos inſtruit, quæ inter nouiſſimorum temporum horribiles motus obſeruare debeant, & eadem rationibus quoque grauiſſimis confirmat.

Singuli ſuæ vocationi intenti ſint.

Summa præceptorum Chriſti eſt: In illo die ſi quis fuerit ſupra domum, & vaſa eius in ipſa domo, ne deſcendat ad ea ſumenda: & qui in agro, ſimiliter non reuertatur retro. Sunt hæ figuratæ locutiones, quarum ſenſus eſt, vnumquenq; ſuæ vocationi debere intentum eſſe, & in ea ſic pergere, vt ne minimum quidem ſe huius mundi negotijs immiſceat: imò omnibus ijs, quæ in mũdo præclara & neceſſaria habemus, ita renunciandum eſſe, vt nullam eorum habeamus rationem, dummodo cæleſtia & æterna bona poſſimus obtinere. Vaſa enim dicuntur, Hebraica phraſi nõ ea modò quæ ad ſupellectilem pertinent, verumetiam veſtes & quæcunque corporibus ſeruiunt. Quo loco cumprimis obſeruari debet, Chriſtum neque diſcipulis ſuis priuatis, neq; vulgo Chriſtianorum peculiare quoddam & nouum vitæ genus præſcribere, ſed hoc ab omnibus in genere exigi, ne mundi huius ſtudijs immergantur, ſed omnium quæ à tergo ſunt obliti per ſuam vocationem ad cæleſtis regni hæreditatem magno & irremiſſo ſtudio contendant. Nam vt aliàs monuimus, variæ multumq; inter ſe diuerſæ hominum vocationes ſunt, quas Chriſtus ſua doctrina minimè abrogat, neque vt abrogentur opus eſt, cùm in ipſo, quoad ſalutis æternæ negotium, non ſit mas aut fœmina, non ſeruus aut liber, & proinde non doctus aut indoctus, non opifex aut agricola, non ſutor aut nauta, &c. Hoc autem ab omnibus, cuiuſcunque ſint loci aut ordinis, requirit, vt ſinguli in ea vocatione aut vitæ genere, in quo vocati ſunt (de honeſtis & per ſe licitis loquor) maneant, & in eo ſuum officium conſtanter faciant. Itaque qui iam ſupra domum aſcenderunt, & in ſua vocatione ad faſtigium virtutis euecti ſunt, ij curent ne turpiter ad huius mundi ſtudia relabãtur. Qui item adhuc in agro ſunt, & aliquos ſaltẽ progreſſus fecerunt, ij non reſpiciant ad ea, quæ à tergo ſunt, ſed ad metã ſibi propoſitã perpetuò contendant. Hic enim omniũ vocationũ finis generalis eſt, vt huius vitæ vſibus ſeruiant ſecundùm charitatis & iuſtitiæ legẽ, interim verò ſtudia noſtra omnia ad gloriã Dei & æternæ ſalutis hæreditatẽ dirigant. Iſtã ergo regulã omnes homines pro ſuæ vocationis ratione ſibijpſis applicare debent.

Conſu-

Vita monaſtica confutatur.

Confutatur ergo huius loci authoritate illorum ſuperſtitioſus error, qui vt corruptiſſimos poſtremi ſæculi mores & horum contagionem fugiant, relicto vitæ prioris genere aut ſtatu, in deſertum profugiunt, aut in monaſteria ſeſe occulcant, & nouæ regulæ legibus aſtricti inſolitam vitæ rationem veſtitu, geſtibus & ceremonijs peculiaribus profitentur. Ita verò ſe mundum fugere & mundo mori ſibijpſis perſuadent. Atqui mundus eſt, vbicunque carnis affectus atque mundi ſtudia ſunt. Quæ cùm in animis hominum ſedem ſuam habeant, neque aliter quàm per fidem & ſpiritum regenerationis mortificentur, mundum nobiſcum circunferimus ſiue in eremo, ſiue in monaſterio, ſiue quocunque alio loco viuamus. Exemplo nobis eſſe poſſunt Lot & filiæ eius. Nam cùm deletis Sodomis præ metu ex Zoare oppido diſcedentes in ſpelunca quadam montis ſibi domicilium delegiſſent, magis in mundo fuerunt, quàm cùm inter ſceleratiſſimos Sodomarum ciues viuerent. Filia enim, quæ virginitatis ſuæ florem huc uſque inuiolatum ſeruarant, illic de concubitu cum patre conſilium ineunt, ipſe autem vino nimio deuictus tam ſeipſum quàm filias proprias fœdo inceſtu polluit. Et quid plerunque accidere ſoleat ijs, qui in eremo vitam degunt, monachis item & monialibus intra arctiſſimos monaſteriorum muros concluſis, notius eſt quàm vt multis demonſtrari oporteat. Nam vt nihil dicatur de fœda illorum libidine, qua peſſimè vruntur, nuſpiam certè magis regnant inuidia, æmulatio, odium, ira, obtrectatio, contentiones, ambitio & reliqua vitia, quæ proprijſſima mundi & carnis opera ſunt. In ſeipſis ergo mundum mortificent, & impuræ carnis deſideria fugiant, imò conculcent, quicunque relicto mundo ad patriam cæleſtem inoffenſo pede contendere volunt. Qua in re plurimum auxilij illis adferet, ſi quam à Deo habent vocationem ſemper ſibi ob oculos ponant. Nec enim aliquod ordinarium vitæ genus tam vile & leuiculum eſt, quod non totum hominem ſibi vendicet, ſi quis ſuo officio dignè fungi velit: neq; multum otij erit in ſua vocatione ſerio occupatis, vt ſimul mundo ſeruire & carnis ſuæ deſiderijs ſatisfacere poſſint.

Contra opum iacturam inſtruit.

Quia verò hic nos multa retrahunt, qualia ſunt diuitiarum huius ſæculi illecebræ, quæ & auaritiam & diffidentiam in nobis gignunt, vitæ item huius cupiditas, dulciſſima cum hominibus coniunctiſſimis conſuetudo, ſingulis iſtis occurrit Dominus, & rationibus validiſſimis illa omnia oppugnat. Et primò quidem ijs, qui opum iacturam impatientius ferunt, eò quòd Dei gratiæ diffiſi in illis ſpem & fiduciam omnem collocant, vxoris Loti exemplum proponit. Memores (inquit) eſtote vxoris Loti. Quid verò iſta fecit, quidue paſſa eſt? Si hiſtoriæ circunſtantias conſideret, illam opes in Sodoma relictas maioris feciſſe patebit, quàm præclarum illud liberationis beneficium, quod per Angelorum miniſterium Deus toti eius familiæ conferebat. Nam cùm marito & ſibi dictum ſciret: Serua vitam tuam, neque reſpectes poſt te, neque conſiſtas in tota iſta planitie, &c. ipſa tamen aliquò vſque progreſſa, à tergo reſpexit: nimirum ſulphureæ pluuiæ ſtridore, ignis & fulgurum micantium ſplendore, ardentium tectorum crepitu, domuum ruentium fragore, virorum hinc inde diſcurrentium horrendis clamoribus & miſerabili mulierum atque paruulorum eiulatu excitata, quæ omnia domum amiſſam cum ſuppellectile chara & reliquis bonis illi in mentem reuocauerunt: adeò vt non tam corporeis oculis quàm animo iam diffidentiæ pleno in Sodomam reſpexit, id quod nunquam feciſſet, ſi Dei beneficium, quo tunc fruebatur, dignè æſtimaſſet. Quàm multos enim tunc in Sodomis fuiſſe putas, qui vitam ſuam libenter omnium fortunarum ſuarum iactura redempturi fuiſſent, ſi id facere licuiſſet: cùm illa opes iam cæleſti incendio pereuntes vitæ propriæ anteponeret? Idem ergo ei, quod poſteà Iſraelitis in Ægyptum ad ollas carnium reſpicientibus accidit. Et exempla huius generis hodie multa in ijs habemus, qui exhibitum in Chriſto ſalutis æternæ beneficium facilè contemnunt, modò bonis ſuis in hoc ſæculo frui poſſint. Quid verò de illis dicemus, quos non pudet publicè profiteri, ſe propter fidem in Chriſtum & Euangelium eius, neque cum aliquo diſceptare, neque fortunarum ſuarum quantulamcunque iacturam facere velle. Sunt hi longè deteriori loco, quàm Loti vxor fuerit, quæ reſpexiſſe ſolùm ad Sodomam dicitur: imò Loti generis peiores ſunt, qui emigrantem ſocerum ſequi noluerunt, quòd nihil huius euenturum putarent: cùm iſti iam educti ex mundo hoc ad eum redeant, etiamſi illum turpiſſimis immaniſſimorum ſcelerum cupiditatibus æſtuare, & diuinæ vindictæ ignem non vno loco iam incen-

Contra bonorum amicitias inſtruit.

Cæterùm multos eſt videre, quos non tam diuitiæ aut vitæ huius cupiditas quàm coniunctiſſimorum hominum dulciſſima conſuetudo detinet, quò minus mundo renunciare & ſe totos ad cæleſtium bonorum ſtudium componere poſſint. Nam non durum modò, ſed inhumanum, ſed barbarum, ſed iniquum videtur ab ijs diuelli, quibus vel propter coniugij aut alterius fœderis vinculum vel propter ſtudiorum ſimilitudinem, vel iucundiſſimum & diuturnum commercium non parum debes. Ergo iſtis quoque remedium adhibet, quando oſtendit diuiſionem aut ſeparationem omnino neceſſariam eſſe, neque nos vnquã poſſe obſtare, quin ea fiat inter eos, qui non pari fide & ſtudio Deum colunt, vtut in alijs conueniant. Suos enim ad ſe colligit Dominus, relictis in interitu ijs, qui maiorem ſuorum deſideriorum quàm Regni ſui rationem habuerunt. Sic autem dicit: Dico vobis, illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Duæ erunt molentes ſimul: vna aſſumetur, altera relinquetur. Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alter relinquetur. Quid ergo profuerit cum eo indiuulſam in hoc ſæculo conſuetudinem ſeruare velle, à quo vel ſub mortis horam, vel in nouiſſimo Chriſti aduentu diuellaris oportet, niſi cum illo æternùm perire velis? Certè ſi vnum hoc rectius omnes expenderent, nunquã tanti facerent hominũ impiorum aut à fide alienorũ conſortia.

Nouiſſimi iudicij executio qualis.

Simul autem his verbis docet Chriſtus, quæ nam nouiſſimi iudicij ratio ſiue executio futura ſit: ea nimirum, vt abſque omni perſonarum reſpectu, inter eiuſdem loci & ordinis homines alij quidem ſeruentur, alij verò damnentur, prout crediderint, aut fide atq; pietate fuerunt deſtituti. Iſtud innuit Dominus, quando duorum in vno lecto iacentium, duarum ſimul in vno piſtrino molentium, duorum item in eodem agro laborantium meminit, quorum alterum ad ſe recipere velit, alterũ exitio ſempiterno relinquere. Confutantur igitur huius loci authoritate, qui vel coniugiũ vel quæcunque alia vitæ genera damnant, quaſi in ijs Deo ſeruire & ſeruari impoſſibile ſit: qui item hominis ſalutem paupertate & duro manuum labore, aut ſeruitute metiuntur. Hic enim inter eiuſdem thori conſortes, vel coniuges, aliquos aſſumptum iri audimus. Eſt enim thorus coniugum immaculatus, cùm illum Deus & inſtituerit & ſanctificarit. Imò adeò non officit ſaluti coniugium, vt pij Chriſti cultores ſalui futuri ſint, etiamſi coniuges æterno exitio deſtinatos habeant: modò non communicent illorum impietati. Quod Paulus non obſcurè alio argumento docet, quando liberos, qui ex imparibus coniugijs procreantur, & quorum alteruter modò parens fidelis eſt, ſanctos eſſe teſtatur. Similiter ex viliſſimis mancipijs aliquos damnationi obnoxios fore, Chriſtus dicit. Scimus enim antiquitus piſtrini laborem non grauem modò, ſed cum aliqua ignominiæ ſpecie coniunctum fuiſſe, cùm in illud ſerui contumaciores detruderentur, qui heros ſuos aliquo ſcelere aut delicto grauiori offenderant. Attamen ex illis quoque, qui in eodem piſtrino & ſub eiuſdem heri imperio laborant, alii qui ad cæleſtis regni hæreditatem aſſumentur, alij relinquentur, vt æternas ſuæ contumaciæ pœnas luant. Vt enim libertas per ſe neminẽ dãnat, qui ea bene vſus fuerit: ita neq; ſeruitus ſuo merito aliquem ſeruat, niſi in conditione ſeruili idem Chriſti libertus ſit. Idem de diuitijs & paupertate dicimus. Solius enim Ieſu Chriſti paupertas meritum coniunctum habet, qui cùm omnium dominus eſſet, pauper factus eſt, vt nos Regni cæleſtis theſauris ditaret. Et vt principes viri, qui iniuſta tyrannide terrorem ſuum in terra poſuerunt (vt Propheta verbis vtar) ad tartara rapientur: ita illos multi ex ſubditis eorum comitabuntur, qui vel ſcelerum ipſis miniſtri fuerunt, vel ſuis affectibus abrepti vitam vixerunt impiam & prophanam. Neminem ergo ſuæ conditionis fiducia decipiat: ſed qui ad res arduas vocati et in altiori gradu cõſtituti ſunt, periculi ſemper meminerint, quod ex alto cadentibus imminet, eoq; diligentius officio ſuo fungantur: quibus verò humilior & abiectior ſors obtigit, ij animis per fidem ſupra cælũ euectis in Chriſto conſolationẽ quærant, & huius merito ſe ſeruari firmiter credant. Et vt ſemel omnia dicam, quiſq; in ſua vocatione pietati ſtudeat, & ita in hoc mundo viuant, vt eo non abutantur, neq; animos ſuos prauis illius ſtudijs immergant. Itaque qui coniuges ſunt, fœderis ſui vinculum ſanctè ſeruent, & Deo liberos procreare ſtudeant: cælibes verò animi & corporis caſtitatem ſedulò tueantur. Heri erga ſeruos humani & benigni: hi verò erga illos fideles ſint. Diuites in Dei conſpectu humilientur & beneficentiæ ſtudeant: pauperes & inopes paupertatis incommoda patienter ferant, nemini meliorem ſortem inuideant, multò minus autem conentur malis artibus aut etiam apertis ſceleribus ſibijpſis conſulere. Ita denique viuant omnes, ne magnus ille dies ipſos in flagitio aliquo deprehendat.

Portus ſalutis inter pericula.

Quia verò Chriſtus alios quidem aſſumptum iri, alios verò in exitio relictum iri dixerat, diſcipulos noua cura ſolicitos habuit, quò nam pios aſſumi oporteat, aut vbi nam portus ille ſiue aſylum ſit, in quod ſe recipere debeant inter periculoſiſſimos nouiſſimi ſæculi motus, qui ſalutis iacturam volunt facere. Quærunt ergo: vbi Domine, ſcilicet iſta fient? Aut vbi nã nobis tutis & ſecuris eſſe licebit? Reſpondet illis Chriſtus prouerbiali ſententia: Vbi corpus aut cadauer, illuc cogentur & aquilæ. Aquilis pios confert, quæ vt acutiſſimum vident, ita olfactu quoque plurimum valent: & mira vel etiam incredibilia videri poterant, quæ de illis hiſtorici tradunt, niſi ipſius Dei verbis con

Iob 39. *firmarentur, qui de ſua prouidentia & omnipotentia apud Iobum diſſerens inter alia dicit de aquila: Habitat in petra, & moratur in præruptis ſaxis & loco inacceſſo: inde ſpeculatur, vt cibum inueniat, cuius oculi proſpiciũt longinquas res: pulli eius ſanguinem lambunt, & vbicunque ſunt cadauera, eum locum frequentant. Ad hanc ergo aquilarum naturã reſpiciens Dominus, vult vt ſui oculis fidei in ipſum reſpiciant, & ſpiritus olfactu ex præcedentibus ſignis aduentum ſuum inſtare cognoſcant, ſeq́ præparent, vt ad ipſum colligantur, qui ſolus credentium omniũ eſca aut cibus eſt, & qui eoſdem fideli patrocinio protegit. Et de his quidem nunquam non nos cogitare decet, ne ſalutis*

Pſal. 31. & 46 *noſtræ portum alibi quàm in Chriſto quæramus. De hoc enim in Pſalmis dicitur: Petra mea & arx mea tu es. Item Deus nobis ſuffugium & robur eſt, premente aduerſitate auxilium præſentiſſimum. Et patent alæ eius ſemper omnibus, qui ſub illas recipi & illic latere cupiunt. Verè tamen & perfectè implebitur, quod hic dicit, quando in nouiſſimo die ad eius aduentum mortui reſurgent, & qui in ipſo piè vixerunt corporibus quoque ſuis in eius occurſum per aërem rapientur, vt ſemper cum illo*

1. Theſſ. 4. *ſint. Et conuenit hoc eius promiſſioni: Vado paraturus vobis locum: & ſi abiero ad parandum vo-*

Ioan. 14. *bis locum, redibo, & aſſumam vos ad meipſum: vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Ex quibus certò colligitur, eos non poſſe in filiorum Dei & hæredum Regni eius numero cenſeri, quicunque vel in periculis aliò reſpiciunt, vel iam morituri animas ſuas neſcio quibus alijs commendant. Diſcant ergo omnes inter horribiles motus noſtrorum temporum & effrenem mundi totius licentiam cum deteſtabili omnis loci & ordinis hominum ſecuritate coniunctam, animos ſuos conſtanti promiſſionum Dei fiducia confirmare, vocationem eius ſequi, & procul relicto mundo & eius ſtudijs in vnum Ieſum Chriſtum reſpicere, qui & huius ſæculi pericula vel amoliri, vel leniora reddere poteſt, & tandem omnes, qui ipſi fidunt, ad Regni ſui cæleſtis conſortium colliget, vt cum ipſo æternùm viuant atque gaudeant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

CAPVT XVIII.

HOMILIA CLXVI.

DIxit autem eis etiã parabolam, huc ſpectantẽ, quòd oporteret ſemper precari, nec ſegneſçere, dicẽs: Iudex quidã erat in quadã vrbe, qui Deum non timebat, nec hominẽ reuerebatur. Erat autẽ in illa vrbe quædam vidua, quę venit ad eum dicens: Vindica me ab aduerſario meo. Ille autem noluit per multũ tempus. Poſtea verò dixit apud ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia moleſtiam mihi exhibet vidua iſta, vindicabo eam ne ad extremum veniens obtundat me. Ait autem Dominus: Audite quid iudex ille iniuſtus dicat. Deus autem nõ vindicabit electos ſuos, clamantes ad ipſum die ac nocte, etiamſi iram differat ſuper ipſis? Dico vobis, vindicabit eos citò. Verũtamen Filius hominis cùm venerit, num reperturus eſt fidem in terra.

Ad Deum confugere oportet per preces.

OMnibus quidem ſæculis iam inde à prima rerum origine pij cultores Dei multis calamitatibus preſſi & varijs fortunæ caſibus iactati ſunt, periculoſiſſimam tamen fore docet Chriſtus illorum conditionem nouiſſimo tempore, eò quòd abundante paſſim iniquitate

fides

fides & charitas extinguuntur. Et voluit de his ille nos præmonere, ne forſan nobis meliora polliciti poſtea turbis & aduerſis ex improuiſo incidentibus offendamur. Idem verò in ſemetipſo portum felicitatis monſtrauit, ad quem confugere debeant, qui ex periculis ſeruari volunt. Cæterum ne quid nobis deſit, nunc viam quoque & rationem nobis monſtrat, quam ſecuti eius protectionis beneficio frui poterimus: Preces nimirum ex fide manantes & verè ardentes, in quibus nos conſtanter perſeuerare iubet, etiamſi malis aliquanto diuturnioribus premamur. Quia verò multa ſunt quæ fidem precantium oppugnant atque remorantur (vt quando Deum longè alijs & maioribus negotijs occupatum eſſe, aut nos indigniores eſſe nobis perſuademus, quàm qui ab eo exaudiri mereamur, vel etiam mora auxilij diuturniori offendimur) commodè parabolam proponit, qua omnibus iſtis impedimentis medetur. Eius enim ſtatus vel argumentum eſt, Deum, etiamſi interdum difficilior nobisq́; infenſior videatur, nos icem hominum calamitoſiſſimi, ad hac ope & auxilio indigni ſimus, non defuturum nobis, quò minus preces noſtras exaudiat, modò in ijs inuicta fidei conſtantia perſeueremus. Vt verò id rectius & maiori cum fructu intelligamus, partes parabolæ ſingulas ex ordine videre oportet.

Prima Deum ſub perſona iudicis, & quidem impij atq; iniuſti, deſcribit. Id verò non per æquiparationem intelligi debet, vt Deum talem eſſe putemus, ſed per comparationem, qua vti voluit Dominus, vt argumentum à comparatis eſſet efficacius, cuius ſumma eſt: Si aſſidua & importuna auxilij legitimi imploratio apud tyrannos & prophanos, Dei ſimul atque hominum contemptores, non ſemper infructuoſa eſt: quantò maior precum efficacia erit apud Deum, qui vt iuſtus iniquitatis vindex, ita ad ſeruandum natura propenſus eſt? Eſt ergo huius parabolæ argumentum eius ſimile, quod ſupra audiuimus: Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona dona dare liberis veſtris, quantò magis Pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctũ ijs, qui ab eo petierint? Nam hìc quoque inter nos, qui natura maligni ſumus, & Deum liberaliſſimum omnis boni largitorem comparatio fit, vt maiorem ex ea precandi fiduciam concipiamus. Summa & ſtatus parabolæ.

Vt verò ex ipſa etiam hiſtorica parabolæ narratione aliquà ad nos vtilitas redeat, obſeruari debet iudicis iniqui deſcriptio, de quo duo dicuntur: Vnũ, quòd à timore Dei alienus fuerit: alterũ, quòd ſuperba & immani confidentia elatus pudoreq́; omni abſterſo quorumuis de ſe iuditia contempſerit. Continetur duobus hiſce ſumma iniuſtitiæ & impietatis. Nam Dei timorem veræ ſapientiæ, & proinde iuſtitiæ etiam (quæ ſine illa non poteſt conſiſtere) fontem eſſe, ſapientiſſimus Solomon teſtatur. Quid ergo vel conſilij vel iudicij æqui ab eo ſperabis, qui Dei reuerentia nulla tenetur? Poeta certè ethnicus cum iuſtitia Dei timorem connexum eſſe vidit, dicens: Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos. Sunt tamen aliqui, qui etiamſi Deum eſſe vix credant, hominum tamen reuerentia & pudore aliquo aliquantulum in officio continentur, vt in Saule cernimus: qui cùm Dei mandatũ ſecurè & abſque omni numinis reuerentia tranſgreſſus eſſet, hominum tamen iudicia veritus Samueli dicebat: Peccaui: ſed nunc quæſo iſtum honorem mihi exhibe coram ſenioribus populi mei, coram Iſraele, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuum. Quòd ſi ergo neque hominum neque Dei reuerentia aliqui tanguntur, quid illi non facient, quod maleſuada libido iubet? Etſi in principes viros atque iudices confidens iſta ſecuritas cadat, quid aliud quàm cum omni iniuſtitia coniunctam tyrannidem expectabimus? Exempla talium hominum hiſtoriæ in Cambiſe, Atreo, Nerone, Caligula & ſimilibus monſtris exhibent: & vtinam nulli eſſent hodie iudices, quibus hæc Chriſti definitio conueniret. Quàm multos enim eſt videre, qui adiò nullo Dei timore tanguntur, vt ſeipſos Deorum loco eſſe putent: non quidem eo ſenſu, quo Scriptura iudices & principes Deos dicunt, ſed quòd penes ſe de re quauis quiduis pro ſuo arbitrio ſtatuendi poteſtatem eſſe volunt. Olim quidem tyrannorum vox erat: Sic volo, ſic iubeo: ſit pro ratione voluntas. At quid ab iſta differunt, qui hodie de iure appellari clamant: Et quid nam eſt ius? Annon ius dici debet, quod nos ſtatuerimus? Nos ne legibus parere æquum eſt, & non potius vt Leges prout nobis commodum fuerit, moderemur? Addunt nonnulli, nimiùm ſtultos eſſe eos, qui ſeipſos legum vinculis aſtringant, cùm ea diſſoluendi habeant poteſtatem. At qui ita ſentiunt, ij neque Deum timent, neque hominum reuerentia mouentur: fieri ergo non poteſt, quin multa contra ius & æquum faciant, & tandem ſui illius regni, ſeu tyrannidis potius, finem videant infeliciſſimum. Iniqui iudicis deſcriptio.

Magiſtratuum officia.

Diſcant ergo hîc quid ſui ſit officij, quicunq; rempub. adminiſtrant, aut in publicis iudicijs præſident. Meminerint ergo iudicium (vt Moſes inquit) non hominis alicuius, ſed ipſius Dei eſſe, qui propriè iudex vniuerſæ terræ dicitur. Cogitent item, ſe huius miniſtros eſſe, qui ex peculiari gratia ipſos in eam dignitatem euexerit, & authoritate donarit, vt iudiciorum ſuorum ſint executores. Non ergo ſua placita proferre, aut leges pro ſuo arbitrio flectere vel torquere, ſed ſecundùm illas iudicium iuſtum & rectum facere debent. Nec vnquam excidat ex animis illorum, quod in Pſalmo habetur: Deus conſtitit in cœtu Deorum, in medio Deorum ille iudicem agit. Et ad ſe dici putent: Num verè quod iuſtum eſt pronunciatis? rectè ne iudicatis ô filij hominum? Item: Quò vſque tandem iudicabitis iniquè, & facies impiorum ſuſcipietis? Addant his, ſe licet cæteris authoritate & potencia præſtent, mortales tamen eſſe, qui olim Deo rationem reddituri ſint. Quod ipſum quoque ille per Prophetam grauiſſimè admonet, dicens: Equidem dixeram, Vos Dij eſtis, & vos omnes Filij altiſſimi: Veruntamen ſicut homines moriemini, & ſicut vnus ex tyrannis cadetis. Et ſanè non deſunt exempla, quibus & olim teſtatus eſt Deus, & hodie adhuc teſtatur, quàm facilè & leniter ferè ex improuiſo eorum potencia & authoritas corruat, qui ea ad ſuam libidinem violenter abutuntur. Horum itaque memores ante omnia quidem Dei gloriam pro virili proueh ant, deinde populi ſui curam habeant diligentem, neque negligant eorũ clamores, qui ſibi ius dici petũt, & apud ipſos opem quærunt. Nam qui viduarum, pupillorũ, peregrinorum & quorumuis qui iniuriam patiuntur querelas ſurda aure prætereunt, ij eoſdem ad Dei tribunal confugere & huius vltricem manum inuocare cogunt, qui illos minimè negliget, ſicuti in Lege teſtatur. Quod ſapiens ille Sirachi filius non oſcitãter obſeruauit, ſic ſcribens: Dominus iudex eſt, nec habet perſonæ rationem aduerſus inopem: ſed iniuriam paſſi precationem exaudiet. Supplicationem pupilli minimè negliget, nec preces fundentem viduam. Nonne cùm lachrymæ viduæ ad maxillam eius defluunt, ad cœlum vſq; redundant? & Dominus libenter exaudit eas? Oratio afflicti nubes penetrat, non conquieſcit nec deſiſtit, donec peruenerit ad altiſſimum. Cæterùm Dominus nõ permanebit in mora, nec patientiam ſuper eis præſtabit omnipotens, donec lumbos immitium conquaſſarit, genteſq; mulctarit ſupplicio, donec ſuſtulerit turbam iniurioſorum & iniuſtorum ſceptra confregerit &c. Poſſent iſta multis exemplis confirmari, quæ docent hanc multis regibus mortem, regnis autem potentiſſimis ruinam aut mutationes periculoſas peperiſſe, quòd indignè afflictorum iniurias contemnerent. Eam ob cauſam Philippum, cùm medius inter duos Alexandros, generum et filium, incederet, à Pauſania occiſum fuiſſe, Iuſtinus author eſt. Et Demetrius eo potiſſimùm animos Macedonum abs ſe alienauit, quòd multorum ſupplices libellos, ipſis ſpectantibus, in profluentem abieciſſet. Sed ſufficere debebat Chriſtianis principibus, quòd Chriſtus impij & ab omni tam Dei quàm hominum reuerentia alieni iudicis exemplum propoſiturus, talem deſcribit, qui viduæ afflictæ cauſam neglexerit.

Pſal. 82. & 58.

Exo. 22.

Eccleſ. 35.

Lib. 9.

Licet leges implorare.

Sed ipſam quoque viduam videamus, quæ altera huius parabolæ pars eſt. Habuit illa aduerſarium grauem, qui vel hæreditatem eius intercepit, vel bona eripuit, aut alijs grauioribus iniurijs eam oppreſſit. Ergo iudicem adit, & Legum præſidium implorat, & vindicari petit à ſuo illo aduerſario. Id verò cuiuis oppreſſo licere, Scriptura non vno loco teſtatur. Quorſum enim magiſtratum et iudices conſtituiſſet Deus, ſi ab illis ius petere, aut Leges implorare nefas eſſet? Ergo (qud alibi monuimus) de priuata & illegitima vindicta intelligi debet, quod dicitur: Ne reſiſtatis malo, &c. Et ſanctorum exempla habemus, qui armato etiam præſidio potius defendi, quàm hoſtium libidini ſeſe ſubijcere voluerũt, ſicuti de Paulo Lucas in Actis ſcribit. Nemo igitur phanaticos audiat, qui dum Chriſtianos homines iure & legibus vti prohibent, impiorum & iniurioſorum audaciam confirmãt, multis autem authores ſunt, vt iniuriarum pondere ſuperati vindictæ cupiditatem admittant, & & hanc quouis modo perſequantur.

Act. 22. & 23.

Viduarum conditio quæ.

Cæterum adumbrat ſimul hoc exemplo Chriſtus, quæ ferè viduarum atque orphanorum in hoc mundo ſors ſit. Patitur illa iniuriam, & proinde vt publica authoritate defendatur, opus habet. Sed illam iudex ille facilè negligit. Solet hoc plerunque accidere. Quia enim homines natura alieni appetentes ſunt, frequenter aliorum fortunas vel violenter, vel ſimulato iuris prætextu inuadunt. Id autem ferè accidit viduis atque orphanis, eò quòd tutores aut omnino nullos habent, aut eos habent, qui propter illos nullius hominis inuidiam ſiue odium ſibi acceſſere volunt. Itaque auxilio & patrocinio

trocinio deſtitnti, omninm iniurias ferre coguntur. Et quàmuis magiſtratus præcipuè propter eos inſtitutus ſit, qui ſibijpſis & rebus ſuis defendendis non ſufficiunt, ab ipſis tamen iuditibus negligun eur, eò quòd lucrnm qnidem ex illis nullum ſperari poteſt, cauſæ autem eornm cum inuidia & odio coniunctæ ſunt. Exemplis hoc demonſtrare non eſt opus, quando res ipſa loquitur, & in rebuspublicis etiam optimè tonſtitutis interdum ſuperante bonas leges improborum malitia, quædam huius generis fiunt. At non ideò deſperare debent, qui & omnium iniurijs ſe expoſitos, & tribunalia omnia ſibi clauſa eſſe atq; negari ſentiunt. Eſt enim viduarum, orphanorum, peregrinorũ & afflictorum omniũ pater & vindex Deus, qui vt hos omnes ſibi cõmendatiſſimos habet: ita de illis paſſim leges dat, & eos qui magiſtratum gerunt, horum præcipuam rationem habere iubet. Quòd ſi hi in offitio teſſent, non tamẽ ceſſat ille, qui ſine iudicibus ſuos vindicare poteſt, inultos antẽ non ſinit eos abire, qui qnod ijs debetur patrocinium denegant. Non ergo vilis & contempta eorum conditio, qui iniuriam patiuntur, iudicibus imponat, vt eos impunè negligi poſſe putent. Quod enim mũdi iuditio contemptũ eſt, id Deus maximi æſtimare ſolet: imò miſeri illi hi ipſi ſnnt, quorum vindicem ſe ille eſſe profitetur.

Sequitur poſtrema parabolæ pars, quæ ſtatum totius cauſæ, quam Chriſtus tractat, comprehendit. Cùm enim iudex ille ad clamorem viduæ aures diu obtnrauiſſet, ipſa verò indies ei moleſtior fieret, & vbique occurreret querelam ſuam ingeminans, ille tandem intra ſeipſum dicit: Etſi Denm non timeo neque hominem reuereor, tamen quia moleſtiam mihi exhibet iſta vidua, vindicalo eam, ne ad extremum veniens obtundat me, id eſt, verbis obruat & planè fatigatum ſubigat. Potuit ergo aſſiduo & importnno clamore tantum efficere muliercula iſta apud prophanum hominem, vt quàmuis ſe neque Dei neq; hominum reſpectu ad officium faciendum moueri fateatur, ſimul tamen id præſtet ſuipſius cauſa, vt nimirum ſemel infeſtis illis clamoribus liberetnr. Ex eo autem Dominus ſtatum parabolæ magna cum grauitate infert, dicens. Audite, quid iudex ille iniuſtus dicat. Deus autẽ non vindicabit electos ſuos clamantes ad ipſum die ac nocte, etiamſi iram differat ſnper ipſis? Quaſi diceret: Cùm vidua iſta iudicem iniuſtum & immitem ſuis querelis tandem vincere potuerit, quantò magis Deus aſſiduis & irremiſſis precibus ſuperari poterit, vt opem ferat, etiãſi aliquò vſque cunctatus fuerit? Eſt autem validum imprimis & multiplex comparationis huius argumentum, eò quòd ſingula verba inter ſe mutuò opponuntur. Nam iudex tyrannicus cum Deo confertur: vbi primum occnrrit, qnòd ille quidem homo, & proinde natura malus, hic autem pater eſt bonus & fidus: deinde quòd ille immitis ac impius tyrannus, hic miſericors eſt: item quòd illi moleſtum eſt ſupplicantium querelas & poſtulationes audire, Deus autem iiſdem delectatur, & quoſuis ad ſe inuocandum promiſſionibus quoq; ampliſſimis inuitat. In die (inquit) tribulationis tuæ inuoca me, & liberabo te. Item: Priuſquam innocent, ego reſpondebo: & adhuc illis loquentibus ego exaudiam. Et ipſe Dei Filius ait: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Non autẽ vanas eſſe promiſſiones iſtas, exemplis infinitis iam inde ab exordio mũdi probatũ eſt, quæ ſi omnia cõmemorare velim, totus dies nobis non ſnfficeret. Nec longa illorũ cõmemoratione opus eſt, quando neminẽ tam miſerum aut infelicẽ eſſe puto, qui non ipſe hanc Dei Patris facilitatẽ expertus ſit: niſi fortè aliquem dederis prophanum Cyclopem, qui de Deo inuocando ne cogitauit qnidem.

In præſenti autem petnliarem tonſiderationem meretur, quòd Deus ſuos electos tandem vindicet, ad ſe die ac nocte clamantes, etiamſi iram ſnam aliqnandiu in cauſa illornm differat. Quia enim ille iudex eſt vniuerſæ terræ (vt Abraham ait) cum iudicio autem vindicta coniuncta eſt, hanc negligere non poterit, niſi ſimul iudicem agere deſinat. Ideò Deum vltionum vocant Sancti in Pſalmo clamantes: Domine Deus vltiònum, Deus vltionum conſpicuus appare: Attolle te ô iudex terræ, redde talionẽ ſuperbis. Cùm autem talis reuera ſit, qnoad omnes homines, qnod manifeſtè omniũ gentium hiſtoriæ teſtantur, multò magis electos ſuos vindicabit, qnos æterno ſuo decreto ſibi delegit, quoſq; eandem Filij ſni ſangnine redemit, vt eos ſibi peculium, imò Filios ſuos & Regni ſui cæleſtis hæredes faceret. De his certè per Zacbariam pronuntiat: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et apud eundem Prophetam Eccleſia lapidi oneris confertur, qnem omnes quidem è medio tollere conentur, nemo autem abſq; aliquo luculento damno illi manum admoueat. Neq; debet hîc fidem noſtram labefactare mora illa, quam interdnm Deus facit: huius enim cauſa eſt, non quòd nos Deus vel momento vno ignoret ſiue negligat: ſed quia ipſe patiens & longanimis iram ſuam differt, vt

Infertur ſtatus parabolæ.

Deus electorũ ſuorũ uindex.

Gen. 20.

Pſalm. 94.

Zach. 2. & 12.

& improbis illis reſipiſcendi occaſionem præbeat, & ſimul patientiam atque fidem ſuorum exerceat, Hoc vbi probè factum fuerit, impij autem pergant incurabili contumacia aduerſus illũ luctari, eandem illam vindictæ grauitate cõpenſat. Exempla huius plurima in omnibus hiſtorijs occurrũt. Prodeant inter hæc primo loco filij Iſraelis, quos annis circiter centum & amplius (ſi Moſis ætatem cum tota illa hiſtoria conferas) Pharao plus quàm barbara tyrannide afflixit. Itaque Deus ſui populi ſimul & fœderis cum Abrahamo facti oblitus videri poterat. Sed cùm iam ad extremum perueniſſet tyranni crudelitas, & Iſraelitæ inter duriſſima iſta onera ad Deum ſuſpirarent atque clamarent, aſcendit ad eum clamor illorum, & recordatus eſt fœderis ſui, id eſt, ſe huius probè memorẽ eſſe, reipſa teſtatus eſt, & Moſi apud Madianitas agenti dicit: Videndo vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Aegypto, & audiui clamorem eorum propter exactores quos habent, atque ſcio dolores eorum: ideò deſcendi, vt liberem eos de manu Aegyptiorum, &c. Quàm dira autem & horrenda vindictæ exempla in Pharaonem & totam Aegyptum ædita ſint, nemo eſt qui ignoret. Et quod illic fecit in populi ſui vindicatione Deus, hoc ipſum poſtea non ſemel temporibus Iudicũ contra Ammonitas, Chananæos, Madianitas, Philiſtæos, & tandem contra Babylonios quoq; factitatum eſt, cùm hi illum totis ſeptuaginta annis in exilio & captiuitate detinuiſſent. Neq; in nouo Teſtamento mutauit ingenium ſuum Deus, ſed hìc quoque vltricem manum non ſemel exeruit. Et vt rurſus à Iudæis exordiamur, ſciunt omnes, quanta cum impietate exhibitum ſibi generis humani redemptorem reiecerint, quàm implacabili odio eundem perſecuti ſint, quàm iniuſtè ſimul & crudeliter in crucem egerint, quàm denique indomita rabie in Apoſtolos eius & toto orbe ſurgentem Euangelij doctrinam ſæuierint. Gemuerunt diu & clamarunt interea pij, & videbatur Deus iſta non curare: ſed ſubitò illuxit dies ille vltionis, quo & Filij ſui & ſanctorum eius ſanguinem de impijs illorum manibus requiſiuit, & infelices horrendo & exemplo carente excidio perdidit. Nec felicior fuit Herodis poſteritas, quæ patris exemplum ſecuta Iudæorum furores adiuuit. Quid autem de

Exempla vindictæ Dei in Imperatores Romanos.

Roma & Romanis Imperatoribus dicemus, quorum crudelitatem in electos ſuos tam diris tamq; illuſtribus exemplis Deus vltus eſt, vt ſi nulla alia extarent, hæc ſola Chriſti verbis poſſent fidem facere? Nero enim, qui primus in illos gladium acuit, vt Romæ abs ſe incenſæ crimen (vt Cornelius Tacitus ſcribit) in Chriſtianos deriuaret, ſeq; ipſum odio & inuidia liberaret, tandem à Senatu hoſtis iudicatus ſibijpſi manum intulit, cum iam moriturus ne percuſſorem quidem inuenire poſſet, qui illum vel amore vel odio occideret. Vnde dicebat: Itáne neminem amicum vel inimicum habeo? Secutus eſt eius veſtigia Domitianus, quem ſerui ſui domeſtici crudeliter trucidarunt. Traiani verò in fideles edicta crudelia & impios conatus mox ſecuta ſunt domus aureæ conflagratio, Tyberis inundatio, peſtis, fames & terræmotus, quibus aliquot Græciæ & Aſiæ vrbes corruerunt. Non terruerunt iſta M. Antoninum Verum, quin & ipſe contra Eccleſiam inſurgeret: ſed hunc quoque peſte, quæ Italiam horribiliter vaſtauit atque oppida multa prorſus exhauſit, adhæc Germanorum irruptionibus Deus coercuit. Similiter grauem Dei vindictam ſenſit L. Septimius Seuerus: quem bella ciuilia exagitarunt propter fuſum Chriſtianum ſanguinem, & qui procul à Roma Eboraci moriens vocem hanc deſperationis plenam ædidit, πάντα ἐγενόμην, καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ, id eſt, omnia fui, & nihil mihi prodeſt. Nam cum fine vitæ & rerum humanarum fragilitate ſimul Dei iram ſentiebat, qua infelix anima iam exagitabatur. Nec in eo ſubſtitit vindicta diuina, ſed Tragicæ calamitates vxorem & filios eius exercederunt. Getam enim ex matris collo pendentem Baſſianus frater occidit, hæc autem cùm poſt tam crudele parricidium priuigno nupſiſſet, & is à ſatellite corporis cuſtode iugulatus eſſet, illa quoq; ſupra cadauer illius ad ſe delatum ſeipſam interfecit. Quid Iulius Maximinus, qui poſt inſtitutam contra Dei electos perſecutionem, apud Aquileiam ſeditione militari oppreſſus vnà cum filio perijt, omnibus acclamantibus, Ex peſſimo genere ne catulum quidem relinqui debere? Quid Decius, qui in barbarico ſolo paludis voragine abſorptus eſt, vt ne corpus quidem eius inueniri potuerit, cùm prius filium contra hoſtes acriter pugnantem amiſiſſet? Quam verò horrendum vltionis diuinæ exemplum Licinius Valerianus factus eſt, qui à Sapore Perſarum rege captus, huic aliquandiu equum conſcenſuro ſcabelli loco fuit, qui tandem iam ſeni poſt multa ludibria pellem à ceruice ad pedes detraxit? Valerium quoque Aurelianum crudelia aduerſus Chriſtianos edicta vulgantem Deus primùm

fulmine

ulmine ante pedes delapſo terruit, ſed pœnitere neſcium mox ſuorum inſidijs oppreſſum è medio ſuſtulit. Adde his Diocletianum & Maximianum, qui cùm multa iniuſtè & crudeliter per multos annos aduerſus Eccleſiam deſignauiſſent cum collegis ſuis Maxentio & Maximino, illi quidem vno die imperio ſeſe abdicarunt, vel dolore, quòd perfici non poſſe viderent ea, quæ moliti fuerant, vel Conſtantini metu, & Diocletianus inſuper ſibijpſi mortem conſciuit, Maximianus autem cùm genero Conſtantino inſidias strueret, à filia, quæ maritum patri præferebat, proditus & Maſsiliæ occiſus eſt: Maxentius autem ad pontem Miluium à Conſtantino victus in præcipiti fuga, Pharaonis exemplo, in flumine perijt: nec multò poſt Maximinus à Licinio Conſtantini auſpicijs victus, phthiriaſi inter diros totius corporis dolores mortuus eſt. Et hi quidē omnes intra annos circiter ducentos quinquaginta & vnum (ſi ab vltimo Neronis ad decimum annū Conſtantini numeres, qui Eccleſiæ pacem dedit) regnarunt, & tam horrenda iræ Dei exempla facti ſunt. Quibus non multò poſt Licinius acceſsit, qui cùm nouas minas contra Chriſtianos ſpiraret, duobus prælijs victus & imperio exutus aliquandiu Theſſalonicæ priuatus vixit, ſed tandem, cùm res nouas moliretur, à Conſtantini præſidio ibidem interfectus eſt. Adde his Iulianum, cuius obitus plus quàm Tragicus & poſtrema vox, non tam contumaciæ incurabilis quàm deſperationis horrendæ teſtis, abunde docent, Deum nunquam officio deeſſe, quò minus ſuos ex impiorum manibus vindicet. Nec tamē Imperatores ſoli vindictam diuinam ſenſerunt, ſed Roma etiam, quæ Chriſtianorum ſupplicijs diu oblectata fuerat, tandem rependere cœpit Deus, quando populis barbaris atque crudeliſsimis diripiendam atque lacerandam propinauit. Cœpit ea calamitas anno à natali Chriſti CCCCXII. & vſque ad annum DLI. progreſſa eſt per annos centum triginta & nouem, intra quos ſexies à barbaris aut exteris capta & omnia ea perpeſſa eſt, quæ in vrbe capta hoſtiliter fieri conſueuerunt. Nam anno quadringenteſimo & duodecimo illam duce Alarycho Viſigotthi cœperunt & diripuerunt. Inde ſub annum CCCCLVI. à Vandalis duce Genſerycho occupata & direpta eſt. Idem poſt annos quindecim ei accidit per Odoacrum Herulorum regem. Rurſus vix quatuordecim annis elapſis illa potitur Theodorychus Oſtrogotthorum rex. Et cùm ab iſtis calamitatibus aliquantulū reſpirauiſſet, eam Imperatori Iuſtiniano recuperauit Belliſarius, quod anno DXXXVIII. factum eſſe hiſtorici tradunt. At anno ab ea inſtauratione duodecimo per proditionem capit illam Totilas, captam & direptam vaſtat & incendit, & habitatoribus eiectis vacuam reddit, ne vno quidem mortalium illic relicto. Quam cùm ſequenti anno Belliſarius recuperauiſſet, eandem tamen ipſe Bizantium profectus, Totilæ rurſum occupandam reliquit. Itaque vrbs, quondam rerum domina, totius mundi & barbariſsimarum gentium ludibrium facta fuit, ſic nimirum vindicante Deo ſuorum ſanguinem, qui in ea per multos annos effuſus fuerat. Taceo nunc Hunnos & Longobardos, qui et ipſi illam terroribus grauiſsimis exagitarunt. Taceo infelicem eius conditionē, qua in hodiernū vſq; diem premitur, dum amiſſo Imperio (cuius vmbratili titulo Pontifices ſuperbiunt) & abolita Senatus authoritate, Paparum libidini ſeruit, pijs omnibus exoſa. Et ſi quæ noſtro ſeculo tam Romæ quàm multis alijs regnis acciderunt conſideres, mox videbis adhuc veram ratamq; eſſe Chriſti ſententiam, qua Deum pronuntiat vindicaturum electos ſuos, qui ad ipſum die ac nocte clamant. Iſtorum ergo conſideratione ſeipſos conſolentur atque confirment, quotquot vel publicis totius Eccleſiæ calamitatibus premuntur, vel priuatim iniurias improborum patiuntur. Nam etſi Deus (vt ſupra diximus) aliquandiu vindictam differat, ſuo tamen tempore manum exerit, vt iuſtus lætetur, & pedes ſuos (vt Dauid ait) in ſanguine impiorum abluat, dicendo: Certè iuſtum manet ſuus fructus, certè eſt Deus, qui facit iudicium in terra. Pſalm.58. *Interea noſtri officij eſſe meminerimus, moram quantamcunque patienter ferre, & cum carnis impatientia luctari, ne in precibus fatigemur, aut ſpe liberationis prorſus extincta murmuremus, ſi non illico noſtris votis Deus annuat. Vbi non parum profuerit cogitare, quoties nos quoque illum nos admonentem & magnis clamoribus pœnitentiam & emendationem vitæ requirentem contempſerimus. Nam ſolet hoc interdum optimis etiam accidere, vt in pace & otio ſecuriores facti, Deum in Verbo ſuo loquentem minus audiant, & ferè vix correptione aut increpatione duriori ſe excitari patiantur, vt quæ ſui officij ſunt faciant. Quæ ergo nobis iuſtæ querelæ cauſa reliqua eſt, ſi ad noſtros quoq; clamores aliquandiu ille ſurdus eſſe videatur? Adde his, quòd mora iſta nobis vtiliſsima eſt, quia fidem noſtram exercet &*

huius obedientiæ tamen ſubijcis: quòd denique facit ad illuſtrandam gloriam Dei, cuius potentia & iuſtitia eò clarius elucet, quò minus in humanis ſpei eſt reliquum.

Cur Deus vindictam differat.

Porrò ad Chriſti verba redeamus, qui non obſcurè docet, non ſine graui cauſa fieri, quòd Deus nouiſsimis temporibus opem ſuam diutius differat, cùm plerique ſibiipſis obſtent, quò minus illa frui queant: & ſimul oſtendit, eò feruentius nos precibus inſtare debere, quò maiorem videmus eſſe mundi huius in ſuum interitum ruentis ſocordiam. Dicit enim: Verumtamen Filius hominis cùm venerit, num reperturus eſt fidem in terra? Oſtendit fidem inter homines poſtremis temporibus rariſsimam fore, quæ cauſa ſit futura, ob quam pluribus malis exerceantur, qui vnicum iſtud ſalutis præſidium tam oſcitanter negligunt. Habet verò fidei vocabulum ſignificationem multiplicem & variam. Propriè fiduciam certam in Deum per Chriſtum denotat, qua illius promiſsiones firmo animi aſſenſu apprehendimus. Deinde pro doctrina quoque fidei ſumitur. Item pro confeſsione Ieſu Chriſti, quem illa ſolum redemptorem agnoſcit. Eſt etiam fides inter homines, quam Cicero dictorum conuentorumq́ conſtantiam & veritatem definit, & ex Stoicorum ſententia ſic appellatam credit; quia fiat quod dictū eſt. Atqui omnibus iſtis ſignificationibus hoc Chriſti dictum applicari poterit. Quis enim non videt Chriſtianam fidem quæ ſolius Dei gratia per Chriſtum nititur, in anguſtos fines redactam eſſe, Turcis & alijs Mahumetanæ ſuperſtitionis ſectatoribus maiorem orbis terrarum partem occupantibus? Vt iam nihil dicamus de Pontificijs & Romanæ ſedis adoratoribus, de Anabaptiſtis, Libertinis, Seruetanis et infinitis alijs ſectis inter Chriſtianos paſsim regnantibus. Per hos fit, vt vera doctrina de Chriſto multis in locis explodatur, conculcetur, & ferro atque igne oppugnentur, qui illam ſolam ſibi ſequendā proponunt. Accedit præterea, quòd alij fidem in vnum Chriſtum diſertis verbis abnegant: alij verò cùm illam ore profiteantur, eandem tamen vitæ licentia & morum improbitate impijſsimorum hoſtium ludibrijs exponant. Quòd ſi ad hominū cōmercia reſpicias, illic quoq; fides rariſsima eſt. Quæ enim ratio hominibus fideles faciat eos, quibus luſus & iocus eſt Deo fidem datam fallere? Sunt ergo diffidentiæ & perfidiæ omnia plena. Nam vt à capite exordiamur, quàm rari ſunt inter principes, qui populi pacem atq; ſalutem fideliter curent, et non potius illum immoderatis exactionibus exhauriant, bellis non neceſſarijs fatigent, & inſuper publicanorum atq; vſurariorum artibus deglubendum exponant? Rurſum quàm paucos ex ſubditorū numero pijs quoq; magiſtratibus, fideles reperias, ſi licentiā ſuam bonis legibus paulò ſeuerius coerceri ſentiant? Similiter ſi Eccleſiarū miniſtros conſideres, maior eorum pars lucro ſtudet, & huius gratia impijs blandiuntur, & Eccleſias facilè deſerunt, ſi quæ maioris ſtipendij ſpes aliunde affulſerit. E contra, qui fidos paſtores obſeruare & diligere debebant, eos odiſſe & inuidia proſequi, imò interdū pacem huius mundi illorum proditione redimere conſueuerunt. Eadem eſt ratio inter heros & ſeruos, in fœderibus, contractibus, & omnibus alijs hominum commercijs: adeò vt quod Poeta de ferrea ætate dixit, nos de noſtri ſeculi hominibus poſsimus dicere:

Iam pridem fugêre pudor, verumq́, fidesq́:
In quorum ſubière locum fraudesq́, doliq́,
Inſidiæq́, & vis, & amor ſceleratus habendi.
Viuitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt,
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos:

Victa iacet pietas, &c. Hæc cùm omnia hodie fiant, & ferè impunè fiant, quis non Chriſtū hîc verè locutum eſſe fateatur, Filius hominis cùm venerit, num reperturus eſt fidem in terra? Quis item miretur, multorum preces minus exaudiri, & optatam ſalutem diutius differri? Quid verò hîc faciant homines Chriſtiani, quorum animos purior veræ fidei & veritatis cognitio illuſtrauit? Num è mundo emigrabunt? Num & ipſi ſpe ſalutis abiecta eandem cum alijs viam ingredientur, vt vitā tutius tranſigant? Minimè. Sed vt nuper dictum eſt, ſinguli vocationi ſuæ inſiſtant, ſtationē ſuam ſedulò tueantur, ſalutis portum tutum ſibi in Chriſto paratum eſſe credant, Deum autem aſsiduis precibus fatigent, vt is rebus vbiq; in peius prolabentibus manum admoueat, hoſtiū impiorū conatus

frangat,

frangat, Eccleſiæ ſuæ reliquias ſeruet: vt denique maturet aduentum Filij ſui Ieſu Chriſti, qui tantis miſerijs finem imponat, & nos in æternæ felicitatis portum ad ſe recipiat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVII.

Dixit autem etiam quibuſdam, qui ſibi perſuaſerant ſe iuſtos eſſe, & pro nihilo habebant reliquos, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderant in templum vt precarentur, vnus Phariſæus, & alter publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe precabatur: Deus, gratias ago tibi, quòd nòn ſim vt reliqui homines, rapaces, iniuſti, mœchi, vel etiam vt iſte publicanus. Ieiuno bis in hebdomade, decimo quæcunque poſsideo. Publicanus autem procul ſtans nolebat vel oculos in cœlum attollere: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit iſte iuſtificatus domum ſuam potius quàm ille. Quia quicunque ſe extollit, deprimetur: & qui ſe deprimit, extolletur.

Remouet precum impedimenta.

QVemadmodum inter fidei & veræ pietatis exercitia preces imprimis cõmendantur: ita Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus, cùm de nouiſsimorũ temporum periculis differuiſſet, portum & aſylum tutiſſimum in precibus aſsiduis monſtrauit. At duo ferè ſunt, quæ preces Deo ingratas, & proinde inanes reddunt: Suiipſius nimirum aut operum atq; meritorum propriorũ fiducia, & Superbus aliorum contemptus. Etenim etſi monſtro ſimile videri poſsit, hominem mortalem & propter peccata iræ Dei atq; damnationi æternæ obnoxium, in Dei conſpectu ſeſe oſtentare, eſt tamen hic communis morbus, cuius (vt & multorum aliorum) cauſa eſt, quòd plerique Deum ex ſuo ingenio & proprijs moribus æſtimant. Quia ergo apud homines aliquid impetraturi noſtra in illos officia & merita allegamus, idem ſibi coram Deo quoque non licere ſolùm, verumetiam neceſſarium eſſe multi arbitrantur, & ideò ſua opera vel apertè iactant, vel ſaltem intra animos ſuos fiduciam in illis collocant. Naſcitur ex eo alterum vitium, quòd ijdem reliquos omnes præ ſe contemnunt. Nec enim fieri poteſt, vt aliquem mortalium magni faciat, qui in Dei conſpectu ſeſe venditare, & cùm eius gratia quodammodo bellum ſuſcipere audet. Quapropter ijs, quæ de precandi aſsiduitate dixerat, commodè huius loci doctrinam Chriſtus ſubijcit, qua monet, preces noſtras Deo minimè acceptas fore, niſi ex animo verè humiliato & peccatorum ſeria agnitione contrito proficiſcantur.

Occaſio huius doctrinæ.

Occaſionem huius admonitionis ex ijs petit, qui iampridem ſibi perſuaſerant, ſe iuſtos eſſe, & hac fiducia turgidi reliquos homines non ſine contumelia publica faſtidiebant. Erat talium magnus numerus illo tempore, cùm inter Iudæos rerum quodammodo potirentur Phariſæi, quos in Legis operibus et propria iuſtitia ſalutis ſuæ fiduciam collocaviſſe, iam ſæpe diximus. Quorum doctrina ex ijſdem fontibus, morali nimirum ethnicorum philoſophia, nouiſsimis temporibus in Eccleſiam deriuata errores & ſuperſtitiones infinitas peperit, quibus Veritatis doctrina partim miſerè adulterata, partim obruta atq; ſepulta fuit. Eſt ergo hæc admonitio Chriſti etiã nobis cognitu vtiliſsima, quam vt altius animis auditorum inſideret, eleganti parabola cõprehendit, qua ſimul famoſiſsima illa de hominis iuſtificatione quæſtio luculentiſsimè explicatur. Producuntur enim duo, qui etſi eodẽ precandi ardore & cultus diuini ſtudio accenſi eſſe videantur, conditione tamen, ingenio & moribus plurimùm inter ſe differunt. Alter enim eſt Phariſæus, propriæ iuſtitiæ fiducia turgidus, alter verò Publicanus, qui cùm neq; peccata ſua diffiteri, neq; vllũ in proprijs ſuorũ operũ meritis præſidiũ inuenire poſſet, ad ſolius Dei miſericordiã confugit, & ita gratuitam peccatorum ſuorum remiſsionem aſſecutus eſt. Sed præſtat vtrunq; ſeorſim inſpicere, & de vtroq; ipſius Chriſti iudicium audire.

Phariſeus iuſtitiæ humanæ typus.

In primo humanæ iuſtitiæ, & quæ ex hac naſcitur, operum fiduciæ typus nobis exhibetur. Itaq; quæ ille fecerit ex ordine conſideranda veniunt. Inter quæ primum eſt, quòd in templũ Domini aſcendit: nimirum ſecundùm Dei inſtitutionẽ, qui ita præceperat, & veteris Eccleſiæ morẽ. Voluit enim

1.Reg.8. *Deus populum ſuum in cœtibus ſacris frequentem eſſe, & ideò templum quoq; à Solomone ædificatũ non ſine miraculo conſecrauit, quo teſtatus eſt, ſe illorum preces exaudire velle, qui in illo opẽ ſuam inuocarent. Quæ cauſa fuit, quòd omnibus ſeculis Iudæi ad illud ex longinquis etiam regionibus confluxerunt, & ipſi Apoſtoli quotidie eò abierint, vt precationibus publicis intereſſent, ſicuti in A-*
Acto.3. *ctorum libro eſt videre. Itaque laudem meretur, quòd Phariſæus iſte in templum aſcendit. Dein-*
1.Reg.8. *de preces facturus non apertis verbis aut ad hypocriſim fictis ſuſurris atque demurmurationibus vtitur, quod in alijs iſtius ordinis Chriſtus apud Matthæum reprehendit: ſed intra animum ſuum cum Deo colloquium inſtituit. Tertiò non publicus ſuarum virtutum præco eſt, ſed Deo gratias agit pro donis, quibus ſe ab illo ornatum eſſe agnoſcebat. Quartò opera habet per ſe bona & ſancta, quæ cum Legis diuinæ regula conueniunt, & quæ ipſe Deus per Iſaiam nobis commendat, dicens: Ceſſate malè facere, & diſcite bene facere. Abſtinet enim à malo, cùm neq; aliena rapiat, neque aliquem defraudet vel quicquam iniuſtè agat, neque thori coniugalis ſanctitatem violet. Adhæc bonis operibus ſtudet, dum (vt modò diximus) templum Domini frequentat, Deum ritu in Lege tradito colit, & credibile eſt beneficentiam quoque illum exercuiſſe, cùm alibi hanc Chriſtus Phariſæis tribuat. Addit his, quòd bis in hebdomade ieiunet, & decimas perſoluat ex bonis ſuis omnibus. Et has quidem ex peculiari mandato Dei omnes dare debebant, vt ex illis Leuitæ atque pauperes aleren-*
Deut.14. & 26. *tur: ieiunia verò ordinaria nulla Deus præſcripſerat, præter quam quòd ſeptimo menſe in die ex-*
Leuit.23. *piationis animas affligere & carni ſolita ſubſidia ſubtrahere iubebantur. At Phariſæos frequentius ieiunauiſſe ex Chriſti etiam verbis apparet, quæ Matthæi ſexto Capite habentur. Et aliqui veterum illos ſingulis hebdomadibus die ſecundo & quinto id feciſſe tradunt. Dum ergo huius mentionem facit, ſe plus quiddam hucuſque præſtitiſſe arbitratur, quàm Deus in Lege requirat. Quod verò obſeruatu imprimis dignum eſt, etſi hæc intra animum ſuum ſecum cogitet, nihil tamen ſuis viribus aut propriæ induſtriæ tribuit, ſed in omnibus iſtis Dei gratiam agnoſcit, cuius virtute hæc præſtet. Ideò dicit: Deus, gratias ago tibi, quòd non ſim vt reliqui homines, &c. Ergo in eo etiam alijs Phariſæis melior fuiſſe videtur, qui hominem cum philoſophis gentium αὐτεξούσιον, id eſt, ſui iuris & poteſtatis eſſe fingebant: libertate ſui arbitrij gloriabantur, & proinde ſibiipſis acceptum ferebant ſi quid rectè facerent. Itaque habuit Phariſæus iſte multa, quæ per ſe laudem merentur, in quibus typum veræ iuſtitiæ operum nobis Chriſtus proponit. Licet enim nihil horum nos iuſtificet apud Dei tribunal, ab omnibus tamen hæc pietatis exercitia requiruntur, vt religioni ſtudeant, Sabbatum ſanctificent, cœtus ſacros adeant, Deum cum gratiarum actione inuocent, à ſceleribus manifeſtis ſimul & occultis abſtineant, vnicuique reddant quod debetur, & inter hæc omnia carnem laſciuientem temperantiæ fræno coerceant. Hæc enim cum Legibus naturæ conueniunt, & qui iſta vel omnino negligunt vel etiam reprehendunt, eos non temerè Phariſæis & ethnicis deteriores eſſe dixeris.*

Phariſæus peccat ſuæ iuſtitiæ fiducia. *Quid ergo illud eſt, in quo iſte peccauit, & propter quod in Dei conſpectu non eſt iuſtificatus? Vno verbo explicari poteſt. Nam propriæ iuſtitiæ fiducia illi obſtitit, qua deceptus contra Deum ſimul & homines ſuperbiuit. Nam etſi Deo gratias agat, id tamen obiter & perfunctoriè facit, & ſimulata potius vel imaginaria quàm ſeria eſt hæc gratiarum actio, qualis interdum à diuitibus ſolet fieri, qui cùm ſe Deo gratias debere fateantur, interim ſe propria induſtria diuitias tantas acquiſiuiſſe ſibi perſuadent, iiſdẽ vt proprijs efferuntur, & in illis ſpem omnẽ collocant: quæ etiã cauſa eſt, quòd neq; egeſtatis ſuæ priſtinæ ſunt memores, neque animos ſuos ad humilitatem & modeſtiam componunt. Et talem hunc quoque fuiſſe facilè ex eo apparet, quòd nullam innatæ omnibus hominibus vitioſitatis mentionem facit, quòd peccata ſua non fatetur, & proinde nec remiſſionem illorum à Deo petit: ſed quaſi ſarta tecta ſint omnia, de operibus ſuis gloriando ſibiipſi delitias facit: adhæc omnes ſimul homines præ ſe contemnit & damnat, cùm potius cogitare deberet, abs ſe quoque nihil humani alienum eſſe, ſe denique in domo Dei adhuc ſeruum eſſe inutilem, etiamſi omnia feciſſet, quæ in Lege reperiuntur. Ergo non ſatis fuerit, Dei gratiam in genere fateri, imò illi gloriam dare, quòd ipſius opus ſit quicquid à nobis boni fit, niſi ſimul omnem ex noſtro animo expuamus operum noſtrorum fiduciam. Eſt enim hæc ſimulata gratiæ diuinæ prædicatio, ſi interea aliquod ſalutis meritum operibus noſtris tribuamus. Item enim Deum nobis duplici nomine debitorem facimus,*

qui

qui & debuerit nobis iam virtutem largiri, quæ nos alijs præſtantiores fecit, & inſuper opera noſtra, quæ inde enata ſunt, præmijs remunerare debeat. Sunt ergo eiuſmodi hominum cultus non ſolum inutiles, verumetiam Deo abominabiles, cùm illis neque timor Dei coniunctus ſit, neque pœnitentia & fide commendentur, neque etiam illius miſericordiam inuocent. Cur enim Deũ timeat, qui peccatum, quo ille offenditur, nullum in ſe agnoſcit? Cur pœnitentiam vel ſimulet ſaltẽ, qui ſe per omnia iuſtum eſſe ſibi perſuaſit? Aut quis Deo fidere dicet eum, qui propria iuſtitia fiducia nititur? Iſta verò ſimul inuocationem Dei excludunt, quæ ſi timorem, pœnitentiam & fidem ſuſtuleris, aut omnino nulla, aut non niſi frigidiſſima erit & imaginaria.

Papiſtæ Phariſæis inſolentiores.

At cùm huius Phariſæi iuſtitia ſiue meritũ nullũ fuerit, quàm miſerè & quàm turpiter ſeipſos fallunt, qui cùm nihil horũ allegare poſſint, tamen aduerſus Deũ ſimul & homines efferuntur? Id verò nimis impudenter faciũt, qui in Papatu ſuorũ operũ iuſtitiã iactant. Nã nulla prorſus facta gratiæ Dei aut gratuitæ miſericordiæ mentione ſuas vires prædicãt: operũ autẽ bonorũ loco cõmemorãt Miſſæ ſacrificiũ, ferias, peregrinationes, votum cœlibatus, voluntariã paupertatẽ, templorũ & altariũ fundationes, donationes collegijs factas, ſacra pro defunctis, ieiunia quæ ciborum delectu metiũtur, preculas certo numero & ſumma cũ feſtinatione præcipitâtas, portentoſas veſtiũ formas, & ſexcenta alia, quæ nemo ſanctorũ veteris aut Noui teſtamenti vnquam ſibi facienda putauit, et quæ non alia quàm humanarũ traditionũ authoritate nituntur. Iſta tamen in Dei conſpectu ſic iactant, vt cœlũ ſibi propter ea deberi putent: aliós verò omnes tanta cum ſuperbia præ ſe contemnunt, vt ſe ſolos clerum, ideſt hæreditatem & peculium Domini eſſe dicant, totum verò populum reliquũ prophano vocabulo laicos appellent, tantum non Iudæos imitati, qui gentes omnes per contumeliam Goijm dicere conſueuerunt, imò locum quoque in templis ſibi proprium vendicarunt, quo vulgus Chriſtianorum cancellis ferreis, & plerumq; etiam gradibus ſublimioribus excluditur. Nec his omnibus contenti, opera ſupererogationis finxerunt, quorũ merita in alios redundent, qui illa pecunijs redimunt. Quis ergo iſtos homines negauerit omnibus Phariſæis inſolentiores atq; confidẽtiores eſſe? Aut nũ illis vnquam in mentem venire putas illud Chriſti: Si feceritis omnia, quæ vobis præcepta ſunt, dicite, Serui inutiles ſumus? Quomodo enim ſe inutiles ſeruos eſſe dicerent, qui ſe multis alijs ſalutem ſuis operibus mereri poſſe, ſibi perſuaſerunt? At non habent quo omnibus iſtis inſultent quidam ex noſtris, qui cùm neque vera neque ſimulata opera habeant, quibus aliquam pietatis ſpeciem prætexant, ſed in apertis ſceleribus vitam tranſigant, fide tamen & Euangelij cognitione gloriantur: neque pudet illos ſuæ confidentiæ, quæ in cœtibus ſacris prima ſubſellia occupant, Sacramentis Eccleſiæ communicant, Euangelicæ item doctrinæ vindices videri et haberi volunt, cùm iniuſtiſſimi ſint hominum, cùm ex rapto viuant, vſuras iniquiſſimas exigant, fallant, defraudent, adhæc intemperantia, luxu & libidine diſfluant, & ne à ſacris quidem Eccleſiæ opibus manus abſtineant. Arbitrantur illi nudam fidei ac nominis Chriſtiani profeſſionem ſufficere, ſed omnibus illis dicitur, quod olim hypocritis Deus reſpondit: Quid tibi vis, quòd commemoras ceremonias meas? cur ore tuo fœdus meum iactas? Cùm odio habeas diſciplinam, & verba mea poſt te abijcias? Os tuum addixiſti malo, & lingua tua dolum concinnat. Sedes, & contra fratrem tuum loqueris, filium matris tuæ probro afficis. Hæc feciſti, cumque ego diſſimulo, fingis me planè tibi ſimilem eſſe. Diſceptabo itaque tecum, & ordine proponam ante oculos tuos. Iſtud quæſo intelligite qui obliti eſtis Dei, ne cùm rapiam, non ſit qui eripiat. Pſal. 50.

Publicanus veræ iuſtitiæ exemplum.

Cæterùm Phariſæo hypocritæ publicanus opponitur: veræ iuſtitiæ exemplũ, eius nimirũ, quæ in Dei iudicio ſola poteſt conſiſtere, et quæ preces noſtras Deo gratas atq; acceptas reddit. Eſtq; & comparatio hæc carnis iudicio non mira ſolùm, ſed etiam abſurda. Nã quæ publicanorum conditio ſtudia eo tempore fuerint, alibi diximus: Iudæis certè omnibus exoſi erant, non propter auaritiam modò, verumetiam quòd Romanæ tyrannidis miniſtri eſſent, & iugum illius per ſe durum & graue, ipſi ſuis exactionibus iniquis & ſubdolis intolerabile prorſus redderent. Talẽ ergo Phariſæo opponere, perinde fuit, ac ſi quis hodie cum eremita barbarum & ſanguinarium militem, cum viro honeſto & graui lenonem impurum conferret. Sed ita fieri oportebat, vt Phariſæorum hypocriſis et confidentia fortius confutaretur, & omnibus conſtaret, quàm abominabilis Deo ſit propriæ iuſtitiæ fiducia. Ne tamen quis ex eo ſcelerum excuſationem captet, quid de publicano dicatur videamus.

Procul ſtat,pec cati pudore hu miliatus.

Primùm procul ſtetiſſe dicitur,nimirum ab altari vel propitiatorio, quod præſentiæ & gratiæ Dei Sacramentum erat,& quòd ne oculos quidem attollere voluerit. Vnde verò hæc formido exorta eſt? Vel quæ pudoris huius cauſa fuit? Non alia certè, quàm vera & ſeria peccatorum agnitio,quæ in animo eius ſenſum iræ Dei & veram contritionem excitauit. Etenim fieri non poteſt, quin iram Dei ſentiant,quicunque peccata ſua verè agnoſcunt. Adhæc cognitionis huius perpetuus comes eſt pudor,quod Paulus apertè docet,de iis loquens,qui ad Chriſtum conuerſi eorum,quæ aliquando deſignauerunt, recordantur.

Rom.6.

Quem (inquit) tunc fructum habebatis eorum, de quibus nunc erubeſcitis? Id eſt,quorum tanta eſt fœditas & indignitas,vt ſine pudore non poſſitis eorum meminiſſe? Omnium certè,qui in ſeipſos deſcendunt,& quot modis clementiſſimum illum Patrẽ offenderint ſeriò cogitant,vox vna eſt: Peccaui Pater, in cælum et in te,neque dignus ſum poſthac vocari filius tuus. Et Dauid querebatur, peccatum ſuum ſemper ſibi obuerſari:nimirum, quod & pudorem nouum ipſi ſubinde offunderet, & animum iræ diuinæ ſenſu perterrefaceret. Eſt autem hoc iuſtitiæ veræ & totius ſalutis initium, vt iam ſæpe diximus,Seipſum videlicet noviſſe. Ex eo enim vera humilitas naſcitur, quæ facit,vt de remedio gratiæ Dei ſoliciti noſipſos damnando illius iudicium præueniamus. Exempla huius cognitionis in ſanctiſſimis hominibus paſſim occurrunt,& quia caro propter innatam ſibi confidentiam ab ea abhorret, Legis ſpeculum omnibus Deus propoſuit, quod qui intuentur,ij velint nolint coguntur ſe miſeros & infelices agnoſcere. Habet ergo publicanus iſte ſalutis principium,& quàmuis operum iuſtitia penes Phariſæum maior ſit, in eo tamen ſuperat hunc ille, quòd peccati agnitione humiliatus primum iuſtitiæ veræ gradum iam attigit, cùm Phariſæus ſua confidentia excæcatus ſeipſum ab illa longiſſimè alienaret.

Serio dolet ob peccata.

Deinde pœnitentia vitæ prioris ſeria tangitur, quod non tam verbis quam geſtu teſtatur. Nã percutit pectus ſuum,quo animi acerbiſſimus dolor notatur, qui vt de vita totius emendatione cõſilium ineamus efficit. Eſt hic alter ad iuſtitiam gradus, neceſſarius omnino:quia niſi ſeria de pœnitentia cogitatio peccati agnitionem ſequatur, hæc non multùm proderit: imò noxia erit:quia ſecuritas noua obrepens paulatim agnitionem illam ex animis noſtris delet, tandem verò cum deſperatione eadem reuertitur,eò quòd conſcientiam omnino extinguere impoſſibile eſt. Id verò Phariſæis olim accidit,& hodie omnibus accidere ſolet,quos propriæ iuſtitiæ fiducia dementat, vt de pœnitentia ne cogitent quidem,ſed huius doctrinam ſibi ſuperuacaneam eſſe arbitrantur. Simul autem eos quoque exemplum hoc publicani arguit,qui peccata quidem ſua agnoſcunt atque fatentur,in iiſdem verò abſque pœnitentia pergunt, dum in theatrica quadam expiatione & fictitijs ſatisfactionibus acquieſcunt, vt olim Iudæi,qui ſacrificijs,ieiunijs & alijs quibuſdam ceremonijs fidebant.

Ad Dei miſericordiam confugit.

Tertio ad ſolius Dei miſericordiam publicanus confugiens clamat: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Vicit ergo in lucta illa conſcientiæ fides, quæ illum monuit & confirmauit, vt quàmuis ſe propter peccata morte & exitio ſempiterno dignum ſentiret, nec aliquid videret,quo Dei iram poſſet reſtinguere,non tamen deſperaret, ſed in gratuita miſericordia ſalutis præſidium quæreret. Et debet hîc diligenter obſeruari,quòd ſimpliciter petit,vt ſibi ignoſcatur,nihil autem iactat,neque vllis ſatisfactionibus gloriatur. Sciuit ergo cum Dauide, Deum ſacrificijs non opus habere,& peccata inanibus ceremonijs non poſſe expiari,in hominis autem viribus nihil eſſe,quod ad Dei tribunal poſſit conſiſtere: ideoq; idem facit,quod optimi quique Dei cultores omnibus ſæculis fecerunt,& quod ſolum intra æſtuantis conſcientiæ certamina nos iuuare poteſt. Hoc igitur ordine progrediantur, quotquot hodie ſaluti ſuæ conſultum cupiunt.

Chriſti de vtroque iudicium.

Sequitur enim Chriſti Ieſu de vtroque iudicium, graue admodum et multa obſeruatione dignũ. Dico vobis,deſcendit iſte iuſtificatus domum ſuam potius quàm ille. Quæ comparatio non ita accipi debet, quaſi Phariſæum quoque iuſtificatum fuiſſe ex operibus ſuis,Chriſtus ſentiat, eidem tamen præferat publicanum:ſed de Dei iudicio hîc agitur, & iuſtitia operum cum iuſtitia fidei confertur, quam Paulus iuſtitiam Dei dicit, quia nobis à Deo per Euangelium in Chriſto offertur, & ſola in eius iudicio conſiſtit. Etenim habuit iuſtitiam humanam Phariſæus, quæ hominum iudicio magnifica & laude digniſſima videri poterat, cùm nullius ſceleris reus eſſet, & vitam viueret innocuam. Sed quid illa ad Dei tribunal profuit,vbi cordium & cogitationum, imò ipſius naturæ vitioſæ examen fit? Planè nihil,cùm ſecundum hanc in peccatis conceptus & natus eſſet,cogitationibus peſſimis diſtraheretur,

diſtraberetur, cupiditatibus prauis arderet, & ſua illa confidentia ſeſe Deo abominabilem atque exoſum faceret. Publicanus autem, cùm humana aut operum iuſtitia diſtitueretur, ad Dei miſericordiam conuerſus huius iuſtitiam fide vera apprahendit, quæ peccatorum remiſſione & imputatione iuſtitiæ Filij Dei gratuita conſtat. Itaque impropriè iuſtificatus dicitur Phariſæus, quia humano iudicio talis videbatur: verè autem iuſtificatus fuit publicanus, quia pro iuſto illum habuit Deus, à cuius ſolius iudicio ſalus noſtra dependet. Facit ergo exemplum hoc ad illuſtrandam & confirmandam doctrinam de iuſtificatione fidei, quam vnanimi conſenſu Apoſtoli tradunt. Nàm ſi publicanum ſpectes, peccatorem quidem fuiſſe conſtat & morte dignum, neque nouam qualitatem accepiſſe. Iuſtificatus tamen fuit, eò quòd propter fiduciam gratuitæ miſericordiæ Deus illi peccata non amplius imputauit, ſed iuſtitiæ ſuæ in Filio ſuo nobis exhibitæ conſortem ſiue participem fecit. Itaque ex gratuita peccatorum remiſſione iuſtificatio noſtra dependet, & ideo fide iuſtificari dicimur, quòd hac ſola Chriſtus apprahenditur, in quo Pater placatus peccatis noſtris ignoſcit, & ſe nobis propitium præbet.

Porrò concludit doctrinam hanc Dominus Epiphonemate ſeu vniuerſali ſententia, qua etiam Cap. decimo quarto vſus fuit: Quia quicunque ſe extollit, deprimetur; & qui ſe deprimit, extolletur. Conuenit dictum hoc cum naturæ legibus aut communi ſenſu, & tam hominum quàm Dei iudicio ratum habetur. Corā hominibus enim ſeſe extollunt, qui ſupra alios efferuntur, et quaſi ſoli ſapiant, ſoli laude & honore digni ſint, alios omnes præ ſe contemnunt. Qui ita ſentiunt, ferè omnibus inuiſi & exoſi fiunt, & quàmuis ad tempus ſuperbiant, & multi metu potius quàm amore adducti eos reuereantur, occaſione tamen oblata ex alto detruduntur, & eos quoq; hoſtes ſentiunt, quorum authoritate imprimis nitebantur. E contra ad lucrifaciendum animos hominū nihil efficacius eſt officioſa humilitate, quam Chriſtus, diſcipulorum pedes abluens, proprio exemplo nobis commendat. At hîc de Dei iudicio Dominus loquitur, qui & ipſe (vt Petrus ait) ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: quod facilè apparet, ſi Eſauum cum Iacobo, Ioſephum cum ambitioſis fratribus, Dauidem cum Saule conferas. In præſenti tamen vniuerſalem doctrinam Chriſtus ad ſalutis æternæ & iuſtificationis noſtræ negotiū accommodat, in quo nihil ſuperbia exitialius, nihil item vera humiliatione vtilius & ſalutarius eſt. Superbia autē in hac cauſa eſt, ſine Dei timore ſeipſum admirari & magni facere, donis Dei extolli, propriæ virtutis fiducia niti, neque in Dei verbum reſpicere, ſed pro ſuo arbitrio vitam & actiones omnes inſtituere. Eſt hæc ſuperbia execrabilis, quia aduerſus Dei gratiam effertur, & ἐθελοθρησκείαν parit, vt relicto Dei verbo ex nobis ipſis cultus nouos & illicitos inſtituamus. E contra humilitas vera eſt, Deum reuereri, dona eius agnoſcere, propriæ indignitatis ſenſu affici, & non alio quàm gratuitæ miſericordiæ præſidio niti. Hæc quia cum fide coniuncta ſunt, & veram obedientiam in nobis excitant, Deo gratos atque acceptos faciūt. Itaque nobis totius huius doctrinæ vſus eſto, vt procul relicta noſtrorum ſiue operum ſiue meritorum fiducia, noſtram indignitatem & peccata, quæ multa & grauia ſunt, agnoſcamus: non deſperemus autem de gratia Dei, quæ inexhauſta eſt, & ſub eius potenti manu humiliati ſtudeamus innocentiæ & charitati fraternæ, cuius exemplar nobis viuum eſt Ieſus Chriſtus, ſalutis noſtræ Mediator vnicus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

In ſalutis ratione nihil ſuperbia exitialius & contra.

HOMILIA CLXVIII.

Adferebant autem ad eum etiam infantes, vt eos tangeret. Cùm autem hoc vidiſſent diſcipuli, obiurgarunt eos. Ieſus verò cùm puerulos aduocaſſet, dixit: Sinite puerulos venire ad me, & eos non prohibete: talium enim eſt Regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit Regnum Dei tanquam puerulus, nequaquā introibit in illud.

DOcuit nuper eleganti parabola Chriſtus Ieſus, iuſtitiam operum noſtrorum in conſpectu Dei nullā eſſe, ſalutē verò nobis ex gratuita miſericordia obtingere, ſi eā fide vera amplectamur.

Vide Marcum homil. 82.

Ita verò monnit, neminem vel ſua dignitate & meritis gloriari, vel alios præ ſe contemnere debere, ſed potius in Dei gratiam recumbere, cuius fores omnibus pateant, qui vero eius deſiderio tenentur. Hanc doctrinam, quia non minus neceſſaria quàm vtilis & conſolationis plena eſt, nunc exemplo illuſtrat & confirmat. Parnulos enim, qui ad ipſum deferebantur, etiamſi nullo propriæ iuſtitiæ merito commendarentur, benignè excipit, Regnum Dei ad illos pertinere docet, adeòque nobis illos magiſtros præficit, quos imitemur. Itaque altius nunc aſſurgit Chriſtus, & promiſsionem gratuitæ miſericordiæ ad eos etiam extendit, qui per ætatem de illa non cogitant, neque ſentire poſſunt quàm illa opus habeant. Vt ergo dulciſsimæ conſolationis plena eſt huius loci hiſtoria: ita doctrinam quoque vtilem habet deuerulis, quo nimirum loco apud Deum habeantur, & quid officij illis debeant parentes, aut alij omnes, quorum curæ illi commiſsi ſunt. Partes hiſtoriæ tres ſunt, quas breuiter percurremus.

Parentes Chriſto afferunt infantes.

Prima de parentibus eſt, qui infantes quoque ad Chriſtum attulerunt, vt eos tangeret. Matthæus, ne quis de vulgari attactu locum intelligeret, impoſitionis manuum meminit, quæ cum benedictione & fauſta imprecatione fiebat, & conſecrationis ſymbolum erat, ſicuti ex ſacrificandi ritu apparet, in quo manuum impoſitione victima Deo conſecrabatur. Monit iſtos procul dubio στοργὴ, id eſt, naturalis illa & communis affectio, qua parentes liberis ſuis optimè conſultum eſſe cupiunt: & quam Deus conſultò animis omnium inſeruit: quia neceſſaria omnino eſt propter grauiſsimas & multiplices educationis moleſtias, quæ cùm ferè nulla cum gratia coniunctæ ſint, intolerabiles eſſent, niſi amor ille naturalis leues & iucundas faceret. Eſt autem exemplum iſtorum parentum omnibus imitandum, qui ſuis infantibus tunc optimè proſpectum fore putarunt, ſi eos ad Chriſtum afferent, vt per hunc Deo conſecrarentur. Peccant enim in eo plurimi, qui ex ſe genitos ad ea vitæ genera ſiue conditiones detrudunt, in quibus non poſſunt non perire. Faciunt hoc, qui vitæ Monaſticæ eos mancipant, quæ præter ignauum otium & putidiſsimas ſuperſtitiones nihil habet: qui item ad militiam aſſuefaciunt, & illos in caſtris, id eſt, in ſchola ſcelerum & impietatis educari ſiue inſtitui volunt. Quibus merito eos adnumeraueris, qui imparibus coniugijs irretitos varijs tentationum periculis obijciunt, quibus fides illorum labefactatur, & plerunque euertitur. Quid verò de illis dicemus, qui hominibus vſurarijs inſtituendos committunt, aut ſocios illis adiungunt improbos, quorum conſuetudine & exemplo corrumpantur? Peccant iſti omnes in naturæ legem, & ſacrilegio ſeſe polluũt, cum Dei depoſitum tam mala fide cuſtodiant, qui ea conditione liberos dare ſolet, vt ad nominis ſui gloriam educentur.

Parentũ officium.

Iſtorum ergo exemplum imitentur Chriſtiani homines. Quod enim iſti fecerunt, fidei opus fuit, imperfectæ quidem adhuc, ſed quam ſuis augmentis creuiſſe, credibile eſt. Nam etiamſi de Chriſto magnificè ſentiant, nondum tamen eò vſque progreſsi ſunt, vt æternum Dei filium agnoſcant, qui abſque contactu diuina virtute ſalutem omnem conferre poſsit. Verumtamen fortis eſt fides eorum, cùm in publico eam facto iſto profiteantur, neque Sacerdotum & Phariſæorum iudicium atque minas timeant, quos tam illius quàm ſectatorum eius hoſtes acerrimos eſſe non poterant ignorare. Eſt igitur hoc quoque plenum conſolationis, quòd illos non faſtidit Dominus, ſed eis benignè morem gerendo fidem eorum fouet atque confirmat. Id verò omnibus ille pollicetur, neque de eius promiſsione dubitare nos conuenit, quæ tot exemplis iam confirmata eſt. Diſcamus modò mundi minas atque conatus ſpernere, neque propter pericula vndique imminentia ſuccumbamus: oremus autem indeſinenter Deum, vt is fidem vacillantem ſuo Spiritu fulciat atque confirmet.

Diſcipuli iniquè de hoc facto iudicant.

Secunda parte diſcipulorum de hoc facto iudicium deſcribitur. Cùm hoc vidiſſent (inquit Lucas) diſcipuli, obiurgarunt eos. Paucis verbis, vel vno potius, quàm illis hoc diſplicuerit, docet, quando dignos putarunt parentes illos, qui publicè obiurgarentur. Et ſanè, ſi quis carnis rationem audiat, non temere hoc ab illis factum fuiſſe putabit: Primò enim cùm morbis nullis infantes iſti obnoxij eſſent, nulla cauſa eſſe videbatur, ob quam ad Chriſtum afferri deberent. Nam doctrinæ, quæ multos attrahebat, illi per ætatem nondum erant capaces: Deinde cùm diſcipuli in Chriſto regnum terrenum, victorijs & multa maieſtate illuſtre ſomniarent, indignum illis viſum eſt, virum tantum & maioribus negotijs deſtinatum circa puerulos occupari, quorum cura ad nutrices & mulierculas potius quàm ad viros pertinet. Dum verò iſtis rationibus locum dant, turpiſsimè

falluntur, & quantum in ipſis eſt, à Chriſto infantes excludunt, qui non minima Eccleſiæ pars ſunt, & in quibus Dei gratia quam maximè eluset. Quo exemplo admonemur, hanc multorum grauiſſimorumq́ errorum sauſam eſſe, ſi Chriſtum ex carnis noſtræ ſenſu æſtimemus, & ſecundùm huns iudicemus de æternæ ſalutis & Regni cælorum myſterijs. Nam qui hîc carnem in conſilium adhibent, mox Chriſtum ſibi fingunt nouum & diuerſum ab eo, qui à Prophetis & Apoſtolis deſcribitur. Faciunt id hodie, quotquos vel Miſſæ ſacrificium, vel Diuorum interseſſionem, vel Romani Pontificis (quem Chriſti vicarium eſſe contendunt) primatum propugnant. Quæ enim ratio hos omnes mouet, niſi quòd carnis ſenſus non videt, quomodo vna Chriſti mors ſufficiens pro totius mundi peccatis victima eſſe potuerit: quomodo item vnus ille ſufficiat, vt pro omnibus Mediator & interceſſor ſit apud Patrem: aut vt in cælis reſidens, nihilominus Eccleſiam regere, & Spiritus virtute ſeruare poſſit? Itaque nihil in toto religionis negotio tam vtile tamq́ neseſſarium eſt, quàm vt Chriſtũ talem eſſe nobis perſuadeamus, qualem Scriptura proponit, carnis verò ſenſibus atque iudicio nullũ locum demus in ijs, quæ ad æternæ ſalutis negotium aut Chriſti Regnum pertinent, quod ipſe de hoc mundo eſſe negat.

Diabolus infantium hoſtis.

Interim debet hoc loco obſeruari ſingulare diaboli ſtratagema, quo ille infantium ſaluti omnibus ſæculis inſidias ſtruxit, vt ſub religionis quoque ſpecie eos perderet, quos humani generis ſimul & Eccleſiæ ſeminarium eſſe nouit. Ideo olim gentes ad eam dementiam adduxit, vt filios Dijs ſuis immolarent, quæ impietas tandem apud Iudæos quoque losum inuenit, vt in parricidio & ſanguinis innoxij effuſione ſalutem quærerent. Hinc graues illæ Leges, quibus Deus exitiũ omnibus minatur, qui de ſemine ſuo ſacrificium Molocho feserint. Hîc per Apoſtolos confectum supit, vt Chriſti meritum & gratiam non ad puerulos vſque extendi putemus: quod quid aliud eſt, quàm illos à ſalute prorſus excludere? Poſtremis temporibus vota monaſtica & regulas monachorum excogitauit, adhæc monaſteria fabricauit, in quibus voto caſtitatis aſtricti pueri & puellæ, poſtea per omnem ætatẽ vel crudeliſſimè vruntur, vel in omni libidinis genere cum certo animarum perisulo volutantur. Quibus omnibus noſtro tempore acceſſerunt furores Anabaptiſtarum, qui infantibus baptiſmũ negando, eos à Chriſti Eccleſia excludunt, & quantum in ipſis eſt, diaboli inſidijs obijciunt. Sed agnoſcamus veteris illius hoſtis dolos, nec vnquam nobis excidat, liberos à Deo dari, & huis imprimis curæ eſſe, quemadmodum Chriſtus in præſenti doset.

Chriſtus infantes ſuſcipit.

Sequitur enim tertia huius hiſtoriæ pars, qua quid ille de toto hos negotio pronunciarit, narratur. Et ipſum quidem diſcipulis indignatum fuiſſe Marcus ſcribit. Vehementer ergo illi diſpliſuerit oportet eorum temeritas, qua ipſi parentes pios obiurgarunt: & ſanè merito, cùm & infantiũ ſaluti obſtarent, & parentũ fidẽ labefactarent, quã potius ſermone & exemplo confirmare debuiſſent. Deinde parentes ſimul sum puerulis ad ſe vocat, dicens: Sinite puerulos venire ad me, & eos nõ prohibete. Et sauſam ſiue rationem addit. Talium enim eſt Regnum Dei. Præterea exemplum eorũ omnibus imitandum proponit, addens: Amen dico vobis, quicunque non acceperit Regnum Dei tanquam puerulus, nequaquã introibit in illud. Quaſi dicat. Tã abeſt. vt à me et Regno meo iſti arceri debeant, vt potius nemo niſi qui eorũ ſimilis fuerit, ſalutis capax eſſe queat. Et quod verbis dicit. reipſa sonfirmat. Nã vt Marsus annotat, in vlnas eos accepit, & manib. impoſitis benedixit illis.

Infantes debẽt Chriſto adduci.

Quo loso primùm docemur, infantes Chriſto adduci debere. Quod enim hîs adducitur argumentum, ad omnes extendi debet, qui ex parentibus fide præditis naſcuntur. Nam Chriſti ſententia eſt, ad ſe adduci debere omnes eos, quorum eſt Regnum Dei. Cuius dicti ratio poteſt afferri, quòd ille Regni huius princeps & caput eſt, ſicuti in Pſalmo dicitur: Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion montem meum ſanctum. Atqui Regnum Dei infantium eſt, qui ex parentibus Chriſtianis naſcuntur: ſecundùm promiſſionem Abrahamo factam, Ero Deus tuus & ſeminis tui. Ergo ijdem Chriſto debent adduci. Quia verò doctrinæ & prædicationis, qua adultiores in fide inſtituuntur & vocantur, puerulinon ſunt capaces, non alia ratio reliqua eſt, per quam Chriſto adduci poſſint, quàm vt per baptiſmum in album Ecclesiæ adſcribantur, quæ Chriſti corpus atque ſponſa eſt. Vt ergo recens nati quoque ad Chriſtum perueniant, baptizari debent, ſicuti olim Iudæorum infantes maſculi octauo die circuncidebantur. Et poſſet vnum hoc argumentum ſufficere contra Anabaptiſtas, niſi hi ſcientes volentes errarent, & sum impudenti temeritate contumaciã insurabilem coniunxiſſent.

Pſal. 2.

At quia ad illorum obiectiones in Marco noſtro reſpondimus, nolumus hîc plura addere.

Infantes nobis in exemplum proponuntur.

Obſeruemus nunc hoc etiam, denuo nobis infantes aut puerulos in exemplum proponi. At regulam, quam hîc ſequamur, Paulus præſcribit, in priori ad Corinthios Cap. 14. dicens: Ne ſitis pueri intelligentia, ſed malitia pueri, intelligẽtia verò adulti ſitis. Cui ſententiæ illud Chriſti conſentit, qui nos cum colũbina ſimplicitate ſerpentinam prudentiam coniungere iubet. Sunt autem in infantibus multa, quæ nos imitari conuenit: vt pote humilitas, ſimplicitas fraudis neſcia, facilitas in condonandis offenſis, & quòd mundi huius turbulentis motibus minimè mouentur, quo minus ſuum ingenium retineant. Quæ omnia à nobis etiam requiri, alibi diximus. Imprimis tamen huc pertinet obedientia, quam ab infantibus facilè impetraueris, ſi huic à teneris aſſueſiant, imprimis verò parentum promiſſionibus non ægre fidem adhibent, ſeque his duci patiuntur ad multa, quæ ipſorum deſiderijs minus conueniunt. Ita fidei obedientia nobis quoq; imprimis opus eſt: quia niſi per hanc carnis noſtræ ſenſus & affectiones omnes verbo Dei ſubijciamus, ad Regni illius cœleſtis hæreditatem nequaquam poterimus peruenire. At ſi iſta in nobis quæras, nulla prorſus inuenies: imò nos ab his natura abhorrere conſtat. Itaque regeneratione nobis opus eſt, vt ex ſemine verbi æterni & immortalis renati infantes efficiamur, qui lac illud Sermonis ſeu Euangelij ſyncerum appetant, & per illud in viros perfectos adoleſcant. Ex quibus omnibus colligitur, ſalutem nobis ex gratuita Dei miſericordia contingere, cùm nemo mortalium ſit, qui iſta ſuis viribus poſſit præſtare. In hanc ergo totis animis intenti ſimus, & magni faciamus Dei bonitatem, qui ex filijs iræ ſibi nos delegit, vt in Filio ſuo Ieſu Chriſto renati & Spiritu adoptionis donati cœleſtis Regni hæreditatem cum illo poſſideamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXIX.

Tunc interrogauit eum quidam ex primoribus dicens: Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Dixit autem ei Ieſus: Cur me dicis bonũ? Nemo bonus niſi vnus, nempe Deus. Mandata noſti, Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare, Ne falſum teſtimonium dicito. Honora patrem tuum & matrem tuam. Ille autẽ dixit: Hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea. Ieſus verò his auditis dixit ei: Adhuc vnum tibi deeſt: quæcumque habes vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me. At ille his auditis valde triſtis factus eſt: Nã diues erat valde. Cũ autem vidiſſet Ieſus eum valde triſtem factum, dixit: Quàm difficilè qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in Regnũ Dei. Qui verò hoc audierant, dixerunt: Et quis poteſt ſaluus fieri? Ipſe autem dixit: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Vide Marcum homil. 83. 84. & 85.

QVàmuis homo quoad innatam nobis naturæ vitioſitatem, quæ ex primis parentibus in nos deriuata eſt, totus corruptus ſit, manet tamen in illo naturalis quædam ſalutis & felicitatis recuperandæ cupiditas. Eadem tamen nihil prodeſt, niſi Dei verbo dirigatur: eò quòd animalis homo (vt Paulus ait) non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Poſſet hoc philoſophorũ exemplis probari, qui cùm homines acutiſſimi fuerint, & in rerum naturalium cauſis multa depræhenderint, quæ innumeros alios latebant: circa quæſtionem tamen de ſummo bono omnes hallucinati, & in ſententias diuerſiſſimas ſciſſi ſunt. Sed imprimis memorabile eſt exemplum, quod modò recitauimus. Proponitur enim hîc quidam, quem ſerio ſalutis æternæ deſiderio arſiſſe, & in vera pietate à pueris inſtitutum fuiſſe, neque vulgares in illius ſtudio progreſſus feciſſe, circumſtantiæ omnes indicant. Eundem tamen primò humanæ traditiones communi errore excæcarunt, vt verum Legis Dei finem & vſum videre non potuerit: deinde verò de hoc edoctum diuitiarum amor

retinuit

retinuit, quò minus in Chriſti ſchola proficeret. Quia autem curabilem fuiſſe veriſimile eſt, ita cum eo egit Dominus, vt quæ de vera ſalutis aſſequendæ ratione, deinde de diuitijs & auaritia, maxima ſalutis remora, dicuntur, omnium noſtrum inſtitutioni ſimul & conſolationi ſeruiant. Eſt ergo locus hic totus multa conſideratione digniſſimus: in qua tamen breuiores erimus propterea, quæ in Marci explanatione fuſius dicta ſunt.

Princeps de vita æterna quærit.

Principio conditionem illius exprimit, qui præcipua huius actionis perſona eſt, & Chriſto de his diſſerendi occaſionem ſiue argumentum dedit. Fuit is ex primoribus & magnatum numero, adhæc diuitijs multis præditus. Matthæus iuuenem fuiſſe ſcribit, quod ipſum ad eius commendationem facit: quia non vulgarem oportet fuiſſe hominem, qui in iuuenili ætate inter principes populi locum habuit. Eſt autem obſeruatu valde dignum, quod cùm talis ſit, de vita æterna interrogat. Eo enim animum pium & religioſum prodit, quem neque honores neque diuitiæ huius ſeculi ineſcare potuerunt, vt futuræ vitæ & Regni Dei nullam rationem haberet, quod plerunque ijs accidere ſolet, qui alijs in mundo præſtant. Et ſi diligenter rem omnem expendamus, nemo omnium, qui hucuſque Chriſtum ſecuti ſunt, cum iſto conferri dignus eſt. Vulgus enim hominum à ſignis modò externis pependit, ex quibus vtilitatem priuatam capiebat. Apoſtolos regni terreni ſpes lactauit. Multos curioſitas attraxit. At quem vitæ æternæ ſtudium ad illum audiendum excitarit, neminem præter hunc vnum fuiſſe legimus: neminem item, qui & in publico & tanta quidem cum reuerentia de illa ipſum ſit percontatus. Nam ad genua eius procidit, & magiſtri boni nomine illum exornat. Diſcant igitur hoc exemplo omnes homines, imprimis autem iuuenes & qui publicas dignitates gerunt, quodnam illorum præcipuum ſtudium eſſe debeat. Sunt quidem non pauci, qui curam religionis & Regni Dei ad iuuenilem ætatem nihil pertinere ſibi perſuadent, & proinde hanc in extremam ſenectam reijciunt, quaſi ſufficiat diaboli caſtra tunc demum reliquiſſe, quando vires nos deficiunt, vt illi militare non poſſimus. Plerique etiam principum virorum maieſtate indignum eſſe arbitrantur, vt ipſi ijs ſeſe immiſceant, quæ ad Regnum Dei & æternam ſalutem pertinent. Sed vtrique non minus perniciosè quàm turpiter falluntur. Quia enim nos totos Deo debemus, nullum vitæ tempus eſt, quod non illius cultui tribui debeat. Et cùm iuuenes proinde vt ſenes moriantur, etiam illi de vita æterna cogitent neceſſe eſt, niſi huius iacturam facere libeat. Adde, quòd cùm iuuenilis ætas cupiditatibus maximè ferueat, fræno arctiori eam cohibere oportet: quod tunc commodiſſimè fiet, ſi futuræ ſortis memores cogitent, aliam vitam reſtare, in qua nos vel æternum gauiſuri ſimus cum Dei Filio, vel nunquam finiendos inferorum cruciatus paſſuri. Quoad principes viros, eadem cogitatio illis perquam neceſſaria eſt, partim vt Deo bonam gratiam referant, qui in tantam dignitatem illos euexit: partim vt cæleſtium bonorum & vitæ futuræ ſeria cogitatione in officio contineantur. Quia niſi id fiat, facilè abutentur illa poteſtate, qua ſe præditos vident. Nam cùm natura ad malum procliues ſimus, nihil tam facile eſt quàm in omne ſcelus ruere, ſi impunitatis ſpes proponatur. Et ſi noſtri ſeculi mores diligentius expendamus, hæc ferè omnis corruptionis cauſa eſt, quòd & iuuenes peſſimè inſtituuntur, & ijdem ad rerum gubernacula adhibiti ſibi nihil non licere putant. Ferè enim omnium animis inſidet inſolentia, quam in Dionyſij Syracuſanorum tyranni filio hiſtorici deſcribunt. Is cùm à patre acrius obiurgaretur, quod ciuis cuiuſdam vxorem conſtupraſſet, & inter alia ei diceret pater, An quid huius vnquam abs me factum audiuiſti? mox ille reſpondit: Id verò abs te factum non eſt, quia patrem Regem non habuiſti. Etenim vt hic propter patrem Regem omnia ſibi licere putabat: ita hodie imperij dignitate & impunitatis ſpe plerique efferuntur, vt pro ſua libidine omnia faciant. Qui non alia ratione facilius continebuntur, quàm ſi de æterna vita diligentius & frequentius cogitent.

Chriſtus interrogandus de vita æterna.

Obſeruari præterea in huius noſtri exemplo debet, quòd de vita æterna interrogaturus, Chriſtum adit, non Iudæorum Scribas aut Phariſæos, quorum tunc præcipua erat authòritas. Cauſam huius facti non aliam video, quàm quòd illos diu nequicquam audiuiſſet, nec aliquid profeciſſet per humanas traditiones, quibus illi verum Legis ſenſum obſcurabant. Admonemur, vt ipſi quoque in cauſa religionis atque Regni Dei vnum Ieſum Chriſtum audiamus. Hic enim ab æterno in ſinu Patris eſt, venit autem in mundum hunc, vt nobis annunciaret quæcunque à Pa- Ioan. 1. & 15.

Fff

tre accepit: & eundem nobis ille doctorem catholicum ſiue vniuerſalem conſtituit, quem omnes audire debeant, qui ſalutem conſequi cupiunt. At hodie plerique ex philoſophorum libris, vel eorum ſcriptis diſcere volunt Regni cælorum myſteria, qui humanam philoſophiam Scripturis ſacris longè præferunt. Quid ergo mirum eſt, ſi plerique minus proficiant, & in tenebris miſerè tumultuentur?

Iudaicus error.

Sed ipſam quoque quæſtionem examinemus. Magiſter bone (inquit) quid faciendo vitam æternam poßidebo? Subeſt quæſtioni huic Iudaicus error. Quia enim Lege perperam intellecta iuſtitiam & ſalutem ſibi pollicebantur, de ſolis operibus ſoliciti erant: nec interim obſeruabant adhærentem nobis, imò cordi & medullis inſidentem naturæ noſtræ corruptionem, qua impediti nihil boni vel cogitare, nedum velle aut facere poſſumus. Ideo hic quoque non quærit, quæ nam vitæ æternæ conſequendæ ratio ſit, aut penes quem illa inueniatur, ſed quid ipſe facere debeat, vt eam poßit obtinere. Similis omnium eorum error eſt hodie, qui de ſalute deliberaturi ab operibus ſuis & eorum meritis initium faciunt. Offendunt hi in ipſo limine, quod aiunt: neque aliquid profitiunt, donec in ſeipſos deſcenderint, vt quantum ſibi deſit intelligant. Ideo Chriſtus, vt huic conſulat, latentem illam noxam in lucem protrahit ſua reſponſione, quæ bimembris eſt.

Nemo bonus niſi Deus.

Prima parte aliam quæſtionem iuueni propouit: Cur me dicis bonum? Nemo bonus niſi vnus, nempe Deus. Boni titulum detrectat, non vt ſe vel bonum vel Deum eſſe neget: ſed vt illi altiora cogitandi occaſionem præbeat. Quaſi diceret: Quæris, quid faciendo vitam æternam poßidere queas? Atqui ſolius boni titulus, quo me ornas te edocere poterat rem omnem. Communis enim hæc eſt omnibus hominibus cognitio, ea quæ bona ſunt fieri debere ab ijs, qui Deo probari & cum illo æternùm viuere cupiunt. Atqui ſolus Deus bonus eſt, cùm homines natura corrupti & cordis humani figmenta ab ineunte ætate mala ſint. Ergo nihil bonum fuerit, niſi quod ille iuſſerit, & quod cum eius voluntate bona & ſancta conuenit. Adhæc vt bonum quid facias impoßibile erit, niſi eius virtute & gratia exciteris. Ita verò Chriſtus communem omnium hominum oſcitantiam arguit, qui cùm ſolum Deum verè bonum, adeoque ſummum bonum eſſe vulgò fateantur, tamen non illum ſolum audiunt, non illi ſoli fidunt, neque ab illo vno petunt quæ ad ſalutem & vitam æternam ipſis neceſſaria ſunt. Et hæc ferè cauſa eſt, quòd cæcis ſuis opinionibus ſeducti miſerè oberrant atque vagantur.

Ad Legem remittitur princeps.

Altera parte directè ad iuuenis quæſtionem reſpondet, dicens: Mandata noſti: Ne mœchare, Ne occidito, Ne furare, Ne falſum teſtimonium dicito, Honora patrem tuum & matrem tuam. Quaſi diceret: Quid opus eſt quærere quid facias? Atqui iam pridem Deus voluntatem ſuam diſertis præceptis expreßit. Quin ergo illis inſiſtis, & facis quæ ille iubet? Vbi quis interrogauerit, Cur qui alibi vitam æternam in ſe credentibus pollicetur, iſtum ad Legis opera remittat? Vel num diuerſæ ſunt vitæ & ſalutis conſequendæ rationes, vna nimirum per fidem, altera per opera? Nequaquam. Nam non eſt nomen ſub cælo hominibus datum, per quod oporteat nos ſaluos fieri, præter Ieſum Chriſtum: huius autem appræhendendi ratio nulla eſt quàm fides, vt paßim Scripturæ docent. Iſtum ergo ad Legis opera ablegat, vt latentem naturæ vitioſitatem arguat, quam in ſeipſo ille nondum agnoſcebat. Quæ etiam cauſa eſt, quòd omißis primæ tabulæ præceptis, quæ ſublimiora ſunt, & apertè ipſum hominis animum ſibi vendicant, ſecundam modò tabulam adducit, cuius præcepta vt omnibus nota ſunt, ita præſtitu facillima videntur. Cùm enim paulò poſt horum completionẽ in charitatis exercitio perfecto oſtendat, ad cuius mentionẽ ille totus conſternatur, euidentißimè docet, fallẽ omnes eos, qui ſuis viribus ſiue operibus vitam æternam aſſequi conantur, & proinde alia via eſſe ingrediendum. Minimè ergo locus iſte ijs patrocinatur, qui operum iuſtitiam & meritum hîc ſtabiliri putant, eò quòd dictum ſit, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Nam hoc Chriſti dictum

Leuit. 18.

verißimum eſſe ipſi quoque fatemur, & illud Moſis quoque agnoſcimus, qui de Dei ſtatutis & iudicijs loquẽs dicebat: Quæ qui fecerit, in eis viuet. At nos inferimus: Atqui mandata Dei nemo facere & plenè præſtare poteſt. Ergo nemo etiam ſuorum operum iuſtitia ſeruabitur. Num ergo (inquis) nos inanibus præceptis & vanis promißionibus lactat Deus? Minimè. Imò præcipit iſta, vt noſtrã in illis infirmitatem agnoſcamus, & ita confugere cogamur ad Chriſtũ Ieſum, qui nobis iuſtitia & ſatisfactio datus eſt. Eſt præterea vſus Legis non contemnendus, quòd de Dei voluntate nos admonet,

bonorum

bonorum operum regulam præſcribit, ne electitia quædam & ſuperſtitioſa ex nobis ipſis fingamus: quòd item cauet, ne quis fidei prætextu ad licentiam abutatur. Nec enim huius doctrina bonis operibus inimica eſt, ſed potius ad ea nos obſtringit, vt quam ore profitemur fidem, factis quoque & totius vitæ actionibus teſtemur. Si enim qui Chriſto nomen dederunt, licitis quoque renuntiare debent propter illum, quantò magis ijdem ab illis abſtinere debent, quæ Deo inuiſa & exoſa eſſe conſtat?

Porro iuuenem Chriſto reſpondentem audiamus. Hæc omnia (inquit) obſeruaui à iuuentute mea. Et apud Matthæum addit: Quid adhuc mihi deeſt? Eſt hoc reſponſum alacre, imò inſolens nimiùm: & quàm turpiter vana perſuaſione ſeipſum deceperit, poſtea videbimus. Veruntamen præclarum hoc eſt vitæ tranſactæ teſtimonium, quòd ſaltem de externa præceptorum Dei obſeruatione gloriari potuit. Nam verè hoc ab eo dictum fuiſſe, ex eo patet, quòd eum Chriſtus nullius mendacij arguit, imò eundem (vt Marcus annotat) dilexit. Quem enim hodie dabis huius loci & ordinis iuuenem, imò virum iam ætate grauem, vel etiam Monachum ſanctitatis ſpecie venerabilem, qui iſtud de ſeipſo verè dicere poſsit? Plures certè (quæ noſtri ſeculi calamitas eſt) reperies, qui præcepta Dei ex ordine ne recitare quidem, nedum de illorum obſeruatione gloriari poſsint. At hîc peculiari conſideratione dignum eſt, quòd quid porrò faciat, quærit: imò quòd qui in præceptis Domini & operum iuſtitia tantum ſtudium hucuſque impenderat, Chriſtum de conſequenda vita æterna adhuc interrogat. Eo enim exemplo docemur, conſcientiam nullis operibus externis placari poſſe, quò minus iudicij diuini terroribus infeſtetur. Vt ut enim illis ſibi placeant homines, imperfectionem tamen ſuam ſubinde ſentiunt, & nunquam non occurſat Dei iudicium, cuius ſenſu intra animos ſuos conuincuntur. Eſt autem in hoc iuuene iſtud etiam laude dignum, quòd ſuæ imperfectionis ſibi conſcius proficere cupit, & quid ſibi adhuc deſit, interrogat. Suo igitur exemplo eorum oſcitantiam arguit, qui cùm nihil adhuc fecerint, tamen quaſi re bene geſta ſecuri ſunt & ſibijpſis blandiuntur. Eos ſi quis accuſet, abunde ſatisfactum putant, ſi dicere poſsint: Et quid mali feci hactenus? Quid deſignaui? Sed viciſsim interrogari poterant: Quid verò boni feciſti? Quaſi verò nō ſumma reprehenſione dignus ſit, qui in agro Domini ſecurus otiatur, & tempus atq; ætatem malè collocat? Et ſi ſerui inutiles ſumus, licet omnia faciamus, quæ nobis præcipiuntur, quo loco habendi ſunt, qui contenti à maleficio abſtinuiſſe, nihil inſuper boni faciunt? Gloriatur de lege obſeruata.

Quid verò Chriſtus hoc reſponſo audito? Marcus ait: Intuitus illum dilexit eum. Eſt enim indulgentiſsimus doctor, qui arundinem quaſſatam non comminuit, neque linum fumigans extinguit. Itaque etſi arrogantiorem æquo eſſe videret, quia tamen huius vitij cauſa erat communis illius ſeculi ignorantia, non potuit illi diſplicere ſtudium pietatis, quod inter reliqua eius vitia emicabat. Et credibile eſt, non inefficacem fuiſſe hanc Chriſti dilectionem, & fortaſsis tandem ad fidem & Eccleſiam eum acceſsiſſe, qui nunc triſtis abijt. Chriſtus certè, ne tales temere iudicemus, ſuo exemplo docet. Nam amicè illum compellans ait: Adhuc vnum tibi deeſt: quæcunque habes vende, & diſtribue pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. Quaſi diceret: Videris tibi multùm præſtitiſſe hucuſque, & tuum illud inſtitutum laudo. Sed vnum adhuc tibi deeſt, & quidem præcipuum: nimirum fidei obedientia cum perfecta proximi dilectione coniuncta. Id verò ſic explicat: Vende quæcunque habes, & diſtribue pauperibus. Non partem aliquam bonorum, ſed ſimul omnia vendere, pecuniam verò inde collectam in pauperes diſtribuere iubet. Quod quia carni graue eſt, præceptum promiſsione mitigat, dicens: Habebis theſaurum in cælo. Cur enim pigeat terrena expendere, ſi certa cæleſtium ſpes ſit propoſita? Et addit deinde aliud: Veni, ſequere me. Quo loco finem & ſcopum Chriſti probè obſeruari neceſſe eſt. Hunc enim quia multi non reſpiciunt, generale præceptum hîc dari putant, & Chriſtianam perfectionem in eo ſitam eſſe contendunt. At nihil hîc in genere omnibus præcipi, aliorum exemplis demonſtrari poteſt, quibus per Chriſtum licuit ſua retinere, licet ipſius diſcipuli eſſent germani: in quorum numero Lazarus Bethanienſis fuit, Zachæus item, Nicodemus, Ioſephus Arimathæus & infiniti alij. Nec tale quid vnquam Apoſtoli à diuitibus requiſiuerunt. Vnde apparet, neq; perfectionem Chriſtiani hominis in eo ſitam eſſe: niſi talem fingamus, quæ nonnullis præcipiatur, alijs non item. Iubetur omnia uendere, &c.

Cur iſtud iuſſerit Dominus

Quid igitur hoc præcepto vult Chriſtus? Medicum imitatur, qui ſi cum ægroto confidentiori ſibi rem eſſe videat, conſultò aliquid iubet, in quo infirmitatem ſuam ille ſentiat, & hac agnita ſe ipſi præbeat obſequentiorem. Ita Chriſtus, quia hic ſe ad Legem implendam ſatis inſtructum eſſe, imò ſe iam illi ſatisfeciſſe arbitrabatur, altius in animum eius penetrat, vt oſtendat Lege non externam modò obedientiam, ſed animum totum requiri, adeò, vt ſi Deus velit nos relictis omnibus ſe vnum ſequi, & quæcunq; habemus alijs diſtribuere, nos ad hoc paratos & promptos præbeamus. Etenim iubet Lex, vt Deum diligamus ex toto corde & omnibus viribus, proximum verò vt noſipſos. Ab vtroq; autem ſe adhuc longius abeſſe bonus iſte iuuenis ignorabat: ideoq; animum eius tali præcepto tentari oportuit, quo experiretur, quantum adhuc ipſi deeſſet. Et hoc Chriſti inſtitutum fuiſſe, ex eo apparet, quod addit: Veni ſequere me. Ergo ne hoc quidem ſatis fuerit ad conſequendum vitam æternam, ſi quis ſua omnia pauperibus diſtribueret, niſi inſuper Chriſtũ ſequatur, & in hoc nobis oblatam gratiam Dei fide conſtanti apprehendat: quem verum Legis totius vſum atq; finem eſſe, alibi ex Paulo oſtendimus. Non ergo hæc Domini verba ſecundùm literam exponi, & ex illis vniuerſalis doctrina aut regula peti debet, ne illũ ſibijpſi contrarium fingamus. Sufficiat nobis quoad ſalutis rationem, vt illum quidem credamus eum eſſe, quem Scripturæ docēt, & in eo vno acquieſcamus: fidem verò hanc dilectione teſtemur cùm erga ipſum, tum erga fratres egenos, quos eiuſdem fidei vinculum nobis deuinxit. Quia enim hos ille ſibi ſubſtituit, vt in illos conferamus, quæ in ipſum eſſemus impenſuri, ſi hodie corpoream in terris vitam ageret: non alio euidentiori indicio quàm charitatis operibus demonſtrari poteſt, quàm magnos in fide fecerimus progreſſus.

Contriſtatur iuuenis Chriſti præcepto.

Et ſanè quàm multum adhuc iſti iuueni defuerit, Euangeliſta docet, qui eum hoc Chriſti mandato perterritum fuiſſe, & valde triſtem abijſſe ſcribit. Et cauſam addit: Nam diues erat valde. Atqui Abrahamum quoque diuitem fuiſſe ſcimus, qui tamen Chaldæam patriam alacri mente reliquit. Et Moſi non ita graue fuit Ægypti theſauros cum aulæ regiæ delitijs relinquere. Sed illi non tam opibus huius ſeculi diuites fuerunt, quàm fide & pietate, qua vt in vnum Deum reſpicerent mouebantur. Iſte verò, quoniam à ſemetipſo & ſuarum virium fiducia pependit, non potuit nõ ex eo dolorem concipere, quod eius cupiditati imprimis reluctabatur. Et ita pudefieri ſolent, quicunque ſuis viribus atq; operibus fidunt. Adhuc tamen animi pij ſpecimen in illo elucet, quando non aliquam murmurandi aut conuitiandi anſam arripit, vt dicat: Itáne mihi ſoli iniungitur, quod nulli hactenus mandatum fuit? Tam multos tecum trahis comites, in quorum num. . fœminæ illuſtres & viri opulenti ſunt, quibus ad ſuas facultates regreſſus patet: An ergo ego ſolus dignus videor, quem nouo & peculiari præcepto ludifices? Talia certè multi dixiſſent, & hodie huius generis multa audiuntur ex ijs, à quibus non niſi communia Chriſtiani hominis officia requiruntur. At longè aliter noſter hic, quem indoluiſſe & valde triſtatum fuiſſe audimus. Intellexit ergo, Chriſtum nihil iniquum aut indignum abs ſe poſtulare: at ſimul ſe infirmiorem eſſe ſenſit, quàm qui tam graui mandato poßit ſufficere. Hinc igitur triſtitia illa enata eſt, quam cum carnis ingenio luctans pietas peperit. Quo argumento iterum adducor, vt de illius ſalute non poßim non bene ſperare: quia non veriſimile videtur, Chriſtum, qui ſanandis inualidis & infirmis venerat, tam pio affectui defuiſſe, quem ſuus Spiritus in illo excitarat.

Conditio diuitum periculoſa.

At quia huic diuitiæ impedimento fuerunt, quò minus ſtatim per verum ſalutis viam ingrederetur, Chriſtus in generalem doctrinam de diuitijs & diuitibus digreditur, qua periculoſam eorum conditionem ſic exponit, vt ſimul ijſdem ſpem ſalutis faciat. Et primò quidem ad diſcipulos conuerſus non ſine admirantis & dolentis ſpecie ait: Quàm difficilè qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt, id eſt, quàm graue eſt diuitibus Euangelij vocationem ſequi, & in illo oblatam ipſis ſalutem amplecti? Et mox iſtud ipſum per comparationem amplificat, dicens: Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in Regnum Dei. Dura ſanè & grauis vox, maximè ſi cogites iſta ab eo dici, qui ipſiſsima eſt Veritas, & quidem dilectis diſcipulis dici, quos procul dubio noluit inanibus terriculamentis ludificare. At hîc diligentius nobis conſiderandum venit, de quibus diuitibus ille loquatur. Nam (vt aliâs monuimus) diuitiæ ex Dei benedictione obtingunt (de iuſtis & legitimè partis loquor) & illis multos abundaſſe ſcimus, quorum

fides

fides & pietas in Scripturis probatur. Itaque neminem huius dicti occaſione temere damnare debemus, ſed ipſum Chriſtum illius interpretem fideliſſimum audire, qui diſcipulis eo expauefactis (vt Marcus annotat) adiecit: Filij, quàm difficile eſt eos, qui confidunt opibus, in Regnum Dei ingredi. De his ergo dictum hoc intelligi debet, quos ſeruari non ſolùm difficile, verumetiam impoſſibile eſt, quoad diuitijs fidunt. Primò enim Deo non poſſunt ſeruire (vt Chriſtus ſupra docuit) imò idololatriæ reatu tenentur, cùm quæ in Deo collocata eſſe debebat fiducia, in diuitias incumbat. Itaque ijdem has Deo longè præferunt, quod liquidò apparet, ſi quando vel opes amittere, vel fidem in Deum abnegare coguntur. Deinde non contenti ſunt tales ijs quæ habent, ſed ea vel per auaram & ſordidam parſimoniam augere, vel artibus planè illicitis plura acquirere ſtudent. Vnde vetus prouerbium enatum eſt, Omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Poſtremò non ſine murmure & fremitu amittuntur, ſiue aliquo caſu ipſæ dilabantur, ſiue in mortis hora amittendæ ſint. Tunc enim locum verè habet, quod in Eccleſiaſtico ſcribitur: Quàm amara eſt ô mors, tui memoria homini quieto in bonis ſuis, viro negotijs vacuo & felici, qui cibum adhuc ſumere valet. Eccli. 41. *De illis ergo cum in præſenti Chriſtus loquatur, videre omnes conuenit, ne diuitijs fidant, ſed eorum memores ſint, quæ Paulus in priori ad Timotheum ſexto Capite de diuitum officijs tradidit.*

Sed præſtat diſcipulos Chriſti videre, & de hoc dicto loquentes audire. Hos Marcus adhuc magis animo perculſos fuiſſe ſcribit, & dixiſſe: Et quis poteſt ſaluus fieri? Ergo ſalutis negotium huc uſque illis non adeò graue aut arduum viſum fuit. At nunc, quando facultatum omnium voluntariam amiſſionem & animum ab omni rerum terrenarum fiducia alienum requiri audiunt, non poſſunt non percelli animo & conſternari. Nam etſi ipſi diuitias nullas poſſiderent, ſentiebant tamen cupiditatem illam atque fiduciam opum, quæ hîc damnatur, in ſuis etiam cordibus locum habere, & ideo ad ſe quoque pertinere quod dicebatur. Eſt autem exemplum hoc laude digniſſimum. Ex eo enim apparet, quàm alieni fuerint ab eorum moribus, qui diuitibus ſuas fortunas inuident, & paupertatis ſuæ fiducia ſic efferuntur, vt diuites quidem omnes audaciſſimè condemnent, non autem animaduertant ſeipſos iiſdem affectibus laborare, qui illis ſuas opes exitiales reddunt. Sunt hi bis miſeri, quia cum paupertate & inuidia conflictantur, & ſimul æternæ damnationis ſententiam in ſua quoq; capita accerſunt. Diſcipuli quoq; contriſtantur.

Cæterùm piæ diſcipulorum conſternationi Chriſtus medetur, dicens: Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Apud Marcum hoc ita enuntiat: Apud homines hoc eſt impoſſibile, ſed non apud Deum: nam omnia poſſibilia ſunt apud Deum. Fatetur ergo, neminem ſuis viribus ſeruari poſſe: quod de omnis loci & ordinis hominibus debet intelligi. Monet autem non debere hoc ad aliquos ita reſtringi, vt eos propter opes ſuas ſeruari poſſe negemus. Quia enim Deo omnia poſſibilia ſunt, facile illi fuerit, hos quoque ex Verbi ſui ſemine per Spiritus virtutem regenerare, vt ea faciant, quæ veros Dei cultores decent. Confirmatur hoc dictum multorum exemplis, quibus diuitiæ adeò nullum impedimentum fuerunt, vt potius in illis pulcherrimarum virtutum, & imprimis beneficentiæ egregiam materiam habuerint, ſicuti in Abrahamo, patre credentium, eſt videre: vt de multis alijs iam nihil dicamus. Eſt hæc præclara gratiæ Dei commendatio, quæ omnis generis hominibus patet. Diſcant modò ſinguli, vt ſuis viribus diffiſi, & ſimul relicto rerum huius ſeculi ſtudio, in illa vna ſalutis fiduciam collocent, & per omne vitæ genus intrepida fide ſequantur Ieſum Chriſtum, qui nobis à Deo Patre vitæ huius magiſter & exemplum perfectum, æternæ autem Mediator & author datus eſt. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Conſolatur diſcipulos fluctuantes.

HOMILIA CLXX.

Dixit autem Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Ipſe verò dixit eis: Amen dico vobis, nemo eſt qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, Regni Dei cauſa: qui non recepturus ſit multiplicia hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam

æternam. Ieſus autem aſſumptis illis duodecim dixit eis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & perficientur Filio hominis omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur. Et poſtquam eum flagellauerint, trucidabunt: ſed die tertia reſurget. Ipſi verò nihil horum intellexerunt, erantque iſta verba ipſis occulta, nec cognouerunt quæ dicebantur.

Vide Marcum homil. 86. & 87.

ETſi homo natura felicitatis atque ſalutis appetens ſit, multa tamen ſunt, quæ illum in vera huius conſequendæ ratione impediunt. Inter ea primus ferè locus diuitijs huius ſeculi debetur, ſicuti nuper in magnatis exemplo vidimus. Nam quàmuis is non vulgares in pietatis ſtudio progreſſus feciſſet, tamen ſe in Regno Dei nimiùm adhuc frigere ſatis oſtendit, quando ad Chriſti præceptum toto animo conſternatur, qui illum omnia diuendere & in pauperes diſtribuere iuſſeras, vt ad ſe ſequendum expeditior eſſet atque alacrior. Et ſolet hoc frequenter fieri, vt qui optimi & feruentiſſimi videbantur in fide, nimis langueant, vt primùm de amicis opibus relinquendis agitur: vt iam nihil de ijs dicamus, qui opum abundantia abutuntur ad ea, quibus tota Chriſtiani nominis profeſſio prophanatur. Non temere ergo fieri putemus, quòd Chriſtus Ieſus de diuitijs toties diſſerit: qui vt nuper in Dei omnipotentis gratia ſpem ſalutis diuitibus adhuc reliquam eſſe docuit, quamuis periculi pleniſſima ſit eorum conditio: ita in præſenti ampliſſimis promiſſionibus omnes eos confirmat, qui iacturam opum ſuarum propter ipſum facere coguntur: quibus mox vniuerſalem doctrinam ſubijcit, qua aduerſus omne crucis ſcandalum inſtruamur.

Petrus de præmio diſcipulorum quærit.

Occaſionem huic diſputationi Petrus præbuit, qui omnium diſcipulorum nomine interrogat, quid nam ipſi ſperare debeant, qui fortunas omnes iam pridem ipſius cauſa reliquerint. Quòd ſi cauſam huius quæſtionis quæras, non alia reddi poterit, quàm falſa & inanis de Regno Chriſti terreno perſuaſio, quam tunc ex communi errore conceptam omnium animis inſediſſe non ſemel diximus. Non dubium enim eſt, hoc illis præter omnem expectationem accidiſſe, quòd hoc tam duro mandato principem virum à ſe abegerat Dominus, qui potius alliciendus eſſe videbatur, vt ſua authoritate Regnum illud ſperatum promoueret. Abſurdum præterea videbatur eſſe, tam graue ferre de periculoſa diuitū conditione ſententiam, cùm ipſi animo ſuo non opes modò ampliſſimas, verumetiam dignitates, honores & imperia concepiſſent. Itaque inter ſpem & metum nunc fluctuans Petrus, Chriſto dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Et apud Matthæum addit quæſtionem. Quid ergo erit nobis? Quaſi diceret: Atqui ſperabamus nos non vulgarem retributionem, qui tuam vocationem ſecuti noſtra omnia reliquimus. At quid porrò huius ſperare licet, quando iſtum quidem omnia diuendere & egenis elargiri iubes, & ſimul opes huius ſeculi maximum impedimentum eſſe doces ijs, qui ad vitam æternam contendunt? Scire itaque cupimus, quid de nobis futurum ſit, quidue nobis ſperare liceat? Latet ſub hac quæſtione non vnum modò innata nobis vitioſitatis argumentum. Primò enim apparet, diſcipulos ſpe regni terreni Chriſtum ſecutos fuiſſe: quæ hodie etiam pleroſque trahit, qui pro Euangelio ne pedem quidem aut digitum vnum mouerent, niſi diuitiarum, honorum, aut etiam licentiæ carnis ſpe lactarentur. Deinde ambitioſum nimis eſt, quòd non ſine exprobrationis ſpecie commemorant, quid pro Chriſto fecerint, idque omne nimis magno æſtimant. Ecce (inquiunt) reliquimus omnia. Et quæ obſecro erant illa omnia? Ruinoſa nimirum piſcatorum tuguria, pauca nauiculæ, retia lacera, hami, remi, & alia eiuſmodi, quibus vitam ſuam ægrè ſuſtentabant. Nec ſe adhuc quicquam recepiſſe putant, cùm toto illo tempore, quo cum Chriſto fuerant, nihil illis vnquam defuerit, ſicuti in vltima Cœna ipſi fatentur. Taceo nunc dulciſſimam illam conſuetudinem, qua cum æterno Dei Filio fruebantur, miracula, conciones ſaluberrimas & non minus ſalutaria colloquia, in quibus ex illius ore cœleſtem ſapientiam & vitæ æternæ promiſſiones hauriebant. Quæ omnia illos non pro dignitate æſtimaſſe, hæc vna quæſtio abunde docet. Eſt verò hoc etiam vulgare vitium, quòd magni facimus quæcunque ſub prætextu gloriæ Dei & pietatis à nobis fiunt, & neſcio quos montes aureos nobis deberi putamus, vilipendimus autem ampliſſima Spiritus ſancti dona, quæ quotidie recipimus. Accedit his tertium vitium, quòd priuſquam finem vocationis ſuæ attigerint, de præmio quærunt, adeoque triumphos ſibi decerni volunt, priuſquam in hoſtis

in hoſtis conſpectum venerint. Ita noſtra quoque vota ferè præcipitamus, & mercedem nobis ſolui petimus, quando nos potius de ſtudij noſtri perſeuerantia ſolicitos eſſe conueniebat. Veruntamen ſi noſtros mores cum Apoſtolis conferamus, magnam præ nobis laudem merentur, qui quæſtionem iſtam huc uſq; diſtulerunt: cùm hodie plerique, priuſquam Chriſto nomen dederint, aut priuſquam Euangelium intra vrbes ſuas admittant, de omnibus certiores fieri velint, quid nimirum periculi ex eo timendum ſit, quid item lucri aut emolumenti ſperari poſſit. Sunt hæc ſalutis impedimenta nocentiſſima, quibus nos eorum exempla opponere debemus, qui eo nomine in Scripturis commendantur, quòd abſq; omni diſceptatione Deum vocantem ſecuti ſunt. Primus in horum ordine meritò cenſetur Abrahamus, credentium pater, qui nulla quæſtione mota natale ſolum deſeruit, cùm ſe diuinitus vocari ſentiret: imò filium quoq; Iſaacum, Deo iubente, abſq; mora, immolare voluit. Poſſunt huic adnumerari patres reliqui cum Prophetis, & multis alijs, qui Euangelij vocationem illico ſecuti ſunt, & ſeipſos ſimul atq; fortunas ſuas paternæ Dei prouidentiæ commiſerunt.

Quomodo omnia reliquerint Apoſtolis

Quia verò Apoſtolorum exemplo multi hodie abutuntur, diligentius videre oportet, quomodo illi omnia ſua reliquerint. Etenim cùm hoc diceret Petrus, Apoſtoli ſuas adhuc domus habebant, nauiculas item, retia & quæcunque prius poſſederant. Nam ipſum Petrum domum ſuam non ſemel diuertiſſe, & poſt Chriſti reſurrectionem cum alijs in Galilæam ad piſcationem ſolitam rediſſe ſcimus. Reliquerunt ergo ſua, prout illud vocatio ipſorum exigebat, non autem proprietati renunciarunt, donec id quoque neceſſitas iuſſit: quando nimirum in orbem totum exire debebant, vt Euangelium omnibus populis prædicarent. Reliquerunt item quæcunque habebant, dum illis non appoſuerunt animos ſuos, ſed vt mutuò acceptis vſi ſunt, quàm diu hoc ipſis licuit. Nihil ergo patrocinij hîc habent Monachi & Anabaptiſtæ errones, qui Apoſtolorum imitatores haberi volunt, ſi vel patrimonio tenuiſſimo renuncient, aut vxoribus ſimul atque liberis relictis, vel Monaſterium ingrediantur, vel alijs oneri ſint, & docendi munus ſibi propria temeritate vendicent, ad quod non ſunt legitimè vocati. Vt enim nihil huius ſimile Apoſtoli fecerunt: ita neque hanc voluerunt communem eſſe regulam, quæ omnibus Chriſtianis præſcriberetur. Et Paulus Apoſtolus ἀτάκτυς iſtos, id eſt, incordinatos homines, qui aliena quadra viuere inſtituerunt, arctiori diſciplina coercere iubes, vt honeſto aliquo labore victum quærant, & alijs moleſti eſſe deſinant. Sufficiat ergo nobis, ſi quis animum ab opum amore auocet, & in vnam Dei vocationem intentus præſentibus bonis ita vtatur, vt ea relinquere nunquam non paratus ſit, quoties vel Dei gloria, vel propriæ vocationis neceſſitas ita iubet. Hac ratione multi ſua reliquiſſe dici poſſunt, qui illis adhuc cum fide & gratiarum actione fruuntur. E contra ſua retinent ſæpe, qui ab illis præter animi voluntatem auulſi, ad ea ſubinde reſpiciunt. Enimuero Lothi vxor, etiamſi ex Sodomis egreſſa eſſet, fortunas tamen ſuas minimè reliquerat, cùm eas intra animum ſuum ſolicita geſtaret, quæ illam contra Dei mandatum ad illas reſpicere coegerunt. Et quis Iſraelitas Ægyptum verè reliquiſſe dixerit, qui illos ollas carnium, melones, allia & cepas ſubinde in corde & in ore habuiſſe audit? Prima itaq; nobis cura ſit, vt animum à cupiditate & fiducia opum reuocemus: ex eo enim alterum ſequetur, vt eis dum licet piè vtamur, & quando Deus ita vult, eaſdem animo alacri & minimè inuito relinquamus, &c.

Chriſtus diſcipulorum infirmitatem ſubleuat.

Sed audire præſtat Chriſtum Petro ad hunc modum reſpondentem: Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, Regni Dei cauſa: qui non recepturus ſit multiplicia hoc tempore, & in ſeculo venturo vitam æternam. Quo loco ante omnia obſeruari debet Chriſti lenitas atque manſuetudo. Etſi enim diſcipulorum quæſtio reprehenſione digna eſſet, & illi ſimul omnes propter vitia, quæ ſupra commemorauimus, grauem correptionẽ mererentur: infirmitatis tamen eorũ rationẽ habet, & quia eos iam ante plus ſatis conſternatos eſſe videbat, liberali potius promiſſione animos eorum nutantes erigit atque confirmat. Petant hinc communem conſolationem, quotquot metuunt, ne ipſos propter vitia ſua & inhærentem imperfectionem Deus faſtidiat. Iidem verò ſibijpſis applicent Chriſti exemplum, vt ſimili lenitate fratres infirmiores ferant, & de illis confirmandis potius quàm temere damnandis cogitent. Sunt autem in iſta reſponſione duo obſeruanda, quibus tertio loco apud Mathæum & Marcum grauis admonitio adijcitur ad reprimendam carnis ſecuritatem.

Ad quos promiſſio hæc pertineat.

Primum eſt, vt videamus, quibus hîc Chriſtus loquatur. In Mathæo quidem ſermonem ad diſcipulos conuertit, & ipſis retributionem hanc liberaliſſimam pollicetur: eandem verò generalius ad omnes alios quoque extendi debere, qui Apoſtolorum fidem & exemplum imitantur, in præſenti apparet, cum dicat: Nemo eſt, qui reliquerit, &c. Diſcipulis autem eos connumerat, qui domum, parentes, fratres, vxorem, liberos relinquunt cauſa Regni Dei. Apud Marcum ait, Mea cauſa & Euangelij: quod in idem recidit. Euangelio enim Chriſtus prædicatur, qui Regnum Dei inter homines inſtaurauit, & nos ex poteſtate tenebrarum & infelici diaboli ſeruicio in libertatem filiorum Dei tranſtulit, vt is ſuo verbo & ſpiritu in nobis regnet, quoad in hoc ſeculo viuimus, huius autem curriculum ſiue ſtadium emenſos in Regnum ſuum cæleſte transferat. Itaque propter Regnum Dei ſua relinquunt, qui vt Euangelij & fidei libertate fruantur, & Deo ſeruire poſſint, omnibus renunciant, quæ in hoc mundo habent. Neque ſuperuacanea cenſeri debet tam diligens illorum omnium enumeratio. Voluit enim omnia nominare Chriſtus, quæ vel vtilitatis & neceſſitatis nomine, vel etiam pietatis prætextu commendantur. Ad prius pertinent domus & agri (quorum in Marco meminit) quibus omnia alia adnumerari debent, quæ ad huius vitæ vſum vtilia & neceſſaria ſunt. Ad alterum, parentes, fratres, ſorores, vxor, liberi: quos omnes naturæ lex ita nobis obſtringit, vt omnium iudicio impius videatur, qui illos temere reliquerit. Sed omnibus iſtis ſe & regnum ſuum Chriſtus præferre iubet, ne à mũdi huius iudicio cæco pendeamus. Nihil ergo ad eos pertinet Chriſti promiſſio, qui vel luxu & prodigalitate, vel improuida rei domeſticæ adminiſtratione, & temerarijs contractibus ſua dilapidant: vel ſuperſtitioſa aliqua perſuaſione decepti ad aliud vitæ genus tranſeundo egeſtatem ſibijpſis abſque vlla cauſa neceſſaria accerſunt. Nam etiamſi prioribus illis gratia Dei & vitæ æternæ ſpes minimè negari debeat, ſi inopiam ſuam patienter ferant, delictorum pœnitentiam agant, & fidem in Deum retineant: nihil tamen ijſdem ex huius promiſſionis iure debetur, cùm illis non mereantur accenſeri, de quibus hîc ſermo eſt. Quoad verò ſuperſticioſos illos, ſiue illi eremitæ & Monachi, ſiue vagabundi errones ſint, nulla ratione ad eos promiſſio iſta pertinet, cùm relicta vocatione legitima genus vitæ ſequantur diuinis legibus prohibitum, & quod à fine hominis, ad quem hic creatus eſt, alieniſſimum eſſe meritò dixeris. Et quid obſecro illi faciunt, quod non olim gentium philoſophi, & imprimis quidem Diogeniani aut Cynici, fecerint: & quod hodie multi inter Turcas faciunt, quorum milites arctiori & ſeueriori diſciplina, quàm omnes iſti fraterculi atque errones, coercentur? Neminem ergo vel amiſſionis bonorũ, vel paupertatis fiducia decipiat. Niſi enim his legitima Dei vocatio acceſſerit, quam per fidei obedientiam ſequamur, nihil erit, quo poſſimus gloriari.

Retributio eorum, quæ Chriſti nomine amittuntur.

Alterum huius reſponſionis caput eſt, præmij aut retribucionis promiſſio quæ duplex eſt. Primò enim eum, qui cauſa Regni Dei aliquid reliquerit, in hoc ſeculo multiplicia recepturum eſſe ait. In Matthæo & Marco, centupla retributio exprimitur, numero finito pro infinito. Iſtud verò anxiæ ſolicitudini opponit, quæ rerum iacturam nobis grauiorem reddit, dum metuimus ne quid nobis aliquando deſit eorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem faciunt. Pollicetur ergo nobis in lucro fore, ſi quid cauſa Euangelij & Regni Dei amittamus. At videtur cum promiſſione Chriſti pugnare experientia: quando multi patrijs ſedibus pulſi oberrant, eſuriunt, ſitiunt, algent, pleriſq; exoſi, multis etiam oneri ſunt. Et ſcimus, quibus ſannis olim promiſſionem iſtam Iulianus exagitarit, ſi quando de vi ſibi facta deq́ue illatis iniurijs Chriſtiani homines apud eum conqueſti ſunt. Neque hodie deſunt, qui cum riſu & ludibrio eos proſequuntur & ſcurriliter mordent, qui Dei miſericordia freti patriam potius cum fortunis ſuis omnibus relinquere malũt, quàm turpi fidei abnegatione Regni Dei iacturam facere. Sed nihil iſti omnes promiſſioni Chriſti derogant, cuius veritas ſemper rata manet, quod facilè vident, qui rem diligentius expendunt. Etenim gentium ſapientes eum demum verè diuitem dixerunt, qui nihil cupit, & ſua ſorte contentus viuit. Id verò aſſequuntur, quicunq; in vnum Deum reſpiciunt, & contemptis atque relictis omnibus, quæ in mundo præclara habentur, in illo ſibi omnia repoſita eſſe ſciunt, quæcunque ad huius vitæ vſum & æternam ſalutem faciunt. Quis ergo centuplam retributionem eum accepiſſe negauerit, qui fortunarum omnium amiſſione αὐτάρκειαν illam, id eſt, animum ſua ſorte contentum ſibi acquiſiuit, quem nullo pretio, nullis item artibus, nullaue induſtria homines ſibi parare poſſunt? Nam ſiue immenſos opum theſauros, ſiue honores & dignitates

gnitates

gnitates huius ſeculi, ſiue victorias & triumphos, ſiue regna & imperia mundi, ſiue voluptatum ſtudia conſideret, nihil in omnibus iſtis erit, quod hominis animum poßit exatiare. Quid enim iſta ſingula, aut etiam omnia ſimul coniuncta faciant, quando Alexandro Macedoni ne totius quidem orbis imperium ſufficere potuit, vt bellis finem imponeret? At qui Deum fide vera apprehenderunt, & in eius gratia acquieſcunt, ij omnem ſortem patienter ferunt, ijſdem omnia ſufficiunt, & quia nihil præterea cupiunt, ſoli etiam ſunt diuites. Verißimè ergo multiplicia illis Deus retribuit, & quàmuis mundo pauperrimi eſſe, & nihil prorſus habere videautur, apud illos tamen reuera locum habet illud Solomonis: Melius eſt parum cum timore Dei, quàm theſaurus magnus, cui tumultus adeſt. Dum enim diuites huius ſeculi non ſolùm circa opes tumultuantur, verumetiam intra animos ſuos fremunt, & curis mordacibus diſtrahuntur, illi læta & tranquilla conſcientia modico illo fruuntur, quod ipſis in diem dat Deus, & ſimul æternis cœlorum theſauris gaudent, quorum fructum iam nunc intra animos ſuos ſentiunt. Quòd ſi verò literæ verborum aut promißionis Chriſti inſiſtere libeat, non poterit tunc quoque illa mendatij argui. Quia enim Chriſtiani omnes in Chriſto fratres ſunt, & vno eodemque Chriſti ſpiritu aguntur, non poſſunt eos negligere, quos propter fidei communis confeßionem ad egeſtatem redactos eſſe vident. Fit ergo, vt hi non centum modò, ſed mille & amplius patres, matres, fratres, ſorores, liberos habeant, qui eos reliquerunt, quos carnis coniunctio ipſis copulauerat. Nam quocunque terrarum deueniant, germanos Dei filios reperiunt, qui illos amore plus quam fraterno amplectuntur, & omnia illis officia præſtant, quæ ex parentibus, fratribus, liberis & coniunctißimis quibuſque ſperari poterant. Itaque vbique etiam gentium domus, agros & alia inueniunt, quæ ad vitam hanc tranſigendam ſunt neceſſaria. Exempla, quibus iſtud confirmetur, paßim occurrunt. Nam vt de Apoſtolis nihil dicamus, quibus nihil vnquam defuit, quis neſcit Iouinianum & Valentinianum ad Imperij faſtigium euectos fuiſſe tandem, quos Iulianus prius propter fidem in Chriſtum baltheo militari mulctatos in exilium relegauerat? Et quàm multa fiunt quotidie, quæ huic promißioni fidem faciunt? Vtinam omnibus oculi eſſent, quibus ea viderent, & in fide confirmarentur.

Prouerb. 15.

Altera promißionis parte vitam æternam ſuis pollicetur, qua omnem hominis felicitatem comprehendi, alibi diximus: cuius initium eſt in hoc mundo, complementum verò in cœlis erit, vbi ſempiterno gaudio fruemur. Oportuit autem hanc quoque partem adijci, ne quis in huius ſeculi bonis acquieſcat, & ne ſe deceptos arbitrentur, qui nullum aut perquam exiguum pietatis ſuæ fructum in hoc ſeculo reportant. Etenim ſi huius præmij excellentiam conſideremus, quæ (vt Iſaias teſtatur) omnem carnis ſenſum atque intellectum ſuperat, tantam eſſe videbimus, vt eius ſpes atque diligens meditatio omnes huius ſeculi curas atque labores temperare, neque leues modò, verumetiam ſuaues & iucundos facere poßit. Continet ergo promißio iſta omnia, quæ ad veram atque perfectam hominis felicitatem faciunt, quam qui perituris huius ſeculi bonis poſtponunt, næ illi indigni ſunt, quos pro ſuis Deus agnoſcat.

Perſeuerantia mandatur.

Porro, vt diximus, promißioni tam liberali apud Matthæum & Marcum admonitionem adijcit grauem, dicens: Multi autem primi erunt vltimi, & vltimi primi. Qua ſententia ijs mederi vult, qui aliquò vſque progreßi in Regni Dei ſtudio ſe iam ad perfectionem ſummam perueniſſe putant, ideoque ſecuri rerum omnes contemnunt, vel etiam temere damnant, quos abs ſe à tergo relictos aut nondum viam ingreſſos eſſe vident. Docet ergo Dominus non ſatis eſſe, ſi qui bene cœperint, niſi curſum ſuum abſoluant, & indefeſſo ſtudio ad metam ſibi propoſitam contendant. Frequenter enim fit, vt qui primi videbantur, & Dei cauſam magno feruore agebant, ſubitò deficiant, aut ſaltem ab illis præueniantur, qui omnium poſtremi erant. Semper ergo meminerimus eius ſententiæ, qua cunctatori & ad res domeſticas reſpectanti diſcipulo Chriſtus dixit: Nemo qui manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea, quæ à tergo ſunt, aptus eſt Regno Dei. Luc. 9.

Aduerſus crucis ſcandalum inſtruit.

Cæterùm quia iſta cum diſcipulis tunc locutus eſt Dominus, quando Hieroſolymam proficiſcebatur, vbi ſeipſum pro mundi peccatis immolaturus erat, nouum ſermonem ille inſtituit, quo & trepidos conſolatur, & aduerſus ſcandalum crucis illos inſtruit. De eo ſic Lucas ſcribit: Ieſus autem aſſumptis illis duodecim, dixit eis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & perficientur Filio hominis omnia, &c. Cum duodecim diſcipulis priuatim de his, quæ ipſi euentura erãt diſſerit: quia

illi inſtitutione præ alijs opus habebant, eò quòd (vt Marcus annotauit) timore non paruo correpti
trepidarent. Sciebant enim Hieroſolymæ hoſtes eius rerum potiri, & ibidem periculorum & inſidia
rum plena eſſe omnia. Et hi illi ſunt, qui quaſi confecta re omni de præmio paulò ante quæſiuerunt.
Rurſus ergo hîc infirmitatis humanæ exemplum proponitur, cuius hic nobis vſus eſſe debet, vt ne
nobiſipſis fidamus, aut noſtræ ſalutis ſecuri alios temere damnemus. At non minus obſeruari debet
bonitas Chriſti, qui meticuloſos milites non à ſignis ſuis reijcit, neque publica ignominia notat, ſed
amicè iuſtituit atq; conſolatur. Orationis iſtius partes duæ ſunt.

Conſolatur. Prima conſolationem habet validiſſimis argumentis ſuffultam. Ecce (inquit) aſcendimus Hie
roſolymam, & perficientur Filio hominis omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas. Fidi Imperatoris
inſtar periculum prædicit, & ita ſe non ignarum eſſe oſtendit eorum, quæ ipſi ſint euentura. Quo vt
ſuam diuinitatem diſertè declarat: ita non obſcurè innuit, inexcuſabilem fore ipſorum timiditatem,
ſi periculi eius ſocij eſſe nolint, cuius maior pars in ipſius ſolius caput ſit redundatura. Deinde nihil
temere euenturũ eſſe docet, ſed ea ſolùm, quæ olim per Prophetas prædicta ſunt. At conſtât hos Dei
ſeruos fuiſſe, & proinde nihil prædixiſſe, quàm quod æterno Dei decreto conſtitutũ eſſe, ex Spiritus
ſancti reuelatione didicerant. Sunt hæc efficaciſſima conſolationis argumenta, quæ hodie ſibiipſis ap-
plicare debent omnes, qui propter fidem in Chriſtum in periculum veniunt. Cogitent primùm, ſe du-
cem omnis certaminis habere ipſum Dei Filium, qui duriſſima pro nobis ſuſtinuit olim, & hodie ad-
huc nobis ſua virtute & Spiritu adeſt, vt omnibus ferendis poſſimus ſufficere. Quis ergo ſub hoc
duce trepidet, quem in Euangelio clamantẽ audit: Venit princeps huius mundi, & in me non habet
2. quicquam? Item, Confidite, ego vici mundum. Deinde meminerimus quoq;, nihil nobis accidere for-
tuitum. In eius enim manu ſumus, qui & dies vitæ noſtræ & capillos omnes in numerato habet: cuius
item prouidentia ad paſſerculos vſq; & pullos coruorum, atq; flores in agris abſq; omni hominũ cul-
tura naſcentes extenditur. Quia verò ille humani generis amantiſſimus, imò Pater noſter eſt, qui
virium noſtrarum tenuitatem probè nouit, minimè timendũ erit, ne nos ſupra vires tentari patiatur.
Illud potius probè omnes meditẽtur, quàm graue ſcelus ſit eius voluntati reſiſtere, & collũ ſubducere
velle oneri, quod ille nobis certo conſilio imponit. Venia indignus putatur, qui Senatuſconſulto ſtare
detrectat, aut publica authoritate confirmatam ſententiam reijcit. Num ergo nos impunè laturos
putabimus, ſi crucẽ eam ferre detrectemus, quam ſummus ille Rex regũ nobis ex æterno ſuo decreto
3. imponit? Adde his, quòd cùm afflictionum omnium ducem atq; ſocium habeamus, Ieſum Chriſtum,
non alius nobis illarum finis erit, quam qui ipſi fuit. Ipſe per diram & infamem mortem in gloriam
Patris ſui ingreſſus eſt. Ergo nobis quoq; in eodem ad cæleſtem & æternam felicitatem aditus pate
bit, ſi cum illo in omni tentatione in finẽ vſq; perſeueremus. Vide infra Luc. 22. Vos ij eſtis, qui per-
manſiſtis mecũ in tentationibus meis: Et ego diſpono vobis, ſicuti mihi diſpoſuit Pater regnum, etc.
Quo Paulus reſpiciens dicebat: Si cum Chriſto affligimur, cum eodem regnabimus: ſi cum eo mori-
mur, tum eodem viuemus.

Prædicit quid ſibi euenturum. Altera parte diligentius exponit, quænam illa ſint, quæ ipſum Hieroſolymis ſecundum Pro-
phetarum veterũ vaticinia pati aut ſufferre oporteat. Tradetur (inquit) Filius hominis gentibus,
& illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur: Et poſtquam eum flagellauerint, trucidabunt:
ſed die tertia reſurget. Habet hæc quoq; tam diligens omnium, quæ ipſi euentura ſint, commemoratio,
non obſcurum diuinitatis teſtimonium, & ideo diſcipulorum fidem aduerſus futurum crucis ſcanda
lum vehementer conſolari potuit. Præcipua tamen illius cauſa mihi eſſe videtur, quòd de tota ſalu-
tis ratione diſcipulos iterum admonere voluit: quòd tunc imprimis neceſſarium erat, ne propriæ iu-
ſtitiæ & ſuorum operum fiducia efferrentur. Præſtiterant enim illi, quod à magnate & opulento iu-
uene requiſiuerat, atq; omnibus relictis rebus ipſum erant ſecuti. Laude etiam eximia illos Chriſtus
exornauerat, vt Matthæus prodidit: Amen dico vobis, vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm
ſederit Filius hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam vos ſuper thronos duodecim iudicantes
duodecim tribus Iſraelis. Quibus plures aliæ promiſſiones acceſſerunt, quas ſuo loco vidimus: Ne
ergo (quod dixi) aduerſus Dei gratiã triſtas erigerent, vt qui iampridem ampliſſima præmia ſibi
deberi ſibiipſis perſuaſerant, paucis admonet, in quibus nam ſalus hominis conſiſtat. Itaq; verborum
iſtorum hic ſenſus eſt: Multa quidem huiuſq; præſtitiſtis, & laudem meretur veſtra virtus atque
conſtantia,

conſtantia, qua mihi in hunc vſq; diem adhæſiſtis: ſed non propterea voc gloriari aut efferri velim, vt qui ipſi vobis ſalutis aeternæ ſitis authores. Eſt enim illa maioris pretij, quàm vt vlla hominum induſtria aut operibus acquiri poßit: & meum hoc opus eſt, quem Pater cœleſtis æterno decreto deſtinauit, vt mortis indignæ ſupplicio peccata mundi expiem, reſurrectione autem glorioſa mortem atq; inferos deuincam, & vitam omnibus conferam, qui in me crediderint. Ex his autem doctrina generalis peti debet, ſalutem omnẽ in vno Chriſto haberi, neq; aliud nomẽ ſub cælo hominibus datum eſſe, in quo ſeruari poßint. Docent hoc vnanimi conſenſu Prophetæ & Apoſtoli, & hoc ipſum cõmunis ſenſus teſtatur. Quis enim crediderit Deum, qui & iuſtißimus & ſapientißimus eſt, hanc tam grauem atq; diram humanæ ſalutis recuperandæ rationem inituram fuiſſe, quæ non aliter quàm indigna Filij ſui dilectißimi morte conſtare poterat, ſi vlla alia excogitari potuiſſet? In ea igitur nos bonitatem illius ita agnoſcere decet, vt in vno Chriſto acquieſcamus, procul relicta tam noſtrorum meritorum quàm omnium aliorum hominum fiducia. Quia tamen de hoc ſæpe diximus, & nunquam non de eo dicendi occaſio occurrit, nolumus iſta nunc prolixius proſequi.

Audiamus verò de diſcipulis illis duodecim loquentem Lucam. Ipſi verò (inquit) nihil horum intellexerunt, erantq; iſta verba ipſis occulta, nec cognouerunt quæ dicebantur. Multis rem vnã & eandem dicit, adeoq; Pleonaſmis vtitur, vt plus quam ſtupidam ignorantiam exprimat. Nec enim contentus dixiſſe, quòd nihil horum intellexerint, addit: Erantq; verba iſta ipſis occulta. Et rurſus: Nec cognouerunt quæ dicebantur. Et quid obſecro in verbis iſtis tam occultum aut abſtruſum erat? An neſciebant Filij hominis vocabulo ipſum Chriſtum denotari? Erat certè hoc etiã hoſtibus illius notißimum, vt multis exemplis probari poſſet. An verò ignorabant, quid ſit tradi gentibus, illudi, contumelijs affici, flagellari, conſpui, deniq; trucidari? Aut quid obſcuri inerat locutioni iſti: Tertia die reſurget? Hæc certè omnia ſimplicia, aperta & clara ſunt, neq; in ſenſum aliquem ambiguũ poſſunt torqueri. Cur ergo illis occulta videntur? cur quæ his dicuntur non intelligunt? Quia falſa de Regno Chriſti terreno perſuaſione præoccupati & faſcinati non poſſunt videre, quomodo iſta ei conueniant, quem paulò poſt regni ſedem Hieroſolymis erecturũ eſſe ſibi perſuaſerant, deiectis Romanorum præſidijs, quibus tunc Iudæus populus grauabatur. Eſtq; hoc memorabile exemplum, quo docemur, quàm noxium ſit falſis opinionibus imbui. Vt enim guſtus organis corruptis omnia inſipida eſſe aut aceſcere videntur: ita qui animos prauis perſuaſionibus occupatos habent, ijs obſcura, abſurda & impoßibilia ſunt, quæcunq; de Chriſti regno ſpirituali & ſalutis humanæ myſterijs traduntur. Quid ergo miramur, ſi hodie pauci Euãgelio credant, quando infiniti errores atq; ſuperſtitiones ferè omnium animos iampridem faſcinarunt? Nam vt de veteri ſuperſtitione nihil dicamus, nouæ quotidie ſectæ prodeunt, & proprium (vt ita dicam) Chriſtum ſibi quiuis fingit. Taceo multorum furores, quibus agitati cælum terræ miſcent, & pro ſua libidine confundunt. Prodeſt autem illa diligenter obſeruare, ne aliorum cæcitas aut ignorantia nobis ſcandalo ſit: Ipſi verò in Dei verbum atque promißiones intenti, Ieſum Chriſtum agnoſcamus eum eſſe, qui ſuæ mortis & reſurrectionis merito nobis ſalutem peperit, & cui nunc in cælis regnanti debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Stupida diſcipulorum ignorantia.

HOMILIA CLXXI.

Factum eſt autem dum ipſe appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat iuxta viam mendicans. Cùm igitur is audiſſet turbam prætereuntem, percontabatur quid hoc eſſet. Nuntiauerunt autem ei, Ieſum Nazarenum tranſire. Tunc clamauit dicens: Ieſu, Fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, obiurgabant eum vt ſileret. Ipſe verò multò magis clamabat, Fili Dauid miſerere mei. Ieſus autem cùm ſubſtitiſſet, iuſſit eum adduci ad ſe: & cùm is appropinquaſſet, interrogauit eum: dicens: Quid tibi vis faciam? Ille verò dixit: Domine, vt viſum recipiam. Et Ieſus dixit ei: Recipito viſum, fides tua te ſeruauit. Illico igitur viſum recepit, ac ſequebatur eum, glorificans Deum: & totus populus cùm hoc vidiſſet, tribuit laudem Deo.

EXpoſuit nuper Ieſus Chriſtus diſcipulis, quid ipſum Hieroſolymis pati oporteat, & paucis verbis oſtendit, ſalutem noſtram omnem in ſuæ mortis merito & reſurrectionis virtute conſiſtere. Cæterùm quàmuis disertè & abſque omni verborum inuolucro iſta propoſuerit, nihil tamen horum illi intellexerunt, eò quòd falſa & erronea de Regno Chriſti terreno opinione excæcati hæc tam profunda redemptionis noſtræ myſteria cernere non poſſent. Eorum autem exemplo Spiritus Sanctus omnium noſtrûm cæcitatem arguit, qui in diuinis adeò nihil ex nobiſipſis ſapimus, vt ſi quid conemur noſtri ingenij ſolertia atq; induſtria inueſtigare, nosmetipſos inextricabilibus errorum Labyrinthis implicemus, ſicuti in Iudæorum Rabbinis & gentium philoſophis eſt videre. Et ſi vnicus error ex communi omnium perſuaſione, quæ tunc inter Iudæos regnabat, conceptus, tantū in Apoſtolis potuit, quid tunc paſſuros nos putabimus, ſi cum carnis ratione omnes ſimul carnis ſenſus atq; deſideria concurrant? Itaque præſenti & prompto remedio nobis eſt opus: quod non aliud erit, quàm vt Chriſtum ſequamur, qui lux mundi eſt, & ſuo in mundum aduentu verum illum & ſalutiferum iuſtitiæ Solem reduxit, qui nos in errorum & peccatorum tenebris errare non ſinit. Commodiſſimè ergo ijs, quæ de diſcipulorum ignorantia dicta ſunt, miraculi huius hiſtoria ſubijcitur, quo ille apertè probat, ſe lucem illam eſſe, quæ ſola mentes noſtras veritatis & ſalutis cognitione illuminet. At cùm eadem de multis alijs cognitu neceſſarijs nos admoneat, ſingulas partes percurramus.

Cæcus typus humani generis.

Orditur à perſonæ deſcriptione Lucas, in qua miraculum eſt editum. Gerit ea humani generis typum per omnia infelicis ac miſeri. Cæcus enim fuit, quam non leuem miſeriam eſſe conſtat, cùm inter hominis ſenſus viſu nullus ſit præſtantior, & qui tam neceſſitati quam voluptati magis ſeruiat. Accedit calamitati huic inopia rerum omnium, quæ infelicem coegit publicè mendicando victū ſibi parare. Nam vt aliâs monuimus, etſi Deus in lege ſua cauiſſet, ne mendicus eſſet in Iſraele, & rationem monſtrauiſſet, qua inopes alerentur: ſacerdotum tamen iniquitate & auaritia lex quoq; illa abolita fuit, eò quòd illi publica Eccleſiæ bona ſibi vendicabant, vt & ſuæ & præſidum cupiditati ſatisfacerent, quorum authoritate ad impium ſuum quæſtum tuendum ipſis opus erat. Et hæc cauſa eſt, quòd in Euangelica hiſtoria ſæpius ſit mendicorum mentio, quos in Veteri teſtamento aut omnino nullos, aut certè pauciſſimos & raros fuiſſe conſtat. Id verò admonemus, vt eorum confutemus errorem, qui hodie mendicantium ordini patrocinantur, neq; eos in ordinem cogi volunt: & vtinam illud plerique non etiam priuati commodi & quæſtus cauſa facerent, quem ex bonorum eccleſiaſticorum diſpenſatione habent vberrimum. Quia tamen hæc alterius loci ſunt, nunc obſeruemus, quod paulò ante dixi, in miſero hoc omnium noſtrûm conditionem infeliciſſimam adumbrari, qui oculos mentis amiſimus, vt diuina non poſſimus intueri: adhæc omnis virtutis egeni & in Dei conſpectu mendici ſumus, perituri prorſus, niſi ille ſua gratia & miſericordia noſtram egeſtatem ſarciat.

Quid facere debeant, qui cupiunt illuminari.

1. Sedet ad viam.

Videamus ergo quid iſte fecerit, vt quid nos quoque facere deceat diſcamus. Tribuuntur illi omnia veræ fidei indicia ſiue argumenta, quæ omnino opus eſt omnibus, qui ſeruari cupiunt. Primò ſedet iuxta viam, eò nimirum productus, vt à prætereuntibus ſtipem peteret. Itaq; audito ſtrepitu maiori, quem ingens Chriſti illac tranſeuntis comitatus excitabat, quærit quis nam ille ſit, quem tam multi ſequantur: & vt primùm audit Ieſum eſſe, alta voce eum inuocat. Vnde apparet nomen Ieſu ei non ignotum fuiſſe, de cuius miraculis & beneficentia haud dubiè ex alijs multa audiuerat, & fortaſſis diu captarat ipſum conueniendi & implorandi occaſionem. Eſt hoc ſalutis noſtræ initium. Offert quidem ſe nobis Deus ſponte per verbum ſuum, & promiſſionibus liberaliſſimis nos inuitat. Idem tamen nos ſalutem ſitire & omnem eius aſſequendæ occaſionem diligenter quærere & obſeruare iubet, ne in re tanti momenti nobiſipſis vnquam deſimus. Et huc ſeriæ illæ admonitiones pertinent: Quærite Dominum, dum inuenitur: inuocate eum dum prope eſt. Sedeamus ergo ad viam

Iſa.55.

præceptorum eius, & audiamus attentè, quid nobis ille loquatur. Studio huic autem coniungamus preces, quibus opē eius imploremus: qui illi gratiſſimus cultus eſt. Iſta ſi qui negligunt, ij ſatis oſtendunt, ſe non magno ſalutis ſtudio teneri, & proinde non mirum eſt, ſi nihil proficiant. Quid ergo de illis dicemus, qui Dei gratiam faſtidiunt, & Chriſtum ſe ipſis liberaliter offerentem reijciunt: neue illum aliquando admittere cogantur, tæcus ſacros fugiunt, conciones nullas audiunt, Sacramentorum vſum deteſtantur, aut ſaltem impudenter negligunt? Indigni certè ſunt tales, qui Spiritu Dei illuminentur & ſalui fiant: digni autem qui in ſua cæcitate pereant.

Deinde

2 Inuocat Chriſtum.

Deinde inuocat cæcus iſte Ieſum Chriſtum, qui proprius fidei effectus eſt, vt iam ſæpe diximus: inuocatione autem ſua breuiter complectitur quæcunq; ad ſalutem neceſſaria ſunt. Clamat enim: Ieſu, fili Dauid, miſerere mei. Primò Chriſtum inuocat, & hunc Filium Dauidis dicit, vt eum teſtetur promiſſum illum & multis ſæculis expectatum ſeruatorem eſſe. Hunc enim ex Dauidis poſteritate naſciturum eſſe Prophetarum vaticinia docebant, in quibus aliquando Dauid ipſe dicitur, & Iſaias illum germen Ieſſe vocat. Fuit ergo hæc non obſcura fidei confeßio, quam miſer iſte ex eius miraculis & Spiritus ſancti ſuggeſtione conceperat: & qua illuminatus animo ſuo acutius videt quàm Scribæ & Phariſæi, qui (vt olim per Iſaiam Deus minatus fuerat) oculis videntibus cæcutiebant, audiendo non audiebant & ſcientes neſciebant, craſſa nimirum & voluntaria ignorantia impediti. Ad hunc ergo nos quoque contendamus, qui & propenſus eſt ad iuuandum, & neminem ad ſe venientem reijcit. Ac hic imprimis obſeruari debet, quòd ſuæ miſeriæ ſibi probè conſcius, non ſua opera aut merita qualiacunque iactat, ſed ſolam miſericordiam illius implorat. Ieſu (inquit) fili Dauid, miſerere mei. Agnouit ergo ſe non modò quoad corpus cæcum & mendicum eſſe, verumetiam animi cæcitate & virtutis inopia laborare, & proinde vniuerſum ſalutis præſidium in ſola miſericordia Dei eſſe collocatum. Eſt hæc noſtræ infirmitatis atque imperfectionis agnitio omnibus neceſſaria. Hæc enim ſola ſerium ſalutis ſtudium in nobis excitat, & ſimul preces noſtras Deo acceptas facit, quæ ipſi minimè probantur, ſi ex animo confidenti & propriæ iuſtitiæ fiducia inflato procedant, ſicuti in Phariſæi & publicani hiſtoria vidimus.

3 Conſtans eſt in fide.

Accedit tertium in cæci exemplo, ſine quo priora illa omnia non profuiſſent, fortis nimirum & inuicta fidei conſtantia. Nam à populo obiurgatum fuiſſe Lucas ſcribit, ne Chriſti opem imploraret. Et credibile eſt multos offenſos fuiſſe, quòd illum diſertis verbis filium Dauidis & promiſſum Seruatorem diceret. Sciebant enim quàm hoc ingratum eſſet Phariſæis & Sacerdotibus, qui tunc rerum potiebantur. Alij etiam Chriſto aliquā moram iniji indignius ferebant. Multos fortaßis ſua moroſitas mouit, vt importuno mendici clamore offenderentur. Veruntamen pergit ille, & quaſi certamen ſuſcepiſſet cum illis omnibus, eò magis vocem ſuam intendit, quò magis illi increpando & obiurgando inſtant. Eſt hæc eius conſtantia imitatione digniſſima. Quod enim iſti accidit, omnibus fieri ſolet, qui Chriſtum ex fide inuocant. Non poteſt enim hoc ferre mundus, qui cùm totus in malo iaceat, veritatis lucem odit & extinctam cupit. Obſtant item hypocritæ, quibus gratiæ & miſericordiæ Dei imploratio intolerabilis videtur, eò quòd per hanc ſuorum meritorum & iuſtitiæ propriæ fiduciam euerti ſentiunt. Multi item qui eundem nobiſcum Chriſtum profitentur, nos modeſtiæ admonent, & prudenter interdum diſſimulandam eſſe aiunt fidei confeßionem, ne mundi odium & indignationem prouocemus. Terret interdum propria conſcientia, quæ nos indignos eſſe clamat, qui à Deo exaudiamur. Adhæc, quia interdum Deus opem diutius differt, ex eo diffidentiæ occaſio naſcitur, vt de illius erga nos voluntate dubitare incipiamus. Sed per omnia obſtacula pergere nos conuenit. Cur enim mundi autoritas eos moueat, qui ſe non amplius ad huius ſocietatem pertinere, ſed ab eo ſelectos & ſeparatos eſſe ſciunt? Cur hypocritas iuſtitiarios audiamus, quibus nihil Deo magis inuiſum atq; exoſum eſt? Cur item fratrum conſilia ſequamur, qui carnis potius ratione quàm Dei verbo ducuntur? Aut num pluris faceremus noſtræ conſcientiæ iam fluctuantis ſuggeſtionem, quàm Dei promißiones, quibus ſuam nobis opem tam liberaliter pollicetur? Cur denique eius cunctatio nobis ſuſpecta ſit, qui & Pater eſt fideliſſimus, & cum ipſa ſit ſapientia, melius quā nos intelligit, quando nobis auxilium ferre debeat? Horum conſideratione diligenti nos confirmemus, & viduæ exemplum (quod huius cap. initio audiuimus) imitemur, vt fidei conſtantia ſuperemus ea, quæ nullis hominum viribus confici poſſunt.

Chriſtus cæci clamorē audit.

Et ſeruiat hîc nobis huius cæci exemplum, cuius tam ſeria tamque pertinax inuocatio fructu ſuo minimè caruit. Audit enim hanc inter turbæ ſtrepitum & obiurgationum voces Chriſtus, & mox gradum ſiſtit, qui præteriturus videbatur. Quo loco partim Dei bonitas adumbratur, qui nullius clamorem faſtidit: partim vis precationis ex vera fide proficiſcentis exprimitur. Oratio afflicti (inquit Sapiens ille) nubes penetrat, non conquieſcit nec deſiſtit, donec venerit ad Altißimum. Eccl. 35. *Orando igitur impetramus, vt in auxilium noſtrum Deus feſtinet, vtque nos benignè reſpiciat, qui noſtri curam iam pridē putabatur depoſuiſſe. Exempla, quibus hoc demonſtretur, alibi adduximus.*

Et multorum inſtar eſſe poteſt, quod hîc habemus. Nec enim ſubſiſtit modò Chriſtus, ſed cæcum hũc ad ſe adducere iubet. Atqui vno verbo abſentem curare poterat. Sed docere voluit, neceſſe eſſe, vt ad ipſum propius accedant, qui animi oculos cœleſti & immortali luce illuminari cupiunt. Ad ipſum autem veniunt, quicunq; verbum eius ſtudioſè audiunt, & fidei alis ſupra mundum hunc euecti altiora & cœleſtia quærunt. Simul etiam officij omnes eos admonet, qui ipſius ſectatores haberi volunt: quod eſt, ne cui obſtent, qui opem eius implorat, quin potius ad ipſum propius adducãt, quoſcunq; ad fidem inclinare vident. Vbi verò in conſpectum eius ille adductus eſt, quærit quid ſibi fieri velit. Poterat quæſtio illa ſuperuacanea & ridicula videri: ſed neceſſariã fuiſſe patebit, ſi rem ipſam diligentius conſideremus. Nam in vulgo mendicorum multi ſunt, qui etſi ab omnibus opem magno & improbo clamore petant, iidem tamen à morbis, quibus tenentur, liberari minimè cupiunt, eò quòd ex illis quæſtum faciant. Sunt hi eorum typus, qui veritatis cognitione illuminari nolunt, quia ſuperſtitionum tenebras ſibi quæſtuoſas eſſe ſentiunt. Deinde fidem iſtius adhuc clarius innoteſcere omnibus oportuit, ne Chriſtũ præclaro & illuſtri Filij Dauidis nomine ideò appellaſſe putaretur, vt plus pecuniæ ab ipſo & eius ſtudioſis emungeret. Quia enim viſum ab illo petit, nõ obſcurè fatetur, ſe in illo aliquid homine maius agnoſcere, neq; hoc ambitioni datum eſſe, quòd Dauidis Filium dixit. Id verò ad nos quoq; pertinet. Nam noſtrã quoq; fidem Deus notam eſſe vult omnibus: eò quòd eius libera confeſſio ad illuſtrandam Dei gloriam facit, & alios quoq; excitat & trahit, vt de ſua ſalute diligentius cogitent. Poſtremò quod ille petebat, liberaliſſimè largitur. Nam vno verbo viſum illi reddit, & ſimul propter eos qui aderant, diſertè exprimit medium, quo ille tantum Dei donum percipiebat. Fides tua (inquit) te ſeruauit. Itaq; Dei verbo illuminamur, cuius lucerna & pedes noſtri

Pſal. 119.

diriguntur (vt Dauid ait) & ea nobis reuelantur, quæ noſtri ingenij captum ſuperant: eodem etiam nobis Deus offert, quæcunq; nobis ad ſalutem conſequendam vtilia & neceſſaria ſunt. At hic nobis fide opus eſt, ſine qua verbum non poteſt intelligi, neq; etiã ratæ eſſe promiſſiones, quæ nõ aliter quàm fide apprehendi poſſunt. Etenim contradicit verbo Dei carnis ratio, dum omnia ad ſuum calculum reuocat: quam ſola fides ſubigit, vt totus homo voluntati Dei ſeſe ſubmittat, & æternæ ſalutis capax fiat. Ac quia fides non noſtri arbitrij eſt, ſed à Deo datur (quod non vno loco Scriptura docet) ex eo nimis apertè colligitur, totam noſtræ ſalutis rationem ex gratuita Dei miſericordia pendere.

Cæcus pallium relinquit.

Cæterùm ne quis hinc ſecuritatem aliquam animo cõcipiat, & ſub fidei prætextu otium quærat, non inutile fuerit videre, qualem cæcus iſte ſe inter hæc omnia geſſerit, quid item fecerit tanto beneficio affectus. Occurrit hic primo loco, quòd Marcus illũ exiliiſſe ſcribit, cùm ſe à Chriſto vocari audiret, & relicto etiam pallio ad eum feſtinaſſe. Eſt hoc fidei alacris & vero zelo flagrantis euidentiſſimum argumentum: & eius exemplo admonemur, omnem moram eos abrumpere oportere, qui ſalutem in Chriſto conſequi volũt, & procul à tergo relinquere veterem hominem cũ omnibus iis, quæ huic iucunda aut magnifica videntur: qualia ſunt, propriæ iuſtitiæ fiducia, opes, honores, dignitates, carnis ſapientia, & quæcunq; alia ſunt huius generis. Quæ omnia propriiſſimè per huius mẽdici pallium adumbrantur. Sunt enim reuera nullius pretij, cùm neq; in Dei conſpectu atq; iudicio nos tueri vel tegere poſſint, neq; etiam ſtabilia & firma ſint, ſed plerunq; tunc nos deſtituunt, quando ex illis magnum quid ſperabamus. Deinde quod paulo antè diximus, quid petat interrogatus, non aliud petit, quàm vt viſum recipiat. Quo exemplo rurſus admonemur, vt ipſi quoq; in Chriſto non alia quæramus, quàm quæ æternæ ſalutis ſunt: & imprimis quidem, vt qui mundi lux eſt, cœleſti ſapiẽtia & ſalutifera Patris cœleſtis atq; voluntatis eius cognitione mentes noſtras illuminet, vt inoffenſo pede per huius mundi tenebras ambulemus, & neq; exemplo eius prauo, neq; ſuperſtitionum aut errorum laqueis irretiamur. Qui iſta quærunt, procul dubio quod quærunt inuenient. At qui carnalibus intẽti ſunt, ſpe ſua fruſtrabuntur. At quæ noſtri ſæculi calamitas eſt, pleriſq; cœleſtia & æterna bona ſordent, aut ſaltem ea non magni faciunt, niſi ea cũ huius ſæculi bonis coniuncta eſſe videant.

Solum viſum petit.

Poſtremo, vbi viſum iſte recepit, Chriſtum cum aliis ſequitur, & Deum glorificat. Vnde rurſus apparet, eum maiora adhuc de Chriſto ſperaſſe, & non tam corpore quàm mente fuiſſe illuminatũ. Neq; hîc prætererire debemus, quòd etſi mendicationi aſſueuiſſet, non tamen miraculo in ſua perſona edito ad quæſtum abutitur, vt à turba populi, qui frequentiſſimus aderat, ſtipem & ampliora vitæ ſubſidia flagitet: quod hodie plurimi facere ſolẽt, qui ſe aliquo Dei beneficio inſolito nobilitatos eſſe ſentiunt. Sed

Chriſtum ſequitur.

noſter

noſter hic vnum Chriſtum animo ſuo cogitat, hunc vnum loquitur, & prioris vitæ pertæſus ex ſecta torum eius numero eſſe cupit: adhæc Deum publicè prædicat, & huic gratias agit.

His præclarum miraculi huius effectum ſubijcit Lucas, qui ad populum redundauit. Hic enim cùm illud vidiſſet, ipſe etiam Deo laudem tribuit. Agnoſcunt ergo in miraculis Chriſti virtutē humana maiorem, quam nos quoq; in illis agnoſcere debemus. Et quidem laude digni ſunt, qui illud ſeriò fecerunt. At ex ſequenti narratione patebit, multos nimiùm leues & inconſtantes fuiſſe, qui non multò poſt vel ab eo turpiter defecerunt, vel necis quoq; eius fuerunt authores. Quod exemplum obſeruaſſe prodeſt, vt ne mundo fidamus, etiamſi is magno conatu & impetu ad prouehendam gloriam Dei ferri videatur. Eſt enim ferè torrentis inſtar ille impetus, qui repentinis pluuijs auctus ruit, mox autem ſubſidens curſum ſiſtit, quòd fonte largiori & perenni deſtituatur. Quòd verò præcipuū totius hiſtoriæ caput eſt, diſcamus lucem veritatis & vitæ æternæ nobis in Chriſto exhibitam eſſe. Illum ergo ſequamur, & relictis mundi tenebris filios lucis agamus, vt olim cū eo, qui lux vera eſt, in cœlis viuamus & regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternū. Amen.

CAPVT XIX.

HOMILIA CLXXII.

IEſus autem ingreſſus Iericho, tranſibat. Et ecce quidam qui nomine vocabatur, Zacchęus, princeps publicanorum, & diues, ſtudebatq; videre quis eſſet Ieſus: nec poterat præ turba, quòd ſtatura paruus eſſet. Itaq; præcurrens aſcendit in ſycomorum, vt eum videret: quoniam futurum erat, vt illac tranſiret. Vt autem venit ad eum locum, ſuſpiciens Ieſus, eum vidit, & dixit ei: Zacchęe, feſtinans deſcēde: hodie enim domi tuę oportet me manere. Tum is feſtinans deſcendit, & excepit eū gaudens. Et omnes cùm hoc vidiſſent, murmurabant, dicētes, eum ingreſſum eſſe ad hominem peccatorem, vt ibi diuerſaretur. Adſtans autem Zacchæus dixit Domino: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid cuipiam per calumniam eripui, reddo quadruplum. Dixit autem ei Ieſus: Hodie ſalus domui huic contigit, eò quòd ipſe quoque filius Abrahami eſt. Venit enim Filius hominis, vt quærat & ſeruet quod perierat.

QVONIAM Dei Filius, Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus ideo in mundum venit, vt qui non vident per ipſum illuminati videant: frequenter tam verbo quàm miraculis docet, qua ratione nos lucis & ſalutis, quæ in ipſo habentur, participes fieri poſſimus. Et verbo quidem oſtendit, fidem medium illud eſſe, quo ipſum cum ſuis donis omnibus appræhendimus: illud ipſum autem factis ſuis miraculoſis probat. Quoties enim vel peccata aliquibus remittit, vel morbis quibuſcunq; medetur, ſemper ſolius fidei meminit, & hac illos ſeruari teſtatur. Exemplū eius rei nuper in cæci Hierichuntini hiſtoria vidimus. Vt autē ille, cùm inops & mendicus eſſet, Chriſti virtute atq; beneficio viſum recepit: ita nunc producitur Zacchæus, homo diues & opulentus, cuius mentem pari gratia ille illuminat & efficaciter trahit, vt ipſum communem omnis loci & ordinis hominum Seruatorem eſſe ſciremus, adhæc vnam & eandem omnibus hominibus rationē propoſitam eſſe, qua ipſum & ſalutem in ipſo amplectantur. Eſtq; hæc hiſtoria admodum memorabilis & conſideratu digniſſima. Nam ſimul & gratuitæ miſericordiæ exemplum habet, qua Deus indignos quoq; vocat, & pœnitentiæ veræ typum proponit, quo docemur, quid eos deceat, qui ex gratia & per fidem iuſtificati atq; ſeruati ſunt. Ioan. 9.

Rurſus autem à præcipuæ perſonæ deſcriptione Lucas orditur, quis nimirū fuerit ille, de quo hîc agitur, & quid fecerit. Quoad primum, nomē ille fuit Zacchæo, & princeps publicanorum fuit, atq; admodum diues. Dum verò publicanorum principem ſiue magiſtrum dicit, vno verbo complectitur Zacchei deſcriptio.

quicquid in alicuius infamiam dici poterat. Publicanos enim fuiſſe alibi diximus, qui telonia & vectigalia, ſiue quæcunq; huius generis ad remp. pertinent, certa aliqua pecuniæ ſumma redimebant, & illis in ſuam poteſtatẽ redactis, populum exactionibus inſolitis atq; iniquis grauabant. Itaq; etſi per ſe non malum neq; impium opus ſit, vectigalia exigere, iſti tamen non temere apud omnes peſſimè audiebant, quòd in populum Dei non minus iniuſtitia & iniquitate, quàm inhumanitate inexcuſabili peccarent. Inter hos autem princeps quidam aut anteſignanus fuit Zacchæus noſter, propter impoſturas & crudelitatem inſatiabilem adeò infamis, vt omnes fremant & murmurent, quando Chriſtum vident ad illum ex itinere diuertere. Adhæc diues fuit: ex eo nimirum genere hominum, de quibus ſupra Chriſtus admonuit, quòd magna cum difficultate in Regnum Dei ingrediãtur. Et talem quidem hominem Chriſtus ſibi nunc deligit, ne de ſua ſalute diuites facilè deſperent, & vt ſuam miſericordiam gratuitam nobis commendet, quæ ſalutis noſtræ firmiſſima baſis eſt.

Zacchæus Chriſtum videre cupit.

Videamus igitur alterum, quod in eius deſcriptione annotatur, quid nimirum tunc fecerit, quãdo illum tanta gratia Dominus dignatus eſt. Studebat videre Ieſum, de quo nimirum multa audierat ſingularis gratiæ & miſericordiæ argumenta. Siue autem ad illud vel curioſitas quædam prophana mouerit, qualem Herodi poſtea Lucas adſcribet, ſiue fides: meritum tamen ſalutis noſtræ hic nullum poteſt ſtatui. Quia enim nemo ad Chriſtum venit, niſi Pater eum traxerit, illum quoq; non ſine peculiari miſericordia excitatum & inſtigatum fuiſſe oportet, vt iſtud faceret, quod hic narratur. Nam cùm ſtatura puſillus eſſet, neq; Chriſtum facilè videret in confertiſſima hominũ vndiq; circumfuſorũ frequentia, in arborem Sycomoræam aſcẽdit, quæ ad eam viam fuerat plantata, per quam Chriſtus erat tranſiturus. Eſt hoc non vulgaris, ſed ingentis & ardentiſſimi deſiderij argumentum. Quia enim diuites & qui in publica dignitate conſtituti ſunt, præ alijs eminere cupiunt, & ideo ſeſe cũ grauitatis ſpecie venditant, vehemens in Zacchæi animo ſtudium exarſerit oportet, quod virum opulentiſſimum & eius ordinis, qui (vt ex Cicerone alibi docuimus) apud Romanos honoratiſſimus erat, principẽ mouit, vt in tanta hominum tam peregrinorum quàm ciuiũ, multitudine ſiue frequentia arborem conſcenderet. Quid enim magis alienũ ab eo, qui ſibi maiorem, quàm vulgus hominum habeat, dignitatem & exiſtimationem vendicat? Nec temere iſtud ab Euangeliſta narratur. Eo enim exemplo admonemur, quid omnes eos facere conueniat, qui Chriſtum corã intueri, & ſalutari eius cognitione illuminari cupiunt. Quoad in huius mundi turba verſamur, & illum ſequimur, neq; Chriſtum rectè videre, neq; ſalutem in illo exhibitam percipere poſſumus. Sumus enim omnes quoad corporis ſtaturam, id eſt, quoad vires noſtri ingenij aut animi, inferiores, quàm vt ad tantorum myſteriorum contemplationem nos erigere poſſimus. Adhæc mundus iſte tenebrarum plenus eſt, & nouas quotidie nobis nebulas offundit, quibus magis excæcatur mens noſtra, vt nihil eorum proſpiciat, quæ ad noſtram ſalutem neceſſaria ſunt. Præcurrere ergo oportet, & in altiorẽ Chriſti conſideratiõẽ eniti. Quod tunc commodiſſimè fiet, ſi Eccleſiæ nos coniungamus, cuius typum in ſycomoro quidam non omnino ineptè obſeruarũt. Eſt enim arbor illa partim fico partim moro ſimilis, & ideo à nonnullis ficus Aegyptia, ab alijs Aegyptia morus dicitur. Fœcunda autem eſt admodum & ſuccu lacteo abundat. Fructus itaq; gignit quotannis ter quaterque copioſos, ſed qui non matureſcunt, niſi ferro aut vnguibus ſcalpantur, & deinde vngantur oleo. Eſt hæc pulcherrima Eccleſiæ externæ imago, in qua vox verbi Dei ſonat, & ſacramenta ritè adminiſtrantur. Habet ea in mundo ſpeciẽ mori, id eſt ſtulti populi, cùm vera & cœleſtis ſapientiæ ſchola ſit, & diuinæ gratiæ dulcedine abũdet, quæ in promiſſionibus Dei & in toto cultu externo elucet. Et quia eandem Spiritus Dei vegetat, quouis tempore fructus fert: qui tamen vt ad maturitatem Deo gratam perueniant ſectione & oleo opus habent, id eſt, diſciplina ſeueriori, quã conſolationes ſpiritus mitigent atq; temperent. Illa enim carnis petulantia & ſecuritas corrigitur, quæ frequenter in pijs quoq; locum habet: his autem fides ſtabilitur & confirmatur, ne tentationibus ſuccumbat. Quotquot ergò in illa arbore, Eccleſia nimirum conſiſtunt, & eius doctrinæ atq; Sacramentis communicant, ijs datur, vt Ieſum Chriſtum verè videant, & eius cognitione illuminati ex tenebris huius mundi emergant.

Sycomori allegoria.

Exemplum gratuitæ uocationis.

Faciunt ad horum confirmationem, quæ de Chriſto ſequuntur. Is enim vbi ad eum locum venit, ſublatis oculis Zacchæum vidit, & mox viſum compellat, atq; feſtinanter deſcendere iubet: quia apud ipſum velis diuertere. Suſpexit in arborem Chriſtus, cui Zacchæus inſidebat. Iam ante ergo

illum mouerat. Nam vt Paulus ait, nouit Dominus qui ſunt ſui, & eoſdem quando tempus eſt vocat, vt Eccleſia vera membra facti hoſpitium ipſi præbeant. Habemus autem in his gratuitæ vocationis exemplum, quo docemur, ſalutem nobis abſq; noſtro merito ex miſericordia mera contingere. Quid enim in Zacchæo fuiſſe putabimus, quo tantum beneficium meruerit? Chriſti quidem videndi deſiderio arſit, & deſiderium iſtud mirifico ſtudio declarauit: ſed niſi hūc affectum illi Deus indidiſſet, nunquam id facturus erat. Quid enim in Chriſto erat, quod hominem auarum, raptorem, iniuſtū, crudelem mouere poterat, vt illum videre cuperet? Niſi ergo Deus ſuo Spiritu animum eius hoc affectu intendiſſet, & ignorantem impuliſſet, nulla vnquam eū ſubijſſet ſeria de Chriſto & ſalute in eo conſequenda cogitatio. Itaq; quicquid hic Chriſtus facit, gratuitæ miſericordiæ attribui debet. Quod autem de Zacchæo dicitur, ad omnes nos ex æquo pertinet. Nam etiamſi non omnes publicani & peregrinæ tyrannidis contra fratres & ciues noſtros miniſtri ſimus, peccatores tamen ſumus, & vitiorum illecebris irretiti nihil poſſumus ex nobis ipſis, quod nos ad Chriſtum & ſalutem, quæ in illo habetur, perducat. Itaq; niſi nos ſua gratia Deus præueniat, & ipſe nos quærat, ſuumq; nobis offerat commertium, iam toti perijmus. At non deeſt ille nobis, quin hæc omnia ſedulò & optima fide præſtet: quod alibi Adami, Abrahami, Dauidis, & multorum aliorum exemplis docuimus, qui in Euāgelica hiſtoria deſcribuntur: quibus Zacchæum hunc meritò inter primos adnumerauerit. Nemo igitur hypocritas iuſtitiarios audiat, qui noſtri arbitrij libertatē & vires eò vſq; extollunt, vt nos aut ſalutem noſtris operibus mereri, aut ſaltem nosipſos ad gratiā excipiendam præparare contendant. Quomodo enim cælos merebuntur qui æterno ſupplicio digni ſunt? Aut quæ animi præparatio apud eos eſſe poteſt, qui ne ad cogitandum quidem idonei ſunt, & quorum cogitationes ab ineunte ætate prauæ ſunt?

Prodeſt autem de his ſæpe ſermonem fieri, imò vt gratuitæ vocationis atq; remiſsionis peccatorū doctrina in Eccleſijs pura & ſyncera conſtanter retineatur, multas ob cauſas non modò vtile, verū etiam neceſſariū eſt. Primùm, vt ſuus honos Chriſto Ieſu habeatur, qui ſolus hoc teſtimoniū meruit, quòd ſit dilectus ille Filius, in quo Pater nobis placatus eſt. At quomodo honorem hunc illi relinquēt integrum, qui peccata non propter eius ſolius meritum nobis ex gratia, ſed propter noſtra merita ſiue ſatisfactiones remitti contendunt? Deinde gratuitā remiſsionē doceri neceſſe eſt, vt conſcientiæ certam atq; firmam conſolationem habeant, qua ſeſe in tentationibus ſuſtineant. Illam enim habere non poterunt, ſi ad noſtram dignitatem aut noſtra opera reſpiciant: quæ aut nulla ſunt, aut manca atque vitioſa. Quod Paulus obſeruans dicebat: Si ij qui ex Lege ſunt, hæredes ſunt, id eſt, ſi Regni cæleſtis & ſalutis æternæ hæreditatem ij ſoli adibunt, qui Legi ſatisfaciunt: inanis facta eſt fides, & inanis reddita eſt promiſsio. Cuius dicti ratio eſt, quòd promiſsiones irritæ & nullæ ſunt, quæcunq; conditionē coniunctam habent impoſsibilem præſtitu. Exempli gratia: Quis non ridiculā & nullā promiſsionem dixerit, ſi cui aureos mille pollicearis ea conditione, vt vno die totum orbem terrarum obambulet, aut mare totum exhauriat? At Legem operibus noſtris implere, aut illi ſatisfacere, non magis poſsibile eſt, quàm maria omnia exhaurire, aut omnes terras vno die percurrere. Niſi ergo à remiſſionis peccatorum doctrina omnem noſtrorū meritorū aut ſatisfactionum mentionē procul remoneas, promiſsiones omnes irritas & inutiles feciſti. Et ideo Paulus eodē loco infert: Propterea ex fide eſt hæreditas, id eſt, ſalus & hæreditas Regni cælorum ad eos ſolos pertinet, qui Chriſtū Ieſum & in hoc nobis factam gratiam fide vera amplectuntur, vt ſit per gratiam, & vt firma ſit promiſsio toti ſemini, &c. Vnde colligitur, eos humanæ ſalutis fundamenta conuellere, qui gratuitam peccatorum remiſsionem negant. Præterea vt illam firmiter teneamus oportet, ſiquidem Deum verè inuocare & cultum gratum illi præſtare volumus. Qui enim de illius gratia dubitant, ij illum inuocare non poſſunt, cùm eum odiſſe & conſpectū eius fugere ſoleant: ſicuti in Caini & Iudæ ſimiliumq; exemplis eſt videre. Et huc illud Dauidis pertinet: Apud te clementia eſt, & propterea timeris. Id eſt, ideo te reuerentur, colunt & inuocant homines, quia peccatis clementer & gratuita miſericordia ſoles ignoſcere. Eſt ergo turpiſsima & plus quàm ſycophantica eorum calumnia, qui gratiæ prædicatione omnem Dei cultum vnà cum precibus & bonis operibus aboleri clamant: cùm nemo Deum ex animo & conſtanti fide inuocare, nemo eundem colere & illi verè obedire poſsit, niſi qui de eius gratuita miſericordia certus fuerit.

2. Tim. 2.

Gratuitæ remiſsionis doctrina eſt neceſſaria.

Rom. 4.

Zacchæus Chriſto uocanti obtemperat. *Cæterùm conuincuntur illi exemplo Zacchæi, quem illius fiducia non in otio ignauo atque ſecuro detinuit, ſed vt ea faceret excitauit, quæ hodie vix vnquam ab ijs quoque impetraueris, qui omnem ſalutem à ſuorum operum meritis pendere seriò credunt. Inter ea primum eſt, quod audita Chriſti vocatione feſtinanter ex arbore deſcendit. Deinde excipit ad ſe diuertentem cum gaudio, neque de ſumptibus, qui non parui faciendi erant, neque alijs moleſtijs conqueritur. Nam vt aliàs monuimus, non vulgare aut contemnendum officium fuit tunc temporis Chriſtum cum numeroſiſſimo comitatu Hieroſolymam contendentem excipere: vt iam de eo nihil dicam, quòd id cum inuidia & odio coniunctum erat, propter Sacerdotes & Phariſæos, qui illum extinctum volebant, & publica infamia excommunicationis eos mulctabant, qui fidem in ipſum profitebantur. Quod ergo homo auarus, qui hucuſque quæſtui iniuſto & iniquo deditus populum vniuerſum exactionibus extraordinarijs grauauit, Chriſtum cum ſuis tam benignè & cum gaudij magni ſignificatione (quam non fictam fuiſſe, ex ijs quæ ſequuntur patebit) excipit, id certè conuerſionis veræ indicium eſt, quæ tam animum quam mores atq; ſtudia eius mutauit.*

Obedientiã teſtatur operibus *Sequuntur enim opera eximia, quibus id teſtatur. Nam à nemine requiſitus aut coactus Chriſto dicit. Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus: & ſi quid cuipiam per calumniam rapui, reddo quadruplum. Primò beneficentiam in pauperes vouet, quibus dimidium ſuarum facultatum velit diſtribuere. Et disertè de ſuis bonis loquitur, ne quis eum aliena & iniquis artibus parta ipſum cum Deo partiri velle putet: vt hodie faciunt vſurarij, milites & quicunque ex alieno diteſcunt. Sciebat enim Zacchæus Deo illud minimè probari, qui manus ſanguine plenas deteſtatur, & pretium canis aut meretricis ſibi offerri non vult. Obſeruabis autem, quòd non omnia ſua vendit Zacchæus, & in pauperes diſtribuit (quod à diuite illo & primate nuper Dominus requiſiuit) ſed dimidiam modò illorum, quæ poſsidebat, partem, & tamen hoc officium Chriſtus ſibi gratum & acceptum habet. Ex eo igitur apparet, noluiſſe eum vniuerſali præcepto omnes obſtringere, ſed (vt illic diximus) ad confidentem iuuenis illius animum reſpexiſſe, vt morbum in eo latentem argueret. Itaq; ſi fide in Chriſtum donati ſimus, & charitate non ſimulata ducamur, in eleemoſynis faciendis quiſq; ſibiipſi legem dare poterit, quàm multum ex ſuis facultatibus debeat*

2.Cor.8. *pauperibus decidere. Et de hoc Paulus eleganter diſſerit, ad Corinthios ſcribens: Etenim ſi prius adſit promptus animus, is acceptus eſt pro eo quod habet aliquis, non pro eo quod non habet. Non enim vt alijs relaxatio ſit, vobis autem oppreſsio: ſed pari conditione hoc tempore veſtra abundantia ſuppleat illorum defectum, &c. Quæ verba ſatis docent, nimiùm temerarios eſſe, qui hodie omnibus leges ex ſuo capite præſcribunt, quantum quiſque dare, vel etiam vt omnibus relictis vitæ genus temere mutare debeat.*

Reſtitutionem pollicetur. *Porro quia nemini dubium erat, Zacchæum opes ſuas pro communi publicanorum more mediis iniquiſsimis auxiſſe, reſtitutionem pollicetur, & quidem quadruplam. Ita verò non obiter modò peccatum ſuum, ſed eius quoque magnitudinem confitetur, adeoque docet, quo loco habe-*

Exo.22. *at ea, quæ hucuſque contra iuſtitiæ & charitatis leges deſignauerit. Nam in Lege fures quæ furto abſtulerant, vel dupla vel quadrupla reſtituere iubebantur, pro furti ratione. Itaque furti ſeipſum accuſat, neque ſe eleemoſynis illis, quas liberaliſsimè faciebat Deo gratum officium facere putat, niſi cuique quod ſuum eſt reddat, quoad illud fieri poſsit. Debebant ad hunc modum de ſuis etiam artibus iudicare vſurarij & fœneratores, monopolæ, ſanguinarij milites, raptores, hæredipetæ, & quicunque alienas res vel violenter vel ſub iuris prætextu rapiunt. Poſſunt quidem ſeſe apud homines excuſare, & propter opes ingentes in pretio habentur, ſed in Dei conſpectu fures ſunt, neque is illorum eleemoſynas ſiue preces ratas habebis, niſi eius verbo mandatam reſti-*

Mich.6. *tutionem faciant. Docet hoc ipſe Dominus, quando per Michæam omnes iſtorum hominum cultus reijciens, clamat: Audite virgam, & eum qui eam decernit: Annon adhuc ignis in domo impij? theſaurus nimirum iniuſtus? Et Epha perexiguum, ira plenum eſt? Num iuſtificabo cum bilance iniqua, & cum ſacculo, in quo ſunt lapides doloſi? Et apud Ezechielem inter pœnitentiæ opera reſtitutio eorum numeratur, quæ per iniuſtitiam alijs erepta ſunt. Vide Ezechielem decimo octauo.*

Fides non eſt otioſa.

Porro admonemur Zacchai exemplo, fidem in Chriſtum minimè otioſam eſſe, & (quod paulò ante etiam monuimus) bona opera nequaquam ab ijs damnari, qui nos abſque noſtro merito, gratis, per ſolam fidem iuſtificari & ſeruari docent. Eſt enim fides arbor illa bona, quæ vt in Dei bonitate radices agit, & huic vni nititur: ita Spiritus ſancti virtute vegetatur, vt omni tempore fructus ferat. Quo Chriſtus reſpiciens dicebat: Qui manet in me, & ego in eo; hic fert Ioan. 15. *fructum multum. Fieri enim non poteſt, vt in illis otioſus ſit Spiritus Chriſti, quos ipſe ex verbi æterni ſemine in filios Dei regenuit. Ideo Iacobus fidem mortuam dicebat eam, quæ nullis o-* Iacob. 2. *peribus bonis conſpicua eſt. Vt autem homo mortuus non niſi per Catachreſim homo dicitur, cùm reuera nihil aliud quàm cadauer ſit, mox à vermibus & putredine conſumendum: ita fidei quidem vocabulum quibuſdam abuſiuè tribuitur; qui ſola eius inani atque otioſa profeßione ſuperbiunt. Quapropter idem Iacobus in eodem loco ſubijcit: Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam. Et Chriſtus iubet, vt opera noſtra luceant in hominum conſpectu, vt illorum contemplatione plures alij ad glorificandum Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt, excitentur. Procul ergo ab Eccleſiæ ſocietate arcendi ſunt, qui fidem quidem ore profitentur, factis autem negant: imò ita viuunt, vt propter ipſos nomen Chriſti malè audiat.*

Fidei opera.

At ſimul videre oportet, quibus operibus fidem ſuam Zacchæus teſtatus ſit. Num ſacrificijs? num donarijs in templo ſuſpenſis? num veſtis mutatione, & habitu ad hypocriſim compoſito? num peregrinationibus? num ieiunijs ſtatis & electitio ciborum diſcrimine? Nihil horum audimus. Sed obedientia indicatur, qua Chriſtum vocantem abſque mora ſecutus eſt. Sequitur hanc gaudium nouum & ſingularis animi alacritas, quæ conuerſionem totius hominis peperit, vt ſubito ex auaro liberalis, ex raptore beneficus, ex lupo paſtor fieret. Hæc ergo vera fidei opera ſunt, quibus ſeſe conſpicuam facit: Obedientia nimirum, quæ totum hominem Deo ita ſubijcit, vt procul relictis, imò calcatis etiam ſuis deſiderijs atque rationibus, vtcunque ſplendidis & iuſtis in ſpeciem, ab illius voluntate pendeat, nec quicquam bonum, ſanctum, honeſtum aut vtile putet, quàm quod cum illa videt conuenire. Eſt obedientiæ huic coniunctum gaudium in Spiritu ſancto. Iuſtificati enim ex fide (inquit Paulus) pacem habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem etiam fide habemus aditum in gratiam hanc, per quam ſtamus, & gloria- Rom. 5. *mur ſub ſpe gloriæ Dei. Quibus verbis Apoſtolus gaudium illud exprimit, quod ex reconciliationis cum Deo ſenſu atque fiducia in animis credentium naſcitur, & cuius tanta virtus eſt, vt non ſolùm alacres & promptos faciat ad omne obſequium Deo præſtandum, verumetiam omnes ærumnas atque afflictiones mitiget, quibus fideles adeò non ſuccumbunt, vt illis etiam glorientur: eò quòd nihil illis ſuauius, nihil iucundius ſit, quàm pro Chriſti nomine aliquid facere aut pati. Hinc ergo totius hominis conuerſio atque innouatio ſequitur, quæ in charitatis operibus maximè elucet. Nam vt in vnum Chriſtum fides recumbit: ita in eodem omnes eos, tanquam fratres & eiuſdem corporis membra complectitur, qui eundem Chriſtum nobiſcum profitentur: & ideo Paulus illam per dilectionem agere aut efficacem eſſe ſcribit. Agit autem dilectio imprimis erga eos, quos propter inopiam & miſeram ſuam conditionem alieno auxilio opus habere videt. Ideo inter eius opera præcipua cenſentur, famelicis cibum & ſitientibus pocum præbere, nudos veſtire, peregrinos hoſpitio excipere, captiuos conſolari, ægrotantibus adeſſe, & ſi quæ alia ſunt huius generis. Accedunt his quæ ad iuſtitiam pertinent, quæ vt ſuum vnicuique tribuit, ita reſtituit etiam quæ prius iniuſtè contra leges erepta fuerunt. Ita verò totum hominem fides innouat, & hoc illud eſt, quod totius mundi oculos in Chriſti cultores conuertit: quia non poſſunt videre prophani homines, vnde hæc tam ſubita mutatio procedat: eandem tamen improbare non poſſunt quicunque adhuc communi ſenſu ducuntur: ſed, velint nolint, diuinam virtutem in illis coguntur agnoſcere, quæ cauſa eſt, vt Deum glorificent, & ſæpe ipſi quoque ea occaſione ad Chriſtum accedant. Iſtis ergo operibus ſtudeant, qui pœnitentiam & conuerſionem ad Deum profitentur. Quæ enim præter illa commenti ſunt ſuperſtitioſi homines, vaniſſima & nullius apud Deum momenti ſunt, cùm non niſi hominum traditionibus nitantur.*

Vulgi de Chriſti facto iudicium.

Caeterùm ijs, quæ inter Chriſtum & Zacchæum ſunt acta, Lucas ciuium Hierichuntinorũ & populi totius, qui illum ſequebatur, iudicium de hoc eius facto interponit, ſic ſcribens: Et omnes cùm hoc vidiſſent murmurabant, dicentes eum ingreſſum eſſe ad hominem peccatorem, vt ibi diuerſaretur. Paucis verbis rem maximi momenti comprehendit. Nam diſplicuiſſe dicit Chriſti factum, non pauculis quibuſdam, ſed ſimul omnibus, qui ipſum in Zacchæi domum diuertiſſe videbant. Neq; dubium eſt, eius rei famam ſubitò per totam vrbem diuulgatam fuiſſe, cùm & Chriſtus comitatũ magnum haberet, & Zacchæus omnibus notus eſſet. Ita verò diſplicuit omnibus, vt apertè etiam murmurarent, quòd ad hominem peccatorem, id eſt, ſceleratum & vitijs infamẽ diuertiſſet. Non dubitauerim ergo paſſim de illo has aut ſimiles his voces fuiſſe iactatas: En nouus iſte veritatis doctor & pœnitentiæ præco, quem multi ſuſpiciunt, & ſolum dignum iudicãt, qui audiatur. Quis verò ille ſit, & quid de illo boni quiq; ſentire debeant, quis non videt? Si vitæ innocentia tã illi cordi eſt, cur non cum optimis quibuſque verſatur? Cur quoſuis in ſuum comitatum admittit? cur temere ad quoſuis diuertit? Num in vrbe populoſa & celebri nemo illi dignus viſus eſt, cuius hoſpitio vteretur, præter Zacchæum, publicanorum & raptorum anteſignanum? Ergóne ex illo liberationem & ſalutem ſperabimus, qui cum ijs colludit, qui peregrinæ tyrannidis in populum Dei miniſtri ſunt? Hæc & multa alia huius generis tunc publicè dicta fuiſſe non dubito, cùm publicani (vt ſæpe diximus) omnibus inuiſi & exoſi eſſent. Neq; illa ignorare potuit Chriſtus, cui cordium quoq; arcana patebant. At non mouent illũ maleuolorum aut imperitorum hominum ſermones, quò minus officium ſuum faciat, quod ipſi mandauerat cœleſtis Pater: & ſuo exemplo omnes verbi adminiſtros docet, quâ conſtantia ipſi quoq; per omnia ſcandala atq; obſtacula eluctari debeant, ne ſuo officio erga aliquem deſint. Etenim, vt cap. 15 audiuimus, vnius ouiculæ ſalus tanti fieri debet, vt facilè negligamus, quæcunq; nos ab eius inquiſitione abſterrent.

Increduli gratiam Dei alijs quoq; inuident.

Pulchre autem in hoc ſpeculo adumbratur mundi infelicis ingeniũ. Qui inter Iudæos Chriſtum seriò & ex animo reciperent, pauciſſimi fuerunt: pleriq; autem Dei gratiam, quã ille offerebat, indigniſſimè faſtidierunt. Interim ijdem ferre non poſſunt, vt ab alijs recipiatur, & hi gratia ea fruantur, quam ipſi reijciebant. Solet hoc paſſim fieri, vt quam ipſi aſpernantur gratiam Dei homines impij, alijs quoq; inuideãt. Sunt hi eorum ſimiles, qui cum morbo moroſiores facti, videre non poſſunt, vt alij hilarius edant, & bibant, cùm ipſi cibum omnem faſtidiant. Et vtinam hodie tales ſola inuidia aut etiam linguæ petulantia peccarent, à vi autem abſtinerent, quam ferè ijs faciunt, qui Euangelium admittunt. Quanta verò ſit eiuſmodi hominum iniquitas, in iſtorum exemplo eſt videre. Diuerterat equidẽ ad Zacchæum Chriſtus, & non inuitatus ſponte ſibi eum hoſpitem delegerat. Num verò ea res tanti momenti erat, vt omnes murmurare, & totam vrbem calumnijs atq; iniquis iudicijs impleri oportuerit? Atqui publicanorum conditio per ſe reprehenſionem nullam merebatur, cùm vectigalia & telonia colligere peccatum non ſit. At modũ excedebat Zacchæus, & multa hucuſq; contra ius & fas extorſerat. Eſto: num verò ideo Chriſtus damnari debuit, priuſquam conſtaret, quo animo & quare ad eum diuertiſſet? Cur non exitum totius negotij expectant, & interea iudicium ſuum ſuſpendunt? Vel cur non Chriſti humanitatẽ potius prædicant, qui quoſuis lucrifaciendi occaſiones tam ſolicitè quærebat? Sed nihil videt hypocriſis veritatis odio excæcata: quæ etiã cauſa eſt, quòd hodie multi quæuis temere damnant, ſeq; hominum ineptiſſimos iniuſtiſſimosq; eſſe declarant, quando omnium optimi & ſanctiſſimi haberi volunt.

Zacchæus filius Abrahami.

Sed Chriſtum audiamus, qui iniqua iſtorum iudicia nihil veritus finem & vſum ſui facti infert, & Zacchæo reſpondens ait: Hodie ſalus domui huic contigit, eò quòd ipſe quoque filius Abrahami eſt. Emphaſim habet, quod de Zacchæo loquens dicit: IPSE QVOQVE filius Abrahami eſt. Etſi enim ipſi reſpondeat, reſponſionem tamen aſtantibus, adeoque omnibus accommodat, qui aduerſus ipſum murmurabant, & ſenſus eſt: Vobis indignum videtur, quòd ad hominem peccatorem diuerterim. At qualiſcunque hactenus fuerit, aut etiam nunc vobis eſſe videatur, tamen etiam ipſe filius Abrahami eſt, non minus quàm vos, qui titulum hunc vobis ſolis vendicatis. Filiũ autẽ Abrahami dicit propter fidem, qua eum apprehẽderat, qui olim Abrahamo promiſſus fuit. Eſt enim Abraham omnium credentium pater, & eo nomine pater multarum gentium dicitur, ſicuti Paulus ad Romanos docet. Ita verò ſimul cauſam ſalutis exprimit, ne quis hanc operibus tribuat, quibus

Zacchæus poſt conuerſionem iſtam claruit. Nec enim vllum opus eſt, quod ex filijs iræ filios Abrahami faciat: ſed hoc ſolius fidei effectum eſt, ideoq́ Zacchæus non operibus ſalutem illam meruit, ſed gratuita miſericordia oblatam fide appræhendit. Sed de hac re iam ſæpe multa diximus.

Zacchei fides ad totam domũ redundat.

Obſeruabis autem, Chriſtum ſalutis promiſſionem propter Zacchæum ad totam eius domum extendere. Hodie (inquit) ſalus domui huic contigit, eò quòd ipſe quoq́ filius Abrahami eſt. Num ergo (ais) fides aliena ſeruat aliquem? Minimè: nam notũ eſt illud Prophetæ, Iuſtus fide ſua viuet. Sed ad fœderis promiſſionem Chriſtus reſpicit: Ero Deus tuus & ſeminis tui. Et conſtat Abrahamum ex Dei mandato omnes, qui in ſua familia erant, mares circũcidiſſe, vt fœderis gratia ad illos omnes extenderetur. Tanta eſt enim gratiæ & miſericordiæ Dei amplitudo, vt non in patrefamiliâs ſubſiſtat, ſed in omnes domeſticos eius redũdet. Quæ cauſa eſt, quòd ſupra Chriſtus diſcipulos in ea domo manere iubet, in qua vel vnum filium pacis inuenerint. Itaq́ ſi Dei gratiam ſpectemus, ſalus omnibus offertur, qui in domo ſunt: quod ſi verò quis ea non fruitur, id eius incredulitate & contumacia fit, qua ſalutem ſibi liberaliter oblatam aſpernatur. Ideo Apoſtoli quoq́ familias totas baptizarũt, quarum capita ad fidem Chriſti conuertebantur. Quod eorum errorem confutat, qui hodie infantibus Chriſtianorum baptiſmum negant, quos tamen Paulus ſanctos dicere non eſt veritus, ſi alterum modò ex parentibus Chriſtianum habeant. Eſt illorum audacia non iniqua modò, verumetiam cum ſacrilegio coniuncta. Si enim Deus ſuam gratiam promiſcuè toti familiæ offert, cur illi eos ab ea excludunt, qui eam minimè aſpernantur, imò per ætatem ne aſpernari quidem poſſunt? Atqui eãdem (inquiunt) ne recipere quidem poſſunt. Id verò tu dicis ô bone: à nobis autem non ſine ratione negatur, qui Chriſtum ſcimus infantes in credentiũ numero habere. Neq́ nos moratur aliquid, quòd fidem profiteri non poſſunt. Plus enim promiſſioni Dei & gratiæ eius theſauro inexhauſto, quàm profeſſioni externæ tribuimus. Poſſunt enim nos fallere homines, cùm natura ſimulatores & mendaces ſint: fallere autem non poteſt Deus, qui ipſa eſt Veritas.

Chriſti officiũ ſeruare perditos.

Porro concludit totam hanc actionem Chriſtus generali ſententia, qua ſæpe vſus eſt: Venit enim Filius hominis vt quærat & ſeruet quod perierat. Ita verò ab officio docet, nihil hîc abs ſe factũ eſſe, quo aliquis meritò offendi debeat: adeoq́ proprio teſtimonio murmuratores iſtos conuincit: quaſi diceret. Meſſiæ officium eſt perditos quærere & ſeruare: Quia ergo Zacchæum hunc ipſi inter perditos numeratis, cur mihi vitio vertitur, quòd eum quæro, vt conuerſus ſeruetur? Eſt autem hæc propria Euangelij vox, quæ ſola conſcientijs territis conſolationẽ ſolidam affert, & ſuperſtitiones confutat, quæ terrores gignunt, quibus infelices diſcruciantur. Debet ergo ea ſemper in auribus noſtris ſonare: & cùm illã hodie nobis Deus ſubinde occinat, nos Zacchæum imitati, eius voluntati nos accommodemus per fidei obedientiam, vocantem ſequamur cum gaudio & alacritate, atq́ relictis prioris vitæ ſtudijs, toti innouemur. Ita nobis quoq́ ſalus continget, & per fidem Abrahami filij facti Regnum cœleſtè poſſidebimus cum Ieſu Chriſto, Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CLXXIII.

Hæc ipſis audientibus, pergens, dixit parabolam, eò quòd eſſet prope Hieroſolymam, & quòd putarent fore, vt illico Regnum Dei appareret. Dixit ergo: Homo quidam nobilis profectus eſt in regionem longinquam, vt acciperet ſibi regnum, ac reuerteretur. Vocatis autem decem ſeruis ſuis, dedit eis decem minas, & dixit eis: Negotiamini donec veniam. Ciues autem eius oderant eum, miſeruntq́ legationem poſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

Chriſtus de Regno ſuo agit diligenter.

QVemadmodum æternus Dei Filius ideo in mũdum venit & ex Maria virgine homo factus eſt, vt deſtructa per mortem & reſurrectionem ſuam diaboli tyrãnide nos redimeret, vt Regnum æternũ tam ſibijpſi quàm in ſe credentibus obtineret: Ita de Regni ſui myſterijs eiuſq́ maieſtate cùm ſæpe aliâs tum diligentiſſimè tunc diſſeruit, cùm mortis ſuæ horam iam inſtare ſciret. Diligentiæ huius cauſæ fuerunt, quòd erroneas de Regno ſuo opiniones ex diſcipulorum animis exime-

re voluit, & ſcandalo mederi, quod ex crucis & mortis ſuæ ignominia exoriturũ eſſe ſciebat. Et ad hoc argumentum pertinent, quæcunq; deinceps vſq; ad finem cap. vigeſimi primi cõmemorantur. Inter ea primum locum parabola iſta obtinet, cuius primam partem modò recitauimus. Ea enim omnem Regni ſui rationem ſummatim comprehendit: docet illud reuera cæleſte eſſe, & proinde in hoc ſæculo non, vt huius mundi regna, maieſtatem habere externam, ſed per verbum & Spiritum adminiſtrari: neq; crucem vnquam defore in hoc agẽtibus, eò quòd ſemper futuri ſint, qui ipſum pro Rege ſuo nolent agnoſcere: quorum rebellione & contumacia nemo moueri debeat: ſe enim præfinito tempore venturũ iudicem, vt ſeruis fidis promiſſa vitæ æternæ præmia retribuat, perfidos autem defectores atq; hoſtes ſempiternis inferorum ſupplicijs mulctet. Eſt igitur parabola hæc digniſſima, in cuius conſideratione diligenter & crebrò verſemur, ne mundi aduerſus Chriſtum & Euangelium eius tumultuantis exemplo offendamur, ſeduli autem & induſtrij ſimus in ijs, quæ nobis mandata ſunt.

Occaſio huius doctrinæ.

Cæterùm hîc quoq; Lucas occaſionem huius actionis præmittit, vt eius ſcopum & vſum rectius intelligamus. Ideo enim Chriſtum parabolam hanc recitauiſſe ait, quòd iam propius ad vrbẽ Hieroſolymorum acceſſiſſent, pleriq; antẽ qui cum ipſo erant, Regnum eius iam nunc cum gloria & triumphis appariturum eſſe putarent. Scimus enim Hieroſolymã non ſolum iam inde à Dauidis temporibus Regum priſcorũ ſedem, verumetiam Eccleſiæ & Regni Chriſti typum fuiſſe. De ea enim dictum

Pſal. 48. et 132. fuerat: Hic eſt Deus, Deus noſter in ſempiternũ: ipſe diriget nos ad mortem vſq;. Item: Dominus elegit Zionem, & expetiuit eã ſibi, dicens: Hæc requies mea eſt ſempiterna, hic habitabo: quoniam expetiui eam. Sed & Regni Chriſti ſedes quædam fuiſſe dici poteſt, eò quòd illic prædicationis Euange

Pſal. 110. licæ initium fieri debuit, & inde egreſſi Apoſtoli verbũ Dei in toto orbe prædicauerunt. Quod ipſum

Iſa. 2. quoq; veteres Prophetæ olim prædixerant. Dauid enim de Chriſto canit: Dominus emittet ſceptrũ

Mich. 4. potentiæ tuæ de Zione. Et notum eſt illud Iſaiæ & Michea: Lex è Zione exibit, & verbum Domini de Hieruſalem. Quia ergo diſcipuli Regnum terrenum & temporale ſomniabant (vt iam ſæpe dictum eſt) & Chriſtum vrbi appropinquare, eoq; magno cum conatu contẽdere videbant, noua ſpes animos illorum titillare cœpit, vt iam nũc tempus illud præ foribus eſſe putarent, quo Regnum illud inſtaurari deberet. Quapropter vt diligentius admonerentur, omninò neceſſe erat.

Exemplũ ignorantiæ carnis.

Eſt autem hoc ſtupiditatis maximæ exemplum, quod toties de morte admoniti, ſubinde ad cogitationes illas de Regno terreno reuertuntur, in quo non vno modo ab illis peccatum fuit. Nã de Chriſto & tota humanæ redemptionis cauſa perperam iudicant: & inſuper victorias & triumphos ſpirãt priuſquam pugnauerint. Sed vtinam non hodie etiam error iſte pleroſq; dementaret, qui Chriſti doctrina & fide gloriantur. Vt enim homo animalis non ſapit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ita in Chriſto quoq; terrena potius & temporalia bona, quàm cæleſtia & æterna quærere conſueuit. Ea igitur eſt multorum ſtupiditas, vt quamuis ſe totum qualis eſt, ille offerat cum omnibus ijs, quæ ad ſalutem æternam faciunt, illum tamen facile contemnant & negligant, niſi aliqua ipſis emolumenti terreni ſpes in præſenti affulgeat: Quæ cauſa eſt, quòd pauci Euangelium ſyncerè & cum fructu recipiunt. Nam ſi ea inueniant, quæ ſola carni magnifica videntur, ijs ſolis immerſi cæleſtia negligunt: At ſi ſpes illa eos fallat, tum ſe deceptos eſſe queruntur, & ſæpe non contenti defeciſſe, inſuper hoſtes aperti fiunt. Debent autem omnes iſti meminiſſe, ſtudia ipſorum Chriſtum minimè latêre. Nouit hîc quid diſcipuli intra animos ſuos ſperent & cogitent. Ad eundem modum hodie etiam omnes eos nouit, qui animo non ſyncero ad Euangelium eius accedunt. Etſi reprahenſione digni fuerunt, qui ex communi ignorantia olim peccauerunt, quas pœnas & quæ ſupplicia merentur, qui cùm Chriſti in crucem ſuſfixi nomine glorientur, eiuſdẽ tamen profeſſione ad impura carnis ſtudia abutuntur? Si qui verò adhuc ignorantia & ſimplicitate peccant, ij parabolã iſtam probè conſiderent, qua Chriſtus omnia comprahendit, quæ cognitu neceſſaria ſunt ijs, qui eius Regno nõ inutiliter potiri volunt. Poteſt ea in duas partes diuidi, ex quibus prior ea cõtinet, quæ in terris hiſce ante nouiſſimũ illius aduentum accidere ſolent: altera, quid futurum ſit docet, quãdo ille venerit ad iudicandum viuos & mortuos.

Prima parabolæ pars.

Prima pars, quam modò recitauimus, Regni eius in hoc ſæculo conditionem ſic deſcribit, vt euidentiſſimè illorũ errorem confutet, qui ipſum victorijs illuſtrem & cum maieſtate, quæ apud mundi principes cernitur, regnaturũ fore ſomniant. Et quia illi in Hieroſolymis ſubinde hærebãt, quaſi hæc Regni Meſſiæ ſedes perpetua futura eſſet, ſe homini nobili confert, qui vt regnũ ſibi acciperet in lon-

ginquam regionem profectus, pecunias ſuas inter ſeruos diſtribuit, vt ijs negotientur. Quo loco hæc conſideranda veniunt.

Primum, quòd Chriſtus ſe hominem nobilem dicit. Et ſanè reuera nobilis atq; generoſus eſt, ſiue diuinam ſiue humanam eius naturam ſpectes. Secundùm illam enim ab æterno ex Deo patre genitus eſt: quod Micheas Propheta docet his verbis: Exitus eius ab initio, à diebus æternitatis. Et Iſaias ait: Generationem eius quis enarrabit? Quoad verò humanam naturam, ex familia omnium, quotquot vnquam in orbe fuerũt nobiliſſima prodijt, quæ certa & nunquã interrupta linea ab ipſo Adamo, omnium noſtrûm parente deducitur. Numerantur in ea ſanctiſſimi patres, quicunq; ad Noam vſq; vixerũt, per quem genus humanam, quod in diluuio perijſſe videbatur, inſtauratum eſt: Sanctiſſimi item illi Patriarchæ, Abrahamus, Iſaacus & Iacobus, quibus cũ ſalutis fœdus itidẽ Deus inſtaurauit, & quorum Deum ſe dicere dignatur. Adde his Dauidem & ex eo progenitos Reges circiter viginti, qui per annos circiter quadringentos continuos regnauerũt. Taceo his intermixtos Prophetas, inter quos seu aſtra pulcherrima Iſaias & Daniel fulſerunt, vnà cum infinitis alijs, qui poſt reditũ ex Babylone in illa gente claruerunt. Verè ergo nobilis homo eſt Ieſus Chriſtus, ſi vel ſolis rationibus humanis agatur. Quòd ſi virtus ſpectetur, quam ethnicorum quoq; ſapientes nobilitatẽ veram & vnicã dixêre, ſecũdùm hanc quoq; nihil illo nobilius & illuſtrius eſt: quia abſq; omni vitioſæ naturæ noſtræ contagio ex intemerata virgine natus, ita vitam tranſegit, vt ne hoſtes quidẽ infenſiſſimi ipſum alicuius peccati arguere potuerint. Superat autem hæc omnia, quod ſuam nobilitatem in nos quoq; transfundit, vt ſui ſimiles faciat, quod paucis inter huius ſæculi nobiles datur. Plerunq; enim degenerant, qui ex præclaris maioribus naſcuntur, vt non temere vulgari prouerbio dicatur: Herocũ filij noxæ. At Chriſtus Ieſus ea conditione nobis à Deo Patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio deniq; factus eſt, vt omnes eos Dei filios faciat, quicunq; in ipſum credunt, & eoſdẽ Regni ſui cohæredes habere dignetur. Imò ille eſt, qui nos Deo Patri ſuo Reges & Sacerdotes fecit, vt in Apocalypſi ſcribitur. Quis enim Reges eſſe neget eos, qui carni, mundo & diabolo dominantur? Quis verò non Sacerdotes dixerit, qui iuuencos labiorum ſuorum, id eſt, preces & gratiarũ actionem quotidie offerunt, & qui ſeipſos Deo ſiſtunt viuentes hoſtias, quem cultum Paulus Deo acceptiſſimum & ſolum verè rationalem eſſe docet? Et hæc quidem ſola eſt nobilitas, quæ nos Deo ſimul & Angelis commendat: quæ vt non aliorum eſt, quàm qui Chriſto nomen dederunt, ita ad eam omnes aſpirare decet, qui cum ſalute gloriam veram & ſempiternam affectant. Stulti ergo reuera & miſerrimi mortalium ſunt, qui imaginum & ſtemmatum fiducia turgidi, inanibus titulis ſeſe venditant, non autem in hoc incumbunt, vt germani filij Dei & Chriſti fratres ſint.

Deinde ſe in regionem longinquam abiturum dicit, vt accipiat ſibi Regnũ. Exponunt hoc nonnulli de tempore, quod inter eius mortem ſiue Aſcenſionem atq; nouiſſimum aduentum intercedit, vt doceat, ſe diu abfuturum eſſe. At quia hic non tã de abſentia Chriſti diuturna, quàm de Regni ſede agitur, quam diſcipuli (vt dictum eſt, & Lucas non obſcurè docet) Hieroſolymæ collocabant: ego ſimul & conditionem Regni Chriſti, & eius ſedem propriam hac locutione denotari ſentio. Ita ergo docet, Regnum eius non eſſe de hoc mundo, & perpetuam atq; propriã eius ſedẽ neq; Hieroſolymæ, neq; Romæ, neq; in vllo certo loco terrarũ, ſed in ἐπουρανίοις, id eſt, in ijs quæ ſupra cælos ſunt (ſic Apoſtolus exponit) eſſe ad dextrã Patris ſui omnipotentis. Et hæc quidẽ longinqua regio dicitur, quia non modò diuturnum eſt tempus illud, quod ab eius Aſcenſione ad poſtremum eius reditum decurrit: verũ etiam quia Regnum illud cæleſte ab hoc mundo plurimum differt, & inter illius ſedem ſupracæleſtẽ & terras haſce, in quibus nos viuimus, immenſa eſt locorum diſtantia. Neque iſtud alicui argutius videri debet, quando & Scripturæ Euangelicæ teſtantur & Symboli Apoſtolici articuli hoc docẽt, Chriſtum Ieſum, poſtquam totũ noſtræ redemptionis negotium in terris peregit, corpus ſuum in cælos ſubuexiſſe, in domum Patris ſui, vt illos nobis quoq; patefaceret, & in illis locum nobis pararet, vbi cum ipſo olim regnabimus. Scimus equidem, & firmiſſimè credimus, Chriſto omnem poteſtatem in cælis & in terra datam eſſe. Scimus illum diſcipulis dixiſſe. Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi: & conſtanter credimus, eum Eccleſiæ ſuæ nunquam non adeſſe, hanc ab ipſo gubernari & defendi, hoſtes quoq; eius ab illo coerceri atq; puniri, ſed iſta non corporis præſentia, ſed virtute Spiritus fieri dicimus, ita nimirum illo ipſo ſuæ præſentiæ modum definiente, quando diſcipu-

Chriſtus homo nobilis.

Mich. 5.

Iſa. 53.

Regnum Chriſti nõ eſt de hoc mundo.

Ioan.14 & 16. lis dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternũm: nempe Spiritum illum Veritatis,* &c. *Item: Expedit vobis vt ego abeam: nam niſi abiero, Conſolator ille ſiue* παράκλητος (quæ vox conſultorem quoq; & aduocatum ſignificat, qui nobis in cauſa aliqua agenda conſilio & authoritate ſua adeſt) *non veniet ad vos,* &c. Et Paulus Apoſtolus eum ſupra omnes cœlos euectũ eſſe teſtatur, & inde ex alto Spiritus ſui dona in homines diſtribuere, quorum miniſterio Eccleſiam ſuam colligat atq; conſeruet. Itaq; ſiue de Regni Chriſti conditione & adminiſtratione, quæ tota ſpiritualis eſt & inuiſibili virtute conſtat, ſiue de loco beatæ immortalitatis & propria Regni ſede verba iſta intelligas, reuera in longinquam regionem ille abijt. Et meo iudicio rectiſſimè & vtiliter vtramq; ſententiam coniunxeris, vt primò quidem illis occurratur, qui Regnum Chriſti ad huc hodie terrenum fingunt, & ſedem ei in terris tribuunt Romam, adeò vt de ſalutis neceſſitate eſſe dicant, vt omnis creatura Romano Pontifici obediat: deinde verò illorum error confutetur, qui corporalem eius in terris præſentiam ſtatuunt, quam ille paſſim negat, & quã Apoſtoli adeò ignorauerunt, vt Petrus magna cum authoritate teſtetur, illum OPORTERE in cœlis agere vſq; ad tempus reſtitutionis omnium: Paulus autem tunc quoq; quando de Cœna eius myſtica & vero eius vſu loquitur, corporalis abſentiæ non obſcurè meminerit, dicens: *Annuntiate mortem Domini,* DONEC VENIT.

Act 3.
1.Cor.11.

Quam particulam, aut de toto Chriſto, Deo ſimul & Homine, aut de alterutra natura ſolummodo exponamus oportet. Si de toto interpreteris, totum Chriſtum ab Eccleſia & Cœna illa excludes: quæ intolerabilis erit impietas. Si verò de eius diuinitate exponas, quaſi eam venturam expectemus, inutilis erit corporis præſentia, ſi illam abſtuleris, qua ſola eius merito gratiam & virtutem ſalutarem conciliat. Quid ergo reſtat, quàm vt illum corpore ſuo extra hunc mundum corruptibilem in ſupracœleſti patria agere, Spiritu autem ſuo & diuina virtute nobiſcum in terris agere, corda verò noſtra per fidem ſupra cœlos euehi dicamus, vt eius corpore & ſanguine alamur & paſcamur ad vitam æternam? Neq; ideo diuinam naturam ab humana auellimus, quaſi hæc ſola in cœlis reſideat, illa autem per terras extenſa Eccleſiam gubernet. Scimus enim de hac veriſſimè dictum eſſe. *Cœlum & terram ego impleo.* Nulla igitur auulſione aut ſeparatione opus eſt, cùm diuinitas Chriſti cœlum & terram impleat, & proinde ab humanitate in cœlis agente nunquam diſcedat. Quod autem aduerſarij illa conuertunt, vt humanam quoq; naturam eſſe probent, vbicunq; diuina eſt, id nos cum illis dicere non poſſumus: quia ſic humanæ naturæ proprietas exinanitur, quod nullis Scripturæ teſtimonijs probari poteſt. Et ne quid ipſi fingere dicamur, Auguſtini verbis ad commentũ illud reſpondemus: *Non eſt conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbiq; vt Deus: Nam & de nobis veraciſſima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur & ſumus: nec tamen ſicut ille vbiq; ſumus: ſed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & ſingulari modo: Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrumq; eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbique per id quòd Deus, in cœlo autẽ per id quòd homo,* &c.

Epiſt. 57. ad Dardanum.

Sed plura de his alibi. Sufficiat nunc, Chriſtum iſta locutione omnium eorum errorem refellere, qui Regnum eius humano ſenſu metiuntur, aut illud loco alicui certo in terris aſtringunt. Simul tamen quamuis ſe peregrinari à nobis dicat, ſui tamen reditus diſertam mentionem facit, vt teſtetur, ſe nos nequaquam negligere, neque propterea Eccleſiæ ſuæ curam depoſuiſſe.

Qua ratione Regnum Chriſtus in terris adminiſtret?

Cæterùm videamus, quam rationem interea in Regni ſui adminiſtratione teneat. *Vocatis* (inquit) *decem ſeruis ſuis dedit eis decem minas, dixitq; eis: Negotiamini donec veniam.* Per ſeruos ſuos intelligit Apoſtolos & horum ſucceſſores, quibus verbi Euangelici prædicatio commiſſa eſt, & quos Spiritus ſui donis ille inſtruit, vt muneri ſuo poſſint ſufficere: & vult vt ijs negotientur, vt quod dedit, olim cum lucro aut fœnore recipiat. Et facit ad huius loci explicationem quod Apoſtolus ad Epheſios cap. quarto ſcribit: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia pro menſura doni Chriſti: Quapropter dicit, Cum aſcendiſſet in ſublime, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.* Et mox hoc exponens ſubijcit: *Et ipſe alios quidem dedit Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad coagmentationem ſanctorum ad opus miniſterij, ad ædificationem* (inquam) *corporis Chriſti,* &c. Ergo (quod initio diximus) Regnum eius in hoc mundo, non cum externa maieſtate coniunctum eſt, neq; armis & victorijs ſplendet: ſed per Euangelij prædicationem & Spiritus virtutem adminiſtratur atq; ſeruatur. De eo autem in

præſenti

præſenti ita diſſerit Dominus, vt paucis omnia comprehendat, quæcunque de miniſterio Eccleſiæ, & miniſtrorum officio dici poſſunt.

Primum vocationis meminit, dicens: Vocatis decem ſeruis ſuis, Ergo vocatione legitima illis opus eſt, & miſsione, quicunque in hoc miniſterio cum aliquo fructu verſari volunt. Vt enim Legatus dici non poteſt, quem nemo miſit: ita neque Chriſti aut Eccleſiæ eius miniſter poterit cenſeri, qui non ab illo ad hoc munus vocatus & deſtinatus fuerit. Nam etiamſi verbum eius illi prædicent, abſque fructu tamen & nulla cum authoritate id faciunt, cùm legitimæ miſsionis teſtimonio deſtituti, eorum ſimiles ſint, qui legatos quidem ſe eſſe finguut, non habent autem literas (quas Credentias vocant) quibus ſe hæc aut iſta in mandatis habere probent. Ideo de talibus apud Ieremiam conqueritur, dicens: Currebant, & non mittebam eos. Et Apoſtolus dicebat: Quomodo prædicabunt, niſi miſsi fuerint? Quia enim munus hoc (vt aliâs diximus) periculi plenum eſt, non autem ſibijpſis aliquid certum de Dei ope polliceri poſſunt, quicunque illud abſque Dei iuſſu aut vocatione legitima ſubeunt, fieri non poteſt, vt ijdem laboribus & periculis non ſuccumbant, ſi quid grauius patiantur. Legitimæ autem vocationes cenſeri debent, nou ſolum extraordinariæ illæ, quibus Prophetæ & Apoſtoli olim immediatè vocati ſunt, verumetiam quæ ab Eccleſijs in nomine & Spiritu Chriſti congregatis fiunt, ſecundùm Canones verè Apoſtolicos, qui in libro Actorum, in Pauli epiſtolis ad Timoth. & Titum præſcribuntur.

Vocatione opus eſt miniſtris.

Secundo loco pecuniam ſuam in ſeruos ſuos diſtribuiſſe dicitur homo ille nobilis. Et Lucas quidem vnicuique minam datam fuiſſe ſcribit: Matthæus verò vni quidem talenta quinque, alteri duo, cuidam vnum datum fuiſſe ait, vt diuerſitatem donorum Spiritus Sancti exprimat. In hoc ergo vterque cum altero conuenit, quòd miniſtros Eccleſiæ nihil ex ſeipſis habere docent, ſed diuinitus accepiſſe quicquid habent: adhæc neminē à Deo ad hoc munus deſtinari, quem non mina ſua inſtruat, id eſt, donis illis exornet, quæ ipſi ad functionem ſuam neceſſaria ſunt. Etſi enim miniſterium Eccleſiæ vnicum ſit, & omnes miniſtri idem ſaxum voluant, alij tamen alijs plus laboris ſuſtinent pro ratione locorum & hominum, quibus ſeruiunt. Ideo Paulus in priori ad Corinthios ait: Diſcrimina donorum ſunt, ſed idem Spiritus: Diſcrimina miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus: diſcrimina facultatum ſunt, ſed idem eſt Deus efficiens eas omnes in quibuſuis. Prodeſt hoc diligenter obſeruaſſe: quia de multis cognitu neceſſarijs nos admonet. Primum eſt, quod miniſtri ex ſemetipſis nihil poſſunt. Ex nobiſipſis (inquit Paulus) non ſumus idonei, ne ad cogitandum quidem: ſed quod idonei ſumus, id ex Deo eſt. Id verò modeſtiæ illos admonere debet, ne propter miniſterij excellentiā ſuperbiant, aut ſibi licere putent aliquid pro ſuo arbitrio facere, vel etiam Eccleſijs obtrudere, quod non à Domino acceperūt. Ideo enim ſuis donis illos inſtruit Dominus, vt ſuos præcones & miniſtros agant, non autē aliquid ex ſuo cerebro inſtituant. Docete (inquit Chriſtus) eos ſeruare, quæ ego vobis tradidi. Et Paulus: Quod à Domino accepi, tradidi vobis. Deinde mutui officij & dilectionis hæc donorum diuerſitas miniſtros admonet. Quia enim eidem Domino omnes ſeruiunt, qui plus accepit inferiorem non contemnere, neq; hic illi inuidere, ſed mutuas operas ſibi tradere debent, vt opus Domini cum aliquo fructu perficiant. Facit huc parabola corporis humani & membrorū, quæ cùm alia alijs præſtent, non tamē inter ſe contendunt, ſed admirabili συμπάθεια atq; conſenſione ſe mutuò tuentur & iuuant, vt corpus totum incolume ſeruetur. Singuli ergo quod acceperunt ſuam minam eſſe cogitent, neq; ad aliorum dona oculo maligno reſpiciant: ſed hoc potius agant, vt quàm plurimùm conferant ad communis Eccleſiæ ædificationem. Quia enim omnis donorum Dei fructus in vſu conſiſtit, nequaquam illa ſepulta latere, multò minus autem in vſus alienos, vel etiam contrarios conuerti debent: ne ad deſtructionem ſeruiant ea, quibus Eccleſia debebat ædificari.

Miniſtri dona accipiunt à Domino.

1. Cor. 12.

2. Cor. 3.

Tertiò officium miniſtrorum vno verbo definit, dicens: Negotiamini donec veniam. At quia pecuniam ab hero ſuo illi omnes acceperant, vtique non ſibijpſis, ſed illi negotiari debuerunt, & ita quidem vt huic ad ſua reuerſo poſſent rationem reddere. Loquitur autem Chriſtus de negotiatione ſpirituali, quæ tota in eo conſiſtit, vt plures quotidie Chriſto lucrifiant, qui & ipſi ſalutem conſequantur, & ſua vita atq; operibus Deum glorificēt. Sic ipſe Dominus exponit, diſcipulis dicens: Profecti μαθητεύσατε, id eſt, diſcipulos facite omnes gentes: hoc nimirum exigens, vt qui prius in diuerſas ſectas & ſuperſtitiones diſtracti erant, omnes ad ſe colligantur, ipſum præceptorem & magiſtrum

Miniſtri negotientur Chriſto.

ſuum agnoſcant, & in ipſo vno ſalutem quærant. Qua ratione in primitiua Eccleſia diſcipuli dicti Acto. 11. *fuerunt, qui poſtea Antiochiæ cœperunt Chriſtianorum nomine appellari. Vt verò Chriſto homines lucrifiant, non ſimplici modò doctrina & prædicatione opus eſt, ſed labor inſuper multus & indefeſſa induſtria atq; cura requiritur. Nam vt poetæ verbis vtar. Impiger extremos curris mercator ad Indos, vt quæſtū vbiq; faciat, & huius amore illectus nullos labores & nulla pericula detrectat. At non minori ſtudio in hac negotiatione ſpirituali opus eſt, eò quòd in illis ipſis, qui lucrifieri debēt, multa obſtacula ſunt, & pleriq; à ſalute, quæ ipſis offertur, refugiunt. Illic ergo nihil non tadij de-* 1. Cor. 9. *uorandum eſt miniſtro, dum ſe omnium ingenijs acccommodat. Addmonet nos de eo Paulus proprio exemplo, quando ſe Iudæis Iudæum, infirmis infirmum, exlegibus exlegem, omnibus denique omnia factum eſſe ſcribit, vt ſaltem aliquos Chriſto lucrifaceret. Eius ergo exemplum omnes miniſtri imitentur, & quàmuis eadem doctrina ſemper prædicari debeat, eam tamen pro auditorum captu accommodent, ne quem ſuis ineptijs aut importunitate abſterreant. Peccant autem aduerſus hoc Chriſti mandatum, qui turpi ignauia eos perire ſinunt, quos diligenti prædicatione ad illum adducere debebant. Sunt hi temerarij diſſipatores donorum Domini, & graues olim pœnas dabunt, quando pereuntium ſanguis de manu ipſorum requiretur. Mala etiam fide negotiantur, qui ſuæ gloriæ & priuato cōmodo addicti, ſibi diſcipulos quærunt, & factioſis ſtultiſſimorum hominū titulis gaudent, qui ſe ab ipſis denominare conſueuerunt: quod in Corinthiorum doctoribus olim Paulus repræhendit. Eſt ergo hoc Chriſti dictum digniſſimum, quod in omnium miniſtrorum auribus ſonet, quod oculis eorum ſemper obuerſetur, quod in animis ſuis nunquā non meditentur. Eius enim diligens meditatio abunde eos admonebit, quid Domino & Eccleſiæ debeant, et quàm nullus locus ſegnitiei & ſocordiæ ipſis reliquus eſſe poſſit, ſi officio ſuo fideliter fungi velint. Debēt etiam illius meminiſſe omnes alij, ne indignè ferant miniſtrorum induſtriam, ſed potius cogitent ſuam ſalutem cum illa coniunctā eſſe: ipſos autem officium facere, dum ſeriò inſtant omnibus, quos adhuc à Chriſto alienos eſſe, aut ſaltem in eius cultu frigidiores eſſe vident. Etenim niſi ſe lucrifieri patiantur, in ſuis ſuperſtitionibus aut peccatis pereant neceſſe eſt. Illi autē niſi in officio ſuo per omnia obſtacula pergant, graues pœnas dabunt, ſicuti in altera parabolæ huius parte audiemus.*

Ciues aduerſus Chriſtum tumultuantur.

Nunc quid impij defectores aduerſus Chriſtum moliantur videamus, dum ipſe corpore ſuo abſens ab Eccleſia prorſus peregrinari videtur. Id ſic enunciāt: Ciues autem eius oderant ipſum, miſeruntque legationem poſt eum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos. Paucis multa comprahendit, & eos in hoc mundo ſeditioſiſſimos fore docet in extutiendo iugo diſciplinæ & Regni ſui, qui huius ciues præ alijs eſſe debebant. Et ſanè idē hîc accidere ſolet, quod huius ſæculi Regibus ſæpe accidit. Eo enim vulgus ingenio præditum eſt, vt præſentis conditionis facilè quoſuis pigeat. Optat ephippia bos piger, optat arare caballus: Sic eam reipub. formam pleriq; faſtidiunt, cui aſſueuerunt, & ſibi ex mutatione feliciorem ſtatum pollicentur. Hinc crebra illæ & periculoſæ rerumpub. mutationes, quæ multis populis exitio fuerunt, & quales hodie multis in locis cernimus. His autē non mali modò principes iactantur, verumetiam boni interdum & ſui populi amantes. Quo magis anniti & vigilare decet omnes magiſtratus, ne ſua vel ignauia vel licentia aliquibus tumultuandi occaſionē præbeant. Sed his nunc omiſſis, ſcopum & inſtitutum Chriſti reſpiciamus, qui vt diſcipulorum errori, ſibijpſis omnia in hoc ſæculo læta & fauſta pollicentium medeatur, eam potius Regni ſui in terris conditionem fore docet, vt non ſolùm exteros hoſtes ſentiat, ſed ciuium quoq; ſeditioſorum inteſtinis motibus concutiatur: ex quo cuiuis facile eſt conijcere, non extra periculum fore eos, quibus Regni iſtius adminiſtratio commiſſa eſt.

Iudæi.

Quod autem hîc per parabolam docet Chriſtus, id reuera mox ab eius Aſcenſione impleri cœpit. Ciues enim illius rectiſſimè dixeris Iudæos, qui ex ſanctis patribus oriundi Legem à Deo acceperant cum ampliſſimis promiſſionibus, & inter quos cultus ſui formam ille conſtituerat plenam myſteriorum, quibus tota ſalutis ratio continetur. Imò hos non ciuium & ſubditorum loco Chriſtus habuit, ſed pro fratribus ſuis agnouit, & ex illis ipſis carnem aſſumere dignatus eſt. At quid de illis apud Ioannem dicitur? In ſua venit verbum illud æternum, & ſui illud nō receperunt. Et conſtat illos aduerſus eum, qui coràm doctrina & miraculis ſeipſum quotidie manifeſtabat, iam inde ab initio ſtatim prædicationis Euangelicæ tumultuatos eſſe, tandemque omnium promiſſionum

& com-

& communis ſpei, quam ex patribus didicerant immemores, illum magna cum contentione in Pilati conſpectu negauiſſe, cùm clamarent: Non habemus Regem, niſi Cæſarem. Poſtquam verò idem ille iam cælos conſcenſurus Apoſtolos conſtituit, qui Regnum eius prædicare & tam docendo quàm miraculorum virtute propagare cæperunt, mox aduerſus illos inſurrexerunt & eos hoſtiliter aggreßi ſunt. Nam iu carcerem concluſos, & poſtea in Senatum productos minis grauibus terruerunt, iniurijs varijs affecerunt, virgis ceciderunt, ita denique egerunt cum illis, vt Gamaliel, qui inter ipſos prudentia & conſilio pollebat, timeret, ne cum Deo bellum apertum ſuſciperent. Nec tamen in eo ſubſtitit illorum rabies, ſed mox Stephanus lapidum grandine obrutus, & poſt eius obitum Hieroſolymæ perſecutio inſtituta eſt; in qua tam viri quàm mulieres ex ædibus violenter protracti, bonis aut fortunis omnibus mulctati, & tandem Eccleſia miſerè diſperſa eſt. Quid autem de eo dicemus, quod non contenti Hieroſolymam & Iudæam totam aduerſus Chriſtum commouiſſe, inſuper vbique gentium Apoſtolis eius negotium fecerunt, ne gentibus eam doctrinam prædicarent, quam ipſi reiecerant? Quid verò hoc aliud fuit, quàm mißis legatis poſt Chriſtum ſeditionem & bellum apertum ei denuntiare? Quoties enim aliquem credentium aut diſcipulorum trucidauerunt, toties publicè proteſtati ſunt, ſe illum Regem nolle agnoſcere, neq; ipſius legibus obedire.

Porro quod olim Iudæi fecerunt, hoc ipſum apud multos alios eſt videre, & in hunc vſque diem paßim fieri ſolet. Etenim ciues Chriſti omnes homines dici poſſunt, cùm illi dictum ſit à Patre: Poſtula à me, daboque gentes vt ſint hæreditas tua, & terminos terræ vt ſint poſſeßio tua. Itaque cum peracto in terris noſtræ ſalutis negotio in cælos abire vellet, Apoſtolis mandauit, vt in totum orbem digreßi Euangelium omnibus populis prædicarent. Quod cùm illi facerent, mox vbique locorum emicuit veritatis odium, quod hucuſque in animis hominum occultius latuerat: & non modò priuatim multi eum reiecerunt, verumetiam Romani Imperatores publicis edictis ipſi debitam negauerunt obedientiam, & ne quis ipſum coleret vetuerunt. Fuit hæc cauſa grauißimarum perſecutionum, quæ Apoſtolos omnes & viros Apoſtolicos cum multis millibus piorum abſtulerunt, & quibus Eccleſia per annos ferè trecentos vſque ad Conſtantini Magni tempora miſerabiliter agitata fuit. Taceo nunc hæreticos, qui inſidioſè Regnum eius aggreßi ſunt, vt illud euerterent. Et quamuis interdum Alcyonia ſeu inducias Eccleſiæ ſuæ Deus conceſſerit, nunquam tamen pax diuturna & ſolida fuit, quin mox iuſurgerent noui motus eorum, qui Chriſtum ſuper ſe nolebant regnare. Et hodie tales voces paßim audiuntur, & quidem inter eos etiam, qui inter ciues Chriſti primatum ſibi vendicant. Quid enim aliud faciunt Pontifices, qui dum ſe Chriſti vicarios eſſe dicunt, eum cum ſuo Euangelio ab Eccleſia excludunt? Quid Epiſcopi, qui ſimiliter ſub nominis eius prætextu Eccleſiam fœdè dilaniant, & lupos illos graues agunt, quos ex illo ordine orituros eſſe, olim Paulus prædixit? Quid principes & Reges, qui Filium Dei exoſculari & Eccleſiæ eius nutritij eſſe debebant? Nonne plures horum magnam illam matrem ſcortationum exoſculantur, ad eius pedes cernui procumbunt, Eccleſiam verò Chriſti ferro & igne perſequuntur? Quid de priuatis hominibus dicemus, quorum ſimiliter maior pars Chriſtum Regem ſuum agnoſcere dedignatur? Nam etſi quidam illum in Euangelio loquentem ferant, quoad Patris ſui gratiam, peccatorum remißionem & æternam felicitatem illis pollicetur: ijdem tamen quàm primùm ſcelera ſua accuſari, ſeque vrgeri ſentiunt, vt Chriſto ſeſe per fidei obedientiam ſubijciant, mox voces illas audire licet: Egóne propter iſtam doctrinam vitæ genus mutabo, genium meum fraudabo, & amicorum dulcißimorum conſuetudinem deſeram? Nunquam faciam. Quid verò hoc aliud eſt, quàm Chriſto quaſi in faciem dicere: Nolo te regnare ſuper me cùm iam pridem Baccho, Veneri, Marti, & furum mercatorumq́ue Deo Mercurio me obſtrinxerim? Sunt hæc inter eos, qui Chriſtiani dici & haberi volunt, tam vulgaria, vt plerique ſibi in Chriſtum potius imperium vendicare ſoleant, quàm vt huic ipſi obedire velint. Eſt hoc incurabilis malitiæ argumentum, quo ſimul admonemur, ijs qui in Chriſto Ieſu piè viuere volunt, non aliud quàm crucem & perſecutionem in hoc mundo propoſitam eſſe, & proinde procul relicta Regni terreni ſpe, ad hanc nos præparari debere.

At ſimul elucet in his potentia Chriſti verè diuina, qui Regnum ſuum inuito mundo & huius principe propagat indies atque tuetur: idque nullis huius ſeculi armis adiutus. Quis enim hoc olim ſperare poterat, quando Iudæi cum gentibus aduerſus illum conſpirauerant, & ſuæ coniurationis du-

Genet. (margin, beside "Porro quod olim")

Acto.20. (margin, beside "clesiam fœdè dilaniant")

Chriſti potentia diuina. (margin, beside "At ſimul elucet")

tes atque protectores habebant Romanos Imperatores, penes quos tunc totius ferè erat orbis imperium? Præualuit tamen ille per Apoſtolos, quibus tunc temporis nulli erant ignobiliores aut imbecilliores homines. Et quod tunc factum fuit, alijs quoq; ſeculis poſtea accidiſſe ſcimus. Quibus omnibus ſi ea addas, quæ hoc nouiſſimo tempore facta ſunt, quando Pontificum tyrannide atq; ſuperſtitionibus obrutam Euangelij ſui lucem inſtaurauit, nemo negare poterit, totum hoc negotium ex Dei conſilio pendere, & humanis viribus neq; defendi neq; impediri, multò minus euerti poſſe. Debent iſta fidei noſtræ confirmandæ ſeruire, ne aliquorum impia defectione offendamur. Etſi enim nunc peregrinari videtur Ieſus Chriſtus, idem tamen Eccleſiæ ſuæ curā minimè depoſuit, & olim in aduentu ſuo (vt in ſequenti Sermone audiemus) fidis ſeruis præmia digna retribuet, hoſtes autem horrendis ſupplicijs coercebit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXIIII.

Et factū eſt cùm rediſſet accepto regno, tunc iuſsit ad ſe vocari ſeruos illos, quibus dederat pecuniā: vt cognoſceret quis quid negotiatus eſſet. Adfuit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas lucrifecit. Ille autem ait ei: Bene habet ſerue bone: quia in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatem ſuper decem vrbes. Et alter venit dicens: Domine, mina tua confecit quinq; minas. Ille verò & iſti dixit: Tu quoque præſto quinq; vrbibus. Et alius venit, dicens: Domine, ecce mina tua quam habui repoſitam in ſudario. Timui enim te, quòd homo ſis auſterus: aufers quod non depoſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. Tum ille dixit ei: Ex ore tuo te iudicabo, ſerue male: ſciebas me hominem auſterum eſſe, qui auferam quod non depoſui, & metam quod non ſeminaui: Quare igitur non dediſti pecuniam meam apud menſam, & ego veniens cum vſuris eam exegiſſem? Et aſtantibus dixit: Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet. Illi verò dixerunt ei: Domine, habet decem minas. Et ille: Nam dico vobis, Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet adimetur. Quin etiam meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc & iugulate corā me. Et his dictis antegrediebatur, aſcendens Hieroſolymam.

QVoniam diſcipuli Ieſu Chriſti communi de regno eius terreno errore tenebantur, ipſe verò eundem errorem omnibus ſeculis regnaturum ſciebat, vt nimirum pleriq; in ipſo regnum, honores, opes & quæ alia ſunt huius ſeculi bona quærant: ſæpe in Euangelio de Regno ſuo diſſerit, & iam morti vicinus omnem eius conditionem parabola iſta complecti voluit, ne quis porrò errori locus eſſet apud eos, qui ipſum audire volunt. Et prima quidem parte docuit, Regnum ſuum non de hoc mundo eſſe, ſed cæleſte: neq; vt huius mundi regna armis adminiſtrari, aut victorijs & externa maieſtate conſpicuum eſſe, ſed omnem eius gubernationem in Spiritu & verbo conſiſtere, & ijs ab ipſo committi, qui verbi prædicatione Eccleſias colligere & ipſi nouos quotidie diſcipulos adducere debeant. Ita verò & carnales iſtas de Regno ſuo opiniones confutat, & omnes officij admonet, quò

Altera parabolæ pars. *eius tiues haberi volunt. Porro ne quis illum interea otiari & omnem ſuæ Eccleſiæ curam depoſuiſſe putaret, alteram parabolæ huius partem ſubijcit, qua de ſuo aduentu ad nouiſsimū iudicium diſſerit, & quid tunc futurū ſit docet. Qui locus multa conſideratione digniſsimus eſt, quia omnes homines ad officium faciendum excitat, & dulciſsimam conſolationem ijs præbet, qui quod in ſua vocatione Chriſto fideles ſunt, mundi huius odijs, inſidijs & perſecutionibus grauiſsimis exagitantur.*

Chriſtus regno accepto redit. *Sic autem ille loquitur: Et factū eſt cùm rediſſet accepto Regno, tunc iuſsit ad ſe vocari ſeruos illos, quibus dederat pecuniam, vt cognoſceret quis quid negotiatus eſſet, & ab illis (vt in Matthæo habetur) negotiationis ſuæ rationes exigeret. Diſertè autem & Regni in cælis accepti, & ſui ad nos reditus mentionem facit, vt partim ſpe bona ſuos impleat, partim excitet, ne eius obliti in ſuo officio torpeant.*

torpeant. In priori enim ſui à nobis diſceſſus & Aſcenſionis fructum indicat: qui eſt, quòd cœlos nobis obtinuit, à quibus propter peccatum excluſi eramus, & (vt apud Ioannem pollicetur) in illis locum nobis parauit, in quo cum ipſo viuamus atque regnemus. Neminem ergo huius ſeculi turba moueant, nemo item huius mundi minis terreatur, ſed inter huius conatus & vndique ſurgentia pericula ſemper dulciſſimi illius dicti recordemur, quod cap. vndecimo audiuimus: Noli timere puſille grex: quia placuit Patri dare vobis Regnum.

Chriſtus redibit ad iudicium.

In altero autem membro finem ſui reditus atque aduentus nouiſſimi exprimit, qui erit, vt omnium hominum rationes inſpiciat, imprimis autem eorum, quos Eccleſiæ ſuæ gubernaculis adhibuit. Ergo etſi nunc procul hinc peregrinari putetur, neque res mortalium curare, vindice tamen oculo omnia intuetur, & olim iudex veniet, vt ijs qui ipſi fideles fuerunt promiſſa vitæ æternæ præmia donet, rebelles verò & contumaces æternis inferorum ſupplicijs mancipet. Eſt huius aduentus frequens mentio in ſacris literis. De eo enim Prophetæ olim vaticinati ſunt, & eundem Daniel egregiè deſcripſit, qualem in ſpiritu viderat. Et Chriſtus non hîc ſolum, ſed ſæpè aliâs de illo diſſeruit, & in Matthæo totum iudicij illius proceſſum graphicè depingit. Apoſtoli quoque eius ſæpiſſimè meminerunt, quoties de rebus maximi momenti diſputant, & vel contumaces aut ſecuros terrere, vel pios in periculis grauioribus conſolari inſtituerunt. Denique illum omnibus Chriſtianis, doctis indoctis, viris & fœminis, pueris & ſenibus ita notum eſſe voluit Spiritus ſanctus, vt inter fidei Chriſtianæ articulos eum adſcripſerit. Prodeſt enim in eius meditatione frequenter verſari: quia vix aliud eſt, quo carnis ſocordia facilius excuti & contemptus verbi efficacius reprimi poſſit: quàm ſi cogitemus, nunquam nos euaſuros eſſe, quin cogamur iudicem ſeuerum & iuſtum ferre eum, quem Regem mitiſſimum & liberaliſſimum agnoſcere dedignamur. Omnes enim ad eius tribunal ſiſtentur, omniũ corda & conſcientiæ illic reuelabuntur, omnes denique tunc in ſuis corporibus recipient quæcunque vel bene vel malè fecerunt. Neque tunc aliquid præſidij erit in opibus, honoribus & authoritate huius ſeculi, quia in aduentu illo Chriſti tota hæc corruptibilis mundi machina diſſoluetur, & omnia quæ ea continentur liqueſient: neque etiam vllæ defenſiones & exceptiones iuuabunt, eò quòd conſcientiæ teſtimonio res agetur, quod negari vel eludi nulla ratione aut artificio poteſt. Hæc qui non oſcitanter expendunt, ij certè nunquam ſibi permittent, vt otio ignauo aut voluptatibus dediti officium negligant, quod ipſis à Deo creditum eſt: quin pungentes ipſos conſcientiæ ſtimulos ſentient, qui eos ociari aut dormire non patientur. Nam etſi hominum iudicio domini rerum videantur, & multa authoritate atque potentia præſtent, cogitabunt tamen ſe Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruos eſſe, cui olim functionis ſuæ rationem reddere cogentur: quod ipſis eo difficilius erit factu, quò maiorem prouinciam & plura dona ab illo acceperunt.

Seruorum Chriſti duo genera.

Porro audiamus quid factum ſit, quando nobilis ille homo rationes cum ſeruis inijt, vt diſcamus quid olim ſit euenturum, quando Dei Filius ad iudicium veniet. Inter ſeruos producuntur tres, quorum duo frugi, ſed tamen impares ſunt (primus enim in negotiatione ſua felicior decem minas lucratus eſt, alter quinque tantum) tertius autem ignauus acceptam ab hero pecuniam in ſudario aſſeruatam defodit, & ſe officio probè defunctum arbitratur, ſi illi quod ſuum eſt reddat. Adumbrantur his duo hominum genera inter eos, qui Chriſti ſerui habentur, & eius profeſſione gaudent. Primum eorum eſt, qui pro ſuæ vocationis ratione Dei donis bene vtuntur, vt his & gloriam eius proueh ant, & multorum quoque aliorum ſaluti conſulant. Alterum ignauos habet, qui ſolo dignitatis titulo aut nomine turgidi, interea vel otio ſuo conſulunt, vel ſeruili metu impediti nihil audent eorum, quæ ex officio facere debebant.

Inter ſeruos bonos diſcrimen eſt.

In primo genere, quod duos habet (vt modò diximus) quorum alius alio felicior fuit & maius lucrum fecit, obſeruabimus, diſcrimina eſſe inter Chriſti miniſtros, & eos inter ſe gradibus quoq; certis diſtare, vt alius alij præſtet. Nec enim pari menſura Deus dona ſua diſtribuit: non quòd perſonarum reſpectu ducatur, ſed quòd vnicuiq; (vt Matthæus annotauit) dare ſolet ſecundùm ſuam facultatem, id eſt, ſingulis ea dat, quæ functioni ſuæ, ad quam ipſum deſtinauit, ſeruiunt, & ad eam obeundam poſſunt ſufficere. Vt enim nouit cui rei quiſq; idoneus ſit: ita donis quoq; neceſſarijs vnumquenq; inſtruit. Docet hoc non vno loco Paulus, cuius verba cum nuper recitauerimus, eadem hîc repetere non eſt opus. Hinc ergo fit, quòd alij alijs plus proficiunt in opere Domini: non quidem pro-

pria virtute, ſed quòd Deus illorum opera ad res plures & excellentiores vti dignatur. Sic Paulus præ alijs electum illud organum Chriſti fuit, qui plus omnibus Apoſtolis laborauit, non quidem ipſe

1. Cor. 15.

(vt illius verbis vtar) ſed gratia Dei, quæ cum illo erat. Et olim inter Prophetas alij alijs felicius & diutius docendi munus obierunt: quod ipſum hodie fieri nemo negabit, qui Eccleſiæ propagationem cum ijs, qui in ea laborant aut ſeruiunt, diligentius inſpexerit. Non tamen iſta inæqualitas aliquem terrere debet, vt animum deſpondeat, aut ſuum officium Deo minus gratum fore exiſtimet, ſi ab alijs multis ſtudio & ſucceſſu vincatur. Quia enim omnes illius ſerui ſunt, & hic in omnibus ſua gratia & ſpiritu agit, omnium quoq; officia ſibi grata & accepta habet, qui ſyncero pietatis ſtudio faciunt quod poſſunt: & ijſdem dona ſua augere ſolet Deus, vt & ipſi magis proficiant, & plures alios quotidie ad ſalutis ſocietatem adducant.

Præmia ſeruorum fidelium.

Docet hoc in præſenti Chriſtus, quando vtriq; præmium adſcriptum fuiſſe ait. Primo enim dicitur: Bene habet ſerue bone, quia in minimo fuiſti fidelis, habeto poteſtatẽ ſuper decem vrbes. Alteri verò: Tu quoq; præeſto quinq; vrbibus. Apud Matthæum generalius loquitur, vtriq; dicens: Intra in gaudium domini tui. Hic vrbes aſſignantur, vt oſtendat in promptu ſibi fore, quo fidelium labores in die illo rependat: & ad principum mores alludit, qui ſeruos quorum opera in pecuniarum & rerum minorum diſpenſatione vſi ſunt, & quos ſibi fideles atq; vtiles inuenerunt, ſolent vrbium & prouinciarum ſiue regionum gubernationi præficere. Paucis autẽ multa comprehendit, quæ præmij huius magnitudinem non obſcurè exprimunt. Nam primò tam ipſos quàm ſtudium eorum publicè commendat, dicens: Bene habet ſerue bone. Ita Chriſtus olim in aduentu ſuo ſuorum ſeruorum fidem atq; opera in totius mundi conſpectu probabit, quando illis dicet. Eſuriui, & dediſtis mihi cibũ: ſitiui, & dediſtis mihi potum, &c. Quod vnum nobis ſufficere debet aduerſus iniqua impiorum de nobis iudicia, qui nobis obtrectant, ſi Euangelij doctrinam liberè prædicemus, Dei veri cultum contra ſuperſtitiones aſſeramus, & multos quotidie à peccatis & erroribus in viam ſalutis adducamus. Dicant illi nos importunos, dicaces, turbulentos, ſeditioſos, impoſtores, hæreticos, ſacrilegos, & omne genus conuitiorum atq; maledictionum in capita noſtra congerant: modò olim nobis detur lætam hanc Ieſu Chriſti vocẽ audire: Bene habet, ſerue bone. Nec enim hæc inania verba ſunt, aut tituli inanes, quibus huius ſeculi principes ſeruos ambitioſos remunerantur: qui ſecum magnificè actum putant, ſi poſt multos labores & infinita pericula, nobilitatis gradu aut equeſtris ordinis inſignibus donentur, & immanẽ aliquam beſtiam in tabella lignea, aut etiam in papyro vel fragili vitro cum feneſtrata aut coronata galea oſtentare poßint. Sed maior eſt noſtri Regis liberalitas, qui ſingulis olim dicet: Intra in gaudium domini tui. Et ſimul omnibus: Venite benedicti Patris mei, poßidete Regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Quod non aliud eſt, quàm quòd eiuſdem felicitatis nos ſocios habere vult, in qua ipſe nunc viuit & regnat ad dextrã Patris ſui omnipotentis. Ita enim alibi pollicetur, dicens: Volo, vt vbi ego ſum, ibi etiã ſit miniſter meus. Item: Volo Pater, vt vbi ſum ego, ibi etiam ſint quos dediſti mihi. Nemini autẽ hîc ſcrupulum inijciat, quòd vni quidem decem, alteri

Tract. in Ioan. 67.

quinq; vrbes aſſignantur. Sunt enim præmiorũ diſcrimina quidem, & (vt D. Auguſtinus ex Pauli verbis annotauit) alia eſt gloria Solis, alia Lunæ, & alia gloria ſtellarum, imò ſtella à ſtella differt in gloria: veruntamen omnibus datur denarius ille, quo vita æterna adumbratur, qui in vinea Domini quantulocunq; temporis ſpatio ad ſuæ vitæ finem vſq; laborauerunt: omneſq; in conſpectu Dei ſatietate gaudiorum atq; bonorum cæleſtium fruentur. Ea deniq; eſt cæleſtis illius patriæ gloria & beatitas, vt cum Dauide omnes pij dicant: Malo ad limẽ domus Dei deſidere, quàm habitare in tentorijs impiorum. Et facit ad præmij huius amplificationem, quod fideli ſeruo hîc dicitur: Quia in minimo fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Minima enim dicit Euangelicæ prædicationis munus & quæ huius miniſtris dona diuinitus conferuntur, vt illud dignè poßint obire. Atqui hæc eiuſmodi ſunt, vt ſine illis ſalus noſtra nobis conſtare non poßit: & ideo ea Dominus margaritæ & theſauro confert incomparabili, cuius obtinendi cauſa quis omnes fortunas aut facultates ſuas vendere debeat. Sed reuera pauca & parua ſunt, ſi cum cæleſtibus illis bonis & æternis conferantur, quæ (vt Propheta ait) oculus non vidit, & auris non audiuit, neq; in cor hominis aſcenderunt. Ibi enim Deum videbimus facie ad faciem: ibi ſpiritus noſtri in Domino exultabunt, corpora autem noſtra glorioſo Chriſti corpori ſimilia facta æternùm viuent. Et ſanè incomparabilem & omni intellectu

excellentiorem

excellentiorem eſſe oportet eam felicitatem, quæ non alio pretio redimi, nec alia induſtria aut labore acquiri potuit, quàm Filij Dei vnigeniti ſanguine atq; merito. Etenim quando totam iſtam mundi machinam Deo ex nihilo producere viſum fuit, vnicum verbum tanto operi potuit ſufficere. Dicebat enim Deus, Fiat lux: & facta eſt lux. Item, Fiat firmamentum: & factũ eſt. Et rurſum, Congregentur aquæ quæ ſub cælis ſunt, in vnũ locum, vt appareat arida: & factum eſt ita. Quod ipſum de omnibus alijs mundi partibus Moſes perhibet. At quando amiſſam ſalutem reparari, & cæleſtis illius domus ianua iterum aperiri, Regnum deniq; illud acquiri oportuit, quo nos indignos Deus ornare & beare ſtatuerat, tunc non verbis res acta eſt, ſed Filij eius ſanguine pretioſo opus fuit. Quis ergo tam ſtupidus ſit, vt iſta cogitans, illius amore & deſiderio non accendatur, & omnes vitæ huius labores leues & iucundos, pericula item omnia facilia, imò nulla ducat, vt eo poßit potiri?

Serui mali typus.

Sed tranſeamus ad alterum genus ſeruorum Chriſti, quorum typus eſt malæ frugis & ignauus ille, quẽ tertio loco numerat. Nam alius (inquit) venit, & dixit: Domine, ecce mina tua, quam habui repoſitã in ſudario. De hoc Matthæus ſic ſcribit: Qui vnum talentum acceperat, abiens defodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui. Nunc verò idem, quando ille rationes à ſingulis exigit, acceptam pecuniam hero reddit, & ſuæ ignauiæ defenſionem inſtituit mirificam. Timui te (inquit) quòd homo auſterus ſis: Aufers quod non depoſuiſti, & metis quod non ſeminaſti. Itaq; timens abij, abſcondiq; talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt. Conſtat excuſatio hæc maxima ex parte criminis tranſlatione: nam ſuæ ignauiæ culpam in heri auſteritatem atque rigorem transfert, ſibi verò frugi ſerui officium & prudentiam vendicat, qui pecuniam illius ita aſſeruarit, vt quàmuis ea nullum fecerit lucrum, ipſe tamen extra damnum ſit, cùm ſortem integram recipiat. Ita verò cum ignauia impudentiam ſummam coniungit.

Hypocritarum ingenium & mores.

In huius autem exemplo ingenium & mores hypocritarum ceu in tabula depictos Dominus nobis proponit. Primò non minus quàm alij dominum ſuum agnoſcit, & ita ſeruum ſe eſſe profitetur. Ita hypocritæ etiam Chriſtum dominum dicere & ſeruos huius profiteri ſolent: & in nouißimo die olim dicere audebunt: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas virtutes fecimus? Imò vt malæ frugis ſerui ad quæuis ſimulanda ferè bonis & induſtrijs doctiores ſunt, & egregiè ad oculum ſeruire poſſunt: ita illi quoq; ſe ad omnia officia præſtanda paratißimos eſſe fingunt, & ſi externam modò ſpeciem conſideres, eos pijs & fidis Chriſti ſeruis ſanctiores multò eſſe putabis. Interim verò, vt ille in hero nihil quam ingenium auſterum & mores difficiles obſeruat, imò eundem accuſat, vt qui ad rem nimiùm attentus vndique lucrum colligat, nullam verò eius benignitatis mencionem facit, qua ipſum in familiam ſuam adoptauerat, & pecuniã ſuam eius fidei crediderat: Ita hypocritæ in Deo nihil præter iuſtitiæ rigorem agnoſcunt, qui Legem dederit, cui nemo mortalium ſufficiat, qui obedienciam perfectam ab ijs quoq; exigat, quos donis ad hanc præſtandam neceſſarijs non inſtruxit, qui denique moroſior plus æquo nullis officijs ſeſe deliniri aut placari patiatur. Quis enim neſcit eorum voces, quas illis Iſaias tribuit: Quare ieiunauimus, & tu non aſpicis? affligimus animas noſtras, & tu ignoras? Et hodie Iſa. 58. *paßim occurrunt, qui vt primum Verbo Dei ſuarum virium fiduciã & operum merita euerti ſentiunt, in eiuſmodi voces erumpunt, quibus Deum iniquitatis accuſant, qui cùm hominibus ludat ea exigendo, quæ ipſis præſtitu impoßibilia ſint, & proinde interitu eorum delectetur. Inter omnia verò iſta ne verbulo quidem vno eius graciam prædicant, qui nos ſeruorum, imò filiorum loco habere dignatur, & voluntatem ſuam amicißimè reuelat, ſimulque Filium dilectum nobis offert, cuius virtute & merito omnis noſtra infirmitas atque imperfectio ſarciatur. At quid impudentius fingi poterat, quàm hominem aduerſus Deum inſurgere, & de eius rigore atque moroſitate conqueri, qui niſi nos tenerrimè amaret & iniuriarum quoque tolerancißimus eſſet, tibi ne ſpiritus quidem eſſet ad voces illas proferendum, quibus illum accuſas? Quid item iniquius, quàm de Legis onere conqueri, dißimulare autem Chriſti meritum, qui nobis ab illo ſatisfactio datus eſt, & ſpiritum illum adoptionis, quo adiuti & nouis viribus aucti omnia in illo poſſumus? Præterea vt ignauus ille ſeruus contempto heri mandato, qui negotiari iuſſerat, nouum conſilium init: neglecto item conſeruorum exemplo, quos induſtrios videbat, nouam rationem excogitat, qua heri ſui rebus conſulat: Ita eſt hoc proprium hypocritis, quòd relicta vocatione Domini & procul abiectis eius*

mandatis nouum vitæ genus ſibi eligunt, & in ſuis operibus electitijs mirificè ſibijpſis placent. Etenim ad omnes homines vox iſta Domini pertinet. Negotiamini donec veniam. Debent enim Verbi prædicatione inſtare miniſtri, vt plures quotidie Chriſto lucrifaciant. Magiſtratuum eſt ſuum quoque populum eidem adducere, vt in vera pietate & legitimo Dei cultu omnes proficiant. Priuatos homines decet, vt coniugium ſanctè colant, liberos ad Dei honorem educent, rem domeſticam fideliter curent, vt & ipſi cum ſuis abſque aliorum moleſtia honeſtè viuant, & aliorum quoque inopiam ſua liberalitate ſubleuare poßint. Denique naturæ legibus hoc à nobis exigi conſtat, ne quis ſibijpſi viuat, ſed vt quiſq; ſuas facultates & ſtudium ſuum in commune deferat, & vno ſtudio, vno ſpiritu & ore Deus in omnibus glorificetur. At longè alia hypocritarum mens eſt, qui tunc demum ſe officio functos eſſe exiſtimant, ſi loco Verbi Dei pſalmodiæ lingua peregrina inſtituantur, ad Miſſæ ſpectaculum homines vocentur, ferientur, ieiunent, ad Diuorum ſtatuas diſcurrant, cereis & lampadibus templa exornent, anathemata ſuſpendant: ſi item relicto coniugio & procul abiecta Reipub. cura vitam monaſticam quis viuat, nec ſibijpſi nec cuiquam mortalium vtilis: ſi denique ſub obedientiæ, paupertatis voluntariæ & caſtitatis prætextu parentibus ſimul & magiſtratui legitimo debitum obſequium negent, inter diuitias amplißimas & aliorum labore partas otientur, thoris item alienis inſidias ſtruant, aut ea quoq; occultè faciant, quæ ne verbis quidem eloqui fas eſt. Et hi tamen præ alijs ſerui Dei dici volunt, vt qui mundo mortui ſe totos huius ſeruitio conſecrauerint. Mirificum ſanè & nouum ſeruorum genus, qui nunquam ſeruiunt, & contemptis heri præceptis omnia pro ſuo arbitrio faciunt. Sed debent his etiam adnumerari, qui Euangelicæ Veritatis cognitione donati, & donis non vulgaribus inſtructi, otio ſuo potius quàm gloriæ Dei & hominum ſaluti conſulunt. In horum albo non pauci Eccleſiarum miniſtri ſunt, qui in docendo frigidi hoc vnũ agunt, ne alicuius odium in ſe prouocent, & ideo præteritis minis Dei, quibus ille peccatores territat, ſolius gratiæ prædicatione illis delitias faciunt, & puluillos conſuunt, quibus ſuauiter indormiant, qui ſeueriori iudiciorum irati Dei denuntiatione ad officium faciendum excitari debebant. Similes horum ſunt qui in repub. oſcitantius agunt, morum licentiam induci patiuntur, & vt ſuo otio fruantur ſimulq; quæſtum faciant, Dei gloriam ſimul & populi ipſorum fidei cõmißi ſalutem ſecuri negligunt. Merentur his accenſeri parentes quoq;, qui in liberis ſuis inſtituendis negligentiores ſunt, aut quicunq; alij nimia indulgentia eos corrumpunt, quos in officio continere debebant. Et hi quidem ſe excuſatos abunde putant, quòd à ſceleribus grauioribus abſtineant, quòd ad ſuperſtitiones & vitia neminem cogant, quòd deniq; etiamſi neminem lucrifaciant Chriſto, eiuſdem tamen regno faueant, nec aliquẽ remorentur, quò minus ad illum accedat. Et hi plerunq; ex hominum contumacia & Dei prouidentia rationes decerpunt, quibus ſe excuſent. Quid (inquiunt) faciamus ijs, qui nec Dei Verbo credere, nec bonis legibus obedire volunt? Quis inuitos coget? Dei hoc opus eſt, animos nouos creare, voluntatem in melius flectere & cæleſtium deſiderio eos accendere, qui nunc toti terrenis ſtudijs immerſi ſunt. Quòd ſi hic illos efficaciter vocare & ſpiritus ſui virtute trahere non vult, nos quod præterea faciamus non habemus. Num armis cogemus reluctantes? Num bella moueamus non neceſſaria, quorum exitus incertus, & plerunq; infelix eſt? Hæc & ſimilia multa hodie audiuntur, & ſunt rationes iſtæ carni admodum plauſibiles, quia & otium nobis cõmendãt, & multorum odia declinant, quibus exagitantur, qui Chriſto fideliter ſeruiunt. Et qui iſta dicere conſueuerunt, hodie ferè pro optimis & ſapientißimis habentur.

Chriſti de ſeruo malo iudicium.

Sed Ieſu Chriſti, Filij Dei, de illis iudicium audiamus, quod olim in magno illo die aduerſus eos pronunciabit. Ex ore tuo (inquit) te iudicabo ſerue male: ſciebas me hominem eſſe auſterum, qui auferam quod non depoſui: & metam quod non ſeminaui: Quare ergo non dediſti pecuniam meam apud menſam, & ego veniens cum vſuris eam exegiſſem? Primò ſeruum malum dicit. Non ergo ij ſoli in Eccleſia ſerui mali ſunt, qui vel falſa doctrina vel alijs modis nocẽt aut malum dant: verumetiam qui Regnum Chriſti non promouent pro ſuæ vocationis & donorum, quæ acceperũt, ratione. Etenim quis bonum ſeruum in agricultura dixerit eum, qui neq; arat, neq; ſementem facit, neq; vites propagare ſtudet, ſed otio & ignauiæ deditus terras ſegnes iacêre, agros & vineas fruteſcere, pecora deniq; fame perire ſinit? Vel annon ſatis malus hero mercatori ſeruus fuerit, qui omiſſa omni negotiatione merces ſimul omnes cũ pecunijs ſibi creditis in vnum colligit & concluſas ſeruat, etiam quando illas

cum

cùm lucro poterat diſtrahere? Eadem ratione mali ſerui ſunt in agro Domini & negotiatione illa ſpirituali, quotquot in officio ſuo torpent, & dona ſpiritus ignauo otio defodiunt, & nec propriam neq; aliorum ſalutem prouehunt. At ſi iſti mali ſerui ſunt, quales obſecro eos eſſe dicemus, qui in agro Domini zizania ſuperſtitionum ſeminant, qui diſciplinæ ſepta ipſi perrumpunt, qui oues deglubunt & mactant, qui donis Spiritus ſancti ad ſuum quæſtum abutuntur, & negotiantur quidem, ſed ea ratione, quam olim Simon Magus inſtituit, & quam Zacharias Propheta apertè damnat, quando Chananæis aut mercatoribus locum in Eccleſia fore negat? Eſt horum magnus numerus hodie, & patronos ijdem habent potentia & authoritate graues: attamen nunquam effugient Dei iudicium.

Deinde ex proprio ore & verbis proprijs ſeruus ille iudicatur. Si enim heri ſui auſteritatem & quàm is ad lucrum attentus eſſet, nouerat: eo magis puniri meretur eius ignauia & otium, cui ſeſe dedidit. Solet autẽ hoc vulgò accidere hypocritis, vt proprio ore ſeipſos accuſent ſimul & condemnent. Queruntur de Dei ſeueritate & rigore, qui Legem dederit, quam nemo hominum vnquam præſtare potuerit, & ſibi iniuriam fieri clamant, ſi propter eius tranſgreſſionem damnentur. Sed hæc dicendo ſeipſos accuſant, & ſui oris teſtimonio poſſunt conuinci. Si enim Dei ſeueritatem verè agnoſtunt, cur non de illo placando & mitigando cogitant? cur eius iram querelis & murmure iniquo ſubinde magis irritant? Si Legem præſtitu impoſſibilẽ & ſuas vires infirmiores eſſe ſentiunt, quàm vt quis illi ſatisfacere queat, cur non ad eum confugiunt, quem idem ille nobis iuſtitiam & ſatisfactionem fecit, Ieſum Chriſtum videlicet: qui (vt Paulus ait) pro nobis peccatum factus eſt, vt nos iuſtitia Dei per ipſum efficeremur? cur item ſpreta iuſtitia Dei, quam hic nobis in Filio ſuo per Euangeliũ offert, ſuam iuſtitiam ſtabilire & venditare conantur, quæ reuera nulla eſt, & cuius vanitatem ipſi in propria conſcientia quotidie experiuntur? Adde his, quòd noſtri ſeculi hypocritæ ex ſuis precibus & Pſalmodijs iudicabuntur. Cùm enim nobiſcum orẽt, Pater noſter qui es in cælis: cum Symbolum fidei Apoſtolicæ nobiſcum commune habeant: tùm Scripturis ſacris, perinde vt nos, Dei Verbum contineri fateantur: interim tamen Diuos inuocant, fidẽ mirificè in creaturas omnis generis, in Romanas indulgentias, in ſuorum operum merita, in Purgatorij ignis luſtrationem & ſexcenta alia diſtrahunt, adhæc toti à Patrum canonibus, à Conciliorum decretis & incertis hominum traditionibus pendent, quæ omnia vnanimi veteris ac noui Teſtamenti conſenſu damnantur. Quæ ergo excuſatio illis reliqua eſſe poteſt, qui ſeipſos ſuo ore accuſant & damnant?

At non ſatis eſt hero ſerui huius ignauiam verbis durioribus increpuiſſe, ſed grauibus etiam pœnis eundem ſubijcit. Nam aſtantibus dicit: Tollite ab eo minam, & date ei qui decem minas habet. Et cùm hoc illis iniquum aut ſaltem abſurdum videretur, ideoq; reſponderent: Domine, habet decem minas: ſententiæ ſuæ cauſas ſiue rationem hanc affert: Nam dico vobis, Omni habenti dabitur: ei autem qui nõ habet, etiam quod habet adimetur. Et apud Matthæum addit his omnibus: Et inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium. Quo loco multa concurrunt, quæ ad pœnæ atrocitatem faciunt. Primum eſt, quòd minam ab eo Dominus aufert. Euenit hoc omnibus, qui vocationem ſuam non ea, qua debent, fide & induſtria obeunt. Illos enim è ſuo gradu Deus deijcit, ne vel in Eccleſia vel Repub locum honoratiorem occupent, & eoſdem donis quoque illis ſpoliat, quibus ad prouehendam ipſius gloriam vti noluerunt. Sic ſæpe miniſtros reijci videmus, vt cum miniſterio authoritatem quoque omnem amittant, & eorum etiam odijs expoſiti ſint, quibus ipſi ſua ignauia & proditorio ſilentio gratificari voluerunt. Exempla ſimilia in ijs videmus, qui in Repub. adminiſtranda ignaui ſunt, & gloriam Dei negligunt, vt infelici mundo placeant. Detrahit illos ex alto Deus, & donis, quibus antea ornati erant nudatos omnium riſui & contemptui exponit. Et hoc cum prophetico illo dicto conuenit: Honorantes me honorabo: at qui me contumelia afficiunt, contumelijs afficientur. Accedit ad hanc ignominiam, quòd minam ab illo ablatam non ſibi ſeponit herus, ſed alteri dat, qui decẽ minas lucratus fuerat. Facit hoc ad augendã ignominiam ſimul & dolorẽ, qui ex ea naſcitur. Et quàm graue ſit hominibus ambitioſis (quales ſunt hypocritæ) alios in eo dignitatis gradu videre, ex quo ipſi deiecti ſunt, Saulis exemplũ abunde docet, cui inuidia & doloris impatientia tandem exitium attulit. Simul autẽ fidis ſeruis Dominus animũ facit, ne ignauorũ exemplo ſeſe ſeduci patiãtur, aut impatientiores fiant, ſi alijs ſecurè otiantibus, aut etiã genio indulgentibus, ipſi perpetuis curis atq; laboribus diſtineantur. Erit enim olim viciſſitudo rerũ,

Ex ſuo ore ſeruus malus iudicatur.

Pœna ſerui mali.

1. Sam. 2.

& non minus glorioſum quàm felicem atq; beatum finem ſuorum laborum attingent, quando aliorum ignauia induſtriæ ipſorum teſtimonium feret, & gloriam eorundem illuſtrabit. Id verò generali dicto probat: Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet adimetur. Vſus eſt eadem ſententia Cap. 8. vbi diximus quæ ad eius interpretationem faciunt.

Ratio tutiſsima proficiendi.

Nunc obſeruemus, hanc compendioſiſsimam tutiſsimamq; rationem eſſe, qua in Dei donis proficere & ad gradum honoratiorem aſcendere atq; dignitatibus augeri poſsimus: ſi in nos collata dona agnoſcamus, iiſdem bene vtamur, & actionum omnium finem atq; ſcopum nobis proponamus gloriam Dei & multorum ſalutem. Qui verò his neglectis per malas artes ad altiora tendunt, ſeipſos cũ ignominia in exitium præcipites dare conſueuerunt: cuius rei exempla plurima in prophanis etiam hiſtorijs habentur: qualia ſunt Alcybiadis, Gracchorum, Marij, Pompeij & ſimilium. At ne hîc quidem ſubſiſtit iudicium Dei, quo ſeruos ignauos & inutiles punit: ſed iſtũm inſuper in tenebras exteriores abijcere iubet, vbi eſt fletus & ſtridor dentium. Ea autem locutione ſtatum eorum Chriſtus denotare ſolet, qui ad æternos inferorum cruciatus damnati ſunt. Vt enim Deus lucem inacceſſam habitare dicitur, cuius olim participes fient, quotquot lucem, quæ nobis in Chriſto exhibita eſt, ſedulò ſequuntur: ita extra Chriſtum meræ ſunt tenebræ errorum, ſuperſtitionum & peccatorum, quarũ princeps eſt Satan, qui iam olim ad catenas caliginis damnatus ſecũ in æternas tenebras abſtrahet omnes eos, qui eius imperium & malas ſuggeſtiones admiſerint. Exteriores autem dicũtur tenebræ illæ, quia procul extra Dei Regnum & beatæ immortalitatis ſedem ſunt: ſicuti in epulonis diuitis & Lazari hiſtoria audiuimus. Per fletum verò & ſtridorem dentium æternos cruciatus intelligit, quibus tam corpore quàm anima mulctabuntur, quicunq; in domo Dei inutiles aut mali ſerui fuerint. Nobis autem iſtorum vſus eſſe debet, vt ad piam induſtriam excitemur, & ipſi nobiſcum quotidie rationem ineamus, noſq; ipſos examinemus ad noſtræ functionis regulam: ne fortè etiam ipſi otio & ignauia ſuperati iiſdem pœnis mulctemur.

Pœnæ defectorum & ſeditioſorum.

Reſtat poſtrema parabolæ pars, qua quid ſeditioſis defectoribus & hoſtibus apertis eventurum ſit, Dominus docet. Nam poſtquam cum ſeruis ſuis rationes ſubduxit, aſtantibus ait: Quin etiã meos illos inimicos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc & iugulate coram me. Oportuit hoc addi, ne quis Chriſtum in eos modò animaduerſurum putaret, qui ſeruorum nomine cenſentur, impunè autem omnia laturos eſſe, qui ab ipſo prorſus alieni iugum eius iam pridem excuſſerunt. Etenim multos error iſte decipit, eò quòd multos iſtorum in hoc ſæculo triumphare & quaſi extra omnem teli iactum conſtitutos impune aduerſus illum proteruire vident. Docet ergo, ſe iſtorum quoque iudicem fore, & pœnas tandem daturos eſſe omnes eos, qui aduerſus ipſum aliquid hoſtiliter moliuntur. Confirmatur hoc multis teſtimonijs, & imprimis luculentum eſt, quod in Pſal. ſecundo habetur. Deſcribit illic Spiritus ſanctus gentium ferociſsimarum fremitus, vulgi cõcurſum, regũm & principum conſilia, quorum omnium hic finis eſt, vt Chriſtum Dei è regno ſuo expellant, diſciplinæ vincula abrumpant, & iugum illud dulciſsimum cõfringant, quo caro coercetur, vt ſpiritui & Deo obediat. Sed quid iiſdem illic reſpondetur? Qui ſedet in cælis ridet, Dominus ſubſannat eos. Tum loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo terrebit eos. Ego verò conſtitui Regem meũ ſuper Zionem montem meũ ſanctum. Recenſebo decretum: Dominus dixit mihi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, daboq; gẽtes, vt ſint hæreditas tua: & terminos terræ vt ſint poſſeſsio tua. Sceptro ferreo cõfringes eos: veluti vaſa figulina cõminues eos. En ferreo ſceptro conterendos dicit eos, qui ſalutari ſceptro Euangelij regi atq; coerceri nolunt. Et ſceptri illius plus quàm ferreã, vel adamãtinam quoq; duritiem multi experti ſunt, qui aduerſus Chriſtum & Eccleſiã eius arma ſua acuerunt: quorum exempla alibi recenſuimus. At quamuis aliquibus detur, vt huius ſæculi vitam feliciter tranſigant & finiant, iidem tamen Dei iudicium minimè effugient. Veniet enim ſuo tempore Ieſus Chriſtus, & per angelos ſuos à finibus orbis terrarum omnes homines colliget, qui ad ipſius tribunal ſiſtentur, vbi pij quidem laudibus dignis & gloria ornabuntur, impij verò eius hoſtes verbi ſui gladio mactati vnà cum diabolo & pſeudopropheta conijcientur in ſtagnum ignis & ſulphuris vbi die & nocte cruciabuntur in ſempiterna ſecula. Vide Matth. 25. Apo. 19 & 20.

Conſtantia Chriſti.

Porro concludit narrationem iſtam Lucas his verbis: Et his dictis antegrediebatur Ieſus, aſcendens Hieroſolymam. Quibus rurſus eius conſtantiam & firmum propoſitũ ea exequendi commendat,

mendat, quæ à Patre in mandatis habebat. Nam vt ſæpe vidimus, minimè ignorabat, quid ipſi Hieroſolymæ euenturum eſſet. Tendit tamen eò gradu indefeſſo, & quidem comitatum ſuum omnem, qui numeroſiſſimus erat, præcedit ducis inſtar, vt omnibus exemplum præbeat, quod ipſi quoque ſequamur vrgente nos Dei vocatione. Et hîc nobis animum addere debet, quòd ille non exemplo ſolùm eſt nobis, verumetiam viam parauit facilem omnibus, qui in eius vocatione ambulare ſtatuerint. Itaque eius memores intrepidè agamus negotium Domini, & procul relictis huius ſeculi curis atque voluptatibus, Ieſu Chriſti ſerui ſimus fideles, vt in magno illo die honore & gloria ſempiterna donati, in gaudium illius cœleſte ingrediamur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXVI.

Et factum eſt cũ appropinquaſſet Bethphagæ & Bethaniæ ad montem, qui vocatur Olearum, miſit duos ex diſcipulis ſuis dicens: Abite in vicum, qui eſt ex aduerſo: in quem ingreſſi inuenietis pullum alligatũ, cui nemo vnquam hominum inſedit, ſolutum eum adducite. Et ſi quis vos interrogauerit, Quare ſoluitis? Sic dicetis ei; Quoniam eo opus eſt Domino. Profecti autem qui miſſi erant, inuenerunt prout eis dixerat. Soluentibus autem eis pullum, dixerunt eis domini eius: Quare ſoluitis pullum? Ipſi verò dixerunt: Quoniam eo opus eſt Domino. Duxerunt igitur eum ad Ieſum: & pallijs ſuis pullo iniectis, impoſuerunt Ieſum. Eunte autem ipſo, ſubſternebant pallia ſua in via. Et cùm appropinquaret ad deſcenſum montis Olearum, cœpit omnis multitudo diſcipulorum gaudentium laudare Deum voce magna de omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus Rex ille, qui venit in nomine Domini: Pax in cœlo, & gloria in locis altiſſimis.

Poſtquam Dominus & redemptor noſter, Ieſus Chriſtus, in parabola quæ proximè præceſſit, omnem Regni ſui conditionem diligenter expoſuit, commodiſſimè illi doctrinæ Lucas hiſtoriæ huius de ingreſſu eius in vrbem narrationem ſubijcit. Ea enim ille apertius demonſtrare voluit, quod verbis docuerat, & duo agit. Primo ſe Regem eſſe docet, & ideo non vt ſolitus erat, pedes vrbem ingreditur, ſed pullo aſinæ inſidens, vt ſe omnibus conſpicuum præbeat: adhæc populi acclamationes admittit & probat, cum authoritate templum ingreditur, & ex eo auaros atq; impios ſacrorum nundinatores eijcit, & alia multa facit, quæ propriè ad Regem ſpectant. Nec alicui mirum videri debet, quòd hoc Regni ſui documentum in finem vſq; ſuæ in hiſce terris conuerſationis differre voluit. Id enim poſtulabat eorum temporum ſtatus, ne populo plus ſatis ad res nouas procliui aliquã tumultuandi occaſionem daret: ſimulq; ſuo exemplo doceret, Regni ſui ſpecimen ferè tunc in nobis quoq; luculentius apparere, quando morti vicini de illa ſimul & inferis triumphare incipimus. Alterum eſt, quòd hoc tam vili apparatu oſtendit Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & proinde eos turpiter falli, qui huius ſeculi ſplendore, opes & gloriam in illo quærunt. Interim multa alia in narratione iſta concurrunt, quæ nos de multis cognitu neceſſarijs admonent, & ideo digna eſt, cuius ſingulæ partes diligentius conſiderentur.

Vide Marcum homil. 91. & 92.

1.

2.

Prima ipſum Chriſtum proponit, in quo ſi externam ſpeciem intuearis, nihil præter extremam egeſtatem & inopiam reperies. Cùm enim noui Reges vrbem præcipuam Regni ſedem ingreſſuri equos & equites innumeros ſibi parent, armis & omni ornatus genere conſpicuos, noſter hic ita omnibus iſtis deſtituitur, vt ipſi pullo aſinæ precario opus ſit. Ideo duos ex diſcipulis emittit, quibus ait: Abite in vicum, qui eſt ex aduerſo: in quem ingreſſi inuenietis pullum alligatum, cui nemo vnquam hominum inſedit: ſolutum eum adducite, &c. Et ſunt hæc quidem carnis iudicio non contemptu modò digna, verumetiam ridicula: at ſi propius inſpiciantur, Chriſtum reuera Regem eſſe teſtantur, & earum virtutum ſpecimen euidentiſſimum exhibent, quæ in Regibus præcipuæ ſunt,

Chriſtus Rex

& ſine quibus regna feliciter adminiſtrari non poſſunt. Primam in his merito numeramus variarum rerum ſcientiam & ſapientiam. Quid enim illis tam neceſſarium eſt, quàm vt ſciant ea, quæ
Sapient. ad Reipub. adminiſtrationem pertinent: quæ nimirum populi ipſis crediti conditio, quod ingenium, qui mores: quæ item Regum & principum officia, quibus legibus vitia coercere, honeſtatem morum prouehere, populi ſaluti conſulere oporteat? Hæc qui ignorant, ij Regum quidem titulis ſuperbire poſſunt, reuera autem nihil minus quàm reges ſunt, cùm nihil eorum queant præſtare, quæ ab illis e-
1.Reg.3. xiguntur. Vidit hoc Solomon olim, qui cùm quiduis petendi optionem liberam ipſi feciſſet Deus, neglectis omnibus, quæ plerique ſola admiratione digna eſſe indicant, dicebat: Ego puer ſum paruus, ignorans egredi & ingredi: & ſeruus tuus eſt in medio populi tui, quem elegiſti: & quidem populus eſt multus, qui numerari non poteſt. Da igitur ſeruo tuo cor audiens, ad iudicandum populum tuum, vt diſcernam inter bonum & malum, &c. Quod votum ita Deo placuit, vt Solomonem non ſolum ſapientia, verumetiam opibus & potentia Regum omnium præſtantiſſimum fecerit. Præſtat tamen illi verus hic noſter Solomon, Ieſus Chriſtus, cui Pater Spiritum dedit non ad menſuram certam, ſed cum plenitudine: Spiritum videlicet ſapientiæ & intelligentiæ (vt Iſaias prædixit)
Iſa.11. conſilij item & ſcientiæ. Argumenta huius in Euangelica hiſtoria paſſim occurrunt, inter quæ non poſtremũ debet cenſeri, quod hîc habetur. Qui enim modò ex Galilæa hoſpes adueniebat, videt quid in vico illo fiat: imò nouit & prædicere poteſt, quid illic inuenturi ſint diſcipuli vbi eò venerint. Id verò non humanæ ſolertiæ, ſed ſapientiæ diuinæ opus eſt. Quis enim mortalium, etſi multos alios ſcientia & rerum vſu ſuperet, ſcire poteſt, quid ipſo abſente domi ſuæ geratur, quo loco pecora eius ſingula conſiſtant, quid dicturi aut facturi ſint eius domeſtici poſt horam vnam aut alteram? Hæc autem nos in Chriſto non admirari modò aut laudibus extollere, ſed ad noſtrum vſum transferre conuenit, vt ex iis conſolationem & doctrinam petamus, quæ vitæ inſtituendæ ſeruiat. Etenim plurimum nos conſolari poteſt omniſcientiæ huius conſideratio, quando in periculis, in morbis diuturnioribus, in egeſtate & fame Satan atq; caro nobis ſuggerunt, nos à Chriſto prorſus derelictos, & hunc noſtri immemorem eſſe. Qua ratione enim oues ſanguinis ſui pretio redemptas ille negligat, qui pullos aſinorum reſpicit? Non dubitemus ergo, quin nos in periculis omnibus videat, calumnias hoſtium audiat, & eorundem conatus norit. Tutò igitur ad illius tribunal prouocare, ei noſtras querelas exponere, & noſtræ innocentiæ defenſionem contra noſtros perſecutores inſtituere poſſumus: quod Dauidem non ſemel feciſſe, ex Pſalmis apparet. Eſt præterea hic efficaciſſimus ſtimulus ad virtutem & vitæ ſanctitatem tuendam, ſi omnes noſtras actiones & ſtudia eius oculis patêre cogitemus, qui olim iudex venturus eſt.

Potent. Cæterùm non poteſt Regibus ſufficere ſapientia cum ſcientia rerum coniuncta, niſi viribus & potentia atque authoritate inſtructi ſint, qua & ſuos in officio continere, & hoſtilem vim repellere poſſint. In eum certè finem magiſtratum gladio armatum eſſe, Paulus docet, & omnium animis hanc notitiam Deus inſcripſit, vt principum authoritatem reuereantur. At in hoc etiam Rex noſter, Ieſus Chriſtus, omnibus huius ſeculi regibus eſt ſuperior: vt qui non edictis minacibus & aperta vi cogit (quàmuis & hoc poſſit, ſi ita neceſſitas poſtulet) ſed in ipſa corda hominum ius habet & imperium, vt ex inuitis voluntarij fiant, & ſua ſponte ad omne obſequium præſtandum parati ſint, qui prius nihil minus facturi videbantur. Apparet hoc in eo, quòd ij, ad quos pullus iſte aſinæ pertinebat, audita eius voluntate mox acquieſcunt, & ab hominibus peregrinis atque ignotis eum adduci patiuntur: quod nunquam facturi fuerant, niſi corda eorum occulta virtute ille tetigiſſet. Sunt & alia eius generis exempla, quæ alibi recitauimus. Habet autem hoc quoque dulciſſimam conſolationem. Qui enim iſtos mouere potuit, idem quorumuis animos flectere poteſt, vt quæ nobis ad huius vitæ vſum neceſſaria ſunt liberaliter largiantur: vel etiam ſubitò ex inimicis amici fiant, & in lachrymas noſtri cauſa erumpant, qui paulò ante in noſtram necem animis acerbiſſimis coniurarant: quod olim Eſauo & Sauli accidiſſe legimus. Quòd ſi qui duriores ſunt, & prorſus implacabiles, tamen hos quoque fræno ſuo continere ſolet, vt quod maximè volunt & quod poſſe videntur, minimè faciant. Sunt hæc exemplis infinitis probata, quæ commemorare nequaquam opus eſt, cùm multa quotidie fiant, quæ conſolationem hanc nobis inſtaurare & confirmare poſſunt.

Porro

Porro etſi Regem ſapientia & potentia vel authoritate maxima inſtructum dederis, nihil ta- Iuſtus.
men ille feliciter perficiet, neque regnum habebit firmum & ſtabile, niſi iuſtitiam colat, & ſecundùm
huius leges abſque perſonarum reſpectu ius dicat. Quod ipſum ſapientiſſimus ille Solomon obſerua-
uit, quãdo dicebat: Auferatur impius à conſpectu Regis, iam thronus eius iuſtitia firmus erit. Item Prou. 25. & 29.
cùm iuſti regnant, populus gaudet. Et rurſus: Iudicio rex ditionem confirmat: at qui tributis aut
exactionibus inhiat, euertit eam. Rex, qui iudicat in veritate pauperes, huius ſolium in perpetuum
firmum erit. Quæ omnia veriſſimè dicta eſſe mox intelliget, qui hiſtorias vel à primo limine ſalu-
tarunt, aut quæ quotidie fiunt, non oſcitanter obſeruant. Qui enim iuſtè omnibus iudicant, oppreſ-
ſis & afflictis opem ferunt, malos coercent, bonos autem tuentur: ij omnium animos, ſibi conciliant,
vt ad quoduis obſequium prompti atque parati ſint. Exemplum huius rei memorabile Euſebius
de Conſtantio Conſtantini Magni patre refert. Sparſus erat de eo rumor, quòd mitis eſſet, & ſub- Lib. 1. de uita
ditis parcendo theſauros exinaniret, nec quiſquam in his reconditum haberet. Itaque Diocletianus Conſt.
miſſis ad eũ legatis, ipſum ignauiæ & neglectæ Reipub. accuſabat, & paupertatem ei exprobrabat.
At his cùm legatos expectare iuſſiſſet, omnibus ſuæ ditionis populis nunciat ſibi pecunijs opus eſſe:
nec mora, certatim illi & lætis animis theſauros eius auro atque argento impleuerunt, magna cum
legatorum admiratione: qui eo facto diſcebant, quanto vtilius ſit iuſtitia & æquitate populum di-
uitijs abundantem ſibi obſtringere, quàm iniquis exactionibus omnium animos alienare. Conſtat è
contra, nunquam diu aut feliciter eos regnauiſſe, qui contemptis legibus pro ſua libidine omnia fe-
cerunt. Quem verò regum huius ſæculi dabis, qui hac etiam in parte poſſit cum Chriſto conferri?
Is enim cùm omnium dominus ſit, & ſuo iure omnium bona ſibi vendicare poſſit, à nemine tamen
vnquam aliquid extorſit, & nullius domo aut re quacunque illo inuito vſus eſt: & nunc ne pul-
lo quidem aſini ad paucu las horas inſcijs aut nolentibus heris vti voluit. Quod vt eius Regnum
commendat, & bonis omnibus iucundum facit: ita phanaticorum illorum furores confutat, qui
ſub Euangelij prætextu communionem bonorum omnium inuitis quoque & reluctantibus obtru-
dere conantur. Qui etſi primitiuæ Eccleſiæ (cuius exemplo illi turpiſſimè abutuntur) more aut con-
ſuetudine & plurimis alijs argumentis abſque negotio conuinci poſſint, vnum tamen hoc nobis ſuf-
ficere debet aduerſus illos, quod Chriſtum toto illo tempore feciſſe conſtat, quàm diu in terris verſa-
tus eſt. Nunc prima huius hiſtoriæ pars nobis ad hoc ſeruiat, vt Chriſtum Ieſum verè Regem ſa-
pientiſſimum, potentiſſimum iuſtiſſimumq́ eſſe agnoſcamus, & proinde eum colamus, & ſalutis fi-
duciam in illo vno habeamus collocatam.

Secunda parte, diſcipuli proponuntur, quibus aſellum adducendi prouinciam ille mandauit. Ob- Obedientia di-
temperant illi, & abſq; murmure aut tergiuerſatione officium faciunt, cùm non deeſſent rationes ho- ſcipulorum.
neſtæ & iuſtæ in ſpeciem, quibus ſe excuſare poterant. Nec enim inhoneſtum modò verumetiam
cum furti ſuſpicione coniunctum, & proinde periculoſum poterat videri, homines peregrinos nemi-
ne ſalutato aut rogato iumentum alienum & alligatum ſoluere atque abducere. Sed didicerant
illi iampridem omnes carnis ſenſus Chriſto ſubijcere, & huic in omnibus obedire. Eſtq́ hoc obedien-
tiæ fidei exemplum, quam omnibus neceſſariam eſſe, qui Chriſto nomen dederunt, ſæpe iam diximus:
quia niſi hæc carnis noſtræ prudentiam atque cupiditates ſubigat, nunquam officium faciemus, cùm
illa Deo etiam reſponſare, & aduerſus eum diſputationes inſtituere non vereatur: quæ execrabilis
eſt audacia, & tandem in deploratam impietatem degenerat, niſi in tempore coerceatur.

Non autem inutilis vel à propoſito hiſtoriæ aliena eſt Allegoria, quam hîs aliqui obſerua- Chriſto aſini ad
runt. Commune nimirum diſcipulorum Chriſti officium eſſe, vt ei aſinos adducant, qui ipſum ſeſſo- duci debent.
rem & rectorem patiantur. Aſini autem reuera ſunt omnes homines, ſi naturæ vitioſitatem, in qua
concipiuntur & naſcuntur, conſideres. Vt enim aſinus animal eſt ſtupidiſſimũ, tardum & ignauum,
in oneribus tamen ferendis robuſtiſſimum, contumax item & mirè refractarium: Ita animalis ho-
mo in ijs, quæ Spiritus Dei ſunt, plus quàm ſtupidus eſt, nec tardus modò & ignauus in Dei man-
datis obeundis, verumetiam refractor improbus, cùm è contra nullius laboris aut moleſtiæ ipſum pi-
geat, quæ in ferendis ſcelerum ſarcinis ſubeunda eſt: & cùm Chriſtum ſeſſorem vix admittat, dia-
boli ſeruitio ſponte ſeſe ſubijcit. Tales aſini olim Iudæi & gentes fuerũt, qui omnes Apoſtolorũ mini-
ſterio ad Chriſtũ adducti ſunt. Tales vtinam non hodie paſſim occurrerent. Noſtri ergo officij eſſe

Iii

meminerimus, vt & nos ipſos Chriſto adducamus, & quoſcunque aliòs, quos vel à via ſalutis deſle xiſſe, aut oneribus peccatorũ ſuccubuiſſe cernimus. Eſt hoc opus Deo gratiſſimum, qui non alia re magis quàm hominum ſalute delectatur. Et huc faciunt, quæ de boue & aſino proximi ſubleuando & ad herum ſuum reducendo in Lege habentur. Exod. 23. Deut. 22.

Nihil negãdum Chriſto.

At non minus laude digni ſunt ij, à quibus Apoſtoli aſellum illum abduxerunt. Cùm enim non abſq; cauſa mirarentur, homines ignotos ſatis pro imperio pullum ſoluere & abducere velle, tamen audito eorum reſponſo: Quoniam opus eſt Domino: illum abſq; omni difficultate eis conceſſerunt. Quem animum illis à Chriſto inditum fuiſſe diximus. Veruntamen eorum exemplo admonemur, ne quid ipſi quoque Chriſto negemus, quo illum ſcimus opus habere. At ipſe quidem, ſi diuinam eius naturam ſpectes, nullius indiget, ſed ipſe potius omnium noſtrûm neceſſitatem ſua liberalitate & omnipotentia ſubleuat. Quoad verò Regnum ſuum & eius in hoc ſæculo adminiſtrationem noſtra opera & miniſterio vti dignatur: vt illud per Verbi adminiſtros prouehat, per pios principes tueatur, per ſingulos denique illuſtret atque confirmet. Hic ergo quoties noſtra vocatio nobis in mentem venit, ſemper nobis ab illo dici putemus: Dominus tuo labore, tua fide & induſtria opus habet. Ita ſimul admonebimur, nos qui illi nosipſos & omnia noſtra debemus, nihil ei ſine ſacrilegio negare poſſe. Similiter cùm pauperes famelici, peregrini & exules Chriſti membra ſint, ipſum noſtram opem implorare exiſtimemus, quoties illi ad nos clamant, ſeq; noſtra beneficentia ſubleuari cupiunt. Quoties item propter fidem & Veritatis confeſſionem de fortunis noſtris periclitamur, ſimiliter in mentem veniat, Chriſtum noſtris facultatibus, noſtro exilio, labore, moleſtijs opus habere, vt nimirum eius nomen noſtra fide & patientia illuſtretur. Sed ô infelices nos: quando multi paſſim ſunt, qui ſua omnia Baccho, Veneri, mundo, diabolo ſponte offerunt, pauci autem inueniuntur, qui hoc afflictiſſimo ſeculo, periclitantibus vbique Eccleſijs, hanc Chriſti vocem agnoſcere, & ipſi obedire veline. Quid verò de illis dicemus, qui in membris ſuis eſurienti & ſitienti acetũ cum felle propinant, dum illorum crucem conuitijs, calumnijs, opprobrijs & ſcurrilibus dictis atque inſultationibus, ipſis acerbiorem & grauiorem reddunt?

Chriſti in urbẽ ingreſſus.

Sequitur tertia huius hiſtoriæ pars, qua ipſa Chriſti profectio & tandem ingreſſus quoque in vrbem deſcribitur. Nam aſellum diſcipuli illi Chriſto adduxerunt, & huic iniectis pallijs ſuis eum impoſuerunt, & eo iam proficiſcente alij quidem veſtes ſuas, alij verò ramos palmarũ in viam ſubſtrauerunt, omnis verò populus præcedens & ſequens fauſtis acclamationibus eum deduxerunt clamantes: Hoſanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini, &c. Quo loco ante omnia quærat aliquis, cur iſto apparatu vrbem Regiam & cultus diuini ſedem ingredi voluerit? Nam ſubeſt quidem his aliqua ſpecies Regis, ſed ridicula planè, ſi ad noſtræ rationis calculum reuocetur. Nam iumento quidem ſublimis vehitur præter ſolitum morem, ſed precariò, vt nuper diximus: & ita omnibus phaleris deſtituto, vt ne ſellam quidem aut ephippia habuerit, & proinde diſcipulorum pallijs eum inſterni oporteret. Habet præterea comitatum quidem numeroſum, vt vnquam aliâs: ſed qualem obſecro? Alij ex ipſa Galilæa ipſum ſecuti erant, homines ignoti & peregrini, cum mulierculis aliquot: alij in tota illa profectione ex vicis & oppidulis, per quæ tranſibat, temere confluxerant: quidam (vt Ioannes ſcribit) aduentantis fama excitati ex vrbe obuiàm illi progreſſi ſunt: ſed & hi ex peregrinis fuerunt, qui iam ad feſtum illuc venerant. Nihil ergo in toto illo comitatu fuit, quod Regiam maieſtatem referret, ſi occultam Chriſti virtutem auferas, qua illi omnes excitati & attracti fuerunt, & quam ijdem ferè omnes ignorabant. Præterea acclamationes quidem ſunt magnificæ & ex Scripturis petitæ: ſed à vulgo indocto & hominibus imperitis, quibus poſtea pueri acceſſerunt, qui illorum exemplum imitati ſunt, vt Matthæus ſcribit: omnes verò illos palàm damnarunt Sacerdotes & Phariſæi, quorum tunc ſumma erat in ea gente authoritas. Ergo meritò quis miretur, cur iſto apparatu venire voluerit, qui ſuo nutu quoſuis ad ornandum ſuum ingreſſum facilè excitare poterat? Sed cauſam indicant Matthæus & Ioannes, qui hoc ita fieri oportuiſſe ſcribunt, vt impleretur, quod Zacharias olim prædixerat. Ita verò ad Dei decretum nos remittunt, quando conſtat, Prophetas ſua vaticinia ex Spiritus ſancti ſuggeſtione protuliſſe, qui de futuris illos admonuit, & inprimis quidẽ ijs, quæ promiſſus ille redemptor facturus & paſſurus erat: Sic verò aduentum eius in vrbem Zacharias deſcribit, vt non obſcurè doceat, cur apparatu tam

Cur hoc habitu urbem ingreſſus ſit?

vili

vili & contempto vti voluerit: nimirum vt oſtenderet, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, nec aliquid cum huius mundi regnis commune habere, quæ ferè armis acquiruntur & defenduntur, & proinde ſubditis magnifico apparatu equitum, ſatellitum & militum terrorem incutere ſolent. Ideo ſic loquitur Propheta: Exulta væhementer filia Zion, iubila filia Hieruſalem: en Rex tuus venit tibi, iuſtus & ſeruator ipſe, pauper vel mitis, inſidens aſino, pullo ſcilicet aſinorum. Quæ omnia ſic dicuntur, vt facilè appareat, Regem hunc nemini grauem aut terribilem, ſed potius beneficum & ſalutis publicæ authorem eſſe. Et ideo confirmationis loco adijcitur: Excindā currus ex Ephraim, & equos ex Hieruſalem, excindeturq́ arcus bellicus, loquetur pacem gentibus, & imperium eius à mari ad mare extendetur. Adeò igitur non opus eſt ei armis, vt potius omnem apparatum bellicum procul remotum velit. Vt enim nos Patri reconciliat: ita inter nos quoque mutuæ dilectionis & pacis ſolidæ atque ſtabilis author eſt. De quibus omnibus, cùm in Marco plura dicta ſint, nunc ea breuius perſtringimus. Ita verò Chriſtus non modò diſcipulorum atque totius populi Iudaici errorem confutare voluit, qui Regnum eius terrificum & armis atque triumphis illuſtre fore ſomniabant; verumetiā perſonatos illos vicarios ſuos arguit, qui omnia eius exemplo & doctrinæ contraria faciūt. Pontifices dico, qui omnia mūdi regna ad ſe pertinere dicūt, Reges & Imperatores in ſua verba iurare cogunt, eoſdem ad oſcula pedum euocant: adhæc aut mulis auro ornatis, aut equis militaribus vehuntur: vel in ſella pretioſiſſima baiulorum humeris ſublimes geſtantur, & omnes ex alto plus quàm barbaro faſtu deſpiciunt: pacis verò & concordiæ capitales hoſtes ſunt, orbemq́ terrarum bellis continuis turbant, dum potentiſſimos Monarchas inter ſe nouis ſubinde occaſionibus committunt: eò quòd illorum diſſidijs ipſi ſuam potentiam augere & quotidie ſuis terris aliquid adijcere, aut ſaltem ſua facilius tueri poſſunt, dum illi inter ſe belligerantur. Quàmuis autem hæc omnia illi faciant, infelix tamen mundus pro illis pugnat, eos adorat & colit, neglecto Chriſto, ſalutis & pacis vnico authore. Sed neminem illius exemplum moueat, quò minus Chriſto ipſi adhæreamus: qui etſi nullo ſplendore aut terrore tyrannico ſeſe venditet, imperium tamen diuina virtute per totum orbem extendit, & ſuos in medio hoſtium ſuorum facilè tuetur.

Vt populus Chriſtum deduxerit.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua narratur, vt eum diſcipuli & totus populus in vrbem deduxerint. Et illi quidem (vt dictum eſt) eum aſello, quem ſuis pallijs inſtrauerant, impoſuerunt. Alij ex vrbe eidem obuiam procedunt. Omnes verò vnanimi ſtudio viam veſtibus & arborum ramis ſternunt, & ſimul acclamationibus lætis atque ſolennibus proſequuntur. Hoſanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum in nomine Domini patris noſtri Dauid. Hoſanna in altiſſimis. Pax in cœlo, & gloria in locis altiſſimis. Quæ voces non temerè in ore vulgi rudis & indocti natæ, ſed ex Pſalmo centeſimo decimo octauo deſumptæ ſunt, quo ſolennis precatio pro Regno Meſſiæ veri illius Dauidis Filij, inſtaurando continetur. Cui adijcitur δοξολογία ex Angelorum Cantico, quo illi natalem Chriſti celebrauerunt, vt Cap. ſecundo audiuimus. Sunt hæc admiratione digniſſima. Ignobilis populi turba impunè tantum honorem ei defert, quem Pontifices & Seniores oderant. Homines item illiterati ex Scripturis eum publicè celebrant, quē agnoſcere non potuerunt hucuſq́, qui Scripturarū cognitionem & clauē ſcientiæ ſibi ſolis vendicabant. Iſto exemplo nos aduerſus eorum calumnias tueamur, qui nobis noſtræ partis hominū ignobilitatem exprobrant, & ſeditionis accuſant eos, qui contra Regum edicta Chriſto honorem ſuum publicè deferunt. Eſt illorum impudentia maior, quàm vt multis cōfutari mereatur: ſeruiles autem animos produnt, quicunque in hominum gratiam ea diſſimulant, quæ de Chriſto didicerūt. Interim meminerimus commune exemplum nobis proponi, quod omnes imitari oporteat, qui Chriſtum ſe nobis per Euangelium offerentem dignè & cum fructu aliquo excipere volunt. Agnoſcant eum eſſe benedictum illud ſemen Abrahami, Regem item à Deo nobis datum, qui Regnum Dei inter nos inſtaurat, pacis item & gaudij æterni nobis author eſt vnicus. Quem autem intra animos ſuos agnouerunt, eum publicè inter eius hoſtes quoque profiteantur, neque eius ipſos pudeat, qui propter nos extrema quæque pati dignatus eſt. Præterea ipſi viam parent & veſtes ſubſternant: quod tunc propriè fit, quando veterem hominem exuunt, & hunc per fidei obedientiam illi ſubijciunt. Sunt hæc rara hodie: & plures multò inuenias, qui illi aduentanti portas claudunt, vel etiam iam admiſſum eijciunt, quando nō omnia votis ipſorū reſpondent. Oremus ergo omnes, vt Deus Pater homi-

num animos accendat Filij ſui amore, vt Regnum illud benedictum & ſaluificum inter nos inſtauret, & aduerſus impios hoſtium conatus tueatur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXVI.

Tum quidam Phariſæorum è turba dixerunt ei: Magiſter, obiurga diſcipulos tuos. Et ipſe reſpondens dixit eis: Dico vobis, ſi ſiluerint iſti, mox lapides clamaturos. Et vt appropinquauit, viſa vrbe fleuit ſuper ea, dicens: Enimuero ſi vel tu noſſes vel hoc ſaltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent. Sed occulta ſunt nunc oculis tuis. Nam venient dies aduerſum te, quo circumijcient inimici tui tibi vallum, & circuncingent te, & conſtringent vndique, teq; ſolo æquabunt, & filios tuos intus: neque relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non noueris tempus illud viſitationis tuæ.

SCiebat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, mortem ſuam multis ſcandalo fore, qui difficulter credituri eſſent, eum eſſe promiſſum illum humani generis redemptorem & Regni Dei inſtauratorem, quem in cruce infami mediũ inter latrones pendere viderant. Ideo ſæpius de hoc priuatim cum ſelectis diſcipulis egit, & ipſo in vrbem ingreſſu ſcandalum hoc aliqua ex parte remouere voluit. Nam vt nuper audiuimus, non vt ſolitus erat, cum paucis diſcipulis pedes aduenit, ſed pullo aſinæ inſidens & toti populo conſpicuus numeroſum comitatum ſecum traxit eorum, qui fauſtis acclamationibus populum totum in eius admirationem excitauerunt. Deniq; quàmuis totus ille apparatus nihil magnificum aut regium præ ſe ferret, multa tamen fecit, quæ ipſum verè Regem ſapientia, potentia & iuſtitia præ alijs omnibus inſtructiſſimum, Regnum verò eius non terrenum, neq; terribile, ſed cæleſte & ſaluificum eſſe docent. De quibus cùm proximè dictum ſit, nunc huius loci narratio conſideranda nobis venit, qua docemur, vt pleriq; in mundo Chriſti aduentu & Regni eius manifeſtatione affici ſoleant, & quæ pœnæ omnibus ijs iam paratæ ſint, qui in illo ſeſe offerentem gratiam Dei contemnunt, aut etiam hoſtiliter perſequuntur.

Phariſæi Chriſtũ inſidioſè ſequuntur. Ad primum pertinet, quod de Phariſæis dicitur, qui illum monuerunt, vt diſcipulos ſibi acclamantes obiurgaret. Et illos quidem in turba hac aut comitatu Chriſti fuiſſe Lucas ſcribit, & hæc illi dixiſſe, cùm adhuc in via eſſet. Matthæus verò puerorum meminit, qui poſtea in templo iiſdem vocibus illum celebrauerint, & quorum clamore Principes Sacerdotum & Scribæ offenſi eum ſimiliter interrogarint: Audis, quid iſti dicunt? Fuerunt ergo iſti homines indefeſſi hoſtes Chriſti, neque illos alicuius laboris piguit, vt aliquam vel calumniandi vel ipſum accuſandi occaſionem inuenire poſſent. Non puduit ergo eos, quò minus turbæ huic immixti illum ſequerentur: & poſtea puerorum quoque voces obſeruant. Suo autem exemplo eorum arguunt ignauiam, qui cùm Chriſtum profiteantur, tamen omnem laborem nimium & omne tempus malè amiſſum & perditum putant, quod audiendis concionibus eius impenditur: vt iam de illis nihil dicam, qui apertas & horribiles blaſphemias ſurdis auribus prætereũt, imò ne prouocati quidem & in arenam protracti gloriam illius, qua decebat conſtantia, tuentur.

Chriſto non deſunt æmuli. Ac quod hoc loco præcipuum eſt, admonemur iſto exemplo, nunquam defore æmulos & hoſtes Chriſti, qui ſuum illi honorem inuideant, & quidem tunc quando iam triumphare & omnium laudibus in cælos efferri videtur. Eſt enim ſignum illud contradictionis, de quo Simeon in ſpiritu vaticinatus eſt. Sunt autem inter huius æmulos facilè principes Phariſæi & Pontifices, quos partim propriæ iuſtitiæ fiducia inflat, partim ambitio & inanis gloriæ ſtudium excæcat, ad hæc cupiditas quæſtus extimulat, quem ex religione venantur. Quia enim his vitijs ipſi laborant, non poteſt eis Chriſtus non intolerabilis eſſe, qui humanam iuſtitiam omnem damnat, & larua detracta eorum ſuperbiam atque auaritiam detegit. Iidem tamen mira aſtutia odium veritatis ſimulato gloriæ Dei Zelo palliare poſſunt, & eos impiæ arrogantiæ inſimulare, qui ſoli illius vindices ſunt. Dum enim Chriſtum ſatis pro imperio diſcipulos ſuos increpare iubent, dum item interrogant, an puerorum acclamantiũ voces audiat? non obſcurè illum perſtringunt, quaſi ambitioſè nimis vulgi applauſum

captet

captet, & non ſolùm rudis plebeculæ verumetiam puerulorum ſimplicium laudibus delectetur. At dum hac ſuſpicione illum grauant, pro ſui nominis existimatione pugnant. Cùm enim ipſi hucuſq; in religione leges tuliſſent pro ſuo arbitrio, minimè ferre poſſunt, vt ipſorum authoritas vel minima ex parte labefactetur. Ea autem mox tota ruitura videbatur, ſi populo liceret Meſsiæ titulum & honorem ei deferre, quem ipſi cane & angue peius oderant, quem Samaritanum & diabolicum impoſtorem dicebant, eò quòd ipſorum dolos atque tyrannidem argueret. Hæc igitur eſt illa Helena, pro qua iſti homines pugnant, qui interea toti zelo gloriæ Dei ardere videri volunt. Imitantur horum mores hodie Monachi & purpurati præſules, qui iam aliquot ſæculis in Eccleſiam ſibi omne ius & imperium vendicarunt. Quia enim hi quoque præcipuum præſidium in populi ignorantia habent, nihil minus ferre poſſunt, quàm Veritatis lucem, qua vera Chriſti cognitio manifeſtata ipſorum quæſtum & faſtum euertit. Interea verò cùm ipſi pro ſua culina & gloria pugnent, nos ambitionis accuſare ſolent, qui Chriſto ſuum honorem vindicare ſtudemus, & hoc vnum agimus, vt ille ſupra omnes emineat, & ſolus agnoſcatur eſſe promiſſus ille Rex gloriæ, quem Pater ſupra montem ſuum ſanctum conſtituit. Obſeruemus ergo vetera iſta exempla, ne iſtorum calumnijs moueamur: ſed potius artes eorum detegamus, quibus imperito vulgo fucum faciunt.

Sed Chriſtum audiamus his reſpondentem: Dico vobis (inquit) ſi ſiluerint iſti, mox lapides clamaturos. Quibus verbis docet, non poſſe fieri, vt negotium hoc ſilentio ſepeliatur. Quia enim Patris decretum ſit nomen Filij glorificare, & publicis teſtimonijs indies illuſtrius facere, oleum & operam perdituros eſſe omnes eos, qui illud tegere & ſub ignorantiæ tenebris detinere velint. Apud Matthæum verò ijs, qui puerorum acclamationes indignius ferebant, dicit: Quidni? Nunquam legiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Quibus verbis plus quàm puerilem ignorantiam, vel potius ſtupiditatem inexcuſabilem illis exprobrat, qui cùm interpretes ſcripturarum & doctrinæ antiſtites haberi vellent, adhuc tamen ignorarent Dei conſilium & morem, qui (vt in Pſalmo octauo ſcribitur) puerulis & infantibus adeò delectatur, vt ſuum nomen per eos maximè illuſtrari velit. Et ſimul illos neglecti officij accuſat, cùm ipſorũ imprimis eſſet, ei teſtimoniũ publicũ deferre, et populum totum ad laudes ipſius decantandas excitare. In genere autem docet, Deum nunquam defuturum nominis & gloriæ ſuæ illuſtrationi, nec quicquam obſtare poſſe, quo minus miraculoſè & præter omnium expectationem ſua gratiæ præcones excitet, ſi illi ceſſent, qui eam ex officio prædicare debebant. Debet hoc de tota Euangelij doctrina intelligi. Dei enim decretum eſt, quòd illius verbum de Hieruſalem exire & totum orbem terrarum illuſtrare debuit. Et Chriſtus ait: Oportet apud omnes gentes prædicari Euangelium. Quis ergo, quò minus id fiat obſtabit? Quis Spiritui ſancto reſiſtet, quò minus vbi vult, ſpiret? Aut num Deo vnquam defuturos putabimus ſui verbi præcones, qui omnium animos & linguas pro ſuo arbitrio formare poteſt? Olim certè cùm in officio ſegniores eſſent Sacerdotes, quorum labia ſcientiam cuſtodire & populum verbo Dei inſtituere debebant, extraordinariè Prophetas excitauit, & ab aratro aut ſtiua Heliſæum, à re pecuaria Amos, ex illuſtri & regia familia Iſaiam, ex piſcatorum & publicanorum atque textorum ſiue cerdonum numero Apoſtolos vocare potuit, qui illud officium obirent. Quod ipſum hodie etiam fieri videmus, vt non expectata Pontificum aut Epiſcoporũ ordinatione multi ad Euangelium prædicandum exurgant, & hos illis inuitis mirifico cum ſucceſſu annuntient. Ferunt hoc illi indigniſsimè, & legitimam vocationem in nobis deſiderant, quaſi verò ita ſeſe illorum ordini obſtrinxerit Deus, vt nemo legitimus Eccleſiæ miniſter cenſeri debeat, niſi quem ipſi ordinauerint. Et cur non potius Dei manum atque prouidentiam agnoſcunt, qui neceſſariò alios excitat Chriſti ſui præcones, ceſſantibus illis, qui munus iſtud ad ſe ſolos pertinere exiſtimant? Poſſunt quidem iſti nobis negotium facere, & contra nos principum arma concitare poſſunt: Euangelij verò vocem prohibere nunquam poterunt. Nam vt hic Chriſtus ait, tacentibus omnibus hominibus, lapides clamabunt. Quod reuera olim impletum eſt. Cùm enim nemo eſſet Hieroſolymæ, qui Chriſti nomen & gloriam aſſereret, & Eccleſia tota oraculo admonita Pellam abijſſet, Romanorum legiones vrbem cinxerunt, & tunc horribiles petrarum ex caſtris eiaculationes, tectorum fragor, mœniorum ruinæ & quæcunque in obſeſſa aut capta vrbe fieri ſolent, quaſi alta voce Chriſto Regi teſtimonium dederunt, hunc eſſe æternum Dei Filium & vnicum generis humani redemptorem, cuius contem-

Chriſti laudes ſepeliri non poſſunt.

ptum ille vlciſcatur. Et hodie videmus elementa omnia aduerſus Euangelij hoſtes conclamare, & horrendis portentis exitium illis denuntiare. Quorum conſideratio terrorem quidem nobis incutere debet, ne in ſtupido admonitionum Chriſti contemptu obrigeſcamus: ſimul tamen conſolationem ijſdem ſubeſſe meminerimus, quando Deus apertè teſtatur, ſe eccleſiæ ſuæ in hoc mundo laborantis curam habere, neque paſſurum vnquam, vt verbum eius impunè contemnatur.

Chriſtus flet viſa urbe. Faciunt ad horum confirmationem, quæ deinceps Lucas narrat. Quia enim Chriſtus nouerat, quid non multò poſt eſſet euenturum, vbi appropinquauit vrbi, fleuit ſuper ea, dicens: Enimuero ſi vel tu noſſes, vel hoc ſaltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent, &c. Deſcribuntur hæc ita, vt in illis manifeſta habeamus fideliſſimi Seruatoris ſimul & iuſtiſſimi Regis argumenta: & quia locus iſte præterea exemplum memorabile continet, quo Deus toti orbi terrarum iræ ſuæ magnitudinem erga verbi ſui hoſtes ſiue contemptores declarare voluit, vtile fuerit ſingulas eius partes diligentius inſpicere.

Primum viſa vrbe fleuiſſe ſuper illa dicitur. Poterat hoc alicui mirum videri, & ab eius maieſtate alienum, niſi eum verum hominem induiſſe Scriptura doceret, qui omnes noſtræ naturæ infirmitates in ſe recepit. Ne quam verò cauſam lachrymarum ex nobis ipſis fingeremus falſam, nō Lucas modò eum ſuper vrbe fleuiſſe dicit, ſed idem ipſe etiam teſtatur his verbis: Enimuero ſi vel tu noſſes, vel hoc ſaltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent: Sed occulta ſunt nunc oculis tuis. Quibus verbis duo agit. Primò animi ſui dolorē exprimit, qui ex cōmiſeratione enaſcebatur, cùm vrbis huius veterem dignitatē & mox venturum excidium, quo nullum vnquam in orbe miſerabilius viſum eſt, animo ſuo volueret. Fuit enim Plinio teſte, vrbium totius Orientis celeberrima, & multum ad eius ornatum Herodes contulerat, qui maximis impenſis & mirifico ſtudio templum ædificarat, quo vix vllum aliud magnificentius fuit. Adhæc iam inde à Dauidis temporibus vſq; ad Babylonicum exilium per annos circiter quadringentos & quinquaginta Regni ſedes fuerat. Superauit tamen hæc omnia, quod illic cultus ſui ſedem Deus collocauit, & de illa dixit: Hæc mea eſt requies in

Pſal. 132. æternum: hîc habitabo, quoniam expetiui eam. Deniq; typus Eccleſiæ fuit, quæ frequenter Hieroſolymæ nomine appellatur, & illic primùm collecta inde in totū orbem terrarum ad omnes gentes propagata eſt. Fuit ergo horribile iſtud Dei iudicium, talem tantamq; vrbem tam miſerabili exemplo perire. Non potuit ergo non toto animo cōmoueri & in lachrymas acerbiſſimas erumpere Chriſtus, quando qui nihil antiquius habebat hominum ſalute, illam peritură prorſus cogitabat, quæ præ alijs omnibus diuini cultus ſacrarium & cultorum Dei aſylum eſſe debuiſſet, Ideo dolorē hunc animi verbis quoq; patheticis admodū teſtatur. Enimuero (inquit) ſi vel tu noſſes, vel hoc ſaltem tuo die, &c. Confert vrbis huius ingratitudinem & contumaciam cum alijs, & eandem per temporis circumſtantiă amplificat. Quaſi dicat. Tolerabile videri poterat, alias ciuitates me ſuū redemptorem non agnoſcere, & verbum illud gratiæ aſpernari: ſi vel tu, quæ doctrinæ & cultus diuini ſedes es, quam tot Prophetæ ſua prædicatione illuſtrarunt, & cui ego meipſum tam amicè tamq; varijs modis reuelaui, hanc Dei gratiam agnoſceres, & ijs quæ hucuſque contumaciter nimis feciſti contenta, vel ſaltem hoc tuo die, quo te peculiari bonitatis ſuæ argumento ille viſitat, rectius quid agatur expenderes. Certè ſi de his ſeriò cogitares, non poſſes non de illis etiam cogitare diligentius, quæ ad tuam pacem pertinent, id eſt, quæ tibi ad tuendam tuam incolumitatē ſunt neceſſaria. Iſta verò dicendo patres fidos imitatur Chriſtus, qui eò grauiori dolore afficiuntur, quò propiorē vident filiorū calamitatem, quam illi ſibiipſis ſua prodigalitate & cōtumaci omniū admonitionū contemptu accerſunt.

Non deſperandum temere de gratia Dei. Eſt autem hoc memorabile exemplum, quo docemur, non temere dubitandum eſſe de gratia Dei, neue talem fingamus, qui vt ſanguinarij tyranni ſolent, hominum exitio delectetur. Quis enim hoc vel cogitet, qui Chriſtum reprobæ gentis & ad omnem impietatem deuotæ vrbis interitum lachrymis proſecutum fuiſſe audit? Etenim quem hîc in illo videmus ſummæ miſericordiæ affectum, eum Deus Pater non rarò in Scripturis exerit. Eiuſdem certè animi vox eſt, quæ in Pſalmis ha-

Pſal. 81. betur: O ſi populus meus me audiſſet, ſi Iſrael in vijs meis ambulauiſſet: quàm breui inimicos eorum deieciſſem, & contra infeſtantes eos vertiſſem manum meam, &c. Conſentiunt his, quæ per Iſaiam

Iſa. 48. idem dicit: O ſi ad præcepta mea attenderes, redundaret inſtar fluminis pax tua, & iuſtitia tua ſicut fluctus maris. Cùm ergo ille noſtrum interitum, imò contumaciam noſtram, quæ huius cauſa

eſt,

eſt, deploret, nunquam profectò ſurdus erit ad eorum preces, qui ad ipſum conuerſi gratiam & miſericordiam eius inuocant. At hîc ſimul cauendum erit, ne eius bonitate ad peccandi licentiam turpiter abutamur. Nam vt hæ Chriſti lachrymæ amoris ergà nos maximi argumentum ſunt: ita execrabilem Hieroſolymitanorum ciuium impietatem arguunt, quæ illum lachrymari coegit. Paterni amoris & indulgentiæ ſignum eſt, flere viſa filij rebellis & intemperantis contumacia: at fletus ille niſi filium moueat & ad meliorem frugem reducat, eum quouis ſupplicio dignum eſſe oſtendit. Curemus ergo etiam atque etiam, ne ipſi quoque lachrymas Chriſti contra nos in teſtimonium iuſtæ noſtræ damnationis prouocemus. Flere quidem nunc non poteſt, quando in cœleſtem gloriam euectus eum locum obtinet, vbi olim noſter etiam fletus ceſſabit, & omnis lachryma abſtergetur: at non poterit non ad iuſtam vindictam excitari, ſi ſe cùm in terris hîc verſaretur, fruſtra propter nos fleuiſſe, eſuriuiſſe, ſitiuiſſe, denique ſanguinem quoque proprium profudiſſe videat. Horum itaque memores, horreamus & abominemur peccata, quæ Dei filio tanti doloris cauſam olim fuiſſe ſcimus. Simul autem ad nos transferamus exemplum Chriſti, ne ipſi fratrum interitum ſiccis oculis intueamur, multò minus autem ijs inſultemus, quorum commiſeratio nos ad lachrymas prouocare debet.

Dei bonitate ne abutamur.

Sed alterum quoq; videamus, quod primis hiſce verbis Dominus agit. Eſt hoc ſtupiditatis & ſocordiæ exprobratio. Dicit enim: Sed occulta ſunt nũc oculis tuis. Ergóne (inquis) ignorantes peccauerunt, & proinde in illos iniquior fuit Deus, qui tam crudeli & horribili exemplo eos perdidit? Nequaquam. Quomodo enim Dei voluntatem ignorare poterant, qui promiſsiones ſalutis quotidie in ore habebant, & quibus lex nunquam non inculcabatur? Aut num Chriſtum illos ignorauiſſe dicemus, qui iam annis aliquot inter illos verſatus ſaluificam ſuam virtutem non tam doctrina quàm factis miraculoſis ſpectandam propoſuerat? Quòd ſi qui ignorantiam prætexere velint, vulgi Hieroſolymitani vocibus conuincentur. Nam in publico, & quidem in templo à multis dictum fuiſſe Ioannes ſcribit: Chriſtus cùm venerit, num ſigna plura edet ijs, quæ hic edidit? Quapropter dum hæc abſcondita aut oculis eorum occulta eſſe dicit Chriſtus, non culpam ipſorum extenuare vult, ſed potius ſtuporem plus quàm belluinum notat, quo impediti Deum ſeſe illis offerentem non cernant, & neque gratiam eius neque iræ iam ardentis argumenta obſeruent. Frequenter autem ſocordiam hanc Prophetæ etiã accuſant, quia deploratæ malitiæ indicium eſt, ſi qui Dei iudicia prorſus aſpernentur, & omnia temere aut fortuitò accidere ſibi perſuadeant. Apud Sophoniam Deus lucernis accenſis ſe eos ſcrutari & inuiſere velle ait, qui in fecibus ſuis coagulati dicunt intra corda ſua: Dominus neque benefacit, neque malè. Et in Pſalmis deſperatæ impietatis hominum voces ſunt: Dominus non videt, neque Deus Iacob intelligit. Vult ergo in præſenti verbis iſtis Chriſtus docere, Hieroſolymitanos ciues ipſos ſui excidij ſibi authores eſſe, & ſimul mederi ſcandalo, quod ex eorum ignorantia voluntaria naſcebatur. Nam non dubium eſt, pleroſq; illius vrbis exemplo detentos fuiſſe, quò minus Chriſtum amplecterentur, quem videbant ab ijs reijci, qui præcipuam doctrinæ & ſapientiæ exiſtimationem ſuſtinebant. Vult ergo monere, ne quem eorum incredulitas aut contumacia offendat, qui horribili ſtupore excæcati ſibijpſis Dei iram atq; exitium iam pridem accerſiuerint. Quod ipſum nos quoque cogitare oportet, ſi qui præ alijs ſapere videntur, prædicationem gratiæ exibilant, & incurabili contumacia in proprium interitum ruunt. Nam eò grauior pœna eos manet, quò propius & illuſtrius Dei gratia illis affulget: neque diu apud tales homines ceſſare poteſt vindicta Dei, qui ſuæ miſericordiæ contemptores inultos abire non ſinit.

Socordiam exprobrat Chriſtus.

Soph. 1.

Pſal. 94.

Pœnam denunciat.

Et huc faciunt quæ ſequuntur. Chriſtus enim, qui miſerabilem vrbis occaſum ex miſericordia paterna defleuerat, nunc quaſi animo iterum collecto iudicis perſonam ſuſcipit, & quas pœnas de illa ſumpturus ſit Deus, pronuntiat. Nam venient dies aduerſum te, quo circumijcient inimici tui tibi vallum, & circumcingent te, & conſtringent vndique, teq; ſolo æquabunt & filios tuos intus: neque relinquent in te lapidem ſuper lapidem. Vbi primùm pulchra & grauis diei aut temporis oppoſitio occurrit. Nam paulò ante conqueſtus erat, quòd hunc ſuum diem non obſeruaret: vbi dies in bonam partem ſumitur pro tempore gratiæ, aut accepto illo tempore (vt Propheta loquitur) quo Deus gratiam ſuam hominibus offert. Hîc verò diem vindictæ intelligit, quem Ioel magnum & formidabilem dicit, eò quòd nemo illum ſuſtinere poſsit. Perinde ergo hoc eſt, ac ſi dixiſſet:

Iſa. 49.

Nunc quidem ô Hieroſolyma, Deus ſuæ bonitatis memor, te inuiſit amicè, & gratiam ſuam tibi offert: quam ſi agnoſceres beata fores, & imminens tibi exitium poſſes ſubterfugere. At quia incurabili ingratitudine & proteruia cum illius bonitate bellum ſuſcepiſti, aliũ diem tibi dixit Deus, quo ſuum ius perſequetur, & digno ſupplicio te mulctabit. Id verò omnes ſibi dici putent, quoſcunq; Deus Verbi ſui luce & gratiæ prædicatione quaſi ex alto inuiſit. Qui enim plus quàm paterno affectu nos miſeros complectitur, vt exitio iam perituros ſubducat: idem iuſtus quoq; & ſeuerus index eſt, & gratiæ ſuæ contemptum magna cum ſeueritate vlciſcitur. Sed præſtat ſingula videre, quæ vrbi Hieroſolymæ denunciat, vt ſimul inſpectis hiſtoriæ in hac etiam parte Chriſti omniſcientiam & Veritatem agnoſcamus.

Excidij Hieroſolymitani hiſtoria.

Prædixerat ille Iudæis, fore, vt qui ipſum in nomine Patris ſui venientem nollent recipere, alios eſſent recepturi, qui ſuo proprio nomine venirent, & priuatum commodum quærerent. Id verò mox à morte eius impleri cœpit. Cum enim Romani præſides populum partim inſatiabili auaritia, partim vi & iniuſtitia grauiter premerent, & ideo omnium animi nouo promiſſæ liberationis deſiderio flagrarent, eam occaſionem arripuerunt homines nequam & ſeditioſi, qui promiſſi illius Meſſiæ titulum ſibi vendicabant. Itaque in ſuas partes trahebant illi infelicem populum: quæ tumultuum quotidie nouorum cauſa erat. Ceciderunt in illis multa millia Iudæorum, vnà cum impoſtoribus illis, quorum artibus ſeducebantur. Sed cum ſeditionum nullus finis eſſet, tandem, vltimo Neronis anno cum legionibus in Iudæam mittitur Veſpaſianus, qui à Galilæa facto belli initio, totam ferro & igne vaſtat, inde vrbi Hieroſolymæ imminet. In eius autem obſidione à militibus Imperator electus, Romam contendit, & bellum Tito filio committit. Fecit hic, quæcunque in vrbis munitiſſimæ obſidione ab imperatore bono & ſtrenuo fieri ſolent, & quæ facturum Chriſtus prædixerat. Primò enim vallum circumiecit vrbi, quod Ioſephus, fide digniſſimus ſcriptor atque teſtis

De bello Iud. 6. cap. 11.

oculatus, his verbis deſcribit: A Romanis duodecima Maij aggeres inchoati, vix vigeſima nona perfecti ſunt: cùm totos dies ſeptemdecim laboraniſſent. Ingentes enim aggeres quatuor iacti ſunt: : & vnus quidem qui erat ad Antoniam, & à quinta legione fuerat extructus contra medium ſtagnum, quod Struthium vocatur: alter verò à duodecima duodecim cubitis diſtans. Decima autem legio, quæ ſupra memoratis præſtabat, in Septentrionali parte opus erexerat, vbi ſtagnum eſt, quod Amygdalon dicitur. Sed & Quintadecima legio aggerem triginta cubitis deſcendentem fecit ad Pontificis monimentum. Facit etiam alterius aggeris & turrium aliquot per Romanos extructarum mentionem Ioſephus, quæ omnia Chriſtus hic vno verbo comprehendit. Deinde, circumcingent te, inquit. Ad cuius explicationem facit, quòd cum Iudæi eruptione facta aggeres & muniones Romanorum incendiſſent ac diruiſſent, Titus nouum & mirificum opus

Cap. 13.

excogitans, totam vrbem muro incluſit, quem diuino impetu (vt Ioſephus ſcribit) milites tridui ſpatio per ambitum triginta & nouem ſtadiorum duxerunt, vnà cum tredecim caſtellis, in quibus excubiæ contra vrbem diſponerentur. Ex eo ſecutum eſt, quod hîc tertio loco Chriſtus dicit: Et conſtringent vndique. Id verò de oppugnationibus crebris intelligi debet, quibus Romani incluſos cominus & eminus infeſtarunt: quæ eò grauiores fuerunt, quòd intra muros ſimul horribili lue, ſeditionibus item & fame plus quàm Saguntina conſumebantur: quæ illos non modò ad cibos inſolitos cogebat, verumetiam matres omni humanitatis ſenſu exutas deteſtabili crudelitate armabat, vt ex ſe natos infantes iugularent, & ignibus toſtos auidis dentibus laniarent. Ec huc cumprimis pertinet, quod Ioſephus eiuſdem libri cap. 14. ſcribit: Cùm non ſupereſſet locus in vrbe, vbi ſepelirentur cadauera, in foſſas ex muro præcipitabant, quas circumiens Titus, vbi plenas cadaueribus vidit, altaque ſanie tabefactis cadaueribus defluentes, ingemuit, & expanſis manibus teſtabatur,

Lib. 7. cap. 18.

hoc non ſuũ opus eſſe. Addit his Dominus quartũ, Et æquabunt te ſolo. Quod ipſum iubente Tito factum eſſe idem Ioſephus teſtatur, cùm iam nullus cædi & rapinæ locus eſſet reliquus. Itaq; ex tota ciuitate, quæ in toto Oriente florentiſſima fuerat, tres ſolæ turres relictæ ſunt, Phaſelus, Hippicus & Mariamnes cũ parte muri ab Occidente: vt ex his ceu teſtibus conſtaret, qualẽ quamq; munitam ciuitatẽ Romana virtus expugnauiſſet. Imprimis tamẽ memorabile eſt, quod hîc Chriſtus adiecit. Et non relinquẽt in te lapidem ſuper lapidem. Fuit hoc perpetuum decretũ Dei, vt nimirũ vrbis huius & templi excidium irreparabile eſſet, ſicuti in Marco noſtro diximus. Paſſus eſt quidem Aelius

Adrianus

Homil. 119.

Adrianus in ruinis Hieroſolymæ vrbem nouam condi, quã ex ſuo nomine Æliam dixit, & Chriſtianis habitandam permiſit: templum tamen nemo vnquam potuit inſtaurare, etſi id Iudæi ſæpe conati ſint. Et vt multa alia omittamus, tradunt Eccleſiaſtici ſcriptores, Iulianum Apoſtatam, vt Chriſtum falſi conuinceret, Iudæis authorem fuiſſe, vt illius inſtaurationem aggrederentur: ſed illos horrendis prodigijs impeditos & ab opere deterritos fuiſſe, quò minus illud perficerent. Itaq; iam annis mille quingentis templum illud in ruinis iacet. Quæ enim de illo & Hieroſolyma hodie fabulantur ſuperſtitioſi homines, qui Dei gratiam & Chriſti meritum illis locis alligant, tam putida & anilia ſunt, vt refutatione nulla opus habeant. Cæterùm ne quis Dei iram in muros modò & inſenſatos lapides deſæuituram putaret, filiorum quoq;, id eſt, ciuium & inquilinorum Chriſtus disertè meminit, quos iſtis malis affligi & conſtringi oporteat. Et hoc ab illo veriſſimè dictũ eſſe, ex ijs patet, quæ ſupra de lue & fame intra vrbem graſſante diximus. Quibus adijci debet, quod Ioſephus de cæſorum & captiuorum numero tradidit: illorum quidem decies centena, horum autem nonaginta ſeptem millia numerat: quorum alij ad triumphum ſeruati, alij ad metalla, triremes & publica opera damnati, multi in ludis publicis cum beſtijs aut gladiatoribus pugnare coacti miſerabiliter perierũt. Et hæc quidem paulò diligentius & prolixius commemorauimus, vt euidentius pateat, Chriſti Ieſu Regis & Sacerdotis noſtri Veritas & in hoſtibus vlciſcendis potentia.

Lib. 7. cap. 17.

Vſus excidij Hieroſolymitani.

Dan. 9.

Eſt autem excidij huius multiplex vſus. Primò enim teſtatur, promiſſum illum humani generis vindicẽ & redemeptorem reuera exhibitum eſſe, et ea perfeciſſe, quæ ad noſtram redemptionem pertinebant. Hunc enim ſtante adhuc Iudæorum Repub. naſci, mori & reſuſcitari debuiſſe, ex Daniele patet, qui poſt occiſum Meſſiam demum vrbem à populo tunc orbis domino excindendam fore, olim prædixit. Docet item excidium hoc, Chriſtum non veniſſe, vt in terris regnum more principum huius ſeculi conſtituat: ſed vt Dei regnum inter homines inſtauret. Et ſolum hoc ſufficit ad confutandum errorem eorum, qui regnum ſomniabant, cuius ſedes futura eſſet Hieroſolyma. Præterea eſt hoc abrogationis ceremoniarum Moſaicarum teſtimonium euidentiſſimũ: quod toti mundo proponi admodum vtile & neceſſarium erat. Scimus enim quanta pertinacia Legem & huius ritus retinere conati olim fuerint non ſolùm Iudæi, verumetiam multi eorũ, qui Chriſto iam nomen dederant. Et quàmuis veli ſciſſio in morte Chriſti facta illos de hoc admonere poterat, & Apoſtoli grauiter Legis iuſtitiam oppugnarent, nunquam tamen hæc perſuaſio ex quorundam animis eximi potuit, quò minus Legem cum Euangelio miſcerent: & ideo ipſam officinam totius illius cultus Leuitici oportuit euerti, vt omnibus conſtaret, eius vſum porrò nullum eſſe in Eccleſia.

Ira Dei contra contemptores Verbi.

Præcipuus tamen excidij iſtius vſus eſt, vt diſcamus Dei iram agnoſcere, qua is peccata quidem omnia, imprimis autem Verbi ſui contemptum & hoſtiles aduerſus gratiæ ſuæ prædicationem conatus punire ſolet. Quod enim Iudæi paſſi ſunt, hoc multis alijs iam inde ab origine rerum accidiſſe conſtat. Magna & multiplex fuit primi mundi malitia: ſed diluuij pœnas tunc maximè in ſe prouocarunt, quando Noam iuſtitiæ præconem aſpernati ſunt. Ægyptios quoq;, etſi luxu & intemperantia ſua iampridem exitium meruiſſent, tunc demum horrendis exemplis Deus mulctauit, quando aduerſus Eccleſiam Dei hoſtiliter inſurrexerunt, in qua is Verbum ſuum prædicari & cultum verum exerceri volebat. Et ſi ad magnas illas Monarchias accedamus, Aſſyriacam nimirũ, Babylonicam, Perſicam & Græcam, omnibus illis perſecutiones Eccleſiæ & Verbi Dei contemptum exitio fuiſſe patebit. De Romanis alibi diximus, nec vt eadem repetamus opus eſt, quando omnibus notum eſt, nulli Imperatori impunè abijſſe, qui Chriſtum auſus aggredi, & eandem audaciam toti Imperio ruinam peperiſſe. Nec deſunt exempla noſtri ſeculi, quæ idem docent. In ea ergo mentis oculos dirigamus, & cogitemus quanti Deus ſuum Verbum & Eccleſiam faciat. Nam etiamſi dura & horrenda ſint, quæ Euangelij & Filij Dei contemptoribus in hoc ſeculo accidunt, leuia tamen poſſunt videri præ illis, quæ ijdem æternùm patientur. Et Iudæi non ſolùm euerſa vrbe & prorſus ſublata eorum politia extorres vagantur, & publicum iræ Dei exemplum ſunt, verumetiã repudiati à Deo à promiſſionibus gratiæ exciderunt, & in ſenſum reprobum dati contumacia incurabili damnationem ſuam indies magis aggrauant. Semper ergo nobis Apoſtoli dictum obuerſetur, quo huius exempli proprium vſum nobis commendat. Si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne tibi quoq; non parcat.

Cauſa excidij repetitur. *Admonet nos de eo ipſe Chriſtus, dum tantorum malorum cauſam denuo adducit & inculcat, dicens: Eò quòd non noueris tempus illud viſitationis tuæ. Solet autem Deus bifariàm viſitare homines. Primùm, quando peccatorum remiſſionem gratuitam nobis offert, & ad pœnitentiam hortatur, vt ſalutis in Filio exhibitæ participes reddamur.*

Luc. 1. *Et hanc viſitationem Zacharias, in ſuo Cantico commendat his verbis: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quòd inuiſerit & redemerit populum ſuum. Et paulò poſt: Inuiſit nos Oriens ſiue Germen (de Chriſto autem loquitur, quem hoc nomine Prophetæ deſignant) ex alto: vt appareat ijs, qui in tenebris & vmbra mortis poſiti ſunt, ad dirigendum pedes noſtros in viam pacis. Deinde viſitare dicitur Deus, quando in peccata hominum inquirit, vt pœnas de illis iuſtas et dignas ſumat. Quo ſenſu in Lege dicit: Ego Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filijs, &c.*

Exod. 20. Soph. 1. *Et in Sophonia: Eodem tempore lucernis ſcrutabor Hieroſolymam, & viſitabo viros, qui in fecibus ſuis coagulati, &c. In præſenti de primo viſitationis genere loquitur, ſic tamẽ vt alterũ non omnino excludat, & ſic duplicẽ ſocordiam illis exprobrat. Vt enim non agnouerunt gratiã & bonitatem Dei, qui ipſos ad ſalutem inuitabat: ita nec tempus iræ obſeruarunt, vt ſaltem huius indicijs viſis à ſceleribus abſtinerent. Hæc verò exitij tam horribilis cauſam fore docet. Continetur autem his verbis ſententia Dei generalis & perpetua, à qua is nunquam diſcedit. Vult hic (vt Paulus ait) homines ſaluos fieri & in Veritatis cognitionem venire: & ideo nos inuiſit Verbo gratiæ, & ad vitæ emendationem hortatur. At idem gratiæ ſuæ contemptum ſeuerè vindicat, & contra ſecuros aut contumaces admonitionum ſuarum contemptores lucernas illas accendit, de quibus modò ex Sophonia diximus. Sunt hæc nobis diligenter obſeruanda noſtro ſæculo. Inuiſit nos quotidie Deus, & in Filio ſuo Ieſu Chriſto ſalutem nobis offert gratuitam. Agnoſcamus hanc eius bonitatem, & cùm ſimul infelicem mundum multis iræ ſuæ comminationibus territet, ſerio propriæ ſalutis ſtudio accenſi illum vera fide amplectamur, vt eius Spiritu renouati vitam viuamus nouam, & per illius meritum ſeruemur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CLXXVII.

Et ingreſſus in templũ cœpit eijcere eos, qui vendebant in eo & emebant, dicens eis: Scriptum eſt, Domus mea domus precationis eſt: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Et docebat quotidie in templo: Principes autem Sacerdotum & Scribæ, & primores plebis ſtudebant eum perdere: nec inueniebant quid facerent: Totus enim populus pendebat ab ipſo, cùm eum audiret.

AVdiuimus ingreſſum regium Domini noſtri Ieſu Chriſti in Hieroſolymam, quem ita inſtituit & fecit, vt non obſcurè maieſtatem ſuam atq; potentiam declararit, ſimulq́; ſuo exemplo Reges & principes omnes officij admoneat. Vt enim omniſcientiæ, potentiæ & iuſtitiæ argumenta præbuit manifeſta: ſic bonitatis & clementiæ plus quàm paternæ exemplũ eſt, quòd ad vrbis conſpectum

Pſal. 72. *lachrymas profudit, & eorum interitum deflere dignatus eſt, qui non vno modo perdi meruerãt. Ex eo igitur euidentiſſimè apparet, hominum ſanguinem in oculis eius pretioſiſſimum eſſe, quod in bono Rege Spiritus ſanctus imprimis requirit. Sequitur nũc quid primũ fecerit, vbi in vrbem peruenit: Quod nimirũ templum ingreſſus ex eo omnes eiecerit, qui illic emebant aut vendebant, ipſe verò ibidem populum docuerit, et doctrinã ſuam (vt Matthæus annotat) miraculoſa cæcorũ & claudorum curatione confirmarit. Quo facto ſe reuera populi Dei ſiue Eccleſiæ Regem & Sacerdotem eſſe demonſtrauit, cui Eccleſiæ & religionis reformandæ munus à Patre mandatum ſit: ſimul autem ſuo exemplo docet, quid in reformationibus eiuſmodi omnes eos facere cõueniat, ad quos ea cura ex Dei mandato pertinet. Eſt ergo hiſtoria hæc digna, quæ ſæpius conſideretur, nec temere factum putabimus, quòd eam ab omnibus Euangeliſtis deſcribi voluit Spiritus ſanctus. Ita enim admonet, nobis quoq; non debere graue aut moleſtum videri, ſi frequentius eadem nobis proponatur.*

Chriſtus in templum diuertit. *Occurrit autem hîc primo loco, quòd cùm iam vrbem ingreſſus eſſet, non in Antoniam (caſtellum id fuit, quod Herodes magnis impenſis inſtauratum in Antonij honorem ita denominauit)*

neque in Prætorium, ſed in templum diuertit. Eo autem facto rurſus teſtatus eſt, Regnum ſuum non de hoc mundo eſſe, ſed in mundum ſe veniſſe, vt Veritati teſtimonium ferat, huius doctrinam afferat, promiſſiones Dei impleat, & eius Regnum inter homines inſtauret. Quia verò ingreſſu hoc in vrbem ſe Regem eſſe teſtari voluit, interim ſuo exemplo apertè docet, templorum & religionis curam ad principes quoque & omnes eos pertinere, qui Rempub. adminiſtrant. Nam etiamſi cultum ſuum Deus non armis huius ſæculi, ſed Verbi ſui prædicatione & Spiritus virtute propagari velit: illius tamen curam magiſtratibus quàm maximè commendatam eſſe vult, & ab illis hoc requirit, vt illum inter ſuæ fidei creditum populum ſecundùm ſui verbi regulam conſtitui, & bene conſtitutum ſeruari ac retineri curentur. Quorſum enim opus erat librum Legis diuinæ Regibus commendari, ſi religionis cura nihil ad eos pertinet? Aut cur pœnæ blaſphemis & falſis doctoribus conſtituuntur, ſi magiſtratus (cuius ſolius eſt pœnas de ſontibus ſumere) rebus aut negotijs ad religionem pertinentibus ſe non debet immiſcere? Et vt iſta omittamus, annon communis ſenſus & Lex naturæ hoc iubent, vt qui à Deo poteſtate & authoritate armati ſunt, viciſſim huius gloriam atque honorem tueantur, ſicque ei bonam gratiam referant? Sed quid multis opus eſt, quando in veteri Teſtamento hoc potiſſimùm nomine Dauid, Solomon, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, Zorobabel & ſimiles laudantur, quòd in religione rectè conſtituenda & abuſibus ſeu ſuperſtitionibus abolendis operam ſtrenuam nauauerunt? Et de Chriſti Eccleſia Iſaias vaticinans, Reges eius nutritios & Reginas nutrices fore pollicetur. Sunt hæc obſeruanda non ſolùm propter Anabaptiſtas & horum ſimiles fanaticos homines, qui omnem cùm politicum tum eccleſiaſticum ordinem è medio ſublatum volunt: verumetiam propter Pontifices & Epiſcopos, qui in Eccleſia omnem poteſtatem ad ſe tranſtulerunt & nefas eſſe clamant, vt Reges atque principes quicquam in illa conſtituant, aut ad reformandum cultum Dei manum admoueant: Iſtud enim non niſi vniuerſalis Concilij authoritate fieri oportere. Ita verò malè vſurpatam tyrannidem peioribus artibus ſtabiliunt, & tanquam prophanos & impios homines à religionis cura eos excludunt, quorum opera Deus omnibus ſæculis ad coercendam Pontificum licentiam & ad eorundem negligentiam corrigendam vtiliter eſt vſus. Imò cùm ipſi Imperatorum donationibus partim fictis, partim impudenti ambitione & turpi hypocriſi extortis glorientur, iiſdem tamen minimè permiſſum eſſe clamant, vt in religione quantùmuis corrupta aliquid tentent. Ergò ne Ludouico licuit Romam Pontifici donare, & ad hoc Imperatoria authoritate vti: hodie autem Imperatori non licebit curare, vt tam Romæ quàm alibi verus Dei cultus inſtauretur, & abuſus è medio tollantur? Illis item ius erit ſuperſtitionibus Dei cultum peruertere, falſa doctrina conſciencias hominum turbare, eoſdem pecunijs & fortunis omnibus emungere, animas deniq; in mortis æternæ periculum abducere: Regibus autem & alijs, quos magiſtratus authoritate Deus armauit, nefas fuerit, eorũ licentiæ obſtare, & vt veritatis doctrina cũ vero cultu reducatur, proſpicere? Sed ita cornua ſua Antichriſtus prodat oportet, cuius vox eſt, ſe à nemine repræhendi debere, etiãſi millia multa animarum cateruatim ad inferos rapiat. Excitent autem iſta Chriſtianos principes, ne ſui populi ſalutem negligant. Hunc enim ex illorũ manibus requiret Deus, neq; in eius conſpectu illis excuſatio erit aliqua, ſi authoritatem ſuam tam ſeruiliter Pontificum pedibus calcandã ſubijciant, qua & Dei gloriam & publicã omnium ſalutem debebant tueri. *Religionis cura ad Reges pertinet.*

Cæterùm quid Chriſtus in templo fecerit, audiamus: Ingreſſus cœpit eijcere eos, qui vendebãt in eo & emebant, &c. Summa omnium quæ dicuntur eſt, illum eiectis & abolitis ijs, quæ Sacerdotum auaritia atq; libidine contra Dei Verbum inuecta erant, ea ſubſtituiſſe, quæ in templis exerceri debent, quæq; ad verum cultum pertinent. Quod vt rectius intelligatur, paucis repetendum erit, quænam apud Iudæos templi prophanatio & cultus diuini corruptio fuerit. Fuit illud antiquitus in eum vſum Dei iuſſu ædificatum, vt illic collecti Verbum audirent, preces publicè facerent, & quæ tunc in vſu erant ſacra obirent. Vnicum verò eſſe voluit Deus, ne ſuperſtitionum diuerſitate populus in ſectas diſtraheretur, ſed facilius in fidei vnitate & eiuſdẽ religionis ſiue cultus exercitio poſſet contineri. Erat ergo magna eius loci maieſtas, & cùm illo tẽpore Iudæi per omnes gentes diſperſi eſſent, quotidie ex remotiſſimis quoque terris illuc confluebant, qui Deo ſacrificium aliquod volebant offerre. At cùm eodem tempore partim Romanorũ præſidum rapacitate, partim Sacerdotum auaritia, Sacerdotium venale factum eſſet, hac Dei conſtitutione ſimul & populi vndiq; confluentis *Chriſtus eijcit uendentes & ementes.*

ſtudio Sacerdotes ad quæſtum ſuum abuti cœperunt. Itaq; oues, boues, columbas & quæ alia ſacrificijs ſeruire poterant, in templi atrio vendebantur, vt ex illorum emptione aliqua lucri pars ad ipſos rediret, & plures ad ſacrificandum allicerentur. Adhæc propter peregrinos numulariorum etiam menſæ aut abaci illic viſebantur: adeò vt templum iam nihil à foro prophano differret. Erat ergo hæc turpis nimiùm loci ſacri & totius cultus diuini prophanatio, quæ ſub plauſibili religionis prouehendæ prætextu priuato Sacerdotum quæſtui ſeruiebat. Cum qua ſi conferat, quæ poſtremis temporibus in Chriſtianorum templa inuecta ſunt, non minorem, imò impudentiorem multò totius religionis prophanationem videbis: de qua cùm ſæpe dictum ſit, & omnium oculis obuerſetur, non opus eſt nunc omnes negotiationis illius ſpecies enumerare.

Templi reformatio, &c.

Videamus nunc potius Chriſti de his omnibus iudicium: quem ita offenderunt, vt non contentus verbis durioribus omnes increpuiſſe, qui talia faciebant, manum quoque admouerit. Nam venditores ſimul atque emptores templo eiecit: quod aliâs quoque ſub prædicationis ſuæ initium flagello ex funibus facto illum feciſſe, Ioannes ſcribit. Sed & menſas numulariorũ euertit, & cathedras eorum confregit, qui ibidem columbas vendebant. Quæ omnia abſq; multorũ detrimento fieri non potuerunt. Addit Marcus, quòd per ipſum nemini licuerit aliquod vas aut inſtrumentũ per templum deferre: adeò illud ab omnibus ijs repurgatũ eſſe voluit, quæ ad Dei cultum nihil faciunt. Neq; his ſubitò factis profugit, ſed in templo conſidens publicè docere cœpit, & doctrinã ſuam (vt initio diximus) operibus miraculoſis confirmauit. Fuit ergo hoc inter omnia diuinæ eius potentiæ atq; maieſtatis opera, quæ hucuſq; fecit, meo iudicio longè præſtantiſſimum. Quis enim alius mortalium iſtud impunè facere potuiſſet? Enimuero cùm anno proximè ſequenti Pilatus Cæſaris imagines in templum intuliſſet, ingens populi concurſus factus & publica ſeditio exorta eſt. Idem etiam maiori cum periculo accidit, cùm pecuniam ſacram è templo ablatam in aquæductum inſumpſiſſet. Nunc antẽ cum & templum temere violatum videri poſſet, & Sacerdotum authoritas contumelioſè conculcata, & complures in corpore & fortunis damnum aut iniuriam paßi eſſent, omniũ tamen manus quieſcunt, omnium ora ſilent, nec quiſquam reperitur in ſeditioſiſſima gente, qui vim iſtam vi repellere, aut ſaltem impedire auſit. At cùm præter imbellem diſcipulorum turbam nemo Chriſto adeſſet, diuinæ virtutis hoc opus fuit, quæ mentes omnium terruit & manus continuit.

An Chriſtus iure hoc fecerit?

Diſputatur hîc à nonnullis, quo iure iſtud ille fecerit, & num alicui ex Verbi miniſtris aut priuatis hominibus idem facere liceat? Et Chriſtum quidem excuſant, quòd ſingulari quodam & Heroico motu rem tantã ſit aggreſſus, & quòd quæ ita fiunt, diuinæ virtutis opera ſint. At mihi quoad Chriſtum, diſputatio iſta ſuperuacua & curioſa potius quàm vtilis & neceſſaria videtur. Cur enim vt nudus homo conſideratur, quem alieno motu excitari oportuerit, qui Deus quoque verus atque æternus eſt, & proprio conſilio atque inſtinctu facit omnia? Deinde cur de iure eius diſputatur, cùm eum à Deo Patre Regem & Sacerdotem deſtinatum fuiſſe conſtet, & iam olim à Malachia prædictum fuerit, illum ignis inſtar in templum venturum eſſe, vt filios Leui purget ac emundet? Suo igitur iure hîc vſus eſt, & proinde alia excuſatione non habet opus. Quin potius (vt ante monuimus) exemplum præbet Regibus & omnibus alijs, quos Deus imperio & authoritate armauit, vt ipſi quoque ſimili zelo ac feruore cultum verum tueantur, & ab omni ſuperſtitione atque idololatria repurgent.

An priuati idẽ tẽtare debeãt?

Quoad verò priuatos homines, fatemur, hos nihil huius abſque peculiari Dei mandato tentare debere: ſed ſufficiat eis, vt ipſi conſcientiam puram ſeruent: publicas autem reformationes ijs relinquant, qui illas ex officio facere debent. Pium equidem eſt dolere ac ingemiſcere, quando veri cultus loco ſuperſtitiones & idololatriam regnare vident (ſicuti Paulum Athenienſium idololatria doluiſſe legimus) ſed tumultuandi occaſionem neq; ipſi temere arripere neq; alijs præbere debent. Interim minimè negamus, ſæpe fieri, vt priuati homines, & interdum idiotæ etiam ac illiterati, eiuſmodi facinora faciant, quæ cum hoc Chriſti facto conueniunt, & cum præſenti atque ineuitabili periculo coniuncta ſunt: vt cùm idola in locis publicis deijciunt, doctores falſos palàm in concionibus falſi arguunt, panem conſecratum vt pro Chriſto adoretur, in proceßionibus publicis ex Epiſcoporum manibus excutiunt, aut etiam conculcant, quod noſtro tempore non vno loco factum eſſe ſcimus. Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt nemo illa temere iubere, aut aliquem ad ea hortari debeat: at ſi nemine

iubente

iubente à viris bonis fiant, quorum pietas nobis ſatis perſpecta eſt, & quos ratione ſana ſemper vſos eſſe conſtat, ego tales minimè damnauerim: ſed peculiarem Spiritus ſancti motum in illis agnoſco, qui eorum opera ad aſſerendam Dei gloriam & ad confundendam idololatrarum ſtupiditatẽ vti ſolet. Quòd ſi qui eos temeritatis accuſant, ego potius Spiritus Dei vim conſiderandam eſſe puto, qui in eiuſmodi motibus verè Heroicis non permittit ſemper, vt omnia ad noſtræ rationis calculum reuocemus: potius autem reprehendi merentur ignaui principes & perſonati doctores vel potius canes muti, qui ea tam diu ferunt, quæ authoritate publica tolli & aboleri debebant.

Chriſtus ſui facti rationem reddit.

Sed vt ad Chriſtum redeamus, ne inſanientium more iſta facere videretur, conſilij & facti ſui rationem ex Scripturis affert. Scriptum eſt (inquit) domus mea domus precationis eſt: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Coniungit duos locos, quorum alter apud Iſaiam Cap. 56. habetur de gentium vocatione, quas ad Eccleſiam & verum Dei cultum aliquando accedere oporteat: alter extat Ieremiæ ſeptimo, vbi hypocritas accuſat Dominus, qui templi & externi cultus fiducia ad peccandi licentiam abutebantur, & impunitatem ſibi ex eo promittebant, quòd in templo frequentes comparerent, & ſacris publicis intereſſent. Vt enim latrones in ſpeluncis ſuis fiduciam habent, eoq́ audatiores ſunt in perpetrandis ſceleribus, ſi loca habeant munita aut occulta, quò ſe recipere poſſunt vt tutò lateant: Ita hypocritæ ex ſimulato cultu & ceremoniarum obſeruatione inſolentem peccandi fiduciam ſolent concipere. Prophetæ autem verbis vtitur Chriſtus, vt malum hoc non recens, ſed auitum & hæreditarium iſtis eſſe oſtendat. Quàmuis altius quoque inſurgat, & Sacerdotũ doctrinam atque mores accuſet, qui templum reuera in latronum ſpeluncã conuerterant. Qui enim non per Chriſtum ingreditur, verè fur atque latro eſt: quia & illum ſua gloria ſpoliat, & eos fortunis exuit, qui ipſi obediunt, adhæc animabus eorundem certum exitium ſtruit. Atqui omnia hæc ab illis fiebant: cum ſalutis oſtia & vias longè alias monſtrarent, religionem omnem ſibi quæſtum feciſſent, & infelicem populum à Chriſto abſtraherent: quod non aliud erat, quàm animas eorum iugulare & ad ſempiternum exitium abripere. Continetur autem hoc Chriſti exemplo quicquid de reformatione religionis & Eccleſiæ dici poteſt.

Reformatio Eccleſiæ fiat ex Verbo Dei.

Et huius quidem curam atque ſtudium ad magiſtratum legitimum imprimis pertinere, iam ante diximus. Nunc obſeruemus, quòd æternus Dei Filius, cuius ſolius authoritas ſufficere poterat, facti ſui rationem ex Scripturis adducit. Eo enim admonemur in reformandis aut conſtituendis Eccleſijs nihil ex priuato alicuius hominis arbitrio, ſed omnia ſecundùm Verbi Dei præſcriptum inſtitui ac fieri debere. Quia enim Eccleſia domus Dei eſt, nemo mortalium quantacunque authoritatis ſit, in ea plus iuris aut imperij ſibi ſumere debet, quàm ille dederit: ideoq́ ſolius Dei Verbum audiatur. Obſeruauit hoc olim Ioſias Rex, qui cùm ex Legis lectione intellexiſſet, quàm procul à vijs Dei deflexiſſet populus, veſtimenta ſua ſcidit, & Legem diu amiſſam omnibus proponi voluit, vt ſecundùm hanc abuſus omnes corrigerentur. Quem ſcopum etiam Chriſtianis Regibus olim propoſitum fuiſſe conſtat. Quapropter in ipſo limine offendunt, qui hodie vel Concilio vniuerſali opus eſſe clamitant, vel homines politica ſapientia & eruditione præditos deligendos dicunt, quibus hoc negotij detur, vt in noſtri ſeculi controuerſijs tolerabilem & moderatam doctrinæ atque religionis formam conſcribant, quæ deinceps ab omnibus recipiatur. Quid enim Concilio opus eſt ijs, qui in Veteris & Noui teſtamenti libris vere Eccleſiæ & omnium piorum, quotquot à mũdi exordio fuerũt, conſenſum inueniunt, à quo nemini diſſentire licet? Vel num interea de ſalute totus mundus periclitari & incertis opinionib fluctuare debet, dum Patres illi mitrati ſua dogmata parturiunt? Præterea, quia tota hæc cauſa ad conſcientiam hominis pertinet, quæ non alibi quàm in ſolius Dei Verbo acquieſcit, fruſtra ijs hominum authoritas obtrudetur, qui quid Deus velit & iubeat, audire cupiunt.

2. Para. 34.

Tolli debent quæcunq; ad quæſtum ſunt inſtituta.

Deinde quid in reformationibus tolli, quidùe ſubſtitui oporteat, Chriſtus ſuo exemplo docet. Eijcit enim ex templo omnes qui vendebant & emebant, adhæc Sacerdotes hoc nomine grauiter accuſat, quòd ex templo Dei ſpeluncam latronum feciſſent. Damnantur ergo in religione & prorſus abrogari debent, quæcunque ad quæſtum inſtituta ſunt. Cùm enim Deus nos gratuita miſericordia ſeruet, quæſtum à ſua Eccleſia procul remotum eſſe vult. Et nimis temerarij ſunt, qui hunc ex Spiritus Sancti donis facere in animum inducunt, cùm illa non ſint in noſtro arbitrio aut

poteſtate. Conſtituit quidem Dominus, vt ex Euangelio viuant, quicunque hoc prædicant. At idem Spiritus ſui dona aut Sacramenta vendere prohibet, et ſcimus quid Ghiezi ſeruo ſuo Eliſæus,

Acto. 8.

quid item Simoni Mago Petrus olim dixerint, cùm illi ſimile quid tentarent. Pecunia tua (inquit Apoſtolus) tecum ſit in perditionem, qui donum Dei putaris pecunijs acquiri. Non eſt tibi pars neque ſors in ratione hac. Nec tamen eos ſolos eiecit Dominus ex templo, qui illic mercabantur, ſed eos quoque prohibuit (vt diximus) qui vaſa quæcunq; per illud deferebant. Debent ergo in Reformationibus omnia ea tolli, quæ vel miniſtrorum auaritiæ & quæſtui priuato ſeruiunt, vel ad cultũ Dei nihil faciunt. At ſi hæc regula obſeruetur, quid obſecro ex toto Papatu reliquum manebit, vbi venalia ſunt omnia, & ea etiam in honore ſummo & pretio habentur, quibus Dei cultus impeditur & euertitur? De ſimulachris loquor, de quibus olim Lactantius dicere non eſt veritus, Religionem omnino nullam eſſe, vbicunque ſimulacbrum eſt. In illis ergo eijciendis olim ſtrenuiſſimi fuerunt, quotquot à Spiritu Sancto eo nomine commendantur, quòd veri Dei cultum à ſordibus repurgauerint. Ezechias certè ne æneum quidem ſerpentem amplius ferendum putauit, quando Iudæi ex eo ſimulachrum fecerant, quod ſuffitu & cultu externo honorabant. Nec probroſum fuit inter Chriſtianos aliquem εἰκονόμαχος, id eſt, imaginum oppugnatorem aut deſtructorem dici, vſque ad Gregorij tertij tempora, qui ſub annum nati Chriſti ſeptingenteſimum trigeſimum nonum Leonem Iſaurum hoc nomine notauit, & excommunicationis fulmine ferijt, quòd imagines ex templis deleri iuſsiſſet. Sed neminem moueant hominum temeraria iudicia, quando quod facimus, Verbi Dei authoritate defendi poteſt.

Vera pietatis exercitia reſtituantur.

Porrò non ſufficit ſuſtuliſſe quæ Deo diſplicent & verum cultum impediunt, niſi ſubſtituantur ijs vera pietatis exercitia. Ea paucis hiſce verbis comprehendit Chriſtus: Domus mea, domus orationis vocabitur. Continetur his totum Eccleſiæ regimen ſiue gubernatio vnà cum vero cultu, qui huic neceſſariò coniunctus eſt. Nam oratio ſiue inuocatio abſq; doctrina Verbi Dei conſiſtere non poteſt. Quomodo inuocabunt eum (inquit Paulus) in quẽ non crediderint? Quomodo autẽ credent ei, de quo nihil audiuerunt? Quomodo autẽ audient abſq; prædicante? Itaque Eccleſiæ gubernatio ex Verbi doctrina ſeu prædicatione Euangelij dependet, quod ideò ſceptrũ potentiæ Chriſti dicitur. Et hæc cauſa eſt, quòd vt hic in docendo frequentiſſimus fuit antea: ita nunc quàm primùm negotiatores ex templo eiecit, mox populũ docere incipit. Vnde colligimus, Eccleſiã veram apud eos eſſe nõ poſſe, apud quos Verbi prædicatio ſilet, & qui illo neglecto circa res inutiles aut inanes ceremonias occupantur. Cultus autẽ externus ſimul & internus ferè in inuocatione conſiſtit. Nam vt hæc ex fide naſcitur: ita cum conſcientiæ puritate confeſſionem quoque coniunctam habet, quem cultum Deo gratiſſimum eſſe, omnis ſcriptura docet. Huc enim facit, quod in Pſalmo veri cultus rationem traditurus ait: In die tribulationis tuæ inuoca me, & liberabo te, tuq; me glorificabis. Et Chriſtus eos demum veros Dei cultores eſſe teſtatur, qui illum adorant in ſpiritu & veritate. Debet ergo hic locus nos ad inuocandũ excitare, quando dubiũ non eſt, preces noſtras illi acceptas fore, cum ijs maximè colatur atque honoretur. Singuli item doctrinam hanc ad ſe transferre debent, vt ſeipſos veram Dei domum aut templum tunc demum fore meminerint, ſi Dei Verbo locum dent, & illum pura conſcientia ex fide inuocent. Qui iſta negligunt, non habent, quod de Dei cultu aut Eccleſiæ titulo glorientur.

Chriſtum non niſi vulgus ignobile audit.

Reſtat vltima huius loci pars, qua narratur, vt totum hoc Chriſti factum mundus exceperit. Principes Sacerdotum (inquit Lucas) & Scribæ & primores plebis, ſtudebant eum perdere: nec inueniebant quid facerent. Totus enim populus pendebat ab eo, cùm ipſum audiret. Quo loco tria dicuntur. Primum, qui nam Chriſti auditores fuerint, ex quibus tunc Eccleſia eius fuit collecta. Vbi præter vulgus & promiſcuam populi ignobilis & imperiti turbam nemo nominatur. At ſolent Reges, quando vrbes regni primas ingrediuntur, nobiliũ & magiſtratuũ corona ſtipari, & multa magnificè cum omniũ ordinum applauſu facere. Ergo Chriſtus in eo etiam declarat Regnũ ſuũ non eſſe de hoc mundo, quòd non niſi ab obſcuris & cõtemptiſſimis auditur. Veruntamen in eo elucet Euangelij eius virtus, quòd in infirmis & obſcuris de illis triumphauit, qui in mũdo omniũ illuſtriſſimi ac potentiſſimi habebantur. Quod obſeruari debet, ne quem hodie offendat, ſi Eccleſia ex ijs potiſſimùm conſtetur, qui à potentibus vix pro vulgi fece agnoſcuntur. Ita enim Deus mundi huius ſuperbiam

Chriſti hoſtes qui fuerint.

confundit, ſicut Apoſtolus in priori ad Corinth. docet. Deinde ſecũdo loco oſtenditur, quos nam hoſtes

aut

aut aduerſarios Chriſtus habuerit. Vbi nominantur Principes Sacerdotum & Scribæ, vnà cùm primoribus populi. Oppoſuerunt ergo ſe illi omnes, qui vel in Eccleſia vel Republica præ alijs excelluerunt. Nec leue fuit odium, quo illum perſecuti ſunt, ſed eò vſque exarſit, vt eum occidere ſtuderent. In Græco Quærendi verbo vtitur Lucas, vt doceat, eos inter ſe de ratione ipſum interficiendi conſultauiſſe: vt nimirum vel aperta vi trucidarent, vel occultè per inſidias interciperent. Ita verò illorum nequicia & ſanguinaria impietas detegitur. Quid enim multa deliberatione opus erat, ſi dignum mortis ſupplicio eſſe ſciebant? Poterant enim aduerſus eum iure ac legibus agere. At cùm id nolint, ſatis apparet, illos de iniuſta vi cogitaſſe, vt vel templum quoque, in quo docebat, ſanguine innoxio polluerent. Solent hoc ipſum etiam noſtro tempore facere Pontifices, & qui cum his aduerſus Veritatem conſpirauerunt. Cùm enim nos hæreſis accuſent, non colloquijs aut diſputationibus agunt, imò hoc ſolicitè cauent, ne res ad liberam & publicam diſputationem deueniat: ſed inſidioſo Conciliorum prætextu vtuntur, occultè autem Reges & principes contra nos accendunt, neque pudet interdum per ſicarios rem agere, vt eos è medio tollant, quos ſuæ tyrannidi præ alijs officere ſentiunt. Sed quàm inanis fuerit hoſtium Chriſti conatus (quod poſtremum huius loci caput eſt) vno verbo Lucas indicat: Non inueniebant quid facerent. Itaq; neq; ratio aliqua vel in ſpeciem honeſta vel tuta, neque aliquis tam improbus & deuotæ impietatis homo inueniri potuit, qui ſe illis tanti ſceleris miniſtrum præberet. Et cauſa additur: Quia totus populus ab eo pendebat, & ipſum docentem audiebat. Hic principibus Sacerdotum & primoribus in republica vulgus contemptibile, illorum autem conſilijs & machinationibus doctrina Chriſti opponitur. At quid infirmius & inconſtantius vulgo, ſi capite deſtituatur? quid Chriſti doctrina ſimplicius & contemptius, ſi ad noſtræ rationis calculum examinetur? Potuerunt tamen iſta ſufficere contra omnes illos, qui eum occidere conabantur: adeoq; metu plus quàm ſeruili retenti ſunt, ne cruenta ſua conſilia exequi poſſent. Tam facile eſt Deo hoſtium ſuorum conatibus obſtare: & ſolet ferè metus iſte eorum corda occupare, qui tam Deum quàm homines ſecurè contemnere videbantur. Exempla eius rei paſſim multa occurrunt. Imò hæc propria impiæ aduerſus Verbum Dei tyrannidis pœna eſt, vt ignobile vulgus timeant, qui aduerſus Deum plus quàm diabolica inſolentia atque ferocia inſurgunt.

Hoſtium conatus irriti.

Cæterùm admonet nos huius hiſtoriæ concluſio, quid ſibi polliceri debeant omnes ij, qui in reſtituendo vero Dei cultu fidelem operam nauant. Vt enim falſi antiſtites quæſtum ſuum minui nolunt: ita mundo dediti lucem Veritatis odiſſe ſolent, qua ipſorum mores improbi arguuntur. Hinc ergo odia, ſimultates, inſidiæ & apertæ perſecutiones naſcuntur: quibus non ſolum Verbi adminiſtri, verumetiam pij principes peti ſolent, qui operi illi ſanctiſſimo manum admouent. Expertus eſt hanc mundi malitiam Dauid, ſicuti in Pſalmis non vno loco teſtatur. Et Ezechiæ non defuit Sobna, qui ſanctis eius conſilijs ſeſe opponeret. Quid verò de Ioſia dicemus, ſanctiſſimo principe, qui & populi ſuperſtitioſi contumacia, & principum malitia atque conſiliariorum perfidia impeditus eſt, quò minus proficeret in Dei cultu reſtituendo? Et quid hodie multis in locis fiat, non opus eſt commemorare, cùm omnibus nota ſint. Neminem tamen hæc impiorum audacia terrere debet: quia non ſemper poſſunt quod volunt, aut quod poſſe putabantur. Et ſolet Deus tueri eos, qui in ſua vocatione ambulant. Exempla, quæ huc faciunt, alibi commemorauimus. Sed vt peſſimè nobis res cedat, quoad huius ſeculi ſucceſſum, beati tamen erimus, ſi pro cauſa tam bona & ſancta aliquid ſit ferendum. Quàm verò infelices ſint, qui per Dei verbum reformari nolunt, multorum horribilis exitus probat. Olim Babylonios reformatores ijs adduxit Deus, qui Ioſiam & Prophetas audire noluerant. Et iſti Romanorum armis miſerè cum ſuo templo exciſi ſunt, quibus durum viſum fuit Dei Filio obtemperare. Et quid hodie periculi à Turcis & ciuilibus bellis vndique immineat, nemo non videt. Excitent nos hæc exempla, vt fortes atque conſtantes ſimus in aſſerendo cultu Dei, neque terreamur infelicis mundi & impiorum præſulum conatibus, quos facilè eludet & franget is, qui mundum & huius principem iam olim deuicit, Dominus & ſeruator noſter, Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Quid ſperent pij reformatores Eccleſiæ?

CAPVT XX.

HOMILIA CLXXVIII.

ET factum eſt quodam dierum illorum, cùm ipſe doceret populum in templo, & euangelizaret, ſuperuenerũt principes Sacerdotũ & Scribæ cum Senioribus, & dixerunt ei: Dic nobis, qua authoritate iſta facias, aut quis ille ſit qui dedit tibi iſtam authoritatẽ. Reſpondens autẽ dixit eis: Interrogabo vos & ego rem quandã: Dicite ergo mihi: Baptiſmus Ioannis è cœlo erat, an ex hominibus? At illi ratiocinati ſunt apud ſe dicentes: Si dixerimus. E cœlo: dicet, Quare ergo nõ credidiſtis ei? Sin autẽ dixerimus: Ex hominibus: tota plebs lapidabit nos. Perſuaſum enim eſt ei, Ioannẽ Prophetam eſſe. Reſponderunt igitur, ſe neſcire vnde eſſet. Tum Ieſus dixit eis: Neq; ego dicam vobis, qua authoritate hæc faciam.

Mundi ingratitudo in bene meritos.

INter mundi huius vitia, quæ incurabilem & deploratam eius corruptionem et malitiam arguunt, præcipuum ferè eſt ingratitudo, qua in eos peccat, qui vel publicæ saluti conſultũ volunt, vel priuatim quàm plurimis benefaciunt. Exempla, quibus id probetur, in omnium gentium hiſtorijs occurrunt. Huc enim pertinent quæ apud Græcos de Ariſtide, Phocione, Miltiade, Cimone & ſimilibus: apud Romanos de Camillo, Scipionibus, Cicerone, Pompeio atque infinitis alijs leguntur, quibus ne mori quidem licuit in patria, quam conſilio & armis ſæpius ab interitu ſeruauerant. De priuatis dicere non eſt opus, quando quotidie fiunt, quæ docent nihil tam vulgare eſſe, quàm hoſtes ſentire eos, quibus quàm ſæpiſſime benefeceris. Superat tamen omnia exempla, quod in æternum Dei Filium mundus hic infelix deſignauit. Is enim cùm vt nos ſaluos faceret, homo factus eſſet, & ſalutem noſtram ſtudiorum atque actionum ſuarum ſcopum vnicum ſibi propoſitum haberet, peſſimam tamen gratiam inde retulit. Quod vt in totius vitæ eius hiſtoria patet, ita maximè in ijs cernitur, quæ proximè ante eius mortem acciderunt. Nam etſi Hieroſolymæ ſe acerbiſſima quæque paſſurum eſſe ſciret, ſuam tamen erga eam ciuitatem beneuolentiam multis argumentis declarauit, quando ad illius conſpectum in lachrymas erupit, occaſum eius verbis acerbiſſimi doloris teſtibus prædixit, templum à prophana nundinatione repurgauit, Veritatis doctrinam fideliter tradidit, & eandem miraculis publicis confirmauit. Omnibus verò hiſce officijs non aliud meruit, quàm quòd vitæ eius inſidias ſtruunt ij, qui rerum apud illos potiebantur, à quibus procul dubio vel aperta vi vel per ſicarios occiſus fuiſſet, niſi illorum furorem Deus terrore & metu quodam occulto cohibuiſſet. Deſcribuntur hæc propter nos, vt diſcamus, ad quæ certamina nos præparari oporteat, ſi in Euangelij miniſterio, ex quo hominum ſalus dependet fideliter verſari velimus: ſimulq; admonent, ne offendamur hominum ingratitudine & contumacia, ſed cùm ea potius luctemur ad finem vſque noſtræ vocationis: quod Chriſtum conſtanter feciſſe tota huius Capitis narratio docebit. Commemorat enim aliquot inſidioſa colloquia Lucas, quibus Chriſtum illaqueare & populo exoſum, aut ſaltem contemptum facere conati ſunt, quem nulla vi opprimi poſſe videbant. In omnibus autem illis partim eius ſapientia planè diuina elucet, qua hoſtium inſidias atque Sophiſticam eluſit: partim bonitas plus quàm paterna cernitur, quæ eum continuit, ne à malè gratis & ſanguinarijs hominibus diſcederet.

Chriſtus ingratos ſedulo docet.

Vt verò hæc melius pateret, paucis præmittit Euangeliſta, quid toto illo tempore fecerit, quod ab eius ingreſſu in vrbem vſque ad mortis diem effluxit. Factum eſt (inquit) quodam dierum illorum, cùm ipſe doceret populum in templo, & euangelizaret. Ergo non primo tantùm die, quo in vrbem venerat, docuit: ſed in eo frequentiſſimus fuit, & quàmuis propter ingratitudinem ciuium & magnatum inſidias ſub veſperam exire cogeretur, manè tamen ad docendi officium redijt. Adhæc cùm tanta ingratitudo atq; improbitas acerrimas inuectiuas & horribiles imminentis excidij comminationes mereretur, de eo tamẽ illos admonuiſſe contentus, nunc nihil quàm Euangeliũ prædicat,

vt quod

quod felix lætumq́ gratiæ Dei nobis in ipſo exhibitæ & ſalutis gratuitæ nuncium eſſe, iam ſæpe diximus. Suo autem exemplo docet, doctrinam illam in Eccleſia conſtanter retineri debere, nec admittendum eſſe, vt aliquorum improbitas, qui aduerſus eam coniurarunt bonis fraudi ſit, qui eam eſuriunt atque ſitiunt. Et quia pleroſque periculorum metus abſterret, multa & diligenti conſideratione dignum eſt Chriſti exemplum, qui cùm in medio luporum verſaretur, & mortis ſuæ horam in ſingula momenta appropinquare ſciret, tanta tamen docendi ſedulitate atque induſtria vſus eſt. Nemo igitur propter periculum qualecunque à Deo ſibi commiſſam vocationem deſerere debet, quoad eius obeunda occaſio ſeſe offert. Nam, vt ſæpe iam diximus, facilè poteſt Deus ſuos tueri, & hoſtium ferociſſimorum conatus atq; conſilia turbare. Id verò ad ſe transferre debent omnis loci & ordinis homines, vt ſe ſub eius tutela eſſe meminerint, qui in corda hominum ius habet, & nihil nobis præter ſuæ voluntatis decretum euenire patitur.

In Chriſtum conſpirant [proce]res eccleſiaſ[ti]ci & politici.

Porrò tranſeamus ad Chriſti aduerſarios, vt quid aduerſus illum tentarint intelligamus. Sic autem ſcribit Lucas: Superuenerunt Principes Sacerdotum & Scribæ cum Senioribus, & dixerũt ei: Dit nobis, qua authoritate iſta facias? aut quis ille ſit, qui dedit tibi iſtam authoritatem? Primùm ijdem nominantur, qui et nuper ſub finem proximi Cap. Et principes quidem Sacerdotũ erant, ad quos omnis religionis atq; cultus diuini cura pertinebat, quorum ſummam in illo populo authoritatem fuiſſe ſcimus. Scribæ autem doctrinæ antiſtites fuerunt, & quia ijdem anuales quoq; conſeruabant, ſimul librariorum inſtar fuiſſe videntur, qui libros ſacros abs ſe deſcriptos vulgabant. Summam certè eruditionis & ſcientiæ rerum ſacrarum exiſtimationem penes illos fuiſſe, vel ex eo apparet, quòd Herodes cum Sacerdotibus hos quoq; vocauit, quãdo de natali Meſſiæ loco edoceri voluit. Seniores autẽ erant, quos Romani Senatores & Patres conſcriptos dixerunt: & illi adhuc aliquam Synedrij eius ſpeciem referebant, quod ex Septuaginta Senioribus conſtabat, & penes quos ſumma erat eius gentis poteſtas. Ergo, vt vno verbo rem dicamus, conſpirarunt aduerſus Chriſtum primores omnes, tam ſpirituales quàm ſeculares, vt hodie loquuntur. Id verò in hoc mundo perpetuum eſſe ſolet, vt omnium ſeculorum hiſtoriæ teſtantur. Non poſſunt enim Chriſtum ferre Sacerdotes, qui religionem ſibi quæſtum fecerunt, & ſua exiſtimatione nihil antiquius habent. Idem Scribis quoq; & humana eruditione atq; ſapientia turgentibus planè intolerabilis eſt: quod hodie in Magiſtris Noſtris & pleriſq; iuriſconſultis videmus, qui Chriſti cognitionem cum Legum ſcientia non coniunxerunt. At quia iſti ſe viribus deſtitui, rem verò bant plenam periculi eſſe vident, magiſtratus & principes ſibi coniungunt, vt armis quoq;, ſi opus ſit, ſuam exiſtimationem tueantur. Atqui mirum videri poterat, Seniores iſtos, quorum erat populi iura & quod ex libertate adhuc reliquum erat tueri, Sacerdotibus ſeſe coniunxiſſe, quos Herodes, publicus gentis illius hoſtis, extincta veterum ſacerdotum progenie, ex fece vulgi electos conſtituerat, & qui cum præſidibus prophanis colludentes populum ſub religionis prætextu tyrannide grauiſſima premebant. Sed non eſt quòd iſtos admiremur, quando iam ſeculis aliquot inter Chriſtianos idem eſt factitatum. Quis enim neſcit, Romanos Pontifices ex Regum & Imperatorum oppreſſione creuiſſe, & ad ſe traxiſſe terras, quæ prius ad illos pertinebant? Quis item ignorat, quàm multos Reges & principes ſuis artibus circumuenerint? quàm multas reſpublicas libertate ſua ſpoliarint? Aut quis tam ſtupidus eſt, vt non ſentiat, reipublicæ nihil illorũ potentia eſſe intolerabilius? Vt primum enim in vrbibus Epiſcopi conſtituuntur, aut in illis Abbates cum infelici Monachorum auitiò nidulantur, mox publicis & priuatis bonis inſidias ſtruunt, nec prius ceſſant, quàm ſummam rerum poteſtatẽ ad ſe traxerint. Taceo nunc Imperatores Turcis proditos, taceo alios Pontificum pedibus inſolenter calcatos, taceo tot iam ſeculis illorum artibus inter ſe commiſſos orbis terrarum Monarchas, & quæcunque quotidie adhuc deſignant. Veruntamen etſi hæc omnibus nota ſint, ea tamen eſt Regum ſtupiditas, vt cum illis aduerſus Euangelij doctrinam coniurent, & ad ſtabiliendam eorum potentiam non ſolùm bella cum vicinis aut remotiſſimis quoque populis ſuſcipiant, [ ] verumetiam in ſubditos ſuos ferro & igne graſſentur. Eſt hic reuera ſpiritus ille fornicationis, qui oculos eorum perſtringit, & animum quoque aufert, vt nihil quod ipſis vel ſalutare vel noxium eſt, videre aut ſentire poſſint. At ſolet plerunque Regibus accidere, quod iſtis accidiſſe nuper audiuimus, vt nimirum cum ſuis illis impoſtoribus malè pereant.

Chriſtus ad reddendam rationē requiritur. *Sed ipſum congreſſum ſpectemus, & quo aſtu rem hanc egerint. Dicunt ei: Dic nobis, qua au-
thoritate iſta facias? aut quis ille ſit, qui dedit tibi iſtam authoritatē? Dic nobis, inquiunt: ſatis ni-
mirum pro imperio, quaſi hoc iure ab ipſo exigant, & Chriſti ſit eis omnium quæ faciebat ratio-
nem reddere. Obſeruabis autem, illos non de doctrinæ veritate, aut de templi repurgatione, vel de
miraculis eius quæſtionem mouere, ſed de ſola authoritate, qua ordinatus & armatus hæc faciat.
Doctrinam enim oppugnare non audent, quam diuinam eſſe & cum Moſe atque Prophetis conue-
nire non poterant negare, toties ab illo conuicti. Nundinationis autem in templo impietas tam craſ-
ſa erat, vt quàmuis frontem iamdudum perfricuiſſent, eam tamen vel vno verbulo tueri, aut Chri-
ſtum, quòd hanc eieciſſet, accuſare non auderent. At miracula accuſare, ex quibus tam multi quo-
tidie ſalutem percipiebant, extremæ impudentiæ fuiſſet. Quò ergo confugiunt? Nouum crimen fin-
gunt: quòd nimirum priuata audacia atque libidine extimulatus hæc omnia agat, & à Deo inſtitu-
tum ordinem turbet. Aſtutè autem ad ſe rapiunt dignitatem illam, qua olim Leuiticam tribum &
Exod. 13. eius familias Deus exornauerat. Scimus enim Deum primogenitorum omnium loco ſibi Leuitas
Num. 3. vendicauiſſe, vt eos cultus ſui miniſterio conſecraret. Et alias quidem familias diuerſis miniſterijs
deſtinauerat, penes Aaronem autem & eius poſteritatem ſacerdotij adminiſtrationem eſſe voluit.
Tanta verò authoritate hoc ſuum inſtitutum confirmauit, vt nullum vnquam iræ ſuæ exemplum
Num. 16. horribilius terribiliusq́ addiderit, quàm quo Core cum coniuratis ſuis & domibus eorum terra ipſis
dehiſcente abſorptus eſt. Cuius exempli ſeueritas poſtea Iudæos ita in officio continuit, vt quam-
uis multis ſceleribus aduerſus Deum quotidie peccarent, ſacerdotium tamen intactum relinquerent.
2. Par. 26. Vnus Vzias Rex repertus eſt, qui victorijs & potentia elatus in ara thymiamatis ſuffitum face-
re voluit, ſed ob eam audaciam à Deo lepra percuſſus ordinis ſacerdotalis authoritatem exemplo
ſuo confirmauit. Adde his, quòd cùm ceſſantibus in docendi officio ſacerdotibus extraordinarij do-
ctores à Deo excitarentur, Prophetæ, nemini tamen niſi vocato diuinitus, munus iſtud obire licuit,
Ierem. 23. & apud Ieremiam de illorum audacia grauiter queritur Deus, qui non miſsi currebant. Itaque
olim quidem Sacerdotum erat curare, ne quis docendi munus temere ſubiret, aut ſacerdotij ordi-
nem priuata libidine ſiue ambitione turbaret. Quid verò hoc ad noſtros iſtos, qui Chriſti tempore
ſacris præerant? Nam neque ex Aaronis filijs erant (quorum poſteritatem ab Herode exciſam
fuiſſe, paulò ante diximus) neque Dei vocationem allegare poterant, cùm ſacerdotium impri-
dem venale feciſſent, & hoc quotannis ab auaris Præſidibus redimerent. Ergo ipſi potius inter-
rogari merebantur, qua authoritate aut iure ſacrorū adminiſtrationem ad ſe rapuiſſent, vt ſub hu-
ius prætextu Præſidum libidini ſeruirent? Veruntamen hoc præiudicio vtuntur, vt neminem pro
legitimo Dei miniſtro aut doctore agnoſci debere omnibus perſuaſum velint, quàm qui ab ipſis vo-
catus aut miſſus ſit: quod tyrannidis ipſorum potiſsimum fundamentum atque robur fuiſſe, ex Io-
Ioan. 1. annis Baptiſtæ hiſtoria apparet, ad quem in deſerto docentem & baptizantem illico Inquiſitores
ſuos miſerunt, qui quærerent quis nam eſſet, & cur docendi ac baptizandi munus ſibi ſumeret?
Eodem igitur ſtratagemate nunc Chriſtum quoque adoriuntur, & qua authoritate doceat, &
cultum Dei conſtituat, quærunt, nimirum vt omnibus ſuſpectum reddant, quaſi ſeditioſe rebus no-
uis ſtudeat, & tot ſeculis obſeruatum ordinem Eccleſiæ turbet. Interim cum ambitioſa illa au-
dacia extremam impudentiam coniungunt, quando eius authoritatem in dubium vocare non eru-
beſcunt, quæ tot ſignis iam pridem confirmata erat, & nouis quotidie miraculis confirmabatur.
Ioan. 10. & 5. Nec dum excidiſſe illis poterat, quod Chriſtus illis dixerat non multò ante: Si non facio opera
Patris mei, nolite credere mihi: Sin autem facio, etiamſi mihi non credatis, operibus credite:
vt cognoſcatis & credatis, quòd Pater in me eſt, & ego in eo. Item: opera, quæ dedit mihi Pa-
ter vt ea perficerem, ipſa (inquam) opera quæ ego facio, teſtantur de me, quòd pater miſerit me.
Fuit ergo iſtorum hominum impudentia plus quàm meretricia, qua adhuc illi oggannire audent:
ijdem verò interea ſuæ malitiæ dignas pœnas luunt. Dum enim pro ſuo honore & exiſtimatione
nimis ambitioſe pugnans, ſuam ſtupiditatem produnt, qua impediti non poſſunt Dei virtutem in
Chriſti operibus cernere, quam viliſsimi quique in vulgo agnoſcebant atque fatebantur.*

Continet

Continet autem hiſtoria hæc ſpeculum clariſſimum, in quo poſtremi ſæculi mores & quibus Pontifices Ro-
incrementis atque artibus Pontificum tyrañis propagata ſit, ſpectare licet. Nam ſolis nominibus mani cum Iudæ
mutatis de iſtis veriſſimè dici poteſt, quod hucuſque de Iudæorum Sacerdotibus dictum eſt. Olim enī is cōferuntur.
Epiſcoporum electio penes Eccleſiam erat, quæ indicto etiam ieiunio & præmiſſis precibus publicis
eum ſortibus deligere ſolebat, quem Deus tanto muneri idoneum iudicauiſſet: ſicuti in Macchiæ Act.1. & 13.
electione, & in Pauli ac Barnabæ ordinatione, quæ Antiochiæ facta fuit, cernimus. Cyprianus
quoq; lib.1.epiſt. 4. ſic ſcribit: Ipſa plebs maximè poteſtatem habet vel eligendi dignos ſacerdotes,
vel indignos recuſandi, &c. Et hunc morem Eccleſijs communē fuiſſe AElius Lampridius in vita
Alex. Seueri teſtatur, ſic ſcribens: Vbi aliquos voluiſſet rectores prouincijs dare, vel præpoſitos fa-
cere, vel procuratores, ideſt, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt
ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus, ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis. Dice
batq; graue eſſe, cùm id Iudei & Chriſtiani facerent in prædicandis ſacerdotib. qui ordinandi ſunt,
non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum cōmitterentur & capita. Et huius
generis exempla in Patrū orthodoxorū ſcriptis multa inueniuntur: inter quæ memorabilis eſt D.
Auguſtini narratio, qua exponit, quo ordine in totius Eccleſiæ conſpectu & eiuſdem publico cōſenſu Epiſt. 110.
Eradiū ſibi collegā & ſucceſſorē deſignauerit. Extant præterea Canones verè Apoſtolici in epiſto-
lis ad Timotheū & Titū, qui docent, quibus virtutibus inſtructos eſſe eos oporteat. qui ad Eccleſiæ
miniſteriū ordinari debent. Quàm diu ergo mos iſte durauit, & à Spiritu ſancto præſcripta electio-
nis aut ordinationis eccleſiaſticæ ratio ſeruata eſt, meritò magna fuit miniſterij dignitas & ſacro-
ſancta cēſeri debuit authoritas Epiſcoporū, vt hos obſeruarēt omnes, neq; aliquid in Eccleſia illis in
uitis aut inſcijs tentarent. Sed poſt quā illorū quoq; animos ambitionis & auaritiæ ſpiritus tentauit,
mox res in peius labi cœperunt. Etenī cùm Romani quoq; Epiſcopi electio olim penes clerū & popu-
lū Romanū eſſet, et vel Imperatoris Cōſtātinopolitani vel Exarchi eius, qui eius nomine in Italia cū
imperio erat, authoritate cōfirmaretur, Cōſtātinus Cōſtātis F. in Benedicti II. gratiā iure ſuo cedēs ſta Sabell. Ennead.
tuit, vt quē clerus populuſq; Romanus cū equeſtris ordinis viris Epiſcopū creaſſent, is verus Chri- 8. lib. 6.
ſti in terris vicarius eſſe crederetur, nulla vel Imperatoris vel Exarchi approbatione expectata.
Factū hoc ſub annū nati Chriſti ſexcenteſimū ſeptuageſimū. Cœpit ab eo tēpore cōfirmari indies Pon
tificū potentia, adeò vt Leo III. auderet Imperiū ad Carolū Magnum Francorum Regem trans-
ferre, Paſcalis autē Papa, cùm à Ludouico Caroli F. Romā cū adiacentib. terris & vrbibus dono
accepiſſet, viciſſim decretū fecit, ne quis Laicus eccleſias vel eccleſiarū bona occupet aut diſponat, & Decr. 16. queſt.
ſimul excōmunicationis pœnā in eos ſtatuit, qui alicuius eccleſiaſticæ dignitatis inueſtiturā à Laico 7. Nullus.
quocūq; acciperet. Secuta ſunt mox indigniora: Nā Ioañes XIII. *à Berēgario armis petitus, cùm*
Frācos ad opē ferendā tardiores videret, Imperiū ad Otthonē Saxonē tranſtulit, quē tamen prius iu
reiurando aſtrinxit, cuius formula in Decretis habetur: quod año Dñi DXXXXLXII. *factū fuiſ-*
ſe hiſtorici tradūt. Secutus eſt Año Milleſimo ſecundo Gregorius V. *qui vt Imperiū apud Germa-*
nos firmius ac ſtabilius eſſet, Electores inſtituit, principes tres & epiſcopos totidē, penes quos eligendi
Imperatoris poteſtas eſſet, ea tamen conditione, vt qui ab his electus eſt, tūc demū Imperator verus
ac legitimus agnoſcatur, cùm à Pōtifice approbatus fuerit. Itaq; tunc non abolito ſolùm verumetiā
inuerſo veteri more Imperatores à Pontificibus confirmari cœperunt, cùm prius hi ab illis ſuæ ordi-
nationis approbationē peterent. Nec ſatis fuit Pontificib. in Imperatores & Reges imperiū obtinuiſ
ſe, niſi Epiſcopos quoque omnes ſuæ tyrannidi ſubijcerent, & per hos in totum clerum (vt ipſi loquū
tur) contra Petri Apoſtoli Canonem dominarentur. Itaq; illos quoque in ſua verba iurare coëge- 1. Pet. 5.
runt, et eius quoque iuramenti formulam in decreta ſua retulerūt. Imitati ſunt Pōtificis exemplum Decretal. de iu
Epiſcopi et reliqui præſules, qui eccleſijs & Parochijs (vt vocant) paſſim inſidiati ſunt, & ius or- reiurando Ca.
dinādi miniſtros (quod illi ius patronatus, aut collaturam ſiue inueſtituram dicunt) partim artibus Ego.
mirificis, partim pecunijs ad ſe tranſtulerunt. Breui ergo temporis ſpatio res eò deducta fuit,
vt paucæ admodum Eccleſiæ inuenirentur, quæ paſtoris eligendi ius haberent, ſed pleræque cum
illo decimas quoque & alios redditus eccleſiaſticos amiſerunt. Hinc omnis religionis corruptio
in orbem Chriſtianū ceu diluuio quodam inuecta eſt, Epiſcopis & Abbatibus ferè eos ordinantibus
quorū ſeruitio prius aut vtiliter, aut etiā turpiter in rebus ſuis vſi erant, quàmuis neq; virtute neq;

eruditione commendarentur. Et quia hi quoque Decanis ſuis, hi verò Epiſcopis fidem ſuam obſtringere cogebantur, omnis Eccleſiarum gubernatio ceu coniuratione quadam ad Pontifices deuoluta eſt. Vnde accidit, vt ne ad infimum quidem muneris eccleſiaſtici gradum admitteretur, qui non accepiſſet characterem beſtiæ, de qua in Apocalypſi ſermo eſt. Iſti verò homines, cùm veterem & Apoſtolicum Eccleſiæ morem iampridem aboleuerint, & abſque legitima vocatione imperium omne ſibi vendicarint, nobis hodie negotium faciunt, & nefas eſſe arbitrantur, quenquam ad docendi munus promoueri, quem non ipſi ad hoc idoneum aut dignum iudicarint. Itaque cum Euangelij doctrinam oppugnare & confutare non poſſint, neque etiam horribiles abuſus & ſacrilegam ſacrorum nundinationem defendere aud t, cum Iudeorum Sacerdotibus eò refugiunt, quòd vocationem miniſtrorum verbi, qui vel ab Eccleſijs vel pijs magiſtratibus ordinati ſunt, in dubium vocant, & illos interrogant, quo iure aut qua authoritate ad docendum prodeant & ad Eccleſiæ reformationem manum admoueant? Et cùm ipſi potius ad reddendam rationem cogi deberent, quo iure Eccleſias omnes oppreſſerint, ius ordinandi illis eripuerint, & cum doctoribus ipſos etiā Reges in ſua verba coēgerint iurare: ipſi è contra ab ijs rationem exigunt, quorum vocationem non ſolùm Eccleſiarum

1. Cor. 9. atque piorum magiſtratuum authoritas commendat, verumetiam effectus ipſe probat, quando ſuę miniſterij ſigilla proferre poſſunt, Eccleſias nimirum ſua induſtria & mirifico atque felici ſuceſſu ad verbi Dei normam reformatas. Et hîc quidem multa magnificè dicunt de ordine Eccleſiæ tot iam ſeculis obſeruato, de ſucceſſione item continua Pontificum, de Imperatorum & Regum authoritate, qui hanc illis dignitatem confirmarint, & alijs multis, quorum omnium hic finis eſt, vt Eccleſiæ turbatores eſſe euincant eos, qui ipſorum tyrannidi reſiſtunt, & veritatis doctrinam reducere veteremq; Eccleſiæ formam inſtaurare ſtudent. At nos non de temporis diuturnitate querimus, quæ errores defendere non poteſt: neque ſucceſſioni Pontificum aliquid tribuimus, quando omnibus ſeculis conſtat ſæpe impios nebulones bonis paſtoribus ſuceſſiſſe: neque Regum authoritatem in ijs vellicamus, quæ ad ipſorum curam atque officium propriè pertinent: ſed potius dolemus, illos partim Pontificum dolis & hypocriſi circumuentos, partim vi aperta ac proditorijs artibus coactos eſſe, vt ea illis darent, quæ neque ipſi dare, neque illi petere & accipere debuiſſent. Et quia omnibus hominum ſtatutis antiquius eſt verbum Dei, huius authoritas nobis ad omnia ſuffuit.

Chriſtus de Ioanne quærit. Et de eo nos in præſenti Chriſtus quoque admonet. Nam etſi Sacerdotes illi ac Scribæ indigni eſſent, quibus apertè reſponderetur, reſponſum tamen tale reddit, quo non obſcurè probat, ſe quicquid faciat, diuina authoritate facere. Nam ipſorum quæſtioni aliam oppoνit, dicens: Interrogabo vos & ego rem quandam: Dicite igitur mihi, Baptiſmus Ioannis è cælo erat, an ex hominibus? Baptiſmi nomine totum Ioannis miniſterium comprehendit, ea tamen locutione vti voluit, vt quoniam de vocatione lis erat, ſe quoque hoc pro indubitato fateri proteſtetur, nulli doctrinæ aut ceremoniæ in Eccleſia locum eſſe dandum, niſi diuina ac cæleſti authoritate confirmetur. Et quæſtionis huius ſenſus eſt? Num Ioannem à Deo miſſum Prophetam aut verbi præconem fuiſſe agnoſcant, aut impoſtoris loco habeant, qui vel priuata animi libidine motus, vel ab alijs ſubornatus nouum doctrinæ genus inuexerit, & ſuos diſcipulos ſiue auditores nouo atque prius inuſitato Symbolo ab alijs diſtinxerit? De Ioanne autem quærit, vt huius de ſe teſtimonia ipſis in mentem reuocet, quæ ad ſoluendam illorum quæſtionem abunde poterant ſufficere. Quaſi dicat. Quæritis qua authoritate ego iſta faciam? At quid hoc quærere opus eſt, quando (vt alia omnia taceam) iampridem ab Ioāne de eo edocti eſtis? Velim ergo à vobis ſcire, quo loco illum habeatis. Verumne Dei præconem agnoſcitis, aut impoſtorem improbum fuiſſe dicetis? Id verò vos nunquam dicturos puto, cùm tanta eius grauitas, tantus diuini Spiritus ardor, tanta doctrinæ virtus in eo eluxerit, vt Herodes quoque non vulgaris hominis indicia in illo potuerit agnoſcere. Num verò quid is de me teſtatus ſit, ignoratis? Annon legatis veſtris ille dixit: Ego quidem baptizo vos aqua: ſed in medio veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis? Ipſe eſt, qui poſt me venit, qui prælatus eſt mihi: cuius ſolearum corrigiam ſoluere ego non ſum dignus? Itaque Chriſtus hoc loco non aſtu Sophiſtico vtitur, vt quæſtionem ſibi propoſitam declinet, ne ad eam reſpondere cogatur: ſed ita reſpondet, vt aduerſariorum animos magis vulneret veritatis confeſſione, quàm ſi directè & palàm dixiſſet quod res erat, ſicuti paulo poſt videbimus.

Vt agendum ſit cū hoſtibus veritatis

Suo autem exemplo docet, vt cum apertis & præfractis hoſtibus veritatis agi debeat. Ante omnia cauendum erit, ne turpi vel ſilentio vel diſſimulatione veritatem prodamus: quod multi hodie faciunt, qui mirifica tergiuerſatione propoſitas ſibi quæſtiones eludunt, ne cum bonorum ſuorum aut vitæ periculo ad eas cogantur reſpondere. At ſimul meminerimus hîc imprimis ſerpentina illa prudentia opus eſſe, quam in ſuis diſcipulis Chriſtus requirit, ne nos temere in pericula non neceſſaria coniiciamus, interim tamen aduerſariorū animos atque conſcientias feriamus, vt perplexi hæreant, qui nos intricare conabantur. Poteſt hoc cōmodiſſimè fieri hodie, ſi de noſtra vocatione quæſtionē mouentibus ſimiliter reſpondeamus: Dicite vos, quid de Prophetarum ſcriptis, de Chriſti & Apoſtolorum doctrina, deq́ toto Euangelij negotio ſentiatis. Num his Dei verbum & æternæ ſalutis doctrinam contineri, aut fabulas & hominum vaniſſimorū figmenta eſſe dicitis? At ſi vos non poſsitis negare, illa ipſiſſimum verbum Dei eſſe, quod nam noſtrum ſcelus eſt, ſi hoc plus ſatis longo tempore abſconditum denuo in lucem proferamus? Et vt nos nulla legitima vocatione niti fateamur, potior tamen noſtra cauſa eſt quàm veſtra, qui æterno ſilentio ſepulta eſſe vultis, ſine quorū cognitione ſalus hominum non poteſt conſiſtere. Dicite item, vnde hæc authoritas vobis obtigerit, quæ vos defendat, vt nemo in veſtra ſtatuta inquirere auſit, & veſtra cunctatio omnibus fraudi eſſe debeat, qui de ſalute interea periclitantur, dum vos reformationem Eccleſiæ iam aliquot ſæculis optatam atque magno deſiderio expectatam malitioſè & fraudulenter differtis, ne quid veſtræ dignitati aut quæſtui decedat? Hæc & alia huius generis ſi proferantur, non habebunt illi quod reſpondeant, niſi cum pudore ſenſum quoque communem abſterſerint. Hîc certe mihi fortiſſimorum patrum noſtrorum & Senatus Tigurini prudentia atque in tuenda veritate conſtantia in mentē venit: qui cùm ante annos quinquaginta Euangelij doctrinam admiſiſſent, deque Eccleſiæ reformatione cogitarēt, omnibus qui opus iſtud ſanctiſſimum impedire conabantur, hoc vnum ſemper reſponderunt: Nos diuini verbi authoritatem ſecuti iſta facimus: quòd ſi quis ex illo nos conuincere aut meliora edocere poterit, eum audire parati ſumus. Potuit reſponſum hoc ſufficere ad reprimendum multorum conatus, qui extrema quæque interdum moliri videbantur. Tanta verbi Dei & veritatis vis eſt, vt hoſtium quoque corda penetret, & occulto pudore contumaciſſimos quoſque coerceat.

Tigurini Senatus exemplum.

Scribæ perplexi hærent.

Apparet hoc in Sacerdotum & Scribarum atque Seniorum exemplo, qui hac Chriſti reſponſione audita apud ſe ratiocinati ſunt: Si dixerimus, E cœlo: dicet nobis. Quare ergo non credidiſtis ei? Sin autem dixerimus, Ex hominibus, tota plebs lapidabit nos: Perſuaſum eſt enim ei Ioannem Prophetam eſſe. Conuincuntur ergo iſti propriæ conſcientiæ teſtimonio, non tamen hoc audiunt, ſed ad ſuas rationes conuerſi ſeſe magis intricant, & dum omnia potius quàm Deum metuunt, ſeipſos omnium ludibrijs exponunt, id ſe ſcire negantes, quod iam toti populo, publicanis, cerdonibus, nautis & (vt prouerbio dicitur) lippis atque tonſoribus notum erat: ſimulq́ue Chriſto honeſtiſſimam occaſionem præbent ſeſe ab ipſorum laqueis extricandi, imò etiam accuſandi impiam eorum audaciam atque tyrannidem, ſicuti in proximo Sermone audiemus. At hic nobis ingenium & mores falſorum antiſtitum ceu in tabula conſpiciendi proponuntur. Ab vna parte gloriæ & dignitatis periculum ſubire timent, ſi veritati teſtimonium ferant: ab altera populi furorem metuunt: de Dei gloria autem & populi ſalute nihil ſoliciti, vtranque ſecure negligunt. Et hoc illud eſt, quod Eccleſiaſticos ſimul & politicos viros atque principes in ſalutis æternæ negotio maximè retardat, quòd Dei timore & publicæ ſalutis ſtudio iampridem excuſſo, huius ſæculi gloriam quærunt, neque ſuo quæſtui aut priuatis commodis quicquam decedere volunt. Notum eſt enim illud Chriſti: Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam alij ab alijs captatis, & gloriam quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæritis? Fugiamus ergo nos hanc nocentiſſimam ſalutis peſtem, neque quicquā eiuſmodi hominum iudicijs tribuamus, ſed in vnum Dei Filium intenti, eum audiamus & ſequamur, cuius authoritas non Prophetarū modò & Ioañis atq; Apoſtolorū teſtimonijs, verumetiā cœleſtis Patris voce confirmata eſt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Ioan. 5.

HOMILIA CLXXIX.

Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Quidam plan-

tauit vineam, & elocauit eam agricolis, & peregre abfuit multum tempus. Et in tempore miſit ſeruum ad illos agricolas, vt darent ex fructu vineæ: hi verò illum cæſum ablegarunt inanem. Ille verò perrexit alterum ſeruum mittere: at ipſi hunc quoque cæſum & contumelia affectum ablegarunt inanem. Et perrexit mittere tertium: at illi & iſtum vulneratum eiecerunt. Dixit igitur dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan cùm hunc viderint, reuerebuntur. Viſo autem eo agricolæ collocuti ſunt inter ſe, dicentes: Iſte eſt hæres: venite, trucidemus eum, vt noſtra fiat hæreditas. Et eiectum eum extra vineam trucidarunt. Quid ergo faciet eis dominus vineæ? Veniet & perdet agricolas iſtos, & dabit vineam alijs. Hoc autem cùm audiuiſſent, dixerunt, Abſit. Ille verò intuitus eos, ait: Quid illud eſt ergo quod ſcriptum eſt: Quem lapidem reprobauerunt ædificantes, is factus eſt caput anguli? Quiſquis ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, diſſipabit eum.

Vide Marcum homil. 97. & 98.

QVàmuis de toto mundo Ieſus Chriſtus rectè pronunciet, opera eius mala eſſe, & proinde veritatis lucem, quæ per Euangelium nobis in ipſo offertur, ferre non poſſe: nullos tamen idem ille acriores & vehementiores hoſtes habuit, quàm Principes Sacerdotum, quorum quæſtuoſas artes atque tyrannidem arguebat. Abutebantur hi aduerſus eum dignitate ſua, quam vt legitimi Aaronis ac filiorum eius ſucceſſores ſibijpſis iampridem vſurpauerant, ipſum vero (vt nuper audiuimus) populo ſuſpectum facere conati ſunt, quaſi priuata temeritate & libidine munus docendi inuaſiſſet, & ſacris quoque manum admouendo ordinem Eccleſiæ impudenter turbaret. Erat hæc grauis & multiplicis ſcandali cauſa, nec dubium eſt, multos vehementer offenſos fuiſſe, quòd illum ab ijs indefinenter oppugnari viderent, penes quos præcipua erat in Eccleſia poteſtas atque eruditionis & pietatis exiſtimatio. Commodè ergo diſputationi, quam proximè audiuimus parabolam iſtam de vinea & colonis ſubijcit, quæ tria ex ordine agit. Primò docet, vnde primùm exorta ſit dignitas illa Sacerdotij, qua tantopere ſuperbiant, & in quem finem hoc totum ſit inſtitutum. Deinde ſceleratam ipſorum ingratitudinem accuſat, qua iam olim in Deũ peccare cœperint, & quæ in ipſum porrò ſint deſignaturi. Tertiò pœnam minatur. Finis autem & ſcopus omnium eſt, vt & ipſis laruam detrahat, ne ſuos dolos celari poſſe ſibi perſuadeant, & ſimul è medio auferat ſcandalum, quod ex morte eius iam appropinquante, enaſciturum eſſe ſciebat. Quia verò ſimul hîc tota Eccleſiaſticæ gubernationis ratio continetur, & quæ de his dicuntur, noſtri ſæculi moribus imprimis conueniunt, vtile fuerit huius parabolæ partes ſingulas conſiderare.

Argumentum parabolæ.

Iudaicus populus uinea confertur.

Ad primum pertinet quod dicit: Quidam plantauit vineam, & elocauit eam agricolis, & peregre abfuit multum tempus. Per vineam populus Iudaicus intelligitur, penes quem tunc fuiſſe titulum Eccleſiæ ſatis conſtat. Eſtq́ parabola hæc in ſcripturis admodum frequens, quia Dei erga nos ſtudium graphicè adumbrat, & omnes eos officij admonet, qui Eccleſiæ membra aut pars aliqua cenſeri volunt. Vt enim vinearum poſſeſſio pretioſiſſima, & earundem cultura admodum laborioſa eſt: ita non in alium finem & vſum coluntur, quàm vt fructum ferant, & niſi hunc ferant, mox excinduntur vites, ne terram fruſtra occupent. In præſenti tamen præcipuum eſt, quòd vineam hanc colonis elocatam fuiſſe Chriſtus dicit. Per hos enim Sacerdotes intelligit, quos ſui populi colonos Deus olim fecerat, vt illum diligenti Legis doctrina, legitimo ſacrorum rituum vſu, & exemplo quoque proprio ad pietatem excolerent, & ex eo fructus colligerent profeſſione eorum dignos, & quibus ille delectari poſſet. Sunt hi fides vera quæ ex Dei veri & Filij eius cognitione dependet, ſanctitatis & innocentiæ ſtudium, & dilectio fraterna ſiue mutua, quam Paulus totius Legis complementum eſſe dicit. Iſta autem parte Chriſtus Sacerdotibus ſupercilium detrahit, qui ſe colonos à Deo conſtitutos eſſe obliti, ſibijpſis imperium vendicabant in vineam Domini, & pro ſuo arbitrio,

Sacerdotes coloni.

omnia

omnia inſtituebant. *Admonet ergo, non habere ipſos aliquam aduerſus ſe ſuperbiendi cauſam, neque etiam ſe vllo iure cogi, vt illis ſua vel doctrinæ vel actionum ſuarum rationem reddat, cùm Eccleſia Dei peculium atque vinea ſit: ſed potius ipſorum eſſe, vt ſuæ conditionis memores, bonæ fidei coloni ſint, & de Dei potius gloria populique ſalute propaganda, quàm ſuis commodis & proprio honore cogitent. Et ſanè potuit vnum hoc ſufficere ad confutandam illorum temeritatem, qui templi vſum prophanarant, & totam cultus diuini formam mutarant, doctrinam item humanis traditionibus corruperant. Obſeruemus ergo hîc ſimul omnes eos confutari, qui in Eccleſia hoc ſibi ius ſumunt & imperium, vt ex ſuo cerebro omnia conſtituant, nouas leges condant, articulos fidei nouos conſcribant, cultus item formam mutent, & authoritate ſua aduerſus eos abutantur; qui veterem & à Deo traditam religionis & eccleſiæ formam reducere ſatagunt. Non eſt ergo, quod Pontifices nobis hodie cathedram Petri & perpetuam ſucceßionem obijciant. Nam vt hæc omnia illis demus, & ipſos immediate ab ipſo Dei Filio inſtitutos atque ordinatos eſſe fateamur, non tamẽ alios quàm colonos dicere poſſumus, qui non leges dare, ſed à Chriſto accipere, non in Eccleſiam dominari, ſed ei potius ſeruire: non ſuam inde vtilitatem captare, ſed omnia ad eius gloriam & honorem referre debeant, qui illam ſui ſanguinis pretio acquiſiuit. Vnde etiam ſequitur, reprehenſione eoſdem dignos eſſe, ſi quid præter officium faciant. Nam vt olim magna quidem erat Sacerdotũ authoritas, & capitale eſſet eorum ſententiæ contumaciter reluctari, eos tamẽ à Prophetis acriter correptos & publicè etiam obiurgatos fuiſſe ſcimus, quando in ſuo munere vel negligentiores vel minus fidi fuerunt. Quod autem de illis dicitur, hoc ipſum Reipub. etiam gubernatores & quotquot in magiſtratu ſunt, ad ſe transferre debent. Nam hi quoque non rerum domini, ſed Dei ſerui & miniſtri ſunt, vt Paulus loquitur. Ergo neque horũ fuerit, in illius populũ aliquid ex ſuo cerebro ſtatuere, ſed (vt ſcriptura docent) Dei iudicia exequi, & ita res omnes adminiſtrare debent, vt illi rationem reddere poßint.*

Sed alteram quoque parabolæ partem videamus, qua ſcelerata Sacerdotum ingratitudo atque impietas depingitur. Quæ vt melius pateat, Deum nullam illis cauſam præbuiſſe oſtendit, cur iſta facerent. Nam peregrè profectus multum tempus abfuit. Quod non ita accipi debet, quaſi Deus vnquam à ſua Eccleſia abſit: ſed oſtendit, illum nequaquam moleſtum fuiſſe ſuis illis colonis, vt ferè ſolent heri ad rem attentiores, qui etſi ſuas terras colonis elocent, iiſdẽ tamẽ multis alijs in rebus negotiũ faciunt, vt minus poßint præſtare ea, quæ imprimis fieri debebãt. Præterea in tempore demũ miſit ſeruos, qui fructum exigerent, quem illi reddere tenebantur, etiamſi nemo exegiſſet. Et ſuos ſeruos miſit, qui iſtorum conſerui erant, non alienos, de quorum rigore aut inſolentia poſſent conqueri. Ergo nihil hic factum eſt, quod vel iniquum, vel inhoneſtum, vel graue aut moleſtum poßit cenſeri, ſi quis rem maturo iudicio examinet. Per ſeruos autem intelliguntur Prophetæ, quos extraordinariè à Deo vocatos & mißos fuiſſe, alibi diximus: & quàmuis illi quoque cultores vineæ Dominicæ ſtrenuißimi fuerint, hîc tamen exactoribus conferuntur: eò quòd præcipuum illorum munus erat, ceſſantibus in ſuo officio Sacerdotibus, tam hos quàm omnes alios hominum ordines ad fructus pœnitentiæ reddendos exhortari. Trium verò ſeruorũ mentionem facit, qui ex ordine alius poſt alium mißi ſint, vt continuam Dei curam exprimat, qua populi iſtius ſalutem quæſiuit, & ideo nullum tempus elabi paſſus eſt, quo non eos de officio ſuo admoneret. Patet hoc euidentisſimè in ſacra hiſtoria. Nam cùm primùm terram ingreßi à Dei veri cultu ad idololatriam deficerent, mox prophetas miſit, qui eos monerent, & ad ſe conuerſis vindices excitauit, quorum virtute ex hoſtium manibus eriperentur: & quàmuis interdum pretioſum ac rarum eſſet verbum Dei (ſicuti in Samuelis hiſtoria legitur) nunquam tamen omnino extinctum fuit, & tandem Samuel datus eſt, qui & cultum Dei reſtituit, & Philiſtæorum tyrannidem fregit, quâ diu oppreßi fuerant. Similiter cùm poſt Solomonis mortem decem tribus manifeſtam à domo Dauidis ſimul & religione patria ſeceßionem fecißent, & in regno Iuda quoque multa ſubinde contra Legem fierent, nunquam defuerũt Prophetæ, qui Reges, Sacerdotes, iudices, populũ deniq; vniuerſum ad pœnitentiam excitarent. Imò cùm incurabiles in exitiũ ruerent, iamq; fatale illud tempus Babylonici exilij inſtaret, magno ſtudio apud eos cauſam hãc egerunt Sophonias, Ieremias, Baruch & multi alij, vt non temere Deus teſtetur, ſe manè ſurrexiſſe, & omnem lapidẽ mouiſſe, vt eos in viã reducerent. Quid quòd ne in Babylone quidẽ agẽtibus defuit, ſed Ezechielẽ de dit et Danie

Dominus ne- nec peregre profectus.

Serui exactores Prophetæ.

Iud. 6. 10. &c.

1. Sam. 3.

lem cùm alijs quibuſdam, quorum miniſterio edocerentur? Ab exilio autem reuerſi, Haggæum Zachariam & Malachiam habuerunt, quos ſuo tempore Ioannes Baptiſta ſecutus eſt, qui acerrimi exactoris officium faciens clamauit: Reſipiſcite, in propinquo enim eſt regnum cœlorum: Facite fructus dignos ijs qui reſipuerint: Quia ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, & omnis arbor non faciens fructum bonum, exciditur &c. Et hæc quidem omnia Chriſtus paucis verbis comprehendit, quando ſeruos miſſos fuiſſe dicit, qui à colonis fructum exigerent.

Miniſtrorum Eccleſiæ officiũ.

Non debet autem oſcitanter hæc particula conſiderari, qua Prophetas ſuos exactoribus cõfert. Ea enim omnes verbi adminiſtros ſui officij admonet: vt nimirum cogitent, non ſufficere, ſi obiter doceant, quid vnumquenque facere conueniat, ſed exactores eſſe debere, qui ius heri ſui ſedulò perſequantur, & (vt Paulus ait) tẽpeſtiuè et intẽpeſtiuè inſtent apud eos, quos malæ fidei debitores eſſe cernũt. Hoc olim Prophetæ fecerunt, et eorũ veſtigijs inceſſiſſe Apoſtolos ſcimus: et hoc illud eſt, quod miniſterium verbi mundo exoſum facit. Nam gratiæ Dei prædicationem omnes facilè ferunt, imò illam ſibi anunciari volunt. Vt primùm verò peccata ſua argui, ſeque ad vitæ emendationem excitari ſentiunt, aut etiam fortius vrgeri, mox quaſi furore perciti aduerſus ſtimulum calcitrant, & in fidos monitores hoſtiliter inſurgunt. At nihilominus officium facere oportet eos, qui ad illud ſe à Deo vocatos & miſſos eſſe vident. Obſeruabis præterea, quòd etſi vinea fructum ferre debeat, hic tamen à colonis exigitur, qui illum hero reddere debeãt. Eo enim admonemur, quòd omnium quidem ſit fidem ſuam vero Dei cultu, vitæ innocentia, morum probitate et fraternæ dilectionis officijs declarare: imprimis tamen in hoc incumbere debere eos, quos Eccleſiæ & populi ſui colonos Deus conſtituit, vt iſta fiant, & ipſe in omnium vita atque factis glorificetur. Iſtud ergo ad ſe pertinere meminerint omnes verbi adminiſtri, omnes item qui in Repub. præſunt, ne ſibiipſis pernicioſe imponant, dum aliorum facta & mores nihil ad ſe pertinere arbitrantur. Eſt hæc ferè cauſa multorum ſcelerum, & vix aliud eſt, quo pœnitentia publica magis impeditur, quàm quòd ij, qui rebus præſident, ſibi impunè fore arbitrantur, ſi ad aliorum vitia conniueant. Cur (inquiunt) ego meipſum diſcruciem propter huius aut iſtius petulanciam? cur labores & moleſtiam mihi accerſam propter infelicis populi improbitatem, in quo quiſque, prout libet, viuere iampridem cœpit? Egóne me omnium odijs exponam, vt eos in viam reducam, qui perire malunt? Sed audi tu quiſquis es. Nónne vinea Domini eſt populus, cui tu ſiue docendo, ſiue ius dicendo præſides? Nonne tu idem Domini colonus es? Id certè ſi negaueris, iam non dignus es, qui vel in Eccleſiæ miniſterio, vel in Repub. locum habeas. At ſi Domini colonus es, vtique ad te iſta cura pertinet, vt vinea iſta fructum dignum & multum ferat, & hunc de tuis manibus Deus requiret. Et hæc cauſa eſt, ob quam olim Prophetæ tanto ſtudio cum Regibus & principibus, adhæc cum ſacerdotibus & omnibus illis egerunt, qui authoritate & poteſtate in populo eminebant. Excitet ergo hoc omnes principes & Eccleſiarum paſtores, vt in ſui gregis mores atque ſtudia diligentius inquirant, & ſe rationem Deo reddituros eſſe meminerint, ſi diſciplinam collabi patiantur, ſi vinea Domini fruticet aut laſciuiat, ſi vuarum loco labruſcas ferat, ſi vitia impunè regnent, ſi denique Dei cultus & morum honeſtas intermoriatur. Similiter qui in vinea iſta vites referunt, ſinguli nimirum ex populo, patienter ferre diſcant fides colonos, quando hi ex officio iſtud omne faciunt. Tu enim quis es qui vel verbi præconem, vel magiſtratum opus ſibi à Deo mandatum facere prohibeas? Id certè nullo iure poteris, niſi te non ad vineam Domini pertinere, ſed ab eius populo alienum eſſe fatearis: vel etiam ex profeſſo colonos iſtos imitari velis, de quibus hîc igitur.

Sacerdotũ perfidia & rebellio.

Dicit de his Chriſtus, quòd ſeruos iſtos omnes cæſos ac vulneratos non ſine cõtumelia inanes dimiſerint, vel potius violẽtius eiecerint. Ad cuius loci expoſitionẽ faciũt, quæ habẽtur in fine Paralipomenῶν, vbi Babylonicæ captiuitatis cauſas Spiritus ſanctus exponẽs inter alia ſic ſcribit: Miſit Do-

2.Par.36 minus Deus patrũ eorũ ad eos manè ſurgẽdo, et nũtios ſuos mittẽdo (quoniã parcere cupiebat populo ſuo, atq; habitaculo ſuo) At illi ſubſãnabãt nũtios Dei, et cõtẽnebant verba eius, illudẽtes prophe-

1.Reg.19. tis eius, donec aſcenderet furor eius &c. Et Elias de ſui ſæculi corruptiſſimo ſtatu loquẽs de eo etiam queritur, quòd Prophetas Dei gladio occiderint. Etenim Iſaiam ſub Manaſſe ſerra diſſectum, Ieremiam & Zachariam lapidibus obrutos, Amos ab Amaſia filio fuſte occiſum, Michæã ex rupe præcipitatum,

præcipitatum, alios item ſupplicijs extinctos fuiſſe, Eccleſiaſtici ſcriptores prodiderunt. Fuit hæc extrema impietas, & quia præcipui ſemper cædium eiuſmodi authores fuerunt Sacerdotes, qui populum ad pietatem excolere debebant, meritò hos præ alijs Chriſtus reos agit.

Debes autem hîc obſeruari vniuerſalis mundi ingratitudo & ſcelerata contumacia, qua omnibus ſeculis in Dei ſeruos vſus eſt. Vt enim omnes homines Dei debitores ſunt: ita non poſſunt non propter innatam ſibi malitiam malæ fidei debitores eſſe, vt qui ſuis ſtudijs, vel etiam diabolo ea impendere malunt, quæ Deo reddere debebant. Fieri ergo non poteſt, quin eos oderint & extinctos velint, qui debita Dei nomine ab illis exigunt. Nec dubium eſt multa indigna tuliſſe ſanctos illos patres, qui ante diluuium iuſtitiæ præcones fuerunt, & cum mundi iamiam perituri contumacia colluctati ſunt. Quæ verò Abrahami, Iſaaci & Iacobi conditio fuerit inter Chananæos, ex vnius Lothi exemplo conijci poteſt, quem intra animum ſuum grauiter afflictum fuiſſe Petrus ſcribit, cùm impuros Sodomæorum mores quotidie intueri cogeretur. Nec melior Moſis ſors fuit, quem poſt infinita & incomparabilia beneficia, tot tamẽ atrocibus iniurijs atque contumelijs affecerunt Iſraelitæ, vt neſciam illorum ne ingratitudinem magis, aut eius patientiam admirari debeamus. Et ſi tempora Apoſtolorum & quæ hos ſecuta ſunt, conſideres, tam illos quàm omnes alios Dei ſeruos crudeliſſimis & indigniſſimis modis tractatos fuiſſe videbis, qui mundum veræ pietatis doctrina excolere ſtuduerunt. Pertinent huc Martyrum ferè omnium hiſtoriæ, quorum maior pars non alio nomine trucidati ſunt, quàm quòd Deo ſuũ ius inter homines vendicare conati ſunt. Et ſi vnuſquiſq; in ſeipſum deſcendat, mox diræ iſtius & ſanguinariæ impietatis ſemina in ſeipſo deprehendet. Natura enim admonitionum impatientes ſumus, & quàm primùm odio indulgere incipimus, mox indies longius progredimur, vt ab illo ad conuitia, ab his ad verbera & vulnera vſq; perueniamus. Prodeſt ergo hanc noſtri ingenij prauitatem obſeruauiſſe, vt nobiſipſis initio ſtatim frænum inijciamus, quo illa cohiberi poſſit, ne prorſus immedicabilis fiat.

Ingratitudo mundi.

At non minori diligentia ſeruorum iſtorum fortitudo atque obedientia conſiderari debet, qui quàmuis primò rem malè ceſſiſſe viderent, ſecundus tamen & tertius idem officium hero ſuo præſtare non detrectant. Fit quidem interdum, vt ſancti Dei ſerui initiò ſe difficiliores præbeant, quando cum mundi contumacia & periculis vndique imminentibus ſuam infirmitatem diligentius conferunt: at ijdem, quando Deum hos ita velle vident, ad omne obſequium ſeſe promptos & paratos offerunt. Exempla eius rei in Moſe, Iſaia, Ieremia & multis alijs videmus. Et hos quidem imitari prodeſt, ne vel nimiùm præcipites nos abſq; certa Dei vocatione in periculum non neceſſarium conijciamus, vel Deo nos vocanti pertinacius reluctando eius iram prouocemus, quæ nobis periculi maioris cauſa ſit: quod olim Ionæ accidit, quando legationem ad Niniuitas ſubire detrectabat. Nec eſt, quòd de mundi malitia aut pertinacia apud Deum multis conqueramur, aut eidem prolixius exponamus, quàm tenues & infirmæ nobis vires ſint. Nouit enim ille hæc omnia, & idem negotij totius exitum iam pridem proſpexit. Et quàmuis quid de nobis decreuerit ignoremus, eius tamen vocationi & mandato nos parêre neceſſe eſt: & vt id alacrius fiat, nunquam excidere nobis debet, illum viribus & facultatibus neceſſarijs eos inſtruere, quorum opera vti dignatur, & iiſdem mercedem in cœlis vberrimam eſſe repoſitam, ſi in commiſſo ſibi munere fideles fuerint.

Prophetarum fortitudo.

Cæterùm quia quæ hucuſq; dicta ſunt ad Sacerdotes qui olim fuerant, maximè pertinent, nunc ad eos propius accedit Dominus, quibus cum ipſi res erat, & quid ab illis paſſurus ſit docet. Vt verò eorum impiam atque deteſtabilem malitiam magis amplificet, aut illuſtriorem reddat, Deum de ipſis conſultantem inducit. Dixit igitur dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum, forſitan cùm hunc viderint, reuerebuntur. Vbi nemo putauerit, conſultationes eiuſmodi in Deum cadere: ſed ἀνθρωποπάθως iſta de illo dicit Dominus, vt æterni illius decreti cauſam exprimat apertius, quo ipſe nobis in redemptorem & ſeruatorem prædeſtinatus eſt. Et hanc quidem illius gratuitam miſericordiam fuiſſe oſtendit. Cùm enim iam ab æterno ſciret, quid euenturum eſſet Prophetis, adhæc incurabilem eſſe huius mundi malitiam, nihilominus tamen Filium mittere dignatus eſt, vt is non tam exactor quàm fideiuſſor veniret, & infelices homines ipſi reconciliaret. Eſt bonitas hæc Dei incomparabilis, & in conſideratione eius nos perpetuò verſari decet. Nam vt omnem meriti noſtri fiduciam excludit: ita in tentationibus conſolationem nobis affert efficaciſſi-

Filius Dei mittitur.

nam: & nos ſimul officij admonet, ne rigidiores ſimus in eos, qui nos iniurijs quidem noſtro iudicio grauibus læſerunt, minimè tamen conferendis cum illis, quibus olim Iudæorum antiſtites in illum peccauerunt, &c. Imprimis autem hanc Dei clementiam imitari debent ij, quos Eccleſiæ ſuæ colonos ille fecit, ne rigidiores ſint in condemnandis aut abijciendis illis de quibus adhuc aliqua ſpes eſſe poteſt, quòd à peccatis ad illum reuerſuri ſint. Si enim colonos perfidiſſimos olim tam diu tulit Deus, & hodie Pontificum iniuſtam tyrannidem tam patienter fert, licet illi quotidie eius iram prouocent: quantò magis decet ſeruum Dei, quem is ſuæ gratiæ præconem fecit, placidum eſſe erga omnes, qui malos quoque tolerare poſſit, & cum lenitate erudire, ſi fortè conuerſi Veritatem agnoſcant. Et cùm illis omnis poteſtas data ſit ad ædificationem, non autem ad deſtructionem, in nullius exitium temere debent conſentire. Vide ſecundam Timoth. ſecundo, & ſecundam Corinthiorum decimo.

Sacerdotes contra Dei Filium conſultant. Porro audiamus cum extrema impietate & crudelitate coniunctam colonorum iſtorum ingratitudinem. Nam viſo herili filio, ſermones inter ſe conferunt, dicentes: Iſte eſt hæres, venite, trucidemus eum, vt noſtra fiat hæreditas. Non temere autem conſultantes inducit Dominus, vt oſtendat Iudæorum Sacerdotes non ex ignorantia aut præcipiti ira peccaſſe, ſed deuotis ad impietatem animis & probè deliberato conſilio feciſſe, quæcunque in ipſum deſignarunt. Itaque in eum finem iſta dicuntur, vt inexcuſabiles eſſe doceat: quo imprimis facit, quòd filium viderunt, & hæredem vineæ legitimum eſſe confeſſi ſunt. Quod de illis veriſſimè dicitur. Quis enim neſcit, quàm ſæpe dictis & factis Chriſtus demonſtrauerit, ſe æternum Dei Filium & redemptorem illum eſſe, ad quem Eccleſiæ hæreditas pertineat? Quoties item eius demonſtrationibus conuicti obmutuerunt? Quoties populi vocibus in illo diuinam virtutem glorificantis conuicti ſunt? Veruntamen nihilominus aduerſus eum conſpirauerunt, & quotidie ferè Concilia coegerunt, in quibus de illo occidendo deliberarent. Hæreditatis autem nomine ipſam vineam, id eſt, Eccleſiam aut populum Dei intelligi, notius eſt, quàm vt multis demonſtrari oporteat. Ita enim paſſim Iudaica gens a-

Pſal. 2. pud Prophetas dicitur, & in Pſalmis Deus Pater Filio gentes omnes pollicetur, vt eius ſint hæreditas ſiue patrimonium. Atqui vnicum iſtud vocabulum Sacerdotes iſtos officij ſui admonere debuerat, ne quid mala fide agerent. Quid enim iniuſtius eſt, quàm hæreditatem alienam inuadere? Vulgo certè malè audiunt, hæredipetæ, qui apud ſenes & viduas aut quoſcunque alios muneribus & blanditijs ſeſe inſinuans, vt ab illis hæredes ſcribantur, præteritis ijs, ad quos hæreditas iure pertinet. Quam ergo ſceleris ſui excuſationē afferent, qui filiorum vitæ inſidias ſtruunt, vt hæreditas ad ipſos perueniat?

Cauſa rebellionis contra Deum. Voluit autem hoc loco docere Chriſtus, quæ illa cauſa ſit, quæ & Eccleſiæ paſtores & priuatos quoſque mouet, vt in ipſum ingrati, perfidi & iniqui fiant: Nimirum, quod ipſius hæreditatem ſibi vendicare, & pro ſua libidine res omnes inſtituere cupiunt. Apparet hoc euidentiſſimè in Iudæorum Sacerdotibus. Gentem enim illam ſuum peculium Deus fecerat, & in ea cultus ſui ſedem eſſe volebat, vt in illis glorificaretur. At conſtat Sacerdotes cultum omnem ſibiipſis quæſtum, & ipſum templum emporium feciſſe, adeoque ſibi in populum iſtum ius omne vendicauiſſe, vt ſibi quiduis in illum licere putarent. Hanc eorum improbitatem quia Chriſtus arguebat, & ſibi debitam hæreditatem iure optimo vindicabat, illi ad conſilia iſta non iniqua ſolùm, verumetiam ſanguinaria deſcenderunt. Videbant enim populum à Chriſto pendere, diſcipulorum eius numerum indies augeri, ſuam autem potentiam atque authoritatem collabi atque euerti. Et quàmuis poſtea nefarijs ſuis conſilijs ſalutem publicam prætexant, cauſam tamen veram, quæ ipſos mouebat, diſſimulare non poſſunt, ſicuti in illorum verbis apparet, quibus in Concilio ſuo vſi ſunt: Si ita

Ioan. 11. ſinamus eum, omnes credent ei, venientque Romani & auferent nobis terram & gentem. Hæc ergo illa Helena eſt, pro qua iſti pugnant: & hodie non alia cauſa Pontifices atque Epiſcopos, Monachos item & ſacrificulos in Euangelij odium accendit, quam quòd Eccleſiam in libertatem vindicari nolunt, & ſe ab eius poſſeſſione deturbari, quàm priuata temeritate occupauerunt. Et hîcquidem egregio ſtrategemate vſi ſunt. Ne enim res ſuas agere putarentur, Petrum ſuis conſilijs prætexuerunt, & patrimonium huius finxerunt eſſe Eccleſiam, eò quòd eum Apoſtolorum ſuorum principem Chriſtus conſtituerit. Quo fundamento iacto, ſucceſſionem quandam commenti

ſunt

ſunt, cuius iure hæreditac illa ad ipſos pertineat, qui in Petri cathedram euecti vniuerſales totius orbis Chriſtiani paſtorec ſint. Quàm inſatiabili verò auaritia in religione quæſtum fecerint, quàm intolerabili tyrannide populum Chriſtianum oppreſſerint, quot Dei ſeruos crudeliter iugularint, quanta item impudentia Reges ac principes conculcarint, omnium ferè gentium hiſtoriæ loquuntur. Et hi illi ſunt, qui noſtro ſeculo Chriſtum per Euangelij ſui doctrinam ipſic appropinquantem ferre non poſſunt, ne à malè vſurpata poſſeſſione deturbentur. Vt ergo olim Iudaorum Sacerdotes Chriſtum non modò perſecuti ſunt, verumetiam vt Samaricanum, vt dæmoniacum, vt nefarium impoſtorem & communione Eccleſiæ indignum eiecerunt, & propbani iudicis libidini tradiderunt: Ita iſti quoq; Chriſtum in Verbo ſuo loquentẽ omnibus hiſce criminibus impudentiſſimè grauant, & dignum iudicant, aduerſus quem Turcarum quoque arma concitent, vt ipſi tyrannidem ſuam retinere poßint. Et hæc hodie præcipua & vera omnium perſecutionum cauſa eſt, quibus vinea Chriſti vaſtatur, & ipſe in membris ſuis crudeliſſimè diſcerpitur. Vtinam verò in eo ſoli Pontifices peccarent, & non ab alijc multis adiuuarentur, qui cùm ipſi priuatim Chriſto conſecrati ſint, & eius peculium eſſe deberent, ſeipſos ab illo alienare ſolent, vt pro ſuorum affectuum libidine vitam inſtituant: quorum rabies eò magis quotidie accenditur, quòd Euangelio eiecto & extincto ſibijpſis impunitatem pollicentur, & ſe non alia ratione beatos fore ſibi perſuaſerunt, quàm ſi Chriſti iugum prorſus excutiant. At nõ debent iſtorum conatus atq; ſucceſſus aliquem offendere: quando enim olim impijs Sacertibus tantũ permiſit Deus, vt Filium ſuum extra vineam ſuam eiectum trucidarent, & ne in ſuo quidem patrimonio locum haberet, cui omnis poteſtac in cœlo & in terra debebatur: quid mirum fuerit, ſi hodie etiam Chriſtiani hominec excommunicationis fulmine feriantur, & Euangelij doctrina ab Eccleſia eijciatur? Meminerimus tunc, nos non debere nobiſipſis meliorem ſortem polliceri, quàm ipſius Chriſti in terris fueric.

Quàmuis autem videantur interdum ſuam tyrannidem probè ſtabiliuiſſe mali antiſtites, non Pœna perfidorum colonorũ.
tamen impunè ferunt ſuam malitiam: quod in præſenti Chriſtus apertè docet. Nam ad Sacerdotes conuerſus, vt ex ipſorum ore reſponſum eliciat, vel ſaltem conſcientiac eorum acutius feriat, quærit: Quid ergo faciet colonis iſtis dominus vineæ? Et mox infert: Veniet, & perdet eos, & dabit vineam alijc. Venturum dicit Dominum vineæ. Ergo non in perpetuum abeſt aut diſſimulat Deus, quæ improbi antiſtites aduerſus eum deſignant: neque poteſt cauſæ ſuæ deeſſe, qui iudex eſt vniuerſæ terræ, & qui Deus vltionum in Scripturis dicitur. Duo autem illis minatur, quòd & illos perditurus ſit, vt merentur: & vineam alijs elocaturus. Iſtis verò excidium gentis Iudaicæ, & eiuſdem repudium compræhendit, quodque in Iudæorum locum ſucceſſuræ ſint gentes, ad quas Regnum Dei transferri oporteat, ſicuti apud Matthæum ipſe interpretatur. Vtrumque olim Prophetæ etiam ſæpius minati fuerunt, & vtrumque accidiſſe ſcimus. Nam vt Cap. decimo nono dictum eſt, Romani poſt diuturnum ac crudele bellum vrbem cum templo exciderunt, & tunc prorſus perditi ſunt & extincti Sacerdotes impij, vnà cum ſuo ſacerdotio quæſtuoſo: quod iam annis amplius mille quingentis prorſus abolitum iacet, nec vnquam inſtaurari poterit. Et quàmuis gens quoque exciſa ſit, & Reipub. forma omnis ſublata, non tamen vinea Domini in vniuerſum vaſtata eſt: ſed (quod Prophetæ fore prædixerant) ex pauculis fidelium reliquijc illam inſtaurauit Deus, vt per totum orbem terrarum propagaretur, & inter gentec paſſim fructus colligerentur, qui Chriſtianam profeſſionem decent. Nunquam ergo Eccleſia extinguetur, etiamſi malè pereant, qui huius nomine & titulo aliquandiu ſuperbiuerunt. Qui enim ex lapidibus poteſt Abrahami filioc creare, idem vbiuis etiam locorum vineam plantare poteſt, & ex ijc qui ſteriles erant fæcundos reddere, qui ipſum dignè colant. Obſeruemus autem, Deum in Iudæorum populo & Sacerdotibus memorabile exemplum edidiſſe, quo omnium locorum atque temporum homines admonere voluit, quid Euangelij ſui contemptores maneat, qui eius doctrina vel ad quæſtum vel ad licentiam abutuntur. Et debemus nos in illius conſideratione eo diligentius verſari, quòd multis populis atque vrbibus idem iam accidiſſe conſtat, quod Iudæi olim paſſi ſunt: & non deſunt noſtri ſeculi exempla, quæ nos ad ſeriam ſalutis curam excitare poterant, niſi iampridem omnem mali ſenſum exuiſſemus: quod præſentis exitij eſt argumentum infallibile.

Sacerdotes admonitionem Chriſti reijciũt

Sed ad Sacerdotes redeamus, quos ſimilis ſtupiditas & cæca de perpetua impunitate perſuaſio decepit. Cùm enim hæc dicentem Chriſtum audiuiſſent, non ſolùm non excitantur ad ſalutis ſtudium & diligentiorẽ eorum, quæ dicebantur, conſiderationem: ſed admonitionem tam grauem ſamq; ſeriam non ſine deteſtatione reijciunt, quaſi nihil ad ſe pertinentem. Abſit, inquiunt: nimirum, vt tale quid in Filium Dei & promiſſum Seruatorem ſiue Meſſiam vnquam facturi ſimus. Eſt hoc innatæ nobis prauitatis argumentum, quod in hypocritis omnibus elucet. Norunt hi peccata & ſcelera pœnas mereri, & ijdem mox ſentiunt de ipſis agi, quando illa arguuntur. Eadem tamen in ſeipſis minimè agnoſcunt, multò minus autem adduci poſſunt, vt ſe ſupplicio dignos eſſe fateantur. Itaq; ſibijpſis quidem blandiuntur, & omnia anxiè colligunt, quibus conſcientiæ ſuæ ſtimulos retundant: in eos autem qui ipſorum impietatem arguunt, impudenter inſurgere audent, & grauiſſimis quoq; proteſtationibus crimen omne abs ſe reijcere. Exempla huius generis hodie multa videmus in ijs, qui cùm Euangelicæ doctrinæ & meriti Chriſti Ieſu acerrimi hoſtes ſint, nihil tamen minus videri volunt, & non modò deteſtationibus eiuſmodi vtuntur, verumetiam cum conuitijs & minis horrendis eos reijciunt, à quibus accuſantur. At non propterea illis cedere oportet, ſed eò fortius inſtare conuenit, & ad Dei tribunal tales citandi ſunt, vt tandem intra conſcientias conuincantur.

Chriſtus Sacerdotes ſcripturis conuincit.

Facit hoc in præſenti Chriſtus, qui Sacerdotes iſtos intuitus (quod animi intrepidi & optimè ſibi conſcij argumentum eſt) dixit eis: Quid illud eſt ergo quod ſcriptum eſt: Quem lapidem reprobauerunt ædificantes, is factus eſt caput anguli? Quaſi diceret: Audio quidem vobis indigniſſimum videri quod dico, & in vos tantum ſcelus cadere non poſſe arbitramini, vt Meſſiam occidatis. Num verò Dauidem quoque, imò per illius os loquentem Spiritum-ſanctum, mendacij arguere audebitis? Annon is fore prædixit, vt qui in Eccleſia ædificatores & primi architecti videri volunt, pretioſum illum lapidem reijciant, quem Deus in caput anguli deſtinauit, vt tota Eccleſiæ ſalus ipſi innitatur, & ab eo vno pendeat? Cùm ergo vos architecti haberi velitis, nihil me vobis alienum dicere putabitis, quin cauete potius, ne priuati quæſtus & gloriæ ſtudio excæcati faciatis, quod nunc tantopere deteſtamini. Extat autem locus iſte in Pſalmo centeſimo decimo octauo, quem de Meſſia exponi debere inter Iudæos publicè confeſſum erat, ſicuti ex acclamationibus populi patet, quibus Chriſtum aduentantem proſecuti ſunt, & quas ex illo deſumptas fuiſſe, tunc oſtendimus. Continet autem hic locus omnia ferè Chriſti & Eccleſiæ eius myſteria, ſed quia de his ſæpe dictum eſt, & de ijſdem amplius dicendi locus ſubinde occurrit, ea nunc copioſius tractare non eſt opus.

Non nouũ eſt, ſi antiſtites Chriſtum reijciunt.

Nunc id obſeruemus, cuius cauſa parabolam iſtam Dominus adduxit, & eandem huius teſtimonij authoritate confirmauit. Nam vt initiò monuimus, perſonatis illis præſulibus laruam detrahi oportebat, vt ſcandalũ illud è medio tolleretur, quo multi in fide impediebantur, quando Chriſtum videbant ab ijs reijci & damnari, penes quos Eccleſiæ poteſtas erat, & præcipua pietatis atq; doctrinæ exiſtimatio. Docet ergo hoc non nouum eſſe, quando id fore Spiritus ſanctus olim prædixerit. At non minus iſta ad nos pertinent, vt hanc Chriſti perpetuam in terris ſortem eſſe cogitemus, vt ab ijs potiſſimùm reijciatur, quorum erat omnes ſuper illum ædificare. Neque hic aliquem moueat functionis & dignitatis eccleſiaſticæ titulus, quem tales nefarijs ſuis conatibus prætexunt, vt ſe errare poſſe negent. Habebant enim & iſti quæcunq; ad authoritatem conciliandam faciunt, & in eo ſacerdotio miniſtrabant, quod à Deo ipſo olim per Moſem inſtitutum erat: attamen immani hoc parricidio Filij Dei ſeſe polluerunt, & indigni fuerunt, quorum exemplo aliquis moneretur. Cur ergo noſtrorum authoritate quis ducatur hodie, quos Iudæorum Sacerdotibus ſimillimos eſſe, res ipſa abunde docet? Quin potius conſolationis argumentum ex eo petamus, quòd vt Chriſtum improbi antiſtites reijciant, idem tamen æterno Patris decreto extollitur, vt Eccleſiæ ſuæ caput ſit, & ſupremus ille lapis angularis, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit in templum ſanctum Domino.

At ne quis hoſtibus eius hoc impune fore putaret, quòd tanta temeritate in ipſum inſurgunt, ijſdem pœnas graues denuntiat, dicens: Quiſquis ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, diſſipabit eum. Duo facit hominum genera, primum eorum,

qui ad

qui ad lapidem illum impingunt vel offendunt: alterum eorum, ſuper quos ille cadit: vtriſq; autem quod faciunt exitiale fore docet. Primi ſunt, qui in ſalutis negotio carnis ſuæ rationem ſequuntur. Hi offendunt ad Chriſti crucem & contemptam ſpeciem, quam in hoc mundo ſuſtinet. Exemplum horum in Nazarethanis & Capernaicis Euangeliſtæ proponunt, qui cùm aliud illi obijcere non Luc. 4.
poſſent, parentes & cognatos obſcuros exprobrant. Et habent iſti hodie multos imitatores, qui cùm Ioan. 6.
religionem quæſtu & huius ſeculi commodis aut ſplendore metiantur, non poſſunt non offendi, quando in Chriſto omnia ipſorum expectationi aduerſa ſiue contraria vident. Fit his ferè idem, quod ijs qui in angularem lapidem impingunt. Vt enim hunc impetu tali non mouent, ipſi verò conquaſſantur & caput lædunt: ita iſti Chriſto quidem nihil detrahere poſſunt, neque eum ex gradu ſuo deturbare, ſeipſos autem grauiter vulnerant quoad conſcientiam, & niſi reſipiſcant, ſibijpſis interitum accerſunt. Alteri ſunt, qui Chriſtum incurabili contumacia contra ſe prouocant, adeoq; illum quaſi ex alto in proprium caput detrahunt, vt in ipſos ruat, dum ſuæ iræ ac iuſti iudicij rigorem in illos exerit. Vt ergo lapis ex alto decidens maiori impetu fertur, & omnia diſſipat: ita iſti à Chriſto diſſipantur & toti comminuuntur quoad fortunas ſuas, corpus item & animam. Quod Iudæis primùm, deinde Romanis Imperatoribus ac multis alijs accidit, qui aduerſus Chriſtum & Eccleſiam eius inſurgere auſi fuerunt. Et huc pertinet, quod apud Danielem legitur de lapide, qui abſq; hominum Dan. 2.
manibus reuulſus ſtatuam contriuit, quæ Monarchias mundi huius adumbrabat. Nam vt aliàs oſtendimus, omnibus illis hæc vna exitij cauſa fuit, quòd Dei Eccleſiam, quæ Chriſti hæreditas eſt, extinguere aut vaſtare conati ſunt. Poteſt etiam huc referri, quod de lapide oneris Zacharias Zach. 12.
prædixit, quando Hieroſolymam ſaxo immani & graui ſimilem fore dicit, in quo tollendo robuſtiſſimi quique virium ſuarum periculum facturi ſint, at non ſine damno aut membrorum ſuorum laceratione. Exempla huius generis multa noſtro ſeculo vidimus, quæ recenſere longum foret. Nũc ſinguli meminerint, parabola iſta communem doctrinam de Eccleſia contineri. Eſt hæc vinea Domini, iam inde à prima rerum origine plantata. Vites in ea ſunt ſinguli fideles: coloni autem & vinitores dicuntur Verbi Dei adminiſtri. Poſſeſſio eius ad Filium Dei pertinet. Hunc ergo omnes obſeruent, vt fructus ei reddant dignos. Ita incredulis atq; perfidis colonis atq; vitibus ſterilibus paratum exitium effugient, cum ſuo autem Domino & Seruatore Ieſu Chriſto ad cæleſtis regni hæreditatem colligentur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXX.

Tunc ſtuduerunt principes Sacerdotum & Scribæ inijcere manus in eum eo ipſo momento: ſed timuerunt plebem. Cognouerunt enim eum aduerſus ipſos dixiſſe ſimilitudinem iſtam. Itaq; obſeruantes eum miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos eſſe ſimularent, vt carperent eius ſermonem ad tradendum eum imperio & poteſtati Præſidis. Et interrogauerunt eum dicentes: Magiſter, ſcimus te rectè dicere & docere, nec accipere perſonam: ſed viam Dei in veritate docere. Licet nobis cenſum dare Cæſari, annon? Animaduerſa autem eorum calliditate, dixit eis: Quid me tentatis? Oſtendite mihi denarium: cuius habet imaginẽ & inſcriptionem? Reſpondentes autem dixerunt, Cæſaris. Tunc dixit eis: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Itaq; non potuerunt verba eius carpere coram populo: & mirati ſuper eius reſponſo, ſiluerunt.

QVemadmodum Dominus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, cùm iam mortis hora inſtaret, Vide Marcum
totus in hoc fuit, vt hoſtium quoq; ſaluti conſuleret: ita iſti eo ipſo tempore indies deteriores Homil. 99.
facti, omnes ingenij ſui vires ad ipſum perdendum intenderunt. Voluit autem horum exemplo nos docere Spiritus ſanctus, quid nobis de omnibus illis debeamus polliceri, qui ſemel excuſſo Dei timore, ſuis affectibus & prauis deſiderijs indulgere cœperunt. Vt enim pij inter contentionum atq; per-

ſecutionum certamina maiores quotidie in pietate progreſſus faciunt: ita improbi homines & impoſtores in peius proficiunt, dum & alios ſeducunt, & ipſi à ſuis cupiditatibus ſeducuntur. Nec enim illis ſatis videtur, ſi verbis Veritatem oppugnent, ſed tandem rabie maiori accenſi, ſanguinaria conſilia ineunt de illis opprimendis, quos Chriſto ſuum ius vendicare & eius gloriam conſtantius tueri vident. Docuit hoc ipſe nuper in parabola de vinea & inſidis colonis: at quod verbis docuit, id nunc Sacerdotes & Scribæ proprio exemplo confirmant. Deſcribit enim Lucas, quid aduerſus illum tentauerint, & mox nouum congreſſum narrat, in quo cum crudelitate mirificam aſtutiam coniunxerunt. Continet autem hiſtoria hæc multa, quæ ad vitæ Chriſtianæ inſtitutionem & fidei noſtræ confirmationem faciunt, ideoq; digniſſima eſt, quam diligentius conſideremus.

Sacerdotes in propriam conſcientiam peccant.

Et de aduerſarijs quidem Chriſti hæc dicuntur: Tum ſtuduerunt principes Sacerdotũ & Scribæ inijcere manus in eum eo ipſo momento: ſed timuerunt plebem. Cognouerunt enim eum aduerſus ipſos dixiſſe ſimilitudinem iſtam. Quibus verbis malitiam eorum Euangeliſta ſic deſcribit, vt ſimul deuotum & incurabile Veritatis odium arguat, quo in proprium exitium abrepti ſunt. Si enim intellexerunt parabolam iſtam de ipſis dictam eſſe, vtiq; ſe quoq; colonos illos perfidos & crudeles eſſe, propriæ conſcientiæ teſtimonio conuicti ſunt. Num verò propterea emendantur? num cum Deo in gratiam redire cupiunt? Nihil minus. Imò è veſtigio cupiunt illi manus inijcere, & perdere eum, qui ipſos tam amicè & grauiter mouebat. Et hoc illud eſt, quod initiò diximus: homines improbos & impoſtores in peius proficere. Vt enim electorum corda peccatorum redargutione ſalubriter tanguntur, vt de pœnitentia feriò cogitent: ita impiorum conſcientiæ Verbo Dei vulnerantur quidem, ſed quia ijdem ſuum honorem & quiduis audendi licentiam gloriæ Dei præferunt, ex eo dolorẽ concipiunt, qui eos in rabiem accendit, vt lucem illam Verbi cum eius adminiſtris extinctã velint. Peccant ergo tales in propriam conſcientiam: & quia huius ſtimulis non mouentur, nihil adhiberi poteſt, quod eos poſſit in viam reducere. Exempla huius contumaciæ in Caino, Pharaone, Saule & multis alijs hiſtoria ſacra proponit: & huius generis multa hodie etiam cernimus.

Timent populum.

At hîc conſolationi noſtræ ſeruiat, quòd cùm penes Sacerdotes ſumma rerum in religione poteſtas eſſet, nõ audent tamen effectũ dare, quod maximè volunt. Et quid illis obſtat? Timẽt populum, quem Chriſto applaudere & de eo honorificè ſentire atq; loqui videbant. Hoc ipſum aliâs quoq; ipſis accidiſſe ſcimus: & ſolet Deus hoc præpoſtero metu hoſtes ſuos punire, vt qui eius metu ſiue reuerentia non tanguntur, eos timeant, à quibus ipſi debebant timeri. Eſt quidem communis hæc tyrannorum vox, Oderint dum metuant: ſed ſi animos eorum penitius intueri liceret, facilè videremus, non tam ſecuros eſſe quàm videri volunt. Quomodo enim ab aliorum metu poſſent liberi eſſe, qui efficere non poſſunt, quò minus ſeipſos metuant? Enimuero conſtat eiuſmodi homines frequenter furijs ac conſcientiæ ſtimulis agitatos, ſibijpſis terrores fingere, qui ſomni beneficio eos fraudant, & ipſam vitam iniucundam reddunt. Hoc vt omnes exciare debet ad cuſtodiendam vitæ innocentiam: ita eos imprimis, qui Rempub. adminiſtrant, ne turpi metu ſuccumbant ijs, qui ipſis timorem atque obedientiam legitimam debent.

Phariſæi cum Herodianis conſpirant.

Cæterùm etiamſi nunc metu territi manum abſtineant Sacerdotum principes, non tamen quieſcunt, quin noua cõſilia ineant, quibus ipſum irretire, & vt ſeditioſum præſidis Romani authoritate opprimere poſſint. Quem conatum Lucas ita deſcribit: Itaq; obſeruantes eum miſerunt inſidiatores, qui ſe iuſtos eſſe ſimularent, vt carperent eius ſermonem, ad tradendum eum imperio & poteſtati Præſidis. Inſidiatores iſtos ex Herodianis & Phariſæis, vel potius Phariſæorum diſcipulis fuiſſe, Matthæus & Marcus annotarunt. Erant vtriq; ad inſidias aptiſſimi. Phariſæi enim reliquis ſanctiores habebantur, Herodiani verò à religione Iudaica non prorſus alieni erant: ſed quàmuis cum Herode Romani Imperij maieſtatem reuererentur, populi tamen commodis & libertati fauere videbantur: & quod aulicis ferè proprium eſt, religionis profeſſionem cum ambitione & voluptatum ſtudijs miſcebant. Interim non dubium eſt Phariſæos illis infenſiſſimos fuiſſe, qui & mores aulicos oderant, & libertatis recuperandæ ſtudio præ alijs ardebant. Quàmuis ergo non parua eſſet inter duos iſtos hominum ordines diuerſitas, vterque tamen principibus Sacerdotum dignus viſus eſt, cuius opera aduerſus Chriſtum vterentur, & ipſis etiam in eo oppugnando facilè poteſt conuenire. Eſt hoc impijs proprium, quòd cùm in ijs, quæ ad huius vitæ vſum ſpectant, ipſis nunquam

inter ſe

inter ſe conueniat, ſed vel ambitione vel auaritia vel alijs cupiditatibus ſuperati rixas quotidie excitent, aduerſus Chriſtum tamen vnanimi conſenſu conſpirant: eò quòd huius doctrina omnibus ex æquo inuiſa & exoſa eſt. Sic inter Sadducæos & Phariſæos, diuerſiſſimarum ſectarum homines, non ſemel pacem, aut ſaltem inducias, fuiſſe legimus, vt Chriſtum coniunctis viribus aggrederentur. Quid? nonne milites ſanguinarios ſua amicitia dignos iudicarunt, quando his in illo capiendo opus erat, qui prius eum calumniari ſolebant, quòd cum publicanis familiarius verſaretur? Et quis hodie neſcit Monachos, qui mundo mortui videri volunt, non rarò cum impijſſimis militibus conſpirare, vt horum opera aduerſus germanos Chriſti cultores abutantur? Et poterant iſta ferri, niſi his turpiora noſtro tempore fierent: quando Chriſtianos principes non pudet cum Turcis inducias facere, vt in veritatis Euangelicæ ſectatores arma ſua conuertant: & vtinam non inuenirentur, qui inimicorum crucis auxilia aduerſus eos petunt, qui in huius ſolius merito omnem ſalutis fiduciam collocatam habent. Non debent autem iſta aliquem terrere. Omnibus enim iſtis per Iſaiam loquitur Eccleſia: Societatem inite ô populi, at inferiores eritis: auſcultate qui in remotis eſtis regionibus, accingamini, at inferiores eritis: inite conſilium, at fiet irritum: loquimini ſermonem, ſed non ſtabit: quoniam nobiſcum eſt Deus. Interim excitent nos impiorum conſpirationes, vt ipſi quoque animis conſentiamus, & in Chriſto Ieſu vnum atque idem loquamur. Hinc denique petamus argumentum, quo nos in eius fide confirmemus. Quia enim hæc omnibus impijs ex æquo inuiſa eſt, ipſam veram & ſolam ſanctam eſſe oportet. Iſa. 8.

Chriſto ueri doctoris partes tribuunt aduerſarij.

At non minori aſtu Herodiani illi & Phariſæorum diſcipuli rem agunt, quàm à principibus Sacerdotum ſubmiſſi fuerant. Nam mirificè dolum & inſidias ſuas tegunt, vt facilius reſponſum eliciant, ex quo ipſum accuſandi occaſionem venentur. Magiſter (inquiunt) ſcimus te rectè dicere & docere, nec accipere perſonam, ſed viam Dei in veritate docere. Tribuunt ei quæcunque à bono & fido doctore exiguntur. Debet is viam Dei monſtrare, id eſt, ea docere, quæ nos ad Deum deducunt, & nos illi acceptos faciunt. At ea non alibi quàm in ſacris literis inueniuntur. Ex his ergo 1.
doctrinam ſuam petere, non circa vanas & ambiguas hominum traditiones vagari debet, quibus fruſtra Deus colitur. Deinde vt rectè omnia tradat, videndum eſt. Sunt enim qui Dei verbum do- 2.
cent, ſed hoc ipſum non rectè ſecant, neq; cibum illum ſalutiferum ſuo tempore depromunt, vt doctrina homines ædificentur, & in via Dei dirigantur. Errant hîc qui linguis peregrinis apud vulgus vtuntur, qui item gratiam & miſericordiam Dei contumacibus & pœnitere neſcijs prædicant, quos minis terreri oportebat: aut è contra minis & ſeueritate nimia vtuntur erga eos, quorum afflictas conſcientias gratiæ doctrina debebant erigere. Itaque locorum & temporum diligenti obſeruatione opus erit doctori. Neque tamen iſta ſufficiet, niſi à ſeruili perſonarum reſpectu alienus ſit. Vt enim 3.
hic in iudicio aut foro omnia peruertit: ita ſi eundem miniſtri Eccleſiarū admittant, nihil in ſuo munere rectè facient: ſed alios quidem vt ſua cura indiguos negligent, alios verò indulgentius tractabunt, quos vel metuunt vel ſibi vtiles fore ſperant: multos etiam nimio rigore perdent, quos priuatas ob cauſas oderunt. Meminerint ergo ſe publicos totius Eccleſiæ miniſtros eſſe, in qua omnis loci ac ordinis homines continentur: de quibus omnibus olim ratio reddenda erit Chriſto, qui ſuum ſanguinem pro illis fudit. Sed quia hæc alterius loci ſunt, ad inſidiatores illos redeamus, qui iſta omnia Chriſto tribuunt, quia nihil homine maius de illo ſentiebant, ſed talem putabant, qui blanditijs & laudibus fucatis poſſet excæcari, vt inconſultius aut inconſideratius aliquid effutiret. Diſcunt iſtas artes veritatis hoſtes à ſuo magiſtro Satana, qui & primos parentes illis decepit, & ijſdem Chriſtum quoque aggredi auſus fuit in deſerto, vt ſuo loco vidimus. Imò in huius ſchola Iudas verſatus poſtea illum oſculo prodidit. Et debent exempla iſta obſeruari, vt cautiores ſimus, ſi quando blandius nobiſcum agunt ij, quos veritatis hoſtes eſſe ſatis conſtat. Interim hi quoque meminerint, ſe fruſtra ad artes iſtas confugere. Nam non ſolùm nihil proficiunt aduerſus Chriſtum, verumetiam ſeipſos impietatis extremæ damnant, cum inſidioſè tentando, quem magiſtri titulo dignantur, & omnibus fidi doctoris dotibus exornant. Accidit hoc ipſum multis hodie, qui dum nos perſequuntur, interim Apoſtolorum fidem & doctrinam magnificè prædicant, ex quorum libris nos noſtra proferimus. Tanta diuinæ iſtius lucis ac veritatis vis eſt, vt impij quoque ei ſuum teſtimonium non omnino poſſint negare.

Porrò quæſtionem ipſam audiamus: Licet ne (inquiunt) nobis cenſum dare Cæſari, annon?
Quæſtio de cenſu Cæſari dando. *Quæſtionis cardo atque ſumma in particula,* NOBIS, *verſatur. Nec enim tam iniquos aut tam*
impudentes fuiſſe putabimus, vt cenſum agendi & exigendi ius in quæſtionem vocauerint. Quid
enim Regibus debeatur, ex Moſe & Samuele iampridem didicerant. Et iam multis ſeculis mos ille
apud Romanos in vſu fuerat, vt ciues quoque in cenſum venirent. Nam T. Liuius de eo ſic ſcribit:
Cenſum primus omnium Seruius Tullus Rex inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio:
ex quo belli paciſque munia, non viritim vt ante, ſed pro poſſeßione pecuniarum ciues obirent. Nam
(vt hoc quoque propter rudiores annotemus) cenſus agi dicitur, quando & numerus ciuium puta-
tur, & ſingulorum facultates recenſentur, vt imponendi tributi ratio poßit iniri. Eſt ergo per ſe
æquißima hæc ratio, vt ad communis reipub. conſeruationem ſinguli conferant quantum per facul-
tates ipſorum licet. Quòd verò Romani Imperatores à Iudæis cenſum exigebant, id eis propter duas
1. *cauſas indignißimum & iniquißimum videbatur. Prima erat, quòd cùm Dei peculium & gens illa*
ſancta atque ſacerdotale regnum eſſent, nefas eſſe putabant prophanis principibus atque idololatris
2. *tributum dare. Altera, quòd cenſus iſte olim Deo conſecratus fuerat, vt inde ſumptus ſacrorum fie-*
Exod. 30. *rent & ea conſeruarentur, quæ ad Dei cultum pertinebant. Sic enim ad Moſem dicit Dominus: Cùm*
cenſum egeris ſecundùm capita filiorum Iſrael, iuxta cenſum eorum dabunt ſinguli expiationem ani
mæ ſuæ Domino, &c. Et paulò poſt: Hanc expiatorum pecuniam à filijs Iſrael acceptam, trades
in cultum tabernaculi conſtitutionis, vt ſit filijs Iſrael ad monumentum coram Domino, vt propitius
ſit animabus veſtris. Erat ergo Romanorum tyrannis cum ſacrilegio coniuncta, cùm Imperatores
ſibi ea vendicarent, quæ Deo debebantur: & ideo quærunt iſti, an ipſis liceat in eo illis obedire, quod
cum manifeſta cultus diuini contumelia mandabatur. Et ſcimus iugum hoc vulgo Iudæorum gra-
uißimum viſum fuiſſe. Qui enim non multò poſt ſeditionem mouerunt, quòd Pilatus theſaurum
templi in aquæductum inſumpſiſſet, ex quo aliqua ſaltem ad totum populum vtilitas redibat, procul
dubio iniquius tulerunt præcipuos redditus templi ab hominibus prophanis intercipi, & Romam
deferri, cuius authoritate idololatria in toto orbe terrarum defendebatur. Fuit ergo quæſtio iſta mul
tis modis inſidioſa. Nam ſi cenſum Cæſari negandum eſſe dicat, optatam ipſum accuſandi occaſio-
nem habebunt, vt qui ſeditioſa dogmata in populo ſpargat plus ſatis ad res nouas procliui. Quòd ſi
verò reddere iubeat, publicanis iniquiorem eſſe dicent, qui non modò Romanæ tyrannidis miniſtrum
ſeſe faciat, verumetiam Dei cultum remoretur, idololatriam verò gentium prophanarum tueatur.
Rurſum ſi omnino taceat, populi ſalutem negligere videbitur, & boni fidique doctoris exiſtimatio-
nem amittet, vt qui metu aut perſonarum reſpectu impeditus veritatem dicere non auſit. Tot la-
queos totque retia breuis hæc quæſtio abſcondita habet, quæ nemo alius effugere potuiſſet.

Studium cultus Dei præpoſterum. *At dum Chriſtum irretire conantur, non ſolùm nihil proficiunt, ſed ſuam ſimul ignorantiam*
& præpoſterum templi atque religionis ſtudium produnt. Promißiones enim de Meßia ſecundum
literam de regno terreno & libertate politica exponunt, quaſi per illum Romanæ tyrannidis iugum
frangi & auferri oporteat: nihil interim ſoliciti de liberatione ex peccatis & morte æterna, cui ho-
mines omnes ſunt obnoxij. Deinde templum & externum cultum defendendum eſſe putant, ne huic
debita pecunia in alios vſus conuertatur: interim illa humanis traditionibus & turpiſsima ſacrorum
omnium nundinatione prophanari paßi ſunt: imò Chriſtum ideo extinctum volunt, quòd is impias
illas ſordes & nocentißimas veri cultus peſtes eieciſſet. Similes ergo ſunt iſti Ioannæ Pontifici, qui
cùm annis ante Chriſtum natum trecentis ſexaginta quatuor fratrem germanum, quo cum ei de ſa-
cerdotio lis erat, in ipſo templo occidiſſet, Vagoſem Perſam impietatis accuſauit, quòd templum in-
greſſus inde abſtuliſſet ſpolia. Ita iſti pro cenſu templi cõtendunt, cùm illud iampridem in ſpeluncam
latronum conuertiſſent. Atqui defendi debebat templum, non quoad ædificium aut redditus ſiue
quamcunq; pecuniam, quæ huic debebatur: ſed quoad doctrinam & cultum, ne vel illa traditionibus
falſis inficeretur, vel hic in quæſtum ſuperſtitioſum degeneraret. Fuit ergo hæc non minus turpis
quàm exitialis ignorantia, vt infelix totius gentis exitium paulò poſt docuit. At hoc illud eſt,
quòd patribus quoque olim impoſuit: quòd nimirum promißiones Dei non rectè intelligerent. Cùm
enim Prophetæ vrbi & templo excidium minarentur, & populum propter peccata enormia in Ba-
bylonem abducendum eſſe prædicerent, à pleriſq; pro vanis & mendacibus habiti ſunt, qui promißio
nem illis

nem illis obijciebant: Hæc mea eſt requies in æternum: hîc habitabo, quoniam expetiui eam. Item: Pſalm.132.
Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque legiſlator de pedibus eius, donec veniat Schilo, & ad illum Gene.49.
gentes confluent. Iſtis verò promiſſionibus malè intellectis freti, prophetarum admonitiones con-
temnebant, quæ illis exitij cauſa fuit. Et hodie non pauci promiſſiones Euangelicas de carnis liber
tate exponunt, & quæ in his nobis offertur, gratiã Dei de huius ſeculi opibus, honoribus, pace & otio
interpretantur. Itaque nudam fidei profeſſionem ſufficere putant, & mendacij eos omnes accuſant,
qui propter ſcelera & ingratitudinem ipſis Dei iram atque pœnas denuntiant. Multi quoq; ſi quid
aduerſum patiuntur, ſe deceptos eſſe clamant ab Euangelij doctoribus, & cruce offenſi à fide, quam
profeſſi erant, turpiter reſiliunt. Nos ergo exemplis iſtis admoniti diſtinguere diſcamus inter man-
data Dei & inter promiſſiones. Et illa quidem ſemper ſeruari debent, ſed non eodem modo ab omni-
bus. Dei mandatum eſt, vt cultum eius tueamur. Id Reges & qui legitima poteſtate armati ſunt,
armis quoque (ſi ita neceſſitas iubeat) facere debent, vt ſtrenui ſint Eccleſiæ nutritij, quod olim
Dauidem, Ezechiam, Machabæos fratres, & poſtea Conſtantinum, Theodoſium & plures alios
feliciſſimè feciſſe legimus. Vt verò priuati homines aut Eccleſiarum miniſtri idem conentur nefas
eſt, niſi peculiaris vocatio accedat. Quoad verò promiſſiones Dei, aliæ ſunt de rebus ſpiritualibus,
vt de remiſſione peccatorum, reconciliatione per Chriſtum, vita æterna: aliæ verò de rebus tempo-
rarijs, quæ ad huius ſeculi vſum pertinent. Et illis quidem ſemper confidere & conſtanter inſiſtere
oportet: quia nunquam fallent: iſtis verò (vt Chriſtus Marci decimo capite admonet) crucis con-
ditio coniuncta eſt: quia benefacere quidem ſuis vult Deus, ſed ea conditione, vt peccata eorum
virgis paternis caſtiget, & carnis petulantiam aduerſis, ſeu fræno, coerceat. Si quid ergo eiuſmodi
accidit, patienter illud ferre, & ſimul Dei beneficium agnoſcere oportet, qui cùm totos perdere poſ-
ſet, virga virorum & verberibus filiorum hominum (vt Dauidi olim promiſit) erga nos vtitur. 2.Sam.7.
Quod ſi Iudæi obſeruauiſſent, nunquam de excutiendo Romanorum iugo aut redditum templi
defenſione temeraria cogitauiſſent, ſed in ſuis iſtis calamitatibus Dei bonitatem prædicauiſſent,
qui & patrias ſedes & templi vſum cum externi cultus & religionis libertate ipſis reliquerat, &
ea contenti patienter tuliſſent reliqua ſeruitutis incommoda, quæ ſuis ſceleribus atque ingratitudi-
ne meruerant.

Sed ad Chriſtum veniamus, quem aduerſariorum calliditatem animaduertiſſe & eandem ar- Chriſtus hoſtiū
guiſſe, Lucas ſcribit. Reſpondit enim: Quid me tentatis? Ita verò oſtendit, ſe nõ ignorare, quod ſub- cogitationes no
dolo animo interrogent, vt ipſum capiendi occaſionem inueniant. Eſt hoc euidens diuinitatis eius uit.
argumentum, cuius generis multa in hiſtoria Euangelica occurrunt. Debent ea nos conſolari, ne
cauſam fidei & religionis hoſtium aſtu atque inſidijs opprimi poſſe putemus. Quid enim illi vnquam
inſtituent aut molientur, quod Chriſtũ lateat, qui luce ſua in tenebras quoq; abſtruſiſſimas penetrat,
& cordium arcana ſcrutatur? Imò de eo veriſſimè dicitur, quod ſapientes in ipſorum aſtutia com-
prehendat. At ſimul huius nos meminiſſe oportet, ne noſtris cogitationibus ſiue conſilijs plus æquo Iob.5.
indulgeamus: quod plerunque faciunt, qui Deum iſta vel ignorare vel negligere ſibi perſuaſerunt.
Quoties ergo circa ea vagari mens incipit, quæ iniqua iniuſta & inhoneſta ſunt, ſimul in mentem
quoque veniat, ea non poſſe Deum latere, qui vbique præſens adeſt. Quò à facie tua fugiam? inquit Pſalm.139.
Dauid. Si dicam, Tenebræ me contegent: etiam nox ipſa lux eſt circa me. Et ne tenebræ quidem & 94.
aliquid tibi occultant, & nox vt dies lucet, tenebræque & lux tibi iuxta habentur. Item: Nouit Do
minus cogitationes hominum, quòd vanæ ſunt. Quibus adde, quòd eas Chriſtus videt & nouit, ad
cuius tribunal olim omnes nos ſiſti oportet.

At ſimul docet nos ſuo exemplo Dominus, vt cum apertis hoſtibus veritatis ſic agendum. No- Vt agendum cū
bis quidem impoſſibile eſt omnes eorum fraudes & quas intra animos ſuos verſant cogitationes hoſtibus ueritatis.
deprehendere: attamen cautos & prouidos eſſe oportet, ne aſtutiſſimis hominibus noſtra ſtupidi-
tate aliquid confidentius tentandi occaſionem præbeamus: & huc prudentia illa ſerpentina per-
tinet, quam Chriſtus in ſuis requirit. Interea Deum precemur, vt hic improborum hominum dolos
atque inſidioſa conſilia detegat, noſtris autem animis ea ſuggerat, quæ vtilia & neceſſaria ſunt
ad veritatis defenſionem. Quandocunque autem illorum improbitas nobis perſpecta eſt, liberè
& ſeriò illam arguamus, vt ſuos dolos nequaquam nos latere intelligant. Niſi enim id fiat,

latebrarum ſpes aut fiducia audentiores reddit, vt proteruius omnium capitibus inſultare conentur. Neque hîc perſonarum dignitati aut excellentiæ aliquid dandum eſt: quando omnem hominum authoritatem longè ſuperat veritas, quæ nobis quàm maximè commendata eſſe debet: quod Prophetæ olim & deinde Apoſtoli quoq; ſuo exemplo nos abunde docuerunt.

Proprij oris teſtimonio hoſtes conuincit.

Poſtquam verò aduerſariorum dolos atque inſidias Chriſtus arguit, ad quæſtionis propoſitæ ſolutionem accedit, & hanc ex illorum ore mirifica & planè diuina prudentia elicit, & laqueo, quem ipſi abſconderant, eos capit. Oſtendite (inquit) mihi denarium: cuius habet imaginem & inſcriptionem? Nam (vt alibi annotauimus) ex veteri & vſitato more Romani Imperatores numis ſua nomina atque imagines inſcribere ſolebant: & hodie adhuc denarij eiuſmodi multi viſuntur, ex rudéribus collecti aut terra effoßi. Reſpondent illi, Cæſaris imagine & inſcriptione ſignatum eſſe. Ex eo autem ille infert: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Quaſi diceret: Cùm Cæſareis numis aut moneta vtamini, ex eo conſtat, vos Cæſaris imperio eſſe ſubiectos. Huic ergo reddite, quæ Regibus aut magiſtratui ex iure debentur. Neque hîc importunam de priſtina veſtræ gentis dignitate aut Dei cultu ſiue religione quæſtionem moueritis. Non obſtat enim Cæſaris imperium ſiue iugum, quò minus animorum & conſcientiæ libertate fruamini, & quod Deo debetur obſequium ſimul præſtetis. Ita verò præpoſterum eorum zelum arguit, quo ſuum cenſum templo vindicare ſatagebant, quaſi pecunijs Deus delectetur, neque ſine his coli poßit, neglectis interim præſtantioribus illis officijs, ſine quibus pietas & verus Dei cultus conſiſtere non poſſunt. Etenim qui non vno loco ſacrificia & oblationes, quas ipſe per Moſem inſtituerat, reijcit, eò quòd circa has abſque fide occuparentur: multò minus pecunijs noſtris opus habet, quibus religionem potius euerti quàm augeri ſcimus. Conſtat enim omnibus ſeculis cultum Dei corruptum fuiſſe, vt primùm diuitijs aucti fuerunt illius myſtæ ſiue antiſtites.

Chriſtus non abolet politias.

Cæterum diligenti obſeruatione dignum eſt, quòd inter Deum & Cæſarem diſtinguens, vnicuique quod ſuum eſt, reddere iubet. Eo enim docemur, Chriſtum non abolere politias, neque obedientiam, quæ magiſtratibus debetur. Olim quidem Donatiſtis nefarium viſum fuit, Imperatores & prouinciarum præfectos in homines Chriſtianos imperium habere: & horum veſtigijs hodie Anabaptiſtæ inſiſtunt, qui ſimul impoßibile eſſe clamant, vt quis ſimul & Chriſtianus ſit & magiſtratum gerat. Sed alibi iſtorum non minus inſana quàm ſeditioſa dogmata confutauimus: & ſufficit illis conuincendis vnicum hoc Chriſti dictum, quo vt ſuum magiſtratui ius aſſerit: ita perſpicuè docet, etiam prophanis principibus, ſalua religione & Dei cultu, obedientiam præſtari poſſe in ijs, quæ ad ipſorum iuriſdictionem pertinent: Obſeruarunt hoc olim Prophetæ etiam, inter quos Ieremias Babylonijs Regibus Iudæos obedire iubet: imò hanc excidij vrbis atque templi, exilij item & ſer-

2 Par. 36. *uitutis cauſam fuiſſe oſtendit, quòd Zedechias cum vicinis regibus conſpiraſſet aduerſus Nabu-*

Ierem. 27. *chodonozorem cui cum iureiurando fidem atque obedientiam promiſerat. Et nota ſunt quæ Apoſtoli de ſubditorum fide atque obedientia erga ſuos magiſtratus tradiderunt. Paulus certè adeò noluit, vt quis in hac cauſa libertatem conſcientiæ prætexat, vt potius oſtendat obediendum eſſe principibus propter conſcientiam, eò quòd horum poteſtas à Deo inſtituta ſit. Et illi conſentiens, Petrus ait:*

1.Pet.2. *Subiecti eſtote cuiuis humanæ ordinationi (ita verò politias & Reipub. conſtitutiones vocat, non quòd ab hominibus originem ducant, ſed quod ad homines & ad vitæ humanæ vſum atque conſeruationem imprimis pertineant) propter Dominum, ſiue Regi, vt qui præſit: ſiue Præſidibus, vt qui per eum mittantur cùm ad vltionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium. Nihil ergo patrocinij merentur, ſed vt peſtes humani generis procul arcendi ſunt Rerumpub. turbatores, qui religione & doctrinæ Chriſtianæ prætextu ad licentiam ſcelerum & legum politicarum euerſionem abutuntur.*

Diſtinguendũ inter Deum & magiſtratum.

Interim ſingulis profuerit diſtinctionem hanc Dei & Cæſaris probè obſeruare, vt ita vtrique obedientiam præſtemus, ne functiones ſiue officia iſta confundamus, aut quod alterius eſt transferamus in alterum. Vt enim Iudæi in eo potißimum peccarunt, quòd quæ Cæſari debebatur, pecuniam Deo reddere voluerunt, neglectis ijs officijs, quæ hîc requirit: ita hodie turpis & exitialis illorum error eſt, qui quæ Dei ſunt, principibus tribuunt, dum horum arbitrio atque libidini ſubijciunt religionem atque doctrinam, & ſibi ab illis dicendi leges præſcribi patiuntur, adeóque illicitos cultus

illorum

illorum authoritate defendi & impunè exerceri poſſe ſibi perſuadent. Atqui nequaquam ita Chriſti Ieſu mens eſt, qui vt Cæſari demus iubet, quæ ad huius ius pertinent, Deo autem ſuum quoque in nobis ius ſaluum atque inuiolatum ſeruemus. Videant ergo diligenter ſinguli, quænam Cæſaris ſint, aut quæ magiſtratibus omnibus debeantur, officia. Primum inter ea eſt, vt debito honore & reuerentia eos proſequamur, vt qui Dei in terris legati ſint, & iudicia Dei enuntient, quo nomine Dij quoque dicuntur. Nihil ergo in eos inſolenter aut contumelioſè fiat. Nefas enim fuerit ijs honorem negare, quos Deus ſuo nomine exornare dignatus eſt. Neque hîc licentiam nobis venemur ex illorum vitijs, quæ interdum enormia & à ſua functione alieniſſima deſignant. Nam qualeſcunque illi ſint, Dei tamen ordo atque inſtitutum honore dignum eſt. Quod Dauid obſeruans in Saule tyranno, non minus crudeli & impio quàm iniuſto, Domini vnctionem agnouit. Debet autem honor ille non ab inuitis præſtari, ſed cum amore coniunctus eſſe, vt ex animo ijs faueamus, quos publicæ pacis cuſtodes Deus conſtituit, & pro ijſdem preces faciamus, atque eorum conatus quouis officij genere adiuuemus. Hoc olim Iudæis in Babylonem abductis Ieremias præcipiebat, & Paulus ad Timotheum ſcribens, iubet, vt preces & ſupplicationes publicas fieri curet pro Regibus & quibuſuis alijs, qui in eminentia conſtituti ſint: quos illo ſeculo omnes ethnicos & à veri Dei cognitione alieniſſimos fuiſſe conſtat. Veteres autem Chriſtianos in eo diligentiſſimos fuiſſe, Tertullianus ſcribit, & ex Eccleſiaſticis hiſtorijs multa eius generis exempla adduci poterant. Præterea honorem atque amorem iſtum obedientia teſtemur, ne quid contra leges ab ipſis promulgatas temere faciamus, niſi ea exigant, quæ Deo debentur, & quæ ſine ſacrilegio & impietate huic negari non poſſunt. Ad obedientiam cenſus tributa, vectigalia & alia huius generis pertinent, quæ Reipub. deberi ſupra oſtendimus. Nemo igitur in his perſoluendis dolo malo vtatur, nemo furtim quæ illis debentur intercipiat, nemo propter illa tumultuetur. Quis enim non vt Reipub. & communis patriæ hoſtem deteſtetur eum, qui publicam pecuniam ſuffurari vel auertere, aut propter ea tumultuari auſis, ſine quibus reſpub. adminiſtrari & ſeruari non poteſt?

Quid magiſtratui debeat populus

Ierem. 29.

1. Tim. 2.

At multa (inquis) iniuſtè & iniquè exigunt principes, vtque habeant quod ipſorum luxui & libidini ſufficiat, crudeliter eorum fortunas diripiunt, qui neceſſarijs vitæ alimentis deſtituuntur. Eſt hoc quidem noſtro ſeculo nimis vulgare, & ferè apud Reges in pretio ſunt, qui nouos exactionum modos & noua quotidie pecuniarum colligendarum aucupia excogitare nouerunt. Et debent hîc ſui officij illos admonere omnes, qui aut illis à conſilijs ſunt, aut ad quos ex iure regnorum cura veterumque priuilegiorum atque immunitatū conſeruatio pertinet? Nemini autem priuato propterea tumultuari aut ſeditionem publicam excitare licet: ſed meminerint, bonos principes & patriæ patres à Deo dari, ab eodem etiam excitari tyrannos, vt horum iniquitate & crudelitate puniantur, qui legibus bonis & verbo eius obedire nolunt. Ita Iſraelitis olim Reges in ira ſua illum dediſſe Hoſeas ſcribit, & notum eſt illud Solomonis: Propter præuaricationem eorum, qui terram incolunt, mutantur aut transferuntur imperia. Agnoſcant ergo miſeri illi manum Dei, & patienter ferant incommoda illa imperiorum, quæ ſua ingratitudine & contumacia ſibijpſis accerſiuerunt. Simul tamen meminerint rigidi illi exactores, non impunè ipſis fore crudelitatem iſtam. Audit enim populi ſui clamorem Deus, ſentit egentium & inopum gemitus, & tandem manum ſuam exerit, vt ad ſe conuerſos liberet, iniuſta verò tyrannorum imperia aboleat. Et conſtat hos ferè ſibijpſis malum ſtruere. Nam vt nihil aliud periculi oriatur, neceſſe eſt, vt exhauſtis omnibus populi atque ſubditorum fortunis, ipſi quoque tandem egeant, & poſteris regnum relinquant vacuum & viribus planè deſtitutum. Vidit hoc olim Traianus Imperator, qui immodicas exactiones deteſtatus fiſcum ſolebat lienem dicere, quia vt hoc creſcente alia membra contabeſcunt: ita dum principes fiſcum augere ſtudent, populum exhauriunt. At quæ noſtri ſeculi infelicitas eſt, infelices ſubditi paſſim deglubuntur, & ad extremam rediguntur egeſtatem, nihilo interim creſcentibus diuitijs principum, dum hi quæcunque corradunt, vel turpiter prodigunt, vel à ſuis viciſſim ſpoliantur.

De exactionibus iniquis.

Prouerb. 28.

Sed ad præſens argumentum reuerſi quid Deo debeatur, videamus. Debemus autem huic nos totos corpore & anima, eò quòd ab eo creati nihil habemus, quàm quod ex eius liberalitate accipimus. Multa tamen ille à nobis vult hominibus dari, qualia ſunt, quæ modò de magiſtratu diximus:

Quid Deo debeatur

& eodem pertinent quæ parentibus, heris, coniugibus, liberis, alijs denique quibuſcunque debentur officia. At quæ ille ſibi ſoli vendicat, præcipua ſunt, quæ ad eius cultum pertinent. In eo primæ partes ſunt doctrinæ, ſine qua ille non conſiſtit. Videndum ergo ne quæ alia admittatur, quam quæ ex Dei verbo deſumpta ſit. Scimus enim illum olim dixiſſe: Fruſtra me colunt docentes traditiones hominum. Ipſum ergo in ſuo verbo nobis loquentem audiamus, quo ante omnia fidem in ſe vnum requirit, clamans: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te redemi, Non habebis Deos alienos coram me. Fidei huius medium Filius traditur, qui nos illi reconciliauit, & qui ſolus inter eum & nos Mediator dici debet. Cum fide cultus coniunctus eſt, qui vt in ſpiritu & veritate conſiſtit, ita ab illo ſimulachra atque imagines longiſſimè remoueri oportet, quibus Dei maieſtas quàm maximè violatur, & quas hic paſſim damnat. Ad cultum confeſſio fidei pertinet, quam liberam, ingenuam & omnis doli expertem, denique ab omni ſimulatione aut diſſimulatione alienam eſſe oportet. Sub illa preces publicæ & nominis diuini inuocatio publica, adhæc iuſiurandum pertinet, quod in eius ſolius nomine concipi debet & præſtari: ſicuti Danielis & multorum ſanctiſſimorum Martyrum exempla docent. Imò fidei confeſſio ad totam vitam debet extendi, vt hæc tota Dei verbum & Chriſti Spiritum loquatur, & vt in viuentem hoſtiam noſipſos Deo conſecremus, neq; eorum vlla faciamus, quæ eius ſanctiſſimæ voluntati repugnant. Hæc & quæcunque alia ſunt huius generis, ita à nobis Deo reddi debent, vt nihil eorum omittamus in hominis cuiuſcunque gratiam, neque nos ab his officijs vel metu alicuius periculi, vel vllius commodi ſpe abduci patiamur. Vt primum enim Deus in partes venit, hic toti mundo & omnibus quæ in mundo magnifica & præclara habentur, præferri debet, eò quòd in illo ſumus, viuimus & mouemur, & ſine illo neque huius ſeculi vita, neque ſalus æterna nobis conſtare poteſt. Poterant hîc enumerari exempla Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum denique omnium, quos in hoc conſtantiſſimos fuiſſe ſcimus: ſed quia illa Scripturas & hiſtorias legentibus nunquam non occurrunt, ea breuiatis ſtudio omittimus. Diſcant autem illa cum hoc Chriſti dicto diligentius conferre Reges & principes, ne facile ijs iraſcantur, qui in externis quidem omnibus fidem atque obedientiam ipſis præſtant, in ijs autem quæ ad religionem & cultum pertinent, Deo fideles eſſe cupiunt, neque volunt ab eius verbo recedere. Putant aliqui Regum iſtud in ipſorum contumeliam fieri, & rem mali exempli eſſe, ſi cui libertatem iſtam concedant: At quantò maiori contumelia ſeipſos afficiunt, ſi aduerſus Deum inſurgant? quanto item grauiori periculo ſeſe inuoluunt, ſi cum illo bellum ſuſcipiant, aut ſaltem eum è regnorum ſuorum finibus eiectum velint? Aut num ſibi fidos vnquam fore arbitrabuntur, qui Deo fideles non ſunt? Quantò prudentius olim

Euſeb. de Vita Conſtant. lib. 1.

Conſtantius, Conſtantini Magni pater, ſuorum domeſticorum atque militum animos atque fidem erga ſe eo argumento explorauit, vt quales in Deum eſſent videret? Nam propoſita optione, vt aut dæmonibus ſiue Dijs ſacrificarent, aut honoribus atque ſtipendijs exuti ab ipſius conſpectu diſcederent, poſtea omnes eos ex ſui regni finibus eiecit, qui fidem ſuam alieno & idololatrico cultu abnegauerant. Nunquam enim Regi fideles fore dicebat eos, qui in ſummum illud æternumque numen ingrati fuiſſent. Sed quia hæc alterius loci ſunt, nunc obiter attigiſſe ſufficiat. Obſeruemus autem admirabilem & verè diuinam Chriſti Ieſu ſapientiam, qui tam breui dicto tanta cum perſpicuitate complexus eſt quæcunque de tota hominis vita, deque omnibus dici poſſunt, quæ vel hominibus vel Deo à nobis debentur.

Hoſtes Chriſti obmuteſcunt.

Agnouerunt hanc quàmuis inuiti, Herodiani illi & Phariſæi, qui ipſum tentare auſi fuerant. Nam addit Lucas: Itaque non potuerunt verba eius carpere coram populo: & mirati ſuper eius reſponſo, ſiluerunt. Magnum hoc eſt virtutis diuinæ argumentum, quod ne in verbis quidem aliquid inueniunt quod reprehendere poſſint, cùm nihil tam facile ſit, & tam vulgare, quàm aliorum dicta calumniari. Itaque verè impletur hîc illud Iſaiæ: Et non eſt inuentus dolus in ore eius. Quæ cauſa eſt, quòd inexpectati reſponſi admiratione ſuperati obmuteſcunt, qui ab eruditiſſimis & vaferrimis hominibus inſtructi in hanc diſputationis arenam deſcenderant. Et ſolet hic eſſe omnium conſiliorum exitus, quæ aduerſus Deum ineuntur: vt ſeipſos ſuis ſordibus polluant, qui in cælum expuere audent. Quanta autem fuit iſtorum hominum improbitas, qui nihilominus illum paulò poſt apud Pilatum accuſare non ſunt veriti, quòd tributum Cæſari dandum eſſe negaret? Nihil ergo à calumnijs impiorum tutum eſt: & ſcimus quàm multa olim Chriſtianis hominibus obiecta fuerint, &

quam

quam atrocibus criminibus grauentur hodie multi, qui pro Regibus ſuis animã & ſanguinem profundere parati ſunt. Sed aduerſus illa nos fidei conſtantia armari oportet, nec dubitemus fore tempus, quando & noſtram innocentiam Chriſtus Ieſus aſſeret, & calumniatores iſtos æterna ignominia mulctabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXX.

Accedentes autẽ quidam Sadducæorũ, qui negant eſſe reſurrectionem, interrogarunt eum, dicentes: Magiſter: Moſes ſcripſit nobis, Si cuius frater mortuus fuerit habens vxorẽ, & ſine liberis mortuus fuerit, vt eius frater accipiat vxorem illam, & excitet ſemen fratri ſuo. Septem ergo fratres fuerunt, quorũ primus accepta vxore mortuus eſt ſine liberis. Accepit igitur eam ſecũdus, qui & ipſe mortuus eſt ſine liberis. Deinde tertius accepit eam: itidem autẽ & illi ſeptem, nec reliquerũt liberos, & mortui ſunt. Poſt omnes autem mortua eſt & mulier. In reſurrectione ergo cuius eorũ erit vxor? Nam illi ſeptẽ habuerũt eam vxorẽ. Et reſpondens dixit eis Ieſus: Filij huius ſeculi ducũt vxores, & nuptũ dantur: qui autẽ digni habiti fuerint, qui illud æuum conſequantur, & reſurrectionẽ ex mortuis, neq; ducunt vxores, neq; nuptũ dantur: Nec enim mori poſſunt amplius: pares enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij reſurrectionis. Mortuos autem excitari etiam Moſes indicauit apud rubum, cùm dicit Dominũ Deum Abrahami, & Deũ Iſaaci, & Deum Iacobi. Nam Deus non eſt mortuorũ, ſed viuorum: Omnes enim ei viuunt. Reſpondentes autẽ ei quidã ex Scribis dixerunt: Magiſter, bene dixiſti: Nec amplius audebant eum quicquam interrogare.

QVoniam homo natura ad peccandum procliuis eſt, & peccatis oblectatur, eadem argui & corripi indigniſsimè fert, & ideò aduerſus Veritatis doctrinam pertinaciſsimè luctatur. Experti ſunt hanc ſui ſeculi hominum contumaciam Prophetæ: neq; meliores fuerunt ij, quibus cum Apoſtoli egerunt, cùm in toto orbe Euangelium prædicarent. Hodie autem in manifeſtiſsima luce Verbi Dei maior hominũ pars hoc vnũ agit, vt hoc aut violenter opprimat & extinguat, aut quacunq; ratione ei fidẽ deroget, vulgo contemptũ vel inuiſum reddat. Offendit hoc multos, qui doctrinam ex hominum authoritate æſtimant: quò minus autem pij quoq; offendantur, æternus Dei Filius, Ieſus Chriſtus, eandem cum alijs Dei ſeruis ſortem ſubire voluit. Nam à baptiſmo ſtatim in deſertum, quaſi in palæſtram quandam digreſſus, tentationibus Satanicis ſeſe obiecit, quas grauiſsimas ſuſtinuit. Inde verò toto eo tempore, quo docuit & doctrinam ſuam operibus miraculoſis confirmauit, nunquam non hoſtium inſidijs petitus eſt, qui aut vi aperta eum perdere, aut captioſis diſputationibus irretire ſtuduerunt: & quò propius ad mortis metam acceſſit, eò pertinacius certamina illa aduerſarij eius inſtaurauerunt. Sunt in horum narratione Euangeliſtæ admodum diligentes: quia non ſolum conſtantiæ & prudentiæ fidei exemplum in Chriſto exhibent, verumetiam in illis multæ quæſtiones ſoluuntur de rebus non minus neceſſarijs quàm vtilibus cognitu. Quod vt in ijs congreſſibus vidimus, qui huc uſque expoſiti ſunt: ita in iſto imprimis patebit, qui modò eſt recitatus. Hîc enim de præcipuo fidei noſtræ articulo diſputatur, Nimirum de mortuorum reſurrectione, ſine qua Siculis gerris vaniora erunt quæcunque de religione, de vitæ innocentia, de bonorum præmijs & & malorum pœnis dicuntur. Et illius certitudo aduerſus eos aſſeritur qui vt authoritate præſtabant in populo Dei, ita doctrinæ etiam & iuſtitiæ exiſtimationẽ præ alijs ſuſtinebant. Ne pigeat ergo nos hiſtoriam huius loci per ſingulas partes conſiderare.

Et primùm quidem aduerſarios Chriſti videamus, qui ab ijs, quos nuper vidimus planè diuerſi fuerunt. Nuper enim Phariſæorum diſcipuli aſſumptis in ſuas partes Herodianis quibuſdam de cenſu Cæſari ſoluendo quæſtionem mouerunt: hîc verò his turpiter cedentibus in arenam deſcendunt Sadducæi contra Chriſtum prodeunt.

quidam Sadducæorũ, qui à Phariſæis ita diſſidebant: vt non ſolùm ſimultates occultæ, verumetiam apertæ inimicitiæ & cõcertationes inter duos iſtos ordines ſiue ſectas intercederent. Sadducæi enim alteris illis deteriores reſurrectionẽ mortuorũ negabant, & cum hac animarũ quoq; immortalitatẽ, & quæcunque de ſpiritibus & Angelis tam bonis quàm malis dicuntur, reijciebant. Ex Scripturis quoq; ſacris ſolos Moſis libros agnoſcebãt, Prophetarũ autẽ ſcripta aſpernabantur. Interim iuſtitiæ ſtudium præ alijs multis ſimulabant, quam colendã eſſe dicebant non alicuius futuri præmij ſpe, aut pœnæ metu, ſed propter eam ipſam: quia per ſe & honeſta, & vtilis, & ad vitam bene feliciterq; tranſigendam neceſſaria ſit. Itaq; illos ferè ſequebantur opulentiſſimi quique, & quotquot mundo potius quàm Deo placere ſtudebant. Similes iſtorum ſunt hodie multi, qui vita quidem honeſtatem & iuſtitiam non omnino negligenter colunt, religionis autem ſenſu nullo ducuntur, ideoq; nos rident, qui animarum immortalitate & corporum reſurrectione gaudemus, & in futuræ æternæq; vitæ præmijs ſpem atque fiduciam collocamus. Fuit autem hæc teterrima facies rerum, quòd in ea gente, quæ Dei peculium eſſe debebat, & cui Legem cultumq; ſuum crediderat Deus, tales reperti ſunt, imò rerum gubernaculis adhibiti, qui ipſiſſima fidei atque pietatis fundamenta conuellebant. At digni erant tam exitialibus monſtris, qui Verbum Dei iampridem reiecerant, & ſeſe in ſectas ſcindi paſſi erant, cùm vnus Dei populus & vna Eccleſia eſſe deberent. Et nouiſſimis temporibus inter Chriſtiani nominis profeſſores idem factum eſſe conſtat, poſtquàm ſimplex Veritatis doctrina multis ſordere cœpit, vt alibi prolixius eſt demonſtratum.

Sadducæis tutò quiduis licuit, Chriſto Veritatem docere non licuit.

In præſenti autem portento ſimile videri poterat, Sadducæos Phariſæis quaſi ſuccenturiatos factos eſſe, & hos ferre poſſe, vt ipſorum doctrina tam ſcurrilibus atq; impijs commentis in Chriſto oppugnetur. Licuit ergo tunc inter Iudæos præcipua fidei & religionis capita, imò cœlum & inferos ipſumq; Deum negare (quid enim de Deo reliquum fiet, ſi neque ſpiritus ſunt aliqui, neque virtutis præmia ſperari, aut ſcelerum pœnæ timeri debent?) at Chriſto Ieſu germanum Legis diuinæ ſenſum exponere, verum externi cultus vſum monſtrare, & certam ſalutis rationem tradere non licuit. Admiratione digniſſima eſſet tam fœda iſtius populi corruptio & deteſtabilis licentia, niſi hodie idem multis in locis fieret. Gloriantur quidem pietatis zelo & gloriæ Dei ſtudio Pontifices, ſanctitatem ſingularem Monachi profitentur, ex mortuis & horum carcere purgatorio ſeu luſtrali igne quæſtum maximum faciunt Sacrificuli: at omnes iſti facilè ferre poſſunt homines blaſphemos, qui per Deum & ſacra omnia deierant, qui religionem omnem rident, qui poſtremum Chriſti aduentum, mortuorum reſurrectionem, vitam æternam ſcurrili dicacitate in dubium vocant, aut apertè negant: at iidem Euangelij præcones & auditores ferre nequeunt, qui in vno Chriſto ſperare ſe dicunt, & hunc vnum ſalutis humanæ Mediatorem agnoſcunt. Quid? nónne Iudæos ferri & apud principes aliquot in pretio haberi videmus, Chriſtianæ autem doctrinæ profeſſores eijci, adhæc ferro & igne excindi? Negent iſta qui poſſunt: & vtinam verè negari poſſent, & ego mendax potius eſſem, & non infelix hoc ſeculum tanti ſceleris reatu teneretur. Non eſt ergo, quòd deploratam Iudaici populi impietatem admiremur, in quorum oculis ſimilia exempla quotidie verſantur: quin potius excitemur ad ardens atque aſſiduum defendendæ Veritatis ſtudium, neque nobis ipſis inducias polliceamur, quando ex diuerſis caſtris in ſingulas horas erumpunt, qui Chriſtum in nobis extinctum volunt.

Sadducæi de reſurrectione quærunt.

Sed ad quæſtionem accedamus, quam Sadducæi iſti mouerunt. Moſes (inquiunt) ſcripſit nobis: Si cuius frater mortuus fuerit habens vxorem, & ſine liberis mortuus fuerit, vt eius frater accipiat vxorem illam, & excitet ſemen fratri ſuo: Septem ergo fratres fuerunt, quorum vnus accepta vxore mortuus eſt ſine liberis, &c. A Moſe exordiuntur, vt cauſam ſuã impietatis crimine liberent. De reſurrectione autem quæſtionem mouent, quia Chriſtum hanc aſſeruiſſe hactenus ſciebant, nunc autem ſperant eum odio Phariſaicæ ſectæ in ſuas partes tranſiturum, aut ſi id nolit, non habiturum quod reſpondeat, & ita certam ſibi de illo victoriam pollicentur. Proponunt autem caſum ex Lege, quæ Deut. 25. habetur, vt quis fratris abſq; liberis defuncti vxorem ducat, & ex ea fratri ſemen ſuſcitet, id eſt, liberos ex ea gignat, qui non ſuo, ſed fratris nomine cenſeantur, & eam quæ defuncto illi debebatur, hæreditatẽ obtineant. Fuerunt iſtius Legis cauſæ variæ in repub. Iſraelitica. Vnam & præcipuã Moſes ipſe indicat, vt defuncti illius nomen non deleatur ex Iſraele.

Faciebat

Lex de ducenda fratris uxore.

Faciebat ergo hoc ad conſeruandum familias, ne quæ abolerentur. Eſt enim vtiliſſimum in Republica familias veteres extare, ex quibus ad rerum gubernacula adhibeantur, quorum maiores aliquot ſeculis feliciter & cum laude regnarunt. Vt enim hi gentilitiam authoritatem ad rempublicam afferunt & maiorum virtute commendantur: ita conſtat, homines nouos plerunque malum dediſſe, quando aut imperium inſolentius geſſerunt, vt Marius fecit: aut nobilium odijs non ſine reipublicæ detrimento exagitati ſunt, quod Ciceroni accidiſſe conſtat. Non temere ergo Deus, qui Iſraeliticam rempublicam longo tempore ad Meſſiæ vſque aduentum durare voluit, leges dedit quæ ad familiarum veterum conſeruationem facerent. Deinde quia familiæ ſæpius egeſtate & inopia pereunt, ſimul prohibebat Lex iſta, ne hæreditates cõfunderẽtur. Videtur enim moris fuiſſe, vt vidua mariti abſque liberis defuncti bonis ſuccederet, & tale quid coniugij ius poſtulat, ne quæ vna cum marito caro fuit, hoc mortuo pro aliena cenſeatur, eáq; domo deturbetur, in qua paulò ante matrisfamiliâs nomen ſuſtinuit. Ne ergo viro alteri nubens hæreditatis partem in familiam alienam transferret, neceſſe fuit, vt defuncti mariti frater ſiue propinquus eam in vxorem duceret: & ea ratione tam viduæ quàm familiæ conſulebatur. Præterea fratrum diſſidijs Lex ea occurrebat, ne qui hæreditatis obtinendæ ſpe fratrem extinctum cuperet. Et quia in veteri illa Eccleſia atque politia ferè omnia typis ſublimium myſteriorum Regni Dei referta fuerunt, aliqui ex veteribus in iſto more figuram reſurrectionis obſeruarunt, de qua Iudæos Dominus admonere voluerit, quando defunctis ſemen excitare & eorundem nomina in Iſraele conſeruare iuſſit. Nec leue argumentum fuerit, ſi dicamus, fieri non poſſe, vt in Dei conſpectu toti pereant, & nunquam reſurrecturi moriantur, quorum nomina ne inter homines quidem delentur. Sunt qui alia etiam myſteria hîc eruerunt, ſed quia id argutè magis quàm ſolidè fecerunt, iſtas cauſas annotauiſſe ſufficiat. Certè non leuiculam fuiſſe huius inſtituti rationem, vel ex eo patet, quòd publica ignominia notatus fuit, qui fratri defuncto ſemen excitare detrectabat. Nam ad iudices citabatur, & illic mulier calceum ei detrahens ſimul in faciem eius expuebat: quo ritu docebatur dignum eſſe, qui poſſeſſione caderet & infamis eſſet perpetuò.

Sadducæorum ignorantia.

Cæterùm Sadducæi, qui nihil horum intelligebant, Lege iſta ad ſtruendum fallaciam abutuntur, & per eam putant mortuorum reſurrectionem deſtrui, quæ (vt modò diximus) eius typum non obſcurum continebat. Cauſa tanti erroris fuit, quòd (vt ex Chriſti reſponſione patebit) non diſtinguunt inter præſens hoc & futurum ſeculum, & eandem in futura vita rerum omnium faciem ſiue condicionem fore arbitrantur, quæ nunc eſt. Ex eo igitur colligunt, vt in reſurrectione vnicuiq; reſtituatur quod in terris hiſce agens habuit. Itaq; hoc errore præoccupati videre non poſſunt, quid de illis futurum ſit, qui vel vxores vel maritos plures habuerunt: & quia abſurditas multa hîc ſeſe offert, non aliud compendium breuius & expeditius, quo hæc omnis ſemel tollatur, vident, quàm vt reſurrectio in vniuerſum negetur. Et hæc cauſa eſt, quòd caſum iſtum de ſeptem fratribus tam prolixè exponunt: & quod iſti fecerunt, ex Legis authoritate factum eſſe oſtendunt, vt euincant, reſurrectionem fieri non poſſe, quin aut turpis confuſio fiat, multis vnam & eandem vxorem inter ſe communem habentibus, aut de iniuria ſibi facta conqueri poſſint reliqui, ſi ea vel primo marito, vel cuicunque alteri adiudicetur. Et hoc illud eſt, quod hodie multos decipit in tota Regni Dei conſideratione: quòd nimirum huius myſteria carnis ſenſu metiuntur, & eo modo illud adminiſtrari putant, qui in regnis huius mundi obſeruatur. Hinc Diuorum interceſſio ortum habuit, hinc purgatorij ignis luſtrationes prodierunt, hinc imaginum cultus manauit, & infinita alia, quæ Chriſtianam religionem turpiſſimè deformauerunt. Imprimis autem obſeruabis hoc loco, quàm veriſſimè dictum ſit: Dato vno inconueniente ſequitur aliud: imò multa ex vno ſequuntur, & errorum abſurdiſſimorum concatenatio mirifica texitur, quæ omnem religionis ſenſum in hominum cordibus abolet. Dum enim Sadducæi in futura vita nihil ſublimius terrenis hiſce ſtudijs agnoſcunt, eò deueniunt, vt illi mores turpiores tribuant, quàm quibus nunc viuitur. Et quia id abſurdum & dictu inhoneſtum eſſe vident, reſurrectionem prorſus negant. At quia hac negata, animarum quoque conditio in dubium vocatur, quas aut omni ſpe reſtitutionis deſtitutas temere vagari, aut æterno ſomno ſopiri oporteat: rurſus hunc quoque nodum vno ictu abrumpi poſſe putant, ſi illas vnà cum corpore mori dicant. Et quia obijci poterat: Quis ergo ſpirituum ſiue Angelorum vſus eſt, ſi

Dato uno inconueniente ſequitur aliud.

homines vitam in terris pecudum inſtar agunt, & tam anima quàm corpore intereunt? rurſus, vt quàm ocyſſimè ſeſe expediant, ſpiritus ſimul omnes negant: & ita prophanis gentibus deteriores fiunt, in quibus aliqua fuit vitæ futuræ cognitio. Nam qui in illis ſapientia claruerunt, ij genios hominibus adeſſe confeſſi ſunt, & defunctorum ſpiritus atque animas ad campos Elyſios aut alios locos lætiores colligi crediderunt, in quibus felicitate incredibili fruantur. Cicero certè dicere auſus fuit: Omnium animi immortales ſunt, ſed bonorum fortiumq́ diuini. Item in Oratione pro C. Rabirio: Bonorum virorum mentes mihi diuinæ atque æternæ videntur, & ex hominum vita ad Deorum religionem ſanctimoniamq́ demigrare. Et rurſus in Somnio Scipionis: Sic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Idem denique in libro de Senectute has voces Catoni tribuit: Ego veſtros patres P. Scipio, tuq́ C. Læli, viros clariſſimos mihiq́ amiciſſimos viuere arbitror, & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda. Item: O præclarum diem, cùm ad illud animorum concilium cœtumq́ proficiſcar, & cùm ex hac turba & colluuione diſcedam. Proficiſcar enim non ad eos ſolùm viros, de quibus ante dixi, ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior: cuius à me corpus crematum eſt: quod contra decuit, ab illo meum. Animus verò non me deſerens, ſed reſpectans, in ea profectò loca diſceſſit, quo mihi ipſe cernebat eſſe veniendum. Hæc & infinita alia huius generis apud ſcriptores prophanos inueniuntur, quorum ideò mentionem facimus, vt non ſolùm Sadducæorum, verumetiam noſtri ſeculi hominum impia ſtoliditas arguatur, qui abſurdiſſimis præiudicijs occupati, in peius ſubinde degenerant, neque ea poſſunt videre, quæ olim gentes non omnino ignorauerunt. Et debent horum exempla nos excitare, ne quid in diuinis myſterijs animo concipiamus, quod in ſacris literis nuſpiam traditur: ſed in axiomata fidei Chriſtianæ totis animis intenti, expendamus diligenter quæ de his Spiritus ſanctus olim tradidit: & mox certa, vera & perſpicua eſſe cernemus, quæ prius abſurda & impoſſibilia videbantur.

Lib. 2. de Legibus.

Admonet de hoc nos Chriſtus Dominus, qui Sadducæis reſpondens (vt Marcus annotauit) initiò ſtatim erroris ipſorum fontem recludens ait: Nónne propterea erratis, quòd neſciatis ſcripturas, neque potentiam Dei? Quia enim homo animalis non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, niſi in Scripturas reſpiciamus, in quibus ſuam voluntatem & Regni ſui myſteria ille nobis reuelat, non poterimus non nouis ſubinde errorum Labyrinthis intricari. Etenim dum in noſtras rationes intenti ſumus, Dei voluntatem ſimul & omnipotentiam non animaduertimus, quæ duo nos omni dubitatione & errore liberare poterant. Debent ergo duo iſta ſemper coniungi, vt primò quidem Dei voluntatem inquiramus, deinde illum omnipotentem eſſe cogitemus, qui quod vult ſimul effectum dare poſſit. Ita fiet, vt voluntatis diuinæ cognitio nos errare non ſinat, eiuſdem verò omnipotentia omnem ex animis dubitationem eximat. Vbi tamen cauendum fuerit, ne omnipotentiam ſolam reſpiciendo ijs fidem aſtruere conemur, de quibus nullum extat teſtimonium diuinæ voluntatis. In eo enim hodie turpiter hallucinantur, qui illo argumento omnipræſentiam corporis Chriſti aſſerunt, de quibus ſuo loco abunde diximus. Nunc ad præſens argumentum accedamus, in cuius tractatione Dominus duo agit.

Chriſtus erroris fontem aperit.

Primùm turpem & abſurdum aduerſariorum errorem confutat, ſic dicens: Filij huius ſeculi ducunt vxores & nuptum dantur: qui autem digni habiti fuerint, qui illud æuum conſequantur, & reſurrectionem ex mortuis, neque ducunt vxores neque nuptum dantur. Nec enim mori poſſunt amplius, pares enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, cùm ſint filij reſurrectionis. Filios huius ſeculi dicit non eo ſenſu, quo filijs lucis opponuntur, qui mundo addicti diuina & cœleſtia negligunt: ſed eos, qui in hoc ſeculo vitam degunt mortalem & varijs caſibus obnoxiam. Et his filios reſurrectionis opponit, qui olim incorruptibilitate donabuntur, vt amplius mori non poſſint, ſed vitam cum ipſo agent immortalē & æternam. Diſtinguit ergo inter præſens hoc & futurū ſeculum, inter vitam hanc præſentem & futuram, vt vanum & abſurdum commentum eſſe demonſtret, quod ipſi de reſuſcitatorum ſtatu ſiue conditione animo conceperant. Argumentum eſt huiuſmodi: In præſenti ſeculo nuptijs & generatione opus eſt, vt humanum genus conſeruetur, ne tandem totum deficiat, cùm omnes homines mortales ſint. At in futuro ſeculo & reſurrectione mortales eſſe deſinent (quia corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, & mortale hoc induet immortalitatem.) Ergo

Diſtinguitur inter præſens & futurum ſeculum.

nullus nuptijs ac generationi locus erit amplius, & proinde nulla etiam de vxoribus aut maritis lis eſſe poterit. Ad argumenti huius confirmationem facit diligentior deſcriptio conditionis, qua reſu- Condítio piorum, in reſurrectione.
ſcitati fruentur. Nam illos poſthac mori poſſe negat. Mors enim ipſa (vt Iſaias inquit) abolebi- Iſa. 25.
tur. Vt autem vitæ nomine Scriptura omnem hominis felicitatem comprehendit: ita mortis vocabulo totum illud malorum agmen intelligitur, quod per peccatum ingreſſum eſt, & infelices nos per mille rerum diſcrimina tandem ad mortem deducit. Ergo hæc ſimul omnia ceſſabunt, vt pijs neque fames aut ſitis, neque æſtus aut frigus, neque morbi, neque curæ edaces, neque exilium, neque vlla pericula metuenda ſint. Et hoc exemplo illuſtrat, dum nos Angelorum ſimiles fore dicit: non quidem quoad naturæ ſubſtantiam (hi enim ſpirituales eſſentiæ ſunt, nos autem anima & corpore conſtamus, neque in reſurrectione corpora ſuam naturam exuent, ſed gloria & immortalitate donabuntur, vt ante diximus) ſed quoad animarum affectiones, in quibus nihil erit, quod vel gaudium, quo tunc fruemur, turbare poßit, vel illicitas atque fœdas carnis huius peccatricis cupiditates ſpiret. Procul ergo faceſſant impuri Mahumetis deliria, qui vt Angelos olim mulieribus commixtos Nephilim genuiſſe fabulatur, qui diluuij authores fuerint: ita paradiſum fingit, in quo voluptatibus carnis indulgeant & omnibus delitijs abundent, qui ipſius leges obſeruauerint. Addit enim tertium Chriſtus, nos Dei filios fore. Etſi enim iam nunc tales ſimus & adoptionis ſpiritu excitati Deum Patrem noſtrum inuocemus, nondum tamen hæc noſtra dignitas omnibus conſpicua eſt: at cùm æternus ille Dei Filius apparuerit (vt Ioannes inquit) tunc toti mundo patebit 1. Ioan. 3.
qui ſimus: & ei ſimiles erimus, eumque videbimus ſicuti eſt. Id verò omnem beatitudinis & felicitatis veræ ſummam comprehendit: Si enim filij Dei erimus, vtique fratres Chriſti & eiuſdem cohæredes quoque erimus, ſicuti Paulus rectißimè colligit. Poterant hæc infinitis alijs promißionibus & ſcri- Rom 8.
pturæ teſtimonijs confirmari: ſed quia Scripturas legentibus ſemper obuia ſunt, & ſæpißimè de illis dicendi locus occurrit, non opus fuerit eorum commemorationi diutius inſiſtere. Nunc vſum iſtorum omnium obſeruemus, qui duplex eſt. Primò conſolationi ſeruiunt in omni aduerſorum genere, ne vllis periculis aut calamitatibus ſuccumbamus, quibus tantæ felicitatis ſpes certa facta eſt ab eo, qui fallere neſcit. Deinde aduerſus mundi huius illecebras nos cõfirment, & in officio contineant, ne illis decepti à via præceptorum Dei exorbitemus. Diſcamus ergo (quod hîc Chriſtus facit) inter præſens hoc & futurum ſeculum diſtinguere: & cogitemus ſimul, nos ad hoc conditos eſſe, in terris autem hiſce peregrinos agere: Itaque mundo hoc vtamur, quoad Deo viſum fuerit, eodem verò non abutamur. Denique cùm huius ſeculi vita breuis, fluxa & momentanea, venturi autem æterna & nulli corruptioni obnoxia ſit, procul relictis huius vitæ curis atque voluptatibus, ad æternam illam contendamus. Quid enim ijs accidere ſoleat, qui mundi delitijs immerſi bona cœleſtia negligũt, in diuitis epulonis & Lazari mendici hiſtoria didicimus.

Alterum tractationis huius Caput eſt, reſurrectionis olim futuræ demonſtratio, quam his ver- Reſurrectionẽ fore demõſtrat.
bis Chriſtus comprehendit. Mortuos autẽ excitari etiam Moſes indicauit apud rubum, cùm dicit: Dominum Deum Abrahami, Deum Iſaaci & Deum Iacobi. Nam Deus non eſt mortuorum, ſed viuorum: Omnes enim ei viuunt. Poterat infinita alia, & hoc multò clariora Scripturæ teſtimonia producere, ſed Moſis authoritate pugnat, quia huius ſolius ſcripta Sadducæi agnoſcebant, vt initiò diximus. Proderat etiam huius loci cõſideratio ad hoc, vt oſtenderet atrocem patribus priſcis iniuriam fieri, ſi reſurrectio negetur, ſimulque conſolationes præcipuas Scripturæ eneruari. Harum enim omnium fundamentum in fœdere illo conſiſtit, quod cum Abrahamo initum Deus cum eius filijs Iſaaco & Iacobo inſtaurauit. Si ergo iſti perierunt, quibus fœderis gratia primis oblata eſt, & quorum fides atque pietas tantopere Deo placuit, vt eorum Deum ſe dicere dignetur: quid obſecro ſperare poſſunt poſteri, qui illis nullo modo conferri merentur? Argumentum euidentiæ & perſpicuitatis cauſa ſic formari poterit: Deus eſt Deus viuorum, Deus eſt Deus Abrahami & Iſaaci & Iacobi: Ergo Abrahamus & Iſaacus & Iacobus viuunt. Argumenti vis in eo conſiſtit, vt ſciamus quid ſit alicuius Deum eſſe, quam locutionem in ſcripturis frequentem eſſe conſtat. In Lege dicitur: Ego ſum Dominus Deus tuus. Et apud Ieremiam: Ero Deus eorum, ipſique erunt mihi populus, id eſt, Ego eorum protector & defenſor ero, ipſi verò me eum agnoſcent, & mihi obtemperabunt. Deus ergo hic relatiuè dicitur reſpectu eorum, quorum Deus eſt: quo ſenſu veteres quoque

hominem homini Deum eſſe dixerunt. Vt ergo nemo herus eſſe poteſt eorum, qui nulli ſunt: ita neque Deus illorum Deus eſſe poterit, qui in rerum natura eſſe deſierunt. Atqui Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi ſe eſſe profitetur: Ergo hi ipſi quàmuis mortui ſint, viuunt tamen: eò quòd animæ illorum in ſedes beatæ immortalitatis receptæ vita cœleſti iam fruuntur, corpora autem in ſpe futuræ reſurrectionis quieſcunt. Eſtq; argumentum hoc multò firmius, quàm primo aſpectu eſſe videatur. Ita enim inter ſe fœderis æterni vinculo Deus & homines connectuntur, vt ille Deus noſter eſſe deſinat, adeoq; nullus ſit, niſi mortuorum reſurrectio nobis certa & ſalua maneat. Nec eſt quòd eos audiamus, qui ſufficere putant, ſi animarum immortalitas ſtatuatur. Nam vt Abrahamo toti, quando is corpore & anima conſtabat, dicebatur, Ego ſum Deus tuus omniſufficiens: ita etiam dictum hoc, quo Moſem conſolatus eſt poſtea, ad totum Abrahamum debet extendi. Et iniquus nec ſatis bonæ fidei protector diceretur Deus, ſi dimidiam hominis partem perire fineret: & quidem eam, quæ in hoc ſeculo laboribus & ærumnis quàm maximè eſt obnoxia.

Certitudo ſalutis noſtræ.

Seruit autem hic locus multùm ad aſſerendam noſtræ ſalutis certitudinem, ne eorum cauillis ſeducamur, qui de illa ex carnis ſenſu iudicium faciunt. Hi enim quia Deum non aliter nobis propitium eſſe agnoſcunt, quàm ſi votis noſtris omnibus annuat: ita in morte hominem totum perire & omnem reſtitutionis ſpem ſimul extingui arbitrantur. At longè aliter nos iudicare docet Dei Filius, qui vt Abrahamum, Iſaacum & Iacobum Deo viuere dicit, qui ante annos plus mille ſeptingentos mortem obierant: ita in Euangelio pollicetur, eos qui Verbum eius audiunt, & ſecun-
Ioan. 5. & 11. dùm huius doctrinam credunt, à morte in vitam tranſire. Et idem Marthæ dicebat: Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Quò Paulus reſpiciens, perinde ac ſi totam rerum naturam deuicerimus, clamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Nã mihi perſuaſum habeo, quòd neq; MORS neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Ieſu Chriſto, Domino noſtro. Sunt hæc ſemper nobis meditanda, ne vllis aduerſis terreamur, ſed in ipſo etiam mortis articulo ſpem in Chriſto habeamus inconcuſſam. Nam vbi mundo viuere deſierimus, in vitæ huius mortalis locum ſuccedet cœleſtis & æterna, cuius felicitas omnem intellectum ſuperat.

Effectus diſputationis.

Porrò audiamus huius quoque certaminis ſiue congreſſus euentum. Matthæus populum doctrina Chriſti perculſum fuiſſe ſcribit. Magnam ergo oportuit tunc fuiſſe Scripturarum ignorantiam, quando tantæ admirationi fuit tam certa eius articuli aſſertio ſiue defenſio, de quo nemo pius vnquam dubitauit. Et hinc apparet, Phariſæos hucuſque aduerſus Sadducæorum ſophiſmata nihil ſolidum afferre potuiſſe, Lucas verò addit, aliquot ex Scribis Veritati teſtimonium perhibuiſſe, dicentes: Magiſter, bene dixiſti. Voluiſſent quidem illi Chriſtum obmutuiſſe, vt populo contemptui fieri cœpiſſet: ſed tanta Veritatis lux eſt, vt reluctantium quoque animos penetret, & inuitis teſtimonium extorqueat. Accedit ad gloriam Chriſti, quòd nemo aduerſariorum eum porrò interrogare audet. Quia enim toti ambitione ardebant, nec quicquam priuata gloria habebant antiquius, metuunt ne toties repulſi, omnium ludibrijs exponantur, aut ſuo ſilentio authoritatem & doctrinam Chriſti confirment. Quod autem tunc factum fuit, hodie non rarò fieri videmus, vt ſimplici Euangelij doctrina eorum ora obturentur, qui in mundo doctiſſimi & potentiſſimi habentur. Eſt enim inuictum Veritatis robur, eoq; magis emergit, quò pluribus telis oppugnatur. Non pudeat ergo nos illi teſtimonium ferre, fortes autem ſimus in Chriſto Ieſu, qui neque nobis neque cauſæ ſuæ vnquam deerit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXXII.

Dixit autem eis: Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe Dauidis, & ipſe Dauid dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, vſquedum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorum? Dauid ergo Dominũ eum vocat, & quomodo filius eius eſt? Audiente verò toto populo, dixit diſcipulis ſuis: Cauete à Scribis, qui

volunt ambulare ſtolati, & amant ſalutationes in foris, ac primos conſeſſus in conuentibus, & primos accubitus in cœnis. Qui deuorant domus viduarum, & in ſpeciem precibus longis vtuntur: Iſti auferent grauius iudicium.

Vide Marcum homil. 103. & 104.

POſtquam Lucas inſidioſos aliquot Sacerdotum atque Scribarũ cum Ieſu Chriſto congreſſus deſcripſit, in quibus apparet, quibus artibus & dolis impij antiſtites & quotquot horum partes ſequuntur, aduerſus veritatis doctrinam pugnent: ſubijcit cõmodiſſimè hoc loco, vt idẽ toties prouocatus et toties victor, tandẽ ipſos quoque prouocauerit: non quidem animo malitioſo & vindictæ cupido, ſed amico & beneuolo: neque aliam ob cauſam, quàm vt eos in vera Meſſiæ cognitione inſtitueret, cuius ignorantia ipſis omnium errorum ſimul atque omnis audaciæ contra veritatis doctrinam cauſa erat. Quia verò illos incurabili contumacia aduerſus veritatẽ luctari, & ne conuictos quidẽ cedere ſenſit, plenis velis, quod aiunt, in illos inuehitur, & ad ſuos conuerſus eos monet, vt ab eis ſibi caueant, qui ſub ſpecioſo paſtorum titulo vulpes & lupos agant, atque cum gregis totius periculo ſuam gloriam atque quæſtum tueantur. Eſt ergo loci huius conſideratio vtiliſſima: quia in vera Chriſti cognitione nos inſtituit, & ſimul docet qua ratione cum illis agere debeamus, qui non contenti propria impietate alios quoque impediunt, ne ſalutem conſequantur.

Occaſio præſentis tractationis.

Vt verò rem omnem rectius intelligamus, cauſa huius diſputationis et totum Chriſti inſtitutũ aliquanto diligentius conſiderandum erit. Occaſionem ſiue cauſam ei dedit communis Iudæorum error, cuius primarij authores erant Scribæ et Sacerdotes, qui populũ conſultò in ignorantiæ tenebris detinebant. Nam etiamſi promiſſiones de Meſſia in omniũ ore eſſent, à paucis tamen rectè intelligebantur. Sciebant quidẽ ex Dauidis ſtirpe naſciturũ vindicem illum, qui populum in libertatẽ aſſerere & Regnum illud optatum inſtaurare deberet. Vt verò regnum terrenum ſomniabant, ita Meſſiam hominem nudum fore arbitrabantur, neque aliquam habebant diuinæ illius virtutis, aut potius diuinitatis eius æternæ notitiam, qua illum inſtructum eſſe oportuit. Quæ cauſa erat, quòd non in opera Chriſti, luculenta diuinæ naturæ teſtimonia, intenti eſſent, ſed regij ſplendoris maieſtatem requirerent, & proinde illum non poſſent pro Meſſia agnoſcere, in quo nihil illius ſimile videbant. Quia ergo iam mortem aditurus erat, ex qua ſcandalum ingens ſciebat naſciturum eſſe, errori illi opportunum remedium adhibere, & ſimul omnium noſtrûm fidem fulcire voluit.

Diaboli aſtutia in decipiendis hominibus.

Eſt autem probè obſeruanda diaboli in decipiendis hominibus aſtutia, aduerſus quam verbi adminiſtros aſſiduè vigilare & illius impoſturas arguere oportet. Non potuit ille omnem Meſſiæ notitiam ex Iudæorum animis delere, multò minus efficere, vt ſpem aduentus eius abijcerent, quam ex patribus quaſi iure hæreditario acceperant, & quæ promiſſionibus ampliſſimis confirmabatur. Vt ergo ſalutem ipſorum impediret, fictitium Meſſiam illis obtruſit, qui armis & militibus inſtructus Romanos ex Iudæa eijceret, & regnum ſibi pararet victorijs & opibus illuſtre, quale olim ſub Dauide ac Solomone habuerant. Non enim ignorat aſtutus ille, homines diuina & cæleſtia facilè negligere, ſi huius ſæculi ſplẽdor ipſis obijciatur. Similis aſtutia fuit, quòd multis perſuaſit, Chriſtũ vel Ioannẽ Baptiſtam, vel Ieremiam, vel quencunque alium ex veterum Prophetarũ numero eſſe. Nam quiduis ferre poteſt, modò illũ æternum Dei Filiũ & æternæ ſalutis Mediatorẽ eſſe non credamus. Poſteris ergo tẽporibus inter Chriſtianos quoq; hæreticos excitauit, quorũ alij illius diuinitatẽ, alij humanitatẽ negarunt: vt veram eius cognitionem obliteraret. Et hodie huius generis multa fiunt, quibus vera Chriſti & ſalutis æternæ notitia impeditur. Et vt olim Iudæis impoſuit, quòd in ſolum Dauidem intenti, ex cuius ſtirpe Meſſiam naſciturũ eſſe Prophetæ prædixerãt, interim alios locos neglexerũt, qui de eiuſdẽ diuina natura apertè teſtantur, et Regni eius conditionem egregiè deſcribunt: ita hodie in religione plurimorũ atq; maximorũ errorũ cauſa eſt quòd in cõtrouerſis articulis nõ ſingulæ partes et quæcũq; de illis Scriptura tradit inſpiciũtur, ſed aliquos ſolùm locos homines contentioſi mordicus arripiũt et vrgẽt, reiectis et exploſis alijs, qui illos plenius inſtituere poterant. Sic Anabaptiſtæ de Baptiſmo verba facturi, ea modò proferunt, quæ ad fidei profeſſionem, carnis mortificationem, regenerationẽ et alia huius generis myſteria pertinent, quæ non niſi in adultis poſſunt locum habere: at Dei gratiã, qui fœderis ſui effectum atque fructum ad infantes vſque extẽdit,

non agnoſcunt, nec aliquam eius faciunt mentionem. Sic in Iuſtificationis articulo eos modò ſcriptura locos nonnulli corradunt, in quibus bona opera nobis commendantur, & iiſdem præmiũ æternæ ſalutis promittitur: illos autem quaſi clauſis oculis & ſurdis auribus prætereunt, qui noſtræ naturæ vitioſitatem, gratuitam Dei miſericordiam, fidem denique in Chriſtum proponunt, quæ vnica bonorũ operum cauſa atque origo eſt. Iſtis ergo exemplis admoniti, diſcamus, non ſufficere ſi vnum & alterum Scripturæ locum habeamus, quo cauſa ſiue ſententia noſtra defendi videtur: ſed diligenti totius rei, de qua agitur, cognitione & aliorum quoque locorum collatione opus eſſe, ſi veritatem rectius inſpicere velimus.

Meſsiam nõ nudum hominem modò eſſe docet.

Porro accedamus ad Chriſtum, qui vt paulò ante Sadducæos, ita nunc omnes ſimul ad diligentiorẽ Scripturarũ conſiderationẽ remittit, vt de promiſſo illo populi uindice ac redẽptore rectius ſentire & iudicare diſcant. Sic enim quæſtionem ſuam proponit: Quomodo dicunt Chriſtum filium eſſe Dauidis, & ipſe Dauid dixit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, Sede à Dextris meis, vſque dum? &c. Quibus verbis non negat, Meſsiam Dauidis filium eſſe, neque Scribas & Iudæos hoc nomine reprehendit, quòd illum Dauidis filium dicerent: ſed in eo illos errare docet, quòd nihil homine maius de illo ſentirent, neque æternæ atque cæleſtis vitæ authorem, ſed regem modò terrenum agnoſcerent, qui priſtinam libertatem ipſis eſſet inſtauraturus. Cumque multos locos poſſet adducere, quibus error iſte confutatur, ipſius Dauidis authoritate pugnat, et hunc plus quiddam de Meſsia ſperauiſſe oſtendit, et proinde ipſos tam huic quàm illi iniuriam facere, qui circa terreni modò regni expectationem occupentur. Ducitur autẽ argumentum ex hominũ conſuetudine et cõmuni ſenſu, qui cum naturæ legibus per omnia conuenit, hoc modo: Neque æquum, neque naturæ legibus conueniens, neque apud vllas gentes receptum eſt, vt patres filios ſuos pro dominis agnoſcant, nedũ vt hoc nomine poſteros nõdũ in lucẽ hãc æditos dignẽtur: Atqui Dauid Meſsiã illũ ſiue vnctũ Dei, quẽ præfinito demũ tẽpore ex ſua ſtirpe aut progenie naſciturũ eſſe ſciebat, Dominũ ſuũ dixit. Ergo aliquid homine maius et omnibus regnis huius ſæculi excellẽtius in eo agnouit. Etenim ſi nihil aliud quàm regẽ politicũ fore credidiſſet, ſuũ Dominũ dicere nõ poterat, cùm nemo hæres regni dominus illius dicatur, qui illud adhuc gubernat, et ipſemet reb. præeſt. Itẽ, ſi Meſsias nihil præter libertatẽ politicã et regnũ terrenũ cõferre debuit, nihil vtiq; profuiſſet Dauidi, qui illũ multis ſeculis præceſsit. Magna quidẽ Scipionũ, Aemiliorum, Pompeij, Cæſaris, Auguſti et ſimiliũ apud Romanos gloria fuit, qui Imperium per totum fere orbem propagauerunt: at quæ obſecro ex illis vtilitas rediit ad Publicolas, Curios, Fabritios, Camillum et ſimiles, quorũ temporibus res Romana adhuc anguſtioribus finibus concludebatur? Et quis obſecro horũ dominos fuiſſe dixerit poſtremos illos, qui imperij fines in Aſiã & Europã vſq; extenderunt? Quid ergo reliquũ eſt, quàm vt Dauidẽ dicamus in promiſſo illo Chriſto maiorẽ dignitatem atq; excellentiã agnouiſſe? Quòd nimirũ bona cæleſtia, liberationem à peccato & morte atq; vitã æternã largiatur, quòd diuina potentia et virtute armatus æternum Dei Regnum inſtauret: denique quòd Dei Filius ſit, qui tunc quoque priuſquam in carne manifeſtatus eſſet, populi ſui protector atque Rex fuerit? Quod in Pſalmo ſecundo apertius teſtatur, vbi Patrem ab æterno Meſsiæ illi promiſſo dicentem introducit: Filius meus es tu, ego hodie genui te, Et Iſaias Achaz Regem atque populũ cõtra Syrorũ & Iſraëlitarũ incurſiones atq; hoſtiles conatus conſolaturus, ad promiſſum illum Dauidis Filium remittit, qui etiamſi ſuo demũ tempore ex virgine naſci debeat, nunc tamen ipſis præſens adſit, vt hoſtes ipſorum deuincat & ſpolia Damaſci diuidat: & ideo illi nomen Immanuelis tribuit, quod ſonat, Nobiſcum Deus. Et iſta quidẽ omnia Chriſtus hoc loco Iudæorum Sacerdotibus atque Scribis in mentem reuocat, ſi forte oculos aperiant, & populum quoque totum in Meſsiæ & promiſſæ redemptionis negotio rectius inſtituant.

Cõſolatio communis fideliũ.

Porro hîc nos meminiſſe oportet, Chriſtũ communem doctrinam proponere, qua ſimul diſcipulos ſuos aduerſus mortis & crucis inſtantis ſcandalum præmunire & armare voluit: In eundem ergo vſum nos quoque illam accommodare debemus, vt vera ipſius cognitione illuminati nullis huius ſæculi minis aut machinationib. terreamur. Quia enim Regnum eius non eſt de hoc mundo, nullis etiã armis aut viribus mundi euerti poterit. Deinde quis eũ ex regni ſolio deturbabit, qui ex æterno Patris cæleſtis decreto ad dextrã eius ſedet, & in aſſumpta etiã carne in cæleſtẽ gloriã exaltatus omnẽ poteſtatem accepit in cælo & in terra? Aut num regno eius nocebunt hoſtes, quos ſcabelli inſtar

pedibus

pedibus eius ſubijci oportet? Quod quàm vere dictum ſit, tota mundi hiſtoria iã inde ab exordio rerũ teſtatur. Chriſtus enim ille eſt, qui olim Pharaonem, Chananæos, Syros cum vicinis gentibus, adhæc Aſſyrios, Babylonios, Perſas & Medos, Græcos & potentiſſimam illam Romam eiuſq́ imperium pedibus ſuis conculcauit, ſicuti alibi prolixè demonſtrauimus. Et hodie etiã eius ferreo ſceptro cõminui atq́ pedibus calcari videmus multos, qui aduerſus eũ inſurgere nõ verentur. Nec hic aliquẽ moueat, quòd interdũ ipſe hoſtibus ſuis ſuccũbere videtur, quãdo pij nominis ipſius cultores perſecutionibus diris & omni calamitatũ genere exercentur. Vt etenim olim per crucẽ de mundo & huius principe triũphauit; ita ſub crucis vexillo vincunt, quicunq́ illi per fidẽ verè ſunt iuſti. Et in eo Regnũ eius ab alijs huius ſæculi regnis differt, quòd cùm hæc vix inter amicorũ præſidia & triumphos continuos conſiſtant, ſæpius autem ſua mole ruant (quod Romano Imperio & multis alijs accidiſſe legimus) ille inter medios hoſtes dominari conſueuit. Cuius potentiæ euidens argumentũ in Euangelij prædicatione olim dedit, quæ per obſcuros diſcipulos paucorum annorum ſpatio per totum orbem terrarum feliciſſimo ſucceſſu propagata eſt, inuitis etiam & multùm reluctantibus omnibus ijs, qui tunc potentia & authoritate excellebant. Et poſtremis hiſce temporibus idem factum eſſe vidimus. Nec tamen hic pedem ſiſtit Chriſtus victor, ſed olim quando in nubibus cœli ad iudicium veniet, tunc ipſa etiam morte deuicta, diabolum cum pſeudopropheta eiuſque coniuratis in ſtagnum ardens igne & ſulphure præcipites dabit. Iſtorum conſideratione nos confirmari oportet aduerſus poſtremam hanc diaboli luctam, qua inſtante huius mundi fine Regnum Chriſti ſaltem aliqua ex parte concutere, & pios peſterſe facere conatur. Nihil enim proficiet, neque eius minæ atque Machinationes eos ex ſtatione ſua deturbare poterunt, qui ſupra petram illam viua fide ædificati ſunt, aduerſus quam ne inferorum quidem portæ poſſunt aliquid.

Cæterùm hæc dicente Chriſto, nemo Sacerdotum aut Scribarum quicquam ei reſpondere potuit, ſicuti Matthæus annotauit. Erat enim quæſtio iſta non leuis aut expedita ijs, qui animum falſis & erroneis opinionibus præoccupatum habebant. Iidem tamen ſua potius gloriæ quàm publicæ ſalutis ſtudio addicti, ne interrogare quidem audent illum, & clariorem huius quæſtionis ſiue argumenti explicationem petere, ne ſuam ignorantiam magis prodant. Quæ cauſa hodie etiam multis obſtat, vt quàmuis ſe errare ſentiant, neque ſe expedire poſſint à quæſtionibus, quæ paſſim controuertuntur, diſcere tamen nolunt, imò omnem diſcendi occaſionem ſtudioſè declinant, ne ipſorum authoritas vel minima ex parte labefactetur. Non tamen omni fructu doctrina iſta caruit: nam populum illa delectatum & eius audiendi deſiderio magis accenſum fuiſſe Marcus oſtendit. Quapropter ille audiente toto populo ad diſcipulos ſuos conuerſus, Sacerdotum & Scribarum mores liberius arguit, ne vel diſcipuli idem cum his doctrinæ genus ſectentur, vel populo graue aut nefas eſſe videatur ab illis deficere, qui ſummam in ea gente dignitatem ſuſtinebat. Sacerdotũ ignorantia et ſuperbia.

Quo exemplo admonemur, non licere modò, verumetiam neceſſarium eſſe, vt falſi antiſtites arguantur. Debet enim pluris fieri multorum ſalus quàm paucorum exiſtimatio, qui authoritate ſua ad quæſtum vel ad tyrannidem ambitioſam abutuntur, & veritatis lucem extinctam volunt. Obſeruarunt hoc olim Prophetæ, quos in arguendis impoſtoribus acerrimos fuiſſe, ipſorũ ſermones teſtãtur. Apoſtolis verò nõ ſatis fuit, ſi ſui ſæculi ĩpoſtores oppugnarẽt, ſed de venturis quoq́ nos admonuerunt, vt poſterorũ ſaluti conſulerent. Nec eſt quòd aliqui hîc nobis mãſuetudinis et charitatis Chriſtianæ leges obijciant. Quis enim mãſuetior Chriſto? quis in charitate ardẽtior? quis patiẽtior deniq́ in ferẽdis iniurijs? quis itẽ erga peccatores indulgẽtior? Verũtamen idẽ ille, quãdo ei cũ Phariſæis, Scribis ac ſacerdotibus res eſt, omnis quodãmodo patientiæ & manſuetudinis oblitus modũ excedere videtur: neq́ ei ſatis eſt, ſi errores eorũ & hypocriſim arguat, nisi eoſdem diris quoque deuoueat, Væ illud horrendũ ſubinde minitando, quo omnis tã præſentis huius quàm futuræ vitæ calamitas comprehenditur. Sunt quidẽ multi, quibus iſtud indignum & minimè neceſſariũ eſſe videtur. Nam illos aut mãſuetudine lucrifieri poſſe, aut omnino incurabiles eſſe aiũt. Atqui illud falſiſſimũ eſt: quia nullis alijs rationib. emolliri aut mitigari poſſũt, vt veritati locũ dẽt, quotquot Dei verbũ ludibrio habẽt, aut etiã hoſtiliter inſectãtur. Et qui ita ſẽtiũt, hi ſe ipſo Deo ſapientiores eſſe ſibi perſuadẽt, aut ſaltẽ ſe aliquid habere putant, quòd verbo Dei vtilius et ad permouẽdũ hominũ animos efficacius ſit. Ex altero autẽ illo minime ſequitur, tacẽdũ eſſe ijs quos Deus Eccleſiæ ſuæ paſtores eſſe voluit. Nã Falſi antiſtites debent argui.

vt planè incurabiles ſint, imò etiam rabie maiori indies exaſperentur lupi, arguere tamen eos & altis clamoribus exagitare oportet: idque vt ouium ſaluti conſulatur, quarum ferè tanta eſt ſtoliditas, vt ſponte in illorum fauces atque vngues incurrant, nec facilè agnoſcant ſub ouillis pellibus latentem lupinam rabiem. Quibus adde, quòd hypocriſis audacia creſcit, ſi vel negligantur, vel ſe alijs terrori eſſe putent: vt iam de eo nihil dicam, quòd paſtores olim Deo rationem reddere cogentur omnium eorum, qui ipſorum incuria perierunt.

Doctores falſi caueri debent. *Sed ipſum Chriſtum nobis omnibus loquentem audiamus: Cauete à Scribis, qui volunt ambulare ſtolati, & amant ſalutationes in foris &c. Iſtud verò de illis dicit, qui veterum Sacerdotum ſucceßione, Legis diuinæ doctrina & ipſius etiam Moſis cathedra (vt alibi ait) gloriabantur, & de quorum anteceſſoribus olim dictum fuerat: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, Legemque ex ore eius requirent: Legatus enim eſt Domini exercituum. Et quia vt ſibi ab illis caueant monet, non obſcurè ab eis ſeceßionem facere iubet: quod quid aliud eſt, quàm ſciſma ſuadere, quo nullum in Eccleſia crimen grauius atque atrocius putatur? At non omne ſciſma malum aut noxium eſſe, alibi Chriſtus admonet, quando ait: Putatis quòd pacem venerim mißurus in terram? Non dico vobis: ſed ſeparationem. Et videmus per Euangelij doctrinam, eos a ſe inuicem non ſine dolore acerbißimo piorum diuelli, qui prius coniunctißimi erant. Vt verò neceſſe eſt Chriſti & veritatis cauſa à parentibus & fratribus diſcedere, imò liberis quoque & coniugibus longum valere dicere: ita maior neceßitas nos vrget, vt doctores falſos relinquamus, qui à Deo nos abſtrahere, & veritatis lucem in animis noſtris extinguere ſtudent. Neque nos hic quorumcunque titulis aut dignitatibus moueri decet, quibus inter homines excellunt. Deus enim ſuam Eccleſiam non hominibus, ſed verbo ſuo ſubiecit, vt huius ductu & luce dirigatur: & eadem non*

Iſa. 28.
Ephe. 2.

hominum authoritate, ſed ſolo Chriſto nititur, qui pretioſus ille lapis eſt, quem in Zione fundauit Deus, & quem Paulus fundamentum Prophetarum ac Apoſtolorum eſſe dicit. Vt primùm ergo antiſtites religionis officij ſui immemores à Chriſto nos abducunt, qui huic vni conſecrati eſſe debent, nemo illorum authoritatem tanti faciat, vt propter ipſos à ſummo illo paſtorum principe ſe auelli patiatur. Vt enim quæ prouinciarum præſidibus debetur obedientia ceßat, ſi hi Regibus ſuis malè fidi Legum authoritatem aboleant & populum ad defectionem ſolicitent: ita neque ijs Eccleſiarum paſtoribus obedientia debetur, qui loco verbi Dei humanas traditiones, & pro vero cultu ſuperſtitiones inuehunt. Eſt hoc propter eos obſeruandum, qui nos ſciſmatis nocentißimi authores & hæreticos eſſe clamant, quòd à Romana Eccleſia defecerimus, & Paulum nobis obijciunt, qui Eccleſiæ eius fidem olim in toto orbe annuntiatam fuiſſe teſtetur. At nos qualis olim fuerit, nunc non diſputamus, imò optamus, vt vel veſtigia aliqua priſcæ illius integritatis aliquando videre liceat: ſed præſentem quæ illic eſt rerum faciem intuemur: & quia nihil præter hominum figmenta & cum prophano Dei contemptu coniunctam craßißimarum ſuperſtitionum Simoniam videre liceat, Chriſti admonitionem ſecuti, ex Babylone illa exiuimus, ne aliquando ijſdem cum illa plagis vapulemus. Scimus quidem nonnullos nimium ſecuros ſibijpſis impunitatem polliceri, ſi non ipſi ex ſuo capite errores fingant, ſed eos ſequantur, qui duces & paſtores Eccleſiæ dicuntur, &

Matth. 15.

pro legitimis miniſtris habentur. Sed nos illud Chriſti non temere dictum putamus: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadent in foueam. Et quia idem tam hic quàm alibi clamat, vt nobis ab impoſtoribus caueamus, non poterunt extra culpam eſſe, qui ſupina oſcitantia ſeipſos decipiunt, & ab alijs decipi patiuntur. Chriſtianorum enim hominum eſt, non ſimplicem modò veritatis cognitionem tenere, ſed iudicio inſtructos eſſe oportet, vt inter dogmata, quæ proponuntur, diſcernere, & vera quidem amplecti, falſa autem auerſari ac fugere poßint. Admonet de eo Chriſtus, quando ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: Alienum autem non ſequentur, ſed fugient ab eo: quia non norunt vocem alienorum. Rectè ergo Apoſtoli monuerunt: Omnia, probate, quod bonum fuerit tenete. Item: Ne cuiuis ſpiritui credideritis, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint. Quo loco Ioannes regulam quoque præſcribit, ad quam ſpiritus, id eſt, doctrinæ omnes probari debeant: & quia illam omnibus Chriſtianis communem eſſe vult, nemini vitio verti debet, ſi doctrinas ab ea diſcrepantes reijciat. Quo etiam referri debet, quod Paulus iudicium de prophetia penes eos eſſe vult, qui in Eccleſia ſedent, id eſt, qui vt diſcipuli doctores audiũt. Vide 1. Cor. 14.

Ioan. 10.

Et

Et huc debet referri quòd Chriſtus Scribas iſtos deſcribit, vt oſtendat dignos eſſe, à quibus ſibi caueant ij, quos ſeria ſalutis ſuæ cura tangit. Nã cauete (inquit) à Scribis, qui volunt ambulare ſtolati, & amant ſalutationes in foris, ac primos confeſſus in conuentibus, & primos accubitus in cœnis. Qui deuorãt domus viduarum, & in ſpeciem precibus longis vtuntur. Sũma eſt, eos neq. Dei gloriam neque hominum ſalutem quærere, ſed hypocriſi, ambitioni & auaritiæ deditos, & proinde indignos eſſe qui audiantur. At quæ illos obijcit crimina probat ex ſignis. Ad primũ pertinet, quòd eos ſtolis delectari ait. Græcis ſtola dicitur quæuis veſtis, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, eo quòd ad hominis ornatũ atque decorum faciat. Latinis autem pro veſte longiori vſurpatur, quæ ad talos vſque demiſſa totum corpus tegit: & apud Romanos non niſi nobilium matronarum veſtitus erat. Tandem ſic dici cœperunt veſtes ſacerdotum eò quòd hæ quoque longiores eſſent, vt maior illorum dignitas atque authoritas appareret. Et ſanè decet Eccleſiæ & doctrinæ antiſtites honeſtius veſtiri, vt ſic modeſtiã ſimul & morũ grauitatem teſtentur: et multa repræhenſione digni ſunt, qui ſcurrili aut militari, vel etiam molliori habitu ſacri miniſterij dignitatem proſtituunt. In Scribis tamen Iudæorum hoc Chriſtus accuſat, quod ſtolis illis ſanctitatem ſimularent, & ijs ad hypocriſim abuterentur. Nã vt apud Matthæũ legimus, ſtolis ſuis fimbrias latiores addebant, quæ phylacteria dicebãtur, eo quod in his præcipua Legis capita deſcripta geſtarent: hæc autẽ illi dilatare & extendere conſueuerant, vt ardentius pietatis ſtudiũ profiterentur. Poterat autẽ excuſabilis videri hæc illorum oſtentatio, cum certam veſtitus formam Deus ſummo Pontifici in Lege preſcripſiſſet, & priuatis quoque hominibus mandauiſſet, vt Legis præcipua Capita in fimbrijs veſtium deſcripta geſtarent, vt his viſis ſui officij nunquam non admonerentur. Sed nihilominus iſtos tam duriter tractat Dominus, eò quòd nihil minus cogitarent, quam quod Deus monuerat: omne verò hoc faciebant, vt ſeſe apud imperitum populum inani fuco venditarent. Quod autem in veſtitu faciebant, hoc ipſum in ieiunijs, in precibus, in eleemoſynis, ablutionibus crebris & alijs infinitis fiebat: quæ omnia ad ſanctimoniæ fucatæ oſtentationem erant inſtituta. Nõ temere autẽ ab eo orditur Chriſtus, & alibi frequenter hypocritas dicit: quia vt populo imponebant ſimulato pietatis prætextu, ita eo nomine Deo imprimis exoſi erant. Is enim cùm veritas ſit, in veritate etiã adorari atque coli vult, & proinde religioni veræ nullus locus eſſe poterit, vbicũq. ſimulatio ſiue hypocriſis regnat, quæ ſemper cũ mendacio coniuncta eſt. Secundò ambitionẽ quoq. & priuatæ gloriæ ſtudiũ, quo ardebant, ex ſignis deſcribit, quãdo eos ſalutationes in foris, et primos conſeſſus in conuentibus, primoſq. in cœnis accubitus amare dicit. At qui ſalutare aut ſalutari per ſe neq. iniuſtũ neq. inhoneſtũ eſt. Sunt enim hæc officia charitatis, ad quã hoc etiã pertinet, vt quiſq. aliũ honore præueniat. Sed hîc de ambitioſis ſalutationũ formulis ſermo eſt, quas ambitioſi affectare, & adulatores nimiùm ſeruiliter vſurpare ſolent. Ideo apud Matthæũ Rabbini titulus adducitur, quo ſibijpſis multiuariam Legis cognitionẽ et perfectã doctrinæ excellentiã vendicabant, vt ſupra omnes alios eminerent. Accedebant his titulis ſubſelliorũ gradus in cõuentibus tam publicis quàm eccleſiaſticis, et quòd ad conuiuia inuitati in ſumma mẽſa accũbere cupiebãt. Erãt hæc intolerabilis ambitionis argumenta, quæ cùm neminẽ deceat, imprimis tamen in illis turpiſſima eſt, qui omnibus alijs ad humilitatem & modeſtiam magiſtri eſſe debebant. Accedebat his malis quod hæc omnia ſuperabat, falſa nimirum doctrina, & quæ ex hac naſcebatur totius diuini cultus prophanatio. Speciem huius adducit preces quæ vt maximè neceſſariæ nobis ſunt, ita illis Deus præcipuè delectatur, ſi ex corde fide & charitate prædito proficiſcãtur. Quid verò illi? In publico orabãt, vt Matth. 6. Cap. habetur, et ſimul preces ſuas alijs vẽdebãt, vt mercenarij operã ſuã alijs elocare ſolent, idq. in eum finem, vt ſub illarum prætextu domus viduarũ deuorarent, & ita non gloriæ modò, verumetiam quæſtui ſuo conſulerent. Id verò abſq. falſa doctrina fieri non poterat, cùm prius omnibus hoc perſuaderi oporteret, vt ſalutem ſuam ipſorum conductitijs precationibus promoueri putarent. Quod autem precando fecerunt, hoc ipſum eos in toto cultu Dei feciſſe apparet ex ijs, quæ Matth, 15. cap. dicuntur, & quòd templũ ab illis emporium factũ fuiſſe legimus. Et quàmuis fraus iſta ad totum populum extenderetur, in præſenti tamen viduarũ mentionem facit Dominus, partim quòd muliebris ſexus ad ſuperſtitiones procliuior eſt, et præ alijs viduæ facilius infeſcãtur: partĩ vt ſceleris atrocitatem aggrauet, quo ijs potiſſimùm inſidiabãtur, quarum eos miſereri decuerat, & quas Deus omnibus, qui vel ĩ Repub. vel Eccleſia excellũt, vult eſſe cõmẽdatiſſimas. Amplificationi etiã

Accuſat Sacerdotum hypocriſim, ambitionẽ & auaritiam.

ſeruit, quòd domus viduarum ab illis deuorari dicit, vt auaritiam inſatiabilem & cum extrema crudelitate coniunctam eis exprobret. Fons omnis huius mali erat propria iuſtitiæ fiducia, qua inebriati populo etiam authores erant, vt ſalutem non in Dei miſericordia, ſed in ſuorum operum meritis quærerent, vt alibi prolixè diximus.

Noſtri ſeculi impoſtores.

Iſta verò de Iudæorum Scribis ita dici cogitemus, vt diſcamus, omnes eos fugiendos eſſe, quicunque etiam hodie Dei cultum & doctrinã ſua hypocriſi, ambitione & auaritia corrumpunt. Ex his ergo iudicemus de noſtri ſeculi impoſtoribus, qui cùm ſucceſſione apoſtolica glorientur, & ſibi eo nomine in Eccleſia primatũ vendicent, iſtorũ tamen adeò ſunt ſimiles, vt Chriſtũ non minus de ipſis quàm illis locutũ eſſe iurare poſſis. Quæ enĩ hypocriſis vnquã in orbe terrarũ fuit, quæ tot veſtiũ generibus atq; formis, tot ceremonijs & ritibus, tot vaniſſimarũ ſuperſtitionũ exercitijs ſeſe vẽditarit? In Scribis iſtis ſtolas reprehendit Chriſtus, quibus maiorẽ ſanctimoniæ ſpeciẽ venabātur: Quid ergo dicturus fuiſſet de theatrico ſacrificorũ veſtitu, quẽ ex Iudaiſmo in Eccleſiam Pontifices tranſtulerunt? de cucullis, liripipijs, humeralibus, cingulis nodoſis, calceis feneſtratis ac ligneis, pileis quadratis, varijs capillorũ tonſuris, cilicijs deniq;, & ſexcentis alijs, quibus improbiſſimi hypocritæ carnis mortificationẽ, vitæ innocentiã, diuini amoris ardorẽ, humilitatẽ, ſanctitatẽ, omniſq; pietatis ſtudiũ mentiuntur? De ambitione verò eorum quid dicere opus eſt, quã multis iã ſæculis hiſtoriæ potentiſſimis quoq; Regibus intolerabilẽ fuiſſe teſtantur? Et cur Regibus parcerent, qui quæ ad Chriſti ſolius meritum pertinent ſibi vendicant, nequicquam illo per Prophetam clamante: Ego Dominus hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo? Auaritiam verò eorundem quis bonus non deteſtetur, quando nihil in tota rerum natura eſt, quod rapaces iſti Chananæi non in ſuum quæſtum conuerterint? vt iam nihil dicamus de interceptis patrimonijs aliorum, & vaferrimis artibus, quibus ſub religionis prætextu nobiliſſimas ferè omnium gentium familias ad egeſtatem redegerunt. Eo certè illorum fraudibus res Chriſtiana deducta eſt, vt vbi illi dominantur nemini gratis vel naſci vel mori liceat, imò ne per mortem quidem vngues eorum licet effugere. Et hi illi ſunt, qui ſimul viribus aucti principes quoque & Reges in ſuas partes pertraxerunt, vt volentes nolentes, ipſorum tyrannidem tueri cogantur: & iidem paſſim piorum capitibus inſultant, ſibique omnia impunnè licere putant. Sed non dormitat iuſtus Deus, & (vt Chriſtus hîc minatur) grauius iudicium iſti ferent, vbi menſuram ſuam impleuerint, & ille propter electos ſuos mundi huius ætatem decurſauerit. Neminem igitur illorum hypocriſis fallat, neminem faſtus ille Perſicus decipiat, neminẽ minæ & excõmunicationũ fulmina terreãt: ſed illis procul relictis ad vnũ Ieſum Chriſtũ cõuertamur, qui ſuo ſanguine redemptam Eccleſiã ex illorũ vnguibus aliquando aſſeret, & in ſe credentes vera felicitate beabit: Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

CAPVT XXI.

HOMILIA CLXXXIII.

INtuitus autem vidit diuites mittentes munera ſua in gazophylacium. Vidit autem etiam quandam viduam pauperculam mittentem illuc minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, vidua hæc pauper miſit amplius quàm omnes. Nam omnes hi ex eo, quod ipſis redundat, miſerunt quod donarent Deo, hæc autem miſit ex penuria ſua totum victum, quem habebat.

Vide Marc. homil. 105.

MAgna cum grauitate nuper Ieſus Chriſtus totum populum monuit, vt à Scribis & Sacerdotibus ſibi caueant, & huius admonitionis duas cauſas adduxit: Vnam, quòd priuatam gloriam diuinæ præferant, neque curent vt miniſterium ſuum Deo probetur, ſed vt ipſi apud omnes in honore & pretio ſint. Alteram, quòd commodo priuato addicti ſalutem populi facilè negligant, imò ſub falſo religionis ſimulatæ & precum longarum prætextu domus viduarum

as pupillorum deuorent. Erat hæc non tam grauis quàm neceſſaria admonitio, eò quòd qui tales doctores ſiue duces ſequuntur, ij non poſſunt non cum illis in eandem foueam errorum & exitij incidere. Porro periculum erat, ne qui his auditis Eccleſiæ ordinem turbarent, & ex corruptis antiſtitum moribus occaſione ſumpta nihil porrò conferendum eſſe arbitrarentur ad cultum Dei & doctrinam, quæ duo omnibus pijs commendatiſſima eſſe debent. Commodè ergo ijs, quæ præceſſerunt, hanc hiſtoriam Lucas ſubtexit, qua docetur, non propterea abolendas eſſe ſacras illas pecuniarum collectas ſiue contributiones, quas Deus ipſe inſtituit: monet item, quo affectu pij in illis duci, quiúe ſcopus omnibus propoſitus eſſe debeat. Itaq; nõ indigna eſt hiſtoria, cuius ſingulæ partes ex ordine cõſiderentur.

Gazophylacij & opum Eccleſiæ ratio.

Primùm, Chriſtus diuites vidiſſe dicitur, qui munera ſua in gazophylacium inferebant. Marcus eum cõſediſſe ſcribit ex aduerſo, vt ſpectator eſſet huius rei. Nihil ergo hîc ab illo temere factum aut dictum eſt, eoq; diligentius attentiusq; audiri debent & obſeruari quæ dicuntur. Fuit autem Gazophylacium (vt Ioſephus libro ſeptimo de bello Iudaico capite vndecimo annotauit) locus certus in templo, ſic dictus, quòd illuc pecuniæ & opes ſacræ reponerentur: & arcæ erant complures, in quas donaria ſua deponebant, qui aliquid in publicũ templi vſum conferre ſtatuerant. Arcas haſce in Ioæ Regis Iuda hiſtoria deſcriptas inuenies. Habuit autem omnibus ſeculis Eccleſia publicas 2.Reg.1. *opes, quas à populo iuſta & certa cum ratione collegit. Æquum enim eſt, vt quando Dei cultus ex æquo ad omnes pertinet, omnium item ſaluti ſeruiunt ſacra illa fidei atque religionis externæ exercitia, omnes quoq; ad ea retinenda ſumptus atque impenſas conferãt. Ideo olim cenſum populi Deus inſtituit, in quo quicunque annum ætatis vigeſimum attigerant aut ſupergreſſi erant, ſiclum conferebant, vt ex ea pecunia ſarta tecta tabernaculi aut templi inſtaurarentur. Quem morẽ poſtea quorundam incuria abolitum ſub Ioa Rege reduxit Ioiada Sacerdos, & in eodem reducendo poſt reditum ex Babylone Nehemiam quoq; diligentiſſimum fuiſſe legimus. A quo tempore ad Chriſtũ vſq; durauit, neq; ab eo improbatus fuit vnquã, licet interdũ in Sacerdotum auaritiam atq; rapacitatem ſeuerius & vehemẽtius inuehatur. Taceo nũc quæ de decimis in Lege Moſis traduntur, quas ante legem quoq; patrum tempore Sacerdotibus datas fuiſſe, ex Abrahami & Melchizedeki hiſtoria apparet: & quas bona fide reddendas eſſe Haggæus & Malachias apertè docent. Poſt Chriſti verò aſcenſionem in cœlos, in exordio naſcentis Eccleſiæ, Apoſtolos quoque cura iſta non parum ſolicitos habuit, vt commune & publicum ærarium Eccleſiæ pararetur, ex quo & pauperes ali & alia perfici poſſent, quæ ad Eccleſiam ſeruandam atque regendam ſunt neceſſaria. Nec dubium eſt totis illis annis ferè trecentis, quibus Chriſtiani diris & continuis perſecutionibus exagitati fuerunt vſque ad Conſtantini Magni tempora, hunc morem obſeruatum eſſe, vt Eccleſiæ ſingulæ ſuos miniſtros alerent ex ijs, quæ publicè pro vniuſcuiuſque fortunis aut facultatibus conferebantur. Ita enim Apoſtolorum temporibus factitatum fuiſſe, ex Pauli ad Corinthios verbis apparet, quibus docet tam ſibi quàm alijs licuiſſe, vt ab Eccleſijs victum exigerent, ne hunc ſuo labore ſibi parare cogerentur. Et nota eſt Macedonum liberalitas, qui Paulum apud alias Eccleſias agentem aluerunt, vt illis poſſet gratis inſeruire. Neque aliter fieri potuit vſque ad Conſtantini Imperium, cùm ante hoc nunquam ea pace & tranquillitate vſæ ſint Eccleſiæ, vt certos redditus conſtituere poſſent, ex quibus ſacrorum & miniſtrorum impenſæ fierent. Ab eo tempore autem res in melius conſtitutæ ſunt, & principum Chriſtianorum nobiliumq; hominum liberalitate Eccleſiæ ditari cœperunt, decimarum denique collatio reſtituta eſt, ſicuti vetuſtiſſimarum Eccleſiarum atque Collegiorum fundationes & quæ de his paſſim extant inſtrumenta ſeu tabulæ publicæ teſtantur. Et iſta quidem ſcire opus eſt propter eos, qui ſub religionis eccleſiaſticæ aut Chriſtianæ prætextu immunitatem quærunt, & ne decimas aut alios cenſus agrorum domuũq; reddere cogantur, horum omnium initia atque originem ad Papatum referunt, quaſi Pontificum & Monachorum auaritia atque rapacitas in hac etiam parte Iudaiſmum nobis reduxerit. Fatemur quidem illorum artibus atque dolis collegiorum atque templorum opes in immenſum auctas eſſe, & multos falſa doctrina & inanibus conſcientiæ terriculamentis circũuentos bona ſua, fraudatis legitimis hæredibus, harpyiarum iſtarum nidis atque luſtris legauiſſe: id verò de omnibus decimis & antiquioribus Eccleſiarum redditibus nequaquã dici debet. Iuſtæ enim illæ opes ſunt, vtpote ab illis donatæ, qui eas donãdi ius habebant, et quos Dei amor atque ſyncerum pietatis ſtudium, vt illas donarent, commouit. Nec iam de iniqui-*

tate aliquis conqueri poteſt meritò, quando prædia & agri ea conditione per hæreditatem aut contractum aliquem ad nos deueniunt, vt ex illis decimas aut quoſcunque alios cenſus ijs reddamus, quibus illa debentur. Neque hic audiri debent, qui corruptos antiſtitum ſiue miniſtrorum Eccleſiæ mores turpemq́; opum iſtarum abuſum accuſant. Nam etſi iſti grauiter peccent, & olim rationẽ Deo reddituri ſint, qui ſacrilegam eorum petulantiam non inultam ſinet: nemo tamen propterea debito liberatur, quo ſemetipſum obſtrinxit, quando prædia eiuſmodi vel hæreditario iure ſibi vendicauit, vel emptione legitima acquiſiuit. Nam vt ad Prophetarum tempora redeamus, conſtat ex Haggæi & Malachiæ ſermonibus, Sacerdotes tunc in officio ſuo admodum ignauos & perfidos fuiſſe: ijdem tamen populi ingratitudinem atque impoſturas, quibus pleriq; in decimandis terræ prouentibus vtebantur, acerrimè accuſant. Quid verò de iſtis dicemus, quos paulò ante Chriſtus accuſauit, quòd viduarum ac orphanorum domus deuorent, & quos alibi lupos rapaces, fures ac latrones dixit? Num propter illos populum abſterret, ne quid in Gazophylacium conferant? num indignum eſſe clamat illis à populo luxuriæ & ſuperbiæ fomenta ſubminiſtrari? Imò potius viduæ iſtius ſynceram pietatem & liberalitatem ſanctiſſimam commendat, diuitum verò ſorditiem non obſcure perſtringit. Et quod initiò monuimus, vt ſpectator, vel potius iudicis inſtar conſidet, vt tã de his quàm de illis ſententiam proferat, & ea occaſione doceat, quid nobis in hac cauſa ſit agendum. Nec quiſquam dubitare debet, illum hodie etiam noſtrarum actionum inſpectorem eſſe: & qui olim Cæſari prophano & impio reddere iuſſit, quæ ad eum pertinebant, idem nequaquam vult, vt Euãgelij ſui & libertatis merito eius partæ prætextu abutamur ad captandam immunitatem, qua debita alijs officia negemus.

Christus eos ſpectat, qui Eccleſiæ bona rapiũt &c.

Quia verò iſta ſpectare ſolet, ſimul nos meminiſſe oportet, illum eos etiam videre, qui opes eccleſiaſticas ſacrilega audacia ad ſe rapiunt, aut ſaltem illas in vſus illicitos atq; prophanos conuertũt. Itaq; opus eſt, vt de earundem vſu vero & legitimo frequenter cogitemus. Vulgo hodie Eccleſiaſtica bona dicuntur, quæcunq; ad templorum ærarium pertinent, aut Collegijs debentur. Vnde nos colligimus, non alium illorum vſum eſſe debere, quàm vt Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiant. Hæc autem (vt alibi monuimus) duo habet præ alijs, quæ ſine pecunijs ſiue impenſis ſuſtentari non poſſunt: Religionem nimirum externam & Pauperes, quos nobis Dei Filius tãto ſtudio commendauit, vt quoad externa charitatis officia, eos ſibi ſubſtituerit. Ad religionem doctrina et Sacramenta pertinent, vtrunque verò cœtus publicos requirit, qui vt non niſi certo ſtatoq; tempore colligi poſſunt, ita loco etiam certo & à prophanis vſibus ſeparato ad illos cogendos opus eſt. Iſta verò omnia abſq; impenſis parare & ſeruare impoſſibile fuerit. Exigit præterea naturæ Lex (vt alibi docuimus) vt qui Eccleſiæ docendo ſeruiunt, & ſacris exercitijs vacant, ex illo ſuo miniſterio victum ſiue ſtipendium legitimum recipiant. Turpe enim foret, agricolam ex agrorum cultu, paſtorem ex ouibus, militem ex militia viuere, Eccleſiam verò, quæ Dei aruum atque grex eſt, ſuis cultoribus atque paſtoribus victum negare, vel eos negligere, qui nunquam non in acie conſiſtunt, vt eius ſalutem aduerſus mundum & huius principem, diabolum, tueantur. Vt verò doctrina in Eccleſijs perpetua ſit, ſcholis quoque opus eſt, in quibus inſtituti & eruditi homines Verbi adminiſtris iam ob ætatẽ rude donatis, aut etiã fato ſuo defunctis ſuccedant. Vidit hoc olim impius ille Apoſtata Iulianus, qui Chriſtianis interdicebat, ne vel gentium ſcholas adirent, neque ipſi proprias haberent, in quibus bonarum literarum & religionis principia traderentur. Ita enim ſperabat fore, vt omni rerum cognitione deſtituti fidem ſuam nullis vel Scripturis vel argumentis idoneis tueri poſſent. Ad vſum ergo opum Eccleſiæ id quoque pertinet, vt ex illis ſtipendia conſtituantur bonarum artium & ſacræ Theologiæ profeſſoribus, & iuuenes bonæ indolis alantur, qui aliquando ad Verbi miniſterium vocari poſſint. Quod quàm neceſſe ſit res ipſa docet, quando opulentiores ferè miniſterij pudet, & rarò inueniuntur, qui ſuos ad hoc inſtitui curent: pauperiores verò tantis ſumptibus non ſufficiunt, niſi publicè adiuuentur. Reſtant pauperes, quos nunquam defuturos eſſe in Eccleſia Chriſtus palàm teſtatur, & olim Moſes quoque monuit. Et quia illi non minima Eccleſiæ pars ſunt, & ijdem Chriſti Ieſu in hoc mundo pauperis ac egeni imaginem gerunt, non poſſunt à nobis negligi, niſi in illum impij ſimus, cuius diſcipulos atque cultores nos eſſe profitemur. Fuerunt illi Apoſtolis ita curæ, vt ſub initium primitiuæ Eccleſiæ, ipſimet bonorum illorum adminiſtrationem in ſe reciperent, ex quibus

Vſus bonorum Eccleſiæ.

illi ale-

illi alebantur: poſtea verò cùm docendi neceſsitate ſe aliò vocari ſentirent, curam hanc non niſi perſpectæ fidei & probitatis hominibus cōmitti voluerunt, quos à Spiritu Sancto gubernari atque regi conſtaret. Et ſcimus vetuſtiſsimum hunc Eccleſiæ morem eſſe, vt dominicis diebus collectæ fiant, in pauperum ſubuentionem, atque illum ab Apoſtolis inſtitutum eſſe ex vltimo capite prioris ad Corinthios ſatis apparet. Cùm autem pauperes vnicuique priuatim commendatiſsimi eſſe debeant, multò magis Eccleſiam totam decet, vt ſuos domeſticos curet, & publicis eleemoſynis eorum egeſtatem ſubleuet, quibus priuatorum hominum beneficentia non ſufficit. Vbi imprimis cauere oportet, ne publica egeſtatis exempla fiant, qui eiuſdem corporis nobiſcum membra ſunt ſub capite Chriſto, quem perinde vt nos redemptorem atque dominum ſuum profitentur. Vt enim hoc tum Dei Lege pugnat, qui ne menditus ſit in Iſraele grauiter admodum prohibuit: ita ſcimus mendicationem bonis moribus vehementer officere, & eam nobis parere homines ἀτάκτυς, qui nullo vel politicæ vel eccleſiaſticæ diſciplinæ fræno continentur, & quos ideo Paulus vitare iubet, ne Eccleſiæ opprobrio ſint. At quia de his ſæpe aliâs diximus, nunc illud teneamus, proprium ærarij Eccleſiaſtici vſum eſſe, vt ex eo doctrinæ antiſtites aut publici Eccleſiæ miniſtri alantur vnà cum Scholarum profeſſoribus & Theologiæ candidatis: deinde vt ex eodem parentur atque inſtaurentur loca ſacra cum vaſis & alijs ad Sacramentorum adminiſtrationem neceſſarijs: poſtremò, vt pauperibus atque egenis ſubueniatur, ne in his ipſe Chriſtus eſuriat atq; algeat. Graue ergo illorum ſcelus & omni deteſtatione dignum ſacrilegium eſt, opes illas in vſum alienum conuertere, ſiue id publicè ſiue priuatim fiat. Eſt tamen illud nimis vulgare & frequens hodie. In Papatu enim illas ſibi vendicant ignaui Penelopes ſponſi, qui cum ſoli nomen cleri ad ſe pertinere contendant, tamen neque Eccleſiæ ſeruiunt, neque ita viuunt, vt pro germanis eius membris agnoſci poſsint. Inter eos autem qui Euangelij nomine atque doctrina gloriantur, & religionis reformatæ ſectatores videri volunt, impudentiſsimè theſauri illi ſacri diſtrahuntur, multis illorum partem ſibi priuatim rapientibus, alijs quicquid reliquum eſt in fiſcum congerentibus, vt ex illis inſana ædificia extruant, arces condant, vrbium munitiones extruant, aulicorum ignauam turbam alant, bombardas aliaque ad fundendum ſanguinem Chriſtianum excogitata arma fabricent, militibus denique ſanguinarijs ſtipendia ſua diſſoluant. Fit ergo vt alijs ex Eccleſia diteſcentibus, qui huius labes & maculæ dici poterant, miniſtri eius fideles cum inopia & fame conflictentur, Scholæ frigeant, doctiſsimi quique dilabantur, pauperes item cum turpiſsima Euangelicæ doctrinæ ignominia inter eos ſtipem & victum mendicent, qui illam peſsimè oderunt, & prorſus extinctam volunt. Conqueruntur de his optimi quique, ſed qui vitijs iſtis corrigendis manum admoueant pauci ſunt: quia principibus viris durum videtur prædam illam ex manibus amittere, cuius dulcedine iampridem ineſcati ſunt. At non dormitat Deus, qui vt olim in ſacrilegos horrenda edidit iudiciorum ſuorum exempla, quæ alibi recitauimus: ita poſtremis quoque iſtis temporibus omnes eos puniet, qui Eccleſiarum opes vel violenter diripiunt, vel dolo malo diſsipant. Et qui in præſenti tam diligens eorum ſpectator fuit, quæ apud gazophylacium fiebant, procul dubio iſtorum quoque rapinas atque impoſturas videt, & olim malè adminiſtratæ diſpenſationis rationem ab illis exiget. Vt verò iſta impijs illis opum ſacrarum direptoribus dicuntur, ita non minus ad pauperes pertinent, qui ignauo otio dediti laborem omnem fugiunt: ſed & ipſis paſtoribus & doctrinæ profeſſoribus qui ſtipendia quidem ab Eccleſijs ampliſsima recipiunt, in officio autem ſuo nimiùm ſunt negligentes, vel etiam ſuæ conditionis obliti faſtu atque luxu cum opulentiſsimis quibuſque certant. Sed vtinam tam facile eſſet omnium iſtorum vitia emendare, quàm acerbè de illis conqueruntur, qui ſeriam Eccleſiarum & rerumpub. reformationem expectant.

Abuſus bonorū Eccleſiæ.

Porro ad huius loci hiſtoriam tranſeamus, vbi narratur, diuites quidem munera multa & magna in gazophylacium miſiſſe, viduam verò quandam pauperculam eò contuliſſe minuta duo. Fuit hoc donum perquam exiguum, & indignum (ſi quis rem humano iudicio æſtimet) quod inter ſacra munera numeretur. At illud Chriſtus qui non tam quid fieret quàm quo animo omnia fierent ſpectabat, magnis illis diuitum donarijs præfert, dicens: Verè dico vobis, pauper hæc vidua miſit amplius quàm omnes. Poterat hoc παράδοξον & abſurdum videri, perinde ac ſi quis duo plus eſſe diceret quàm decem: Sed (vt diximus) corda omnium iſtorum Chriſtus inſpexit, & ex animi intentione &

Vidua præfertur diuitibus.

facultatum cuiuſque ratione iudicium iſtud tulit. Ideo interpretationis loco ſubijcit: Nam omnes hi ex eo, quod ipſis redundat, miſerunt quod donarunt Deo: hæc autem miſit ex penuria ſua totum victum quem habebat. Nec temere hæc à Chriſto dicta fuiſſe patebit, ſi rem ipſam propius inſpiciamus. Scimus enim hanc communem eſſe regulam, dona omnia ex animo donantis æſtimari debere, non ex eorum quæ donantur magnitudine aut tenuitate. Ideo bis dare dicitur, qui citò dat: & hila-
2.Cor.9. rem datorem diligit Dominus. Cùm ergo diuites illi non Dei cultuſue diuini ſtudio munera ſua in gazophylacium conijcerent, ſed ambitione ſtimulati ſeſe oſtentarent, meritò ſuperati dicuntur fuiſſe à vidua iſta, quam niſi ardentiſſimus Dei amor accendiſſet, nunquam ſuum genium fuiſſet fraudatura, vt cultum illius adiuuaret. Deinde diuites illi non niſi partem aliquam ex ſuis facultatibus Deo deciderunt: iſta verò totum quod habebat contulit. Imò illi ea modò dederunt, quæ ipſis ſuperflua erant: hæc verò ſubſtantiam ſimul omnem profudit. Quid verò ſubſtantiam dico, quãdo victum ſuum dedit, id eſt, hoc ipſum ſine quo victus ipſi nullus præterea reliquus erat? Quid verò hoc aliud fuis, quàm ipſam vitam ad prouehendum Dei cultum deponere? Vicit ergo muliercula huius pietas vmbratilem illam omnium diuitum liberalitatem. Vicit omnem inopiæ & famis metum, quo multi ſuperati nihil non ſibi licere putant. Vicit ſcandalum omne, quod tunc ex corruptiſſimis ſacerdotum moribus obijciebatur: qui certè tales erant, vt opulentiſſimos quoſque, imò optimos quoque, abſterrere poſſent, ne quid impijs iſtis & ſacrilegis omnium ſacrorũ nundinatoribus largirentur. Sed non reſpexit vidua iſta quid illi facerent, ſed quid Deus iuberet cogitauit, quem dixiſſe ſciebat: Nemo apparebit in conſpectu Domini vacuus. Deut.16.

Oblationes quæ Deo gratæ ſint? Continet autem dictum illud Ieſu Chriſti memorabilem doctrinam de oblationibus ſacris, ſub quorum titulo omnia ea quoque comprehenduntur, quæ egenis ſiue pauperibus dantur. Admonet enim nihil horum Deo gratum & acceptum fore, niſi quod ex animo vera fide & ſyncera charita-
Heb 11. te accenſo emanat. Nam fieri non poteſt (inquit Apoſtolus) vt quis ſine fide Deo placeat, imò pec-
Rom.14. catum eſt quicquid abſque fide fit. Cùm verò hæc à charitate non poſſit ſeparari, abſq; fide fiat oportet, quod non ex charitate, ſed gloriæ priuatæ aut lucri ſiue commodi proprij ſtudio fit. Ideo Chriſtus alibi monet, ne dum eleemoſynas largimur ſiniſtram manum eorum, quæ dextera facit, conſciam fieri patiamur: hoc nimirum innuens, vt caueamus, ne quis prauus ambitionis aut auaritiæ affectus concurrens, opus illud per ſe ſanctum & laude dignum inficiat. Diſcant igitur ex hoc loco diuites, ne ſuis largitionibus ſuperbiant, aut eos temere contemnant, qui in ſpeciem pauciora & minora conferunt. Quia enim illi ex ijs modò largiuntur, quæ ipſis ſuperflua ſunt, & quæ alioqui vetuſtate, ſitu, putredine aut rubigine peritura erant, reuera nihil dant. Imò cùm ne illa quidem dent omnia, ſed maiorem illorum partem in conuiuiorum luxu, veſtium mollium faſtu, ædificiorum inutilium ſuperba oſtentatione inſumant, multa item in equos, canes, accipitres, mimos, ſcurras, lenones, ſcorta, profundant, perfidi diſpenſatores, & iniuſtiſſimi bonorum alienorum vſurpatores ſunt: & proinde Deo nunquam probari poterunt.

Pauperes quoque beneficentiæ legibus tenentur. Non minus autem pauperum quoque inſtitutioni atque conſolationi dictum iſtud ſeruit. Ex illis enim multi immunitatem ſibi vendicant, nec ſe alicui debitores eſſe arbitrantur, eò quòd ipſi multis egeant, neque habeant quod alijs largiantur: Multos verò hoc ipſum diſcruciat, & ideo ſe Deo minus acceptos eſſe putant. At quia pietatis atque charitatis officia animi promptitudine & alacritate æſtimantur, vanum eſt quicquid illi prætexunt. Nam etſi neque pecuniam neque vitæ alimenta cuiquam conferre poſſis, ſtudio tamen & amore Chriſtum & huius membra proſequi potes, & ſaltem aliquo officiolo externo hanc animi tui promptitudinem teſtari. Quòd ſi hoc etiam tibi negauit Dominus, cauere tamen potes, vt quàm minimè grauis aut oneroſus ſis fratribus, neue ea tu intercipias, quibus alij magis quàm tu opus habent. Conferes ergo tu quoque non contemnendum munus in gazophylacium Eccleſiæ, ſi nihil inde auferas, ſed proprio labore vitam tuam, quoad eius fieri poteſt, ſuſtentes, vt alijs te egentioribus poſſis liberalius ſuccurri. Et quicquid huius animo ſyncero feceris, Deo gratum atque acceptum erit. Denique ſi ne hoc quidem tibi licet, preces tamen habes, quibus & publicam Eccleſiæ & priuatam illorum ſalutem iuuare poteris, quorum beneficentia ſubleuaris: vt iam alia pietatis officia omittam, quæ neque egeſtate neque corporis aduerſa valetudine impediri poſſunt. Poterant hæc copioſius tractari, ſed ſatius eſt, vt ſinguli ad opus accingantur,

gantur, & puro fidei atque dilectionis ſtudio ardentes ſeipſos & ſua omnia Deo conſecrent, huius cultum prouehant, egenis ſuccurrant, & ad ſubleuandam omnium neceßitatem ſemper parati ſint. Erit hoc officium gratißimũ Ieſu Chriſto, qui & in eo occupatos clementer reſpiciet, & olim æternæ vitæ præmijs illud compenſabit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.

HOMILIA CLXXXIIII.

Et quibuſdam dicentibus de templo, quòd pulchris lapidibus ac donarijs ornatum eſſet, dixit: Hæccine ſpectatis? venient dies, quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Interrogauerunt, autem eum dicentes: Magiſter, quando hæc erunt? & quod ſignum quando futurum eſt, vt iſta fiant?

QVàmuis Deus totum cultum Leuiticum vnà cum tabernaculo ſiue templo Iudæis eam potißimùm ob cauſam instituiſſet, vt promißionum de Meßia aut venturo humani generis redemptore ſigilla eſſent, vtque hac quaſi pædagogia ad illum deducerentur: plerique tamen templo & ſacris externis ita addicti fuerunt, vt ſub his adumbratam æternæ ſalutis rationem ſecuri nimis negligerent, imò vt externa illa ipſis ſalua eſſent, Ieſum Chriſtum hoſtiliter perſequerentur, & cum ſua doctrina extinctũ vellent. Multa igitur olim Prophetæ de templi & vrbis excidio, multa item de cultus iſtius externi abrogatione, deq; Regno Chriſti per totũ orbem propagando prædixerunt, vt ſcandalo occurrerent, quod inde infirmioribus & cultui illi aſſuetis obijciebatur: vtq; omnes ad illum amplectendum excitarent, in quo vmbrarum omnium veritas reuelari atque exhiberi debebat. At quia hæc parum mouebant Sacerdotes, qui ſacra omnia ſibi quæſtum fecerant, apud vulgus autem Prophetarum oracula ignorabantur, Dominus ea frequenter illis in mentem reuocauit, & non ſemel de templi excidio concionatus eſt hucuſque, vt pernicioſa illa cultus externi fiducia omnium animos liberaret, & ſimul Apoſtolorum ignorantiæ remedium afferret, qui terreni Regni ſpe decepti aut præoccupati nihil de illo ſublime aut cæleſte ſentiebant. At quia res iſta maximi momenti erat, pleriſque etiam prorſus indignum videbatur tale quid minitari vrbi ſanctißimæ & loco ab ipſo Deo olim electo, atque tot teſtimonijs Spiritus ſancti commendato, diligentiorem de illa diſſertationem inſtante iam mortis hora inſtituit, cuius argumentum ad finem mundi vſq; extendit, vt ſimul nobis quoque conſuleret, in quos fines ſæculorum inciderunt. Eſt igitur tota hæc doctrina non minus neceſſaria quàm vtilis conſideratu: in cuius tamẽ explicatione breuiores erimus, quia multa quæ huc transferri poſſunt, iam ante in Marco noſtro ſunt dicta. Vide Mar. homil. 106.

Occaſionem de his diſſerendi Chriſto diſcipuli dederunt, de templi magnificentia ſermonem inſtituentes, quæ operoſa lapidum ſtructura & donarijs pretioſißimis ſpectabilis erat. Mouit autem iſtos partim triſte illud de vrbis excidio vaticinium, quod illa eminus viſa adidit, vt cap. decimo nono audiuimus: partim quòd (vt Matthæus annotauit) poſt acerrimam Sacerdotum atque Scribarum corrreptionem dixerat: Ecce relinquitur vobis domus veſtra deſerta: Dico enim vobis, nequaquam me videbitis ab hoc tempore, vſque dum dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Nam hoc dicto ceu indignabundus ſe foras proripuit, vt qui loco ſanguinario & pænitere neſcijs extremum vale diceret. Itaque magnam de his cogitandi occaſionem diſcipuli habuerunt, quibus & impoßibile videbatur tantam molem, quam munitionis etiam loco ab Herode extructã fuiſſe ex Ioſephi hiſtoria patet, ſubitò euerti: imò indignum etiam putabant propter aliquorum ingratitudinem cultum illum aboleri, qui multorum ſæculorum vetuſtate, patrum exemplo, Dei authoritate & promißionum amplißimarum teſtimonijs confirmabatur. Denique non poterant animo concipere, vnquam rem eò deduci poſſe, vt cultus ille auitus & eius ſplendor Chriſto cederet, quem propter vilem ſpeciem pleriſque contemptibilem, potentioribus verò propter dicendi & corripiendi libertatẽ exoſum eſſe ſciebãt. Itaq; illi iam ex templo digreſſo magnificas eius ſtructuras oſtendunt, & non ſine admiratione dicunt: Magiſter, vide quales lapides, & qualia ædificia. Et ſanè erant iſta admiratione dignißima, ſi quæ Ioſephus de templi ædificatione tradidit conſideremus. Diſcipuli Chriſto de templi excidio diſſerendi occaſionẽ dant.

Attrahebat præterea illius ſplendor & religionis perſuaſio quàm plurimos ex longinquis regionibus, vt illic preces ſuas offerrent & ſacra facerent, ſicuti ex Actorum capite ſecundo & Eunuchi Æthiopis hiſtoria, quæ octauo capite narratur, colligi poteſt. Hi verò non contenti ſacrificijs ſolitis, inſuper anathemata & donaria illic ſuſpendebant, quibus templum magis exornabatur. Certè non multis annis ante Chriſti aduentum in carnem tanta templi diuitiæ fuerunt, vt præſentis pecuniæ bis mille talenta, & reliqui auri talenta octo millia vnà cum trabe aurea immanis atque incomparabilis pretij M. Craſſus inde abſtulerit, qui non multò poſt à Parthis occiſus tam impij ſacrilegij pœnas dedit. Non temere ergo diſcipuli, dum humanis rationibus minas Chriſti ponderant, illas admirantur, & in verba iſta erumpunt.

Ioſeph. 14. Ant. cap. 13.

Iudicij humani cæcitas.

Exhibent autem nobis memorabile humani ingenij exemplum. Etenim diſertè locutus erat Dominus, & inſuper cauſas indicarat, cur templum illud vnà cum vrbe excindi oporteret: nimirum propter impiam religionis omnis prophanationem, falſam doctrinam, venalia ſacra & immanem Verbi Dei contemptum. Magis ergo admiratione dignum erat, Dei cultum in populo hoc ita corrumpi potuiſſe, qui illius peculium olim fuerat, & Meſſiam tot ſæculis tanto patrum deſiderio expectatum ab illis ipſis non agnoſci, qui eius teſtes atque præcones eſſe debebant. At nihil horum mirantur Apoſtoli, iiſdem verò vix fieri poſſe videtur, vt tam magnifici ædificij moles corruat, & cultus ille aboleatur, in quo nihil præter turpem quæſtum videre licebat. Equidem vel Solomonici templi deſtructio ipſis in mentem venire debuiſſet, vt de Chriſti verbis minus dubitarent. Poterat autem mira videri hæc illorum oſcitantia, niſi ſimilis ſtupor hodie multorum animos occuparet. Multi enim quando Papatum non opibus modò, verumetiam Regum potentia & armis muniri atque defendi vident, ſtultitiæ nos accuſant, qui illum ſimplici Euangelij prædicatione expugnare & deijcere conemur: ideoq́ nunquam non nobis Epiſcoporum vires, Monaſteriorum opes, Cardinalium maieſtatem, Pontificum potentiam oſtendunt, ſimulq́ eorum exempla proferunt, qui olim in illis debellandis operam ſuam luſerunt. Quaſi verò negotium iſtud humanis viribus confici oporteat, & non olim iiſdem armis gentium ſuperſtitiones euerſæ ſint, quas multò fortioribus præſidijs ſuffultas fuiſſe ſcimus. Maiorem tamen reprehenſionem eorum ſtoliditas meretur, quibus dolet ornatum illum theatricum templorum aboleri, Monachorum collegia diſſipari, imagines & ſimulachra deijci, multa denique vaſtari & in nihilum redigi, quæ ſuperſtitioſi homines maximis impenſis fieri curauerunt. Atqui longè pretioſior eſt vnius animæ iactura. Cur ergo iſtis parcatur, quorum deceptione & impoſturis infinita animarum millia iam ſæculis aliquot perierunt? Minimè igitur digni ſunt iſti qui audiantur. Doleat potius Chriſtianis hominibus Veritatis doctrinam corrumpi, Dei cultum prophanari, viua eiuſdem templa & viuas Ieſu Chriſti imagines crudeliter deſtrui: gaudeant autem quantùmuis horribili ruina eorum, qui Luciferiana audacia ſeſe aduerſus Deum extollunt, vt Eccleſiam eius impia atque iniuſta tyrannide opprimant.

Templi excidium prædicitur.

Et huc facit Chriſti reſponſio, quæ diſcipulorum ſtultã admirationem confutat, & vt illos à præpoſtera illa templi & cultus Leuitici fiducia auocet, vno verbo iſta omnia ſimul quaſi abſorbet. Quod vt maiori cum vehementia fiat, ſub ſpecie Conceſſionis iubet, vt ſtructuram iſtam diligentius contemplentur, ſimul autem quid breui euenturum ſit, docet. Haccine (inquit) ſpectatis? Venient dies, quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Grauis admodum ſententia, qua diſcipuli non potuerunt non vehementer percelli, quando (vt ex eorum quæſtionibus mox apparebit) templum nunquam corruiturum putabant, quin ruinæ pondus totum orbem concuteret, & ſimul finem totius mundi afferret. At quod hîc pronuntiat Dominus, intra annos triginta octo factum eſt, ſicuti alibi demonſtrauimus: neq́ ab eo tempore templum illud vnquam inſtaurari potuit. Nam quæ hodie de locis Hieroſolymæ ſacris dicuntur, putidiſſima Monachorum hominumq́ ſuperſtitioſorum figmenta ſunt, quorum vanitas facilè ab ijs deprehenditur, qui hiſtorias Eccleſiaſticas vel obiter inſpexerunt.

Cauſæ excidij.

Quamobrem relictis ineptiis illis ſuperſtitionum architectis, potius Chriſti Ieſu veritatem atq́ potentiam agnoſcamus, & exempli huius, quo nullum à condito mundo triſtius & horribilius aditum eſt, cauſas diligentius ſcrutemur. Poteſt inter has meritò cenſeri, quòd cultum Leuiticum hoc modo aboleri oportuit, cùm tempus correctionis iam aduenisset: imò quia in illo retinẽdo plerique Iudæorum,

dæorum, qui ad Chriſti fidem conuertebantur, pertinaciores erant, ipſam ſuperſtitionum officinam euerti neceſſe fuit, ne quæ reliqua eſſet illas exercendi occaſio. At poterat hoc abſque vrbis & populi tam lamentabili luctuoſoq́ excidio fieri, vt autem ſic fieret, Iudæorũ ingratitudo & incurabilis contumacia merebatur, cum qua iam ſæculis aliquos Prophetæ nequicquam luctati fuerant, & quam ipſe Chriſtus hucuſq́ neq́ docendi monendiq́ aſsiduitate, neq́ miraculis ſaluberrimis frangere potuerat. Imò vt in ſua venientem non receperunt, ſed Romanorũ armis occidi curauerunt: ita eiuſdem Apoſtolos crudeliter perſecuti ſunt, & in toto terrarum orbe aduerſus naſcentem Euangelij doctrinam tumultus concitauerunt, quibus eius curſum atq́ progreſſum impedirent. Itaq́ grauiores pœnas iſta contumacia merebatur, & (quod prouerbio dicitur) malo nodo malus cuneus quærendus erat, vt toti mũndo exemplum proponeretur, quanti Deus faciat Filij ſui prædicationẽ, & quibus pœnis coercere velit omnes eos, qui ſimili contumacia aduerſus illum pugnant. Experti ſunt certè eandem Dei ſeueritatem multi alij, & imprimis memorabilis eſt Romani Imperij calamitas atq́ ruina, quã Imperatores ſua audacia & impietate ſibi accerſiuerunt. Et noſtro ſæculo partim externis partim ciuilibus bellis eos atteri & confici videmus, qui Euangelio Chriſti locum dare dedignantur. Nec meliorem ſortem ſperare nobis licet, quando mundus quotidie in peius proficit, & cùm teterrima monſtra ſcelerum omniſq́ impietatis authores patienter ferat, eos ſolos exitio dignos iudicat, qui Deo Creatori & Redemptori ſuo fidele obſequiũ præſtant. Nituntur quidem impij illi Thraſones inani potentiæ ſuæ perſuaſione, quæ infelices dementat, vt fœdera ſua, opes, conſilia, munitiones, ſplendorem deniq́ & authoritatem ſuam Chriſto opponere auſint. Sed arundineo baculo nituntur, neque mundi huius ſplendore ille perſtringitur aut terretur, qui principem mundi iam olim deuicit, & nunc in cœlis ita triumphat, vt Eccleſiæ ſuæ curam minimè depoſuerit, ſed eandem in medio ſuorum hoſtium conſeruet atque tueatur. At quod apertis Chriſti hoſtibus dicitur, non minus ad ſe pertinere putent, qui Euangelij quidem doctrinam profitentur, diſciplinã autem nullam ferre volunt, & iugum omne conculcant, vt pro ſua libidine vitam viuere poſsint, in qua pietatis Chriſtianæ veſtigia nulla videre poſsis. Eſt ingens horum numerus hodie, qui vt ſeipſos Chriſtiano nomine indignos eſſe produnt, ita multorum quoque aliorum progreſſum remorantur. Non deerit autem cauſæ ſuæ Dominus, & olim iudicio ſuo omnes eos coercebit, qui nunc neque ipſi ſe iudicant, neque ab alijs iudicari vel in ordinem cogi volunt.

Diſcipuli de tempore excidij quærũt.

Sed redeamus ad Chriſti diſcipulos, quos illum interrogauiſſe Lucas ſcribit: Magiſter, quando hæc erunt? & quod ſignum quando futurum eſt vt iſta fiant? Plura de hac parte annotarunt Marcus & Matthæus, quorum ille quidem & locum nominat, & eos, qui ipſum interrogauerunt: Petrum nimirum & Iacobum & Ioannem atque Andream: hîc verò cum loco ipſam quoque quæſtionem diligentius exponit, ſic ſcribens: Sedente autem eo in monte oliuarum acceſſerunt ad eum ſecretò diſcipuli, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi? Secretò agunt, quia propter efferatos in aſſueta ſuperſtitione animos Iudæorũ minimè tutum erat quicquam de templi excidio aut cultus illius abrogatione dicere, ſicuti ex ijs apparet, quæ Stephano & Paulo poſtea acciderunt, quorum hic quidem per tumultum captus eſt, quòd ethnicos in templum introduxiſſet, ille verò lapidatus quoque, quòd quædam contra illud contumelioſius dixiſſe putaretur. Quid, quòd ipſi Chriſto inter cætera crimina hoc per falſos teſtes fuit obiectũm, quòd templi deſtructionem eſſet minatus? Prudenter ergo agunt diſcipuli, & ſuo exemplo docent, ne temere in publico moueamus quæſtiones de rebus, quæ aut non neceſſariæ ſunt cognitu omnibus, aut periculum non neceſſarium nobis ipſis vel alijs poſſunt conflare. Ex vno autem Chriſti dicto tres quæſtiones illi eliciunt. Primam, quando excidium iſtud templi futurum ſit? Alteram, quo ſigno hæc futura eſſe, poſsint deprehendere? Tertiam, quando ipſe ad iudicium venire velit & huic ſæculo finem imponere? Poterat autem inepta nimis & abſurda videri poſtrema quæſtio, ſed cauſa huius fuit, quod falſa Regni Chriſti in terris ſpe ſiue expectatione decepti, illum Hieroſolymis regni ſedem perpetuam habiturum eſſe iampridem ſibi perſuaſerant: Non poſſunt ergo aliam templi ruinam aut demolitionem animo concipere, niſi quæ ſimul totius mundi conſummationem ſecum afferret. Et ſolet hoc ferè omnibus accidere, qui terrena admirari aſſueuerunt, & ſibi in illis aliquid ſtabile aut perpetuum pollicentur: multorum quoque confidentia eò vſque interdum progreditur, vt

Quæſtio triplex.

minas de regnorum huius ſæculi pœnis ſiue excidio cum riſu atq; ſcurrilibus dicterijs excipiant, quærentes: Quid ſi cœlum ruat?

Curioſitatis exemplum. *Non inhæſit autem iam prophana ſecuritas in diſcipulorum cordibus, veruntamen ijdem nobis curioſitatis humanæ exemplum præbēt, quæ frequenter ex fidis Dei admonitionibus occaſionem de rebus inutilibus quærendi arripit. Quid enim proderat de tempore & ſignis templi deſtructionem præituri quærere? Satius certè fuiſſet iam diræ ſententiæ cauſas ſcrutari, & rationem euadendi ex tanto periculo inueſtigare. Sed ſimili curioſitate hodie etiam vbique peccatur. Prædicuntur pœnæ, quibus mundi ſcelera Deus punire ſtatuerit: & ideo prædicuntur, vt eas ardenti pœnitentiæ ſtudio auertamus, & ipſi priores occurramus Domino, ne quid durius in nos decernat. At plerique neglecta pœnitentiæ doctrina de temporum articulis, de ſupplicij genere & modo, deq; infinitis alijs diſputare incipiunt, quæ nihil conferunt ad hominis ſalutem. Similiter quando de nouiſſimo Chriſti aduentu ſermo eſt, multi ad inutiles quæſtiones de tempore illius, de iudicij tunc futuri ratione atque forma, de conditione itē vitæ cœleſtis totiusq; futuri ſæculi conuertuntur, contemptis admonitionibus, quibus nos Dominus aduerſus temporum nouiſſimorum ſcandala & pericula inſtruxit. Idem fit quando Dei percutientis manum mundus hic ſentit, & vel bellis, vel fame, aut peſte alijsque plagis caſtigatur. Tunc enim plerique ad artes fatidicas conuerſi ab aſtrologis, ariolis & Magis conſilia petunt, quæ ex Scripturis peti debebant. Sunt hæc aliena à religione Chriſtiana, & ſimul pœnitentiæ obſtant, quò minus ad Deum conuertantur, qui eum ſuis ſceleribus ad iram iuſtam prouocauerunt. Nos ergo Ieſum Chriſtum audiamus, qui nobis à Patre cœleſti doctor datus eſt, quique de omnibus ſcitu neceſſarijs ita nos inſtruxit, vt falli non poſſint, quicunque ipſum ſecuti fuerint. Ei debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CLXXXV.

Ipſe verò dixit: Videte ne ſeducamini, Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & tempus illud appropinquat. Ne igitur ſequamini eos. Cùm verò audiueritis bella & ſeditiones, ne terreamini: oportet enim iſta primum fieri: ſed non ſtatim erit finis. Tunc dixit eis: Inſurget gens in gentem, & regnum in regnum: & magni terræmotus erunt ſingulis locis, & fames ac peſtilentiæ, & terriculamenta, & ſigna è cœlo magna erunt.

vide Mar. homil. 107. *QVemadmodum Deus olim in Iudaici populi exemplo, quem ex omnibus gentibus ſibi in peculium ſelegerat, bonitatem & miſericordiam ſuam, qua omnes homines complectitur, ſpectandam propoſuit: ita in eiuſdem reiectione & diſſipatione omnium ſæculorum homines docet, quæ pœna eos omnes maneant, qui oblatam ſibi in Ieſu Chriſto gratiam contemnunt atque aſpernantur. De illa ergo olim Prophetæ multa concionati ſunt, Chriſtus autem nuper paucis verbis omnia comprahendit, quæ ad iſtam cauſam faciunt. Dum enim vrbi ſimul & templo excidium irreparabile denuntiat, non obſcurē docet, ita perituros eſſe, vt cultum quoque illum, quo nunc glorientur, ſimul aboleri oporteat, ideoq; neque Dei populum ipſos porrò fore, qui hucuſque titulum iſtum ſibi præ alijs gentibus vendicarint. Fuit ſententia iſta admodum grauis, & diſcipulis quoq; auditu difficilis viſa eſt, qui ideo quæſtiones mouerunt, quando iſta euentura ſint, & quibus ſignis tanti mali initium poſſint agnoſcere. Nec de ſolo templi & vrbis excidio quærunt, ſed huic mūdi quoq; conſummationem coniungunt: quia templum & cultum iſtum non prius aboleri poſſe putabant, quàm totus hic orbis terrarum periret. Reſpondet ergo illis Dominus non minus placidè & benignè quàm prudenter ac grauiter. Nam etſi ipſorum partim ignorantia partim curioſitas grauem repræhenſionem mereretur, parcit tamen ille infirmitati ipſorum, & ab inani regni terreni & lætæ pacis expectatione reuocatos de ijs admonet, quæ ipſis cognitu & obſeruatu neceſſaria erant: Ne videlicet impoſtores audiant, qui nouam populi liberationem polliceantur, neque truce & periculoſis huius mundi turbis offendātur, ſed in agnita Veritatis ab ipſo tradita confeſſione conſtanter perſeuerent.*

Et quia

Et quià ipſi cum templi excidio quæſtionem de huius ſæculi conſummatione coniunxerant, eiuſmodi ſigna proponit, quæ ad hanc quoque extendi poſſunt: idq; certa cum ratione facit. Nam vt olim populi Iudaici liberationes ex Ægypto & Babylone redemptionem totius humani generis adumbrauerunt: ita eiuſdem exitiũ finis mundi huius typus eſſe debuit. Quapropter quæcunq; de Iudæis atq; Hieroſolyma vel templo dicũtur, ſic à nobis conſiderari debẽt, vt ea ad noſtra quoq; tẽpora transferamus, & illorũ conſideratione ad glorioſum Ieſu Chriſti aduentũ præparemur, qui procul abeſſe nõ poteſt.

Primò de impoſtoribus agit, & quid aduerſus illos obſeruari debeat, vno verbo monet, dicens: Videte ne ſeducamini. Ita verò oſtendit, nullum curioſis quæſtionibus locũ eſſe, quando pericula inſtent, quæ vnumquenq; ſalutis propriæ curam habere cogent: & quæ niſi caueantur, toti populo exitium allatura ſint. Et ne fruſtra monere videatur, periculum quaſi digito oſtendit. Multi enim venient (inquit) in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus: & tẽpus illud appropinquat. In nomine Chriſti venire dicuntur, qui ſe ab eo miſſos eſſe gloriantur. Hîc tamen non eos modò perſtringit, verumetiam alteros illos, qui impudentia audaciori elati, ipſius gloriam atq; officium ſibi vendicant, dum ſe populi vindices & ſalutis authores eſſe pollicentur. Nam vt aliâs monuimus, Chriſti ſeu Meſſiæ nomine Iudæi Seruatorem illum olim patribus promiſſum intelligebant. Quod autem hoc loco Dominus prædicit, id reuera factum eſt. Nam vt Ioſephus ſcribit, quam plurimi iudices prodierunt, qui libertatis auitæ & priſtini regni pollicitationibus populo rerum nouarũ authores fuerunt, vt nunc quidem in locis deſertis, nunc prope vrbem ad montem Oliuarum armati colligerentur, ſeq; in deijciendis Romanis præſidijs aliquid effecturos ſperarẽt. Et Gamaliel (vt Lucas in Actis prodidit) Theudæ cuiuſdam & Iudæ Galilæi meminit, qui tale quid conati ſint: quibus adnumerari debet alter Galilæus, qui non multò ante poſtremum Pauli in vrbem aduentum quatuor millia ſicariorum in deſertum eduxit, vt ex Tribuni ad illum verbis apparet. Fuerunt nebulones iſti ſeditionum multarum authores, ex quibus tandem miſerabilis totius gentis diſperſio enata eſt. Iuſto autem Dei iudicio fiebat, vt qui in Patris nomine in ſua venientem Dei Filium reiecerant, impoſtoribus locum darent, qui priuati commodi ſpe res nouas cum multorum interitu moliebãtur. Nec tamen corporibus & fortunis ſolis illi nocuerũt, ſed infelici populo cauſa fuerunt, vt toties decepti & ludificati tandem à Meſſiæ nomine, vt omnium inauſpicatiſſimo, abhorrerent, omnemq; ſalutis ſpem abijcerent: denique in Ieſu Chriſti, veri redemptoris, odio quotidie magis confirmarentur: in quo adhuc hodie infelices illi pertinaciſſimè perſeuerant. Cauendi ſeductores. Act. 5. & 21.

Eſt hoc memorabile, imò horrendũ exemplum, quo admonemur, quibus pœnis Deus in Filij ſui contemptores atq; hoſtes animaduertat: Vt nimirum excæcati impoſtoribus præda fiant, qui blanditijs, promiſſionibus, & ſæpe etiam minis eos adducunt, vt ea tentent, quæ præſens exitium ipſis afferunt. Nam quod Iudæis accidit, hoc ipſum Paulus nouiſſimis temporibus euenturum minatur, vt qui Veritatis doctrinam ferre nolunt, dæmoniorum doctrinis circumueniantur, & in Antichriſti laqueos incidãt, qui partim aperta vi, partim dolis & falſa doctrina eos miſerè ſeducat. Quod factum eſſe iam nemo non videt. Nam vt de toto Oriente nihil dicamus, quem poſt hæreticorum cõtra Chriſtum non minus impiè quàm contumelioſe diſputantiũ phalanges, tandẽ Mahumetica tyrannis totum oppreſſit: non minus horrenda ſunt, quæ in Occidente acciderunt. Poſtquã enim Romanorũ ad veteres ſuperſtitiones aſpirantium audacia eò vſq; excreuit, vt ab Imperatoribus Valentiniano, Theodoſio & Arcadio, per Symachũ priſcũ illum Deorũ cultum & victoriæ arã cum Veſtalibus virginibus reſtitui peterẽt, & paſſim iã inter Chriſtiani nominis profeſſores omniũ ferè ſtudia circa religionem frigerent: illico manũ ſuam Deus exeruit, & vrbem Romã Gotthis, Vandalis & alijs barbariſſimis nationibus diripiendã tradidit, quæ tãdem lacera & diuturnis calamitatibus fatigata Antichriſto ceſſit, cuius tyrannis breui tẽpore per infelices orbis Chriſtiani religionis extenſa Eccleſias ſimul omnes & Regna in ſeruitutem turpiſſimam redegit. Venit is reuera in Chriſti nomine, quãdo quæcunq; huius ſunt ſibi vendicat, & eius vicariũ ſe eſſe gloriatur. Nam & Sacerdotiũ nouum inſtituit, in quo pro viuentiũ et defunctorũ peccatis ſacra fiunt, & Regnũ ſiue Imperium excitauit, cuius potẽtia ipſis quoq; Imperatoribus & Regibus iam ſæculis aliquot intolerabilis & formidoloſa fuit. Taceo nunc impuros Monachos & rapaces Sacrificos, quibus parum videtur ſuperſtitionibus vaniſſimis conſcientias hominum grauauiſſe, niſi inſuper libidine ſua muliercularum corporibus in- Impoſtoribus præda fiunt qui Chriſtum nolũt audire.

ſultent, & in omnium fortunas manum inijciant. Gemunt ſub iſtorum fœda tyrannide omnis loci ac ordinis homines, & de eadem principes quoq; non obſcurè conqueruntur: ferunt tamen illam magno cum nominis ſui dedecore & fortunarum omnium diſpendio: ita nimirum Filij ſui & Euãgelij contemptũ vindicante Deo inter eos, qui oblatam in hoc ſalutẽ immani & impio faſtidio aſpernantur.

Non cuiuis credendum, qui ſpiritum iactat.

At non debet cõmune exemplum infelicis mundi aliquem mouere, quò minus ſibi etiam dici putet à Chriſto: Videte ne ſeducamini. Item, Ne ſequamini eos. Falluntur multi, quòd ſe extra culpam conſtitutos putant, ſi non mala animi intentione eos ſequantur, qui Chriſti nomine ad alios decipiendos abutuntur. Sed inanis eſt excuſatio illa, eò quòd ne quoſuis ſequamur Chriſtus prohibet, & hoc ouibus ſuis proprium eſſe dicit, quòd inter fidi paſtoris & mercenarij vocem poſsint diſcernere. Idem per dilectum illum diſcipulum clamat: Dilecti, ne cuiuis ſpiritui credatis: ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint. Neque adeò difficile eſt in fidei & religionis cauſa verum à falſo diſcernere. Quia enim (vt Paulus admonet) nemo qui ex Dei Spiritu loquitur, Ieſum poteſt anathema dicere, nemo item eundem, niſi Spiritu Dei agatur, Dominum profiteri poteſt: dubium non eſt, Veritatis doctores eſſe omnes eos, qui Ieſum Dominum, id eſt redemptorem, Regem & Sacerdotem Eccleſiæ ſuæ vnicum eſſe docent, & eidem redemptionis atque ſalutis noſtræ gloriã omnem tribuunt: è contra autẽ impoſtores & maligni ſpiritus organa eſſe eos, qui illum laude ſua ſpoliant, dum ſaluẽ alibi monſtrant, noua pro peccatis ſacrificia fingunt, Mediatores & Aduocatos alios nobis obtrudunt. Quid enim eſt Ieſum anathema dicere, ſi hoc non eſt? Ita enim mendacij arguitur, qui dixit: Ego ſum Via, Veritas & Vita: Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introiuerit, ſeruabitur. Conſentit his Ioannes, quando in loco, quem paulò ante adduximus ſubijcit: Per hoc cognoſcite Spiritum Dei: Omnis Spiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. At quicunque Spiritus non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, is ex Deo non eſt: ſed hic eſt Spiritus ille Antichriſti, &c. Neque hîc mihi aliquis obijciat, aduerſarios non minus quàm nos Filij Dei in carnem aduentum profiteri ac docere. Nec enim hîc de rei geſtæ hiſtoria nobis ſermo eſt, ſed de ipſo rei effectu. Etenim fruſtra incarnationem Ieſu Chriſti affirmauerit, qui ea negat, propter quæ illum in hũc mundum venire & hominem fieri oportuit. Quod quia non aliam ob cauſam factum eſt, quàm vt peccata noſtra in ſe transferret, pro iiſdem in ara crucis ſatisfaceret, Patrem nobis placaret, & eiuſdem filios atq; cohæredes ſuos nos efficeret: næ vana atq; inutilis fuerit Chriſti Ieſu in carne manifeſtati profeſsio, ſi iſta omnia alibi, quàm apud illum quæſiueris. Hîc ergo aures arrigant Chriſtiani homines, & de particula, Solus, nobis litem eſſe meminerint. Ita enim hæc omnia nobis Chriſtus meruit, vt non aliud nomen ſub cœlo hominibus datum ſit, per quod ſeruari poſsimus, præter ſolum illum. Quod vt olim Apoſtoli omnes vno ore teſtati ſunt: ita ipſe per Prophetam clamat: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Quid ergo verbis opus eſt? Si qui non vnum Chriſtum prædicant, ſed quæ huius ſunt, vel ſibijpſis vel alijs quibuſcunque creaturis tribuunt, ij Chriſtum nobis nouum fingunt, & proinde ex eorum numero ſunt, quos ſequi ille prohibet. Clamant aliqui, obediendum eſſe magiſtratui, & obedientiæ titulo eos excuſari, qui ex principũ mandato falſos doctores ſequuntur. Sed hoc nouum Theologiæ genus eſt, quod ſi admittatur, Prophetas ſimul & Apoſtolos vnà cum ſanctiſsimo illo Martyrum choro damnabimus, qui omnes ideo crudeli & horrendis ſupplicijs occiſi ſunt, quòd Deo potius quàm hominibus obedire maluerunt. Vide Actorum capite 4. & 5.

1. Ioan. 4.

1. Cor. 12.

De Cruce & afflictionibus admonet.

Sed ad alteram huius loci partem tranſeamus, qua de Cruce & afflictionibus diſcipulos admonet, ne his ex improuiſo incidentibus offendãtur. Sic autẽ ait: cùm audieritis bella & ſeditiones, ne terreamini: Oportet enim iſta fieri, ſed non ſtatim erit finis. Et mox periculi huius magnitudinẽ clarius exprimit, dicens: Inſurget gens in gentem, & regnum in regnum: & magni terræmotus erunt ſingulis locis, & fames ac peſtilentia, et terriculamenta: & ſigna è cœlo magna erunt. Atqui hæc etiã omnia priuſquã vrbs cum templo excinderetur, eueniſſe, ex hiſtorijs abunde patet. In Iudæa ſeditiones indies nouæ exortæ ſunt, quarũ aliquas impoſtores illi excitarũt, de quibus ante diximus: multis autem occaſionẽ & initiũ dederũt Romani præſides, qui vel auaritia vel odio gẽtis Iudaicæ extimulati multa tentabant, quæ ipſis intolerabilia videbãtur. Pilatus certè cũ altero mox à Chriſti morte

anno

anno Cæſaris imaginẽs in templo collocauiſſet, primam totius populi ſeditionem mouit. Nec multò poſt alterius quoque tumultus fuit author, quãdo theſaurum templi ſiue pecunias ſacras in aquæductum inſumpſit. Anno autẽ Claudij Imperatoris ſeptimo, ſub præſide Tiberio Alexandro in die azymorum tanta Hieroſolymis ſeditio coorta eſt, vt circiter viginti millia hominum inter ſe compreſſorum perierint. Sub Felice autem præſide latrones quoque per Iudæam horribiliter graſſati ſunt, quibus Magi ſeductores acceſſerunt, inter quos Ægyptius ille fuit, cuius nuper mentio facta eſt. Et Felice iam diſcedente ex Iudæa, per tumultum Cæſareæ ingens Iudæorum multitudo perijt. Cùm verò tot tantiſq; calamitatibus non ſolùm non frangerentur, verumetiam poſtremò armis ſumptis aduerſus Ceſtium Florum inſurgerent, bello initium dederunt, quod vrbi & Templo exidium attulit. Adde his, quòd toto terrarum orbe tumultus dederunt, vt Euangelij prædicationem impedirent, ſicuti Lucas in Actis teſtatur. Feruente autem bello Iudaico, Romani mortuo Nerone inter ſe cõmiſſi de imperio certarunt, Galba, Ottone, Vitellio & Veſpaſiano ducibus. Terræmotuum quoque mentionem hiſtoriæ faciunt, vt famis quoque, ſicuti alibi annotauimus. A quibus malis non potuit abeſſe lues & peſtilentia, quæ bellorum vel comes vel pediſequa eſſe conſueuit. Acceſſerunt his terrores maximi, qui quotidie noui obijciebantur: prodigia item & ſigna, quibus Deus iram ſuam cælitus quoque minitabatur: ſed & in agro & in media vrbe multa acciderunt, quæ cùm alibi commemorauerimus, eadem hîc repetere non eſt opus. Ita verò tractari merebantur, qui pacis authorem Ieſum Chriſtum Barrabæ latroni & ſeditioſo poſtpoſuerant, Euangelium pacis faſtidiebant, & immerentes atque ſanctiſſimos homines, Ieſu Chriſti ſeruos, indignis modis affligebant. Quòd ſi quis quæ iam ſeculis aliquot facta ſunt, & quæ quotidie fiunt, exponere inſtituat, is dicendi initium facilius quàm finem inuenerit, ideoq; oceanum illum bellorum, ſeditionum, malorum deniq; omnium ingredi nolumus, cui exhauriendo nullus labor ſuffecerit.

Nunc obſeruatu digniſſimum eſt, quòd cum paulo ante de ſeductoribus & Antichriſtis verba feciſſet, mox bella, ſeditiones atque tumultus publicos ſubijcit. Etenim horum malorum illos præcipuos in Iudæorum gente authores fuiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Et olim Ieremia docente, bellum Babylonicum extrahebant pſeudoprophetæ, qui magnificis de ciuitatis ſanctæ & regni Iudaici perpetuitate promiſſionibus Zedechiam & proceres aulicos accendebant, ne Nanchodonozori ſeſe dederent. Quòd ſi gentium hiſtorias legamus, nonne maxima bella & grauiſſimas reipub. mutationes plerunq; ab illis excitatas fuiſſe videbimus, qui ſapientiæ & religionis exiſtimatione eximij ad Deorũ oracula & hominum ſuperſtitioſorum vaticinia omnes remittebant? Itaque potentiſſimi reges non ſolùm ex Sacerdotum ſuorum conſilio, verumetiam nutu alicuius veneficæ anus aut puellæ furioſæ, per quam diaboli ſpiritus loquebatur, bella ſolebãt ſuſcipere, quibus non rarò ſeipſos in extremum diſcrimen adduxerunt. De Romanis Pontificibus quid opus eſt dicere? qui vt initio aliorum armis ad regnum ſuum inſtaurandum abuſi ſunt, Longobardorum nimirum contra Græcos, mox Francorum contra Longobardos: ita ab eo tempore nunquam deſtiterunt Imperij & regnorum tranſlationibus bella ex bellis ſerere. Quid verò de Concilijs ipſorum authoritate indictis dicemus, quorũ exitus iam ſeculis aliquot ſemper turbulentus fuit, vt non temere tanquam prouerbio iactetur: Omne Concilium parit bellum? Quod exemplorũ commemoratione confirmari minimè opus eſt, cùm Tridentinum Concilium iam annis ferè viginti quatuor grauiſſimorum bellorum faces accenderit, quibus primùm Germania noſtra accenſa fuit, nunc autem per annos octo infelix Gallia miſerabiliter ardet. Quid, quòd ne pax quidem diuturna eſt vnquam, quæ Pontificibus authoribus ſiue mediatoribus fit? Solent enim hi ferè inſidioſas conditiones interſerere, ne illam turbandi occaſio deſit, ſi ita ſibi vtile atq; commodum eſſe videant. At digni ſunt, vt ſanguinarijs illorum artibus ludificentur, qui manſuetiſſimum illum pacis veræ atque ſtabilis authorem, Ieſum Chriſtum, nolunt admittere. Prodeſt autem in iſtorum conſideratione crebrò ac diligenter verſari eos, qui Euangelij cognitione iam illuminati ſunt, vt Pontificum tendiculas atq; laqueos caueant, neue perſecutionum aut turbarum metu illorum tyrannidi ſeſe iterum ſubijciant, quæ ipſis grauiorum malorum cauſa ſit. Antichriſti bellorum authores ſunt.

Et huc pertinet Chriſti admonitio, qui nos turbari aut terreri prohibet, ſi quid huius audiamus. Poſſet id partim præſtitu impoſſibile, partim etiam inhumanũ videri. Quis enim nõ moneatur, quando orbem terrarum bellis & tumultibus ardere, & patriam dulciſſimam eidem periculo iam impli- Ne terreamini.

citam, aut certè vicinam eſſe videt? Et vt aliorum calamitatibus commoueamur, pium atq; Chriſtianum eſt. Imò niſi iſta irati Dei iudicia nos perterrefaciãt, nunqnam ad ſerium pœnitentiæ ſtudium accendemur, vt ad illum redeamus, à quo peccando diſceſſimus. Cæterùm Dominus admonitionem iſtam ad officium reſtringit, cui diſcipulos ſuos deſtinauerat. Iubet ergo, vt quàmuis iſta fieri videant, forti tamen & conſtanti animo per omnia ſeditionum atque bellorum pericula eluctentur, neque deſinant lætum illud Euangelij nuntium in medijs publicorum tumultuum terroribus & armorum ſtrepitu diuulgare. Quod illos feciſſe ex hiſtorijs conſtat. Porro quod illis hîc dicitur, ſibi dictum putent hodie omnis loci & ordinis homines, & meminerint, Deo obſequium præſtari debere tunc quoque, quando tota mundi facies diuerſum ſuadere videtur. Quid enim nobis hodie accidit, quod non olim Apoſtoli quoque ſenſerint, quorum vocationi non ſolum temporum illorum turbæ, verumetiam omnia ea obſtabant, quæ in mundo potentiſſima & prorſus inuicta videbantur? Perruperunt tamen illi ſancta conſtantia, & feliciſſimus fuit rei difficillimæ euentus. Imitentur ergo illorum exemplum omnes, ij, qui ad Eccleſiæ aut Reipub. gubernacula ſedent: & illi quidem Verbi Dei tubam inflare pergant, vt ad fidei conſtantiam omnes excitent, hi verò intrepida animi fortitudine nauim ſibi commiſſam per periculorum fluctus dirigant, nec quicquam metuant, quando Verbi Dei Cynoſuram ſequentibus omnis curſus expeditus & facilis tutusq; erit.

Prouidētiæ Dei conſolatio. *Sed præſtat rationes inſpicere, quibus in præſenti diſcipulorum animos Chriſtus confirmat. Oportet (inquit) iſta primùm fieri, ſed non ſtatim erit finis. Primùm ad Dei prouidentiam eos remittit, & ex communi ſenſu argumentum petit, quo docemur patienter ferendum eſſe quod mutari non poteſt. Nam qui ſub onere luctantur & impatientius ferunt, quod omnino ferre coguntur, ij pondus magis aggrauant, & non modò laborum maiorum verumetiam ſæpe periculorum ſibi authores ſunt. Et quantum adiumenti in omni labore ſiue afflictione nobis afferat patientia, quotidie experimur in ijs, qui vel morbis diuturnis, vel alijs aduerſis exercentur. Patientiæ autem fortiſſimum fulcrum eſt diuinæ prouidentiæ conſideratio, quæ non ſolùm de neceſſitate decretorum Dei nos admonet, verumetiam docet eius iudicia iuſta, æqua, ad hæc nobis ſalutaria eſſe, & proinde nullam nobis eſſe de illis quiritandi occaſionem. Ne tamen certamen breuiuſculum animo conciperent diſcipuli, & poſt vnam atque alteram luctam ſe omni officio defunctos putarent, de perpetuis laboribus eos admonet, quando finem malorum non ſtatim appariturum, imò hæc malorum initia modò fore dicit. Quod de Iudæis veriſſimè dictum fuiſſe euentus docuit: quando conſtat omnia, quæ ab aſcenſione Chriſti per annos circiter triginta ſex paſſi ſunt, luſum iocumq; fuiſſe præ illis, quæ poſtea feruente iam bello & in vrbis obſidione atque excidio acciderunt. Neque aliter fieri poterat, cùm ipſi indies contumaciores fierent, & cum Dei iuſtitia ſimul atque longanimitate luctarentur. Atqui idem de noſtris temporibus poſſumus dicere. Creſcit quotidie mundi impietas, & in peius ſubinde proficiunt qui ſemel aduerſus Euangelij doctrinam hoſtiles animos conceperunt. Apud eos autem, qui illam profitentur, exitialis ſecuritas atque ſocordia regnat, in quam mox relabimur, etiamſi nos aliquando Deus ſeueriori flagello excitet. Quid ergo nobis polliceamur aliud, quàm neceſſe eſſe, vt periculis & turbis publicis nos Deus exerceat, neq; finem fore malorũ, donec ipſe Chriſtus glorioſo ſuo aduentu mundum hunc totum cum ſuis ſtudijs deprauatiſſimis aboleat? Diſcant ergo omnes in horum conſideratione diligenter verſari, & æternæ Dei voluntati ſeſe ſubijciant, patienter autem ferant crucem Ieſu Chriſti, vt olim eiuſdem cohæredes fiant: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CLXXXVI.

Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus ſuas, & vos perſequentur, tradentes in Synagogas & carceres, adductos ad reges ac præſides, nominis mei cauſa. Hæc autem cedent vobis in teſtimonium. Habete igitur fixum in cordibus veſtris, non eſſe præmeditandam defenſionem. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neque reſiſtere omnes qui ſe vobis opponent. Trademini au-

tem

tem etiam à parentibus & fratribus & cognatis & amícis: & morte mulctabunt aliquos ex vobis. Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum. Sed pilus capitis veſtri non peribit. Per patientiam veſtram poſsidete animas veſtras.

QVoniam diſcipuli de excidio templi Hieroſolymitani & totius mundi conſummatione quæſtionem mouerant, Chriſtus reſponſionem ita inſtituit, vt ſimul grauiter de omnibus admoneat, quæ tam ipſos illo tempore ſcire oportuit, quàm nobis etiam hodie cognitu & obſeruatu neceſſaria ſunt. Et hactenus quidem de cõmunibus periculis diſſeruit, quæ ex seductoribus, pſeudochriſtis, ſeditionibus, bellis, fame, peſte aliiſq; huius generis calamitatibus naſcitura ſint. Cæterùm ne diſcipuli, quorum animos falſa de regno eius terreno perſuaſio iampridem occupauerat, ſe extra omne periculum conſtitutos fore putarent, nunc ad illos accedit, & quid ipſis in credito ſibi munere euenturum ſit docet. Erat autem iſta admonitio admodum neceſſaria. Nam vt pericula improuiſa magis terrent: ita portento ſimile videri poterat, Euangelij doctrinam, qua nihil ſimplicius, ſuauius & ſalutarius inueniri poteſt, ita omnibus exoſam eſſe, vt aduerſus eam, ceu ad commune incendium reſtinguendum omnes concurrant. Id certè hodie multos terret, qui hoc ſaxum voluunt, multos item vehementer offendit, qui nondum eò vſq; profecerunt, vt mundi iudicio nihil prorſus in hac cauſa tribui debere intelligant. Vt ergo Apoſtolos olim de his admoneri neceſſe fuit: ita quæ ipſis dicuntur, non minus ad nos pertinere putemus. Quia enim mundus ingenium ſuum perpetuò retinet, eadem quoque omnibus ſæculis erit ſeruorum Chriſti conditio: quos ideo ad perpetua certamina armari oportet. Nam etiamſi interdum Halcyonia quædam Eccleſiæ obtingunt, vt à laboribus reſpirare poßit, nunquam tamen illa diuturna ſunt, plerunq; ex improuiſo exorientibus ventis, quibus & mundus hic turbatur, & Eccleſia præ alijs oppugnatur. Vide Marc. Homil. 168.

Porro partem iſtam à diligenti temporis conſignatione Dominus orditur, dicens: Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus, &c. Quaſi diceret: Ne putetis vos eorum, quæ hucuſque dixi, otioſos modò ſpectatores fore, vt qui ex portu nauales pugnas aut inter fluctus atque naufragia periclitantes ſpectare ſolent. Nam adeò vobis iſtud non dabitur, vt potius à vobis malorum iſtorum initium futurum ſit, & vos primi in arenam protrahendi ſitis, qui hanc pugnam decertetis. Nam priuſquam bellum illud fatale exardeſcat, quo vrbem cum templo excindi oportet, aduerſarij veſtri, qui & mei hoſtes ſunt, vobis manus inijcient, voſq; hoſtiliter perſequentur: imò ad Synagogas citabunt & in carceres detrudent, inde ad Regum & præſidum tribunalia producent, vbi de criminibus capitalibus accuſabimini. Ad iſta ergo vos præparari velim, & diligenter cauere, ne periculis tantis & indomito hoſtiũ furore offenſi ſuccumbatis. At hæc à Chriſto veriſsimè illis prædicta eſſe, Actorũ liber prolixè teſtatur, qui ad huius loci expoſitionem nobis locupletiſsimi commentarij loco eſſe poteſt. De priuatis periculis diſcipulos admonet.

Cæterùm miretur aliquis, cur regnorum atque vrbium excidia ferè à piorum perſecutione & grauiſsimis, quibus hi exercentur, afflictionibus initium ſumant. Nam quod Apoſtolis accidit, hoc ipſum poſtea quoque accidiſſe ſcimus, vt Romani Imperij ruinam horrendæ perſecutiones præceſſerint, quibus tota Eccleſia vbiq; terrarum grauiter concuſſa atq; afflicta fuit. Et hodie huius generis exempla in regnis florentiſsimis vidimus, quæ Deus ſeueriori flagello caſtigare voluit. Sed vt ita fiat, partim Dei iuſtitia atq; honor, partim hominum ſalus exigit. Oportet enim, vt Petrus ait, iudicium à domo Dei incipere, ne in ſuis indulgenter nimis ferre putetur ſcelera, quæ in alijs ſeueriſsimè punit, & ita eius exiſtimatio in periculum veniat. Deinde mundum totum excitare vult Dominus, vt quando impij ſe multò meliores tam indignè tractari vident, cogitare incipiant quid ipſi mereantur, qui hucuſq; peccata peccatis impiè accumulauerunt. Et huc illud Chriſti pertinet: Si hoc fit in viridi, quid fiet in arido? Item quod Apoſtolus dicit: Si iuſtus vix ſeruatur, impius & peccator vbi comparebit? Tertiò ſuos à mundo ſeparare ſolet Deus hoc perſecutionum ventilabro, vt ille quidem dignas ſuæ impietatis pœnas exoluat, hi verò excuſſo veterno ad veram pœnitentiam expergefiant, ne cum impijs ac pœnitere neſcijs condemnentur. Etenim quàm difficulter ſeſe ex mundo extricent atque diuellant etiam illi, qui ex illius ſceleribus nullam voluptatem capiunt, Lothi exemplo docemur, quem per Angelos vrgeri oportuit, vt infelicet & iam exitio deuotas Sodomas relinqueret. Regnorum excidia à piorum perſecutione initium ſumũt.

Iſa 57.

Adde hîs, quòd (vt Iſaias annotauit) ante diem malum iuſti colliguntur, ne videant calamitates & horrendos gentium atque vrbium occaſus, quorum contemplatio eis morte ipſa acerbior eſſet. Vnde colligimus, piorum diſſipationes atque exilia excidiorum præludia eſſe, quæ gentibus atque ciuitatibus imminent, quæ ad Deum conuerti nolunt, Ita eccleſiam ex Hieroſolyma diſpergi, & tandem cum omnibus reliquijs Pellam migrare oportuit, vt Romanorum legionibus impios & ſanguinarios Chriſti atq; fidelium carnifices obſidendi & crudeliter mactandi locus ſiue occaſio daretur. Gaudent quidem & exultant impij veritatis hoſtes, quando pios Chriſti cultores vel mori vident, vel ſibi in illos quiduis audendi poteſtatē datam eſſe ſentiunt. Sed nimium magno illis hoc gaudium conſtat, quia optimo præſidio nudatis vindicta Dei imminet, quæ diu non poteſt differri, quando nemo eſt reliquus, qui ſua interceſſione iram eius auertat ſiue reſtinguat.

Quæ nam Apoſtolis ſint euentura.

Sed diligentius inſpici debent quæ diſcipulis euentura eſſe Chriſtus prædicit. Inijcient (inquit) vobis manus, & perſequentur vos. Deinde tradent in Synagogas, nimirū vt illic reddatis doctrinæ & fidei veſtræ rationem. Adhæc in carceres abducent, vt qui iam hæreſum abunde conuicti ſitis. Poſtremò Regibus & præſidibus prouinciarū occidendos tradent. Quæ omnia vt olim Apoſtolis acciderunt: ita hodie ordo idem obſeruatur in ijs perſequendis, qui Chriſtum purè ac conſtanter profitentur. Hoſtes eorum acerrimi & iurati ſunt, qui in Synagogis præſident, quas ipſi Eccleſiā Chriſti eſſe dicunt. Inſtituūt hi ex ſuæ factionis hominibus inquiſitores, qui non externos modò quorumuis mores atq; ritus obſeruent, verumetiam per ſuos Corycæos in occulta eorundem dicta & facta inquirunt. Hi ſi quem ſuſpectum habeant, mox illum apud ſuos antiſtites deferunt, vel etiam ipſi ſimul & teſtes & iudices fiunt. Et quàmuis nullo iuſtitiæ ſtudio aut cura tangantur, tamen ordinem ac ſpeciem aliquam iuris egregiè ſimulare poſſunt. Nam ad cauſarum eccleſiaſticarum iudices eos citant, quos ſuſpectos eſſe audiunt. Ibi eoſdem diligenter de fide examinant, & non minus aſtutis quàm captioſis quæſtionibus in illorum conſcientias penetrant. Quòd ſi qui liberius veritatem profiteantur, mox eos carceribus mancipant, & poſt omnis generis tormēta poteſtati ſeculari (vt ipſi loquuntur) mactandos tradunt. Nec alio ordine in Concilijs etiam, quæ illi generalia dicunt, proceditur: ſicuti multis exemplis demonſtrari poterat, niſi tam manifeſta eſſet res iſta, vt demonſtratione nequaquam opus habeat. Itaq; ſub iuſtitiæ & religionis prætextu pij opprimuntur ab illis, qui fidei veræ vindices atq; aſſertores videri volunt. Eſt hoc moleſtum multis, & eo vno maximè offenduntur, quòd ea ratione famam quoque & honorem ſuum in diſcrimen adduci vident. At neminem iſtud mouere debet, qui Chriſtum non ſolùm nos de iſtis admonuiſſe, ſed eadem paſſum quoq; eſſe nouit, vt ſuo exemplo viam, per quam nobis eundum eſt, ſanctificaret.

Pij propter Chriſtum affliguntur.

Singularem verò conſolationem ipſe in præſenti adhibet, quando hæc nos nominis ſui cauſa paſſuros ait, & mox addit: Hæc autē cedent vobis in teſtimonium. Ergo quicquid impij illi prætexāt, & quocunq; fuco ſuam tyrannidem palliare conentur, non alio tamen zelo, quàm ipſius Chriſti odio ducuntur, cuius lucem ſibi intolerabilem eſſe putant, eò quòd per hanc ipſorum fraudes & impij conatus deteguntur. Eſt autem hoc ſummæ impietatis argumentū irrefragabile. Quia enim Dei Filius noſtri cauſa in mundum venit, idem propter nos in ara crucis ſeipſum pro mundi peccatis obtulit, & quam proprij ſanguinis pretio meruit, ſalutem omnibus per Euangelij prædicationem liberaliſſimè offert, & ad illius poſſeſſionem nos quaſi brachijs expenſis inuitat, plus quàm diabolicus ille furor ſit oportet, quo homines non modò ſalutis tantum authorē faſtidiunt, & in proprium exitium ruunt, verumetiam ferre nolunt, vt hunc alij agnoſcant, & per illum parto vitæ æternæ beneficio fruantur. Simul autem hoc conſolationē dulciſſimā pijs affert, quòd crucis ſuæ infamiam ſanctiſſimo & ſalutifero Ieſu Chriſti nomine tegi, imò coronari audiunt. Cur enim illos alicuius periculi metus terreat? cur eoſdem vinculorū, carcerum, ſuppliciorū deniq; ignominioſiſſimorū pudeat, qui ſe propter Dei Filiū iſta perpeti, & hunc ipſum in ſuis corporibus affligi audiunt, qui eos olim in vitæ & gloriæ ſuæ cæleſtis conſortiū recipiet? Accedit huic conſolationi altera, quod hæc illis in teſtimoniū fiunt. Apud Marc. pij iſta ferre dicūtur hoſtibus in teſtimoniū. Vtrūq; autē veriſſimè dicitur. Hinc enim euidens dānationis iuſtiſſimæ teſtimoniū referunt Chriſti hoſtes, quādo huius præcones tanta crudelitate perſequūtur, qui ipſis vitæ æternæ verba annunciant. Etenim ſi puluis horū à pedibus aut veſtimentis excuſſus (vt ſuo loco dictum eſt) ad illos cōuincendos ſufficit, quid de ipſo Martyrū ſanguine dicemus,

dicemus, qui (vt in Abeli hiſtoria cernitur) omnibus etiam tacentibus prò vindicta clamat ad Dominum? Porro ipſis etiam ſeruis Chriſti hæc omnia in teſtimonium cedent. Quemadmodū enim ipſi ſanguine ſuo teſtimonium ferunt Dei Filio, ſuamq́ de hoc doctrinā hac ratione confirmant (quo nomine Martyres ſiue teſtes κατ' ἐξοχὴν dicuntur) ita viciſſim hoc teſtimonio fidem ſuam Deo probant, ſeque dignos eſſe docent, quos Chriſtus olim pro ſuis agnoſcat, quando veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Denique toti etiam Eccleſiæ oſtendunt, ſe bona fide & ſeriò doctrinam ſalutis tradidiſſe. Et quanta huius teſtimonij vis ſit apud poſteros quoque, in Apoſtolorum & Prophetarum atq; Martyrum exemplis cernimus, quorum memoria hodie apud eos etiam ſancta & venerabilis eſt, qui doctrinam & fidem illorum in nobis perſequuntur. Horum conſideratio diligens miniſtros verbi omnes excitet, vt in ſuo munere fortes & conſtantes crēditam ſibi Euangelij prædicationem liberè proponant, neq; vllis impiorum conuicijs, aut momentanea, quæ ex illis naſcitur, infamia moueantur: quando hanc apud poſteros, glorioſiſſimum pietatis ipſorum teſtimonium excipiet, olim verò cum omnibus ſanctis gloria & honore immortali fruentur.

Porrò multos eſt videre, qui cùm ad quæuis pericula & ad ipſam quoque mortem perferendam intrepidi ſint, hoc vno tamen grauiſſimè anguntur, quòd metuunt, ne ſatis inſtructi ſint ad dicendum cauſam, ſi quando in Concilijs aut principum conſeſſu fidei ſuæ rationem reddere iubeantur. Aduerſus infantiæ metum conſolatur. *Timent ergo, ne ſua ruditate aut ignorantia, aut ſaltem infantia ſola, cauſæ bonæ & ſanctæ incommodent. Nec dubium eſt, diſcipulos non potuiſſe non commoueri, quando ſibi illiteratis & indoctis cum acutiſſimis hominibus & cum Regibus potentiſſimis negotium fore audiebant. Quapropter huic etiam ſolicitudini remedium Chriſtus adhibet, dicens: Habete igitur fixum in cordibus veſtris, non eſſe præmeditandam defenſionem, &c. Quæ verba non eò detorqueri debent, quaſi illos rerum ſecuros & temerarios eſſe velit, qui inconſultò ad quiduis dicendum prorumpant. Nam alibi cautos eſſe iubet, & in periculis vitandis ſerpentinam prudentiam imitari. Sed in præſenti ſolicitudinem & anxietatem prohibet, quæ in periculis improuiſis animos eorum deijcere, & ipſos ab officio faciendo abſterrere poterat. Vult enim, vt non tam quid ipſi poſſint praſtare videant, quàm quid ille poſſit, cuius miniſtri ſint, qui nunquam paſſurus ſit, vt cauſa ſua propter ipſorum infantiam aut imperitiam periclitetur. Ideo promiſſionem præclaram ſubijcit: Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere neque reſiſtere omnes qui ſe vobis opponent. Senſus eſt, ego animum ſimul & linguam inſtruam atq; ſpiritu meo regam, vt prudenter & commodè ea dicatis, quæ ad rem faciunt, & dictu imprimis neceſſaria ſunt. Apud Matthæum eandem promiſſionem alio loco &* Matth. 10. *tempore proferens adiecit: In illa hora dabitur vobis quid loquamini. In Marco autē ait: Quicquid datum fuerit vobis in illo momento, hoc loquamini. Non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus ille ſanctus. Quod autem pollicetur, id fideliſſimè præſtitit poſtea, quando Apoſtoli in Concilio & Senatu Hieroſolymitano fidei & doctrinæ ſuæ rationem tanta animi conſtantia & dicendi dexteritate reddiderunt, vt omnibus admirationi eſſent. Nihil nunc de Paulo dicemus, qui vix dum ex furentis populi manibus ereptus,* Acto. 21. & 22. *& duabus catenis alligatus, inter prophanos milites medius ſtans, ex tempore orationem habuit, quam diu magna cum attentione audierunt, qui paulò ante vix Tribuni authoritate & militum armis compeſci potuerant, quò minus illum occiderent. Nec minori conſtantia idem poſtea coram Agrippa rege, Bernice regina, tribunis item militum & nobiliſſimis quibuſq; totius gentis, ex vinculis cauſam dixit ita, vt prophano etiam Regi aliquam veri confeſſionem extorqueret. Neq; cum Apoſtolis huius promiſſionis fides & Spiritus ſancti virtus extincta eſt, ſed poſteris quoq; temporibus ſeſe in martyribus exeruit, vt hiſtoria Eccleſiaſticæ teſtantur. Et noſtro ſeculo multa facta eſſe, multa item quotidie fieri videmus, quæ docent, promiſſionem hanc Chriſti ad nos quoq; pertinere, nec minus veracem eſſe hodie quàm olim fuerit. Vnde enim mos ille non tam crudelis quàm barbarus, quo impij Antichriſtianæ tyrannidis ſatellites Chriſti teſtibus, dum ad rogos ducuntur, ora obturant, aut linguas candenti ferro perforant, vel etiam abſcindunt, quàm quòd eorum conſtantiam & dicendi vim prius experti, metuunt, ne & innocentiam ſuam omnibus teſtatam faciant, & multos ex ſpectatoribus ad fidem Chriſti conuertant? Sed quàm parum proficiant ſua truculentia, res ipſa docet, quando ipſis inuitis ac reluctantibus Euangelij lux per omnia obſtacula penetrat, & non rarò pueris atque mulierculis in fide vera inſtitutis ludibrium fiunt purpurati illi*

& bullati doctores, qui ſe ſolos ſapere arbitrantur. Interim debet hinc communis conſolatio peti, ne animum deſpondeant, quicunque ſe ad negotia ardua & viribus ſuis maiora vocari ſentiunt. Nam hos quoque donis idoneis & neceſſarijs Deus inſtruet, modò ſe illi obſequentes præbeant. Exempla huius rei in Moſe, Iehoſua, Dauide & multis alijs extant: & multa quotidie fiunt, quæ nos in promiſſionis huius fide poſſunt confirmare.

Diſſidia inter cognatos.

At quaſi parum dixiſſet Dominus de periculis & certaminibus, quæ diſcipulos manebant, redit ad eorum expoſitionem, & ea nunc commemorat, quæ bonis omnibus grauiſſima ſunt: quando nimirum ſe ijs etiam inuiſos & exoſos eſſe vident, quos ipſi neq; ſine ſcandalo relinquere, multò minus autem odiſſe poſſunt propter arctiſſimum cognationis aut conſanguinitatis vinculum. Dicit enim: Trademini autem etiam à parentibus, & fratribus & amicis & cognatis. Et ne quis rabiem iſtam non durabilem fore putet, addit: Et morte mulctabunt aliquos ex vobis. Ergo non aliter quàm ſanguine odium illud exaturari poteſt. Neque eo contentus ſubijcit: Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum. Id verò addi oportuit, ne quid præſidij inter homines ſibi reliquum fore putarent: deinde ne propterea de Dei auxilio deſperarent: quia impoſſibile eſt, vt Filius Dei eos in certamine deſerat, qui propter ipſius nomen atque verbum periclitantur. Non dubium autem eſt, quin hæc quoque facta ſint, etiamſi ſacra hiſtoria in ſingulis deſcribendis ſit parcior. Illud certè ex Actorum libro cõſtat, Iudæos, qui omnes inter ſe fratres dici atque cenſeri volebant, grauiſſimos Apoſtolorum hoſtes fuiſſe: adeò vt frequenter prophanas gentes aduerſus illos concitarent.

Implacabile odium impiorũ.

In quibus exemplis nos implacabile odium agnoſcere debemus, quo impij aduerſus Chriſtum exardeſcunt: cuius tanta vis eſt, vt poſtquam illi indulgere cœperint, nullis rationibus placari, imò neq; naturæ legibus contineri poſſint, quò minus crudeliſſimè in eos ſæuiãt, quos ipſis arctius aliquod cognationis vinculum deuinxit. Cur enim ex ſe natos aut fratres ſiue conſanguineos agnoſcerent, qui aduerſus cœleſtem Patrem & totius naturæ creatorẽ inſurgere non verentur? Exempla huius immanitatis multa extant iam inde à prima mundi origine: inter quæ primus locus Caino debetur, qui Abelum fratrem, à quo nulla vnquã iniuria prouocatus fuerat, propter fidem in ſemen illud promiſſum & Dei cultum puriorem trucidauit. Agitantur illius ſpiritu omnes illi, qui hodie proprios filios propter Chriſti confeſſionem abdicant, fratres germanos perſequuntur, bella ciuilia mouent, & antiquos hoſtes atq; barbaras nationes in communis patriæ viſcera accerſunt. Sentient iſti aliquando graue Dei iudicium. Interim horum meminerint pij, ne temere ijs fidem habeant, quos aduerſus Chriſtum & Euangelium eius cum Antichriſto coniurauiſſe ſciunt. Simulant iſti aliquando pacis ſtudium, quando ſe inferiores eſſe vident. Sed ferè inſidioſa pax eſt, quam illi faciunt, ſiue palàm improbi aut nequam hypocritæ, ſiue quoad ſeculum viri boni fuerint. Illi enim prima quaque occaſione ad axioma illud papiſticum recurrunt, Hæreticis non ſeruandam eſſe fidem: hi verò Pontificum minis atque anathematiſmis coguntur, vt fidem datam vel inuiti violent. Qui huius perfidiæ & immanitatis exẽpla requirit, nimis profectò ſtupidus eſt, cùm quotidie huius generis multa fiant, vt vetera omnia omittamus, quæ iam ſeculis aliquot, non in priuatos modò homines, verumetiam in potentiſſimos Reges atq; Imperatores edita ſunt. Cautè ergo & circumſpectè res ſuas gerant Chriſtiani principes & Eccleſiarum paſtores, ne negligentia aut facilitate nimia ſuæ fidei creditos turpiter prodant impijs Chriſti hoſtibus, quibus nihil tam ſuaue & iucundum eſt quàm cum piorum ſanguine ludere, & fidelium ſimplicitate ad ſuam tyrannidem ſtabiliendam abuti.

Ad Dei prouidentiam remittit.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui locũ iſtum noua conſolatione concludit, & quid ab ipſis fieri debeat, amplius docet: Pilus capitis veſtri (inquit) nõ peribit: Nimirũ abſq; Patris mei voluntate ſiue conſilio. Sic ipſe dictũ hoc Matth. 10 cap. exponit, dicens: Nonne duo paſſerculi aſſario veneũt, & vnus ex eis non cadet humi ſine Patre veſtro? Veſtri verò etiam capilli capitis omnes numerati ſunt. Ne igitur timueritis: multis paſſerculis præſtatis vos. Ita verò ad Dei prouidentiã remittit, quæ efficaciſſima cõſolationis argumẽta ſuggerit omnibus, qui eam rectè animo cõcipiunt. Quoad homines, æquius omnia ferũt, quotquot ſe amicis, aut parentibus, aut principibus ſuis curæ eſſe ſciũt. Cur ergo

Pſalm. 91.

nõ gaudeãt & exultent, qui ſe in Dei tutela & ſub vmbra alarũ eius (vt in Pſal. canitur) degere credunt, qui Pater eſt non minus fidelis quàm potens, quiq; noſtri nunquã obliuiſcitur? Habet is nos (vt

Iſa. 49.

apud Iſa. ait) in manib. ſuis inſculptos, & proinde nihil perire poteſt illis, qui eius vocationẽ ſequũtur

Quæcunque

Quæcunque enim in hoc ſeculo amittunt, ea quaſi in Dei manum deponunt, qui remunerator eſt liberaliſsimus. Fit ergo, vt pro vmbratili & momentanea huius ſeculi gloria ſolidam & immortalem, pro bonis terrenis cæleſtia, pro vita hac caduca æternam & nullis caſibus obnoxiam recipiant. Hæc qui minus expendunt, & res omnes fortuitò ferri ſibi perſuadent, ij vt in ſubeundis periculis trepidi ſunt & cunctatores ignaui: ita ſi quid triſte ipſis accidat, miſerabiliter eiulant, & querelis iniquiſsimis teſtantur, ſe nulla certa diuinæ bonitatis fiducia eſſe ſuffultos.

Rectè ergo Dominus infert: Per patientiam veſtram poſsidete animas veſtras. Breuis ſententia, ſed verè diuina & philoſophica: vt quæ vno verbo rem maximi momenti comprahendit. Docet enim quæ vera atque tutiſsima ſit noſipſos & animas noſtras ſeruandi ratio. Non ea nimirum, quam ij ſequuntur, qui carnis & mundi rationem audiunt. Hi enim felicitatem ſibi ex eo pollicentur, ſi à curis & moleſtijs liberi omnibus arrideant, ſi aduerſa quæuis declinent, crucem ab humeris ſuis reijciant, denique nihil ſentiant, quod ipſis durum aut triſte ſit. Sed iſti plerunque ſeipſos amittunt, dum peſsimarum cupiditatum mancipia facti vitam in ignauo otio & turpi veritatis agnitæ diſsimulatione, aut etiam inter ſcelera manifeſta tranſigunt, ſimul autem à vita æterna hæreditate excidunt. At qui vera fide ſuffulti in Deum reſpiciunt, ij aduerſa & pericula quæuis fortiter ſuſtinent, & inuicto animi robore per omnia obſtacula ſalutis eluctantur, & ita per patientiam ſuam felicitatem veram atque ſolidam apprahendunt. Nam inter omnes huius ſeculi caſus conſcientiarum tranquillitate fruuntur, & huius vitæ curriculum emenſi ad cæleſtis regni hæreditatem tranſeunt. Ideo apud Matthæum in eodem argumento addit Dominus: Qui perſeuerauerit in finem, ſaluus erit. Noſtrum fuerit ô fratres, vt his promiſsionibus confirmati ſtationem noſtram fortiter tueamur, & fide conſtanti atque patientia inuicta contendamus ad metam illam æternæ felicitatis, quam nobis ſuo ſanguine meruit Ieſus Chriſtus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen. Patientiã commendat.

HOMILIA CLXXXVII.

Cùm autem videritis Hieroſolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoſcite appropinquare vaſtationem eius. Tunc qui in Iudæa ſunt fugiant in montes: & qui in medio eius, excedant: & qui in agris, non ingrediantur in eam. Nam hi ſunt dies vltionis, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Væ autem vterum ferentibus & lactantibus in illis diebus: Erit enim neceſsitas magna in hac terra, & ira in populo iſto. Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hieroſolyma calcabitur à gentibus, vſquequò impleantur tempora gentium.

Etſi diſcipuli carnis potius curioſitate quàm ſalutis æternæ ſtudio abrepti quæſtionem de vrbis excidio & totius mundi conſummatione aut fine mouerant, Chriſtus tamen ita illis reſpondet, vt & ſuperſtitioſis ipſorum opinionibus medeatur, & de ijs eos admoneat, quæ ipſis cognitu & obſeruatu neceſſaria erant. Eſt hoc magnum bonitatis ac manſuetudinis eius argumentum, qua patres pios imitatur, qui quàmuis filios ſuos multa iuuenilius & petulantius agere ac quærere videant, non tamen indignos iudicant, qui ab ipſis inſtituantur. Debet illius conſideratio nobis animum addere, ne dubitemus, quin nos quoque non reiecturus ſit ille, ſi de ijs ſeriò quæramus, quæ nos ſcire refert. Extat enim eius promiſsio: Quærite, & inuenietis. Cæterùm poſt multa, quæ hucuſque audiuimus, tranſit ad caput quæſtionis de vrbis & templi vaſtatione, cum qua cultus legalis ſeu Leuitici abrogatio coniuncta erat, & quando hæc futura ſit disertè docet: ſimul autẽ admonet de omnibus ijs, quæ ipſos tunc facere oporteat, ſi ſaluti ſuæ conſultum velint. Iſta verò ſic conſiderari debent, vt eadem nobis etiam dici putemus, & proinde diſcamus imminentis iræ Dei ſigna agnoſcere, & in declinandis pœnis ab illo nobis monſtratam viam ſequamur. Marcus Homilia 109.

Signum excidij, vrbis obſidio.

Principiò ſignum proponit, ex quo intelligant excidium illud præ foribus adeſſe. Cùm videritis Hieroſolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoſcite appropinquare vaſtationem eius. Signo opus erat, quia incredibile & prorſus abſurdum videbatur, vrbem ſanctam excindi cum templo, & eum cultum aboleri, quem ab ipſo Deo traditum ſanctiſſimè patres multis ſeculis magno ſtudio exercuerant. Ideo quod Lucas diſertis verbis enuntiat, id apud Matthæum & Marcum ſic proponit, vt Danielis Prophetæ de hac re teſtimonium ipſis in mentem reuocet, dicens: Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem vbi non oportet, qui legit intelligat. Ita verò loquitur de obſidione vrbis, quam Romanæ legiones oppugnaturæ ſint, & quam ſecutura ſit non tam crudelis quàm horrenda & abominabilis vaſtatio, cum totius cultus (vt modò diximus) exterminio coniuncta. Et ſanè pijs omnibus non potuit non abominandum & execrabile videri, in ijs montibus Aquilas & ſigna Romana conſpici, & horrenda lituorum atque tubarum claſſica exaudiri, de quibus olim Propheta dixerat: Quàm ſpecioſi ſunt ſuper montes pedes euangelizantis, prædicantis pacem, euangelizantis bonum, &c. Scimus enim quàm acerbis lachrymis & querelis olim pij in Pſalmis excidium vrbis proſecuti ſint, cùm eius inſtaurationem diuinitus promiſſam eſſe non ignorarent. At in præſenti de excidio agitur, ex quo vrbs illa nunquam inſtaurata eſt. Itaque docet, obſidionem iſtam non fore vulgarem, quales ſunt, in quibus aut non capiuntur vrbes, aut ita capiuntur, vt tamen ſaluæ maneant, aut ſaltem breui poſt inſtaurentur: quod Hieroſolymæ etiam interdum accidiſſe alibi annotauimus. Sed vbi eadem Romanorum armis euerſa, & cum templo cultus quoq; abolitus & omnino ſublatus fuit, nulla deinceps ſperari potuit inſtauratio: eò quòd nullus porrò amplius vſus eſſet templi & cultus iſtius, cum exhibitus eſſet Meſſias, quem ceremoniæ illæ adumbrabant. Ideo in morte Domini velũ tẽpli ſciſſum eſt, quo non ſolùm docebatur, cultum iſtum iam debere ceſſare, verumetiã ſublatum iam eſſe ſcutũ illud, ſub quo hucuſq; latuerant. Scimus enim rempub. illã vnà cum tẽplo debuiſſe durare, vſquequò veniret promiſſus ille Seruator, in quo omnes prophetiæ atq; promiſſiones impleri debebant. Abſtulit autem velũ iſtud Deus ſimulq; omni protectione infelices nudauit, quia menſurã iniquitatis ſuæ impleuerant, cùm & Filiũ Dei crudeliter occidiſſent, & Apoſtolos perſecuti eſſent, & Euangelij doctrinam, quam gentes paſſim omnes magno ſtudio amplectebantur, ipſi extinctã vellent. Tempus ergo erat, vt ab incurabili & pœnitere neſcia gente Deus ſanguinem Filij & ſeruorum ſuorũ tandem requireret, quod ſæpe minatus fuerat.

Pſalm. 74. 80. 137. &c. Thren. 1. &c.

Sors eorum, qui Dei gratiam aſpernantur.

Eſt autem hoc memorabile exemplum, quo (vt alibi quoq; monuimus) docemur, quid omnes eos maneat, qui aduerſus veritatẽ hoſtiliter inſurgunt, & gratuita miſericordia ſeſe ipſis offerentẽ Chriſtum nolunt excipere, vt in eo ſalui fiant. Solent tales ferè maiorũ ſuorum potentia, virtute, ſucceſſibus & alijs fauoris diuini iudicijs ſiue argumentis gloriari, & ex ijs ſibi perpetuam impunitatẽ pollicentur. Atqui omnia iſta Iudæi habuerũt, adeò vt nulla gens vnquam fuerit, quæ cum illis conferri mereatur, vt iã de promiſſionibus Dei deq; Filio eius, qui ex ipſis homo natus eſt, nihil dicamus. Ea deniq; Hieroſolymorũ gloria atq; magnificentia erat, vt optimis quibuſq; impoſſibile videretur eam vrbẽ perire, quæ Dei protectione & tutela toties aduerſus immaniſſimos hoſtes ſeruata, & Prophetarum quoq; hymnis atq; laudibus celebrata fuerat. At non profuerunt iſta omnia, cùm cõtumacia & rebellione iuncta aduerſus Dei verbum luctarentur. Quid? annon eo ipſo excidium totius gentis maturauerunt, quo illud arceri poſſe putabant? Notum eſt enim Caiaphæ conſiliũ, qui niſi Chriſtum è medio tollerent, Romanos venturos dicebat, qui vrbem & gentem totã vaſtarent. Atqui hoc illud ſcelus fuit, quod multis alijs additum bilancẽ illam diuinæ iuſtitiæ in exitium ipſorũ detraxit. Non temerè ergo Chriſtus obſidionem vrbis docet extremæ vaſtationis ſignum fore. Et erat hoc dictũ nobis hodie diligentius conſiderandum, vt de bellis ciuilibus iudicare diſcamus, quibus orbis Chriſtianus miſerrimè diſtrahitur: item de Turcarũ expeditionibus, quæ iam multis annis eiuſmodi fuerũt, vt ſingulæ aliquam partem terrarũ noſtrarum abſtulerint, Turcici verò Imperij limites propagarint. Quid ergo ſperari poteſt quàm quod olim Lactantius prædixit, fore vt Imperium in Orientem redeat, rurſus autem ſeruiat Occidens? Mali tanti remedium vnicum fuerit, ſi à peccatis ad Deum conuerſi vitam moreſq; noſtros emendemus, & illum colamus in ſpiritu & veritate.

Pſalm. 48. 76. 132. &c.

Fugam ex vrbe ſuadet.

At non vrbis modò excidiũ prædicit Chriſtus, verumetiã quid bello iſto iam accenſo pij facere debeant, docet. Summa conſilij eſt, vt fuga matura ſibi conſulant, ne eodẽ cum impijs & incurabilibus exitio

exitio implicentur. Id verò partium enumeratione exponit. Primò, qui in Iudæa ſunt (inquit) fugiant ad montes. Fuit enim Iudæa ab vna parte Libano, ab alia montanis Arabiæ cincta. Iubet ergo, vt qui poſſunt ſeſe in loca tutiora recipiant, vel etiam ex terra iſta procul emigrent. Deinde, qui in medio vrbis aut intra muros degunt, ij mox excedant. Tertiò, qui in agris ſunt, ne ingrediantur in eam. Apud Marcum alia quoq; interſeruntur: Qui ſupra domum fuerit, ne deſcendat in domum, nec ingrediatur vt aliquid tollat è domo ſua. Et qui fuerit in agro, ne reuertatur retro ad tollendum pallium ſuum. Quibus omnibus fugam ſuadet celerem, & ne ſe vllis rebus impediri aut detineri patiantur, quò minus quàm longiſſimè abeant ex ijs locis, quibus Dei ira imminet. Debuerunt ergo iſta tunc verè fieri, & ideo quæ tunc fuit Hieroſolymæ Eccleſia Pellam migrauit, ſicuti idem non ſemel diximus. Rurſus verò elucet in his ſingulare bonitatis Dei argumentum, qui mala futura prædicit, non vt nos terreat, ſed vt de ijs euitandis admoneat, ſimulq; liberum nobis facit, vt fuga nobis conſulamus, quando nimirum id nobis per noſtram vocationem licet facere, & ſalua religione aut fidei confeſſione fieri poteſt. Minimè ergo probari debet nimius ille Tertulliani rigor, qui Chriſtianis hominibus fugam omnem negauit, neque licere vult, vt quacunq; ratione perſecutorum fidei furorem declinemus. Quem librum contra Eccleſiam ſcriptum eſſe D. Hieronymus ex Gennadio teſtatur. Quod enim ille vetat, hoc Apoſtolos & viros Apoſtolicos non ſemel prudenter & vtiliter feciſſe ſcimus, vt ſe melioribus temporibus ſeruarent, quando neq; Dei vocatio peculiaris neq; neceſſitas aliqua eos ad Martyrij certamen vocabat. Et ex hiſtorijs conſtat, peſſimè ceſſiſſe Iudæis, quòd hac Chriſti monitione contempta vndiq; in vrbem confluxerunt, in qua alij propter templum, alij propter munitiones ſe tutos fore putabant. Eorum enim multitudo obſidionis moleſtias atq; calamitates grauiores fecit propter famem & luem in vrbe graſſantem, & ijdem omni effugio præcluſo miſerabiliter in hoſtium manus inciderunt.

Quid hodie faciendũ, quando Deus uirgas exerit?

Pſal. 121.

Vt autem iſta tunc ſecundùm literam fieri debuerunt, ita nos iſto exemplo diſcimus, quid facere debeant quicunque rebus ſuis conſultum volunt, quando Deus propter Filij ſui contemptum & pertinacem falſæ doctrinæ atq; ſuperſtitionum defenſionem virgas ſuas exerit. Tunc qui in Iudæa adhuc verſantur, id eſt, qui vel ceremonijs vel mundi huius præſidijs fidunt, ij ad montes confugiant: & eos quidem de quibus olim Dauid dicebat: Attollo oculos meos ad montes, vnde nam veniat auxilium meum: Auxilium meum à Domino conditore cœli & terræ. Etenim per montem Chriſtum ipſum repræſentari, Daniel docet, qui lapidem illum, qui abſq; manibus reuulſus Monarchias omnes contriuit, vidit excreuiſſe in montem magnum, qui totum terrarum orbem impleuit. Et idem petra illa inuicta eſt, cui Eccleſia innititur, & eius viribus ſuffulta ipſas quoq; inferorum portas non pertimeſcit. Ad hunc ergo confugiant & in eo acquieſcant pij, procul relicta omni aliorum præſidiorũ fiducia. Deinde qui adhuc inter impios verſantur, ab illis abſq; mora diſcedant. Vt enim exorto iam in domo aliqua incendio omnis mora longior & perículoſior eſt: ita vix tuti erunt, qui vel tantiſper apud eos moram traxerint, quos iam Dei vindicta perſequitur. Ideo Lothum olim ex Sodomis exire cogebant Angeli, & in Apocalypſi Babylonis ruinam prædicens Dominus clamat: Exite ex ea popule mi, ne participes ſitis peccatorum eius, & de plagis eius ne participetis. Vehementer ergo errant, qui illud hodie ſuperuacaneum eſſe arbitrantur, quaſi aliqua inter Chriſtum & Belial cõmunio poſſit intercedere. Curent autem qui euaſerunt, ne vnquam ad ſordes ſuas & hoſtium Chriſti commercia redeant. Nam id qui faciunt, horum poſtrema primis peiora ſunt, quod multorũ apoſtatarum exemplis probari poterat. Diſputant hodie multi, qua via calamitates declinare aut auertere poſſimus, quæ toti mundo hodie paſſim imminẽt, & alij quidem in hominum auxilijs fortiſſimũ præſidium ſitum eſſe putant, alijs verò non alia commodior atq; expeditior ratio videtur, quàm ſi relicta Euãgelij doctrina ad priſtinas ſuperſtitiones redeamus, & ita eos nobis placemus, quos noſtra libertate hucuſq; offendimus. Sed ſunt hæc ſtultiſſima & pernitioſiſſima humanæ rationis figmenta. Quia quò longius à Deo receditur, eò magis eius ira aduerſus nos exardeſcit. Itaq; Chriſti conſilium ſecuti cum Dauide dicamus: Anima noſtra expectet Dominum, ipſe enim eſt auxilium noſtrum & clypeus noſter. In ipſo gaudebit cor noſtrum, eò quòd ſancto ipſius nomine nitimur. Pſal. 33.

Dan. 2.

Matth. 16.

Apoc. 18.

Dies ultionis.

Sed redeamus ad Chriſtum, qui ſui conſilij rationem adducit: Nam hi ſunt dies vltionis, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. Dies vltionis vocat tempus illud, quo Iudæorum impietatem

atq; contumaciam puniri, & ſanguinem innoxium, quem multis ſeculis fuderunt, ab illis requiri oportuit. Et ſolet tempus illud Scriptura diem Domini dicere, vt doceat, eſſe Deo dies certos ſiue ſtatos iudicij, quos nunquam effugere poſſint impij, etiamſi interdum diutius differantur. Solent quidem Epicuræi porci ex mora illa ſibijpſis impunitatem polliceri: ſed non minus miſerè quàm turpiter ſpe ſua falluntur: quia (vt Romanus ille hiſtoricus ſcribit) tardo quidem pede ad vindictam diuina ira procedit, ſed tarditatem illam ſupplicij grauitate compenſat. In præſenti verò vaticiniorum Scripturæ ſacræ meminit Chriſtus, non tam vt comminationi ſuæ fidem faciat, quàm vt doceat, quò in tantis malis pij reſpicere, & vnde conſolationem petere debeant. Nimirum ex Dei prouidentia, qui vt nihil temere ferri aut fieri patitur: ita per Verbum ſuum cauſas malorum detegit, & ſalutis conſilia certa atq; tuta ſuggerit. Et ſanè multa erant in Prophetarum ſcriptis quæ diſcipulos docere poterant, Iudæis nihil præter meritum, nihil item fortuitum accidere: & quæ ſimul illos conſolabantur, cùm audirent, nihil propterea derogari Regno Dei & Eccleſiæ, quò minus in Chriſto ſeruentur, quotquot huic ſeſe cum fide & obedientia ſubijciunt. Ideo apud Matthæum diligentiorem eorum, quæ apud Danielem habentur, lectionem atq; meditationem diſcipulis cõmendat. Quod verò illos monet, hoc ipſum ad nos quoq; pertinere putemus. Itaq; inter noſtri ſeculi turbas atq; pericula ad ea reſpiciamus, quæ de nouiſſimis temporibus à Chriſto & Apoſtolis prædicta ſunt: & mox patebit quæ ex difficultatibus omnibus emergendi via ſit tutiſſima.

Amplificat calamitates eius temporis. *Vt verò magis excitet diſcipulorum animos, triſtiſſimum illius temporis ſtatum & totius populi clades non ſine graui amplificationis ſpecie ob oculos ponit. Væ (inquit) vterum ferentibus ac lactantibus in illis diebus. Alibi inter benedictionis Dei ſpecies non poſtrema numeratur fœcunditas & numeroſa ſoboles: ſterilitatem verò probri & vituperij loco fuiſſe, in ſanctiſſimarum fœminarum exemplis eſt videre, Annæ nimirum matris Samuelis, & Elizabetæ, quæ tandem Ioannem Baptiſtam ex ſingulari Dei beneficio peperit. Grauem ergo eſſe oportet calamitatem, quæ homines mouet, vt ſteriles & orbi eſſe malint, quàm in ſobole numeroſa & felici Dei benedictionem ſentire. Et facit ad huius dicti confirmationem, quod Ioſephus de Maria quadam narrat, quæ filium proprium iugulauit, vt eius carnibus in cibum paratis rabidam famem, qua agitabatur, placaret. Quod etſi fortaſſis à paucis alijs factitatum eſt, auxit tamẽ omnium miſeriam, quòd liberos ſe non patriæ, ſed hoſtibus peperiſſe viderent, & eos qui necem præſentem euadebant, in ſeruitutem rapi quauis morte acerbiorem. Quod quàm graue ſit generoſioribus animis, in mulieribus Cymbricis eſt videre, quæ cum viros ſuos à Mario acie victos & ad internecionẽ cæſos eſſe, ſe verò hoſtium ludibrio & libidini ſubijciendas cernerent, ſeipſas mutuo & liberos ſuos occiderunt, ne quid grauius paterentur. Et huius generis exempla in hiſtorijs paſſim occurrunt: quæ docent, Deum hoſtium ſuorum peccata in liberis quoque vlciſci, ſicuti in Lege minatur. Obſeruent iſta parentes, qui poſteris ſuis conſultum eſſe cupiunt: & hoc tunc demum felices fore ſciant, ſi & ipſi Deo obtempèrent, & ex ſe natos eidem conſecrent.*

Ira Dei malorum omnium cauſa. *Porro addit Dominus quod ad huius loci explicationem facit, ſic dicens: Erit enim neceſſitas magna in hac terra, & ira in populo iſto. Debet hoc de Dei iræ intelligi, per quam hoſtium furor attenditur, vt nullo ſanguine rabies eorum ſatiari poſſit, vt neq; ſenum grandæuorum reuerentia, neq; muliebris ſexus miſericordia, neq; innocua puerorum & virginum ætate moueantur, ſed in grandæs quoq; matronas, in teneras virgines, in omnem deniq; ſexum atq; ætatem crudelitate & libidine ſua ſæuiant. Quæ omnia hoc breui dicto Chriſtus comprehendit. Nec tamen hoc quoq; contentus, addit: Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Numerum cæſorum & captiuorum ſupra Cap. decimo nono ex Ioſepho annotauimus. Eſt is tantus, vt rerum Iudaicarum ignaris poſſit incredibilis videri: quod Ioſephum mouit, vt illius aliquam rationem reddendam eſſe putauerit, ne populi ſui cladem ſupra rei Veritatem amplificauiſſe videretur. At hîc nobis in mentem* Gen. 15. *venire debet Dei promiſſio, qui Abrahamo olim dixerat: Suſpice quæſo cœlum, & numera, ſi potes, ſtellas: Sic erit ſemen tuum. Fuit hæc promiſſio admodum magnifica, cuius veritas in tota veteris Teſtamenti hiſtoria deprehenditur, & hodie adhuc eius manifeſta argumenta extant. Nam licet in toto terrarum orbe diſperſi ſint Iudæi, neq; rempub. habeant certis legibus aut finibus circunſcriptam, tanta tamen eſt eorum multitudo, vt omnes qui hodie ſunt populos ſiue nationes numero facilè vin-*

cilè vincant. Quid verò illa profuit olim, cum hora illa fatalis adeſſet, qua ſteletum ſuorū pœnas debeāt exoluere? Nihil prorſus. Imò eò crudelior & miſerabilior fuit clades, qua tanquā oues mactati ſunt: & hodie eò luctuoſius & terribilius eſt diuinæ vindictæ exemplum, quod in eorum diſperſione Deus toti orbi proponit. Ergo benedictiones quoq; Dei in maledictionem cedunt impijs, vt non ſolùm fructum ex illis nullū percipiant, verumetiam eò infeliciores ſint, quò magis promiſsiones Dei in ipſis elucescunt.

Excidium irreparabile denunciat.

Subijcit his Chriſtus quod priora hæc omnia atrocitate ſua ſuperat: Et Hieroſolyma calcabitur à gentibus, vſq; quò implebuntur tempora gentium. Quod aliqui exponunt de tempore, quod gentium ſaluti & Iudaorum ſupplicio deſtinatum ſit, & huc referunt quod in epiſtola ad Rom. 11. Cap. de eorum reſtitutione dicitur, quam futuram dicit Apoſtolus, vbi plenitudo gentium ingreſſa fuerit. At quia illic non de politia Iudaica aut vrbis Hieroſolymorum inſtauratione ſermo eſt, ſed de vocatione ad ſalutē æternam, ego iſtis verbis excidium irreparabile denotari exiſtimo, quodq; vrbs iſta in ruinis manſura ſit vſq; ad conſummationem ſeculi. Negat ergo ſpem omnem inſtaurutionis, & à gentibus (quas Iudæi ignominioſo vocabulo Goijm dicunt) calcandā dicit, vt totius terræ illius prophanationem perpetuam exprimat. Scimus quidem homines ſuperſtitioſos de Hieroſolyma & locis ſacris multa fabulari, ſed illa putidiſsima Monachorū figmenta eſſe alibi demonſtrauimus. Conſtat enim ex hiſtorijs, nullam illic vrbem vnquam ab eo tempore conditam fuiſſe, ſed quæ hodie Hieroſolymæ nomine venditatur Bethbera eſt, quam Ælius Adrianus muro cinctā abs ſe Æliam nominauit. Fuerūt item belli ſacri incentoreſtiam ſteculis aliquot Romani Pontifices, qui Chriſtianos reges ad terram ſanctam recuperandam hortati ſunt, vt in Orientem vſq; ſuam tyrannidē extenderēt: ſed quàm infeliciter conſilia illa ceſſerint, hiſtoriæ teſtantur. Cœperunt quidem fictitiam illā Hieroſolymā Gottfridus, Bullonius & Baldoinus anno incarnati Filij Dei M.XCVIII. ſed eandē poſt annos LXXXIX. Chriſtiani amiſſam Turcis iterum ceſſerunt, nec tamen belli illius ſacri tunc finis fuit, ſed ad Friderici II. tempora vſq; durauit, cui cùm vrbem illam anno M.CCXXVIII. recepiſſet, interea Pontificū dolis Apuliam amiſit, & belli Neapolitani ſemina iacta ſunt, quo iam annis amplius trecentis Galli cum Hiſpanis commiſsi reliquas Chriſtiani nominis gentes vtrinq; in armorū ſocietatem traxerunt: ita nimirum vlciſcente Deo Chriſtianorum ſtultam ſuperſtitionē, qui de terra æterno exitio deuota recuperanda magis ſoliciti ſunt, quā vt in ſuis terris Deo in fide vera ſeruiant. Neminem ergo hominū ſuperſtitioſorum fabulæ mouere debent. Excitet nos potius iuſtitiæ diuinæ conſideratio, & Iudaicæ gentis exemplo territi, totis animis nos ſubijciamus Ieſu Chriſto, cuius contemptum Deus tam ſeueriter vltus eſt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXXVIII.

Tunc erūt ſigna in Sole & Luna & ſideribus, & in terra anguſtia gentiū in conſilij inopia, reſonante mari & ſalo: exanimatis hominibus præ timore & expectatione eorum quæ ventura ſint ſuper orbem terrarū. Nā poteſtates cœlorum agitabūtur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa. Cùm autem hæc fieri incipient, erigite & attollite capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.

vide Marcum Homil. III.

DIſſeruit hucuſq; Dominus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, de vrbis Hieroſolymæ & templi excidio, deq; ſignis quæ prius fieri oporteat, ſimulq; docuit, quid inter tanta pericula facere debeant pij, qui ſuæ ſaluti cōſultum volunt. Quibus abſolutis nunc ad alteram quæſtionem diſcipulorū tranſit, quam ipſi de huius mundi fine propoſuerant. Quo loco rurſus à ſignis orditur, & turbulentiſſimū totius orbis terrarum ſtatum, qui tūc futurus ſit, exponit. Inde nouiſsimum ſuum ad iudicium aduentū deſcribit. Poſtremò breui ac ſalutari præcepto ſuos inſtruit, & aduerſus omnia pericula efficaciſsimè conſolatur. Quia aūt hæc non tam propter diſcipulos quàm propter nos dicta ſunt, in quos (vt Paulus ait) fines ſeculorum inciderunt, diligenter à nobis conſiderari debent, ne noſtrorū temporum turbis moueamur, neue in huius vitæ delitijs animos defixos habeamus, ſed intrepida fide atq; ſpe ſuffulti per omnia obſtacula ad portum felicitatis noſtræ eluctemur, quam ſuo aduentu glorioſo nobis Chriſtus afferet.

Signa nouiſſimi ſeculi.

Primò ſigna multa & varia exponit, quæ non ad paucos dies aſtringere, ſed ad totum illud tempus extendere oportet, quod ab vrbis excidio vſq; ad finem huius mundi decurret. Ideo enim apud Marcum ait: In diebus illis poſt afflictionem iſtam Sol obſcurabitur, &c. Et in Matthæo: Statim autem poſt afflictionem dierum iſtorum, &c. Et de his pios admoneri oportuit, ne in ſolius Iudaici populi calamitates intenti, in his mundum omnibus malis defunctum eſſe putarent, & ſibi poſthac omnia læta pollicerentur. Vult ergo intelligant, noua certamina Eccleſiæ ſuæ propoſita eſſe, in quibus nos ſudare oporteat, donec ipſe aduentu ſuo redemptionem noſtram perficiat. Dicit ergo: Tunc erunt ſigna in Sole & Luna & ſideribus, & in terra anguſtia gentium in conſilij inopia, reſonante mari & ſalo, exanimatis hominibus præ timore & expectatione eorum quæ ventura ſint ſuper orbem terrarum. Nam poteſtates cælorum commouebuntur. Quibus verbis omnia nouiſſimorum temporum prodigia comprehendit, quibus Deus periculoſas rerum mutationes & pœnas impijs atq; ſecuris deſtinatas portendit. Quæ ſi quis omnia ex ordine recenſeri velit, ingentis libri argumentum ſibi propoſitum haberet, cui conſcribendo vix multi menſes poſſent ſufficere. Nos igitur omiſſis ijs, quæ olim & ante noſtra tempora acciderunt, ea obſeruemus & meditemur, quæ ipſi multa, & nõ tam prodigioſa quàm triſtia & horrenda vidimus. Nam vt à cæleſtibus illis & Meteoris exordiamur, nullum vnquam ſeculum fuit, quo in Sole & Luna atq; ſideribus plura viſa ſint fieri contra naturæ leges & ordinem. Quoties enim Soles plures viſi ſunt? quoties Luna vel cælo diſcedere, vel atro cruore conſperſa, aut etiam crucibus interpolata viſa eſt? quoties ſtellæ inter ſe concurrentes & quaſi dimicantes triſtia ſpectacula præbuerunt? Quis verò Cometas omnes enumerauerit, qui intra annos circiter quadraginta plurimi & nunquam abſq; triſti aliquo euentu apparuerunt? Quis item vnquã cælum ipſum toties ardere vidit, quoties intra decennium illud arſiſſe vidimus? Taceo nunc alia, quæ vix abſq; violenta orbium atq; poteſtatum cæleſtium concuſſione aut agitatione fieri poſſe videntur. Nec minus nota ſunt, quæ in mari acciderunt & aquis alijs. Illud enim non ſemel aut terræmotuum vi adiutum, aut aliqua occultiori virtute agitatum terras vicinas ſubitò inundauit, loca multa horribiliter abſorbuit, multa arenæ cumulis inuectis inculta & inhabitata fecit. Similia his in fluminibus quoq; & lacubus fieri vidimus. Quibus ſi monſtra ex hominibus & reliquis animalibus nata adnumeres, multa occurrent ſpectatu dira & horrenda. Et quamuis multorum ea ſit impietas, vt iſta omnia facilè contemnant, vel etiam rideant, tamẽ inuitis quoq; & diſſimulantibus terrores obrepunt, qui ipſis omnia infeſta reddunt. Plerique verò tantumnon exanimantur metu, quando triſtiſſimos rerum euentus ſpectant, & propter prodigia eiuſmodi non poſſunt non longè triſtiora metuere. Et vt multa, quæ hîc dici poterant omittamus, duo ſunt, quæ hominum mentes vehementer

Conſilij inopia vnde

diſcruciant, & pleroſq; conſilij inopia in anguſtias extremas adductos rerum omnium incertos reddunt. Bella nimirum, quæ alia ex alijs quotidie ſeruntur, & infelices illæ circa fidei & ſalutis dogmata concertationes, quibus inter ſe cum acerbiſſimis odijs & ſumma animorum contentione committuntur, qui præcipuam doctrinæ & eruditionis exiſtimationem ſuſtinent. Nam ſi primum ſpectes, nulla gens extra periculum conſtituta eſt, quando non externis modò bellis omnia turbantur, verumetiam ciuilia arma paſſim ſtrepunt & cladibus inteſtinis omnia miſcentur, quas maxima ex parte Pontificum artibus proditorijs debemus, qui per Tridentinum Concilium nũc annis amplius viginti, omnes Chriſtiani orbis habitatores bellis atq; rumoribus bellorum exagitauerunt. Quis verò bonus non expaueſcat? quis non totus horreat, qui tetram hanc & plus quàm belluinam ſanguinis fundendi rabiem cernit? Quis item rebus afflictiſſimis conſilium inueniat? quis de ſuis rebus aliquid certum ſtatuat, quando paſſim doli & fraudes regnant, neq; ijs fidere tutum eſt, quos vel cognationis vinculum, vel eiuſdem fidei profeſſio coniunxit? Poterant tamen iſta aliquo modo ferri à pijs, qui iampridem didicerunt, quid de mundo ſentire debeant, & qui ſe in terris hiſce peregrinos eſſe norunt: ſed multi horum non poſſunt non grauiſſimè offendi, quando ſalutis doctrinam, & Dei Verbum, quod nobis inter iſta pericula facis inſtar prælucere debebat, odioſis doctorum contentionibus in dubium vocari & diſputationibus nunquam finiendis ita obſcurari vident, vt quid credi aut quid ſentiri debeat, incertum ſit. Conqueruntur de hoc multi paſſim, & vtinam iſtorum querelas attentius audirent, quos ambitio, & contendendi, vel potius conuitiandi, libido tranſuerſos abripit, vt ex ijs certaminibus laudem quærant, quæ abſq; multorum ſcandalo decertari non poſſunt. Sed

quia de

quia de his ſæpe aliâs dictum eſt, ſufficiat iſta annotauiſſe, quæ ad aſſerendam huius vaticinij veritatem faciunt. Nunc verò vſum iſtorum obſeruemus, qui in duobus conſiſtit.

Vſus malorum nouiſſimi ſeculi.

Primò enim admonent, nihil temere aut abſq; certo prouidentiæ Dei conſilio fieri, qui vt prodigijs ſecuros ad ſeriam propriæ ſalutis curam excitat: ita doctorum quoq; contentiones incidere patitur, vt & multa diligentius ventilentur, quæ prius minus à pleriſque obſeruata fuerunt, & (vt Paulus inquit) qui probati ſunt manifeſti fiant. Diſcant de his cogitare pij, & non facilè in errores abducentur. Nam vtut multa obſcura ſint, multa in contentionem & diſputationem trahi poſſint, certa tamen ſunt fidei Chriſtianæ principia, quibus ſi qui conſtanter inſiſtunt, ij in alijs pernitiosè non poterunt errare. Deinde quando omnia quæ nobis triſtia accidunt, peccatorum pœnas, aut ſaltem virgas Dei eſſe conſtat, quibus ne quando grauius peccemus nos coercet, admonet nos prodigiorum iſtorum conſideratio, quanta ſit apud Deum peccati atrocitas, & quid ijs ſit expectandum, qui illius iram ſceleribus ſuis non deſinunt prouocare. Nam vt propter hominem omnis hæc mundi machina condita eſt: ita omnes eius partes illis infeſtæ ſunt, qui aduerſus opificem & conditorem ſuum inſurgere audent. Pertinent huc minæ Legis, in qua cœlum ferreum & terram ſaxeam Deus impijs tranſgreſſoribus minatur, adhæc ferarum incurſionibus & infinitis alijs calamitatibus vexandos fore docet. Exempla in hiſtorijs multa extant, & multa quotidie fiunt, quæ minas iſtas nequaquam vanas eſſe docent. Et quid obſecro impij de elementis & mundi partibus ſperarent, quando ſe à proprio corde infeſtari ſentiunt? Nam vt nihil aliud accedat, cor illos fallit, & diris terroribus tunc excruciat, quando animo præſenti quàm maximè opus erat. Quod ſi (vt plerunque fit) conſcientiæ dolores & accuſationes accedant, nulla ab hominibus crudeliſſimis excogitata eſt carnificina, quæ cum illa conferri poſſit. Excitent nos iſta, vt inter nouiſſimi ſeculi turbas toto animo ad Deum conuertamur, quæ proxima & vnica ſalutis via eſt. Neque hîc eorum figmenta audiamus, qui vniuerſalem quandam totius orbis conuerſionem ad Deum & pacem ex ea altam atq; ſtabilem ſibi pollicentur: quorum fabulis multi decepti ſecurius agunt, & ſcelerum pœnitentiam differunt, ne quid præproperè facere videantur. At ſi Chriſti verba attentius conſideremus, perpetua erit hæc, quam hoc loco deſcribit, mundi facies, neque vnquam emollietur impiorum durities, quæ propriæ etiam conſcientiæ terroribus exaſperari ſolet, ideoq; tunc demum horribiliter plangent & in extremam deſperationem (vt in Matthæo videre eſt) conijcientur, quando Chriſtum ad iudicium venire videbunt. Quod vnum ſatis docet, quàm vanum ſit, quod alteri illi de omnium gentium conuerſatione fabulantur.

Aduentus Chriſti ultimus.

Et huc pertinet quod in præſenti Dominus ſubijcit: Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa. Apud Matthæum ait: Tunc apparebit ſignum Filij hominis, & tunc plangent omnes tribus terræ. De ſigno aliquo peculiari loquitur, quod in cœlo appariturum eſſe veriſimile eſt. Cùm enim iudicijs Dei particularibus prodigia & portenta præmitti ſoleant, minimè dubitari debet, Chriſtum ſingulari aliquo & memorabili ſigno ſuum nouiſſimum aduentum toti orbi ſignificaturum eſſe. Neque ideo falſi arguuntur Apoſtoli, qui diem Domini ex improuiſo inſtar furis venturum eſſe aiunt. Hi enim hoc propter impios dicunt, qui præter omnem expectationem opprimentur, quando ſibijpſis omnia tuta & diuturnam ſcelerum impunitatem promittunt. Deinde temporis quidem articulus iam nobis incertus & incognitus eſt; ſed id non obſtat, quò minus iamiam inſtante aduentu illo Domini ſignum aliquod in cœlo conſpiciatur, quod de illo totum mundum admoneat. Id verò pleriq; veterum de Crucis ſigno exponunt, & fortaſſis non abſque ratione, vt alibi diximus. Quia enim nunc quoque per crucem Chriſtus de impijs ſuis hoſtibus triumphat, credibile eſt tunc imprimis trophæum illud crucis toti orbi conſpicuum fore, quando plenam victoriam reportabit, & ſuos quidem ad Regni ſui æterni poſſeſſionem ſecum inducet, diabolum verò cum ſeruis ſuis omnibus in ignem inextinguibilem detrudet, abolita prius morte, per quam ille regnare viſus eſt.

Aduentus Domini ſubitus erit.

At hîc non temere dici putabimus: Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potentia & gloria multa. Habent enim ſingula verba emphaſim, quæ iſti argumento optimè conuenit. Tunc (inquit) videbunt: quando nimirum horribilis illa confuſio paſſim omnia turbabit, & alij quidem ſecuri genio indulgebunt, alij inter deſperationis procellas luctabuntur, pij verò redemptio-

num ſuam magno cum deſiderio expectabunt. Tunc (inquam) vno momento iſti ſimul omnes vide-
bunt, quod ipſis videre conueniet. Et quid nam illud erit? Filius hominis. Ita verò ſeipſum dicere
ſolet, & hîc iſto nomine cumprimis vti voluit, vt ſe ne in cœleſti quidem gloria hominem, quem ſe-
mel aſſumpſit, depoſiturum eſſe oſtendat. Et æquum eſt (quod D. Auguſtinus alicubi annotauit) vt
ea forma ad iudicium veniat, in qua paſſus & noſter ſeruator factus eſt, & quam impij in illo con-
tēpſerunt atq; perſecuti ſunt. Huius enim conſpectus vt pijs lætiſſimus erit, ita terrorem atq; dolorē
immanem impijs incutiet, quando iudicem cogētur videre & ferre, quem pro Seruatore & vindice
ſuo agnoſcere noluerunt. Vbi verò illum videbunt? In nube, quæ diuinæ præſentiæ atq; potētiæ ſym-
Pſal. 97. *bolum eſt. In Pſalmis enim de Deo canitur: Nubes & caligo circa ipſum ſunt. Item: Qui fecit nu-*
& 104. *bes vehiculum ſuum. Quia ergo nubes Chriſto tribuitur, ſimul eiuſdem diuinam virtutem atq; ma-*
ieſtatem denotari cogitabimus. Ideo addit: Cum potentia & gloria multa: potentiam nimirum &
virtutem omni humana maiorem intelligens. Et ſanè incomparabilem eſſe oportet eam gloriam,
cuius ne guſtum quidem diſcipuli illi ſelectiſſimi ferre potuerunt, coram quibus in monte Thabor
clarificatus apparuit. Hæc infelicem hoſtium eius, quæ tunc erit, conditionem exprimunt. Quis enim
non exhorreſcat eius iudicis conſpectum, quem abs ſe infinitis iniurijs læſum eſſe nouit? Quis non
tremat coram eo, qui ſuo nutu terras & cœlum concutit? Terrentur ſæpe qui nullius ſceleris ſibi con
ſcij ſunt, quando Reges cum armata ſatellitum turba prodire & armis fulgentibus omnia coru-
ſcare vident. Quem ergo animum fore putabimus impijs illis qui Chriſtum, quem in Verbo ſuo &
membris ſuis hoſtiliter perſecuti ſunt, cœleſti maieſtate armatum & multis Angelorum myriadi-
bus ſtipatum, thronum conſcendere videbunt, ex quo ſententiam tonabit aduerſus omnem carnem,
quæ in æternum rata manebit? Quàm horribilis ſit horum meditatio impijs, in eorum exemplis vi-
demus, qui ſcelerum conſcientia victi ſibiipſis mortem conſciſcunt. Vincet tamen omnes iſtos terro-
res tanti iudicis conſpectus, quando inuitis ſeſe præſentem ingeret, & vt ſe actorem & iudicem au-
diant coget eos, qui ipſum ſalutem omnibus ex gratuita miſericordia offerentem audire noluerunt.
O ſi in iſtorum conſideratione diligentius verſarentur, quos mundi ſtudium detinet, & ſuæ potentiæ
fiducia inebriat. Obturant pleriq; iſtorum aures ſuas, & omnem de nouiſſimo iudicio meditationem
ex animis ſuis excutiunt, vt liberius deſiderijs peſſimis & voluptatibus turpiſſimis indulgeant. Sed
ijdem nunquam ſubterfugient, quin Chriſtum iudicem videre & audire cogantur.

Aduentus Do- *At ne horum mentio pios quoq; terreret, hos ab infelici impiorum turba diſtinguit, & præcepto*
mini pijs lætus. *ſimul breui atq; conſolatione dulciſſima inſtruit, dicens: Cùm autem hæc fieri incipient, erigite & at-*
tollite capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. Præceptum locutione prouerbiali fi-
gurat, quando capita erigere & attollere iubet. Nam qui curis mordacibus aut triſtitia excrucian-
tur, vel inertes & ignaui torpent, ij capite demiſſo ſedent vel incedunt. Quò reſpitiens Chriſtus hoc
dicere vult: Dura & triſtia ſunt quæ euentura auditis: ſed non ideo vos animo concidere aut curis
nimijs diſcruciari, vel etiam ad deſperationem adduci velim, quaſi impoſſibile ſit inter tot pericula
ſalutem propriam cuſtodire. Quin potius animum colligite, & diuini auxilij mearumq; promiſſionū
fiducia freti obuiam ite tantis malis, & ex his ipſis ſpem ſalutis certam concipite. Et mox huius præ
cepti rationem conſolationis plenam ſubijcit: Quoniam appropinquat redemptio veſtra. Redem-
ptionis vocabulo plenam & perfectam ſalutem intelligit totius hominis, quæ nemini in terris hica-
genti obtingit. Nam expiauit quidem peccata noſtra Dei Filius, & à morte æterna redemit, adhæc
ſalutis arrhabonem dedit Spiritum ſanctum, qui nobis regenerationis ac innouationis author eſt.
Quia verò nunquam ita renaſcimur, quin innatæ vitioſitatis reliquiæ in nobis maneant, & (quod
Paulus de ſemetipſo fatetur) ſanctiſſimi quoq; interdum per Legem peccati abripiantur, vt multa
præter officium faciant: diſciplina ſeueriori interdum nos coerceri opus eſt: adhæc carnis noſtræ
vitioſitatem morte deleri atq; abſorberi oportet, vt cœleſtis illius vitæ capaces efficiamur. Adhæc in
mundi quoq; machina eiuſq; partibus ſingulis multa ſeruitutis & corruptionis argumenta cernun-
tur, quæ ex peccato inuecta eſt. Iſta verò omnia non prius ceſſabunt, aut abolebuntur, quàm vbi no-
uiſſimus ille aduentus Dominici dies illuxerit. Tunc enim omnis creatura (vt Paulus inquit) à ſer-
uitute & vanitate, cui nunc ſubiecta ſuſpirat, liberabitur: tunc abolebitur mors: tunc corpora quoque
reſuſcitata immortalitatem induent, tunc cœli innouabuntur: tunc omnis lachryma abſtergetur,

ceſſabit

ceſſabit item dolor & gemitus: tunc Chriſto per omnia ſimiles erimus: tunc Deũ videbimus facie ad faciem ſicuti eſt, & in eius conſpectu bonorum atq; gaudiorum omnium ſatietate fruemur, deniq; bona illa ineffabilia poſſidebimus, quæ oculus non vidit, neq; auris audiuit, & quæ omnẽ cordis humani cogitationem ſuperant. Hæc omnia redemptionis nomine Chriſtus comprehendit, & quia iſta appropinquat, nos tunc alacres & ad hanc excipiendam inſtructos eſſe iubet, dum infelix mundus circa curas inanes & ſcelerum ſtudia tumultuatur. Ita verò docet vnũ & eundem diem ſui aduentus impijs quidem terribilem, pijs autem lætum & feliciſſimum fore: nimirum quòd his Seruator & redemptor, illis verò iudex iuſtus & ſeuerus impietatis atq; ſcelerum vindex venturus ſit. Latet autẽ ſub his verbis argumentum validiſſimum, quo & mortuorum reſurrectio, & Chriſti ad iudicium aduentus probatur. Quia enim pios perfectè redimi, impios autem & pœnitere neſcios verè puniri oportet, (niſi Deum iuſtitia ſimul & bonitate ſua ſpoliare libeat) neutrum verò in hoc ſeculo fit, imò multa ſecus fieri videmus, vt hi quidem feliciter agant, illi verò perpetuis certaminibus atq; laboribus exerceantur: neceſſe eſt alium diem conſtitutum iam eſſe, quo omnes homines in ſuis corporibus recipiant omne id quod aut bene aut malè fecerunt. Sunt hæc alibi diligentius demõſtrata. Nunc ergo ſufficiat monuiſſe, fore omnino iudicium vniuerſale, & huius diem impijs terribilem, pijs autem lætum atq; optatiſſimum fore. Quapropter procul relictis mundi ſtudijs atq; huius ſeculi voluptatibus, pietati ſtudeamus, vt cum gaudio & alacritate capita noſtra attollere, & tam corporum quàm animarum noſtrarum plena redemptione potiri poſſimus in magno illo die, quando cum Angelis & diuina potentia armatus veniet Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXXIX.

Dixit etiam eis parabolam: Videte ficum & omnes arbores: cùm iam emiſerint gẽmas, vos eas cernentes, per vos ipſos agnoſcitis iam propè eſſe æſtatem. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, agnoſcite propè eſſe Regnum Dei. Amen dico vobis, nequaquã præterierit hæc ætas, quouſq; hæc omnia facta fuerint. Cœlum & terra præteribunt, verba autẽ mea nequaquam præteribunt.

QVoniam Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, toti humano generi doctor Catholicus ſiue vniuerſalis datus eſt, non eos modò qui ipſo in terris agente vixerũt inſtituit in ijs, quæ ipſis cognitu neceſſaria erant, verumetiam ea diligenter tradit, quæ ad totius poſteritatis inſtitutionẽ faciunt, & quorum vſus nobis etiam hodie eſt magnus, ſi rectè à nobis conſiderentur. Exemplum huius fidei atq; diligentiæ euidens hoc Cap. Lucas proponit. Nam etiamſi diſcipulos, qui de vrbis & templi excidio interrogauerant, inſtituere voluerit, in diligentiorem tamen tractationem de fine mundi & nouiſſimorum temporum ſtatu periculoſiſſimo digreditur, & omnes eos ſui officij admonet, qui vſq; ad poſtremi ſui aduentus diem naſcituri ſunt. Cæterùm quando de iſtis ſermo habetur, pleriq; vel omnino non credunt, vel vaticiniorum eiuſmodi euentum in longum tempus, aut etiam in infinitũ extrahentes, ea extenuãt. Accedit huic leuitati manifeſta improbitas atq; audacia. Quia enim mundo hoc & eius ſtudijs delectamur, intolerabilis & quouis ſupplicio digna multis videtur ea doctrina, quæ de illius fine & interitu diſſerit. Etenim cùm Iudæi pro manifeſtis Dei hoſtibus eos perſequerẽtur, qui de templi & cultus externi diſſipatione loquebãtur, & Romanis odio digniſſimi viſi ſint, qui eius vrbis occaſum prædicebãt, quæ ab illis aurea & æterna dicebatur: quis dubitet mundi voluptatibus & ſtudijs deditos, aduerſus eos omnes pugnaturos eſſe omnibus ſeculis, qui illum cum omnibus, quæ eo continentur, periturum eſſe docent? Ex hoc fonte certè illuſorum ſermones promanãt, quibus doctrinam hanc omnem eludere & in dubium vocare, imò falſi arguere ſatagunt. Ideo Chriſtus, ne qui ſimpliciores horum dicterijs atq; ſophiſmatis decipiantur, ſuam hanc prophetiã argumentis ſolidis confirmat, quæ nos ita conſiderare docet, vt ea non ſolùm opponamus impijs illis ſcurris, quibus cũ Deo ludere leuiculũ videtur, verumetiam eorum conſideratione ad ardentius pietatis ſtudiũ excitemur. Vide Marcum Homil. 111.

Primum argumentũ ſimilitudine conſtat, qua docet, hæc tam certa eſſe, vt aliter fieri non poſſit:

Confirmatio a uicinij de fine mundi.

vt & efficacior ſit demonſtratio, ipſos teſtes ſiſtis, adeoq; omnes homines, qui iſtud quotannis experiuntur. Sic enim ait: Videte ficum & omnes arbores: Cùm iam emiſerunt gemmas, vos eas cernentes, per vos ipſos agnoſcitis iam propè eſſe æſtatẽ. Ita & vos cùm videritis hæc fieri, agnoſcite propè eſſe Regnũ Dei. Senſus eſt, Nemini dubium aut impoſſibile, neq; etiam obſcurum debere videri id, cuius exempla ſingulis annis in rerum natura habentur. Cùm enim ineunte Vere arbores parturiunt & ſuccu vitali pleni gemmas extrudunt, nemo tam vecors eſt, qui non agnoſcat æſtatis iam appropinquantis indicium: nemo item tam ſtultus, qui quò minus illa veniat, obſtare conetur. Eſt enim naturæ Lex inuicta, cuius curſum nullæ vires humanæ impedire poſſunt: & notum eſt irreuocabile illud Dei decretum, quod poſt diluuium protulit: Adhuc omnibus diebus terræ (id eſt, quàm diu terra erit) ſementis & meßis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, dies & nox non ceſſabunt. Quamobrẽ etiam ſi dura & aſpera hyems plantas atq; arbores omnino extinxiſſe putetur, cedit tamen ſuo tempore, & mox æſtatis læta atq; fructifera indicia apparent certa atq; infallibilia. Eandẽ ergo ſcitote eſſe mundi huius conditionem, & piorum imprimis, qui in illo degunt. Nam his quoq; ſuum Ver & æſtatem ſuam deſtinauit Deus, qua nemo eos fraudare poterit.

Huius ſeculi uita hyemi confertur.

Eſt autem ſimile hoc diligenti meditatione digniſsimum, eò quòd præſentis & futuri ſeculi ſtatum nobis ceu in tabula depictum proponit. Etenim quam in hoc mundo vitam viuunt pij, ea hyemi rectiſsimè confertur: imò hyems dici meretur totum illud æuum, quo mundi huius machina durabit, ſi piorum in terris agentium conditionem conſideres. Vt enim hyems pruinis plantas adurit, niuibus operit, terram ipſam cum fluuijs gelu aſtringit, arbores folijs & ſuccu ſpoliat, rebus deniq; omnibus torporem inducit moleſtiſsimum: Ita pios infinitæ & aßiduæ tempeſtates malorum exercent, & vix vnquam tempus fore putatur, quando fructu optatæ quietis fruantur. Quia enim mundo propter Euangelij lucem, quæ apud illos fulget, exoſi ſunt, multorum quotidie conuitia, iniurias, probra & vim apertam ſuſtinent. Nec minus verè quàm grauiter ab Apoſtolo dictum eſt: Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Porro vt in rerum natura hyemem æſtas ſequitur, cuius præcurſor eſt Ver lætum, quo terra & plantæ omnes parturiunt atq; germinant: Ita huius ſeculi tẽpeſtatibus olim nouißimus ille dies ſuccedet, qui rectè æſtati confertur, quia tunc meſſis illa fiet, qua pij quidem vt triticũ bonum in cæleſtis Regni horrea colligentur, impij verò palearum inſtar exploſi in ignem æternum præcipitabuntur. Vt verò inter hyemem & æſtatem Vernum tempus intercedit, quod etſi faciem mundi mirificè mutet, ſuis tamen quoq; tempeſtatibus obnoxium eſt: Ita priuſquam æſtas illa æterna veniat, afflictiones iſtæ grauiores exorientur, de quibus hucuſq; Dominus locutus eſt. Ita verò menſuram ſuam implent impij, Deus autem qui fidelis eſt, neq; nos ſupra quàm ferre poſsimus tentari patitur, dies illos abbreuiabit, ſicuti alibi Chriſtus pollicetur. Ex his nos conſolationem petere cõuenit, & quoties furioſos hoſtium Euangelij conatus cernimus, quoties piorum exilia, carceres, rogos & dira tormenta audimus, tunc nobis Ver in mentem veniat, & tot nos arborũ parturientium gemmas cernere putemus, à quibus optatiſsimus ille Dominici aduentus dies procul abeſſe non poterit. Quàmuis autem hæc generalis conſolatio ſit, quã nouiſſimorũ temporum calamitates Chriſtus mitigat, nihil tamen obſtat, quò minus ſinguli eam ſibi priuatim accommodent, quoties vel egeſtate laborioſa, vel morbis grauioribus, vel quacunq; alia calamitate affliguntur. Nam illis quoq; lætior olim ſurget poſt nubila Phœbus, ſi fide conſtanti & patientia inuicta cum Chriſto perſeuerent.

Teſtes dictorũ ſiſtit.

Secundum argumentũ à pronuntiatis deſumptum dici poteſt. Nam iureiurando interpoſito teſtes ſiſtit, vel potius ipſo euentu eorum quæ dixit veritatem ipſos agnituros eſſe docet. Amen dico vobis (inquit) nequaquam præterierit hæc ætas, quò vſq; hæc omnia facta fuerint. In Græco γενεὰ habetur, quod plerunq; pro generatione accipiunt. Intelligunt autem alij dictum hoc de toto humano genere, quod minimè periturum ſit, priuſquam iſta ſuum habeant complementũ. Mouet hos quod de nouißimo ſuo aduentu & huius ſeculi fine Chriſtus in ijs, quæ proximè præceſſerũt, diſſeruit. Sed nihil obſtat, quin de ijs, qui tunc viuebant, illum nunc loqui dicamus, vt ijs occurrat, qui (vt initio monuimus) prædictiones eiuſmodi rident, quia longius adhuc abeſſe ſibi perſuadent tempus illud, quo illas impleri oporteat. Itaque ad ea, quæ de Hieroſolymæ vaſtatione deq; hanc præceſſuris calamitatibus dixerat, reuertẽs, hac aſſeueratione vtitur: vt oſtendat intra vnius ætatis ſpacium hæc euentura eſſe,

adeò

adeò vt multi ex illis, qui nunc viuunt, iſta viſuri ſint. Et ex hiſtorijs conſtat, illa omnia intra annos ab eius Aſcenſione quadraginta facta eſſe, & maiorem eorum, quæ excidium illud gentis Iudaicæ præceſſerunt, partem ipſos diſcipulos ſuis oculis vidiſſe. Nihilominus autem dictum hoc eorum etiam confirmationi ſeruit, quæ de nouiſſimorum temporum calamitoſiſſimo ſtatu & huius ſeculi conſummatione dixit. Quia enim huius typus fuit Hieroſolymæ & templi conflagratio, rectè concluditur, ea etiam ſuum euentum habitura eſſe, quæ de illo ſunt dicta, cum in primis illis tam certa fuerit diuini oraculi veritas. Ita verò admonemur, ad nos imprimis pertinere eorũ conſiderationẽ, quæ olim Iudæis acciderunt, vt horum exemplo admoniti impijs & contumacibus Chriſti hoſtibus paratas pœnas declinemus. Vt verò Apoſtoli quidam & cum his non contemnenda Iudæorũ, qui iam ad Chriſtum conuerſi erant, multitudo inter tantas turbas & mille rerũ diſcrimina mirificè ſeruati ſunt: ita iam inde ab initio mundi Deus ſuam Eccleſiam ſeruauit inter horribiles rerũ mutationes, regnorum colliſiones & grauiſſimas calamitates, quibus hoſtium ſuorum contumaciã puniuit. Huc pertinent quæ de Noa & eius familia arcæ beneficio ex diluuio erepta, de Patriarchis inter Chananæos defenſis, de Iſraelitis in Ægypto miraculoſè auctis & inde eductis leguntur. Quibus addi poſſunt, quæ in Aſſyria & in Babylone acciderũt, & deinceps quãdo inter Aſiæ totius & Europæ tumultus & expeditiones vtrinq; factas Eccleſia ſemper incolumis manſit. Et noſtro ſeculo huius generis multa vidimus: quæ in eum finem obſeruari debent, ne de Dei ope ſiue auxilio vnquam dubitemus, neue (quod multi ſolent) propter imminentia pericula mundo infelici nos conformes faciamus, ſed conſtantes ſimus in confeſſione Chriſti, cuius promiſſio eſt: Non relinquam vos orphanos: Ego vobiſcum ſum vſq; in conſummationem ſeculi. Vide Ioan. 14. & 16. Item Matth. 28. cap.

Tertium argumentũ comparationem habet, & ſic effertur: Cælum & terra præteribunt, verba autem mea nequaquam præteribunt. Nominat duas totius machinæ mundi huius partes longè ſoli- A comparati. diſſimas, & quæ mutationibus quàm minimùm obnoxiæ ſunt: terram nimirũ, quæ ſuo põdere fundata totius mundi centrum dicitur: & cælum, quod perpetuo motu conſeruatur, vt neq; in contrarium moueri, neq; vllo caſu corrumpi poſſit. Eſtq; hoc mirabile diuinæ omnipotentiæ opus, quòd orbes cæleſtes tot iam ſeculis motu ſuo feruntur non minus certo quàm conſtanti: cùm quæ ad horum imitationem fiunt magnis cum impenſis & exquiſita hominum ingenioſiſſimorũ induſtria, vix paucis annis durare ſoleant. De Archimede Syracuſano traditur, quòd mechanico artificio ſphæram vitreã fecerit, in qua diſſimiles circulorum motus, quaſi Deus aliquis terrenus, expreſſerit. Sed vt opus illud vitreum, ita vitrea quoq; & fragilis fuit, quam inde reportauit gloria: & tandem infelici ſeni, qui patriã à Romanis obſideri & capi viderat, curioſa illa ingenij ſolertia necẽ attulit. At quæ Deus condidit, cælum & terra, neq; vetuſtate pereunt, neq; vſu atteruntur, & nullis caſibus obnoxia ſunt, niſi quibus æternus ille opifex illa ſubijcit: Eadem tamen Chriſtus cum verbo ſuo confert, & hoc tunc quoq; ratum firmumq; fore teſtatur, cùm illa interierint. Imò tunc maximè promiſſionũ & oraculorum Dei omnium veritas omnibus innoteſcet, quando ſub nouiſſimum illius aduentũ elemẽta omnia diſſoluentur. Pertinent huc, quæ in Pſal. 102. item Iſa. 51. & 54. cap. in eandem ſententiam leguntur, & quòd idem Propheta ex Dei mandato clamat: Omnis caro fœnum, & omnis gloria carnis flos agri: Exaruit fœnum, flos defluxit, Verbum Domini autem manet in æternum. Iſa. 40.

Obſeruari autẽ debet diligenter hæc Verbi Dei certitudo & Veritas immutabilis cui elementa quoq; firmiſſima & ipſam rerum naturam cedere oportet, ne illius pronunciatis aliquid derogetur. Veritas uerbi Dei. Exempla, quibus id probetur multa paſſim in hiſtorijs extant. Promiſerat Deus Abrahamo poſteritatis ſuæ liberationem ex Aegypto mirificam. Semen tuũ peregrinum erit (inquit) in terra nõ ſua, & ſubijcient eos ſeruituti affligentq; eos quadringentis annis. Veruntamen gentẽ, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur magna cũ ſubſtantia. Tu verò ibis ad patres tuos in pace, & ſepelieris in ſenectute bona: quarta autem generatione reuertentur huc. Oppoſuit ſe promiſſioni huic Pharao, Regũ illius temporis potentiſſimus. Aduerſatur eidẽ diabolus, qui Magos excitat, vt horum opera in Rege obfirmando ſiue indurando abutatur. Idem Iſraelitas laborum & calamitatum impatientia eò adducit, vt ſaluti propriæ reluctentur, & aduerſus Moſem atq; Aaronem murmurent. Tandem iam iter ingreſſis mare obijcitur, & cùm nauibus deſtituti eſſent, à tergo autem hoſtilibus armis premerentur, præſentem mortem omnia intentant. Sed ecce ipſa rerum natura cedit,

& vt Dei promiſsio locum habeat, aquæ diuiſæ & procul abs ſe diductæ in cumulos ſeu montes vtrinq; aſſurgunt, & tranſitum præbent miſeris, qui iam perituri videbãtur. Taceo nunc ea, quæ per annos quadraginta in deſerto agentibus acciderunt, quæq; in terræ promiſſæ occupatione facta ſunt: quando cælum & terra, adeoq; omnes mundi partes vnà cum Angelis promiſsioni Dei ſeruierũt, ne hæc aliqua ex parte labefactaretur. Idem in Dauide cernimus, cui Regnum promiſerat Deus. Nam etſi aduerſus illum primò Saul cum totius gentis principibus coniurauiſſet, deinde his ſublatis vicinæ gentes magno cum fremitu inſurgerent, ratum tamen fuit Dei decretum, qui illum Regem conſtituerat ſuper Zionem, montem ſuum ſanctum. Quod ſi ad exilium Babylonicum reſpicias, quàm multa fuerunt, quæ Dei promiſsionem de reditu populi & vrbis inſtauratione non modò impediebant, ſed iam prorſus extinxiſſe videbantur? Sed per omnes difficultates viam inuenit Dominus, & potentiſsimam Monarchiam funditus euerti oportuit, vt illius promiſsio rata eſſet. Sed dies me deficeret, ſi quæcunq; huius generis exempla extant in hiſtorijs, commemorare velim. Nos potius iſtorum vſum conſideremus, qui duplex eſt.

Veritas Verbi Dei conſolationi ſeruit. *Primus, vt ex ijs conſolationem petamus in ijs, quæ ad priuatam noſtram ſalutẽ & publicam Eccleſiæ conſeruationem faciunt. Chriſti promiſsio eſt: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Item: Vbi ego ſum, illic erit & miniſter meus. Aduerſatur his mundi increduli contumacia, reſiſtunt itẽ peccata noſtra, & ipſa Dei iuſtitia obſtare videtur, ne quid huius fiat: deniq; carnis natura reluctatur, ne quæ ex terra originem cæpit in cælis locum habeat. Sed nihil hæc omnia aduerſus Chriſti promiſsionem poterunt, quæ vt nobis rata ſit, ipſam rerũ naturam immutari oportet, vt & ipſi in filios Dei renaſcamur, & mors tranſitus ad vitã fiat, & virtus noſtra in infirmitate perfectior appareat: deniq; cælum & terram præterire & aboleri neceſſe eſt, vt corpora noſtra nobis reſtituantur, & incorruptibilitate donata cælos poſsideant. De Eccleſia itẽ promiſsio extat, quòd ne portæ quidem inferorum quicquam aduerſus eam poſsint, & eidem dictum eſt: Ecce ego vobiſcũ ſum vſq; in conſummationem ſeculi. Luctantur aduerſus hoc Chriſti decretum hæretici, vt eũ ab Eccleſia ſua eijciant: fremit inſanus mundus, vt hanc totam aboleat: arma ſumũt potentiſsimi Reges, vt illã expugnent, horrendis exquiſitorum ſuppliciorũ tormentis ſingula eius membra tyranni excarnificãt, vt totam diſsipent. Sed quàm parũ aut nihil omnibus iſtis rationibus per annos iam mille quingentos effectum ſit, res ipſa loquitur. Nam per omnes iſtas luctas ſalua euaſit Eccleſia, & in hũc vſq; diem durat magna cum totius mundi admiratione, qui interea horrenda excidiorum exempla vidit in regnis potentiſsimis, quæ armis, fœderibus & authoritate munitiſsima fuerunt. Iſta nos conſolari & fidem noſtrã aduerſus omnes mundi & principis eius conatus confirmare debent. Quid enim iſti proficiant, quando olim omnes mundi partes diſſolui oportet, vt Eccleſia tota ſimul cum Chriſto ſponſo ſuo in patria cæleſti gaudeat & regnet?*

Veritas Verbi uitam & fidem inſtituit. *At non minus ad vitæ morumq; inſtitutionem iſta nobis ſeruire debent. Vt enim rata & firma erunt ſemper quæcunq; Chriſtus promiſit aut prædixit: ita certa quoq; & firma ſemper manebunt, quæcunq; idem de fide, de religione & Dei cultu, de vita Chriſtianæ officijs & moribus tradidit. Qui credit in me (inquit) habet vitam æternã. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Accumulent ergo ſuorum operum merita hypocritæ, fatigentur circa ceremonias Monachi & horum infelicia mancipia, nunquam tamen per ea ſalui fient, quæ cùm nullo Dei Verbo nitantur, ex fide fieri non poſſunt. Idem dicit: Deus Spiritus eſt, & eos qui adorãt, in ſpiritu & Veritate oportet adorare. Erit ergo hæc perpetua diuini cultus regula, neq; Deus vllos cultus probabit, qui ab illa diſſentiunt, etiamſi plurimorum patrum & Conciliorum authoritate probentur. Similiter neceſſe eſſe docet vt renaſcamur, vt noſipſos abnegemus, vt carnem noſtram mortificemus, deniq; impoſsibile dicit eſſe, vt Deo ſimul & Mammonæ ſeruiamus. Niſi ergo hæc obſeruentur à nobis, Dei cultores non erimus. Item dilectionem mutuam nobis præcipiens, hanc dicit notam fore, ex qua diſcipuli eius agnoſcantur. Quare omnes illi neceſſariò ſtudere debent, qui ex diſcipulorum eius numero cenſeri volunt. Idem per Angelum ſuum in Apocalypſi pronuntiat: Beati qui ſeruant mandata eius, vt ſit eis ius in arbore vitæ, & per portas ingrediantur in vrbem. Foris autem canes & venefici, & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat & cõmittit mendaciũ. Cuius generis multa in Apoſtolorum ſcriptis habentur. Diſputat de his mundus, & vt ea* Apoc. 22.

eludat,

eludat,nouas quotidie ſcelerum excuſationes comminiſcitur. Sed nihil proficiet aduerſus Leges Regni Dei,quarum authoritas æterno eius decreto ſtabilitur. Atqui,ſi iſte rigor ſeruetur(inquis)maior hominum pars damnabitur. Quid tum ô bone? Ergo ne tu aut tui ſimiles damnentur, Deum mendacem,aut omnino nullū fieri oportet? Valeat iuſtitia(dicebat ille)& pereat totus mundus. Quantò magis hunc totum perire conuenit,vt Dei Opt. Max. fides atq; authoritas ſalua maneat. Quòd ſi hoc alicui durum videtur,is ab illo nobis monſtratam ſalutis rationem ſequatur,fidem veram colat, charitati fraternæ ſtudeat,præceptis eius obediat. Hæc qui faciunt,ij & inter huius vitæ certamina ſalui erunt,& olim in cælis viuent atq; regnabunt cum Ieſu Chriſto,Domino noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXCI.

Cauete autem vobis,ne quando grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate,& curis huius vitæ:& repentè vobis ſuperueniat dies ille. Nā vt laqueus inuadet in omnes, qui habitant in ſuperficie totius terræ. Excubate igitur,omni tempore rogantes,vt digni habeamini, qui effugiatis iſta omnia,quæ futura ſunt,& conſiſtatis corā Filio hominis. Docēbat autē interdiu in templo,noctu verò exiens diuerſabatur in monte, qui vocatur Olearum. Et totus populus diluculo veniebat ad eum,vt eum audiret in templo.

INter admonitiones, quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuum erga omnes homines ſtudium teſtatus eſt, non immerito primum locum obtinet iſta, in qua cum diſcipulis de vrbis & templi vaſtatione,deq; fine huius ſeculi & nouiſſimo ſuo ad iudicium aduentu diſſeruit. Ita enim hoc facit, vt non ipſorum curioſitati ſatisfacere,ſed de illis eos admonere ſtudeat, quæ ipſis cognitu neceſſaria erant. Neque in illis ſubſiſtit,ſed doctrinam hanc ad nos vſq; extendit, quos ſimul omnes docet,quid nobis facto ſit opus. Et debet doctrinæ huius fides apud nos infallibilis eſſe, quando ne pericula quidem diſſimulat,quod plerunque impoſtores ſolent facere, vt plures in naſſam trahant. A quorum moribus tam procul abeſt Chriſtus, vt ex ordine ea quoque recenſeat, quæ abſterrere poſſent eos, qui mundi ſtudijs & carnis rationi magis quam diuinis atque cæleſtibus addicti ſunt. Quia verò idem probè nouit, quàm ſupina ſecuritate ea negligamus, quæ ad ſalutem noſtram quàm maximè faciunt, locum hunc totum non minus fida quàm graui admonitione concludit, qua duo agit. Pri- 1.
mùm docet,à quibus potiſſimùm nobis cauere debeamus. Deinde quid facere oporteat eos,qui ſalu- 2.
tem ſuam tueri voluerint. Quibus Lucas breuem narratiunculam ſubijcit,qua illius in prouehenda 3.
multorum ſalute ſtudium denuo commendat.

Primæ partis ſumma eſt: Cauete autem vobis,ne quando grauentur corda veſtra crapula,& ebrietate,& curis huius vitæ. Quo loco ante omnia obſeruabis, quòd ab ijs potiſſimùm cauere iubet, quæ nouiſſimis temporibus imprimis regnatura eſſe ſciebat. Nam ſupra Cap. 17. eos tunc hominum mores & ea mundi huius ſtudia fore dixit, quæ olim temporibus Noæ & Lothi fuerunt, quando profundiſſima ſecuritate omnium animi in præſentis vitæ ſtudia demerſi, nihil præter intemperantiam & libidinem atq; quæſtum ſomniarunt. Nec illa Chriſto temere excidiſſe dicet, quiſquis noſtri ſeculi mores paulò attentius conſiderauerit. Vident enim boni omnes, & quidem cum dolore & gemitu vident,ebrietatem apud omnis ſexus & ætatis homines regnare, adeò vt ne ij quidem ab hoc vitio immunes ſint,qui alijs temperantiæ,ſobrietatis & modeſtiæ exemplum eſſe debebant. De principibus loquor & reipub gubernatoribus,de Eccleſiarum item miniſtris & ſcholarū præfectis. Nam etiamſi non deſint inter hos viri graues & boni,qui honeſtatem colunt, pleriq; tamen, vel vt principibus rem gratam faciant,vel propria intemperantia & libidine abrepti,ad pocula deſident,& procul relictis curis Eccleſiæ inter homines leuiſſimos belluantur,& diem eum ſibi perijſſe putant, quo non probè madidi & diſtenti domum redeunt. Olim ſui ſeculi pſeudoprophetis Iſaias hoc tribuebat,quòd de compotationibus & vino inter ſe ſermones conferrent. At vtinam hodie idem non ab illis quoque fieret,qui Verbum Domini annuntiant. De licentia autem potandi,quæ in Academijs paſſim obti-

Iubet cauere à crapula & curis uitæ.

uuit, quid attinet dicere, quando malum hoc prorſus immedicabile factum videtur, cùm de quæſtu
ſuo magis quàm de diſcipulorum profectu ſoliciti ſint, quorum erat diſciplinam ſcholaſticã maximè
tueri? Solent iſti ferè, quando de hoc malo querimur, conſuetudinem obijcere, & quia idem vbiq; fiat,
ſe probè excuſatos arbitrantur. At turpe eſt eos mundi huius exemplum ſuis moribus prætexere,
quos vt ſui diſcipuli ſint, Chriſtus ex mundo ſelegit. Et cur mundo cõformes fiant, qui parentes quoq;
& fratres & vxorem & liberos odiſſe, imò ſeipſos abnegare debent, vt Chriſti diſcipuli eſſe poßint?
Quin ipſum audimus, qui etſi ſciret (vt modò diximus) quid futurum eſſet hoc nouißimo tempore,
tamẽ in præſenti clamat: Cauete vobis, ne quando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, &c.
Huius dicti authoritatem certè contemnere aut eludere non poterimus, niſi nos Chriſti ſeruos eſſe
velimus negare. Sed de ſingulis aliquid dicamus diligentius.

Crapula & ebrietas. *Primò crapulam & ebrietatem prohibet. Duabus vocibus rem vnam denotat, niſi quòd intempe-*
rantiæ effecta illis diſtinguuntur. Cùm enim tam hæc quàm illa ex nimia vini ingurgitatione naſca-
tur, crapula tamen propriè dicitur, quæ vertigine caput concutit, & proinde eam capitis luctam rectè
dixeris. Ariſtoteles in Problematis inter ebrietatem & crapulam ſic diſtinguere videtur, vt illã cum
mente ſenſum quoq; auferre dicat, hæc autem etiamſi mens adhuc nobis conſtet, caput tamẽ affligat.
Rectè autem vtramq; coniungit Chriſtus, vt omnẽ vini vſum nimium nobis noxium eſſe & Deo im-
probari doceat. Quod eorum ſententiam confutat, qui ſe extra culpam eſſe ſibi perſuadet, etiamſi ni-
mium bibant, modò nullũ de ſe præbeant mentis alienatæ argumentũ. Atqui omnis vini abuſus per
ſe illicitus eſt, ſi nihil præterea accedat. Quam ergo veniam merentur, qui etſi inſaniam aut furorẽ
ſibi nõ accerſant, caput tamen lædunt, intellectus & memoriæ ſedem, quod in toto corpore quaſi regnũ
obtinet? Num innocentẽ aliquis dixeris eum, qui alterius caput vulnerat? Cur ergo innocens puta-
tur, qui propriũ caput violentiori motu fatigat, & intemperanti vini vſu ſibiipſi vertiginẽ, paraly-
ſim & alios morbos grauißimos accerſit, qui vitæ quoq; finem maturant, ſeu potius accelerant? Vel ſi
iſtud licet, cur ergo leges eos damnãt, qui quocunq; affectu prauo ſuperati ſibiipſis mortẽ conſciſcunt?
Sed vt ad Chriſti verba redeamus, videtur hunc locũ ijs opponere, quæ ſupra de Noa & Lothi tem-
poribus dixit: Edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur nuptũ, &c. Quo loco minimè dam-
nantur conuiuia honoraria, aut quæ amicitiæ cauſa inſtituũtur (ea enim apud ſanctißimos patres in
vſu fuiſſe ſcimus, neq; ab ijs ipſe Chriſtus abhorruit, vt ſuo loco diximus) ſed luxũ & intemperantiã
denotat, quà illorum temporum homines Dei donis non ſine ſcelere abuſi ſunt, & ne id fiat, prohibet.

Corda ebrietate grauantur. *Debet autẽ hîc non oſcitanter obſeruari locutio: Cauete vobis ne quando grauentur corda veſtra*
crapula & ebrietate. Sunt enim, qui hanc eo nomine excuſant, quòd in ſolo corpore hæreat, minimè
autem ad animum vſq; pertingat, & proinde nõ debeat inter peccata numerari, quæ huius ſaluti of-
ficiunt. Imò vnà cum vino aut crapula omnẽ quoq; culpam, quæ admiſſa ſit, edormiri atq; euaneſcere
clamãt. At longè aliter nos iudicare docet Chriſtus, quando corda quoq; crapula & ebrietate grauari
dicit. Grauari enim dicũtur, quæ nimio pondere preſſa non poſſunt ſeſe ad ſuam ſublimitatẽ erigere.
Quod in animo hominis tunc fit, quando vitijs quibuſcunq; premitur, vt aſſurgere nequeat ad rerũ
cæleſtium cõtemplationem, vt in Deo, qui bonum illud ſummum & æternum eſt, ſeſe oblectet. Quid
aũt de corde aut animo grauius dici poterat? Aut quid excogitari poterat, quod hominis ſaluti ma-
gis inimicũ, & à fine, ad quem ille cõditus eſt, magis alienum ſit? Verißimè aũt hoc dici, res ipſa pro-
bat, ſi ebrietatis effecta cõſideremus. Primò enim rationẽ & intellectus vſum aufert, in quo præcipua
Hoſ.4. *animæ rationalis functio conſiſtit. Quod Hoſeas obſeruans illã ſcortationi coniungit, dicens: Scorta-*
tio & vinũ potuſq; inebrians eripit cor: Ita nimirum plus quiddã dicens, quàm Chriſtus, qui cor gra-
Iſa.5. *uari ait. Et quod Hoſeas pronunciat, id Iſaias reipſa demonſtrat, quãdo de ijs, qui aßiduis cõpotatio-*
nibus dediti ſunt, loquens, inter alia hoc quoq; illis tribuit, quòd opus Domini non cõtemplentur, neq;
opus manuũ eius conſiderẽt: quòd item repudient Legẽ Domini exercituum, & verbũ ſancti Iſraelis
contumelioſe blaſphement. Atqui conſtat, hominẽ ſola Dei notitia & religione à brutis differre, quod
De ira Dei cap.7. » *Lactantius non minus verè quã doctè docet, cuius verba aliqua recitare lubet: Nonne ipſius corporis*
» *ſtatus & oris figura declarat, nõ eſſe nos cum mutis pecudibus æquales? Illarũ natura in humum pa-*
» *bulumq; proſtrata eſt, nec habet quicquã cõmune cum cælo, quod non intuetur. Homo aũt recto ſtatu,*
» *ore ſublimi ad cõtemplationẽ mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationẽ ratio cognoſcit.*

Propterea

Propterea nullum eſt animal (vt ait Cicero) præter hominem, quod habeat aliquam notitiã Dei. »
Solus enim ſapientia inſtructus eſt, vt religionem ſolus intelligat. Et hæc eſt hominis atq; bruto- »
rum vel præcipua, vel ſola diſtantia. Hæc ille. Quis ergo eos ratione præditos eſſe, aut homines eſſe »
dixerit, qui ad opera Dei non reſpiciunt: qui huius notitiam negligunt, qui deniq; in verbo ſuo loquen-
tem audire dedignantur? Taceo nunc ea, quæ ebrioſi in vulgaribus huius vitæ actionibus præter
omnẽ rationẽ faciunt, quæ tam multa ſunt, vt nemo omnibus enumerandis ſufficere poſsit: tam ab-
ſurda item, vt quàmuis pleriq; ea rideant, non tamen abſq; gemitu & dolore cerni ac narrari poſsint
ab illis, qui de hominis conditione tota paulò diligentius cogitant. Quorum omnium cùm ipſimet ſibi
authores ſint, & ad eadem ſubinde ſcientes volentes impingant, rectiſsimè olim veteres Ebrietatẽ
inſaniam voluntariã eſſe dixerunt. Accedit huic malo aliud, quòd rationis vſu extincto prauis cupi
ditatibus habenas laxat, quas per hanc ceu fræno coerceri oportebat. Fit ergo vt illæ quaſi effractis
clauſtris qua data via ruant, & hominem per omnia brutis animalibus ſimilem faciant. Qui enim
prius animos iracundos & irritabiles celare, aut ſaltẽ continere poterant, ij vbi vino incaluerint, in
rabiem aguntur, & leonum atq; vrſorum inſtar in eos furiunt, à quibus vel vnico verbulo læſi ſunt.
Eadem eſt, odij, libidinis & aliorum affectuum ratio, qui omnes erumpere & indomitũ furere ſolent,
vbi vino accenſi fuerint. Exẽpla eius rei (vt quotidiana nunc omittamus) in ſanctiſsimis hominibus
inueniuntur: inter quæ non tam memorabile quàm horrendũ eſt, quod in Lotho proponitur: quẽ neq;
educatio, neq; patrui Abrahami cõſuetudo, neq; religio, neq; recens in Sodomas editũ iræ diuinæ exem
plum continere potuit, quin inceſtu turpiſsimo filias proprias cõſtupraret. Quæ autẽ tam effrenis libi
dinis cauſa in viro graui & grandæuo? Ebrietas nimirum, quæ vt rationis vſum illi abſtulerat: ita
affectui quoq; aut cupiditati belluinæ frænũ laxarat. Quis ergo p illã corda grauari negauerit? Ad-
de his, quòd eadẽ rei domeſticæ peſtis eſt nocentiſsima. Nã qui illi addicti ſunt, ij procul abiectis curis
coniuges & ex ſe natos liberos negligunt, & in eo etiã brutis deteriores ſiunt, quæ catulos ſuos amare
& educare conſueuerũt: & opes oẽs turpiter dilapidant. Ex eo autẽ infamia ſequitur, & audax re-
rum nouarũ cupiditas, quæ ſepius ſeditionum & tumultuũ publicorũ cauſa eſt, ſicuti in Catilinæ &
ſociorũ coniuratione, aliiſq; ſimilibus exemplis eſt videre. Nihil nunc de morbis acutiſsimis dicemus,
quorum doloribus ebrioſi illi ſuperati aduerſus Deum quoq; porcorũ inſtar grunniunt, & ſæpe aper-
tas proferunt blaſphemias. Quid enim aliud facerent, qui opera Dei nunquã contemplati ſunt, & vi
tam abſq; omni religione tranſegerunt? Accedit frequenter mors improuiſa, dũ vino madidi & di-
ſtenti vel ex caſu aliquo miſerè pereunt, vel à ſocijs proprijs inter pocula confodiuntur, vel in aquas
prolapſi elemento ſibi maximè inuiſo ſuffocantur, vel alijs caſibus præuenti infelicem animam abſq;
omni peccatorũ ſuorum agnitione, abſq; precibus & diuinæ miſericordiæ inuocatione exhalãt. Quid
verò de talibus aliud dici poteſt, quàm eos in peccatis ſuis mori? Quod Apoſt. obſeruauit, quando il- 1.Cor.6.
los in eorũ catalogo non poſtremos numerat, quos ad Regni Dei hæreditatẽ venturos eſſe negat. Vi-
des ergo nõ temere Chriſtũ hac locutione vſum eſſe: Cauete vobis, ne quando corda veſtra grauentur
crapula & ebrietate: & ſimul vides quàm turpiter fallantur, qui vitiũ iſtud leuiculũ, aut etiã riſu
dignũ putant, quo nullũ homine indignius, nullũ nocentius, nullum periculoſius, nullum deniq; fæcun
dius & proinde ſaluti corporũ atq; animarum magis inimicũ eſt. Ideo illud Proph. paſsim grauiſsi- Iſa.5.
mis concionib. inceſſunt, inter quos Iſa. clamat: Væ his qui manè ſe accingunt, vt ſectentur ſicerã, pro
rogantes id ad crepuſculũ vſq;, vino eos incendente. Et mox pœnã iiſdẽ minitans addit: Ideo in cap-
tiuitatem abit populus meus, quòd cognitionem nullam habet, & gloria eius fame maceratur, & mul
titudo eius ſiti aret. Hinc inferi quoq; ingluuiem ſuam dilatant, & os ſuum ſupra modũ pandunt,
vt deſcendat eo magnificentia eius, multitudo eius, & opulentia eius, & qui in his lætantur. Et alibi Iſa.28.
idem Propheta ait: Væ coronæ ſuperbiæ temulentorũ Ephraim, & deciduo flori decoris gloriæ eius,
quæ ſuper caput eſt vallis pinguium, percuſſorum à vino, &c. Et ſapientiſsimus ille mortaliũ Salo-
mon matris ſuæ doctrinã digniſsimam putauit, quam æternæ memoriæ commendaret, quæ inter alia
hoc etiã continet. Ne regibus ô Lamuel vinũ detur, neq; principib. ſicera, ne poti obliuiſcantur legis,
aut peruertãt cauſas afflictorũ. Vidit nimirũ prudentiſsima mulier, nunquã poſſe aut officij ſui me-
mores eſſe, aut quid in cauſis iuſtũ iniuſtumúe ſit videre, ſi vino dediti fuerint. Quod & Macedo-
donica illa fœmina obſeruans, cùm Philippus ebrius ſententiam iniquam pronunciauiſſet, non tam

facetè quàm grauiter exclamauit, ſe ad Philippum prouocare, ſed ſobrium. Quid verò de cauſis priuatis & actionibus forenſibus dicere attinet, quando conſtat ab ebrioſis principibus ne ea quidem videri & obſeruari poſſe, quæ ad totius reipub. pacem atq; ſalutẽ faciunt? Extant enim in omnibus hiſtorijs exempla, quæ teſtantur potentiſſima regna & Reſpublicas florentiſſimas corruiſſe, quando ad gubernacula ſederunt homines intemperantes & ventris mancipia. Ideo qui inter gentium legiſlatores prudentiſſimi habentur, principum ebrietatem imprimis deteſtabilẽ & quouis ſupplicio dignam eſſe cenſuerunt. Plato certè ſcripſit, ebrium habere animum tyrannicum, quòd omnibus pro libidine, non ex vlla ratione ſeu lege velit imperare. Idem gubernatorem ebrioſum omnia ſubuertere dicebat, ſiue nauigium, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue quamcunq; rem ſuæ fidei commiſſam. Quapropter, Carthaginenſes, eodem teſte, magiſtratibus vino interdixerunt. Solon autẽ, qui inter ſeptem Græciæ ſapientes primus numeratur, capitis pœnam conſtituit principi, ſi ebrius deprahenderetur. Pudeat ergo Chriſtianos homines in re tanti momenti tam leues & impudentes eſſe, vt ſcelus hoc non minus belluinum quàm exitiale non verbis quidem acrioribus reprahendi velint. Vos autẽ omnes, in quibus aliqua adhuc religioſæ erga verbum Dei obſeruantiæ ſcintilla ſupereſt, per publicam ſalutem rogo & obteſtor, vt tot veteribus & recentibus exemplis excitemini, & nunquam non memori mente verſetis hanc Ieſu Chriſti admonitionem, qua vt communi omnium ſaluti conſulat, ait: Cauete vobis, ne quando corda veſtra grauentur crapula & ebrietate.

Curæ uitæ huius. *Porro addit his aliud vitium, quod ſimiliter vitari debeat: Curat nimirum vitæ huius. Quo præcepto non damnat œconomiam & moderatam, imò neceſſariam quoq; curam rei domeſticæ, quam omnino deponere neq; poſſumus neq; debemus. Dei enim ſtatutum eſt: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Et Paulus infideli deteriorem eſſe dicit eum, qui domeſticis ſuis nõ proſpicit. Hîc ergo anxiam illam victus parandi ſolicitudinẽ damnari ſciamus, quam apud Matthæum gentibus tribuit, quæ diuinæ prouidentiæ cognitionem nullam habent. Gignit hanc in nobis auaritia, quam inſatiabile acquirendi & habendi deſiderium eſſe definiunt. Rectè autem hanc ebrietati coniungit, quia multi ab hac quidem alieni ſunt, qui tamen in diuerſam partem peccant, quando ipſorum cupiditati nihil ſufficit, & ne frui quidem audent illis, quæ ex Dei benedictione acceperunt, aut ſuis laboribus pararunt. Ergo hos admonet, corda non minus auaritia quàm ebrietate grauari. Nam vt alibi monuimus, idololatria eſt, quia animũ qui vni Deo debetur, diuitijs vendicat, & in his confidere docet, cultum verò Dei quàm maximè impedit, quando facit vt de diuinis & æternis bonis ſecuri, ea ſola curemus, quæ huic ſeculo ſeruiunt. Quæ cauſa eſt, quòd eam malorum omnium radicem Paulus dicit, & laqueos ei tribuit peſſimarum tentationum, quibus à Deo ſimul & omni pietatis ſtudio abſtrahuntur, quicunq; illi indulgent. Poterant hæc quoq; plurimis exemplis probari, niſi non omnino ſtupidis ſufficere poſſent ea, quæ publicè & priuatim fiunt. Auaritia certè verbi Dei doctrinam corrumpit, ius venale facit, diſciplinã turbat, iniuſtitiã parit in cõtractibus, deniq; Eccleſias & Reſpub. euertit: neq; fieri poteſt, vt aliquando caput aut animum ad Deum ſiue cæleſtium bonorum contemplationem attollant, qui ceruices ſuas hoc tam infelici pondere aggrauarunt. Semper ergo meminerimus, nos in terris hiſce peregrinos eſſe, patriam autem & patrimonium in cœlis habere. Atqui huius vitæ peregrinatio non multis indiget, cùm ipſa natura paucis contenta ſit, & ad eius finem ſingulis momentis decurramus. Eos, qui in extrema ſenecta opes ſolicite congerunt, ſtultiſſimè facere olim philoſophi intellexerunt, & Cicero eos viatorum ſimiles eſſe dicebat, qui quò minus itineris ipſis reliquum eſt, eò magis de viatico ſoliciti ſunt. At quanto ſtupidiores iudicabimus eſſe eos, qui non ſuam modò vitam, ſed mundum hunc totũ ad ſuum finẽ decurrere, & huius ſenectam extremã iam adeſſe vident, adhuc tamen annuos redditus congerunt, & terram iamiam periturã cenſibus quotidie nouis grauant? Quis obſecro iſtis animus eſſe poteſt, quàm quod ſortis ſuæ mortalis obliti ſibi vitã adhuc diuturnam pollicentur, aut Mahumeticum quid ſomniantes, opum & deliciarum vſum aliquem in futuro etiam ſeculo fore ſibi perſuadent? Nunquã poſſunt illi in pietate & Regni Dei ſtudio proficere. Nos ergo huius dicti memores, animis in cœlos ſublatis excutiamus procul infelices illas ebrietatis & auaritiæ ſarcinas, vt liberius ijs vacemus, quæ ſolidam & æternã felicitatẽ nobis pariunt.*

Dies Domini improuiſus & ineuitabilis. *Cæterùm admonitionem hanc Chriſtus graui admodum ratione confirmat, quæ à neceſſaria petitur. Nam periculi meminit, quod huius contemptoribus maximum ac præſentiſſimum imminet:*

quia

repentè dies ille ſuperuenturus ſit. Et hoc ipſum ſimili ab aucupio deſumpto explicans, addit: Nam vt laqueus inuadet in omnes, qui habitant in ſuperficie totius terræ. Pulchrè autem ad ſecuritatem, quæ nobis natura inhæret, alludit. Vt enim auiculæ rerum ignaræ & ſecuræ circumuolitant, per arborum ramos decurſant, modò in altum tendunt, modò in terram vſque ſeſe demittunt, & cantu ſeipſas & auditores oblectant, neſciæ interim quot retia illis aucupes tendant, quot laqueos abſcondãt, quot vimina viſcoſa ſtruant, à quibus ferè, quando minimum putant, capiuntur: Ita pleriq; hominum huius vitæ illecebris decepti diſcurrunt, ludunt, voluptuantur, aut etiam inanibus curis atque labore inutili ſeipſos conficiunt, nihil interim vel de mortis hora cogitantes, quæ nihil huius expectantibus obrepit: neq; finem illum totius mundi conſiderantes, qui & ipſe incautos aliquando opprimet. Facit autem ad huius argumenti amplificationem, quòd diem iſtum inſtar laquei in omnes eos inuaſurum dicit, qui habitant in ſuperficie totius terræ. Iſta enim locutione neceſſitatem ſiue malum ineuitabile fore dicit omnibus, qui cupiditatibus ſuis & mundi ſtudijs indulgent. Poſſunt interdum auiculæ retia & tendiculas effugere, quia hæ nõ totas ſyluas, imò ne arbores quidem totas occupant, & ipſius etiam aeris vſus illis liberior eſt. At dies ille Domini omnibus ſuperueniet, & ad omnes iuſtitiæ atq; maieſtatis eius virtus pertinget, & illius miniſtri, Angeli, à quatuor cardinibus mundi omnes ad illius tribunal cogent, vt illic digna ſuis factis præmia recipiant. Duo ergo hic concurrunt, quæ niſi nos attentos reddant, næ plus quàm ſtupidi ſumus, Improuiſus nimirum aduentus Domini & Ineuitabilis neceſſitas, cuius legibus omnes cuiuſcunq; loci aut ordinis homines ſubiecti erunt. At quod de illo die dicitur, id nos ad mortis quoq; horam extendere debemus, cuius eadẽ planè eſt ratio. Solet hanc Scriptura viam omnis terræ dicere, quia omnibus ex æquo incumbit moriendi neceſſitas. At eiuſdem hora nihil incertius eſſe tam manifeſtum & notum eſt omnibus, vt ſtultus foret, qui in eo demonſtrando velit verba facere. Ita verò noſtræ ſaluti conſulere voluit Deus, vt nec inutili terrore aut pauore noſipſos conficiamus, neq; ſecuri nimis ad extremum vſq; ea differamus, quæ nobis nunquã non agenda ſunt. Noſtrum ergo fuerit in hoc etiam illius erga nos ſtudium agnoſcere, & horum conſideratione rectè vti ad ſalutem noſtram tuendam.

Et huc referri debet altera huius Epilogi pars, qua quid à nobis fieri debeat, Dominus docet. Nec enim otioſos ſeruos ille vult habere, & proinde non ſatis fuerit omiſiſſe ea, quæ prohibet, ſed vt ſimul officium faciamus neceſſe eſt. Arguit hoc ignauos illos, qui nihil faciendo ſe excuſatos fore putant, & proinde inutilem illum ſeruum imitantur: qui acceptum ab hero ſuo talentum humi defodit, ne quid in eius diſpenſatione peccaret. Quàm verò ille Domino diſplicuerit, ſuo loco vidimus. Nunc ergo Chriſtum dicentem audiamus: Excubate igitur, omni tempore rogantes, vt digni habeamini, qui effugiatis iſta omnia, quæ futura ſunt, & conſiſtatis coram Filio hominis. Primò vigilare nos iubet, vel excubare. Vbi nemo de corporis vigilia agi putet, cùm ſomnus ſingulare Dei beneficium ſit, quo corpus totum irrigatur & vires inſtaurantur: ſed ad animum hoc præceptum transferri debet; qui vt dormire dicitur, quando ſecuritate & ſocordia quaſi ſepultus omnia negligit, nec quicquam penſi habet: ita vigilat idem, quando excuſſo hoc carnis veterno ea curat & agit, quæ nobis ex officio agenda ſunt. Et pertinet ad huius dicti expoſitionem parabola, quam ſupra Cap. duodecimo audiuimus, vbi nos ſeruis confert, qui heri ſui reditum ex nuptijs expectant. Iam enim ipſe in cælis agit, vbi nuptiæ ſunt perpetuæ & gaudium perpetuum. Inde verò redibit olim in nubibus cæli ad iudicandum viuos & mortuos, vt impios quidem puniat, electos autem ſuos ad ſe recipiat, & Regni ſui cæleſtis conſortes reddat. Iubet ergo, vt hunc eius aduentum expectemus lumbis ſuccinctis, qui iter ingredi volentium & ad opus faciendum paratorum habitus eſt: vtq; lucernas verbi ſui in manibus geſtemus, quod omnibus noſtris actionibus prælucere debet: deniq; vt pulſanti aperiamus. Pulſat quidem ille nunquam non cordis noſtri oſtium per verbi prædicationem, cui nos locum dare conuenit, vt ad nos ingredi & Spiritu ſuo nos donare poſſit. Olim verò in magno illo die pulſus longè grauior exaudietur, quando cum voce Archangeli & tuba Dei (vt Paulus ait) de cælo deſcendet, & ad ſuum tribunal omnium ſeculorum homines, quotquot vnquam fuerunt ac futuri ſunt, citabit. Hic ergo nos paratos eſſe conuenit, ne ex improuiſo ille nobis ſuperueniat: Vt enim aduentus ille terribilis erit impijs iudiciorum Dei contemptoribus: ita lætus ac felix illuceſcet ijs, qui animos ſuos iam pridem ad eum excipiendum præparauerunt: vt nuper abunde eſt dictum.

Quid pios facere deceat.

Vigilate.

Orate, ut digni habeamini, etc.

Sed alterum quoque nobis mandat Dominus, vt nimirum omni tempore rogemus, vt digni habeamur, qui effugiamus iſta omnia quæ futura ſunt, &c. Nam vt abſque Dei gratia nihil poſſumus, ita recurrit ſubinde carnis noſtræ vitioſitas, & nunquam non nobis inſidias ſtruit Satan, quibus non alia ratione cōmodius & felicius poterimus reſiſtere, quàm ſi nosipſos ac ſalutem noſtram precibus aſſiduis Deo commendemus, & ab eo petamus vires, quæ huic certamini ſufficiant. At quia precando plurimùm peccatur, dum circa carnis vota & mundi ſtudia occupamur, quis nobis precum finis aut ſcopus eſſe debeat, diſertè exprimit Dominus, qui in duobus conſiſtit. Primum eſt, vt digni habeamur qui effugiamus iſta omnia, quæ futura ſunt. Qua locutione veram pœnitentiã & conuerſionem ad Deum denotat. Conſtat enim hanc vnicam eſſe rationem, per quam imminentes pœnas & mala quæque effugere poſſimus. Docet hoc ipſe Dominus, quando in Prophetis hoc ſubinde ingeminat: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Quam omnium concionum tam Propheticarum quam Apoſtolicarum ſummam eſſe, alibi prolixè demonſtrauimus. Et exempla ſunt nunquam ſpe ſua falſos fuiſſe eos, qui pœnarum comminatione perculſi ſe totos Deo ſubiecerunt, & ad hunc totis animis reuerſi ſunt. Nam etiamſi interdum non effugiant huius ſeculi calamitates, iiſdem tamen hæ quoque adiumento ſunt ad bonum, vt ſaluti ipſorum ſeruiant, quæ alijs noxia & exitialia ſunt. Seruit autem hæc prima petitio ad hoc, ne ad inutilia aut illicita ſalutis media conuertamur, ſed eam viam ingrediamur, quam Deus ipſe in verbo ſuo præſcribit. Altera petitio eſt, vt conſiſtamus coram Filio hominis. Fit hoc bifariam. Nam in hoc ſeculo coram Domino ſtare & ambulare dicuntur, qui huic ſeruiunt, & ad eius iuſſa exequenda parati ſunt. Hoc ſenſu apud Danielem myriades Angelorum coram illo ſtare viſæ ſunt. Deinde ad iudicium Dei hoc refertur, & inter ſe opponuntur Stare & Cadere. Nam cauſa cadere Latinis dicitur, qui damnatur, ſtare autem qui illam iure & legibus obtinet. Vterq; ſenſus huius loci argumento probè conuenit. Nam ipſa neceſſitas iubet nos orare, vt Deus ita nos gubernet atque fulciat, vt quoad hîc viuere datur, ipſi fideliter ſeruiamus, & olim in magno illo die ipſius conſpectum atq; iudicium pura conſcientia & fide intrepida poſſimus ſuſtinere. Negat hoc impijs Dauid in Pſalmo primo dicens: Non ſtabunt impij in iudicio, neq; peccatores in cœtu iuſtorum. Hac ergo bipartita petitione comprehendit Chriſtus quæcunq; ad hominis felicitatem tam in hoc quàm in futuro ſeculo neceſſaria ſunt: & debet hæc nobis eſſe ſumma votorum omnium adeoq; regula, ſecundùm quam preces noſtræ omnes dirigantur. Cùm autem iſta à Deo precibus petere iubeat Chriſtus, non obſcurè omnem virium atque meriti noſtri fiduciam iugulat, & omne ſalutis præſidium nobis in gratuita Dei miſericordia conſiſtere docet. Nam niſi ille nos dignetur pro ſuis agnoſcere, neque in hac vita ipſi ſeruire, neque olim ad eius tribunal conſiſtere poterimus. Quid verò in nobis eſt, cuius ergò nos iſta gratia dignetur? Si iniquitates obſeruaueris Domine (inquit Dauid) quis conſiſtet? Item: Ne ingrediaris in iudicium cum ſeruo tuo, &c. Et voluit de his nos in præſenti admonere Filius Dei, ne quis inter nouiſſimorum temporum turbas aliquid propriæ ſuæ dignitati aut iuſtitiæ tribuat: ſicque hanc ſuam prophetiam admonitione non minus neceſſaria quàm vtiliſſima concludit.

Chriſti in docendo ſedulitas.

Sequitur breuis narratiuncula, quæ omnia ea comprehendit Lucas, quæ Chriſtus vſq; ad eum diem deinceps fecit, quo ab hoſtibus ſuis captus & in mortem traditus eſt. Docebat (inquit) interdiu in templo, noctu verò exiens diuerſabatur in monte, qui vocatur Olearum. Et totus populus diluculo veniebat ad eum, vt eum audiret in templo. Itaq; admonitionem hanc proprio exemplo confirmat. Totum enim diem docendo conſumit, quam eius vocationem ſiue functionem fuiſſe, non vno loco diximus. Et ipſe puer adhuc id teſtatus eſt, quando inter doctores in templo ſedens matri virgini cum ipſo expoſtulanti dicit: An neſciebatis, quòd in iis, quæ Patris mei ſunt, oporteat me eſſe? Quare etſi mortis horam ſibi iam inſtare ſciret, neq; ignoraret hoſtium inſidias, nihilò tamen ſegnior eſt, in obeunda ſua functione, vt qui hoc vnum in votis habebat, vt quàm plurimos Patri lucraretur, & aduerſus crucis ſcandalum ſimplicium animos confirmaret: Idem tamen, quia verum hominem induerat, & in aſſumpta humanitate Sacerdotis munus ſuſtinebat, noctu in montem exit: nimirum vt preces ad Patrem fundat, cui & ſeipſum commendauit, & pro diſcipulis ſuis interceſſit, quos grauiſſimis tentationibus exagitandos breui fore ſciebat. Ex alijs certè locis apparet præcipuam ſeceſſus ſui cauſam ſemper fuiſſe preces, & quàm seriò pro diſcipulis precatus ſit, ipſe in vltima

Cœna

Cœna deinceps teſtabitur. Habent hæc dulciſſimam conſolationẽ, quia docent, quàm fideliter noſtram quoq; ſalutem ille cõmendatam habeat. Simul autem officij admonemur, vt nihil antiquius habeamus verbo Dei, in cuius prædicatione Filium eius æternum tam ſedulum fuiſſe videmus. Et huc pertinet quod de populo dicitur, qui mane ad illum in templo docentem confluxit, vt eum audiret. Peccarunt illi quidem inconſtantia, quando mox ad Pontificum partes deſciuerunt. Interim laude dignum eſt ſtudium hoc, quo in præſenti flagrant. Hoc ipſum ergo imitemur, & inter noſtri ſeculi grauiſſimos motus vnum Ieſum Chriſtum audiamus, & eundem aſſiduis precibus fatigemus, vt Eccleſias in noſtris quoq; regionibus ſeruare, noſq; omnes ſuo Spiritu regere dignetur, vt omnibus periculis ſuperiores facti, olim in eius conſpectu cõſiſtere poſſimus, cùm venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis ſanctis. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

CAPVT XXII.

HOMILIA CXCI.

APpropinquabat autem feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha. Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo eum tollerent è medio. Timebant enim plebem. Introijt autem Satanas in Iudam cognominatum Iſcariotem, qui erat è numero duodecim: Qui abiens collocutus eſt cum principibus Sacerdotum ac præfectis templo, quomodo ipſis eum traderet, Qui gauiſi ſunt, ac pacti ſunt ſe daturos ei pecuniam: & ipſe ſpopondit, quærebatq; opportunitatem, vt traderet eum ipſis abſque turba.

INter opera Dei nullum admirabilius & præſtantius eſt, quàm quòd Filium ſuum vnigenitum ac ſibi coæternum atq; coeſſentialem propter nos hominem verum fieri voluit, & eundem poſt infinitos labores atq; moleſtias, quas in terris agens perpeſſus eſt, pro nobis in mortem tradidit. (Marcus Homilia 114. & 115.) *Continetur in eo plena & perfecta Dei cognitio, quæ etiamſi ex omnibus alijs quoq; operibus hauriri poſſit, nullibi tamen clarius ſeſe exerit, quàm hîc, vbi omnes eius virtutes tanquam in tabula nobis ſpectandæ proponuntur. Iuſtitiæ enim perfectiſſimæ exemplum eſt, quòd ne Filio quidem pepercit, vt peccatum dignis pœnis expiaretur. In eadem verò miſericordia plus quàm paterna elucet, quæ illum mouit, vt Filium potius in infami cruce pendere, quàm nos in æternis inferorum cruciatibus videre maluerit. Sapientiæ item ſupremæ opus eſt, quòd eam ſalutis rationem iniuit, qua & iuſtitiæ & miſericordiæ eius ſatisfieret. Veritatem verò eius infallibilem aſſerit, quæ promiſſis ijs quoq; deeſſe noluit, quæ ſine Filij morte acerba impleri non poterant. Similiter omnipotentiam illius inuictã in eo cernimus, quòd in aſſumpta carne, qua nihil miſerius, infelicius atq; infirmius eſt, omnem aduerſariam poteſtatem, peccatum ſcilicet, mortem, inferos, mundum mundique principem deuicit. Quæ omnia ſi rectè ac diligenter conſiderentur, de omnibus nos admonent, quæ nobis ad vitæ huius inſtitutionem cognitu neceſſaria ſunt, ſiue læta ſiue aduerſa incidant. Quis enim peccati blanditias & carnis circa illud laſciuientis rationes admittat, qui diuinæ iuſtitiæ rigorem probè expenderit? Quis de Dei bonitate & miſericordia dubitet, ſi exhibitam in Chriſto gratiam non oſcitanter agnoſcat? Quis in rebus dubijs & perplexis animum deſpondeat, qui Dei ſapientiam in animum reuocauerit? Vel num eundem promiſſionũ ſuarum minus memorem fore putabimus, qui veritati ſuæ tunc deeſſe noluit, quando de Filij ſui vita & ſanguine agebatur? Quàm verò ſtultum & abſurdum fuerit de Dei omnipotentia deſperare propter noſtram imbecillitatem aut hoſtium vires ſiue potentiam, cùm Chriſtus fragili & infirma carne veſtitus de mundo & diabolo victoriam tam præclaram reportauerit? Continet ergo hiſtoria hæc veram ſapientiam, quam rerũ humanarum atq; diuinarũ notitiam eſſe olim ſapientiſſimi quiq; definiuerunt, & quæ ſola nos armat, vt aduerſus omnem fortunam fortes atq; intrepidi teneamus ſtationem nobis à Deo creditam. Ceterùm præter iſtud duo adhuc alia hîc proponuntur, ad quæ ceu ſcopum certum omnes iſtius hiſtoriæ partes dirigi debent, vt magis noſtræ ædificationi ſeruiant.*

Redemptio generis humani.

Primum eſt humani generis redemptio, quæ tota hîc fundatur, & quæ aliter fieri non poterat. Nam, vt ſæpe dictum eſt, omnes homines peccatores ſunt, peccatũ autem noxa capitalis eſt, & proinde nulla eius expiatio abſq; ſanguine poteſt fieri, ſicuti Paulus ad Hebræos admonet. Atqui non proderat nobis ſacrificiorum ſiue pecorum ſanguis, cum quibus nulla nobis naturæ cõmunio intercedit: neq; aliquid ſperari poterat, ſi qui ſeſe pro publica humani generis ſalute ſponte deuouiſſent, aut inuiti ex publico aliorum conſenſu abrepti fuiſſent, vt καθάρματα ſiue victima expiatoria fierent, quod olim gentibus in vſu fuiſſe legimus. Itaq; æterno decreto Deus, priuſquam mundus hic crearetur, Filium ſuum prædeſtinauit, vt ex virgine carnẽ veram aſſumeret, & vt frater atq; vindex noſter (quo nomine illum Iobus appellat) cauſam noſtram ſuſciperet, atq; ſublata peccati noxa ſalutem nobis ſempiternam pararet. Ad nos ergo hiſtoria hæc omnis pertinet, & cùm propter nos hæc omnia facta ſint, nos eorundem authores eſſe conſtat. Quod ideo admoneri oportet, ne in proſcindendis Iudæorum Sacerdotibus & militibus alijſque horum ſocijs occupati, ea negligamus, quæ ad nos ſpectant: ſed potius in noſipſos deſcendamus, vt noſtra culpa agnita totis animis conteramur, credamus autem nos Ieſu Chriſti morte redemptos eſſe, & tanti beneficij memores, nos Deo ſiſtamus viuentem hoſtiam.

Iob. 19.

Exemplo ſuo Chriſtus nobis præiuit.

Alterum eſt exemplum, quo nobis Chriſtus præiuit. Nam vt Petrus ait, pro nobis ille paſſus eſt, relinquens nobis exemplũ, cuius veſtigijs nos inſiſtamus. In illo igitur obſeruari debet, quæ nam totius Eccleſiæ atq; piorum omnium ſors in terris hiſce ſemper futura ſit. Nam ſi me perſecuti ſunt (inquit ille) etiam vos perſequentur: Si meum ſermonem ſeruauerunt, veſtrum quoq; ſeruabunt. Quapropter nos ad illius imitationem præparari conuenit, & nunquam non cõmunis illius omnium Chriſtianorum regulæ meminiſſe: Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Sunt autem in exemplo eius præcipua, quæ nos imitari oportet: Obedientia, qua ſeſe humiliauit vſq; ad mortem crucis, vt æterno Patris decreto ſatisfieret: Patientia, qua armatus tanquam agnus ad macellum ductus eſt, & abſq; omni contradictione durißima quæque ſuſtinuit: Fidei conſtantia, qua inter dolores acerbißimos perſeuerauit, vt tunc quoq; Deum ſuum diceret, quando propria caro atq; hominis ratio eum prorſus ab illo derelictum eſſe dictabat: Charitas, qua hoſtes quoq; complexus eſt, pro quibus preces fecit ad Patrem, & quos adhuc madentes ſuo ſanguine in gratiam recepit, cùm intra animos ſuos compuncti ad ipſum conuerterentur. Iſtis virtutibus nos quoq; inſiſtere decet. Simul autem conſoletur nos in omni fortuna, quòd ille per crucem triumphauit, & ex mortuis reſurrexit ad vitam cœleſtem atq; immortalem. Nec enim dubium eſt, nos quoq; victoria aduerſus mundum & eius principem potituros eſſe, ſi ipſi per fidem infiti peccato moriamur & in illo reſurgamus ad vitam nouam atq; noſtra profeßione dignam. Et hæc ſunt præcipua capita, in quæ nos potißimum intentos eſſe conuenit, vt ad ea referamus, quæcunque in hiſtoria hac tota tractantur. Itaque iſtis præmißis ad Euangeliſtæ verba accedamus, quæ modò recitauimus, quibus duo continentur. Nam tempus indicant, quo Dei Filius in mortem traditus eſt. Deinde mortis eius cauſas exponunt, vel eos potius monſtrant, qui illius præcipui fuerunt miniſtri.

Tempus paßionis Chriſti.

Primum paucis Lucas expedit, dicens: Appropinquabat autem feſtum azymorum, quod dicitur Paſcha. Marcus biduum modò abfuiſſe dicit à Paſchate. Nec otioſam aut ſuperuacaneã eſſe hanc temporis notationem, ex Chriſti verbis apparet, qui de illo diſcipulos admonuit (vt in Matth. legitur) dicens: Scitis quòd intra duos dies Paſcha fit, & Filius hominis traditur vt crucifigatur. Debuit igitur ex æterno Patris decreto ſub Paſchatis feſtũ Chriſtus pati, vt ipſa temporis circunſtantia nos de mortis illius fructu admoneret. Illud enim in memoriam liberationis Iſraelitarũ ex Ægypto inſtitutum & celebratum fuiſſe conſtat. Atqui omnium noſtrûm, vel potius totius humani generis, eandem conditionẽ fuiſſe ſub dura peccati & diaboli ſeruitute, quæ illorũ ſub Pharaonis tyrannide fuit, alibi prolixè demonſtrauimus. Vt ergo illi, cùm indignißimi eſſent, quorũ cauſam Deus ſuſciperet (ſicuti ipſorum murmura & multa ſcelera teſtantur) ex gratia liberati ſunt, & per Agni ſanguinẽ ſeruati, ne ab Angelo vaſtatore occiderentur: Ita nos quoq; omnes gratuita miſericordia Deus ſeruauit per ſanguinem Filij ſui, qui per Euangelij prædicationem nobis aſpergitur, quiq; per fidem receptus nos tuetur, ne quid in nos iuris habeat Angelus ille malus, qui iam inde ab initio homicida fuit, & noſtræ etiam ſaluti ſubinde inſidias ſtruit. Quò Ioannes Baptiſta reſpexit,

quando

quando in Chriſtum extenſo digito dicebat: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatũ mundi.* Et Pau-
lus: *Paſcha noſtrum immolatum eſt, Ieſus Chriſtus.* Sed & Propheta Micheas ſui ſeculi homines Mich. 7.
huius myſterij admonuit, quando Deum ſuper ſcelus tranſire dixit, alludens nimirum ad tranſitum
illum olim in Aegypto factum, quem noſtræ redemptionis in Chriſto typum fuiſſe diximus.

Porro non minus noſtri etiam officij nos admonet epulum illud paſchale, quod tunc certis cum Azymorum alle-
ceremonijs agebatur. Nam habitu peregrinantium, qui iam ad iter parati ſiue accincti ſunt, agnum legoria.
illum feſtinanter comedebant, adhibitis herbis quibuſdam amarioribus & panibus azymis aut in-
fermentatis, à quibus feſtũ hoc denominabatur, quia vt his per totos dies ſeptem veſcerentur, Deus
ſub capitis pœna conſtituerat. Qui ritus etſi cum alijs legalibus ſacris mutatus ſit, doctrinam tamen
continet, quam perpetuò obſeruare debent, quicunq; Chriſto, vero illo agno Dei, ad ſalutem frui vo-
lunt. Meminerint illi ſe in hoc mundo peregrinos eſſe, patriam verò in cœlis habere vbi theſauri illi
Regni cœleſtis repoſiti ſunt, quos ſanguinis ſui pretio nobis Chriſtus acquiſiuit. Itaq; expurgato & 1. Cor. 5.
procul reiecto veteri fermento hypocriſis, malitiæ & nequitiæ, totum vitæ noſtræ tempus tanquam
feſtum celebremus in panibus non fermentatis ſynceritatis ac veritatis: item abſq; omni huius mun
di reſpectu contendamus ad patriam cœleſtem, neq; terreamur crucis amaritudine, quam facilè con-
coquent qui in fide conſtantes ac ſynceri fuerint. Nunquam ergo ſalutis veræ participes fient, quot-
quot aut non in vnum Chriſtum intenti ſunt, aut huius mundi ſtudijs addicti crucem atque aduerſa
omnia fugiunt, vt carnis affectibus prauis indulgere poſſint.

Sed ad alteram huius loci partem accedamus, qua cauſæ totius negotij huius exponuntur. Inter Cauſa paſſionis
quas præcipua eſt, plus quam paterna Dei dilectio, qua is genus humanum proſecutus eſt, & cui præcipua, dile-
non aliter ſubueniri poterat, vt modò monuimus. Hanc ipſe Chriſtus indicat, apud Ioannem dicẽs: ctio Dei.
Sic Deus dilexit mundum, vt Filiũ ſuum, vnigenitum illum traderet, vt omnis qui credit in eum,
non pereat, ſed habeat vitam æternam. Eſt igitur tota hæc hiſtoria in æterno Dei decreto funda-
ta, & ideo probè conſiderari debet: quia & certitudinem ſalutis noſtræ aſſerit ſiue confirmat, & ſcan 1.
dalo medetur, quod humana ratio ex crucis ignominia ſolet concipere. Docet præterea, ſalutem no- 2.
bis ex gratuita Dei miſericordia obtigiſſe, qui indignos nos dilexit, noſtrûm verò eſſe, vt viciſſim il-
lum diligamus ex toto corde, & nos eidem totos per fidei obedientiam conſecremus. Cæterùm acce-
dunt hîc aliqui ex hominibus, qui negotij huius miniſtri fuerunt, & qui non vt Dei decretum exe-
querentur mortem Chriſti promouerunt, ſed vt prauis ſuis affectibus ſatisfacerent. De his Euan-
geliſta diligenter diſſerunt: vt iſtorum exemplo diſcamus, quid nos imprimis cauere oporteat, ne ad 1.
eoſdem ſcopulos offendamus. Admonemur præterea, homines malos atq; improbos non excuſari per 2.
Dei prouidentiam. Quia enim illi cupiditatibus malis ducuntur, hæret in eis peccati culpa: quòd ve-
rò eorundem opera Deus bene vtitur ad exequendum ſua decreta & ad promouendum communem
hominum ſalutem, hoc illius ſapientiæ atque bonitatis opus eſt, quam nos agnoſcere & prædica-
re conuenit.

Fuerunt autem inter authores ſiue miniſtros mortis Chriſti, primi Sacerdotes & Scribæ Iudæo- Sacerdotes præ
rum, de quibus ſic dicit Lucas: *Et quærebant principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo eum colle-* cipui authores
rent è medio. Quærendi verbo diligentem & anxiã conſultationem innuit, quã inſtituerunt, vt eum paſſionis Chri-
dolo malo, id eſt, prætextu aliquo criminis in ſpeciẽ probabilis, vel etiam per inſidias occiderent. Et ſti.
ita hanc partem Matthæus & Marcus exponunt. Quia verò ridiculum videri poterat, viros po-
tentes & authoritate graues tam ſolicitos eſſe de perdendo homine obſcuro & inermi, cauſa additur:
quòd populum timuerint. Videbant enim hunc totum ab illo pendere, & fauoris popularis ſpecimen
ſiue argumentum non contemnendum viderant in magnifico eius in vrbem ingreſſu, quando cum
multorum applauſu & lætis acclamationibus deductus atque exceptus fuit. Periculum ergo erat, ne
quid violenter tentando ſeditionem concitarent, quæ eò periculoſior fuiſſet, quò plures vndiq; ad fe-
ſtum Paſchatis cõueniebant. At poterat mirum videri, hoc eos molitos fuiſſe, quorum erat populum
Chriſto adducere, & de eo publicè teſtari. Sed alibi monuimus, veterem Sacerdotum ordinem ab He-
rode iampridem ſublatum, & in eorum locum homines obſcuros & ignaua ventris mancipia ſubſti-
tutos fuiſſe, qui poſtea ſub Romanis præſidibus cum ſacerdotio ſacra quoq; venalia fecerunt, vt tem
plum nihil à foro & numulariorum officinis differret. Quod vt commodius fieret, ijdem Legis do-

ctrinam traditionibus ſuperſtitioſis & ineptis, vel potius impijs, corruperant. Non potuerunt ergo tales veritatis lucem ferre, & quia Chriſtus non verbo ſolùm artes atq; impoſturas eorum arguebat, verumetiam iam ſemel & iterum manum admouerat, & non ſine publica ignominia illos ex templo eiecerat, de illo occidendo conſilia conferre incipiunt. Quanta verò cũ aſtutia & improbitate id fecerint, Ioannes Euãgeliſta cap. vndecimo narrat, vbi multa diximus, quæ ad huius etiam loci expoſitionem faciunt. Nunc ſufficiat obſeruauiſſe acerrimos Chriſti ac veritatis Euangelicæ hoſtes ſemper fore antiſtites Eccleſiæ, quos ambitio & auaritia excæcauit, vt religionem ſibi quæſtum faciant, & ſua figmẽta loco verbi Dei obtrudere auſint. Exempla huius generis multa omnibus ſæculis adſta ſunt, & ſemper lis fuit veræ ſapientiæ cum falſa & hypocritica. Nec hodie meliorem ſortem ſperari debere, ex Chriſti & Apoſtolorum vaticinijs apparet, quæ de nouiſſimis temporibus prodiderunt. Etenim vt truculentiſſimi doctrinæ ſanioris hoſtes ſunt, qui in Eccleſia primatum tenent: ita ijſdem omnino artibus in illa oppugnanda vtuntur, quibus iſtos vſos fuiſſe legimus. Nam concilia indicunt, vt publica authoritate rem tranſigant. Deinde priuatis commodis publicam ſalutẽ prætexunt, imò zelum gloriæ Dei fingunt, qui ipſos ad conſilia ſanguinaria excitet. Et noti ſunt illorum ſermones, quibus cauſam ſuam palliare & exornare conſueuerunt. Sed neminem iſta offendere debent, quaſi noua ſint & inſolita, cùm olim eadem facta ſint. Quin potius conſoletur nos, quòd iſtos etſi authoritate & potentia præſtarent, non tamen immunes fuiſſe à metu: & quidem populum timuerunt, qui potius huic terrori eſſe debebant. Tam facile eſt Deo hoſtibus ſuis obicem ponere, quando fieri non poteſt, vt propriæ conſcientiæ terrores effugiant, qui contra Deum & veritatem impia & ſcelerata temeritate conſpirant. Quem verò non timeat, qui ſeipſum timet, & hoſtem infenſiſſimum, ceu anguem aut ſerpentem, in ſinu ſuo geſtat? Cuius imprimis meminiſſe debent, qui rempub. gubernant, ne authoritatem ſuam proſtituant & labefactent, vel etiam ſeipſos in pericula & turpem metum conijciant, dum ſua poteſtate inſolentius abutuntur.

Homil. 110.

Iudas totius negotij dux.

Porro Sacerdotibus Iudas coniungitur, qui ſe illorum conſilijs ducem præbuit, de quo Lucas hæc tradit: Introijt autem Satanas in Iudam cognominatum Iſcariotem, qui erat vnus è numero duodecim. Qui abiens collocutus eſt cum principibus Sacerdotum ac præfectis templi, quomodo ipſis eũ traderet. Qui gauiſi ſunt, & pacti ſunt ſe daturos ei pecuniam: & ipſe ſpopondit, quærebatq; opportunitatem, vt traderet eum ipſis abſq; turba. Primùm perſona Iudæ deſcribitur, in qua deſcriptione præcipuum eſt, quod ex duodecim diſcipulorum numero fuit, quos Chriſtus in eum finem ſelegerat, vt tanquam domeſtici teſtes eſſent doctrinæ & miraculorum eius, mortis item atq; reſurrectionis: quorum deniq; opera Euangelium per totum orbem terrarũ prædicaretur. Iſcariotẽ verò dicunt Euangeliſtæ, nimirum à patria aut natali ſolo, vt ab altero Iuda diſtinguant, quẽ Labbeum & Thaddeũ cognominatum fuiſſe ſcimus. Numeratur autem prior ille ſemper inter illos, qui iam pridem emiſſi fuerant ad prædicandum, & qui in nomine Chriſti miracula multa & præclara fecerant. Eſt hoc obſeruandum, vt diſcamus, nullum hominum ordinem per omnia ſanctum eſſe, vt nullus in illo næuus, nullá ue labes aut macula appareat. Quod enim huic ſanctiſſimo choro accidit, quem Dei Filius peculiari ſtudio & diligentia ex vniuerſo genere humano ſibi ceu peculium quoddam elegerat: hoc ipſum multis alijs accidiſſe ſcimus. Nam vt nihil dicamus de tota Iſraelitarum gente, quæ etſi populus ſanctus & regnũ ſacerdotale dicatur, murmuratores tamen & rebelles & defectores habuit, qui aduerſus Dei ſeruos hoſtiliter inſurrexerũt: quis neſcit, inter Iacobi filios fuiſſe, qui à patriæ virtute turpiſſimè degenerarunt? & Dauidis poſteros, ex quibus Dei Filius homo naſci debuit, non paucos ſceleribus atrociſſimis laborauiſſe? Quid verò de primitiua Eccleſia dicemus, quæ vt contentionibus & rixis exagitata eſt, ita Ananiam & Sapphirã aliosq; impios hypocritas habuit? Nemo igitur hodie offendatur, ſi eiuſmodi peſtes in Eccleſia conſpiciat. Clamant quidem Anabaptiſtæ, Eccleſiam Chriſti ab Apoſtolo deſcribi, vt quæ ſit abſq; ruga & macula: & quia paſſim multos ſuæ profeſſioni minus reſpondere videt, mox Eccleſias damnãt, & ſeceſſione facta nouam Eccleſiam ipſi conſtituere volunt: quæ temeritas hodie multis in locis grauiſſimorum motuum atq; turbarũ cauſa fuit, quibus Eccleſiæ non omnino malè conſtitutæ, ſubitò euerſæ, aut priuſquam conſtituerentur, in ipſa herba (quod aiunt) oppreſſa ſunt: quod olim quoq; Donatiſtis vbiq; tumultuantibus factum eſſe, hiſtoricĩ docent. Falluntur autem infelices illi, quòd homines dum in carne hac peccatrice & mortali viuũt,

Ephes. 5.

ad eam

ad eam perfectionem peruenire poſſe arbitrantur, quam tunc demum attingemus, quando cum carne affictus quoq; deponere dabitur: item quod ad hominum opera & mores id reſtringũt, quod nobis ex gratuita Dei miſericordia imputatur. Etenim Eccleſiam ſine ruga & macula eſſe Paulus ſcribit, non quòd nos tales ſimus, ſed quòd Deus pro talibus agnoſcit eos, quos Filius eius Ieſus Chriſtus ſuo ſanguine abluit, & qui huic per fidem inſiti, eiuſdem iuſtitiam induerunt. Itaq; neminem fanaticorum iſtorum intemperies moueat, qui dum omnes damnant, ipſi ferè ſcelere omnium atrociſſimo ſeſe polluunt, cùm Eccleſiam ſcindant, cuius vnitatem Deus Filij ſui morte inſtaurari voluit, & cuius vinculum eſt Spiritus Chriſti, qui & fidem & vitam eandem omnibus membris largitur. Quod autem de Eccleſia dicimus, id ad omnes hominum ordines & ad omnia vitæ genera extendi debet: ne propter aliquos, qui officium non faciunt, ea damnemus, quæ Deus bene inſtituit, & ſine quibus vita hæc nõ poteſt conſiſtere. Peccant in eo, qui Magiſtratum abolendum eſſe clamant, quòd multos ſub hoc prætextu tyrannidẽ exercere vident: quèd nem coniugium damnant, qui pleriq; illo turpiſſimè abutuntur, aut etiam rixis quotidianis fatigantur. Atqui hæc non magiſtratus & coniugij vitia ſunt, ſed hominum, qui Dei ordinẽ atq; voluntatem non obſeruant. Quid verò iniquius eſt, quàm ſapientiſſimum illum opificem propter eos reprehendere, qui eius operibus atq; inſtitutis abutũtur pro ſua libidine? Quin potius meminiſſe nos decet, quòd vt vndecim diſcipulis non fraudi fuit proditoria Iudæ improbitas: ita nemo pius damnari aut reprehendi debet propter vitæ genus per ſe honeſtum, eò quòd alij in illo petulantiores ſunt, & præter officium multa faciunt.

At miretur aliquis, quæ cauſa Iudam impulerit, vt ad tantum ſcelus animũ appelleret? Sed Lucam audiamus, qui rem omnem vno verbo expedit dicens: Introijt Satanas in Iudam. Quod Ioannes ſic exponit: Cùm diabolus iam immiſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſcariotæ, vt eum proderet. Satã ergo ſiue diabolus in eum introiuiſſe dicitur, quòd ipſe illius ſuggeſtioni malæ & impiæ locũ dedit. Qua autem ratione & quo ordine id factum ſit, idem Ioannes 12. cap deſcribit. Accendit in eo diabolus auaritiæ cupiditatem & immoderatum ſuis rebus conſulendi ſtudium. Eo ſuperatus furari cœpit, & ſacrilego auſu ſurripuit multa, quæ à pijs Chriſti auditoribus conferebantur. Quod cùm aliquandiu occultius feciſſet, neq; præterea aliquid hoſtilius aduerſus illum eſſet molitus, tandem in Cœna, qua Simon quidam, ciuis Bethanienſis, Chriſtum excepit, noua occaſio oblata animum auarum & inſatiabilem exacerbauit, vt quaſi atroci iniuria affectus eſſet, animum hoſtilem indueret. Vbi multa concurrunt obſeruatu digniſſima, quæ nunc conſultò omittimus, eò quòd de illis in Marci & Ioannis expoſitione diximus. Cauſa, quæ Iudam mouit.

Nunc autem ſingularem conſideratiõẽ meretur, quòd Satan, qui antiquus humani generis hoſtis & exitij noſtri communis vnicus author eſt, redemptionem & ſalutem noſtram promouit, adeoq; huius miniſter factus eſt, dum Iudam accẽdit, vt Chriſtum hoſtibus prodat. Fecit hoc quidem Iudæ perdendi ſtudio, & odio Chriſti, quo Sacerdotes quoq; & Scribas antea in rabiem illam impiſſimã adduxerat. Sed dum paucos perdere conatur, plures ſeruat: imò (vt in prima ſalutis promiſſione habetur) dum incautius in Chriſti calcaneum ruit, vt hominem perdat, quem ille induerat, proprium caput ictui illi fatali ſubijcit, quo totum conculcari, & regnum eius euerti debebat. Eſt hoc memorabile & multa admiratione digniſſimum opus diuinæ prouidentiæ, qua non bonis modò Angelis, verumetiam malis vtitur ad ea perficienda, quæ gloriæ Dei & hominum ſaluti ſeruiunt. Et huius generis multa quotidie fiunt, vt Regnum Ieſu Chriſti furioſis & impijs illorum machinationibus promoueatur, qui in eius excidium conſpirauerunt. Ita verò non ſolùm in medio inimicorum ſuorũ ille dominatur & regnat, verumetiam eorundẽ opera & miniſterio multa perficit, quæ vix alia ratione fieri poſſe videbantur. Horum cõſideratio vt nos conſolari debet, ne impiorũ conatibus facilè terreamur: ita moneat ſimul omnes homines, ne ſuis cupiditatibus, quibus illos Satan accendit indulgeãt. Nam vt Iudas illius furijs abreptus ſeipſum perdidit, dũ Chriſtũ vlciſci vult: ita omnes illi ſibijpſis exitium accerſunt, qui diaboli ſuggeſtiones admittunt, & effrenes ruunt quò eos animi libido rapit. Diabolus ſalutẽ noſtram promouit.

Cæterùm videamus, vt cauſam hanc Iudas infelix egerit. Primum accedit ad principes Sacerdotum & præfectos templi, & cum illis colloquitur. Quod vt faceret, in cauſa fuit, quòd capitales Chriſti hoſtes eſſe, iampridẽ intellexiſſet. Nec difficile fuit, hominem obſcurum & prius pleriſq; exoſum propter doctrinæ Chriſti profeſſionem, ſeſe ingerere in illorum colloquium, qui authoritate omnibus Iudas adit Sacerdotes, &c.

alijs præſtabant. Nam vt nihil non audent impij, qui cum Dei timore pudorem quoq; omnem abiecerunt: ita omnes facilè admittunt, quorum operam ad Veritatis oppreßionem ſibi vtilem fore putant.
Quæ cauſa eſt, quod turpißimi transfugæ & patrij ſoli proditores apud Reges potentißimos in pretio ſunt, quodq; Epiſcopos & Abbates, qui toti Spirituales dici volunt, non pudet cum gregarijs militibus aut quibuſuis alijs conſilia ſua conferre, quos omnia venalia habere nouerunt. Neq; dubium
eſt iucundißimum Sacerdotibus iſtis fuiſſe aduentum Iudæ: quia facilem eius conficiendi rationem
ſponte ipſis offerebat, quod ipſis factu graue & periculoſum videbatur. Nam vt Matthæus annota-
Iudæ quæſtio impudens. uit, non minori cum impudentia quàm impietate illis dixit: Quid vultis mihi dare, & ego eum vo-
bis tradã? Quaſi diceret Video vos de illo comprahendẽdo ſolicitos eſſe, & populi ad tumultus procli-
uis furoribus terreri: ſed ſolicitudine iſta minimè opus eſt, ſiquidem mea opera vti libeat, quam ego
vobis offero, & mercede mediocri contentus rem iſtam abſq; periculo vobis effectam dabo. Dicite mo-
dò, quidnam daturi ſitis, & quid præmij ex vobis ſperare debeam. Quo loco quid potißimum admire-
mur, vix video: Impudentiam ne aut impietatem cum ſcelerata acceptorum beneficiorum & dulciſ-
ſimæ conſuetudinis obliuione coniunctam? Quid enim impudẽtius fieri poterat, quàm ſe ad ſcelus im-
maniſſimum ſponte offerre, quod communi conſenſu omnes homines deteſtantur? adeò vt ne ipſi qui-
dem proditores proditionis inſimulari velint, & plerunq; illis ipſis inuiſi ſint, qui ipſorum opera vtũ-
tur. Notum eſt enim illud Augusti Cæſaris de Rimotalco Thrace, qui ab Antonio ad ipſum tranſi-
uerat: Proditionem amo, proditorem verò ipſum non laudo. Et Aurelianus Heraclemonem quen-
dam, qui patriã Thyanam ipſi prodiderat, occidi iußit, dicens, ſe proditorem amare non poſſe. Quid,
quod in iure ciuili proditoribus & transfugis ſummum (vt vocant) ſupplicium conſtituitur: vt ni-
Vlp. lib. 48. digeſt. mirum viui exurantur? Antiquitus ijdem equis alligari, & bis in diuerſas partes adactis crudeli-
ter diſcerpi ſolebãt. Hodie in quatuor partes diſſecantur. Fuit ergo hic diabolicus quidam furor, qui
Iudam impulit, vt tam immani impudentia ſeſe præberet ad prodendum Chriſtum, à quo nulla vn-
quam iniuria læſus fuerat. Quàm verò cæca fuit illa rabies, qua agitatus ipſorum arbitrio permittit
quid dandum eſſe putent. Et cùm ipſos in re maximi momenti non admodum liberales videret, non
tamen pedem refert, ſed triginta denarijs (quod pretium non excedit quatuor florenos Germanicos
aut libras Gallicas ſex) ſeſe conduci patitur ad facinus, quo nullum ſceleſtius atq; atrocius Sol vidit
Deut. 16. vnquam. Eſt hoc horribile exemplũ, quo docemur, quanta auaritiæ vis ſit, & quàm verè olim Mo-
ſes dixerit, muneribus ſapiẽtum quoq; oculos excæcari. Poſſent huius generis multa referri, ſed quia
quotidie fiunt, proh dolor, quæ iſtis fidem faciunt, veterum commemoratione nequaquam eſt opus.
Etenim ſi verũ fateri libeat, hæc præcipua malorum omnium, quibus hic mundus exagitatur, cauſa
eſt, quòd iſta Iudæ quæſtio, QVID DABITVR MIHI? vbiq; regnat. Auditur hæc inter eos
qui ad Remp. aſpirant. Eadem tractatur inter iudices, aduocatos & cauſidicos. In ſponſalibus quoq;
primum locum obtinet. Et vtinam non in Eccleſia quoq; inter miniſtros quoq; ſubinde repeteretur.
In Scholis certè ita obtinuit, vt ſi hãc mouentibus illarum præfectis atq; rectoribus ſatisfeceris, mox
ex ſtupidißimis aſinis, ex ebrioſis porcis, ex canibus rixatorib. & turpißimis quibuſcunq; beſtijs Ma-
giſtros & Doctores creari videbis Metamorphoſi plus quàm Ouidiana. Hinc ergo fit, vt probitas,
fides, pietas procul à Repub. & Eccleſia exulent, & paßim ferè Chriſtus quoq; aut prodatur, aut ſal-
tem negligatur, dum omnes non niſi ſuum commodum ſiue quæſtum quærunt, &c.

Marcus Euangeliſta Sacerdotes audito Iuda gauiſos eſſe ſcribit, & ipſe poſtquam illi pecuniam
Sacerdotes gaudent, &c ſe daturos eſſe pacti ſunt, mox omnia diſpicere cœpit, & opportunitatem quæſiuit, qua Dominũ abſq;
publici motus periculo proderet. Solet enim auaritia & impietas alacres & induſtrios facere, & vi-
demus nullius laboris & ſtudij pigere eos, qui aduerſus veritatẽ conſpirauerunt, cùm ferè ignauißi-
mi ſint & nimiùm frigidi, qui illius diſcipulos ſeſe profitentur. Priuatim quoq; nihil non faciunt ho-
mines, vt cupiditatibus peßimis indulgeant, quibus nimiũ videtur quicquid pro veritate & ſalute
publica facere debent. In præſenti tamen obſeruabis, gauiſos quidẽ fuiſſe Sacerdotes, & Iudam quoq;
ſpe lucri exhilaratũ tanta induſtria rem geßiſſe: ſed gaudium iſtud fuiſſe momentaneum, Iudæ verò
alacritatem non multò poſt in deſperationem deſijſſe. Qui enim nunc pretio iniquitatis proditorem
conducunt, cuius opera Chriſtum intercipiant, ijdem poſtea eiuſdem reſurrectione territi militũ lin-
guas redimere coguntur, vt illum furto ſublatum eſſe mentiantur. Accidit hoc multis olim, qui Ec-
cleſiam

cleſiam crudeliter perſecuti ſunt: & noſtro ſæculo multos ſubitò infeliciſſimos factos fuiſſe vidimus, qui ex piorum ſanguine voluptatem cœperunt. Eadem eſt eorũ ſors, qui ex vſuris, ex militia mercenaria, cædibus & rapinis diteſcunt. Vt autem Chriſtus Ieſus vnus idemq́ eſt ſemper, nec vllis tyrannorum aut Satanæ conatibus vinci vel opprimi poteſt; ita gaudio vero & æterno recreabuntur, quotquot in illo conſtantes per huius vitæ pericula atq; miſerias eluctantur, & in eo ſpem ſalutis omnem reponunt. Illi debetur benedictio, honor gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXCII.

Venit autem dies azymorum, qua oportebat mactari paſcha. Et miſit Petrum ac Ioannem, dicens: Profecti parate nobis Paſcha, vt veſcamur. Ipſi verò dixerunt ei: Vbi vis paremus illud? At ille dixit eis: Ecce poſtquam introieritis in vrbem, occurret vobis quidam aquæ amphoram baiulans: ſequimini eum in domum, in quam ingredietur, & dicite patrifamiliâs ædium: Dicit tibi magiſter, vbi eſt diuerſorium, vbi paſcha cum diſcipulis meis edam? Tunc ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum: illic parate. Profecti autem inuenerunt omnia prout dixerat eis: & parauerunt paſcha.

QVoniam Dei Filius, Ieſus Chriſtus, propter nos dirum & infame mortis ſuppliciũ ſubire voluit, vt huius merito peccata noſtra expiaret, & nos ex morte æterna redimeret: in eo ſimul diligentiſſimus fuit, vt ſcãdala remoueret, quæ ex eius cruce & morte apud homines imperitos atq; infirmos naſci poterant. Et huc pertinet, quòd de omnibus, quæ ipſi euentura erant, frequenter apud ſuos diſcipulos diſſeruit, & tunc quoq; præclara ædidit diuinæ virtutis exempla, quando iã extremè humiliari atq; deprimi debebat. Ex illis enim colligi poteſt, eũ non hoſtium vi ſuperatum aut extinctũ, ſed ideo mortuum fuiſſe, quia mori voluit: quod apud Ioannem his verbis teſtatur. Pater diligit me, quia ego pono animam meam, vt rurſus ſumam eam: Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam. Id verò huius loci narratio euidentiſſimè probat, in qua vltimæ Cœnæ præparatio ita deſcribitur, vt vel cæcus videre poſſit, illum nihil eorum latuiſſe, quæ ipſi vrbem ingreſſo euentura erant, & eundem ſimul in hominũ mentes ius & imperium habuiſſe, vt pro ſua voluntate illas inclinare & flectere potuerit. In quorum tractatione ita nobis verſandum eſt, vt meminerimus, nos quoq; voluntarios & ſpontaneos eſſe debere in ijs ferendis, quæ nobis à Deo imponuntur: animum verò nobis addat, quòd Chriſtus, qui ſuo exemplo nobis præiuit, nos quoque & omnia noſtra nouit, neq; nobis quicquam fortuitum accidere, neq́; nos ſupra vires tentari patietur. Quia verò in hanc hiſtoriam multa in Marco noſtro diximus, nunc pleraq; breuiter perſtrinxiſſe ſufficiet.

Chriſtus uolens ſe in mortẽ tradidit.

Joan. 10.

Rurſus autem à temporis paſchalis notatione Lucas orditur, quia ſub illo myſterium noſtræ redemptionis latet, vt nuper eſt dictum. Venit (inquit) dies azymorũ, qua oportebat mactari paſcha. Loquitur autem de primo die azymorum, qui apud Matthæũ diſertè nominatur, & decimus quartus erat menſis primi (qui noſtro Martio reſpondet) quo agnum paſchalem mactare & edere Moſes iuſſerat, ſicuti in Exodi cap. 12. eſt videre. Admonet ergo nos hæc temporis conſignatio, Chriſtum in illo etiam Legem Patris ſui obſeruaſſe, quam Iudæi ſuis traditionibus corruperant, cùm epulũ illud in ſequentem diem tranſtuliſſent ob Sabbati religionem. Quod ideo monemus, vt videas ſuperuacaneas eſſe eorum diſputationes, qui nodum in ſcirpo quærentes, quæſtionem mouent, cur ſua hac Cœna Dominus Iudæos anteuerterit. Coguntur iſti ad neſcio quæ myſteria confugere, quæ ex Thalmudicis cloacis magno ſtudio eruere ſatagunt, & dum circa illas occupantur, præclarum illud Chriſti exemplum non obſeruant, qui procul relictis aliorum ſuperſtitionibus, ea die & hora paſcha ſuum comedit, quam Deus in Lege conſtituerat. Et videtur hoc Lucas non omnino obſcurè innuere, quando ait: Venit autem dies azymorum, qua oportebat mactari paſcha. Quaſi diceret. Inſtabat iam veſpera illa, quæ primi diei azymorum initium erat (ſcimus enim Hebræos diem à veſpera inchoare contra Romanorum morem, qui Solis exortum diei initium faciunt) quãdo agnus ille paſchalis ex Legis præſcripto occidi & commedi debebat, ideoq; illum Dominus abſq; mora parari curauit, nihil eos moratus, qui parum ſuperſtitiones ſecuti ſecus faciebant.

Quo die Chriſtus paſcha ederit?

Chriſtus Sacramentorum diligens obſeruator.

Quo loco diligenter obſeruari debet Chriſti exemplum, qui Sacramentis & ritibus in Lege traditis ita vſus eſt, vt nihil eorum neglexerit, quæ à Patre mandata fuerunt. Nam & circunciſus eſt, & poſtea baptizatus quoq;, cùm neq; circunciſione neq; baptiſmo opus haberet. Dies itē feſtos diligenter coluit, & ad publica ſacra non ſine periculo Hieroſolymā profectus eſt. Et nunc ne imminentis quidem mortis periculo terretur, quò minus paſcha celebret & loco & tēpore, quæ diuinitus conſtituta erant. Qui enim hominem verum aſſumpſerat, & nos à iugo ceremoniarum legalium liberare debebat, nihil eorum prætermiſit, quæ & hominem & ſeruatorem humani generis decebant. Suo autē exemplo Sacramentorum & miniſterij ſacri contemptores arguit, in quorum numero non ſolùm prophani illi cenſentur, qui cum Deo cœlos & inferos negant, aut ſaltem ridēt: verumetiam hypocritæ, qui vt gratiæ Dei & Chriſti merito omnem noſtræ ſalutis laudem vendicent, tam verbi prædicationem quàm Sacramentorum vſum pro ſuperuacaneis & inutilibus habēt, & ideo neq; ex ſe natos baptizari curant, neq; ipſi ad menſam Domini accedunt, adhac à cœtibus ſacris prorſus abſtinent, perinde ac ſi ne precibus quidem ipſis opus ſit. Gloriantur quidem illi fide ſua, ſed quàm parū adhuc profecerint, ex hoc vno ſatis apparet, quod Dei verbum & ſtatuta tam parui faciunt: vt iam nihil dicā de illorum ſuperbia, qua aduerſus fidiſſimos Dei cultores, imò aduerſus Dei Filium efferuntur, qui omnes in his diligentiſſimi fuerunt. Neminem ergo talium hominum ſiue ſcurrilitas ſiue hypocriſis moueat: ſed diſcant ſinguli gratis animis bonitatem Dei agnoſcere, qui eiuſmodi ſubſidijs noſtræ imbecillitati ſubuenire voluit. Simul autem imitemur Chriſti exemplum, ne latum vnguem diſcedamus ab ea formula doctrinæ & ſacrorum, quam nobis Deus tradidit. Noluit ille propter Sacerdotū authoritatem aut receptum in populo Iudaico morem alio tempore paſcha edere, quā quo Deus iuſſerat. Quantò minus igitur illum ea neglexiſſe putabimus, quæ maioris erant momenti? Neq; ſuperuacaneam putabimus eſſe hanc diligentiam: quia niſi Dei ordo ſeruetur, ei adeò non placebimus, vt neq; exercitia illa ſacra pro ſuis agnoſcat. Docent hoc Prophetæ, qui & circuncisionem & ſacrificia cum templo reijciunt, eò quòd illis Iudæi non ritè vterentur. Et Paulus Corinthios Cœnam Dominicā edere negabat, eò quòd à prima inſtitutionis formula, quam Chriſtus nobis tradidit, receſſiſſent. Quid ergo illum hodie dicturum putabimus, ſi baptiſmum tot exorciſmis, tot geſticulationibus non minus ridiculis quàm inutilibus corruptū, adhac oleo, ſale & ſputo fœdatum atq; pollutum cerneret: in Cœna verò locum ſucceſſiſſe videret Miſſam, quæ & nomen Cœnæ, & omnem eius ritum vnà cū vſu vero prorſus aboleuit? Aut num noſtros ille probaret, qui fractionē panis ex illa ſuſtulerunt, & primitiuæ Eccleſiæ ſimplicitatem ceremonijs inutilibus, luxu item & pompis faſtuoſis prophanant?

Noluit porrò Iudæ opera uti Chriſtus.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui ad epulum illud parandum in vrbem mittit Petrum & Ioannē, dicens: Profecti parate nobis paſcha, vt veſcamur. His verò de loco interrogantibus, hunc non ſine miraculo indicat. Vbi quæras aliquis, cur iſtos potius miſerit, quàm Iudam, ad quem res iſta ex officio pertinere videbatur, cùm quæſtor eſſet, hæc autē abſq; impenſis nō poſſent fieri? At noluit poſthac eius opera vti Dominus, quem turpem à fide ſeceſſionem feciſſe, & iam cum hoſtibus ſuis cōiurauiſſe ſciebat. Et ſuo exemplo docet, ne vel verbi vel ſacrorum myſteriorum diſpenſatio committatur hominibus indignis, qui fidē abnegauerunt, & palàm diaboli caſtra ſequuntur. Tulit quidem hypocritam & furē Dominus, & eius miniſterio huc uſq; vſus eſt, apoſtatam verò & transfugam ſiue proditorē ferre non poteſt, neq; dignum iudicat, per quem conuiuium illud ſacrum præparetur. Quod exemplum vtinam obſeruarent, qui ad verbi miniſterium quoſuis temere admittunt, quorū fides multis dubia eſt, vel etiam eos, qui non obſcuris indicijs ſeſe produnt, quòd à fide alieni, & myſteriorū eius prorſus ignari ſint. Intelligent iſti olim magno ſuo malo, quid ſit cum Eccleſia Dei ludere, & dilectā Ieſu Chriſti ſponſam vaniſſimis ſcurris, vel etiā impuris lenonibus committere. Quid verò de illis dicemus, qui cùm fidem in Chriſtum profiteantur, totam tamen fidei atq; religionis cauſam inſidioſis Pontificū Concilijs ſubijciunt, vt hi de illa pronuntient, qui hoſtiles animos iam pridem publicè declarauerunt? Meminerint omnes iſti, Eccleſiarum & religionis cauſam apud Deū maioris momenti eſſe, quàm quæ perfunctoriè tractari, aut perfidè hominibus ineptis vel malis committi debeat.

Diſcipuli quærunt de loco.

Viderunt hoc Apoſtoli, qui vt alibi in eiuſmodi negotijs grauiter & diligenter egerunt, ita hic quoq; non temere ruunt ad id, quod ipſis mandabatur. Sciebant quidem rem ſanctam præcipi, & totā vrbem epulo huic eſſe deſtinatam: ne quid tamen peccent, de loco aut diuerſorio quæſtionem mouent aliquantò diligentius vbi vis (inquiunt) paremus illud? Eſt hoc non contemnendum obedientiæ veræ exem-

ræ exemplum, quæ imprimis opus eſt in ijs, quæ ad Dei cultum faciunt. Nam coli quidē vult Deus, at cultum pro noſtro arbitrio inſtitui non vult, ſed vt ab ipſo præſcriptam formulam ſequamur præcipie. Ideo reprehenduntur in hiſtoria ſacra, qui in excelſis ſacrificabant, & Prophetæ palàm eos damnant, qui Deum humanis traditionibus colere audēt. Nec eſt, quòd ignorantiam aliquis prætexat. Nam vt ſuam voluntatem nobis Deus abunde reuelauit, ita ſi quid nos adhuc latet, id quoq; manifeſtabitur, ſiquidem in illius mente & ſenſu inueſtigando ſeduli fuerimus. Gaudet enim noſtro ſtudio Deus, & Chriſti promiſſio eſt: Quarite, & inuenietis. Cui illud Apoſtoli cōſentit: Si cui deeſt ſapientia, petat ab eo qui dat, Deo nimirū, qui dat omnibus benignè nec exprobrat, & dabitur ei. Iacob. 1.

Facit ad huius promiſſionis confirmationē præſens hiſtoria. Nec enim diſcipulos de loco quærentes reijcit Chriſtus, ſed illum (vt paulo ante diximus) cum miraculo indicat, vt ad eius iuſſa capeſſenda ſint alacriores. Ecce (inquit) poſtquam introieritis in vrbem, occurret vobis quidam aquæ amphoram baiulans, ſequimini eum in domum vſque, in quam ingreditur, & dicite patrifamiliâs, &c. Concurrunt hoc loco duo prorſus diuerſa, vel potius contraria, Chriſti nimirum paupertas, & eiuſdem diuina virtus ſiue potentia, quæ omnibus imperat. Paupertatis enim eſt, quòd domo propria caret. At quid de domo dico, quando ipſe fatetur, ſe non habere, quò caput reclinet, & proinde auiculis quoq; & vulpibus eſſe egentiorem? Et qui nunc in domum alienam diuertit, prius Bethlehemi in ſtabulo alieno natus, & propter loci incommoditatē in præſepio depoſitus fuit. Hoc vt ſui erga nos amoris documentum eſt euidentiſſimum: ita impiam & nulla venia dignam mundi huius ingratitudinem arguit, qui & olim ſuo creatori & redemptori locum negauit, & hodie eundem paſſim excludit. Potuit ſaltem olim ſub duro Romanorum imperio ſtabulum inuenire, in quo naſceretur, Dei Filius. Potuit in ſanguinaria Hieroſolymorum vrbe hoſpitium impetrare, in quo cum ſuis diſcipulis agnū paſchalem ederet, & Cœnam ſuam myſticam inſtitueret. At quot vrbes, quot regna & populos (de ijs loquor, qui illius nomen profitentur) oſtendere poteris hodie, in quibus Euangelio eius omnis locus negatur, & vbi Eccleſiæ, quæ illius corpus eſt, adeò non patent ſtabula aut hoſpitia qualiacunq;, vt ne in ſyluis quidem tuti ſint, qui in illius nomine conueniunt? Non debet tamen iſta ingratitudo atq; crudelitas aliquem offendere. Nam vt hîc in extrema egeſtate virtutis diuinæ argumentum edit Chriſtus, quo ſe omnium dominum eſſe probat, dum procul abſens quæ gerantur videt, & ſimul in hominū animis operatur & agit, vt ipſum quantumuis inuiſum principibus tempore commodiſſimo exciperēt: ita multò magis hodie ex cœlis omnia intuetur, & in omniū voluntates ius habet atq; imperium, vt vel inuiti obtemperēt eius mandatis, aut ſaltem nihil auſint aduerſus eos, quorum miniſterio ipſe amplius vti vult. Idem etiam ſuis in huius vitæ peregrinatione laborantibus nihil vnquam deſieri patietur. Curemus modò, ne quid ille in nobis noſtra profeſſione indignū videat, & diſcipulos hoſce imitemur, qui etſi eos multa abſterrere poterant, aut ſaltem moram aliquam ipſis inijcere, mox tamen obediunt, & obedientiæ ſuæ fructum referunt vberrimum. Nam profecti omnia inueniunt, ſicuti ille prædixerat, neq; aliquid obſtitit, quò minus exequerentur id, quod in mandatis acceperant. Quapropter hoc exemplo confirmati accingamur nos quoq; ad opus Domini, qui pijs conatibus nunquam deerit, & ſuo ſpiritu reget, vt noſtræ vitæ curriculum emenſi in cœleſti Hieroſolymena omnia ea inueniamus, quæ ille pollicitus eſt, & quæ ſuo ſanguine nobis meruit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

Chriſti paupertas & potētia.

HOMILIA CXCIII.

Et cùm adeſſet tempus illud, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum
eo. Et dixit eis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha veſci vobiſcum, ante-
quam ego patiar. Dico enim vobis, me nō amplius comeſturum ex eo,
quò vſque compleatur in Regno Dei. Et accepto poculo cùm gratias
egiſſet, dixit: Accipite hoc, & partimini vobis ipſis. Dico enim vobis,
me non bibiturum ex fructu vitis, vſq; quò Regnum Dei venerit.

LVcas Euangeliſta paſſionis ac mortis Dominicæ hiſtoriā ab epulo Paſchali exorditur, quod poſtremū fuit Ieſu Chriſti, priuſquam moreretur, in terris hiſce conuiuiū. Ideo autē illud præmittitur, quia fructum mortis Chriſti adumbrat, & hunc docet eſſe agnum illum Dei, qui tollit peccatū

mundi: ſimul verò Cœnam myſticam illuſtrat, quam ille paſchatis loco ſubſtituit in ſua mortis commemorationem. Quia autem mos & ritus epuli illius veteris vulgo notiſſimus fuit, & quæ ad eius cognitionem pertinent, ex Moſe peti poſſunt, non multum in illo immorantur Euangeliſtæ, ſed pauci annotant, Chriſtum illud cum ſuis diſcipulis comediſſe, vt hanc etiam Legis partem impleret, & ſuo exemplo Sacramentorũ vſum nobis commendaret, ſicuti in proximo Sermone diximus. In præſenti tamen Lucas primum actum Cœnæ illius deſcribit, quo aliqua continentur, quæ non parum faciunt ad fidei & vitæ noſtræ inſtitutionem.

Conuiuæ Chriſti qui fuerint.

Primum, quos in hoc epulo ſacro conuiuas Chriſtus habuerit, indicatur. Cùm adeſſet (inquit) tempus illud (quod nimirũ huic rei diuinitus erat conſtitutum) diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo. Qui verò & quales iſti fuerint tunc temporis, Euangeliſtæ paſſim docent. Fuit in illis certè magna rerum diuinarum & myſteriorũ Regni Chriſti ignorantia, quod terrenum & victorijs atq; diuitijs ſiue potentia clarũ fore ſomniabant, & ſibijpſis in eo opes atq; honores pollicebantur. Pariebat error iſte æmulationẽ, qua alius ſupra aliũ eminere cupiebat. Hinc lites oriebantur de primatu, quas non multò poſt in ipſa Cœna ab illis inſtauratas fuiſſe ſuo loco audiemus. Et hæc quidẽ vitia omnibus cõmunia fuerunt. Petrus autem iſtis confidentiam coniunxerat, qua & condiſcipulos ſuos ſatis ſuperbè contempſit, & Chriſto ipſum admonenti ſeſe contumaciter nimis oppoſuit. Acceſſit his Iudas, quẽ Satan iam totum occupauerat, & qui cum Sacerdotum principibus conſpiratione facta omnem eius prodendi occaſionem ſolicitè captabat: quem deniq; malitia incurabili in exitium ruere, Chriſtus non poterat ignorare. Et hi quidem in Cœna hac ſanctiſſima & maximorum myſteriorum plena cõuiuæ fuerunt Filij Dei. Quem verò iſtorũ ille excluſit? quem reiecit? cui vel agni paſchalis eſum, vel ſui corporis & ſanguinis ſymbola negauit? Nihil certè huius ab Euangeliſtis traditur. Vnde nos colligimus, nimiùm temerarios eſſe eos, qui multos à Cœnæ cõmunione arcent, quorũ malitia non ita nota eſt, & de quorũ conuerſione nemo adhuc deſperare poteſt. Prætexunt illi diſciplinã, ſine qua Eccleſiæ conſiſtere non poſſint. Atqui eandem nos quoq; neceſſariam eſſe dicimus, non autem poſſumus videre qua ratione Cœna Dominica in finem aut vſum diuerſum conuerti debeat, vt ſeparationis & excluſionis ab Eccleſia organum fiat, quam Chriſtus inſtituit, vt Eccleſiæ colligendæ & conſeruandæ ſeruiat, adeoq; vnitatis Eccleſiaſticæ vinculum ſit. Dicunt illi, Sacramenta prophanari & euacuari, ſi indigni admittantur, adhæc iſtorum communionem ſiue ſocietatem alijs quoq; exitialẽ fieri, qui per illam in vnum cũ ipſis corpus coaleſcant. At ego neutrũ iſtorum fieri dico. Nam qui primũ illud affirmant, ij eadem opera Chriſtũ Cœnam ſuam prophanauiſſe & euacuaſſe dicent, quando Iudam ad illam admiſit. Obijciunt illi, ſcelus illius non fuiſſe adhuc manifeſtum. Quo ore autẽ hoc dicunt, quando & Chriſtus illud probè nouerat, & hoc ipſum ille diſcipulis durãte adhuc iſto epulo indicauit? Vel num eos ſolos indignos hac menſa dicemus, qui in ſceleribus celandis nimiùm inepti ſunt, impunè interim ad hanc venientibus hypocritis, qui quiduis ſimulare aut diſſimulare didicerũt? Quòd ſi Chriſto licuit Iudam admittere, quẽ maximi ſcandali authorem ea ipſa hora fore ſciebat, & qui non multò poſt abiecta & calcata fide, tã anima quàm corpore periturus erat: quæ ratio obſtabit, quò minus Eccleſiarum miniſtri eos admittant, quorum ſcelera nota quidẽ ſunt, ipſi verò ea ipſa actione pœnitentiam ſpondẽt, quodq; ad Eccleſiam redire & Chriſtum verbis & factis ſuis prædicare cupiant? Quòd verò alios ſimul omnes, qui cũ talibus ad Domini menſam accedunt, eorundem ſcelerũ participes fieri nonnulli dicũt, nimis temerarium eſt, ne quid grauius dicam. Nec enim (vt ſæpe aliâs diximus) hîc ſcelerũ communio agitur, ſed Sacramentorũ, quæ gratiæ ſuæ ſigilla Deus eſſe voluit, & quibus ſimul eiuſdẽ fidei vnitas adumbratur, & quaſi vinculo viſibili obſtringitur: Cùm verò hypocritæ et pœnitere neſcij fide careant, ſymbolis quidẽ externis communicare poſſunt, at cũ pijs in vnũ corpus coaleſcere non poſſunt, vt neq; hi cũ illis vniuntur, niſi quoad ſymbola, quæ ipſis quidẽ ſalutis ſigilla, impijs verò iuſtæ dãnationis teſtimonia ſunt. Nõ eſt ergo quod nobis periculũ fingamus, vbi reuera nullũ eſt. Caueri quidẽ anxiè debet Sacramentorũ prophanatio, ac ſimul cauendũ eſt, ne dũ illã fugimus inconſultius, infirmorũ conſcientias vulneremus, aut diſſidiorũ materiã ex eo faciamus, quo cõcordia debebat foueri. Et tũ Chriſti præceptũ ſit, ne temere iudicemus, nemo ſibi eã poteſtatẽ ſumere debet abſq; ſingulari Dei vocatione, vt in aliorũ cõſcientias penetrare, & pro ſuo arbitrio ab Eccleſiæ cõmunione aliquos excludere aut ad hãc admittere velit. Sufficiat vnicuiq;, ſi Sacramẽta ſecũdũ Chriſti inſtitutionẽ rectè adminiſtrari videat, & ſuæ fidei ſibi bene ſit cõſcius, alios verò qui fidẽ profitentur,

ſitentur, Dei iudicio permittat, moneat autẽ ex Chriſtianæ charitatis officio eos, quos ſua profeſſioni minus reſpõdere intellexerit. Fecerunt hoc olim ſanctiſſimi Dei cultorec. Dauid certè in Pſalmis queritur, ſe à tabernaculi & ſacrorũ ſocietate excludi, cùm ea tunc præ alijs fruerentur Saulis coniurati, quorum impietatem & perfidiam idem accuſat. Prophetæ etiam abuſum ſacrorum & ſui ſæculi morec acerrimè repræhendunt, ijdem tamen neminem vnquam à templi communione excluſerunt, multò minus autem ipſi à ſacris illis abſtinuerunt, ne cum aliorum ſceleribus communicarent. Quid de Chriſto dicemus, qui vt hic ad menſam ſuam tot tamq́ grauibus vitijs laborantes admiſit, ita eodem baptiſmo cũ promiſcua populi turba baptizari voluit, in qua pleroſq́ impios hypocritas & incurabiles eſſe ſciebat? Apoſtolis quoq́ ſatis fuit, ſi qui fidem in Chriſtum profitebãtur, neq́ illos vnquam imperioſum illud alienarum conſciẽtiarum ſcrutinium inſtituiſſe legimus. Paulus equidẽ cùm illi res eſſet cum Corinthiorũ Eccleſia, in qua pleriq́ moribus corruptiſſimis viuebant, & Cœna ipſa nõ minus impiè quàm turpiter abutebantur, nihil huius monuit, ſed ſatis illi viſum eſt præcepiſſe, vt vnuſquiſq́ ſeipſum probet, ne de menſa Domini indignè edat aut bibat. Sufficiãt ergo iſta nobis quoque, ne dum præpoſteræ ac nimiæ curioſitati indulgemus, turbarũ atq́ ſciſmatum in Eccleſia ſimus authores. Interim minimè patrocinamur impuris canibus & porcis, qui ſi prophano cum contemptu piarum admonitionum ad ſacra hæc myſteria ruant, procul dubio Deum vltorẽ ſentient, qui ſuæ bonitatis ſigilla & Eccleſiaſticæ vnitatis teſſeras ab ipſis impunè conculcari & prophanari non ſinet.

2. paralip. 30.

Sed ad loci propoſiti tractationem redeamus, quo quid primum fecerit Chriſtus narratur, poſtquã eum diſcipulis diſcubuit. Orationem verè eiuſmodi inſtituit: Deſiderio deſideraui hoc paſcha veſci vobiſcum, antequam ego patiar: Dico enim vobis, me non amplius comeſturũ ex eo, quò vſq́ compleatur in Regno Dei. Quibus verbis tria dicit. Primò de morte ſua cõcionatur, & fatetur iã adeſſe tempus illud præfinitum, quo ipſum extrema quæq́ pati oporteat. Id verò illum cùm ſæpe aliâs, tũ ante biduũ quoq́ feciſſe Matthæus ſcribit. Fecit id præcipuè propter diſcipulos, quos aduerſus ſcandalum crucis præmuniri oportuit, ne eam duro certamini ſuccumberent, quo fidẽ ipſorum tentãdam fore ſciebat. Simul tamen ſuo exemplo nos docet, vt quemadmodum ipſe in mortis ſuæ meditatione aſſiduus fuit, & frequenter de ea cum diſcipulis diſſerit: ita nos quoq́ in noſtræ conditionis mortalis conſideratione multum verſemur, vt magis inſtructi & armati ſimus aduerſus eius terrores, quãdo illa fores noſtras pulſauerit. Errãt in eo multi turpiſſimè, qui ne vitæ huius voluptates ſibi ipſis amaras faciant, omnem mortis mentionem deuitant, & hanc ne ab alijs quidem inijci volũt. Ridiculi planè hominec, qui de ea meta nolunt verba fieri, ad quam dies noctesq́ contendunt, vel ad quã temporis vehiculo feruntur, quod ipſis vel inuitis vel ſaltem non cogitantibus, aut etiam dormientibus, perpetuò curſu pergit. Quis non rideat militem, qui cùm in caſtris agat, nihil tamen de hoſtis aduentu, de claſſico aut pugna audire velit? Atqui vita quoq́ noſtra militia eſt, & inter hoſtes noſtros mors numeratur, tũ qua velimus nolimus aliquando nos congredi oportet. Eſt enim hæc via omnis terræ: & ſuccumbunt quidem omnes hominec in iſto certamine, quoad corpus & huius ſæculi vitã, cui ſemel finem imponi neceſſe eſt: non vincuntur autem pij, qui tunc demũ triumphant, quando animæ corporis huius vinculis ſolutæ in cœlis viuunt, corpora autem ſub ſpe beatæ reſurrectionis quieſcunt. Quod qui probè intelligunt, ijs mortis cogitatio non terribilis, ſed ſalutaris: nõ amara, ſed iucunda eſt. Quia enim ſe mortalec eſſe cogitant, non poſſunt, huius vitæ illecebris animos ſuos addicere: ſed vitam omnem ita inſtituunt, vt olim in Dei conſpectu comparere poſſint: Iidẽ quia ſibi in cœlis patriam & hæreditatem præparatam eſſe norunt, cupiunt omnino diſſolui, vt cum Chriſto viuant, quem vt vnicũ ſuæ ſalutis authorem ſupra omnia diligunt. Comprehendit ergo hæc conſideratio non poſtremam ſapientiæ partem, quæ & huius vitæ regulam certam præſcribit, & cœleſtium bonorum fiducia animum inter pericula & aduerſa vacillantem recreat atq́ ſuffulcit. Ideo ſapientiſſimus ille mortalium Solomon dicebat: Melius eſt ingredi domum luctus aut funebrem, quàm domũ conuiuij: quia illic cernitur finis omnium hominum, & viuens ſiue ſuperſtes id reponit in corde ſuo. Eccle. 7.

Chriſtus de ſua morte concionatur.

Alterũ, quod hîc Chriſtus facit, eſt, quod ardentiſſimum noſtræ ſalutis deſideriũ profitetur. Deſiderio (inquit) deſideraui hoc paſcha veſci vobiſcũ. Diſertè autẽ de illo paſchate loquitur, quod tunc agebatur, vt ab alijs, quæ prius celebrauerat, iſtud diſtinguat. Quid verò hoc habuit præ alijs expetendũ? Nõ aliud certè, quàm horã illã æterno Dei decreto præfinitã, qua ipſe in mortẽ tradi & hu-

Chriſtus noſtræ ſalutis cupidiſ.

mani generis redemptionem perficere debuit. Atqui mortis memoriam propter dirum illud & infa
me crucis ſupplicium illi, vt homini vero & noſtris infirmitatibus obnoxio, aliquando acerbiſsimam
fuiſſe conſtat. Apud Ioannem certè illius recordatione commotus ait: Nunc anima mea turbata eſt,
Ioan.12. & quid dicam? Pater, conſerua me ab hac hora. Et infra ipſum præ animi anguſtia ſudauiſſe audie
mus, ſudoremq́ eius non vulgarem, ſed ſanguineũ fuiſſe. Vicit tamen omnes alios affectus amor ille
immenſus, quo nos complexus eſt, & qui tã ardens ſalutis noſtræ deſiderium excitauit, vt illam mor
te ſua merito redimere cuperet, & huius horã auidè expectaret. Et quid aliud faceret, qui alibi hũc
cibum ſuum eſſe ait, vt faciat volũtatem Patris ſui, id eſt, vt quàm plurimos ſaluos faciat? De hoc
Galat.2. Chriſti amore atq́ deſiderio Paulus dicit: Filius Dei dilexit me, tradidit ſemetipſum pro me. Me
retur autẽ hoc multam & diligentem conſiderationem. Hinc enim dulciſsima & efficaciſsima conſo
latio peti poteſt, quæ ſola aduerſus conſcientiæ tentationes nobis poteſt ſufficere. Solet has Satan gra
uiſsimas excitare, & fere eiuſmodi cogitationes animis noſtris inferit: Quid tu infelix porrò ſperes,
qui quantus quantus es, peccator es, & propterea morte æterna dignus? Num verò Deũ propter to
iuſtitiæ ſuæ immemorem fore putas, quò minus te ſua ſentẽtia, ceu fulmine, ad inferos præcipitẽ det?
At in Filio Dei ſibi fiduciam repoſitam eſſe dices: Stulte, num ille ſalutis tuæ maiorem curã, quàm
tu ipſe habeat? Quid verò in te eſt, quo iſtud merueris? aut quid ex te ſperare poteſt ille, qui ſibi ſo
lus ad omnia ſufficit, neq́ tuo miniſterio ſiue officio opus habet? Hæc & multa alia ſimilia aſtutus il
le veterator poteſt ſuggerere. Quibus nõ aliud ſcutum fortius opponi poterit, quàm Dei bonitas, quæ
in hiſce Chriſti verbis euidentiſsimè elucet. Ita enim ille dilexit nos, vt Filium ſuũ vnigenitũ æter
no decreto prædeſtinauerit, vt pro nobis homo factus nos mortis ſuæ merito redimeret. Ipſe verò nõ
Patri ſolùm obediens fuit, verumetiam tanto noſtri amore accenſus fuit, vt ardentiſsimo cum deſide
rio diem illum expectarit, quo operi huic tam ſalutari tamq́ neceſſario manum admouere debuit. Im
poſsibile ergo fuerit, te maiori ſalutis deſiderio ardere, quàm ipſe Dei Filius ardeat. Quis verò obſta
bit, quò minus ille voti ſui compos fiat? Num Satan ex manibus eius rapiet eos, quos ipſe pro ſuis
agnoſcit, & quos ſanguinis ſui pretio ſibi acquiſiuit? Inuitat ille expanſis brachijs omnes, qui labo
rant & onerati ſunt. Idem alta voce ad ſe venire iubet eos, qui vitam æternam ſitiunt. Audiamus
ergo vocantem, obtemperemus inuitanti, & ſaluæ erunt res noſtræ. Nec enim periculũ eſt, ne eos rej
ciat, qui ipſius verbo confiſi ad ipſum veniunt. Non minus autem noſtri nos officij admonet iſta cõ
ſideratio, quod duplex eſt. Primò enim decet nos, vt ipſi quoq́ nõ minori ſalutis publicæ deſiderio ar
deamus, & toti in hoc ſimus, vt quàm plurimi ad Chriſtum conuertantur, & in illo ſalui fiant. Eſt
hoc officium Deo gratiſsimum, qui non alia re perinde vt hominum ſalute delectatur. Ideo Apoſto
Iac.5. lus dicebat: Fratres, ſi quis inter vos aberrauerit à veritate, & conuerterit eum quiſpiã, ſciat quòd
qui auerterit peccatorẽ ab errore viæ ſuæ, ſeruabit animam à morte, & obteget multitudinem pec
catorum. E contra non aliud atrocius ſcelus eſt, quàm illi ſcandalum aut perditionis cauſam præbu
iſſe, pro quo Dei Filius mortem diram & acerbam ſubire dignatus eſt. Conſtat certe ab illius amo
re alieniſsimos eſſe, quos nulla ſalutis fraternæ cura tãgit, & qui infinita hominum millia facilè ſi
nunt perire, modò ipſis bene ſit. Deinde noſtræ etiam ſalutis ſtudio nos flagrare conuenit, & proinde
curare, ne tanto pretio redempti, in exitium noſtrum relabamur. Turpe enim fuerit nos interea ſto
tere aut frigere, dum Dei Filius propter nos tanto deſiderio vritur. Eſt ergo hoc Chriſti dictum di
gniſsimum: quod nunquam non nobis in mentem veniat, imò quod ipſi nobis ſubinde occinamus, quo
ties aut ſalutis noſtræ ſpem in dubium vocari, aut nos huius ſæculi illecebris ineſcari ſentimus, vt
noſtri officij minus recordemur. Illud enim vnum, ſi probè expẽdatur, fidem noſtram confirmare, &
carnis deſideria praua reſtinguere poterit.

Abrogatio epu li paſchalis. Tertiũ in Chriſti verbis eſt, quod de epuli paſchalis abrogatione cõcionatur, & hãc ſui illius deſide
rij cauſam adducit, cui humani generis redẽptio incluſa eſt. Id verò ſingulari cũ grauitate enunciat.
Dico enim vobis, me nõ amplius comeſturũ ex eo, quo vſq́ cõpleatur in Regno Dei. Scimus autẽ per
Regnũ Dei ipſam redemptionẽ humani generis intelligi, & ideo huius quoq́ prædicatione Euãgeliũ
Regni dici. Quoad vero paſchatis impletionẽ, ſatis cõſtat, hãc in morte Chriſti eſſe factã, qui paſcha
noſtrũ (vt Paulus inquit) immolatus eſt pro nobis, & verus ille agnus Dei eſt, cuius ſanguis nos tue
1.Cor.5. tur, ne qd in nos ius habeat Angelus ille vaſtator, qui animas hominũ perditas cupit. Quãuis verò
præſenti

præſenti de ſolo paſchate ſermo ſit, ſub illo tamen omnia alia veteris teſtamenti ſacrificia cum vni-
uerſis ceremonijs Legalibus ſiue Moſaicis compræhenduntur. Itaq; verborum Chriſti ſenſus eſt: In
ſtat iam tempus humanæ redemptionis, & ideo ego huius Cœnæ horam auidè expectaui, vt hoc vobi
ſcum paſcha poſtremum agerem, nunquam epulum iſtud repetiturus, donec reipſa impletum, & Re-
gnum Dei inſtauratum fuerit. Vnde tamen nemo colligere debet, Iudaicum paſcha à Chriſto repeti-
tũ eſſe, aut idem à nobis porrò celebrari debere. Eſt enim locutio hæc ei ſimilis: Sede à dextera mea,
DONEC poſuero inimicos tuos ſcabellum pedũ tuorum. Qua non hoc vult dicere Deus, quòd Fi-
lium poſt ſubactos hoſtes è throno diuinæ maieſtatis deturbari oporteat: ſed quòd diuinam virtutem
palàm declaraturus ſit aduerſus omnes hoſtes, donec mortem quoq; ipſam (quam Apoſtolus nouiſſi- 1.Cor.15.
mum hoſtem vocat) aboleuerit, adeò vt nõ reliquus ſit alius, contra quẽ manu victrici vtatur. Quid
verò poſt hæc aliud fiat, quàm quòd ipſe æternũ regnabit, & omnibus eius aduerſarijs deuictis atq;
ad æternos inferorum cruciatus detruſis, Deus iam ſit omnia in omnibus, ſicuti idẽ Apoſtolus loqui-
tur? Ad eundem modum, ſe poſthac paſcha comeſturũ negat, vſquequò impleatur in Regno Dei. At
quia hoc erecto & reſtituto, nullus neq; paſchati neq; alijs ceremonijs locus erit amplius, reliquũ eſt,
vt Chriſtum non de veteri illa vmbra, ſed ipſa veritate loqui dicamus, quæ nouũ illud paſcha nobis
exhibuit & feſtum perpetuum, quod per omnes vitæ noſtræ dies extenditur, & quod azymis verita
tis atq; ſynceritatis peragi debere Paulus in priori ad Cor. cap. 5. docet. Facit ergo ad huius loci ex- Dan.9.
poſitionem, quod apud Danielem de Chriſto dicitur, quod ipſe ſacrificiũ & oblationem in dimidio heb
domadis vltimæ abrogaturus ſit. Cœpit enim hoc fieri, quando in Iordane baptizatus & publico Pa
tris teſtimonio commendatus eſt, quòd ipſe ſit Filius ille dilectus, in quo ſolo ille placatus ſit. Quibus
verbis nõ obſcurè ſignificabatur, nullam porrò aliorum ſacrificiorum rationem fore Deo, ſed in vno
Chriſto omnes acquieſcere debere. Quod verò tunc cœpit, poſtea in eius morte impletum atq; perfectũ
fuit, quod veli ſciſſio in ipſo puncto mortis dominicæ facta euidentiſſimè docuit. Paſcha autem ſem-
piternum olim in cœlis celebrabimus, quãdo ad Chriſtum collecti cũ eo gaudijs æternis fruemur. Quò
etiam referri debet, quod apud Matthæum de poculo nouo dicit, quod bibiturus ſit nobiſcum in Re-
gno Patris ſui. Non debet autem toto hoc loco oſcitanter negligi, quod de legalium ceremoniarum
abrogatione tam expreſſe loquitur. Quia enim typi aut figuræ erant eorum, quæ ſuo tempore in Chri
ſto debuerunt impleri, æquum, vel potius neceſſe fuit illas aboleri, cùm tempus illud perfectionis (vt
Paulus ad Hebræos dicit) aduenisſet. Nã vmbris manentibus dubia fuiſſet lux, quã nobis Chriſtus
attulit. Non temere ergo factum putabimus, quòd Apoſtoli tanta vehementia aduerſus illos pugna
runt, qui circunciſionẽ & alia Legis exercitia Chriſtianis obtrudere conabantur. Nã initiò publica
concilij verè Apoſtolici authoritate conuicti atq; repreſſi ſunt, vt Lucas in Actis tradit. At cùm qui
dam ne ſic quidem quieſcerent, Paulus multis epiſtolis docet, per ipſos totam Euangelij doctrinã cor
rumpi, Chriſti meritum euacuari, & hunc prorſus inutilẽ reddi. Quia enim, vt ex Daniele modò mo
nuimus, per Meſſiam ſacrificia & oblationes veteres aboleri debuerunt, hunc nobis exhibitum eſſe
negent oportet, quotquot illa adhuc retineri aut reduci debere contendũt. Quòd ſi verò veteres ritus
antiquari oportuit, nimiùm imprudentes & temerarij ſunt, qui nouos à veteribus illis non multùm
diuerſos hodie introducunt. Horum certè audaciæ debemus, quod Chriſtianæ religionis ſimplicitas
per ſæcula aliquot ſuperſtitionibus partim Iudaicis partim gentilitijs obſcurata, vel potius obruta
atq; ſepulta latuit.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua ipſius Cœnæ initiũ deſcribitur his verbis: Et accepto poculo A gratiarum a-
cùm gratias egiſſet, dixit: Accipite hoc, et partimini vobis ipſis. Ergo à gratiarum actione epulũ hoc ctione Cœnam
exorſus eſt Dominus, quoq; illũ aliâs quoq; facere ſolitum fuiſſe, ex alijs locis euidentiſſimè apparet. orditur Chri-
In præſenti autem, quia non vulgare, ſed ſolenne & ſacrum conuiuium agebatur, ritũ quoq; ſolennẽ ſtus.
& in ſacris epulis vſitatum obſeruat. Solebat enim ille, qui ſacris præerat, accepto poculo, quod illi
Salutis aut Saluationis dicebant, conceptis atq; ſolẽnibus verbis gratias agere Deo. Exemplum hu
ius moris in Samuelis hiſtoria habetur, vbi puellæ quædam Sauli dicũt, Samuelem aſcendere ante 1.Sam.9.
ipſum, vt epulum publicum, quod ex gratulatorijs victimis eius loci ciues inſtruxerãt, conſecret: nec
enim populum comeſturum quicquam priuſquam hoc fiat. Ad eundem morẽ David quoq; allufis in
Pſalmo 116 dicens: Quam gratiã referam Domino pro illis omnibus, quæ in me contulit, beneficijs?

Calicem ſalutum tollam, & nomen Domini vocabo. Id eſt, in conuiuio gratulaterio calice accepto & ſubleuato publicè toti Eccleſiæ teſtabor, me illius ope fuiſſe ſeruatum. Quod Paulus etiam obſeruauit, quando poculum Cœnæ Dominicæ poculum benedictionis nominat. Id verò Chriſtus diſcipulos inter ſe partiri iubet, & eo omnes ad gratias Deo agendas excitat. Et rurſus mortis ſuæ mentionem facit, vt hanc ſimul atq; eius fructum illis fidelius commendet. Sic enim ait: Dico enim vobis me non bibiturum ex fructu vitis, vſquequò Regnum Dei venerit. Quod ab illo veriſſimè dictum fuiſſe conſtat, quando hæc illi Cœna vltima fuit, poſt quam mox captus & occiſus, Regnum Dei inter homines inſtaurauit. Quod autem hoc loco Chriſtus fecit, & quod olim veteres in ſuis conuiuijs factitarunt, hoc ipſum nobis quoque faciendum eſſe cogitemus, ne vnquam abſq; gratiarum actione ad menſam accedamus. Quia enim Deus eſt qui panem producit, quo cor hominis confortatur, & vinum creat, quo læti reddimur, qui deniq; pecoribus & feris pabulum præbet, conſtat nos Dei hoſpites ſiue conuiuas eſſe quoties edimus aut bibimus. Exigit ergo à nobis naturæ lex, vt tanto benefactori & nutritio grati ſimus, qui omnes huius mundi partes in nobis alendis atq; veſtiendis occupatas habet. Et qui iſtud ſeriò cogitant ij donis illius rectè & ſobriè vtuntur, quæ ratio eſt, quòd Paulus per gratiarum actionem omnes cibos nobis ſanctificari dicit. Nec enim hæc à fide abeſſe poteſt, quæ ſola tam nos quàm omnia quæ facimus Deo grata & accepta facit. Eſt ergo cum ſcelere & impietate coniuncta eorum ingratitudo, qui porcorum inſtar ad menſam ruunt, & de ſolo ventre implendo aut farciendo ſoliciti, vnde cibos atq; alimenta acceperint, ne cogitant quidẽ. Eſt hoc ingens peccatum, ſi nihil præterea accedat: eoq; grauius eſt, quòd brutorum animalium exemplo arguitur, quæ nutritios ſuos agnoſcunt, & his gratiam aliquam referunt. Naſcitur hinc cum luxu & intemperantia coniunctus donorum Dei abuſus, vt ventri & gulæ ſeruiant, quæ ad vitæ huius ſuſtentationem accepimus. Quid verò non deſignat ebrietas? Rationis vſum extinguit, mentem alienat & aufert, pudorem abſtergit, bilem accendit, linguam ad conuitia, manus ad pugnam acuit & armat, libidini fomenta miniſtrat, rem domeſticam diſſipat & egeſtatẽ parit, cuius impatientia multi exagitati tumultuantur & turbas dant ipſi etiam reip. periculoſas: deniq; nullum ſcelus tam atrox, tã turpe, tam periculoſum eſt, quod non committi ſoleat ab illis, qui vino nimio obruti cum ratione pudorem quoq; amiſerunt. Exempla in hiſtorijs cùm ſacris tùm prophanis paſſim occurrant, & imprimis huc pertinent minæ prophetarum, qui extrema quæq; ebrioſis denuntiant. Fugiamus ergo atq; deteſtemur peſtem tam fœdam & noxiam: quod tunc demum cum fructu fiet, ſi Deum bonorum omnium largitorem gratis animis agnoſcamus. Tanta enim eſt bonitatis ac beneficentiæ eius in omnibus mundi partibus ſeſe exerentis ſuauitas, vt non poſſint non illius amore accendi, & in eius laudes totis animi ac corporis viribus erumpere, quicunq; illam propius conſiderauerint. Quòd ſi verò bonam gratiam Deo debemus pro temporarijs & corporalibus beneficijs, quantò maior eidem debebitur, quòd Filium ſuum vnigenitum, Ieſum Chriſtum, pro nobis in mortem tradidit, vt peccata noſtra expiaret, & ſuo corpore atq; ſanguine nos alat & recreet ad vitam æternam? Excitet nos iſtorum conſideratio, vt ſicuti ipſe deſiderauit poſtremũ hoc paſcha cum diſcipulis comedere; ita nos omnibus relictis in hoc ſimus, vt cum illo in cœlis beato illo æternæ immortalitatis nectare recreemur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXCIIII.

Et accepto pane, cùm gratias egiſſet, fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculum dedit eis, poſtquam cœnaſſet, dicens: Hoc poculum eſt Nouum illud teſtamẽtum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur.

Marcus homil. 118. itẽ 1. Cor. 11. homil. 59.

MVltis quidem & præclaris argumentis Dei Filius ab initio ſtatim ſui in carnem aduentus amorem & beneuolentiam ſuam, qua humanum genus proſequitur, declarauit, hoc ipſum verò tunc omnium luculentiſſimè præſtitit, quando fatalis illa hora appropinquabat, qua pro mũdi

peccatis

peccatis mori & ſeipſum in ara crucis Patri offerre debuit. Nam etſi pro humana naturæ infirmitate mortem horruerit, eandem tamen magno deſiderio expectauit, quòd per hanc publicæ omnium ſaluti conſulere cuperet. Adhæc non tam de ſuis rebus ſolicitus fuit, quàm de diſcipulis, quos (quòd eos infirmiores & rudes nimium eſſe ſciret) præceptis & admonitionibus ſaluberrimis inſtruxit, vt ad propoſitum certamē alacriores deſcenderent. Veruntamen ne illis ſolis conſuleret, Cœnam myſticam quoq; inſtituit, quæ totum noſtræ redemptionis negotium non ſolùm adumbrat, verumetiam obſignat, eiusq; memoriam continet iucundam, quæ in Eccleſijs perpetuò celebrari & retineri debet. Quia autem de illa alibi prolixè diximus, nunc ſumma rerum capita perſtrinxiſſe ſufficiat.

Cœna Dominica quid ſit

Primum inter hæc eſt, vt quid ſit illud videamus, de quo in præſenti agitur. Vulgo quidē Cœnam Dominicā dicunt, & ita eam Paulus in priori ad Corinth. vocat. Cauſa nominis iſtius eſt, ꝙ illam Chriſtus Dominus tempore veſpertino, vel potius incipiente iam nocte inſtituit, poſtquā epulum paſchale cū diſcipulis comediſſet, de quo nuper eſt dictū. Ex eo igitur nomē retinuit, vt mortis eius memoriā efficacius nobis cōmendet, etiamſi nunc pro Chriſtianæ libertatis iure matutino tempore peragi ſoleat. Ne quis autē Cœnā hanc vulgarē eſſe arbitretur, Chriſti verba diligētius obſeruare oportet & expendere, quæ non obſcurè docebunt, myſteriū altius ſub actione iſta, vili & contempta in ſpeciem, ſubeſſe. Nam primū vt quod ipſe tunc fecit, nos quoq; faciamus iubet, & bis dicit: Hoc facite in mei recordationē. De pane autē loquens ait: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Et de poculo: Hoc poculū eſt Nouum illud teſtamentū in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur. Quæ verba apud Marcum & Matthæū ad hunc modum enunciantur: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt Noui teſtamenti, qui pro multis effunditur. Ex iſtis ergo inter ſe collatis definitionē Cœnæ eiuſmodi colligere licebit: Eſt actio ſacra ab ipſo Chriſto inſtituta, in qua ex eius mandato panē & vinum inter nos diſtribuimus atq; ſumimus, in recordationē mortis eius, in qua corpus ſuum pro nobis tradidit, & ſanguinē ſuum pro nobis effudit, vt Nouum teſtamentū compleret ratumq; faceret. Actionē eſſe dico Cœnā, quod in omnibus alijs quoq; Sacramentis obſeruari debet, vt ea ad hoc genus pertinere ſciamus. Etenim ſi illa omnia ex ordine conſideres, actione ea conſtare videbis, adeò vt ſi illa ceſſet, ipſa quoq; non ſint. Quis enim Circunciſionem eſſe dixerit, in qua nulla ſit præputij reſectio? Num item ſacrificium eſſe poterit, vbi nihil ſacrificatur? Num baptiſmus, vbi nemo baptizatur aut tingitur? Ita neq; Cœna erit, ſi nemo edat aut bibat. Eſt hoc propter eos obſeruandum, qui per Sacramentum nuda ſymbola intelligunt, & aquam ſiue panem & vinum Sacramenta dicunt, etiamſi nemo illis vtatur. Quæ opinio ſuperſtitionem peperit, vt ſymbola adorentur, aut ſaltem ipſis tribuatur, quod non illorum propriè eſt, ſed ad totam actionem pertinet. Deinde author Cœnæ Chriſtus indicatur, qui illam nobis inſtituit. Materia ſunt panis & vinum, Chriſti verbo in eum vſum conſecrata, nō vt in corpus & ſanguinem eius tranſubſtantientur, ſed vt veri corporis & ſanguinis, quæ ille pro nobis tradidit, ſymbola ſint. Cauſa finalis & vſus, vt iſta inter nos diſtribuamus atq; ſumamus in gratam recordationem mortis Chriſti. Et ne recordatio hæc otioſa & inutilis ſit, mortis ſuæ fructum diſertè explicat, quando corpus ſuum pro nobis traditum & ſanguinem ſuum pro nobis, ſiue pro multis, id eſt, pro tota credentium multitudine fuſum eſſe, & in eo Nouum illud teſtamentum contineri dicit. Quod verò teſtamentum illud Nouum ſit, Paulus in Epiſtola ad Hebræos ex Ieremia docet, per quem Iudæis nouum fœdus ſiue teſtamentum pollicetur, cuius ſummam his verbis comprehendit: Ego ero Deus eorum, & ipſi erunt mihi populus: & propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum ipſorum non amplius recordabor. Nouum verò dicitur hoc teſtamentum, etiamſi idem prorſus ſit cum veteri, quod olim cum Abrahamo fecerat Deus, quia poſt multiplicem Iudaicæ gentis defectionem atq; perfidiam denuo inſtauratum fuit: quòd item populū nouum ex gentibus adoptauit Deus, antiquatis ſimul (vt nuper Chriſtus promiſit) ceremonijs Moſaicis, in quarum locum noua Sacramenta ſucceſſerunt, virtute maiora (vt D. Auguſtinus inquit) vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: quorum tamen idem vſus eſt, qui olim veterum fuit. Porrò teſtamentum hoc nouum in ſuo ſanguine conſiſtere Chriſtus ait, quia cùm mortem teſtatoris intercedere oporteret, Deus autem mori non poſſet, ipſe qui æternus eſt Dei Filius & Patri coeſſentialis, in aſſumpta humanitate mortuus eſt, vt nobis ſecundùm teſtamentum illud ad Regnum Dei & cœleſtium bonorum hæreditatem aditus pateret.

Hebr. 8. & 9. Ierem. 31.

Finis & uſus Cœnæ.

Ergo finis & vſus Cænæ Dominicæ præcipuus eſt, memoria ſiue recordatio mortis Chriſti, cuius merito nos ex peccatis & horum pœnis, morte æterna, redempti ſumus: Non quidē recordatio otioſa aut frigida, qualis eſſe ſolet rerum nihil ad nos pertinentium, ſed quæ cum fide coniuncta, ipſum Chriſtum & in hoc ſalutem omnem apprehendit, adeò vt per illum paſcamur & ſeruemur ad vitam æternam. Adhæc obſignatur hîc nobis redemptionis per Chriſtum factæ beneficium, vt quod de Circunciſione olim Paulus dixit, eam Abrahamo datam fuiſſe ſigillum iuſtitiæ fidei, multò verius de Cœna poßit dici, in ea nobis pignus & ſigillum totius redemptionis noſtræ certißimum & infallibile exhiberi. Ex iſto fine Cœnæ alij dependent, qui propriè ex illo deriuantur. Primò enim fidem in Chriſtū profitemur, quando nos eius morte & ſanguine teſtamur eſſe redemptos. Deinde eſt hoc externū vinculum, quo in vnum corpus conſtringimur ſub vno capite Chriſto. Præterea nō vno modo officij admonemur, quod eſt, ne ſacris alienis cōmunicemus, vt innocentiæ & ſanctitati ſtudeamus, libertatē Chriſti ſanguine partā cōſtanter tueamur, & charitatē colamus mutuā. Eſt ergo cœna Domini officina quædā operoſißima, in qua omnis loci ac ordinis homines inueniunt quod agāt, quæ deniq; ſtimulos quoq; adhibet, quibus ad officiū faciendū excitemur. Prodeſt autē principalē hunc cœnæ finem atq; vſum cum ijs, quæ illi propriè cohærent, probè obſeruare, ne eorum cōmenta admittamus, qui ex illa quiduis pro ſuo arbitrio fingunt. Alij enim in ea Chriſtū pro peccatis viuorū atq; mortuorum offerri aiūt. Alij viaticū ex illa fabricāt, quo animæ ſuſtētentur, vt purgatorij ignis ardores facilius ferāt. Sunt qui corpora quoq; iſtis ſymbolis ad reſurrectionē paſci cōtendant. Pleriq; pro corporali Chriſti præſentia litigant, quaſi hanc ille ſub ſymbolis iſtis ſanciuerit. Qui error vt cū Papatu iam ſurgente exortus eſt, cùm antea toti vetuſtati ignotus fuerit: ita ſuperſtitiones peperit plurimas, quibus meritum Filij Dei euacuatur, & hodie contentionū ferè omnium cauſa eſt, quæ Eccleſiā in partes diſtrahunt magno cum multorum ſcandalo, qui vel reſiliunt à fide, vel retinentur quò minus ad eam accedant. At quid obſecro huius dixit Chriſtus, ex quo errores iſti, quos recitauimus, elici poßint?

Hoc eſt Corpus meum, &c.

Scio quidē aduerſarios noſtros nobis verba Chriſti obijcere, qui dixerit: Hoc eſt corpus meū, &c. & in his Tropum omnē negare, eò quòd verbū ſubſtantiuum, E S T, hunc prorſus excludat. Quaſi verò nō infinitæ locutiones in Scripturis inueniantur, in quibus idem verbū habetur, etiamſi parabolica ſint quæ illic dicuntur. Ioſeph certè Pharaonis ſomniū interpretans ait: Septē vaccæ pingues ſunt ſeptē anni, & ſeptem ſpicæ bonæ itidem ſunt ſeptē anni. Et Chriſtus cùm de ſemine locutus eſſet, quod ſulcis mandatur, tandē parabolā exponens, dicit: Semē eſt Verbū Dei. Et de ſeipſo idem dicit: Ego ſum oſtium, ego ſum vitis vera, ego ſum via, &c. quæ omnia figuratè ab eo dicta eſſe notius eſt, quàm vt demonſtrari oporteat. Clamant illi, aliā eſſe horū verborū rationē, quia iſta iam in mortem abiturus & teſtamentū conditurus dixerit. At ego nego hanc temporis circunſtantiā ad Tropum excludendum ſufficere. Et quid reſpondebūt illi, ſi Chriſtū cùm iam morti magis vicinus eſſet, & in re non minus ſeria Tropicis locutionibus vſum eſſe oſtendero? Nónne ad montē Oliuarū in ſummo agone cōſtitutus clamauit: Pater, ſi vis, transfer poculū hoc à me? Quis in poculi vocabulo, quo crucis ſuppliciū denotat, Tropū nō agnoſcit? Quid quòd iam expiraturus alta voce dicit: Pater, in manus tuas depono ſpiritū meum? In quibus verbis ſi Tropū nullum velimus agnoſcere, neceſſe erit, vt cū Anthropomorphitis Deū fingamus, qui humana forma cōſtet, & pedes atq; manus habeat? Nihil ergo dicunt qui hoc prætextu fucū facere conantur imperitioribus, quòd hæc poſtrema Chriſti verba ſint, et proinde nō aliter quàm ſecundùm literā accipi debeant. Quin potius in totius actionis huius argumentum reſpicere nos conuenit, & mox patebit, de Sacramento hîc agi, et proinde locutiones quoq; eſtas eſſe Sacramentales, quarum proprium eſt, vt ſigna rei ſignatæ nomina accipiant, quod alibi per Circunciſionis, epuli paſchalis, ſacrificiorum, arcæ & Baptiſmi exempla demonſtrauimus. Nec vlla ratio probabilis apparet, quæ nos in Cœnæ verbis ab vſitata locutionum eiuſmodi interpretatione diſcedere cogat: quin potius multa ſunt, quæ nos monent, vt illa per Tropum exponantur.

Verba Cœnæ Tropica eſſe ex illis ipſis demonſtratur.

Inter quæ non poſtremum cenſeri debet quod ex illis ipſis verbis petitur argumentum. Nam ſi rigido ſenſu ſecundùm literam accipi deberent, vel ſi à ſenſu literali diſcedere nefas eſſet, nullam procul dubio in illis diuerſitatem admiſiſſent Euangeliſtæ, ſed iiſdem ſyllabis ea nobis deſcripſiſſent. Atqui neque iiſdem vocabulis neque iiſdem ſyllabis in illis recitandis vſi ſunt, & aliqui nonnulla omiſerunt, quæ ab alijs ponuntur. Ergo non tam τὸ ῥητὸν quàm verborum illorum ſenſum ſpectandum eſſe

dum eſſe putarunt. Quod vt manifeſtius ſit, illos inter ſe conferemus. Apud Marcum & Mattheũ de pane dicitur: Hoc eſt corpus meum. His Lucas addit: Quod pro vobis tradicur. Hanc ipſam verò particulam Paulus aliter exprimit, dicens: Quod pro vobis frangicur. Atqui corpus Chriſti neque fractum eſſe, neque frangi debuiſſe, Ioannes multis teſtatur. Itaque frangendi verbum Paulus per Metonymiam poſuit, & de corpore dixit, quod in eius ſymbolo fieri ſolet, quando in Cœna frangicur panis, & diſtribuitur. In poculi verbis manifeſtior eſt diuerſitas. Matthæus enim illa ſic refert: Hic eſt ſanguis meus, qui eſt Noui teſtamenti, qui pro multis effundicur in peccatorum remiſſionem. Marcus idem planè dixit, omittit tamen quod de peccatorũ remiſſione ille adiecit. Adde quòd vterque hoc loco ſubijcit, quod Lucas Chriſtum in initio epuli Paſchalis dixiſſe ſcribit, cùm ille accepto poculo ſolenniter benediceret: Dico enim vobis, me non bibiturum de fructu vitis, vſquequò Regnum Dei venerit. Idem Chriſti verba de poculo ſic exprimit: Hoc poculum eſt Nouum illud teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur. En de poculo, non de vino loquitur, in qua locutione Metonymia eſt manifeſtiſſima. Deinde poculum hoc ſiue vinum non ſuum ſanguinẽ, ſed Nouum teſtamentũ eſſe dicit, quod in ſuo ſanguine ratum ſit atq; impleatur. Vbi rurſus effectũ aut fructus ſanguinis pro ipſo ſanguine ponitur. Quid ergo hîc dicemus? Clamabimus ne, verba eſſe expreſſa, nuda, ſimplicia, rotunda, quæ non aliter quàm ſonent accipi debeant, & in quibus ſenſum altiorem inquirere nefas ſit? Id verò dicere nõ ſinit Euangeliſtarũ authoritas, qui illa alij aliter reddiderunt. Num verò aliquos ex illis memoria lapſos eſſe dicemus? At hoc dicendo vniuerſam Ieſu Chriſti hiſtoriam in dubium vocabimus. Num igitur falſarios eſſe vociferabimur, qui Chriſtũ mendacij arguere & teſtamentum Filij Dei violare auſi fuerint? quibus conuitijs nos hodie aduerſarij noſtri proſcindunt. Id dicant, qui cum pietate rationem quoq; et pudorem omnem exuerunt. Quid ergo reliquum eſt, quàm vt in illa diuerſitate Spiritus ſancti conſilium agnoſcamus, qui cùm lites olim circa hanc cauſam exorituras non potuerit ignorare, iſta ſic cõſcribi voluit, vt cogeremur animos à litera verborum & ſymbolis panis & vini altius in meditationem mortis Chriſti euehere, & huius fructum atq; effectum conſiderare, qui per illorum vſum legitimum nobis obſignatur. Quòd ſi verò Euangeliſtis licuit ex Spiritus conſilio ita loqui & ſcribere, quis bonus obſecro nobis vitio vertat, ſi eum ſenſum verborum Chriſti proferamus, quem Euangeliſtæ nobis tradiderunt?

Accuſant nos multi, quòd noui dogmatis authores ſimus, & Berengarij errorẽ iam olim damnatum poſtliminio reuocemus. Id verò dicunt, qui aut veteres atq; Orthodoxos patres nunquã legerũt, aut præiudicio ſuo faſcinati eas modò ex illorũ ſcriptis locutiones excerpunt, quibus illi interdum ad Chriſti exemplum vſi ſunt, vt Cœnæ myſticæ dignitatẽ populo cõmendarent, nõ vt carnalẽ eius præſentiam aut Cyclopicã χρεοφαγίαν in myſterio hoc ſaluberrimo ſtatuerent. Quod illorum libri luculentiſſimè teſtantur, in quibus disertè docent, nõ ipſiſſimum Chriſti corpus, ſed eius ſymbolum ſiue figurã in Cœna nobis exhiberi. Tertullianus certè aduerſus Marcionẽ de Veritate corporis Chriſti diſputans, inter alia hoc argumento vtitur: Chriſtus acceptum panẽ & diſtributum diſcipulis corpus ſuũ illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, FIGVRA CORPORIS MEI. *Figura autẽ non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, corpus capere non poſſet. Idem aduerſus eundem Marcionẽ lib. 1. pane corpus Chriſti repræſentari dicit, quo verbo D. Hieronymus quoq; in ſuis Cõmentarijs in Matthæũ vſus eſt. D. Ambroſius item præcipuũ in Cœna eſſe dicit, memoriã redemptionis noſtræ, neq; præſentiæ corporalis mentionẽ facit, quando priorẽ Pauli ad Corinth. interpretatur. Et mox clarius mentẽ ſuam exponens, ſubijcit: Quia enim morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo & potando, carnẽ & ſanguinẽ, quæ pro nobis oblata ſunt,* SIGNIFICAMVS. *Rurſus ibidẽ de Teſtamento diſſerens, ſcribit: Teſtamentũ ergo ſanguine conſtitutũ eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt: in cuius* TYPVM *nos calicem* MYSTICVM *ſanguinis ad tuitionẽ corporis & animæ noſtræ percipimus. Ex D. Auguſtino infinita huius generis teſtimonia producere poſſemus, ſed ſufficiat quod cõtra Adimantũ Manichæi diſcipulum Cap. 12. tale habetur: Nõ dubitauit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm* SIGNVM *daret corporis ſui. Quis verò vnquã inter veteres inuentus fuit, qui patribus iſtis propter haſce verborũ Chriſti interpretationes litem mouerit, cùm in alijs dogmatibus crebræ inter illos contentiones exortæ ſint? Fuit ergo hæc cõmunis Eccleſiæ doctrina, quã & nos hodie profitemur, neq; nos eius ſententiæ pudere po-*

Nos non nouũ dogma afferre.

Lib. 4.

teſt, quam & corporis Chriſti veritas, & eiuſdem incarnationis præcipua cauſa & ipſius Cœnæ finis proprius cõfirmant (vt alibi copioſius à nobis demonſtratũ eſt) & quam tot Martyres cùm veterẽ tum recentiores etiã hiſce nouiſſimis temporibus ſanguine ſuo roborauerunt. Neq; eorũ calumnias **Non habemus inania ſymbola.** *multùm moramur, qui nos inania ſymbola habere, & Chriſtum ipſum à Cœna ſua excludere aiunt. Cur enim inania aut inutilia ſymbola dicãtur, quæ vera & irrefragabilia redẽptionis noſtræ ſigilla ſunt, & id fideliſſimè præſtant, cuius ergò illa Chriſtus inſtituit? Qnomodo autẽ à Cœna ſua Chriſtũ excludimus, qui actionẽ hanc prorſus inutilem nobis fore fatemur, niſi illum vera fide apprehenſum in illam adferamus? Vtinam verò omnes de eo potius ſoliciti eſſent, vt Chriſtum intra animos ſuos agentem haberent, quàm vt præſentiã eius corporalẽ in pane aſſererent. Quis enim illius in pane vſus fuerit, quando neq; anima hominis cibo corporeo ali, neq; Chriſtus qui panis ille vitæ eſt, ore corporis percipi aut dentibus manducari poteſt? Nnm verò illud Pauli ignoramus: Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto?*

Ritus & ordo Cœnæ. *Qnia verò in Eccleſia Paulus omnia decenter & certo ordine fieri vult, quo ritu ac ordine Cœnam ſuã diſcipulis Chriſtus tradiderit, videndũ eſt. Nam in eo etiã à multis peccatur, qui myſteria tanta vel negligentius tractant, vel vt authoritatẽ aliquam ipſis concilient, ea alieno & aſcititio fuco, id eſt, ceremonijs ex ſuo cerebro confictis, & apparatu ſuperbo magis quàm ſancto exornant. At Chriſtus ſimplicitati, ſobrietati & temperantiæ ſtuduit conſultò, vt nos in res ipſas potius, quàm in ea quæ ſub ſenſus cadunt, intentos eſſe doceret. Conuenit enim cum diſcipulis vt paſcha perageret, & ideò cœtum hunc ſacrum fuiſſe conſtat. Inter cœnandum de ſua morte & redemptione humani generis, deq; hominis Chriſtiani officio diligenter & prolixè concionatus eſt. Inde panẽ & vinum accepit, quæ vt apud omnes gentes concordiæ & vnitatis ſymbola fuerunt ſemper: ita huic negotio optimè conueniunt, quia totum mortis eius fructum adumbrant, & ipſum docent panem atq; potum illum viuificum eſſe, quo nos ad vitam æternam paſci atq; ſeruari oporteat. Panem cum gratiarũactione acceptum fregit, & fractum diſcipulis diſtribuit disertè iubens, vt illum accipiant & edant. Eadem ratione & ritu poculum quoq; iiſdem porrexit, & peculiari mandato præcepit, vt ex illo omnes bibant. Nimirum quòd non poſſet ignorare illorum audaciã, qui nouiſſimis hiſce temporibus ſacrilega impietate calicẽ ſacrum ex Cœna abſtulerunt laicis. Quia autem his interea dixit. Hoc facite in mei recordationẽ, vtiq; ſuo exemplo nobis præire voluit, neq; nos in huius myſterij actione quicquã aliud facere debemus, quàm quod illum feciſſe conſtat. Hic ergo Cœnæ ritus & ordo eſt optimus, vt in cœtu ſacro habeatur cum publica gratiarũactione, vt hanc concio ſacra præcedat, qua hominũ mentes ad percipienda hæc myſteria excitentur: vt præter panem & vinũ nulla alia adhibeantur ſymbola: vt panis frangatur in Eccleſiæ conſpectu, vinum quoq; in poculũ infundatur: vt miniſter, qui Chriſti vices obit, illa ſingulis exhibeat, ipſi verò manibus ſuis eadẽ accipiant, edant & bibãt. Qnoad ſuppellectilem ſacrã, non dubium eſt, Chriſtum, qui à luxu & ambitione alieniſſimus fuit, hic quoq; modum nequaquam exceſſiſſe. Sufficiat ergo nobis etiam, vt munda ſint omnia, ſplendorem verò ſumptuoſum & qui oſtentationi potius quàm pietati ſeruit, iis relinquamus, qui religionem quæſtu & externo ornatu metiuntur. Etenim quæ Veteris Eccleſiæ frugalitas in vaſis ſacris & myſteriorum omnium diſpenſatione fuerit, omnes norunt, qui hiſtorias & patrum ſcripta vel obiter inſpexêre. Nec eſt, quod illa alicui ſordeat. Vt enim auro non cõmendantur quæ auro non emuntur (vt Ambroſius ait) ita ritus iſte Cœnæ, quẽ nobis Chriſtus tradidit, ſub vili ſpecie myſteria maxima et ſaluberrima celat, quorum cõſideratio nobis non minus neceſſaria quàm vtilis atq; iucunda eſt. Teſtatur enim Chriſtũ noſtrũ eſſe, & cum bonis ſuis omnibus ex æquo ad omnes pertinere, qui ſacra hæc ſymbola cũ fide percipiũt. Idẽ nos peccatores eſſe admonet, & pœnitentiæ ſeruit, quando panis fractione teſtamur nos ex eorũ numero eſſe, quorum peccata mortis eius merito expiari oportuit. Similiter fidẽ nobis cõmendat, quæ ſola os illud eſt, quo piorũ animæ Chriſto veſcũtur. Adhæc charitatis officiũ adumbrat, cuius præcipuũ opus eſt, vt ſinguli alijs quoq; Chriſtũ propinent, & quoſcunq; poſſunt in eiuſdẽ ſalutis ſocietatẽ attrahant. Hæc & alia huius generis, quæ alibi fuſius expoſuimus, ſi cui ſordent, eò quòd ornatu & ceremonijs theatricis non cõmendentur, næ ille animum prodit iniquiſſimum meriti atq; beneficiorum Chriſti æſtimatorem, & dignus eſt, qui in Antichriſti ſordibus computreſcat, qui Deum ſuum Mayzim auro & argento colere ſolet, ſicuti de illo Daniel olim vaticinatus eſt.*

Reſtat

Officium fidelium in Cœna.

Reſtat vt de officio fidelium quædam dicamus, quo eos in Cœna hac myſtica quàm maximè fungi decet. Admonet de illo Chriſtus, dicens: Hoc facite ad mei recordationem. Qua voce non otioſam & perfunctoriam mortis Chriſti memoriam, ſed cum fide & gratiarũactione coniunctã intelligi, ſupra diximus. Et quia circa hanc finis & cardo Cœnæ præcipuus verſatur, Paulus verba iſta diligentius explicans, ait: Quotieſcunq; ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiate, donec venerit. Mortis vocabulo omnia comprehenduntur, quæ Dei Filius pro nobis fecit aut paſſus eſt. Hebr. 2. *Nam vt mori poſſet, carnem mortalẽ illum aſſumere oportuit, vt ita per mortẽ ſuam aboleret eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc eſt, Diabolũ. Attamen non ſatis erat eum mori, niſi morte deuicta ſimul cœlos nobis aperiret, qui propter peccatũ nobis clauſi erant. Quare reſurrectione etiam opus erat & aſcenſione in cœlos, de quibus ſuo loco dicetur. Hæc omnia in præſenti Chriſtus comprehendit, quando Cœnam hanc ad ſui recordationẽ peragere iubet. Simul autem gratiarũactionem & ſolennem beneficiorũ ſuorum prædicationẽ nobis cõmendat, quam proprium hominis Chriſtiani officiũ eſſe, vetuſtiſſimi quiq; ſcriptores teſtantur. Quia enim ad ſuum cultum Deus hominẽ condidit, huius gloria nobis ante omnia curæ eſſe debet. Ea autem non alio officio magis prouehitur atq; illuſtratur, quàm publica operũ & beneficiorũ eius cõmemoratione. Ideò hanc paſſim ſancti vouent, & id ſacrificium Deo gratiſſimũ eſſe Dauid teſtatur, & quidem acceptius multò, quàm ſi quis illi bouem cornibus & vngulis præſtantẽ offerat. Et huc illud Petri referri debet, qui nos Dei peculiũ factos eſſe ſcribit, vt eius virtutes prædicemus, qui nos vocauit è tenebris in admirabilẽ ſuam lucem. Quàmuis autẽ hoc perpetuum ſit hominis Chriſtiani officium, in quo omnes etiã vitæ noſtræ actiones occupatas eſſe conuenit, hîc tamẽ ſolennis gratiarũactio cõmendatur, cuius vſus & meditatio nos ad faciendũ officium magis extimulet. Quæ cauſa eſt, quòd ea pij vehementer delectantur, & cùm ſuæ infirmitatis ſibiipſis probè ſint conſcij, minimè ſuperuacaneũ eſſe putant hoc Cœnæ myſticæ exercitium, ſed eo quandocunque poſſunt magna cum alacritate vtuntur. Quia verò ijdem intelligunt, Deum non à quouis laudari velle, neq; omnes ad prædicandũ eius virtutes eſſe idoneos, ſeipſos (quod Paulus monuit) diligenter probant ſiue examinant, ne vel hypocritica & falſa nominis Chriſtiani profeſſione, vel ſcelerata profeſſionis iſtius prophanatione Dei oculos offendant. De quibus cùm alibi plura dixerimus, breuius nunc eadem perſtrinxiſſe ſufficiat. Diſcãt ſinguli dilectionẽ Dei plus quàm paternam agnoſcere, qui Filium ſuum Ieſum Chriſtum pro nobis in mortem tradidit. Simul autem huius bonitatem & ardentiſſimum noſtræ ſalutis ſtudium agnoſcant, qui redemptionis noſtræ per ipſum factæ memoriam perpetuã ſacro hoc & ſolenni epulo conſecrare dignatus eſt. Ad id ergo accedamus vera fide inſtructi, vt ſicuti ore noſtro ſacratiſſima hæc corporis & ſanguinis eius ſymbola accipimus: ita per illam ipſum Chriſtum apprehendamus, & per illum paſcamur atq; recreemur ad vitam æternam: Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXCV.

Veruntamen ecce manus eius qui me prodit, mecũ eſt in menſa. Et Filius quidẽ hominis, prout definitum eſt, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem proditur. Tunc ipſi cœperunt mutuò quærere inter ſe, quis nam eſſet ex ipſis qui hoc facturus eſſet. Orta eſt autem etiam contentio inter eos, quis eorũ videretur eſſe maior. Ipſe verò dixit eis: Reges gentiũ dominantur eis: & qui poteſtatem habẽt in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita. Sed qui maximus eſt inter vos, ſit ſicut qui minimus eſt: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.

Marcus Homilia 117.

Dominus noſter, Ieſus Chriſtus, in vltima Cœna, non ſolùm de ſua morte & eius fructu multis diſſeruit (vt Ioannes Euangeliſta teſtatur) verumetiam huius memoriam ſolenni ritu commendauit, Cœna nimirum myſtica, quam ad nouiſſimum vſq; illius aduentum in Eccleſia perpetuò retineri & exerceri debere, Paulus in priori ad Corinthios diſertè docet. Eſt ea redemptionis noſtræ & ſalutis in illo exhibitæ certiſſimum ſigillum, noſq; ſimul de omnibus admonet, quæ in toto

ſalutis negotio nobis obſeruatu & factu neceſſaria ſunt. Quia verò ad illam cum duodecim diſcipulis diſcubuit, quos multis vitijs obnoxios fuiſſe conſtat, & inter quos Iudas quoque numeratur, ſceleratiſſimus proditor, non immeritò aliquis miretur, quid cum hoc ſimul & cum illis factum ſit, quidq́ hodie etiam fieri debeat, ſi quando in externam Eccleſiæ ſocietatem & ſacrorum communionem irrepunt homines fraudulenti, aut etiam flagitijs infames? Commodè ergo nouam narrationem Lucas ſubijcit, qua exponit, quid cum Iuda fecerit Chriſtus, qui deuoto ad omnẽ impietatem animo in proprium exitium ruebat, quid item cum reliquis diſcipulis, quos adhuc curabiles eſſe nouerat. Eſtq́ tractatio hæc multis nominibus conſideratu digniſſima, vt Chriſti exemplum ſecuti, neq; indulgentia nimia ſcandalis patrocinemur, quibus Eccleſiæ ordo atq; diſciplina turbatur: neq; nimia ſeueritate aut importuno rigore eos abſterreamus, qui inſtitutione & conſolatione opus habent.

Actio Chriſti cum Iuda.

Et primò quidem Iudam ille aggreditur, in qua parte Lucas breuior eſt, quòd eam ab alijs copioſius deſcriptã eſſe ſciret. Ioannes actionis huius occaſionẽ annotauit, nimirũ quòd ſpiritu turbatus dixerit, vel potius teſtatus ſit: Amen dico vobis, quòd vnus ex vobis prodet me. Quam animi turbationem noſter quoq; nõ omnino diſſimulat, quando narrationẽ hanc cum Cœnæ inſtitutione coniungens, illum quaſi ex abrupto dixiſſe ſcribit: Veruntamẽ ecce manus eius qui me prodit, mecũ eſt in menſa. Vbi nemini mirum videri debet, Chriſtum toto animo turbatũ fuiſſe, quando & verum hominẽ noſtrisq́ infirmitatibus (ſolo peccato excepto) obnoxium fuiſſe ſcimus, & nunc multiplex dolendi cauſa fuit, qua animus tam paternæ gloriæ quàm humanæ ſalutis ſtudio flagrans non poterat non commoueri. Nam vt nihil dicamus de atrociſſimi ſupplicij recordatione, quæ alibi eum conturbauit, dolorem illi mouit deteſtabilis ingratitudo Iudæ, qua is ſibi exitium accerſebat. Qui enim toto animo commotus fuit, quando populum inſtar ouium abſque paſtore vagari videbat, procul dubio diſcipuli domeſtici interitum ſine gemitu videre non potuit. Qui item alibi ſcandalorum authoribus væ illud horrendum denunciauit, non potuit non turbari, quando ſcandalum, quo nullum vnquã in orbe ſceleratius viſum fuit, ex ſua familia (vt ſic loquar) enaſciturũ eſſe cogitabat. Debet autẽ diligenter obſeruari in Chriſto hæc animi turbatio, vt diſcamus, quàm illi diſpliceant homines nequam & hypocritæ, quibus luſus eſt Sacramentis eius abuti & publica ſcandala præbere eccleſijs. Imitemur præterea nos quoq; illius exemplum. Niſi enim turbemur aliorum impietate & nequitia, per quos religionẽ prophanari, & Eccleſiã offendi cernimus, ſatis conſtat nos à Chriſti Spiritu nimis eſſe alienos.

Admonet Iudam variè.

Cæterum etſi iuſtiſſimam doloris cauſam haberet, & optimo iure poſſet in Iudã verbis acerbioribus inuehi, ſic tamen cum illo agit, vt adhuc eius ſaluti atq; honori conſultum cupiat. Primùm enim in genere ſcelus perſtringit, ne Iudas hoc illũ latêre putaret. Vnus (inquit) ex vobis prodet me. Vel, Manus eius qui me prodit, mecum eſt in menſa. Deinde, quia illum minus cõmoueri ſciebat, propius ferit, & ſimul perfidiæ iſtius atrocitatẽ exprimit (vt Marcus annotauit) dicens: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum in catinum. Quò etiam facit, quòd apud Ioannem Dauidis teſtimoniũ de ſimili perfidia conquerentis adducit. Qui edit mecum panẽ, ſuſtulit aduerſus me calcaneum ſuum. Tertiò quia ne ſic quidẽ aliquid proficiebat apud contumacẽ & obſtinatæ nequitiæ hominẽ, excuſationẽ omnem ei admit: & quia tales, cùm Deũ prorſus ludibrio habeant, ſub eius tamen prouidentia ſcelerũ ſuorũ latibula quærunt, magna cũ grauitate pronuntiat: Filius quidẽ hominis, prout definitũ eſt, vadit: Veruntamẽ væ homini illi, per quẽ proditur. Ita nimirũ admonens, Deum, qui rerũ euentus ſuæ prouidentiæ decretis cõprehendit, & impiorũ quoq; prauis conatibus ad ſuorũ operũ executionẽ bene vtitur, ſimul illis pœnas cõſtituiſſe, quibus eorũ impietas puniatur. Poſtremò, cùm diſcipulis tanti ſceleris atrocitate attonitis, & quis nam proditor ille eſſet interrogantibus, ipſe etiam Iudas (vt apud Matth. habetur) num ſe illũ eſſe diceret, quærere auderet, apertius illũ arguit, dicens: Tu dixiſti. Et mox (vt Ioannes narrat) adiecit: Quod facis, fac citò. Non quidẽ iubens aut hortans, vt conceptũ animo facinus exequi pergeret: ſed potius ſuo illũ, vt merebatur, arbitrio permittens, vt quando incurabilis erat, protinus inde faceſſeret, vt impietatis ſuæ mẽſura impleta, tandẽ digna illi præmia reportaret. Sunt ergo hæc indignantis verba, quibus parentes boni interdum filios rebelles & incurabiles abs ſe reijciunt, vtpote indignos, quibus cum porrò altercentur. Et ſenſit intra animũ ſuum Iudas diuinæ comminationis vim. Mox enim foras ſe proripuit, vt illis ſe coniungeret, cum quibus antea aduerſus Chriſtum cõſpirauerat. Quia tamen diſcipulorum tanta fuit ſtupiditas, vt nihil huius

intelligerent,

intelligerunt, Ioanni prius rem apertius indicauit, cui offa intincta & Iudæ tradita proditorem quaſi digito oſtendit, nimirum vt per illum poſtea alij diſcipuli de toto iſto negotio edocerentur. Eſt autem tota hæc tractatio admodum memorabilis, eò quòd multa contineat, quorum cognitio nobis hodie etiam non tam vtilis quàm neceſſaria eſt.

Primò enim docet in Chriſti exemplo, quæ Eccleſiæ & fidelium omnium conditio ſit in terris. Eccleſia ſemper habet hoſtes domeſticos.
Habent illi (vt alibi admonemur) hoſtes apertos vndique, cùm ea mundi natura ſit, ſiue ingeniũ, vt neque lucem veritatis neque eos ferre poſſit, qui eam fouent atque ſequuntur. Sed plus periculi à domeſticis atque occultis inimicis imminet, qui vt minus caueri poſſunt, ita miris artibus & incredibili aſtutia ſeſe inſinuant, vt ne tunc quidem facilè deprehendantur, quando cum apertis hoſtibus conſilia ſua conferunt, & nihil non in Eccleſiæ perniciem moliuntur. Tales olim Moſes habuit inter Iſraëlitas, quorum gratia opes & honores Ægypti reliquerat. Tales fuerunt, de quibus Dauid in Pſalmis non vno loco conqueritur. Paulus quoq; falſorũ fratrũ ſæpe mentionem facit. Neminem ergo hominum noſtri ſæculi perfidia offendat. Scimus enim quid Chriſtus de nouiſſimis temporibus dixerit: Filius hominis cùm venerit, num reperturus eſt fidem in terra? Et cùm ne Chriſti quidem menſa immunis fuerit, quò minus ad eam Iudas proditor acceſſerit, quid obſecro nos ſperabimus, quibus aliorum arcana prorſus ignota & occulta ſunt? Interim meminerimus, nobis perpetuò vigilãdũ eſſe, ne qui incautos proditorijs ſuis artib. circũueniant, et non tã nos quàm totã religionis cauſã in periculũ adducãt. Quò pertinet, quod alibi Dominus à ſuis prudẽtiã ſerpẽtinã requirit.

Secundò idem hic ſuo exemplo nos admonet, quid fieri debeat cum hominibus flagitioſis, ſiue illi hoſtes occulti ſiue aperti ſint. Quid cum flagitioſis fieri debeat.
Eſt hæc doctrina admodũ neceſſaria. Alij enim dũ zelum gloriæ Dei prætexunt, nihil non ſibi in tales licere putant, et ita priuatæ vindictæ cupiditatẽ exacurare ſtudẽt. Alij verò vt ignauiã ſuam excuſent, charitatis prætextu vtuntur, & ſua indulgẽtia impios præfractiores & audaciores reddunt. At legẽ charitatis Chriſtus ſuo exẽplo interpretatur, dũ Iudæ proditori minimè parcit, neq; ſcelus illius extenuat, ſaluti autẽ eius conſulere ſtudet, et quoad eius fieri poteſt, cauet, ne quæ turba aut tumultuoſior cõtentio inter diſcipulos oriatur. Hac igitur ratione nos etiã vti conuenit, vt primò meminerimus, nõ debere quenquã conniuere ad eorũ ſcelera, in quos ei aliquid iuris eſt & imperij. Nec eſt quòd vel amicitiam vel charitatem prætexamus, quando præcipuũ amici officiũ & proprium charitatis Chriſtianæ opus eſt, hominem in peccato ſuo periturũ ab interitu reuocare. Etenim cùm hæc vtilitas ex inimicis captari poſſit (vt Philoſophi docuerunt) quòd illorũ cõuitijs aut calũnijs docemur, quid in noſtris morib. corrigi et emẽdari debeat, ab amici veri et fidelis officio procul aberit, qui ſua indulgẽtia nobis author eſt, vt deteriores fiamus, aut ſaltẽ in vitijs noſtris perſeueremus. Secũda autẽ cura ſit, vt ſaluti et honori illorũ cõſulere ſtudeamus, ne noſtris admonitionib. infames fiãt, aut etiã magis exaſperẽtur, qui corrigi debebãt. Quapropter etſi publica ſcelera, quæ iã multis alijs ſcãdalo fuerũt, publicè corripi et reprehendi debeant, occulta tamen prudẽter tegi & diſſimulari debent, ne & eorũ famã lædamus, quorũ amicos nos eſſe profitemur, & multis alijs ſcandalum obijciamus, qui prius nihil huius ſuſpicabantur. Peccant in eo multi hodie, qui ſimul importunis ſuis correptionibus ſæpe maximorũ diſſidiorũ authores ſunt, dũ ea in lucẽ proferũt, quæ melius latebant. Hic ergo locũ habeat illud Solomonis, quo charitas multitudinem peccatorum Prou. 10.
operire dicitur. Quod ſi autẽ aliqui deſperata & incurabili malitia in apertũ ſcelus & exiciũ ruunt, eos tunc liberius & apertius non arguere modò, ſed procul arcere & à noſtro conſortio repellere cõuenit, quò minor ſit exempli eorũ authoritas, cæteri verò timorẽ concipiant. Interea autem ſi quid illi contra nos hoſtile moliantur, ad diuinæ prouidentiæ aſylum nos confugere tutiſſimum fuerit. Illic enim diſcemus, neque nobis aliquid fortuitum accidere poſſe, quod non dudum præuiderit Deus, qui ſuos non ſupra vires tentari patitur, neque impunè laturos eſſe ſuam impietatem eos, qui effræni piarum admonitionum contemptu aduerſus ipſum Deum inſurgunt.

Tertiò de noſtri ingenij ſocordia nos admonet diſcipulorũ ſtupor, qui (vt alij Euangeliſtæ teſtantur) Chriſti verbis perterrefacti ſeſe mutuò inſpiciunt & quærunt quis nã ille ſit, qui tãtũ facinus deſignare audeat. Humani ingenij ſocordia.
Quaſi verò aliquod ſcelus tã atrox et ĩmane ſit, quod nõ poſſit in vnũquenque cadere, ſi ſuã gratiã ipſi ſubducat Deus. Quàm multa autẽ in ſemetipſis ſinguli deprehẽdere potuiſſent, quæ eos monerẽt, vt de ſua potius ſalute ſoliciti eſſẽt, quàm ĩ aliorũ corda atq; arcana ĩquirerẽt?

Sed eſt vitium hoc omnibus ex carnis ingenio innatum, vt cùm in genere ſcelera arguuntur, alij alios inſpiciant & ſuſpectos habeant, nulli autem ferè in ſemetipſos deſcendant, & ſui cordis affectus ſcrutentur. Quæ cauſa eſt, quòd ex ſacris concionibus pauci meliores diſcedunt. Cur enim his moueantur, qui de quouis alio, quàm de ipſis agi putant? Eſt tamen laude dignus diſcipulorum dolor, quem illos ex tam tetri flagitij relatione concepiſſe alij Euangeliſtæ narrant. Eſt enim hoc filiorũ Dei ingenium, vt & huius gloriam ex animo quærant, & quorumuis aliorum ſaluti conſultum cupiant. Non poſſunt ergo non dolere & ingemiſcere, ſi quid vident ſiue audiunt, quo Dei gloria obſcuratur, & multorum ſalus impeditur. Diſcimus igitur hoc loco de illis iudicare, qui omnia ſuſq; deque ferunt, modò ipſi pro ſua libidine peßimis ſuis cupiditatibus indulgere poßint. Et hæc quidem dicta ſint in actionem, quam cum Iuda, perdito & deſperato proditore, Chriſtus inſtituit.

Diſcipuli contẽdunt de primatu.

Tranſeamus nunc ad reliquos vndecim diſcipulos, qui & ipſi non vulgariter peccarunt, vt ſimul videamus quid cum illis ſit actum. Quo loco illorum peccatum Lucas præmittit his verbis: Orta eſt autem etiam contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Ergo contentionẽ veterem de primatu inſtaurauerunt, in qua multiplex peccatum concurrit. Primò enim non excuſabilis negligentiæ argumentum eſt, quòd eorum tam facilè tamq; citò obliti ſunt, quæ de hac cauſa iam non ſemel illis Chriſtus dixerat, & quæ apud Matth. cap. 18. atque 20. prolixè deſcribuntur. Coniuncta eſt negligentiæ huic aliqua ſpecies ingratitudinis, cùm triſti illa mortis Chriſti mentione non aliter afficiantur, quàm quòd de ſuis rebus contentionem inſtituunt. Vbi enim zelus gloriæ Dei, quo toti ardere debebant? Vbi de Chriſto bene merendi ſtudium, cuius beneficentiam toties erant experti? Quò item conſuetudinis illius dulcißimæ deſiderium receßit, quod olim Petrus profeßus dicebat: Domine, quò ibimus? tu verba vitæ æternæ habes. Quid verò illud eſt, quod & hoc & memoriam beneficiorum eius reſtinxit? Cæcus ambitionis affectus & inſanum præ alijs eminendi ſtudiũ. Quod cùm per ſe reprehenſionem mereatur grauißimam, auget tamen crimen hoc, quòd qui fratres & cõdiſcipuli erant, iam ſe inuicem contemnunt, & charitatis immemores inter ſe altercantur, quod abſque æmulatione, inuidia, odio, ſimultate et ira fieri non potuit: quæ omnia hominibus Chriſtianis indignißima ſunt. Galat. 5. *Sunt enim (vt Paulus ad Galatas ſcribit) opera carnis, quam mortificare debent, quicunque Deo in ſpiritu & veritate ſeruire volunt. Eſt hoc magnum argumentum noſtræ corruptionis, quo item docetur quanta ſit humani ingenij tarditas in percipiendis Regni Dei myſterijs. Hi enim illi ſunt, quos mundos dicit Chriſtus, & quos è toto hominum genere ſelegerat, vt relictis terrenis omnibus ad cœleſte Regnum aſpirarent, & eius pomeria per vniuerſum orbem terrarũ extenderent. Attamen regnum carnale ſomniant, vtq; in illo excellere poßint, non magna cura tanguntur eorum, quæ de eius indignißima morte & condiſcipuli impijßimo conatu dici audierant. Eſt autem hoc commune ferè omnibus hominibus vitium, quòd aut omnino negligunt religionẽ, aut ſub huius prætextu ſua quærunt. Quæ cauſa eſt, quòd eorum facilè obliuiſcuntur quæ audiunt, & tunc ſeſe turpißimos præbent, quando ingenua & forti conſtantia imprimis opus erat. Prodeſt autem hoc diſcipulorum exemplum aduerſus eos obſeruare, qui Regni Dei & ſalutis noſtræ myſteria humanæ rationis acumine inueſtigari poſſe arbitrantur, & qui poſtquam vnam aut alteram de Chriſto concionem audierunt, quaſi ad ſummum fidei & omnis ſcientiæ faſtigium aſcenderint, omnem præterea inſtitutionem, adhæc admonitiones quoque omnes, ceu ſuperuacaneas, contemnunt. Atqui nunquam ita profiſimus, quin carnis reliquiæ maneant, cum quibus perpetuò pugnandum eſt, vt Paulus proprio exemplo docet. Accedit huic domeſtico malo Satã, qui nouis quotidie cuniculis animos noſtros ſubire ſolet, ſi quo modo fidem noſtram euertere queat. Quare perpetuo ſtudio opus eſt illis, qui ſalutis & fidei naufragium nolunt facere.*

Chriſtus diſcipulos amicè inſtituit.

Porro videamus, quid cum iſtis egerit Dominus. Merebantur quidem acerrimam repræhenſionem propter vitia, quæ (vt diximus) plurima & grauißima in vno hoc facto concurrebant. Quia tamen communi, qui tunc inter Iudæos regnabat, errore decepti, non malitia peccabant, nec aduerſus ipſum aliquid hoſtiliter moliebantur, amicè eos inſtituit, & quæ nam Regni ſui conditio ſit, quodque ipſorum in illo officium futurum ſit docet. Eius ergo manſuetudinis exemplum nobis exhibet, quam in illo Iſaias prædicauit, quòd linum fumigans non extinguat, neque calamum quaſſatum conterat. Extant huius generis multa alia in ſacris literis, quæ vt infirmos conſolantur, ita omnes eos, qui

Eccleſiarum

Eccleſiarum gubernacula moderantur, admonent, vt ipſi quoque ſimili bonitate atque indulgentia vtantur erga peccatores: ne nimia ſeueritate in deſperationem eos conijciant, de quorum pœnitentia adhuc ſpes bona eſſe poteſt. Admonet de eo nos Paulus Apoſtolus, ad Romanos ſcribens: Debemus nos, qui firmi ſumus, imbecillitates infirmorũ portare, neq; nobiſipſis indulgere, ideſt, non noſtris affectibus morẽ gerere, qui ferè cæca æmulatione accenſos ad nimium rigorem tranſuerſos abripiũt. Peccant in eo multi hodie, qui quaſi Draconis leges (quas aliqui ſanguine ſcriptas olĩ dicebãt) acceperint, peccata omnia capitalia faciunt, et temerarijs condẽnationibus atq; excõmunicationibus in deſperationem conijciunt, aut falsò hoſtes faciunt eos, qui ſi cõmodius tractarentur, facilè in viã reduci poterant. Quis verò medicũ probauerit, qui in quouis morbo pharmaca vehementiſſima adhibeat, aut quàm primùm aliquod membrum malè affectum viderit, mox ſerras, vſtiones & cauteria proferat? Quanto magis conſcientiarum ratio haberi debet, ne quæ conſolatione & doctrina opus habent, durioribus minis aut correptione importuna territæ succũbant? Proderit ergo non ſolum quid factum ſit videre, ſed qua occaſione & quo animo quidque fiat expendere, nec ſtatim deſperare de ijs, qui adhuc lucrifieri poſſe videntur. Porro quoad Chriſti actionem cum diſcipulis iſtis, hoc ordine procedit. Primum inter principes ſiue magiſtratus huius ſeculi & Apoſtolos diſtinguit. Deinde ſui ipſos admonet officij. Poſtremò præmium pollicetur, quo ipſorum labores compenſare velit.

Rom. 15.

Quoad primũ, ſæpe iam diximus, diſcipulos cum vulgo Iudæorum ex Prophetarũ oraculis perperam intellectis Regnũ terrenũ ſomniaſſe, in quo ipſi dignitatibus donati ſupra omnes alios excellerent. Et quia Chriſti regnũ per omnes gentes vſq; ad extremos fines orbis terrarũ Prophetæ extendunt, & Iſaias perituros dicit omnes eos, qui illi ſeruire detrectauerint, illi omnia alia regna ceſſatura putabant, vt Chriſto ſoli locus eſſet. Vt ergo iſti errori medeatur, ait: Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur: Vos autem non ita. Quorum verborum ſenſus eſt: Vos quidem regnũ ſomniatis, & vos in eorum locum putatis ſucceſſuros eſſe, qui nunc gentibus hinc inde imperant. Sed multum fallimini hac veſtra perſuaſione. Nam quoad politiam, minimè turbabitur mundi huius facies, & manebunt omnino reges, qui gentibus dominentur, & quos alij pro ſuis tutoribus & benefactoribus agnoſcant: Vos autem adeò non inuadetis illorum regna, vt nihil prorſus cum illis commune habituri ſitis. Vobis enim non regnum, ſed miniſterium: non principatus, ſed obſequium deſtinatum eſt, vt omnium aliorum ſerui ſitis atque miniſtri. Imò quò quis pluribus ſeruierit, eò altiorem in veſtro ordine gradum merebitur.

Diſtinguit inter Reges & Apoſtolos.
Iſa. 60.

Eſt autem hoc loco diligenter obſeruandum, Chriſtum neque magiſtratus abolere, neque regibus aut principibus quod ſuum eſt eripere: ſicuti neque œconomiam, neque coniugium, aut alia Dei inſtituta turbat. Timent hoc ſæpe reges, quibus Epiſcopi & Monachi perſuadent, poteſtatem ſuam ipſis minimè ſaluam fore, ſi Chriſtum & Euangelium eius admiſſant. Sed eſt is Herodis error, qui cùm nouum Iudæorum regem natum eſſe audiret, vt regno ſuo conſuleret, ipſum extinctum voluit, & eò crudelitatis deuenit, vt pueros Bethlehemiticos exemplo inaudito iugulari curaret. Et vtinam hodie multi non ſimili truculentia in ſuæ fidei creditum populum graſſarentur, dum Euangelij præcones regnis ſuis inſidiari arbitrantur, qui de nulla alia re minus cogitant. Fateor tamen huius mali culpam non minima ex parte in phanaticis quibuſdam hærere, qui religionis & libertatis Chriſtianæ prætextu abutuntur, vt ordinem politicum turbent, & indignum eſſe dicunt, hominem Chriſtianum gladio armatum eſſe, quo alios ſuæ profeſſionis homines coërceat. Nam in Pſalmis Chriſto populum ſpontaneum tribui dicunt, qui voluntariam ipſi obedientiam præſtet, neque vi aliqua cogi opus habeat. Addunt & illa Iſaiæ: Concîdent gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces: Nec feret gens contra gentem gladium, neque porrò bellis aſſueſcent. Item: Commorabitur lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit, ſimiliter iuuencus, leo & pecus ſaginatũ ſimul erunt, & puer paruus ducet ea. Vacca et vrſus paſcentur, ſimulq; accubabunt catuli eorũ, &c. Itẽ: Non afficient malis neq; vaſtabunt per omnẽ montẽ meũ ſanctũ, quia plena erit terra ſcientia Domini, &c. Ex his & ſimilibus locis colligunt illi, magiſtratu atq; iudicijs minimè opus fore inter homines Chriſtianos, inter quos nullus locus ſit iniurijs aut damnis, quibus impij ſe mutuò afficere conſueuerunt. Sed falluntur omnes iſti bifariàm. Primò quòd promiſcuè ad omnes Chriſtiani nominis profeſſores extendunt, quod non niſi de verè pijs & in Chriſto

Chriſtus nõ abolet magiſtratus.
Pſal. 110.
Iſa. 2. & 11.

renatis debet intelligi. Deinde, quòd Eccleſiam fingunt eiuſmodi, quæ quoad externum ſtatum, ſolis pijs conſtet: nec obſeruant illud Chriſti, qui Euangelium reti magno confert, quo non ſolùm piſces boni & ſani, verumetiam putres attrahuntur: Eccleſiam item agro confert, in quo ſemente facta hoſtis Satan zizania ſua ſpargere ſoleat. Deniq; non vident, Prophetas ſub parabolis eiuſmodi eam pacem & tranquillitatem piorum deſcribere, qua in cælis demum fruentur: ad huius ſeculi autem conditionē pertinere quæ de cruce Chriſtus concionatur, & quod Paulus ait: Omnes qui volent piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Et rurſus: Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnum Dei. Neminem ergo iſtorum hominum intemperies mouere debet, qui vt rempub. turbant, ita noſtro tempore multas Eccleſias in extremum diſcrimen adduxerunt, multas omnino diſsiparunt. Et ſufficiat pijs, quod Chriſtus Regnum ſuum ex hoc mundo eſſe negat, vnde colligitur, illum neque mundi huius regna neque ordinem politicum euertere.

Reges Dominantur.

At non minus principes viri & qui magiſtratū gerunt, diligenter obſeruare debēt, quid illis in præſenti Chriſtus tribuat. Primo illos gentibus dominari dicit. Id verò nō de violēto aut tyrānico imperio, ſed de legitima poteſtate debet intelligi, qua illos Deus armauit. Quò illud Pauli pertinet, qui poteſtatē nullā eſſe ait, quàm quæ ex Deo ſit. Et notū eſt illud Prophetæ: Deus iudicia tua Regi da. Dominantur ergo Reges, nō quòd quiduis pro ſua libidine agendi ius habeāt, ſed quòd Deus in illū gradū eos euexit, vt ſua authoritate et legitimo imperio alios cōtineāt, ne pax publica turbetur. Colligit ex eo Paulus, eos qui magiſtratui reſiſtunt, ordinationi Dei reſiſtere, et proinde huic obtēperandū eſſe, nō ſolùm ſuppliciorū metu, verūetiā propter conſcientiā, ne ipſius Dei irā prouocemus, cuius multa dira & triſtia exempla iā inde ab origine mundi ædita ſunt in eos, qui ſeditionibus temerarijs rēpub. turbauerunt. Simul autē dominandi verbū principes officij admonet, vt nimirū ſe Dominos eſſe meminerint, & proinde nō langueant neq; frigeant in munere ſibi cōmiſſo, et ne indulgentia nimia, aut etiam vitæ diſſolutioris exemplo, authoritatē ſuam proſtituant. Si enim patrē familiâs non decent mores, qui in pueris aut ſeruulis facilè excuſantur: multò minus eos qui in repub. patrū loco ſunt, omnia ea decent, quæ in priuatis hominibus aliqua ratione excuſari poſſunt. Et cùm omne ſcandalum turpe & pernitioſum ſit, nullum turpius & pernitioſius eſt illo, quod ex ijs naſcitur, qui toti populo virtutis exemplar eſſe debebant. Inexcuſabilis autem eſt illorum ignauia qui ſeipſos exarmant ea poteſtate & authoritate, qua illos Deus donauit. Sunt enim illi inſtar trunci illius, quem ranis à Ioue regem datum, & ab illis ludibrio habitum fuiſſe Æſopus olim fabulatus eſt, quod in illo nihil viderent regia maieſtate & ſeueritate dignum.

Reges benefici dicuntur.

Ne tamen hæc in tyrannidem aut crudelitatem degeneret, ſimul alterius etiam membri meminerint principes, quo eos beneficos dici Chriſtus ait. Conſtat enim hunc vetuſtiſſimum titulum eſſe, quo etiā vnus ex Ptolomæorū numero præcipuè delectatus eſt, vt ſe Euergeten dici vellet. Nec alius illos magis decet. Quia enim in eum finem à Deo inſtituti ſunt, vt publicam pacem tueantur, & vt quiſque priuatim ſub illis ius ſuum obtinere poſſit, meritò ita dicuntur. Et hinc factum videtur, vt quotquot paſſim inter gentes vnquam præfuerunt, eiuſmodi nominibus vſi ſint, quæ ſubditis conſolationi potius quàm terrori eſſent. Ægyptij certè olim Pharaonū nomine ſuos appellabant, quæ vox vindicem ſignificat: eò quòd principum ſit populum ſuum vindicare & tueri, ne aliquorum vel tyrannide vel auaritia opprimatur. Græcis in vſu fuit (vt apud Homerū eſt videre) quòd reges ſuos ποιμένες λαῶν, id eſt, paſtores populorum dicerent. Latini Reges à regendo vocarunt, vt in re militari Duces à ducendo, & Imperatores ab imperando, quo verbo legitima & iuſta aliquid mandandi poteſtas denotatur. Et quàmuis poſtea Imperatores pleraque libidinoſè & tyrannicè facerent, plerique tamē Patres patriæ dici voluerunt, quæ dignitas illis omnium maxima eſſe viſa eſt. Noſtris temporibus nihil frequentius eſt titulo Clementiæ & Gratiæ, quibus ita delectantur principes, vt parum ſit Clementiſſimos dicere, niſi ipſam Clementiā & Gratiam itidem ingemines. Maiores noſtri Reges König dixerunt à ſciendo, quòd ſcientia & ſapientia inſtructos eſſe oporteat eos, qui alicui genti cum vtilitate & laude imperare volunt. Vetuſtiſſimus etiam diadematum atque ſceptrorum vſus eſt, quibus ceu proprijs regni inſignibus gaudent, vt admoneantur, ipſos tunc demū Reges veros fore, ſi virtutum omni genere coronati ſint, & iudicia iuſta atque recta proferant, ſi denique omnia ad iuſtitiæ & publicæ pacis regulam dirigant. Et ideo Poëta reges per ſceptrum ſuum

iurantes

iurantes inducit, nimirum quòd hoc ſuæ poteſtatis ſacratiſſimum ſymbolum eſſe ſentirent. Quæ omnia ſi probè expendant quicunque rempub. adminiſtrant, ij procul dubio benefici erunt, eamque aberit vt ipſorum poteſtas alicui grauis ſit, vt potius toti populo nihil vtilius, nihil iucundius, nihil denique magis neceſſarium poſſit excogitari. Hi enim vt ſubditorum corpora & fortunas tuentur, ita religionis etiam patroni ſunt, vt illos Eccleſiæ nutricios meritò appellaueris.

Apoſtoli nō dominentur.

Sed alterum quoque reſponſionis Chriſti caput conſideremus, quo de Apoſtolorum officio ille concionatur, & id duobus mēbris comprehendit. Primū eſt: Vos autem non ſic. Paucis verbis prohibet, ne ſub eccleſiaſtici muneris prætextu in rempub. dominium affectent, neue etiam in ijs, quæ vulgo ſpiritualia dicūtur, more Regum imperare velint. Qua de re Petrus in vltimo Cap. Epiſtolæ ſuæ prioris grauem admonitionem contexit. Quo loco tamen minimè diſſimulandū eſt, inter reipub. præſides & verbi adminiſtros arctiſſimam cōmunionē eſſe debere: vt hi quidem illos per Dei verbū regant, illi autem hos ſua authoritate defendant. Docuit hoc Deus, quando in ſuo populo duos germanos fratres ipſe conſtituit, vt penes vnum Reipub. cura eſſet, alter verò doctrinæ & ſacris vacaret. Saulis quoque imperium Iſraëlitis vtiliſſimum fuit, quoad ipſe Samuelem audiuit ex Dei verbo ſibi præſcribentem quid facto opus eſſet. Sic Dauidi Gad & Nathan, Prophetæ, familiariſſimi fuerunt. Et Ioas Rex Iudæ in Iehoiada Sacerdote præſidium fortiſſimum habuit, idem verò infeliciſſimè perijt, poſtquam eiuſdem filium Zachariā crudeliter occidit, & abſque Dei verbo regnare voluit. Iſaias quoque Ezechiæ fidelē operam contulit, Manaſſi verò peſſimè ceſſit, quòd & illum & alios Prophetas è medio ſuſtuliſſet. Interim doctores curare decet, ne principum familiaritate & bonitate pro ſuo affectu abutantur, & ea occaſione nouum in Eccleſia imperium ſibi vendicent, aut in ditionem alienam manus ſuas extendant. Etſi enim inter duos iſtos ordines coniunctio animorum firmiſſima eſſe debeat, diſtincta tamen ſunt horum munera, & ſic Deus ipſe conſtituit: primò quidem quia vnus non poteſt vtrique ſufficere (quod in Moſis & Apoſtolorum exemplis euidentiſſime cernitur) partim verò ne doctores ſibi ius ſumant aliquid in Eccleſia ſtatuendi pro ſua libidine. Quod optimi & ſanctiſſimi quique Reges ſic obſeruarunt, vt non ſemel ipſos Sacerdotes in ordinem redegerint, ſi eos vel exorbitare, vel in ſuo offitio negligentiores eſſe viderunt. Eſt ergo intolerabilis Pontificū tyrannis, qui religionis curam ad magiſtratū nihil pertinere aiunt, & ſacrilega audacia eos accuſans, qui ipſis ceſſantibus ad reformationē abuſuū & veræ doctrinæ inſtaurationem manum admouent: at ijdem ſibi licere volunt, vt ipſis quoque principibus ſuperbè imperēt.

Apoſtoli miniſterio deſtinantur.

Altero membro Apoſtolorum munus definit, dicens: Sed qui maximus eſt inter vos, ſit ſicut qui minimus eſt: & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat. Exponuntur hæc clarius apud Matthæum, quando contentione ſimili propter ambitioſam filiorum Zebedei poſtulationem exorta, diſcipulis dicit: Quicunque voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter: et quicunq; voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſeruus. Quibus verbis illos non dominio ſed miniſterio deſtinat, & ex ſeruorum officio argumentū petit, quo illis modeſtiā & quibuſuis ſeruiendi ſtudiū cōmendat. Cōſtat enim inter ſeruos eum excellere, qui plurimùm laboret, & ad rei domeſticæ curam plus alijs confert. Quia ergo vos (inquit Chriſtus) ego meos et Eccleſiæ meæ ſeruos feci, hūc ego omniū præſtātiſſimū iudicabo, qui ſe minimū putauerit, adeòq; qui reliquis omnib. voluntariū ſeruitiū præſtiterit. Vnde iā colligitur, in Chriſti leges peccare eos, quicunq; ſub miniſterij eccleſiaſtici prætextu alijs dominari volūt, quos pro conſeruis ſuis debebant agnoſcere. Solomon olim terram cōtremiſcere dicebat ſub ſeruo, qui imperat. Prou. 30. *Quis ergo dubitet, totā rerū naturā, adeoq; ipſos cœleſtes ſpiritus exhorreſcere, quādo eos ſibi in Regno Chriſti imperiū vēdicare videt, qui ne ſerui quidem dici merentur, cùm nihil eorū præſtent, quæ ille à ſeruis ſuis requirit? Nemo tamen putauerit ſeruilē puſillanimitatem hîc præcipi, quâ doctores ſeſe omnium libidini ſubijciant, & indulgentiores æquo illis turpiter blandiantur, quos arguere & reprehendere debebant. Quin potius in docendo magnanimitate opus eſt, vt (quod Paulus dicebat)* 2. Cor. 13. *experimentum præbeant Chriſti in ipſis loquentis. Ea autem magnanimitas humilitate & charitate temperari debet, vt omnibus conſtet, eos omnia facere vt aliorum ſaluti conſulant, non vt ſuam poteſtatem oſtentent, aut alicui inſolentius dominentur. Faciunt huc Prophetarum et Apoſtolorū exempla, quæ ſi imitentur miniſtri, non poterunt aberrare. Sed plura de hac re in ſequēti Sermone dicentur. Nunc quod præcipuū huius loci caput eſt probè teneamus, vt debita ſeueritate coerce*

antur qui aduerſus Deum & verbum eius hoſtiliter inſurgunt : pia autem lenitate foueantur & in viam reuocentur, quos adhuc tractabiliores & curabiles eſſe videmus. Cura denique ſit, vt quàm plurimos Ieſu Chriſto adducamus, qui fidis ſuis miniſtris optata æternæ felicitatis præmia retribuet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXCVI.

Nam vter maior eſt? qui accumbit, an qui miniſtrat? nonne qui accumbit? At ego ſum in medio veſtrûm vt qui miniſtrat. Vos porro eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego vobis paciſcor, prout pactus eſt mihi Pater meus, regnum: Vt edatis & bibatis in menſa mea in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſraëlis.

Superbia principiũ peccati.

NOn temere à Sapiente illo dictum eſt, Principium peccati, ſuperbia. Vt enim hac peccauerunt primi parentes: ita nobis etiam hæc præcipua peccandi cauſa eſt, quod non cõtenti ſorte noſtra, ambitioſe aſpiramus ad altiora, & tunc quoq; gloriam huius ſæculi quærimus, quando toti videmur nos Deo conſecrauiſſe. Exemplũ huius vitij memorabile in Apoſtolis proponitur: qui cùm omnibus ſuis relictis hucuſq; Chriſto comites indiuulſi adhæſiſſent, tamen regni terreni ſpe decepti, de hoc potius quàm de Regno eius cœleſti propagando cogitarunt. Et tantas in illis vires habuit ex ambitione enata æmulatio, vt qui eiuſdẽ magiſtri diſcipuli, & eiuſdem Patris filij erant, odioſas inter ſe de primatu contentiones excitarent. Quas licet non ſemel iã antea Chriſtus non ſine graui reprehenſione repreſſiſſet, eandẽ tamẽ litẽ in vltima Cœna inſtaurauerũt: et tunc quidẽ, quãdo ille de ſua morte cõcionatus, eiuſdẽ memoriã ſolẽnẽ inſtituerat, et inter hæc indignũ et immane Iudæ proditoris facinus detexerat. Elucet autẽ in tanta diſcipulorum imbecillitate admirabilis & plus quàm paterna Chriſti bonitas, qui cùm optimo iure illos grauiſſimè corripere, imò vt ſuo cõſortio indignos reijcere poſſet, amicè tamen eos inſtituit, adhæc conſolationibus dulciſſimis & magnificis promiſſionibus ſpẽ eorum in poſterum quoque confirmat, ne vnquam tam turpis delicti conſcientia ſuperati deſperarẽt.

Quò quis præſtantior, eò magis debet alijs ſeruire.

Et primò quidem ipſorum functionem à Regum aut principum conditione diſtinguens, eos Eccleſiæ ſuæ miniſterio deſtinatos eſſe docuit. Ex eo autem colligit, illum demum alijs præſtantiorem fore, qui quàm plurimis ſeruierit. Debet autẽ hinc generalis doctrina peti, quæ ad omnis loci et ordĩnis homines extendatur, ne ex ſuæ cõditionis aut donorũ præſtantia ſuperbiendi occaſionẽ arripiant. Vt enim Deus natura beneficus eſt: ita nos donis ſuis ita vti vult, vt aliorum commodis ſeruiant. Sic magiſtratum quidem authoritate, gloria & poteſtate armauit: ſed in eum finem, vt Reipub. ſeruiat, & vnumquenque tueatur, vt ſuo iure vti poſſit. Sic maritus vxorem excellit dignitate, ſed vt huic conſulat & eam aduerſus omnem vim iniuſtam defendat. Similiter heri ſeruos exiſtimatione multùm ſuperant: ſed ſi rem propius conſideres, nemo magis ſeruit quàm herus, cui totius domus cura incumbit, & qui viliſſimis quoque mancipijs proſpicere cogitur. Neque alia eſt donorũ Dei ratio, ſiue de animi, ſiue de corporis aut fortunæ bonis loquamur. Ideo enim ſapientia & rerum cognitione multi donantur, vt imprudentiores conſilio iuuent. Ideo corporis viribus multi excellũt, vt infirmiores ſubleuent. Ideo pacem & otium multis largitur Deus, vt exules & egenos ipſi ſuſcipiant. Ideo quidã diuitijs ampliſſimis abundant, vt pauperibus aſyli et præſidij loco ſint. Peccant igitur vehementer in Dei leges & prouidentiæ eius ſtatuta, qui dona iſta ſibi ſolis vendicant, adeò vt iniuriam ſibi fieri arbitrentur, ſi quid officij ab illis requiratur. Habẽt illi quidem rationes ſuas, quibus ſeſe apud homines excuſent, ſed nunquam illas admittet Deus, qui olim diſpenſationis ſuæ rationem longè ſeuerius ab illis requiret.

Eccleſia præſtat doctorib.

Sequitur aliud argumentum ab Eccleſiæ dignitate deſumptum, quod cum Interrogatione proponit, vt animos eorum magis feriat. Nã vter (inquit) maior eſt? qui accumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui accũbit? Veſtitur tota argumentatio ſimili ex cõmuni hominũ conſuetudine petito, et eſt eiuſmodi: Qui accumbũt, eorum maior eſt quàm ad menſam miniſtrantium dignitas: Eccleſia autem

eſt,quæ accumbit,vt cibo æterno atq; cœleſti ſaturetur,vos autem huius cibi adminiſtri eſtis: Ergo
illa vobis maior atq; excellentior eſt,& abſurdum fuerit,vt in illa primatũ affectare,aut in illam
dominari velle.Id enim perinde eſt,ac ſi quis ſeruus ſibi in herum ius ſumat atq; imperium.Atqui
Græcus ille Comicus dicebat.λυπεῖ μ᾽ ὁ δοῦλος μεῖζον οἰκέτου φρονῶν, id eſt,moleſtus mihi ſeruus
eſt,qui altius famulo ſapit. Quis ergo eum ferre poſsit,qui ſupra herum quoq; ſeſe extollit? Eſt au-
tem hoc loco non oſcitanter nobis obſeruanda Eccleſiæ dignitas, cuius felicitatem cùm alibi nuptiali
feſto Spiritus ſanctus conferat,rectè hanc Chriſtus in præſenti ſponſam facit, cui accumbenti Apo-
ſtoli miniſtrent.At ſi illius miniſtri ſunt hi,quos ipſe Dei Filius ex toto mundo elegit, vt eos amico
rum loco haberet,quantò magis eidem omnia alia, quæ in mundo ſunt,debent ſeruire? Rectè ergo
Paulus Corinthijs dicebat:Omnia veſtra ſunt:ſiue Paulus,ſiue Apollos,ſiue Cephas,ſiue mundus, 1.Cor.3.
ſiue vita,ſiue mors,ſiue præſentia,ſiue futura,omnia(inquam) veſtra ſunt,vos autem Chriſti, Chri
ſtus autem Dei.Poſſent iſta infinitis exemplis demonſtrari.Propter Eccleſiam enim regna conſer-
uari & perdi,omnium ſeculorum hiſtoriæ docent:in quibus videmus floruiſſe regna, quæ illi hoſpitiũ
amicum præbuerũt,eadẽ verò funditus corruiſſe,quàm primùm illam hoſtiliter ſunt aggreſſa. Ægy
pto certè per Ioſephum immenſa beneficia contulit Deus cùm illic Eccleſiæ ſuæ domicilium pararet.
At poſtquam Pharao veterum beneficiorũ oblitus illam opprimere cœpit,ſibijpſi & regno ſuo exitiũ
accerſiuit.Babylonẽ quoq; gloria & potentia in immenſum creuiſſe ſcimus, quando Nabuchodono-
zor & Euilmerodach Dei populum ſub illis propter peccata captiuũ humanius tractauerunt: Bal-
tazar verò,qui tam Deo quàm Eccleſiæ eius ſuperbè ac crudeliter inſultabat, cum regno illo verè
aureo (vt apud Danielem dicitur)miſerè perijt.Idem Perſarum regibus accidit,qui à Cyri pietate
degenerauerunt,qui Iudæos ab exilio Babylonico liberauerat,vt veri Dei cultũ inſtauraret.In Græ
corum quoq; regibus,aut Alexandri Magni ſucceſſoribus,ſimilia exẽpla ſunt edita. At quid de re-
gnis dicimus,quando totam hanc mundi fabricã propter Eccleſiam conditam eſſe conſtat,& propter
hanc quoq; citius perituram eſſe,ne qui nouiſsimorum temporũ turbis atq; calamitatibus victi in fide
ſuccumbant? Notum eſt enim illud Chriſti:Propter electos decurtabuntur dies illi. Superat tamen
hæc omnia,quòd æternus Dei Filius huic Sponſæ ſuæ ſeruire dignatus eſt,& hodie etiã adhuc ſer-
uit.Nam vt illam ſanguine ſuo pretioſo abluit,ita etiamnum eam proprio corpore & ſanguine alit
& ſeruat,cuius liberalitatis teſtimonium atq; ſigillum nobis in Cœna ſua myſtica exhibet. Et ideo
eam in præſenti per accumbentis parabolam deſcribit. Tractamus iſta paulò fuſius,quia de duobus
nos admonent,quæ cognitu & obſeruatu non tam vtilia quàm neceſſaria ſunt.Primò enim qui Ec-
cleſiæ membra per fidem facti ſunt,diſcant in nullo hominum gloriandũ eſſe,ſed in ſolo Chriſto,quem
vt ſponſum ſuum amare & ſolum obſeruare debent.Semper ergo illud Apoſtolicũ in animo verſent:
Pretio empti eſtis,ne ſitis ſerui hominũ.Si enim noſipſos abnegare debemus, multò minus in aliorum 1.Cor.7.
verba nos iurare conuenit,ne fidem Chriſto debitam vlla ex parte violemus. Et huc pertinet,quod
in Pſalmo Eccleſiæ dicitur:Audi filia,& vide,& inclina aurem tuam:obliuiſcere populi tui & do- Pſalm.45.
mus patris tui: Concupiſcit Rex formã tuam:quia ipſe eſt Dominus tuus,ipſum adorabis. Deinde
omnes etiam Eccleſiæ miniſtros hic locus officij admonet:quod eſt, vt ſponſam hanc ſoli Chriſto ad-
ducant,virginẽ puram & caſtã,vt Paulus loquitur.Quò Ioannes Baptiſta reſpiciẽs diſcipulis cæca Ioan.3.
gloriæ ipſius æmulatione turbatis dicebat:Vos ipſi mihi teſtes eſtis,quòd dixerim:Non ſum ego ille
Chriſtus,ſed miſſus ſum ante illum.Qui habet ſponſam,ſponſus eſt:amicus autem ſponſi,qui ſtat &
audit eum,gaudio gaudet propter vocem ſponſi:hoc ergo gaudium meum impletũ eſt.At quia ſimul
miniſtris,qui menſæ ſeruiunt,conferuntur,ſimul ſui muneris eſſe meminerint, vt Eccleſiæ cibũ ſuum
apponãt:ipſum videlicet Chriſtum,qui eſt panis ille vitæ, & qui ſolus animas ſaturat atq; ſeruat ad
vitam æternam.Et huc pertinent,quæ cap.12.de ſeruo aut œconomo Chriſti dicta ſunt.

Reſtat tertium argumentũ,quo diſcipulorum ambitionẽ Dominus refrænat, proprio nimirum Proprio exem-
exemplo eos arguens.At ego ſum(inquit)in medio veſtrûm,vt qui miniſtrat.Habent verba iſta nõ plo Chriſtus hu
obſcuram exprobrationis ſpeciẽ.Quaſi diceret:At qui miror,vnde hæc ambitio in animos veſtros ir- militatem ſua-
repſerit,quæ odioſas haſce rixas & contentiones ſubinde inſtaurat? Num verò in me aliquid huius det.
vnquam deprehendiſtis? Ego certè ſub cenſu naſci volui,& ipſo mei natalis momento humilitatem
& ſubiectionem teſtatus ſum.Ego ne regnũ in hiſce terris affectare viderer,aut alicui tumultuandi

*anſam darem, ipſe cenſum perſolui: & de eo interrogatus, ius ſuum Cæſari diſertis verbis aſſerui.
Et quamuis vos mihi diſcipulos domeſticos delegerim, nihil tamen vnquam feci pro imperio: quin
potius veſter miniſter factus ſum, & talis etiamnum in medio veſtrûm verſor. Quin ergo ſopito illo
ambitioſo contentionis ſpiritu, meum exemplũ imitamini? Hæc (inquam) & quæcunq; alia in hanc
ſententiam dici poterant, Chriſtus paucis hiſce verbis comprehendit. Et ne verbis nudis agere vide
retur, mox nouum exemplum ſubiecit, cuius nunquam obliuiſci poſſent. Nam vt Ioannes ſcribit, à
menſa ſurrexit, & linteo ſuccinctus diſcipulorũ pedes abluit, hanc ſimul ſui facti interpretationem
inferens: Vos vocatis me, Magiſter ac Domine, & rectè dicitis: ſum enim. Si ergo ego laui pedes ve-
ſtros, dominus & magiſter, vos quoq; debetis inuicem alij aliorum pedes lauare. Et hoc illud regnum
atq; imperium eſt, quod diſcipulis ſuis ad huius ſeculi potentiam aſpirantibus Chriſtus deſtinauit.
Ipſi verò deinceps iſtorum memores, nihil vnquã ſibi inſolentius arrogauerunt: imò ne ferre quidem
potuerunt, vt aliqui pio etiam zelo de ipſis magnificentius æquo ſentirent, ſicuti in Petri & Ioannis,
Pauli & Barnabæ exemplis cernitur, quæ Act. cap. 3. & 14. deſcribuntur. Paulus certè Corinthijs
nimijs ſuorũ doctorũ admiratoribus ſcribebat: Sic nos æſtimet homo, vt ſeruos Chriſti, &c. 1. Cor. 4.*

Vnde regnum ſuum habeant Rom. Pontifices? *Porro quærat hîc aliquis, Vnde ergo ſuum regnũ habeant Romani Pontifices, qui Apoſtolorũ
ſucceſſores ſe eſſe dicunt, & patrimoniũ Petri iactant, quod per multas terras longè lateq; extendũt?
Eſt quæſtio hæc digna & neceſſaria cognitu. Nã verbo Dei iſti pugnant, & Petro dictũ aiunt: Paſ-
ce oues meas. Item: Tibi dabo claues Regni cœlorũ, &c. At hæc non ſoli Petro dicta eſſe, & falſiſſi-
mum eſſe, quod illi de cathedra Petri Romæ poſita fabulantur, alibi abunde demonſtratum eſt. Ha
bent tamẽ propugnatores & defenſores multos & graues: multi etiam tyrannidis illius diuturnitate
& ſucceſsibus atq; victorijs illorum offenduntur. Sed facilè patebit huius cauſæ veritas, ſi veterum*
Dan. 7. *Prophetarũ & Apoſtolorum vaticinia cum illorũ hiſtorijs conferamus. Apud Danielem quatuor
Monarchiarũ ſucceſsio per quatuor animalia deſcribitur, quæ ex mari ventis perturbato prodibãt.
Quarta beſtiæ, cuius nomen nullum extat, confertur, & hanc Romanã eſſe notius eſt, quàm vt de-
monſtrari debeat. Tribuuntur illi decem cornua, quæ eam in regna diuerſa diſtrahendã eſſe porten-
dunt. Inter illa enaſcitur cornu paruũ, quod tribus cornibus deiectis & depreſsis creuit, quodq; gran-
dia loquebatur, & imperiũ ſibi in omnia cùm diuina tum humana vendicans bellũ mouebat ſanctis.*
2.Theſſ.2. *Conueniunt his quæ Paulus in poſteriori ad Theſſal. de magno illo Chriſti aduerſario vaticinatur:
fore nimirũ, vt defectio fiat, & tunc reueletur homo ille ſceleratus, filius (inquam) perditionis, qui ſe
opponat atq; efferat aduerſus omne quod dicitur Deus aut numen. Quibus cum ſi hiſtorias Romani
Imperij conferas, & ea quæ in hoc Pontifices geſſerunt, mox vt hæc impleta ſint videbis. Defectioni
enim cauſam ſiue occaſionem dedit primã Conſtantinus Magnus, qui ſedem Imperij Bizantiũ tran
ſtulit, quæ ab illo Conſtantinopolis nomẽ accepit. Ea enim Imperium vehementer labefactatũ fuiſſe
conſtat, cùm veteres familiæ vnà cum opibus in Thraciam transferrentur, & peregrinis gentibus
oſtium aperiretur inuadendi Italiam & Romam ipſam vaſtandi, à qua Deus ſanguinẽ Martyrum
ſuorum requirere ſtatuerat. Ab eo igitur tempore Imperium diuiſum eſt, vt alter quidẽ Imperator
in Oriente, alter in Occidente regnare diceretur. Cœperunt tunc emergere decem cornua, id eſt, plures
gentes & regna, in quæ Imperij potentia diſtracta eſt, & quæ paulò poſt ipſi Romæ exitio fuerunt.
Nam ſub annum Domini CCCCX. Honorio Imperante Franci Treuiros occuparunt, euocati à
Senatore quodam, cuius vxorem Lucius Præſes Romanus conſtuprauerat, & inde in Belgicum &
Celticam progreſsi Regnum conſtituerunt in Gallia duce Varamundo, qui primus illorum Rex no
minatur. Et eodem tempore Gotti quoq; arma mouerunt. Cùm enim horũ auxilijs Theodoſius con-
tra Maximum & Eugenium bellum feliciter geſsiſſet, & iiſdem ob rem bene geſtam ſtipendia con-
ſtituiſſet, Arcadius autem & Honorius illa nollent pendere, eos contra ſe prouocauerunt, vt magnis
copijs in Italiam mouerent, & Stiliconis perfidia, qui in die Paſchatis eos ex improuiſo aggreſſus
erat, magis irritati Romam toto biennio obſeſſam tandem ceperunt duce Alarico. Factum id anno
Chriſti CCCCXIIII. Cœpit ergo tunc fœdiſsima Imperij dilaceratio, & Francorum atque
Gottorum exemplis alij quoque populi audaciores facti ſimilia tentarunt. Genſericus enim qui cum
Vandalis in Africa conſederat, ab Eudoxia, quæ Valentiniani III. vxor fuerat, & quam Maxi-
mus illo occiſo ſibi duxerat, euocatus ſimiliter vrbem capit & diripit, atq; Eudoxiam cum Imperij
inſignibus in Africam transfert: anno Domini CCCCLIX. Vix autem elapſis annis ſedecim*

anno

anno nimirum incarnati Filij Dei CCCCLXXV. *Odacer Rugianus ſiue Herulus Oreſtem, qui filium ſuum, Auguſtulum nomine, exercitus fauore adiutus Imperatorem fecerat, ad Ticinum prælio vicit, vbi robur Italiæ prorſus extinctum eſt. Auguſtulus abiecta purpura profugit, vrbem Odoacer triumphans ingreditur, ſeq́; Romæ & Italiæ Regem dicit. Et hic finis fuit Imperij in Italia. Nam etſi Imperatores eò ſuos duces & præfectos ſæpe mitterent, nullus tamē illic vere regnare aut gentes, quæ illam ſubinde inuadebant, prorſus expellere potuit. Nam Iuſtiniani tempore Gotti duce Totila Romam obſederunt, & non audente ad illam appropinquare Belliſario, quem Imperator eò miſerat, illam tandem captam ferro & flamma horribiliter vaſtarunt: quod factum eſſe ſcribitur anno humanæ ſalutis* DXLVI. *Et quàmuis Totila digreſſo vrbem Belliſarius reciperet, atq; nonnihil inſtauraſſet, tamen triennio poſt eam Totilæ redeunti rurſus occupandam relinquit. Inter iſtas turbas & regnorum, quæ ex Romani Imperij dilaceratione exortæ erant, colliſiones, emerſit paruum illud cornu, de quo Daniel ſcribit: Epiſcoporum videlicet Romanorū potentia, qui hucuſq; viles & maxima ex parte Martyres Chriſti fuerant, tunc autem in vrbe lacera & Italia omnibus præſidijs nudata regnum ſibi vendicare cœperunt, dum Imperatores in Oriente alijs negotijs diſtinebantur. Et primùm quidem de primatu in Eccleſia contentionem mouit regnante Mauritio Imp. Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cui ſe grauiter oppoſuit Gregorius Magnus, qui tūc Romæ præſidebat. Non multò poſt tamen Bonifacius* III. *anno Chriſti* DCVII. *à Phoca impetrauit, vt Roma eccleſiarum omnium caput, & Romanus Epiſcopus* οἰκουμενικὸς, *id eſt, vniuerſalis totius orbis eccleſiarum paſtor diceretur. Fuit hæc quaſi natiuitas parui illius cornu, quod paulatim creſcendo vires itidē maiores acquiſiuit. Hac enim occaſione Romani Epiſcopi in Imperatores ipſos ius quoddam præcxere cœperūt. Itaq; cùm Leo* III. *Imperator Conſtantinopolitanus diuino & ſanctiſſimo edicto imagines è templis auferri mandauiſſet, Gregorius* III. *Papa id adeò indigne tulit, vt fulmine excōmunicationis Leonem feriret, et eidem per Italiam tributa ſolui prohiberet. Fuit ea res magnorum motuum cauſa. Rauennæ certè (vbi Iuſtinus antea propter Longobardos, qui in Italia ſedes poſuerant, Exarchatum inſtituerat ad coercendā horum vim atq; potentiam) ſeditione excitata Paulus Exarchus cæſus, & Imperatori Leoni omne in Italia imperium abrogatū ſiue ablatum eſt: & ita vnum cornu ex illis decem decuſſum ſiue exciſum fuit. Factū hoc eſt anno à nato Filio Dei* DCCXXIX. *Vſus fuerat contra Imperatorem Papa imprimis Longobardorū auxilijs, quorū potentia tunc in Italia omnibus formidabilis erat. Sed fuit hæc nouarum turbarū cauſa. Longobardi enim, vt ſuum in Italia regnum ſtabilirent atq; propagarent, Rauennam & quæ Imperatores hucuſq;, seu infelices bellorum Gotticorum & Vandalicorū reliquias, per Exarchos adminiſtrarunt, occupare cœperunt, & tandem Romam quoq; cinxerunt obſidione. Itaq; Gregorius, qui Imperatorem ſibi propter multas graueſque iniurias meritò infenſum eſſe ſciebat, non illius, ſed Pipini, qui Maior domus ſiue Magiſter equitum apud Francos erat, opem implorauit: qui in Italiam ducto exercitu effecit, vt Longobardi obſidionem vrbis ſoluerent. Fuit hoc officiū tam gratum ſanctis illis patribus, vt mirifico conſilio & aſtutia incredibili Pipinum Regem Francorū faceret Zacharias Papa, Hilderico Rege (quem illi Stupidum & regno indignum dicebant) in monaſterium detruſo: quod accidiſſe conſtat ſub annum Domini* DCCLI. *Fuit hoc alterū cornu, quod verè humiliauit Papa, vt ſui imperij fideliorē defenſorem haberet Pipinum. Retulit hic quoq; Pontifici gratiam, & vrbes quaſdam Italiæ, quæ prius Imperatoris fuerant, Romanæ ſedi donauit, & tunc terrarum & vrbium domini fieri cœperunt Epiſcopi. Nondū tamen præda iſta pacificè & tutò frui poterant, Longobardis ſubinde Romam & Italiam infeſtantibus, vt acceptas ab illis iniurias vlciſcerentur: & fortaſſis metuebant, ne aliquando Græci quoq; Imperatores ſua repeterent. Ideo nouum aſtum cōmenti, Carolum Pipini filium, qui poſtea Magnus dictus eſt, rurſus aduerſus Longobardos euocauerunt, qui hos magno prælio vicit, & Deſideriū Regem cum vxore & liberis in Galliam miſit, & regnum illorū quod annos ducentos & quatuor in Italia tenuerant, prorſus aboleuit, anno Chriſti nati* DCCLXXIII. *Ita verò tertium quoq; beſtiæ illius cornu deiecit Papa, & eo facto potentiam ſuam vehementer auxit. Nam ſublatis iam ex Italia impedimentis omnibus, ne quid Græci quoq; Imperatores moliri poſſent, imaginē veteris beſtiæ excogitauit, & Carolum Occidentis Imperatorem creauit, vt ad manum haberet principem potentē, cuius auxilio contra hoſtes quoſuis*

defenderetur. Factum hoc eſt Anno ab incarnatione Filij Dei DCCCI. *octauo Calendarum Ianuarij, in Baſilica Petri, acclamante toto populo & clero Romano:* CAROLO AVGVSTO, *à Deo Coronato,* MAGNO *& Pacifico* IMPERATORI, VITA *&* VICTORIA. *Ferebant hoc indigniſſimè Conſtantinopolitani principes: ſed quid facerent, quando neq; ipſis inter ſe probè conueniebat, & muliebri atq; crudeli Irenes imperio premebantur, quæ non ita pridē filium Leonem* IIII. *per inſidias interceptū oculis ſimul atq; vita ſpoliauerat? Quàm verò iſta optimis quibuſq; diſplicuerint, in Francorum principibus eſt videre, qui cum Carolus Imperij legibus eos ſubijcere & ipſorum iura antiquare vellet, coitiones facere cœperunt, & iugum illud apertè detrectarūt.*

Vide Paulum Aemil lib. 3. *Deniq; Vaſco, vnus ex procerum Vaſconum numero, cùm ſupplementum in Hiſpaniam ducere iuberetur, auſus eſt multa in faciem Caroli contra Imperium illud nouum dicere, & illud aliorū omnium nomine detrectare. Inter alia hæc illū dixiſſe, hiſtorici perhibent: Franci in tanta nominis tui amplitudine maieſtateq́ nihil optamus aliud, quàm vt Franci ſimus qui fuimus. Armorū vacationem, ſi vltrò offerres, notari ignominia nos putaremus. Cur milites tuos, Regnum tuum, Franciam tuam, Imperij prouinciā facere ſtudes, Imperioq́ ſubijcere, rei vagæ, (vt expertus ipſe es) & profugæ? vt cùm more ſuo, quæ fortunæ ludibria ſunt, circumagi, temereue excurrere cœperit, nobis aut iure ſeruiendum ſit, aut iniuria dimicandum? Imperium enim in Francia ſempiternum fore quis ſpondere auſit, quod ex Italia in Orientē, ex Oriente ad te, nō nominis Francici charitate, ſed victoriarum felicitate reuocatum ſit? Neq; animus fefellit optimum hunc & ſuæ gentis amantiſſimum principem. Nam etiamſi Carolus Romanam ſedem ex omni diſcrimine liberaſſet, & eius filius Ludouicus noua donatione facta ipſam quoq; Romā cum omnibus circa eam terris, ciuitatibus, portubus & maritimis Hetruriæ locis Pontifici tradidiſſet, non tamē ſempiterna fuit apud illos homines tantorum beneficiorū memoria: ſed cùm Francos in ipſis defendendis minus alacres poſtea viderēt, Eccleſiæ defenſionē vnà cum Imperio ad Germanos tranſtulerunt, & tandem inſtitutis Electoribus Septem viris illud in ea gente ſtabiliuerūt ijs conditionibus, quæ vt ipſis vtiles, ita Germanis principibus moleſtias, labores, bella deniq; extera & ciuilia pepererunt, ſicuti hiſtorici copioſe teſtantur. Hæc ergo Pontificiæ tyrannidis initia fuere, & iſtis incrementis atq; gradibus ad tantā potentiam aſcenderūt, quæ nunc Regibus quoq; potentiſſimis formidoloſa eſt. Habet enim cornu illud (ſicuti Daniel narrat) oculos hominis, id eſt, valet aſtutia, prudentia, rerum vſu & artibus, quibus ea etiam conficiunt Pontifices, quæ non vnquam fieri poſſe videbantur. Habet os loquens grandia, & ad latus Altiſſimi loquitur, quaſi ab hoc ordinatum ſit, & huius cauſam agat. Nam vicariū Chriſti ſe eſſe dicit Pontifex, Petri & Pauli ſucceſſorem, Sanctiſſimum patrem, cui plenum ius ſit in cœlum euehendi quos vult, aut ad inferos detrudendi omnes, qui ipſi minus probantur. Mutat ergo leges & tempora, & tam in diuinis quàm humanis pro ſuo arbitrio diſpenſat. Poterant hæc multis demonſtrari, niſi publicè omnibus nota eſſent. Sufficiat nunc monuiſſe, vel eo vno indicio iſtos homines argui, quòd cùm Apoſtolorum ſucceſſores dici & haberi velint, tanta tamen impudentia regnum in hoc ſeculo vendicant, neq; ad ſe pertinere cogitant, quæ Chriſtus in præſenti Apoſtolis dicit. Defendunt illi cauſam ſuam Regum authoritate, & donationes iactans, quarum aliquæ fabuloſæ ſunt (vt quæ Conſtantini Magni nomine palliatur) aliæ per fraudem aut etiā vim apertam extortæ. Sed vt nihil in illis fictitium, nihil violentum ſit, nos tamen ſimpliciter dicimus, neque Regibus licuiſſe dare, neque Epiſcopis accipere ea, quæ cum eo munere pugnant, cui ipſos Deus deſtinauit. Regum enim & principum eſt rempub. adminiſtrare, ius dicere, gentibus dominari. Eccleſiarum miniſtris dicitur: Vos autem non ſic. Et generalis regula eſt: Vnuſquiſq; in ſua vocatione maneat. Iſta obſeruent homines Chriſtiani, neq; magnificis Pontificum titulis aut eorundem immani iamq́ aliquot ſeculis confirmata potentia moueantur.*

Diſcipulorum fides commendatur. *Cæterùm tempus eſt, vt ad Chriſti verba reuertamur, qui ne diſcipuli ſui peccati conſcientia territi ſuccumberent, aut omni præmij ſpe abiecta in ſuo munere fierent negligentiores, amica & dulci conſolatione animos eorum erigit atque confirmat. Partes eius ſunt duæ. Prima eorum fidem atque conſtantiam prædicat, quod magnum eſt ad virtutem incitamentum, quo generoſiores animi vehementius quàm vlla alia ratione mouentur. Dicit ergo: Vos porrò eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, &c. Quaſi diceret: Etſi hic veſter lapſus grauis ſit, & acerrimam*

correptionem

correptionẽ mereamini, nolim tamen vos de mea gratia aut ſalute veſtra deſperare. Nec enim veſtræ fidei ideo oblitus ſum: quin memori mente teneo, quàm facilè meæ vocationi aſſenſeritis, & quod alijs omnibus à me turpiter deficientibus, vos ſoli mecum perſeuerueritis, idq́ in omnis generis tentationibus, quæ me in hunc vſq; diem exercuerunt. Pergite modò in poſterum quoq;, neq; vos fallet ſpes præmij ampliſſima, etiamſi nullum in terris hiſce regnum vobis paratum ſit. Eſt autem exemplum hoc Chriſti probè obſeruandum, ne aſperius & durius tractemus eos, qui aliquando non pœnitenda fidei & pietatis ſua argumenta præbuerunt. Poſſunt enim tales facilè in viam reduci, ſi commodè tractentur, & eorum quæ rectè fecerunt aliquam rationem haberi videant. Sunt ergo non ſatis prudentes, qui omnia delicta pro capitalibus ducunt, & eos qui ſemel lapſi ſunt tantumnon pedibus conculcant, neq; eos reſurgere patiuntur, dum ſpem quoq; melioris ſortis omnem illis negant.

Tentationes Chriſti.

Non temere autem Chriſtus ſuarum tentationum meminit. Significantur ea voce omnis generis aduerſa, quibus ad diffidentiam & defectionem ſolicitamur, ſiue illa propriè ad corpus ſiue ad animam pertineant. Etenim omnibus, quæ homini accidere poſſunt, illum obnoxium fuiſſe conſtat. Paupertatem certè & inopiam iam inde à pueris ſuſtinuit, adeò vt non haberet, quo reclinaret caput ſuum. Fuit inopiæ coniuncta ignominia, cùm omnium probris petitus ſit, & à proprijs etiam cognatis contemptui habitus. Sedibus item incertis hinc inde oberrans paſſim aduerſarios inuenit, qui inſidioſis diſputationibus illum vel irretire, vel populo ſimul & magnatibus exoſum ſiue ſuſpectum facere conati ſunt. Taceo nunc fugas & perſecutiones, quarum finem non potuit attingere, quoad in terris hiſce vixit. Quia autem ille caput noſtrum eſt, ſuo exemplo docuit, quæ omnium credentium ſort in hoc mundo ſemper futura ſit. Nec enim (vt ipſe ait) diſcipulus magiſtro præſtat, neq; herus ſeruo, & æquum eſt, vt Filio Dei conformes fiant quoad crucem & afflictiones, qui regni & gloriæ cæleſtis hæredes cum illo eſſe cupiunt.

Cum Chriſto perſeuerandum eſt in tentationibus.

Simul autem Apoſtolorum exemplo admonemur, quid nos inter tot rerum diſcrimina facere conueniat. Commendantur eo nomine illi, quòd cum Chriſto permanſerint. In eo igitur nobis quoque eſt annitendum. Nec enim afflictiones per ſe laudem merentur, neq; aliquẽ ſeruare poſſunt, vt quæ ex peccato originem ducunt, & pijs cum impijs atq; ſceleratis cõmunes ſunt. Eædem autem exemplo & merito Chriſti ſanctificantur, vt exercitia ad virtutem & ſalutem fiant. Hunc ergo nobis ducem proponamus, & illius ſectemur veſtigia. Docet hoc ille, quando generalem illam Chriſtianis omnibus regulam præſcribit: Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Itaq; prima nobis cura ſit (quod Petrus etiam monet) ne quis vt homicida, aut fur, aut maleficus aut alienarum rerum inſpector affligatur. Beatos enim ipſe Chriſtus pronunciat eos, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur. Deinde non moueant nos mundi huius illecebræ aut exemplum: ſed cõſtanter perſeueremus in finem vſq;, quantumuis triſtia & horrenda ſint, quæ Satan obijcit: iucunda autem & ſuauia carni, quibus nos ad defectionem ſolicitat. Quòd ſi verò nos propter delicta noſtra affligi contingat, tamen ne tunc quidem animus nobis concidat. Nam pro facinoroſis ideo Chriſtus in publico ſuppliciorum loco pati voluit, vt meritum ſuum ad hos quoq; extenderet. Deniq; ita cum illo permaneamus, vt in eius ſolius merito vniuerſa noſtræ ſalutis fiducia nobis repoſita ſit, neue meritũ ſtatuamus in ijs, quæ ipſi patimur, vt ſuperſtitioſi ſolent, qui in corporali exercitatione ſpem omnẽ collocant. Quia enim huius ſeculi afflictiones nullo modo conferri poſſunt cum cœleſti illa gloria, quæ olim reuelabitur, illis quoq; hanc mereri nemo poterit. Et notum eſt illud Pauli dictum: Si tradam corpus meum vt comburar, non habeam autẽ charitatem, nihil iuuor.

Præmium promittit diſcipulis.

Altera parte præmium ampliſſimum diſcipulis Chriſtus pollicetur. Et ego vobis paciſcor, prout pactus eſt mihi Pater, Regnum, &c. In Græco eſt διατίθεμαι, quod de illis dici ſolet, qui teſtamenta condunt & legant cuiq; quod ex ſuis bonis ad illum redire volunt. Et conuenit ea vox iam morituro. Neq; obſtat, quòd eadem de Patre vtitur. Nam etiamſi hunc minimè mortuũ eſſe conſtet, idem tamen Filio Regnum hæreditario iure deſtinauit, vt hoc & legitimum & perpetuum eſſe ſignificaret. Ideo in Pſalm. ſcribitur: Poſtula à me, daboq́ gentes, vt ſint hæreditas tua. Facit autẽ multùm ad ſalutis certitudinem, quòd huius rationẽ omnem Deus teſtamento complexus eſt, ſicuti in epiſtola ad Hebræos prolixè demonſtratur. Nam ſi hominis teſtamentũ authoritate legitima confirmatũ nemo abrogat, quanto inuiolabilior erit eius veritas, quo nos Deus per Filium ſuum Regni cæleſtis

hæredes ſcripſit? Quod enim hîc diſcipulis dicit, id poſtea (vt Ioan. 17. cap. habetur) ad omnes extendit, qui illorum verbo aut prædicatione edocti in illum credunt. In præſenti autem Regni illius, quod pollicetur, gaudium atq; maieſtatem duobus capitibus comprehendit.

Beatitudo cœleſtis. Primum eſt: Vt edatis & bibatis in menſa mea, in regno meo. Non debet hoc carnis ſenſu accipi, ne felicitatem alterius ſeculi in ventris gulæue delitijs collocemus, vt impurus ille & infelix Mahumet, qui primus Saracenis & Turcis leges tulit. Nam vt cap. 20. audiuimus, Angelis ſimiles erimus, neq; cibo aut generatione vlla opus erit, vbi corruptio nullum locum habebit. Et Regnum Dei cibum aut potum eſſe negat Apoſtolus. Eſt ergo hæc figurata locutio à Regum moribus aut conſuetudine ſumpta, qui menſa ſua eos dignantur, quos amore ſummo complectuntur, & ſui honoris participes volunt facere. Et ſenſus eſt: ipſos cœleſtis gaudij atq; felicitatis ipſi conſortes atq; cohæ-
Ioan. 14. et 17. redes fore. Ita ipſe apud Ioannem exponit: Vado paraturus vobis locum, & cùm abiero & parauero vobis locum, rurſus veniam, & aſſumam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Et rurſus: Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt ſpectent gloriam illam meam, quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante iacta fundamenta mundi. Eſt hæc non minus vera & certa quàm magnifica promiſsio. Nam huius amplitudinē deſcripturus Propheta, Deum diligentibus ipſum ea præparauiſſe dicit, quæ neq; oculi neq; aures mortales, neq; hominis animalis intellectus comprehendere poſſunt. Nec eſt quòd quiſquam in mora periculum eſſe vereatur. Nam vt Ioannis quinto cap. docet Chriſtus, anima quam primùm hinc migrat, ad ſedes illas æternæ felicitatis colligitur, corpus autem in ſpe lætæ reſurrectionis quieſcit, in qua ipſum quoque animæ ſuæ reſtitutum ab omni corruptione liberabitur, vt totus homo Regni illius delitijs atq; gloria fruatur, quod hîc nobis Chriſtus promittit. Horum meditatione noſipſos conſolemur in omnibus aduerſis: neq; dubitemus fore diem illum retributionis, de quo ſupra etiam cap. 21. locutus eſt.

Apoſtoli iudices conſtituuntur. Secundum huius promiſsionis caput eſt: Sedebitis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſraelis. Idem apud Matth. cap. 19. habetur. Dicitur autē hoc etiam figuratè. Nam ſi propriè loqui velimus, omne iudicium Dei eſt. Is verò omne iudicium dedit Filio, & (vt Paulus Athenienſibus concionatur) hunc definiuit, vt in magno illo die iudicet orbem terrarum. Dicuntur autē iudicare Apoſtoli, primò propter verbum, quod in toto mundo prædicauerunt: quia ex eo Chriſtus iudicabit,
Marc. 16. ſecundùm illud: Prædicate Euangeliū omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſeruabi-
Ioan. 12. tur: qui non crediderit, condēnabitur. Cui conſentit, quod apud Ioan. dicit: Qui reijcit me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipſum: Sermo quē locutus ſum, ille iudicabit eum in vltimo illo die. Faciunt hæc plurimū ad cōmendandam doctrinæ Apoſtolicæ ſiue Euangelij authoritatē. Nam ex nouiſsimi iudicij ſententia ſalus & perditio hominis pendebit: neq; aliquis irritū facere poterit, quod tunc iudex ille pronunciauerit. Illa autē non aliunde quàm ex Euangelio petetur, cuius certa atq; infallibilis veritas tunc multis magno ſuo malo innoteſcet, qui nūc præcipua eius capita ſcurriliter rident. Deinde iudicaturi dicuntur Apoſtoli duodecim tribus Iſraelis, quia ſuo exemplo Iudæis omnē excuſationem ignorantiæ eripient: quo ſenſu Niniuitas et Reginam Sabæ alibi eorundē iudices fore dicit. Debet autē hinc quoq; generalis admonitio peti, ne nobis aliquem iuſtæ aut idoneæ excuſationis prætextum fore putemus. Nam vt olim, ita hodie quoq; Dei verbum omnibus prædicatur, & vbiq; locorū omnis generis & ordinis homines inueniuntur, qui illi credūt & reſipiſcunt. Horū ergo exempla, etſi nihil aliud accederet, incredulis ac contumacibus damnandis ſufficient. Iudicabit aulicos à Regum authoritate pendentes Moſes, qui cum fratribus affligi maluit, quā aulæ delitijs frui. Iudicabūt diuites, qui pro Regno Dei nihil amittere volunt, Abrahamus, Zachæus & ſimiles, qui Deo vocante omnia ſua reliquerunt. Iudicabit pauperes impatientes & murmuratores Lazarus: milites impios & crudeles, Cornelius Centurio: vſurarios, publicani, qui olim ad Chriſtum conuerſi ſunt: impudicas omnes, ſcorta, quæ olim peccatorum ſuorum veniā cum acerbis lachrymis quæſiuerunt. Sed longum foret per omnes hominum ordines ſermonē extendere, & tempus eſt, vt dicendi finem faciamus. Sufficiat nunc tenuiſſe, inanes fore in illo die delitias, quas ſibi hodie multi fingunt. Eos enim, qui tot teſtibus conuincuntur, & quos propria conſcientia accuſat, quæ mille teſtium loco eſt, nemo liberauerit, præter Ieſum Chriſtū, qui vt iudex veniet iuſtus ad puniendū impios, ita fidus aduocatus & vindex erit omniū, qui Euangelio eius fidem habuerunt, & ex illius ſemine renati viā vixerūt Chriſtiana profeſsione dignam. Illi debetur benedictio, honor, &c.

HOMILIA

HOMILIA CXCVII.

Dixit etiam Dominus: Simon, Simon, ecce, Satanas expetiuit vos quos ventilaret ſicut triticum: Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Tu igitur aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſe verò dixit ei: Domine tecum paratus ſum & ad carcerem & ad mortem proficiſci. At ille dixit: Dico tibi Petre, non canet hodie gallus, priuſquam ter neges me tibi notum eſſe.

Dominus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, nuper fidem ſuorum diſcipulorum magnificè commendauit, & iiſdem præmium ampliſſimum promiſit: fore nimirum dicens, vt non ſolùm Regni ſui cœleſtis gaudio atq; delitijs fruantur, verumetiam olim doctrina & exemplo ſuo iudicent eos, à quibus nunc cõtemnantur. At ſciebat eos pro carnis vitioſæ ingenio confidentiores eſſe, & proinde in hoc etiam ſeculo ad altiorẽ dignitatem aſpirare atq; (quod ſanctiſſimis quibuſq; frequenter accidere ſolet) circa res huius ſeculi magis quàm par ſit occupari. Itaq; ne quam haberent occaſionem gloriandi, quæ illos ſecuriores faceret, nunc ceu fidus aliquis dux ſiue imperator de periculo ipſis imminente concionari incipit, deq; turpi defectione, ſeu diſperſione & fuga, quam paſſuri erant, illos præmonet, quæ omnia apud Matthæũ & Marcum plenius exponuntur, vbi prophetæ etiam Zachariæ teſtimonio admonitionem hanc confirmat, vt magis illos excitet. Habet tamen Lucàs nonnulla, quæ illi non attigerunt, qui diligentius ea exponit, quæ cũ Petro ſunt acta. Quia enim hic alijs feruentior atq; confidentior erat, ideoq; periculo magis vicinus, ſermonem cum illo inſtituit, ſic tamen vt periculum hoc omnibus cõmune fore oſtendat. Cõtinet autem hoc Chriſti exemplum generalem doctrinam, nos tunc quoq;, quando omnia optimè conſtituta eſſe videntur, noſtræ infirmitatis memores eſſe debere, & cogitare quã multis caſibus atq; periculis ſimus obnoxij, quæ euitare non liceat, niſi gratia ſua nobis Deus adſit, & vel incautos inq; exitium ruentes ipſe in via retineat, vel iam lapſos & proſtratos rurſus erigat atq; confirmet. Et huc illa Pauli admonitio referri debet: Qui ſibi videtur ſtare, videat ne cadat. Sed ſingulas huius loci partes ex ordine videamus. De periculis imminentibus diſcipulos Chriſtus admonet.

Primò periculum præſens illis indicat, quod ipſi ignorabant. Simon, Simon (inquit) ecce, Satanas expetiuit vos, quos ventilaret ſicut triticum. Quæ verba ſic pronuntiantur, vt animi affectum planè paternum, & de ſalute illorum ſolicitum exprimant: demonſtrandi autem particula, ECCE, ad certitudinem facit, ne quid de prædictionis huius veritate dubitent. Et ſi cum illis, quæ hucuſq; dicta ſunt, conferantur, hunc ſenſum continent: Vos quidem regnum terrenum & huius ſeculi dignitates atq; triumphos animo concepiſtis, cùm ego vos ad regni mei adminiſtrationem in hoc mundo, deinde ad æternæ gloriæ poſſeſſionem deſtinauerim. Imò quaſi iam portum attigeritis, ſecuri nihil cogitatis de certaminibus, quæ vos manent. Atqui magna vos vndiq; pericula circumſtant, & vobis cum hoſte omnium infeſtiſſimo res eſt: cum Satana nimirum, qui vt ab ipſa rerum origine optimis quibuſq; inſidias ſtruxit: ita nunc vobis quoq; imminet, & hoc quàm maximè cupit, vt vos ventilare poſſit inſtar tritici: vt nimirum periculorum inſtantium magnitudine territi diſpergamini, relicto me, in quo vno omnis vita atq; ſalus habetur. Ad Petrum conuertit ſermonẽ

Delineatur autem nobis hoc loco, vel potius perſpicuè ſatis depingitur, quæ fidelium atq; piorum omnium in hiſce terris ſors ſit atq; conditio. Sunt quidem illi triticum illud bonum, quod ad cœleſtia horrea olim colligi debet, ſicuti Ioannes Baptiſta docet: ſed priuſquam id fiat, multis flagellis obnoxij ſunt, quibus illos excuti & ventilari neceſſe eſt, ne cũ infelicibus paleis huius mundi in ignẽ æternum abijciantur. Et vt hoc illorum bono fieri permittit Deus: ita in iiſdem ventilandis & cribrandis admodum aſſiduus, adeoq; importunus planè eſt Satan, qui cùm nihil perinde vt hominũ interitũ ſitiat, quieſcere non poteſt, ſed (vt Petrus proprio periculo edoctus monuit) ſubinde inſtar rugientis Leonis oberrat, & quærit quem deuoret. Exempla ab ipſa rerum origine infinita edita ſunt, quibus hanc ſuã rabiem declarauit. Huc enim tentatio illa pertinet, qua primos parẽtes aſtutis blanditijs & magnificis promiſſionibus circunuenit: ita verò eos non ventilauit modò, ſed infelices extra paradiſum quoq; eiecit. Et quod tũc facere cœpit, poſtea irremiſſo ſtudio facere perrexit, quãdo ei populo ſubinde inſidiatus eſt, quẽ Deus ſibi in peculiũ delegerat, & ex quo promiſſus ille humani generis Piorum conditio in terris.

redemptor debebat naſci. Sed & priuatim ſingulis inſtat, vt in Iobi hiſtoria eſt videre. Illic enim à Deo interrogatus vnde nam veniat? reſpondet, ſe hinc inde vagatum eſſe, & terram omnem obambulauiſſe: nimirum vt aliquot ventilandi & à Dei conſortio excutiendi occaſionem inueniret. Et imprimis memorabile eſt, quòd Iobum ſuo arbitrio committi petit, quàmuis hunc à Deo pro amico ſingulari haberi, & ab eodem illius pietatem commendari audiret. Tanta eſt veteratoris illius improbitas atq; audacia. Quid Dauidi acciderit, omnes nouerunt, quem ipſum quoq; virum eſſe audiuerat ſecundùm cor Dei, & cuius tot fortia facta viderat. Tamen illum modò periculis aſſiduis, modò voluptatũ illecebris, modò gloriæ ſtudio & ambitione ventilare nunquam deſtitit. Idem nunc etiam Petro maximè imminet, vt hunc à Chriſto auellat, quẽ alijs diſcipulis hucuſq; viderat eſſe feruentiorem. Debent iſta exempla nos excitare, vt perpetuò vigilemus, ne nos incautos ex improuiſo opprimat. Cui enim parcat ille, qui ſingulares Dei amicos aggredi auſus eſt olim, & qui ne ab ipſo quidem Filio Dei abſtinuit, cùm eum carne veſtitum inter homines viuere videret?

Nemo terreatur Satanæ conatibus. *Interim ſimul conſolationem ex hoc loco petamus, ne diaboli conatibus terreamur. Nam eſt quidem impudens planè illius audacia, idem tamen ex ſemetipſo nihil poteſt, & facilè vincitur ab ijs, qui animum volunt attendere. Adde, quòd diuinæ prouidentiæ fræno continetur, vt non plus illi liceat, quàm Deus permittit, qui humani generis amantiſſimus nos ſupra vires tentari non ſinit. Cupiebat quidem improbus ille totis viribus Iobum perdere. Sed terminum certum illius conatibus Deus præſcripſit, quem tranſgredi non fuit auſus. Ideò primùm quidem opes ſolas ei abſtulit, deinde in ſolum corpus manum ſuum extendit, vitam verò aut animam lædere non potuit. Et quid nam contra homines ille poſſet, qui niſi ita Deo videatur, ne in porcos quidẽ ius habet & imperium? Non eſt ergo, quòd illius truculentia & nocendi cupiditate terreamur. Curemus modò vt triticum Domini ſimus, & ſpontè exuamus leues atq; infelices carnis noſtræ paleas, neq; locum demus cupiditatibus illius aut mundi ſtudijs. Accingamur autem ad certamen iſtud, & (vt Paulus ad Epheſios*

Ephes. 6. *docet) induamus armaturam Dei, quam hic nobis in Verbo ſuo monſtrat & offert. Huius partes ſunt baltheus veritatis, quo lumbos noſtros conſtringi oportet, ne prauis cupiditatibus diffluamus: thorax iuſtitiæ, quam nobis in Chriſto Deus donat: calcei Euangelij, quo pedes & vniuerſa vitæ noſtræ conſuetudo muniuntur, ne quid ex mundo periculi patiamur: ſcutum fidei, quo omnia hoſtis illius tela, quantùmuis ardeant, facilè reſtinguuntur: galea ſalutis, ipſe nimirum Chriſtus, qui & caput noſtrũ eſt, & ſolus nobis defendendis atq; ſeruandis ſufficit. Accedit his gladius Spiritus, Verbum Dei ſcilicet, quod vt impiorum quoq; corda validiſſimè penetrat, ita diabolum terret, qui ſuis fallacijs locum eſſe nullum videt, vbi illius fulgor micat. Quibus omnibus ſi preces ardentes & aſſiduæ accedant, iam in manibus noſtris erit victoria. Nam etiamſi pugnam improbus ille ſubinde inſtauret, & cum mundo ipſam quoq; mortem & inferos contra nos in aciem producat, vincemus tamẽ nos in eo, qui nos dilexit, neq; nos quiſquam ſeparare poterit à dilectione Dei, qua hic nos complexus eſt in Filio ſuo Chriſto Ieſu. Quòd ſi verò in publicis Eccleſiæ certaminibus multos excidere & à fide deficere videbimus, neminem iſtorum defectio offendat. Sunt enim illi non triticum Domini, ſed paleæ infelices, quas ventilatione iſta excuti & eijci oportet, vt purgatior fiat illius area.*

Chriſtus auxilium promittit. *Facit ad huius conſolationis confirmationem altera huius loci pars, qua opem ſuam Chriſtus diſcipulis, & Petro quidem imprimis, pollicetur, ſimulq; docet vnde nos quoq; illam ſperare debeamus. Dicit enim: Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Quòd ergo non perijt Petrus, licet primùm cum alijs diſcipulis relicto Chriſto fugerit, deinde eundem abnegauerit etiam, hoc diuinæ gratiæ opus fuit, qua & ſuſtentatus & mox in viam reductus eſt. Quod autem in præſenti Dominus Petro dicit, hoc omnes pij ad ſe transferre debent: quia (vt nuper diximus) preces ſuas & æterni Regni promiſſionem ille poſtea ad omnes extendit, qui Apoſtolorum doctrinam admittunt, & ipſi fidunt. Præcipua ergo ſalutis fiducia in tentationum omnium certaminibus nobis in Chriſto vno repoſita ſit, qui vt hoſtem noſtrum iam olim vicit, ita hodie adhuc pro nobis intercedit, & fidelis Pontificis officio fungitur, vt qui noſtras infirmitates ipſe in propria perſona ſuſtinuit, & proinde*

Rom. 8. *illis condolere poteſt. Ideo Paulus, quando ſalutis noſtræ certitudinem aduerſus tentationes quaſuis aſſerere noſq; in eius fiducia confirmare vult, hoc potiſſimùm argumento vtitur, dicens: Chriſtus eſt, qui mortuus eſt: imò verò, qui etiam excitatus eſt: qui etiam eſt ad dexteram Dei: qui*

etiam

etiam poſtulat ſiue intercedit pro nobis. Et ex eo lætus & quaſi epinicium canens infert: *Quis nos ſeparabit à dilectione Christi?* &c. Confutant iſta illorum errorẽ, qui interceſſionis Christi immemores, Diuos ſibijpſis aduocatos & interceſſores fingũt. Quæ enim ratio eſt, quæ id fieri debere perſuadeat, quando ipſos Apoſtolos illo interceſſore opus habuiſſe audimus? Vidit hoc Ioannes, dilectus ille diſcipulus, qui ipſe etiam nos ad vnũ Ieſum Chriſtum remittit, & ſe cum illis coniungit, quorum ipſe eſt aduocatus: *Habemus* (inquit) *aduocatum, Ieſum Chriſtum, iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,* &c. 1. Ioan. 2.

Fidei noſtræ conditio.

Obiter etiam hoc loco admonemur, quid de fide ſentire debeamus, quæ nos ſeruari omnis Scriptura docet. Hanc donum Dei eſſe Apoſtolus dicit, nimirum ad illud Chriſti reſpiciens: *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Neq; aliter ſentire aut loqui poſſumus, quando res ipſa docet, hominem animalem ſuis illis naturalibus facultatibus non percipere ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Etſi verò fide donati ſimus, eadem tamen in nobis propter innatam & perpetuò carni inhærentem vitioſitatem interdũ vacillat & labaſcit: vtq; Sol interdum nubibus obductis abſconditur: ita illius etiã ſplendor afflictionum aut aliarũ tentationum nubilis ſæpe obſcuratur, vt minus agnoſci queat. Exempla huius infirmitatis in omnibus ferè ſanctis, quorum fides & pietas præ alijs cõmendatur, eſt videre. Sed omnium loco ſufficere poteſt, quod in Petro proponitur. Nam etſi hic Chriſti amantiſſimus fuerit, & is eũ amore ſingulari complexus ſit, proq; eo quàm fideliſſimè interceſſerit apud Patrẽ, turpiter tamen lapſus eſt, & peculiari gratia Dei opus habuit. Quid ergo de nobis ſperemus, qui vt electis illis Chriſti diſcipulis nequaquam ſumus conferendi: ita quotidie experimur, quàm deploráta ſit noſtræ carnis ad omne malum procliuitas? Certè quàm primùm ſuam manum Deus nobis ſubducit, toti perijmus. Vnde ſequitur, ſalutẽ noſtram omnem ex mera & gratuita Dei miſericordia pendere, nimiùm verò ſtultos & confidentes eſſe, quotquot ſuis viribus aut meritis aliquid tribuunt.

Petrum officij admonet & eius exiſtimationem conſulit.

Sequitur tertia verborum Chriſti pars, qua officij quoq; Petrum admonet, & ſimul eius honori atq; exiſtimationi conſulit, ne propter abnegationem factã poſtea ab alijs contemneretur. Ait enim: *Tu igitur aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Ita verò illi ſpem facit certam, quòd ex Apoſtolatus gradu ipſum nequaquam deijcere velit. Et conſtat illum huic poſtea ſingulari quadã ratione & quaſi examine peculiari facto reſtitutum fuiſſe: quod Ioannes ſub finem hiſtoriæ ſuæ Euangelicæ diligenter exponit. Eſtq; obſeruanda diligenter hæc Chriſti bonitas atq; moderatio, qua Petrum ita de ſuo lapſu admonet, vt ſimul tam ſtudioſè eius exiſtimationi caueat. Meminerint huius ij, quibus cum peccatoribus res eſt: ne vel omnem ſpem gratiæ Dei illis negent, vel apud alios illorum famam atq; exiſtimationem in periculum adducant. Quod imprimis cauendum eſt in illis, quos ipſe Deus in gradum eminentiorem euexit, & quorum authoritas ſine publico ſcandalo & functionis, quam ſuſtinent, contemptu labefactari nõ poteſt. At hodie paſſim emergunt, qui in principes quoq; viros ius ſibi arrogant, neq; illis ſufficit, ſi hi ſeſe publicè & priuatim ab ipſis admoneri, adhæc corripi etiam patiantur (ſi ita neceſſitas iubeat) niſi ab Eccleſiæ conſortio etiam excluſos toti populo ſpectaculum faciant. Quid verò huius vnquam Prophetæ fecerunt? Num tale quid cum Dauide faciendũ eſſe putauit Nathan? Certè abunde huic ſatisfecit, quando ſcelus ſuum apertè confeſſus eſt, & animi verè pœnitentis dolorem indicijs non obſcuris declarauit. Et Chriſtus Petrũ quoq; abnegatorẽ illico reſpexit, & eidem in ſuo cœtu locum dederunt diſcipuli, neq; voluerunt vt prius Scenicum ſpectaculũ fieret. Sufficiat ergo nobis etiam quod Chriſto ſatis fuit, neq; nobis graue ſit eum admittere & ferre, qui ſe & peccaſſe & nunc pœnitentia duci fatetur. Nam ſi verè pœniteat, id certè Deo probabitur, quo auſteriores nos eſſe minimè docet. Sin fallat, ſeipſum potius quã nos fallet, neq; id impune feret apud Deum, qui dolos & mendacium odiſſe ſolet.

Reſtituti alios confirment.

Porro præcipuum huius loci caput eſt, quòd Petrum hortatur Dominus, vt ſuæ integritati & dignitati reſtitutus confirmet fratres ſuos tam doctrina quàm exemplo, ne qui vel in peccato perſeuerent, vbi ſemel lapſi ſunt, vel conſcientiæ terroribus ſuperati de Dei gratia deſperent. Eſt hoc æquiſſimũ, vt qui Dei gratiam experti ſunt, eiuſdem alios quoq; participes reddere ſtudeant. Et in hoc diligentiſſimi fuerunt omnes, quorum pietatem Spiritus ſanctus in Scripturis commendat. Etenim Dauid, vt ſcandalo mederetur quod toti populo dederat, peccatũ ſuum publicè confeſſus eſt Pſalmis aliquot, quibus ſimul immenſam Dei bonitatẽ magnificè cõmendat, & ita hodie adhuc omnes eos con

firmat, qui ſe peccatis grauari ſentiunt, atq; iiſdem viam monſtrat, qua cum Deo in gratiam redire poſſint. Idem Paulum feciſſe conſtat, poſtquam ex crudeliſſimo Eccleſiæ hoſte Chriſti ſeruus factus eſt. Paſſim enim Dei miſericordiam prædicat, & ſui exempli vſum hunc eſſe docet, vt omnes intelligant, illius fores omnibus patere, qui ad ipſum ex animo conuertuntur. Huc enim pertinet, quod in priori ad Timoth. ſcribit: Fidus ſermo & dignus quē modis omnibus amplectamur, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundū, vt peccatores ſeruaret: QVORVM PRIMVS ſum ego: Verum IDEO miſertus eſt mei, vt in ME PRIMO oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem clementiam: VT ESSEM EXEMPLAR iis, qui crediturí eſſent ipſi in vitam æternam. Et hic proprius vſus eſt peccatorum, quæ olim à ſanctis deſignata fuiſſe legimus: nimirum, non quòd de illis propterea minus honorificè ſentire debeamus, aut ex illis peccandi occaſionem arriperanoſtriſue ſceleribus patrocinari: ſed potius vt in illis agnoſcamus Dei miſericordiam, & ex ea conſolationem petamus aduerſus tentationes, quibus nos ad deſperationē Satan adigere ſtudet: vt deniq; agnita noſtræ naturæ infirmitate aduerſus huius inſidias vigilemus, imitemur autem eorum pœnitentiam, quos olim ſua miſericordia Deus dignatus eſt. Eſtq; hoc nouum diuinæ bonitatis argumentum, quòd ille peccatis quoq; ſuorum tam feliciter vti ſolet, vt aliorum emendationi & confirmationi ſeruiant, adeoq; ex nobis tunc gloriæ & gratiæ ſuæ vaſa facit, quando ira & ignominia æterna digni eramus. Huius ergo tam benignæ voluntati omnes ſeſe per fidei obedientiam accōmodent, & ſi quando peccauerunt, ſcandalum omne è medio tollere ſtudeant, cuius fuerunt authores. Etenim inexcuſabilis & æternis ſupplicijs digna eſt illorum improbitas, qui cùm Dei gratia ſe ſeruatos eſſe fateantur, ſua tamen facinora iactant, & multis alijs ad ea deſignanda ſtimulos addunt, quibus pœnitentiæ & innocentiæ Chriſtianæ exemplum eſſe debebant. Quæ nequitia vtinam non vulgaris eſſet inter ſenes, quos ſuorum flagitiorum commemoratio tunc quoq; oblectat, quando alterum pedem iam in Charontis cymba poſuerunt. Qui cùm id non faciant, quod hoc loco Chriſtus Petro præcipit, non eſt quòd ex eiuſdem & aliorum ſimilium exemplis conſolationem ſperent.

Confidentia Petri.

Sed Petrum Domino reſpondentem audiamus: Domine, tecum paratus ſum & ad carcerem & ad mortem proficiſci. Magnifica ſanè promiſſio, ſed non fallax modò, ſed multis quoq; alijs erroribus atq; vitijs referta. Primùm enim confidentior quàm par ſit ſtolida præſumptione nihil non ſibi tribuit. Deinde Chriſto contradicit temere, & eum tantumnon mendacij arguit, quando ſe longè alium fore profitetur, quàm ille dixerat. Adhæc cùm commune omnibus periculum imminere audiuiſſet, ipſe ſe ex illo eximens, ſeipſum alijs omnibus præfert: quod abſq; illorum contemptu atq; ignominia fieri non poterat. Tam multa tamq; grauia peccata in hoc breui dicto concurrūt, quæ nos ideo obſeruare decet, vt diſcamus quàm fœcundum malum ſit confidentia. Quia enim hac aduerſus Deū efferimur, noſtro ille nos arbitrio permittit, quæ cauſa eſt, vt nullum ſcelus tam graue aut abſurdum ſit, quod non deſignemus, niſi ille nos ſua manu retineat. Docet hoc Chriſtus Petri exemplo, cui reſpondet ad hunc modum: Dico tibi Petre, non canet hodie gallus priuſquam ter neges me tibi notū eſſe. Quaſi diceret: Plus alijs te facturum eſſe promittis, vt qui neq; carceres neq; mortem mecū adire horreas: ſed turpius quàm alij cades, dum non contentus fuga, qua alij ſibi conſulent, tu inſuper abnegabis me. Neq; id ſimpliciter, vt te meum diſcipulum eſſe modò neges, ſed me tibi ne notum quidē eſſe iurabis: idq; non poſt longam moram, ſed hac ipſa nocte facies, priuſquam gallus primùm cecinerit. Id verò ipſi accidiſſe, ſuo loco audiemus.

Ingeniū carnis.

Adumbratur nobis hoc loco admodum eleganter & perſpicuè carnis ingenium. Eſt hæc natura gloriæ & honorum appetens, quos etiam in rebus leuiculis & caducis quærere ſolet. Vt primùm ergo ſe fide & Dei cognitione præ alijs donatam ſentit, mox cæca perſuaſione faſtinata nihil non ſibijpſi tribuit, ſeq; ad quæuis ſubeunda abunde inſtructam eſſe putat. Et vix aliud tam difficile eſt, quàm

1. Cor. 12. 13. 14

non efferri donis ſpiritualibus. Exemplo nobis ſunt Corinthij, quibus ſuperbia iſta non ſolùm contentionum cauſa fuit, quibus Eccleſia ipſorum in partes diſtrahebatur, verumetiam omnem ordinē eccleſiaſticum turbauit. Et qui illa ſemper turgere cœperunt, ij ferè admonitiones nullas admittūt. At quando fides in periculo aliquo grauiori declaranda eſt, turpiter labaſcunt, & iis formidoloſiores ſunt, quos prius nimiùm inſolenter contempſerunt. Quæ cauſa eſt, quòd Deus ferè multis rationibus eos humiliare ſolet, quos donis præclarioribus inſtruit. Id in ſemetipſo Paulus agnouit, quādo

carni

carni ſuæ aculeum datum, & à Satana Angelo colaphis cæſum, id eſt, varijs tentationibus tam internis quàm externè incidentibus ſe exagitatum fuiſſe ſcribit, ne donorum & reuelationum excellentia ſuperbiret. Horum itaq; memores humiliter de nobis ipſis ſentiamus, carnis verò præcipitem zelum habeamus ſuſpectum, toti autem à Dei gratia pendeamus, qui vt per Filium ſuum Ieſum Chriſtum nos redemit, ita huic inſitos viribus quotidie nouis armat & inſtruit, vt in eo poßimus omnia. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. 2.Cor. 12.

HOMILIA CXCVIII.

Et dixit illis: Quando miſi vos abſq; crumena & pera, & ſoleis, numquid defuit vobis? Ipſi verò dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: At nunc qui crumenam habet, ſumat eam, ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat pallium ſuum, & emat gladium. Dico enim vobis, adhuc oportere in me perfici ſcriptum illud: Et cum ſceleratis numeratus eſt. Nam ea quæ de me ſcripta ſunt, finem habent. At illi dixerũt: Domine, ecce duo gladij heic. Ipſe verò dixit eis: Satis eſt.

QVemadmodum Chriſtus Ieſus, Dominus & redemptor noſter, diſcipulos, quos ipſi Pater dederat, toto eo tempore quo cũ illis vixit, fidelißimè ſeruauit: ita cum inſtante iam mortis hora hinc migrare vellet, eoſdem omnibus illis diligentißimè inſtruxit, quæ ipſis cognitu neceſſaria erant. Nam vt alia omittamus, quæ Ioannes prolixè deſcribit, in illis quæ Lucas hucuſq; cõmemorauit, omnia ea continentur. Primò enim Regni ſui rationẽ perſpicuè tradidit, & ne quid in eo abs ſe alienũ quærerent, docuit quod nã illud munus ſit, ad quod ipſos deſtinarit. Deinde fidei & conſtantiæ ipſorum præmium ampliſsimum promiſit, vt huius ſpe confirmati in poſterũ quoq; perſeuerẽt. Poſtremò ne promißione iſta ſecuriores facti inſidias ſibi à Satana ſtructas minus obſeruarent, quæ & qualia ipſos pericula maneant prædicit. Et initiò quidem cum Petro egit, quem præ alijs confidentiorẽ, & proinde periculo etiã grauiori obnoxiũ eſſe ſciebat. At quod illi dixit, nunc alijs quoq; applicat, & aduerſus certamen, quod nunc præ foribus erat, duobus potißimũ argumentis eos armat. Nam comparationẽ facit inter conditionem, quam hactenus ſatis lætam & felicem habuerant, & duriorẽ illam atq; periculoſiorẽ, quam nunc erant ſubituri: & primò quidem quàm quietè hactenus vixerint, docet, vt huius memores in poſterũ minus dubitent de ipſius auxilio & protectione: deinde quã dura & grauia certamina ipſis appropinquent indicat, & in his quoq; ad protectionem diuinam illos remittit.

Primam partem à quæſtione orditur, vt illos ipſos teſtes faciat eorum, quæ erat dicturus. Dicit enim: Quando miſi vos abſq; crumena & pera & ſoleis, num quid defuit vobis? Ita verò in mentem illis reuocat quod Cap. 9. audiuimus. Illic enim cùm ad prædicãdum eos ablegaret, dixit illis: Nihil tollite ad iter, neq; virgas, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniã, neq; binas tunicas habere. Apud Matthæum ſolearũ quoq; aut calceorum fit mentio, quibus interdixerit illis. Senſus tamẽ eſt in præſenti: Meminiſtis opinor, quales vos hactenus emiſerim, nimirũ omnibus ijs deſtitutos, quæ vulgus neceſſaria putat eſſe illis, qui aliquid negotij apud exteros volunt exequi. Scire tamẽ ex vobis velim, an aliquid tunc vobis defuerit? Reſpondent illi, ſibi nihil prorſus defuiſſe. Ex eo autem vult colligant, minimè æquum fore aut honeſtum, ſi nunc ad pericula alicuius grauioris occurſum ita conſternẽtur, vt ab ipſo ſeceßionem faciãt, cuius beneficentiã atq; protectionem tam luculento indicio proſpexerint. Quin potius cogitent, ideo tam indulgenter abs ſe tractatos fuiſſe, vt paulatim aſſueſierent ad grauiora rerum diſcrimina, & nunc meritò ab ipſis alacritatem & conſtantiam in quouis periculo requiri. Et hic nobis etiam iſtius loci præcipuus vſus eſſe debet, vt quoties fortuna lautiori fruimur & otio abundamus, meminerimus id non ſine numine aut Dei prouidentia fieri, qui quòd nos adhuc infirmiores eſſe nouit, lenius aut mollius tractat: non quidem, vt ex eo nobis perpetuũ otium promittamus, ſed vt interea præparemus ad quæuis aduerſa ferenda, eoq; conſtantiores atque fortiores ſimus, ſi quando illa immittuntur, quò diuturniorem Dei indulgentiam ſumus experti. Eſt ergo turpis nimiùm multorum ingratitudo, qui quaſi atrox ipſis iniuria fiat, aduerſus Deum ipſum murmurant & querelis iniquißimis omnia complent, quando otium & quietem ſuã interturbari ſen- Prioris conditionis mentione diſcipulos conſolatur.

tiunt. Atqui cogitare debebant, ſatis feriarum ipſis hucuſq; datum fuiſſe, iam autem adeſſe tempus, vt ipſi quoq; in arenam producti aliquod ædant militiæ Chriſtianæ tyrocinium.

Nihil deeſt in Dei uocatione ambulantibus.

Simul autem debet ex hoc loco generalis doctrina atq; conſolatio colligi, nihil vnquam ijs defuturum eſſe, qui in Dei vocatione ambulant, & quam is ipſis impoſuit functionem fideliter obeũt. Nam quod in Apoſtolis factũ eſt, quot in regione peregrina & in gente infeſta Chriſtus non ſine miraculo ſic aluit atq; ſeruauit, vt ſibi nihil defuiſſe fateantur, hoc vniuerſalibus promiſſionibus pollicetur omnibus illis, qui præcepta ipſius obſeruant, & ipſi obediunt. Habentur illæ paſſim in Lege & Prophetis, & eaſdem Chriſtus confirmat, apud Matthæum dicens: Quærite ante omnia Regnũ Dei & iuſtitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Exemplis item pluribus promiſſiones iſtæ nõ modò illuſtratæ, verumetiã ita confirmatæ ſunt, vt de illis vel modica ex parte dubitare nefas ſit. Iubetur Abrahamus ſubitò exire ex natali ſolo, & domum patriam atq; gentem ſuam relinquere. Obtemperat ille vocanti Domino, & quàmuis multa obſtarent, quæ honeſtè, prudenter & nõ iniquè aut immeritò prætexi poſſe videbantur, abſq; mora tamen ad iter accingitur, & tandẽ in infeſtiſſima Chananæorum gente (cuius pars non poſtrema Sodomæi & Gomorrhæi fuerunt) ſedes ſibi à Deo paratas eſſe intelligit. Vbi etiamſi primò fame dura exciperetur, quæ totam illam terram affligebat, & mox belli quoq; fortunam cogeretur ſubire, ita tamen eum ſeruauit Deus, vt ditiſſimos quoq; in ea gente facile vinceret, & ingẽtes opum theſauros poſſideret. Idẽ de eius filio Iſaaco, de nepote Iacobo dicere poſſumus. Quid verò de Ioſepho dicemus? Hic cùm ſe non abſq; Dei conſilio à fratribus venditũ & in Ægyptum abductum eſſe intelligeret, ſeruitutem illam & exilium ſuam vocationẽ eſſe putauit, & hero ſuo quantùmuis duro & ingrato fidelis fuit. Quare etiamſi ad tempus fortunã ſibi aduerſam ſentiret, tamen poſtea ad ſummã dignitatem euectus totam gentem ſeruauit. Pertinet huc quòd de filijs Iſraelis ſcribitur: qui cùm Dei vocationẽ ſecuti ex Ægypto emigrauiſſent, totis annis 40. pane cælitus demiſſo paſti ſunt, & nihil eorũ ipſis defuit, quæ ad vitam degendã ſunt neceſſaria. Quod exemplum eò memorabilius eſt, quòd neq; ingratitudo & contumacia eorũ obſtitit, quò minus promiſſionem ſuã Deus ratam eſſe vellet, etiamſi illi quotidie mille mortes mererentur. Poſſet his Dauides addi cum alijs innumeris, ſed cùm huius generis multa quotidie fiant publicè & priuatim, non opus eſt veterũ exemplorum cõmemorationi diutius inſiſtere. Nos potius vſum huius doctrinæ obſeruemus, qui in duobus conſiſtit. Primũ inſtitutioni ſeruit, & officij admonet omnis loci & ordinis homines, ne inopiæ aut egeſtatis metu ab officio ſuo diſcedant, ſed à Deo ſibi creditam ſtationẽ fideliter teneant. De hoc ergo cogitent Eccleſiarum miniſtri, ad quos præſens hoc Apoſtolorum exemplũ propriè pertinet, vt & Eliæ & aliorum qui eadem Dei liberalitate in hoc munere ſeruati ſunt. At quia hodie multi non Dei vocationem expectant, ſed ventris & opum ſtudio ad Verbi miniſteriũ rapiuntur, non mirũ eſt, ſi nihil ipſis ſufficiat, & Eccleſias ſubinde mutẽt, & prioribus relictis ad alias tranſeant, quando pinguioris ſtipendij ſpes offertur. Accõmodent hanc quoq; doctrinam ſibi qui rempub. adminiſtrant, ad quos Moſis, Dauidis, Ezechiæ & ſimiliũ exempla pertinent, qui cùm Deo fideles fuerint, mirificè ab eo ſeruati ſunt, etiamſi in ſuis hominibus parũ aut nihil præſidij haberent. Et ne hæc ad vetus modò Teſtamentũ pertinere putẽt. Conſtantinum quoq; magnũ habent & Theodoſios, multoſq; alios principes Chriſtianos, quibus ſuam benedictionẽ Deus ſimili liberalitate contulit, cùm ipſi fideles eſſent ſuæ Eccleſiæ nutritij, quæ propria eſt principum vocatio. Debent horum in re domeſtica meminiſſe, qui numeroſam familiam alunt, ne vt egeſtatem fugiant, ad impoſturas, rapinas aut alias malas artes conuertantur: ſed honeſto labori & beneficentiæ ſtudeant, & procul dubio ſentient Deum ſuæ promiſſioni nõ vnquã defuturum eſſe. Deinde ad conſolationem noſtrã hæc doctrina plurimũ facit, ſi quando egeſtate & inopia nos premi ſentimus, neq; aliqua in humanis ſpes ſortis melioris affulget. Tunc enim cogitare nos decet, Deum hoc ita velle, qui etſi non ſuperfluis bonis nos donat, tamen nõ omnino relinquet in ſe ſperantes, & eidem facile eſſe, vt re quauis obuia ſuos alat atq; conſeruet. Et huc illud Moſis referri debet, quo Chriſtus etiam vtitur: Non ſolo pane viuit homo, ſed omni verbo quod exit ab ore Dei.

Periculum imminens prædicit.

Cæterum ad propoſiti loci tractationẽ redeamus. Pergit enim Dominus, & ne diſcipuli perpetuã pacẽ ſibi pollicentes periculis improuiſis offenderentur, quid illos porrò maneat, docet. Nam cum ijs quæ modò tractauimus, alteram huius argumenti partem connectens, ex oppoſito infert. At nunc

qui crume-

qui crumenam habet, ſumat eam, ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat pallium ſuū, & emat gladium. Quaſi dicat, Hactenus quidem ea fuit veſtra conditio, vt vobis neq; commeatu neque defenſione armata opus fuerit, cùm ego occulta virtute hoſtes noſtros cohibuerim, ne quid contra vos hoſtile tentarent, & quorumuis animos flexerim, vt vos excipere & liberaliter alere dignati ſint. Nunc autem longè aliter res ſe habebunt, quando cum hominum animis tota etiam facies mundi mutata eſſe videri poterit. Ergo quæ prius dedi præcepta pro eius temporis ratione, nunc locum amplius habere non poſſunt. Quin potius crumenas & peras & quicquid aliud ad vitam tuendam opus eſt, ſumite. Ad hæc, ſi cui pecuniæ deſunt, is ne grauetur pallium vendere, vt gladium emat ad ſui defenſionem. At quid (inquis) audio? Iamne alia Chriſti mens eſt, quàm olim, quando dicebat: Ne reſiſtatis malo, ſed percutienti te in vnam maxillam, obuerte & alteram? Iamne Apoſtolos gladio armare & hos pro ſe pugnare voluit, ne à militibus & Pontificum ſeruis caperetur? Nequaquam ô bone: Sed potius (vt initio diximus) ad diuinam protectionem eos remittere voluit: orationem autem illorum ingenio & moribus accommodat, vt reipſa diſcant, quàm ſtultè hucuſq; regnum terrenum victorias atq; triumphos de hoſtibus ſomniarint. Nam etiamſi de eo illos abunde iam monuiſſet, ſciebat tamen animos ipſorum ab errore nondum liberatos eſſe: quod & rei euentus poſtea declarauit. Itaq; nouam de hoc tractationem orditur, quam (vt quidam rectiſſimè obſeruarunt) poſtea in horto demū abſoluit, quando Petrum gladio pugnantem acriter reprehendit. Itaq; in hunc finem & hoc ſenſu iſta dicuntur: Video vos adhuc regni ſpe occupatos arma & gladios animo verſare. Sed agite, quando ita lubet, parate & inſtruite vos ad certamen. Iam enim inſtant pericula, quæ præſentem & acrem defenſionem requirunt, & ſi vnquam gladijs defendi voluiſſem, id nunc facto opus eſſet. Sed videbitis & reipſa experiemini, meum Regnum neq; de hoc mundo eſſe, neq; huius mundi armis defendi, &c. Habent ergo hæc Chriſti verba Apoſiopeſim, quæ (vt diximus) in horto ſupplebitur, vbi diſertè docebit, ipſos à ſolius Patris auxilio debere pendere, & huius conſilio atq; decreto ſe ipſos & cauſam hanc omnem permittere. Sunt ergo ridiculi nimis, qui nodum in ſcirpo quærentes diſputationem de vſu gladij & defenſione licita ſiue illicita inſtituunt, cùm potius de periculis imminentibus diſcipulos Chriſtus præmonere, & ſimul docere voluerit, fide & patientia opus fore, quando gladijs hîc nihil poſſit effici.

Quo cõſilio iubeat Chriſtus gladios accíperet

Facit ad huius ſenſus confirmationem, quòd ex æterno Patris decreto hæc fieri oportere, prophetico teſtimonio probat, dum mox ſubijcit: Dico enim vobis, adhuc oportere in me perfici ſcriptum illud: Et cum ſceleratis numeratus eſt. En hæc omnino fieri oportere teſtatur. Quis ergo illum diſcipulis ſeriò mandauiſſe putet, vt aduerſus Dei decretum arma ſumant? Habet autem Emphaſim particula ADHVC. *Nam ea perindè vtitur, acſi diceret: Multa quidem hucuſque aduerſa ſuſtinui: Sub cenſu peregre ex Virgine paupercula natum vile præſepium excepit: Mox vitæ meæ inſidiantem Herodem fugere coactus ſum, quando nunquam genti noſtræ amita Ægyptus mihi latebras præbuit. Inde reuerſum ignobile Nazarethum ſuſcepit, vbi duro manuum labore victum mihi paraui vſque ad tempus illud, quo me Pater in publicum prodire, & munus illud obire voluit, cui me deſtinauerat. Quod vt primùm cæpi facere, quibus non periculis & caſibus exagitatus ſum? Quoties inſidijs Scribarum petitus? Quoties lapidibus immerentem Phariſæi obrurre conati ſunt? Ipſi denique mihi teſtes eſtis, quos labores, curas atq; ſolicitudines ſuſtinuerim. Et quid infelix Iudas aduerſus me machinetur, paulò ante narraui. Ac nondum finis omnium apparet, quæ mihi ferenda Pater impoſuit. Reſtat enim vt (quod Iſaias prædixit) pro ſcelerato condemner, & in crucem ſuffixus non tam crudeli & diro quàm infami ſupplicio vitam hanc mortalem finiam. Reliqua, quæ de me ſcripta ſunt, iam finem ſuum attigerunt. Quod verò reliquum eſt certamen, id adhuc mihi incumbit, & vt grauiſſimum erit, ita vos quoq; inuicta fidei conſtantia armatos eſſe oportebit, ne ſub tanti ſcandali pondere ſuccumbatis. Hic verborum iſtorum ſenſus eſt, quibus Crucis ſcandalum remouere voluit Dominus, idq; duobus argumentis: Primo, quòd nihil fortuitūm paſſurus ſit, ſed quòd hæc omnia ex Patris decreto fiāt: Altero, quòd ita exigat noſtræ ſalutis ratio, vt nimirum ipſe pro ſcelerato damnetur, & morte ſua, quam ipſe innocens ſuſtinere velit, noſtrorum ſcelerum noxam expiet, nosq; cum Patre in gratiam reducat.*

Mortē infamē prædicit.

Eſt autem hoc loco diligenter obſeruandum, quòd ad Scripturas diſcipulos ſuos Dominus remiſ

Chriſtus ad Scripturas reſpicit.

tit, vt ex his intelligant, ſe non aliud paſſurum eſſe, quàm quod ita fieri velit Deus. Ita enim & ſeipſum pro aſſumptæ humanitatis infirmitate conſolari, & ſimul (vt diximus) illos aduerſus ſcandalum præmunire voluit, quod ex morte ſua ignominioſa enaſciturum eſſe uon ignorabat. Debemus autem nos exemplum eius imitari, vt quoties vel priuatim ipſi affligimur, vel publicos totius mũdi motus & diras piorũ perſecutiones, exilia, tormenta, indignas mortes, ad hæc Eccleſiarũ diſsipationes & excidia videmus: uon in hoc tam triſti ſpectaculo attonita mente hæreamus, ſed oculos altius attollendo ea in mentem reuocemus, quæ in Scripturis habentur de nouiſsimi temporis conditioue. Mox enim patebit, nihil hodie vel nobis vel alijs pijs accidere, de quo nou aperta & perſpicua extent ſacrarum literarum oracula. Atqui Scripturam diuinitus inſpiratam eſſe, & ipſiſsimum Dei Verbum eſſe conſtat. Vnde ſequitur iſta nobis quoque non fortuitò accidere, ſed ita Deo viſum eſſe, vt crucis amaritudo carnem ad huius mundi illecebras laſciuientem coerceat, & vt Filij ſui ſocij facti in afflictionibus, cum eodem aliquando viuamus atque regnemus. Hoc vt omne ſcandalum procul è medio tollit, ita conſolatione dulciſsima animos territos recreat, & cauet ne quid contra Deum dicamus noſtra profeſsione indignum. Mox enim ſibijpſi obijciet homo: Tu quis es, qui Deo litem moueas? Tune tibijpſi melius conſules, quàm is qui te creauit cùm nullus eſſes, & perditũ Filij ſui ſanguine redemit? Tune tuam conditionem vis meliorem eſſe, quàm Domini & redemptoris tui fuerit? Simul ergo hîc de Scriptura Sanctæ præſtantia, dignitate & vſu nos locus iſte admonet. Quis enim non eos libros admiretur & in pretio habeat, ad quos ipſe Dei Filius iam mortem aditurus recurrere voluit, & ex quibus conſolationem petijt, qua & ſeipſum & diſcipulos ſuos confirmaret? Sufficiat hoc uobis aduerſus canes Porphyrianos & porcos Iulianicos, qui aduerſus ſacras literas latrare & grunnire audent, eò quòd his multa contineantur, quæ ipſorum cupiditatibus repugnant, neq; ipſorum intellectu comprahendi poſſunt. Non vobis, nõ vobis ô canes hi panes dati ſunt: non vobis ô porci Acarnanij hæc fercula parata ſunt: non gemmas curant galli Æſopici. Vos ergo ad Poetarum prophanorum proſtibula, ad philoſophorum ſterquilinia, ad fabulatorum lacunas remittimus. Illic ora veſtra abluite, nares obeſas paſcite, & aures meretricias oblectate. Nobis modò Scripturas relinquite intactas, quæ Verbum illud Dei æternum continent, quod vt auro pretioſius, ita fauis melle ſtillantibus dulcius eſt.

Diſcipuli gladios afferunt inepte.

Porro diſcipulos Chriſti audire præſtat, qui cùm illum de gladijs emendis verba facere audirent, illico reſpondent: Domine, ecce, duo gladij hîc. Quibus verbis animos quidem ad Chriſti defenſionem promptos & alacres teſtari volunt, ſimul vero ſtupiditatẽ produnt, quam meritò omnes cordati admirentur. Audiunt ita à Deo decretũ eſſe, vt ille morte infami moriatur, & quidem publica authoritate dãnatus. Quæ ergo ſtoliditas eſt Dei ſtatuto gladios opponere velle, quaſi his illius voluntas poſsit impediri? Et ſi omnino voluiſſet Chriſtus armata manu defendi, quid obſecro profuiſſent gladij duo aduerſus hoſtes eius, quos potentia & armis inſtructiſsimos eſſe nõ neſciebãt? Sed ita ſuam ſtultitiã prodere ſolent, quotquot Regnũ Chriſti ex carnis ſenſu metiuntur. Et mirũ eſt, homines, qui natura à periculis abhorrent, in fidei & æternæ ſalutis cauſa plerũq; ſua conſilia, quæ periculorũ plena ſunt, tutiſsimis & ſaluberrimis Chriſti monitis præferre. Quod enim hîc diſcipuli faciũt, hoc ipſum à multis hodie fieri conſueuit. Iubet Dominus, vt in patientia noſtra poſsideamus animas noſtras, & idem per Prophetam clamat: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. At pleriſque hæc viuendi ratio diſplicet, qui tunc demum ſe Chriſtianos eſſe arbitrantur, ſi populum ad ſeditiones concitent, bella ſuſcipiant uon neceſſaria, aut alia huius generis conentur, quæ cum præſenti periculo coniuncta ſunt. Iſa verò ſibijpſis malum accerſunt, & ferè Eccleſias totas euertunt, quas alij pura veritatis doctrina collegerunt, & ſuo ſanguine confirmarunt, &c.

Chriſtus armis non defenditur.

Cæterùm Chriſtus cognita diſcipulorum ignorantia, tractationem hanc vno verbo abrumpit, cum res in præſenti longiorem diſputationem nou admitteret. Dicit enim illis: Satis eſt. Quaſi dicat, Video vos adhuc craſsiores eſſe, vt ne nunc quidem id intelligatis, de quo vos toties admonui. Quia ergo apud vos verbis & rationibus nihil proficitur, agite, ſufficiant iam iſta, donec reipſa experiamini quid velim. Ita verò (quod ſupra diximus) tractationem iſtam ſuſpendit in hortum vſque, vbi cùm Petrus non minus infeliciter quàm temere pugnare inſtituiſſet, ſibi dici audit: Conuerte gladiũ tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. An putas quòd non poſsim

uunc

nunc precari Patrem meum, qui præſtet mihi plures quàm duodecim legiones Angelorũ? Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ ſic oportere fieri dicunt? Ex his Chriſti verbis loci huius præſentis ſenſus elici debet, quibus manifeſtè docet, non ſe hoc velle, vt vel Petrus vel quiſquã alius arma pro ipſo capiat, & rationes adducit: Primam, quòd id per ſe nõ liceat, vt quiſquam abſq; Dei vocatione gladium ſpontè arripiat pro ſui animi libidine. Et ad Legem illam vetuſtiſſimã alludit: Omnis qui ſanguinem effuderit, eius ſanguis fundetur. Alteram, quòd Angelis defenſoribus poſſet vti, ſi vellet. Poſtremã, quòd obediendum ſit voluntati Patris, quam in Scripturis reuelatã habeamus. Vnde colligimus, Regnum Chriſti nequaquam armis hominum opus habere quibus defendatur, nec temere quenquã hoc prætextu debere arma ſumere, niſi vocatione Dei peculiari id facere iubeatur? Scimus quidem Reges Eccleſiæ nutritios & propugnatores eſſe debere, & Deum horum opera ſæpe feliciter illam defendiſſe, vt Dauidis, Ezechiæ, Conſtantini, Theodoſij & ſimilium hiſtoriæ teſtantur. Quid verò hoc facit ad doctores, quorum longe alia eſt conditio? Quid ad homines priuatos, qui quoad res externas magiſtratibus ſuis obedire, fidem verò & cultum Dei libera confeſſione, vitæ innocentia & (ſi ita opus ſit) morte & ſanguine ſuo debent tueri?

Ex his apparet quàm turpiter & quanto cum Chriſti ludibrio huius loci authoritate olim abuſus ſit Bonifacius VIII. Pontifex, qui Canonẽ de Maioritate & obedientia condidit, qui in iure Pontificio inter Extrauagantes numeratur: ſic nimirum non abſq; numine dictos, tum extra omnes Chriſtianæ doctrinæ limites vagentur, & Scripturas manifeſtè detorqueant. Summa Canonis eſt, Omnes quotquot ſunt per totũ orbem fideles, Romano Pontifici ſubeſſe debere, qui vtriuſq; gladij, ſpiritualis nimirum, & ſecularis, vel Eccleſiaſtici & politici, poteſtatem habeat. Id verò inter alias rationes ex Scripturis impiè detortis deſumptas etiã ex hoc loco demonſtrare conatur, ſic dicens: In hac eiuſq; poteſtate duos eſſe gladios, Spiritualem videlicet & Temporalem, euãgelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis, Ecce gladij duo hîc, in Eccleſia ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in poteſtate Petri temporalem gladiũ eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuũ in vaginam. Vterq; ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, Spiritualis ſcilicet gladius & Materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu regum & militum: ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis, &c. Quod autem verbis hiſce docuit ille, reipſa non minus contumelioſè quàm inſolenter exercuit aduerſus Albertum Romanorum Regem, cum is per legatos ſuæ electionis & Imperij confirmationem ab illo poſtularet. Agebatur tunc annus à natali Chriſti MCCC. quãdo ambitioſus ille annum Iubilæum inſtaurauit, reducta ex Iudaiſmo per Chriſtum olim abrogato ſolennitate illa, quod nemo Pontificum ante illum facere auſus fuerat. Itaque vt præſentibus legatis regijs penes ſe vtriuſq; gladij poteſtatẽ eſſe oſtenderet, primo quidem eius ſolennitatis die in pontificalibus prodiens apoſtolicam benedictionem populo impertitus eſt: poſtero autem, habitu Imperiali & infula Cæſarea inſignis, gladium ante ſe nudatũ iuſſit deferri, & vbi conſediſſet, alta voce dixit: Ecce duo gladij hîc. Quid verò eſt cũ Scripturis ludere ô fratres, ſi hoc non eſt? Primò enim aduerſus expreſſum Chriſti mandatum, quo hic nè Apoſtoli regna huius mũdi inuadant præcipitur, Imperatoriam quoq; poteſtatẽ ſibi vendicat. Deinde Allegoriã fingit in verbis Chriſti, ab eius mente alieniſſimam. Adhæc locum hunc eotũ detorquet, vt gladij vſum aſſerat, vbi hũc Chriſtus diſertè damnat. Adde his, quòd ex gladio Spirituali, qui non alius eſt quàm Verbum Dei, iuriſdictionem fabricat eccleſiaſticam, cui magiſtratus omnes, adeoq; Imperatorẽ ipſum ſubijcit. Deniq; hunc non ſerui modò & ſubditi, ſed carnificis ſui loco habet, quando hunc gladio non aliter quàm pro ſacerdotis nutu vti debere dicit. Et hi illi ſunt, pro quibus hodie Reges & Imperatores pugnant, & in quorum gratiam ſeipſos ſuamq; authoritatem proſtituunt, eos autem ferro & igne perſequuntur, qui ipſos ex turpi illo Paparum ſeruitio vindicare ſtudent. Hæc item iam ſeculis aliquot turbarum omniũ cauſa fuit, quibus infelix terrarum orbis exagitatus eſt, & hodie cum omnium ferè regnorũ diſſipatione exagitatur. At quando ita volunt infelices illi, nos Chriſti mentẽ conſtanter teneamus, qui in Eccleſia ſua miniſtros conſtituit, qui nõ alio quàm Spiritus gladio, id eſt Dei verbo pugnare debent aduerſus omnia, quæ contra hunc efferuntur. Idem ille magiſtratibus ius ſuum reliquit integrum, & horũ eſt populo ius dicere, verum Dei cultũ prouehere & huius ſtudioſos ſua authoritate tueri. Quod ſi faciant,

Contra Can. de Maior. et Obe.

licet pijs omnibus horum protectione legitima vti, quod Paulum non ſemel feciſſe legimus, qui & manu armata ſeſe defendi paſſus eſt, & ad Cæſaris tribunal prouocauit, quando præſides partim ignauos, partim ſibi non ſatis æquos eſſe videbat. Quòd ſi autem omnes in ſuo munere ceſſent, neque apud homines defenſio legitima inueniatur, à tumultibus tamen Chriſtiani homines abſtinere, nec alicui ſeditionum in repub. authores eſſe debent: ſed patienter ferre quæ Deus imponit. Hoc qui fecerint, ij germani Ieſu Chriſti diſcipuli atque imitatores ſunt, quos & in hoc ſeculo ille ſeruabit, quoad ipſis vtile ac ſalutare fuerit, & olim Regni ſui cœleſtis cohæredes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXCIX.

Et egreſſus profectus eſt ex more in montem Oliuarum, ſecuti ſunt autem eum etiam diſcipuli eius. Cum verò perueniſſet ad eum locum, dixit eis: Precamini, ne intretis in tentationem. Tum ipſe auulſus eſt ab eis quaſi ad iactum lapidis, poſitiſq; genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Viſus eſt autem ei Angelus è cælo, corroborans eũ. Et ipſe conſtitutus in angore, intentius orabat. Erat autẽ ſudor eius quaſi grumi ſanguinis deſcẽdentes in terram. Et cùm ſurrexiſſet à precatione, veniſſetq; ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et dixit eis; Quid dormitis? Surgite & precamini, ne introeatis in tentationem.

Marcus homil. 110.

CHriſtus Ieſus pro nobis paſſus eſt, non ſolùm vt nos mortis ſuæ merito redimeret, verũetiam (ſicuti Petrus ait) vt nobis exemplo eſſet, cuius veſtigia ipſi ſequamur. Rectè igitur Euangeliſtæ diligentia ſingulari ex ordine omnia ea deſcribunt, quæ iam inſtante mortis hora fecit: inter quæ primum locum obtinet Cœna, quam cum diſcipulis ſuis vltimam habuit, & in qua cum iiſdem de multis diſſeruit, quæ non minus noſtræ quàm illorum inſtitutioni ſeruiunt. Sequitur nunc, vt omnibus quæ ad illam pertinebant ritè peractis ad montem Oliuarum exiuerit, vbi & captus eſt, & prius multa fecit, quæ peculiarem conſiderationem merentur. Nunc autem ante omnia obſeruari debet, quod à Cœna illa myſtica, qua ſolennem mortis ſuæ memoriam nobis commendauit, rectà ad exequendam Patris ſui voluntatem progreditur, nec quò minus id faciat, per ea ſe patitur abſterreri, quæ illic ſibi euentura eſſe ſciebat. Docemur hoc illius exemplo, quid nos facere deceat, quando in Cœna illius nos eius diſcipulos publicè profeſſi ſumus. Meditemur diligenter, quæ Dei voluntas ſit: nimirum vt nos totos ipſi conſecremus, & peccato mortui vitam in illo viuamus nouam & noſtra profeſſione dignam: vt denique nos præparemus ad quæuis ferenda, quæ nobis ab illo imponuntur. Eſt ergo ſcelerata & execrabilis illorum laſciuia, qui vt olim gentes cum ſacris ſuis ludos vel crudeles & ſanguinarios, vel laſciuiæ plenos coniungebant, ita ipſi ad pocula, ad ſtupra, ad vſuras & quoduis aliud nequitiæ genus reuertuntur. Sed accedamus ad huius loci expoſitionem, qui quatuor partibus conſtat. Prima locus indicatur, in quem Chriſtus exiuit. Secunda, vt illic diſcipulos admonuerit de iis, quæ tunc factu imprimis neceſſaria erãt. Tertia, quid ipſe fecerit narratur. Quarta, quales ſe inter hæc omnia geſſerint diſcipuli.

Chriſtus à Cœna ad mortem progreditur.

Mons Oliueti.

Quoad locum, fuit is ad montem Oliuarum. Matthæus & Marcus Gethſemane dictum ſcribunt. Hieronymus in Commentarijs in Iſaiam à pinguedine aut fertilitate eum commendat, cui conſentit quod Ioannes de horto annotauit, in quem Chriſtus frequenter diuerterit, adeò vt nec Iudæ locus eſſet ignotus. Et Lucas in præſenti eum ex more illuc profectum eſſe ſcribit. Eſtque hoc imprimis memoratu dignum quòd & prius locum illum frequentauit, in quo ſe aliquando captum iri ſciebat, & nunc in eundem ſponte egreditur, cùm tempus illud fatale inſtaret. Ex eo enim apparet, illum in mortis ſuæ meditatione ſæpius verſatum fuiſſe, vt ſe ad illam rectè præpararet, & nunc volentem ſeſe hoſtium manibus tradidiſſe, vt ab ipſis captus ad mortem abriperetur. Nihil ergo illorum viribus tribui debet, quaſi Sacerdotes tandem aduerſus illum victoria potiti ſint, quam

diu quæ-

*diu quæſiuerāt. Mortuus enim eſt, quia ſic Pater decreuerat, ipſe verò illi obedire voluit. Ideo apud
Ioannem dicebat: Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Et Pilatò ſuam po- Ioan. 10.
teſtatem ſuperbius iactanti idem reſpondit: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi 18.
datum eſſet supernè. Id verò ad noſtræ ſalutis certitudinem facit, & in conſcientiæ tentationibus ef
ficaciſſimè conſolatur. Cur enim odio habeat Pater ille cœleſtis, quos Filij ſui morte indigna redem
ptos eſſe voluit? Cur item Filius mortis ſuæ meritum volet irritum fieri? Aut cur nos ad ſe venien-
tes faſtidiat, cùm ipſe ad nos venire, et ſeipſum pro nobis in mortem tradere dignatus ſit? Deinde no
ſtri etiam officij nos ille ſuo exemplo admonet. Eſt hoc, vt ipſi quoque frequentiores ſimus in mor- Mortis medita-
tis meditatione, neque imitemur delicatulos illos, qui eius ne mentionem quidem volunt fieri, ne hæc tio utiliſſima.
præſentis vitæ gaudia ipſis interturbet. Ridiculi ſanè homines, qui eius mentionem horrent, quod
ſecum in ſinu ſuo geſtant, & quod vitari non poteſt, vt primùm hora illa fatalis appropinquat.
Eſt autem vtiliſſima mortis conſideratio: quia & ſcelerum illecebris obſtat, & præmunit nos ad-
uerſus eius terrores, ne his vnquam ſuccumbamus. Facit denique, vt Chriſtum imitati ſponte ob-
uiam eamus cruci, & alacri animo ſubeamus aduerſa quæuis, quibus nos Deus exerceri vult. Quid
enim durum, quid intolerabile, quid inſolens videri poteſt illi, qui ad mortem quoque ſubeundam
iam pridem ſeſe parauit, qua nihil terribilius eſt ijs, qui de hac non rectè iudicare poſſunt? Et hîc
nos excitare debet diſcipulorum exemplum, qui etſi Chriſtum multa in Cœna de morte ſua diſſeren-
tem audiuiſſent, & pro carnis infirmitate triſtitiam & dolorem non paruum animo concepiſſent, ta
men abſque mora illum eò comitantur, neque eum nunc deſerunt, quem miraculis florentem & in
aliqua authoritate conſtitutum huc uſque ſecuti fuerant. Si enim publico prouerbio notantur ollæ
amici, qui in ſecundis adſunt, in aduerſis autem nos derelinquunt: num eorum religionem aut cul-
tum Chriſto probari poſſe putabimus, qui dum pax multa & commodi priuati ſpes ſeſe offert, il-
lo magnificè gloriantur, turpiter autē deficiunt, quando eundem in membris ſuis periclitari vident?*

*Sequitur ſecunda pars, qua quid cum diſcipulis tunc egerit, docetur. Quo loco Matthæus & Quid cum di-
Marcus primo ſeparationem inter illos factam eſſe ſcribunt. Nam alijs octo manere iuſsis, Pe- ſcipulis actum
trum, Iacobum & Ioannem aſſumpſit, cumque his aliquò vſque progreſſus, expaueſcere & toto animo
diſcruciari cœpit, & illis ipſis qui gloriæ et maieſtatis eius in clarificatione aliquando ſpectatores fue
rant, nunc dolorē & anguſtiā ſuam diſertè fatetur, dicens: Triſtis eſt valde anima mea vſque ad mor
tem. Et ſimul addit: Manete hîc & vigilate. Item (quod in præſenti Lucas habet: Precamini, ne in-
tretis in tentationem. Tria ergo illum diſcipulos mandauiſſe audimus: Primum, vt maneant illic, 1.
vt ipſe aliquantùm progreſſus poſſit commodius orare: Alterum, vt vigilent diligenter, ne ex im- 2.
prouiſo opprimantur: Poſtremum, ne intrent in tentationem, id eſt, ne tentatione quam ſua ſocordia 3.
acceſſant, turpiter vincantur. Et hac parte in mentem illis reuocat, quod de Satanæ inſidijs paulò
ante monuit. His autem generalis doctrina continetur, quid vnumquenque noſtrum facere conue-
niat, ſi quando duriora perſecutionum certamina, aut quæcunque alia pericula imminent. Tunc
enim ante omnia videre oportet, vt in ſtatione nobis credita maneamus, ſiue quis Eccleſiæ mini-
ſter ſit, ſiue magiſtratum gerat, aut ad quodcunque aliud munus ſit deſtinatus. Vt enim turpe
fuerit nauclero, ſi ventis & fluctibus exortis ipſe à clauo diſcedat: ita nunquam probari poterunt,
qui tunc munus ſuum deſerunt, quando ipſorum fides atque induſtria maximè requiritur. At hoc
illud eſt, in quo vt plurimùm hodie peccatur, ideoque minus bene habent Eccleſia & Reſpub. Verun-
tamèn non ſatis fuerit locum occupare aut tenere, quem nobis Deus credidit, niſi attentiſſimè etiam
vigilemus aduerſus Satanæ inſidias. Nam vt nuper dictum eſt, nunquam ille dormitat, & non ho
ſtes modò apertos, verumetiam falſos fratres & propriam carnem noſtram contra nos excitat, vt
ſuis deſiderijs nos infeſtet, & à Deo abſtrahat. Nec quicquam tam difficile eſt, quàm illius artes de-
prehendere, quibus ſeſe in animos quoque noſtros inſinuare ſolet. Imò etſi neruos omnes intendamus,
nihil tamen contra illum ex nobis ipſis poterimus: & ideo ſtudio noſtro preces coniungere oportet,
vt Deus improbi illius audaciam frangere, mundi conſilia & conatus diſsipare, & carnem noſtram
infirmam Spiritu ſuo confirmare dignetur. Vtque preces noſtræ efficaciores ſint, certam de Dei boni-
tate fiduciam concipere oportet, quæ vt promiſsionibus eius nititur, ita exemplis infinitis augetur,
quæ Scripturas legentibus paſſim occurrunt.*

Chriſtus à diſcipulis auellitur.

Cæterùm quod diſcipulis mandat Chriſtus, hoc ipſe præſtitit: quæ tertia huius loci pars eſt. Nam à diſcipulis auulſus quaſi ad iactum lapidis, poſitiſq; genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Seceßit ab illis aliquanto loci ſpatio, ne preces eius illorum aut conſpectu aut alloquio turbarentur. Vt enim cum amicis vel quibuſcunque alijs priuatim & ſemotis arbitris colloqui cupimus, ſi qua cauſa grauior eſt: ita cum Deo collocuturis ſeceſſu opus eſt, vt & ardentius & liberius animi ſui deſideria poßint exponere. Porro non obiter à diſcipulis ſuis diſceßit, ſed auulſus eſt: qua locutione animi dolor notatur, quem ardentißimus amor peperit, quo ille diſcipulos eſt complexus. Graue enim ei fuit ab illis auelli, non quòd ipſe eorum præſentia aut conſilio iuuari poſſet, ſed quòd ipſos ſciret ſuam opem atque præſentiam ſæpe deſideraturos eſſe in periculis & anguſtijs, quibus erant exercendi. Et quemadmodum pij frequenter cupiunt quidem diſſolui, vt cum Chriſto propius coniungantur (ſicuti de ſemetipſo Paulus ſcribit) ægrè tamen ſuos relinquunt, quos ſuo conſilio & auxilio adhuc opus habere ſciunt: Ita etiamſi ille magno deſiderio mortem appetiuerit, vt humani generis redemptionem perficeret, non libenter tamen (de aſſumpto humanæ naturæ affectu loquor) à diſcipulis illis ſuis, quos fratrum & amicorum intimorum loco diu habuerat, diſceßit, cùm animo volueret, quid ipſis eſſet euenturum. Eſt hoc probè obſeruandum, ne noſtra infirmitate terreamur, ſi quid huius in nobis ipſis deprahendimus, vel alios temere damnemus, qui non obſcura doloris & animi perturbati indicia edunt, ſi quando homines ſibi coniunctißimos relinquere coguntur. Nec enim nos lapides aut truncos creauit Deus, hominum autem & Chriſtianorum nomine indigni ſunt ἄστοργοι illi, quos nullus humanus affectus mouet, illos certè Paulus (vt non ſemel monuimus) inter nouißimi ſæculi peſtes numerat, quorum exemplum & mores nemo debeat imitari.

Philip. 1.

Auelli oportet à chariſsimis quibuſq; vocante Deo.

Meminerimus autem Chriſtum in eo quoque nobis exemplum præbuiſſe, cuius veſtigijs nos inſiſtere conueniat: vt nimirum Deo nos vocante vel ad res arduas, vel ad Regni cæleſtis poſſeßionem, etiam inuita carne & multùm reluctantibus eius deſiderijs, noſipſos auellamus ab illis omnibus, quæ nos remorantur. In hoc enim præcipue conſiſtit noſtri ipſius abnegatio, de qua ſuo loco diximus. Et huc pertinet quod Chriſtus ſupra dixit: Si quis venit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & vxorem ac liberos, & fratres & ſorores, amplius autem etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Exempla huius magnanimitatis multa in Scripturis habentur. Quàm enim durum & graue fuiſſe putas Abrahamo, cùm ex natali ſolo & chariſsimis gentilibus abire iuberetur, incertus vbi nam locorum ipſi ſedes fixas parauiſſet Deus? Abijt tamen, & ſimul cor ſuum auulſit ab ea terra, quam illi minus probari audiebat. Quantò durius autem fuit mandatum illud Dei, quo ancillam Hagaram cum filio Iſmaele eijcere iubebatur? At hîc quoque animum ſuum vicit. Quàm graues autem & acerbas putabimus fuiſſe conuulſiones viſcerum (vt ita dicam) omnium, quando Iſaacum, filium illum dilectißimum, quem in extrema ſenecta ipſi vxor Sara, tot laborum atque curarum ſocia, pepererat, filium (inquam) promißionis, proprijs manibus ſacrificare iuſſus eſt? Tamen tunc quoque à ſemetipſo eſt auulſus, & quæcunque aduerſus mandatum hoc, quo nullum vnquam atrocius auditum eſt, allegari poterant, fidei obedientia vicit. Imitemur ergo patrem credentium, quando de noſtris fortunis, dignitate & exiſtimatione, amicis, cognatis aut quibuſcunq; alijs rebus agitur. Imitemur caput & magiſtrum noſtrum, Ieſum Chriſtum, ſi quando vitam quoque deponere iubemur. Graue quidem eſt nobis à corpore hoc & mundi conſortio diuelli. At quàm multa ſunt, quæ olim inter gentes viris bonis & prudentibus morte grauiora viſa ſunt? Lacedæmonij certè, cum Philippus Macedo intolerabilia onera ciuitati ipſorum imponeret, fortißimè reſponderunt: Si quid morte grauius imperare perſeueres, malumus mori. Et multos in mortem præſentem ſeſe tradidiſſe legimus, ne patriam dulciſsimam opprimi, libertatem eripi, coniuges & liberos violari, iura publica euerti, & alia huiuſmodi videre cogerentur, quæ crudeliſsimi hoſtes facere conſueuerunt. An ergo Chriſtianus mori detrectet, ne à Chriſto diuellatur, aut ſalutis æternæ iacturam faciat? Luctemur ergo cum cæca carnis affectibus, & hanc quantùmuis inuitam auellamus ab huius mundi & vitæ caducæ illecebris, vt nobis cum Chriſto viuere liceat.

Luc. 14.

Chriſtus precatur.

Porro à diſcipulis ſuis auulſus poſitis genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Breuis oratio, ſed imprimis ſeria & vehemens.

mens. Et conſultò nunc breuitati ſtuduit (vt poſtea in cruce quoq;) qui aliâs totas noctes in precibus perſeuerauiſſe legitur, ne nos de Dei bonitate aut precum noſtrarũ effectu dubitemus, ſi quando in maiores anguſtias adducti illas non poſſumus diutius continuare. Et Patrem quidem ſolum inuocat, vt ipſi quoque ad hunc vnum recurramus, de quo iam ſæpe diximus. Status autem totius orationis eſt, vt Pater poculum iſtud ab eo transferat. Ita verò omnis generis afflictiones Scripturæ vocant, eò quòd has nobis Deus certa menſura diſtribuit. Petit ergo Dominus, vt dirum illud & infame crucis ſupplicium ab ipſo Pater auertat. Atqui ſciebat, hoc æternum Patris decretum eſſe, & ſe ideo in mundum veniſſe & hominem verum induiſſe, vt carnem ſuam daret pro mundi vita. Attamen vt liberetur petit. Vnde colligimus, nobis etiam licere, vt quæ nobis impendent mala, deprecemur. Si enim naturale eſt propter illa dolere, non poſſunt impietatis damnari, qui ex illis liberari cupiunt. Sed hîc diligenter obſeruari debet moderatio, ſiue correctio, quam Chriſtus adhibet, quando mox ſubijcit: Veruntamen nõ mea voluntas, ſed tua fiat. Ita aũt dicendo hoc petit, quod nos quoq; petere docuit: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiã in terra. Hæc igitur nobis omnium petitionũ regula ſit, quæ circa res huius ſæculi verſantur, et de quibus nõ conſtat nobis, quid Deus fieri velit. Etenim nimis audax & confidẽs fuerit, qui inter precandũ velit illi præſcribere, à cuius nutu omnia noſtra dependent. Et hæc cauſa eſt, propter quã multorũ preces nõ exaudiuntur, quia nõ tam precari, quàm quaſi pro imperio poſtulare, vel potius Deo præſcribere audent, quid fieri velint. Cùm enim orationi maximũ pondus addat animi verè fidelis humiliatio: fieri nõ poteſt vt exaudiantur, qui tũc quoq; confidentius & inſolentius agunt, quãdo ipſos imprimis humiliari oportebat. Neq; alicui debet graue videri, vt ſe voluntati Dei totũ ſubijciat: quãdo hæc nõ ſolũ iuſta, verumetiã ſancta, bona & ſalutaris eſt, eoq; tendit, vt omnes homines ſeruentur, & in Veritatis cognitionẽ perueniant.

Agon Chriſti grauiſſimus.

Accidit autem Chriſto inter precandum, quod multa conſideratione digniſſimũ eſt. Sic enim ſcribit Lucas: Et ipſe conſtitutus in angore, intentius orabat. Erat autẽ ſudor eius, quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terrã. Deſcribitur paucis verbis anguſtia & lucta, ad cuius ſpectaculum meritò totus mundus obſtupeſcat. Vnde enim ſudor ille Chriſti, niſi ex acerbiſſimo cordis dolore, quẽ mortis imminentis meditatio pariebat? Vbi tamẽ miretur aliquis, quæ tam acuti doloris tamq; vehementis angoris cauſa fuerit in Filio Dei, cùm multi martyres ad diriſſima quæq; tormẽta alacri mente olim acceſſerint, & hodie etiã multi corde nihil turbato & vultu ſereno infandos cruciatus ſuſtineant? At hîc nos meminiſſe oportet, Chriſto non cũ ſola morte luctã fuiſſe, ſed quia omniũ noſtrûm peccata in ſe receperat, ſimul illi cũ Patris irati iudicio res erat, quo nihil atrocius, nihil intolerabilius excogitari poteſt. Si enim hominem ſuorũ modò ſcelerũ ſeria agnitio & pœnarũ quas illis meruit conſideratio, atq; hinc enaſcẽs iræ Dei ſenſus, eò vſq; adigit (niſi gratia Dei Spiritu cõfirmetur) vt aut ſibiipſi manũ inferat, aut inter cordis horribiliter æſtuãtis fremitus atq; horribiles de Dei ira querelas deſperet: quis obſecro verbis exprimat cogitationes, terrores, conſternationes & fidei cũ deſperatione luctantis certamina, quibus illum exerceri oportuit, in quẽ Deus (vt apud Iſaiã ſcribitur) omnium noſtrûm tranſgreſſiones concurrere fecerat? Eiuſdem certè luctæ effectum fuit, quòd poſtea in cruce clamauit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? Et in præſenti reipſa patitur, dũ ſudore ſanguineo diffluit, quod de extremè laborantibus per Hyperbolem dici conſueuit. In iſto tamẽ angore illum ſuperiorem factũ fuiſſe cùm multis alijs indicijs, tũ eo euidentiſſimè apparet, quòd quò grauius tentatus fuit, eò magis orationem intendit: neq; id inutiliter, aut abſq; fructu fecit. Nam viſus eſt ei Angelus, qui corroborauit eum, vt mox animũ conciperet inuicta paternæ gratiæ fiducia armatum, vt ſuo loco videbimus. Sunt autem in hac parte nobis quædam nunc diligentius conſideranda.

Chriſtus verè paſſus anima & corpore.

Primò nõ ſolum humanæ naturæ Veritas in Chriſto aſſeritur, verumetiã illum tã animo quàm corpore verè paſſum eſſe demonſtratur. Itaq; confutãtur hac actione primùm ij, qui carnẽ veram ab illo aſſumptã eſſe negãt: deinde illi quoq;, qui imaginariè modo paſſum eſſe cõtendũt, ne quid maieſtate eius indignũ ſtatuant. Quorũ audacia olim (vt D. Hieronymus contra Pelagianos annotat) eò vſq; progreſſa eſt, vt totum hunc locum expunxerint. Qui dum gloriam Chriſti inconſultius defendunt, ſimul & hanc obſcurant, & noſtræ redemptionis certitudinem in dubium vocant. Quæ enim gloria illa Chriſti eſt, quam ſe alij daturũ negat? Ea nimirũ, quòd ſemetipſum pro nobis tradidit, & ita noſter Dominus, id eſt vindex et redẽptor factus eſt. Exinaniuit ſeipſum (inquit Paulus) forma ſerui

ſumpta, ſimilis hominibus factus, & habitu compertus vt homo: ſubmiſit denique ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo etiam Deus ipſum extulit in ſummam ſublimitatem, ac donauit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, &c. Vel dum iſti propriè intelligenda eſſe negant, quæ de illius paßionibus Euangeliſtæ tradiderunt, num ipſum quoque mendacij inſimulabunt dicentem: Triſtis eſt anima mea valde vſque ad mortem? Atqui Iſaias clamat: Non eſt inuentus dolus in ore eius. Verè igitur hæc omnia paſſus eſt, & ideo verus quoque & ſufficiens tam animarum quàm corporum noſtrorum redemptor eſt, pontifex denique fidelis eſt, qui cum noſtras infirmitates ipſe expertus ſit, nobis etiam condolere poteſt & compati: vt alibi quoque annotauimus.

Peccati atrocitas quanta.

Deinde elucet in hoc quaſi ſpeculo, quàm magna quamque horribilis ſit in Dei conſpectu peccatorum atrocitas: & prodeſt hunc locum opponere blanditijs, quas nobis obijcit Satan, dum ſcelera fuco multiplici exornat, ne ea tam grauia tamque noxia putemus, quàm reuera ſunt. Quin ſi ille ceſſet, ipſi nobis delitias facimus, quibus nosipſos induramus, quò minus poßimus reſipiſcere. Sed eho dic tu quiſquis es, num Dei Filium propter te quoque contriſtatum fuiſſe & propter te ſudorem ſanguineum excreuiſſe agnoſcas? Fateberis opinor, id propter te quoque factum eſſe: nam ſi id neges, ſalute ſimul omni in vniuerſum te ſpoliaueris. Quid verò in te fuit, quod tanto eius angore expiari oportuit? Quid hîc aliud adducere poteris præter peccata, quæ tu tantopere extenuare ſtudet? Vides ergo quàm fallaris id leuiculum ducendo, propter quod Chriſtum Ieſum tam dira & grauia certamina ſubire neceſſe fuit? Itaque arguit hic locus omnium eorum ingratitudinem atque duritiem, quibus peccata ſua quantùmuis multa & grauia ne gemitum quidem aut lachrymulam vnam extorquere poſſunt: quique cùm ſe tanto pretio redemptos eſſe fateantur, ad ſcelera non modò redeunt, ſed ne vnquam quidem ab illis diſcedunt, neque de turpi illo ſeruitio relinquendo cogitant. Pios autem hæc conſideratio excitare debet, vt ipſi eò ardentius Deum diligant, qui Filium ſuum propter nos tam diris doloribus obijcere dignatus eſt, vtque ipſi quoque nihil eorum detrectent, quæ Chriſti nomine ferenda ſunt.

Agonis & ſudoris Chriſti fructus.

Eſt præterea probè obſeruandus ſudoris atque agonis iſtius fructus, qui conſolationem dulciſſimam continet. Nam quod ſæpe diximus, communis omnibus nobis incumbit moriendi neceſſitas: & quia mors ex peccato originem ducit, adeoque peccati pœna eſt, natura ad eius ſenſum homines exhorreſcunt. Videmus denique in morituris grauiſſimos agones, quos ſuſtinent, priuſquam anima vinculis ſuis ſoluta ex corporis huius ergaſtulo diſcedat. Pariunt illi in nobis quoque ſudorem illum frigidiſſimum, quo in extremis agentes perfundimur. Ceſſant tunc ferè omnium membrorum officia, & plerunque lingua quoque deficit, ſenſus reliqui hebetantur, & non rarò rationis quoque vſus nullus eſt amplius. Sunt hæc dura per ſe, & aſtantibus triſtiſſimum ſpectaculum exhibent, quod vtinam tam firmiter animis noſtris inſideret, quàm illud inter homines frequens eſt. Plerique certè de illo nunquam cogitant, niſi quando ipſi quoque in iſtam arenam vocantur, & tunc terroribus diris exagitati tremunt atque trepidant. Sed tunc meminerimus, Chriſtum Ieſum eandem luctam propter nos ſuſtinuiſſe, & nobis viciſſe, ideoque (quod Paulus teſtatur) neque vitam neque mortem nos ſeparare poſſe à dilectione Dei, qua hic nos in Chriſto complexus eſt: Manet quidem horror ille mortis, quem natura omnes ſentimus: & ne omnino extinguatur, nobis vtile eſt ob multas cauſas, quas alibi recenſuimus. Sed breuis eſt hæc lucta, & finem ſortitur beatiſſimum, quando per hanc ad æterni Regni poſſeßionem eluctamur, vbi omnis dolor abolebitur, & æternùm cum illo gaudebimus, qui eadem pro nobis paſſus eſt. Interea quoad licet, precibus vacemus, & quod de Chriſto hic dicitur, eò intentius oremus, quo magis angimur. Neque preces noſtras putemus irritas eſſe, eò quòd mortem deprecari nemo poteſt. Nam vt Chriſto, etſi poculum hoc ab eo non transferretur, Angelus tamen apparuit, à quo corroboratus eſt, vt mox intrepido animo hoſtibus obuiàm prodiret: ita quàmuis aut moriendum ſit nobis, aut alia pericula ſubeunda omnino ſint, habet tamen ſuum effectum fidelis oratio, quo & Dei gratiam ampliorem nobis impetrat, & Spiritum conſolationis accipit, quo aduerſus omnia certamina inuicti reddimur. Neque dubium eſſe debet, nobis etiam in extremo illo agone conſtitutis Angelos adeſſe, qui vt ſemper caſtrametantur circa eos qui Dominum timent:

timens: ita tunc maximè aſſiſtunt, vt animæ luctanti lętum vitæ futuræ guſtum ſuo conſpectu exhibeant, & eandem ex corpore migrantem ad ſedes illos beatæ immortalitatis colligant, ſicuti in Lazari parabola vidimus.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua docetur, quid interea fecerint diſcipuli. Sic enim ſcribit Lucas: Et cùm ſurrexiſſet à precatione, veniſſetq; ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia, &c. Eſt hoc nouum argumentum, quo ſuum erga homines ſtudium Dei Filius declarat: quòd in tanto angore conſtitutus, & mortis terrore vndique preſſus, ſuorum tamen non obliuiſcitur, ſed quid illi faciant, ſedulò inſpicit. Nam quod Matthæus & Marcus annotauerunt, non ſemel tantùm hoc fecit, ſed ſecundò & tertiò ad eos redijt. Quales verò inuenit eos, quos & in vltima Cœna de periculis imminentibus admonuerat, & quibus acerbiſſimos animæ ſuæ dolores confeſſus fuerat, quibus denique dixerat: Precamini, ne intretis in tentationem? Non vigilant, neque precantur, ſed dormiunt, & ſemel atque iterum excitati, in ſomnum tamen relabuntur. Poterat hæc execrabilis videri ſocordia, niſi culpam eorum aliqua parte leuiorem redderet, quòd hoc illis ex triſtitia & mœrore accidit. Solet hoc frequenter fieri, & cauſas ex rerum natura philoſophi proferunt. Quia enim ſomnus affectio cordis eſt, quod communis ſenſus domicilium eſſe dicunt, fit vt hoc triſtitia occupatum reliquos etiam ſenſus aſtringat atque hebetiores reddat, denique vitalem quoque ſpiritum ad id moueat, vt ſomnum membris omnibus inducat. Eſtque hoc (vt & reliqua naturæ opera) ingens Dei beneficium, qui ne toti concidamus hac ratione proſpicit. Nam quia, vt Solomon ait, ſpiritus contriſtatus exiccat oſſa, corpus totum ſomni beneficio irrigari vult Deus, ne vis illa vitalis tota mœrore abſorbeatur. Interim non extra culpam ſunt, qui ſomno indulgent, quando pericula grauiora ad vigiliam nos excitare debebant. Ideo Chriſtus diſcipulos non excuſat, ſed potius repræhendit, dicens: Quid dormitis? Quaſi dicat: Itane ex meis admonitionibus conceptus dolor vos obruit, vt ſomno locum detis, quando tot vndique pericula vos circunſtant? Iamne dormiendi tempus eſt, cùm me tantis curis & angoribus propter vos diſcruciari audiatis? Et hunc ſenſum ea nobis monſtrant, quæ illum Petro dixiſſe Matthæus, & Marcus prodiderunt: Simon dormis? Adeò non potuiſtis vna hora vigilare mecum?

Diſcipuli dormiunt.

Prouerb. 17.

Exprimitur autem hoc exemplo infelix carnis noſtræ ingenium, quæ tunc ferè dormit, quando Chriſtus Ieſus in membris ſuis quàm maximè periclitatur. Nam vt de impijs nunc nihil dicamus, qui tunc gaudent quoque & in omne genus laſciuiæ effunduntur, pijs quoque id accidit, vt vel non obſeruent ipſorum cauſam agi, & ſuam quoq; ſalutem periclitari, dum alij propter Veritatis confeſſionem affliguntur: vel improuiſo ſtupore perculſi quid agant ignorent, & tandem ſe nimium ſocordes atque ignauos præbeant. Eſtq; hoc malum illud, quod nouiſſimis temporibus vulgo regnaturum eſſe, alibi Chriſtus præmonuit, & quod hodie nimis vulgare eſſe videmus. Cauere autem debent pij, ne ſibijpſis blandiantur, quin potius carnem ſuam ſuſpectam habeant, & aduerſus eius vitioſitatem vigilent, ne paulatim in grauiores tentationes demergantur. Diſcant item nulli mortalium fidere, ſed in vno Chriſto pro nobis excubante ſpem ſalutis omnem collocatam habere. Polliciti erant diſcipuli magnificè Domino, quòd in mortem quoque cum ipſo abire parati eſſent. Quid verò præſtant? Ne vigilare quidem poſſunt cum eo, quem tam grauiter videbant affligi. Quid ergo de alijs ſperes, qui iſtis neque animi promptitudine neque gloriæ Dei ſtudio conferri poſſunt? Et vt maximè velint homines omnia præſtare quæ debent, non poſſunt tamen ſemper quod volunt. Rectè ergo Ieremias maledictum fore pronunciat, qui homini fidit, & facit carnem brachium ſuum. Benedictus autem qui Deo fidit, & beata illa gens, cuius Deus eſt DOMINVS, Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Chriſto periclitante caro dormit.

HOMILIA CC.

Adhuc autem eo loquente, ecce turba & is qui dicebatur Iudas, vnus è duodecim, præibat eis, & appropinquauit Ieſu, vt oſcularetur eum. Ieſus autem dixit ei; Iuda, oſculo Filium hominis prodis? Viden-

tes autem ij qui circa ipſum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemus ne gladio? Et quidam ex ipſis percuſſit ſeruum Pontificis Maximi, & abſtulit auriculam eius dextram. Reſpondens autem Ieſus dixit: Sinite hucuſque. Et tacta illius auricula, ſanauit eum. Dixit autem Ieſus eis qui ad ipſum venerant, nempe Principi Sacerdotum, & præfectis templo, & Senioribus: vt aduerſus latronem exiuiſtis cum gladijs & fuſtibus? Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: Sed hæc eſt hora illa veſtra, & poteſtas tenebrarum.

Marcus hom. 121. & 122.

QVemadmodum Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis ſuis ſæpe de morte ſua & ijs, quæ ipſi euentura erant, concionatus eſt: ita cùm iam mortis hora inſtaret, argumentis pluribus teſtatur, ſe non hoſtium vi & potentia inuitũ abripi, ſed volentem mori, vt æterno Patris decreto obſequatur. Nam etiãſi diris animi doloribus excrucietur, ſanguineo ſudore totus diffluat, adhæc oret vt Pater hoc tam amarum poculum ab ipſo transferre dignetur, ſeipſum tamen eius voluntati totum ſubijcit, & ſuo exemplo docet, quid nos facere deceat, ſi diſcrimen aliquod grauius eſt ſubeundum. Facit ad pleniorem huius doctrinæ declarationem hic locus, quem modò recitauimus, quo narratur, vt ab hoſtibus ſuis ad montem Oliuarum captus & vinctus ſit. Vbi ante omnia finem & vſum vinculorũ ſpectare oportet, quæ ille ſuſtinuit. Eſt is, quòd nos à vinculis peccati & mortis per eius meritum liberari oportuit, vt his ſoluti in libertate ſpiritus ipſi ſeruiamus, patienter autem feramus eius vincula atq; diſciplinam, qua interdum carnem laſciuientem conſtringit. Sunt autem loci totius partes tres, de quibus ex ordine dicemus: Prima hoſtes illius deſcribuntur, qui nimirum hi fuerint, & quibus armis atque artibus vſi ſint in illo capiendo: Altera, quid eius diſcipuli tunc fecerint, docet. Poſtrema, quid cum hoſtibus ſuis ille egerit.

Dormientibus ſuperuenit Iudas.

Quoad hoſtes eius, ſtatim hi ſuperuenerunt, quando ipſe diſcipulos nequicquam ad vigilandum & precandum hortatus eſt: id quod demonſtrandi particula indicat, qua hîc Lucas vtitur, dicens: Adbuc autem eo loquente, ECCE turba & is qui dicebatur Iudas, &c. Nec temere hoc annotatur. Docet enim exemplum hoc, fidas Dei admonitiones nunquam impunè contemni aut negligi, ſed verberibus ferè excitari eos, qui verba & rationes nolunt audire. Exempla eius rei alibi adduximus, & multa hodie fiunt, quæ id abunde probant: ſed ea eſt noſtrorum temporum ſocordia, vt plerique ne iſti quidem ſapiant, quò minus apertis iudiciorum Dei exemplis obloquantur. Sunt autem in ijs, quæ hoc loco de Chriſti hoſtibus dicuntur, tria præcipuè conſideranda.

Hoſtes Chriſti qui fuerint?

Primum, quinam illi fuerint. In præſenti Iudas nominatur, qui vt totius negotij dux alijs præiuit. Et de hoc hîc quoq; repetitur, quòd vnus fuerit ex duodecim diſcipulorum numero. Huic adfuit turba ex multis alijs collecta, quæ partim in ijs quæ poſtea ſequuntur, partim ab alijs Euangeliſtis diſertè deſcribitur. Præcipui in ea fuerunt Principes Sacerdotũ cum Senioribus, penes quos duos ordines tam eccleſiaſticarum quàm politicarum rerum erat poteſtas. Adduxerunt hi ſecũ ſuos ſeruos, quos multos & ſui ſimiles alebant, vt ex ijs poteſt colligi, quæ cum Chriſto poſtea petulantiſſimè egerunt. Fit præterea mentio cohortis militũ, quam à Pilato præſide haud dubiè impetrarunt. Coniuncti fuerunt iſtis omnibus præfecti templo, quem peculiarem magiſtratum fuiſſe, alibi docuimus. Quia enim templum propter loci ſitum & magnificam ſtructuram inter munitiones cenſeri poterat, voluerunt ei aliquos præficere Romani, qui cauerent, ne qua ſeditio à Iudæis ſub religionis prætextu moueretur. Et quàm hoc neceſſe fuerit, turbæ illæ docent, quas in Templo frequenter excitatas fuiſſe Ioſephus ſcribit. Præterea, cùm Iudaica religio gentibus omnibus inuiſa eſſet, à multis etiam ſcurriliter rideretur, ipſis Sacerdotibus præſidio opus erat, ne qui petulantiores ſacra turbarent, & ita populo tumultuandi præberent occaſionem. Eò res ſuas adduxerant ſuis factionibus & bellis ciuilibus, vt non vrbes modò verumetiam templum præſidijs militum teneretur, & non niſi inter prophanarum gentiũ arma ſacrificare & cultum ſuum exercere poſſent, qui Dei Filium agnoſcere nolebant, qui in omnibus iſtis ceremonijs adumbrabatur. Fuit autem iſta mirabilis

hominum ex diuerſiſſimis vitæ generibus ſocietas. Nec enim eadem omnibus patria fuit aut gentis origo: non eadem doctrinæ & religionis profeſſio: nõ idem ſtudium, neq; eadem viuendi ratio. Poſſunt tamen animos & ſtudia ſua coniungere aduerſus Chriſtum, quia omnes impij ſunt, & omnes Veritatis lucem ex æquo oderunt. Et hic obſeruaſſe prodeſt, qui nam omnibus ſæculis Euangelicæ doctrinæ hoſtes futuri ſint. Sunt inter hos facilè principes ipſi ſacrorũ antiſtites, qui religionem ſibijpſis quæſtum fecerunt: quod Iudaicos iſtos feciſſe, non vno loco vidimus. Et extant omnium ſæculorum exempla, quibus id poſſet demõſtrari, niſi ſimilia quotidie fierent. Non deſunt his ſeruilis ingenij homines, quos facilè ſibi obſtringunt, cum opibus abundent, & propter gradus aut dignitatis ſuæ exiſtimationem multas habeãt illis proſpiciendi occaſiones. Habent præterea artes varias, quibus ſummos quoque magiſtratus in ſocietatem conſiliorum ſuorum poſſunt adducere. Et quod pijs maximè dolet, coniungunt ſe illis frequenter qui Chriſtum aliquandiu profeſſi ſunt, ab eo autem diſcedunt, vel auaritia & ambitione excæcati, vel diſciplinæ impatientia irritati. Et eſt quidem inter omnes iſtos maxima morum atq; ſtudiorũ in alijs rebus diſſimilitudo: imò cùm omnes non niſi ſua quærant, quotidianæ inter illos lites de honoribus, dignitatibus, iniurijs vel datis vel acceptis oriuntur. Quia autem pari odio omnes in Chriſtum ardent, poſſunt ad tempus ſua illa diſſidia diſſimulare, vt ad illum & Verbum eius opprimendum ſtudia ſua conferant. Sunt igitur nimiùm imprudentes, qui ſibi pacem altam & perpetuum otium pollicentur, ſi quando Reges & principes diſſidere & bella contra ſe inuicem moliri audiunt. Facilè enim illis conuenit, ſi quam ex nobis opprimendæ Veritatis occaſionem ſibi dari videant. Eſt autem deploratu digniſſima eorum infelicitas, qui cùm Chriſti nomen & doctrinam profiteantur, & in præcipuis fidei articulis probè conſentiant, lites tamen & rixas nunquam finiendas excitant de rebus minoris momenti, & propter illas cum publico ſcandalo & miſerabili Eccleſiarum diſſipatione inter ſe digladiantur. Potuerunt olim Phariſæi cum Sadducæis, & vtrique cum Herodianis & Romanis militibus conuenire contra Chriſtum. At hodie multos ita exagitat Erinnys, vt propter factioſa illa Lutheranorum, Zuinglianorum aut Caluinianorum nomina ſe mutuò lanient, & communibus fidei noſtræ hoſtibus lætum præbeant ſpectaculum. Vtinam verò omnes iſti perpetuò memores eſſent Paulinæ illius admonitionis: Quòd ſi alius alium viciſſim mordetis & deuoratis, videte ne viciſſim alius ab alio conſummamini. Galat. 5.

Sed redeamus ad Chriſti hoſtes, in quibus alterũ occurrit, non minus diligenter conſiderandum, Induſtria hoſtiũ
Induſtria nimirum & ſtudium, quo cauſam iſtam egerunt. Non potuit ille à ſuis impetrare, vt vel Chriſti.
vna hora ſecum vigilent & precibus incumbant, quod vt factu facile, ita tutiſſimum quoque & multas ob cauſas neceſſarium erat, quæ illos minimè latebant. At iſti non vigilant modò, ſed mirificè ſtudent, ne quid negligant eorum, quæ ad ipſorum conatum faciebant. Obſeruant enim quàm diligentiſſimè temporis occaſionem & loci commoditatẽ, ſeq; mutuò audiunt, adeò vt ne Iudam quidem, hominem obſcurum & nullius pretij, dedignentur pro ſuo duce agnoſcere, qui alijs omnibus dignitate præſtabant. Solet hoc ipſum hodie fieri publicè & priuatim. Quia enim pij pro ſui ingenij bonitate nemini nocere, ſed potius omnibus prodeſſe cupiunt, alios quoque ex ſuo ingenio & moribus æſtimantes, ſecuri viuunt, & ſibi omnia pacifica atque tuta pollicentur. At plurimùm ſpe ſua falluntur: quia longè aliud eſt impiorum ingenium, & alij hoſtium Veritatis mores. Quia enim & Veritatis lucem & huius ſectatores oderunt, quieſcere non poſſunt, ſed patrem ſuum, diabolum, imitantur. Vt enim hic iam inde ab initio homicida fuit, & ſubinde vt leo rugiens oberrat, & quærit quem deuoret: ita ipſi quoq; intra animos ſuos ſemper æſtuant, conſilia ſemper ineunt & omnes occaſiones obſeruant, vt pijs malum dent, & apud alios accenſam Veritatis facem extinguant. Exempla huius generis paſſim in hiſtorijs tam ſacris quàm prophanis occurrunt. Poterat Cainum Abelus ferre, & procul dubio ſibi de illo optima quæque pollicetur: ipſum autem ille ſibi intolerabilem putat, neque quieſcit, donec illum trucidet. Et Ioſephum in fratres nihil hoſtiliter vel cogitauiſſe ſcimus: ipſi verò rabie in illum accenſi nihil tale opinantem capiunt & exteris vendunt. Debent nos iſta admonere, vt cautè agamus cum filijs huius ſæculi, & ſerpentina illa vtamur ſapientia, quam nobis Chriſtus commendat. At non minus in ſingulis priuatim hæc ignauia ſeſe prodit. Carnis enim hoc ingeniũ eſt, vt nihil non facere ac pati poſſit, dummodo affectibus ſuis prauis indulgeat. Eſt hoc videre in auaris, ebrioſis, ſcortatoribus, militibus mercenarijs, atq; ſimilibus: ita qui

ſuperſtitionibus dediti ſunt, ij ieiunijs, cilicijs, vigilijs, circuncurſicando & nihil non faciendo ſeſe fatigant, neq; impenſas vllas facere detrectant, modò animos inani & imaginaria cultus diuini & ſalutis ſuæ perſuaſione paſcant. Quàm primùm verò Euangelij cognitione illuminati aliquid facere iubemur pro aſſerenda Dei gloria & vera ſalutis ratione, ferè pigerrimi ſumus, & vndiq; argumenta corradimus, quibus noſtram ignauiam excuſemus. Demonſtratione hic nulla opus eſt, cùm ſinguli hoc in ſemetipſis deprehendant, imò deplorent etiam. In eum finem autem hanc noſtri ingenij vitioſitatem expendere debemus, vt intelligamus vix vllam diſciplinam carni ſufficere, noſq; perpetuis ſtimulis opus habere, quibus hæc plus quàm aſinina tarditas nobis excutiatur, quiq; nos ad veræ pietatis ſtudium alacriores reddant.

Arma & artes hoſtiũ Chriſti. *Tertium eſt in Chriſti hoſtibus, vt quibus armis & artibus in illo oppugnando vſi ſint videamus. Antea quidem inſidioſas quæſtiones ſæpius illi propoſuerunt, & diſputationes mouerunt de Lege, de repudio, de cenſu Cæſari ſoluendo, de reſurrectione & alijs quibuſdam, quibus illum apud vulgus & præſides vel in odium vel contemptum adducere cōati ſunt. Quia verò ea ratione nihil profecerunt, quàm quòd ipſorũ ignorantia & malitia indies magis magiſq; prodebatur, alia via nũc rem aggrediuntur, & armis agendum eſſe putant. Ne verò ipſi ſeditionum authores eſſe dicantur, aſtutè non modò Senatus Hieroſolymitani authoritate ſuum conatum palliant verumetiã Præſidem, qui ſummus tunc in ea gente magiſtratus erat, in ſuas partes trahunt, et ab eo milites ſibi dari petũt, quaſi ipſis cum homine ſeditioſo & publico pacis hoſte res ſit. Interim proditorijs artibus agunt omnia, quibus & præſidem decipiunt, & populo ignorante iſta faciunt quæ ad hũc maximè pertinebant, Iuda deniq; miniſtro & duce vtuntur, qui & ipſe oſculo, quod amicitiæ ſymbolum eſt antiquiſſimũ, illum prodit. Oportuit autem iſta ſic fieri, & proditione capi atq; occidi Chriſtum, vt ſuo merito noſtram culpam expiaret, qui omnes plus quam proditorio animo apertam feceramus à Regno Dei ſeceſſionem. Sunt verò hæc vſitatiſſima arma, quibus hodie etiam Veritatis doctrina oppugnatur. Poſtquam enim aduerſarij noſtri multis exemplis edocti, ſciunt, nihil aduerſus hanc profici diſputationibus, quæ ex Dei Verbo inſtituuntur, vnicum præſidium ſibi in armis repoſitum eſſe vident. At quia illud non minus periculoſum quàm vulgo exoſum eſt, & principes pleriq; controuerſias de religione, ſi nudè & ſimpliciter proponantur, facilè negligunt, his ante omnia perſuadere ſtudent, de publica pace agi, & ipſorũ authoritatem in periculum venire, ideoq; ad reſtinguendum hoc incendium communibus omnium ordinũ ſtudijs atque viribus opus eſſe. Et vt hoc quoque facilius perſuadeãt, multis teſtantur, quàm ipſis moleſta & grauis ſit infelix illa diſcordia, qua Eccleſiæ ſimul omnes vnà cùm toto orbe Chriſtiano turbentur, & ad hanc tollendã Concilio generali opus eſſe aiunt, & vt indicatur, curant, ijs tamen conditionibus, quas nemo pius admittere poteſt. Concilij executorẽ ſummum faciunt aut Imperatorem, aut quemcunque principem ex ſuis coniuratis potentiſſimũ eſſe norunt, ſimul tamen omnes alios quoque, qui Concilio ſubſcripſerunt, ad eius executionem obſtringunt. Et ne eo quidẽ contenti, ſimul controuerſias ciuiles paſſim excitãt, quæ maxima ex parte à religione dependent, & ad veri cultus oppreſſionem faciunt, ſi cauſam ſuam obtineant. In his autem omnibus non alij magis nocent quàm Iudæ proditores, qui amicitiã ſimulando appropinquãt vt Chriſtum deoſculentur, id eſt, ſequeſtros ſeſe præbent, & mirifico aſtu ſeſe inſinuant, interim verò hoc vnũ agunt, vt cauſa ſua cadant pij, & Eccleſiæ hinc inde opprimãtur. Quod ſi quis exempla quærat, quibus hæc demonſtrentur, veteribus minimè opus eſt, quãdo iſta paſſim hodie fiunt, & tam ciuilibus quàm exteris armis regna Chriſtiani orbis quondam florentiſſima horribiliter diſtrahuntur: qui Concilij iſtius Tridentini fructus eſt, quod ante annos amplius viginti ſub Paulo III. Pontifice inchoatũ, tandem ſub Pio IIII. finitum, hanc toti orbi terrarum Tragœdiam exhibet. Gemunt nunc paſſim ſub hoc onere pij, ſed erit citius quàm multi ſperent rerum viciſſitudo, quando hi quidem Chriſti denuo ſurgentis lætiſſimo ſpectaculo exhilarabuntur, illi verò ſuæ audaciæ diras pœnas exoluent.*

Diſcipuli pugnam meditantur. *Accedamus nunc ad alteram huius loci partem, qua quid diſcipuli fecerint, Lucas exponit. Vident illi quid futurum ſit, & quid moliantur, qui tempore tam importuno cum laternis armati illuc veniebant. Ideo exclamant: Domine, percutiemus ne gladio? Rurſus ergo animo conceperunt ſpiritus illos, quos in Cœna paulò ante iactauerant, & ad pugnam ſeſe offerunt: nimirum quòd non intellexiſſent quod ille tũc de gladijs emendis dixerat. Et admonemur hoc loco obiter, quàm periculoſum ſit Dei,*

ſit, Dei verba non penitius inſpicere, ſed eo ſenſu interpretari, quem ipſi ex nobis cõcepimus. Hæc certè cauſa fuit, quòd diſcipuli temere ad arma ruere volunt, & quòd Petrus nõ expectato etiã reſponſo Chriſti gladiũ ſtringit, & pugnæ initiũ faciendo ſeipſum et ſocios omnes in extremũ diſcrimẽ adducit. Prodeſt autẽ in huius exempli cõſideratione crebrò verſari, vt diſcamus, quàm parum proficiãt, qui in rebus agendis ſuũ potius zelum, quàm Dei voluntatẽ ſequũtur, quã is nobis per Verbũ ſuum reuelat. Quid enim magis pium videtur, quàm cum proprij capitis periculo Chriſtũ et eius gloriã tueri? Aut quæ arma iuſtiora & ſanctiora ſunt, quàm quæ pro eius defenſione ſumuntur, qui ſeipſum pro nobis tradidit? At in præſenti hoc infeliciſsimè cedit Petro, qui hoc fecit zelo Chriſti feruentiſsimo. Quia enim huic nõ coniunxit verã de Regno Chriſti & eius propagatione ſcientiã, facit quod ab eius voluntate alieniſsimũ erat, & inobedientia peccat, dum ſe totum illi vult impendere. Deinde magni conatus euentũ vides planè ridiculũ, dum auriculã ſolam amputat ſeruulo Pontificis: & qui triumphos ſpirabat, à Chriſto acriter reprehenditur. Deniq; qui tunc totus feruet, & plus quàm gladiatorio animo ſeſe ad mortẽ & extrema quæuis pericula offert, nõ multò poſt cum alijs fugit relicto Chriſto, cum quo ſe in carcerẽ & mortẽ abire velle promiſerat: nec fugiſſe contentus, eundẽ inſuper abnegat, vt in ſequenti Sermone audiemus. Solet hoc multis accidere hodie, qui pro Chriſto & religione bella nõ neceſſaria ſuſcipiunt, & magno animo res imprimis arduas conantur: Quia enim nulla Dei vocatione nituntur, nõ modò nihil proficiunt, ſed plerunq; ſibijpſis ignominiã conflant, quando animi conſtantia temerarijs inceptis minus reſpondet, ſimulq; multos alios in periculũ adducunt, qui ſe conſiliorũ eiuſmodi ſocios præbuerunt. Itaq; tanti Apoſtoli exemplo cautiores facti, zelum noſtrum ſuſpectum habeamus, & quæ is nobis ſuggerit conſilia diligentius examinemus ad noſtræ vocationis & diuinæ voluntatis regulam. Nec enim vnquam aut Deo probabitur zelus, aut exitum habebit felicem, qui nos extra noſtræ vocationis metas abripit. Quæ de Pontificis famulo & Chriſti verbis dicenda eſſent, quibus Petrum reprehendit, & reliquos diſcipulos ſimul omnes continuit, ne eius audaciam ſequerentur, ex Marco noſtro petant, qui plura videre cupiunt.

Zelus Petri inconſultus.

Nunc tertiam huius loci partem videamus quæ ea deſcribi diximus, quæ inter hæc omnia Chriſtus fecit. Eſt in his cõmemorandis Lucas breuior, quia ab alijs plenius iam expoſita eſſe ſciebat. Primum eſt, quòd qui prius toto animo conſternatus præ angore ſudabat, nunc nouis viribus confirmatus hoſtibus ſponte obuiam proceſsit, & prior illos allocutus, quem quærant, quæſiuit. Et ijſdem ita ſeſe cognoſcendum præbuit, vt ſimul diuinæ ſuæ virtutis ſpecimen æderet, illos proſternendo. Quod vt nouum eſt mortis voluntariæ argumentum, qua noſtram inobedientiam expiauit; ita bonitatis & gratiæ ſingularis opus eſt, qua eos in ſui cognitionem inducere & ab interitu reuocare voluit, qui nefario & impio auſu aduerſus ipſum conſpirauerant. At quia ijdem hanc eius bonitatem non agnouerunt, inexcuſabiles facti ſunt.

Chriſtus hoſtibus obuiã iuit.

Inde ad Iudã conuerſus, in oſculum eius animo non minus ad omnẽ impietatẽ deuoto quàm proditorio ruentem cõpellauit, dicens: Iuda, oſculo Filiũ hominis prodis? Breuis vox, ſed quæ adamantem frangere poſſet, niſi ille cor habuiſſet adamante durius. Nam nomine proprio illum appellat, ne de quouis alio agi putaret. Et apud Matthæũ amici vocabulũ addit, vt ſimul priſtinã conſuetudinẽ & beneficia accepta ei in mentẽ reuocet, adeoq; vt dignitatis eũ admoneat, quæ ipſum ornarat, quando cum alijs diſcipulis emiſſus Euangeliũ prædicauit, et eius nomine miracula fecit. Addit præterea: Ad quid ades? Quaſi diceret: Cogita quæſo mi Iuda, qui fueris aliquando, & qui nunc ſis, in quem finẽ deniq; huc veneris, quamq; parum quod nunc facis tuæ profeſsioni reſpondeat? Et quæ hæc eſt tua infelicitas, quæ perfidia, quòd oſculo prodis Filiũ hominis? Vbi rurſum Filij hominis nomine omnia cõplectitur, quæ ille ipſum hoc nomine vtentem de ſeipſo dicere audiuerat, & facere viderat: vt ſenſus ſit: Eum ne tu prodere audes, quẽ toties audiuiſti ideò in hunc mundum veniſſe, & Filium hominis factum eſſe, vt humani generis redemptor fieret? Eum ne (inquã) prodis, de quo tam tuo quàm ſuo & aliorũ omniũ nomine Petrus confeſsionẽ adidit: Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis? Et oſculo quidẽ prodis, quo nihil turpius & indignius fieri poterat? &c. Hæc & alia huius generis paucis hiſce verbis infelici proditori Dominus in animũ reducit, quibus adhuc ſuã erga illũ beneuolentiã declarat. Quæ conſolationẽ quidẽ afferre poſſunt ijs, qui gratiã Dei rectè æſtimant: ſimul tamen cauendũ eſt diligenter, ne nos pari benignitate cõpellantem aſpernemur. Nunc quidẽ verba hæc Iudas leuiter

Iudam admonet.

In Pontificum aulis fides periclitatur.

Orditur autẽ huius hiſtoriæ narrationem Euangeliſta à loci circũſtantia his verbis: Comprehẽſum Ieſum duxerunt, & introduxerunt in domũ Pontificis Maximi: Petrus verò ſequebatur procul. Ioannes diligentius exponit, quomodo & cuius opera in hanc domũ peruenerit. Et mirum videri poterat, Chriſtũ in Pontificis domũ captiuũ abripi, & eius abnegandi occaſionẽ illic inueniri potuiſſe, vbi vera fidei confeßione oĩa reſonare debebant. Sed quales tunc temporis Sacerdotes Iudæorũ fuerint, nõ vno loco demonſtrauimus: & voluit iſto exẽplo nos Spiritus ſanctus admonere, vbi maxima fidei & ſaluti noſtræ pericula ſtruantur. Inter eos nimirũ, qui ve religionẽ ſibi quæſtũ faciant, à ſimplici Veritatis doctrina diſcedũt, & eam humanis traditionibus corrumpunt. Neminẽ ergo vel locorum vetus authoritas, vel magnificus antiſtitum ſplendor & tituli ambitioſi decipiant, quo minus tunc quoq; ſalutẽ ſuam (vt Paulus monuit) cum timore & tremore cuſtodiant atque perficiant pij, vbi nihil periculi eſſe videtur. Vt autem ex Petri hiſtoria plus ad nos fructus redundet, tria eius capita præcipua excutienda erunt. Inter quæ primum eſt ipſum peccatum, quod commiſit. Alterum huius occaſio & cauſa. Poſtremum illius conuerſio ſiue pœnitentia.

Peccatum Petri.

Quoad peccatũ, ſcio aliquot præpoſtero Petri ſtudio illud extenuare, vel potius id facere, vt ſuã leuitatẽ excuſent, qua ipſi quotidie Chriſtũ abnegãt. Sed neq; noſtra defenſione opus habet ille, qui iampridẽ cum Deo in gratiã rediјt, neq; nos quicquã proficiemus aduerſus Spiritus ſancti ipſum accuſantis teſtimonia. Extat enim Chriſti generalis de hoc peccato ſententia, quã aduerſus oẽs pronunciat, qui ipſum aut Euangeliũ ſuum corã hominibus negauerint. Idem Petrũ de illo præmonuerat, & omne hoc Satanæ opus fore dixerat, qui ipſos ſimul omnes ventilare ac dißipare expetiuerit. Sed & conuerſionis Petri illic mentionẽ fecit, quæ ſola vox illũ à Chriſto receßiſſe docet. Quid, quòd ille ipſe peccati ſui magnitudinem agnouit, & huius cõſcientia perculſus amarè fleuit? Ita certè ſuis lachrymis (quod & D. Auguſt. annotauit) ſuos defenſores arguit. Quare nos omiſſa hac inutili examinatione peccati iſtius, potius uideamus quid ille fecerit, ut facilius nobis poßimus cauere, ne quid ſimile etiã nobis accidat. Primò cùm ancilla quædã eũ vidiſſet, & intentis oculis in eũ dixiſſet: Et iſte cũ eo erat: ita nimirũ illũ quoq; Chriſti diſcipulũ eſſe innuens: reſpondit ille: Mulier, nõ noui eum. Ioãnes ancillã oſtiariã fuiſſe ſcribit. Matthæus verò Petrũ palàm corã oĩbus dixiſſe tradit: Mulier, neſcio quid dicas. Fuit hæc ignaua & turpis dißimulatio, quæ fingit ſe non intelligere, de quo nam verba fiant. Pudet ergo illũ iam Chriſti, quem nõ puduerat ipſius, cùm piſcator eſſet vilis et obſcurus. Interim verò nõ pudet eum mendacij, quo ſe illũ nouiſſe negat, de quo cõmuni omniũ diſcipulorũ nomine dixerat, Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis. Itẽ: Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus et cognouimus, quòd tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis. Eſt ergo hæc inexcuſabilis timiditas, quæ id palàm negat, quod prius in publico fuerat cõfeſſus. Nec dubitauerim hoc nõ alio conſilio ab ipſo factũ fuiſſe, quàm vt iſta dißimulatione ſibi caueret, ne quod grauius incurreret periculũ, & contra Chriſtũ aliquid facere cogeretur, maiori reprehenſione dignũ. Sed multùm animo ſuo falſus eſt. Nã foras egreſſum (vt Marcus annotauit) eadẽ ancilla rurſus cõſpicata, denuo eum aſtantibus prodit, & cauſa eſt, vt ab ijs quoq; cõpellaretur, et quidã ipſum ex ſectatoribus captiui iſtius Ieſu eſſe diceret. Iam ergo ſecundò negat, idq; cum iureiurando: ſicuti apud Matthæũ eſt videre. Itaq; cum abnegatione alterum quoq; peccatum concurrit, quòd temerariũ iuſiurandum adhibet, contra Chriſti præceptum, qui ne iuremus mandat. Nec multò poſt alius quidam ei fortius inſtat, qui argumentis quoq; eum conuincere ſtudet, quòd & in horto eum cum Chriſto viderit, & ſermonis dialectus ipſum Galilæum eſſe demonſtret. Ibi ne iuramento quidem contentus, execrationibus quoq; & diris vtitur, vt iſta ſuſpicione ſeſe liberet. Sunt hæc dura & horrenda admodum, ſi cum eo Petri zelo atq; feruore conferantur, quo illum prius flagrauiſſe vidimus. Et ſufficit exemplum hoc ad arguendam noſtræ carnis infirmitatem, & quàm non temere à Paulo dictum ſit: Qui ſtat, videat ne cadat.

Dißimulando quoq; Chriſtus negatur.

Imprimis autẽ obſeruari hic debet, quod Chriſtus prædixerat: Priuſquam gallus cecinerit, tu me ter abnegabis. Ex eo enim colligitur, illius abnegationẽ tũc quoq; fieri, quãdo fidẽ in illũ obiter modò dißimulamus. Scio equidẽ multis hoc durius videri, quãdo hæc hodie prima ſapientia eſſe videtur, ſi quis omnes de religione et fide quæſtiones declinare, aut his motis aliarũ rerum mentionẽ inijcere poſſit. Et hi ſunt, quos pleriq; à ſapientia & modeſtia commendant. Sed vt ij, qui in primo ſcalæ gradu labuntur, ferè per alios quoque ruunt: ita qui ſemel in fidei ac religionis cauſa claudicare aut labi incipiunt

cipiunt

tipiunt, & à libera illam cõfitendi ingenuitate diſcedunt, ij quoq; in peius ſubinde proficiunt, vt mox diſertis verbis Chriſtum abnegent, adhæc alienis ſacris cõmunicando tantumnon iuſiurandum dent ijs, qui ad ſuperſtitiones illos ſolicitant: quò fit, vt tandem diris imprecationibus ſeipſos deuoueant, & toti à Chriſto diuellantur, in quo vno benedictio & ſalus habetur. Sequitur tandem, quòd ijdem in ſenſum reprobum traditi vitam viuunt ab omni profeßione Chriſtiana alienã, qua omne id quod ex hac reliquum eſſe videbatur, totum queq; abijciunt atq; conculcant. Diſcant ergo hoc Petri exemplo admoniti primum abnegationis Chriſti gradum cauere, qui vlterius progredi nolunt.

Quod vt facilius fiat, proderit videre, qua occaſione & quibus cauſis Petrus vt Chriſtũ abnegaret, adductus fuerit, quod alterũ huius hiſtoriæ caput eſt. Scribit Lucas, eum procul aut à longinquo ſecutũ fuiſſe, cùm Chriſtus duceretur. Ergo ex fuga redijt, in quam diſcipuli omnes diſperſi fuerant, vt apud Matthaũ legitur, & quod fore omnino ille prædixerat. Neq; ei ſatis fuit aliquò vſq; illum ſequi, in domũ quoq; Pontificis cupit ingredi, nec deſiſtit ab inſtituto donec intromittatur. Eſt hoc magni amoris argumentũ, quo eũ præ alijs flagrauiſſe ſcimus, et quẽ periculi vix dum præteriti recordatio extinguere nõ potuit. Cõfidentiæ autẽ eſt, quòd admonitionũ Chriſti immemor in eã domũ ingreditur, in qua veræ fidei & eius cõfeßioni locum nullũ eſſe nõ poterat ignorare. Neq; excuſat eũ alterius diſcipuli exemplũ, qui & ipſe eò ingreſſus eſt. Nã vt huic propter notitiã & familiaritatẽ minus periculi erat: ita Petrũ cautiorẽ eſſe oportuit, cùm quod ipſi hac nocte adhuc euenturũ eſſet, Chriſtus apertè prædixiſſet. Et quàmuis alter ille ingreſſus ſit, credibile eſt, eũ prudentius rem geßiſſe, vt ex occulto oĩa ſpectaret, non autẽ ſe prophano illi & impio furũ ſiue ſeruorũ ſacerdotaliũ manipulo immiſceret. Certè nihil huius de illo Euangeliſta tradunt. At Petrus quàm primùm intromiſſus eſt, ſe improbis illis cõiungit, & propter frigus quod paulò acrius erat, ad eundẽ ignem cum illis cõſidet. Deinde oblitus ingenuitatis fidei & præceptorũ Chriſti, quibus liberã ſui confeßionẽ requirit, quam nullus ſiue metus ſiue pudor impediat, ad artes ipſe conuertitur. Et primò quidẽ (vt audiuimus) ignorantiã prætexit, vt ij qui quod illis minus gratũ eſt audiunt. Adhac cùm ſe iam labaſcere ſentiret, ne quidem ſubitò pedem retrahit, ſed ſenſim ſeſe in veſtibulum ſubducit, vt vel illic lateat, vel rurſus inde per occaſionem ſeſe proripiat foras. Tria ergo Petro tam pudendi lapſus cauſa fuerunt. Confidentia nimirũ ex incõſiderato Chriſti zelo enata, Conſortiũ cũ hoſtibus Chriſti, & Prudẽtia carnis. Occaſio, quæ Petrum fecit abnegatorem.

Et hac ſunt, quæ hodie etiã multos eò adducũt, vt Chriſti aut fidei veræ abnegatores fiant. Sunt enim nõnulli, qui Euãgelij doctrinã nõ ſolùm audiunt, verumetiã amant, & ſe pro eius defenſione nihil non facturos eſſe ſibi pſuadent. At quia minus attendunt, quãta ſit noſtra infirmitas, & quàm lubrica atq; periculoſa in vaſis hiſce teſtaceis (vt Pauli verbis vtar) fidei atq; ſalutis poßeßio, frequenter ſeſe periculis nõ neceſſarijs obijciunt. Cùm enim domi poſſent quietè viuere, & ſua ſorte contenti Chriſto in libertate ſpiritus atq; corporis ſeruire, in ea loca ſe cõferunt, vbi neq; prædicatio verbi, nec exercitia veræ religionis admittũtur, et illic ſe nõ modò fidei integritatẽ ſeruaturos, ſed ſimul multos alios ad huius cognitionẽ adducturos eſſe, deniq; toti Eccleſiæ ſe vtiles fore ſibi perſuadẽt. Et hoc ferè ab illis fit, qui vel principũ Papiſticorũ, ſiue Epiſcoporũ atq; Abbatum ſeruitijs ſeſe mancipant. Metuunt tales, ne culina ipſis frigeat, & horũ famulitio ſeſe cõiungunt, vt ad eundẽ cũ illis focũ caleſcãt, opes augeant, dignitatibus accumulentur, & ita generis ſui ſplendorẽ atq; nobilitatẽ facilius tueri et ad poſteros quoq; propagare poßint. Nihil autẽ minus in animo habent quã defectionẽ à fide & Chriſti ſiue Veritatis abnegationẽ. Quid verò illis accidit? Idẽ planè quod Petro. Vt enim hic ad prunas pontificias ex feruẽtißimo Chriſti diſcipulo & propugnatore languidißimus factus eſt: ita illi indies frigeſcũt, & culinarũ calidũ nidore oppleti feruorẽ paulatim omnẽ deponunt. Quò fit, vt quando ingenua & cõſtanti cõfeßione maximè opus erat, ipſi ad ignauas artes & humana prudẽtiæ cõſilia conuertantur, quæ proxima quæq; pericula declinare & ſubterfugere docet. Itaq; quando impios aduerſus Chriſti meritũ ſermones audiunt, quibus tota ſalutis ratio proſcinditur, & fideles illius miniſtri turpißimè lacerãtur, illi ſurdis auribus illos prætereũt, ſeq; aliquid huius audiuiſſe dißimulãt. Sin verò ſuã ſuper his ſententiã rogentur, plus quàm pueriliter balbutiunt, et omne de ijs iudiciũ declinãt, idq; ad eos pertinere aiunt, quorũ ea ſit profeßio, vt cauſam religionis dijudicare & propugnare debeant. Et quàmuis multis indicijs quotidie deprehendãt quàm parũ tutũ ſit ipſis inter tales viuere, & quàm plena inſidiarũ ſint oĩa: adhuc tamen moras nectunt, & ne quã fortunarũ iacturã faciant, Quid hodie abnegatores faciat

tit, vt ex his intelligant, ſe non aliud paſſurum eſſe, quàm quod ita fieri velit Deus. Ita enim & ſeipſum pro aſſumptæ humanitatis infirmitate conſolari, & ſimul (vt diximus) illos aduerſus ſcandalum præmunire voluit, quod ex morte ſua ignominioſa enaſciturum eſſe non ignorabat. Debemus autem nos exemplum eius imitari, vt quoties vel priuatim ipſi affligimur, vel publicos totius mũdi motus & diras piorũ perſecutiones, exilia, tormenta, indignas mortes, ad hæc Eccleſiarũ diſsipationes & excidia videmus: non in hoc tam triſti ſpectaculo attonita mente hæreamus, ſed oculos altius attollendo ea in mentem reuocemus, quæ in Scripturis habentur de nouiſsimi temporis conditione. Mox enim patebit, nihil hodie vel nobis vel alijs pijs accidere, de quo non aperta & perſpicua extent ſacrarum literarum oracula. Atqui Scripturam diuinitus inſpiratam eſſe, & ipſiſsimum Dei Verbum eſſe conſtat. Vnde ſequitur iſta nobis quoque non fortuitò accidere, ſed ita Deo viſum eſſe, vt crucis amaritudo carnem ad huius mundi illecebras laſciuientem coerceat, & vt Filij ſui ſocij facti in afflictionibus, cum eodem aliquando viuamus atque regnemus. Hoc vt omne ſcandalum procul è medio tollit, ita conſolatione dulciſsima animos territos recreat, & cauet ne quid contra Deum dicamus noſtra profeſsione indignum. Mox enim ſibijpſi obijciet homo: Tu quis es, qui Deo litem moueas? Tune tibijpſi melius conſules, quàm is qui te creauit cùm nullus eſſes, & perditũ Filij ſui ſanguine redemit? Tune tuam conditionem vis meliorem eſſe, quàm Domini & redemptoris tui fuerit? Simul ergo hîc de Scripturæ Sanctæ præſtantia, dignitate & vſu nos locus iſte admonet. Quis enim non eos libros admiretur & in pretio habeat, ad quos ipſe Dei Filius iam mortem aditurus recurrere voluit, & ex quibus conſolationem petijt, qua & ſeipſum & diſcipulos ſuos confirmaret? Sufficiat hoc nobis aduerſus canes Porphyrianos & porcos Iulianicos, qui aduerſus ſacras literas latrare & grunnire audent, eò quòd his multa contineantur, quæ ipſorum cupiditatibus repugnant, neq; ipſorum intellectu comprahendi poſſunt. Non vobis, nõ vobis ô canes hi panes dati ſunt: non vobis ô porci Acarnanij hæc fercula parata ſunt: non gemmas curant galli Æſopici. Vos ergo ad Poetarum prophanorum proſtibula, ad philoſophorum ſterquilinia, ad fabulatorum lacunas remittimus. Illic ora veſtra abluite, nares hebetes paſcite, & aures meretricias oblectate. Nobis modò Scripturas relinquite intactas, quæ Verbum illud Dei æternum continent, quod vt auro pretioſius, ita fauis melle ſtillantibus dulcius eſt.

Diſcipuli gladios afferunt ineptè.

Porro diſcipulos Chriſti audire præſtat, qui cùm illum de gladijs emendis verba facere audirent, illico reſpondens: Domine, ecce, duo gladij hîc. Quibus verbis animos quidem ad Chriſti defenſionem promptos & alacres teſtari volunt, ſimul vero ſtupiditatẽ produnt, quam meritò omnes cordati admirentur. Audiunt ita à Deo decretũ eſſe, vt ille morte infami moriatur, & quidem publica authoritate dãnatus. Quæ ergo ſtoliditas eſt Dei ſtatuto gladios opponere velle, quaſi his illius voluntas poſsit impediri? Et ſi omnino voluiſſet Chriſtus armata manu defendi, quid obſecro profuiſſent gladij duo aduerſus hoſtes eius, quos potentia & armis inſtructiſsimos eſſe nõ neſciebãt? Sed ita ſuam ſtultitiã prodere ſolent, quotquot Regnũ Chriſti ex carnis ſenſu metiuntur. Et mirũ eſt, homines, qui natura à periculis abhorrent, in fidei & æternæ ſalutis cauſa plerũq; ſua conſilia, quæ periculorũ plena ſunt, tutiſsimis & ſaluberrimis Chriſti monitis præferre. Quod enim hîc diſcipuli faciũt, hoc ipſum à multis hodie fieri conſueuit. Iubet Dominus, vt in patientia noſtra poſsideamus animas noſtras, & idem per Prophetam clamat: In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. At pleriſque hæc viuendi ratio diſplicet, qui tunc demum ſe Chriſtianos eſſe arbitrantur, ſi populum ad ſeditiones concitent, bella ſuſcipiant non neceſſaria, aut alia huius generis conentur, quæ cum præſenti periculo coniuncta ſunt. Ita verò ſibijpſis malum accerſunt, & ferè Eccleſias totas euertunt, quas alij puræ veritatis doctrina collegerunt, & ſuo ſanguine confirmarunt, &c.

Chriſtus armis non defenditur.

Cæterùm Chriſtus cognita diſcipulorum ignorantia, tractationem hanc vno verbo abrumpit, cum res in præſenti longiorem diſputationem non admitteret. Dicit enim illis: Satis eſt. Quaſi dicat, Video vos adhuc craſsiores eſſe, vt ne nunc quidem id intelligatis, de quo vos toties admonui. Quia ergo apud vos verbis & rationibus nihil proficitur, agite, ſufficiant iam iſta, donec reipſa experiamini quid velim. Ita verò (quod ſupra diximus) tractationem iſtam ſuſpendit in hortum vſque, vbi cùm Petrus non minus infeliciter quàm temere pugnare inſtituiſſet, ſibi dici audit: Conuerte gladiũ tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. An putas quòd non poſsim

nunc

nunc precari Patrem meum, qui præſtet mihi plures quàm duodecim legiones Angelorũ? Quomodo ergo implerentur Scripturæ, quæ ſic oportere fieri dicunt? Ex his Chriſti verbis loci huius præſentis ſenſus elici debet, quibus manifeſtè docet, non ſe hoc velle, vt vel Petrus vel quiſquã alius arma pro ipſo capiat, & rationes adducit: Primam, quòd id per ſe nõ liceat, vt quiſquam abſq; Dei vocatione gladium ſpontè arripiat pro ſui animi libidine. Et ad Legem illam vetuſtiſſimã alludit: Omnis qui ſanguinem effuderit, eius ſanguis fundetur. Alteram, quòd Angelis defenſoribus poſſet vti, ſi vellet. Poſtremã, quòd obediendum ſit voluntati Patris, quam in Scripturis reuelatã habeamus. Vnde colligimus, Regnum Chriſti nequaquam armis hominum opus habere quibus defendatur, nec temere quenquã hoc prætextu debere arma ſumere, niſi vocatione Dei peculiari id facere iubeatur? Scimus quidem Reges Eccleſiæ nutritios & propugnatores eſſe debere, & Deum horum opera ſæpe feliciter illam defendiſſe, vt Dauidis, Ezechiæ, Conſtantini, Theodoſij & ſimilium hiſtoriæ teſtantur. Quid verò hoc facit ad doctores, quorum longe alia eſt conditio? Quid ad homines priuatos, qui quoad res externas magiſtratibus ſuis obedire, fidem verò & cultum Dei libera confeſſione, vitæ innocentia & (ſi ita opus ſit) morte & ſanguine ſuo debent tueri?

Ex his apparet quàm turpiter & quanto cum Chriſti ludibrio huius loci authoritate olim abuſus ſit Bonifacius VIII. *Pontifex, qui Canonẽ de Maioritate & obedientia condidit, qui in iure Pontificio inter Extrauagantes numeratur: ſic nimirum non abſq; numine dictos, tum extra omnes Chriſtianæ doctrinæ limites vagentur, & Scripturas manifeſtè detorqueant. Summa Canonis eſt, Omnes quotquot ſunt per totũ orbem fideles, Romano Pontifici ſubeſſe debere, qui vtriuſq; gladij, ſpiritualis nimirum, & ſecularis, vel Eccleſiaſtici & politici, poteſtatem habeat. Id verò inter alias rationes ex Scripturis impiè detortis deſumptas etiã ex hoc loco demonſtrare conatur, ſic dicens: In hac eiuſq; poteſtate duos eſſe gladios, Spiritualem videlicet & Temporalem, euãgelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis, Ecce gladij duo hîc, in Eccleſia ſcilicet, tùm Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in poteſtate Petri temporalem gladiũ eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Conuerte gladium tuũ in vaginam. Vterq; ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, Spiritualis ſcilicet gladius & Materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus: ille Sacerdotis, is manu regum & militum: ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis, &c. Quod autem verbis hiſce docuit ille, reipſa non minus contumelioſè quàm inſolenter exercuit aduerſus Albertum Romanorum Regem, cum is per legatos ſuæ electionis & Imperij confirmationem ab illo poſtularet. Agebatur tunc annus à natali Chriſti* M C C C. *quãdo ambitioſus ille annum Iubilæum inſtaurauit, reducta ex Iudaiſmo per Chriſtum olim abrogato ſolennitate illa, quod nemo Pontificum ante illum facere auſus fuerat. Itaque vt præſentibus legatis regijs penes ſe vtriuſq; gladij poteſtatẽ eſſe oſtenderet, primo quidem eius ſolennitatis die in pontificalibus prodiens apoſtolicam benedictionem populo impertitus eſt: poſtero autem, habitu Imperiali & infula Cæſarea inſignis, gladium ante ſe nudatũ iuſſit deferri, & vbi conſediſſet, alta voce dixit: Ecce duo gladij hîc. Quid verò eſt cũ Scripturis ludere ô fratres, ſi hoc non eſt? Primò enim aduerſus expreſſum Chriſti mandatum, quo hic nè Apoſtoli regna huius mũdi inuadant præcipitur, Imperatoriam quoq; poteſtatẽ ſibi vendicat. Deinde Allegoriã fingit in verbis Chriſti, ab eius mente alieniſſimam. Adhæc locum hunc totũ detorquet, vt gladij vſum aſſerat, vbi hũc Chriſtus diſertè damnat. Adde his, quòd ex gladio Spirituali, qui non alius eſt quàm Verbum Dei, iuriſdictionem fabricat eccleſiaſticam, cui magiſtratus omnes, adeoq; Imperatorẽ ipſum ſubijcit. Deniq; hunc non ſerui modò & ſubditi, ſed carnificis ſui loco habet, quando hunc gladio non aliter quàm pro ſacerdotis nutu vti debere dicit. Et hi illi ſunt, pro quibus hodie Reges & Imperatores pugnant, & in quorum gratiam ſeipſos ſuamq; authoritatem proſtituunt, eos autem ferro & igne perſequuntur, qui ipſos ex turpi illo Paparum ſeruitio vindicare ſtudent. Hæc item iam ſeculis aliquot turbarum omniũ cauſa fuit, quibus infelix terrarum orbis exagitatus eſt, & hodie cum omnium ferè regnorũ diſſipatione exagitatur. At quando ita volunt infelices illi, nos Chriſti mentẽ conſtanter teneamus, qui in Eccleſia ſua miniſtros conſtituit, qui nõ alio quàm Spiritus gladio, id eſt Dei verbo pugnare debent aduerſus omnia, quæ contra hunc efferuntur. Idem ille magiſtratibus ius ſuum reliquit integrum, & horũ eſt populo ius dicere, verum Dei cultũ prouehere & huius ſtudioſos ſua authoritate tueri. Quod ſi faciant,*

Contra Can. de Maior. et Obe.

licet pijs omnibus horum protectione legitima vti, quod Paulum non ſemel feciſſe legimus, qui manu armata ſeſe defendi paſſus eſt, & ad Cæſaris tribunal prouocauit, quando præſides partim ignauos, partim ſibi non ſatis æquos eſſe videbat. Quòd ſi autem omnes in ſuo munere ceſſent, neque apud homines defenſio legitima inueniatur, à tumultibus tamen Chriſtiani homines abſtinere, nec alicui ſeditionum in repub. authores eſſe debent: ſed patienter ferre quæ Deus imponit. Hoc qui fecerint, ij germani Ieſu Chriſti diſcipuli atque imitatores ſunt, quos & in hoc ſeculo ille ſeruabit, quoad ipſis vtile ac ſalutare fuerit, & olim Regni ſui cæleſtis cohæredes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXCIX.

Et egreſſus profectus eſt ex more in montem Oliuarum, ſecuti ſunt autem eum etiam diſcipuli eius. Cum verò perueniſſet ad eum locum, dixit eis: Precamini, ne intretis in tentationem. Tum ipſe auulſus eſt ab eis quaſi ad iactum lapidis, poſitisq́; genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Viſus eſt autem ei Angelus è cælo, corroborans eũ. Et ipſe conſtitutus in angore, intentius orabat. Erat autẽ ſudor eius quaſi grumi ſanguinis deſcẽdentes in terram. Et cùm ſurrexiſſet à precatione, veniſſetq́; ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et dixit eis: Quid dormitis? Surgite & precamini, ne introeatis in tentationem.

Marcus homil. 120.

CHriſtus Ieſus pro nobis paſſus eſt, non ſolùm vt nos mortis ſuæ merito redimeret, verũetiam (ſicuti Petrus ait) vt nobis exemplo eſſet, cuius veſtigia ipſi ſequamur. Rectè igitur Euangeliſtæ diligentia ſingulari ex ordine omnia ea deſcribunt, quæ iam inſtante mortis hora fecit: inter quæ primum locum obtinet Cœna, quam cum diſcipulis ſuis vltimam habuit, & in qua cum iiſdem de multis diſſeruit, quæ non minus noſtræ quàm illorum inſtitutioni ſeruiunt. Sequitur nunc, vt omnibus quæ ad illam pertinebant ritè peractis ad montem Oliuarum exiuerit, vbi & captus eſt, & prius multa fecit, quæ peculiarem conſiderationem merentur. Nunc autem ante omnia obſeruari debet, quod à Cœna illa myſtica, qua ſolennem mortis ſuæ memoriam nobis commendauit, rectà ad exequendam Patris ſui voluntatem progreditur, nec quò minus id faciat, per ea ſe patitur abſterreri, quæ illic ſibi euentura eſſe ſciebat. Docemur hoc illius exemplo, quid nos facere deceat, quando in Cœna illius nos eius diſcipulos publicè profeſſi ſumus.

Chriſtus à Cœna ad mortem progreditur.

Meditemur diligenter, quæ Dei voluntas ſit: nimirum vt nos totos ipſi conſecremus, & peccato mortui vitam in illo viuamus nouam & noſtra profeſſione dignam: vt denique nos præparemus ad quæuis ferenda, quæ nobis ab illo imponuntur. Eſt ergo ſcelerata & execrabilis illorum laſciuia, qui vt olim gentes cum ſacris ſuis ludos vel crudeles & ſanguinarios, vel laſciuiæ plenos coniungebant, ita ipſi ad pocula, ad ſtupra, ad vſuras & quoduis aliud nequitiæ genus reuertuntur. Sed accedamus ad huius loci expoſitionem, qui quatuor partibus conſtat. Prima locus indicatur, in quem Chriſtus exiuit. Secunda, vt illic diſcipulos admonuerit de iis, quæ tunc factu imprimis neceſſaria erãt. Tertia, quid ipſe fecerit narratur. Quarta, quales ſe inter hæc omnia geſſerint diſcipuli.

Mons Oliueti.

Quoad locum, fuit is ad montem Oliuarum. Matthæus & Marcus Gethſemane dictum ſcribunt. Hieronymus in Commentariis in Iſaiam à pinguedine aut fertilitate eum commendat, cui conſentit quod Ioannes de horto annotauit, in quem Chriſtus frequenter diuerterit, adeò vt nec Iudæ locus eſſet ignotus. Et Lucas in præſenti eum ex more illuc profectum eſſe ſcribit. Eſtq́ue hoc imprimis memoratu dignum quòd & prius locum illum frequentauit, in quo ſe aliquando captum iri ſciebat, & nunc in eundem ſponte egreditur, cùm tempus illud fatale inſtaret. Ex eo enim apparet, illum in mortis ſuæ meditatione ſæpius verſatum fuiſſe, vt ſe ad illam rectè præpararet, & nunc volentem ſeſe hoſtium manibus tradidiſſe, vt ab ipſis captus ad mortem abriperetur. Nihil ergo illorum viribus tribui debet, quaſi Sacerdotes tandem aduerſus illum victoria potiti ſint, quam

diu quæ-

din quæſierat. Mortuus enim eſt, quia ſic Pater decreuerat, ipſe verò illi obedire voluit. Ideo apud
Ioannem dicebat: Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Et Pilatò ſuam po- Ioan. 10.
teſtatem ſuperbius iactanti idem reſpondit: Non haberet poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi 18.
datum eſſet ſupernè. Id verò ad noſtræ ſalutis certitudinem facit, & in conſcientiæ tentationibus ef
ficaciſſimè conſolatur. Cur enim odio habeat Pater ille cœleſtis, quos Filij ſui morte indigna redem
ptos eſſe voluit? Cur item Filius mortis ſuæ meritum volet irritum fieri? Aut cur nos ad ſe venien-
tes faſtidiat, cùm ipſe ad nos venire, et ſeipſum pro nobis in mortem tradere dignatus ſit? Deinde no-
ſtri etiam officij nos ille ſuo exemplo admonet, Eſt hoc, vt ipſi quoque frequentiores ſimus in mor- Mortis medita-
tis meditatione, neque imitemur delicatulos illos, qui eius ne mentionem quidem volunt fieri, ne hæc tio utiliſſima.
præſentis vitæ gaudia ipſis interturbet. Ridiculi ſanè homines, qui eius mentionem horrent, quod
ſecum in ſinu ſuo geſtant, & quod vitari non poteſt, vt primùm hora illa fatalis appropinquat.
Eſt autem vtiliſſima mortis conſideratio: quia & ſcelerum illecebris obſtat, & præmunit nos ad-
uerſus eius terrores, ne his vnquam ſuccumbamus. Facit denique, vt Chriſtum imitati ſponte ob-
uiam eamus cruci, & alacri animo ſubeamus aduerſa quæuis, quibus nos Deus exerceri vult. Quid
enim durum, quid intolerabile, quid inſolens videri poteſt illi, qui ad mortem quoque ſubeundam
iam pridem ſeſe parauit, qua nihil terribilius eſt ijs, qui de hac non rectè iudicare poſſunt? Et hîc
nos excitare debet diſcipulorum exemplum, qui etſi Chriſtum multa in Cœna de morte ſua diſſeren-
tem audiuiſſent, & pro carnis infirmitate triſtitiam & dolorem non paruum animo concepiſſent, ta
men abſque mora illum eò comitantur, neque eum nunc deſerunt, quem miraculis florentem & in
aliqua authoritate conſtitutum huc uſque ſecuti fuerant. Si enim publico prouerbio notantur olla
amici, qui in ſecundis adſunt, in aduerſis autem nos derelinquunt: num eorum religionem aut cul-
tum Chriſto probari poſſe putabimus, qui dum pax multa & commodi priuati ſpes ſeſe offert, il-
lo magnificè gloriantur, turpiter autẽ deficiunt, quando eundem in membris ſuis periclitari vident?

Sequitur ſecunda pars, qua quid cum diſcipulis tunc egerit, docetur. Quo loco Matthæus & Quid cum di-
Marcus primo ſeparationem inter illos factam eſſe ſcribunt. Nam alijs octo manere iuſsis, Pe- ſcipulis actum
trum, Iacobum & Ioannem aſſumpſit, cumque his aliquò vſq; progreſſus, expaueſcere & toto animo
diſcruciari cœpit, & illis ipſis qui gloriæ et maieſtatis eius in clarificatione aliquando ſpectatores fue
rant, nunc dolorẽ & anguſtiã ſuam disertè fatetur, dicens: Triſtis eſt valde anima mea vſq; ad mor
tem. Et ſimul addit: Manete hîc & vigilate. Item (quod in præſenti Lucas habet: Precamini, ne in-
tretis in tentationem. Tria ergo illum diſcipulis mandauiſſe audimus: Primum, vt maneant illic, 1.
vt ipſe aliquantùm progreſſus poſsit commodius orare: Alterum, vt vigilent diligenter, ne ex im- 2.
prouiſo opprimantur: Poſtremum, ne intrent in tentationem, id eſt, ne tentatione quam ſua ſocordia 3.
acerſant, turpiter vincantur. Et hac parte in mentem illis reuocat, quod de Satanæ inſidijs paulò
ante monuit. His autem generalis doctrina continetur, quid vnumquenque noſtrum facere conue-
niat, ſi quando duriora perſecutionum certamina, aut quæcunque alia pericula imminent. Tunc
enim ante omnia videre oportet, vt in ſtatione nobis credita maneamus, ſiue quis Eccleſiæ mini-
ſter ſit, ſiue magiſtratum gerat, aut ad quodcunque aliud munus ſit deſtinatus. Vt enim turpe
fuerit nauclero, ſi ventis & fluctibus exortis ipſe à clauo diſcedat: ita nunquam probari poterunt,
qui tunc munus ſuum deſerunt, quando ipſorum fides atque induſtria maximè requiritur. At hoc
illud eſt, in quo vt plurimùm hodie peccatur, ideoq; minus bene habent Eccleſia & Reſpub. Verun-
tamen non ſatis fuerit locum occupare aut tenere, quem nobis Deus credidit, niſi attentiſſimè etiam
vigilemus aduerſus Satanæ inſidias. Nam vt nuper dictum eſt, nunquam ille dormitat, & non ho
ſtes modò apertos, verumetiam falſos fratres & propriam carnem noſtram contra nos excitat, vt
ſuis deſiderijs nos infeſtet, & à Deo abſtrahat. Nec quicquam tam difficile eſt, quàm illius artes de-
prehendere, quibus ſeſe in animos quoque noſtros inſinuare ſolet. Imò etſi neruos omnes intendamus,
nihil tamen contra illum ex nobis ipſis poterimus: & ideo ſtudio noſtro preces coniungere oportet,
vt Deus improbi illius audaciam frangere, mundi conſilia & conatus diſsipare, & carnem noſtram
infirmam Spiritu ſuo confirmare dignetur. Vtq; preces noſtræ efficaciores ſint, certam de Dei boni-
tate fiduciam concipere oportet, quæ vt promiſsionibus eius nititur, ita exemplis infinitis augetur,
quæ Scripturas legentibus paſsim occurrunt.

Chriſtus à diſci pulis auellitur.

Cæterùm quod diſcipulis mandat Chriſtus, hoc ipſe præſtitit: quæ tertia huius loci pars eſt. Nam à diſcipulis auulſus quaſi ad iactum lapidis, poſitisq́ genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Seceſsit ab illis aliquanto loci ſpatio, ne preces eius illorum aut conſpectu aut alloquio turbarentur. Vt enim cum amicis vel quibuſcunque alijs priuatim & ſemotis arbitris colloqui cupimus, ſi qua cauſa grauior eſt: ita cum Deo collocuturis ſeceſſu opus eſt, vt & ardentius & liberius animi ſui deſideria poſsint exponere. Porro non obiter à diſcipulis ſuis diſceſsit, ſed auulſus eſt: qua locutione animi dolor notatur, quem ardentiſsimus amor peperit, quo ille diſcipulos eſt complexus. Graue enim ei fuit ab illis auelli, non quòd ipſe eorum præſentia aut conſilio iuuari poſſet, ſed quòd ipſos ſciret ſuam opem atque præſentiam ſæpe deſideraturos eſſe in periculis & anguſtijs, quibus erant exercendi. Et quemadmodum pij frequenter cupiunt quidem diſſolui, vt cum Chriſto propius coniungantur (ſicuti de ſemetipſo Paulus ſcribit) ægrè tamen ſuos relinquunt, quos ſuo conſilio & auxilio adhuc opus habere ſciunt: Ita etiamſi ille magno deſiderio mortem appetiuerit, vt humani generis redemptionem perficeret, non libenter tamen (de aſſumpto humanæ naturæ affectu loquor) à diſcipulis illis ſuis, quos fratrum & amicorum intimorum loco diu habuerat, diſceſsit, cùm animo volueret, quid ipſis eſſet euenturum. Eſt hos probè obſeruandum, ne noſtra infirmitate terreamur, ſi quid huius in nobis ipſis deprehendimus, vel alios temere damnemus, qui non obſcura doloris & animi perturbati indicia edunt, ſi quando homines ſibi coniunctiſsimos relinquere coguntur. Nec enim nos lapides aut truncos creauit Deus, hominum autem & Chriſtianorum nomine indigni ſunt ἄστοργοι illi, quos nullus humanus affectus mouet, illos certè Paulus (vt non ſemel monuimus) inter nouiſsimi ſæculi peſtes numerat, quorum exemplum & mores nemo debeat imitari.

Philip. 1.

Auelli oportet à chariſsimis quibusq́, uocante Deo.

Luc. 14.

Meminerimus autem Chriſtum in eo quoque nobis exemplum præbuiſſe, cuius veſtigijs nos inſiſtere conueniat: vt nimirum Deo nos vocante vel ad res arduas, vel ad Regni cœleſtis poſſeſsionem, etiam inuita carne & multùm reluctantibus eius deſiderijs, nosipſos auellamus ab illis omnibus, quæ nos remorantur. In hoc enim præcipue conſiſtit noſtriipſius abnegatio, de qua ſuo loco diximus. Et huc pertinet quod Chriſtus ſupra dixit: Si quis venit ad me, nec odit patrem ſuum ac matrem, & vxorem ac liberos, & fratres & ſorores, amplius autem etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Exempla huius magnanimitatis multa in Scripturis habentur. Quàm enim durum & graue fuiſſe putas Abrahamo, cùm ex natali ſolo & chariſsimis gentilibus abire iuberetur, incertus vbi nam locorum ipſi ſedes fixas parauiſſet Deus? Abijt tamen, & ſimul cor ſuum auulſit ab ea terra, quam illi minus probari audiebat. Quantò durius autem fuit mandatum illud Dei, quo ancillam Hagaram cum filio Iſmaele eijcere iubebatur? At hîc quoque animum ſuum vicit. Quàm graues autem & acerbas putabimus fuiſſe conuulſiones viſcerum (vt ita dicam) omnium, quando Iſaacum, filium illum dilectiſsimum, quem in extrema ſenecta ipſi vxor Sara, tot laborum atque curarum ſocia, pepererat, filium (inquam) promiſsionis, proprijs manibus ſacrificare iuſſus eſt? Tamen tunc quoque à ſemetipſo eſt auulſus, & quæcunque aduerſus mandatum hoc, quo nullum vnquam atrocius auditum eſt, allegari poterant, fidei obedientia vicit. Imitemur ergo patrem credentium, quando de noſtris fortunis, dignitate & exiſtimatione, amicis, cognatis aut quibuſcunq́ alijs rebus agitur. Imitemur caput & magiſtrum noſtrum, Ieſum Chriſtum, ſi quando vitam quoque deponere iubemur. Graue quidem eſt nobis à corpore hoc & mundi conſortio diuelli. At quàm multa ſunt, quæ olim inter gentes viris bonis & prudentibus morte grauiora viſa ſunt? Lacedæmonij certè, cum Philippus Macedo intolerabilia onera ciuitati ipſorum imponeret, fortiſsimè reſponderunt: Si quid morte grauius imperare perſeueres, malumus mori. Et multos in mortem præſentem ſeſe tradidiſſe legimus, ne patriam dulciſsimam opprimi, libertatem eripi, coniuges & liberos violari, iura publica euerti, & alia huiuſmodi videre cogerentur, quæ crudeliſsimi hoſtes facere conſueuerunt. An ergo Chriſtianus mori detrectet, ne à Chriſto diuellatur, aut ſalutis æternæ iacturam faciat? Luctemur ergo cum cæcis carnis affectibus, & hanc quantùmuis inuitam auellamus ab huius mundi & vitæ caducæ illecebris, vt nobis cum Chriſto viuere liceat.

Chriſtus precatur.

Porro à diſcipulis ſuis auulſus poſitis genibus precatus eſt, dicens: Pater, ſi vis, transfer poculum hoc à me: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Breuis oratio, ſed inprimis ſeria & vehemens.

ciens. Et conſultò nunc breuitati ſtuduit (vt poſtea in cruce quoq;) qui aliâs totas noctes in precibus perſeuerauiſſe legitur, ne nos de Dei bonitate aut precum noſtrarũ effectu dubitemus, ſi quando in maiores anguſtias adducti illas non poſſumus diutius continuare. Et Patrem quidem ſolum inuocat, vt ipſi quoque ad hunc vnum recurramus, de quo iam ſæpe diximus. Status autem totius orationis eſt, vt Pater poculum iſtud ab eo transferat. Ita verò omnis generis afflictiones Scriptura vocant, eò quòd has nobis Deus certa menſura diſtribuit. Petis ergo Dominus, vt dirum illud & infame crucis ſupplicium ab ipſo Pater auertat. Atqui ſciebat, hoc æternum Patris decretum eſſe, & ſe ideo in mundum veniſſe & hominem verum induiſſe, vt carnem ſuam daret pro mundi vita. Attamen vt liberetur petit. Vnde colligimus, nobis etiam licere, vt quæ nobis impendent mala, deprecemur. Si enim naturale eſt propter illa dolere, non poſſunt impietatis damnari, qui ex illis liberari cupiunt. Sed hîc diligenter obſeruari debet moderatio, ſiue correctio, quam Chriſtus adhibet, quando mox ſubijcit: Veruntamen nõ mea voluntas, ſed tua fiat. Ita aũt dicendo hoc petit, quod nos quoq; petere docuit: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiã in terra. Hæc igitur nobis omnium petitionũ regula ſit, quæ circa res huius ſæculi verſantur, et de quibus nõ conſtat nobis, quid Deus fieri velit. Etenim nimis audax & confidẽs fuerit, qui inter precandũ velit illi præſcribere, à cuius nutu omnia noſtra dependent. Et hæc cauſa eſt, propter quã multorũ preces nõ exaudiuntur, quia nõ tam precari, quàm quaſi pro imperio poſtulare, vel potius Deo præſcribere audent, quid fieri velint. Cùm enim orationi maximũ pondus addat animi verè fidelis humiliatio: fieri nõ poteſt vt exaudiantur, qui tũc quoq; confidentius & inſolentius agunt, quãdo ipſos imprimis humiliari oportebat. Neq; alicui debet graue videri, vt ſe voluntati Dei totũ ſubijciat: quãdo hæc nõ ſolũ iuſta, verumetiã ſancta, bona & ſalutaris eſt, eoq; tendit, vt omnes homines ſeruentur, & in Veritatis cognitionẽ perueniant.

Agon Chriſti grauißimus.

Accidit autem Chriſto inter precandum, quod multa conſideratione digniſſimũ eſt. Sic enim ſcribit Lucas: Et ipſe conſtitutus in angore, intentius orabat. Erat autẽ ſudor eius, quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terrã. Deſcribitur paucis verbis anguſtia & lucta, ad cuius ſpectaculum meritò totus mundus obſtupeſcat. Vnde enim ſudor ille Chriſti, niſi ex acerbiſſimo cordis dolore, quẽ mortis imminentis meditatio pariebat? Vbi tamẽ miretur aliquis, quæ tam acuti doloris tamq; vehementis angoris cauſa fuerit in Filio Dei, cùm multi martyres ad diriſſima quæq; tormẽta alacri mente olim acceſſerint, & hodie etiã multi corde nihil turbato & vultu ſereno infandos cruciatus ſuſtineant? At hîc nos meminiſſe oportet, Chriſto non cũ ſola morte luctã fuiſſe, ſed quia omniũ noſtrûm peccata in ſe receperat, ſimul illi cũ Patris irati iudicio res erat, quo nihil atrocius, nihil intolerabilius excogitari poteſt. Si enim hominem ſuorũ modò ſcelerũ ſeria agnitio & pœnarũ quas illis meruit conſideratio, atq; hinc enaſcẽs iræ Dei ſenſus, eò vſq; adigit (niſi gratia Dei Spiritu cõfirmetur) vt aut ſibiipſi manũ inferat, aut inter cordis horribiliter æſtuãtis fremitus atq; horribiles de Dei ira querelas deſperet: quis obſecro verbis exprimat cogitationes, terrores, conſternationes & fidei cũ deſperatione luctantis certamina, quibus illum exerceri oportuit, in quẽ Deus (vt apud Iſaiã ſcribitur) omnium noſtrûm tranſgreſſiones concurrere fecerat? Eiuſdem certè luctæ effectum fuit, quòd poſtea in cruce clamauit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? Et in præſenti reipſa patitur, dũ ſudore ſanguineo diffluit, quod de extremè laborantibus per Hyperbolem dici conſueuit. In iſto tamẽ angore illum ſuperiorem factũ fuiſſe cùm multis alijs indicijs, tũ eo euidentiſſimè apparet, quòd quò grauius tentatus fuit, eò magis orationem intendit: neq; id inutiliter, aut abſq; fructu fecit. Nam viſus eſt ei Angelus, qui corroborauit eum, vt mox animũ conciperet inuicta paternæ gratiæ fiducia armatum, vt ſuo loco videbimus. Sunt autem in hac parte nobis quædam nunc diligentius conſideranda.

Chriſtus verè paſſus animo & corpore.

Primò nõ ſolum humanæ naturæ Veritas in Chriſto aſſeritur, verumetiã illum tã animo quàm corpore verè paſſum eſſe demonſtratur. Itaq; confutãtur hac actione primùm ij, qui carnẽ veram ab illo aſſumptã eſſe negãt: deinde illi quoq;, qui imaginariè modo paſſum eſſe cõtendũt, ne quid maieſtate eius indignũ ſtatuant. Quorũ audacia olim (vt D. Hieronymus contra Pelagianos annotat) eò vſq; progreſſa eſt, vt totum hunc locum expunxerint. Qui dum gloriam Chriſti inconſultius defendunt, ſimul & hanc obſcurant, & noſtræ redemptionis certitudinem in dubium vocant. Quæ enim gloria illa Chriſti eſt, quam ſe alij daturũ negat? Ea nimirũ, quòd ſemetipſum pro nobis tradidit, & ita noſter Dominus, id eſt vindex et redẽptor factus eſt. Exinaniuit ſeipſum (inquit Paulus) forma ſerui

ſumpta, ſimilis hominibus factus, & habitu compertus vt homo: ſubmiſit denique ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo etiam Deus ipſum extulit in ſummam ſublimitatem, ac donauit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen, &c. Vel dum iſti propriè intelligenda eſſe negant, quæ de illius paſſionibus Euangeliſtæ tradiderunt, num ipſum quoque mendacij inſimulabunt dicentem: Triſtis eſt anima mea valde vſque ad mortem? Atqui Iſaias clamat: Non eſt inuentus dolus in ore eius. Verè igitur hæc omnia paſſus eſt, & ideo verus quoque & ſufficiens tam animarum quàm corporum noſtrorum redemptor eſt, pontifex denique fidelis eſt, qui cum noſtras infirmitates ipſe expertus ſit, nobis etiam condolere poteſt & compati: vt alibi quoque annotauimus.

Peccati atrocitas quanta.

Deinde elucet in hoc quaſi ſpeculo, quàm magna quamq; horribilis ſit in Dei conſpectu peccatorum atrocitas: & prodeſt hunc locum opponere blanditijs, quas nobis obijcit Satan, dum ſcelera fuco multiplici exornat, ne ea tam grauia tamq; noxia putemus, quàm reuera ſunt. Quin ſi ille ceſſet, ipſi nobis delitias facimus, quibus noſipſos induramus, quò minus poſſimus reſipiſcere. Sed oho dic tu quiſquis es, num Dei Filium propter te quoque contriſtatum fuiſſe & propter te ſudorem ſanguineum excreuiſſe agnoſcas? Fateberis opinor, id propter te quoque factum eſſe: nam ſi id neges, ſalute ſimul omni in vniuerſum te ſpoliaueris. Quid verò in te fuit, quod tanto eius angore expiari oportuit? Quid hîc aliud adducere poteris præter peccata, quæ tu tantopere extenuare ſtudes? Vides ergo quàm fallaris id leuiculum ducendo, propter quod Chriſtum Ieſum tam dira & grauia certamina ſubire neceſſe fuit? Itaque arguit hic locus omnium eorum ingratitudinem atque duritiem, quibus peccata ſua quantùmuis multa & grauia ne gemitum quidem aut lachrymulam vnam extorquere poſſunt: quique cùm ſe tanto pretio redemptos eſſe fateantur, ad ſcelera non modò redeunt, ſed ne vnquam quidem ab illis diſcedunt, neque de turpi illo ſeruitio relinquendo cogitant. Pios autem hæc conſideratio excitare debet, vt ipſi eò ardentius Deum diligant, qui Filium ſuum propter nos tam diris doloribus obijcere dignatus eſt, vtq; ipſi quoque nihil eorum detrectent, quæ Chriſti nomine ferenda ſunt.

Agonis & ſudoris Chriſti fructus.

Eſt præterea probè obſeruandus ſudoris atque agonis iſtius fructus, qui conſolationem dulciſſimam continet. Nam quod ſæpe diximus, communis omnibus nobis incumbit moriendi neceſſitas: & quia mors ex peccato originem ducit, adeoq; peccati pœna eſt, natura ad eius ſenſum homines exhorreſcunt. Videmus denique in morituris grauiſſimos agones, quos ſuſtinent, priuſquam anima vinculis ſuis ſoluta ex corporis huius ergaſtulo diſcedat. Pariunt illi in nobis quoque ſudorem illum frigidiſſimum, quo in extremis agentes perfundimur. Ceſſant tunc ferè omnium membrorum officia, & plerunque lingua quoque deficit, ſenſus reliqui hebetantur, & non rarò rationis quoque vſus nullus eſt amplius. Sunt hæc dura per ſe, & aſtantibus triſtiſſimum ſpectaculum exhibent, quod vtinam tam firmiter animis noſtris inſideret, quàm illud inter homines frequens eſt. Plerique certè de illo nunquam cogitant, niſi quando ipſi quoque in iſtam arenam vocantur, & tunc terroribus diris exagitati tremunt atque trepidant. Sed tunc meminerimus, Chriſtum Ieſum eandem luctam propter nos ſuſtinuiſſe, & nobis viciſſe, ideoque (quod Paulus teſtatur) neque vitam neque mortem nos ſeparare poſſe à dilectione Dei, qua hic nos in Chriſto complexus eſt: Manet quidem horror ille mortis, quem natura omnes ſentimus: & ne omnino extinguatur, nobis vtile eſt ob multas cauſas, quas alibi recenſuimus. Sed breuis eſt hæc lucta, & finem ſortitur beatiſſimum, quando per hanc ad æterni Regni poſſeſſionem eluctamur, vbi omnis dolor abolebitur, & æternùm cum illo gaudebimus, qui eadem pro nobis paſſus eſt. Interea quoad licet, precibus vacemus, & quod de Chriſto hic dicitur, eò intentius oremus, quo magis angimur. Neque preces noſtras putemus irritas eſſe, eò quòd mortem deprecari nemo poteſt. Nam vt Chriſto, etſi poculum hoc ab eo non transferretur, Angelus tamen apparuit, à quo corroboratus eſt, vt mox intrepido animo hoſtibus obuiàm prodiret: ita quàmuis aut moriendum ſit nobis, aut alia pericula ſubeunda omnino ſint, habet tamen ſuum effectum fidelis oratio, quo & Dei gratiam ampliorem nobis impetrat, & Spiritum conſolationis accipit, quo aduerſus omnia certamina inuicti reddimur. Neque dubium eſſe debet, nobis etiam in extremo illo agone conſtitutis Angelos adeſſe, qui vt ſemper caſtrametantur circa eos qui Dominum timent:

timent: ita tunc maximè aſſiſtunt, vt animæ luctanti lætum vitæ futuræ guſtum ſuo conſpectu exhibeant, & eandem ex corpore migrantem ad ſedes illas beatæ immortalitatis colligant, ſicuti in Lazari parabola vidimus.

Reſtat poſtrema huius loci pars, qua docetur, quid interea fecerint diſcipuli. Sic enim ſcribit Lucas: Et cùm ſurrexiſſet à precatione, veniſſetq; ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia, &c. Eſt hoc nonum argumentum, quo ſuum erga homines ſtudium Dei Filius declarat: quòd in tanto angore conſtitutus, & mortis terrore vndique preſſus, ſuorum tamen non obliuiſcitur, ſed quid illi faciant, ſedulò inſpicit. Nam quod Matthæus & Marcus annotauerunt, non ſemel tantùm hoc fecit, ſed ſecundò & tertiò ad eos rediit. Quales verò inuenit eos, quos & in vltima Cœna de periculis imminentibus admonuerat, & quibus acerbiſſimos animæ ſuæ dolores confeſſus fuerat, quibus denique dixerat: Precamini, ne intretis in tentationem? Non vigilant, neque precantur, ſed dormiunt, & ſemel atque iterum excitati, in ſomnum tamen relabuntur. Poterat hæc execrabilis videri ſocordia, niſi culpam eorum aliqua parte leniorem redderet, quòd hoc illis ex triſtitia & mœrore accidit. Solet hoc frequenter fieri, & cauſas ex rerum natura philoſophi proferunt. Quia enim ſomnus affectio cordis eſt, quod communis ſenſus domicilium eſſe dicunt, fit vt hoc triſtitia occupatum reliquos etiam ſenſus aſtringat atque hebetiores reddat, denique vitalem quoque ſpiritum ad id moueat, vt ſomnum membris omnibus inducat. Eſtque hoc (vt & reliqua naturæ opera) ingens Dei beneficium, qui ne toti concidamus hac ratione proſpicit. Nam quia, vt Solomon ait, ſpiritus contriſtatus exiccat oſſa, corpus totum ſomni beneficio irrigari vult Deus, ne vis illa vitalis tota mœrore abſorbeatur. Interim non extra culpam ſunt, qui ſomno indulgent, quando pericula grauiora ad vigiliam nos excitare debebant. Ideo Chriſtus diſcipulos non excuſat, ſed potius reprehendit, dicens: Quid dormitis? Quaſi dicat: Itane ex meis admonitionibus conceptus dolor vos obruit, vt ſomno locum detis, quando tot vndique pericula vos circunſtant? Iamne dormiendi tempus eſt, cùm me tantis curis & angoribus propter vos diſcruciari audiatis? Et hunc ſenſum ea nobis monſtrant, quæ illum Petro dixiſſe Matthæus, & Marcus prodiderunt: Simon dormis? Adeò non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Diſcipuli dormiunt. Prouerb. 17.

Exprimitur autem hoc exemplo infelix carnis noſtræ ingenium, quæ tunc ferè dormit, quando Chriſtus Ieſus in membris ſuis quàm maximè periclitatur. Nam vt de impiis nunc nihil dicamus, qui tunc gaudent quoque & in omne genus laſciuiæ effunduntur, piis quoque id accidit, vt vel non obſeruent ipſorum cauſam agi, & ſuam quoq; ſalutem periclitari, dum alii propter Veritatis confeſſionem affliguntur: vel improuiſo ſtupore perculſi quid agant ignorent, & tandem ſe nimium ſocordes atque ignauos præbeant. Eſtq; hoc malum illud, quod nouiſſimis temporibus vulgo regnaturum eſſe, alibi Chriſtus præmonuit, & quod hodie nimis vulgare eſſe videmus. Cauere autem debent pii, ne ſibiipſis blandiantur, quin potius carnem ſuam ſuſpectam habeant, & aduerſus eius vitioſitatem vigilent, ne paulatim in grauiores tentationes demergantur. Diſcant item nulli mortalium fidere, ſed in vno Chriſto pro nobis excubante ſpem ſalutis omnem collocatam habere. Polliciti erant diſcipuli magnificè Domino, quòd in mortem quoque cum ipſo abire parati eſſent. Quid verò præſtant? Ne vigilare quidem poſſunt cum eo, quem tam grauiter videbant affligi. Quid ergo de aliis ſperes, qui iſtis neque animi promptitudine neque gloriæ Dei ſtudio conferri poſſunt? Et vt maximè velint homines omnia præſtare quæ debent, non poſſunt tamen ſemper quod volunt. Rectè ergo Ieremias maledictum fore pronunciat, qui homini fidit, & facit carnem brachium ſuum. Benedictus autem qui Deo fidit, & beata illa gens, cuius Deus eſt DOMINVS, Ieſus Chriſtus: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Chriſto periclitante caro dormit.

HOMILIA CC.

Adhuc autem eo loquente, ecce turba & is qui dicebatur Iudas, vnus è duodecim, præibat eis, & appropinquauit Ieſu, vt oscularetur eum. Ieſus autem dixit ei: Iuda, oſculo Filium hominis prodis? Viden-

tes autem ij qui circa ipſum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, percutiemus ne gladio? Et quidam ex ipſis percuſſit ſeruum Pontificis Maximi, & abſtulit auriculam eius dextram. Reſpondens autem Ieſus dixit: Sinite huc uſque. Et tacta illius auricula, ſanauit eum. Dixit autem Ieſus eis qui ad ipſum venerant, nempe Principi Sacerdotum, & præfectis templo, & Senioribus: vt aduerſus latronem exiuiſtis cum gladijs & fuſtibus? Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: Sed hæc eſt hora illa veſtra, & poteſtas tenebrarum.

Marcus hom. 121. & 122.

QVemadmodum Dominus & Seruator noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis ſuis ſæpe de morte ſua & ijs, quæ ipſi euentura erant, concionatus eſt: ita cùm iam mortis hora inſtaret, argumentis pluribus teſtatur, ſe non hoſtium vi & potentia inuitũ abripi, ſed volentem mori, vt æterno Patris decreto obſequatur. Nam etiã ſi diris animi doloribus excrucietur, ſanguineo ſudore totus diffluat, adhæc oret vt Pater hoc tam amarum poculum ab ipſo transferre dignetur, ſeipſum tamen eius voluntati totum ſubijcit, & ſuo exemplo docet, quid nos facere deceat, ſi diſcrimen aliquod grauius eſt ſubeundum. Facit ad pleniorem huius doctrinæ declarationem hic locus, quem modò recitauimus, quo narratur, vt ab hoſtibus ſuis ad montem Oliuarum captus & vinctus ſit. Vbi ante omnia finem & vſum vinculorũ ſpectare oportet, quæ ille ſuſtinuit. Eſt is, quòd nos à vinculis peccati & mortis per eius meritum liberari oportuit, vt his ſoluti in libertate ſpiritus ipſi ſeruiamus, patienter autem feramus eius vincula atq; diſciplinam, qua interdum carnem laſciuientem conſtringit. Sunt autem loci totius partes tres, de quibus ex ordine dicemus: Prima hoſtes illius deſcribuntur, qui nimirum hi fuerint, & quibus armis atque artibus vſi ſint in illo capiendo: Altera, quid eius diſcipuli tunc fecerint, docet. Poſtrema, quid cum hoſtibus ſuis ille egerit.

Dormientibus ſuperuenit Iudas.

Quoad hoſtes eius, ſtatim hi ſuperuenerunt, quando ipſe diſcipulos nequicquam ad vigilandum & precandum hortatus eſt: id quod demonſtrandi particula indicat, qua hîc Lucas vtitur, dicens: Adhuc autem eo loquente, ECCE turba & is qui dicebatur Iudas, &c. Nec temere hoc annotatur. Docet enim exemplum hoc, fidas Dei admonitiones nunquam impunè contemni aut negligi, ſed verberibus ferè excitari eos, qui verba & rationes nolunt audire. Exempla eius rei alibi adduximus, & multa hodie fiunt, quæ id abunde probant: ſed ea eſt noſtrorum temporum ſocordia, vt plerique ne icti quidem ſapiant, quò minus apertis iudiciorum Dei exemplis obloquantur. Sunt autem in ijs, quæ hoc loco de Chriſti hoſtibus dicuntur, tria præcipuè conſideranda.

Hoſtes Chriſti qui fuerint?

Primum, qui nam illi fuerint. In præſenti Iudas nominatur, qui vt totius negotij dux alijs præiuit. Et de hoc hîc quoq; repetitur, quòd vnus fuerit ex duodecim diſcipulorum numero. Huic adfuit turba ex multis alijs collecta, quæ partim in ijs quæ poſtea ſequuntur, partim ab alijs Euangeliſtis diſertè deſcribitur. Præcipui in ea fuerunt Principes Sacerdotũ cum Senioribus, penes quos duos ordines tam eccleſiaſticarum quàm politicarum rerum erat poteſtas. Adduxerunt hi ſecũ ſuos ſeruos, quos multos & ſui ſimiles alebant, vt ex ijs poteſt colligi, quæ cum Chriſto poſtea petulantiſſimè egerunt. Fit præterea mentio cohortis militũ, quam à Pilato præſide haud dubiè impetrarunt. Coniuncti fuerunt iſtis omnibus præfecti templo, quem peculiarem magiſtratum fuiſſe, alibi docuimus. Quia enim templum propter loci ſitum & magnificam ſtructuram inter municiones cenſeri poterat, voluerunt ei aliquos præficere Romani, qui cauerent, ne qua ſeditio à Iudæis ſub religionis prætextu moueretur. Et quàm hoc neceſſe fuerit, turbæ illæ docent, quas in Templo frequenter excitatas fuiſſe Ioſephus ſcribit. Præterea, cùm Iudaica religio gentibus omnibus inuiſa eſſet, à multis etiam ſcurriliter rideretur, ipſis Sacerdotibus præſidio opus erat, ne qui petulantiores ſacra turbarent, & ita populo tumultuandi præberent occaſionem. Eò res ſuas adduxerant ſuis factionibus & bellis ciuilibus, vt non vrbes modò verumetiam templum præſidijs militum teneretur, & non niſi inter prophanarum gentiũ arma ſacrificare & cultum ſuum exercere poſſent, qui Dei Filium agnoſcere nolebant, qui in omnibus iſtis ceremonijs adumbrabatur. Fuit autem iſta mirabilis

hominum

hominum ex diuerſiſſimis vitæ generibus ſocietas. Nec enim eadem omnibus patria fuit aut gentis origo: non eadem doctrinæ & religionis profeſſio: nõ idem ſtudium, neq; eadem viuendi ratio. Poſſunt tamen animos & ſtudia ſua coniungere aduerſus Chriſtum, quia omnes impij ſunt, & omnes Veritatis lucem ex æquo oderunt. Et hic obſeruaſſe prodeſt, qui nam omnibus ſæculis Euangelicæ doctrinæ hoſtes futuri ſint. Sunt inter hos facilè principes ipſi ſacrorũ antiſtites, qui religionem ſibiipſis quæſtum fecerunt: quod Iudaicos iſtos feciſſe, non vno loco vidimus. Et extant omnium ſæculorum exempla, quibus id poſſet demõſtrari, niſi ſimilia quotidie fierent. Non deſunt his ſeruilis ingenij homines, quos facilè ſibi obſtringunt, cum opibus abundent, & propter gradus aut dignitatis ſuæ exiſtimationem multas habeãt illis proſpiciendi occaſiones. Habent præterea artes varias, quibus ſummos quoque magiſtratus in ſocietatem conſiliorum ſuorum poſſunt adducere. Et quod pijs maximè dolet, coniungunt ſe illis frequenter qui Chriſtum aliquandiu profeſſi ſunt, ab eo autem diſcedunt, vel auaritia & ambitione excæcati, vel diſciplinæ impatientia irritati. Et eſt quidem inter omnes iſtos maxima morum atq; ſtudiorũ in alijs rebus diſſimilitudo: imò cùm omnes non niſi ſua quærant, quotidianæ inter illos lites de honoribus, dignitatibus, iniurijs vel datis vel acceptis oriuntur. Quia autem pari odio omnes in Chriſtum ardent, poſſunt ad tempus ſua illa diſſidia diſſimulare, vt ad illum & Verbum eius opprimendum ſtudia ſua conferant. Sunt igitur nimiùm imprudentes, qui ſibi pacem altam & perpetuum otium pollicentur, ſi quando Reges & principes diſſidere & bella contra ſe inuicem moliri audiunt. Facilè enim illis conuenit, ſi quam ex nobis opprimendæ Veritatis occaſionem ſibi dari videant. Eſt autem deploratu digniſſima eorum infelicitas, qui cùm Chriſti nomen & doctrinam profiteantur, & in præcipuis fidei articulis probè conſentiant, lites tamen & rixas nunquam finiendas excitant de rebus minoris momenti, & propter illas cum publico ſcandalo & miſerabili Eccleſiarum diſſipatione inter ſe digladiantur. Poſuerunt olim Phariſæi cum Sadducæis, & vtrique cum Herodianis & Romanis militibus conuenire contra Chriſtum. At hodie multos ita exagitat Erinnys, vt propter factioſa illa Lutheranorum, Zuinglianorum aut Caluinianorum nomina ſe mutuò lanient, & communibus fidei noſtræ hoſtibus lætum præbeant ſpectaculum. Vtinam verò omnes iſti perpetuò memores eſſent Paulinæ illius admonitionis: Quòd ſi alius alium viciſſim mordetis & deuoratis, videte ne viciſſim alius ab alio conſummamini. Galat. 5.

Sed redeamus ad Chriſti hoſtes, in quibus alterũ occurrit, non minus diligenter conſiderandum, Induſtria hoſtiũ Chriſti.
Induſtria nimirum & ſtudium, quo cauſam iſtam egerunt. Non potuit ille à ſuis impetrare, vt vel vna hora ſecum vigilent & precibus incumbant, quod vt factu facile, ita tutiſſimum quoque & multas ob cauſas neceſſarium erat, quæ illos minimè latebant. At iſti non vigilant modò, ſed mirificè ſtudent, ne quid negligant eorum, quæ ad ipſorum conatum faciebant. Obſeruant enim quàm diligentiſſimè temporis occaſionem & loci commoditatẽ, ſed mutuò audiunt, adeò vt ne Iudam quidem, hominem obſcurum & nullius pretij, dedignentur pro ſuo duce agnoſcere, qui alijs omnibus dignitate præſtabant. Solet hoc ipſum hodie fieri publicè & priuatim. Quia enim pij pro ſui ingenij bonitate nemini nocere, ſed potius omnibus prodeſſe cupiunt, alios quoque ex ſuo ingenio & moribus æſtimantes, ſecuri viuunt, & ſibi omnia pacifica atque tuta pollicentur. At plurimùm ſpe ſua falluntur: quia longè aliud eſt impiorum ingenium, & alij hoſtium Veritatis mores. Quia enim & Veritatis lucem & huius ſectatores oderunt, quieſcere non poſſunt, ſed patrem ſuum, diabolum, imitantur. Vt enim hic iam inde ab initio homicida fuit, & ſubinde vt leo rugiens oberrat, & quærit quem deuoret: ita ipſi quoq; intra animos ſuos ſemper æſtuant, conſilia ſemper ineunt & omnes occaſiones obſeruant, vt pijs malum dent, & apud alios accenſam Veritatis facem extinguant. Exempla huius generis paſſim in hiſtorijs tam ſacris quàm prophanis occurrunt. Poterat Cainum Abelus ferre, & procul dubio ſibi de illo optima quæque pollicetur: ipſum autem ille ſibi intolerabilem putat, neque quieſcit, donec illum trucidet. Et Ioſephum in fratres nihil hoſtiliter vel cogitauiſſe ſcimus: ipſi verò rabie in illum accenſi nihil tale opinantem capiunt & exteris vendunt. Debent nos iſta admonere, vt cautè agamus cum filijs huius ſæculi, & ſerpentina illa vtamur ſapientia, quam nobis Chriſtus commendat. At non minus in ſingulis priuatim hæc ignauia ſeſe prodit. Carnis enim hoc ingeniũ eſt, vt nihil non facere ac pati poſſit, dummodo affectibus ſuis prauis indulgeat. Eſt hoc videre in auaris, ebrioſis, ſcortatoribus, militibus mercenarijs, atq; ſimilibus: ita qui

ſuperſtitionibus dediti ſunt, ij ieiunijs, cilicijs, vigilijs, circuncurſitando & nihil non faciendo ſeſe fatigant, neq; impenſas vllas facere detrectant, modò animos inani & imaginaria cultus diuini & ſalutis ſuæ perſuaſione paſcant. Quàm primùm verò Euangelij cognitione illuminati aliquid facere iubemur pro aſſerenda Dei gloria & vera ſalutis ratione, ferè pigerrimi ſumus, & vndiq; argumenta torradimus, quibus noſtram ignauiam excuſemus. Demonſtratione hic nulla opus eſt, cùm ſinguli hoc in ſemetipſis deprehendant, imò deplorent etiam. In eum finem autem hanc noſtri ingenij vitioſitatem expendere debemus, vt intelligamus vix vllam diſciplinam carni ſuffiſere, noſq; perpetuis ſtimulis opus habere, quibus hæs plus quàm aſinina tarditas nobis excutiatur, quiq; nos ad veræ pietatis ſtudium alacriores reddant.

Arma & artes hoſtiũ Chriſti.

Tertium eſt in Chriſti hoſtibus, vs quibus armis & artibus in illo oppugnando vſi ſint videamus. Antea quidem inſidioſas quæſtiones ſæpius illi propoſuerunt, & diſputationes mouerunt de Lege, de repudio, de cenſu Cæſari ſoluendo, de reſurrectione & alijs quibuſdam, quibus illum apud vulgus & præſides vel in odium vel contemptum adducere cõati ſunt. Quia verò ea ratione nihil profecerunt, quàm quòd ipſorũ ignorantia & malitia indies magis magisq; prodebatur, alia via nũs rem aggrediuntur, & armis agendum eſſe putans. Ne verò ipſi ſeditionum authores eſſe disantur, aſtutè non modò Senatus Hieroſolymitani authoritate ſuum conatum palliant verumetiã Præſidem, qui ſummus tunc in ea gente magiſtratus erat, in ſuas partes trahunt, et ab eo milites ſibi dari petũt, quaſi ipſis cum homine ſeditioſo & publiso pacis hoſte res ſit. Interim proditorijs artibus agunt omnia, quibus & præſidem decipiunt, & populo ignorante iſta faciunt quæ ad hũs maximè pertinebant, Iuda deniq; miniſtro & duse vtuntur, qui & ipſe oſculo, quod amicitiæ ſymbolum eſt antiquiſſimũ, illum prodit. Oportuit autem iſta ſis fieri, & proditione capi atq; oscidi Chriſtum, vt ſuo merito noſtram culpam expiaret, qui omnes plus quam proditorio animo apertam feceramus à Regno Dei ſeceſſionem. Sunt verò hæc vſitatiſſima arma, quibus hodie etiam Veritatis doctrina oppugnatur. Poſtquam enim aduerſarij noſtri multis exemplis edocti, ſciunt, nihil aduerſus hans profici diſputationibus, quæ ex Dei Verbo inſtituuntur, vnisum præſidium ſibi in armis repoſitum eſſe vident. At quia illud non minus periculoſum quàm vulgo exoſum eſt, & principes pleriq; controuerſias de religione, ſi nudè & ſimpliciter proponantur, fasilè negligunt, his ante omnia perſuadere ſtudent, de publisa pace agi, & ipſorũ authoritatem in periculum venire, ideoq; ad reſtinguendum hoc insendium communibus omnium ordinũ ſtudijs atque viribus opus eſſe. Et vt hoc quoque facilius perſuadeãt, multis teſtantur, quàm ipſis moleſta & grauis ſis infelix illa diſcordia, qua Esclesiæ ſimul omnes vnà cùm toto orbe Chriſtiano turbentur, & ad hanc tollendã Concilio generali opus eſſe aiunt, & vt indisatur, curant, ijs tamen conditionibus, quas nemo pius admittere poteſt. Concilij executorẽ ſummum faciunt aut Imperatorem, aut quemcunque principem ex ſuis conturatis potentiſſimũ eſſe norunt, ſimul tamen omnes alios quoque, qui Concilio ſubſcripſerunt, ad eius executionem obſtringunt. Et ne eo quidẽ contenti, ſimul controuerſias ciuiles paſſim excitãs, quæ maxima ex parte à religione dependent, & ad veri cultus oppreſſionem faciunt, ſi cauſam ſuam obtineant. In his autem omnibus non alij magis nosent quàm Iudæ proditores, qui amicitiã ſimulando appropinquãt vt Chriſtum deoſculentur, id eſt, ſequeſtros ſeſe præbent, & mirifico aſtu ſeſe inſinuant, interim verò hoc vnũ agunt, vt cauſa ſua cadant pij, & Esclesia hinc inde opprimãtur. Quod ſi quis exempla quæras, quibus hæc demonſtrentur, veteribus minimè opus eſt, quãdo iſta paſſim hodie fiunt, & tam ciuilibus quàm externis armis regna Chriſtiani orbis quondam florentiſſima horribiliter diſtrahuntur: qui Concilij iſtius Tridentini fructus eſt, quod ante annos amplius viginti ſub Paulo III. Pontifice inchoatũ, tandem ſub Pio IIII. finitum, hanc toti orbi terrarum Tragœdiam exhibet. Gemunt nunc paſſim ſub hoc onere pij, ſed erit citius quàm multi ſperent rerum viciſſitudo, quando hi quidem Chriſti denuo ſurgentis læsiſſimo ſpectaculo exhilarabuntur, illi verò ſuæ audaciæ diras pœnas exoluent.

Diſcipuli pugnam meditantur.

Accedamus nunc ad alteram huius loci partem, qua quid diſsipuli feserint, Lucas exponit. Vident illi quid futurum ſit, & quid moliantur, qui tempore tam importuno cum laternis armati illuc veniebant. Ideo exslamant: Domine, percutiemus ne gladio? Rurſus ergo animo sonceperunt ſpiritus illos, quos in Cœna paulò ante iactauerant, & ad pugnam ſeſe offerunt: nimirum quòd non intellexiſſent quod ille tũc de gladijs emendis dixerat. Et admonemur hoc loco obiter, quàm periculoſum

ſit Dei,

ſit, Dei verba non penitius inſpicere, ſed eo ſenſu interpretari, quem ipſi ex nobis cõcepimus. Hæc certè cauſa fuit, quòd diſcipuli temere ad arma ruere volunt, & quòd Petrus nõ expectato etiã reſponſo Chriſti gladiũ ſtringit, & pugnæ initiũ faciendo ſeipſum et ſocios omnes in extremũ diſcrimẽ adducit. Prodeſt autẽ in huius exempli cõſideratione crebrò verſari, vt diſcamus, quàm parum proficiãt, qui in rebus agendis ſuũ potius zelum, quàm Dei voluntatẽ ſequũtur, quã is nobis per Verbũ ſuum reuelat. Quid enim magis pium videtur, quàm cum proprij capitis periculo Chriſtũ et eius gloriã tueri? Aut quæ arma iuſtiora & ſanctiora ſunt, quàm quæ pro eius defenſione ſumuntur, qui ſeipſum pro nobis tradidit? At in præſenti hoc infeliciſſimè cedit Petro, qui hoc fecit zelo Chriſti feruentiſſimo. Quia enim huic nõ coniunxit verã de Regno Chriſti & eius propagatione ſcientiã, facit quod ab eius voluntate alieniſſimũ erat, & inobedientia peccat, dum ſe totum illi vult impendere. Deinde magni conatus euentũ videt planè ridiculũ, dum auriculã ſolam amputat ſeruulo Pontificis: & qui triumphos ſpirabat, à Chriſto acriter reprehenditur. Deniq; qui tunc totus feruet, & plus quàm gladiatorio animo ſeſe ad mortẽ & extrema quæuis pericula offert, nõ multò poſt cum alijs fugit relicto Chriſto, cum quo ſe in carcerẽ & mortẽ abire velle promiſerat: nec fugiſſe contentus, eundẽ inſuper abnegat, vt in ſequenti Sermone audiemus. Solet hoc multis accidere hodie, qui pro Chriſto & religione bella nõ neceſſaria ſuſcipiunt, & magno animo res imprimis arduas conantur: Quia enim nulla Dei vocatione nituntur, nõ modò nihil proficiunt, ſed plerunq; ſibiypſis ignominiã conflant, quando animi conſtantia temerarijs inceptis minus reſpondet, ſimulq; multos alios in periculũ adducunt, qui ſe conſiliorũ eiuſmodi ſocios præbuerunt. Itaq; tanti Apoſtoli exemplo cautiores facti, zelum noſtrum ſuſpectum habeamus, & quæ is nobis ſuggerit conſilia diligentius examinemus ad noſtræ vocationis & diuinæ voluntatis regulam. Nec enim vnquam aut Deo probabitur zelus, aut exitum habebit felicem, qui nos extra noſtræ vocationis metas abripit. Quæ de Pontificis famulo & Chriſti verbis dicenda eſſent, quibus Petrum reprehendit, & reliquos diſcipulos ſimul omnes continuit, ne eius audaciam ſequerentur, ex Marco noſtro petant, qui plura videre cupiunt.

Zelus Petri inconſultus.

Nunc tertiam huius loci partem videamus, qua ea deſcribi diximus, quæ inter hæc omnia Chriſtus fecit. Eſt in his cõmemorandis Lucas breuior, quia ab alijs plenius iam expoſita eſſe ſciebat. Primum eſt, quòd qui prius toto animo conſternatus præ angore ſudabat, nunc nouis viribus confirmatus hoſtibus ſponte obuiam proceſſit, & prior illos allocutus, quem quærant, quæſiuit. Et ijſdem ita ſeſe cognoſcendum præbuit, vt ſimul diuinæ ſuæ virtutis ſpecimen ederet, illos proſternendo. Quod vt nouum eſt mortis voluntariæ argumentum, qua noſtram inobedientiam expiauit; ita bonitatis & gratiæ ſingularis opus eſt, qua eos in ſui cognitionem inducere & ab interitu reuocare voluit, qui nefario & impio auſu aduerſus ipſum conſpirauerant. At quia ijdem hanc eius bonitatem non agnouerunt, inexcuſabiles facti ſunt.

Chriſtus hoſtibus obuiã iuit.

Inde ad Iudã conuerſus, in oſculum eius animo non minus ad omnẽ impietatẽ deuoto quàm proditorio ruentem cõpellauit, dicens: Iuda, oſculo Filiũ hominis prodis? Breuis vox, ſed quæ adamantem frangere poſſet, niſi ille cor habuiſſet adamante durius. Nam nomine proprio illum appellat, ne de quouis alio agi putaret. Et apud Matthæũ amici vocabulũ addit, vt ſimul priſtinã conſuetudinẽ & beneficia accepta ei in mentẽ reuocet, adeoq; vt dignitatis eũ admoneat, qua ipſum ornarat, quando cum alijs diſcipulis emiſſus Euangeliũ prædicauit, et eius nomine miracula fecit. Addit præterea: Ad quid ades? Quaſi diceret: Cogita quæſo mi Iuda, qui fueris aliquando, & qui nunc ſis, in quem finẽ deniq; huc veneris, quamq; parum quod nunc facis tuæ profeſſioni reſpondeat? Et quæ hæc eſt tua infelicitas, quæ perfidia, ꝙ oſculo prodis Filiũ hominis? Vbi rurſum Filij hominis nomine omnia cõplectitur, quæ ille ipſum hoc nomine vtentem de ſeipſo dicere audiuerat, & fateri viderat: vt ſenſus ſit: Eum ne tu prodere audes, quẽ toties audiuiſti ideò in hunc mundum veniſſe, & Filium hominis factum eſſe, vt humani generis redemptor fieret? Eum ne (inquã) prodis, de quo tam tuo quàm ſuo & aliorũ omniũ nomine Petrus confeſſionẽ edidit: Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis? Et oſculo quidẽ prodis, quo nihil turpius & indignius fieri poterat? &c. Hæc & alia huius generis paucis hiſce verbis infelici proditori Dominus in animũ reducit, quibus adhuc ſuã erga illũ beneuolentiã declarat. Quæ conſolationẽ quidẽ afferre poſſunt ijs, qui gratiã Dei rectè æſtimant: ſimul tamen cauendũ eſt diligenter, ne nos pari benignitate cõpellantem aſpernemur. Nunc quidẽ verba hæc Iudas leuiter

Iudam admonet.

la putauit: ſed non multò poſt grauiora ſenſit, quàm ferre potuerit, quando & admiſſi ſceleris & contempti Verbi Dei conſcientia ſuperatus ſibiipſi mortẽ conſciuit, & tam anima quàm corpore perijt, abiectis prius pecunijs, quas propria vitæ chariores habuerat.

Diſcipulos tuetur & liberat.

Non tamen cũ ſolo Iuda agit Dominus, ſed ſimul vt diſcipulos alios quoq; periculo præſenti ſubducat, ſtudet, quos ad grauiora certamina adhuc minus inſtructos eſſe ſciebat. Ideò vt Ioãnes ſcribit, hoſtibus dixit: Si me quæritis, ſinite hos abire. Et tanta huius dicti vis fuit, vt nulli illorũ manus iniecerint, & ne Petro quidẽ moleſti fuerint, qui ſua importuna temeritate illos prouocauerat. Quo loco virtutẽ planè diuinã cum bonitate & fide plus quàm paterna declarauit. Solius enim Dei eſt animis & voluntatibus hominum imperare, & verbis eos coercere, qui ſi humana ratione agatur, vix vi aperta contineri poſſunt. Fidei autẽ & curæ paternæ argumentum eſt, quòd etſi vndiq; ab hoſtibus circũdatus fuerit, & præſentẽ omnia mortẽ intentarint, ſuorum tamen nõ fuit immemor, ſed de his ſeruandis cogitauit. Nobis autẽ huius exempli vſus eſt duplex. Primus, vt ipſi quoq; de aliorum ſalute feriò cogitemus, eorum autẽ imprimis, qui nobis à Deo crediti ſunt: neq; nos iam nihil illis debere amplius putemus, ſi quando ipſi grauius periclitamur. Nam ad extremum vſq; ſpiritum nos in noſtra ſtatione fideles eſſe oportet, quod Chriſtum præſtitiſſe cõſtat, qui ne in cruce quidẽ pendens ſuo officio erga aliquos defuit. Sunt ergo alieniſſimi ab huius ſpiritu, qui ſi quæ ipſis imminent pericula, omnes ſecũ perditos vellent, adeoq; alijs meliorẽ fortunam inuident, vel etiã à Deo ſibi iniuriã fieri cum fremitu queruntur, qui ſolos periculis obijciat. Alter vſus eſt, ne vnquã de Chriſti erga nos fide dubitemus, aut nos ab hoc putemus derelictos eſſe. Quomodo enim nos negligeret nunc, qui ſuorum ſaluti tam diligenter cauit, quando vt ſibi potius conſuleret, præſens neceſſitas monebat. Quin potius memori mente teneamus promiſſiones eius: Non relinquã vos orphanos, iterũ veniã ad vos. Item: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationẽ ſeculi. Quibus adde quæ apud Iſaiã de ſuo in Eccleſiam amore et ſtudio ſub matris parabola contionatur, vnà cũ exemplis, quæ multa paſſim occurrũt.

Hoſtes reprehendit & admonet.

Et quomodo ſuos negligeret, qui ne hoſtibus quidẽ in præſenti defuit? Nam Pontificis ſeruulo auriculã reſtituit, & ſuo exemplo legẽ ſuam exponit atq; confirmat de diligendis inimicis. Inde ad Sacerdotum principes & templo præfectos atq; Seniores cõuerſus grauiter admodũ cũ illis expoſtulat, dicens: Vt aduerſus latronẽ exiuiſtis cum gladijs & fuſtibus? Quaſi diceret: Quid hæc ſibi arma volunt? aut cũ quo nam vobis negotiũ eſſe putatis? Cum latronũ principe ne, qui ſocijs ſtipatus nõ aliter quàm ex inſidijs vi maiori opprimi queat? Id verò illos indigniſſimè facere, ab ante actis probat: Cùm quotidie fuerim vobiſcũ in tẽplo, non extendiſtis manus in me. Qua parte docet, illos malè ſibi cõſcios eſſe & peſſimã cauſam ſuſtinere, qui noctu eum intercipiant, quẽ interdiu in publico ſeſe offerentẽ nõ auſi ſint cõprehendere. Addit his poſtremò: Sed hæc eſt hora illa veſtra, & poteſtas tenebrarũ. Ita verò dicendo partim oſtẽdit, nihil hîc abſq; Dei prouidentia fieri, nec illos quicquã effecturos fuiſſe, niſi iã hora illa adeſſet, qua ipſum mori oporteat: ſimul verò illorũ iniuſtã vim atq; tyrannidẽ arguit, quando poteſtatẽ tenebrarum eos dicit: vt qui ipſa temporis circũſtantia teſtentur, ſe diaboli ſatellites eſſe, quem Scriptura principẽ tenebrarum dicere cõſueuit. Eſt autem exemplum hoc admodum memorabile, quo primùm admonemur, quæ nam patientiæ Chriſtianæ leges ſint.

Patientiæ Chriſtianæ leges.

Quia enim exemplum huius perfectiſſimum eſt Chriſtus, ex eo etiam leges eius meritò peti debent. Dicitur is vt ouis ad lanienam ductus eſſe, & idem alibi monet, ne maledicamus ijs qui nos oderunt & perſequuntur. Verumtamen idem ille in præſenti ſuam innocentiam tuetur, & hoſtium vim iniuſtam grauiter arguit. Et quod ipſe fecit, id olim multos ex Prophetis, & poſtea Apoſtolos quoq; feciſſe ſcimus: & vt ita fiat, opus eſt. Quia enim in nobis Dei gloria periclitatur, quod impiorum voces in ſuis contra fidos Dei cultores victorijs abunde teſtantur, non poſſumus noſtræ cauſæ omnino deeſſe, niſi ſimul gloriã Dei prodamus. Rurſus exigit hoc charitatis lex, qua hoſtibus quoq; ſumus obſtricti, ne ad eorum impietatẽ conniuendo illos reddamus contumaciores. Itaq; & in homines & in Deum turpiter peccant, qui hodie ſuam ignauiam ſub patientiæ Chriſtianæ prætextu excuſant. In ijs, quæ ad nos ſolos ſpectant, quiduis ferre nos docet: at quando nobiſcum Dei gloria & Veritatis doctrina in periculum veniunt, tunc quid illi debeamus diligenter nos meminiſſe decet. At hodie plerique Dei gloriam facilè negligunt, in ſuo autem iure tuendo modum omnem excedunt.

Magiſtratus legitimus quis?

Debent præterea hoc Chriſti dictum probè expendere viri principes, & quicunq; magiſtratũ gerunt,

runt. Nam à Deo quidē eſt omnis poteſtas, vt Paulus ait: qui verò hanc obtinent, tunc demū Dei miniſtri ſunt, ſi eius iudicia exequantur, eius cultū proueh ãt, ius dicant cuiq, innocentibus adſint, impios autē & iniuſtos aliorū oppreſſores dignis pœnis coerceant. Quòd ſi iſta non negligant modò, verum etiã his contraria faciant, dum Dei cultū verum extinguunt, Veritatis doctrinā perſequuntur, viduas & pupillos opprimunt, innoxios lædunt, impijs verò aduerſus hos patrociniū ſuum deferunt, deniq, ſanguinē fundunt innocentē: tunc tenebrarum poteſtas & diaboli miniſtri ſunt, cum quo debita ſuæ impietati ſtipendia accipient. Sunt hæc non ipſis modò obſeruanda, verumetiã omnibus alijs, ne talibus obtemperent in ijs, quæ ipſi contra Dei Verbū & veræ pietatis leges mandant. Patienter quidem ferri debent dura quæq, & iniuſta principum imperia, ijsq, obedire nos conuenit, quoad de ſolis fortunis, corporibus & vita noſtra agitur. At ſi vlterius progeſſi ea iubeant, quæ neq, ſaluo Dei honore, neq, cum conſcientiæ integritate fieri poſſunt, tunc Apoſtolorum regula locum habeat: Oportet Deo potius obedire quàm hominibus. Eſt hæc confirmata plurimorum Martyrum exemplis, & proinde abrogari non poteſt, niſi illos ſimul omnes pro ſeditioſis damnare velimus. Sed quia de hac re alibi ſæpe diximus, nunc ſufficiat tenuiſſe, nos Ieſu Chriſti vinculis aſſertos eſſe in libertatem filiorum Dei, & proinde noſtri eſſe officij, vt nos totos illi conſecremus, ei deniq, viuamus atq, moriamur: cui ſoli debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CCI.

Compræhenſum autē eum duxerunt, & introduxerūt in domū Pontificis Maximi: Petrus verò ſequebatur procul. Cumq; accendiſſent ignem in medio aulæ, atq; vnà cōſediſſent, ſedit & Petrus inter eos. Cùm verò eū vidiſſet ancilla quædā ſedentē ad ignem, intentis in eum oculis dixit: Et iſte cum eo erat. Ipſe autē abnegauit eum, dicens: Mulier non noui eum. Et paulò poſt alius videns eum, dixit: Et tu ex ipſis es. Petrus verò ait: Homo, non ſum. Et interpoſita quaſi hora vna alius quidā affirmabat, dicens: Verè & iſte cū illo erat: etenim Galilæus eſt. Ait autē Petrus: Homo, neſcio quid dicas. Et illico adhuc ipſo loquēte, gallus cecinit. Tum conuerſus Dominus intuitus eſt Petrū, & recordatus eſt Petrus ſermonis Domini, quomodo dixiſſet ei: Priuſquam gallus cecinerit, ter me abnegabis. Et egreſſus foras Petrus, fleuit amarè.

SIcuti Deus ſuos cultores ex gratuita miſericordia eligit, & eoſdē vocat, vt publica veræ fidei & pietatis exempla in illis toti mundo proponat: ita in ijſdem noſtræ etiam carnis infirmitatē ſpectandam præbet, dum illorum lapſus & vitia non vulgaria in Scripturis cōmemorat. Et huc imprimis debet referri quod de Petro Apoſtolo narratur. His enim inter diſcipulos, ſi eius dicta & facta conſiderentur, Chriſti amantiſſimus & in eius gloria aſſerenda feruentiſſimus fuit. Eum etiã cum Ioanne & Iacobo Dominus inter intimos habuit, ſicuti in reſuſcitatæ Iairi filiæ & clarificationis in monte Thabor factæ hiſtorijs eſt videre: vt iam nō repetamus q; acerbiſſimæ illius luctæ ſpectatorē eſſe voluit, in qua (vt nup audiuimus) ſanguineum ſudorē profudit. At nunc his idem Chriſtū à Sacerdotibus captum primò turpi fuga deſerit in hoſtiū manibus, deinde turpius multò eundē abnegat. Eſt hæc hiſtoria admodū memorabilis, & ideò eam Spiritus Sãctus ab omnibus Euangeliſtis deſcribi voluit. (Marcus Homil. 125.)
Etenim facit primò ad noſtrã inſtitutionē, vt noſipſos agnoſcere diſcamus (quã olim nonnulli præcipuã ſapientiæ partē eſſe dixerunt) & noſtra infirmitate agnita minus ſimus confidentes. (Vſus præſentis hiſtoriæ.) 1.
Deinde perſpicuè docet, quàm fallantur quicunq, in aliquo hominū fiduciã collocant, quando conſtat ſanctiſſimos quoſq, non aliter quàm gratia Dei eſſe ſeruatos. Et poteſt vnum hoc exemplū nobis ſufficere aduerſus eos, qui Petrū Eccleſiæ fundamentū eſſe contendunt, & in eo quærere docent, quæ in vno Chriſto habentur. 2.
Præterea veræ & ſalutaris pœnitentiæ exemplum hîc proponitur, cuius cognitio quàm neceſſaria ſit, omnes norunt, qui in ſeipſos paulò altius deſcendunt. Verumtamen breuiores erimus in iſtorum tractatione, quia de his in Marco & Ioanne noſtro prolixius eſt dictum. 3.

In Pontificum aulis fides periclitatur.

Ordiţur autẽ huius hiſtoriæ narrationem Euangeliſta à loci circũſtantia his verbis: Comprahẽſum Ieſum duxerunt, & introduxerunt in domũ Pontificis Maximi: Petrus verò ſequebatur procul. Ioannes diligentius exponit, quomodo & cuius opera in hanc domũ peruenerit. Et mirum videri poterat, Chriſtũ in Pontificis domũ captiuũ abripi, & eius abnegandi occaſionẽ illic inueniri potuiſſe, vbi vera fidei confeßione oĩa reſonare debebant. Sed quales tunc temporis Sacerdotes Iudæorũ fuerint, nõ uno loco demonſtrauimus: & voluit iſto exẽplo nos Spiritus ſanctus admonere, vbi maxima fidei & ſaluti noſtræ pericula ſtruantur. Inter eos nimirũ, qui vt religionẽ ſibi quæſtũ faciant, à ſimplici Veritatis doctrina diſcedũt, & eam humanis traditionibus corrumpunt. Neminẽ ergo vel locorum vetus authoritas, vel magnificus antiſtitum ſplendor & tituli ambitioſi decipiant, quo minus tunc quoq; ſalutẽ ſuam (vt Paulus monuit) cum timore & tremore cuſtodiant atque perficiant pij, vbi nihil periculi eſſe videtur. Vt autem ex Petri hiſtoria plus ad nos fructus redundet, tria eius capita præcipua excutienda erunt. Inter quæ primum eſt ipſum peccatum, quod commiſit. Alterum huius occaſio & cauſa. Poſtremum illius conuerſio ſiue pœnitentia.

Peccatum Petri.

Quoad peccatũ, ſcio aliquos præpoſtero Petri ſtudio illud extenuare, vel potius id facere, vt ſuã lenitatẽ excuſent, qua ipſi quotidie Chriſtũ abnegãt. Sed neq; noſtra defenſione opus habet ille, qui iampridẽ cum Deo in gratiã rediţ, neq; nos quicquã proficiemus aduerſus Spiritus ſancti ipſum accuſantis teſtimonia. Extat enim Chriſti generalis de hoc peccato ſententia, quã aduerſus oẽs pronuntiat, qui ipſum aut Euangeliũ ſuum corã hominibus negauerint. Idem Petrũ de illo præmonuerat, & omne hoc Satanæ opus fore dixerat, qui ipſos ſimul omnes ventilare ac diſsipare expetiuerit. Sed & conuerſionis Petri illic mentionẽ fecit, quæ ſola vox illũ à Chriſto receßiſſe docet. Quid, quòd ille ipſe peccati ſui magnitudinem agnouit, & huius cõſcientia perculſus amare fleuit? Ita certè ſuis lachrymis (quod & D. Auguſt. annotauit) ſuos defenſores arguit. Quare nos omiſſa hac inutili examinatione peccati iſtius, potius uideamus quid ille fecerit, ut facilius nobis poßimus cauere, ne quid ſimile etiã nobis accidat. Primò cùm ancilla quædã eũ vidiſſet, & intentis oculis in eũ dixiſſet: Et iſte cũ eo erat: ita nimirũ illũ quoq; Chriſti diſcipulũ eſſe innuens: reſpondit ille: Mulier, nõ noui eum. Ioãnes ancillã oſtiariã fuiſſe ſcribit. Matthæus verò Petrũ palàm corã oĩbus dixiſſe tradit: Mulier, neſcio quid dicas. Fuit hæc ignaua & turpis diſsimulatio, qua fingit ſe non intelligere, de quonam verba fiant. Pudet ergo illũ iam Chriſti, quem nõ puduerat ipſius, cùm piſcator eſſet vilis et obſcurus. Interim verò nõ pudet eum mendacij, quo ſe illũ nouiſſe negat, de quo cõmuni omniũ diſcipulorũ nomine dixerat, Tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis. Itẽ: Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus et cognouimus, quòd tu es Chriſtus, Filius Dei viuentis. Eſt ergo hæc inexcuſabilis timiditas, quæ id palàm negat, quod prius in publico fuerat cõfeſſus. Nec dubitauerim hoc nõ alio conſilio ab ipſo factũ fuiſſe, quàm vt iſta diſsimulatione ſibi caueret, ne quod grauius incurreret periculũ, & contra Chriſtũ aliquid facere cogeretur, maiori reprahenſione dignũ. Sed multùm animo ſuo falſus eſt. Nã foras egreſſum (vt Marcus annotauit) eadẽ ancilla rurſus cõſpicata, denuo eum aſtantibus prodit, & cauſa eſt, vt ab ijs quoq; cõpellaretur, et quidã ipſum ex ſectatoribus captiui iſtius Ieſu eſſe diceret. Iam ergo ſecundò negat, idq; cum iureiurando: ſicuti apud Matthæũ eſt videre. Itaq; cum abnegatione alterum quoq; peccatum concurrit, quòd temerariũ iuſiurandum adhibet, contra Chriſti præceptum, qui ne iuremus mandat. Nec multò poſt alius quidam et fortius inſtat, qui argumentis quoq; eum conuincere ſtudet, quòd & in horto eum cum Chriſto viderit, & ſermonis dialectus ipſum Galilæum eſſe demonſtret. Ibi ne iuramento quidem contentus, execrationibus quoq; & diris vtitur, vt iſta ſuſpitione ſeſe liberet. Sunt hæc dura & horrenda admodum, ſi cum eo Petri zelo atq; feruore conferantur, quo illum prius flagrauiſſe videmus. Et ſufficit exemplum hoc ad arguendam noſtræ carnis infirmitatem, & quàm non temere à Paulo dictum ſit: Qui ſtat, videat ne cadat.

Dißimulando quoq; Chriſtus negatur.

Imprimis autẽ obſeruari hic debet, quod Chriſtus prædixerat: Priuſquam gallus cecinerit, tu mihi ter abnegabis. Ex eo enim colligitur, illius abnegationẽ tũc quoq; fieri, quãdo fidẽ in illũ obiter modò diſsimulamus. Scio equidẽ multis hoc durius videri, quãdo hæc hodie prima ſapientia eſſe videtur, ſi quis omnes de religione et fide quæſtiones declinare, aut his motis aliarũ rerum mentionẽ inijcere poſſit. Et hi ſunt, quos pleriq; à ſapientia & modeſtia commendant. Sed vt ij, qui in primo ſcalæ gradu labuntur, ferè per alios quoque ruunt: ita qui ſemel in fidei ac religionis cauſa claudicare aut labi incipiunt

cipiunt, & à libera illam cōfitendi ingenuitate diſcedunt, ij quoq; in peius ſubinde proficiunt, vt mox diſertis verbis Chriſtum abnegent, adhæc alienis ſacris cōmunicando tantumnon iuſiurandum dene ijs, qui ad ſuperſtitiones illos ſolicitant: quò fit, vt tandem diris imprecationibus ſeipſos deuoueant, & toti à Chriſto diuellantur, in quo vno benedictio & ſalus habetur. Sequitur tandem, quòd ijdem in ſenſum reprobum traditi vitam viuunt ab omni profeßione Chriſtiana alienā, qua omne id quod ex hac reliquum eſſe videbatur, totum quoq; abijciunt atq; conculcant. Diſcant ergo hoc Petri exemplo admoniti primum abnegationis Chriſti gradum cauere, qui vlterius progredi nolunt.

Quod vt facilius fiat, proderit videre, qua occaſione & quibus cauſis Petrus vt Chriſtū abnegaret, adductus fuerit, quod alterū huius hiſtoriæ caput eſt. Scribit Lucas, eum procul aut à longinquo ſecutū fuiſſe, cùm Chriſtus duceretur. Ergo ex fuga redijt, in quam diſcipuli omnes diſperſi fuerant, vt apud Matthæū legitur, & quod fore omnino ille prædixerat. Neq; ei ſatis fuit aliquò vſq; illum ſequi, in domū quoq; Pontificis cupit ingredi, nec deſiſtit ab inſtituto donec intromittatur. Eſt hoc magni amoris argumentū, quo eū præ alijs flagraviſſe ſcimus, et quē periculi vix dum præteriti recordatio extinguere nō potuit. Cōfidentiæ autē eſt, quòd admonitionū Chriſti immemor in eā domū ingreditur, in qua veræ fidei & eius cōfeßioni locum nullū eſſe nō poterat ignorare. Neq; excuſat eū alterius diſcipuli exemplū, qui & ipſe eò ingreſſus eſt. Nā vt huic propter notitiā & familiaritatē minus periculi erat: ita Petrū cautiorē eſſe oportuit, cùm quod ipſi hac nocte adhuc euenturū eſſet, Chriſtus apertè prædixiſſet. Et quàmuis alter ille ingreſſus ſit, credibile eſt, eū prudentius rem geßiſſe, vt ex occulto oīa ſpectaret, non autē ſe prophano illi & impio furū ſiue ſeruorū ſacerdotaliū manipulo immiſceret. Certè nihil huius de illo Euangeliſtæ tradunt. At Petrus quàm primùm intromiſſus eſt, ſe improbis illis cōiungit, & propter frigus quod paulò acrius erat, ad eundē ignem cum illis cōſidet. Deinde oblitus ingenuitatis fidei & præceptorū Chriſti, quibus liberā ſui confeßionē requiris, quam nullus ſiue metus ſiue pudor impediat, ad artes ipſe cōuertitur. Et primò quidē (vt audiuimus) ignorantiā prætexit, vt ij qui quod illis minus gratū eſt audiunt. Adhæc cùm ſe iam labaſcere ſentiret, ne quidem ſubitò pedem retrahit, ſed ſenſim ſeſe in veſtibulum ſubducit, vt vel illic lateat, vel rurſus inde per occaſionem ſeſe proripiat foras. Tria ergo Petro tam pudendi lapſus cauſa fuerunt. Confidentia nimirū ex incōſiderato Chriſti zelo enata, Conſortiū cū hoſtibus Chriſti, & Prudētia carnis. — *Occaſio, quæ Petrum fecit abnegatorem.*

Et hæc ſunt, quæ hodie etiā multos eò adducūt, vt Chriſti aut fidei veræ abnegatores fiant. Sunt enim nōnulli, qui Euāgelij doctrinā nō ſolùm audiunt, verumetiā amant, & ſe pro eius defenſione nihil non facturos eſſe ſibi pſuadent. At quia minus attendunt, quāta ſit noſtra infirmitas, & quàm lubrica atq; periculoſa in vaſis hiſce teſtaceis (vt Pauli verbis vtar) fidei atq; ſalutis poßeßio, frequenter ſeſe periculis nō neceſſarijs obijciunt. Cùm enim domi poſſent quietè viuere, & ſua ſorte contenti Chriſto in libertate ſpiritus atq; corporis ſeruire, in ea loca ſe cōferunt, vbi neq; prædicatio verbi, nec exercitia veræ religionis admittūtur, et illic ſe nō modò fidei integritatē ſeruaturos, ſed ſimul multos alios ad huius cognitionē adducturos eſſe, deniq; toti Eccleſiæ ſe vtiles fore ſibi perſuadēt. Et hoc ferè ab illis fit, qui vel principū Papiſticorū, ſiue Epiſcoporū atq; Abbatum ſeruitijs ſeſe mancipant. Metuunt tales, ne culina ipſis frigeat, & horū famulitio ſeſe cōiungunt, vt ad eundē cū illis focū caleſcāt, opes augeant, dignitatibus accumulentur, & ita generis ſui ſplendorē atq; nobilitatē facilius tueri et ad poſteros quoq; propagare poßint. Nihil autē minus in animo habent quā defectionē à fide & Chriſti ſiue Veritatis abnegationē. Quid verò illis accidit? Idē planè quod Petro. Vt enim hic ad prunas pontificias ex feruētißimo Chriſti diſcipulo & propugnatore languidißimus factus eſt: ita illi indies frigeſcūt, & culinarū caliū nidore oppleti feruorē paulatim omnē deponunt. Quò fit, vt quando ingenua & cōſtanti cōfeßione maximè opus erat, ipſi ad ignauas artes & humanæ prudētiæ cōſilia conuertantur, quæ proxima quæq; pericula declinare & ſubterfugere docet. Itaq; quando impios aduerſus Chriſti meritū ſermones audiunt, quibus tota ſalutis ratio proſcinditur, & fideles illius miniſtri turpißimè lacerātur, illi ſurdis auribus illos prætereūt, ſeq; aliquid huius audiuiſſe dißimulāt. Sin verò ſuā ſuper his ſententiā rogentur, plus quàm pueriliter balbutiunt, et omne de ijs iudiciū declināt, idq; ad eos pertinere aiunt, quorū ea ſit profeßio, vt cauſam religionis dijudicare & propugnare debeant. Et quàmuis multis indicijs quotidie deprehendāt quàm parū tutū ſit ipſis inter tales viuere, & quàm plena inſidiarū ſint oīa: adhuc tamen moras nectunt, & ne quā fortunarū iacturā faciant, — *Quid hodie abnegatores faciat*

aut eos offendāt, quorū amicitiā atq; fauorē ſibi vtilē experti ſunt, paulatim diſceſſionē moliuntur, & neſcio quā temporis occaſionē cōmodiorem ſubinde expectant. Ita verò ſeipſos magis atq; magis implicant, vt vel fidē abiurare & ſeipſos execrari cogantur, aut vitā cum fortunis omnibus amittere. Exempla, quibus hoc probari poterat, multa in hiſtorijs omnibus occurrunt. Sed ſiunt, proh dolor, quotidie quæ me vera dicere teſtantur. Diſcite ergo ô fratres Chriſtiani ſuſpectā habere ſpiritus aut animi veſtri cōfidentiā, neq; vos vel lucri vel cuiuſcūq; cōmoditatis ſpe periculis nō neceſſarijs obijcite. Quin potius Moſem imitamini, qui populi Dei afflictiſſimā conditionē opibus & voluptatibus Aegypti antepoſuit. Danielē item & ſocios, qui etſi aulam Babylonicā relinquere non poſſent, leguminibus tamen veſci maluerunt, ne aulicis cupedijs legem patriam violarent. Melior eſt dies vnus in domo Domini, quàm mille in tentorijs impiorum. Potior item eorū conditio, qui ad Eccleſiæ limen ſedent, quàm qui in Antichriſti Synagoga primos ſubſelliorū gradus occupāt. Si qui verò inter illos verſamini, citò ex Babylone illa vos proripite, et memores eſtote vxoris Lothi, ne dum moras veſtro iudicio quæſtuoſas nectitis, vobiſipſis ſempiternam ignominiam accerſatis. Nullus humanæ prudentiæ locus, vbi Dei gloria & animarum ſalus in periculum veniunt. In his enim vnum Deum audire oportet, cuius verbo obtemperare ſuprema ſapientia eſt.

Pœnitentia Petri. Cæterùm accedamus ad tertiū huius loci caput, quo Petri pœnitentia deſcribitur, qua ad Deū reuerſus damnationis æternæ ſupplicium effugit, quod abnegando meruerat. Narrat hanc Lucas eo ordine, vt primò quæ illā præceſſerunt, eiuſq; vel occaſio vel cauſa fuerunt, exponat: deinde verò quid fecerit docet, eiuſq; pœnitentiā à ſignis ſiue effectis deſcribit. Ad primū hæc verba pertinent. Et illico adhuc ipſo loquente gallus cecinit: Tum cōuerſus Dominus intuitus eſt Petrū. Continentur his antecedentia: quæ nos pœnitentiæ huius occaſionē primam & cauſam efficientē poſſumus dicere. Occaſio fuit, ꝙ canit gallus, & ita fit illud, cuius Dominus in vltima Cœna meminerat. Fuitq; hoc ſignū

Galli cantus. eò efficacius, quòd in ipſo temporis puncto aut momento accidit. Nam illico (inquit Lucas) adhuc ipſo loquente gallus cecinit. Adumbrantur autē per galli cantum omnes externæ admonitiones, quibus carnē noſtram dormitantem excitari neceſſe eſt, vt excuſſo ſtupore, quo ferè detinetur, de peccatis ſuis, de Dei ira & de eadē placanda cogitet. Nam niſi id fiat, ferè ſecuri in luto hoc iacemus, & tunc quoq; optimè de nobis agi arbitramur, quando ſalus noſtra in extremo diſcrimine eſt cōſtituta. His autē varijs medijs ac rationibus Deus vtitur. Ordinarium & iam inde à rerum origine vſitatiſſimum eſt, Verbū eius, quod olim patribus propria voce reuelauit, vt in Adami, Caini & aliorum hiſtorijs cernitur: poſtea autē per homines ad hoc legitimè vocatos publicè prædicari voluit, & cuius vſus etiam hiſce nouiſſimis temporibus frequens eſt. Ad hoc pertinent admonitiones priuatæ, quæ per amicos aut homines aliqua authoritate præditos, ſiue nobis aliqua ratione coniunctos fiunt. Conuicia item & obtrectationes inimicorū, qui etiāſi prauo odij affectu rapiantur, ſæpe tamen nos excitant ad ſeriam noſtræ ſalutis curā, quando ea nobis obijciunt & exprobrant, quæ amici hactenus diſſimulauerunt. Galli quoq; cantus conſeri debent improuiſi caſus, morbi ſubiti, aut quæcūq; aliquid mali mortalibus accidunt. Refer deniq; huc prodigia, omina, oſtenta, & nunquā viſos impunè Cometas: fulmina quoq;, & quæcunq; alia ſunt eius generis, quibus erga gentes quoq; vſus eſt olim Deus, & quæ iræ eius & alicuius futuri mali præſagia eſſe, adeò tritum fuit apud omnes, vt nobilis ille Poeta vili & obſcuro paſtori hæc verba tribuat:

> Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet,
> De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Et quoad iſta, nūquam ſuo officio deeſt Deus, quod Amos teſtatur, quādo illū negat aliquid facere, quin prius ſeruis ſuis Prophetis id reuelet, vt alij per hos admoneantur. Quia autē tanta eſt hominū vecordia, vt illa nō ſemper obſeruent, aut ſaltem nō cogitent, in quē finē aut vſum fiant, alterū accedat oportet: vt nimirū nos ſua gratia reſpiciat Chriſtus et animi aures nobis vellicet, quod hîc Petro fecit: & nunquā non nobis quoq; facit, quando cōſcientiæ ſtimulis nos pungit, vt cogitemus hæc iræ diuinæ indicia eſſe, & ideò nos de peccatis, quibus hanc meruimus, deq; noſtra cum Deo reconciliatione cogitare debere. Simul autē ad hoc nobis ſeruit iſtorū cōſideratio, ne in pœnitentia noſtra meritū ſtatuamus, quādo de illa ne cogitamus quidē, niſi animos noſtros Deus excitet, & meliores cogitationes ſuggerat. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtum nobis non modò remiſſionis peccatorum, verumetiam pœnitentiæ authorem Apoſtoli docent, & idem hanc quoq; in ſuo nomine prædicare iubet.

Porro quando Deus ſuo erga nos officio fungitur, nos Petrum imitari conuenit, de quo Lucas ſic ſcribit: Et recordatus eſt Petrus ſermonis Domini, quomodo dixiſſet ei: Priuſquã gallus cecinerit, ter me abnegabis: Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè. Tria feciſſe dicitur: Primò recordatus eſt verborũ Domini: non quidem eorũ modò, quæ in vltima Cœna ille dixerat, verũetiam aliorum quibus idem huius ſceleris magnitudinem expoſuerat, dicens: Si quem puduerit mei et verborũ meorum corã natione hac praua & adultera, eius pudebit & Filium hominis, quando veniet in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis ſanctis. Elucet autem in eo indoles filiorum Dei, qui etiamſi ex carnis infirmitate ſæpe labantur, manet tamen in eis ſemen Dei, quò fit vt leuiſſima quæq; occaſio illis verbum eius in mentem reuocet, & mox in viam redeant. Nec enim frigidam fuiſſe hanc recordationem, ex eo apparet, quod mox foras exiuit Petrus, quod alterum ſuæ pœnitentiæ membrũ eſt. Mouit illum peccati odium, quod tantum animo ſuo concepit, vt iã omnia deteſtetur, quæ illi vel minima ex parte illius cauſa fuerunt. Sequitur tertio loco fletus amarus & triſtes lachrymæ, quas priſtinæ cum Chriſto familiaritatis & præſentis huius ingratitudinis & turpiſſimæ abnegationis conſideratio illi extorſit. Habes igitur in Petri exemplo veræ pœnitentiæ typum, ad quã (vt alibi monuimus) requiruntur, peccati agnitio, contritio ſiue dolor, & vitæ emendatio. At ne in ipſo (quod aiunt) limine offendamus, verborum Dei nos meminiſſe oportet, vt ex illis de peccatis noſtris iudicemus. Nam niſi id fiat, facilè nobis ipſis blandiemur, & leuia putabimus ea eſſe, quæ Deo quã maximè exoſa ſunt. Qui verò de peccatis rectè iudicant, ij procul dubio dolorem animo grauiſſimũ concipient, quia illorũ memoriam non poſſunt excutere, quæ ſimul iræ Dei ſenſum parit, quo germanis eius filijs nihil intolerabilius poteſt accidere. Parit hic publicã peccati confeſſionẽ & pias lachrymas, quibus Dei gratiã & miſericordiã imploramus. Non autem in his cõſiſtit pœnitentia vera, ſed peccatũ deteſtatur, occaſiones illius omnes declinat, & his relictis ad Deum reuertitur, in cuius gratia certã ſalutis fiduciã collocat. Ideo illã vulgo conuerſionẽ ad Deũ eſſe definiunt. Delineamus hæc breuiter, quia tanſam hæc alibi fuſius tractauimus. Nũc quæ noſtri officij ſunt tenere ſufficiat. Apparẽt paſſim irati Dei argumẽta, et nos pœnas quãtaſcunq; meruiſſe nõ poteſt negare, quiſquis effrenẽ, quæ paſſim regnat, peccandi licentiã & immanẽ Dei cõtẽptũ obſeruauerit. Flagitat hic pœnitentiam à nobis, & ad ſe conuerſis gratiã ſuã ſponte offert. Neq; deſunt triſtia eorum exempla, qui in cõtumacia ſua miſerè pereunt. Excitẽt nos iſta vt relicto infelici illo diaboli et peccati ſeruitio, totis animis ad Deũ conuertamur, & vitã viuamus nouam in Chriſto Ieſu, qui nobis iuſtitia ſatisfactio et redemptio à Patre factus eſt. Illi debetur benedictio, honor, gloria et poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CCII.

At ij qui vnà tenebant Ieſum: ei illudebant, cædentes eũ. Et cùm eũ obuoluiſſent, verberabant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: Vaticinare, quis ſit qui te percuſſit. Et alia multa conuitiãtes dicebant in eum. Et vt ortus eſt dies, conuenit ordo ſeniorum populi, & principes Sacerdotum & Scribæ, & adduxerunt eum in ſuum conſeſſum, dicentes: Nũ tu es ille Chriſtus? dic nobis. Dixit autẽ eis: Si vobis dixero, nequaquã credetis: Quòd ſi etiam interrogauero, nequaquam reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ab hoc tempore erit Filius hominis ſedens ad dextram potentiæ Dei. Dixerunt autẽ omnes: Tu ergo es Filius Dei. Ipſe verò dixit eis: Vos dicitis me eſſe. At illi dixerunt: Quid amplius egemus teſtimonio? Ipſi enim audiuimus ex ore ipſius.

Diui Euangeliſtæ multis & prolixè deſcribunt paſſionis dominicæ hiſtoriam, partim quidẽ vt certior nobis eſſe poſſit, quæ in huius merito fundata eſt, ſalutis noſtræ fiducia, quando æternũ Dei Filiũ õia ea ſuſtinuiſſe cõſtat, quæ nos merebamur: partim verò, ne aduerſis, quæ nobis accidũt, offendamur. Eſt hoc obſeruatu valde neceſſariũ. Nã etſi plerìq; fateãtur ſalutẽ noſtrã omnem ex ſolius Chriſti merito pendere, ijdem tamen de huius doctrina ferè dubitare incipiunt, quando hanc à Marcus homil. 123. & 124.

potētiſſimis doctiſſimiſq; oppugnari & dānari, frequēter etiā vi & armis opprimi vident. Tūc ergo meminerimus, Chriſtum ita pro nobis paſſum eſſe, vt exemplum quoque nobis reliquerit, quo admoneamur, quæ Euangelij & ſeruorum ipſius conditio ſemper in terris futura ſit. Etenim ſi tanta fuit aduerſus illum mundi rabies, quando ipſemet prædicauit, in cuius ſermone diuina quadā authoritas elucebat, et qui doctrinā ſuā miraculis nō minus ſalutaribus quàm ſtupendis cōfirmabat, quid de nobis hodie ſperabimus, qui præter Euāgelij lucē nihil afferrimus, quā eò maiori odio dignā mūdus hic eſſe iudicat, quò plenior & clarior illa fulget? Facit autē ad hoc ſcandalū tollendū imprimis loci huius conſideratio diligens, quo narratur, quàm ignominioſè ille tractatus, et quàm indignè ab ipſis ædificātib. dānatus atq; reiectus ſit, quod fore olī Dauid prædixerat. Prius enī narrauit Lucas, illū ex mōte Oliuarū ad Caiphā, qui anī illius Pōtifex erat, ductū fuiſſe, narrationē verò nonnihil interrupit interiecta Petri hiſtoria, quam nuper audiuimus. Nunc ergo redit eò, vnde digreſſus fuerat.

Serui Sacerdotum Chriſto illudunt.

Et primò quidē de ijs, qui Ieſum vinctum adduxerunt, diſſerit, quos ex Sacerdotū ſeruis et militum cohorte collectos fuiſſe nuper dictum eſt. Hi (inquit) ei illudebant cædentes eum: Et cùm eum obuoluiſſent, verberabant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes: Vaticinare, quis ſit qui te percuſſit? Et alia multa conuitiantes dicebant in eum. Quo loco aliqui ordinem ab Euangeliſtis inuerſum eſſe ſuſpicantur, cùm quod Lucas ante Cōcilij conſeſſum factū fuiſſe ſcribit, Matthæus poſtea factū narret, quando iā blaſphemiæ damnatus erat. At ego (quod ſæpe iā monui) nō libenter diuinos ſcriptores in alicuius negligentiæ aut oſcitantiæ ſuſpicionem adduco, cùm illos Spiritu duce & ſuggeſtore ſcripſiſſe conſtet, & Lucas initio operis ſui, ſe omnia ex ordine ſcripturū eſſe profiteatur. Quare eorū potius ſententia ſubſcribo, qui improbos iſtos petulantia hac ſcurrili bis Chriſto illuſiſſe putant. Quia enim noctu demum ad illum capiendum profecti erant, credibile eſt, non omnes Seniores atque Sacerdotes apud Caiapham præſentes adfuiſſe, cùm primùm adduceretur. Annam certè abfuiſſe, Ioañes diſertè annotauit. Ergo dū illi conuenirent, crediderim ego impios iſtos nebulones iſtud deſignauiſſe: quod poſtea quaſi optimo iure iterauerunt, cùm Concilij authoritate damnatus eſſet. Facit hoc ad amplificandam rei indignitatem, nec temere factum putabimus, quòd eandem ignominiam bis Chriſtus ſuſtinuit. Quia enim propter nos iſta omnia facta ſunt, extremis iniurijs atque contumelijs eum non ſemel affici oportuit, vt nos ſempiternæ damnationis ignominia liberaret. Nobis enim propter peccatum abſcondita erat facies Dei, & quia per inobedientiam cum illo quodammodo luſerant primi parentes, omnibus creaturis ludibrium facti fuimus. Itaque Chriſtus ſuam faciem obnubi (quod facinoroſis fieri ſolebat) paſſus eſt, & conſpui atque ignominioſè cædi voluit, vt nobis liberum in conſpectum Patris ſui aditum faceret. Eſt hoc præclarum diuinæ erga nos bonitatis argumentum, quo nos excitari conuenit, vt non ſolùm diligamus eum, qui tam dira pro nobis ſufferre dignatus eſt, verumetiam, vt de peccatis rectè iudicemus, & abominemur horribilem iſtam noxam, quæ non aliter expiari potuit. Debet præterea nos ad patientiam armare, huius indignitatis, quam Chriſtus ſuſtinuit, conſideratio. Natura quidem ſic comparatum eſt, vt nulla iniuria nobis indignior & intolerabilior videatur, quàm quæ cum noſtri contēptu coniūcta eſt: multi etiam parum generoſi animi indicium eſſe putant, ſi quis ſe ignominia impunè affici patiatur. Ita verò fit, vt dum honorem ſuum inconſultius tuentur, multa indigniſſimè contra charitatis legem faciant, ſeq; ipſos maiori contumelia afficiant. Chriſti igitur exemplo diſcamus patienter ferre impiorum ſcurrarum ludibria: quando non tam ignominioſum eſt iniurias perpeti quàm alijs inferre. Quod ſi mundus hoc ignaui animi argumentum eſſe iudicat, nos è contra cogitemus, eò laudem fortitudinis maiorem nos mereri, quòd id conſtanter ferimus, quod multis alijs intolerabile videtur. Hæc autem nobis cura ſit, ne ipſi noſtram authoritatem indignis noſtra profeſſione dictis & factis proſtituamus, & ita digni ſimus quibus omnes illudant.

Pœnæ, quibus Filij ſui illuſores reſultus eſt Deus.

Cæterùm etiamſi hæc ex æterno Patris decreto Chriſtus paſſus ſit, non tamē id impunè tulerūt illuſores iſti, qui et improbā odij ſui rabiē ſatiare, & ſuis heris gratificari ſtuduerunt. Nā quæ Chriſto fecerunt, ipſi poſtea paſſi ſunt. Abſtulit enim ab illis gratiam ſuā Deus, & à facie ſua procul repulit. Iidem etiam Romanorum armis ſubacti extrema quæq; ſuſtinuerunt. Nā præter innumerabilem cæſorum multitudinem, ſupra nonaginta ſeptem millia Iudæorum (vt Ioſephus tradidit) in hoſtium poteſtatem venerunt, quorum aliqui ad metalla relegati, alij in ſeruitutē venditi, plurimi autem

autem in ſpectaculis beſtiarum atque gladiatorũ crudeliter occiſi ſunt. Nec adhuc ceſſat Dei ipſorum impietatem perſequentis iudicium. Nã hodie etiam in omnes orbis terrarum angulos diſperſi omniũ ludibria ſuſtinent, conuitijs diris proſcinduntur, & vulgi quoq; prouerbijs infames ſunt. Atqui hoc illud eſt, quod olĩ Deus per Moſem ipſis minatus erat, dicens: Fiet vt caput ſuper te cõmoueant omnia regna terræ: eriſq; vt à te ſtupeant, te exẽplo vtantur, de te linguã acuant omnes populi, ad quos te Dominus duxerit. Itẽ: Ponã vos in ſtuporẽ, in ſibilũ, & in vaſtitates perpetuas. At hîc nos meminiſſe decet, Deũ cõmune exemplum edidiſſe, quo omnium locorũ atq; tẽporum homines diſcant, quid Filij ſui contẽptores et Euangelij hoſtes maneat. Nã cum naturalibus ramis nõ pepercerit, multò minus eos inultos dimittet, qui ex oleaſtro decerpti & in ſtirpem ſiue truncum ſanctiſſimorum patrum inſiti, illius beneficium non agnoſcunt, & eius prædicationem ſannis atq; ludibrijs proſequuntur. Et vtinã non videremus hodie dura & horrenda diuinæ vindictæ exempla. Vnde enĩ fieri putamus, quòd Chriſtianum nomen Turcis illudendum propinatur, & ipſis quoq; Iudæis ſæpe ludibrio ſunt, qui illud profitentur? Ex eo nimirum, quòd quam nobis in Filio ſuo Deus gratiam offert, plerique proſcindunt atque conculcant. Riſerunt quidem infelices illi propheticam Chriſti dignitatem, quam aliquoties à populo prædicari audierant. at non potuerunt ſuis illuſionibus fidem derogare illius vaticinio, quo vrbis excidium & totius gentis miſerabilem diſperſionem ipſe minatus fuerat. Ita ſemper ratæ erunt minæ Dei, quibus contumaces Chriſti contemptores æterno exitio addicit, etiamſi plerique illas negẽt, et ex earum deriſione ſcurrili voluptatẽ capiant.

Dent. 28.
Ier. 19

Sed relictis ſeruis atque militibus ad heros eorum tranſeamus cum Euangeliſta, qui quid iſti fecerint, narrat. Et vt ortus eſt dies, conuenit ordo Seniorum populi, & principes Sacerdotum & Scribæ, & adduxerunt eum in ſuum conſeſſum &c. Quo loco ante omnia obſeruari debet, qui nã aduerſus Dominũ conuenerint. Nominatur primo τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ. Ita verò dicebatur ordo Seniorum, qui ſummus in ea gente magiſtratus quondam fuerat, & nunc quoq; aliquam priſtinæ dignitatis ſpeciem præ ſe ferebat. His accedunt principes Sacerdotum, penes quos ſumma erat in ſacris authoritas: Scribæ item, de quibus alibi diximus. Fuit ergo hic non vulgaris cœtus, ſed Concilium fuit, & de hoc nos admoneri voluit Spiritus Sãctus, vt Chriſtum publica tã politicorũ quàm eccleſiaſticorum procerum authoritate damnatum eſſe ſciremus, quemadmodum antea quoq; de eo occidendo illos in Concilio conſultaviſſe, Ioannes ſcribit. Vbi rurſus quidem docemur, qui nã acerrimi grauiſſimiq; veritatis Euangelicæ hoſtes ſint: Principes nimirum, qui abſq; Deo regnare volunt: & Sacerdotes, qui religionem ſibi quæſtum faciunt, aut ſub doctrinæ titulo non aliud quàm gloriã priuatam venantur: ſimul autem admonemur, non debere alicui mirum videri, ſi etiam hodie Concilia aduerſus Euangelij doctrinã cogantur, & illorum authoritate eius ſectatores damnentur. Quod enim Chriſto accidit, id ille nobis quoque euenturum prædixit: Tradent (inquit) vos in Concilia, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos. Olim quidem magna fuit Conciliorum vtilitas, quando illa Chriſtiani Imperatores cogebant, & ſua præſentia atque authoritate Epiſcoporum contentioſorum atq; ambitioſorum certamina moderabantur atq; dirimebant (quod quàm neceſſe fuerit fieri in Niceno illo hiſtorici non diſſimulant) ſed poſtquam Epiſcopi potentia aucti ſunt, & ſibi omne in Eccleſia ius vendicarunt, Conciliorum quoque vſus pernitioſus potius quàm ſalutaris eſſe cœpit: quia horum authoritate errores confirmati, et bellorum ſemina iacta ſunt: adeò vt in prouerbiũ abierit hoc dictum: Omne Concilium parit bellum. Quod quàm verè dicatur, hoc noſtrum ſæculum magno cum totius Chriſtiani orbis malo experitur. Decet autem Chriſtianos homines, vt à ſolo Dei verbo pendeant, cuius veritas rata & æterna erit, etiamſi mille Conciliorum decretis damnetur.

Concilium cogitur aduerſus Chriſtum.

*

Præſtat autem videre, quo ordine & quibus artibus iſti hanc cauſam egerint, vt facilius intelligamus dolos, quibus hodie nobis multi inſidiantur. Et quia Lucas hîc breuior eſt, paucis repetemus ex alijs Euangeliſtis, quæ ad hunc locum pertinent. Ioannes Chriſtum à Caiapha de doctrina & diſcipulis interrogatum fuiſſe ſcribit: nimirum vt eum non ſolùm falſæ doctrinæ verumetiã ſchiſmatis et turbati ordinis eccleſiaſtici accuſare poſſent. Scimus enim nemini licere docendi munus in Eccleſia ſubire, qui non legitimè vocatus fuerit: & horribile exemplũ olim in Cora et eius cõiuratos edidit Deus, qui eã dignitatẽ ſibi vendicare auſi fuerunt, in quã Aaron cum filijs ſuis erat euectus. Quid, quòd Vzias Rex lepra percuſſus eſt, quòd contra Dei inſtitutum ipſe vellet incenſum offerre.

Ordo, quo contra Chriſtũ Sacerdotes proceſſerunt.

Quia verò Chriſtus non ignorabat apud iſtos iudices, nullũ iuſtæ defenſioni locũ eſſe, paucis reſpõdet & ad ipſam Eccleſiam quodãmodo prouocat, petens, vt qui ipſum audierint, de ſua doctrina teſtentur. Simul quoq; ſe ex impoſtorum numero eximit, quando ſe in publico & in locis doctrinæ deſtinatis docuiſſe ait: Fuit reſponſum hoc ſimplex, moderatum & æquum. Quid autem eo proficit? Vapulat à Pontificis ſeruo, vt qui inciuilius et contumelioſius Summo Sacerdoti reſponderit. Neque in tanto conſeſſu aliquis auditur, qui iniquiſſimam hanc impijſſimi nebulonis proteruiam vel verbulo vno corripuerit. Imò adeò non pudet illos vim feciſſe homini innocenti in loco Iuſtitiæ & veritati ſacro, vt falſis quoq; illũ teſtibus oppugnare conentur, quos prius in eũ vſum ſtudioſè conquiſitos produxerunt. Sed turbat illorum linguas Deus, vt quemadmodũ olim in Babylonis extructione ſe mutuò intelligere non potuerunt qui aduerſus illius decretũ cõſpirauerãt: ita hîc quoque etſi vna eadẽq; omnibus mens ſit, et impijs illis præſulibus gratificari cupiant, non poſſunt tamen inter ſe conuenire, quin de re vna eadẽq; diuerſa loquantur. Quo loco conſolationis plenũ eſt, quòd videmus impios neq; linguas neq; manus in ſua poteſtate habere, veritatem item calumnijs et mendacijs oppugnari quidẽ & premi, expugnari autem & opprimi non poſſe. Vidit hoc aſtutus ille Pontifex, & ideo ex ipſius Chriſti ore aliquid venari inſtituit, ex quo ipſius dãnandi occaſionem habeat. Quæſtionem ergo mouet, in qua totius cauſæ huius cardo verſabatur: Nũ videlicet ſit Chriſtus ille, ideſt promiſſus et diu expectatus populi Seruator, quem ſub vncti nomine Prophetæ deſcripſerunt, eò quòd hic Deus Eccleſiæ ſuæ Regem & Pontificem conſtituit? Ideo autẽ de hoc quærit, quia ex Prophetarum oraculis
Iſa. 35. & 53. Mich, 5. Ier. 23. *abunde conſtabat, illũ nõ vulgarẽ hominẽ, ſed Deũ fore verũ et æternũ. Notũ eſt enim illud Iſaiæ: Deus ipſe veniet, et ſeruabit nos: Itẽ: Generationẽ eius quis enarrabit? Et Micheas, cùm ex Bethlehemo proditurum dicat, quoad incarnationem, addit tamẽ: Exitus eius ab initio, à diebus æternitatis. Ieremias autem de eodem pronunciat: Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum: IEHOVA iuſtitia noſtra. Taceo innumera alia, quæ huius generis ſunt, et quæ tunc vulgo notiſſima erãt. Si ergo ſe Chriſtum ſiue vnctum illum eſſe dicat, iam blaſphemum dicet Caiaphas, vt qui ſe Deum eſſe dixerit. Fuit itaq; quæſtio hæc admodum inſidioſa, in ea tamen mouenda ſingulari etiam aſtutia veterator ille vtitur. Nã adiurat illum, ſiue per ſacroſanctum Dei nomẽ obteſtatur, vt diſertè quod verũ eſt dicat: et vt ex geſtu quoq; aliquod pondus accedat, aſſurgit, et in medium progreſſus clamat: Adiuro te per Deum viuentem, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus ille, Filius Dei? Eſtq; obteſtatio iſta tã captioſa, vt elabi nõ poſſit quicquid faciat. Nã ſi neget, excipient illi: Cur ergo doces? cur diſcipulos colligis? cur cultus diuini reformationem moliris? Adhæc mendacij cõuinci poterit, cùm multa dixerit & fecerit, quæ de nullo alio quàm de Meſſia intelligi poſſunt. Si affirmet, habẽt quod quærũt, & diſſimulatis argumentis omnibus, quibus ſe & Dei Filiũ & Meſſiã eſſe probauerat, in hoc vno inſiſtent, quòd non ſine aperta blaſphemia ſeſe Deum eſſe dixerit. Reſtabat ergo vnũ, vt omnino ſileret. Sed neq; hoc proderat. Dicent enim hominem eſſe contumacem, temerarium & impudentem, qui in Eccleſia quiduis ſtatuendi ſibi ius ſumat, nolit autem rationem ſuorum factorum cuiquam reddere. Adhæc prophanum & impium nominis diuini contemptorem eſſe clamabunt, qui per hoc factas obteſtationes negligat atque contemnat. Eſt ergo hoc euidens calliditatis & aſtutiæ argumentum, qua veritatis hoſtes inſtructos eſſe, & aduerſus quam nos ſerpentina prudentia vti oportere, alibi monuit. Et eſt huius exempli cognitio nobis quoque perquam neceſſaria, quibus cum Antichriſto res eſt, cui oculos hominis Daniel tribuit.*

Concilij Antichriſtiani typus. *Eſt verò præ alijs, quæ hîc proponuntur, obſeruatu digniſſimis, Concilij Antichriſtiani typus. Ita enĩ iure apellamus iſtorũ conſeſſũ, qui aduerſus Chriſtũ iampridẽ coniurauerant, & nunc ad illũ tollendũ conuenerant. Præſident hîc rebus agendis, qui potius iudicio ſiſti debuiſſent, & cogi vt ſuæ doctrinæ multis modis corruptiſſimæ et prophanati cultus, rationẽ redderent: vt iã multa alia eorũ facinora omittamus. Dãnauerunt hi illũ antea, cùm reſuſcitati Lazari miraculo irritati ſtatuerũt eum occidi debere, vt Ioãnes Cap XI. prodidit. Interĩ nunc iuſtitiã et veritatis ſtudiũ ſimulãt, quaſi cauſam cognoſcere et ipſi plenã reſpondendi poteſtatẽ facere velint. Præſidium verò omne habẽt in armis, quibus iã vſi ſunt in illo capiendo, et in aperta vi, quã ipſis cõniuentibus impius ille Põtificis ſeruus adhibuit. Sed et teſtimonijs falſis res agitur, quibus horribilis et plus quàm prophanus diuini nominis abuſus accedit, cuius religione ſuã impietatẽ palliãt, et innocentẽ proditoriè circũueniunt atq; opprimunt.*

opprimunt. Talia iam ſeculis aliquot fuiſſe Pontificum Concilia, alibi demonſtrauimus, & noſtro etiam tempore ſumus experti. Neminem ergo illorum authoritas moueat, vt aut ſeipſum aut ſua fidei creditas Eccleſias illis ſubijciat. Nam qui id faciunt, ij (quod prouerbio dicitur) ouem lupo committunt, atque veritatis doctrinam tum eccleſijs produnt.

Quid autem Chriſtus, vbi ſe vndiq; premi, & inſidioſa illa adiuratione iam circumuentũ vidit? Primum libere et ingenuè illorũ iniuſtitiã arguit. Si (inquit) vobis dixero, nequaquã credetis: Quòd ſi etiam vos interrogauero, non reſpondebitis mihi, neq; dimittetis. Sẽſus verborũ eſt hic: Qui in religionis cauſa ſibi iudiciũ ſumunt, ij audita et cognita rei veritate credere debẽt, et Deo gloriã dare: adhæc ſi ipſi rogentur, vt errorẽ oſtẽdant, aut ſuã ſentẽtiã rationib. ſiue teſtimonijs idoneis cõfirmẽt, ipſorũ fuerit reſpõdere, vt ab errore reducãtur qui vel propria ignorantia et ſimplicitate, vel aliorũ improbitate ſeducti à verò deuiarũt. At nihil horũ de vobis ego mihi polliceri poſſũ. Nã toties abs me edocti, toties argumẽtis et miraculis conuicti, nunquã voluiſtis credere. Quid ergo nũc vos facturos ſperẽ, quãdo vos plenã cõtra me victoriã in manib. habere arbitramini? Sed neq; mihi ad quæſtiones propoſitas reſpõdebitis: vt qui iãpridẽ eã vobis authoritatẽ vſurpauiſtis, vt pro authenticis ac diuinis oraculis haberi debeãt, quætũq; à vobis pronunciãtur. Eſtis ergo iudices iniquiſſimi & veritatis cõtumaciſſimi hoſtes. Hæc & alia quæ in hãc ſententiã dici poterãt, paucis hiſce verbis Chriſtus comprehendit. At ne veritatis cõfeſſionẽ turpi ignauia aut metu detrectare putetur, ſecũdo loco quod res erat edicit. Ab hoc tẽpore erit Filius hominis ſedẽs ad dextram potentiæ Dei. Apud Matthæũ illos ipſos eorũ quæ nunc dicit, oculatos teſtes fore ait: Dico vobis, ab hoc tẽpore videbitis Filiũ hominis ſedentẽ à dextra poteſtatis Dei, & venientẽ in nubibus cœli. Alludit ad ea quæ apud veteres Prophetas de Meſſia haberi ipſi non ignorabant. Dauid enĩ huic à Deo dictũ eſſe canit: Sede ad dexterã Pſal. 110.
meã, donec poſuero inimicos tuos ſcabellũ pedũ tuorũ. Et Daniel quendã vt Filiũ hominis ſe in nu- Dan. 7.
bibus venientẽ vidiſſe ſcribit, cui traditus ſit dominatus & honor & regnũ, vt omnes populi, nationes & linguæ colant eũ &c. Habent ergo verba Chriſti cũ veritatis confeſſione coniunctã pœnæ comminationem, qua docet, fore, vt qui nunc iudices ſedeant & iniquis ſententijs ipſum opprimant, ad ſuum tribunal comparere cogantur, vt digna ſuis factis præmia recipiant. Et hoc ipſum velle illi facilè intelligunt. Nam ex eo inferunt & vrgent quæſtionem ante propoſitã: Tu ergo es Filius Dei? Non ergo tam ſtupidi fuerunt, vt quæ Scripturæ olim de Meſſia tradiderunt, prorſus ignorarent: ſed auaritia & ambitione faſcinati in luce meridiana cæcutire voluerunt. Itaque, ne quis illis reliquus eſſet alicuius defenſionis prætextus, reſpõdet illis: vos dicitis me eſſe. Quaſi dicat: Propria conſcientia & Prophetarum teſtimonijs conuicti, vos me illum eſſe fatemini, cùm non poſſitis diſſimulare de me dicta eſſe quæ modò ex illis adduxi. Quod ergo vos dicitis, & verè quidẽ dicitis, ego diffiteri aut negare non poſſum neque debeo. Docet autem nos ſuo exemplo Dominus, quid fieri debeat, ſi nos in deploratos & incurabiles veritatis hoſtes incidiſſe videamus. Argui & accuſari debet eorũ iniquitas, & ijdẽ pœnarum quoq; denuntiatione terreri debent, ne ſe metui arbitrentur. Nihil enim tam feroces & arrogantes facit, quàm ſi ſe pijs formidini aut terrori eſſe videant. Quàmuis autem correptionibus quoque & minis exaſperentur, nunquam tamen effugere poſſunt, quin in animis ipſorũ aculei aliqui hæreant, quibus conuincantur. At ne bilem releuare & priuatæ vindictæ ſtudio agitari videamus, ſimul addi debet libera & ingenua veritatis confeſſio, eaque ex Scripturis deſumpta, & quoad eius fieri poteſt, Scripturis confirmata: de qua ſæpe iam diximus.

Audiamus nunc, quis tam liberæ confeſſionis effectus apud iſtos homines fuerit. Lucas pauci Caiaphas veſtẽ
extremum Concilij actũ indicat, quando illos ſimul omnes reſpondiſſe ſcribit: Quid amplius egemus ſcindit.
teſtimonio? Ipſi enĩ audiuimus ex ore ipſius. Plenius autẽ oĩa Matthæus et Marcus narrãt ad hũc modũ: Tũc Põtifex dirupit veſtimẽta ſua dicẽs: Blaſphemauit, quid ãplius egemus teſtib.? Ecce nũc audiſtis blaſphemiã eius. Quid vobis videtur? Ipſi verò reſpõdẽtes, dixerũt, obnoxius eſt morti. In his apparet, quid quæſtiõe et obteſtatiõe illa captioſa quæſiuerit. Veſtes autẽ ſcĩdit Põtifex, quo ritu acerbũ et intolerabilẽ cordis dolorẽ, ex blaſphemijs auditis aut quacũq; alia re triſti cõceptũ, Iudæi ſignificare ſolebãt. Ita ergo ĩpietatis Chriſtũ dãnat, vt ipſe animũ gloriæ Dei ſtudio atq; zelo ardẽtẽ ſimu- Caiaphæ exem
let: quod hypocritis propriũ eſſe ſcimus. At ijſdẽ ſola veritatis doctrina et ingenua Chriſti cõfeſſio bla- plo arguitur
ſphema & intolerabilis eſſe putatur, eò quòd hæc ipſorum exiſtimationi & quæſtui derogat: Vti- chriſtianorum
nam verò qui hodie Chriſtiani dici volunt, non ita frigerent, vt manifeſta in Dei maieſtatem con- tepiditas.

Chriſtus iniuſtos corrigit et ſimul veritatẽ fatetur.

uitia ſurdis auribus prætereant. Quàm multos enim audimus, qui immani audacia Dei verbum negant, Scripturæ ſacræ fidẽ ſcurriliter eleuant, Chriſti vulnera, mortẽ et meritũ diris execrationib. conſpuunt? Quotus verò quiſq; ad illa exhorreſcit? quis veſtes ſcindit? quis iuſtã animi indignationem aut pium dolorem aliquo indicio prodit? Quid verò de Pontificibus dicam, qui & diuinos honores ſibi vendicant, & ipſius Chriſti meritũ negant, imò quæ huius ſunt ſacrilega audacia in ſe trãſferunt, quando ſe Eccleſiæ caput & illius vicarios eſſe gloriantur, qui plenã peccata remittendi, animas in cœlum euehendi aut ad inferros deturbandi poteſtatem habeant? In illorũ certè Decretis & Decretalibus leguntur, quæ non tam impiam & blaſphemam quàm ſtupendam iſtorum hominũ arrogantiam arguunt. Quale eſt illud Diſtinct. 19: Sic omnes ſanctiones apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuina voce Petri firmatæ. Itẽ in Gloſſa de Translat. epiſcopi Titul. 7. Quãto: Papa dicitur habere cœleſte arbitrium, & ideo poteſt ſententiam quæ nulla eſt, aliquam facere: Quia in his quæ vult, eſt pro ratione voluntas. Nec eſt qui dicat ei, Cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra ius diſpenſare, & de iniuſtitia facere iuſtitiam corrigendo iura & mutando: Nã plenitudinẽ obtinet poteſtatis. Adde his, quòd Papam tunc quoque à quoquam reprahendi debere negant, ſi animas ſecum cateruatim ad inferos rapiat. Et hi ipſi ſunt, quorum omnium nomine Bonifacius Octauus Canonem de Maioritate & Obedientia ædidit, cuius hæc eſt concluſio: Porro ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus omnino eſſe de neceſsitate ſalutis. Quis hic non agnoſcat illud Danielis de cornu illo Antichriſtiano dicentis: Fuerunt in iſto oculi hominis, & os loquens grandia? Et rurſum: Tũ ſpectabam præcipuè propter vocem grandium ſermonum, quos cornu loquebatur. Quàm verò pauci ſunt hodie reuelata lucis Euangelicæ tempore, quos iſta moueant & offendant? Ioram Iſraëlis princeps, parum aliâs laudatus, olim veſtes ſcidit, cùm Syriæ Rex ab ipſo per literas peteret, vt Naamanũ à lepra purgaret. Impium enim & blaſphemum eſſe putabat ab homine poſtulare quod in ſolius Dei poteſtate eſt. At hodie atroces illas & Sodomæ incendio dignas blaſphemias, ſub quarum pondere terra fatiſcit, potentiſsimi Reges & principes tum multo ſuorum ſanguine defendunt.

Chriſtus propter ueritatis confeſs. damnatur.

Sed vt reuertamur vnde digreſsi ſumus, Pontifex primus de Chriſti reſponſo pronuntiat: Blaſphemauit: quid amplius egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius. Quid vobis videtur? Egregius ſanè iudex, qui priuſquam aliorum ſententias roget, quid illi dicere debeant, præſcribit. Sed hunc illi morem fuiſſe, ex ea actione apparet, quam Ioann. Cap. vndecimo deſcribit: vbi pro imperio eos omnes corripit & obiurgat, qui non ex eius arbitrio loquebantur. In præſenti tamen non multa correptione aut vi opus fuit. Nam eadem omnium animis ſententia inſidebat, & ideo Caiaphæ ſubſcribunt, & mortis ſupplicio dignum eſſe pronuntiant. Ergo cùm de multis prius accuſauiſſent Chriſtum, & falſis quoque teſtimonijs eum conuincere conati eſſent, nunc tamen propter ſolam veritatis confeſsionem damnatur. Solet hoc ipſum hodie quoque fieri. Accuſantur quidem pij, quòd multa iniuſtè, multa ſeditioſè, multa impiè faciant atque dicant. Colliguntur vndique teſtimonia, quib. crimina iſta probentur. Poſt multa autem, vnica damnationis ipſorũ cauſa eſt, libera fidei in Ieſum Chriſtum confeſsio. At neminem hoc offendere debet: quin potius eorum quæ illi acciderunt conſideratione nos ad certamina iſta præparemus: et agnoſcamus hoc ſingulare Dei conſilium, qui nos, quoad crucem, Filio ſuo conformes facit, vt cum eodem in cœlis viuamus & regnemus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT XXIII.

HOMILIA CCIII.

TVm ſurgens vniuerſa multitudo eorum, duxit eum ad Pilatum. Cœperunt autem eum accuſare, dicentes: Comperimus iſtũ peruertere gentem, & vetare tributa dare Cæſari, dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu ne es Rex Iudæorum? Ipſe verò reſpondens ei dixit: Tu dicis. Ait verò Pilatus ad principes Sacerdotũ & turbam: Nullam inuenio noxam in hoc homine. At illi inualeſcebant, dicentes: Concitat populum, docens per vniuerſam Iudæam, exorſus à Galilæa huc uſque.

IOannes Apoſtolus & Euangeliſta non minus verè quàm grauiter de æterno Dei Filio in carne manifeſtato pronũciat: In ſua venit, at ſui illũ non receperũt. Poteſt hoc multis probari, ſi totam eius hiſtoriã ex ordine cõſideres: omniũ tamen euidentiſſimũ eſt, quod in paſſionis eius narratione proponitur argumentũ. Fuit enim Iudæorum gens electum illud Dei peculiũ, quod is ſibi cõſecrarat, & ex illis Chriſtus, quoad carnẽ, natus eſt. Eidẽ verò Pater in omnes gentes ius dedit, & has illius hæreditatẽ ſiue patrimoniũ eſſe voluit, vt Dauid Pſal. 2. teſtatur. Quis verò ex Iudæis aut gentibus venientẽ agnouit? quis debita obedientia et fide illum excepit? Inter Iudæos certè (ſi paruulas illas reliquias excipias, quas ex cõmuni gentis excidio ſaluas fore, olim Prophetæ prædixerant) omnes hominũ ordines aduerſus illũ conſpirauerũt. Principes impiæ coniurationis fuerunt qui minimè debebant, Sacerdotes nimirum et Scribæ, quorũ erat de illo teſtari, & populũ ei adducere. Cõiungunt ſe iſtis Seniores, qui in Repub. eminebant. Vtroſq; ſequitur mobile vulgus, in quo alij magiſtratibus, alij Sacerdotibus adulari iampridẽ aſſueuerãt. In vulgo etiã fuerunt ſerui, qui toti ab herorum nutu pendebant. Et hi quidẽ ſimul omnes collecti illũ gentibus prophanis tradunt, vt ab his in crucẽ ſuffixus diro & infami ſupplicio vitã finiat. Inter gentes autẽ ſimiliter omnis loci & ordinis homines manus atq; linguas ſuas aduerſus illum acuerunt. Illudit ei Herodes rex, damnat Romani Imperij ac Cæſareæ Maieſtatis nomine Pilatus Iudææ Præſes, in crucẽ agunt milites: & poſtea cùm illius doctrinã in toto orbe prædicarent Apoſtoli, vbiq; locorũ philoſophos, opifices et quoſuis obuios contra eum inſurrexiſſe conſtat. Non autem abſq; peculiari prouidentiæ Dei decreto hæc facta eſſe putabimus. Oportuit enim ita fieri, vt traditi & occiſi Chriſti reatus ad omnis ordinis & loci homines extenderetur, ne aliquis ordo ſe à tanto ſcelere immunem poſſet dicere, & proinde omnes ad huius meritum ſibi confugiendum eſſe ſentirent. Adhæc ſeruit iſtud nobis contra ſcandalũ, ad quod multi offendunt quãdo hodie quoq; fidem in Chriſtum eiusq; doctrinam vniuerſali quodammodo totius mundi & omnium ordinum conſenſu damnari vident. Sed accedamus ad præſentis loci tractationem, cuius ſumma modò capita percurremus, cum de omnibus in Marci & Ioannis expoſitione copioſius ſit dictum.

Primò, vt ad Romanũ Præſidem ductus ſit Chriſtus narratur: Tum ſurgens vniuerſa multitudo eorum duxit eum ad Pilatũ. Videtur quidem de ſolis Sacerdotibus, Senioribus & Scribis hoc dici: at paulò poſt hos à turba diſtinguit: vnde colligimus, populum capti Chriſti fama excitatum ad Caiaphæ domũ confluxiſſe, & illos hoc comitante illum Pilato occidendum tradidiſſe. Quod ita fieri oportere ille prædixerat his verbis: Ecce aſcendimus Hieroſolymã, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum ac Scribis, & condemnabunt eum morte, TRADENTQVE EVM GENTIBVS ad hoc vt illudant ac flagellent, & crucifigant. Fuit autem hoc facinus multò indigniſſimum. Nam illos Chriſtum propter doctrinam & religionem accuſaniſſe conſtat: imò cauſa totius hic ſtatus fuit: An Ieſus iſte ſit Chriſtus, id eſt, Vnctus Dei et promiſſus humani generis redemptor. Itaq; dum hunc Pilato tradunt, ſimul cauſam iſtam, ex qua omnis illorum religio dependebat, hominis ethnici & prophani iudicio ſubijciunt, & vt Chriſtus è medio tollatur, cũ eo tam poſſunt conuenire, qui multa in gentem ipſorum iniuſtè, multa hoſtiliter & crudeliter geſſerat: ſicuti in hiſtorijs eſt videre. Sic olim Iacobi Iſraelis filij Ioſephum fratrẽ Madianitis vendiderunt, & horũ opera ad eum tollendũ vſi ſunt, quem non alia de cauſa oderant, quàm quòd eum nequitiæ & libidini ipſorum obſtare viderent. Et prodeſt huius nunquam obliuiſci, quando eandem ſeruorum ſuorum ſortem fore ille prædixit: nimirum, vt parentes aduerſus filios inſurgant, & cuiuſq; hoſtes acerrimi ſint domeſtici eius. Neq; hoc cuiquam mirum videri debet. Sunt enim omniũ acerbiſſima odia, quæ religionis cauſa ſuſcipiuntur. Nam vt hæc, ſi vera fuerit, homines Deo, & viciſſim illos inter ſe mutuo obſtringit, vt in vnum quaſi corpus coaleſcant: ita ſi qui falſam ſecuti fuerint, non poſſunt non totis animis excandeſcere aduerſus illos, quos ab ſe ſeceſſionem facere vident, & quorum ore atq; exemplo ſuperſtitiones ipſorum arguuntur. Similiter qui à Veritate deficiunt, etiam huius ſectatores oderunt, & omnes perditos vellent, ne quos haberent ſuæ leuitatis accuſatores: adeò vt in prouerbiũ abierit, Omnẽ apoſtatã eſſe perſecutorẽ ſui ordinis. Exempla huius mali multa hodie aduntur: nec eſt quòd Iudæorũ iniquos & crudeles in Chriſtũ animos miremur, quando hodie multi ſunt, quos non pudet ad Turcarũ tribunalia cultoribus Chriſti propter ſolam doctrinã & religionẽ lites

Chriſtus Romano præſidi traditur.

Matth. 20.

mouere: vt nũc eos taceã, qui hoſtem barbarũ è longinquo accerſunt, qui inter fratres germanos, cognatos, affines, cõiuges deniq; diſsidia ſerunt, per quæ purior Dei cognitio cum pijs oĩbus opprimatur. Sunt hæc multis dura & acerba admodũ: ſed tunc nobis exemplũ Chriſti in mentẽ veniat, et Prophetæ cõſilium ſequamur, qui eadẽ ſui ſeculi hominibus propter effrenem morũ licentiã denuntians, ſimul admonet, quid tunc pij facere debeant.

Mich. 7.

Ne credatis (inquit) amico, ne ſperetis in duce: ab ea quæ dormit in ſinũ tuo, cuſtodi oſtia oris tui: Quia filius contumelia afficit patrem, filia ſurgit cõtra matrem ſuam, nurus contra ſocrum ſuam, inimici cuiuſq; ſunt domeſtici eius: EGO AVTEM AD DOMINVM SPECTABO, expectabo Deum ſalutis meæ: exaudiet me Deus meus. Loquitur hæc Micheas in communi omnium credentium perſona, qui & ipſi in tanta hominum perfidia Dei præſidio tuti erunt. Qui verò Iudæorum crudelitatem atq; perfidiam imitantur, eaſdem aliquando pœnas Deo & communi patriæ exolu‍ent, quas illi ſenſerunt.

Vulgi ingrati inconſtantia.

Priuſquam autem ab hoc loco diſcedamus, vulgi quoq; inconſtantiam atq; ingratitudinem obſeruaſſe proderit. Secuti ſunt paulò ante Chriſtum magnis turmis, adeò vt concurſus ille, qui ad ipſum fiebat, Sacerdotibus ac Senioribus formidabilis eſſet. In templo item audici ſunt, qui de ipſo teſtarentur, & Meſsiã (ſiquidẽ quis alius venire debeat) ſigna maiora facere poſſe negarent. Deniq; in eius ad vrbẽ aduentu omnes attoniti magnũ quid animo cõcipiebant: neq; repertus eſt, qui eius conatui ſeſe opponeret, cùm templi & cultus externi repurgationẽ magno cũ periculo coniunctã aggrederetur. Tanta fuit apud oẽs diuinæ potentiæ in miraculis eius ſeſe exerentis authoritas. Nunc autẽ, quãdo hoſtiũ inſidijs interceptũ, et publica Concilij authoritate damnatam eſſe vident, ſubitò omnis illa ſpes in fumũ abijt, nec modò de illo honorificè ſentire deſinunt, ſed principũ ſuorũ partes ſequuntur, hisq; adſunt, vt tam hoſtiũ quàm totius populi nomine & conſenſu Pilato tradatur. Quid, quòd paulò poſt Sacerdotũ verbis eò ſe adduci patiuntur, vt illum ad crudele crucis ſuppliciũ depoſcant furioſis atq; ſeditioſis clamoribus? Eſt hoc memorabile exemplum, quo docemur, quàm nihil tribui debeat vulgo ignobili, & quàm parum rebus ſuis conſulant, qui ab huius multorũ capitum beſtiæ fauore pendent, quo nihil incertius, nihil inſtabilius aut mutabilius eſſe, omnium gentium hiſtoriæ teſtantur. Vt enim mare partim æſtu naturali fluit ac refluit, partim ventis hinc inde agitatur: ita populus innata inconſtantia nunc in has nunc in illas partes tranſit, & ſi noua aliqua fortunæ mutatio accedat, ſubitò totus à priſtina mente aut inſtituto alienatur. Fit ergo, vt qui rempub. ſuis curis & laboribus vehementer iuuarunt, tandem non ſolùm ingratos, verumetiã acerrimos hoſtes experiantur eos, pro quibus ipſi ſæpe periclitati ſunt, & proprium ſanguinẽ depoſuerunt. Pertinent huc quæ olim Athenienſes in Photionem, Ariſtidem, Themiſtoclem, Romani in Scipiones, Ciceronẽ & ſimiles deſignarunt. Imprimis tamen hoc in religionis et fidei cauſa fieri ſolet quã maior hominũ pars vtilitate & quæſtu metitur. Feruent ergo pleriq;, quãdo Dei Verbũ prædicatur, in quo multa de libertate filiorũ Dei, de peccatorũ remiſsione & gratia Dei dici audiũt. Quia enim iſta carnis ſenſu accipiũt, ex illis ſibi immunitatẽ ab oneribus publicis, opes, dignitates et quiduis audendi licentiã pollicentur. Quàm primùm verò hæc ſpes eos fallit, animos mutãt, ſe turpiter deceptos eſſe querũtur, hoſtes deniq; fiunt omniũ nocentiſsimi, qui & vi aperta & proditorijs artibus omnẽ de Chriſto doctrinã extinguere ſatagunt. E hi omnes ad illorũ numerũ pertinent, quos ille in ſementis parabola πρόσκαιρους ſiue tẽporarios vocat, eò quòd vel præcocium fructuum ſimiles non diu durant, vel quòd pro temporum ratione ſuam de fide & religione ſententiam mutant. Fiunt hodie multa huius generis, quæ neminem debent offendere. Quid enim aliud faciat mundus hic, qui in ſola inconſtantia ſua conſtans eſt? Quid homines aliud faciant, quos natura mendaces eſſe Spiritus Sanctus per Dauidem teſtatur? Soletur autem nos, quòd Domini Verbum in æternum manet, & quòd coronam iuſtitiæ ſuis præparauit Deus, quam certò conſequentur, qui in finem vſque perſeuerauerint.

Sacerdotes nolunt ingredi Prætorium.

Sed tempus eſt videre, quales in hac cauſa non minus turpi & inhoneſta quàm impia Sacerdotes ſeſe geſſerint: vbi eos cũ hypocriſi & iniuſtitia impudentiſsimã arrogantiã coniunxiſſe videbis. His enim artibus & armis opus erat, cùm ſe peſsimã cauſam agere nõ poſſent ignorare. Occurrit inter hæc primum, quod Ioannes annotauit, illos noluiſſe in Prætoriũ ingredi, ne loci prophani contactu polluerentur, & indigni fierent qui epulum paſchale manducarent. Fuit hæc hypocriſis cum ſtupida ignorantia coniuncta. Prætorium enim, quod iuſtitiæ domicilium erat, pro prophano ducunt, quaſi verò

omnis

nis ſanctitas Templo & Synagogis eſſet alligata. Quo errore noſtri etiam Papiſtæ religionẽ & ſanctitatem templis per ſuos Suffraganeos conſecratis aſtringunt, curias verò & iudicum tribunalia prophana loca eſſe ducunt: neq; eo contenti, magiſtratus quoq; & iudices ignominioſo ſecularium nomine notant, quaſi inter prophanos huius ſeculi filios, nõ autem inter filios Dei, qui omnes à Spiritu Chriſti, quem acceperunt, Spirituales dicuntur, cenſeri debeant. Quantò rectius Romani, qui ne Reipub. gubernationem à ſacris & religione alienam facerent, Iouem Capitolinum coluerunt, cui in præcipuo vrbis loco, vbi res ad Rempub. pertinentes tractabantur, templum conſtituerunt. Mirum ergo eſt iſtos tam ſtupidos fuiſſe, qui ex Scripturis didiciſſe debebant, Deum ipſum iudicum conſeſſibus medium intereſſe. Peperit ignorantia iſta ſuperſtitionẽ & ſimulatum ſanctitatis ſtudium, vt à loco illo abhorrerent: quod quàm præpoſterè & ridiculè fecerint, ex eo apparet, quòd innocentem ea ipſa hora damnauerunt, & nunc eundem prophano homini tradunt. Quid, quòd de epulo paſchali ſoliciti, eum produnt impiè, qui eo adumbrabatur, & qui verè Agnus ille Dei eſt, qui tollit peccatũ mundi? Quid hoc aliud fuit, quàm culicem colare, camelum autem deglutire? Ita verò fit, vt proprio iudicio ſeſe prodat hypocriſis. Solet hoc ipſum multis hodie euenire, qui religionem & ſanctitatem in externis conſiſtere ſibi perſuaſerunt. Exempla quæ alibi commemorauimus, & quæ paſſim occurrunt, repetere non eſt opus.

Vt autem idem Ioannes ſcribit, ipſis in Prætorium ingredi non volentibus, Pilatus foras ad ipſos egreditur (quod non contemnendũ eſt modeſtiæ & æquitatis ciuilis exemplũ) & quærit quid nam deſignarit Ieſus, quem ideò ad ſe duci non potuit ignorare, vt occideretur. Ipſi verò, tùm ſibi malè conſcij eſſent, hoc agunt, ne quam accuſationẽ inſtituere cogantur: ideò ſuperbè ac inſolenter nimis ſuam authoritatẽ vrgent, dicentes: Si hic non eſſet nocens, non tradidiſſemus eum tibi. Quaſi verò nihil vnquã deſignaſſent, cuius cauſa ipſorum actiones atq; ſtudia ſuſpecta eſſe deberent: cùm omnibus nota eſſent, quæ circa doctrinæ deprauationẽ, ſacrorum nundinationem & totius cultus prophanationem quotidie ab ipſis fiebant. Sed hoc illud argumentũ eſt, quo hodie multi Pontificũ & Monachorũ ſanguinaria aduerſus homines verè Chriſtianos cõſilia excuſant. Niſi (inquiunt) turpiter & impiè iſti errarent, niſi hæretici eſſent Deo exoſi & religionis peſtes, nunquã certè à patribus illis ſanctiſſimis damnarentur. Egregia ſanè ratio. Quaſi verò nihil vnquã illi aduerſus iuſtitiæ et pietatis leges perpetrauerint. Iſtis hæc dicãtur, qui Simoniacas illorũ hominũ artes, prodigioſas libidines, veneficia et alia atrociſſima flagitia ignorant. Illis hæc ratio ingeratur, qui illorum artibus proditorijs iam per ſecula aliquot principes circũuentos, et orbẽ terrarum bellis ciuilibus atq; externis turbatum eſſe neſciunt. Imò bonos, ſanctos & Veritatis ſtudioſos eſſe oportet eos, quos iſti nõ poſſunt ferre, quorũ nequitia toti mundo nociſſima eſt. Veruntamen meritò deploramus noſtrorũ temporũ cæcitatẽ, quãdo potentiſſimi reges hoc tam ludicro argumento ſeſe decipi patiuntur, vt vel bella nõ neceſſaria in nihil hoſtile meritos ſuſcipiãt, uel in propriũ populũ præter omne fas ferro et igne horribiliter graſſetur. Pudeat illos à Pilato iuſtitia & æquitate ſuperari: qui etſi inter Sacerdotes authoritate multa graues et Chriſtũ, hominẽ quoad mũdi iudiciũ nullius pretij, iniquiſſima eſſet cõparatio, noluit tamẽ hunc in illorũ gratiã cauſa incognita dãnare, ſed cũ indignatione impiã hanc inſolentiã reijcit, dicẽs: Accipite eũ vos, et ſecundùm legẽ veſtrã iudicate eum, &c. Cogitate quæſo ô principes, pretioſam eſſe in oculis Domini mortẽ ſanctorũ eius, & principũ eſſe, vt populi ſui ſanguinẽ pretioſum ducãt. Pſal. 116. & 72.

Sacerdotiũ arrogantia.

Porrò cùm Sacerdotes Pilatus tam grauiter increpuiſſet, illi accuſationem eiuſmodi inſtituunt: Cõperimus iſtũ peruertere gentẽ, & vetare tributa dare Cæſari, dicentẽ ſe Chriſtũ Regẽ eſſe. Paucis verbis tria crimina grauiſſima cõprehendunt. Primũ, quòd gentẽ peruertat. Id verò ad doctrinã referri debet, qua ab illo populũ rudem & ſimplicẽ ſeduci queruntur. Quàm verò indignè hoc faciant, ex eo apparet, quòd ipſi ſeductores erant peſſimi. Nam quæ Dominus docebat, ea ex Moſe & Prophetis poterant demonſtrari: et verè licuit illi dicere: Doctrina mea nõ eſt mea, ſed eius qui miſit me. At illi cum Lege humanas traditiones miſcuerãt, quibus verus illius ſenſus & vſus omnino deprauatus et extinctus erat. Agnũ ergo accuſant lupi, & huic crimen intentãt, quo ipſi maximè tenebãtur. Alterũ ad rempub. ptinet, & ſeditionẽ ſpirat, quando illũ prohibere aiunt, ne Cæſari tributa dentur: Vbi impudentiã illorum magis aut iniuſtitiã atq; calumniã admirêre neſcio. Recens etenim adhuc erat diſputationis cum illo de hac re inſtituta memoria, in qua adhibitis in ſocietatẽ Sadducæis et Herodianis

Capita accuſationis contra Chriſtum.

quæſtionẽ hanc propoſuerũt: Num liceat cenſum dare Cæſari? Quid autẽ ille? Cùm denariũ ſibi exhiberi iuſsiſſet, & de eius inſcriptione ipſ[illegible]s interrogauiſſet, proprio oris teſtimonio cõuictis dixit: Date quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Et hæc quidem nõ in angulo obſcuro, ſed in vrbe Hieroſolyma, ſed in tẽplo, imò in frequenti multorũ auditorũ corona ille dixerat. Audent tamẽ hanc illi mouere calumniã, neq; verentur, ne quis ex populo iſtud audiens, rei indignitate offenſus illos mendacij arguat. Tanta eſt hypocriſis audacia. Et ſimul nouo rurſus argumẽto populi iſtius ingratitudo atq; leuitas arguitur, quando in tanta multitudine ne vnus quidẽ reperitur, qui tam impudentẽ mendacio cõtradicat. Ne tamẽ abſq; omni ratione iſtud dicere videantur, tertio crimine alterũ iſtud probare ſtudent, quod nimirũ ſe Chriſtũ illũ populi Dei Regem eſſe glorietur. Quia enim reges tributa nõ alijs ſed ſibi dari volunt, credibile videri poterat, Ieſum, ſi regnũ ſibi in illa gente vendicaret, nõ permiſſurũ poſthac, vt tributa amplius Cæſari darentur. Fuit autẽ hoc quoq; cum turpi ignorantia & calumnia coniunctũ. Quæ enim de regno Chriſti ſpirituali in Prophetis dicũtur, illi de terreno exponunt, vt ſæpe iam diximus: & cùm nõ poſſent ignorare, nihil huius vnquã illũ dixiſſe, imò fugiſſe Ioan. 6. *etiam, quando populus ipſorũ falſis traditionibus ſeductus eum voluit Regẽ creare, impudenter tamen hoc quoq; prioribus audent adijcere. Et hæc quidẽ præcipua ſunt, de quibus Veritatis miniſtri in hoc mundo accuſantur. Seductores eos eſſe dicunt ſuperſtitionũ magiſtri, cùm illi vnum Chriſtũ prædicent, qui eſt Veritas, Via & Lux. Vt verò principes quoq;, qui religionis cauſam ferè non magni faciunt, aduerſus illos prouocentur, alia crimina coniungunt, quæ ad rempub ſpectant. Dicuntur ergo rebus nouis ſtudere, populũ contra magiſtratũ concitare, leges et receptos mores euertere, pacẽ publicam turbare, deniq; cum patriæ cõmunis hoſtibus colludere, & nihil tam abſurdũ & iniquum eſt, quod non liceat fingere ijs, qui ſemel contra Veritatẽ coniurauerunt. Factũ eſt hoc olim Prophetarũ temporibus, & Apoſtolos iiſdẽ criminibus grauatos fuiſſe, non vno loco oſtendimus. De veteri Eccleſia, quid dicere attinet, quando omnes hiſtoriæ teſtantur, Chriſtianos hoc potiſsimùm nomine ad diros exquiſitiſsimorũ tormentorũ cruciatus abreptos fuiſſe, quòd noua de religione doctrina veteres cultus abolerent, ipſi cœtus nocturnos haberent infandos & ſceleratos, quòd item deorũ iram prouocarent, quòd propter illos ceſſarent oracula, & orbis terrarũ infinitis plagis mulctaretur. Et hodie vulgò iſta audiuntur, nec aliud tam tritum eſt, quàm quòd ſacrorũ & Diuorum cœlitum hoſtes & reipub. turbatores dicimur, qui toti in hoc ſumus, vt Deo vni omnis cultus exhibeatur, vt Chriſtus ſupra omnes emineat, & huic ceu capiti ſuo omnes vniantur, & in illo vitam viuant piam, pacificam & Chriſtiana profeſsione dignam. Sed non offendat aliquem iſta calumniarum licentia. Nouit enim innocentiam noſtram Dominus, & idem memoriam ſuorum tuetur.*

Pilatus Chriſtũ interrogat de Regno.

Redeamus nunc ad Pilatũ, qui de doctrina non multum ſolicitus, quod inter reliqua præcipuũ erat, examine diligentiori dignum putat: & meritò quidẽ, quando in Iudæã ideò miſſus erat cum imperio, vt motus nullos oriri pateretur, & pacem publicã cuſtodiret, deniq; prohiberet, ne qui in ſeditioſa Iudæorum gente regnum affectantes cum Parthis conſpirarent, qui Imperij Romani hoſtes erant grauiſsimi, & non ita pridem Craſſum & legiones Romanas cum victricibus illis aquilis horribili clade oppreſſerant. Itaq; Ieſum ex populi tumultuantis turba in Prætorium introductum interrogat: Tu ne es Rex Iudæorum? Sciebat enim illos regem quendã in ore habere, qui populum in libertatẽ vindicaturus eſſet. Et quia ex officio in hanc cauſam inquirit, nequaquam illum Chriſtus reſponſo dedignatur, ſed ingenuè & diligenter ſe Regẽ eſſe profitetur, ſimulq; totam regni ſui rationem deſcribit: quæ omnia Ioannes prolixè narrat, Lucas autẽ vno verbo rem omnẽ expedit. Et eſt obſeruatu digniſsimum Chriſti exemplum, quem non puduit cum prophaño iudice de regno ſuo colloqui, & ad eius quæſtiones amicè reſpondere, quoad ille officium faciebat, nec à ſolita & æqua iuris dicendi forma diſcedebat. At hodie Anabaptiſtæ in hoc omnem pietatis & ſynceræ religionis zelum conſiſtere arbitrantur, ſi magiſtratus clament tenebrarum poteſtatem eſſe, ſi & iudices & Eccleſiarum miniſtros non ſolùm reſponſo dedignentur, ſed inſuper ſcurrilibus dictis pungant, & conuitijs quoq; diris obruant. Mirum hominum genus, qui cùm abſq; omni legitimæ vocationis teſtimonio vbiq; locorum Reſpub. & Eccleſias turbent, nemini tamen eorum rationem reddere volunt, quæ dicunt & faciunt. Sed ſufficit illis conuincendis vel ſola iſta proteruia & contumacia, quæ ſatis docet, quàm procul abſint à Spiritu Chriſti, quo maximè gloriantur.

Cæterùm

Cæterùm audito Chriſto, facilè intelligit Pilatus illum iniquè & per calumniã accuſari, ideoq́ foras egreſſus, disertè eum innocentẽ eſſe pronunciat. Nullam (inquit) inuenio noxã in hoc homine. Eſt hoc magnum innocentiæ Chriſti teſtimoniũ, cuius hic nobis vſus eſſe debet, vt quando ipſe nulla propria culpa mortis ſuppliciũ meruit, illum propter nos hoc omne ſuſtinuiſſe, firmiter credamus, vt ſuo merito noſtrã noxã expiaret. Quod vt non intelligunt Sacerdotes & Seniores, quos auaritiæ & ambitionis affectus totos extæcauerat: ita neq; calũniæ eos pudet: & quàmuis ſe in mendacio depræhenſos eſſe ſentiant, tamen primum accuſationis caput denuo vrgent, crimenq́ amplificãt, dum doctrina eius populũ concitari dicunt, ſimulq́ quàm longè lateq́ iam ſparſa ſit, oſtendunt: ne Pilatus rem hanc nullius momenti eſſe exiſtimet, quæ abſq; periculo poſſit negligi. Clamant ergo: Concitat populũ, docens per vniuerſam Iudæã, exorſus à Galilæa huc uſq;. Vbi verè quidẽ dicunt ipſum tam Galilæam quàm Iudæã doctrina ſua perluſtrauiſſe: falſiſſimũ verò eſt, ꝙ populũ ab ipſo cõcitari aiunt, & in hoc mox ipſe Herodes eos mendacij arguet, vt in ſequenti Sermone audiemus. Et ſolet hoc euenire hoſtibus Veritatis, vt quò magis inſaniunt, quoq; impudentius calumnias congerunt, eò magis propriam infamiã prodant, pluresq́ inueniãt mendaciorũ ſuorũ reprahenſores. Nunc verò iſta nos admonere debent, vt maiori ſtudio noſtrã innocentiam tueamur, quando nos ſcimus tam iniquos et impudentes habere noſtrarũ actionũ atq; conſiliorum iudices. Interim non moueant nos illorũ calumniæ, quo minus fortes ſimus in Chriſto Ieſu, qui & olim iſtorum impudentiam arguit, & in ſuis quoq; de mundo eiusq́ principe triumphabit. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Pilatus Chriſtũ pronunciat innocentem.

HOMILIA CCIIII.

Pilatus verò audita Galilæa, interrogauit nũ Galilæus eſſet. Et cùm cognouiſſet eum ad Herodis poteſtatẽ pertinere, remiſit eũ ad Herodẽ, qui & ipſe Hieroſolymis erat per eos dies. Herodes autẽ viſo Ieſu gauiſus eſt valde: cupiebat enim à multo tẽpore eũ videre, eò quòd audiret multa de eo: & ſperabat ſe ſignũ aliquod viſurũ ab eo fieri. Interrogauit autẽ eum multis ſermonibus: ſed ipſe nihil ei reſpondit. Stabant autem principes Sacerdotũ & Scribæ magna contentione eũ accuſantes. Herodes autẽ cum militibus ſuis, cùm eũ pro nihilo habuiſſet, & illuſiſſet ei, amictum veſte ſplendida remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes eo ipſo die: nam antea inimici erant inter ſe.

EVangeliſtæ ex Spiritus ſancti inſtinctu & ſuggeſtione non ſummatim modò aut ſimpliciter narrant, Dei Filiũ pro nobis paſſũ & mortuũ eſſe, ſed per ſingulas partes diligenter exponunt quid cum illo ſit geſtũ. Cauſa eius diligentiæ eſt, vt magis confirmetur quæ nobis in eius merito repoſita eſt noſtræ ſalutis fiducia, & vt in eius exemplo ſpectemus quæ ſemper credentiũ ſors futura ſit, & quid nos facere cõueniat, ſi quando eadẽ nobis accidunt. Eſt autẽ memorabilis admodum actio illa, quam Sacerdotes & Seniores populi Iudaici contra illum apud Pilati tribunal inſtituerunt. Accuſatus fuit, quòd populũ ſeducat, quòd ſeditioſam rerũ nouationẽ ſiue mutationẽ moliatur, & quòd ipſe ſibi in Iudæa regnum venditet. Sunt hæc vulgaria crimina, quæ hodie etiã intentantur ijs, qui Chriſtũ prædicant, aut hunc vnum Seruatorem ſuum agnoſcunt. Et eo argumento deprahenditur infelix mundi huius peruerſitas, qui dum ſeductores eſſe clamat eos, qui viam ſalutis fideliter monſtrant, interim eos ſibi duces deligit, qui per mille ambages ducunt ad interitum: ſeditionis item accuſat eos, qui magiſtratuum autoritatem ſedulò tuentur, eos autem in pretio habet, qui & immunitatem ſibi quærunt, & Regũ quoq; capitibus inſolentiſſimè inſultant, deniq; regni affectatores eſſe dicit eos, qui omnes vni Chriſto ſubijci volunt (quæ vnica & certa hominis ſalus eſt) illorum autem blanditijs ſe circunduci ſinit, qui hoc vnum agunt, vt ſuum regnum ſtabiliant. Vtq; olim Chriſtus minimè dimiſſus eſt, etiamſi eius innocentia ipſis quoq; iudicibus notiſſima eſſet. ita hodie nulla excuſatio admittitur, ſed eos quoq; pro ſceleratiſſimis mori oportet, qui nullius criminis poſſunt conuinci. Id verò in eo, quem nunc recitauimus, loco euidentiſſimè patebit, quo noua actio deſcribitur, quæ coram Herode contra illum inſtituta fuit.

Pilatus cauſam Chriſti abs ſe ad Herodem remittit.

Cauſam & occaſionē ei præbuit Pilatus, qui quàmuis eius innocentiā ſatis cōpertam haberet, & de illa publicum tuliſſet teſtimoniū, videns tamen illum abſq; inuidia magna dimitti non poſſe, carnē in conſiliū adhibet, hoc vnum quærens, vt cauſam hanc totam abs ſe reijciat, et ita ſimul ſeſe inuidia & odio liberet. Nam audita Galilææ mentione, num inde oriundus ſit quærit: & hoc cognito, illum ad Herodem Galilææ regem tranſmittit. Nec dubium eſt, quin hoc conſilium ipſi vehementer placuerit, quod & tutiſſimum et honeſtiſſimum videbatur: ſed ſi rem paulò diligentius excutiamus, non vno modo ipſum peccauiſſe patebit. Primò iniquus & iniuſtus eſt, quòd quem innocentem eſſe ſciebat, non liberat ex calumniatorum manibus, ſed nouo periculo obijcit. Deinde plus quàm ſeruilis, imò ſcelerata ignauia eſt, quòd hominis innocentis ſanguine Sacerdotum & Seniorum gratiam redimere ſtudet, quorum nequitiā non poterat ignorare. Adde his, quòd neq; Romano Imperatori ſatis fidelis eſt, dum eū, qui Hieroſolymæ captus & ſuæ poteſtati traditus erat, Herodi ſubijcit. Quid enim hoc aliud erat, quàm ſuo iure cedere, & Imperatoriam Maieſtatem inferiorum magiſtratuum ſubſellijs ſubijcere? Terreri ſaltē debuerat L. Flaminij exemplo, quē Porcius Cato Cenſor è numero Senatorū mouerat, quòd in prouincia quendā iure et legitimè damnatū ſecuri percuſſiſſet eo tēpore & eo in loco, quæ ad ſupplicij huius executionē meretricula eius delegerat, quæ ſpectaculo nunquam abs ſe viſo oculos oblectare cupiebat. Quantò autē grauior Pilati culpa fuit, qui innocentē & quem paulò ante propriæ vocis teſtimonio abſoluerat, diſcrimini vitæ obijcit, vt hominibus peſſimis rem gratā faciat, quos alioqui oderat, & quorū nulla extabāt in rempub. Romanā merita? Sed nō erant amplius ea tempora, quando Cenſoria maieſtas potentiſſimorū quoq; licentiam coercebat: quare hoc Pilati factū meritò inter argumenta ea recenſeri poteſt, quæ reipub. ſtatū tunc modis omnibus corruptiſſimū fuiſſe probāt. At ex hiſtorijs conſtat, ab eo tēpore res Romanorū in peius prolapſas fuiſſe, adeò vt non multos poſt annos ſublata in Nerone Cæſarum ſtirpe Imperiū prædæ eſſe cœperit, quādo illud milites pro ſua libidine modò in hos modò in illos transferebāt, ſub quibus feliciter militauerāt.

Ingenium principum, qui religionem neſciunt.

Exprimitur autē in hoc exemplo ingeniū principū, qui nulla veri Dei cognitione & ſtudio religionis illuminati ſunt. Habent hi præclarā ſæpe iuris & legum cognitionē, interdum quoq; iuſtitiā politicam amant, & hanc omnino ſaluā vellent, quia ſine illa neq; rempub. neq; pacē inter ciues diu conſiſtere poſſe intelligunt. Ac ijdē pro nemine periclitari volunt, & quàm primùm cauſam aliquā cum manifeſto periculo, aut ſaltē cum inuidia et odio coniunctā vident, toti in hoc ſunt, vt eius cognitionē abs ſe reijciant, et ita fit, vt aliorū libidini ſubijciantur, et omni præſidio deſtituti pereant, qui defendi debebant. Fiunt iſta hodie paſſim publicè & priuatim. Hæc enim cauſa eſt, quòd alij religionis defenſionē non ſuſcipiunt, & hanc inter ſuos intercidere, aut iniquiſſimis conditionibus circūſcribi patiuntur: alij fœdera & pacta violant, dum ſocios in periculo deſerunt, ne aliquos ſibi hoſtes faciant: primatim verò viduæ & pupilli deſeruntur, pauperes cauſis etiā æquiſſimis cadunt, populus vſurarijs ac fœneratoribus præda eſt, qui ſuis monopolijs & artibus infandis oēs grauant atq; diripiunt. Quæ omnes ſurdis auribus prætereunt, qui in repub. primas tenent, modò eos nō offendant ex quibus aut lucrū aliquod ſperari, aut periculū enaſci poteſt. Peccauit in eo Saul queq;, qui cùm ſub initiū regni ſui Iabitas fideliter defendiſſet cōtra Amonitarū iniquam tyrannidē, & à Deo inſigni donatus eſſet victoria, per quā in regno ſuo cōfirmatus fuit, poſtea ignauior factus ſua ambitione oīa peſſundedit. Ignauiæ iſtius argumentū fuit, ꝙ magnus eorū numerus, qui ære alieno grauati et animo amaro erant, ad Dauidem, quem idē ille eiecerat, profugerunt. Vnde enim illā animi amaritudinē exortam fuiſſe

1. Sam. 22.

putabimus? Ex eo nimirū, quòd potentioribus & opulentioribus omnia licerent, & per hos multi ad egeſtatē redigerentur, multi alijs iniurijs afficerentur, qui ius ſuum obtinere nō poterant, & tribunalia omnia ſibi præcluſa eſſe videbant. Quid enim multis alijs acciderit, ex Dauidis hiſtoria conijcere poſſumus, qui in Pſalmis de eo paſſim cōqueritur, quòd nemo inueniretur, qui cauſam ſuam vellet vel auderet cognoſcere. Sed vtinā ignaui illi meminiſſent, nihil profici eiuſmodi artibus, et fruſtra hominum potentia & fauore eos niti, qui Deum ſibi inimicum habent. Atqui conſtat amicitiā mundi huius, quæ impietate & iniuſtitia paratur, inimicitiam eſſe cum Deo. Quid verò tutum aut ſaluum eſſe poteſt ijs, quorum hoſtis Deus eſt, omnipotens ille Dominus exercituum, cui facillimum eſt ſceleratas impiorum conſpirationes euertere, conſilia eorum omnia turbare, & potentiſſimos quoſque ex ſuis ſedibus detrahere? Extant in hiſtorijs paſſim triſtiſſima exempla, quæ docent

infeliciſſimum

infelicißimum eſſe eorum exitum, qui depoſita cura iuſtitiæ innocentes opprimi patiuntur. Si enim ſcelus eſt, ſi homo priuatus eſurienti, nudo, extorri aut morbis malè affecto non ferat opem, quantò grauiorem illorum culpam fore putabimus, qui cùm à Deo ordinati publicæ iuſtitiæ miniſtri ſint, eos negligũt, quos iniquis modis affligi nouerunt? Et ſolet ferè fieri, vt qui propter veritatis & iuſtitiæ cauſam periclitari nolunt, tandem aut volentes propter res turpes & iniquas ſibi malum acerſant, aut etiam inuiti cum improbis illis grauißima pericula ſubire cogantur, quorum iniuſtitiam ipſi ſua ignauia fouerunt & confirmarunt.

Porro videamus, quid apud Herodem geſtum ſit: vbi cum multa & varia inciderint, cõſultißimum fuerit, perſonas ſingulas, de quibus hîc agitur, inſpicere. Primus autem ipſe Herodes occurrit, quẽ cognomine Antipan dictum fuiſſe hiſtorici teſtantur. Fuit hic Herodis illius Magni filius, qui Iudæis libertatem abſtulit, Romanorũ authoritate & fauore illorũ Rex factus, et qui infantes Bethlehemiticos inaudita & plus quàm parricidalis crudelitatis exẽplo trucidari iußit, vt inter hos Chriſtũ quoq; tolleret, quem regem Iudæorũ fore timebat. Noſter verò iſte Antipas patre nihilo melior, ſed (vt prouerbio dicitur) mali corui malum ouum fuit, homo nimirum impurus, coniugalis fidei contemptor, adulter, inceſtus, voluptatibus et vanitati dedicus, & cui luſus iocuſq; erat violato hoſpitij iure, quod gentes quoq; ſacroſanctũ iudicarunt eſſe, vxorẽ fratris rapere, & Ioañem tãti flagitij iuſtißimũ correptorem ſententia mortis inter pocula pronuntiata occidere, vt ſuo loco vidimus. Accedebat his vitijs prophana quædã leuitas, vt quàmuis religionis & doctrinæ cura nulla teneretur, Chriſtum tamen lõgo iam tẽpore videre cuperet, eò quòd ab illo opera miraculoſa fieri audiret. Itaq; hoc illi perquam iucundum et optatum accidit, quòd hunc ipſi Pilatus transmiſit. Iã enim occaſionẽ ſibi oblatam putauit, per quam nouis quibuſdã & nunquam antea viſis ſignis aut miraculis oculos paſceret. Vnde colligimus, eum de Chriſto nihil maius aut honorificentius ſenſiſſe, quàm de circulatore aliquo, qui magicis præſtigijs oculis vulgi & curioſorum hominũ illudunt. Verè ergo nunc Dominus ex Charibdi in Scillam incidit, à Pilato nimirum, inexplebili auaritiæ voragine, ad hominẽ impurum, impudentem & turpißimũ libidinis mancipium transmißus. Facit hoc ad augendũ ignominiam, quam propter nos ille ſuſtinuit, vt nos à ſempiternæ damnationis ignominia liberaret. At ſi noſtra tempora ſpectes, non vnus Herodes inuenietur, & idem paßim illis accidit, qui Chriſtũ hodie prædicant. Herodis certè ingenium atque mores referunt non pauci principes atq; magiſtratus, qui cùm à religione prorſus alieni ſint, Chriſtum tamen per Euangelium ſuum loquentẽ atque agentem videre & audire cupiũt. Audiunt enim ex aliorum relatione, qui ipſorum ferè ſimiles ſunt, mirabilem rerum mutationem per illius doctrinã fieri, monachos & ſacrificulos ex nidis ſuis eijci, traditionũ iugo homines liberari, peccatorum remißionem omnib. gratuitã promitti, in bonorũ eccleſiaſticorum poſſeßionẽ ſub diſpẽſationis melioris prætextu ſuccedere principes et multos alios, qui alioqui vix poſſent cõmodè viuere. Hæc et alia huius generis iſtos excitant, vt ipſi quoq; Euãgelij præcones, qui alijs celebriores ſunt, audire cupiant: & ſi quando in tales incidunt, multa quærunt ex illis, quæ omnia ad eum finem tendunt, de quo modò diximus: de rebus autem cognitu vtilibus et neceſſarijs ne gry quidem loquũtur. Nec multùm dißimiles his ſunt homines plebei, qui et ipſi in Chriſto aut diuitias quærunt, aut peccandi licentiã ſiue immunitatem. Sunt enim in papatu grauamina omnis generis, quibus & corpora & cõſcientiæ premũtur, & illis ipſi ſemel liberari vellent: qualia ſunt ieiunia, cõfeßio auricularis, feriarum multitudo, exequiarum impenſæ, annua ſacra pro defunctis, indulgentiarum vſurarij cõtractus, & infinita alia huius generis. De his ergo multùm & ſolicitè quærunt: at quæ ad puriorem Dei cultum, ad veræ fidei cognitionem, ad carnis mortificationem, ad morum diſciplinã & vitam Chriſtianam faciunt, ea omnia facilè negligunt. Imò interea ſcurriles diſputationes mouent, quibus & Dei præcepta euertere, & omnibus eius promißis atque minis fidem derogare ſtudent. Et hi ſunt, quibus cum Chriſti miniſtris perpetuò res eſt.

Herodes quis & qualis.

Quid ergo faciẽt? Dominũ imitẽtur, qui exẽplo ſuo ipſis præiuit. Nihil reſpõdit ille ad curioſas et inutiles Herodis quæſtiones: nimirũ, quòd animum eius prophanũ probè cognitum haberet. Nã vt apud Ioañem ſcribitur, non opus habuit, vt aliquis de quoquã ipſi teſtaretur, eò quòd ipſemet ſciebat quid in homine eſſet. Qui ergo nos alibi monuit, ne ſanctum canibus proijciamus, aut regni cœleſtis margaritas porcis calcandas ſubſternamus, noluit nunc cum illo multis agere, quem quouis porco immundiorem, & quouis cane rabioſiorem eſſe nouerat. Peccatores quidem, quantumuis miſeros &

Chriſtus Herodem reſponſo dedignatur.

vitijs ſuis infames nũquã ille faſtidiuit, et hodie etiã tales alta voce et magnificis promiſſionib. ad ſe vocat. Conſcientias item peccatorũ pondere preſſas & aſtuantes amicè fouet, & ne vel medicùm micantes fidei ſcintillæ omnino extinguantur, diligenter cauet. Idem tamen à nobis animos humiles, cõ-

Iſa. 66.

tritos & pia reuerentia verbum ſuũ amplectentes requirit, ſicuti per Iſaiã his verbis teſtatur: Ad quem reſpiciam? Ad pauperem & contritum ſpiritu, & qui ad verbum meum contremiſcit. E cõtra

Pſal. 1.

verò illuſores impios atque prophanos non probat, qui eius nomine et verbo ſcurriliter inſultant, aut eo ad ſuam libidinem abutuntur. Imò Spiritus ſanctus eos demũ beatos fore pronunciat, qui in cõſeſſu illuſorum non ſedent. Quia ergo ex horum numero erat Herodes, neque de eodem aliqua pœnitentia ſpes erat, illũ ne alloquio quidẽ aut reſpõſo dignatur. Et ſuo exẽplo miniſtros verbi omnes admonet, ne cum eiuſmodi hominibus non neceſſaria colloquia aut diſputationes temerarias inſtituant, ex quibus nõ aliud quã contemptus & ignominia ſperari poteſt. Hi enim reuera ſtulti illi & deploratè

Prou. 26.

Nabales ſunt, quos Solomon ſcribit diſciplinam et caſtigationem omnem reſpuere, & de quibus ipſe prudenter nos admonet: Ne reſpondeas ſtulto ſecundùm eius ſtultitiam, ne & tu illi ſimilis fias. Et præſtat omnino tacere, etiamſi ſilentio noſtro eos vel ferociores fieri, vel etiam eo ad noſtri contemptum abuti ſciamus, quàm illis nouam aduerſus Dei verbum proteruiendi occaſionẽ præbere: Niſi eiuſmodi reſponſum occurrat, quo vel ipſis inuitis eorum conſcientias altius penetrare, vel eorũ dicacitatem ipſis digno ſcõmate retundere poſſimus. Prioris generis eſt, quod nuper Chriſtus Caiaphæ reſpõdit: Ab hoc tempore videbitis Filium hominis ſedentem à dextra virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Ad alterum genus referri poteſt quod Auguſtinus quendã cuidam petulantius quærẽti, Quid Deus fecerit priuſquã feciſſet cœlum & terram, reſpondiſſe ſcribit: Alta quærentibus gehẽnam parabat. Simul autem huius, quod in præſenti Chriſtus fecit, nos meminiſſe oportet, quando nobis cum improbis hominibus res eſt, apud quos nullus iuſtæ defenſioni locus datur, & quos omnia noſtra vel cum riſu prophano eludere, vel amarulentis calumnijs in alienum ſenſum detorquere videmus. Feramus tunc patienter noſtram hanc ſortem, quæ nobis cum Dei Filio communis eſt. Promiſit is nobis aduocatum omnium fideliſſimum, Spiritum videlicet veritatis, qui vt corda & linguas ſuorum gubernat, ita eorundem memoriam aſſerit atque cuſtodit.

Sacerdotes apud Herodem quoque Chriſtum accuſant.

Priuſquam tamen ab hoc loco diſcedamus, illud quoq; expendi debet, quod de aduerſarijs Chriſti Lucas annotauit. Stabant autem (inquit) principes Sacerdotum & Scribæ magna contentione eum accuſantes. Eo enim facto incurabilem contumaciã cum ſumma impudentia coniunctã amplius produnt. Nam etiãſi apud tribunal Pilati cauſa ſua cecidiſſent, & inſuper in mendacio deprehenſi eſſent, actum tamen agunt, & adhuc vt turbarum & ſeditionum authorem accuſant eum, de quo ne ipſe quidem Herodes quicquam querebatur. Ita nihil pudet eos, qui aduerſus Chriſti doctrinam coniurauerunt: quia enim ipſi Deo bellum mouere audent, nihil non ſibi licere arbitrantur. At ijdem ſimul ſe dignam contumeliam inde reportant, ſicuti in horum exemplo eſt videre. Scimus eos ambitionis plus quàm ſeruilia mancipia fuiſſe, & hanc potiſſimùm ob cauſam cum Chriſto inimicitiã ſuſcepiſſe, quod honori ſuo et exiſtimationi per eius doctrinam plurimùm derogari viderent. At quàm turpiter ſuam exiſtimationem ijdem hîc proſtituunt, quando à Pilati Præſidis tribunali reiecti, nunc maiori cum contentione cauſam hanc apud Herodem agunt, qui quàm nihili eos faceret ſæpe multis argumentis demonſtrauerat, & nunc eo ipſo magis probat, quando ipſos cum Chriſto eò remittit vnde venerant? Doluit hoc procul dubio hominibus ambitioſiſſimis, quòd ſe ne audiri quidẽ viderent à Rege illo, qui ſimul cauſam hanc totam ludibrio habebat. Fiunt multa huius generis hodie, quando perſonati illi præſules magno cum conatu veritatis Euangelicæ doctores apud eos principes accuſant, qui aut cauſam hanc cognitione indignam iudicant, aut illorum ambitionem atque auaritiam iampridem cognitam habent. Eſt quidem reprehenſione dignus contemptus ille prophanus verbi Dei & totius religionis: idem tamen nobis conſolationem non pœnitendam affert, quando

Herodes Chriſtum illuſum remittit Pilato.

videmus hoſtes veritatis ne apud eos quidẽ omnia obtinere poſſe, qui & ipſi hãc contẽnunt et oderũt.

Facit ad huius confirmationem exitus iſtius actionis, quem Lucas his verbis deſcribit: Herodes autem cum militibus ſuis, cùm eum pro nihilo habuiſſet, & illuſiſſet ei, amictum veſte ſplendida remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes eo ipſo die: nam antea inimici erant inter ſe. Duo dicuntur. Primum, quòd Herodes vnà cum viris militaribus & corporis ſui cuſtodibus,

cuſtodibus, qui præſtò aderant, Chriſto illuſerint. Quo loco non exprimuntur quidem verba & conuitia ſiue ſcurrilia dicta, quibus ſunt vſi, ſed in illis non dubium eſt eos petulantiſſimos fuiſſe. Tanta enim fuit illorũ leuitas, vt verba illis non ſufficere viſa ſint, niſi veſtitu quoq; ludicro illũ magis contemptũ facerent. Itaq; veſte ſplendida ſiue alba amictũ Pilato remiſit. Scimus autẽ apud Romanos, quorũ mores Herodes non potuit ignorare, in vſu fuiſſe, vt qui magiſtratũ aut munus aliquod publicũ ambiebant, candidis togis veſtiti ad comitia deſcenderent: eo nimirũ colore, qui ſimpliciſſimus & ab omni mixtione alienus eſt, animi integritatẽ teſtantes & ſyncerũ erga rempub. amorẽ. Ad eum ergo morẽ prophanus homo alluſiſſe videtur, vt Chriſtũ morionis loco haberet, et cũ riſu abs ſe relegaret, vt ſtultum atq; fanaticum regni affectatorem. Quanquam iſta ignominia ad totã Iudæorum gentẽ redundarit, quibus ſpẽ Meſsiæ ſui ſimul exprobrauit hoc facto, quem illos nunquam non in ore habere ſciebat. Quaſi diceret. Faceſſite procul hinc ſtulti & ridiculi homines, qui cùm Regẽ quendã gentis veſtræ vindicem glorioſum & veteris regni inſtauratorem ſubinde expectetis, hunc tamen nõ agnoſcitis. Ego igitur vt & hũc digno honore proſequar, et vobis gratificer, hiſce regni inſignibus cum dono, hac illũ trabea indutum dimitto, & vos ſic ornatum ad Præſidem reducite, vt tam Regis quàm regni veſtri maieſtas omnibus innoteſcat. Et hoc loco adumbratur nobis, quæ ferè Chriſti ſorte ſit intereos quoque, qui ſe Dei populum eſſe profitentur. Maior inter hos ſemper eorũ numerus eſt, qui omnia ea ſuauiter rident, quæ de eius regno & toto humanæ ſalutis negotio dicuntur. Et vtinam non hodie paſſim extarent exempla eorum, qui cùm Euangelij prædicationem cum cruce perpetuò coniunctam eſſe videant, ſimili ſcurrilitate nobis quoque ſpem regni cœleſtis exprobrant.

Herodes & Pilatus amici fiunt.

Alterum eſt, quòd qui prius inimici fuerant, Pilatus & Herodes, nouã amicitiam ineunt. Quia enim Iudæa prius Herodi Magno teſſerat, poſt eius verò mortem prouincia facta & per Præſides adminiſtrata fuit, non facilè conuenire potuit Herodis poſteris cum Præſidibus, cùm hi inſatiabili auaritia accenſi omnia ad ſe raperent, illi verò regni paterni fines in anguſtum redigi indignius ferrent. Hac autem occaſione factum eſt, vt depoſitis odijs aut ſimultatibus nouo amicitiæ fœdere coirent, qui ante hac diſsidebant. Vt enim Herodi gratiſſimum fuit, quòd hominis Galilæi cauſam ad ipſum remiſerat, eò quòd id ad ſuæ iuriſdictionis confirmationem facere videbatur: ita Pilatus gauiſus eſt, quòd tantum haberet iam innocentiæ Chriſti teſtem, de qua ipſe paulò ante pronunciauerat. At dum ſibi mutuò gratificantur, vterque Chriſtum negligit, & huius pretioſo ſanguine ſcelerata iſtorum amicitia ſancitur ſiue redimitur.

Mores principum.

Eſt autem exemplum hoc multa conſideratione digniſſimum. Nam quaſi in tabula depictos nobis exhibet mores principum, quos nulla religionis & gloriæ Dei cura tangit. Ardent iſti auaritia & ambitione, & vt ſui imperij aut poteſtatis ſuæ conſortes ferre non poſſunt: ita cum vicinis quoque lites habent perpetuas de finibus, de iuriſdictione, de inſignibus, & frequenter propter ceruum aut aprum in loco controuerſo captum & occiſum ad arma deuenire ſolent. At ijdem contra Chriſtum ferè inter ſe conſpirant, & ſepoſitis odijs ſua ad illum opprimendum conſilia conferunt. Et quàmuis interdum cultorum Chriſti innocentiam probè perſpectam habeant, neq; hoſtium Chriſti improbitatẽ ignorent, tamen pro veritate tuenda cum nemine volunt contendere. Exempla tã ſceleratæ ignauiæ paſſi cernuntur hodie. Quàm multos enim eſt videre, qui ab alijs intra ſuæ ditionis fines ferã aliquã capi nunquã paterentur, qui tamen Pontificios legatos & Inquiſitores monachos in ſuorũ ſubditorũ fortunas et corpora ſæuire patiuntur? Nihil nunc de illis dicam, qui cùm Euãgelij ſtudiũ profiteãtur, in Põtificũ gratiã verbi miniſtros, ſi qui feruẽtiores ſunt, eijciũt, alijs verò dicẽdi leges præſcribũt. Et hi quidẽ omnes ſibijpſis applaudũt, quòd iſta moderatione cõſiliorũ (ita enim hanc ſuã proditoriam vecordiam vocant) amicos ſibi faciãt multos, & pacem publicã ſeruent. Sed nõ omnis amicitia Deo probatur, & infelix illa pax eſt, quæ ĩnocentiũ hominũ ſanguine et veritatis oppreſſione redimitur. Quàm verò infeliciter cedant eiuſmodi conſilia, iſtorũ exẽplis docemur. Amicitia coëunt inter ſe cum Chriſti ludibrio Pilatus ac Herodes, nec multò poſt ille eundẽ in Sacerdotum gratiam cruce dignum iudicat, & ita illi diu optata victoria potiuntur. Quis ergo non pacem firmam ſperet & tuta omnia in tam plauſibili animorum & conſiliorum conſenſione? Sed longè aliud Deo viſum eſt, qui de omnibus iſtis pœnas ſumpſit grauiſſimas. Pilatus enim poſt multa inter Iudæos auarè & crudeliter geſta à Tiberio Cæſare Viennam Galliæ relegatus ſibijpſi manum in-

tulit. Herodes quoque regno exutus & cum ſua Herodiade exilio mulctatus eſt, vt alibi oſtendimus. Sacerdotes verò cum vrbe & templo exciſi ſunt, neque potuit ab eo tempore vnquam inſtaurari ſacerdotium illud, pro quo tantopere pugnauerunt. Expectent ergo ſimile Dei iudicium, qui hodie contra veritatem conſpirant, & cum piorum ſanguine ludunt. Viuit enim & regnat Ieſus Chriſtus, & qui per ludibrium ab Herode veſte candida indutus fuit, breui veniet in gloria Patris ſui ad iudicandum viuos & mortuos, vt & ſuos ex impiorum manibus aſſerat, & hos digno ipſis exitio male perdat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum Amen.

HOMILIA CCV.

Pilatus verò conuocatis principibus Sacerdotũ, & magiſtratibus, ac populo, dixit eis: Obtuliſtis mihi hunc hominem, vt qui auertat populum: & ecce ego in veſtri conſpectu quæſtione habita, nullam noxam inueni in homine iſto, ex ijs de quibus accuſatis eum. Sed ne Herodes quidem: nam remiſi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte factum eſt ab eo: Caſtigatum ergo eum dimittam. Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto vnum quempiam. Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba dicens: Tolle hunc, dimitte verò nobis Barrabam. Qui erat propter ſeditionem quandam & cædem factam in vrbe, coniectus in carcerem. Rurſus ergo Pilatus allocutus eſt eos, volens dimittere Ieſum. Ipſi verò reclamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eũ. Ille autem tertiò dixit eis: Quid enim iſte mali fecit? nullam noxam capitalem inueni in eo: Caſtigatũ ergo eum dimittam. At alij inſtabant vocibus magnis, petentes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum ac principum Sacerdotũ. Tum Pilatus iudicauit vt fieret quod ipſi petebant: dimiſit autẽ eis illum, qui propter ſeditionẽ & cædem coniectus fuerat in carcerẽ, quem petierant: Ieſum verò tradidit eorum cupiditati.

IN tota paßionis dominicæ hiſtoria perquam memorabilis eſt actio, quæ apud Pilati præſidis tribunal magna cum contentione inſtituta & habita fuit. In ea enim euidenter cernitur quo ingenio ſint hoſtes veritatis, quibus armis & artibus ijdem pugnent, & quæ ſub his ſit piorum conditio. Superat tamen hæc omnia Ieſu Chriſti innocentia, quæ illic teſtimonijs luculentißimis aßeritur, & quidem ab ipſo Pilato, qui illum poſtea multùm reluctante conſcientia damnauit. Fuit enim in illo aliquod iuſtitiæ ciuilis ſtudium, & ideo licet Concilij authoritate iam damnatum eſſe audiret, noluit tamen in eius mortem conſentire, niſi prius ipſe quoque cauſam totam cognoſceret. Et quia iudicio quoque valuit, mox deprehendit, Iudæos ex inuidia & odio hoc omne agere, & proinde ſua ſententia illum abſoluit. Idem tamen in eo peccat, quòd pro eo quem ſciebat iuſtum atque innocentem eſſe, non periculum aliquod ſubire, imò ne inuidia quidem ſeſe grauare vult. Quæ cauſa eſt, quòd ad humanæ ſapientiæ rationes ſiue artes conuertitur, quibus ſeipſum magis et magis ſubinde intricat, et ſuam quidem iniuſtitiam magis prodit, Chriſti verò innocentiam illuſtriorem reddit. Et huc facit imprimis huius loci narratio, qua vt Chriſtus poſt multam & longam altercationem tandem ad crucis ſupplicium damnatus ſit, exponitur. Diſcent autem iſto exemplo omnes qui magiſtratum gerunt, ſibi non ſolùm ſapientia & rerum cognitione atq; vſu opus eſſe, verumetiã fortitudine, qua improborum audaciam retundant, & eorũ ſuperbiæ obſtent, qui ſuæ authoritatis ſplendore oculos illorum perſtringere conantur. Præ alijs tamen conſideratione dignißima eſt Chriſti innocentia, quam multis euidentibus & ſæpe repetitis teſtimonijs aſſeri oportuit, vt certò conſtaret, illum propter nos mortem indignam ſubijſſe, vt pro noſtris peccatis ſatisfaceret, & nos à ſententia æternæ damnationis, quam merueramus, abſolueret. Quæ omnia vt rectius intelligantur, ſingulas partes ex ordine videbimus.

Pilatus,

Pilatus, qui cauſam hanc inuidiæ ac odij plenam ad Herodem deriuare voluit, vbi ſe ſpe ſua fruſtratum videt, nouum commentum orditur. Quod ea diligentia Lucas deſcribit, vt illum hoc ſeriò feciſſe non poſsimus dubitare: nullo tamen cum fructu, neque cum laude aliqua facit, quia animi fortitudine deſtitutus non vult pro cauſa bona periclitari. Conuocat enim omnes, qui eam agebant: principes nimirum Sacerdotum, magiſtratus ſiue Seniores, populum denique vniuerſum: ſperans nimirum in tanta multitudine aliquos fore, qui aut miraculorum & acceptorum beneficiorum memores, aut ipſius authoritate perculſi ab actione iſta deſiſterent. Ideo orationem habet breuem quidem, ſed quæ refertiſsima eſt argumentis, quibus moueri poterant, niſi cum iuſtitia & æquitate ſenſum quoque communem et pudorem omnem depoſuiſſent. Nam primò ab eorum accuſatione exorſus præcipuum huius caput repetit, ne quid in illa minus attentè obſeruaſſe, aut nunc ſubdolè diſsimulare videretur: Obtuliſtis mihi hunc hominem, vt qui auertat populum: nimirum à cultu inter vos recepto, & ab obedientia, quã Cæſari debent. Et hic veſtræ accuſationis, hic actionis aduerſus iſtũ inſtitutæ ſtatus eſt. His mox infert: Et ecce, ego in veſtri conſpectu quæſtione habita, nullam noxam inueni in homine iſto ex ijs, de quibus accuſatis eũ. Demonſtrandi particula emphaticè vtitur, vt proprio teſtimonio illos conuincat. Ecce (inquit) ego non neglexi cauſam hanc, neque negligenter aut oſcitanter illam egi: ſed vobis videntibus atque audientibus quæſtionem inſtitui diligentem. Quid verò in illo deprahendi vobis ipſis teſtibus ſupplicio dignũ? Certè ex omnibus ijs, de quibus eũ accuſatis, ne vnũ quidem inueniri potuit. Fuit hoc dictũ admodum graue, & procul dubiò intolerabile viſum fuit ambitioſis illis ſuæ dignitatis oſtentatoribus, cũ ſuam exiſtimationẽ illo lætaliter vulnerari ſentirent. Nõ tamen eo contentus, teſtẽ innocentiæ alium adhuc ſiſtit, authoritate grauẽ, & ad quem propter Chriſti patriã cauſæ huius cognitio imprimis pertinebat: Herodẽ videlicet, Regẽ Galilææ, in qua ille plerumque docuerat. Sed ne Herodes quidẽ, aliquid noxæ in illo reperit. Ac ne quis obijceret: Atqui aliqua inter vos colluſio forſitan fuit, neq; quid ille cum eo fecerit, ſcire poſsumus, addit: Nã remiſi vos ad illũ. Quaſi diceret. Nolui quicquã vobis inſcijs agere, nolui meo præiudicio veſtrã cauſam grauare: ſed eã integrã vnà vobiſcũ ad illum retuli, vbi eam denuo agere licuit. Et ecce, ne Herodes quidem de aliquo motu aut tumultu per illũ excitato queritur. Quid multis? Ecce, nihil dignũ morte factum eſt ab eo. Hæc ad illos Pilati oratio fuit, qua nihil iuſtius, nihil grauius & liberius in hac cauſa dici poterat. Imò ex ea diſcere poſſunt iudices qua ingenuitate & æquitate in cauſis cognoſcendis vti, & quàm libere innocentiæ teſtimonium aduerſus quoſuis ferre debeant. Et ſi ſic ille perrexiſſet, iam priori culpæ remedium inuenerat, & ſuæ ſimul exiſtimationi conſuluiſſet. At quia infelix inuidiam omnem declinare ſtudet, orationi tam graui & egregiæ concluſionem infert, qua nihil abſurdius nihil iniuſtius, ſtultius, impudentius poſſet fingi. Et quæ nam illa eſt? Caſtigatum ergo eum dimittam. Deum immortalem, tantàm ne vecordiam, tantam impudentiam in animum eius incidere potuiſſe, vt homo politicus, ciuis Romanus, multo rerum vſu celebris, adhæc Præſes eius regionis, quam in officio contineri plurimùm reipub. intererat, imò Imperatoris Romani vicarius, in loco iuſtitiæ ſacro, in iudicio denique, ad hunc modum argumentetur: Nulla eſt in homine iſto noxa: Ergo caſtigatum aut virgis cæſum dimittam? Ergòne in eum locum res Romanæ peruenerunt Pilate, vt qui innocentes ſunt, caſtigentur? Quæ vnquam gens tam barbara fuit, in qua huic ſimilis ſententia audita ſit? Et quid in Chriſto caſtigatione & verberibus aut flagris dignum eſt, ſi neque tu, neque Herodes noxam aliquam in eo potuiſtis deprahendere? Sed ita ſolet accidere, vt qui hominum fauorẽ & huius ſæculi gloriam Deo & huius gloriæ præferunt, ſibi-ipſis ignominiam extremam accerſant. Et non deſunt exempla hodie multorum, qui dum pios ferro & igne perſequuntur, interim non obſcura innocentiæ eorum teſtimonia perhibent. Quid enim aliud faciunt, qui cũ nulla pœna dignos eſſe iudicent, tamẽ ex patrijs ſedibus in exiliũ eijciũt, publica infamia notãt, et infinitis alijs rationibus mulctant, vt apud iuratos illorum hoſtes bonã gratiã ineant?

Sed tertiũ Pilati cõmẽtũ videamus, quo ſe ex cauſa iſta extricare, et ſimul Chriſtũ abſq; inuidia liberare conatus eſt. Connectit id cum priori Lucas, ſed ab eo apertè ſatis apud alios Euangeliſtas deſtinguitur. Occaſionem huius arripit ex more veteri ſiue recepto, qui erat vt die Paſchatis aliquis facinoroſorũ, qui morte mulctari meruerant, in populi gratiam dimitteretur. Sunt qui hoc factum putent propter lætã liberationis ex Aegypto memoriã, quæ tũc agebatur. Quod ſi verum eſt,

Secundum Pilati commentũ.

Tertium commentum Pilati.

κακοζηλεία fuit cum ſuperſtitione coniuncta, quæ excuſari non poteſt. Nam Dei bonitatem imitari voluerunt, cuius exemplum ille memorabile in iſta liberatione ædiderat: rationem autem huius imitationis ab eius voluntate alieniſſimam ſecuti ſunt. Is enim ſontes non dimittere, ſed punire iuſſerat, & niſi id facerent, idem excidium illis minatus fuerat, quo Chananæi eiecti fuerunt, quod terram iſtam ſcelerum impunitate polluiſſent. Et notum eſt illud Solomonis: Qui ſceleratū abſoluit, et

Prou. 17. qui inſontem damnat, vterque Deo abominabilis eſt. Quoad verò bonitatis & beneficentiæ officia,

Iſa. 58. longè alia Deus præſcripſerat: Nimirum, vt nexus iniquorum debitorū ſoluerent, vt faſciculos iugi ab humeris obæratorum auferent, vt iugum iniuſtū confringerent, eſurientibus panem diſtribuerēt, afflictos et extorres hoſpitio amico exciperent, nudos veſtirent, neq; oculos abſconderent à carne ſua. At egregij iſti religionis veræ ſectatores omiſſis iſtis, quæ ad ipſos priuatim ſpectabant, ex alieno liberales erant, & cùm nemini quicquam remitterent ex ſuis debitis, tunc ſe pietatis officio probè defunctos putabant, ſi nebulonem aliquem morte dignum liberauiſſent. Et credibile eſt, Romanos hanc conſuetudinem ipſis inuiolatam reliquiſſe, vt populum facilius in officio continerent, qui ferè priuilegijs & immunitatibus eiuſmodi non minus ridiculis quàm inhoneſtis delectatur. Certè quicquid huius ſit, cōſtat, conſuetudinē hanc iniquiſſimam et hoc populo indignam fuiſſe, in qua veræ religionis atque iuſtitiæ domicilium Deus eſſe voluerat. Ideo in preſenti etiam eius fructus fuit triſtiſſimus. Nam Pilatus hinc arrepta occaſione, Chriſtum cum Barraba ſeditioſo & homicida confert, comparatione omnium iniquiſſima, & non tam iniquos aut impudentes fore ſibi perſuadet, vt hunc potius quàm illum ſibi donari poſtulent. At idem interea ſe bis iniquum & impudentem præbet. Qui enim de Chriſti innocentia iam ſecundò publicum teſtimonium dederas, nunc eundem cum Barraba ſocians hominibus flagitioſis & capitalem pœnam meritis accenſet. Adhæc vitam hominis innocentis furioſi populi iudicio permittit, qui in eius exitium iampridem conſpirauerat cum Sacerdotibus, quos ille ſciebat omnia per inuidiam agere. Fuit ergo hoc conſilium priori deteſtabilius, quia notoria contumelia Chriſtum affecit, cuius famam atque vitam debebat tueri. Euentum quoq; infeliciorem habuit, quia in eas anguſtias illum adduxit, vnde pedem referre non licuit poſtea, cùm rem omnem populi arbitrio iam ſubieciſſet. Etenim illi ſimul omnes à Sacerdotibus & Senioribus perſuaſi (quod Matthæus annotauit) exclamauerunt. Tolle hunc, dimitte verò nobis Barrabam.

Vulgi ingratitudo et iniquitas.

Eſt hoc inſigne exemplū, quo docemur, quàm periculoſum ſit cauſas hominū innocentū vulgi iudicio permittere. Si enī vnius hominis cōtumacioris ſenſum corrigere difficillimū eſt, quid de vulgo ſperes beſtia multorū capitū, in quo ſenſus mille et diuerſiſſimi tumultuātur, neq; vnquam niſi in eo quod peſſimū eſt, cōuenire poſſūt? Accidit iudicij inopia, quæ nō ſolùm ingratos facis et iniquos acceptorū beneficiorū æſtimatores, verūetiā inſanos et furētes, adeò vt pleriq; ex eo ſibijpſis gloriā et triūphos īmortales polliceātur, ſi viros magnos et de repub. optimè meritos opprimāt. Exēpla huius vitij in ampliſſimis ciuitatibus, Roma et Athenis, infinita extāt. Scipio certè maior, qui rēpub. bellis Punicis tantumnō extinctā & exanguē ſeruarat, & Carthaginis dominā fecerat, populi Rom. iniurijs fatigatus & tandē victus vrbe exceſſit, & exul voluntarius in obſcura villa Liternis mortuus ſepulchro inſcribi iuſſit: Ingrata patria, ne oſſa quidē mea habes. Eiuſdem fratrem, quem Aſiaticum dixerunt, idem populus peculatus reum egit, & in carcerem duci iuſſit. At Naſica Scipio poſt multa in rempub. merita, vt populi iniqua de ſuis virtutibus iudicia declinaret, ſub legationis titulo Pargamum diſceſſit, & illic quod reliquum fuit vita tranſegit. Apud Athenienſes autem populi furentis & ingrati tumultibus Themiſtocles in exilium actus ad Xerxem, quem cōmunes patriæ hoſtem debellauerat, confugit: Miltiades, qui Perſis in Marathone ingenti prælio victis Græciam omnem metu atque terrore liberauit, à populo in carcerem coniectus illic expirauit, corpus autem tam diu ſepultura caruit, donec filius Cimon ſe ijſdem vinculis conſtringendum tradidit: Phocion autem ab ijſdem non ſolùm in eculeo impoſitus eſt, ſed poſt obitum finibus Atticis eiectus glebulam terræ Atticæ nullam inuenit, quæ oſſibus eius inijceretur. Superat tamen exempla hæc omnia, quod in præſenti Iudæorum gens in Chriſtum, æternæ ſalutis authorem deſignauit. Libuit tamē vetera quoque commemorare, quò minus quod illi acciderit admiremur, vtque non offendamur, ſi ipſi quoq; pleroſq; videmus peſſimā gratiam ijs referre, qui pro ipſorū ſalute dies nocteſq; excubāt. At hîc ſimul pœnas in mentem reuocare debemus diras & horribiles, quibus iſtorum ingratitudinem De-

us vlcus

us vltus eſt, vt alibi diximus. Non dormittat enim hic, & eo etiam vindice atque vltore punientur, qui illos imitati fuerint.

Chriſtus propter nos extremè humiliatus.

Interim ſeruit tota hæc actio noſtræ redemptionis atq; ſalutis myſterio. Peccarat Adam ſuperbia, quando vt Dei ſimilis fieret, ex vetita arbore comedit. Et ideo ſuperbia peccati principium eſſe dicitur. Ergo Chriſtum, qui ſecundus Adamus vocatur, extremè humiliari oportebat, vt ſuperbiam illam expiaret, adeoq; nobis omnibus ſubueniret, quibus hæc præcipua omniũ ſcelerũ cauſa eſt, quòd Deo ſubeſſe nolumus, & eius præceptis obedire. At quæ humiliatio ignominioſior excogitari poterat, quàm quòd Pilatus quidem illum Barraba, homini ſeditioſo & latroni confert, eundem verò populus ex Sacerdotum & Seniorum conſilio illi poſtponit? Dolet generoſis ingenijs quàm maximè ſi ſuum honorem & exiſtimationem labefactari ſentiant: & qui omnes alias iniurias patienter ferre norunt, hîc ferè impatientia ſuperantur. Voluit tamen hanc contumeliam ſuſtinere Dei Filius, vt nos ab æternæ damnationis ignominia liberaret, & gloriæ ſuæ cæleſtis ſocios, atq; cohæredes faceret. Id verò ita à nobis conſiderari debet, ne nobis graue ſit, ſi quando ipſi quoq; contemnimur & contumeliarum aut iniuriarum omni genere obruimur propter illum, qui prior pro nobis tã indigna paſſus eſt. Soletur autem, quòd vt ille per hanc ignominiam in Patris gloriã euectus eſt: ita nobis quoq; viam parauit, qua per huius ſæculi ludibria ad Regni ſui glorioſi poſſeſſionẽ perueniamus. Ac ſimul eius exemplo humilitatem nobis commẽdari cogitemus. Pudeat ergo Chriſtianos homines ſuperbiæ, qua multi ſuæ profeſſionis immemores aduerſus Deum ſimul & homines ſeſe extollũt, dum quoſuis præ ſe contemnunt, & ipſi etiam Deo Leges Regni ſui nouas præſcribere audent. Faciunt hoc nimis impudenter, qui peccatorũ remiſſionem & ſalutem æternam ſuorum operum meritis deberi contendunt, & illa corã Deo plus quàm Phariſaica arrogantia oſtentant. Ergóne Chriſtus ideo cũ iniquis reputatus eſt, vt tu propriam iuſtitiam iactares? Ergo Barraba latrone inferior haberi debuit, vt tu cum ſui meriti gloria ſpolies, & tuis operibus id tribuas, quod ille ſui ſanguinis pretio acquiſiuit? Sunt hæc abſurda admodum, & quia in Filij Dei ignominiam tendunt magis, quàm quod in præſenti Pilatus & Iudæi factitarunt, à Chriſtianis hominibus procul abeſſe debent.

Pilatus Chriſtũ nõ flagellari curat.

Porro ad Pilatum redeamus, qui quod de caſtigatione aut flagellatione prius propoſuerat, repetit, & quidem magna cum grauitate, vt animi inter diuerſos affectuũ motus fluctuantis luctam nõ obſcurè deprehendas. Et hanc quoq; partem Lucas diligentiſſimè deſcribit. Rurſus ergo Pilatus (inquit) allocutus eſt eos, volens dimittere Ieſum. Quaſi diceret: Etiamſi ſe hac etiam ſpe fruſtratum cerneret, ſeq; proprio conſilio captum iã teneri ſentiret, nondum tamen ab incœpto deſtitit: ſed adhuc conatus eſt Ieſum ex illorum manibus eripere. Matthæus equidem eum nouam de illo quæſtionem diſertè moniſſe ſcribit, ſi forte rei indignitas illos abſterreret. Dixit enim: Quid igitur faciã Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Age, habeatis vobis Barrabam, quoniam ita lubet, & latronem atq; ſeditioſum nebulonẽ homini iuſto ac innocenti præfertis. Scire tamen velim ex vobis, quid de Ieſu hoc faciẽdum putetis, quid præter id quòd nihil mali fecit, Chriſti quoq;, id eſt, Regis & liberatoris nomen vulgò obtinuit? Quid verò illi? Iam totum animi virus non minus impudenter quàm impiè & crudeliter exponunt, clamantes: Crucifige, crucifige eum. At ipſe tertio iam obijcit illis. Quid vero ipſe mali fecit? Nullam noxam capitalem inueni in eo. Quæ verba rurſus animum iuſtitiæ ſtudio ardentem præ ſe ferunt, ſed quia religione vera aut Dei timore non confirmatur, ad eundem lapidem iterum offendit. Cùm enim deberet inferre: Ergo dimittam illum, vobis autem edico & impero, ne manus iniuſtas illi inijciatis, neq; innocenti vim faciatis: indignum illud & iniquiſſimum dictum repetit: Caſtigatum ergo eũ dimittam. Et quia ſe verbis minus proficere videbat, mox eum in Prætorium reducit, & militibus flagellandum tradit. Hi verò non contẽti flagris illum cecidiſſe, inſuper licentia militari vtuntur, & eidem contumelioſiſſime illudunt. Quia enim eum regni affectati accuſari audierant, vt Regi contemptiſſimo petulanter inſultant: Et coronam quidem ex ſpinis contextam capiti eius imponunt, ſceptro arundineo dexteram eius ornãt, & pallio purpureo amiciunt. Inde geſtibus & verbis ad contumeliam compoſitis illum ſalutant, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Conſpuunt præterea faciem eius, & caput arundine atq; bacillis percutiunt. Quæ omnia ab illis non tam in illius quàm totius gentis Iudaicæ ignominiam facta ſunt. Quia enim (vt

Milites Chriſto illudunt.

aliâs quoq; monuimus) in omnium ore erat Meſsias & promiſſus ille populi redemptor, ſimul ſpem illorum omnem ludibrio habent & rident. Tanti autem ſceleris reatu ipſi ſeſe polluerunt, vt inconſulto odio Ieſu abrepti veteres promiſsiones & prophetarum oracula, ſpem deniq; patrum ſuorũ ſceleratiſsimorum Goijm (vt ipſi loquuntur) ludibrijs ſubiecerint. Seipſos ergo maiori quàm illum contumelia affecerunt: quod ferè omnibus accidit, qui aduerſus Chriſtum conſpirantes in cœlũ expuunt, vt prouerbio dicitur. Cæterùm Pilatus illũ denuo ad ſe recipit, & flagris conſciſſum ſanguineq; multo & ſputis fœdatum, ſpinis item coronatum & militari pallio inductum in populi conſpectum producit, ſperans fore, vt miſerabili illo aſpectu mouerentur, & animis ſatiati in eius liberationem ſeu dimiſsionem conſentirent. At ferarum inſtar illo viſo in maiorem rabiem accenſi, clamant: Crucifige, crucifige eum. Et Pilato cum indignatione dicente: Accipite eũ vos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo crimen: Illi ſuam legem vrgere incipiunt, & aiunt: Nos habemus Legẽ, & ſecundùm Legem noſtram debet mori: quia Filium Dei ſe fecit. Et cùm hinc nouus ſcrupulus Præſidis animo iniectus eſſet, & is nouam cum illo actionem inſtitueret, tandem maiori cum importunitate illi inſtãt, clamantes: Si hunc abſolueris, nõ es amicus Cæſaris: quicunq; ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Et hæc quidem omnia Lucas paucis hiſce verbis complexus eſt. At alij inſtabant vocibus magnis, petẽtes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum, ac principum Sacerdotũ. Et latet ſub iſta contentione aliud adhuc, & quidem luculentiſsimum innocentiæ Chriſti teſtimoniũ. Videmus enim eius accuſatores nullum aduerſus eum crimen protuliſſe, quod vel in ſpeciem probabile fuerit. Quid ergo reſtat, quàm vt illum non tam calumnijs quàm clamoribus ſeditioſis & aperta vi oppreſſum eſſe dicamus? Et hæ illæ rationes, hæc argumenta ſunt, quibus etiam hodie Pontificũ ſerui contra germanos Chriſti cultores pugnant. Cùm enim hos accuſent, quòd res nouas moliantur & ſeditiones concitent, ipſi in ciuilibus armis & populi furentis motibus atq; minis omne præſidium collocatum habent: & quia ſe rationibus deſtitutos eſſe vident, ad Catilinarium illud conſilium ſeſe conuertunt, vt ſaluberrimum illud Euangelicæ lucis incendium ruina ciuitatum ſimul atq; regnorum extinguant. Sed vtinam illi meminiſſent, quàm grauiter Deus Iudæorum principes vltus ſit. Qui enim ſeditioſorum hominum improbis clamoribus ad Chriſtum opprimendum abuſi ſunt, non multò poſt continuis ſeditionibus totam terram turbari ſenſerunt, quæ cauſa fuit, vt Romani tandem miſsis eò legionibus ſuis bellum genti inferrent, quo miſerabiliter exciſa eſt: & qui ex ea hodie ſuperſtites ſunt, ij in omnes terras diſperſi omnium iniurijs atq; contumelijs obruuntur. Sentient idem aliquando omnes illi, quibus hodie volupe eſt cum Chriſtianorum ſanguine & capitibus ludere.

Chriſtus innocens ſeditioſis clamoribus opprimitur.

Pilatus Chriſtũ damnat.

Sequitur actionis totius non tam moleſtæ quàm iniquiſsimæ finis. Pilatus enim victus illorũ clamoribus, indicauit vt fieret quod ipſi petebant. Matthæus eum prius manibus cum publica proteſtatione ablutis ſententiam pronunciaſſe ſcribit. Extorſit illam quoq; mens ſibi malè conſcia: adeò tamen non profuit ea, vt potius ſeipſum accuſarit. Dum enim innoxij ſanguinis meminit, ſeſe eius reatu ſimul obſtringit. Ad ſceleris verò amplificationem facit, quod de Barraba repetit Lucas: Dimiſit autem eis illum, qui propter ſeditionem & cædem coniectus fuerat in carcerem, quem petierant: Ieſum verò tradidit eorum cupiditati. Quæ ita dicuntur, vt quamuis Pilatus minimè extra culpam ſit, maior tamẽ in Iudæis hæreat, quod & ipſe Chriſtus teſtatus fuit, illi dicens: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Quod ipſum noſter Euangeliſta innuit, dum iſtud omne in Iudæorum gratiã factum fuiſſe ait: Dimiſit (inquit) Eis illum, &c. Item: QVEM PETIERANT. Et rurſus: Ieſum verò tradidit Eorum cupiditati. Eſt autem tota hæc actio ſpeculum clariſsimum, in quo principum huius ſæculi ingenium atq; mores ſpectare licet. Habent hi plerunq; aliquam iuris & æqui cognitionem, ſed ſua potius quærũt, quàm vt ſuũ cuiq; ius reddãt. Ideo in ſuo iure tuendo acerrimi ſunt, dum hoc ſuis cupiditatibus ſeruire vidẽt. At ſi quid pro cauſa veritatis, pro religione, pro Chriſti ſeruis atq; cultoribus fieri debet, quod cum inuidia & odio coniunctum eſt, tunc qui inter illos optimi ſunt, ad artes & iniquiſsimas compoſitiones conuertuntur, ne quem offendant. Frequenter itẽ, quos tueri debent, in aliorum gratiã indignius tractari ſinunt. Eſt enim hoc humanæ prudentiæ axioma: Leuius malum patienter ferri debere, vt quod grauius eſt effugiamus. Vnde illi concludunt, ſatius eſſe, vt ijs ſubſcribant, qui pios fortunis aut exilio mulctare volunt, quàm vt ijdem omnino occidantur. Sed quàm infelix ſit conſiliorum eiuſmodi euentus, multa exempla docent, & quod hîc accidit, omnium

omnium loco eſſe poteſt. Quia enim inſatiabilis eſt hoſtium Chriſti rabies, coguntur ſubinde longius progredi, qui illis ſemel indulgere cœperunt. Nihil ergo conſultius fuerit, quàm ingenuè & fortiter agere, euentum verò rei Deo permittere, qui tunc quoq; viam inueniet ſeruandi ſuos, quando nobis nulla alia eſſe videtur, quàm quæ cum iniquitate aliqua coniuncta eſt. Quòd ſi verò idem ille ſuorum corpora & vitam tueri nolit, & illis omnino moriendũ eſt, tunc ſufficiat iudicibus æquioribus, ſi ipſi manus ab illorum ſanguine puras ſeruent, neque ijs conſentiant, qui aliquid iniuſtum tentant. Hoc nomine Ioſephum Arimathæum poſtea Lucas commendabit, nec temere à Spiritu ſancto dictum eſt: Beatus ille vir, qui non ambulauit in conſilio impiorum.

Præcipuum autem huius loci caput eſt Ieſu Chriſti innocentia, quam tot argumentis & teſtimo- Chriſti innocen-
nijs aſſeri atq; probari oportuit, quot nullius hominis vnquã probatam aut defenſam fuiſſe legimus. tia.
Nam in triplici foro (vt ſic loquar) ille cauſam dixit, & in nullo alicuius criminis conuictus eſt. Primò enim in Concilium adductus eſt, vbi falſis quoq; teſtibus locus fuit, & fortaßis ijſdem præmia propoſita fuerunt. Veruntamen adeò nihil morte dignum in illo inueniri potuit, vt eandem non alio prætextu, quàm quòd ſe Dei Filium eſſe dixiſſet, & proinde propter veritatis confeßionem damnatus ſit, quã impius Pontifex adiuratione aut obteſtatione inſidioſa ex ipſo elicuerat. Deinde Pilato traditum de multis quidem eũ accuſarunt, ſed in mendacijs deprehenſi, Præſidem coegerunt, innocentiæ eius terq; quaterq; teſtimonium reddere. Præterea Herodes quoq; quod in illo deſideraret non habuit, & riſu potius dignos ſacerdotes quàm illum ſupplicio iudicauit. Addebis, quod cum publica proteſtatione Pilatus damnationis ſententiam protulit dicẽs: Innoxius ego ſum à ſanguine huius iuſti, vos videritis. Neq; omitti debet vxoris Pilati teſtimonium, quæ inſomniorum terroribus totã noctẽ vexata marito renuntiauit: Nihil tibi rei ſit cum iuſto illo. Quid, quòd illo iam mortuo, Centurio exclamauit: Verè hic homo iuſtus erat: alij verò pectora percutientes inde diſceſſerunt? Quanta mergo eſſe oportuit eius innocentiã, quæ ab hominibus ſumma authoritate præditis & magnã doctrinæ & pietatis exiſtimationem ſuſtinentibus, apud prophanorum hominum tribunalia, oppugnata quidem, fortißimè verò defenſa eſt? Huius ergo vſum nos diligenter obſeruare conuenit, qui omnino duplex eſt. Primus, vt certò nobis perſuaſum ſit, noſtra peccata in Chriſto damnata & eiuſdem merito expiata eſſe, idq; ad illorum expiationẽ potuiſſe ſufficere, cùm ipſe ab omni culpa liber fuerit. Alter, ne offendamur, ſi quando nos quoq; immerentes iniquis iudicijs impij damnant. Hæc enim gloria noſtra eſt, quòd nos Chriſti ſocios facit infelix mundus, dũ nos propter iuſtitiam odit atq; perſequitur. Et notum eſt illud Petri: Ne quis veſtrûm affligatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inſpector: ſed ſi vt Chriſtianus, ne pudefiat: imò glorificet Deum hac in parte. Socrates olim cum illo iam cicutam ori admouente, vxor clamaret: Ah innocens moritur, reſpondebat: An ergo me nocentem mori volebas? Tantum in illo potuit philoſophiæ humanæ ſtudium, vt indignam putaret eam querimoniam, quæ ipſum præcipua ſuæ mortis gloria ſpoliare videbatur. Quantò maior ergo fortitudo eos decet, qui in Chriſti ſchola inſtituti, ſe cum illo in cœlis regnaturos eſſe norunt, ſi propter veritatem & fidem cum ipſo paßi fuerint? Nec eſt, quòd de noſtri nominis fama ſoliciti ſimus, ſed hanc quoq; vnà cum anima noſtra in Dei manus deponamus, qui illam ſeruare, & hoſtium quoq; teſtimonio, ſi volet, tueri poterit. Quòd ſi id non fiat in hoc ſæculo, in cœlis tamẽ nomina noſtra adſcripta ſunt in libro vitæ, qui eſt Ieſus Chriſtus, redemptor noſter, & paſtor ille bonus, ex cuius manibus nos nemo poteſt rapere. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CCVI.

Cùm igitur abducerent eum, prehenſo Simone quodam Cyreneo, qui veniebat rure, impoſuerunt ei crucem ferendã ponè Ieſum. Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad eas Ieſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, verum ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris: Nam ecce, venient dies quibus dicent: Beatæ ſteriles, & vteri qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tum incipi-

pient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus, Operite nos. Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet?

QVamuis Deus Filium ſuum nobis Seruatorem dederit, & in eodem omnes ſua bonitatis theſauros aperiat, hunc ipſum tamen infelix mundus faſtidit, & inter alia Dei beneficia hoc imprimis turpiſſima ingratitudine conculcare ſolet. Nam vt olim Iudæi in ſua venientem non receperunt, quin potius iniquiſſimè damnatum gentibus tradiderunt, vt in crucem ſuſpenſus dira & infami morte tolleretur: ita eiuſdem ingratitudinis exempla hodie etiã paſſim videre licet. Multi enim ne apud Pontifices & horum propugnatores malam gratiam ineant, illum per Euangelij prædicationem ad ſe venientem excludunt. Alij iã admiſſum rurſus eijciunt, ne quod periculũ ſubire cogantur. Alij voluptates & peccandi licentiam illi anteponunt, & ne diſciplina arctiori coerceantur, illo potius carere malunt. Taceo nunc eos, qui vt primùm perſecutio aliqua exoritur, nõ modo turpiter deficiunt, verumetiam aperti hoſtes fiunt. Offendunt iſta multos, qui dum ea vident, ipſi quoq; dubitare & fluctuare incipiunt. Sed proderit tunc vetera illa in mentem reuocare, & ad Chriſti exemplum reſpicere, quem neq; vulgi leuitas, neq; Sacerdotũ truculentia, neq; Pilati perfidia & ignauia, neq; militum improbitas aut petulantia mouit, quò minus conſtans eſſet in eo, quod ipſi Pater mandauerat. Cuius exemplum ſi imitemur, ipſi quoq; victores erimus, deque mundo ac eius principe ſub crucis vexillo triumphabimus. Sequitur nunc, vt Præſidis quoq; ſententia damnatum duxerint, vt in crucem ſuffigerent. Quo loco multa concurrunt, quæ ad illuſtrandum noſtræ redemptionis negotium faciunt, & fidem noſtram confirmant, noſtriq; nos officij admonent.

Chriſtus crucẽ ſuam geſtãs ducitur. Occurrit inter hæc primum, quod pallio illo purpureo eum ſpoliarunt, quo per ludibrium induerant, & ſuis veſtibus veſtitum duxerunt. Et primò quidem ipſe crucem ſuam geſtauit extra portam vſq;: poſtea autem cùm vigilijs nocturnis atq; laboribus improbis fatigatus tanto oneri non ſufficeret, Simonem quendam Cyrenæum, qui rure veniebat, coegerũt, vt illam poſt eum portaret. Eſt hoc non contemnendum licentiæ militaris exemplum, ex quo apparet, quàm multa iſti homines indignè, quàm multa iniuſtè & iniquè fecerint, & quæ ſub his fuerit populi Iudaici conditio. Quod enim iniuriæ genus fuiſſe putas, à quo illi abſtinuerint, qui hominem immerentem & temere ſibi obuium auſi ſunt ad opus iſtud priuata temeritate abripere, quod cum manifeſta infamia erat coniunctum? At iſtam miſeriam & infelix hoc ſeruitutis iugum Iudæi ſua inobedientia & inteſtinis diſſidijs belliſq; ciuilibus ſibi accerſiuerant, quando Ariſtobulo & Hircano ducibus in partes ſciſſi extera auxilia vtrinq; attraxerunt. Ita enim factum eſt, vt qui mutuam inter ſe pacem colere & ſuæ gentis hominibus obedire noluerunt, nunc prophanorum militum præſidia paſſim per vrbes diſpoſita habeãt, & horũ tyrannide preſſi multa hominibus ingenuis indigniſſima & ipſa morte duriora ferre coacti ſunt. Sunt huius generis exempla in aliarum quoq; gentium hiſtorijs. Græci certè olim, cũ inter ſe de imperio contenderent, Perſis occaſionem dederunt, vt cum ingentibus copijs in illam ingreſſi totam ferro & igne vaſtarent. Romani item bellis ciuilibus non ſolùm libertatem veterem perdiderũt, ſed poſtea Imperium totum militibus prodiderunt, quorum petulantia multi peregrini & qui aliquando gregarij milites fuerant, ad ſummum totius orbis faſtigium magna cum Romæ illius gentiũ dominitricis ignominia euecti ſunt. Nihil nunc dico de ijs, quæ noſtro tempore vidimus, quia eorum memoria tam recens eſt, vt abſq; dolore repeti non poſſint. Vtinam verò inde exempla & præcepta ſibi ſumerent alij, qui ciuilibus armis & motibus atq; diſſidijs inteſtinis delectantur. Sed omiſſa iſtorum odioſa commemoratione, quæ propriè ad hunc locum pertinent, videamus.

Redemptionis noſtræ myſterium. Præcipuum in his eſt noſtræ redemptionis atq; ſalutis myſterium, quod hîc Chriſtus egit. Crucis ſupplicium maledictionis diuinæ infamia notatũ fuiſſe, alibi annotauimus. Moſes enim ſcripſit: Maledictio Dei eſt, qui pendet in ligno. At crucem in ſe recipit Chriſtus, & eandem proprijs humeris extra vrbem effert: vt eo facto oſtendat, ſe eum eſſe, qui peccata mundi in ſe receperit, & eadẽ procul abſtulerit, vt neq; illa nobis porrò Deus imputet, neq; maledictione illa premat amplius, quã per illa nobis accerſiueramus. Et hoc olim Legalibus quoq; ſacris adumbratum fuiſſe, Apoſtolus obſeruauit, quando ad Hebræos ſcribit: *Heb. 13.* Quorum animalium ſanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra caſtra. Et mox huius moris rationem affert: Qua

propter

pter & Ieſus, vt ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Hinc ergo conſolationem petamus in tentationibus, quando peccatorum conſcientia nos Satan territat, quæ ſi illa nobis adhuc inhæreant, & eorum pœnas à nobis Deus exigat. Tunc (inquam) cogitemus, non temere factum eſſe, quòd Dei Filius crucem in ſuos humeros ſublatam extra vrbem portauit. Eius enim merito peccata noſtra expiata ſunt, & proinde nulla damnatio eos porrò manet, qui illi per fidem ſunt inſiti, vt Paulus ad Roman. octauo cap. teſtatur.

Deinde fidelium aut credentium conditio in terris hiſce & eorundem officium in Simone Cyrenæo adumbratur. Venit is rure, & mox à militibus interceptus crucem Chriſti ferre cogitur. Simon Cyreneus typus fideliũ *Solent fideles relictis agris ſuis, id eſt, procul abiectis huius mundi ſtudijs ad cœleſtem illam Hieroſolymã contendere, vbi ipſis patria eſt atq; hæreditas. Quàm primùm verò hoc iter ſuſcipiunt, mox in diaboli ſatellites incidunt, qui vt eos in ſancto hoc inſtituto remorentur, cruci ſubijciunt, & nouos illis quotidie labores exhibent. Nam vt aliâs monuimus, non poteſt lucem ferre mundus hic, qua opera eius mala arguantur. Id verò quia pij tã verbo quàm viſa exemplo faciunt, aduerſus hos ille inſurgit, & ita nunquam non impletur illud Pauli: Quotquot volunt piè viuere in Ieſu Chriſto, perſecutionem patientur.* 2. Timo. 3. *At hic nos cõſolari debet, quòd Chriſti crucem ferimus. Nam licet nobis nihil præter meritum accidat, ſi Dei iudicium ſpectes (omnes enim in peccato concepti & geniti ſumus, & quotidie in multis labimur) attamen Chriſti crux eſſe cenſetur, quicquid aut propter nomen eius ſuſtinemus, aut fide in illum confirmati patienter ferimus. At ſi cum illo patiamur, cum eodem regnabimus, ſi cum illo moriamur, cum eodem viuemus. Et illius promiſſio eſt: Vbi ego ſum, illic volo ſit & miniſter meus. Eſt autem hic diligenter nobis cauendus ſcopulus, ad quem multi ita impingunt, vt non ſolùm nullum ex ſuis afflictionibus atq; laboribus fructum reportent, verumetiam in illis vitæ ac ſalutis æternæ iacturam faciant. Accidit hoc illis, qui in afflictionibus, quas ſuſtinent, meritũ ſtatuunt, & ſe per illas diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere arbitrantur. Sed qui ita ſentiunt, non Chriſti crucem ferunt, ſed huius gloriam in ſe transferunt, & Pauli verbis conuincuntur, qui afflictiones huius ſæculi non pares eſſe dicit ei gloriæ, quæ olim reuelabitur, quæq; nobis in cœlo repoſita eſt.* Rom. 8. *Imò confutat horum confidentiam noſter hic Simon, quem crucis ſuæ ſocium Chriſtus habere dignatus eſt. Nã fert quidem illam iſte patienter: ſed vbi ad locum ſupplicij ventum fuit, vbi terræ totius iniquitas (vt Propheta olim prædixerat) vno die auferri atq; expiari debebat, non Cyrenæus ille (vt impurus Mahumet fabulatur) ſed ſolus Chriſtus in crucẽ actus eſt, ſolus item pro nobis mortuus eſt,* Zach. 3. *& ſolus ſuo ſanguine pro totius mundi peccatis perlitauit: Simon autem ille non ſuo, ſed eiuſdẽ Chriſti merito ſeruatus eſt, cui nos quoq; omnem noſtræ ſalutis gloriam transſcribere debemus. Omnium enim Chriſtianorum eadem cum Paulo ſententia atque vox eſt: Abſit vt glorier, præterquam in cruce Ieſu Chriſti. Galat. 6.*

Porro comitatum quoq; Chriſti, quem tunc habuit Lucas deſcribit, in quem actio memorabilis incidit cum mulierculis, quæ eius mortem deflebant. Comitatus Chriſti ingens. *Sequebatur autem eum (inquit) magna multitudo populi & mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum. Antea quoque cum doctrina & miraculis celebris per Iudæam & Galilæam iter faciebat, ingentes populi vndiq; confluentis turbas poſt ſe traxit. At non minor neque obſcurior fuit comitatus iſte, qui eum ad mortis ſupplicium euntem ſecutus eſt. Nam præter innumerabilem populi multitudinem, qui propter feſtum ex locis diuerſis atq; longinquis conuenerat, adfuerunt milites cum Centurione, Sacerdotes, Seniores, Scribæ, & quicunq; alij aliqua authoritate præſtabant. Et voluit hoc ita fieri Deus, vt plures eſſent mortis Filij ſui teſtes, & eiuſdem nuntium citius per orbem totum ſpargeretur. Nec obſtat, quòd multi ſupplicium iſtud oculis liuidis ſpectarunt, & eo impiè delectati ſunt. Nam hi quoq; ex eo ſtimulos conſcientiæ conceperunt, qui alijs quidem ad pœnitentiam adiumento (vt Actorum ſecundo cap. ſcribitur) alijs verò iuſtæ damnationis teſtimonium fuerunt. Et debent exemplum hoc Chriſti ſibi ob oculos ponere pij Martyres, quando ipſi pro facinoroſis ad rogos, ad gladios, ad furcas & alia tormẽta rapiuntur. Fit tunc quoq; concurſus ingens, & de illis triumphare videntur ſcelerati Antichriſti ſatellites. Sed tunc meminerint ſe (quod Paulus monuit) ſpectaculum fieri non hominibus ſolis, ſed* 1. Cor. 4. *inſuper Deo & Angelis. Videt enim illos certantes fidelis ille Agonothetes, qui laborantibus & fatigatis nouas ſubinde vires inſpirat, vt in finem vſque perſeuerare poſſint. Circumſtant eoſdem An-*

gelorum turmæ, qui & ipſi ſua præſentia illos confortant (ſicuti de Chriſto ad Oliueti montem ſudante dictum eſt) & eorum diſſolutionem beatam expectant, vt animas illas felices ad beatæ immortalitatis ſedes deportent. Inter homines verò alij quidem crudeli ſpectaculo oculos impios paſcunt, quibus hæc voluptas nimiùm magno conſtabit: alij ſuæ curioſitati indulgent, de quibus ſpes adhuc bona eſt, vt ea occaſione ad veritatis cognitionem perueniant, quod multis olim & noſtro quoque ſæculo accidiſſe conſtat: alios verò pius affectus trahit, qui vt precibus ſuis illos certantes iuuant, ita pijs quoque lachrymis iniuſtitiam eorum arguunt & accuſant, qui ſanctos Dei cultores inique damnare audent. Nunquam enim ita regnat & furit impietas, quin ſuos inueniat repræhenſores: & nunquã ita derelinquuntur pij, quin inter medios carnifices inueniant, qui ipſis piè condoleant, & aliquam illis afferant conſolationem. Et poteſt hoc reuera Dei theatrum dici, in quo ipſe præſidet, & in quo victoria potiuntur, quos cæcus hic & infelix mundus ſuccubuiſſe ac totos perijſſe putat.

Mulieres Chriſti mortem deflent.

Et huc imprimus referri debet, quod de mulieribus iſtis dicitur, quòd indignam hanc Chriſti mortem planxerint atque lamentatæ ſint. Nam etiamſi tantæ rei, quæ tunc agebatur, myſterium non intellexerint (vt mox audiemus) pius tamen ille affectus fuit, quo illius ſors indigna ipſis doluit. Ita verò noſtri nos officij admonent, quod ex charitatis lege miſeris & afflictis debemus. Iubet hæc, vt illis opem feramus pro virili, ſicuti in Samaritani parabola didicimus. Quia autem id non ſemper poſſumus proximus gradus eſt, vt animi noſtri beneuolentiã pio dolore teſtemur, vt vel ex eo illi conſolationem aliquam capiãt. Facit huc corporis humani & membrorum ſimilitudo, quam Apoſtolus in priori ad Corinthios prolixè tractat. Et idem eius nos admonet, quando in epiſtola ad Hebræos hortatur, vt vinctorum memores ſimus, & perinde illorum curis atque moleſtijs afficiamur, ac ſi ipſi eſſemus in illorum corpore. Etenim aliter fieri nõ poteſt inter homines Chriſtianos, qui Chriſti corpus ſunt, & omnes eodẽ ſpiritu animantur atque reguntur. Eſt hodie nobis ampliſſima de his cogitandi occaſio atque materia. Nam vt de priuatis calamitatibus nihil dicamus, quibus multi paſſim exercentur, quibus cum egeſtate, cum fame, cum morbis diuturnis, cũ conſcientiæ terroribus res eſt: quis non videt, quæ & quanta pericula Eccleſijs paſſim immineãt, quàm multæ diſſipentur, quàm multæ ſub carnificum manibus in medio luporum gemant & ſuſpirent, quàm multæ paſtoribus deſtitutæ trepident? Oberrat paſſim miſera fidelium turba, quos tyrannis plus quàm Phalarica patrios fines relinquere & in ſpontaneum exilium abire cogit. Multi poſt ſe relictis coniugibus & charis liberis, dolore acerbo conſumuntur. Multi interea patriæ ſuæ ruinam & horribilem oppreſſionem eminus cum gemitu ſpectant, alij verò eadem ſe quoque obrui ſentiunt, & ipſi calamitatum iſtarum pars ſunt aliqua. Debebant iſta nobis quoque pias lachrymas mouere, ad preces excitare & beneficentiæ ſtudium. Sed quàm multi, proh dolor, Scythica & barbara immanitate tantas piorum calamitates contemnunt, & ſiccis oculis abſque omni gemitu tempeſtates illas ſpectant, quæ (niſi eas Dominus auertat) Eccleſias omnes, adeoque totum terrarum orbem obruent. Potuit vnius Chriſti indigna mors mulierculas illas, quæ nihil in illo maius homine agnoſcebant, ad piam commiſerationem mouere, quam lachrymis & planctu publicè, teſtatæ ſunt. Quàm ergo turpis illa barbaries, quàm execrabilis crudelitas eſt, quæ hodie obſtat, quò minus tot Eccleſiarum ruinas miſerabiles deploremus. Certè qui iſta nihil ad ſe pertinere putant, ij ſe à Chriſti corpore alienos eſſe produnt.

1 Cor. 12.
Hebr. 13.

Chriſtus mulierum affectũ corrigit.

Sed illum audiamus mulieribus iſtis loquentem: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, verùm ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris. Nam ecce; venient dies quibus dicent, Beatæ ſteriles, & vteri qui non genuerunt: & vbera quæ non lactauerunt. Tum incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet? Corrigit illarum affectum atque fletum Dominus, non quòd pius iſte affectus ipſi diſpliceat, ſed quòd eas de rebus maioris momenti admoneri oportebat, quas adhuc ignorabant. Sciebant quidem illum immerentem ad dirum crucis ſupplicium rapi: id verò propter noſtra peccata fieri neſciebant. Deinde afficiebantur triſti illo ſpectaculo, quòd innocentem cum latronibus duci viderent, non autem cogitabant, quàm horribiles & graues pœnas hæc gentis Iudaicæ ingratitudo & iniuſtitia mererentur. De vtroque ergo eas admoneri oportuit, vt affectus iſte ipſas ad veram pœnitentiam adduceret, vtque de propria ſalute diligentius cogitarent. Dicit ergo: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, ſed ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris. Quaſi diceret: Vobis quidem mea ſors digna videtur, quam planctu & lachrymis proſequamini. At multò iuſtior & grauior lugendi cauſa vos premet,

met, ſi quid toti veſtræ genti breui euenturum ſit, & quantum hîc myſterium agatur, probè expenderitis. Et mox calamitates venturas comparationibus amplificat. Nã ecce (inquit) venient dies quibus dicent: Beatæ ſteriles, & veteri qui non genuerunt: & vbera quæ non lactauerunt, &c. Alludit ad Legis promiſſiones, inter quas non poſtrema habetur de fœcunda ſobolis multiplicatione, quæ apud pios tanto in pretio fuit, vt ſterilitas probri loco haberetur, ſicuti Rahelis, Annæ, Elizabetæ & ſimiliũ exempla teſtantur. Vult ergo dicere, tantas fore calamitates, vt felices putentur, quæ nũquam pepererunt. Conuenit cum his verbis, quod apud Hoſeam habetur. Cum enim Iſraelitis bella grauiſſima minatus eſſet Propheta, in quibus filios eorũ exterminari & crudeliter occidi oporteat, tantarum cladium conſideratione ad commiſerationem motus ad preces conuertitur, quibus aliquã pœnarum mitigationem poſtulans dicit: Da eis Domine. Quid dabis? Da eis vterum abortientẽ & vbera arentia. Quaſi diceret: Satis ſit quæſo, ſi ipſi malè pereãt, hanc modò calamitatem ab ipſis remoue, ne filios generent & aducent ad mactationem, quorum horribiles cædes miſeriam iſtã augeãt. Cum his ergo Prophetæ verbis conuenit, quod in præſenti Dominus minatur. Et mox ex eodẽ Hoſea aliud profert, quo calamitates iſtas, quæ venturæ ſint, amplificat, dicens. Tum incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Magna ſit oportet miſeria, ingẽs item & horribile periculũ, quod quis mortis beneficio auertere aut ſubterfugere cupiat, & quidem mortis non vulgaris. At talia ipſis euentura ait, vt vellent ſibi terram dehiſcere, ſeq; montibus obrui optarent, ne illa cogerentur intueri. Vtque minus dubitent, rationem adducit: Nam ſi in virente ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Virens lignum phraſi Hebraica dicit arborem quæ adhuc viriditate viget, & ad fructus ferendos idonea eſt, & per eam ſeipſum intelligit. Aridis verò lignis Iudæos confert, qui hucuſq; non ſolum ſteriles fuerant, ſed eò delapſi iam erant, vt fructus ex illis omnino nullus porrò ſperari poſſet: quod Ioannes quoq; iam pridem illis exprobrauerat, cùm ſecurim iam ad arboris radicem poſitam eſſe diceret. Senſus ergo eſt: Cùm ex æterno Patris conſilio me, qui arbor ſum verè fœcunda & fructifera, imò qui Filius ille dilectus ſum, tam dira & infami morte tolli oporteat, vt peccata hominum expientur, quid de illis fiet, qui trunci aridi, & veriſſimi illi Nabales ſunt, quos nullus pietatis ſenſus mouet, & quorum fructus iampridem deſperatus eſt? Et hæc quidem non inania verba fuiſſe, rei euentus declarauit. Quàm diris enim quamque grauibus pœnis Deus Iudaici populi & quidem imprimis Hieroſolymitanæ vrbis crudelitatem & ingratitudinem vltus ſit, alibi oſtendimus. Et quis non tunc beatas fuiſſe dixerit eas, quæ nunquam pepererunt, quando dira fames matres adegit, vt infantes ex ſe natos proprijs manibus occiderent, & ſibijpſis in cibos pararẽt? Quãtò item illis ſatius & optabilius fuiſſet à terra viuas abſorberi, aut montiũ incidentiũ pondere ſepeliri?

Hoſ. 9.

Hoſ. 10.

Debet autem hinc generalis doctrina peti, Deum non inultam ſinere crudelitatem hoſtium ſuorũ, qui Chriſtum in membris ſuis perſequuntur. Ad totam enim Eccleſiam credentium pertinet, quod Abrahamo dictum fuit: Benedicam eis, qui tibi benedicunt, maledicentibus autem tibi ego maledicam. Et per prophetam idem Eccleſiæ dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Exempla quoq; omnibus ſeculis edita ſunt, quibus totum orbem terrarum Deus admoneri voluit, quanti faciat ſuorum ſanguinem, qui propter nominis ſui confeſſionem occiduntur. Neminem ergo indigna piorum ſors offendat, quã in terris hiſce ſuſtinent. Habent enim vindicem fortiſſimum, Deum, qui etſi iudiciũ ſuum aliquando differat, diem tamen & horam iã conſtituit, qua hoſtes ſuos puniet, illos autem ex horum manibus ereptos ſeruabit: & momentanea noſtræ oppreſſionis leuitas (vt Paulus ait) excellentiſſimũ gloriæ æternæ pondus nobis conficit. Diſcant etiã priuatim omnes, ne quam vim aut iniuriã faciant Chriſti cultoribus quocunq; prætextu, ne tanti vindicis irã aduerſus ſe prouocẽt.

Pœnæ eorum, qui Chriſtũ perſequuntur.

Admonet præterea locus iſte, quomodo mortẽ Chriſti deflere debeamus, in quo nimiùm ridiculos (ne quid grauius dicã) ſeſe præbent Monachi, qui quaſi omnis doctrinæ & prædicationis huius fructus in lachrymis inanibus conſiſtat, ſermones ſuos in eum finem dirigunt, vt ad fletũ prouocent mulierculas, & vt gemitus atq; ſuſpiria crebra in templis exaudiantur? Quod vt facilius impetrẽt, non contenti ijs, quæ Euangeliſtæ nobis tradiderunt, multa affingunt de Mariæ Virginis cõpaſſionibus, quæ vt falſiſſima, ita indigniſſima ſunt, quæ illi tribuuntur. Quid, quòd ijdẽ hiſtoriã hanc totã in ludũ Scenicum conuerterunt? At nihil huius docuerunt Apoſtoli: nihil etiã ſimile à nobis ille requirit. Neq; vt propter ipſum ploremus iubet, qui iã in cœlis triumphat & regnat: ſed propter nos, qui ipſi

Vt mors Chriſti defleri debeat.

tam acerba mortis authores fuimus. In teipſum ergo deſcendito, & quid tu merearis cogita, qui re vera aridum, ficulneum & inutile lignum es. Tibi igitur hoc illius dictum accommoda, vt idem diaboli ſuggeſtionibus & peccati blanditijs opponas, quibus caro facilè decipitur. Similiter, ſi qui te multò meliores affliguntur, illud ipſum in animum reuoca, & illos tibi in exemplum affligi credito, duriores autem grauioresque pœnas tibi paratas eſſe, niſi ex animo reſipiſcas. Denique in Ieſu Chriſti mortem ita intenti ſimus, vt eius conſideratione ad pœnitentia veræ ſtudium excitemur, & in fide confirmemur, qua ſola ille appræhenditur, vt nobis ſalutifer fiat. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CCVII.

Ducebantur autem etiam alij duo malefici, vt cum eo necarentur. Cùm igitur veniſſent in locũ, qui vocatur Caluaria, illic crucifixerunt eum, & maleficos: vnum ad dextram, alterum ad ſiniſtram. Ieſus autẽ dicebat. Pater, remitte eis: neſciunt enim quid faciant. Partientes autẽ veſtimenta eius, iecerunt ſortem. Et ſtabat populus ſpectans. Sanñis autem excipiebant eum etiam principes cum eis, dicentes: Alios ſeruauit, ſeruet ſeipſum, ſi hic eſt ille Chriſtus Dei electus. Illudebant autem ei etiam milites, accedentes & acetum ei offerentes, dicentesq́: Si tu es Rex ille Iudæorum, ſerua temetipſum. Erat autem etiam inſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis & Romanis & Hebraicis: HIC EST REX ILLE IVDAEORVM.

Marcus homil. 119.

DAuid Rex & Propheta celeberrimum illud de Ieſu Chriſto vaticinium contexens, quod in Pſalmo centeſimo decimo deſcribitur, inter alia dicit: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eũ: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchizedech. Quoties autem Spiritus ſanctus in Scripturis illi ſacerdocium tribuit, tunc eum vnicum & ſufficientem Redemptorem atq; Seruatorẽ humani generis eſſe docet. Scimus enim ſacerdotum officia fuiſſe, Docere, Sacrificare, Orare pro populo & eidem benedicere. Atqui omnia iſta Chriſtus abunde præſtitit. In docendo enim aſsiduum fuiſſe, Euangelica hiſtoria indicat, adeò vt ſe ideo in mundum veniſſe, ipſe alicubi fateatur. Idem per Apoſtolos totum terrarum orbem docuit, & adhuc hodie nobiſcum per Eccleſiæ miniſtros loquitur, quos ab illo dari Paulus ſcribit. De oratione itẽ & precibus eius multa huc uſq; audiuimus, ſub quibus benedicendi quoq; munus ex parte comprahenditur. Reſtabat ergo ſacrificiũ, quod in ara crucis peregit, & ita quidem vt eius meritum atq; effectus adhuc hodie duret, & ad ſalutem omnibus ſufficiat, qui illum fide vera apprahendunt. Illius verò hiſtoriam deinceps Lucas deſcribet, in cuius conſideratione nos ita verſari conuenit, vt eum propter nos iſta paſſum eſſe teneamus, vt pro noſtris peccatis victima ſiue oblatio fieret. Et quia hîc multa concurrunt, quæ ſingula ad tanti myſterij explicationem faciunt, de ſingulis ex ordine dicemus quod in præſenti dictu opus fuerit.

Locus ſupplicij, Caluaria.

Primum à loco ſupplicij Euangeliſta orditur, & illum vnà cum duobus alijs maleficis (quos alij latrones fuiſſe ſcribunt) ductum fuiſſe ait in locum, quem Caluariam vulgò vocabant: nimirum à caluarijs & oſsibus mortuorum, quæ illic diſperſa aut congeſta viſebantur. Fuit ergo iſte publicus locus, in quo facinoroſi omnes ſolebant necari, qui ſceleribus pœnam capitalem meruerant. Epiphanius contra Tatianos ſcribens ex veterum monumentis prodidit, eodem in loco Adamum parentem primum humani generis mortuum atque ſepultum fuiſſe, & ab eius caluaria illic inuenta locum hunc nomen accepiſſe. Quod an verè dicatur, nolim cum aliquo contendere: & quamuis non omnino abſurdum videri poſsit, Chriſtum illic ſua mortis merito vitam nobis reſtituere voluiſſe, vbi primum hominem mors abſtulerat, & in eo de toto genere humano triumphatum viſa fuerat: prior tamẽ ſententia mihi veriſimilior, & à ſuperſtitionis periculo alienior eſſe videtur. Glorianţur ſuo Capitolio Romani, cui ab hominis capite illic inuento nomen inditum fuiſſe

scriptores

ſcriptores tradunt. At Chriſtiani homines rectius & iuſtius hoc Caluariæ colliculo gloriari poſſunt, in quo æternus Dei Filius in aſſumpta carne crucifixus peccatum totius mundi expiauit. Quod tamen ita dictum velim, ne quis nos illorum ſuperſtitioni fauere putet, qui illius meritum certis locis alligant. Hoc enim per omnes terrarum angulos extendi, & paßim inueniri per fidem notius eſt, quàm vt multis demonſtrari oporteat. Et quamuis tunc terram iſtam ſua vita & morte Chriſtus nobilitare dignatus ſit, poſtea tamen multa in illam edita ſunt iræ & iudiciorum Dei exempla, quæ ſatis docent, ſalutis meritum aut fiduciam illi minimè alligari debere. Nunc potius obſeruemus, cur in locum publicis ſupplicijs infamem ille ductus ſit cum duobus maleficis, & ibidem inter illos medius in crucem ſuffixus. Narrant hos vnanimi conſenſu omnes Euangeliſtæ, & ſic olim per Iſaiam prædictum eſſe docent, cuius dictum illud extat: Et cum iniquis aut facinoroſis reputatus eſt. Ita verò fieri oportuit, vt nos eius merito iuſtificati inter Dei filios numeraremur, & vt conſtaret illius effectum ad ſceleratißimos quoſque etiam extendi, denique ſupplicia quæ iſti luunt, Chriſti morte iam conſecrata eſſe, vt illis nequaquam fraudi ſint aut obſtaculo quoad æternam ſalutem, modò peccata ſua agnoſcant, deque illis doleant, & illius merito partam eorum remißionem fide ſyncera apprehendant.

Crux Chriſti altare.

Quod vt rectius intelligatur, & vberior quoq; iſtius doctrinæ vſus ſit, crux Chriſti ita nobis conſideranda erit, vt eam illi altaris loco fuiſſe meminerimus, in quo ſemetipſum pro peccatis noſtris Deo Patri obtulit. Non eſt ergo, quod eius ignominia aliquem offendat, quando per hanc ille triumphauit de mundo & principe eius, vt eiuſdem virtute omnem poteſtatem aduerſariam vincant quotquot in illum credunt. Euſebius author eſt Conſtantino contra Chriſti & Eccleſiæ hoſtes bellum iuſtum & neceſſarium paranti crucis effigiem in cœlo apparuiſſe, cum inſcriptione iſta: τούτῳ νίκα, id eſt, hoc ſigno vince. Itaq; hoc ſibi ſignum militare fecit, & ſub eo milites ſuos eduxit, & bellum iſtud felicißimè geßit. Vbi nemo pijßimum Imperatorem adeò ſtupidũ aut vecordem fuiſſe putauerit, vt in crucis forma vel picta vel ſculpta ſpem atque fiduciam aliquam collocauerit (quod poſteris temporibus homines ſuperſtitioſi fecerunt) ſed quia à viris pijs & eruditis edoctus erat, hoc immortalitatis Chriſti ſymbolum, & victoriæ aduerſus diabolum & mortem partæ trophæum eſſe, hoc ipſum non adorationis aut cultus cauſa propoſuit, ſed vt publicè teſtaretur, ſe illius ſeruum & militem eſſe, qui in cruce moriens nos ſeruauit. Eadem fide nos quoque non à crucibus manufactis, ſed à Chriſti crucifixi merito pendere conuenit, vt nos quoq; eius virtute victoriam in medijs periculis & tribulationibus obtineamus. Debet autem in toto hoc myſterio primùm obſeruari bonitas Dei, qui (vt ipſe Chriſtus teſtatur) ita dilexit nos, vt Filium ſuum vnigenitum pro nobis in mortẽ hanc diram & infamem dederit. Facit huius conſideratio ad fidei noſtræ confirmationem, ne de eius erga nos voluntate poſthac dubitemus. Nec enim fieri poteſt, vt aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt, nobis ille neget, qui Filio ſuo parcere noluit. Deinde in hoc tam acerbo crucis Chriſti ſupplicio peccati atrocitatem conſideremus, quam magnam & Deo quàm maximè abominabilem eſſe oportet, cùm illud non alia ratione expiari potuerit. Quod vt eos arguit, qui dum nouas expiationes & ſatisfactiones fingunt, Chriſti merito derogant: ita nobis vehemens eſt ad pœnitentiã ſtimulus contra blanditias peccatorum & mundi illecebras, quibus nos Satan circumuenire & ſua mancipia facere ſatagit. Sed & ipſi nobis ferè delitias facimus, dum nobiſipſis perſuademus, non tam grauem eſſe peccatorum noxam, quàm multi fingant, qui plus æquo moroſiores conantur omnes ſub neſcio quã diſciplinã cogere. At qua ratione leuiculũ dici poteſt id, quod Angelis defectoribus ruinæ cauſa fuit, propter quod Adam cum tota poſteritate è paradiſo eiectus & morte mulctatus eſt, propter quod Deus ipſe à nobis alienior factus creaturis omnibus maledixit & totã hãc mundi machinã corruptioni ſubiecit, propter quod deniq; Dei Filius in cruce pependit nudus & infamis, ad quod ſpectaculũ ipſam rerum naturã & omnes mundi partes exhorruiſſe ſuo loco audiemus? Quòd ſi verò hæc omnia te parũ mouent, vt quorũ fides propter vetuſtatẽ iã obſoleta ac dubia ſit, dic quæſo quiſquis es, vnde fames, vnde peſtilẽtia, vnde bella, vnde regnorum periculoſæ mutationes & quæcunq; alia ſunt huius generis originẽ ducant? Nonne gentes olim hæc omnia ex ſceleribus naſci & horũ pœnas eſſe agnouerũt? Qui id negare volet, nimiũ aut impudẽs aut hiſtoriarũ ignarus erit. Pudeat ergo Chriſtianos homines de peccato tã leniter ſentire, ſeq; rurſus ei mancipare, ex cuius ſeruitio non aliter quã per indignã mortẽ

vitijs ſuis infames nūquā ille faſtidiuit, et hodie etiā tales alta voce et magnificis promiſsionib. ad ſe
vocat. Conſcientias item peccatorū pondere preſſas & æſtuantes amicè fouet, & ne vel modicùm mi-
Iſa. 66. cantes fidei ſcintillæ omnino extinguantur, diligenter cauet. Idem tamen à nobis animos humiles, cō
tricos & pia reuerentia verbum ſuū amplectentes requirit, ſicuti per Iſaiā his verbis teſtatur: Ad
quem reſpiciam? Ad pauperem & contritum ſpiritu, & qui ad verbum meum contremiſcit. E cōtra
Pſal. 1. verò illuſores impios atque prophanos non probat, qui eius nomine et verbo ſcurriliter inſultant, aut
eo ad ſuam libidinem abutuntur. Imò Spiritus ſanctus eos demū beatos fore pronuntiat, qui in cōseſ
ſu illuſorum non ſedent. Quia ergo ex horum numero erat Herodes, neque de eodem aliqua pœniten
tiæ ſpes erat, illū ne alloquio quidē aut reſpōſo dignatur. Et ſuo exēplo miniſtros verbi omnes admo-
net, ne cum eiuſmodi hominibus non neceſſaria colloquia aut diſputationes temerarias inſtituant, ex
quibus nō aliud quā contemptus & ignominia ſperari poteſt. Hi enim reuera ſtulti illi & deplorati
Prou. 26. Nabales ſunt, quos Solomon ſcribit diſciplinam et caſtigationem omnem reſpuere, & de quibus ipſe
prudenter nos admonet: Ne reſpondeas ſtulto ſecundùm eius ſtultitiam, ne & tu illi ſimilis fias. Et
præſtat omnino tacere, etiamſi ſilentio noſtro eos vel ferociores fieri, vel etiam eo ad noſtri contem-
ptum abuti ſciamus, quàm illis nouam aduerſus Dei verbum proteruiendi occaſionē præbere: Niſi
eiuſmodi reſponſum occurrat, quo vel ipſis inuitis eorum conſcientias altius penetrare, vel eorū di-
cacitatem ipſis digno ſcōmate retundere poſſimus. Prioris generis eſt, quod nuper Chriſtus Caiaphæ
reſpōdit: Ab hoc tempore videbitis Filium hominis ſedentem à dextra virtutis Dei, et venientem in
nubibus cœli. Ad alterum genus referri poteſt quod Auguſtinus quendā cuidam petulantius quærē-
ti, Quid Deus fecerit priuſquā feciſſet cœlum & terram, reſpondiſſe ſcribit: Alta quærentibus gehē-
nam parabat. Simul autem huius, quod in præſenti Chriſtus facit, nos meminiſſe oportet, quando no-
bis cum improbis hominibus res eſt, apud quos nullus iuſtæ defenſioni locus datur, & quos omnia no
ſtra vel cum riſu prophano eludere, vel amarulentis calumnijs in alienum ſenſum detorquere vide-
mus. Feramus tunc patienter noſtram hanc ſortem, quæ nobis cum Dei Filio communis eſt. Pro-
miſit is nobis aduocatum omnium fideliſsimum, Spiritum videlicet veritatis, qui vt corda & lin-
Sacerdotes apud Herodem quoque Chriſtum accuſant. guas ſuorum gubernat, ita eorundem memoriam aſſerit atque cuſtodit.

Priuſquam tamen ab hoc loco diſcedamus, illud quoq; expendi debet, quod de aduerſarijs Chri
ſti Lucas annotauit. Stabant autem (inquit) principes Sacerdotum & Scribæ magna contentione
eum accuſantes. Eo enim facto incurabilem contumaciā cum ſumma impudentia coniunctā amplius
produnt. Nam etiāſi apud tribunal Pilati cauſa ſua cecidiſsent, & inſuper in mendacio deprehenſi
eſſent, actum tamen agunt, & adhuc vt turbarum & ſeditionum authorem accuſant eum, de quo ne
ipſe quidem Herodes quicquam querebatur. Ita nihil pudet eos, qui aduerſus Chriſti doctrinam con
iurauerunt: quia enim ipſi Deo bellum mouere audent, nihil non ſibi licere arbitrantur. At ijdem
ſimul ſe dignam contumeliam inde reportant, ſicuti in horum exemplo eſt videre. Scimus eos ambi-
tionis plus quàm ſeruilia mancipia fuiſſe, & hanc potiſsimùm ob cauſam cum Chriſto inimicitiā ſu-
ſcepiſſe, quod honori ſuo et exiſtimationi per eius doctrinam plurimùm derogari viderent. At quàm
turpiter ſuam exiſtimationem ijdem hic proſtituunt, quando à Pilati Præſidis tribunali recedi,
nunc maiori cum contentione cauſam hanc apud Herodem agunt, qui quàm nihili eos faceret ſæpe
multis argumentis demonſtrauerat, & nunc eo ipſo magis probat, quando ipſos cum Chriſto eò re-
mittit vnde venerant? Doluit hoc procul dubio hominibus ambitioſiſsimis, quòd ſe ne audiri quidē
viderent à Rege illo, qui ſimul cauſam hanc totam ludibrio habebat. Fiunt multa huius generis ho
die, quando perſonati illi præſules magno cum conatu veritatis Euangelicæ doctores apud eos prin-
cipes accuſant, qui aut cauſam hanc cognitione indignam iudicant, aut illorum ambitionem atque
auaritiam iampridem cognitam habent. Eſt quidem reprehenſione dignus contemptus ille propha
nus verbi Dei & totius religionis: idem tamen nobis conſolationem non pœnitendam affert, quando
Herodes Chriſtum illuſum remittit Pilato. videmus hoſtes veritatis ne apud eos quidē omnia obtinere poſſe, qui & ipſi hāc contēnunt et oderūt.

Facit ad huius confirmationem exitus iſtius actionis, quem Lucas his verbis deſcribit: Hero-
des autem cum militibus ſuis, cùm eum pro nihilo habuiſſet, & illuſiſſet ei, amictum veſte ſplendida
remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes eo ipſo die: nam antea inimi-
ci erant inter ſe. Duo dicuntur. Primum, quòd Herodes vnà cum viris militaribus & corporis ſui

cuſtodibus,

cuſtodibus, qui praſtò aderant, Chriſto illuſerint. Quo loco non exprimuntur quidem verba & conuitia ſiue ſcurrilia dicta, quibus ſunt vſi, ſed in illis non dubium eſt eos petulantiſſimos fuiſſe. Tanta enim fuit illorũ leuitas, vt verba illis non ſufficere viſa ſint, niſi veſtitu quoq; ludicro illũ magis contemptũ facerent. Itaq; veſte ſplendida ſiue alba amictũ Pilato remiſit. Scimus autẽ apud Romanos, quorũ mores Herodes non potuit ignorare, in vſu fuiſſe, vt qui magiſtratũ aut munus aliquod publicũ ambiebant, candidis togis veſtiti ad comitia deſcenderent: eo nimirũ colore, qui ſimpliciſſimus & ab omni mixtione alienus eſt, animi integritatẽ teſtantes & ſyncerũ erga rempub. amorẽ. Ad eum ergo morẽ prophanus homo alluſiſſe videtur, vt Chriſtũ morionis loco haberet, et cũ riſu abs ſe relegaret, vt ſtultum atq; fanaticum regni affectatorem. Quanquam iſta ignominia ad totã Iudaorum gentẽ redundarit, quibus ſpẽ Meſſia ſui ſimul exprobrauit hoc facto, quem illos nunquam non in ore habere ſciebat. Quaſi diceret. Faceſſite procul hinc ſtulti & ridiculi homines, qui cùm Regẽ quendã gentis veſtra vindicem glorioſum & veteris regni inſtauratorem ſubinde expectetis, hunc tamen nõ agnoſcitis. Ego igitur vt & hũc digno honore proſequar, et vobis gratificer, hiſce regni inſignibus cum dono, hac illũ trabea indutum dimitto, & vos ſic ornatum ad Praſidem reducite, vt tam Regis quàm regni veſtri maieſtas omnibus innoteſcat. Et hoc loco adumbratur nobis, qua ferè Chriſti ſors ſit intereas quoque, qui ſe Dei populum eſſe profitentur. Maior inter hos ſemper eorũ numerus eſt, qui omnia ea ſuauiter rident, qua de eius regno & toto humana ſalutis negotio dicuntur. Et vtinam non hodie paſſim extarent exempla eorum, qui cùm Euangelij pradicationem cum cruce perpetuò coniunctam eſſe videant, ſimili ſcurrilitate nobis quoque ſpem regni cæleſtis exprobrant.

Herodes & Pilatus amici fiunt.

Alterum eſt, quòd qui prius inimici fuerant, Pilatus & Herodes, nouã amicitiam ineunt. Quia enim Iudaa prius Herodi Magno ceſſerat, poſt eius verò mortem prouincia facta & per Praſides adminiſtrata fuit, non facilè conuenire potuit Herodis poſteris cum Praſidibus, cùm hi inſatiabili auaritia accenſi omnia ad ſe raperent, illi verò regni paterni fines in anguſtum redigi indignius ferrent. Hac autem occaſione factum eſt, vt depoſitis odijs aut ſimultatibus nouo amicitia fœdere coirent, qui ante hac diſſidebant. Vt enim Herodi gratiſſimum fuit, quòd hominis Galilai cauſam ad ipſum remiſerat, eò quòd id ad ſua iuriſdictionis confirmationem facere videbatur: ita Pilatus gauiſus eſt, quòd tantum haberet iam innocentia Chriſti teſtem, de qua ipſe paulò ante pronunciauerat. At dum ſibi mutuò gratificantur, vterque Chriſtum negligit, & huius pretioſo ſanguine ſcelerata iſtorum amicitia ſancitur ſiue redimitur.

Mores principum.

EST autem exemplum hoc multa conſideratione digniſſimum. Nam quaſi in tabula depictos nobis exhibet mores principum, quos nulla religionis & gloria Dei cura tangit. Ardent iſti auaritia & ambitione, & vt ſui imperij aut poteſtatis ſua conſortes ferre non poſſunt: ita cum vicinis quoque lites habent perpetuas de finibus, de iuriſdictione, de inſignibus, & frequenter propter ceruum aut aprum in loco controuerſo captum & occiſum ad arma deuenire ſolent. At ijdem contra Chriſtum ferè inter ſe conſpirant, & ſepoſitis odijs ſua ad illum opprimendum conſilia conferunt. Et quàmuis interdum cultorum Chriſti innocentiam probè perſpectam habeant, neq; hoſtium Chriſti improbitatẽ ignorent, tamen pro veritate tuenda cum nemine volunt contendere. Exempla eã ſcelerata ignauia paſſim cernuntur hodie. Quàm multos enim eſt videre, qui ab alijs intra ſua ditionis fines ferã aliquã capi nunquã paterentur, qui tamen Pontificios legatos & Inquiſitores monachos in ſuorũ ſubditorũ fortunas et corpora ſauire patiuntur? Nihil nunc de illis dicam, qui cùm Euãgelij ſtudiũ profiteãtur, in Põtificũ gratiã verbi miniſtros, ſi qui feruẽtiores ſunt, eijciũt, alijs verò dicẽdi leges praſcribũt. Et hi quidẽ omnes ſibijpſis applaudũt, quòd iſta moderatione cõſiliorũ (ita enim hanc ſuã proditoriam vecordiam vocant) amicos ſibi faciãt multos, & pacem publicã ſeruent. Sed nõ omnis amicitia Deo probatur, & infelix illa pax eſt, qua iñocentiũ hominũ ſanguine et veritatis oppreſſione redimitur. Quàm verò infeliciter cedant eiuſmodi conſilia, iſtorũ exẽplis docemur. Amicitia coëunt inter ſe cum Chriſti ludibrio Pilatus ac Herodes, nec multò poſt ille eundẽ in Sacerdotum gratiam cruce dignum iudicat, & ita illi diu optata victoria potiuntur. Quis ergo non pacem firmam ſperet & tuta omnia in tam plauſibili animorum & conſiliorum conſenſione? Sed longè aliud Deo viſum eſt, qui de omnibus iſtis pœnas ſumpſit grauiſſimas. Pilatus enim poſt multa inter Iudaos auarè & crudeliter geſta à Tiberio Caſare Viennam Gallia relegatus ſibijpſi manum in-

tulit. Herodes quoque regno exutus & cum ſua Herodiade exilio mulctatus eſt, vt alibi oſtendimus. Sacerdotes verò cum vrbe & templo exciſſi ſunt, neque potuit ab eo tempore vnquam inſtaurari ſacerdotium illud, pro quo tantopere pugnauerunt. Expectent ergo ſimile Dei iudicium, qui hodie contra veritatem conſpirant, & cum piorum ſanguine ludunt. Viuit enim & regnat Ieſus Chriſtus, & qui per ludibrium ab Herode veſte candida indutus fuit, breui veniet in gloria Patris ſui ad iudicandum viuos & mortuos, vt & ſuos ex impiorum manibus aſſerat, & hos digno ipſis exitio male perdat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CCV.

Pilatus verò conuocatis principibus Sacerdotũ, & magiſtratibus, ac populo, dixit eis: Obtuliſtis mihi hunc hominem, vt qui auertat populum: & ecce ego in veſtri conſpectu quæſtione habita, nullam noxam inueni in homine iſto, ex ijs de quibus accuſatis eum. Sed ne Herodes quidem: nam remiſi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte factum eſt ab eo: Caſtigatum ergo eum dimittam. Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto vnum quempiam. Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba dicens: Tolle hunc, dimitte verò nobis Barrabam. Qui erat propter ſeditionem quandam & cædem factam in vrbe, coniectus in carcerem. Rurſus ergo Pilatus allocutus eſt eos, volens dimittere Ieſum. Ipſi verò reclamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eũ. Ille autem tertiò dixit eis: Quid enim iſte mali fecit? nullam noxam capitalem inueni in eo: Caſtigatũ ergo eum dimittam. At alij inſtabant vocibus magnis, petentes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum ac principum Sacerdotũ. Tum Pilatus iudicauit vt fieret quod ipſi petebant: dimiſit autẽ eis illum, qui propter ſeditionẽ & cædem coniectus fuerat in carcerẽ, quem petierant: Ieſum verò tradidit eorum cupiditati.

IN tota paſſionis dominicæ hiſtoria perquam memorabilis eſt actio, quæ apud Pilati præſidis tribunal magna cum contentione inſtituta & habita fuit. In ea enim euidenter cernitur quo ingenio ſint hoſtes veritatis, quibus armis & artibus ijdem pugnent, & quæ ſub his ſit piorum conditio. Superat tamen hæc omnia Ieſu Chriſti innocentia, quæ illic teſtimonijs luculentiſſimis aſſeritur, & quidem ab ipſo Pilato, qui illum poſtea multùm reluctante conſcientia damnauit. Fuit enim in illo aliquod iuſtitiæ ciuilis ſtudium, & ideo licet Concilij authoritate iam damnatum eſſe audiret, noluit tamen in eius mortem conſentire, niſi prius ipſe quoque cauſam totam cognoſceret. Et quia iudicio quoque valuit, mox deprahendit, Iudæos ex inuidia & odio hoc omne agere, & proinde ſua ſententia illum abſoluit. Idem tamen in eo peccat, quòd pro eo quem ſciebat iuſtum atque innocentem eſſe, non periculum aliquod ſubire, imò ne inuidia quidem ſeſe grauare vult. Quæ cauſa eſt, quòd ad humanæ ſapientiæ rationes ſiue artes conuertitur, quibus ſeipſum magis et magis ſubinde intricat, et ſuam quidem iniuſtitiam magis prodit, Chriſti verò innocentiam illuſtriorem reddit. Et huc facit imprimis huius loci narratio, qua vt Chriſtus poſt multam & longam altercationem tandem ad crucis ſupplicium damnatus ſit, exponitur. Diſcent autem iſto exemplo omnes qui magiſtratum gerunt, ſibi non ſolùm ſapientia & rerum cognitione atq; vſu opus eſſe, verumetiã fortitudine, qua improborum audaciam retundant, & eorũ ſuperbiæ obſtent, qui ſuæ authoritatis ſplendore oculos illorum perſtringere conantur. Præ alijs tamen conſideratione digniſſima eſt Chriſti innocentia, quam multis euidentibus & ſæpe repetitis teſtimonijs aſſeri oportuit, vt certò conſtaret, illum propter nos mortem indignam ſubijſſe, vt pro noſtris peccatis ſatisfaceret, & nos à ſententia æternæ damnationis, quam merueramus, abſolueret. Quæ omnia vt rectius intelligantur, ſingulas partes ex ordine videbimus.

Pilatus,

Pilatus, qui cauſam hanc inuidia ac odij plenam ad Herodem deriuare voluit, vbi ſe ſpe ſua fruſtratum videt, nouum commentum orditur. Quod ea diligentia Lucas deſcribit, vt illum hoc ſeriò feciſſe non poßimus dubitare: nullo tamen cum fructu, neque cum laude aliqua facit, quia animi fortitudine deſtitutus non vult pro cauſa bona periclitari. Conuocat enim omnes, qui eam agebant: principes nimirum Sacerdotum, magiſtratus ſiue Seniores, populum denique vniuerſum: ſperans nimirum in tanta multitudine aliquos fore, qui aut miraculorum & acceptorum beneficiorum memores, aut ipſius authoritate perculſi ab actione iſta deſiſterent. Ideo orationem habet breuem quidem, ſed quæ refertißima eſt argumentis, quibus moueri poterant, niſi cum iuſtitia & æquitate ſenſum quoque communem et pudorem omnem depoſuißent. Nam primò ab eorum accuſatione exorſus præcipuum huius caput repetit, ne quid in illa minus attentè obſeruaſſe, aut nunc ſubdolè dißimulare videretur: Obtuliſtis mihi hunc hominem, vt qui auertat populum: nimirum à cultu inter vos recepto, & ab obedientia, quã Cæſari debent. Et hic veſtræ accuſationis, hic actionis aduerſus iſtũ inſtitutæ ſtatus eſt. His mox infert: Et ecce, ego in veſtri conſpectu quæſtione habita, nullam noxam inueni in homine iſto ex ijs, de quibus accuſatis eũ. Demonſtrandi particula emphaticè vtitur, vt proprio teſtimonio illos conuincat. Ecce (inquit) ego non neglexi cauſam hanc, neque negligenter aut oſcitanter illã egi: ſed vobis videntibus atque audientibus quæſtionem inſtitui diligentem. Quid verò in illo deprahendi vobis ipſis teſtibus ſupplicio dignũ? Certè ex omnibus ijs, de quibus eũ accuſatis, ne vnũ quidem inueniri potuit. Fuit hoc dictũ admodum graue, & procul dubiò intolerabile viſum fuit ambicioſis illis ſuæ dignitatis oſtentatoribus, cũ ſuam exiſtimationẽ illo lætaliter vulnerari ſentirent. Nõ tamen eo conſentus, teſtẽ innocentiæ alium adhuc ſiſtit, authoritate grauẽ, & ad quem propter Chriſti patriã cauſæ huius cognitio imprimis pertinebat: Herodẽ videlicet, Regẽ Galilææ, in qua ille plerumque docuerat. Sed ne Herodes quidẽ, aliquid noxæ in illo reperit. Et ne quis obijceret: Atqui aliqua inter vos colluſio forſitan fuit, neq; quid ille cum eo fecerit, ſcire poßumus, addit: Nã remiſi vos ad illũ. Quaſi diceret. Nolui quicquã vobis inſcijs agere, nolui meo præiudicio veſtrã cauſam grauare: ſed eã integrã vnà vobiſcũ ad illum retuli, vbi eam denuo agere licuit. Et ecce, ne Herodes quidem de aliquo motu aut tumultu per illũ excitato queritur. Quid multis? Ecce, nihil dignũ morte factum eſt ab eo. Hæc ad illos Pilati oratio fuit, qua nihil iuſtius, nihil grauius & liberius in hac cauſa dici poterat. Imò ex ea diſcere poſſunt iudices qua ingenuitate & æquitate in cauſis cognoſcendis vti, & quàm liberè innocentiæ teſtimonium aduerſus quoſuis ferre debeant. Et ſi ſic ille perrexiſſet, iam priori culpæ remedium inuenerat, & ſuæ ſimul exiſtimationi conſuluiſſet. At quia infelix inuidiam omnem declinare ſtudet, orationi tam graui & egregiæ concluſionem infert, qua nihil abſurdius nihil iniuſtius, ſtultius, impudentius poſſet fingi. Et quæ nam illa eſt? Caſtigatum ergo eum dimittam. Deum immortalem, tantàm ne vecordiam, tantam impudentiam in animum eius incidere potuiſſe, vt homo politicus, ciuis Romanus, multo rerum vſu celebris, adhæc Præſes eius regionis, quam in officio contineri plurimùm reipub. intererat, imò Imperatoris Romani vicarius, in loco iuſtitiæ ſatro, in iudicio denique, ad hunc modum argumentetur: Nulla eſt in homine iſto noxa: Ergo caſtigatum aut virgis cæſum dimittam? Ergòne in eum locum res Romanæ peruenerunt Pilate, vt qui innocentes ſunt, caſtigentur? Quæ vnquam gens tam barbara fuit, in qua huic ſimilis ſententia audita ſit? Et quid in Chriſto caſtigatione & verberibus aut flàgris dignum eſt, ſi neque tu, neque Herodes noxam aliquam in eo potuiſtis deprahendere? Sed ita ſolet accidere, vt qui hominum fauorẽ & huius ſæculi gloriam Deo & huius gloriæ præferunt, ſibiipſis ignominiam extremam accerſant. Et non deſunt exempla hodie multorum, qui dum pios ferro & igne perſequuntur, interim non obſcura innocentiæ eorum teſtimonia perhibent. Quid enim aliud faciunt, qui cũ nulla pœna dignos eſſe iudicent, tamẽ ex patrijs ſedibus in exiliũ eijcĩũt, publica infamia notãt, et infinitis alijs rationibus mulctant, vt apud iuratos illorum hoſtes bonã gratiã ineant? Secundum Pilati commentũ.

Sed tertiũ Pilati cõmẽtũ videamus, quo ſe ex cauſa iſta extricare, et ſimul Chriſtũ abſq; inuidia liberare conatus eſt. Connectit id cum priori Lucas, ſed ab eo apertè ſatis apud alios Euangeliſtas deſtinguitur. Occaſionem huius arripit ex more veteri ſiue recepto, qui erat vt die Paſchatis aliquis facinoroſorũ, qui morte mulctari meruerant, in populi gratiam dimitteretur. Sunt qui hoc factum putent propter lætã liberationis ex Aegypto memoriã, quæ tũc agebatur. Quod ſi verum eſt, Tertium commentum Pilati.

κακοζηλεία fuit cum ſuperſtitione coniuncta, quæ excuſari non poteſt. Nam Dei bonitatem imitari voluerunt, cuius exemplum ille memorabile in iſta liberatione ædiderat: rationem autem huius imitationis ab eius voluntate alieniſſimam ſecuti ſunt. Is enim ſontes non dimittere, ſed punire iuſſerat, & niſi id facerent, idem excidium illis minatus fuerat, quo Chananæi eiecti fuerunt, quod terram iſtam ſcelerum impunitate polluiſſent. Et notum eſt illud Solomonis: Qui ſceleratũ abſoluit, et
Prou. 17. *qui inſontem damnat, vterque Deo abominabilis eſt. Quoad verò bonitatis & beneficentiæ officia,*
Iſa. 58. *longè alia Deus præſcripſerat: Nimirum, vt nexus iniquorum debitorũ ſoluerent, vt faſciculos iugi ab humeris obæratorum auferent, vt iugum iniuſtũ confringerent, eſurientibus panem diſtribuerent, afflictos et extorres hoſpitio amito exciperent, nudos veſtirent, neq; oculos abſconderent à carne ſua. At egregij iſti religionis veræ ſectatores omiſſis iſtis, quæ ad ipſos priuatim ſpectabant, ex alieno liberales erant, & cùm nemini quicquam remitterent ex ſuis debitis, tunc ſe pietatis officio probè defunctos putabant, ſi nebulonem aliquem morte dignum liberaniſſent. Et credibile eſt, Romanos hanc conſuetudinem ipſis inuiolatam reliquiſſe, vt populum facilius in officio continerent, qui ferè priuilegijs & immunitatibus eiuſmodi non minus ridiculis quàm inhoneſtis delectatur. Certè quicquid huius ſit, cõſtat, conſuetudinẽ hanc iniquiſſimam et hoc populo indignam fuiſſe, in qua veræ religionis atque iuſtitiæ domicilium Deus eſſe voluerat. Ideo in præſenti etiam eius fructus fuit triſtiſſimus. Nam Pilatus hinc arrepta occaſione, Chriſtum cum Barraba ſeditioſo & homicida confert, comparatione omnium iniquiſſima, & non tam iniquos aut impudentes fore ſibi perſuadet, vt hunc potius quàm illum ſibi donari poſtulent. At idem interea ſe bis iniquum & impudentem præbet. Qui enim de Chriſti innocentia iam ſecundò publicum teſtimonium dederat, nunc eundem cum Barraba ſocians hominibus flagitioſis & capitalem pœnam meritis accenſet. Adhæc vitam hominis innocentis furioſi populi iudicio permittit, qui in eius exitium iampridem conſpirauerat cum Sacerdotibus, quos ille ſciebat omnia per inuidiam agere. Fuit ergo hoc conſilium priori deteſtabilius, quia notoria contumelia Chriſtum affecit, cuius famam atque vitam debebat tueri. Euentum quoq; infeliciorem habuit, quia in eas anguſtias illum adduxit, vnde pedem referre non licuit poſtea, cùm rem omnem populi arbitrio iam ſubieciſſet. Etenim illi ſimul omnes à Sacerdotibus & Senioribus perſuaſi (quod Matthæus annotauit) exclamauerunt. Tolle hunc, dimitte verò nobis Barrabam.*

Vulgi ingratitudo et iniquitas. *Eſt hoc inſigne exemplũ, quo docemur, quàm periculoſum ſit cauſas hominũ iñocentũ vulgi iudicio permittere. Si enĩ vnius hominis cõtumacioris ſenſum corrigere difficillimũ eſt, quid de vulgo ſperes beſtia multorũ capitũ, in quo ſenſus mille et diuerſiſſimi tumultuãtur, neq; vnquam niſi in eo quod peſſimũ eſt, cõuenire poſſũt? Accidit iudicij inopia, quæ nõ ſolùm ingratos facit et iniquos acceptorũ beneficiorũ æſtimatores, verũetiã inſanos et furẽtes, adeò vt pleriq; ex eo ſibijpſis gloriã et triũphos ĩmortales pollicẽatur, ſi viros magnos et de repub. optimè meritos opprimãt. Exẽpla huius vitij in ampliſſimis ciuitatibus, Roma et Athenis, infinita extãt. Scipio certè maior, qui rẽpub. bellis Punicis tantumnõ extinctã & exanguẽ ſeruarat, & Carthaginis dominã fecerat, populi Rom. iniurijs fatigatus & tandẽ victus vrbe exceſſit, & exul voluntarius in obſcura villa Linternis mortuus ſepulchro inſcribi iuſſit: Ingrata patria, ne oſſa quidẽ mea habes. Eiuſdem fratrem, quem Aſiaticum dixerunt, idem populus peculatus reum egit, & in carcerem duci iuſſit. At Naſica Scipio poſt multa in rempub. merita, vt populi iniqua de ſuis virtutibus iudicia declinaret, ſub legationis titulo Pargamum diſceſſit, & illic quod reliquum fuit vitæ tranſegit. Apud Athenienſes autem populi furentis & ingrati tumultibus Themiſtocles in exilium actus ad Xerxem, quem cõmunis patriæ hoſtem debellauerat, confugit: Miltiades, qui Perſis in Marathone ingenti prælio victis Græciam omnem metu atque terrore liberauit, à populo in carcerem coniectus illic expirauit, corpus autem tam diu ſepultura caruit, donec filius Cimon ſe ijſdem vinculis conſtringendum tradidit: Phocion autem ab ijſdem non ſolùm in eculeo impoſitus eſt, ſed poſt obitum finibus Atticis eiectus glebulam terræ Atticæ nullam inuenit, quæ oſſibus eius iniiceretur. Superat tamen exempla hæc omnia, quod in præſenti Iudæorum gens in Chriſtum, æternæ ſalutis authorem deſignauit. Libuit tamẽ vetera quoque commemorare, quò minus quod illi accidit admiremur, vt que non offendamur, ſi ipſi quoq; pleroſq; videmus peſſimã gratiam ijs referre, qui pro ipſorũ ſalute dies noctéſq; excubãt. At hic ſimul pœnas in mentem reuocare debemus diras & horribiles, quibus iſtorum ingratitudinem De-*

us vltus

us vltus eſt, vt alibi diximus. Non dormittat enim hic, & eo etiam vindice atque vltore punientur, qui illoc imitati fuerint.

Interim ſeruit tota hæc actio noſtræ redemptionis atq; ſalutis myſterio. Peccarat Adam ſuperbia, quando vt Dei ſimilis fieret, ex vetita arbore comedit. Et ideo ſuperbia peccati principium eſſe dicitur. Ergo Chriſtum, qui ſecundus Adamus vocatur, extremè humiliari oportebat, vt ſuperbiam illam expiaret, adeoq; nobis omnibus ſubueniret, quibus hæc præcipua omniū ſcelerū cauſa eſt, quòd Deo ſubeſſe nolumus, & eius præceptis obedire. At quæ humiliatio ignominioſior excogitari poterat, quàm quòd Pilatus quidem illum Barraba, homini ſeditioſo & latroni confert, eundem verò populus ex Sacerdotum & Seniorum conſilio illi poſtponit? Dolet generoſis ingenijs quàm maximè ſi ſuum honorem & exiſtimationem labefactari ſentiant: & qui omnes alias iniurias patienter ferre norunt, hîc ferè impatientia ſuperantur. Voluit tamen hanc contumeliam ſuſtinere Dei Filius, vt nos ab æternæ damnationis ignominia liberaret, & gloriæ ſuæ cæleſtis ſocios, atq; cohæredes faceret. Id verò ita à nobis conſiderari debet, ne nobis graue ſit, ſi quando ipſi quoq; contemnimur & contumeliarum aut iniuriarum omni genere obruimur propter illum, qui prior pro nobis tā indigna paſſus eſt. Solatur autem, quòd vt ille per hanc ignominiam in Patris gloriā euectus eſt: ita nobis quoq; viam parauit, qua per huius ſæculi ludibria ad Regni ſui glorioſi poſſeſſionē perueniamus. Ac ſimul eius exemplo humilitatem nobis commēdari cogitemus. Pudeat ergo Chriſtianos homines ſuperbiæ, qua multi ſuæ profeßionis immemores aduerſus Deum ſimul & homines ſeſe extollūt, dum quoſuis præ ſe contemnunt, & ipſi etiam Deo Leges Regni ſui nouas præſcribere audent. Faciunt hoc nimis impudenter, qui peccatorū remiſsionem & ſalutem æternam ſuorum operum meritis deberi contendunt, & illa corā Deo plus quàm Phariſaica arrogantia oſtentant. Ergóne Chriſtus ideo cū iniquis reputatus eſt, vt tu propriam iuſtitiam iactares? Ergo Barraba latrone inferior haberi debuit, vt tu eum ſui meriti gloria ſpolies, & tuis operibus idtribuas, quod ille ſui ſanguinis precio acquiſiuit? Sunt hæc abſurda admodum, & quia in Filij Dei ignominiam tendunt magis, quàm quod in præſenti Pilatus & Iudæi factitarunt, à Chriſtianis hominibus procul abeſſe debent.

Christus propter nos extremè humiliatus.

Porro ad Pilatum redeamus, qui quod de caſtigatione aut flagellatione prius propoſuerat, repetit, & quidem magna cum grauitate, vt animi inter diuerſos affectuū motus fluctuantis luctam nō obſcurè depræhendas. Et hanc quoq; partem Lucas diligentißimè deſcribit. Rurſus ergo Pilatus (inquit) allocutus eſt eos, volens dimittere Ieſum. Quaſi diceret: Etiamſi ſe hac etiam ſpe fruſtratum cerneret, ſeq; proprio conſilio captum iā teneri ſentiret, nondum tamen ab incæpto deſtitit: ſed adhuc conatus eſt Ieſum ex illorum manibus eripere. Matthæus equidem eum nouam de illo quæſtionem diſertè mouiſſe ſcribit, ſi forte rei indignitas illos abſterreret. Dixit enim: Quid igitur faciā Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Age, habeatis vobis Barrabam, quoniam ita lubet, & latronem atq; ſeditioſum nebulonē homini iuſto ac innocenti præfertis. Scire tamen velim ex vobis, quid de Ieſu hoc faciēdum putetis, quid præter id quòd nihil mali fecit, Chriſti quoq;, id eſt, Regis & liberatoris nomen vulgò obtinuit? Quid verò illi? Iam totum animi virus non minus impudenter quàm impiè & crudeliter exponunt, clamantes: Crucifige, crucifige eum. At ipſe tertio iam obijcit illis. Quid vero ipſe mali fecit? Nullam noxam capitalem inueni in eo. Quæ verba rurſus animum iuſtitiæ ſtudio ardentem præ ſe ferunt, ſed quia religione vera aut Dei timore non confirmatur, ad eundem lapidem iterum offendit. Cùm enim deberet inferre: Ergo dimittam illum, vobis autem edico & impero, ne manus iniuſtas illi injiciatis, neq; innocenti vim faciatis: indignum illud & iniquißimum dictum repetit: Caſtigatum ergo eū dimittam. Et quia ſe verbis minus proficere videbat, mox eum in Prætorium reducit, & militibus flagellandum tradit. Hi verò non contēti flagris illum cecidiſſe, inſuper licentia militari vtuntur, & eidem contumelioſiſſime illudunt. Quia enim eum regni affectati accuſari audierant, vt Regi contemptißimo petulanter inſultant: Et coronam quidem ex ſpinis contextam capiti eius imponunt, ſceptro arundineo dexteram eius ornāt, & pallio purpureo amiciunt. Inde geſtibus & verbis ad contumeliam compoſitis illum ſalutant, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Conſpuunt præterea faciem eius, & caput arundine atq; bacillis percutiunt. Quæ omnia ab illis non tam in illius quàm totius gentis Iudaicæ ignominiam facta ſunt. Quia enim (vt

Pilatus Chriſtū flagellari curat

Milites Chriſto illudunt.

aliâs quoq; monuimus) in omnium ore erat Meſſias & promiſſus ille populi redemptor, ſimul ſpem illorum omnem ludibrio habent & ridens. Tanti autem ſceleris reatu ipſi ſeſe polluerunt, vt inconſulto odio Ieſu abrepti veteres promiſſiones & prophetarum oracula, ſpem deniq; patrum ſuorũ ſceleratiſſimorum Goijm (vt ipſi loquuntur) ludibrijs ſubiecerint. Seipſos ergo maiori quàm illum contumelia affecerunt: quod ferè omnibus accidit, qui aduerſus Chriſtum coniurantes in cœlũ expuunt, vt prouerbio dicitur. Cæterùm Pilatus illũ denuo ad ſe recipit, & flagris conſciſſum ſanguineq; multo & ſputis fœdatum, ſpinis item coronatum & militari pallio indutum in populi conſpectum produxit, ſperans fore, vt miſerabili illo aſpectu mouerentur, & animis ſatiati in eius liberationem ſeu dimiſſionem conſentirent. At ferarum inſtar illo viſo in maiorem rabiem accenſi, clamant: Crucifige, crucifige eum. Et Pilato cum indignatione dicente: Accipite eũ vos, & crucifigite, ego enim non inuenio in eo crimen: Illi ſuam legem vrgere incipiunt, & aiunt: Nos habemus Legẽ, & ſecundùm Legem noſtram debet mori: quia Filium Dei ſe fecit. Et cùm hinc nouus ſcrupulus Præſidis animo iniectus eſſet, & is nouam cum illo actionem inſtitueret, tandem maiori cum importunitate illi inſtãt, clamantes: Si hunc abſolueris, nõ es amicus Cæſaris: quicunq; ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Et hæc quidem omnia Lucas paucis hiſce verbis complexus eſt. At alij inſtabant vocibus magnis, petẽtes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum, ac principum Sacerdotũ. Et latet ſub iſta contentione aliud adhuc, & quidem luculentiſſimum innocentiæ Chriſti teſtimoniũ. Videmus enim eius accuſatores nullum aduerſus eum crimen protuliſſe, quod vel in ſpeciem probabile fuerit. Quid ergo reſtat, quàm vt illum non tam calumnijs quàm clamoribus ſeditioſis & aperta vi oppreſſum eſſe dicamus? Et hæ illæ rationes, hæc argumenta ſunt, quibus etiam hodie Pontificũ ſerui contra germanos Chriſti cultores pugnant. Cùm enim hos accuſent, quòd res nouas moliantur & ſeditiones concitent, ipſi in ciuilibus armis & populi furentis motibus atq; minis omne præſidium collocatum habent: & quia ſe rationibus deſtitutos eſſe vident, ad Catilinarium illud conſilium ſeſe conuertunt, vt ſaluberrimum illud Euangelicæ lucis incendium ruina ciuitatum ſimul atq; regnorum extinguant. Sed vtinam illi meminiſſent, quàm grauiter Deus Iudæorum principes vltus ſit. Qui enim ſeditioſorum hominum improbis clamoribus ad Chriſtum opprimendum abuſi ſunt, non multò poſt continuis ſeditionibus totam terram turbari ſenſerunt, quæ cauſa fuit, vt Romani tandem miſſis eò legionibus ſuis bellum genti inferrent, quo miſerabiliter exciſa eſt: & qui ex ea hodie ſuperſtites ſunt, ij in omnes terras diſperſi omnium iniurijs atq; contumelijs obruuntur. Sentient idem aliquando omnes illi, quibus hodie volupe eſt cum Chriſtianorum ſanguine & capitibus ludere.

Chriſtus innocens ſeditioſis clamoribus opprimitur.

Pilatus Chriſtũ damnat.

Sequitur actionis totius non tam moleſta quàm iniquiſſima finis. Pilatus enim victus illorũ clamoribus, indicauit vt fieret quod ipſi petebant. Matthæus eum prius manibus cum publica proteſtatione ablutis ſententiam pronunciaſſe ſcribit. Extorſit illam quoq; mens ſibi malè conſcia: adeò tamen non profuit ea, vt potius ſeipſum accuſarit. Dum enim innoxij ſanguinis meminit, ſeſe eius reatu ſimul obſtringit. Ad ſceleris verò amplificationem facit, quod de Barraba repetit Lucas: Dimiſit autem eis illum, qui propter ſeditionem & cædem coniectus fuerat in carcerem, quem petierant: Ieſum verò tradidit eorum cupiditati. Quæ ita dicuntur, vt quamuis Pilatus minimè extra culpam ſit, maior tamẽ in Iudæis hæreat, quod & ipſe Chriſtus teſtatus fuit, illi dicens: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Quod ipſum noſter Euangeliſta innuit, dum iſtud omne in Iudæorum gratiã factum fuiſſe ait: Dimiſit (inquit) Eis illum, &c. Item: QVEM PETIERANT. Et rurſus: Ieſum verò tradidis Eorum cupiditati. Eſt autem tota hæc actio ſpeculum clariſſimum, in quo principum huius ſæculi ingenium atq; mores ſpectare licet. Habent hi plerunq; aliquam iuris & æqui cognitionem, ſed ſua potius quærũt, quàm vt ſuũ cuiq; ius reddãt. Ideo in ſuo iure tuendo acerrimi ſunt, dum hoc ſuis cupiditatibus ſeruire vidẽt. At ſi quid pro cauſa veritatis, pro religione, pro Chriſti ſeruis atq; cultoribus fieri debet, quod cum inuidia & odio coniunctum eſt, tunc qui inter illos optimi ſunt, ad artes & iniquiſſimas compoſitiones conuertuntur, ne quem offendant. Frequenter itẽ, quos tueri debent, in aliorum gratiã indignius tractari ſinunt. Eſt enim hoc humanæ prudentiæ axioma: Leuius malum patienter ferri debere, vt quod grauius eſt effugiamus. Vnde illi concludunt, ſatius eſſe, vt ijs ſubſcribant, qui pios fortunis aut exilio mulctare volunt, quàm vt ijdem omnino occidantur. Sed quàm infelix ſit conſiliorum eiuſmodi euentus, multa exempla docent, & quod hîc accidit,

omnium

omnium loco eſſe poteſt. Quia enim inſatiabilis eſt hoſtium Chriſti rabies, coguntur ſubinde longius progredi, qui illis ſemel indulgere cœperunt. Nihil ergo conſultius fuerit, quàm ingenuè & fortiter agere, euentum verò rei Deo permittere, qui tunc quoq; viam inueniet ſeruandi ſuos, quando nobis nulla alia eſſe videtur, quàm quæ cum iniquitate aliqua coniuncta eſt. Quòd ſi verò idem ille ſuorum corpora & vitam tueri nolit, & illis omnino moriendũ eſt, tunc ſufficiat iudicibus æquioribus, ſi ipſi manus ab illorum ſanguine puras ſeruent, neque ijs conſentiant, qui aliquid iniuſtum tentant. Hoc nomine Ioſephum Arimathæum poſtea Lucas commendabit, nec temere à Spiritu ſancto dictum eſt: Beatus ille vir, qui non ambulauit in conſilio impiorum.

Præcipuum autem huius loci caput eſt Ieſu Chriſti innocentia, quam tot argumentis & teſtimonijs aſſeri atq; probari oportuit, quot nullius hominis vnquã probatam aut defenſam fuiſſe legimus. Nam in triplici foro (vt ſic loquar) ille cauſam dixit, & in nullo alicuius criminis conuictus eſt. Primò enim in Concilium adductus eſt, vbi falſis quoq; teſtibus locus fuit, & fortaßis ijſdem præmia propoſita fuerunt. Veruntamen adeò nihil morte dignum in illo inueniri potuit, vt tandem non alio prætextu, quàm quòd ſe Dei Filium eſſe dixiſſet, & proinde propter veritatis confeßionem damnatus ſit, quã impius Pontifex adiuratione aut obteſtatione inſidioſa ex ipſo elicuerat. Deinde Pilato traditum de multis quidem eũ accuſarunt, ſed in mendacijs deprehenſi, Præſidem coegerunt, innocentiæ eius ter q; quater q; teſtimonium reddere. Præterea Herodes quoq; quod in illo deſideraret non habuit, & riſu potius dignos ſacerdotes quàm illum ſupplicio iudicauit. Adde his, quod cum publica proteſtatione Pilatus damnationis ſententiam protulit dicẽs: Innoxius ego ſum à ſanguine huius iuſti, vos videritis. Neq; omitti debet vxoris Pilati teſtimonium, quæ inſomniorum terroribus totã noctẽ vexata marito renuntiauit: Nihil tibi rei ſit cum iuſto illo. Quid, quòd illo iam mortuo, Centurio exclamauit: Verè hic homo iuſtus erat: alij verò pectora percutientes inde diſceſſerunt? Quanta

Christi innocentia.

m ergo eſſe oportuit eius innocentiã, quæ ab hominibus ſumma authoritate præditis & magnã doctrinæ & pietatis exiſtimationem ſuſtinentibus, apud prophanorum hominum tribunalia, oppugnata quidem, fortißimè verò defenſa eſt? Huius ergo vſum nos diligenter obſeruare conuenit, qui omnino duplex eſt. Primus, vt certò nobis perſuaſum ſit, noſtra peccata in Chriſto damnata & eiuſdem merito expiata eſſe, idq; ad illorum expiationẽ potuiſſe ſufficere, cùm ipſe ab omni culpa liber fuerit. Alter, ne offendamur, ſi quando nos quoq; immerentes iniquis iudicijs impij damnant. Hæc enim gloria noſtra eſt, quòd nos Chriſti ſocios facit infelix mundus, dũ nos propter iuſtitiam odit atq; perſequitur. Et notum eſt illud Petri: Ne quis veſtrûm affligatur vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienarum rerum inſpector: ſed ſi vt Chriſtianus, ne pudefiat: imò glorificet Deum hac in parte. Socrates olim cum illo iam cicutam ori admouente, vxor clamaret: Ah innocens moritur, reſpondebat: An ergo me nocentem mori volebas? Tantum in illo potuis philoſophiæ humanæ ſtudium, vt indignam putaret eam querimoniam, quæ ipſum præcipua ſuæ mortis gloria ſpoliare videbatur. Quantò maior ergo fortitudo eos decet, qui in Chriſti ſchola inſtituti, ſe cum illo in cœlis regnaturos eſſe norunt, ſi propter veritatem & fidem cum ipſo paßi fuerint? Nec eſt, quòd de noſtri nominis fama ſoliciti ſimus, ſed hanc quoq; vnà cum anima noſtra in Dei manus deponamus, qui illam ſeruare, & hoſtium quoq; teſtimonio, ſi volet, tueri poterit. Quòd ſi id non fiat in hoc ſæculo, in cœlis tamẽ nomina noſtra adſcripta ſunt in libro vitæ, qui eſt Ieſus Chriſtus, redemptor noſter, & paſtor ille bonus, ex cuius manibus nos nemo poteſt rapere. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CCVI.

Cùm igitur abducerent eum, prehenſo Simone quodam Cyreneo, qui veniebat rure, impoſuerunt ei crucem ferendã ponè Ieſum. Sequebatur autem eum magna multitudo populi & mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad eas Ieſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, verum ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris: Nam ecce, venient dies quibus dicent: Beatæ ſteriles, & vteri qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tum incipi-

pient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus, Operite nos. Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet?

QVamuis Deus Filium ſuum nobis Seruatorem dederit, & in eodem omnes ſuæ bonitatis theſauros aperiat, hunc ipſum tamen infelix mundus faſtidit, & inter alia Dei beneficia hoc imprimis turpiſſima ingratitudine conculcare ſolet. Nam vt olim Iudæi in ſua venientem non receperunt, quin potius iniquiſſimè damnatum gentibus tradiderunt, vt in crucem ſuſpenſus dira & infami morte tolleretur: ita eiuſdem ingratitudinis exempla hodie etiã paſſim videre licet. Multi enim ne apud Pontifices & horum propugnatores malam gratiam ineant, illum per Euangelij prædicationem ad ſe venientem excludunt. Alij iã admiſſum rurſus eijciunt, ne quod periculũ ſubire cogantur. Alij voluptates & peccandi licentiam illi anteponunt, & ne diſciplina arctiori coerceantur, illo potius carere malunt. Taceo nunc eos, qui vt primùm perſecutio aliqua exoritur, nõ modo turpiter deficiunt, verumetiam aperti hoſtes fiunt. Offendunt iſta multos, qui dum ea vident, ipſi quoq; dubitare & fluctuare incipiunt. Sed proderit tunc vetera illa in mentem reuocare, & ad Chriſti exemplum reſpicere, quem neq; vulgi leuitas, neq; Sacerdotũ truculentia, neq; Pilati perfidia & ignauia, neq; militum improbitas aut petulantia mouit, quò minus conſtans eſſet in eo, quod ipſi Pater mandauerat. Cuius exemplum ſi imitemur, ipſi quoq; victores erimus, deque mundo ac eius principe ſub crucis vexillo triumphabimus. Sequitur nunc, vt Præſidis quoq; ſententia damnatum duxerint, vt in crucem ſuffigerent. Quo loco multa concurrunt, quæ ad illuſtrandum noſtræ redemptionis negotium faciunt, & fidem noſtram confirmant, noſtriq; nos officij admonent.

Chriſtus crucẽ ſuam geſtãs ducitur.

Occurrit inter hæc primum, quod pallio illo purpureo eum ſpoliarunt, quo per ludibrium induerant, & ſuis veſtibus veſtitum duxerunt. Et primò quidem ipſe crucem ſuam geſtauit extra portam vſq;: poſtea autem cùm vigilijs nocturnis atq; laboribus improbis fatigatus tanto oneri non ſufficeret, Simonem quendam Cyrenæum, qui rure veniebat, coegerũt, vt illam poſt eum portaret. Eſt hoc non contemnendum licentiæ militaris exemplum, ex quo apparet, quàm multa iſti homines indignè, quàm multa iniuſtè & iniquè fecerint, & quæ ſub his fuerit populi Iudaici conditio. Quod enim iniuriæ genus fuiſſe putas, à quo illi abſtinuerint, qui hominem immerentem & temere ſibi obuium auſi ſunt ad opus iſtud priuata temeritate abripere, quod cum manifeſta infamia erat coniunctum? At iſtam miſeriam & infelix hoc ſeruitutis iugum Iudæi ſua inobedientia & inteſtinis diſſidijs belliq; ciuilibus ſibi accerſiuerant, quando Ariſtobulo & Hircano ducibus in partes ſciſſi extera auxilia vtrinq; attraxerunt. Ita enim factum eſt, vt qui mutuam inter ſe pacem colere & ſuæ gentis hominibus obedire noluerunt, nunc prophanorum militum præſidia paſſim per vrbes diſpoſita habeãt, & horũ tyrannide preſſi multa hominibus ingenuis indigniſſima & ipſa morte duriora ferre coacti ſunt. Sunt huius generis exempla in aliarum quoq; gentium hiſtorijs. Græci certè olim, cũ inter ſe de imperio contenderent, Perſis occaſionem dederunt, vt cum ingentibus copijs in illam ingreſſi totam ferro & igne vaſtarent. Romani item bellis ciuilibus non ſolùm libertatem veterem perdiderũt, ſed poſtea Imperium totum militibus prodiderunt, quorum petulantia multi peregrini & qui aliquando gregarij milites fuerant, ad ſummum totius orbis faſtigium magna cum Romæ illius gentiũ dominatricis ignominia euecti ſunt. Nihil nunc dico de ijs, quæ noſtro tempore vidimus, quia eorum memoria tam recens eſt, vt abſq; dolore repeti non poſſint. Vtinam verò inde exempla & præcepta ſibi ſumerent alij, qui ciuilibus armis & motibus atq; diſſidijs inteſtinis delectantur. Sed omiſſa iſtorum odioſa commemoratione, quæ propriè ad hunc locum pertinent, videamus.

Redemptionis noſtræ myſterium.

Præcipuum in his eſt noſtræ redemptionis atq; ſalutis myſterium, quod hîc Chriſtus egit. Crucis ſupplicium maledictionis diuinæ infamia notatũ fuiſſe, alibi annotauimus. Moſes enim ſcripſit: Maledictio Dei eſt, qui pendet in ligno. At crucem in ſe recipit Chriſtus, & eandem proprijs humeris extra vrbem effert: vt eo facto oſtendat, ſe eum eſſe, qui peccata mundi in ſe receperit, & eadẽ procul abſtulerit, vt neq; illa nobis porrò Deus imputet, neq; maledictione illa premat amplius, quã per illa nobis accerſiueramus. Et hoc olim Legalibus quoq; ſacris adumbratum fuiſſe, Apoſtolus obſeruauit, quando ad Hebræos ſcribit:

Heb. 13.

Quorum animalium ſanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra caſtra. Et mox huius moris rationem affert: Quapropter

pter & Ieſus, vt ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Hinc er
ge conſolationem petamus in tentationibus, quando peccatorum conſcientia nos Satan territat, quaſi
illa nobis adhuc inhæreant, & eorum pœnas à nobis Deus exigat. Tunc (inquam) cogitemus, non
temere factum eſſe, quòd Dei Filius crucem in ſuos humeros ſublatam extra vrbem portauit. Eius
enim merito peccata noſtra expiata ſunt, & proinde nulla damnatio eos porrò manet, qui illi per
fidem ſunt inſiti, vt Paulus ad Roman. octauo cap. teſtatur.

Deinde fidelium aut credentium conditio in terris hiſce & eorundem officium in Simone Cyre- Simon Cyrene
næo adumbratur. Venit is rure, & mox à militibus interceptus crucem Chriſti ferre cogitur. Solent us typus fideliũ
fideles relictis agris ſuis, id eſt, procul abiectis huius mundi ſtudijs ad cœleſtem illam Hieroſolymã
contendere, vbi ipſis patria eſt atq; hæreditas. Quàm primùm verò hoc iter ſuſcipiunt, mox in dia-
boli ſatellites incidunt, qui vt eos in ſancto hoc inſtituto remorentur, cruci ſubijciunt, & nouos illis
quotidie labores exhibent. Nam vt aliâs monuimus, non poteſt lucem ferre mundus hic, qua opera
eius mala arguantur. Id verò quia pij tã verbo quàm vitæ exemplo faciunt, aduerſus hos ille inſur-
git, & ita nunquam non impletur illud Pauli: Quotquot volunt piè viuere in Ieſu Chriſto, perſecu- 2. Timo. 3.
tionem patientur. At hîc nos cõſolari debet, quòd Chriſti crucem ferimus. Nam licet nobis nihil præ-
ter meritum accidat, ſi Dei iudicium ſpectes (omnes enim in peccato concepti & geniti ſumus, &
quotidie in multis labimur) attamen Chriſti crux eſſe cenſetur, quicquid aut propter nomen eius ſu-
ſtinemus, aut fide in illum confirmati patienter ferimus. At ſi cum illo patiamur, cum eodem regna-
bimus, ſi cum illo moriamur, cum eodem viuemus. Et illius promiſſio eſt: Vbi ego ſum, illic volo ſit
& miniſter meus. Eſt autem hîc diligenter nobis cauendus ſcopulus, ad quem multi ita impingunt,
vt non ſolùm nullum ex ſuis afflictionibus atq; laboribus fructum reportent, verumetiam in illis vi
tæ ac ſalutis æternæ iacturam faciant. Accidit hoc illis, qui in afflictionibus, quas ſuſtinent, meritũ
ſtatuunt, & ſe per illas diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere arbitrantur. Sed qui ita ſentiunt, non Chriſti cru
cem ferunt, ſed huius gloriam in ſe transferunt, & Pauli verbis conuincuntur, qui afflictiones huius Rom. 8.
ſæculi non pares eſſe dicit ei gloriæ, quæ olim reuelabitur, quæq; nobis in cœlo repoſita eſt. Imò confu
tat horum confidentiam noſter hic Simon, quem crucis ſuæ ſocium Chriſtus habere dignatus eſt. Nã
fert quidem illam iſte patienter: ſed vbi ad locum ſupplicij ventum fuit, vbi terræ totius iniquitas
(vt Propheta olim prædixerat) vno die auferri atq; expiari debebat, non Cyrenæus ille (vt impu- Zach. 3.
rus Mahumet fabulatur) ſed ſolus Chriſtus in crucẽ actus eſt, ſolus item pro nobis mortuus eſt,
& ſolus ſuo ſanguine pro totius mundi peccatis perlitauit: Simon autem ille non ſuo, ſed eiuſdẽ Chri
ſti merito ſeruatus eſt, cui nos quoq; omnem noſtræ ſalutis gloriam tranſcribere debemus. Omnium
enim Chriſtianorum eadem cum Paulo ſententia atque vox eſt: Abſit vt glorier, præterquam in
cruce Ieſu Chriſti. Galat. 6.

Porro comitatum quoq; Chriſti, quem tunc habuit Lucas deſcribit, in quem actio memorabilis in- Comitatus Chri
cidit cum mulierculis, quæ eius mortem deflebant. Sequebatur autem eum (inquit) magna multitu ſti ingens.
do populi & mulierum, quæ & plangebant & lamentabantur eum. Antea quoque cum doctrina &
miraculis celebris per Iudæam & Galilæam iter faciebat, ingentes populi vndiq; confluentis tur-
bas poſt ſe traxit. At non minor neque obſcurior fuit comitatus iſte, qui eum ad mortis ſupplicium
euntem ſecutus eſt. Nam præter innumerabilem populi multitudinem, qui propter feſtum ex locis
diuerſis atq; longinquis conuenerat, adfuerunt milites cum Centurione, Sacerdotes, Seniores, Scri-
bæ, & quicunq; alij aliqua authoritate præſtabant. Et voluit hoc ita fieri Deus, vt plures eſſent mor
tis Filij ſui teſtes, & eiuſdem nuntium citius per orbem totum ſpargeretur. Nec obſtat, quòd mul-
ti ſupplicium iſtud oculis liuidis ſpectarunt, & eo impiè delectati ſunt. Nam hi quoq; ex eo ſtimulos
conſcientiæ conceperunt, qui alijs quidem ad pœnitentiam adiumento (vt Actorum ſecundo cap. ſcri
bitur) alijs verò iuſtæ damnationis teſtimonium fuerunt. Et debent exemplum hoc Chriſti ſibi ob
oculos ponere pij Martyres, quando ipſi pro facinoroſis ad rogos, ad gladios, ad furcas & alia tormẽ
ta rapiuntur. Fit tunc quoq; concurſus ingens, & de illis triumphare videntur ſcelerati Antichriſti
ſatellites. Sed tunc meminerint ſe (quod Paulus monuit) ſpectaculum fieri non hominibus ſolis, ſed 1. Cor. 4.
inſuper Deo & Angelis. Videt enim illos certantes fidelis ille Agonothetes, qui laborantibus & fa
tigatis nouas ſubinde vires inſpirat, vt in finem vſque perſeuerare poſſint. Circumſtant eoſdem An-

gelorum turmæ, qui & ipſi ſua præſentia illos confortant (ſicuti de Chriſto ad Oliueti montem ſudante dictum eſt) & eorum diſſolutionem beatam expectant, vt animas illas felices ad beatæ immortalitatis ſedes deportent. Inter homines verò alij quidem crudeli ſpectaculo oculos impios paſcunt, quibus hæc voluptas nimiùm magno conſtabit: alij ſuæ curioſitati indulgent, de quibus ſpes adhuc bona eſt, vt ea occaſione ad veritatis cognitionem perueniant, quod multis olim & noſtro quoque ſæculo accidiſſe conſtat: alios verò pius affectus trahit, qui vt precibus ſuis illos certantes iuuant, ita pijs quoq; lacbrymis iniuſtitiam eorum arguunt & accuſant, qui ſanctos Dei cultores inique damnare audent. Nunquam enim ita regnat & furit impietas, quin ſuos inueniat reprahenſores: & nunquã ita derelinquuntur pij, quin inter medios carnifices inueniant, qui ipſis piè condoleant, & aliquam illis afferant conſolationem. Et poteſt hoc reuera Dei theatrum dici, in quo ipſe præſidet, & in quo victoria potiuntur, quos cæcus hic & infelix mundus ſuccubuiſſe ac totos periiſſe putat.

Mulieres Chriſti mortem deflent. Et huc imprimis referri debet, quod de mulieribus iſtis dicitur, quòd indignam hanc Chriſti mortem planxerint atq; lamentatæ ſint. Nam etiamſi tantæ rei, quæ tunc agebatur, myſterium non intellexerint (vt mox audiemus) pius tamen ille affectus fuit, quo illius ſors indigna ipſis doluit. Ita verò noſtri nos officij admonent, quod ex charitatis lege miſeris & afflictis debemus. Iubet hæc, vt illis opem feramus pro virili, ſicuti in Samaritani parabola didicimus. Quia autem id non ſemper poſſumus proximus gradus eſt, vt animi noſtri beneuolentiã pio dolore teſtemur, vt vel ex eo illi conſolationem aliquam capiãt. Facit huc corporis humani & membrorum ſimilitudo, quam Apoſtolos

1 Cor. 12. in priori ad Corinthios prolixè tractat. Et idem eius nos admonet, quando in epiſtola ad Hebræos

Hebr. 13. hortatur, vt vinctorum memores ſimus, & perinde illorum curis atq; moleſtijs afficiamur, ac ſi ipſi eſſemus in illorum corpore. Etenim aliter fieri nõ poteſt inter homines Chriſtianos, qui Chriſti corpus ſunt, & omnes eodẽ ſpiritu animantur atq; reguntur. Eſt hodie nobis ampliſſima de his cogitandi occaſio atq; materia. Nam vt de priuatis calamitatibus nihil dicamus, quibus multi paſſim exercentur, quibus cum egeſtate, cum fame, cum morbis diuturnis, cũ conſcientiæ terroribus res eſt: quis non videt, quæ & quanta pericula Eccleſijs paſſim immineãt, quàm multæ diſſipentur, quàm multæ ſub carnificum manibus in medio luporum gemant & ſuſpirent, quàm multæ paſtoribus deſtitutæ trepident? Oberrat paſſim miſera fidelium turba, quos tyrannis plus quàm Phalarica patrios fines relinquere & in ſpontaneum exilium abire cogit. Multi poſt ſe relictis coniugibus & charis liberis, dolore acerbo conſumuntur. Multi interea patriæ ſuæ ruinam & horribilem oppreſſionem eminus cum gemitu ſpectant, alij verò eadem ſe quoq; obrui ſentiunt, & ipſi calamitatum iſtarum pars ſunt aliqua. Debebant iſta nobis quoq; pias lacbrymas mouere, ad preces excitare & beneficentiæ ſtudium. Sed quàm multi, proh dolor, Scythica & barbara immanitate tantas piorum calamitates contemnunt, & ſiccis oculis abſq; omni gemitu tempeſtates illas ſpectant, quæ (niſi eas Dominus auertat) Eccleſias omnes, adeoq; totum terrarum orbem obruent. Potuit vnius Chriſti indigna mors mulierculas illas, quæ nihil in illo maius homine agnoſcebant, ad piam commiſerationem mouere, quam lacbrymis & planctu publicè, teſtatæ ſunt. Quàm ergo turpis illa barbaries, quàm execrabilis crudelitas eſt, quæ hodie obſtat, quò minus tot Eccleſiarum ruinas miſerabiles deploremus. Certè qui iſta nihil ad ſe pertinere putant, ij ſe à Chriſti corpore alienos eſſe produnt.

Chriſtus mulierum effectũ corrigit. Sed illum audiamus mulieribus iſtis loquentem: Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, verùm ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris. Nam ecce; venient dies quibus dicent. Beatæ ſteriles, & vteri qui non genuerunt: & vbera quæ non lactauerunt. Tum incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Nam ſi in virente ligno iſta faciunt, in arido quid fiet? Corrigit illarum affectum atque fletum Dominus, non quòd pius iſte affectus ipſi diſpliceat, ſed quòd eas de rebus maioris momenti admoneri oportebat, quas adhuc ignorabant. Sciebant quidem illum immerentem ad dirum crucis ſupplicium rapi: id verò propter noſtra peccata fieri neſciebant. Deinde afficiebantur triſti illo ſpectaculo, quòd innocentem cum latronibus duci viderent, non autem cogitabant, quàm horribiles & graues pœnas hæc gentis Iudaicæ ingratitudo & iniuſtitia mererentur. De vtroq; ergo eas admoneri oportuit, vt affectus iſte ipſas ad veram pœnitentiam adduceret, vtque de propria ſalute diligentius cogitarent. Dicit ergo; Filiæ Hieruſalem, ne flete ſuper me, ſed ſuper vobiſipſis flete, & ſuper liberis veſtris. Quaſi diceret: Vobis quidem mea ſors digna videtur, quam planctu & lacbrymis proſequamini. At multò iuſtior & grauior lugendi cauſa vos premet,

*net, ſi quid toti veſtræ genti breui eunturum ſit, & quantum hîc myſterium agatur, probè expen-
deritis. Et mox calamitates venturas comparationibus amplificat. Nā ecce (inquit) venient dies
quibus dicent: Beatæ ſteriles, & vteri qui non genuerunt: & vbera quæ non lactauerunt, &c. Allu-
dit ad Legis promiſſiones, inter quas non poſtrema habetur de fœcunda ſobolis multiplicatione, quæ
apud pios tanto in pretio fuit, vt ſterilitas probri loco haberetur, ſicuti Rahelis, Annæ, Elizabetæ
& ſimiliū exempla teſtantur. Vult ergo dicere, tantas fore calamitates, vt felices putentur, quæ nū-
quam pepererunt. Conuenit cum his verbis, quod apud Hoſeam habetur. Cum enim Iſraelitis bella* Hoſ. 9.
*grauiſſima minatus eſſet Propheta, in quibus filios eorū exterminari & crudeliter occidi oporteat,
tantarum cladium conſideratione ad commiſerationem motus ad preces conuertitur, quibus aliquā
pœnarum mitigationem poſtulans dicit: Da eis Domine. Quid dabis? Da eis vterum abortientē &
vbera arentia. Quaſi diceret: Satis ſit quæſo, ſi ipſi malè pereāt, hanc modò calamitatem ab ipſis re-
moue, ne filios generent & aducent ad mactationem, quorum horribiles cædes miſeriam iſtā augeāt.
Cum his ergo Propheta verbis conuenit, quod in præſenti Dominus minatur. Et mox ex eodē Ho-
ſea aliud profert, quo calamitates iſtas, quæ venturæ ſint, amplificat, dicens. Tum incipient dicere* Hoſ. 10.
*montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Magna ſit oportet miſeria, ingēs item & horri
bile periculū, quod quis mortis beneficio auertere aut ſubterfugere cupiat, & quidem mortis non vul
garis. At talia ipſis euentura ait, vt vellent ſibi terram dehiſcere, ſeq; montibus obrui optarent, ne
illa cogerentur intueri. Vtque minus dubitent, rationem adducit: Nam ſi in virente ligno hoc faci-
unt, in arido quid fiet? Virens lignum phraſi Hebraica dicit arborem quæ adhuc viriditate viget,
& ad fructus ferendos idonea eſt, & per eam ſeipſum intelligit. Aridis verò lignis Iudæos confert,
qui hucuſq; non ſolum ſteriles fuerant, ſed eò delapſi iam erant, vt fructus ex illis omnino nullus por
rò ſperari poſſet: quod Ioannes quoq; iam pridem illis exprobrauerat, cùm ſecurim iam ad arboris ra
dicem poſitam eſſe diceret. Senſus ergo eſt: Cùm ex æterno Patris conſilio me, qui arbor ſum verè fœ-
cunda & fructifera, imò qui Filius ille dilectus ſum, tam dira & infami morte tolli oporteat, vt pec
cata hominum expientur, quid de illis fiet, qui trunci aridi, & veriſſimi illi Nabales ſunt, quos nul
lus pietatis ſenſus mouet, & quorum fructus iampridem deſperatus eſt? Et hæc quidem non inania
verba fuiſſe, rei euentus declarauit. Quàm diris enim quamque grauibus pœnis Deus Iudaici populi
& quidem imprimis Hieroſolymitanæ vrbis crudelitatem & ingratitudinem vltus ſit, alibi oſten-
dimus. Et quis non eum beatas fuiſſe dixerit eas, quæ nunquam pepererunt, quando dira fames ma
tres adegit, vt infantes ex ſe natos proprijs manibus occiderent, & ſibijpſis in cibos pararēt? Quātò
item illis ſatius & optabilius fuiſſet à terra viuas abſorberi, aut montiū incidentiū pondere ſepeliri?* Pœnæ eorum,
Debet autem hinc generalis doctrina peti, Deum non inultam ſinere crudelitatem hoſtium ſuorū, qui Chriſtū per
qui Chriſtum in membris ſuis perſequuntur. Ad totam enim Eccleſiam credentium pertinet, quod ſequuntur.
*Abrahamo dictum fuit: Benedicam eis, qui tibi benedicunt, maledicentibus autem tibi ego maledi-
cam. Et per prophetam idem Eccleſiæ dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Exempla
quoq; omnibus ſæculis edita ſunt, quibus totum orbem terrarum Deus admoneri voluit, quanti fa-
ciat ſuorum ſanguinem, qui propter nominis ſui confeſſionem occiduntur. Neminem ergo indigna
piorum ſors offendat, quā in terris hiſce ſuſtinent. Habent enim vindicem fortiſſimum, Deum, qui
etſi iudiciū ſuum aliquando differat, diem tamen & horam iā conſtituit, qua hoſtes ſuos puniet, illos
autem ex horum manibus ereptos ſeruabit: & momentanea noſtræ oppreſſionis leuitas (vt Paulus
ait) excellentiſſimū gloriæ æternæ pondus nobis conficit. Diſcant etiā priuatim omnes, ne quam vim
aut iniuriā faciant Chriſti cultoribus quocunq; prætextu, ne tanti vindicis irā aduerſus ſe prouocēt.
Admonet præterea locus iſte, quomodo mortē Chriſti deflere debeamus, in quo nimium ridiculos* Vt mors Chri-
(ne quid grauius dicā) ſeſe præbent Monachi, qui quaſi omnis doctrinæ & prædicationis huius fru- ſti defleri debe-
ctus in lachrymis inanibus conſiſtat, ſermones ſuos in eum finem dirigunt, vt ad fletū prouocent mu- at.
*liercules, & vt gemitus atq; ſuſpiria crebra in templis exaudiantur? Quod vt facilius impetrēt, non
contenti ijs, quæ Euangeliſtæ nobis tradiderunt, multa affingunt de Mariæ Virginis cōpaſſionibus,
quæ vt falſiſſima, ita indigniſſima ſunt, quæ illi tribuantur. Quid, quòd ijdē hiſtoriā hanc totā in lu
dū Scenicum conuerterunt? At nihil huius docuerunt Apoſtoli: nihil etiā ſimile à nobis ille requirit.
Neq; vt propter ipſum ploremus iubet, qui iā in cælis triumphat & regnat: ſed propter nos, qui ipſi*

ſcriptores tradunt. At Chriſtiani homines rectius & iuſtius hoc Caluariæ colliculo gloriari poſſunt, in quo æternus Dei Filius in aſſumpta carne crucifixus peccatum totius mundi expiauit. Quod tamen ita dictum velim, ne quis nos illorum ſuperſtitioni fauere putet, qui illius meritum certis locis alligant. Hoc enim per omnes terrarum angulos extendi, & paßim inueniri per fidem notius eſt, quàm vt multis demonſtrari oporteat. Et quamuis tunc terram iſtam ſua vita & morte Chriſtus nobilitare dignatus ſit, poſtea tamen multa in illam edita ſunt iræ & iudiciorum Dei exempla, quæ ſatis docent, ſalutis meritum aut fiduciam illi minimè alligari debere. Nunc potius obſeruemus, cur in locum publicis ſupplicijs infamem ille ductus ſit cum duobus maleficis, & ibidem inter illos medius in crucem ſuffixus. Narrant hoc vnanimi conſenſu omnes Euangeliſtæ, & ſic olim per Iſaiam prædictum eſſe docent, cuius dictum illud extat: Et cum iniquis aut facinoroſis reputatus eſt. Ita verò fieri oportuit, vt nos eius merito iuſtificati inter Dei filios numeraremur, & vt conſtaret illius effectum ad ſceleratißimos quoſque etiam extendi, denique ſupplicia quæ iſti luunt, Chriſti morte iam conſecrata eſſe, vt illis nequaquam fraudi ſint aut obſtaculo quoad æternam ſalutem, modò peccata ſua agnoſcant, deque illis dolêans, & illius merito partam eorum remißionem fide ſyncera apprehendant.

Crux Chriſti altare.

Quod vt rectius intelligatur, & vberior quoq; iſtius doctrinæ vſus ſit, crux Chriſti ita nobis conſideranda erit, vt eam illi altaris loco fuiſſe meminerimus, in quo ſemetipſum pro peccatis noſtris Deo Patri obtulit. Non eſt ergo, quod eius ignominia aliquem offendat, quando per hanc ille triumphauit de mundo & principe eius, vt eiuſdem virtute omnem poteſtatem aduerſariam vincant quotquot in illum credunt. Euſebius author eſt Conſtantino contra Chriſti & Eccleſiæ hoſtes bellum iuſtum & neceſſarium paranti crucis effigiem in cœlo apparuiſſe, cum inſcriptione iſta: τούτῳ νίκα, id eſt, hoc ſigno vince. Itaq; hoc ſibi ſignum militare fecit, & ſub eo milites ſuos eduxit, & bellum iſtud felicißimè geßit. Vbi nemo pijßimum Imperatorem adeò ſtupidũ aut vecordem fuiſſe putauerit, vt in crucis forma vel picta vel ſculpta ſpem atque fiduciam aliquam collocauerit (quod poſteris temporibus homines ſuperſtitioſi fecerunt) ſed quia à viris pijs & eruditis edoctus erat, hoc immortalitatis Chriſti ſymbolum, & victoriæ aduerſus diabolum & mortem partæ trophæum eſſe, hoc ipſum non adorationis aut cultus cauſa propoſuit, ſed vt publicè teſtaretur, ſe illius ſeruum & militem eſſe, qui in cruce moriens nos ſeruauit. Eadem fide nos quoque non à crucibus manufactis, ſed à Chriſti crucifixi merito pendere conuenit, vt nos quoq; eius virtute victoriam in medijs periculis & tribulationibus obtineamus. Debet autem in toto hoc myſterio primùm obſeruari bonitas Dei, qui (vt ipſe Chriſtus teſtatur) ita dilexit nos, vt Filium ſuum vnigenitum pro nobis in mortẽ hanc diram & infamem dederit. Facit huius conſideratio ad fidei noſtræ confirmationem, ne de eius erga nos voluntate poſthac dubitemus. Nec enim fieri poteſt, vt aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt, nobis ille neget, qui Filio ſuo parcere noluit. Deinde in hoc tam acerbo crucis Chriſti ſupplicio peccati atrocitatem conſideremus, quam magnam & Deo quàm maximè abominabilem eſſe oportet, cùm illud non alia ratione expiari potuerit. Quod vt eos arguit, qui dum nouas expiationes & ſatisfactiones fingunt, Chriſti merito derogant: ita nobis vehemens eſt ad pœnitentiã ſtimulus contra blanditias peccatorum & mundi illecebras, quibus nos Satan circumuenire & ſua mancipia facere ſatagit. Sed & ipſi nobis ferè delitias facimus, dum nobiſipſis perſuademus, non tam grauem eſſe peccatorum noxam, quàm multi fingant, qui plus æquo moroſiores conantur omnes ſub neſcio quã diſciplinã cogere. At qua ratione leuiculũ dici poteſt id, quod Angelis defectoribus ruinæ cauſa fuit, propter quod Adam cum tota poſteritate è paradiſo eiectus & morte mulctatus eſt, propter quod Deus ipſe à nobis alienior factus creaturis omnibus maledixit & totã hãc mundi machinã corruptioni ſubiecit, propter quod deniq; Dei Filius in cruce pependit nudus & infamis, ad quod ſpectaculũ ipſam rerum naturã & omnes mundi partes exhorruiſſe ſuo loco audiemus? Quòd ſi verò hæc omnia te parũ mouent, vt quorũ fides propter vetuſtatẽ iã obſoleta ac dubia ſit, dic quæſo quiſquis es, vnde fames, vnde peſtilẽtia, vnde bella, vnde regnorum periculoſæ mutationes & quæcunq; alia ſunt huius generis originẽ ducant? Nonne gentes olim hæc omnia ex ſcelerib. naſci & horũ pœnas eſſe agnouerũt? Qui id negare volet, nimiũ aut impudẽs aut hiſtoriarũ ignarus erit. Pudeat ergo Chriſtianos homines de peccato tã leniter ſentire, ſeq; rurſus ei mancipare, ex cuius ſeruitio non aliter quã per indignã mortẽ

Filij Dei liberari potuerũt. De deploratis & contumacibus loquor, qui nõ contenti peccauiſſe (quod omnibus ex infirmitate carnis accidit) peccata quæ negare non poſſunt, defendunt, & perinde ac ſi bene rẽ geſſerint, gloriantur. Eſt horum magnus numerus hodie, qui ne ab iis quidem abſtinent, quorum olim gentes puduit. At hi ipſum Dei Filium ſibimetipſis rurſus crucifigunt (vt Apoſtolus loquitur) & illum nouis mundi ludibrijs exponunt, dum illius profeſſionem ſceleribus inquinant: Idẽ meritum eius irritum ſibi reddunt, eiusq́; ſanguinem prophanãt: ipſum deniq; ſpiritum gratiæ, cuius templa eſſe debebant, contriſtant & contumelia atroci afficiunt. Nunquam ergo inultam ferent tã ſceleratam licentiã, ſed eas aliquando pœnas exoluent Deo, quas is à Filij ſui proditoribus & carnificibus olim requiſiuit. Excuſant quidem ſe illi, quòd mundi huius conſuetudini aliquid dare oporteat, quem omnino relinquere impoſſibile ſit. At meminiſſe eos oportebat, nõ decere vt mundo placere ſtudeant ij, quos Chriſtus è mundo ſelegit, vt ſuum ſint peculium: noſtri potius officij eſſe, vt quemadmodum ille extra portam paſſus eſt, ita nos quoq; relicto hoc mundo opprobrium illius patienter feramus, & magnis paſſibus contendamus ad cæleſtis patriæ poſſeſſionem, quam ille nobis acquiſiuit.

Heb. 6.

Chriſtus orat pro illis, à quibus crucifigebatur.

Videamus nunc ſecundam huius loci partem, qua quid Chriſtus fecerit, narratur, interea dum eum milites cruci affixerunt. Quia enim tunc acutiſſimos dolores paſſus eſt, cùm & membris totis diſtenderetur, & pedes manusq́; eius perforarentur, non temere miretur aliquis, quibus vocibus tunc vſus ſit, & num vel impiorum militum crudelitatem corripuerit, vel impatientia ſuperatus querelas fuderit amarulentas & doloris plenas. Ita enim nos ſolemus, qui nobis iniuriam grauẽ putamus fieri, ſi quando durius tractamur. Sed longè aliter ille, qui cùm hæc omnia ex æterno Patris decreto propter nos pateretur, ad preces conuerſus dixit: Pater, remitte eis: neſciunt enim quid faciant. Atqui initiò diximus, inter Sacerdotis officia hoc quoq; cenſeri, vt pro populo oret & intercedat apud Deum. Ergo hîc proprio Sacerdotis munere fungitur, & ideo preces illas facit, vt ſe non ſolùm victimam pro peccatis mundi eſſe, verumetiam Sacerdotem eſſe teſtaretur, per quem illam offerri oporteat. Itaq; magnus huius interceſſionis vſus eſt, & eorum errorem validiſſimè confutat, qui nouum ſacerdotium & nouos ſacerdotes finxerunt, qui vel Chriſtum quotidie offerant, vel illius meritum nouo quodam ſacrificij genere nobis applicent. Nam ille ſolus ſeipſum obtulit, neq; aliquis vnquam repertus eſt, quem hoc honore dignatus ſit Deus, vt eum ſui Filij ſacrificum aut immolatorem faceret. Idem ſuum ſacrificium & meritum nobis ſolus quoq; applicat per ſuam interceſſionẽ & Euangelij prædicationem, vt alibi demonſtrauimus. Procul ergo cum ſuo illo ſacerdotio faceſſant Romanenſes illi Camarim (vt Prophetæ verbo vtar) qui illius honorem ſibi vendicare audent. Eſt autem hæc Chriſti oratio digna cuius ſingulas partes aliquanto diligentius examinemus.

Soph. 1.

1 Pro quibus oret Chriſtus?

Prima eſt, vt pro quibus nam oret obſeruemus. Pro illis nimirum, qui eum crucifigebant: quos milites fuiſſe ex toto hiſtoriæ contextu apparet. At quia conſtat omnes homines mortis eius reos eſſe, oratio hæc ſimul ad nos quoque & alios omnes extenditur. Eſt hoc memorabile bonitatis & manſuetudinis exemplum, quod eò illuſtrius fiet, ſi quid hucuſque cum illo geſtum fuerit, expendas. Nam hi milites ſunt procul dubio, quorum opera captus fuit. Hi ſunt, qui eum virgis & flagellis cæciderunt, qui militari veſte indutum & ſpinis coronatum conſpuerunt, & omni opprobriorum genere obruerunt. Hi ſunt, qui vt crucem propriam geſtaret, eum coegerunt, qui paulò ante (vt Marcus ſcribit) vinum illi dederunt myrrhatum. Denique hi ipſi nunc illum crudeliter diſtendunt, clauis acutis manus & pedes tranſuerberant, vt mox ſublimem erigere poſſint. Pro illis tamen orat, & cùm præſentem videret Matrem Virginem, dolore & triſtitia confectam, cùm Ioannes adeſſet dilectus ille diſcipulus, cùm præſto eſſent mulieres Galilææ, quæ officijs ſuis illum diu iuuerant, nihil tamen adhuc cum iſtis agit, ſed eorum ſalutem præ omnibus alijs cordi habet, qui omnia hoſtiliter faciebant. Procul ergo abfuit à vindictæ cupiditate, & ſuo exemplo doctrinam eam confirmat, quæ monet, vt hoſtes noſtros diligamus, & bene precemur illis qui nos diris deuouent. Similem affectum in Moſe cernimus, qui è libro Dei deleri cupiebat, vt eos ſeruaret, qui ipſum non ſemel conuiciati fuerant. Et Paulus anathema optabat fieri pro Iudæis, qui eius vitæ dies noctesque inſidiabantur. Iſtorum exempla nos imitari conuenit, vt nos germanos Dei filios eſſe teſtemur.

2 Quid petat Chriſtus?

Quid verò illis precatur aut petit? Vt pater ipſis hãc iniquitatem remittat. Ita Stephanus cùm

lapidum

lapidum vndiq; ruentium grandine obrueretur clamabat: Domine, ne ſtatuas illis peccatũ hoc. Atqui peccatorum remiſſione omnem ſalutem contineri conſtat, quando propter illa ſola nobis Deus iraſcitur, & à nobis alienatur. Ideo Dauid dicebat: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Quod autem iſtorum nomine hîc orat, id per Euangelium omnibus offert & confert, qui illud cum fide amplectuntur. Et quia ſacerdotium eius æternum eſt, æternus etiã eſt huius interceſſionis effectus, ſicuti mortis quoq; eius meritum perpetuò durat. Et iſtis profuiſſe preces has Chriſti, rei euentus docuit. Ad ipſum certè Centurionem illarum fructus redundauit, qui nõ multò poſt viſis ſignis & prodigijs quæ fiebant illo expirante, præclarum de eo teſtimonium tulit. Et ad primam Petri concionem, quã die Pentecoſtes Hieroſolymis habuit, aliquot millia eorum ad fidem conuerſi ſunt, qui illum ad crucis ſupplicium poſtulauerant. Debet ergo hoc Chriſti factum nos excitare, vt ipſum agnoſcamus noſtrũ eſſe Mediatorem atq; aduocatum apud Patrem, neq; nũc duriorem fingamus, quàm olim fuit, cùm in terris ageret, aut apud quem nouis aut intermedijs interceſſoribus opus ſit. Ad ſe enim venire iubet omnes, qui laborant & onerati ſunt, neq; eos reijcit qui ad ipſum veniunt. Idem gloriam ſuã nemini communicat: & ſatis notum eſt illud Ioannis: Si quis peccauerit, habemus aduocatũ apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Cui Paulus conſentiens, clamat. Vnus Deus, & vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.

Porro ratione quoq; aut argumento ſuã hanc precationem confirmat, dicens: Neſciũt enim quid faciant. 3 Confirmatio petitionis. *Sciebant quidem ſe hominem innocentem occidere, cùm eius innocentia tam multis teſtimonijs probata eſſet, ſed eundẽ Dei Filium eſſe neſciebant. Nam ſi cognouiſſent (inquit Paulus) nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 1.Cor.2. *Et Petrus cùm Hieroſolymitanum populũ huius ſceleris accuſaret, conſolationis cauſa idem illud mitigans ſubijcit: Sed nunc fratres, ſcio quòd per ignorantiã feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Act.9. *Quod nõ ita accipi debet, quaſi nulla prorſus illorũ culpa fuerit. Nã vt nihil aliud accedat, per ſe ſcelus atrociſſimum eſt, hominem iuſtũ damnare & ſanguinem innoxiũ fundere. Itaq; à ſolius peccati in Spiritum ſanctum reatu illos eximit: eò quòd eorũ ſimiles eſſent, qui Regis filium pannis laceris veſtitum iniurijs afficiunt, nunquam id facturi ſi quis ſit nouiſſent. Et ſunt hæc bonitatis & manſuetudinis paternæ verba, quam in Deo vehementiſſimam eſſe, Scriptura docet. Et huc pertinet quod Dauid ait: Vt pater miſeretur liberorũ, ita Dominus miſeretur timentium eũ. Ipſe enim nouit conditionem noſtram, recordans quòd ſimus puluis.* Pſal.103. *Eſt quidem ignorantia quoq; ſupplicio digna, eò quòd hominem Dei ignorantẽ eſſe minimè decet. At quæ illius eſt benignitas, parcit nobis, neq; imputat quæcunq; ex ignorantia & naturali infirmitate præter officium facimus. Interim nemo ſibi hinc peccandi licentiam venetur. Nam qui huic aſſueſcunt, ij tandem indurati & iuſto Dei iudicio in ſenſum reprobum tradui, cum Pharaone clamant: Quis eſt Deus, quem audire oporteat? Et hæc ignorantia illa craſſa & voluntaria eſt, quam ille inultam non finit.*

Sequitur tertia huius loci pars, quæ partitionem veſtium Chriſti inter milites factam continet. Veſtes Chriſti diuiduntur. *Hanc paucis Lucas abſoluit, Ioannes autẽ diligentius ſingulas quoq; huius facti circumſtãtias narrat, & ne quid fortuitum aut vulgare putemus, vaticinũ ex Pſalmis adducit, quo doceat hoc etiã ex Patris decreto factum eſſe. Diximus illic quæ de toto hoc negotio dicenda videntur, ſufficiat ergo nunc ſumma rerum capita perſtrinxiſſe. Primò paupertatem, quæ inter peccati pœnas non poſtrema eſt, cum ignominia in ſe ille recepit, & nudus in cruce pependit, vt nos ſua nuditate tegeret. Deinde paupertatem ſuo exemplo conſecrauit, ne nos propter illam Deo minus gratos & acceptos eſſe putemus. Tertiò luxum & faſtum veſtium damnauit, qui quàm Deo diſpliceat, alibi diximus. A Chriſtianis certè hominibus illum procul abijci debere hoc vnum exemplum abunde docet. Quid enim abſurdius eſt, quàm veſtitu eos ſuperbire, qui in Chriſto crucifixo & eius nuditate ſpẽ ſalutis collocant? Poſtremò patientiam nobis cõmendat, ne murmuremus, ſi quando facultatibus noſtris ſpoliamur, & omniũ egeni atq; nudi in exiliũ eijcimur. Ita enim nos ſuæ inopiæ ſocios facit Dominus, vt regni ſui cœleſtis theſauris nos donet. Imò volupe ſit, nos iam huius ſæculi bonorũ laborioſa & ſolicita adminiſtratione liberatos eſſe, vt expeditiores ſimus ad Regnum Dei, ad quod vocamur. Biantem illum Prienæum hoc nomine veteres cõmendant, quòd cũ patria ab hoſtibus diriperetur, ipſe omnibus ſarcinis relictis abiret, dicens: Omnia mea mecũ porto. Ergo non ſua, ſed fortunæ bona putabat, quæ ab hoſtibus diripi poſſunt, & ſine quibus vita ſuſtentari poteſt. At quanto æquius omnium rerum*

amiſſionē Chriſtianus feret, qui ſe in Chriſto omnes æternæ ſalutis theſauros poſſidere nouit, quos neque fures rapere, neq; erugo aut tineæ corrumpere poſſunt?

Conuitiantur Chriſto omnes ordines.

Quarta huius loci parte conuitia & opprobria narrantur, quæ in cruce pendens Dominus ſuſtinuit. Et ſtabat (inquit Lucas) populus ſpectans. Marcus & Matthæus aliquos ex illis non otioſos ſpectatores fuiſſe ſcribunt, ſed capitibus per ludibrium motis in illum opprobria ieciſſe, dicentes: Vah, qui diſſoluis templum, & triduo ædificas: Serua teipſum, & deſcende de cruce. Idem noſter etiam hic non omnino obſcurè innuit, quando principes etiam eum ſannis excepiſſe ſcribit, & dixiſſe: Alios ſeruauit, ſeruet ſeipſum, ſi hic eſt ille Chriſtus Dei electus. Accedunt his milites, qui pro ſuo more licentia & petulantia maiori inſultantes acetum quoq; ſitienti propinauerunt. Vbi rurſus obſeruari debet, hæc illum propter nos ſuſtinuiſſe, vt pro illis ſatisfaceret, qui Dij fieri voluerūt, non contenti ea ſorte, quam illis Deus dederat. Primi quidem in eo peccarunt parentes noſtri, Adamus & Eua, ſed ex ipſis ſuperbia iſta in omnes poſteros propagata eſt, ſicuti exemplis infinitis poteras demōſtrari. Nam vt nihil nūc de eo dicamus, quòd aduerſus Dei verbum & leges homines efferuntur, & in hat ſibi imperium ſumunt (quod vitium nimis vulgare eſt) quā multi inter gentes ſe Deorum filios eſſe gloriati ſunt, qui ex ſtupris adulterijs & inceſtibus ferè nati fuerunt? Quis itē Semideos omnes enumerauerit? Quis Alexandrum Macedonem ignorat ſuſpectam feciſſe matris pudicitiam, vt Iouis Hammonij filius eſſe crederetur? Taceo Romanos Imperatores, qui in Deorum numerum à ſuis adulatoribus relati ſunt: quibus nouiſſimis temporibus Pontifices ſucceſſerunt, qui diuina & humana iura in ſua poteſtate eſſe clamant, ſibi deniq; in cælos ius ſumunt, vt ſuis Canonizationibus inter Diuos cælites collocent, quos ipſi illo honore dignos iudicarint. Hæc ideo commemoramus, ne quis temere factū exiſtimet, quòd omnis loci & ordinis homines Chriſto tam inſolēter tamq; impiè illuſerūt. Quia enim affectatæ diuinitatis crimē frequentius eſt quàm vulgo putetur, huius quoq; pœnā ipſum ſubire oportuit, ne quod ſcelus ſit, quod ipſius merito nō expiatum eſſe putetur. Deinde oportuit eum ab omnibus quaſi vno ore oppugnari conuitijs atq; opprobrijs, vt nos per illum vincamus. Adhæc ſcandalo medetur hæc pars, ne quis offendatur, ſi hodie quoq; quis illum vnanimi omnium ordinum conſenſu damnari eiuſq; doctrinam contumelioſiſſimè proſcindi audiat. Extant enim de hoc Prophetarum vaticinia, inter quæ euidens cumprimis eſt, quod in Simeonis Cantico vidimus. Et continent opprobria iſta nouum innocentiæ Chriſti teſtimonium. Quis enim putauerit improbos illos & petulantes conuitiatores diſſimulaturos fuiſſe, ſi quod crimen vel in ſpeciem probabile in illo hæſiſſet. Iam certè tempus erat illud diuulgandi, vt docerent illum pœnas ſuis delictis dignas luere. Quid verò illi exprobrant? Nihil quàm quòd aut per calumniam malè detortum eſt, aut laudem quoq; merebatur. Obijciunt, quod templum ſe deſtruere & intra triduum rurſus ædificare poſſe dixerit. Hanc verò calumniam eſſe impudentem alibi demonſtrauimus. At ſi quid huius omnino dixiſſet, nū id tanto ſupplicio dignū erat? Addunt: Alios ſeruauit, ſeruet ſeipſum. Atqui conſtabat, multos per ipſum ſeruatos fuiſſe. Num verò id reprehenſionem meretur? Et ſi ſeipſum ſeruare non poterat, certè commiſeratione potius quàm opprobrio dignus erat. Sed cur non cogitant, arcano aliquo conſilio fieri, quòd qui tam multis ſalutē dederit, nunc ſeipſum non ſeruet? Vides ergo iſtos homines Chriſti innocentiam aſſeruiſſe ſuis opprobrijs, ſuā verò prodidiſſe improbitatem & impiam audaciā, qua aduerſus Deum inſurrexerunt. Accidit hoc ipſum omnibus, qui hodie nobis conuitiantur, & doctrinam Euangelij, fidem in vnum Deum per Ieſum Chriſtum & alia huiuſmodi exprobrant. Quid enim horum reprehenſione dignum eſt? Aſpergunt iſta multis ſannis atq; dicterijs, ſi quando ſe victoria potitos eſſe putant, quod non aliud eſt quàm acetum propinare in cruce Chriſti pendentibus. At non debent iſta nos mouere, quibus perfecto patientiæ exemplo Chriſtus præiuit. Alteri autem iſti meminerint quæſo, vt hanc Iudæorum petulantiā vltus ſit Deus. Nec enim horribili ſolùm excidio vrbs illorum cum templo euerſa eſt, quod nec ipſe Titus Romanæ militiæ imperator prohibere potuit: ſed ipſi quoq; ludibrium totius mundi facti ſunt, & vbiq; locorum iniurijs atq; contumelijs atrociſſimis exagitantur. Sentient idem procul dubio, quicunq; illos imitantur. Nam qui mercedem bonam promiſit ei, qui vni ex diſcipulis ſuis poculum aquæ frigidæ dederit, is ſuas quoque pœnas illis iam præparauit, qui acerbum illud acetum ſuis laborantibus infundunt.

Inſcriptio Crucis.

Reſtat poſtrema huius loci pars, quæ Crucis illius ſaluificæ Chriſtiq; in ea pendentis titulum ſiue

inſcriptionem

inſcriptionem continet. Fuit enim mos iſte tunc publicè receptus, vt cauſæ tam diri ſupplicij ſummatim deſcriptæ ſupra ſuſpenſorum capita affigerentur. Quia autem Pilatus quod de Chriſto ſcriberet non habebat, eò quòd nullius ſceleris eſſet conuictus, hoc vnũ inſcriptione illa complecti voluit, quod Sacerdotes imprimis vrſerant: eũ videlicet regnũ affectare, & ſe dicere Regem Iudæorũ. Itaq; Latinis, Græcis ac Hebraicis literis ſcribit: HIC EST REX ILLE IVDAEORVM. *Vel vt alij annotarunt:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *Quod illum in Iudaicæ gentis contumeliã feciſſe non eſt dubium, & id quoq; animaduerterunt Sacerdotes ac Seniores, & ideo (vt Ioannes prolixè narrat) inſcriptionem hanc voluerunt mutari. Interim nihil hîc ſine numine aut diuinæ prouidentiæ decreto factum eſt. Nam Pilati manum direxit, vt quàmuis nihil minus vellet facere, & longè alio affectu duceretur, Chriſti tamen præco fieret, & publicè tribus linguis, quæ tunc in orbe inter omnes alias eminebant, teſtaretur, Ieſum hunc, qui medius inter latrones pendebat, eſſe Regem illum per Prophetas promiſſum, & fortiſſimũ vindicem omniũ, qui ipſum fide vera apprehendunt, confitentur & prædicant. Et cruci quidem imponitur hæc inſcriptio, vt eo typo adumbraretur, Regnum eius tunc maximè florere ac triumphare, quando totum oppreſſum eſſe putatur: adeoq; per illos ipſos exaltari ac propagari, qui in illo deprimendo præcipuam operam nauant. Tribus autẽ linguis principalibus titulum hunc deſcribi voluit Spiritus ſanctus, vt Regnum* Pſal 2.
hoc per totũ orbem extendi doceret, & omnibus conſtaret Chriſtum eſſe Regem illum, cui à Patre dictum eſt: Poſtula à me, daboq; gentes vt ſint hæreditas tua: & terminos terræ, vt ſint poſſeſſio tua: Dan. 7.
Et de quo Daniel ſcripſerat: Dominatus eſt ei traditus, & honos, & regnum: vt omnes nationes, populi & linguæ ſeruiant ei. Poterant hæc multis tractari, ſed quia de illis in Marci & Ioannis expoſitione diximus, ſufficiat ea obiter perſtrinxiſſe. Præſtat tamen tenere, quod in tota hac actione memoratu digniſſimũ eſſe Spiritus ſanctus iudicauit, Cùm enim Sacerdotes & Seniores iſto Chriſti præconio ſibi totiq; genti iniuriam fieri ſentirent, ideoq; vt ea Inſcriptio mutaretur, poſtularent, Pilatus, qui in re maioris momenti nimiùm facilem ſe illis præbuerat, nunc durior factus, cũ indignatione eos reijcit, dicens: Quod ſcripſi, ſcripſi. Ita verò ſignificatum fuit, nunquam defuturos Ieſu Chriſto aduerſarios, qui clament: Nolumus hunc regnare ſuper nos: at eoſdem nunquã effecturos eſſe quod volunt. Rata enim & in æternũ firma erunt, quæ de illo ex Spiritus ſancti ſuggeſtione ſcripſerunt ſancti Dei homines, Prophetæ & Apoſtoli. Regnabit ergo ille ad dextram Patris ſui, donec poſuerit omnes inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum, gens autem & regnum, quæ non ſeruierint ei, peribunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CCVIII.

Vnus autẽ ex maleficis, qui erant ſuſpenſi, conuitiabatur ei, dicens: Si tu es Chriſtus ille, ſerua teipſum & nos. Reſpondens autem alter obiurgauit eũ, dicens: Ne tu quidem Deum times, quòd in eadem ſis damnatione? Et nos quidẽ iuſtè (nam digna factis recipimus) iſte verò nihil abſurdũ fecit. Dixitq; Ieſu: Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuum. Tum dixit ei Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiſo. Erat autem quaſi hora ſexta, & tenebræ factæ ſunt ſuper totã terram vſq; ad horã nonã. Et obſcuratus eſt Sol: & aulæum templi ſciſſum eſt mediũ. Cũq; clamaſſet voce magna Ieſus, ait: Pater, in manus tuas depono ſpiritum meum. Et cùm hęc dixiſſet, expirauit. Cùm vidiſſet autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iuſtus erat. Et omnis turba quæ ſimul ad hoc ſpectandum acceſſerat, ſpectans quæ facta fuerant, verberans pectora ſua reuertebatur.

QVoniam Dei Filius, Ieſus Chriſtus, ideo in mundũ venit & in aſſumpta carne mortuus eſt, vt peccatores ſaluos faceret, multa exempla in paſſionis & mortis ſuæ hiſtoriã incidere oportuit, quæ homines peccatores ab illo non reijci, nõ pro meritis ſuis damnari aũt puniri, ſed potius be

nignè recipi & ſeruari docerent. Ad hunc ergo ſcopum referri debent quæ de diſcipulorũ contentionibus in vltima Cœna obortis, deq́ eorundem infirmitate, fuga & diſperſione audiuimus. Huc turpis ille Petri lapſus pertinet, qui illum tertiò abnegauit, & quòd (vt nuper dictũ eſt) pro illis apud Patrem interceſſit, qui ipſum in crucem ſuffixerunt, & omni opprobriorũ genere inſectati ſunt. At inter huius generis exempla præ alijs memorabilia ſunt, quæ hoc loco deſcribũtur. Narrat enim Lucas actionem, quæ illi cum latronibus interceſſit, quorum alterũ in ipſo mortis articulo ad ſe conuerſum in gratiã recepit & ſaluum fecit. Deinde ſigna deſcribit, quæ eius mortem partim comitata partim ſecuta ſunt, et vt his viſis Centurio, qui ſupplicij iſtius executioni præerat, vnà cum multis alijs ex turba promiſcua rectius de illo ſentire cœperint, veræ pœnitentiæ ſemine concepto, quod poſtea fructus haud dubiè tulit non pœnitendos. Quæ omnia à nobis eò diligentius conſiderari debent, quia non obiter modò gratiam Dei nobis commendant, ſed totam ſalutis in illo conſequendæ rationem, vnà cum virtute meriti ac mortis eius, ceu in tabula depictam proponunt.

Quoad latronũ hiſtoriã, Matthæus & Marcus, paucis rem expediũt, & eos quoq; illum probris affeciſſe ſcribũt. Lucas vnũ modò tantæ impietatis reum facere videtur, & ideo quod alteri illi narrant, pleriq; per Synecdochen exponũt. At probabilior mihi videtur eorũ ſentẽtia, qui initio quidem vtrũq; id feciſſe, poſtea autem alterũ ſceleris pœnitentia ductum illius gratiã implorauiſſe putant. In qua ſententia Chryſoſtomũ fuiſſe apparet, qui cùm multa manſuetudinis Chriſti exempla ex ordine recitaret, huius quoq; meminit, quòd latronẽ, qui ipſum paulò ante accuſauerat, in paradiſum introduxerit. Eſt ergo hiſtoria hæc multis nominibus digna, cuius ſingulas partes ex ordine videamus, vbi tamen propter ea, quæ in Marco dicta ſunt, breuitati ſtudebimus. Prima latronẽ illum infelicem proponit, cuius impietas quidẽ narratur, cõuerſio autem ſiue pœnitentia tacetur: nimirũ quòd ea nulla fuerit. Vnus (inquit) ex maleficis, qui erãt ſuſpenſi, conuitiabatur ei, dicẽs: Si tu es Chriſtus ille, ſerua teipſum & nos. Eſt hoc animi impij & reprobi argumentũ, quãdo neq; eiuſdẽ ſupplicij horribiles cruciatus, linguæ petulantiã coercere potuerunt. Et tamen apparet, illũ non omnino ignarum fuiſſe eorũ, quæ de ſpe Iſraelis, Chriſto nimirũ venturo dicebantur. Dicit enim: Si tu es, Chriſtus ille, Quaſi dicat, quẽ & patres noſtri & nos tãto iam tẽpore expectauimus. Et facit hoc ad ſcelus amplificandũ, quòd de promiſſo illo Seruatore nihil magnificum ſentit, ſed perinde ac ſi latronibus impunitatẽ conferre debeat, ab illo opem petit. At hîc animo repetere oportet, quod ſupra audiuimus Chriſtũ inter duos illos latrones mediũ fuiſſe ſuſpenſum. In eo enim apparet, quæ totius humani generis cõditio ſit, quæ itẽ cauſa ſit, quòd multi à ſalute excidãt, quã illis Chriſtus ſpontè offert. Etenim latrones iſtos homines fuiſſe ſceleratos, & nunc dignas factis ſuis pœnas exoluiſſe, ex alterius confeſſione conſtat. Atqui eadem eſt omniũ hominũ conditio. Nam licet nõ omnes latrones, fures, ſicarij, proditores & mundi iudicio malefici ſimus, peccatores tamen ſumus, quorũ cogitationes ab ineunte ætate malæ ſunt, & qui in ſingulas horas prauis cupiditatibus abrepti ea facimus & dicimus, quæ Deo diſplicẽt. Adhæc pœnas peccatorũ quotidie ſentimus: quia quicquid in mundo eſt morborũ, egeſtatis, ſeditionũ, bellorũ & periculorũ, illud omne ex peccato eſt. Imò ſi in nos ſuo iure Deus vti velit, nõ cruces modò, rotas, gladiũ, ardentes rogos et diriſſima quæq́; ſupplitiorũ tormenta meruimus, ſed digni ſumus, qui ad æternos infernalis ignis cruciatus dãnemur: & ideo ſanctiſſimi quiq; precãtur: Ne intres Domine, in iudiciũ cũ ſeruo tuo. Item: Remitte nobis debita noſtra. Vt verò inter latrones iſtos medius pepẽdit Chriſtus brachijs ad vtrũq; expãſis: Ita in medio humani generis idẽ ille cõſtitutus, ex Zione Apoſtolos emiſit, per quos ſuæ mortis meritũ hodie etiã omnibus offert, & quaſi expãſis vlnis omnes inuicãs clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego requiẽ vobis præſtabo. Quæ ergo cauſa eſt, ꝙ pauciores ſeruãtur: plurimi autẽ pereunt? Hæc nimirũ, quòd pleriq; prioris iſtius latronis ſimiles, neq; ſe à Deo puniri & pœna dignos eſſe agnoſcũt, neq; ad ipſum conuerſi de ſuis ſceleribus pœnitentiã agunt: In Chriſto autem nihil præter ea quæ carnis ſunt quærunt, & niſi ea inueniant, mox ei conuitiantur, & mundi infelicis exemplum ſecuti Euangeliũ eius proſcindunt atque conculcant. Itaque damnationis cauſa ex hominibus eſt, ſicuti per Hoſeam Dominus teſtatur.

Quid ergo fieri oportet? Alterũ latronem vide, quæ ſecunda huius actionis pars eſt. Quid verò ille? Obiurgauit ſociũ, dicens: Ne tu quidem Deũ times, quòd in eadem ſis dãnatione? Et nos quidem iuſtè (nam digna factis recipimus) iſte verò nihil abſurdum aut iniquũ fecit, &c. Breuis oratio, ſed

quæ

In priorem ad Corin. hom. 32.

Latro alter exemplũ hominis reprobi.

Alter latro ſalutis conſequẽdæ rationem monſtrat.

quæ multa continet animi verè pœnitentis & conuerſi argumenta. Primò diſplicet ei ſocij impia petulantia, & grauiter eã corripit, vt ſal uis ſociũ habere poſsit quem vitæ anteactæ & ſcelerũ ſocium habuerat. Et vt hoc facilius impetret, ad veræ pietatis & ſapientiæ principium eum remittit, Dei timorem videlicet: ita ſimul innuens, hanc ipſis omnium facinorum antea cauſam fuiſſe, quòd Deum non ſint reueriti. Deinde præſentis ſupplicij eum admonet, vt ſaltem in huius acerbitate Dei iram ipſos punientis agnoſcat. Tertiò ſe illi coniungens ſua quoq; peccata fatetur. Nos (inquit) iuſtè punimur, & digna noſtris factis præmia recipimus. Quartò præclarum Chriſto reddit innocentiæ teſtimonium, & quàmuis illum totius Concilij authoritate damnatum eſſe, & in eius damnationem Pilatum conſenſiſſe ſciat, alta tamen & libera voce clamat: Hic nihil abſurdũ, iniquum aut indecens fecit. Quod quid aliud erat, quàm Sacerdotes & Seniores populi vnà cũ Præſide iniquitatis & iniuſtitiæ ſummæ accuſare? Neq; in his pedem ſiſtit, ſed mox ad Chriſtum conuerſus ait: Domine, memento mei cùm veneris in Regnum tuũ. Vt Chriſtus ſui meminerit petit, nimirum ad gratiã & miſericordiã eius reſpiciens, qua Deus ad ſe conuerſos reſpicere ſolet. Itaq; Deum agnoſcit hoc dicendo, & paucis cõprehendit, quod Dauid fuſius dixit in Pſalmis: Memor ſis miſerationũ tuarum ô Domine, & bonitatis tuæ: quoniã à ſæculo ſunt. Peccatorũ adoleſcentiæ meæ ac ſcelerum meorũ ne ſis memor: memor autem mei ſis ſecundùm benignitatem tuã, propter bonitatem tuã ô Domine. Eodem igitur, quo olim Dauid, nunc latro iſte ſpiritu precatur. Eſtq; hoc fidei exemplum, cuius ſimile num vſpiam extet, neſcio. Nam Dominum ſuũ agnoſcit, quem eiuſdem ſupplicij ſociũ habebat. Regnum ei tribuit, qui iam iam moriturus omniũ conuitijs petebatur. Immortalem fatetur, quãdo vt ſui in Regno ſuo meminerit, orat. Deniq; cùm nihil præter manifeſta & horrenda irati Dei argumenta ob oculos ſibi poſita videret, de ſalute tamen ſua optime ſperat, & per omnia obſtacula in beati illius Regni contemplationem penetrat. Hæc ergo illa fides eſt, quæ ea nobis præſentia ſiſtit, quæ nuſpiam extare putantur, & coràm demonſtrat, quæ nullo humano ſenſu poſſunt percipi. Eſt hoc memorabile exemplum, quo docemur, nunquã Chriſto teſtes defuturos eſſe, qui etſi mundo contẽptiſsimi videantur, magnæ tamen authoritatis ſunt apud Deum, & teſtimonium eorũ omnibus illis arguendis ſufficit, qui aduerſus illum conſpirant. Præcipuũ autem huius exempli caput eſt, ratio ſalutis conſequendæ, quæ hîc euidentiſsimo typo adumbratur, imò perfectè depingitur. Opus eſt ante omnia generali peccatorum agnitione, quæ quàm illa atrocia & grauia ſint, nos edoceat. Quam quia nobis nõ ſuggerit carnis ſenſus, quæ illis delectari ſolet, ex Lege petatur oportet. Vbi imprimis videndũ eſt, ne conſcientiæ dicta & terrores ſcurriliter eludere conemur, quibus nos illa intra animos noſtros conuincit. Huic accedat neceſſe eſt priuata aut peculiaris noſtrorum peccatorum agnitio, ne dum de alijs verba facimus, nobiſipſis turpiter & pernitioſè blandiamur, quæ maxima eſt veræ pœnitentiæ remora. Et quia hîc caro tardior eſt & ſtupidior, multum proderit iudiciorum Dei exempla obſeruaiſſe, & ea quidem imprimis, quæ nobis frequenter accidunt. Errant in eo multi, quòd fortuita putant eſſe ea, quibus illis aures vellicat Deus, & per quæ ad ſuorum peccatorũ cognitionem atq; pœnitentiam excitari debebant. Accedat his contritio cum publica confeſsione ſcelerum & miſericordiæ Dei imploratione coniuncta: quæ ſi ex fide emanet, proculdubio illa remittet Deus, & ſalutem certò conſequemur. Hæc illa ratio eſt ſalutis, quam ſacræ literæ paſsim docent, & quæ iam inde ab origine rerũ infinitis exemplis probata atq; confirmata eſt. At quia de ea ſæpe diximus, & noua ſubinde dicendi occaſio datur, ſufficiat nunc ſumma rerum capita in mentem reuocauiſſe.

Facit autẽ in præſenti ad illius confirmationẽ ipſius Chriſti calculus, qui abſq; mora latroni reſpõdit, dicẽs: Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiſo. Eſt hoc vnũ ex præcipuis eius dictis, quod eo diligentius expendi & teneri debet, quòd & in cauſa omniũ grauiſsima, & iam iam moriturus illud protulit. Et occurrit in eius conſideratione primo ſtatim loco admirabilis & plus quàm paterna illius facilitas, qui hominẽ ſceleribus multis infamem & capitale ſuppliciũ iam cũ publica infamia luentem tam benignè in gratiã recipit, & neq; verbis durioribus cõpellat, neq; quicquã eorũ exprobrat, quæ prius deſignarat. Iam enim non corripiendi aut cũ illo expoſtulandi, ſed miſerum & afflictum conſolandi tempus erat. Non eſt ergo quòd repulſam ipſi timeamus, modò vera fide ad eũ conuerſi eius miſericordiã imploremus. Simul autem hoc Chriſti exemplum imitentur doctores, quibus cum peccatoribus res eſt, quos animis ſuis contritos, & de ſalute ſua seriò ſolicitos eſſe vident: ne

Chriſtus paradiſum promittit ad ſe conuerſo.

intempeſtiuis iurgijs & exprobrationibus eos terreāt, quos amica conſolatione & gratia promiſſio-
nibus cōfortari neceſſe eſt. Chriſtus certè hunc nō modò benignè recipit, ſed ſalutē quoq; præſentē pol-
licetur, perinde ac ſi quis medicus ægroto iā de vita deſperāti dicat: Iamiam valetudini integræ re-
ſtitueris, ac viues. Ita Dominus cū graui obteſtatione huic ait: HODIE mecū eris in paradiſo. Ita
verò ſui meriti virtutē exprimit, quæ tāta eſt, vt nobis ſeruādis & tam à pœna quàm culpa liberan-
dis ſufficiat. Confirmantur ergo iſto exemplo omnes illius promiſſiones, quibus noſtræ ſalutis cer-
titudo nititur, quales ſunt: Amen amen dico vobis, qui audit verba mea, & credit ei qui miſit me, ha-
bet vitā æternā: & in iudicium non veniet, ſed à morte tranſiuit in vitā. Item: Vbi ego ſum, illic erit
miniſter meus. Volo Pater, vt vbi ſum ego, illic ſint quos dediſti mihi. Confutantur ergo hîc vali-
diſſimè Pontificij illi calefactores, qui Purgatorij ignis fornaces plus quàm Alchymiſticos cōſtru-
xerunt, in quibus animas corporibus ſolutas à ſordibus peccatorū purgari oporteat, priuſquam ad
Regni cœleſtis poſſeſſionem & beatorum conſortiū admittantur. Atqui ſanguis Filij Dei (clamat
1.Ioan.1. Ioannes) nos emundat ab omni peccato. Qui cùm huic latroni purgādo ſufficiens fuerit, næ nimiùm
iniqui meriti Chriſti æſtimatores ſunt, qui illius virtutē nunc inefficaciorem eſſe fingunt, quæ ſuper-
ſtitioſis illis & carbonarijs adminiculis opus habeat. Nobis ſemper firmū ratūq; maneat hoc noſtræ
fidei axioma, Chriſti merito cœlos nobis patefactos eſſe, nec quicquam obſtare, quin ad beatæ immor-
talitatis ſedes eorum animæ colligantur, qui in vera fide & nominis illius inuocatione decedunt.
Beati mortui (inquit, Angelus) qui in Domino moriuntur: Etiam dicit Spiritus: Quoniam requie-
ſcunt à laboribus ſuis. Apocal.14.cap.

Signa, quæ Chriſti mortem comitantur. Tranſeamus nūc ad mortis Chriſti narrationem, quā à ſignis, quæ eā comitata ſunt, Lucas ordi-
tur, quāuis nō omnia recenſeat, quæ apud alios habentur. Vſus eorū fuit, q diuinitati ſimul ac inno-
cētiæ eius teſtimoniū tulerunt, fructū quoq; & meritū mortis eius adumbrarūt, adhæc Dei iudiciū et
pœnas denuntiauerunt hoſtibus eius, de quorū petulantia hucuſq; multa audiuimus. Primū inter il-
la fuit Eclipſis Solis, quæ ſub horā ſextam, id eſt ipſo meridie facta toti terrarū orbi tenebras inue-
xit, quæ totis tribus horis durauerūt. Tā diu enim ille inter acutiſſimos dolores in cruce pepēdit, vt
Sol obſcuratur. ſui corporis & ſanguinis ſacrificio pro mūdi peccatis perlitaret. Eclipſim verò illam præter ordina-
rium naturæ curſum in oppoſitione Solis & Lunæ factā fuiſſe alibi oſtendimus, vbi ijs quoq; reſpon-
ſum eſt, qui tenebras iſtas ad Iudæā ſolam reſtringūt. Facit autē hoc ad demonſtrandū quàm atrox
& dirū fuerit ſcelus iſtud, quod tunc in Filium Dei deſignatū fuit. Sol certè ad indignū hoc ſui con-
ditoris ſuppliciū exhorruit, & ne hoc ſpectaret, faciem & radios ſuos abſcondit. Quales ergo putādi
ſunt hodie, qui adhuc paſſionē eius cōuitijs & execrationibus conſpuunt, & quod multò grauius eſt,
illius meritū negāt, imò hoſtiliter oppugnant? Meminerint autē illi, hîc pœnas quoq; denuntiari om-
nibus, qui id audent facere. Eſt enim ille Sol iuſtitiæ, in cuius alis ſiue radijs (vt Propheta ait) eſt
ſanitas. Ergo in tenebris pereāt oportet omnes ij, qui ipſum nolūt recipere, & eius lucem faſtidiunt.
Nā intra cōſcientias ſuas miſere anguntur, neq; aliquā diuinæ gratiæ lucē ſibi fulgere vident: adhæc
poſt infinitas huius ſæculi calamitates, quib. diſtracti oberrāt, in tenebras quoq; exteriores eijciūtur.

Velum templi ſcinditur. Alterū ſignū, cuius Lucas meminit, aulæi aut veli ſciſſio fuit, quo Sanctū ſanctorū ab exteriori
parte templi diſtinguebatur. At priuſquā illud ſcinderetur, Ioannes Chriſtū dixiſſe ſcribit, Conſum-
matū eſt: quo dicto teſtabatur iā impleta eſſe, quæcūq; de humani generis redemptione olim promiſſa
& prædicta fuerunt. Erat autem interius illud Sacrariū typus Cœlorū, aut loci illius beati, quē no-
Hebr.9. bis Deus præparauit. Itaq; ſignificabat iſta veli ſciſſio, abrogatas iā eſſe Legis ceremonias, & pate-
factam viā illam ſanctorū, quæ ad Regni cœleſtis poſſeſſionē nos deducit. At quia Iudaicā rempub.
ſimul & cultū illum Leuiticū durare oportuit vſq; ad Chriſtum, qui vmbris iſtis finem impoſiturus
erat, ſimul teſtari voluit Deus, iam tēpus illud fatale adueniſſe, quo templū cum vrbe excindi, cul-
tum & rempub. iſtā aboleri & euerti oporteat, ſicuti olim à Daniele fuerat prædictū. Fuit ergo hæc
quoq; grauis cōminatio, nihil nimirū poſthac reliquū fore, quo Iudæi defendantur & tueantur, ſi in
Chriſtū ingrati eſſe pergāt. Et debent hoc ad ſe transferre etiā illi, inter quos Eccleſiæ ſuæ & Euan-
gelio locū fecit Deus. Nam vt Iudæorū reſpub. ſalua fuit propter cultū illum typicū, quàm diu eius
vſus erat aliquis, eadem autē mox euerſa eſt, quādo illum in Chriſti contumeliā mordicus retinere
voluerūt: Ita reſpublicas hodie etiā cōſeruat Deus, vt Eccleſiæ & Verbo ſuo hoſpitiū præbeāt: quòd
ſi id fa-

ſi id facere detrectāt, & Chriſtū eiectū volunt, eadē omni præſidio ſpoliata pereunt. Exempla huius rei multa extant in hiſtorijs, & hodie quædam vidimus, quæ vtinā omnes diligentius expenderent.

Chriſtus expirat.

Cæterùm eodem momento, quo aulæū iſtud ſciſſum fuit, Chriſtus quoq; expirauit, & ne hoc quidem abſq; miraculo. Nā præter communem morē morientiū, qui vel paulatim ſenſibus deficiūt, vel ſubita morbi vi obruti nihil loqui, & vix ſingultire poſſunt, ille alta voce exclamauit: Pater, in manus tuas depono ſpiritū meū. Fuit ergo vox iſta verè morientis (quādo mortem animæ & corporis diſſolutionem, aut illius ab hoc diſceſſum eſſe, philoſophi definierunt) at eadem diuinæ virtutis quoq; argumentum eſt, & illum animā ſua ſponte pro noſtra ſalute depoſuiſſe teſtatur, ſicuti antea ſe facturum prædixerat. At cùm in ipſo etiam mortis articulo ſe huius victorem & dominum eſſe tam aperto indicio oſtendat, minimè dubitare nos conuenit, quin verus ac potentiſſimus Seruator ſit, qui & nos in ipſa morte tueri poſſit. Adhæc de animarū noſtrarū conditione nos ſuo exemplo admonet. Sunt hæ ſpiritus, ſi eſſentiā earum ſpectes, quod Moſes non obſcurè docuit, de Adami creatione inter alia dicens: Inſflauit Dominus in nares eius ſpiritū vitalem, & factus eſt homo in animā viuentem. Et in præſenti Chriſtus, quē animā humanā vnà cū corpore aſſumpſiſſe, alibi demonſtrauimus, illam ſpiritū dicit. Eſt autē ſpiritus ille immortalis, qui cum corpore nequaquā extinguitur aut moritur. Abſurdū enim foret, illum cū corpore mori, cuius beneficio iſtud viuit. A corpore autē diſcedens ad ſuum locum colligitur: piorum quidem & credentium ſpiritus ad Deum, qui illos dedit: impiorū verò ad ſui ſimiles, vt cum his æternum crucientur. Itaq; quādo nobis hinc migrandum eſt, non Angelis, nō Diuis, multò minus autem Monachis aut Sacrificulis, ſed vni Deo Patri per Ieſum Chriſtū animas noſtras cōmendare debemus, qui ad ſe collectas ſeruabit, vt æternum viuant & gaudeant.

Terræmotus.

Porro expirāte Dei Filio, ingēti & horribili motu terra cōcuſſa eſt, adeò vt et petræ diſſilierint, & monumenta multa aperta ſint, in quibus multorū corpora poſt eius reſurrectionē reuixerunt, & apparuerunt multis in vrbe Hieroſolyma. Arguunt hæc quoq; flagitij in illum cōmiſſi indignitatē, & ſimul nobis noſtrā duritiem exprobrant. Non potuit terra abſq; horrore indignā ſui creatoris necem cernere, & ſub tanti ſceleris pondere contremuit. At quàm multi ſunt, qui etiāſi iſta audiant, & ipſi de his loquantur, nihil tamen commouentur, vt vel de ſceleribus cōmiſſis pœnitentiā agant, vel in poſterum ſe illi gratos præbeant? Taceo nunc eos, qui per Chriſti mortem, paſſionem, vulnera & crucem horribili impietate deierant: eos item qui quaſi iſta Dei Filius fruſtra paſſus ſit, ſe ſibijpſis ſufficere ſibi perſuadent, & in ſuorum operū meritis ſalutis ſuæ fiduciā repoſitā habent. Sunt hi ingratiſſimi homines, ſub quibus terram tremere & indignari non mirū eſt, quādo ingratitudine nihil ſceleratius, nihil à natura alienius eſſe conſtat. Simul autem iſto prodigio mortis ſuæ fructū & admirabilem Euangelicæ prædicationis effectū Dominus declarare voluit. In illa enim vita ſalusq; noſtra continetur, quod ipſe cū Martha loquens teſtatur: Ego ſum reſurrectio & vita, etc. Per hāc verò totum orbem terrarum concuti & mutari oportuit, adeoq; huic omnia cedere oportuit, quæcūq; illius curſui obſtare videbantur. Nec omnino à ſcopo aberrabimus opinor, ſi terræmotu iſto pijs vaticinium illud in mentem reuocatum & confirmatū fuiſſe dicamus, quo Zorobabelem olim in templi ædificatione laborantem Deus per Haggæum conſolatus eſt, dicens: Adhuc vnum modicum hoc, & ego commouebo cælum & terrā, & commouebo omnes gentes, & venient, deſiderium omnium gentium. Et rurſus: Ego concutio cælum & terram, & euertam ſolium regnorū, & perdam robur regnorum gentiū, &c. Impleta ſunt hæc Apoſtolorū temporibus, quādo totius orbis mutatio facta eſt, quæ omnes gentes concuſſit, & quam ne Imperij quidem Romani potentia impedire potuit. Et durat hic Euangelicæ prædicationis effectus etiā hodie, quod publici motus & periculoſæ regnorū mutationes abunde teſtantur. Non agnoſcunt autem pleriq; hanc Chriſti virtutem, & cùm ipſi aduerſus hunc impiè inſurgant ſuaq; inſolentia ſeditiones atq; turbas excitent, eo nomine Euangelij doctrinam diffamant. Sed non deerit cauſæ ſuæ Chriſtus, qui vt quotidie ſuorū iudiciorum ſpecimina edit aduerſus rebelles iſtos: ita adhuc ſemel totam hanc mundi fabricam concutiet glorioſo ſuo aduentu, quando diabolum & huius ſeruos æternæ damnationi addicet.

Hag. 2.

Fructus ſignorum.

Reliquū eſt, vt videamus, quis ſignorū iſtorū fructus, & vt morte illius affecti fuerint pleriq; ex ſpectatoribus. Inter hos primus eſt Centurio qui Pilati nomine toti huic negotio præfuit. Is cùm vidiſſet quod factū fuerat, glorificauit Deū, dicens: Verè hic homo iuſtus erat. Marcus plus quiddam annotauit, quòd nimirū Filiū Dei quoq; eſſe confeſſus fuerit. Matthæus eiuſdem confeſſionis ſocios

facit milites quoq;, qui ei adfuerũt. De reliqua populi multitudine Lucas addit: Et omnis turba, quæ ſimul ad hoc ſpectandum acceſſerat, ſpectans quæ facta fuerant, verberans pectora ſua reuertebatur. Ecce quàm facile ſit Chriſto ſuum honorẽm & gloriã tueri, hoſtiũ autem calumnias cõfutare? Paulò ante latronis teſtimonio ad hoc vſus eſt. Nunc verò, ne quis illud cõtemnat, Centurionem & milites imò populum totum mouet, vt de ipſo teſtentur. Sunt autem hæc præclara diuinæ bonitatis exempla, quæ Filij ſui preces ita ratas habuit, vt apertos eius hoſtes & adhuc illius ſanguine madentes, voluerit eiuſdem teſtes atq; præcones fieri. Extant huius generis multa alia, inter quæ memorabile admodũ eſt, quod in Paulo habemus, quem ex immani lupo paſtorẽ gregis ſui fecit fideliſſimum. Nos autem horum exemplo admoniti diſcamus non contemnere ſigna, quæ præter naturæ ordinem fiunt. Si enim bonus paterfamiliâs ſuæ domus ordinem non turbat aut immutat abſq; graui cauſa, multò minus hoc de Deo nos ſuſpicari debemus, qui omnia optimè ac ſapientiſſimè gubernat. Viderũt hoc olim Ethnici, quos prodigijs & oſtentis ſæpe territos & excitatos fuiſſe legimus, vt de Dijs ſuis placandis cogitarent. Quantò magis ergo nos hodie ijs cõmoueri decet, quæ euentura eſſe nouiſſimis temporibus, Chriſtus ipſe nuper admonuit? Sed eſt deploranda planè noſtri ſeculi durities, quæ fit, vt quàmuis multa quotidie fiant, quæ periculoſas rerũ mutationes præ foribus adeſſe portendũt, & ad pœnitentiam Deus totum mundum magnis ſui Verbi clamoribus excitet, pauci tamen iſta ad ſe pertinere cogitent. At hoc quoq; futurum eſſe Dominus prædixit. Neminem ergo iſta multorum ſecuritas offendat, quin potius expergiſcantur, qui dormiunt, & ad glorioſum illum diem ſeſe præparent, quo Chriſtus Ieſus veniet, vt nos in Regnum ſuum cæleſte transferat. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CCIX.

Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ erant eũ conſecutæ à Galilæa, videntes iſta. Tum ecce vir nomine Ioſeph, Senator, vir bonus ac iuſtus (qui non ſuffragatus fuerat conſilio & facto eorũ) ex Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui expectabat & ipſe Regnum Dei. Hic (inquam) adiens Pilatum, petijt corpus Ieſu. Et detractum inuoluit ſindone, poſuitq; illud in monumento, quod erat ex lapide exciſum, in quo nondum quiſquã poſitus fuerat. Porro dies erat Paraſceues, & Sabbati dies ſuccedebat. Subſecutæ etiam mulieres, quæ cum eo venerant ex Galilæa, ſpectarunt monumentum, & quomodo poſitum eſſet corpus eius. Reuerſæ verò parauerunt aromata & vnguenta: ac Sabbato quidem quieuerunt, ſecundum mandatum.

Marc. hom. 132. *DOminus & Seruator noſter, Ieſus Chriſtus, cum iam mortis hora appropinquaret, precationi ſuæ, quam tunc ardentiſſimam habuit, hunc ſtatũ & ſcopum præfixit. Pater, glorifica Filium tuũ, vt & Filius tuus glorificet te. Quia autem dilectus ille Filius eſt, in quo Patri complacuit, ita ab eo eſt exauditus, vt mox in ipſo mortis articulo eius gloria magis magisq; elucere cœperit, cũ adhuc in cruce infami penderet. Diuinæ enim virtutis ac maieſtatis effecta ſunt, quòd latroni ſe inuocanti paradiſum confert, quòd Soli ſuã lucem eripit, quòd velum templi medium diſrumpens ea omnium oculis ſubijcit, quæ hactenus ſpectare nefas fuerat, quòd terram totã cõcutit, petras diſſecat, ſepulchra recludit, & mortuos in vitam reſtituit: quòd deniq; Centurionis & militum linguas ſoluit in ſuas laudes, populi item animos ita confortat, vt nihil veriti ſuos principes, dolorem, quem ex eius morte conceperãt, publico luctu teſtentur. Debet ad hunc quoq; ſcopum eius ſepultura referri, quam*
Iſa. 53. *glorioſam & magnificam fore, olim Iſaias prædixerat, & in qua non leuia argumenta apparent, quæ illum in corda & voluntates hominum ius atque imperium habere oſtendunt. Nobis autẽ omnium iſtorum hic vſus eſſe debet, vt fidem noſtram aduerſus crucis ſcandalum atq; ignominiam confirment: neue dubitemus, illum noſtram quoq; memoriam tueri poſſe & velle, ſi ipſi fideles ſimus. Porrò ſepulturæ hiſtoriam hoc ordine Lucas narrat: Primò teſtes tam huius quàm mortis eius producit. Deinde de eius præcipuo authore diſſerit, & quid is fecerit, docet. Poſtremò quædam adijcit de inſtituto mulierum, quæ ipſum diu multumq; ſecutæ fuerunt.*

Ad pri-

Teſtes mortis & ſepulturæ Chriſti.

Ad primũ caput hæc pertinent: Stabãt autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ erãt eum conſecutæ à Galilæa, videntes iſta. Inter notos eius poſſumus cognatos numerare, qui alibi phraſi Hebraica fratres dicuntur: amicos item priuatos, quos illum aliquot habuiſſe ſcimus, inter quos Lazarus Bethanienſis cum ſororibus & Simon Leproſus præcipui fuerunt. De mulieribus iſtis cap. 8. eſt dictum, vbi aliquarum nomina ponuntur, deq; eis dicitur, quòd illum ſuis facultatibus aluerint. Hi ſimul omnes procul ſteterunt, & oculati teſtes omnium facti ſunt, quæ tam in cruce quàm in ſepultura cum illo ſunt geſta. Quod ego ſingulari diuinæ prouidentiæ conſilio factum fuiſſe dico. Nam neceſſe erat, vt illum reuera mori ac ſepeliri viderent, vt certior & firmior poſtea apud illos eſſet fides reſurrectionis. Exhibent præterea iſti nobis elegantẽ et dulciſſimæ cõſolationis plenũ Eccleſiæ typũ, quo quæ eius in terris cõditio ſit admonemur, quidq; eos deceat, qui illi ſemel nomen dederũt. Pendet in cruce Dominus inter latrones, & poſt omnis generis ludibria atq; opprobria animã quoq; Deo reddidit, & verè mortuus eſt. Idem tamen gregem ſuũ, qui totus ferè ex hominibus peregrinis cõſtabat, obſcuris itẽ & contemptis, tũc quoq; colligere & inter medios carnifices hoſteſq; ſuos acerrimos tueri potuit. Et ſanè, ſi hoc penitius inſpiciamus, nõ ſine miraculo factũ eſſe patebit, quòd iſti inter Phariſæorum inſidias, Sacerdotum proditorias artes, furentis populi clamores, militũ item crudeliſſimorum petulantiam hucuſq; ſeruati ſunt, & nunc mortem atque ſepulturam eius tutò ſpectare poſſunt. Quid, quòd Ioannes intimus ille & dilectus diſcipulus, cũ Virgine matre ſub ipſa cruce conſtitit, neque vllam ab aliquo iniuriam paſſus eſt? Eo autem exemplo docere voluit Dominus, neminem perſecutorum minis atq; conatibus terreri debere, neq; etiam Eccleſiarum diſſipationibus offendi: quia facile ipſi ſit ſuos ſub crucis vexillo colligere, & in medio hoſtium ſuorũ ſeruare. Nam quod hîc factum eſt, ſæpe aliàs factitatum eſſe conſtat, quando Patriarcha in crudeli Chananæorum gente, filij Iſrael in Ægypto, in Aſſyria, Babylone inter barbaros, Dei veræq; religionis hoſtes, habitauerunt. Et hodie multa fiunt paſſim, quæ nos in hac fiducia confirmare poſſunt.

Eccleſiæ typus.

Procul ſteterũt

Interim obſeruabis, quòd iſtos procul ſtetiſſe ſcribitur, cum Ioannes & Maria mater Domini cum ſorore ſua & Maria Magdalena (vt paulò ante diximus) ſub cruce ſteterint, quod vel fidei fortioris vel dilectionis ardentioris fuit argumentum. Ex eo enim patet non eadem menſura fidem eiuſq; dona à Domino diſtribui, ſed (quod Paulus ad Corinthios prolixè docet) diſcrimina donorum & miniſteriorum atq; facultatum eſſe. Quod diligenter tenere prodeſt, ne vel ex abundantia donorum ſuperbiendi, vel ex eorundem defectu alijs inuidendi occaſionẽ arripiamus. Nam etſi iſta diſcrimina manifeſta ſint, idem tamen eſt Spiritus, idem Dominus, idem Deus efficiens iſta omnia in quibuſuis. Et nimiùm inſolentes ſunt, qui aliquos præ ſe contemnunt, quos longius ſtare vident, ſi quando crucis periculum imminet: Cur enim de eo deſperes, qui eminus licet, tamen in Chriſtũ reſpicit, & eius cõtemplatione delectatur? Poteſt certè hunc confirmare Deus, vt in melius proficiat. Et frequenter videmus, eos, qui aliquando vix eminus pugnabant, poſtea propius cũ hoſtibus Chriſti congreſſos victoriam & præclaram martyrij coronam reportaſſe: alios autem turpiter ſuccubuiſſe, qui prius præ alijs feruere putabantur. Exemplo nobis ſit Petrus, qui in horto cũ armata militũ cohorte congredi auſus, paulò poſt ad pontificias prunas tepefactus Chriſtũ turpiter abnegauit. E contra mulieres iſtæ, quarũ aliquæ nunc eminus ſpectarunt, tertio mox die ad ſepulchrũ exire auſæ diſcipulis præ metu latitantibus, primæ Dominum reſurrexiſſe reſciuerunt, & reſurrectionis teſtes atq; præcones factæ ſunt. Nemo igitur temere de alijs iudicet, diſcant potius omnes perſeuerantiæ Chriſtianæ exemplum imitari, quod in iſtis proponitur. Amarunt Chriſtum & coluerunt, cùm res eius florerent, & miraculis clarus eſſet. Eundem adhuc amant & colunt, neq; eos motus ille ingens, qui in eo capiendo factus eſt, neque mortis periculum, neq; crucis ignominia abſterrere potuerunt, quò minus perſtent. Et hoc illud eſt, quod à diſcipulis ſuis Chriſtus requirit, quãdo eos demum beatos fore ait, qui in finem vſq; perſeuerauerint. Nam vt conſtantia opus eſt in omnibus, quæ cum laude debent perfici: ita maximè in ijs, quæ ad fidem & ſalutis æternæ negotium ſpectant: quia vt ſibi non ſolùm viuamus, verumetiam moriamur Deus ſuo iure à nobis exigit.

1. Cor. 12.

Pietas decorum obſeruat.

In tota autem hac actione hoc quoq; non oſcitanter obſeruari debet, quòd etſi mulieres in re ſanctiſſima occupatæ fuerint, ſui tamen decori memores, procul ſteterunt, non autem pudore poſito ſeſe medijs viris ingeſſerunt. Eo exemplo illarũ leuitas atq; impudentia arguitur, quæ diſcurſionibus vagis gaudent, virorum colloquia & conſuetudinẽ petulanter quærunt, & ijs etiam ſpectaculis non ſine

contentione ſeſe intrudũt, à quibus ſui ſexus reuerentia illas reuocare debebat: qualia ſunt, in quibus vel turpia & impudica multa fiunt & dicuntur, quæ bonos mores offendunt, vel etiã cũ crudelitate coniuncta ſunt, à qua eas natura alienas eſſe voluit. Poſſunt deniq; cõfutari hoc facto omnes, qui ſub religionis prætextu faciunt, quæ à vocatione ipſorum aliena ſunt: vt qui parentibus debita officia negant, ne votum ordini ſuo factũ violent: qui relictis vxoribus & liberis per omnes terras diſcurrunt, vt apud truncos & ſaxa peccatorum remiſſionem inueniant: qui cum coniugibus diuortia faciunt, vt ſacrifici aut monachi fiant: qui deniq; depoſito magiſtratu & Reipub. cura, ad quam vocati ſunt diuinitus, ſacris initiantur. Quid enim horũ à nobis requirit Dominus? Quid huius iſte iuſſit? Damnantur, qui partem ſui officij malitioſè negligunt, & tu te Deo probari arbitraris, ſi ſtationem tuam omnino deſeras? Nec eſt quod religionis prætextu te pallies, quando hæc omnem ætatem, conditionem & vitæ genus decet, & pietatis ſumma in obedientia conſiſtit, quam Deus per prophetam omnibus ſacrificijs præſtantiorem eſſe teſtatur.

Ioſephus ſepulturæ Chriſti princeps.

Transeamus nunc ad præcipuũ ſepulturæ Chriſti authorẽ, qui in tota iſta actione primas tenuit. Fuit is Ioſephus, patria Arimathæus, homo diues (quod Matthæus annotauit) ordinis Senatorij, honeſtus quoad vitã & mores, iuſtus autẽ quoad munus Senatoriũ: quod vt multis haud dubiè exemplis ſæpe aliàs declarauit, ita in Chriſti cauſa iuſtitiæ ſpecimen dedit ſingulare, quando nõ conſenſit illorũ conſilio, qui innocentem & bene de omnibus meritũ damnauerunt. Vbi ego eũm non aliqua diſſimulatione (vt ignaui ſolent) vſum eſſe, aut emanſiſſe putauerim, ne quid in cauſa odij & inuidiæ plena dicere aut facere cogeretur: ſed procul dubiò in illo defendendo officiũ fecit, & cùm ſe nihil proficere videret, aduerſus iniquã damnationis eius ſententiam publicè proteſtatus eſt, vt omnibus vulgò conſtaret, eum illi nequaquam conſenſiſſe. Addit his virtutibus Ioannes quod præcipuum eſt, nimirum quòd diſcipulus Ieſu fuerit, & hoc cum eo conuenit quòd in præſenti Regnum Dei expectauiſſe dicitur: qua locutione ſupra Simeonis quoq; fidem & pietatem Lucas cõmendauit. Solent enim Prophetæ totũ humanæ redemptionis ac ſalutis negotiũ, cuius authorem faciunt Meſſiã, ſub regni parabola deſcribere, idq; Dei Regnũ dicũt, quia in eo totum cõſiſtit, vt deſtructo diaboli regno Deus in nobis regnet ſuo Verbo & Spiritu, & nos aliquando Regni eius cœleſtis & æterni heredes efficiamur. Qui ergo illo tempore Regnum Dei expectabant, quando res Iudæorum afflictiſſimæ erant, & & vix aliqua veterum promiſſionum veſtigia extabant, eorum fidem eximiam & conſtantẽ fuiſſe oportet. Qui verò hac ſpe & expectatione ſuffulti Chriſtum audiebant, & eius erant diſcipuli, hi eo ipſo teſtabantur, quòd hunc promiſſum illum humani generis Seruatorem eſſe agnoſcerent. Fides ergo virtutum illarũ pulcherrimarum, quas modò vidimus, cauſa fuit: quæ etſi aliquãdiu latuiſſet, quãdo Ioſephus adhuc metu impeditus occultè modò Chriſtũ conuenit (quod de Nicodemo quoq; & alijs nonnullis principibus Ioannes annotauit) nunc tamen apertè ſeſe prodit, vt plus omnibus illis audeat, qui antea illum publicè profeſſi fuerãt. Nam vt Marcus ſcribit, animo magna fiducia pleno ad Pilatum ingreſſus, corpus Ieſu ad ſepulturam honorificam poſtulauit. Quod quid aliud erat, quàm cum Præſide omnes eos iniquitatis damnare, qui illum ad mortem damnauerant, aut eius damnationi ſubſcripſerant? Fuit igitur poſtulatio iſta admodum periculoſa, & multas alias rationes caro ſuggerebat, quæ tutiores videri poterant: vt nimirum obſeruato diligenter loco, quo corpus abijceretur, id noctu receptum ſepulturæ mandaret, aut cum Centurione de eo ſibi reddendo paciſceretur, & pecunijs illud redimeret. Sed nihil iſtorum tentare voluit, cùm iam eum Chriſti non puderet amplius, & omnibus teſtatam eſſe vellet fidem ſuam, qua eum colebat. Nec defuit pio conatui Deus, qui & Pilati animum flexit, vt facilè conſentiret petitioni non minus piæ quàm iuſtæ, & ſimul Nicodemũ excitauit, vt facinoris huius longè pulcherrimi ſocium ſeſe præberet: vt Ioannes ſcriptum reliquit, qui & ipſe iſtorum omnium teſtis fuit oculatus.

Inter Chriſti diſcipulos mirifica animorũ mutatio.

Sunt hæc multa & diligenti conſideratione digniſſima. Lucas equidem iſta narraturus demonſtrandi particulam præmittit, dicens: Tũ ecce vir nomine Ioſeph, &c. Quaſi dicat, Videte & audite rem mirã, quæ præter omnẽ expectationẽ accidit. Cum enim res Chriſti, eo in cruce mortuo, deploratiſſimæ eſſent, cùm in cruce pendens ab omnibus negligeretur, diſcipulis præ metu latitantibus, amicis autem & notis eius eminus quidem cum dolore & gemitu rem indigniſſimam ſpectantibus, nemine autem quicquam pro eius gloria audente: cùm denique corpus eius iam ignominioſè abiectum iri videretur: tunc prodijt vir authoritate grauis, diues item, & antea quidem occultus, nunc

autem

autem apertus diſcipulus, imò gloriæ & nominis eius fortiſsimus vindex, qui ipſum Pilatum conuenire auſus eſt, & corpus iſtud ad ſepultura honorem poſtulare: neque eum terruit periculum, quod ex eo vel fortunis vel exiſtimationi eius imminere videbatur. Hæc & alia huius generis paucis hiſce verbis Lucas complexus eſt. Et ſanè eſt hoc memorabile exemplum, quo docemur, quàm miris & inuſitatis rationibus regnum Filij ſui Deus inter homines inſtauret & prouehat. Antea quidem ille, cũ doctrina & miraculis clareret, diſcipulos multos, & ex his aliquos apertos, alios occultos & meticuloſos nimis habuit. Nunc verò quando ipſius cauſa nõ ſolùm periclitari, ſed tota perdita eſſe videtur, illi quidẽ abſconditi latent, hi verò fiducia magna armati defenſionẽ eius ſuſcipiunt, ne ſepultura honoribus careat, qui iniquè dãnatus fuerat. Rurſus ergo admonemur, nõ temere damnandos eſſe eos, qui infirmiores, quàm par ſit, eſſe videntur. Poteſt enim illos cõfirmare Deus, qui omniũ corda in ſuis manibus habet. Curẽt modò illi, ne ipſi ſibi blandiãtur, ſed in melius proficere ſtudeant.

Admonet præterea locus iſte, Deum quidem paruulis & hominibus mũdi iudicio contẽptis delectari (quod Chriſtus non vno loco fatetur) eundem tamen eos nõ omnino abijcere, qui opibus & dignitatibus clari ſunt. Sunt enim hæc quoq; eius dona, quibus nõ rarò ſeruos ſuos donat, quorũ opera & miniſterio ſingulari vult vti: quod exemplis plurimis demonſtrari poterat. Hoc autẽ curent diuites, vt huius ſæculi bonis bene vtantur, & Deo borũ largitori ſeſe gratos præbeãt. Vſus autem diuitiarum hic optimus & quæſtuoſiſsimus eſt, ſi illis Chriſto ſeruiant, & huius honorem atq; gloriam prouehant. Eſt enim is remunerator liberaliſsimus, & immortali etiam laude & gloria eorum officia compenſat, qui ipſius gloriam aſſerũt atq; tuentur. Ægyptiorum reges olim in Pyramidibus extruendis immanes ſumptus feciſſe legimus, vt nominis ſui memoriam glorioſam ad poſteros tranſmitterent, & in illorũ faſtigijs ferè aut filiorum ſuorum aut proprios cineres condi volebant. Apud Romanos autẽ multi ex aquæductibus alijsq; operibus publicis, quæ mira induſtria & magnis impenſis extruebantur, gloriam & nominis immortalitatem quæſiuerunt. Alij hanc ex triumphis ſperarunt. Multi hodie veſtium luxu & conuiuiorum ſplendore, inſignium & ſtemmatum vbiq; proſtantium oſtentatione eandem venantur. Sed ſunt hæc omnia vanitate vaniora, & ſi veteres illos omnes in vnum congeras, nemo ex illis tantã ſuis diuitijs gloriam ſibi comparauit, quantã Ioſephus hoc vno facto aſſecutus eſt, quo Chriſti corpus honorificè ſepeliuit. Diſcant ergo eius exemplum imitari, qui opibus ſuis cũ laude vti cupiunt. Prouehant veri Dei cultũ, Euangelij doctrinam iuuent, Chriſti membris benefaciant, nec pigeat eos ſumptuum, quibus gloriam nominis Dei prouehi poſſe vident: perire autem arbitrentur omne id, quod neq; neceſsitati neq; gloriæ Dei tribuitur.

Qui verò in Repub. eminent & magiſtratũ gerũt, ij quoq; in Ioſepho exemplũ ſibi propoſitũ eſſe meminerint, quod imitẽtur. Cõmendatur ille à morũ honeſtate, probitate, iuſtitia, pietate in Deum et fide. Hæ virtutes illæ ſunt reuera heroicæ, ex quibus tã propria illorũ quàm publica populi totius ſalus dependet. Ad honeſtatem tota vitæ conſuetudo, victus ratio, veſtitus, mores, dictorũ & factorum grauitas, cõmercia item cum alijs, & quæcunq; eiuſmodi ſunt, pertinent. In quibus omnibus tenere oportet, nõ eadẽ omnes decere, & in priuatis hominibus multa ferri poſſe, quæ intolerabilia ſunt in ijs, qui authoritate præditi alijs exemplo eſſe debebãt. Hinc illa apud Romanos veteres cenſoriæ ſeueritatis grauitas, quæ ne fortiſsimis quidem & de repub. bene meritis pepercit, ſi mali exemplĩ authores eſſent. L. Antonius certè Senatu motus eſt, quòd quam virginem in vxorem duxerat, repudiaſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito. Cornelium Rufinum verò, duobus conſulatibus & dictatura ſpecioſiſsimè functum Fabricius Lucinus Cenſor, indignũ iudicauit, qui in Senatorio ordine retineretur, quòd decẽ pondo vaſa argentea comparando luxus nimij exemplum populo dediſſet. Durouius quoq; Senatu indignus habitus eſt, quòd Legẽ de coercendis conuiuiorũ ſumptibus latam ipſe Tribun. pleb. abrogauerat. Poterãt huius generis exempla multa cõmemorari, quorũ vtinã meminiſſent hodie, qui cùm Chriſti nomen profiteãtur, nulla tamen publica, quã ſuſtinent, functionis ratione habita, veſtitu laſciuiunt, victu luxurioſo diffluunt, cũ peſsimis & apertis bonarũ legum hoſtibus colludunt, ſcortantur deniq;, mœchantur, & omnia inſolenter faciunt & dicũt, quaſi authoritatem ſuam populo non aliter, quàm morũ licentia teſtari poſsint. Iulius Cæſar, cũ in Repub. præ alijs excelleret, domum ſuam à ſuſpicione quoque alienam eſſe debere dicebat. At noſtros illos non pudet apertis flagitijs ſuam maieſtatem proſtituere. Debet autem cum morum honeſtate iuſtitia quoque

Deum diuites non faſtidit.

Senatorum officia.

coniungi, quæ vnicuique quod ſuum eſt tribuit. Patet ea latiſſimè, & huc pertinent, quæ de boni principis officio paſſim traduntur: vt nimirum afflictos vindicet, calumniatores coerceat, pauperes ſeruet, inopes iuuet, animas eorum ab vſuris & vi aperta liberet, denique ſubditorum ſanguinem pretioſum ducat. Quòd ſi qui iſta non ſemper nec vt vellent, præſtare poſſunt, curent ſaltem, ne vnquam malis aliorum conſilijs conſentiant, neue turpiter diſſimulent quod contra ius & æquum fieri vident. Imprimis autem pietate opus eſt, quæ fide in Deum & eiuſdem timore conſtat. Hæc intrepidos & animoſos facit, ne hominum reſpectu ducantur: hæc vt Dei gloriam ante omnia quærant, ipſos excitat: eadem vitæ totius, actionum deniq; & conſiliorum omnium ipſis regula eſt tutiſſima. Et qui his virtutibus ſtudent, ij laborum atq; periculorum ſocios facilè inueniunt. Tanta enim virtutis vis eſt, vt eos quoque in ſui admirationem rapiat, qui nullo eius ſtudio teneri putabantur: & frequenter fit, vt cauſa bona, quàmuis odij & periculi plena ſit, fautores plurimos inueniat, modò vnus aliquis eius patrocinium ſuſcipiat.

Pſal 72.

Mulieres ſepulto honorē impendere ſtudēt.

Reliquum eſſet, vt de ſepultura Chriſti & tota humandorum corporum ratione aliquid diceremus, ſed quia de illa in Marco noſtro, de hac autem ſupra in hiſtoria de filio viduæ Naimitica ex mortuis reſuſcitato diximus Homilia 67. minimè opus fuerit hîc eadem repetere. Quare cum Luca ad mulieres redeamus quas initiò omnium iſtorum ſpectatrices fuiſſe, & cum notis illius procul ſtetiſſe eſt dictum. Hæ nunc funus ſubſecutæ eſſe dicuntur, & diligentius ſpectauiſſe quo loco & qua ratione illud conderetur. Quod ne quis ex curioſitate factum putaret, ratio eius conſilij adducitur, quòd in vrbem reuerſæ aromata & vnguenta parauerint, quibus ipſæ etiam corpus illud ſanctum condire, & pro more gentis Chriſto extremum honorem impendere voluerunt. Fuit hic pius affectus, quàmuis non leuis error fuerit, quòd eorum immemores, quæ toties de ſua reſurrectione dixerat, iſto officio eum adhuc opus habere arbitrantur. Quia tamen neque malitia neq; impia ſuperſtitione peccarunt, imò Sabbati religionem ſanctè coluerunt (quod animi pij euidens argumentū eſt) huius inſtituti finis fuit & euentus feliciſſimus, ſicuti in Reſurrectionis hiſtoria patebit. At nunc nobis conſideranda venit diuina Chriſti Ieſu potentia, qui etſi iam nihil præter exanime & exangue cadauer eſſe videatur, iſta tamen ita diſpoſuit, vt ad reſurrectionis ſuæ gloriam facerent, ſimulq; imbelles atque peregrinas mulierculas ſuo Spiritu armauit, vt nullum periculum veritæ rem maximam tentarent. Imò per has ille de hoſtibus ſuis triumphauit, quando earum teſtimonio aduerſus Pontificum & militum calumnias vſus eſt, qui mendacijs ſuis reſurrectionem ipſius obſcurare conati ſunt. Debent exempla eiuſmodi diligenter obſeruari, vt ijs fidem noſtram confirmemus inter certamina, quæ nobis mundus hic & propria caro obijciunt. Poterit nos quoq; confirmare ſuo Spiritu Deus, idq; procul dubiò faciet, modò nos Filium eius Ieſum Chriſtum vera fide complexi, eius Regnum pro virili proueḥamus, & quæcunque poſſumus, fideliter ei præſtemus obſequia. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

CAPVT XXIIII.

HOMILIA CCX.

PRimo autem die hebdomadis, profundo diluculo venerunt ad monumentum, ferentes quæ parauerant aromata: & nonnullæ cum ipſis. Inuenerunt autem lapidem deuolutum à monumento: & ingreſſę nō inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et factum eſt dum conſternatæ in ea re hæſitarent, ecce duo viri ſuperuenerunt eis induti veſtibus fulgurantibus. Cùm autem pauefactæ inclinarent faciem in terram, dixerūt eis: Quid inter mortuos quæritis eum qui viuit? Non eſt hîc, ſed ſurrexit: mementote vt locutus ſit vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicēs: Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio reſurgere. Recordatæ ſunt igitur verborum illius: & reuerſæ à monumento annuntiauerūt hæc omnia illis vndecim, & reli

quis

quis omnibus Maria autem Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi, & reliquæ cum eis erant, quæ hęc dicebant Apoſtolis. Sed viſa ſunt apud eos quaſi deliramenmentum verba earum; neq; crediderunt eis. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum, & cùm introſpexiſſet, videt lintea ſola iacentia, abijtq; apud ſemetipſum mirans hoc factum.

PErquam memorabile eſt Pauli Apoſtoli dictũ, quod in priori ad Timotheũ pronunciat: Chriſtus Ieſus in mundum venit, vt peccatores ſeruaret. Vt verò id & rectius intelligatur, & plus conſolationis adferat, neceſſe fuerit tenere quæ nam illa ſint, quæ vt ſeruaremur factu neceſſaria fuerunt. Poſſunt hæc tribus omnino capitibus comprahendi. Primò enim, quia 1.
omnes natura peccatores ſumus, eo opus erat, qui pro noſtris peccatis victima & ſatisfactio fieret, atque illa ſanguinis ſui merito expiaret. Deinde quia propter peccatũ nos Deus abdicauerat, neceſſe 2.
fuit eius teſtamentum nouũ confirmari, quo nos Regni ſui & bonorũ ſuorum hæredes denuo ſcripſerat. Poſtremò, ne mors nobis dominaretur, quæ per peccatum ingreſſa erat, illam quoq; vinci & exar 3.
mari oportuit, ne nobis porrò eſſet formidabilis. Atqui omnia iſta ſolus Chriſtus præſtitit. Hic enim cùm peccatũ non nouiſſet, pro nobis peccatum factus eſt, id eſt noſtra peccata in ſe recepit, proq; illis in ara crucis ſatisfecit. Idem cùm Deus æternus & Patri ὁμοούσιος ſiue coeſſentialis ſit, in aſſumpta carne moriendo, nouo illi teſtamento ſuum effectum dedit, quod niſi mors teſtatoris intercederet, ratum eſſe non poterat. Et de duobus quidem hiſce in paßionis ac mortis eius hiſtoria hucuſq; multis dictum eſt. Reſtabat ergo tertium, quod per reſurrectionem ſuam glorioſam præſtitit, in qua mortem deuicit, & vt victor glorioſus de illa ſimul, & portis inferorum triumphauit. Quia ergo in illa ſalutis noſtræ complementum habetur, non temere factum putabimus, quòd eam omnes Euangeliſtæ magno ſtudio atque diligentia deſcribunt. Lucas certè eius narrationem ita contexit, vt ſingulis circunſtantijs argumenta ſubſint, quæ ad eius certitudinem confirmandam faciunt. Nos tamen in ijs explicandis breuitati nunc ſtudebimus, eò quòd multa quæ huc pertinent in Marci & Ioannis expoſitione dicta ſunt.

In Chriſto omnes ſalutis partes habentur.

Priuſquam verò ad huius loci tractationem accedamus, non oſcitanter obſeruari debet, omnes quidẽ Apoſtolos & Euangeliſtas de reſurrectione Chriſti luculenter, teſtari & multa dicere, quæ circa illam acciderunt, qua ratione autem illa ipſa facta ſit, nequaquam exponere. Angeli quidem deſcenſum de cælo Matthæus narrat, qui terram concuſſerit, & lapidem ab oſtio monumenti auulſerit: vt autem Chriſtus in vitam reſtitutus ſit, vt idem ex ſepulchro prodierit, nuſpiam narratur. Et cum Matthæo reliqui omnes, illum reuera reſurrexiſſe multis argumentis atque rationibus probant, reſurrectionis autem formam & modum omnes quaſi conſultò tacent. Quam ergo huius ſilentij cauſam eſſe dicemus? Non aliam certè, quàm quòd reſurrectio ex mortuis in eorum numero haberi debet, quæ reuera eſſe certum eſt, etiamſi qua ratione fiant, aut aliquando facta ſint, noſtri intellectus acumen videre non poßit. Ideo Paulus de Chriſti reſurrectione loquens, ſatis habet eius cauſam ad Spiritum Dei viuificum retuliſſe: Spiritus eius (inquit) qui excitauit Ieſum à mortuis, Rom. 8.
habitat in nobis, etc. Idem noſtram reſurrectionem ſimiliter ex Chriſti omnipotentia, quã cum Patre & Spiritu ſancto communem habet, pendere docet, quando ad Philippenſes ſcribit: Dominus Ieſus Chriſtus transformabit corpus noſtrum humile, vt conforme fiat corpori ſuo glorioſo pro efficacitate, qua poteſt etiam ſubijcere ſibi omnia. In his ergo nos quoque acquieſcere debemus, quod vt ad aſſerendam mortuorum reſurrectionem plurimùm facit: ita multas quæſtiones abrumpit, quibus impij illuſores illam in dubium vocare ſolent. Et huc Paulus reſpexit, quando quærenti, Quomodo ſuſcitantur mortui? quali item corpore prodeunt? reſpondet: Stulte, quod tu ſeminas, non viuiſcit, niſi mortuũ fuerit, &c. Et mox addit, Deus dat ei corpus, vt voluit. Quòd ſi cui iſta non ſufficiunt, agedum dicat ille nobis, quæ ſit conceptionis ratio in vtero materno? quo vinculo anima corpori, aut fœtui potius adhuc immaturo, vniatur? quî fiat, vt hoc dormiẽte, illa vigilet? vnde ſua viſui, auditui, tactui, olfactui, guſtui facultas? cur oculis potius quàm auribus videamus? cur nares olfaciãt, nõ autem manus? cur guſtus in ſola lingua et palato ſit, nõ in gutture aut inteſtinis? quod organũ tã acuti olfactus in muſca aut culice? vnde tãta pungẽdi & exugendi ſanguinẽ vis in pulice? Quid hîc nobis

Reſurrectionis modum Euangeliſtæ tacent.

reſpondebunt phyſici, quod non poßit firmioribus rationibus eludi & negari, quàm ab illis affirmetur? Quòd ſi ergo hîc illi nihil reſpondere poſſunt, niſi quòd omnia hæc virtute diuina fiant, nimiùm audax eorum ſtultitia fuerit, qui reſurrectionis myſterium ſcrutari audent, & niſi ipſorum curioſitati ſatisfiat, illam in dubium vocare & ridere nõ erubeſcunt, cùm & Dei Filium in aſſumpta carne reſurrexiſſe conſtet, & nos reſurrecturos eſſe infinitis promißionibus & Scripturæ ſacræ teſtimonijs doceamur.

Tertio die reſurrexit Chriſtus.

His præmißis, veniamus ad Lucæ narrationem, quam (vt reliqui etiã tres Euangeliſtæ) à temporis notatione orditur. Nam primum hebdomadis diem hunc fuiſſe ſcribit, & diei partem indicat, diluculum adhuc profundum. Atqui in paraſceue Sabbati Chriſtum mortuum & ſepultum fuiſſe, nuper audiuimus. Vnde colligitur, hunc tertium ab eius morte diem numerari, & proinde illum eodem, quem prædixerat, die reſurrexiſſe. Annotatur hoc diligenter & ſæpe, vt illius Veritas infallibilis eluceſcat, quæ nullis hominum conſilijs aut viribus impediri poteſt, quò minus fiat id, quod ipſe promittit ſiue minatur. Verißimè enim à Solomone dictum eſt: Non eſt ſapientia, non prudentia, nõ conſilium contra Dominum. Et Iſaias ait: Domino exercituum aliquid conſtituente, quis illud faciet irritum? Voluerunt quidem Chriſti reſurrectionem impedire Sacerdotes, & ad hoc publica Præſidis Pilati authoritate abuſi ſunt, qui & lapidem ſepulchri obſignauit, & militibus audacißimis eiuſdem cuſtodiam commendauit. Sed adeò nihil profecerunt omnes illi, vt ne vnius quidem horulæ ſpatio illum impedierint, quò minus ſub tertij diei initium ſtatim ſurgeret. Sunt huius generis exempla multa in Scripturis, & huc pertinent, quæ de liberatione ex Ægypto, de reditu ex Babylone & inſtauratione vrbis atq; templi alibi recitauimus. Quorum omnium hic nobis vſus eſſe debet, ne de vllis Chriſti promißionibus dubitemus. Quia ergo hunc regnaturum eſſe, & omnibus huius mundi regnis ſuperiorem fore, infinita Prophetarum oracula teſtantur, neminem terrere debent impiorum hoſtium conatus, qui hodie etiam Reges & principes cõtra nos armant, vt illum quaſi ſepultum detinere poßint, ne per Euangelij prædicationem in multorum animis reſurgat.

Prouerb. 21. Iſa. 14.

Teſtes primæ reſurrectionis mulieres.

Secundo loco reſurrectionis huius teſtes producuntur, quibus primis ea innotuit. Fuerũt hæ mulieres ex Galilæa oriundæ, & eas mortis Chriſti ſpectatrices fuiſſe, & ſepulturæ eius locum diligentius obſeruauiſſe, nuper audiuimus. Præcipua inter has fuit, & (vt in Ioanne apparet) reliquis feruentior, Maria Magdalena. Comites huic facit Lucas Ioannam (quam cap. octauo Chuzæ procuratoris Herodis vxorem fuiſſe ſcribit) & Mariam Iacobi (quem Minorem dicũt) matrem, quam Cleopæ vxorem & Virginis Mariæ ſororem fuiſſe ex Ioanne conſtat. His Marcus Salomen addit, de qua nihil præterea in ſcripturis traditur. Sed & adhuc alias nonnullas cum iſtis fuiſſe, Lucas ait, quarum nomina omnino tacentur. Venerunt hæ profundo adhuc diluculo ad monumentum: nimirum, vt aromatibus, quæ in eum vſum parauerant, corpus Chriſti inungerent, & ſic ei extremum impenderent honorem. Id verò ex peculiari diuinæ prouidentiæ decreto factum eſt, vt reſurrectionis teſtes eſſent primæ, quæ nihil minus quàm illam cogitabant, cùm ad ſepulchrũ exirent: ne quis hîc aliquid ex compoſito aut dolo malo factum eſſe putaret. Nihil nunc dico de eo, quòd ſimul teſtari voluit Dominus, ſe muliebris quoq; ſexus redemptorem eſſe, qui ſingulari conſolatione opus habebat, eò quòd per hunc peccatum in mundum introiuit, & ideo peculiaribus quoque plagis à Deo mulctatus eſt: vt alibi prolixè eſt demonſtratum.

Exemplũ fidei.

Meretur tamen diligentiorem conſiderationem fidei exemplũ, quod in illis præclarum & imprimis memorabile Spiritus ſanctus proponit. Illa vt Chriſtum apprehendit & nos huic inſerit, ita in eo omnes quoque homines complectitur, & per charitatem operatur. Eadem quia totum hominem Chriſto vendicat, non patitur vt quem crucis ignominia offendat: adhæc inuictos reddit, qui in finem vſque cum illo perſeuerant. Et hæc quidem omnia in iſtis mulieribus eſt videre. Chriſto enim ſeſe iampridem conſecrauerunt, hunc per longa & moleſta itinera ſecutæ ſunt, eundem vna cum diſcipulis non ſine maximis impenſis aluerunt: & quamuis eum in cruce pendere & morte infami mori viderent, non potuere tamen eius memoriam & amorem ex animo expuere. Ideo ne mortuum quidem & ſepultum negligunt: & quamuis reſurrectionis ignorantia errent, tanta tamen in illis fidei & dilectionis Chriſti vis eſt, vt diſcipulis omnibus animoſiores, nondũ exorto die vrbem exire, ad locum ſupplicij pergere, & ſepulchro appropinquare auſint (cui milites adhibitos

eſſe

eſſe non poterant ignorare) vt extremi honoris officio erga illum defungantur. Hoc certè tam pulchro iſtarum facinore Spiritus ſanctus timiditatem ſuam plus quàm muliebrem diſcipulis exprobrat, qui cùm tam magnificè Chriſto de ſua fide & conſtantia promiſiſſent, nunc in angulo quodam abſtruſi latent, neque in publicum prodire audent. Id verò ad ſe transferant viri principes, qui cùm Chriſtum glorioſum mortis & inferni victorem eſſe norint, & Euangelij doctrinam profiteantur, nimium tamen ignaui nihil audent, ſi quid pro illius gloria & Eccleſiæ eius ſalute eſt faciendum. Pudeat eos à mulieribus vinci, & ab ipſis etiam diſcipulis ſuperari, quos mox reſurrectionis certior cognitio animoſiores fecit. Imprimis tamen iſtas imitari debent matronæ Chriſtianæ, quæ tunc demum hoc nomine dignæ indicabuntur, ſi & ipſæ ſe totas Chriſto conſecrent, huic fidant, hunc ament & colant, & quæ mundo deditæ in ornatum corporis faſtui atq; libidini ſeruientem inſumunt, ipſæ Chriſti membris egentibus impendant. Hic ornatus ille verus eſt, qui vt animas earum ornat, ita totius vitæ morumq; conſuetudinem Deo gratam & acceptam reddit. Laudatur in prophanis hiſtorijs Hypſicratea, quæ Mithridatem virum ſuum ſumpto habitu virili & capillis tonſis per media arma, & tandem à Pompeio victum per gentes feras atque barbaras ſequi voluit, ne aduerſæ fortunæ comes deeſſet, quæ lætæ & ridentis conſors fuerat. Ac quantò laudabilius eſt Chriſtum, dulciſſimum animarum ſponſum ſequi, & ei adhærere, qui & ipſe pro nobis extrema pati dignatus eſt?

Quia tamen hæc carni dura & grauia ſunt, proderit videre quid iſtæ mulierculæ inuenerint, & quibus præmijs earum fidem tunc remuneratus ſit Deus, quando omnia periculum extremum eis minitari videbantur. Primò lapidem ab oſtio ſepulchri deuolutum eſſe inuenerunt. Atqui hunc vnum illas maximè ſolicitas habuiſſe Marcus ſcribit. Quia enim immanis põderis erat, ipſæ verò infirmæ & imbecillæ, inter eundum de illo conſultarunt, dicentes: Quis deuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Id verò nũc abſq; negocio ſuo confectum inueniunt. Nec tamen hoc ſolùm labore, verumetiã periculo, quod tale quid tentare audentibus ex militibus metuendum erat, ſe liberatas eſſe vidẽt, cùm hi priuſquam ipſæ venirẽt, in vrbem aufugiſſent. Eſt exemplum hoc plenũ dulciſſimæ conſolationis. Docet enim, Deum nunquã deeſſe ijs, qui in fide conſtantes ſunt, & pro eius gloria aſſerenda aliquid audent. Obſtant quidem multa vocationi noſtræ, & non leuia modò ſcandala nobis obijcit Satan, verumetiam montes congerit, quibus viã obſtruat, ne quò Deus nos vocat pergamus. Sed victoria noſtra fides eſt, quæ inuicta robore per omnia obſtacula eluctatur, & ea quoq; nobis plana, facilia & iucunda reddit, quæ impoſſibilia & periculoſiſſima putabantur. Hac armatus Moſes per maris rubri fluctus populum traduxit. Eadem Dauid cõfirmatus Goliam deuicit. Per hanc Daniel leonum ora obturauit. Huius virtute & ope Apoſtoli totum terrarum orbẽ ſubegerunt, & ipſis etiam Imperatoribus Romanis ſuperiores facti ſunt. Hæc deniq; mundũ & principem eius etiã hodie vincit, & per mille rerum diſcrimina tutos in portu æternæ beatitudinis collocat. Sunt hæc diligẽtius obſeruanda propter eos, qui in rebus difficilioribus ad humana auxilia reſpiciunt, & quaſi illas noſtris viribus confici oporteat, mox animum deſpondent, ſi quoad hæc ſe aduerſarijs impares eſſe videant.

Secundò, mulieres ſepulchrum ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Vnde verò hoc? Quia hic iam reſurrexerat, & diſertè corporis vocabulo vti voluit Lucas, vt reſurrectionem de hoc propriè dici & intelligi debere oſtendat. Neque mirum alicui videri debet, quòd iſtarum aduentum ille præuenire voluit. Nam etiamſi earum pietas atque fides ipſi minimè diſpliceret, officium tamen quod illæ ipſi præſtare volebant, admittere non potuit, cùm eo propter feſtinam reſurrectionem non opus haberet, & in Cœna Bethanienſi vnctus docuiſſet, huius generis officia poſthac in pauperes ſuos conferri debere. Adhæc ſuperſtitioni occurrere voluit, quam poſteris temporibus ortu-ram eſſe ſciebat: vt nimirum ſui meriti virtutem homines inepti & ſuperſtitioſi apud ſepulchrum iſtud quærerent, relictis interea pietatis veræ officijs, quæ ſola ei placent. Debet ergo hinc generalis doctrina peti, quòd vt meritum Chriſti nulli loco aut tempori certo alligatum eſt: ita eius corpus poſthac in terris nequaquam quæri debere, & ideo falſò ad hoc reſtringi promiſſiones, quibus ſuam præſentiã ille nobis pollicetur. Quod enim corpore ſuo in terris perficere debuit, id in cruce præſtitit, vbi illud dedit pro mundi vita, & ideo iam moriturus dixit: Conſummatum eſt. Dixit quidem ille: Vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in meo nomine, ego ero in medio illorum. Ac promiſſionem

Premium fidei multiplex.

Non inuenerũt corpus Chriſti mulieres.

bant non de corporis, ſed gratiæ, meriti & virtutis eius diuinæ præſentia intelligi debere, locus hic abunde docet. Quis enim mulieres iſtas in eius nomine cõgregatas fuiſſe negauerit, quæ vt ipſum honorarent illuc venerant? Quis item illum ab ipſis abfuiſſe dicet, cùm non multò poſt Mariæ Magdalenæ ad ſepulchrũ flenti ſeſe videndum præbuerit in hortulani habitu? Attamẽ verbis diſertis atq; proprijs ſcribit Lucas, illas corpus in monumento nõ inueniſſe. Dicet fortaßis aliquis, hoc ideo ſic dici quòd illud nõ viderint, etiamſi præſens adeſſet. Sed huic obiectioni confutandæ Angeli verba ſufficiunt, qui paulò poſt eas repræhendet hoc nomine, quòd illũ iſthic quærant, & ipſum non adeſſe teſtabitur. Quòd ſi quibus videmur de illius maieſtate minus honorificè ſentire, aut etiam illius omnipotentiam negare, quòd corpus eius omnipræſens eſſe negamus, eot non nobis, ſed Lucæ litem mouere oportebat, qui ſcripſit: Et ingreſſæ non inuenerunt CORPVS *Domini Ieſu. En corpus illas inueniſſe negat. Quæ autem huius dicti ratio alia poteſt afferri, quàm quæ mox ab Angelo reddita eſt, dicente: Non eſt hic, ſed ſurrexit?*

Plus inueniunt mulieres, quàm quærant. *Ergò ne (inquis) opera & impenſa mulieribus iſtis perijt? Nequaquã. Nam etſi corpus Chriſti non inuenerint, plus tamen quiddam & præſtantius inuenerunt, quã quærerent. Cùm enim rei inexpectatæ cogitatione conſternatæ hæſitarent, ecce duo viri ſuperuenerunt eis induti veſtibus fulgurantibus, qui Chriſtum reſurrexiſſe & mortis victorem factum eſſe eis indicant. Eſtq; hoc non vulgare bonitatis Dei argumentum, quòd etſi magna eſſet iſtarum mulierum infirmitas & ignorantia, noluit tamen diu dubias & ſuſpenſas tenere, ſed lætæ reſurrectionis nuntio eas conſolatur. Ita ſolet ille cum omnibus agere, qui ipſum ſeriò quærunt, & generalis promißio eſt: Omnis qui quærit inuenit. Quod ergo hodie inter odioſas de fide & religione controuerſias multi rerũ incerti hærent & queruntur: non aliqua Dei ſalutem ipſis inuidentis malignitate, ſed illorum vitio & ſcelerata contumacia fit, qui Veritatem neq; quærunt, neq; oblatam eius lucem admittunt, eò quòd hanc illorum cupiditatibus & ſtudijs prauis vident aduerſam eſſe.*

Reſurrectionis Chriſti gloria. *Quòd autem Angeli cum veſtibus fulgurantibus apparent, ad reſurrectionis gloriam facit. Solebant olim in triumphis imperatores purpuram auro contextam geſtare, & ſublimes curru ſplendidè ornato vehebantur, populus autem nitidis veſtibus indutus ſpectabat, vt ita ſimul omnes victoriæ magnificentiam & ex ea enatam lætitiam teſtarentur. At quia inter homines nulli erant, qui Chriſtum iam de morte & diabolo triumphare intelligebant, non tamen defuerunt ei miniſtri, qui victoriam eius omni magnificentia & ſplendore celebrarent: Angeli nimirum, qui cœleſti fulgore radiantes ſe conſpiciendos præbuerunt, & ita teſtati ſunt ſe huius miniſtros eſſe, adhac*
Dan. 7. *paratos eſſe, vt eius gloriam proueh ant atque iuuent. Eſt ergo Chriſtus ille ipſe, quem Daniel olim vidit, ſimilem Filio hominis, qui vſque ad antiquum dierum peruenit (vtpote Patri æterno coæternus & coeſſentialis) & cui ipſi quoq; Angeli ceſſerunt, vt ad illius dexteram conſideret, & dominatum atq; Regnum acciperet æternum. Vt verò hoc facit ad illuſtrandam eius maieſtatem & irrefragabile eſt diuinitatis eius veræ & æternæ teſtimonium: ita nos hinc conſolationem petere debemus, quòd is nobis Vindex & Redemptor datus ſit, cui myriades Angelorum ſeruiunt, & qui nobis quoq; hanc gratiam impetrauit, vt eorundem miniſterio ſubleuemur & cuſtodiamur, ſicuti non ſemel luculentis Scripturarum teſtimonijs atq; exemplis demonſtrauimus.*

Angeli præcones ſunt Euangelij. *Sed præſtat nunc hos de Chriſti reſurrectione concionantes audire, vbi prius obſeruauerimus prædicationis Euangelicæ certitudinem, cuius hoc argumentum eſt euidentißimum, quòd non hominum ſolùm, verumetiam Angelorum miniſterio promulgata eſt. Nam Gabriel de toto incarnationis Filij Dei myſterio apud Mariam virginem concionem luculentißimam habuit, qua Regni quoq; eius ſtatum atq; rationem omnem complexus eſt: vt iam de ijs nihil dicamus, quæ idem prius cum Zacharia Ioannis Baptiſtæ parente egerat. Nunc reſurrectionis quoq; teſtes ſunt Angeli, ſub qua mortem quoq;, & quæcunq; ille propter nos fecit atq; paſſus eſt compræhendi, ſatis notum eſt. Nemo igitur Euangelij doctrinam contempſerit, vt quæ ab hominibus conficta, præcones quoq; habuerit viles & obſcuros, quorũ fides alicui meritò dubia atq; incerta videri debeat, Rectè enim Pau*
Galat. 4. & 3. *lus Apoſtolus priorem Galatarum fidem hoc argumento commendat, quòd non in carnis infirmitatem reſpexerint, ſed in ea refulgens Spiritus Chriſti experimentum obſeruarint, ideoque ipſum*

vt An-

vt Angelũ Dei exceperint. Quod ergo idem ille de Lege dicit, eam per Angelos ordinatam ſiue promulgatam eſſe in manu Mediatoris Chriſti, id nõ minus ad Euangelij doctrinam debet referri, quæ vt nobis ab ipſo Dei Filio tradita eſt, ita Angelorum quoq; teſtimonio comprobatur. Sed accedamus ad huius loci concionem, quæ tribus partibus conſtat.

Prima conſolantur mulieres expauefactas. Nam vt Matthæus & Marcus annotauerunt, dicunt eis: Ne expaueſcatis. Vel, ne timeatis vos. In præſenti nõ ſine reprehenſionis ſpecie dicũt: Quid inter mortuos quæritis eum qui viuit? Habet autem correptio iſta validiſſimum conſolationis argumentum, quando illum viuere dicunt, quem illæ à morte adhuc detineri arbitrabantur. Eſtq; hoc ferè commune omnibus correptionibus, quibus ſuorum ſiue ignauiam ſiue infirmitatem Deus reprehendit, quòd dulciſſimis conſolationibus conditæ ad fidei confirmationem faciunt: perinde ac ſi medicus ægrotum de vita nimis deiecto animo deſperantem reprehendat, eo ipſo argumento oſtendens bonam adhuc ſpem supereſſe. At hoc loco præ alijs memorabile eſt, quòd Angeli ijdẽ mulieres iſtas conſolantur, qui prius militibus terrori fuerant, & eos tantumnon metu exanimarant. Quòd ſi cauſam quæris, non alia reddi poteſt, quàm quæ ex Angelorum verbis apud Marcũ deſcriptis elicitur: quòd nimirum illæ Ieſum ſeriò quærerent & eius honorandi ſtudio pio tenerentur, hi verò eundem perpetuò extinctum atq; ſepultum vellẽt. Vnde colligimus Chriſti maieſtatem ſolis impijs terrificã, pijs autem & credentibus iucundam & ſalutarem eſſe. Equidem hodie quando per Euangelij prædicationem ille ſuam virtutem exerit, pios omnes exultare videmus, eò quòd ſeſe conſcientiarũ carnificina & ſuperſtitionum iugo liberari ſentiunt: impij è contra hypocritis miſerè tumultuantibus, qui & quæſtum ſuum euerti vident, eoq; vehementius intra animos ſuos excruciantur, quò clarius Euangelicæ doctrinæ radijs illi feriuntur. Fit idem in noſtræ reſurrectionis & nouiſſimi diei conſideratione, vt alibi prolixè oſtendimus. Vt enim nihil terribilius eſt impijs, quã cùm aduentus Chriſti & vniuerſalis illius iudicij mentionem fieri audiunt (quomodo enim iudicem ferrent, qui Seruatorem & Redemptorem nolunt agnoſcere?) Ita pij & credentes ſummam ex eo conſolationem atq; voluptatem capiunt, quòd diem redemptionis aliquando fore ſciunt, quo Chriſtũ venire conſpicient, qui abolito hoc mundo ipſos in Regni ſui cœleſtis conſortium recipiat. Imò hæc illa ſpes eſt, quæ mortem quoq; ipſam illis iucundam & optatam reddit, quam impij vt extremum malum timere, & ad eius mentionem toti exhorreſcere conſueuerunt.

Conſolantur mulieres.

Secunda ſuæ concionis parte reſurrectioni Chriſti teſtimonium multiplex & luculentum Angeli perhibent. Facit ad eius confirmationem correptio illa, quam modò attigimus, quàmuis eadem conſolationi quoq; ſeruiat. Docet enim rem iſtam adeò certam eſſe, vt correptione & reprehenſione digni ſint, quicunq; de ea vel leuiter dubitent. Ideo non contenti dixiſſe, illum viuere, mox addũt, NON EST HIC. Et hoc quoq; explicantes, ne quis furto ſublatum cogitaret, dicunt, SVRREXIT, & ita illum mortis victorem eſſe factum docent, vt qui huius vincula virtute propria abruperit. Apud Marcum oculari quoq; demonſtratione vtuntur, dicentes: ECCE locus, VBI poſuerant eum. Fuit illa apud mulieres iſtas eò efficacior, quòd locum hunc diligenter obſeruauiſſent. Quia autem ſtupor nimius illarũ animos atq; ſenſus tenebat, vt tantæ rei myſterium non poſſent concipere, ipſius Chriſti verba illis in mentem reducunt: Mementote vt locutus ſit vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio reſurgere. Facit huc quod ſupra Cap. 9. illum diſcipulis dixiſſe audiuimus. Dum verò id Angeli repetũt, ſimul & crucis ſcandalũ remouent, & illas ad diligentẽ reſurrectionis conſideratiõẽ excitant. His mox tertiam partẽ ſubijciunt (quam à Marco diligentiſſimè annotatã Lucas omiſit) qua iubent, vt hoc omne diſcipulis annuntient, & Petro quidẽ imprimis, vt is ſe in gratiam receptũ eſſe intelligeret, qui turpi Chriſti abnegatione exitiũ meruerat. Eſt hoc ingens & memorabile miſericordiæ Dei exemplum, ex quo conſolationem petere debent, qui ſcelerum conſcientia preſſi de ſalute ſua dubitant. Et ſimul hîc ſuæ fidei & pietatis fructum vberrimum recipiunt mulieres, quæ etſi corpus Chriſti nõ inuenerint, illum tamen reſurrexiſſe audiunt, & reſurrectionis iſtius teſtes atq; præcones fiunt, imò hanc ipſis Apoſtolis annuntiare iubentur: vt non immeritò eas Apoſtolorum Apoſtolas factas fuiſſe dixeris. Ita verò ſimul illorum ignauiam Dominus vlciſci ſiue mulctare voluit, vt ex mulieribus reſcirent, quæ illæ ex Angelorum relatione didicerant.

Teſtantur de reſurrectione Chriſti.

Reſurrectionis Porro omnium, quæ ab Angelis dicuntur, hic ſcopus atq; finis eſt, vt Chriſtum illum crucifi-
Chriſti fructus. xum reſurrexiſſe, & in corpore quidem illo reſurrexiſſe oſtendant, quo in cruce ſuſpenſum & pro
mundi peccatis immolatum fuit. Itaque iſta ad articuli illius in Symbolo Apoſtolico explicationem
faciunt, quo illum tertio die à mortuis ſurrexiſſe fatemur. Merebatur autem hoc diligentiorem de-
monſtrationem, eò quòd ex Chriſti reſurrectione tota noſtræ redemptionis atque ſalutis ratio de-
Rom. 4. pendet. Quis enim illa mortem deuicit, quæ per peccatum ingreſſa erat, hoc quoque expiatum &
ſublatum eſſe, euidenter docet. Ideo Paulus eum propter peccata noſtra in mortem traditum, pro-
pter noſtri verò iuſtificationem reſuſcitatum eſſe dicebat. Deinde aſtruitur hîc animarum noſtra-
rum immortalitas. Nam Chriſtum cum corpore animam quoq; humanam aſſumpſiſſe alibi demon-
ſtrauimus: eam verò in morte non euanuiſſe aut periiſſe, ex eo apparet, quòd ad corpus reuerſa, hoc in
vitam reſtituit. Præterea noſtrorum corporum reſurrectionem & omnes, quæ de hac extant, pro-
miſſiones Chriſtus ſuo exemplo confirmare voluit: quod Paulus in priori ad Corinthios prolixè ad-
modum demonſtrat. Habet item hiſtoria hæc vitæ Chriſtianæ typum, qui nos omnes officij noſtri ad
monet. Vt enim Chriſtus pro peccatis quidem noſtris mortuus eſt, in morte autem non manſit, ſed ad
vitam cœleſtem reſurrexit: ita nos quoq; peccato mori, & in illo ad vitæ nouitatem reſurgere debe-
mus. Pertinet huc quod Paulus ad Rom. 6. Cap. copioſè tradit. Nos autem hæc omnia breuiter per
ſtringimus, quia de illis alibi plura diximus.

Mulieres rede- Sed ad mulieres iſtas redeamus, quæ auditis Angelorum verbis mox recordantur eorũ, quæ ali-
unt ad diſcipu- quando ipſis Chriſtus dixerat. Eſt hoc animi pij indicium, quo admonemur, ſæpius accidere, vt ſe-
los. men Verbi animis reconditum ita delitescat, vt nulla fructus ex eo naſcituri ſpes reliqua eſſe vi-
deatur: at tunc admonitio ſeria in tempore & commodè adhibita illud ſuſcitare poteſt, vt nouis
incrementis auctũ emicet. Iſtæ certè non in otioſa aut inani recordatione conſiſtũt, ſed mox à monu-
mento in vrbẽ reuerſæ diſcipulis rem omnẽ annuntiant, cum quibus alij quoq; nonnulli collecti fuiſſe
indicantur. Videtur hoc cum Marci narratione pugnare, qui illas timuiſſe ſcribit, & nemini quicquã
dixiſſe. Sed hoc ita accipi debet, quòd inter eundum nihil effutiuerint, donec ad diſcipulos ventum
fuit, quibus iſta renuntiari oportuit. Procul ergo abfuerunt à garrulitatis vitio, quo multæ laborãt,
adeò, vt temere quæuis diuulgantes ſæpe turbas dent maximas, & tam ſeipſas quàm alias in pericu
lũ adducant. Fidei autẽ argumentum eſt, quòd Angelorum iuſsis obediunt. Poterant enim eas multa
terrere, ne rem hominum iudicio incredibilẽ primæ ſpargerẽt, neue Sacerdotum & Seniorum odia ad
uerſus ſe prouocarent. Sed habet fides coniunctã ſibi obedientiam, quæ omnis hominis ſenſus atq; hu
manæ ſapientiæ rationes Deo ſubijcit, neq; moras nectit in ijs, quæ ex illius mandato facere iube-
tur. Decet illa omnes Chriſtianos, imprimis autem Verbi Euangelici adminiſtros, ne quid eorũ diſ-
ſimulent, quæ prædicare iuſsi ſunt. Quàm enim turpis ignauia fuerit, illos mulierculis iſtis timidio-
res inueniri, quæ Chriſti reſurrectionem annuntiare auſæ ſunt in ea vrbe, in qua illius ferociſsimi ho
ſtes regnabant? Videtur certè harum exemplum Apoſtolos animauiſſe, vt eandem poſtea admira-
bili fortitudine prædicarent, & Chriſti mandatum Sacerdotum atq; Seniorum minus intrepidè op-
ponerent, qui ipſis ſilentium indicebant.

In præſenti tamen magna adhuc infirmitate ijdem laborauerunt. Nam etſi nihil aliud audirẽt
Diſcipulorum nunc quàm quod ex ipſius Chriſti ore aliâs audiuerant, & procul dubiò mulieres Angelorum verba
incredulitas. diligenter expoſuiſſent, tamen deliramentum eſſe putarunt quicquid dicebatur, & non crediderunt
eis. Fuit hæc ſingularis quædam ſtupiditas cũ ingratitudine & aliqua iniuriæ ſpecie coniuncta. Quid
enim hoc aliud fuit, quàm mendacij arguere pias illas fœminas, quarum fides tot argumentis per-
ſpecta ipſis erat, & quarum tam multa tamq; præclara in Chriſtum & totum ipſorum ordinem be-
neficia extabant? Adumbratur autem horum exemplo, quomodo carnis noſtræ ratio de reſurrectio-
ne mortuorum iudicet. Fatentur quidem hanc vulgo omnium ferè ſectarum homines, & hodie nobi-
ſcũ in hoc articulo Iudæi & Turcæ cõſentiunt, niſi quòd hi Mahumetis impuri fabulis decepti Ely
ſios quoſdam campos & fœdas voluptates fingũt, quibus tunc ſuarum ſuperſtitionũ ſectatores Deus
1. Theſſ. 4. remuneraturus ſit: Sed quã parum fidei adhibeant propriæ confeſsioni pleriq;, ex mortis ignauo metu
& effreni morũ licentia apparet. Paulus gentibus tribuit, quòd mortuos ſuos immodice lugeant, &
huius cauſam adducit, quòd ſpem reſurrectionis ignorent. Quis ergo de hac certos eſſe dixerit eos,
qui hodie

*qui hodie non contenti ſuorũ funera cum luctu priuato duxiſſe, quem humanitatis ſenſus & defuncti
deſiderium parit, inſuper præficos & præficas, & agmina Monachorum conducunt, qui threnodijs
flebilibus dolorem illum augeant, adhæc veſtitu quoq; non tam lugubri quàm portentoſo eundem fo-
ueant? Veruntamen magnum hîc inter pios & impios diſcrimen eſt. Hi enim reſurrectionem apertè
& pertinaciter negant, imò vt extremi iudicij terroribus ſeſe liberent, ſcurrilibus etiam dictis elu-
dunt omnia, quæ de illa dicuntur. Eſt horum magnus numerus hodie, & paſſim audiuntur voces* 2.Pet.3.
*illæ, quas Petrus illis illuſoribus tribuit, quos nouiſſimis tẽporibus exorituros eſſe vaticinatur. Pij
autem partim ignorantia partim fidei imbecillitate fluctuant, doctrinam verò illam adeò non ode-
runt, vt ea etiam delectentur, & veram eſſe cupiant, licet ei nondum plenam fidem poſſint adhibere.
Huius generis diſcipulorum incredulitatem fuiſſe apparet in Petro, qui vnà cum Ioanne excurrit* Ioan.21.
*ad monumentum, quod nunquam facturus fuiſſet, ſi ab omni fide prorſus fuiſſet alienus. Et vbi eò
venit, in illud ingreſſus certa corporis reſuſcitati indicia inuenit, lintea nimirum illic iacentia, &
ſudarium ſeorſim inuolutum. Nam ſi quis corpus auferre voluiſſet furtim, procul dubio illud cum
ſindone ſuſtuliſſet, cùm periculi metus moram nullam admitteret, lintea autẽ propter myrrham &
aloen (quæ picæ & viſcoſæ naturæ ſunt) non ita facilè detrahi poſſent. Veruntamen etſi iſta ſic ia-
centia ſpectet, non poteſt tamen adhuc fidem certam animo concipere, neque etiam negare poteſt
quod mulieres retulerant. Itaque abit cum admiratione, quæ rei magis incertum reddit. Cauſam
huius dubitationis Ioannes his verbis indicat. Nondum enim nouerant ſcripturam, quòd oporte-
ret illum à mortuis reſurgere. Fuit autem ignorantia hæc turpior, quàm vt eos deceret, qui Dei Fi-
lio tam diu præceptore domeſtico vſi erant: & proinde incredulitas quoq; iſta non poteſt omnino
excuſari. Attamen magnus quoque eius vſus fuit: quia teſtimonio Apoſtolorum, de Chriſti re-
ſurrectione fidem maiorem facit, quæ dubia videri poterat, ſi nimiùm credulos ſeſe præbuiſſent. Ita
noſtris vitijs & infirmitatibus diuina prouidentia bene vti ſolet, vt in multis alijs exemplis vidi-
mus. Sunt ea obſeruanda in eum finem, ne mox animum deſpondeamus, ſi quid huius nobis accidit.
Interim verò Petrum imitati cum noſtra incredulitate luctemur, & quæ Deus nobis offert, admini-
cula non negligamus. Fuit illi ſalutis principium, quòd poſt factam Chriſti abnegationem, ad Ec-
cleſiam, quæ tunc paruo illo diſcipulorum cœtu conſtabat, redijt. Illic ergo audit lætum de illius re-
ſurrectione nuntium: cui etſi non omnino credat, non tamen impiè contradicit, imò rei veritatem cu-
pit cognoſcere, neque moram aliquam interponit in negotio hoc, ex quo Chriſti gloria & ipſorum o-
mnium ſalus dependebat. Horum meminerint hodie quotquot ſuæ incredulitatis, vel potius perfi-
diæ, patrocinium in Petro quærunt, cùm ab Eccleſia manifeſtam ſeceſſionem faciant, Verbum Dei
audire dedignentur, occaſiones item omnes rideant atque contemnant, quibus fides eorum poterat
confirmari, & ipſi in viam reduci. Sunt hi ſibijpſis exitij authores. Nos itaque ſeria mortis Ieſu
Chriſti meditatione excitati hoc agamus, vt idem ille in nobis viuat, donec huius vitæ vinculis li-
berati in Regnum eius cæleſte transferamur. Ipſi debetur benedictio, bonor, gloria & poteſtas in
æternum. Amen.*

HOMILIA CCXI.

Et ecce duo ex ijs ibant eo ipſo die in vicum diſtantem ſtadijs ſexaginta ab Hieruſalem, cui vico nomen eſt Emaus: & colloquebantur inter ſe de ijs omnibus, quæ euenerant. Et factum eſt dum colloquerentur & ſe mutuò rogitarent, ipſe Ieſus acceſſit, & vnà iter faciebat cum ipſis: oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Dixit autem eis: Qui ſunt hi ſermones, quos confertis inter vos ambulantes, & quid eſtis tetrico vultu? Reſpondens autem alter, cui nomen Cleopas, dixit ei: Tu ſolus aduena es in Hieruſalẽ, & ignoras quæ in ea facta ſunt his diebus? Ipſe verò dixit eis, Quæ? At illi dixerunt: Quæ facta ſunt Ieſu Nazareno, qui fuit Propheta, potens operibus & ſermonibus coram Deo & toto populo: Et quomodo eum

tradiderunt principes Sacerdotum & magiſtratus noſtri vt morti damnaretur, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus illum eſſe, qui redempturus eſſet Iſraelem. Atqui præter hæc omnia tertium hunc diē agit hodie, ex quo hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex nobis obſtupefecerunt nos, quę diluculò venerunt ad monumentum: & non inuento eius corpore venerunt, dicentes, ſe etiam viſionem Angelorū vidiſſe, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam eorum, qui erant nobiſcum, ad monumentum, & ita inuenerunt prout mulieres dixerant, ipſum verò non viderunt.

QVoniam in reſurrectione Domini noſtri, Ieſu Chriſti, ſalutis noſtræ complementum eſt, & eadem noſtrorū quoq; corporum reſurrectionem argumento irrefragabili probat atq; confirmat: non temere factum putabimus, quòd Dominus poſtquā à mortuis ſuſcitatus eſt, non mox in cœlos aſcendit, ſed per totos dies quadraginta cū diſcipulis ſuis conuerſatus, ſe vero & naturali ſuo corpore, quod ex Maria virgine aſſumpſerat, & in quo paſſus erat, verè reſurrexiſſe, multis apparitionibus & argumentis euidentiſſimis demonſtrauit. Multis enim confirmari oportuit eum articulū, qui & fidem noſtram maxime confirmat, & præcipuum eſt ad vitam piè tranſigendam incitamentum. Quoad verò apparitiones illas, Euangeliſtæ ſelectiores modò deſcribunt, & alij quidem alias narrant, vt narrationibus eorum in vnum collatis & diligentius expenſis in fide magis confirmemur. Inter omnes tamen non poſtremo loco collocari debet, cuius hiſtoriam Lucas in præſenti commemorare cœpit. Nam præter certiſſima ſenſuum experimenta & Scripturæ veteris teſtimonia, quibus & ipſius reſurrectionis Chriſti & corporis reſuſcitati veritas probatur, omnis generis affectus & colloquia concurrunt, quibus totum hoc negotium illuſtratur, vt omnium hominum inſtitutioni ſimul & conſolationi mirificè ſeruiat. Finis & vſus omniū quæ dicuntur hic eſt, vt credamus, Ieſum Chriſtum eo ipſo corpore, quo ex Virgine natus & in quo mortuus eſt, reuera reſurrexiſſe, & ſua morte atq; reſurrectione omnia impleuiſſe, quæ in Lege & Prophetis olim prædicta fuerunt, & proinde verum atq; vnicum eſſe humani generis Redemptorem.

Tempus huius actionis. *Rurſus autem temporis notationem expreſſam ponit Euangeliſta, & hæc eodem die facta eſſe dicit, cuius diluculo Chriſtum reſurrexiſſe, & mulieres ſepulchrum vacuum inueniſſe dixerat. Factū hoc ad declarandam Chriſti fidem, qui cùm diſcipulorum ſuorum infirmitatem probè noſſet, noluit illos diutius ſuſpenſos tenere, ſed eo ipſo die certiores facere de eo, quod cognitu & creditu imprimis neceſſarium erat. Solet enim infirmitatis noſtræ rationem habere Deus, & quia nos inter metum & ſpem ſemper fluctuare, adeoq; in aquis natantium ſimiles eſſe nouit, ſubinde adminicula ipſe nobis offert, quibus apprehenſis fidem iamiam ſubſidentem erigere nosq; ipſos quaſi nouis viribus confirmare poßimus. Exempla huius bonitatis multa paßim occurrunt, & eandem in nobiſipſis quotidie experimur: ſed quæ noſtri ingenij infelicitas eſt, non ſemper animaduertimus Dei manū, quam is nobis periclitantibus porrigit.*

Duo diſcipuli. *Porro diligentius deſcribuntur perſonæ, quibus illo die Dominus apparuit. Fuerunt duo ex diſcipulis, non quidem ex duodecim Apoſtolorum, ſed ex Septuaginta illorum numero, de quibus ſupra Cap.10. eſt dictum. Alterius nomen poſtea exprimitur, Cleopas: vnde apparet eum ipſum fuiſſe, à quo Maria Cleopæ nomen accepit, quam Diuæ Virginem ſororem, Iacobi verò minoris & Ioſis matrem fuiſſe, nuper diximus. Alterius nomē tacetur: vt non abſq; cauſa eorum audaciam admiremur, qui hunc olim vel Lucam, vel Nathanaelem dicere auſi ſunt. Vnde enim hoc acceperunt? aut quæ coniecturæ ſatis graues fingi poſſunt, quibus iſtud probent? Lucas certè in ſui operis proœmio ſe ex eorum numero diſertè eximit, qui Chriſti & rerum ab eo geſtarum teſtes oculati fuerūt. Quæ autem ratio iubet, vt alterum hunc Nathanaelem potius quàm Matthiam aut Barnabam, aut quemuis alium ex Chriſti familiaribus fuiſſe dicamus? Deſināt ergo ea curioſius inquirere pij, quæ Spiritus ſanctus conſultò tacuit. Nam vt illa ad ſalutē non ſunt neceſſaria cognitu: ita Chriſti cauſa & fidei noſtræ certitudo non ab hominū authoritate pendet, ſed æterna Verbi Dei veritate nititur. Hoc potius in duobus iſtis obſeruemus, tales fuiſſe, vt nihil minus de illis poßimus ſuſpicari, quàm quòd fabulam aliquam comminiſci voluerint, qua Chriſti reſurrectionem falſò aliquibus perſuaderent. Vt*

enim

enim in omnibus eorum dictis ingenua ſimplicitas & omnis fraudis expers animus apparet: ita relictis alijs diſcipulis in vrbe, ipſi Emmauntem proficiſcuntur, oppidum, quod nullo vnquam Chriſti facto nobilitatũ fuiſſe legimus: & illic pernoctaturi erant (vt ſuo loco audiemus) niſi Chriſtus præter omnem expectationem ſeſe manifeſtans, ipſos conſilium mutare coegiſſet. Inter eundum verò colloquuntur inter ſe de omnibus ijs, quæ euenerant circa Chriſti mortem, & quæ de eius reſurrectione ex mulieribus audiuerant. Nec obiter modò colloquuntur, ſed conferunt ſuas ſententias ſeq; mutuò interrogant. Non ergo vulgare aut otioſum fuit colloquium iſtud, qualia eſſe ſolent plerunq; eorum, quæ ab iter facientibus fallendi temporis & leuandi tædij cauſa inſtituuntur: ſed ſerio ſalutis ſtudio accenſi, & ſancto Chriſti amore ardentes fidem ſuam (quæ etſi iam perplexior fluctuaret, minimè tamen extincta erat) colloquio illo & pijs quæſtionibus fulcire atque fouere ſtuduerunt: ſicuti in ijs patebit, quæ mox ſequentur.

Eſt igitur exemplum hoc pietatis non vulgare, quo docemur, quæ & qualia eſſe debeant Chriſtianorum hominum colloquia omni tempore, maximè autem tunc quando rebus afflictiſſimis tota ſalutis ſpes collapſa eſſe videtur. Quàm enim triſtis tunc rerũ facies fuerit, & quàm grauiter piorum fides tentata fuerit, quando Chriſtum in cruce mori, & corpus eius ſepulturæ mandari viderunt, non opus eſt multis exponere. Veruntamen non potuit vel crudele illud ſpectaculum, vel triſtis eiuſdem recordatio iſtorum animos ita perterrefacere, quin pio colloquio ſe mutuò cõfirmarint, & de Chriſto honorificè locuti ſint, etſi nulla de eius regno ſpes reliqua eſſet. Debent iſtos imitari, quicunq; in vera fide volunt progreſſus facere. Vt enim ſermo animi index eſt, ita eiuſdem in hominum animis vel cõmouendis vel mutandis magnæ vires ſunt, & frequenter impijs colloquijs quorundam fidem euerti videmus, rurſus autem pijs ſermonibus eos confirmari, qui iam labaſcebant, & fidem prorſus abieciſſe videbantur. Nec temere Paulus Menandri verſum dignum iudicauit, quem ſuis ſcriptis inſereret: Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Et ſatis nota ſunt quæ paſſim de oris & linguæ cuſtodia in Scripturis traduntur. Quibus idem Apoſtolus ſubſcribens monet, vt ſermo noſter ſale conditus ſit, cum prius in eadem epiſtola dixiſſet: Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulentè, cum omni ſapientia docendo & commonendo vos mutuò, &c. Sed vtinam iſta tam facilè omnibus perſuaderentur, quàm facilè à nobis dicuntur. At ea eſt noſtri ſeculi infelicitas, vt vnum hoc ſufficere poſſit ad arguendum impiam leuitatem multorũ, qui ſe ab omni fide & religionis ſenſu alieniſſimos eſſe teſtantur. Quando enim res ſecundæ affluunt, ſermonibus vanis, ſpurcis & obſcœnis delectatur: & ea ſæpe viri & mulieres in frequenti hominum corona & in conuiuijs tam publicis quàm priuatis proferunt, quæ in lenonibus quoq; & ſcortis nimia videri poterant. Quid, quòd non ſine impenſis magnis aluntur Mimi & ſcurræ, qui fabulis impudicis tædium temporis fallant apud eos, qui non niſi rebus ſerijs & grauibus debebant occupari? Et apud principes viros in pretio ſunt, qui magni eſſe putantur eius rei artifices: adeò vt religionem quoq; ludibrio habere, & reſurrectionem mortuorum ſcurrilibus dictis exagitare, omnia deniq; impijs iocis in dubium vocare poſſint, quæ de vita æterna & nouiſſimo Chriſti aduentu, aut mundi huius fine dicuntur. Sunt hi illuſores illi, quos nouiſſimis temporibus exorituros eſſe, Petrus prædixit, & à quorũ commercijs, vt præſenti aliqua peſte, Chriſtiani homines abhorrere debebant. Taceo nunc libros fabuloſos, quos hodie in omnium ferè gentium linguis leuiſſimi & impijſſimi homines conſcribunt, & in lucem ædunt, vt toti mundo notum fiat, quantum poſſint fabulando: eoſque vt lectu digniſſimos nobiliſſimis heroibus & alijs viris præſtantibus nuncupare audent. Regnat ea licentia imprimis apud nos, ô viri Germani, quos vel ſola nominis patrij recordatio grauitatis admonere, & ad ea quæ ſunt magis ſeria, excitare debebat: vt iam nihil de eo dicam, quòd planè turpiſſimum eſt, ex ea terra tam infelices & pudendos fœtus prodire, quæ renaſcentem nouiſſimis hiſce temporibus noſtris Euangelij lucem prima vidit, & ex qua ſalutiferi illius radij in omnes gentes longè lateque diffuſi ſunt. Vtinam verò vel hic pedem ſiſteret impietas, & non latius adhuc progreſſa maiori ſcelere nominis Chriſtiani profeſſionem diffamaret. Sed ijdem illi, qui dum pace & otio abundant, hac vanitate gaudent, mox ſi quid triſtius accidit, & fidei cauſa periclitari videtur, in dira conuitia erumpunt, quibus & vniuerſam Chriſti doctrinam proſcindunt, & eius præcones horribiliter obruunt. Ita certè tunc reſurrectionis huius tam lætæ tamque glorioſæ obliuiſcuntur, vt maiori impietate aduerſus Euangelij

Colloquia piorum qualia eſſe debeant.

1. Cor. 15.

Coloſſ. 4. & 3.

doctrinam linguas ſuas laxare non poſſent, ſi nihil vnquam de Chriſto & regno eius audiuiſſent. Sunt hi omnes Chriſtiani nominis maculæ, & Eccleſiarum labes, ideoq; indigni vt in ijs locis ferantur, in quibus Euangelicæ veritatis profeſſores imperium habent. Et debebant in illis coercendis Chriſtiani magiſtratus ſemper grauis illius ſententiæ meminiſſe, qua Chriſtus pronuntiat, de quouis Matt. 12. verbo otioſo rationem aliquando reddendam eſſe. Quid ergo de illis fiet, qui impia quoq; & horrendis blaſphemijs turgentia plenis buccis effundunt? Longè alia iſtorum mens, & alij longè ſermones fuerunt, quibus inter ſe collocuti ſunt duo iſti, quorum hiſtoriam ſpiritus ſanctus dignam iudicauit, quæ ſcriptis mandaretur.

Chriſtus de ſe colloquentibus adeſt.

Sed & fructum eximium ex ſua iſta pietate retulerunt. Nam dum inter ſe colloquuntur, ſeque mutuò de rebus hiſce grauibus & cognitu neceſſarijs interrogant, en ipſe Ieſus ad eos accedit, & vnà cum ipſis iter facit. Id verò alibi quoque factum fuiſſe conſtat, vt de reſurrectione ſua colloquentibus diſcipulis ſeſe præſentem exhibuerit. Huc enim pertinent, quæ eodem veſpere Hieroſolymis facta ſunt, & quod cum Thoma octiduo poſt factum eſſe Ioannes narrat. Fauet ergo piorum colloquijs Chriſtus, quibus fidem ſuam teſtantur, aut ſaltem fouere ſtudent. Et qui ſuam præſentiam illis Matt. 18. pollicetur, qui in ipſius nomine conueniunt, ab illis abeſſe non poteſt, qui de rebus ad gloriam ſuam pertinentibus inter ſe piè diſſerũt. Accedit ergo ad eos propius, & vnà cum eis iter facit, id eſt, greſſus eorum & omnes vitæ actiones atq; ſtudia dirigit ſuo Spiritu, ne vel proprijs cupiditatibus, vel diaboli præſtigijs decepti à via ſalutis exorbitent. Sequitur ex eo benedictio Dei vera, cuius ille Mediator eſt, & quæ totam hominis felicitatem comprehendit tam in hoc præſenti quàm futuro ſeculo. Vides ergo non mirum eſſe, quòd maior pars hominum hodie infelix eſt, quòd cæcis conſilijs potentiſſimi Reges ſeducuntur, reſpub. in ſummis difficultatibus verſantur, multi priuatim in Labyrinthis inexcritabilibus oberrant, quòd deniq; totus terrarum orbis ſeditionibus & bellis tam exteris quàm ciuilibus turbatur. Quid enim aliud fiat, quando Chriſtum Ieſum pauci quærunt, nulli ad ſe alliciunt, multi verò impijs ſermonibus, vaniſſimis dicterijs & obſcœnis cantibus, adhæc morũ improbitate & ſceleribus procul arcent? Corrigantur iſta, imò prorſus è medio auferantur, & mox illum nobis appropinquare videbimus.

Chriſtus non fuit agnitus.

Non debet autem hìc oſcitanter præteriri quod additur: Oculi autẽ eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Nam licet à ſuis nunquam abſit Dominus, non tamen ſemper ita ſeſe offert, vt ipſius gratiam aut bonitatem ſenſibus ſuis percipere poßint: ſed vt olim Ioſephus fratribus ſuis ſeſe cum minaci potentia oſtendebat, & eoſdem durioribus verbis compellabat, vt fratrem ſuum eſſe nequaquã agnoſcere poſſent: ita frequenter Chriſtus nobis alius apparet, quàm reuera ſit: non quòd ſimulatorem aut hypocriſam agat, ſed quòd ita meretur noſtra vitioſitas, quam interdum minis perterrefieri, aut diſciplina ſeueriori coerceri & in ordinem redigi oportet. Tunc ergo peregrinam iudicis perſonam ille induit, & intra conſcientias noſtras nobis terrores excitat, quibus ſenſus noſtri ita percelluntur, vt latentem ſub iuſtæ ſeueritatis ſpecie bonitatem videre non poßint. Vt autem Ioſephus tandem fratribus ſeſe manifeſtauit, & in dulces quoque lachrymas ſolutus eſt, dum illos tenerrimo amore complectebatur (quando nimirum meliores, & patris ſui obſeruantiores factos eſſe videbat) ita nobis quoq; Chriſtus depoſito iudicis habitu ſe propitium & plus quàm fratrem offert, quando nos ſuarum promißionum non omnino immemores eſſe, & Patris ſui amore atq; ſtudio ſyncero teneri cernit. Nemo igitur de eius bonitate facilè deſperet, ſed quàmuis ille à nobis alienus eſſe, adeoq; peregrinari videatur, conſtantes tamen ſimus in fidei profeßione, & curemus vt huic vita atq; mores noſtri reſpondeant: tunc enim nobis ille propius innoteſcet.

Reſurrectionis Chriſti argumentum.

Porrò continetur etiam hoc loco certum atq; euidens argumentum, quo illum vero ſuo corpore reſurrexiſſe, & poſt reſurrectionem naturales corporis proprietates retinuiſſe probatur, vel potius demonſtratur ita, vt ſenſibus quoq; percipi poßit. Nam colloquentibus diſcipulis ad eos acceßiſſe dicitur. Non ergo repente aut ſubito apparuit (vt interdum ſpectra ſolent) vt vnde nam veniſſet illi neſcirent: ſed eum venire & ad ipſos accedere viderunt. Deinde iter cum illis fecit, & inter eundum cum eis locutus eſt. Iſta verò motum ex loco in locum ita diſertè exprimunt, vt portento ſimile ſit, olim aliquos fuiſſe, & hodie etiam inueniri, qui vt corporis eius veritatẽ negant, ita hoc imprimis agunt magna contentione, vt illud neq; loco certo contineri, neq; ex loco in locum moueri euincant.

Fingunt

Fingunt illi œconomiam ſiue diſpenſationem quandam, qua hîc & alibi poſt reſurrectionem vſus ſit. Pudet nimirum eos, ſi quid eum ſimulauiſſe dicant: quia ſimulatio ferè cum mendacio coniuncta eſt. Atqui quam ei tribuunt diſpenſationem ego à ſimulatione nihil abeſſe video. Aut enim verè iſta fecit Dominus, & vero ſuo corpore verè iter ingreſſus eſt, aut falsò. Si verè ambulauit, vero corpore ambulauerit oportet, & idem ſuum motum habuit. Quòd ſi quid ſimulanter hîc factum eſt, falsò factum eſt, & proinde corporis quoque reſurrectio, quam hoc argumento demonſtrare voluit, in dubium veniet.

Obijciunt illi: At non agnouerunt Chriſtum diſcipuli iſti duo: Ergo non is fuit, qui antea fuerat, quoad corporis formam atq; eſſentiam. Ego verò conſequentiam iſtam nego, & non falſam modò, ſed tam futilem, tam ſtultam, tam ineptam & ridiculam eſſe dico, vt pueros eius pudere debeat. Quoties enim fit, vt nõ agnoſcamus ad nos præter expectationem venientes amicos, qui prius nobis notiſſimi & familiariſſimi fuerunt? Quis autem ex eo colligit, illos in alia corpora eſſe mutatos, aut corporis ſui naturam exuiſſe? Sed non opus eſt multa reſponſione, quando ipſe Lucas hunc nodum feliciſſimè ſoluit, & ne quis ex eo quod dictum erat, tale quid colligeret, mox addit: Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Non ergo corporis naturam Chriſtus exuit, neq; eius mutatione vel euacuatione factum fuit, quod eum diſcipuli non agnouerunt, ſed quòd eorum oculi detinerentur: occulta nimirum Dei virtute, qui aciem illorum ad tempus hebetare aut reſtringere voluit, ne illum diſcernere aut agnoſcere poſſent. Et mirum eſt hoc à quibuſdam non obſeruari, cùm huius generis exempla plura in Scripturis occurrant. Quis enim neſcit, Sodomæos olim ab Angelis percuſſos fuiſſe, vt domum Lothi & eius fores non poſſent inuenire? Et Syros ab Eliſæo ſimili miraculo deluſos eſſe ſcimus, vt quàmuis oculorum vſum haberent, tamen neq; ipſum Eliſæum, hominem aliâs multis eorum notiſſimum, neq; Samariam agnoſcerent, ſed in vrbem hoſtilem ſeſe duci paterentur. Quin & D. Athanaſium non ſemel ſimili miraculo militum manus euaſiſſe, hiſtoria Eccleſiaſtica teſtatur, qui ad ipſum capiendum mittebantur. Sed vt in Chriſti exemplo inſiſtamus, ſi ideo eum non agnouerunt diſcipuli, quòd corporis veritatem exuiſſet, quid reſpondebimus ad id, quod in horto ad montem oliueti factum fuit, priuſquam ille corpore ſuo eſſet clarificatus? Nonne enim tunc quoque neque à ſacerdotum ſeruis, neque à militibus, imò ne à Iuda quidem agnitus fuit, qui tamen omnes eo conſilio venerant, vt ipſum comprehenderent? Num verò tunc quoq; corpus verum illum habuiſſe negabimus? Abſit. Nam ſi illud non habuit, ne captus quidem verè, nec verè mortuus fuit: & ſic tota humani generis redemptio nobis perierit. Quid ergo reſtat, quàm vt in Chriſti quidem corpore mutationem nullam factam dicamus, quæ eius proprietates naturales abſorbuerit, ſed miraculo quodam oculos ſpectatorum impeditos fuiſſe, vt eum agnoſcere non poſſent?

Nihil corpori derogat ignorantia diſcipulorum.

Continet autem præterea vtilem doctrinam locus iſte, qua admonemur, ſenſus corporis vim ſuam ex Deo habere, adeò vt illis efficaciter nemo poſſit vti, niſi ita velit ille, qui eos dedit. Si enim (vt Paulus ait) in illo viuimus, mouemur & ſumus, nihil vtiq; ſine illo poſſumus. Et vt Dei dona ſunt viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus: ita Dei quoq; beneficium eſt, quod ijſdem rectè vtimur. Cogentur hoc fateri, quotquot quid ipſis & alijs hominibus quotidie accidat, paulò diligentius obſeruauerint. Quoties enim fit, vt manente oculorũ acie, viſu tamen fallamur? quoties in vocũ perceptione decipimur? quoties guſtui noſtro amara videntur, quæ dulciſſima ſunt? Eadẽ eſt intellectus quoq; & rationis noſtræ condicio. Niſi enim hanc continua ſui Spiritus luce Deus illuminet, in ijs eciã fallitur, quæ vel pueris nota ſunt. Et hinc eſt, quòd incerti rerum ſæpe fiunt ſeq; ipſos in retia inextricabilia implicant, qui hominum ſapientiſſimi habentur. At ſi hoc nobis accidit in ijs, quæ ad corpus ſpectant, & in his frequenter fallimur, quæ ſenſibus noſtris expoſita ſunt, quid obſecro fiet, ſi in diuinorum & cæleſtium conſideratione Deus nos noſtro arbitrio & noſtræ rationis ſiue prudentiæ conſilijs permittat? Hîc certè cumprimis neceſſe eſt, vt Dominus mentes noſtras illuminet, rationẽ & intellectum noſtrum ſuo Spiritu ducat. Nam niſi id fiat, non minus pernitioſè quàm turpiter errabimus. Animalis ſiquidem homo (vt Pauli verbis vtar) non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Et exempla multa ſunt, quæ ſatis docent, quàm infelices ſint, qui in æternæ ſalutis cauſa ſuæ rationi & prudentiæ aliquid tribuunt, aut proprij arbitrij viribus confidunt. Hi enim etſi nomẽ Chriſti retineant,

Senſuum uis ex Deo eſt.

deque eo multa honorificè, multa verè & piè dicant, eundẽ tamen non verè agnoſcunt, & longè alium ſibi fingunt, quàm ipſe reuera ſit: quæ errorum turpiſſimorum præcipua cauſa eſt. Quia tamen de hac re ſæpe aliâs diximus, nunc ſufficiat iſta breuius perſtrinxiſſe.

Chriſtus prior alloquitur diſcipulos.

Nunc Ieſum Chriſtum audiamus, qui cùm ad iſtos vſq; acceſſiſſet, prior eos alloquitur, dicens: Qui ſunt hi ſermones, quos cõfertis inter vos ambulantes? & quid eſtis tetrico vultu? Quærit quaſi ipſe ignarus ſit omnium, vt ſe ipſis manifeſtandi occaſionem cõmodiorem inueniat, explorata prius fidei ipſorum imbecillitate, cui ſimul mederi voluit. Ita ferè non vocatus quoq; ſe ſponte nobis doctorem & magiſtrum offert, quando vel per verbum ſuum nos compellat, vel animi aures Spiritu ſuo vellicat, vt de ijs incipiamus cogitare, quæ nobis neceſſaria ſunt cognitu. At tunc nos etiã atq; etiam videre oportet, ne noſtra contumacia aut proteruia illum reijciamus. Eſt præterea hoc præclarum humanitatis & affabilitatis exemplum, quòd de rebus ſerijs colloquentes & animi dolorem vultu non obſcurè teſtantes prior compellat, ita nimirum ſuam operam quaſi offerens, ſi conſilio ſuo ſiue auxilio vti velint. Eſt hoc veræ charitatis officium, quod ad amicitias conciliandas & ſeruandas imprimis facit. Debent ergo Chriſtum imitari, quotquot in aliquos incidunt, quos animo perturbatiori & rerum atq; conſiliorum incertos eſſe vident. Meminerint tales ſibi à Deo offerri, vt exercendæ charitatis materiam habeant, & ideò amicè eos compellent, & ſua mæſtis atq; dolentibus officia offerant. Peccatur in hoc vehementer à duris illis Demeis & plus quàm Stoicis Zenonibus, qui ſurdis auribus & ſiccis oculis omnium gemitus & calamitates prætereunt, Leuitæ illius & Sacerdotis ſimiles, de quibus in Samaritani parabola cap. decimo diximus.

Cleopas rem omnem amicè exponit.

At non minus obſeruari debet diſcipulorum quoq; iſtorum facilitas, qui neq; reſponſo dedignantur hominem ignotum, neq; priuato dolori ita indulgent, vt illum abs ſe reijciant. Nam etiamſi Cleopas miretur, ipſum ea ignorare, quæ & recens facta erant, & omnium ſermonibus terebantur, tamen quæſtionem ſuam repetenti Domino amicè & diligenter rem exponit. Alius certè importunum dixiſſet eum, qui cauſas triſtitiæ eorum vellet cognoſcere. Alius etiam metu impeditus noluiſſet de cauſa periculi plena ſermonem cum peregrino inſtituere, & fortaſſis ſuſpectum habuiſſet. Sed ſuperat omnes iſtas remoras ſyncerus Chriſti amor, quo iſti ardebant, & metum omnem diſcutis fides, cuius ſcintillas ipſi hucuſq; iam diligenter fouerant. Eſt autem narratio iſta Cleopæ digna, cuius ſingulæ partes probè conſiderentur, quia veræ pietatis & fidei cum dubitatione luctantis egregium ſpecimen exhibent.

Ieſum apertè fatetur & prædicat.

Primùm de quo inter ſe colloquantur, oſtendit, & eundem magnificè deſcribit. Quæ facta ſunt (inquit) Ieſu Nazareno, qui fuit propheta, potens operibus & ſermonibus corã Deo & toto populo. Ingenuè ergo Ieſum hunc confitetur, quem pleriſq; exoſum eſſe ſciebat. Et quàmuis Prophetam modò dicat, ſatis tamen euidenter eum à vulgarium prophetarum numero eximit, quando eum non ſolùm ſermone aut doctrina, verumetiam operibus potentem fuiſſe ait: nimirum vt oſtendat eius doctrinæ coniunctam fuiſſe virtutem diuinam, quæ & in illius factis miraculoſis, & auditorum animis

Deut. 18.

ſeſe exeruerit. Et credibile eſt, Cleopam ad Moſis promiſſionẽ reſpexiſſe de Magno illo Propheta, quem omnes audire debeant. Nam illum in Dei quoq; conſpectu potentem fuiſſe dicit, ne eius authoritatem in vulgi indocti & ſtolidi admiratione collocet. Debet autẽ à nobis quoq; talis agnoſci Chriſtus, ne in ſola redemptione humani generis per illum facta hæreamus. Nam etſi illa noſtræ ſalutis ſumma ſit, nunquam tamen eius verè participes, aut Regno ipſius digni erimus, niſi (quod Pater cœlitus nobis mandauit) ipſum in Euangelio nobis loquentem audiamus, eidem credamus, & quam ipſe nobis præſcribit vitæ totius formam obſeruemus. Adhæc ſibi proponant hanc Chriſti deſcriptionem omnes, qui in Eccleſiæ miniſterio conſtituti ſunt. Nam hos quoq; in primitiua Eccleſia Prophetas dictos fuiſſe, ex priori ad Corinth. epiſt. ſatis apparet. Etſi verò ad Chriſti perfectionem ipſi accedere non poſſint, curent tamen, vt dicendi facultatem habeant, nec obiter modò aures feriant, ſed altiori tuba prædicationis in ipſas hominum mentes penetrent: adeò vt Chriſti in ipſis loquentis experimentum omnibus appareat. Coniungant cum doctrina quæ reliqua ſunt fidelis paſtoris officia, vt ſedulò pro omnium ſalute excubent, diſciplinæ Chriſtianæ vindices ſint non ignaui, & imprimis, vt doctrinam ſuam proprio exemplo confirment. Neq; illis ſatis ſit, ſi hominum & populi applauſu probentur, ſed Deo placere ſtudeant, cuius miniſtri ſunt, & cui olim ſuæ functionis rationem reddere cogentur.

Secunda parte, quid cum Chriſto actum ſit, Cleopas breuiter, ſed patheticè admodum exponit his verbis: Quomodo eum tradiderunt principes Sacerdotum & magiſtratus noſtri, vt morti damnaretur, & crucifixerunt eum. Paucis verbis rem indigniſſimam & iniuſtiſſimam comprehendit. Et huius authores facit Summos Pontifices atq; magiſtratus, qui eum præſidi Romano tradiderint. Quàm verò periculoſum fuerit hoc dicere, ex illis æſtimare licet, quæ poſtea Apoſtolis acciderunt, cùm eadem Hieroſolymitanis præſulibus exprobrarent. Dicit tamen hoc Cleopas, quia pluris facit Chriſti gloriam, quàm mundum hunc & propriam vitam. Veruntamen in hac dicendi libertate imbecillitas fidei non obſcurè ſeſe exerit: Nos autē ſperabamus illum eſſe, qui redempturus eſſet Iſraelem. Fuit ergo nonnihil labefactata illorū fides, cùm hoc ſibi præter omnem expectationem accidiſſe fatentur. Cur autem præter expectationem? Quia Meſſiæ officium hucuſq; ignorauerunt, & loco ſalutis æternæ regnum terrenum atq; huius ſeculi felicitatem ſibijpſis polliciti ſunt. Eſt hæc omnium perniciosiſſima fidei remora, & hic ille ſcandali lapis eſt, ad quem pleriq; Iudæorū grauiſſimè offenderunt. Elucet autē hic carnis ingeniū: quæ cùm tota terrenis addicta ſit, in Chriſto quoq; regnum, opes, honores, pacem & otium ſomniat. Quapropter ſi non ſolùm ſpe ſua fallatur, verumetiā aduerſa & pericula incidere ſentiat, mox ſe deceptam queritur. Et tanta huius erroris vis eſt, vt multorum ora & linguas ad conuitia laxet, quibus totam Euangelij doctrinam impiè proſcindunt. Quod hodie multis accidit, qui omnium, quæ aliquando audiuerunt, memoriam excutiunt.

Iniquitatis accuſat principes.

Non tamen eò vſq; progreſſam fuiſſe iſtorum infirmitatem, ex tertia orationis huius parte apparet. Nam colligit in ea Cleopas omnia, quæ fidem reſurrectionis erigere aut quacunq; ratione confirmare poterant, dicens: Atqui præter hæc omnia tertium hunc diem agit hodie, ex quo hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex nobis obſtupefecerūt nos, quæ diluculo venerunt ad monumentum: & non inuento eius corpore venerunt, dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicant eum viuere, &c. Primò tertij diei mentionem facit, & ita nō tam animi deſiderium exprimit, cui omnis mora longa eſt, quàm quòd verborum Chriſti recordatur, quæ Angeli mulieribus, & hæ diſcipulis in mentem reuocauerant. Deinde etſi nondum firmiter credant, tamen non diſſimulat quid mulieribus acciderit, & quid eadem ex Angeli iuſſu diſcipulis renuntiauerint. Addunt his nuntij iſtius confirmationem, quòd nimirum quidam ex diſcipulis eo excitati ad monumentū excurrerint, & ita inuenerint rem omnem, ſicuti à mulieribus narrata fuerat. Fuit ergo in diſcipulis iſtis non parua fidei infirmitas, cuius exemplo admonemur, in ſanctis etiam vitia eſſe, quæ & correctione & gratuita Dei miſericordia opus habeant. Nam vt de alijs nunc nihil dicamus, quotus quiſq; eſt, qui non dubitare interdum ſe ſentiat, quando de huius ſeculi fine, de Chriſti nouiſſimo aduentu, de carnis reſurrectione, & vita æterna diligentius cogitare incipit? Quid verò de ſecuritate dicemus, quæ tacito pede obrepit, & mirifico aſtu nos decipit, quando nihil huius nobis euenturum putamus? At ne tunc toti ſuccumbamus, proderit Dei promiſſiones frequentius in mentem reuocare, & quæ paſſim occurrunt fidei adminicula colligere, & vt in melius proficiamus ſtudere. Suſpectum verò ſit nobis quicquid infelix caro ſuggerit, & ne huius rationes nos fallant aſſiduis precibus Dominum Ieſum Chriſtum fatigemus, vt is fidem noſtram ſuffulciat, infirmitati noſtræ medeatur, & per omnia huius mundi obſtacula ad beatæ immortalitatis portum deducat. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen

Reſurrectionis argumenta colligit.

HOMILIA CCXII.

Tum dixit eis: O amentes & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam? Et exorſus à Moſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant. Appropinquarunt autem vico, in quem proficiſcebantur, & ipſe fingebat ſe longius ire: Sed ipſi adegerunt eum dicentes: Mane nobiſcum, quoniam aduesperaſcit, & inclinauit dies. Ingreſſus eſt igitur vt maneret cum eis. Et factū eſt cùm accubuiſſet cum eis, ſumpto pane benedixit, & fractū

dedit eis. Adaperti ſunt autem oculi eorum, & agnouerunt eum: & ipſe ablatus eſt ex conſpectu eorum. Tum inter ſe dixerunt: Nonne cor noſtrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & cùm aperiret nobis Scripturas? Et ſurgentes eo ipſo momento reuerſi ſunt Hieroſolymam.

QVia Dominus noſter Ieſus Chriſtus nobis à Patre non ſolùm redemptor, verumetiam doctor & magiſter datus eſt, totus in hoc verſatur, vt ſuos in eo articulo diligenter inſtituat, in quo ſalutis noſtræ complementum habetur: Reſurrectione nimirum, qua ſeipſum ex mortuis ſuſcitauit, vt mortem deuictam & huius aculeum, peccatum, prorſus ſublatũ eſſe doceret. Ad hunc ſcopum tota hæc hiſtoria pertinet, in qua ſe non obiter modò videndum præbuit, verumetiã omnem ſalutis noſtræ rationem diligenter expoſuit, eamq́ Scripturarum teſtimonijs illuſtrauit, vt diſcipulorũ infirmitati mederetur, de qua in heſterno Sermone diximus. Deſcribitur autẽ hoc loco prima, quam ex mortuis rediuiuus habuit, concio: quæ eò diligentius audiri debet, quòd multi hodie doctores ſibi ex mortuis excitari cupiũt, per quos de futuri ſeculi ſtatu & omnibus cognitu neceſſarijs erudiantur. Eſt enim inſatiabilis noſtræ carnis curioſitas, & cùm de cæleſtibus ſemper dubitet, vndiq́ prætextus captat, quibus ſuam incredulitatem excuſet. At vaniſsimum eſſe quicquid in eum finem adducitur, quaſi incerta & dubia ſit, quæ de tantis myſterijs traditur doctrina, vnus Chriſtus abũde docet: qui vt prius è ſinu Patris ad nos deſcendit, vt huius voluntatẽ & Regni cæleſtis myſteria annuntiaret: ita nunc à morte etiã redire & per dies quadraginta cum diſcipulis de omnibus diſſerere voluit, quæ ad ſalutis veræ & cæleſtium myſteriorũ cognitionem pertinent. Priuſquã verò ad concionis huius expoſitionem accedamus, diligenter obſeruari debet eius bonitas & paterna planè facilitas, qui diſcipulos iſtos partim ignorantia Regni ſui, partim fidei imperfectione laborantes tam amicè tamq́ fideliter inſtituere dignatus eſt. Ex eo enim cõmunis conſolatio peti debet, illum infirmos nequaquam abijcere, modò ſe dociles præbeant, & ex eorum numero ſint, qui proficere cupiunt.

Prima Chriſti reſuſcitati concio.

Concionis argumentum.

Orditur ab increpatione.

Propoſitio ſiue ſtatus totius orationis eſt, non debere ita turbari ipſos propter ea, quæ Chriſto nuper acciderint. Confirmatio autem à neceſſario petitur: quia hæc ita fieri oportuerit: id quod diligenti & prolixa demonſtratione ex Scripturis docuit. Exordiũ graue eſt, & duram increpationem continet. O amentes (inquit) & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ: Videtur autem in ſuam legem peccaſſe, qua prohibet, ne quem fatuum aut ſtultum dicamus. Sed peccatum hîc nullũ eſt, quia neq́ odij affectu, neq́ conuitiandi aut lædendi ſtudio abreptus ſic loquitur, & hîc maximè fidi doctoris officium facit. Merebantur enim duriorem increpationem, qui de eius reſurrectione vel modicum dubitabant, de qua ille toties illos præmonuerat. Inexcuſabiles item erant, qui non plenam fidem habuerant mulieribus, quarũ verba cum eius promiſsionibus per omnia conueniebant. Adhæc ea eſt ingenij humani cõtumacia, vt niſi acriori repræhenſione excitentur, qui ſemel ad incredulitatem propendere cœperũt, ſubinde in peius proficiant. Ideo iſtos etiam acrius pungi neceſſe fuit: & quia hodie magnus eorum numerus eſt, qui his longè deteriores cum Chriſto, cuius nomen profitentur, plus quàm ſcurriliter ludunt, & contradicendi occaſiones vndequaq́ captant, nulla aduerſus eos adminiſtrorũ verbi vehementia nimia eſſe poteſt, ſed multò acutius tales feriendi & ceu præconis voce ad ipſius Dei tribunal citandi ſunt, ſi fortè animo perculſi de emendatione ſeriò cogitẽt.

Stulti ſunt, qui nõ credunt ſcripturis.

Imprimis verò diligentem obſeruationem meretur, quòd non amentes modò aut ſtultos dicit, ſed tardos etiam corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Id enim per cauſæ redditionem addidiſſe videtur, vt intelligerent cur ſtultos dixiſſet. Ita verò in genere admonemur, reuera amentes eſſe & fatuos, quotquot Scripturis non credunt. Etenim ſi ſtultitiæ non vulgaris argumentum eſt, ſi quis viro graui & bene de ſe merito nõ credat, plus quàm dementes & inſani ſunt, qui ipſi Deo in Scripturis loquenti non fidem adhibent, quem nemo vnquam mendacij arguere potuit, & cui nos totos tam anima quàm corpore debemus. Vnde rurſus ſequitur præcipuam & vnicam hominis ſapientiam eſſe, Scripturis credere & obedire. His enim vera rerum tam humanarum quàm diuinarum cognitio traditur, & hæ ſolæ eam rationem nobis monſtrant, qua homo mortalis cum Deo immortali coniungi & conciliari poteſt, in quo totus noſtræ felicitatis cardo conſiſtit. Quæ cauſa eſt, quòd Moſes olim Iſraelitas ſolos gentem ſapientem & intelligentem eſſe dixit: nimirum quòd illis

Deut. 4.

ſolis

ſolis Deus ſuas leges & ſtatuta ſua credidiſſet. Et quàm verè hæc omnia dicantur, facilè patebit ſi cum ſacris ſcriptoribus philoſophos gentium conferamus, qui cùm mortaliũ ſapientiſſimi haberentur, de Deo tamen & diuinis rebus tam ridicula, tam abſurda, tamq́ inepta tradiderunt, vt non temere Paulus dixerit, eos in ſua ſapientia ſtultos factos eſſe. Quid, quòd iiſdem ſtultitia viſa fuit prædicatio Euangelij, qua Chriſtus traditur, in quo omnes theſauri ſcientiæ recõditi ſunt, quiq́ nobis à Deo Patre ſapientia factus eſt? In humanis quoq́ vmbratilem fuiſſe ſapientiam illam, cuius ſtudium iidem illi profeſſi ſunt, vel vno hoc argumento conſtat, quòd de Repub. quidem multa diſſeruerunt, nullus autem vnquã repertus fuit, qui quam ipſe animo conceperat Reipub. formã in aliquo populo cõſtituere potuerit. Sed quia iſta non ſunt huius loci, nunc tenuiſſe ſufficiat, nos tunc demũ à ſtultitia & amentiæ vitio liberos fore, ſi Scripturis credamus, & in his tradita vitæ præcepta obſeruemus.

Nunc in Chriſti verbis pergamus, qui rationem affert, cur turbari non debeant, & ait: Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & introire in gloriã ſuam? A neceſſario argumentatur, quæ ratio apud generoſos & fortes animos efficaciſſima eſt, & communi ſenſu nititur. Quid enim ineptius & ſtultius eſt, quàm eo offendi, quod aliter fieri non poteſt? Cur item pius turbetur propter ea, quæ ex Dei conſilio & certa cum ratione fiunt? Vt autem fortius animos eorum penetret, per interrogationem iſtud enuntiat: Nonne hæc oportuit pati Chriſtũ? &c. Vis argumenti præcipua in CHRISTI vocabulo latet, quo promiſſum & à patribus diu expectatum humani generis Seruatorẽ ſignificari ſæpe iam dictum eſt. Vult ergo dicere, hæc non potuiſſe aliter fieri, quia & ipſe non aliter potuerit ſuum officium exequi, & Regnum ſibi deſtinatum obtinere. Et conſultò gloriæ meminit, in quam ita ipſum ingredi oportuerit: vt huius excellentia ignominiam & ſcandalũ crucis aboleat. Ita verò paucis verbis totam humanæ ſalutis rationem & Regni Dei conditionem, quæ in Scripturis prolixè traduntur, compræhendit. Erant enim omnes homines peccatores, & propter peccatũ morti æternæ obnoxij. Salus ergo inſtaurari nõ poterat, niſi & peccata expiarentur, & mortis vires frangerẽtur. Quod cùm nemo mortalium præſtare poſſet, Deus Filium ſuum negotio huic tam arduo deſtinauit, qui in aſſumpta carne vtrumq́ præſtitit. Nam mortis ſuæ indignæ merito peccatum mundi ſuſtulit, mortem verò reſurrectione vicit, quam non multò poſt ſecuta eſt Aſcenſio, qua quaſi triumphum agens de peccato, morte, inferis & ipſo diabolo, in cælum ſubuectus eſt, vt quam ex nobis aſſumpſerat, carnem cæleſtis gloriæ participem faceret, & in ſe totum genus mortale ſeruaret. Hæc nunc breuiter perſtringimus, quia ſæpius de illis diximus, & Chriſtus ipſe hæc paucis repetens diſcipulos ad ea remittit, quæ multoties ex ipſo audiuerant.

Chriſtum oportuit per crucem in gloriam ingredi.

In præſenti autem obſeruemus, illum iſta ſic dicere de ſua morte, vt ſimul generalem doctrinam & conſolationem compræhendat, qua noſtram fidem in huius ſeculi afflictionibus & extremo mortis certamine ſuſtentemus. Si enim æternum Dei Filium iſta pati oportuit, neq́ alia via fuit, per quam quoad carnem aſſumptam in gloriam ſuam ingrederetur, & quæ ad ipſum iure pertinebat hæreditatem adiret: quid de nobis ſperabimus, qui niſi ille nos pro ſuis agnoſcat, toti perijmus? Non eſt ſeruus maior hero ſuo, neq́ decet vt diſcipuli ſors melior ſit quàm præceptoris ſui. Si ergo Dominus & magiſter noſter in terris paupertatem, famem, nuditatem, labores, curas, infamiam ſuſtinuit, ſi morte acerba & ignominioſa ſublatus eſt, quid mirũ aut inſolens fuerit, ſi nobis quoq́ iſta omnia eueniant? Quin potius iucundum nobis eſſe debet, tantum in cruce ferenda ducem ſequi: quando certum eſt, nos gloriæ quoq́ eius participes atq́ cohæredes fore, ſi afflictionum ſocij ſimus. Et reſpondet planè hiſce Chriſti verbis, quod Paulus de omnibus credentibus dicit, oportere ipſos per multas afflictiones ingredi in Regnum Dei.

Idem ad credentes pertinet.

Porro quod vno verbo dixerat Dominus, mox diligenti demonſtratione ex veteris Scripturæ teſtimonijs petita illuſtrauit. Nam à Moſe exorſus inde omnes Prophetarum libros percurrit, & omnia interpretatus eſt, quæcunq́ in illis de ipſo habentur. Potuit hoc cõmodè fieri, quando & tempus ſufficiebat ad eam rem, & cum iis ipſi res erat, quibus ſatis eſſe poterat, ſi ea cum Scripturis conuenire audirent, quorum ipſi fuerant ſpectatores. Eſt autem locus iſte diligenter obſeruandus, quia eo admonemur, cognitionem Chriſti veram atq́ ſolidam non aliunde quàm ex Veteris teſtamenti libris petendam eſſe. Viderant quidem eius opera diſcipuli, eundem concionantem audiuerant, vinculorum item & mortis ipſius magna ex parte ſpectatores fuerant: non potuerunt tamen iſta illis ad

Chriſti res cum Scripturis veteribus conueniunt.

ſalutarem eius cognitionem ſufficere, quia finem eorum hucuſq; ignorauerant. Itaq; noua demonſtratione opus fuit, qua diſcerent, hæc ita fieri oportuiſſe. Eadem hodie etiam eſt ratio. Exponunt quidem Euangeliſtæ Ieſu Chriſti hiſtoriam, miracula ſimul & mortem deſcribunt, reſurrectionem item narrant, & quæ eius conciones fuerint, docent. Quid verò iſta proderunt, niſi intelligamus, iſta omnia ex æterno Dei decreto facta eſſe, & tum ijs omnino conuenire, quæ olim de promiſſo Redemptore & humani generis redẽptione prædicta fuerunt? Vnde verò iſta cognitio peti poterit niſi ex Moſe, qui mundi hiſtoriam ab ipſa origine rerum & humani generis progreſſum ſolus deſcripſit, & ex Prophetarũ libris, quibus certa & perſpicua de Regno Chriſti in terris inſtaurando vaticinia continentur? In Moſe certè promiſsio primis parentibus data habetur de ſemine mulieris, à quo caput ſerpentis conculcari oporteat. Poſtea idem illud Abrahamo promittitur, ex cuius ſtirpe aut poſteritate ſit naſciturum. Rationem verò omnem, qua ſemen illud promiſſum peccata expiare, mortẽ vincere & ſalutem omnem nobis reparare debuit, poſtea in ſacris Leuiticis Deus adumbrauit, & quaſi in tabula depictam propoſuit. Secuti ſunt poſtea legis interpretes Prophetæ, qui myſteria iſta clarius expoſuerunt, & quæcunq; Meſsias facere aut pati debebat ſuis vaticinijs complexi ſunt. Niſi ergo demõſtretur ea quæ Chriſtus fecit & quæ cum illo ſunt facta, cum promiſsionibus illis antiquis, cùm typis legalibus & prophetarũ prædictionibus conuenire, nunquã credere poterimus, nos in eius morte vitam, in eius reſurrectione iuſtitiam, in eiuſdem aſcenſione victoriã & Regni cæleſtis hæreditatẽ habituros eſſe. Locos Scripturæ, quibus hæc demonſtrari poſſunt, non opus eſt nunc excutere. Hi enim illas legentibus paſsim occurrunt, & videtur Lucas conſultò hoc ſolũ dicere voluiſſe, quòd ſuæ mortis & reſurrectionis myſteria atq; vſum Chriſtus diſcipulis in Moſe & Prophetis monſtrauerit, vt nos ad horum lectionẽ excitaret, & illũ legis finẽ eſſe doceret: quod Apoſtoli quoq; vbiq; inculcant. Sunt hæc propter phanaticos illos diligentius obſeruanda, qui Veteris teſtamenti libros reijciunt, quaſi nunc inutiles & ſuperuacanei ſint: neq; vident aut potius videre nolunt, ſe eadem opera Chriſtianæ fidei fundamenta conuellere, quæ tota in gratuitis Dei promiſsionibus conſiſtit, quas ille patribus olim dedit. Simul eorum quoq; vanitas arguitur, qui religionẽ Chriſtianam, & doctrinam de ſola fide in Chriſtum iuſtificante, vt nuperam aut nouã damnant: cùm nullum doctrinæ genus vetuſtius ſit, nullum etiã teſtimonijs tam certis & ſolidis nitatur. Quis enim ſcriptor Moſe vetuſtior inuenitur? Quos item hiſtoricos dabimus, ex quibus certa temporum ſeries & rerũ ab origine mundi geſtarũ ordo colligi poſsit, ſi ſacros libros è medio tollas? Qui verò Poetæ, qui philoſophi digni ſunt, vt cum Prophetis conferantur, quorum vaticinia tam certa tamq; perſpicua ſunt, vt in plerisq; locis non futura prædicere, ſed res geſtas narrare videri poſsint? Agnoſcamus ergo hanc noſtræ fidei dignitatem, & Deo grati ſimus, qui Scripturas inter tam varios tamq; horribiles totius orbis motus atq; Regnorum mutationes nobis ſeruauit, in hunc vſq; diem, vt ex illis ſalutis noſtræ rationem certam diſcere poſsimus, noſq; ipſos in omnium tentationum certaminibus confirmare.

Chriſtus ſe ulterius iturum ſimulat.

Sed reuertamur ad præſentẽ hiſtoriam, qua narratur, vt tandem ſeipſum diſcipulis iſtis manifeſtauerit Chriſtus, qui hucuſq; ſub peregrini perſona latuerat. Appropinquauerũt enim vico Emaunti, quò proficiſcebantur, & vbi eò ventum fuit, ſe vlterius iturum eſſe ille ſimulauit. Vbi non opus eſt rationes quærere, quibus eum à mendacij crimine liberemus. Nec enim quicquã huius illum dixiſſe ſcribitur: ſed qui hucuſq; vt peregrinus aliquis comes itineris iſtis fuerat, nunc ipſis diuertere volentibus in cæpto itinere pergit, vt & fidem iſtorum exploret, & maiori deſiderio eorũ animos accendat. Et ſi omnino ſe ab illis diſceſſurum dixiſſet, tamen ne ſic quidem mendacij accuſari poſſet, quando multa in Scripturis dicuntur certa cum conditione, etiamſi ea nõ ſemper exprimatur. Ita Niniuitis excidium intra dies quadraginta Deus per Ionam denuntiat, neq; mendax fuit, quia eiuſmodi comminationes conditionẽ hanc coniunctam habent, quòd per pœnitentiã & ſeriam vitæ conuerſionem eas effugere liceat: ſicuti Ieremiæ cap. 18. docemur. Sic in præſenti ab iſtis etiam diſceſsiſſet Dominus, ſi nulla doctrinæ eius ratione habita ipſum neglexiſſent, aut etiam (quod impij ſolent) ludibrio habuiſſent. Quia verò ipſum retinere cupiunt, & eo argumento fidei ſuæ iam multò quàm antea confirmatioris ardorẽ teſtantur, cum illis manſit. Dicitur enim, quòd ipſum adegerint, vt ſecũ maneret. Id verò nõ de violẽta coactione intelligi debet, ſed quòd precibus amicis & idoneis rationibus ipſum retinere ſtuduerint. Et ita ſeipſum Lucas exponit, quãdo eos dixiſſe ſcribit: Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinauit dies.

Eſt

Eſt autem hoc animi pij & grati indicium. Nam illos Chriſtus amentes ſiue ſtultos dixerat, quod hominibus ambitioſis grauiſſimum conuicium eſſe putatur. Adhæc fidei quoque tarditatē ipſis exprobrauerat, non quidem in rebus dubijs & inſolitis (de quibus meritò dubitatur) ſed in ijs, de quibus certa extabant Moſis & Prophetarum vaticinia, quæ omnibus in ore erant, & de quibus toties ipſe eos admonuerat. Poterat ergo importunus & inſolens nimis videri, qui peregrinus & ignotus talia diceret. Sed non offendunt iſta eorum animos, qui nihil perinde in votis habebant, quàm vt ſuis rationibus fallerentur, quæ ipſos in fide remorabantur. Ideo iuuat eos tam fidi & liberi monitoris conſuetudo, & ea amplius frui cupiunt. Vnde apparet eos procul abfuiſſe ab eorum moribus, qui conuitia in ſe iaci & iniuriam ſibi fieri putant, ſi quando liberius accuſentur, & monitoribus ſuis ſe aſperos præbent, imò odia concipiunt, quibus eos pertinaciſſimè perſequuntur. Imitemur ergo iſtorū pietatem, & imprimis quidem tunc huius exempli meminerimus, quando à nobis quoq; Dominus abiturus eſſe videtur, dum tentationes immittit, quæ nos cum Dauide & Prophetis clamare cogunt: Quò vſq; Domine? Quò vſque obliuiſceris mei? quòuſque faciem tuam abſcondis? Tunc (inquam) fidei conſtantia & pijs precibus eum retinere ſtudeamus, & rurſus cum Dauide dicamus: Reſpice, reſponde mihi Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne in morte obdormiam: Et ego tua bonitate nitor, exultat cor meum tua ſalute, &c. Qui ita res ſuas inſtituunt, ij facilem omnino ad iuuandum eſſe mox ſentiunt eum, qui iam procul ab ipſis receſſiſſe videbatur.

Diſcipulorum pietas & gratitudo.

Facit ad huius doctrinæ confirmationem quod ſequitur. Nam cum duobus iſtis diuertit Chriſtus, vt cum ipſis maneat: nec ſolùm cum illis diuertit, verumetiā (quod totius actionis ſiue hiſtoriæ iſtius caput eſt) ſe illis manifeſtat, vt ipſum reuera à mortuis ſurrexiſſe intelligant, & in fide magis confirmentur. Id quomodo factum ſit, his verbis Lucas narrat: Et factū eſt cùm accubuiſſet cum eis, ſumpto pane benedixit, & fractū dedit eis: Adaperti ſunt autē oculi eorum, & agnouerunt eum, &c. Quod de benedictione & fractione panis dicitur, aliqui de Cœna myſtica exponūt, quaſi huius actionem nunc repetierit: & hanc ſententiam auidè arripiunt, qui ſub vna tantum ſpecie cōmunicandum eſſe contendunt. Nam hîc quoq; ſolius panis mentionem fieri clamant, & ex eo dogma illud ſuū colligunt, quo alteram ſpeciem laicis (ita enim populum Chriſtianum vocant) eripiunt. Sed nos potius ex eo, quod hîc dicitur, concludimus, eos perperā ſentire, qui locum illum de Cœna illa Euchariſtica exponunt. Quia enim in illa panem & vinū Chriſtus tradidit, & vt ex poculo iſto omnes bibant, disertè præcepit, minimè credi debet, ipſum tam citò ſuum inſtitutum mutare voluiſſe. Sed oportet eiuſmodi fulcris nitantur, qui ex ſuo capite ædificia extruunt, quæ nullis Scripturarum teſtimonijs apertis poſſunt probari. Itaq; non aliud hic factum eſſe putabimus, quàm quod ſæpe aliâs Dominus fecit. Conſtat enim ex alijs locis, hoc illi ſolenne & vſitatum fuiſſe, vt non niſi præmiſſa benedictione aut gratiarum actione cibum ſumeret. Et non malè ſentire mihi videntur, qui illum peculiari & propria benedicendi forma vſum fuiſſe dicunt, qua audita duo iſti acrius excitati ſint in eius diligentiorem contemplationē. Etenim hoc Chriſtum non alio conſilio feciſſe, rei euentus declarat. Nam mox adaperti ſunt oculi eorum, qui hucuſq; detenti fuerant, vt eum iam agnoſcerent, quem peregrinum aut hoſpitem eſſe putauerant. Rurſus autem oculorum fit mentio, ne quis in Chriſti corpore mutationem factam putet, quæ huius ſubſtantiam ſiue naturam mutauerit. Obſeruauit hoc olim D. Hieronymus, qui ad Pammachium contra errores Ioannis Hieroſolymitani inter alia ſic ſcribit: Quomodo (inquies) non cognoſcebant eum in itinere, ſi ipſum habebat corpus, quod antea habuit? Audi Scripturam dicentem: Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et rurſum: Aperti ſunt oculi eorum, & cognouerūt eum. Nunquid alius fuit quando non agnoſcebatur, & alius quando agnitus eſt? Certè vnus atq; idem erat. Cognoſcere ergo & non cognoſcere, oculorum erat, non eius qui videbatur: licet & ipſius fuerit. Oculos enim eorum tenebat, ne ſe agnoſcerent. Deniq; vt ſcias errorem qui verſabatur in medio, non corporis Domini, ſed oculorum fuiſſe clauſorum, Aperti ſunt oculi eorum (inquit) & cognouerunt eum. Hæc Hieronymi ſunt, quæ ideo adduximus, ne quis nos noui dogmatis authores eſſe clamet, aut Chriſti maieſtatem atq; omnipotentiam negari dicat, ſi eorum ſententiæ non ſubſcribimus, qui ex Chriſto nobis hodie Vertumnum aut Protheum quendam poeticum fingunt, qui corpus habeat omnipræſens, nullis tamen ſenſibus compræhenſibile.

Chriſtus ſeſe cognoſcendum præbet.

At dicunt illi, mox ſubijci: Sed ipſe euanuit ab oculis eorum: & ea locutione corporis conditio-

Vt Chriſtus euanuiſſe dicatur?

nem longè aliam quàm noſtra ſit, denotari aiunt. At ego locutionem veteris interpretis non damno, ſi ſano ſenſu accipiatur, quē in loco ſupra adducto, D. Hieronymus (qui verſionis illius author eſſe creditur) indicat, qui hoc omne Dei virtute, non corporis natura in aliam eſſentiam mutata factum eſſe docet. Quòd ab oculis repentè euanuit (inquit) virtutis Dei eſt, non vmbræ aut phantaſmatis. Quòd ſi aduerſarij noſtri euaneſcendi verbū proprio ſuo ſenſu vrgere velint, ego hunc cum religionis Chriſtianæ principijs pugnare dico, quæ Chriſtum verum corpus & aſſumpſiſſe & poſt reſurrectionem quoq; retinuiſſe docent, & proinde ad Græcam veritatem nobis recurrendū eſſe, qua Lucas hoc ſuum opus Euangelicum conſcripſit. In ea autē ſic legitur: καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Quæ verba illum non euanuiſſe, aut in nihilum redactum, ſed inuiſibilem factū fuiſſe docent. Id verò diuina virtute ſic fieri potuit, vt corporis naturam ſiue eſſentiam mutari nequaquā fuerit opus. Nec ſimpliciter ἄφαντον, id eſt, inuiſibilem aut inconſpicuum dicit, ſed, ἀπ' αὐτῶν: vt à diſcipulis illis nō amplius viſum fuiſſe oſtendat, cùm quoad corporis naturam viſibilis eſſet. Quid, quòd eadē particula diſceſſum eius ſiue motum in locum alium non obſcurè innuit. Mirum autē eſt, homines alioqui non omnino ſtupidos, hîc nobis portenta quædā fingere, cùm huius generis exempla in alijs quoq; habeantur, de quorum corporibus nemo vnquā dubitauit, quaſi non vera aut naturalia corpora habuerint.

Act. 8. De Philippo in Eunuchi Æthiopis ab ipſo conuerſi & baptizati hiſtoria Lucas noſter ſcribit: Cùm autem aſcendiſſent ex aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, nec amplius vidit eum Eunuchus: pergebat itaq; per viam ſuam, Philippus autē inuentus eſt Azoti. En Eunucho Philippus repentè ſubductus ſiue ex eius conſpectu ablatus eſt, vt ei ἄφαντος vel inuiſibilis fuerit, qui tamē corpore nequaquam mutatus, aut in alium conuerſus fuit. Et huc etiam referri commodè poteſt, quod de D. Athanaſio Theodoretus ſcripſit, eum miraculoſè Sebaſtiani cuiuſdam, quem Conſtantius ad ipſum capiendum miſerat, manus euaſiſſe, quàmuis ille cum quinq; millibus militum templum circundediſſet, & cum multis ingreſſus illum quàm diligentiſſimè quæreret. Quod ſi hæc in hominibus facta ſunt, cur in Dei Filio ſimile quid non potuit fieri, niſi corporis veri naturam exueret?

Cur tam citò à diſcipulis abierit. Quærat autem aliquis, cur tam citò à diſcipulis abierit, quàm primùm ab ipſis agnitus fuit? Reſpondeo, quia quod tunc voluit facere confectum erat. Nam dubios & inter metum atque ſpem fluctuantes conſolari, iiſdem crucis ſcandalū è medio auferre, & de ſua reſurrectione, quam ex mulieribus paulò ante reſciuerant, certos facere voluit. Ideo tam de hac quàm de morte ſua illis prolixè diſſeruit, vt hæc ita fieri oportuiſſe, nō poſſent amplius dubitare. Reſtabat ergo vnum hoc, vt quod iam fidei intellectu didicerāt, coràm quoq; viderent, & reſurrectionis ſuæ teſtes fierēt oculati. Aperit ergo illorum oculos, ſeq; illis verè videndum atq; cognoſcendū præbet. Ne tamen pro carnis ingenio, quod nondum prorſus exuerant, terrenum quid animo conciperēt, aut perpetuā corporis ſui præſentiam ſibi neceſſariam putarent, mox ſeſe ſubducit, & ita eis occaſionē præbet diligentius ruminandi ea, quæ in itinere ex ipſo audiuerant. Non ergo eis fraudi fuit ſubitus ille Chriſti diſceſſus: & deſiderio, quo eos iam magis accenderat, non multò poſt ſatiſfecit, quando eadē nocte denuo ab illis viſus eſt, & plura adhuc reſurrectionis ſuæ argumēta protulit, vt in ſequenti Sermone audiemus. Debet autem noſtræ etiam inſtitutioni ſeruire quod hîc factum eſt: Ne videlicet terrenum quid poſthac in Chriſto quæramus, & ne ſeruili ſuperſtitione hæreamus in corporis eius præſentia, quod olim officio ſuo in ara crucis probè defunctum eſt. Id enim Chriſtus poſtquam eius reſurrectionē per dies quadraginta abunde probauit, in cælos ſubuexit, eius autē loco Spiritum ſanctum nobis dedit, qui & ſalutis noſtræ arrhabo eſt, & efficaciter in nobis agit, quæ nobis porrò neceſſaria ſunt. Huius ergo virtute animati & adiuti animos noſtros in cælum attollamus, vt illic Chriſto frui poſſimus ad vitā æternam: de corporis autem præſentia litigent, quibus fabula eſſe videtur, quod ille de nouiſſimi ſeculi impoſtoribus dixit, qui ipſum certis in locis monſtraturi ſint. Vide ſupra cap. 17.

Vt hac actione diſcipuli fuerint affecti? Reliquū eſt vt videamus, quomodo tota hac actione diſcipuli iſti affecti fuerint, & quàm magnos breui tempore progreſſus in Chriſti ſchola fecerint. Vbi primum occurrit, quod non terrentur tam ſubita eius diſparitione aut diſceſſu, neq; ignauo mœcu fatiſcunt, ſed memori mente ea recolunt quæ in itinere illis dicta fuerunt, & quis tunc eis animus fuerit, ingenuè fatentur. Nonne (inquiunt) cor noſtrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via, & cùm aperiret nobis Scripturas? Ergo non aures modò eorum Chriſti verba demulſerunt, ſed in imos cordis receſſus penetrarūt,

vbi viua

vbi viuo ſenſu vim Spiritus percepere. Ardoris autem noui mentionem non temere faciunt, quem tunc ſenſerint, qui prius præ metu & dubitatione nimiùm frigebant. Eſt enim verbum Dei inſtar ignis, vt ipſe apud Ieremiam teſtatur, & ideo mirificos habet effectus, ſi quando intra animos rectè admiſſum fuerit. Nam carnis affectus excoquit, Dei amore accendit, & totos feruidos facit in ijs, quæ ad eius cultum ſiue gloriam faciunt. At qui ignem iſtum in nobis excitet, ſolus Chriſtus eſt. Docebant inter Iudæos Scribæ & Sacerdotes: ſed nemo vnquam auditus eſt, qui cor ſuum ardere diceret. Ad Caiaphæ prunas Petrus calefieri voluit, ſed per has tantumnon extincta fuerunt quæ adhuc latebant in frigenti corde fidei ſcintillæ, & ipſe turpis abnegator factus eſt. At noſtri illi Chriſtum audiunt, & mox corda eorum flammas concipiunt nouas, quibus omnis metus, omnis dubitatio & quicquid carnis ratio hucuſque dictauerat, procul expellitur. Probent ergo ſeſe ad huius exempli regulam, quotquot verbum audiunt, & eius ſtudium profitentur. Niſi enim hoc in animos vſq; deſcendat, nequicquam auditur. At ſi animis percipiatur, mox igneo ardore homines accendit, qui flammas & lucem pietatis per omnia eorum ſtudia & vitæ totius actiones diffundit. Quòd ergo iſtas hodie rariores videmus, ex eo eſt, quòd plerique verbum non aliter audiunt quàm illi, de quibus apud Ezechielem dicitur, quòd ipſis cantilenæ inſtar fuerit. Taceo nunc eos, qui loco cœleſtis illius ignis tartareas flammas animis concipiunt, & odio verbi Dei atque adminiſtrorum eius accenſi in proprium exitium ruunt. Sunt hæc deplorata impietatis indicia: quare ſerijs & aſsiduis ad Deũ precibus opus eſt, vt is animos noſtros verè illuminare & ſancto fidei ardore accendere dignetur, qui nos ad vera pietatis officia animoſos & intrepidos reddat, atque actiones noſtras gubernet.

Hunc enim ignis iſtius effectum in illis etiam cernimus. Nam eo ipſo momento ſurgentes reuerſi ſunt Hieroſolymam: nimirum, vt quod viderant & audierant, diſcipulis reliquis annunciarẽt. Atqui multa eos detinere poterant, vt ſaltem in craſtinum vſque rem differrent. Nam ſub veſperum demum incliuante iam die diuerterant, quare non dubium eſt, quin iam noctis tenebræ exortæ fuerint, priuſquam iter denuo poſſent ingredi. Deinde horis aliquot ad illud conficiendum opus erat, vt ante noctem intempeſtam, aut certè concubiam, eò peruenire non potuerint. Et credibile eſt, nocturnas profectiones non admodum tutas fuiſſe eo tempore, quando ad diem feſtum ingens ex omnibus locis hominum multitudo confluebat, inter quos multi ad ſeditiones plus ſatis propenſi, plerique autem aperti hoſtes Chriſti erant. Sed nihil horum iſtos detinere poteſt, quò minus omni mora abrupta itineri ſeſe committant. Pluris enim faciunt gloriam Dei & fratrum ſuorum ſalutem, quàm ſua commoda: quod vera fidei per charitatem agentis proprium eſſe, ſæpe iam diximus. Imitemur ergo iſtos, neque nobis graue ſit labores & pericula ſubire, quando de fratrum ſalute & Ieſu Chriſti gloria agitur. Sunt enim hæc veræ pietatis officia, quibus ille vnicè delectatur, & eadem dignis præmijs remunerat, vt in ſequentibus audiemus. Illi debetur benedictio, honor gloria & poteſtas in æternum, Amen. Redeunt ſubitò Hieroſolymam.

HOMILIA CCXIII.

Et inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipſis erant, dicentes: Surrexit Dominus verè, & conſpectus eſt Simoni. Tum ipſi exposuerunt quæ geſta erant in via, & vt fuerat agnitus ab ipſis in fractione panis. Hæc autem ipſis loquentibus, ſtetit ipſe Ieſus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Territi verò illi & expauefacti putabant ſe ſpiritum conſpicere. Tum dixit eis: Quid turbati eſtis, & quare diſceptationes aſcendunt in cordibus veſtris? Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipſe ſum. Contrectate me, & videte: Nam ſpiritus carnẽ & oſſa nõ habet, prout me cõſpicitis habere. Et cùm hæc dixiſſet oſtendit eis manus ac pedes. Adhuc autem ipſis non credentibus prę gaudio & mirantibus, dixit eis: Habetis hîc eſculentum aliquid? Tum ipſi dederunt ei partem piſcis aſsi, & aliquid ex fauo apiario: Et cùm accepiſſet, in conſpectu eorum comedit.

Marcus Homilia 137.

QVoniam homini nihil terribilius eſt morte, & huius metu multi ſæpe in fidei & charitatis leges peccant, non tam vtile quàm neceſſarium eſt, vt in reſurrectionis meditatione diligenter verſemur, quæ vt ſanctorum omnium lætiſſima ſpes fuit, ita mortis terrores ſola mitigare & depellere poteſt. Quia autem huius fundamentum eſt Chriſti reſurrectio, hanc nobis certò conſtare oportet. Ideo ille multa huius indicia diſcipulis exhibuit, inter quæ præ alijs memoratu digna eſt hiſtoria duorum diſcipulorum, quam hucuſque tractauimus. In illis enim non ſolùm Chriſti bonitas atque facilitas apparet, verumetiam fidei cum carnis dubitationibus luctantis exemplum proponitur, quo docemur, vt illa tandem Dei Spiritu adiuta omnibus obſtaculis ſuperior fiat. Qui enim prius animis perplexi & rerum incerti erant, mox vbi ſe illis Chriſtus manifeſtauit, nouis viribus confirmati, teſtes quoque eorum fieri cupiunt, de quibus paulò ante dubitauerant. Nam vt nuper dictum eſt, per noctis tenebras non ſine labore & periculo in vrbem feſtinant, vt nuntium iſtud lætum ferant diſcipulis, quos adhuc incertos inter ſpem & metum fluctuare arbitrabantur. Sequitur quis huius ſtudij ipſorum fructus fuerit, & quibus præmijs illos Dominus remunerauerit.

Diſcipuli ſe mutuo confirmant, &c.

Occurrit inter hæc primum, quòd vndecim Apoſtolos cum reliquis ſuis familiaribus ſimul congregatos inueniunt, qui ipſis dicunt: Surrexit Dominus verè, & conſpectus eſt Simoni. Ergo qui vt Chriſti reſurrectionem alijs annuntiarent, venerant, nouum huius teſtimonium ex illis audiunt, quo in ſua fide magis confirmentur. Et ſanè non vulgare, ſed dulciſſimæ conſolationis plenum fuit, quòd Simoni Petro inter primos ſeſe videndum exhibuit Chriſtus, qui propter turpem eius abnegationem digniſſimus videri poterat, qui prorſus negligeretur. Viciſſim verò duo iſti alijs quoque conſolationem adhibent, dum ex ordine exponunt, quid in via cum ipſis ille egerit, quid locutus ſit, & vt tandem ipſum ex fractione panis agnouerint. Eſt hoc piorum officium, vt mutuis conſolationibus ſeſe confirment, & ita quiſque in commune deponat ſi quid habet quod aliorum ædificationi poſſit ſeruire. Ita Paulus Romanos fratres viſere cupiebat, vt & illis donum aliquod ſpirituale impertiretur, & viciſſim ex ipſis conſolationem caperet. Et qui ita affecti ſunt, eorum ſtudia Deus irrita fieri, aut inutilia ſiue infrugifera eſſe non ſinit. Nam ad illos promiſſio pertinet: Omni qui habet dabitur. Et hæc vſura illa eſt verè Chriſtiana, qua & nobis ipſis & alijs adhæc ipſi Deo, fideliſſimo remuneratori fœneramur.

Chriſtus coràm reſurrectionis teſtimonium confirmat.

Accedit in præſenti alter fructus, quem duo illi vnà cum reliquis diſcipulis ex ſuo ſtudio perceperunt. Cùm enim quæ ipſi viderant exponunt, ea autem (vt in Marco eſt videre) nonnullis dubia eſſe videntur, en Chriſtus in medio eorum conſtitit, & eos pro more ſalutauit, dicens, Pax vobis. Ita verò & verbis eorum fidem aſtruit, ne pro vanis & mendacibus habeantur, & ſeipſum non modò redíuiuum illis ſiſtit, ſed omnem ſui meriti fructum amicè ac liberaliter eis offert: Pacem nimirum, ſub qua Hebræi omnem incolumitatem hominis, quoad corpus & animam, comprehendunt. Latius tamen pax illa extenditur, quam Chriſtus nobis acquiſiuit. Quia enim nos cum Deo reconciliauit, in ipſo pace Dei fruimur, quæ omnem intellectum ſuperat: eadem verò inter homines quoque pacis veræ & ſtabilis cauſa eſt: quia ſub illo capite vt eiuſdem corporis membra vniuntur, quotquot illum pro ſuo Seruatore agnoſcunt. Vt verò tunc ſuæ reſurrectionis teſtibus adfuit, & coram confirmauit ea, quæ ab illis dicebantur: ita nunquam deerit illis, qui ei teſtimonium fidele perhibent. Rident multi ea, quæ de toto humanæ ſalutis negotio dicuntur, imprimis fabulam putat infelix mundus, ſi quis mortuos olim reſurrecturos, & Chriſtum ad iudicium venturum eſſe dicat: ſed non eſt, vt iſta diſſimulemus, ne noſtra exiſtimatio in periculum veniat. Sæpe enim impij iſti illuſores in hoc ſeculo Chriſti conſcientias eorum compellantis teſtimonio conuincuntur: & quàmuis id non omnibus accidat, olim tamen inuitis illis veniet ipſe in nubibus cœli, & ſuis quidem optatam pacem plenamque redemptionem afferet, impios autem diris terroribus abſorptos ad tartara detrudet.

Diſcipulorum infirmitas.

Eſt autem hoc loco admodum memorabile, quod de diſcipulis dicitur: quòd nimirum poſt certa reſurrectionis Chriſti teſtimonia, adhuc dubitant, & ne proprijs quidem oculis fidẽ habent. Nam cùm illum coram viderent & ſolita voce loquentem audirent, territi & expauefacti, putant ſe ſpiritum conſpicere. Solet hoc frequenter accidere ijs, quibus aliquid præter omnem expectationem occurrit. Tanta enim eſt noſtrorum ſenſuum infirmitas, vt quæ eius generis ſunt, non modò admi-

rationem

racionem pariant, quæ nos rerum incertos facit, verumetiam exanimes interdum reddant: neq; id dolor ſolus facit, ſed gaudij quoq; eundẽ affectum eſſe conſtat. Exemplo ſunt in Romana hiſtoria duæ matres, quæ cùm totam vrbem infelix cladis ad Traſimenum lacum acceptæ nuntium perterrefeciſſet, præ lætitia ſpiritu intercluſo extinctæ ſunt: vna quidem in filij ſoſpitis complexu, cui ad portã obuia facta fuerat: altera verò, cùm quẽ domi ſedens vt occiſum lugebat, ſubitò in conſpectum venire vidit. Quid ergo mirum eſt, ſi in re omnium maxima Apoſtoli ita expauefacti ſunt, vt proprijs ſenſibus non potuerint credere? Præſtat autẽ eiuſmodi exempla diligenter obſeruare, vt minus tribuamus noſtris viribus, quarum tanta eſt imbecillitas, Deum autem aſſiduis precibus fatigemus, vt ipſe animos noſtros illuminare & ſenſus confirmare dignetur, ne in veri cognitione aberrens.

Quid verò diſcipulos terruit, cùm nihil perinde optarent, quàm Chriſtum ex mortuis ſibi reddi? Putabant (inquit Luca) ſe ſpiritum conſpicere. Idem ergo hîc paſſi ſunt quod apud Matthæũ, quando illum aquis inambulantem cernentes exclamarunt, quòd phantaſma aut ſpectrum eſſe putarent. Eſt enim vetus admodum de ſpiritibus, qui vel hominibus conuerſentur, vel illorũ loco appareant, opinio: quam apud gentes quoq; locum habuiſſe apud Platonem & alios authores inuenitur. Vocarũt hi genios, & ſingulis duos tribuerunt, bonum videlicet & malum. Originem duxit hæc doctrina ex ſacris literis, quæ Angelos frequenter olim viſibili quoq; ſpecie hominibus apparuiſſe, & iiſdem rerũ agendarum duces & tutores fuiſſe tradunt. Imò conſtat illos adhuc miniſtratores ſpiritus eſſe, qui miniſterij cauſa mittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis, adeoq; (vt Dauid ait) caſtra metari circa eos, qui Dominum timent. Sed & Chriſtus paruulis ſuos Angelos tribuit, qui ſemper videant faciem Dei. Quæ ſententia Chriſtianos Hieroſolymitanos mouit, vt cùm Petrum, quẽ illi adhuc catenis in carcere conſtrictum teneri putabant, ad oſtium pulſare ancillula dixiſſet, Angelũ eius hunc eſſe reſponderent. Et de Angelis quidem bonis piè omnino ſentiendum eſt: quia (vt aliàs monuimus) horũ conſideratio ad vitæ innocentiam & conſolationem in periculis grauioribus multũ facit. Quod autem gentium ſapientes ſingulis malum quoq; genium ſiue angelum (quos κακοδαίμονας vocat) attribuerunt, id verò à Chriſtiana pietate & religione alienum eſt: quæ diabolum quidem inſtar leonis rugientis circuire docet, & quærere quos perdat: eundem verò nihil commercij habere cum ijs, qui Chriſto verè ſunt inſiti. Sed alius adhuc error gentes decepit pernitioſior: quo animas defunctorum oberrare & conſpici crediderunt. Et credibile eſt multos Iudæorũ in ea ſententia fuiſſe, quando conſtat Pythagoricam illam παλιγγενεσίαν καὶ μετεμψύχωσιν, id eſt, animarum in alia corpora transmigrationem apud quoſdam fidem inueniſſe. Poſteris certè temporibus inter Chriſtianos homines error ille ita obtinuit, vt maximum ex eo quæſtum fecerint ſacrificuli, qui animas aut incertas vagari, aut diris purgatorij ignis cruciatibus torqueri docuerunt, donec Miſſarum ſacris multoties repetitis redimantur. Quam impietatem cùm alibi confutauerimus, non opus eſt nunc de ea aliquid dicere. Quoad Apoſtolos enim, non tam craſsè ignorantes illi fuerunt, vt aliquid huius ipſis in mentem veneric, ſpiritum tamen eſſe putauerunt eum, qui ſubitò & prius à nemine obſeruatus in medio eorum conſiſtebat. Nobis autem illorum infirmitas incitamento eſſe debet, vt maiori ſtudio Verbum Dei audiamus, quò minus erroneis opinionibus poſſimus ſeduci. Nec enim nimia eſſe poteſt aliqua inſtitutio, quando in ſanctiſſimis hominibus tam multa extant, quæ noſtri ingenij corruptionem arguunt.

Cæterùm vt ijs, qui Deum diligunt, omnia adiumento ſunt in bonum: ita feliciter quoque toti Eccleſiæ ceſſit hæc diſcipulorum infirmitas. Nam ex ea occaſionem arripit Dominus de ſua reſurrectione & corporis ſui veritate dicendi, quam argumentis grauiſſimis aſſerit. Orditur autẽ ab increpatione graui, qua ſimul cauſas incredulitatis aut diffidẽtiæ perſtringit. Quid (inquit) turbati eſtis? & quare diſceptationes aſcendũt in cordibus veſtris? Primò metũ ignauũ exprobrat, qui vt animos, ita ſenſus quoq; turbare ſolet. Exempla in re militari ſæpe occurrũt, vbi qui timorẽ ſemel animo conceperunt, ita interdũ viſu falluntur, vt ouiũ greges aut in imis vallibus ſurgentes nebulas hoſtiũ exercitum eſſe putent: & ijdem frequenter ſtrepitu foliorum cadentiũ terrentur, vt illum armorũ crepitũ eſſe ſibi perſuadeant. Et in præſenti timor obſtitit, vt Chriſtũ diſcipuli nõ poſſent agnoſcere. Deinde carnalis prudentiæ rationes in illis reprehendit, quæ cauſa erat, vt animis alternarent, & intra metum atq; ſpem dubij penderent. Etenim vbi illis locus datur, mens neq; Veritatem intueri, neque

De ſpirituum apparitionibus

Heb. 1.
Pſal. 32.
Matt. 18.
Acto. 12.

Chriſtus cauſas incredulitatis reprehendit.

hanc ſibi oblatam amplecti poteſt. Et propriè admodum in hoc argumento aſcendendi verbo Spiritus ſanctus vtitur. Vt enim nebulæ ex terra aſcendentes Solis lucem obſcurant: ita carnis cogitationes ſi admittantur, rationem impediunt, vt Verbi Dei lucem percipere non poſſit. Prodeſt ergo, imò neceſſe eſt, illas excutere, & primis initijs obſtare, ne apud nos locum habeant. Eſt autem hoc (vt alibi monuimus) non contemnendum reſurrectionis Chriſti teſtimonium, quòd eos reprehenſione dignos ille putauit, qui de ea dubitauerunt, quàmuis eam reuera factam eſſe totis animis expeterent. Quo autem ſupplicio digni erunt, qui dum noſtrorum corporum reſuſcitationem ſcurriliter negant, illam quoq; in dubium vocant? Sed audiamus, quibus argumentis, ſe vero corpore reſurrexiſſe, Chriſtus demonſtret.

Chriſtus ipſe uero ſuo corpore reſurrexit.

Propoſitio totius demonſtrationis eſt: Ego ipſe ſum. Id eſt, non ſum ſpiritus ſiue ſpectrum, ſed ille ipſe Ieſus, qui ex Maria Virgine homo natus ſum, qui in cruce mortuus & ſepulchro mandatus ſum: Ille ipſe ergo ex mortuis reſuſcitatus meum corpus vobis ſiſto. Id probat primùm certa & diligenti corporis ſui deſcriptione, quæ partium enumeratione conſtat. Nam vt Theodoretus annotauit, inter corporis humani propria præcipuum ferè eſt, compoſitum eſſe. Nominat ergo Chriſtus pedes & manus, carnem & oſſa, ſub quibus omnia alia membra atque partes comprehendit. Nam apud Ioannem cum Thoma loquens lateris quoque meminit. Niſi autem illum veras manus & veros pedes, verum latus, vera denique omnia alia corporis humani membra habuiſſe fateamur, ipſum falſi accuſabimus, imò impoſtorem fingamus oportet, qui præſtigijs voluerit diſcipulorum ſenſibus imponere: denique euerſa & conuicta iacebit huius totius actionis propoſitio, qua ſe illum ipſum eſſe dicit, qui prius cum ipſis verſatus fuerat. Poſſumus ergo argumentum ex verbis eius ſic formare: Corpus verum eſt, quod conſtat carne & oſſibus, venis, neruis & ſanguine, quod deniq; pedes habet & manus atq; reliqua membra neceſſaria: Corpus Chriſti reſuſcitatum ex carne & oſſibus, venis, neruis, ſanguine conſtat, & membra habet eadem quæ prius. Ergo corpus eſt verum, neq; ſuam ſubſtantiam & proprietates naturales depoſuit.

Senſibus ſeſe ſubijcit Chriſtus.

Facit ad huius argumenti confirmationem, quod ipſos diſcipulorum ſenſus in teſtimonium adducit, adeoq; ſeipſum illis examinandum præbet. Videte (inquit) manus meas & pedes meos. Item contrectate me, & videte. Poſſunt quidem præſtigiatores ferre vt quæ faciunt ſpectentur, imò ſpectatores ipſi alliciunt, quibus imponant: at ijdem ſua propius inſpici non ferunt, prorſus autem intolerabile ipſis eſt, vt quis manum admoueat, vt vel ipſos vel inſtrumenta eorum contrectet. Nam etſi oculi fallantur interdum, tactus tamen ſi cum viſu coniungatur falli non poteſt, ſiquidem homo ratione & communi ſenſu ſit præditus. Procul ergo à præſtigiatorum moribus & ingenio Chriſtus abfuit, qui corpus ſuum à diſcipulis propius inſpici ſimul & contrectari voluit. Ideo Ioannes doctri-

j. Ioan. j.

næ de Chriſto certitudinem aſſerturus, ab Apoſtolis eum prædicari dicit, quem audiuerint, quem viderint oculis ſuis, quem deniq; manibus ſuis contrectarint. Quod etſi ad totum illud tempus extendi poſſit, quo Chriſtus cum diſcipulis ſuis in terris verſatus eſt, imprimis tamen ad hanc actionem & ea omnia referri debent, quæ poſt eius reſurrectionem acciderunt. Nam quod Chriſtum priuſquam moreretur Apoſtoli vidiſſent, & cum eo familiariter egiſſent, ne impij quidem negabant, ſed quòd illum ex mortuis reſurrexiſſe, & proinde mortis victorem & humani generis redemptorem eſſe prædicabant, id verò pleriſq; incredibile, Iudæis autem (vt in Actorum libro apparet) auditu intolerabile videbatur. Quare Petrus quoq; apud Cornelium de ijs potiſſimùm diſſerit, quæ poſt reſurrectionem ſint facta. Itaq; corporis Chriſti veritatem nemo negare poterit, niſi qui & ipſum & Apoſtolos eius ſimul omnes mendacij arguere volet, & ſuis imaginationibus plus tribuere quàm ijs, quibus illum reſuſcitatum coràm ſpectare & tangere datum fuit.

Chriſtus ex priori forma potuit agnoſci.

Eſt autem præter hoc obſeruandum, quòd dicit: Videte manus meas & pedes meos: nam ego ipſe ſum. Ex eo enim colligimus, ita illũ reſurrexiſſe, vt ex priſtina corporis forma agnoſci potuerit. Nam niſi id demus, nequicquam illi eum ſpectaſſent. Ergo tam abeſt, vt ſubſtantiam corporis & eius propria naturalia aboleat clarificatio, quæ reſurrectionem comitatur, vt ne formam quidem prorſus tollat: ſed in corpore id ſolum aboletur quod corruptibile & mortale eſt, ita formæ vitia tantùm corrigentur: denique ea ſolummodo in toto homine tollit clarificatio, quæ iam nobis ex peccato inhærent. Poterunt ergo agnoſci homines in reſurrectione, & quia ſenſus atque intellectus tunc

perfectiſſimi

perfectiſſimi erunt, ſe mutuò omnes agnoſcent, neq; vllus porrò ignorantiæ locus erit. Huc pertinet, quòd Moſem & Eliam agnouerunt tres diſcipuli, quando clarificationis Chriſti in monte Thabor ſpectatores fuerunt, & inter hunc & illos potuerunt diſcernere, licet eos antea nunquam vidiſſent. Et nuper Cleopas eiusq; ſocius Chriſtum illico agnouerunt (ex priori nimirum forma, radiante licet & illuſtri) quàm primùm oculi eorum aperti ſunt. Nec id alicui mirum videri debet, quando ſimile quid in Moſe adhuc mortali carne veſtito accidit. De eo enim ſcribitur, quòd ex Dei colloquio nouū faciei radiantis ſplendorem contraxerit, quem etſi Iſraelitæ coràm intueri non poſſent, tamen illum verè agnouerunt. Et debent hæc diligentius conſiderari, quia non ſolum ad confirmandam Chriſti reſurrectionem faciunt, verumetiam quæ noſtra olim in patria cæleſti conditio futura ſit docent: cuius meditatio conſolationem dulciſſimam affert, quæ ſola nobis aduerſus omnes huius ſeculi afflictiones poteſt ſufficere.

Exod. 34.

Chriſtus ſui corporis præſentiam ſenſibus vult probare.

Debet præterea hoc loco conſiderari, quòd Chriſtus corporis ſui reſurrectionem atque realem (vt ita loquar) præſentiam non nudis verbis aut miraculo occulto atque incomprehenſibili, ſed eiuſmodi argumentis probat, quæ ſub ſenſum cadunt: Videte (inquit) quia ego ipſe ſum. Item: Contrectate me, & videte. Arguit hoc eorum temeritatem, qui hodie realem & corporalem illius præſentiam in Cœna myſtica ſtatuunt, vbi nullum corporis veri & naturalis indicium apparet. Clamant Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum. Et ex eo colligunt, illud ipſum corpus, quod ex Virgine natum eſt, manibus ſacerdotum contrectari, oraliter (ſic ipſi loquuntur) manducari à dignis & indignis, denique dentibus manducantium atteri. Agnoſcimus nos Chriſti verba, neq; ea vnquam negauimus. At quod illi ex eis concludunt, id negamus, quia nullum veri corporis argumentum Chriſtus nobis in Cœna exhibet, & quòd olim tale quid ſomniantes Capernaitas duriter increpuit, & ad manducationem ſpiritualem remiſit, quæ non aliter quàm fide perficitur. Vrgent illi modum præſentiæ miraculoſum & ineffabilem. At nos nefas eſſe putamus, in religione miracula fingere, quorum ſcriptura nuſpiam meminit: aut dogmata noua miraculis velle ſtabilire, quæ nemo videt aut ſentit. Quòd ſi verò illi myſterium hoc ineffabile eſſe ſentiunt, cur non ſuæ illos audaciæ & temeritatis pudet, qua illud effari conantur? Cur Eccleſiam Chriſti vocibus illis non minus barbaris quàm abſurdis fatigant, quibus corpus illius corporaliter, realiter, ſubſtantialiter & oraliter manducari contendunt? cur illud qualitatiuè & quantitatiuè, non autem localiter, adeſſe garriunt? Chriſtus, vt ſe vero ſuo corpore præſentem eſſe doceret, ad diſcipulorum captum ſeſe demiſit, ſuumque corpus illis videndum atque palpandum præbuit. Non ergo iniuriam ſibi fieri poterunt dicere, ſi quid huius ab ipſis quoque poſtulemus. Ita enim nos facere iubent Angeli, qui Chriſtum eo modo & forma rediturum eſſe pollicentur, quo illum in cælos aſcendere Apoſtoli viderunt. Et ipſe Capernaitas (de quibus ſupra diximus) ad Aſcenſionem ſuam remittit, vt vel ex ea colligant, in corporis ſui manducatione nihil craſſum aut carnale debere animo concipi. De ſenſu verborum Cœnæ alibi diximus, & proinde quicquam hîc addere non eſt opus.

Diſcipuli adhuc increduli mirantur præ gaudio.

Redeamus ergo ad præſentem hiſtoriam, quæ nouum incredulitatis argumentum in diſcipulis proponit. Nam etſi reſurrectionem Chriſti nō ſolùm multis & grauibus, verumetiam ſuperfluis (vt ſic loquar) teſtimonijs hucuſq; demonſtratam viderent, & hic ipſis nunc ſui videndi & contrectandi copiam faceret: adhuc tamen non credunt, ſed mirantur præ gaudio. Id verò diligenter Lucas annotauit, vt eos ab impijs & contumacibus reſurrectionis negatoribus diſtinguat. Nā non poſſunt quidem adhuc credere plena fide, luctantur tamē cum incredulitate ſua, & nihil magis cupiunt quàm vt verū ſit quod credere nondum poſſunt. Itaq; infirmitas fuit quæ eos impediuit, nō contumacia, multò minus impietas. Vbi rurſus apparet, quàm nobis ſuſpecti eſſe debeant noſtri affectus. Nam etiamſi ex bono principio naſcantur, & cum gloria Dei atque pietatis ſtudio coniuncti ſint, fidei tamen obſtant. Quia enim homo animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, carnis autem & vitioſæ naturæ reliquiæ in fidelibus quoque locum habent, frequenter fit, vt fidei myſteria ad rationis ſuæ calculum reuocent, & tunc de ijs incipiant dubitare, quæ carni difficilia aut impoſſibilia videntur: & quò magis gaudent eorum cōmemoratione, eò plura occurrunt, quæ dubios & præ gaudio ſolicitos reddunt. Tunc ergo videndum eſt, ne affectui ita indulgeamus, vt is fidei ſemen prorſus extin-

guat, quin potius hoc virili foueamus, vt locum demus Chriſto, qui tunc maximè ſuam erga nos bonitatem declarat, quando nobis auxilio ſuo opus eſſe videt.

Chriſtus comedit.

Facit hoc etiam in præſenti. Nam vt fluctuanti diſcipulorum fidei ſuccurrat, dicit eis: Habetis hîc eſculentum aliquid? Et ipſis partem piſcis aſſi & fauum apiarium ei offerentibus, accipit & in illorum conſpectu comedit. Eodem igitur argumento ſuam reſurrectionem probat, quo prius verè in vitam reſtitutos eſſe probauerat, quos ex mortuis ſuſcitauit. Nam huc facit quod de filia Iairi ſcribitur, cui cibum dari iuſſit, cùm eam à morte in vitam reuocauiſſet. Et Lazarum comediſſe legimus poſtquam reſurrexerat. In præſenti autem omnem doli ſuſpicionem collit, quòd non ipſe cibum ſecum allatum, ſed à diſcipulis acceptum comedit. Nec eſt, quòd aliquis obijciat, corpora clarificata non opus habere alimento, & ideo Chriſtum diſcipulis viſum fuiſſe comedere, cùm tamen reuera cibum nullum ſumpſerit. Nam fatemur nos quoq; Chriſtum cibo nequaquā indiguiſſe, vt neque noſtra corpora illo indigebunt, poſtquam reſuſcitata fuerint ad vitam cæleſtem. Non autem ex eo ſequitur, neq; illum comediſſe. Cùm enim qui in carne corruptibili adhuc viuunt multa faciant honeſtè & cum decoro, quibus minimè indigent, quid obſtat quò minus corpora clarificata, quæ membris & ſuis partibus conſtant, edere poſſint ſi velint, licet vt edant ipſis non ſit opus? Et notum eſt illud Auguſtini: Non poteſtas, ſed egeſtas edendi & bibendi talibus corporibus aufertur. Et vt à Contrario argumentemur, quis obſecro de Moſe & Elia dubitat, veri ne homines fuerint, nec ne, cùm vterque abſque cibo naturali per dies quadraginta vitam ſuſtentauerit? Si ergo in corpore mortali & corruptibili agentibus hoc datum fuit, quod propriè clarificatorum eſt: cur mirum videtur Dei Filium in clarificato corpore ad ea ſe demiſiſſe, quæ corruptibili corpori ſeruiunt? Sed ne cui hæc noua videantur, audiamus quæſo Theodoretum ſui ſeculi hæreticis reſpondentem, qui hoc dilemmate vtebantur: Chriſtus à reſurrectione vel egens verè ſumpſit cibum, vel non egens viſus quidem eſt comediſſe, cùm reuera non ederit. Quid ad hæc ille? Cibo quidem (inquit) non egebat corpus, quod immortale factum fuerat. De ijs enim qui reſurgunt dicit Dominus: Illic nec vxores ducunt, nec nubunt, ſed ſunt tanquam Angeli. Quod autem ipſe cibum ſumpſerit, teſtes ſunt Apoſtoli. Beatus enim Lucas in proœmio Actorum dixit, quòd conueſcens cum Apoſtolis Dominus iuſſit ne Hieroſolymis diſcederent. Diuus autem Petrus dixit apertius: Qui cum eo comedimus & bibimus, poſtquam reſurrexit à mortuis. Quoniam enim eorum qui ſunt in præſenti vita proprium eſt comedere, neceſſariò dominus carnis reſurrectionem oſtendit per cibum & potum ijs, qui eam veram eſſe non putabant. Hoc ipſum autem fecit & in Lazaro, & in filia Iairi. Nam cùm eam ſuſcitaſſet, iuſſit ei dari quod comederet: & vnà cùm Lazaro conuiuium iniſt, oſtendens eo argumento veram eſſe reſurrectionem. Hæc Theodoretus. Nos ergo Euangeliſtarum verbis inſiſtamus, qui Chriſtum verè comediſſe tradunt, & cum erudita illa vetuſtate teneamus illum etiam verè reſurrexiſſe, & quæ propria ſunt corpori humano ſeruaſſe: ne dum hîc ſubtilius philoſophamur, nobis noſtrorum quoque corporum reſurrectio in dubium veniat, ſine qua ſalus conſtare non poteſt. Exoſculemur ergo conſtanti fide Ieſu Chriſti bonitatē, qui ne quæ iuſta & grauis dubitandi cauſa nobis reliqua eſſet, ad ea vſque ſeſe demiſit, quibus minimè indigebat: & ex eo colligamus, illum ne nunc quidem in cœlis agentē noſtri pudere, ſed illic aduocatum fidum agere pro nobis, vt tandem nos Regni ſui cohæredes & nunquā intermorituræ felicitatis participes reddat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Dial. 2. Inconfuſo.

HOMILIA CCXIIII.

Et dixit eis: Hi ſunt ſermones, quos locutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum: oportere impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit eorum mentem, vt intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtū pati, & reſurgere à mortuis tertio die: Et prædicari in eius nomine reſipiſcentiam ac remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hieroſolyma. Vos autem eſtis teſtes horum.

horum. Et ecce ego mittam promiſſum Patris mei ſuper vos: Vos autē maneте in vrbe Hieroſolyma, vſq; quò induamini virtute ex alto.

Vide Marcum Homil. 138

PRolixè & diligenter hucuſq; Lucas vniuerſam Ieſu Chriſti hiſtoriam expoſuit, in cuius merito omnē ſalutē humani generis conſiſtere certò conſtat, cùm ſolus hic nobis à Patre ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redēptio factus ſit. At quia nulla ad nos vtilitas ex illo redire poteſt, niſi eū propter nos omnia fecisse, & quæcunq; fecit ad nos pertinere credamus, diſcipulis ſeſe non modò ex mortuis rediuiuū exhibuit, verumetiam iiſdem diligenter vſum atq; fructum ſuæ mortis & reſurrectionis expoſuit, illos deniq; horum præcones conſtituit, vt quam ipſe nobis meruit ſalutē toti mundo prædicarent. Eam actionem in præſenti Lucas deſcribit, & eſt hæc diuerſa ab ea, quam in Galilæa inſtitutam fuiſſe Matthæus narrat, quò diſcipuli poſtea ex mandato Angeli, qui mulieribus ſepulchrū viſuris apparuerat, profecti fuerunt. Nam etſi tunc plenius cum illis de hac re egerit Dominus, voluit tamen nunc quoq; eam attingere, vt eos in fide reſurrectionis magis confirmaret, & officij ipſorum cōmemoratione à cogitationibus carnis abſtraheret, quibus impediebantur, quò minus de ipſius Regno rectè ſentirent. Eſt autem locus iſte multa conſideratione digniſſimus. Continet enim ipſa ſalutis noſtræ fundamenta (vt ſic loquar) & totam miniſterij Eccleſiaſtici rationem explicat, in qua videbimus quæ illa doctrina ſit, quam in Eccleſia perpetuò retineri atque prædicari neceſſe eſt.

Ex Scripturis tradit Chriſtus omnia ſui Regni myſteria.

Rurſus autem à Scripturis exorditur, ſicuti nuper quoq; cum diſcipulis duobus in via Emauntina fecerat. Hi ſunt (inquit) ſermones, quos locutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum: oportere impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis de me. Quibus verbis duo agit. Primò obliuioſam intellectus tarditatem illis exprobrat, qui tam difficiles & ſtupidi ſint in iis credendis, de quibus ipſe toties eos admonuerit. Culpam verò amplificat, quando ſe non alia illis dixiſſe docet, quàm quæ olim de ipſo in Moſe & Prophetis atq; Pſalmis fuerunt tradita. Fuit ergo inexcuſabilis hæc oſcitantia, quòd neq; Scripturæ veteris vaticinia, neq; ipſius Chriſti verba in mentem reuocarūt, cuius domeſtici diſcipuli tam diu fuerant. Deinde quia illos totius orbis doctores facere volebat, admonet ſimul, ex quibus fontibus doctrinam haurire debeant, quam toti mundo prædicent. Ex Scripturis nimirum, quæ tunc in populo Dei receptæ, & quarum fides atq; authoritas diuinis teſtimonijs abunde erat confirmata. Et ne quis vel ipſis vel ipſorum ſucceſſoribus ſub Scripturæ nomine aut prætextu imponeret, diſertè de quanam loquatur oſtendit: de ea nimirum, quæ libros Moſis, ſcripta Prophetarum (ad quæ hiſtorici quoq; libri pertinent, quorum authores fuiſſe Prophetas conſtat) & Pſalmos continet. Et quàmuis hi quoq; inter prophetica ſcripta numerari poſſint, voluit tamen eos in præſenti ab illis diſtinguere, vt eorum meditationem diſcipulis diligentius commendaret. Habet enim Pſalmorū liber multa, quæ in nullo alio Scripturæ ſacræ libro ſimul omnia inueniuntur: vtpote varias precandi formas, quibus omnia tentationum genera & omnes vitæ humanæ caſus comprehenduntur: gratiarum item actiones, hymnos & laudes Dei, hiſtoricas beneficiorum & operum eius expoſitiones, fidei & vitæ præcepta, adhortationes, correptiones, cōminationes, & cum his conſolationes quoq; dulciſſimas: adhæc veterum minarum & promiſſionum Dei exempla luculenta, vaticinia item de Chriſto, quibus eius afflictiones, gloria, victoriæ & triumphi Regniq; eius per totum orbem felix propagatio euidentiſſimè deſcribuntur. Meritò igitur Pſalmorum peculiarem mentionem facit Dominus, quos primitiua Eccleſia in tanto pretio & honore habuit, vt vix vlli fideliū cœtus fuerint, in quibus non aliquid ex illis populo recitaretur, ſicuti in D. Ambroſij, Auguſtini & aliorū patrum ſcriptis eſt videre. Poſteris autem temporibus Pſalmodiæ quidem retentæ, ſed peregrinæ linguæ vſu inutiles factæ, adhæc multorum canticorum admixtione corruptæ ſunt, quibus multa inepta, multa ſuperſtitioſa, multa etiam impia continentur.

Scripturas definit.

Doctrina fidei ex Scripturis peti debet.

Quoad verò huius loci argumentum, nunc iſtud obſeruemus, doctrinam fidei & ſalutis, quæ Eccleſiæ proponatur, non aliunde quam ex ſacris literis peti debere. Quia enim homo animalis non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, nihil in tantis myſterijs ex ſeipſo intelliget, nihil item alios docere poterit, niſi ipſi diuinitus reueletur. At Deus, qui olim cum patribus per viſiones loquebatur, tandem voluntatem ſuam ſcriptis mandari voluit, & in ea re ceu ſcribis & amanuen-

ſibus vſus eſt Moſe atque Prophetis. Et vt Iſaias & Malachias ſui ſeculi homines de multis quærentes ad Legem remittebant: ita Chriſtus priuſquam moreretur ex veteribus ſcripturis concionum ſuarum argumenta ſumpſiſſe, & nunc poſtquam reſurrexit, idem feciſſe legitur. Debet ergo hoc ipſum perpetuò obſeruari, neque audiendi ſunt, qui vel ex ſuo capite noua dogmata fingunt, vel Concilijs opus eſſe aiunt, in quibus doctrinæ genus aut forma certa conſtituatur. Si enim Moſis Lex Prophetis ſufficere potuit, vt ad hanc omnes relegarent: ſi Chriſtus ex illa & horum ſcriptis docuit, quæcunq; ad fidei & ſalutis cognitionem faciunt: non eſt quòd hodie Scripturas imperfectiores eſſe putemus, cùm ab illo tempore illis acceſſerint Apoſtoli, qui & Chriſti Ieſu hiſtoriam ſuis ſcriptis cõplexi ſunt, & ea in illo euidenter impleta eſſe tradiderunt, quæ prius obſcuriora videri poterant. Incerti autẽ & dubij fluctuent oportet inter diuerſiſſimas de fide opiniones, quicunq; non contenti ſcripturis ab hominum authoritate pendent.

Mentes diſcipulorum Chriſtus aperit ut Scripturas intelligant. *Cæterùm non obiter modò Moſis & Prophetarum dicta diſcipulis in mentem reuocat Dominus, ſed mentem quoque illorum aperuit, vt Scripturas intelligerent. Modum & rationem Ioannes expreſſiſſe videtur, qui illum in eos flaſſe, & dixiſſe ſcribit: Accipite Spiritum ſanctum. Nam eandem hiſtoriam illic & hîc narrari, ex temporis circunſtantia liquidò apparet. Et quàmuis apud Ioannem ſubijciantur, quæ ad effectum & dignitatem miniſterij Euangelici pertinent, id tamen non obſtat, quin eadem ratione mentes quoque eorum vera Scripturarum cognitione illuminauerit, vt iam ea intelligere inciperent, quæ prius nunquam viderant. Et eſt hoc loco probè obſeruandum, quòd dum ex Scripturis concionatur Chriſtus, ſimul occulta ſpiritus virtute mentes diſcipulorum illuminat, vt illas poſſint intelligere, & mox hoc ipſum quod prius dixerat repetens infert: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit* CHRISTVM *pati, & reſurgere, &c. Hoc enim facto phanaticos illos confutat Dominus, qui Spiritus reuelationes nouas ſomniant abſque Scripturis, & has ceu inutiles reijciunt, vt quæ nihil præter mortuam literam contineant. Atqui fatemur nos quoq; ipſa literarum elementa, ſi per ſe conſiderentur, mortua eſſe: ſed illis ipſis Dei Verbum viuum & efficax expreſſum eſſe dicimus, quo Spiritus ceu proprio & ordinario inſtrumento vtitur in tradenda Dei voluntate & patefaciendis æternæ ſalutis myſterijs. Et ridiculum eſt Spiritum iactare, qui homines à Scripturis auocet, quæ ipſo authore à ſanctis Dei hominibus olim prodierunt. Quid quòd Spiritus probare iubet Ioannes Apoſtolus. Quam verò certam illos probandi regulã habebimus, ſi Scripturæ è medio tollantur?*

Scripturas exponi oportet. *Admonet præterea locus iſte, Scripturas expoſitione opus habere, neque ſatis eſſe vt illas obiter audiamus vel legamus. Habent enim veteris Teſtamenti libros Iudæi quoque, & cum illis maiorem Euangelicæ hiſtoriæ partem Turcæ amplectuntur: Sed nullus ad vtroſque inde fructus redit, eò quòd illi Chriſtum omnino reijcientes velum illud ſibijpſis obtendunt (vt Paulus ſcribit)* 2.Cor.3. *quod eos in faciem Moſis propius intueri prohibet: hi verò Mahumeticis fabulis dementati crucem & mortem Chriſti negant, ſine qua is nobis ſalutifer eſſe non poteſt. Et quod de linguis peregrinis idem Apoſtolus tradit, nullum earum in Eccleſia vſum eſſe, niſi interpres accedat, qui quod illis dictum eſt, vulgari ſermone explicet, vt ab omnibus percipi poſſit: hoc ipſum ad omnes Scripturas extendi poteſt. Nam etſi verba quoad literalem ſenſum intelligantur, non tamen ſenſum, qui ſub illis latet, omnes ſemper videre poſſunt, & ideo Scriptura multis arcæ loco eſt, quæ theſauros quidem ingentes continet, ſed quibus nemo frui poſſit, niſi clauis adſit, qua illa reſeretur. At illius clauis eſt interpretatio, quæ non ſenſum modò verborum indicat, ſed eundem rebus præſentibus accommodat: quod Chriſtum quoque in præſenti feciſſe videmus. Ne autem ſub interpretationis prætextu fallamur, tenendum eſt, ſolum Chriſtum eſſe fidum illum & germanum interpretem, qui vt finis totius Legis eſt, ita Spiritu ſuo electorum mentes aperit, vt Veritatem intelligere & amplecti poſſint. Hunc verò non ſolis Pontificibus aut horum coniuratis largitur, quos illi ſuo charactere ſignauerunt, ſed omnibus, qui in ipſum credunt, & eum ſolum audiunt. Et quàmuis non omnibus datur perfecta & plena totius Scripturæ cognitio, ſingulis tamen largitur ille, quod ipſis pro ſuæ conditionis ratione ad ſalutem ſufficit. Videant modò ſinguli, vt in precibus aſſidui ſint, & carnis ſuggeſtiones ſuſpectas habeant, quibus Spiritus reuelatio maximè impeditur.*

Quia autẽ quæri poterat, quid in Scripturis potiſsimùm viderint diſcipuli, & quid hodie etiam horum ſucceſſores ſpectare debeant, paucis ſummam omnium Lucas comprænhendit, quando Dominum illis dixiſſe ſcribit: Ita ſcriptum eſt, & ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine reſipiſcentiam ac remiſsionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hieroſolyma. Comprahenditur iſtis verbis ſumma omnium librorum Veteris & Noui Teſtamenti, quæ in duobus omnino capitibus conſiſtit, hiſtoria nimirum Filij Dei in carne manifeſtati, & eiuſdem vſu ſiue fructu. Hiſtoriam omnem ſub paſsione aut morte & reſurrectione comprahendit. Quia enim tota eius vita, quam in terris vixit, afflictionum & doloris plena fuit, ad totum quoq; illius curriculum paſsionis hiſtoria extendi debet. Ad reſurrectionem verò omnis etiam: quæ eam comitata & ſecuta eſt, gloria pertinet. Debent autem ad iſta referri omnes promiſsiones Dei, quæ olim patribus datæ ſunt, typi item legales, prophetiæ, hiſtoria deniq; ſacra, quæ lineam generis Chriſti, temporũ ſeriem, adhæc exempla fidelium & infidelium continet. Vſus verò & fructus iſtorum omnium eſt, vt in Chriſto Ieſu habeamus pœnitentiã & remiſsionem peccatorum. Quia enim non ſolùm peccatores, ſed in peccatis mortui eramus, impoſsibile nobis erat ex illis ad vitã reſurgere, niſi ea prius è medio auferrentur. Id verò mortis ſuæ merito Chriſtus fecit, qui ita illa expiauit, vt nobis amplius imputari non poſsint. Itaq; vt damnatio nulla illis incumbit, qui ei per fidem ſunt inſiti: ita ijdem in illo peccatis moriuntur, & in eodem ad vitam nouam & cæleſtem reſurgũt. Et hæc quidem Euangelicæ doctrinæ ſumma eſt, quam ſuis concionibus atq; ſcriptis Apoſtoli fuſius expoſuerunt. In præſenti autem non opus eſt de ſingulis multa dicere, cùm & veræ pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum rationem non vno loco tradiderimus. Sufficiat ergo monuiſſe, quòd duo hæc inter docendum ſemper coniungi, vtrumque verò in ſolo Chriſto monſtrari, debent. Nam ſi de ſola peccatorum remiſsione gratuita dicamus, multi ex ea peccandi licentiã captabunt. At ſi ſolam pœnitentiam quis vrgeat, in deſperationem multi incident. Quòd ſi verò abſq; Chriſto tam hæc quam illa prædicentur, mox ſuorum operum iuſtitiam hypocritæ ſtabilient, & aduerſus Dei gratiam & Chriſti meritum phariſaica ſuperbia ſeſe extollent. Summa totius Scripturæ.

At docet ſimul Dominus, quibus iſta prædicari debeant: Gentibus nimirum vniuerſis vſq; ad extremos orbis terrarum fines, vt poſtea iam cælum aſcenſurus dixit. Initium tamen ab Hieroſolyma fieri voluit propter promiſsiones, quæ apud Prophetas habentur. E Zion exibit lex (inquit Iſaias) & verbum Domini de Hieruſalem. Et Dauid in Pſalmo illo celeberrimo, quo totum Meſſiæ ex ſe naſcituri negotium complexus eſt: Dominus emittet virgam tuæ potentiæ ex Zion. Quo loco virga non aliud quàm Euangelij prædicationem ſignificat, quam Iſaias quoq; virgam oris ſui dicit, qua terram percuſſurus ſit. Debuit autem Iudæorum genti primò prædicari Euangelium, vt ſuam bonitatem ſimul & iuſtitiam ea in re Deus declararet. Bonitatis enim immenſæ & plus quàm paternæ opus fuit, quòd genti contumaci & incurabili, imò vrbi ſanguinariæ, ſalutem gratuitã obtulit. Iuſtitiæ autem ſpecimen præclarum eſt, quòd ab ingratis & pertinacibus gratiã ſuam ad gentes tranſtulit. Deniq; hac ratione inexcuſabiles facti ſunt Iudæi, neq; Apoſtolos odij aut malignitatis inſimulare potuerunt, cùm hi ipſis relictis ad gentes tranſirent. Et hæc cauſa fuit, quòd poſtea etiam vbiq; gentium in Iudæorum ſynagogis prædicandi initium fecerunt: ſicuti ex Pauli actione apud Corinthios apparet. Nam cùm illic etiam Iudæis primis prædicauiſſet, hi autem ei non ſine diris blaſphemijs contradicerent, ille excuſsis veſtibus ad eos dixit: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: purus ego ab hoc tempore ad gentes proficiſcar. Et debent hoc iuſtitiæ diuinæ exemplum, quod in Iudæos æditum eſt, diligenter obſeruare ciuitates illæ & gentes, quas noſtro ſeculo hac gratia Deus dignatus eſt, vt renaſcentis Euangelij lux ipſis primis innotuerit. Nam niſi ſe illi gratas & obedientes præbeant, idem eis quod infelici Iudæorũ populo accidet, & in illis locum habebit, quod alibi ait Dominus: Erunt primi nouiſsimi, & nouiſsimi erunt primi. Euang. omnibus debet prædicari.

Nec minus conſideratione dignum eſt, quòd eandem doctrinã ad omnes gentes extendit. Nam in eo quoq; apparet Dei bonitas, qui abſq; perſonarum reſpectu ſalutem Filij ſui merito quæſitã omnibus offert: imò miſsis hinc inde legatis omnes ad huius ſocietatem inuitat. Ideo Paulus ſcribit, Dei gratiam omnibus hominibus ſalutiferam apparuiſſe. Quotquot ergo pereunt, non illius moroſitate aut inuidia, ſed propria culpa pereunt, dum ſibi oblatam ſalutem impiè aſpernantur. Deinde præcla- Chriſti bonitas & potentia. Tit. 2.

rum eſt hoc potentiæ Chriſti & Regni eius per totum orbem propagandi argumentum. Cùm ille Bethlehemi ex Virgine homo naſceretur, Auguſtus Cæſar miſsis hinc inde edictis totius orbis cenſum inſtituit, vt ſe huius dominum eſſe teſtaretur. At nunc Chriſtus, qui ante pauculos dies in cruce pependerat, excuſſo mortis iugo vitæ reſtitutus, ſuos ſeruos ad omnes gentes deſtinat, non vt ex aliorum fortunis ſuæ ambitioni ſatisfaciat, ſed vt ſe omnium hominum Seruatorem eſſe oſtendat, & æternos Regni ſui cæleſtis theſauros plus quàm regia liberalitate in omnes diſtribuat. Poſtremò docemur hoc loco, eam ſalutis rationem quæ per Euangelium traditur, vnicam & omnibus Dei electis communem eſſe, adeò vt extra hanc nullum ſit aliud nomen ſub cælo hominibus datum, cuius merito aut reſpectu quiſquam ſeruari poſsit.

Salutis ratio una omnibus gentibus communis eſt.

Nam ſi quid huius inueniri poſſet, minimè opus erat Chriſtum in mundum venire, aut huius dilectiſsimos ſeruos fruſtraneo labore fatigare, & periculis tantis obijcere. Confutantur igitur hîc validiſsimè, qui vnumquemque in ſua religione aut patria ſuperſtitione ſeruari contendunt, modò animi intentio bona ſit. Quis enim de gentium intentione dubitet? Nulla certè vnquam tam barbara, tam immanis fuit, quæ Deum ſciens volens cultu impio irritarit: ſed omnium hic ſcopus fuit, quòd numen illud ſupremum colere, Deos ſuis ritibus placare & ſibi propitios reddere ſtuduerunt. Sed nihilominus illos Paulus ſub tenebrarum poteſtate fuiſſe ſcribit, & vt per Euangelij prædicationem ad Chriſtum adducerentur opus fuit. Nullum ergo ex ſua intentione bona fructum habuerunt. Debent hoc diligenter & ſæpe meditari noſtri temporis Epicuræi, qui nimiùm familiariter cum Deo ludunt, dum religionis cauſam indifferentem faciunt, ne aliquem hominum offendant. Qui dum hominibus parcunt, Deo Patri & Filio Dei atrocem iniuriam faciunt, vt alibi copiosè ſatis oſtendimus.

Sed accedamus ad poſtremum huius loci actum, quo ad diſcipulos conuerſus ſuum illis officium ſiue munus commendat, dicens: Vos autem eſtis teſtes horum: Et ecce ego mittam promiſſum Patris mei ſuper vos: Vos autem manete in vrbe Hieroſolyma, vſquequò induamini virtute ex alto. Quibus verbis tria agit memoratu digniſsima, de quibus ex ordine dicemus.

Apoſtolorum munus definit.

Primò munus eorum definit longè aliud quàm ipſi imaginabantur. Ipſi enim (vt ſæpe diximus) regni terreni ſpē conceperant, in quo ſibi triumphos & dignitates promittebāt. Quid verò Chriſtus? Vos (inquit) eſtis teſtes meæ mortis & reſurrectionis, & ea omnia in me ſuum complementum habuiſſe toti mundo teſtabimini, quæ olim à Moſe & Prophetis prædicta ſunt. Ioan. 15. *Idem iam aditurus mortem dicit, & poſtea in cælum abiturus hoc ipſum repetit.* Actor. 1. *Vno autem verbo eos de ſuo officio admonere, & ſimul vt ad illud ſeſe præparent extimulare voluit. Teſtes enim in cauſis controuerſis ſiſtuntur, vt per hos veritas rei cognoſcatur. Illorum ergo eſt, vt non aliud dicant, quàm quod ipſis probè compertum eſt, & in eo edicendo fortes & cordati ſint, & nihil affectui tribuant: ſed meminerint, teſtem falſum Deo exoſum eſſe, qui vt tales talionis pœna mulctentur præcepit.* Prouer. 6. Deut. 19. *Quantò autem grauius ſcelus fuerit in cauſa Dei teſtem falſum agere, & quidem cum multarum animarum iactura, quæ mendaci doctrina ſeducuntur? Fuit ergo hic non leuis ſtimulus, quem licet in præſenti non admodum ſenſerint diſcipuli, ſatis tamen conſtat illos huius poſtea probè memores fuiſſe, quando neque Sacerdotum & Seniorum minis, neque Imperatorum edictis, neque diris inauditorum ſuppliciorum tormentis adduci potuerunt, vt ea ſilentio ſepelirent, quæ Chriſtus prædicare iuſſerat. Et huius ſimiliter meminiſſe debent, qui hodie in Eccleſia miniſterio verſantur. Reliqui verò cogitent Euangelij doctrinam non inanem aut vulgarem prædicationem, ſed teſtimoniū eſſe de Ieſu Chriſto, quod ſanctiſsimi homines non ex ſuo capite, ſed ex Filij Dei mandato depoſuerunt, & ſanguine proprio cōfirmarunt. Non poteſt ergo non immaniſsimum ſcelus eſſe, ſi quis illud negare, aut ei contradicere audeat. Is enim, vt alibi Ioannis apoſtoli verbis docuimus, Deum ipſum mendacij arguit, quod inultum non feret.*

Spiritum ſanctum pollicetur

Deinde quia munus hoc non laboris modò, ſed periculi quoque plenum fore ſciebat, ne in primo ſtatim conatu ſuccumberent, promiſsionem conſolationis plenam adhibet, quæ ſimul docet, quibus armis quibúſue auxilijs rem hanc omnem confici oporteat. Dicit enim: Et ecce ego mittam promiſſum Patris mei ſuper vos. Id verò de Spiritu ſancto dicit, quem aliâs quoque illis promiſerat aduocatum & conſolatorem. Eum autem Patris promiſſum vocat, quia illum Deus olim per Prophetas pollicitus fuit. Etenim vt alia teſtimonia prætereamus, ſufficere hîc poteſt, quod Petrus

poſt acceptum Spiritum ex Ioele poſtea citauit, vt eorum calumniam dilueret, qui Apoſtolos muſto ebrios eſſe dicebant. Eſt autem diuinitatis vera argumentum, quòd ſibi poteſtatem mittendi Spiritus ſancti Chriſtus tribuit: Satis enim conſtat, hunc in nullius alterius quàm Dei poteſtate eſſe. Adhæc, dum illum diſcipulis pollicetur, euidenter ſuæ illos imbecillitatis admonet, vt intelligant, ſe ad munus hoc tam arduum nunquam idoneos fore, nec quicquam in illo cum laude effecturos, niſi cælitus adiuuentur. Quid enim in alijs erudiendis proficiat, qui ex ſemetipſo (vt Paulus ait) ne ad cogitandum quidem idoneus eſt? Non autem ideo diſcipulos perterrefacere, ſed potius modeſtiæ admonere & ſimul conſolari voluit. Oſtendit enim totam hanc cauſam Dei eſſe, qui ſuo Spiritu ipſis adfuturus ſit, vt quod in mandatis dedit, feliciter exequantur. Et debet hinc generalis doctrina peti, Regnum Chriſti non carnalibus, ſed ſpiritualibus armis propagari, inter quæ primas tenet Euangelij prædicatio, quam Spiritus ſanctus moderatur, & in auditorum animis efficacem reddit. Facit ad huius loci expoſitionem quod Apoſtolus in poſteriori ad Corinth. 10. Cap. de Apoſtolicæ militiæ armis eleganter & grauiter tradit. Nobis autem iſtius conſiderationis hic vſus eſſe debet, ne aut noſtræ prudentiæ rationibus, aut ſeditioſorum conſilijs atq; armis confiſi temere tumultuemur, & ſub religionis prætextu bella moueamus non neceſſaria. Nam vt conſtat Eccleſiam ſæpe legitimis Regum armis feliciter defenſam eſſe: ita extraordinariæ illæ defenſiones, quas abſq; certa & manifeſta Dei vocatione, interdum zelo præcipiti homines etiam non mali ſuſcipiunt, ferè eum finem ſortiuntur, quem pugna Petri ad montem oliueti habuit: & vtinam noſtro ſeculo non triſtiora & infeliciora exempla vidiſſemus.

Acto. 2.
Ioel. 2.
2. Cor. 3.

Poſtremò obedientiam diſcipulis præcipit Dominus, & huius ſpecimen ſiue exemplum ſpeciali & temporali præcepto requirit. Iubet enim ne ex vrbe diſcedant, donec virtute ex alto induantur, id eſt, donec Spiritum ſibi promiſſum accipiant. Vt ergo in origine rerum primorum parentum obedientiam expertus eſt olim Deus, dum prohibuit, ne ex arbore ſcientiæ boni & mali veſcerentur: ita nunc in humani generis reſtitutione idem præceptum inſtaurat. Nam etſi diſcipulos ad docendi munus iampridem deſtinauiſſet, etſi eoſdem diu priuatim inſtituiſſet, & nunc mentes eorum aperuiſſet, vt Scripturas intelligerent, non tamen vult, vt ipſi ſibi ſcientiam rerum agendarum vendicent, & præcipiti ſuarum virium aut propriæ dignitatis fiducia abrepti ad docendum excurrant, ſed ſuæ vocationis aut miſſionis horã expectent, quando vberiori Spiritus virtute donandi ſint, vt tanto muneri poſſint ſufficere. Et non ſuperuacaneum fuiſſe hoc obedientiæ experimentum, facilè intelliget, qui Adami lapſum & quæ ex eo in nos deriuata eſt, totius naturæ vitioſitatem propius conſiderauerit. Vt enim natura ſcientiæ appetentes ſumus, & plerunq; curioſitate nimia accenſi ea etiam ſcire volumus, quæ nihil ad nos pertinent: ita ſæpe nobiſipſis perſuademus, nos iam ad quæuis negotia obeunda plus ſatis eſſe inſtructos, nec animaduertimus ea nobis adhuc deeſſe, quæ imprimis ſunt neceſſaria. Etenim ſi diſcipulos conſideremus, multum ſanè iam illis Dominus contulerat: veruntamen hærebat adhuc in animis eorum ſpes regni terreni, qua nihil abſurdius, nihil ab eorũ functione magis alienum fingi poterat: deerat præterea adhuc illis inuicta illa animi fortitudo, deerat donum linguarum & interpretationis, ſine quibus impoſſibile erat Euangelium per totum orbem prædicare. Rectè ergo eos expectare iubet, ne quid intempeſtiuè tentando ſuam nuditatem (vt olim Adamus fecit) prodant, & ſeipſos atq; Euangelium ludibrio totius mundi exponant. Debent autem hoc ad ſe transferre omnis loci & ordinis homines, ne quod munus arduum abſq; legitima Dei vocatione ſuſcipiant. In Eccleſia certè peſtilentiſſimum eſt iſtud hominum genus, qui docendi munus appetendo omnem Eccleſiæ ordinem turbant, & ſæpe ſciſmatum authores ſunt: quod in Anabaptiſtis hodie experimur. In Repub. autem plurimum nocent, qui rerum gubernacula capeſſunt priuſquã legitimè ad ea vocentur, ſufficere autem putant, quòd honeſto loco nati ſint, & quòd ſe cum ſapientia rerum quoq; vſum aliquem coniunxiſſe ſibi perſuaſerunt. Meminerint ergo omnes, hanc tutiſſimam in rebus agendis rationem eſſe, vt Deum expectemus, qui iam olim æternæ ſuæ prouidentiæ conſilio vnumquenq; ad ſuum finem deſtinauit, & qui quos vocat, donis quoq; neceſſarijs inſtruit, vt functioni ſuæ ſatisfacere poſſint, & olim cum omnibus electis in gaudium Domini ſui Ieſu Chriſti ingrediantur. Huic debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Obedientiam præcipit diſcipulis.

HOMILIA CCXV.

Eduxit autem eos foras Bethaniam vſq;: & ſublatis manibus ſuis benedixit eis. Et factum eſt dum ipſe benediceret eis, diſiunctus eſt ab eis, & ſurſum ferebatur in cœlum. Ipſi autem adorato eo reuerſi ſunt Hieroſolymam cum gaudio magno. Erantq; ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Vide Marcum homil. 139.

QVamuis Dei Filius, Ieſus Chriſtus, mortis ſuæ merito peccatũ totius mundi expiauerit, reſurrectione autem ſua mortem quoq; vicerit, nondum tamen perfecta fuit & omnibus numeris abſoluta humani generis redemptio atq; ſalus, ſed vt cæli quoq; aperirentur neceſſe erat, quos primi parentis lapſus nobis clauſerat, & noſtræ etiam carni in illis locus pararetur: deniq; illic nobis opus erat aduocato, qui cauſam noſtram apud Patrem ageret. Oportuit ergo morti & reſurrectioni illius Aſcenſionem accedere, qua quod reliquum erat abunde præſtitit. Et hæc cauſa eſt, quòd Euangeliſtæ non modò priora illa, verumetiam Aſcenſionem eius diligenter deſcribunt: Paulus item præcipua fidei noſtræ & humanæ ſalutis capita in piorum conſolationem paucis complecti volens dicit: (Rom. 8.) *Chriſtus eſt, qui mortuus eſt: imò verò qui etiam excitatus eſt: qui etiam eſt ad dextram Dei, qui item poſtulat aut intercedit pro nobis. Debet ergo Aſcenſionis hiſtoria non minori ſtudio quàm priora illa conſiderari, quod vt maiori cum fructu fiat, primò ipſam Aſcenſionem cum ſuis circunſtantijs, deinde eiuſdem fructum atque vſum inſpiciemus: poſtremò quid hac viſa fecerint diſcipuli.*

Ordo narrationis texitur.

Quoad primum, illud tenendum eſt, huius loci hiſtoriam non ita cum ijs, quæ hucuſq; dicta ſunt, connecti, quaſi nihil interceſſerit. Nam quæcunq; audiuimus ipſo reſurrectionis die ſunt facta. Ab eo autem tempore diſcipuli ex Chriſti mandato in Galilæam profecti ſunt, vbi per totos ferè dies quadraginta cum illis ipſe verſatus eſt, & (vt in principio Actorum Lucas teſtatur) de Regno Dei apud eos multis diſſeruit, & ſuam reſurrectionem nouis indies argumentis confirmauit, quorum aliqua apud Ioannem vltimo Cap. deſcribuntur. Illuc etiam referri debet celebris illa actio, cuius Matthæus ſub finem operis ſui Euangelici meminit. Tandem cùm iam tempus illud præfinitum inſtaret, diſcipulos ſimul omnes Hieroſolymam conuocauit, & poſtquam illic quoq; omnia ea diligenter tradidit, quæ ad Regni ſui adminiſtrationẽ & munus ipſorum eis cognitu neceſſaria erãt, eoſdem Bethaniam vſq; eduxit, & ipſis videntibus ex monte Oliuarum in cælum ſubuectus eſt.

Locus, ex quo Chriſtus aſcendit.

Quod ergo in huius hiſtoriæ conſideratione primum occurrit, eſt locus, ex quo Dominus aſcendit. Fuit is Bethania, quam vrbi vicinam & ad Oliuarum montem ſitam fuiſſe, ſatis notũ eſt. Quoad hunc verò, hoc imprimis obſeruari debet, quòd Cap. 19. audiuimus, illum ex eo loco Hieroſolymam contendiſſe, quando in ara Crucis pro mundi peccatis mori debebat. Vnus ergo idemq; locus eſt, ex quo infamem & diram mortem adire, & poſtea in cæleſtem gloriam & Regni ſui hæreditatem aſcendere voluit. Non eſt hoc temere factum ab eo, qui æterna eſt Patris ſapientia. Suo enim exemplo nos admonere voluit, nobis quoq; aditum in cælos per Crucem patere, ſecundùm illud Pauli: Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnum Dei. Et huc ipſum quoque nomen Bethaniæ pertinet, quo domum afflictionis denotari alibi diximus. Docet autem nos huius loci conſideratio, ne in Chriſto huius ſeculi opes, honores, victorias, multò minus autem voluptates quæramus. Nihil enim huius ille promiſit, qui ex paupercula Virgine in ſtabulo natus, in obſcuro & infami Galilææ oppidulo educatus, poſtea per omne vitæ tempus egeſtatem & omnis generis aduerſa pertulit. Conſolationem verò ex eo petere debemus, quòd ex eodem loco & Cruci obuiam prodire, & in cælum ſubuehi debuit. Quæ enim nobis quoq; in hiſce terris agentibus Bethania eſt, eadem æternæ ſalutis adiumentum erit, ſi in fide conſtantes fuerimus. Quoties ergo vel lecto affixus decumbis, vel exul incertis ſedibus oberras, vel infamia notatus ab omnibus contemneris, aut quocunque aduerſo caſu excruciaris, hanc tuam Bethaniam eſſe memento, cui vicinus ſit verus ille mons Oliuarum, Ieſus Chriſtus, in quo pacem habemus cum Deo & qui nobis cælos ea conditione aperuit, vt per huius ſeculi aduerſa & labores ad illorum poſſeſſionem penetremus.

Quid ultimum fecerit Chriſtus in terris

Benedixit diſcipulis.

Proximum eſt, vt quid poſtremum in terris Chriſtus fecerit videamus, poſtquam in eum locum peruenit, vnde in cælos abiturus erat. Et huc pertinet quod in Actis habetur, illum ad inep tam diſcipulorum de regni Iſraelitici reſtitutione quæſtionem admodum grauiter reſpondiſſe, & ſui eos admonuiſſe officij, quod in ſuo Regno ipſi obire debebant. Poſt hac ſublatis manibus benedixit eis. Eſt autem benedicendi mos vetus, & iam olim apud patres in vſu fuit, vt vel ſenio confecti, vel morti vicini filijs ſuis ſolenni aliqua benedictione fauſta precarentur, & prophetico ſpiritu eoſdem de futuris, quæ ipſos ſcire intererat, admonerent. Sic Iſaacus iam ſenex & ſenſuũ vigore deſtitutus Eſauo, quem primogeniti loco habebat, benedicere voluit priuſquam moreretur: quando Rebecca pio & ſancto dolo benedictionẽ in Iacobum natu minorem tranſtulit, cui illam ex Dei decreto deberi ſciebat. Et hic patris exemplũ imitatus, cùm mortis horam appropinquare ſentiret, filijs ſuis omnibus ſingulari cum grauitate benedixit, ſingulis ex ordine ſua quaſi fata commemorans. Poſtea autem benedicendi munus in Lege Deus Sacerdotibus commendauit, & formam certam verborum præſcripſit, qua in dimittendis cœtibus ſacris vterentur, quæ apud Moſem talis habetur. Bendicat tibi Dominus & cuſtodiat te, illuſtret Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui. Attollat Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Ne quis tamen benedicendi poteſtatem penes Sacerdotes ita eſſe putaret, quaſi ex illis penderet populi totius incolumitas (quod hodie de Pontificibus ſuperſtitioſè creditur) addit ibidem Dominus: Ponent nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Benedictionis ergo author verus Deus eſt, Sacerdotibus verò miniſterium ſolum cõmiſſum erat, & hi benedicebant populo, quia Chriſti perſonam ſuſtinebant, qui reuera ſemen illud promiſſum eſt, in quo omnes gentes benedicuntur, ſicuti Abrahamo & reliquis patribus olim Deus pollicitus fuit. Itaq; quod Sacerdotes nudis verbis precabantur, id Chriſtus reipſa confert. Nam abolita per ſuæ mortis meritum maledictione, quæ miſeros mortales premebat, peccata ſimul ſuſtulit, Legis ſyngrapham deleuit, nobis verò iuſtitiam ſempiternam (vt Daniel prædixerat) reduxit, & cum Patre reconciliatos ſalutis atq; beatitudinis æternæ heredes fecit: idem Spiritũ adoptionis cordibus noſtris inſerit, in quo clamamus, Abba pater: deniq; tam nobis quàm ijs quæ hîc agentibus accidunt, ita benedixit, vt ipſi per fidem inſitis & Deum verè diligentibus omnia adiumento ſint in bonum. Quæ omnia Paulus vno verbo complectens, Deum nobis in Chriſto benedixiſſe ſcribit omni benedictione ſpirituali. At hîc imprimis obſeruatu dignum eſt, quòd ſolennem hunc benedicendi actum in poſtremum vſq; diſceſſum diſtulit: & quemadmodum boni hoſpites amicis hoſpitibus valedicentes, iiſdem ξένια, id eſt, dona hoſpitalitatis largiuntur, vt his ſuam apud illos memoriam ſanciant, & perpetua amicitiæ ſymbola poſt ſe relinquant: ita Chriſtus ex mundo hoc diſceſſurus, ſuis benedictionem reliquit, vt teſtaretur ſalutem plenam nobis partam eſſe, nos item ab omni maledictione liberatos & Patri reconciliatos eſſe, ſe deniq; certa gratiæ Dei nunquam intermorituræ ſymbola apud nos deponere, ne de illius erga nos voluntate porrò dubitemus. Cõtinet ergo hic poſtremus eius actus multiplicem conſolationem, qua nos in omni tentationis genere confirmemus. Maledictionis in Lege pronuntiatæ ſententiam obijcit Satan, vt ſalutis incertos reddat: ſed tunc in mentẽ veniat, nos Chriſtum habere, qui illam aboleuit, & in quo omnes gentes benedicuntur. Stringit in nos excommunicationis fulmen Antichriſtus, & vt vita hac indignis aqua & igni interdicit. Rurſus ergo meminerimus, Chriſtum eſſe qui in ſe credentibus benedixit, & eius benedictionem perpetuò ratam fore, cùm ipſi omnis poteſtas data ſit in cælo & in terra. Ideo Dauid olim dicebat: Domini eſt ſalus, ſuper populum tuum benedictio tua. Item: Ipſi quidem maledicent, tu autem benedices. Nouerat enim Dauid Abrahamo olim dictum fuiſſe: Benedicam illis, qui tibi benedicunt: maledicentibus verò tibi maledicam & ego. Quò referri debet Balaami exemplum, in cuius ore maledictionẽ Deus in benedictionem commutauit, cùm Iſraelitas ille diris deuouere inſtituiſſet. Similiter quando periculis vndique circundati & omni humano præſidio deſtituti ſumus, tunc cogitemus, Dei Filium ſublatis in altum manibus benedixiſſe ſuis, cùm hinc diſcederet. Sumus ergo ſub Dei Patris tutela, quæ ſola aduerſus totius mundi furores poteſt ſufficere. Nam ſi Deus nobiſcũ (dicebat olim Apoſtolus) quis contra nos?

Num. 6. — Epheſ. 1. — Pſal 3 & 109. — Gen. 12.

Aſcenſionis hiſtoria.

Sequitur ipſa Aſcenſio, quam his verbis Lucas deſcribit: Et factum eſt dum ipſe benediceret eis, diſiunctus eſt ab eis, & ſurſum ferebatur in cælum. Plura poſtea in Actorũ libro dicuntur, vbi

nubis quoq; meminit, quæ ipſum vehiculi inſtar in cælum ſubduxerit. Ibidem Angelos producit, qui diſcipulos rei nouitate attonitos & in altum ſuſpicientes allocuti ſunt, & præclarum tam de illius
Christus idem aſcendit, qui ex Maria natus eſt. *Aſcenſione quàm reditu, qui ſub finem ſeculorum futurus eſt, teſtimonium tulerunt. Quæ omnia ſi in vnum conferantur, euidentiſſimè docent, illum ipſum Ieſum, qui ex Maria Virgine homo natus eſt, qui in cruce mortuus tertio à morte die reſurrexit, & de quo hucuſq; ſermo fuit, ex hiſce terris in cæleſtes ſedes commigrauiſſe, quò ſe iturum eſſe, non ſemel antea prædixerat. Scio nonnullos neſcio quam œconomiam & diſpenſationem fingere, ſecundùm quam iſta dicantur, & iidem nos de Chriſto nimis humiliter ſentire clamant, quando eum à reſurrectione verum corpus & eiuſdem propria retinuiſſe dicimus, adhæc Aſcenſionem eiuſmodi ei tribuimus, quæ motu ex loco in locũ facta ſit, & quæ corporis ipſius omni præſentiam tollat. At videant illi, ne dum ipſi noua gloria eum ornare ſtudent, Chriſtum nobis fingant, qualem neq; Scriptura vſpiam tradit, nec quiſquam ſanctorũ agnouit. Nec periculum eſt, ne humilius quàm par ſit de illo loquamur, ſi verbis ex ipſius ore petitis cum Apoſtolis & Angelis dicamus, illum non amplius eſſe in mundo, ex mundo hoc abiiſſe, à diſcipulis diſiunctum & ſublatum eſſe, nunc in cælis conſidere, & quidem eo in loco, quò nos quoque venturos eſſe ſperamus: adhæc ne in cælis quidem corpus ſemel aſſumptum depoſuiſſe, ſed ſalua eius ſubſtantia illud gloriæ cæleſtis capax feciſſe. Quid enim horum à nobis excogitatum dici poteſt? Nonne ipſe dicit: Relinquo mundum, eo ad patrem, expedit vobis vt abeam? Annon Lucas ſcribit, quòd à diſcipulis diſiunctus abierit, & quòd à nube ſubuectus ſit? Annõ Marcus eum ſurſum aſſumptum eſſe ait in*
Phil. 3. *cælum? Annon Paulus illi in cælis agenti corpus tribuit, cui noſtra corpora conformia fieri opor-*
1. Theſſ. 4. *teat? Imò annon in nubibus cæli venturum, & nos in eius occurſum per aerem rapiendos fore docet? Atqui omnia iſta motum ex loco in locum exprimunt: quæ ſi altiuolantibus illis Chriſtophiloſophis eius maieſtate indigna videntur, non nobis, ſed ipſi & Spiritui ſancto litem moueant. Nos enim aliter loqui nefas eſt, quàm in eius ſchola edocti ſumus. At poſſent nos ita loquentes illi fortaſſis ferre, niſi per Aſcenſionis articulum præſentiam corporis Chriſti in Cœna à nobis oppugnari, & hũc arietem vehementiorẽ eſſe ſentirent, quàm qui ab ipſis eludi aut auerti poſſit. Sed vt id faciamus illius exemplo iubemur, qui apud Ioan. Capernaitas corporalem ſuæ carnis manducationẽ ſomniãtes ad Aſcenſionem remiſit, vt oſtenderet tunc perſpicuè ſatis intellecturos eſſe, quàm abſurdum hoc ipſorum commentum ſit, quando ipſum videant carnem illam in cælum euehere, cuius eſum corporalem ipſi nunc imaginentur. Confugiunt illi ad neſcio quam carnem Chriſti, quæ propter perſonalem vnionem diuinitatis propria receperit. At nos ſacrarum literarum teſtimoniis edocti cum Theodoreto » dicimus: Vnio non confundit naturas. Et eiuſdem patris verbis illos interrogamus: Si caro mutata » eſt in naturam diuinitatis, cur iis communicant, quæ corpus repræſentant? Eſt enim figura ſuper-» uacanea, ſi ablata ſit veritas, &c. Quod de Cœnæ ſacræ ſymbolis ab eo dici, ex aliis locis abunde conſtat. Nec eſt quòd nouos cælos Dædali illi nobis fabricent, quos cum neque locum certum eſſe, neque in ſe locum aliquem continere clament, verius Vtopiam quàm Cælum dixeris. Ignorat enim cælos illos Scriptura, ſufficit autem Chriſtianis hominibus cælum illud, in quo ſibi à Chriſto locos ſiue manſiones certas iam paratas eſſe ſciunt, & ex quo idem ille nouiſſimo die veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Iſta ſic in Scripturis traduntur, iiſdem fidei Chriſtianæ articuli conſentiunt, & ita omnis vetuſtas credidit. Poſteris demum temporibus nouus ille Deus Mayzim, quem Antichriſto tribuit Daniel, nouo cælo opus habuit, quod iidem illi primùm fabricare conati ſunt, qui illum infelici mundo pepererunt. Poterant hæc prolixè tractari, ſed quia de tota hac cauſa in Actorum Apoſtolicorum & Marci explicatione dictum eſt, ſatis nunc ſit iſta paucis perſtrinxiſſe.*

Aſcenſionis fructus. 1. Certitudo ſalutis. *Debent autem Chriſtiani homines, relictis curioſis & ſpinoſis diſputationibus, fructum & vſum Aſcenſionis dominicæ potius conſiderare, qui nobis multiplex occurrit. Primò redemptionis & ſalutis noſtræ certitudinem confirmat, & Chriſtum reuera peccati, mortis, inferorum & ipſius diaboli victorem eſſe docet. Poteſt enim triumphus dici, quem de hoſtibus ſuis in diſcipulorum conſpectu egit, ne quam in eorum animis trepidationem relinqueret. Solent enim huius ſeculi Reges deuictis hoſtibus magnis & potentibus, qui toti regno formidabiles fuerunt, triumphantes in vrbem ingredi. Præferuntur ſigna militaria hoſtibus erepta cum aliis ſpoliis, ipſi curru magnifico ſublimes vehuntur, at hoſtium duces mæſti ducuntur ſuam fortunam habitu & lachrymis teſtantes:*

quæ

quæ omnia vt victoribus glorioſa ſunt, ita populi totius letitiam augent, qui hoſtes omnino deuictos & captos cernens metu omni liberatur, & principum liberalitate fruitur, qui ferè pecuniam in vulgus ſpargere conſueuerunt. Tale quid in Aſcenſionis hiſtoria Paulus cogitare docet, qui de Chriſto victore & Eccleſia ſua perpetuo gubernatore ſcribens, illud Pſalmi adducit: Cùm aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Et eòdem referri poteſt, quod apud Matthæum diſcipulis dixit: Data eſt mihi poteſtas omnis in cælo & in terra. Vt verò iſta ad gloriam Chriſti illuſtrandam faciunt: ita in tentationibus, quibus ſuam contra nos ſæuitiem diabolus oſtentat, adhæc aduerſus mortis & inferorum terrores fidem noſtram plurimùm confirmant. Cur enim vel diabolum timeamus, vel mortem formidemus, aut ad inferorum mentionem contremiſcamus, quando illum deuictum eſſe, & tam de illo quàm omni eius potentia Chriſtum triumphauiſſe ſcimus? Quin tunc ad nos pertinere cogitemus, quòd Stephano ſe tunc ille videndum exhibuit ad dexteram Dei ſtans, quando is ab iniquis iudicibus iamiam ad diram necem rapi debebat. Quam enim ille tunc ſenſit conſolationem, eam omnes ſentiunt, qui ipſum fide vera & conſtanti amplectuntur.

Secundò ad ſalutis noſtræ complementum facit Aſcenſio iſta. Nam vt initiò monuimus, deuicta iam morte & expiato peccato, vnum hoc reliquum erat, vt cælorum fores denuo nobis patefierẽt. 2. Complementum ſalutis. *Scimus enim paradiſi oſtium, cùm ex illo Adamum Deus eieciſſet, Cherubim adhibitis & gladio igneo atq; verſatili obſtructum fuiſſe, ne ad carpendũ fructum arboris vitæ illuc ſeſe homo inferret. Quo typo ſignificabatur Dei ira aduerſus peccatum fulminans, cuius tanta vis fuit, vt nemo hominum ſuis viribus illam vincere & amiſſam vitæ cæleſtis poſſeſsionẽ denuo acquirere poſſet. Ea denique hominis miſeria eſt, vt (quod Paulus teſtatur) caro & ſanguis Regnum Dei poſsidere nequeant.* 1. Cor. 15. *Quod ipſum Chriſtus docet, Nicodemo dicens: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit è cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. Vt ergo nobis quoq; cæli reſerarentur opus erat: Et hoc Chriſtus præſtitit, quando quam ex nobis aſſumpſerat carnẽ propria virtute in cælos intulit, & ad dexteram Dei Patris collocauit. Cur enim poſthac de Regni cæleſtis hæreditate dubitemus, qui Chriſtum dixiſſe ſcimus: Vado vobis paraturus locũ: & cùm abiero & parauero vobis locum, rurſus veniam, & aſſumam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis?* Ioan. 14. *Facit certè ad huius promiſsionis confirmationem, quòd qui à nobis acceptã carnem in cælos ſubuexit, nobis viciſsim Spiritum è cælis demiſit, qui ſalutis noſtræ arrhabo ſit, & ſimul nos ſua virtute ex verbi ſemine in filios Dei regeneret. Quod veteres quoq; obſeruauiſſe, ex Tertulliani verbis apparet, qui in libro de Reſurrect. carnis ſic ſcribit: Quemadmodum nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonẽ carnis „* Tertullian. *accepit, & vexit in cælum, pignus totius ſummæ illuc quandoq; redigendæ. Huius autem meminiſſe „ debent, qui corpore ſuo diutinos morborum cruciatus ſuſtinent, aut quibus mors hoc potiſsimùm nomine terribilis videtur, quòd corpus in ſepulchro vermium eſcam futurũ & à putredine conſumendum, vel etiam ignominioſe ab hoſtibus tractandum fore cogitant. Quid enim refert, quid de corpore fiat iam omnibus ſenſibus orbato? Nam vt veteris Poetæ verbis vtar, tabes ne cadauera ſoluat*

An rogus, haud refert: placido natura receptat

Cuncta ſinu, finemq; ſui ſibi corpora debent. Chriſtianos autem homines conſoletur quòd illud ipſum corpus, quod vel terræ mandatur, vel cum contumelia abijcitur, ſuo tempore non ex terra modò reſurrecturum, ſed in cælos quoque aſcenſurum eſſe ſciant, vbi immortalitate beata coronabitur. Quin ergo tum eodem Tertulliano dicimus: Securi eſtote caro & ſanguis, vſurpaſtis & cælum & „ Regnum Dei in Chriſto.

Tertio ad Sacerdotium quoq; illius Aſcenſio pertinebat, & ideo illum aſcendere oportuit, vt nos in cælis aduocatum & interceſſorem habere conſtaret. Olim quidem in Sanctum ſanctorum ſemel duntaxat in anno ſummus Sacerdos ingrediebatur, non ſine ſanguine, quem pro ſemetipſo & populi ignorantijs offerebat. 3. Interceſsio Chriſti aſtruitur. *Qua ceremonia (vt Apoſtolus docet) ſignificabat Spiritus ſanctus, nondum patefactam eſſe viam Sanctorum, priore tabernaculo adhuc conſiſtente.* Hebr. 9. *Quod ergo illis figurabatur, id Chriſtus reipſa præſtitit, quando non cum pecuino, ſed cum proprio ſanguine, non in manufactum Sacrariũ ingreſſus eſt, ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis. Quò Ioannes reſpiciens, ſcribebat: Si quis peccauerit, aduocatũ apud Patrem habemus, Ieſum Chriſtum*

iuſtum. Et Paulus (vt initio monuimus) cum ſeßionis Chriſti ad dextram Patris meminiſſet, mox ſubiecit: Qui & poſtulat ſiue intercedit pro nobis. Vides ergo illum Aſcenſione ſua perfeciſſe, quæ in Regis & Sacerdotis munere adhuc reſtabant, & proinde nimium imprudentes eſſe eos, qui illius hiſtoriam nouis figmentis obſcurant.

4. Vitam & mores inſtituit.

Poſtremo magnus inſuper Aſcenſionis vſus eſt ad vitam piè & Chriſtianè tranſigendam. Quia enim in cælis iam viuit & regnat Chriſtus, qui caput noſtrum eſt, illic noſtra quoq; ciuitas & patria ſit oportet. Itaq; noſtrum fuerit, vt relictis huius ſeculi ſtudijs, ad cæleſtia aſpiremus, & vitam viuamus nouam, quæ illius ſanguine redemptos & ex eius verbo renatos deceat. Et cur adhuc terrenis immerſi hæreant, qui iam illius Spiritu animantur, cui cum mundo & carne nihil commune eſt? Aut cur huic ſeculo ſeruiant, qui in eum finem vocati ſunt, vt olim in cælis æterna gloria cum Chriſto Ieſu fruantur? Ita nos argumentari docet Paulus, cuius hæc verba ad Coloſſen. tertio cap. leguntur: Itaq; ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens. Superna curate, non terreſtria. Nam mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quando Chriſtus vita illa noſtra, patefactus fuerit, tum & vos cum eo patefietis glorioſi.

Quid fecerint diſcipuli.

Cæterùm ad huius doctrinæ explicationem pertinet poſtrema huius loci pars, qua quid diſcipuli Chriſto in cælos ſubuecto fecerint, narratur. Proponitur enim in illis exemplum vitæ Chriſtianæ, quod qui imitantur, ij non ſolum Aſcenſionem Chriſti, ſed mortem quoq; & reſurrectionem eius verè exprimunt, & pro germanis illius diſcipulis cenſeri debent. Sic autem ſcribit Lucas: Ipſi autem adorato eo reuerſi ſunt Hieroſolymam cum gaudio magno. Erantq; ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum: Quibus verbis quatuor dicuntur, quæ nobis ex ordine conſideranda veniunt.

1. Adorant Chriſtum.

Primò adorauerunt Chriſtum, vt quem pro Deo & Domino ſuo iam verè agnoſcebant, cùm eius diuinitatem poſt tot opera miraculoſa nunc per reſurrectionem ex mortuis & glorioſam Aſcenſionem in cælos abunde demonſtratam & confirmatam eſſe viderent. Thomas certè qui reliquis in fide infirmior fuit, cùm illum reuera ex mortuis reſurrexiſſe cerneret, clamabat: Dominus meus, & Deus meus. Quantum ergo ad eorum fidem momenti acceßiſſe putas ex quadraginta dierum diligenti inſtitutione, ex præſenti Aſcenſionis ſpectaculo, & Angelorum teſtimonio, qui eius reditum quoq; ad iudicium pollicebantur? Eſt hoc primum fidei Chriſtianæ caput, adeoq; omnium, quæ de ea dicuntur, fundamentum: vt Ieſum hunc, qui ex Maria Virgine homo natus eſt, æternum Dei Filium, Patri coeſſentialem & Deum verum eſſe credamus. Talem omnes Scripturæ prædicant, quarum teſtimonia cùm alibi non ſemel citauerimus, & illas legentibus nunquam non occurrant, non opus eſt modò repetere. Et vt ita credamus neceſſe eſt, quando quam in illo collocatam habemus, ſalutis fiducia nobis conſtare non poteſt, niſi pro Deo agnoſcatur omnipotenti & æterno, qui ſibijpſi ſufficiat. Exorti ſunt noſtro ſeculo impij quidam hæreſum veterum inſtauratores, qui illum quoad humanam modò naturam Mediatorem inter Deum & nos eſſe docuerunt: quia nimirũ illis abſurdũ nimis videbatur Deum ad Mediatoris officium detrahere. At ijdem non viderunt, omnibus ijs quæ Chriſtus propter nos fecit & paſſus eſt, ex eo dignitatem & virtutem omnem accedere, quòd qui illa fecit, non homo nudus, ſed æternus quoq; & dilectus ille Dei Filius eſt. Ideo Theodoretus ipſo Interceſſoris aut Mediatoris nomine diuinitatem ſimul & humanitatem comprehendi ſcribit. Nam quoniam (inquit) Patri vt Deus coniunctus eſt, vt qui eandem habeat ſubſtantiam: vt homo autem nobis (à nobis enim ſerui formam accepit) meritò interceſſor dictus eſt, vnitate naturarum diuinitatis nimirum & humanitatis, ea quæ ſunt diſtantia & disiuncta coniungens, &c.

Dial. 2. qui inſcribitur Inconfuſus.

Inſiſtamus ergo nos quoq; Scripturæ & venerandæ vetuſtatis veſtigijs, & ita Ieſum Chriſtum in carne manifeſtatum & pro nobis occiſum atq; reſuſcitatum eſſe credamus, vt de eiuſdem diuinitate æterna nihil dubitemus. Simul autem obſeruemus hîc diligenter, vt illum diſcipuli adorauerint. Num aram illic loci conſecrant? num ſacellum extruunt? num imaginibus pictis aut ſculptis hiſtoriam Aſcenſionis repræſentant? num poſtea illuc currunt religionis ergò, vt ex loci ſanctitate pondus aliquod precibus illorum accedat? Nihil huius vel hîc vel alibi ſcribitur. Sed vt tunc res ferebat, ſimpliciter illum adorant, vt quem pro diuinitatis natura omnipræſentem eſſe credunt, qui tam illic quàm alibi preces ipſorũ exaudire poßit. Et illud Chriſti ſciebant, qui iam tempus illud veniſſe

dixerat,

dixerat, quo abſq; locorum diſcrimine Deus paſſim in Spiritu & veritate adorari velit. Quod exemplum ſi poſteri imitati fuiſſent, qui zelo quidem ſancto, non autem ſecundum ſcientiã, loca vel Chriſti vel Martyrum exemplis celebria conſecrarunt, minus ſuperſtitionum irrepſiſſet in Eccleſiam. Nihil certè huius vel ab Apoſtolis vel viris Apoſtolicis vnquam factum eſſe legimus. Confutantur igitur horum exemplo, qui religionem & preces locis certis aſtringunt, qui imagines in Chriſti & beneficiorum eius memoriam conſecrant, qui ipſum & eius meritum hinc inde monſtrant, & ex ijs rebus ſuperſtitionis materiam atq; occaſiones vænantur, quibus in ſyncera fide debebant confirmari.

Secundum eſt, quòd Hieroſolymam reuertuntur, ſicuti ille mandauerat, & quidem cum gau- 2. Redeunt in *dio. Cur enim non gauderent illius militiæ adſcripti tyrones, qui iam nunc tam præclarum ſui im-* urbem. *peratoris triumphum viderant? Veruntamen multa illos mouere poterant, ne in vrbem redirent. Quis enim dubitet, incommodum valde fuiſſe hominibus peregrinis & pauperculis diutius moram trahere in vrbe populoſa? Et vt tædium iſtud ferre potuerint, periculoſum tamen erat inter eos verſari, qui cum Chriſti & doctrinæ eius odio flagrarent, ex eius morte animos maiores conceperant aduerſus omnes eos, qui eius nomen profitebantur. Et vt ingenioſa eſt in metu diſſimulando & ſuis commodis quærendis caro, religionem prætexere poterant, & eo prætextu in Galiæam ad ſua redire ne Spiritum ſanctum, qui vbi vult ſpirat, loco certo alligare viderentur. At nihil horum iſtos mouet, quò minus animo alacri & læto Domini mandatis obtemperent. Eſt hoc proprium illis, qui Ieſum Chriſtum agnoſcunt Deum eſſe, qui coli & adorari debeat. Vt enim ſeruus fidelis & bonus, obedientia teſtatur, quanti herum ſuum faciat: ita pij non nudis verbis & ore ſolo Deum iactant ſed eundem omnibus vitæ officijs colunt, ne ipſis dicatur, quod hypocritis olim dictum fuit: Si ego pater ſum, vbi honor eſt meus? ſi verò dominus ſum veſter, vbi mei timor? Hîc autem imprimis opus eſt videre, ne carnem in conſilium admittamus, quæ Spiritui ſemper reluctatur, & dum ſuis deſiderijs fertur, Deo inobedientes facit. Ideo Euangelicæ prædicationis hunc finem eſſe Paulus docet, vt omnis intellectus atque ſenſus hominis per fidei obedientiam verbo Dei ſubijciatur: quod Abrahamum olim feciſſe conſtat tunc quoque, quando ea iubebat Dominus, quæ non dura modò, verumetiam iniqua & inhumana videri poterant. Parum ergo adhuc in fide Chriſti profecerunt, qui ne in ijs quidem ei obediunt, quæ abſq; omni periculo fieri poſſunt, & ex quibus commodum multiplex ad nos redundat.*

Tertio gaudent diſcipuli nunc, qui prius mœrore & triſtitia affecti fuerunt, quoties ſui diſ- 3. Gaudent. *ceſſus mentionem Chriſtus faciebat. Mirifica ergo hæc fuit animorum conuerſio, quæ non aliunde enaſci potuit, quàm ex Chriſti cognitione, quæ nunc illis plenior & ſolidior affulgere cæpit, vt antea quoq; diximus. Etenim ſola hæc gaudium verum parit, & omnia ea amolitur, quæ nos contriſtare ſolent: qualia ſunt peccatorum conſcientia, iræ Dei ſenſus, mortis terrores & quæcunque alia calamitates nobis accidunt. Nam qui Chriſtum verè agnoſcunt, ij huius merito & virtute peccatum mundi omne expiatum, Patrem nobis placatum, mortem ex peccati pœna in felicem ex huius ſeculi palæſtra in vitam tranſitum commutatam, aduerſa deniq; omnia per illius crucem conſecrata eſſe intelligunt, vt læta & ſalubria ſint patientiæ Chriſtianæ exercitia, quibus remuneratio ampliſſima in cælis iam præparata ſit. Hinc ergo gaudium illud naſcitur, quod in medijs etiam afflictionibus mentes piorum exhilarat, & quod Paulus inter Chriſtianos perpetuum eſſe vult, quia vt ex cauſis pijs naſcitur, ita finem quoque habet beatiſſimum, neque in luctum deſinit, quod ferè impijs ob res huius ſeculi fluxas & inhoneſtas gaudentibus ſolet accidere.*

Quartò frequentes in templo fuerunt Apoſtoli toto illo tempore, quod ab Aſcenſionis die ad 4. In templo *Penteceſten vſque effluxit: in templo autem laudarunt & benedixerunt Deum. Non ergo propter* laulant Deum. *Sacerdotum aut Scribarum doctrinam aut quòd in ſacris venalibus ſpem ſalutis repoſitam haberent, cœtus publicos adierunt: ſed vt fidem ſuam publicè profiterentur, Deo Patri pro exhibito Meſſia gratias agerent, beneficia eius prædicarent, & Spiritum ſibi promiſſum precibus aſſiduis expeterent. Neque à templo abhorruerunt, etſi huius vſum & totam religionem externam impij Sacerdotes corrupiſſent, & in populo, qui illuc cõfluebat, cum impietate ſcelera grauiſſima regnarent. Quia enim templi vſus per ſe ſanctus erat, & aliquas ſciebant eſſe in corruptiſſima gente reliquias, ex quibus Eccleſiam inſtaurari oporteret: noluerunt illis deeſſe, neque aliquam occaſionem negligere,*

qua ſuum Chriſto obſequium præſtare poſſent. Longè ergo alia illorum mens fuit, quàm Anabaptiſtarum, qui dum Eccleſiam puram & omnibus numeris abſolutam quærunt, à cœtibus ſacris in vniuerſum abſtinent, imò eos etiam Satanæ tradunt, qui fidem in Chriſtum ingenuè profitentur, peccata ſua agnoſcunt, & ad pœnitentiam ſeſe præparant. Referunt illi Donatiſtas, & vt hi olim turbas graues dederunt, ita iſti quoq; paßim ſciſmatum & periculoſißimorum motuum authores ſunt, quibus Euangelij doctrinam multis ſuſpectam, multis inuiſam quoq; & exoſam reddunt.

At quia de his ſæpe dictum eſt, nos diſcipulorum exemplum imitemur, vt quod hi tunc fecerunt, nos nunquam non faciamus in beneficiorum nobis in Chriſto factorum gratã memoriam. Sunt ea omni æſtimatione maiora, nec in nobis aliquid eſt, quod cum tanta tamq; multiplici Dei bonitate conferri mereatur. Omnibus autem ſacrificijs atq; oblationibus ille obedientiam præfert. Huius primum & præcipuum caput eſt, vt in eum credamus, quem ille miſit, Ieſum Chriſtum videlicet. Hunc ergo agnoſcamus Seruatorem, redemptorem & aduocatum noſtrum, hunc adoremus & colamus in Spiritu & veritate, atq; fidem in hunc vitæ totius actionibus profiteamur. Seruiunt profeßioni huic cœtus ſacri, quos apud omnes veri Dei cultores in ſummo precio ſemper fuiſſe conſtat, quia in illis & Deus coniunctis quaſi viribus colitur, & animorum in fide conſenſio confirmatur, quæ fraternæ charitatis, ex qua germani diſcipuli dignoſcuntur, mater eſt. In illis ergo frequentes ſimus, vt verbum audiamus, beneficia Dei prædicemus, & indeſinenter oremus, vt quam hoc nouiſſimo tempore nobis manifeſtare dignatus eſt, Euangelij lucem indies magis atq; magis in omnium animis accendat, vt Filium ſuum vnigenitum, Ieſum Chriſtum, fide firma appræhendant, & ſalutem in illo æternam conſequantur. Ipſi debetur benedictio, honor gloria & poteſtas in æternum, Amen.

CHRISTO

AETERNO DEO OPT. MAX. S.

Hos æterne tibi conſigno CHRISTE *labores:*
O vtinam dignos, quos tua Sponſa legat.
Iactatur grauibus dum circumuenta procellis,
Vt ratis in medio ſola relicta mari.
Tu regito feſſam, tu clauum CHRISTE *teneto,*
Sis precor ô ſeruis tu Cynoſura tuis.
Da pacem optatam, motos componito fluctus,
Fac ſummi iurent in tua verba Duces.
Sparge ſalutiferi per terras ſemina Verbi:
Vt toto nomen creſcat in orbe tuum.